IN SACROSANCTA QUATUOR IESU CHRISTI EUANGELIA FRANCISCI LUCÆ...

Franciscus Lucas, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

IN SACROSANCTA QVATVOR IESV CHRISTI EVANGELIA

FRANCISCI LVCAE BRVGENSIS
Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ
Theologi & Decani

COMMENTARIVS.

Alia eiusdem Auctoris ad S. SCRIPTVRAE *lucem opuscula.*


IN SACROSANCTA
QVATVOR
IESV CHRISTI
EVANGELIA
FRANCISCI LVCÆ BRVGENSIS
Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ
Theologi & Decani
COMMENTARIVS.
Alia eiusdem Auctoris ad S. SCRIPTVRÆ lucem opuscula.
LABORE ET CONSTANTIA
ANTVERPIAE
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Ioannem Moretum
M. DC. VI.

ALBERTO
ET
ISABELLAE
CLARÆ EVGENIÆ
INFANTI HISPANIARVM,
ARCHIDVCIBVS AVSTRIAE,
BELGII ETHNARCHIS.

CVM elucidationem tractationémque Sacrorum EVANGELIORVM, quam à multis annis parturiui, CELSISSIMI HEROES IIDEMQVE PRINCIPES OPTIMI, eò perduxiſſem, vt, doctorum Amicorum iudicio, in eam formam excreuiſſet, quâ lucem adſpicere optarent: iámque mihi quærendus eſſet, cuius nomini pro more illa inſcriberetur: ante omnes VESTRA CELSITVDO occurrit, cogitanti, ſi quid honoris cuipiam in hac Belgicâ Rep. patriâ meâ, conciliare aut adferre queam, eum me vobis in primis debere, nouis PRINCIPIBVS noſtris, communi nobiſcum aëre ſaléq; viuentibus. Quamuis enim PHILIPPVS ille maximus, pater veſter, REX tam regnis quàm religione Catholi-

 tholi-

tholicus,&sapientiſſimè nos gubernarit,&potentiſſimè defenderit: quia tamen corpore nobis abſens fuit, coactus eſt id magis per Vicarios quàm per ſeipſum facere. Vos autem generoſiſſima illius propago, qui etiam corpore nobis præſentes inter nos viuitis, & veſtris oculis auribúſque percipientes quibus rebus nobis opus ſit, opportuniſſimè prouidetis,denique pericula vobis nobiſcum communia, adhibitis ſolicitudine, cura, labore, aſſiduitate, viribus ac neruis omnibus, adeóque obiectis diſcrimini etiam propriis corporibus (id patuit) fortiſſimè propulſatis, vel hoc nomine magis, & amandi nobis, & honorandi, & colendi eſtis. Præerat quidem PHILIPPVS nobis Regio nomine,ab Hiſpaniarum & Indiarum Regnis accepto: ſed, ſi conſuetudo permitteret, Regium nomen negari vobis haud deberet, qui ex Cæſaribus & Regibus orti, Regiâ poteſtate Belgis dominamini. Immò,ſi ſequi mihi liceat ſacra Euangelia,quorum explicationem profiteor,cur non dicam vos REGES BELGARVM, poſtquam non ſemel hîc legam, Herodem, Galilææ ex Auguſti Cæſaris inſtitutione Tetrarcham, Regem vocari, non aliam ob cauſam (quod docent Interpretes) quàm quia ex Rege natus, Galilææ Regia poteſtate,etſi non Regio nomine, regnabat? Certè ego non iudico,in publicis precibus vbi pro Rege conſueuit orari, Regis nomen mutandum Belgis eſſe cum Principum: quamquam,quia

con-

consuetudo nondum permittit vt vos Reges inscribam, ETHNARCHAS vocem, quod nomen Augustus Cæsar, Archelao Herodis magni Iudææ Regis filio, tamquam Regis nomini proximum, data spe Regij nominis, olim concesserat, Iosepho historiographo teste. Cùm igitur omnem quem alicui adferre possim honorem, VESTRAE CELSITVDINI à me deberi persuasus sim (nam & superioribus annis, munificentia vestra, me dignitate Decani in Ecclesia hac cathedrali S. Audomari ornauit) statui, has lucubrationes meas, sub clarissimi nominis vestri auspiciis edere; sic tamen vt non ignorem, imò verò confidam & sperem, plus mihi honoris à VESTRAE CELSITVDINIS nomine, quàm VESTRAE CELSITVDINI à me accessurum: præsertim si hæ meæ lucubrationes, VESTRAE CELSITVDINIS & doctissimorum virorum qui vobis à consilio sunt (quorum copiâ floret hoc Belgium vestrum, si quæ alia Regio) calculis probatæ, publicè omnibus legendæ commendentur. Quòd si vestris etiam aliquando manibus, ad sacrorum Euangeliorum intelligentiam, voluantur: vt partem temporis publicis negotiis succidere consueuistis, quam sacræ lectioni diuinæque meditationi detis (habentes, more ducum illorum strenuorum Machabæorum, pro solatio sanctos libros, qui sunt in manibus vestris) honorem assecutus mihi videbor longè maximum. Hoc igitur munusculum, CEL-

ſISSIMI PRINCIPES, CLARI atque EVGENII, ſi qui alij inter HEROAS, argumentum obſeruantiæ ſimul & gratitudinis meæ, benignè ſuſcipere ne grauemini, etiam atque etiam rogo. Ita fiet, vt magis magíſque adſtringar, orare DEVM OPT. MAX. vt CELSITVDINEM VESTRAM, hærede auctam, diu nobis atque vniuerſo Belgio ſeruet domi bellíque incolumem, &, auxiliante ex Hiſpaniis altero PHILIPPO, gneſio PHILIPPI filio, fratre veſtro (quod certè facit & promtiſſimè & validiſſimè, magno noſtro bono) hæreticos rebellantes, ad SE VESTRAMQVE CELSITVDINEM piè flexos incuruet. Audomaropoli, celebri ditionis veſtræ ciuitate, in nobili bellicoſorum Artheſiorum regione, anno DOMINI ſexto à ſexcenteſimo & milleſimo, Idibus Ianuarij.

HOC

HOC OPERE CONTINENTVR

Prolegomena ad Lectorem, de totius operis ratione.

Itinerarium Jesu Christi Filij Dei, ex quatuor Euangeliis, iuxta ordinem rerum gestarum.

Euangeliorum secundùm Matthæum & Marcum, sensu historico ac primo exacta tractatio.

Similis tractatio Euangeliorum secundùm Lucam & Iohannem, iis maximè locis, quæ sunt illis cum Matthæi aut Marci Euangeliis communia.

Notarum ad varias lectiones in quatuor Euangeliis occurrentes, Libellus duplex, quorum vno Græcæ, altero Latinæ varietates explicantur.

Tractatus de Chaldaica S. Scripturæ Paraphrasi, quo & ostenditur quis Paraphraseos illius vsus, & plurima S. Scripturæ loca enodantur.

Index locorum S. Scripturæ & Paraphraseos Chaldaicæ, quæ hoc Tractatu exponuntur.

Index Verborum & Rerum, quæ cùm frequenter occurrant, Commentario in quatuor Euangelia semel expenduntur.

Omnia Ecclesiæ Catholicæ, eiúsque in terra conspicui capitis, Romani Pontificis, iudicio, submissa sunto.

FRANCISCVS LVCAS.

APPRO-

COMMENTARIVM hunc in Euangelia ſecundùm Matthæum & Marcum, ac etiam ſecundùm Lucam & Iohannem iis in locis vbi cum duobus prioribus eadem ſcribunt & aliis quibuſdam', cum opuſculis etiam hîc antè recenſitis, à Reuerendo doctiſſimóque Theologo Franciſco Luca Brugenſi, Eccleſiæ Cathedralis Audomarenſis Decano, magno ſtudio & fida diligentia breuique ac clara proindéque laudata methodo compoſitum; quòd nihil contineat Orthodoxę Fidei boniſve moribus aduerſariũ, digniſſimum cenſeo qui typis mandetur, & euulgetur in communem S. Scripturæ ſtudioſorum vtilitatem. Actum Audomaropoli, duodecima Octobris, 1605.

F. Iac. Epiſcopus Audomarenſis.

HI Commentarij à R. D. Franciſco Luca conſcripti, in totum quidem Matthęum & Marcum, in Lucæ verò & Iohannis ea loca quæ cum prioribus habent communia, à nobis infraſcriptis approbati ſunt, vt egregiè docti, & fructum ſtudioſis lectoribus haud vulgarem allaturi, nihilque continentes quod ſanæ doctrinæ repugnet. Quod idem cenſemus de Notis variarum lectionum tam Græcarum quàm Latinarum in quatuor Euangelia, ab eodem authore compoſitis. Actum Duaci, 19. Martij, anno 1602.

Guilielmus Eſtius S. Theol. Doctor & Profeſſor.

Georgius Coluenerius S. Theol. Licent. & Profeſſor, & librorum in Academia Duacena Viſitator.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Austriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimi Belgarum Principes, diplomate suo sanxere; Nequis, *Francisci Lucæ Brugensis Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologi & Decani in Sacrosancta quatuor* IESV CHRISTI *Euangelia Commentarium, & alia eiusdem Auctoris ad* S. SCRIPTVRAE *lucem opuscula*, citra voluntatem Ioannis Moreti, Typographi Antuerpiensis, vllo modo imprimat; aut alibi impressa, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, 11. Decembris, M. DC. V.

Signat.

I. de Buschere.

FRANCISCVS LVCAS LECTORI BENEVOLO,

De operis huius ſui ratione.

CVM *abſoluiſſem aliquando, iam à vigintiquinque eóque amplius annis, in varias SS. Bibliorum lectiones, tum marginales Notas, tum prolixiores tam ad calcem Bibliorum quàm ſeorſum editas Notationes; Christophorus Plantinus, claræ memoriæ, qui me familiariter vtebatur, rogauit, vt me deinde addicerem ſcribendis Scholiis in nouum Teſtamentum, iis quæ nomine Vatabli exſtant conſimilibus in vetus Teſtamentum, quorum ab interſperſis erroribus, operâ Theologorum Louanienſium repurgatorum, editionem meditabatur, pollicitus libros quibus indicarem me opus habere, ſi qui ad manum fortè non eſſent. Ego qui diu ſacrarum literarum ſtudio totum me conſecraueram, &, affectus nonnihil tædio examinandarum variarum lectionum, de quibus iudicium ſæpe ex codicibus magis pendet quàm ex re, anhelaueram ad rimandas ipſas ſacræ ſcripturæ ſententias, mox conditionem amplexus ſum, tum vt ſatisfacerem petitioni amici, qui plurimum poſſet ad huiuſmodi mea ſtudia ornanda, tum vt de Rep. Chriſtiana bene mererer, quod videbar hac ratione conſecuturus. Itaque aggreſſus ſum ſtatim negotium, ne quid mihi temporis periret; exordio, ab eo quod primum obtinet locum, Euangelio Matthæi ſumto: ſed breuì impeditus tumultibus quibus concuſſum fuit Belgium hoc noſtrum, ſuperſedere coactus fui, & aliena agere negotia, eius inquam ſub cuius me receperam inuitatus alas, Epiſcopi Audomaropolitani: ſacra quidem illa pleraque & ædificandæ Eccleſiæ non minimùm vtilia, ſed quorum tanta fuerit multitudo, quantam literarium ſtudium non admiſerit. Cæterùm quamprimum licuit, reſumſi tabulas in manus, & in eo quod diu cœperam opere perrexi, tandémque perduxi ad hunc quem vides, Lector optime, ſtatum, quo Euangelia Matthæi & Marci integrè, Lucæ autem & Johannis magnâ ex parte explicui. Hortatus quidem fuerat Plantinus vt Scholiis Nouum Teſtamentum vniuerſum illuſtrarem: ſed, vt fatear quod res eſt, quando applicare animum cœpi negotio, continere me intra Scholiorum fines haud potui, quin vnum continuum tractatum darem, perſuaſus perire mihi operam, ſi*

carptim

carptim dumtaxat, breuiter & defunctoriè scriberem, quâ integrè exactéq; possem. Verumenimuerò hac præcipua in parte à Scholiastæ proprietate non recessi, quòd non mihi curæ fuerit omnia in medium adferre, quæ vel legissem vel animo concepissem, sed vnum solum, & illum historicum, siue malis literalem, id est, primum sensum, quem sacer Auctor primùm præcipuéque intellexisse visus est, exactè & paucis, quoad eius fieri potuit, expositum. Curauimus enim, vbi varietas erat, illum vnum seligere sensum, qui esset verosimillimus, illumq; ita solide statuere, vt cæteros siue referre siue refutare non esset opus. Nam quod ad mysticos siue spirituales sensus attinet, allegoriam inquam, tropologiam, & anagogiam, cùm illi nitantur historia sensúq; primo vt fundamento, vnde etiam facile elici queant, nos illos, aut præteriuimus, aut vno solùm verbo attigimus. Disputationes denique longas, siue de explicandis dogmatis ecclesiasticis, siue de refellendis hæresibus, euitauimus, nec nisi coacti aliquando breuibus perstrinximus huiusmodi. Quamquam verò resecare hæc pleraque omnia studuerimus, multóque magis superfluum quid dicere cauerimus: dum tamen nihil propositæ Scripturæ præterire voluimus inexplicatum, nec omittere quidquam eorum quæ ad vnum primarium sensum, siue stabiliendum, siue elucidandum facerent, creuit opus opinione maius, & Scholiorum loco euasit iusta tractatio; hoc lucro, quod spero, vt pauca meliùs exactiúsque explicauerimus. Sed illud aliorum esto iudicium. Intereà verò prodierunt ex Typographiâ Plantinianâ, Scholia siue Notationes doctissimi Emanuelis Sà, in nouum Testamentum non solùm, verumetiam in vetus.

De ordine, methodo, ceteríſque in hac Euangeliorum tractatione obſeruandis.

1 IN *primis, ab ipso Euangelij secundùm Matthæum initio, versiculatim progredientes, versiculum tractandum & Græcè & Latinè proponimus, quo facile sit autographum & antigraphum inter se conferre. Cùm enim statutum nobis sit, ad inuestigandum sensum maximè proprium, etiam ea explicare quæ ad literam faciunt editionis vtriusque tam Græcæ quàm Latinæ, adeóque non minùs Græcam enarrare quàm Latinam, sicubi à se mutuò discrepent, non inconsultò vtraque se coràm spectandam offert.*

2 *Ex Græcis porrò textibus, pro integerrimo elegimus, eum qui in Regiorum Bibliorum opere exstat, Bibliorum inquam illorum magnifico-*

rum, quæ Christophorus Plantinus, aucta quinque linguis, nomine & auspiciis magni illius Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici Philippi, nostra ætate edidit.

3 *Inter versiones autem Latinas, veterem vulgatamq; potiùs quàm aliam quamuis proposuimus, moti auctoritate œcumenici Concilij Tridentini, quòd hanc in publicis lectionibus & expositionibus pro authentica habendam definiuit. Quæ si quid aliquando minùs clarè aut commode vertere videatur, præstat hoc ex Commentario intelligere, quàm quauis aliâ additâ Lectorum animos turbare memoriásve confundere. expedit enim versioni vni omnes addictos esse.*

4 *Jam ex variis Latinæ vulgatæq; editionis exemplaribus, illud meritò prætulimus, quod Sixti Quinti Pontificis Maximi curâ recognitum, Iohannes Moretus, Plantinianæ artis industriæq; & hæres & æmulus, iussu Clementis Papæ Octaui, variis formis non ita pridē excudit.*

5 *Hos deinde textus, Græcum Regiorum & Latinum Sixtinorum Bibliorum, cum aliis codicibus & manuscriptis & typis expressis contulimus: non vt textus illos nostrâ auctoritate emendaremus, sed partim vt indicaremus rationes emendationum quæ illis textibus insunt (non facilè enim exstāt alij eiusdem generis emendatiores) aut si non rationes, certè distinctiones genuinæ lectionis à spuria, quando res clarà est (idq; ne in vetera inolitaq; & iam sublata vitia contingat relabi partim vt declararemus, quid in aliis libris inuenerimus, vbi dubitandi causa remanet, quæ sit genuina germanáque siue fontis siue versionis vulgatæ scriptura. Cæterùm ne tractatio hæc nostra, magis lectionum quàm expositionum varietate oneraretur, transtulimus notatiunculas has in finem huius nostri siue Commentarij siue Tractatus, duobus libellis adiectis, quorum vnus de Græcis, alter de Latinis varietatibus agit.*

6 *Post hæc Græcum ac Latinum textus, & inter se, & (quod pauci aut nulli ante nos) cum Syriacâ editione diligentißimè conferimus: nam & ex Syriacâ editione non parùm frequenter lucis accedit, nec minùs Latinus quàm Græcus textus defensionis accipit, quibus locis discrepantia occurrit. Sunt qui Syriacam editionem Euangelij secundùm Matthæum, pro ipso Matthæi autographo habeant: sed ego, tametsi illud nōdum persuasus sum, hoc teneo indubitanter, Syriacum noui Testamenti textum, vetustißimi exemplaris Græci, & quidem ex primis, loco habendum ac venerandum esse. Cuius vtilitatem non in eo solùm consistere, quòd in titulis ac sectionibus paßim meminerit earumdem traditionum ac ceremoniarum, quas etiámnum hodie Latina Ecclesia obseruat (quæ res est non parua) satis spero intelligent, qui hæc nostra legerint.*

Sacris

Sacris verbis declaratis, prosequimur vnum illum, quem dicebamus, qui emergit, siue ex simplici, siue ex metaphorico aut figurato loquendi genere, historicum siue litteralem, vel certè parabolicum sensum, maximè proprium, aut maximè probabilem simplicitate genuitatéque, quem existimamus præcipuè esse è mente Christi Domini aut Euangelistæ. 7

Porrò vbi plures Euangelistæ rem vnam narrant, etiam illos inter se conferimus, vt par est, adeoq́ componimus versus vnius versibus alterius aut aliorum, numeris capitum versuúmque ad margines adscriptis. Nec enim fieri potest, vt solidè quis tractet historiam, vt ab vno Euangelista narratur, si non conferat cum eâdem, vt narratur ab aliis. Quare & nos, non tantùm contulimus inter se, sed & simul tractauimus plura Euangelia, vbi rem vnam describunt reliqua nimirum post primum tractatum (sic enim, & exactior visa est tractatio singulorum, & minoris operæ) ita vt diu nobis tractata fuerit magna Euangeliorum secundum Marcum, Lucam, & Iohannem pars, antequam Euangelium secundùm Matthæum absoluissemus. Cæterùm non permiscuimus Euangelia (nam, præter incommoda multa quæ ex permixtione nascuntur, videntur mereri, vt quæ seorsum singula scripta sunt, seorsum singula & legantur & explicentur) sed ea quidem quæ communia sunt, tractantur à nobis apud eum qui primus ea scribit, & quæcumque circa illa dicenda occurrunt, apud hunc omnia deponuntur, ita vt ad posteriores nihil aut repetatur aut noui addatur, sed ex primo peti omnia iubeantur: quæ verò singulis sunt propria, apud eos quibus propria sunt exponuntur. Verùm ne Lectori incognitus sit ordo rerum gestarum, Commentario præmisimus, qui ad hoc seruiat libellum, titulo Itinerarij Iesu Christi. 8

*Conciliationes autem, vbi videri poßint sibi mutuò contrarij Euangelistæ, explicantur apud posteriorem, eo consilio, quòd non tam qui prior scripsit & prior legitur, videri queat contrarius ei qui posterior scripsit & posterior legitur, quàm è diuerso posterior priori. Porrò in Lucæ & Iohannis Euangeliis, quæ non tota à nobis tractantur, huiusmodi asteriscis** interiectis notatur, quando capita aut versus aliqui desunt.* 9

Iam Hebraica & Syriaca verba quæ à nobis citantur, ita Hebraicis ac Syriacis literis exprimuntur, vt etiam Latinis, in gratiam eorum qui linguas illas non didicerunt. Sed quia Latinè vocales non possunt non addi, idcircò Hebraicè omitti curauimus: quia autem Hebraicæ consonantes se ipsas peritis monstrant, idcircò minùs soliciti fuimus, vt illas Latinè à se mutuò exactè distingueremus. Cauimus autem ne nimij essemus in peregrinarum linguarum verbis proferendis, ac proinde 10

tædium moueremus iis quibus sunt illa incognita: imò verò sic illa referre curauimus, vt sententia constet, etiam omissis illis, vel certè subaudito verbulo vno, Hebraicè, Syriacè, *aut* Græcè est *siue* legitur.

11 *Ad hæc S. Scripturæ & aliorum Auctorum Latina verba quæ à nobis recitantur, alio genere characteris, vt faciliùs dignoscantur, curauimus imprimi. Loca autem s. Scripturæ, adscriptis libri capite & capitis versu indicamus. Porrò raros citamus Auctores, qui ante nos sacra Euangelia interpretati sunt, præsertim recentiores: non ideò tamen nobis ipsis attribuimus ea omnia quæ in medium à nobis adferuntur, cùm plurima fateamur ab aliis inuenta esse: multos enim legimus, adeóque quotquot nancisci potuimus, studio optima quæque ex singulis deriuandi. Quare per nos licet, vt quod vnum Lector inuenit apud eum qui ante nos scripsit simul & apud nos, illi potiùs adscribat quàm nobis: sed quòd à nominandis recentioribus potissimùm Auctoribus, abstinuerimus, plures nos mouerunt causæ. Accrescit tædiosa prolixitas, dum singuli ad loca singula laudantur citantúrque (quare & indicata s. Scripturæ loca, ferè notis parentheseos inclusimus, quò liceat inter legendum omittere) fit vt aliorum verba pro re nata inflectenda nonnihil censuerimus, vt ita non prorsus ipsorum sint: nec enim temerè descripsimus aliena, aut sic vsi sumus aliorum dictis, vt non expenderimus tamquam propria. Sunt denique qui nominari non mereantur, etiamsi rectè aliquid scriptum reliquerint, ij qui inflati donis à Deo acceptis, vt initio diabolus, opponunt se, cui subiici debuerant, à Deo & Christo ædificatæ Ecclesiæ: à qua tamen nisi essent docti, nec Christum ipsum nouissent, multo minùs Scripturam ipsam sacram, quam volunt enarrare; sic autem enarrant, vt lacerent potiùs plerisque locis, vbi ad dògmata veniunt quæ in controuersiam præsumunt vocare. exempla occurrent suis locis manifesta.*

12 *Cæterùm, ne omnino reticeamus nomina Auctorum quibus vsi sumus, inter veteres Græcos, fuère potissimùm, Origenes, Chrysostomus cum discipulis & abbreuiatoribus suis, Theophylacto, Euthymio, Tito & Victore, Cyrillus, Nonnus; inter Latinos, Hilarius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Chromatius, V. Beda, D. Thomas, Druthmarus, Lyranus, & alij. inter illos Latinos qui seculo nostro vel illi viciniùs scripserunt, Dyonisius Carthusianus, Caietanus, Titelmannus, Iansenius, Arias Montanus, Maldonatus, Baronius, Toletus, Barradius, Emanuel Sà, Stapletonus, &, ne longior sim, complures huiusmodi. Postremò inter eos nostri seculi Latinos, qui circa fidem & doctrinam naufragauerunt, alij imprudentes, alij scientes volen-*

volentes (quos auctoritate Apostolicæ legimus) fuere, Erasmus, Faber, Munsterus, Beza, Bucerus, Caluinus, & alij quidam.

Verùm hos etiamsi legerimus atque expenderimus, & quidem diligentißimè plerosque omnes, præter alios, qui non ex professo Euangelia tractantes, his illis locis à nobis consulti sunt: non tamen ita adferimus aliena, vt non propria: rarus enim est locus, quod obseruari posse arbitror, quo post lectos omnes Interpretes, non peculiare aliquid calamo nostro inciderit. Sed Deo soli tribuenda est gloria, si qua resultet, siue ex nostris inuentis siue ex alienis. 13

Porrò hanc explicationem nostram vocauimus Commentarium, vt nomen vulgò notum præ se ferret: ceteroqui maluissemus vocare Tractationem, non tam Ciceronem imitati, qui ab hac voce non abhorret, quàm Christianos Patres, apud quos frequens est, tractare Scripturam sacram *pro exponere, &* tractator *pro Scripturæ sacræ expositore; præsertim verò D. Augustinum, qui tractans Euangelium secundùm Iohannem, inter cætera, tractatorem distinguit à lectore, datq́; intelligendum, lectorem suo tempore dictum fuisse, qui S. scripturam in Ecclesia legeret, tractatorem verò qui eamdem exponeret. non procul ab initio tractatus vigesimi secundi.* 14

Postremo loco contestandum mihi hic est, quòd non ex proprio ingenio sacro-sanctam Scripturam tractare aut interpretari voluerim, sed conatus sim ex ratione Veterum Patrum, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritate (vbi illa liquebat) cuius est de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum iudicare: cuius proinde iudicio ac sensuræ omnia submisi. 15

ITINERARIVM
IESV CHRISTI
FILII DEI,

Ex quatuor EVANGELIIS, *iuxta ordinem rerum gestarum, operâ* FRANCISCI LVCAE *collectum.*

Pueritia CHRISTI.

VERBVM, quod erat in principio Deus apud Deum, in plenitudine temporis factum est caro, & habitauit in nobis. *Iohan. 1. versu primo & sequentibus.* quod quidem *& sequentibus*, plerumque subaudiendum deinde est.

Regnante Herode rege Iudææ, Angelo Gabriele prænuncio, Zacharias Sacerdos, ex Elizabeth vxore sterili ac sene, suscipit filium, futurum præcursorem Verbi facti caro, id est, Christi. *Lucæ 1. ver. 5.*

Sexto pòst mense, eodem Gabriele nuncio, Maria virgo, desponsata Ioseph, ex stirpe Dauid, concipit Christum. *Luc. 1. ver. 26.*

Maria grauida Christo, visitatâ Elizabeth grauidâ præcursore, magnificat Dominum. *Luc. 1. v. 39.*

Natus præcursor, & octauo die circumcisus, accipit nomen Iohannes. *Luc. 1. v. 57.*

Zacharias pater, linguæ vsu recepto, benedicit Deum. *Lu 1. v. 67.*

Ioseph maritus Mariæ, per quietem docetur ab Angelo, quòd vxor ipsius sit grauida de Spiritu sancto. *Mat. 1. v. 19.*

Christus nascitur in Bethlehem ex virgine Maria. *Luc. 2. v. 1.*

Eius genealogia ex Abraham & Dauid describitur. *Matth. 1. ver. 1. Lucæ 3. ver. 23.*

Natus, mox manifestatur ab angelis. *Luc. 2. v. 8.*

Circumcisus octauo die, accipit nomen Iesus. *Luc. 2. v. 21.*

Adoratur à Magis, ex Oriente inuisentibus, excitis ortu stellæ ipsius. *Mat. 2. v. 1.*

Impletis diebus purgationis, sistitur Domino Ierosolymis in templo. *Lucæ 2. ver. 22.*

Subtrahitur infanticidio ab Herode meditato, translatus Angeli monitu in Ægyptum. *Mat. 2. v. 13.*

Ex Ægypto reuersus habitauit cum parentibus in Nazareth Galilælę, vsque in diem ostensionis suę ad Israël. *Mat.2.ver.19.*

Duodecim annos natus celebrat Ierosolymis cum parentibus Pascha, & inter doctores edit specimen sapientiæ singularis. *Luc.2. v.41.*

Aetas virilis CHRISTI.

ANNO decimoquinto Tiberij Cęsaris, missus à Deo ex deserto Iohannes, prædicauit instantem Christi aduentum, omnesque ad eum parare conatus est, pœnitentię prædicatione & baptismi administratione. *Mat.3.v.1. Luc.3.v.1. Iohan.1.v.6.7.15.*

Iohanni inter alios & Iesus obtulit se baptizandum, iam exacto anno ætatis tricesimo. *Mat.3.v.13. Mar.1.v.9. Luc.3.v.21.23.*

Baptizatus Iesus, declaratus est cælitus Iohanni, esse Christus Filius Dei. *Mat.3.v.16. Mar.1.v.10. Luc.3.v.21. Iohan.1.v.23.*

Mox à baptismo Iesus secessit in desertum, vbi, continuo quadraginta dierum ieiunio, & variis colluctationibus aduersus diabolum, se exercuit. *Mat.4.v.1. Mar.1.v.12. Luc.4.ver.1.*

Inter hęc, Iohannes, existimantibus omnibus, ipsum esse Christum, constanter confessus est, etiam apud legatos principum Iudæorum ex professo ad se missos, se, non Christum esse, sed pręcursorem Christi, longè pręstantioris se, breuî appariturі. *Luc.3.v.15. Ioh.1.v.19.*

Postridie Iudaicę illius legationis, Iesus, reuertens ex deserto, vbi egerat dies 40., venit ad Iohannem: quem Iohannes digito monstrans, declarauit præsentibus omnibus, esse Christum illum Filium & Agnum Dei, quem hactenus promiserat. *Ioh.1.ver.29.*

Die subsequente, cùm idem testimonium repetiisset Iohannes, secuti sunt Iesum duo ex discipulis Iohannis, quorum vnus Andreas. *Iohan.1.ver.35.*

Andreas Christo lucrifactus, adduxit postridie ad Iesum Simonem fratrem suum. *Joh.1.v.41.*

Die proximè sequenti, Iesus iter iniens è Iudæa in Galilæam, Philippum obuium vocauit ad sequelam. *Ioh.1.v.43.*

Philippus paulò pòst attraxit Nathanaëlem legisperitum. *Ioh.1.v.45.*

Die tertio Iesus ex quo discesserat è Iudæa, interfuit nuptiis in Cana Galilæę cum nouis discipulis, ibique mutatâ aquâ in vinum, primum edidit miraculum. *Ioh.2.v.1.*

Post hoc descendit Capharnaum cum suis. *Joh.2.v.12.*

E Capharnao, breuî ascendit Ierosolymam ad imminens Pascha. *Johan.2.ver.13.*

Ierosolymam vt venerat, eiecit è templo negotiatores. *Io.2.v.14.*

Annus primus prædicationis Christi, incipiens à Paschate sequente proximè Baptismum Christi.

HOC Pascha, quod primum fuit à baptismo Iesu, cœpit Iesus Ierosolymis prædicare Euangelium, inque eius confirmationem, complura signa edidit, ob quæ multi in eum crediderunt. *Johan. 2. ver. 23. & 4. ver. 45.*

Eo tempore, Nicodemus vnus ex Principibus Iudæorum, à Iesu noctu conuento docetur mysteria fidei Christianæ. *Ioh. 3. v. 1.*

Ierosolymorum ciuitate relictâ, Iesus in campestri Iudææ regione agens, baptizat per discipulos, per se prædicans haud dubiè. *Io. 3. ver. 22. & 4. ver. 2.*

Eo tempore & Iohannes adhuc baptizabat: quâ occasione, discipulos suos ægrè ferentes populi confluxum ad Iesum, docet Iohannes quòd ipse cedere debeat Iesu. *Joh. 3. v. 23.*

Paulò pòst, Herodes tetrarcha coniicit Iohannem in carcerem, eò quòd corriperetur ab eo de incestu aliisque sceleribus. *Mat. 14. ver. 3. Mar. 6. v. 17. Lucæ 3. v. 19.*

Quod cùm audisset Iesus, recessit è Iudæa, & Euangelij prædicationem transtulit in Galilæam. *Matth. 4. versu 12. Marci 1. ver. 14. Joh. 4. ver. 1.*

Transiens autem per Samariam, docuit mulierem Samaritanam & populum, biduum illic hærens. *Ioh. 4. v. 4.*

Inde veniens in Galilæam, honorificè à Galilæis exceptus est, ob signa quæ viderant eum superiori Paschate patrasse Ierosolymis. *Iohan. 4. versu 45.*

Cùm peruenisset autem in Canam Galilææ, ibi rogatus, filium Reguli Capharnai febricitantem sanauit. *Joh. 4. v. 46.*

Ex Cana licet rectum iter esset in vicinam Nazareth, tamen relicta Nazareth, abiit in Capharnaum, ibique delegit sibi habitationem. *Matthæi 4. ver. 13.*

Illinc obibat Iesus totam Galilæam, prædicans Euangelium & sanans omnem languorem. *Mat. 4. v. 17. 23. Mar. 1. v. 15.*

In primis autem ad mare docens turbam, edito miraculo captorum piscium, Simonem & Andream, necnon Iacobum & Iohannem, fratres, à familiari arte piscandi pisces, ad perpetuam sequelam artemque piscandi homines vocauit. *Mat. 4. ver. 18. Mar. 1. ver. 16. Luc. 5. ver. 1.*

Cum his ingressus sabbatho synagogam vrbis Capharnaum, post doctrinam eiecit è quodam dæmoniaco immundum spiritum. *Mar. 1. ver. 21. Luc. 4. ver. 31.*

Egres-

Egressus synagoga venit ad domum Petri, vbi socrum eius febricitantem sanauit. *Mat.8.v.14. Mar.1.v.29. Luca 4.v.38.*

Famâ increbrescente, adducta vesperi ad ianuam domus est turba dæmoniacorum & infirmorun, quos omnes impositis manibus sanauit. *Mat. 8. ver.16. Mar.1.v.32. Luca 4. v. 40.*

Postridie summo mane exit Capharnao in desertum ad orandum: vnde pergit peragrare Galilæam, & vbique prædicare ac sanare. *Mar.1.ver. 35. Luca 4. ver.42.*

A multitudine aliquando oppressus voluit traiicere. *Mat.8. ver.18.*

Ibi quidam perpetuum comitem se Iesu offerens, reiectus est. *Mat.8. versu 19.*

Inter nauigandum, illo dormiente, orta tempestas maxima, minata omnibus naufragium est: quam ille à discipulis excitatus facillimè vno verbo sedauit. *Mat.8. ver. 24. Mar.4.ver.37. Luc.8. ver.23.*

Nauigio delatus in regionem Gerasenorum, oppositam Galilææ, obuios duos dæmoniacos liberauit à dæmoniorum quibus obnoxij erant ingenti turba: quæ ipsius permissu ingressa in porcos, submersit ad duo milia porcorum. *Mat.8. ver.28. Mar.5. ver. 1. Luc. 8.v.26.*

Reuersus nauigio in Galilæam, Capharnaum iterùm ingreditur, vbi die quodam paralyticum per tectum domus ad se demissum curat. *Mat. 9.ver.1. Mar.2.ver.1. Luc.5. ver.18.*

Egrediens illâ domo ad mare, in itinere Matthæum ad telonium sedentem, vocat, vt sit ipsius discipulus & perpetuus sectator. *Mat.9.v.9. Mar.2.v.14. Luc. 5.v.27.*

Dehinc à Iairo principe Synagogę rogatus sanare filiam ipsius moribundam, inter eundum curat Hæmorrhoissam tangentem fimbriam vestimenti eius, domique Iairi, filiam mortuam reuocat in vitam. *Mat.9. ver.18. Mar.5. v.22. Luc.8.v.41.*

Vnde digressus, duobus cæcis se sequentibus visum reddidit, & ex quodam alio dæmonium mutum eiecit. *Mat.9. ver.27.*

Annus

Annus secundus prædicantis Christi, incipiens à secundo Paschate sequente baptismum eius.

ASCENDIT è Galilæa Ierosolymam ad secundum à baptismo suo Pascha celebrandum. *Ioh. 5. v. 1.*

Ierosolymis ad probaticam piscinam, die sabbati, sanat eum qui 38. annos decubuerat, ita perfectè vt grabatum suum in humeros sublatum auferre valeret: quod factum Iudæis calumniantibus, quia sabbato acciderat, amplè defendit. *Iohan. 5. ver. 2.*

Pharisæos rursus, quòd damnassent discipulos eius, quia sabbato spicas decerptas & manibus confricatas comedissent, refellit. *Mat. 12. v. 2. Mar. 2. ver. 23. Luc. 6. v. 1.*

Idem fecit, postquam alio quodam sabbato, in synagoga Galilææ, restituisset sanitati cuiusdam manum aridam. *Mat. 12. v. 9. Mar. 3. v. 1. Lucæ 6. ver. 6.*

Quod ægerrimè ferentibus illis, secedens ad mare, turbam vndique confluentem docet è nauicula, & sanat innumeros morbidos & dæmoniacos. *Mat. 12. ver. 15. Mar. 3. ver. 7.*

In illis diebus, relictis turbis, ascendit in montem, & postquam pernoctasset in oratione Dei, manè, ex accersitis ad se discipulis, elegit duodecim Apostolos. *Mar. 3. ver. 13. Lucæ 6. ver. 12.*

Cum his descendens è montis cacumine in planitiem, habet ad eos, & ad immensam multitudinem præsentem, sermonem illum qui dicitur sermo Domini in monte, continentem summam vitæ ac perfectionis Euangelicæ. *Mat. 5. ver. 1. Luc. 6. ver. 17.*

Descendens de monte in agrum oppidi Capharnai, tactu manus mundat leprosum. *Mat. 8. ver. 1. Mar. 1. ver. 40. Lucæ 5. ver. 12.*

Oppidum ingressus, seruum Centurionis à paralysi liberat. *Mat. 8. ver. 5. Lucæ 7. ver. 1.*

Post hæc ad oppidum Naim resuscitat vnigenitum viduæ filium, qui ad sepulturam efferebatur. *Lucæ 7. ver. 11.*

His auditis, Iohannes è carcere misit discipulos suos ad Iesum, vt instruerentur ab ipso. *Mat. 11. ver. 2. Luc. 7. ver. 18.*

Illis reuersis, laudatur Iohannes multis nominibus, & taxantur illius ætatis homines, quòd nullis modis ad pœnitentiam adducerentur. *Mat. 11. ver. 7. Lucæ 7. ver. 24.*

Prandens Iesus apud Simonem Pharisæum, Magdalenæ pœnitenti remittit peccata. *Lucæ 7. ver. 36.*

Capharnai, domi suæ, dæmoniacum cæcum ac mutum, ab omnibus semel liberat malis. *Mat. 12. ver. 22. Lucæ 11. ver. 14.*

Pharisęos & scribas calumniantes hæc miracula, tamquam dæmonis operâ

operâ edita, & cælestia requirentes, refellit. *Mat.12.v.24.Mar.3.ver. 22. Lucæ 11.ver.15.*

Inter hæc, ipsius Cognati adsunt è Nazareth, vt ipsum tamquam furiosum comprehendant. *Mar.3.v.21.31.*

Significante quodam, Cognatorum præsentiam, desiderantium eum conuentum, docet, se pro matre & fratribus habere auditores obseruatoresque verbi Dei. *Matthæi 13. versu 46. Mar. 3. versu 31.Luc.8. versu 19.*

Egressus domo ad mare, docuit turbam, propositis variis parabolis, seminis, zizaniorum, sinapi, fermenti, quas domi explicuit discipulis suis, adiectis etiam aliis, de thesauro, de margarita, de sagena in mare missa. *Mat.13.v.1. Mar.4.v.1. Luc.8.v.4.*

Post hęc profectus in patriam Nazareth, & sabbato illic in synagoga concionatus, non est receptus, imò ciuitate eiectus. *Mat.13.v.54. Mar.6.v.1. Luc.4.v.16.*

Obambulat per vicos circùm Nazareth, docens. *Mar.6.v.6.*

Pergit deinde adhuc circumire ciuitates & vicos Galilęę, vnà cum duodecim Apostolis, & mulieribus aliquot quas sanauerat, subministrantibus necessaria vitæ. *Lucæ 8.v.1.*

Duodecim Apostolos abs se instructos, & gratia miraculorum auctos, binos emittit ad Euangelium regni prædicandum. *Mat.10. versu 1. Mar.6.ver.7. Luc. 9. v.1.*

Illi circumeuntes per pagos, vbique prædicant, dæmonia eiiciunt, infirmos oleo vngunt & sanant. *Mar. 6.v.12. Luc.9.v.6.*

Nec interim cessat Iesus & ipse Galilęam peragrare. *Matthæi 11. versu 1.*

Herodes auditâ famâ Iesu, suspicatur, Iohannem, non ita pridem abs se occisum gladio, à morte resuscitatum. *Mat.14.v.1. Mar.6.v.14. Lucæ 9.v.7.*

Iesus, cum Apostolis reuersis ad se, secedit in desertum Bethsaidę trans mare Galilææ: quò consequente etiam turbâ, post doctrinam ac morborum sanationem, pascit quinque milia virorum, quinque panibus hordeaceis ac duobus piscibus, remanentibus à refectione duodecim cophinis reliquiarum. *Mat.14.ver.13. Mar.6.ver.30. Lucæ 9. ver.10. Ioh.6.v.1.*

Hoc miraculo sub vesperam perpetrato, discipulos quidem suos iussit transfretare, ipse autem fugit in montem orandi causa. *Mat.14.ver. 22. Mar.6.v.45. Iohan.6.v.15.*

Videns è monte discipulos totâ nocte laborantes aduersus tempestatem, quartâ vigiliâ venit ad eos ambulans super mare, hoc idem quoque Petro concedens, & suo in nauim ingressu tempestatem sedat. *Mat.14. ver 24. Mar.6.v.48. Iohan.6.v.18.*

Egres-

Egressus naui in terram Genesareth, confluentes vndique ęgros, contactu fimbriæ sanat. *Mat.14.v.34. Mar.6.v.53.*

Inde ingressus synagogam Capharnai, ibique inuentus ab iis quos in deserto refecerat pane, multis docuit se esse panem vitę, & carnem suam esse cibum, sanguinem potum, ad salutem sumenda ab omnibus. *Johan.6. versu 24.*

Annus tertius prædicantis Christi, incipiens à tertio Paschate sequente baptismum eius.

HOC Paschate Iesus Ierosolymam non ascendit, quia quærebant eum Iudæi interficere. *Johan.7. ver.1.*

Cùm igitur in Galilæa versaretur, Scribarum quidam Ierosolymâ ad eum in Galilæam profecti, disputarunt cum eo de obseruandis traditionibus seniorum. *Mat.15. ver.1. Mar.7. v.1.*

E Galilæa egressus in partes Tyri & Sidonis, filiam Chananæę liberat à dæmonio. *Mat.15. ver. 21.*

Vnde reuersus ad mare Galilæę, multos debiles sibi oblatos sanauit, & inter alios quemdam surdum simul & mutum. *Mat. 15. versu 29. Mar. 7. ver. 32.*

Eo tempore misertus multitudinis defectæ cibo, saturauit iterùm quatuor milia virorum, septem panibus ac paucis pisciculis, ita vt superessent septem sportæ reliquiarum. *Mat.15.v.32. Mar.8.v.1.*

Quo facto miraculo, transmisit mare, venitque in partes Magedan & Dalmanutha. *Mat.15. v.39. Mar.7. v.10.*

Ibi à Pharisęis & Sadducæis rogatur signum de cælo: quibus reiectis, rursus conscensa naui transfretauit, admonens discipulos cauere à fermento Pharisęorum ac Sadducęorum. *Mat. 16. v. 1. Mar.8. v.11.*

Cùm autem venisset Bethsaidam, cæco extra vicum educto visum restituit. *Mar.8. v.22.*

Illinc profectus in partes Cæsaraeę Philippi, probat Petri de se fidem, & super eum vt petram, ædificandam à se promittit Ecclesiam. *Mat.16. ver.13. Mar.8. v.27. Luc.9. v. 18.*

Mox prędicit mortem & passionem Ierosolymis à se subeundam: quod audire abhorrentem Petrum culpat, docens vnicuique ferendam esse suam crucem, qui saluus esse velit. *Mat. 16. v. 21. Mar.8. ver.31. Lucæ 9. ver.22.*

Octauo pòst die à confessione Petri, transfigurat se in monte, præbens discipulis suis specimen glorię quam à cruce exspectaret, & testimonium accipit à Mose, Elia, ac Patre. *Mat.17. versu 1. Mar. 9. versu 1. Lucæ 9. versu 28.*

Postridie cùm ex monte descendisset ad turbas, curauit lunaticum,

eiecto

eiecto dæmonio muto, quod discipuli eiicere non potuerant. *Mat. 17. versu 14. Marci 9. ver. 13. Lucæ 9. v. 37.*

Inde iter faciens per Galilæam, iterùm prędicit suam passionem, mortem ac resurrectionem. *Mat. 17. versu. 22. Marci 9. v. 29. Lucæ 9. versu 44.*

Ingressus Capharnaum, iussit solui exactoribus, didrachmum vnum pro se, alterum pro Petro, ne cui esset scandalo. *Mat. 17. v. 24.*

Eo loci, domi, repressit ambitionem discipulorum suorum, qui in itinere contenderant de primatu. *Mat. 18. versu 1. Mar. 9. ver. 32. Lucæ 9. ver. 46.*

Ibidem docuit, scandala studiosè esse cauenda, fratrem peccantem corripiendum, peccata in nos admissa facilè esse condonanda, exemplo regis ineuntis rationem cum seruis suis, & alia. *Mat. 18. versu 6. Mar. 9. ver. 41. Lucæ 17. v. 1.*

Instante die festo scenopegiorum seu tabernaculorum, suggerentibus ambitiosè cognatis, vt in Iudæam iret ad diem festum, & vniuerso illic se mundo ostentaret, habuit se tamquam non iturus: postquam tamen illi abierant, & ipse eò ascendit, non manifestè, sed quasi in occulto: & simul migrauit è Galilæa in Iudæam. *Mat. 19. versu 1. Joh. 7. v. 2.*

In itinere negatum à Samaritanis hospitium noluit vlcisci, quod volebant discipuli: imò è contrà, obuium Samaritanum leprosum, inter alios mundauit, & præ aliis laudauit. *Lucæ 9. v. 51. & 17. v. 11.*

Ex Samaria profectus est vltra Iordanem in fines Iudæę. *Matth. 19. ver. 1. Mar. 10. v. 1.*

Inde ingressus Ierusalem, tam circa medium scenopegiorum, quàm nouissimo die illius festiuitatis, docuit in templo, ita efficaciter, vt ministri missi ad eum capiendum, ipsi caperentur. *Ioh. 7. v. 14.*

Vesperâ nouissimi diei scenopegiorum, exiuit ciuitate in montem Olineti. *Johan. 8. versu 1.*

Postridie ex monte Olineti reuersus in templum, dimittit mulierem adulteram, pudefactis inimicis qui subdolè eam adduxerant. *Iohan. 8. versu 2.*

Tunc nouo sermone ostendit quis esset, tandemque cùm vellent Iudæi eum lapidare vt blasphemum, exiuit è templo. *Ioh. 8. v. 12.*

Præteriens autem hominem cæcum à natiuitate, sanauit eum, luto ex sputo, imposito ipsius oculis, idque die sabbati. *Ioh. 9. v. 1.*

Post hæc disserit de pastore, mercenario, & ouibus, pastorem bonum se esse affirmans. *Joh. 10. v. 1.*

Relicta deinde vrbe Ierosolymorum, peragrat ciuitates & vicos Iudæę ac Peræç, præmittens septuagintaduos discipulos, binos, cum mandatis qualibus nuper duodecim Apostolos, in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus. *Lucæ 10. v. 1.*

Reuersos LXXII. discipulos docet Iesus modestè de se sentire, & gratias agit Deo Patri. *Lucæ 10. ver. 17. Mat. 11. ver. 25.*

Scribam, tentatorem arrogantem, docet, allatâ parabolâ de Samaritano, quis sit proximus quem diligere debeat. *Lucæ 10. versu 25.*

Exceptus aliquando hospitio in Bethania à sororibus duabus, prætulit sanctum otium Mariæ, solicito ministerio Marthę. *Lucæ 10. v. 38.*

Surgens ab oratione, rogatus docet discipulos formam orandi: *Pater noster*, &c. qualem anno secundo in monte discipulos simul & turbam docuerat. *Lucæ 11. versu 1.*

Docet in oratione perseuerandum. *Luc. 11. v. 5. & 18. v. 1.*

Vocatus aliquando à quodam Pharisæo ad prandium, liberè inuectus est in Pharisæorum præposteram munditiem, ambitionem, hypocrisim, & cætera vitia. *Lucæ 11. ver. 37.*

Occasione ab eo sumtâ, qui cum fratre diuidere volebat hæreditatem, dehortatur ab auaritia & cura temporalium. *Luc. 12. v. 13.*

Accepto nuncio de Galilæis à Pilato occisis, inuitat omnes ad pœnitentiam; alioquin instar ficus infrugiferæ excidendos. *Luc. 13. v. 1.*

Mulierem ab octodecim annis contractam sabbato erigit, & archisynagogum obmurmurantem reprimit. *Lucæ 13. v. 10.*

Cùm per ciuitates & castella Iudææ ambulans, tenderet Ierosolymam, rogatus an pauci saluandi sint, monet ingrediendum per angustam portam, cuius ostium semel clausum, multi frustrà sint pulsaturi. *Lucæ 13. versu 22.*

Eodem die monitus à quibusdam vt sibi ab Herode caueret, respondit in Ierusalem sibi esse moriendum. *Lucæ 13. v. 31.*

A Principe Pharisæorum ad prandium vocatus die sabbati, contactu curauit hydropicum ante se collocatum, efficaciter monstrans id licere: docuit deinde & inuitantem & conuiuas multa salutaria. *Luc. 14. v. 1.*

In itinere docet turbas, qualem oporteat eum se præstare, qui ipsius velit esse discipulus. *Lucæ 14. v. 25.*

Multis hortatur ad eleemosynam, propositis etiam exemplis iniqui villici & diuitis epulonis. *Lucæ 16. v. 1.*

Pharisæos & Scribas murmurantes quòd peccatores reciperet, refellit, allatis tribus similitudinibus, de oue, drachma, & filio, perditis. *Lucæ 15. versu 1.*

Hyeme ad encænia reuersus Ierosolymam, ambulansque in templo, in porticu Salomonis, disputat cum Iudæis se circumdantibus. *Iohan. 10. versu 22.*

Quorum manibus se subtrahens, dum nihil apud eos proficeret, abiit iterùm in fines Iudææ trans Iordanem, in Bethaniam seu Bethabaram, locum vbi erat Iohannes baptizans primùm, & mansit illic. *Iohan. 10. versu 40.*

Cùm

Cùm etiam eò plurimi conuenirent ad eum, consueto more eos docuit & sanauit. *Joh. 10. versu 41. Mat. 19. v. 2. Mar. 10. v. 1.*

Disputat illic cum Scribis de diuortio & coniugij firmitate, cœlibatum præfert matrimonio, & multa alia sancta docet. *Mat. 19. ver. 3. Mar. 10. v. 2.*

Paruulos non vult à se arceri, imò manibus impositis eis benedicit. *Mat. 19. v. 13. Mar. 10. v. 13. Lucæ 18. v. 15.*

Adolescens diues, proposito studio paupertatis absterretur à sequendo Iesum. *Mat. 19. ver. 16. Mar. 10. v. 17. Lucæ 18. v. 18.*

Hac occasione docet difficultatem quam diuitiæ adferunt quærentibus regnum cęlorum, & felicitatem eorum qui sua omnia Dei causâ reliquerint. *Mat. 19. ver. 23. Mar. 10. v. 23. Lucæ 18. v. 24.*

Allatâ parabolâ operariorum ad excolendam vineam per omnes diei horas conductorum, docet sæpè fieri, vt qui minimi à mundo, maximi à Deo fiant. *Mat. 20. ver. 1.*

In finibus Iudæę accipit è Bethania nuncium de infirmitate Lazari, nec priùs tamen loco se mouet, quàm sciat esse mortuum. *Iohan. 11. versu 1.*

Bethaniam cùm venit, consolatus spe bona Mariam & Martham, Lazarum fratrem earum quatriduo sepultum reuocauit in vitam. *Iohan. 11. versu 17.*

Multis qui præsentes adfuerant adductis hoc miraculo ad fidem in Iesum, Pontifices & Pharisæi definiuerunt, omnino interficiendum esse Iesum. *Iohan. 11. v. 46.*

Quocirca rediit Iesus cum discipulis suis è Bethania in fines Iudææ, & quidem in regionem iuxta desertum, in ciuitatem Ephrem. *Johan. 11. versu 54.*

Illic postquam moratus fuisset diebus aliquot, publico abstinens; instante pascha ascendit Ierosolymam, in itinere rursus admonens discipulos suos seorsum, de morte crucis aliisque quæ Ierosolymis iam esset passurus. *Iohan.* 11. *versu 65. Mat. 20. ver. 17. Mar.* 10. *ver. 32. Lucæ* 18. *versu 31.*

Qua re non obstante, cùm occuparet animos discipulorum Iesu, quòd regni ineundi causâ Ierosolymam ascenderet, filij Zebedæi per matrem supplicarunt, vt primæ in hoc regno ipsis concederentur, cæteris Apostolis id ægrè ferentibus. *Matth. 20. versu 20. Mar.* 10. *ver. 35. Lucæ* 19. *versu* 11.

Hinc ingressus Iesus obuiam ciuitatem Iericho, à Zachæo publicano exceptus hospitio est. *Lucæ* 19. *versu* 1.

Egressus eâ ciuitate Ierosolymam versus, duobus cæcis mendicis, quorum vni nomen Bartimæus, restituit visum. *Mat. 20. ver. 29. Marci* 10. *ver. 46. Lucæ* 18. *ver. 35.*

Cœptum proſecutus iter, ante ſex dies Paſchæ, hoc eſt, die Paraſceues ſeu veneris ante Paſcha, venit Bethaniam. *Ioh.12. v.1.*

Illîc poſtridie, id eſt, die ſabbati, in domo Simonis leproſi, honorificâ cœnâ exceptus eſt, Lazaro accumbente menſæ, Martha miniſtrante, & Maria libram vnguenti nardini in caput pedeſque eius effundente. *Mat.26.v.6. Mar.14.v.3. Ioh.12.v.2.*

Hanc vnguenti pretioſiſſimi effuſionem ægrè ferentes quidam diſcipulorum, præſertim verò Iudas, à Domino verbis caſtigati fuêre. *Mat. 26.v.8. Mar.14.v.4. Joh.12.v.4.*

Poſtridie, quem nos dicimus diem Dominicum, è Bethania profectus Bethphage ad montem oliueti, illinc, ſedens aſino, quem iuſſit adduci, & permiſit palliis diſcipulorum ſterni, perrexit Ieroſolymam, per viam ramis arborum & comitantium veſtibus ſtratam, populo gratulabundè acclamante Benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſraël. *Mat. 21.v.1. Mar.11.v.1. Lucæ 19.v.29. Ioh.12.v.12.*

Proximus Ieroſolymæ, vt eam vidit, fleuit, eiuſque excidium prædixit, futurum quia non agnoſceret tempus viſitationis ſuæ. *Lucæ 19. verſu 41.*

Huiuſmodi cum pompâ ciuitatem ingreſſus, ante omnia inuiſens templum, purgauit illud à negotiantium ſordibus, & ornauit diſtributis variis donis ſanitatis. *Mat.21. verſu 12. Marci 11. verſu 15. Lucæ 19. verſu 45.*

Indignantibus ob hęc Principibus Iudęorum, contrà verò gentilibus quibuſdam deſiderantibus videre Ieſum, glorificatur Ieſus à Patre, voce è cælis emiſſa. *Mat.21.v.15. Luc.19.v.39. Ioh.12.v.20.*

Veſperi egreſſus ciuitate in Bethaniam, & poſtridie manè, hoc eſt, die lunæ, reuertens, maledixit ficui infructuoſæ: poſtquam autem diem illum docendo in templo tranſegiſſet, iterùm ſub veſperam egreſſus eſt ciuitate in Bethaniam. *Mat.21.v.17. Marci 11.v.11.*

Die martis manè, cùm rediret in ciuitatem, diſcipulos in itinere obſeruantes ficum, cui pridie maledixerat, radicitus areſactam, docuit vim viuæ fidei & orationis. *Matthæi 26. verſu 20. Marci 11. verſu 20.*

Deinde in templo, Principes ſacerdotum ac populi interrogantes Quánam poteſtate hęc omnia faceret, egregiè refellit, & non obſcurè perſtrinxit, quòd ſcientes ipſum eſſe Chriſtum, ne quid ipſis de ſuo commodo decederet, nollent agnoſcere. quare & excidendos eſſe prædixit. *Mat. 21. ver.23. Marci 11. v.27. Lucæ 20.v.1.*

Cùm autem illi Ieſum manibus capere metu populi non auderent, conati ſunt eum capere ſermone, propoſitis ſubdolis quæſtionibus, de cenſu, de reſurrectione, de mandato maximo: quas omnes ſapientiſſimè ſoluit. *Mat. 22.v.15. Mar.12.v.13. Lucæ 20.v.20.*

Propo-

Proposuit tandem ipse vicissim eis quæstionem, de duplici naturâ Christi, qua os eis obturauit. *Mat.22.v.41.Mar.12.versu 15.Luc.20. versu 41.*

Tunc inuectus est in hypocrisim & cætera illorum crimina, interminans eis diuinam vindictam. *Mat.23.v.1. Marci 12.ver.38. Luca 20.versu 45.*

Post hæc cùm sederet contra gazophylacium, & obseruaret munera quæ iniiciebantur, prætulit munus pauperculæ viduæ, constans duobus minutis, omnibus diuitum muneribus. *Mar.12.v.41.Luca 21.v.1.*

Deinde egressus templo, discipulis considerantibus & admirantibus structuram illius, prædixit ruinam. *Mat.24.v.1. Mar.13.ver.1.Luca 21.versu 5.*

Vlteriùs digressus in montem oliuarum, illicq; sedens ex aduerso templi, interrogatus est à discipulis, Quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui ac consummationis seculi? Quibus dedit Iesus, inprimis signa communia consummationi Ierosolymorum ac templi & consummationi seculi, deinde propria consummationi Ierosolymorum ac templi, denique propria consummationi seculi. *Matth.34.v.3. Mar.13.v.3. Luca 21. versu 7.*

His tamen signis non obstantibus, pronunciat diem aduentus sui incertum fore, ac propterea omnibus vigilandum esse, ne imparatos præoccupet dies ille, adhibitis variis similitudinibus, decem virginum, serui pigri, &c. *Mat.24.ver.36.Mar.13.v.32.Luc.21.v.34.*

Postremò describit formam iudicij generalis in nouissimo die futuri. *Mat.25.v.31.*

Huiusmodi sermonibus ad mediam vsque noctem protractis, id est, ad initium vsque diei Mercurij, subdidit Iesus, se crucifigendum post biduum, ipso nimirum die Paschæ. *Mat.26.v.1.*

Luce diei Mercurij, Iudas, cum Principibus sacerdotum consilium ineuntibrs de modo comprehendendi Iesu, pactus est proditionem magistri sui. *Mat.26.v.3.14. Mar.14.v.1.10. Luca 22. v.1.*

Die Iouis ante meridiem, emisit Iesus duos discipulorum suorum in ciuitatem, ad parandum Pascha, in domo quam numquam anteà nouerant. *Mat.26.v.17.Mar.14.v.12.Luca 22.v.7.*

Annus quartus, incipiens à quarto post Christi baptismum Paschate.

HVIVS anni die primo, id est, die festo Paschæ, seu primo Azymorum, qui incipiebat die Iouis ab occasu solis, Iesus Ierosolymis sub noctem cum Apostolis suis comedit agnum Paschalem. *Mat.26.versu 20. Mar.14.v.17. Luc.22.v.14.*

Post agni esum & cœnam vulgarem, lauit pedes Apostolorum. *Iohan.13.versu 1.*

Deinde præbuit eis comedendum corpus suum & bibendum sanguinem, sub speciebus panis & vini, iubens id perpetuò fieri ad memoriam sui. *Mat.26.v.26. Mar. 14.v.22. Lucæ 22.v.19.*

Post hæc aperuit eis, se prodendum eâ nocte ab vno ex numero ipsorum. *Mat.26.v.21. Mar.14.ver.18. Lucæ 22.ver.21. Iohan.13. versu 21.*

Iudas buccellâ notatus, egressus est ad perpetrandam proditionem. *Iohan.13.versu 26.*

Dehinc inciderunt discipuli in contentionem de primatu. *Lucæ 22. versu 24.*

Iesus commendat eis studium humilitatis, & mandatum nouum dilectionis mutuæ, promittens omnibus honorem regni cælorum. *Lucæ 22.ver.26. Iohan. 13.v. 34.*

Post hæc prædicit discessum suum ad mortem, & Petro arrogantiùs promittenti sequelam, prophetat trinam negationem. *Lucæ 22.v.31. Iohan. 13. versu 36.*

Mox ad consolationem mœstorum discipulorum conuersus, prolixo sermone adhibito, variis modis erigit deiectos eorum animos, & contra imminentia mala præmunit, addens & orationem quâ ipsos omnesque credituros commendat Patri. *Iohan. 14. v. 1.*

Hoc sermone aliquousque producto, egressus est domo, reliquum perficiens in itinere, quo egrediebatur ciuitate, montem oliuarum versus. *Iohan. 14. versu 31.*

Quo etiam in itinere, prędixit discipulis suis omnibus scandalum instans, Petroque cæteris fortiùs se iactanti, declarauit futuram ipsius quàm cęterorum grauiorem offensam. *Mat.26.v.31. Mar.14.v.27.*

Inter hæc transgressus torrentem Cedron, sub mediam noctem, venit in villam Gethsemani, sitam ad radicem montis oliuarum: & hortum eius villæ, quem consueuerat orandi causâ, ingressus est. *Mat. 26.v.36. Mar.14. v.32. Luc.22.v.39. Ioh.18.v.1.*

Illic, assumtis secum Petro & filiis Zebedæi, semotus à cæteris Apostolis, cœpit maximam animi tristitiam & anxietatem ostendere, ita vt

sudarit

ſudarit aquam & ſanguinem. *Mat. 26. ver. 37. Marci 14. ver. 33. Lucæ 22. verſu 40.*

Precatum ter Patrem, Angelus de cælo confortauit. *Mat. 26. v. 39. Mar. 14. v. 35. Lucæ 22. verſu 42.*

Ab oratione, obiurgatis dormientibus diſcipulis, prędixit propinquum proditorem. *Mat. 26. v. 45. Mar. 14. v. 41. Lucæ 22. v. 45.*

Proditori eiuſque exercitui profectus obuiam, admiſit ſignum à proditore præſtitutum, oſculum. *Matth. 26. verſu 48. Mar. 14. v. 44. Lucæ 22. verſu 47.*

Nec tamen permiſit vt ſtatim comprehenderetur, ſed priùs rogatam turbam quid quæreret, vno verbo proſtrauit. *Ioh. 18. v. 3.*

Poſtquam ſurrexerant à caſu, & audierant exprobrantem, vetantem ne Apoſtolis nocerent, aliaque opportuna ingerentem, permiſſi ſunt ipſum comprehendere. *Mat. 26. verſu 55. Marci 14. ver. 48. Luc. 22. ver. 52. Ioh. 18. v. 7.*

Quod cùm conarentur facere, Petrus exerto gladio amputauit Malcho ſeruo Pontificis auriculam dexteram, ſed mox ab Ieſu prohibitus eſt & acriter reprehenſus. *Mat. 26. verſu 51. Mar. 14. v. 47. Lucæ 22. verſu 50. Johan. 18. ver. 10.*

Diſcipulis fuga elapſis, adoleſcens quidam amictus ſindone ſuper nudo, Ieſum comprehenſum ſecutus eſt cùm abduceretur: verùm & ipſe cùm teneretur, nudus profugit ab hoſtibus. *Matth. 26. ver. 56. Marci 14. verſu 50.*

Comprehenſus Ieſus, Annę Pontificis ſocero pręſentatus eſt primùm. *Iohan. 18. verſu 13.*

Ab Anna mox miſſus ad Caipham Pontificem, apud quem concilium conuenerat, in illius domo primùm productis falſis teſtibus eſt impetitus. *Mat. 26. v. 59. Mar. 14. v. 55.*

Deinde examinatus à Pontifice ſuper diſcipulis & doctrina, dum liberiùs reſponderet, à miniſtro aſſiſtente accepit alapam. *Iohan. 18. verſu 19.*

Poſtremò rogatus an eſſet Chriſtus Filius Dei, idque confeſſus, condemnatus eſt morte. *Mat. 26. v. 63. Mar. 14. v. 61.*

Inter hæc Petrus recognitus in atrio Pontificis ab ancillis & miniſtris, tertiò negauit Dominum: ſed audito alterâ vice cantu galli, reuerſus eſt ad cor. *Matth. 26. ver. 69. Marci 14. ver. 66. Lucæ 22. ver. 56. Iohan. 18. verſu 16.*

Condemnatus Ieſus, paſſus eſt varia ludibria, ſputorum, colaphorum, alaparum, & cætera, ab eis à quibus cuſtodiebatur reliquo noctis. *Mat. 26. ver. 67. Mar. 14. verſu 65. Lucæ 22. ver. 63.*

Summo mane iterùm adductus in concilium, iterùm condemnatus eſt, quòd Chriſtum Dei eſſe ſe fateretur. *Lucæ 22. verſu 66.*

Iterùm condemnatus, vinctus abductus eſt & traditus Pilato Præſidi, ad hoc vt interficeretur. *Mat. 27. ver. 1. Mar. 15. ver. 1. Lucæ 23. v. 1. Iohan. 18. ver. 28.*

Id videns Iudas proditor, pœnitentia ductus, palàm reſtituit mercedem proditionis, & nemine conſolante, abiens laqueo ſe ſuſpendit. *Matthæi 27. ver. 3.*

Nummis illis emptus eſt ager figuli in ſepulturam peregrinorum. *Mat. 27. verſu 6.*

Pilato Præſide, nolente interficere Ieſum (morte licet condemnatum à Principibus Iudæorum) niſi cauſâ cognitâ, accuſarunt illi Ieſum, quòd dixiſſet ſe Chriſtum regem Iudæorum. *Joh. 18. v. 29. Luc. 23. v. 2.*

Ieſus ſeorſum à Pilato interrogatus an eſſet rex Iudæorum, annuit ſe eſſe, non tamen quales ſunt reges huius mundi. *Mat. 27. v. 11. Mar. 15. v. 2. Lucæ 23. v. 3. Johan. 18. v. 33.*

Pilatum procliuem ad abſoluendum Ieſum, Iudæi obtuderunt, clamantes eſſe turbatorem populi à Galilæa Iudæam vſque. *Luc. 23. v. 4.*

Pilatus audiens Ieſum eſſe Galilæum vt ſe iudicio extricaret, miſit eum ad Herodem tetrarcham Galilæę, Ieroſolymis id temporis agentem. *Lucæ 23. verſu 6.*

Herodes Ieſum ſpretum indutumque alba veſte remiſit ad Pilatum. *Lucæ 23. verſu 8.*

Pilatus tenens Ieſum prorſus eſſe innocentem, ſuggeſſit Iudæis, vt eius vitam donarent vel præſenti feſto Paſchę: at illi Barabbam latronem Ieſu præferentes, Barabbę quidem donarunt vitam, Ieſu verò petiuerunt crucifixionem. *Matth. 27. ver. 15. Mar. 15. ver. 6. Luc. 23. ver. 17. Jhan. 18. v. 39.*

Quare cùm nec iſte modus liberandi Ieſu ſuccederet, Pilatus iuſſit Ieſum flagellari, & coronatum ſpinis, variiſque modis dedecoratum, vt ridiculum ſimul & miſerum regem, excitandæ miſericordiæ gratiâ, Iudæis coràm monſtrauit. *Matth. 27. ver. 28. Mar. 15. v. 17. Lucæ 23. v. 15. Johan. 19. ver. 1.*

Cùm nec hac ratione ſatisfieret illis, immo magis magiſque Ieſu crucifixionem vrgerent, Pilatus autem è contrà illorum pertinaciæ ſuccenſeret, attulerunt illi in medium pro noua accuſatione, quòd Filium Dei ſe feciſſet. *Iohan. 19. ver. 7.*

Hæc accuſatio cùm Pilatum magis moueret ad abſoluendum quàm ad condemnandum Ieſum, illis Pilato minitantibus iram Cęſaris, cœpit pro tribunali ſedere Pilatus, Ieſum coram ſe conſtituens. *Ioh. 19. v. 13.*

Pilatum pro tribunali ſedentem vxor iuſſit moneri, ne ſe immiſceret negotio iuſti. *Mat. 26. verſu 19.*

Pilatus variis modis teſtatus innocentiam Ieſu, etiam publica manuum lotione, cùm Iudæi perſiſterent obſtinatè, adeoque ſanguinem Ieſu in ſe

& ſemen

& ſemen ſuum ſuſciperent, adiudicauit tandem fieri petitionem eorum. *Mat.27.v.23. Mar.15.ver.14. Luc.23.ver.20. Ioh.19.v.15.*

Tunc milites abduxerunt Ieſum ſuâ cruce oneratum, è prætorio extra ciuitatem, inſequente turba hominum omnis generis immenſa. *Matth. 27.v.31. Lucæ 23.v.27.*

Porrò vbi ad portam ciuitatis ventum eſt, crucem Ieſu ablatam, quò expeditius iter facerent, impoſuerunt milites humeris cuiuſdam Simonis Cyrenæi. *Mat.27.v.32. Mar.15.v.21. Luc.23.v.26.*

Inter alios autem, ſequebantur Ieſum complures mulierculæ Ieroſolymitanæ, quibus deplorantibus vicem Ieſu, Ieſus prædixit vltionem filiis ipſorum diuinitus obuenturam. *Lucæ 23.v.27.*

Ad montem Caluariæ, locum ſupplicij, vbi eſſet ventum, propinatum Ieſu eſt vinum felle mixtum: quod cùm guſtatum noluiſſet bibere, oblatum eſt vinum myrrhatum optimum, quod ne guſtare quidem voluit. *Mat.27.v.34. Mar.15.v.23.*

Hoc facto, proſtratus humi Ieſus nudus affixus eſt cruci, orans interim patrem pro crucifigentibus ſe. *Mat.27.v.35. Luc.23.ver.33.*

Poſt hæc crux inſignita titulo regis Iudæorum & Ieſu grauida, erecta eſt. *Mat.27.v.37. Mar.15.v.26. Lucæ 23.v.38. Ioh.19.v.19.*

Quin etiam maioris ignominiæ causâ, additi ſunt à lateribus Ieſu, hinc inde, duo latrones, cruci ſimiliter affixi. *Mat.27.v.38. Mar.15.v. 27. Luc.23.v.33. Ioh.19.v.18.*

Dehinc milites, in oculis Ieſu crucifixi, partiti ſunt inter ſe veſtimenta eius. *Mat.27.v.35. Mar.15.v.24. Luc.23.v.34. Ioh.19.v.23.*

Stabat autem populus ſpectans, omneſque, & Principes, & populus, & milites, deridebant Ieſum in tormentis conſtitutum, eique inſultabant & varia exprobrabant. *Mat.27.v.39. Marci 15.v.29. Lucæ 23.v.35.*

Hoc idem cùm faceret latro à ſiniſtra pendens, obiurgatus ab altero eſt: qui Ieſum recognoſcens Meſſiam regem, & orans, accepit promiſſionem paradiſi ac regni. *Lucæ 23.v.39.*

Inter hęc Ieſus è cruce conſpicatus matrem ſuam, commendat illius curam diſcipulo quem diligebat, præſenti. *Ioh.19.v.25.*

Porrò Ieſu paulò ante horam ſextam crucifixo, à ſexta hora tenebrę factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam. *Mat.27.verſu 45. Mar.15.v.33. Luc.23.v.44.*

Circa horam nonam exclamauit Ieſus Eli Eli. *Mat.27.verſu 46. Mar.15. verſu 34.*

Mox poſtquam dixiſſet Sitio, & oblatum accepiſſet acetum, addidit Conſummatum eſt. *Iohan.19.v.28.*

Deinde vt iterùm clamauerat dicens Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, inclinato capite emiſit ſpiritum. *Mat.27.v.49. Marci 15.verſu 37. Lucæ 23.v.46. Ioh.19.ver.30.*

Id dum

Id dum fieret, velum templi ſciſſum eſt medium, terra mota eſt, multaque admiranda acciderunt: quibus obſeruatis, Centurio pluresque alij, & è militum & è vulgi numero, obſtupuerunt, & tundentes pectora domum reuerſi ſunt. *Mat. 27. verſu 51. Marci 15. verſu 38. Lucæ 23. verſu 47.*

Cùm autem impetraſſent à Pilato Principes Iudæorum, vt fractis cruribus corpora crucifixorum auferrentur, propter inſtans ſabbatum: latronum quidem crura fracta fuerunt; Ieſu autem, quia manifeſtum erat eſſe mortuum, non: ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & àqua. *Johan. 19. v. 31.*

Poſt hæc Ioſeph ab Arimathæa, obtenta à Pilato licentia, corpus Ieſu de cruce depoſitum, aromatibus conditum, & ſindone inuolutum, adiutus ſocio Nicodemo, ſepeliuit in ſuo monumento nouo, quod non longè exſtruxerat. *Mat. 27. ver. 57. Mar. 15. ver. 42. Lucæ 23. v. 50. Iohan. 19. verſu 38.*

Ieſu ſepulto veſperi ante initium ſabbati, Iudæorum Principes, ipſa luce ſabbati, conſentiente Pilato, adhibuerunt ſepulchro cuſtodiam militum, obſignato etiam lapide claudente os ſepulchri. *Mat. 27. v. 62.*

Eodem illo die veſperi, finito ſabbato, Maria Magdalene & ſociæ, parauerunt aromata, & ſummo diluculo diei ſubſequentis (quem Iudęi primam ſabbati, nos diem Dominicum dicimus) profectæ ſunt ad ſepulchrum, vt & ipſæ vngerent corpus Ieſu. *Mat. 28. v. 1. Mar. 16. v. 1. Lucæ 24. v. 1. Ioh. 20. v. 1.*

Illis appropinquantibus loco ſepulchri, delapſus de cælo Angelus, amouit lapidem ab oſtio monumenti, & ſedit ſuper eum. *Mat. 28. v. 2.*

Pręæ timore illius, exterriti milites cuſtodes, facti ſunt velut mortui. *Math. 28. verſu 3.*

Mulieres locum ingreſſas alloquitur Angelus, iubet bono animo eſſe, nunciat Ieſum reſurrexiſſe, hortatur intrent in monumentum, vt videant ſepulchrum corpore vacuum, reque ipſa eas ducit intrò. *Mat. 28. v. 5. Mar. 16. v. 5. Luc. 24. verſu 3.*

Illas citò egreſſas, necdumque perſuaſas Ieſum reſurrexiſſe, exceperunt duo alij Angeli, hoc idem confirmantes. *Lucæ 24. v. 4.*

Quocirca illæ cito gradu ad Apoſtolos cucurrerunt, dicentes, ſepulchrum vacuum eſſe corpore Ieſu, ſeque etiam viſionem Angelorum vidiſſe qui dicerent eum viuere. *Lucæ 24. v. 9. 23. Ioh. 20. v. 2.*

Cucurrerunt ergo celeriter ad monumentum Petrus & Iohannes, & non inuento corpore Ieſu, admirati redierunt domum. *Lucæ 24. v. 12. Iohan. 20. verſu 3.*

Maria Magdalene reuerſa ad monumentum, & apud illud hærens ac plorans, prima meruit videre Ieſum rediuiuum. *Mar. 16. ver. 9. Iohan. 20. verſu. 11.*

Illa cùm id indicasset sociis fœminis, iretque vnà cum illis ad Apostolos, significatum quid accidisset, factus est Iesus obuius, & se illis omnibus præbuit videndum. *Mat. 28. v. 9.*

Inter hæc, postquam disparuisset angelica visio, custodes sepulchri milites, abeuntes in ciuitatem, diuulgarunt corrupti pecuniâ, Iesu corpus à discipulis furto ablatum fuisse. *Mat. 28. v. 11.*

Mulieribus testantibus Iesum viuere, cùm non crederent Apostoli, apparuit tandem Petro Iesus. *Luc. 24. v. 34.*

Post hæc apparuit duobus discipulis proficiscentibus Emmauntem. *Lucæ 24. v. 13. Mar. 16. v. 12.*

Nouissimè, vesperâ huius primæ sabbati, id est, diei Dominici, apparuit omnibus simul Apostolis (excepto Thoma, absente à reliquis) comeditque cum eis ac bibit. *Marci 16. versu 14. Lucæ 24. v. 36. Johan. 20. ver. 19.*

Thomæ renuenti credere collegis, spectandum ac palpandum se exhibuit Iesus coram omnibus octauo pòst die. *Ioh. 20. v. 24.*

Dehinc discipuli profecti in Galilæam (quod iussi fuerant) viderunt Iesum ad mare Tiberiadis, ibidemque cum eo sunt pransi. *Johan. 21. versu 1.*

Posteà magno numero viderunt eum in monte quem ipsis constituerat. *Mat. 28. ver. 1.*

Ita per dies quadraginta cum discipulis conuersatus & collocutus de regno Dei, die quadragesimo, illis spectantibus, ascendit in cælum. *Mar. 16. v. 19. Luc. 24. v. 50. Act. 1. v. 3.*

Illic sedet ad dexteram Patris, gubernans cum Patre mundum vniuersum, & singulariter Ecclesiam quam suo sibi sanguine acquisiuit paulatim illam ad se colligens. *Mar. 16. ver. 19.*

Finis Peregrinationis Jesu Christi Filij Dei.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

FRANCISCI LVCAE BRVGENSIS
DECANI AVDOMAROPOLITANI
IN SANCTVM
IESV CHRISTI EVANGELIVM
SECVNDVM MATTHÆVM
COMMENTARIVS.

Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον.	Euangelium ſecundùm Mattheum.

CAPVT PRIMVM.

Βίβλος γενέσεως ἰησοῦ χριστοῦ, υἱοῦ δαβίδ, υἱοῦ ἀβραάμ.	1	Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.

EVANGELIVM vox eſt Græca, boni fauſtique nuntij ſignificationem habens. Apud profanos auctores legitur pro prœmio ſumtum, lætum adferenti nuntium dato, & pro ſacrificio iucundis nuntiis decreto. Cæterùm Chriſtiana Schola, pro ipſo fauſto lætoque nuntio vtitur, atque eo *κατ' ἀντονομασίαν*, quod magni conſilij Angelus Chriſtus Saluator humano generi attulit, vitæ ſalutiſque æternæ: quo nullum lætius, nullum iucundius, nullum gratius nuntium eſſe poſſit. Dimanauit autem ad nos hæc vox ab Interpretibus Septuagintaduobus, qui, vbi noui Teſtamenti prophetiæ texuntur, gaudent euangelizandi voce vti (Pſalmi 95. verſu ſecundo. Iſaiæ 40. verſu 9. 52. v. 7. & alibi.) Porrò hebraicè pro ea eſt vox בשר *Biſſar* à בשר *Baſar* carne deriuata: qua ſignificatum videri poſſit, felix hoc nuntium, quod Prophetæ prædicebant ac promittebant, per verbum Dei caro factum, præſens adferendum atque exhibendum. Hoc illud eſt euangelium, quod dulciſſimis epithetis, Matthæi 4. v. 23. *euangelium regni*, Actorum 20. v. 24. *euangelium gratiæ Dei*, ad Romanos 10. v. 15. *euangelium pacis*, prioris ad Timotheum primo, v. 11. *euangelium gloriæ beati Dei*, agnominatur. Porrò aliter ſumitur *euangelium*, cùm dicitur *Euangelium ſecundum Matthæum*, aut *ſecundum Lucam*, ſiue Matthæi aut Lucæ, nempe, non pro ipſo fauſto nuntio, ſed pro ſcriptura narrante hiſtoriam Saluatoris fauſtum ſalutis nuntium adferentis. Huiuſmodi quatuor ſunt euangelia: cæteróqui omnes noui teſtamenti libri, vnum ſunt euangelium, cuius veteris teſtamenti ſcripta ſunt prædictiones, prophetiæ. SECVNDVM MATTHÆVM. Euangelium ſecundùm Matthæum, id eſt, Hiſtoria Euangelica ita vt à Matthæo ſcripta eſt: hoc enim eſt *κατὰ Ματθαῖον*. Matthæus primus eſt Euangeliſtarum, quia primus ſcripſit. Sequuntur cæteri, Marcus, Lucas, & Iohannes, ſimiliter iuxta temporis quo ſcripſerunt ordinem. Plures conati ſunt euangelicam hiſtoriam contexere; teſtatur Lucas, teſtantur cum veteribus patribus & monumenta, quæ tum olim D. Hieronymi tempore, tum etiam nunc inuenire eſt: ſed repudiatis cæteris, quatuor hos, quippe quorum Dei ſpiritus calamos egit, Chriſti recepit Eccleſia, Matthæum & Iohannem Apoſtolos, Chriſti indiuiduos comites; Marcum & Lucam Apoſtolorum diſcipulos, Petri Marcum, Pauli Lucam. Hæc ſunt quatuor animalia Cherubim. Ezechieli & Iohanni prophetis viſa (Ezech. 1. v. 10. Apoc. 4. v. 6.) plena oculis antè & retrò, ſcientia & prouidentia exuberantia, quæ è Iudaico templo in Chriſti eccleſiam, Deum euangelio tanquam curru aduexerunt. (Ezech. 10. v. 4. 19 & 11. v. 23. Primum animal facie ſimile homini, Matthæus enim ab humana Chriſti generatione exorſus eſt; Secundum facie ſimile leoni, nam Marcus à voce in deſerto clamantis initium fecit; Tertium ſimile vitulo Lucas à ſacerdote Zacharia Euangelicam hiſtoriam auſpicatus eſt; Quartum aquilæ, Iohannes terreſtribus relictis & nubibus penetratis, è cælo, de ipſo Dei verbo, verba tonitrui filius tonuit. Matthæus qui & Leui, ex publicano Apoſtolus, primus in Iudæa, rogantibus iis qui ex circumciſione crediderant, ceteriſque Apoſtolis iniungentibus priuſquam in diſperſionem gentium ſeſe diffunderent, anno à Chriſti aſcenſione circiter octauo, Euangelium hebraicis literis verbiſque compoſuit: id quod ferunt à Iohanne in græcam linguam tranſlatum, auctore Theophylacto. Porrò an eo quo Prophetæ ſunt vſi Hebræo ſermone, an eo qui Hebræis tunc vernaculus erat Syriaco, ſcripſerit, variant opiniones.

LIBER GENERATIONIS. Non hic, ſed is quem iam explicuimus (tametſi ab alio fortaſſe quàm à Matthæo additus) libri titulus eſt: eſt autem hoc proëmiolum, quo ſignificat Euangeliſta, vnde ſuam ſtatuat

 hiſtoriam

historiam auspicari, nempe à genealogia Saluatoris. Ac solent fortassis Hebræi, quibus magna erat conscribendarum genealogiarum cura, huiuscemodi epigraphen genealogiis suis dare, Mosen imitati, qui quinto Geneseos capite v. 1. ita Adami genealogiam exorsus est: *Hic liber generationis Adam*. Porrò Liber hîc pro scripto catalogo siue enumeratione accipitur: solent enim Hebræi, non codices tantùm, sed & epistolas ac scripta quæcunque libri nomine appellare. manifestum id est vel ex 4. Reg. 5. v. 5. 6. 7. & Ierem. 32. v. 10. 11. 12. 14. illic enim epistola, hîc emtionis instrumentum, constanter libri nomine ספר *sepher* appellantur. Cæterùm non est Syriacè ספרא *sephro* hîc in Euangelij exordio, sed ܟܬܒܐ *cetobo*, id quod scripturam propriè denotat. GENERATIONIS. γενέσεως progeniei, maiorum ex quibus ortus est Iesus Christus. Disertis verbis dicas: Genealogia Iesu Christi: Catalogus maiorum ex quibus oriundus est Iesus Christus. s. hic est, vel aliquid eiusmodi. IESV. Iesus nomen proprium est verbi caro facti, de quo mox infrà v. 21. nam vt erat Deus apud Deum audies ab Ænigmatiste illo, Congregante filio Vomentis, Prou. 30. v. 4. *Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* CHRISTI. Nomen est dignitatis, vox græca, ab Interpretibus lxxij accepta, quæ hebraicè משיח *Mesiah*, latinè *Vnctus* effertur. Solent sub veteri lege, Reges, Sacerdotes, & Prophetæ, sacro oleo vngi (1. Reg. 10. v. 1. 3. Reg. 1. v. 39. Leuit. 8. v. 12. 3. Reg. 19. v. 16.) quo declararetur illos Deo sacros dicatosque esse ad sua illa munera obeunda; oleo diuinæ gratiæ spiritalisque efficacitatis, qua idonei ad hæc redderentur, significationem habente. Hinc fiebat vt Messiæ seu Christi, id est, vncti appellarentur hi omnes (2. Reg. 1. v. 14. 2. Machab. 1. v. 10. Psal. 104. v. 15.) etiamsi quandoque visibilis olei vnctio ipsis defuisset, modò de consilio Dei illos ad huiusmodi officia destinantis constaret. Fieri hæc ordinauerat Deus, in typum huius quem lex promittebat, κατ' ἐξοχὴν Messiæ dicti, qui præ sociis omnibus à Deo oleo lætitiæ vnctus (Heb. 1. v. 9.) id est, imbutus spiritu absque mensura (Ioh. 3. v. 34.) & regis, & sacerdotis, & doctoris seu prophetæ simul dignitate ac munere clarus futurus erat. Vide infrà 16. v. 16. Et fuerunt tres maximè, proprio nomine simul & dignitatis splendore ac officio huius figuræ; Iesus filius Naue Rex, qui in promissam terram populum introduxit; Iesus filius Iosedec sacerdos, qui è Babylone reduxit; denique Iesus filius Sirach, propheta & doctor eximius. Hic itaque genealogia à Matthæo proximè describenda est hominis Iesu Christi: atque id idcirco, vt ex progeniei enumeratione, & prænunciati temporis consummatione, Iudæis, verus ille, quem vniuersum arcanarum literarum corpus loquitur, Messias seu Christus esse ostendatur. FILII DAVID, FILII ABRAHAM. Frequens est Hebræis, vt filiorum appellatione nepotes & posteros omnes intelligant: sed videri possit Euangelista studiosè filij seruasse vocabulum, propter promissionum formam, quæ Dauidi & Abrahæ polliceri videntur, fore, non tam vt ex ipsorum posteritate, quàm vt ex illis ipsis, beatum illud semen exoriatur. Ergo Dauidis & Abrahæ filius dictus sit, quasi, non tam fuerit ex illis qui intercesserunt oriundus, quàm verus & proximus ipsorum filius, promissionis & fidei virtute. His enim peculiariter facta fuit de Christo pollicitatio (Gen. 12. v. 3. 22. v. 18.) idcirco eorum ab initio meminit. Porrò Dauidem præponit, imprimis quò commodiùs genealogiæ series ab Abraham inchoanda texatur, tum verò maximè quia Dauidis nomen ea ætate omnibus in ore erat quandocunque de futuro Christo sermo incidebat (Ioh. 7. v. 42.) quam celebritatem induxerat id, quòd Dauidi clarior fuerat data promissio: id quod sequuta prophetarum oracula, Christum & quæ ad Christum pertinerent sub Dauidis nomine præcinere consueuerant (Isa. 9. v. 7. 55. v. 3. Iere. 23. v. 5. Ezech. 34. v. 23. 37. v. 25. Amos 9. v. 11.) Idcirco vulgaris tum obtinuerat apud Iudæos loquendi vsus, vt Christum vocarent filium Dauidis (infrà 22. v. 42. Ioh. 7. v. 42.) quare passim acclamabatur Domino, *Fili Dauid*, quod Euangelia testantur (infrà 15. v. 22. 21. v. 9. Luc. 18. v. 38 &c.) Dauid, Regio cumprimis insignis honore, clarissimus fuit Regis Christi typus, quem ex se nasciturum, & regni heredem, regni thronum perpetua gloria firmaturum, quod alius nullus, diuina promissione dilucidè accepit. Prima & capitalis promissio exstat 2. Reg. 7. v. 12. & seqq. vbi Deus per Nathan prophetam, promittit Dauidi filium, cuius thronum sit stabiliturus in æternum, regnumque Dauidicum fore firmum iugiter ante faciem Dei: quam promissionem amplissimè explicat, & firmissimè corroborat Psalmis 88. & 131. Hanc repetit 3. Reg. 9. v. 5., vbi Salomonem eiusdem in se deriuandæ spe ad vitæ sanctitatem inuitat. Atqui promissio ista iam ante multa secula euanuisset, nisi Christus regnum illud collapsum erexisset & restituisset, iuxta Angeli Gabrielis ad virginem matrem nuntium, Luc. 1. v. 32. 33. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*. nec enim opus est ipsi successorem quærere, cùm semel è morte rediuiuus non ampliùs moriatur, sed regnet in secula seculorum. Ideo ergo iure filius Dauid, quia è Dauidis semine Dauidi promissus, regni Dauidis heres, instaurator, atque auctor augustissimus adeoque æternus. Ambigua verò sunt hæc Euangelistæ verba, *Filij Dauid, filij Abraham*, vt intelligere possis, qui Dauid fuit filius Abraham: &, quî Christus fuit filius Dauid & filius Abraham: prior sensus posteriorem comprehendit; posterior iis quæ mox dicta sunt congruentior est.

Gen. 21. v. 2. 25. v. 26. 29. v. 35. Luc 3. v. 34.

ἀβραὰμ ἐγέννησε τὸν ἰσαάκ. ἰσαὰκ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰακώβ. ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰούδαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ.	2 Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.

ABRAHAM. Ab Abrahamo genealogiam exorsus est, ita vt consueuerant Hebræi, qui eo parente gentisque suæ auctore gloriabantur, quippe qui è terra & cognatione idololatra à Deo euocatus, multiplicandæ posteritatis quæ à reliquis gentibus separata in populum Dei cooptanda esset, & perpetua hereditate possidendæ Chananææ, denique progignendi ex se seminis, in quo benedicendæ omnes gentes terræ, promissionem primus accepit. (Gen. 12. v. 1. 2. 3. 17. v. 6. 7. 8.) patris multarum gentium nomine, & Dei familiaritate à Deo honoratus. Gen. 17. v. 5. Iac. 2. v. 23. Itaque & declarat Euangelista ab Abrahamo incipiens, illud quod Apostolus dicit Rom. 15. v. 8. *Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum*. ISAAC. Non ex Ismaele, sed ex Isaac, promissionis magis quàm carnis filio, ortus est Christus, sancti Spiritus magis quàm naturæ operatione natus. nam,

in Isaac

in Isaac vocabitur tibi semen, Deus dixerat. Gen. 21. v. 12. IACOB. Esau à Deo odio habitus & reprobatus, Iacob verò dilectus (Mal. 1. v. 3.) Christo filio auctus est. IVDAM ET FRATRES EIVS vndecim. Meminit hic fratrum Iuda, non verò mox fratrum Isaac aut Iacob, quòd Iudam & fratres eius omnes, Deus simili adoptionis gratia dignatus esset: ex his enim, vnus populus Hebræus, Dei cultor, ex quo Christus exspectabatur, prognatus est, in duodecim tribus, iuxta duodecim hos fratres filios Iacob, distinctus. Mentio igitur est horum, non tamquam Christi parentum, sed tamquam capitum & columnarum populi Dei ac regni Christi.

ἰούδας δὲ ἐγέννησε τὸν φαρὲς καὶ τὸν ζαρὰ ἐκ τῆς θάμαρ. φαρὲς δὲ ἐγέννησε τὸν ἐσρώμ. ἐσρὼμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἀράμ.	3	Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autē genuit Esron. Esron autem genuit Aram.	Gen. 38. v. 29. 46. v. 12. Ruth 4. v. 19. Lu 3. v. 33.

PHARES ET ZARAM. Vtrumque expressit, quia vno partu ita sunt editi, vt insignem expresserint figuram eius mysterij quod Apostolus explicat Rom. 11. v. 25. *Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.* sic Auctor operis in Matthæum imperfecti.
DE THAMAR. ἐκ τῆς θάμαρ ex Thamar. Notandum, quòd earum mulierum ad genealogiam Euangelista meminerit, quæ ex accidenti quodam singulari viris copulatæ fuêre, eoque ad mysterium pertinente Ecclesiæ aliquando à Deo alienæ. Simul & indicatur, non dedignatum ex peccatricibus & gentilibus nasci, qui venerat vt peccatores saluaret, & Dei populo gētiles adscriberet. Docetur denique, de alienis, etiam parentum peccatis, nemini erubescendum, sed de proprijs. ESRON. Græci codices *Esrom* scribunt per *m* literam; Latini per *n Esron*, iuxta Syros & fontem Hebræum. ARAM. Hunc Græci Interpretes *Aram*, Hebraicus sermo contractiùs *Ram* vocat.

ἀρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἀμιναδάβ. ἀμιναδὰβ δὲ ἐγέννησε τὸν ναασσών. ναασσὼν δὲ ἐγέννησε τὸν σαλμών.	4	Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.	1. Paral. 2. v. 10. 11. Luc. 3. v. 32. 33.

AMINADAB. Hic princeps fuit tribus Iuda in exitu Israel de Ægypto, id quod ex Hebræorum sententia Lyranus refert. NAASSON. Princeps tribus Iuda in deserto. Num. 1. v. 7. 2. v. 3. 7. v. 12.

σαλμὼν δὲ ἐγέννησε τὸν βοὸζ ἐκ τῆς ῥαχάβ. βοὸζ δὲ ἐγέννησε τὸν ὠβὴδ ἐκ τῆς ῥούθ. ὠβὴδ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεσσαί.	5	Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse.	1. Paral. 2. v. 11. 12. Luc. 3. v. 32.

DE RAHAB. *de* pro *ex*. Rahab Ierichuntina aliquando meretrix, ob beneficium Israeli præstitum, non solùm seruata est ipsa cum cognatione sua, verùm etiam cooptata atque insita populo Dei (Ios. 6. v. 25.) & Salmoni principi matrimonio iuncta. Hæc, quî typum gesserit Ecclesiæ, egregiè explicant, Ambrosius capite 5. libri de Salomone, Augustinus in Psal. 86., Chrysostomus hom. 5. de pœnitentia.
EX RVTH. Christus omnium Saluator, vt ab Israelitis, ita & à Gentibus oriundus fuit, à Rahab inquam Ierichuntina, & Ruth Moabitide. IESSE. Cuius nomen non tacet Isaiæ de Christo vaticinium, *Egredietur virga de radice Iesse*: alioqui enim obscurus fuit: vnde Dauid per contemtum *filius Isai* vocabatur, 1. Reg. 20. v. 27. 3. Reg. 12. v. 16. *Iesse* enim & *Isai* idem vnum sunt nomen, eisdem literis Hebraicis ישי aliis atque aliis vocalibus, à lxxij Græcis & Latino interprete, lectis.

ἰεσσαὶ δὲ ἐγέννησε τὸν δαβὶδ τὸν βασιλέα. δαβὶδ δὲ ὁ βασιλεὺς ἐγέννησε τὸν σολομῶντα ἐκ τῆς τοῦ οὐρίου.	6	Iesse autem genuit Dauid Regem: Dauid autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ.	1. Reg. 17. v. 12. 2. Reg. 12. v. 24. Luc. 3. v. 32.

REGEM. τὸν βασιλέα. Cum emphasi Regem vocat, etiam cùm mox repetit: *Dauid autem Rex*: quòd ab eo regnum populi Dei feliciter inchoatum, & per multos posteros propagatum sit, à Christo filio, cuius figuram retulit, & promissionem accepit, omnibus partibus absoluendum. Antè enim quàm Rex Dauid regno auctus esset, ignorabatur promissum illum Abrahæ filium, regno insigniendum. Atque is scopus B. Matthæi est, ostendere inter alia, Iesum Saluatorem verum esse Regem, legitimum Dauidici regni heredem, cui successionis iure regni principatus debitus fuerit: idcirco ἐμφατικωτέρως Dauidem Regem vocat: simul vt hic notet secundum populi sub regibus statum. nam primus sub iudicibus fuerat.
EX EA QVÆ FVIT VRIÆ. ἐκ τῆς τοῦ οὐρίου ex ea quæ Vriæ, s. fuerat, ex vxore olim Vriæ, tunc autem sua. Ita circumlocutus est ipsam Bethsabee, vt monstraret, tantum abfuisse, vt, ob crimina huius mulieris occasione perpetrata, resciderit Deus promissa Dauidi facta. vt etiam ei placuerit, huius mulieris ministerio, fidem suam liberare, gratia superabundante ob pœnitentiam, vbi abundauerat iniquitas. Rom. 5. v. 20.

σολομὼν δὲ ἐγέννησε τὸν ῥοβοάμ. ῥοβοὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἀβιά. ἀβιὰ δὲ ἐγέννησε τὸν ἀσά.	7	Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa.	1. Paral. 3. v. 10.

1. Paral. 3. v. 10. 11. 12.

Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. [8]

ἀσὰ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰωσαφάτ. ἰωσαφὰτ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰωράμ. ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν ὀζίαν.

OZIAM. aliàs dictum *Azariam*. Ioram abauus Oziæ fuit, Ozias abnepos Ioræ: itaque Ioram Oziam genuit, sed intermedijs tribus, Ochozia filio, Ioa nepote, Amasia pronepote. manifesta res est ex Regum 4. & Paralipomenon vtroque libris. Sed quia Euangelistæ propositum erat non excedere tesseradecadem in singulis trium ordinum quos constituit, & Ochozias, Ioas atque Amasias, proximè geniti fuerant ex semine Achabi & Iezabelis (Ioram enim generi se miscens impijssimorum illorum Achabi & Iezabelis, ex Athalia eorum filia genuerat Ochoziam (4. Reg. 8. v. 18. & 11. v. 1.) quorum, Achabi inquam & Iezabelis posteritatem penitus delendam decreuerat Deus (3. Reg. 21. v. 21.) vtique ad quartam vsque generationem; idcirco censuit Euangelista trium illorum memoriam sibi omittendam, *ne in sancta natiuitatis ordine ponerentur*, conformiter decreto illi diuino, quo condemnati, habendi videbantur tamquam qui nunquam aut regnassent aut vixissent: quemadmodum è contrà Iehu, ob deletam Achabi & Iezabelis domum, regni principatu ad quartam vsque generationem auctus fuerat. 4. Reg. 10. v. 30. Solent enim ex filiis suscepti nepotes, filiorum loco haberi: nam & filium quodam modo genuit, qui patrem genuit. Porrò hîc multi existimant defecisse Salomonis lineam, Ochozia sine liberis moriente, & successisse in regnum Ioam ex posteritate Nathan, iuxta legem à Dauide latam, vt deficiente stirpe Salomonis minimi natu inter filios Bethsabeæ, progenies Nathan proximè iunioris succederet, relatam à breuiario quodam temporum abs Iohanne Annio Philoni adscripto & commentariis illustrato. Atqui non esse mortuum absque liberis Ochoziam, adeoque Ioam, qui Ochoziæ in regnum successit, naturalem Ochoziæ fuisse filium, sacræ literæ manifestè docent: quæ præter hoc quòd Ioam vbique Ochoziæ filium nominant (4. Reg. 11. v. 2. 2. Paral. 22. v. 11.) hoc idem adstruunt 1. Paral. 3. v. 11., vbi natiuam Salomonis progeniem describi certum ex eo est, quòd non in regnum tantùm, sed & in aliorum lineas dispertiatur, vt minimè illic Ioas in Salomonis progeniem adsciscendus fuerit, nisi germanus Ochoziæ filius fuisset. Deinde 2. Paral. 23. v. 3. Ioiada Pontifex producens Ioam, quem infantulum vxor ipsius, Iosabeth nomine, soror Ochoziæ, amita nepotem, clàm suffurata fuerat inde à sexennio, dum Athalia impatiens mortis filij sui Ochoziæ, omne semen regium furibunda interficeret, nec spem relinqueret vt vel de stirpe quis regnaret filij sui Ochoziæ (2. Paral. 22. v. 9. 10.) dixit optimatibus Iuda: *Ecce filius regis regnabit*. quis obsecro filius, & cuius regis? naturalis procul dubio, non adoptatus aut adscitus *filius, Regis* proximè defuncti regno, cui hereditario iure regnum debetur, *regnabit* loco veneficæ istius tyrannide regnum occupantis. Denique quomodo verum sit hoc loco euangelium *Ioram genuit Oziam*, si Ozias abs Ioram non trahit sanguinem sed solùm regnum, & id non nisi mediis patre suo & auo, quin & ipso filio Ioræ. Clarum est igitur Ioam germanum Ochoziæ filium, & Salomonis non Nathanis nepotem fuisse. Neque verò dici potest defecisse Salomonis stirpem, nec ex ea Christum regem produisse; Salomoni enim præ ceteris dilecto, cui ante natiuitatem nomen hoc dulce pacis inditum fuit (1. Paral. 22. v. 9.) non tantùm promissum fuit diuinitus regnum patris, sed & thronus regni eius stabiliendus in sempiternum. 2 Reg. 7. v. 13. *Stabiliam*, inquit, *thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium*. quibus verbis quid velit, addens docet: *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*, hoc est corrigam eum pœna humana & clementi, quali homines patres solent castigare filios suos ad emendationē, non vt excludāt iure filiorum. Sic ego Salomonem eiusque posteros castigabo si peccent. at regnum quod Dauidi regi meo primogenito æternum fore promisi, non in perpetuum ipsis auferam. id quod eleganter Psal. 88. v. 21. & seqq. explicatur, & hîc paucis indicatur hisce verbis: *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amoui a facie tua*. Quare 3. Reg. 11. v. 11. 12. 13., propter Salomonis peccata, non planè auferendum regnum, sed tantùm diminuendum prædicitur: additurque v. 36. filio Salomonis vnam tribum relinquendam esse, *vt remaneat* (inquit Dominus) *lucerna Dauid seruo meo, cunctis diebus coram me in Ierusalem ciuitate quam elegi vt esset nomen meum ibi*. Rursus 3. Regum 15. v. 4., statuit Dominus Abiam, licet cor eius non esset perfectum cum Domino, lucernam in Ierusalem, propter Dauid, vt suscitaret filium eius post eum, & statueret Ierusalem. Adhæc Ioram filium Iosaphat, tametsi ambularet in viis Achab, noluit disperdere Deus, vt maneret lucerna Dauidi & filiis eius cunctis diebus. 4. Reg. 8. v. 19. 2. Paral. 21. v. 7. Poterat vtique Deus posteros Nathan in regnum surrogare, & remansisset lucerna ex familia Dauidis, sed manifestè voluit eam per Salomonis lineam conseruare. vt ergo Dauidi, ita & Salomoni, promissum est regnum æternum: id quod etiam clariùs disertiusque exprimitur 1. Paral. 17. v. 12. & seqq. & 22. v. 10. Nec obstat quòd Apostolus vt de Christo dictum laudet, illud quod nos vt de Salomone dictum mox attulimus: *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium* (Heb. 1. v. 5.) immo plurimùm huc facit. Cùm enim negari non possit, quin & de Salomone eo loci sermo sit (Christo enim periculum non fuit vt iniquè aliquid gereret) intelligendum est Salomonem plus aliquid quàm Christi typum fuisse, patrem nempe, de quo, filij personam figuramque gerente, hæc dicta & promissa sint à patre inceptura, in filio absoluenda. Quare & amplissimum, celeberrimum atque æternum Christi regnum, Psalmus 71, sub Salomonis nomine describit, interprete inter alios D. Augustino lib. 17. de ciuitate Dei cap. 8. Manifestum igitur euadit, æternitatem regni Dauidici, per Salomonis progeniem, non obstante Salomonis peccato, confirmari: quod quidem constare non potest, si Salomonis posteritas Ochozia moriente defecit, nec ex ea Rex Christus produit, à quo regnum illud integritati suæ restituendum, & æternum reddendum fuit.

1. Paral. 3. v. 13.

Ozias autē genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezeciam. [9]

ὀζίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰωάθαμ. ἰωάθαμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἄχαζ. ἄχαζ δὲ ἐγέννησε τὸν ἐζεκίαν.

Ezecias

ἐζεκίας δὲ ἐγέννησε τὸν μανασσῆ. μανασσῆς δὲ ἐγέννησε τὸν ἀμών. ἀμὼν δὲ ἐγέννησε τὸν ἰωσίαν. 10	Ezecias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam.	1. Paral. 3. v. 13. 14.
ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλῶνος. 11	Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius, in transmigratione Babylonis.	1. Paral. 3. v. 15.

IECHONIAM. Iechonias iste, ille est qui *Eliacim* à parentibus nomen acceperat: à Rege verò Ægypti ad regnum euectus, *Ioakim* dictus est, fratre eius *Ioachaz* destituto atque in Ægyptum abducto (4. Reg. 23. v. 34.) qui Ioachaz hic intelligi non potest, quod arbitratur græcus auctor Euthymius, quamquam is 3. Ezræ 1. v. 34. Iechonias vocetur (sic enim legunt illic cum Euthymio exemplaria latina: *Et assumentes qui erant ex gente Iechoniam filium Iosiæ, constituerunt regem pro Iosia patre suo*. nam græcum nostrum exemplar pro *Iechoniam* scribit ἰωάχαζ *Ioachaz*) quia non Ioachaz, sed Ioakim genuit Ioachin seu Iechoniam patrem Salathiel. 4 Reg. 24. v. 5. 6. 3. Ezræ 1. v. 43. 1. Paral. 3. v 16. 17. FRATRES EIVS. Fratres Ioakimi fuere, *Ioachaz* (4. Reg. 23. v. 30.) & Matthanias (4. Reg. 24. v. 17.) è quibus hic, *Sedecias* à Rege Babylonis vocatus fuit. Qui, quia & ipsi regnarunt, Ioachaz ante Ioakim, Sedecias post filium Ioakimi Ioachin idcirco eorum ab Euangelista mentio facta est. IN TRANSMIGRATIONE BABYLONIS ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος: sub, siue circiter demigrationem Babylonis. Transmigratio Babylonis intelligitur abductio in Babylonem, exsilium, captiuitas Babylonica. Triplex facta est à Nabuchodonosor Iudæorum in Babylonem abductio, quod ex Iosepho intelligitur libri 10. Antiquit. capitibus 8. 9. 11. Prima, quando occiso Ioakim Rege, optimates plerosque omnes in Babylonem captiuos duxit: Secunda, post tres deinde menses, quando regem Ioachin, Ioakimi filium, cum familia, & principibus, artificibus locupletibus, ac robustis omnibus, abduxit. 4. Reg 8 24. v. 14. Tertia post vndecim demum annos, quando generatim omnes cum Sedecia rege translati sunt, & templum ciuitasque succensa ac destructa sunt (4. Reg. 25. v. 7. 9. 10. 11.) quę desolatio propriè dicitur Danieli cap. 9. v. 2. Tres istæ abductiones, quia mutuò se consecutæ sunt, creueruntq; gradatim, ab Euangelista simul hic comprehensæ intelligendæ veniunt. Porrò Iosias Rex mortuus est vndecim & eo amplius annis ante primam illam optimatum: quare id quod dicitur *In transmigratione Babylonis*, accipiendum est, imminente, instante, absportatione in Babylonem, iuxta Euthymium: vel certè pars ista, non cum verbo *genuit* construenda est, sed iungenda cum nominibus *Iechoniam & fratres eius*, supplendo, qui fuerunt *in transmigratione Babylonis*, seu tempore captiuitatis Babylonicæ.

μετὰ δὲ τὴν μετοικεσίαν βαβυλῶνος, ἰεχονίας ἐγέννησε τὸν σαλαθιήλ. σαλαθιὴλ δὲ ἐγέννησε τὸν ζοροβάβελ. 12	Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.	1. Paral. 3. v. 16. 17.

POST TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS. posteaquam migrassent in Babylonem, cùm abducti essent in Babylonem. non id est post reditum è Babylone. Ioachin enim anno xix ętatis in Babylonem abductus, in ipso exsilio Babylonico genuit Salathiel. IECHONIAS. Non est hic ille Iechonias, qui in fine superioris τεσσαρεσκαιδεκάδος nominatur, sed illius filius, nepos Iosiæ (B. Ambrosio in Lucam, & D. Hieronymo in initia Danielis & Matthæi, auctoribus) cuius nomen à patris nomine Hebræis postrema differt syllaba: קים *kim* patris est, כין *chin* filij (manifestum id est 4. Reg. 24.) *quod temporum longitudine, apud Græcos Latinosq́ olim ac nunc confusum est*. Quem confundendi vulgarem modum, Euangelista, aut græcus eius Interpres, fortasse sequutus, eodem Iechoniæ nomine vtrumque vocauit, quo filius apud lxxij græcè ferè nominatur, vbi hebraicè est *Ioachin* (quamquam & patris nomine ἰωακίμ aliquando scribatur) quin & aliàs hebraicè ita is legitur vocatus, Iechonias inquam, 1. Paral. 3. v. 16. Iere. 24. v. 1. pater verò nusquam, quod hactenus obseruauerim, nisi hoc D. Matthæi loco. Cæteroqui, si idem esset hic qui ille *Iechonias*, vel secunda, vel tertia τεσσαρεσκαιδεκὰς haud absolueretur: vt taceam interim, non meminisse vsquam Scripturam fratrum Ioachin patris Salathiel, sed vnici fratris, *Sedeciæ*. 1. Paral. 3. v. 16. Quare demiror, Syriacè eisdem vtrumque literis expressum, perinde vt græcè *Iouchanio*. SALATHIEL. Alij pronuntiant SEALTHIEL idem vnum vocabulum שאלתיאל. Hic Babylone & natus & mortuus fuit, Iudæorum illic post patrem caput. GENVIT intermedio filio Phadaia ZOROBABEL. Zorobabel enim, non filius Salathielis fuit, sed nepos ex filio Phadaia. 1. Paral 3. v. 18. 19. Nam versu 18, cuius verba sunt *Melchiram, Phadaia, Sennceser, & Iecemia, Sama, & Nadabia*, subaudiunt Hebræi, fuerunt filij Salathiel. Nam vt intelligas, omnes illos filios Iechoniæ fuisse, de quo versu 17. præcedente, iam non filius Salathiel sit Zorobabel, sed filius Phadaiæ fratris Salathiel. Omisit itaque Euangelista Phadaiam, nepotemque ab auo fortasse educatum, auo, quia pater obscurus fuerat, adscripsit vt filiú, Ezram & Aggęum prophetas sequutus. 1. Ez. 3. v. 2. 8. Agg. 1. v. 1. 12. Hic Zorobabel, ætate licet iuuenis, xvij annorum (quod habet Philo Annij, & facilè intelligitur ex tempore quo Babylonica captiuitas durauit) quia tamen regio sanguine clarus, pronepos inquam Iechoniæ regis vltimi, Iudæorum è Babylonico exsilio in Iudæam patriam Cyri permissu reuertentium dux fuit. 1. Ez. 2 v. 2. A quo ducatu זרבבל *Zorobabel* dictus est, tamquam qui alienauerit seu abduxerit Iudæos à Babel (nam זר *Zar* Hebræis ac Chaldæis alienare est) antè dictus Barachias, quod Philo ille habet. Hic cùm videret, Cyro rege breui mortuo, inchoatum ciuitatis & templi Ierosolymorum opus, obstante vicinarum gentium inuidia, absolui haud posse, rediit in Persidem: vbi factus familiaris Regis Darij, post Cyrum Assuerumque regnantis, tandem exhibito grato sapientiæ suæ specimine, impetrauit, vt cœpta sub Cyro templi ædificatio posset perfici: ad quam promouendam, ipse secundo anno Da-

rij cum multis alijs exsulibus Iudæam repetiit,&c,addentibus animum Aggæo ac Zacharia prophetis,absoluit. 3.Ezræ 3.4.5. 1.Ezræ 5.v.1.2. Iosephus libri 11. Antiq. capite 4. Fuit itaque hic primus Iudæorum à captiuitate dux. Iudaica enim respublica, semel in Chananæa constituta,primùm à Iudicibus,tum à Regibus, demum à Ducibus & Sacerdotibus, gubernata fuit. Quare cùm captiuitas illa quædam esset interitus species, mirabili Dei prouidentia factum est,non modò vt Iudæi rursus in vnú corpus coalescerent,sed etiam vt aliquæ semper principatus reliquiæ in familia Dauidis manerent. Sed ad captiuitatem vsque, regni nomen & munus manifestè permansit: à captiuitate verò elanguens Dauidis regnum (quædam enim fragmenta duntaxat regij sceptri durarunt) à Christo restituendum exspectabatur.

Zorobabel autem genuit Abiud. [13] Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

ζοροβάβελ δὲ ἐγέννησε τὸν ἀβιούδ. ἀβιοὺδ δὲ ἐγέννησε τὸν ἐλιακείμ. ἐλιακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἀζώρ.

ABIVD. Hic inter Zorobabelis filios, hoc saltem nomine, 1.Paral 3.v.19.20., vbi diligens fit eorum enumeratio,non recensetur. Mosollam primogenitus, patri Zorobabeli successit in principatum. sed eum quem pater in Babylonia exercuit, non quem in Iudæa. Rebus enim in Iudæa constitutis, Zorobabelem in orientem remigrasse,tradunt Hebræi, atque illic ipsum & ipsius filium Mosollam ac nepotes,præfuisse Iudæis, qui liberorum ac possessionum amore ibi remanserant,& Reipub. formam à Persarum regibus redemerant, præfecto sibi è Dauidica familia principe, quem *Resgalouta* seu Aichmalotarcham, id est, caput exsulum vocabant. Quare alios Zorobabelis & filios & successores Matthæus recenset, eos nempe qui statas sedes in Iudæa fixerant, futuros maiores Christi. E quibus primum *Abiud*, putat Annius eum esse, qui in Paralipomenis secundus numeratur inter Zorobabelis filios, *Hananiam*: alij coniiciunt, non filium Zorobabelis sed nepotem esse ex aliquo filiorum. Porrò hic an principatu aliquo functus fuerit,incerta res est: Hebræi aiunt, Zorobabelem in Babyloniam reuertentem,rerum summam summo Pontifici reliquisse: vt certè à reditu ex Babylone, præcipua ac primaria dignitas auctoritasque administrandæ Reipub., penes Pontifices fuit, auctore Iosepho lib. 11. Antiq. sub finem capitis 4.& lib. 20. cap.8. vbi ait: *Iesus Iosedeci filius & eius posteri quindecim, vniuersi vsque ad Regem Antiochum Eupatora statum Reip.popularem rexerunt per annos 414. donec Asamonæorum gens, mutato rerum statu, regnum obtinuit.* Vnde Pontificum certa & illustris exstat successio, non item principum: & eorum qui præfuere principum, plerique non ex huius Zorobabelis,hoc est Salomonis, sed ex Nathanis, alterius filij Dauidis posteris, fuisse creduntur, vsque ad Asamonæos seu Machabæos: qui cùm essent ex tribu Leui, solo nuptiarum fœdere coniuncti familiæ Dauid,manifestè se, non pro pontificibus tantùm, sed & pro ducibus, tandem etiam pro regibus gesserunt ad Herodem vsque. Quo tempore,hoc solum Dauidis successores regij honoris retinuisse videntur, quòd principes Machabæi maternum genus à Dauide ducerent. Itaque tenuis dominationis vmbra tunc temporis residua è regno Dauid,intermortua etiam fortasse nonnunquam ad tempus stirpis Salomonicæ gloria, fideles admonuit, sperandum esse aliud præstantius regnum, quàm temporarium illud Dauidis ac Salomonis, è trunco tamen Iesse (Isai.11.v.1.) erectasque ad Christi aduentum piorum tenuit aures.

Azor autem genuit Sadoc. [14] Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

ἀζὼρ δὲ ἐγέννησε τὸν σαδώκ. σαδὼκ δὲ ἐγέννησε τὸν ἀχείμ. ἀχεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἐλιούδ.

Eliud autem genuit Eleazar. [15] Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob.

ἐλιοὺδ δὲ ἐγέννησε τὸν ἐλεάζαρ. ἐλεάζαρ δὲ ἐγέννησε τὸν ματθάν. ματθὰν δὲ ἐγέννησε τὸν ἰακώβ.

MATHAN. Huius vxor fertur Estha vocata fuisse, ex qua genuerit filium vnicum IACOB. Sic inter alios Eusebius lib. 1. Hist. Eccles.cap 6.ex Aphricano. Generationes has,quæ iam inde ab Abiud,his certè nominibus, in sacris litteris haud exstant, facilè potuit Matthæus, siue ex diuina reuelatione accepisse, siue ex scriptis genealogiis: erant enim Iudæi obseruandarum ac scribendarum genealogiarum (à Dauidis præsertim domo, vt credibile est, è qua Christus exspectabatur) mirum in modum studiosi. 1.Ezræ 2.v.59. 62. Lege Eusebium loco superiori. Existimant porrò quidam, omnes istos viros plebeios fuisse: quod quomodo constare possit, cùm nihil de his exstet scriptum? Vt autem ita sit, non ideo nulli tunc temporis ex Dauidis genere honore administrationis rerum publicarum claruerint, vtpote aliorum quàm Iosephi maiores,quorum posteri,Iosephi æquales, ab Herode sublati sunt. Cæterùm ita dispensatum est negotium incarnationis filij Dei, vt carne nasceretur ex parentibus, remotis quidem & longinquis, huiusmodi qui fuissent hoc in mundo principes populi Dei, plerique etiam Reges; proximis verò, obscuris, plebeis atque humilibus, vsque adeò vt pro matre haberet vxorem fabri: idque ea ratione, vt ex longinquis quidem parentibus, suo tempore magnitudo eius intelligeretur, intelligeretur esse Rex Christus, Abraham patri regique Dauid ex semine ipsorum promissus, immo etiam filius Dei: ex proximis verò parentibus, obscuris illis & humilis tenuisque conditionis hominibus, initio haberetur humilis pauper, vilis, filius hominis potiùs quàm filius Regis, & magnus licet esset, paruus videretur. Redimendo enim mundo, ad quod nascebatur, cùm incongruam iudicaret conditionem vitæ mortalis splendidam gloriosamque, accipiendam sibi censuit obscuram,pauperem,atque humilem. Iam plures à captiuitate Babylonica vsque ad Christum intercessisse generationes quàm Matthæus hîc enumeret, manifestum fit, cum hac conferenti eam quam Lucas scripsit genealogiam,in qua à Dauid vsque ad Christum ter xiiij generationes numerantur,cùm hæc

non

non nisi bis xiiij contineat: sed Matthæus, cùm in primo ordine seu statu sub Iudicibus, solùm xiiij generationes inuenisset, voluit compendij ac memoriæ causa in duobus reliquis ordinibus seu statibus, sub Regibus inquam & Ducibus, eundem numerum seruare, liberumque sibi permisit, quasdam generationes, ne eum numerum excederet, omittere.

16 ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰωσὴφ, τὸν ἄνδρα μαρίας, ἐξ ἧς ἐγεννήθη ἰησοῦς, ὁ λεγόμενος χριστός.

Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

VIRVM. maritum. *neque enim quia non concubitu permixtus, ideo non maritus*, inquit Augustinus libri contra Faustum 23. capite 8. MARIÆ. Maria nomen est Græcorum Latinorumq; nominum terminationi adsimilatum, quod vernaculo Syrorum idiomate dicebatur ܡܪܝܡ *Mariam*, estque à D. Luca ita seruatum ἄκλιτον seu indeclinatum. Luc. 1. v. 27. 30. 34. 38. 39. &c. item 2. v. 5. &c. Porrò dissyllabum Syris & Hebræis est מרים *Mar-iam*, vertique potest *domina maris*: *mar* enim dominum seu dominam; *iam* mare significat. Quo nomine primùm vocata legitur soror Mosis prophetissa, quæ mari transmisso, laudes tympano & voce Domino cantabat, cæteris mulieribus, vt dux, præcinens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem eius deiecit in mare*. Exo. 15. v. 20. Alij à רם *ram* eminuit, deducunt, priori מ *M* accepto pro eo cuius ministerio fiat nomen à verbo: nam media litera, quæ in verbo quiescit, in deriuato mouetur. q. d. excelsa, sublimis, atque eminens. DE QVA. ἐξ ἧς ex qua. NATVS EST. ἐγεννήθη genitus est. passiuum est eius verbi quod hactenus redditum est, GENVIT. ἐγέννησε. Non dicit Euangelista vt hactenus, Ioseph autem genuit Iesum, nec de quo genitus est Iesus, sed *de qua*: quòd non ex Iosepho, sed ex Maria virgine, Iesus genitus sit: id quod mox sibi declarandum sumit. Sed hîc nascitur grauis quæstio: Cùm Iosephus natura Iesu pater haudquaquam sit, quid ad Iesum pertineat genealogia Iosephi? Primùm respondetur ex D. Hieronymo, *non esse consuetudinis scripturarum, vt mulierum in generationibus ordo texatur*: nam id, tametsi quandoque legatur (1. Paral. 2. v. 16. 17.) perrarum est. Cùm enim vir mulieris sit caput, & ad mariti familiam, etsi priùs alterius fuerit, vxor per connubium transferatur: non decet vtique, nuptam mulierem, viro prætermisso, in generationis seriem assumi, aut genealogiam eius nisi per maritum scribi. *Itaque*, inquit B. Augustinus, *quia maritus erat Mariæ Ioseph, propter virilem sexum potius honoranda persona*. libri 23. contra Faustum cap. 8. Verùm ne dicas, communem consuetudinem seruandam hîc non fuisse, vbi eius, qui, præter communem generationis modum, sine patris opera, genitus est, prosapia recensetur: accipe id inprimis, ignorari haud debuisse Iosephi progeniem. Cùm enim pater Iesu iuxta publicam famam habitus sit, ac priùs Iesus prædicatus atque ostensus sit Christus esse, quàm è virgine natus, constare debuit Iosephum, è Dauidis domo, cui Christus promissus fuerat, oriundum. Tum etiam, si aliunde oriundus fuisset, eò translata fuisset & vxor Maria, nec ita iam censita, ipsa aut proles eius, de familia Dauid. Ignorari itaque haud debuit Iosephi genus, vel idcirco, ne videri posset, Iudæis fuisse iustam occasionem reiiciendi Iesu, neque agnoscendi pro Christo. Iam verò, ex Iosephi genere voluit Euangelista intelligi Mariæ ipsiusque Iesu genus: quod vt indicaret, non simpliciter nominauit Ioseph, sicut ceteros plerosque antè recensitos, sed addito Viri epitheto, omissoque verbo *genuit*, *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus*; intelligenda dans duo quædam: Vnum, non aliter Iosephum ad genealogiam hanc Iesu pertinere quàm ratione vxoris Mariæ; non enim esse patrem Iesu; alterum, idem vnum esse genus Iosephi & Mariæ, eosdemque maiores. Præfatus enim se texere genealogiam Iesu, cùm eam ab Abrahamo ad Iosephum deductam finit dicendo Iosephum virum esse Mariæ, & Mariam matrem esse Iesu, non tamen ex Iosepho, sed, quod paulo pòst explicat, ex Spiritu sancto: tantundem est ac si dicat, sic Mariam fuisse coniugem Iosephi, vt ex vno genere, iisdemque maioribus, & familia eadem fuerit, ex qua Iosephus. cæteroqui non præstaret Euangelista id quod præfatus, pollicitus, & professus fuerat, præposito huic genealogiæ titulo illo: *Liber generationis Iesu Christi*. Quocirca falluntur, qui putant, hanc genealogiam ita esse Iosephi, vt non etiam Mariæ ac Iesu, Iesumque ex Dauide quidem sed non per Salomonem esse genitum: ipsi enim Euangelistæ Matthæo aduersantur, contestanti catalogum maiorum & librum generationis ac sanguinis Iesu Christi à se condi. Itaque, quamuis vulgò non tenerentur Israelitæ singuli sua propria in tribu nuptias inire: erat tamen quando lege cogerentur, non solùm eadem in tribu, verùm etiam in cognatione familiaque eadem, matrimonium contrahere; nominatim filiæ, quæ aut erant vnigenitæ, aut nullos habebant fratres, ac proinde erant paternorum agrorum heredes. Id enim constitutum à Domino fuerat Num. 36. v. 8. occasione filiarum Salphaad, quibus cùm nulli essent fratres, metueretque proinde tribus Ioseph, ne hereditas ipsius, illis ductis ab aliarum tribuum viris, minueretur, lege cautum est in hæc verba: *Et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient*. pro quo est ad verbum hebraicè, longè expressiùs: *Et omnis filia hereditans hereditatem de tribubus filiorum Israel, vni de familia seu cognatione tribus patris sui erit in vxorem. Filia hereditans hereditatem*, erat ea, cui ius erat hereditatis fundorum, quos parentes possederant, siue ex prima distributione sortis tribus in familias singulas, siue aliàs ex emtione aut acquisitione. Huiusmodi erat filia vnigenita, aut cui nulli erant fratres: nam cui fratres erant, nullum erat illi ius hereditatis fundorum paternorum. poterat que nubere cuiuscumque tribus viro, id quod mihi quidem videtur. Huiusmodi autem filia, nuberet oportebat vni de cognatione tribus patris sui, vni cognatorum contribulium suorum (fieri enim poterat vt essent ei etiam in aliis tribubus cognati) vt hereditas permaneret & in tribu & in cognatione; seu, quæ scripturæ sunt verba, *vt hereditas in familiis permaneret*. Dat igitur intelligendum Euangelista, Mariam huiusmodi filiam fuisse, quæ cùm esset vnigenita, aut saltem nullos haberet fratres, essetque proinde paterni agelli heres, nuptui collocata fuerit, iuxta legis præscriptum, à parentibus diuinæ legis studiosis, cognato proximo: quam rem latè persequitur Eusebius Emissenus Homilia de natiuitate Mariæ. Porrò vnigenitam fuisse Mariam, id est, vnicam parentum suorum filiam prolemque, quæ non tantùm nullos fratres, sed nec vllas habuerit sorores, ego crediderim: quod quidem Euthymius, enarrans Iohan-

nem cap.19.v.25.,non dubitat certum statuere. Nam historia illa de tribus Annæ maritis, & singulis filiabus Mariæ nomine appellatis de singulis maritis, probabilis non est. Quemadmodum ergo filiæ Salphaad nupserunt filiis patrui sui (Num. 36.v.11.)cognatis proximis, vt quàm minimùm hereditas à cognatione alienaretur: idem vult Euangelista intelligi de B.Maria, quòd nupserit Iosepho, tamquam consanguineo proximo, propinquitatis iure Iosepho debita, vtpote qui eiusdem cum ea tribus, cognationis & familiæ fuerit; patruelis eius aut certè amitinus. Exemplum enim filiarum Salphaad abiisse in consuetudinem, vt nimirum huiusmodi filiæ nuberent suis patruelibus, consobrinis, aut amitinis (quos Galli vno nomine cognatos germanos vocant) si quos haberent, docet liber Tobiæ, vbi Angelus Tobiam iuniorem instruit, ipsi deberi vxorem, filiam vnigenitam Raguelis patrui ipsius (cap.6.v.11.12.) & Raguel ipse, Tobiæ senioris frater: *Credo*, inquit, *quoniam ideo fecit vos venire ad me* (Deus) *vt ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi*. cap.7.v.4.14. Quòd si quis in dubium reuocet, an parentibus B.Mariæ, Ioachimo & Annæ, vlla fuerit hereditas, in quam virgo succederet: ego, post Eusebium & alios, non credo ita pauperes fuisse, vt nullus ipsis superesset agellus, à maioribus relictus, præsertim cùm Hebræi studiosissimi fuerint seruandæ hereditatis patrum suorum (videmus Naboth nolle ipsi regi petenti vendere hereditatem patrum suorum. 3.Reg.21.v.3.) quam, etiam penuria cogente, numquam integrè diuendere consueuerint. At si fortè sic se res habuit, quòd nullam Virgini parentes reliquerint in fundis hereditatem: nihilominus significat Euangelista, Iosephum ac Mariam, & tribu & sanguine proximè fuisse coniunctos. Inscribens enim genealogiam hanc Iesu, declarat se à recensendis Mariæ & Iesu progenitoribus non ampliùs recedere, quàm necesse sit, ad hoc, vt ex causis vrgentibus loco Mariæ recenseat Ioseph. Necesse autem est, vt sicut Ioseph, ita & Iacob patrem Ioseph, licet ad Iesu generationem nihil contulissent, recenseat (neque enim poterat Maria, filia esse Iacobi, soror Iosephi, & nupsisse fratri suo) sed vlteriùs differre progenitores non est necesse: potuit enim Mariæ & Iosepho idem vnus fuisse auus, ipsis natis ex duobus fratribus: immo verò frequens illud erat tunc temporis, fratrum & sororum liberos matrimonium inter se inire, lege id permittente, etiam cùm alienandæ hereditatis nullum esset periculum. Nam & exemplum huius rei exstabat in patriarcha Iacob, qui Rachel & Liam consobrinas suas, filias auunculi sui Laban, duxerat vxores. Gen.29.v.10. Id ergo etiam hîc accidisse, Mariam & Ioseph coniuges, fratrum fuisse filios, vno communi auo Mathan prognatos, vult Euangelista vt intelligatur. Sunt qui tradant, Iosepho & Mariæ, non auum, sed auiam vnam communem fuisse, Estham nomine, quæ ex priore marito Mathan, descendente ex Salomone, susceperit Iacobum patrem Iosephi; ex posteriore Mathat, descendente ex Nathan, susceperit Eli siue Ioacimum patrem Mariæ. Atqui, si Mathan auus non sit communis, sed Iosepho proprius, ac proinde sanguine non attingens Mariam & Iesum: ergo nec Eleazar proauus Iesum & Mariam attingit: neque enim potuit Estha nupta fuisse duobus fratribus, quandoquidem ex priore sustulerit filium. Potuisset abauus Ioseph, nomine Eliud, fuisse & Mariæ abauus, si Mathan prior Esthæ maritus fuerit Esthæ patruelis: sed vt nihil ea de re liquet, ita non facilè dici & inscribi potest, genealogiam esse Iesu, in qua nec pater nec auus nec proauus sanguine attingunt Iesum. Præterea, vt per femininam Esthæ lineam, Iesus descendat ex Dauide & Salomone, minus satisfacere videtur magnificis illis Dauidi & Salomoni datis promissionibus. Quo argumento etiam adducor vt credam, Mathan potiùs fuisse auum Mariæ paternum quàm maternum, id est, fuisse patrem Ioacimi potiùs quàm Annæ; atque hîc describi genealogiam Mariæ ex latere paterno, ita vt Iacob pater Iosephi, fuerit frater Ioacimi patris Mariæ. Non enim verisimile est, vbi vir & femina concurrere habebant, promissionem Dauidi factam, præstitam esse per feminam, interrupta linea virili. Mens igitur Euangelistæ est, vt intelligatur, Mathan fuisse auum, vt Iosephi, ita & Mariæ, proauum autem Iesu; ac proinde omnes qui hac genealogia enumerantur, excepto Ioseph eiusque patre Iacob, fuisse veros ac proprios progenitores maioresque Mariæ & Iesu, prout sibi mutuò successerunt, ex quibus Iesus natus sit secundùm carnem. Et certè ex Regibus illis, Dauidis filiis ac nepotibus, ordine hîc à Matthæo recensitis, qui recta linea longaque serie, citra interruptionem, sese mutuò in regnum Iuda, Deo prouidente, fuerant sequuti (quod tam exactè vetus Scriptura descripserat) semper fuit Christus exspectatus, prout Ecclesia eius matrem canit regali ex progenie exortam refulgere. Vnde fletus Ezechiæ, deplorantis prædictam sibi mortem dum adhuc esset absque filio, eam causam adferunt D. Hieronymus cæterique Interpretes Isa.38., *quod desperaret Christum de suo semine nasciturum, & promissionem Dei ad Dauid timeret in sua morte perituram.* Similiter, quia videri poterat, ex eo loco Ierem. 22. v.30. *Scribe virum istum sterilem, &c.*, Christum ex semine Iechoniæ, de quo illic sermo est, non descendisse, soluunt eum nodum, Ambrosius sub finem libri tertij in Lucam, & Hieronymus ac Theodoretus commentariis in Prophetam, constanterque docent, Christum ex semine Iechoniæ ceterorumque à Matthæo enumeratorum traxisse originem; quod rursus etiam de Zorobabele affirmat Hieronymus scribens in caput quartum Zachariæ. Quòd si pressè quis consideret loca, quæ suprà v. 8. citauimus ex Regum & Paralipomenon libris, videbit non obscurè, vt Abrahæ in Isaac, ita Dauidi in Salomone, promissiones dictas fuisse: nec aliter intellexisse Dauidem ipsum, satis loquuntur Psalmi 71.& 88. Credendum est igitur, quòd ex Salomone originem duxerint Maria & Iesus, per illos patres, quos Matthæus enumerat. Cui sententiæ D.Thomas Summæ p.3.q.31.a.3. ad secundum adstipulatur. Sed Matthæus, cùm vellet ita genealogiam Mariæ ac Iesu condere, vt etiam Iosephi mariti Mariæ, loco eius vt diceret: *Mathan autem genuit Ioacim, Ioacim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus* dixit: *Mathan autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariæ, de qua natus est Iesus.* Voluit id autem Matthæus, ob causas quas iam diximus, tum vt seruaret genealogiæ decorum, tum quòd nosse oporteret, Iosephum patrem Iesu putatiuum, descendisse ex familia Dauid. Fuit & alia causa, quæ postremo iam addenda est loco, quòd ita ex progenie Iosephi intelligatur progenies Mariæ ac Iesu, vt etiam intelligatur, ius regni Dauidici ad Iesum legitima successione deuolutum: quod cùm ex mera Mariæ genealogia intelligi non posset, coactus est Euangelista, cui propositum erat, Iesum legitimum esse Dauidici regni heredem ostendere, ipsius genealogiam ad Iosephum deducere. Itaque Iosephi genus, à Dauide per Salomonis posteritatem, absque omni interruptione continuum esse demonstrat. Nam quod Philo Annij & alij aliquoi Iudæi, Ochoziam postremum fuisse ex stirpe Salomonis, Ioam autem ex posteritate

Nathan successisse, asserunt, friuolum esse mox ostendimus. Ioseph ergò ex vero stemmate fuit regio Dauidis & Salomonis: ad quem sanguinis & hereditatis iure regnum Iuda deuolutum fuit, præcipuè cùm à postremo Rege Ioachin rectà descenderet, postquam reliqui plerique, qui ex regia erant stirpe, ab Herode Ascalonita interfecti essent. Herodem enim è medio sustulisse plerosque omnes è stirpe regia oriundos, ad quos ius regni, quod ille affectabat, spectare, vel è quibus promissus Dauidici regni instaurator Christus nasci poterat, Petrus Galatinus libri quarti de arcanis Catholicæ veritatis capite 6. testatum facit: quò pertinet, quod Iosephus historiographus refert, de morte ab Herode illata, inprimis quadraginta quinque primatibus factionis Antigoni, & Antigono quoque ipsi (lib. 15. Antiq. cap. 1.) deinde iudicibus omnibus Synedrij magni, excepto vno Samea (lib. 14. cap. 17. & lib. 15. cap. 1.) denique Hircano postremo è Iudaica gente Regi. lib. 15. cap. 9. Porrò Iosephum B. Mariæ virum, præ aliis Dauidici generis, superstitem, cùm nulla fulgeret dignitate, & procul à Ierosolymis in Galilæa degeret, remansisse, creditu facile fit. Iosephi autem legitimus heres, Iesus Saluator noster fuit, quippe filius eius, non quidem naturalis aut ab eo genitus, sed nec secundùm vulgi opinionem & famam publicam tantùm, vt neque adoptiuus; sed reipsa proprius ac legitimus, ipsi legitimè ex vxore virgine, nec aliunde ex vllo viro, virtute Spiritus sancti, in sanctissimo coniugio conceptus, natus generatus, ac diuino munere datus: quò regnum, cuius ipse heres quidem erat, sed assumere illud atque erigere nequaquam valebat, opera vnigeniti illius filij ipsius, restitueretur & exaltaretur. Nam cùm legitimo matrimonio iunctus esset Iosephus virgini Mariæ, essetque proinde Mariæ corpus corpus eius, quin & vna ipse cum ea esset caro, iure etsi non re (sunt enim coniuges vna caro, iure quidem priusquam conuenerint, re autem pòst: & Iosephus, si Deo fortè virginitatem vouerat, non iuri matrimonij cesserat, sed iuris exsequutioni) proles è Mariæ carne genita, ex eius genita est carne. Dumque inuiolata connubij fide, legitimè Deo operante, qui nihil non legitimè operatur, cuius libero dominio non subtrahit vxorem mariti auctoritas, in connubio concepta est, legitima connubij illius Iosephi & Mariæ proles fuit. ita enim B. Augustinus, dum coniugij illius bona dinumerat, Iesum prolem dicit. *Omne* (inquit lib. 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 11.) *nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum diuortium.* Tuetur hæc sua verba libri in Iulianum quinti cap. 9. Succedit autem iure gentium in paternam hereditatem, is qui solius publicæ famæ testimonio filius habetur: quantò magis is, quem & fama publica filium credit, & reuera è coniugio illo Deus edidit, vxorem, quod solet aliàs mariti opera, iam absque illius opera, sua solius virtute, imprægnans? Quocirca à Iosephi morte, regalis Dauidicæ familiæ dignitas, ad Iesum rectò ordine deuênit: fuitque non promissione Dei tantùm aut donatione, sed & hereditariæ successionis iure, sceptri Iudaici occupator. Quod cùm demonstrare Matthæus vellet, fuit ei Iosephi genealogia condenda, non nuda Mariæ, quæ, viris relictis, heres esse regni non potuit. Quo autem modo & qua forma à Iesu restitutum erectumque sit regnum istud, ea quam describere aggreditur historia declarat (vide infrà 3. v. 2.) potest nihilominùs intelligi ex prima illa regni à Dauide institutione, eiusque absoluta per Salomonem forma: nam quæ Dauid & Salomon in regno Israel gesserunt, scire oportet eadem à Christo reuocanda fuisse, sed tanto præstantiùs, quanto excellentius illis nomen accepit. Licet enim sæpiùs dicatur Christus successisse in regnum Dauid quàm in Salomonis, propterea quòd Dauid fuerit Deo dilectissimus, primogenitus in regno Dei (Psal. 88. v. 28.) & promissionibus orituri ex se Christi celebrior: tamen quia fastigium regni, & summa eius maiestas, per Christum restituenda ac perficienda, sub Salomone eluxit, succedere significatur Christus etiam in regnum Salomonis, dum veluti alteri excellentiorique Salomoni, ea quæ 2. Reg. 7. v. 14. de Salomone dicuntur, ad Heb. 1. v. 5. Christo attribuuntur, & regnum Christi Psalmo 71. sub Salomonis nomine describitur, quod suprà annotauimus. Docetur ergo Christus alter esse Salomon, minimus quidem Dauidis filius, abiectissimus & tamquam vermis habitus, sed qui, quod Salomon ille gessit regnum, & enormiter peccando diruit, ac plurimis malis obnoxium reddidit, tamquam legitimus successor sit ab omni iniuria vindicaturus, resuscitaturus, redintegraturus, & in summam gloriam adducturus, erecta ædificataque ex Israele & Gentibus magnificentissima ac toto terrarum orbe celeberrima ecclesia, quam & redditurus sit æternùm gloriosam, non habentem maculam aut rugam, ipse non iam rex Israel tantùm, sed rex regum & Dominus dominantium. vt sic, iuxta promissa, fiat firma domus Dauidis, & regnum thronusque eius continuetur confirmeturque in seculum & in omnem æternitatem. Itaque dum Euangelista parentum Iesu seriem ad Iosephum deduxit, suum ante omnia detulit marito honorem: tum ostendit, patrem Iesu putatiuum, fuisse ex genere Dauid, id quod manifestum esse debuit iis quibus Euangelium primùm est annunciatum: deinde Mariæ simul ac Iesu parentes aperuit: denique hereditario iure Dauidici regni titulum à Iesu acceptum monstrauit. QVI VOCATVR. ὁ λεγόμενος, ille qui dicitur, ille cuius iam percrebuit cognomen, CHRISTVS, Messias. Id addidit vt Saluatorem ab aliis distingueret, qui, vel prioribus temporibus, vel ea ipsa tempestate, Iesu nomine fuerint appellati. Quamdiu floruit in familia Dauidis regia maiestas, vocati sunt reges Messiæ siue Christi: postquam autem regnum abolitum fuit, cœpit hoc nomen (id quod ex Daniele cap. 9. v. 25. 26. intelligitur) ad vnum illum referri, à quo sperabatur absoluta salutis reparatio. vt ne enim deformis illa vastitas, piorum animos in desperationem coniiceret, voluit Deus promisso Redemtori nomen hoc tamquam proprium deinde tribui, quò in spem certam salutis ac gloriæ pristinæ per ipsum recuperandæ erigerentur. Certè Historia euangelica passim ostendit, vulgatum fuisse loquendi morem, tum quum exhibitus est filius Dei in carne, vt exspectatus redemtor Messias siue Christus appellaretur; veluti infrà 16. v. 16. Ioh. 1. v. 25. 41. item 4. v. 25. item 10. v. 24.

πᾶσαι οὖν αἱ γενεαὶ, ἀπὸ ἀβραὰμ ἕως δαβὶδ γενεαὶ δεκατέσσαρες, καὶ ἀπὸ δαβὶδ ἕως τῆς μετοικε-	17	Omnes itaq; generationes, ab Abrahã vsq; ad Dauid generationes quatuordecim, & à Dauid vsq; transmigrationem

grationem Babylonis generationes quatuordecim, & à transinigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generationes quatuordecim.

σίας βαβυλῶνος γενεαὶ δεκατέσσαρες, καὶ ἀπὸ τῆς μετοικεσίας βαβυλῶνος ἕως τοῦ χριστοῦ γενεαὶ δεκατέσσαρες.

OMNES ITAQVE GENERATIONES. ſ. ſunt, id eſt, ſumma generationum hæc eſt: AB ABRAHAM &c. Omnes hactenus à me recenſiti qui vixerunt, qui fuerunt ab Abraham vſque ad Dauid ſunt numero xiiij, & à Dauid &c. vno verbo: Summa totius genealogiæ conſtat tribus teſſaradecadibus. Primam teſſaradecadem inchoat Abraham, finit Dauid: Secundam inchoat Salomon, abſoluit Iechonias: Tertiam ingreditur Iechonias Iechoniæ filius captiuus, claudit Ieſus Chriſtus, finis legis totiuſque Iſraelitici populi & captiui mundi liberator. numerandæ enim ſunt perſonæ quotquot exprimuntur, eo excepto quòd vir & fæmina pro vna perſona habeantur. Nam generatio hîc pro ætate vitæ vnius hominis accipitur: γενεὰ eſt græcè, ſuperiùs verſu primo γένεσις, proximo verſu γέννησις. Subduxit ſummam Euangeliſta, vt oſtenderet, nihil à ſe per obliuionem omiſſum eſſe, ac proinde nihil addendum à quoquam aut detrahendum; ſimul & triplicem populi ſtatum obſeruandum, ex quo promiſſus fuerat Chriſtus Abrahæ, vſque ad tempus plenitudinis quo manifeſtatus eſt in carne.

Chriſti autem generatio ſic erat. Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.

18 τοῦ δὲ ἰησοῦ χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν. μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ μαρίας τῷ ἰωσὴφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου.

CHRISTI AVTEM. τοῦ δὲ ἰησοῦ χριστοῦ Ieſu Chriſti autem. Additur Græcè vox Ieſu, ſimiliter & Syriacè, quam tamen ſuſpicio eſt adiectitiam eſſe, à ſcriba adſcriptam, vel ex conſuetudine recitationis eccleſiæ, vel ex proprio ſtudio: nam non perinde congruit contextui ſermonis, quo repetitur ſola vox Chriſti è proximo. Auctor operis in Matthæum imperfecti non agnoſcit *Ieſu*. Ne quis crederet Chriſtum, ea ratione qua ij quos iam recenſuerat Chriſti parentes genitum, viri nimirum opera, Ioſephi, ad quem genealogiam deduxerat, enarrat ortus eius rationem ex virgine: atque hac veluti præfatiuncula auditoris animum ad inauditæ ac prodigioſæ rei deſcriptionem excitat. GENERATIO. ἡ γέννησις conceptus, natiuitas. SIC ERAT. ſic ſe habebat. imperfectum pro perfecto, ad hunc modum ſe habuit. CVM ESSET. Additur græcè γὰρ *enim*, quod Syrus cum Latino non legit: vt nihil momenti habet, niſi quòd enarrationem cum pollicitatione præcedenti connectit. DESPONSATA. μνηστευθείσης ſponſa tradita, recèns nupta. Non tantùm enim vxor promiſſa fuit Ioſepho, verùm etiam tradita, vt ſententia habet ſolidior, quam propugnat B. Auguſtinus, cùm alibi, tum primi de nuptiis & concupiſcentia capite vndecimo, & viceſimi tertij contra Fauſtum capite octauo. Mox enim v. 20. Angelus Mariam Ioſephi coniugem; Lucas cap. 2. v. 5. μεμνηστευμένην γυναῖκα *deſponſatam vxorem* vocat. *Non te moueat* (inquit Ambroſius initio libri ſecundi in Lucam) *quòd frequenter Mariam Scriptura coniugem vocat, non enim virginitatis ereptio, ſed coniugij teſtificatio, & nuptiarum celebratio declaratur. Denique, quam non accepit, nemo dimittit: & ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam.* Hæc ille. E parentum arbitrio, ſed horum animos moderante Deo, ſanctiſſima virguncula, mater futura filij Dei, viro vxor tradita eſt: Inprimis vt incarnati filij Dei genus per virum innoteſceret; deinde vt ne virgo ex ſtupro aut fornicatione concepiſſe exiſtimaretur, & filius eius proinde ſpurius haberetur, neque Chriſtus vmquam agnoſceretur. Tum vt vir integritatis virginis teſtis eſſet & cuſtos, virginique in pueri educatione, in fuga, ac fortunis cæteris, adeſſet; denique vt partus diabolum celaretur. EIVS. Chriſti. IOSEPH. τῷ ἰωσὴφ ipſi Ioſeph. ὁμώνυμος certè vir hic fuit, qui hoc tanto honore auctus eſt (Ioſeph nomen eſt ab augendo acceptum, quod ex Gen. 30. v. 24. intelligitur) vt maritus eſſet matris Chriſti, Chriſtique eſſet educator & curator, poſtremò pater haberetur, quin & ſuo modo eſſet. Nec dubium, quin ideò voluerit Chriſtus matris ſuæ maritum Ioſeph nominari, vt intelligerent fideles, eum, vt nomen ita & caſtitatem aſſequutum, veteris illius patriarchæ Ioſeph. Porrò idcirco huic potiùs quàm alteri, Deo agente, deſponſata eſt mater Chriſti, quia hic proximus fuiſſe videtur regni Dauidici heres, à quo voluerit illud Deus recto ordine ad Chriſtum deuolui, ita vt mox explicuimus: id quod etiam locum non habeat, ſi ante matrimonium initum conceptus ſit Chriſtus. ANTEQVAM CONVENIRENT. πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς antequam conueniſſent. Verecundè notat coniunctionem mariti & vxoris. Porrò non id ſignificat poſteà eos conueniſſe, vti Heluidius calumniabatur: ſed quid fieri conſuetum ſit priuſquam vxor vterum geſtet exprimit, vt tandem intelligas rem eſſe admirandam. primùm enim id ſcire oportuit, non fuiſſe cognitam à marito. Quemadmodum ſi quis dicat: Aaronis virga, priuſquam plantata radices egiſſet, floruit. (Num. 17. v. 8.) non ſignificat poſtea plantatam fuiſſe & radices egiſſe, ſed naturæ ordinem inſinuat, vt miraculum intelligas. Quidam hoc *antequam conuenirent*, non de congreſſu maritali accipi volunt, ſed ita vt ſit, antequam nuptiarum ſolemnia celebrarentur, ſiue antequam ad ſponſi domum ſponſa duceretur, ſiue poſtremò antequam ſimul habitarent. Verùm niſi ita coniuncta fuiſſet virgo Ioſepho, vt abſque infamiæ nota ab eo cognoſci potuiſſet (quod ante nuptiarum ſolemnia non potuiſſet) ruiſus niſi tanto ei tempore nupta fuiſſet, quanto ex connubiali thalamo grauida eſſe ab omnibus credi potuiſſet; non ſatis, cùm virginis famæ, tùm naſcituri filij honori atque auctoritati conſultum fuiſſet. Minimè verò credibile eſt, aut cùm iam vterum geſtaret, aut poſtquam peperiſſet, tum nuptias celebratas, aut ſponſo traditam: & tamen ſimul eos vt coniuges vixiſſe, vel hiſtoria pergentium ad diem feſtum Ieroſolymam

ſolymam cum puero Ieſu duodenni Luc. 2. v. 42.) doceat. Cæterùm, licet iam nuptiis celebratis, licet connubio traditione & cohabitatione firmato, non conuenerunt tamen, corpora non miſcuerunt, idque ne recentibus quidem nuptiis, cùm amor inter ſe coniugum maximè feruet: quia non eò nuptias illas deſtinauerat Deus, ſed ſibi conſecrauerat. vt donec maturo rei veritas tempore celebranda eſſet) ſub illarum velamine nuptiarum, ex virgine, abſque viri amplexibus, filius eius ὁμοιοσ carnem ſumeret, & in mundum prodiret. Quare tam amantes illos in coniugio reddidit caſtitatis, quàm virginea filij Dei parturitione dignum erat, Deus, qui ipſe nuptias iſtas inuiolato caſtitatis amore conciliauerat. Ex hoc porrò quòd mutuò ſe nunquam cognouerint, ſponſi & ſponſæ nomina, ob caſti amoris inſigne, perpetuò merentur.

INVENTA EST. εὑρέθη: reperta eſt. præter exſpectationem obſeruata eſt. nam, propter inopinatum euentum, reperta eſt inquit. Reperta eſt autem à Ioſepho ſponſo, qui maritali cura ſponſæ ſuæ omnia obſeruabat: nec fugitabat illa mariti conſpectum, quæ ſibi malè conſcia non erat. Reperta eſt, poſt trimeſtre, veriſimile eſt, à Chriſti conceptione, poſtquam ex cognatæ Elizabethæ domo reuerſa fuerat. Lu. 1. v. 56.

IN VTERO HABENS. ſub. fœtum. ἐν γαστρὶ ἔχουσα. græca phraſis, pro reperta eſt vterum ferre. DE SPIRITV SANCTO: ἐκ πνεύματος ἁγίου ex Spiritu ſancto; non viri alicuius, ſed Spiritus ſancti operâ. Non hoc referendum eſt ad totum id quod præceſſit (neque enim Ioſephus, qui deprehendit eam grauidam eſſe, Spiritus ſancti operatione grauidam eſſe intellexit; multò minùs ſi quis alius obſeruauerat) ſed ad proximum ſolummodo verbum *in vtero habens*. illud enim adiecit Euangeliſta, vt ne quis continuò ſuſpicaretur, eam ex adulterio concepiſſe. Nomen Spiritus, vt opponitur corpori, tribus SS. Trinitatis perſonis commune eſt (Ioh. 4. v. 24.) ſed tertiæ proprium, qua ratione à patre & filio in modum amoris ſpiratur. Quod quidem nomen, cùm latinè genere maſculino *Spiritus*, hebraicè feminino רוח *ruah*, græcè neutro πνεῦμα exprimatur, commodè ſeruit perſonæ diuinæ, cui nulla ſexus generiſve diuerſitas tribuenda eſt, quod notat Hieronymus cùm alibi tum enarrans caput 40. Iſaiæ. Sanctus verò quod additur, non à patre & filio diſtinguit tertiam perſonam, ſed à ſolis ſpiritibus creatis, qui vel non ſunt ſancti, id eſt, ab omni ſorde liberi ac puri (ſunt enim quidam ſpiritus immundi) vel non ſunt, vt perſona iſthæc diuina, fons ſanctitatis, id eſt, ita ſancti vt ſanctificent cætera omnia quæ ſancta ſunt. Porrò, abſque viri congreſſu, ex virgine, Spiritu ſancto viri partes agente, naſci decuit Saluatorem; Inprimis, ob cæleſtis patris honorem, ne præter eum alterum haberet patrem, ſed è ſola matre in tempore naſceretur homo, qui è ſolo patre ab æterno natus fuerat Deus. Deinde, ne vel originis peccato obnoxius, vel eo modo quo peccatum originis tranſmitti ſolet, naſceretur: vtrumque enim, & maieſtate eius indignum, & ei ad quod mittebatur officio peccatorum auferendorum fuiſſet contrarium. Poſtremò, vt ab omni libidinis atque impuritatis ſorde procul eius abeſſet natiuitas, qui fons eſt puritatis, *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis*. Sap. 7. v. 26. Cæterùm Spiritui ſancto tribuitur, quam ſancta Trinitas operata eſt, Chriſti conceptio (ſunt enim diuinæ Trinitatis opera indiuiſa) quia opus fuit inprimis fœcunditatis ac viuificationis, deinde puritatis ac munditiei, alieniſſimum ab omni ſorde, poſtremò miſericordiæ ac gratiæ, miſericordiam gratiamque omnem ſuperantis, tum erga hominem Chriſtum, tum erga vniuerſum hominum genus (Aug. Enchiridij cap. 38. 39. 40.) ſolet enim Scriptura Spiritui ſancto tribuere ea quæ ſunt beneficentiæ, liberalitatis, fœcunditatis, & ſanctitatis ſiue puritatis.

Ἰωσὴφ δὲ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν [19] καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν.

Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

IOSEPH AVTEM. Ad comprobationem virginei conceptus, adfert ſiniſtram mariti de vxoris fide ſuſpicionem, quam à Deo miſſus Angelus ſuſtulit. IVSTVS. Studioſus virtutis cultor. TRADVCERE. παραδειγματίσαι exemplum ſtatuere, publicare, infamare, in ius trahere, legum exemplum in eam edere, populi fabulam reddere, probrum inferre, &c., crimine diuulgato, ipſam ignominia afficere: hæc enim græcæ vocis ſignificato comprehenduntur. *exemplare* vertit B. Auguſtinus epiſtolæ 59. quæſtione 7. Syriacè eſt ܦܪܤ *pares*, tamquam nudam exhibere. Cùm comperiſſet Ioſeph vxorem eſſe prægnantem, cui ſe nouerat non eſſe commixtum, & ob hoc quamuis nihil aliud quàm adulteram credebat (Auguſtinus epiſtola 54.) nolebat tamen conſanguineam ſuam, honeſtis parentibus & ſui amantibus ortam, in exemplum ſtatuere ignominiæ familiaris: quippe res occulta adhuc erat, & puella, ob virtutum quibus fulgebat inſignia, miſeratione digna, ſi fortè lapſa fuiſſet. Non enim præceperat lex maritis, ſed permiſerat, adulteras vxores accuſare & ad pœnam depoſcere (Num. 5. v. 12.) neque ad maritos propriè pertinet, ſed ad iudices, quod eſt Deut. 22. v. 22. *Auferes malum de Iſrael.* OCCVLTE DIMITTERE. *Dimittere*, quia iuſtus erat; *occulte*, quia traducere nolebat: *dimittere*, vt conſcientiæ ſuæ ſatisfaceret; *occultè*, vt vxoris famæ conſuleret: *dimittere* denique, ne adulteram fouens criminis particeps fieret, & adulterini partus ſtultè patiens obſequutor; *occulte*, ne in progeniem ſuam crudelis, & in puellæ, moribus hactenus inculpatiſſimis, pro ætate ac ſexu fragilitatem, durus eſſet. Voluebat enim ſecum ipſe animo ſuo, numquam ſe eiuſmodi competiſſe virginis mores, in quos caderet adulterij ſuſpicio: ſed vincebant probitatis opinionem indubitata conceptus indicia. Cæterùm non affligere ille vxorem, non expoſtulare, non queri apud affines, non zelotypia diſcruciari, non in ius vocare & ad pœnam rapere, ſed ſuos æſtus apud ſemetipſum premere, tantumque animo de ſecreto diuortio cogitare: id quod inſigniter conſtantis viri fuit, Dei, haud dubium prouidentia, conſilia, prout res poſtulabant, ducente. Potuiſſet autem clanculum miſſam facere, clàm dato repudij libello, quem nec euulgari neceſſe erat, nec repudij cauſas exponere (Deut. 24. v. 1.) vel peregrinatione in aliam regionem inſtituta. Mirum verò videri poſſet non apertum à ſancta virgine marito arcanum, præſertim cùm facilè aut animaduertere aut credere poſſet, marito eam rem miras animi moleſtias gignere. Verùm, aut deſperabat illa perſuaderi à ſe poſſe, aut Deo id ſapientiùs ſe commiſſuram iudicabat, à quo cognatæ Elizabethæ iam patefactum fuiſſe didicerat. Luc. 1. v. 43.

Hæc au-

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei, dicens: Ioſeph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.

20 ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος, ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου κατ' ὄναρ ἐφάνη αὐτῷ, λέγων· ἰωσὴφ υἱὸς δαβίδ, μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν μαριὰμ τὴν γυναῖκά σου. τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου.

HÆC AVTEM EO COGITANTE. ταῦτα δὲ αὐτοῦ ἐνθυμηθέντος: hæc autem ille cùm cogitaſſet. ſ. interdiu, vigil. *Hæc*, de dimittenda ob compertum, quod exiſtimabat, adulterium, vxore, & de modo dimittendi. Commendatur hîc viri prudentia, non ad opus temerè proſilientis, nec in verba facilè prorumpentis. verſabat rem animo, priuſquam quid tentaret: nec ei quidem aperiebat id quod animo gerebat, quæ curarum ei cauſa erat. ECCE. Res admiratione aut obſeruatione dignas narraturi, voculam hanc, prophetæ atque euangeliſtæ frequèns ſolent præmittere, vt lectorem attentum reddant. ANGELVS DOMINI. Gabriel creditur, qui priùs virgini conceptum nuntiarat. Luc. 1. v. 26. Angeli vocantur cæleſtes ſpiritus, quibus Deus nuntiis & miniſtris vtitur, iuxta illud Pſalmi 103. v. 4. *Qui facis angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos Ignem vrentem.* angelus enim, nuntius eſt græcis. Porrò *Domini* voce vtuntur, Noui Teſtamenti ſcriptores, & Veteris interpretes, vt proprio Dei nomine, loco nominis τετραγραμμάτου יהוה, ab eſſe deriuati (הוה *haua* hebraicè & chaldaicè eſt eſſe) quod adeò proprium eſt Dei nomen, quod ſibi ipſe indidit, vt illius hominis *Iacob*, huius *Ioſeph*, vt gerat etiam in capite iod literam, propriorum nominum formatiuam. Illud efferre volentes Neotericorum hodie plerique, dicunt *Iehoua*: ſed Iudæi aſſerunt, maiores ſuos ab ipſo vſque Moſe, cui primò reuelatum & traditum eſt hoc nomen, eius loco ſemper pronunciare ſolitos *Adonai*. Id quod certè ſequuti ſunt Veteres, LXXII Interpretes, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Origenes, Hieronymus, aliique, perſuaſi, veriſimile eſt, illud efferri non poſſe, non quia non liceret, ſed quia eius ſonus ignoraretur, Deo prouidente reuerentiæ nominis eſſentiæ ſuæ proprij: vnde & ἀνεκφώνητον ſeu ineffabile dictum eſt. Quocirca Iudæi poſtea, quando Biblia ſacra punctis vocalibus inſigniuerunt, pūcta nominis אֲדֹנָי *Adonai*, huic nomini adpinxerunt. יְהֹוָה Quòd enim puncta ſint nominis *Adonai*, ea quibus hoc nomen ferè afficitur, ſcheua ſimplici mutato ex ſcheua compoſito; manifeſtum tunc fit, quando nomen iſtud Dei proprium concurrit cum ipſo nomine *Adonai*: tunc enim, non nominis *Adonai*, ſed nominis אֱלֹהִים *Elohim* vocalia puncta ſortitur, יֱהֹוִה (Deut. 3. v. 24.) &, ſi iungendæ forent literæ punctis, efferendum eſſet *Iehouih*, contra totius regulas Grammatices. Quòd autem veteres, adeoque Apoſtoli, loco nominis huius ineffabilis ſonuerint *Adonai*, patet, tum aliunde, tum ex eo quòd conſtanter reddiderint κύριον ſiue *Dominum*, quæ eſt propria ſignificatio nominis *Adonai*: nam ineffabile, ſi interpretandum foret iuxta etymologiam, transferendum eſſet *Qui eſt*, vel, vt Platonicè loquamur, ὁ ὤν ſiue τὸ ὄν *Ens*. Itaque in ſacris Noui Teſtamenti literis & Veteris verſionibus, vox *Domini* plerumque ſubit locum proprij nominis Dei, vſque adeò vt & enunciatione ſingulari, quemadmodum dicis *Petrus eſt homo*, ita legas *Dominus ipſe eſt Deus*. (Deut. 4. v. 35.) *Dominus eſt magnus Deus*. Pſal. 94. v. 3. Hoc ſemel annotaſſe oportuit. APPARVIT. per ſpecies in phantaſia formatas, angelum apparentem & colloquentem intellectui obiicientes. Apparuit autem tres ferè ob cauſas: prima eſt, ne homo iuſtus ex propoſito iuſto rem faceret iniuſtam: altera, ne dimiſſa virgo turpitudinis notam incurreret, & mariti ſolatio curaque deſtitueretur: tertia, vt intelligens Ioſephus ſacrę conceptionis myſterium, ſtudioſiùs etiam ſe contineret ab ea, non iam ob continentiæ diſciplinam tantùm, verumetiam ob partus honorem. Et omnino idoneum dignumque ſe iam vir iſte oſtenderat, cui diuinum ſecretum nondum euulgandum committeretur, inſigni illa ſua in premendis animi curis grauitate. Cui non ante conceptum res ſignificata eſt, tum quia ſuſpicioni relictus adhuc poſtmodum eſſe potuiſſet locus, tum quia res futura creditu difficilior fuiſſet, quę iam facta, cùm anxiis animum curis diuexaſſet, accedente ad perſpectam virginis probitatem cæleſti oraculo, perſuaſu facilis fuit, ei, qui in deamata ſponſa nihil niſi turpitudinem Deique offenſam metuens, promtus erat traduci ad lætiores melioreſque ſpes, ſi quis modò ad id dux viæ appareret. Eo verò res nobis facta fuit teſtatior, quo magis perplexis conſiliis ſanctiſſimum virum paſſus eſt Deus angi: quanto enim maiori difficultate implicitus priùs teſtis fuit, tanto firmius & grauius eſt poſteà eiuſdem veritatem edocti teſtimonium. IN SOMNIS. κατ' ὄναρ per ſomnium. Apparuit in ſomnis, & collocutus eſt more ſomniorum, iuxta B. Auguſtinum Enchiridij capite 59. Frequens hic eſt in ſcripturis, diuinitus factarum reuelationum modus, in ſomnis, quando, collectis ſenſibus, mens quieta, idonea maximè eſt ad excipiendam cæleſtem illuminationem. Porrò in ſomnis dum quid reuelat Deus, id ita agit, vt ſimul homo certò intelligat, non vanum eſſe ſomnium, ſed à Deo immiſſum, & veræ rei ſignificatiuum. Eo autem certior factus eſt Ioſephus, quòd eis de rebus per ſomnium inſtrueretur, quas præter Deum nemo nouiſſe poterat: quippe quas nulli manifeſtauerat, ſed ſolus ſecum vigil animo ſolo verſauerat. Ideoque accommodè præparatus ad accipiendam reuelationem, non opus habuit corporea aliqua & viſibili exhibitione, ſed Angeli ſuffecit per inſomnium imaginaria apparitio. IOSEPH. Blandè illum proprio compellat nomine: neque enim argui merebatur, quòd æqua eſſet eius ex parte ſuſpicio. FILI DAVID. è poſteris Dauid. Filium Dauidis vocat, vt attentum faciat ad ea quæ dicturus eſt, auditaque Dauidis mentione, Chriſti meminerit, quem è Dauidis familia, è qua ſuperſtes ipſe cum paucis remanſerat, nouerat exſpectari. Perinde eſt ergo ac ſi Angelus, allatis in medium diuinis promiſſionibus quibus Chriſtus Dauidi filius promiſſus fuerat, & prophetarum vaticiniis de regni Dauidici per Chriſtum inſtauratione, Ioſephi animum ad amplexandam præſentem gratiam, Chriſtum inquam ex vxore ſua exſpectandum, paraſſet. NOLI TIMERE. μὴ φοβηθῇς ne timueris. Timuerat, ne adulteram fouens, Deum offenderet. ACCIPERE. παραλαβεῖν adſumere, ſociam admittere, in conſuetudinem vitæ adiungere. Iamdudum eam acceperat (non enim coniux fuiſſet, nec dimitti potuiſſet,

potuisset, nisi accepta, quod notat B. Ambrosius in 1. cap. Lucæ) sed diuortium meditabatur: itaque *mente repudiauerat*, inquit Chrysostomus. Quare Angelus: Accipe, ait, quam dimittere cogitas: ego eam tibi Dei voce copulo. Accipe autem, velut commendatum cælestem thesaurum. MARIAM. Proprio nomine dum appellat, omni eam honore dignam vult intelligat. CONIVGEM TVAM. τὴν γυναῖκά σου vxorem tuam. Vxorem eius vocat, vt turpitudinis suspicionem animo euellat, ne à quoquam existimet violatam. *Coniux vocatur* (ait Augustinus primi de nuptiis & concupiscentia capite 11.) *ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat nec fuerat cogniturus: nec perierat nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat nec futura erat vlla carnis commixtio. Erat quippe illa virgo, ideo & sanctius & mirabilius iucunda suo viro, quia etiam fœcunda sine viro, prole dispar, fide compar.. Propter quod fidele coniugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa mater, verumetiam ille pater eius, sicut coniux matris eius, vtrumque mente, non carne.* Hæc Augustinus. IN EA. in vtero eius. NATVM EST. γεννηθὲν natum, genitum: sic enim appellat id quod conceptum in vtero est & nondum enatum. Nam & natum dicitur id, quod quocumque modo cœpit esse. Porrò Christi corpus, quod à primo conceptionis articulo integrè formatum atque animatum fuit, aptissimè in vtero natum dicitur, quod notat Euthymius. DE SPIRITV SANCTO. Semper est græcè præpositio ἐκ *ex*: *Ex Spiritu sancto est*: vt non ex te, ita neque, id quod tu arbitraris, ex alio viro, sed ex Spiritu sancto est, qui pudicitiam illius non temerauit, sed protexit, decorauit & auxit, ita vt tibi ipse de ea vxore meritò gratulari debeas, quæ, intacto pudoris honore, nuptias tuas cælesti partu fœcundat. *Quod tu* (inquit Augustinus Enchiridij cap. 37.) *esse de alio viro suspicatus, de Spiritu sancto est.* Spiritus sanctus in virgine id ipse operatus est, quod in muliere viri semen operatur. Non tamen pater fuit Christi, quia non suam transfudit naturam, sed naturam à sua diuersam produxit, id quod creantis, non generantis est. Quum ergò *natum* Angelus dicit, virginem id egisse in conceptione significat, quod, iuxta naturæ ordinem, matris est; quum autem addit *de Spiritu sancto*, miraculo id per Spiritum sanctum suppletum esse quod patris erat. Fuit igitur, ea in conceptione, naturæ aliquid, maternum scilicet opus; aliquid, sed quod potissimum est, miraculi.

τέξεται δὲ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα [21] αὐτοῦ Ἰησοῦν· αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν.	Pariet autẽ filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluũ faciet populum suũ à peccatis eorum.

PARIET vt vera mater: naturali matris opere edet, non in morem canalis effundet, quæ Valentini blasphemia fuit. FILIVM. Aperuerat Angelus Iosepho, ex quo conceptus esset fœtus: nunc docet cuiusmodi futurus sit, filius nempe, non filia, isque saluator populi Dei. *Pariet filium* suum, non tuum, nec alterius hominis vllius; sibi verò, & tibi, & orbi toti. Quare canebat Isaias cap. 9. v. 6: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* ET VOCABIS. Mandat ei curam pueri, eam quæ patri incumbat; simul & virginis tutelam. NOMEN EIVS. Semper fuere admirabiles, quibus ante natiuitatem à Deo nomen impositum fuit; *Salomon* 1. Paral. 22. v. 9. *Cyrus* Isai. 45. v. 3. 4. *Iohannes Baptista* Luc. 1. v. 13. Hic verò omnibus præcelluit, quippe Dei filius. Probat igitur Angelus cælitus conceptum, cui cęlitus nomen imponitur. Nec aliunde imponendum fuit: nam præter Deum patrem, nullus Christi dignitatem perfectè nouerat, nullique ea erat in Christum auctoritas. IESVM. Non fuit nomen tunc temporis insolens, sed huic puerulo suo iure debitum, cui soli nominis significantia congruit, mille continens thesauros bonorum. id quod deinde explicat: *Ipse enim saluum faciet* &c. Reddit indendi nominis etymologicam rationem legatus cælestis: Iesus vocabitur, quia saluum faciet. In eum veritas huius etymi competit: in aliis aut inane est nomen aut sola vmbra fuit. *Non enim est in alio aliquo salus.* Act. 4. v. 12. Hebraicè verbum ישע *iasah* in prima coniugatione saluum esse (quamquam hic in vsu non sit) in quinta est saluum facere: nomen autem ישע *iesah* & nomen ישועה *iesuha* significant salus. Hinc ישוע *Iesu*, vel, vt Hebræi pronunciant, *Iesuah*, salutis auctor, saluator. Postremam literam ע, quam vocant *Ain*, cùm pronunciari nisi aperto gutture non possit, vt pronuncient Hebræi, post eas vocales quæ os guttúrve claudunt, assumunt vocalem *patah*, quæ est *a* breuis gutturque aperit: quare dicunt יֵשׁוּעַ, & fit trissyllabum nomen, quod dissyllabum esse debuerat. Eam autem literam qui latinè exprimere volunt, scribunt *Iesuah* aut *Iesuah*: sed cùm linguis nostris non minùs difficilis sit scriptu quàm pronunciatu, ne dicam impossibilis; rectè lxx Græci, & eos sequuti Latini, mutarunt eam cum litera *S*, quæ plerumque græcis ac latinis nomina propria terminat, & dixerunt Ἰησοῦς *Iesus* duabus syllabis. Id quod eo fuit ipsis facilius, quòd cùm nulla haberent vocalia puncta suis libris adscripta, quæ postea Iudæorum opera Bibliis sunt addita; nihil aliud ipsis fuerit quàm vna litera cum alia commutanda, ע cum *S*, quod diximus. Omnino enim ita scribendum est hebraicè nomen *Iesus*, vt postremam literam habeat ע: quemadmodum scribitur nomen Iesu filij Iosedec, ac Iesu filij Nun, in libris Ezræ & Nehemiæ; quod mox ostendemus; & duorum aliorum, sacerdotis vnius leuitæ alterius, 1. Paral. 24. v. 11. & 2. Paral. 31. v. 15., ישוע *Iesuah*, quo modo semper scribunt Syri. Videtur autem id nominis vulgò contractum fuisse, iam inde à reditu ex Babylone, aut etiam antea, ex nomine יהושע *Iehosuah*. Nam inprimis ישע *iasah*, vnde deriuatur, in vsu non est, quod diximus, in prima coniugatione, sed in quinta, qua format הושיע *Hosiah*: quamquam cùm in vsu sint voces ישע *iesah* & ישועה *Iesuha* pro salute, parum sit istud, si nihil aliud foret: facile enim sit, à ישועה *Iesuha* præsertim, reiecto ה *he* fœminino, formare nomen proprium ישוע *Iesuah*, tamquam salutis auctorem aut ipsam salutem. Quid quòd שוע *suah* quidam salutem interpretentur, vt iam nec aliud sit opus quàm י *iod* literam formatiuam nominis proprij præponere? Sed est & aliud. Filius ille Iosedec, qui apud Aggæum & Zachariam יהושע *Iehosuah* dicitur, in libris Ezræ & Nehemiæ passim (Ezræ 2. v. 2. Nehem. 7. v. 7. &c.) ישוע *Iesuah* appellatur (quamquam nobis aliquando redditum sit *Iosue*, Interprete, literæ proximè præcedenti, elisarum literarum vocalem tribuente) & filius Nun, qui & ipse יהושע *Iehosuah* dictus est (nam Latinus Interpres, elisa ה *he* litera, *Iosue* extulit) Nehemiæ 8. v. 17. ישוע *Iesuah* vocatur; ab Interpretibus autem lxxii, qui paulò

post Nehemiam & Ezram floruere, vbique Ἰησοῦς *Iesus* græcè est nuncupatus. Priùs הושע *Hoseah* siue *Hosuah* hic vocatus fuit: postea autem, vbi ad explorandam promissam terram missus fuit, à Mose, vna litera nomini adiecta, יהושע *Iehosuah* est nominatus (Num. 13. v. 17.) fortè vt eo propiùs ad promissum Saluatorem, quem officio adumbraturus erat, etiam nomine accederet. Crediderim itaque יֵשׁוּעַ *Iesuah* nomẽ esse ex יְהוֹשׁוּעַ *Iehosuah* contractum, puncto ministro scheua, in vocalem secundam, propter eas quę proximè desunt litteras, mutato. ita verò י *iod* litera in capite, non sit essentialis litera, sed seruiens ad formationem nominis proprij. Alio contrahendi modo vsus Latinus Interpres dixit *Iosue* (nam quod ad postremam vocalem, illa, pro legentium absque punctis arbitrio, fuit vel *e* vel *a*) quemadmodum ex *Iehuda*, *Iuda*, non solus ipse, sed & lxx. hìc vnica litera *he* omissa est; in nomine Iesu duæ, *he* & *vau*. Porrò hinc duo quædam non minimi momenti euadunt clariora; Vnum, qui Iesus à saluum faciendo dicatur, & non à saluum esse aut saluum fieri, quod quidam contra ipsam Angeli interpretationem dicere audent; Alterum, quî verum sit quod veteres patres docent, Iosue ducem & Iesum sacerdotem, tam nomine quàm officio figuras fuisse Iesu Christi. Cæterùm non illud dico, proprium nomen Saluatoris nostri fuisse *Iehosuah*: sed id quod est proprium eius nomen *Iesuah* fuisse contractum ex nomine *Iehosuah*, illudque vt breuius ac facilius huius loco vsurpatum, iam inde à captiuitate Babylonica. Nam quamquam idem vnum nomen sit, non tamen hac forma *Iehosuah* Saluatori impositum datúmve fuit, sed ista *Iesuah*, quam nos græcè & latinè vertimus *Iesus*. Ad hoc dulcissimum nomen, Dei filio carnem induto quandoque imponendum, alludunt pleraque sacrarum literarum loca, nunc Deum Saluatorem prædicantia, nunc salutem aut promittentia aut postulantia: ex quibus ille Psalmi 67. v. 21. huc apprimè spectat: *Deus noster, Deus saluos faciendi*; & hîc Isaiæ cap. 45. v. 8: *Aperiatur terra, & germinet saluatorem*; rursus alter eiusdem cap. 49. v. 6: *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* IPSE ab omni peccati labe immunis, atque ipso etiam nascendi modo vnicè sanctus. SALVVM FACIET. σώσει saluabit, liberabit. POPVLVM SVVM quem suo sibi sanguine è diaboli tyrannide asseret. Populum eius, iuxta proximum quidem intellectum, Iudæos vocat, ex quibus natus est: iuxta arcanum verò, omnes qui in ipsum credituri eique regi nomina daturi sint. A PECCATIS quibus à Deo alieni sub diaboli tenentur imperio: auferet peccata quibus sunt obnoxij, & seruabit ne in peccata recidant. In hoc vera consistit salus. Sublatis enim peccatis, miseria aufertur atque omne prorsus malum, succeditque iustitia, quam omne bonum consequitur, salusque numeris omnibus absoluta; si non continuò, at suo certè tempore, vbi prorsus deletum fuerit peccati regnum. Itaque dum prædicitur suos Iesus à peccatis liberos redditurus, omnis mali propulsator atque omnis boni auctor, verè ἀπέξικακος verusque σωτὴρ, declaratur. Docet igitur his verbis Iosephum Angelus, inprimis, Messiam siue Christum esse, exspectatum populi redemtorem ac saluatorem, eum quem vxor eius à Spiritu sancto fœcunda fert vtero. Tum regnaturum eum, & populum liberaturum, sed non à gentium (id quod Iudæi potissimùm exspectabant) imperio, verùm ante omnia, è peccati ac diaboli regno, totius mali vnico capite. Denique, maius eum quid homine esse, cuius vocatur populus, is quem Dei populum passim scriptura vocat; quique id potest, quod Deo proprium est, peccata auferre. EORVM. Numeri mutatio ex Hebræorum idiomate nata est, qui, in nominibus collectiuis, eiusmodi dicendi genera frequenter vsurpant.

Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino, per Prophetam dicentem:

[22] τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου, διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος·

HOC AVTEM TOTVM s. quod dictum est de Mariæ desponsatione, de impraegnatione ex Spiritu sancto, de sinistra mariti suspicione, de Angeli apparitione, de nominis Iesu impositione. Hæc enim omnia ad commodam certamque prophetiæ impletionem fuere. Græcorum schola existimat, & hæc Angeli, Prophetæ testimonium adferentis, verba esse: cæterùm Euangelistæ esse verba, satis de se ipsa verba loquuntur. Frequenter Euangelista, quòd Hebræis scribat sacrarum literarum studiosis, prophetarum monstrat cum euangelio concentum. VT ADIMPLERETVR. vt præstaretur. Non res sunt propter prophetias, sed prophetiæ fuerunt propter futuras res. Cæterùm, qui prædixerat quia facere statuerat; facit quia prædixerat, vt verax sit. PER PROPHETAM. *Propheta* à prædicendis rebus futuris nomen habet: πρόφημι enim græcè prædicere est. Cæterùm non tantùm is qui futura prædicit, græcè *propheta*, hebraicè נביא *nabi* vocatur, verumetiam is qui diuinæ voluntatis internuntius est, aut oraculorum mysteriorúmve diuinorum interpres: propriè tamen is solus, qui id facit immediatè à Deo missus & instructus. Prophetam haud nominat Euangelista, tùm quia doctis scripturarum scribit, tùm vt Dei potiùs quàm Prophetæ verba esse intelligatur. DICENTEM. λέγοντος. Possit id etiam verti *dicente*: A Domino per Prophetam dicente: verùm prius ad Euangelistæ consuetudinem propiùs accedit.

Isa. 7. v. 14.

Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.

[23] ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, καὶ τέξεται υἱόν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐμμανουὴλ· ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός.

ECCE. Excitat auditoris animum Propheta, *Ecce* inquiens, quia rem vaticinatur prodigio omni maiorem, Messiæ ortum ex virgine: cuius si rationem quæras, non erit mirabilis; si exemplum, non erit singularis. VIRGO. ἡ παρθένος. emphaticῶs insignem virginem, ab æterno scilicet electam, significat: nam & Propheta ipse ה *he* demonstrationis præmittit, העלמה *hahalma*. Porrò Prophetæ vox עלמה *halma*, virginem significat, non qualemcumque, vt παρθένος, & quæ Syriacè est ܒܬܘܠܬܐ *betbulto*, sed

in an-

in annis adoleſcentiæ conſtitutam: Gen.24.v.43. Exod.2.v.8. deducta ab עלם *halam* verbo, quod, abſcondere, occultare, latere, ſignificat, tamquam dicas, abſcondita viro: nam quæ viri congreſſum paſſa eſt, è contrario hebraicè dicitur cognita à viro, & cuius turpitudo reuelata ſit. Vnde Gen.24.v.16. Rebecca, cùm poſceretur vxor filio Abrahæ Iſaac, deſcribitur, puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro; quæ poſtea in eundem ſenſum, v.43., vno verbo vocatur עלמה *halma*. IN VTERO HABELIT. vterum geret. *Concipiet* vertit Latinus Interpres in Iſaia. Hebraicè eſt הרה, quod ſi legas הרה *hora*, præſentis temporis participium eſt, *concipiens*; ſi הרה *hara*, vt nunc Hebræi, nomen adiectiuum, prægnans, ſiue grauida. relinquitur ſubaudiendum ſubſtantiuum verbum *eſt* vel *erit*. Intelligendum eſt autem hoc, ſenſu compoſito, vt dialectici loquuntur: Virgo manens virgo, virginitate illibata, concipiet, vterum feret, & pariet filium: ſenſu namque diuiſo, virginem, poſtquam nupta ſit & à viro ſuo cognita, concipere ac parere, quid mirum? *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum* (Propheta inquit. Achaz rege, diuinitus monito, ſignum petere nolente) *Ecce virgo concipiet, &c.* Signum autem inſolens ſit oportet, & ab vſu remotum, vulgarem rerum conſequentiam ordinemque excedens: aliter quî ſignum ſiue miraculum eſſe poterit? Adhæc, vel ex hoc, aliquid minimè vſitatum ſe commendare Propheta dat intelligendum, quando nulla facta viri mentione, *virgo concipiet* ait. At refractarij Iudæi, non id quod longo pòſt tempore impletum ſit, ſignum eſſe potuiſſe aiunt, illud quod à Domino Propheta promiſerit Dauidis domui, vt perſuaderet ſibi ſecura, non ſe ſuperandam, à duobus regibus à quibus oppugnabatur, Raſin Rege Syriæ, & Phacee Rege Iſrael; quin & illos, & terram eorum, antequam noſſet promiſſus puer reprobare malum & eligere bonum, vaſtandam. Sed virginem aiunt de qua hic ſit ſermo, propheteſſam eſſe, ex qua, proximo capite v.3.4., Propheta prolem ſuſcepiſſe narratur: vbi & proli, Dei iuſſu nomen impoſitum eſt, *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ, coram rege Aſſyriorum.* Atqui, non aduertunt illi, prophetis alioqui familiariſſimam, tranſitionem, à rebus iis quæ tum cùm viuerent prophetæ accidebant aut proximè futuræ prædicebantur, ad futuras noui teſtamenti per Chriſtum exhibendi res. Frequenter in Iſaia videre eſt, à Dei, in Babylonem, Ægyptum, Iudæam, iudicio, tranſitum ad œcumenicum Dei in vniuerſum terrarum orbem iudicium: atque ita deſcriptum particulare, vt impletum, ita vt prædicitur, non conueniat niſi vniuerſali iudicio. manifeſtum id fit ex cap.13.v.9. 30.v.27. 66.v.15. Ita verò & aliàs in myſteriis aliis, vt Ioel.2.v.19.22.23.&c. Hic autem vbi impius Rex ſignum petere noluit, vti iubebat Deus: quid mirum tranſiſſe Deum ad futuras noui teſtamenti res. quas præ ceteris diligebat, atque, vt ita dicam, animo ſemper verſabat, ac per ea omnia quæ tum vel faciebat vel dicebat adumbratas ac præfiguratas volebat; atque inde ſignum ſumſiſſe de noua aureaque filij ſui natiuitate, ſermone, ab Achaz, ad vniuerſam domum Dauid ſeu tribum Regiam, quam extinguere illi volebant, & ſurrogare in regnum alienigenam, filium Tabeel, conuerſo? Promiſerat namque olim Dauidi, fore, vt filius ſuus, Rex Chriſtus ex ipſius naſceretur ſemine: ideoque ſeruabat Dauidis familiam & ciuitatem Ieruſalem, quò promiſſum aliquando præſtaret: id quod amplè à nobis declaratum eſt ſuprà v.8. Iam, cùm vtraque hac gratia Dauidis domus ſe redderet indignam, Deo moleſta & hominibus, renouat tamen ſtabilitque promiſſum de Chriſti ortu, quò intelligat illa, conſtare animum Deo, vt Dauidis ſtirpem vrbemque Ieruſalem, quamuis id beneficij minimè merentem, ſua pro veracitate ſeruet. q.d. Quàm conſtanter ſtatuo Meſſiam in lucem edere ex virgine, tam certò liberabo te ab hoſtibus his tuis, &c. Etſi verò longè pòſt futurum erat hoc ſignum (quamquam אות *oth* ſignum, Hebræis non aliud eſt quàm miraculum) tamen, quia Dei, qui ipſa eſt veritas, pollicitatione iam ſæpiùs firmatum erat, non minùs certum erat, vel certè non minùs certum haberi debebat, quàm ſi præſens exhibitum fuiſſet (ſic enim aliquando legimus, id quod pòſt futurum eſt, ſignum dari eius quod præcedit, vt Exo.3.v.12. Agg.2.v.23.24.) ſed exprobrantis in morem ad illud recurrit, quod ipſi quidem erat inprimis cordi, cùm nullum domus Dauid ſignum admitteret. Cæterùm, habebat, credo, hoc ſignum, tunc vmbram quandam ſuam; illum propheteſſæ opinor filium, cui prophetiæ verba, ex parte quidem, ſed tenuiter adeò atque imperfectè conueniunt, vt ſimpliciter conuenire dici non poſſint; Non enim ille ex ſecreta viroque occulta puella natus, nec ille verus Emmanuel, nobiſcum Deus; nec ille qui hoſtes ſuperauerit ac deſpoliauerit, ſiue illos tunc Ieroſolymorum oppugnatores, ſiue dæmones humani generis crudeles occupatores, ſed Saluator noſter Ieſus Chriſtus. Ita porrò & cętera ferè Saluatoris Chriſti, ſub vmbra typóve aliquo prædicta fuere, cui prophetiæ verba, aliqua quidem ex parte, at vel non integrè, vel non perfectè, minimè verò principaliter, conuenerint: quemadmodum ſuprà v.8. de promiſſione Chriſti ſub figura Salomonis, deque regno Chriſti ſub typo regni Salomonis, & mox de vniuerſali iudicio oſtendimus. ET PARIET. In Hebræo eſt וילדת *vetolédeth*, quod eſt ad verbum, Et pariens.

ET VOCABVNT. וקראת quod habet Propheta, vel *vocabis* eſt, vel *vocabit*: legat, cui lubet, noſtras eum in locum Notationes. Vocabis tu virgo, aut tu domus Dauid; vocabit domus Dauid, aut ipſa virgo. Euangeliſta mutauit numerum ſingularem in pluralem, ad fidelium reſpiciens multitudinem, qui ipſa ſunt Dauidis domus, quæ, poſt virginem matrem, hoc Chriſtum nomine appellat, Nobiſcum Deus, de tali ſibi partu gratulans. EMMANV-EL. Iudæi legunt *Immanu-el*, primo vocali puncto alio. עמנו *Hemmanu* ſiue *Himmanu Nobiſcum* eſt; אל *el Deus.* Emmanuelis autem nomine Chriſtus celebratur, primùm quia Deus eſt noſtra veſtitus ſubſtantia, humanitate deitati in perſonæ vnitatem iuncta, tanquam ſi dicas, Deus id quod nos. Deus nobis ſimilis homo, iuxta illud: *Verbum caro factum eſt.* Ioh.1.v.14. Deindè quia nobiſcum in terra homo Deus conuerſatus fuit, iuxta illud: *Verbum caro factum habitauit in nobis.* Poſtremò quia per eum Deus nobiſcum ſe eſſe, nobis propitium, beneuolum, benignum, ac præſtò ad auxiliandum, promouendum, atque ornandum eſſe oſtendit: *Deus enim erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi* (2.Cor.5.v.19.) illum per Chriſtum ad ſe adducens (Rom.5.v.2.) & diuinæ efficiens conſortem naturæ (2.Pet.1.v.4.) ita vt non tantùm ſignificetur hoc nomine Deus eſſe id quod nos, verumetiam nos ſignificemur quodam modo eſſe id quod Deus. Itaque continet hoc nomen tacitam in ſe antitheſin, cum eo præſentiæ genere quo Deus adfuit veteri populo, de quo Deut.4.v.7. & 7.v.21: daturque intelligendum, illi populo in vmbris & figuris præſentiæ ſuæ ſigna dediſſe Deum; nobis verò demùm re ipſa, verè, plenè & in

solidum, per Christum coniunctum esse. Sed hîc rursus argutantur Iudæi, quomodo Christus noster Emmanuel vocatus sit, qui Iesu nomen accepit? Ignorant imperiti, aut peruersi certè ignorare se simulant, frequentissimum scripturarum loquendi modum, quo res hoc aut illo nomine vocari dicitur, cùm huiusmodi publicitus agnoscitur & prædicatur. Loca apud prophetas occurrunt frequentia, Isa. 1. v. 26. item 9. v. 6. Ier. 23. v. 6. Ezech. 48. v. 35. & alia plurima. Nam quia nihil æquè rei congruit ac proprium illius nomen, nihilque notius, celebrius, atque in ore frequentius est rei nomine vbi de ea agitur; hinc iste loquendi apud sacros scriptores modus, vt dicatur res vocanda hoc aut illo nomine, quæ talis erit prorsus qualem nomen fore significat, atque vt huiusmodi publicitus habebitur celebrabiturque. Vocabunt ergo nomen eius Emmanuel, id est, credent, agnoscent, prædicabunt eum Emmanuelem, cuiusmodi erit: hoc eum nomine laudabunt & celebrabunt, quòd homo inter homines Deus, humani generis assertor, reconciliator, instaurator. Quàm verò conueniat Emmanuelis nomen cum Iesu nomine, ita vt aptissimè Euangelista ad huius comprobationem illud adferat, manifestum fit etymologicam vtriusque rationem conferenti. Saluum enim facere à peccatis, nullus nisi Deus potest; nec nisi homo Deus, ita vt diuinæ satisfiat iustitiæ. Cum quibus verò Deus est, nisi cum liberis peccati seruisque iustitiæ? QVOD EST INTERPRETATVM. ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον quod est traductum, quod est si interpreteris, quod in nostram linguam translatum sonat *nobiscum Deus*. Syrus: *Quod exponitur nobiscum Deus noster*.

Exsurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, & accepit coniugem suam. [24]	διεγερθεὶς δὲ ὁ Ἰωσὴφ ἀπὸ τοῦ ὕπνου, ἐποίησεν ὡς προσέταξεν αὐτῷ ὁ ἄγγελος κυρίου, καὶ παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.

EXSVRGENS AVTEM. διεγερθεὶς δὲ expergefactus autem, cùm exsurrexisset. FECIT. Nec incredulus nec immorigerus fuit cælesti oraculo: sed fidem, vti oportebat, accommodans, promptè obsecutus est. PRÆCEPIT. προσέταξε præceperat. Præceperat autem Angelus, non disertis quidem verbis, sed dum, hortatus primùm vt metum poneret, patris ei munus iniunxerat: *Et vocabis nomen eius Iesum.* ET. *&* pro *id est*: exponit enim id quod dixerat, *fecit sicut* &c. ACCEPIT. παρέλαβε libens admisit, suscepit, tenuit coniugem suam ad indiuiduam vitæ consuetudinem, de qua priùs dimittenda cogitauerat. q. d. Ex animo euulsa proculque abiecta omni sinistra suspicione, nihil de diuortio ampliùs cogitauit, sed, quod mariti cum vxore est, perpetuò conuiuere statuit. Tunc non dubium est, quin Iosepho roganti beata Maria declarauerit ea quæ sibi acciderant, narrata Luc. 1. v. 26. & deinceps.

Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius Iesum. [25]	καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν.

ET NON COGNOSCEBAT. Ne intelligeres ex eo quod dixerat, *Et accepit coniugem suam*, rem Iosephum cum ea coniugalem habuisse, addidit *Et non cognoscebat eam*, honestè, iuxta Hebræorum loquendi modum (qui honestis admodum vocibus res non satis honestas exprimere consueuêre) carnis commistionem, cognitionem appellans. *Non cognoscebat* autem, non tantùm ob castitatis studium, quemadmodum priùs; verùm multò iam magis ob vxoris quam intellexerat dignitatem, & sacri fœtus honorem: Vnde non tam coniugis eam loco, quàm dominæ deinde habuisse, quippe Domini sui matris, credere licet.

DONEC PEPERIT. Non significat post partum eam à Iosepho cognitam (id quod Antidicomaritæ hinc statuere conabantur) sed, vt frequenter, cùm in vulgari sermone, tùm maximè in hebraico idiomate, *donec* absque exceptione excludit: rem nunquam factam, certo tempore exprimit non factam, quo videri facta poterat, sciréque necesse erat non factam; intelligendum relinquens pòst multò minùs factam. Videri potuisset, recentibus nuptiis, cùm amor est coniugum inter se ardentissimus, Iosephus vxorem Mariam cognouisse (neque enim prohibet maritalem congressum vxoris grauidus vterus) ac necesse erat scire id non factum, vt constaret virginem & concepisse & peperisse. Id itaque Euangelista explicuit, intelligendum relinquens, pòst, cùm diuturniore consuetudine amor deferbuisse solet, cumque Iosepho vxoris integritas, puritas, & sanctitas, & natæ prolis dignitas perspectior fuit, multò id minùs factum. Et quî vir iustus fuisset, qui Dei templum, sancti Spiritus sedem, Domini sui matrem, ausus fuisset attingere? Lege B. Hieronymum libri aduersus Heluidium cap. 3. & 4. Sic in celeberrimo illo Psalmo 109. v. 1: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, quem & Apostolus ad Corinthios 1. epist. 15. v. 25. laudat, docetur Christus sedere à dextris Dei atque regnare, iam cùm aduersantur ei innumeri inimici, cùm vndequaque eum eiusque ecclesiam aduersariæ dæmonum atque hominum potestates oppugnant: quo certè tempore, videri poterat à dextris Dei non sedere, Deo minimè æqualis esse, non regnare. Postmodùm igitur, cùm omnia ei subiecta, atque inimici vniuersi ei veluti scabellum sub pedibus constituti erunt, non tantùm non significatur non sessurum à dextris Dei, verùm multò magis sessurum ac regnaturum intelligendum datur. Itaque particula *donec* etiam de futuro tempore adfirmat & negat. Simile aliis compluribus Scripturæ locis occurrit. 2. Reg. 6. v. 23. *Michol filia Saul non est nata filius vsque in diem mortis suæ.* Matth. 28. v. 20: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* FILIVM SVVM. τὸν υἱὸν αὐτῆς filium illum suum, de quo agitur. Verè Mariæ filius erat Christus, verè matris munia Maria in Christi conceptione obiuerat, Spiritu sancto licet, quæ patris alioqui, agente. PRIMOGENITVM. τὸν πρωτότοκον illum primogenitum, præ cæteris primogenitis eximium & Deo carum. Primogenitum vocauit, non quòd post eum alij ex Maria nati sint (vti volebat Antidico-

tidicomarianus Heluidius, teste B. Hieronymo libri aduersus eum scripti capite quinto) sed quod ante eum nullus. Lex enim lata Exodi 13. v.2., quæ primogenita Deo esse sancta, hoc est, Dei esse, iubebat, non tantùm primogenita vocabat ea, post quæ alia ex eisdem gignebantur, verumetiam quæ sola, post quæ nulla gignebantur. Quocirca Euangelista, primogenitum Mariæ maluit Iesum dicere, quàm vnigenitum, vt, cùm iam aliunde, tum & hinc, sanctum ac dicatum Domino esse, nimirum ex ipso etiam nascendi ordine Dei esse, intelligeres. VOCAVIT. Fœminei generis est Syris ܩܪܬ kerat, ita vt ad Mariam matrem referatur: cæterùm, ad Iosephum commodiùs spectat, cui mox Angelus præceperat *Et vocabis nomen eius Iesum*; cùm hîc morem Angelo gessisse narretur. NOMEN EIVS. cuius nomen, Ioseph, prout ipsi fuerat iniunctum, vocauit *Iesum*, seu, vt latinè reddas hebræam phrasin, quem vocauit Iesum nomine. *vocauit* autem, octauo à natiuitate die (vti Lucas testatur cap. 2. v. 21. & moris erat apud Hebræos) cùm puer circumcideretur.

CAPVT SECVNDVM.

Τοῦ δὲ ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν βηθλεὲμ τῆς ἰουδαίας, ἐν ἡμέραις ἡρώδου τοῦ βασιλέως, ἰδοὺ μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν παραγένοντο εἰς ἱεροσόλυμα,	1 Cùm ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam,

CVM ERGO. τοῦ δὲ. Δὲ, copulatiuum sententiæ, vt loquuntur grammatici, hoc loco esse videtur: quare rectè interpres *ergo* reddidit. Superiori capite genus & ortum Christi Euangelista descripsit: hoc secundo, ea quæ infanti acciderunt narrat, ex omnibus eum Saluatorem & verum exspectatumque Messiam esse monstrans. NATVS ESSET. confestim vt natus est, inquit Auctor operis imperfecti; tertiodecimo à natiuitate die, quæ vulgaris opinio est; omnino autem ante matris purificationem (id quod Augustinus docet, de consensu secundi capitibus 5. & 11.) ac puerperij tempore: id enim & Euangelista insinuare videtur his verbis *cum natus esset*; & ratio suadere, vt recèns natus Christus, quemadmodum à pastoribus Iudæis, sic à Magis ethnicis, salutatus gratulanterque exceptus sit. IN BETHLEHEM. Loci meminit, cùm ob historiæ certitudinem, tùm vt proximam Micheæ prophetiam in Iesu ostendat impletam. *Beth-lehem* interpreteris domum panis. בית *beth* domus, לחם *lehem* panis est. Quidni domus sit panis, in quo coctus est Angelorum panis, ita vt hominum vsui esset accommodus, humanæ carnis simila, Spiritu sancto subigente, diuini verbi liquore temperata? IVDA. τῆς ἰουδαίας Iudæç. ea quæ est Iudææ, vel ciuitate Iudææ, id est, tribus Iudæ seu Iuda. Nam siue *Iudææ* legas, vt codices græci; siue *Iuda* aut *Iudæ*, vt ex Hieronymi emendatione latini, idem vnum est. Iudæa enim in euangeliis, non pro vniuersa duodecim Israeliticarum tribuum terra, sed pro tribus Iudæ sorte, sub qua sors tribus Beniamin comprehenditur, ferè accipitur (vt paulo pòst huius capitis versu 22., tertij capitis v. 1. & 5., Iohannis 7. v. 1. item 11. v. 7. & alibi) distinguiturque à Samaria, Peræa, Trachonitide, & vtraque Galilæa. Quinetiam hebraicè ac syriacè, Iudas & Iudæa, eodem efferuntur scribunturque modo, יהודה *Iehuda*. Addidit autem tribus siue regionis nomen Euangelista, tum ad illustrationem, tum ad distinctionem ab ea Bethlehem quæ in Galilæa est, in sorte tribus Zabulon, de qua Iosue 19. v. 15. IN DIEBVS. id est, tempore, phrasi hebræa.

HERODIS. Tempus annotauit, quo regnum Iudaicum alienigenus Herodes occupabat, religione proselytus, natione Idumæus, genere plebeius & subiectus regibus, non tantùm ob historiæ certitudinem, quantum ob rei cum tempestate concentum: tunc enim Christus iuxta vaticinia exspectandus erat, quando ablatum esset à Iuda & Israele sceptrum ac ius omne legum condendarum. Gen. 49. v. 10. Antipater Idumæus, vir pecuniosus, industrius, & factiosus, familiaris redditus Hircano, vltimo Iudæorum ex Assamonæorum (quos nos Machabæos dicimus) genere regi, leni illi adeoque vecordi; administrationibus ac legationibus publicis sub ipso Hircano feliciter obitis, ad tantam demum auctoritatem euectus est, vt non tam rex Hircanus, quàm ipse Antipater eiusque filij Phasaëlus ac Herodes, Israeli dominarentur: è quibus Herodes, audacia, calliditateque eò tandem profecit, vt magnorum omnium inierit gratiam, præsertim verò Romanorum, & regnum, priùs quidem ab Antonio, deinde & ab Augusto, accedente S. C., impetrarit. Hæc Antiquitates Iosephi. Ab Augusti igitur donatione regnauit Herodes annis triginta septem: anno autem regni eius vicesimonono inchoato (quod docet in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos Cæsar Baronius, nobilis nostri temporis historiographus) natus est Iesus Christus, Dauidis filius, paternum regnum restituturus: quod non à Iuda tantùm, sed & prorsus ab Israele abstulerat iste, atque adeò abstulerat, vt & omnes regij generis & ipsos regni consiliarios, iudices, ac legislatores abstulerit. suprà 1. v. 16.

REGIS. Iudæç subauditur & cæterarum regionum Iudæç cohærentium. Solus iste Herodes, Antipatri filius, dictus Herodes primus, senior, magnus, Ascalonita, tamquam Ascalone ciuitate Philistæorum natus, qui pueros interemit vt Christum puerum perderet, rex fuit vniuersæ duodecim Israeliticarum tribuum terræ: filius ei homonymus, Herodes Antipas vocatus, qui Christi præcursorem sustulit Christoque illusit, fuit tetrarcha Galilææ & Peræææ (Luc. 3. v. 1.) nepos eius ex filio Aristobulo, eodem nomine, Herodes Agrippa cognominatus, qui Iacobum Iohannis Apostoli fratrem occidit, & Petrum in vincula coniecit, diuinaque vltione à vermibus consumtus est, Rex Traconitidis, Ituræ, & Galilææ. Act. 12. Primi igitur illius Herodis magni, Regis Iudææ, illiusque iam senis, temporibus, natus est Christus.

ECCE. rem inexspectatam. MAGI. μάγοι. Vox est Syro quoque vsitata, qua Græci significant sapientes Chaldæorum Persarumque; vt Indorum γυμνοσοφιστὰς, Gallorum δρυΐδας, suosque φιλοσόφους vocitant.

tant. Magorum studium erat, reconditissimarum facultatum naturalium rerum, & consensus eius quem συμπάθειαν græci vocant, indagatio: Physicæ, Metaphysicæ, & Astrologiæ perscrutatio: denique, vt Cælius inquit libri 9. capite 23., *naturalis philosophiæ apex: nec fere alius* vt idem ait, *apud Persas magus, quam diuinorum interpres & cultor.* Verùm quia hi, dum plus æquo curiosi essent, ad vanitates & superstitiones, vt fieri assolet, deflexère nonnunquam, & illicitis se dæmonum pactis miscentes, noua ac mira quædam edere aggressi fuere, factum est id, quod aliàs in astrologi, sophistæ, ac tyranni nominibus, vt Magi nomen, quod honori fuerat, vitium notaret, incantatoris, præstigiatoris, ac malefici; quamquam hi γόητες magis græcis quàm μάγοι dicantur. Porrò hos quos ad adorandum recèns natum Saluatorem venisse Euangelista memorat, non maleficos fuisse existimandum est, sed *suæ gentis philosophos* (quod Hieronymus in caput secundum Danielis docet) eiusmodi quorum consiliis regnum administrari, quorum ex numero etiam Rex eligi nonnumquam consueuerat, cùm sapientiæ nomine, tum principatus dignitate clarorum. Tres autem numero, hos qui Christum inuisère, magos fuisse, Leone magno in sermonibus de Epiphania frequèns adstipulante, recepta opinio habet. AB ORIENTE. ἀπὸ ἀνατολῶν ab orientibus, è partibus orientalibus, ex Chaldæa, aut (quod ob propinquiorem situm verisimilius fit) Arabia penitiori. Chaldæos enim, quemadmodum ortu ac regno, ita & magiæ studio, Persis fuisse priores, res certa est: Arabes autem vicinos Chaldæis, eidem scientiæ generi fuisse deditos, dubium non est. Hinc enim Plinius libri 25 capite 2. inter celebres magos, quos à Pythagora & Democrito peragratos dicit priusquam de naturis herbarum scriberent, numerat Magos Arabiæ. Et quid dicat aliud qui legerit librum Iob, quàm & ipsum Iob & eos qui cum ipso disceptant amicos, magos fuisse? Iob autem magnum fuisse inter omnes orientales, vicinum Sabæis, ac proinde Arabem, scriptura testatur Iob 1. v 3. & 15. Vna Arabia, Iudææ transamnanæ ad orientem contermina, vlteriùs inde in orientem ad Chaldæam vsque procurrens, triplici nomine distinguitur. Vna vocatur Arabia deserta, quæ vergit ad Aquilonem, & metropolim habet Boiram. Altera Arabia petræa, cuius pars quædam, vt Idumæa, ad meridiem est Iudææ; metropolis Petra. Tertia Arabia felix, tota ad Orientem Iudææ sita, media inter desertam ab Aquilone, & petræam à Meridie, cuius metropolis Saba; non illa Saba, cuius olim princeps Regina Saba, quæ ad meridiem Iudææ sita, vrbs est Æthiopiæ. vide infrà 12. v. 42. Duplex est enim Saba, quod ex eo loco Psalmi 71. v. 10. constat, vbi hebraicè legitur *Reges Saba & Saba dona adducent*, pro eo quod nos habemus, *Reges Arabum & Saba dona adducent*: prior Saba literam capitalem habet ש *sin*, altera ס *samech*; vna Æthiopum est, altera Arabum; sed vtra horum, vtra illorum, opiniones contrariæ sunt. Nobis indagatione non parua adhibita, posterior quæ primam literam habet ס *samech*, Æthiopum est; prior quę ש *sin* Arabum, prout, præter aliorum, etiam nostra versio, quæ septuaginta duorum senum est, dat intelligendum: ita vt reges Arabum pro regibus Orientis, reges Æthiopum pro regibus Meridiei, reges Tharsis pro regibus Aquilonis, Insulæ pro regibus Occidentis, simul omnes pro regibus totius mundi, in eo psalmi loco ponantur. Cæterùm id fateri oportet, Æthiopum metropolim ac regionem, nonnunquam ס *samech* habere literam capitalem (hoc Psalmi loco, Isaiæ 43. v. 3.) nonnunquam ש *sin*. 3. Reg. 10. v. 4. 10. 13. vbi de regina Saba agitur: vt, pręter magnam literarum vocumque vicinitatem, inter posteros Chus patris Æthiopum, vnus filius Chus, vocatur ס *Saba*, alter nepos Chus ex filio Regma, ש *Saba*. Gen. 10. v. 7. Porrò Arabum Saba an aliquando primam literam ס *samech* habeat, nondum mihi occurrit manifestum exemplum: ש *sin* hactenus præualet, quod à ש Saba filio Iecsan filij Abrahæ ex vxore Cethura acceptum videtur: cùm etiam Isaias cap. 60. v. 6. ש Sabam coniungat cum Madian & Epha filio alteroque nepote Abrahæ ex eadem vxore, quos constat incolas fuisse Arabiæ felicis: prout etiam ipsa Genesis cap. 25. v. 6. testatur, hos cum reliquis ex Cethura filiis ac nepotibus, ij sius Abrahami adhuc viuentis opera, esse ab Isaac separatos ad plagam orientalem, in terram orientis. Ex hac igitur Arabia, felici inquam siue Sabæa, venisse Magos, quorumdam verosimillima opinio est; inter veteres Epiphanij sub finem panarij, dum ait *magos fuisse successores filiorum Abrahæ ex Cethura, habitantium in partibus Arabiæ Magodiæ regionis*; & Auctoris sermonum de cardinalibus operibus Christi, qui magos *Arabes & incolas Saba* nominat. VENERVNT. παρεγένοντο aduenerunt; vsi camelis aut dromedariis (quod ex Isa. 60. v. 6. quidam intelligunt) ad itineris celeritatem: quamquam non nęcesse sit hoc dicere, commodè enim ex Arabia Ierosolymam venire potuerunt quinque aut sex dierum spatio. IEROSOLYMAM. Nomen hoc metropolis Iudæorum, Græcè, & apud classicos auctores Latinè, ferè neutri generis plurali numero effertur *Ierosolyma & Solyma*: nonnunquam tamen & numero singulari generis fœminini *Ierosolyma*. Porro non sacra Solyma nominis interpretatio est (neque enim græcum est nomen aut ex græco mixtum) sed hoc idem est nomen quod Hebraicè *Ierusalem* siue *Ierusalaim* effertur. Videtur vrbs ista regia, primùm *Sedec* vocata fuisse, quod est *iustitia*: hinc enim Reges illius appellantur *Melchisedec*, *Adonisedec* (Gen. 14. v. 18. Ios. 10. v. 1.) *Rex iustitiæ, Dominus iustitiæ.* Postea verò dicta est *Salem*, quod est, *pax.* Gen. 14. v. 18. Tandem nominata est *Ierusalem*, facto ex coniunctione nomine, coniunctione inquam verbi ראה *raah* quod est videre, cum nomine שלם *salem*, qua distingui posset ab altera *Salem* de qua Gen. 33. v. 18.: quòd hæc editiori loco in montibus sita, procul vndique videretur, *Præ cæteris Iudææ vrbibus inter omnes accolas eminens velut caput in corpore* (ait Iosephus lib. 3. de bello cap. 2.) vel potiùs ex re ab Abrahamo gesta, Gen. 22. v. 14., sumta nominis ratione. Nam cùm Abraham, loco filij ariete sacrificato, quem in vepribus hærentem offenderat, dedisset loco nomen, יראה יהוה *iere adonai*, videbit seu prouidebit Dominus, aut *Dominus videt*, quod nos habemus: ex illo יראה *iere* & vetustiore appellatione *salem*, formatum est nomen *Ierusalem*, tamquam dicas, Dominus videbit aut prouidebit pacem siue holocaustum pacis. Nimirum propter sacrosanctum passionis Christi mysterium illìc aliquando peragendum, tam augusta nomina sunt huic loco Deo agente à principio posita: quo mysterio, iustitia, pax, atque felicitas, toti orbi procuranda erat. Nam *Iebus*, quæ appellatio huic vrbi aliquando à vulgo est attributa, incolarum non vrbis propria fuit. Petiuerunt itaque rectà Magi Ierosolymam, vt regni sedem, & diuinæ scientiæ arcem, persuasi, illic, aut natum esse Iudæorum regem, aut vbi natus sit sciri. Ab exteris quæritur, à suis neglectus Christus.

λέγοντες· ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων; εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ.

2 dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.

DICENTES. quærentes. Solent ferè Hebræi, historias quæ narrantur, inductis ipsis personis explicare: Latini contrà, plerumque obliquis narrationibus, quas vocant, vtuntur. VBI EST. vbi agit, quo in palatio aut qua in domo huius vrbis, aut certè qua alia in vrbe. Natum asserunt, vbi natus sit quærunt. Certi eum natum esse, & persuasi id ab omnibus etiam isthic sciri, sciscitantur quisnam ille sit locus tam inclito partu felix. Qui cælestis stellæ indicio magos natum docuerat Christum, potuisset & de natiuitatis loco, absque hominum opera, facere certiores: sed voluit, dum illi natiuitatis locum interrogando quærerent, natiuitatem ipsam Iudæis nunciari, testatamque his sapientibus ac grauibus testibus fieri, qui, magno & difficili itinere suscepto, cominus visebant, id quod sideris portentu in patria intellexerant. Adhæc fiuit Magos quærere è Iudæis natiuitatis locum Deus, vt, animaduerso postmodum propheticæ prædictionis & sidereæ demonstrationis consensu, eo certiores ipsis res fierent. QVI NATVS EST REX IVDÆORVM. ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων. ille rex Iudæorum qui natus est. hoc ordine videntur voces construendæ, quo illas collocauit Syrus. Ille olim promissus atque hactenus exspectatus rex Iudæorum, partu nunc in lucem editus? est enim τεχθεὶς participium à τίκτω pario. Non prædicunt nasciturum, sed natum affirmant, nec dubij loquuntur, sed vt de re certa. Non sunt autem veriti, vbi regnabat alienigena Herodes, prædicare indigenæ regis natiuitatem: tum quòd existimarent, nulli Iudæorum, nec Herodi ipsi, incognitam eam esse; quinimmò cælestibus eam signis, vt apud se, ita multò magis apud Iudæos, declaratam: tum quòd persuasi essent, nemini aut Iudæorum aut proselythorum (proselythus erat Herodes) non iucundum fore, Regem ipsorum, quem tot seculis desiderabundi exspectauerant, recèns natum, ab exteris adorationis gratia quæri. Si quid verò fortè timuerint, Deus cuius instinctu agebant, eam ipsis animi fortitudinem præstabat, vt ne quidquam cunctarentur. Porrò an sciuerint fore Regem ac dominum totius terræ, vocauerint autem Iudæorum, quia Iudæis singulariter promissus erat, ab eisq́; exspectabatur; facilè crediderim sciuisse.

VIDIMVS ENIM. Vbi natus sit quærimus, certo enim indicio natum illum cognouimus.

STELLAM EIVS. stellam indicem natiuitatis eius, stellam quæ loquitur eum natum. Non igitur ante Christi natiuitatem stella apparuit: nec illi proinde ante Christi natiuitatem itineri se accinxerunt: sed vnà cum Christi ortu stella orta est, illique post ortæ stellæ agnitionem iter aggressi sunt. Astronomiæ hi dediti erant: itaque signo eos Deus familiari ad sui notitiam pertraxit. Non fuit autem hæc proprij nominis stella, ex numero earum quæ in firmamento cæli sunt (manifestum id erit nono versu proximo) neque cometa fuit, sed aliquid stellæ figura apparens, ex tali materia quali cometes, aëria inquam seu elementari, virtute angelica aut alioqui diuina formatum, in aëre terræ vicino: *quæ illustrior cæteris pulchriorq́; sideribus, facilè in se intuentium oculos animosq́; conuertit, vt confestim animaduerteretur non esse otiosum, quod tam insolitum apparebat*, ait D. Leo sermone primo de Epiphania. Cæterùm vt intelligerent hanc portendere Regis Iudæorum natiuitatem, artis scientia non suffecit, quamquam illa Iudæam demonstrarit, quemadmodum postea Bethlehemiticum locum (infrà v.9.) *supra verticem, vt sic dixerim, & ad perpendiculum terræ Iudææ constituta* (quod ait Eusebius lib.9. demonst. euang. cap.1.) nec peculiaris à Deo ipsis facta accessit reuelatio (id enim vero dissimile fit) sed quod probatur maximè) maiorum, Deo mentes simul illuminante, effecit traditio. Siue enim Chaldæi fuerint, habuerant inter maiores suos, qui, de Dei filio & ab æterno genita mente, mira dixerant, quin & in mundum aliquando proditurum, regemque ab omnibus agnoscendum qui salui esse vellent, nominatim Sibyllam Erithræam; Siue fuerint Arabes, habuerant patrem Abraham, qui filios suos, non dubium, quin docuerit exspectandum aliquando esse beatum illud semen, in quo benedicendæ vniuersæ tribus terræ. Acceperant haud pauca Chaldæi ab Hebræis in Babylonia & Perside exulantibus, tradita de promissi Messiæ regis aduentu: Arabes autem, inter Chaldæos & Hebræos habitatione medij, ignorare haud potuerunt ea, quæ aut Chaldæi audita narrarent, aut Hebræi promissa auidè exspectarent. Siue autem hi, siue illi, legerant vel certè intellexerant, magorum antiquissimi Balaami vaticinium, qui non tantùm ortum huius regis & regnum prænuntiauerat, sed & stellam ortus indicium. Euocatus enim à Balac rege Moabitarum, *ex Aram*, id est, Syria seu Mesopotamia, Chaldææ Arabiæque vicina, *ex montibus orientis* (vt ipse loquitur Num.23.v.7.) loco habitationis suæ; in Moabitidem, id est, Arabiæ petrææ regionem, vicinam Arabiæ felici. ad maledicendum Israeli; illic, Mose referente Num.24. v.17., prophetiam edidit in hæc verba: *Orietur stella ex Iacob* (stella nuncia natiuitatis eius qui exspectatur ex Iacob) *& consurget virga* (id est, sceptrum) *de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitq́; omnes filios Seth; & erit Idumæa possessio eius: hereditas Seir cedet inimicis suis* (subiugabit per fidem gentes omnes quæ nunc sunt Israëli inimicæ) *Israel verò fortiter aget. De Iacob erit, qui dominetur & perdat reliquias ciuitatis* (vniuscuiusque ciuitatum, reliquos omnes infideles.) Ferunt & Sibyllam orituri hoc sideris indicium prædixisse; quin & præcepisse, vt conspicati, ducem stellam sequerentur, regemque magnum adorarent. A maioribus itaque acceperant, Regem magnum, non tantùm ex Iudæis oriturum, sed & ortum ipsius peculiaris stellæ ortu monstrandum: hanc verò eam esse, facilè, cùm ex nouo eius ortu, tùm ex specie & proprietatibus admirandis, Deo simul mentes illuminante, & (quod D. Leo ait serm.1. de Epiphania) *adspicientibus intellectum dante*, intellexerunt. Quocirca non aiunt: Vidimus stellam nouam, quam (siue artis scientia, siue Dei reuelatione) cognouimus portendere eius natiuitatem; sed indubitanter & incunctanter *stellam eius*, idque significantiùs etiam græcè præposito articulo, αὐτοῦ τὸν ἀστέρα illam eius stellam. q.d. olim prædictam atque hactenus obseruatam & exspectatam. Nam & Iudæis vulgò non fuisse ignotum, stellam Christo nascente apparituram, probabile est. IN ORIENTE. in patria nostra. orientalis enim erat, Iudææ situi comparata. ET VENIMVS. præteritum est, ἤλθομεν huc profecti sumus. Significare videntur, se, statim vt stellam viderant, venisse, nec diu traxisse

tia: isse moras. ADORARE. προσκυνῆσαι. verbum hoc, vel à moto galero dictum est, vel ab osculando, vel à canibus: κυνῆ enim galerus vocatur siue biretum, κυνεῖν est osculari, κύνες sunt canes. Significatur eo, humilis & abiectæ venerationis gestus, vt cùm aliquis ad pedes alterius se abiicit, qui & canum adulantium est. Iungitur autem in sacris literis, nunc tertio nunc quarto casui, absque discrimine. *Adorare eum.* ad adorandum eum, vt adoremus eum, & gratulemur ei nouo Regi, quem scimus toto aliquando regnaturum orbe, feliceſque fore qui illius numen sunt habituri propitium. Non est dissimile vero Magis his, Christi deitatem cognitam fuisse: verùm id, adorandi verbum statuere haud potest, quod, siue latinum, siue græcum, siue hebraicum spectes etymon, nihil ampliùs quàm supplicem venerationem, ex vi sua notat. vide infrà 4. v. 10.

Audiens autē Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cū illo. 3 ἀκούσας δὲ ἡρώδης ὁ βασιλεὺς ἐταράχθη, καὶ πᾶσα ἱεροσόλυμα μετ' αὐτοῦ.

AVDIENS AVTEM. ἀκούσας δὲ cùm audisset autem. hæc supple, Magorum scilicet aduentum & aduentus causam. TVRBATVS EST. metuens ne regno, quod alienigena occupauerat, ipse aut filij deturbarentur, si promissus ille è Iudæorum stirpe rex natus esset: eoque magis turbatus est, quòd exteri annunciarent natum inter Iudæos, de cuius natiuitate ipse præsens nihil intellexerat. suspicatus est itaque rem de industria se tyrannum celari ab intraneis. ET OMNIS. & tota. IEROSOLYMA. Turbati sunt Ierosolymi, quidam præ admiratione noui nuncij; quidam quòd, aut noua bella timerent, aut Herodi vellent, quorum fuisse maiorem partem satis loquitur id quod subsequitur CVM ILLO. Si qui verò iusti gaudebant (vt certè gaudendum omnibus fuerat, de ortu tam desiderati regis, atque eo quem ei mox à natiuitate exteri deferebant honore) nemo tamen, Herodis metu, lætitiam audebat exprimere.

Et congregans omnes principes sacerdotū & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur? 4 καὶ συναγαγὼν πάντας τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, ἐπυνθάνετο παρ' αὐτῶν ποῦ ὁ χριστὸς γεννᾶται.

ET CONGREGANS. καὶ συναγαγὼν & cùm congregasset. s. Herodes. PRINCIPES SACERDOTVM. ἀρχιερεῖς summos seu primarios sacerdotes, eos qui è sacerdotibus eminebant. Non solus pontifex summus ἀρχιερεὺς vocatur, aut ij qui summo pontificatu aliquando functi fuerant (eo enim tempore alij in aliorum viuentium locum surrogabantur) verumetiam principes viginti quatuor sacerdotalium familiarum (quæ distinctio semel à Dauide facta permansit) qui 1. Paral. 24 v. 5. *principes sanctuarij & principes Dei*; 2. Paralip. 36. v. 14. hoc ipso nomine quo apud Euangelistas, *principes sacerdotum* dicuntur. Sacerdotum infinitus erat numerus: principes itaque conuocauit qui & pauciores & doctiores erant, erantque ex numero Sanhedrin, ordinariorum iudicum ac consiliariorum, sine quibus nullum cogi solitum fuisse concilium, manifestum ex ipsis euangeliis fit. SCRIBAS. γραμματεῖς. Apparet sic dictos à Græcis & Latinis, quòd sicut γραμματεῖς scribæ publicarum tabularum custodes erant (significat enim γραμματεὺς præsertim publicum scribam, eum cuius officium est publicas scribere actiones) sic penes istos, tamquam sequestres, libri legis essent velut depositi, quorum scilicet interpretatio ipsis erat commissa; ideoque adiunxisse Euangelistam τοῦ λαοῦ *populi*, quod sit, publicos legis interpretes. Possis autem & γραμματεῖς vocatos intelligere, tamquam literatos eruditioneque insignes: nomen enim generaliter literatorem exponas, id est, vel scribam literarum, vel hominem literatum. Non itaque hi à scribendo scribæ dicti sunt (quamquam existiment quidam, non aliis quàm istis licuisse describere sacros libros, ne deprauarentur) sed à scripturis potiùs sacris, quorum erat munus ac professio, sacras literas & patrum scripta, seruare, euoluere, & perscrutari, populo lectitare atque enarrare, &, si quid exoriretur dubij, responsa ex his dare. vide Matth. 7. v. 29. item 23. v. 2. 1. Corinth. 1. v. 20. Hi Hebraicè etiam & Syriacè scribarum nomine ספרים *sopherim* dicuntur à ספר *saphar*, quod inter cætera est, scribere, recensere, narrare, exponere, quòd diuinas scripturas populo prælegerent atque exponerent. *Sapientes sunt* (inquit Elias) *qui & ipsi dicuntur Rabbanim.* Lucas frequenter νομικοὺς *legisperitos* vocat (cap. 7. v. 30. item cap. 11. v. 46.) & Pharisæum, quem Matthæus capitis 22. v. 35. νομικὸν legisperitum seu legis doctorem dicit, Marcus disertè scribam vocat cap. 12 v. 28. Huiusmodi scriba fuit Ezras (qui appellatur 1 Ezræ 7. v. 6. 11. & 12., *scriba velox*, quod est promptus, exercitatissimus, *in lege Mosis, scriba eruditus in sermonibus & præceptis Domini & ceremoniis eius in Israel*; *scriba legis Dei doctissimus*: de quo illic legimus 1. Ez 7. v. 10: *Ezras autem parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israel præceptum & iudicium*) & post eum alij multi, vt Eleazarus 2. Mach. 6. v. 18., quorum collegium ad Christum vsque durasse, ex Euangeliis colligimus. Horum, simul & principum sacerdotum, summo pontifice præsidente, erat, difficilia religionis negotia definire, & dubia legis soluere. VBI CHRISTVS NASCERETVR. ποῦ ὁ χριστὸς γεννᾶται vbi Christus nascatur, vbi secundùm scripturas nasci Christum oporteat, quem locum natiuitati Christi diuina oracula assignarint. Intellexit, ecce, ex Magorum verbis Herodes, Christum Regem ab eis quæri. Quæsiuit autem à conuocato concilio ipse locum, ea quidem specie pietatis, vt pij voti Magos redderet compotes, sed eo quem postea declarauit animo; nescius interim Christi gloriæ subseruiens, ita vt ab hostibus Christi, iisque frustrà metu concussis, de natalitio Christi loco, Magi, adoratione atque honore prosequi gestientes, docti sint.

At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam: 5 οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, ἐν βηθλεὲμ τῆς ἰουδαίας. οὕτω γὰρ γέγραπται διὰ τοῦ προφήτου·

AT ILLI DIXERVNT. Pleni concilij eorum apud quos scripturarum interpretatio erat, vnanimi sententia responsum

responsum est. In Bethlehem Iudæ. vide suprà v. 1. Videtur apud Iudæos peruulgata fuisse opinio, aut certè huius concilij declaratione facta peruulgata opinio, Christum Bethlehemi nasciturum: nam Iohannis 7. capite v. 42., turbis inter se de Christo disceptantibus, alij inter alios dicebant: *Nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello vbi erat Dauid, venit Christus?* Sic enim scriptum est. An legisperiti Herodi diuini oraculi testimonium attulerint, an verò Euangelista id adferat, vt monstret vnde legisperiti didicerint nasciturum Christum in Bethlehem, incertum ex Euangelistæ verbis relinquitur: cæterùm prius habet vulgaris & verisimilior opinio.

καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ ἰούδα, οὐδαμῶς [6] ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅς τις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν ἰσραήλ.

Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Mich. 5. v. 2.

Terra Ivda. ciuitas eius portionis terræ Chananææ, quæ sorte obtigit tribui Iuda. Vox *Iuda*, vel hebraico more seruata est ἄκλιτος, vel genitiuus est græcus, ἰούδας, ἰούδα. Porrò Michæas propheta, non *terra Iuda*, sed *Ephrata* habet: *Et tu Bethlehem Ephrata*, id quod alterum esse nomen ipsius Bethlehem, scripturæ loca, Gen. 35. v. 19. & 48. v. 7. & 1. Reg. 17. v 12. docent, B. Hieronymo adstipulante in caput Ieremiæ tricesimumprimum. Quo nomine distinguitur ista, ab ea quæ in Galilæa est Bethlehem, de qua Iof. 19. v. 15. clarioris autem distinctionis ergo, Euangelista aut Scribæ ipsi, *terra Iuda* dixerunt. In principibus. ἐν τοῖς ἡγεμόσιν in ducibus, ܒܡܠܟܐ *bemalke* in regibus dixit Syrus: sensus est, certè minima non es in producendis siue dandis principibus Iuda. sic ferè Euthymius. Propheta habet: *Et tu Bethlehem Ephrata* צעיר להיות באלפי *sahir lihiot bealphe*, *paruula* ad esse *in* chiliadibus siue *milibus Iuda*. Per singulas tribus, populus in chiliadas, chiliarchis principibus, qui passim in Hebræo שרי אלפים *sare alaphim* principes mille vocantur, distributus erat: id quod ex consilio Iethro, Moses instituerat, Exo. 18. v. 21. & 25. Ait ergo propheta: Paruula es vt sis, ô Bethlehem, id est, minor es quàm vt sis, minor es quàm vt pro magno numereris, inter chiliades tribus tuæ Iuda, tot numero tamquam præstantes. id est, paucas, & eas tenues, vel certè nullas, numeras adfersque ciuium chiliades: paucis tribum tuam auges viris, si cum cæteris tribus eiusdem conferaris vrbibus, ex quibus plerisque multæ hominum myriades conscribi possunt. Sic Gedeon dicebat Iud. 6. v. 15. הנה אלפי *hinne alphi*. Ecce chilias mea tenuissima inter Manassæas: pro quo noster Interpres ad sensum transtulit: *Ecce familia mea infima est in Manasse*. Iam verò videtur Prophetę Euangelista contrarius, vel certè Scribæ ipsi, quorum Euangelista referat verba: sed nihil minùs. Apud Euangelistam habes: *Nequaquam minima es in principibus*, apud Prophetam: *Minor es quàm vt sis in chiliadibus siue milibus*. est itaque ad diuersa respectus. nam quod Propheta de ciuium milibus affirmat, id Euangelista de principibus negat. Porrò sententia Prophetæi ndubitata est, siue enunciando Prophetæ legas verba, siue interrogando, vt quidam volunt, Bethlehem, licet paucos numeraret ciues, insignem principem, præter alios, producturam; licet parua esset loci amplitudine ac populi frequentia, paruam haud esse principum natalibus, ex qua etiam tantus talisque proditurus sit princeps; licet exiguum vileque haberetur oppidulum, at maximum, clarissimum ac nobilissimum Regis Messiæ ortu fore. Sententiam itaque Prophetæ, posito *principibus* pro milibus, *chiliarchis* pro chiliadibus, claritatis causa (quo modo tamen etiam vox Hebræa aliquando vertitur) Scribæ expresserunt: Nequaquam minima es principum Iudæorum ex te ortu, vbi ex te, præter alios iam natos, Rex Christus proditurus est. Et certè fuit Bethlehem, plurium principum virorum natalibus illustris, Abesan ducis (Iud. 12. v. 8.) Booz, Isaï, Dauidis Regis, totius denique regiæ stirpis seminarium. Cæterùm vel vnius Christi natiuitas, loco præ omnibus aliis nobilitando suffecit.

Ex te enim. Addiderunt ætiologicam coniunctionem Euangelista aut Scribæ, conformiter præcedentibus. In Propheta aduersatiuam particulam subaudi: *Ex te tamen*: quemadmodum & Psal. 118. v. 143. & 157. & aliis locis, vt nihil sit noui. *Mihi* pronomen Propheta addidit *Ex te mihi* (quod Euangelista prætermisit. si Latinis Syricisque codicibus & emendatioribus Græcis fides habetur) quod tametsi nonnumquam ornatus gratia παρέλκον orationi inseratur, videtur tamen hoc loco significare, Dei opera, iussu, ac missu, atque ad Dei gloriam propagandam, Christum natum & principatu auctum. Exiet. prodibit, nascetur. Dvx. ἡγούμενος. participium loco nominis, id est, ἡγεμών. ܡܠܟܐ *malco* rex syriacè. hoc aut aliud simile subaudiendum hebræa relinquere, rectè intelliguntur: Dux, princeps ille exspectatus. *Messias* expressit Chaldæus paraphrastes. Qui regat. ὅστις ποιμανεῖ qui reget, qui pascet, *reget* vt pastor gregem, id enim τὸ ποιμαίνειν significat: non lupi more vorabit, non tyrannus opprimet. sic solet Homerus reges ποιμένας λαῶν vocare. Hebraicè est: Ex te mihi exibit להיות מושל בישראל *lihiot mosel bisrael* ad esse dominatorem (vt sit dominator) in Israel. τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ ἰσραὴλ dixerunt lxx. משל *masal* dominari, præesse, significat; מושל *mosel* dominatorem, ἄρχοντα, principem. Hieronymus iuxta sensum transtulit, *Qui sit dominator*. Euangelista aut græcus eius Interpres, mitius aliquid quàm dominari dedit, ποιμαίνειν. quod τῶν ποιμένων pastorum propriè est. Similis est vox Syris ܪܥܐ *rohe*, eadem quę Hebræis רעה *raha* pascere, vnde רועה *rohe* pastor: quæ nono secundi Psalmi versu legitur, quo græcè est ποιμανεῖς, latinè *Reges eos in virga ferrea*. Popvlvm mevm Israel τὸν λαόν μου τὸν ἰσραὴλ populum meum, ipsum Israel. Adiecit Euangelista aut certè Scribæ, quorum Euangelista recitet verba, *populum meum*. Opponitur totum parti, Israel Iudæ. q. d. Propheta: Parua haberis minorque quàm vt quidquam conferas chiliadibus Iuda, quàm vt numereris inter frequentes celebresque ciuitates Iuda: atqui, ex te vt prodeat faciam, qui & Iudæ & vniuerso dominetur Israëli, vt olim Dauid, ex te similiter oriundus, toti Israëli præfuit. Hac enim parte Dauid Christi filij sui typum expressit. Sed Dauid quidem duodecim Israëliticarum tribuum regno claruit; Christus verò vniuersarum totius orbis terrarum tribuum, quæ, si non omnes ex Israële genus ducunt carnis, certè omnes Israëlis sectantur fidem, & hoc tanto principe nixæ irato olim Deo dominantur.

Hinc

Hinc enim Iacobus Israëlis accepit nomen, quòd Deo præualuerit, colluctansque, nisi data benedictione, haud dimiserit. Gen. 32.v.27. Quare nominis interpretatio est, non ea quam multi dant *Vir videns Deum*, sed *dominans Deo*, aut *fortis in Deum*, à שרה *sara* quod dominari, & אל *el* quod Deum significat, iod littera initiali formandi nominis proprij officium subeunte.

Tunc Herodes, clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. 7

τότε ἡρώδης, λάθρα καλέσας τοὺς μάγους, ἠκρίβωσε παρ' αὐτῶν τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος.

TVNC. audita Concilij Legisperitorum sententia. CLAM. Non enim conscios esse volebat Iudæos eorum quæ Magis responsurus aut quæ ex Magis quæsiturus erat, siue ne tempus nati Messiæ Regis intelligerent, siue ne in insidiarum quas tendebat opinionem venirent, denique vt quàm minimùm res spargeretur in vulgus. DILIGENTER DIDICIT. ἠκρίβωσε accuratè exactaque cura perquisiuit: significatur enim hoc verbo diligentia quædam absoluta. Perquisiuit autem, eo prætextu, quasi idem quod Magi agens: quare communicat cum eis rem: de tempore quærit, locum ipse aperit. Priùs autem ipse de tempore quæsiuit, si illud indicare renuant, locum ipse non tantùm non indicaturus, sed & manus in eos, vt insidiatores, iniecturus. TEMPVS STELLÆ QVÆ APPARVIT. τὸ χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος tempus eius quæ apparuerat stellæ, id est, vti Syrus explicuit, quonam tempore apparuisset eis stella, quo primùm tempore orta esset hæc stella. vt nimirum hac ratione deprehendere posset, si fortè sua de Magis exspectatione falleretur, quisnam infans eo tempore Bethlehemi natus fuisset, aut quantum is ferè à natiuitate haberet temporis: opinatus est enim, id quod res erat, simul cum ortu pueri, ortam stellam fuisse. Magi porrò, vt non est suspiciosa pietas, nihil illum celauerunt, haudquaquam suspicantes tam immanem esse, vt in infantem vixdum natum sæuire vellet, neque tam furiosum, vt se speraret humanis consiliis oppressurum quod diuinitus ageretur. EIS addiderunt Interpretes Latinus & Syrus, quò dilucidior esset narratio.

Et mittens illos in Bethlehem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. 8

καὶ πέμψας αὐτοὺς εἰς βηθλεέμ εἶπε· πορευθέντες ἀκριβῶς ἐξετάσατε περὶ τοῦ παιδίου· ἐπὰν δὲ εὕρητε, ἀπαγγείλατέ μοι, ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ.

IN BETHLEHEM. Certior factus de tempore visæ stellæ, vicissim ipse natalem Messiæ locum indicauit. ITE. πορευθέντες profecti. Magos vltrò ituros, suo etiam onerat præcepto. Herodem, quòd Magos ire permiserit, id mouit, vt certiùs puerum nouisset. Existimauit enim ab eis certiùs inueniri posse, tùm quòd ipsi longè positum stellæ indicio didicissent, tùm quòd parentes occulturi non essent, quem à grauibus adeò viris, de quibus nulla esse poterat mali opinio, adorandi gratia quæri, longissimo emenso itinere, audirent. Facilè etiam considerauit, paucos ipsos, & alienos, in regione aliena, nihil aduersus se moliri posse. Denique de eorum, quam obseruauerat, fraudis nescia simplicitate confisus est. Quòd si iuisset ipse cum Magis, aut è suis eis comites dedisset, facilè æstimabat se in suspicionem venturum fraudis, eosq; quibus pueri erat cura, absconsuros eum, veritos ne quid mali puero accideret: nouerat enim se, non vt regem amari, sed vt tyrannum timeri. Adhæc nolebat Magis præsentibus sæuire. INTERROGATE. ἐξετάσατε exquirite. DE PVERO. Studiosè puerum vocat siue puerulum (est enim græcè παιδίον, diminutiuum à παῖς) non vt Magi, regem, quòd regem eum ferre, animo nollet. Non autem dicit puerum, sed de puero: volebat enim, vt non puerum tantùm quærerent, sed & omnia quæ ad rem spectare poterant, accuratè examinarent, quando puer natus esset, quibus parentibus ortus esset, an haberent eum parentes pro Messia rege, an diuinitus id datis signis aut oraculis didicissent, & cætera. ET CVM. ἐπὰν δὲ postquam autem. RENVNCIATE MIHI Ierosolymam ad me reuersi. Sibi primùm volebat innotescere puerum, vt eum priùs tolleret è medio, quàm populus Iudæus eum planè resciisset natum. ADOREM EVM vos imitatus. Filij vulpis vulpes pater (huius enim filium vulpem Dominus vocabat Luc. 13.v.32.) animi ferociam humilitatis fictione condebat.

Qui cùm audissent Regem, abierunt: & ecce, stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà vbi erat puer. 9

οἱ δὲ ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως, ἐπορεύθησαν· καὶ ἰδοὺ, ὁ ἀστὴρ ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτοὺς, ἕως ἐλθὼν ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον.

QVI CVM AVDISSENT REGEM. Significat Euangelista, Magis doli expertibus, nihil suboluisse dolorum Herodis: id quod facilè Herodes aduertens, securus confidit, ad se eos reuersuros, & inuentum puerum indicaturos. Alioquin si spes hæc scelerato imposuisset, sæuiturus erat in Magos ipsos, qui nuncium tam inauspicatum attulissent, aut certè è suis post eos exploratores missurus. Itaque diuinitus id actum est; tùm vt puer, tùm vt Magi ipsi seruarentur. ABIERVNT. ἐπορεύθησαν profecti sunt s. Bethlehem, oppidum sex miliaribus distans Ierosolymis, ad Meridiem. Iudæi congressi non sunt, neque suo nomine legatos emiserunt, ad congratulandum, aut fausta precandum, & adoratione cum Magis excipiendum natum Regem suum (id quod certè par fuerat) siue desidia ac torpore, siue (quod verisimile est, Herodis, qui

nec

nec ipse ibat, aut quempiam mittebat cum Magis, offendendi timore: ne, qui tanto tempore tantoq; studio regnum affectauerat, ac nuperrimè eorum suffragiis in regem acceptus erat (primo anno quo legitimè regnauit Herodes, à Iudæis rex susceptus, natus est Christus, quod quidam affirmant) si alium illi adirent aut quærerent regem, læsæ maiestatis ipse eos ac perduellionis insimularet. Significatum est hic, gentes, quarum Magi erant primitiæ, ad Christi gratiam præ Iudæis venturas: nam quòd pastores præcesserint Magos, etiam Iudæi Apostoli aliique nonnulli gentes præcesserunt. IN ORIENTE. in patria sua. Datur hinc satis intelligendum (id quod tamen contra vulgarem opinionem est) stellam haud fuisse ducem reliqui itineris è Chaldæa seu Arabia Ierosolymam. Nam nec Magi ipsi plus dixerant, quàm *Vidimus stellam eius in oriente*. Quòd si ipsa eos Ierosolymam adduxisset, id cumprimis referendum fuerat. ANTECEDEBAT EOS Ierosolymis egressos, vt viæ dux. id enim significant voces, græca προῆγεν, & latina *antecedebat*. Voluit eis Deus Ierosolymis egressis stellam apparere, ne fortè animum deiicerent, quòd in vrbe regia, regem natum non tantùm non inuenissent, sed nec sciri quidquam de eo nato comperissent, quinimmo allato nuncio turbari omnes obseruassent, & ne quidem se comitem quisquam ipsis adiungeret eorum, quorum erat natiuus rex, quem ipsi exteri adoratum ibant. Ex hoc porrò loco manifestum fit, stellam hanc, nec ex stellarum quæ in cœli firmamento sunt, nec ex cometarum numero, fuisse. Primùm enim, prout opus fuit apparuit, nunc in occidente, ante dies aliquot in oriente; cùm cœlestes stellæ & aërij cometæ ordinato ferantur motu. Deinde interdiu apparuit, quod nullæ aliæ stellæ, nec cometæ, nec Luna ipsa: nisi fortè Magi noctu Ierosolymis Bethlehemum profecti sint, & puerum venerati, Deo id agente, ne res interdiu conspicuæ, stellæ inquam apparitio, ducatus, quies, & quò ingressi fuissent Magi, ad Herodem mox referrentur. Adhæc, ferebantur à Septemtrione in Meridiem (huiusmodi enim situs est Ierosolymorum ad Bethlehemum) quo modo nullæ mouentur stellæ, siue diurno siue proprio motu. Quartò, non in cœlo, vt alia sidera, nec in suprema aëris regione, vt cometæ, sed in aëre terræ vicino erat: erat enim iter agentibus viæ dux, & quæsiti loci certa index. Postremò, quieuit pro Dei vbique arbitrio, ab Angelo, haud dubium, gubernata; cùm astra omnia & cometæ in perpetuo sint motu: id quod sequitur VSQVE DVM VENIENS STARET SVPRA VBI ERAT PVER. locum demonstrans in quo puer erat, ipsiusque pueri capiti ex alto imminens. Altera hæc fuit causa, cur voluerit Deus Magis rursus apparere stellam, vt scilicet loci esset index, ne, si cogerentur quærere & anxiè interrogare de puero, hactenus non nisi per pastores pecuarios Bethlehemi cognito, puero manifesto facto, essent qui ad Herodem rem deferrent. Fuit & tertia causa, ne Magi offenderentur, pueri, quē de cælo sidera ornabant ac celebrabant, obscuritate atq; humilitate.

ἰδόντες δὲ τὸν ἀστέρα, ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα.	10	Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè.

VIDENTES. ἰδόντες cùm vidissent. GAVISI SVNT GAVDIO MAGNO VALDE. id est, maximo. Verborum accumulatione, incredibile Magorum significat gaudium. Tantopere autem gauisi sunt, quòd iam intelligerent (id quod mox vereri ex parte potuerant) non frustrà se tam longa viarum spatia confecisse; quòd quam habuerant in patria sua nati regis indicem, iam haberent certam viæ ad eum ducem, eoque (id quod mira gaudio incrementa attulit) ducentem, quò prophetarum oracula pergendum esse docuerant; denique Christum ipsum quem quærebant monstrantem.

καὶ ἐλθόντες εἰς τὴν οἰκίαν, εἶδον τὸ παιδίον μετὰ μαρίας τῆς μητρὸς αὐτοῦ, καὶ πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ, καὶ ἀνοίξαντες τοὺς θησαυροὺς αὐτῶν, προσήνεγκαν αὐτῷ δῶρα, χρυσὸν, καὶ λίβανον, καὶ σμύρναν.	11	Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

INTRANTES. ἐλθόντες εἰς ingressi. DOMVM. mansionem, stabulum, speluncam. sic enim veteres patres intelligunt, eodem loco Christum à Magis adoratum quo natum: nec insolens est Hebræis, omnem mansionem, etiam bestiarum, domus nomine signare. Hieronymus Bethlehemi ciuis, epistolis 17. & 18. *Ecce*, inquit, *in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus est: hic inuolutus pannis, hic visus a pastoribus, hic demonstratus a stella, hic adoratus a Magis*. Verisimile est, parentes, à Christi natiuitate, liberam sibi seruasse speluncam hanc pretio conductam, nec cuiquam interim licuisse iumenta sua illic stabulare, vt virgo, pro more puerperarum, seorsum ab hominum commercio se contineret. INVENERVNT. εἶδον viderunt, quomodo est & syriacè. Interpres legit εὗρον. Statim vt ingressi sunt locum, inuenerunt ac viderunt. PVERVM. τὸ παιδίον puerulum. specie à cæteris nihil differentem. MATRE EIVS genibus puerulum ferente, siue gremio complectente ac fouente. *sublatum enim*, quod ait Chrysostomus, *e præsepio in gremio collocauerat, intrantibus Magis*. Neque enim decumbebat infirma, vt cæteræ puerperæ, neque obstetricum aut nutricum opera, siue pro se, siue pro puerulo, indigebat, sed obibat ipsa id quod necesse erat, quæ sine dolore, infirmitate, læsione pepererat. Noluit verò Deus multos adesse adorationis Magorum testes, ne fortè ad Herodem res deferretur: tum etiam vt eo laudabilior Magorum esset fides, quòd puerulum cæteris similem, cui neque aderat hominum sodalitium, regem crediderint ac salutarint. Cæterum Iosephum non est probabile abfuisse; qui socius erat tristium omnium, iucundissimo hoc spectaculo fuisse fraudatum: sed iccirco nominatus haud est, vt à Magis intellectum fuisse significaretur, nihil illum ad Domini natiuitatem contulisse. PROCIDENTES. πεσόντες quum accidissent, humi prostrati. mos est enim Orientalibus vt prostrati adorent regem. Hîc cœptum est impleri illud Psalmi 71. v. 9: *Et inimici eius terram lingent*.

ADORA-

ADORAVERVNT EVM. Nihil viderunt magnificum, quinimmo humilia omnia. puerum, non purpura & bysso, sed fasciis, mundis quidem (neque enim sordidam agnouerim Domini matrem at ἁπλῶν), inuolutum; matrem, non diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem, sed talem qualis esse poterat fabri vxor peregrè constituta: sodalitium non nisi fabri curatoris, casam pauperem, supellectilem curtam, opes nullas. Prosecuti sunt tamen puerum honore; eo qui Regem, immò qui Deum decet. Nec exspectauerunt diuinum præceptum, id quod Lutheranus exposcit, vt ad tot maximæ Eucharistiæ adorationem adducatur: sed satis eis fuit, pueri cognouisse maiestatem, ex maiorum suorum traditione, ex stellæ declaratione, denique ex ea luce, quæ illorum mentibus quasi alterum quoddam sidus à Deo effulserat, & paulatim eos ad perfectiorem scientiam prouehebat. dignitatem enim eius adhuc occultam considerarunt in Dei consilio. Inter adorationem porrò, non dubium est, quin diuinus è pueri vultu splendor refulserit.
THESAVRIS SVIS. thesaurophylaciis suis, repositoriis thesaurorum suorum. Non vulgares fuerunt, qui thesauros, opes reconditas secum attulerunt. OBTVLERVNT EI MVNERA destinata, more gentis suæ qui, regem quando adorant, munera offerunt. Mos is erat Orientalibus, quo testabantur illi, Regem à se agnosci, & se suaque illi subdita: quemadmodum Deo, ob agnitionem supremæ maiestatis, sacrificium ab omnibus offertur. Itaque munerum oblatione, Magi Christum sibi Regem inaugurarunt, seseque illi dedicarunt: fortè & Deum agnouerunt, & in sacrificium munera ista dederunt. AVRVM, THVS, ET MYRRHAM. Munera obtulerunt eiusmodi, quorum prouentu patria præcipuè diues erat. Nam, teste Plinio lib. 12. cap. 14: *Thura, præter Arabiam, nullis*: ac ne Arabiæ quidem vniuersæ; sed, quod Virgilius ait, —— *solis est thurea virga Sabæis*; à qua, regio vocatur Arabia sacra: vt ab auri, myrrhæ, cæterorumque aromatum copia ac præstantia, quam testatam facit Ezechiel cap. 27. v. 22., dicitur Arabia felix. Myrrhæ aromatumque tanta hic vbertas, vt non alia in vsu sint ligna quàm odorata, ne ad ignem quidem fouendum, quod narrat Plinius libri 12. cap. 17. Denique auri & argenti venis ac glebis ita scatet terra, vt omnis penè huius gentis supellex, alia auro, alia argento splendeat. Munera itaque obtulerunt Magi suæ patriæ: *sed munera*, vt Beati Chrysostomi verbis vtar, *Deo certe quam homine digniora*. Siue enim intellexerint (id quod vero absimile non est) siue non intellexerint, maxima, eorum muneribus, Sacramenta, Deo faciente, celebrata sunt: quæ Iuuencus presbyter vno versiculo pulcherrimè comprehendit:

Thus, aurum, myrrham, regiq., hominiq., Deoq. Dona ferunt.

Thure enim, quo Deo adoletur, Christi diuinitas prædicata est; Myrrha, qua mortuorum corpora condiuntur, morti obnoxia nec tamen putrefactionem passura, humanitas; Auro, quod in tributum regibus penditur, regia dignitas, & diuinitatis & humanitatis ratione Christo conueniens. hæc allegoria est munerum. Ad tropologiam optimè accommodat D. Bernardus, sermone de Epiphania tertio. Aurum Christo offerimus, si terrenam omnem substantiam pro nostro erga eum amore spernamus; Myrrham, si nostra quæ super terram membra mortificemus, nosque ipsi abnegemus; Thus, si cor sursum habeamus ad Dominum, quæ sursum sunt animo versemus, desideremus, sapiamus, quæramus. His tribus Christiana constat vita: nec deesse potest vel vnum, si Christo placita erit vita. Ita verò & tria illa credenda sunt de Christo, quæ munerum allegoria habet: quòd si desideretur vel vnum, manca neque vera est fides. In horum autem typum, Magos singulos tria illa obtulisse, vel eorum magnificentia faciat verisimile.

Et responso accepto in somnis ne [12] redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

καὶ χρηματισθέντες κατ' ὄναρ μὴ ἀνακάμψαι πρὸς Ἡρώδην, δι' ἄλλης ὁδοῦ ἀνεχώρησαν εἰς τὴν χώραν αὐτῶν.

RESPONSO ACCEPTO. χρηματισθέντες. χρηματίζειν inter cætera est responsa dare legationibus, dum ad magistratus refertur; ad Deum relatum, consulentibus aut petentibus oracula reddere. Agitauerunt secum Magi, an ad Herodem redeundum esset, & iam fortè stellæ ductu destituti, desiderauerant signum diuinæ voluntatis. Itaque oraculum eis in somnis reddidit Deus, per angelum (quod existimant Græci) per se, Hieronymi est sententia, qui χρηματισμὸν dici putat, quoties Deus per se respondet. Porrò fieri potest, vt nihil huiusmodi aut desiderauerint aut exspectauerint Magi: nam χρηματίζεσθαι quoque dicitur, quemcumque Deus colloquio suo dignatur, etiamsi nihil tale quærat vel exspectet. Quare Syrus vertit *Reuelatum est eis*; alij *Oraculo instructi*; alij *Diuinitus admoniti*. Obserua quàm fuerint hi Magi Deo curæ, vt ne arbitreris eos, sola naturali philosophia duce, isthuc peruenisse. Ecce autem & dispensationis ordinem, quem seruauit Deus, sensim illos ad sublimiora prouehens. Primùm enim, quoniam spectandis sideribus vacabant, noui sideris ortu, ad sui cognitionem quasi manu duxit: progressos, prophetarum vaticiniis docuit: ad se adductos, per se erudiuit. IN SOMNIS. Vide suprà .v. 20. NE REDIRENT. μὴ ἀνακάμψαι non reflectere, non reuerti. Verbum aptum ac peculiare iter facientibus nauigio aut equès. AD HERODEM. id enim, nec ijs esse tutum (proculdubiò enim & in ipsos iniecisset manus) nec puero, nec expedire negotio, suis temporibus orbi promulgando. PER ALIAM VIAM Ierosolymis relictis vbi erat Herodes. Non fuisset recta via Magorum in patriam reuertentium, Ierosolymam repetere: sed quia promiserant Herodi reditum, redissent vtique, nisi aliud iussisset Deus admonitis insidiarum quas machinaretur Herodes. Ob quas non tantùm aliam inierunt viam, verumetiam clanculum profecti sunt, vitatis diuersoriis publicis, in montibus & speluncis agentes, cùm post labores itineris quiescendi tempus aduenisset, donec excessissent ditione Herodis: quod ex quadam Cyrilli de vita S. Theodosij, à Metaphraste recitata historia die XI Ianuarij intelligitur. REVERSI SVNT. ἀνεχώρησαν recesserunt, profecti sunt, redierût, oraculo morem gerentes. IN REGIONEM SVAM. in locû suum dixit Syrus. apud suos, noui regis noui præcones futuri.

Qui cùm recessissent, ecce ange- [13] lus Domini apparuit in somnis Io-

Ἀναχωρησάντων δὲ αὐτῶν, ἰδοὺ ἄγγελος κυρίου φαίνεται κατ' ὄναρ τῷ Ἰωσήφ,

σήφ, λέγων· ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παιδίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ φεῦγε εἰς αἴγυπτον, καὶ ἴσθι ἐκεῖ ἕως ἂν εἴπω σοί. μέλλει γὰρ ἡρώδης ζητεῖν τὸ παιδίον, τοῦ ἀπολέσαι αὐτό.

ſeph, dicens: Surge & accipe puerum & matrẽ eius, & fuge in Ægyptum: & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim vt Herodes quęrat puerum ad perdendum eum.

QVI CVM RECESSISSENT. Non ſimulatque receſſiſſent: præceſſit enim purificationis hiſtoria quæ quadrageſimo demùm à natiuitate die accidit, quam narrat Lucas cap.2. v.22. & deinceps. Sed obſeruandum eſt, ne quid animum conturbet, id quod B. Auguſtinus annotat lib.2. de conſenſu Euang. cap.5., *ſic vnumquemque Euangeliſtam contexere narrationem ſuam, vt tanquam nihil prætermittentis series digeſta videatur. Tacitis enim quæ non vult dicere, ſic ea quæ vult dicere illis quæ dicebat adiungit, vt ipſa continuò ſequi videantur*; ita tamen vt non dicat continuò ſubſequuta fuiſſe, aut neget alia interceſſiſſe. Statim autem à purificatione, veriſimile eſt contigiſſe hanc Angeli apparitionem: à purificatione enim videtur ſenſiſſe Herodes ſibi à Magis eſſe impoſitum. Quidam putant, Ieroſolymis adhuc exiſtente Ioſepho cum matre & puero, accidiſſe: ſed quid quòd noctu fugerit? Veriſimilius eſt, Bethlehemum reuertenti aut certè reuerſo Angelum mox apparuiſſe, & fugam mandaſſe. ECCE ANGELVS &c. vide ſuprà 1.v.20. SVRGE ET ACCIPE. ἐγερθεὶς παράλαβε experrectus ſiue cùm ſurrexeris (ad vtrumque enim vox anceps eſt) adſume. Id ita intelligi poſſit, vt Ioſepho præceptum ſit fugere, & adſumere puerum ac matrem, poſtquam ſomno feciſſet ſatis: ſed creditu facilius eſt, etiam à ſomno ſurgere iuſſum fuiſſe (ita vt fecit) vt eo tutiùs noctu fugeret. PVERVM ET MATREM EIVS. Matri puer præfertur, quippe matris dominus. Non enim propter illam matrem, iſte filius natus eſt: ſed propter illum filium, iſta præparata eſt mater. Nec pueri erat gloria habere illam matrem: ſed illius erat beatitudo iſtum habere filium, ſicut ipſa dicebat: *Ecce nunc beatam me dicent omnes generationes*. Luc.1.v.48. Dicit autem Angelus *matrem eius*, non vt ante partum, *coniugem tuam*; ſublata iam ex Ioſephi animo ſiniſtra omni ſuſpicione, ipſoq; Ioſepho myſteriorum conſcio, à re eam digniori ſecurus denominans. FVGE. tùm ob alias cauſas, tùm vt puero non inuento Herodis impietas ita vt meretur, in pueri gloriam magis magiſque exacerbetur. ÆGYPTVM. Ægyptus, Paleſtinæ à meridie vicina, ad fugam commoda erat: in qua, vtpote aliena ditione, non erat facultas Herodi inquirendi de latebris pueri. Adhæc, diuino conſilio hoc agebatur, vt ea quoque regio, tota prodigioſis deorum cultibus dedita, dum Chriſto profugo præbet hoſpitium, eius contactu commercioque præpararetur ad aliquod primordium veræ pietatis. Duæ erant maximæ vetuſtiſſimæque officinæ (quod Chryſoſtomus annotat) vitij per orbem ſparſi, Babylon atque Ægyptus: illam Chriſtus per Magos adorantem ſuſcepit (nam & Arabes Chaldæis vicini ſunt) hanc ſua præſentia ſanctificauit: illi, Magos ſui annunciatores remiſit; hanc, ipſe intrauit & inuiſit; toti ſimul orbi optimæ in poſterum ſpei præmia denuncians, iuxta prophetiam Iſaiæ 19.v.23.24.25.

DVM DICAM TIBI. Hanc illi Angelus conſolationem adiicit, vt ne putet ſe in Ægypto perpetuò hæſurum exſulem, ſciatque Deum in exſilio geſturum ſemper ipſorum curam. Famulorum Dei, fides & obedientia atque exſpectatio eſt: Dei verò ipſius, conſilium, cura, & expeditio rerum. FVTVRVM EST ENIM. Rem occultam & humanitus ignotam prædicit. *Reprobat Dominus conſilia principum*. Pſal.32.v.10.

AD PERDENDVM EVM. vt è medio auferat. Non fuiſſet Deo, quin etiam puero ipſi, difficile, ſi libuiſſet, Herodem perdere, omneſque eius conatus fruſtrari, ita vt fuga opus haud fuiſſet: ſed aliud poſcebat præſentis ratio diſpenſationis, tum vt oſtenderet Dominus aſſumptæ naturæ veritatem, tum vt ſeruaret eum aduerſarios deuincendi modum quem ſibi iam propoſuerat, cedendo, non reſiſtendo; patiendo, non impetendo; moriendo denique cùm tempus foret, non manus conſerendo. *Fugit ergo, non formidine humana, ſed diſpenſatione diuina, non neceſſitate, ſed poteſtate*; quod ait Fulgentius ſermone quinto; *vt cedat tempori, non Herodi*; quod habet Chryſologus ſermone 150.

ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον [14] καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ νυκτὸς, καὶ ἀνεχώρησεν εἰς αἴγυπτον· καὶ ἦν ἐκεῖ ἕως τῆς τελευτῆς ἡρώδου,

Qui conſurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & ſeceſſit in Ægyptum: & erat ibi vſque ad obitum Herodis,

QVI CONSVRGENS ACCEPIT. ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε Ille autem excitatus, ſiue, vbi ſurrexiſſet, adſumſit. Ioſeph nihil cunctatus, officioſus expleuit id quod iuſſus erat: nihil enim prius habuit quàm Deo obedire, tametſi fortaſſe factorum rationes haud aſſequeretur. ET MATREM EIVS. Significatur, non tam vxoris loco à Ioſepho Mariam habitam, quàm dominæ, vt Domini ſui matris. NOCTE. eadem nocte qua oraculum acceperat: id enim iuſſus fuiſſe videtur, vt tutò fugeret, ne quis abeuntem obſeruaret, & Herodi nunciaret qua parte abiiſſet. Ecce parentum Chriſti paupertatem, non ſarcinas multas ante fugam colligendas, non opes committendas, non debita repetenda habebant: ſed his liberi oneribus, expediti vocantem ſequuti ſunt Deum, libens omnibus quæ eſſe poterant ſpretis. Cæterùm opportunè Deus, è Magorum donariis, fugitiuis prouiderat. IN ÆGYPTVM. Ægyptiis quibus olim Deus plurima intulerat mala, iam filium ſuum mox futuræ reconciliationis arram miſit. Et Moſes quidem vetus legiſlator, ex Ægypto in Iudæam fugit; Chriſtus autem nouæ legis auctor, ex Iudæa in Ægyptum: nimirùm, cùm Iudæa vera fieret Ægyptus, tribulatrix filiorum Dei (Apoc.11.v.8.) & Ægyptus in Iudæam conuertenda eſſet, celebratricem nominis Domini. ET ERAT IBI. Locum in quo commoratus eſt, aiunt fuiſſe inter Heliopolim & Cairum ſiue Babylonem Ægyptiam. In tractu Heliopolitano, exſtructũ ab Onia Iudæo ſacerdote, Ieroſolymis pulſo, concedente Ptolomæo Rege, fuiſſe templum, illudque per trecentos

& eo ampliùs annos permansisse ad imperium vsque Vespasiani, testatur Iosephus lib. 7. de bello cap. 30. Denique hoc Christi tempore multa Iudæorum millia in Ægypto habitasse, ex eodem Iosepho, Philone, aliisque, manifestum euadit. VSQVE AD OBITVM HERODIS. circiter nouennio. vide infrà v. 21.

vt adimpleretur quod dictum est 15 à Domino per Prophetam dicētem: Ex Ægypto vocaui filium meum.

Hosee 11. v. 1.

ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος· ἐξ αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.

VT ADIMPLERETVR. vt, dum inde in Iudæam puerulum Iosephus Dei monitu reduceret, eo facto adimpleretur, &c. (vide suprà 1. v. 22.) vel (quò euentus significetur) ita vt, dum inde in Iudæam Iosephus puerum Dei iussu reduceret, adimpleretur, &c. EX ÆGYPTO VOCAVI FILIVM MEVM. Testimonium est ex Hosee prophetæ vndecimo capite sumtum, iuxta hebraicam veritatem: nam LXXij senes verterunt: *Ex Aegypto vocaui filios eius.* s. Israelis, siue quòd, vt frequenter aliàs, *vau* legerint pro *iod*, aut ad *iod* additum habuerint *vau* (pro לבני *libni* לבנו *libno* vel לבניו *libnau*) siue quòd sensum expresserint. Nam historico siue literali sensu (qui ex verbis prophetiæ & iis quæ tum antecedunt tum consequuntur, sumitur) de Israelitici populi ex Ægypto liberatione intelligendum esse locum, extra controuersiam est: sed *quod typicè præcessit in illo populo*, Hieronymus inquit, *iuxta veritatem & adimpletionem refertur ad Christum*; *vt frequenter*, iuxta B. Chrysostomum, *in prophetiis multa, de aliis quidem dicuntur, sed in aliis ita vt dignum est perficiuntur.* Allegoricus hic sensus est, qui re historico sensu significatâ, rem aliam significatam intelligit. Mirum verò videri non debet, populum, vnius hominis Christi gessisse figuram: nam, præter hoc quod Gen. 25. v. 23. legitur vnus homo populi figuram gerere (*Duæ gentes*, inquit, *sunt in vtero tuo*) non exæquant tot millia quot Israelitarum erant, vnum Christum. Si Dauidi à populo suo verè dictum est (2. Reg. 18. v. 3.) *Tu vnus pro decem millibus computaris*: quot millia eum referent de quo scriptum est (Isa. 40. v. 15. 17.) *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ, & insulæ quasi puluis exiguus?* Adhæc, tamquam vnum aliquem hominem ita habuit eum populum Deus: tamquam enim de vno aliquo homine, de eo locutus est, vt hoc prophetæ Hosee loco: *Quia puer Israel, & dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum*; ita eo Exodi loco, quo per Mosen Pharaoni mandat vt populum dimittat (Exo. 4. v. 22. 23.) *Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus, Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi, Dimitte filium meum vt seruiat mihi; & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* En, & inter se confert, populum Israëliticum primogenitum filium suum, & primogenitum filium Pharaonis. Quare rectè expressisse potuit Israëliticus populus vnius Christi figuram. Nunc mihi obserua inter vtrumque similitudinem. Vterque Dei filius fuit, præ cæteris dilectus; ille præ cæteris populis, hic præ cæteris humanæ naturæ participibus. Vterque in Chananæa siue Iudæa natus fuit: illic enim Israel in populum est efformatus, id est excreuit in eum numerum hominum qui possit dici populus. Infans vterque in Ægyptum delatus est, ille mortem fugiens quam comminabatur fames, hic mortem fugiens quæ per insidias imminebat. quasi enim erat infantia populi, numerus animarum 70., in quibus descendebat in Ægyptum. Deut. 10. v. 22. Puer in Ægypto vterque peregrinus egit (ortum, educationem adultamque ætatem Israëlitici populi pulchrè describit Ezechiel 16. capite, quamquā sub mulieris persona.) Adultus ex Ægypto, infanticidis regibus sublatis, à Deo vterque vocatus est, ille quarta generatione (Gen. 15. v. 16.) qui quartus est annus ætatis populi; hic anno ætatis octauo aut nono, id est, bis quarto. Ex Ægypto à Deo vocatus est, ille vt coniugio cum diuina lege inito, pergeret, Deo duce, ad occupandam viribus promissam hereditate terram, in qua semel Republica constituta, vir factus, in regnum excresceret: hic, vt accepta humani generis saluandi prouincia, ætate virili, fortiter patiendo omnia saluti hominum aduersa expugnaret, & in vnum collectos regnum electos Dei, suo ad cælestem hereditatem iuri, vnde exciderant, restitueret. Vidisti inter vtrumque similitudinem: nunc mihi animaduerte Christi incomparabilem præ populo eminentiam, qua factum sit, *vt prophetia*, iuxta B. Chrysostomum, *digno accepto fine, ita vt congruebat impleta sit.* *Quia puer Israel*, νήπιος paruulus, *& dilexi eum.* Israëliticum populum, tenellum adhuc primumque pullulantem, prosequutus est amore Deus: sed quid ille amor, ad eum quo prosequutus est puerum Christum, quem vt ipsum se dilexit, atque in eo ipse sibi complacuit; qui solus dilectione dignus, causa est vt diligantur, quotquot à Deo diliguntur? Porrò Israelis quis potiùs meretur nomen, illéne populus qui iniquis suis operibus exacerbatum Deum, toties vindicem passus est; an puerulus iste, qui Dei aliorum criminibus offensi, iram ipse continuit? Sequitur: *Et ex Aegypto vocaui filium meum.* Quis Dei filius, illéne qui à Deo adoptatus, & præ cæteris orbis terrarum populis tamquam primogenitus filius à Deo honoratus; ingratus, plerumque Deo rebellis extitit (id quod consequenter hîc Propheta conqueritur) an ille potiùs, qui ex Dei substantia ante omnem creaturam natus, nullo vnquam tempore admisit quod Deo displicuit? Sed dicis, nihil accidit peculiare in huius ex Ægypto reuocatione, propter quod à Propheta ea commemorata esse possit: nam ille, brachio extento, & manu forti à Deo eductus est, coruscantibus vndique prodigiis & plagis, aduersarios sternentibus. Atqui, si curæ fuit Deo, populum illum ex Ægypto educere, longè magis fuit filium suum ὁμοούσιον, quem ad procurandam totius humani generis in Iudæa salutem destinarat: quò quæ spectarunt, præ cæteris ei rebus cordi fuerunt, & præ cæteris omnibus rebus per prophetas suos celebrauit. Cæterùm, quod non simili cum strepitu signorum ac prodigiorum eduxerit; eam ipse filio suo statuerat legem, vt absque clamore & tumultu, humiliter latens, ad pristinum statum collapsa inprimis reduceret, suo posteà pro merito celebrandus. Ne verò offendat, quòd in prophetia mox subiungantur Israëlitarum scelera, quibus dilectioni erga se Dei, & beneficiis minimè respondisse monstrentur: non semper iis Scripturæ sacræ locis quibus res plures significantur, vna historico, alia allegorico sensu, vnius rei prosequutionem alterius prosequutio comitatur: sed ita ferè distributa ac mixta sunt verba, vt quædam vni, quædam alteri, alia vtrique, nonnulla vni magis quàm alteri seruiant. Non itaque opus est vt omnia & antecedentia & consequentia Christo conueniant, cùm sit familiare prophetis multa miscere, & nunc typum simul & rem eisdem

verbis

verbis comprehendere, nunc à typo ad rem ac à re ad typum transire. vide suprà 1.v.23. Quinimmò meliori iure ad Christum id quod hîc apud Hoseam præcessit spectare agnoscitur, quòd numquam Dei beneficiis indignus, numquam ingratus extiterit.

τότε ἡρώδης ἰδὼν ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν μάγων, ἐθυμώθη λίαν, καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας, τοὺς ἐν βηθλεὲμ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων.

16 Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem & in omnibus finibus eius, à bimatu, & infra secundùm tempus quod exquisierat à Magis.

TVNC. cùm in Ægyptum Christus subductus esset. Priùs enim Herodes Magos ipsos delusos fuisse credebat, ac proinde erubuisse reuerti, nullum vbi audiret ipse rumorem de inuento recens nato rege Messia. Cùm verò, ex his quæ quadragesimo à natiuitate die Ierosolymis in templo acciderant, nouus nati & in templo exhibiti rumor sparsus esset, audissetque referri quæ illic prophetata erant, videret etiam tempus purificationis consonum tempori exortus stellæ quod à Magis exquisierat, tum demùm sibi à Magis impositum fuisse sensit. Sed priusquam id sentiret, angeli monitu, opportunè in Ægyptum à Iosepho fuga inita est. QVONIAM. Frequenter interpres *quoniam* siue *quia* vertit pro *quod*, ex ὅτι quod vtrumque significat. ILLVSVS ESSET. Reipsa comperiens se delusum esse à Magis, vt qui inuento recèns nato Iudæorum rege, iuxta condictum ad ipsum reuersi non fuerant, nec vllius rei ipsum certiorem fecerant: sed vt ipsum fallerent ac riderent, aut certè celarent ipsum rem quæ tantoperè ipsius intererat, clanculum alia via in patriam reuersi fuerant, siue quòd à parentibus pueri ipsum regno potientem metuentibus ita persuasi essent, siue quòd ipsi minimè fauerent regnanti, vellentque puerum hunc subrogatum. IRATVS EST VALDE. Abiecto eo, quē priùs impiis animi sui conceptibus obduxerat, pietatis fuco, iam impotens iræ, prorupit in manifestam insaniam, nulla pietatis iura prę oculis seruans. *Quemadmodum, si quis igni ardenti oleum addit, magis crescit incendium: ita ardentem in Herode regni zelum, delusionis opprobriū amplius excitauit*, inquit Auctor operis imperfecti. ET MITTENS. ἀποστείλας cùm amandasset, vel cùm misisset dato mandato, id enim est ἀποστέλλειν. Hebraismus vtitur hoc verbo absolutè, intellecta persona patiente. Amandauit summa diligentia satellites & milites cū mandato pueros quàm ocyssimè interimendi: nec enim rem credidit sui illic studiosis ministris, ne intranei parcerent vel suis ipsorum vel familiarium ciuiumque suorum liberis. Misit autem arbitror tot ferè milites quot credi poterant esse pueri interficiendi, qui, seruato mandato, quod habebant, secreto, donec ipsum se proderet, ita se ipsi distribuerent per vrbem finesque Bethlehemiticos, vt eodem tempore simul omnes rem aggrederentur, & vno quasi momento pueros simul omnes auferrent, ne quis neci subtraheretur. OCCIDIT. ἀνεῖλε sustulit. OMNES PVEROS masculos. Metuit ne simulatque à Iudæis cognitus esset Rex ipsis promissus & exspectatus, puerulus licet, mox in regnum ab ipsis eleuaretur, & à conspirantibus propriaque regis præsentia animatis aduersus ipsum propugnaretur Deo prosperante res illius quem pollicitus dederat. Consultum itaque iudicauit Regem illum in ipso suo ortu extinguere, & priusquam agnosceretur è medio auferre, nihil veritus, ipsum sacrosanctæ religionis quam proselythus profitebatur, caput directè oppugnare, & quem omnium ab orbe condito prophetarum vaticiniis promiserat Deus, conari, in ipso natiuitatis exordio, regno simul & vita spoliare, tamquam si definitis Dei consiliis posset ipse resistere. eò prolabi potest cupido regnandi & cæca ambitio. Quare cùm natum regulum nouisse non posset (facilè enim sibi persuadebat, si Magi extranei, quos non opus erat vt huius rei cura tangeret, studiosè celauerant inuentum, multò magis id facturos Iudæos, &, si operam daret inquirendo puero, priùs à parentibus subducendum, quàm posset inueniri) iussit pueros omnes ex improuiso festinanterque interfici, vt quàm certissimè in turba opprimeretur. Credibile est autem, multos parentum, vt suos seruarent liberos, indicasse id quod nosse poterant de Christo nato: sed parum nouerant. Erant enim Christi parentes Bethlehemi ferè ignoti, quippe peregrè habitantes & verisimiliter etiam nati, tametsi potuerint illic consanguineos habuisse. E spelunca stabulari res per pastores nonnihil euulgata, breui perdiderat fidem, cùm propter testium vilitatem, tum propter eam quæ humano iudicio videbatur rei absurditatem, Christum Dominum in stabulo pecorum natum. Magi, absque inquisitione, stellæ indicio, locum didicerant, idque verisimile est, noctu; neque sparserant rumorem negotij, quod videbant Dei decreto occultum esse. Expletis purgationis diebus, profecti sunt parentes, vnà cum puero, Ierosolymam. Ierosolymis, aut non sunt reuersi Bethlehemum, sed ex itinere, Dei monitu, fugam inierunt; aut si reuersi fuerint, mox fugerant, priusquam Herodis adessent ministri. neque verò obseruabant indigenæ obscurorum aduenarum accessum recessumve. Quare certi nihil adferre potuerunt Bethlehemitæ, quo Herodis ministros ab imperata cæde abstraherent. Ita verò, Deo agente, Herodis sæuitia, digna eo quo postea periȷt exitio, declarata est: ita Christi natiuitas celebrior facta est: ita Christi gloria illustrior reddita est, dum non dubitat impius hostis, tot innoxios immani crudelitate trucidare puellos, vt vnum è medio auferat puerum Christum: ita denique monstratum est, quàm nulla nocere possit siue astutia siue sæuitia, ei quem Deus voluerit seruatum. His autem rebus exemplum parabatur, quid essent ab impijs principibus passuri, qui adhæsuri essent Euangelio: quid profecturi, qui fidem Euangelicam crudelitate sua conarentur extinguere. Porrò non fuit iniustus Deus, qui erepto puero Christo, cæteros pueros, quos numero quatuordecim milium Missa Æthiopum definit, tyranni cædi reliquit: potest enim ad gloriam suam, quibuscumque, ita vt voluerit, Deus vti. Magnum verò his puellis beneficium præstitit, quos martyrij gloria insignes, in æternitatis profectum transmisit. IN BETHLEHEM ciuitate, in qua à Magis puerum Chri-

stum

ſtum inuentum iuxta prophetarum oracula credebat, aut prope eam. OMNIBVS circumquaque FINIBVS EIVS ſ. Bethlehem. eſt enim femineum pronomen ἀυτῆς *eius*, ne ad Herodem referas. Dilatauit locum crudelitas, pro abundantia cautionis etiam fines complexa Bethlehemiticos, vt eo certiùs perderet quem volebat. Finium autem determinatio penes carnifices exiſtimo relicta fuit: qui tyranni magis ſui quàm puellorum aut parentum cùm eſſent ſtudioſi, non illos arctè definiuerunt, ne dicam facilè tranſgreſſi ſunt. A BIMATV. à puero duorum annorum. ἀπὸ διετοῦς verti poteſt, vel *à bimatu*, vel *à bimo*. Illud Latinus Interpres ſequutus eſt; hoc Syrus, qui *à filio duorum annorum* dixit: eſt enim gignendi caſus, à nominatiuo, aut ὁ διετὴς *bimus*, aut τὸ διετὲς *bimatus*, quod ſpatium eſt duorum annorum. Dilatauit & tempus crudelitas, ne quà elabi poſſet, quem vnum cupiebat extinctum. Nouerat, iuxta ea quæ ex Magis didicerat, ſtellam à paucis diebus, citra duos menſes, ortam: nec cauſa ſuberat, cur non crederet cum Magis Chriſti natiuitatem cum ortu ſtellę coniunctam fuiſſe: tamen, vt ſuſpicioſa eſt tyrannis, nec quantauis adhibita cautela poteſt eſſe ſecura, iam inde à duobus annis natos puerulos interfici iuſſit, ne fortè, vel ante ſtellæ exortum Chriſtus natus, vel, per miraculum ſtatura maior aut corpore ſolidior quàm pro ætate, manus effugeret.

ET INFRA SECVNDVM TEMPVS (ortus ſtellæ) QVOD EXQVISIERAT (ἠκρίβωσεν exactè perquiſierat) A MAGIS. Sic iungenda ſunt verba iſta: nam oratio *ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis* referenda eſt duntaxat ad vocem *infra*, vti benè docet Euthymius Græcanicus Scholiaſtes. Quòd enim infantes bimos interimi iuſſit, non id fecit ſecundùm illud quod intellexerat tempus ortæ ſtellæ, ſed ſecundùm cupiditatem ſuam, vt quàm ſecuriſſimus euaderet: Bimis autem minores, non omnes vſque ad infantem vnius diei, ſed *ſecundùm illud tempus* occidi mandauit. Bimulos itaque interfici iuſſit omnes; ætate verò inferiores, iuxta tempus ortus ſtellæ quod à Magis accuratè perquiſierat, id eſt, omnes qui ante exortum ſtellæ, & omnes qui non ita diu poſt exortum ſtellæ, nati fuerant. manſit enim eius opinionis cuius fuerant Magi, ſtellam nati Chriſti ſignum fuiſſe, non naſcituri. Tempus autem ortus ſtellæ, tum cùm cædem iſtam decerneret, à ſex hebdomadibus & duobus fortè aut tribus diebus (iuxta probatam nobis hactenus ſententiam) fuerat. Itaque pepercisse potuit infantibus, quos conſtaret à quatuor aut quinque hebdomadibus natos, vt de quibus nulla poſſet eſſe ſuſpicio. Quamquam non eſt veriſimile, anxiè milites habuiſſe temporis illius rationem, vbi feſtinatione opus erat, ne quis ſubtraheretur: magis veriſimile eſt ampliaſſe tempus, & eos etiam neci dediſſe, qui, aut præ teneritudine non niſi duorum annorum ætatis eſſe videbantur, licet amplius haberent, aut ex eupathia quinque ætatis hebdomadas excedere videbantur, licet minus haberent. nulla enim hic aut parua parentibus fides habebatur, ſed pro carnificum magis iudicio tumultuariè fiebat cædes. Porrò cum Bethlehemiticis pueris & alios quoſdam iuſſit crudelis Herodes, ſuſpicione nati Iudæorum regis ſupra modum exagitatus, interfici: Inprimis filium ſuum (teſtatur Macrobius lib. 2. Satur. cap. 4.) ex vxore tribus Iuda ſuſceptum (quod Philo Annij ait) neque enim vel filium ſuum tuliſſet eſſe Chriſtum, regem illum à Iudæis votis omnibus deſideratum, qui ſciret ſe Iudæis contrà modis omnibus eſſe inuiſum; Deinde & Iohannem filium Zachariæ, qui poſtea Baptiſtæ cognomen accepit, cuius in natiuitate intellexerat admiranda contigiſſe, quæ D. Lucas cap. 2. v. 65. narrat per omnia montana Iudæę fuiſſe diuulgata: quamquam iſte cæde ſubſtractus fuerit. qua de re latiùs infrà 23. v. 35. Nihil dicam de viris ab hoc tyranno occiſis, eadem veriſimile eſt occaſione: legat qui volet de his & pueris ipſis C. Baronij Annales Eccleſiaſticos, latiùs hæc tractantis.

Tunc adimpletum eſt quod dictũ eſt per Ieremiã prophetam dicentem: [17]	τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν ὑπὸ ἱερεμίου τοῦ προφήτου λέγοντος·

ADIMPLETVM EST. Prophetia de decem tribubus Iſrael, aut, vt alij volunt, de duabus, in captiuitatem abductis loquitur, quarum calamitatem, Rachel, mater Beniamini & Ioſephi patris Ephraimi, capitis decem tribuum, deploraſſe dicitur: loquitur & de hac infantum ſtrage, tum quòd illa calamitas huius figura fuerit, ſitque hic impletum, quod illic cœptum; tum quòd Rachel iure deplorare dicatur vt filios ſuos, alterius filij ſui Beniamini poſteros, in Bethlehem & finibus eius permixtos poſteris Iudæ. Solent, quod iam diximus non ſemel, ſacri prophetæ eiuſmodi occaſionem auidè arripere, vt, cùm opportunè poſſunt, excurrant in Chriſti, quem ſibi pro ſcopo deſigunt, geſta, res, & tempora. Quidam eo ſolo nomine hic impletam fuiſſe prophetiam intelligunt, quòd, vt in abductione Iſraëlitarum, ita in infantum cæde locum habeãt eadem prophetiæ verba: verùm hic prophetarum oracula laudandi modus, oratorem decere poſſit, hiſtoriographum atque Euangeliſtam minimè.

Ierem. 31. v. 15.

Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. [18]	φωνὴ ἐν ῥαμᾶ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς. ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί.

RAMA. Græcus Euangeliſtæ Interpres, ſequutus hic ferè LXX, ſeruauit hebræam vocem *Rama*, tamquam propriam loci: eſt enim eius nominis ciuitas, in tribu Beniamin, iuxta Gabaa, in confinio Beniamin & Iudæ. Ioſ. 18. v. 25. Iud. 19. v. 13. Quare intelligunt nonnulli, vocem, è Bethlehem, in Rama, duodecimo diſſita milliario, hoc eſt, è tribu Iuda in Beniamin, auditam: quo ſignificetur luctum duabus his tribubus fuiſſe communem. Porrò B. Hieronymus, vt in prophetia tranſtulit tamquam appellatiuum ſit nomen, *excelſo*; ita in Euangelio intelligendum cenſuit, vt ſenſus ſit: *Vox in excelſo audita eſt*, vox alta audita eſt, quæ longè lateque diſperſa ſit ſono. PLORATVS ET VLVLATVS. Additur græcè tertium καὶ ὀδυρμὸς *& fletus*; ex Propheta fortaſſis huc adiectum: nam neque Syrus agnoſcit. MVLTVS. magnus. Apud Prophetam non eſt vox *multus*: quam Euangeliſta dediſſe potuit loco tertij illius καὶ ὀδυρμὸς, ſiue, vt hebraicè eſt,

est, המרורים tamrourim amaritudines. Explicat quæ vox audita sit, vox ploratus & vlulatus (ploratus infantum, vlulatus matrum, eiusque multi, ita vt in excelso cælo audiri potuerit. Quare Hieronymus, & iuxta quosdam codices, LXX, gignendi casus verterunt, Lamentationis, luctus, & fletus. θρήνου, καὶ κλαυθμοῦ, καὶ ὀδυρμοῦ. RACHEL PLORANS. s. audita est. Prosopopœia est plurimùm valens ad mouendos affectus, quod Racheli mortuæ luctus tribuitur. Rachel vxor Israelis, mater Iosephi & Beniamini, sepulta (vti refert liber Geneseos cap. 35. v. 19.) iuxta Bethlehem, sitam in tribu Iudæ, sed ad fines Beniamini (concurrunt enim termini, Aquilonaris Iudæ & Australis Beniamini. Iudæ etiam alioqui permixti, personam exprimit matrum, quarum filij in Bethlehem & Bethlehemiticis finibus. internecioni dati fuerunt. FILIOS SVOS. Licet plures, cùm infantium eorum qui mactabantur tum matrum lugentium, essent ex tribu Iuda quàm ex tribu Beniamin: omnium tamen mater censetur Rachel, tum lege coniugij, tum iure antiquæ cohabitationis, quam vicinum nobileque præstabat sepulchrum. CONSOLARI. passiuè positum est, pro consolationem accipere. Addit Propheta על בניה hal baneha super filiis suis, vt intelligatur calamitatis dolorisque magnitudo. QVIA NON SVNT כי איננו ci enennou, quia non ipse, id est, quia nemo eorum superest, omnibus in captiuitatem abductis aut peremtis. Septuaginta claritatis causa dederunt numerum pluralem, ὅτι οὐκ εἰσὶ quia non sunt. Est autem hebraismus, quo significatur eos qui antè fuerant, penitus ac subitò aut mortuos esse aut disparuisse, quasi euanuisse derepentè videantur (Gen. 5. v. 24. Psal. 36. v. 36. & 38. v. 14.) & hoc quidem loco, Israelitas in captiuitatem, Infantes in sinum Abrahæ, translatos esse.

τελευτήσαντος δὲ τοῦ ἡρώδου, ἰδοὺ [19] ἄγγελος κυρίου κατ᾽ ὄναρ φαίνεται τῷ ἰωσὴφ ἐν αἰγύπτῳ,	Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto,

DEFVNCTO AVTEM HERODE. rege addidit Syrus. Mortem obijt sceleribus suis dignam. febri, tussi, spirandi difficultate, podagra, scabie, dysenteria, verendorum putredine, generatione vermium, tremore & contractione membrorum, denique fœtore corporis execrando vexatus, malam soluit animam: quam etiam sibi ipse eripere, ob doloris vehementiam, conatus fuerat. cuius & numerosa progenies, tota breui consumta est. Testatur historiographus Iosephus, libri 17. Antiq. cap. 8, & primi de bello cap. 21. APPARVIT. φαίνεται apparet; Non statim defuncto Herode, sed aliquot mensibus pòst, vbi quieuissent tumultus in Iudæa orti post mortem Herodis, antequam Augustus Cæsar de rebus constituisset (legatur Iosephus libro 17. Antiq. cap. 11. & 12.) Herodes enim mortuus est prope tempus Paschale, Ioseph autem cum puero Iesu redijt in terram Israël regnante Archelao (infrà v. 22.) ac proinde Roma reuerso, quò post patris mortem profectus fuerat; & quidem redijt Ioseph septimo Idus Ianuarij, quod vetera omnia Martyrologia testantur. Nam iussus à somno surgere, & assumtis puero ac matre redire in terram Israel (infrà v. 20.) non est putandus traxisse moras, sed statim à somno excitatus obtemperasse, cuius rei etiam testis est versus 21. proximus. Octo igitur plus minus mensibus à morte Herodis, potuit Angelus Iosepho reditum ex Ægypto in terram Israël præcepisse: nec enim longum est iter. IN ÆGYPTO. in qua profugus agebat cum puero Iesu & matre eius, tantisper dum Angeli monitu in Iudæam iuberetur reuerti. Nusquam suos Deus deserit, vbi, vbi sint, in locis licet maximè impiis. Reliqua ad versiculi huius explicationem quære suprà 1. v. 20.

λέγων· ἐγερθεὶς παράλαβε τὸ παι- [20] δίον καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ πορεύου εἰς γῆν ἰσραήλ. τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου.	dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

SVRGE ET ACCIPE PVERVM ET MATREM EIVS. Vide suprà v. 13. Cæterùm hîc, nil cogit, vt intelligamus, Iosepho præceptum fuisse, noctu iter arripere. VADE. Non dicit fuge, sed vade: timor enim iam nullus erat. IN TERRAM ISRAEL. Non exprimit in quam ciuitatem aut regionem, vt cùm postea oborta dubitatione ad Deum recurrerit, ex frequenti cum Deo colloquio solamen capiat, & res quas obit Deo certè curæ esse intelligat. DEFVNCTI SVNT. Enallage numeri (mox enim solum Herodem Euangelista defunctum dixerat) qua innuitur, Herodi dum viueret, multos fuisse adsentatores, qui hoc idem moliebantur. Simile Exodi 4. v. 19. QVI QVÆREBANT ANIMAM PVERI vt auferrent eam qui quærebant vitam puerulo auferre, qui insidiabantur vitæ puelli. anima enim pro vita, Hebræorum idiotismo, qualis Iob 2. v. 6.

ὁ δὲ ἐγερθεὶς παρέλαβε τὸ παιδίον [21] καὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, καὶ ἦλθεν εἰς γῆν ἰσραήλ.	Qui consurgens accepit puerum & matrem eius, & vênit in terram Israel.

QVI CONSVRGENS. ὁ δὲ ἐγερθεὶς ille autem cùm surrexisset. Mox obediuit præcipienti Deo. vide suprà v. 14. IN TERRAM ISRAEL. in fines terræ Israel, in sortem tribus Dan aut Simeonis prope terram Philisthiim. Oportebat Christum puerum adhuc, in regionem Israeliticam reuehi, ne alibi educatus, vt alienigenus respueretur, non Christus agnosceretur. Reductus est autem in terram Israël anno ætatis decimo ineunte: natus est enim anno regni Herodis vicesimo nono inchoato, VIII Kal. Ianuarij, quod suprà v. 1. diximus: quadragesimo secundo plus minus à natiuitate die in Ægyptum fugit (suprà v. 13.) Herodes

anno 37. regni sui inchoato moritur prope Pascha (Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 10.) die septima mensis Ianuarij consequentis redit Iesus (suprà v. 19.) Mansit igitur in Ægypto ferè nouennio, reditque in terram Israël natus annos nouem & dies quatuordecim: quamquam alij qui anno regni Herodis 32. natum Christum autumant, annis dumtaxat quinque aut sex censeant in Ægypto commoratum. Opportunè autem reuersus est Herode defuncto, vt patrius Iudæorum Rex, extincto alienigena tyranno. Quare diuina prouidentia agente factũ est, vt post Herodem nullus à Romanis, Iudæorũ designatus sit Rex. vide versu proximo.

Audiens autem quòd Archelaus [22] regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ:

ἀκούσας δὲ ὅτι ἀρχέλαος βασιλεύει ἐπὶ τῆς ἰουδαίας ἀντὶ ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἐφοβήθη ἐκεῖ ἀπελθεῖν· χρηματισθεὶς δὲ κατ' ὄναρ, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς γαλιλαίας·

AVDIENS. ἀκούσας quum audisset f. vbi venerat in fines Israël. ARCHELAVS. principem populi sonat. Natus fuit matre Samaritide. Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 1. REGNARET. id est, præesset, dignitate proxima regiæ, quam ipsam & exspectabat, & post patris mortem, iuxta vltimam patris voluntatem, ei populus detulerat. Pater testamento reliquerat Archelao regnum, sub Cæsaris beneplacito: Archelaum post patris mortem ad Augustum Cæsarem profectum vt testamenti confirmationem obtineret, Cæsar, dimidia parte ditionis quæ patris fuerat ei concessa, ethnarcham constituit, id est, gentis principem, regnum quoque pollicitus, quamprimùm ille se tali honore dignum redderet. Legatur Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 10. 11. 13 Hinc intelligitur, non statim ab Herodis morte, sed pluribus mensibus pòst (quod suprà v. 19. diximus) Iosephum cum puero Iesu venisse in terram Israël: eò quòd venerit Archelao regnante, quod contigit, eodem quidem anno quo Herodes fuerat mortuus, non tamen nisi Archelao Roma reuerso, quò post patris mortem profectus fuerat. IN IVDÆA. Iudæa hîc manifestè, non pro vniuersa duodecim Israëliticarum tribuum terra, sed pro tribuum Iudæ & Beniamini sorte accipitur, distinguiturque à terra Israël, cuius mentio est versibus superioribus, vt pars à toto, necnon à Galilæa, cuius mentio hîc subsequitur, vt pars à parte. Hæc, Herodis testamento, Archelao filio relicta fuerat: eique præfuit Cæsaris concessione Archelaus, regia quidem potestate, sed non regio nomine, quod diximus. PATRE SVO. id addidit, quia erat Archelao germanus frater, Herodes nomine, iuxta testamentum Herodis patris, tetrarcha Galilææ & Perææ. TIMVIT ILLÒ IRE. ἀπελθεῖν abire. Existimauerat in Iudæa, in qua puer natus & regni sedes templumque Domini erat, commorandum sibi esse: sed Archelaum timuit ad Regis nomen adspirantem, ne fortè, vel reuersus in Bethlehem (siue ex pueri ætate, siue ex ea quam ipse reliquisse poterat sui memoria, siue ex vtroque) cognosceretur puericidium fugisse, vel vbicumque fixis in Iudæa sedibus, puero à piis vti nuper agnito, ad tyrannum crudelitate nobilem (propter hanc enim principatu breui pòst deiectus fuit, narrante Iosepho lib. 17. Antiq. cap. 15.) rumor deferretur. ET ADMONITVS. χρηματισθεὶς δὲ sed admonitus diuinitus. id suprà v. 12. verterat Interpres *responso accepto*. Hærenti Iosepho & consilium quærenti, diuinum oraculum, vnde iam totus pendebat, præsto fuit. SECESSIT. clanculum, fugæ reditúsve sui causa nemini indicata. GALILÆÆ. ex qua Christus minimè exspectabatur, verùm ex Iudæa ipsísque Ierosolymis regiis. *Scrutare* (aiebant Nicodemo Ioh. 7. v. 52.) *& vide quia à Galilæa propheta non surrexit*. Galilæa regio erat populosa, fertilis, & diues, cui præerat, quod diximus, Herodes Antipas, frater Archelai, tetrarchæ nomine, iuxta testamentum patris & Cæsaris assensum. Hebraicè vocatur גליל *galil*. Syriacè ܓܠܝܠܐ *galilo*, à גלל *galal* voluere, quod maris littori adiaceat, propter sinuosos videlicet littorũ recessus, vel quia fluctus illic ventis aut æstu reciprocantur volutatimque ludunt, vel denique propter congestos illic arenarum tumulos. Est autem duplex Galilæa, superior & inferior: superior in septentrionem recedit, Cæsaream Philippi & Libanum montem versus, à meridie habens inferiorem, ab ortu Iordanem, ab occasu maritimas vrbes, Sidonem, Tyrum, & Ptolemaida: inferior à septentrione habet superiorem, à meridie Samariam, ab ortu mare Tiberiadis, ab occasu mare magnum. Lege Iosephum libro 3. de bello cap. 2. In partes Galilææ inferioris secessit Iosephus cum puero & matre: illius enim ciuitas est Nazareth.

& veniens habitauit in ciuitate [23] quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur.

καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην ναζαρὲτ, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι ναζωραῖος κληθήσεται.

ET VENIENS. καὶ ἐλθὼν & cùm venisset, vel in Galilæam, vel in Nazareth: vtroque enim modo intelligi potest. Est autem huiusmodi loquendi genus sumtum ab Hebræis, quibus sunt isti pleonasmi frequentes; veluti quum dicunt, *Et surgens abijt*, *Et respondit dicens*, & similia multa quæ infinitis locis occurrunt.
NAZARETH. Profectus, iuxta quod diuinum monuerat oraculum, in Galilæam, Nazareth delegit habitationi suæ: ea enim ipsius & coniugis Mariæ ciuitas erat, à qua tot iam annis, à tempore descriptæ Cæsaris iussu Iudææ, peregrinati fuerant. Ciuitas erat Galilææ inferioris, quod diximus, in tribu Zabulon sita, distans à monte Thabor circiter duarum horarum itinere, occidentem versus, ædificata in monte (Lu. 4. v. 29.) quem coronæ instar ambit; Oppidulum humile & obscurum, sed hoc magis opportuna puero Iesu latebra: interim nos re ipsa docente Deo, quàm nihili ea faciat, quæ mundus inprimis præclara ducit.
VT ADIMPLERETVR. Hunc Dei instinctu Iosephus elegit habitandi locum (quamquam alioqui & patriæ charitas

charitas inuitaret) vt dum Christus celebris factus, ab eo educationis suæ loco nomen traheret, adimpleretur &c. Vel vt euentus significetur: Ita vt adimpleretur. ita factum est vt adimpleretur. Calumniantur Iudæi quòd Nazarenus sit Dominus noster, quasi ob id Christus esse non possit: id verò quàm maximè consonum esse prophetarum dictis Euangelista docet. Dum enim Nazarenus vocatus est, monstratum est, ea prophetarum complura oracula in ipsum verè competere (hoc illud est *vt adimpleretur*) quæ Christum iis appellant nominibus, quæ Nazareni nomine comprehenduntur & significantur. PER PROPHETAS. *Si fixum de scripturis posuisset exemplum* (doctè Hieronymus, & imperfecti in Matthæum operis Auctor annotarunt) *numquam diceret quod dictum est per prophetas; sed simpliciter* (vt aliàs) *quod dictum est per prophetam. Nunc autem pluraliter prophetas citans, ostendit se, non verba vnius scripturæ, sed multarum sensum dedisse.*

QVONIAM. Latinè quòd, quanquam omitti possit τὸ quòd siue *quoniam*. NAZARÆVS VOCABITVR. id est vocandus esset. Nazaræus, siue (quod Latinis vsitatum est) Nazarenus, Græcè non scribitur ναζαραῖος aut ναζιραῖος, vt eorum nomen, qui, iuxta veteris legis præscriptum, ex voto, diuino erant cultui dicati; sed ναζωραῖος, tum hic tum alibi, vocali secundæ syllabæ multùm diuersa. Aliàs, ita vt Latinè, ναζαρηνὲ scribitur, Marci 1. v. 24. Lucæ 4. v. 34. Hebraicè quoque discrepantia est inter vtrumque nomen: illud enim littera ז *zain* נזיר *nazir*, hoc littera צ *sade* scribitur. illud separatum ac sanctum est, si interpreteris; hoc, flos, germen, surculus, planta tenera. Ciuitatis enim Nazareth atque eius deriuati nomen, littera צ *sade* scribendum esse (hoc est, *Nasareth*, potiùs quàm vt vulgò ex græco scribitur *Nazareth*) Pagninus, ex titulo Dominicæ crucis Romæ asseruato, & veterum Hebræorum commentariis, probat; nos ex Syrico ostendimus Testamento, quod vbique ܢܨܪܬ *Noserat* pro ciuitate; ܢܨܪܝܐ *Noseraio* pro deriuato Nazarenus, scribit. nam in scripturis hebraicis non exstat istud oppidi istius nomen. Cæterùm nusquam hoc apud prophetas totidem verbis legitur, Christum, Nazarenum vocandum: sed ea quæ Nazareni nomine comprehenduntur & significantur, flos, germen, oriens, & his similia, sæpiùs Christo leguntur attributa; quòd in mundum sine corruptione proditurus eique exoriturus esset, vt prodit atque exoritur flos aut germen è terra, omni virtutum laude virens ac florens, & sui odoris fragrantiam longè latéque spargens. Quare cùm vocatus est Dominus noster Nazarenus (quomodo, præter ipsum, ea nominis celebritate, nemo) eo ipso illa ei conuenire, ac de eo dicta esse, monstratum est: & quasi Nazarenum prophetæ Christum prædixerant nuncupandum, qui ea ipsi nomina tribuerunt, quæ id quod Nazareni nomen significant. Isaias quarti capitis secundo versu: *In die illa erit* (צמח *semah*) *germen Domini in magnificentia & gloria.* Ieremias capitis 23. v. 5. *Et suscitabo Dauid* (*semah*) *germen iustum.* & 33. v. 15. (*Asmiah*) *Germinare faciam Dauid* (*semah*) *germen iustitiæ.* Zacharias cap. 3. v. 8: *Ecce enim ego adducam seruum meum* (צמח *semah*) *orientem.* id quod alij vertunt, ita vt superioribus locis vetus Interpres, *germen.* Rursus Zacharias cap. 6. v. 12. *Ecce vir* (*semah*) *oriens* (*siue germen*) *nomen eius.* quo loco & germinis ei nomen imponitur. Verùm ne dicas, nihil voce commune esse nomini *Semah*, quod his locis Christo tribuitur, cum nomine Nazareni: Isaias germen appellat Christum, eo nomine à quo Nasareth & Nasarenus nomina deriuantur, nimirum *Neser*; capitis 11. versu primo: *Et egredietur virga de radice Iesse, &* (נצר *Neser*) *flos* (siue *germen*) iuxta Aquilam, Symmachum, & Theodotionem; quo modo & Hieronymus ipse eā vocem transtulit capitis 60. v. 21. atque alibi) *de radice eius ascendet.* Ad quem locum præcipuè respexit Euangelista, quem proinde huc adfert B. Hieronymus in commentariis in Matthæum: & in Isaiæ commentariis hunc ipsum enarrans locum: *Illud*, ait, *quod in euangelio Matthæi omnes quærunt ecclesiastici, & non inueniunt vbi scriptum sit: Quoniam Nazaræus vocabitur; eruditi Hebræorum de hoc loco assumptum putant.* Ac certè cùm educationis, tum natiuitatis Christi locus, non obscurè hîc intelligendus datur; ille, cùm dicitur *Neser*; hic, cùm *de radice Iesse* seu Isaï *Bethlehemitæ.* His adde, quòd Nasarenum seu Nasaræum non absonè interpreteris custodem, præseruatorem, quum נצר *nasar* verbum, custodire, præseruare significet: hinc enim נצר *neser* germen, quòd magna cura præseruetur ac foueatur ne pereat. Quàm frequenter autem Christo propheticis in libris tribuatur custodis præseruatorisque laus, nimirum vt præcipuis ex Saluatoris officiis vnum, clarum est. Odium itaque huius nominis in honorem conuertit Euangelista; ex nomine Nazaræi, propter quod contemnebatur à multis, probans Iesum verè esse Messiam, cui cæteri quidem prophetæ rem significatam, Isaias autem etiam nomen Nazaræi, dederint; interim, non à natiuitatis, sed ab habitationis loco, Iesum dictum esse Nazaræum.

CAPVT TERTIVM.

Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις παραγίνεται [1] Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς κηρύσσων ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας,

In diebus autem illis venit Iohannes Baptista prędicans in deserto Iudææ,

DIEBVS. Dierum appellatione Hebræis tempus significari, notum est: itaque idem vnum est *in diebus illis*, quod in illo tempore: quo non semper significatur tempus proximum illi cuius mox præcessit mentio, sed indefinitè tempus quoddam, non æquo longiùs aut præcedens aut subsequens. ILLIS quibus Iesus Nazarethi habitabat continuè ad virilem vsque ætatem; annis circiter vno & viginti, postquam Iosephus puerum eò ex Ægypto adduxerat. VENIT. παραγίνεται adest, qui hactenus latuerat; præter omnium exspectationem, sed diuinitùs missus; Christi præambulo, vt Solis aurora. Voluit Deus Christo præcursorem & prænuncium dare, ne, incognitus & insperatus populo imparato se obiiciens, facilè repudiaretur. IOHANNES. filius Zachariæ, de cuius natiuitate & impositi nominis ratione Luc. 1. v. 13. BAPTISTA. ὁ βαπτιστὴς ille Baptista, ille cui cognomen Baptistæ est datum, ab eo quod præstabat officio diuinitus delegato, baptizandi siue tingendi aquis pœnitentes & præparandi ad Christum. PRÆDI-

CANS. κηρύσσειν prædicare, est rem celebrare, multisque & palàm apud omnes commendare: proprium est præconum, & publicitus apud populum sua voce promulgantium aliquid. IN DESERTO IVDÆÆ. in vasta paucisque habitata colonis, apud Iordanem, haud procul à Iericho, regione (quæ *campestria deserti* vocantur 2.Reg.17.v.16.22.) ad quam è penitiori deserto vicino, è siluestribus montosisque deserti, vbi à puero vitam egerat (Luc.1.v.80.) diuinum iussi explendi gratia accesserat. Desertum Iudææ vocatur, quòd eo nullum aliud in Iudęa vastius maiusque esset (in Iudæa inquam strictè accepta, vt suprà 2.v.1.22.) quod à vico Anatoth patria Ieremiæ prophetæ, sito media via inter Ierosolyma & Ierichuntem, extensum supra Galgala, flectitur vsque ad desertum Thecuæ & Engaddi, iuxta mare mortuum (vide infrà 4.v.1.) cuius campestria, ampla illa ac vasta, obiens, prædicauit Iohannes, paucis primùm quos illic fortè inuenit hominibus; omnibus deinde, fama à paucis illis profecta excitatis, magno numero confluentibus. Vnde Saluator infrà 11.v.7.8.9: *Quid*, ait, *existis in desertum videre?* Fuit autem desertum, locus, pœnitentiæ, quam ipse prædicabat, accommodus.

& dicẽs: Pœnitentiam agite: ap-[2] propinquauit enim regnũ cęlorum. καὶ λέγων· μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

ET DICENS. id est, in hæc verba. Hæc enim erat prædicatio ipsius, hæc summa negotij quod omnibus commendabat; summa inquam Euangelij, pleniùs mox tradendi, quod prænunciabat. POENITENTIAM AGITE. μετανοεῖτε pœnitete, pœniteat vos malè anteactæ vitæ, eamque in melius emendare. hæc est enim pœnitentia quam Deus præcipit. Vox græca dicta est à pòst considerando siue sapiendo (μετὰ post; νοεῖν considerare, sapere est, vbi quis lapsus, re peracta, tum denique animaduertit doletque erratum suum, & sapere incipiens se corrigit: id quod latinè dicas resipiscere, quasi post factum sapere, tandem mutata sententia ad mentem redire. Quare Tertullianus libri 2.aduersus Marcionem cap.24: *In græco*, inquit, *sono, pœnitentiæ nomen, ex animi demutatione compositum est.* Cæterùm, vt pœnitentiæ nomen latinè, ex ecclesiasticorum Scriptorum vsu, complectitur animi demutationem in melius, vbi propriè significat, post rem aliquam factam, siue bona illa siue mala sit, velle infectam esse, eoque solicitum atque anxium esse: ita vox μετανοίας græcè, etiam ex Auctorum sacræ scripturæ vsu, plus aliquid signat, quàm animi in melius mutationem, quàm agnoscere & dolere admissa peccata, atque eo esse animo vt vitare velis; nimirum etiam, id quod comitari solet, certumque esse resipiscentiæ ac melioris mentis indicium, solicitum esse, quî piis officiis deleas, & quodammodo penses, atque in te ipso vlciscaris delicta. Hoc abundè docere D. Paulus potest septimo capite posterioris epistolæ ad Corinthios, versibus 9.10.& 11.; necnon infrà 11.v.21. ipse Christus. Quare qui Iohannis parebant monitis, non solo animo detestabantur anteactam vitam & in melius conuertere statuebant, sed & agnoscebant publicè damnabantque commissa (infrà v.6.) atque in detestationem, ac nouæ vitæ professionem, baptizari se, & doceri à quo peccatorum exspectanda remissio, sinebant. Syrus habet ܬܘܒܘ toubou, id quod idem est quod Hebræum שובו soubou conuertimini: quo modo & Apostolus Petrus explicat τὸ μετανοεῖν Actorum 3.v.19. μετανοήσατε καὶ ἐπιστρέψατε *Pœnitemini & conuertimini.* (posterius enim prioris est explicatio) & Saluator ipse Luc.17.v.4. Conuerti autem quid secum adferat, docet propheta Ioel cap.2.v.12: *Nunc ergo, dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde vestro.* & quî id fiat declarans addit, *in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Tria enim desiderat vera siue μετάνοια siue pœnitentia (id quod sacris ex litteris clarissimè constat) dolorem, nouam vitam, & curam siue studium vlciscendi in seipso delicta, itaque placandi iratum Deum. Iam à pœnitentia & conuersione cœpit Euangelica prædicatio, tam Christo (infrà 4.v.17.) quàm Iohanne prædicante, quia, quod Apostolus ait Rom.3.v.23., *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* APPROPINQVAVIT ENIM. ἤγγικε γὰρ factum est enim propinquum. præteritum pro præsenti, instat, propinquum est. Causam reddit ob quam agenda prioris vitæ pœnitentia, quia iam propinquum est, iam in proximo est. REGNVM CÆLORVM siue cæli (nam quòd *cælorum* potiùs dicatur quàm cæli, fit quòd cælum Hebræis careat numero singulari) id est, regnum cæleste, quod omnibus retro seculis prophetæ aliquando futurum cecinere, felicissimum illud & votis omnibus exoptandum, sed quo dignus sit nemo, cuius nemo possit esse particeps, nisi pœnitentiæ det operam. Alludit ad figuram antiquam, qua libertas per Mosen & Aaron annunciata fuit iis qui seruitutem in Ægypto seruiebant. Exo.4.v.30. Respicit autem ad prædictiones de Messia & ipsius regno: regnum enim cælorum intelligit regnum Christi. Hactenus seruitus, inquit, nunc instat regnum, nec terrenum regnum, sed cæleste & æternum. Vt hoc illustri proœmio mox venturi Christi amplitudo commendaretur, præcursor Christi hoc priuilegio honoratus est, vt ea quæ Iudæi nusquam vel à prophetis vel à quibuscumque aliis audierant, terrenis hactenus spebus adducti, primus ipse voce clarissima prædicaret, cælos & cælorum regnum. Quare B.Hieronymus in hunc locum: *Primus*, ait, *Baptista Iohannes regnum cælorum prædicat, vt præcursor Domini hoc priuilegio honoretur.* Rursus epistola 129.ad Dardanum: *Et mihi*, inquit, *in Euangelio promittuntur regna cælorum, quæ instrumentum vetus omnino non nominat: sed si non fecero &c.* Et D.Chrysostomus: *Tunc primum incepit beatus Iohannes ea quæ Iudæi nusquam vel à prophetis vel à quibuscumque aliis audierant, voce clarissima prædicare.* Hoc igitur initium fuit Euangelicæ prædicationis, rei optatissimę promissione, ad pœnitentiam vitæque sinceritatem allicientis, longè diuersum à veteris legis exordio, quę nil nisi minas cùm daretur terroresque edebat. Exod.19. Porrò regnum propriè dicitur Dominatus Regis in populum subiectum: non enim est regnum in populum rebellantem; immo verò quo obedientior & Regis amantior populus, eo regnum perfectius. Regnum autem cælorum dicitur, pro eo quod est regnum cæleste, quòd cælesti in terris ratione incæptur, in cælis autem omni ex parte perficiatur: *Itaque regnum cælorum hic vocatur, Dominatus Christi, vt in angelos sanctos, ita & in societatem hominum eorum, quorum rectè composita vita, in terris regentem e cælis Deum sequitur, in cælis totam ipsam possidente Deo æternum fruitur.* Hoc regnum cæleste dicitur, quò distinguatur à terreno & corporeo, quod catenus viguerat. Aliàs regnum Dei & regnum Christi vocatur, quòd eo in nobis propriè Deus & Christus regnent. Sæpè regnum absolutè dicitur, quòd solum verè sit regnum: reliqua sint potiùs inanes species, infirmæ & caducæ. Hoc appropinquauerat prædicante Iohanne, quia iamiam aderat Christus, qui,

qui, fracta diaboli potestate, collecturus erat ex hominibus populum, eumque è seruitute peccati assertutus in libertatem spectatæ virtutibus vitę, & perpetuam mox à morte cælestis glorię felicitatem: eaque ratione, in illo, cælesti modo regnaturus, quo modo in Apostolo Paulo de se dicente: *Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus.* Gal. 2 v. 20. Hoc regnum, à Christo, hominum operante salutem, cœpit: nam ante Christum, tametsi erant in quibus liberali animo præditis Deus excellenter regnaret, quosque inter primos cælestis beatitudo maneret; inter alios, Abraham, Isaac, & Iacob (infrà 8. v. 11.) tamen quia pauci & rari erant, nec perinde manifesti, institutumque eius regni sub quo degebant, terrenum, corporeum, & seruile erat, nec patebat à morte cælestis beatitudo, ideo non ante Christum regnum cælorum cœpit. Nam à Christo cœpit populus immensus, Ecclesia inquam Catholica, amore ac liberali animo ductus, Deo seruire in spiritu & veritate, sincero omnibusque conspicuo virtutum studio, humilitatis, castitatis, fortitudinis, & cęterarum, erectus spe præmiorum cælestium, quibus & à morte mox donatur. Hoc regnum cælorum est, quod perfectum demum à nouissimo iudicij die erit: quando collectis omnibus electis Dei, funditusque peccato ac morte deletis, *erit*, quod Apostolus ait 1. Cor. 15. v. 28., *Deus omnia in omnibus.* id quod latius explicabimus infrà 6. v. 10. Iohannes itaque prædicans propinquum esse regnum cæleste; prędicat & propinquum esse Christum regem cælestem; nec enim adesse aut cuiquam contingere potest regnum cæleste, absque rege cælesti. Quocirca prædicatio ipsius similitudinem habebat vocis præconis, annunciantis aduentum Regis: vt ad excipiendum cum gaudio ac fructu Christum regem eiusque in ipsos dominatum, id est, regnum, animi populorum excitarentur & prępararentur (sic enim regibus præmitti solent pręcones & nunc:) Præparandos autem animos monet pœnitentia: non enim tam corpore quàm animo rex ille ipsiusque regnum excipitur. Veterem legem accepturi iubebantur vestimenta lauare, & corpore esse mundi (Exod. 19. v. 10.) nouam accepturi, iubentur animos pœnitentia purgare. Obserua igitur quàm mox à principio Euangelicæ prædicationis conuulsa sit Iudæorum opinio, terrenum à Christo regnum exspectantium. Porrò, cùm frequens in sacris noui Testamenti libris, regni cælorum mentio fiat, obseruandum, regni cælorum illam plenam esse descriptionem, quam modo diximus huic loco conuenire (*Dominatus Christi, vt in angelos sanctos, ita & in societatem hominum eorum* &c.) cæterùm frequenter accipi pro sola aliqua parte eius descriptionis. Sæpe pro dominatu Dei in solos angelos & homines cælo donatos accipitur, vt infrà 6. v. 10. Quandoque pro dominatu in solos homines agentes in terra. Aliàs pro ipsis angelis & hominibus quibus Deus dominatur, quæ est Ecclesia; quod quidem subdiuiditur, ita vt aliquando pro hominibus adhuc in terra agentibus, id est, Ecclesia militante accipiatur, vt infrà 13. pluribus locis, aliquando pro angelis & hominibus cœlo donatis, hoc est, pro Ecclesia triumphante, vt infrà 5. v. 20. 21. aliquando Ecclesiam vtramque complectatur. Accipitur adhæc pro bonis illis, ratione quorum fit vt Deus dominetur aliquibus, siue in terra, siue in cælo, vt Rom. 14 v. 17. Non rarò pro iis bonis sumitur, quæ ex illis proximis bonis, & ipso Dei dominatu seu regno consequuntur in eos quibus Deus regnat (quæ quidem ferè latent in cælis) pro vita, gloria æterna, vt infrà 5 v. 3. 10. Postremò accipitur & pro loco eo in quo regnum suum Deus maximè manifestat, id est, cælis ipsis. Adde frequenter accipi posse indifferenter, siue pro cælis ipsis, siue pro bonis illis cælestibus & æternis, siue pro Ecclesia triumphante, aut etiam pro his simul tribus. Porrò singula eorum quæ iam recensuimus, aliquid sunt superioris descriptionis quæ est huius loci, & vocantur singula regni nomine etiam in vulgari sermone: nam & ipse populus dicitur regnum, & ipsa regni felicitas sic vocatur, denique & regio ipsa quæ à populo regnato incolitur. Hæc igitur ob oculos habenda erunt, quoties deinde regni cælorum occurret mentio, vt dispiciatur quomodo accipi & intelligi locis singulis debeat.

Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ ῥηθεὶς ὑπὸ ἠσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος· φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.	Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

Isa. 40. v. Mar. 1. v. 3. Lu. 3. v. 4 Ioh. 1. v. 23.

HIC EST ENIM. Ne putaretur humana delegatione aut suopte impetu ad prędicandi munus prodiisse Iohannes, adfert Euangelista Isaiæ de eo vaticinium. DICTVS. prædictus. VOX CLAMANTIS. s. erit vel audietur. Propheta docet, vnde sciat, Deo esse satisfactum, iram eius mitigatam, aliaque quæ apud eum præcedunt. Quia, inquit, audio è deserto vocem viri clamantis instare aduentum Emmanuelis &c. Hebraicum קול קורא *kol kore* verti potest, & *Vox clamans*, & *Vox clamantis.* illud alij quidam; hoc lxx atque Euangelistæ sequuti sunt: quamquam parua diuersitas sit inter vtrumque. *Vox clamantis* autem, subaudi, vel Dei, vel viri siue præconis. Iuxta priorem sensum, Iohannes vox Dei vocatur, vt Christus verbum Dei. *Bene*, inquit Ambrosius in Lucam, *vox dicitur Iohannes, verbi prænuncius.* Nam, quod Epiphanius hæresi 69. ait, *vox est præparatiua auditus hominum: primùm enim inarticulatam vocem sonantem reddere solent clamantes, e longinquo vocantes eos qui ab ipsis aliquid audire debent: & vbi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum conuerterint, aureisq; præparauerint, tunc is qui sonantem vocem emisit, de cætero distinguit sermonem quem dicere voluit. Sic etiam Iohannes vox fuit, aures hominum præparans: non enim erat ipse verbum, sed post ipsum venit verbum, propter quod præparatiua vox fuit.* hæc Epiphanius. Iuxta posteriorem sensum, quem disertè sequitur Euthymius, Iohannes ipse clamare dicitur, quo modo de illo loquitur Iohannes Euangelista, quum testimonia quædam ipsius de Christo adducturus esset cap. 1. v. 15. *Iohannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi* &c. alludens, quod videtur, ad prophetiam. Porrò quod clamare dicitur siue Iohannes, siue per Iohannem Deus, significatur, Iohannem, ea quę à Deo iussus erat, omnia, publica, clara, libera, sedula feruidaque vociferatione quibusvis inculcasse; minimè obscuram fuisse doctrinam eius vel ambagibus implicitam; nec susurratam inter paucos homines. Hic enim spiritu & virtute Eliæ præditus, fortissimè impietatem insectatus est, & liberrimè constantissimeque Christi præconem egit, cuius certè intererat, non occultè, non remissè, aut dubitanter, sed palàm, disertè, & adseueranter, de Christo

ita

ita teſtari, vt nemo eſſet qui ſe excuſare poſſet quòd clamantem non audiſſet. IN DESERTO. id & præcedentibus coniungi & ſequentibus poſſit. Præcedentibus plerique omnes iungunt, ita vt ſignificetur Iohannis in deſerto prædicatio, ſiue in deſerto Iudææ, ſiue in Iudæa deſerta, inculta, aſpera, & timoris Dei experte, quod per Iudææ deſertum figurabatur. Sequentibus iungunt Hebræi: *In deſerto parate viam Domini*; ita vt vox moneat, in inuio deſerto parare viam: ſicque reſpondet iſtud ei quod ſubſequitur *Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri*: niſi cum quibuſdam intelligas ſenſum eſſe, quibuſdam ex antecedentibus repetitis: Vox clamantis *in ſolitudine: Rectas facite* &c. Prętermiſerunt, poſt Septuagintaduos, Euangeliſtæ, *τὸ in ſolitudine*; non prætermiſſuri fortaſſis, niſi eundem in ſenſum præceſſiſſet, atque ex præcedentibus intelligendum relinqui potuiſſet. PARATE VIAM DOMINI. Hoc eſt illud quod clamatur. *Parate ἑτοιμάσατε*. promtam, paratam, atque expeditam reddite. Alij vertunt *Repurgate*; alij *Complanate*, ex Hebræo פנו *pannou*; omnia in eundem ſenſum. VIAM DOMINI qua ad vos venturus eſt Dominus; ſiue in eundem ſenſum, *Domino* (vtrumque enim transferre ex Hebræo licet) olim exſpectato, iam aduenienti Chriſto Domino ac Deo veſtro eſt enim hebraicè nomen *τετραγράμματον*. Metaphorica loquutio eſt ſumta à ſimilitudine ciuium, qui ſi regem quem exſpectant ſuum, honorificè excipere, & teſtari gratum eſſe ipſius aduentum volunt, viam qua venturus eſt, à ſordibus, incommodis, atque impedimentis omnibus liberam reddunt, & pulchram ac amœnam conſtituunt. Hoc itaque ſibi vult clamor iſte, in via eſſe Chriſtum Dominum. curandum vnicuique vt ita ſe paret, vt honeſtè ipſum excipiat, quomodo illo dignum & ſibi vtile eſt, animo ſcilicet peccata eiiciat quemadmodum ſolent è via ſordes, nouæ vitæ ſtudeat, qua non ſecus ornetur ac via aulæis aut ramorum viriditate: ſic enim iſtud Iohannes explicuit dicens, *Pœnitentiam agite*: nam conſtat pœnitentia, malorum operum deteſtatione ac fuga, & bonorum exercitatione ac ſtudio. Ceteroqui, via hominis in ſacris litteris, mores ipſius ſunt & inſtitutum viuendi: hanc ſi velit Domino eſſe gratam atque amœnam, à vitiis expurget oportet & virtutibus ornet. Tametſi enim inſtaret corporalis Chriſti aduentus, non tamen corpora, ſed animos vt occuparet hominum, aduentabat. Hos obſederant peccata affectioneſque prauæ, non ſecus ac deſertum ſpinæ ac tribuli, aut viam aliam lutum & cætera ſordium. Vt itaque liber eſſet ingreſſus Chriſto, auferenda hæc erant, ſarculo ac ligone pœnitentiæ, quam ſuo clamore commendabat omnibus Iohannes. RECTAS honeſtas, pulchras, quales decet, FACITE SEMITAS EIVS. Commutarunt Euangeliſtæ (eiſdem enim prorſus verbis citatur prima hæc vaticinij pars, à tribus Euangeliſtis) ſingularem numerum cum plurali (id quod lxx conforme eſt) & antecedens cum relatiuo: habet enim Propheta: *Rectam facite in ſolitudine ſemitam ~~Dei~~ noſtri*. ſeu Deo noſtro. Viarum obliquitates, inęqualitates, aſperitates, inamœnitates, & quidquid remorari aut offendere poſſit aduenientē, tollite: iterque rectum, planum, æquabile, amœnum, pulchrum, & quale ipſum decet, reddite: id enim fieri conſueuit in aduentum exſpectati regis. Porrò ſimplicitas integritaſque virtutis abſque hypocriſi, rectitudo ſemitarum eſt. Dicit ergo: Ex toto corde abſque fictione, conuertimini ad Deum, & pœnitentiam agite.

Mar. 1. v. 6.

4 Ipſe autem Iohannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſilueſtre.	αὐτὸς δὲ ὁ ἰωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ. ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον.

IPSE AVTEM. Ipſo habitu & victus genere, vt & habitationis loco, exemplum edebat pœnitentiæ luctuoſæ (nam infrà 11. v. 17. luctui ac lamento vitam Iohannis comparat Ieſus) exſpectandique regni cæleſtis: quod regnum, cùm ſpiritalibus diuitiis, ſpiritalibus ornamentis & voluptatibus abundet, facit, vt qui illud ſpectat, magno animo contemnat ea omnia, quæ caro ſectatur, & mundus in pretio habet, nocitura præſertim cùm ſint potiùs, quàm vtilia homini corrupto. VESTIMENTVM. *αὐτοῦ* ſuum additur græcè & ſyriacè. DE PILIS CAMELORVM. *ἀπὸ τριχῶν καμήλου* è pilis cameli ſ. contextum; non pellem camelinam, ſed vt D. Anſelmus vocat, cilicium camelinum. Facilis paratu (erant enim ea in regione frequentes cameli) vilis, rudis, hirſutus, aſper, horriduſque amictus, minimè ille mollis (quod notat Saluator ipſe infrà 11. v. 8.) ſed corpori ſubiugando & in officio continendo congruus. *Amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis, enunciant de illo.* Eccleſiaſtici 19. v. 27. ZONAM PELLICEAM. Non zona cingebatur pretioſa, non baltheo bullis aureis inſignito (vt videtur apud illam gentem fuiſſe zonarum luxus) ſed vili eoque coriaceo cingulo; ipſo etiam habitu, Eliæ, cuius ſpiritu virtuteque agebatur, ſimilitudinem per omnia referens. ita enim deſcribitur Elias quarti Regum primo v. 8: *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus.* CIRCA LVMBOS SVOS *περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ* circa lumbum ſuum. ſingularis numerus pro plurali. Zona pellicea premens ſtringenſque veſtem cilicinam, augebat aſperitatem. Lumbi zona ſtricti, haud facilè in libidinem diffluunt, in quam proni ſunt: robur vireſque lateribus conferunt: denique id commodant, vt, qui oblongis vtantur veſtibus (cuiuſmodi Iudæi olim & gentes pleræque omnes) continuò veſtes ſuccingere poſſint, & parati eſſe expeditique ad opus. Quare frequenter nos diuina admonet ſcriptura, vt lumbis ſimus cincti (Lu. 12. v. 35. Epheſ. 6. v. 14. 1. Pet. 1. v. 13.) & ſancti in ſacris literis cincti deſcribuntur (Petrus Act. 12. v. 8. Paulus Act. 21. v. 11.) quippe qui mortificandis ſtudeant membris in quibus libidinis atque luxuriæ ſeminaria continentur (ad quod certè zona pellicea congruit, quæ mortui animalis pars eſt) & perpetuò ſint, vel in opere poſiti, vel ad opus parati. Lege Chryſoſtomum in hunc Matthæi locum; eiuſque diſcipulum Caſſianum libri primi de inſtitutis cœnobiorum capitibus 2. & 12. Quin & apud Ethnicos olim peſſimè audire ſolent *ἄζωνοι* diſcincti: eſt enim mollis id, ignaui, & ſoluti hominis indicium. Hinc ille: *Diſcincta veſtis, diſcincta mens, ne neges*; & alius: *Non pudet ad morem diſcincti viuere Naſi?*

ESCA. cibus AVTEM EIVS, non panis, non ſemina, non olera, multo minùs caro pecorum, auium, aut piſcium, ſed LOCVSTÆ. Veræ locuſtæ (iuxta B. Hieronymum libri in Iouinianum ſecundi

cap. 6.

cap.6. & in quartum Ionæ caput) volantia insecta, quales esui aptas Leuiticus descripsit capitis vndecimi versibus 21. & 22. *Orientales & Libyæ populos* (inquit Hieronymus in Iouinianum) *quia per desertum & calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris est. Hoc verum esse Iohannes quoque Baptista probat.* Testatur Plinius naturalis historiæ libro 6., cap. 30., partem quamdam Æthiopum locustis tantùm viuere, *fumo & sale duratis in annua alimenta.* Hæ græcè ἀκρίδες dicuntur (hinc acridophagi, id est, locustivoræ, dicti sunt orientalium illi quibus hic cibus erat. quòd τὰ ἄκρα summa germinum, aduolantes depascantur; quamquam saltui similior sit volatus. *Animal paruum est* (ait Iohann enarrans Hieronymus; *infirmas habens alas, de terra quidem surgens, sed altius non valens auolare, vt plus sit quam reptile, & tamen auibus non æquetur.* Vestitui itaque Iohannis victus respondebat. Parabili victitabat commeatu, non longè quæsito, vel arte parato, sed quem eremus vltrò suppeditabat, crudo, paupere, minimeque grato carni, immò adeò à communi Iudæorum cibo alieno, vt absque cibo dici potuerit inter illos vixisse, teste Saluatore infrà 11.v.18. Vt enim ipso etiam victu & cultu fides fieret omnibus regnum Dei non esse ex hoc mundo, illius regni minister nullam huius mundi partem accipiebat, aut adeò extremam vt pro nulla haberi posset, vix corporis sui rationem habens, nisi quantum ad suum ministerium sustinendum, hoc est, ad illam vocem pœnitentiæ denunciatricem alendam, satis esset, quiduis autem satis erat, ita vt ne cibum quidem cum cæteris etiam pauperrimis hominibus communem curaret. MEL SILVESTRE. mel in montibus & siluis ab agrestibus atque incultis apibus confectum: id quod è cauernis rupium & arboribus cauis, iis locis terræ lacte & melle manantis suppetebat. testatum id faciant Samsonis & Saulis historiæ. Iud. 14.v.8. 1.Reg.14.v.26. De potu Iohannis nihil additur, quòd ipsa cibi tenuitas satis loquatur, non alium ei fuisse quàm aquæ potum. id quod Angelus non obscurè prædixerat patri eius. Lu. 1.v.15: *Vinum & siceram non bibet.* Hic victus, hic cultus, talis locus, decebat Christi prodromum, mundi contemtorem & pœnitentiæ ac cælestis regni præconem; vt priùs vita doceret quàm sermone, & vacaret omni crimine, qui magna libertate aliorum ipse crimina reprehenderet; denique eo grauius esset ipsius testimonium, quo ipse ab omni omnium rerum terrenarum studio alienior esse cognosceretur manifestè.

τότε ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν ἱεροσόλυμα, καὶ πᾶσα ἡ ἰουδαία, καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ ἰορδάνου·	5	Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem:	Mar. 1. v. 5.

TVNC EXIBAT AD EVM. Cùm celebrari inciperet admirabilis vitæ eius austeritas ac sanctimonia, generis adiuncta claritati, & diuulgari prædicationis promissionisque eius nouitas; adhæc in memoriam reuocari admiranda illa quæ in eius acciderant natiuitate, factum est, vt cateruatim ad eum confluxerint, partim quòd ab extructo secundo templo ad id vsque temporis prophetis caruissent (nam, *quid existis in desertum videre,* aiebat Christus, *prophetam?*) partim quòd eminarentur ipsum posse Christum esse. IEROSOLYMA. ciues vrbis Ierosolymorum, præ aliis sapientiæ virtutisque fama celebres, quamquam non præcipui illi de quibus infrà 21.v.23. OMNIS IVDÆA. tota Iudæa, magna hominum è Iudæa pars. OMNIS REGIO CIRCA IORDANEM. πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ ἰορδάνου omnis vel tota circumiacens Iordani s. terra vel regio, id est, plurima hominum multitudo ex omni regione finitima Iordani, ex Galilæa, ex Peræa, ex Batanæa, ex Trachenitide. Iudæa & Galilæa citra Iordanem, oppositæ sunt Peræ & Batanæ ac Trachonitidi vltra Iordanem. Nomine ἰορδάνης vtitur Euangelista siue græcus Interpres prima declinatione; latinus tertia. Iordanis fluuius, Iudææ ab ortu terminus est, à fontis nomine & decliui descensu *Iordan* dictus, quasi ירד מן דן *Iored min Dan*, descendens è Dan. hoc enim erat præcipuo fonti nomen, scaturienti prope vrbem Dan, postea dictam Cæsaream Philippi. Docet itaque hoc loco Euangelista, fuisse Iohannis præconium omnibus in illa regione notissimum, atque adeò Euangelium ipsum & Euangelij argumentum omnibus fuisse significatum.

καὶ ἐβαπτίζοντο ἐν τῷ ἰορδάνῃ ὑπ' αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.	6	& baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.	Mar. 1. v. 5.

ET BAPTIZABANTVR. Baptizare seu βαπτίζειν quod græco sermone dicitur, pro eo quod latino tingere seu immergere, Christiana schola appropriauit sacræ illi actioni lauandi, quam Iohannes prior vsurpauit, Christus à se perfectam in sacramentum regenerationis ecclesiæ suæ reliquit. Syrus vtitur voce עמד *hamad.* Sic visum fuerat diuinæ sapientiæ, vt Iohannes veteris nouique testamenti sacratissimus limes, baptismi signo præluderet Euangelicæ gratiæ iam aduentanti; Primùm vt per huiusmodi pœnitentiæ professionem homines ad Christum excipiendum pararet. Indicabant enim exteriori illa lotione quam subibant, se fidem habere Iohannis præconio, & profitebantur vitę expurgationem per pœnitentiam, quæ, vt aqua corporis sordes abluit, animi ipsa mores corrigit. Deinde vt hoc suo baptismo assuefaceret populum ad baptismum Christi, quamquam non vsque adeò difficile erat eò Iudęos adducere, vt baptizari se finerent, cùm tum ex legis pręscripto, tum ex Pharisæorum instituto, frequentibus baptismatis & lotionibus essent assueti. Adhæc vt Christus manifestaretur commoda huiuscemodi baptismi occasione (Ioh. 1.v.13.) Postremò vt à Iohanne baptizatus inter cæteros Christus baptismum consecraret. CONFITENTES PECCATA SVA. damnantes vitam priorem, ac palàm agnoscentes sua commissa. id quod veræ pœnitentiæ erat argumentum: nam, quem pœnitet ex animo admissorum criminum, non veretur ille ea ei exponere, qui grauem animum releuare possit. Sic iubebantur aliquando ex legis mandato Iudæi, sua sacerdoti peccata aperire, Leuit. 5. v. 5. præsertim iuxta hebraicam veritatem; Num. 5. v. 7. cui iunge locum Leuit. 6. v. 6. & 7. Cæterùm non præstabat baptismus Iohannis peccatorum remissionem: sed per pœnitentiam quam testabatur, præparabat Iudæorum animos, quò capaces essent illius beneficij & cæterorum, mox per eum exhibendorum,

bendorum, qui venturus erat & baptizaturus in Spiritu sancto & igni, *in quem iubebat Iohannes vt crederent*, quod ait Apostolus Actorum 19.v.4.

Lu 3.v.7.

7 Videns autẽ multos Pharisęorum & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?

ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς;

VIDENS. *ἰδών* cùm vidisset. inter alios. MVLTOS. non paruo numero. Non omnes venerunt, quia non illi Pharisæi & Legisperiti de quibus Luc.7.v.30., nec maior pars, verisimile est. PHARISÆORVM ET SADDVCÆORVM. Tres maximè sectas apud Iudæos hoc temporis viguisse, auctor est historiographus Iosephus, Pharisæorum, Sadducæorum, Essæorum: quorum dogmata simul & mores describit libri secundi de bello Iudaico capite 7, libri 13. Antiquitatum cap.9, lib.18. cap.2., & post eum Epiphanius libro primo Panarij. Præcipuę porrò, quod ad numerum sectatorum, fuere Pharisæorum & Sadducæorum: quarum proinde frequentissima est in Euangeliis mentio. Hæ ortæ fuisse videntur sub tempora Machabæorum, occasione quæstionum quæ tunc moueri cœperunt, de animæ humanæ immortalitate, corporis resurrectione, æternis bonorum præmiis & malorum suppliciis. Cùm enim plures eo tempore florerent Scribæ (quorum collegium ab Ezra exordium sumserat) qui sapientiæ studerent, &, vt iugo Græcorum subiacebant, nonnumquam audirent Græcorum his de rebus fabulas: factum est vt cœperint quæstiones de his rebus in medium adferre, & inter se ventilare, atque à se mutuò dissidere, aliis ista adstruentibus, qui vocati fuere Pharisæi, aliis negantibus, qui Sadducæi. Act.23.v.8. Tunc aduersùs Sadducæos scripti fuere libri, Sapientiæ & Machabæorum secundus, quos postea Ecclesia Christi recepit in canonem scripturarum sanctarum. Ante hæc tempora non videtur populus Israël quidquam de his rebus doctus fuisse, aut quidquam publicè de illis prædicatum: eò quòd Lex harum rerum disertam mentionem non faceret, terrenas dumtaxat spes minasque bonis malisque ob oculos ponens. Fuit quidem patriarcharum & prophetarum non dubia hic fides, quod vel vndecimum caput epistolæ ad Hebræos testatum faciat: sed multa à patriarchis & prophetis credita prædictaque fuere, quæ vt non proposita atque enarrata, ita nec credenda necessariè fuere populo; Exempli gratia, Virginitas matris Messiæ, paupertas, passio, mors, resurrectio Messiæ. Videtur clara publicaque huiusmodi rerum æternarum doctrina Messiæ reseruata fuisse: nam veteres patres, Iohannem Messiæ præcursorem, primum dicunt annunciasse regnum cælorum & supplicium æternum (vide suprà v.2. & infrà hoc ipso versu, & 12.) quem subsequens Messias, perfecit ac miraculis stabiliuit quidquid huc pertineret. Interim igitur dum Messias exspectaretur, quò paratiores forent animi ad excipiendam fidem de rebus huiusmodi inuisibilibus, futuris, & æternis, permiserat Deus varias de his opiniones oriri, & sapientum Synagogæ inter se altercationibus discuti. Nam quamquam errarent Sadducæi, & quidem grauiter, *nescientes scripturas neque virtutem Dei* (infrà 22. v.29.) numquam tamen à veteri Synagoga declarati sunt hæretici, hoc est, desertores fidei aut legis à Deo traditæ, vel vt populi seductores Synagogæ communione eiecti, quemadmodum Samaritani, quorum ne quidem ad potum poscendum vti licebat consuetudine (Ioh.4.v.9.) immo, quod ex Euangeliis & Actis Apostolorum manifestum est, promiscuè versabantur etiam ipsi Pharisæi & Sacerdotes cum Sadducæis, tam in sacris quàm prophanis locis (Act.4.v.1. 23.v.6.) & communia non rarò inibant consilia aduersùs Christum eiusque discipulos (Matth.16.v.1. Act.5.v.1.) Denique licebat cuiuis vtri vellet parti adhærere. Populus, quod annotat Iosephus, ferè adhærebat Pharisæis (apud quem erant illi summo in pretio, ac proinde & summa eorum in Repub. auctoritas) Optimates verò (vt qui libenter excutiunt timorem Dei, quò desideriis carnis liberiùs indulgeant) Sadducæis, sequuti Iohannem Hircanum filium Simonis fratris Iudæ Machabæi, patris in Iudaico principatu successorem, qui cùm Pharisæorum semper discipulus fuisset, à seipso & à maioribus degenerans (nobile est Iudæ Machabæi exemplum 2. Machab.12., & septem fratrum matre hortatrice martyrum 2. Machab.7.) in vltima senectute, à Pharisæo quodam irritatus, & ab altero Sadducæo amico suo præcipuo instigatus, ad Sadducæos defecit (narrat Iosephus lib.13. Antiq.cap.18.) grauissimeque Pharisęos est persequutus, ipse, & qui ipsi successerunt, filius Alexander, & nepos Aristobulus: è quibus Alexander, octingentos Pharisæos vno die affigi crucibus iussit coram se in edito loco cum pallacis epulante. Iosephus lib.13. cap.22. & post eum Iosippi compendium. Nec alterius quàm Sadducææ sectæ fuisse & Herodem, qui Aristobulo ipsiusque fratri Hircano proximè successit, probabile est: nam & ipse plurimos Pharisæos interemit, nolentes iurare in ipsum regem. Cessarunt porrò capitales istæ inter Pharisæos & Sadducæos inimicitiæ sub Præsidibus Romanis, quippe qui non magis his fauerent quàm illis: quando, opinionibus licet manerent diuisi, egregiè conspirarunt aduersùs Messiam suum. Quod autem ad nominum rationem attinet, acceperunt Pharisæi nomen à diuisione siue separatione, quòd habitu atque obseruationibus certis distincti essent à Sadducæis & à populo, præ quibus haberi volebant, munditie ac sanctimonia eximij. Nam siue litera צ *sade* scribas פריצין *pharisin*, & deducas à verbo פרץ *pharas*, vt D. Hieronymus in Gen.38. v.29., siue littera ש *schin* פרישין *pharisin*, & deriues à verbo פרש *pharas*, vt Hebræi & Syricum Testamentum, vtrumque verbum separare & diuidere significat. Cùm enim opinionibus à Sadducæis differrent, voluerunt & habitu atque obseruationibus singularibus differre, & cùm illis tum vulgo sanctiores videri: de quibus sic Iosephus lib.13. Antiq.cap.18: *Multas constitutiones à maioribus per manus acceptas Pharisæi tradiderunt populo, quæ non sunt scriptæ inter leges Mosaicas: & ideo Sadducæi his auctoritatem abrogant, dicentes oportere eas tantùm seruari quæ scripto continentur: atque hinc magna inter vtrosque exorta est controuersia, dum ditiores stant à Sadducæorum partibus, Pharisæi cætera multitudinis nituntur fauoribus.* hæc Iosephus. Significat quidem vox פרש *pharas* & exponere ac declarare: sed inde non est ducta nominis ratio, tametsi quidam id velint, Pharisæos sic di-

sic dictos quòd legis interpretationem atque explanationem profiterentur. Nam ita, non פרושים *pharusim* hebraicè, chaldaicè & syriacè פרושין *pharusin* ac פרושא *pharuse*, forma participij passiui, vocandi fuissent; sed forma Benoni, id est, participij præsentis actiui, פרושים *pharosim* & פרושין *pharosin*. Adhęc, Scribarum propriè id erat, legem populo interpretari, id quod suprà 2. v.4. docuimus. Ac erant quidem Pharisęorum nonnulli, Scribæ, &, quod Iosephus refert libri 1. de bello Iudaico cap. 4., habebantur vt qui peritiùs cæteris leges interpretarentur: sed vt non ait Iosephus etymologiam inde acceptam, ita nec omnes nec solos Pharisæos scribas fuisse, clarissimè Euangelia loquuntur. Matthæus capitis 22. v. 35., Pharisæum tentantem Dominum, addit, tamquam singulare aliquid, legis doctorem fuisse, quem Marcus scribam vocat cap. 12. v. 28.: & millies Euangelistæ, Scribas & Pharisæos simul nominant, vt professionis differentis, non tamen contrariæ: ac Scribas quidem ferè præponunt, quòd haberentur essentque publici legis interpretes. Porrò Sadducæi nomen traxerunt, vel à *Saddoc* sectæ principe, vel inde quòd iustitiæ perfectione gloriarentur, vel vtrumque: nam, siue littera ז *Zain* ܙܕܘܩܝܐ *zadducin*, vt Syrica Euangelia, siue צ *sade* scribas, *Sadoc* nomen proprium, vtraque litera legitur, & צדיק *Saddic* ac זדיק *Zaddic* vtrumque iustum significat; illud quidem hebraicè, hoc autem syriacè. Iosippus in compendio historiæ hebraicè & latinè edito, scribit litera *sade* tam nomen צדוקים *sadducim* quàm nomen principis eorum צדוק *Sadoc*.

VENIENTES è varijs terræ Israël locis: nec enim omnes Ierosolymis habitabant. AD accipiendum BAPTISMVM SVVM s. & intelligens, Deo suggerente, fama victos accedere, magis vt populo suum pietatis studium venditarent, quàm vt se sincera pœnitentia Deo probarent, qua non credebant sibi opus esse, inflati arroganter iustitiæ quam præ se ferebant imagine. PROGENIES. plurale est. γεννήματα fœtus, filij. VIPERARVM. Non patriarcharum, non prophetarum (excutit illis, primis verbis, vanam gloriationem de maioribus, qua mirum in modum sibi placebant) sed viperarum. q.d. Malorum parentum deteriores filij, quibus veluti innata est tractaque à parentibus malitia. Vipera serpentis genus est nocentissimum, maximeque venenosum, mortem leui attactu incurabiliter inferens (Act. 28. v.4.) cui rectè conferuntur ij, quorum vnum studium est, optimos quosque perdere, calumniosis præsertim morsibus: quales fuerant istorum patres, qui vt prophetas occiderant, ita isti referebant patrium ingenium. infrà 23. v. 31. 32. 33. Acrioribus verbis Iohannes horum mordet conscientias, nihil flexus honore quo ab ipsis afficitur, quò magis ad pœnitentiam commoueantur libertate arguentis, homines superbi alioqui, qui fisi hypocrisi suæ, Deo & hominibus illudere volunt. Qua re ostendit Baptista, se nemini blandiri, neminem palpare, sed omnium absque personarum acceptione vitia, paratum, pro eo quod erat ipsi iniunctum officio, fortiter redarguere. QVIS DEMONSTRAVIT. τίς ὑπέδειξεν quis submonuit, quis suggessit, aut, vt sit ὑπὸ pro ἀπό, quis præmonstrauit. Interpres vertens *demonstrauit* fortè legit ἀπέδειξεν. Est autem verbum compositum pro simplici ἔδειξεν monstrauit, vt Act. 9. v. 16. Sensus est, quis monstrasse, quis persuasisse vobis potuit, vt fugeretis, vt huc cum cæteris hominum ordinibus conflueretis, & accepto à me baptismo, veram sinceramque pœnitentiam, qua Dei euitatur peccatis imminens ira, testaremini, cùm viperæ potiùs quàm homines sitis? Admirantis est, q.d. Non facilè crediderim aliquem vos eò adduxisse potuisse. Sententia est: Persuadere mihi facilè non possum (quis enim eò vos adduxisset, qui neminem vobis ipsis præfertis, à quo salutis consilium vobis putetis accipiendum?) haud fictæ pœnitentiæ gratia huc vos aduenisse, quorum adeò est inueterata inolitaque malitia; neque in animum inducere, curæ vobis esse vt futuram Dei iram effugiatis. Cùm enim eam, vel non credatis, vel præ ea qua vobis ipsi placetis, præsumtuosa iustitiæ persuasione, non timeatis (hoc enim Pharisæorum, illud Sadducæorum erat) quis illius vobis terrorem incussisset? A VENTVRA IRA. ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς ab ea quæ futura est ira, à futuri seculi ira, ab ea, quæ certò breuique exspectanda est, æterna Dei aduersùs scelera vltione. Quis permouisse vos potuit vt rationem quæreretis pœnitentia placandi iratum Deum (nam illud est Dei iram fugere) meditantem vobis æternas pœnas? Vltio Dei, Dei ira vocatur, non quòd Deus ira aut quibuscumque passionibus moueatur, sed appellatione à nobis sumta, qui ferè irascimur, dum sumimus vindictam; quam Deus, ea qua semper fruitur animi constantia exercet. Intelligit autem Iohannes, æternum gehennæ supplicium, qua nulla est grauior Dei vltio. Iohannes enim, vt regni cælorum, ita & gehennæ, æternorum bonorum ac malorum, primus præco extitit: quæ deinde per Christum longè lateque promulgata sunt. *Considera*, inquit Chrysostomus, *quemadmodum illos ab ipsis omnino principiis attonitos reddiderit, de gehenna scilicet inferendo sermonem. Non enim aliquid vsitatum locutus est: Quis vobis demonstrauit bella vitare, & irruentes fugere impetus barbarorum, captiuitates, pestilentias, fames? Sed aliud quoddam supplicium comminatur, quod numquam certe illis fuerat antè manifestum.* hæc Chrysostomus.

ποιήσατε οὖν καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας. 8 Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. *Lu. 3. v. 8.*

FACITE ERGO. Sensus est: Si quis tamen vobis persuasisse id potuit, & vera anteactæ vitæ pœnitentia Dei iram effugere nitimini; vt qui cæteris similiter huc aduenitis & pœnitentiæ baptismum à me flagitatis; cùm hîc fucis non agatur, *facite* &c. Quamuis nouisset eorum hypocrisin, & pœnitentiam ab ipsis fingi, non agi; dissimulat tamen se ea de re esse certum: & tamquam aliqua de ipsis spei scintilla concepta, pergit eos adhortari ad meliorem frugem, si quid fortè proficiat, omnes interim alios præsentes docens.

FRVCTVM. singulare pro plurali *fructus*. DIGNVM POENITENTIÆ. phrasis græca pro dignum pœnitentia, quod est, qui deceat pœnitentiam, siue pœnitentes. Edite fructus quos dignum est pœnitentiam producere, quique factis ipsis declarent verè vos admissorum peccatorum pœnitentia duci. eiusmodi fructus sunt, mores correcti, & ea opera omnia quæ ab animo verè pœnitenti proficiscuntur. ita ferè D. Chrysostomus.

Lu.7.v.8.

Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahę.

9 καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς· πατέρα ἔχομεν τὸν ἀβραάμ. λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ ἀβραάμ.

NE VELITIS DICERE. μὴ δόξητε λέγειν ne putetis vobis dicendum, ne arbitremini dicendum. Nolite apud vos ipsos sic cogitare & in hoc conquiescere: nolite inani hac cogitatione, ita vt soletis, vobisipsis imponere, illaque nixi resupini ac securi esse. PATREM HABEMVS ABRAHAM. *Pater noster Abraham est* (sic loquuntur Ioh.8.v.39.) *semen Abrahæ sumus* (sic ibidem v.33.) cui à Deo benedictionis promissio facta est (Gen.22.v.17.18.& 26.v.5.) quare, cùm promissa nobis sit hereditas salutis, malè perire aut à Deo deseri non possumus. non enim est iniustus Deus, vt, deserens populum suum, fidem frangat; neque id amico Abrahæ possit. Mirum in modum placebat sibi hoc hominum genus, fidebatque in maiorum suorum virtutibus: idque desides eos atque ignauos reddebat ne pœnitentiæ studium amplecterentur. Qua quidem in re bis errabant, semel, quòd singulos omnes Abrahæ filios saluandos putarent, aut seipsos vt minimùm tamquam præ vulgo eximios; semel, quòd Abrahæ cognationem ex carne magis quàm ex spiritu, ex genere magis quàm ex virtute æstimarent, salutem sibi promittentes, non tam ex imitatione operum Abrahæ, quàm ex ea quam ab Abraham trahebant origine. Quocirca Iohannes fiduciam hanc vanam inprimis reprimit: non quò prohibeat eos sese ex illis sanctis genitos confiteri; sed quò prohibeat, ne, ea re freti, animæ suæ curam negligant. DICO ENIM VOBIS. Nolite, inquam, hac vana fiducia vosipsos decipere: adfirmo enim illud vobis. QVONIAM POTENS EST DEVS. quòd possit Deus, quippe omnipotens. DE LAPIDIBVS ISTIS. ex lapidibus istis materialibus, quos coram cernitis. Nihil ita distat à vita & ratione, ab humana natura, ac lapis. Vsus est ergo in exemplum re omnium difficillima, vt doceret nihil Deo esse difficile. SVSCITARE. excitare, producere. ABRAHÆ. τῷ ἀβραάμ ipsi Abrahæ. dandi casus est. Potens est Deus, vobis omnibus ad vnum deletis, instaurare posteritatem ipsi Abrahæ ex lapidibus istis, quemadmodum formauit Adam ex terra, Euam ex Adæ latere, Isaac ex mortua vulua Saræ. Potens est Deus, vobis perditis, mutare lapides istos in homines, simul & in filios Abrahæ, tales quales requirunt Abrahæ facta promissa. q. d. Non existimetis, desideraturum Deum posteritatem Abrahæ, cui promissam benedictionem persoluat, si vos perieritis: immò illud habete certum, si vos degeneres ab Abrahæ moribus desciscatis, ac proinde malè pereatis, quemadmodum rerum consequentia exigit, nec supersint homines alij, Deum, vt suam liberet fidem, vel lapides in homines transmutaturum, eiusmodi, qui Abrahæ opera sequuti, itaque ad cognationem eius adducti, promissionum benedictione fruantur. Non enim carni & sanguini alligatum est diuinum promissum, sed fidei & obedientiæ: è fidei sinceritate, non è carnis affinitate, Abrahæ filij censentur. Nam & Isaac, non tam carnis quàm Dei virtute, Abrahæ filius fuit, ex Saræ vtero, instar lapidis sterili, aduersùs naturæ cursum modumque genitus. Sed, quum multi superfuturi sint homines, vobis Iudæis ob impietatem perditis, si in ea perseueratis; non ad corporeos lapides recurret Deus, sed ad eas quas Deo vt vobis abominationi esse putatis, gentes, lapidibus tamen ob cultum saxorum non absimiles, exque illis, magno vestro dedecore, Abrahę assumet & efformabit filios. Ad hæc omnia respexisse Iohannes videtur, cuius eadem est doctrina quæ Pauli ad Romanos, quòd non qui filij carnis, ij sunt promissionis heredes, sed ij qui sectantur vestigia fidei & obedientię patris Abrahæ, etiamsi carne quàm maximè sint alieni. Tanto enim potior est Deo cognatio virtutis quàm carnis, quanto anima carne præstantior est. Disertè itaque monet Iudæos, quòd, quicumque Deo non credunt aut non obediunt, à cognatione Abrahæ exciderunt, nec promissæ benedictionis hereditate potientur, &, etiamsi carne quàm propinquissimi sint, pro alienigenis habebuntur. *Non enim* (Hilarij sunt verba) *successio carnis quæritur, sed fidei hereditas: dignitasque originis in operum consistit exemplis, & prosapiæ gloria fidei imitatione retinetur.*

Lu.3.v.9. Inf. 7. v. 19.

Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.

10 ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται. πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.

IAM ENIM SECVRIS. ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη iam autem & securis. Non sine epitasi legitur coniunctio καὶ, &: porrò, siue *enim*, quod Latinè est, legas, siue *autem*, quod Græcè, parùm refert. Vno excluso, quod desides eos reddere poterat ne pœnitentiæ darent operam, vitamque emendarent, de maioribus nempe fiducia; excludit & alterum, spem differendæ in longum tempus iræ Dei. Est, inquit, & aliud quod vrget. *Iam*, quod non hactenus. RADICEM. Singulare pro plurali radices, nisi collectiuè accipias *arborum*, pro vniuscuiusque arboris. Redit ad prosequendam metaphoram ab arborum fructibus mox desumtam v. 8. ARBORVM singularum omnium, quarum multæ diu toleratæ fuere, Deo fructum longanimiter exspectante. Exemplum Luc.13.v.7. POSITA EST. κεῖται iacet, admota est. Non admouenda, sed iam admota est, non ramis, non trunco (quo modo nonnumquam, spe concepta, subuenitur arborum vitiis) sed radici, id quod periculi extremi imminentis excidij indicium est, vt radicitus scilicet exscindantur. Hactenus, ait, diuitiæ bonitatis, patientiæ, ac longanimitatis Dei in homines effusæ fuerunt, si fortè ad pœnitentiam adducerentur: nunc, cùm adest is quo maior mitti non potest, & post quem non est alius exspectandus, rigor iustitiæ Dei nihil vltrà dilaturæ præstò est, vibratque expeditum gladium in hominum ceruices, vt omnem qui non facit fructum bonum excidat &c. OMNIS ERGO ARBOR. Vno contextu dicere poterat: Vt omnem arborem quæ non facit fructum bonum excidat (s. securis) eaque in ignem proiiciatur. *Omnis ergo arbor.*

arbor. Quocirca omnis arbor, id est, omnis homo, quiuis sine discrimine. Neminem, neque sapientia, neque diuitiæ, neque generis nobilitas, liberabunt: quisquis fuerit, etiamsi ipsius Abrahæ nepos, & mille à quibus genus ducat patriarchas enumeret. Frequenter homo arbori comparatur, cùm in Euangeliis, tum in Psalmis, iustus fertili, impius sterili aut agresti; sed in qua ipsa situm sit, siue fœcundam esse bonorum fructuum suo bono, siue sterilem aut putrium vel agrestium feracem suo malo: quamquam ad hoc per se ipsa sufficiat, ad illud opus habeat gratiæ auxilio, quam Euangelium promittit. QVÆ NON FACIT. μὴ ποιοῦν non faciens, non ferens. Non dicit *Quæ non fecit*: non enim fecisse sufficit, continuè perseueranterque operandum est: nec ait *Quæ non faciet*, sed vrget præsens tempus *Quæ non facit* iam statim: mox enim necesse est faciat, nisi imminentis securis ictum subire libeat. Non enim hic, vt in arbore naturali, longum tempus fructus desiderat quo prouenire possit: sola voluntate res peracta est; velle sufficit, statimque arbor erumpit in germina. FRVCTVM BONVM. fructum dignum pœnitentia, dignum regno cælorum. Non dicit *Quæ facit fructum malum*: nec enim satis est non facere fructum malum, si nullum facias. Satis est mali, nil fecisse boni. EXCIDETVR s. iamiam. quare græcè legitur præsenti tempore ἐκκόπτεται excidítur. Abusus enim temporis præsentis loco futuri, facit ad emphasim periculi proxime instantis, velut admota radicibus securi iamiam futurum sit vt funditus excidatur arbor. Tum autem exciditur, dum è terra per mortem, sine omni salutis reparationisque spe, tollitur. Porrò iustus, dum per mortem è terra aufertur, non exciditur vtique, sed in vberius solum transfertur. ET IN IGNEM MITTETVR. καὶ εἰς πῦρ βάλλεται & in ignem iacitur. mox à morte in ignem abiicitur gehennæ, cum quem mox v. 12. vocat inextinguibilem: vt solet excisa sterilis arbor in ignem inijci, nulli alij apta vsui quàm vt sit ignis nutrimentum. Iam nunc, inquit, vrget extremum discrimen, in acie nouaculæ res omnis sita est, nihil medium, nulla est mora. Mox, aut agenda est pœnitentia, aut occupante morte subeundum supplicium æternum. Adest præsens salus iis quos scelerum suorum pœnitet: adest pœna præsens & exitium ineuitabile præfractis. Porrò & ante Christi aduentum, manebat eos qui in peccatis perseueraturi erant certa mors: instabat etiam suo modo (nam quæ vita longa censenda sit, quam maneat tam dirus exitus?) sed à Christi aduentu deinceps prorsus instat, quia, aut non differt vindictam offensus Deus, aut si differat nullo certè id modo merentur præfracti animi eorum quos Euangelij prædicatio haud reuocat. Antea plerumque differebat vindictam Deus, & certè id merebatur hominum cùm ignorantia tum infirmitas: iam verò vbi Euangelica & doctrina & gratia affulget, nulla excusatio est. Similiter & ante Christi aduentum, detrudebantur impij mox à morte in gehennam: cæterùm à Christi aduentu, cœpit ea res longè lateque prædicari, & publicitus nota fieri, quæ priùs fuerat aut incognita aut dubiis dumtaxat Pharisæorum Sadducæorumque sententiis ventilata (familiari autem Scripturæ tropo, res tunc fieri dicitur, quando innotescit) & gehennæ pœna, ob Euangelij contemtum, grauior infligi, quæ antè inflicta fuerat minùs grauis, cùm error & ignorantia nonnihil veniæ mererentur. Cœpit etiam à Christi aduentu, cum quo vnà orta est hora nouissima, & œcumenici iudicij dies appropinquare, quò omnes simul peccatores, nullo relicto, radicitus exstirpabuntur, & cruciatibus mancipabuntur æternis.

ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς [11] μετάνοιαν· ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἰσχυρότερός μου ἐστιν, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι, αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.	Ego quidẽ baptizo vos in aqua in pœnitentiã: qui autẽ post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.

Mar. 1. v. 7. *Lu.* 3. v. 16. *Ioh.* 1. v. 15. 26. 27. 30.

EGO. Non necessariè continuo cum superioribus sermone isthæc Baptista prosecutus intelligitur, sed occasione quam refert Lucas cap. 3. v. 15., cùm cogitare apud se omnes cœpissent ipsum posse esse Christum. Tunc his verbis ingenuè ac disertè restatus est, non Christum, sed Christi se esse anteambulonem, tanto Christo inferiorem, quanto non est alius homo alio homine: quò & spectat illud quod dat discrimen inter suum & Christi baptismum. Ego, inquit, huiusmodi minoribus ad sublimiora præparans. VOS. corpora vestra. IN AQVA. sola nudaque aqua. quæ ad renouandos animos nullius est efficacitatis. Superest Græcis ac Latinis *in* præpositio, qua hebræus sermo ablatiuum exprimit instrumenti ac modi: itaque Lucas eam omisit, cap. 3. v. 16. IN POENITENTIAM. in peccatorum confessionem, & pœnitentiæ, quam agendam susceperitis, professionem. hac parte distinguit baptismum suum à prophanis lotionibus; superiori parte à Christi baptismo. QVI AVTEM POST ME VENTVRVS EST s. breui. ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος Ille autem qui post me venit. ἐρχόμενος participium est, voce præsentis temporis, sed significationis ad præsens & futurum ancipitis. Huic loco magis conuenire videtur tempus præsens (quod dedit Interpres secundùm Marcum & Lucam) quo significetur Christus in via esse, atque adeò proximus. Ille, inquit, ante quem missus sum, viam illi paraturus, ille qui me sequitur, vt post me mundo mox exoriatur & manifestetur, mihique in munus prædicandi Euangelium regni succedat. Christum manifestè signat: diserteque non Christum, sed Christi præcursorem se esse docet. FORTIOR ME EST. ἰσχυρότερός μου ἐστιν valentior, potentior me viribus est. longè plura, longè alia potest quàm ego: efficacitate cælesti diuinaque virtute præditus est qua nequaquam ego. Nolit ille mera aqua baptizare: nolit, id quod meum est, nuda aqua corpora tingere. Quid me admiramini? Ille, vt tempore & prædicationis ordine me est posterior, ita potentia est infinitis partibus prior; nec me tantùm, sed & vniuersis quæ in cælo & in terra sunt. Res meæ vmbræ sunt & imago, præcessio ac præparatio: ille veritatem, salutem, perfectionemque adfert. Non ego collega illius sum, sed præcursor: præcedo eum, vt lucifer præcedit solem mox obscurandus maiore lumine. *Illum enim oportet crescere, me autem minui.* Ioh. 3. v. 30. DIGNVS. ἱκανὸς sufficiens ad verbum, id est, dignus cui id committatur. Non fuit Iohannes dignus, ex ipsa naturæ suæ conditione: hanc enim infinitis perfectionis partibus superat natura Christi. Siquidem vniuersa mortalium natura, cum Dei maie-

ſtate comparata, quaſi ſtilla ſitulæ & quaſi momentum ſtateræ reputatur (Iſa.40.v.15.) & ſanctiſſimus quiſque quaſi puluis & cinis. Gen.18.v.27. CALCEAMENTA. τὰ ὑποδήματα. ſoleas id ſonat magis quàm calceamenta, ita dictas quòd pedibus ſubligentur, quibus plantæ pedum duntaxat muniuntur. Vide infrà 10.v.10.& Marc.6.v.9. PORTARE. calceamentorum ſiue ſolearum eius curam gerere. Ne putetis, inquit, quod dixi, fortior me eſt, comparationis me id more dixiſſe, quam nullam volo intelligi: tanto ille eſt me modis omnibus ſuperior, vt ego, quem vos aliquid eſſe creditis, quem vos ſuſpicitis, illi collatus, infirmus adeoque nihil ſim, prorſus indignus inter ſeruos eius numerari, etiam ſeruos extremos. Cùm ad ſummam illam eius dignitatem, ſummamque diuinæ naturæ ipſius præſtantiam, mentis oculos conicio, indignum me planè ſentio, qui vel infimi miniſtri locum apud illum obtineam, & vel viliſſimam partem in illius mihi miniſterio vendicem. Nulla enim miniſterij pars vilior quàm à calceamentis alicui eſſe: calceorum alicuius curam gerere, dominum illos nunc induere nunc exuere, illos mundare, reponere, reddere, mutare, pro domini libitu, eoque foras prodeunte portare, ſi illos ponere aliquando loci ſacri aliáve cauſa, aut alios aliis mutare velit. Videri poſſit prouerbiale fuiſſe hoc dicendi genus, ortum ex conſuetudine Iudæorum, qui ſanctiorem aliquem locum ingreſſuri calceos ponere conſueuerant, aduenientium etiam hoſpitum pedes lauare, regione nimirum calidiore. Omnino autem hinc intelligitur, vulgarem inter Iudæos tunc vſum fuiſſe ſolearum: quem Chriſtus, haud dubium, vt cætera ſimilia, eſt imitatus. vide Mar.6.v.9. Iam igitur quid humilius quàm ſoluere & portare ſoleas alicuius? certè is cui hoc ex conditione competit, infimo in ordine eſt, ſi cum illo comparetur cui ſoluit aut portat ſoleas. Atqui ille tantus eſt, inquit, vt ego non poſſim cum illo vel in hoc gradu comparari, ſiue naturam ſpectes ſiue virtutem & fortitudinem. Magnus Iohannes ad magnam prouocat de Chriſto concipiendam opinionem, maioremque quàm de homine haberi poſſit: qui ipſe celebratus inter natos mulierum maximus (inf. 11.v.11.) inferiorem ſe fatetur quàm qui apud Chriſtum mancipium agat: neque enim præter veritatem humilis aut fuit aut eſſe potuit. Vehemens itaque tapinoſis, qua mirum in modum ſe abiecit: ob quam viciſſim mirum in modum eleuatus eſt, iuxta maximam: *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Quin & adfert Iohannes huius ex ipſis euidentem rebus probationem: vultis, ait, cognoſcere rationem virtutis meæ cum illius virtute collatam? IPSE, vel per ſe ſolum, vel adhibito miniſterio ſeruorum ſuorum, VOS animas veſtras BAPTIZABIT perfundet. *Ipſa metaphora dictionis baptizabit*, inquit Chryſoſtomus, *gratiæ exprimit largitatem.*

IN SPIRITV SANCTO. id eſt, Spiritu ſancto. (præpoſitio *in* addita eſt iuxta idioma ſermonis Hebræi, Græcis Latiniſque ſuperflua) Spiritu ſancto in vos infuſo. per Spiritum ſanctum autem intellige dona Spiritus ſancti. Vos, inquit, ex rebus viſibilibus me æſtimatis: at longè nobiliora ſunt quæ non videntur. Non ille, vti ego, corpora veſtra ſola aqua, ſed animas veſtras Spiritu ſancto tinget: nec, vti ego ad pœnitentiam duntaxat prouocabit peccatorum, ſed & à peccatis mundabit, ac donis cæleſtibus imbuet. Effundet in vos, in morem aquæ, largiter & copioſè, Spiritum ſanctum, qui fons eſt donorum omnium, remiſſionis peccatorum, regenerationis, renouationis, iuſtificationis, adoptionis, iuris hereditatis cæleſtis (omnia hæc comprehendit) Quanta igitur differentia eſt inter corpus & animam, inter aquam & Spiritum ſanctum, inter imaginem & veritatem, inter apparatum & rem ipſam: tanta eſt differentia inter baptiſmum ipſius & baptiſmum meum, tanto eſt baptiſmus ipſius efficacior meo. Reſpicit autem hæc Baptiſtæ promiſſio *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto*, primùm ad viſibilem Spiritus ſancti, in Apoſtolos & eos qui cum eis erant, ipſo Pentecoſtes die, atque in plures deinde credentes, effuſionem: ipſe enim Saluator, dum hanc promittit, alludens ad hæc ipſa Iohannis verba, ait Act. 1.v.5: *Iohannes quidem baptizauit vos aqua: vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Deinde verò reſpicit & ad inuiſibilem Spiritus ſancti largitionem, tum per baptiſmum, tum per baptiſmi τελείωσιν, impoſitionem manuum ſiue confirmationem. Idcirco enim viſibiliter aliquando Spiritum ſanctum Chriſtus dedit, vt de inuiſibili per Sacramenta largitione redderet certos. ET IGNI. qui eſt ignis ſeu igni ſimilis, purgans & inflammans. *Ignis commemoratione adiuncta*, inquit Chryſoſtomus, *Spiritus ſancti efficacitatem ſignauit, gratiæ ipſius vehemens atque inuictum.* quaſi diceret: Effundet in vos abundè, ſiue per ſe, ſiue per ea quæ inſtituet Sacramenta, Spiritum ſanctum: cuius non otioſa erit in vobis manſio, verùm adeò efficax, vt inſtar ignis, ſordes veſtrorum conſumat peccatorum, animorum diſpellat tenebras, caritate qua virtutem Deique gloriam proſequamini ea accendat, quam nulla afflictionum acerbitas ſuperare queat, denique totos in ſe transformet ac ſurſum rapiat. Huiuſmodi enim ſunt ignis proprietates, conſumere, illuminare, inflammare, omnia in ſe transformare ac ſurſum rapere: propter quas ipſo Pentecoſtes, in ſpecie ignis Spiritus datus eſt: ad quod & reſpexit Baptiſta prophetiæ dono auctus.

Lu.3.v.17. 12 Cuius ventilabrum in manu ſua, & permũdabit areã ſuam: & congregabit triticũ ſuum in horreũ, paleas autẽ comburet igni inextinguibili.

οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ.

CVIVS. Prędicauit Chriſtum ſaluatorem & Spiritus ſancti donatorem, quod ad primum eius aduentum pertinet; iam & iudicem prædicat, quod ad ſecundum: vt, qui promiſſis non pelliciantur, terrore compellantur; nec torpeant, tamquam omnibus ſaluis, qui ſemel Spiritu ſancto baptizati fuerint. Et hæc fuit Iudæis noua doctrina, de futuro Chriſti iudicio; non minùs quàm illa de regno cælorum & gehenna ignis. Paulatim aperit Iohannes myſteria omnia Euangelij, vt etiam mox Spiritus ſancti rationem: nam quamuis Spiritus ſanctus notus eſſet Iudæis eo tempore, cuius frequens eſt mentio in veteribus ſcripturis, non tamen vt tertia in diuinis perſona, diſtincta à Patre & Filio, de quo v.16. proximo. VENTILABRVM. πτύον vannus, vel, vti legit B. Auguſtinus in Pſalmum 92. *pala.* inſtrumentum eſt, quo frumenta ad ventum ventilata quaſſataque, à paleis expurgantur, à πτύω dictum, quòd veluti exſpuat ea quæ ſunt inutilia. Eo ſignifi-

significatur extremum Christi iudicium, quod malos secernet à bonis, non tantùm meritis, vti in hac vita secernuntur, sed manifestè & loco & præmio: quemadmodum dum frumenta vannis ventilantur, plena à vacuis, ab inanibus fructuosa, quodam auræ spirantis examine separantur. IN MANV SVA vel EIVS (quo modo secundùm Lucam vertit) f. est. Sensus verborum est: Qui tenet ventilabrum suum manu sua: vel potius phrasis est Hebraica, pro: In cuius manu ventilabrum est; qualis illa Psal.10.v.4: *Domini in cælo sedes eius*, pro Domini in cælo sedes; frequens Hebræis, qua relatiuum reperitur antecedente expresso: id quod nobis superfluum sit. Significatur autem hac parte, Christum, vel iudicandi potestatem à Patre accepisse (iuxta illud Ioh.5.v.22.& 27: *Pater omne iudicium dedit filio, & potestatem dedit ei & iudicium facere*) vel paratum ad diiudicandum peccataque vlciscendum esse; in propinquo esse ipsius iudicium, vti propinqua est separatio palearum à tritico, vbi agricola ventilabrum in manus accepit; iuxta illud quod mox antecessit: *Iam securis ad radicem arborum posita est.* sup.v.10. PERMVNDABIT. exactè mundabit. Frequenter immo verò semper, aream suam Christus mundat, dum, nunc aufert ex area impios, nunc ad iustitiam illos adducit, ac sensim iustos ipsos perficit (*Omnem palmitem in me*; loquitur Ioh.15.v.2.; *non ferentem fructum, tollet eum* (pater) *& omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus adferat*) at in seculi consummatione permundabit, dum nullum relinquet inter bonos malum, nec aliquid in bonis mali, sed *exhibebit ipse sibi* (quod ad Ephes.5.v.27. Apostolus ait) *gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi*. AREAM SVAM. Area ea est, in quam frumentum, ita vt demessum est, ex agro conuehitur, quod deinde in area, ex aristis, plaustris aut flagellis excutitur: tandem verò ventilabris à paleis secernitur. Porrò quod ait, *permundabit aream suam*, synecdoche est, continentis pro contento; areæ, pro eo quod in aream congestum est. *aream suam*, id est, cœtum in se credentium quem congregauerit, tum per se, tum per ministros suos; ecclesiam in qua permisti sunt bonis mali. Vtitur hoc loco contra Donatistas Augustinus capite 10. libri post collationem. CONGREGABIT. συνάξει coget, colliget, nihil sinet perire tritici. TRITICVM SVVM. Eos qui fuerint humilitate parui, animi sinceritate candidi, fœti virtutibus, solidi pietate, & constantia ac perseuerantia graues. huiusmodi enim sunt triticum Christi, cibus sunt quo pascitur Christus. Quare martyr Ignatius de se, dum ad bestias condemnatus esset: *Frumentum*, aiebat, *Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Hier. in catal. scrip. eccles.
IN HORREVM. εἰς τὴν ἀποθήκην in repositorium, in horreum, in regnum cælorum, in quo, à paleis separati, tuti perpetuò & felices agent. PALEAS AVTEM. τὸ δὲ ἄχυρον paleam autem. singulare collectiuè acceptum pro plurali, more hebraico. Paleæ in Ecclesia ij sunt, qui specie religionis nitidi, inanes sunt virtutibus, steriles bonorum operum, & iniquitatum cupiditatumque malarum ventis facilè abripiuntur, qui ex ea sunt radice oriundi ex qua triticum, eiusdem Ecclesiæ communione gaudent, eandem profitentur fidem, iisdem imbuuntur Sacramentis, sed carent medulla iustitiæ. Porrò autem (id quod hinc sequitur, si paleas igni adiudicabit, quanto magis zizania? si domesticos, quanto magis alienos? Sub paleis fortasse comprehendit, quicquid illud est, quod cum grano tritici natum, à grano secernitur atque abiicitur, vt culmos & spicas: quamquam non ad hæc segreganda, opus sit ventilabris, sed ad hoc vt exactè mundetur area, à subtilioribus paleis. COMBVRET. affliget. Is erat regionis illius mos, paleas in ignem abiicere & comburere. IGNI. vero eoque corporeo igni, id quod B. Augustinus docet libri 21. de ciuitate Dei cap.9. & 10. INEXTINGVIBILI. ἀσβέστῳ inextincto, hoc est, æterno. plus significatur quàm vox sonet: igni, qui non tantùm extingui non potest, verùm nec extinguat vmquam, sed perpetuò vrat & affligat quos semel acceperit. Extingui non potest, quia fomentis opus non habet vt alatur, sed per se subsistit, æternumque durat, Deo faciente: non extinguit verò, Deo ita actionem illius temperante, vt quamuis acerrimè adurat, crucietque extremè, neque cesset vmquam in eos agere quos aliquando acceperit, numquam tamen absumat. *Nonne cernis solem illum*, inquit Chrysostomus in hunc locum, *semper ardentem, & numquam prorsus extinctum? Non legisti incensum rubum, nec tamen ipso incendio concrematum?* *Iam satis superius disputaui*, ait Augustinus capite illo nono, *posse animalia etiam in ignibus viuere, in vstione sine consumtione, in dolore sine morte, per miraculum omnipotentissimi creatoris, cui hoc possibile esse qui negat, à quo sit quidquid in naturis omnibus miratur, ignorat.* Itaque inextinguibilem intelligit ignem, non in se tantùm, sed & in iis qui illi adiudicantur, hoc est æternò absque cessatione illos cruciantem: simili enim ferè modo dicimus, ad perpetuos quempiam carceres esse damnatum. Quare hoc loco refellitur eorum hæresis, qui docuerunt reproborum pœnam non esse perpetuam. Videri autem potest allusisse Iohannes, ad illud quod de præuaricatoribus Isaias ait cap.66.v.24. citatq; Seruator Mar.9.v.44.46.48: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.*

Τότε παραγίνεται ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας εἰς τὸν Ἰορδάνην πρὸς τὸν Ἰωάννην, τοῦ βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ. 13	Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo.	Mar. 1. v.9. Luc.3 v.21.

TVNC. cùm Iohannes Christum hunc in modum prædicaret, & pœnitentiæ baptismo ac salutis monitis populum mox venturo prępararet, iamque aliud non restaret quàm vt qui dudum propinquus annunciabatur præsentem se exhiberet, præsensque omnibus certò ostenderetur. Non enim exspectandus fuit Iohannis occasus: nam nec Sol Luciferi exspectat occasum vt oriatur, sed vt à Lucifero propinquus nunciatur, ita & præsens monstratur. Sic Iohanni non tantùm prædicandus fuit Christus propinquus, sed & ostendendus præsens. vtrumque officium ipsi incubuit. VENIT. præsentis est temporis. παραγίνεται adest, accedit commodùm ac suo tempore. Non ad se accersiuit Iohannem vt famulum Dominus, quod iure poterat: sed venit ipse humilis, nullo comitatu illustris, & inter cæteros se obtulit baptizandum.
A GALILÆA. à Nazareth oppido Galilææ, materno solo, vbi à pueritia obscurus vixerat, parentibus morem gerens: & labore manuum victum parans, priuatam hactenus vitam egerat. IN IORDANEM. εἰς τὸν Ἰορδάνην ad Iordanem. in Iudæam, ad eum locum Iordanis in quo baptizabat Ioannes (nam & per Galilæam fluit Iordanis) erant enim in Iudæa, Patris decreto, Euangelij primordia iacienda. VT BA-

ptizaretvr ab eo & baptiſmi occaſione Chriſtus ipſe eſſe ab eo declararetur; declaratusque, negotium illud ad quod miſſus fuerat, diuulgandi Euangelij, conuenienter aggrederetur. Nam, quod Iohannes ipſe ait Ioh. 1. v. 31., *Vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.* Porrò, non eſt profeſſus pœnitentiam Ieſus, dum baptiſmum à Iohanne flagitauit, qui nulli erat peccato pœnitentia delendo obnoxius: ſed profeſſus eſt exſpectari à ſe proximum Dei regnum, id quod alterum erat eorum quæ profitebantur ij qui ſe baptizandos Iohanni offerebant; ſuſcipiens interim ſimilitudinem baptiſmi pœnitentiæ, quemadmodum acceperat ſimilitudinem carnis peccati.

Iohannes autem prohibebat eum [14] dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

ὁ δὲ ἰωάννης διεκώλυεν αὐτὸν λέγων· ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με;

Prohibebat eum. *διεκώλυεν αὐτὸν* arcebat eum. quidam, vt vim exprimant præpoſitionis *διὰ*, vertunt *obnixe prohibebat eum.* Intelligendum eſt, Ieſum cæterorum more ſe obtuliſſe Iohanni baptizandum. At Iohannes conſiderans excellentiam Ieſu, modeſtè obnitebatur, non auſus eum, obſtante perſonæ reuerentia, baptizare: *criminalis enim ei fore viſa fuit vſurpatio poteſtatis, cùm antiquis regulis, maiorem à minore benedici, refragetur,* quod ait Auctor libri de cardinalibus operibus Chriſti. Deo agente id factum eſt, vt ne quis adſtantium exiſtimaret, cæterorum cum more, pœnitentiæ baptiſmo, quòd peccator eſſet quem admiſſorum pœniteret, quique vitæ emendationem promitteret, baptizari. Debeo. *χρείαν ἔχω* neceſſe habeo. mihi opus eſt baptiſmo tuo. Agnoſcit hunc eſſe Chriſtum, quem prædixerat baptizaturum ſuos Spiritu ſancto. Neceſſarius fuit Iohanni baptiſmus Chriſti, vt ſalutem aſſequeretur, non viſibilis ille aqua conſtans (neque enim id temporis ratio poſtulabat) ſed inuiſibilis, viſibilis ipſius effectus, quo baptizatus in ipſo matris ſuæ vtero fuerat. neque enim alterius quàm Chriſti meritis, ab originali peccato mundatus, & Spiritu ſancto donatus fuit. *Ego à te debeo.* q. d. tu non debes à me, id eſt, non opus habes, nec etiam videtur congruum. Et tv venis ad me? emphaticῶs legendum eſt: Tu ad me? ad lutum aurum? ad ſcintillam fax? ad lucernam ſol? ad ſeruum filius? ad præcurſorem Dominus? ad peccatorem agnus ſine macula? cui ipſi nullo baptiſmo eſt opus, præſto eſt autem baptiſmus in Spiritu ſancto & igni, tam mihi quàm cęteris omnibus neceſſarius, ad me mera tingentem corpora aqua? *Ad ſoluendam calceamenti corrigiam ſe profeſſus indignum, acclive ſibi eſſe ſacrum Chriſti caput non patitur. Ideoq; tremebundus, humili ſatisfactione, poſtulanti miniſterium, negat aſſenſum: non quod obedientiam detrahat, ſed quia Deo hominem manus imponere iudicat temerarium, & lauare eum in quo peccatum non eſt arbitratur ſuperfluum.* ſic rurſus Auctor ille de card. oper. Chriſti. Nouerat porrò Chriſtum Iohannes, quem quòd ad faciem numquam viderat (fabulæ enim ſunt Euangelium enervantes, quibus narratur Ieſus ſolitus fuiſſe, Iohannem in deſertis adhuc latentem, aliquando inuiſere) ex afflatu Spiritus ſancti quo plenus erat, quo & ſenſerat illius præſentiam, dum adhuc maternis concluderetur viſceribus. Lu. 1. v. 44. Hoc autem primum ab Iohanne teſtimonium Ieſu præſentis dignitati redditum fuit apud multitudinem: reliqua referuntur capite 1. Euangelij ſecundùm Iohannem: ſed illa quidem poſt baptiſmum, illud mox antè eſt latum: iſtud datum eſt à Iohanne Spiritu ſancto inſpirato quod diximus; illa, ab eo iam certiore facto etiam corporali ſigno apparentis Spiritus ſancti, diuinitus ipſi vt promiſſo ita dato; iuxta illud Ioh. 1. v. 33: *Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua* &c.

Reſpondens autem Ieſus dixit [15] ei: Sine modò. ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Tunc dimiſit eum.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτόν· ἄφες ἄρτι· οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. τότε ἀφίησιν αὐτόν.

Sine modò. permitte id nunc vt à te baptizer, ac deſine tantiſper me prædicare. Non refellit rationem ob quam Iohannes recuſabat baptiſtæ officium; quin potiùs probat, cùm *ſine* ait: *modò* autem cùm addit, temporaria diſpenſatione id fieri ſignificat, vt humiliter à ſeruo baptiſmum accipiat, ſuo pro merito aliquando celebrandus honoreque afficiendus. id quod mox à baptiſmo accidit. Sic. hac ratione, dum eo qui nobis debeatur cedimus honore, noſque ipſi humiliamus & inferioribus ſubiicimus. Tu, inquit, mea amplitudine ac maieſtate indignum, indecorumque ei exiſtimas, ſi à te baptizer: immò verò id maximè me decet, decorumque eſt mihi, vt diſſimulata perſona, humilitatis virtutem ſtudioſè perſequar, omnemque iuſtitiam humiliter impleam. Nos regitur à verbo decet: nam græcè eſt *πρέπον ἐστὶν ἡμῖν* decorum eſt nobis. *Nos* ſ. iuſtitiæ magiſtros: ſe complectitur & Iohannem. Aut de ſe pluraliter loquitur. *me*, hominem hominibus factum, quos, cùm meritis operum meorum, tum exemplis ad iuſtitiam adducam. Implere. opere perficere. Omnem ivstitiam. omne id quod iuſtum eſt, omne quod Deo gratum. non tantùm id quod incumbit præceptorum Dei neceſſitate, verumetiam omne id quod virtuti conſentaneum & Deo gratum eſſe cognouerimus. quale certè erat, ſuſceptio baptiſmatis Iohannis. Nihil, inquit, ob humiliationem noſtri ipſorum, prætermittere oportet, quod Deo probetur. Hęc igitur cauſa fuit, cur à Iohanne Chriſtus baptizari voluerit, vt, quam nouerat Deo gratam eſſe baptiſmatis à Iohanne prædicati ſuſceptionem, humiliter ſubiret. Porrò generalis hæc cauſa fuit, ipſa in ſe alias complectens: vt Iohannis baptiſmum, cui aliqui detrahebant, probaret; vt humilitatis nobis exemplum commendaret; vt ad baptiſmum, quem ipſe, Iohannis baptiſmo nihil forma diſſimilem, inſtituere decreuerat, omnes inuitaret; vt non dedignarentur à ſeruis ſerui baptiſmo Domini baptizari, Domino à ſeruo baptiſmo ſerui baptizato. Concurrerunt & aliæ rationes. vt, qui nouam Chriſtianorum Rempub. condere ſtatuerat cui quotquot adſcriberentur, non niſi baptizati adſcriberentur, eſſet & ipſe princeps baptizatus, nec diſſimilis eſſet fratribus baptiſmo, qui, per omnia, peccato excepto, ſimilis factus fuerat, & ſuſciperet etiam ſimili-

similitudinem baptismi pœnitentiæ, qui assumserat similitudinem carnis peccati, vt factus ceu ægrotorum vnus, eo gratior, quo similior & familiarior medicus, admitteretur. Adhæc, vt nobis æternæ salutis lauacrum consecraret, vt, contactu viuificæ ac peccati nesciæ carnis ipsius, aquæ mundatæ & sanctificatæ, baptismi ius induerent, & idoneæ deinde ad regenerandum ac baptizandorum peccata abluendum forent; vt, per ea quæ, dum baptizatur ipse, contingerent visibiliter, signaret quid inuisibiliter iis futurum esset qui ipsius baptismo baptizandi essent. Denique, vt, baptismi occasione, ipse demonstratus, nec arroganter nec intempestiuè, euangelizandi officium aggrederetur. Has ob causas, Iohannis baptismo, qui fiebat in aqua, baptizari voluit: nam vt proprio suo baptismo, quem ipse institututurus erat, & aucturus Spiritu ita vt non in aqua solùm foret, sed & in Spiritu sancto, baptizaretur, sicut opus non habuit, ita non decuit.

DIMISIT. ἀφίησιν dimittit, simt. s. Iohannes. præsens pro præterito. omisit illum prohibere; permisit illum, vti volebat, à se baptizari. Desiit recusare Iohannes baptistæ in Christum officium, vbi Christi nouisset fixam sententiam: ea enim vera humilitas est, quæ obedientiæ non refragatur. nam superbiæ est pertinaciter resistere. Itaque Iohannes, non sine timore ac tremore, summa cum humilitate animi ac reuerentia, Christum baptizauit. illud consequitur.

καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς[16] ἀπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν.

Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua: & ecce, aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem super se.

Mar. 1. v. 10. Lu. 3. v. 21. 22.

CONFESTIM. Aduerbium istud non tam ad id referendum est quod proximum est Iesum à baptismo ex aqua egressum, quàm ad ea quæ deinde subsequuntur, cælos apertos &c. ita vt significetur: Statim autem à baptismo, vt ex aqua Iesus egressus erat; mox autem egrediebatur; ecce aperti sunt &c. id quod ex Marco facilius possit intelligi: *Et statim ascendens de aqua vidit* &c. ASCENDIT. in terram. Descenderat in fluuium Iesus, cæterorum qui baptizabantur more, crurum tenus aut vmbilico tenus. reliquum enim corporis, immergebat Iohannes, non aspergebat dumtaxat aqua. DE AQVA. ex aqua quam sui sacri corporis contactu sanctificarat. Locus iste Christianis postea venerationi fuit, & tam charus quàm pius catechumenis baptizandis. ECCE res admiratione dignas. APERTI SVNT. non imaginariè, sed reuera. EI. Iesu. vt videret ipse è cælis sibi adferri auctoritatis testimonium, & Euangelij prædicandi delegationem: simul vt manifestaretur Iohanni, & honore ac gloria celebraretur, qui sese ipse eò deiecerat, vt non dedignaretur cum peccatoribus serui manibus baptizari: denique, vt ad aggrediendum Euangelij & redemtionis humanæ negotium, quod non absque difficultate & afflictione varia perfecturus erat, animum acciperet, à patre amari & honorari se animaduertens. CÆLI. cælis proxima aëris aut ignis regio (nam hæc cæli frequenter nomen accipiunt) non enim necesse est ipsos summos cælos intelligere, quos, cùm corruptioni haud subiaceant, credibile non est, Deum, contra eam quam illis indidit naturam, diffidisse: cùm elementi aëris aut ignis diffissio ad hoc sufficeret, vt intelligeretur è cælis proficisci, eam quæ videbatur columbæ speciem, & quæ audiebatur vocem. idcirco enim hoc factum fuit. Formatus itaque, in suprema aëris igniue regione, profundus hiatus fuit, prodigiosa luce coruscus, Iesu & Iohannis oculis conspicuus. ET VIDIT oculis corporis. Quidam subaudiunt Iesus, quidam Iohannes. Iesus enim potiùs vt subaudiatur, requirit verborum syntaxis; vt verò Iohannes, obuia ratio. quippe cui declarandus fuerit Christus, non Christus ipse sibi. Ego ancipitem esse locum existimo, vt vtrumuis vel etiam vtrumque subaudias, quemadmodum fecere Glossæ interlinealis auctor & Richelius. Iesus enim vidisse refertur, vt certum eum prorsus factum intelligas sui à Deo ad euangelizandi munus missionis & vnctionis; ne temerè eum eò prosiluisse crederes, quò nemo nisi euidenti accepta delegatione audere debet prorumpere. *Nec quisquam* (inquit Apostolus Heb. 5. v. 4. 5.) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit* &c. Iohannes autem vidit, vt satisfieret diuino promisso: hoc enim ei à Deo promissum fuerat visibile signum agnoscendi Christi, quod & à se testatur acceptum, Iohan. 1. v. 32. 33: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum de[scenden]tem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Itaque & Iesus & Iohannes ex aperti[s cælis vi]derunt Spiritum sanctum columbæ specie, simul & audierunt Dei Patris vocem (hæc enim du[os ... p]ertinuerunt) sed an cætera hominum præsentium multitudo hæc eadem viderit & audierit, [...]ta, nominatim Auctori libri de duplici martyrio Cypriano adscripti. Scriptura nihil hac de [re ...]amen diligenter expendatur, fauet parti neganti in quam propendent Dionysius Richelius & [...] [Ca]ietanus. Volens enim Iohannes Baptista testimonium perhibere de Iesu: *Vidi* (inquit Ioh. 1 [...] *[Spirit]um descendentem quasi columbam* [...] *& mansit super eum.* Quòd si præter ipsum viderant illud [...] [Ioha]nnes, vel non erat ipsi apud [...] ipsi viderant res ista producenda, vel si erant alij, dicen[...]at, non *Vidi*, sed *Vidimus* [...] lus omnis præsens. fuisset enim testimonium multo [...] publicum. [...] tes omnes viderunt columbam & audierun[t ...]rim[...] qui præceptori indiuulsè adhærebant. [...] rabilem Iesu præ se excellentiam, & [...] suum (Ioh. 3 v. 28.) nequaquam h[...] [...]m allatum testimonium, si illius spe[...] [...]erat comprehensibilia, quale est [...] [...]odie- apertè promiscuo vulgo [...] [...]achi- rat discipulos suos le[...] [...]pudiatis [...] mundi

tribus ex ipsorum numero, addita etiam prohibitione ne cui illud ipsi reuelarent ante resurrectionem suam. infrà 17. v. 9. Cæterùm etsi solis Iesu & Iohanni visio ista exhibita concedatur (certè vox Patris non hîc addit quod infrà 17. v. 5. *ipsum audite*, quod nec addi permittit secunda persona qua vtuntur posteriores Euangelistæ, non tamen ipsis solis seruiuit, sed seruiuit & aliis, quibus eam ipsi, & ex ipsis alij aliis, congruo tempore ac modo reuelare debuerunt: quemadmodum Baptista fecit, & ex eo Euangelista, Ioh. 1. v. 32. & 34: *Et testimonium perhibuit Iohannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo & mansit super eum. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* SPIRITVM DEI. Spiritum qui à Deo procedit viuificum; Spiritum sanctum qui à Deo emanat. DESCENDENTEM ex intimo apertorum cælorum recessu. Non ipse Spiritus qui vbique est repletque orbem terrarum (Sap. 1. v. 7.) sed columbæ species quæ apparuit, descendit, *vt*, inquit Augustinus, *exterioribus visis corda commota, a temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis conuerterentur* (libri 2. de Trinit. cap. 5.) & intelligerent singularem hic ipsius præsentiam per gratiam, qui vbique est per naturam. SICVT COLVMBAM. non id est, descendentem in morem columbæ, sed, *descendentem*, vti Lucas habet, *corporali specie sicut columbam*; specie, similitudine, figura columbæ, ipsum repræsentantis, præsentemque ostendentis. Sic Actorum 2. v. 3. apparuerunt *dispertitæ linguæ tamquam ignis*, id est, specie, figura linguarum ignearum Spiritus sanctus apparuit. Porrò, vt non verus illic ignis, sed ignis similitudo: ita nec vera hîc columba, sed columbæ similitudo. id quod B. Ambrosius docet in præfatione tertij libri de Spiritu sancto: nec ab ea sententia abhorret Augustinus epistola 102, quamquam alibi aliud sentiat. Corpus simile corpori columbæ ex elementari materia repentè formatum fuit & motum, angelico ministerio aut diuina alioqui virtute: quod, peracta significatione præsentiæ Spiritus sancti, in præiacentem materiam reuersum, esse desiit. Propterea autem corporea species siue similitudo apparuit, vt eo signo, Spiritus sancti naturâ inuisibilis, præsentia, ipsis oculis Iesu & Iohannis monstraretur; columbæ autem idcirco, vt, Spiritus sancti, qui adesse signabatur, Christique, qui Spiritu sancto vnctus docebatur, proprietates exprimerentur. Columba animal est fœcundum, homini amicum, mansuetum, gratiosum, & bono gaudens odore: & Spiritus sanctus delectatur mundis hominum mentibus, atque iis maximè quas commendet odoriferarum virtutum gratia: benignus, liberalis, munificus est, cælestium charismatum diues elargitor. Columba candida est, mitis, innocens, simplex salutaris, miro affectu prosequens pullos suos. Hæc in Christum dilucidè conueniunt, vt ne metuamus ad ipsum accedere, qui non formidabili Spiritus potentia, sed amabili & placida gratia indutus nobis occurrit. SVPER SE. Iesum. insidentem in sacro Iesu capite. Græcè est pronomen non reciprocum *αὐτὸν*, sed vt sæpe illud loco reciproci positum legitur, ita anceps esse malim intelligi, vt, & Christo & Iohanni, quemadmodum diximus, columbam visam queas exponere. Certè quod hîc vertit Interpres *super se*, secundùm Marcum vertit *in ipso* seu *super ipsum*, græco sermone vtrobique dicente *ἐπ' αὐτόν*. Iam quòd subsidit in Christo, columbæ Spiritum sanctum repræsentantis species, non fit virtute baptismi Iohannis, tanquam illo daretur Spiritus sanctus (nam vt id accidit post baptismum Iesu ex aquis egresso, ita reliquis à Iohanne baptizatis haud acciderat) nec ideo fit, vt monstretur impleri Iesum Spiritu sancto (cui à primo adsumtæ hominum naturæ momento non ad mensuram Spiritum Pater dederat) sed vt ostēdatur Spiritu sancto plenus esse. Cùm enim hactenus se domi tamquam priuatus homo continuisset, nunc cùm producendus est à Patre ad præstandum Redemtoris munus, huiusmodi signo declarat eum Pater Messiam illum esse, quem olim ipse promiserat, vnctum affatim omnibus Spiritus sancti dotibus, ad euangelizandum pauperibus, medendum contritis corde, prædicandum captiuis indulgentiam, &c. Isa. 61. v. 1. 2. 3. Nec solum ipsum esse Spiritu sancto plenum abundeque vnctum, sed & de plenitudine sua alios vncturum adeoque baptizaturum Spiritu sancto. Sic enim interpretatus est signum istud ipse Pater, qui Baptistæ illud promiserat. Iohan. 1. v. 33. *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Vt enim olim cùm vniuersum aliquando orbem naufragium commune mersisset, & omne prorsus hominum genus in periculum exterminij adductum esset, apparuit Noëmo columba, finem tempestatis illius ostendens, atque, ore allato oliuæ ramusculo, tranquillitatem mundo redditam nuncians (Gen. 8. v. 11.) ita modò Spiritus sanctus Iohanni apparuit columbæ specie, humani generis è malis omnibus liberatorem monstrans, & Dei per eum gratiam orbi oblatam annuncians. Denique subsidit in sacrum Iesu verticem Spiritus sanctus, vt tamquam Dei digitus extensus (vocauit Christus Spiritum sanctum Dei digitum Matth. 12. v. 28.) monstret certò, in quem proxima Dei è cælis vox feratur.

Mar. 1. v. 11. Lu. 3. v. 22. Inf. 17. v. 5.

Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

17 καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

ECCE rem aliam non minùs stupendam. Interea dum insideret Spiritus Dei columbæ specie in capite Iesu, magnifica VOX lapsa est DE ex apertis coruscisque CÆLIS, Deum Patrem repræsentans loquentem. Vnde columba venerat oculis conspicua, inde venit & vox auribus insonans: neque enim, aut sine voce columba, aut sine columba vox, Christum certò demonstrasset. columba absque voce, non intellectum fuisset quid sibi vellet: vox absque columba, in incertum lata fuisset. Cæterùm cùm Pater nec audiri possit nec conspici aut vllo corporis sensu percipi, *vox hæc cælitus delata, non Patris propria exstitit*, sed, quod ait Victor Antiochenus, *in Patris persona, angelorum ministerio efformata fuit.* Aptè autem per vocem Pater innotuit: ipse enim ineffabilis verbi, quod eum orbi notum reddidit, genitor est. Atque hunc oracula reddendi modum, voce è cælis missa, seruauit Pater, dum eius filius in terra versaretur. Matth. 17. v. 5. Ioh. 12. v. 28. Hic iam cœptum est SS. Trinitatis mysterium clarè aperiri, quod Christi deinceps prædicatione diuulgandum, *nulli vnquam patriarcharum aut prophetarum*, ait Richelius, *tam aperte ac distinctè reuelatum fuerat, quam hic Iohanni*, Patre apparente in voce, Filio in carne, Spiritu sancto in specie columbæ, quamquam diuersimodè: nec enim ita vox & columba vnitæ fuerunt Patri & Spiritui sancto, quemadmodum caro Filio.

Fuit

Fuit quidem totius Trinitatis effectus tam vox quàm columba: sed columba solum repræsentauit Spiritum sanctum, vox solum Patrem, vt & solius Patris est dicere: *Hic est filius meus*. Magnus itaque Iohannes, cui se baptizandum credit Filius, se videndum inuisibilis exhibet Spiritus, suum de cælo filium commendat Pater. HIC homo Iesus, quem emisso Spiritu meo demonstro. EST. quem hactenus promisi, iam præsentem exhibeo. Verisimilius est dictum esse TV ES, ita vt habent Marcus & Lucas: sed vt significaret Matthæus, Deum Patrem voluisse Iohannem eius rei certiorem factum, retulit eandem sententiam sub tertia persona: HIC EST. FILIVS MEVS. ὁ υἱός μου ille filius meus, *non adoptiuus sed proprius, non aliunde creatus sed ex me genitus, nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus æqualis. Hic est filius meus, quem a me non separat deitas, non diuidit potestas, non discernit æternitas: qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetijt nec vsurpatione præsumsit, sed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum, exsequeretur commune consilium, vsque ad formam seruilem inclinauit incommutabilem deitatem* (hæc ferè D. Leo sermone de transfiguratione. Hic est ille filius meus, olim à me promissus Rex, Sacerdos & Doctor (Psal. 2. v. 6. 7. Psal. 109. v. 3. 4.) DILECTVS. Mar. 9. v. 7. vertit *charissimus*: non enim participium est, sed nomen, vox cuius vsus est græcè. ὁ ἀγαπητὸς ille dilectus (repetitur articulus magna emphasi) multi dilecti, ille vnicè dilectus tamquam vnigenitus. Cùm enim quis vnum solum possidet filium, maximè eum diligit: si verò pater factus sit plurium, dispartitus affectus remittitur, ait veterum quidam. Alij ergo filij, solummodo quia dilecti: hic dilectus, quia filius. IN QVO non in alio, quicumque ille sit, nisi per hunc, MIHI COMPLACVI. explicat dilecti rationem. Græcè non additur *mihi*. ἐν ᾧ εὐδόκησα in quo complacui, in quo beneplacitum est mihi, in quo acquieuit animus meus. Phrasis est sacris literis peculiaris, ex hebræo orta. Græci enim interpretes, hebræum רצה *rasa* cum præpositione constructum, ad hunc verterunt modum, vsi voce εὐδοκεῖν, qua, propensum animum ac præcipuum quendam erga alium affectum, expressum voluerunt. Psal. 146. v. 10. 11. Psal. 149. v. 4. Sensus itaque est: Qui mihi solus & singulariter placet (est enim præteritum pro præsenti) & in quo nihil mihi displicet: ideoque me illo oblecto vnicè, & singulari eum amoris affectu prosequor, in eoque acquiesco, ita vt gratissimum mihi futurum sit quidquid per illum agetur, per quem denique ego erga alios placari, alijque mihi placere poterunt, per quem inquam ego mundo reconciliari decreui. Innuit enim sic in Christo acquiescere Dei amorem, vt sese ab eo ad alios diffundat, eumque intuens iram omnem offensionemque erga alios ponat, illum alijs omnibus opponens, & non tantùm charissimum filium suum esse, verumetiam quorsum eum mittat declarans. Patri Filius singulariter præ omnibus placet, quippe Patri per omnia similis, & secundùm diuinam naturam, *qui splendor gloriæ & figura substantiæ eius est* (Heb. 1. v. 3.) & secundùm humanam, qua ab omni peccati labe alienissimus, virtutum charismatumque splendore ornatissimus, denique Deo ita vnitus est, vt non alius æquè aut sit aut esse possit. Quin & solus Patri Filius placet, ita vt nemo nisi per eum propterque eum placeat, in quo vno Pater constituit nostram omnium salutem. Quocirca Patres hanc Dei vocem opponunt veteri illi *Pœnitet me fecisse hominem* (Gen. 6. v. 7.) nam non amplius se pœnitere declarat creati hominis Deus, postquam in homine Christo se vsque adeò sibi complacere testatur. nec enim fieri potest, quin quum illum intuetur, omnem aduersus homines conceptam indignationem deponat. Videri possit hac Patris voce respectum fuisse ad Isaiæ locum cap. 42. v. 1: *Ecce seruus meus, suscipiam eum* &c. qui huc apprimè spectat. Baptista denique ad hanc vocem auditam alludere videtur, dum ait Ioh. 1. v. 34: *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*. Porrò his omnibus exornatum & consecratum fuit baptisma Iesu, tamquam exordium muneris eius, vt tam in publicum prodeunti auctoritas apud populum per Iohannem conciliaretur. *Incipiens enim Iesus à baptismate Iohannis* (quod ait Petrus Act. 1. v. 22.) obiuit illud ad quod à Patre missus fuerat negotium, sermone prædicandi & reipsa exhibendi Euangelij. Quare significatum hîc est, mox aperienda Iesu doctrinâ secreta cælestia &, baptismi quem daturus esset virtute, adducendos eos qui in ipsum credituri essent in regnum cælorum, adoptatos in filios & Spiritu sancto donatos. Omnia enim quæ Christo à Iohanne baptizato acciderunt visibiliter, fidelibus baptismo Christi baptizatis contingunt inuisibiliter. Verè enim ad inuocationem sacræ Trinitatis (nam & complet Trinitatis Sacramentum lauacrum Christi) adest ipsa Trinitas, aperit iis qui baptizantur cælos, largitur Spiritum sanctum, formatque Dei filios, id est, ablatis peccatis, donat Spiritu adoptionis filiorum, pignore cælestis hereditatis; si tamen columbinam adferant, dolo ac fictione carentem, simplicitatem. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Sapientiæ 1. v. 5.

CAPVT QVARTVM.

Τότε ὁ Ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου. [1]	Tūc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.	Mar. 1. v. 12. Luc. 4. v. 1.

TVNC. statim postquam hæc accidissent apud Iordanem. DVCTVS EST. ἀνήχθη subductus est, quod est, aut è medio abductus siuè seorsum ductus est, ita vt sit ἀνὰ pro χωρὶς vel ἀπὸ; aut sursum ductus est, ita vt sit positum pro ἄνω, habita scilicet ratione situs deserti comparati Iordani fluuio. posteriori hoc modo vsurpatur verbum istud Luc. 4. v. 5. Nec quidem Iohannis præconio commendatus adeoque cælitùs auctoritate accepta statim ad prædicandum prorumpit Iesus, verùm à turbarum oculis aliquantisper adhuc subducit sese (nec enim nisi sponte sua ductus fuit) tum ne videretur eo quod acceperat testimonio subitò elatus, tum vt hoc secessu auctoritatem sibi apud populum augeret, cum quo hactenus tamquam vnus è vulgo fuerat conuersatus. IN DESERTVM Iudææ proximum, in interiora deserti proximi, ex quibus prodierat Iohannes Baptista. vide suprà 3. v. 1. Hoc Christiani posteà desertum Quarentanæ vocarunt ab hac historia. Solitudo assentatorum sodalitio vacua, & eremus carens arbitris, accommoda est iis, qui, repudiatis

mundi

mundi cupiditatibus, nouam ac cælestem vitam meditantur; vt facilè inquinantem hominum conuictum euitent, vt abstinentia carnem edoment, vt orationi diuinarumque rerum contemplationi assiduam operam dent: quæ baptizatos omnes decere, maximè verò eos qui aliorum doctores futuri sint, suo hoc Saluator exemplo testatum reliquit. Singulariter enim Deum solum inspectorem adiutoremque volunt hæc habere certamina, ne sanctis seruorum Dei sudoribus laus importuna se ingerat. A SPIRITV. (ὑπὸ τοῦ πνεύματος) eo qui mox ipsius vertici insederat non inane signum, eo quo mox plenus fuerat declaratus, *à Spiritu sancto*, id quod expressit Syrus. nam & articulus græcè cùm additur, ferè de Spiritu sancto sentiendum esse, Didymi regula est, libro primo de Spiritu sancto. Iam quòd ductus Iesus dicitur à Spiritu sancto, non ita intelligendum est, quasi non sponte secesserit, sed quòd spiritus humanus Iesu, sequutus sit ducem Spiritum diuinum Iesu, qui natura idem vnus est cum Spiritu sancto. Spiritus Iesu vt hominis, nulla in re discors vnquam fuit à Spiritu sancto; vt Dei verò, vnum est quod Spiritus sanctus. Dicat aliquis, Si Spiritus diuinus Iesu & Spiritus sanctus sunt vnum, sufficiebat Iesu spiritus suus, diuinitas inquam humanitati vnita, nec opus erat dicere ductum à Spiritu sancto, aut certè similiter dici poterat à Patre ductus. Respondeo, quòd Iesus ductus à Spiritu sancto dicatur vt homo, non quòd opus haberet Spiritu sancto, tamquam oportuerit eum aliunde iuuari nec sufficeret ipsi diuinitas sua, vel non coöperaretur diuinitas patris (vt enim vna est Trinitatis natura & opus omne indiuisum, ita cooperata est Trinitas toti curriculo vitæ Iesu, sed quòd arcanæ literæ Spiritui sancto, qui est Patris & Filij amor, adscribant dona cælestia, & inter cætera, illud eximium, quo homo, in iis quæ agit omnibus, sequitur non proprium sed diuinum instinctum: id quod fit septem illis donis quæ super Christum requieuisse memorat Isaias cap. 11. v. 2. Quare significat hîc Euangelista, Iesum, in eo quòd à Baptismo secedit in desertum, & in omnibus quæ deinde actus est, sequi instinctum Spiritus diuini, non humani alicuius, qui à diuino vel tantillum discrepet. An igitur à puero hactenus caruit Iesus ductu Spiritus? non, sed idcirco iam potiùs illud Iesu attribuitur quàm hactenus, quòd iam ab apparitione ipsius spiritus qua declaratus fuerat plenus Spiritu sancto, tamquam noua indutus persona, repenteque mutatus in virum alium, argumenta ediderit manifesta agentis Spiritus sancti ad aggrediendum sublimissima Euangelij ac regni Dei negotia, qualia nunquam hactenus ediderat. Non enim, inquit Euangelista, reuersus est in Galilæam, in domum maternam ex qua venerat, nec tamquam plebeius ampliùs inter homines versatus est, sed diuini Spiritus instinctu in desertum actus est, & totus deinde muneri Christi peragendo inauguratus. vide Lu. 4. v. 1. Docemur hîc, qui baptismatis gratiam consecuti sumus, sequi ductum Spiritus (nec enim alij sunt filij Dei quàm qui aguntur Spiritu Dei. Rom. 8. v. 14.) ducere autem Spiritum eos quos replet, ad pugnam, nec sinere esse otiosos. nam sine hoc Spiritu qui ad pugnam vadit, citò victus cadit. VT TENTARETVR. vt ad peccatum solicitaretur. Tentare est rei incertæ experimentum capere: quod quidem facit diabolus, dum suggestionibus peruersis atque oppugnationibus variis fortitudinem constantiamque hominum experiri desiderat: sed quia illud facit, non tam vt nouerit eam, quàm vt labefactet, homine ad iniquitatem pertracto, hinc tentare, diabolo, similiter mundo & carni, hominis inimicis, attributum, ponitur in vitio, pro eo quod est ad peccatum solicitare. Hanc porrò assignat Euangelista secessus Christi in desertum causam, *vt tentaretur a diabolo*; non quòd sola fuerit, sed quòd inter multas, quas iam ferè intelligendas dedimus, præcipua. Quoniam enim Christus venerat in hunc mundum ad expugnandam Satanæ tyrannidem, primùm omnium post baptismum tentationibus Satanæ obiicitur, & monomachia quadam cum ipso committitur, vt hac pugna viam sibi aperiat ad inuadendum ministerio suo regnum Satanæ, nec nisi tentationibus probatus, quasi posito tyrocinio, ad tam arduum & præclarum opus se accinxisse videatur. In hunc finem in desertum ductus est, non quòd extra desertum diabolus Iesum tentare non posset aut non vellet, sed quòd in deserto commodissimè & expeditissimè id sibi facere videatur, vbi nullum adest sodalitium humanum, quod tentatum soletur, aut terriculamenta machinamentáve ipsius turbet, dissipet, vel impediat. Sic enim intelligimus ex S. Anthonij & aliorum eremicolarum vita, eos à diabolo grauissimè infestari, qui carne ac mundo subactis, solitarij angelicam vitam moliuntur. Voluit autem Spiritus sanctus Iesum, non quaslibet subire tentationes, sed acerrimas atque grauissimas: Verùm id voluit, non in eum solum finem vt tentaretur, sed vt tentationes vinceret viriliter & gloriosè superaret; nec id causa Iesu, quem certum erat victorem fore, sed nostra potissimùm. Cùm enim nobis expediat, adeoque necessarium sit hac in vita, vt permittat nos Deus tentari, seu ad malum solicitari, & quidem pluribus de causis, vt nobis ipsi innotescamus, ne nos ipsós extollamus, ne torpeamus sed vigilemus & variis tentationibus exercitati fortiores reddamur, denique vt virtus virtutisque præmium frequenti tentatione nobis augeatur: voluit Spiritus sanctus Iesum nobis & hac in parte esse similem, vt pusillanimitatem adimeret tentatis, monstrans se eum esse, qui diabolum, vincentem hactenus humanum genus, vincere posset, v ctturusque omnino esset, cuius auxilio & nos homines eum vincere possemus; & docens nos modum diabolicas tentationes superandi, ieiunio, vigilia, oratione, ac verbi Dei scripturarumque meditatione; Itaque mediatorem se nobis ad superandas tentationes proponeret, tum per adiutorium, tum per exemplum. *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus* (ait Apostolus Heb. 2. v. 18.) *potens est & eis qui tentantur auxiliari*. Ostendere denique voluit, ab eo optimè euangelizandi munus obiri posse, qui, postquam castigatum corpus in seruitutem redegerit, & variis tentationibus probatus, omni, luxuriæ, ambitionis, atque auaritiæ desiderio superior factus fuerit, non est in periculo *ne cùm aliis prædicauerit ipse reprobus efficiatur*. 1. Cor. 9. v. 27. Mox autem à baptismo tentatus docuit, tùm maximè vrgere cum dæmone pugnam, cùm baptizatus es aut nouam vitam meditaris, quippe qui tunc, nomine dato Deo, diabolo hostilitatem indixeris. Cùm enim diabolus ad meliora tendentibus semper inuideat, *tunc magis cauendum est, ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas*, inquit Ambrosius. Cæterùm ne tu te in tentationum laqueos temerarius iniicias, non Christus ipse tentationes expetiuisse dicitur, sed ad tentationis locum à spiritu ductus: quamquam ipse, vt nouerat se ab hoste superari non posse, ita poterat velle, volebatque ad nostram doctrinam, tentari. A DIABOLO. spiritu immundo. Diabolus nomen habet à deferendo, traducendo, calumniando, accusando (hæc enim græcis sonat verbum διαβάλλειν ac nomen διαβολή) quasi delator, calumniator, &, vt Apocalypsis ait cap. 12. v. 10., *fratrum accusator* (eo enim refert studia sua omnia,

vt ho-

vt homines vituperabiles reddat & inuisos Deo; ad peccatum solicitet, & solicitatos calumnietur, capitisq; accuset, iure, iniuria) quod nominis ferè LXX dederunt pro Hebræo *Satan*. Porrò hic κατ' ἀντονομασίαν pro principe diabolorum Lucifero positum videtur, vt infrà 25. v. 41: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius*. & Apoc. 12. v. 9: *Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, proiectus est in terrã, & angeli eius cum eo missi sunt*. Verisimile est enim, ipsum dæmonum principem, qui primum hominem fuerat aggressus, secundum quoque aggressum fuisse, eo quidem consilio suo, vt princeps ipse certiorem victoriam de ipso reportaret, sed ea Dei ordinatione, vt in principe dæmone cæteri quoque omnes à Christo superarentur confusi. Cæterùm non fuit Spiritus sanctus diabolo auctor vt Christum tentaret: sed cùm semper ille (qua laborat inuidia) hominem vexare, tentare & ad peccatum solicitare paratus sit, nec aliud quàm quærat, circumiens tamquam leo rugiens occasiones opportunissimas secum à Deo abducendi, perdendi, ac deuorandi (est enim humanæ salutis hostis iuratus singulariter autem hîc, cùm princeps ipse dæmonum miris modis expeteret commoditatem acerrimè oppugnandi Iesum sanctissimum, quem multis iam modis declaratum Dei filium metuebat regno suo plurimum nociturum, nisi ipse illum ad peccatum pertractum Deo redderet inimicum; Obiecit Spiritus sanctus ipsi Iesum antagonistam, protrusum in desertum, tamquam in locum certaminis. Nam cùm tres sint humanæ salutis inimici, qui hominem tentent, caro, mundus, diabolus, à diabolo aut à mundo tentari Iesus debuit quando tentari debuit, qui à carne siue concupiscentia sua, spiritui perfectè subiecta, ad peccatum solicitari non potuit. Hîc igitur describitur, quî Diabolus per se tentarit Christum: postea verò multæ mundi, hoc est, hominum mundanorum tentationes narrantur, quibus Christum impetiuerunt, nunc sua mala sponte, nunc à diabolo instigati, qui carne & mundo plerumque vtitur vt ministris.

καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπείνασε. [2]	Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.	*Mar.* 1. v. 13. *Luc.* 4. v. 2.

CVM IEIVNASSET. Insontem suam carnem ieiuniis afflixit, vt nos doceret sontem nostram affligere. Ieiunio se muniuit, vt nos doceret ieiuniũ optimum esse aduersus tentationes munimentum, & ieiuniis vacandum inter tentationes, non deliciis. Adam in paradiso à diabolo victus est oblectamẽto cibi, Christus in deserto diabolum vicit asperitate ieiunij. QVADRAGINTA DIEBVS. ἡμέρας τεσσαράκοντα dies quadraginta. continuos. Promulgaturus orbi legem nouam, cunctaque innouaturus, secessit, & ad quadragesimum vsque diem ieiunium produxit, vt tamquam nouus immo cælestis homo prodiret ad exsequendum munus suum: quemadmodum Moses fecerat accepturus & populo traditurus veterem legem (Exo. 24. v. 18. & 34. v. 28.) itaque vt Elias, nouis principibus Rempublicam innouaturus (3. Reg. 19. v. 8.) vt Euangelium legi & prophetis ostenderet consentaneum. NOCTIBVS. νύκτας noctes. Noctium additur mentio, ne putes, ieiunium fuisse, quale Iudæorum iuxta legem, qui interdiu ieiunare iussi, vesperi noctuque edere poterant. Dies noctesque quadraginta continuas, vno ieiunio vniuersam Iohannis Baptistæ abstinentiam superans, inediam Iesus tolerauit, diuinitate humanitatem fulciente, non vt omnino non adfligeretur, sed vt non tantùm adfligeretur, quantùm ea ieiunandi ratione adfligi nata erat quæ nata erat etiam extingui: id quod tamen supra humanas vires sic erat, vt ab hominibus aliquando factum diuinæ literæ prodiderint, à Mose inquam & Elia: quorum ille fecit, confortatus præsentia & alloquio Domini (Exod. 34. v. 28.) hic fortitudine cibi ab Angelo subministrati (3. Reg. 19. v. 8.) Iesus propria suæ diuinitatis virtute. Quare non excessit Iesus eum numerum, ne humanæ naturæ suæ veritatem in dubium verteret; tum etiam quòd quadragenarius numerus pœnitentiæ seruiat & afflictioni: quem in ieiuniorum pro modulo nostro obseruantia voluisse Saluatorem exemplo suo nobis esse commendatum, sancti Apostoli intellexerunt, auctore beato Hieronymo epistola 54. ad Marcellam aduersus Montanum. Has porrò quadraginta dies noctesque quas Christus ieiunauit, non in otio duxit, immo in otio duxit sancto, perseuerans in oratione, incumbens diuinis laudibus & gratiarum actionibus, intentus contemplationi & alloquio Dei (cuius suauitas vel sola sufficit sostinendæ & à morte seruandæ naturæ infirmæ, cum Deo agens, atque ab eo accipiens mandata quæ hominibus deferret, secum & cum Deo statuens quibus rationibus ac modis iam exsequuturus esset munus ad quod erat missus Euangelium promulgandi & salutem hominum procurandi, quid priùs, quid posteriùs docturus, operaturus, toleraturus esset, felicem omnium successum Patri instantibus precibus commendans, & cætera huiusmodi. POSTEA. peractis illis diebus quadraginta & totidem noctibus. ESVRIIT. Sicut virtute diuinitatis seruatum fuit corpus à morte in tanto ieiunio, ita retentus fuit appetitus animalis ab actu esuriendi: Non quòd nullam prorsus esuriem inediamve sit passus, sed quòd non tantam quantam post quadragesimum diem, quando & esurientis modo cœpit se habere. Verùm nec tunc quidem necessitate coactus esuriit qui præest naturæ, sed voluntate, vsque adeò vt D. Augustinus scribat, mirabilius in Christo fuisse quòd exactis quadraginta diebus esuriit, quàm quòd labentibus illis nil comedit. Aderat enim Christo facultas seipsum absque cibo seruandi: sed concessit quando voluit humanæ naturæ quæ sua sunt pati & agere. Igitur post quadragesimum diem, diuinitate humanitatem suæ ipsius infirmitati relinquente, cœpit vacillare humana natura, & manifesta molestæ famis argumenta edere, siue stomachi murmur, siue alia similia, cibum etiam fortasse quærere: vnde diabolus tentandi occasionem accepit. Idcirco enim reliquit Dominus humanam naturam ipsam sibi, vt & se verum hominem monstraret (*esurijt*, ait sanctus quidam, *humilis homo Deus, ne inimico innotesceret sublimis Deus homo*) & diabolo pia fraude circumuento tentandi occasionem præberet, quasique ad duellum prouocaret. obiecta est illi velut esca, humani corporis infirmitas: sed impegit ipse in vncum diuinæ virtutis.

Et ac-

Luc.4 v.3.

Et accedēs tētator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. 3 καὶ προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων εἶπεν· εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται.

ET. Oblata huiusmodi famis occasione. Nota dęmonem tentandi occasionem arripere ex concupiscentia etiam ea quæ necessaria est & secundùm naturam. ACCEDENS. προσελθὼν αὐτῷ cùm accessisset ad eum, cùm venisset ad eum. Græcè pronomen iungitur verbo *accedens*, quod latinè & syriacè verbo *dixit*. Significatur autem visibili forma apparuisse (accedere enim & aduenire, motus est corporalis progressiui) simul etiam, extrinsecus dumtaxat tentationes, non intrinsecùs motas. TENTATOR. ὁ πειράζων ille tentans. participium loco nominis, quod Hebræis familiare est. ita κατ' ἐξοχὴν appellatur diabolus etiam ab Apostolo 1. Thessal. 3. v. 5., pro eo quod est, ad malum solicitator. Apparuit, quod dixi, visibili forma, &, quod non dubium est, humana, qua cognosci non posset diabolus, immo putari posset pius aliquis eremi cultor, quò faciliùs falleret. DIXIT. Obseruauerat Saluatorem cautè diabolus, totis superioribus quadraginta diebus, variéque tentauerat, sed cùm nihil profecisset, vbi tandem animaduertit esurie laborantem, sciens vbi fames est ibi & imbecillitatem esse, existimauit illum sibi ex ea parte aggrediendum, quæ infirma ostendebatur. SI FILIVS DEI ES. Si tu es Christus filius Dei quem promiserunt prophetæ, qui esse videris; iam ostende vrgente te necessitate. Dicas diabolum alludere ad vocem eam quæ pridem cælitùs ipsi audita fuerit & intellecta: *Tu es filius meus dilectus* &c; id quod dicit cum sua schola Chrysostomus: Latini tamen plerique intelligunt, diabolo aliunde cognitum fuisse, ex prophetis inquam, tam Christum fore Deum & hominem, quàm adesse tempus aduentus eius; itaque, cùm obseruasset, & ea quę nato Iesu acciderant, & immaculatam vitam Iesu, & iam tandem Iohannis de Iesu testimonia non obscura, hæcque inter se contulisset, suspicatum fuisse quod res erat, Iesum esse Christum filium Dei, sed cùm nondum animo ipsius factum esset satis, voluisse illud experimentis, qualia hîc describuntur, discere. Cùm enim fame confectum cerneret, *& mortalia perpeti humanitatu videret, omne quod de eius diuinitate opinatus fuerat, ipsi fastu suæ superbiæ in dubium venit*, ait Beda in Lucam: *nihil quippe nisi superbum sapiens, dum Iesum hominem esse passibilem & humilem conspexit, Deus an esset dubitauit, ac proinde ad tentationum argumenta se conuertit*. Hoc itaque quod timet explorat hîc, an Iesus sit Christus filius Dei, ita vt Deo se profiteatur credere, & homini conetur illudere, adulans vt decipiat. Cæterùm non necesse est intelligas, dęmonem ex abrupto in hæc verba prosiliisse *Si filius Dei es*, sed verisimile est, multis iisque compositis verbis, conatum fuisse Iesu persuadere necessitatem cibi miraculo euocandi, quia id posset vt filius Dei, opusq; haberet vt homo &c. nam Euangelista sententiam dumtaxat retulit. DIC. id est, Iube (ex phrasi Hebraica) facilè enim id ipse potes si filius Dei es, nec opus habes vt à Deo Patre exspectes cibum, à quo te vides derelinqui fame periclitantem, qui nihil minus potes quàm ipse tuus Pater. Non ignorauit dæmon Dei filium eiusdem esse cum Deo potentiæ, qui & ipse id possit, quod solus Deus potest, rerum substantias imperij sui nutu transmutare. Quare non vult vt precibus à Deo impetret: nec enim inde intelligere potuisset an Dei filius esset.

VT LAPIDES ISTI qui hîc iacent PANES FIANT. conuerte lapides istos in panes, quibus famem sedes; præsentes lapides in panis muta substantiam, sic enim fiet, vt & euadas mortis periculū ex fame imminentis, & probes te Deum. Postquam, inquit, vides te à Deo Patre deseri, necessitas cogit vt tibi ipse de victu prospicias: hoc autem loco procul abes ab omni commeatus copia, vbi nihil præter lapides suppetit. Succurre igitur necessitati tuæ, si potes, ne deficias: & victum, quem Deus tibi non suppeditat, confice ipse tibi ex lapidibus, transmutatis, non in delicias, sed in panem, in cibarium ac necessarium commeatum. sic enim loquitur, quò faciliùs impetret id quod petit. Hortatur itaque Iesum Satanas vt subueniat periclitanti naturæ, quasi compatiens & curam salutis eius gerens, reuera autem decipere studens, & inprimis explorans an Iesus sit Christus, verus atque ὁμώνυμος filius Dei, vt re comperta, omnes in id neruos intendat, quò salutem hominum, quam Dei filius moliatur, ipse præpediat. Agit verò id hunc in modum: Si in panem lapidem vertat, proculdubio, cùm id non nisi diuina virtute fieri possit, Dei filius est; Quòd si non vertat, liquet non esse: nec enim non velle potest, qui fame perit; volet autem etiam vel vt suo consulat honori. Ita autem explorat an sit Dei filius, vt simul ad varia peccata conetur pertrahere; & quidem ad gulam, vt ad cæterorum radicem. Nam fame afflictum ad famis impatientiam sollicitat, eiusmodi, qua diffisus se Deo esse curæ, ipse sibi illicitis modis victum paret: diaboli consilio morem gerens, & potentiam intempestiuè exserrans, rerum naturas, vt ventris necessitati satisfaciat, miraculo transmutet si possit, & acceptum panem auidiùs quàm par sit famelicus voret (nam & huc fortè spectat, quòd non vnicum, sed plures lapides iusserit transmutari) si non possit, desperet sibi. Inde igitur cœpit Satanas, vnde iam vicerat. Admouit primum illud & efficax gulæ telum, quo principes humani generis deiecerat: quamquam illos tantùm solicitauerat illecebra pomi blandientis; hîc fames, intolerabile malum, adiuuabat tentatoris conatum. His refutata sit impudentia Caluini, qui nouus doctor veteres parum firmis argutiis lusisse hîc ait, dum primam tentationem dixerunt esse gulæ. Non solùm enim est gula in lautitiis ciborumque deliciis, sed & qui fame stimulante panem hordeaceum illicito modo sibi comparet, is gulæ peccato vincatur: quemadmodum ambitionis est reus, non solùm qui honores magnos venatur, sed & qui ignominiam illatam non ferens seipsum interficiat. Caluino gula non fuit pane aromatico quotidie vesci: veteribus gula fuit, panem cibarium maiori aut quantitate aut voluptate, quàm naturæ requireret necessitas, sumere.

Luc.4. v. 4. Deut. 8. v. 3.

Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 4 ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε· γέγραπται, οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ.

SCRIPTVM EST in diuinis libris. Rationibus humanis tentator egerat: Iesus propugnat scriptura sacra armatus,

armatus, qua, nulla sunt aduersus tentatorem validiora arma: vt quæ firmet hominem in veritate Dei (à quo profecta est ipsa scriptura) ita vt nullo diaboli insultu queat deiici. Propositum enim Christo erat, ad nostram doctrinam, vt nobis vinceret, prudentia, humilitate virtutisque constantia vincere, quem potentia alioqui ac viribus facile prostrauisset aut in fugam vertisset, improbum insultorem. Ita autem respondet, vt neque prodat neque neget, se Dei filium, verè mitis & humilis corde: sed refutet absurdum quod tentator suggesserat consilium; declarans interim non se latere quis esset, dæmon personatus. Sic autem habebat vsus eo tempore doctorum Iudæorum, vt quid citaturi è diuinis libris, Scriptum est dicerent, intelligentes κατ' ἐξοχὴν sacrosanctam illam ac θεόπνευστον, id est, diuinitùs inspiratam scripturam.

NON IN SOLO PANE. hebraismus, pro: Non solo pane. VIVIT. (ζήσεται) viuet (futurum pro modo potentiali secundùm Hebræos) viuere potest. HOMO. non est homini semper vt viuat, necessarius panis aut cibus alius huiusmodi qui in hominum vsu est; multoque minùs Filio Dei. A iactantia alienum se monstrat, hominem regerens, vocatus à diabolo Filius Dei. SED IN OMNI VERBO. sed omni re, omni modo alio. Dictio *verbo* è LXXij manauit, non legitur hebraicè. QVOD PROCEDIT. ἐκπορευομένῳ quod egreditur. DE ORE DEI. ex imperio Dei. omni eo quo Deus iusserit aut voluerit. ali vita hominis potest quacumque re & quocumque modo Deo placuerit. Nam & panis quòd pascit, non aliunde habet quàm ex diuinæ prouidentiæ constitutione: quare aluit quondam Deus suo solo nutu, nulla re corporali in panis locum substituta, vt Mosen quadraginta diebus secum colloquentem. Sunt autem illa verba Mosis ad Israelitas, ignoto homini cibo è cælis altos, manna inquam: quæ Saluator antagonistæ suo clypeum obiecit, in hanc ferè sententiam: Tu me, quia fame laborem, nec vlla suppetat cibi copia, eò te putas posse adducere, vt tamquam derelictus à Deo, ipse mihi cibum miraculo procurem, si quidem possim, lapide in panem conuerso auideque vorato, temerè iuxta consilium tuum; si non possim, de salute desperem. Atqui, sacra doctrina illud verè accepimus promissi, eos qui Deo credentes obediunt, non oportere dubitare aut solicitos esse in vllis rerum difficultatibus, quæcumque in obedientiæ fideique exercitatione se offerant; sed credere certissimam esse Dei prouidentiam, eandemque locupletissimam, quæ non vnam tantùm vitæ humanæ alendæ materiem habeat, vt panem solum, aut eos cibos qui vulgò in vsu esse soleant, sed plurimas, hominibus incognitas. Tu Satan eius gratiam pani alligas: ipse per Scripturam testatur, vt desint omnes cibi, solam suam benedictionem ad nos alendos sufficere. Cùm igitur ego huc venerim, non meo priuato consilio, aut libidine, aut hypocrisi, aut alio animi temerario impulsu, sed Spiritus sancti ductu, non debeo ego diffisus Deo, mihi ipse edito miraculo velle prouidere de cibo, itaque derogare gloriæ Dei, tamquam non gerentis curam mei (nihil autem facere debeo ex consilio tuo) sed permittere eam curam Deo, cuius præceptum sequutus huc veni, exemplo eorum, qui sequuti mandatum Dei, & defecti cibis consuetis, in deserto per quadraginta annos alti sunt cibis cælestibus, numquam antea visis in terra. Hunc in modum Iesus primam gulæ tentationem vicit, dum, esurientem, cibi non superauit appetitus, ita vt intemperanter ad cibum properans obediret seductoris consilio, aut seipsum proderet miraculo; sed famem vertit in virtutis temperantiæ materiam, confisus Deum sibi fore nutritium, tametsi procul abesset omnis cibus humanus, fiducia ex sacra Scriptura accepta. Docet hìc inter cætera Saluator, nihil agendum esse ex diaboli consilio, quantumuis videatur rationi consentaneum (hic enim declaratus, & arcanarum literarum præconio proclamatus est, Dei & hominum hostis, cum quo nullum liceat inire commercium) nec quibus suppetit donum miraculorum, edere debere miraculum vllum ad propriam siue necessitatem siue vtilitatem, nisi accedente peculiari aut præcepto aut instinctu Dei. *Nam cui facile fuisset*, ait Ambrosius in Lucam, *lapides in panem, naturæ alterius transfusione, conuertere, docet nihil tibi pro diaboli arbitrio, aut declarandæ virtutis tuæ contemplatione faciendum.* Magorum ac præstigiatorum est, ad inanem ostentationem, ad suam ipsorum vtilitatem, & spectatorum curiosam voluptatem, vel edere vel fingere prodigia: seruo Dei non sunt edenda miracula, nisi vt illustretur gloria Dei.

τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος [5] εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ,	Tunc assumsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, Lu.4.v.9.

TVNC. Vbi primæ non successit, altera mox tentauit via (clarum est enim tres istas tentationes fuisse continuas) quo docemur, ne vnquam securitati nos tradamus, sed nouos semper parati exspectemus insultus. ASSVMSIT. παραλαμβάνει assumit, inde acceptum transfert secum abducit patientem, verè & corporaliter ad eum modum quo maleficos nonnumquam in alia loca per aërem defert, & quo angelus Domini transtulit Abacuc è Iudæa Babylonem (Dan.14. v. 35.) nam spirituum virtus dominatur materiæ corporali. Nec indignum fuit Christo id permittere vt à dæmone ferretur, qui id permisit vt crucifigeretur, Gregorius ait. Non enim fuit Christi imbecillitas quòd se permisit à diabolo siue assumi siue crucifigi, sed patientia; nec diaboli fortitudo, sed superbia, qui voluntatem Iesu, necessitatem putauit. Cæterùm (quod imperfecti operis Auctor conicit) quamquam sic Christum diabolus assumserit vt ab omnibus videri posset; Christus, diabolo inscio, id egit, quod alias (Lu. 4.v.30. Ioh.8.v.59.) vt à nemine videretur. Quidam ægrè admittentes Christum permisisse vt à diabolo per aëra veheretur, docent Christum à diabolo fuisse assumtum eo modo quo infrà 17.v.1. Apostoli referuntur à Christo fuisse assumti quod est, ducti, quo certè verbo Lucas hoc loco vtitur. Atqui, si pedès Christum diabolus ex hoc deserto Ierichunti vicino Ierosolymam, & Ierosolyma in montem, nescio quem, omnium altissimum, duxit, non fuit hoc iter vnius dumtaxat diei. Ieiunauerit igitur Christus plus quàm quadraginta diebus, qui non antè comedit, quàm, his tribus tentationibus peractis, cibum angelorum ministerio acceperit. Quid autem dici possit ad id quod sequitur, quòd diabolus Iesum ipse statuerit super pinnaculum templi? Nec timendum erat Iesu à diabolo præcipitium, qui nouerat non plus posse diabolum, quàm ipse cum Patre Deo permitteret: non enim ipse diaboli opera vtebatur vt veheretur, quod vitium sit præcipitio dignum, sed diaboli vltrò id tentantis (quod

ſtate comparata, quaſi ſtilla ſitulæ & quaſi momentum ſtateræ reputatur (Iſa.40.v.15.) & ſanctiſſimus quiſque quaſi puluis & cinis. Gen.18.v.27. CALCEAMENTA. τὰ ὑποδήματα. ſoleas id ſonat magis quàm calceamenta, ita dictas quòd pedibus ſubligentur, quibus plantæ pedum duntaxat muniuntur. Vide intrà 10.v.10.& Marc.6.v.9. PORTARE. calceamentorum ſiue ſolearum eius curam gerere. Ne putetis, inquit, quod dixi, fortior me eſt, comparationis me id more dixiſſe, quam nullam volo intelligi: tanto ille eſt me modis omnibus ſuperior, vt ego, quem vos aliquid eſſe creditis, quem vos ſuſpicitis, illi collatus, infirmus adeoque nihil ſim, prorſus indignus inter ſeruos eius numerari, etiam ſeruos extremos. Cùm ad ſummam illam eius dignitatem, ſummamque diuinæ naturæ ipſius præſtantiam, mentis oculos conijcio, indignum me planè ſentio, qui vel infimi miniſtri locum apud illum obtineam, & vel viliſſimam partem in illius mihi miniſterio vendicem. Nulla enim miniſterij pars vilior quàm à calceamentis alicui eſſe: calceorum alicuius curam gerere, dominum illos nunc induere nunc exuere, illos mundare, reponere, reddere, mutare, pro domini libitu, eoque foras prodeunte portare, ſi illos ponere aliquando loci ſacri aliáve cauſa, aut alios alijs mutare velit. Videri poſſit prouerbiale fuiſſe hoc dicendi genus, ortum ex conſuetudine Iudæorum, qui ſanctiorem aliquem locum ingreſſuri calceos ponere conſueuerant, aduenientium etiam hoſpitum pedes lauare, regione nimirum calidiore. Omnino autem hinc intelligitur, vulgarem inter Iudæos tunc vſum fuiſſe ſolearum: quem Chriſtus, haud dubium, vt cætera ſimilia, eſt imitatus. vide Mar.6.v.9. Iam igitur quid humilius quàm ſoluere & portare ſoleas alicuius? certè is cui hoc ex conditione competit, infimo in ordine eſt, ſi cum illo comparetur cui ſoluit aut portat ſoleas. Atqui ille tantus eſt, inquit, vt ego non poſſim cum illo vel in hoc gradu comparari, ſiue naturam ſpectes ſiue virtutem & fortitudinem. Magnus Iohannes ad magnam prouocat de Chriſto concipiendam opinionem, maioremque quàm de homine haberi poſſit: qui ipſe celebratus inter natos mulierum maximus (inf. 11.v.11.) inferiorem ſe fatetur quàm qui apud Chriſtum mancipium agat: neque enim præter veritatem humilis aut fuit aut eſſe potuit. Vehemens itaque tapinoſis, qua mirum in modum ſe abiecit: ob quam viciſſim mirum in modum eleuatus eſt, iuxta maximam: *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Quin & adfert Iohannes huius ex ipſis euidentem rebus probationem: vultis, ait, cognoſcere rationem virtutis meæ cum illius virtute collatam? IPSE, vel per ſe ſolum, vel adhibito miniſterio ſeruorum ſuorum, vos animas veſtras BAPTIZABIT perfundet. *Ipſa metaphora dictionis baptizabit*, inquit Chryſoſtomus, *gratiæ exprimit largitatem.* IN SPIRITV SANCTO. id eſt, Spiritu ſancto. (præpoſitio *in* addita eſt iuxta idioma ſermonis Hebræi, Græcis Latinisque ſuperflua) Spiritu ſancto in vos infuſo. per Spiritum ſanctum autem intellige dona Spiritus ſancti. Vos, inquit, ex rebus viſibilibus me æſtimatis: at longè nobiliora ſunt quæ non videntur. Non ille, vti ego, corpora veſtra ſola aqua, ſed animas veſtras Spiritu ſancto tinget: nec, vti ego ad pœnitentiam duntaxat prouocabit peccatorum, ſed & à peccatis mundabit, ac donis cæleſtibus imbuet. Effundet in vos, in morem aquæ, largiter & copiosè, Spiritum ſanctum, qui fons eſt donorum omnium, remiſſionis peccatorum, regenerationis, renouationis, iuſtificationis, adoptionis, iuris hereditatis cæleſtis (omnia hæc comprehendit) Quanta igitur differentia eſt inter corpus & animam, inter aquam & Spiritum ſanctum, inter imaginem & veritatem, inter apparatum & rem ipſam: tanta eſt differentia inter baptiſmum ipſius & baptiſmum meum, tanto eſt baptiſmus ipſius efficacior meo. Reſpicit autem hæc Baptiſtæ promiſſio *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto*, primùm ad viſibilem Spiritus ſancti, in Apoſtolos & eos qui cum eis erant, ipſo Pentecoſtes die, atque in plures deinde credentes, effuſionem: ipſe enim Saluator, dum hanc promittit, alludens ad hæc ipſa Iohannis verba, ait Act.1.v.5: *Iohannes quidem baptizauit vos aqua: vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Deinde verò reſpicit & ad inuiſibilem Spiritus ſancti largitionem, tum per baptiſmum, tum per baptiſmi πλήρωσιν, impoſitionem manuum ſiue confirmationem. Idcirco enim viſibiliter aliquando Spiritum ſanctum Chriſtus dedit, vt de inuiſibili per Sacramenta largitione redderet certos. ET IGNI. qui eſt ignis ſeu igni ſimilis, purgans & inflammans. *Ignis commemoratione adiuncta*, inquit Chryſoſtomus, *Spiritus ſancti efficacitatem ſignauit, gratiæ ipſius vehemens atque inuictum.* quaſi diceret: Effundet in vos abundè, ſiue per ſe, ſiue per ea quæ inſtituet Sacramenta, Spiritum ſanctum: cuius non ocioſa erit in vobis manſio, verùm adeò efficax, vt inſtar ignis, ſordes veſtrorum conſumat peccatorum, animorum diſpellat tenebras, caritate qua virtutem Deique gloriam proſequamini ea accendat, quam nulla afflictionum acerbitas ſuperare queat, denique totos in ſe transformet ac ſurſum rapiat. Huiuſmodi enim ſunt ignis proprietates, conſumere, illuminare, inflammare, omnia in ſe transformare ac ſurſum rapere: propter quas ipſo Pentecoſtes, in ſpecie ignis Spiritus datus eſt: ad quod & reſpexit Baptiſta prophetiæ dono auctus.

Lu.3.v.17.

Cuius ventilabrum in manu ſua, [12] & permũdabit areã ſuam: & congregabit triticũ ſuum in horreũ, paleas autẽ comburet igni inextinguibili.	οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ.

CVIVS. Prędicauit Chriſtum ſaluatorem & Spiritus ſancti donatorem, quod ad primum eius aduentum pertinet; iam & iudicem prædicat quod ad ſecundum: vt, qui promiſſis non pelliciantur, terrore compellantur; nec torpeant, tamquam omnibus ſaluis, qui ſemel Spiritu ſancto baptizati fuerint. Et hæc fuit Iudæis noua doctrina, de futuro Chriſti iudicio; non minùs quàm illa de regno cælorum & gehenna ignis. Paulatim aperit Iohannes myſteria omnia Euangelij, vt etiam mox Spiritus ſancti rationem: nam quamuis Spiritus ſanctus notus eſſet Iudæis eo tempore, cuius frequens eſt mentio in veteribus ſcripturis, non tamen vt tertia in diuinis perſona, diſtincta à Patre & Filio, de quo v.16.proximo. VENTILABRVM. πτύον vannus, vel, vti legit B. Auguſtinus in Pſalmum 92. *pala.* inſtrumentum eſt, quo frumenta ad ventum ventilata quaſſataque, à paleis expurgantur, à πτύω dictum, quòd veluti exſpuat ea quæ ſunt inutilia. Eo ſignifi-

significatur extremum Christi iudicium, quod malos secernet à bonis, non tantùm meritis, vti in hac vita secernuntur, sed manifestè & loco & præmio: quemadmodum dum frumenta vannis ventilantur, plena à vacuis, ab inanibus fructuosa, quodam auræ spirantis examine separantur. IN MANV SVA vel EIVS (quo modo secundùm Lucam vertit) s. est. Sensus verborum est: Qui tenet ventilabrum suum manu sua: vel potiùs phrasis est Hebraica, pro: In cuius manu ventilabrum est; qualis illa Psal. 10. v. 4: *Dominus in cælo sedes eius*, pro Domini in cælo sedes; frequens Hebræis, qua relatiuum repetitur antecedente expresso: id quod nobis superfluum sit. Significatur autem hac parte, Christum, vel iudicandi potestatem à Patre accepisse (iuxta illud Ioh. 5. v. 22. & 27: *Pater omne iudicium dedit filio, & potestatem dedit ei & iudicium facere*) vel paratum ad diiudicandum peccataque vlciscendum esse; in propinquo esse ipsius iudicium, vti propinqua est separatio palearum à tritico, vbi agricola ventilabrum in manus accepit; iuxta illud quod mox antecessit: *Iam securis ad radicem arborum posita est.* sup. v. 10. PERMVNDABIT. exactè mundabit. Frequenter immo verò semper, aream suam Christus mundat, dum, nunc aufert ex area impios, nunc ad iustitiam illos adducit, ac sensim iustos ipsos perficit (*Omnem palmitem in me*; loquitur Ioh. 15. v. 2.; *non ferentem fructum, tollet eum* (pater) *& omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus adferat*) at in seculi consummatione permundabit, dum nullum relinquet inter bonos malum, nec aliquid in bonis mali, sed *exhibebit ipse sibi* (quod ad Ephes. 5. v. 27. Apostolus ait) *gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi.* AREAM SVAM. Area ea est, in quam frumentum, ita vt demessum est, ex agro conuehitur, quod deinde in area, ex aristis, plaustris aut flagellis excutitur: tandem verò ventilabris à paleis secernitur. Porrò quod ait, *permundabit aream suam*, synecdoche est, continentis pro contento; areæ, pro eo quod in aream congestum est. *aream suam*, id est, cœtum in se credentium quem congregauerit, tum per se, tum per ministros suos; ecclesiam in qua permisti sunt bonis mali. Vtitur hoc loco contra Donatistas Augustinus capite 10. libri post collationem. CONGREGABIT. συνάξει coget, colliget, nihil sinet perire tritici. TRITICVM SVVM. Eos qui fuerint humilitate parui, animi sinceritate candidi, fœti virtutibus, solidi pietate, & constantia ac perseuerantia graues. huiusmodi enim sunt triticum Christi, cibus sunt quo pascitur Christus. Quare martyr Ignatius de se, dum ad bestias condemnatus esset: *Frumentum*, aiebat, *Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Hier. in catal. scrip. ecclef.

IN HORREVM. εἰς τὴν ἀποθήκην in repositorium, in horreum, in regnum cælorum, in quo, à paleis separati, tuti perpetuò & felices agent. PALEAS AVTEM. τὸ δὲ ἄχυρον paleam autem. singulare collectiuè acceptum pro plurali, more hebraico. Paleæ in Ecclesia ij sunt, qui specie religionis nitidi, inanes sunt virtutibus, steriles bonorum operum, & iniquitatum cupiditatumque malarum ventis facilè abripiuntur, qui ex ea sunt radice oriundi ex qua triticum, eiusdem Ecclesiæ communione gaudent, eandem profitentur fidem, iisdem imbuuntur Sacramentis, sed carent medulla iustitiæ. Porrò autem (id quod hinc sequitur, si paleas igni adiudicabit quanto magis zizania? si domesticos, quanto magis alienos? Sub paleis fortasse comprehendit, quicquid illud est, quod cum grano tritici natum, à grano secernitur atque abiicitur, vt culmos & spicas: quamquam non ad hæc segreganda, opus sit ventilabris, sed ad hoc vt exactè mundetur area, à subtilioribus paleis. COMBVRET. affliget. Is erat regionis illius mos, paleas in ignem abiicere & comburere. IGNI. vero eoque corporeo igni, id quod B. Augustinus docet libri 21. de ciuitate Dei cap. 9. & 10. INEXTINGVIBILI. ἀσβέστῳ inextincto, hoc est, æterno. plus significatur quàm vox sonet: igni, qui non tantùm extingui non potest, verùm nec extinguat vmquam, sed perpetuò vrat & affligat quos semel acceperit. Extingui non potest, quia fomentis opus non habet vt alatur, sed per se subsistit, æternumque durat, Deo faciente: non extinguit verò, Deo ita actionem illius temperante, vt quamuis acerrimè adurat, crucietque extremè, neque cesset vmquam in eos agere quos aliquando acceperit, numquam tamen absumat. *Nonne cernis solem illum*, inquit Chrysostomus in hunc locum, *semper ardentem, & numquam prorsus extinctum? Non legisti incensum rubum, nec tamen ipso incendio concrematum? Iam satis superius disputaui*, ait Augustinus capite illo nono, *posse animalia etiam in ignibus viuere, in vstione sine consumtione, in dolore sine morte, per miraculum omnipotentissimi creatoris, cui hoc possibile esse qui negat, à quo sit quidquid in naturis omnibus miratur, ignorat.* Itaque inextinguibilem intelligit ignem, non in se tantùm, sed & in iis qui illi adiudicantur, hoc est, æternò absque cessatione illos cruciantem: simili enim ferè modo dicimus, ad perpetuos quempiam carceres esse damnatum. Quare hoc loco refellitur eorum hæresis, qui docuerunt reproborum pœnam non esse perpetuam. Videri autem potest allusisse Iohannes, ad illud quod de præuaricatoribus Isaias ait cap. 66. v. 24. citatq; Seruator Mar. 9. v. 44. 46. 48: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.*

τότε παραγίνεται ὁ ἰησοῦς ἀπὸ τῆς γαλιλαίας εἰς τὸν ἰορδάνην πρὸς τὸν ἰωάννην, τοῦ βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ.	13 Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Iohannem, vt baptizaretur ab eo.

Mar. 1. v. 9. Lu. 3. v. 21.

TVNC. cùm Iohannes Christum hunc in modum prædicaret, & pœnitentiæ baptismo ac salutis monitis populum mox venturo præpararet, iamque aliud non restaret quàm vt qui dudum propinquus annunciabatur præsentem se exhiberet, præsensque omnibus certò ostenderetur. Non enim exspectandus fuit Iohannis occasus: nam nec Sol Luciferi exspectat occasum vt oriatur, sed vt à Lucifero propinquus nunciatur, ita & præsens monstratur. Sic Iohanni non tantùm prædicandus fuit Christus propinquus, sed & ostendendus præsens. vtrumque officium ipsi incubuit. VENIT. præsentis est temporis. παραγίνεται adest, accedit commodùm ac suo tempore. Non ad se accersiuit Iohannem vt famulum Dominus, quod iure poterat: sed venit ipse humilis, nullo comitatu illustris, & inter cæteros se obtulit baptizandum.

A GALILÆA. à Nazareth oppido Galilææ, materno solo, vbi à pueritia obscurus vixerat, parentibus morem gerens: & labore manuum victum parans, priuatam hactenus vitam egerat. IN IORDANEM. εἰς τὸν ἰορδάνην ad Iordanem. in Iudæam, ad eum locum Iordanis in quo baptizabat Ioannes (nam & per Galilæam fluit Iordanis) erant enim in Iudæa, Patris decreto, Euangelij primordia iacienda. VT BA-

ptizaretur ab eo & baptismi occasione Christus ipse esse ab eo declararetur; declaratusque, negotium illud ad quod missus fuerat, diuulgandi Euangelij, conuenienter aggrederetur. Nam, quod Iohannes ipse ait Ioh. 1. v. 31., *Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* Porrò, non est professus pœnitentiam Iesus dum baptismum à Iohanne flagitauit, qui nulli erat peccato pœnitentia delendo obnoxius: sed professus est exspectari à se proximum Dei regnum, id quod alterum erat eorum quæ profitebantur ij qui se baptizandos Iohanni offerebant; suscipiens interim similitudinem baptismi pœnitentiæ, quemadmodum acceperat similitudinem carnis peccati.

Iohannes autem prohibebat eum [14] dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

ὁ δὲ ἰωάννης διεκώλυεν αὐτὸν λέγων· ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με;

Prohibebat eum. διεκώλυεν αὐτὸν arcebat eum. quidam, vt vim exprimant præpositionis διὰ, vertunt *obnixe prohibebat eum.* Intelligendum est, Iesum ceterorum more se obtulisse Iohanni baptizandum. At Iohannes considerans excellentiam Iesu, modestè obnitebatur, non ausus eum, obstante personæ reuerentia, baptizare: *criminalis enim et fore visa fuit vsurpatio potestatis, cum antiquus regulis, maiorem a minore benedici, refragetur*, quod ait Auctor libri de cardinalibus operibus Christi. Deo agente id factum est, vt ne quis adstantium existimaret, cæterorum cum more, pœnitentiæ baptismo, quòd peccator esset quem admissorum pœniteret, quique vitæ emendationem promitteret, baptizari. Debeo. χρείαν ἔχω necesse habeo. mihi opus est baptismo tuo. Agnoscit hunc esse Christum, quem prædixerat baptizaturum suos Spiritu sancto. Necessarius fuit Iohanni baptismus Christi, vt salutem assequeretur, non visibilis ille aqua constans (neque enim id temporis ratio postulabat) sed inuisibilis, visibilis ipsius effectus, quo baptizatus in ipso matris suæ vtero fuerat. neque enim alterius quàm Christi meritis, ab originali peccato mundatus, & Spiritu sancto donatus fuit. *Ego à te debeo.* q. d. tu non debes à me, id est, non opus habes, nec etiam videtur congruum. Et tu venis ad me? emphaticῶs legendum est: Tu ad me? ad lutum aurum? ad scintillam fax? ad lucernam sol? ad seruum filius? ad præcursorem Dominus? ad peccatorem agnus sine macula? cui ipsi nullo baptismo est opus, præsto est autem baptismus in Spiritu sancto & igni, tam mihi quàm ceteris omnibus necessarius, ad me mera tingentem corpora aqua? *Ad soluendam calceamenti corrigiam se professus indignum, accliue sibi esse sacrum Christi caput non patitur. Ideoq; tremebundus, humili satisfactione, postulanti ministerium, negat assensum: non quod obedientiam detrahat, sed quia Deo hominem manum imponere iudicat temerarium, & lauare eum in quo peccatum non est arbitratur superfluum.* sic rursus Auctor ille de card. oper. Christi. Nouerat porrò Christum Iohannes, quem quòd ad faciem numquam viderat (fabulæ enim sunt Euangelium eneruantes, quibus narratur Iesus solitus fuisse, Iohannem in desertis adhuc latentem, aliquando inuisere) ex afflatu Spiritus sancti quo plenus erat, quo & senserat illius præsentiam, dum adhuc maternis concluderetur visceribus. Lu. 1. v. 44. Hoc autem primum ab Iohanne testimonium Iesu præsentis dignitati redditum fuit apud multitudinem: reliqua referuntur capite 1. Euangelij secundùm Iohannem: sed illa quidem post baptismum, istud mox antè est latum: istud datum est à Iohanne Spiritu sancto inspirato quod diximus; illa, ab eo iam certiore facto etiam corporali signo apparentis Spiritus sancti, diuinitus ipsi vt promisso ita dato; iuxta illud Ioh. 1. v. 33: *Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua* &c.

Respondens autem Iesus dixit [15] ei: Sine modò. sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτόν· ἄφες ἄρτι· οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην. τότε ἀφίησιν αὐτόν.

Sine modò. permitte id nunc vt à te baptizer, ac desine tantisper me prædicare. Non refellit rationem ob quam Iohannes recusabat baptistæ officium; quin potiùs probat, cùm *sine* ait: *modò* autem cùm addit, temporaria dispensatione id fieri significat, vt humiliter à seruo baptismum accipiat, suo pro merito aliquando celebrandus honoreque afficiendus. id quod mox à baptismo accidit. Sic. hac ratione, dum eo qui nobis debeatur cedimus honore, nosque ipsi humiliamus & inferioribus subiicimus. Tu, inquit, mea amplitudine ac maiestate indignum, indecorumque ei existimas, si à te baptizer: immò verò id maximè me decet, decorumque est mihi, vt dissimulata persona, humilitatis virtutem studiosè persequar, omnemque iustitiam humiliter impleam. Nos regitur à verbo decet: nam græcè est πρέπον ἐστὶν ἡμῖν decorum est nobis. *Nos* s. iustitiæ magistros: se complectitur & Iohannem. Aut de se pluraliter loquitur. *me*, hominem hominibus factum, quos, cùm meritis operum meorum, tum exemplis ad iustitiam adducam. Implere. opere perficere. Omnem iustitiam. omne id quod iustum est, omne quod Deo gratum. non tantùm id quod incumbit præceptorum Dei necessitate, verumetiam omne id quod virtuti consentaneum & Deo gratum esse cognouerimus. quale certè erat, susceptio baptismatis Iohannis. Nihil, inquit, ob humiliationem nostri ipsorum, prætermittere oportet, quod Deo probetur. Hęc igitur causa fuit, cur à Iohanne Christus baptizari voluerit, vt, quam nouerat Deo gratam esse baptismatis à Iohanne prædicati susceptionem, humiliter subiret. Porrò generalis hæc causa fuit, ipsa in se alias complectens: vt Iohannis baptismum, cui aliqui detrahebant, probaret; vt humilitatis nobis exemplum commendaret; vt ad baptismum, quem ipse, Iohannis baptismo nihil forma dissimilem, instituere decreuerat, omnes inuitaret; vt non dedignarentur à seruis serui baptismo Domini baptizari, Domino à seruo baptismo serui baptizato. Concurrerunt & aliæ rationes. vt, qui nouam Christianorum Rempub. condere statuerat cui quotquot adscriberentur, non nisi baptizati adscriberentur, esset & ipse princeps baptizatus, nec dissimilis esset fratribus baptismo, qui, per omnia, peccato excepto, similis factus fuerat, & susciperet etiam simili-

similitudinem baptismi pœnitentiæ, qui assumserat similitudinem carnis peccati, vt factus ceu ægrotorum vnus, eo gratior, quo similior & familiarior medicus, admitteretur. Adhæc, vt nobis æternæ salutis lauacrum consecraret; vt, contactu viuificæ ac peccati nesciæ carnis ipsius, aquæ mundatæ & sanctificatæ, baptismi ius induerent, & idoneæ deinde ad regenerandum ac baptizandorum peccata abluendum forent; vt, per ea quæ, dum baptizatur ipse, contingerent visibiliter, signaret quid inuisibiliter iis futurum esset qui ipsius baptismo baptizandi essent. Denique, vt, baptismi occasione, ipse demonstratus, nec arroganter nec intempestiuè, euangelizandi officium aggrederetur. Has ob causas, Iohannis baptismo, qui fiebat in aqua, baptizari voluit: nam vt proprio suo baptismo, quem ipse instituturus erat, & aucturus Spiritu ita vt non in aqua solùm foret, sed & in Spiritu sancto, baptizaretur, sicut opus non habuit, ita non decuit.

DIMISIT. ἀφίησιν dimittit, finit. s. Iohannes. præsens pro præterito. omisit illum prohibere; permisit illum, vti volebat, à se baptizari. Desiit recusare Iohannes baptistæ in Christum officium, vbi Christi nouisset fixam sententiam: ea enim vera humilitas est, quæ obedientiæ non refragatur. nam superbiæ est pertinaciter resistere. Itaque Iohannes, non sine timore ac tremore, summa cum humilitate animi ac reuerentia, Christum baptizauit. illud consequitur.

καὶ βαπτισθεὶς ὁ ἰησοῦς ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν.

16 Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua: & ecce, aperti sunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem super se.

Mar. 1. v. 10. Luc. 3. v. 21. 22.

CONFESTIM. Aduerbium istud non tam ad id referendum est quod proximum est Iesum à baptismo ex aqua egressum, quàm ad ea quæ deinde subsequuntur, cælos apertos &c. ita vt significetur: Statim autem à baptismo, vt ex aqua Iesus egressus erat; mox autem egrediebatur; ecce aperti sunt &c. id quod ex Marco faciliùs possit intelligi: *Et statim ascendens de aqua vidit* &c. ASCENDIT. in terram. Descenderat in fluuium Iesus, cæterorum qui baptizabantur more, crurum tenus aut vmbilico tenus. reliquum enim corporis, immergebat Iohannes, non aspergebat duntaxat aqua. DE AQVA. ex aqua quam sui sacri corporis contactu sanctificarat. Locus iste Christianis postea venerationi fuit, & tam charus quàm pius catechumenis baptizandis. ECCE res admiratione dignas. APERTI SVNT. non imaginariè, sed reuera. EI. Iesu. vt videret ipse è cælis sibi adferri auctoritatis testimonium, & Euangelij prædicandi delegationem: simul vt manifestaretur Iohanni, & honore ac gloria celebraretur, qui sese ipse eò deiecerat, vt non dedignaretur cum peccatoribus serui manibus baptizari: denique, vt ad aggrediendum Euangelij & redemtionis humanæ negotium, quod non absque difficultate & afflictione varia perfecturus erat, animum acciperet, à patre amari & honorari se animaduertens. CÆLI. cælis proxima aëris aut ignis regio (nam hæ cæli frequenter nomen accipiunt) non enim necesse est ipsos summos cælos intelligere, quos, cùm corruptioni haud subiaceant, credibile non est, Deum, contra eam quam illis indidit naturam, diffidisse: cùm elementi aëris aut ignis diffissio ad hoc sufficeret, vt intelligeretur è cælis proficisci. eam quæ videbatur columbæ speciem, & quæ audiebatur vocem. idcirco enim hoc factum fuit. Formatus itaque, in suprema aëris ignisve regione, profundus hiatus fuit, prodigiosa luce coruscus, Iesu & Iohannis oculis conspicuus. ET VIDIT oculis corporis. Quidam subaudiunt Iesus, quidam Iohannes. Iesus enim potiùs vt subaudiatur, requirit verborum syntaxis; vt verò Iohannes, obuia ratio. quippe cui declarandus fuerit Christus, non Christus ipse sibi. Ego ancipitem esse locum existimo, vt vtrumuis vel etiam vtrumque subaudias, quemadmodum fecere Glossæ interlinealis auctor & Richelius. Iesus enim vidisse refertur, vt certum eum prorsus factum intelligas sui à Deo ad euangelizandi munus missionis & vnctionis; ne temerè eum eò prosiluisse crederes, quò nemo nisi euidenti accepta delegatione audere debet prorumpere. *Nec quisquam* (inquit Apostolus Heb. 5. v. 4. 5.) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non seipsum clarificauit* &c. Iohannes autem vidit, vt satisfieret diuino promisso: hoc enim ei à Deo promissum fuerat visibile signum agnoscendi Christi, quod & à se testatur acceptum, Iohan. 1. v. 32. 33: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Itaque & Iesus & Iohannes ex apertis cælis viderunt Spiritum sanctum columbæ specie, simul & audierunt Dei Patris vocem (hæc enim duo eòdem pertinuerunt) sed an cætera hominum præsentium multitudo hæc eadem viderit & audierit, res est incerta, nominatim Auctori libri de duplici martyrio Cypriano adscripti. Scriptura nihil hac de re dicit, si tamen diligenter expendatur, fauet parti neganti. in quam propendent Dionysius Richelius & Thomas Caietanus. Volens enim Iohannes Baptista testimonium perhibere de Iesu: *Vidi* (inquit Ioh. 1. v. 32.) *Spiritum descendentem quasi columbam de cælo & mansit super eum.* Quòd si præter ipsum viderant illud præsentes omnes, vel non erat ipsi apud eos qui & ipsi viderant res ista producenda, vel si erant alij, dicendum ipsi fuerat, non *Vidi*, sed *Vidimus* ego & populus omnis præsens. fuisset enim testimonium multo irrefragabilius, quippe publicum. Deinde, si præsentes omnes viderunt columbam & audierunt vocem cælestem, credere par est inprimis Iohannis discipulos, qui præceptori indiuulsè adhærebant. Atqui, cùm laboraret Iohannes in discipulis suis, docendis incomparabilem Iesu præ se excellentiam, & à se ad Christum transferendis, inculcat eis constans testimonium suum (Ioh. 3 v. 28.) nequaquam hanc visionem, quæ maximè fuisset inculcanda, vt clarissimum è cælis Iesu allatum testimonium, si illius spectatores fuissent. Adhæc, non consueuit Deus mysteria illa summa & incomprehensibilia, quale est istud inprimis SS. Trinitatis, ab ipso mox initio, semel, integrè, nec paulatim, aperire promiscuo vulgo, immo ne discipulis quidem familiaribus: triennio enim propemodum formauerat discipulos suos Iesus, cùm simile in monte spectaculum ipsis exhiberet, & nec ipsis omnibus, sed solis

tribus ex ipſorum numero, addita etiam prohibitione ne cui illud ipſi reuelarent ante reſurrectionem ſuam. infrà 17. v. 9. Cæterùm etſi ſolis Ieſu & Iohanni viſio iſta exhibita concedatur (certè vox Patris non hîc addit quod infrà 17. v. 5. *ipſum audite*, quod nec addi permittit ſecunda perſona qua vtuntur poſteriores Euangeliſtæ) non tamen ipſis ſolis ſeruiuit, ſed ſeruiuit & aliis, quibus eam ipſi, & ex ipſis alij aliis, congruo tempore ac modo reuelare debuerunt: quemadmodum Baptiſta fecit, & ex eo Euangeliſta, Ioh. 1. v. 32. & 34: *Et teſtimonium perhibuit Iohannes dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo & manſit ſuper eum. Et ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei.* SPIRITVM DEI. Spiritum qui à Deo procedit viuificum; Spiritum ſanctum qui à Deo emanat. DESCENDENTEM ex intimo apertorum cælorum receſſu. Non ipſe Spiritus qui vbique eſt repletque orbem terrarum (Sap. 1. v. 7.) ſed columbæ ſpecies quæ apparuit, deſcendit, *vt*, inquit Auguſtinus, *exterioribus viſis corda commota, à temporali manifeſtatione venientis, ad occultam æternitatem ſemper præſentis conuerterentur* (libri 2. de Trinit. cap. 5.) & intelligerent ſingularem hic ipſius præſentiam per gratiam, qui vbique eſt per naturam. SICVT COLVMBAM. non id eſt, deſcendentem in morem columbæ, ſed *deſcendentem*, vti Lucas habet, *corporali ſpecie ſicut columbam*; ſpecie, ſimilitudine, figura columbæ, ipſum repræſentantis, præſentemque oſtendentis. Sic Actorum 2. v. 3. apparuerunt *diſpertitæ linguæ tamquam ignis*, id eſt, ſpecie, figura linguarum ignearum Spiritus ſanctus apparuit. Porrò, vt non verus illîc ignis, ſed ignis ſimilitudo: ita nec vera hîc columba, ſed columbæ ſimilitudo. id quod B. Ambroſius docet in præfatione tertij libri de Spiritu ſancto: nec ab ea ſententia abhorret Auguſtinus epiſtola 102, quamquam alibi aliud ſentiat. Corpus ſimile corpori columbæ, ex elementari materia repentè formatum fuit & motum, angelico miniſterio aut diuina alioqui virtute: quod, peracta ſignificatione præſentiæ Spiritus ſancti, in præiacentem materiam reuerſum, eſſe deſiit. Propterea autem corporea ſpecies ſiue ſimilitudo apparuit, vt eo ſigno, Spiritus ſancti naturâ inuiſibilis, præſentia, ipſis oculis Ieſu & Iohannis monſtraretur; columbæ autem idcirco, vt, Spiritus ſancti, qui adeſſe ſignabatur, Chriſtique, qui Spiritu ſancto vnctus docebatur, proprietates exprimerentur. Columba animal eſt fœcundum, hominum amicum, manſuetum, gratioſum, & bono gaudens odore: & Spiritus ſanctus delectatur mundis hominum mentibus, atque iis maximè quas commendet odoriferarum virtutum gratia: benignus, liberalis, munificus eſt, cæleſtium chariſmatum diues elargitor. Columba candida eſt, mitis, innocens, ſimplex ſalutaris, miro affectu proſequens pullos ſuos. Hæc in Chriſtum dilucidè conueniunt, vt ne metuamus ad ipſum accedere, qui non formidabili Spiritus potentia, ſed amabili & placida gratia indutus nobis occurrit.

SVPER SE. Ieſum. inſidentem in ſacro Ieſu capite. Græcè eſt pronomen non reciprocum αὐτὸν, ſed vt ſæpe illud loco reciproci poſitum legitur, ita anceps eſſe malim intelligi, vt, & Chriſto & Iohanni, quemadmodum diximus, columbam viſam queas exponere. Certè quod hîc vertit Interpres *ſuper ſe*, ſecundùm Marcum vertit *in ipſo* ſeu *ſuper ipſum*, græco ſermone vtrobique dicente ἐπ' αὐτόν. Iam quòd ſubſidit in Chriſto, columbæ Spiritum ſanctum repræſentantis ſpecies, non fit virtute baptiſmi Iohannis, tanquam illo daretur Spiritus ſanctus (nam vt id accidit poſt baptiſmum Ieſu ex aquis egreſſo, ita reliquis à Iohanne baptizatis haud acciderat) nec ideo fit, vt monſtretur impleri Ieſum Spiritu ſancto (cui à primo adſumtæ hominum naturæ momento non ad menſuram Spiritum Pater dederat) ſed vt oſtēdatur Spiritu ſancto plenus eſſe. Cùm enim hactenus ſe domi tamquam priuatus homo continuiſſet, nunc cùm producendus eſt à Patre ad præſtandum Redemtoris munus, huiuſmodi ſigno declarat eum Pater Meſſiam illum eſſe, quem olim ipſe promiſerat, vnctum affatim omnibus Spiritus ſancti dotibus, ad euangelizandum pauperibus, medendum contritis corde, prædicandum captiuis indulgentiam, &c. Iſa. 61. v. 1. 2 3. Nec ſolum ipſum eſſe Spiritu ſancto plenum abundeque vnctum, ſed & de plenitudine ſua alios vncturum adeoque baptizaturum Spiritu ſancto. Sic enim interpretatus eſt ſignum iſtud ipſe Pater, qui Baptiſtæ illud promiſerat. Iohan. 1. v. 33. *Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Vt enim olim cùm vniuerſum aliquando orbem naufragium commune merſiſſet, & omne prorſus hominum genus in periculum exterminij adductum eſſet, apparuit Noëmo columba, finem tempeſtatis illius oſtendens, atque, ore allato oliuæ ramuſculo, tranquillitatem mundo redditam nuncians (Gen. 8. v. 11.) ita modò Spiritus ſanctus Iohanni apparuit columbæ ſpecie, humani generis è malis omnibus liberatorem monſtrans, & Dei per eum gratiam orbi oblatam annuncians. Denique ſubſidit in ſacrum Ieſu verticem Spiritus ſanctus, vt tamquam Dei digitus extenſus (vocauit Chriſtus Spiritum ſanctum Dei digitum Matth. 12. v. 28.) monſtret certò, in quem proxima Dei è cælis vox feratur.

Mar. 1. v. 11. Lu. 3. v. 22. Inf. 17. v. 5.

Et ecce vox de cælis dicens: Hic [17] est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα.

ECCE rem aliam non minùs ſtupendam. Interea dum inſideret Spiritus Dei columbæ ſpecie in capite Ieſu, magnifica VOX lapſa eſt DE ex apertis coruſciſque CÆLIS, Deum Patrem repræſentans loquentem. Vnde columba venerat oculis conſpicua, inde venit & vox auribus inſonans: neque enim, aut ſine voce columba, aut ſine columba vox, Chriſtum certò demonſtraſſet. columba abſque voce, non intellectum fuiſſet quid ſibi vellet: vox abſque columba, in incertum lata fuiſſet. Cæterùm cùm Pater nec audiri poſſit nec conſpici aut vllo corporis ſenſu percipi, *vox hæc cælitus delata, non Patris propria exſtitit*, ſed, quod ait Victor Antiochenus, *in Patris perſona, angelorum miniſterio efformata fuit.* Aptè autem per vocem Pater innotuit: ipſe enim ineffabilis verbi, quod eum orbi notum reddidit, genitor eſt. Atque hunc oracula reddendi modum, voce è cælis miſſa, ſeruauit Pater, dum eius filius in terra verſaretur. Matth. 17. v. 5. Ioh. 12. v. 28. Hic iam cœptum eſt SS. Trinitatis myſterium clarè aperiri, quod Chriſti deinceps prædicatione diuulgandum, *nulli vnquam patriarcharum aut prophetarum*, ait Richelius, *tam apertè ac diſtinctè reuelatum fuerat, quam hic Iohanni*, Patre apparente in voce, Filio in carne, Spiritu ſancto in ſpecie columbæ, quamquam diuerſimodè: nec enim ita vox & columba vnitæ fuerunt Patri & Spiritui ſancto, quemadmodum caro Filio.

Fuit

Fuit quidem totius Trinitatis effectus tam vox quàm columba: sed columba solum repræsentauit Spiritum sanctum, vox solum Patrem, vt & solius Patris est dicere: *Hic est filius meus*. Magnus itaque Iohannes, cui se baptizandum credit Filius, se videndum inuisibilis exhibet Spiritus, suum de cælo filium commendat Pater. HIC homo Iesus, quem emisso Spiritu meo demonstro. EST. quem hactenus promisi, iam præsentem exhibeo. Verisimilius est dictum esse TV ES, ita vt habent Marcus & Lucas: sed vt significaret Matthæus, Deum Patrem voluisse Iohannem eius rei certiorem factum, retulit eandem sententiam sub tertia persona: HIC EST. FILIVS MEVS. ὁ υἱός μου ille filius meus, *non adoptiuum sed proprium, non aliunde creatum sed ex me genitum, nec de alia natura mihi factum comparabilem, sed de mea essentia mihi natum æqualem. Hic est filius meus, quem a me non separat deitas, non diuidit potestas, non discernit æternitas: qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetijt nec vsurpatione præsumsit, sed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum, exsequeretur commune consilium, vsque ad formam seruilem inclinauit incommutabilem deitatem* (hæc ferè D. Leo sermone de transfiguratione. Hic est ille filius meus, olim à me promissus Rex, Sacerdos & Doctor (Psal.2.v.6.7. Psal.109.v.3.4.) DILECTVS. Mar.9.v.7. vertit *charissimus*: non enim participium est, sed nomen, vox cuius vsus est græcè. ὁ ἀγαπητὸς ille dilectus (repetitur articulus magna emphasi) multi dilecti, ille vnicè dilectus tamquam vnigenitus. Cùm enim quis vnum solum possidet filium, maximè eum diligit: si verò pater factus sit plurium, dispartitus affectus remittitur, ait veterum quidam. Alij ergo filij, solummodo quia dilecti: hic dilectus, quia filius. IN QVO non in alio, quicumque ille sit, nisi per hunc, MIHI COMPLACVI. explicat dilecti rationem. Græcè non additur *mihi*. ἐν ᾧ εὐδόκησα in quo complacui, in quo beneplacitum est mihi, in quo acquieuit animus meus. Phrasis est sacris literis peculiaris, ex hebræo orta. Græci enim interpretes, hebræum רצה *rasa* cum præpositione constructum, ad hunc verterunt modum, vsi voce εὐδοκεῖν, qua, propensum animum ac præcipuum quendam erga alium affectum, expressum voluerunt. Psal.146.v.10.11. Psal.149.v.4. Sensus itaque est: Qui mihi solus & singulariter placet (est enim præteritum pro præsenti) & in quo nihil mihi displicet: ideoque me illo oblecto vnicè, & singulari eum amoris affectu prosequor, in eoque acquiesco, ita vt gratissimum mihi futurum sit quidquid per illum agetur, per quem denique ego erga alios placari, aliique mihi placere poterunt, per quem inquam ego mundo reconciliari decreui. Innuit enim sic in Christo acquiescere Dei amorem, vt sese ab eo ad alios diffundat, eumque intuens iram omnem offensionemque erga alios ponat, illum aliis omnibus opponens, & non tantùm charissimum filium suum esse, verumetiam quorsum eum mittat declarans. Patri Filius singulariter præ omnibus placet, quippe Patri per omnia similis, & secundùm diuinam naturam, *qua splendor gloriæ & figura substantiæ eius est* (Heb.1.v.3.) & secundùm humanam, qua ab omni peccati labe alienissimus, virtutum charismatumque splendore ornatissimus, denique Deo ita vnitus est, vt non alius æquè aut sit aut esse possit. Quin & solus Patri Filius placet, ita vt nemo nisi per eum propterque eum placeat, in quo vno Pater constituit nostram omnium salutem. Quocirca Patres hanc Dei vocem opponunt veteri illi *Pœnitet me fecisse hominem* (Gen.6.v.7.) nam non ampliùs se pœnitere declarat creati hominis Deus, postquam in homine Christo se vsque adeò sibi complacere testatur. nec enim fieri potest, quin quum illum intuetur, omnem aduersus homines conceptam indignationem deponat. Videri possit hac Patris voce respectum fuisse ad Isaiæ locum cap.42.v.1: *Ecce seruus meus, suscipiam eum* &c. qui huc apprimè spectat. Baptista denique ad hanc vocem auditam alludere videtur, dum ait Ioh.1.v.34: *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*. Porrò his omnibus exornatum & consecratum fuit baptisma Iesu, tamquam exordium muneris eius, vt iam in publicum prodeunti auctoritas apud populum per Iohannem conciliaretur. *Incipiens enim Iesus à baptismate Iohannis* (quod ait Petrus Act.1.v.22.) obiuit illud ad quod à Patre missus fuerat negotium, sermone prædicandi & reipsa exhibendi Euangelij. Quare significatum hîc est, mox aperienda Iesu doctrinâ secreta cælestia &, baptismi quem daturus esset virtute, adducendos eos qui in ipsum credituri essent in regnum cælorum, adoptatos in filios & Spiritu sancto donatos. Omnia enim quæ Christo à Iohanne baptizato acciderunt visibiliter, fidelibus baptismo Christi baptizatis contingunt inuisibiliter. Verè enim ad inuocationem sacræ Trinitatis (nam & complet Trinitatis Sacramentum lauacrum Christi) adest ipsa Trinitas, aperit iis qui baptizantur cælos, largitur Spiritum sanctum, formatque Dei filios, id est, ablatis peccatis, donat Spiritu adoptionis filiorum, pignore cælestis hereditatis; si tamen columbinam adferant, dolo ac fictione carentem, simplicitatem. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Sapientiæ 1.v.5.

CAPVT QVARTVM.

Τότε ὁ ἰησοῦς ἀνήχθη εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ πνεύματος, πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου. [1]	Tũc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo.	Mar. 1. v.12. Luc.4.v.1.

TVNC. statim postquam hæc accidissent apud Iordanem. DVCTVS EST. ἀνήχθη subductus est, quod est, aut è medio abductus siue seorsum ductus est, ita vt sit ἀνὰ pro χωρὶς vel ἄνευ; aut sursum ductus est, ita vt sit positum pro ἄνω, habita scilicet ratione situs deserti comparati Iordani fluuio. posteriori hoc modo vsurpatur verbum istud Luc.4.v.5. Nec quidem Iohannis præconio commendatus adeoque cælitùs auctoritate accepta statim ad prædicandum prorumpit Iesus, verùm à turbarum oculis aliquantisper adhuc subducit sese (nec enim nisi sponte sua ductus fuit) tum ne videretur eo quod acceperat testimonio subitò elatus, tum vt hoc secessu auctoritatem sibi apud populum augeret, cum quo hactenus tamquam vnus è vulgo fuerat conuersatus. IN DESERTVM Iudææ proximum, in interiora deserti proximi, ex quibus prodierat Iohannes Baptista. vide suprà 3.v.1. Hoc Christiani posteà desertum Quarentanæ vocarunt ab hac historia. Solitudo assentatorum sodalitio vacua, & eremus carens arbitris, accommoda est iis, qui, repudiatis

mundi

mundi cupiditatibus, nouam ac cælestem vitam meditantur; vt facilè inquinantem hominum conuictum euitent, vt abstinentia carnem edoment, vt orationi diuinarumque rerum contemplationi assiduam operam dent: quæ baptizatos omnes decere, maximè verò eos qui aliorum doctores futuri sint, suo hoc Saluator exemplo testatum reliquit. Singulariter enim Deum solum inspectorem adiutoremque volunt hæc habere certamina, ne sanctis seruorum Dei sudoribus laus importuna se ingerat. A SPIRITV. (ὑπὸ τοῦ πνεύματος.) eo qui mox ipsius vertici insederat non inane signum, eo quo mox plenus fuerat declaratus, *à Spiritu sancto*, id quod expressit Syrus. nam & articulus græcè cùm additur, ferè de Spiritu sancto sentiendum esse, Didymi regula est, libro primo de Spiritu sancto. Iam quòd ductus Iesus dicitur à Spiritu sancto, non ita intelligendum est, quasi non sponte secesserit, sed quòd spiritus humanus Iesu, sequutus sit ducem Spiritum diuinum Iesu, qui natura idem vnus est cum Spiritu sancto. Spiritus Iesu vt hominis, nulla in re discors vnquam fuit à Spiritu sancto; vt Dei verò, vnum est quod Spiritus sanctus. Dicat aliquis, Si Spiritus diuinus Iesu & Spiritus sanctus sunt vnum, sufficiebat Iesu spiritus suus, diuinitas inquam humanitati vnita, nec opus erat dicere ductum à Spiritu sancto, aut certè similiter dici poterat à Patre ductus. Respondeo, quòd Iesus ductus à Spiritu sancto dicatur vt homo, non quòd opus haberet Spiritu sancto, tamquam oportuerit eum aliunde iuuari nec sufficeret ipsi diuinitas sua, vel non coöperaretur diuinitas patris (vt enim vna est Trinitatis natura & opus omne indiuisum, ita cooperata est Trinitas toti curriculo vitæ Iesu;) sed quòd arcanæ literæ Spiritui sancto, qui est Patris & Filij amor, adscribant dona cælestia, & inter cætera, illud eximium, quo homo, in iis quæ agit omnibus, sequitur non proprium sed diuinum instinctum: id quod fit septem illis donis quæ super Christum requieuisse memorat Isaias cap. 11. v. 2. Quare significat hîc Euangelista, Iesum, in eo quòd à Baptismo secedit in desertum, & in omnibus quæ deinde actus est, sequi instinctum Spiritus diuini, non humani alicuius, qui à diuino vel tantillum discrepet. An igitur à puero hactenus caruit Iesus ductu Spiritus? non, sed idcirco iam potiùs illud Iesu attribuitur quàm hactenus, quòd iam ab apparitione ipsius spiritus qua declaratus fuerat plenus Spiritu sancto, tamquam noua indutus persona, repenteque mutatus in virum alium, argumenta ediderit manifesta agentis Spiritus sancti ad aggrediendum sublimissima Euangelij ac regni Dei negotia, qualia nunquam hactenus ediderat. Non enim, inquit Euangelista, reuersus est in Galilæam, in domum maternam ex qua venerat, nec tamquam plebeius amplius inter homines versatus est, sed diuini Spiritus instinctu in desertum actus est, & totus deinde muneri Christi peragendo inauguratus. vide Lu. 4. v. 1. Docemur hîc, qui baptismatis gratiam consecuti sumus, sequi ductum Spiritus (nec enim alij sunt filij Dei quàm qui aguntur Spiritu Dei. Rom. 8. v. 14.) ducere autem Spiritum eos quos replet, ad pugnam, nec sinere esse otiosos. nam sine hoc Spiritu qui ad pugnam vadit, citò victus cadit. VT TENTARETVR. vt ad peccatum solicitaretur. Tentare est rei incertæ experimentum capere: quod quidem facit diabolus, dum suggestionibus peruersis atque oppugnationibus variis fortitudinem constantiamque hominum experiri desiderat: sed quia illud facit, non tam vt nouerit eam, quàm vt labefactet, homine ad iniquitatem pertracto, hinc tentare, diabolo, similiter mundo & carni, hominis inimicis, attributum, ponitur in vitio, pro eo quod est ad peccatum solicitare. Hanc porrò assignat Euangelista secessus Christi in desertum causam, *vt tentaretur à diabolo*; non quòd sola fuerit, sed quòd inter multas, quas iam ferè intelligendas dedimus, præcipua. Quoniam enim Christus venerat in hunc mundum ad expugnandam Satanæ tyrannidem, primùm omnium post baptismum tentationibus Satanæ obiicitur, & monomachia quadam cum ipso committitur, vt hac pugna viam sibi aperiat ad inuadendum ministerio suo regnum Satanæ, nec nisi tentationibus probatus, quasi posito tyrocinio, ad tam arduum & præclarum opus se accinxisse videatur. In hunc finem in desertum ductus est, non quòd extra desertum diabolus Iesum tentare non posset aut non vellet, sed quòd in deserto commodissimè & expeditissimè id sibi facere videatur, vbi nullum adest sodalitium humanum, quod tentatum solet, aut terriculamenta machinamentáve ipsius turbet, dissipet, vel impediat. Sic enim intelligimus ex S. Anthonij & aliorum eremicolarum vita, eos à diabolo grauissimè infestari, qui carne ac mundo subactis, solitarij angelicam vitam moliuntur. Voluit autem Spiritus sanctus Iesum, non quaslibet subire tentationes, sed acerrimas atque grauissimas: Verùm id voluit, non in eum solum finem vt tentaretur, sed vt tentationes vinceret viriliter & gloriosè superaret; nec id causa Iesu, quem certum erat victorem fore, sed nostra potissimùm. Cùm enim nobis expediat, adeoque necessarium sit hac in vita, vt permittat nos Deus tentari, seu ad malum solicitari, & quidem pluribus de causis, vt nobis ipsi innotescamus, ne nos ipsos extollamus, ne torpeamus sed vigilemus & variis tentationibus exercitati fortiores reddamur, denique vt virtus virtutisque præmium frequenti tentatione nobis augeatur: voluit Spiritus sanctus Iesum nobis & hac in parte esse similem, vt pusillanimitatem adimeret tentatis, monstrans se eum esse, qui diabolum, vincentem hactenus humanum genus, vincere posset, victurusque omnino esset, cuius auxilio & nos homines eum vincere possemus; & docens nos modum diabolicas tentationes superandi, ieiunio, vigilia, oratione, ac verbi Dei scripturarumque meditatione; Itaque mediatorem se nobis ad superandas tentationes proponeret, tum per adiutorium, tum per exemplum. *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus* (ait Apostolus Heb. 2. v. 18.) *potens est & eis qui tentantur auxiliari*. Ostendere denique voluit, ab eo optimè euangelizandi munus obiri posse, qui, postquam castigatum corpus in seruitutem redegerit, & variis tentationibus probatus, omni, luxuriæ, ambitionis, atque auaritiæ desiderio superior factus fuerit, non est in periculo *ne cùm aliis prædicauerit ipse reprobus efficiatur*. 1. Cor. 9. v. 27. Mox autem à baptismo tentatus docuit, tùm maximè vrgere cum dæmone pugnam, cùm baptizatus es aut nouam vitam meditaris, quippe qui tunc, nomine dato Deo, diabolo hostilitatem indixeris. Cùm enim diabolus ad meliora tendentibus semper inuideat, *tunc magis cauendum est, ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas*, inquit Ambrosius. Cæterùm ne tu te in tentationum laqueos temerarius iniicias, non Christus ipse tentationes expetiuisse dicitur, sed ad tentationis locum à spiritu ductus: quamquam ipse, vt nouerat se ab hoste superari non posse, ita poterat velle, volebatque ad nostram doctrinam, tentari. A DIABOLO. spiritu immundo. Diabolus nomen habet à deferendo, traducendo, calumniando, accusando (hæc enim græcis sonat verbum διαβάλλειν ac nomen διαβολή) quasi delator, calumniator, &, vt Apocalypsis ait cap. 12. v. 10., *fratrum accusator* (eo enim refert studia sua omnia,

vt ho-

vt homines vituperabiles reddat & inuisos Deo; ad peccatum solicitet, & solicitatos calumnietur, capitisq; accuset, iure, iniuria) quod nominis ferè LXX dederunt pro Hebræo *Satan*. Porrò hic κατ' ἀντονομασίαν pro principe diabolorum Lucifero positum videtur, vt infrà 25. v. 41: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius*. & Apoc. 12. v. 9: *Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, proiectus est in terrã, & angeli eius cum eo missi sunt*. Verisimile est enim, ipsum dæmonum principem, qui primum hominem fuerat aggressus, secundum quoque aggressum fuisse, eo quidem consilio suo, vt princeps ipse certiorem victoriam de ipso reportaret, sed ea Dei ordinatione, vt in principe dæmone cæteri quoque omnes à Christo superarentur confusi. Cæterùm non fuit Spiritus sanctus diabolo auctor vt Christum tentaret: sed cùm semper ille (qua laborat inuidia) hominem vexare, tentare & ad peccatum solicitare paratus sit, nec aliud quàm quærat, circumiens tamquam leo rugiens, occasiones opportunissimas secum à Deo abducendi, perdendi, ac deuorandi (est enim humanæ salutis hostis iuratus) singulariter autem hic, cùm princeps ipse dæmonum miris modis expeteret commoditatem acerrimè oppugnandi Iesum sanctissimum, quem multis iam modis declaratum Dei filium metuebat regno suo plurimum nociturum, nisi ipse illum ad peccatum pertractum Deo redderet inimicum; Obiecit Spiritus sanctus ipsi Iesum antagonistam, protrusum in desertum, tamquam in locum certaminis. Nam cùm tres sint humanæ salutis inimici, qui hominem tentent, caro, mundus, diabolus, à diabolo aut à mundo tentari Iesus debuit quando tentari debuit, qui à carne siue concupiscentia sua, spiritui perfectè subiecta, ad peccatum solicitari non potuit. Hîc igitur describitur, quî Diabolus per se tentarit Christum: postea verò multæ mundi, hoc est, hominum mundanorum tentationes narrantur, quibus Christum impetiuerunt, nunc sua mala sponte, nunc à diabolo instigati, qui carne & mundo plerumque vtitur vt ministris.

καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπείνασε. [2]	Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.	Mar. 1. v. 13. Luc. 4. v. 2.

CVM IEIVNASSET. Insontem suam carnem ieiuniis afflixit, vt nos doceret sontem nostram affligere. Ieiunio se muniuit, vt nos doceret ieiuniũ optimum esse aduersus tentationes munimentum, & ieiuniis vacandum inter tentationes, non deliciis. Adam in paradiso à diabolo victus est oblectamẽto cibi, Christus in deserto diabolum vicit asperitate ieiunij. QVADRAGINTA DIEBVS. ἡμέρας τεσσαράκοντα dies quadraginta, continuos. Promulgaturus orbi legem nouam, cunctaque innouaturus, secessit, & ad quadragesimum vsque diem ieiunium produxit, vt tamquam nouus immo cælestis homo prodiret ad exsequendum munus suum: quemadmodum Moses fecerat accepturus & populo traditurus veterem legem (Exo. 24. v. 18. & 34. v. 28.) itaque vt Elias, nouis principibus Rempublicam innouaturus (3. Reg. 19. v. 8.) vt Euangelium legi & prophetis ostenderet consentaneum. NOCTIBVS. νύκτας noctes. Noctium additur mentio, ne putes, ieiunium fuisse, quale Iudæorum iuxta legem, qui interdiu ieiunare iussi, vesperi noctuque edere poterant. Dies noctesque quadraginta continuas, vno ieiunio vniuersam Iohannis Baptistæ abstinentiam superans, inediam Iesus tolerauit, diuinitate humanitatem fulciente, non vt omnino non adfligeretur, sed vt non tantùm adfligeretur, quantùm ea ieiunandi ratione adfligi nata erat quæ nata erat etiam extingui: id quod tamen supra humanas vires sic erat, vt ab hominibus aliquando factum diuinæ literæ prodiderint, à Mose inquam & Elia: quorum ille fecit, confortatus præsentia & alloquio Domini (Exod. 34. v. 28.) hic fortitudine cibi ab Angelo subministrati (3. Reg. 19. v. 8.) Iesus propria suæ diuinitatis virtute. Quare non excessit Iesus eum numerum, ne humanæ naturæ suæ veritatem in dubium verteret; tum etiam quòd quadragenarius numerus pœnitentiæ seruiat & afflictioni: quem in ieiuniorum pro modulo nostro obseruantia voluisse Saluatorem exemplo suo nobis esse commendatum, sancti Apostoli intellexerunt, auctore beato Hieronymo epistola 54. ad Marcellam aduersus Montanum. Has porrò quadraginta dies noctesque quas Christus ieiunauit, non in otio duxit, immo in otio duxit sancto, perseuerans in oratione, incumbens diuinis laudibus & gratiarum actionibus, intentus contemplationi & alloquio Dei (cuius suauitas vel sola suffecit sostinendæ & à morte seruandæ naturæ infirmæ, cum Deo agens, atque ab eo accipiens mandata quæ hominibus deferret, secum & cum Deo statuens quibus rationibus ac modis iam exsecuturus esset munus ad quod erat missus Euangelium promulgandi & salutem hominum procurandi, quid priùs, quid posteriùs docturus, operaturus, toleraturus esset, felicem omnium successum Patri instantibus precibus commendans, & cætera huiusmodi. POSTEA. peractis illis diebus quadraginta & totidem noctibus. ESVRIIT. Sicut virtute diuinitatis seruatum fuit corpus à morte in tanto ieiunio, ita retentus fuit appetitus animalis ab actu esuriendi: Non quòd nullam prorsus esuriem inediámve sit passus, sed quòd non tantam quantam post quadragesimum diem, quando & esurientis modo cœpit se habere. Verùm nec tunc quidem necessitate coactus esuriit qui præest naturæ, sed voluntate, vsque adeò vt D. Augustinus scribat, mirabilius in Christo fuisse quòd exactis quadraginta diebus esuriit, quàm quòd labentibus illis nil comedit. Aderat enim Christo facultas seipsum absque cibo seruandi: sed concessit quando voluit humanæ naturæ quæ sua sunt pati & agere. Igitur post quadragesimum diem, diuinitate humanitatem suæ ipsius infirmitati relinquente, cœpit vacillare humana natura, & manifesta molestæ famis argumenta edere, siue stomachi murmur, siue alia similia, cibum etiam fortasse quærere: vnde diabolus tentandi occasionem accepit. Idcirco enim reliquit Dominus humanam naturam ipsam sibi, vt & se verum hominem monstraret (*esuriit*, ait sanctus quidam, *humilis homo Deus, ne inimico innotesceret sublimis Deus homo*) & diabolo pia fraude circumuento tentandi occasionem præberet, quasique ad duellum prouocaret. obiecta est illi velut esca, humani corporis infirmitas: sed impegit ipse in vncum diuinæ virtutis.

Lu.4 v.3.

Et accedēs tētator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. 3 καὶ προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειράζων εἶπεν· εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, εἰπὲ ἵνα οἱ λίθοι οὗτοι ἄρτοι γένωνται.

ET. Oblata huiusmodi famis occasione. Nota dęmonem tentandi occasionem arripere ex concupiscentia etiam ea quæ necessaria est & secundùm naturam: ACCEDENS. προσελθὼν αὐτῷ cùm accessisset ad eum, cùm venisset ad eum. Græcè pronomen iungitur verbo *accedens*, quod latinè & syriacè verbo *dixit*. Significatur autem visibili forma apparuisse (accedere enim & aduenire, motus est corporalis progressiui) simul etiam, extrinsecus dumtaxat tentationes, non intrinsecùs motas. TENTATOR. ὁ πειράζων ille tentans. participium loco nominis, quod Hebræis familiare est. ita κατ' ἐξοχὴν appellatur diabolus etiam ab Apostolo 1. Thessal. 3. v. 5., pro eo quod est, ad malum solicitator. Apparuit, quod dixi, visibili forma, &, quod non dubium est, humana, qua cognosci non posset diabolus, immo putari posset pius aliquis eremi cultor, quò faciliùs falleret. DIXIT. Obseruauerat Saluatorem cautè diabolus, totis superioribus quadraginta diebus, variéque tentauerat, sed cùm nihil profecisset, vbi tandem animaduertit esurie laborantem, sciens vbi fames est ibi & imbecillitatem esse, existimauit illum sibi ex ea parte aggrediendum, quæ infirma ostendebatur. SI FILIVS DEI ES. Si tu es Christus filius Dei quem promiserunt prophetæ, qui esse videris; iam ostende vrgente te necessitate. Dicas diabolum alludere ad vocem eam quæ pridem cælitùs ipsi audita fuerit & intellecta: *Tu es filius meus dilectus* &c; id quod dicit cum sua schola Chrysostomus: Latini tamen plerique intelligunt. diabolo aliunde cognitum fuisse, ex prophetis inquam, tam Christum fore Deum & hominem, quàm adesse tempus aduentus eius; itaque, cùm obseruasset, & ea quę nato Iesu accidebant, & immaculatam vitam Iesu, & iam tandem Iohannis de Iesu testimonia non obscura, hæcque inter se contulisset, suspicatum fuisse quod res erat, Iesum esse Christum filium Dei, sed cùm nondum animo ipsius factum esset satis, voluisse illud experimentis, qualia hìc describuntur, discere. Cùm enim fame confectum cerneret, *& mortalia perpeti humanitatis videret, omne quod de eius diuinitate opinatus fuerat, ipsi fastu sua superbia in dubium venit*, ait Beda in Lucam: *nihil quippe nisi superbum sapiens, dum Iesum hominem esse passibilem & humilem conspexit, Deus an esset dubitauit, ac proinde ad tentationum argumenta se conuertit*. Hoc itaque quod timet explorat hìc, an Iesus sit Christus filius Dei, ita vt Deo se profiteatur credere, & homini conetur illudere, adulans vt decipiat. Cæterùm non necesse est intelligas, dęmonem ex abrupto in hæc verba prosiliisse *Si filius Dei es*, sed verisimile est, multis iisque compositis verbis, conatum fuisse Iesu persuadere necessitatem cibi miraculo euocandi, quia id posset vt filius Dei, opusq; haberet vt homo &c. nam Euangelista sententiam dumtaxat retulit. DIC. id est, Iube (ex phrasi Hebraica) facilè enim id ipse potes si filius Dei es, nec opus habes vt à Deo Patre exspectes cibum, à quo te vides derelinqui fame periclitantem, qui nihil minus potes quàm ipse tuus Pater. Non ignorauit dæmon Dei filium eiusdem esse cum Deo potentiæ, qui & ipse id possit, quod solus Deus potest, rerum substantias imperij sui nutu transmutare. Quare non vult vt precibus à Deo impetret: nec enim inde intelligere potuisset an Dei filius esset.

VT LAPIDES ISTI qui hìc iacent PANES FIANT. conuerte lapides istos in panes, quibus famem sedes; præsentes lapides in panis muta substantiam, sic enim fiet, vt & euadas mortis periculū ex fame imminentis, & probes te Deum. Postquam, inquit, vides te à Deo Patre deseri, necessitas cogit vt tibi ipse de victu prospicias: hoc autem loco procul abes ab omni commeatus copia, vbi nihil præter lapides suppetit: Succurre igitur necessitati tuæ, si potes, ne deficias: & victum, quem Deus tibi non suppeditat, confice ipse tibi ex lapidibus, transmutatis, non in delicias, sed in panem, in cibarium ac necessarium commeatum. sic enim loquitur, quò faciliùs impetret id quod petit. Hortatur itaque Iesum Satanas vt subueniat periclitanti naturæ, quasi compatiens & curam salutis eius gerens, reuera autem decipere studens, & inprimis explorans an Iesus sit Christus, verus atque γνήσιος filius Dei, vt re comperta, omnes in id neruos intendat, quò salutem hominum, quam Dei filius moliatur, ipse præpediat. Agit verò id hunc in modum: Si in panem lapidem vertat, proculdubio, cùm id non nisi diuina virtute fieri possit, Dei filius est; Quòd si non vertat, liquet non esse: nec enim non velle potest, qui fame perit; volet autem etiam vel vt suo consulat honori. Ita autem explorat an sit Dei filius, vt simul ad varia peccata conetur pertrahere; & quidem ad gulam, vt ad cæterorum radicem. Nam fame afflictum ad famis impatientiam sollicitat, eiusmodi, qua diffisus se Deo esse curæ, ipse sibi illicitis modis victum paret: diaboli consilio morem gerens, & potentiam intempestiuè exsertans, rerum naturas, vt ventris necessitati satisfaciat, miraculo transmutet si possit, & acceptum panem auidiùs quàm par sit famelicus voret (nam & huc fortè spectat, quòd non vnicum, sed plures lapides iussit transmutari) si non possit, desperet sibi. Inde igitur cœpit Satanas, vnde iam vicerat. Admouit primum illud & efficax gulæ telum, quo principes humani generis deiecerat: quamquam illos tantùm solicitauerat illecebra pomi blandientis; hìc fames, intolerabile malum, adiuuabat tentatoris conatum. His refutata sit impudentia Caluini, qui nouus doctor veteres parum firmis argutiis lusisse hìc ait, dum primam tentationem dixerunt esse gulæ. Non solùm enim est gula in lautitiis ciborumque deliciis, sed & qui fame stimulante panem hordeaceum illicito modo sibi comparet, is gulæ peccato vincatur: quemadmodum ambitionis est reus, non solùm qui honores magnos venatur, sed & qui ignominiam illatam non ferens seipsum interficiat. Caluino gula non fuit pane aromatico quotidie vesci: veteribus gula fuit, panem cibarium maiori aut quantitate aut voluptate, quàm naturæ requireret necessitas, sumere.

Lu.4. v. 4. Deut. 8. v. 3.

Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 4 ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε· γέγραπται, οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ.

SCRIPTVM EST in diuinis libris. Rationibus humanis tentator egerat: Iesus propugnat scriptura sacra

armatus, qua, nulla sunt aduersus tentatorem validiora arma: vt quæ firmet hominem in veritate Dei (à quo profecta est ipsa scriptura) ita vt nullo diaboli insultu queat deuci. Propositum enim Christo erat, ad nostram doctrinam. vt nobis vinceret, prudentia, humilitate virtutisque constantia vincere, quem potentia alioqui ac viribus facile prostrauisset aut in fugam vertisset, improbum insultorem. Ita autem respondet, vt neque prodat neque neget, se Dei filium, verè mitis & humilis corde: sed refutet absurdum quod tentator suggesserat consilium; declarans interim non se latere quis esset, dæmon personatus. Sic autem habebat vsus eo tempore doctorum Iudæorum, vt quid citaturi è diuinis libris, scriptum est dicerent, intelligentes κατ' ἐξοχὴν sacrosanctam illam ac θεόπνευστον, id est, diuinitùs inspiratam scripturam.

NON IN SOLO PANE. hebraismus, pro: Non solo pane. VIVIT. (ζήσεται) viuet (futurum pro modo potentiali secundùm Hebræos: viuere potest. HOMO. non est homini semper vt viuat, necessarius panis aut cibus alius huiusmodi qui in hominum vsu est; multoque minùs Filio Dei. A iactantia alienum se monstrat, hominem tegerens, vocatus à diabolo Filius Dei. SED IN OMNI VERBO. sed omni re, omni modo alio. Dictio verbo è Lxxij manauit, non legitur hebraicè. QVOD PROCEDIT. ἐκπορευομένῳ quod egreditur. DE ORE DEI. ex imperio Dei. omni eo quo Deus iusserit aut voluerit. ali vita hominis potest quacumque re & quocumque modo Deo placuerit. Nam & panis quòd pascit, non aliunde habet quàm ex diuinæ prouidentiæ constitutione: quare aluit quosdam Deus suo solo nutu, nulla re corporali in panis locum substituta, vt Mosen quadraginta diebus secum colloquentem. Sunt autem illa verba Mosis ad Israelitas, ignoto homini cibo è cælis altos, manna inquam: quæ Saluator antagonistæ suo clypeum obiecit, in hanc ferè sententiam: Tu me, quia fame laborem, nec vlla suppetat cibi copia, eò te putas posse adducere, vt tamquam derelictus à Deo, ipse mihi cibum miraculo procurem, si quidem possim, lapide in panem conuerso auideque vorato, temerè iuxta consilium tuum; si non possim, de salute desperem. Atqui, sacra doctrina illud verè accepimus promissi, eos qui Deo credentes obediunt, non oportere dubitare aut solicitos esse in vllis rerum difficultatibus, quæcumque in obedientiæ fideique exercitatione se offerant; sed credere certissimam esse Dei prouidentiam, eandemque locupletissimam, quæ non vnam tantùm vitæ humanæ alendæ materiem habeat, vt panem solum, aut eos cibos qui vulgò in vsu esse soleant, sed plurimas, hominibus incognitas. Tu Satan eius gratiam pani alligas: ipse per Scripturam testatur, vt desint omnes cibi, solam suam benedictionem ad nos alendos sufficere. Cùm igitur ego huc venerim, non meo priuato consilio, aut libidine, aut hypocrisi, aut alio animi temerario impulsu, sed Spiritus sancti ductu, non debeo ego diffisus Deo, mihi ipse edito miraculo velle prouidere de cibo, itaque derogare gloriæ Dei, tamquam non gerentis curam mei (nihil autem facere debeo ex consilio tuo) sed permittere eam curam Deo, cuius præceptum sequutus huc veni, exemplo eorum, qui sequuti mandatum Dei, & defecti cibis consuetis, in deserto per quadraginta annos alti sunt cibis cælestibus, numquam antea visis in terra. Hunc in modum Iesus primam gulæ tentationem vicit, dum, esurientem, cibi non superauit appetitus, ita vt intemperanter ad cibum properans obediret seductoris consilio. aut seipsum proderet miraculo; sed famem vertit in virtutis temperantiæ materiam, confisus Deum sibi fore nutritium, tametsi procul abesset omnis cibus humanus, fiducia ex sacra Scriptura accepta. Docet hîc inter cætera Saluator, nihil agendum esse ex diaboli consilio, quantumuis videatur rationi consentaneum (hic enim declaratus, & arcanarum literarum præconio proclamatus est, Dei & hominum hostis, cum quo nullum liceat inire commercium) nec quibus suppetit donum miraculorum, edere debere miraculum vllum ad propriam siue necessitatem siue vtilitatem, nisi accedente peculiari aut præcepto aut instinctu Dei. *Nam cui facile fuisset*, ait Ambrosius in Lucam, *lapides in panem, naturæ alterius transfusione, conuertere, docet nihil tibi pro diaboli arbitrio, aut declarandæ virtutis tuæ contemplatione faciendum.* Magorum ac præstigiatorum est, ad inanem ostentationem, ad suam ipsorum vtilitatem, & spectatorum curiosam voluptatem, vel edere vel fingere prodigia: servo Dei non sunt edenda miracula, nisi vt illustretur gloria Dei.

τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος 5 εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ,

Tunc assumsit eum diabolus in Lu.4.v.9. sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi,

TVNC. Vbi primæ non successit, altera mox tentauit via (clarum est enim tres istas tentationes fuisse continuas) quo docemur, ne vnquam securitati nos tradamus, sed nouos semper parati exspectemus insultus.

ASSVMSIT. παραλαμβάνει assumit, inde acceptum transfert secum abducit patientem, verè & corporaliter ad eum modum quo maleficos nonnumquam in alia loca per aërem defert, & quo angelus Domini transtulit Abacuc è Iudæa Babylonem (Dan.14.v.35.) nam spirituum virtus dominatur materiæ corporali. Nec indignum fuit Christo id permittere vt à dæmone ferretur, qui id permisit vt crucifigeretur, Gregorius ait. Non enim fuit Christi imbecillitas quòd se permisit à diabolo siue assumi siue crucifigi, sed patientia; nec diaboli fortitudo, sed superbia, qui voluntatem Iesu, necessitatem putauit. Cæterùm (quod imperfecti operis Auctor conicit) quamquam sic Christum diabolus assumserit vt ab omnibus videri posset; Christus, diabolo inscio, id egit, quod aliàs (Lu.4.v.30. Ioh.8.v.59.) vt à nemine videretur. Quidam ægrè admittentes Christum permisisse vt à diabolo per aëra veheretur. docent Christum à diabolo fuisse assumtum eo modo quo infrà 17.v.1. Apostoli referuntur à Christo fuisse assumti quod est, ducti, quo certè verbo Lucas hoc loco vtitur. Atqui, si pedès Christum diabolus ex hoc deserto Ierichunti vicino Ierosolymam, & Ierosolyma in montem, nescio quem, omnium altissimum, duxit, non fuit hoc iter vnius duntaxat diei. Ieiunauerit igitur Christus plus quàm quadraginta diebus, qui non antè comedit, quàm, his tribus tentationibus peractis, cibum angelorum ministerio acceperit. Quid autem dici possit ad id quod sequitur, quòd diabolus Iesum ipse statuerit super pinnaculum templi? Nec timendum erat Iesu à diabolo præcipitium, qui nouerat non plus posse diabolum, quàm ipse cum Patre Deo permitteret: non enim ipse diaboli opera vtebatur vt veheretur, quod vitium sit præcipitio dignum, sed diaboli vltrò id tentantis (quod

& aliàs v ris sanctis accidit se permisit arbitrio. Diabolus igitur, cùm ex responso accepto intelligeret non ig: otum se esse Iesu, quidquid simularet; nihil dubitans prodere se, qualis erat, spiritum nequam, rapuit Iesum per aëra IN SANCTAM CIVITATEM. Ierusalem expositore Luca: quæ idcirco sancta ciuitas dicta est, quòd in ea Dei templum esset, in quo vno sacrificium Deo offerebatur offerrique poterat. *Sanctam ciuitatem Ierosolymam debemus accipere* (inquit Hieronymus epistola 150. ad Hedibiam quæst. 8.) *ad distinctionem omnium ciuitatum quæ tunc idolis seruiebant: in hac enim sola fuit templum & vnius Dei cultus & vera religio.* Similia scribit in Matth. 27. v. 53. ET STATVIT. ἵστησιν. præsentis temporis est græcè, nisi quod Interpretem verisimile sit voluisse dare præteritum tempus, conformiter præcedenti verbo.

SVPER PINNACVLVM TEMPLI. in summo templi fastigio, in cacumine turris templi, vt more nostro loquamur. Erat in anteriori facie templi interioris, complectentis sanctum & sanctum sanctorum, quod solum tecto opertum domus formam referebat (nam exterius, id est reliqua pars templi, sub dio erat) אולם *ulam* vestibulum, quod Scriptura vocat, in turris formam ædificatum, centum viginti cubitis altum, videlicet duplum longitudinis interioris illius templi, longi cubitis sexaginta. In huius, verisimile est, vestibuli cacumine, statuit diabolus Iesum: vnde si desiluisset Iesus, delapsus fuisset in atrium sacerdotum, inter templum & altare quo modo is locus vocatur infrà 23 v. 35., seu, quo modo Ioëlis 2. v. 17., inter vestibulum & altare, cernentibus sacerdotibus & populis vniuersis qui ad rem diuinam conuenerant. Huc enim versis faciebus orabatur ab omnibus. Hunc itaque locum elegit Satan, vt, tamquam congruum, Iesu persuaderet; vbi Deus colebatur, illic se Dei filium, coram Dei cultoribus congregatis, ostendere.

Ioh. 4. v. 9. 10. 1. Psal. 90. v. 11. 12.

& dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quia angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. [6]	καὶ λέγει αὐτῷ· εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, βάλε σεαυτὸν κάτω· γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου.

SI FILIVS DEI ES. Inuidet Iesu honorem filij Dei, nititurque eum, si quidem sit, ab eo honore, honoris ambitione deiicere (sæpè enim, quos gula non vincit, superat ambitio): verùm id dissimulans, simulans autem se desiderare, vt cùm sibi tum aliis qui infrà aderant in templo, monstret se filium Dei, quia ipsi, soli sibi quærenti, nihil dederat responsi. MITTE TE. βάλε σεαυτὸν proiice teipsum. Si tu es Christus filius Dei Israeli promissus, monstra illud in templo Dei, non mihi, sed Israëlitis quibus promissus es, qui huc ad colendum Deum frequenti numero conuenerunt. Ecce nunc eo loco te constitui vbi non frustrà miraculum edes: conspicietur enim ab omnibus in templo præsentibus, moxque toti ciuitati, indeque vniuerso Israëli innotescet. Dede igitur te hinc è sublimi præcipitem vt homines videntes te volare sine casu, & cadere sine læsione, credant te esse filium Dei, & agnoscant Christum esse diu ipsis ex Dei promissione exspectatum, itaque recipiat te Israel, & vt Messiæ suo adhæreat, cùm palàm feceris omnibus te esse filium Dei. Hortatur vt in vrbe sancta & frequentia populorum, quasi nouus funambulus in excelso pendulus, se deorsum ad spectaculum vulgi iactet intrepidus. Verè diaboli vox *Mitte te deorsum*, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit, sicut ipse præcipitatus fuit. Sed suadere præcipitium diabolus potest; id quod ei familiare est; præcipitare nisi volentem non potest. SCRIPTVM EST ENIM. Primùm superatus ipse ab Iesu per confidentiam è Dei verbo acceptam; iam conatur Iesum per verbum Dei in vanam ac ventosam confidentiam adducere, vt extra metas se efferat & exsultet. Quandoquidem ita pendes à prouidentia Dei, vt, ne esuriens quidem, in summa rerum penuria, dubites te ab illo, etiam sine pane, sustentari posse; bene est: teipsum iam deorsum præcipita, vt magis etiam ostendas te ab eius prouidentia pendere. Impunè enim & sine periculo id potes: promittit enim Scriptura homini iusto, multoque magis filio Dei. De scripturis ipsis diuinis laqueum Iesu parat: *quid hic faciet misellis hominibus*, ait Lirinensis, *qui ipsum Dominum maiestatis Scripturarum testimoniis appetiuit?* QVIA. ὅτι quod latinè vertendum erat, vel certè omittendum: nec enim aliam ferè hoc & similibus locis vim habet, quàm quòd significet certa alicuius verba aut facta narrari: nisi hoc quidem loco, vt pars versiculi illius qui è Psalmo hîc recitatur, addatur: nam ille incipit à particula כִּי *ci* quoniam siue *quia*, qua scilicet redditur ratio eorum quæ præcedunt. ANGELIS SVIS. Homo cuius spes timorque est Dominus, multos habet ad sui custodiam vigiles angelos. exemplum 4. Reg. 6 v. 17. MANDAVIT. ἐντελεῖται *mandabit*, quo modo & latini codices aliàs legunt. vide Notas. Mandatum est, immo iam mandauit Deus tui curam in quamcumque veneris angustiam aut necessitatem. Id quod sequitur *Vt custodiant te in omnibus viis tuis*, quoad posteriorem partem *in omnibus viis tuis*, omisit (priorem enim partem *Vt custodiant te* Lucas retulit) vel quòd minùs seruiret, vel quòd contrarium esset, proposito ipsius. neque enim hæc erat è viis hominis iusti, temerè se dare præcipitem. ET IN MANIBVS itaque in manibus. TOLLENT TE. ferent te, gestabunt te manibus suis. non enim ἀροῦσι hîc declarat iacentem subleuare, sed aliquem ferre & gestare, ducta significationis origine ab iis qui onus aliquod gestaturi attollunt illud. NE FORTE μήποτε ne quando, ne vnquam, ne fortè occurrat lapis in quem impingas. OFFENDAS. Ruentem te excipient & conseruabunt illæsum. Callidè huc hunc Scripturæ locum accommodat: videtur enim, si verba spectes, ei qui confidat in Deo, præcipitium impunè promittere. Hac igitur altera explorare studet via an sit Dei filius si è sublimi, nimirum, in terram illæsus subsidat. nec enim id poterat nisi Dei filius: homo enim, vt ipse id non possit, ita non accipiat angelorum subsidium, dum temerè id tentet: dæmonis autem opera an vteretur Iesus, ignorare non potuisset dæmon ipse. Verisimile est porrò, non facilem ex eo loco, quo Iesum statuerat, patuisse descensum, ita vt in quandam necessitatem se præcipitandi adducere voluerit, quò facilius persuaderet. Simul autem, dum explorat an sit Dei filius; solicitat ad κενοδοξίαν inanis gloriæ studium, quam ab iis aucuparetur, qui infrà, loco omnium celeberrimo, frequentes ad rem sacram conuenerant; & hoc, siue

siue Dei filius sit, siue non sit. Nam qui arrogantes sunt & gloriæ cupidi, ne quam opinionis suæ iacturam faciant, plerumque conantur ea quæ supra vires ipsorum sunt, ac per fucum sibi vendicant quod non habent, gloriam venantes apud homines. Deinde verò ad vanam confidentiam, temerariumque ausum, & interitum certum, pertrahere conatur, si quidem merus homo sit; porrò ad intempestiuam potentiæ exsertationem, & irritati hostis Dei obsecundationem, si vt filius Dei id impunè faciat.

ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· πάλιν γέγραπται, οὐκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σου.

7 Ait illi Iesus: Rursum scriptũ est, Nõ tentabis Dominum Deũ tuum. *Lu. 4. v. 12. Deut. 6. v. 16.*

RVRSVM. id coniungendum videtur cum *scriptum est*, vt significet non tantùm iterationem, veruminetiam contrarietatem, & opponi scripturam scripturæ, quasi dicat: E diuerso scriptum est. Porrò ostendit Saluator, dum scripturam adferenti diabolo scripturam opponit, ceu clauum clauo retundens, malè ab eo scripturam citatam, in sensum peruersum; non enim verborum vnius loci sectandos apices, sed loca locis conferenda si rectè scripturas interpretari velimus. Falsas igitur de scripturis diaboli sagittas, veris scripturarum frangit clypeis. SCRIPTVM EST. Sacræ Scripturæ voci obtemperandum est, non tuæ. Prudenter iterùm se filium Dei dissimulans, id è scripturis respondet, quod quiuis homo iustus respondeat.

NON TENTABIS. Non tentes. futurum loco imperatiui: illum enim Hebræis esse loquendi morem, vel ex Decalogo liquet. *Non tentes*, quicumque es ô homo. non enim diabolo præceptum hoc datur. q.d. tentarem ego Deum si istud facerem. οὐκ ἐκπειράσεις. verbum compositum pro simplici positum videtur: nam cùm superiùs simplici πειράζειν vsus sit pro ad malum sollicitare, hic composito ἐκπειράζειν vtitur pro experiri, probare, explorare, quæ propria significatio est & græci πειράζειν & latini verbi *tentare*. Est autem Scripturæ locus Deut. 6. v. 16: etsi enim Hebræis illic plurali numero legatur *tentabitis*, tamen in plurali singularis includitur: dumque ad populum fit sermo, siue plurali vtaris, siue singulari, idem vnum est. quare & confunditur eo capite numerus, & LXX atque Hieronymus interpretes singularem hîc dederunt. Porrò tentat Deum, qui experimentum ipse vult sumere potentiæ Dei, sapientiæ, bonitatis, aut fidelitatis in seruandis promissis; vbi necesse non est, promissiones eius subiiciens iniusto examini; siue id ex præsumtuosa agat confidentia, à Deo exspectans id quod humana ratione potest adsequi, aut expetens id quod præter omnem est necessitatem; siue ex incredulitate vel diffidentia, Deo non relinquens, necessariorum, vti consultum fuerit, prouidentiam. nam vbi deficit humana ratio, commendare se debet homo Deo, eiusque subiicere se voluntati, & paratus in omne quod ipsi placuerit sperare auxilium ipsius. Posterioris generis tentatio fuit, ea qua Israelitæ, aquæ cibique penuria in deserto laborantes, Deum tentauerunt (Exo. 17. v. 7. Psal 77. v. 18. 19. 20.) quam Moses addidit exempli gratia superiori Deuteronomij loco; prioris autem generis fuisset, si, vbi humano consilio, Christum non dedecenti, patebat descensus è pinnaculo, dedisset se Christus præcipitem; alioqui verò posterioris. Non debeo ego, ait, hinc in terram desilire, & certo mortis periculo me ipse exponere, confisus Deo quòd angelorum ministerio seruaturus me sit: id enim foret tentare Deum, & humana curiositate experiri velle quid facturus sit, quod diuinis scripturis prohibetur. Nam si hinc, vbi me nequam collocasti, descenditur gradibus, illis mihi vtendum est; si non est ratio qua descendatur, non vtar præcipitio, sed Dei hîc exspectabo misericordiam, qua me hinc, aut tutò in terram deponat, aut ad se per mortem accipiat. Roget aliquis, An hæc Christi responsio non contineat falsum: videri enim possit implicitè respondere se non esse filium Dei, quia filius Dei non tentet Deum si è sublimi in terram desiliat, qui, non de angelorum tantùm custodia, sed & de virtute propria certus est ac securus. Respondetur, quòd Christus non neget se filium Dei, sed dissimulet, quod diximus: posito enim, non esse sibi vt filio Dei faciendum id quod diabolus suadebat, tametsi facilè id posset, aut saltem non esse suæ diuinitati quid factura esset reuelandum humanitati, respondet, se, vt hominem, tentaturum Deum si id faciat. Quare hîc docet, Psalmi locum quem diabolus attulerat, ad eos minimè pertinere, qui se ipsi temerè in discrimina coniiciunt.

πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν, καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν,

8 Iterum assumsit eum diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, *Lu. 4. v. 5.*

ASSVMSIT. παραλαμβάνει assumit, secum aufert, è templi pinnaculo per aërem transfert, vt suprà v. 5.

EXCELSVM VALDE. ex quo liber vndique & latè patens prospectus. Quidam dicunt fuisse montem totius mundi altissimum; quidam fuisse montem deserti Quarentanæ, vocantque diaboli montem, distantem ab eo monte in quo ieiunarit & primùm tentatus fuit Dominus, quem montem Quarentanæ nominant, miliaribus duobus, Ierosolymam versus. Mutauit locum Satanas, si fortè loci mutatio mutaret affectum, & impetraret consensum, quod fit nonnumquam: fortè enim potuisset hoc idem ex pinnaculo, quod ex altissimo monte, quamquam minùs commodè. OMNIA pleraque REGNA MVNDI. qua parte quodque situm erat per quatuor mundi plagas. ET GLORIAM EORVM. & gloriam eam quæ admi nistrationem illorum consequitur. breuibus describens, simul & ante oculos apparere faciens, singulorum gloriam, illud opibus clarum, hoc viribus; aliud frequentia populorum, aliud alio conspicuum & gloriosum; denique quidquid in orbe magnificum habet magnorum regum strepitus, opes, famulitium, palatia, copias, adorantium turbas, obsequia, pompas, triumphos, legationes, nutum omnipotentem, aliaque permulta: harum rerum omnium mirum quoddam theatrum repentè obiecit oculis Iesu. Potuit autem hoc efficere, partim prospectiuæ siue opticæ artis vi, quam non ignorat (qua arte ab hominibus conficiuntur inspicilla, quæ longissimè distantes res oculis exactissimè subiiciunt) partim præstigio, perstringens

 oculos

oculos Iesu permittentis. Conatus est porrò hac ostensione, terrenorum amorem dominandique libidinem in Iesu excitare: sed nulla intus cupiditas animum Iesu pupugit, qui sensum nobiscum communem habuit, non appetitus incompositos.

Lu.4.v.6.7.

9 & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

καὶ λέγει αὐτῷ· ταῦτα πάντα σοι δώσω, ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι.

HÆC OMNIA mundi regna, tam opulenta & splendida, tam gloriosa & magnifica, totque numero. monarchiam orbis terrarum pollicetur, magnum præmium pessimo crimini, terræ imperium Deo ereptum sibi vsurpans. TIBI quem dignum hoc honore iudico, & idoneum qui sub me hæc administres: non enim dignor per meipsum hæc administrare, vt nec te decet ignobili & contemtibili schemate obumbrari. Quem concupiscentia carnis & superbia vitæ superare non potuerat, iam concupiscentia oculorum, id est, auaritia, superbiæ interim iuncta impetit, in quibus tribus omne id consistere, Apostolus ait (1.Ioh.2.v.16.) quod in mundo est. Non enim aliquod inusitatum certamen subire voluit Dei filius, sed communes habere nobiscum pugnas, vt iisdem armis muniti, non dubitemus victoriam nobis esse in manu. Auaritia & ambitio magnos animos corrumpere valent, ex appetitu hominibus insito, *eritis similes diis.* Malum hoc Adam in paradiso pulsauit & strauit; cùm subiectionem quam Deo debebat fastidiens, appetijt dominatum, & cùm vellet esse sicut Deus, sine Deo se vidit & nouit. Iam verò reipsa expertus erat inimicus, nihil esse tam impium ac nefarium, quod imperij causa homines non auderent. CADENS in faciem, pronus, humi prostratus. is gestus est adorantis. ADORAVERIS ME vt regnorum omnium mundi dominum & largitorem: si agnoueris me tanti culminis largitorem, & vt huiuscemodi supplex honoraueris me. Rem peto tam facilem quàm exiguam, pro munere tanto. Diuinum sibi honorem postulat exhiberi: nam ab initio ipso cùm voluerit Deo similis esse, ideoque de cælo deiectus sit; nihilo tamen minùs permanet in superbia illa eadem, & quod in cælo obtinere non potuit, à mortalibus poscit in terra. Sed cùm id à filio Dei expetere dæmonem, omnium absurdissimum improbissimumque sit, non addit id quod aliàs, *Si filius Dei es*, sed exspectat, si quidem Dei filius sit, offensus, sibi cum à dæmone deberi honorem, suaque non illius esse, ea omnia quæ ille pollicetur, vt respondeat: si verò non sit, promissorum amplitudine magnificentiaque capiendum sperat. Itaque, superioribus tentationibus disertis verbis explorat an Dei filius sit, clàm autem ad peccatum solicitat: hac porrò disertè ad peccatum, idque grauissimum, tamquam hominem merum solicitat; clàm autem an Dei sit filius explorat.

Lu.4.v.8. Deut.6.v.13. 10.v.20.

10 Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

τότε λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ὕπαγε * ὀπίσω μου σατανᾶ. γέγραπται γάρ· κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

TVNC. cùm iam audiret malum illum affectare gloriam & cultum Deo soli debitum. VADE. ὕπαγε apage, abi, facesse hinc cum tuis fallacibus promissis. quod stipularis impium est, quod promittis inane, & omnino damnosum est lucrum quod pietatis iactura emitur. Quod græcè sequitur ὀπίσω μου, non esse huius loci, docetur in Notis. SATANA. Imperio simul & increpatione vrget vt abeat, & prodit manifestè quisnam sit, diabolus inquam & Satanas, qui volebat haberi Deus. שטן *Satan* hebræa vox est, quæ osorem, inimicum, aduersarium significat. 2.Reg.19.v.22. 3.Reg.5.v.4. Matth.16.v.23. Diabolus autem, quia odio nos capitali prosequitur, iuratusque est hostis salutis nostræ, qui vbique nobis aduersetur, semperque nos postulet ad vltionem, κατ' ἐξοχὴν in Scripturis *Satan*, siue ad syriacam flexuram *Satana*, ad græcam *Satanas* vocatur: & hoc tunc ferè, quando apertum Dei diuinarumque partium aduersarium agit, quando Deum diuinaque consilia vel piorum hominum studia palàm oppugnat, vt hoc tertio tentationis genere: nam vbi idem agens, dolo, fraude, calliditate vtitur, vt superioribus duabus tentationibus, diabolus appellatur. Hoc discrimen in noui Testamenti libris obseruant quidam. Iesus itaque qui suam hactenus contumeliam moderatè tulerat, Dei Patris non ferens ignominiam manifestam, quam inimicus suadebat, qua non est alia maior, impudentem à se repellit proculque abigit, ne vltrà insurgere improbus audeat. Cæterùm, non respondet, sibi adorationem deberi, nec (quod res erat) sua sibi promissa: fallendus enim adhuc erat diabolus, non docendus; nec moneri debuit, qui corrigi non potuit. SCRIPTVM EST. Scripturarum familiari clypeo, quo omnia tela nequissimi ignea facilè extingui possunt (Ephes.6.v.16.) ictum excipit. Scripturas autem omnes quas hactenus citat, adfert ex Deuteronomio, pro Iudæorum more, qui in eo, vtpote totius legis epitome, præcipuè versabantur. DOMINVM. Hoc nomen est tetragrammaton, quod habetur tamquam proprium Dei. vide sup.1.v.20. *Dominum* Patrem & Filium & Spiritum sanctum; non alium quicumque ille sit, multo minùs peruersissimum dæmonem, nec aliud quidquid illud sit. DEVM TVVM. Qui solus est Deus tuus, creator, conseruator, rector, & consummator tuus. ADORABIS. ô homo. solus ipse est omnium dominus. In Deuteronomio, tam decimo quàm sexto capite, est *timebis*, non solùm iuxta latina, verùm etiam iuxta hebræa & græca: quod Saluator mutauit cum *adorabis*, quòd hoc responsio postularet, comprehensum alioqui verbo *timebis*. nam timoris reuerentiæque pars non minima, adoratio est. Porrò adorandi vox, & quæ huic græcè respondet προσκυνεῖν, quæque hebraicè השתחוה *histahaua*, nihil ex se ampliùs significant, quàm exteriorem venerationem cum corporis prostratione aut incuruatione: quare frequenter in sacris literis, honor illis significatus, etiam hominibus, maximè principibus magnisque viris, tributus cum laude refertur. 3.Reg.1.v.16.23.31. Cæterùm, quando Deo vni tribuendus præcipitur, plus voces ex vsu quàm ex vi sua significant, huiusmodi nimirum exteriorem venerationem, quæ ex interiori proficiscatur (præcipueque interiorem ipsam) qua colatur Deus vt rerum omnium auctor & dominus, ex quo profluxerint omnia, in quo subsistant cuique subiaceant omnia; summa,

summa, suprema, vnicaque maiestas. ET ILLI SOLI. τῷ soli Deuteronomium non addit, præsertim hebraice, sed intelligitur in pronomine *illi*, quod emphasim adfert, cumque exclusione intelligi postulat; illi, non alteri; quemadmodum id quod præcessit, *Dominum Deum tuum*, non alium aut aliud *adorabis*. SERVIES. λατρεύσεις coles. cultu ac seruitute ei singulariter debita, quam diabolus ipse sibi poscebat. Domino Deo suo seruire, vera est regnandi ratio. λατρεύειν & λατρεία ex vi significationis non denotant seruitutem soli debitam Deo, sed ex sacrorum scriptorum vsu, Pauli præsertim & LXX duorum senum: alioqui idem sunt quod δουλεύειν & δουλεία. nam & Leuitici 23. v.7. opus seruile, λατρευτὸν græcè dicitur. Hebræa vox עבד *habad*, generalis omnino est. Sita est autem Deo singulariter debita seruitus, cùm in sacrificio & adoratione, tum in pia erga Deum affectione mandatorumque illius obseruatione. Nulli seruiendum est contra Deum, nec vlli nisi propter Deum.

τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος, καὶ [11] ἰδοὺ ἄγγελοι προσῆλθον, καὶ διηκόνουν αὐτῷ.

Tunc reliquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. *Mar. 1. v.13. Lu.4. v.13.*

TVNC. coactus imperio efficacitateque verbi Iesu *Vade Satana*. RELIQVIT. ἀφίησιν relinquit, dimittit eum, euestigio cessauit à tentatione & discessit ab eo, ipso in hoc monte relicto. Reliquit autem eum bis sua spe frustratus, primùm quòd sensisset insuperabilem inuictumque aduersùs omnes machinas; deinde, quòd, cùm expiscari voluisset num esset filius Dei, aliquanto incertior abierit quàm venerat: sic enim temperauerat Christus responsum suum, vt ambiguum relinqueret. DIABOLVS victus, elusus, & confusus. *Legitime pugnanti* (ait veterum quidam in Cathenam allatus) *agonum reperitur terminus, quod aduersarius, vel sua sponte cedat vincenti, vel timo casu deponatur secundum pugnatoriæ artis decretum.* ET ECCE alias rerum vices. ANGELI sancti, diabolo metuendi; non vnicus, tametsi sufficere potuisset vnicus, sed plures, honoris causa, ACCESSERVNT. venerunt ad eum vt ad dominū suum. Abscesserant ipso volente ab eo angeli, qui semper comites ei aderant, primùm ne cognosceret eum diabolus, vt princeps cognoscitur ex ministris, dux ex militibus; deinde vt diabolo liber esset accedendi locus; denique ne videretur Dominus angelorum subsidio aut eguisse aut vicisse. Eminus igitur facti certaminis domini sui spectatores, vbi victor is euasisset, gratulabundi redierunt. Redierunt autem visibili humanaque specie (id enim vox *accesserunt* intelligendum dat vt quem diabolus ea specie sumserat tentandum; ipsi, eadem specie, honorem officiumque ei omne præstarent. ET MINISTRABANT EI destituto hominum ministerio. Serui Domino esurienti cibum ministrabant è penu diuinæ prouidentiæ suppeditatum, ex longinqui atque inuij montis cacumine restituebant terræ planitiei & viæ suæ, cæteraque ministerij officia, quibus opus esse poterat, obibant. Nam qui vehementem vrgentemque famem nihil moratus, fortis constansque bellator gloriosè vicerat mortis tyrannum, angelis ministris cibum accipit: & qui super aspidem & basiliscum ambulauerat, conculcaueratque leonem & draconem, angelicis manibus in terram demittitur, ne in ipso inaccessibilis montis descensu offendat ad lapidem pedem suum. Hac porrò ratione magis magisque innotescebat diabolo confuso quantus vir esset Iesus. Hîc mihi considera exitum eorum qui Deo fidentes obediunt, qui non sit opus vt sua curent, id quod diabolus suaserat, sed vt sese Deo permittant: non modò enim abundant necessariis rebus, sed & Angelos ministros sortiuntur. Quorum etiam præsentiam ministeriumque promerentur, quotquot fortiter præliati, diabolum superauerint atque à se fugauerint (*resistite enim diabolo*, Iacobus inquit cap.4.v.7., *& fugiet a vobis.*) à Deo agonotheta coronandi.

ἀκούσας δὲ ὁ ἰησοῦς, ὅτι ὁ ἰωάννης [12] παρεδόθη, ἀνεχώρησεν εἰς τὴν γαλιλαίαν·

Cùm autem audisset Iesus quòd Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam: *Mar. 1. v.14. Lu.4.v.14. Ioh.4.v.3.*

CVM AVTEM. Post ieiunium & tentationes rediit Iesus ad Iohannem, à quo ornatus insignibus testimoniis, collegit discipulos aliquot, cum quibus profectus in Galilæam, mutauit, nuptiarum ad quas vocatus fuit gratia, aquam in vinum. Paulò pòst reuersus in Iudæam ad solennitatem Paschalem, eiecit è templo negotiatores, edidit signa non pauca, Nicodemum nocte instruxit, & moratus est in Iudæa mensibus aliquot, baptizans ministerio discipulorum suorum, donec audiret Iohannem traditum esse. tunc enim in Galilæam rediit, quod hîc dicitur. Hæc omnia manifesta fiunt ex Euangelij secundùm Iohannem capitibus 1.2.3.& 4: nam cæteri Euangelistæ hæc omiserunt, concedentes assignantesque tempus omne ante captiuitatem Iohannis, Iohannis ministerio, Christo discipulos parantis. AVDISSET. intellexisset. IESVS in Iudæa baptizans. Ioh.3.v.22. TRADITVS ESSET Herodi à Scribis & Pharisæis, & ab Herode coniectus in carcerem. est enim παραδίδοσθαι, tradere comprehendendum, inter reliqua, & frequenter vsurpatur cum eclipsi, quæ pro ratione eius de quo agitur supplenda sit. Iohannem in Iudæa Romano præsidi subdita agentem (baptizabat enim in finibus Iudææ, prope Ierichuntem) non potuisset Herodes Galilææ tetrarcha comprehendere, absque Scribarum & Pharisæorum, quorum summa erat in Repub. auctoritas, consensu cooperationeque: nisi fortè Iordanem extimum aliquando transgressus Iohannes, obseruatus captusque ab Herodis ministris sit in Peræa, cuius ille non minùs quàm Galilææ toparcha erat. erat enim solus Iordanis fluuius medius inter Iudæam & Peræam. Scribæ & Pharisæi qui Iohannem initiò vtcumque tolerauerant, metuentes tandem ne per eum sectæ, famæ, & gloriæ suæ multum deperiret, intelligentes etiam ipsum addictiorem esse Iesu, nec obscurè prædicare Christum esse Iesum (qui erat ipsis summopere inuisus) procurarunt eius vt aduersarij sui captiuitatem ac cædem. Vsi sunt autem opportunè Herodis opera, qui & ipse Iohanni offensus, quòd de adulterio incestuoso aliisque criminibus ab eo correptus esset (Lu.3.v.19.) gaudebat inuenire Scribas & Pharisæos eiusdem secum sententiæ

& animi. Itaque ex illorum, verisimile est, consilio, prætexuit metum innouationis ac perturbationis rerum publicarum, quem fuisse captiuitatis mortisque Iohannis Herodi causam, tradit Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 7. Nam cooperatos fuisse Scribas & Pharisæos apprehensioni occisionique Iohannis, cùm hic Euangelista, tum infrà 17. v. 12. Saluator, intelligendum dant. SECESSIT è Iudæa, declinandæ Scribarum & Pharisæorum malitiæ gratia, qui ipsius non minùs quàm Iohannis captiuitatem cædemque meditabantur. Cùm enim ab ipso mox initio quo se prodebat Iesus, plurimùm Scribas & Pharisæos offendisset, eiectione illa mercatorum & numulariorum è templo, de qua Ioh. 2. v. 15., ob quam vel solam vt hostem oderant; iam cùm intelligerent etiam plures ab ipso discipulos congregari baptizarique quàm à Iohanne vmquam fuerant (Ioh. 4. v. 1.) famamque Iesu & auctoritatem in populo maiorem quotidie accrescere, metuentes sibi plus etiam à Iesu quàm vmquam à Iohanne, nihil minus mali parabant Iesu quàm procurauerant Iohanni, adeoque ipsius è medio tollendi consilia animis voluebant. *Secessit* igitur Iesus, quò illorum peruersitati locum daret, seseque præstando muneri suo integrum asseruaret, non omnino fugiens persecutionis procellam, sed in aliud eam tempus reiiciens, & suæ se horæ seruans: *quia nondum venerat hora eius*, siue vt caperetur, siue vt moreretur, hominem se verum secedendo comprobans, cuius non est temerè se periculis obiicere. nec enim, si semper miraculo se seruasset, verus homo creditus fuisset.

IN GALILÆAM, vt iam functo suo munere præcursore Iohanne, illic Euangelij negotium palàm aggrederetur, vbi per prophetas Deus prædixerat (infrà v. 15. 16.) apud quem humilia ferè primo sunt loco, alta à longè cognoscuntur. Ne quid enim successus Euangelij, huius mundi præsidiis adscriberetur, vt si, exempli gratia, à celebri regione fuisset exortum, delegit Deus omnia contemta iuxta mundum, vt tota gloria rei tam mirificæ rediret ad ipsum. Roget aliquis, quomodo Iesus fugiens persecutionem, ne tale quid ipsi ante tempus accideret, quale Iohanni, secesserit in Galilæam ditionem Herodis (tetrarcha enim erat totius Galilææ tam superioris quàm inferioris Herodes ex testamento patris) à quo Iohannes in carcerem iam coniectus erat? Respondendum, quòd Iesus non fugerit Herodem, sed Scribas & Pharisæos; illis autem opportunum non fuerit vti opera Herodis ad capiendum Iesum quemadmodum Iohannem, cùm Iesus Herodem non offendisset quemadmodum Iohannes. Porrò non in Galilæa, si Iosepho creditur, Iohannes detentus fuit captiuus, sed in Machærunte, castro sito in confiniis regionis Aretæ subditæ, id est, Arabię Petrææ. fuit igitur captiuus in finibus Peræ australibus vergentibus in Arabiam Petræam, longè à Galilæa distantibus, propinquioribus autem Iudææ. Fuit verò hic Iesu è Iudæa in Galilæam reditus secundus à baptismo ac ieiunio, quemadmodum ostendimus in principio huius versiculi. Iohannes enim & primum & secundum vtrumque descripsit (Ioh. 1. v. 43. 4. v. 3.) cæteri Euangelistæ solius huius secundi meminerunt. Nam primo reditu non hæsit Iesus in Galilæa: nec describunt isti Euangelistæ anniuersarias Iesu in Iudæam ad solennia festa profectiones, vt Iohannes: solius postremi mentionem faciunt reditus in Iudæam, vt huius solius in Galilæam, quo diu mansit in Galilæa.

& relicta ciuitate Nazareth, vênit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim:	13	καὶ καταλιπὼν τὴν ναζαρὲτ, ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς καπερναοὺμ τὴν παραθαλασσίαν, ἐν ὁρίοις ζαβουλὼν καὶ νεφθαλείμ·

RELICTA. ita vt nec ingrederetur tunc, nec eo esset animo vt eò habitandi gratia rediret: voluit enim habitationem aliò transferre. cuius rationem explicat ipse secundùm Iohannem cap. 4. v. 44: *Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quòd propheta in sua patria honorem non habet.* Non tulisset ciuium inuidia ex officina fabrili repentè prodeuntem doctorem, tot licet tantisque probatum signis: id quod ex rebus subsequutis manifestum fit infrà 13. v. 54. 55. &c. CIVITATE. vox ista non additur Græcè & Syriacè. NAZARETH in qua à puero hactenus habitarat, partim cum vtroque parente, partim Iosepho mortuo cum matre vidua. VENIT ET HABITAVIT. id est, venit habitatum. Habitauit autem, non quòd sedes continuas illic fixerit, sed quòd domo illic sibi delecta, commodatò nimirum accepta aut potiùs conducta, frequentiùs egerit & diuersatus sit ibi quàm alibi, vagis alioqui per Galilæam itineribus addictus.

CAPHARNAVM vrbem, distantem à Nazareth itinere diei vnius aut alterius, orientem versus. Græci legunt *Capernaum*: verùm nostrum cum illorum ne facilè commutemus. כפרנחום *Cepharnahum* (ita enim iuxta Syros scribitur) interpreteris, oppidum consolationis, aut etiam pœnitentiæ. Abundabat rerum terrenarum solatiis, luxuque diffluebat, vt solent emporia: Christus autem, pœnitentiam prædicaturus, illuc habitatum venit. MARITIMA siue vt aliàs legitur *maritimam*, id est mari adiacentem; mari autem seu lacui Genesareth. nam mari magno vicinior erat Nazareth quàm Capharnaum. Vrbis Capharnaum mœnia lambunt, ab ortu quidem Iordanis, à meridie verò mare in quod influit aut potiùs quod efficit Iordanis. Florentissima Galilææ ciuitas, & præclarissimi nominis emporium, Christi tempore fuit: quam proinde habitationi suæ delegit, vt pluribus notior fieret ipsius legatio & prædicatio, tum Israëlitis, tum gentibus, eò negotiorum causa confluentibus. nam præterquam quòd proxima esset mari Genesareth, erat per eam regionibus transamnanis transitus ad mare magnum. IN FINIBVS ZABVLON ET NEPHTALIM sitam: non quòd pertinuerit, partim ad tribum Zabulon, partim ad Nephtali (vt Ierusalem, partim ad Beniamin, partim ad Iudam) sed quòd prope eam concurrerint termini sortium, aquilonaris Zabulon & australis Nephtali, ipsa sita in altera sortium. Zabulon, vt quidam dicunt; vt alij probabiliùs, Nephtali. Sortis tribus Nephtali longitudo protendebatur à septemtrione in meridiem, videlicet à monte Libano vsque ad mare Galilææ; latitudo verò à Iordane vsque ad sortem tribus Aser, id est, ab oriente in occidentem: complectebaturque ea sors vniuersam ferè Galilæam superiorem. Sortis autem tribus Zabulon longitudo extendebatur ab oriente in occidentem, nimirum à mari Galilææ vsque ad mare magnum; latitudo autem à tribu Nephtali & Aser vsque ad tribum Issachar, à septemtrione videlicet in meridiem, & complectebatur magnam partem Galilææ inferioris. Erat igitur Capharnaum sita in

finibus

finibus vtriusque Galilææ, quasi media inter vtramque; ac proinde opportunissimè habitationi Iesu cui ex decreto Patris statutum erat Euangelium in Galilæam inferre. Nam, præterquam quòd commodius hinc erat excursus in vtramque Galilæam; quidquid in ea gerebatur, facilè etiam per vtramque spargebatur, tam ob situm, quàm ob celebritatem & frequentiam loci. vide Luc. 4. v. 23. Vtriusque Galilææ descriptionem vide suprà 2. v.22. Hanc porrò situs descriptionem à sortibus Zabulon & Nephtali sumtam, addidit Euangelista, propter eam quam subiicere statuerat prophetiam. Notandum obiter, ex LXX duorum versione, legi *Nephtalim*, cum *m* litera in fine, quę ab Hebræis non agnoscitur.

ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ ἠσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος· [14]	vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam:

VT ADIMPLERETVR. vt dum Iesus Euangelium in ea ciuitate & locis vicinis prædicaret, adimpleretur. vide suprà 1. v.22. PROPHETAM dicentem, addunt cum Syris Græci.

γῆ ζαβουλὼν, καὶ γῆ νεφθαλείμ, ὁδὸν θαλάσσης πέραν τοῦ ἰορδάνου, γαλιλαία τῶν ἐθνῶν. [15]	Terra Zabulon & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium. *Isa.9.v.1.*

TERRA ZABVLON. regio quæ sorte obtigit tribui Zabulon. TERRA NEPHTALIM. regio quæ sorte obtigit tribui Nephtali. VIA. Græcè legitur quarto casu ὁδὸν *viam*, subauditurque κατὰ, παρὰ, aut πρὸς, *iuxta* aut *ad*, quod annotat Theophylactus. γῆ καθ' ὁδὸν θαλάσσης terra iuxta viam maris. Latinè est *via*, vel sexto casu ad eundem sensum, vel primo. In Syrico Euangelio, & in Hebræo Prophetæ prototypo, nulla est casus nota: quare possit & Hebræum & Syrum intelligi, siue primo casu, id quod inprimis est obuium, siue quarto seu sexto, subaudita, id quod non est infrequens Hebræis, ל *lamed* præpositione *ad* aut *iuxta*: Iuxta viam maris, id quod sit, terra seu regio iuxta viam maris, in qua seu per quam est via maris: quod deinde idem vnum cum eo fit quod nominandi casu legitur *via maris*, quod est, regio quæ est, vel, in qua est via maris. MARIS. quæ ducit ad mare, via qua iter est ad mare, magnum scilicet siue mediterraneum. TRANS IORDANEM. Iunge cum *via maris*; intellige autem respectu eorum qui habitabant trans amnem, cùm vicinorum, Gerasenorum, Batanæorum &c. inter quos erant sortes tribuum Gad, Ruben, & dimidiæ Manassę; tum longinquorum, Arabum, Chaldæorum, aliorumque ad orientem habitantium. nam Iudæorum, Tyriorum, & Sidoniorum respectu, citra Iordanem erat.
GALILÆA GENTIVM. Ea est superior Galilæa, gentium dicta, siue quòd in ea Salomon Hiramo Regi Tyri viginti ciuitates dederat (3. Reg.9. v. 11.) siue quòd extima Palestinæ in confiniis habuerit gentes; ab occidente Tyrios & Sidonios, ab ortu Trachonitas, ab aquilone Syros (lege Iosephum libro 3. de bello cap. 2.) siue vtramque ob causam. *Gentes* גוים *goim* vocabant Iudæi & scriptores sacri, cæteros populos religione à se alienos, nec Dei fœdere comprehensos, fortè quòd idola colerent, quos Germanica lingua nominat *Goien*. Iam verò, eædem regiones intelliguntur, per viam maris trans Iordanem & Galilęam gentium, quæ per terram Zabulon & terram Nephtali: terram Zabulon propheta nominat viam maris trans Iordanem; terram autem Nephtali, Galilæam gentium: vt frequenter prophetæ diuersis vocabulis rem eandem vnam repetunt, vel pro elegantia quadam linguæ Hebrææ, vel pro dictamine Spiritus sancti: id quod & in versu proximè sequenti licet obseruare. Porrò terram Zabulon vocat viam maris trans Iordanem, quia à Iordane ad mare vsque magnum protensa, rectum iter præbebat ad illud, non solùm incolis suis & vicinis, verùm etiam populis omnibus longè vltra Iordanem ad orientem habitantibus, Arabibus, Chaldæis, & aliis, quibus hæc regio erat recta ac celebris via ad mare magnum, quod nos mediterraneum dicimus, eò quòd hîc esset traiectus Iordanis seu lacus eius, per vrbes huius tribus, lacui adiacentes, Tarichæam, Tiberiadem, Bethsaidam, aut vicinam Capharnaum. Non sic autem appellat terram Nephtali, eò quòd ea à mari excluderetur tribu Aser & vrbibus Tyro ac Sidone, quæ inter mare & tribum Nephtali intercurrebant. Nominat autem eam Galilæam gentium, quòd maiorem partem Galilææ gentium siue superioris complecteretur; maiorem dico, nam & terra Aser pars erat Galilææ superioris siue gentium. Quamquam enim posteriora nomina ex se paulò sint generaliora prioribus, tamen vt à potiori & celebriori parte fit denominatio, ita non sic strictè accipienda sunt priora nomina, *Zabulon* inquam & *Nephtali*, vt non comprehendant tribus vicinas, *Nephtali* Aser, & *Zabulon* Issachar, aut viciniora earum loca. Iam prætermisit Euangelista verba illa Prophetæ sibi non necessaria, prima inquam apposita superiorum nominatiuorum, *Primo tempore alleuiata & nouissimo aggrauata est*: quibus id significari quidam docti putant, regionem istam Zabulon & Nephtali, primùm quidem leuem seu vilem fuisse ac reputatam esse, deinde verò honore grauem factam & illustratam, præsentia, conuersatione, doctrina, miraculis Saluatoris, discipulorumque eius ortu. Alij non minùs verisimiliter intelligunt, primùm quidem exhilaratam & exaltatam esse prædicatione ac miraculis Christi; postea verò ob ingratitudinem & duritiem, expertam esse vltricem grauemque Dei manum, iuxta comminationes Christi infrà 11. v.21. & sequent.

ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα, καὶ τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς. [16]	Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. *Isa.9.v.2.*

POPVLVS harum regionum s. terræ Zabulon & terræ Nephtali, siue viæ maris trans Iordanem & Galilææ gentium, quod est, vt clariùs dicas, populus Galilæę superioris & inferioris. SEDEBAT. agebat, erat:

erat: *ambulabat* dixit Propheta, quod est, versabatur. IN TENEBRIS. errorum atque iniquitatum, tum quia longè aberat à templo Dei, quod erat Ierosolymis; tum quia gentibus, nominatim Tyriis & Sidoniis impurissimis, vicinus & permixtus erat. VIDIT primus. Vidit, tunc cùm habitationem sibi delegisset Christus in ciuitate Capharnaï, sita in finibus vtriusque, media inter vtramque harum regionum. sic enim factum est vt in vtraque, tota inquam Galilæa, prædicatio & miracula Christi fulserint, ipso præsertim excurrente in ciuitates omnes & vicos. vide suprà v. 13. & infrà v. 23. Mar. 1. v. 38. 39. Luc. 4. v. 43. 44. Primus autem vidit, quia non alij populo antè ea claritate illuxit (vide infrà v. 17.) sed ex eo in vniuersum terrarum orbem propagata est. Porrò præteriti temporis verbis vtitur Isaias pro futuri, prophetico more, ob rei futuræ certitudinem non minorem quàm si esset præterita. LVCEM. Euangelij lucem orbi exorientem, errorum iniquitatumque tenebras expugnantem. lucis enim opus est pellere tenebras. MAGNAM. Magna fuit Euangelij lux, nec alia æquè humanas mentes illuminauit, diuinæque reddidit veritatis participes. quæ totum denique illustrauit orbem: cui collata legis prophetarumque lux, vix scintilla censenda, soli splenduit Iudææ. SEDENTIBVS. habitantibus, agentibus. IN REGIONE VMBRÆ MORTIS. siue vt est in aliis libris conformiter Græco ac Syro, *in regione & vmbra mortis*. id est, in regione quam occupabat vmbra mortis, id est, densissimæ tenebræ, siue, extrema mala, cuiusmodi apud inferos. Propheta non interponit coniunctionem, nisi secundùm LXX. Vmbra mortis, quam Hebræus sermo vnica voce effert צלמות *Salmaueth*, propriè est color ille quem mors proximè instans oculis ac faciei hominis obducit: qui quasi vmbra est aduentantis appropinquantisque mortis. Quare densæ tenebræ è quibus nequeas emergere, extremaque pericula quæ præsentem intentent mortem, quæ mors proximè subsequi soleat, vmbra mortis metaphoricωs in sacris literis appellantur. Huiusmodi autem tenebræ malaque, è quibus non sit salutis spes, cùm sint apud inferos maximè, idcirco ea peculiariter regio siue terra vmbræ mortis vocatur, Iob 10. v. 21. 22: ad eos autem transfertur, qui in summo discrimine atque extremis malis versantur, siue tribulationum aut miseriarum, siue errorum aut iniquitatum. erat autem populus hic plenus cæcitate ignorantiaque diuinarum rerum, ac proinde etiam iniquitate lucifuga. LVX ORTA EST EIS. tenebræ mortis in lucem vitæ ipsis mutatæ sunt: non quòd ipsi ad lucem, sed quòd lux ad eos venerit, quod annotat schola Chrysostomi.

Mar. 1. v. 15. Sup. 3. v. 2.

Exinde cœpit Iesus prædicare & [17] dicere: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.	ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ ἰησοῦς κηρύσσειν καὶ λέγειν· μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

EXINDE. ἀπὸ τότε à tunc, ex eo tempore, quo, Iohanne tradito, venerat in Galilæam & habitationem transtulerat Capharnaum. COEPIT IESVS. Vbi præcursor suo perfunctus erat munere testimonij reddendi de luce & præparandi viam ante faciem Christi; tum Christus necesse erat vt subsequeretur. PRÆDICARE. publicè, continuè, assiduè, & vbique, prædicandi diuulgandique Euangelij gratia per loca omnia discurrens. Prædicauerat antè in Iudæa (nec enim miracula illa ediderat absque doctrina, de quibus Ioh. 2. v. 23. & 4. v. 45.) sed parciùs quamdiu Iohannes præcursor indexque ipsius suo adhuc fungebatur officio; quamquam non tam prædicatoris discurrentis vltroque annunciantis omnibus quàm doctoris, datis occasionibus instruentis, partes obierat breui temporis spatio: nec docuisse, sed baptizasse in Iudæa scribatur prope Iohannem indicem suum. Ioh. 3. v. 22. 23. Nam quia nondum finitus erat Iohannis cursus, hoc est, ad recipiendum Christum præparatio, idcirco abstinuit Christus à publico prædicandi munere, quamuis sensim etiam ipse se, non solus Iohannes ipsum, manifestaret. At simulatque Iohannes traditus & carcere conditus fuit, tunc Christus, cui succedendum erat Iohanni, palàm, assiduè, & vbique, in Galilæa primùm, tum & in Iudæa, prædicauit, nullum relinquens locum quem prædicatione non repleret. Vnde postea apud Pilatum accusatur: *Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa vsque huc.* Lu. 23. v. 5. Quemadmodum sol, non semel, subitò, vnoque impetu exoritur, sed paulatim emergit, lucemque sensim maiorem spargit, lucifero præeunte, donec tandem lucifero occidente totum se monstret, & vniuersa suo lumine collustret, ita vt non sit qui se abscondat à lumine aut calore eius. POENITENTIAM AGITE. Vt Iohanni successit, ita vt ostenderet se eandem adferre doctrinam quam attulerat Iohannes, summumque inter se & Iohannem esse consensum, & stabiliret testimonia quæ Iohannes de ipso tulerat, confirmaretque se eum esse cuius ille fuerat præcursor, denique ne ab se alienaret quos illius admiratio iam totos occuparat, à nota & familiari illius doctrina, Euangelij summam complectente, prædicationem suam auspicatur, eodem vtens exordio eademque Euangelij prædicandi forma, lactans interim infirmos, vt pòst firmioribus solidum proferat cibum. APPROPINQVAVIT. appropinquat. quia iam adsum ego Christus, breui operaturus consummaturusque hominum salutem. Idem itaque Iesu prædicandi initium fuit & Iohanni: vterque enim rem vnam docturus venerat, tempus gratiæ, salutis, ac regni aduenisse; sed Iohannes, vt propheta & index; Iesus, vt propheta, procurator, auctorque salutis. Porrò hoc idem vt prædicarent, præcepit postea Iesus discipulis suis, Infrà 10. v. 7. Luc. 9. v. 2. & 10. v. 9. Reliqua ad expositionem huius versiculi necessaria quære suprà 3. v. 2.

Mar. 1. v. 16. Io. 5. v. 1. 5.

Ambulans autem Iesus iuxta [18] mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mitten-	περιπατῶν δὲ ὁ ἰησοῦς παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς γαλιλαίας, εἶδε δύο ἀδελφούς, σίμωνα τὸν λεγόμενον πέτρον, καὶ ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, βάλλοντας ἀμ-

τὰς ἀμφίβληστρον εἰς τὴν θάλασσαν. ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς·

tes rete in mare (erant enim piscatores)

AMBVLANS AVTEM. in initio translati in Capharnaum domicilij. Voluit Saluator, de suo ab hominibus recessu aliquando futuro maturè cogitans, ab ipso prædicationis suæ principio, chorum aliquem familiarium discipulorum sibi adciscere, quos haberet testes omnium quæ faceret ac diceret, & per quos, alios deinde aptè doceret, vt qui dicere fidenter possent: *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Act.4.v.20. Non ociosè itaque ambulauit, qui inter ambulandum ipsos è mari piscatus est piscatores. IESVS. turba plurima sequente, & in ipsum quasi incumbente, quod ait Lucas. Eadem est enim historia vocationis Apostolorum quam Lucas narrat cap.5. cum ea quam hic Matthæus, tametsi Matthæus omittat miraculum piscium comprehensorum, quo Iesus nobilitauit vocationem hanc primatiorum discipulorum suorum. nec enim omnia scribunt Euangelistæ, siue singuli, siue omnes. IVXTA MARE GALILÆÆ in littore maris Galilææ, id est, lacus siue stagni Genesareth (quo modo Lucas vocat: complura enim sortitur nomina) inter Capharnaum & Bethsaidam, verisimile est, oppida lacui huic adiacentia, quorum hoc patria erat Andreæ & Petri. Ioh.1.v.44. Qui lacus erat propriè, & quidem aquæ dulcis atque potabilis, Iosepho teste oculato, mare vocatur, eo modo quo Hebræis, magnæ aquarum, non tantùm salsarum, collectiones, quæ magno spatio porriguntur in longum & in latum, & crebris vndarum motibus agitantur, maria dicuntur. Galilææ autem mare vocatur, à regione iuxta quam situm est, cuius est terminus Orientalis, separans eam à regione Geraténorum & Galaaditide. Habet lacus iste longitudinem centum stadiorum; latitudinem quadraginta, vndique in litora & arenas desinens, mediusque fluuio Iordane secatur. ex Iosepho lib.3. de bello Iud.cap.18. vbi describit hunc lacum. Porrò octo stadia conficiunt miliare vnum Italicum, tria autem miliaria Italica, iter sunt vnius horæ & si quid amplius. Iuxta hoc mare seu stagnum, Iesus plerumque versabatur, docebat, miracula edebat, quamdiu in Galilæa agebat, id quod ex progressu Euangelij manifestum fiet. ratio datur infrà 15.v.39. VIDIT non fortuitò oblatos conspectui suo, sed de industria quæsitos à se. propter ipsos enim ad mare iam venit. DVOS FRATRES. Fratres vocantur à Domino, ad significandam concordiam in munere obeundo. SIMONEM. Simon & Simeon idem vnum sunt nomen diuersimodè prolatum, שִׁמְעוֹן, quod à שמע *samah* audire, deriuatum est. *Quoniam,* inquiebat Lia, *audiuit me Dominus haberi contemtui, dedit etiam istum mihi, & vocauit nomen eius simeon,* seu, vt Hebræi pronunciant, Simhon. Gen.29.v.33. QVI VOCATVR PETRVS. qui nunc dicitur Petrus. Petri nomen accepit, quando à Christo ad Apostolatum electus fuit. Mar.3.v.16. Ratio autem nominis datur infrà 16.v.18., nimirum Petrum seu petram dictum, tamquam caput ac robur fidei Christianæ. ANDREAM. Andreas græcum nomen est, cuiusmodi tunc multa apud Iudæos in vsu erant; à fortitudine dictum: ἀνδρεῖος enim, virilis, fortis, græcè dicitur. MITTENTES. iacientes, communi opera. ipse enim Iesus iussit vt rete iacerent (Lu.5.v.4.) qui parati erant ad illud iaciendum si modò spes capturæ affulgeret. RETE. ἀμφίβληστρον. quod genus est retis, sic dictum ab ἀμφὶ & βάλλειν, quòd, cùm iacitur, ex angusto in latum expandatur, & incuruatum in formam dimidiati oui, in orbem complectatur ingens aquæ spatium. IN MARE. in lacum. In hoc enim lacu, varia sunt, quod Iosephus testatur, piscium genera, ab alterius loci piscibus tam sapore quàm specie discreta. Ominis erat boni, primùm iuuentus diuinæ doctrinæ auidior (id quod patuerat Ioh.1.v.40.41.42.) deinde fratrum concordia sese mutuo studio iuuantium, adhæc ars innoxia, è publico lacu tenuem victum parans: denique piscatio ipsa nouæ piscationis admonebat, non quæ lineis textis captaret pisces in cibum ventris, sed quæ reti sermonis Euangelici traheret homines terrenis immersos curis ad desiderium vitæ cælestis. PISCATORES officio seu professione. ἁλιεῖς. ἀπὸ τῆς ἁλίας à mari dictus est græcè ἁλιεὺς piscator, non à piscibus, vt apud Latinos; quasi iuxta Gallorum linguam dicas *mariniatores*, quòd in mari venentur. Singularis electio & vocatio ad Apostolatum, hominum rudium & ineruditorum, vt ne glorietur, caro, siue in euocatione ad Apostolatus honorem, siue in orbis conuersione per Apostolorum ministerium, sed sola celebretur Dei gratia.

καὶ λέγει αὐτοῖς δεῦτε ὀπίσω μου, [19] καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων.

& ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

Mar.1.v.17. Lu.5.v.10.

AIT ILLIS. postquam, miraculo comprehensa piscium multitudine immensa, naues subduxissent. Lu.5.v.11. VENITE POST ME. Idiotismus hebraicus, pro eo quòd dicas, Sequimini me. quo modo infrà 9.v.9. Matthæo dicitur: *Sequere me.* Iam dudum isti Iohanne prædicante in Iesum crediderant, eumque sequuti fuerant (Ioh.1.v.37.39.40.42.) & adfuerant frequenter docenti Iesu, fortassis etiam miracula edenti tum in Cana Galilææ tum in Iudæa (Ioh.2.v.2.11.23.) & in Iudæa baptizanti (Ioh.3.v.22. 4.v.2.) indeque in Galilæam reuertenti (Ioh.4.v.8.46.) nam Act.1.v.21.22. testatur non obscurè Petrus, se, cæterosque Apostolos, cum Iesu fuisse conuersatos, à baptismate Iohannis vsque in diem qua assumtus est. Sed nondum iam se prorsus Iesu addixerant Petrus & Andreas, nec ita indiuulsè adhęrebant, quin redirent interea ad piscationem, tamquam ad artem eam quam profitebantur, & ad negotium vitæ suæ non tantùm consuetum verumetiam præcipuum, quo victus atque amictus ipsis esset comparandus, & vita hęc sustinenda. Ab hoc igitur vitæ genere atque instituto ipsos auocans Iesus, inuitat ad indiuiduam sequelam sui: vultque vt relicto pisciculos capiendi artificio, totos se dedant in disciplinam ipsius, qua doceantur longè aliam ac sublimiorem piscandi rationem: hoc est quod dicit: *Venite post me.* relicto hoc vitæ genere arteque quam à patre didicistis, tam corpore quàm animo sequimini me & institutum vitæ meum, adhærete & addicite vosipsos mihi, docturo vos artem aliam, & alij vitæ generi, instituto atque officio vos applicaturo; non omnino tamen alij, sed in melius commutato. nam ex piscatoribus piscium formabo hominum piscatores. Non ergo describitur hîc vocatio istorum ad fidem, quam diu fuerant amplexi, sed ad

certum

certum munus: nec vocantur vt sint discipuli Iesu, quod erant, sed vt sint suo tempore Apostoli; in spem Apostolatus. Nondum quidem ipsis iniungitur Apostolicum munus: sed adsciscit eos Iesus in suum contubernium, & in familiam cooptat, vt formet idoneos. Quosdam contentus est Iesus habere in grege & Ecclesia sua, vt Regulum cum sua familia (Ioh.4.v.53.) pluresque alios, nec vrget vt, relictis parentibus & pristino vitæ genere, quouis ipsum pedibus sequantur: à quibusdam verò, quos ad maiora vocat, id exigit. Sic igitur Iesus, in communi aliorum vita nihil mutans, discipulos istos ab opificio quo hactenus vixerant abducit, vt formare eos velit, quò eorum opera ad præstantiorem functionem vti possit.

FACIAM VOS FIERI. faciam vt fiatis seu sitis. vtrumque enim transferri potest ex γενέσθαι, quamquam plerique Græcorum codicum illud hîc non legant, hoc solum scribentes: *Faciam vos piscatores.* Significat Christus se adaptaturum formaturumque eos, vt idonei sint piscandis hominibus. Rudes enim elegit, sed rudes non reliquit: nam idcirco ab initio statim illos sibi adiunxit, vt per tempus fingeret formaretque ad munus hocce eximium. Rudes & incompositas gemmas non contemnit artifex, quas nouit polire.

PISCATORES HOMINVM qualis ego sum. Plerumque Saluator à rebus corporalibus, quas tempus & locus exhibebant, sermonem transtulit ad spiritales, à terrenis ad cælestia mentem homines attollere docens. Efficiam, inquit, vt fiatis hominum piscatores longè feliciores, vt, qui nunc pisciculis insidiamini in eorum perniciem, homines capiatis in æternam salutem. Hoc enim vt infinitis partibus sublimius, ita magis necessarium est opus, hominum plerisque immersis ignorantiæ tenebris ac sordidis huius mundi curis: ad quos & ego veni extrahendos ad lucem veritatis & cælestium rerum amorem. eritis vos igitur mihi cooperatores in hoc piscandi genere. Ad idem artis genus, sed excellentius, inuitantur. Mutantur retia in doctrinam, lucri cupiditas in amorem salutis animarum: fit mare, terra; nauis, Ecclesia; pisces boni malique, homines, vagi palantesque in terra, vt in vasto & confuso mari pisces. De huiusmodi piscatoribus Ieremias cap.16.v.16: *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Commendatur autem diligens & indefessum studium lucrandi quàm plurimos Deo huiusmodi à piscatoribus sumta metaphora: quamquam labor sit piscatorum, Dei verò in retia cogere quos voluerit.

Mar. 1. v. 18. Lu.5.v.11.

At illi continuò relictis retibus[20] secuti sunt eum.

οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

AT ILLI. οἱ δὲ illi autem. CONTINVÒ. statim vt fuerunt vocati. Agnouerunt quidem vocem eius cui Iohanne prædicante crediderant, cuiusque doctrinam cælestem non semel audierant, & miracula non pauca viderant, nominatim præsens miraculum captorum piscium à D. Luca narratum: sed addita voci energia, afflatus nimirum Saluatoris, Spiritu sancto, quo plenus erat, intus eos compellantis (habebat enim vox Iesu cæleste incantamentum) effecit vt protinus ad vocem vocantis, omnium obliuiscerentur, nihil diffisi promissioni tam arduæ, nihil soliciti qua deinde ratione alerentur, sed mox se totos vocantis prouidentiæ potestatique committentes. Optimum certè exemplum iis qui à Deo vocantur, nihil disputare aut hæsitare, nihil contari, nihil vlla de re esse solicitum, sed obsequi simplicissimè vocanti Deo, eique se totum committere. RELICTIS ibi ita vt erant RETIBVS quorum vsu viuebant. τὰ δίκτυα. Hæc vox est quæ propriè retia significat. De naui quam Simonis fuisse testatur Lucas cap.5.v.3., nihil hîc dicitur, vt nec de piscibus: sed sub retibus cætera intelligenda veniunt muneris piscatorij, adeoque opificium ipsum seu ars piscatoria, mercenarij quoque, socij, amici, domestici, & si quid aliud habebant pauperes piscatores, quorum res omnis aut ferè omnis familiaris piscationi seruiebat. Petrus enim infrà 19. v. 27: *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Verùm quia Euangelista non nisi retium antè expressam fecerat mentionem, solaque retia sic relinquebantur vt mox forent hominum præda, eorum qui illa essent inuenturi (nauis enim non ita mox aufertur, quin paulò pòst definire potuerint cui vellent illam datam: pisces autem non tam ipsorum erant, quàm Christi cuius miraculo illos acceperant) idcirco non aliud quidem dicit quàm *relictis retibus*, sed intelligit, quod diximus, relictis omnibus, & signanter illo vitæ genere cui res omnis ipsorum seruiebat, quam ne disposuerunt quidem, vt nec ampliùs ad illud vitæ genus reuersi sunt. Quòd si aliquando postea piscati legantur, non hoc fuit piscatoriam exercentium, sed otium fugientium, aut mœstum animum relaxantium. Ioh.21.v.3. SEQVVTI SVNT EVM illinc abeuntem, & ex eo tempore indiuulsè ei adhæserunt, comites indiuidui & discipuli mancipati, ipsius more atque ex ipsius præscripto viuentes, sub ipso patrefamilias simul & præceptore. Tantum bonorum thesaurum in Iesu deprehenderunt, vt maluerint omnia relinquere, quàm ipsum non sequi; quemadmodum duo illi negotiatores, quorum vnus thesaurum in agro absconditum, alter margaritam pretiosam repererat. Matth.13.v.44.46.

Mar. 1. v.19.20. Lu.5.v.9.

Et procedens inde vidit alios[21] duos fratres, Iacobum Zebedæi & Iohannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocauit eos.

καὶ προβὰς ἐκεῖθεν εἶδεν ἄλλους δύο ἀδελφοὺς, ἰάκωβον τὸν τοῦ ζεβεδαίου καὶ ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ ζεβεδαίου τοῦ πατρὸς αὐτῶν, καταρτίζοντας τὰ δίκτυα αὐτῶν, καὶ ἐκάλεσεν αὐτούς.

ET. Tunc. PROCEDENS. προβὰς progressus. pusillum addit Marcus. Andrea ac Simone sequentibus, progressus nonnihil Iesus eò quò Zebedæi à captura piscium depulerant nauim suam, vidit eos &c. IACOBVM. Vnde nomen יעקב *Iacob* sit sumtum, notum est ex Gen. 25.v.26., quòd matris vtero egrediens plantam fratris teneret manu: planta enim Hebraicè עקב *aceb* dicitur. ad quod alludens Esau frater Gen.27.v.36: *Iuste*, inquiebat, *vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit* (quod est Hebraicè יעקב.

יעקב iacob) enim mer en altera vie. ZEBEDÆI. τῦ ζεβεδαίου illum Zebedæi, nempe filium. erant enim alij discipulorum Domini, eodem Iacobi nomine. Zebedæus, dotatum, liberalem, munificum significat, si interpreteris, à זבד zabad dotare, donare. Munificus certè fuit, qui filium vtrumque suum, baculos senectutis suæ, Christo donauit. IOHANNEM τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. FRATREM EIVS. Iacobi.
REFICIENTES. καταρτίζοντας redintegrantes, sarcientes. nam ἄρτιον integrum siue perfectum dicitur. Christus operi intentos vocat, non enim ignauos esse vult suos, quos ad labores euocat.
RETIA SVA. forte trita aut rupta; siue ex ea piscium captura quæ accidit cum hac vocatione (quamuis Simonis & Andreæ retia illa fuisse videantur, quæ Lucas narrat rupta, vt illorum erat illa piscatio) siue ex longo ac frequenti vsu. VOCAVIT ad sequelam sui, pollicitus facere piscatores hominum.
EOS. Etiam illos.

22 Οἱ δὲ εὐθέως, ἀφέντες τὸ πλοῖον καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

Illi autem statim, relictis retibus & patre, secuti sunt eum. *Mar. 1. v. 20. Lu. 5. v. 11.*

RELICTIS RETIBVS. ἀφέντες τὸ πλοῖον relicta naui est græcè; vt & syriacè. Fortassis hic versus, Latinis demutatus fuisse potuit, ex versu vigesimo superiori. ET PATRE. αὐτῶν suo additur græcè & syriacè. Magna virtus est pascere patrem senem idque iustè partis sumtibus: sed maior est virtus præ Christo relinquere, dum non vrget pascendi necessitas. quòd si etiam vrgeat non ita tamen potest vt deseri debeat Christus. Reliqua vide suprà v. 20. *Hæc Apostolorum quadriga*, ait veterum quidam, *vehimur ad æthera: his quatuor angulis construitur prima Ecclesia*. Simon nos docet, Iesu vocanti obedire; Andreas, viriliter agere; Iacobus, supplantare hostem; Iohannes, ad hæc præstanda, assiduè Dei implorare gratiam.

23 Καὶ περιῆγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ.

Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. *Inf. 9. v. 35. Mar. 1. v. 39. Lu. 4. v. 44. & 8. v. 1.*

ET CIRCVIBAT. Circuibat igitur, his quatuor nominatim discipulis assiduè comitatus. Sedulitas, diligentia, & studium Iesu erga publicam salutem. Non vno aut altero in loco hæret, vti Iohannes Baptista, exspectans, vt, fama nominis ipsius exciti conueniant eò quotquot salutis sint auidi; sed ipse ægros pius medicus adit, &, qui venerat quærere & saluum facere quod perierat, circumit. TOTAM GALILÆAM. oppidis vicisque populosis abundantem (quamquam, ob iam suprà dictas rationes, Capharnaum præcipuè suæ habitationi delegerit) qua de re Iosephus lib. 3. de bello cap. 2: *Ciuitates*, inquit, *in Galilæa crebræ sunt, & vbique multitudo vicorum propter opulentiam populosa, vt, qui sit minimus, supra quindecim millia colonorum habeat.* Gesta dictaque Iesu in Galilæa & locis vicinis, continua serie describit hic Euangelista, ab hoc loco vsque ad caput decimumnonum. DOCENS. ex sacrorum librorum lectionibus, temporis & salutis publicæ rationem exponens: diuinæ legis & sacrorum oraculorum senta ac benè viuendi normam, ita vt enascentis Euangelij infantiæ congruebat, edisserens. Nam quamuis docendi auctoritas, ex lege penes Sacerdotes & Leuitas, ex vsu verò penes Scribas esset, ex quorum numero Iesus non erat: fiebat tamen, vt, cùm Sacerdotes & Leuitæ docendi officium ferè negligerent: Scribæ verò, populi & synagogarum multitudini non sufficerent, quiuis, qui modò egregia polleret doctrina, populum in synagogas conuenientem docere permitteretur. id clarum fieri videtur vel ex Act. 13. v. 15. Quare non mirum quòd mox ab initio Iesus permissus fuerit docere: nam postea, vbi, eam quam à Deo Patre acceperat docendi auctoritatem, miraculis variis testatam fecisset, non potuerunt Sacerdotes & Scribæ ne doceret impedire, quamuis summopere conarentur. Hinc enim illa quæstio infrà 21. v. 23. & Luc. 20 v. 1: *Dic nobis in qua potestate hæc facis*, &c. IN SYNAGOGIS. Profecta est vox *synagoga* ab Interpretibus LXX, qui vbi mentio est cœtus filiorum Israel. in libris Mosis, ferè συναγωγὴν synagogam interpretando dixerunt (Exo. 12. v. 3. 19. 47. Num. 16. v. 2.) id quod & Latinus Interpres quandoque sequutus est. Deriuata vox est à συνάγειν, cogere, congregare: id quod Iudæis congruit legis terrore in vnam Remp. coactis. Duplici autem ferè modo in vsu est vox synagoga; Vno, pro cœtu siue collectione Israëlitarum, Dei cultum iuxta legis Mosaïcæ præscriptum profitentium; Altero pro loco quò ad sacra illi conuenire solent; non tamen quouis: distinguitur enim à templo synagoga. Templum, hoc est, sacrificij locus, Iudæis, Dei mandato, vnicum erat (Deuteron. 12. v. 13. 14.) idque tandem Ierosolymis: synagogæ verò erant Christi tempore per singulas ciuitates & vicos frequentiores, & quidem plures sæpe vna in ciuitate (Ierosolymis, quò ex prouinciis & regionibus omnibus confluebant quotidie, octuaginta & quadringentæ fuisse narrantur. lege Act. 6. v. 9.) in quibus, non quidem ad sacrificium, sed ad infantulorum circumcisionem, legis prophetarumq; lectionem atque explanationem, sacram concionem, denique ad orationem, sabbatis maximè, conueniebatur. Vnde Iacobus Act. 15. v. 21: *Moses*, inquit, *a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbathum legitur.* Quare nostræ tempestatis hæretici, qui sacrificium non offerunt, synagogas, non templa habent. Putatur synagogarum vsus ortus in Babylonia fuisse, cùm illic exsularent Iudæi, procul à templo, eoque exulto: ex eo tempore retentus est, à reuersis è captiuitate, & in captiuitatem rursus eiectis. Vides in Actis Apostolorum, quì Paulo orbem peragranti vbique synagogæ occurrant Iudæorum: nec aliter res perseuerat in hodiernum vsque diem. Docuit itaque Christus, non in angulis, non in occulto, ne doctrina calumniam pateretur; non in deserto, ne paucioribus esset adeundi atque audiendi facultas; sed in synagogis, in locis publicè ad docendum destinatis, vt loco commendata doctrina, tamquam bona, saluti-

salutifera, legique ac prophetis qui illic populo prælegebantur consentanea, omnes confluerent, omnes Deo lucrifierent. Docuit quidem Iesus etiam extra synagogas, & id quocumque loco res ferebat, cùm populus sponte ad ipsum accurreret, quem non erat æquum absque doctrina dimitti: sed ne captare ipse videretur loca secretiora aut accessu difficiliora, tamquam non sibi conscius recti, vltro adiit synagogas, in quas pro more docti indoctique conueniebant audiendi discendique gratia, idque sabbathis præsertim. de quo v. de Mar. 1. v. 21. EORVM. s. Galilæorum. EVANGELIVM REGNI. Euangelium quod de regno est; faustum instantis regni cælorum nuncium. vt suprà v. 17. ET SANANS. corporibus simul & animis omnium mederi studens bonus pastor: priùs tamen docens, quod ad animos, postea sanans dicitur, nam propter doctrinam sanitatum miracula. *Sanans* autem, non pharmacis aut arte medica, sed verbo solo nutuve; idque ex tempore restituens integram sanitatem. *Etenim neque herba neque malagma sanauit eos sed tuus Domine sermo qui sanat omnia*; quod Sapientia ait cap. 16. v. 12. Quare abusus est græcus Euangelistæ Interpres, vt & aliquoties Euangelistæ ipsi, voce θεραπεύειν, quæ pharmacis mederi significat. Latinus Interpres vitauit incommodum hoc quidem loco, dum *sanans* vertit, non, quod aliàs, *curans*.

OMNEM LANGVOREM. πᾶσαν νόσον omnem morbum, pro, ab omni morbo (neque enim morbus ipse sanatur) cuiuscumque generis morbus esset, quantumuis insanabilis. nec enim sanauit à morbis omnibus singulis. νόσος inquit Euthymius, *est diuturna peruersio habitudinis corporis*; nempe, quam morbum latinè vocamus. quare impropriè *languorem* dixit Interpres. INFIRMITATEM. μαλακίαν. hoc rectè *languorem* vertatur: est enim μαλακία, Euthymio teste, *lassitudo corporis, morbi prænuntia*: accipiturque hîc pro iis morbis, quibus qui correpti sunt, etsi non decumbunt, tamen languent. & nonnumquam etiam contabescunt. Multi medicis, nullus Iesu incurabilis morbus fuit. Id de nullo alio quamuis sanctissimo viro scriptum exstat. IN POPVLO. quo quicumque è populo, qui sanandus ipsi offerebatur, laborabat. *Quia nouum sit aliquid atque inopinatum*, ait Chrysostomus, *& politiæ alicuius introductio, signa Deus facere consueuit, ad commendationem eius quas adfert legis. Itaque cùm Filius Dei Euangelium & legem nouam adferret, auctoritatem sibi legationiq, suæ conciliauit claritate signorum.* Porrò, quia saluaturus venerat homines, verus Iesus, nunciaturus præstiturusque remissionem à peccati ac diaboli seruitute & traductionem ad regnum cælorum, non monstrosa aut terrifica edidit portenta signáve; multò minùs inania aut friuola; sed suauia ac benefica, restitutæ ex variis morbis dæmonumque oppressionibus sanitatis: quo simul miraculis, & nomini suo atque commisso responderet, & potentiam suam declararet humana maiorem, & doctrinæ suę comprobaret veritatem, & denique, minorum beneficiorum suauitate, maioribus sublimioribusque afficiendos, ad se omnes alliceret.

Iu. 4. v. 14. Mar. 3. v. 10. 11. Lu. 6. v. 18. 19.

Et abiit opinio eius in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.

24 καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην Συρίαν, καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένους, καὶ δαιμονιζομένους, καὶ σεληνιαζομένους, καὶ παραλυτικούς, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς.

ET ABIIT. Quocirca abiit. OPINIO. ἡ ἀκοὴ. auditio, fama. diuulgata est hac ratione fama eius. IN TOTAM SYRIAM. in omnes longè lateque circumiacentes regiones, Idumæam, Palestinam, Syrophœniciam, Syriam Damasci, Syriam Antiochiæ, Syriam Cœlen, Arabiam; non tantùm in vicinas, Iudæam, Peræam, Bathanæam, Galilæam, Decapolim, Samariam. Hæ enim omnes regiones & quædam aliæ his affines, Syriæ nomine comprehenduntur, cuius termini describuntur, ab Aquilone Cilicia, à meridie Ægyptus, ab occidente mare magnum, quod & Syriacum mare ab ea dicitur, ab oriente fluuius Euphrates, ad quem vsque Dauid protulerat fines regni sui. 1. Paral. 18. v. 3. 2. Paral. 9. v. 26. Breui tempore, hæc omnia loca compleuit, fama prædicationis Iesu, sanationum virtute confirmata: vt gratiæ vocandarum aliquando gentium, interea pararetur via. OBTVLERVNT. s. homines (exciti fama) id est, oblati sunt. sic enim circumloquuntur Hebræi verbum impersonale. *Obtulerunt* autem vndique ex tota Syria. OMNES. plurimos, infinito numero, omnes quotquot adducere poterant. LANGVORIBVS. νόσοις morbis. vide versum proximè præcedentem. Hoc plerique sequentibus haud absonè iungimus: *Variis languoribus & tormentis comprehensos*; Euthymius præcedentibus nectit: *Omnes malè habentes variis morbis*. Hîc enim monet distinctionem ponendam, ita vt deinde per se sequatur: *Et torminibus contractos*. Euthymio Syrica editio disertè adstipulatur. TORMENTIS. βασάνοις torminibus, cruciatibus. βάσανος propriè est coticula qua aurum exploratur: transfertur autem ad quascumque quæstiones tormentorum. hoc loco sumitur, non tantùm pro torminibus, verumetiam pro sæuis omnibus morbis, qui ægrotos acerrimis excruciant doloribus, quasi tormentis & equuleo impositos. COMPREHENSOS. συνεχομένους detentos, obnoxios; vel contractos, coärctatos, iuxta Euthymij distinctionem: torminum enim violentia corpus omne contrahitur. QVI DÆMONIA HABEBANT. dæmoniacos δαιμονιζομένους eos qui à dæmoniis agebantur, qui à malis spiritibus vexabantur, participium à verbo δαιμονίζεσθαι ficto à nomine δαίμων siue δαιμόνιον. quo nomine Græci olim appellarunt deos suos, à scientia, quasi δαήμονες: sacræ deinde litteræ, tum veteris instrumenti secundùm LXX, tum noui ex illorum imitatione, eo nomine vocant spiritus siue angelos illos qui à Deo creatore suo desciuerunt (hi enim erant dij gentium, dæmonij nomen diuinis nominibus opponentes. Deut. 32. v. 17. Psal. 95. v. 5. Hebraicè שד *Sed* dicitur, tamquam solus & in vniuersum vastator; Syriacè ܕܝܘܐ *Daiue* & ܕܝܘܢܐ *Daiuono*. Porrò cùm omnes qui naturâ filii sunt iræ (vt sumus homines omnes) dæmonibus subditi quod ad animam sint, & captiui ab eis detineantur, nisi per Christum fuerint liberati: ij tamen propriè dæmoniaci dicuntur, quorum dæmon non tam animas quàm

corpora

corpora occupat, perturbans sensus & ad furorem atque insaniam adigens. Hos cùm sanaret Iesus, probabat cælestem in se efficaciam, omnino contrariam diaboli regno, quâ, vt corpora, ita & animas, à tyrannica dæmonum seruitute valeret liberare. LVNATICOS. σεληνιαζομένους. vox est similis ei quæ proximè præcedit δαιμονιζομένους, à σελήνη *luna* formata; quasi qui à luna vel in morem lunæ agantur, aut lunationibus afficiantur, id est, certis lunæ temporibus perturbentur ac malè habeant: quibus augescit vis morbi vel decrescit pro lunæ inclinatione. Huiusmodi sunt ij qui laborant morbo comitiali seu caduco, qui & σεληνιακὸς quasi lunaris dicitur; tam quòd eorum ferè sit morbus qui in interlunio nati sunt, quàm quòd illos sub defectum lunæ corripiat. Huic morbo diabolum plerumque se admiscere, experientia compertum est; quin & à diabolo nonnumquam procurari infrà 17. v. 15. 18. intelligitur. PARALYTICOS. qui membrorum patiebantur παράλυσιν dissolutionem; eneruatos, languentibus & debilitatis corporis membris. Cùm omnis generis morbos complexus primùm fuisset Euangelista, quosdam deinde nominatim recenset, quos medici, aut non suscipiunt curandos, aut frustra curare solent, artem malo superante, vt Christi virtutem humana maiorem, certiùs intelligendam daret. CVRAVIT. ἐθεράπευσεν sanauit. vide versum superiorem. *Nubes quasdam signorum*, vt Chrysostomi verbis vtar, breuibus Euangelista verbis transcurrit, quorum quædam pòst explicatè narrat.

καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, καὶ δεκαπόλεως, καὶ ἱεροσολύμων, καὶ ἰουδαίας, καὶ πέραν τοῦ ἰορδάνου.	25	Et sequutæ sunt eum turbæ multæ, de Galilæa, & Decapoli, & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.	Mar. 3. v. 7. 8. Luc. 6. v. 17.

ET. Itaque, cùm ob doctrinam, tum maximè ob signa huiusmodi. EVM. circumeuntem Galilæam & quouis abeuntem. DE. ἀπὸ à. DECAPOLI. Regio erat, partim citra, partim vltra Iordanem & mare Galilææ, Decapolis dicta, quòd decem complecteretur ciuitates, quarum in enumeratione non perinde auctores conueniunt; omnium tamen sententia. vna, eaque maxima, Bethsan erat, aliàs Schytopolis dicta, citra Iordanem sita, ad egressum illius è mari Galilææ; Brocardi in descriptione Terræ sanctæ, Iosephi lib. 3. de bello Iudaico cap. 16., Plinij lib. 5. naturalis Hist. cap. 18. IVDÆA. Sc. reliqua. Strictè hìc accipitur Iudæa. vide suprà cap. 2. v. 1. ET DE TRANS IORDANEM. Interpretes Latinus & Syrus, addiderunt DE, phrasim imitati Hebræorum. Græcè est καὶ πέραν τοῦ ἰορδάνου & trans, siue, vltra Iordanem. Subaudiri potest ἀπὸ ex præcedentibus: verùm ita ponuntur nonnumquam huiusmodi, vt motum à loco significent. Periphrasi explices, E regionibus vltra Iordanem sitis. Ex iis, Iordani adiacebant Peræa & Batanæa, olim Regna Sehon regis Amorrhæorum & Og regis Basan (familiare est enim Syris & Chaldæis hebræum ש S mutare cum ת T, vt pro *Basan* dicere *Batan*, pro *Salos Talos*) cùm illas inter se partirentur tribus Ruben, Gad. & dimidia Manasse. Vlteriùs verò sita fuit triplex Arabia, de qua suprà 2. v. 1. Ex his omnibus regionibus, confluxit ad Iesum ingens hominum multitudo, & comitata est quòvis proficiscentem.

CAPVT QVINTVM.

Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος· καὶ καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ·	1	Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem: & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius:

VIDENS AVTEM. Ἰδὼν δὲ cùm vidisset autem sc. quodam tempore, in illa Galilææ peragratione. Euangelista festinans narrare diuinissimum Domini sermonem, præponit eum historiis multis quæ priùs acciderant; inter alias, historiæ de vocatione sui, infrà 9. v. 9. TVRBAS. frequentissimum populum apud se congregatum. ASCENDIT. nouam laturus & promulgaturus Euangelij legem. tempus enim ad hoc erat opportunum, magna hominum multitudine præsente. IN MONTEM vicinum mari seu lacui Galilææ (Mar. 3. v. 7. 13.) vt ad altiora secum turbas traheret, ipsa loci celsitudine declarans, nihil se plebeium aut humile traditurum, sed ardua cælestiaque omnia. Plures ob causas ascendit in montem Iesus, quarum vna, non quidem proxima, sed postrema fuit, vt sublimem Euangelij doctrinam in loco proferret sublimi. Sic enim se habet ordo historiæ: Cùm aliquando sanasset Iesus cuiusdam manum aridam die Sabbathi, & accensum ob id in se Pharisæorum furorem declinaret (infrà 12. v. 15.) secessit ad mare Galilææ, vbi postquam se secutam multitudinem multis variisque ab infirmitatibus liberasset, ascendit in montem (Mar. 3. v. 13.) in quo, noctem quidem orando transegit, manè autem duodecim Apostolos ordinauit (Luc 6. v. 12. 13.) interdiu verò, editis rursum pluribus signis sanationum, concionem hanc ad Apostolos, discipulos, & populum habuit. Luc. 6. v. 17. 18 20. Proxima itaque causa ascensus in montem, Iesu fuit, vitatio turbæ sub noctem; altera, vt loco apto oraret; tertia, vt eo loci ex numero discipulorum suorum duodecim eligeret Apostolos; quarta demum ac postrema vt illic doceret perfectionem vitæ Christianæ. certus populum nocte non tam longè abiturum, quin manè maiore etiam numero iterum adforet ad pedes montis. ET CVM SEDISSET in loco montis inferiori, campestri, æquabili & multorum capaci (huiusmodi enim, ob decliuitatem, commodus est, vt multi videre audireque docentem possint) in quem descenderat (Lu. 6 v. 17) è supremo monte, vbi, quod diximus, noctem oratione transmiserat, exortoque die Apostolos ordinauerat. Lege in hanc sententiam Augustinum libro 2. de consens. Euang. sub

finem capitis 19. Sedit autem, id enim congruit auctoritati docentis. ACCESSERVNT AD EVM. propiùs eum cinxerunt.

& aperiens os suum docebat [2] eos, dicens: καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ ἐδίδασκεν αὐτοὺς, λέγων·

APERIENS OS SVVM. reclusis sacris pectoris sui adytis, thesauros diuinæ sapientiæ scientiæque expromens. Seria, grandia, prolixaque Saluatorem iam locuturum, illo loquendi modo, Euangelista, pro Scripturarum more significat, cuius parca hactenus verba retulerat. Solent enim, quibus seria seriò tractanda sunt, non in verba temerè prosilire, sed meditabundi grauesque vix tandem ori frena laxare.
DOCEBAT EOS. discipulos quidem primùm, in quos, Luca teste (cap.6.v.20.) oculos eleuauerat; sed cum eis & promiscuam multitudinem. *Docebat* autem, formam bene sanctéque viuendi, atque integrè se gerendi, iuxta eam, quam noua Euangelij lex poscit, perfectionem, siue publicam quis agat personam, siue priuatam. Hoc enim sermone comprehenditur, B. Augustino auctore, quidquid ad perfectum Christianæ vitæ modum pertinet, atque institutionum, quod ad mores, simul & promissionum Euangelij, summa.

Luc. 6. v. 20.

Beati pauperes spiritu, quoniam [3] ipsorum est regnum cælorum. μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

BEATI. Beatitudinem omnis homo expetit, atque iis omnibus quæ agit quærit, quippe finem vltimum suum & absolutam perfectionem: nihil tamen est in quo ita miserè homo erret, vt in eo in quo sita sit beatitudo, & quæ sint ad beatitudinem perueniendi media. Quare id principiò Saluator docet, quod pollicentur omnes qui se sapientiæ doctores profitentur, in quo ipsa sita sit beatitudo, & quæ sit certa ad eam pertingendi via. Docet autem hac in re longè aliud, quàm, aut philosophi docuerint, aut vulgus hominum sentiat, quinimmo ex diametro contrarium. Illorum enim omnium iudicio, beatitudo à præsenti statu æstimatur, felicem esse qui omni molestia exemtus ac votorum suorum compos lætam & quietam vitam agit. Saluator autem, eos qui improborum iniuriis premuntur, & variis ærumnis subiecti sunt, mediis in miseriis beatos pronunciat, vt rectam proximamque tenentes viam ad beatitudinem, quæ non nisi futuri sit sæculi. Præ cæteris mundus beatos diuites clamat, miserrimos autem pauperes (*Beatum enim dixerunt populum cui hæc sunt*, Psal.143.v.15.) Saluator pauperes inprimis beatos prædicat. *Beati*, inquit. s. sunt, beatitudinis tum inchoatione, quemadmodum gemma est vua, tum maximè exspectatione infallibili. hîc enim *spe salui facti* ac beati *sumus*. Rom.8.v.24. PAVPERES. οἱ πτωχοὶ mendici, inopes, quibus nullæ sunt opes terrenæ, nullæ huius mundi diuitiæ. ܡܣܟܢܐ *meskine* dicit Syrus, quod idem Italus *Meschino*. De his enim qui non figuratè sed propriè pauperes dicuntur, hanc Domini sententiam interpretatur Chromatius Papa, inter alios, tum in dissertatione tum in declamatione quas scripsit in hunc Domini sermonem; & quidem egregiè. SPIRITV. non enim omnes pauperes beati (nam complures, substantia pauperes, diuites sunt affectu, miserrima vitæ conditione, sed qui τῷ πνεύματι *spiritu* huiusmodi sunt, voluntate nimirum à Spiritu sancto afflata (fit enim hominis mens atque voluntas, ex Spiritus sancti afflatu, spiritus) animo spiritualia amanti quærentique, ex fide in Deum & amore agente. nec enim quæcumque voluntas, quicumque assensus sufficit, vt beatus sit qui pauper sit. *Non omnis paupertas felix est*, inquit Chromatius, *quia fit sæpe ex necessitate, fit nonnumquam per pessimos mores, fit etiam ex indignatione diuina. Beata ergo paupertas est spiritalis, eorum scilicet hominum qui spiritu & voluntate pauperes se faciunt propter Deum, renunciando seculi bonis, substantiam suam vltrò erogando: qui contemtu mundi diuitiis, spretaque seculi facultate, vt Deo fierent diuites, mundo esse pauperes voluerunt. Hi tales pauperes quidem seculo videntur, sed Deo diuites sunt, egentes seculo sed Christo locupletes.* hactenus Chromatius. Primùm ergò ac præcipuè beati hîc prædicantur, qui obsecuti fuerint Saluatoris consilio infrà 19.v.21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* qui non solùm nullas habent aut appetunt diuitias, verumetiam ea omnia quæ habuerant & habere potuerant, sponte propter Deum dereliquerunt. Huiusmodi beatus pauper fuit ipse Christus inprimis (2.Cor.8.v.9.) qui primus singula ista quæ hîc docet & laudat, perfectè obseruauit, absolutum se præbens exemplar omnibus; tum Christi sequaces Apostoli. inf.19.v.27. Deinde verò beati hîc prædicantur, qui eam in qua Deo volente degunt paupertatem, æquanimiter ferunt, &, pre amore erga Deum, diuitiis præponunt, nequaquam quærentes diuites fieri, sed à Domino exspectantes quibus opus est postquam fecerint id quod vocationis ipsorum est. Demum illi hîc beati postremo gradu pronunciantur, qui, quas habent diuitias, tamquam non habentes sunt, non illis cor apponunt, non confidunt, non amant, non pro diuitiis ducunt, quibus ipsi, aut boni sint aut honore digni, aut felices, aut pauperibus præferendi, non auarè adseruant vel augent, sed dispensant vt oportet, integrè auaritiæ renunciantes, denique ea præstant omnia quæ diuitibus huius seculi præcipit Apostolus 1.Tim.6.v.17.18.19., omnino autem sic sunt animo comparati, vt, vbi pietatis ratio id exigat, incunctanter opum omnium iacturam facere statuant. nam & isti suo modo sunt pauperes. Hac ergo prima sententia, voluntaria paupertas, opumque periturarum contemtus, commendatur, radix Euangelicæ perfectionis, & proxima ad beatitatem via: Nam & è contrà, Apostolo doctore (1.Timoth.6.v.9.10.) *philargyria* studiumque diuitiarum, *malorum omnium radix est* & certa hominis perditio. Beati itaque pauperes cùm à Christo veritate pronuncientur; rectè concludit D. Ambrosius lib.2. Offic.cap.4: *Nullum ergo adminiculum præstant diuitiæ ad vitam beatam.*
QVONIAM. Rationem addit cur beati sint pauperes spiritu: non enim in paupertate beatitudo consistit, sed medium est paupertas quo beatitudinem adsequaris. Paupertas enim, indigentia est rerum quæ licitè ad vitæ conseruationem expetantur: beatitudo autem omnem indigentiam rerum quæ licitè expetantur excludit, quinimmo abundantiam adfert & copiam, quippe qui status sit omnium bonorum aggregatione perfectus, quo habet homo quidquid vult, quidquid desiderat, & nihil mali vult, nihil mali desiderat. Cæterùm, postquam rerum copia homo præuaricator abusus, à beatitudine excidit, nulla restitui faciliori

via

via quàm per inopiam potest. Rerum enim copia, mentem hominis semel vitiatam perpetuò irritat, vt vel se luxui det, vel sorditiei, vt vel profundat opes prodigus, vel adseruet sordidus, vel adaugeat auarus, vt speret in pecunia ac thesauris, in multitudine diuitiarum suarum, & à Domino recedat cor eius, sollicitus vt congreget, anxius vt conseruet, perpetuis distentus curis vt accumulet. At paupertas ea maximè quam homo spiritu colit vt irritamenta vitiorum omnia excludit, ita virtutum omnium parens est, terrenis expedita curis vt Deo vacet, læta animo, secura mente; iactata sollicitudine omni in Dominum, tota ab illius pendens prouidentia curaque, certa nihil sibi defuturum, tantummodo Dominum timeat, eaque faciat quæ ille fieri ab homine velit. Ita ad beatitudinem redit homo pauper, qui à beatitudine diues exciderat. Et quidem prorsus necesse non est reipsa opes omnes relinquere; animo tamen vt minimum necesse est, ita vt nec fiduciam in opibus colloces, nec pro opibus, quæ te beatum felicémve reddant, ducas, denique paratus sis, vbi opus erit, reipsa relinquere, sicut antè diximus. IPSORVM EST. iam nunc est, amodo eis debetur, certique sunt se accepturos, id quod nunc appropinquauit, REGNVM CÆLORVM. Non dicit, quia ipsorum sunt veræ diuitiæ: nam paruipendens, diuitias reddere pro paupertate, promittit regnum: quemadmodum è diuerso inf. 19. v. 24, diuites excludit regno cælorum. *Regnum cælorum*, id est, vita feliciter æterna, inque æternum felix (vide sup. 3. v. 2.) quæ vna in Dei visione potissimùm sita, variis dehinc nominibus describitur, pro congruentia cuiusque generis bonorum hominum cui promittitur. Pauperibus, qui terrenas contempsère diuitias, &, quod diuitiis parari ac stabile esse solet, regnum, quin prælegerunt seruilem, inopem, humilemque vitæ conditionem in terra, congruit in cælis regnum. *Regnum*, cum gloria eminentiam significat præcipuam, cunctarumque rerum abundantiam; *cælorum* autem *regnum*, vera ilthæc æternaque promittit. ita ad aspera aduersaque carni, suos Saluator animat, cælestium bonorum beatitudinisque promissione, cùm hic, tum in cæteris sequentibus promissionibus. Est enim regnum cælorum, æternùm feliciter agere, vbi seipso Deus, & Deo Sancti fruuntur, & cum Deo nihil, quod quidem rectè experi possit, deest. Cælorum hoc regnum appellatur, pro eo quod est cæleste, quia in terra à mortalibus, nec videtur, nec inuenitur, in cælis autem manifestat donatque illud Deus: dein, quia cum cælis æternum est: denique, quia eos manet quorum mentes cæli sunt, hoc est, sedes Dei. Porrò quæ hîc promittitur variis ordine nominibus beatitudo, tametsi in futura vita reddenda sit, suo tamen etiam modo donatur & inchoatur in ista: & quidem, quod ad regnum cælorum pauperibus promissum, an non verè regnant, idque planè cælesti modo, qui tyrannis iis, quos miserè ferre diuites solent, auaritiæ, ambitioni, iræ, odio, curarum turbis, & cæteris huiusmodi, dominantur ipsi? cunctisque mundi opibus superiores, Deo toti inhærent, cui vni seruire regnare est?

μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται.	4	Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Luc. 6. v. 21.
μακάριοι οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν.	5	Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

BEATI MITES. Hic Latinis secundus, Græcis tertius est ad beatitudinem gradus: proximus autem *Beati qui lugent*, qui Latinis tertius, illis secundus est. neuter ordo incommodus est. Porrò illi qui latinorum est codicum, Latini tractatores volunt, Hieronymus, Augustinus, & ætate inferiores; illi qui græcorum, Græci, Chrysostomus, Auctor operis imperfecti, Theophylactus, Titus, Euthymius, adhæc, Syricus Interpres. Chromatius in dissertatione sequitur græcorum ordinem, in declamatione latinorum.

MITES, id est, *mansueti, humiles, modesti, in fide simplices, & ad omnem iniuriam patientes, qui præceptis Euangelicis instituti, Dominicæ mansuetudinis imitantur exemplum.* ita Chromatius. πραεῖς, qui ita iræ & zeli passionibus imperant, vt nec obmurmurent Deo, siue ob secundas res impiorum, siue ob aduersas suas, nec vindictæ de hominibus cupidi vel difficiles sint, dum quid aut præter æquitatem aut præter voluntatem patiuntur: sed Dei quidem iudicia æquo animo sustinent, hominum verò improbitatem tolerando vincunt, infirmitati cedunt, atque adeò, placida morum suauitate, omnium sibi animos conciliare conantur. Hic alter est ad beatitudinem gradus: sequitur enim, vt qui diuitiis iam superior factus est, animi passiones domet: atque hoc ex illo nascitur, aut certè coniunctum sit necesse est. QVONIAM. Ratio cur beati sint mites, nec enim beatum reddit, sed eò ducit mansuetudo: nam neque in ipsa virtute beatitudo collocanda est, iuxta Stoïcum illud: *Ipsa sibi virtus sola est pulcherrima merces*; sed in eo, ad quem nisi se referat virtus, virtutis amittit rationem. POSSIDEBVNT. κληρονομήσουσιν, ܢܐܪܬܘܢ *nirtoun*, id est, *hæreditate possidebunt*, quo modo B. Augustinus legit: plus autem id est, hereditate siue hereditario iure possidere, quàm possidere dumtaxat. Significatur stabilis æternaque possessio, qua pellendi orbandique numquam sint. TERRAM. *orbem terræ futurum*, quem Paulus vocat (Heb. 2. v. 5.) de quo Petrus 2. Epist. 3. v. 13: *Nouos cælos & nouam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus iustitia habitat.* Dum enim terra ista, incolas suos omnes, ad æterna transmiserit loca, gehennam inquam & cælum, adiungetur ipsa alteri eorum; *liberataq́; à seruitute corruptionis, noua seruiet gloriæ filiorum Dei.* Rom. 8. v. 21. Potentes ferocesque plerique beatos prædicant, quòd ij ferè fruantur terræ possessione, dum nemo eis, ob eam quam in promtu habent vindicandi facultatem, oppedere audet. At contrà Saluator mitibus, qui frequenter alioqui suis deturbari possessionibus assolent, potentum, vt fit, iniuriis expositi, stabilem terræ possessionem pollicetur: & quamquam id potissimùm de orbe terræ futuro, ita vt diximus, intelligi debeat, fit tamen ferè in hoc mundo, vt quietiùs nemo, nemo minori cum ab hominibus mota difficultate, suis vtatur, quàm mitis animus, rixæ contentionisque osor: quem dum fortè contingit contra fas suis exui, plus impetrat ab vltrò largientibus mansueta tolerantia, quàm ab inuitis extorqueat immitis violentia. Conuenit cum hac sententia tricesimus sextus Psalmus, ad quem haud dubium Saluator respexit: *Mansueti autem hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* (v. 11.) & alia multa quæ sunt illic hanc in rem. BEATI QVI LVGENT. Verè paradoxon. Mundus enim eos hîc arbitratur beatos, qui à mærore luctuque alieni, rebus omnibus ex animi

voto ſuccedentibus, vitam lætam & amœnam ducunt, iucundis mundi voluptatibus perfruuntur, iocis & lepidis riſibus vacant, parataque habent ſolamina mille malorum. beatus verò Dominus, contra totius mundi ſententiam, luctum quo oblectamenta mundi omnia ſubiugantur, eaque quæ luctum pariunt, beatificat. Beatos prædicat eos, qui vitam degunt iudicio hominum triſtem, à voluptatibus inquam ſeculi & carnalibus concupiſcentiis alienam; qui, intelligentes nihil eſſe lætitiæ in rebus humanis, ea ſibi hoc in exſilio ob oculos ponunt, quæ luctum gignunt, ſua alienaque peccata, carnem ſpiritui rebellem, & cætera huiuſmodi, denique quibus parum aut nihil proſperè ſuccedit, rebus premuntur aduerſis, & æquanimiter ferunt. Ita enim dumtaxat luctus resque luctificæ ad beatitudinem conferre intelligendæ veniunt, ſi quis eis bene vtatur, ſi triſtitia ſit, non ſeculi, ſed ſecundùm Deum, de qua Apoſtolus 2.Cor.7.v.10. Fit autem longè frequentiùs, vt bene homo rebus luctificis ac triſtibus vtatur, quàm vt rebus lætis: illis enim facilrùs ad officium reuocatur, in eoque continetur & quaſi ſtimulis excitatur vt in Deo ſolidam conſolationem quærat; his faciliùs inſoleſcit, &, ſi quidem his bene vtatur, haud ita magni eſt meriti, cùm res ipſæ lætæ pars non parua remunerationis ſint. QVONIAM. Non in luctu ſita beatitudo (quinimo exſulat à beatitudine luctus) ſed ad beatitudinem luctus ducit: ea enim via præſcripta eſt homini perdito, rebusque lætis ac proſperis ſemel abuſo, vt non niſi circumeundo per aduerſa compita, eò peruenire poſſit, quò prius recto itinere potuiſſet: neque enim peruenire mereatur, niſi dolens ac deflens ſua ſe culpa itinere rectiſſimo & commodiſſimo euagatum: denique, vti diximus, menti vitiatæ, qua nunc eſt, ferè plus obſunt proſpera quàm proſint. CONSOLABVNTVR. παρακληθήσονται conſolationem accipient; æternam, quam vocat Apoſtolus 2.Theſſal.2.v.16. Veniet tempus, quo, verſis rerum vicibus, dolor eorum vertatur in gaudium, & luctus in riſum. tunc, quando, iuxta Iſaiæ vaticinium (cap.35.v.10. 51.v.11.) *redempti à Domino reuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Neque hac in vita ſolamen deeſſe poteſt. quos paracletus, Spiritus conſolationis ſanctus, intus reficit, quaſi triſtes, ſemper autem illius munere gaudentes (2.Cor.6.v.10) ex ſancto enim luctu, velut ex ſeminio quodam, animi gaudium naſcitur.

Lu.6.v.21.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

6 μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται.

QVI ESVRIVNT ET SITIVNT IVSTITIAM. Vulgò miſeri habentur qui famem ſitímve pati ſæpè coguntur: Saluator porrò hîc beatos eos prædicat, dummodò ea cibi fames ex iuſtitiæ fame oriatur, aut coniunctam illam habeat: nam de corporali fame Lucas (cap.6.v.21.25.) de ſpiritali Matthæus expreſſiùs loquutus eſt, alterique alteri lucem adfert. Iuſtitia hîc, vt generalis eſt virtus, in ſe omnes virtutes complectens, accipitur pro omni eo quod virtuti æquitatique conſonum & Deo gratum eſt. Eſuriunt autem & ſitiunt iuſtitiam, qui iniquitatem omnem tum in ſe tum in aliis omnibus exoſam habent, deſiderantque, id omne quod Deo gratum ſit, à ſe atque ab omnibus præſtari, in eoque magis ſemper ac magis profici; nec deſiderant tantùm, ſed & omni conatu ſatagunt, atque ita, vt frequenter ea cauſa etiam cibi potusque inediam patiantur, alieni à comeſſationibus & ebrietatibus, addicti verò ieiuniis & macerationibus carnis: maiori enim affectus ardore in iuſtitiam feruntur, quàm famelici aut ſitibundi in cibum & potum, quippe quam ad vitam ſpiritui ſuo norint inprimis neceſſariam, nec alias adhæc eſſe illi pares delicias. Leuiter ea appetenda Saluator docet, in quorum cura vulgus miſerè adeò torquetur, cibum inquam & potum; felices eſſe, qui famem & ſitim hanc à rebus corporeis & perituris transferunt in meliora, ad appetendam iuſtitiam Euangelicam, ita vt præ eius deſiderio, corporis famem ſitimque libens patiantur, quippe in qua, dum hîc viuitur, ſemper ſit quod meritò eſuriatur & ſitiatur, ſemper operi & profectui locus. cui gnauiter adeò incumbere iam congruè exigitur, diuitiis, honoribus, & voluptatibus mundi, ſuperatis, id quod iſto inferiorum fuit graduum. SATVRABVNTVR recumbentes cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum (infrà 8. v.11.) dum apparuerit, iuxta Pſalmum, gloria Dei. Pſal.16.v.15. Saturabuntur autem iuſtitia quam eſurierunt: donabuntur enim perfecta omnibusque numeris abſoluta iuſtitia, qualis hac in vita nemini datur, in futura præmij loco ſeruatur. Saturabuntur omnis generis bonis, quia nihil deerit inebriatis ab vbertate domus Dei (Pſal.35.v.9.) adeoque Deo ipſo ſaturabuntur, bonorum omnium fonte, qui ſolus ſufficit, quinimo ſolus poteſt, omnimodam humanæ menti ſatietatem adferre. *creaſti enim nos ad te* (Auguſtinus lib.1. cap.1. confitebatur) *& inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* Saturabuntur verò plenè, ita vt fames nulla vmquam recurſura ſit: & ſine faſtidio ſaturitas erit, quia abſque inedia appetitus. Temporaria nullam poſſunt aut corpori aut animo humano ſaturitatem adferre: corporis enim fames perpetuò recurrit, animi verò deſiderio ſatisfactum numquam eſt: &, ſi quædam aliquando ſatietas eſſe videatur, plus illa fame ipſa plerumque cruciat. Veriorem hac in vita ſaturitatem conſequuntur, qui iuſtitiæ operam dant, quippe quibus nihil deſit quod ad æternæ vitæ ſaturitatem aliquando conſequendam neceſſarium ſit, iuxta illud: *Qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet vmquam.* Ioh.6.v.35.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

7 μακάριοι οἱ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται.

MISERICORDES. Iuſtitiæ miſericordia iungenda eſt, quamquam iuſtitiæ pars quædam miſericordia ſit, quę in eo ſita eſt, vt proximorum malis ac miſeriis indoleſcamus, iiſque ſubleuandis, quoad eius fieri à nobis poteſt, ſtudeamus, ſiue ad animum illæ, ſiue ad corpus ſpectent. Vulgò beatius æſtimatur accipere quàm dare: Dominus contrà *beatius eſſe magis dare docet quàm accipere* (Act.20.v.35.) nam & accipere, indigentis eſt propriè; dare, beati ſiue felicis: quare illud ſummum bonum, ſeipſoque perfectum ac beatum eſt, cui non opus eſt quidquam accipere, ipſum autem omnia dat. QVONIAM. Hominis & creaturæ cuiuſcumque beatitudo in accipiendo conſiſtit: cùm enim non ſit ſeipſa beata, accipiat neceſſe eſt id quo eget vt beata ſit: cæterùm, dando hac in vita id quo proximus hîc indiget, promeretur ipſe in altera accipere id

quo

quo illic egebit vt beatus sit. MISERICORDIAM CONSEQVENTVR. eam qua à miseriis omnibus liberentur, quæ est vita æterna beataque, idcirco misericordia dicta, non quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur. nam *Dei dona sunt merita nostra, &c. Deus munera coronat, dum merita nostra coronat*, Augustino doctore Epist. 105. & lib. de correpț & gra. c. 13. Cæterum & hac in vita misericordiam à Deo misericordes consequuntur; remissionis peccatorum, sine quibus hæc vita non ducitur, & aliorum infinitorum bonorum, quę à Deo patre misericordiarum misericordibus misericordi hic affectu donantur. Quin & ab hominibus misericordiam consequuntur dum egent ipsi, qui priores in alios misericordes fuerint. Quare signanter Syrus vertit: *Quoniam super ipsos erunt misericordiæ.*

μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται. 8 Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

MVNDO CORDE. οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ mundi corde, siue, vt Augustinus legit, *mundicordes*. ij sunt, qui, id omne quod Dei oculis displiceat perosi, simplicissimam puritatem amant coluntque, animo sunt puro, simplici, integro, virtutisque studioso, quem, ab inquinamentis & sordibus vitiorum omnibus duplicatis tibus peruersis intentionibus, prauis desideriis, denique cogitationibus quibuscumque non bonis, mundum seruare student atque illibatum, quantum quidem hac in vita humanæ fragilitati possibile sit, semper memores illius præcepti: *Omni custodia serua cor tuum*. Prouerb. 4. v. 23. Quare non solùm mala facta, sed & malæ concupiscentiæ vincendæ sunt, iis qui student beneficiorum Dei Euangelio promulgatorum participes fieri: neque sufficiat ea quæ superioribus ad beatitudinem gradibus declarata sunt sanctitatis opera exteriùs obseruasse, nisi cor sit à sinistra intentione & quibuscumque vitiorum affectibus integrum. porrò quod his fœdatum sit, id luctu & misericordia, quæ tertij & quinti sunt graduum, expurgari potest.
DEVM VIDEBVNT. *non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem*, vti Paulus inquit 1 Cor. 13. v. 12., &, vti Iohannes 1. Epist. 3. v. 2, *ita vt est*, cogniturі sicut & cogniti sunt: quæ vna, summa, vera beatitudo est. In hac quoque vita, isti sunt præ cæteris capaces cognitionis eius quæ de Deo haberi hic potest. Anima vna mentem habet & cor, id est, intellectum & voluntatem. Mente siue intellectu Deus cernitur: corde voluntateque amatur, placeturque ei aut displicetur. Anima igitur corde munda, Deum mente cernet, *&*, quod Chromatius ait, *sine aliqua malitiæ sollicitudine, inaccessibilem Dei claritatem sine impedimento conspiciet*: quæ autem immunda est, capax haud est visionis Dei. Nam quemadmodum nisi medio aëre illuminato non videt oculus corporis corporea, ita nisi medio corde perpurgato, non videt oculus animæ, mens, Deum. mens enim oculi instar se habet in videndo Deo; cor, medij (quippe quod medium sit inter Deum & mentem extrema) & quod officiunt oculo tenebræ, nebulæ, aut pulueres in medio aëre, quod ad visionem rerum; id officiunt menti sordes & tenebræ peccatorum in corde, quod ad visionem Dei. *Munditia autem cordis & conscientiæ puritas*, inquit Chromatius, *nullam nubem ad intuendum Dominum patietur*. Arbitrantur philosophi, intellectiuæ partis perfectione, hominem Deo proximum fieri; Dominus voluntatis id perfectione fieri asserit, id est, non sapientes mereri Deo proximos esse, sed bonos quales omnes esse possunt.

μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοί, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται. 9 Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

PACIFICI. οἱ εἰρηνοποιοὶ pacem facientes (quæ & Syri est versio) pacis conciliatores. Pacifici hoc loco ij sunt, qui paci conciliandæ student, qui, eos à quibus ipsi offensi sunt, sibi; eos qui inter se dissident, sibi mutuò; denique eos quibus cum Deo non conuenit, Deo reconciliare conantur: quemadmodum declamatione sua Chromatius egregiè declarat. Mundus pluris facere solet eos qui fortiter bella gerunt, quàm qui pacem componunt. Hoc autem (quod res est non parum inuidiosa molesta, & laboriosa) eorum propriè est, qui superiores ad beatitudinem gradus transcenderint, qui iam in se ipsi bene constituti sunt, quod partium eorum est id omne probè se habet. QVONIAM. ὅτι αὐτοὶ quoniam ipsi, quæ & aliorum latinorum librorum est verisimilis lectio. FILII DEI. Deus pater, *Deus pacis* Apostolo dictus (1. Corint. 14 v. 33. Philip. 4. v. 9. 1. Thessal. 5. v. 23.) ita studiosus fuit sarciendæ pacis, vt filium suum vnigenitum dederit, quo, inimicum hominem sibi reconciliaret, *pacificaretque per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*. Coloss. 1. v. 20. Deus autem Filius, Patri ὁμόουσιος, *princeps pacis* (Isa. 9. v. 6.) *vt fieret pax nostra, vt faceret vtraque vnum, & reconciliaret ambos, Gentes & Iudæos, in vno corpore, Deo, crucem subiit, interfectisque inimicitiis in semetipso*. Ephes. 2. v. 14. 16. Veri igitur Dei filij sunt, qui, Deo & Dei Filio simillimi, omnium excellentissimi operis eius imitatores existunt. VOCABVNTVR. non falsò vtique, sed verè, ita vt, & eiusmodi sint, & eiusmodi agnoscantur: *vocabuntur* enim est, pro Scripturarum more, declarabuntur atque omnibus habebuntur, ita vt mundus, qui eos antè stultos reputabat, filios Dei confiteri & appellare cogatur. Sap. 5. v. 3. 4. 5. id autem fiet maximè in retributione iustorum. Porrò non dixit, erunt, *iam enim nunc sunt filij Dei, sed nondum satis apparuit id quod sunt: cum autem ille apparuerit, tum & hoc apparebit*. 1. Ioh 3. v 2. Præterquam enim quòd pacis virtutisque studium, quo hac in vita Deo similes fieri conati sunt, toti orbi declarabitur, donabuntur palàm vt gnesij Dei filij, Dei hereditate facti coheredes vnigeniti filij Dei. Iam à contrario, qui discordiam seminant, quales sunt hæretici maximè, filij diaboli vocabuntur.

μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. 10 Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

QVI PERSECVTIONEM PATIVNTVR. aut factis aut verbis. Persecutio propriè est pertinax ad perdendum insectatio, qua nullus datur quieti ac securitati locus, sed quouis genere, cùm iniuriæ verborum, tum

violentiæ & insidiarum, innocentis perditio quæritur. Vltimus hic ad beatitudinem gradus est, in passione consistens (superiores in actione consistunt) isque, vt supremus & perfectissimus, ita à mundi opinione alienissimus. Magnum est quæ iustitiæ sunt agere, sed longè maius, quinimmo maximum eorum causa quæ egeris, æquo animo iniuriam pati: id enim, præter malorum longanimem tolerantiam, constantissimam arguit iustitiæ prosecutionem. Et quidem non necesse est, persecutionem iustitiæ causa patiaris, vt beatus fias: cæterùm id necessum est, eo sis animo, vt, mota aduersùm te persecutione, à iustitia non deflectas: sufferenda est enim excitata in nos persecutio, non vltrò accersenda. Cæterùm qui superiores ad beatitudinem gradus conscenderit, ferè fit, vt in impiorum, quibus moribus est dissimilis, persecutionem incidat: id quod pluribus docet Chromatius in declamatione. PROPTER IVSTITIAM quam ipsi prosecuti sint; ob fidem, ob virtutem, ob benefacta sua. *Solet quippe iustitiam, omnem prorsus animi appellare virtutem*, Chrysostomus inquit. Porrò vbi fides, vbi charitas non est, iustitia esse non potest; id quod benè docet hunc in locum Augustinus: quare, occidi, persecutionem pati, huiusmodi possunt; beati esse, coronari non possunt: *mors namque eorum, non fidei gloria est, sed pœna perfidiæ*, quod Augustinus ait.

IPSORVM EST REGNVM COELORVM. Afflictis, humiliatis, atque oppressis, congruè promittitur honor, potestas, exaltatio, gloria regni cælorum; quemadmodum pauperibus abundantia & bonorum copia fuerat. vide suprà v.3. B. Augustinus, per hoc quòd ad caput reditur, nempe ad primi gradus brauium, significari existimat, iis qui huius sunt ordinis, deberi & cætera omnia ordine recensita brauia, tamquam perfectissimis perfectissimum absolutissimumque beatitudinis gradum.

Octonarius iste graduum ad veram beatitudinem numerus, videri possit significatus, octo illis gradibus, quibus Ezechiel describit ascensum fuisse in templum Dei, cap.40.v.49. Quàm congruo autem ordine, hi ad beatitudinem gradus, locati sint, ita vt semper præcedentem subsequens excellat, licuit obseruasse. Porrò, existimandum non est, consilij esse horum graduum conscensum, vt ad beatitudinem quis perueniat; omnino præcepti est, omnibus qui beati esse cupiunt: neque vnum conscendisse sufficiat, quamquam diuersis singuli sententiis recensiti sint; omnes oportet quo quo modo: est enim indissolubilis inter eos connexus, nec quisquam vnam habet harum virtutum qui non habeat omnes, ita sunt inter se concatenatæ, & his omnibus perficitur vnus homo Dei ad omne opus bonum instructus. tametsi ferè fiat, vt in vna præ cæteris vnus excellat, in alia alius. Pro excellentia autem ac perfectione vniuscuiusque in horum graduum seu virtutum assequutione, distribuenda sunt beatitudinis præmia, aliis ampliora, aliis inferiora: etsi, id quod diximus, omnibus eadem vna beatitudinis substantia reddenda sit. vt enim connexæ sunt ipsæ virtutes, ita & earum præmia, extremique præmia mediorum, ac medij consequentur præmia extremorum. Hæc itaque, quia simul omnia instruunt ad omne opus bonum & perficiunt hominem Dei, viamque vnam ad beatitudinem vnam docent, in vnum sic liceat contrahere, quò videre liceat absolutam viæ ad beatitudinem & beatitudinis ipsius descriptionem: *Beati sunt, qui, spretis mundi diuitiis, honoribus, ac voluptatibus, iustitia, misericordia, & cordis munditiei, dant operam, student ad mutuam pacem reuocare qui eam ruperint, denique si quid horum causa iniuria ferendum sit, ita sunt animo comparati, vt æquanimiter patiantur; beati, inquam, hi sunt: debetur enim eis consequenturque regnum cælorum, nec consequentur tantum, sed & hereditatis iure possidebunt, gaudio perfusi, bonis pleni, ab omni miseria liberi, beata Dei facie fruentes, donati honore filiorum Dei, vnà cũ patre Deo regnantium.*

Lu.6.v.22.

11 Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos mentientes, propter me:

μακάριοί ἐστε ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, καὶ διώξωσι, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ' ὑμῶν ψευδόμενοι, ἕνεκεν ἐμοῦ·

BEATI ESTIS. Repetit & particulatim explicat superiorem sententiam, sermone ad Apostolos, quos recèns sibi delegerat, verso: qui muniendi erant, aduersùs orituras aliquando contra se persecutiones graues & varias, ob nouam nominis Christi prædicationem. MALEDIXERINT. ὀνειδίσωσιν conuitiati fuerint, conuitiis, probris vos adfecerint. s. homines, quod addit Lucas. nomen ipsum Christiani, impiis crimen erat. ET PERSECVTI VOS FVERINT. Reipsa, opere & facto: nam eam hîc persecutionem vult, quæ ipso opere iniuriam facit, ita vt contra eam quæ verbis iniuriosis agit distinguatur. OMNE MALVM. quiduis mali. ῥῆμα *verbum* addunt cum Syris Græci, quod Latinus, vel non legit, vel, hebraico more, pro transcendente positum intellexit. detraxerint modis omnibus honori & famæ vestræ.

MENTIENTES. id est, falsò ܒܕܓܠܘܬܐ *badgolouthe* in mendacio, dixit Syrus. neque enim improperia & detractiones, cum veritate coniunctæ, beatum reddunt eum qui patitur, etiamsi ob Christum patiatur, alioqui non passurus: immò verò graui damnationi reddunt obnoxium, eò quòd polluerit nomen sanctum Domini in gentibus (Ezech.36.v.20.21.) aut certè, si quidem pœniteat, peccati pœna sunt.

PROPTER ME. mea causa, odio mei, quia in me creditis, quia fidem in me orbi annunciatis, quia Christianę pietatis veri & integri cultores prædicatoresque estis. Non ad proximum dumtaxat *mentientes*, sed ad superiora simul omnia referendum id est.

Lu. 6. v. 23.

12 gaudete & exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.

χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε, ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς. οὕτω γὰρ ἐδίωξαν τοὺς προφήτας τοὺς πρὸ ὑμῶν.

GAVDETE ET EXSVLTATE. tunc addit Syrus: dum videlicet in mediis his malis versamini. Non solùm non

non frangamini animo, aut etiam mœrore afficiamini, quin potiùs summo animi gaudio perfundamini, tanto quantum & extrinsecus exundet. Sic fecisse leguntur Apostoli, de quibus scribitur Act. 5. v. 41: *Et illi quidem ibant gaudentes &c.* QVONIAM etsi non respondet meritis vestris fauor hominum. MERCES VESTRA. Proposito brauio, ad animosum suos certamen agonotheta hortatur: licet igitur brauium habere præ oculis, dum in certamine aut labore sumus. Adhæc, merces redditur iis qui strenuè se gesserint: est igitur meritum eorum qui strenue se gerunt. argumentum est iuxta Dialecticos, à correlatiuis. hoc aduersùs meritorum virtutumque osores. Nam quod aiunt illi: *Etiamsi millies mortem oppeteres propter Euangelium, ne pilum quidem propterea posses mereri a Deo, hoc est, obstringere illum vt tibi vel tantillum deberet.* Non nos obstringimus Deum ita vt nobis aliquid debeat, sed se ipse obstringit Deus, vultque nobis ipse debere promissa sua. vide infrà 6. v. 1. COPIOSA. πολὺς multa, magna, ampla, immensa, humanoque cordi incomprehensibilis, eiusmodi ad quam nihil sunt passiones huius temporis. Amplitudo ista siue magnitudo, æstimanda est, non collatione rerum huius mundi, sed ex opulentia ac magnitudine promittentis, cuius vt diuitiæ sunt infinitæ, ita liberalitas omnem transscendit numerum ac mensuram. Amplissima autem omnium merces iis reddenda est, qui fidei nomine aduersa fortiter tulerint. cæteræ enim virtutes rationi consonæ sunt: sed fides humanæ mentis captum superat. EST. iam debetur, iamque reposita est. IN COELIS. vbi suis Deus feliciter videndum se præbet, & coronat pro meritis singulos, quos in terris neglexisse videbatur. Ab hominibus itaque insectandi, vltra homines estis beandi. SIC ENIM. nam & sic, iniuriosis scilicet & factis & verbis. PERSECVTI SVNT homines impij. PROPHETAS. τοὺς προφήτας ipsos prophetas, viros illos insignes, toto iam orbe illustres. QVI FVERVNT ANTE VOS. τοὺς πρὸ ὑμῶν qui ante vos. qui ante vos functi sunt munere præconum Dei; nec tamen ob huiusmodi persecutiones omiserunt illi annunciare verbum Domini. videtis autem, quorum nomen conati sunt impij abolere, horum memoriam nunc sacrosanctam esse apud omnes. Non itaque nouum hoc vobis exemplum, aut insolens videri debet, veritatis à Deo profectæ nuncios, improborum persecutionibus impeti: semper malis odio fuit veritas, quibus displicuisse summa laus est. Animat eos & prophetarum exemplo, quòd hac ratione prophetarum societatem & gloriam sint consecuturi, quorum fortitudinem in prædicanda veritate fuerint imitati: simulque intelligendum dat, ipsos in prophetarum locum functionemque succedere. id quod deinde disertiùs prosequitur, ad maiora etiam eos vocatos docens, ad orbis vniuersi magisterium, cùm prophetæ soli seruierint Iudææ.

ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς· ἐὰν δὲ τὸ [13] ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.	Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus.

Mar. 9. v. 50. Luc. 14. v. 34. 35.

ESTIS. esse debetis, ad hoc electi & ordinati iam à me estis Apostoli, vt sitis. TERRÆ. τῆς γῆς. secundus est casus. *terræ* vniuersæ. Delecti, inquit, à me estis, vt id sitis orbi terrarum, quod sal est cibis. Quemadmodum enim salis pauluium, plurimum cibum, fatui dilutique saporis, ac insuaui sanitate nauseam prouocantem, admixtum, acrimonia sua sapidum reddit ac palato gratum atque iucundum: ita vobis paucis incumbit, hominum vniuersum genus, insipidum Deoque ingratum, quinimmo abominabile, quippe quod euomit ex ore suo, iam olim insulsam agens vitam, efficaci ac viuido doctrinæ Euangelicæ à me acceptæ & vitæ doctrinæ consentaneæ vigore, aspersum atque affectum, condire & sapidum Deoque gratum ac iucundum reddere. Quare (hic enim est dicti scopus) cunctarum opus est polleatis virtutum copia: eaque quæ doceo diuulgaturi, primi ipsi ea præstetis, cæterorumque omnium duces sitis, oportet. QVÒD SI. ἐὰν δὲ Si autem. SAL ipsum cuius est salire & condire omnia. EVANVERIT. μωρανθῇ desipuerit, infatuatum fuerit, fatuum redditum fuerit (non enim homines solùm, sed & alia quæ nihil sapiunt, fatua dicuntur) computruerit, euanidum & inefficax semel factum fuerit, sapore & acrimonia deperdita. Sal, terræ combustæ species, vt cogitur calido & sicco, ita liquescit & euanescit frigido atque humido. IN QVO SALIETVR ipsum sal? supereft *in*, phrasi hebraica. quánam re condiri poterit, ita vt natura salis virtusque deperdita ipsi restituatur? Quòd si vos ipsi, qui omnium designati estis magistri, insulsos errores pro veritate amplectamini, aut fuerint mores vestri, ita vt cæterorum, aquis seculi huius, id est, concupiscentiis permixti, & amore laudis, cupiditate pecuniarum, libidine vindicandi, metu infamiæ, damnorum, pœnarum, aut mortis, infatuati, itaque ignea illa charitatis vis, & viuidus Euangelici pectoris vigor, potens salis instar alios vrere, extinctus. per quos spes erit vos reparandi? AD NIHILVM. ad nihil. VLTRA. ἔτι ampliùs. Non est vnde virtus semel amissa sali possit restitui quinimmo prorsus est inutile, & ad nullum venit vsum. Solent aliæ res, etiamsi proprium vsum amittant, ferè ad aliquid manere vtiles. NISI VT. adeò vt. MITTATVR. βληθῆναι proiiciatur, eiiciatur FORAS in plateam, ET CONCVLCETVR. vt conculcetur. AB HOMINIBVS. à quibusuis prætereuntibus. vt pertranseuntium quorumuis pedibus proteratur, sicut quæ in viam publicam eiiciuntur, conculcari solent. Ita & ipsi, si aut doctrinæ veritatem, aut integritatem vitę, missam feceritis, irreparabiles eritis & inutiles, ac proinde deturbati à gradu & honore vestro, in extremum apud homines venturi contemtum; aut certè, ex hoc mundo in tenebras exteriores eiecti, præ ceteris omnibus gehennæ addictis, tractandi duriùs.

ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου. οὐ δύναται [14] πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη·	Vos estis lux mũdi. Nõ potest ciuitas abscõdi supra montem posita:

ESTIS. esse debetis, ad hoc iam elegi vos & Apostolos creaui vt sitis. LVX MVNDI. vt in mundum errorum tenebris obsitum, Euangelij lucẽ inferatis. ita ferè D. Hilarius, & B. Augustinus serm. de Sanctis 43.

Sal igitur voluntati, *lux* intellectui: quæ quidem non tam ad laudem, quàm ad commonitionem, vt scirent quæ sui essent officij. Dominus Apostolis dixit, quod vidimus, & ex sequentibus patet. Hic petrò Apostolos; Ioh.8.v.12. se, Iesus mundi lucem appellat: quod aduersus hæreticos seruit, monstrans id quod Christo est proprium, suo modo Sanctis tribui. simile vide 1. Cor. 3. v. 11. & Apo. 21. v. 14. Est autem Christus fons luminis omnis mundo lucentis; *lux est lucifica*, quo modo B. Augustinus Deum vocat li. 22. contra Faustum cap.9. Apostoli autem lux sunt accensa, lux sunt lucens lumine à Christo accepto. Quemadmodum, & sol & luna lux sunt mundi; sed, sol quidem lumine proprio, luna autem lumine à sole mutuato. ABSCONDI. occultari, latère. Quemadmodum mox sali & luci, ita hic ciuitati supra montem positæ, Apostolos Christus comparat. Vos Apostolatus honore insignitos in edito collocaui, ita vt omnium in vos oculi sint conijciendi. Curate itaque ne vestro desitis officio, ne persecutionum metu latebras quæratis, & subterfugiatis Euangelij prædicationem ob coniuncta pericula: nec enim latère poteritis etiamsi quàm maximè volueritis, perinde vt lux in alto fixa, & ciuitas in monte sita, non potest sui conspectum subtrahere. Necessariò, aut ingentem gloriam ab hominibus reportabitis, si vestro strenuè & constanter perfuncti fueritis munere; aut ignominiam insignem, si quo modo vobis delegato muneri defueritis.

Mar. 4. v.21. Lu.8.v.16. 11.v.33.

neque accendunt lucernam, & [15] ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.	οὐδὲ καίουσι λύχνον, καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, καὶ λάμπει πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ.

ACCENDVNT. impersonaliter, recto subaudito. καίειν autem græcè propriè est *vrunt*, quare Lucas dixit ἅψας: sed habet hic significationem hebraicam coniugationis quæ vocatur Hiphil, ita vt sit vrere facere, quod est accendere. LVCERNAM. λύχνον. ita vocatur, vel instrumentum ipsum, puta lampas, cui oleum aut aliud quippiam imponitur quod accendatur, vel id ipsum quod ardet, puta fax aut candela. In sacris literis, sancti lucernæ vocantur. quò ab æterna luce distinguantur (Ioh.1.v.8. 5.v.35. lucerna enim, & aliunde lumen accipit, & acceptum potest amittere. quam rationem multis in locis Augustinus notauit, epist.120.cap.3., lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap.14., conc. 23. in Psal. 118., tractatu 54 in Iohannem, sermone 30. de verbis Apostoli, & alibi. ET PONVNT. Non accenditur lucerna vesperi aut nocte, & ponitur SVB MODIO. vbi nemini luceat. ὑπὸ τὸν μόδιον sub modium (vox latina, à græco Euangelistæ interprete vsu parata est) *sub vase*, vti habet Lucas cap.8.v.16. certum enim vasis genus pro incerto hic positum est: nam modius certum est vasis, aridorum mensuratitij, genus, in Iudæorum familiis ad frequentem vsum obuium, *satum* dictum, quo nomine Syrus hoc loco vtitur. vide infrà 13.v.33. CANDELABRVM. λυχνίαν instrumentum eminenti loco positum, cui imponebatur aut infigebatur candela. VT LVCEAT. καὶ λάμπει & lucet, & splendet. Nemo, inquit Saluator, lucernam noctu accendit, vt vase occultetur (*quis enim fructus fit*, Hilarius ait, *clausi impensam luminis continere*?) sed vt candelabro imposita, lumen præbeat omnibus qui in domo sunt. Ita nec ego vos elegi, & mea donaturus sum luce, vt lateatis. vt, ob imminentes persecutiones metu correpti, deseratis aliquando prædicandi officium, aut alioqui ociosi sitis; sed vt conspicui omnibus, vniuerso constanter luceatis orbi, errorum tenebris dispulsis. Hortatur itaque eos vt gnauiter & verbis & exẽplis luceant, nec labori parcãt: ad hoc enim à se ipsos electos esse.

Sic luceat lux vestra coram ho- [16] minibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.	οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

SIC itaque, tamquam lucerna candelabro infixa & ciuitas in monte sita. LVCEAT, splendeat quaquauersùm, LVX VESTRA. doctrina Euangelica à vobis prædicata diuulgataque. HOMINIBVS, id est, mundo quod dixit suprà v.14. VT VIDEANT. vt videntes. OPERA VESTRA BONA doctrinæ illi vestræ conformia. cernentes vitam vos agere qualem docetis, sinceram, puram, cælestem. Non enim mundo prælucere vos sufficit verbo, sed oportet & opere; nec doctrina solùm, sed & vita doctrinæ consona: nam si vtrumque adsit, si doctrinæ accedant consimilia opera, ita fiet vt GLORIFICENT, laudent, celebrent, PATREM VESTRVM Deum, cuius vos ita cultores, præcones, & seruos esse obseruant. vt seruiatis ei affectu filiorum, itaque ad eum conuertantur. Non in eo vos sistere oportet, vt homines videant opera vestra bona, aut quærere vt vos ipsos laudent, sed vt bona opera vestra videntes, benedicant ac laudibus efferant Deum à vobis prædicatum, cui eiusmodi sunt famuli. QVI IN COELIS EST. id est omnium Dominum, & auctorem vt omnis boni ita bonorum operum vestrorum, eaque ratione ad eum similiter colendum pertrahantur. Auctor est Deus ipsorum bonorum operum quæ facimus, ideoque ipsi ea quæ ab illis prosilit gloria debetur, quamquam propter liberum arbitrium nostra vocentur. Ita ferè ad fidem & virtutum studium homines adducuntur, dum, contemplati doctorum vitam, integram, sanctam, vndequaque inculpatam, admirantur, benedicunt Deum cui illi viuunt, cuius gloriæ militant, cuiusque præcones sunt, capiuntur amore illorum, id est, virtutis & Dei in illis, tanguntur que desiderio amplectendi fidem quam illi prædicant, & vitæ integritatem sectandi qua illi prælucent. 1.Pet.2.v.12.

Nolite putare quoniã veni soluere [17]	μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον

τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι.

legem aut prophetas; non veni ſoluere, ſed adimplere.

NOLITE PVTARE. μὴ νομίσητε ne exiſtimetis. Progreſſurus ad declarationes legis & augmenta, quibus docerentur apoſtoli quomodo doctrina & vita alijs prælucere, quomodo docere & viuere deberent; meliùs inquam quàm hactenus docti fuerant; prudenti præmunientique occupatione eſt vſus. QVONIAM. quòd. VENI. prodij doctor. SOLVERE. καταλῦσαι ad ſoluendum, vt diſſoluam, vt deſtruam, vt reprobem aut abrogem, vel etiam tranſgrediar. LEGEM. Quinque Moſis libri intelliguntur, qui propriè תורה thora lex appellantur, quòd legem ita contineant & deſcribant, vt ad eam cætera omnia quæ complectuntur referantur. PROPHETAS. Cæteri veteris Scripturæ ſacri libri intelliguntur, quos Hebræi in prophetas priores, prophetas poſteriores, & hagiographa diuidunt. Metonymicῶs autem, libri, pro doctrina libris contenta, ponuntur. NON VENI SOLVERE. Id quod præcipuum in lege eſt morum præcepta, minimè abrogauit Chriſtus: quæ verò ad ceremonias ſpectant, abrogauit quidem ita vt ad literam ſeruari non debeant, ſed non reprobauit, tamquam non à Deo profecta. Porrò nihil omnium ipſe tranſgreſſus eſt, niſi fortè quaſdam mox ceſſaturarum ceremoniarum, quod ipſum fuit ſecundùm legem. SED ADIMPLERE. ἀλλὰ πληρῶσαι ſed ad implendum, ſed vt abſoluam ac perficiam. Venit vt adimpleret legem & prophetas, vt promiſſa ac prophetias legis & prophetarum opere reque ipſa exhiberet, vt præcepta morum ... iis quæ ad perfectionem deerant aut deeſſe putabantur expoſitis, perficeret; vt conſilia Euangelica, vtiliſſima illa ad perfectiſſimam legis obſeruationem, adderet: denique, vt cognitioni agendorum quam lex præſtabat, gratiam facultatemque agendi quam non præſtabat, adderet. Porrò, quæ ad ceremonias in lege pertinent; dum ea, ad quæ futura aliquando adumbranda & præfiguranda, illa inſtituta fuerant repræſentauit, id eſt, præſentia oculis obtulit, dum illorum ſpiritalem obſeruationem docuit, ſpiritus literæ tecti medulla prodita, dum illorum quod ad literam obſeruationem ſuſtulit, id quod lex ipſa è Dei ſententia, vbi Chriſtus veniſſet, futurum prædixerat (quod in Hebræis ſuis Paulus docet. denique dum pro temporariis præmiis & ſuppliciis ſubſtituit æterna, nihil aliud quàm abſolutiſſimè omnique ex parte impleuit. Lege D. Thomam prima ſecundæ q. 107. a. 2.

ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται.

18 Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

Lu. 16. v. 17.

AMEN. אמן. Vox eſt Hebræa, quam interpretum ferè nulli vertunt, nec ipſi Euangeliſtæ aut Apoſtoli græcè ſcribentes: *Ob ſanctiorem enim auctoritatem, ſeruata eſt antiquitas*, quod D. Auguſtinus ait lib. 2. de doctrina Chriſtiana capite 11. Eſt autem confirmandi particula, quæ, pro loco, aut *verè* exponitur, aut *fiat*; illo modo dum adhibetur ad confirmationem eorum quæ adfirmantur; iſto, dum ad eorum quæ optantur: deducta à radice אמן *aman*, quæ, in ſecunda coniugatione, firmum, ſtabilem, fidelem, veracem eſſe; in quinta, credere, fidere, deſignat. Vnde & nomen אמונה *amouna* & אמת *ameth* veritas. Eſt autem frequens Saluatori vſus huius generis aſſeuerationis obteſtationisque *Amen dico vobis*, qua plurimum ponderis addit orationi ſuæ, *multum q; commendat quod ita pronunciat*, vt inquit V. Beda in caput 21. Lucæ. Quamquam enim omnia ipſius verba vera & certa haberi debeant, conſpicuum tamen eſt, quòd ea ſingulari quodam affectu prolata ſint, quæ iſtam aſſeuerationem atteſtationemque adiunctam habent, atque ob eam rem ſingulari quoque diligentia audienda. Quaſi enim fidem nobis huiuſmodi aſſeueratione extorquere vult, & admonere, niſi credamus, certò nos perituros. TRANSEAT. παρέλθῃ tranſierit, defecerit, eſſe defierit, iuxta nimirum præſentem ſtatum, quo ſeruiunt cælum & terra rerum generationi & corruptioni, cæteriſque mutationum generibus. nam quod ad hunc ſtatum, cælum & terra tranſibunt (infrà 24. v. 35.) quæ quod ad ſubſtantiam æterna ſunt. IOTA VNVM. ne iota quidem vnum. Pro *iota* Syrus habet *ioud*: nam Euangeliſtæ græcus Interpres, græcum literæ nomen poſuit, quod Saluator hebraicum. Eſt autem *Iod* Hebræis, quin & omnium linguis, quas quidem didicerim, literarum minima, ita nonnunquam Hebræis parua, vt legentium oculos fugere poſſit, itaq; frequenter hebræis vocibus addita, vt ſuperuacanea videri queat. APEX. Apicem Chriſtus vocare videtur ſummum literæ faſtigium, aut alioqui punctum minutulum ex quo litera componatur. Significat itaque τὸ ἐλάχιστον, ne minimum quidem, quod in lege eſſe videri poſſit, aut præceptum, aut promiſſum, aut prædictum, aut ſcriptum, fruſtra eſſe, vel ſuo cariturum robore, ſucceſſu, euentu, fine; adeoque nihil eſſe fluxum ſeu ſolubile in lege, ſed firma, ſolida, ſanctaque omnia. NON PRÆTERIBIT. οὐ μὴ παρέλθῃ nequaquam præterierit ſiue tranſierit, non neglectus, non omiſſus fuerit. Eadem eſt vox quæ in initio ſententiæ, qua opponit, cælo & terræ tranſituris, legem numquam tranſituram. A LEGE. ex lege. DONEC OMNIA. quin omnia FIANT. γένηται facta fuerint, impleta, ſucceſſum ſortita & finem; nimirum, quæ ante cœli & terræ tranſitum lex fieri voluit, aut futura prædixit, qualia ſunt pleraque omnia in lege: porrò quæ poſt cæli & terræ tranſitum futura prædixit, ea neceſſe eſt pòſt fieri; ſed ea veretur nemo vt impleantur, quando, ſubiectis Deo omnibus, erit Deus omnia in omnibus. Eſt ergo hic modus loquendi, qualis ſuprà 1. v. 25. Porrò non hic agitur de nuda hominum obeditione, nec aſſeritur homines omnes obedituros præceptis legis (nec enim hoc prædixit promiſitve lex) ſed de obligatione, de legis robore, de obeditione exacta ſub pœna agitur, doceturque, homines omnes quamdiu ſtabit mundus, aut obedituros præceptis legis, etiam iis quæ minima iudicantur, aut luituros pœnas, quas tranſgreſſoribus, ſiue lex comminatur, ſiue debet Dei iuſtitia. quamquam non de obeditione aut præceptis ſolis hic ſermo eſt, ſed de omni eo quod in lege eſt ſcriptum, vt diximus. Senſus igitur loci eſt: Maxima ſolidiſſimaque huius mundanæ machinæ corpora, cælum & terra,

mutanda

mutanda quandoque sunt, nec seruatura statum præsentem: at legis, ne minimum quidem vnquam mutandum est, quin perficiantur omnia, ita vt in lege iam scripta exstant: quod est, legem esse diuinam, & ab æterna atque incommutabili veritate editam; itaque prorsus insolubilem. Porrò, quod de lege Christus dixit, & de prophetis voluit intelligi.

Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

19 ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων, καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους, ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· ὃς δ᾽ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

QVI. ὃς ἐὰν quisquis. SOLVERIT. λύσῃ transgressus fuerit. Suprà v. 17. fuit καταλῦσαι, quod est, transgredi & transgrediendum docere. VNVM. vel vnum. DE MANDATIS istis τῶν ἐντολῶν τούτων mandatorum istorum, quæ ego mox, ad adimplendum, propter quod veni, legem & prophetas, producturus sum. MINIMIS. τῶν ἐλαχίστων minimorum, inter iota & apices legis ac prophetarum numerandorum. Docet, ea quæ mox in medium allaturus est, ad adimplendum (propter quod venerat) legem, iota & apicis legis metaphora inter cætera à se significata; esse, non solùm non aduersa legi, sed aliquid legis (sub legis nomine, & prophetas intellige) quippe quæ, etsi à lege disertè non iubeantur, ex ipsa tamen lege penitus examinata consequantur; Esse autem meritò præ cæteris omnibus veluti iota aut apicem in lege, parua nimirum, adeò vt, aut aciem fugerint oculorum eorum qui legem legerunt, aut si visa, neglecta fuerint, quòd nulla culpa censeretur eorum transgressio; parua itaque adeoque minima, sed diuina prorsus & sublimia, adeoque perfectionem ipsam legis. *Iota* enim diuina est litera, qua sacrum Dei nomen, veteres Hebræi, dum notis scribunt, indicant, quippe prima nominis ἀνεκφωνήτου יהוה. Apex autem caput est supremusque vertex literæ, aut alioqui punctum literæ. Ita hæc mox secutura, à Christo exposita, mandata diuina sunt, Deo hominem similem reddentia; nec simpliciter diuina, sed sanctitatis apex, sanctitatis caput, & supremum perfectionis fastigium, ad Deum, extremum πάντη ἄπειρον finem, hominem proximè adducentia. ET DOCVERIT SIC, scilicet similiter soluere seu transgredi. id est, quantum in se fuerit, conatus fuerit καταλῦσαι, abrogare, reprobare, destruere, mandatorum istorum aliquod, exemplo nimirum & verbo. MINIMVS VOCABITVR. vltimus habebitur; vltimus, id est, nullus erit, nullius fiet, nullo erit loco, indignus erit qui admittatur, eiicietur denique, vt legis Dei, quam numquam transituram Deus, immutabilem atque æternam statuit, aduersarius. Obserua antithesin, minimus habebitur, qui hæc minima contemserit; nihili fiet, qui nihili fecerit. Porrò, si minimus habebitur, qui contemserit hæc minima: reuera igitur non sunt minima. IN REGNO COELORVM. id est, cùm de admittendo in cæleste beatorum consortium agetur. neque enim in cælo ipso, inter beatos, vnquam futurus est. Docet non obscurè, ea quæ ipse adfert mandata, non tantùm non esse contraria, sed & esse aliquid legis numquam transituræ, adeoque complementum & perfectionem illius: itaque à Deo reprobandum & excludendum regno cælorum, eum qui eorum aliquod reprobare aut abolere voluerit; vtpote legis ipsius, quam fixam & sanctam Deus velit, hostem. Non mox excludendus est regno cælorum, qui eorum aliquod transgressus fuerit (sunt enim quædam, quorum transgressio non continuò lethale sit crimen) sed qui transgressus fuerit, simul & transgrediendum docuerit, id quod sine graui crimine fieri numquam potest. FECERIT. non vnum dumtaxat, sed ad vnum omnia. *Censentur autem facta omnia, quando quidquid non factum fuerit ignoscitur*, Augustinus ait. ET DOCVERIT homines similiter facere. Actionem doctrinæ præposuit; priùs enim factis, deinde verbis docendum est: quemadmodum id vrget hom. ad pop. Antioch. 72. Chrysostomus. MAGNVS VOCABITVR. habebitur eritque magnus, vt egregius stabilitor legis Dei perennis. illustris erit & gloria conspicuus, præ iis omnibus, qui, vel negligunt istorum aliqua, vel docent omnia & nihil faciunt ipsi, vel denique faciunt ipsi omnia sed nihil docent. Porrò si magnus erit qui fecerit & docuerit minima ista: magna igitur sunt minima ista. IN REGNO CÆLORVM. in Ecclesia triumphanti. Extrema Saluator diuisionis membra expressit: media ad extrema referenda reliquit.

Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

20 λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ φαρισαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

DICO. adseuero. Confirmat adseueratione terrifica id quod dixerat, nullum fore in regno cælorum, qui, ea quæ expositurus est mandata, contemserit. id enim Scribarum inter cæteros erat & Pharisæorum, qui erant ipsi doctores legis, illi verbo, isti exemplo. QVIA. quòd. ABVNDAVERIT. præstiterit, excelluerit, maior, locupletior, plenior, absolutior fuerit. SCRIBARVM ET PHARISÆORVM iustitia, quam illi siue docent siue præstant. Nisi iustitia vestra actiua & exercita præstiterit iustitiæ actiuæ & exercitæ docendòve traditæ à Scribis & Pharisæis. Præstandum à nobis id omne est, quod præstiterunt docueruntque Scribæ & Pharisæi virtuti consonum: verùm hoc non sufficit, & alia insuper adiicienda sunt. nec enim illi omnia aut præstabant aut docebant ita vt necessum erat. Scribas Saluator hîc nominat, quia doctores illi erant legis atque iustitię; Pharisæos verò, quia præ cæteris legis erant obseruantes,

vsque

vſque ad minutiſſima quæque, vti opinio erat cùm ipſorummet tum vulgi. NON INTRABITIS. οὐ μὴ εἰσέλθητε. Hoc aut futuri loco eſt, aut modus eſt potentialis, nequaquam intretis, intrare haud poſſitis, non admittemini, excludemini regno cælorum: hoc eſt minimum eſſe in regno cælorum. Alluſio eſt autem hoc in loquendi modo ad antiquas legis figuras, Num.14.v.30: *Non intrabitis terram* &c. Pſal.94.v.11: *Non introibunt in requiem meam.* Deut. 23. v.1.2.3: *Non intrabunt in Eccleſiam Domini.* &c. Porrò intrabit in regnum cælorum, qui iuſtitia fuerit præditus: non ſunt igitur Scribæ & Phariſæi iuſtitia præditi quantumuis videantur; nec enim iuſtitia eſt niſi integra. Adhæc, intrabit qui legem ſeruauerit (*Si enim vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Matth.19.v.17.) ſunt igitur hæc, quæ Saluator proponere ſtatuit, aliquid legis, nec ſeruat legem, qui ea non ſeruat. Nunc, quo debeat iuſtitia vera Phariſaïcæ præſtare, pergit Saluator ſigillatim docere. Sunt autem ferè tria, vnum, vt non exteriora opera ſeu effectum tantùm, ſed & affectum omnem noſtrum, legi conformemus: alterum, vt, quæ lex neceſſitate permittere coacta eſt, ea minimè nobis facienda putemus: poſtremum, vt legem, non iuxta verborum ſonum dumtaxat, ſed iuxta legiſlatoris intentionem obſeruemus.

21 ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις· οὐ φονεύσεις, ὃς δ᾽ ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.

Exod. 20. v.13. Deut. 5. v.17.

AVDISTIS docentes Scribas, ita docti eſtis à Scribis veſtris. QVIA. quòd. DICTVM. præceptum. ANTIQVIS. priſcis patribus, qui legem ipſam à Deo per Moſem acceperunt. NON OCCIDES. Ne occidas hominem propria auctoritate: nec quidquam amplius intellexiſtis eo mandato eſſe prohibitum. A primo ſecundæ tabulæ negatiuo præcepto, orditur Saluator oſtendere, quo amplior eſſe debeat vera iuſtitia, ea quam docebant legiſdoctores; & quomodo lex adimpleatur, ad quod ſe dixerat veniſſe. Nam cùm legiſdoctores docerent eo præcepto prohibitum eſſe homicidium, Chriſtus prohibitam docet etiam iram: quæ ſi caueatur, manifeſtum eſt perfectiſſimè impleri legem non occidendi.

QVI AVTEM OCCIDERIT. Hanc autem pœnam audiſtis ei qui hominem occiderit eſſe propoſitam.

REVS ERIT IVDICIO. vel potiùs, vt latinè loquaris, *iudicij*. obnoxius, obligatus erit iudicio, cauſa eius à iudicio politico cognoſcenda tractandaque erit, ſubiicienda iudicum examini & cenſuræ, vt niſi fortuitò aut imprudens occiderit, & ipſe mox occidatur, iuxta legem Exo.21.& Deut.19.latam. Sermo fuit Scribis, cùm legem hanc populum his verbis docerent (quo modo nuſquam in lege proponitur) de iudicio, quod apud ipſos erat in ciuitatibus ſingulis, Viginti trium virorum, à quo cauſæ capitales cognoſcebantur. Tres enim iudicum claſſes olim apud Iudæos fuiſſe leguntur. Vna dicebatur *Domus iudicij triumvirûm*, ad quam minores cauſæ, vt furti, iniuriarum priuatarum, ac denique quæ vocant דיני ממנות *Dine mammonoth* hoc eſt, iudicia pecuniaria, deferebantur. Altera appellatur *Domus iudicij viginti trium*, vel *Synedrion paruum*, à quo cauſæ capitales, vt diximus, quæ דיני נפשות *Dine nephaſoth* iudicia animarum vocant, cognoſcebantur. Tertia ac præcipua, inſtar Athenienſis Areopagi, nominabatur *Domus iudicij ſeptuaginta*, vel *Synedrium magnum* (סנהדרי *Sanhedri* vocant ipſi, græco nomine *συνέδριον*, ad hebræam formam flexo, vt tum plurima à Græcis, quorum iugo ſubiacuerant, præſertim vbi hebraica nomina propria non ſuppeterent, mutuati fuerant) quod collegium erat, ſummo Pontifice Præſide, doctorum in lege Dei iudicum ſeptuagintaduorum (ad imitationem LXXIJ ſenum, quos Moſes ex omnibus tribubus, ſibi auxiliares elegerat. Num.11. v.24.) qui ad pedes ſceptrum gerentis, tamquam conſiliarij & iudices, in grauiſſimis Reip. negotiis, aſſidere ſoliti fuerant; à quibus proinde cauſæ grauiſſimæ, ad ſummam Reip. pertinentes, tractari ſolebant. Lege Ioſephum lib.14.Antiq.cap.17. Erat autem ſolùm Ieroſolymis Synedrium hoc, cùm alia parua Synedria Viginti trium & Triumvirûm, ab hoc magno Synedrio, in ſingulis ciuitatibus conſtituerentur. Deuteron.16.v.18. Hæc latiùs ex Hebræis referre oportuit, vt totus hic locus intelligatur: reſpexerunt enim huc, tum Scribæ tum ipſe Saluator Scribas imitatus. Addiderunt igitur Scribæ præcepto Dei de non occidendo, quo abſterrerent ab homicidio, morte multandum eum qui occiderit eſſe, à iudicio Vigintitrium virorum: tamquam pœna ſola, magna & terribilis ſit, mors corporis, pro huiuſmodi ſcelere aduerſùs Dei legem admiſſo.

22 ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει· ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ῥακά, ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ· ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ μωρέ, ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo raca, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.

EGO AVTEM præceptor vobis è cælo miſſus, propheta Moſi ſimilis vobis à Deo ſuſcitatus. Deut.18.v.18. Cæterùm non Moſi aut Legi ſe opponit, multo minus legis auctori; ſed legis explanatoribus Scribis. non enim ſolùm dixerat: *Dictum eſt antiquis*, ſed *Audiſtis quia dictum eſt*. In quam ſententiam D. Thomas loco ſuperiùs citato, prima ſecundæ q.107.a.2., dicit, quòd præcepta iſta *Non occides* & *Non Mæchaberis* aliaque, Saluator impleuerit, exprimendo verum legis intellectum, quem Scribæ & Phariſæi non fuerint aſſequuti. Id quod etiam eiuſdem quæſtionis articulo tertio probat D. Auguſtini auctoritate, libro 19. contra Fauſtum Manichæum. Quo integro libro docet Auguſtinus, quomodo Chriſtus impleuerit legem Moſis, non deſtruxerit, hoc Domini ſermone magna ex parte expoſito. Et quidem capite 23. eius libri ait: *Quia*

non

non intelligebant homicidium, nisi peremtionem corporis humani, per quam vita priuaretur, aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere putari. Et quoniam putabant tantummodo corporalem cum fœmina illicitam commixtionem vocari mœchiam, demonstrauit Magister, etiam talem concupiscentiam nihil esse aliud. Tandem verò capite 28. sic concludit: *Itaque vel omnia vel pene omnia, quæ monuit seu præcepit, vbi adiungebat Ego autem dico vobis, inueniuntur & in illis veteribus libris. Ibi contra iram dictum est: Turbatus est præ ira oculus meus; &: Melior est qui vincit iram, quam qui capit ciuitatem. Ib.* &c., multis allatis Scripturæ veteris exemplis. Quare docet D. Thomas, nouam legem à vetere non differre specie, omniaque noui Testamenti præcepta, quoad substantiam, contineri veteri Testamento, nec aliter ferè differre nouæ legis præcepta à veteris, quàm quod ad explicitam manifestationem, denique nouam legem tunc datam, quando, quod implicitè datum fuerat, explicatum est. Ex quibus omnibus intelligitur, quòd quamuis Iesus hic condat legem nouam, non tamen legi veteri aut Mosi eius latori se opponat, sed legis veteris enarratoribus Scribis: qui tamen non ideo reprehendi acriter merebantur, quòd non ita perfectè vt Christus legem exponerent (vt certè Christus ob hoc eos non reprehendit acriter quemadmodum facit aliàs, cùm peruersè exponerent. infrà 15. v.4.5. & 23.v.16.) quandoquidem hoc reseruatum esset Christo proprium, nec esse veteris illius populi & temporis, perfectionem hanc nosse publiceque doceri, præter paucos prophetas & iustos, qui & scriptis suis expressérunt, & operibus declararunt, non fuisse hanc sibi perfectionem ignotam. DICO VOBIS amplius multo quàm audieritis aut docti sitis dictum esse antiquis. QVIA. quòd. OMNIS, etiam qui læsus ipse & iniuria à fratre affectus fuerit. QVI IRASCITVR. non tantùm qui occiderit, sed & qui *irascitur*. s. ira vulgari, qua turbatus animus alteri solet malè velle. Agitur hìc de ira nuda & simplici, ea quæ leuissima est aut maiori ex parte occulta, internam animi erga fratrem maleuolentiam minimè prodens verbis aut læsionibus iniuriosis. nam ea ira quæ virtus est, nihil huc spectat. FRATRI SVO. proximo suo, homini alteri cuicumque cum quo ipsi rei aliquid est. REVS ERIT IVDICIO. Tantum Christus de irato pronunciat, quantum Scriba de homicida. q.d. Quid tamquam magnum Scribæ Dei legi adiiciunt, homicidam obnoxium fore iudicio, cùm hoc locum habeat in eo qui fratri vel iratus solummodo fuerit? is enim obnoxius erit iudicio, non quidem politico illi xxiij virorum, sed diuino, tam exacto & graui, quàm est politicum illud: nec minorem infligenti pœnam pro ira simplici quæ à Scribis nihili fit, quàm illud pro homicidio. Nam quia ira, primus ad homicidium gradus est, dignum est, vt eius qui fratri iratus fuit, iamque cœpit ad homicidium tendere, causa à iudicio diuino discutiatur, vt nisi subitò obortam iram represserit, aut vitio potiùs fratris quàm fratri iratus fuerit, puniatur, grauiùs leuiùsve, pro ratione ea qua propè vel procul abfuit ab homicidio; non minùs tamen grauiter, quàm puniatur ab hominibus ipsum homicidium. *Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis.* (Heb.10.v 31.) cuius iudicium, vt est exactissimum & grauissimum, ita infert pro peccatis quæ nos leuia iudicamus, non minorem pœnam, quàm nos pro iis quæ iudicamus grauia (nam mortem corporis, qua non est hominibus alia maior, pro parua habet pœna) nisi pœnitentia impetret misericordiam, remissionem inquam pœnæ aut certè rigoris. Quare nullus hîc Christo respectus est ad iudicium illud Triumvirûm, minùs graue, minùs exactum, minùsque seuerum. Id ergo Saluator, B. Augustini sententia adstipulante, velle videtur, cum qui fratri suo fuerit iratus, huiusmodi quid admisisse, ob quod, iudicio diuino sisti, reus agi, &c, ni se defendere aut excusare quiuerit, pœnas luere mereatur, non minores quàm apud homines qui fratrem occiderit; Futurũ igitur, vt in Dei iudicio, rei iræ causa tractetur, & reus peragatur, pœnasque luat rigidissimæ exactissimæque Dei iustitiæ, quicumque culpabilis inuentus fuerit; Dupliciter itaque deficere Scribas in explicatione diuini mandati *Non occides*, semel quòd non intelligerent iram eo mandato esse prohibitam (vide infrà v.27.) semel quòd grauitatem homicidij non satis explicarent, quasi non aliud iudicium homicidæ subeundum foret, quàm politicum, nec maiorem pœnam deberet legi Dei quàm mortem corporis, cùm ipsa nuda ac simplex ira facilè tantam debeat. QVI AVTEM DIXERIT iratus. Pergit Saluator exponere grauitatem peccatorum homicidio multò inferiorum, vt ostendat quàm procul Scribæ abfuerint ab explicanda, cùm homicidij grauitate, tum integra illius præcepti doctrina. RACA. cuius ira eruperit in vocem huiusmodi, qua fratri suo exprobret vitium aliquod aut naturæ aut fortunæ, quo animo dumtaxat non sit vitiosus. id enim per *ῥακὰ raca* significatur, quæ vox est Chaldæa, siue Syra ܪܩܐ רקא formata (aleph, pro linguæ more ad finem adiecto) ab Hebræa רק *rec* (facillimè enim puncta vocalia mutantur) significans inanem, vacuum, vanum; vacuum cerebro, opum inanem, quo modo frequenter in sacris literis accipitur. Iud.11. v.3. 2.Reg.6.v.20. 2.Paral.13.v.7. REVS ERIT CONCILIO. siue *concilij*. obnoxius erit concilio, *τῷ συνεδρίῳ*, synedrio, consessui. Alludit Christus ad modum loquendi Scribarum, vt sicut illi dixerant *reus erit iudicio*, loquentes de iudicio Viginti trium senatorum, ita ipse dicat *reus erit concilio*, intelligens concilium siue synedrion illud magnum, Lxxij senatorum, quod mox descripsimus: quò deferebantur causæ grauissimæ, vt diximus, quarum non tam incerta damnatio erat, quàm, præ grauitate, promeritum supplicium incertum. Eum ergo qui iratus fratri suo *raca* aut aliud simile improperauerit, huiusmodi quid admisisse docet, quod ad Synedrium deferri mereatur, id est, ob quod, Dei iudicio, certò damnandus sit, sed incertum qua pœna, cæterùm facilè tam graui, quàm ab ipso synedrio, siue summæ inter homines auctoritatis tribunali, pro scelere grauissimo, infligi possit. QVI AVTEM DIXERIT iratus FATVE, id est, cuius ira eò prorumpit, vt fratrem suum sceleris alicuius aut impietatis notet: eò enim pertinet conuitium fatui. nam *μωρὸς* siue fatuus verè ac propriè est, qui vitam instituit non secundùm Dei legem, à recta scilicet ratione alienam. In eum igitur hæc fertur sententia, qui proximo suo contumeliam dicit criminis alicuius mortiferi, etiam veri. GEHENNÆ. supplicij æterni. maius ille peccatum admisit, quàm vt pro merito ab humano tribunali puniri possit, æternarum pœnarum reus, quas solus Deus inferre potest. *Gehennæ* vocabulo, ad designandum locum illum in quo pœnæ penduntur æternæ, primus legitur vsus Saluator in sacris literis, quamquam priùs in vsu fuisse verisimile sit, ex eo iam tempore, quo, orta Sadducæorum hæresi, de corporis resurrectione, animæ immortalitate, locis ad quæ immortales animæ corpore exutæ migrarent, quæstio multa fuit. Est autem nomen Hebraicum גי-הנום *Ge-hennom* (Græci enim & Latini suorum nominum formis accommodant) frequens in veteri Instrumento (Ios.15.v.8.) loci proprium vallis Ieroso-

Ierosolymis vicinæ ad plagam orientalem, Cedronis aquis rigatæ: id quod transferas vallem *Hennom*, nam גי ge vallis est הנם *Hennom* veteris cuiusdam Iebusæi nomen, cuius filius locum aliquando occupauerat, vti coniicio, primusque coluerat & instruxerat. nam integre גי-בן-הנם *ge-ben-hennom*, vallis filij Hennom, appellatur. Ios. 15. v. 8. Hoc huius loci nomen, translatum tum est ad infernum designandum tum ob diram inhumanitatem, qua cultores Moloch, adolere illic soliti fuerant igne liberos suos holocausta (Ier. 7. v. 31.) tum ob fœtidam atque abominabilem loci spurcitiem, qui aliquando amœnissimus ac deliciosissimus fuerat. Ne quis enim amplius filium suum aut filiam per ignem dæmoniis sacrificaret, Deus quidem occisorum illic magna multitudine cadaueribus locum contaminauit (Ier. 7. v. 32. & 19. v. 6.) Iosias verò pius rex, mortuorum hominum ossibus, iumentorum cadaueribus, excrementis & sordibus, quas è vicina Ierosolymorum ciuitate omnes eò deferri iussit, spurcum reddidit atque abominandum. 4. Reg 23. v. 10. Hinc itaque, ad designandum, crudelem horrendum, fœtidum, ac detestabilem, perpetuò cruciandis reprobis destinatum locum, loci nomen translatum fuit. Hinc & alterum eiusdem loci nomen *Topheth*, ab ipso Isaia dum prior sola causa subsisteret, dira inquam illa carnificina puellorum, huc accommodatum fuit, capitis 30. v. 33. IGNIS. casus gignendi est ex τὸ πυρὸς. nam *ignis* ponitur pro igneæ siue ardentis, hebraica phrasi: quod addit Christus, vt disertiùs exprimat incredibilem cruciatuum vim qui impios manent. Reus igitur est gehennæ igneæ; *stagni ardentis igne & sulphure*, vt Apocalypsis loquitur cap. 19. v. 20. & 21. v. 8. Iam si reus est gehennæ ignis qui iratus fratri exprobrauerit crimen, multo certiùs intelligitur reus esse, qui malè ei precatus fuerit, & rursus certiùs qui minatus fuerit, & adhuc certiùs qui citra cædem percusserit: quæ omnia homicidio inferiora, inde ab ipsa prima ita, Christus, contra Scribas, prohibita esse dat intelligendum præcepto *Non occides*, & punienda à Deo pleraque omnia seueriùs etiam quàm puniatur politico hominum iudicio homicidium; Non itaque dicendum fuisse Scribis, si explicare volebant grauitatem homicidij & pœnæ quam homicidium legi Dei debet, *reum erit iudicio* tantùm, sed & reus erit gehennæ ignis, eiusque non qualiscumque, sed terque quaterque profundæ, quanta distantia est, peccati quo quis fratrem dixerit fatuum, ab eo quo fratrem occiderit.

ἐὰν οὖν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου ἐπὶ [23] τὸ θυσιαστήριον, κἀκεῖ μνησθῇς ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τὶ κατὰ σοῦ·	Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te:

SI ERGO. Docuit Saluator, quid lege Dei *Non occides*, prohibitum sit ampliùs quàm intellexerint Scribæ & Pharisæi: nunc docet quid eadem lege mandatum sit, quod illi non intellexerint. Illi, si quid admissum esset, neglectis cæteris, sacrificiis id omne expiari credebant: Dominus autem, pacis & charitatis inter nos mutuò primam habendam docet curam, si ea fortè læsa fuerit. Cùm igitur, inquit, ea vobis esse debeat fraternæ charitatis cura, vt nec verbo eam, nec secreta ira violetis, nisi diuinam libeat exspectare vindictam: si quis fortè (qua est homo inter homines imbecillitate) aliqua eam ex parte læserit, &, quò Deum placet, remedium quærat, curet ante omnia cum fratre redire in gratiam, sciatque, nisi resarcita priùs concordia nihil à se profectum Deo placere posse. OFFERS. προσφέρῃς offeras. iam proximus sis altari vt offeras. nam, constituto in ipso oblationis actu, qui, non à me, sed à sacerdote præcipuè pendet, difficile sit corporaliter id præstare. MVNVS. sacrificium. *Corban* habet Syrus. Muneris loco habere dignatur Deus, id quod ipsi de muneribus ipsius offerimus. Offerimus autem, non vt indigo alicuius, sed in recognitionem dominatricis maiestatis ipsius & subiectionis nostræ: quo ferè modo Regibus munera offeruntur. AD ALTARE. Alludit Saluator ad præsentem ac legalem cultus Dei formam, suos instruens Christianos, quî parati esse debeant, ingressuri ad altare Dei, *de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* RECORDATVS FVERIS. μνησθῇς memineris. Quòd si igitur priùs meminisses, priùs id facere oportuisset: immo tecum ipse antea dispicere debuisses, an nihil esset huiusmodi.
QVIA FRATER TVVS. quòd proximus tuus. vt versu superiori. HABET ALIQVID ADVERSVM contra TE. habet de quo tecum expostulet. habet quod de te queratur (sic enim Apoc. 2. v. 14. cuidam dicitur: *Sed habeo aduersum te pauca*) Tu ei iratus fueris; eum læseris aut quaqua iniuria affeceris.

ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρόν σου ἔμπροσθεν [24] τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ὕπαγε, πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου, καὶ τότε ἐλθὼν πρόσφερε τὸ δῶρόν σου.	relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

RELINQVE IBI. Non dicit *tolle*, nec enim vult vt de Dei gratia recuperanda desperes, aut colendi Dei propositum abiicias, aut in longum differas & oblationis & reconciliationis negotium: cogit enim te rem sine cunctatione conficere, vt ad offerendum munus coram altari relictum quamprimùm redeas.
ANTE ALTARE. coram altari. Non igitur cùm super altare munus fuerit, & offerri cœperit, fortè iam magna, ex parte consumtum discedi ad fratrem iubet, nisi animi affectione. PRIVS. πρῶτον primùm. potest hoc, & ad *vade*, & ad *reconciliari* referri: posterius verisimilius est. RECONCILIARI. id est, vt reconcilieris. In multis vetustis manuscriptis legitur *reconciliare*. imperatiuo modo, quemadmodum græcè διαλλάγηθι. quod est, priùs placa, priùs cures vt redeas in gratiam cum fratre tuo, omni odio & dissidio abiecto. Ecce quam necessitatem nobis imponat Dominus, aut potiùs lex *Non occides*, mox redeundi in gratiam cum iis quos offenderimus, vt etiam proximi ad sacrificium offerendum, illud intermittamus differamusque, tantisper dum reconciliatio facta sit: eò quòd alioqui, gratum Deo à nobis sacrificium offerri non possit, maneatque nobis offensus Deus, quamdiu nos in alicuius fratrum manemus offensa. Quòd si sacrificium, quod propriè contestatio est agnitionis atque honorationis maiestatis Dei, eaq; publica,

intermittendum differendumque est. nec esse Deo gratum potest, nisi iis quos offenderimus reconciliati sim is; multo magis cætera omnia nostra cuiuscumque generis opera: ita vt prima nobis cura reconciliationis cum fratribus mandetur. Nam sicut prohibita nobis est ira, ita. cùm fortè irati fuerimus, iræ seruatio, ne seruata duret in odium, & ita altas in animum figat radices, vt euelli tandem nequeat. Roget quis, An non absurdum sit, pluris fieri charitatis in proximum officium, quàm Dei cultum? responsio in promtu est, Dei cultum, præcipuè in interna animi affectione, in charitate situm esse, tum verò, in operibus externis, sacrificio, oratione, eleemosyna, & similibus. Quare, inprimis danda est opera, vt benè se animus habeat, & charitatem, quam à se depulit, reuocet. Adhæc, si offenderis Deum, charitatis lege, quam tibi statuit, violata; pœnitentia eoque modo quem statuerit, priùs illud resarcias oportet, quàm quid aliud facere possis quod ei gratum sit. Vtroque autem genere actionis Deus colitur, tum pœnitentia tum sacrificio: & quamquam posterius fortè sit excellentius, prius tamen magis necessarium est, præmittaturque necesse est, vt damni reparatio ante noua munera. VENIENS. rediens. OFFERES. προσφέρε offer. tunc demum enim Deo acceptum erit: neque enim similis est Deus principibus huius sæculi, qui magis quærunt munera suorum quàm consensionem, venanturque ex dissidio munera. Porrò affirmatiuum hoc præceptum de reconciliatione ineunda cum proximo, intelligendum est ita vt cætera, quando id permittit prudentiæ ratio. Quare aliquando fieri possit, vt differatur accessus ad fratrem in tempus à sacrificio: cæterùm, vt animi præparatio pœnitentiaque differantur, fieri numquam debet.

Lu. 12. v. 58.

Esto consentiens aduersario tuo [25] citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.

ἴσθι εὐνοῶν τῷ ἀντιδίκῳ σου ταχὺ, ἕως ὅτου εἶ ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτοῦ, μήποτέ σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ.

CONSENTIENS. εὐνοῶν beneuolus. ܪܥܐ methaue amicus: concors verterunt quidam, B. Augustino teste. Compone, transige, cum aduersario tuo, redi cum eo in gratiam, fac vt sis ei amicus. ADVERSARIO. ἀντιδίκῳ ad verbum contralitigatori. significat aduersarium litis siue causæ; actorem, qui reum agit & in ius trahit, quem Syrus vocat ܒܥܠ ܕܝܢܐ bahal dine auctorem litis. Monuit nos Saluator superiori sententia, curate vt mox redeamus cum iis quos offenderimus in gratiam, si Deo placere illique opera nostra grata esse velimus: hoc idem rursus monet, terrens diuini iudicij seueritate, ni fecerimus; allato à iudiciali consuetudine, quæ apud omnes gentes tenet, exemplo, vt iudicium ex iustitia exerceatur. Quemadmodum, inquit, ei qui in ære alicuius est, iamque in ius vocatus pergit cum actore ad iudicium, consultum sit, vt cum illo in itinere, dum lis adhuc pendet, componat, quòd facilius longè sit cum socio quàm cum iudice conuenire, quòd à socio exspectari possit vt precibus flexus remittat aliquid de summa; vt autem nihil remittat, saltem non affligat: at iudex, pro rigore iustitiæ, & mox in carcerem probrosè detrudat, & cogat exactissimè debitum soluere, numquam alioqui è carcere dimissurus. Ad eundem modum expedit, vt cum fratre quem offenderis mox cures redire in gratiam &c. Aduersarium itaque hîc Saluator intelligit, fratrem qui habet aliquid aduersus te, quem læseris: qui etsi fortasse tibi aduersarius esse, teque in ius trahere nolit. Euangelicæ memor mansuetudinis: sed iniquitas tua, & causæ illius æquitas, reum te agunt & ad Dei omnium iudicis tribunal trahunt. CITÒ. ne fortè hinc subitò auferaris. DVM ES IN VIA CVM EO. dum res adhuc pendet, hac in vita, qua ad mortem ambo pergitis, & à morte ad Dei tribunal. Hac enim in vita facile est rem componere, & offensæ veniam impetrare, humiliatione sola, aut dispendio exiguo. NE FORTE. μήποτε ne, siue nequando (quo sensu consueuit vetus interpres vti ne forte) huius vitæ cursu euoluto. TRADAT TE ADVERSARIVS IVDICI. Deo. id quod certò futurum est, ni hîc transegeris. Tradit aduersarius, vel quia vindictam ipse Deo reliquit; tradiditque iudicanti iustè, vt de Christo Petrus loquitur 1. Epist. 2. v. 23: vel quia causa ipsius æqua reum te agit. MINISTRO. τῷ ὑπηρέτῃ apparitori, lictori, carnifici (is est qui iudicis sententiam exsequitur) diabolo aut angelis eius. CARCEREM. φυλακὴν. custodiam. ita Græci, quin & Latini, honesto vocabulo carcerem vocant; Syrus domum vinctorum. MITTARIS. βληθήσῃ iaciaris, proiiciaris, loco pœnarum addicaris.

Luc. 12. v. 59.

Amen dico tibi, nō exies inde, do- [26] nec reddas nouissimū quadrantem.

ἀμὴν λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην.

AMEN DICO TIBI. Hoc tibi certò affirmo, non ea tecum agendum lenitate, qua hac in vita actum fuisset. Hic multus est indulgentiæ locus: quam qui amplexus non fuerit, nulla ei est à morte indulgentia exspectanda. NOVISSIMVM. ἔσχατον vltimum. QVADRANTEM eius summæ quam debes. τὸν κοδράντην. vox est latina græcè flexa (pro qua Lucas minutum ponit) significans minimi precij nummulum, duo complectentem minuta, id quod liquet ex Mar. 12. v. 42. Quarta pars assis est, quam aliàs teruncium aut triuncium vocant: vt as decima pars denarij siue drachmæ est. Syrus ܫܡܘܢܐ semouna octauum vocat, quasi octauam partem. Sensus est, Summo tecum iure agetur, non liberaberis à carcere donec pœnas lueris extremas, tantas quantas exiget extremus iustitiæ rigor, siue æternas pro offensa graui, siue temporarias pro leui. nam & huc spectare locum, Cyprianus, cùm alibi, tum epistola 52. auctor est. Numquam igitur liberandi sunt, qui graui debito obnoxii hinc decesserint: nam cùm æternam diuinæ iustitiæ debeant pœnam, nihilque illa illic de suo iure remittat, numquam fecerint aut luerint satis; soluent semper, persoluent

persoluent numquam, iuxta Bedam in Lucam. Cum aliis porrò etsi similiter extremo rigore agatur, vt iustitiæ satisfaciant: nihil prohibet tamen, quin eis succurri possit; non ita vt iustitiæ non satisfiat, sed satisfaciendo iustitiæ pro eis, qui, à Christi corpore & communione membrorum illius inter se mutua, hoc est, sanctorum communione, separati non sunt, sicut separati sunt ij quos gehenna excepit.

ἠκούσατε, ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις· οὐ μοιχεύσεις.

27 Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis.

Exo. 20. v. 14. Deut. 5. v. 18.

AVDISTIS &c. vide suprà v. 21. Pergit Christus in legis declaratione, & proximum præceptum suo sensui restituit, quo omnem impudicitiæ voluntariam concupiscentiam prohibitam docet, quemadmodum illo iram: quæ duo præcipuam quandam tyrannidem inter homines exercent. NON MOECHABERIS. ne mœcheris, ne committas adulterium. Sub vna illegitimi concubitus specie, eaq; inter frequentes grauissima, omnis illegitimus concubitus prohibitus est, siue ille culpa minùs grauis, siue grauior sed rarior sit. Hanc legis prohibitionem explanans Saluator, docet, eâ, non actum tantùm sed & desiderium illegitimi concubitus prohibitum, adeoque eum qui desiderarit solummodo aut oblectatus fuerit animo, reum esse eius generis scortationis quod conceperat animo, vt adulterij, si alienæ vxoris desiderio fuerat oblectatus, incestus si sanguine iunctæ &c. Quamuis enim impuras animi cogitationes Lex diuina externis suppliciis non magis puniri iubeat quàm quæuis lex humana, de qua dici solet: *Lex manum non animum prohibet:* improbat tamen illas, & Dei vindictæ subiicit. Neque enim politico dumtaxat modo vitæ magistra est ad formandos externos mores: sed puros atque integros cordis affectus requirit. Istud Scribæ nec intelligebant nec docebant: quinimmò contrarium sensisse videntur, cùm Iosephus ex eorum numero vnus, doctrina ille non minimus, libri 12. Antiq. capite 13. scribat: *Voluisse enim tantum, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res supplicio digna.* Vnde & R. D. Kimhi, citatus ex commentario in Psalmum 66., à D. Genebrardo refellente perfidiam Iosephi Albonis, ait: *Etiam si viderim iniquitatem in corde meo, quam vel paratus essem in actum perducere, vt vt illa sit coram Deo atque si eam labiis protulissem, tamen non audiet eam Dominus, q. d. non ducet eam mihi scel(e)ri. Cogitationem enim prauam Deus non adiungit operi, nisi certe concepta fuerit in Dei fidem atque religionem.* hæc ille. Quare Scribis se opponens Saluator ait: Docuerunt vos Scribæ, Dei mandatum esse olim datum: Non mœchaberis; aliud verò eo mandato prohibitum esse non docuerunt, quàm actum concubitus illegitimi. *Ego autem dico vobis &c.*

ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ.

28 Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

EGO AVTEM. Non antiquis se opponit; vti aliquoties Caluinus nugatur; sed iis à quibus audierant auditores ipsius quid antiquis dictum fuisset; iis qui eos legem antiquis datam docuerant. ij autem erant, quod diximus, Christi æquales, Scribæ & Pharisæi. vide suprà v. 22. DICO VOBIS non solum illum mœchum esse & transgressorem huius mandati, qui crimen adulterij opere ipso perpetrarit, sed & eum *qui viderit* &c. QVIA. quòd. QVI VIDERIT. Quia vt plurimùm oculi animum suis lenociniis solicitant, & libido quasi per istas fores penetrat (nam quod græca sententia celebratum est, ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν, ex visu amor) synecdochicôs, hac vna, omnem per sensus côcupiscentiam, quin & eam quæ in solo corde lasciuit, vult intelligi. MVLIEREM quamcumque non suam. Non dicit mulierem alterius, aut fratris sui, vt quamcumque intelligas, non tuam matrimonij iure. AD CONCVPISCENDVM EAM. πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς ad hoc vt concupiscat eam; hoc animo vt eius desiderio capiatur, hoc fine vt eius accendatur amore. Non ergo per se visio damnata est, sed ea dumtaxat, quæ fit animum praua concupiscentia oblectandi gratia: primùm igitur damnata est ipsa animum oblectans concupiscentia. Porrò, si exsurgens fortè & solicitans animum concupiscentia, impetrare nequeat vt se animus ipsa oblectet; non eam hîc damnatam, ita vt peccati reum quemquam efficiat, manifestè intelligendum datur (quemadmodum doctè Hieronymus & Augustinus obseruarunt) cùm exemplum proponitur concupiscentiæ expetitæ, procuratæ, inprimisq; voluntariæ, eius quam in se ipse homo excitare conatur, oculos in mulierem iaciens, vt accensa in se concupiscentia animum pascat. IAM MOECHATVS EST EAM. ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν. iam adulterium cum ea cômisit (species pro genere) iam constuprauit, iam violauit eam. IN CORDE SVO. superest in, profectum ex hebraico loquendi modo. corde, animo, voluntate, etsi non corpore: corde enim læsit, quâ corde vt semetipsum diligere debuit. Itaque animo stupri reus est legisq. trâsgressor, ac proinde, vt huiusmodi, diuino iudicio plectendus. Apud Deum enim, flagitium commisit, qui voluit: nam, quid illud præcipuè est quod in prauo opere abominatur Deus, nisi praua voluntas, quæ prauum opus & parit & alit, qua mutata nullum sit prauû opus? Cæterùm plerumque illud fit, vt peccatum sit grauius, cùm voluntatê opus perficit.

εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου ὁ δεξιὸς σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ. συμφέρει γάρ σοι ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν σου, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν.

29 Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

Inf. 18. v. 9. Mar. 9.

QVÒD SI. εἰ δὲ si autem. Si ergo. OCVLVS TVVS. Parabolicus est hic sermo, occasione ei[us] quod

quod dixerat *Omnis qui viderit mulierem* &c. attextus, quo non significatur auferenda corpori membra, sed regenda atque ab opere proprio continenda, etiam summo cum dolore detrimentoque, si quidem vt offendas faciant. DEXTER. Dextræ partes potiores sunt, & expeditiores ad opus, ac proinde etiam chariores. SCANDALIZAT TE. facit vt tu cadas, impingas, offendas. Scandala, saxa vocantur, & quæcumque huiusmodi viæ impedimenta, ad quæ inter eundum impingitur: hinc scandalizare, offendiculo esse, offensionis, prolapsionis, ruinæ causam offerre, siue rei attribuatur, hoc est, ipsi scandalo, siue personæ quæ iter agenti scandalum obiicit. Peccandi itaque causæ & quæcumque nos labi faciunt, aut remorantur, aut faciunt quo minùs inoffenso cursu pergamus, in via Domini, id est, vita Deo digna, celebri in Christiana schola metaphora, scandala esse, quique ea aliis obiiciunt aut parant, scandalizare dicuntur. Impropriè autem humanis membris adscribitur scandalizare, quod personæ est (vide infrà 18. v 8.) quare *si oculus tuus dexter scandalizat te*, id est, præbet tibi scandalum, offert id quod tibi facilè ruinæ, lapsus in peccatum, causa esse possit, exempli gratia, mulierem non tuam. ERVE EVM ET PROIICE ABS TE. contine, cohibe eum ab opere visionis, nega tibi illius rei quæ ad peccatum te pertrahat adspectum, perinde ac si oculi tibi eruti essent, etiamsi ea fortè tam chara tibi sit, tam propinqua, tam commoda, tam denique necessaria, quàm oculus ipse dexter per quem offertur. Reipsa quoque permitte potiùs oculos tibi à quouis erui, quàm vt eis abutaris ad peccandum. EXPEDIT ENIM. Ratio sumta ab vtilitate conseruandi vniuersi. Præstat te hìc viuere lusci instar, cuius visum multæ res fugerint etiam iucundissimæ, quàm vagis oculis liberè visum, visuque oblatis quibuscumque rebus citra discrimen fruitum, scandalum pati, & in peccatum incidere, ac proinde gehennæ addici, vbi & vniuersa iucunda charaque amittas, & æterna supplicia perferas. VT PEREAT hac in vita. QVAM TOTVM. καὶ μὴ ὅλον & non totum. GEHENNAM. vide suprà v. 22. lege infrà capite 18. versu nono sententiam huic similem.

Inf. 18. v. 8. Mar. 9. v. 43.

Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.	30	καὶ εἰ ἡ δεξιά σου χεὶρ σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτὴν καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ· συμφέρει γάρ σοι ἵνα ἀπόληται ἓν τῶν μελῶν σου, καὶ μὴ ὅλον τὸ σῶμά σου βληθῇ εἰς γέενναν.

ET SI DEXTRA MANVS. Eòdem spectat hæc sententia, quò superior. Si quid manu contingas, aut manus tibi pruriat ad tangendum id quod te ad peccatum trahat, nega tibi illius contactum non aliter ac si amputatis fores manibus, tametsi id nō minùs charum tibi sit ipsa manu dextra, neque minor aut pœna aut damnum eo priuari, quàm truncari manu dextra. Reipsa quoque permitte manum etiam dextram vi tibi à quouis abscindi, potiùs quàm ad iniquitatem extendas eam. Manus & oculi ferè solent iis seruire, qui, præter opus fornicationis, carnis concupiscentia animum pascere gaudent: ab his itaque membris exemplo allato, monet membra omnia continere, omnesque adeò occasiones, quibus ad malè agendum commoueri possimus, vel maximis cum doloribus damnisque vitare. EAT. βληθῇ mittatur, coniiciatur. Lege infrà capitis 18 versum octauum similem.

Deut. 24. v. 1. Inf. 19. v. 7. Mar. 10. v. 4.

Dictum est autem: Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij.	31	ἐρρέθη δὲ, ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, δότω αὐτῇ ἀποστάσιον.

DICTVM EST AVTEM. Non vt in superioribus ait *Audistis quia dictum est antiquis*: hoc enim exordij genere vtitur, vbi noui præcepti declarationem aggreditur: quod non hìc facit, cùm in eo præcepto pergat quod adulterium vitandum præcipit: eò enim spectat doctrina qua diuortia temperat. DIMISERIT. ἀπολύσῃ absoluerit, repudiauerit. LIBELLVM REPVDII. dimissionis seu repudiationis testimonium: id quod Græcè hoc loco ἀποστάσιον vocatur, quasi dicas *repudionale*; Matth. 19. v. 7., ex LXX & Hebræo, βιβλίον ἀποστασίου *libellus repudij*, quod hebraicè est Deut. 24. v. 1. 3. ספר כריתת *sepher cerit-uth*, quasi dicas, liber succisionis. Erat autem schedula (eodem enim ספר *sepher* libri nomine; id quod suprà 1. v. 1. docuimus; Hebræi, & epistolas, & actionum instrumenta, immo & scripta quæcumque vocant) viri manu signata, qua testabatur is, hanc à se repudiatam, cedebatque suo in eam iuri, suæque eam restituebat libertati, ita vt (quod ex ipso) integrum ei esset viro alteri nubere. Apud Romanos, in repudiis seu renunciationibus, vsitatissimi moris erant hæc verba: *Res tuas tibi habeto. Res tuas tibi agito. Conditione tua non vtar.* Huiusmodi porrò literas dari vxoribus ante repudium voluit à viris Deus; inprimis, ne subitò eas cum furore eiicerent: furorem enim necesse erat aut ponerent aut temperarent scripturi, vel alium scribendi peritum rogaturi, cùm non cuiusuis sit huiuscemodi scribere (qua ratione & dissuadendi locus prudentibus tribuebatur, quod notauit D. Augustinus lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. 26. 29.) deinde ne facilè alioqui eiicerent, durum est enim iuri suo cedere, & manumittere quam tuo habeas seruitio addictam: denique ne dimissas, & aliis fortè viris, quòd continere nollent, nuptas, non sine status publici perturbatione, reuocarent. Hunc modum statuerat diuortiis Deus in lege veteri: ne, si ea prorsus vetuisset, quia ex aliarum societate gentium in consuetudinem iam venerat, maiora populus ille perpetrasset mala, homicidiorum, veneficiorum &c. Scribæ porrò, ex eo quòd vetita non essent, licita esse quòd ad Deum, culpaque omni vacare, modò repudij libello dato, censebant, &, tamquam matrimonij vinculo soluto, viro aliam licere ducere, mulieri alteri nubere & ab altero duci; perperam, ex legis ciuilis permissione, piè sanctèque viuendi regulam trahentes: quos hìc proinde Saluator redarguit, ita vt sensus verborum sit: Dictum est à Deo per Mosen: *Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij*; id quod ita ex Magistrorum vestrorum

rum doctrina solet intelligi, quasi nihil in eo quod ad Deum offensæ sit, si, quauis ex causa vir ingratam sibi vxorem repudiet, modò repudij scribat libellum; quinetiam alteram ducat, & repudiata alteri nubat.

ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, παρεκτὸς λόγου πορνείας, ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι· καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται.	32	Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.

Ios. 19. v. 9. Mar. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18.

DICO VOBIS diuersum prorsus. QVIA OMNIS QVI. ὅτι πᾶς ὁ. rectiùs vertisset Interpres vt versu superiori. *Quicumque.* DIMISERIT. repudiauerit, à thoro & cohabitatione in perpetuum separauerit. Mox non ait *mœchatur*, vti infrà 19.v.9. vbi addidit *& aliam duxerit*; sed *facit eam mœchari*. Quare, non alia hic dimissio intelligenda est, quàm ea quam diximus, qua à thoro & cohabitatione in perpetuum separatur: quid enim? cui, iuxta veteris legis permissionem, animus erat vxorem dimittere, an non, nisi alteram duxisset, dimisisset? EXCEPTA FORNICATIONIS CAVSA. παρεκτὸς λόγου πορνείας præter rationem fornicationis πορνεία hîc siue fornicatio, non adulterium tantùm, sed & omnem illicitum concubitum comprehendit. Si enim dimitti potest, quæ alteri viro, seruato eo quem natura instituit generandi modo, corporis sui copiam fecit; multo ea magis, quæ ita sui copiam fecerit, vt à natura institutum generandi modum transgressa sit. Porrò quòd singulariter ob fornicationem hoc liceat, ex eo est, quòd hoc vitij, ex diametro contrarium sit, & violet matrimonij fidem, qua, sibi ademtam, viro mulier tradidit sui corporis potestatem: non tamen quòd præcipiat Christus ob hanc causam dimittere, sed quòd permittat, iusto viri dolori consulens. Sunt quidem & aliæ nonnullæ causæ ob quas dimittere liceat: sed eæ æquè separant à quauis inter homines societate, nec diutiùs separant quàm ipsæ actu vigeant. FACIT EAM MOECHARI. quod ex se est, causa est illi vt mœchetur: nam siue alteri nubat (id quod repudij libellus sinit) siue innupta fornicetur (quorum alterum facile est vt repudiata amplectatur) adulterium committit: manet enim primi coniugij vinculum, neque hominis repudium infringit sanctionem Dei. Quare vt productor damnandus est, vt vxoris sibi diuinitùs adiunctæ præter ius & fas prostitutor, qui dimiserit fornicationis haud ream. *Quam periculosum*, ait Ambrosius in caput 16. Lucæ, *si fragilem adolescentulæ ætatem errori offeras: quam impium si eius destituas senectutem, cuius depopulaueris iuuentutem?* Porrò qui fornicationis ream dimiserit, non ipse eam facit mœchari, sed ipsa se fecit mœcham, & priuauit, perfidia sua, coniugij iure.
ET QVI DIMISSAM. Non hîc subaudiendum est *excepta fornicationis causa* (quæ namque sit æquitas, vt fornicatrix, suo merito à viro repudiatæ, nouis liceret gaudere nuptiis; probæ autem, immeritò repudiatæ, non liceret?) sed, quamcumque ob causam, etiam ob fornicationem. ADVLTERAT. mœchatur, adulterium committit: pellex enim huius est, vxor autem permanet illius à quo dimissa est. Quare nec illam alius ducere, nec ipsa alij nubere, nec aliam is qui dimisit sibi adiungere potest. Lege infrà 19.v.9.

πάλιν ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις· οὐκ ἐπιορκήσεις, ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου.	33	Iterum audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.

Exod. 20. v. 7. Deut. 5. v. 11.

ITERVM. πάλιν rursus. Tertium præceptum ex lege, à Saluatore expositum & perfectum. NON PERIVRABIS id est, non iurabis falsum. sic enim ad verbum hebraicè scribitur: *Non iurabis falso* siue *mendaciter*; vbi nobis est: *Non periurabis*. Leuit. 19. v. 12. Mal. 3. v. 5 Syrus quoque vertit: *Non mentieris in iuramento tuo.* Nam quantumuis, vox latina peierare, & græca ἐπιορκεῖν, non falsum iurare significent, sed quod ex animi tui sententia iuraris, id non facere; tamen ita hîc accipiuntur, vt vtrumque complectantur: quasi enim falsum redditur iuramentum ex animo præstitum, dum violatur. REDDES AVTEM DOMINO. quòd si quid alicui, interposito iureiurando, promiseris, siue Deo, siue homini, id persolues veluti Deo debitum. Dum enim quid sancitur adhibito Dei nomine, testis citatur Deus: illud ergo qui violat, fidem fallit, non hominibus tantùm, verumetiam Deo datam. IVRAMENTA TVA. ea quæ iuraueris, ea quæ adhibito iuramento promiseris. Respici hîc existimarim, non ad loca hæc aut illa, quibus disertè vetatur periurium, Leuit. 19. v. 12. Num. 30. v. 3.: sed ad legem ipsam Decalogi: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Exo. 20. v. 7. & Deut. 5. v. 11. Quam ita enarrasse ac docuisse videntur Scribæ, ac si in negotio iuramenti, præter periurium vetaret nihil, satisque, qui non peieraret, faceret. quos redarguens Saluator subdit:

ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως.	34	Ego autem dico vobis, non iurare omnino.

Iac. 5. v. 12.

DICO VOBIS longè amplius ea lege prohibitum esse, quàm vos illi docuerint, videlicet NON IVRARE infinitus modus imperatiui loco: Ne iures, aut (quo modo syriacè est) iuretis. OMNINO. non tantùm non falsum, sed neque verum vmquam, quoad eius à vobis fieri potest. Quod in vobis est, omne iuramentum vobis fugiendum est: nec enim prosequendum est vt bonum, sed adsumendum vt necessarium, tum demum, cùm alioqui adduci frater non potest, vt id credat quod ipsi vtile sit credere: cæterùm qui enim peccat qui iurat, & adsumit nomen Domini Dei sui in vanum. expositio est B. Augustini, cùm in proprio huius loci commentario, tum sermone de verbis Apostoli 28., disertissimè autem libri de mendacio capite 15, vbi verba eius sunt: *Intelligendum est illud quod positum est omnino, ad hoc positum, vt, quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas, iusiurandum.* Horum ratio est, quia

quia facile est per iurandi consuetudinem periurij crimen incurrere: longè autem qui numquam iurat, à periurio abest. *Falsa iuratio exitioſa est, vt a iuratio perinde periculosa est, nuda iuratio ſecura est.* Adhæc, si cui, eam Deo obseruantiam debemus, vt non nisi in rebus ipso dignis, necessitate adducti, testem eum citemus: & cuius obsecro momenti sunt pleraque omnia nostra, vanissima certè illa, vt non sit indignum Deo testem aduocari? Quare prohibet, immo docet lege prohibitum, Christus, iurare: nudè enim per se sumtum, iurare, malum morale est, ad irreuerentiam erga Deum spectans: quemadmodum, occidere hominem, nudè sumtum, malum est & lege prohibitum. At quemadmodum hominis occisio, iustitiæ circumstantiis vestita, bona est, quinimmo laudabilis: ita & iuramentum, iis ornatum circumstantiis, quas Ieremias describit cap.4.v.2. veritatis, iustitiæ, & iudicij, bonum est & laudabile, quinimmo cultus Dei, profitens omniscium & infallibiliter veracem Deum. Iudicij porrò circumstantia hoc habet, vt non vsurpandum sibi iuramentum ducat nisi, vbi, in re necessaria aut insigniter vtili, id extorquet alterius incredula diffidentia.

Inf. 23. v. 22.

Neque per cælum, quia thronus [35] Dei est; neque per terrā, quia scabellum est pedum eius; neq; per Ierosolymā, quia ciuitas est magni Regis;

μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ θεοῦ· μήτε ἐν τῇ γῇ, ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ· μήτε εἰς ἱεροσόλυμα, ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως·

NEQVE PER COELVM. supple ex versu subsequente *iuraueris*. Neque verò tantùm dico, omnino per Deum vobis non esse iurandum; verùm nec per creaturas omnino. ἐν τῷ οὐρανῷ *in cælo*, quo modo est græcè & syriacè ex hebraica phrasi, rectè exposuit Interpres *per cælum*; vt & in sequentibus. Paruipendebant Scribæ, eam quæ per creaturas fit iurationem, ita vt etiam non teneri promissorem iureiurando docerent, eum qui adhibito per creaturas, maximè quasdam, iuramento, promissionem sanxisset. id quod manifestum est infrà 23.v.16. 18.22. Contra hunc alterum itaque Scribarum errorem, non magis per creaturas quàm per Deum iurandum, addit Christus; per Deum enim iurare, qui per creaturas iuret. Namque, non in creaturis subsistit iuri iurandi religio, sed Deus ipse solus, καρδιογνώστης, veritatis præses, & perfidiæ vltor appellatur, productis in medium creaturis, quæ omnes eius sunt, quibus omnibus ipse præsens adest, in quas omnes solus ipse plenam habet potestatem, denique quæ omnes veritatis & gloriæ eius sunt symbola: nulla est enim creaturarum, cui non insculpserit veritatis & gloriæ suæ notas. QVIA THRONVS DEI EST. ideoque qui per cælum, per Deum iurat, qui cælo throno vtitur: id quod disertè exprimit Saluator infrà 23.v.22. Ita verò & in cæteris deinceps. SCABELLVM. ὑποπόδιον, quasi dicas, suppedale, est id quod sedentis pedibus est subiectum, à Latinis scamnum, vel, diminutionis forma, scabellum, à scandendo dictum, quòd eo in altiorem sedem ascendatur. Alluditur ad locum Isaiæ 66.v.1: *Hæc dicit Dominus, Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* quo non aliud ibi significatur, quàm immensum & incomprehensibilem esse Deum, qui sic impleat omnia, vt nullo capiatur loco. Vult autem Saluator significare, in cælo & in terra præsentem esse Deum, & præsentem cælum & terram regere, eaque referre & loqui rectoris & creatoris sui maiestatem; nec tamen cęlo & terra contineri, quin potiùs extra cælum rerumque omnium vniuersitatem esse. Fortassis autem cælum dicitur sedes siue thronus Dei esse, quia in cælo Deus faciem suam; terra, scabellum pedum eius, quia in terra extima sua, opera & effecta sua (quæ veteres nonnulli *posteriora* interpretantur Exodi 33.v.23.) conspicienda præbet. PER IEROSOLYMAM. seu, vt est græcè, Ierosolyma, plurali numero neutri generis. Videntur, tam ista, quàm reliquæ quæ hîc referuntur, fuisse iurandi formulæ Iudæis familiares. CIVITAS EST MAGNI REGIS. illius qui condidit & gubernat vniuersa. Allusio est ad Psal.47.v.2: *In ciuitate Dei nostri.* & v.3: *Ciuitas regis magni.* Ierosolyma erat ciuitas Dei, quia præ ceteris omnibus ab ipso Deo delecta ad cultum sui, vt illic, nō alibi, templum esset, sacrificia offerrentur, & sacra omnia veteris illius populi celebrarentur & adseruarentur.

neque per caput tuum iuraueris, [36] quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum.

μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς, ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι.

NEQVE PER CAPVT TVVM. Qui per caput suum iurat, caput siue vitam suam, quæ ex capite prorsus pendet, vt bonæ fidei pignus, in medium adducit, tamquam id quod maximè suum sit, cùm adeò non sit in ipsius potestate, vt ne vnius quidem pili capitis mutare possit colorem. Dei est igitur, Deique potestati subiectum, qui & per ætates capillorum colorem mutat, & vitam capiti ipse & subministrat & aufert. Quare per Deum iurat, qui per caput suum iurat; atque hoc horribilius, quòd caput etiam suum vitamque roget ipse in pignus à Deo accipi. VNVM CAPILLVM ALBVM FACERE AVT NIGRVM. Sensus est: Vnum album capillum reddere nigrum, aut econtrà; vel: Vnum minimum capillum album aut nigrum producere: quamquam posterior hic sensus minùs vero similis sit, D. Chrysostomo eum disertè reiiciente. Syrus habet, *facere in eo particulam vnam capilli nigram vel albam*; aut, quod ipsius interpres transtulit, *nigri vel albi*. Fucato artificio fieri id ab homine potest, vt capillorum colorē mutet; quinetiā virtute intrinseca per ætatū successus: cæterùm nō ex tempore, siue pro arbitrio suo, id homo valet; quomodo neq, crines nouos producere.

Iac. 5. v. 12.

Sit autem sermo vester, Est, est; [37] non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.

ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναί, ναί, οὔ, οὔ· τὸ δὲ περισσὸν τούτων, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν.

EST, EST. ναί, ναί. næ, næ. profectò, profectò. *etiam, etiam.* quo modo Interpres vertit Act.5.v.8.22.v.27.

Similis

Similis est totidem ferè verbis, Iac. 5. v. 12. locus: *Sit autem sermo vester, est, est; non, non*: quem videtur Apostolus ex hoc Domini sermone mutuatus. Quare ita libens interpreter Domini, vt sonant Apostoli verba. ἤτω δὲ, habet Apostolos, ὑμῶν τὸ ναί, ναί, καὶ τὸ οὔ οὔ. quod est: Sit autem vestrum est, est (siue vestrum etiam, etiam) & vestrum non, non. Sic ergo & Domini verba intelligantur: ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ὁ μὲν ναί, ναί· ὁ δὲ οὔ, οὔ. Sit autem sermo vester, qui quidem est, est (siue, qui quidem etiam, etiam) qui verò non, non: ita vt sermo in adfirmantem & negantem diuidatur, & adfirmans quidem iubeatur simplex & nuda adfirmatio esse; negans verò, simplex & nuda negatio. Cæteroqui, intelligi possit, repetitas adfirmandi & negandi particulas, emphaseos causa, quòd in omni perpetuò sermone velit nos nuda ac simplici aut adfirmatione aut negatione, prout se rerum veritas habet, contentos esse. QVOD AVTEM HIS ABVNDANTIVS EST. τὸ δὲ περισσὸν τούτων quod autem amplius his (ita & Syra interpretetis) quod vltra hæc (.i. est & non) accedit, id quod adijcitur simplici adfirmationi & negationi, ad confirmationem scilicet. Illud porrò, iusiurandum Saluator intelligit (quod est, religiosa adfirmatio aut negatio non adfirmandi aduerbia, verè, certè, in veritate: neque enim illa excedunt simplicis vim adfirmationis, tametsi constantiùs adfirment. A MALO EST. à malitia proficiscitur, à consuetudine vanitatis & doli mali, à qua vos alienos esse oportet. Ex hominum vitiis natum docet Saluator iuramentum, quòd mendaces sint plerique, subdoli, flexiloqui, varij, nec eam colant simplicitatem atque integritatem quam dictat recta natura. Hinc enim factum est, vt alter alteri non crederet frequenter, etiam vera & sincera loquenti, nisi illo in testem adducto, cui non facilè mentiri quis audeat, quòd & norit ipse omnia & perfidiæ sit vltor: id quod dein experti complures, quò facilior eis in omnibus fides adhiberetur, eam inicre rationem, vt ad omnem sermonem iusiurandum adiicerent; cùm nemo minùs fidem mereatur, eo qui frequenter iurat. Vult itaque Saluator, curemus, adeò spectata simus sinceritate atque integritate, vt nemo nobis non credat iniuratis, adeóque candida simplicitate, vt nulli non credamus iniurato, si que sermo Christiani simplex, iurisiurandi instar. Cæterùm non damnat iusiurandum (nouerat enim non daturos omnes operam vt essent huiusmodi) ideoque nón dicit malum est, sed *a malo est*: id quod satis est, vt & fugam illius suadeat, dum eo prorsus opus non est, & permittat vsum, dum omnino opus est. Bonus enim & purus est vsus quarundam rerum, quarum ex malo origo est.

ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη· ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος.	38 Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

Exod. 21. v. 23. 24. 25.

AVDISTIS. Exemplum ex lege quartum, à Saluatore expositum & perfectum. OCVLVM erues PRO OCVLO eruto, ET DENTEM excuties PRO DENTE excusso. Fuerat in Lege lex talionis à Domino statuta, ei qui alterum æqualem suum læserat (Exod. 21. v. 23. 24. 25. Leuit. 24. v. 19. 20.) aut, dato falso testimonio, lædere tentauerat (Deut. 19. v. 20. 21.) nisi læsus (quod Iosephus addit lib. 4. Antiq. cap. 8.) pro sua clementia, pecunia casum suum æstimare mallet; Idcirco, vt ne quis temerè noceret aut nocere tentaret alteri, metu per legem talionis incusso. Cæterùm, non vindictam lex docuit expetere, quæ Leuit. 19. v. 18. ait: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*: quinimmo, talionis lege, coërcuit vindictæ cupiditatem. solet enim læsus vindictam exposcere illata iniuria grauiorem: vt certè grauiorem meretur qui insontem læsit, si extremo agatur iure. Deinde non priuatis hominibus permisit lex talionem referre, sed iis commisit qui magistratu funguntur, id quod ex ipsis legis verbis perspicuum fit. Scribæ porrò & Pharisæi, ita legem hanc populo enarrauisse videntur, ac si licitum iustúmque esset, læsum, se vlcisci, ac malum malo pensare (fortassis etiam propria auctoritate) modò talionis lex non excederetur. Ergo, probè se diuinę satisfacere legi existimabat Iudæus, modò neminem prior lacesseret, lacessitus autem par pari nec amplius rependeret. Atqui Christus longè illud à legis perfectione abesse docet.

ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ· ἀλλ᾽ ὅστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην.	39 Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.

Luc. 6. v.

NON RESISTERE. Infinitiuus imperatiui loco positus, aut DICO pro præcipio, vti mox v. 34.

MALO. illatæ iniuriæ. Malo non resistere, est, malum malo retaliare; nec eam quæ infertur iniuriam propulsare nec de ea quæ illata fuerit se vindicare. id quod ita intellige, eo quo fieri illud adsolet modo, animo scilicet iniuriarum impatienti cupidoque vindictæ: consilium enim Christi est, docere nos, animis esse malorum tolerantibus, tolerandoque mala vincentibus, mansuetis, & pacis ac charitatis studiosis. Quid enim? dum malo malo resistitur, fit id quod solet dum igni ignis additur, ex paruo magnum, ex vno multiplex redditur, aliudque ex alio propagatur; ac crescunt molestiæ, animi pax amittitur, patientiæ charitatisque, virtutum cùm nobilissimarum tum maximè necessariarum, fit iactura, inimicus habetur offensior, qui tolerantia vinci potuisset. *Nec sanè conuenit Christiano*, inquit Chromatius, *vicem iniuriæ reddere, ne similis et cui vicem restituit iudicetur. Si enim malum est iniuriam facere, non est alienus à culpa qui vicem malorum rependit, ac per hoc non potest bonus haberi, qui malum imitatur.* Porrò, non hîc vetat Saluator iniuriam declinare; neque, cum inculpatæ tutelæ moderamine, illæso charitatis affectu, propulsare: neque etiam aliquando, saluus publicæ ergô, iis quibus id officij incumbit, vindicandam committere; multo minùs iis quibus id ex officio incumbit, magistratibus vindicare, præfectis corrigere, maioribus aut etiam æqualibus corripere: sed priuatas inhibet inimicitias, priuatæ vltionis studium appetitumque improbat, ac ne tantillum quidem vult, ob malum quo affectus es, animi tui charitati ac suauitati, erga eum qui te malo affecit, decedere.

SED SI QVIS. ἀλλ᾽ ὅστις sed quisquis: fortè ἀλλ᾽ εἴ τις legit Interpres. Longiùs etiam extendit patientiæ legem, tribusque allatis exemplis nos docet, non tantùm malo non resistere, malum malo non retaliare, acceptas

acceptas iniurias non vlcisci; verùm potiùs quàm id faciamus, animis sic esse comparatos, vt iteratas nouasque iniurias toleremus. PERCVSSERIT. ῥαπίζει percutiet, palma seu manu aperta. vide inf. 26. v. 66. IN DEXTERAM MAXILLAM TVAM. Iniuria est si quæ alia, ignominiosa, alapis cædi; ideoque duplex, quia ignominia accedit. Porrò *dextram maxillam* dixit pro vnam, sequutus loquendi consuetudinem, non cædendi, in sinistram enim facilior ferientis ictus est: aut certè extremi contemtus significandi gratia *dextram* nominauit. solent enim qui contemnuntur, auerso ictu, in sinistrum nempe latus, cædi, tamquam qui iubeantur facessere, indigni etiam qui à nobis verberentur. PRÆBE. στρέψον verte, obuerte ILLI ET ALTERAM, libens patere verberari tibi & alteram, s. potiùs quàm alapam regeras, potiùs quàm illi resistas cum quo pacem exercere debes, potiùs quàm iniuriam vindices, aut malum malo pendes. id est, paratus sis etiam altera maxilla alapas excipere, repetitas nouasque iniurias ferre, potiùs quàm maleficiis certare, aut vltionis aliquid ob acceptam iniuriam meditari. Notanda Christiana & elegans antithesis, qua legi talionis, patientiæ, vt ita dicam, talio opponitur. Cæterùm noluit nos Christus hortari ad acuendam malitiam, & eorum præsertim qui nocendi libidine iam ardent: quare non id voluit, vt quoties cæsi fuerimus maxillam vnam, mox alteram porrigamus: quid enim id foret nisi malitiæ irritamentum? Non est sani æquique interpretis syllabas aucupari, sed attendere ad eius qui loquitur consilium. Atqui minimè obscurum est quid Christus velit, animos nempe fidelium ad constantem patientiam æquanimitatemque formare, ne semel aut iterum offensi deficiant vel fatigentur, sed compositi sint semper ad tolerantiam maiorem, si crescat malorum improbitas: atque vbi semel læsi fuerint, hoc ipso documento ad tolerantiam erudiantur, vt patiendo patientes esse discant. At quare hæc? vt charitatis animi erga proximos suauitas salua permaneat, & inimici patientia euicti Deo lucrifiant: quæ duo Paulus notat Rom. 12. v. 21. vbi ait: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

Lu. 6. v. 29. 30.

	40	
Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium:	40	καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον.

TECVM IVDICIO CONTENDERE. Σοὶ κριθῆναι, ad verbum, tibi iudicari. id quod, vel exponas passiuè, à te iudicari, à te in iudicium vocari (multi enim huiusmodi occasiones captant maioris inferendæ iniuriæ) vel σοὶ pro κατὰ σοῦ. aduersùm te iudicari, quod est, *tecum iudicio contendere.* ET TVNICAM, id est, vel tunicam, nisi tunicam tuam permittas auferri ab ipso. DIMITTE EI non tantùm tunicam tuam sed ET PALLIVM. ἱμάτιον Græcis significat summam vestem (quamquam aliquando pro quouis vestimenti genere ponatur) quæ Romanis toga est, Græcis pallium, estque ferè maioris pretij quàm tunica. Fac iacturam igitur, inquit, & pallij quod maioris est pretij, quo nisi priùs detracto tunica exui non potest: vbi iacturam aliquam acceperis, paratus sis etiam grauiorem ferre. vel tunicam & pallium, Matthæus dixit pro vestem vnam & alteram (*nam & interdum*, quod apud Euthymium annotatur, *omnis vestis, nunc ἱμάτιον, nunc χιτὼν, modo pallium, modo tunica, appellatur: sæpiùs etiam ὁ χιτὼν τὸ ἱμάτιον dicitur, & è contrario, id est, tunica pallium, & pallium tunica*) Lucas enim præponit pallium, vti certè priùs auferre quis tentet pallium alterius, vestem & extimam & pretij maximi, quàm tunicam; & pallio ferè nudari alter malit quàm tunica: *tunica enim*, iuxta adagium, *pallio propior.* Ei ergo qui eripere tibi vult vestem vnam, permitte vt auferat, vel etiam adiice, & alteram, etiam eam qua tibi magis opus est, potiùs quàm cum detrimento pacis & charitatis iudicio contendas, hoc est, potiùs quàm malo resistas. *Quare enim non magis iniuriam accipitis*, inquit Paulus 1. Cor. 6. v. 7., *quare non magis fraudem patimini?* Nullum enim detrimentum maius est detrimento pacis & charitatis: magnoque cum lucro pallium vendit, qui, vt euitet amaram contentionem, seruetque animi pacem, tunicam furi adiicit: quem si & tolerantia ac beneficentia sua deuincat (id quod facilè possit) nullum dispendium magnum est, tanta cum victoria comparatum. Hæc si in vestibus, tegendo corpori necessariis, locum habent: quanto magis in aliis omnibus caducis hominum rebus?

	41	
& quicũque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.	41	καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἓν, ὕπαγε μετ᾽ αὐτοῦ δύο.

ANGARIAVERIT. Angari Persis dicebantur, quos hodie Postas vocamus: sed hoc interest, quòd hodie certis spatiis collocati sunt, qui principum stipendiis aluntur, vt equos habeant ad cursum paratos. Persarum verò cursoribus, sicut etiam hodie Turcarum, fas erat cuiusvis equos, vel naues, aut ipsos etiam homines, rapere ad cursum, id quod ab ipso cursorum nomine ἀγγαρεύειν angariare nomen accepit. Vnde factum est deinde, vt angariare, pro cogere ad currendum, vel ad ferendum aliquid, generaliter acceptum sit, sicut infrà cap. 27. v. 32. Cyrenæus ille angariatus dicitur ad baiulandum crucem. vide Lud. Cælium lib. 18. lect. antiq. cap. 8. Proponitur ergo à Christo seruitutis genus penè intolerabile, sub quo tyrannicas omnes adactiones comprehende. MILLE PASSVS. μίλιον ἓν miliare vnum. Atque hîc rursus Græcus vsurpauit latinam vocem corruptam, quum Græci potiùs stadiis soleant metiri locorum interualla.
ALIA. id in Græcis & Syricis libris non exstat, ita vt intelligendum veniat, quemadmodum in superioribus sententiis, duplum concedendum simplum extorquenti. Atqui additum illud à vetere Interprete tollendæ ambiguitatis gratia, non ita vrgendum est, ac si plus hac sententia quàm superioribus præcipiatur: nec enim ita præceptum est vt alteram admittas alapam alteramque dimittas vestem, vt non & tertiam & quartam admittas alapam, dimittasque vestem, potiùs quàm malo resistas: neque vt ita alterum miliare feras, iuxta græca, vt non etiam & tertium & quartum, potiùs quàm te vindices: immo, repetitas, quascumque, & quoquo numero, tolerare iniurias iuberis, patientia constanti. DVO milia passuum, duo miliaria, bis mille passus, potiùs quàm tyrannidi resistas, potiùs quàm laboris coactionisque impatiens iniuriam referas. Vsque adeò enim vult Saluator nos abesse à cupiditate vindictæ, itaque animis comparatos, vt vl-

vt vltrò parati simus iteratas iniurias tolerare, potiùs quàm de vna aliqua nos vindicemus; Hac causa, ne pari malitia nos numero addamus malorum; quin potius, inimicis patientia euictis, numerus crescat bonorum. Hoc illud est quod B. Augustinus compluribus docet locis, præcepta ista, magis ad præparationem cordis quæ intus est, quàm ad opus quod in aperto fit, pertinere. epistola quinta ad Marcellinum, libri de mendacio capite 15. libro in hunc Domini sermonem priore, l. 22. contra Faustum cap. 76.

τῷ αἰτοῦντί σε, δίδου· καὶ τὸν θέλοντα 42 ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι, μὴ ἀποστραφῇς.

Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne auertaris. Lu.6.v.30.

QVI PETIT A TE. τῷ αἰτοῦντί σε petenti te, hoc est, abs te latinè. qui tuam implorat opem quacumque in re, quisquis sit, citra delectum, siue amicus, siue inimicus, siue referre gratiam possit, siue non possit, modò tua indigeat ope. DA EI. subueni illi, pro modo facultatis tuæ. Vult Christus, vt erga quosuis benefici ac liberales simus, gaudeamus omnibus benefacere, benè de omnibus mereri, proximorum nobis beneuolentiam officiis conciliare, nec sit quidquam nobis fraterna charitate prius, præ qua, & opes, & operam, quantumuis molestam, nihili faciamus. Porrò, quando, pro fratrum necessitate, præcepti hæc habeant vim; quando, pro fratrum vtilitate, consilij; denique quando nec locum quidem habeant, vna virtutum magistra prudentia discernit. VOLENTI MVTVARI A TE. petenti mutuum à te, fortassis etiam præ verecundia petere non satis audenti. AVERTARIS. passiuè vsus est Interpres, idcirco datiuum adiunxit *volenti* pro à volente, *ne auertaris*, ne te auertas. μὴ ἀποστραφῇς *ne auersatus fueris*, rectè B. Augustinus. Vult, vt, quoad eius à nobis fieri potest, fratrum supplicum inopiæ succurramus, siue dono siue mutuò datis nostris rebus; idque hilari ac benigno vultu: minimè verò eis negemus, asperi, tetrici, aut difficiles, id quo indigent: sed, si quidem in nostra id haud situm sit facultate, saltem animi erga eos beneuolentiam suauemque affectionem testemur.

ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη, ἀγαπήσεις τὸν 43 πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου.

Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

AVDISTIS. Mandatum à primo & summo proximum (Matth. 22. v. 38. 39.) quod vniuersa secundæ tabulæ præcepta de quibus ferè hactenus, summatim complectitur (Rom. 13 v. 9.) postremo loco à Saluatore expositum, & germano sensui restitutum. QVIA DICTVM EST. Non ait *dictum est*, sed, audistis quòd dictum sit; ita docti estis à Scribis vestris, antiquis dictum esse; quemadmodum superiùs. DILIGES. ἀγαπήσεις. futurum imperatiui loco. PROXIMVM. τὸν πλησίον, ad verbum, eum qui propè, propinquum. Prior ista præcepti quod hîc refertur pars, disertè est in lege, Leuit. 19. v. 18: *amicum* enim dixit, pro *proximum*, latina versio. ODIO HABEBIS. μισήσεις, vti mox, oderis. INIMICVM. vt qui proximus non sit. Posterior ista aduersatiua pars, nusquam in lege extat: verùm à Scribis ex priori, per eam argumentandi rationem quam Aristoteles vocet *in ipso*, collecta & populo tradita fuit, perperàm intelligentibus proximi siue socij nomine, quod est hebraicè רעה *rehe*, amicum duntaxat hîc significatum, cùm quiuis alter homo significatus sit (vide infrà 22. v. 39.) ac proinde etiam quiuis inimicus, isque tam alienigena quàm indigena. nam alienigenas maximè, hoc est, ethnicos, arbitrabantur odio habendos.

ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς· 44

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: Lu.6.v.27. 28.35.

DILIGITE INIMICOS VESTROS. Proximorum loco, ait, etiam inimici habendi sunt, ac proinde etiam diligendi, & nec inimicorum loco habendi: id quod lex quoque & prophetæ compluribus locis disertè docent. Leuit. 19. v. 17. 18. Exo. 23. v. 4. 5. 1. Reg. 24. v. 5. 26. v. 9. 4. Reg. 6. v. 21. Iob 31. v. 29. Prou. 25. v. 21. Nam quòd inimicos nostros vocant, faciunt, non ex sua sententia, sed ex accepta à vulgo sermonis consuetudine. Diligendi sunt autem, non quatenus inimicos agunt, sed quatenus homines sunt, odio quo nos prosequuntur seu malitia ipsorum non obstante, æstimati scilicet ex communi natura, non ex vitio, quod vitium ad maiorem potiùs beneuolentiæ affectum mouere nos debet, quemadmodum medici, quando calce feriuntur à phreneticis, tunc etiam magis miserentur illorum. Porrò diligere ad animum inprimis spectat: cuius quia probatio est operis exhibitio, addit BENEFACITE HIS QVI ODERVNT VOS. Atqui ne existimares Deum te posse aduersus hostes interpellare, quò vindictam ille sumat quam ipse non potes, adnectit ET ORATE Deum. nimirum, vt iis etiam donentur bonis, quæ non est facultatis vestræ dare. Si quid autem vnquam loquatur aut agat sincero animo homo, id certè est dum orationi incumbit, quando καρδιογνώστῃ Deum, solum solus alloquitur. Docemur itaque inimicos diligere, lingua, opere, & veritate: quam dilectionis formam ex magistri sententia discipulus alibi præscribit (1. Ioh. 3. v. 18.) ad linguam enim oratio, ad opus beneficentia, veritas ad animum spectat. Quartum addunt codices græci & syrici, quod & ipsum ad linguam spectet, precandum benè iis qui nobis malè (εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς benedicite iis qui imprecantur vobis) verùm illud Interpres græcè non legit, fieriq; ue possit ex Lucæ 6. v. 28. huc adiectum fuisse: vt certè illud, præter Latinos tractatores, Chrysostomus non agnouit. Hæc autem præcepta iussaque sunt prorsus, non in arbitrio relicta: & quis vnquam Catholicorum aliud docuit

docuit? nam quòd quædam dilectionis officia, extra necessitatis & scandali rationem, inimicis præstare, non præcepti sed consilij perfectionisque eximiæ esse, Scholastici doctores docent, id in amicis non minùs quàm in inimicis locum habet, cùm tamen grauior longè illius sit offensa qui amicos non diligat, quàm qui non diligat inimicos: consequiturque id ex præceptorum affirmando enunciatorum natura, quæ neminem nisi pro re nata, loco & tempore, obstringunt. Verè Caluine horribile portentum ipse adfers: & impingitis in id ipsi quod in alijs damnatis, qui Dei nobis præcepta proposita vultis, non quòd ea implere valeamus, sed vt naturæ nostræ imbecillitatem, oneri miserè succumbentes, agnoscamus. Scimus nos, maiora esse, quàm vt ea ferant naturæ vires nostræ; sed non maiora, quàm vt superet gratia, quam promittit nouæ legis auctor adiutricem viribus nostris. Porrò ad eum hæc finem à Domino præcepta sunt, ad quem ea quæ proximè antecedunt, vt nostris animis sua bona habitudo seruetur incolumis, & inimici, charitate ac beneficentia superati, nobis Deoque concilientur. PRO PERSEQVENTIBVS. pro salute eorum.

CALVMNIANTIBVS. vt vestris precibus reconcilientur Deo, condonatis veris criminibus, qui de vobis falsa deferunt ad homines. Græcè & Syriacè, hoc prius, illud posterius est. Est autem huius loco, τ̃ ἐπηρεαζόντων, quod militare propriè verbum est, ab ἐπὶ & ἄρης Marte deductum, vnde ἐπήρεια quasi ἐπάρεια Martius & hostilis insultus. Quare alij pro *calumniantibus* vertunt *infestantibus*; Syrus ܕܕܒܪܝܢ ܠܟܘܢ ܒܥܫܝܢܘܬܐ *dedoberin lechun baöstiro* qui vexant vos cum violentia: cui benè congruit id quod sequitur, *& persequuntur vos*. Subaudi autem, vexationi infestationique non resistentes, sed fuga innocuè vobis consulentes.

Lu.6.v.35. vt sitis filij patris vestri qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. 45 ὅπως γένησθε υἱοὶ τ̃ πατρὸς ὑμῶν τ̃ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτ̃ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς, καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.

VT SITIS FILII. vt non degeneres filij imitemini & operibus referatis patrem vestrum. Argumentum à relatis longè efficacissimum: quid enim ab homine optari possit diuinius atque beatius, quàm vt sit, & opere ipso esse se declaret, Dei Patris, γνήσιον filium? Porrò cùm sit Deus Pater summum bonum summéque bonus, nulla certior est germani filij nota, quàm, bonitate, charitate, ac beneficentia erga omnes, ei consimilem esse. PATRIS VESTRI. qui vos in filios adoptauit. Gaudet Iesus Deum appellare patrem suorum, quò eos eò adducat, vt Deo seruiant affectu filiorum, quorum est, solicitos esse ne quid patri in ipsis displiceat, libèns obsequi voluntati eius, delectari imitatione eius, lætari augmento honoris.

QVI IN COELIS EST. terrena enim natiuitas, qua ex carne sumus longè aliud dictante, abneganda nobis est, & cogitandum cœlestis diuinæque nos esse debere naturæ, cuius est Pater noster cælestis. QVI. *in quia*. fortè legit Interpres ὃς aut ὅστις, vti Syrus, id quod etiam meliùs videtur superioribus cohærere.

SOLEM. Nam & ipse, inquit, non modò non odit contemtores suos, verumetiam beneficiis munerat: & certè nequaquam est æquale peccatum, eius qui Deum, & eius qui te spernat, non modò propter beneficiorum cumulum quibus à Deo ille affectus est, verumetiam propter eminentiam dignitatis. SVVM. quem ipse fecit atque constituit, & à nullo aliquid sumsit vt faceret: qui propriè potest dicere sua esse omnia, quæ de nihilo creauit. *vt hinc admoneamur*, inquit Augustinus, *quanta liberalitate inimicis nostris ex præcepto eius præstare debeamus, quæ nos non creauimus, sed ex munere eius accepimus*. Rudibus autem rude exemplum dedit benignitatis cælestis Patris erga inimicos suos; eiusmodi tamen, quod, omnium temporalium illius erga homines beneficiorum, ipso operante, scaturigo est: solis enim calore ac pluuiæ irrigatione, & fœcundantur, & gignuntur, nutriuntur, augentur, ac perficiuntur omnia. ORIRI FACIT. ἀνατέλλει accipitur hoc loco, eo modo, quo Hebræis verba accipiuntur in quinta coniugatione, *hiphil* dicta: qua ipsa coniugatione Syrus hîc vertit ܡܕܢܚ *madnah* facit vt exoriatur. SVPER BONOS ET MALOS. & super bonos & super malos. Hoc ordine etiam Syri cum Latinis legunt: nam Græci præponunt malos, hoc quidem loco; quamquam mox Latinis & Syris concinant. Q. d. Æquè malis ac bonis communem facit; æquè iis à quibus non colitur, atque iis à quibus colitur; æquè iis à quibus contemnitur, atque iis à quibus diligitur. Quam Dei amplissimam beneficentiam, liberalissimam ac munificentissimam bonitatem, quidam assequi non valentes, finxerunt, alij eum necessitate agi (quasi non ipse, sed necessitas Deus esset) alij non habere prouidentiam, neque curam gerere inferiorum istorum. PLVIT. βρέχει. Syrus, ea forma coniugationis quam modò diximus, vertit, facit descendere pluuiam suam.

Lu.6.v.32. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani hoc faciunt? 46 ἐὰν γὰρ ἀγαπήσητε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, τίνα μισθὸν ἔχετε; οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι τὸ αὐτὸ ποιοῦσι;

SI ENIM. Addit alterum argumentum à comparatis. q. d. Si difficile vobis videtur Deum imitari, at præstetis oportet publicanis & ethnicis, quos ipsi execramini. EOS QVI VOS DILIGVNT. s. tantùm, quod proximo exprimitur versu. Cæteroqui enim, præmio digna esse possit, eorum à quibus diligaris dilectio; nimirum, si non ideo præcipuè diligas, quia te diligunt, sed quia Deus eos diligendos præcepit; itaque eadem ratione, & cæteros diligas, qui te ipsi non diligant. QVAM MERCEDEM HABEBITIS? ἔχετε *habetis* quod est græcè, præsens esse futuri loco positum, intellexit Interpres. Quid promeremini? quid præclari facitis ob quod merces vobis à Deo exspectanda sit? Quomodo exponi queat seruatum tempus præsens, vide infrà 6. v. 1. Exspectabant Iudæi à Deo seruatæ legis mercedem; rectè, iuxta Dei ipsius promissa. At, qui eos tantùm diligit à quibus ipse diligitur, nihil facit diuina mercede dignum,

partim,

partim, quòd mercedem recipiat quæratve ab hominibus, mutuam scilicet ab eis quos diligit dilectionem, partim quod vicariam meritamque dilectionem rependat, ingratus prorsus censendus ab omnibus ni fecerit. Itaque se ingratitudinis notam effugit, non dilectionis præmium meretur: &, si rem expendas, se diligit, non alium, in se reflectens amorem quo alium prosequitur. NONNE ET PVBLICANI. homines à promerito præmio seruatæ legis Dei, omnium iudicio, quàm alienissimi. Publicani dicti sunt à publico, quod bona publica significat, vt τελῶναι græcè à τέλος vectigal: vectigalia enim, aliosque populi Romani reditus, certo pretio redemptos, colligebant. Iudæis genus hominum erat inuidiosum, non quòd munus ipsum eorum per se damnabile esset (sicut enim non iniustè principes vectigalia indicunt, ita non iniustè ij qui principibus operam suam locant à populo ea exigunt. sed, partim quòd auari essent, rapaces, & crudeles præter modum, blattæ, tineæ, excoriatores populi, nunc fraude, nunc vi, plus etiam extorquentes, quàm à principibus præscriptum esset, modisque omnibus suum commodum procurantes ex publicis incommodis: partim, quòd Iudæi fere cùm essent, nulla religionis habita ratione, Romanis alienigenis adeò societate ingererentur, vt etiam operam suam illis locarent, idque ad fratrum tyrannicam oppressionem: qua sine non vectigalia à se exigi contendebant Iudæi, liberos se iudicantes, si sacerdotibus duntaxat decimas penderent. Has itaque ob caussas, infames habebantur publicani in tota Iudæa (vt inter Christianos fœneratores) & nec honoratorum ciuium loco, arcebanturque à magistratibus, cùm apud Romanos Equestris essent dignitatis. *Flos enim Equitum Romanorum* (ait Cicero in oratione pro Plancio) *ornamentum ciuitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur.* Romani isti, conductis à fisco vectigalibus, abibant in prouincias eas quarum vectigalia conduxerant: atque ex iis eligebant indigenas, quos eidem muneri adscriberent, vel locantes eis vlteriùs singulis vectigalium partem, vel solam eorum conducentes operam ad collectionem. Atque huiusmodi fuerunt publicani illi, quorum passim meminit Euangelium, Iudæi inquam adsciti à nobilibus Romanis, illis qui Iudææ vectigalia à fisco redemerant. Hi propriè domini seu principes publicanorum; illi socij aut famuli; omnes vulgò τελῶναι vocabantur. HOC FACIVNT? τὸ αὐτὸ ποιοῦσι idem faciunt, diligunt eos à quibus diliguntur? homines ita lucris inhiantes, vt omnem exuisse videantur humanitatem, neminemque amare nisi se, à promerito præmio seruatæ legis Dei, omnium iudicio, quàm alienissimi, hoc tamen habent vt amantes redament, siue quòd suam captent vtilitatem, siue quòd ipsa hoc extorqueat natura. Non ergo id, laude, præmio, aut mercede dignum est; neque id proinde quod lex Dei voluit.

καὶ ἐὰν ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν μόνον, τί περισσὸν ποιεῖτε; οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι οὕτω ποιοῦσιν;	47 Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid ampliùs facitis? nónne & ethnici hoc faciunt?

ET SI SALVTAVERITIS. Græca vox ἀσπάζεσθαι salutare significat osculo & complexu: id quod olim ex more fiebat inter amicos, non solùm apud Iudæos, verum etiam apud Græcos & Romanos. hoc vno autem humanitatis officio cætera comprehendit. FRATRES VESTROS. Consanguinei omnes & cognati, fratres Hebræis dicuntur: quin & consuetissimo sermone, Israelitæ omnes, fratres vocantur. Habes locum apud Apostolum ad Rom. 9. v. 3. QVID AMPLIVS FACITIS quàm cæteri, vos quos cæteris præstare oportet. si quidem vocationi vestræ satisfacere placeat, gentis sanctæ, & populi Deo peculiaris? Verti etiam rectè possit: *Quid eximium facitis?* quamquam in eundem redeat sensum.
ETHNICI. exteræ ac profanæ gentes, à Dei cultu & lege alienæ; nempe, ipsa hoc etiam dictante corrupta natura, vt comes se præbeant ac benignos, iis qui se ipsis præbent huiusmodi. Quare longè abest vt hoc voluerit præcipere Dei lex segregatis à gentibus, quod & nouerant & seruabant cum gentibus, etiam gentibus mixti. Regia Biblia cum plerisque aliis hoc etiam loco græcè habent τελῶναι *publicani*: sed, quod in Nouis obseruauimus, quidam græci libri, consentaneè latinis, Chrysostomo enarratore adstipulante, scribunt ἐθνικοὶ *Ethnici*.

ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι.	48 Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cęlestis perfectus est.

Luc. 6. v. 36.

ESTOTE. ἔσεσθε eritis. futurum imperatiui loco. ERGO. Hoc est igitur illud quod lex Dei exigit, diuina mercede dignum: *Estote* &c. VOS. non sine emphasi id additum est. *Vos* qui publicanorum ethnicorumque virtute nolitis contenti esse, quique, vt Deo dignè seruiatis, à Gentibus estis segregati. PERFECTI dilectione ac benignitate, neminem à dilectione vestra excludatis: non hunc amentis redamantem vos, aut valentem benefacere vobis, illum verò oderitis odio prosequentem vos, aut contemseritis à quo compendij nihil speretis (imperfectus enim ac mutilus amor ille sit) sed omnes amor vester complectatur, omnes diligite, tam eos qui oderunt quàm eos qui diligunt vos, tam eos à quibus vtilitatis nihil speratis quàm eos à quibus sperare possitis. SICVT ET. τὸ & græcè syriaceque non additur. Similitudo hîc significatur, non æqualitas: impossibile enim foret homini assequi perfectionem Dei, sed conandum est semper vt proficiamus. PATER VESTER. qui vos à Gentibus segregauit, atque in filios adoptauit, vt seruiatis ipsi ita vt ipso dignum est, tali tantoque patre, vita ac moribus vestris ipsum referentes. PERFECTVS EST. omnes diligit, omnibus benefacit, in omnes diffundit bonitatem suam, ita vt etiam cum hominum malitia & ingratitudine ea certet, quamuis à nemine ipse emolumenti quidquam exspectet, & pauci vel redament beneficum.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Attendite ne iustitiam vestram [1] faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin, mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est.

Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς· εἰ δὲ μήγε, μισθὸν οὐκ ἔχετε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν τῷ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

ATTENDITE. Postquam legem Saluator impleuit atque perfecit, iis expositis quæ Scribæ ac Pharisæi non existimabant lege comprehensa: iam docet, quo modo, quoque animo, virtutum opera facienda sint, ad hoc vt Deo sint grata, & mercedis à Deo promissæ meritoria. Nec enim erant, Pharisæorum officio bona opera, Deo grata, quòd, vt est infrà 23.v.5, omnia opera sua facerent eo animo vt ab hominibus viderentur. Quæ pestis est insidiosa, φιλοδοξία, laudis amor, clàm etiam per cuniculos quosdam in hominum mentes irrepens dum virtuti incumbunt, atque ipsa opera sancta absque strepitu, maxima cum quiete, emedullans, solisq; relictis inanibus paleis, absque vllo sensu perdentis, cuncta quæ intus sunt auferens: quam, qui non tota prorsus mente vigilauerit, haud effugiet. ideirco *Attendite* ait, προσέχετε, ܐܬܒܩܘ *bcarou* animum adhibete, sedulò prouidete. *cauete* legit Augustinus. IVSTITIAM VESTRAM. opera vestra bona, vide suprà 5.v.6 & 10. Græcè est τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν eleemosynam, misericordiam vestram: quo modo vocant sacri scriptores, quicquid officij præstatur egentibus. Syriacè est ܙܕܩܬܗܘܢ *zedketho*, id quod ad eleemosynam & iustitiam ambiguum est: nam & Hebraico, Chaldaico, atque Arabico sermone, idem verbum צדקה *Sedaka*, quod iustitiam in genere significat, vsurpatur etiam propriè pro beneficentia, quam Græci ἐλεημοσύνην dicunt. Quare liceat hîc, iustitiæ nomine, eleemosynam significatam accipere; atque intelligere, cum B. Chrysostomo eiusque schola, Saluatorem mox ab eleemosyna exorsum esse. Atqui, congruentiùs fortè, cum B. Augustino, iustitiam in genere accipiamus, ita vt, præmissa sententia generali, descendat Saluator, docendi gratia, ad particularia iustitiæ opera, eleemosynam, orationem, & ieiunium: quæ tria ferè præcipua sunt externorũ virtutis operum (docet Augustinus libri de perfectione iustitiæ ratioc. 17.) quæ, facilè adnascens inanis gloria, interimit, non aliter, quàm pulcherrimam Ionæ hederam, vermis (Ionæ 4. v. 7.) eleemosyna, eorum quæ proximum; oratio, eorum quæ Deum; ieiunium, eorum quæ nosmetipsos tangunt. VT VIDEAMINI. πρὸς τὸ θεαθῆναι ad hoc vt spectemini. plus est enim θεᾶσθαι quàm videri, & Coniunctio *vt*, non sequelam significat, sed finem. Neque enim vetat conspici rectè facta, qui suprà 5.v.16. dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*: sed non vult, hoc animo, hoc fine, coram hominibus fieri, vt spectemur ipsi, vt laudemur, vt admirationi simus, atque ea in inani gloria quiescamus, fructum ac finem nostri operis collocemus, nosque ipsos oblectemus. nam & qui spectari ac laudari velit, vt, spectato ac laudato in se Deo, ad virtutis imitationem spectatores laudatoresque prouocentur, rectè agat, quamquam non absque periculo, pro ea qua est homo infirmitate. Itaque, semper benefaciendum, siue videant homines, siue non videant: sed cauendum, ne ideo malimus apud homines facere quàm soli, vt ab illis conspecti laudem & gloriam venemur humanam. Dei enim, patris nostri, nobis studendum est laudi & gloriæ, non nostræ: parum enim aut nihil in nobis est quod laude sit dignum: Deus autem absolutus est omni eo quod laudem mereri possit. Quod si autem quid in nobis sit laude dignum, ex Deo illud est, non ex ipsis nobis, etiam ipsa nostra laudabilia opera. Adhæc, seruorum est, non sui, sed domini honoris studiosos esse: Deus autem & noster & omnium Dominus est. Denique, Deo seruiamus oportet, summo bono, eique nostro: illi autem non aliud æquè seruitium præstari à nobis potest, atque vt honori, laudi, & gloriæ eius promouendæ, operam demus. Non quòd quidquam ipsi nostra laude accrescat, qui omni nostra maior est laude: sed quòd ipsa nostrarum partium constituta ratio id exigat, vt in illius summi boni, ex quo, per quod, & ad quod, nos & omnia, quod laude dignum laudari numquam satis potest, toti perpetuò laude & honore versemur, omnia eò nostra constanter referentes. ALIOQVIN. Quem iustitiæ amor non tenet, damni timore refrænat. MERCEDEM iustitiæ vestræ. Merces præmium est operi debitum ex eius qui requisiuit opus promissione: ac potest promissio esse gratuita, nimirum, quòd ius ille habeat præcipiendi etiam nullo proposito præmio, aut, qua est liberalitate, promittat amplius quàm quo ex natura sua opus sit dignum: at præmium ipsum, vbi promissum est, nisi origine, gratuitum non est, sed debitum ei qui opus præstitit. Porrò merces meritum respicit: merito enim redditur merces. Est ergo ex Saluatoris nostri doctrina, operum bonorum, videlicet rectè institutorum, vt merces, ita & meritum. vide suprà 5. v. 12. At si ad ostentationem ea facta fuerint, siue ad captandam inanem gloriam; frustrantur mercede, nullius sunt meriti, Deo non sunt grata: nec enim ita instituta sunt vt oportet, relata aliò quàm ad Dei honorem. Deo enim seruiat necesse est, qui à Deo promissam mercedem promereri desiderat. Atqui, sibi seruit non Deo, qui benè facit vt ipse honoretur. *Quid enim à Deo accipies* (inquit imperfecti operis Auctor) *qui Deo nihil dedisti?*

NON HABEBITIS. Græcè est præsens ἔχετε *habetis*: quod quidem futuri loco possit accipi, verùm intelligi potest significatum, iam nunc repositam apud Patrem, piorum operum, quæ ad illius honorem fecerimus, mercedem: vt securi certique de mercede, in ea piorum operum cultura (id quod necesse est) constantes permaneamus. APVD PATREM. Significat mercedem ex pacto diuini promissi reddendam fuisse. VESTRVM. Non graue sit filio oportet, patri cedere honorem, præsertim cùm patri delatus honor in ipsum filium resiliat. vide suprà 5. v. 45. QVI IN CÆLIS EST. Mercedem designat solidam, cælestem, æternam.

ὅταν

ὅταν οὖν ποιῇς ἐλεημοσύνην, μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σου, ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν, ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις, ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.

[2] Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt, in Synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

ELEEMOSYNAM. Vox græca eleemosyna misericordiam propriè notat, à nomine ἐλεήμων misericors deducta: estque benefacto declarata clementis ac misericordis affectionis benignitas: metonymicῶς autem pro ipso beneficio in egentem collato accipitur plerumque. Facit igitur seu dat eleemosynam, qui benefaciendo & tribuendo aliquid egenti, affici se misericordia illius ostendit. NOLI TVBA CANERE. μὴ σαλπίσῃς ne tuba cecineris, ne buccinaueris, aut, accepto verbo tamquam in quinta coniugatione hebræorum, ne buccinandum curaueris. Syrus [Syriac] *la tecre carno* ne clamaueris cornu. Videntur illi, dum eleemosynas distribuerent, celeberrima quæque ciuitatis loca, tubicine comite, adisse atque illic clangorem proclamari iussisse, eo quidem prætextu, vt euocarentur vndequaque pauperes, neque egenus quisquam beneficio excluderetur, reuera autem, vt multos suæ beneficentiæ spectatores conuocarent.
ANTE TE. ἔμπροσθέν σου coram te, erant igitur ipsi præsentes. HYPOCRITÆ. ὑποκριταί, id est, simulatores: sed græcum vocabulum Theologi retinuerunt, quod propriè histrionem significat, qui ficta persona fabulam agit apud populum, quem eundem actorem dicimus. In Scripturis autem, Euangelicis maximè, sanctitatis præsertim simulatores hoc nomine denotantur, siue quod, quisquis quouis modo simulat, hypocrita vocari possit, siue quòd histrionibus sint isti persimiles. Quemadmodum enim histriones è proscenio saltantes fabulam, non proprias sed alienas, sustinent, fingunt, referuntque personas, itaque illas ad amussim exprimere conantur, vt, si fieri possit, ipsi eæ personæ habeantur, idque ob aliud nihil quàm vt popularem captent applausum. ita sanctitatis simulatores, ipsi nec sancti nec iusti, sanctorum iustorumque personas agunt, opera illorum propria exhibentes, ob aliud nihil quàm vt sanctitatis sibi opinionem concilient, seseque hominibus commendent. Sic enim isti, de quibus hic est sermo, agebant id quod misericordium ac beneficorum est proque huiusmodi se venditabant, & huiusmodi haberi gaudebant, cùm non misericordes neque benefici essent, sed vanæ laudis inanisque gloriæ venatores. Ac bellè congruunt histrionicæ actioni, loca celebria, tubarum clangor, &, quod modo diximus, πρὸς τὸ θεαθῆναι vt spectentur id quod actorum est, vnde & theatrum nomen accepit. Et, quemadmodum solent aliquando insignes mimi, actione exteriori etiam vincere illos, qui eas partes ex animo aut ex officio tuentur; ita & isti nonnumquam pietatis simulatores, spectabiles se magis hominibus reddere, quàm ij qui ex animo eadem agunt. Syrus vocat [Syriac] *noseb bappe* acceptorem vultuum, ita vt acceptorem personarum, fortè quòd hominum vultibus sit contentus, nempe, si hominibus iustus esse videatur, atque vt huiusmodi ab eis habeatur & prædicetur, cæteroqui nihili pendens qualis ipse reuera sit. SYNAGOGIS. συναγωγαῖς. Quidam malunt in conuenticulis seu conciliabulis vertere, eaque intelligere, quæ, in foro in plateis, in triuiis fiunt. Atqui non necesse est intelligatur (si illud fortè hos mouit) intra ipsas sacras synagogas ad eleemosynam tubis conuocatum esse: solent enim ante ædes huiusmodi publicas, tam sacras quàm prophanas, ferè amplæ areæ esse, quæ & ipsæ ad eas pertineant, quò conueniat populus, & priusquam ædes ipsas ingrediendi sit hora, & postquam fuerit egressus. VICIS. ῥύμαις. Vicos intellige, non eos qui opponuntur oppidis, sed eos in quos vrbs oppidumve diuiditur. Quidam malunt *platear* reddere, tum ad vitandam amphibologiam, tum quia non quoslibet vicos, sed plateas & fora, verisimile est istos quæsiuisse: quæ potissimùm significatio videtur conuenire vocabulo ῥύμη, cùm deducatur à ῥύω, quod est, fluo, influo, irruo, vt eum in vrbe locum significet, in quem omnes certatim confluunt. HONORIFICENTVR. δοξασθῶσιν glorificentur; quidam, existimentur: δόξα enim, & opinionem significat siue existimationem, & gloriam. vt concilient sibi opinionem beneficentiæ liberalitatisque erga egenos, ac proinde laudentur, celebrentur, atque honorentur ab hominibus. AMEN DICO VOBIS. hoc certum habetote. RECEPERVNT. ἀπέχουσι recipiunt, referunt, ἀπέχουσι. ἀπέχω abstinere significat: hîc autem idem valet quod ἀπολαμβάνειν, id est, ex te aliqua percipere. MERCEDEM SVAM. Non est quòd exspectent mercedem misericordiæ studiosis à Deo promissam: accipiunt reportantque illius loco id quod expetunt, laudem & honorem ab hominibus; scilicet, vanum & inane præmium, solidi atque æterni loco. Quid enim est gloriosa prædicatio ab hominibus profecta, nisi fugax flantis auræ rumusculus, inania aliquot breuisona verba. quæ qui datis rebus mercatur, nescio, si non stultus mercator censendus sit. Vult sua præmia iure magni fieri Deus, & cætera quæcumque præ illis despici ac ne respici quidem. Quòd si ad alia respexeris, diuinorum præmiorum, vt iniquus æstimator, iacturam facis, etiamsi fortè neque ea ad quæ respexeris consequaris, vti plurimi laudem hominum non assequuntur quam aucupantur. Debetur sanctis operibus sua ab hominibus laus, sed reddenda ea Deo est, non nobis; aut à nobis Deo transscribenda: quòd si eam nobis ipsis adscripserimus, ea ergo simus mercede contenti oportet, non est quòd aliam exspectemus à Deo. Cæterùm hoc nouerimus, daturos nos aliquando pœnas Deo, cùm stultitiæ, tum fallaciæ & iniquitatis nostræ; stultitiæ, qua humana præ diuinis præmia elegimus; fallaciæ, qua hominibus imposuimus simulata virtute; iniquitatis, qua nobis laudem Deo debitam arrogauimus.

Te

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: [3]

Σοῦ δὲ ποιοῦντος ἐλεημοσύνην, μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου·

NESCIAT. μὴ γνώτω ne sciat, ne permittas vt sciat. SINISTRA TVA. Figurata locutio est, qua iubet secretissima vt sit eleemosyna nostra, prorsusque ostentationis expers: fit enim quasi conscia eleemosynæ, manus quæ ad erogandum adhibetur: quare, si dexteram consciam fieri sufficiat (dextra enim inprimis pro decoro vtimur) non adhibeatur etiam sinistra, ait. adhæc, ostentationis quoddam genus est, vtraque manu porrigi, quod altera sola exhiberi potest. Vsque adeò ergo, inquit, absis ab ostentationis studio, istoque hypocritarum affectu, qui suas hominum conspectui eleemosynas ingerunt, vt tu, quod ad te, prorsus velis eleemosynam tuam latere, adeoque non desideres homines testes, vt, cùm vnius è membris tuis opera beneficium conferes, vel etiam proximum adhibere nolis, ne fortè, vbi opus non est, rei conscium fiat: ita vt ipse scire nolis id quod rectè facis, nec memineris diutiùs quàm dum operi incumbis, moxque tradas obliuioni dum feceris, ne vel tibi ipsi hoc nomine placeas quòd feceris. Id enim est, tamquam si altera, vbi non est opus, adhiberetur manus, si maiorem quàm par sit boni operis nostri considerationem in animum admittamus, rursus si res facta voluatur verseturque mente, &, vt fit, nobis ipsis nostrorum operum spectatoribus, versatoribus, admiratoribus, laudatoribus, oblectemur. Vsque adeò ergo vult secretam esse eleemosynam nostram, vt illam, si fieri possit, & nos ipsos celemus. Notent istud, qui, quod in pauperes insumunt, in codicem accepti & expensi referunt, atque ad calculum reducunt.

vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. [4]

ὅπως ᾖ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ, καὶ ὁ πατήρ σου, ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, αὐτὸς ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ.

IN ABSCONDITO. prorsus occulta. Non minore tu studio sic des eleemosynam tuam vt sit in abscondito, quàm hypocritæ dant vt sit in publico. Sit ergo prorsus occulta, id est, tu nolis vllo modo cognitam esse. subaudi verò, quod ad te, quod ad laudem aut gloriam quam tu consequi possis (tantummodo enim mandatum ex causa est) ita scilicet vt nihil minùs ambias, quàm conspectum laudemque hominum, aut tui etiam in teipso oblectationem. Nam, si ita, vel proximi necessitas, vel Dei gloria desideret, vt publica aut manifesta eleemosyna sit, adeò non peccas, vt etiam maius sit bonum, quod cum Dei glorificatione & fratrum ædificatione coniunctum est, caueas modò, ne occasione glorificationis Dei, glorificationis tui appetitio sese immisceat. Ergo præceptum est, modis omnibus velimus atque agamus, vt, quod ad nos, quod ad laudem aut gloriam quam nos consequi ab hominibus possimus, eleemosyna nostra occulta & secreta omnino sit ac maneat. QVI VIDET IN ABSCONDITO. cuius oculis, sole multo lucidioribus, omnia nuda sunt & aperta, etiam secretissima & abditissima quæque. Heb.4.v.13. Eccles. 23. v.28. Aptissimum adfert remedium curando ambitionis morbo, dum ad patris Dei nos intuitum reuocat, in cuius oculis versantur vniuersa quæ agimus: vt illius contenti conscientia, illi vni nostra studia probare satis habeamus. Quid enim desideret ab egenis & mendicis spectari, ad cuius spectandas virtutes rex ipse properet, qui solus coronandi tenet potestatem? Et qui sua ostentare opera cupiat, patri inprimis ostentet oporteat, qui, vt est potentissimus, ita pronissimus ad remunerandum erit: *pater* est enim, cui, si modò ipsi placere studeant filij, nihil prius est quàm filiis velle. REDDET TIBI mercedem eleemosynæ tuæ, subaudi ex superioribus: opponit enim istud τῷ *Alioquin mercedem nō habebitis*; item huic *Receperunt mercedem suam*. illi mercedem ab hominibus acceperunt, tu à Deo Patre accipies: aliud enim longè est quod Deus Pater, aliud quod homines reddere possunt: ad quod significandum, facere possit emphaticῶs acceptum pronomen αὐτὸς *ipse* græcè. Tacitè perstringit stultitiam quæ passim inter homines regnat, quòd sibi videntur operam lusisse, nisi spectata fuerit à multis testibus virtus eorum. Docet itaque non esse dispendium eleemosynam sub Dei conscientia datam, sed compendium maximum, & præclarissimam negotiationem, quæ, misericordiâ, misericordiam plurimo auctam fœnore, lucrifacit à Deo. *beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. sup. 5.v.7. Consequentur autem, reddente mercedem Deo (neque enim repugnant, idem, & ex promisso mercedem esse, & sua ex origine misericordiam) ἐν τῷ φανερῷ, id est, *in propatulo*, quod hîc addunt græci & syrici codices: Lucas cap. 14. v.14. explicat *in resurrectione iustorum*; quando, iuxta Apostolum 1. Cor. 4. v.5., *venturus Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*: quando *laus erit* solida *vnicuique à Deo*, Deo ipso benefacta manifestante, laudante, & remunerante, toto prorsus orbe præsente: ita vt qui iis hîc occultandis studuerit, Deum illîc habiturus sit eorum summa cum gratia præconem, & qui hîc gloriam ab hominibus profectà fugerit, eandem illîc longè cumulatissimam accepturus sit, toto prorsus inspectante atque admirante orbe, quì à Deo beetur & coronetur. nec enim parùm insignis est antithesis, quam explet τὸ ἐν τῷ φανερῷ, quamquam illud non in omnibus olim græcis libris lectum fuerit.

Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. [5]

καὶ ὅταν προσεύχῃ, οὐκ ἔσῃ ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ, ὅτι φιλοῦσιν ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν ἑστῶτες προσεύχεσθαι, ὅπως ἂν φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις.

ἀμὴν

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.

amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Cvm oratis, non eritis. *ὅταν προσεύχῃ, οὐκ ἔσῃ* cùm oras, non eris. Oratio, alterum est, quo maximè occupantur quos tenet vera religio: cui proinde à vana laude simile periculum est. Sicvt hypocritæ. ipso nomine, quod execrationi est omnibus, à vitij imitatione auocat. Qvi. Interpres legisse videtur *οἱ*: nos enim legimus *ὅτι quia*. Syrum ad vtrumque ambiguum est. Amant. *φιλοῦσι* rectè Interpres *amant*, significat enim morem studiosè adfectatum. In synagogis. Non loco, etiam maximè publico, orationē Dominus excludit, cùm Apostolus nos in omni velit loco orare (1. Tim. 2. v. 8.) multo minùs igitur loco ad orationem singulariter deputato, quales erant synagogæ: sed studium damnat eorum, quibus curæ erat, ad orationem locum seligere publicum & frequentem, ad hoc vt celebris fieret, diuino illoquio addictorum virtus. Angvlis platearvm. Non recessus platearum intelliguntur, aut loca abdita; sed, vbi desinunt plateæ: vbi ferè sunt triuia, quadriuia, compita, quò concurrunt homines è diuersis vijs: vbi qui consistere, multis, varijs ex plateis, conspicuus est. Crassa nimis & pudenda hypocritis, profana adeò animosque in diuersum distrahentia loca, ad orationem eligere.
Stantes. Non situs damnatur stantium (nam & publicanus stabat Luc. 18 v. 13., & *sacerdotes stabant in officiis suis, & Leuitæ in organis carminum Domini; cunctusque Israel stabat* 2. Paral. 7. v. 6 sed hoc fortassis, quòd præ alio cum situm eligerent quò pluribus essent conspicui. Orare. ita accipiendum venit, vt intelligi possis orare, nimirum, externis cum gestibus orationi congruis. Videantvr. *ὅπως ἂν φανῶσι* appareant, conspicui sint hominibvs. ܢܬܚܙܘܢ *nethchazoun* spectentur, &, quod sequi natum est imprimisque appetitur, laudentur atque honorentur ab hominibus, vt religiosis & Deo deuotis animis præditi, cuiusmodi reuera non erant. Non enim tam verè orabant, quàm videri orare cupiebant (quis eum orantem censeat, & non potiùs irridentem, qui, eo cui supplex est relicto, alio intuetur) nec tam soliciti erant vt animis essent Deo deuotis, quàm vt tales esse viderentur. *O insaniam vanitatis!* exclamat Auctor imperfecti; *esse nolunt id quod apparere desiderant*: laudari malunt quàm esse laudabiles: perinde ac si quis sanus aut diues haberi malit quàm esse. Recepervnt. Rectè Interpres omisit *ἐν*, quod græcè præmittitur. Reliqua lege supra v. 2.

Σὺ δὲ ὅταν προσεύχῃ, εἴσελθε εἰς τὸ [6] ταμιεῖόν σου, καὶ κλείσας τὴν θύραν σου, πρόσευξαι τῷ πατρί σου τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ· καὶ ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ.

Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

Oraveris. orare volueris. Cvbicvlvm. *ταμιεῖον* græcè, significat generaliter locum secretiorem in quo recondi aliquid potest, anceps ad cellam penariam, & conclaue siue cubiculum: quorum istud, huic conuenit loco. In abscondito. *τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ* qui est in abscondito. ita ferè exemplaria græca & syrica, vt intelligas, Patrem qui in cælis est, vbi hominum haud patet oculis; vel qui nusquam non adest, sed occultus. Atqui, & rei ipsi & superioribus *vt sit eleemosyna tua in abscondito*, aptiùs quadrare videtur id quod legit ac vertit vetus Interpres, omisso *τῷ* siue *qui est* ante præpositionem *in*: quo modo etiam hodie esse in quibusdam libris græcis sunt qui notent. quamquam pòst, v. 18., vbi de ieiunio tractatur, ad similem modum legat cum græcis ac syricis libris & vetus Interpres: *Ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito.* Porrò, non hic damnantur preces in publico, in locis publicis orationi dicatis, quas & ratio ipsa, & vniuersa commendat diuina scriptura: nec suadetur vt præ locis publicis secreta eligas, quamquam hoc aliquando consultum est, quò, ab auocamentis omnibus liberior animus, liberiùs diuinarum rerum contemplationi vacet, votaque ac gemitus suos coram Deo effundat. Non hic istud agitur, tantùm enim hic corrigitur inanis gloriæ cupiditas: comparatiuè Dominus loquitur; potiùs quàm videri velis orare, turbam omnem fugias; potiùs quàm tuæ erga Deum pietatis testes desideres, secessum quæras: id autem vult, vt siue solus siue apud alios preceris, hunc induas affectum, vt soli Deo placere velis ac studeas, & non magis homines tuæ religiositatis expetas spectatores, quàm si in secretissimum te conclaue abdidisses. Nihil enim minùs, vt plurimum, quàm videri vult, qui in penetralia se abdit: quamuis fieri etiam possit, quod Chrysostomus notat, vt idcirco se abdat, quò secretè oraturus intelligatur. Quare illud manifestum sit, animum hic inprimis atque intentionem à Domino formari, vt alieni sint prorsus ab appetitu laudis hominum. Qvi videt in abscondito. *Sciamus*, inquit Cyprianus sermone de oratione Dominica, *Deum vbique esse præsentem, audire omnes & videre, & maiestatis suæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, sicut scriptum est: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo? Si absconditus fuerit homo in absconditis, ego ergo non videbo eum? nonne cælum & terram ego impleo?* (Ierem. 23. v. 23. 24.) Et iterum, *In omni loco oculi Dei speculantur bonos & malos.* Prou. 15. v. 3. Reddet tibi. mercedem orationis tuæ. Oratio (dicit Augustinus circa medium epist. 105.) *est gratiæ testificatio*: id enim quod precibus petimus, testamur facto ipso non esse nobis debitum. Sed huic non repugnat, quin debitum id fieri possit postquam precati fuerimus; non ex ipsa precum natura, sed ex liberali Dei promisso *Petite & dabitur vobis* (infrà 7. v. 7.) si quidem ita petiuerimus, vt res illiusmodi quam petimus peti debet. Cæterùm, non tam rem oratione impetratam, mercedem orationis hîc intelligimus (nec sola enim petitio ad orationem spectat, verùm & contemplatio, & laus, ac gratiarum actio) quàm æternam vitam operibus sanctis, ad Dei honorem factis, ex Dei promissione reddendam: quæ significatur eo quod græci iterum codices & syrici hic addunt, *in manifesto*. atque hoc modo Caluino responsum sit, qui hoc loco, *Quum dicit*, inquit, *Christus mercedem rependi precibus nostris, satis declarat*,

clarat, quidquid mercedis passim scriptura promittit, non tamquam debitum solui, sed gratuitum esse. Longè à Caluino diuersum B. Chrysostomus hunc in locum docet: *Si ergo sic oras,* inquit, *plurimam accipies profecto mercedem. Non ait, donabit tibi: sed, reddet, inquit. debitorem tibi se quippe constituit.* Tu verò mihi hîc misericordiam Dei cum admiratione considera, qui, pro his quoque quæ à nobis rogatur bonis, mercedem se pollicetur daturum. Quis non principum huius seculi, magni beneficij loco ducit, si vel aures accommodet pauperis precibus? Reliqua lege suprà v.4.

Orantes autem nolite multum [7] loqui, sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.	προσευχόμενοι δὲ μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί. δοκοῦσι γὰρ ὅτι ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν εἰσακουσθήσονται.

ORANTES AVTEM. Alterum in oratione vitium corrigit. NOLITE MVLTVM LOQVI. μὴ βαττολογήσητε ne battologetis, ne sitis loquaces, verbosi, inaniter garruli, frustraneam mentis efferuescentiam lingua effutientes. βαττολογίαν enim mox exponit πολυλογίαν verbositatem. Vocem aiunt deductam à Batto quodam, inepto, garrulo, & verboso poëta. ETHNICI. ἐθνικοί. ܚܢܦܐ *hanphe*, gentiles, cultores dæmonum. ipso nomine ethnicorum, quos detestantur omnes veræ veri Dei religioni addicti, rem esse ostendit detestabilem. Putabant ethnici, sibi, res suas Deo enarrandas esse: existimabant eleganti eum dictione persuadendum esse: denique arbitrabantur, gratam ei esse precum sine mente murmuratarum multitudinem, fanaticè nonnumquam multa quasi diuino quodam perciti spiritu iactantes. IN MVLTILOQVIO SVO. ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν illa sua verbositate, loquacitate, futili verborum profusione. EXAVDIANTVR. εἰσακουσθήσονται exaudientur. vt qui Deum rei totius fecerint certiorem, allatisque in medium argumentis & causis, in suam adduxerint sententiam, aut recitatarum sine mente precum prolixitate, exaudiri meruerint.

Nolite ergo assimilari eis: scit [8] enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.	μὴ οὖν ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς· οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὧν χρείαν ἔχετε, πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν.

NOLITE ERGO. μὴ οὖν ne ergo assimilemini eis. SCIT ENIM PATER. Non opus habet te expositore rerum tuarum: rogator sis oportet, non narrator. *Domino enim Deo, etiam antequam crearentur, omnia sunt agnita,* Sapiens ait Ecclesi.23.v.29: *nouitque,* iuxta Susannæ verbum, *omnia antequam fiant.* Dan.13.v.42. *Scit* itaque, ideo paucis opus est verbis. Hoc ethnicorum erat vitium, hæc verbositas quam vult à nobis procul abesse Saluator, quòd existimarent sibi res suas Deo, non aliter atque homini principi, quem exoratum aliquid velint, exponendas declarandasque esse, vt earum ignaro, aut certè cui eæ perspectæ satis non essent. Huius qui sententiæ est, verbosus est & inaniter garrulus, paucissima licet eam in rem verba expromat. Alij, non illius quidem sententiæ sunt, sed non secus ac si essent, ita preces instruunt suas, verbis multis & superuacaneis: & sunt eiusdem vitij rei. Nam si vitio datur multis verbis videri velle docere hominem scientem; quanto magis omniscium Deum? At ne dicat ethnicus, multis sibi verbis vtendum, rhetoricéque Deum alloquendum, quò verborum copia flectatur, quò id quod scit persuadeatur vt velit: *Pater* est, inquit. patri non potest non procliue esse filiorum indigentiæ quam nouerit succurrere. *Deus,* ait Cyprianus, *non vocis, sed cordis auditor est:* non verba orantis obseruat, sed animum; non vocem, sed affectum; non recitatarum precum prolixitatem, sed vigilantis animi desiderium, feruorem, constantiam. Non nisi pro animi atque adfectus ratione grata ei sunt verba: quare nec vllis in oratione opus est verbis illius causa; dumtaxat propter nosipsos, vt animus, torpidus frequenter, in Deum & diuinas res suscitetur, aut suscitatus augeatur, contineaturque ne diffluat: id quod ferè necessarium est plerisque, dum nesciunt contentæ incumbere orationi, fixoque spiritu inhærere diuinis, nisi vocis, eorumque quæ voce legunt sacrorum, adminiculo adiuti; siue quòd non suggerat ei congrua spiritus, siue quòd facilè aliò dilabatur. Quare rectè Ecclesia, longas preces, quas horarias vocamus, voce recitandas iis præscripsit, quorum est contemplandis rebus sacris perpetuò addictos esse: quæ ad battologiam referendæ neutiquam veniunt. Non enim, aut longæ preces damnantur, cùm perpetuæ imperentur, aut verborum inter orandum numerus præscribitur: sed inanis & superuacua coarguitur garrulitas mentisque efferuescentia, quæ quasi docere Deum aut monere velit, aut verborum lenocinio multitudinéve flectere. Oratio numeris omnibus absoluta, quinque partibus constat, præparatione, lectione, meditatione, laude gratiarumque actione, & petitione: quare facilè longa esse potest & complura complecti verba, tametsi prolixa non sit aut πολυλογος. QVID OPVS SIT VOBIS. ὧν χρείαν ἔχετε quibus rebus opus habeatis. ANTEQVAM PETATIS EVM, seu ab eo. antequam explicetis ei, immò antequam ipsi sciatis. Rogandus est tamen, siue animo solo, siue animo simul & verbis, *sed ita* (quemadmodum Hieronymus ait) *vt rogatorem te memineris, non narratorem:* pleraque enim dona sua non nisi rogatus dare decreuit. Sic enim vult vt nos ipsi humiliemus, indigentiam nostram agnoscamus, ipsum bonorum omnium largitorem recognoscamus, denique beneficia ipsius promereamur, & ad accipiendum fiamus idonei. *Ipsa namque orationis intentio,* inquit Augustinus, *cor nostrum serenat & purgat, & ad excipienda diuina munera capacius efficit: exercet desiderium nostrum, quo possimus capere id quod Deus præparat dare. Illud enim valde magnum est, sed nos ad accipiendum parui & angusti sumus: tanto autem illud sumemus capacius, quanto id, & fidelius credimus, & speramus firmius, & desideramus ardentius.* verba sunt B. Augustini epist. 121. c.8.

οὕτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς· πά-9 τερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου.	Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.

Luc. 11. v. 2.

VOS ORABITIS. προσεύχεσθε ὑμεῖς orate vos: quomodo & Augustinus legit. Maior est emphasis postpositi pronominis, quò nos ab ethnicis distinguat. Quòd si, ait, velitis, Deo gratæ, à multiloquio alienæ, & ad petenda quæcumque rectè peti queant sufficientis orationis formam; accipite. Multum sanè in eo situm est, vt sciamus, quomodo, & quæ, nos precari conueniat. Cæterùm non præcipit hac sola semper oratione vti, sed orandi dat formulam, ad quam alias efformare orantis spiritus possit. Neque vetat huius excedere breuitatem: sed quidquid tandem orare Deum desideres, pluribus haud opus esse docet verbis; non quòd vel his opus sit Dei causa, sed quòd aliquibus aliquando opus sit nostra causa, vel ideò, vt & os nostrum Deum oret, omnis boni nostri auctorem, seruiatque Deo portio vtraque qua Dei munere constamus. Cæterùm, etsi aliis & pluribus verbis vt interorandum liceat, aliud tamen nihil orare licet (lege Augustinum ep. 121. c. 12.) quidquid enim rectè à Deo peti potest, hæc vna à Christo docta oratio continet, atque eo ordine continet, quo ea conuenit peti: quocirca vt verborum breuitate, ita & rerum plenitudine atque ordine, omnibus præferenda est, quam Tertullianus vocat *Euangelij breuiarium*, libri de oratione capite primo. Cùm verò ab ipso Deo Saluatore nostro profecta sit, quæ possit eâ Deo esse acceptior? quæ efficacior esse possit? quæ nobis debeat esse charior & familiarior? O admiratione omni superiorem συγκατάβασιν Dei: Ne ignorares fortasse quomodo tibi alloquendus sit Deus, Deus ipse in os tibi dat verba. Et ne dubitares quin vltro paratus sit ad exaudienda vota tua, ipse tibi orandi suggerit modum, qui exauditione sit dignus. Denique, ne quererteris, dum orationis forma præscripta est, ademtam tibi ea quæ desideres petendi libertatem; quidquid rectè desideres, id omne complexus est. complexus est autem oratione, tantum tibi tribuente honorem, in tantam te erigente fiduciam, tantam spirante dulcedinem, quantam non os exprimere possit, optandum vt adsequi orantis mens. *Oremus itaque fratres dilecti sumi* (Cyprianus inquit scribens in orat. Dominicam) *sicut magister Deus docuit. Amica & familiaris oratio est, Deum de suo rogare: ab ore nostro ad aures eius ascendere Christi orationem. Agnoscit Pater Filij sui verba, cum precem facimus* (&c. *& si, quodcumque petierimus ab eo in nomine Christi, dabit nobis* (Ioh. 16 v. 23.) *quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius Christi oratione?* PATER. Hoc proœmium orationis Dominicæ est *Pater noster qui es in cælis*: quo beneuolentiam nobis conciliamus, eius quem oramus, Dei, eximiam ipsius bonitatem, immensamque potentiam, laudantes & prædicantes. Potentia illis verbis declaratur *qui es in cælis*; bonitas istis *Pater noster*: quæ duo maximè nobis consideranda sunt quoties ad precandum accingimur, cùm vt nobis accessus ad Deum pateat, tum vt plena solidaque fiducia in eum recumbamus. His enim duobus fiducia nostra nititur, bonitate & potentia Dei, non altero solo, siue hoc siue illo. Quid enim nobis conferret Dei bonitas, si deesset ei potentia? aut quid prodesset potentia, si bonitas deesset? Nullum porrò elogium quo Dei bonitas commendetur, ita conuenit oraturis, vt elogium Patris: *quamquam hoc nominis nemo nostrùm in oratione auderet attingere* (Cyprianus ait) *nisi dignationis eius & bonitatis vbertas id permisisset.* Hoc enim elogium, vt omnia complectitur Dei erga nos beneficia, creationem, conseruationem, redemtionem, peccatorum veniam, pœnarum interitum, iustificationem, sanctificationem, filiorum adoptionem, hereditatem Dei, fraternitatem cum Vnigenito copulatam, sancti Spiritus dona largissima, denique glorificationem vitę æternùm beatæ: verè enim hæc patris sunt beneficia, immo multò plus quàm patris: nam, cùm Dei erga nos charitas beneficentiaque, in immensum excedat cuiusvis patris erga filium, idcirco duntaxat patris nomen in vsu est, cùm de Dei in nos bonitate est sermo, quòd aliud non sit apud homines quo maior veriorque exprimi charitas queat) ac proinde oraturi animus vt amore Dei flagret valet efficere (& quid sit bonis filiis charius patre?) ita & maximam addit impetrandi fiduciam (quid enim neget filiis iusta petentibus pater?) & insigni cura animum afficit, ne qui Deo dicit *Pater*, eo patre inueniatur indignus, quin potiùs par gratiæ præstet & studium. Iudæus, vt sub lege seruus, doctus erat Deum in oratione Dominum appellare: Christianus spiritu adoptionis donatus, clamat Abba Pater. Gal. 4. v. 6. *Meminisse itaque*, ait Cyprianus, *& scire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quasi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & ille de nobis* filiis. Alloquimur porrò Patrem Saluatoris nostri Iesu Christi: quem consueuit ille & suum & nostrum patrem vocare, ad eumque referre omnia: sed oramus nihilominus & Saluatorem ipsum, & Spiritum sanctum, quippe qui sciamus eos vnà facere ac donare quidquid facit ac donat Pater. Nam & sic in sacrificio, solum Patrem alloquimur, toti tamen Trinitati sacrificamus: tres enim personæ, sunt vnus Pater noster, vnus exauditor, vnus gratiarum largitor. NOSTER. Superiori Patris epitheto, declarata Dei erga nos bonitate, ad amandum Deum nos Christus prouocauit: proximo isto multitudinis pronomine, amoris admonet erga proximos. Non enim idcirco vti debuit pronomine multitudinis, quòd multos inibi congregatos orare doceret (nam docet vt singulos apud se orare conueniat) sed, quod obseruarunt maiores nostri, ideò vsus est, vt nos pro nobis mutuò orare doceret, vt mutuæ nos commonefaceret charitatis. Charitas enim est, quæ orationem Deo commendat. *Ante omnia*, inquit Cyprianus, *pacis doctor atque vnitatis magister, singillatim noluit & priuatim precem fieri, vt quis cùm precatur pro se tantùm precetur* (&c.) *Publica est nobis & communis oratio* (&c.) *Sic orare vnum pro omnibus voluit, quomodo in vno omnes ipse portauit.* Auctor operis in Matthæum imperfecti: *Noster dixit, non meus: libenter audit Deus, quando Christianus, non solum pro se, sed pro altero orat. Pro se enim orare natura est, pro altero autem gratiæ: pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.* Ambrosius libri 1. de Cain & Abel capite 9: *Orandum*, ait, *præcipuè & pro populo docetis, hoc est, pro toto corpore, pro membris omnibus matris tuæ: in quo mutua charitatis est insigne. Si enim pro te roges, tantummodo pro te rogabis* (&c.) *nunc autem quia singuli orant pro omnibus, etiam pro omnes orant pro singulis* (&c.) *Ita magna remuneratio est, vt orationibus singulorum acquirantur singulis totius plebis suffragia: in quo arrogantia nulla, sed*

sed humilitas maior est, & fructus vberior. Nam & pro mendico orat Rex, pro paupere locuples, pro seruo dominus, pro subdito princeps: illosque hi sibi honore æquales agnoscunt, dum fratres vocant, à Deo communi patre: *cunctis enim vnam atque eandem nobilitatem donauit Deus, cum dignatus est omnium pater vocari,* Chrysostomus ait. Quare hoc, & ad reprimendam superbiam, ac humilitatis virtutem promouendam, valet plurimùm, quòd dicere iussi sumus *Pater noster.* Nullum porrò omnino hominum, nisi æternò cum diabolo condemnatum, excludimus (Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 24.) pro omnibus hominibus oramus, quod mandat Apostolus 1. Timo. 2. v. 1., etiam pro inimicis nostris, quod iubet Christus. Quomodo enim perfecta esset oratio Dominica, si eam orantes non compleremus præceptum Domini suprà 5. v. 44. *Orate pro persequentibus vos?* Pro omnibus dico oramus (ex omni enim hominum genere colliguntur membra Christi, neque de vllo desperemus oportet dum viuit) quamquam, proüt fert siue necessitas siue opportunitas, nunc de his, nunc de illis, particulariùs cogitemus. QVI ES IN CÆLIS. Quandoquidem altera tantùm ex parte in Dei bonitate acquiescimus, quæ declarata est superiori Patris nomine: hoc iam membro commendat Christus potentiam Dei, qua perficitur basis fiduciæ nostræ (consilium enim Christi est, in ipso precandi exordio, suorum fiduciam in Dei bonitate & potentia statuere firmam solidamque. Nam quum Scriptura Deum in cœlis esse dicit, non Deum cælis circumscribit, sed omnia subesse eius imperio, mundum & quidquid in eo est manu eius contineri, virtutem eius diffundi quolibet, prouidentiáque eius cuncta ordinari, significat. *Deus noster in cælo*, ait Psalmographus, *omnia quæcumque voluit fecit.* Psal. 113. v. 11. Nam quum cælum, inter omnia corpora, speciosissimum, vastissimum, & supremum sit, ex quo pendeat inferiorum omnium vita atque existentia: qui cælos habitare, cælis præsidere dicitur, cętera omnia cælis inferiora regere in manibusque habere intelligitur. Eò porrò libentiùs hac locutione Saluator est vsus, quò orantium mentes è terra subleuaret, *cælisq;*, vt Chrysostomus loquitur, *affigeret* (quo modo necesse est affectus sit is qui orat) & insigni erga Deum reuerentia instrueret, sub cuius se conspectu stare meminerit oportet orans, dum eum, & ab ordine creaturarum eximit, & mundo excelsiorem docet. Denique, quia gratissimum est Deo, si in solo ipso spem omnem nostram collocemus; collocare autem homini agnatum est si in quo alio, in patre homine: hac parte, Deum Patrem ab homine patre distinguens, quòd terrenus hic, ille cælestis sit, docet oraturum renunciare terreno patri, eumque solum nosse qui in cælis sit, in ipsum spem omnem transferre; & quidem meritò, quum nihil ab homine patre contingere possit boni, nisi quod à Deo Patre proficiscatur. SANCTIFICETVR. Septem sunt orationis huius petitiones, iuxta B. Augustini, Enchiridij cap. 115., & plerorumque aliorum distinguendi modum: quarum quatuor primis precamur bona, tribus reliquis deprecamur mala; vtraque, suprema, media, infima, ordine. Tribus primis æterna petimus, quatuor reliquis temporaria. Tres primæ in Dei gloriam respiciunt, nostri, non prætermissa, sed posthabita ratione: cæteræ quatuor ad nostras hac in vita necessitates compositæ sunt. Nam, vt Lex Dei duabus tabulis distinguitur, quarum prior pietatis erga Deum officia continet, altera autem charitatis erga proximos: sic orando Christus, partim Dei gloriam spectare & quærere iubet, partim nostris necessitatibus consulere permittit. Est autem obseruatu dignum quì oratio ista, à fine expetendarum rerum incipiat, & desinat in initium ac rationem qua initi efficique illæ in nobis possint & conseruari. SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. Hæc prima petitio est, digna prorsus eo qui Deum patrem appellauit, quippe qui, vt ingenuus filius, pro nulla re priùs, quàm pro patris gloria, quam solam ei optare potest, supplicet: omnia verò reliqua, secundo loco ducat, infráque honorem & gloriam ipsius numeret. Sciamus ergo oportet, tunc nos demum ad ritè precandum fore comparatos, si non tantùm de nobis & nostra vtilitate erimus soliciti, sed priorem locum Dei gloriæ dabimus; neque satis nos magno diuinæ gloriæ studio flagrare, nisi nostri quodammodo obliti, illi ante omnia operam demus. est enim nimis præposterum, curare tantùm quæ nostra sunt, maiestatem autem Dei, quæ omnibus aliis curis suo merito longè præferenda est, negligere. Porrò, nomen Dei hîc intelligitur, Deus ipse vt inter homines nominatur, vt inter homines cognoscitur. Cognoscitur autem & nominatur ab operibus & virtutibus suis, nempe, potentia, sapientia, iustitia, misericordia, veritate. Hanc ergo maiestatem, his in virtutibus refulgentem, huiusmodi operibus nobilem, sanctificari petimus: Non ipsam in se sanctam fieri, cuius absolutissimę sanctitati nihil aut accedere aut decedere potest: verùm vt ab omnibus sancta habeatur, sancta prædicetur, & sanctè colatur, id est, ab omnibus agnoscatur, ab omnibus laudetur, magnificetur, celebretur, glorificetur, omnisque ei honor habeatur. Porrò hoc fit, si, qui à Dei cognitione & cultu, à vera fide & religione, alieni sunt, Iudæi & Gentiles conuertantur, hæretici reuertantur: si fideles, qui populus sunt Dei, vitam ducant integram & inculpatam: si bonis operibus luceant & virtutibus proficiant: si studiosi sint laudis & gloriæ Dei, sua omnia eò instituentes, bona omnia ipsi adscribentes: si ei vt veraci credant, in eo vt potenti & largo sperent, vt iustum timeant, vt bonum diligant: si recta & sancta habeant ac censeant omnia opera eius: si lingua maiestatem eius prædicent, & corde pio venerentur; numquam de ipso loquantur aut cogitent sine summa veneratione, offensionisque timore; denique, nihil habeant eo sanctius, augustius, magisq; colendum & obseruandum. His ferè modis sanctificari contingit nomen Dei, cùm ab illis quorum hæc sunt, tum ab aliis qui hæc in illis obseruant, probant, laudant, imitantur. De illo, Isaias octauo capite v. 13: *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester & ipse terror vester*; & Petrus prioris epistolæ tertio capite, v. 15, Isaiam imitatus: *Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* De hoc, suprà 5. v. 16. Saluator: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*; & Apostolus Petrus prioris epistolæ secundo capite v. 12: *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt (&c.) ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Cæterùm, his modis sanctificant homines nomen Dei: sanctificat autem & Deus ipse nomen suum, iuxta quod loquuntur complura Scripturæ loca, Leuit. 10. v. 3., Isa. 5. v. 16., Ezechiel. 20. v. 41. 42. & 28. v. 23., nimirùm, cùm, nouis magnisque operibus, declarat hominibus, facitque vt agnoscant, misericordiam, iustitiam, sanctitatem, maiestatem ipsius. id quod etiam hac petitione intelligendum est comprehensum: idcirco fortassis generaliter dictum est: *Sanctificetur nomen tuum*; vt intelligas: fac vt sanctificetur modis omnibus. Huic sanctificationi nominis Dei, opponitur eiusdem nominis pollutio siue profanatio, quum scilicet detrahitur siue maiestati siue operibus eius, vel minùs reuerenter & honorificè

norificè quàm merentur ea homines suspiciunt. id quod frequenter scriptura tribuit vitæ non bonæ eorum qui se profitentur populum Dei. Isaiæ 52. v. 5. Ezech. 36. v. 20: *Et ingressi sunt ad gentes ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, de terra eius egressi sunt*, & cætera plura illic hanc in rem. item 43. v. 7. 8. denique Rom. 2. v. 23. Deus ipse quoque aliquando dicitur polluere nomen suum, nimirum, cùm pollui ab improbis sinit, neque se ipse declarat. locum habes Ezech. 39. v. 7. Hæc à contrario deprecamur, cùm dicimus *Sanctificetur nomen tuum*. Fit itaque manifestum, prima hac petitione, respicere nos quidem ante omnia in Dei gloriam; cæterùm ex consequenti & pro nobis ipsis ac fratribus, hominibus omnibus, orare, vt in nobis & per nos ea Deus operetur, per quæ nomen eius sanctificetur. sunt autem ea quæ mox exposita sunt, cumprimis nobis necessaria & salutaria: quæ, quia ex nobis ipsis non valemus, sed ex Dei gratia; ideirco, vt Deus ea in nobis operetur, rogamus. Ergo, summa huius petitionis est, vt Dei gloria in mundo reluceat, qualisque est inter homines noscatur & celebretur, atque ita vt meretur colatur & honoretur. Obseruandum est autem gratiarum actionem hìc contineri. Nam quum Dei nomen vbique & semper sanctificari desideremus, omnium illi bonorum laudem tribui cupimus: itaque omnia illi accepta ferendo, quibus sanctus habeatur, eius erga nos beneficia grati agnoscimus. Porrò, non hac cum vita desinet sanctificatio nominis Dei, neque intra huius vitæ terminos sese continet prima ista Dominicæ orationis petitio: sanctificabitur ab electis nomen Dei in altera vita, tanto integriùs, quanto ab iniquitate & corruptione alieniores erunt: facilè enim dabunt gloriam ex omnibus Deo, quibus non erit ab iniquitate periculum vt sibi aliquid adscribant; immo verò, tum demum sanctificabunt nomen Dei ita vt dignum est, quando non sanctificabunt nomen Dei auditum & creditum, sed Deum ipsum visum: quando non celebrabunt maiestatem Dei in operibus suis & virtutibus refulgentem, sed ipsum in se coràm fulgentem: quando fruentur adspectu eius, videbuntque eum sicuti est, nec nominabitur eis ex eis quæ operatur & agit, sed ex eo quod est atque esse oculis cernitur. Tunc non aliquando sanctificabunt nomen Dei, sed hoc solum, perpetuum, atque æternum erit illorum opus ipsaq; eorum beatitudo, perpetuò Dei nomen sanctificare, celebrare, laudare, & clamare cum Seraphim Isa. 6. v. 3: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*: iuxta illud Psalmographi Psal. 83. v. 5: *Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te*. Qui enim vel ad momentum fruatur adspectu Dei, fieri non possit quin mox in laudem erumpat, atque extra se raptus suique prorsus oblitus in eo laudando sit totus, eiusinodi est illa suprema essentia. Iam qui perpetuò ea fruuntur, non possunt non perpetuo illius occupari laude, cuius numquam satis capit admiratio: quin demersi in illam pulchritudinis abyssum, suique obliti, in illius quasi vertuntur toti transmutanturque laudem, fiuntque nihil aliud quàm Dei mera laus. Hic finis est noster, ad quem creati & redemti sumus, *vt simus*, quomodo Apostolus loquitur Ephes. 1. v. 12., *in laudem gloriæ ipsius*: hunc flagitamus, prima hac Dominicæ orationis petitione, ad summam Dei ex nobis gloriam, & summum nostrum ex Deo bonum.

ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. γενηθήτω [10] τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.

Adueniat regnum tuum. fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Lu. 11. v. 2.

ADVENIAT REGNVM TVVM. Græcè est simplex ἐλθέτω veniat: sed idem vnus est sensus vtriusque. Secunda Dominicæ orationis petitio, qua pergit liberaliter institutus filius patri precari honorem. Porrò, est regnum Dei generale, quo dominatur Deus toti vniuerso, seruans, auferens, ordinans, gubernans, singula pro arbitrio. Hoc cùm ab initio creaturæ perduret (*Regnum tuum regnum omnium seculorum*; ait Psalmus 144. v. 13., *& dominatio tua in omni generatione & generatione*) ac proinde optari non possit vt veniat id quod præsens est, non venit hoc loco intelligendum. Est aliud Dei regnum singulare, quo ipse in seruis suis & serui eius in ipso, hìc, aduersus communes hostes, carnem, mundum & diabolum, regnant, per fidem, diuinorum mandatorum obseruationem, iustitiam, pacem, & gaudium in Spiritu sancto, quæ Apostolus Rom. 14. v. 17. vocat *regnum Dei*. Sed neque de isto regno hìc sermo est, partim quia & istud, præsens semper cùm adsit in aliquibus, non perinde conuenienter optetur aduenire; augeri potiùs & propagari; partim quia mox illud petitur, tertia, quinta, sexta petitionibus. Est tertium Dei regnum, quod κατ' ἀντονομασίαν id nominis habet (ad quod secundum illud ἀρραβὼν præparatorium est) pacatum prorsusque tranquillum, quo in Sanctis suis, absque alicuius hostis infestatione, Deus æternùm singulariter regnat: id quod mox à morte inchoatur in eorum spiritibus qui reatus omnis expertes decedunt, perficiendum in electis omnibus à resurrectione. Mox enim à corporis morte aufertur Sanctis illis spiritibus corruptio omnis ex humana tracta origine, augentur perfecta scientia, donantur absoluta charitate & iustitia, honorantur adspectu faciei Dei & fruitione maiestatis eius, denique vnus fiunt cum Deo spiritus, & deiformes diuiniique adeò, vt nihil in eis sit quod Dei non sit: quare verè regnat in eis Deus. Quod autem à morte animabus obtingit, id à resurrectione etiam corpora adsequentur, vt nihil in eis restet quod Dei non sit, nulla peccati labes, nulla corruptio, nullum exterminij medicamentum, sed, vnita suis iam antè beatis animabus, immortalia fiant, incorruptibilia, pura, gloriosa, & cælesti naturæ proxima. Neque eorum tantùm corpora, quorum animæ reatus omnis expertes ex vita hac mortali excesserint, sed electorum omnium & corpora & animæ eo qui descriptus est felici statu in resurrectione donabuntur. Quare tunc Deus perfectè in Sanctis suis regnabit, & singulis, & vniuersis, quando, nihil in illis existente quod illius non sit, *erit ipse omnia in omnibus*, quomodo Apostolus loquitur 1. Cor. 15. v. 28. ille enim demum verè & perfectè aliquibus regnat, qui ita eos regit, vt totos adeò possideat, vt sit ipse in eis omnia, nihil ei in eis obsistat contrarium, nihil sit quod contranitatur. Hoc illud erit regnum Israël, de quo quærebant Act. 1. v. 6. Discipuli: *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël?* & de quo Christus ipse dicit: *Cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei*. Luc. 21. v. 31. De ipso hæc Dominicæ orationis petitio intelligenda est. Itaque, dum oramus vt adueniat regnum Dei, partim petimus, vt, in animabus nostris, corpore exutis, regnet Deus: præcipuè verò per-

fectum illud Dei à resurrectione regnum, quando erit ipse omnia in nobis omnibus, desideramus. Porrò aderit illud quidem statuto die, sed, vt honoris Patris nostri studiosi, qui tum demum etiam perfectè sanctificabitur, desideramus & oramus vt citò illud ipse adducat: desiderando autem digni reddimur, qui in regni societatem à Patre assumamur, cuius ea erga nos dignatio est, vt, per preces cæteraque virtutum opera, nos sibi velit, in regno illo parando condendoque, cooperarios esse. Huic regno Dei opponitur Satanæ regnum, seu tyrannis potiùs & ἀταξία confusio: *perdix enim militat* (quod habet Ieremias cap. 17. v. 11.) *fouet quæ non peperit, facit diuitias & non in iudicio*, quosuis colligit, dissimillimos adeò aduersantesque sibi mutuò. *Ipse princeps potestatis aeris huius* (Ephes. 2. v. 2.) κοσμοκράτωρ *mundi rector tenebrarum harum* (Ephes. 6. v. 12.) denique *huius seculi Deus* (2. Cor. 4. v. 4.) *excæcat mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, operatur in filios diffidentiæ, vt ambulent in desiderijs carnis suæ, captiuos tenet eos qui pereunt ad suam voluntatem* (2. Tim. 2. v. 26.) cæterosque quos captiuos non tenet, oppugnat incessanter vt teneat, & complures quidem expugnat, alios verò plerosque omnes crebris adficit vulneribus, quippe cui confœderata sit indomita concupiscentia, domestica eius singulorum hostis. Hoc Satanæ est regnum, quod hoc in mundo maiori ex parte obtinet: hoc oramus à contrario vt destruatur, vt è medio auferatur, quando oramus *Adueniat regnum tuum*: nisi enim deturbato penitus prostratoque inimico regno, non erit Dei regnum suis omnino partibus absolutum. Id autem fiet, vbi aduenerit regnum Dei. Diabolus & angeli eius, & qui fuerint partis illius reprobi, vniuersi destituendi sunt omni principatu, potestate, & virtute (1. Cor. 15. v. 24.) neque tantùm non ampliùs Deum, vel Dei populum oppugnaturi sunt, verùm redigentur etiam in scabellum pedum Dei, agnoscentque inuiti ac genuflectent regno Dei; neque id satis, legibus regni Dei coërcebuntur, *pœnas dantes in interitu æternas à facie Domini & à gloria virtutis eius.* 2. Thess. 1. v. 9. Ita igitur oramus, vt aboleatur Satanæ regnum, & teneat solum Dei regnum Patris nostri. Dum autem hunc in modum, honori Patris nostri studemus, nobis ipsis maximè prospicimus. Nam, præterquam quòd filij paternorum bonorum sunt heredes, meritoque existimant sibi accrescere quidquid auctoritatis & dignitatis accrescit patri: Deum regnare, quod precamur, est Deum nobis seu in nobis regnare: in nobis autem regnare Deum, est, quod diximus, à Deo nos possideri, Deum esse in nobis omnia, plenos nos esse bonorum Dei, deiformes & diuinos esse totos. quo, quid optemus, aut melius, aut amplius? Huic autem coniunctum est, vt & ipsi cum Deo regnemus, dum bonorum omnium copia affluimus, animæ vires pro arbitrio regimus, corpus sola vi spiritus viuificamus, Deo (quod naturæ nostræ ratio exigit) integrè subsumus, bonos omnes amicos habemus, malos inimicos sub pedibus. Porrò, quia regnum istud Dei ac nostrum, non aderit, nisi dum venerit Dominus noster Iesus Christus, ad iudicandum viuos & mortuos, & reddendum vnicuique iuxta opera sua: ideo, dum regnum Dei aduenire oramus, oramus simul aduentum secundum Christi ad iudicium aduentum. Itaque, sicut ante Christi primum aduentum, in omnium Sanctorum votis hoc erat, vt Christus veniret in carnem, & homo factus hominum salutem operaretur: sic, postquam illam operatus ascendit in cælum, omnium vota in hoc sunt, vt ad iudicium redeat (Aug. conc. 20. in Psal. 118.) flagrantissimo desiderio *exspectantium beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi* (Rom. 8. v. 23. Tit 2. v. 13.) nimirum dum hoc orant *Adueniat regnum tuum*. omnium enim sanctorum quotidiana isthæc oratio est. Cæterùm, ne temerè optemus terribilis illius exactique iudicij diem, nobisque ipsi malum accersamus, consultò nos docet Saluator mox addere: *Fiat voluntas tua:* quò, per mandatorum Dei obseruationem digni regno Dei, ad iudicium illud subeundum parati simus, nec parati tantùm simus, sed & *fiduciam in illo habeamus.* 1. Ioh. 4. v. 17. Impij itaque, miseri, & maledicti illi sunt, ad rerum sperandarum sensum stupidi, si non etiam fide vacui, aduersarij orationis Dominicæ, qui velint præsentem hanc vitam, qualibuscumque bonis auctam, sibi esse perpetuam; parati sint Deo cælos relinquere, & quæ illic reposita creduntur bona, si paratus foret Deus in terra ipsis relinquere præsentia. FIAT VOLVNTAS TVA. Precati celerem aduentum regni Patris, ne interim dum illud Patri visum est differre, iaceat imperium & auctoritas Patris, mox addimus orantes vt fiat in terra voluntas eius, ac proinde vt regnet in terra eo quo id fert modo mortalium status, tantisper dum perfectum illud & consummatum regnum visum ei fuerit adducere; meritò ducentes nihil omittendum nobis ita vt decet tanti Patris generosos liberos eorum quæ ad Patris faciant gloriam. Cæterùm, in lucrum id nostrum cedit, si fiat voluntas eius (*nam Deo nihil prodest vt iusti simus.* Iob 22. v. 3.) quibus magna promissa sunt præmia facientibus voluntatem eius. Hoc est enim *fiat voluntas tua in terra*, faciamus omnes in terra voluntatem tuam, faciamus mortales omnes id quod tu vis. Non est autem hîc sermo de definita voluntate, ea qua prouidentiæ suæ decreto statuit Deus aliquid, aut ipse facere, aut ab aliis fieri permittere, quæ propriè voluntas dicitur: de hac enim scriptum est Psal. 134. v. 6: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra*: ea verò de qua hîc sermo est, cùm oratur vt fiat in terra sicut in cælo, intelligitur non ita fieri in terra sicut in cælo. Ergo hîc Dei voluntas intelligitur, præcepta, prohibitiones, consilia eius, quæ quia nobis voluntati ferè coniuncta sunt, nimirum, vt id fieri velimus, quod præcipimus, quod consulimus; id fieri nolimus, quod prohibemus; in Deo vt in nobis voluntatis nomen sortiuntur, tametsi non semper siue in nobis siue in Deo voluntati coniuncta sint. Itaque hîc precamur vt pareamus mortales omnes præceptis Dei, sequamur omnes iussa ac consilia eius, amplectamur id omne quod ei gratum est, denique componamur ad legem ipsius, & corpore, & spiritu. *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio nostra* (1. Thessal. 4. v. 3.) *probantium quæ sit voluntas ipsius bona, & beneplacens, & perfecta.* Rom. 12. v. 2. De voluntate illa propriè dicta, de definita Dei voluntate, hactenus hîc agitur, quatenus eâ quæ impropriè dicitur, hoc est, præceptis legeque Dei, iubemur, nostram voluntatem illi Dei definitæ subiicere, nec aduersus illam contendere aut murmurare, sed rectam in omnibus sanctamque agnoscere ac prædicare, & cum misericordia iudicium Domino cantare. Huic Dei voluntati, quæ vt fiat in terra precamur, contraria est voluntas nostra, *voluntas carnis & cogitationum*, voluntas mundi, denique voluntas diaboli. Ephes. 2. v. 3. 2. Tim. 2. v. 26. His voluntatibus à contrario abrenunciamus, & oramus vt non fiant, vtque aboleantur, quantumuis eis ex corruptione addicti simus, dum oramus *Fiat voluntas tua; tua* scilicet non nostra, non carnis, non mundi, non diaboli, sed *tua*, rectissima illa & sanctissima, explosâ ea omni quæ huic aduersatur. Porrò idcirco vt Dei faciamus voluntatem oramus, quia non est in potestate nostra vt illam faciamus, absque auxilio gratiæ Dei, quę faciat vt faciamus.

nam,

nam, *quid stultius*, inquit Augustinus libri de natura & gratia capite 18, *quàm orare vt facias, quod in potestate habeas*? Quare ille Dei spiritu plenus cap.8. v.21: *Vt sciui*, ait, *quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det (& hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum) adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis: Deus patrum meorum* &c. Cæterùm, quia ipsi facimus, licet gratia faciente vt faciamus: facere autem ex proposito ipsi non possumus id quod ignoramus: idcirco & cognitio mandatorum Dei, qualis necessaria est ad obseruationem, intelligenda est hac petitione comprehensa *Fiat voluntas tua*.

SICVT IN CÆLO. sicut fit in cælo à sanctis angelis, de quibus scriptum est Psal.102. v.20.21: *Benedicite Domino angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Porrò, sub angelis, & ij comprehenduntur, qui iam facti sunt angelorum æquales & socij, hoc est, spiritus sanctorum seculo defunctorum, quibus cùm hic nihil fuerit prius quàm vt diuinæ parerent voluntati, iam id in præmium acceperunt, vt inseparabiliter adhæreant voluntati diuinæ, iustitiæ eique omni quod Deo gratum placitumque est. Cæterùm, de angelis, qui cùm sint, quod ait Apostolus Heb.1.v.14., *administratorij spiritus* (vnde & angelorum nomen habent) accipiunt in cælo à Deo mandata quæ exsequantur, propriè oratio intelligenda videtur. ET IN TERRA. ita etiam fiat in terra à nobis. Vocat nos Saluator ad eorum exemplum, de quibus nulla est iniquitatis suspicio, cælestium; vt ne, dum, vt fit, ad mortales toti respicimus, qui frequentibus omnes delictis & imperfectionibus sunt obnoxij, illorum vitiis nostra tueamur. Ergo, docetur Christianus, vt non ei sufficiat fieri in terra voluntatem Dei, sed desideret, oret, coneturque quod ex se, ita in terra fieri, quemadmodum fit in cælo; vt, sicuti in cælo nemo est qui non obtemperet mandatis Dei, ita nemo sit qui non obtemperet in terra: & sicuti in cælo, non ex dimidio seruantur præcepta Dei, sed prorsus ex integro integrè præstantur omnia quæ Deo grata sunt, ita præstentur & in terra: denique, sicuti ex amore, sponte, purè, constanter, & perseueranter, ad Dei gloriam, Deo seruitur in cælo, ita seruiatur & in terra. *Iubet*, inquit Chrysostomus, *hic degentes conuersationem cum cæli habitatoribus habere communem, &, antequam superna illa præstetur habitatio, cælum quodam modo vult fieri è terra, aliosq; nobis angelos terram monstrare*, vt scilicet tales simus dum in ea degimus, ita omnia peragamus, quasi qui inter angelos conuersemur in cælo. Cæterùm, non æquales nos esse iubet angelis Dei, sed illis similes fieri, illos imitari: perfecta enim iustitia, cuiusmodi est angelorum, non est in corpore mortis huius, sed exspectatur in cælo, præmij nobis loco reddenda. Verùm enimverò, etsi numquam futurum sit hoc quod hìc precamur, vt angelorum instar in cælo, hìc versemur Deo morigeri mortales omnes in terra: tamen perrectè id oramus, tum quia debeat fieri, quamquam, quæ hominum est malitia, numquam futurum sit, tum quia conueniat hoc nos voto testari, nobis odio ac tristitiæ esse, quòd ea sit hominum improbitas, vt non ita se omnes gerant, quomodo pro cælestis Patris honore debent, extinctumque nos cupere id omne quod Dei voluntati aduersum cernimus. Et, si quidem, pro iudiciorum suorum æquitate, nondum Domino visum est extinguere rebellionem peruersitatemque omnem; id oramus, vt saltem minor ea sit, & pauciores occupet, inprimis verò minimè nosipsos. Obseruandum est autem, id quod hac petitione postulatur, secundùm rem idem prima comprehensum (quam ab causam fortassis hanc Lucas omisit) sed, sub propria ratione quæ diuersa est, disertiùs repetitum: cæteroqui enim & secunda primæ includatur.

τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.	11	Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Lu.11.v.3.

PANEM. Hactenus ea precati, quæ ad veram, solidam, perfectamque faciunt Patris gloriam; nunc ea humiliter petimus, quæ, pro huius vitæ miseria, nobis necessaria sunt. quæ quasi secunda est tabula formæ orandi, quam nobis Christus dictauit: sic enim initio, docendi gratia, decalogo Dominicam orationem componebamus. Cæterùm, quemadmodum, dum ea precati sumus, quæ ad Dei gloriam faciunt nostra ex consequenti petiuimus bona, in quibus sita est Dei gloria: ita, dum nostra petimus bona, in Dei gloriam, vt finem vltimum, respicimus. Numquam enim propriæ vtilitatis studio sic nos occupari fas est, quin primatum semper Dei gloria teneat. Porrò, bona nostra, in quibus sita est summa Dei gloria, summa atque æterna bona nostra sunt, Dei nomen sanctificare, Dei regno potiri, conformem esse voluntati Dei, quamquam tertium istud, vt est huius vitæ, ita est ad illa adsequenda medium bonum. Hæc itaque precati superioribus tribus petitionibus, hac iam quarta, infima bona petimus, ea, quibus ad hanc vitam temporariam transigendam, opus nobis est. *Panis* enim nomine, ea omnia comprehenduntur, quæ ad ducendam hanc temporariam vitam necessaria sunt, inprimis quidem victus, trita sermonis Hebraici synechdoche, tum verò etiam reliqua, amictus, habitatio, prospera valetudo, & cætera. Nam id oramus, vt, quam Deus nobis in mundo hoc vitam dedit, tueatur, quamdiu ipsi placet, ac foueat: & quia multis indiget subsidiis, subministret ipse quidquid necessarium esse nouit. NOSTRVM. Nostrum dicimus, non quasi noster sit proprio iure, quem scilicet Deus nobis debeat, sed quia vitæ nostræ deputatus est à Patre, eâ prouidentiâ qua omnia bonus conseruat. Simul autem ex hoc verbo colligere licet, si diuinitùs pasci cupimus, alieno esse abstinendum: se enim, nihil nisi quod suum vocare possint, appetere, testantur omnes Dei alumni, quoties hac precandi forma vtuntur. Suum autem vocare non possint, non tantùm quem sibi rapina aut furto comparent, verumetiam quem circumeundo domos & sectando mensas alienas otiosi manducent, id quod Apostolus docet 2. Thess. 3. v.11.12. 1.Tim.5.v.13. SVPERSVBSTANTIALEM. Id quod Græcè est τὸν ἐπιούσιον, reddiderat iuxta sensum vetus Interpres *quotidianum*, id est, cibarium; B.Hieronymus veteris editionis castigator, compositionis vocis rationem imitatus, transtulit *supersubstantialem*. Composita est enim vox ex ἐπὶ, quod est, super, siue ad, & οὐσία substantia siue natura (quemadmodum à περὶ & οὐσία sacri scriptores περιούσιον formauere) quasi, quæ Græcorum ferè tractatorum interpretatio est, ἐπὶ τὴν ἡμῶν οὐσίαν ἐπαρκῶν super, siue, ad substantiam nostram sufficiens, qui nostræ substantiæ, nostræ naturæ sustentandæ sufficiat, quo contenta esse possit natura atque constitutio nostra, qui naturæ satisfaciat, non voluptati, minimè scilicet aut

delica-

delicatior aut copiosior quàm necesse sit, sed frugalis, moderatus, hoc est, quotidianus: nam quod vulgatum est & vsitatum, quóque egemus quotidie, id quotidianum dicimus. Hæc Theophylacti, Euthymij. Basilij quæst. 252. inter breuiores, explicatio est; quin & Augustini epistolæ 121. cap. 11. In eundem sensum vertit Syrus ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ *lahmo desunconan* panem indigentiæ seu necessitatis nostræ. Temperantiam itaque hac parte docemur. DA. Hactenus, vbi pro Dei gloria contendit oratio, soli gè fident ùs sonuit, tertia imperatiui, *Sanctificetur, Adueniat, Fiat*; nunc, vbi rem propriè agit orantis, submissiùs secunda, *Da, Dimitte, Ne nos inducas, Libera*. Fatemur hîc omnem vitæ nostræ sustinendæ rationem, nobis, ab almo Patre Deo esse, ab illo nos pendere & gratuita ipsius beneficentia ali, sine qua nihil efficiat vniuersa nostra industria. NOBIS. Perseuerat charitas, persistitque oratio communis, & vbi pro temporariis, & vbi pro æternis, & vbi pro spiritualibus, & vbi pro corporalibus, supplicat bonis. HODIE. Hoc aduerbium, trænandæ auiditati, eximendæque anxiæ solicitudini, Saluator addit, *vt ne in longum*, ait Cyprianus, *desideria nostræ petitionis extendamus, neque vlterioris diei* (Chrysostomi sunt verba *cura nos conteriat*, iuxta id quod mox præscribit v. 34: *Nolite soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. sufficit diei malitia sua*. Docetur Christianus, diurnum dumtaxat panem petere & in diem, cibum eaque quibus ad transigendam vitam opus est, orare, nimirum, vt, quotidie ad Patrem recurrere, & ab illius benefica prouidentia pendere, discat, anxiis procul abactis curis. Quocirca manifestum fit, voluisse Saluatorem, hanc nobis orationem familiarem & quotidianam esse. Quum enim necessariis vitæ quotidie indigeamus, & numquam se vltra eum diem quo funditur oratio extendat, quotidie repetatur necesse est, si quidem à Deo pasci, Deumque sua nos gratia pascentem agnoscere, velimus. Sed quæstio occurrit, An numquam possit ad proximi diei necessitates oratio excurrere? Et quidem, vt certum est quòd sic, modò non auaro, anxio, aut iterandæ orationis fastidioso, id fiat animo: ita perspicuum est, ad quod cælestis philosophiæ culmen suos Christus adducere voluerit; scilicet, vt quibus vita semper incerta est, non ij in eo ponant curam, vt victum assequantur vita certiorem, sed, vt pendet vita è Deo, ita & victum Deo permittant, cui vt minimum est illum largiri, ita facile est ab ipso quotidie impetrare, dum quærendo regno ipsius & sectandæ iustitiæ prima opera datur. At si quis à Deo consecutus sit id quod & huic & multis ab hoc diebus sufficere possit, vt ferè nostra vincit vota Dei munificentia, quamquam sit hoc donorum ipsius minimum) quæritur, an huic orandum sit *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie?* exempli gratia, domus ei suppetunt, agri, opes, annona in annos, redditus omnis generis bonorum affatim copiosi, annui, adeoque æterni. Clarum esse arbitror quid responso opus sit. Quid enim si non seruentur ipsi à Deo quæ à Deo ipsi sunt data, sed, aut pereant, Deo manum subtrahente; aut furibus, raptoribus, tyrannis, à Deo permittantur? Et seruata, quid si vsum amittant suum excidatque quæ illis ingenita est ad alendum vis, ita vt, inter opes & ciborum apparatus, Midæ instar, fame miser pereat? Adhæc, seruatis etiam iis à Deo integris, quid si corporis ea sit constitutio, vt iis nequeat vti? Præterea, vt sit etiam corporis bona constitutio, quid si suam ipsi homines, Deo faciente, operam negent, qui ipsius ipsi seruiant bona? Vsque adeò non est diues, cui, vt pascatur & in vita sustentetur, ad quod vnum faciunt opes omnes, non multis sit opus, quæ, cùm in ipsius non sint facultate, à Deo quotidie petenda sint: ita vt meritò Saluator, ad cælestem nutritium, promiscuè omnes, & diuites & pauperes, quotidie remittat. Denique, vt nihil sit eorum quæ dicta sunt, vt sit quispiam eiusmodi, cuiusmodi non est, cui sint vitæ necessaria certa à Deo omnia; præterquam quòd etiam illum orationi deceat agnoscere gratiam Dei, habet inopes fratres innumeros, pro quibus hoc orare quotidie debeat: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*. Porrò, animæ panis, quo anima nostra, spiritus noster, opus habet vt pascatur & sustineatur, non hac propriè petitione intelligendus videtur, siquidem exacta petitionum seruanda distinctio est; sed superiori comprehensus fuisse, *Fiat voluntas tua:* præsertim, cùm facere voluntatem Dei, ipse cibus vitaque animæ sit, iuxta illud quod Saluator Discipulis dicebat Ioh. 4. v. 34: *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius*. Hoc est enim animam viuere, pasci, & sustineri, iustitiæ voluntatique diuinæ constanter adhærere: nec ad aliud seruiunt sacrosancta Eucharistia, sacra Scriptura, verbumque Dei. Vt verò plena exactaque hæc esset ritè orandi forma, ea complectens omnia quæ à Deo rectè petantur: fouendæ autem vitæ ratio, vt est à Deo, ita à Deo rectè petitur, in quem curas nostras omnes iubemur conicere (Psal. 54. v. 23. 1. Pet. 5. v. 7.) idcirco ad subleuationem innumerarum præsentis vitæ necessitatum, petitionem hanc Saluator attexuisse videtur, verùm ita restricto eo quod petitur sensibili, vt proximè ad spiritalia accedat. Nam si nihil amplius quærimus, quàm panem nostrum ἐπιούσιον, & eum hodie, spiritalis animi & sapientis est, vti pulchrè annotauit Chrysostomus Homilia in Iohannem 42. Cæterùm, hic præsertim se subiiciat oportet oratio beneplacito Dei, vt nouerit quisque cum Apostolo & satiari & esurire (Philip. 4. v. 12.) ita vt Patri visum fuerit, qui solus scit, quid filiis suis, quòd ad temporalia ista, sit vtile. Rom. 8. v. 26.

Luc. 11. v. 4.

Et dimitte nobis debita nostra, [12] sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.	καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν.

ET DIMITTE. Hactenus bona precati, dehinc deprecamur mala, quòd nondum sint res nostræ eo statu boni, quem nullum infestet malum. Quia autem summa mala, peccata sunt, quippe quæ à Deo Patre nos separent; quo nihil est grauius ingenuo filio; indignationem eius vt incurramus faciant, & cæterorum omnium quorumcumque malorum prima causa sint, idcirco ante omnia à commissis peccatis vt liberemur, orare nos Christus docet. Intelligendum autem nobis dat, neminem nostrum ἀναμαρτήτως viuere, neminem absque quotidianis peccatis hanc vitam ducere, quantumcumque sit iustus, quantumcumque sanctus (neque enim humilitatis docuit quàm veritatis esse obseruantiores, dum suis omnibus quotidianam hanc orandi præscripsit formam) vt, nostræ nobis infirmitatis fragilitatisque conscij, minimè efferamur. Cæterùm, vt ne etiam ob frequentia adeò delicta desperemus, Patris nobis ostendit semper patere misericordiæ

viscera

viſcera veniam rogantibus: neque enim præcipiat quotidie à Deo petere, id quod nolit Deus quotidie dare. Porrò, quò intelligatur, quî dimittat nobis peccata Deus, obſeruandum eſt, tria quædam concurrere in vnoquoque peccato, actum quô fit peccatum ipſum, maculam quam ex actu animus contrahit, pœnam quam actus maculaque merentur: quorum trium, actus tranſit, macula manet, pœna debetur. Nam, quod ad maculam, cùm peccatum ipſum non fiat niſi ita dictante animo, afficiat illum alteretque neceſſe eſt, &, ea cui contrarium eſt, Dei gratia, qua cumprimis pulcher eſt animus, aut pulſa aut læſa, maculam ei inurat: quæ id efficit, quod loquuntur Scripturæ, vt ſit immundus ac ſordidus peccator, & ablutione emundationeque opus habeat. Tunc itaque dimittit peccatum Deus, quando, actum habet eo loco ac ſi non fuiſſet; maculam, reſtituto ſuo nitori atque integritati animo, eluit; & pœnam debitam remittit. Illud omne hîc oramus, vt de peccatis noſtris omnibus ita agat Dei Patris miſericordia. Cæterùm, contingit aliquando, vt ita dimittat peccatum Deus, vt non continuò pœnam omnem temporariam quam meretur dimittat, ac proinde, actum non omnino adhuc eo habeat loco ac ſi non fuiſſet, dum, ſcilicet, productiorem eſſe vult pœnam quàm culpam, ne parua habeatur culpa, ſi cum ipſa finiatur & pœna. Id dum fit (fit autem in grauibus peccatis à baptiſmo admiſſis vt plurimùm) rectè etiam tum, pro impetranda omnis pœnæ remiſſione, oratione hac vtimur *Dimitte nobis debita noſtra*: quia non integrè prorſus dimiſſa ſunt, quorum adhuc aliquid reſtat. DEBITA NOSTRA. *Peccata noſtra*, dixit Lucas; *delicta* ſiue *peccata*, mox ipſe Matthæus v.14.15. Peccata, debita vocantur, quòd illis tamquam ære alieno obſtricti teneamur Deo, quòd debitores nos faciant reparandę iniuriæ qua adfecerimus Deum, tum legem ipſius tranſgredientes, tum creaturam ipſius violantes, noſmetipſos inprimis. Eam autem iniuriam cùm reparare, ita vt æquitas poſtulat, ipſi non ſufficiamus, reliquum eſt vt pœnæ addicamur, quâ, à iuſtitiâ exactâ, tanto monſtretur Deus honore dignus, quanta eum peccatum auſum eſt ignominia adficere. Quare fit, vt proximè explicetur à compluribus, debita vocari peccata, quòd luendæ pœnæ conſtituant debitores. Ergo quia ſoluendo non ſumus miſeri debitores, reſtat, vt, ſi ſapimus, diuinam imploremus miſericordiam, quæ condonet debita. Id hac facimus oratione, non pro leuibus tantùm & quotidianis debitis ſiue peccatis, ſine quibus hæc vita non agitur, verùm pro grauibus etiam & æterna morte dignis. Cæterùm, *leuia quidem*, id quod B. Auguſtinus ait Enchi.ca.71., *delet hæc oratio*, efficax per Chriſti ſanguinem, *qui propitiatio eſt pro peccatis noſtris* (1. Ioh. 2. v. 2.) fieri etiam poteſt vt deleat temporariam pœnam à grauium peccatorum dimiſſione ferè reſtantem: verùm ad grauia ipſa delenda, tametſi neceſſaria ſit (neque enim eius delentur peccata qui non rogat) non ſufficit, niſi ſingulari accedente pœnitentia, & Chriſti ſanguine per Sacramentum operante. SICVT ET NOS. *Nam & nos*, exponit B. Lucas. Hoc à nobis fieri dicimus: illud rogamus vt faciat nobis Pater; tamquam fundamentum remiſſionis quam nobis petimus, iacientes, remiſſionem quam aliis exhibuerimus. *Sicut* ergo ſimilitudinem ſignificat, non conditionem; ſimilitudinem autem, non æqualitatem: fit enim vt imperfecta ſit noſtra remiſſio, vti ferè vniuerſa opera noſtra. Cæterùm, dum hunc nobis orandi modum Chriſtus præſcripſit, *certa nos conditione & ſponſione conſtrinxit*, quod ait Cyprianus, vt ſi noſtris in Deum peccatis veniam à Deo impetrare volumus, veniam demus ipſi fratrum in nos peccatis. Æqua certè conditio, vt qui à ſe maiore petit veniam offenſarum grauiorum, donet ipſe æquali minorum: atque eo æquior, quòd & ipſe qui fratri ignoſcit, homo cùm ſit, ſubinde opus habeat vt ipſi frater ignoſcat. Quia enim nouerat Chriſtus Dominus infirmitatem noſtram, fieri haud facilè poſſe, vt ſine mutua hîc offenſione homines verſaremur, voluit, vt mutuarum condonatione offenſarum, charitas, ſarta tecta, quod aiunt, ſeruaretur: & ne aliquando, aſſiduè condonando, fatigaremur, hoc nobis in quotidianam intexuit orationem, vt quum ipſi Dei, in quem quotidie delinquimus, quotidie imploramus miſericordiam, non eam nobis audeamus polliceri, niſi & ipſi erga fratres beneuoli perſeueremus. Obſerua quanta ſit Dei φιλανθρωπία, cui ita curæ eſt noſtra erga nos mutuò charitas: & quantum peccatum ſit odiſſe fratrem, quo fiat vt nulla dimittantur peccata. Oratio, quandoquidem eâ, aut iuſtitia petitur, aut quod ad iuſtitiam facit, ex amore erga Deum proficiſcatur oportet. Porrò Deum non amat, qui fratrem odit, quem videt, & quem iubet Deus amari. Caueat ergo ne fratrem oderit, qui ſuam, velit Deo gratam, orationem. Vt autem cumprimis odium in fratrem facit ne Deo ſit accepta oratio: ita cumprimis charitas erga fratres (etſi ſola non ſufficit) Deo commendat orationem, &, quod compluribus locis ſacrę literæ dant intelligendum, ſingulariter eam qua peccatorum ambitur remiſſio. Luc.11.v.41. Iac.5.v.20. 1.Pet.4.v.8. Sunt porrò multa charitatis opera, ſed illo nullum maius, quo ex corde dimittimus quod in nos quiſque peccauit. *Minus enim magnum eſt*, ait B. Auguſtinus Enchiridij cap. 73, *erga eum eſſe beneuolum, ſiue etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multo grandius & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt facit, tu bonum ſemper velis faciasq́, cum poſſis.* Hoc ergo quia maximum eſt operum charitatis, ſub quo cætera facilè intelligi queant, & eiuſmodi eſt quod à nemine non poſſit præſtari, quippe quod ſolam iniuriæ obliuionem & cordis erga fratres ſuauitatem deſideret, Saluator ei quam docuit orationi adiecit. Porrò ſignanter adiecit huic quintæ petitioni, qua peccatorum remiſſionem oramus, vt, vbi eam quæ maxima eſt, Dei erga nos gratiam, poſcimus (nulla enim maior Dei erga nos gratia remiſſione peccatorum, quæ adeò etiam virtutum ſuperat præmiationem) atque eam nobis pro huius vitæ ſtatu ita neceſſariam, vt doceat auguſtiſſimum illud inter veteres Doctores os, lib.19. de ciuit. Dei cap. 27., *noſtram huius vitæ iuſtitiam, magis peccatorum remiſſione quàm virtutum perfectione conſtare*; illic, eius quæ maxima eſt, noſtræ erga fratres gratiæ, quæque neceſſaria eſt vt ſit nobis animi erga fratres & Deum Patrem adfectio integra, meminerimus, quò memores præſtemus alacriùs. Non enim tum demum condonemus iniuriam oportet, cùm illatæ frater pœnitentia ductus veniam rogat: verùm etiam dum pertinax perſiſtit, quin iniuriam iniuria cumulat. Semper enim ſua animo erga fratres ſuauitas ſalua maneat oportet, nec vindicta expetita vmquam amareſcat admittendum eſt, qualeſcumque illi tandem erga nos ſint. Id cùm ſuprà 5.v.39.44. didicerimus ex Saluatoris verbis; Marci 11. v.25. ipſe illud oraturo cumprimis neceſſarium eſſe teſtatur, cùm ait: *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſiquid habetis aduerſus aliquem.* Cæterùm, exterior condonatio, non niſi rogantibus debetur: quam ferè neque expedit iis qui pertinaces haud petunt offerri, ne conuerſi porci dirumpant margaritam præbentes. Ergo hîc monemur, qualem animum oporteat erga fratres adferre, dum Deo cupimus

pimus reconciliari: quem qui adferat, magna is possit cum fiducia Dei misericordiam implorare.

DIMITTIMVS s. debita, id est, peccata, offensas, iniurias (nec enim perinde necesse est dimittere debita, quæ peccata non sunt) & quidem ex animo. Nos peccatum dimittimus, quando actum eo habemus loco ac si non fuisset, & pœnam, quam vero vel præsumto iure exigere possemus, omnem remittimus, ita vt nec ipsi nos vindicare, nec ab alio, etiam Deo ipso, vindicari cupiamus. neque enim amplius aliquid possumus, & id solum eatenus, quatenus nos offensa læsit: nam quatenus Deum læsit, Dei est remittere. Porrò non se vindicat, qui aut corrigit aut corripit delinquentem, id dictante siue iustitia siue charitate; nec qui damnum repetit aut exigit, offensa seu iniuria dimissa: non enim ita mox damnum dimittere tenemur, vt iniuriam.

DEBITORIBVS NOSTRIS. iis qui nos offenderunt, qui in nos deliquerunt. Hic loquendi modus, quo peccator debitor & peccatum debitum vocatur, frequens Euangelicis literis (infrà 18. v.27. Luc.13. v.4.) ex Syrico sermone, quo Saluator est vsus, profectus est. Syri enim, debitorem & peccatorem, rursus debitum & peccatum, eodem appellant nomine, hæc ܚܘܒܐ *haubo*, illos ܚܝܒܐ *haiob* (quibus nominibus etiam hîc in oratione Dominica vtuntur) à ܚܒ *hob*, quod primò est debitorem esse, obligari, teneri; deinde, peccare, iniquè agere. Hîc mihi iam ad extremum considera, quantum eorum est crimen, qui hac vtuntur prece, odium seruantes in fratres, & mentientes proinde Deo. Mentiuntur Deo, sed suum ipsi mendacium hactenus iusti puniunt, dum in seipsos sententiam dicunt, vt meritò non remittat ipsis peccata Deus, qui fratribus nolunt in se commissa remittere, & diuinam in se inuocant vltionem, vt ad vindictam armetur peccatorum, quæ meritò non remittit. Ob hanc causam inuenias hodie, qui, priusquam debitoribus suis dimittere velint, relicta hac Dominica precandi forma, alias precatiunculas vsurpent, bis hoc vno nomine peccatores, & quòd euitent orandi formam, quam Saluator, vt docuit, ita præscripsit, & quòd perperam orent: nulla enim bona oratio est, quæ, quod hæc pericope, vel non addit, vel non intelligat.

Luc. 11. v.4.

Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Amen.

13 καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. *ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν.

ET NE NOS. Commissorum peccatorum precati veniam, recto ordine ea peccata deprecari iubemur, quorum in continuis versamur periculis, hac in vita constituti, quæ tota, iuxta sententiam Iob cap.7. v.1., tentatio & militia est. Admonemur itaque infirmitatis & imbecillitatis nostræ, quòd sine Dei auxilio periculis superiores euadere non possimus: vtque omnis timor noster & deuotio atque obseruatio ad vnum Deum conuertatur, docemur nihil contra nos aduersarios posse, nisi Deus antè permiserit. INDVCAS. *inferas.* legit B. Augustinus: quod quidem ad vocem græcam accedit propiùs, εἰσενέγκῃς: sed illud, vti idem bene censet, tantundem valet. φέρειν enim & ἄγειν frequèns permutantur. IN TENTATIONEM. Duplex est genus tentationis; Vnum, quo tentamur, hoc est, experimentum nostri capitur, cùm vt ea qua præditi sumus manifesta euadat virtus, tum vt amplior illa & ampliori præmio digna reddatur. *De hoc tentationis genere ait Apostolus Iacobus cap.1.v.2: *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Ob hoc igitur cùm gaudere oporteat, non illud est quod hîc deprecari docemur. Alterum est tentationis genus, quo ita sumitur experimentum virtutis nostræ, vt detur simul opera, quò ea labefactata, ad peccatum pertrahamur. De isto idem ille Apostolus ait cap.1.v.13: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.* Priori tentationis genere nos tentat Deus; posteriori hostes Dei & nostri: atque eodem opere, fit, vt & Deus nos illo, & hostes nos isto genere tentent. De posteriori igitur quod à Deo non est, hac orationis Dominicæ parte sermo est. Itaque tentatio hîc intelligitur, ad peccatum solicitatio. vide suprà 4. v.1. Solicitamur autem ad peccatum, & extrinsecùs, & intrinsecùs, idque nunc prosperarum rerum dulcedine, nunc aduersarum molestia. Extrinsecus nos solicitant, diabolus veterator, qui κατ᾽ ἀντονομασίαν *is qui tentat* vocatur 1.Thess. 3.v.5., eiusque mancipia homines impij. Intrinsecus, concupiscentia nostra praua, de qua Iacobus Apostolus cap.1.v.14: *Vnusquisque tentatur a concupiscentia sua, abstractus & illectus.* Huic qui dominatur domesticæ hosti, nihil illi ab illis timendum est: & prosperarum rerum dilectione qui non capitur, non ille aduersarum molestia frangetur. Porrò non id propriè hîc oramus, vt non tentemur, sed vt in tentationem non inducamur vel inferamur, quod est, vti loquitur Apostolus Rom.1.v.24., *vt in desideria cordis nostri non tradamur.* Oramus, *ne tentemur supra id quod possumus.* (1.Cor.10.v.13.) ne superemur à tentatione quacumque. Hunc ad modum monet Saluator Apostolos instante passione sua, infrà 26.v.41: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem*, hoc est, ne imminens scandali tentatio vos superet & deiiciat. Cæterùm vt non superemur à tentatione, agit hoc Deus duobus modis, vno, dum parcens infirmitati nostræ tentationem nobis moueri non sinit; altero, dum, maiore misericordia, facit vt motam nobis tentationem vincamus. Inducere autem in tentationem dicitur Deus, non quòd ipse, vt motæ nobis ab aduersariis tentationi succumbamus, faciat, qui nec peccati, nec tentationis siue solicitationis ad peccatum, est auctor: sed, quòd neget nobis, suo pro iusto iudicio, gratiam suam, qua destituti, fiat vt succumbamus, vt in tentationem inducamur atque inferamur. Non enim ea virtute sumus, vt solis viribus nostris, tentationes superare possimus: singulari opus est gratia à Deo. Fieri aliquando potest vt non consentiamus motæ nobis tentationi, vtpote dum plus addicti vitio contrario, vnum altero pellimus; exempli gratia, tentationem ad fornicationem laudis amore retundimus; rursus, dum aliis mens occupata, negligit obiectas phantasiæ ad peccata solicitationes: sed, vt vincamus, & feliciter superiores tentationibus euadamus, absque Dei singulari gratia fieri non potest. Quemadmodum ergo, is qui extremè ab aquis periclitantem aliquamdiu iuuet ne absorbeatur à gurgite, tandem verò deserat, &, sibi relictum, mergi sinat; id quod fit vt sequatur; rectè illum dicatur in mortem tradere: ita Deus rectè in tentationem & peccatum inducere, dum negat gratiam suam, qua dum nos dignatur, peccata vitamus, tentationesque

nesque

nesque detinemus, dum verò negat, proximum est vt tentationibus subiecti in peccata ruamus. Pendemus enim, ex naturæ corruptione, proni in peccata, atque ad assiduos casus & ruinas procliues: opusque est sua nos manu Deus sustineat. id quod hoc loquendi modo Saluator voluit indicatum. Cæterùm, non hoc solum est, quòd neget nobis Deus gratiam suam, & nos nobis relictos permittat cadere, ita vt ex corruptæ naturæ imbecillitate est vt sequatur: fit enim vt non deserendo tantùm, sed & potentia, id quod B. Augustinus contra Iulianum Pelagianum libri 5. capite tertio docet, in tentationem & peccatum Deus inducat, quando, ita dictante iustitia sua (lege August. de gra. & lib. arb. cap. 20. 21.) vel inclinat malas dæmonum atque hominum voluntates eò, vt quosdam tentent præ aliis, vel offert, donat, aut seruat id homini, ad quod eum nouit offensurum, quo eum nouit abusurum, siue ponens offendiculum coram eo, quo modo Ezechiel loquitur cap 3. v. 20, siue exaudiens iratus preces quas non exaudiat propitius, siue conferens aut seruans munera iratus, quæ non conferat aut seruet propitius, in quibus omnibus & bonus perseuerat & iustus; bonus, quia non se miscet peccato; iustus, quia peccata punit, ita vt æquum est, peccatis. Hinc itaque ille loquendi modus, cui sunt alij complures in sacris literis similes, quo in tentationem Deus inducere atque inferre dicitur. Summa ergo petitionis huiusce est, ne agat nobiscum Deus sua pro seuera iustitia, vt ne destituti adiutorio eius, eumque nobis patientes iratum, alicui tentationi, *vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti.* Aug. epist. 121. cap. 11. SED LIBERA. Multi eius sunt sententiæ, vt existiment hanc partem superiori iungendam, ita vt sex duntaxat Dominicæ orationis sint petitiones; hac præsertim ratione, quòd aduersatiua particula, quæ media ponitur, membra inter se colliget, idemq; adferat à contrario. Fateor equidem aduersatiuæ particulæ hoc esse officium: sed nihil vetat, quinimmo frequentissimum est, vt plus à contrario adferat quàm adsertum fuerat, ita vt res noua intelligi debeat, tametsi huiusmodi, vt, ea existente, tollatur superior. Si quis, dum exit, dicat puero suo: Dum absum ne limen exeas: sed incumbe sedulò libris tuis; an non duo dicat? Et si quis mortis reus iam expertus carceris mala, oret iudicé: Ne me obsecro morti dedas, sed libera me ab his miseriis; credo, æstimet iudex se duo rogatum. Et, si pro temporis ratione oremus Deum: Domine ne in manus nos tradas hostium hæreticorum, sed libera aliquádo ab his bellis, duo oramus, vnum, ne bellis superemur, alterum vt neque infestemur. Ita ergo & hîc duo rogamus, inprimis id, ne tentationibus vincamur, tum id vt neq; tentationibus vllisve malis affligamur. Sed ne dicas ita resoluendã orationem: Ne inducamur in tentationem, libera nos à malo; Ne tradamur in manus hostium hæreticorum, libera nos à bellis: non ea est orantis mens, cui propositum est, id inprimis deprecari quod summum est mali, tum vniuersum ipsum malum; vt illud quidem prorsus obtineat, hoc autem si aut vbi Dei misericordiæ visum fuerit. Innumera sunt huius vitæ mala, tentationes, tribulationes, afflictiones, ærumnæ: quæ cùm nunc ad peccatum solicitent, nunc boni sint impeditiua, semper autem naturæ institutioni & quam ea exspectat reparationi aduersa, non malè desideramus liberari ab eis, nec malè proinde oramus Deum vt ab iis nos liberet, quinimmo id docet passim suadetque sancta Scriptura, exemplis etiam modisque orandi haud paucis propositis, & Deo ipso nobis constituto arcis loco domusque refugij à facie tribulationis, adeoque quodam in loco ait ex ipsa Dei persona: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te: & honorificabis me.* Psal. 49. v. 15. In exacta igitur ritè orandi regula, nihil quod huc faciat erit? Quare Augustinum & Cyprianum, præter alios, sequuti, hîc septimam definimus Dominicæ orationis petitionem: *Sed libera nos à malo.* A MALO. ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Anceps est ad masculinum & neutrum genus: fieri potest vt vtroque Saluator voluerit intelligi, neque enim frustrà dubio aliquando sermone est vsus. Inprimis itaque liberari petimus à peccato, quod summum est malum, vt ne in tentationem inducti peccatum committamus, sed, Dei nos iuuante turanteque gratia, à peccato præseruemur. Deinde, à Diabolo tentatore, qui κατ' ἐξοχὴν malus vocatur (quo modo Christus iustus) *propter excessum malitiæ*, ait Chrysostomus, *quòd extrema malitia præditus, irreconciliabili odio aduersus Deum ac nos feratur, cunctorum nobis caput & causa malorum*: ab hoc petimus liberari, non tantùm vt non superet nos, sed vt neque infestet. & quidem pulchrè hîc ille in fine, oppositus est cælesti Patri à quo exorsa oratio est. Adhæc à tentatrice atque illice concupiscentia oramus vt liberemur, non solùm vt non sequamur eam; sed vt nec habeamus. Doctè enim & solidè B. Augustinus, libri 2. de peccat. merit. & remiss. capite 4., ordinem inter se trium postremarum petitionum monstrans: *Si desideriis concupiscentiæ carnis*, ait, *illicitæ voluntatis inclinatione consenserimus, ad hoc sanandum dicimus: Dimitte nobis debita nostra; adhibentes remedium ex opere misericordiæ, in eo quod addimus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vt autem non ei consentiamus, deprecamur adiutorium, dicentes: Et ne nos inferas in tentationem. Deinde addimus quod perficietur in fine, cùm absorbebitur mortale à vita: Sed libera nos à malo. Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, & cui non consentire iubeamur.* Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum breuiter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentia: adiuua ne abstrahamur à concupiscentia: aufer à nobis concupiscentiam. Denique, hîc oramus, vt ab omni prorsus malo reddamur liberi, & corporis & animi, & externo & interno, ab omnibus malis atque aduersis rebus. *comprehendimus enim aduersa cuncta*, Cyprianus ait, *quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus: quod vbi diximus, nihil remanet quod vltrà adhuc debeat postulari.* Et quidem non adsequimur id hac in mortali vita, vt ab omni malo liberi simus (Aug. libri de perfectione iustitiæ rat. 14.) verùm, vt ea decursa id adsequamur, oramus; in ipsa verò, eatenus, quatenus ad salutem nobis expedit. ita enim hîc se subiiciat oportet oratio beneplacito Dei, vti in superiori petitione quarta. Iam id hîc mihi obserua, quod ab initio monui, quî oratio ista, à fine expetendarum rerum exorsa, desinat in initium, ac rationem qua iniri efficique illæ in nobis possint. Prima namque expetendarum rerum est, à malo liberum esse; vltima, sanctificando laudandoque Deo totum perpetuò addictum esse: hoc enim summum est nostrum bonum. Et, quod ad efficiendi rationem; primum est vt liberemur à malis iis quæ mentem distinent vexantque, nec sinunt vt se dare ad res, maximè spiritales, possit: tum est, vt statuamus peccata vitare, eoque imploremus adiutricem gratiam Dei: proximum est, vt operum misericordiæ studiosi simus: his modis comparamur ad accipiendam admissorum peccatorum veniam: peccatorum accepta venia, tum demum pane nostro supersubstantiali digni sumus: pane supersubstantiali alimur, quò faciamus in terra voluntatem Dei; dum faciendæ incumbimus voluntati Dei, meremur id vt admittamur aliquando ad regnum Dei: in regno autem Dei, hoc erit feliciter opus nostrum, sanctificare nomen Dei Patris nostri qui est in cælis. Coronidem

illam quæ subsequitur in græcis plerisque & syricis libris: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula*, prætermus cum Interprete nostro & latinis omnibus patribus: quippe quam existimemus, à Græcis, ex Liturgia, ad Euangelij textum adscriptam. qua de re, in Notationibus plura. AMEN. *Signaculum*, inquit Hieronymus, *orationis Dominicæ est*, hoc est, sigillum: eo enim sinceritatem ardoremque desiderij nostri exprimimus; significantes, verè, & ex animo, votisque omnibus, nos optare, vt ea obtineamus à Patre quæ petiimus: quod hîc pro loco vertas *Fiat*, iuxta id quod docuimus supra 5. v. 18., quasi dicamus: hęc Pater vt obtineamus, ardentibus votis rogamus vt efficere dignetur bonitas tua.

Mar. 11. v. 25.

Si enim dimiseritis hominibus [14] peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.

ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, ἀφήσει καὶ ὑμῖν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος.

SI ENIM. Reddit rationem cur id nos addere & commemorare in oratione docuerit *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; nimirum, vt eò quantumuis difficiles cogamur, quia necessum sit ad consequendam à Deo peccatorum veniam, qui nihil æquè à nobis requirit ac mutuam dilectionem. HOMINIBVS. id est, aliis, æqualibus vestris, conseruis vestris, vt loquitur parabola infrà 18. v. 28. Iubet vt homines esse meminerimus, prorsus nostri similes. PECCATA. τὰ παραπτώματα offensas, à παραπίπτειν, labi, offendere. EORVM. sua, vel potiùs ipsorum. quibus offenderunt vos. VOBIS. vbi rogaueritis. PATER VESTER CÆLESTIS. ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος. Pater cælestis, confertur nobiscum: quare diligenter consideranda est Patris appellatio, & geminati articuli vis. grauiùs enim peccatur in patrem, quàm in quemuis alium; tum verò, in hunc Patrem cælestem. DELICTA VESTRA. peccata quibus offenderitis maiestatem ipsius. Hoc Græcè hîc non repetitur, sed ad medium proximi versus, vbi Interpres omittit, Syro vtrobique omittente. Porrò, non sufficit hoc vnum, vt remittamus in nos commissa; sed hoc inprimis necessarium esse docetur. *Dimittet* igitur. f. nisi aliunde desitis. Cæterùm, fit, vt qui hoc sedulò & ex animo præstat, Dei misericordiâ adducatur ad cætera, ad peccatorum obtinendam remissionem necessaria.

Inf. 18. v. 35.

Si autem non dimiseritis hominibus [15]; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

ἐὰν δὲ μὴ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν.

SI AVTEM NON. Præcisa & irreuocabilis sententia, absque exceptione: Condonantibus condonantur peccata; vltoribus parata est vltio. NEC PATER. ὁ πατήρ. *Homo homini reseruat iram, & a Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam: & de peccatis suis deprecatur?* ait Ecclesiasticus, similiter hominem cum Deo conferens: cap. 28. v. 3. 4. DIMITTET. Sequitur ergo vt vlciscatur & puniat. PECCATA VESTRA. Semper est Græcè τὰ παραπτώματα. Non agnoscet pro filio, cui non conuenit cum fratre. Vide Mar. 11. v. 25.

Cùm autem ieiunatis, nolite fieri [16] sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

ὅταν δὲ νηστεύητε, μὴ γίνεσθε ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ, σκυθρωποί· ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις νηστεύοντες. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν.

CVM AVTEM IEIVNATIS. Redit Saluator ad superiorem doctrinam, eodemque modo progreditur in tractando ieiunio, quo hactenus in eleemosynæ & orationis tractatione progressus est, damnans in hoc, vti in illis, detestandum hypocriseos malum. Aptè autem medio loco de oratione tractauit, quòd illa eleemosynam & ieiunium socias desideret, eisque velut alis vtatur, quibus subuehatur in cælum, iuxta illud Angeli ad Tobiam Tob. 12. v. 8: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna*. NOLITE FIERI. μὴ γίνεσθε ne sitis. SICVT HYPOCRITÆ. Agunt enim id quod temperantium est, proque huiusmodi se venditant, & haberi huiusmodi gaudent, cùm non temperantiæ, sed inani gloriæ operam dent. TRISTES. σκυθρωποὶ tetrici, vultu ad tristitiam composito, seuero atque inamœno. id enim græci vocabuli notatio declarat, deriuati à σκυθρὸς mœstus, & ὤψ vultus. EXTERMINANT, id est, *corrumpunt*: quomodo exponunt, Interpres Syrus & B. Chrysostomus, id quod græcè est ἀφανίζουσι: valet enim ἀφανίζειν, idem quod delere quippiam, & è medio tollere, ita vt nusquam appareat: id quod est, corrumpere, perdere, &, quod Interpres dixit, exterminare. Hieronymus mauult *demoliuntur*, id quod est infrà v. 19. & 20. Hilarius explicat *conficiunt*. Alij *obscurant* vertunt: nam φανὸν & φαεινὸν splendidum vocatur. Eadem omnium sententia est, quòd studiosè immutent & vitient natiuum faciei colorem, ficta macie, affectatoque pallore ac vultus tristi seueritate; itaque conspici non sinant faciem priorem. APPAREANT IEIVNANTES. φανῶσι νηστεύοντες, phrasis græca, pro, appareant ieiunare. vt omnes intelligant ipsos ieiunare. Reliqua huius versiculi quære suprà v. 2. exposita.

Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: [17]

σὺ δὲ νηστεύων ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι·

VNGE CAPVT TVVM ET FACIEM TVAM LAVA. Mos erat patrius Iudæorum (id quod multis locis sacræ

literæ

literæ testatum relinquunt. Ruth 3.v.3. 2.Reg. 12.v.20. Luc.7.v.46.) vt qui lætitiæ vacare, aut comtiores gratioresque vellent prodire aliquò, lauarent faciem caputque vngerent; lauarent faciem, quò munda ea & nitida appareret; vngerent caput, quò colorem illius odoremque commendarent. nam quod ad colorem, habes Psal 103.v.15: *Vt exhilaret faciem in oleo*; quod ad odorem, Ioh.12.v.3: *Et domus impleta est ex odore vnguenti*. Vt enim erat regio æstuosa, ac frequens proinde hominibus capite sudor, qui & deturpat faciem, & odorem è capillis spirat ingratum; calorem lotione temperabant, odori deturpationique vnctione occurrebant. At qui luctui se dabant, his abstinebant, lotione inquam & vnguentis (2.Reg.14.v.2.) vt est eorum qui admodum lugent, & se & cætera omnia præ studio luctus negligere. Pharisæi itaque, quia ieiunare lugentis est actio, vbi ieiunabant, his studiosè abstinebant, eo fine, vt testatum omnibus facerent, se, luctuoso asperoque ieiunio, voluptatum contemtores, operam dare. Saluator è contrà iubet, ne, ideo quòd ieiunemus, his abstineamus, aut quidquam in consueta vitæ ratione mutemus, quò conspicuum fiat hominibus nos ieiunare; quin potiùs his aut aliis pro more regionis data opera vtamur, vt dissimulemus ieiunium nostrum, & secreti sincerique operis à Deo referamus mercedem. Non itaque id præcipit, vt loti duntaxat vnguentoque delibuti ieiunemus; sed vt potiùs quàm laudem è ieiunio quæramus hominum, studiosè eos celemus ieiunium nostrum; potiùs quàm vultus inamœnitate significemus hominibus quam laudent continentiam nostram, lætitiam præ nobis feramus, vultu simus læto, hilari, amœno.

ὅπως μὴ φανῇς τοῖς ἀνθρώποις νηστεύων, ἀλλὰ τῷ πατρί σου τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ· καὶ ὁ πατήρ σου ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. 18

ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui est in abscondito: & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

SED PATRI TVO s. soli videaris ieiunans. vt, non homines te ieiunare intelligant, sed Pater tuus: id quod solum quærendum est. Nam etsi contigerit ab hominibus intelligi, modò id ambitum non fuerit gloriæ ergo, nihil peccatum est. QVI EST IN ABSCONDITO. qui non minùs in occulto est quàm in publico. REDDET TIBI. mercedem ieiunij tui. vide suprà v.1.4.6. Caluinus, quò magis persuadeat impropriam esse locutionem, quòd ieiuniis merces à Deo promittatur, dicit, ieiunium per se opus esse medium, non autem ex eorum genere quæ Deus requirit & probat, vt sunt eleemosynæ: cùm tamen Christus ieiunium eleemosynæ & orationi adiungat. Illud igitur à veritate quàm alienissimum esse, vel vnus ille apud B.Lucam locus testatum facit, quo de Anna prophetissa: *Ieiuniis* (ait) *& obsecrationibus* (siue orationibus) λατρεύουσα, id est, *seruiens*; vtique Deo; *nocte ac die*. cap.2. Euangelij v.37. Si enim ieiuniis seruitur Deo: est ergo ieiunium ex eorum genere quæ Deus requirit & probat; ac proinde non medium, sed bonum opus: adeoque virtutis temperantiæ est opus, vt eleemosyna charitatis; quo abstinetur à cibo & potu, non tantùm delicatis, sed & vulgaribus, nec à nimiis tantùm, verumetiam mensuræ iustæ, ad corpus non interficiendum sed domandum & Spiritui subiiciendum. De eo quod græcè sequitur ἐν τῷ φανερῷ meritò omittendo, lege Notas. Reliqua huius versiculi quære suprà v.4.& 6.

μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι καὶ κλέπτουσι. 19

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur.

NOLITE THESAVRIZARE. Hactenus capite isto præcipuè inanis gloriæ studium damnauit: deinceps vsque ad capitis finem, damnat auaritiam; cuius frequenter etiam Pharisæi notantur (Luc.16.v.14.) & anxiam de victu atque amictu solicitudinem. Ait ergo μὴ θησαυρίζετε ne thesaurizetis, id est, ne congeratis; *nolite condere*, post Cyprianum libro de opere & eleemosyna Augustinus; Syrus, *ne reponatis*: ne in hoc ponatis, ne huc referatis, labores omnes & studia vestra, vt congeratis. THESAVROS. opes, diuitias. propriè sunt diuitiæ collectæ, sepositæque, & reconditæ, quarum se possessione felicem homo ducit & ab aduersis tutum. IN TERRA. ἐπὶ τῆς γῆς super terram. Ne sit locus thesaurorum vestrorum hîc in terra: ne hîc reponatis recondatisque thesauros vestros. VBI ÆRVGO ET TINEA. ὅπου σὴς καὶ βρῶσις vbi tinea & ærugo. Σὴς tineam declarat, ab Hebræo סס *sas*, quod hîc syriacè est ܣܣܐ *soso*: βρῶσις latiùs patet quàm *ærugo*, ad omnem putrefactionem ex re ipsa natam: quam B.Cypriani & Auctoris operis imperfecti editio κατὰ λέξιν vertit *comesturam*. DEMOLITVR. ἀφανίζει corrumpit. exterminat iterum vertit Cypriani, Augustini, & Auctoris operis imperfecti editio, vt suprà v.16. Vestes tinea; metalla ærugo erosioque corrumpunt: ex quibus, ferè thesauri colliguntur. EFFODIVNT. διορύσσουσι perfodiunt. siue effossa terra, siue parietibus perfossis, ad gazophylacia penetrant. Quòd si quid sit quod nec tinea nec ærugo perdere queant, cuiusmodi sunt gemmæ; aut si ea adhibeatur cura vt nec cætera tinea ærugoque inuadant: at furum industriæ rapacitati omnia exposita sunt. Significat, bona omnia quæ hîc cōacerues, vel putredini, vel rapinis, vel aliis mille pereundi periculis subiecta, atque adeò, vt sunt temporaria, peritura semel omnia; minimè autem consentaneum esse, vt illic quis bona locet sua, vbi, vel corrumpantur sponte, vel à furibus rapiantur, vel aliis facilè pereant modis.

θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, ὅπου οὔτε σὴς οὔτε βρῶσις 20

Thesaurizate autē vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo neque tinea demo-

Luc. 12. v. 33.

demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. | ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται οὐ διορύσσουσιν οὐδὲ κλέπτουσιν.

IN CÆLO. Hunc vobis Pater reponendi thesauri locum commendat & commodat. NEQVE ÆRVGO NEQVE TINEA. οὔτε σὴς οὔτε βρῶσις neque tinea neque ærugo. vbi, nulli corruptioni obnoxium, nulli furum accessui expositum, nulli pereundi amittendive periculo subiectum est, sed æternò tutum atque integrum manet, quidquid repositum fuerit. Colligimus autem reponimusque nobis thesauros in cælo, dum, opes facultatesque nostras (nam hoc est quod hic vult Saluator) sedulò, constanter, liberaliterque, in Dei gratiam erogamus. Ita enim multa nobis magnaque comparamus bona merita, quibus reponuntur à Deo in cælo, multa magnaque, suo tempore certò reddenda, præmia. Ergo, tu existimabas, perire tibi opes tuas in eleemosynas insumtas: cùm ecce, seruatæ tibi pereant; hunc verò in modum expensæ, in incorruptibiles, cælestes, æternosque thesauros, tibi confluant.

Luc. 12. v. 34.

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi [21] est & cor tuum. | ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ ἔσται καὶ ἡ καρδία ὑμῶν.

TVVS, IBI EST ET COR TVVM. Græcè & syriacè: Vester, ibi erit & cor vestrum. Est autem futurum græcè præsentis loco, *erit* pro esse solet, hebraico loquendi more. *Cor* verò pro affectibus cordis & animi ponitur: nam cor nostrum esse alicubi, nihil aliud est, quàm curam omnem nostram cogitationem, gaudium, fiduciam, spem, metum, amorem, totum videlicet animum, circa aliquid versari. Significat hac prouerbiali sententia, miseros esse qui hac in terra repositos thesauros habent suos; quia animo menteque, toti, terræ terrenisque rebus affixi fiat. *Amor meus*, Augustinus ait, *pondus meum: vbi amo, eo feror*: & rursus: *Anima veriùs est vbi amat, quam vbi animat*: thesaurus autem, id est, quod homo præ cæteris rebus suis maximè amat. Itaque altero iam argumento dissuadet Saluator, ne in terra thesaurizemus, eoque huiusmodi: Vbi thesaurus hominis est, illic eius & cor est; illic animus cogitatioq; eius omnis versatur. Ergo si tibi thesaurus in terra sit, etiam animus in terra erit: quo quid est illo indignius, qui animo menteque cælesti præditus est, qui ad cælestia capessenda bona creatus & vocatus est, denique qui Patrem inuocat in cælo? Vt igitur, ita vt oportet, vester, tametsi in terra adhuc peregrinantium, in cælo versetur animus, illic thesaurus vester sit, illuc transmittite pecunias, opes, diuitias vestras, illic sint bona vestra, quæ solidorum summorumque bonorum loco habeatis, ametis, quibusque felices vos & beatos ducatis.

Luc. 11. v. 34.

Lucerna corporis tui est oculus [22] tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. | ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός· ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινὸν ἔσται·

TVI EST OCVLVS TVVS. Vt à græcis & syricis, ita à quibusdam latinis libris manuscriptis, absunt pronomina *tui* & *tuus*, legentibus *Lucerna corporis est oculus*: ac certè videntur pronomina, suum sententiæ, in cuiusuis hominis atque animalis corpore locum habenti, decorem auferre. lege notas. Similitudine ab oculo corporali sumta, ostendit Iesus, quantum malum sit, corde esse, terræ ac terrenis bonis addicto affixoque. Quod est, inquit, lucerna in domo id est oculus in corpore: nempe, quemadmodum qui in domo sunt, lucernæ beneficio; ita in corpore membra oculi beneficio, lumen accipiunt, quo absque errore ritè officium faciant suum. Iam, vt parabolam mox accommodemus ad rem. quod est oculus in corpore, id est in anima cor, nimirum, vt affectibus omnibus, quæ sunt quasi quædam animæ membra (*Mortificate membra vestra*, Apostolus ait Coloss. 3. v. 5., *quæ sunt super terram, fornicationem* &c.) lumen præbeat, præsit, & regat, ne cœci, vt ex sese sunt, errent, ferantur que quò & vti non debent. Intelligitur autem cordis nomine, tota animæ superior portio, id est, voluntas intellectui coniuncta, quæ cæteras animæ vires illustrat, id est, regit ne errent. SI OCVLVS. ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμὸς si igitur oculus. SIMPLEX. sincerus, purus, *sanus* ait Euthymius, nullis infectus humoribus qui videndi potentiam offendant. *Lippientes solent lucernas videre numerosas: simplex oculus & purus, simplicia intuetur & pura*, Hieronymus hunc in locum ait. TOTVM CORPVS TVVM. omnia corporis tui membra illustrabuntur, membris omnibus tuis suum lumen impartiet, ita vt singula muniis ritè fungi queant suis. Si cor tibi fuerit simplex, mundum, purum, à prauarum cupiditatum dominio liberum, ad cælum & solos in cælo thesauros erectum; omnes affectus tui suas habebunt actiones ita vt decet compositas, apta dignaque erunt opera tua quæ ab omnibus videantur. Hoc orabat propheta Regius Psal. 17. v. 29: *Tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.*

Luc. 11. v. 34. 35.

Si autē oculus tuus fuerit nequam, [23] totum corpus tuū tenebrosum erit. Si ergo, lumē quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? | ἐὰν δὲ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου σκοτεινὸν ἔσται. εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστί, τὸ σκότος πόσον;

NEQVAM. πονηρός. ܒܝܫܐ *biso* malus, vitiosus, siue lema obductus, siue malis ex humoribus deprauatus, siue cœcus aut alio vitio laborās. TENEBROSVM ERIT. in tenebris versabitur, in tenebris palpitabit & errabit, in varios membra agentia ferentur errores. Si cor tuum fuerit, auaritia aliâve cupiditate excæcatum, deprauatum, inquinatum, si opibus aut voluptatibus terrenis addictum affixumque; omnes affectus tui tenebris inuoluentur peccatorum, nihil agent rectè, in varia cæci vitia ferentur indigna luce. *Auaro*, inquit Sapiens,

Sapiens, *nihil est scelestius. Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet*. Eccles. 10 v.9.10. Et Paulus 1.Timo 6.v.9.10: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omniū malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*. ecce tenebras. Porrò id quod dixit Saluator auaritiæ occasione, æquè locum habet in cæteris vitiis, vbi ipsum obtinent cor. Occupatum enim à cupiditatis alicuius tyrannide cor, non cernit quid legi Dei aut rectæ rationi sit consonum, sed in hoc vnum incumbitur, vt cupiditati illi satisfiat, eoque tendunt proinde affectus, opera, studia omnia. verùm id commodè intellige, vti & è contrario vbi simplex est oculus: nec enim hic nulla opera, nec illic omnia, necesse est peccent. SI ERGO. Si ea pars quæ data est tibi vice luminis, versa sit in tenebras: quanta erit caligo reliquarum partium, quæ ex se lumen non habent? Si cor ipsum prauis carnis libidinibus excæcatum est quanta erit ipsorum cæcorum affectuum, operumque hinc procedentium, tenebrositas, quæ nisi à corde, nil luminis, nil recti, habent? IPSÆ TENEBRÆ QVANTÆ ERVNT? τὸ σκότος πόσον; ipsæ tenebræ quantæ? *erunt* addidit cum Syro noster Interpres claritatis gratia: *ipsæ* rectè explicat vim articuli græci τό. Syrus expressit id quod alioqui subaudiendum est *in te*: Tenebræ tuæ quantæ erunt: *Quantas*, inquit Hilarius, *necesse est ipsarum in te tenebras esse tenebrarum?* nimirum, non tenebras tantùm incurrunt, sed & tenebrarum immensitatem, dum, quæ in tenebras ex se pronæ sunt, à corde, à quo debuerant cohiberi corrigique, in tenebras etiam aguntur: cæci intelliguntur & indomiti affectus, vt diximus.

οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει· ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει. οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ.	24 Nemo potest duobus dominis seruire. aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.

Luc. 16. v.13.

NEMO POTEST. Occurrit Saluator obiectioni, qua se tueri & delicias facere auari solent: Non desinimus Deo seruire, tametsi bonam ingenij partem, ad colligendas aut seruandas diuitias, applicemus. Occurrit, inquam, obiectioni huic, allato, pro confesso, prouerbio omnium sententia recepto, quo monstrat, alienari eorum corda à Deo, qui se diuitiis addicunt, nec seruire posse Deo, qui mammonę famulantur.
DVOBVS DOMINIS SERVIRE. Sententia prouerbialis est, è publico vulgi sermone & rerum experientia sumta, si non semper, certè vt plurimùm vera. Ferè enim ita apud homines vsu venit, vt duobus dominis, vnus seruus, pari animi affectu ac promtitudine, seruire non possit. Nam rari sunt vel nulli eiusmodi duo, qui tám inter se voluntate vnanimes, & morum commoditate similes sint, vt vnius ingenio, qui quidem eis ad nutum præsto esse debeat, æquè accommodi esse, æquè placere queant. AVT ENIM VNVM Cùm ferè moribus & imperatis discrepent domini duo, plerumque etiam non perinde inter ipsos conueniat, fit, vt seruus amborum, vnum diligat, alterum oderit; aut, neutrum si diligat, vnius imperium ferat, alterius contemnat. DILIGET. Dilectionem comitatur promtitudo cupiditasque obsequendi; vt odium, obsequendi difficultas. SVSTINEBIT. Augustinus, *patietur*. Interpres legisse videtur ἢ ἕνα ἀνέξεται: pro quo nos græcè legimus, ita vt in Luca legit etiam ipse Interpres, ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, quod est, *aut vni adherebit*; Syrus ܐܘ ܠܚܕ ܢܝܩܪ *ou lehad neiaqar aut vnum honorabit*. Hoc porrò repetitio est eius quod precedit, quadam cum summorum affectuum, amoris & odij, temperatione; præsertim cùm non tam amore serui quàm timore, ad obtemperandum agantur; non tam diligant dominos, quàm adhæreant & honorent; serui, inquam, conditione, quales Iudæa habebat. NON POTESTIS. Accommodat prouerbium ad rem presentem. Non potestis igitur vos Deo seruire & diuitiis. Cùm enim sint Deus & diuitiæ domini duo, adeoque iussis, ex diametro inter se pugnantibus, dissidentes, necesse est, vt, si diligatis Deum, negetis diuitiis seruitium; aut si tyrannidem ferre libeat diuitiarum contemnatis imperium Dei. SERVIRE. pari animi affectu ac promtitudine. Humanus enim animus, cùm vnus sit & ad vnum tendat, non admittit amores seu curas æquales duas rerum inter se pugnantium, aut alioqui disparium: &, vt admitteret, non satisfaceret Deo, qui toto corde integroque affectu coli vult: non fert dimidiatum seruum, & cum hoste communem. Quocirca non dixit: Non potestis Deo seruire & diuitias habere; sed seruire, dixit, Deo & diuitiis: nam seruire diuitiis, hoc est quod vitio datur: habent verò diuitias, qui non seruiunt eis, vt qui dominantur eis, & vtuntur ad seruitium Dei; cùm etiam ij qui seruiunt, habeantur ipsi à diuitiis, potiùs quàm habeant ipsi eas. MAMMONÆ. μαμμωνᾷ diuitiis. Chaldaica & Syrica vox est ממון *Mammon*, siue addito *aleph* emphatico ממונא *Mammona*, quæ & in Syrica, hoc loco, est editione, ܡܡܘܢܐ *mammono*, significans lucrum, diuitias, substantiam, omne denique quod ad rem pecuniariam pertinet: quam idcirco videtur græcus Euangelistæ Interpres ἀνερμήνευτον reliquisse, quo prosopopœia quæ hoc loco est dilucidior sit, tamquam si Mammona sit dæmonis aut idoli alicuius proprium nomen, quemadmodum πλοῦτος poëtis. Constituit enim hîc Saluator Deum & diuitias tamquam dominos duos: non quòd diuitiæ sint vnus aliquis dominus; sed quòd, non secus ac si essent, vnus aliquis magnus dominus, aut certè deus, ita omni studio totoque conamine illis seruiatur, colligendis, adaugendis, adseruandis, ita cor illis apponatur, ita spes in eis figatur, & felicitas constituatur (quam etiam ob causam Apostolus Ephes. 5. v. 5. *auaritiam idololatriam* appellauit) res certè indigna, vt rei inanimi, terrenæ, vili, quæ seruire homini debeat, homo seruiat, homo subsit, obtemperet, obsequatur, rationalis, libera, nobilis creatura. Non naturâ igitur suâ diuitiæ sunt Deo contrariæ (quæ per se sunt creatura Dei bona) sed vitio hominum. *Non illæ norunt aliqua iura dominatus*, ait S. Ambrosius scribens in Lucam, *sed ipsi sibi homines iugum seruitutis imponunt*.

Luc. 12. v. 22. 23.

Ideo dico vobis, ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nónne anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum? [25]

διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν τί φάγητε καὶ τί πίητε, μηδὲ τῷ σώματι ὑμῶν τί ἐνδύσησθε. οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος;

Ideo. quia infelix Deo ſeruire non poteſt, qui ſeruit mammonæ. Dico. præcipio vobis. ſeriò rem agentis id eſt. Ne soliciti sitis. quia ſolicitudine huiuſmodi, eò homo adducitur, vt fixo in terrenas curas cæco corde, mammonæ ſeruiat. *Ne ſoliciti ſitis* μὴ μεριμνᾶτε. *Solicitudo*, Cicerone definitore in quarto Tuſculanarum, *eſt ægritudo cum cogitatione*: & τὸ μεριμνᾷν deriuant Grammatici, παρὰ τὸ μερίζειν τὸν νοῦν, quòd animum rapiat in partes varias. Non itaque ait, Ne laboretis (nam laborandi incumbit neceſſitas) ſed, Ne ſoliciti ſitis (neque enim labori neceſſariò eſt ſolicitudo coniuncta) ſolicitudinem vetat, immodicam illam & anxiam, qua totus in hoc eſt homo, vt de rebus vitæ neceſſariis ſibi proſpiciat, nihilque Deo commendat, nihil diuinæ prouidentiæ relinquit, tamquam id ſolus ipſe curare & poſſit & debeat; cumque metuat vt poſſit, angitur & in diuerſa animo rapitur, ſpirituque vexatur, plerumque etiam deſperat, ſtudiis ſe applicans recto haud conſentaneis. Animæ vestræ. de anima veſtra, hoc eſt, vita veſtra (nam anima hîc vita intelligitur, hebraico more, ſicut Iob 2. v. 6: *Veruntamen animam illius ſerua*) quo eam toleretis, neque de corpore, quo id tegatis. Addunt Græca cum Syro, *Quid manducetis & quid bibatis*: id quod & Hieronymus annotat in nonnullis additum eſſe codicibus. Verùm Interpres illud non agnouiſſe videtur, vt facilè hic poteſt συνεκδοχικῶς intelligi. Nonne anima. Iam validiſſimis argumentis eximit animo ſolicitudinem illam peſſimam, docens, in Deo nobis eiuſque alma prouidentia confidendum: & pleraque effert per interrogationes ac permiſſiones, quò magis increſcat atque ardeat oratio. Ac primum quidem iſtud argumentum ductum eſt à minori ad maius. Quam esca? τῆς τροφῆς quàm alimentum? nónne vita pretioſior & præſtantior eſt quàm id quo alitur vita? & corpus quàm id quo tegitur corpus? vtique, vltra omnem comparationem. Qui ergo nihil ſolicitis, quin neque exiſtentibus in rebus, vitam corpuſque dedit: dabit procul dubio & ea quibus vita & corpus ſuſtinenda ſunt, præſertim cùm his ipſe voluerit vitam corpuſque opus habere, qui rerum naturam alio poterat modo inſtituere. Nam qui maiora vltrò dedit, declarauit ſe minora, eaque ad ſeruanda maiora quæ dedit, ſe auctore, neceſſaria, ſuggerere, & poſſe, & velle. Dabit igitur, quamdiu ei viſum fuerit naturam quam condidit ſeruare: nam vbi eam ipſi tollere viſum fuerit, cùm non in victu & veſtitu illius vita conſiſtat, nihil proderit quantauis illorum copia, ſolicitudine veſtra parta. Dabit autem, non quidem otioſis vobis quos non ad otium creauit: ſed ſolicitudine veſtra nihil opus eſt: eam ſibi relinqui atque in ſe proiici vult. 1. Pet. 5. v. 7.

Luc. 12. v. 24.

Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nónne vos magis pluris eſtis illis? [26]

ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας· καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τρέφει αὐτά. οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν;

Respicite. adſpicite. Alterum argumentum etiam à minore, ſed cibo proprium, quoad bruta animantia, quæ diuinitus citra omnem ſolicitudinem paſcuntur, deſcendit, vt vel in illis diſcamus diuitias bonitatis & amplitudinem prouidentiæ diuinæ, in quam recumbamus. Hanc enim vt apertiſſimam faciat, non adducit altum in deſerto quadraginta annos Iſraëlem (Deut. 8. v. 3. 4.) non laudat Eliam à coruis paſtum (3. Reg. 17. v. 6.) ſed obiicit bruta animantia, idque non leones, elephantes, vrſos, aut alia id genus grandia animalia, quæ & ipſa diuinitus paſcuntur (Pſal. 103. v. 21. 27. 28.) ſed animalium minima, auiculas, quæ cantui ferè vacantia, & veluti obiter cibum ſumentia, maximè à ſolicitudine libera videntur. Summa ergo eſt, quòd nos hortatur ad fidendum Deo, qui nullas ex ſuis creaturis quamlibet contemtibiles, negligit. Volatilia cæli. Volucres aërias, ſiue in aëre verſantes. Nam cælum pro aëre vſurpare, omnibus penè linguis vſitatum eſt: appellatiuorum autem genitiuis vtuntur Hebræi adiectiuorum loco, quod omnes norunt. Ad differentiam porrò volatilium quæ domi aluntur humana cura, addit *cæli*. Quoniam non servnt. quòd non ſerunt, quòd non ſunt ſolicita, quòd non faciunt tantum quantum vos pro victu parando. non quòd hoc nobis faciendum non ſit: ſed quòd eò minùs ſolicitos eſſe oporteat, vbi illud etiam facimus. Serere, metere, & in horrea cogere, ſi velint aues, ea ſolicitudo ipſis ſit: id enim eis, pro eo in quo ſunt naturæ gradu, haud conuenit, exceditque vires earum: at homini, cui ex naturæ inſtitutione id permittitur, non eſt ipſum in ſe ſolicitudo, non magis quàm auibus facere id ad quod naturæ inſtinctu feruntur, huc illuc volando victum quæritare. Monemur itaque vt ne immodica ſolicitudine nos torqueamus, &, vbi ex Dei præcepto aut vocatione maioribus vel melioribus vacamus rebus, quàm ſint eæ quæ ex profeſſo ad victum parandum faciant, nihil metuamus, ſed fidamus prouidentiæ Dei, quæ vna nobis ſufficit, etiamſi ceſſarent omnia humana ſubſidia. Et Pater vester. pro ſed Pater veſter. Licet nòn ſerant neque metant &c. tamen Pater veſter. Signanter dicit *Pater veſter*, vt intelligamus, ſi illis ſuggerat ad vitam neceſſaria, quorum creator & Dominus eſt; quantò magis id nobis facturum, quorum etiam Pater eſt? Cælestis. Non ſine ratione etiam *cæleſtis* addit, ne exiſtimemus indignum eſſe Patre noſtro cæleſti, nobis de victu proſpicere, qui auiculis etiam id facit. Pascit illa. prouidentiæ ſuæ benefica cura quibvis effuſa abſque his mediis alimenta illis ſubminiſtrat. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

ctione. Psal. 144. v. 15. 16. MAGIS PLVRIS ESTIS ILLIS? *μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν* magis seu multo præstatis illis? longè præcellitis illa? maioris emphaseos gratia iunctæ videntur duæ voces comparationem significantes. Nonne vos multò illis ipsius dono præstatis, quos ad imaginem suam creauit, quos in filios adoptauit, quos ad regnum cæleste æternumque vocauit, quorum gratia, illa ipsa, quin & cætera, condidit, ita vt meritò fidere debeatis, quod ad prospectum rerum ad victum necessariarum, minimarum illarum, multo ipsi maiorem esse vestri curam, etiam ac maximè tunc, cùm, vt ipsius vacetis seruitio, serendi, metendi, cæteraque seculi negotia, quibus victus paratur, reliqueritis? Magna est vis emphaseon hoc vno in argumento.

τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν, δύναται [27] προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα;	Quis autem vestrum cogitans, potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?	*Luc. 12. v. 25.*

QVIS AVTEM. Tertium argumentum à maiori sumtum. COGITANS. *μεριμνῶν*, participium est eius verbi, quod significat & aliquoties hic vertit, solicitum esse. ergo *cogitans*, id est, solicitus existens, seu solicitè cogitando, an via sua solicitudine. CVBITVM VNVM? possit vel minimum augere staturam suam? q. d. nullus, nisi Deus ipse faciat. *Cubitus humanæ staturæ mensura est*, Euthymius ait: idcirco *cubitum* dixit, cùm pedem, palmum, aut digitum potuisset. Nulla industria aut solicitudine augere queat aliquis staturam corporis sui, vbi semel assequutus est eam quam Deo placuerit definire: minuat potius solicitudine staturam, arrodendi illa cùm habeat vim. Cæterùm pueri ad descentesque, ad hoc vt ad iustam staturam perueniant, cooperari quidem possunt Deo ac naturæ, quæ ministerio virtutis vegetatiuæ ac nutritiuæ incrementum efficit pro ratione corporum ac genituræ initio, atque locorum ac temporum varietate, sed tantum abest vt solicitudo adhibenda sit, vt contrà obsit adhibita, nec felicius adolescere queant, quàm, si omni solicitudine vacui, vtantur bonis quæ Deus suggerit, vt ferè faciunt, & nec cogitantes quidem de augmento, interea nonnumquam cubita triennio accrescunt: rarum est enim quòd solicitudo infestet iuuenes, quorum spes naturâ magnæ sunt. Addit Lucas perficiens argumentationem: *Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis?* Si rem tantillam vestra solicitudo non potest, augere nonnihil staturam corporis; quomodo poterit corpus in vita seruare quantavis annonæ opumque congesta copia, ni si adspiret prouidentia Dei? q. d. Inanis & irritus est labor omnis vester, nisi illum prosperet Deus. Quia ergo ita vult, ipsi alendi & in vita seruandi corporis curam permittite, cui permittitis augendi, quique sine vestra id quàm decentissimè ac suauissimè facit cura.

καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε; [28] καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει.	Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent.	*Luc. 12. v. 27.*

ET DE VESTIMENTO. A victu particulatim tractato ad vestitum descendit, qui & ipse necessitatis est, etsi minoris quàm victus. est autem & elegantiæ siue decoris. CONSIDERATE. *καταμάθετε* perdiscite, animaduertite. posset verti secunda indicatiui, sed hactenus ita locutus est secunda imperatiui. Rursus à rerum natura exemplum petit, sed ex alterius generis rebus, quò illustrior clareat prouidentia Dei. Est autem iterum à minori argumentum. LILIA. In floribus præcipuè pulchritudo spectatur, quæ eis vestimenti est loco. Præ cæteris autem floribus, Lilia singulari pollent decore & gratia. AGRI. agrestia, quæ passim in agris occurrunt. hæc enim omnem decorem suum acceptum referunt vni Deo. hortensia; videri possunt aliquid humanæ curæ debere. QVOMODO CRESCVNT. quomodo crescentia eam pulchritudinem assequantur, ita fiant decora & gratiosa, vt oculis patet. NON LABORANT NEQVE NENT. nihil solicita sunt, non faciunt ad comparandum vestitum, ea quæ vos facitis, apud quos, *laborant* laboreque se fatigant viri, *nent* fœminæ. Vos igitur, cùm laborare & nere possitis, quid de vestitu soliciti estis? quòd si fortè non possitis, siue præ corporis imbecillitate, siue præ occupationibus melioribus, hæc æquè non possunt.

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ ὁ Σολομὼν, [29] ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ, περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων.	Dico autem vobis, quoniam nec Solomon, in omni gloria sua, coopertus est sicut vnum ex istis.	*Luc. 12. v. 27.*

DICO AVTEM. Attamen dico siue affirmo. QVONIAM NEC SOLOMON. quòd nec Salomon rex, amator ille præcipuus & studiosissimus perquisitor pulchritudinis omnis, qui reges omnes gloria superauit, antiquis, tam diuitiis & deliciis, quàm sapientia celebris. Confert inter se longè dissimillima, magnificentissimi regis Salomonis, exquisitum atque ad miraculum vsque ornatum, cultum, & sponte sua nascentium, vilium, contemtorumque florum agri, decorem: atque hunc illi longè præfert. IN OMNI GLORIA SVA. qua claruit toto gloriosissimi regni sui tempore. COOPERTVS EST. *περιεβάλετο* amictus, indutus fuit. SICVT VNVM EX ISTIS. tam pulchrè quàm vnum istorum. Rerum naturam, quæ à Dei prouidentia est, hominum cura, hominum industria, imitari potest, adsequi non potest. Vide, vt omnem mundi gloriam, vnico agri flori postposuerit: ita superbum hominum ad vestitus elegantiam studium reprimens.

εἰ δὲ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ, σήμε- [30] ρον ὄντα καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλό-	Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mitti-	*Luc. 12. v. 28.*

tur, Deus sic vestit; quanto magis vos, modicæ fidei? μένον, ὁ θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι;

SI AVTEM. Colligit ex præmissis, arguitque à rei vilitate, vt eo faciat insigniorem diuinæ prouidentiæ liberalitatem, nobisque eò maiorem fiduciam excitet. FOENVM. τὸν χόρτον herbam. AGRI. agrestem. QVÆ HODIE EST in rerum natura. CRAS. breui pòst. MITTITVR. proiicitur, demessa atque arefacta in ignem inicitur, ad clibanum seu furnum succendendum. hoc est, fragilissimam vilissimamque herbam. SIC. tam pulchrè, VESTIT. idque nulla exigente necessitate. ornatus, floribus, vestitus est loco. QVANTO MAGIS. οὐ πολλῷ μᾶλλον. nónne multò magis? q d. vobisipsis iudicium relinquo. Conclusio argumenti per interrogationis vehementiam. VOS. emphaticotερῶς intelligendum est, vt insignis honoris demonstratiuum. Vos tantò herbis agri præstantiores, atque adeò immortalitati à se conditos. s. vestiet, curabit vobis vestimenta, tegendo corpori necessaria, & vbi opus fuerit etiam ornando. MODICÆ, seu, vt aliàs legitur, MINIMÆ FIDEI. ὀλιγόπιστοι. ô parum fideles, vel, parum credentes. *Modicæ fidei* vertit Interpres Matth. 8. v. 26. Matthæi 14. v. 31., Syrus *parui fide*. Exclamatio amicè obiurgatoria, qua causam ipsam anxiæ solicitudinis hominum exponit, fidei scilicet, &, quæ hinc sequitur, fiduciæ exiguitatem, quòd minùs altè de Deo sentiant. quòd æquo minùs credant fidantq; Deo, vbi tamen tam præclara exstent beneuolentiæ beneficentiæque ipsius incredibilis in omnem creaturam suam argumenta. Diffidentia siue fiduciæ exiguitas è fidei exiguitate nascitur, idcirco huius vt matris nomine vtramque Saluator notat (vide infrà 9. v. 1.) parua namque fiducia paruam arguit fidem; vt magna fiducia, non nisi ex magna gignitur fide. Nam quia homines, vel non credunt, vel vix credunt, Deo res humanas curæ esse, aut de eius siue potentia siue bonitate parùm rectè parùmve liberaliter sentiunt, hinc illa animi, de rerum temporariarum prospectu, numquam secura, semper diffidens, cura: quam nos docet corrigere seria inferiorum creaturarum contemplatione, ex quibus intelligere ac perspicere licet, curam prouidentiæ & diuitias bonitatis Dei.

Luc. 12. v. 29.

Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? [31] μὴ οὖν μεριμνήσητε, λέγοντες· τί φάγωμεν, ἢ τί πίωμεν, ἢ τί περιβαλώμεθα;

DICENTES: QVID. Exprimit naturam solicitudinis à qua dehortatur, huiusmodi nimirùm cogitationibus, ceu continuis quibusdam æstibus, hominem exagitantis, Quid edemus? quid bibemus? quo vestiemur? semper timorem suggerentis ne ista aliquando desint, vt incerta est hominis omnis quantumuis industria prouidentia, semperque necesse est fluctuet qui illa sola nititur.

Luc. 12. v. 30.

hæc enim omnia gentes inquirunt, Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. [32] πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ· οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος ὅτι χρῄζετε τούτων ἁπάντων.

HÆC ENIM OMNIA, cibum, potum, vestitum, opesque quibus semper in promtu sit hæc aliaque his similia pro libidine comparare. GENTES. huius mundi, addit Syrus. à Deo veraque diuinarum ac cælestium rerum cognitione alienæ. Quia namque gentiles, vel non credunt Deum rebus humanis prospicere, vel non agnoscunt alia his maiora & solidiora bona, idcirco INQVIRVNT, ἐπιζητεῖ desiderant & quærunt ista cumprimis, toto his parandis sunt studio dediti, huc sunt labores, conatus, vigiliæ, solicitudines, curæ, cogitationes eorum omnes, vt eis de rebus sibi prouideant, quæ ad vitam tolerandam faciunt, nihil aliud nisi hoc solum anxiè curantes, existimantesque omnia suo labore & industria parari parandaque esse. SCIT ENIM. Syrus vertit *autem*, itaque Cyprianus legit vbi orationem Dominicam tractat, rursus vbi de opere & eleemosyna agit, denique libri tertij ad Quirinum cap. 11.: & aliquando τὸ γὰρ superest Græcis. Gentes ignorant, at ego vos id doceo, rem certam: Nouit Deus vobis opus esse his omnibus, qui vos ita condidit vt his opus haberetis. Cùm autem PATER VESTER sit, non potest non ei curæ esse, vt de iis vobis prospiciat, quibus nouit & voluit vos opus habere; quodque amplius est, voluit non nisi se adiuuante obtingere: & cùm sit ille qui cęlos habitat, qui præest mundo & plenitudini eius, in cuius manu sunt omnia (hoc enim addunt cum Syris Græci ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος *Pater vester cælestis*) non potest non ei suppetere, vnde & facilè & abundè prouidere vobis possit. Significat Saluator, eos omnes qui tantopere de his sunt anxij, paternæ Dei bonitati & prouidentiæ ditissimæ ac certissimæ, nihilo plus quàm gentiles honoris deferre. QVIA. quòd, quantum, & quamdiu. HIS OMNIBVS. cibo, potu, cultu, & similibus. INDIGETIS. nec proinde opus est vt de his anxiè soliciti sitis. Contentos nos esse vult Dominus iis quibus indigemus, nec sectari superflua.

Luc. 12. v. 31.

Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. [33] ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.

ERGO. In aliis libris est *autem*, conformiter græco ac syro: Cyprianus & Augustinus absque coniunctione legunt. Vos *ergo* siue *autē* soliciti estote vt quæratis. PRIMVM. ante omnia. Hæc sit vobis prima & pręcipua cura, in hoc sint labores & studia vestra omnia, vt quęratis. REGNVM DEI ET IVSTITIAM EIVS s. Dei (est enim græcè αὐτοῦ, quod ad τὴν βασιλείαν referri nō potest, id est, vera, solida, & diuina bona, ad quę creati & vocati

vocati estis: quæ gentes ignorant, idcirco nec quærunt, vobis autem manifestata sunt & singulariter promissa. Ad meliora igitur nati, ne vilioribus illis prorsus occupemini. *Regnum Dei* illud est de quo suprà v. 10., quo in Sanctis suis, absque alicuius hostis infestatione, Deus æternùm integrè regnat, quæ beatitudo est nostra. *Iustitia* autem Dei, est ea quam præcipit, requirit, probat Deus, Iustitia ipsa generaliter sumta, vti suprà 5. v. 6. & 10. Regnum Dei iustitia & quæritur & acquiritur; iustitia autem ipsa quæritur, dum sedulò virtuti incumbitur, nihilque prius homini est, quàm facere id quod Deo nouit gratum. ET HÆC OMNIA. mortali vitæ necessaria. ADIICIENTVR VOBIS. προστεθήσεται, ad verbum *apponentur*, quemadmodum legunt Cyprianus & Augustinus. Absque solicitudine vestra à Patre vobis suppeditabuntur, quærentibus regnum Dei & iustitiam eius; non mercedis loco, quòd regnum Dei eiusque iustitiam quæratis, sed auctarij instar adiicientur, supra æternam quæ vobis seruatur mercedem. Permittit vt & ista quærantur, absque solicitudine dumtaxat, nam & orare nos docuit: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie:* sed illa vult primùm quæri. Illa enim per se & propter se quærenda sunt; ista autem non nisi propter illa, quia necessaria homini mortali ad illa quærenda. Ergo primam vult nobis esse curam vt illa quæramus; minimam verò vt ista: nam si quid desit curæ nostræ de his, à Patre id suppletum iri, deuotis ipsius seruitio filiis, quibus ista largiri non pro magno habet, dum ad promouendã ipsorum salutem faciunt, sed velut auctuaria, super liberalissimam bonorum cælestium mensuram, ea ipsis adiicit, longè iucundiùs, quinetiam liberaliùs, quàm ij ea adsequuntur, qui, anxia animi solicitudine, omne studium in eo ponunt, vt illa quærant. quibus dum obtingunt ista (vt non obtingant nisi Deo faciente, quo sine irritæ sunt curæ omnes) vel mercedis dantur loco, ita vt non aliud sperare à Deo præmium debeant si quid habeant rectè factorum, vel, quod frequentius est, in pœnam & supplicium dantur incredulitatis ac diffidentiæ, aliorúmve peccatorum, numquam autem absque iactura bonorum æternorum.

μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον· ἡ γὰρ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς. ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς.

34 Nolite ergo soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. sufficit diei malitia sua.

NOLITE ERGO. μὴ οὖν ne igitur. Quò altiùs doctrinam inculcet, repetit eam, compescens ingenium immodicæ illius anxiæque solicitudinis, quo, præsentis diei cura non contenta, perpetuò illa ad futura distenditur. Vnicuique enim aliqua parandi victus cura incumbit, quam Saluator haud tollit: sed hoc vitium est plerorumque, vt præsentem curam conduplicent, &, quæ in aliud tempus differendæ sunt, isto præsumant: itaque fiant anxij totique immergantur solicitudinibus seculi, neglecto studio regni & iustitiæ Dei. IN CRASTINVM. de crastino, id est de futuro tempore. Nam & ב *beth* hebræis nonnumquam in vsu est loco על *hal*, hoc est, *in* loco *de*, vt Prouerb. 27. v. 1: & *cras in Scripturis*, ex hebraïco idiomate, *tempus futurum intelligitur*, quod Hieronymus annotat. De futuro autem tempore solicitus est, non qui quocumque modo prospicit necessitatibus temporis futuri, sed qui præsenti tempore adsumit rerum curam, quæ iuxta rectæ rationis dictamen in futurum tempus differenda est. SOLICITVS ERIT SIBI IPSI. Ita videtur Interpres græcè legisse, vt est in codice Victoriano, μεριμνήσει ἑαυτῇ, solicitus erit de seipso. Alioqui græcè est μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς curabit sua. solicitus erit de rebus suis. Porrò sensus idem vnus est: Sinite futuro tempori sui ipsius curam esse: quid necesse est ante tempus miseri sitis? Nam & quantumcumque hodie solicitudinem conduplicetis, nihil ideo minus futurum tempus secum adferet curarum, quibus sibi solicitum & vobis molestum sit, ita vt non sitis illius onera reddituri leuiora, dumtaxat præsentem diem alieni fascis iniectione frustrà oneraturi. DIEI vnicuique. MALITIA. κακία pro κάκωσις, malitia pro afflictione, id quod etiam notarunt Hieronymus & Chrysostomus. Curam autem quam impendit homo rebus necessariis huic vitæ etiam moderatam, adflictionem vocat, quippe quæ sit mortalis huius vitæ miseria, vt ad hęc curanda subinde recurrere & demittere sese oporteat, nec liceat diuinis rebus totum perpetuò manere adfixum. SVA. ipsi accidens vltro. Per prosopopœiam diei ipsi solicitudinem tribuit & adflictionem, quæ homini competunt. *Vt enim eos acrius increparet*, inquit Chrysostomus, *ipsum penè tempus animauit, & velut adflictum ab omnibus introduxit, quasi quod contra illos de imposita sibi adflictione superflua clamaret.* Id autem dicit: Vt miseri sitis, satis secum curarum malorumque adfert præsens quisque dies, ita vt non opus sit, futuri temporis accersere molestias. Significat, eum qui hodiernas curas crastinis auget, nimio se & superfluo opprimere onere curarum: itaque, præter superiora omnia, noua rursus ratione à solicitudine auocat: nec enim ob aliud omnino id iubeo, inquit, nisi vt vos ipsos liberem ab inanium adflictione curarum. Refertur autem hoc Christi documentum, ad exemplum eorum, qui, in deserto, verbum Dei mandatumque sequuti, præsentis diei cibum cælitùs missum tantùm colligebant; crastinum mittendum sperabant à Deo. Exod. 16. v. 19. Est ergo totius huius hactenus doctrinæ summa, vt suas fideles temperent curas: primam operam dent quærendo regno Dei & Iustitiæ eius; tum ad victum parandum modestam adhibeant liberis animis curam iuxta genus vocationis suæ: fructum autem, qui hinc ad se redeat, benignæ, prouidæ, certæ, ac præpotenti, Dei pro se solicitudini, committant.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Luc. 6. v. 37.

Nolite iudicare, vt non iudicemini. [1] Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε.

NOLITE IVDICARE. μὴ κρίνετε ne iudicetis s. quemquam. Varia continet hoc caput doctrinæ Christi capita, & inprimis reditur ad dilectionem proximorum, prohibemurque iudicare quemquam, quod erat aliud vitium Pharisæis & Scribis familiare. Accipitur autem *iudicare* in malum, ita vt condemnationi iunctum est: sed non agitur de publico legitimoque iudicio, id quod persæpè vt sanctissimum, atque apprimè necessarium, sacris literis probatur & commendatur; verùm de priuato, eoque non quouis, sed temerario ac maligno, quo quis, vel sinistrè interpretatur alterius dicta aut facta dubia, vel exaggerat delicta leuia, vel diuulgat crimina, vel calumniis impetit benefacta, vel desperatæ salutis delinquentem iudicat; in summa, Iniquus, seuerus, curiosus est in alios censor: id quod, aut ex inuidia odioque in fratres nascitur, aut ex superbia, venante cum illis collata probitatis opinionem, aut denique ex curiositate, animum tractandis vitiis alienis oblectante. Porrò crimina manifesta damnare, non illud iudicare est, sed sequi Dei iudicium qui eiusmodi damnauit: &, fratrem quò emendetur corripere, id vel vnicè diligere est. Cùm verò iudicare sit definitiuam de re ferre sententiam, suspicio à iudicio differt, id quod B. Augustinus notauit tract. 90. in Iohannem.

VT NON IVDICEMINI à Deo, vt ne experiamini Deũ exactum seuerumq; in vos iudicem, qui nihil prætereat, nihil indulgeat, nihil relinquat impunitum. Fit etiam plerumque, vt homines experiantur suæ vitæ censores tales, quales ipsi egerint alienæ: quæ, quamquam res sit molestissima, & natura mirè omnibus inuisa; verosimilius tamen est, Saluatorem terrere nos voluisse Dei iudicio, quàm hominum, qui & de candidissimis animis sæpenumerò censent iniquissimè.

Mar. 4. v. 24. Luc. 6. v. 38.

In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. [2] ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε· καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν.

IN QVO ENIM IVDICIO. Latinè loquenti supersit *in*. Tale subeundi in vobis erit apud Deum iudicium, quali vos vsi fueritis in alios; exactum, seuerum, rigidum, si exacti seu potiùs curiosi ipsi, seueri, ac rigidi fueritis. Contrà, si candidi fueritis ac benigni alienæ vitæ iudices, Deum quoque contra vos candidum & benignum iudicem sentietis. *Vt enim diligentius peccata examinentur tua*, ait Chrysostomus, *legem prius ipse posuisti, seuerius de his quæ proximus peccauerat iudicando*. nam, *iudicium sine misericordia*, quod dicit Apostolus, *illi qui non fecit misericordiam*. Iac. 2. v. 13. *Væ autem etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam*, Augustinus inquit, vbi orat pro vita defuncta matre sua, capite vltimo libri noni Confessionum. ET IN QVA. Superest *in* latinè. REMETIETVR. impersonaliter. ἀντιμετρηθήσεται vicissim metietur, par pari referetur. Conuenit ista sententia Saluatoris cum ista hebræis vsitata prouerbij loco מדה במדה *midda bemidda*, vel מדה כנגד מדה *midda ceneged midda* Mensura pro mensura, vbi vicissitudinem & par pari relatum significare volunt. Eódem igitur pertinet ista sententia, quò ea quæ proximè tractata est, quamquam prouerbialis ista generalior sit, fore, vt talis erga nos sit Deus, quales nos erga alios; bonus, si boni, malus, si mali; durus, inclemens, rigidus, si duri ipsi, inclementes, rigidi; si misericordes, benigni, faciles, misericordissimus ipse, benignissimus, facillimus. Non enim intelligenda est æqualitas graduum inter diuinam & humanam siue benignitatem, siue rigiditatem, sed dumtaxat in genere, vnam alteri respondere, Dei benignitatem hominis benignitati, Dei rigiditatem hominis rigiditati; maiori vel minori hominis siue rigiditati siue benignitati, Dei maiorem vel minorem siue rigiditatem siue benignitatem. Nam quòd ad gradus, in immensum excedit, humanam diuina, tam rigiditas, quàm benignitas, tametsi rigiditas meritum hominis non excedat.

Luc. 6. v. 41.

Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? [3] Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς;

QVID AVTEM. Describit vnum seuerorum iudicum cumprimis impudens genus, qui cùm grauissimis ipsi sceleribus teneantur, delicta aliorum minima notant, mirisque modis frequenter amplificant.
VIDES. βλέπεις adspicis. significatur curiositas intuendi in alienos errores studio reprehendendi.
FESTVCAM. τὸ κάρφος. Minima est ligni particula, quales nonnumquam incurrunt in digitos, aut in oculos inuolant: qua significantur peccata minora leuioraque, aut reuera eiusmodi, aut eorum peccatorum comparatione, quibus obnoxius is est, qui sibi sumit partes iudicis. ET TRABEM QVÆ IN OCVLO TVO. τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν quæ autem in oculo tuo est trabem. Per trabem significantur maiora grauioraque peccata, quanto maior grauiorque est trabs festuca: verbi gratia, ira festuca est; odium, quæ est ira inueterata, trabs, tamquam quæ vetustate excreuerit in trabem. NON VIDES. οὐ κατανοεῖς non animaduertis? Quare, inquit, tam oculatus & curiosus es in cernendis atque arguendis aliorum vitiis, & cæcus indulgensque in tuis, longè maioribus iis & grauioribus? q.d. summa impudentia est.

4 ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου· ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ ἰδοὺ ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου;

Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eiiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo?

Luc. 6. v.41.

AVT QVOMODO. qua fronte. Est enim admirantis potiùs quàm simpliciter interrogantis. Auxesin notat hypocriticæ impudentiæ, quæ non contenta obseruasse apud se fratris erratulum, erumpit etiam & apertè reprehendit, neglectis propriis criminibus adeò magnis. DICIS. ἐρεῖς græcè, est vel futurum *dices* ab ἐρῶ, vel præsens *dicis* ab ἐρέω porrò præsens apprimè præcedentibus congruit. EIICIAM FESTVCAM. Qui alterum corripit, similis illi est, qui eiicere conatur ex alterius oculo id quod oculum offendit: vterque enim corrigere studet, vnus oculum fratris, alter animum. ET ECCE TRABS EST. Omittitur græcè *est*, ita vt liberum sit, vel subaudire *est*, vel intelligere trabs regi ab *ecce* aduerbio.

5 ὑποκριτὰ ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ τοῦ ἀδελφοῦ σου.

Hypocrita eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.

Luc. 6. v.42.

HYPOCRITA. Hypocritas vocat, quòd videri velint quàm alienissimi à vitiis, vt qui eis infensissimi nec minima ferant, cùm reuera toti sceleribus madeant; quodque non emendatos desiderent fratres, id quod præ se ferunt, sed nihil quàm pudefactos, aut etiam laceratos: non enim oderunt in fratribus vitia, quibus grauiora diligunt in se. DE. ἐκ EX OCVLO TVO. corrige priùs in te grauiora vitia tua. VIDEBIS EIICERE. διαβλέψεις ἐκβαλεῖν dispicies vel perspicies eiicere, phrasis græca, pro, vt eiicias. Iam non vides, nimirum, trabe, in- le sua, visum tibi tollente aut vitiante, cùm non aliàs magis opus sit integro visu, quàm vt minutula videantur: *tunc videbis*, purgatus oculis; tunc idoneus eris, ita vt & tibi & aliis satisfacere queas: nam, vt etiam videas alioqui, nihil quàm veritatem odio exponis. DE. ἐκ ex.

6 μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων· μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς.

Nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.

NOLITE DARE. μὴ δῶτε ne detis. Candidæ erga omnes simplicitati quam præcepit, vult prudentiam iunctam esse, ne prophanis hominibus sacra prostituantur mysteria. SANCTVM. Neutri generis est, quod est ex Græco perspicuum. τὸ ἅγιον. res sanctas. *Sanctum* Iudæis dicebatur, id quod Deo oblatum consecratumque erat: quod nemo nisi consecratus tractare, nemo nisi mundus comedere, nemo ad vulgarem vsum referre posset. Leuit. 10. v. 4. 19. v. 8. 24. v. 9. Antiquæ igitur cæremoniæ symbolum explicat, qua; non quiuis ad esum admittebatur sanctorum: inprimis autem doctrinam hîc intelligit Euangelicam (quod etiam Augustinus docet libri 1. de adulterinis coniugiis cap. 27.) sanctissimam illam & diuinissimam; nimirum, profectam à Deo, & ad Deum homines adducentem. CANIBVS. A sanctis procul arceri solent canes, vsque adeò, vt in veteri lege, neque precium canis in domo Dei offerri posset, non magis quàm merces prostibuli: *quia abominatio est*, ait Lex, *vtrumque apud Dominum Deum tuum*. Deut. 23. v. 18. Est enim canis immundum animal, idque inprimis duplici ratione secundùm Legem, quia nec vngulam findit, nec ruminat (Leuit. 11. v. 26.) tum & aliis rationibus, quia omnia comedit etiam putrida & immunda, salacissimus est turpissimoque libidinis spectaculo notatus, inter homines educatus nec ab humana carne abstinet, sanguinis lingendi est auidissimus, sæpissimè mingit & vbique, resumit vomitum suum. Canes itaque intelliguntur, homines, toti immundo mundo vitiisque dediti, quibus vitia cùm in naturam sint versa, nulla ipsi de se conuersionis in melius spem præbent. Non enim quoslibet impios impurosque homines intelligi Saluator vult, sed eos qui certis documentis peruicaciam ostenderint Dei virtutisque contemtum. His, cælestia illa, pura, & sacrosancta Euangelicæ veritatis documenta, nuda præsertim, ingerere & communicare prohibemur. NEQVE MITTATIS. μηδὲ βάλητε. neque proiiciatis. Idem docetur aliis verbis: eadem namque Euangelica doctrina, quia diuina est, vocatur sanctum; quia pretiosa supra omnem æstimationem est, margaritis comparatur: propterque immunditiem, iidem porci, qui canes, quòd in sordibus etiam volutentur, & ornatu minimè sordibus verò cumprimis gaudeant, auroque lutum præferant.
MARGARITAS VESTRAS. cælestis sapientiæ thesaurum vobis creditum. Margarites dicitur græcè, à nitore splendenti; Latinè, Vnio. Vnionibus summum olim fuisse pretium, abundè testis est Plinius lib. 9. cap. 35. vide infrà 13. v. 45. NE FORTE. μήποτε nequando, ne. non est dubitantis, tametsi Interpres vertat *ne forte*: id enim pro more habet, vt aliàs *forsitan* dicere, pro *vtique*. Psal. 80. v. 15. Ioh. 5. v. 46. vide suprà 5. v. 25. Reddit præcepti rationem duplicem, quæ, secundùm rem, vtraque æquè venit intelligenda de canibus & porcis; sed secundùm analogiam, prior à porcis accepta videtur, altera à canibus. Porcorum enim propriè est, pedibus conculcare id quod sibi obiectum respuunt; canum verò, irritatos iactu oblatrare & insurgere aduersus eos qui obiecerint id quod esui ipsorum non conueniat. Nam, quamuis sanctum cibum, à quo potissimùm analogiam duxisse Saluator videtur, canis non respuet, quin nihil minùs vorabit quàm prophanum: sed ad rem quam significatam voluit, præcipuè Saluator respexit. CONCVLCENT EAS. Porcus margaritæ pretiositatem, Canis rei sacræ dignitatem, non intelligit: quare ille margaritam sordibus posthabens pedibus terit, iste nullum habet locis aut rebus sacris honorem. Contemtus itaque hîc

notatur doctrinæ cælestis, quam animalis homo quia non percipit (*Stultitia enim est illi* 1. Cor. 2. v. 14.) contemnit, reprobat, quod in se est temerat & prophanat. Est enim aperta prophanatio, dum impiorum ludibriis subiicitur. PEDIBVS SVIS. ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν in pedibus suis. id, vel est, inter pedes suos; vel, hebraico loquendi more (quo ב beth litera præpositionis *in* seruit instrumento) cum pedibus suis: quorum istud sequutus Interpres rectè omisit *in*. ET CONVERSI. στραφέντες versi. Primùm enim ad id se vertunt, canes inprimis, tum etiam porci, quod obiectum fuerit: id verò, vbi inuentum suo esui haud esse accommodum, contemnere, conuertuntur in eum qui obiecit. DIRVMPANT. ῥήξωσι lacerent, lanient. Altera ratio, ne, vbi sacra ipsa violauerint & proculcauerint, etiam eos qui præbent malè excipiant. Ita enim fieri adsolet: nam, quia sacra non placent eis, contemnunt, irrident, blasphemant: quia verò etiam malitiæ eorum inimica sunt, in eum qui protulerit insurgunt, conuitiis lacerant, verbis & factis persequuntur. experitur, qui hæretico loquitur de castitate, de obedientia, & his similibus. His ergo qui eiusmodi sunt, cùm nihil hinc eis adferatur, nisi noxa cumulatior; non est sacra doctrina ingerenda, ne temerè, & doctrinam profanationi, & se persecutioni, doctor exponat.

Luc. 11. v. 9.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. 7 αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε· κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν.

PETITE. Exhortatio ad orationem, cumprimis necessariam, ad obseruationem eorum quæ hactenus docta fuere, quò impetretur Dei auxilium, sine quo illa nequeunt obseruari. *Petite*, s. oratione à Deo Patre vestro cælesti. Non addit quid, vt quidlibet intelligas: *Diues est enim in omnes qui inuocant illum* (Rom. 10. v. 12.) nec dando exhauriri potest. Cæterùm id omne quod rectè petatur, comprehensum est oratione Dominica superiori, oportetque aut salutem ipsam veram esse, aut ex eorum genere quæ eò conferunt, hoc est *secundum voluntatem Dei*, quo modo Iohannes loquitur 1. epist. 5. v. 14: *Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos.* Quòd si quid petant pij quod meritò nesciant nociturum, non censentur illud petere: non enim peterent, si nossent secreta Dei. Intelligendum porrò est *Petite*, eo modo quo petere oportet, ea animi attentione, demissione, fiducia, feruore, constantia denique, qua æquum est hominem à Deo rem eiusmodi vel eiusmodi petere. *Admonemur à Deo petere sapientiam*, inquit Augustinus, *qui dat omnibus affluenter; vtique his omnibus, qui sic petunt & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda est.* libri de natura & gratia capite 17. ET DABITVR VOBIS id omne quod petieritis. Animat nos ad orandum, certa exauditionis promissione: significatque, meritum exauditionis, per peccatum amissum, per se restitutum nobis esse. Porrò aliquando, tametsi non mox detur, non negatur res à Deo, sed, vt opportuno ac congruo detur tempore, differtur. QVÆRITE, ET. Quia lenti & pigri ad orandum sumus, & ferè parùm liberaliter de Patris nostri beneficentia sentimus ac fidimus, tribus loquendi formis eandem rem iterat atque vrget: docetque *non obiter* aut defunctoriè orandum esse, *sed cum sedulitate multa*, inquit Chrysostomus, *ac magna intensione*, & constantia *ardoreq́ue vehementi*. Nam sedulitas quidem & intensio, quærendi voce; ardor autem & constantia siue perseuerantia, pulsandi, intelligenda datur: nam sonitum feruidum edit qui pulsat, & quasi vim facit postquam clamans non exauditur (non enim nisi tandem pulsus adhibetur, vbi clamor nihil proficit) *qui autem quærit, cuncta alia mente proijciens, sedulò in vnum intendit illud quod requirit.* *Nam longè meliùs* (quod B. Augustinus docet libri retract. primi capite 19.) *ad instantissimam petitionem hæc omnia referuntur*. Non vult Deus dona sua nimia inueniendi facilitate vilescere: pretiosa & concupiscibilis merx cupidum amatorem & auidum negotiatorem requirit. Quod dare vult differt, vt ampliùs desideres dilatum, ne vilescat citò datum. Porrò quærendi metaphora Saluator est vsus, quòd nos lateat vbi sint, quæ necessitas nostra postulat, nec suppetunt; pulsandi verò, quòd sensus carnis imaginentur clausa esse, quæ ad manum non adsunt, propiusque vrgendum quasi esse, qui non perinde statim exaudiat clamantis vocem.

Luc. 11. v. 10.

Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. 8 πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται.

OMNIS ENIM. Ne intelligeres solis Apostolis aut aliis nescio quibus promissam esse exauditionem: confirmat promissionem generali sententia, qua, tanta constantia & fide, Patris gratiam omnibus precantibus offert, vt intelligendum relinquat, iustas ignauiæ suæ dare pœnas, quotquot rebus ad salutem necessariis destituuntur. Apud hominem, inquit, nonnumquam in cassum funduntur preces, vel quia non potest præstare quod rogatur, vel quia non vult roganti. Verùm apud Deum, qui & omnipotens & optimus est, omnis qui petit accipit; *Omnis*, sine exceptione, sit diues, sit pauper, sit paruus, sit magnus, immo sit iustus, sit peccator, neminem excipit Deus, modò non sit eiusmodi, cui propositum peccandi perseueret. De hoc enim scriptum est Prou. 28. v. 9: *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*. Nam in promissionibus eiusmodi generalibus, ferè subaudiendum est, quantum hac ex re est; nisi aliunde impedimentum adferatur. ET PVLSANTI APERIETVR. Feruentes constantesque preces numquam irritas fore pronunciat: non enim tria ista seorsum singula accipienda sunt, sed coniunctim, quod diximus, feruentes constantesque preces significant: quæ quidem, probant, Dei dona, quemadmodum decet, æstimari, optari, atque expeti, ac proinde Dei gratiam conciliant, videntis, non contemtionem, sed contentionem, eorum qui ipsius dona petunt.

ἢ τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃν ἐὰν αἰτήσῃ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον, μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ; 9

Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? *Luc. 11. v. 11.*

AVT QVIS EST. ἢ τίς ἐστι Nam, vel, Num quis est vestrûm: nam ἢ particula, vel interrogandi vim, vel ratiocinandi, hoc quidem loco, habere videtur. Promissiones superiores, allato ex humanis rebus exemplo, firmat, ducto à minori argumento. HOMO. Videtur id non modò ex hebræorum idiotismo additum esse, sicut alibi frequenter, verumetiam vim aliquam hoc loco habere, quod apparet ex conclusione. Homo tametsi sit, malus vtique, non natura, sed corruptione. QVEM. à quo. SVVS. ipsius.
NVMQVID LAPIDEM PORRIGET EI? Repetitio particulæ interrogantis, & eclipsis nominatiui ante verbum *porriget*, siue dabit, constructionem faciunt paulò duriorem: cuius generis dicendi & infrà vsus est, 12. v. 11. Num filio petenti panem quo famem leuet, lapidem dabit quo se lædat priùs quàm famem sedet? q.d. minimè, verùm id quod petit daturus est ei, vbi tamen consequentius erat, homo cùm sit, id est, malus, vt lapidem daret.

ἢ καὶ ἐὰν ἰχθὺν αἰτήσῃ, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; 10

Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?

PISCEM obsonij loco. SERPENTEM. qui non vitam sustineat, sed mortem inferat. Pulchra oppositio piscis & serpentis, rursus panis & lapidis: figura enim sibi mutuò cùm persimilia sint, ad hominis vsum ex diametro distant.

εἰ οὖν ὑμεῖς, πονηροὶ ὄντες, οἴδατε δόματα ἀγαθὰ διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν· πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν; 11

Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se? *Luc. 11. v. 13.*

CVM SITIS MALI. πονηροὶ ὄντες mali existentes, tametsi mali sitis. Malos vocat homines omnes, etiam iustos: nam quos malos, eosdem mox filios Dei nominat, cùm addit *Pater vester qui in cælis est*, id quod B. Augustinus notauit capite 3. libri 3. contra duas epistolas Pelagianorum. Malos autem vocat, non ex natura ipsa, sed ex naturæ corruptione, quippe qua fiat, vt procliues ad malum omne omnes sint, & sine frequentibus delictis nequaquam viuant. Priorem rationem Augustinus, ex Hilario tractante Psalmi 118. literam *samech* habet libro in Iulianum secundo; posteriorem, libri primi contra aduersarium legis & prophetarum capite 22. BONA DATA. δόματα ἀγαθὰ dona bona. vbi proximius esse videatur, vt mali mala detis, neque omnino annuatis id quod postulant boni. Temporaria enim licet sint, & ad vitam istam caducam pertinentia, sunt tamen bona, eiusmodi, quæ quando mali dant, non sua dant, sed Domini, cuius est terra & plenitudo eius. FILIIS. τοῖς τέκνοις liberis VESTRIS. Nimirum, quia filij sunt, paterno adfectu malitiam superante. PATER VESTER. omnis malitiæ expers, solus absolutè bonus, cuius natura bonitas est, ipseque ipsum summum bonum. *Nemo bonus nisi solus Deus*. Luc. 18. v. 19. QVI IN CÆLIS EST. à quo est quidquid vsquam est boni, à quo descendit paternitas omnis in cælo & in terra (Ephes. 3. v. 15.) à quo adfectus ille in hominum patrum corda stillat, vt, tametsi erga alios quàm maximè restricti, inuidi, duri, & crudeles sint, in filios tamen plusquam benignè & liberaliter se effundant. BONA. salutifera. Si mali datis bona, quanto magis bonus bona daturus est? Si tantum ad beneficentiam valet gutta vna hominum patrum cordibus à Deo instillata; quid ab ipso mari inexhausto sperandum est? Interea tenendum est illud prophetę. *Etsi illa* (mater) *oblita fuerit filij vteri sui, ego tamen non obliuiscar tui*. Isa. 49. v. 15. PETENTIBVS SE filiis suis bona? vobis filiis suis qui bona petitis ab ipso? Nam lapidem aut serpentem, mala aut noxia vobis, si fortè petatis, non sinat paternus affectus vt ea det vobis, nisi, si non vt filios, sed vt inimicos vos gerentibus, iustus iudex iratus det, quæ propitius negaret. Docet itaque oportere filios esse eos qui petunt, ac proinde nihil petere, nisi quod & patrem dare, & filios deceat accipere.

πάντα οὖν ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται. 12

Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. hæc est enim lex & prophetæ. *Luc. 6. v. 31.*

OMNIA ERGO. Aliud caput de consuetudine & societate hominum inter se, quod, si ex superioribus inferatur (existimant enim quidam illationis notam superfluere; vt certè Syrus omisit; quemadmodum sæpe particulas istas in huiusmodi concisis sententiis, non ex iis quæ proximè antecedunt infertur, sed ex iis quæ quinto potissimùm capite, & huius septimi initio dicta sunt, ad proximorum spectantibus dilectionem, quę omnia hæc vna sententia complectitur, probatque vt æquitati quàm maximè consentanea. est enim hæc ipsius naturæ Lex. QVÆCVMQVE VVLTIS. Nihil hìc haud dubiè intelligendum est, nisi quod rectè velis: est enim propria bonorum vniuersitas. HOMINES. id est, alij. ET VOS. Græcè & Syriacè οὕτω καὶ ὑμεῖς sic & vos. Similitudo significatur, non æqualitatis, sed proportionis, propter conditiones dispares, mariti & vxoris, patris & filij, domini & serui &c. Vbi propria res agitur, acutè videt vnusquisque

quid rectum sit, quid erga se fieri æquum sit: at vbi aliena vtilitas vel iactura in quæstionem venit, præ ea quam φιλαυτία adfert cæcitate, non perinde in promtu occurrit illa cognitio. Cæterùm, vt occurrat, iubet Saluator, vt vbi aliorum res agitur, nosipsos adspiciamus, &, id quod optaremus nobis, huiusmodi re nata, ab illis fieri, id ipsi vicissim eis præstemus: hoc est enim diligere proximum sicut seipsum. Domestico itaque magisterio nos erudiendos tradit, & vnumquemque sibi regulam constituit rectè & iustè cum proximis viuendi: qua non poterat alia æquior dari, ipsa suffragante naturæ ratione. LEX ET PROPHETÆ. Metonymia, pro, doctrina legis & prophetarum. Hoc est id quod tam multis & variis præceptis atque exhortationibus agunt lex & prophetæ: quidquid illic exstat, de colendis, iudicio, iustitia, misericordia, quidquid de dilectione proximorum, totum ad hunc scopum refertur, vt qualem in se quisque alium esse cupit, talem se illi vicissim præbeat. Hæc summa est totius secundæ tabulæ legis: nec enim ait (quod B. Augustinus obseruauit) id quod Matth. 22. v. 40: *Hæc vniuersa lex est & prophetæ.*

Luc. 13. v. 24.

Intrate per angustam portam: [13] quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam.	εἰσέλθετε διὰ τῆς στενῆς πύλης, ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη, καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς, ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ἀπώλειαν, καὶ πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐτῆς.

INTRATE. Vt ne quis causaretur, ardua esse quæ hactenus præceperat, adeoque inaudita & insueta, quæ à paucis aut nullis seruentur, occurrit Christus & docet, non nisi difficilem ad beatitudinem aditum esse. *Intrate*, inquit, hoc est, ite, viam vestram instituite. PER ANGVSTAM PORTAM. Portam vocat temporalem hanc vitam: sicut enim in porta non subsistitur, sed per eam transitur, intraturque in domum aut ciuitatem; ita non permanet homo hac in vita, sed per eam transit, intratque in eam vitam quæ æternùm duratura est. Angustam autem portam intelligit, rationem viuendi secundùm diuinam legem à se hactenus magna ex parte expositam: quam idcirco angustam dicit, quòd constringat hominem terminis virtutis, nec sinat euagari, siue dextrorsùm, siue sinistrorsùm, quò satisfaciat cupiditatibus suis. LATA PORTA. Vulgaris viuendi & agendi ratio, quam mundus tenet ac sequitur, lata porta est, quia hominibus libertatem dat eundi post concupiscentias suas varias illas & diuersas. ET SPATIOSA VIA EST. Eadem intelligitur spatiosa via, quæ lata porta. Vita hæc temporalis viæ similiter comparatur vt portæ: vt enim in via non manetur, sed per viam itur ad terminum quò illa ducit: ita hac in vita non manet homo, sed per eam pergit ad terminum quò illa ducit, siue vitæ siue mortis æternæ, pro ea qua instituta fuerit ratione. Iam, vt volenti digredi à recta via, multus amplusque hinc inde ad digrediendum est locus: ita deserere volenti virtutis semitam, spatiosa hinc inde patet via, per diuersa ac varia genera vitiorum, alia in excessu, alia in defectu consistentia, quæ inter media est ipsa virtus. Porrò intelligenda huc etiam venit virtus fides, cæterarum virtutum fundamentum, vti benè docet Leo serm. 5. de Natiuitate Domini. QVÆ DVCIT. ἡ ἀπάγουσα quæ deducit. AD PERDITIONEM. εἰς τὴν ἀπώλειαν in exitium, in ignem seu supplicium æternum. *Molle ostentat iter via lata* (Virgilij est hac de re epigramma) *sed vltima meta Præcipitat captos, volutij, per ardua saxa.* Lata porta & spatiosa via ad perditionem deducit; angustam itaque eligite.
ET MVLTI SVNT. Maior longè hominum pars. QVI INTRANT. qui incedunt, qui gradiuntur PER EAM, &, quod consequitur, in perditionem abeunt, in exitium abducuntur. Capiuntur viæ facilitate, præbentis, qua est latitudine, libertatem vt quod lubet faciant, sed quæ ad breue tempus delinitos transmittit in calamitates inenarrabiles, & falsis bonis deceptos tradit veris malis. Non itaque multitudo sequenda est: nec enim eo minùs pereas, quia pereas in turba.

Quàm angusta porta, & arcta via [14] est quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam?	τί στενὴ ἡ πύλη, καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς, ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωὴν, καὶ ὀλίγοι εἰσὶν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν.

QVAM ANGVSTA. *Τί στενή.* Id Theophylactus & Euthymius ita interpretantur, vt particula τί sit admirantis: Papæ quàm est angusta! quò admodum angusta esse porta, & valde arcta esse via, significetur. Duo enim ista idem vnum sunt, nec nisi arctitudinis intensionē declarant, id quod B. Basilius docet quęstione 241. Multæ, immo innumeræ sunt vitæ malè instituendæ rationes, idcirco ea lata est porta & spatiosa via: sed vnica est benè viuendi ratio. à qua si vel latum vnguem discedas, offendis & præcipitij discrimini te exponis. Est enim veluti stricta quædam via, inter duo præcipitia hinc inde, media constituta, è qua, nisi se cautè obseruet homo, facilè in præceps ruat: media est enim virtus inter extrema vitia; defectus vitia ex vna, excessus ex altera parte. Porrò viam hanc pergenti homini multum facessunt negotij diabolus & mundus, maximè verò caro propria: hi enim cùm oderint mediam virtutis viam, numquam per eos homo quietus est, vt suum iter conficiat, semper illis id solicitationibus suis agentibus, vt ad extremas viæ oras in certum exitium hominem adducant: quibus cùm necesse sit vt reluctetur homo, nullaque ratione committat vt de via deflectat (quantumuis lati & pulchri cāpi, qui apparent hinc inde, inuitent, vbi latentium præcipitiorum fraus mendaci camporū soliditate velata est) quæ per se arcta erat, valdè arcta fit homini via, præsertim qui tam effreni equo, carne, sedeat oportet. Eadē ratione fit, vt ita angusta sit porta, vt non sine difficultate magna superetur, cùm ob persequutiones quas mouet iis mundus qui portam hanc petunt, tum maximè ob carnis indomitam concupiscentiam, cui cùm nullam portæ angustia relinquat agendi suo pro ingenio libertatem, ampliùs illa irritata insurgit potentiùs, ita vt, nisi magna virtute in arctum homo comprimat fluida desideria, insigniterque sibi ipse vim faciat, fieri non possit vt portam transmittat. Cæterùm angustias istas difficultatesque viæ ac portæ in vitam ducentis, lenit potentissima Christi gratia, quæ, & hostibus omnibus nos reddit superiores, &, charitate in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffusa, facit vt eueniat id quod de se ille,

ſe ille canebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Pſal. 118. v. 32. AD VITAM æternam, ad beatitudinem. arcta eſt, ſed ducit ad vitam. *Via virtutis,* inquit ille, *difficilem aditum primum ſpectantibus offert: Sed requiem præbet ſcopis in vertice ſummo. Quiſquis enim duros caſus virtutis amore Vicerit, ille ſibi laudemq́, decusq́, parabit.* ET PAVCI SVNT. ſubauditur ὡς. & quàm pauci ſunt: admodum pauci ſunt, maximè iis collati qui latam viam ambulant. QVI INVENIVNT EAM. pauciores eſſe ſignificat qui gradiantur per eam. Lata ſponte ſe offert, nam errantium eſt via; iſta quærenda eſt, anguſti inſtar foraminis: alienus enim à virtute cùm ſit homo, opus habet vt doceatur virtutis viam. Plerique verò non inueniunt, quia nec quærunt, aut cœci prauis cupiditatibus non vident præſentem: complures etiam inuentam non ingrediuntur, difficultate deterriti: denique non pauci ingreſſam derelinquunt, & de medio itinere reuertuntur, capti ſeculi voluptatibus: quæ poſtrema duo Saluator intelligenda relinquit: quamquam intelligere liceat, *Qui inueniunt eam*, ipſo facto ſcilicet, id quod ſit, qui incedunt per eam. Pauciſſimi ſunt igitur qui hanc ſequantur viam. Tu verò paucos potiùs imitare (id vult Saluator) quàm vt cum multis pereas: nec hoc adſpice quòd via illa lata & ſpatioſa ſit, ſed vbi deſinat; nec quòd vel arcta vel aſpera ſit iſta contraria, ſed quónam perducat.

15 προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες.	Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. *Act. 20. v. 29.*

ATTENDITE. Iis qui ſe addicunt obſeruationi legis Dei & doctrinæ Chriſti, viæ inquam illi arctæ, mirum quantum frequenter periculi ſit à quodam hypocritarum genere, eorum qui ſe ſimulant arctæ viæ doctores ductoresque, cùm ad latam abducant. Commodùm igitur admonet, vt ab illis ſedulò ſibi caueat, quiſquis decipi ac ſeduci nolit. *Attendite*, ait, προσέχετε, cauete, attenta & vigili mente. vide ſuprà 6. v. 1. ܐܙܕܗܪܘ *ezdharun* cuſtodite vos. Græcè additur δὲ *autem*, ſed non latinè neque ſyriacè. A FALSIS PROPHETIS. Græcè vna vox eſt, à pſeudoprophetis. Pſeudoprophetas intelligit falſos ſiue mendaces doctores, qui falſò ſibi vendicant prophetæ ſeu doctoris titulum, qui ſe pro iis venditant, qui purum Dei verbum nuncient, cùm, deprauatum illud ſua pro libidine, doceant. Nam Prophetarum illorum priſcorum munus erat, Dei verba populo prædicare; non tantùm futura prædicere, verùm etiam docere & monere agendorum: id quod vel libri ij quos reliquerunt loquuntur. Hæreticos itaque præſertim, quos futuros nouerat, cauendos hic monet, quorum eſt, non à fide tantùm recta, verùm etiam à vita bona, quæ fide vt fundamento nititur, abducere. QVI VENIVNT ex ſeipſis, legitimè non miſſi. de qualibus Ierem. 23. v. 21: *Non mittebam prophetas, & ipſi currebant.* AD VOS. vt doceant vos viam ad vitam. IN VESTIMENTIS OVIVM. Induti ſpeciem ouium, id eſt, mentientes ouinam fraudiſque neſciam ſimplicitatem: ouis enim animal eſt ſimplex & fraudis neſcium. Veſtimenta igitur ouium ſunt, ea omnia, quæ, cùm ſint propriè ouium, ſuadeant hominibus oues eos eſſe qui venerint; quæ ſi ſola ſpectes, oues eſſe dicas, id eſt, ſinceros & à fraude alienos, Apoſtolos Chriſti, miniſtros iuſtitiæ, qui viam Dei in veritate doceant. 2. Cor. 11. v. 13. 15. Huiuſmodi veſtimenta ſunt, perpetua verbi Dei & Euangelij inclamatio, denſiſſima Scripturarum citatio, manſuetudo, blandiloquium, ſanctimoniæ ſpecies &c. INTRINSECVS. animo. LVPI RAPACES. operarij ſubdoli, qui nihil aliud quærunt quàm ſuo ſeruire ventri (Act. 20. v. 29. 2. Cor. 11. v. 13. Rom. 16. v. 18.) & ſuum facere compendium, idque diſpendio, morte, miſeroque interitu veſtro, quos à via ad vitam abductos præcipitent in exitium æternum.

16 ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς· μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὰς, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα;	à fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? *Luc. 6. v. 44.*

A FRVCTIBVS. Dat ſymbolum quo agnoſcantur pſeudoprophetæ, ex fructibus. *Non enim ex foliis, neque ex floribus, ſed ex fructu arbor bona malave agnoſcitur.* Bernardus ait epiſt. 107: nam alludit ad arbores, quarum & mox explicat ſimilitudinem. Folia & flores arboribus veſtitus ſunt loco; & foliis quidem verborum, floribus autem virtutum apparentium, decor notari poſſit. EORVM. falſorum prophetarum Intelligendum illud eſt ſenſu compoſito, vt loquuntur dialectici, *à fructibus eorum* vt falſi prophetæ ſunt, quos vt falſi prophetæ producunt, quos gignit falſa doctrina quam adferunt & prædicant. Vbi enim primùm adueniunt, ſeminantque doctrinam ſuam, ſunt quidem qui mox eos agnoſcant, ſed plerique non perinde manifeſtè, niſi vbi ſementis illa, editis fructibus, ſeipſam auctoreſque ſuos prodiderit. Cæterùm, non adhærendum eſt iſtis, aut dubitanter verſandum, donec doctrina ipſorum ſuos fructus edat: ſed cùm alibi frequenter admoneamur, nouatores omnes cauere; hîc prædicitur, ſi exſpectauerimus nonnihil, habituros nos ex fructibus certiſſima nequitiæ ſigna (nihil enim ita ſtultum eſt, quod non aliqui ſemper amplexuri ſint, vt eſt corrupta natura nouæ falſitatis quàm veteris veritatis ſequacior) non quòd non ſint alia mox ab initio naſcentis hæreſis, ſed quòd iſta cuiuis manifeſta eſſe queant. Obſerua pſeudoprophetarum hodie noſtrorum huiuſmodi fructus, à quibus faciles ſunt agnitu; aduerſùs natiuos Principes legitimamque poteſtatem rebellare, nouellam fidem, numquam hactenus receptam, armis ac vi propagare, optimos quoſque Catholicorum perſequi, peſſimis quibuſque velle, atque illos, vbi ſe eis adiunxerint, ita vt ferè fit, non emendari, ſed, tamquam qui ad aſylum iniquitatis profugerint, tales manere ſecuros, quales fuerant, vt nihil amplius dicam; luxuriæ ad adulterium & ſacrilegium vſque habenas laxare, ſacerdotum ſacrorumque locorum bona prædæ loco ducere, ſacerdotum catholicorumque abſque forma iuris cædes nullius pendere,

maiorum inſtituta pro arbitrio quæuis conuellere, & cætera non pauca. COGNOSCETIS ἐπιγνώσεσθε agnoſcetis eos falſos eſſe prophetas. COLLIGVNT. Hebræi, loco impetſonalium verborum, vtuntur actiuis pluraliter, ſubaudiendo *homines* aut quid eiuſmodi: ita hoc loco habemus *colligunt* pro colliguntur: Numquid colliguntur, numquid carpuntur, à ſpinis vuæ, à tribulis ficus, aut alij fructus boni? q.d. non. Declarat Saluator id quod dixerat. Vt ſpinæ, ait, non proferunt vuas, neque tribuli ficus, licet non minùs virides ſint quàm vitis & ficus; ita nec fructus bonos prophetæ mendaces, quamuis eximia vel ſatis imagine palliati. TRIBVLIS. Spinarum genus eſt, inter terræ peſtes aut potiùs frugum morbos à Plinio numeratum, lib. 18. cap. 17.

Sic omnis arbor bona, fructus [17] bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit.

οὕτω πᾶν δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖ· τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον καρποὺς πονηροὺς ποιεῖ.

SIC OMNIS ARBOR. Ita ſe res habet in arboribus, in plantis omnibus. arboris enim nomine etiam frutices intelligere videtur; vt vno eodemque vocabulo עץ *hes* hebraicè arbores & frutices deſignantur; nam tribuli & ſpinæ, arbores propriè non ſunt. Generalem addit ſententiam, quæ de fructiferis arboribus intelligenda venit: cæteroqui enim non omnis arbor fructus profert. Vnaquæque arbor, inquit, qualis eſt ipſa, tales fructus producit. BONA. quamdiu ſcilicet permanet bona (Auguſtinus libri contra Adimantum capite 26.) fieri enim poteſt vt degeneret, vt ſilueſcat, aut putreſiat. Omnis propheta doctorque verus, quamdiu manet eiuſmodi, bonos fructus doctrina ſua progignit. MALA. σαπρὸν, quod eſt græcè, *non ſolum dicitur putridum*, Euthymius inquit, *verumetiam quicquid vitioſum eſt & inutile*. Arbor ſilueſtris, qualis oleaſter, rurſus ſpina & tribulus, σαπρὸν δένδρον mala ſiue vitioſa arbor eſt, non tamen mox putris. Propheta falſus, pſeudopropheta, malos fructus doctrina ſua producit.

Luc. 6. v. 43.

Non poteſt arbor bona, malos [18] fructus facere; neque arbor mala, bonos fructus facere.

οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν, οὐδὲ δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν.

NON POTEST. Vt ne incertus hæreas, quòd fortaſſis arbor bona ſimiliter & mala, vtriuſque generis fructus gignere queant, docet id fieri non poſſe. Vt enim generare non poſſunt, ſpinæ vinearum, tribuli ve ficuum fructus; ita neque vineæ ſpinarum, ficúſve tribulorum fructus. Fieri poteſt vt bonæ arboris fructus, præſertim ſerotini, ad maturitatem aliquando non perueniant: Cæterùm non ſunt illi cenſendi mali fructus, ſed boni nondum formati, non arboris vitio, ſed ſolaris caloris defectu. NEQVE ARBOR MALA. quamuis ſpecie ipſa niteat & elegans videatur. Sic itaque neque poteſt propheta verus, malos prædicatione ſua fructus gignere; neque falſus bonos, quatenus falſum prædicat.

Suprà 3. v. 10.

Omnis arbor quæ non facit fru- [19] ctum bonum, excidetur & in ignem mittetur.

πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν, ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.

OMNIS ARBOR. Ad incutiendum pſeudoprophetis terrorem, bonosque ſolandos, quia ſimilitudine arborum vſus fuerat, obiter adiecit ſententiam qua aliquando vſus fuerat Iohannes Baptiſta, de qua ſuprà 3. v. 10. EXCIDETVR ET IN IGNEM MITTETVR. Id (intellige) & iſtis pſeudoprophetis futurum eſt. Græcè & ſyriacè præſenti tempore eſt, *exciditur & in ignem conijcitur*, quod eſt, excidi & in ignem conijci ſolet: quo ſignificatur dilucidiùs, id exſpectandum pſeudoprophetis, quod fieri arboribus vitioſis ſolet. Paulò autem alia de cauſa vtebatur Iohannes præſenti tempore.

Igitur ex fructibus eorum cogno- [20] ſcetis eos.

ἄραγε ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς.

IGITVR. ἄραγε nempe igitur, quod diximus ſcilicet. nam præter illationem, etiam confirmandi vim, particula iſta habere videtur, id quod Euthymius docet. Vt ne quis exciſionem, quæ frequenter haud conſpicua oculis eſt, ſigni loco datam intelligeret, repetit ſignum illud quod dederat, vultque in eo perſiſti.

Luc. 6. v. 46.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, [21] Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.

οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, κύριε, κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

NON OMNIS. Concluſurus ſermonem Dominus, monet auditores, non ſatis eſſe ſi in ipſum credant, verbaque ipſius audiant. ſed neceſſarium vt fidei addant opera, & audita verba præſtent. QVI DICIT MIHI, DOMINE, DOMINE. qui in me credit, qui me inuocat, me agnoſcit vocatque Dominum. Vocis congeminatione,

minatione, non tam vehementiam significari arbitror, quàm frequentiam, quòd in ore eis sit Dominum vocare atque inuocare. Intelligendum autem dat, Dominum se esse, quem agnoscere oporteat & inuocare, cuius sit donare regno cælorum; opportunè iam, vbi insigni hac concione, fidem sibi auctoritatemque apud auditores conciliarat. INTRABIT IN REGNVM CÆLORVM. æterna vita donabitur. vide supra 5. v. 20. *Regnum enim cælorum sola verborum officia non obtinent*, Hilarius inquit. SED QVI FACIT adhæc, qui hoc addit vt faciat, vt seruet. VOLVNTATEM. præcepta mandata, quæ hactenus magna ex parte exposui. vide supra 6. v. 10. Est quidem etiam voluntas Patris, vt filium ipsius Dominum agnoscamus, vt credamus in nomine filij eius: sed vt fides ferè ab operibus distinguitur, ita voluntas hîc accipi videtur, pro præceptis vitæ & morum, de quibus hactenus Saluator egerat. Cæteroqui, *Sed qui facit voluntatem*, subaudi omni ex parte. Nam in duobus consistit voluntas Patris, in fide & mandatorum obseruatione, id quod Iohannes Apostolus docet in epistola prima c. 3. v. 23. PATRIS MEI. Qua ratione Saluator Deum vocet Patrem suum (id quod pro more est ei) iis in disputationibus quas Iohannes descripsit explicuit; natura videlicet, non adoptione. Eadem itaque est Filij, quæ Patris voluntas: atque idcirco, vnus Euangelistarum Patrem; alter, Lucas inquam, cap. 6. v. 46., Filium hîc nominauit; tamquam idem vnum: sed consueuit ferè Saluator, Patris voluntatem citare, quippe maioris apud auditores ponderis, & Patrem tamquam legislatorem, se tamquam Patris legatum habere: præter hoc quòd suam etiam voluntatem Patri acceptam ferat.

IPSE INTRABIT IN REGNVM CÆLORVM. Hæc verba græcè syriacèque non repetuntur, sed è proximo subaudiuntur.

22 πολλοὶ ἐροῦσί μοι ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ· κύριε, κύριε, οὐ τῷ σῷ ὀνόματι προεφητεύσαμεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν;	Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?

MVLTI. Ad confirmationem eius quod dixerat, non omnem eum qui credit, admittendum in regnum cælorum, addit aliud maius ac terribilius, multos etiam eorum non admittendos, qui, vnà cum fide, res diuinas enarrandi celebritate, quin etiam signorum claritate, splenduerint. DICENT. An voce dicturi sint, an cogitatione sola, res incerta est & sententiæ variæ: cæterùm, cogitatione sola id agendum, vt est verisimilius, ita ad B. Augustini sententiam propiùs accedit, lib. 20. de ciu. Dei cap. 14. MIHI cùm ait, significat se iudicem fore: non apertè dicit, ne offenderet vt arrogans infirmos auditores: sed magna cum gratia dat intelligendum; vti mox se Dominum esse, superiori versu. IN ILLA DIE. qua intrabitur in regnum cælorum, qua restitutæ corporibus animæ, palàm donabuntur, quæ quidem id promeruerint, regno cælorum. Extremi iudicij diem ἡμέραν vocat illum diem, quia insignis erit dies, quo manifesta erunt omnia hominum opera & cordium consilia, & vitæ restituti, quotquot vmquam vitæ vsum acceperint, sistentur tribunali Christi, referentque siue pœnas siue præmia æterna pro meritis. Frequenter sacræ litteræ, κατ' ἀντονομασίαν vocant illum diem, etiam vbi nihil antecessit de die (2. Tim. 1. v. 12. 4. v. 8.) vt singularem diem, quem nemo ignorare debeat, immo cuius nos semper meminisse, quem semper nobis ob oculos versari, oporteat. Cæterùm dies ne futura sit an nox, vbi hoc ambiguum est, dies pro tempore συνεκδοχικῶς accipienda venit. DOMINE, DOMINE. Repetitio hîc vehementiam declarat, profectam ex perculsione, vbi se vident excludi regno cælorum, & timore imminentis æterni supplicij. NÓNNE. οὐ. Particula οὐ, quum propriè sit negans indefinita, interdum tamen interrogantis vice fungitur, idque quum adfirmare certiùs volumus id de quo quærimus, vt hoc loco. IN NOMINE TVO. τῷ σῷ ὀνόματι, ita est græcè hîc, & duobus proximis locis. Plerumque autem additur ἐν ex Hebræo, in hoc dicendi genere, vti Syrus hîc addit: quod idcirco Latinus Interpres expressit, quamuis in Græco sit prætermissum, vt ne intelligeres, *nomine tuo*, vice tua. Significat autem nomen Dei siue Christi, in sacris litteris, id, vnde Deus siue Christus inter homines cognoscitur, nominatur, aut celebratur. vide supra 6. v. 9. Itaque pro locorum circumstantiis, declarat, nunc nominatissimam celeberrimamque Dei maiestatem, nunc potentiam, nunc misericordiam, nunc iustitiam, denique nunc Christi nominatissima celeberrimaque merita. Hîc inprimis pro Christi Domini auctoritate & legatione accipiendum videtur, nominatissima illa & celeberrima, quæ, in Ecclesia Catholica, iisque qui ab ea ad publica munia deputantur, fulget. *In nomine tuo* ergo, id sit, ex auctoritate & delegatione tua: quemadmodum Ierem. 27. v. 15: *Non misi eos, ait Dominus, & ipsi prophetant in nomine meo mendaciter*. in nomine meo, hoc est, tamquam à me delegati, à me missi. PROPHETAVIMVS. Quamquam propriè id accipi possit, pro futura prædicere, rectiùs tamen generaliter accipi videtur, vt significet etiam Dei verba nunciare & docere, res sacras exponere, mysteria fidei edisserere; in summa, docendi in Ecclesia fungi officio. Nam & Apostolus ferè sic explicat prophetiam 1. Cor. 13. v. 2: *Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam*. vide supra v. 15. Vtitur maximè honorifico vocabulo, quo meliùs exprimat, nihili esse externam professionem, quocumque sit apud homines splendore. ET IN NOMINE TVO. Hîc explica, per virtutem potestatemque tuam. *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius*. Psalm. 146. v. 5. Potes etiam explicare, inuocato siue adhibito nomine tuo, quo modo Apostolus Paulus dixisse legitur spiritui pythoni Act. 16. v. 18: *Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea*. DÆMONIA EIECIMVS. Luc. 10. v. 20: *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cælis*. Munera publica & ministeria legitimè collata, auctoritatem habent, & efficaciam suam sortiuntur, etiamsi boni non sint ij qui eiusmodi ministeriis funguntur. ET IN NOMINE TVO. vti proximè. VIRTVTES. δυνάμεις potestates, miracula: commemorata enim vna specie miraculorum, generaliter deinde hoc addit. δυνάμεις siue virtutes vocat, cælestis δυνάμεως, id est, virtutis atque potestatis, effecta; facta, quæ diuinam, per quam fiunt, virtutem potestatemque testantur. 1. Cor. 13. v. 2: *Et si habuero omnem*

fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. FECIMVS? edidimus? quasi dicant: Mirum est nos à te excludi regno, & reprobari, cùm isthæc, talia tantaque, fecerimus in nomine tuo. Indicant his se in rebus suam olim collocasse fiduciam, quòd egregios se in Ecclesia doctores Scripturarumque interpretes præstarent, miraculorúmve essent frequentia celebres.

Psal. 6. v. 9. Luc. 13. v. 27.

Et tunc confitebor illis: Quia [23] numquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.	καὶ τότε ὁμολογήσω αὐτοῖς· ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς. ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν.

ET TVNC. Ego autem tunc. nunc enim dissimulat, patientia sua ad pœnitentiam adducens. Rom. 2. v. 4. CONFITEBOR. disertè ac palàm dicam. Auctor operis imperfecti legit & explicat *Iurabo*, tamquam qui græcè legerit *ὀμόσω* pro *ὁμολογήσω*. QVIA. *ὅτι.* superest latinè. NVMQVAM. nec tunc quidem, cùm signa ederetis, & prophetandi munere fungeremini, idque in nomine meo. NOVI VOS meos, siue, pro meis: quomodo Apostolus ait, ad hunc, quod videtur, alludens locum, 2. Tim. 2. v. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Nouerat eos vt Ecclesiæ suæ ministros; eapropter per eos fuerat operatus: sed numquam nouerat, vt quos ipsos probaret diligeretque, aut ad regnum cælorum prædestinaret. non itaque ignorantię vox ista est, sed reiectionis. *Non noui illos*, quærit Augustinus serm. 23. de verbis Domini, *qui nouit omnia: quid est ergo, Non noui vos? Improbo vos, reprobo vos. Hoc est autem magnum, & nescit vitia, & iudicat vitia: nescit faciendo, iudicat arguendo.* Eadem enim esse, nesciri à Deo & perire, docet idem Augustinus ex versu vltimo Psalmi primi. *Velut enim incognitos deserit, quos suos per vitæ meritum non agnoscit*, ait Gregorius hom. 12. in Euangelia. vide infrà 25. v. 12. DISCEDITE: *ἀποχωρεῖτε.* abscedite procul A ME & à gaudiis regni in ignem æternum, omnes citra exceptionem, quacumque gratia fulgeatis, prophetæ, eiectores dęmonum, magnorum miraculorum operatores. quod autem iussero, id mox fiet reipsa. QVI OPERAMINI. *οἱ ἐργαζόμενοι* פעלי *pohale*, id est, operantes. alludere enim videtur, ad locum qui est sexti Psalmi nono versu. Frequenter autem Hebræi participiis formaliter vtuntur, hoc est, vt loquuntur grammatici, nominum loco. Perrectè igitur intelligas *οἱ ἐργαζόμενοι ἀνομίαν qui operamini iniquitatem*, ita vt Lucas vertit cap. 13. v. 27., *οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας* operarij iniustitiæ siue iniquitatis; quod nihil aliud est quàm iniusti siue iniqui. Porrò hîc rationem insinuat cur numquam nouerit eos; quia non fecerint voluntatem cælestis Patris, sed iniquitati addicti fuerint, illique operam dederint. Iniquitas autem hîc generaliter accipitur, vt Iustitiæ in genere opponitur, pro peccato seu omni eo quod à diuinæ legis obseruatione deficit: quod vel ex græco vocabulo *ἀνομία* fit clarum.

Luc. 6. v. 47-48.

Omnis ergo qui audit verba mea [24] hæc & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram:	πᾶς οὖν ὅστις ἀκούει μου τοὺς λόγους τούτους καὶ ποιεῖ αὐτοὺς, ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ, ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν πέτραν·

OMNIS ERGO. Vice epilogi concionis est istud. VERBA MEA HÆC. doctrinam quam hac tradidi concione. FACIT EA. constanter obseruat, & secundùm ea viuit. ASSIMILABITVR. *ὁμοιώσω αὐτὸν* assimilabo eum, comparabo eum, similis est. SAPIENTI. prudenti, prudenter rebus suis in posterum prospicienti. QVI ÆDIFICAVIT. Hominis hac in vita conuersatio, similis ædificationi est: quasi enim vnam aliquam structuram, id est, vitæ rationem siue institutum, omnibus conuersationis suæ operibus molitur. SVPER PETRAM. est enim firma & solida vitæ instituendæ ratio, quæ permansura sit; in effecto certè; & seruatura hominem in secula seculorum, id est, adductura in regnum cælorum, auditam Christi doctrinā operibus exprimere. *Non enim quisque firmat*, Augustinus ait, *quæ audit vel percipit, nisi faciendo.*

Luc. 6. v. 48.

& descendit pluuia, & venerunt [25] flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.	καὶ κατέβη ἡ βροχὴ, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοὶ, καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι, καὶ προσέπεσον τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ οὐκ ἔπεσε· τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν.

PLVVIA tentationis. FLVMINA, ET FLAVERVNT VENTI. His tribus significantur varia persecutionum & tentationum genera in hoc seculo, & in seculi consummatione horrida illa extremi Iudicij tempestas: illa enim, diuersas tentant rationalis structuræ nostræ partes, qua firmitudine consistant; hæc, semel omnes tentabit, de qua scriptum est Isa. 28. v. 2: *Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium & emissarum super terram spatiosam.* Nam pluuia & grando, desuper domui incidunt: turbo & venti, latera tentant: flumina impetusque aquarum inundantium, ima petunt fundamenta. IRRVERVNT IN DOMVM ILLAM. *προσέπεσον τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ* inciderunt domui illi. ET NON CECIDIT. sed diruere non potuerunt. Nam, vt ait Psalmus 14. v. 5: *Qui facit hæc non mouebitur in æternum.* & Psal. 124. v. 1: *Sicut mons Sion, non commouebitur in æternum.* SVPER PETRAM, præbentem eam domui firmitudinem, vt, contra aduersaria omnia, immobilis perstaret & inuicta. firmè & solidè ædificata erat. Nam si quando cadere contingat hac in vita, hoc est, ædificatorem persecutionibus cedere, non fit id nisi quia firmam illam & solidam ædificandi rationem deserit, id est, non perstat in eorum quæ à Christo didicit obseruatione.

καὶ πᾶς ὁ ἀκούων μου τοὺς λόγους τούτους, καὶ μὴ ποιῶν αὐτούς, ὁμοιωθήσεται ἀνδρὶ μωρῷ, ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν ἄμμον·	26 Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam:	Luc. 6. v. 49.

Et omnis. Quia nonnulli auditorum laudaturi erant ea quæ dixerat, nec tamen facturi; per parabolam hos anticipando deterret. Qui audit. Non de iis qui audiunt tantùm sermo est, sed qui ita audiunt vt etiam credant & profiteantur, dicentes, Domine, Domine; non tamen obediant præceptis diuinis. Viro stulto. malè rebus suis prospicienti. sic ædificanti quasi nulla vnquam tempestas esset exoritura. Iac. 1. v. 22: *Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo* &c. Svper arenam. quæ cùm sit fluxa, & humescat mollescatque facilè, nullam potest domui stabilitatem dare (hinc enim prouerbium: *In arena ædificas*) *super terram sine fundamento* ait Lucas. Contentus enim audisse & credidisse, fallaci, immo nullo, nititur fundamento.

καὶ κατέβη ἡ βροχή, καὶ ἦλθον οἱ ποταμοί, καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι, καὶ προσέκοψαν τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ ἔπεσε, καὶ ἦν ἡ πτῶσις αὐτῆς μεγάλη.	27 & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.	Luc. 6. v. 49.

Et irrvervnt. καὶ προσέκοψαν & impegerunt. Diuersum est verbum ab eo quod mox suprà: sed Syrus cum latino interprete eadem vtitur vtrobique voce ܐܬܒܪܬܘ *ethbarathu*. Orta tempestas grauium persecutionum & tentationum, denique diei Domini, percussit domum, impegit domui. Et cecidit. Frequenter hic accidit, vt, qui fide & scientia nixi opera negligunt, orta graui tentatione, etiam fidem deserant, & scientiam repudient; Itaque cadat manifestè & euertatur structura vniuersa quam moliti fuerant, quantauis cum ostentatione decoris. Porrò omnino *vniuscuiusque opus quale sit dies Domini declarabit* (1. Cor. 3. v. 13.) manifestumque dabit quàm insipientes hi ædificatores fuerint, quàm vana horum omnium spes fuerit, in sola fide & mandatorum Dei cognitione professioneque fidentium, dum reprobabit, euertet, & igni cremabit, omnem ædificationem eorum, iubebunturq; ipsi discedere in ignem æternum exclusi regno cælorum. Magna. integra, absque spe restitutionis, quippe ab imo fundo euersa. itaque ædificatoris cassus labor iacturaque irrecuperabilis, quà pereat funditùs totus.

Καὶ ἐγένετο, ὅτε συνετέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ.	28 Et factum est, cùm consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius:	Mar. 1. v. 22. Luc. 4. v. 32.

Et factvm est. καὶ ἐγένετο. Hebraicum dicendi genus, frequens admodum, ויהי *vaihi*: quo ferè exordiuntur historias sacri scriptores; hic ad historiam Euangelista redit. Consvmmasset. συνετέλεσεν finisset: idem enim hic valet quod simplex τελεῖν. Verba hæc. concionem hanc. Admirabantvr. ἐξεπλήσσοντο. plus aliquid est quàm admirari; ad verbum, excutiebantur, id est, obstupescebant, percellebantur: nam qui percelluntur, illis veluti valido aliquo ictu mens excutitur. Significat Euangelista, refulsisse in sermone Iesu tantam spiritus gratiam, quanta, auditores, etiam alienos & frigidos, in admirationem cogeret, mireque afficeret & moueret. Svper doctrina eivs. Super doctrina ipsa, noua adeò, clara, solida, sublimi, diuina, quæque satisfaceret auditorum animis; & super docendi modo.

ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.	29 erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.	Mar. 1. v. 22. Luc. 4. v. 32.

Erat docens. ἦν διδάσκων. Periphrasis hebræa, pro docebat, græcis etiam familiaris: cuius interdum ea vis est, vt moram significet & perseuerantiam in re aliqua facienda. Sicvt potestatem habens. ὡς ἐξουσίαν ἔχων vt auctoritatem habens, id est, potestatem & ius dicendi. Syrus ܐܝܟ ܡܫܠܛܐ *aich meshalto* vt potestatem siue dominium exercens. Non enim tamquã ex alterius præscripto præcepta ponebat: sed vt αὐτοκράτωρ, eiusmodi se præstabat, cui merum esset imperium, dicendi, præcipiendi, de vita & morte, præmiis & suppliciis, suo pro iure differendi ac decernendi, ita vt, non expositor aliquis legis, sed Deus omnino legislator; quomodo reuera se res habebat, loqui & docere videretur. Docebat deinde apertissimè doctrinam solidam, qua continebatur summa expetendarum rerum, & agendarum ratio quid homines facere, quid à Deo exspectare deberent, nec externa dumtaxat opera, verumetiam sanctissimi & incorruptissimi cordis motus præscribebantur, tanta dicendi maiestate & perspicuitate, tanta verborum simplicitate & grauitate, tanta rerum exponendarum dignitate, tanta denique ad mouendum auctoritate & spiritus efficacitate, vt non dicere tantùm aut fidem conciliare, sed imprimere dicta in hominum pectoribus videretur efficientissimè, aliis amorem, aliis timorem incutiens. Adhæc docebat intrepidè non loquebatur ad gratiam, neque vlli prorsus adulabatur, sed constanter vitia reprehendebat absque personarum acceptione. Com-

mendabat præterea doctrinam, singularis vitæ integritas doctrinæ consentanea. Postremò quod docebat, stupendis signis & miraculis confirmabat, quæ hanc quidem concionem magno numero mox & antecesserunt & consequuta sunt. His modis Saluator docens suam qua pollebat declarabat persuadebatque auctoritatem. NON SICVT. dissimiliter quàm SCRIBÆ. quorum erat doctrina torpida, elumbis, frigida, diluta, fucataque, quę nullam spiraret efficaciam spiritus, cui nulla subesset maiestas. de rebus minutissimis, ac plerumquę superuacaneis, quas memorat etiam Euangelium (infrà 23. v. 23. Mar. 7. v. 3. 4.) de quæstionibus scrupulosis & stultis, & genealogiis atque argumentis inextricabilibus, inutilibus, fabulosis, & vanis, quæ quæstiones magis præstarent quàm ædificationem (1. Timo. 1. v. 4. Tit. 1. v. 14. 3. v. 9.) denique, neglecto interno eoque præcipuo Dei cultu, de solo externo (suprà 5. & 6.) idque admodum ieiunè & frigidè, frequèns differere solebant: ita vt etiamnum homines somniantes audire quis videatur, si eos audiat, eorúmve scripta legat. EORVM ET PHARISÆI. Hæc verba, græca hodie exemplaria, cum Euthymio, non legunt: cęterùm Syrus eadem ipsa habet. *Eorum*, id est, quorum erat officium docere eos, nempe populum, turbam. Docebant etiam *Pharisæi*, sed qui iidem essent Scribæ.

CAPVT OCTAVVM.

Mar. 1. v. 40. Luc. 5. v. 12.

Cùm autem descendisset de monte, [1] sequutæ sunt eum turbæ multæ:

Καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί.

DESCENDISSET DE MONTE. montem omnino reliquisset. TVRBÆ MVLTÆ. tum eorum qui audierant concionem, tum aliorũ qui crescente in horas fama exciti recèns aduenerant.

& ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. [2]

Καὶ ἰδοὺ λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων· κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

ET ECCE. tunc ecce, turbis illis præsentibus. Commodùm post prædicationem atque doctrinam signorum offertur occasio, vt, accedentibus ad docendi auctoritatem maiestatemque virtutum miraculis, firmissimè apud auditores doctrina stabilita sit. LEPROSVS. Lepra pertinacissimæ scabiei genus est. VENIENS. cùm venisset ad eum. ἐλθών. ADORABAT EVM. accidebat ei ad genua, quod Marcus & Lucas habent. DOMINE. Deum credidisse videri possit vel ex oratione subsequenti. SI VIS POTES. Breuis oratio, magnæ fidei insignisque modestiæ index. Non enim quòd de benignitate Domini dubitaret, dixit *si vis*, sed, quòd eius voluntati negotium submitteret, se dignum agnoscens plaga quam ferebat.

Mar. 1. v. 41. 42. Luc. 5. v. 13.

Et extendens Iesus manum tetigit [3] eum, dicens: Volo, mundare. & confestim mundata est lepra eius.

Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἥψατο αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς, λέγων· θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα.

EXTENDENS MANVM. ἐκτείνας τὴν χεῖρα extensa manu. vt sanationis virtus in ipso & voluntas etiam ostenderetur: manus enim ita extensa, potentiæ & voluntatis est signum. Nam, quod ait Victor Antiochenus in Marcum, *Verbum indiuulsam se cum carne sua societatem habere persuasum volens, pleraque miracula & signa per corporis ministerium edidit.* TETIGIT EVM. In lege contagiosus erat leprosi contactus (Leuit. 14. v. 2. & 5. v. 3.) at verò, quoniam ea est in Christo puritas; quæ non tantùm non inquinetur, verumetiam sordes omnes & inquinamenta absorbeat, nec se contaminat leprosum tangendo, nec legem proinde transgreditur.
VOLO, MVNDARE. ad eum modum interpungendum est: neque enim *mundare* infinitiui modi est, sed imperatiui, id quod ex græco constat. καθαρίσθητι. *Mundator* vitata amphibologia dixisset Interpres. Responsio pulchrè orationi respondens. CONFESTIM. simulatque emiserat Iesus hanc vocem. MVNDATA EST LEPRA EIVS. Mundatus est à lepra sua: est enim lepra immunda & contagiosa. Sanato leproso, ostendit se idcirco venisse, vt mundi sordes suo contactu eluat.

Mar. 1. v. 44. Luc. 5. v. 14.

Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moses in testimonium illis. [4]

καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ὅρα μηδενὶ εἴπῃς, ἀλλ᾽ ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε τὸ δῶρον ὃ προσέταξε μωσῆς εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.

VIDE. caue. NEMINI DIXERIS. nam quamquam præsentes essent turbæ populi, non ideo tamen mox videbant: vt ne enim obseruarent, idcirco eum mox à se ablegauit, quod ait Marcus cap. 1. v. 43. Fuit autem hoc præceptum ex causa, eâ dumtaxat, vt significaret, non se ambire aut quærere vanam ab hominibus gloriam. OSTENDE TE SACERDOTI. Non enim poterat mundorum communione gaudere, nisi mundum eum pronunciasset expiassetque sacerdos. MVNVS. sacrificium. Vide suprà 5. v. 23. Sub sacrificij oblatione complectitur rationem omnem purificandi leprosi, quam Leuitici 14. Moses præscribit.
IN TESTIMONIVM ILLIS. Hoc multi referunt ad verba *ostende & offer*, ita vt sensus sit, vt testata illis fiat, siue innocentia mea, quem calumniantur legis aduersarium, siue virtus mea, operantis ea quæ humanas su-

nas superant vires. Quidam coniungunt cum verbo *præcepit*; id quod etiam D. Hilarius; accipiunt que *testimonium* pro lege, siue statuto, quo modo frequenter accipi notum est vel in Psalmo 118. *Testimonium in Ioseph posuit illud*, habes Psalmi 80. versu 6.

εἰσελθόντι δὲ αὐτῷ εἰς Καπερναοὺμ, προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατόνταρχος, παρακαλῶν αὐτόν,

5 Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, *Luc. 7. v. 1. 2. 3.*

CVM AVTEM INTROISSET. εἰσελθόντι δὲ αὐτῷ. Tertius hic casus qui græcè est, minimè ponitur absolutè, sed refertur ad verbum proximum προσῆλθεν, cui additur alterum relatiuum αὐτῷ, redundans ex idiotismo hebræo. vertas itaque: Ingressum autem in Capharnaum, adiit Centurio. ACCESSIT AD EVM. per eos quos misit seniores Iudæorum. Luc. 7. v. 3. CENTVRIO. ἑκατόνταρχος. q. d. princeps centum, quo modo Hebræi loquuntur. Syrus vtitur græca voce corrupta. Præerat militibus centum, aut etiam pluribus, qui Capharnai præsidium, non dubium, à Romanis aut Herode tetrarcha, collocati erant.

καὶ λέγων· κύριε, ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος.

6 & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. *Luc. 7. v. 2.*

PVER MEVS. ὁ παῖς μου, id est, ὁ δοῦλός μου, seruus meus, Luca interprete, vt ne filium intelligas: sed ætatem significat pueri vox, quam non serui. Eadem Hebræis & ratio & ambiguitas est vocis נער *nahar*. Obserua domini in seruum humanitatem, qualem Paulus desiderat ad Colos. 4. v. 1. & Ephes. 6. v. 9. IACET. βέβληται, ad verbum, proiectus est, in lecto scilicet, quasi cadauer, *omnibus vtique artubus fluidus*, quod Hilarius ait, *& ad consistendi officium agendique corruptus*, quales sunt paralytici. vide suprà 4. v. 24. IN DOMO. domi. ET MALE TORQVETVR. δεινῶς βασανιζόμενος vehementer vexatus, grauiter cruciatus. Subita hæc fuisse paralysis videtur, quæ primo accessu desperationem vitæ attulerit: lentæ enim paralyses tormento carent. Confisus de Saluatoris benignitate, nihil nisi verbis declarat familiæ suæ laborem. Cæterùm, satis intelligitur implorare opem, qui se potentiori miseriam exponit suam.

καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτόν.

7 Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum. *Luc. 7. v. 6.*

CVRABO. sanabo. paratus sum venire & curare eum. Promtus est Iesus ad beneficentiam, nulloque modo difficilis: plus etiam facere vult, quàm petentis oratio & mens optare videatur: quamquam, non tam quòd id facturus esset, venturū se dixerit, quàm vt è Centurionis arcanis fidem eā eliceret, quæ mox enituit.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἑκατόνταρχος ἔφη· κύριε οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς, ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγῳ, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.

8 Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. *Luc. 7. v. 6. 7.*

ET RESPONDENS. Respondens autem, per amicos quos misit, cùm iam non longè abesset Iesus à domo ipsius, quod ait Lucas. NON SVM DIGNVS. Modestia magna sese demittit, indignum se profitens qui tanti talisque viri dignitatem excipiat, vtpote cuius ædibus, quippe gentilis ac proinde peccatoris, etiam vilissimi quique Iudæorum abstinerent, dum contaminari cauerent. SVB TECTVM MEVM. in domum meam. TANTVM DIC VERBO. solo iube sermone. nam *dic* hebraico more pro *iube* accipitur; λόγος autem *verbum*, pro loquutione & verbis. q. d. tantùm loquere iubeasque vt fiat. nam, vt intelligas, dic vno verbo quamquam res eòdem veniat, non id facilè admittit vox λόγος, nisi eam translatam dicas ex hebræa aut syriaca voce quæ id permittat. Summum credit Saluatori imperium esse, cui dixisse satis sit: planeque diuinam in eo efficacitatem agnoscit: nam vt verbo tantùm, id est, iussu solo, dicta fiant, non est id nisi plenæ virtutis, qualis est Dei, qui *dixit & facta sunt, mandauit & creata sunt*. Cæterùm, an Deum eum crediderit manifestatum in carne, an duntaxat Redemtorem Iudæis promissum, cui à Deo subiecta essent omnia, absolutaque potestas data operandi quæ vellet; hoc fortasse vero similius videri queat.

καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται, καὶ ἄλλῳ, ἔρχου, καὶ ἔρχεται, καὶ τῷ δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ.

9 Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit; & alio, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit. *Luc. 7. v. 8.*

NAM ET EGO. καὶ γὰρ ἐγὼ & enim ego. Argumentatur à minori: Si ego, homo cùm sim alterius subditus potestati, quia aliquibus præsum in quos mihi auctoritas est, multa, solo verbo, solo iussu, facere valeo, illis nimirum, mandatis meis obtemperantibus; quanto tu magis, qui nulli creaturæ subditus, præes omnibus, necesseque

necesseque est vt tuæ omnes pareant voluntati? *Si ego,* inquit Augustinus sermone de verbis Domini sexto, *homo sub potestate, iubendi habeo potestatem: quid tu non possis, cui omnes seruiunt potestates?* Ratio ista non ita perspicua est, dum iuxta nostram editionem legitur *Nam & ego* (quamuis ita complures alij transferant, etiam Syrus ipse ܐܦ ܐܢܐ ܓܝܪ *oph no ger etiam ego enim*) nisi hoc aut simili modo intelligas: Nam & ego, homo licet sim sub alterius potestate, tamen quia habeo sub me alios, multa solo iussu perficio vt post illud *Nam & ego,* comma fiat; referaturque illud, non ad proximum *homo sum sub potestate,* sed ad istud secundùm rem, *dico huic vade, & vadit; & alio* &c. tametsi coniunctio intercedat. SVB POTESTATE CONSTITVTVS, Tribuni nimirum & Regis siue Cæsaris. Multi boni libri omissam vocem *constitutus,* consentaneè græco ac syro, subaudiunt ex Luca. VADE. Sic etiam, multoque magis, tu, si morbo ac paralysi dixeris, Abi, abibit; si sanitati, Veni, veniet; puero ipsi laboranti, Sta, & ingredere, atque exercere, faciet. Vide Luc.4.v.39. ET SERVO MEO familiari, in quem mihi priuatum ius est.

Luc.7.v.9.

Audiens autem Iesus miratus est, [10] & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inuéni tantam fidem in Israel.

ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐθαύμασε, καὶ εἶπε τοῖς ἀκολουθοῦσιν· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον.

MIRATVS EST. mirantis more se habuit & locutus est, vt admiratione & imitatione dignam doceret Centurionis fidem. Propriè enim admiratio de rebus est inopinatis: inopinatum autem nihil esse potuit omniscio. Augustinus lib. de Genesi contra Manichæos capite 8. SEQVENTIBVS SE. sequenti se turbæ. quò eos alliceret ad imitationem. NON INVENI hactenus, ex quo prædicaui. accidit enim istud secundo anno prædicationis Christi. TANTAM FIDEM. qui tantum fide profecerit ex prædicatione & miraculis meis. vide infrà 9.v.2. IN ISRAEL ipso. Græcè enim est hìc, ita vt in Luca, magna cum emphasi, *Nec in Israel tantam fidem inuéni.* οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ ne in ipso Israel quidem. in populo Israël, qui Scripturas sacras de Christo loquentes ab infantia doctus, fide meritò præcellere deberet. Manifestum est hinc Centurionem Israëlitem non fuisse.

Luc. 13. v. 29.

Dico autem vobis, quòd multi [11] ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in regno cælorum:

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ ἀβραὰμ, καὶ ἰσαὰκ, καὶ ἰακὼβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν·

DICO AVTEM VOBIS. adfirmo autem illud vobis. Occasione sumta ab excellenti Centurionis fide, quæ præludium & specimen quoddam fuit futuræ gentium fidei, prædicit vocationem gentium & reprobationem Iudæorum, quas & Prophetæ multis locis, præsertim Isaias, vt cap.43.v.5.& 6.v.10. AB ORIENTE ET OCCIDENTE. ex regionibus sitis ad Orientem & Occidentem huius Iudaïcæ regionis. Sub oriente & occidente præcipuis, vniuersas quatuor orbis partes intelligit, vultque dicere: Ex omni orbis parte, ex omni gentium natione (quamquam, ne Iudæos offendat, haud ita apertè loquatur; cincta enim erat vndique Iudæa gentibus. VENIENT. Multi futuri sunt qui RECVMBENT. ἀνακλιθήσονται discumbent, mensæ accumbent. Translatione à conuiuiis sumta, significatur æternæ vitæ felicitas, quemadmodum & alibi sæpè, vt Luc.22.v.30. Sunt tamen veteres qui *recumbent* hìc requiescent exponant; Hilarius Latinus, Græcus Euthymius. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Psal. 30. v. 21. CVM ABRAHAM, ET ISAAC, ET IACOB Patriarchis, quibus facta est primis promissio regni cælorum. Manifestum enim hinc fit etiam regnum cælorum Patribus promissum fuisse, quamquam sub typo corporatæ illius terræ promissionis: id quod disertè Apostolus docet ad Hebræos 11.v.9.& 10. IN REGNO CÆLORVM. consortes promissionum quas Deus sanctis Patribus fecit, eadem cum ipsis fruentur beatitudine regni cælorum facti *socij ciuesque sanctorum, & domestici Dei.* Ephes.2.v.19. Et quomodo id? imitatione fidei Patrum, quo modo Centurio iste. Mysterium quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, gentes, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo, fieri cohæredes & concorporales, & comparticipes promissionum in Christo (Ephes.2.v.12. & 3.v.5.6.) sed portento etiam simile Israëlem ipsum, cuius erat adoptio filiorum, & gloria, & testamenta, & legislatio, & obsequium, & promissa denique cuius patres, & ex quo Christus, deinde abiici (Rom.9. & 11.) & gentes quidem patribus adiungi, illos autem ab eis separari: id quod iam sequitur:

Luc. 13. v. 28.

filij autem regni eiicientur in [12] tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.

οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

FILII REGNI, id est, indigenæ (quos vulgò naturales vocant) quibus (quòd ex Patribus illis oriundi essent, quibus ipsis & semini eorum facta erat regni promissio) regnum hereditario iure videbatur destinatum. & certè familiariter magis ac primo iure admittendi fuerant, si paternæ fidei imitatores fuissent. Iudæos intelligit, sed, vt ne exasperet, apertè non nominat; honorificè tamen, sed ita vt tollat omnem gloriandi materiam. Rom. 9. v.4: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamenta* &c. EIICIENTVR extrudentur regno. non enim admittentur tametsi iure ipso iam intus esse videbantur. quare? propter incredulitatem: nam perstringit incredulitatem eorum. IN TENEBRAS. in tenebrosa inferorum loca, & animas & cor-

& corpora tenebris obsidentia, vbi nihil erit lucis, nisi ad augmentum pœnæ, horrendus autem perpetuò mœror, qualis nec verbis exprimi, nec sensu comprehendi potest hac in vita. EXTERIORES. quæ extra erunt, extra regnum nimirum: nam in regno nil nisi lux; extra regnum tenebræ. sic ferè D. Hieronymus hoc loco & alijs, tamquam tenebræ exteriores opponantur luci domesticæ. Vel certè comparatiuus superlatiui est loco: sic enim vsurpatur nonnumquam (exemplum habes 1. Cor. 13. v. 13: *Maior autem horum est charitas*.) ita vt sit in tenebras extimas, id est, profundissimas, quæ à regni luce quàm longissimè absint, quales que nullæ sunt hac in vita. Hoc modo, comparatiuum loco superlatiui, accepisse videtur D. Augustinus scribens in Psalmum sextū his verbis: *Et penitus extra Deum fit, quisquis dum tempus est corrigi noluerit* &c.

IBI ERIT FLETVS. qui nullam vmquam consolationem recipiet. Vt ne putes dulces tenebras fore, quales sunt nonnullis aliquando tenebræ huius vitæ (Eccli. 23. v. 26.) ab effectu declarat pœnæ iis in tenebris luendæ horrorem & atrocitatem, fletu & stridore dentium, quæ futura illic dicit: nam fletu summum dolorem, stridore dentium summum horrorem significat; dolorem, ob bona quæ amiserint, & mala in quæ inciderint; horrorem, acerbitatis pœnarum. Porrò, fletus lachrymarum, an post corporum resurrectionem illic futurus sit, incertum est: sed liceat planctum & eiulatum, id est, fletum vocum intelligere, & ea quæ fletui coniuncta sunt, animi tristitiam, capitis dolorem, oculorum perturbationem, & quæ sunt his similia. ET STRIDOR DENTIVM. Ex pœnæ intolerabilitate, oritur dentium stridor, dum natura non-dum victa, integris adhuc sensibus, pœnas patitur, conaturque dentium sono lenire doloris sensum: significantur igitur damnati, ita pœnis atrocissimis afficiendi, vt integris eas sensibus semper patiantur.

καὶ εἶπεν ὁ ἰησοῦς τῷ ἑκατοντάρχῳ· ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας γενηθήτω σοι. καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ.

13 Et dixit Iesus Centurioni: Vade, &, sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. *Luc. 7. v. 10.*

CENTVRIONI. in amicis quos miserat. VADE. sis bono animo & pacato. annuit petitioni Centurionis. Hebraismus est enim concedentis quod rogatur. SICVT CREDIDISTI, me absentem, dicentem tantùm verbo, sanare posse paralyticum seruum tuum. FIAT TIBI. ita fiat tibi. Dicit verbo. Crediderat absolutam virtutem, nec modo circumscriptam, nec temporis indigentem: & talem Christus exhibuit, qualem ille crediderat, probans ac firmans fidem illius. Magna fides, magna facilè impetrat. PVER. seruus. eius additur græcè & syriacè. IN ILLA HORA. id est, in eo ipso momento quo Christus hoc dixit. significatur enim ille ipse temporis articulus, quo Christus annuit petitioni ipsius. Sic Danielis 4. v. 30: *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor*: id est eodem temporis momento. Sic Chaldaicè nomen שעתא *sahata*, idem quod hic Syriacè, significans ipsum temporis momentum quo aliquid existit esseque conspicitur, à themate שעה *saha* adspexit.

καὶ ἐλθὼν ὁ ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν πέτρου, εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτοῦ βεβλημένην καὶ πυρέσσουσαν·

14 Et cùm venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem & febricitantem: *Mar. 1. v. 29. 30. Luc. 4. v. 38.*

ET CVM VENISSET. Cùm autem venisset quodam tempore. Miraculum istud febricitantis socrus Petri, & cætera omnia quæ sequuntur ad finem vsque Capitis noni, quæ ordine quodam inter se hærent, non, vt superiora duo, post sermonem Domini in monte, sed ante acciderunt: id quod ex aliis Euangelistis & ex Matthæo ipso patet. vide infrà 9. v. 9. Sed cùm historia ordine ad Capharnaum rediisset, adiunxit hîc Matthæus miraculum istud. quod similiter Capharnai acciderat, & cætera quæ deinde se mutuò consequuntur. IN DOMVM PETRI. in domum socrus Petri; idcirco Petri dictam, quòd quoties Capharnaum veniret Petrus, ibi, vt par erat, hospitaretur, cuius patria Bethsaida propè à Capharnao distabat, sesquihoræ itinere. VIDIT, iuuandi affectu, quamquam permiserit se rogari, quod habent alij Euangelistæ, ne fructu careret suo miraculum vltrò editum. SOCRVM EIVS. In Scripturis, solus Petrus, inter Apostolos, legitur coniugatus fuisse. IACENTEM ET FEBRICITANTEM. id est, grauiter laborantem febribus, ita vt decumberet, corpore viribus prorsus destituto (id enim significatur voce βεβλημένην, de qua suprà v. 6.) & periculosè, quia vetula erat.

καὶ ἥψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετός, καὶ ἠγέρθη, καὶ διηκόνει αὐτοῖς.

15 & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis. *Mar. 1. v. 31. Luc. 4. v. 39.*

ET TETIGIT MANVM EIVS, ET SVRREXIT. hoc est quod Marcus disertiùs ait: *Apprehensa manu eius eleuauit eam.* Voluntatis certè signo manus tangitur, & potestatis atque efficacitatis adhibitæ, prætereà etiam virtutis ad sanandum in ipso sitæ. vide suprà v. 3. ET DIMISIT EAM FEBRIS continuò. contactu enim viuificæ carnis suæ mox febris ardores extinxit; neque id tantùm, sed & pristinas ei corporis vires illico restituit, vbi eis qui natura duce aut arte febribus liberantur, multo opus est à morbo tempore ad robur recuperandum. sequitur enim: ET MINISTRABAT EIS. s. Iesu eiusque discipulis. Alij legunt ei s. Iesu, cuius solius præcessit mentio. Ita restituta erat, vt parare & ministrare Iesu valeret prandium: venerat enim, hora prandij vocante, è synagoga eò vt cibum caperet. nec ei tantùm prandium ministrauit, sed & cæteris discipulis qui aderant, id quod citra varietatem habent alij Euangelistæ: verùm, Domino nominato, sodalitium Matthæus reliquit intelligendum, si numero vsus est singulari. Disce autem, sanitate cæterisque à Deo acceptis donis, ad Dei seruitium vti.

Mat. 1. v. 32. 34. Luc. 4. v. 40. 41.

Veſpere autem facto obtulerunt[16] ei multos dęmonia habentes: & eiiciebat ſpiritus verbo, & omnes malè habentes curauit:

ὀψίας δὲ γενομένης προσήνεγκαν αὐτῷ δαιμονιζομένους πολλούς, καὶ ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγῳ, καὶ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν·

VESPERE AVTEM FACTO. Recenſitis hactenus particulatim beneficis quibuſdam miraculis, generatim iam & confeſtim innumera comprehendit. Excitauerat autem iſtos miraculum eiecti eo die in ſynagoga dæmonij, quod narrant Marcus & Lucas, & ſanatæ domi ſocrus Petri: ſed exſpectauerant veſperam, quòd exiſtimarent id operis ſabbato non licere, vt curandos adferrent ægros: ſabbatum enim erat. Mar. 1. v. 21. Luc. 4. v. 31. Licebat autem, vt & quodlibet aliud opus, veſperi: veſpera enim finiebatur ſabbatum, iuxta illud Legis: *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra.* Leuit. 23. v. 32. MVLTOS DÆMONIA HABENTES. δαιμονιζομένους πολλούς dęmoniacos multos. Multi eo tempore dæmoniaci inter Iudæos fuere, partim Satana magis inſaniente, quòd præſenſiſſet aduentum Chriſti, partim Deo permittente, vt oſtenderet tunc à ſe filium miſſum qui diſſolueret opera diaboli (1. Ioh. 3. v. 8.) cùm diabolus regnaret maximè, vt corporibus multorum, ita cordibus plerorumque omnium. vide ſuprà 4. v. 24. SPIRITVS malos, dæmones. Spiritus nomine, celeritas atque efficiendi promtiſſima expeditiſſimaque vis indicatur: cui ſi malitiæ adnotatio accedit (quę hoc loco ſubaudienda venit) efficacem & vehementem nocendi ſignificat vim.

VERBO. λόγῳ, ſolo ſermone, ſolo iuſſu. Spiritus, energumenorum corpora vt poſſeſſores occupant: à poſſeſſione igitur deturbantur maioris poteſtatis verbo ac decreto iuſſi. ET OMNES MALE HABENTES CVRAVIT. manuum impoſitione, quod ait Lucas cap. 4. v. 40. Morbi & languores cùm corpus debilitent maleque afficiant, contactu viuifici corporis Chriſti ſanantur. Nullum autem fuit ægritudinis genus, quod Chriſto Domino non cederet, quippe potentiſſimo; nullum quantumuis fœdum quod contingere horreret, quippe puriſſimus; admiſit iuuitque gratis ſine delectu omnes qui adducebantur, nec excuſauit ſerum diei noctemque gerendis rebus intempeſtiuam, quippe optimus ac benigniſſimus.

Iſa. 53. v. 4.

vt adimpleretur quod dictum eſt[17] per Iſaiam prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.

ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος· αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν.

VT ADIMPLERETVR. vide ſuprà 1. v. 22. Vel euentum denotat *vt*, ita vt adimpleretur. ACCEPIT. abſtulit. ÆGROTATIONES NOSTRAS. τὰς νόσους morbos. מכאבנו *machobenu* dolores noſtros. PORTAVIT. aliò portauit, abſtulit. βαστάζειν græcè, סבל *ſabal* hebraicè, propriè eſt onus in humeros acceptum geſtare: accipitur tamen & pro auferre: quamquam, dum ſanauit Chriſtus morbos illos qui proximè ex peccatis nati fuerant, ſimulque ipſa peccata; quaſi in humeros accepit illos vnà cum peccatis in cruce portandos, non ſpecie eoſdem, ſed pœnas æquiualentes, imò longè ſuperantes. Iſtud Iſaiæ vaticinium plerique primò de paſſione intelligendum putant, qua dependit Chriſtus pœnas peccatis noſtris debitas; ſecundò autem de morborum ægritudinumque ſanatione, partim vt typo illius clariſſimo & rei proximo, partim vt applicatione illius, quando quidem morbi peccatorum merito inflicti fuerant. At nihil obſtat quo minùs primò de morborum ſanatione intelligatur, quemadmodum ab Euangeliſta citatur, hoc ſenſu, ex perſona Iudæorum ad fidem conuerſorum: Verè morbos ægritudineſque corporum noſtrorum ipſe abſtulit dum nobiſcum conuerſaretur: & tamen in cruce putauimus eum malè pati, nec conſiderauimus id eſſe propter iniquitates noſtras &c. q. d. Ex eo quòd morbos noſtros ipſe ſanauerat potenterque abſtulerat, intelligere debuiſſemus diſpenſatione fieri vt ipſe flagella pateretur. Nam quòd Apoſtolus Petrus habet 1. ep. 2. v. 24., potiùs id ſumtum eſt ex v. 5. 6. 8. 11. capitis 53. apud Iſaiam, quàm ex hoc quarto verſu. Porrò quòd præteriti temporis verbis Propheta ſit vſus, de re futura loquutus; id habent pro more prophetæ, quò ſignificent, tam certos ſe rerum futurarum quas prædicunt eſſe, quàm ſi eæ eſſent præteritæ: quamquam Syrus hoc loco præterita in futura verterit.

Mar. 4. v. 35. Luc. 8. v. 22.

Videns autem Ieſus turbas multas[18] circùm ſe, iuſſit ire trans fretum.

ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς πολλοὺς ὄχλους περὶ αὐτὸν, ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν.

VIDENS ſiue poſtridie ſiue alio tempore. TVRBAS. Cauſa traiectus tacitè redditur, vt ſcilicet fugeret multitudinem. IRE. ἀπελθεῖν abire, vt abiretur. ſ. à diſcipulis ſuis. Syrus vertit, Vt abirent. ſubaudi ſimiliter diſcipuli. Non iuſſit autem vt ipſi ſubirent nautarum vicem, ſed vt procurarent traiectum. TRANS FRETVM. εἰς τὸ πέραν, ad verbum, in vlterius, id eſt, in vlteriorem ripam, in oppoſitam ripam, quod diſertè Lucas teſtatur cap. 8. v. 26.

Luc. 9. v. 57.

Et accedens vnus Scriba ait illi:[19] Magiſter, ſequar te quocũq; ieris.

καὶ προσελθὼν εἷς γραμματεὺς εἶπεν αὐτῷ· διδάσκαλε, ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ.

VNVS SCRIBA. quidam legiſperitus, vbi videbat Ieſum parare abitum inde. MAGISTER. רבי *Rabbi* habet Syrus, quod eſt, Magiſter, ſiue præceptor mi. SEQVAR TE. paratus ſum ex diſcipulis tuis eſſe, illorumque more te ſequi quocumque ieris.

καὶ λέγει

καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις· ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.

20 Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. *Luc. 9. v. 58.*

VVLPES. inutiles & inuisæ hominibus bestiæ. FOVEAS. φωλεοὺς lustra, cauernas: latebrarum commoditatem in agris obtinent. ET VOLVCRES CÆLI. vagæ aues. NIDOS. κατασκηνώσεις. propriè vmbracula: nam σκηνὴ à σκιᾷ vmbra deriuatur, declaratque propriè tabernaculum ex frondibus & ramis contextum, quo modo etiam nidi ab auibus construuntur. Augustinus & Cyprianus legunt *diuersoria*, hic lib. 3. ad Quirinum cap. 11, ille lib. 22. contra Faustum cap. 48. FILIVS HOMINIS. ipse hominibus vtilissimus. Familiare est Christo Domino ita de se loqui in tertia persona. Porrò, filius hominis, hebraico loquendi more, idem est quod homo, id quod manifestum fit Iob 25. v. 6. Psal. 8. v. 5. & aliis locis: sed vilitatem quandam adiunctam habet, pulchrè exprimens miseriam humanæ naturæ. Nam, quemadmodum efficacius quiddam dicit, qui pro homine mortalem dicit, ita longè viuidius est si voces hominem filium Adæ siue hominis, quàm si hominem simpliciter: quemadmodum amplius quiddam sonat filius ancillæ quàm seruus. quo modo non semel legis: *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*. Psal. 115. v. 7. Sap. 9. v. 5. Vt enim seruituti addictior est, qui ex serua seruus natus est, quàm qui fortuna seruus factus est: ita miseriæ magis obnoxius est qui ex misero homine miser homo natus est. Nam quasi miseria duplex est, altissimè actis radicibus, miseria naturalis, hoc est, à parentibus in filios cum natura transfusa, & maximè, longa iam & perpetua serie. Hinc solent Hebræi vulgi hominem hoc modo vocare, בן־אדם: *ben Adam* filium Adæ siue hominis; clarum autem aut spectatum virum, בן־איש *ben isch* filium viri. id quod perspicuum est versu 3. Psalmi 48, vbi habes ad verbum ex hebræo: *etiam filii hominis, etiam filii viri*, sequiturque explicatio, *simul diues & pauper*. Hac itaque loqutione, humanæ naturæ miseriæque nostræ pro nobis susceptionem, & humilitatem suam, qua se ad infimam etiam hominum sortem abiecit, ipse Dei filius propriè dicendus & ab omnibus agnoscendus cùm sit, Saluator nobis commendat, de quo Apostolus loquens: *Exinaniuit*, inquit, *semetipsum formam serui accipiens*. Philip. 2. v. 7. Fortassis etiam ea ratione se filium hominis vocat, quòd homini, id est, humano generi, datus sit, quemadmodum Isaias canebat cap. 9. v 6: *Et filius datus est nobis*. Datus est autem humano generi à Deo, redemtio propitiatio, salus, & cætera quæ omnis Scriptura loquitur. Ac facilè potuit Saluator ad plura simul respexisse. NON HABET. ne tantillum quidem habet proprium. VBI CAPVT RECLINET fessus. Non tantum priuatæ commoditatis obtinet aut quærit, quantum satis sit fessi capiti reclinando. Hac responsione planè aperit Christus quid intus animo celauerit & spectauerit Scriba: non enim ad verba, sed ad animum eius respondet. Non dicit, Nolo vt me sequaris; nec dicit, Bene est, veni: sed ita respondet, vt postea non libuerit illi comitem se præbere. Existimabat ille mollem & amœnam viam Christum ambulare, neque quidquam defore corporalis commoditatis, quocumque pergeret domi ipsum esse, quin magnas ab eo diuitias parandas, fortassis etiam temporale regnum ineundum: quorum omnium ille discipulos inprimis & indiuiduos comites sperabat participes fore. Facilè autem obtineri posse credebat quidquid vellet viro tanta potestate ad hominum gratiam conciliandam prædito, vltra doctrinæ excellentiam quam in illo agnoscebat. Porrò Christus nullum commodum temporale à se aut haberi aut quæri respondet, adeò vt cùm etiam nociuæ bestiæ latebras, & naturâ vagæ volucres proprios nidos apud homines obtineant, vbi tutò degant, seque reficiant, ipse maximis laboribus ob hominum vtilitatem exantlatis, non exiguum hospitiolum, immò nec terræ pedem possideat aut possidere quærat, quò suæ seruire possit fessus commoditati. non tantum loci sibi adscribat, quantum ad caput reclinandum satis esse possit: immò moriturus caput in corpus suum inclinaturus sit. Dat itaque Scribæ intelligendum, suorum commodorum rerumque terrenarum studio addictos, minimè idoneos esse vt Christi discipuli sint. Viuebat & in ædibus alienis degebat Christus precariò, neque semper suppetebant, vti accidit iis qui precariò viuunt, quæ humana natura, sua pro commoditate, quinetiam necessitate, postulabat; vtque non ipsi, ita neque discipulis eius. Huiusmodi ergo animo & studio instructum oportebat eum esse, qui Christum quocumque euntem sequi vellet. Porrò huiusmodi vitæ conditionem in terris sibi delegerat Christus, vt, cuius erant, cælum, terra, & plenitudo eorum, æternæ natiuitatis iure; non ille in terra proprium quid possideret humano acquisitum iure, doceret autem nos terrena contemnere, & ad cælestia adspirare, sua denique paupertate cælestium bonorum verè diuites redderet. 2. Cor. 8. v. 9.

ἕτερος δὲ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶπεν αὐτῷ· κύριε, ἐπίτρεψόν μοι πρῶτον ἀπελθεῖν, καὶ θάψαι τὸν πατέρα μου.

21 Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum. *Luc. 9. v. 59.*

DE DISCIPVLIS EIVS. discipulorum eius, vocatus ad sequelam: neque enim omnes discipuli, perpetui erant, relictis omnibus, Christi, quocumque iret, comites. ET SEPELIRE. permitte me manere apud senem patrem, eiusque senectuti inseruire donec moriatur. ita Theophylactus in Lucam. Vocationi non resistit, sed commeatum sibi dari petit, donec pietatis officio functus fuerit erga patrem.

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ἀκολούθει μοι, καὶ ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς.

22 Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. *Luc. 9. v. 60.*

SEQVERE ME. adhæreto mihi relictis omnibus; relictis omnibus te mihi da, vt mihi indiuiduus adhæreas

reas & pareas in omnibus. vide supra 4. v. 19. ET DIMITTE. sine vt mortui mortuorum curam agant. q. d. Sunt alij qui illud faciant, & eiusmodi quibus illud maximè congruat, mortuis vt curent mortuos: tu vitæ cælesti dedicatus, & ad illam prædicandam vocatus, non debes vt morti ministres vitæ ministerium intermittere. Alludens ad modum loquendi quo discipulus fuerat vsus: *Permitte me primum sepelire patrem meum*; mortuum vocat patrem eius, tamquam qui verè egeat vt sepeliatur, sed eam curam similiter mortuis vult relinqui; mortuum autem anima, quæ tum mortua est, cùm à Deo fuerit separata, quemadmodum corpus mortuum est cùm ab anima separatum fuerit. Nam vt anima corporis, ita Deus animæ vita est. Animaduerte posthabenda omnia vocationi Dei.

Luc. 8. v. 22.

Et ascendente eo in nauiculam, [23] secuti sunt eum discipuli eius.

καὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, ἠκολούθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

ET pro autem. ASCENDENTE EO. ἐμβάντι αὐτῷ ascendentem eum, ingressum eum. Non enim sunt genitiui absolutè positi, sed datiui, recti à verbo ἠκολούθησαν *sequuti sunt*. IN NAVICVLAM εἰς τὸ πλοῖον in nauim, in nauigium. Interpres ferè vertit diminutiuum *Nauiculam*, tamquam si scriptum esset πλοιάριον, quòd persuaserit sibi, id quod facile creditu est, non admodum magna nauigia fuisse, quòd ferè soleat paruorum, siue ad traiectum, siue ad piscationem, vsus esse. Nauiculam autem verisimile est conductam fuisse. vide infrà 15. v. 39. SECVTI SVNT EVM in nauiculam. Redundat *eum* ex idiotismo hebraico. DISCIPVLI EIVS. relictis turbis.

Mar. 4. v. 37. 38. Luc. 8. v. 23.

Et ecce motus magnus factus est [24] in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat.

καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ὥστε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων· αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.

ET ECCE subitò; verùm non fortuitò, sed Christo ipso faciente, vt & Christus ipsis, & ipsi sibi, meliùs innotescerent. MOTVS. commotio tempestas. IN MARI. lacu Genesareth. vide suprà 4. v. 18. FLVCTIBVS. ὑπὸ τῶν κυμάτων à fluctibus. His verbis licet paucissimis, atram cæli intemperiem, ventorum furentes flatus, & fluctuum vndique se in altum extollentium, magnoque cum fragore inuicem se collidentium, tantumque non nauiculam vndis implentium, ac mergentium, furorem, nauiculæ denique afflictissimam iactationem, comprehendit. DORMIEBAT. non fingebat somnum, sed verè somnum capiebat, sponte tamen; vt non poterat inuitus somno opprimi; partim pro naturæ diurnis laboribus fessæ recreatione, partim vt retegeretur quæ latebat fidei discipulorum exiguitas. Nam si vigilasset, parum aut nil timuissent, confisi in carnali magistri vigilantis præsentia, in qua toti defixi erant.

Mar. 4. v. 38. Luc. 8. v. 24.

Et accesserunt ad eum discipuli eius [25] & suscitauerunt eum, dicentes: Domine, salua nos, perimus.

καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἤγειραν αὐτόν, λέγοντες· κύριε σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα.

ET ACCESSERVNT. Ad verbum: Et accedentes discipuli eius excitauerunt eum. Agunt ipsi donec extremum discrimen vrgeat: tunc eos consternat immodicus timor, nec putant se fore saluos nisi expergefiat Christus. PERIMVS. nisi tu nos adiuues. præsentis est temporis, ἀπολλύμεθα. Pia, vti videtur, precatio, eatenus ex fide profecta, quatenus ad Christum opis gratia confugiunt; sed ex infidelitate, quòd existiment dormientem nullam gerere ipsorum curam, vt ceteri homines dormientes nullam gerunt alicuius rei curam; aut iuuari & seruari se à dormiente non posse. sic enim eorum verba hîc intelligenda, ex Marco perspicuum est. Effecit porrò magna ista animi Apostolorum consternatio, vt miraculi magnitudo appareret, eiusdemque memoria pectoribus diutiùs inhæreret.

Mar. 4. v. 39. 40. Luc. 8. v. 24. 25.

Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis [26] modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

καὶ λέγει αὐτοῖς· τί δειλοί ἐστε ὀλιγόπιστοι; τότε ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.

QVID TIMIDI ESTIS. Quid tanto percellimini timore? Immodicum enim timorem arguit, qui fidem opprimit, pacemque animi turbat, ita vt non recumbat in Deum: nam minimè vitiosus est moderatus ille timor, qui fidem solicitat. MODICÆ FIDEI. vide suprà 6. v. 30. Aperit vnde illis timor hic fuerit, nempe, ex fidei exiguitate, quòd non crederent, se, etiam à dormiente, si ipsum inuocarent, exaudiendos & seruandos esse; nimirum, parum esse etiamsi dormiret humana infirmitas, vbi diuinitas vigilaret. SVRGENS. vbi surrexerat, vel excitatus siue experrectus. ad hæc enim ambiguum est ἐγερθείς. IMPERAVIT tranquillitatem. imperio suo compescuit. Græcè est vox ἐπιτιμᾶν, quæ propriè significat increpare, siue obiurgare, aut duriùs alloqui, cui respondet hebraicè vox גער *gahar*, cuius frequens est vsus, cùm de Dei in vastum ac furiosum mare imperio agitur (vt Psal. 103. v. 7. 105. v. 9. Nahum 1. v. 4.) quod vis vi illic opponi videatur, aut tamquam quòd mare præ ea qua præditum est tum corporis immensitate, tum agendi insania nulli cedere velit, Dei autem nutui velociùs cedat, quàm obiurgatus insigniter minisque additis increpitus seruus Domino suo. Ea ratione & de satana dicitur, cùm in Euangeliis, tum Zachariæ 3. v. 2. & Iudæ v. 9., quamquam in eo locum habeat propriè dicta obiurgatio. Interpres aliàs *increpauit* vertit, maximè

vbi

vbi de creaturis ratione præditis agitur; vbi autem de creaturis inanimatis, hîc & Luc. 4. v. 39., *imperauit*: nam, quod Euthymius notat, ἐπιτιμᾷν his locis, id est διακελεύειν siue ἐπιτάσσειν, imperare, præcipere (id quod satis manifestum fit ex v. 25. c. 8. apud Lucam) sed cum emphasi, nimirum, minis additis, vel, magno cum imperio, valida authoritate. Variam huius verbi significationem tractat Euthymius Matth. 16. v. 22. Porrò imperat creaturis inanimatis Saluator, non quòd sensu illæ præditæ sint, sed vti Deus, vti illarum auctor & absolutè Dominus, cuius vox in omnia est efficax, cuius voluntas, vt est rebus causa existendi, ita est & causa vt existant mutenturque quo modo illi placuerit. VENTIS ET MARI. Domino, in compescendis sæuissimis elementis, non maioribus opus est viribus, quàm si imbecillus aliquis homuncio in ordinem redigendus sit. ET FACTA EST. quumprimùm ille iussit ita vt non posset naturæ adscribi, sed miraculo deberet. TRANQVILLITAS MAGNA. Non solùm sedata est tempestas, verumetiam mare ita tranquillum redditum, vt ne vestigium quidem tempestatis esset cernere, cùm aliàs multo adhuc tempore à tempestate soleant vndæ feruere. Facta est autem tranquillitas, non nullo vento, sed secundo, eoque lenissimo: nam, quod Lucas ait, *enauigauerunt ad regionem Gerasenorum*. cap 8. v. 26.

οἱ δὲ ἄνθρωποι ἐθαύμασαν λέγοντες· [27] ποταπός ἐστιν οὗτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

Porrò homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

Mar. 4. v. 41. Luc. 8. v. 25.

HOMINES. id est, qui aderant. Cum discipulis eos intelligit quorum erat hæc nauis; illos præterea qui in cæteris erant nauibus, quas Marcus dicit fuisse socias cap. 4. v. 36. QVALIS. ποταπός, non simpliciter interrogantium est, sed admirantium emphasin habet. q. d. Alius sit oportet quàm nos eum adhuc nouerimus. Hic fructus est miraculorum Christi, vt maiorem de eo homines opinionem concipiant, proficiantq; in fide. Hanc autem confessionem, effecit miraculum à Iesu repente editum, tanto illustriorem, quanto magis pugnantem cum metu & fidei exiguitate, quibus infirmitatibus mox laborauerant. QVIA VENTI. ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι quia & venti, quòd etiam venti. Additur enim hîc, vt apud Marcum & Lucam, græcè coniunctio, quæ & connectit & auget. Non tantùm morbi quicumque & dæmones, verùm etiam & venti & mare, quę nulli obedire solent, quorum vim nemo cohibet. OBEDIVNT EI. Inanimium creaturarum non est obedientia propriè dicta sed obedire ideo eo dicuntur, quia, pro arbitrio creatoris, ita mox agunt, operantur, mutantur: id quod facit efficacitas voluntatis ipsius.

καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ πέραν, εἰς τὴν [28] χώραν τῶν γεργεσηνῶν, ὑπήντησαν αὐτῷ δύο δαιμονιζόμενοι, ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι, χαλεποὶ λίαν, ὥστε μὴ ἰσχύειν τινὰ παρελθεῖν διὰ τῆς ὁδοῦ ἐκείνης.

Et cùm venisset trans fretum, in regionem Gerasenorum, occurrerũt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sęui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam.

Mar. 5. v. 1. 2. 3. 4. 5. Luc. 8. v. 26. 27.

ET CVM VENISSET. Cùm igitur venisset secundo vento. TRANS FRETVM. εἰς τὸ πέραν in vlteriorem ripam. vide sup. v. 18. GERASENORVM. γεργεσηνῶν *Gergesenorum*. Syrus habet *Gadarenorum*, quo modo etiam est, cùm Syriacè tum Græcè, apud Marcum & Lucam. Latinus vbique *Gerasenorum* dixit. *Gargasi* siue *Gergesa* (vtroque enim modo apud Hieronymum effertur) *ciuitas trans Iordanem* (nam quæ erat trans mare Genesareth, erat & trans fluuium Iordanem, cùm hic in illud influeret) *iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Hæc esse nunc dicitur Gerasa, vrbs insignis Arabiæ*, inquit D. Hieronymus libro de locis Hebraicis. quin & sub finem commentarij in Abdiam: *Beniamin*, ait, *coniunctam possidebit Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, & nunc Gerasa nuncupatur*. Interpres itaque, vbi vertit Gerasenorum, illud nominis dedit, quod sua ætate celebrius erat. Porrò *Gadara, altera fuit vrbs eiusdem regionis trans fluuium Iordanem, metropolis tùnc validissima*, quod Iosephus ait lib. 5. de bello Iudaico cap. 3., *contra Scythopolim & Tiberiadem ad orientalem plagam sita in monte*, quod Hieronymus libro de locis Hebraicis. Eadem ergo regio, nunc ab hac, nunc ab illa ciuitate nomen accipit. Cæterùm, nomen *Gargah*, siue *Gergesa*, à gentis Gergesæorum siue Gergesenorum (qui fuere ex numero septem illarum gentium, quas præceperat Deus Israëli vt exstirparet, Deut. 7. v. 12.) nomine deductum est, qui illic olim Iordani fluuio vltra citraque assederant, qua parte aquæ Maron & lacus magnus Genesareth sunt, auctore B. Aria Montano, libri de Chanaan septimo capite. OCCVRRERVNT EI. vti soliti erant aggredi atque inuadere illac iter facientes: quamquam fieri possit vt non tam sponte venerint, quàm arcano Christi imperio tracti. HABENTES DÆMONIA δαιμονιζόμενοι. dæmoniaci. DE ἐκ EX MONVMENTIS. Digna rege ac principe mortis regia, monumenta: quæ idcirco incolebat, quò sæuitiam hominibus declararet suam, nihil morantis loca quæ illi horrent, vtque miseros illos homines quos obsederat continuo terrore ob tristem mortis conspectum lancinaret; denique, vt viatores illinc aggressus maiori horrore percelleret. SÆVI. χαλεποί. *periculosi* legit Hilarius. nam græcis χαλεπὸς vox est πολύσημος, nunc sæuum, nunc molestum ac difficilem, nonnumquam & periculosum declarans. Syrus vertit *Mali*. NIMIS. supra modum, λίαν valde. POSSET. ἰσχύειν valeret, quin ei molesti essent, furiosoque impetu manus inijcerent. quod verisimile est, atque in sepulchra nonnumquam abriperent. Nihil dæmoni prius est studio nocendi hominibus: sed malit illud per homines ipsos agere, quò genus humanum quàm sceleratissimum reddat in inuidiam Dei.

καὶ ἰδοὺ ἔκραξαν λέγοντες. τί [29]

Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis

Mar. 5. v. 7. Luc. 8. v. 28.

nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

ἡμῖν καὶ σοὶ Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ θεοῦ; ἦλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς;

ECCE res mira. Ad Christi tribunal coacti dæmones, non magis sui nunc compotes sunt, quàm hactenus miseri homines, quos soliti fuerant plus quàm tyrannicè vexare. CLAMAVERVNT. iussi à Christo relinquere eos quos obsidebant, id quod habent Marcus & Lucas. QVID NOBIS ET TIBI s. rei est aut commune est. Frequens est Hebræis huiusmodi loquendi modus, exponendus pro ratione subiectæ materiæ. Infrà 27. v. 19: *Nihil tibi & iusto illi* s. commune sit, non te immisceas rebus illius. 4. Reg. 9. v. 18: *Quid tibi & paci* s. commune est, aut quid tibi rei cum pace, quid tu curas pacem? Ac ferè præponitur primæ personæ pronomen, etiam vbi iuxta nostrum loquendi modum postponendum sit. 2. Reg. 16. v. 10: *Quid mihi & vobis est filij Saruiæ?* inquit Dauid, pro, Quid vobis mecum est rei aut negotij; (molesti enim erant filij Saruiæ Dauidi, non Dauid filius Saruiæ, cur rebus meis vos immiscetis non requisiti? quid causæ est vobis vt mea semper consilia turbetis? 2. Paral. 35. v. 21. Rex Ægypti prior bello impetitus à Rege Iuda, cùm non aduersus Iudam, sed aduersus Chaldæos educeret copias, ait: *Quid mihi & tibi est rex Iuda?* id est, quid tibi negotij, quid dissidij est mecum, quid causæ quòd me bello adoriaris? *non aduersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum.* Sic hoc loco dæmones dicunt Iesu: *Quid nobis & tibi*, id est, quid tibi nobiscum (oppugnabat enim Iesus dæmonas, nō dæmones Iesum, quod sibi persuadebant) s. rei est, ob quod nos eiicias? quid causæ est tibi quòd nos velis eiectos? quid nos mali tibi facimus? Nos te non oppugnamus, neque tibi molesti sumus, quem agnoscimus esse filium Dei: sed peccatores solummodo vexamus, eosque qui nostri iuris sunt ad interitum trahere conamur. Te, quem scimus esse filium Dei, & à peccatorum conditione longè alienum, cauemus offendere. Nulla ergo inter nos & te lis cùm sit aut controuersia, quid nos infestas? sine tu nos quietos agere, quemadmodum nos te. Possit etiam exponi *Quid nobis & tibi* commune est? omnino aliena est tua ratio à nobis: tu es filius Dei, nos dæmones à Deo prorsus alieni: tu Christus sanctus Dei, nos spiritus immundi: nihil autem commercij est illi cum his, filio Dei cum dæmonibus, nihil commune *Christo cum Belial* (2. Corin. 6. v. 14. 15.) *luci cum tenebris, iustitiæ cum iniquitate.* Quid ergo nostra curas? Relinque nos vt longè à te alienos & nihil ad te pertinentes: nam si auctoritate & viribus agatur, scimus actum esse de nobis. Vtrouis modo exponas, non accipienda sunt tamquam renitentium Iesum aut ei rebellantium verba, sed tamquam expostulantium, conquerentium, & ne eiiciantur deprecantium. Atqui venerat Iesus filius Dei, homines liberatum à miserabili diaboli seruitute. FILI DEI. id est, Messia seu Christe. nam, quod dicitur Luc. 4. v. 41, *sciebant ipsum esse Christum.* Porrò, *non voluntatis fuit ista confessio, sed necessitatis extorsio,* timore pœnarum, *sicuti serui fugitiui*, quod Hieronymus habet, *post multum temporis Domino suo fortè præsentes facti, nihil aliud nisi verbera deprecentur.* *Tantum autem* & tamdiu *innotuit eis* Christus, Augustinus ait *quantum* & quamdiu *voluit*: *tantum autem* & tamdiu *voluit*, *quantum* & quamdiu *oportuit*. *Sed sic innotuit, non sicut angelis sanctis, qui eius participata æternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica potestate venerat liberaturus prædestinatos. Innotuit ergo dæmonibus, non per id quod est vita æterna, aut lumen incommutabile quod illuminat pios: sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, & occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus, etiam malignorum spirituum, potius quàm infirmitati hominum, possent esse conspicua. quæ, quando paululum supprimenda iudicauit, & aliquanto altiùs latuit, dubitauit de illo dæmonum princeps.* ita ferè B. Augustinus libri 9 de ciuitate Dei cap. 21. Nam *si certò cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Apostolus ait 1. Cor. 2. v. 8.
ANTE TEMPVS. quia ante extremi iudicij tempus, quod multis Dei verbis & prophetarum oraculis certissimum fore, exercendumque à filio hominis, intellexerant (Dan. 7. v. 13.) ad quod sciebant ipsi se reseruari in caliginosi huius aëris carceribus (Iudæ v. 6. Aug. lib. 14. de ciuitate Dei cap. 3.) Ideo ergo ante tempus dicunt, quia nondum extremi Iudicij tempus esse existiment (Aug. de ciuitate Dei lib. 8. cap. 23.) reprobis enim pœnæ luendæ tempus numquam maturum est: libenter diem ex die traherent. TORQVERE NOS βασανίσαι ἡμᾶς cruciatum nos. Vt est diabolo, qua est malitia, volupe, affligere homines; ita, qua est superbia, ægrè cedit alterius imperio. Tormentum itaque erat illi, cogi relinquere eos quos iam obsederat, eoque maius, quòd metueret ne expulsus *in abyssum* ablegaretur, quod Lucas refert (mox enim vt ad iudicem ventum est, scelerati supplicium ipsi concipiunt suum) qui persuasum habebat permittendum sibi, ante extremi iudicij diem, impunè vt in homines grassari posset. Porrò, siue enunciando istud, siue interrogando legatur, in idem redit sententia conquerentium & expostulantium.

Mar. 5. v. 11. Luc. 8. v. 32.

Erat autem nō longè ab illis grex [30] multorum porcorum pascens.

ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν ἀγέλη χοίρων πολλῶν βοσκομένη.

NON LONGE. Græcè est μακρὰν longè: sed latinè rectiùs, ni fallor, cum negatione: tametsi enim fieri possit vt longè ab eis fuerit, non tamen longiùs quàm vt in conspectu. id enim significant Marcus & Lucas, quando dicunt: *Erat autem ibi grex porcorum magnus pascens.* PORCORVM. Crediderim eam regionem incoluisse Gentiles præsertim, mixtos tamen eis fuisse Iudæos. Iosephus enim, libri 17. antiquitatum cap. 13., Gadaram dicit ciuitatem fuisse græcanici instituti & libri 5. de bello Iudaico cap. 3., refert, Iudæos seditiosos, appropinquante Vespasiano, extra ciuitatem Gadaram dilapsos esse: *Gadarensium autem populus*, ait, *Vespasiano cum acclamationibus in ciuitatem recepto, fidei dextras ab eo accepit.* Cæterùm, non quia prohibitum erat Iudæis diuina lege porcinam edere, ideo & porcos alere (vendere poterant gentibus, vel lardo vti ad vngenda plaustra & similes vsus) ac solitos eos fuisse, &, qui eorum legibus viuebant, proselytos, porcos aliquando alere quos non facilè mactarent, vel illud Augusti dicterium doceat, quo ludebat, *malle se Herodis porcum esse quam filium.* Alij autem petierunt à Iudæis, tunc temporis maximè, vel ad suppeditandam annonam Romanis militibus: qua ex causa multa suarijs priuilegia concessa leguntur.

οἱ δὲ δαίμονες παρεκάλουν αὐτὸν λέγοντες· εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς, ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων. 31

Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

Mar. 5. v. 12. Luc. 8. v. 32.

SI EIICIS NOS ex hominibus istis. nam HINC quod sequitur, vt non græcè aut syriacè, ita nec in aliis libris latinè legitur. MITTE NOS. ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν permitte nobis abire. ita est græcè & syriacè. Christo vel inuiti tribuunt potestatem, & super se, & super obsessos, & super porcos. Obserua autem, ne immundis quidem & fœdis brutis nocere posse, nisi Dei permissu: quanto ergò minùs hominibus? IN GREGEM. εἰς τὴν ἀγέλην in illum gregem. putarim enim articulum hic poni δεικτικῶς, gregemque illum in conspectu fuisse. Eiiciendi ex hominibus, rogant Dominum, non scelerum veniam, aut gratiam, aut præclarum aliquod donum, sed, vt in porcos sinantur ingredi, nullibi enim pro ingenio satanico commodiùs sibi esse videntur, quàm vbi hominibus noceant. tanto hominum odio flagrant. Videntur autem eò maximè respexisse, vt regionis incolæ, porcorum iactura exasperati, Christo maledicerent, neque aut eum aut prædicationem ipsius susciperent: id quod etiam ex parte ita euênit.

καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ὑπάγετε. οἱ δὲ ἐξελθόντες ἀπῆλθον εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων· καὶ ἰδοὺ ὥρμησε πᾶσα ἡ ἀγέλη τῶν χοίρων κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἀπέθανον ἐν τοῖς ὕδασιν. 32

Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos: & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.

Mar. 5. v. 13. Luc. 8. v. 32. 33.

ITE. Christus annuens, non eorum vota exaudit, sed permittit, tamquam Iudæus qui porcorum carnes nihili facit, inprimis, quò appareat, verè dæmones ex hominum istorum corporibus exiuisse; Deinde, atrociora eos in homines quàm in porcos commissuros fuisse, nisi à Deo prohibiti fuissent. Tertiò, vt doceat nullam fortunarum iacturam, comparandam cum hominis à dæmone possessione. Quartò, vt latiùs spargeretur miraculum in gloriam Dei: huius enim damni occasione, factum est, vt quasi puncto temporis illuxerit virtus Christi per omnem regionem illam. Quintò, refutatus est Sadducæorũ & aliorum quorumdam error, qui dæmones, non essentiales spiritus, sed prauas corporum & animorum hominũ affectiones esse fingunt. Postremò, ostendit quales essent animis Gerasени, immundi & fœdi, congrua dæmonum habitacula; facileque opprimi & perdi à dæmoniis, Deo permittente, eos qui porcorum more viuunt. IN PORCOS. ita est & syriacè. sed græcè εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων in gregem porcorum. Ex monumentis in immundissimos porcos migrant, ne scilicet vsquam deesset digna tanto rege seu aula seu regia. IMPETV ABIIT. ὥρμησε ruit. TOTVS GREX τῶν χοίρων porcorum additur græcè; sed vt non latinè, ita nec syriacè.

PER PRÆCEPS. κατὰ τοῦ κρημνοῦ è præcipitio: ponitur enim κατὰ pro ἀπό. κρημνὸς præcipitium, siue eminentem & abruptum locum significat: quare Syrus vertit: *Et totus grex ille rectà contendit sursum in rupem, & corruerunt in mare.* Corruerunt autem è rupe siue præcipitio montis mari imminentis, ad quem, quod narrant alij Euangelistæ, pascebantur. IN MARE s. Tiberiadis siue Genesareth, illud quod mox Dominus transmiserat, cuius frequens hactenus facta est mentio. Nam & prope illud contigisse hoc eiectorum dæmonum miraculum, Lucas & clariùs Marcus docent, qui dæmoniacum occurrisse Saluatori narrant mox vt ille nauiegressus pedem posuerat in terram. Mar. 5. v. 2. Luc. 8. v. 27. MORTVI SVNT. non enim inuaserant porcos dæmones vt in eis manerent, sed dumtaxat vt præcipitarent eos in stagnum & submergerent, itaque nocerent eis quorum porci erant.

οἱ δὲ βόσκοντες ἔφυγον, καὶ ἀπελθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἀπήγγειλαν πάντα, καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων. 33

Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem nunciauerunt omnia, & de eis qui dæmonia habuerant.

Mar. 5. v. 14. Luc. 8. v. 34.

PASTORES. οἱ βόσκοντες pascentes: sed participium est loco nominis, ex idiotismo hebræo. FVGERVNT. partim territi spectaculo, partim nunciaturi rem omnem dominis suis & ciuitati vniuersæ, quò constaret nequaquam ipsis imputandum id quod acciderat damnum. Ita verò diuulgatum est miraculum, & longè lateque prædicata Iesu virtus, doctrina, efficacitas, misericordia, diuinâ sapientiâ astutias satanæ insigniter fallente. VENIENTES. ἀπελθόντες abeuntes, digressi. IN CIVITATEM vicinam, in qua porcorum domini habitabant. OMNIA. de porcorum inprimis submersione, qui ipsorum fidei & curæ commissi fuerant. ET DE IIS QVI DÆMONIA HABVERANT. καὶ τὰ τῶν δαιμονιζομένων & ea quę dæmoniacorum, & ea quæ dæmoniacis accidissent.

καὶ ἰδοὺ πᾶσα ἡ πόλις ἐξῆλθεν εἰς συνάντησιν τῷ Ἰησοῦ· καὶ ἰδόντες αὐτὸν, παρεκάλεσαν ὅπως μεταβῇ ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. 34

Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu: & viso eo, rogabant vt transiret à finibus eorum.

Mar. 5. v. 14. 15. 17. Luc. 8. v. 35. 37.

TOTA CIVITAS illa, siue Gerasa illa fuerit, siue Gadara, siue alia eius regionis. Fuit enim adeò insigne & miraculum & damnum, vt permouere potuerit totam ciuitatem. EXIIT OBVIAM IESV. Cœperat enim Iesus tenere viam eam quæ ducebat in ciuitatem: sed subito dæmoniaci occursu remoratus, adhuc quiescebat in loco eo in quo illũ liberauerat: *sedebat enim*, quod Lucas habet, *qui sanus factus fuerat, ad pedes eius.*

VISO EO iisque quas perpetrauerat rebus. ROGABANT EVM. non expulerunt exacerbati sed rogarunt, perculsi, partim religione, partim damni accepti dolore, ac maioris metu, VT TRANSIRET. ὅπως μεταβῇ vt digrederetur, discederet, A FINIBVS EORVM. Agnouerunt virum sanctum & diuina virtute praditum, cui nec dæmonia obsistere possent: timuerunt, ne, vel ipse, vel, propter ipsius præsentiam, Deus, ipsos, gentes, ab ipsius, qui Iudæus erat, religione alienas, aut perderet, aut maioribus affectas damnis attenuaret; non absimiliter viduæ illi Sarephtanæ, quæ, mortuo filio suo, dicebat Eliæ quem hospitio exceperat 3. Reg. 17. v. 18: *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Existimant enim peccatores homines, viros sanctos sibi damnosos aut incómodos esse, eo quòd non possit vitium cum virtute vnà commorari. Namque virtus suo splendore vitium perstringit, calore vrit, maximè si sit diuina virtus, vt Dei ipsius, aut angeli à Deo missi: & ex collatione illius cum sua vitiositate, metuunt sibi periculum. vide Luc. 5. v. 8. Eò itaque isti profecerant, vt timere, suspicere, & revereri inciperent, in Christo refulgentem Dei maiestatem ac potentiam; sed nondùm eò vt amarent & susciperent beneficentissimum saluatorem hominum, assertoremque è dæmonum tyrannide, pluris suas facientes facultates, quàm veritatis cognitionem & suarum salutem animarum. adeò verum est quod alibi Saluator docuit: *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. v. 33.

CAPVT NONVM.

Mar. 2. v. 1. & 5. v. 18. 21. Luc. 8. v. 37.

1 Et ascendens in nauiculam transfretauit, & vénit in ciuitatem suam.

Καὶ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον διεπέρασε, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.

ASCENDENS IN NAVICVLAM. ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον ingressus in nauim, siue inscensa aut conscensa naui. TRANSFRETAVIT. διεπέρασε traiecit, reuersus est in Galilæam. Facilè eorum precibus Saluator annuit, quibus grauis erat beneficiis suis, ne margaritas porcis spargeret, prçsertim non missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel. Cæterùm sic ei placuit vt illis gentibus virtutis suæ testimonium præsens ferretur, luceretque scintilla aliqua veritatis. VENIT. redit, absentia ipsius irritatis iam illic omnium desideriis. SVAM. ἰδίαν propriam. Capharnaum scilicet, vbi domicilium id temporis habebat. Quemadmodum enim Bethlehem cunis suis nobilitauit, Ægyptum fuga sua felicem reddidit, Nazareth educatione sui celebrem fecit: ita Capharnaum commoratione atque editis inibi frequentibus miraculis velut adoptauit in patriam. siquidem ex quo cœpit obire Euangelij promulgandi negotium, domicilium huc transtulit: id quod suprà 4. v. 13. Euangelista narrante didicimus,

Mar. 2. v. 3. 5. Luc. 5. v. 18. 20.

2 Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

καὶ ἰδοὺ προσέφερον αὐτῷ παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον· καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπε τῷ παραλυτικῷ· θάρσει τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.

OFFEREBANT, id est, offerebatur. ita enim efferunt, quod iam diximus aliquoties, Hebræi verbum impersonale, verbo personali pluraliter posito absque expressione personæ. IACENTEM. βεβλημένον. vide suprà 8. v. 6. IN LECTO. quippe membris omnibus captum. Siquidem paralysis, humore noxio, neruos corporis, qui motus sunt organa, occupat & torpefacit, sic vt qui laborat hoc malo, membra corporis, non ad vsum, sed ad sarcinam molestam habeat, vt propemodum animatum cadauer esse videatur, non in aliud spirans nisi in pœnam suam. Hoc malum de numero eorum est, à quibus medicorum ars, velut ab immedicabilibus, libenter abstinet, præsertim si non vnam aut alteram corporis partem, sed vniuersum corpus occuparit. ET VIDENS. videns autem. Egregium enim edebant fidei specimen, illo suo tam laborioso conatu, à posterioribus Euangelistis descripto. Mar. 2. v. 4. Luc. 5. v. 19. FIDEM. Fides mouet Iesum ad concedendum beneficium, multò etiam cumulatius quàm petitum fuerit. Fides autem in Euangeliis, cùm ei salus aut optatæ rei consequutio tribuitur, tum hoc loco, tum aliis plerisque, ita in vsu est, vt duo ista complectatur, firmum mentis assensum in ea quæ de Deo & Christo credenda sunt, & fiduciam in Deo ac Christo ex assensu illo nascentem, quasi dicas fidem operantem per fiduciam: assensus enim mentis absque fiducia, nil impetrat: fiducia autem absque assensu, esse nequit. Et quamquam assensum illum propriè fides ex sacrarum literarum vsu significet (1. Cor. 13 v. 13. Heb. 11. v. 1.) aliquando tamen maior ad assensum respectus (suprà 8. v 10. infrà 9. v. 28. & 29.) aliquando ad fiduciam (suprà 6. v. 30. infrà 14. v. 31. 17. v. 20.) habetur. nam, quia assensus siue fides, fiduciæ est mater (vide suprà 6. v. 30.) idcirco semper vocatur fides. Ideo autem fidei potiùs quàm alteri virtuti, rei optatæ consequutio plerumque tribuitur (nam & hoc loco erat ardens studium iuuandi proximum, & magna ægri patientia, insignes virtutes) partim quidem ad fidei quæ propaganda erat commendationem, partim verò quòd fidei propria sit merces consequi id quod credit ac sperat. ILLORVM. offerentium. Ad consequutioné sanitatis corporis potest aliena fides prodesse, etiam in incredulitate aut impietate perseueranti; ad animæ verò sanitatem, eatenus, quatenus illud à Deo impetret, vt pœnitentia impio, fides & pœnitentia incredulo dentur. Ad vtramque sanitatem consequendam aliena fide adiutus paralyticus hic fuit, quamquam & propriam fidem attulerit, qui se ad eum modum offerri passus est, quem describunt Marcus & Lucas. CONFIDE. θάρσει. bono animo esto, ad quem

modum

modum Syrus habet ܐܬܠܒܒ *Etblabeb*. bene spera te consequuturum sanitatem quam desideras. Quàm libenter Iesus fide rogatus infirmitates hominum curandas suscipiat, maximè verò spiritales, oratio ista declarat, qua paralyticus exceptus fuit. FILI. Magnæ consolationis vox conscientiis peccatorum, qua dignatur eos Christus hoc etiam nomine vt filios vocet. Est autem peccator pœnitens adoptioni per Christum proximus, vt omittam quòd creatione omnes Dei & Christi filij simus: denique quòd modus sit loquendi, ita appellare suaui vocabulo etiam ignotos, tanquam si dicas te non secus ac filium diligere.

REMITTVNTVR. ἀφέωνται remissa sunt, scilicet hoc ipso quo hoc pronuncio: nam præteritum Atticum est pro communi ἀφεῖνται; sed præteritum est loco præsentis ἀφίενται, quamquam sit in illo efficacitatis emphasis minimè negligenda. Reddit causam cur sit ei animo confidendum, quia remittantur ei peccata, morbi scilicet causa, ob quæ morbus iste à Deo inflictus sit. Quidam vertunt modo mandatiuo *remittantur*: intelligunt enim ἀφέωνται tertiam pluralem esse coniunctiui præsentis: verùm ea versio, vt parum hoc loco, ita nullo modo conueniat Luc. 7. v. 47., vbi eadem occurrit vox. Non dubium est, quin æger conceperit displicentiam peccatorum, pœnitueritq; eum malè anteactæ vitæ, vbi, sanitatis licet recuperandæ gratia, tanto feruore Iesu offerri cupiuit publico pœnitentiæ præconi. suprà 4. v. 17. Iesus itaque credentes ipsi esse sanandi corporis facultatem, ducit ad perfectiora, ad credendum inquam ipsi esse potestatem peccatorum remittendorum animæque sanandæ.

καὶ ἰδού τινες τῶν γραμματέων εἶπον ἐν ἑαυτοῖς· οὗτος βλασφημεῖ.	3 Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.	*Mar. 2. v. 6. 7. Luc. 5. v. 21.*

DE SCRIBIS. scribarum, legisperitorum. INTRA SE. ἐν ἑαυτοῖς in seipsis, Syrus ܒܢܦܫܗܘܢ *benaphscheoun* in anima sua. id est, in cordibus suis, quo modo Marcus loquitur. in tanta enim fauentium frequentia non audebant palàm obmurmurare. BLASPHEMAT. Impiè loquitur, contumeliosus est in Deum, sibi vendicans id quod Deo est proprium, peccata remittere. *Ego sum*, ait per Isaiam cap. 43. v. 25 Deus, *ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me*: adeoque tota Scriptura auctoritatem remittendi peccata Deo adscribit. Blasphemare apud sacros scriptores ferè est impiè loqui, Deo aut qui Dei sunt loco, propriam auctoritatem & dignitatem, vel debitum honorem detrahere: apud disertiores græcos idem valet quod συκοφαντεῖν calumniari vel maledicere. Christum itaque accusant blasphemiæ & sacrilegij, quia, quod proprium est Dei, sibi vsurpet. At quum ambigua sit locutio, nec aliud protulerit Christus quàm proferat propheta gratiæ Dei testis (neque enim dixit, *Remitto tibi peccata tua*) cur in deterius rapiunt quod æquiùs interpretari licebat? nimirum maleuolentia erga Christum & liuore priùs infecti.

καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, εἶπεν· ἱνατί ὑμεῖς ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;	4 Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?	*Mar. 2. v. 8. Luc. 5. v. 22.*

ET CVM VIDISSET. Cùm autem vidisset. Ita erant aliorum cogitationes Christo Domino manifestæ, ac res corporeæ, quas corporis cernebat oculis. Ostendit itaque facto ipso competere sibi id quod Deo est proprium, καρδιογνώστην esse (1. Reg. 16. v. 7. 2. Paral 6. v. 30. Psal. 7. v. 10. 1. Cor. 2. v. 10.) dum occultos eorum sensus in medium profert, adque illorum cogitata respondet; ac proinde Deum se esse, nec blasphemare. Cæterùm ita respondet, vt alia rursus eos ratione refellat, atque eiusmodi, ex qua similiter consequatur, Deum ipsum esse (maluit enim diuinitatem suam factis testari, quàm oratione prædicare) vndique eos concludens & confundens. MALA. nec enim zelo honoris Dei mouebantur, sed libidine obtrectandi Christo. Si quo dubio tenebantur, cur non explicabant & inquirebant, cùm tot suppeterent argumenta sentiendi de Christo vt honoris Dei studioso?

τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν, ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι καὶ περιπάτει;	5 Quid est facilius, dicere, Dimittuntur tibi peccata tua; aut dicere, Surge & ambula?	*Mar. 2. v. 9. Luc. 5. v. 23.*

QVID EST. τί γάρ ἐστι quid enim est. hoc est, vtrum enim est. DICERE. s. paralytico huic (quod Marcus exprimit) ita videlicet vt mendacij, temeritatis, seu præsumtionis, ex re ipsa argui non possis. Videntur apud se Scribæ cogitasse, blasphemiam locutum Saluatorem, nec reprehendi posse in tanta fautorum turba, quòd res sit inuisibilis, quæ, etiam tum cùm verè est, oculis corporeis non cernatur. q. d. Blasphemat, & facilè atque impunè, tanto tutus imperiti vulgi fauore, quia res est veritatis obscuræ, quæ credi debeat, videri non possit. Interrogat itaque Saluator, vtrum *facilius* sit *dicere* paralytico, ita nimirum vt reuinci nequeas ex re ipsa, SVRGE ET AMBVLA? & non est vtique, nam huius veritas mox oportet vt oculis pateat: hoc indiget manifesto spectaculo & exemplo; illud refertur ad fidem. non enim exigetur visibilis remissio peccatorum, vt manifesta sanatio visibilisque liberatio. Ad confirmationem igitur inuisibilis remissionis peccatorum, quam quiuis facilè iactare possit se dare, nec ex re ipsa mendacij conuinci, citat rem visibilem atque manifestam, quam qui promittat, mox arguatur mendacij, nisi ob oculos eam exhibeat, eiusmodi autem, quæ humanarum virium facultatem superet, nec nisi Deo operante edi queat; ac proinde (tametsi per se ipsam minùs difficilem eâ ad cuius editur probationem) ad mendacij probationem edi nequeat, non magis quàm possit Deus esse testis mendacij.

Mar. 2. v. 10. 11. Luc. 5. v. 24.

Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

6 ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας (τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ) ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὴν κλίνην, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.

QVIA. quòd. FILIVS HOMINIS. ego, (vide suprà 8. v. 20.) tametsi homo. POTESTATEM. ἐξουσίαν auctoritatem & ius; Syrus ܫܘܠܛܢܐ *soulitono* dominium. nec vsurpet proinde, aut sibi vendicet alienum, si peccata remittat. vide suprà 7. v. 29. IN TERRA. siue ad *habet potestatem*, siue ad *dimittendi peccata*, id referas, eódem redit res. Cæterùm, Marcus, græcè, eo loco collocat, quo ad *dimittendi peccata*, referri debeat. Significat Saluator, ne procul quærenda sit remissio peccatorum, in sua persona quasi ad manus eam esse hominibus exhibitam, quæ priùs secundùm carnis sensum longè posita erat, in cælo quærenda. TVNC AIT PARALYTICO. Isthæc interiecit verba Euangelista, quò significaret, Saluatorem, vbi superiora verba ad Scribas dixisset, conuertisse se ad paralyticum, & dixisse ad eum proximè sequentia. Insigni porrò cum expressione vehementioris affectus, subitò transtulit Saluator sermonem ad aliam personam, relicta superiori sermonis parte imperfecta, cui subaudiendum est: Audite dicentem, Surge & ambula, ita vt calumniis vestris non sit locus, re verbum euidenter consequente. TOLLE LECTVM. vt, qui infirmitatis testis fuerat lectus, iam fiat restitutæ sanitatis. Imperio & iussu sanat Saluator, vt suam omni ex parte declaret diuinam virtutem, cui omnia cogantur obedire. VADE. abi. A cenodoxia se alienum ostendit, dum à se ablegat domum eum quem sanauerat. Ita autem & miraculum, tum comprobandum erat, tum diuulgandum.

Mar. 2. v. 12. Luc. 5. v. 25.

Et surrexit & abiit in domũ suam. 7 καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

ET. id est, tunc. SVRREXIT. vocem res illico consequuta est. Non enim paulatim paralyticus ac tandem ægreque cœpit sese mouere: sed mox ad Iesu vocem alacer ita se erexit, quasi numquam vllam sensisset paralysin. ET ABIIT sublato in humeros lecto. quod signum fuit perfectissimè recuperatæ sanitatis. En igitur Iesu literas testimoniales, quibus probata fuit & quasi sancita atque obsignata, potestas auctoritasque ipsius ad remittendum peccata; quam an haberet nostra inprimis intererat scire. Quid ad ista Scribæ? obmutuerunt inuidi & cæci: nam nisi eos inuidia excæcasset, suscepissent vtrique in oculos incurrens lumen, credidissentque non tantùm auctoritatem Christi ad condonanda peccata, verumetiam diuinitatem, ex illo suo, quod apud posteriores Euangelistas exprimunt, principio, neminem peccata remittere posse nisi solum Deum: id quod verè ita se habet. non semel enim, tum nunc, tum aliàs, Deo propriis operibus, dederat diuinitatem suam Saluator intelligendam. Sed quid ad ista reliqui adstantes? subiungit:

Mar. 2. v. 12. Luc. 5. v. 26.

Videntes autem turbę timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

8 ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι ἐθαύμασαν, καὶ ἐδόξασαν τὸν θεὸν, τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην τοῖς ἀνθρώποις.

TIMVERVNT timore ex stupore rei nouæ prodeunte. ita vertit & Syrus. Græcè est ἐθαύμασαν quod est ad verbum admiratæ sunt. TALEM. & peccata remittendi & mirificis signis editis id ostendendi. HOMINIBVS. enallage numeri. Nihil adhuc homine maius agnoscunt in Christo: eò tamen adducti sunt superiori illo signo, vt credant illi datam à Deo potestatem peccata remittendi. id quod verum quidem erat (habet enim sua omnia filius à Patre) sed illi dandi modum & rationem nondum tenebant, quibus ignota erat filij Dei maiestas cum carne coniuncta. GLORIFICAVERVNT itaque DEVM, quòd se propitium adeò ostenderet hominibus, vt & daret filio hominis potestatem remittendi peccata, & datam certissimo signo sua auctoritate confirmaret.

Mar. 2. v. 14. Luc. 5. v. 27. 28.

Et cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentẽ in telonio, Matthæum nomine: & ait illi: Sequere me. & surgens sequutus est eum.

9 καὶ παράγων ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖθεν, εἶδεν ἄνθρωπον καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, Ματθαῖον λεγόμενον, καὶ λέγει αὐτῷ· ἀκολούθει μοι· καὶ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ.

TRANSIRET. digrederetur, progrederetur; pergeret exponit Euthymius. INDE. à loco in quo sanauerat paralyticum. VIDIT. in itinere. Non enim per diuturnum rerum vsum, vt cæteri mortalium solent, discipulorum animos explorat: verùm vt is qui omnium hominum conscientias intimè compertas habet, mox, quos idoneos esse posse iudicat, seligit: quamquam ab æterno elegerat, quem suo vocauit & donis gratiæ suæ idoneum reddidit tempore. HOMINEM. id est, quendam. SEDENTEM. atque occupatum pecuniariis officij sui negotiis. IN TELONIO. eius ciuitatis, Capharnai. ἐπὶ τὸ τελώνιον. In Marco & Luca vertit *ad telonium* (nam vtrouis modo vertas licet) significat enim telonium, à τελώνης publicanus dictum, & locum in quo sedentibus publicanis tributa adferebantur, & mensam publicanorum ad quam tributa numerabantur. illa significatio versioni in Matthæo, hęc versioni in Marco & Luca congruit. Illam Syrus vbique sequutus, vertit *domum publicanorum*. MATTHÆVM NOMINE. Ματθαῖον λεγόμενον qui dicebatur Matthæus. De se loquitur Euangelista in tertia persona, quod quò faciliùs intelligatur, nomen suum

suum exprimit magis celebre, in eo gratitudinem demonstrans suam, quòd perpetuæ eum memoriæ mandare non pudeat, qualis fuerit, & vnde assumtus, quò magis in sua persona illustret gratiam Christi. *Quo enim,* inquit ille, *mea autem impensius admiretur, suum ipse & nomen & vulnus aperit.* Ita & Paulus de se 1.Timot 1. v 15.14.·5.16. SEQVERE ME. vide suprà 8.v.22. Non enim vocat cui erat ignotus, sed, quod Chrysostomus ait, *miraculorum iam fama perdomitum.* Obserua autem Saluatoris bonitatem, nec infamem adeò peccatorem reticentis. SEQVVTVS EST EVM. Duo hîc notanda sunt, quæ & B. Chrysostomus notat. Vnum est, quanta sit diuinæ vocationis virtus, alterum, exemplum rectæ promtæque obedientiæ. vide suprà 4.v 20. Vsque adeo nullum est actionis, negotij, aut vitæ genus, quamuis intricatum & ab Euangelica simplicitate alienum, à quo non se possint expedire homines, modò vocanti Deo parere velint.

καὶ ἐγένετο, αὐτοῦ ἀνακειμένου ἐν τῇ οἰκίᾳ, καὶ ἰδοὺ πολλοὶ τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ ἐλθόντες, συνανέκειντο τῷ ἰησοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ.

10 Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius.

Mar. 2. v. 15. Luc. 5. v 29.

DISCVMBENTE EO. accumbente Iesu mensæ paulo pòst. IN DOMO. ipsius Matthæi, id quod ex Marco, & potissimùm Luca, perspicuum fit. nam Matthæus ipse, modestiæ causa, quæ à se laude digna gesta sunt reticet. ECCE. καὶ ἰδοὺ & ecce Particula καὶ omnino abundat hoc loco, ita vt meritò sit prætermissa ab Interprete. sic etiam infrà cap. 28. v 9: apud Lucam autem sæpissimè: cuius pleonasmi simile prorsus habemus Gen.22.v.1. iuxta hebræum. PVBLICANI. vide suprà 5.v.46. PECCATORES. Hæc duo sæpè coniunguntur, publicani & peccatores (Luc.7. v.34. 15.v.1.) vnde apparet eos diuerso fuisse vitæ instituto. Quidam existimant, peccatores fuisse eos, qui à Iudæis extra synagogam eiecti erant (Ioh.9. v.22.34) habebanturque proinde excommunicati & infames. Fieri possit fuisse Legis desertores, homines dissolutiori vita præditos, qui cum quibusuis promiscuè commercium haberent, gentilibus, publicanis Iudæis. Credibile namque est, regnantibus inter Iudæos Gentilibus, quosdam Iudæorum Gentilibus sponte associatos, ritus Legis ac paternarum traditionum parum curasse; ideoque à reliquis peccatores communi & publico probro appellatos fuisse. Israëlitis enim iam accepturis Legem, gentis sanctæ nomen à Deo promissum erat, Exod 19.v.6. Porrò quia publicanis erat cum his publica infamia communis, vt & ipsi vulgò exosi & probrosi essent, plerumque etiam accedente neglectu religionis, ideirco non abhorrebant illi ab horum consuetudine. VENIENTES. ἐλθόντες qui venerant. fortitan à Matthæo inuitati, cæterùm vltrò potiùs allecti (erant enim multi) cùm exemplo Matthæi, tum maximè humanitate Iesu, sancti adeò & miraculis virtutibusque celebris prophetæ, qui non aspernaretur ipsos, Pharisæorum in morem.

καὶ ἰδόντες οἱ φαρισαῖοι εἶπον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· διατί μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει ὁ διδάσκαλος ὑμῶν;

11 Et videntes Pharisæi dicebant discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester?

Mar. 2. v. 16. Luc. 5. v. 30.

ET VIDENTES. καὶ ἰδόντες quum id vidissent, intellexissent, aut animaduertissent. DICEBANT. non in conuiuio ipso, cui non intererant, sed vbi postea commodo aliquo eos loco repererant. DISCIPVLIS EIVS. Rudes discipulos petunt, quos sciunt non satis ad respondendum armatos, notantes in Magistro id quod prima specie turpe ac pudendum erat, quò ad defectionem eos solicitent: sed rectè illi, cùm non satis essent muniti aduersus calumniam, quòd querimoniam suam ad magistrum deferunt. QVARE. quomodo audet contra legem Dei & patrum traditiones? q.d. pessimè & facit ipse & vos instruit. Non enim quærentium est, sed accusantium cum reprehensione. CVM PVBLICANIS ET PECCATORIBVS. Scribæ & Pharisæi, sanctitatis opinione tumentes, auersabantur peccatores, abstinebantque consuetudine eorum, ac potissimùm communi mensa cum eis, quòd existimarent, ea re inquinari, pollui, & immundum reddi hominem iustum, multo magis quàm ex contactu rei ex Legis præscripto immundæ, quòd peccato nulla sit maior immundities; non intelligentes, non corporum, sed animorum contactum siue consensum esse, qui inquinet; neque prohiberi quemquam peccatores accedere vt medicum, modò curare sciat & velit, sed vetari communicationem in operibus mortuis. Est conuictus ad consuetudinem vitæ & morum, & est conuictus ad conciliationem. Prioris generis conuictus cum improbis & peccatoribus, vetitus est in Lege; posterioris non est vetitus, sed laudatus; vt pius vir aliquando conciliandi animi causa cum peccatore comedat, quem corrigere atque ad bonam frugem reuocare curat. MAGISTER VESTER. & vos ab ipso docti: Lucas enim habet *manducatis.* volunt dicere, non esse magistrum bonum, quòd malè discipulos doceat, & exemplo & verbo; nec habendum esse virum sanctum, quòd gaudeat consortio peccatorum.

ὁ δὲ ἰησοῦς ἀκούσας εἶπεν αὐτοῖς· οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.

12 At Iesus audiens ait: Non opus est valentibus medicus, sed malè habentibus.

Mar. 2. v.17. Luc. 5. v.31.

AVDIENS. ἀκούσας cùm hoc audisset, ex relatu discipulorum, verisimile est, quamquam sua id etiam virtute absens cognouerat. VALENTIBVS. οἱ ἰσχύοντες qui valent, qui integris sunt viribus. MEDICVS. medico. non egent ij qui rectè valent medico, sed qui malè habent. Generali hac prouerbialique sententia,

tentia, factum suum tuetur Christus, quòd ad peccatores diuertit, etiam laude id dignum ostendens. Comparat se med co peccatores ægris, iustos sanis: itaque pro officio ostendit se versari cum peccatoribus, quemadmodum versatur medicus cum ægris. venerat enim vt sanaret à peccatis, morbis animi atrocissimis. Gerebat ergo se medicum peccatorum, non socium: namque vt ad pœnitentiam eos adduceret cum illis agebat. Pharisæi contrà, peccatorum socij erant, medici esse auersabantur. Porrò, non significat se iustis haud esse necessarium: sed concessio est, ex eo quòd ipsi sibi iustitiam sanitatemque arrogarent. Alioqui, nullus hîc iustus est, qui opus non habeat Christi medici opera, tum vt à quotidianis languoribus, à quotidianis peccatis, sanetur, tum vt seruetur ipsi, ea quam habet Christi opera, qualis qualis sanitas. Cæterùm, non tantum est medico negotij cum valetudinario, quantum cum eo qui afficitur morbo graui.

Hos. 6. v. 6. Mat. 12. v 7. Luc. 5. v. 32.

Euntes autem discite quid est: [13] Misericordiam volo & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

πορευθέντες δὲ μάθετε τί ἐστιν, ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν. οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ᾽ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.

EVNTES. πορευθέντες abeuntes. hebraismus. Ablegat reiicitque eos à se, iubens vt abeant, & in eo ponant operam, vt apud se discant, quum ab ipso nollent discere, quid sit &c. DISCITE. expendite apud vosipsos. Arguit eos ignorantiæ aut potiùs neglectus: non enim tam exigit vt hoc studeant intelligere, quàm vt animi affectu, & ipso opere prosequi. de quali se etiam agit D. Augustinus lib. 1. de gratia Christi contra Pelagiũ c. 13., & primi de præd. stinatione sanctorum c 8. QVID EST. quid sibi velit hic Scripturæ locus: ac deinde, si videtur, calumniamini factum meum. Ostendit non modò non esse prohibitum quod illi vituperabant, sed etiam lege sancitum. MISERICORDIAM ἔλεον. hoc ipsum est quod ἐλεημοσύνη aliàs dicitur, quo suprà 6. v 1 docuimus comprehendi officia humanitatis omnia, quæ fratribus egentibus debemus: vt & hebræa huius loci vox חסד *hesed* beneficium beneficentiamq; omnem declarat. Porrò, inter beneficia erga proximos, ea primarium locum obtinent, quæ ad subleuandas animæ miserias faciunt, quæ vocamus spiritualia misericordiæ opera: cuiusmodi erant ea quibus Saluator hîc incumbebat, ignorantes docere, peccantes ad pœnitentiam adducere, mederi contritis corde, aliaq; huiusmodi. VOLO. diligo, accepta mihi est. Deus loquitur. ET NON. id est, plusquam: ita enim sequitur: *Et scientiam Dei plusquam holocausta*, siue, vti ad verbum est in hebræo *præ holocaustis*. SACRIFICIVM. Possit intelligi, à misericordia alienum, negatione propriè accepta. Pharisæi alieni à misericordia, miseros homines despectui habentes & auersati, sacrificiorum cultum ad superstitionem vsque iactabant, vt perfectissimam & Deo gratissimam religionis exercitationem: quare fiebat vt calumniarentur Saluatorem, qui miseris peccatoribus aderat frequenter, sacrificiorum offerendorum non perinde studiosus. Iubet itaque Saluator, vt abeant & discant quid sibi velit hic prophetæ locus: qui illud vtique vult, charitatis pietatisque erga miseros atque indigentes homines exercitationem ac culturam, præferri à Deo illi sacrificiorum, quem ipsi omnibus præferebant (sacrificium enim intelligit quod propriè dicitur, cul ui erga ipsum minimè indigentem. Hoc enim si illi nouissent ac probassent, numquam condemnassent Dominum, operam dantem peccatoribus, ad fidem & pœnitentiam, quibus diuina impetratur misericordia, reuocandis. Non reprobat locus sacrificia, sed præfert illis, ac proinde & alijs rebus omnibus externis, misericordiam: non quòd non sit nobilioris virtutis actus sacrificium quàm misericordia, quum illud amoris erga Deum, hæc amoris erga proximum sit, sed quòd hæc illo magis necessaria sit (Deus enim nequaquam sacrificiis nostris, at fratres nostri misericordia indigent) ac proinde non rectè sacrificium offeratur ab eo cuius animus à misericordia est alienus. *qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* 1 Ioh. 4. v. 20. Sub sacrificio omnis externus Dei cultus venit intelligendus, cui ferè solo studebant Pharisæi. NON ENIM. Respiciens ad illud quod iam dixerat, venisse se medicum in mundum, per interpretationem quandam disputationem concludit, & quos priùs sanos ac validos vocauerat, nunc iustos nominat. VENI. in mundum, à Patre missus. VOCARE. vt vocem, sic enim explicanda est græca phrasis. Vocare hîc est ad Deum inuitare, ad fidem & pœnitentiam, siue conuersionem ad Deum, hortari, aut potiùs cum effectu adducere: sic enim frequenter Apostolus ea voce vtitur, vt significet id quod primùm operatur gratia Dei in homine à Deo alieno, quò ad salutem adducatur. Qua voce intelligendum datur, omnes nos, erraticarum ouium instar, aberrare à Deo & salutis via, nec redire eò, nisi, Deo miserente, vocatos atque adductos; non tamen absque nostra voluntate adduci, cùm non cogamur sed vocemur. IVSTOS. Iam enim vocati sunt, qui iusti sunt, iam ad Deum conuersi & adducti sunt. vocationem enim sequitur iustificatio, id quod perspicuum est ex Apostolo Rom. 8 v. 30. Porrò, ab ipso mundi initio, iusti omnes Christi merito vocati fuere; sed exteriori Christi ministerio, ij soli quos reperit in carne conuersans. Loquitur autem hîc de ministerio suo exteriori, non tamen vt seiuncto ab operatione interiori. SED PECCATORES. illi enim ad Deum vocandi sunt, quia à Deo alieni. Obserua autem quòd non dicat, quosdam aut mediocres peccatores, sed in genere peccatores, neminem excludens. *Ad pœnitentiam*, quod hîc ferè addunt libri græci, Interpretis libri non habuere: verisimile est, Matthæo & Marco, ex Luca, apud græcos adiectum fuisse.

Mar. 2. v. 18. Luc. 5. v. 33.

Tunc accesserunt ad eum discipuli [14] Iohannis dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?

τότε προσέρχονται αὐτῷ οἱ μαθηταὶ ἰωάννου λέγοντες· διατί ἡμεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι νηστεύομεν πολλά, οἱ δὲ μαθηταί σου οὐ νηστεύουσι;

TVNC. alio quodam tempore pòst. Calumnia calumniam excipit: cæterùm, non rectè actum est ista, mox

mox vbi superior diluta fuisset; sed occasione ieiunij cuiusdam, quod obseruabant Iohannis & Pharisæorum discipuli communiter, id quod Marcus videtur intelligendum dare. ACCESSERVNT. προσέρχονται accedunt. DISCIPVLI IOHANNIS. subornati à Pharisæis, quibuscum Marcus eos venisse dicit, conantibus causam Christi Iohannis auctoritate grauare. Porrò, & discipulos Iohannis zelo quodam pro magistro suo ductos fuisse in inuidiam Christi, liquet ex Euangelio Iohannis, c.3.v.26. IEIVNAMVS. Non est quæstio de ieiunio in antiqua lege decreto, Leuit.23.v.29. (id enim non minori diligentia Christi quàm Iohannis & Pharisæorum discipuli colebant) sed de illis, quæ, vel ex magistrorum iussu, vel ex proprio cuiusque consilio, magistrorum doctrinæ consentaneo, à Iohannis & Pharisæorum discipulis, statis diebus suscipiebantur. In his autem gloriabantur illi sibique placebant, vt in præcipuis operibus; quemadmodum Pharisæus ille inter orandum Luc.18.v.12. *Ieiuno bis in sabbato*, quod est, bis vnaquaque hebdomada. FREQVENTER. πολλὰ multùm, id est πολλάκις frequenter. adiectiuum enim degenerat in aduerbium. DISCIPVLI AVTEM TVI. qui viuunt ex præscripto tuo, qui singularem præ te fers sanctimoniam, & doctrinam etiam perfectiorem quàm Iohannis & Pharisæorum videris adferre velle. Christum ipsum potiùs quàm discipulos notare volunt, idque intemperantiæ, & quòd cum peccatoribus versetur, non vt illos ad meliora adducat, sed vt suæ satisfaciat gulæ. *Ecce homo deuorator*, dicebant *& bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum.* Luc.7.v.34. NON IEIVNANT? immò indulgentiùs viuunt?

καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν, ἐφ' ὅσον μετ' αὐτῶν ἐστιν ὁ νυμφίος; ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσι.

15 Et ait illis Iesus: Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.

Mar. 2. v. 19. 20. Luc. 5. v. 34. 35.

NVMQVID POSSVNT. Vrbano admodum & suaui responso arrogantem calumniam refutat. FILII SPONSI υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος filij sponsi, vel, quod quidam malunt, filij thalami nuptialis, vt secundùm Marcum Interpres reddit *filij nuptiarum*. significat enim νυμφών, Suida interprete, cubiculum nuptiale. Syrus reddit ܓܢܘܢܐ *genouno*, quod & ipsum est thalamus siue cubiculum aut tabernaculum, à ܓܢ *genan* verbo, quod frequenter pro habitare accipitur. Iohannis 1. v.14. Act. 2. v. 26. &c. Sponsus ipse mox vocatur νυμφίος. Intelligunt autem quidam per filios sponsi, thalami, seu nuptiarum, eos omnes qui inuitati sunt ad nuptias, quicumque tandem illi sint, sicut dicût hebræi filios plagarum & alia id genus quę passim occurrunt. Ego existimarim hic signanter familiares & contubernales sponsi significari, qui sponso dati, aut à sponso electi sunt, comites & socij, vt sponsum foras prodeuntem, siue vt inuisat sponsam, siue vt paret ea quæ ad nuptias pertinent, & ad nuptias amicos inuitet, comitentur, atque in eius vbique sint obsequiis, *pronubi* dicti (Iud.14 v.20. vt, quæ in obsequiis sponsæ sunt, pronubæ. Tenet enim hic apud quosdam mos, vt honoris gratia sponsis dentur aliquot huiusmodi comites siue socij, æquales eorum, quemadmodum & Samsoni dati sunt Iudicum 14.v.11. Hi autem, quia proximi sponso adhærent nuptiarum auctori, cumque eo in thalamo siue conclaui nuptiali familiarissimè versantur, & primi ad nuptias pertinent, primisque nuptialia gaudia debentur, peculiariter filij sponsi, siue thalami & nuptiarum, vocantur. Huiusmodi porrò erant Apostoli, indiuidui comites Christi sponsi, adornantis nuptias cum ea quam colligebat Ecclesia. LVGERE. ieiunium autem lugentis est actio. vide suprà 6.v.17. CVM ILLIS EST SPONSVS. ὁ νυμφίος. quamdiu versantur cum sponso q. d. præter rationem illud fit. nuptialia enim tempora lætitiæ plena sunt, singularis lætitiæ sunt tempora. Non igitur eis congruit luctuosum ieiunium. Ostendit itaque indulgentiam qua in suos vtitur præsenti tempori debitam esse. Symbolicôs autem indicat, se, salutis & lætitiæ publicæ, non solùm nuntium, sed & auctorem ipsum esse: vocatque se sponsum, alludens ad id quod Iohannes aliàs discipulis his suis similiter inuidentibus gloriæ Christi, de ipso dixerat, *ipsum sponsum esse & sponsam habere, se sponsi amicum.* Ioh.3.v.29. Sponsus enim erat Ecclesiæ quam propediem sua morte redemtam sempiterno sibi matrimonio copulaturus erat. Moses & Iohannes non erant sponsi, sed sponsi serui, aut, quod summum, amici (Heb.3.v.5. Ioh.3.v.29.) ille graui suos onerans lege, hic tristem & austeram agens vitam. horum itaque discipulis ab ipso mox principio congruebat luctus, congruebant ieiunia. CVM AVFERETVR. cùm carnalis sponsi præsentia ipsis subducetur; per mortem & assumtionem in cælos. IEIVNABVNT. lugebunt, operibus virtutum luctuosis operam dabunt. Alludit ad veterem morem lugendi mortuos adhibito ieiunio. Id strenuè Apostolos præstitisse, tum Acta Apostolorum, tum Epistolæ eorum loquuntur.

οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται.

16 Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit.

Mar. 2. v. 21. Luc. 5. v. 36.

NEMO AVTEM. Duobus adhuc similibus proximam sententiam confirmat, docens, indulgentiam qua in suos vteretur, non esse negligentiæ, sed artificij, quòd nondum oneribus illiusmodi pares essent. Nemo. q.d. insipienter, ille faceret. COMMISSVRAM PANNI. ἐπίβλημα ῥάκους additamentum panni. Syrus vna voce reddit ܐܘܪܩܠܛܐ *ourkalito* id quod interpres eius duabus exprimit *frustum panni*, quidam vnica *panniculum*. ἐπίβλημα enim vocat Euangelista illud quod insuitur, quod rei alicui laceræ sarciendæ adhibetur: Gallus

Gallus dicit *vne piece*, Flander *een lap.* RVDIS. ἀγνάφου impexi, impoliti, qui nondum à fullonibus est apparatus, veluti cùm primùm à textoribus pannus venit. γναφεῖς enim græcè fullones dicuntur: Syrus iuxta rem vertit ܚܕܬܐ *hadto* nouum. Sarciendæ veteri vesti, quæ fortè præ vetustate est rupta, nemo, inquit insuit frustum panni noui, siue nouum. IN VESTIMENTVM. ἐπὶ ἱματίῳ. ἱμάτιον hîc & aliis plurimis locis pro omni vestimenti genere accipi videtur. vide suprà 5. v. 40. VETVS. quod longo vsu detritum lacerum est, facileque laceratur. TOLLIT ENIM. s. commissura panni rudis. PLENITVDINEM. τὸ πλήρωμα hebraico idiomate vocat id quod integrum & sanum est; eam veteris vestimenti partem, quæ, cùm commissura illi immittitur, adhuc integra est. EIVS. suam. A VESTIMENTO veteri, id est, lacerat etiam illud veteris vestimenti quod adhuc integrum erat: hoc tritum, illud nouum cùm sit & validum. ET. atque ita. PEIOR. maior, deformior, & restauratu difficilior. SCISSVRA. σχίσμα fissura, ruptura. fit fissura veteris vestis peior: quod enim adhibitum fuerat ad eam resarciendam, hoc eam lacerat magis, & ipsum quoque perit, duplici damno. Ita, vult dicere, nec ego prudenter facerem, si discipulis meis, imperfectis adhuc, debilibus, & parum robustis ac firmis, noua, robusta, ac grauia imponerem, rigidæ disciplinæ ieiuniorum, extraordinariarum precum, ac similium, onera. Periculum enim foret, ne, & doctrina, frustra non capacibus proposita, infructuosa periret, & tyrones oneribus aut grauati aut territi, siue quia impares viribus, siue quia delicati nondum assueuerint, desciscerent ab instituto viuendi Euangelico, quod me auctore cœperunt sequi. Comparat enim Saluator discipulos suos vestibus longo vsu detritis, non quia ipsi longo vsu attriti forent, qui nouitij tyrones erant, sed quia debiles erant minusque robusti & assuefacti ad grauiora virtutum exercitia. quamobrem significat se illis indulgere, quòd non expediat eos vltra infirmitatis ipsorum captum vrgere. Iohannes, quum adhuc regnaret spiritus seruitutis in timore, minis & terroribus ad vitæ austeritatem cogebat: Christus largitor spiritus adoptionis filiorum, suauiter ad se alliciebat, paulatimque ad maiora formabat atque ducebat.

Mar. 2. v. 22. Luc. 5. v. 37. 38.

Neque mittunt vinum nouum in[17] vtres veteres: alioquìn rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur.

οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μήγε, ῥήγνυνται οἱ ἀσκοί, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται. ἀλλὰ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινούς, καὶ ἀμφότεροι συντηροῦνται.

NEQVE MITTVNT. Alterum simile à vasis vinariis sumtum, eodem fine & sensu additum. *mittunt* autem s. homines, quod est hebræis loco impersonalis *mittitur*. IN VTRES. Solebat vetustas vina, sicut & oleum, in pellibus caprarum hircorumque, quemadmodum nos in doliis vinariis condere: quæ pelles latinè vtres dicebantur, græcè ἀσκοί. RVMPVNTVR VTRES. noui & adhuc bullientis vini violentia. ET VINVM EFFVNDITVR ET VTRES PEREVNT. damno atque incommodo duplici. Eodem modo parabola ista accommodanda ad rem est, quo superior. VINVM NOVVM IN VTRES NOVOS. οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινούς vinum nouum in vtres recentes: vt duplex vocabulum quo vtitur Euangelista, duplici exprimatur. νέον propriè eorum est quæ sentiunt ætatem, καινὸν opponitur vetustati. est autem & vinis sua quædam ætas, vtribus aut panno non item. IN VTRES NOVOS, qui ferant vim vini, nec dissiliant efferuescente musto. MITTVNT. s. homines docti rei vinariæ, id est, mittitur. ET AMBO. vinum & vtres. Ita, vult dicere, paulatim mihi mei formandi fingendique sunt noui (quales prorsus reddentur vbi dedero spiritum nouum in visceribus eorum) vt olim fortes ac firmi queant rigidioris disciplinæ vim perferre.

Mar. 5. v. 22. 23. Luc. 8. v. 41. 42.

Hæc illo loquente ad eos, ecce[18] princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.

Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος αὐτοῖς, ἰδοὺ ἄρχων εἷς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων· ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν· ἀλλὰ ἐλθὼν ἐπίθες τὴν χεῖρά σου ἐπ᾽ αὐτήν, καὶ ζήσεται.

LOQVENTE. λαλοῦντος, vt ne putes græcè participium præteritum esse. Paratur argumentum, quo periculum fiat, vtra sit maior virtus, vtra potior doctrina, vtra magis frequentanda via, Pharisæorúmne an Christi. nam Iohannes id agebat vt suos ad Christum transmitteret. PRINCEPS synagogæ. vocatur enim *archisynagogorum vnus* à Marco, *princeps synagogæ* à Luca. Synagogæ autem princeps erat, eius quæ in Capharnaum, verisimile est: accidit enim istud in litore maris vicino Capharnaum. Mar. 5. v. 21. 22. Porrò erant archisynagogi (plures enim præerant vni synagogæ) præfecti synagogæ, ad quos spectabat synagogæ & eorum quę in ea gerebantur populique eò conuenientis primaria cura ac moderatio. Lu. 13. v. 14. Act. 13. v. 15. erat autem hæc primaria apud Iudæos dignitas. VNVS. quidam. ACCESSIT ET. ἐλθὼν veniens, quum venisset. ADORABAT. procidit ad pedes eius, habent Marcus & Lucas. Adoratio itaque hîc pro genuflexione siue corporis prostratione accipitur: neque enim diuinum Christo honorem exhibuit, sed coluit eum vt virum Dei eximium. Hoc autem ad Pharisæorum confusionem, quorum de factione verisimile est archisynagogos plerosque fuisse, quòd hic salute desperata nescierit vnde præsentius petere auxilium quàm abs Iesu. DOMINE. Non legitur græcè aut syriacè, vt nec à bonis quibusdam latinis libris.

FILIA MEA. præcedit græcè ὅτι, rectè ab Interprete omissum. MODÒ DEFVNCTA EST. Marcus habet: *In extremis est*; Lucas: *Et hæc moriebatur.* Porrò Matthæus, qui studio breuitatis omittit id quod Marcus & Lucas narrant (accuratiores enim sunt Marcus & Lucas in historiis recensendis; Matthæus in verbis Domini) iam proficiscentibus Iesu & Archisynagogo, nunciatam fuisse Archisynagogo filiæ mortem,

& cæ-

& cætera quæ hinc sequuntur, in ipso exordio ponit quod in progressu factum est. Non enim est verisimile, primo accessu eam huius viri fuisse fidem, vt crederet vitæ ab Iesu restitui posse filiam mortuam, cui, allato mortis filiæ nuntio, animus à Christo addendus fuit vt crederet. Mar. 5.v.36. Cæterùm postquam illi animus additus fuit, tum concepit fidem fiduciamque eiusmodi, & rogauit Dominum id quod Matthæus hic refert, si non voce ac verbis, at desiderio, non minus disertè quàm verbis se rebus ipsis declarante, dum fidem adhibuit verbis Christi, comitatus est eum, deduxit domum suam, domi siuit eiicere è conclaui amicorum lugentium turbam. ita enim reipsa loquutus est, idem se petere quod petierat initio, vt veniret imponeretque manum ei, & sperare se victuram eam. Sic itaque historia texenda est, quòd primò petierit sanitati restitui filiam extremè laborantem, deinde etiam à morte in vitam restitui, postquam allato mortis nuncio animum illi Christus addidit. IMPONE MANVM TVAM. Impositio manus attentam voluntatis affectionem indicat, & potestatem significat imponentis. vide Luc. 4.v.40. Credebat itaque, posse Iesum filiam restituere, si modò is id agere dignaretur, seu tantùm negotio eundi & manus imponendi. Magna fides, sed minor fide Centurionis, qui absentem illius solo hæc credidit Christum posse. Viderat audieratque frequenter manuum impositione atque attactu varios à Christo profligatos morbos: credebat igitur, præsentiam Christi, vt hominis sancti, profuturam plurimùm.

Καὶ ἐγερθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἠκολούθησεν αὐτῷ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. 19 Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli eius. Mar. 5. v. 24. Luc. 8. v. 42.

ET SVRGENS. καὶ ἐγερθεὶς quum itaque surrexisset. docuerat enim, verisimile est, sedens. SEQVEBATVR. ἠκολούθησεν sequutus est. Quòd eius precibus morem gerit, documento est, fidem eius, quantulacumque esset, non fuisse reiectam. Facilitas Christi, sese, omnibus in ipsum credentibus, vltrò ad postulata offerentis, benefaciendi studio.

Καὶ ἰδοὺ γυνὴ αἱμορροοῦσα δώδεκα ἔτη, προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ. 20 Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Mar. 5. v. 25. 27. Luc. 8. v. 43. 44.

ET ECCE. Tunc ecce. Inter eundum. Interrumpitur historia cœpta, & inseritur quod in itinere accidit miraculum. numquam otiosus, numquam cessat benefacere Iesus. QVÆ SANGVINIS FLVXVM PATIEBATVR. αἱμορροοῦσα est græcè vnico vocabulo, quod latinè pluribus est exprimendum, sanguinis profluuio laborans, ab αἷμα sanguis, & ῥόος fluxus. Laborabat infirmitate interna membrorum vitalium, ita vt alimentum propè omne conuerteretur in sanguinem ineptum ad nutritionem, quem nec posset, propter summam virium infirmitatem, natiua virtus in venas digerere, itaque effluere cogeretur per partes secretiores. fœdus ac pudendus morbus. ANNIS. ἔτη annos ad verbum, continuos scilicet. Temporis diuturnitas infirmitatis consuetudinem in naturam ferè conuerterat: itaque à morbo iam victa erat, & ideò incurabilis omnino. id quod ad miraculi exaggerationem facit. ACCESSIT RETRO ET. προσελθοῦσα ὄπισθεν accedens à tergo. Vt enim non accederet palàm, rogaretque quemadmodum Archisynagogus, obstabat, tum pudor, tum metus; pudor sexus, ob morbi fœditatem; metus, ne à turba, cui se admiscuerat, abiiceretur, quippe lege immunda & contagiosa. Leuit. 15.v.25. FIMBRIAM. τοῦ κρασπέδου oram, extremitatem. Syrus ܩܪܢܐ carno cornu eodem sensu. Latinè porrò fimbria propriè extremitas vestis est cæsuratim incisa: vnde fit vt vetus Interpres hoc modo appellet funiculos seu fila, ex nodo vno complura egredientia, qualia Iudæi de quattuor angulis palliorum suorum, quò dignoscerentur à Gentibus, suspendere iussi fuerant, Deut. 22. v. 12, quæ ציצית zijith illic vocantur. Cæterùm non respexisse hanc mulierem ad legales illas fimbrias, nec in illis fiduciam posuisse, siue contigerit illas siue non, ex versu proximo manifestum fit, vbi nihil aliud quàm vestimentum, non fimbria vestimenti, ponitur. VESTIMENTI summi. ἱματίου. pallij non malè, opinor, hoc loco vertas, quæ propria est vocis significatio (suprà 5.v.40.) quamquam frequenter pro omni vestimenti genere accipiatur. vide suprà v. 16.

Ἔλεγε γὰρ ἐν ἑαυτῇ· ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι. 21 Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimẽtum eius, salua ero. Mar. 5. v. 28.

DICEBAT. cogitabat. INTRA SE. apud se. SI TETIGERO TANTVM. græcè, si tantùm tetigero. Si queam tangere vel vestimentum eius. q.d. apud se: Non opus est manum, quam alij plerique. pudebat enim eam, quod diximus, tot testibus morbum aperire. VESTIMENTVM. siue pallium. SALVA ERO. σωθήσομαι seruabor, sanabor. Eam conceperat de Christi sanctitate opinionem, vt persuaderet sibi, si vel aliquid eius, vtpote vestimentum, posset religiosè contingere, se à Deo sanandam; conceperat autem ex miraculis sanitatum iis quæ audierat, & fortè etiam viderat, à Christo perpetrata: quæ cùm ferè ille edidisset manuum impositione aut attactu, mulier, non tam manibus Christi illa tribuens, quàm Deo, eo virum honore prosequenti, ob eam qua excellebat sanctitatem, confisa est non minùs id Deum facturum, si vel vestimentum eius piè contingeret, ea eum præditum habens sanctitate, vt nihil eius esset, quod non esset sanctum, quod non esset, Deo probante, venerandum. Nam, vt eximij vnguenti odor, quo corpus fortè delibutum est, vestibus etiam fragrantiam præstat: ita excellens virtus, non possessori tantùm, sed & omnibus quæ eius sunt honorem impertit. Non itaque mulier vestibus sanandi virtutem tribuit; sed Deo, per Iesu sanctissimi prophetæ merita (nec enim Deum esse cognouit) propter quæ, omnia eius, etiam viliora, magni facienda sapienter duxit.

Mar. 5. v. 30. 34. Luc. 8. v. 48.

At Iesus conuersus & videns eam [22] dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

ὁ δὲ ἰησοῦς ἐπιστραφεὶς καὶ ἰδὼν αὐτὴν εἶπε· θάρσει θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. καὶ ἐσώθη ἡ γυνὴ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

AT IESVS. ὁ δὲ ἰησοῦς Iesus autem. ET VIDENS. καὶ ἰδὼν vbi vidisset. CONFIDE. θάρσει bono animo esto. ne timeas displicuisse mihi quod fecisti. vide suprà v. 2. FILIA. Modus suauiter appellandi etiam ignotos. vide suprà v. 2. Filiam etiam vocat, vt fidelem. FIDES TVA. illa vtique quæ mox expressa est: *Si tetigero tantùm vestimentum eius, salua ero:* excellens nimirum de Christo opinio, firma cum fiducia coniuncta. vide suprà v. 2. SALVAM FECIT. σέσωκε seruauit, sanauit, attulit tibi eam quam assequuta es sanitatem. per fidem enim cætera impetrantur. Confirmat sententia sua beneficium, quod mulier clanculùm quasi suffurata erat. SALVA FACTA EST. sanata est. HORA. ὥρας momento, ab illo ipso temporis articulo quo fimbriam vestimenti Iesu contigerat. vide suprà 8. v. 13.

Mar. 5. v. 38. Luc. 8. v. 51.

Et cùm venisset Iesus in domum [23] principis, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem,

καὶ ἐλθὼν ὁ ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον,

ET CVM VENISSET. Prosequutio cœptæ & interruptæ historiæ. PRINCIPIS synagogæ. TIBICINES. Comperta morte, vt apud nos graues campanarum soni, ita apud Iudæos tibicines, more, quod videtur, à Gentilibus accepto, adhibebantur ad luctum (*Cantabat*, inquit ille, *mæstis tibia funeribus*) ad quorum modos, conductitij histriones, canebant funebria carmina, tundebant pectora, eiulatusq; lugubres edebant, & amicis ac vicinis vtrimque dolor ambitiosè prouocabatur. id quod etiam similitudo illa à Saluatore allata infrà 11. v. 17. declarat: *Lamentauimus & non planxistis.* TVRBAM TVMVLTVANTEM. multitudinem cognatorum & cognatarum, miserabili lamentatione deplorantium mortem præmaturam puellæ.

Mar. 5. v. 39. 40. Luc. 8. v. 52. 53.

dicebat: Recedite: non est enim [24] mortua puella, sed dormit. & deridebant eum.

λέγει αὐτοῖς· ἀναχωρεῖτε, οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει. καὶ κατεγέλων αὐτοῦ.

RECEDITE. Iubet illos à luctu desistere. NON EST ENIM MORTVA. Non negat verè mortuam esse secundùm naturam, sed ita loquitur quomodo se habebat res ista in oculis ipsius, non vt se habebat in oculis eorum qui mortuam lugebant. Sibi ipsi mortua erat puella, parentibus, & huic turbæ tumultuanti, immo orbi vniuerso: sed Christo filio Dei, cui viuunt omnia, non erat mortua, SED DORMIEBAT, suscitationem ipsius exspectans, cui erat facilius à morte eam, quàm hominibus à somno excitare. Dormire pro mori in sacris literis frequens vsurpatur (Act. 7. v. 60. 1. Cor. 15. v. 6. 3. Reg. 14. v. 20. & 31.) verùm hîc Christus aliter videtur accipere. peculiariter enim inter somnum & mortem discernit, vt spem vitæ mox restituendæ faciat; ac si diceret: Non est mortua vt maneat in morte; sed dormit ad breue tempus: somnus est, non mors: statim namque expergefactam videbitis, quam lugetis mortuam. ET DERIDEBANT EVM. nec enim tenebant consilium Domini, stupidi & crassi homines, toti in profano luctu occupati. Fecit hoc ad confirmationem amplificationemque miraculi, quòd de morte nihil dubitationis apud eos restaret.

Mar. 5. v. 40. 41. 42. Luc. 8. v. 54. 55.

Et cùm eiecta esset turba, intrauit, [25] & tenuit manum eius, & surrexit puella.

ὅτε δὲ ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος, εἰσελθὼν ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἠγέρθη τὸ κοράσιον.

EIECTA ESSET è cubiculo in quo erat cadauer puellæ. Non adhibet Christus arbitros ad pompam & inanem gloriam, à qua aliena esse debet charitas & benefaciendi voluntas: satius fuit, puellam, de cuius morte constabat, cuiusque cadauer conspectum fuerat, repentè viuam, & vigoris plenam, ante hominum oculos prodire. TENVIT. ἐκράτησε prehendit, cepit. est enim propriè vocabulum ipsum, vi adhibita aliquid capere aut retinere. Significat autem manus apprehensio, studiosam voluntatem & intentionem efficiendi id quod præ manibus est; præterea etiam efficacitatem adhibitam; denique & viuificandi virtutem in ipso sitam, iuxta illud: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat: sic & filius quos vult viuificat.* Ioh. 5. v. 21. vide suprà 8. v. 15. ET SVRREXIT PVELLA nullo maiori negotio quàm si ex somno excitata & prehensa manu eleuata fuisset.

Et exiit fama hæc in vniuersam [26] terram illam.

καὶ ἐξῆλθεν ἡ φήμη αὕτη εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην.

EXIIT. dimanauit. FAMA HÆC. fama miraculi huius. TERRAM. regionem, nempe Galilæam, omnibus certatim magnaque contentione tantum miraculum prædicantibus & diuulgantibus, quantumuis ipse occultari iussisset (Mar. 5. v. 43.) sequitur enim gloria fugientes.

καὶ

καὶ παράγοντι ἐκεῖθεν τῷ ἰησοῦ, ἠκολούθησαν αὐτῷ δύο τυφλοὶ, κράζοντες καὶ λέγοντες· ἐλέησον ἡμᾶς, υἱὲ δαβίδ. 27

Et transeunte inde Iesu, sequuti sunt eum duo cœci, clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid.

ET TRANSEVNTE. Progrediente autem. παράγοντι. potiùs esset transeuntem siue progredientem: non enim datiuus absolutè ponitur sed regitur à verbo ἠκολούθησαν *sequuti sunt*. atque ita redundet, ex hebræorum loquendi more, quod sequitur pronomen αὐτῷ *eum*. quod vt non redundaret, idcirco dedit fortassis Interpres ablatiuos absolutè positos. similé habuimus suprà 8. v. 5. INDE. à principis domo. DVO COECI. qui ex accepto miraculorum rumore conceperant spem recuperandi visus, præsertim quum audissent illius beneficentiam nulli non patere, qui intimus humili. cæci, multis cernentibus perspicaciores.

CLAMANTES. Cùm Iesum nec cernere possent nec audire; ingenti clamore, quem sanitatis amor & ardor fiduciæ exprimebat, procul appellant eum, spiritu adspicientes, quem corpore non poterant, si ut rosa antequam videatur odore tenetur. MISERERE NOSTRI. succurre miseriæ nostræ. porrò eam non exprimunt, quia per se manifesta erat. Cæcitate non facilè alia hominis miseria maior. De potentia non dubitant, persuasi in eius manu esse auxilium vel remedium quo egent; voluntatem dumtaxat ipsius, per se alioqui ad beneficentiam pronam, prece sibi conciliare conantur. q. d. modò velis potes: homines enim, etiamsi misereri velint non possunt. FILI DAVID. ille Dauidi promisse & à nobis hactenus expectate Saluator. Messiæ cognomen (vide suprà 1. v. 1.) nam ex iis quæ de ipso prædicari audiuerant, Messiam ipsum esse, quod etiam alij multi, crediderunt. Exspectabat enim gens tota in id tempus Christum, Ioh. 4. v. 25: vnde & de Iohanne opinionem conceperant ipsum esse Christum, Luc. 3. v. 15. Confugiunt igitur ad Christum, non modo tamquam ad prophetam quemlibet, sed ad vnicum salutis auctorem, quem ex diuinis oraculis à Deo promissum edocti erant. Est autem breuis eorum oratio, sed magnæ fidei index & Iesu planè digna, prædicans, & diuinitatem eius verbo *miserere*, & humanitatem nomine *fili Dauid*. *O igitur tenebræ omni lumine clariores! o acutissimus cæcitatis aspectus!* exclamat quidam.

ἐλθόντι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν προσῆλθον αὐτῷ οἱ τυφλοὶ, καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· πιστεύετε ὅτι δύναμαι τοῦτο ποιῆσαι; λέγουσιν αὐτῷ· ναὶ κύριε. 28

Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cœci: & dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine.

DOMVM suam, illam quam inhabitabat. Nam in ea vrbe, Capharnaum, domicilium sibi delegerat. Quum enim ita loquitur nude, ea demum significatur domus, quam is incolit qui venisse dicitur, nisi quidpiam addideris quo distinguatur. In itinere clamantibus cæcis non respondit Saluator, sed suspensos tenuit donec venisset domum, quò & perseuerantiæ ipsorum experimentum caperet, & qualem in ipsorum animis radicem egisset fides. re igitur & verbis examinare voluit ipsorum fidem. ACCESSERVNT AD EVM. adierunt eum, domum, quò Christus ingressus erat, & ipsi ingredientes. id quod pertinacis spei exemplum erat, non idcirco cessantis quòd prima opis imploratione non esset assequuta quod peteret, sed perdurantis donec assequeretur. COECI. οἱ τυφλοὶ illi cæci, quos paulò ante sequutos dixerat. CREDITIS QVIA HOC POSSVM FACERE. creditis me id posse facere quod petitis, me posse vobis restituere visum? Prosequitur examen fidei illorum: vbique autem exigit fidem, vt sine qua cæterorum nihil impetretur. Fidem autem exigit diuinæ suæ virtutis: nec enim dicit impetrare, sed *facere*, mea scilicet virtute. Porrò non quærit: Creditis me hoc facturum; sed, posse hoc facere: fides igitur quam Christus passim siue exigit siue laudat, de potentia ipsius est, non de particulari potentiæ exsertatione. Nec locum igitur habet, fides, quam fingunt hæretici, specialis, qua credas certò tibi benefacturum Deum: nec fides in Euangeliis commendata idem quod fiducia est, quod quidam volunt, quamquam fiduciam, vt sine qua nihil prosit, complectatur, ita vt sit fides per fiduciam operans. vide suprà v. 2. VOBIS. hoc græcè & syriacè non legitur. VTIQVE. ναὶ etiam. absque omni hæsitatione omnino credimus. Profitentur fidem suam.

τότε ἥψατο τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, λέγων· κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν γενηθήτω ὑμῖν. 29

Tunc tetigit oculos eorũ, dicens: Secundùm fidem vestrã fiat vobis.

TVNC TETIGIT. Frequenter iam diximus cur ad sanandum Iesus contactum manuum adhibuerit. SECVNDVM FIDEM. vt creditis me posse vobis restituere visum, ita fiat vobis; Si creditis, fiat.

καὶ ἀνεῴχθησαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί· καὶ ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς λέγων· ὁρᾶτε μηδεὶς γινωσκέτω. 30

Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis Iesus dicens: videte ne quis sciat.

APERTI SVNT ilico, ita vt clarè viderent. fidem sequitur sanitas. Clausi censentur oculi, qui nihil vident; quod ad effectum scilicet; tametsi fortè ex priuatione id proficiscatur; aperti, qui vident; & aperiri, quibus aufertur quod videndi actum impediebat, siue illud sit positiuum siue priuatiuum. COMMINATVS EST. ἐνεβριμήσατο grauiter interminatus est: nam ἐμβριμᾶσθαι significat, addita increpatione & cum fremitu aliquid edicere. dictum à fremitu, ita vt plusculum aliquid declaret quàm ἀπειλεῖν, cuius vocis aliàs est vsus. Benignitatis & beneficentiæ Christi exemplum perpetuum, gloriam popularem fugere. Quòd au-

 tem

tem ita grauiter istis præcepit, ne beneficium acceptum diuulgarent, fuit, quòd iam multi transgressi fuissent istud ipsius præceptum: cæterùm, quia præceptum non erat nisi ex causa, non peccabant illi transgrediendo, aut potiùs nec transgrediebantur, licet viderentur contrà agere quàm præceperat. vide suprà 8. v. 4. Sed quò significaret ipse, verè & sincerè non teneri se inanis gloriæ desiderio, idcirco acriter comminatus est.

NEQVIS οὐδείς. nemo id sciat ex vobis, quòd ego vobis restituerim visum.

Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. 31 Οἱ δὲ ἐξελθόντες διεφήμισαν αὐτὸν ἐν ὅλῃ τῇ γῇ ἐκείνῃ.

EXEVNTES. ἐξελθόντες egressi, domo. DIFFAMAVERVNT EVM. διεφήμισαν αὐτὸν diuulgauerunt eum, sparserunt famam eius, prædicantes quî visum ab ipso accepissent, tum quòd gestirent noua felicitate, tum quòd grati animi sit, beneficium acceptum ad Dei gloriam & aliorum exhortationem prædicare. TERRA. regione, Galilæa.

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. 32 Αὐτῶν δὲ ἐξερχομένων, ἰδοὺ προσήνεγκαν αὐτῷ ἄνθρωπον κωφὸν, δαιμονιζόμενον.

EGRESSIS. ἐξερχομένων egredientibus. vix egressis cæcis. fides fidem prouocat, nec defatigatur benefaciendo inexhaustè bonus Dominus. OBTVLERVNT quidam, id est, oblatus est. HOMINEM MVTVM, DÆMONIVM HABENTEM. Vox *mutum* referri non debet ad *dæmonium* (nam græcè, duorum vocabulorum loco *dæmonium habentem*, est δαιμονιζόμενον dæmoniacum) sed ad *hominem*, quod ponitur pro quendam.

Et eiecto dæmone loquutus est mutus: & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquã apparuit sic in Israël. 33 Καὶ ἐκβληθέντος τοῦ δαιμονίου ἐλάλησεν ὁ κωφός· καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι, λέγοντες· οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως ἐν τῷ Ἰσραήλ.

EIECTO. s. Christi imperio. Cùm nec linguæ esset compos homo miserrimus, vt salutem postulare, nec mentis vt optare posset, non ab eo quidquam Saluator requirit, sed fidei offerentium intuitu, nihil cunctatus dæmonium expellit, & sanat eum. MVTVS. qui hactenus mutus fuerat. Verisimile est enim non natura mutũ fuisse, sed dæmonis maleficio, dæmone ei linguæ vsum adimente. MIRATÆ SVNT TVRBÆ. populus. Demiratus est autem, non vnicum istud eiecti dæmonij miraculum, sed tam frequentia & ingentia, tanta auctoritate ac facilitate edita. APPARVIT SIC. visum est tale quidpiam: ponitur enim οὕτως pro τοῖον. vide Marc. 2. v. 12. Nullus, aiunt, prophetarum omnium qui vnquam fuerunt, visus est, tanta auctoritate ac celeritate, tam varia, tamque immedicabilia morborum genera, tam perfectè curare; tanta dæmoniorum nocumenta tam potenter expellere, damnaque ab illis data & detrimenta tam plenè resarcire. videntur respicere in finem miraculorum, vt tunc omnium animi in spem aduentus Messiæ erecti erant.

IN ISRAEL. in populo Israëlitico, in quo multi, Deo populum suum honorante, admiranda ediderunt. Vulgus itaque, vt erat affectu simplici minusque vitiato, nulloq; tenebatur inanis gloriæ, nullo inuidentiæ spiritu, oculis puris facta Christi contuebatur, & simpliciter quod verum erat iudicabat.

Infrà 12. v. 24.

Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eiicit dæmones. 34 Οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἔλεγον· ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια.

PHARISÆI AVTEM. Notanda est antithesis, inter laudem populi, & horum blasphemiam, qui, gliscente iam indies liuore cæci, quum quæ gerebantur in oculis omnium inficiari non possent, modum quo illa fierent malitiosè calumniantur. IN PRINCIPE per principem DÆMONIORVM, ope principis, siue summi, primarij, dæmonis. præsunt enim & inter dæmones, alij aliis, & vnus omnibus, Deo ordinante, perseuerantque inter eos ordines inferiores & superiores, quales ante peccatum, iuxta conditionem statumque naturæ. Dicunt itaque, ab Iesu, non diuina virtute, sed arte magica, dæmonia expelli, tamquam qui pactum conuentumq; inierit cum summo dæmone, quò eius opera inferiores dæmones exigat. Blasphemia in Spiritum sanctum, manifestum Dei opus dæmoni adscribens, quam refutat Saluator infrà 12. v. 25. magis aduersantur Christo Pharisæi quàm dæmones ipsi. DÆMONES. dæmonia. eadẽ enim vox græcè repetitur.

Suprà 4. v. 23.

Luc. 8. v. 1.

Et circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem. 35 Καὶ περιῆγεν ὁ Ἰησοῦς τὰς πόλεις πάσας καὶ τὰς κώμας, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ.

ET CIRCVIBAT. E Capharnaum, vbi domicilium ipsius erat, adibat omnes circumcirca ciuitates Galilææ. Nihil mouetur Saluator pessima maleuolorum calumnia, quò minùs in prosequendo munere suo diligenter & studiosè pergat. Nam quòd *circuibat*, summo id studio faciebat prosequendi muneris suscepti, eiusq; feli-

felicissimæ hominibus, legationis exercendæ. Porrò istud per occupationem dictum est (quod idem dixit Euangelista suprà 4. v. 23.) vt sciamus non hic totum Christi ministerium sigillatim describi, quandoquidem in sua functione assiduus fuerit, vt vbique salutis doctrinam & publicaret & miraculis additis sanciret.

CASTELLA. τὰς κώμας vicos, pagos; omnium curam gerens, nullum quantumuis humilem prætereiens locum. κώμη inter alia castellum significat: castellum enim vera significatione, non arcem, sed vicum aut oppidum declarat, cæterùm parua illa & mœnibus cincta. porrò κώμη quemuis vicum etiam mœnibus non cinctum denotat, quo modo Interpres & castellum accepit. Reliqua lege suprà 4. v. 23.

ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους ἐσπλαγχνίσθη περὶ [36] αὐτῶν, ὅτι ἦσαν ἐσκυλμένοι καὶ ἐρριμμένοι, ὡσεὶ πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα.

Videns autem turbas misertus est eis, quia erant vexati & iacentes, sicut oues non habentes pastorem.

VIDENS AVTEM. in eo circuitu. Subiicit Euangelista quomodo Saluator, in circuitu isto, statum populi conditionemq. longè miserrimam animaduertens, sit illius ex animo misertus. MISERTVS EST. ἐσπλαγχνίσθη. verbum ἀπὸ τῶν σπλάγχνων à visceribus deductum, quod plus habet emphaseos quàm latinum misereri. Hebræi enim, viscera, vehementem atque intimum affectum vocant: in visceribus enim residet humanitas & mutua compassio erga proximos. Indicat itaque hoc verbum, quo Græci interpretes expresserunt hebræum רחם raham, quod hoc etiam loco Syriacè est, summam & vehementem commiserationem, ex intimis visceribus profectam, non sine externa corporis alteratione; tamquam si dicas, commotus visceribus: id enim iis contingere solet qui tanguntur intimè alienis malis. Hanc vocis vim vt exprimant quidam, vertunt, adhibita circumloqutione, *misericordia commotus est*, aut *misericordia affectu tactus est*. Hinc intellige quàm fuerint Iesu cordi curæque hominum mala. EIS. περὶ αὐτῶν, pro ὑπὲρ αὐτῶν, super eis, id est, eorum causa. similem constructionem habemus Mar. 14. v. 24. VEXATI. ἐσκυλμένοι variis affecti afflictique malis. Quidam docet σκύλλεσθαι propriè, non de quauis molestia dici, sed de fatigatione & lassitudine ex via, vt certè vox quę hoc loco syriacè est ܠܐܐ leo. Alij græci codices habent ἐκλελυμένοι, quod est, dissipati, ad verbum exsoluti, quia quæ soluta sunt & deiuncta, eadem quoque sunt dissipata. IACENTES sparsim. ἐρριμμένοι disiecti, sparsi, palantes, à ῥίπτω proiicio: quod dicitur de rebus, passim, temerè, nulloq; ordine sparsis ac proiectis. OVES. nec enim aliud est animal destitutius magisque pendens de præsidio pastoris, quàm ouis. Quemadmodum igitur oues, pastoris cura destitutæ, temerè huc illuc dispersæ per diuersa vagantur, & multis ac variis obnoxiæ sunt incommodis malisque: ita obseruabat Saluator, populum Iudæorum, simplicem illum per se & minimè fucatum, ab iis neglectum quos oportebat huic vni rei intentos esse vt curam salutis illius gererent, per diuersa ac varia errare deuia itinera vitiorum, & multis à dæmone affici affligique malis, & spiritalibus, & corporalibus; nempe, quòd sacerdotes & scribæ (hi enim erant officio pastores populi, atque horum supina adeoque crudelis ignauia hîc notatur) semetipsos pascerent, non autem gregem, non darent operam vt à vitiis populum reuocarent; vt ad vnanime virtutis studium, in Christi ouile, Ecclesiam, adducerent; non studerent instruere monitis doctrinaque salutis congruis, non vigilarent aduersus seductores & corruptores, sed populo sibi relicto, toti seruirent gloriæ suæ, lucro suo, ventri, voluptatibus.

τότε λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· ὁ μὲν [37] θερισμὸς πολὺς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι.

Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autē pauci.

TVNC. ea occasione. MVLTA. copiosa. Vtitur allegoria sumta à re rustica. Multam messem vocat, multitudinem populi inter Iudæos iam albam ad messem, quomodo loquitur Ioh. 4. v. 35., id est, maturam omninoque paratam ad accipiendam doctrinam salutis, doctrinam Euangelicam, per quam veluti demessus è synagoga in Christi ecclesiam transferatur. Seminauerant prophetæ, semina ab illis iacta erant, maturauerant messem Christus & Iohannes, restabat iam vt essent qui meterent, qui maturas fuges, populum proximè præparatum vt Christo incorporaretur, ex agris transferrent in aream, ex synagoga in Christi Ecclesiam: *finis enim Legis Christus* (Rom. 10. v. 4.) cuius Ecclesia areæ est comparata (suprà. 3. v. 12.) & seminationi, labor prophetarum; messioni, Apostolorum. Ioh. 4. v. 38. Apostoli igitur, in Iudæis quidem messuerunt, in Gentibus autem seminauerunt, doctore D. Augustino serm. 42. de sanctis cap. 1. Cæterùm, vt non omnia quæ in aream colliguntur, in apothecam siue in horreum reconduntur: ita non omnes, qui, messoribus Apostolis, in Ecclesiam aduecti sunt, in regnum cælorum admissi sunt. proximum tamen est, vt, qui sincerum frumentum sunt, admittantur, quemadmodum, messe in aream aducta, proximum est vt ea ventiletur. suprà 3. v. 12: *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum* &c. Porrò quò meliùs exstimulet discipulos suos Christus vt operi gnauiter incumbant, pronunciat multam esse messem, ac proinde ipsorũ laborem non fore irritum, sed vberem profectus materiã, in qua se exerceant, reperturos. OPERARII. Operarios vocat messores, eosque qui operam dent messi in aream aduehendæ: significat autem eos, qui Euangelicam salutis doctrinam populo prædicent, fideliter & diligenter populum erudiant in pietatis negotio ac regni Dei mysterio, subeantque eorum quos mox requisiuerat pastorum vicem; innuens, ministerium & dispensationem Euangelij, non otio, sed labore adimpleri (nam & hinc Paulus perpetuò laboris meminit. Gal. 4. v. 11. Philip. 4. v. 3. 1. Tim. 5. v. 17.) iucundo tamen labore, quia messis sit. PAVCI; soli propemodum Christus & Iohannes. Sacerdotes & Scribæ operariorum locum obtinebant, sed operariorum officio non fungebantur: Legisdoctorum & magistrorum titulis se iactabant, sed rem non præstabant.

Luc. 10. v. 2.

Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suã.

[38] δεήθητε οὖν τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ, ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ.

ROGATE ERGO. s. ne pereat tam copiosa messis. Rogandus est Dominus, non quòd ipsi non sit messis curæ, sed quia ingens populo donum est, pastores siue operarios habere quales decet. DOMINVM MESSIS. Semetipsum tacitè significat, qui propriè Dominus noster, Dominus Ecclesiæ est, quam suo sanguine ex hostium potestate redemit (idcirco enim vbique ab Apostolo Dominus noster vocatur) cuius inprimis est, de ministris & dispensatoribus fidelibus Ecclesiæ suæ prouidere: quamquam vna ipsius cum Patre & Spiritu sancto operatio legatioque sit. VT MITTAT. ipsius enim est mittere: nam qui se ingerunt ab ipso non missi, falcem in alienam messem mittunt. Ipsius est emittere in opus qui latebant, quos ipse nouit noscendoque facit idoneos. Cæterùm, vbi in cælum iam se recepit, non per se ipse aut facit idoneos aut in opus mittit, sed hominum vtitur ministerio, eorum, quibus in Ecclesia, siue ad instituendum, gratiam, siue ad mittendum, auctoritatem dedit. Græcè est ἐκβάλῃ, id quod rectè vertitur *emittat* seu *mittat*, sic enim citra exemplarium varietatem vertit Interpres Luc. 10. v. 2., nec aliud vox significat infrà 12. v. 35. & Iohan. 10. v. 4: ad verbum tamen vertas *eijciat*, quæ est multorum antiquorum codicum hoc loco scriptura, quo significatur, vel celeriter mittendos in opus Dei, vel etiam inuitos & cunctantes eò extrudendos. Nam in hoc tam sancto opere sumus omnes tardissimi. OPERARIOS. multos & illos idoneos, fideles, suique muneris exercendi studiosos: Emphasis enim fiat oportet in voce *operarios*, qui non titulo tenus huiusmodi sint, sed rebus ipsis se præstent huiusmodi. *Hoc enim quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* 1. Cor. 4. v. 2. Fideles autem & idoneos qui faciat, Christus ipse est, spiritu suo, de quo Apostolus: *Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti,* 2. Cor. 3. v. 6. Ipsius itaque præcipuè est mittere huiusmodi, cuius est & facere, quamquam, quod diximus, hominum iam ad hæc vtatur ministerio, postquam ipse terram conuersatione deseruit. IN MESSEM SVAM. qui maturas fruges demetant & in aream deuehant; qui populum Christo maturum, in Christi Ecclesiam colligant. Quoties igitur bonorum pastorum inopiam cernimus, ad Dominum oculos attollere, &, vt remedium adferat, huiusmodi precatione vti necesse est.

CAPVT DECIMVM.

Mar. 3. v. 15. & 6. v. 7. Luc. 9. v. 1. 2.

Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.

[1] Καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν πνευμάτων ἀκαθάρτων, ὥστε ἐκβάλλειν αὐτά, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον, καὶ πᾶσαν μαλακίαν.

ET CONVOCATIS. καὶ προσκαλεσάμενος. Tunc aduocatis. Cohæret hoc caput cum iis quæ in fine sunt superioris: sponte enim hîc facit bonus Dominus, quod illic discipulis dixerat vt rogarent: & non exspectatis hominum precibus, vltrò se eius rei solicitudine teneri declarat. Nam delectas à se protrudit in messem operas; Apostolos, qui hactenus ipsi hæserant, emittit, vt Euangelij prædicatione subueniãt turbis, quas miseratus ipse fuerat dispersas & vexatas, ouium absque pastore instar. DVODECIM. Plures erant Domino discipuli, sed, ex turba discipulorum, elegerat duodecim (Marc. 3. v. 13. 14. Luc. 6. v. 13. 17.) qui ipsius vbi fuissent indiuidui comites, continuique ipsius doctrinæ auditores, & spectatores operum, idonei aliquando forent, qui orbi Christum annunciarent, ipsique prædicandi Euangelij partes obirent. Duodenario autem numero, Ecclesiæ instaurationem notare voluit, quòd, sicut carnali generatione ex duodecim Israëlis filiis populus Iudæorum, innumerabilis ille, in duodecim tribus distinctus, prognatus est: ita spiritali natiuitate (qualem Paulus describit 1. Cor. 4. v. 15. Gal 4. v. 19. Philem. v. 10.) ex duodecim Apostolis tamquam alteris Patriarchis progrederetur multitudo credentium iuxta multitudinem arenæ quæ est in littore maris; ita vt isti honoris gradu & fœcunditate sobolis non modò Patriarchis non cederent, sed etiam longè præcellerent. Duodecim enim tribus Israel, typus quidam fuere Ecclesiæ Dei, ex omnibus populis colligendæ. quæ ratio ab ipso videtur Saluatore indicata, infrà 19. v. 28. Sunt qui morem dicant fuisse Iudęis, ad res grauiores firmandas, duodecim testes adhibere, eoque respexisse Saluatorem. POTESTATEM. ἐξουσίαν auctoritatem, imperium & ius agendi, coniunctum vtique virtuti ipsi effectrici. nam apud Deum coniuncta sunt potestas & facultas. SPIRITVVM. quidam græci libri, syro conformiter, addunt κατὰ aduersùs siue in spiritus: sed videtur illud intelligendum potiùs quàm addendum. similis enim eclypseos exemplum habes Mar. 6. v. 7. & infrà 12. v. 31. IMMVNDORVM. Ex substantia sua appellantur *spiritus*, ex ingenio ac moribus impuris, *immundi*, quia gaudent rebus immundis, malis hominum, peccatis & suis & hominum: sua culpa diuinam puritatem amiserunt, & immunditia delectantur, sanctimoniam omnem insectantes. Vide, si placet, Hieronymum de filio prodigo ad Damasum, Augustinum, libro de vita beata, disputatione secundæ diei. Victorem Antiochenum in Marcum cap. 1. v. 23. Denique B. Ariam Montanum, inter neotericos, libri Ioseph cap. 5. Contraria ratione alij vocantur Angeli sancti. VT EIICERENT EOS. id addit ad vitandam amphibologiam, vt ne intelligeres dedisse potestatem qualem habent ipsi immundi spiritus. Sensus est igitur, dedisse eum potestatem eiiciendi dæmones. ET CVRARENT. s. dedit eis potestatem vt. LANGVOREM. νόσον morbum. vide supra 4. v. 23. Dominum se, Patri æqualem declara-

declarauit, quando non tantùm habuit ipse, verumetiam aliis dedit, huiusmodi facultatem. Cæterùm non dedit illis virtutem intrinsecam seu inhærentem ad hæc præstandum, qualem habuit ipse; sed auctoritatem dedit, cui ipse virtute sibi inhærente adsisteret vt ne esset inanis. Solent monarchæ legatis suis ea addere, quæ ipsis auctoritatem apud illos concilient ad quos mittuntur. Quia ergo inter homines nullo ferè loco erant discipuli isti, legatio autem quam illis iniungebat Christus diuina erat: Deinde, quum neque ingenio neque facundia pollerent, rei autem excellentia & nouitas requirerent plus quàm humanas dotes: ne deesset auctoritas, spiritus eos potentia ornauit, instruxit cælestis potentiæ insignibus, quæ fidem ac reuerentiam apud populum conciliarent; sigilla eis auctoritatis diuinæ tradidit, nempe miraculorum efficiendorum facultatem (quo modo & cum Mose veteris Legis præcone egerat Deus Exo.4.) verùm non huiusmodi miraculorum, quæ ipsos redderent formidabiles, sed quæ conuenirent cum legatione ipsa, quæ de humanæ naturæ restitutione & perfectione, deque æterna salute erat, quò benefica morborum corporalium sanatione, allicerent rudes ad ea quæ essent animi. sic enim & ipse Christus negotium instituebat.

Τῶν δὲ δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματά εἰσι ταῦτα· πρῶτος, Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ,

2 Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi & Iohannes frater eius,

Mar. 3. v. 16 17. 18. Luc. 6. v. 14.

APOSTOLORVM. Illos enim duodecim discipulos quos elegerat, Apostolos nominauerat. Luc. 6. v. 13. rationem ibi dicemus. NOMINA. recensentur Apostolorum Christi nomina, vt diuinæ electionis ratio cognoscatur, abiecta mundi eligentis ad confundendum fortia mundi. 1. Cor. 1. v. 27. Adhæc, vt noti sint ij, quorum testimoniũ firmum constare debeat, qui ab initio prædicationis Christi, vsque ad eius ascensionem, & totius illius negotij absolutionem, testes permanserint operum omnium & dictorum illius. Præterea, quòd neminem fidelium ignorare deceat nomina primorum Christianæ fidei propagatorum, maximorumque religionis antistitum, quodque multum adferat vtilitatis, ex nomine cognitos habere, quorum ministerio Deus ad nostrum profectum dignatus est vti, vt tanto nobis viuidiùs versentur ob oculos, ad persuadendam sui imitationem, perseuerantiamque in ea quam reliquerunt doctrina. PRIMVS. Primus vocatur, non quia maximus natu inter Apostolos fuerit, quum Andreas frater fuerit eo maior natu (Breuiarium Romanum in festo B. Andreæ post Epiphanium hęresi 51. circa medium) nec quia primus in Christum crediderit, quum rursus Andreas eo crediderit prior (Ioh 1. v. 40. & 41.) nec quia primus ad Apostolatum vocatus sit, quum Andreas fuerit vnà cum ipso vocatus (Matth. 4. v. 18.) nec quia præ cæteris à Iesu dilectus fuerit, fuisset enim præponendus Iohannes: denique nec ordine enumerationis dumtaxat quem Matthæus seruare decreuerat primus ab eo dicitur, quum cæteri Euangelistæ similiter eum primum numerent, quemadmodum Iudam vltimum, ordinis cæterorum inter se non perinde habita ratione. Restat igitur vt idcirco, quòd à Saluatore primatus quidam ipsi inter Apostolos datus sit, & dignitate atque auctoritate excelluerit inter ipsos. Quem sensum stabiliunt alia complura Scripturæ loca (Matth. 16. v. 18. 19. Luc. 22. v. 23. Ioh. 21. v. 17. Act. 1. v. 15. &c.) probantque veteres, nominatim Chrysostomus, qui in hunc locum, *Apostolorum*, ait, *omnium primus & quasi vertex, indoctus ille erat ac rudis*; & Auctor commentariorum in epistolas Pauli apud Ambrosium, in 2. ad Cor. caput 12: *Prior sequutus est Andreas Seruatorem quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas sed Petrus.* postremò Hieronymus lib. 1. in Iouinianum cap. 14: *Propterea*, inquit, *inter duodecim Apostolos vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* SIMON. vide suprà 4. v. 18. Cognomine Petri distinguitur à Simone Cananæo. ZEBEDÆI. ὁ τοῦ ζεβεδαίου ille Zebedæi s. filius. id quod, causa discriminis à Iacobo Alphæi, additur. FRATER EIVS. s. Iacobi. Vide suprà 4. v. 21. & Luc. 8. v. 51. Videtur Matthæus Apostolos recensuisse, ita vt fuerant à Domino coniugati: binos enim nunc misit (Mar. 6. v. 7.) Coniugasse autẽ videtur Dominus fratres, ad significandã concordiã in munere obeundo.

Φίλιππος καὶ Βαρθολομαῖος, Θωμᾶς καὶ Ματθαῖος ὁ τελώνης, Ἰάκωβος ὁ τοῦ Ἀλφαίου καὶ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος,

3 Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi & Thaddæus,

Mar. 3. v. 18. Luc. 6. v. 14. 15. 16.

PHILIPPVS. Iudæi mixti gentibus, liberis suis etiam gentium nomina imponebant. BARTHOLOMÆVS. Id nominis quidam interpretantur *filius Ptolomæi*, quamquam ipsi *th* non præponatur *p*, siue latinè, siue græcè, siue syriacè; quidam malunt *filium tholmai*, quod nomen frequẽns in Biblijs legitur multis seculis antequam Ptolomæus vllus natus esset. Ios. 15. v. 14. 2. Reg. 3. v. 3. &c. hi duo, Philippus inquam & Bartholomæus, putantur graues atque illustres viri fuisse, & Scripturarum studiosi, quamquam non multa ipsorum in sacris literis sit mentio. THOMAS. Syrus ܬܐܘܡܐ *Thoumo*, nomen quod interpreteris græcè δίδυμος (Ioh. 20. v. 24.) latinè *geminus*, à תאם *thaam*. quod hebræis & syris est geminare. MATTHÆVS. Thomam alij postponunt Matthæo; Matthæus se ipse postponit, modestiæ causa. PVBLICANVS. ὁ τελώνης ille publicanus. articulus enim hîc habet vim, quæ neutiquam negligenda est. Subaudiendum verò relinquitur *quondam*: satis enim intelligitur publicanus esse desiisse, quando factus est Christi Apostolus. Porrò addit istud Euangelista, non vt se ab altero Matthæo distinguat, sed, vt se quidem deiiciat, Christi autem in se gratiam prædicet. ALPHÆI. s. filius. non illius tamen Alphæi, cuius filius Matthæus fuit, Mar. 2. v. 14.; sed illius qui maritus fuit Mariæ Cleophæ, sororis matris Domini. Ioh. 19. v. 25. Hic Iacobus minor aliàs dictus est (Mar. 15. v. 40.) Zebedæi filius, Iacobus maior, propter ætatem,

quia hic senior, ille iunior erat, qui à Paulo vocatur frater Domini. Gal. 1. v. 19. Auctor est vnius ex canonicis epistolis, cui episcopalis in Ierosolymis delata ab Apostolis fuerat sedes. Euseb. lib. 2. hist. Eccles. c. 23. Affines etiam elegit Iesus, quia affines non sunt reiiciendi ab iis officiis ad quæ sunt non minùs aliis idonei: non tamen aliis sunt præponendi, nisi sint magis idonei. THADDÆVS. Græca & Syra legunt λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς θαδδαῖος Lebbæus cognominatus Thaddæus. Hic frater erat Iacobi Alphei, dictus Iudas proprio nomine, quo modo se ipse vocat in exordio epistolæ quam scripsit, vnius ex Catholicis. Trinominis igitur hic fuit: id quod inde factum putatur, quia moris sit Iudæis, proprium nomen, in quod coëant plures ex literis nominis Dei ineffabilis, יהוה, non temerè ad vulgarem sermonem vsurpare, sed alio potiùs, quod vel significatione vel re conueniat, exprimere. Itaque, cùm in Iudæ nomen, vniuersæ quatuor nominis Dei ineffabilis literæ concurrerent (יהודה) cum aliis id fuisse mutatum; *Thaddæus*, quod eiusdem & deriuationis & significationis est, ab הודה *hoda* confiteri, laudare, vnde תודה *thoda* laus, confessio, & *Lebbæus* ܠܒܐ *Labi* syriacè, hebraicè לביא *labi*, quod leonem declarat, secundùm illud: *Catulus leonis Iuda*. Gen. 49. v. 9. לביא *labi* autem, leonem vocatum existimant docti nonnulli, à generositate & animi fortitudine, quasi dicas cordatum atque animosum animal: nam לב *leb* hebræis cor est. vnde Hieronymus in nominibus hebraicis, Lebbæus figurat à corde, & interpretatur corculum, quemadmodum alij, Thaddæus formant à תד *thad*, quod mammam significat.

Mar. 3. v. 18. 19. Luc. 6. v. 15. 16.

Simon Cananæus & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum.	4	σίμων ὁ κανανίτης καὶ ἰούδας ἰσκαριώτης, ὁ καὶ παραδοὺς αὐτόν.

CANANÆVS. ὁ κανανᾶιος, vel, vt in plerisque omnibus libris est, ὁ κανανίτης Cananites. Quidam existimant legendum καννίτης Cannites siue καναῖος Cannæus, & consimile frequensque in sacris literis populi Chananæorum nomen, librariis parum doctis imposuisse. Certè, Apostoli cognomen, Lucas græcè transfert τὸν ζηλωτὴν Zeloten (Luc. 6. v. 15. Act. 1. v. 13.) *zelotes* autem hebraicè קנה *Kanna* dicitur, non *Canana*. Exo. 20. v. 5. & aliis locis, אל קנה *El kanna* Deus Zelotes. Syrus hoc Matthæi loco habet ܩܢܢܝܐ quod liceat legere *Kannaio*. Interpres è Syro transscribit קנניא *Kenanaio*, sed nihilominus interpretatur zelotem: ita vt res clara sit, hoc Apostoli cognomen, siue *Cannæus* proferas siue *Cananæus*, à gentis Chananæorum nomine minimè sumtum esse: illud enim scribitur non per *koph* sed per *caph* כנעני *canahni* à כנען *Chanahan* filio Cham. Gen. 10. v. 15. 18. Cæterùm an à zelo hoc nominis obtinuerit iste Apostolus, an à loco sic dicto, remanet dubium. Hieronymus ita cognominatum putat, à vico Cana Galilææ, ad distinctionem Simonis Petri, & aliorum Simonis nomine vocatorum. ISCARIOTES. ita dictus, iuxta B. Hieronymum, vel à loco ex quo oriundus fuit, vel à tribu, sed non sine vaticinio facinoris ab eo perpetrandi, quum Issachar mercedem sonet (Gen. 30. v. 18.) qua vili ille accepta, prodidit Dominum suum. infrà 26. v. 15. Quidam qui à loco natiuitatis ita dictum putant, formant nomen ab איש *is* vir & קריות *carioth* ciuitate tribus Iudæ, Ios. 15. v. 25. quasi dicas Vir Carioth, id est, Cariothensis, quemadmodum Ezræ cap. 2. v. 22. 23. dicuntur Viri Anatoth, Viri Netupha, &c. qui ex eis locis oriundi erant. Cæterù Euangelistæ adiecerint vulgari nomini formam græcam, *Iscariothes*, vt solent aliis nominibus propriis, licet Iscarioth tantundem valeret. Porrò multi latini libri scribunt *Scariotes*, omissa i litera, quomodo & Syrus habet ܣܟܪܝܘܛܐ *Scariouto*: vbi hoc ipsum fieri videtur, quod alibi fit à Scriptoribus Ecclesiasticis Græcis, quando σπανίαν dicunt pro ἰσπανίᾳ Hispania. TRADIDIT. prodidit, postea. nam per anticipationem istud dictum est. EVM. Iesum, magistrum & dominum suum. Cooptauit autem Saluator vnum huiusmodi in ordinem Apostolorum, quem, si tunc non fuit huiusmodi, malus inquam & peruersus, adeoque proditor, sciuit fore huiusmodi (Iohan. 6. v. 70.) prouidentia æquissima, vt data proditori familiariori sui copia, esset ipsi prodendi facultas, itaque impleretur decreta Domini passio: non quòd nobis liceat malos, aut eos quos malos fore suo modo præsciamus, ad functiones sacras vllo modo assumere, sed, partim vt ne turbemur, dum præter opinionem nostram, eorum quos ad sacra ministeria assumserimus, aliqui reddantur mali; partim vt ne propter malos deseramus bonos, vt propter Iudam relinquendi non erant alij Apostoli. Significauit enim, in Ecclesia sua, & in omnibus illius ordinibus, semper fore malos permixtos bonis, donec permundetur area (suprà 3. v. 12.) & nequaquam eneruari aut inanem reddi Sacramentorum administrationem, propter ministrorum indignitatem. Porrò cæteri quos ad Apostolatus honorem Saluator assumsit, etsi non mali, ignobiles tamen, pauperculi, rudes atque idiotæ penè omnes fuere, idcirco, iuxta Apostolum Paulum, *vt ne gloriaretur caro, aut euacuaretur Christi crux*. 1. Cor. 1. v. 17. 26. 29.

Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis:	5	τούτους τοὺς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ ἰησοῦς, παραγγείλας αὐτοῖς, λέγων· εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε·

MISIT. ἀπέστειλεν, emisit, siue potiùs emandauit. Siquidem id est propriè ἀποστέλλειν, cum mandatis emittere, à quo verbo dicti sunt Apostoli. Hîc Apostoli, nuper electi quò ad id muneris se præpararent, Mar. 3. v. 14. & Luc. 6. v. 13. (nam Matthæus non electionem, sed missionem solam describit) mittuntur ad præsentem functionem, iubenturque se ad opus accingere. Priùs ergo destinabantur in spem futuri laboris: nunc horam venisse Christus denunciat, qua manus operi admoueant. Hactenus Iesus per se solus Euangelium prædicauerat, duodecim Apostolos interim variis modis formans atque instituens, velut post acceptum Spiritum sanctum in prædicandi munus successuros. Verùm vt ipsi interim quoque specimen aliquod sui darent in tanti muneris functionem, & viuo adhuc magistro sui periculum facerent, misit illos vt

leuiori

leniori palæstra in Iudæa se exercitarent; Interim hac Apostolorum discursione & Euangelij promulgatione effectum est, ne aliquis in Iudæa posset ignorantiam aduentus Christi prætexere. PRÆCIPIENS EIS. dedit illis mandata, quippe legatis. Priusquam emittat, collectos simul omnes eodem instruit sermone, ne quid à se mutuò discreparent, ab eodem præceptore missi, & iisdem mandatis adstricti. DICENS. id est, in hæc verba. IN VIAM GENTIVM. id est, in vias (ponitur enim *viam* infinitè; aut est singulare, hebræorum more collectiuè acceptum) quæ ducunt ad exteras & prophanas gentes, ad finitimas gentes (Ier. 2. v. 18.) nam alioqui vias gentium vocant prophetæ profanos & impios illarum mores. Ier. 4. v. 18. 10. v. 2. ET IN CIVITATES. καὶ εἰς πόλιν & in ciuitatem singulare pluralis loco, vti mox. Neque enim de Metropoli videtur intelligi debere, quum articulus non addatur. SAMARITANORVM. Samaritani erant & ipsi Gentes, quippe qui non erant ex patre Iacob, nec ex Abraham quidem: sed quia legem illi Mosis magna ex parte seruabant, & pro veris se Israelitis habebant, idcirco, ne existimarent Apostoli, non illos comprehensos Gentium nomine, disertè illos addidit. De horum origine legantur, quarti Regum cap. 17, & Iosephus lib. 9. Antiq. cap. vltimo. Porrò non vetat Saluator, ne obiter, vbi data fuerit occasio, annuncient Gentibus & Samaritanis gratiæ tempus: sed ne in vias aut ciuitates eorum in illum finem ex professo intrent. Si qui ex illis ad eos venirent, non facilè erant reiiciendi dummodò fide & obedientia Israelem imitarentur: atque ita nonnunquam euenit in illo prædicationis Christi tempore; vt in exemplis, Chananææ, leprosi Samaritani, fœminæ Samaritanæ, Centurionis Gentilis, & aliorum.

πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου ἰσραήλ. 6	sed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Israel.

QVÆ PERIERVNT. τὰ ἀπολωλότα perditas. DOMVS. familiæ, populi. ISRAEL. Iacob. Populus enim vnus, ex eodem vno patre Iacob oriundus, in varias licet tribus distinctus, domus siue familia vna vocatur: singuli autem è populo ouibus comparantur, vnus enim singulus est instar imbellis ouis; perditis ideireo quia *erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem*. vide suprà 9. v. 36. & infrà 15. v. 24. In vno Christo salus (Act. 4. v. 11. 12.) absque illo perditio. Docet sub figura illius gentis, qualis esset totius generis humani conditio, nempe, vniuersum esse perditum, cui in ipso recuperanda sit salus. Nam si Iudæi, Dei populus, perditi fuere; quanto magis erant prophanæ gentes? In summa autem, Iudæos hîc Apostolis commendat Christus, vt illis suam operam addicant. Præscribit itaque ipsis, inprimis prædicandi limites, vetatque ne Iudææ fines egressi ad Gentes se conferant. Quare notandum, nondum hîc generalem & perpetuam Apostolis legationem mandari, sed præconium dumtaxat temporale, quo & specimen præberent obeundæ postea generalis functionis, vti diximus, & Iudæorum mentes erigerent atque expergefacerent, quò ad Christum audiendum magis attenti forent. Nunc ergo mittuntur vt in Iudæa tempus adesse promissæ instaurationis & salutis nuncient: postea præcipiet eis Christus vt Euangelium spargant per totum orbem. Hîc tantùm adiutores eos sibi assumit, qui audientiam ipsi compararent quò vox eius non perueniebat: postea, docendi partes quas obierat, ipsis resignabit. Non aliò igitur spectauit munus, quod nunc Apostolis impositum fuit, quàm vt Iudæos in spem propinquæ salutis excitando, attentos ad Christum audiendum redderent: ideo nunc eorum vocem Iudææ finibus inclusit, quam postea vbique ad vltimos vsque orbis fines personare iussit. Ratio fuit, quia Christus missus erat à Patre *circumcisionis minister, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum* (Rom. 15. v. 8.) Christus, propheta & magni nuntij legatus, promissus fuerat Israelitis, quibus ipse minister doctrinæ & legationis esse debuit ex promissione diuina, antequam exodus illa de qua Luc. 9. v. 31., compleretur in Ierusalem. Deut. 18. v. 15. Isa. 9. v. 6. Ierem. 33. v. 14. 15. 16. Ezech. 34. v. 23. 24. Speciale enim pepigerat Deus fœdus cum genere Abrahæ (Gen. 17.) Non abs re ergo Christus initiò, Dei gratiam in populo electo continuit (infrà 15. v. 24.) ideoque & hîc, cùm socios legationis quæ ipsi obeunda erat assumit duodecim, iubet illos ad eosdem Israelitas tantùm legationem modò deferre, donec maturum adesset eius publicandæ tempus. A resurrectione itaque, vbi velum templi scissum fuit (infrà 27. v. 51.) & dissidij maceria diruta (Ephes. 2. v. 14.) benedictionem in omnes gentes effudit, admirabili se monstrante Dei, in Gentes quidem misericordia, in Iudæos autem iustitia, dum non priùs ab his ad illas Euangelium transfertur, quàm hi modis omnibus se reddidissent indignos. Actor. 13. v. 46. 47. Quòd ergo Christus Gentes Euangelij participatione ad tempus non dignatur, pendet hoc eius mandatum de eo, quòd Deus, reliquo mundo excluso, cum solo Abrahæ semine fœdus sanciuerat, quod semen iuxta carnem soli erant Iudæi.

πορευόμενοι δὲ κηρύσσετε λέγοντες· 7 ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.	Euntes autem prædicate, dicẽtes: Quia appropinquauit regnũ cęlorũ.

Luc. 9. v. 2. Suprà 3. v. 2. 4. v. 17.

EVNTES. πορευόμενοι profecti. PRÆDICATE DICENTES. prædicate idem istud quod me prædicasse audistis: inde auspicamini prædicationem, vnde me & Iohannem auspicatos audistis. QVIA. pro quòd, vel certè superest sensui. APPROPINQVAVIT REGNVM COELORVM. Euangelij & prædicationis Apostolicæ summa, circa quam sermones eorum omnes versari deberent: quo præconio voluit Christus erigi populi animos in spem propinquæ salutis. Porrò regnum cælorum quid sit, & quî hoc in seculo incipiat perficiaturque in altero, denique quomodo tunc propinquum factum fuerit propter instantem nostri per Christum cælorum regem redemtionem, diximus suprà 3. v. 2. & 6. v. 10. vide etiam 4. v. 17. Etsi autem hîc non exprimatur *Pœnitentiam agite*; intelligendum tamen, manifestum est ex Marco, cap. 6. v. 12: idcirco enim prædicabatur propinquum regnum cælorum, vt ad illud omnes se præpararent: præparatio autem pœnitentiâ fieret necesse erat, id est, malè anteactæ vitæ detestatione & in melius mutatione.

Infirmos

Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dęmones eiicite: gratis accepiſtis, gratis date.

8 ἀσθενοῦντας θεραπεύετε, λεπροὺς καθαρίζετε, νεκροὺς ἐγείρετε, δαιμόνια ἐκβάλλετε· δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε.

INFIRMOS CVRATE. ægrotos ſanate. Sicut poteſtate eos mox inſtruxerat, ſic iubet fideles & liberales eſſe illius miniſtros: eamque ſupprimere vetat, quæ in commune omnium bonum apud ipſos erat depoſita. Porrò miracula iſta, ad confirmationem legationis fieri voluit, & in ſpecimen beneficij ſpiritalis ac liberationis in legatione ipſa contentæ. In legatione enim ipſa, quæ de regno cęlorum propinquo eſt, continetur ſanatio à morbis omnibus vitiiſque animi, cum qua analogiam ſimilitudinemque habet, ſanatio à morbis corporis: continetur liberatiò aſſertioque è diaboli ac mortis tyrannide, cum qua analogiam habent, dæmonum expulſio & mortuorum ſuſcitatio. Cæterùm an hîc addendum ſit illud *mortuos ſuſcitate*, quod habent plerique omnes latini & multi græci libri; quamquam hi non eodem loco quo illi; latè diſputauimus in Notationibus noſtris in varias Bibliorum lectiones editis. Certè mox, non eis dederat, mortuos ſuſcitandi poteſtatem, ſuprà v. 1: nec veriſimile apparet eam Apoſtolis dediſſe tamquam ordinariam, qua non videtur ipſe niſi parcè vſus. EIICITE. ex corporibus hominum quæ obtinent. GRATIS ACCEPISTIS poteſtatem hæc faciendi. Sciebat Chriſtus hanc legationem ſummopere ad quæſtum facere poſſe: ideo expreſſis verbis præcipit, vt gratis gratia illa adminiſtretur. ac ſi diceret: Cogitate vnde vobis prouenerit, non eam vobis aut pretio aut labore comparaſtis, non veſtris promeruiſtis præclaris operibus, ſed ex mera Dei fluxit gratia: quare & veſtro miniſterio gratis eam ad alios manare decet. Ita & ſuperbiam reprimit & auaritiam, ne vel ad inanem gloriam vel ad quæſtum Dei donis abutantur: ſimul & liberales eſſe docet, ſolemus enim largiter & copioſè dare, quæ gratis accepta gratis à nobis dantur. GRATIS DATE, non poteſtatem ipſam, neque enim id poterant; ſed ea quæ poteſtatis ſunt, ſanitatem. Nec venditionem tantùm prohibet, verumetiam munerum acceptionem, vt ne quis ſiniſtræ opinioni locus ſit, qui gratiam Dei aut Euangelicum munus contaminet. Sic Elizęus reſpuit munera Naaman Syri 4. Reg. 5. v. 16 Exhibuit autem hîc Chriſtus Apoſtolis ſuis, eius gratiæ ſpecimen, quæ ab Iſaia prædicta erat, cap. 55. v. 1: *Omnes ſitientes* &c.

Mar. 6. v. 8. Luc. 9. v. 3.

Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, in zonis veſtris;

9 μὴ κτήσησθε χρυσὸν, μηδὲ ἄργυρον, μηδὲ χαλκὸν, εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν·

NOLITE POSSIDERE ſiue comparare vobis, vtrumque enim ſignificant voces græca & ſyra κτᾶσθαι ܩܢܘ *kero* atque iſtud magis huic loco conueniat. in profectionem. NEQVE PECVNIAM vllam aliam. μηδὲ χαλκὸν neque æs. Tres enim pecuniæ ſpecies hîc numerat Euangeliſta, iuxta tres ſpecies metallorum ex quibus cudi pecunia ſolet. ænei erant Romanis, aſſes & quadrantes. IN ZONIS VESTRIS. εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν in zonas veſtras, id quod refertur ad tres commemoratas ſpecies pecuniæ: veteri enim more pecunia geſtabatur in zona, in crumenis in zona ipſa factis aut zonæ attextis, ab itinerantibus præſertim & militibus: vnde adagium, *Zonam perdidit*, de eo cui nihil erat pecuniæ. Syrus ad ſenſum ܒܟܝܣܝܟܘܢ *beciſaicoun* in crumenis veſtris.

Mar. 6. v. 8. 9.

non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neq; virgam. dignus eſt enim operarius cibo ſuo.

10 μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδους. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν.

NON PERAM vobis comparate. Peram viatoriam intelligit, qua panem & aliquid obſonij geſtare viatores ſolent; ſub qua intelligit & poculum viatorium, quo vinum. Continens accipiendum eſt pro contento. IN VIA. εἰς ὁδὸν in viam, ad iter, id eſt, cuiuſmodi geſtare ſolent, qui aliquò proficiſcuntur, nec ſunt pecunia inſtructi. NEQVE DVAS TVNICAS. id eſt, tunicas mutatorias, quarum altera in itinere, altera in locis vbi hæreatis, vtamini, vel plures tunicas quàm in præſentem vſum ſit neceſſarium. Sub tunica autem, & cætera veſtimentorum genera, vetat aſſumi mutatoria: aut certè χιτῶνα tunicam pro quouis veſtimenti genere accipit. vide ſuprà 5 v. 40. NEQVE CALCEAMENTA. μηδὲ ὑποδήματα. Ex vi vocis ὑποδήματα nihil ampliùs ſunt quàm ſoleæ ſiue ſubligacula, quæ cùm plantas pedum muniant, ſuperiorem pedum partem relinquunt nudam, & loris aut aliis vinculis accommodari ſolent (vide ſuprà 3. v. 11.) ſed videtur Euangeliſta aut græcus ipſius interpres hîc vſus voce generali, quæ quoſuis calceos ſignificet, accepiſſeque pro eo calceamentorum genere, quod non plantas tantùm, verumetiam totum obtegit ac munit vndique pedem, vt ſunt ocreæ, perones, calcei noſtrates, &c. quales, vero ſimile eſt, ad iter ſe accingentes, in Iudæa aſſumere fuiſſe ſolitos, quò eſſent pedes munitiores aduerſus itineris ſcandala offendiculaque omnia, aquas etiam, niues, imbreſque & frigora: de qualibus Perſius poeta: *Nauem ſi poſcat ſibi peronatus arator.* Nam certum calceamentorum genus Apoſtolis fuiſſe prohibitum, ſatis indicant hæc duo loca, Mar. 6. v. 9. & Luc. 22. v. 35 crediderim autem huiuſmodi fuiſſe prohibita, quæ dixi, quibus nimirùm redderentur tardiores minúſque expediti ad iter, & teſtarentur æquo maiorem carnis curam. NEQVE VIRGAM. μηδὲ ῥάβδους neque virgas, quamquam in aliis græcis libris eſt numerus ſingularis, vt latinè, cui etiam fauere videntur Græci Tractatores. *Neque virgam*, id eſt, arma nulla. ſuperiori enim illo loco Luc. 22., gladium opponere videtur virgæ olim à ſe prohibitæ. nam eſt virga qua te aduerſus hoſtes defendas, aut eos etiam inuadas; de qua legis: *Reges eos in virga ferrea*, Pſal. 2. v. 9.; Et, *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominan-*

dominantium &c. Isa.14.v.5. Armorum autem vsus iis non conuenit, qui diuinæ tutelæ præcones testesque sunt. Mandatorum istorum quibus Christus hoc capite instruit Apostolos suos, quædam pertinent ad solam hanc particularem Apostolorum in Iudæam legationem, vt illud v. 5. de non intrando ciuitates Gentium aut Samaritanorum; Quædam ad solam generalem illorum in vniuersum terrarum orbem legationem, vt illa quæ de persequutionibus loquuntur. Occasione enim præsentis huius & particularis legationis, instruit eos, quo modo & in futura illa generali ac grauiori, ad quam hac particulari formabantur, ipsos se gerere oportebit. Quædam pertinent ad vtramque legationem, & hanc particularem, & futuram illam generalem, vt pleraque omnia; quæ primùm quidem de hac particulari, de qua sermo instituitur; deinde verò & de vniuersali, vbi eadem & maior ratio militat, intelligenda veniunt. Inter hæc numeranda sunt ea quæ de non tollendis impedimentis agunt his duobus versibus 9. & 10: quæ tamen aliter à Saluatore intellecta & præcepta videntur in hanc particularem, aliter in futuram illam generalem. Ad hanc enim profectionem præcisè voluit Apostolos suos accingi Christus, absque omni pecunia, viatico, & sarcinis: id quod docemur ex verbis eius in vltima cœna Luc.22.v.35. vbi de præterita hac missione loquens ait: *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* Quòd autem non præcisè & iuxta literam hoc semper præceperit Apostolis suis, præter hoc quòd eadem illa secundùm Lucam verba non obscurè indicent, manifestum ex eo est, quòd neque Apostoli (1.Thessal.2.v.9. 2.Timoth.4.v.13. 1.Cor.9. v.5.) neque Christus ipse (Luc.8.v.3. Ioh.13.v.29.) hoc semper obseruarunt, qui & loculos habuerunt, & mulieres sorores à quibus alerentur ac curarentur circumduxerunt. Relata igitur hæc de impedimentis præcepta, ad perpetuum Apostolorum officium (vt referenda etiam sunt) intelligenda sunt vetare studiosam de his rebus necessariis prospectionem, qua vel impediri possit Euangelij prædicatio, vel minui ministerij Euangelici auctoritas, vel non tale exemplum contemtionis rerum terrenarum præberi, quale præberi congruum est à præconibus regni cælorum. Atque hoc est quod veteres Patres volunt, quando hæc tamquam perpetua præcepta interpretantur. Nam & huc respicit Christus, Apostolos suos hac vice omnino nudos de industria abs se emittens, vt non modò nullis impedimentis retardentur, quos vult totos vacantes delegatæ functioni intra paucos dies Iudæam lustrare & statim ad se reuerti; sed etiam, quadam diuinę prouidentiæ, curam gerentis fidelium verbi præconum, quasi degustatione, ad futuram illam in vniuersum terrarum orbem legationem præparentur: quò pendere discant tota fiducia de prouidentia Dei, & sciant, etiamsi nihil aliquando adsit eorum quibus præsenti vitæ opus est, quinimmo immineant hostilia & aduersa omnia, non eis defuturam principis Christi à quo legati missi sunt prospectionem, modò gnauiter & sincerè munus obeant suum; itaque abiiciendam semper anxiam & diffidentem, immo omnem rerum necessariarum solicitudinem, qua prædicationis negotium impediatur. Idcirco enim quærit ex ipsis postremò secum cœnantibus quod mox ex Luca recitauimus: *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc* &c. Ex quibus verbis primùm patet, præceptionem illam nudè intellectam fuisse temporariam; deinde, ad hoc institutam fuisse, vt discipuli experirentur quod dictum est, esse Christo Domino operariorum à se in opus missorum curam, idque experti non distinerentur solicitudine de rebus ad vitam necessariis, quando Euangelij diuulgandi causa mundus esset obeundus. hic scopus fuit omnium. DIGNVS EST. debetur ei. Occurrit Christus Apostolorum obiectioni: Vnde habebimus quo alamur, quando & gratis nobis administranda omnia, & viatici nihil conferendum? Debentur, inquit, vobis alimenta laborantibus, idcirco nec deerunt si modò laboretis, quod hæc vtique prouincia requirit. Deus enim vobis de illis prouidebit, siue per eos à quibus debebuntur auditoribus seu discipulis, siue aliàs è prouidentiæ suæ ditissimo penu. Nititur hæc demonstratio iustitia, cui si homines, vti debent, non satisfaciant, satisfacturus sit Deus ipse. OPERARIVS. qui non nomine tantùm, verumetiam re huiusmodi sit. vide suprà 9.v.37. CIBO SVO. τῆς τροφῆς αὐτοῦ alimento suo. Sub alimento comprehenduntur omnia ad sustinendam hanc vitam necessaria. Gal.6.v.6.

εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν ἢ κώμην εἰσέλθητε, ἐξετάσατε τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός ἐστι, κἀκεῖ μείνατε ἕως ἂν ἐξέλθητε.	11	In quamcumque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis.	Mar.6. v.10. Luc.9.v.4. 10.v.7.

CASTELLVM. vicum, pagum. INTERROGATE. ἐξετάσατε exquirite studiosè, vbi scilicet publicè functi estis vestro munere, si hora est opportuna. IN EA. ἐν αὐτῇ. ciuitate vel castello: nam & castellum græcè fæminino genere dicitur κώμη. DIGNVS SIT. s. vobis hospitibus, dignus ad vos recipiendos: iuxta illud ad Hebræos, *quibus dignus non erat mundus*, cap. 11.v.38. Videtur istud ad Ecclesiastici ministerij dignitatem pertinere: non enim permittit quosuis vt adeant, cibi necessarij licet & debiti gratia, ne ad quem fortè diuertant Euangelio rebellem, inhumanum aut infamem, cuius durities hospitium ipsos mutare cogat, aut infamia in ipsos ipsorumque prædicationem redundet: sed sciscitari atque exquirere iubet, quis illic quò venerint sit homo pius atque integer, in quo vigeat Dei timor ac religio, qui beneficentia in pauperes morumque simplicitate spem de se præbeat promtæ & Euangelij & nuntiorum Euangelij receptionis. ET IBI MANETE. hospitamini apud illum, dignum scilicet quem inueneritis, non mutantes hospitium, quasi vel leues sitis, vel appetentes mensæ lautioris; cuiuscumque ordinis facultatisve sit hospes: sed contenti iis quæ vobis ille ministrauerit, vtimini iis parcissimè summoque cum temperantiæ exemplo, ne videamini vestra commoda quærere potiùs quàm aliorum. DONEC EXEATIS. Respondet ei quod præcedit *Intraueritis*. *Exeatis* igitur, ciuitate illa aut castello, donec Euangelij illic vulgati negotium hortabitur aliò demigrare. Si longa alicubi mora trahenda esset, posset occurrere causa mutandi hospitij, vt, ne vnus quispiam, præsertim tenuioris fortunæ, nimium grauaretur: sed non facilè mutandum est, *ne hospitalis necessitudinis iura prædicator regni cælorum violet*, quod in Lucam ait Ambrosius.

Intran-

Luc. 10. v. 5.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

[12] εἰσερχόμενοι δὲ εἰς τὴν οἰκίαν, ἀσπάσασθε αὐτήν, λέγοντες· εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ.

IN DOMVM, quam per inquisitionem studiosam intellexeritis vobis hospitibus dignam. SALVTATE ILLAM. eos qui in illa sunt. Sua lingua, hebraica siue syriaca. Saluator haud dubiè dixit, & Euangelista scripsit: *Pacem precamini illi*: quomodo & Syricum Euangelium habet hoc loco. nam quod hic sequitur in quibusdam græcis & plerisque latinis libris *dicentes Pax huic domui*, ab aliis omittitur: qua de re egimus in Notis ad varias lectiones. Salutatio signum est beneuolentiæ, amicitiæ, ac dilectionis, qua videlicet optima quæque & fausta omnia precamur illis ad quos accesserimus: nam & pacis nomine dum ad salutationem eo Hebræi vtuntur, intelligunt id quod nos nomine salutis, prosperitatem nempe omnem felicitatemque. Significamus autem plerique corporis salutem & rerum temporariarum prosperitatem: Christus diuinitùs vtens vulgi licet verbis, salutem regni cælorum præsertim, animæ salutem felicitatemque æternam, quam Euangelium annunciat, vult intelligi. Vult itaque vt discipuli, primo ingressu, consueta salutandi beneuolentia animos præoccupent eorum ad quos diuertunt, & tentent explorentque an sint se digni hospites.

Luc. 10. v. 6.

Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.

[13] καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἡ οἰκία ἀξία, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτήν· ἐὰν δὲ μὴ ᾖ ἀξία, ἡ εἰρήνη ὑμῶν πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω.

DOMVS. familia. ILLA addidit Interpres. DIGNA vestra salutatione, pace siue salute quam precabimini, ac proinde & vobis hospitibus. vide Luc. 10. v. 6. VENIET. ἐλθέτω veniat est græcè, sed in idem sententia redit: Dei enim dicere, est facere; & promittere, iubendo efficere. PAX VESTRA. salus vestra, quam precabimini, nempe ea cuius estis nuntij ac legati, salus Euangelica, salus regni cælorum. Non sine præmio suscipiuntur Dei ministri, cum quibus salus hospes excipitur. VENIET SVPER EAM. id est, acceptabunt eam quam offertis salutem, vosque simul libenter admittent hospites: quod signum erit venisse super eos, contigisse eis, quam precati estis salutem, id est, fidei eos Euangelioque parari. REVERTETVR siue Reuertatur AD VOS, id est, illi respuent eam, nec vos excipient, sed nihil illa ex ipsorum repulsa lædetur; Reuertetur ad vos incolumis, vt vos aliò, vbi gratiores sitis, deducat. Vos itaque illa vobiscum resumta, statim vos ab indignis subducite, & abrumpite omne communicationis vinculum, alioque diuertite. Nam quasi secum resumit salutem suam, qui, licet alicubi repulsa fuerit, abit aliò, oblaturus precaturusque eandem.

Mar. 6. v. 11. Lu. 9. v. 5. 10. v. 10. 11.

Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros; exeuntes foras de domo vel de ciuitate, excutite puluerē de pedibus vestris.

[14] καὶ ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσῃ τοὺς λόγους ὑμῶν, ἐξερχόμενοι τῆς οἰκίας ἢ τῆς πόλεως ἐκείνης, ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν.

ET QVICVMQVE. Si quis autem. NON RECEPERIT hospitio. NEQVE AVDIERIT, id est, eò quòd non audiat, id est, quòd contemnat. SERMONES VESTROS. prædicationem vestram de pœnitentia agenda & propinquo regno cælorum. Satis est fuisse propositam vltrò salutis conditionem, satis superque misisse legatos, magno commodo beneficiorum sanitatum, sumtu autem vel nullo vel exiguo eorum ad quos legarentur. FORAS. non additur syriacè, nec in plerisque omnibus græcis libris. PVLVEREM DE PEDIBVS VESTRIS. τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν puluerem pedum vestrorum, qui adhæserit pedibus vestris ex domo illa aut ciuitate. Signum & actionis genus longa oratione significantius & efficacius, quo iussi sunt vti Apostoli, quò significarent, tantum abesse vt terreni commodi venandi gratia ipsos accesserint, vt nullo vel leuissimo commodo, immo vel communissima re, cum ipsis qui Euangelium Dei reiiciunt, quippe maledictis, communicare velint. Iussi autem sunt vti huiusmodi protestatione, aut, vt ita dicamus, detestatione, partim ad terrorem istorum, partim ad consolationem sui. Ad consolationem sui, ne frangerentur animis propter contemtum doctrinæ suæ, néve illis remoram adferret mundi ingratitudo: hoc enim præcipuè consilium Saluator habuit, sicubi respueretur eorum doctrina, iusto ipsorum dolori & tædio solatium adhibere, ne in medio cursu fatiscerent, quin animosè despicientes omnem hominum contumaciam, per media obstacula constanter pergerent, vt qui Deo obsequentes ac placentes hominum fauore non indigerent. Ad terrorem autem contemtorum repulsorumque Euangelij iussi sunt Apostoli hoc actionis genere vti, excussione pulueris è pedibus; quia anathematis signum est, maledictionis condemnationisque quæ incolas aduersus quos fit maneat, ob quam nihil sibi velint Apostoli cum ipsis esse commune, ne qua fortè re communicantes, & maledictione communicent. idcirco enim solemus omnia huiusmodi hominum abominari. Porrò hic obseruandum est, nullum esse idoneum cælestis doctrinæ magistrum, nisi qui sic affectus erit, vt eius contemtu crucietur atque vratur: nam vt quis, huiusmodi execrationis forma denunciet horrendum exitium, quod eos manet qui oblatam salutis gratiam sua ingratitudine respuunt, fieri non potest, quin acerrimo doctrinæ quam prædicat asserendæ zelo flagret.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔ- 15 σται γῇ Σοδόμων καὶ γομόῤῥων ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.

Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorũ & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Mar. 10. v. 11.

AMEN DICO VOBIS. Ne videatur inane esse terriculamentum, pronunciat Christus grauiores daturos pœnas qui Euangelium illiusque Apostolos contempserint, quàm Sodomitas: & vt hoc seriò persuadeat, more suo graui asseueratione confirmat. TOLERABILIVS ERIT. mitiùs, minùs durè agetur, tolerabilior erit conditio. TERRÆ SODOMORVM ET GOMORRHÆORVM. id est Sodomitis & Gomorrhęis. Sodomam & Gomorrham frequenter Scriptura præ alijs sceleratis vrbibus nominat, non tam quia extremis flagitiis alias omnes superauerunt, quàm quia singulari exitij genere diuinitùs consumtæ fuerunt, vt seculis omnibus essent in exemplum, & ipsa nomina earum abominationi. 2. Pet. 2. v. 6. Iudæ v. 7.
IN DIE. Dies pro tempore accipitur. August. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 1. IVDICII vniuersalis atque communis, quando vtrique rationem reddent, fietque pœnarum comparatio: quando Sodoma & Gomorrha atrociorem etiam pœnam sustinebunt quàm olim sustinuerint licet admonitæ non sic fuerint vt dignatus eas fuerit Dominus aliquo propheta. QVAM ILLI CIVITATI. licet Israëliticæ id est, quàm incolis ciuitatis seu loci cuiuscumque, illis qui vos non receperint neque audierint. Habuerunt quidem Sodomitæ & Gomorrhæi reprehensorem Lot, qui reuocaret ipsos à scelere; sed longè abfuit, vt tanta auctoritate quanta fuit Apostolorum à Christo apertè missorum, tot miraculis, tot beneficiis, ad pœnitentiam prouocantium. Deinde, ex repudiata promissione regni cælorum ac salutis æternæ, quæ Sodomitis oblata numquam fuit, horum surgit grauissimum scelus. Nam quum auctoritatem fictori suo & opifici negant homines, nec eius vocem audientia dignantur, immo benignè vocantem repellunt, & omnia liberaliter pollicenti fidem derogant, hæc impietas quasi supremus omnium scelerum cumulus est. Videmus hîc itaque, vt peccata peccatis grauiora sunt, ita pœnas pœnis atrociores futuras, ne videlicet temerè peccata cumulemus. id quod docemur etiam infrà 23. v. 14. & Rom. 2. v. 5.

ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρό- 16 βατα ἐν μέσῳ λύκων. γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Luc. 10. v. 3.

ECCE. Aperit eis id quod nondum existimabant, prædicitque inexspectata. Porrò respicit hæc sententia præcipuè ad vniuersalem illam Apostolorum post ipsius resurrectionem missionem, quando multa Apostoli passi sunt ab Euangelij hostibus: vult tamen & de hac missione intelligi, vti in hac dictam esse, satis docet locus Luc. 10 v. 3. EGO Dominus messis, cui ea est, cum auctoritate mittendi, potentia & erga vos charitas, vt facilè vos à luporum rabie protegere & possim & velim. *Ego* qui noui quid faciam & quid expediat. Solatur eos sui mittentis respectu. MITTO. ἀποστέλλω emitto. SICVT OVES. Ouibus nihil est imbellius, simplicius, innocentius, mansuetius: ita Apostoli integri erant & innocentes, inermes, & humanis præsidiis destituti, nullis malis artibus seipsos vlciscentes aut protegentes, sed à solius Dei pendentes protectione. Alludit ad id quod suprà v. 10 præceperat, ne virgam secum ferrent. IN MEDIO LVPORVM. inter lupos. significat quòd vndique ipsis lupi imminebunt: insigniterque exprimit summum periculum quod ipsis impenderet. Sensus est enim, versabimini in summis discriminibus, vt versentur paucæ oues lupis multis cinctæ. Lupis nihil est inter quadrupedia crudelius, rapacius, voracius, & infestius ouibus maximè: significantur Apostolorum persequutores, crudeles illi, sanguinarij, auari, voluptate, opibus, & singulariter sanguine ac cæde innocentum veritatis præconum inexplebiles, qui audita pastoris per oues voce adeò non mansuescebant, vt in maiorem sæuitiam exarderent. Hac ergo lege Apostolos mittit, vt in istorum medio versentur, hoc est, vt multos habeant sibi infestos hostes, & multis vndique periculis obsessi, inter obstacula, non sine difficultate munere fungantur suo, nihilo robustiores vel magis pares ad vim hostium repellendam (nisi id faciat ipse à quo mittuntur) quàm sint oues contra luporum rabiem. Quòd ergo Dominus, qui truculentas bestias, quoties ita visum est, cicurat ac mansuetas reddit, quosdam non domat in Euangelij sui obsequium, sed eos relinquit in feritate ingenij sui, consultò hoc facit vt suos exerceat. Cæterùm durante prima ista & temporaria legatione, Dominus Apostolorum infirmitati parcens, continuit luporum, inter quos versabantur illi, sæuitiam ne quid ipsis noceret: ante resurrectionem enim, præsente sponso quasi nuptialiter habiti fuere. suprà 9. v. 15. Sed postquam ab ipsis discessit ipse sponsus, in generali illa ipsorum legatione, tam austera fuit eorum conditio, vt tunc sentirent non frustra hæc sibi prædicta fuisse. ESTOTE ERGO. Coniunctio *ergo* continuandi vim hoc loco habet: subdit enim istud, vt sciant quo modo se habere ac gerere debeant oues missi inter lupos. PRVDENTES. vt pericula quæ vndique à lupis imminebunt præuideatis, & quantum per officium vobis commissum licebit, caueatis, neque temerè vosipsos in illa iniiciatis; vt nequidquam patiamini vos ab illis seduci aut vinci; denique vt obseruetis & captetis opportunitatem lupos ipsos capiendi ac Deo Euangelioque lucrifaciendi. SICVT SERPENTES. s. sunt. Serpentes enim, quum se exosas hominibus norint (est enim odium à natura insitum homini aduersus serpentem, vt lupo aduersus ouem) magna cautione numquam hominibus fidunt, sed omnia astutè agunt quò sibi probè caueant, solicitè declinantes ac refugientes quidquid ipsis aduersum est. Rursus; aduersus incantationes aures obturant, ne audientes deliniantur atque emolliantur. Denique venenum in guttur collectum tamdiu seruant, donec opportunum sit illud iacere, nec nisi quàm cautissimè & commodissimè effundunt. SIMPLICES. ἀκέραιοι innocentes, ad verbum, absque cornibus. Translatio græci vocabuli à placidis animalibus sumta videtur, quæ natura nullis cornibus armauit ad depellendam iniuriam,

iuriam, aut si armauit, cornibus ad id non vtuntur. *Simplices*, vt simpliciter pergatis quocumque fert Dei vocatio; non timidi plus quàm oportet, propter pericula quæ aut metuitis aut queunt euenire, ad officium à Deo vobis incumbens reddamini tardiores. *Simplices* iterum, vt nulli faciatis aut velitis malè, nec iis etiam à quibus læsi fueritis: sed è contrà omnibus & faciatis & velitis benè, etiam iis à quibus læsi fueritis. exspectandum enim docet ab hominibus incommodum, sed non illis reddendum. SICVT COLVMBÆ. s. sunt. Columbæ enim, quamuis natura sint pauidæ, & innumeris læsionibus obnoxiæ, simpliciter tamen volitant, quocumque pennæ ferunt, & quasi securæ exspectant dum feriantur. Adhæc nemini nocent, nec vlli malum inferunt, non tantùm non homini, sed neque bestiæ: nullum enim omnino animalium necant, vel minutissimorum, quibus etiam perparui passeres aluntur: adeoque & felle carent. Insuper nec iis nocent à quibus malè afficiuntur, direptoribus ouorum, pullorumque, quin nec opponunt sese: quodque amplius est, non desinunt ad illos redire, & benè de iis mereri. hæ ferè sunt columbæ proprietates. Ex horum duorum animantium serpentis & columbæ naturis admistis, Saluator, nec sinit prudentiam fieri meticulosam, nec simplicitatem temerariam; rursus, neque malitiosam prudentiam, neque excordem ac seductu facilem simplicitatem: sed vnā virtutis formam, quàm maximè licuit, exquisitè cōstituit, vt & prudentia simplex, & simplicitas prudens sit. Non absimile est illud Apostoli 1. Cor. 14. v. 20: *Fratres nolite pueri effici sensibus* &c.

Mar. 13. v. 9. Luc. 21. v. 12.

17 Cauete autē ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos:

προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων. παραδώσουσι γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς·

AVTEM. δὲ. pro ergo, vt sup. 2. v. 1. AB HOMINIBVS. indefinitè intelliguntur plerique omnes. Exponit quos dixerit lupos. Sensus est, circumspectè igitur, cautè, ac prudenter, ne mala vos inopinantes obruant & lædant, inter homines vos gerite: quia vos non secus ac serpentes odio habebunt & insidiis petent, malisque ac morte multabunt vbi poterunt. Cæterùm non ita cauere iubentur, vt metu perculsi domi se contineant, & ab officio prædicandi Euangelij supersedeant: sed aliud hic notatur cautionis genus. Nam vt ne subitis malis vltra modum turbentur, eminùs prospicere eos iubet quid futurum sit, & ad subeundos conflictus maturè animos componere, quos præuisos atque exspectatos, fortiùs æquanimiusque ferant, vbi in illos inciderint; declinent autem, quando, salua muneris functione, possint. TRADENT ENIM. Exponit rationes ob quas cauendum sit: nec dicit conabuntur, sed facient, vt scirent certò hæc euentura, non tamen in prima hac missione. Digreditur enim hîc Saluator, aut certè Euangelista diuersos connectens Saluatoris sermones, à præsenti missione ad futuram illam generalem. Obseruauimus enim Apostolos ante Christi mortem, nulla difficultate periculorum, sed neque indigentia vlla fuisse affectos, nulla persecutione vexatos. omnis enim Pharisæorum & Scribarum inuidia aduersus Iesum ipsum expediebatur. TRADENT, id est, sistent, præsentes captiuosq; vos exhibebunt CONCILIIS, examinandos nimirum & condemnandos tamquam maleficos. ita factum est Petro & Iohanni Act. 4. v. 5. 7.; Apostolis omnibus Act. 5. v. 17.; Stephano Act. 6. v. 12.; Christo ipsi Luc. 22. v. 66. quibus etiam locis ferè est vox συνέδριον. IN CONCILIIS. εἰς συνέδρια in concilia, in consessus. significantur consessus senatorum, iudicum, ac primorum populi. Lupos licet magis & bestias quàm homines referent, nolent tamen videri nisi legitimè, & iuris ac pietatis prætextu, innocentes vexare. IN SYNAGOGIS. Notant quidam, Iudæos in synagogis suis, vbi lex legebatur, solitos fuisse flagellare eos qui peccassent in legem: tales autem habuerunt Apostolos. FLAGELLABVNT VOS. Ita actum est cum Apostolis Act. 5. v. 40; cum Paulo 2. Cor. 11. v. 24.

Mar. 13. v. 9. Luc. 21. v. 12. 13.

18 & ad præsides & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus.

καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν.

ET AD. καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ. sed & ad. PRÆSIDES prouinciarum. ita Pilatus Iudææ ἡγεμὼν præses erat (infrà 27. v. 2.) & post eum Felix & Portius Festus, ad quos Paulus ductus fuit. Act. 23. 24. 25. ET AD REGES. Sic Petrus & Paulus ad Neronem & Agrippam. Act. 12. 25. 26. DVCEMINI. causam dicturi de capite. nam mortis sententiam ferre, Regum erat & Præsidum à Romanis constitutorum. hæc dici potissimùm videntur de persecutionibus institutis aduersus Apostolos à Iudæis, ferè tamen per vniuersum orbem dispersis: obseruareque licet gradationem malorum recensitorum. PROPTER ME. mea causa: non propter mala merita vestra, sed propter Euangelium quod me auctore prædicabitis. IN TESTIMONIVM. ita vt sit aut fiat testimonium. dum enim illi moliuntur vobis parare perniciem & Euangelium excludere, testimonia publica parabunt aduersum se, magnis auctoribus, regibus, synagogis, conciliis, per quæ patefiat, iusto Dei iudicio, illos tum modò, tum in extremo iudicij die puniri, exstirpari, & reiici à regno Dei, qui præcones Euangelij regni sic fuerint persecuti. ILLIS hominibus qui vos tradent; Iudæis. hoc est, aduersus ipsos. ET GENTIBVS. & aduersus gentes, apud quas hæc fient, ac proinde celebria erunt, quę etiam cooperabuntur. Significat, non solùm in Iudęa, sed & in locis remotioribus, ipsis pugnandū.

Mar. 13. v. 11. Luc. 12. v. 11. 21. v. 14. 15.

19 Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.

ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς, μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε· δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσετε.

CVM AVTEM. Alij *sed cùm*, vt sit δὲ pro ἀλλά. Quia raræ virtutis erat, pauperculos homines, quum in conspe-

conſpectum principum veniſſent, præſenti ſtare animo, nec vllo mundi fulgore turbari, promittit ipſis auxilium: & vetans reſpicere quid ipſi valeant, iubet ab vna cœleſtis gratiæ fiducia pendere: vt ne, ſuis perquàm exiguis viribus, eorum quæ agenda ſuſciperent ſucceſſum, metientes, deficerent. TRADENT. παραδῶσιν tradiderint, produxerint vos reos coram regibus, præſidibus, conciliis. NOLITE COGITARE. μὴ μεριμνήσητε. ne ſoliciti ſitis. Non quæuis cogitatio meditatióve prohibetur, ſed quæ cum immodica anxiaque ſolicitudine coniuncta ſit, qua toti in hoc ſint vt præmeditentur quî acturi ſint cauſam ſuam, nihilq; Deo commendent, tamquam id ſoli ipſi curare debeant; cumque metuant vt poſſint, angantur, & in diuerſa animo rapiantur, deficiant denique. vide ſuprà 7. v. 25. & 27. QVOMODO AVT QVID. Nam de vtroque ſolent eſſe ſoliciti qui cauſam acturi ſunt apud principes, & quid in ſui defenſionem allaturi ſint, & quomodo: & ob vtrumque ſolent periclitari, ſi neſciant, vel quid dicendum, vel qua ratione ac forma. LOQVAMINI. qui aduerſariis reſpondeatis, & Euangelium à vobis prædicatum propugnetis, infirmi ac inermes apud potentes, idiotæ apud eruditos. DABITVR ENIM à Deo Patre & à me: nam ſibi quidem hoc tribuit Luc. 21. v. 15., Patri autem mox ſequenti verſu. Citra ſolicitudinem veſtram vobis ſuppeditabitur apta oratio: hanc anxiè meditari, non eſt eius qui totus pendere debet ab auxilio diuino. Securos eos vult reddere, ſed non negligentes. VOBIS. rogantibus tamen. nam precibus flagitandus eſt Spiritus. IN ILLA HORA. in illo momento, vertunt alij, eo tempore. nam ſi non aliàs, multò minùs eo tempore anguſtiæ, in quod mea & Euangelij cauſa adducti fueritis, deſeremini. Ne præſenti ſuo defectu terreantur, auxilium in ipſo momento ſuperuenturum denunciat. Sæpè enim Dominus facundiæ dono fideles deſtituit quamdiu teſtimonium ab ipſis non poſtulat: vbi autem ad ipſam neceſſitatem ventum eſt, pluſquam facundos reddit, qui priùs elingues viſi fuerant. QVID LOQVAMINI & quo modo. ſuggeretur vobis id quod dicere oportebit. Victoriam promittit, non qua vita ipſorum in tuto ſit, ſed qua inuicta ſtet atque triumphet gloria Euangelij, quo nihil charius ſit oportet ſinceris Euangelij prædicatoribus.

οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν.	20 Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.	Mar. 13. v. 11. Luc. 21. v. 12.

NON ENIM VOS ex vobiſipſis. Non agitur hîc de facultate veſtra: vos enim ex vobis huic difficultati impares ſitis. ESTIS QVI LOQVIMINI. præſentia pro futuris. eritis qui loquemini, qui Euangelij veſtramque cauſam defendetis. SED per vos; vel *non* tam vos quàm SPIRITVS PATRIS VESTRI cuius negotium agitur. Vt non eſt veſtrum nec humanum negotium quod geritis, ſed diuinum, cuius vos, non auctores eſtis, ſed miniſtri: ita miniſterij virtus, non vobis à vobis, ſed à Deo auctore, exſpectanda erit. QVI LOQVITVR. eſt is qui loquetur. IN VOBIS. per vos. ille aduocatus veſter erit, ille vobis verba dictabit, & formabit ac diriget linguas veſtras ad confeſſionem defenſionemque fidei aptam, ſapientiam, eloquentiam, & conſtantiam, qualis neceſſaria erit, ſuggerens vobis exemplum Act. 4. v. 13. Oſtendit ipſorum eſſe pati & perſeuerare in tentationibus, adiuuante Deo: agere verò & vincere in diſputationibus, Dei eſſe per ipſos loquentis. Solent dona, tametſi ſanctiſſimæ Trinitati communia, Spiritui ſancto tribui, quippe qui in diuinis charitas & donum ſit. 1. Ioh. 4. v. 8. Ioh. 4. v. 10. vide ſuprà 4. v. 1.

παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον· καὶ ἐπαναστήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς, καὶ θανατώσουσιν αὐτούς·	21 Tradet autem frater fratrem in mortẽ, & pater filium: & inſurgẽt filij in parentes, & morte eos afficient:	Mar. 13. v. 12. Luc. 21. v. 16.

TRADET AVTEM. Magis explicat pericula, Apoſtolos cæteroſque Euangelij propagatores, quin & alios fideles, manentia. quò probè & præmoneat & præmuniat. Denunciat itaque, quæ aliis eſſe ſolent præſidio, vel aliquid leuationis adferre, diſcipulis ceſſura in maioris miſeriæ acceſſionem. Cùm enim nullus inter eos ſit fidus affectus, quorum diuerſa eſt fides: fore aliquando, vt Chriſtianam fidem parentes recipiant, liberi non recipiant, aliquando è contrà, liberi non parentes; aliàs vnus fratrum, non alius; vnus domeſticorum, non alius. Sæpe itaque huiuſmodi inter ſe mutuo digladiaturos, nec ſecuros fore fideles in domo propria. FRATER. germanæ charitatis oblitus. FRATREM. eo quòd me prædicet, vel in me credat. ET PATER. oblitus naturalis pietatis. FILII. τέκνα liberi. omni abiecta reuerentia. ET MORTE EOS AFFICIENT à quibus vitam acceperunt. Verti etiam poſſit, Morte affici eos curabunt, vt verbum θανατοῦν accipiatur tamquam ſit quintæ coniugationis hebræorum, quam vocant *hiphil*. Sic enim reſpondeat iſtud ei quod præcedit: *Tradet frater fratrem in mortem*. Vult dicere Saluator: diriſſimas perſecutiones patiemini, etiam ab iis quibus naturali communis ſanguinis fœdere coniuncti eſtis, propinquiſſimis quoque. Nam hoc quia prodigium eſt naturæ aduerſum, & turbare proinde vehementer ſimplices animos potuiſſet, prædicere Chriſtus voluit. Cæterùm non iſtud miratur qui conſiderat, Satanam cum omni regno ſuo, irreconciliabile bellum gerere aduerſus Chriſtum & regnum ipſius: à quo, cùm captiui teneantur impij ad ipſius voluntatem (2. Tim 2. v. 26.) in manu illi eſt, fratres in fratres, liberos in parentes, & rurſus parentes in liberos, ac denique quoſlibet in quoſlibet concitare. Falluntur tamen qui hoc ſolis fidelibus contingere putant, vt à fratribus ſuis in mortem tradantur. Fieri enim poteſt vt ſancto zelo frater fratrem aut pater filium perſequatur, ſi apoſtatam à ſacra religione eſſe videat: immò Dominus hac in parte iubet, nos, ſanguinis & carnis oblitos, ad vindicandam nominis ſui gloriam omne ſtudium conferre. Deut. 13. v. 6.

καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ	22 & eritis odio omnibus propter nomen	Infrà 24. v. 10. 11. Mar. 13. v. 13. Luc. 21. v. 17. 19.

nomen meum. qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. τὸ ὄνομά μου· ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.

Et eritis. tametsi nemini noceatis, sed prædicetis atque offeratis salutem omnibus. Odio. μισούμενοι inuisi, exosi. Omnibvs. plerisque omnibus, nam malorum est maior pars: vel certè, omnis generis hominibus, viris & fæminis, consanguineis & extraneis, notis & ignotis, diuitibus & pauperibus, sapientibus & insipientibus, Iudæis & Gentilibus. Propter nomen mevm. nullam ob culpam vestram, propter me in quem creditis, quem prædicatis & colitis, propter fidem in me meique prædicationem & confessionem. *Nomen* hoc loco & similibus, professionis studij & cultus symbolum est: nam quem colimus aut profitemur, frequenter nominamus atque in ore habemus. Notandum, Christianorum esse ita viuere, vt solus Christus causa sit odij ac persecutionis quam sustinent: atque hoc est quod mirè eos solari & potest & debet. Qvi avtem. Præceptum est simul & consolatio in aduersis omnibus: docet enim & quid faciendum & quid sperandum. perseuerantiam præcipit, salutem promittit. Vos, inquit, aduersus mala ista nulla alia re quàm constanti tolerantia vosipsos armate, numquam cedentes, numquam succumbentes malis, vsque ad huius mortalis vitæ finem. sic enim, & vitam hanc & labores absoluentes, salutis æternæ compotes, ab omni deinceps periculo semoti, triumphabitis. Perseveraverit. ὑπομείνας. Alij vertunt *sustinuerit*, quomodo vertit & Interpres Mar. 13. v. 13. Hîc & infrà 24. v. 13. vertit *perseuerauerit*: nam ὑπομένειν sustinere est & perseuerare in re quapiam non sine molestia, cum exspectatione tamen meliorum. id quod satis intelligendum dat locus Rom. 5. v. 3. 4. *Perseuerauerit* igitur, id est, patienter ac constanter tolerauerit persecutiones & aduersa quæcumque obuenerint propter me, nec iis aliquando cesserit. Vsqve in finem. Vsque ad vitæ finem, vsque ad præfixum vobis vitæ huius mortalis terminum, quo nihilominus aliàs morituri: quando & persecutiones finem accipient. Non enim inchoantibus, sed perficientibus præmium tribuitur: nec cœpisse, sed perfecisse, virtutis est. Non igitur, quia quædam aliquando superauerimus, securos esse oportet: sed ad finem vsque vitæ solicitè est & colenda & seruanda patientia. sola enim in benè cœptis perseuerantia coronatur. Hic omnis & solus. Salvvs erit. saluabitur, salutem consequetur æternam, reportabit finem fidei suæ salutem animæ suæ, vt loquitur Petrus 1. epist. 1. v. 9. coronabitur vt strennuus miles qui legitimè certauerit, quod ait Paulus 2. Tim. 2. v. 5. *Saluus erit*, licet in mortem traditus & morte affectus: non enim potest perire, qui Christi causa moritur. Salus huius vitæ, quæ est à quibusdam huius vitæ malis immunitas quędam, nec integra nec vera est: à morte demum exspectanda est quæ & integra & vera sit, quæ est animi ac corporis perfecta felicitas & beatitudo absoluta. porrò ea, patiendo & durando, non repugnando; constanter ferendo mala, non referendo, multoque minùs inferendo, obtinetur. Forti proinde & infracto animo, vsque ad extremum vitæ halitum, mala omnia ob Christi nomen obuenientia, perferenda, discipulos suos Christus docet.

Cùm autem persequentur vos in [23] ciuitate ista, fugite in aliam: amen dico vobis, nō consummabitis ciuitates Israel, donec veniat Filius hominis. ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραήλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

Cvm avtem. Præuenit Saluator id quod Apostoli excipere poterant: Si exosi omnibus, mox affligendi, capiendi, & neci dandi sumus, quo modo Euangelium à nobis prædicabitur, id quod mandas? Prædicit non mox vt prædicare inceperint id futurum, vt in carceres coniiciantur ac neci dentur, solaturque eos fugam concedens, & suam promittens inter aduersa præsentiam. Perseqventvr vos homines, Iudæi (de quibus ferè persecutoribus hoc capite sermo est) id est, cùm persecutionem patiemini, ita scilicet vt Euangelij prædicatio impediatur nulloque modo admittatur. Non enim permittit vt ob leues persecutiones & Euangelij annunciationem non excludentes, aliò fugiant. Fvgite. tum vt pericula declinetis, quæ non sunt sponte accersenda. tum vt tentetis num alibi vestra opera proficere feliciùs queat. In aliam, non otiosè latendi in ea, sed Euangelij simul prædicandi gratia, vt Euangelium, si in vna ciuitate non admittatur, in alia spargatis. Nec enim illis permittitur in latebras fugere vbi otiosi iaceant: sed quamuis infeliciter successerit vno in loco labor, Dominus ad pergendum hortatur, & indefesso studio totum cursum conficere. Interim permittit fugam periculorum, sed iunctam cum Euangelij propagatione, quod erat proprium Apostolorum officium. Licita enim est in persecutionibus fuga, quando eam permittit incumbens nobis officium, nec prohibet charitas, nec cōstat denique venisse horam nostram, horam inquam mortis à Deo nobis præfixam. Legantur Athanasius in Apologia pro fuga sua, & D. Augustinus epistola 180.

Amen dico vobis. affirmo id vobis. Non consvmmabitis. οὐ μὴ τελέσητε, ad verbum, non finieritis, non absolueritis, non obieritis, id est, non circuieritis & peregeritis, siue peragraueritis Civitates Israel omnes. Adhuc enim de ministerio inter Israelitas exercendo sermonem producit Christus: quod ministerium, vsque ad publicam reiectionem Iudæorum, quæ facta est post aduentum Spiritus sancti (Act. 13. v. 46.) frequentatum est. Donec veniat. ἕως ἂν ἔλθῃ pro πρὶν ἢ ἔλθῃ priusquam venerit. Ne timeatis, inquit, vt futuræ tandem sint ciuitates ad quas liceat fugere, quòd nullæ restent ad quas non fugeritis: ego, priusquam omnes obieritis, veniam ad vos, proferam me, & adero vobis periclitantibus, Euangelij profectui simul ac vobis prospiciens. q. d. Non destituemini, inter pericula, præsentia mea, Euangelij profectui simul ac vobis prospicientis, vosque solantis & adiuuantis. iuxta illud Ioh. 14. v. 18: *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.* & rursus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28. v. 20. Filivs hominis. vide suprà 8. v. 20.

οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, [24] οὐδὲ δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ.

Non est discipulus super magistrũ, nec seruus super dominũ suum.

Luc. 6. v.40. Ioh. 13. 16. 15. 20.

Non est discipulus. Solatur eos & ad tolerantiam hortatur etiam alia ratione, nempe exemplo suo, communem proferens, vt sæpè solet, sententiam, quæque omnibus nota & apud omnes in confesso est. Super magistrum. potior præceptore suo. Super dominum. potior aut melior domino suo.

ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. εἰ τὸν οἰκοδεσπότην Βεελζεβοὺλ ἀπεκάλεσαν, πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ; [25]

Sufficit discipulo vt sit sicut magister eius; & seruo sicut dñs eius. Si patremfamilias, Beelzebub vocauerunt; quanto magis domesticos eius?

Ioh. 15. v.20.

Vt sit. vt tractetur, vt habeatur. Et servo. f. sufficit vt sit sicut dominus ipsius. Græcè est primo casu καὶ ὁ δοῦλος, quod est, & vt seruus sit sicut dominus eius f. sufficit. Discipulus honorificum sibi ducit magistro æquari: plus quidem honoris appetere non audet. deinde quæ patienter à dominis fertur conditio, eam subire serui recusare non possunt. Subsumtionem iam & illationem relinquit Apostolis, quas aliquando pòst expressit, passione instante, vbi cognitione ipsius perfectiùs imbuti essent, ac proinde apertiùs de se posset loqui. Ioh. 13. v. 13 & 14. Eæ autem sic se habent: Quum igitur vtroque iure ego super vos emineam, filius Dei, cui & summum imperium traditum est à patre, & magistri partes iniunctæ sunt: non debetis refugere quod ipse suscipere non grauor, calumnias, afflictiones, persecutiones, mortem denique, Euangelij causa. Certè huiusmodi est hæc consolatio, quæ omnem mœrorem absorbeat, dum reputamus communem nobis sortem esse cum filio Dei: sed hæc, meditatione potiùs quàm explicatione indigent, quia satis per se clara sunt. Si patremfamilias. εἰ τὸν οἰκοδεσπότην si ipsum patrem familias, me scilicet. vocat se patremfamilias: erat enim ipsi familia duodecim discipulis constans, cuius ipse caput, pater & dominus erat. Est etiam pater familias, vt suprà 9. v. 38. Dominus messis, tamquam Dominus Ecclesiæ, quòd penes ipsum summa gubernatio sit ac potestas (vide inf. 13. v. 27. & 37.) id quod & Apostolus ad Hebræos docet, cùm Mosen dicit fidelem fuisse tamquam famulum in tota domo Domini, Christum autem tamquam filium in domo sua: *qua domus, ait, sumus nos, si fiduciam & gratiam spei vsque ad finem firmam retineamus.* Heb. 3. v. 5. & 6. Domum autem familiam; familiam Ecclesiam intelligit. Beelzebub. ita legendum est Hebræo & Syro suffragantibus, non vt græcè in plerisque codicibus legitur Βεελζεβοὺλ *Beelzebul.* Est autem nomen compositum ex *Beel* siue *Baal* (vtrouis enim modo vt legas, sinunt hebraicæ literæ בעל) quod dominum, & *zebub*, quod muscam significat. *Baal*, Dominum vocabant gentes Iudæis vicinæ singulæ deum siue idolum suum: aliquando autem, ad distinctionem diuersorum, addebant nomen alterum, vt *Baal* siue *Beel phegor*, quod erat idolum Moabitarum Num. 25. v. 3. Ita ergo & *Baal* siue *Beel-zebub*, quod idolum erat Accaronitarum (4. Reg. 1. v. 2.) sic dictum, Dominus muscæ siue muscarum, siue quòd, propter victimarum copiam, muscarum examinibus ipsius templum scateret: siue quòd incolæ opem ab illo postulare soliti fuerint aduersus muscas quæ loco infestæ essent. Quare non fuit ex sua origine nomen probrosum: sed Iudæi sancti, in odium ac detestationem idoli, nomen illius ad dæmonem eumq; primarium significandum transtulere (videtur enim *Beelzebub* apud Philistæos inter primos deos fuisse in honore) quemadmodum aliàs nomen gehennæ, quò locus abominandus infamia notaretur, ad inferos denotandos. vide suprà 5. v. 23. Iudæi itaque reprobi, Christi ætate, vt Christum detestabilem redderent populo, eum quàm probrosissimè potuerunt vocarunt *Beelzebub*, id est, principem dæmoniorum, tamquam maximum Dei & religionis hostem. Nam quia non erat aliud conuitium probrosius, idcirco illud in exemplum Christus attulit. Vel certè, *Beelzebub* dicuntur Christum vocitasse, quòd dicerent Beelzebub opera ipsum vti ad pellendos dæmones, quippe socium & amicum Beelzebub, principis dæmoniorum. infrà 12. v. 24. Qvanto magis. Argumentum est à minori ad maius. Domesticos eivs. id est, vos, hoc aut similibus conuitiis taxabunt? Nota quòd in applicatione prouerbij maluerit Christus ponere patrem familias & domesticos, quàm dominum & seruos, vt declararet quàm humano suos prosequeretur affectu; planè eo quo alibi (Ioh. 15. v. 15.) dicit: *Iam non dico vos seruos, sed amicos.* Quare fieri non potest vt fidelium curam abiiciat, cùm sint domestici & familiares ipsius, sub cuius fideli custodia, haud dubiè tutò & securè degunt. Nihil igitur magis absurdum est, quàm velle in ordine domesticorum Dei conseri, & interim Deo obstrepere quum nos ad imaginem filij sui conformat, quem toti familiæ domuique suæ præfecit. Quales enim sunt istæ deliciæ, si locum volumus occupare in domo eius, & supra patremfamilias ipsum excellere? Summa autem est, nos esse nimis molles & lautos, si nobis durum est contumelias perferre, quibus se vltrò subiecit princeps noster.

μὴ οὖν φοβηθῆτε αὐτούς. οὐδὲν γάρ ἐστι [26] κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· καὶ κρυπτὸν, ὃ οὐ γνωσθήσεται.

Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non reuelabitur; & occultum, quod nõ scietur.

Mar. 4. v. 22. Luc. 8. v.17. 12. v.2.

Ne ergo. Quia communis erit vobis sors mecum, domino, magistro; ac patrefamilias vestro. Timveritis eos. ita scilicet vt propter eorum conuitia, calumnias, persecutiones, à libera ac strenua Euangelij prædicatione desistatis. Nihil enim est opertum, qvod non revelabitvr. οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται. Nihil enim est tectum, quod non sit retegendum: nihil coopertum, quod non sit discooperiendum. ita exprimatur græcarum inter se vocum affinitas. *Quod non reuelabitur.* quod non sit reuelandum suo tempore. Qvod non scietvr. quod non sit venturum in notitiam. Sententia prouerbialis, significans nihil esse tam occultum quod tandem non pateat: quæ, duobus modis, superioribus accom-

accommodatur. Vno modo, vt eam adferat Saluator ad nouam consolationem Apostolorum, impiorum iniuriis patentium. Quia enim ferè, felix scelus, iustitia virtusque habetur, innocentia autem afflicta damnatur malitiæ, prædicit, licet Euangelij causa afflictiones varias patiantur, fore aliquando diem, qui occultam, & sinceritatem innocentiamque suam atque ipsorum, & persecutorum peruersam malitiam, in lucem producat atque orbi reuelet: & futurum id quod solet, vt diu pressa laus maiore cum luce erumpat. Dies autem ille partim iam venit, partim extremus venturus est, *quando illuminabit Deus abscondita tenebrarum* &c. 1.Cor.4.v.5. Altero modo superioribus prouerbium illud accommodatur, ita vt attulerit illud Saluator, ne Apostoli prædicandi diuulgandique in futurum Euangelij spem abijcerent, quòd obscurum illud & ignobile adhuc videretur, paucis cognitum & à paucioribus receptum, & prædicat venturum illius promulgandi tempus, latiusque illud spargendum esse, ac quibuslibet hominum obstaculis superius fore, vt tandem palàm emergat. id quod scimus paulo pòst factum esse.

Luc.12. v.3.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. [27] ὃ λέγω ὑμῖν ἐν τῇ σκοτίᾳ, εἴπατε ἐν τῷ φωτί· καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων.

QVOD DICO. Iuxta priorem accommodationem superioris prouerbij, infert Saluator ex eo etiam istud: Ergo etiam id quod dico vobis in tenebris &c. quo redit statim ad Apostolorum officium Euangelij prædicandi, de quo hactenus ipsi est præcipuus sermo. Iuxta vtramque autem accommodationem, hortatur eos vt audacter & strenuè in Euangelij prædicationem incumbant. Quod igitur dico vobis in tenebris &c. Verùm & istud ad vniuersalem Apostolorum missionem ferè spectat: nam ante Christi mortem, tantùm pœnitentiam & aduentum regni prædicare Apostoli iussi fuere. IN TENEBRIS. secretò, quod secreto colloquio vobis committo. IN LVMINE. in luce, palàm & disertè. neque enim ego id vobis idcirco concredidi, vt occulatis. IN AVRE. εἰς τὸ οὖς in aurem, quod priuato congressu excepistis. Translatum videtur ab iis, qui, propiùs admoti, ad aurem insusurrant quæ nolunt ab aliis exaudiri. PRÆDICATE. vide sup.3.v.1. SVPER TECTA id, est, quàm apertissimè latissimeque euulgate. Super tecta enim dicit, tamquam, ex ipsis etiam domorum supremis tectis, populo circumstanti & prætereunti. More illius regionis dictum, in qua ita constructa sunt tecta, vt in illis sint & consessus & stationes, plana videlicet, non acuminata. vide Mar.2.v.4. Quamquam alij malint supra domos vertere; sed eodem sensu, videlicet, ex ipsis supremis ædibus.

Luc.12. v.4.5.

Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. [28] καὶ μὴ φοβεῖσθε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι· φοβήθητε δὲ μᾶλλον τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ.

ET NOLITE TIMERE. καὶ μὴ φοβεῖσθε & ne timeatis. ita scilicet vt iniunctum vobis officium Euangelij prædicandi omittatis, ita vt à fidei confessione aut iustitia præ timore excidatis: cæteroqui enim naturale est illos timere. Ne quis diceret, infamiam cæteraque mala contemni posse, mortem autem omnium terribilium terribilissimum (quod illi dixere) hominis non esse contemnere; optima nunc ratione discipulos suos animat Saluator ad mortis contemtum, quòd temporariæ mortis metum, vbi ea obeunda est pro gloria Dei, pellere oporteat metu mortis æternæ, hominum timorem excludere timore Dei. Notanda est enim antithesis inter duos contrarios timores, quorum vnum alteri remedij loco opponit. EOS QVI OCCIDVNT. ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων ab iis qui occidunt ne timeatis. s. vobis. *Occidunt* autem dicit, non, habent potestatem occidendi: quia nisi Deo permittente, nihil homines possunt (vti mox sequentibus versibus docet) quos constrictos Deus ita tenet, vt eorum sæuitiam & violentos impetus, quoties ita visum est, coërceat. Sed dum ipsis fræna laxat, fit, vt potentiæ suæ fiducia inflati, quiduis audeant, & quiduis se posse existiment. Ioh.19. v.10: *Nescis quia potestatem habeo* &c. *Occidunt* autem rursus dicit, non perdunt: nondum enim perdidit corpus, qui occidit. CORPVS. partem hominis viliorem, innumeris obnoxiam miseriis, quæ etiam illis non occidentibus breuì sponte occidet, & illis etiam inuitis gloriosiùs reparanda est ac rursus animæ vnienda & vitæ restituenda. ANIMAM AVTEM. portionem hominis digniorem, quæ viuit, Dei potestati subiecta, etiam occiso corpore. NON POSSVNT OCCIDERE, quippe immortalem; nec nocere à corpore separatæ. potestas enim eorum non transscendit corpus agens fragilem hanc vitam. Occiditur corpus, dum ab anima separatur; sed non anima, dum separatur à corpore: ex ipsa enim viuit corpus, non ipsa ex corpore.

SED POTIVS. Amore suos agi malit Christus quàm timore: idcirco, *potius*, ait, *timete eum*. Cæterùm non est vitiosus timor, qui modò ab affectu peccandi alienus; nec seruilis, qui modò non solas vereatur pœnas. TIMETE EVM solum, Deum significat, maiore cum vehementia quàm si nominaret.

ET ANIMAM ET CORPVS. id est, totum hominem, vt enim totum hominem, vtramque hominis portionem, condidit: ita totus homo, vtraque hominis portio, illius arbitrio prorsus subiacet. PERDERE irrecuperabiliter. plus est quàm occidere. Corpus occidit Deus: animam non occidit (id enim quàm maximè velint impij) sed viuam perdit: & quia parum est occidisse corpus, occisum resuscitabit animæque reüniet, vt & ipsum viuum pro meritis perdat, atque ita & corpus & animam ambo viua perdat in extremo magni iustiq; iudicij die. Quod quidem antè etiam possit, modò scilicet & quandocumque ei placeat, sed ordinariè non facit. IN GEHENNAM, vel, vt est græcè, *in gehenna* perdere, id est, à se & cælesti suo regno separata æternis addicere & supplicijs & miseriis tartari. s. si iniunctum vobis officium prædicandi Euangelij neglexeritis,

xeritis, aut à fidei in me confessione vel iustitia excideritis. De gehenna vide supra 5. v. 22. Summa horum Christi verborum est: Apud illos qui hominum tyrannorum metu à fidei prædicatione aut confessione excidunt, mortuum esse timorem Dei, plusque illos hominibus deferre quàm Deo, denique illis pluris esse vmbratilem corporis vitam, quàm æternum animæ statum, immo cæleste Dei regnum nihil illis esse præ fugaci & euanida præsentis vitæ vmbra. Sic ergo resolui debent verba: Agnoscite vobis datas esse immortales animas, quæ vnius Dei arbitrio subiectæ, in hominum potestatem non veniunt: quin & corpora vestra aliquando à morte excitanda, vt suis animis iterum coniungantur, & vnà cum eis æterna, Deo iudice, referant aut præmia aut supplicia. ita fiet vt nullis facile terroribus, nullis hominum minis fides vestra succumbat. Ad infractam constantiam hæc doctrina nos instruit: & pauculis verbis maxima fidei religionisque capita ac mysteria comprehendit, animarum immortalitatem, corporum resuscitationem, æterna gaudia atque supplicia.

οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν; 29 Nónne duo passeres asse veneunt: & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Luc. 12. v. 6.

NONNE. Cùm versu superiori tribuisset Saluator hominibus corpus occidere: iam ostendit eos ne id quidem posse, immò nec quiduis aliud nocumenti longè minùs posse inferre, nisi id Deo visum fuerit optimo patri; perperam itaque facere eos qui metuunt hominum sæuitiam, ac si non essent in tutela Dei: hac iterum ratione Apostolos muniens contra mundi persecutionem. Vt autem id quod suadet probet, exemplis vtitur accommodatissimis, talibus tamen quæ & ipsa fide opus habent. Nam Dei prouidentiam generaliter extendit ad omnes creaturas, vt à minori ad maius demonstret eius præsidio nos seruari. DVO PASSERES. δύο στρουθία duo passerculi. est enim diminutiuum à στρουθός. Non proponit Patriarcharum aut Prophetarum exempla, in quibus declaret prouidentiam Dei. Nec quoduis brutum animal adducit; sed minutissimum, notissimum, ac vilissimum nimirum passerculum. Nec solùm passerculum inducit, sed & pretium illius commemorat, quod tam vile est, vt vnus solus vix queat pretio æstimari: atque ideo duos coniungit, qui simul vilissimo pretio prodeunt. ASSE. ἀσσαρίου assario. Vocabulum Romanum retinuit Euangelista, aut certè græcus eius Interpres, quin etiam Syrus. Fuit assarius dimidia pars assis, quem testatur percussum lege Papiria Plinius libri 33. cap. 3. ET VNVS EX ILLIS: & tamen ne vnus quidem illorum, nec vnus aliquis passerculus quorum est tantus numerus. Signanter enim non dicit: *Et illi non cadunt* &c., quò doceat, Deum etiam singulos passerculos sibi commissos habere; ac multo magis nos, non solùm in genere Deo curæ esse, sed & singulos seorsum prouidentia Dei frui. Ita enim habet Deus curam creaturarum omnium, vt etiam singularum; atque singularum, tamquam vnius solius. Nihil igitur dicendum est in rerum natura cæco fortunæ rotatu accidere. NON CADET SVPER TERRAM. non cadet humi. Hebraica periphrasis est, pro Non peribit. Est ea ratione dictum, quòd soleant aues, siue vltrò moriantur, siue sagittis percutiantur, in terram mortuæ seu vulneratæ cadere, quum alioqui sublimia insolant. SINE PATRE VESTRO. non interueniente voluntate & decreto patris vestri. habet autem emphasim quod dicit *Patre vestro.* q. d. Pater vester est, non passerculorum. quomodo igitur posset minorem vobis filiis suis quàm vilissimis passerculis curam impendere? Est & pater passerculorum qui *pater pluuiæ* vocatur (Iob 38. v. 28.) sed non creatione simul & adoptione, vt fidelium.

ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί. 30 Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Luc. 12. v. 7. 21. v. 18.

VESTRI AVTEM. Miram hæc omnia habent emphasin. Nam cùm potuisset subiungere: Quanto magis non occidetur corpus vnius vestrûm sine patre vestro? non hoc facit: sed vt ostendat, non solùm vitam ipsorum quemadmodum passerculorum, sed & minutissima quæque ipsorum, & quæ alioqui superflua habentur, & ab ipsis possessoribus non admodum curantur, in prouidentia Dei patris ipsorum comprehensa esse, dicit, *Vestri autem capilli*, seu, quod alij latini libri cum græcis addunt *& capilli*, &c. Id est: Tanto autem maiorem vestri præ passeribus curam habet, quippe quos ad illustrandam nominis sui gloriam, ex hominibus omnibus paucissimos elegit, vt omnes & capitum vestrorum pilos habeat numeratos. Quæritur, An non etiam passerculorum plumæ, quæ illis pilorum sunt loco, Deo numeratæ sint? & dicendum est quòd sic: nihil enim est quod fugiat scientiam prouidentiamque Dei: sed modus loquendi est quo Saluator vtitur, vt significet singularissimam Deo esse ipsorum curam, etiam ad ipsos vsque capillos, quippe quos omnes resurgentibus restituturus est, qui quidem ad corporis faciunt ornamentum. ET CAPILLI. etiam capilli. NVMERATI SVNT. illorum Deus numerum exactè nouit, & sub numero eos custodit, ne vel vnus pereat, veluti quæ sub numero alicui sunt commendata. nam quæ numerantur, ideo numerantur, ne quid ex ipsis depereat. Singularem igitur & præcipuam Dei erga ipsos & fideles omnes curam ostendit. Quò etiam spectat verbum præteriti temporis quo vtitur: ac si diceret, Iam olim toti estis in ipsam Dei patris prouidentiam assumti; nec solùm vita, corpora, & quæ maiora in vobis sunt: sed pili quoque vestri, vt planè nullius æstimationis sint, tamen apud patrem vestrum numerati sunt. ita nihil in vobis est, cuius nulla sit apud ipsum ratio. Consideranda igitur nobis est Dei prouidentia, ad hoc vt materia nobis fiduciæ suggeratur, & pendere discamus à paterna cura quam pro nobis Deus gerit.

μὴ οὖν φοβηθῆτε, πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς. 31 Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos. Luc. 12. v. 7.

NOLITE ERGO TIMERE. μὴ οὖν φοβηθῆτε ne igitur timeatis. Nunc confidenter concludit non esse ipsis metuendum,

tuendum, sed firmo celsoque animo iniunctum munus obeundum, cùm tantopere sint Deo curæ, & ne tantillum quidem ipsis accidere possit, non interueniente prouidentia ac decreta voluntate Dei, aduersus quam pugnare sit impium, cùm nihil velit nisi quod optimum fore nouerit, & diligentibus ipsum cooperans in bonum. Rom. 8. v. 28. MVLTIS. innumeris. MELIORES ESTIS. διαφέρετε præstatis, cùm multis passerculis digniores ac præstantiores sitis. VOS. Hoc in genere verum est de cunctis hominibus, quorum gratia conditi sunt passerculi: verùm hîc ad filios Dei sermo est, qui alio quàm creationis iure excellunt, ex Deo ipso nati. Ioh. 1. v. 13. Si igitur, inquit, multò pluris estis Patri innumeris passeribus, non est quòd metuatis, ne quid in vos possint homines ante tempus, aut secus quàm illi visum est, qui ingem vestri curam agit. Huic ergo vitæ mortisque vestræ curam relinquentes, nullo metu malorum, quæ possint homines inferre, deterreamini à prædicatione professioneque nominis mei, quamlibet mundo inuisi. Itaque in periculis hæc nobis occurrat secunda consolatio, quum Deus custos sit vitæ nostræ, tutò posse nos recumbere in eius prouidentia: immo fieri illi iniuriam, nisi nosipsos illi permittimus, quorum curam habere dignatur.

Luc. 12. v. 8.

32 Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.

πᾶς οὖν ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

OMNIS ERGO. Amplificat nunc Christus ad præsentem vsum quod de mortis contemtu priùs disseruit: ideo enim luctandum est contra mortis horrorem, ne ab ingenua fidei confessione nos reuocet, quam seuerè exigit Deus. Ergo in hunc finem Christi discipulos fortes & magnanimos esse conuenit, vt semper ad confessionem & ad martyrium sint accincti. Porrò vt ad id magis animet, præmium exprimit, quod prouidentia Dei illis decreuit, quos in corporis discrimen venire permiserit propter Christum prædicatum seu confessum, si constanter se gesserint; pœnam quoque, quæ illos maneat qui defecerint. QVI CONFITEBITVR ME. ἐν ἐμοὶ in me, ita est græcè & syriacè. Interpres latinè rectè omisit *in*: sensus est enim: Confitebitur me. Similis est locus Psal. 43. v. 9. prout in Notationibus nostris obseruauimus. *Confitebitur* autem *me*, id est libera confessione agnoscet, ingenuè, disertè, & constanter fatebitur me Christum esse filium Dei, Dominum esse suum & Saluatorem quem colat, & se adhærere mihi ac doctrinæ meæ. Non satis est Christo Domino, corde in ipsum credi: sed vult vt palàm se proferat fides, & confessio nominis sui falsis religionibus opponatur. id quod in præcipuo cultu habet & singulari pietatis exercitio. Porrò hinc, *Confessores* Ecclesia vocauit eos, qui fidei suæ professionem apud persequutores ediderant; & *confessiones*, quas ediderant Christiani suæ fidei professiones. Cæterùm distinguunt veterum quidam inter confiteri & profiteri, quòd confiteri fidem sit, interrogatum aut pressum, fidem agnoscere; profiteri autem, sit vltro fidem publicare aut prædicare: atque hoc quidem non cuivis nec semper necessarium esse docent; illud autem & cuivis & semper esse. Certam tamen legem præfigere, vt definias, vbi, quando, quoties, quomodo, & quatenus, confitenda sit fides, difficile est: sed spectanda est occasio, ne quisquam officio suo in tempore desit. Petendus etiam à Domino est prudentiæ & fortitudinis spiritus, quo directore sciamus quid facto opus sit, & fortiter exsequamur quod certum erit nobis mandari. CORAM HOMINIBVS hostibus nominis mei, doctrinæ meæ. Ne putes operam te perdere, quia minùs idonei sunt auditores. CONFITEBOR ET EGO EVM ἐν αὐτῷ in illo, pro illum, vt suprà. & ego vicissim illum agnoscam pro meo, in die iudicij scilicet: id quod satis intelligitur ex similibus locis Marci & Lucæ. Additur ergo promissio, quæ zelum nostrum hac in parte accendat, quum res sit odiosa & hominum persequutionibus obnoxia, Christi confessio. CORAM PATRE MEO QVI IN CÆLIS EST. ac proinde etiam pater illum recipiet in suum, ac cælis & quæ in eis est felicitate æterna donabit. Notandæ sunt antitheses multam habentes emphasim ad persuadendum. Nam si nos ipsos conferimus cum filio Dei, & mortales ac nihili homines cum ipso Deo, quanto excellentius est quod promittit Christus quàm quod requirit?

Mar. 8. v. 38. Luc. 9. v. 26. 12. v. 9.

33 Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.

ὅστις δ' ἂν ἀρνήσηταί με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ ἔμπροσθεν τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

QVI AVTEM. Si quem non satis afficit promissio, subiungitur seuera comminatio. NEGAVERIT ME Dominum esse suum & Saluatorem, negauerit se credere in me, aut mihi & doctrinæ meæ adhærere: etiamsi fortè corde in me credat. Negauerit autem, siue metu, siue cupiditate, rerum humanarum. NEGABO ET EGO EVM. negabo & ego me nosse eum, me habere eum pro meo, in die iudicij sic enim alibi dicit: *Numquam noui vos. discedite à me* &c. suprà 7. v. 23. infrà 25. v. 12. CORAM PATRE MEO QVI IN CÆLIS EST. futurum proinde vt & cælorum regno excludatur & æternùm pereat. Non enim alios Deus vltimo die inter suos agnoscet, quàm qui à Christo Dei & hominum mediatore ipsi offerentur. Atqui negatoribus perfidis se Christus contrarium fore testem pronunciat, vt ne arbitrentur falsò se posse se insinuare. Quid enim æquius quàm eum seruum à domino suo tempore gloriæ negari ac reiici, qui herum suum tempore belli negauerit? Obseruandæ rursum antitheses, & pensitandum quanti sit temporaria salus tali redemta exitio.

Luc. 12. v. 51.

34 Nolite arbitrari quia pacem ve-

μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην

νην ἐπὶ τὴν γῆν. οὐκ ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην, ἀλλὰ μάχαιραν.

nerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium.

NOLITE ARBITRARI. μὴ νομίσητε ne arbitremini. Confeſſionem quam à diſcipulis ſuis Chriſtus poſtulat, nullo negotio pro ſe quiſque præſtaret, ſi totus mundus vno conſenſu ſubſcriberet in Euangelij doctrinam. Sed quia bona pars non modò aduerſa eſt, ſed acriter etiam repugnat, non poſſumus ſine certamine ac multorum odio Chriſtum confiteri. Admonet igitur ſuos Chriſtus, vt ſe ad prælium comparent, quia pro teſtimonio veritatis neceſſariò bellandum ſit. Atque ita duplici offendiculo hîc occurrit: quod alioqui non parùm turbaſſet infirmas mentes. Nam pugnas & contentiones in mundo accendi, vbi Euangelium prædicatur, non videtur congruere cum prophetarum vaticiniis, multò autem minùs cum officio Chriſti ac Euangelij natura. Prophetæ enim pacem vbique tranquillumque rerum ſtatum ſub Chriſti regno promittunt (Iſa.2.v.3.4. 9.v.6.7. 11.v.6.7.8.9. Mich.4.v.1.2.3.4.)& Chriſtus pax noſtra dicitur(Epheſ.2.v.14.)quo etiam nato cecinerunt Angeli terræ pacem (Luc.2.v.14.) Euangelium adhæc nos Deo reconciliat, cuius etiā prædicatores, vt primùm domum cuiuſque ingrederentur, iuſſit precari Chriſtus: *Pax huic domui*(Lu.10. v.5.) Verùm pax iſta Chriſti atque Euangelij, quæ & ea eſt quam prophetæ celebrant, diſſenſio eſt ab incredulis, quippe cum fide coniuncta, & in piis potiſſimùm conſcientiis viget, eſtq; fidelium inter ſe & maximè cum Deo ac ſanctis Angelis, quæ in hoc ſeculo incipit, & in altero perficienda eſt. Quæ vbi reprobis offertur, maiorem in illis tumultum excitat, dum Satanas qui in illis regnum occupat, inſanit ad Euangelij doctrinam, & illorum impietas, quæ priùs ſopita iacebat, ad repugnandum acuitur, ita vt Chriſtus, qui propriè pacis eſt auctor, per Satanæ & hominum malitiam turbarum fiat occaſio. Hortatur igitur Chriſtus diſcipulos ſuos ad conſtantiam, vt ne turbentur, ſi, exoriente Chriſti regno, ſurgant tumultus; & dum Euangelium annunciabunt, ſua voce quaſi tuba militari, innumeros hoſtes ad arma concitent. QVIA. quòd.

PACEM MITTERE. vt pacem mittam. Nolo quiſquam meorum me ad hoc veniſſe putet vt mundo pacem adferam, qua homines omnes inter ſe concordes agant, pulchreque inter eos conueniat, animis, morbis, vitiiſque, ſiue iiſdem ſiue diuerſis laborantes. eam enim vocant homines pacem, externam & politicam. Non eſt illis curæ ſi veritatis iuſtitiæque habeatur ratio, modò benè inter homines conueniat. Veram Chriſti pacem, quæ potiſſimùm animi eſt & hominis cum Deo, non nouerunt. Ioh.14.v.27. MITTERE. vt mittam. Præſciuit Saluator non omnes (licet id ipſe optaret, omnes autem etiam deberent) Euangelio obtemperaturos, immo multos Euangelium oppugnaturos, ac proinde tumultus varios ac diſſidia excitanda. Quando igitur eo non obſtante quòd iſtud præſciret, in terram venit vt Euangelium diuulgaret, &, reliquis in incredulitate pertinacibus remanentibus, quoſdam ad illud adduceret, non venit, nec veniſſe potuit, vt pacem ferret, ſed bellum, ſed diſſenſionem. Sequitur ex præſuppoſito, præſuppoſita ſcilicet hominum malitia: eſtque neceſſitas, vt loquuntur Dialectici, conſequentiæ, non conſequentis. Chriſtus ſanè Princeps pacis eſt, & regnum ipſius regnum eſt pacis, ſed pacis quæ & ipſa à Satanæ mundique malitia Chriſto inimica diſſentit, & cui illa Satanæ mundique malitia aduerſatur. SED GLADIVM. id eſt, bellum, diſſenſionem (quòd gladius ſit præcipuum bellantium inſtrumentum) dum veni ſcilicet vt Euangelium promulgem & promulgari faciam, cui quidam, ſed non omnes, vti tamen deberent, ſunt acquieturi, immo multi reſtituri. Hæc igitur eſt Euangelij conditio, vt diſſidia inter homines excitet, ſed non ex ſua natura; quæ per ſe res eſt pacifica; verùm aliorum vitio, eorum qui ſe illi cum cæteris, nolunt, vti deberent, ſubiicere, eò quòd ea ſit illius doctrina quam diabolus in illis regnans oderit, & quæ illorum ingenio ac moribus aduerſetur. Hinc ergo diſcamus, quanta ſit corruptæ naturæ prauitas, quæ tam incomparabile donum non modò contaminat, ſed in peſſimam noxam conuertit. Belli igitur ſiue diſſenſionis totius inter fideles & infideles, prima cauſa ipſi infideles ſunt, qui colla nolunt iugo fidei ſubdere, vti tenentur: ſed illorum poſita atque exiſtente pertinaci diſſenſione, ex parte fidelium etiam Chriſtus diſſenſionis eſt cauſa (ſancta enim eſt diſſenſio ab iniquitate) ex parte verò infidelium, non eſt Chriſtus cauſa, cùm impia ſit diſſenſio à veritate Dei, & ea cum maleuolentia innocentiumque perſecutione ferè coniuncta. Non itaque illius Chriſtus cauſa eſt, ſed occaſio: talis autem occaſio, quæ propter bellum ab illis excitandum prætermitti non debuit. nec enim debuit, propter obſtinationem reproborum, negligi procuratio ſalutis electorum.

ἦλθον γὰρ διχάσαι ἄνθρωπον κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ θυγατέρα κατὰ τῆς μητρὸς αὐτῆς, καὶ νύμφην κατὰ τῆς πενθερᾶς αὐτῆς.

Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam.

Luc.12. v.53. Mich.7. v.5.6.

SEPARARE. διχάσαι vt diſſidere faciam. ita exprimas græci vocabuli vim, quæ in duo diducere ſignificat ea quæ priùs coniuncta erant. HOMINEM. idiotiſmo hebraico ponitur indefinitè pro vnum quempiam. Vt exprimat Chriſtus non fore vulgare diſſidium, ſed bellum etiam inteſtinum ac domeſticum, non modò ciuile, ponit coniunctiſſimos naturæ gradus, quos in diſſenſionem Euangelium adducturum ſit, quod eiuſmodi eſt, vt ſeparet hominem ab omni re quæ cum ipſius doctrina pugnat, quantumuis aliàs chariſſima res illa fuerit. Tam ardens enim ſui ſtudium requirit, vt oporteat omnes humanos affectus, quantumuis impotentes, illi cedere: atque ita fit, vt & hi qui mundum deamant, citiùs ſæuiant in ſibi chariſſimos, quàm infidelitatem vitiaque quibus aſſueuerunt relinquant: & quos ſemel attigit ardor Euangelicæ charitatis, nullis affectibus auelli ſe patiantur ab eo quod cœperunt amplecti. Parentum autem, liberorum, & domeſticorum appellatione, intelligit Saluator coniunctiſſimos quoſque, qui vt plus nocere poſſunt, ita plus faceſſere negotij fidelibus, vt eos à fide abſtrahant, & quantò ſunt inter ſe coniunctiores, tantò diſſenſiones maiores & acerbiores. Porrò ſiue filium hîc intelligas fidelem & patrem infidelem, ſiue econtrà, infidelem filium,

filium, & patrem fidelem, atque ita in consequentibus, idem vnum est, immo, nunc hoc nunc illud, fore vt accidat, intelligas oportet. Æquale enim est ex vtrauis parte dissidium: quare apud Lucam: *Tres*, inquit, *in duo, & duo in tres*. Sed illud discriminis est, quòd fidelis ita maneat constans in sententia Christianæ fidei, nec adducatur vt obtemperet iussis impiis infidelis, vt tamen infideli malè nec velit nec faciat (nam si fortè aliter, certè non id facit ex doctrina Christi) infidelis autem, ita maneat pertinax in infidelitate, nec adducatur vt Euangelio subscribat, vt etiam plerumque fideli malè & velit & faciat; Ac proinde, dissidij quidem ex parte fidelis, Christus siue Euangelium causa sit, posita scilicet ipsius infidelis pertinacia; ex parte verò infidelis, occasio sit, vti diximus, non causa. FILIAM. vt dissecem coniunctissimum naturæ vinculum, inter filiam & matrem. NVRVM. νύμφην. vt dirimam concordiam inter socrum & nurum. νύμφη si ad maritum referatur, sponsam significat; si ad parentes sponsi, nurum. Nullus enim naturæ aut amicitiæ nexus tam tenax, quàm Euangelium non queat dirumpere. Prophetiam Michææ cap. 7. v. 5. & 6., propriè loquentem de illorum temporum iniquitate & calamitate corruptioneque extrema, Christus ad rem præsentem accommodauit, quò rem paradoxam, & quæ Scripturis, ac nominatim Michææ cap. 4. v. 3. 4., aduersari videbatur, Scripturæ ac nominatim Michææ verbis commendatiorem redderet.

Luc. 12. v. 52. 53. Mich. 7. v. 6.

& inimici hominis domestici [36] eius. | καὶ ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου οἱ οἰκιακοὶ αὐτοῦ.

INIMICI. Vbi infidelis fideli est inimicus, malè sentiendo scilicet, maleque volendo; sequitur vt & fidelis sit infideli, benè sentiendo, beneque volendo: nam & inimicus ad aliquid est, & bonum malo contrarium est. HOMINIS. id est, cuiusque, prout res feret. s. erunt ij qui sunt DOMESTICI IPSIVS. qui apud illum habitant eadem in domo, eadem cum illo mensa & foco vtuntur, secreta illius nouerunt, & proinde maximè nocere queunt. Eò confusionis venturum esse mundum prædicit Christus, vt qui olim fuerant intimi coniunctissimique, fiant inimicissimi alienissimique; eò, vt omnia naturæ iura pro nihilo ducantur, nullaque colatur humanitas. Id vbi accidit, magna fidelibus opus est cautione: vt hic maximè oporteat ad diuinum confugere auxilium. Neque tamen hoc perpetuum esse Christus intelligit, vt domestici semper ob Euangelium inter se mutuò dissideant: quin potiùs omnis legitima coniunctio, fidei vnitate sancitur. Tantùm admonet Christus, quoties id accidet, non oportere suos turbari.

Luc. 14. v. 26.

Qui amat patrem aut matrem plus [37] quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. | ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος· καὶ ὁ φιλῶν υἱὸν ἢ θυγατέρα, ὑπὲρ ἐμὲ, οὐκ ἔστι μου ἄξιος.

QVI AMAT. Quia asperum valde id esse videbatur quod dixerat, venisse se, vt bellum in mundo accenderet, & dissidere faceret qui coniunctissimi esse debuerant, id quod etiam cum sensu naturæ pugnat, ideo subiicit rationem docentem quare id necessarium sit vt bella dissidiaque nascantur, nempe quòd nostro erga Christum Euangeliumque officio omnia sine exceptione postponenda sint, quantumuis coniuncta & chara. PATREM AVT MATREM. quos natura tota dictat singulariter amandos. PLVS QVAM ME. supra me. id est. qui propter amorem patris aut matris, siue vt placeat patri aut matri, negat aut non confitetur me seu doctrinam meam, aut transgreditur præcepta mea. Non iubet exuere humanos affectus, non vetat quin debitam quisque beneuolentiam suis præstet: sed tantùm in ordinem cogi vult quidquid est mutuæ dilectionis inter homines, vt supereminеat pietas erga Deum. Diligat ergo maritus vxorem, pater filium, & vicissim patrem filius, modò ne obseruantiam quæ Christo debetur humanus sensus obruat. Nam si inter homines, vt arctiore vinculo cuique sumus deuincti, alij alios superant; indignum est non omnibus vnum Christum præferri, Deum & Saluatorem nostrum. Igitur si nos à Christo sequendo impediat nostrorum amor, fortiter resistendum est, &, quemadmodum Paulus dicit, omnia, quæ priùs in lucris ponebamus, propter Christum damnosa ducenda. Philip. 3. v. 7. 8. NON EST ME DIGNVS. Non est dignus nomine, consortio, regno, neque promissis meis. Alibi dicit, *non potest meus esse discipulus* (Luc. 14. v. 26.) non est me præceptore dignus discipulus. FILIVM AVT FILIAM. Duos nominat potentissimos inter humanos affectus, quorum posterior, parentum erga liberos, etiam priore potentior est: sub quibus comprehendit alios quosvis hominum erga homines & res quascumque affectus. omnia enim Christo Domino posthabenda sunt. SVPER ME. supra me, plus quàm me.

Inf. 16. v. 24. Luc. 14. v. 27.

Et qui nō accipit crucem suam [38] & sequitur me, non est me dignus. | καὶ ὃς οὐ λαμβάνει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, οὐκ ἔστι μου ἄξιος.

QVI NON ACCIPIT libenti animo, tamquam de manu Domini, id est, non baiulat, non fert æquo animo. Nam quàmquam Deus cruce oneret tam malos quàm bonos, non tamen crucem accipere dicuntur, nisi qui humeros libenter subiiciunt. Crucem quidem natura reiicimus: sed quum humili æquoque animo quidquid Deus imponit patimur, crucem accipimus. CRVCEM. mortem, cruciatum, afflictionem, aduersitatem quamcumque, etiam grauissimam, qualis est mors crucis. Tertium addit affectum humanum omnium potentissimum, nimirum hominis erga seipsum, quem & ipsum cedere oporteat amori Christi. Igitur à specie ad genus Saluator progreditur, vt sciamus non fore nos ipso dignos; nec aliter nos posse in eius discipulis censeri, nisi ad omnes ærumnas ferendas compositi simus. Si nos torquet atque excruciat, quòd fidei causa nobis est cum patre vel vxore vel liberis dissidium, veniat oportet nobis in mentem ista conclusio,

clusio, Christum omnes suos discipulos cruci addicere. Nam quia crux supplicij genus erat, omnium vilissimum ac dirissimum, quodq; in se vno cętera omnia quasi comprehenderet, familiare est Saluatori quamuis afflictionem, cruciatum, mortem, per illam denotare; respicienti simul ad hoc, & hoc quasi præludio significanti, se crucem aliquando pro salute nostra passurum. Ad imitationem enim suæ crucis, qua omnem afflictionum tolerantiam absoluturus erat, crucis voce vtitur: ostendens non solùm leues quasdam afflictiones, sed & planè extremas discipulis suis esse ferendas. SVAM. diuinitùs sibi destinatam, quam impij Deo permittente ipsi propter Christum intulerint. Crux cuiusque propria est, quidquid Euangelij aut iustitiæ aut exercendæ virtutis causa, vnicuique ferendum Dominus destinarit. ET SEQVITVR ME. *καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου* & sequitur retro me, imitatur me, qui quotidie crucem meam fero. Porrò alludere videtur ad id quod ob Euangelium prædicatum baiulaturus aliquando sibi ipse crucem esset qua interficeretur (Ioh. 19. v. 17.) atque ita re ipsa monstraturus se libenti animo accipere crucem suam, quo modo etiam tota vita fecerat, suoque nobis exemplo præire. Addit autem istud, partim solandi nos gratia, partim docendi modum quo crux ferenda. Nam dum mentem subit hæc consolatio, nos in ferenda cruce, Christi esse socios, fit vt facilè mitescat omnis acerbitas. Modus autem ferendi crucem, vt salutariter feratur, est, vt ad Christi exemplum feratur, nempe æquo, patienti, libentique animo, adhæc iustitiæ causa, denique propter gloriam Dei vt finem. Cruci suæ non minùs affixi sunt reprobi, nec eam quantumvis luctentur excutere queunt: sed quia extra Christum crux maledicta est, manet eos infelix exitus. Quare hæc duo simul connectenda sunt, vt fideles & crucem suam tollant & sequantur Dominum, hoc est, ad ipsius exemplum se conforment, & tamquam comites ipsius adhæreant vestigiis. Semper igitur aspiciendus nobis est dux noster. Vnde Paulus Apostolus ad Heb. 12. v. 2: *Aspicientes in auctorem fidei* &c. & Petrus 1. Epist. 2. v. 21: *Quia & Christus passus est pro vobis* &c. Summa ergo doctrinæ & imitationis Christi est, illius iussa omnibus rebus mundi iucundis præponere, omnibusque molestiis, difficultatibus, periculis, atque incommodis, mutare.

ὁ εὑρὼν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἀπολέσει [39] αὐτήν· καὶ ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν.	Qui inuênit animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Inf. 16. v. 25. Luc. 17. v. 33. Ioan. 12. v. 25.

QVI INVENIT. Pergit hortari ad crucis acceptionem & mortis aduersitatumque contemtum, minis partim, partim promissis: estque sententia hac frequenter vsus. Porrò *inuênit* hoc loco præteriti est temporis: manifestum est enim ex græco *εὑρὼν*, id quod alij clariùs vertunt *Qui inuenerit*. Syrus futuro reddit. ANIMAM SVAM. Non existimo animam hoc loco pro vita accipiendam (vt plerique) sed propriè, animam quæ corpori vitam præbet & à qua præcipuè salus hominis vtraque, & temporaria scilicet & æterna, pendet. Cæterùm synechdochen esse animæ pro homine, partis nobilioris pro toto: qualis vt est frequens Hebræis in veteri Testamento (nusquam non occurrit in libris Mosis: *Anima quæ peccauerit*, siue *obtulerit* &c.) ita à Syro passim vsurpatur in nouo Testamento, ac signanter vbi græcè latineque vsus est pronominum istorum demonstratiuorum simul & discretiuorum, *meipsum*, *teipsum*, & reliquorum huiusmodi. Infrà 16. v. 8. vbi nos habemus: *Quid cogitatis inter vos*; græcus *ἐν ἑαυτοῖς*; Syrus dicit: *Quid cogitatis in animis vestris?* 22. v. 39. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, pro *ὡς σεαυτὸν sicut teipsum*, Syrus *sicut animam tuam*. 27. v. 40. pro *σῶσον σεαυτὸν salua temetipsum*, scribit: *Salua animam tuam*. sic & v. 42. subsequente. Simili phrasi Amos 6. v. 8. hebraicè dicitur iurasse Deus *in anima sua*, pro eo quod nos dicamus, per semetipsum, vt post LXXij etiam alij transtulerunt. Et, quod propriè ad hunc Matthæi locum spectet, infrà 16. v. 24. 25. 26., vbi Euangelista eandem hanc sententiam repetit, connectitque cum altera præcedenti: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*; ibi Syrus pro *abneget semetipsum*, habet, *abneget animam suam*: & versu subsequenti, eius loco quod hîc Euangelista dicit: *Anima verò sua detrimentum patiatur*; ipse Lucas scribit cap. 9. v. 25: *Se autem ipsum perdat & detrimentum sui faciat*. quod Lucæ rursus Syrus pro suo loquendi more vertit: *Animam autem suam perdat illiúsve iacturam faciat*. Quare manifestum euadere videtur, hoc Matthæi loco aliisque similibus, animam poni pro ipso homine, *Qui inuênit animam suam*, pro Qui inuênit seipsum, synecdoche familiari linguis hebraicæ & syriacæ: quamquam agnoscendum sit Saluatorem libenter hac loquendi figura vsum esse, vt doceret quæ sit nobilior hominis portio, cuius, præ altera portione, quæ est corpus, prima & quasi solius habenda sit cura: qua perdita totus pereat homo, saluâ totus sit saluus. Qui igitur inuenerit seipsum, id est, periculis exemtum seruauerit, saluum tuto loco constituerit. Nam inuenisse seipsum dicit, qui seipsum periculis mortis extremarúmve aduersitatum saluum exemerit. Huiusmodi enim tamquam inuênit, recuperauit, ac lucrifecit seipsum, cùm perditioni esset proximus: nam & inuenire latinis græcisque inter alia significat, labore vel industria parare & acquirere sibi aliquid. Infrà 16. v. 25. vocat *saluum facere*, quod hîc *inuenire*; Iohannis cap. 12. v. 25. *amare*. Qui igitur morti cæterisque rebus aduersis saluum se eripuerit. Subaudiendum hîc est, primùm ex illo Ioh. 12. v. 25., *in hoc mundo*; deinde ex præcedentibus hîc & consequentibus, crucem diuinitùs sibi dispensatam humeris excutiendo reiiciendóve, me negato coram hominibus. Porrò per concessionem dicit hunc inuenisse siue seruasse animam suam siue seipsum, ex vulgi opinione, qui nullam agnoscunt aut certè nullam magni faciunt salutem aliam quàm huius vitæ, tamquam si pereat & intereat totus homo vbi corpus moritur. Nam quia anima, postquam à corpore separata fuerit, nullo percipi potest sensu, nec vllum mortuus ordinariè præbet mortalibus superstitibus vitę aut existentiæ suæ argumentum, periisse putatur ab hominibus carni ac sensibus addictis, quippe qui futuram vitam aut non credunt aut parum de ea cogitant. Per concessionem igitur ait: *Qui inuênit animam suam*: subdit enim: PERDET ILLAM, subaudi in futuro seculo, vbi sicuti est vera, æterna, solida salus, ita est vera, æterna, extremaque pernicies. Sensus est ergo: Qui me abnegato, sibi & sui similibus visus fuerit, seipsum in vitæ salutisve temporalis discrimen propter me adductum, inuenisse ac seruasse quàm optimè, verè non inuenit neque seruauit seipsum, qui breuî sit in seculo futuro æternùm periturus, nempe vbi moriendum erit, vt semel idque breuî erit; & manifestè quidem, inspectante toto orbe terrarum, in nouissimo magni iudicij die,

quando

quando abnegatus vicissim à me coram Deo Patre & sanctis angelis, tam corpore quàm anima addicetur æterno & supplicio & exitio. vide infrà 16. v. 27. Ita qui terrenæ vitæ salutisque nimis sunt cupidi, dum se eximunt omnibus periculis, fidei aut iustitiæ causa occurrentibus, & inani fiducia sibi placent, quasi cauti ac prouidi bene sibi consuluerint, se ipsi perdunt. ET QVI PERDIDERIT ANIMAM SVAM, s. in hoc mundo. Rursus per concessionem id dicit, pro eo quod sit: Qui fortiter morti occumbens, extremáve aduersa ferens, & cruci suæ humeros libens supponens, temporalis vitæ salutisve suæ iacturam fecerit, ac proinde hominibus carni ac sensibus addictis seipsum perdidisse totusque periisse visus fuerit. PROPTER ME. mea causa quem confessus fuerit coram hominibus. Quod hic dicit *propter me*, alibi dicit *propter iustitiam* (suprà 5. v. 10.) iustitiæ enim omnis doctor auctorque Christus est. Addit autem particulam hanc, quia reperiuntur interdum, qui temerè, & ambitionis, desperationis vel furoris causâ vitam profundant. Huius porrò particulæ contrarium, subaudiendum venit in priori istius sententiæ membro. INVENIET EAM. non perdidit seipsum, sed contrà lucrifecit, sed contrà inueniet seipsum saluum in futuro seculo seu vita æterna, id est, exemtus è mille periculis, hac in mortali vita (agentibus, mundo, carne, diabolo) insidiantibus veræ æternæque saluti, illâ eo in seculo secura solidaque cum felicitate fruetur. Hinc Marcus cap. 8. v. 35. & Lucas cap. 9. v. 24. pro *inueniet* dicunt *saluam faciet*. *Inueniet* porrò siue recuperabit, non postquam multis seipsum seculis perdiderit, sed mox vt se visus fuerit perdidisse: mox à morte corporis, præcipua sui parte, anima, saluus & beatus erit, securus de corpore quoque tandem in eiusdem beatitudinis societatem gloriosè coram toto mundo recipiendo. Aptissima consolatio quòd vitam sibi verè acquirant, qui sponte mortem pro Christo obeunt. Opposita etiam comminatio ad vellicandam carnis ignauiam plurimùm valet, quum vitæ cupido hoc tantùm proficere admonet, vt mortem incurrant. Ab eo igitur quod maximè nos retrahebat, amore scilicet nostri ipsorum nostræque salutis, hortatur nos Dominus ad mortis aduersitatumque contemtum. *Cur enim, ait, teipsum despicere non vis? an quia teipsum diligis? ideo ergo quia teipsum diligis, despice: sic enim summopere tibi ipse profueris, & quæ sunt verè amantis demonstraueris.* In hæc ferè verba Chrysostomus.

Ioan. 13. v. 20.

Qui recipit vos, me recipit: & 40 qui me recipit, recipit eum qui me misit.	ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὁ ἐμὲ δεχόμενος, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με.

QVI RECIPIT VOS hospitio, & humaniter benigneque tractat ac iuuat. id enim sub illo intelligitur. Postquam prædixit & declarauit Apostolis Saluator, ipsos Euangelij causa exosos omnibus fore, etiam sanguine coniunctissimis, ne putarent se ab omnibus prorsus destituendos, solatur eos additque animum, promissione opportunæ commoditatis & consolationis etiam in hac vita, quando res ipsa exigat (Mar. 10. v. 30.) significans numquam defore pios, siue in vna ciuitate siue in alia, qui quærant amentque Deum ac Christum eius. & quibus cura sit recipiendi fouendique illius legatos. Id autem vt certiùs constet Apostolis, confirmat promissione erga eos qui recepturi ipsos sint, quæ promissio multos ad recipiendum ipsos sit incitatura. Itaque cùm superiùs v. 14. explicuisset quas pœnas daturi essent indigni illi à quibus erant reiiciendi: iam etiam addere voluit, quo commodo, quoque præmio essent à dignis recipiendi. ME RECIPIT. cuius Apostoli estis, cuius nomine legatione fungimini, id est, perinde ac si in personam meam collocatum esset reputabo, id officij quod Euangelij respectu in vos fuerit collocatum. sic enim Rex sibi factum reputat, id officij aut honoris quod legato suo præstitum fuerit legationis intuitu. Infrà 25. v. 40: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* EVM QVI ME MISIT. Deum Patrem significat, cuius negotium agat ex ipsius commissione & iussu. Missus est à Patre Filius in mundum, quia cùm à Patre originem ducat Filius, ex Patris voluntate, ex qua etiam Filij voluntas originem ducit, estque vnà cum Patris voluntate, nouo modo esse & operari incepit in mundo, quo priùs non erat nec operabatur, secundùm carnem scilicet & ea propter quæ carnem assumserat. Relinquit autem intelligenda hoc loco Saluator duo; vnum, Apostolos etiam à Patre mitti, cùm ab illo mittuntur qui ad mittendos alios à Patre sit missus; alterum, eum recipere Deum Patrem qui ipsos recipiat. Sequitur enim à primo ad vltimum, vt loquuntur dialectici, Qui vos recipit, me recipit: qui me recipit, Deum Patrem recipit: ergo qui vos recipit, Deum Patrem recipit. quæ duo mirum in modum Apostolos & honorabant & animabant. Recipere autem dicitur Deum Patrem, similiter vt Filium, quia Deus Pater eo loco habet si quid officij Filio suo aut legatis siue ministris ipsius præstetur, ac si ipsi in persona propria præstetur. Porrò id & honor est maximus ei qui præstiterit, & vtilitas incomparabilis: nec enim fieri potest, quin Deus Pater, cùm benignus sit pariter ac diues erga omnes, erga eum inprimis sit, à quo ipse beneficium acceperit. Significat igitur Apostolis Saluator, beneficium in ipsos conferendum, insigniter remuneratum iri, ita vt multò plus gratiæ debituri sint qui dederint, quàm qui acceperint; ac proinde inuitandos fideles vt succurrant ipsis & benefaciant.

Qui recipit prophetam in nomine 41 prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.	ὁ δεχόμενος προφήτην εἰς ὄνομα προφήτου, μισθὸν προφήτου λήψεται· καὶ ὁ δεχόμενος δίκαιον εἰς ὄνομα δικαίου, μισθὸν δικαίου λήψεται.

PROPHETAM. Ab Apostolis descendit ad quoslibet verbi Dei prædicatores & doctores (illos enim *prophetas* vocat: vide suprà 7. v. 15. & 22.) docens, maximi esse apud Deum meriti, quibusvis illorum benefacere; in hunc finem proculdubio, quò illis maiorem apud homines gratiam conciliet, atque hortetur vt erga illos benefici simus. IN NOMINE PROPHETÆ. *εἰς ὄνομα* pro *ἐν ὀνόματι*, vt vertit Interpres, quod est, tamquam prophetam, eo nomine quòd est propheta, eò quòd propheta est, Euangelij aut verbi Dei annunciator

ciator seu enarrator. id, est, doctrinæ intuitu atque in illius honorem. sic enim explicatur hæc particula Mar.9. v.41: *Quia Christi estis.* Hac parte excludit quasvis alias seculares causas, & mortales caducaq; res, quæ Deum aut Christum non respiciant, vt si quis alteri benefaciat, non quia propheta est Dei & Christi, sed quia consanguineus, affinis, potens, pulcher, aut diues. Ergo vt sint opera nostra meritoria, vt mercedem à Deo recipere queant, non facienda sunt propter hominem ipsum, cui fiunt, quantumuis ille sit magnus, sed propter Deum & Christum Dei filium nostrumque Dominum, quia ipsi placent, quia ipse illa exigit & probat, ac proinde vt ipse illis colatur atque honoretur; itaq; in eum vt finem præcipuum & vltimum referenda.

MERCEDEM PROPHETÆ ACCIPIET. talem mercedem accipiet qualem ipse propheta, respondentem scilicet dignitati ipsius prophetæ. Nam quia prophetæ cooperatur, dum illi præbet hospitium aliaq; temporarias commoditates, quò faciliùs officio fungatur suo; aut in genere quia diligit eum & beneficus erga eum est eo nomine quòd Dei seu Christi propheta est, mercedem accipiet talem qualem ipse propheta. Talem, inquam, sed non æqualem, qualitate scilicet eandem, non quantitate: tale enim erit inter vtriusque mercedem discrimen, quale inter vtriusque opus, vnius principaliter operantis, alterius principaliter operantem iuuantis aut probantis. Hoc est quod D.Chrysostomus dicit: *Mercedem accipiet illam, quam decens est vt is capiat qui prophetam recipit:* & quod dicunt alij: *Consors siue particeps erit mercedis quæ prophetis reposita est.* Nam vt promouendo & probando, peccatis communicamus alienis; ita etiam virtutibus. communicamus autem proprio opere, sed eo quod vt versatur circa opus alienum, ita illius alieni operis naturam trahit, & præmium aut supplicium simile præmio aut supplicio, illi alieno operi debito, meretur. Itaque licet non æqualis mercedi prophetæ, ampla tamen hîc significatur merces: admodum enim ampla prophetam manet, de qua Daniel. cap.12.v.3: *Qui docti fuerint* &c. Ex hoc igitur loco discimus, mercedem habere eamque incomparabilem atque amplissimam, beneficia atque opera iuxta Dei & Christi eius voluntatem, atque in illius gratiam & cultum facta, dum & prophetæ merces promittitur, & ei qui in prophetam beneficus fuerit, atque vtrique similis. Constat ergo bonorum operum merces, partim quidem ex voluntate & affirmatione promittentis benignissimè (vide suprà 5.v.12.& 6.v.1.) partim verò ex operibus ipsis per Spiritum sanctum inhabitantem factis. nam absque inhabitante Spiritu meritoria non sunt. In huiusmodi enim propositionibus & promissionibus generalibus, subaudiendum est, nisi quid aliud obstet: nam qui in infidelitatis aut peccati mortalis statu est mereri non potest, etiamsi ipsa bonorum operum officia faciat. IVSTVM. insignem virtutibus virum. A prophetis rursus ad quoslibet iustos descendit, etiamsi prophetiæ munere non polleant (hæc enim veluti gradibus distinguit: in quibus postremo loco sunt minimi siue pusilli) non tamen quòd omnes prophetæ iusti sint (aliud suprà docuit 7.v.22.) sed quòd vel sint vel esse cum primis debeant. IN NOMINE IVSTI. eo nomine quòd iustus est, eo quòd iustus est, iustitiæ pietatisve respectu. MERCEDEM IVSTI. talem qualem ipse iustus, respondentem dignitati ipsius iusti, id est, qualem meretur iustitia quæ in illo est, aut quam in illo esse putat & beneficentiâ suâ vult honorare. talem, illius generis scilicet & amplam, licet non æqualem; vt mox. Mercedem iusti ex parte Saluator explicat Matth.13.v.43: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Significat interea Christus, hoc insigne fore documentum, quanti prophetas suos & iustos æstimet: dum ampla mercede constabit, nullum excidisse officium quod illis præstitum fuerit.

Καὶ ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον εἰς ὄνομα μαθητοῦ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.	42 Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Mar. 9. v.41.*

ET QVICVMQVE. Incepit ab Apostolis & prophetis, sed tandem ad infimum gradum descendens, suos omnes discipulos complectitur. Ergo, sine exceptione, veros Dei fideique cultores omnibus commendat: dum testatur, ne in minimos quidem qui ipsius Euangelium amplectuntur, vllum frustra collocari beneficium. Tametsi enim omnes homines charitatis officiis prosequi nos iubet: meritò tamen suos in superiorem gradum attollit, vt peculiaris habeatur eorum cura & ratio. Vnde Apostolus Gal.6.v.10: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* VNI EX MINIMIS ISTIS sitienti. ἕνα τῶν μικρῶν τούτων vni ex paruis seu pusillis his. s. qui in me credunt, id quod alibi exprimit (infrà 18.v.6.) Intelligit eos qui postremi sunt inter fideles & contemtissimi, qui nullo scilicet honoris titulo conspicui sunt, non Apostolatus, non prophetiæ, nec spectari virtutibus, tantùm fideles sunt & vitam ducunt, aut infirmi ducere conantur, bonam. de quibus etiam Apostolus 1. Cor.6.v.4: *Contemtibiles*, ait, *qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Cæterùm ita vocantur, non quòd verè parui aut contemnendi sint, cùm tanti sint quanti illos & hîc Christus & illic Apostolus facit. sed maximè quòd mundi fastus illos calcet. Quare alibi suos omnes alloquens dicit Saluator: *Nolite timere pusillus grex.* Luc.12.v.32. CALICEM AQVÆ FRIGIDÆ. Græcè non est *aquæ*, sed tantùm *frigidæ*: quomodo etiam Latini loquuntur, frigidam bibere, & frigida lauare. Descendit Saluator non tantùm ad infimos inter fideles, verumetiam ad infimum ministerium quod illis præstari queat: maximè enim tenue & facile officium est, etiam pauperrimis quibusque in manu, haustum frigidæ præbere sitienti, cùm, hospitio excipere & vitæ necessaria subministrare, non sit omnium. Ergo nemo per inopiam se excuset quo minùs iis qui sunt Christi subueniat, cùm etiam maximè exigua beneficia, & ferè nullius apud homines æstimationis, illis impensa, tamen habeant constitutam mercedem à Deo, eamque non exiguam. Nam & *frigidæ* dicit, ne vel sumtum lignorum in calida causari quis possit: quamquam calida potui apta non sit. Cæterùm *frigidæ* cùm dicit, satis indicat studium & diligentiam in beneficio exhibendo quamvis exiguo: non enim facilè se quis eò demittat vt rem tantillam adferat alteri præbendam, nisi id Christi Domini seu proximi amore faciat. Æstimat autem Deus opera, magis ex studio, quàm ex rei magnitudine, magis ex affectu dantis, quàm ex doni pretio, quemadmodum patet & in vidua illa paupercula Luc.21.v.2. TANTVM. μόνον. potest id referri, vel ad superiora, vt sit sensus, Si quis vel aquæ frigidæ haustum

haustum dumtaxat exhibuerit; vel ad sequentia, vt intelligas satis esse quiduis, modò id fiat tamquam Christi discipulo. Quidam vertere malunt *solum*, ita vt sit nomen, & ad superiora referatur, ad calicem siue poculum. IN NOMINE DISCIPVLI. eo nomine quòd est discipulus meus, eò quòd mihi & doctrinæ meæ adhæret, eò quòd in me credit, id est, in honorem meum meique intuitu. Ergo sit paruus in Ecclesia, sit magnus, cui beneficium impenditur, nisi præcipuè in Deum Deique filium referatur, non est opus apud Deum meritorium. Porrò credentes in Christum, à Christo hîc vocantur discipuli, quo ferè nomine vocati fuere, Christo Domino in carne mortali agente, & aliquamdiu pòst, cùm ab ipso Christo, tum ab aliis fidelibus (Antiochiæ enim primùm, dudum post Christi in cælum ascensionem, cognominati sunt discipuli, Christiani, vt habes Act. 11. v. 26.) eò quòd adhærerent sectarenturque magistrum magnum, vnum solum magistrum nostrum (Matth. 23. v. 8. & 10.) qui à Deo missus fuerat magister (vti profitetur Nicodemus Ioh. 3. v. 2.) vt mortales doceret mysteria Euangelij, à seculis & generationibus abscondita (de quibus Apostolus Ephes. 6. v. 19. Coloss. 1. v. 26.) & erudiret eos, vt abnegantes impietatem &c. Tit. 2. v. 12.
AMEN DICO VOBIS. Quoniam incredibile videbatur, pro re tantilla reddendam esse à Deo mercedem, asseueratione vtitur. NON PERDET. recipiet. Porrò non perdet dicit, quia ea cogitatio est pusillanimitatis nostræ, non intelligentium quanti Deus faciat bona suorum opera, tam exiguorum benefactorum non esse apud Deum mercedem. Heb. 6. v. 10. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis* &c.
MERCEDEM SVAM, mercedem quæ pro diuina liberalitate tali operi queat esse debita. Opus in se paruum est, sed magna illi à Deo redditur merces; non tam magna quàm aliis operibus maioribus, magna tamen, quia cùm diues & liberalis ac munificus sit Deus, quæ promittit aut reddit parua esse non possunt: maiora sunt quàm æstimari ab iis possint qui recepturi sint. Cæterùm licet fortè maiora sint quàm ipsum in se opus (quamquam, ab inhabitante spiritu adoptionis filiorum, multum dignitatis opus accipiat) merces sunt tamen, & debita, quia à Deo operibus huiusmodi promissa. Porrò hinc discere licet, & quanti suos faciat Christus, & quanto præmio illi à nobis magni fiant, etiam infimi.

CAPVT VNDECIMVM.

Et factum est, cùm consummasset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, vt doceret & prædicaret in ciuitatibus eorum.	1	Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ ἰησοῦς διατάσσων τοῖς δώδεκα μαθηταῖς αὐτοῦ, μετέβη ἐκεῖθεν, τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν.

CVM CONSVMMASSET. cùm desiisset, cùm finem fecisset. PRÆCIPIENS. participium infinitiui loco, more græco, præcipere seu præcipiendi, id est, instruendi Apostolos ad prædicationem. Subest pondus in verbo præcipiendi, quo Euangelista significat, non fuisse illis liberam legationem permissam, sed præscriptum & dictatum, quid in medium proferre & qualiter se gerere deberent. TRANSIIT INDE. digressus est illinc, à loco scilicet in quo illos instruxerat, illis in opus emissis. Seipsum data opera subtraxit, vt occasionem opportunitatemque haberent Apostoli, & mandata perficiendi, & sui periculum faciendi. VT DOCERET ET PRÆDICARET. s. etiam ipse. Plus est prædicare quàm docere: publicitùs nempe docere est, & palàm apud omnes rem commendare. vide suprà 3. v. 1. Non suffecit Christo vicaria Apostolorum opera: sed & ipse se ad peragrandum ciuitates & prædicandum dedit, illis licet ad id operis emissis. Nec aliud egit vel frequentiùs vel feruentiùs, ostendens nullum esse præstantius & Deo gratius opus docendi munere. Porrò miraculorum nulla fit mentio, quia non nisi propter doctrinam edebat Saluator miracula. EORVM. Galilæorum siue Iudæorum, quos nimirum superiori capite variis modis, maximè autem à v. 14., tacitè & obliquè depinxerat. Refertur, non ad discipulos, quod proximè expressum est, sed ad id quod ex ipsius narrationis serie satis intelligitur. Simile Psal. 98. v. 8.

Luc. 7. v. 18. 19.

Iohannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis,	2	ὁ δὲ ἰωάννης ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ χριστοῦ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ,

IOHANNES. Baptista. CVM AVDISSET ex discipulis suis Luc. 7. v. 18. Ex quo Lucæ loco & illud manifestum fit, historiam hanc de Iohanne Baptista, à v. 2. vsque ad v. 20., non narrari suo loco, vt quæ ante duodecim Apostolorum missionem contigerit. IN VINCVLIS. in carcere existens. Vinculorum enim nomine, tam carcer ipse Latinis significatur, quàm compedes. Erat ab Herode in carcerem coniectus Iohannes, propterea quòd arguisset Herodem adulterij cum Herodiade vxore fratris sui, vti narrat Marcus cap. 6. v. 17. OPERA. miracula. CHRISTI. quæ edebat quotidie Christus, & rebus ipsis & frequentiâ admiranda, quibus facilè monstrabat id quod Iohannes prædicauerat, se Christum esse. sic enim vrgenda videtur vox *Christi*, qua vtitur Euangelista non sine significatione. MITTENS DVOS. πέμψας δύο missis duobus. Quia alieniores erant à Christo plerique Iohannis discipuli (nam quidam iam Christo adhærebant, vt Andreas. Ioh. 1. v. 40. Matth. 4. v. 20.) pro magistro suo Iohanne contra Christum æmulantes (Ioh. 3. v. 26.) atque ita ab eo pendentes vt maiora de ipso quàm de Christo sentirent (Matth. 9. v. 14.) (licet aliud eos doceret Iohannes) (Ioh. 3. v. 28.) quæ res impediebat ac viam intercludebat ne in Christum crederent,

rent; videns Iohannes vna ex parte se non procul à stadij sui meta distare, ac proinde solicitus ne discipuli sui tales manerent etiam à morte sua, suo & aliorum magno malo; altera ex parte, Christum iam inclaruisse, opportunum & maturum venisse tempus statuit, quo illos ad Christum mittat, & Christo eos coniungere curet, certus eos visuros, audituros, ac relaturos eiusmodi, ex quibus ipse illis manifestè monstrare posset, quod frequenter eos antè docere & persuadere conatus fuerat, Iesum ipso esse longè maiorem, atque adeò esse Christum, agnum Dei, ac mundi Saluatorem, in quem credere, cui adhærere, & quem sequi oporteret. Mittit itaque illos, vt opera Christi, quæ fama didicerant, coràm videant, & Iesum ipsum esse Christum discant: agens quod fidelis amici ac ministri Christi est, vt non sibi discipulos retineat & post se abducat, sed ad Christum ablegat ac dirigat. Non itaque sua causa discipulos suos Iohannes ad Iesum mittit; sed ipsorummet causa, ad ipsorum scilicet informationem, dissimulans id tamen, & tamquam sua causa illos mittens, vt ne cunctarentur accedere. Veriti enim fuissent Christum suo ipsorum nomine accedere, ne fortè, vt parum ipsi fuerant Christi studiosi, ita & Christum vicissim erga se durum experirentur. Mittit autem duos, tum honoris Christi causa, tum vt testes legitimi sint Iesu Christi virtutis, denique quò certius referant responsum. Eos autem verisimile est eum misisse, qui cùm essent indolis optimæ, exactiùs sincerriusque referrent quæ oportebat.

εἶπεν αὐτῷ· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν;	3	ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?	Luc. 7. v. 19.

AIT ILLI. Christo. iubet Christo dici, iubet Christum interrogari. TV ES QVI VENTVRVS ES. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος tune es ille venturus? participium Græcum ἐρχόμενος, præsenti tempore aliquid futurum significat, cui subauditur verbum substantiuum secundæ personæ *es* aut *eras*, vel potiùs tertiæ *est* aut *erat*; respiciturq; ad prophetarum de Messia prædictiones. q. d. Es tu ille qui diu venturus exspectatur ex vaticiniis prophetarum, hoc est promissus Messias seu Christus? Non dubitantis, sed gaudentis & gratulantis Iohannis interrogatio est. Commune erat Iudæis omnibus rudimentum pietatis, quod à pueris tenebant, esse venturum Christum, salutis & perfectæ beatitudinis auctorem. Hoc itaque caput pro confesso sumens, non de eo quæstionem mouet; sed quæri iubet, An Iesus sit Saluator ille promissus ac dudum exspectatus? Postquam enim crediderant futuram, eam quæ in Lege & prophetis promissa erat redemtionem; credere etiam oportuit illam in Iesu persona exhiberi. AN ALIVM EXSPECTAMVS? an non es tu, sed alium oportet vt exspectemus? Hac particula obliquè perstringit discipulorum suorum socordiam, qui pridem certò docti, tamdiu ambiguis animis fluctuabant. Porrò apertè id rogari iubet, quod erat totius summa negotij, vt in ipsa rei summa discipuli instruerentur in qua adhuc errabant: sciens Iesum prudenter responsurum, & rebus ipsis, potiùs quàm affirmatione oris proprij, eos conuicturum. Nouerat enim Iohannes constitutum à Deo consilium, vt non tam se Filius Dei verbis, quàm Pater eum operibus declararet. Iubet itaque discipulos suos periculum facere rogantes verbo, non vt verbo Iesus respondeat, sed vt opere Christus esse agnoscatur. Iubet autem rogari suo nomine, tamquam si ipse id ignoret aut dubitet (qui non ignorabat, quem digito præsentem indicauerat. Ioh. 1. v. 29. 35.) vt faciliùs discipuli, & rogare audeant, & se instrui patiantur, cùm non tam ipsi rogare aut instrui videantur, quàm ipsorum magister. Docuisset autem ipse quidem id facilè illos, cùm referrent illi miracula Iesu quæ fama didicerant; immo docuerat non semel: sed quia propter anticipatam de magistro opinionem, existimabant illum modestiæ causa, nolle fateri quod erat, sed Iesum sibi præferre, & hoc magnificentiùs de ipso sentiebant, quò magis se deiiciebat; maluit illos ad Iesum missos, coràm, maiestate dictorum ac factorum illius, conuinci (habebat enim Iesus testimonium operum, maius testimonio Iohannis, vt ipse testatur Ioh. 5. v. 36.) adhæc voluit eos hunc in modum testes parari muneris sui iam consummati, & legationis suæ fidem firmare, dum confessuri essent & ipsi, Iesum esse illum quem Iohannes declarauerat, prædicauerat, & post se venturum dixerat: denique cupiuit illos Iohannes, cùm ipse propediem moriturus esset, in Iesu amicitiam insinuari.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε.	4	Et respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Iohanni quæ audistis & vidistis.	Luc. 7. v. 22.

EVNTES. profecti, redeuntes. RENVNTIATE IOHANNI. Remittit eos ad Iohannem, tamquam si Iohannes eos sua ipsius causa misisset, cùm Iohannis mentem non ignoraret, prudenter dissimulans id quod & Iohannes, vt tantò se faciliùs doceri & persuaderi paterentur. QVÆ AVDISTIS ET VIDISTIS mox. ἃ ἀκούετε καὶ βλέπετε quæ auditis & videtis, quomodo est & syriacè. De re præsenti loqui videtur: eo ipso enim tempore, discipulis Iohannis præsentibus, & exspectantibus, verisimile est, opportunitatem alloquendi Iesum, multos Iesus sanauerat, quod Lucas refert cap. 7. v. 21. Iesum deinde audierant illi prædicantem, quod numquam intermittebat, & populum celebrantem miracula aliàs perpetrata. Ediderat igitur illis præsentibus opera Christi.

τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, καὶ χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται.	5	Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.	Luc. 7. v. 22.

VIDENT. ἀναβλέπουσι, quasi dicas, reuident, id est, visum recipiunt. AMBVLANT. ambulandi accipiunt facultatem. AVDIVNT. audiendi potentiam recipiunt. Respicit Saluator ad locum Isa. 35. v. 5: Tunc

Tunc aperientur oculi cæcorum &c. quo capite descriptio continetur magnificæ lætæque rerum immutationis & liberationis à miseriis ac malis omnibus sub regno Christi. Non dubium tamen est, quin de spirituali liberatione immutationeque præcipuè agat: verùm cùm Saluator, corporum sanatione externisque symbolis, se ad sanandas animas spiritualem venisse medicum ostensurus esset (id quod aliâs declarauimus) vtrumque Propheta complecti voluit. Hic prior est Isaiæ locus, ex quo Iesus responsum discipulis ad Iohannem mandat, vt agnoscant illi, id quod Propheta de regno Christi testatus est, completum esse & præstitum. Non ignarus enim Iesus, certius & calumniæ minùs obnoxium esse testimoniũ quod à factis proficiscitur, quàm quod à verbis, præsertim si quis ipse sibi sit testis, non respondet professione sui nominis ex oratione propria, sed ex notatione operum à Deo per prophetas expositorum. Nihil, inquit, opus est vt de me qui sim pronunciem, sim Christus nec ne. Tantùm ite & renunciate Iohanni, quæ vestris oculis vidistis, vestrisque auribus audistis. Hæc enim cum prophetarum vaticiniis collata, satis loquuntur qui sim. Christi promissi præsentia, non tam debuit probari affirmatione oris proprij, quàm operibus & signis cum vaticiniorum ratione omnino quadrantibus: ita vt non ipse sese, verùm Deus Pater Messiam suum declararet. Præterquàm enim, quòd miracula quæ Iesus edidit, priuatas quasdam continerent vtilitates, in hunc præcipuè omnium vsum edita sunt, vt declararent & testificarentur, hunc Iesum Mariæ filium, esse verum Messiam ac filium Dei. Quem miraculorum vsum Christus ipse, non tantùm hoc in loco, verumetiam in aliis multis commendat, veluti Ioh.5.v.36: *Ego habeo testimonium maius Iohanne* (hoc est, testimonio Iohannis) *opera enim quæ dedit mihi Pater* &c. Iohannis 10.v.25: *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* ita illic respondet & Iudæis, vrgentibus ipsum vt palàm diceret, an ipse esset Christus: quibus & paulò pòst v.37.& 38, ait: *Si non facio* &c. de quo miraculorum vsu & Iohannes Euangelista ipse sic loquitur cap. 20. v.31: *Hæc autem scripta sunt* &c. Itaque quòd non simpliciter Iesus respondet Iohannis discipulis, primùm eo consilio facit, quia satius erat rem ipsam loqui: deinde vt præconi suo liberius docendi argumentum tradat, cui non suppeditat tantùm nudam rudemque materiam per miracula, sed miracula aptat in suum finem ex prophetarum oraculis. MORTVI RESVRGVNT. Non id tunc viderant discipuli, sed recèns factum audierant, à populo præsenti, verisimile est: id quod & ipsi antè auditum ad magistrum suum retulerant. Luc.7.v.18. Istud à Propheta significatum videtur ea parte eiusdem capitis qua dicit: *Et redempti à Domino conuertentur* &c. vbi de lætissima cælestis regni beatitudine loquitur, quæ perfecta demum erit à resurrectione mortuorum, cuius non obscurè se auctorem fore Iesus ostendit, quando mortuos in vitam hanc, mortalem licet, reuocauit. PAVPERES EVANGELIZANTVR. Respicit hic Saluator ad alterum Isaiæ locum, cap.61.v.1., quem Christus disertè de seipso interpretatur Lu.4.v.21. Quo loco, pro eo quod Latinus Interpres transtulit, *Eò quod vnxerit Dominus me ad annunciandum mansuetis*, LXXij vertêre: *Propter quod vnxit me euangelizare pauperibus*: quomodo & Matthæus hoc loco & Lucas cap.4.v.18. citant: erat enim, Christi Domini ætate, Iudæis ipsis, ferè græca LXX duorum translatio in vsu) nam quod Latinus legit ענוים *hanavim*, vti etiam modò est hebraicè, & significat mansuetos; Græci legerunt עניים *hanijm*, quod declarat pauperes: quod tamen tenue est discrimen, vt vocum, quæ ab eodem etiam themate deriuantur, ita & rerum. nam vt diuites ferè esse assolent superbi, elati, ac feroces, ita contrà pauperes, humiles ac mansueti. Posterior igitur hic Prophetæ locus, in hoc priori est similis, quòd in Christo thesauros gratiæ Dei mundo expositos fore docens, peculiariter exprimit Christum atque Euangelium destinari pauperibus. Nam *pauperes euangelizantur*, non actiuè accipiendum est, sed passiuè, phrasi græca, pro eo quod est, pauperibus Euangelium annunciatur, pauperes docentur & accipiunt Euangelium, pauperibus promittitur regnum cælorum: quid admirabilius quàm pauperem regem fieri? Pauperes autem intelliguntur spiritu pauperes, qui, si opes habent aut honores, non illis cor apponunt, non ideo se pluris faciunt; si non habent, non supra modum desiderant, id est, qui se pauperes, miseros, viles, atque abiectos esse agnoscunt: quales faciliùs sunt ij qui nulla aut tenui fortuna sunt, quàm qui splendida; & qui afflicti sunt, quàm qui prosperè agunt; denique quorum misera est vilisque conditio, vt tum erat plerorumque discipulorum Iesu, quàm qui magna præditi sunt dignitate. Consultò igitur vaticinium hoc adducit Christus, partim vt offensionem tollat quam posset concipere carnis sensus ex contemtibili ipsius grege (nam vt superbi natura sumus, nihil ferè nobis in pretio est, nisi multo splendore ornatum sit: quum tamen Euangelium, iuxta Prophetam, pauperibus & abiectis destinatum sit) partim vt admoneat quinam idonei sint ad accipiendum Euangelium, & percipiendum quæ illic offertur salutis & regni cælorum gratiam, pauperes scilicet, id est, humiles, mansueti, afflicti, quales ferè magis sunt pauperes quàm diuites. Superbi enim vt sunt plerique diuites, quum inflati sint, nullum relinquunt locum gratiæ Dei, quumque contentiosi sint, sunt & indociles, nolunt doceri, denique quum habeant hic consolationem suam (Luc.6.v.24.) non quærunt Euangelij consolationem. Porrò *super humilem requiescit Domini spiritus* (Isa.56.v.2.) *& in mansuetudine suscipitur insitum verbum* (Iac.1.v.21.) denique afflictos Euangelij lætum nuncium solatur. Isa.61.v.1: *Vt mederer*, inquit, *contritis corde*, id est, consolarer & confirmarem eos.

Luc.7. v.23.

Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. 6	καὶ μακάριός ἐστιν ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί.

BEATVS EST ea parte, quia facilius est ipsi beatitudinem assequi, cùm à me salutis ac beatitudinis auctore non abstrahatur per concepta imaginatione offendicula, quod multi. SCANDALIZATVS. offensus, qui non ceperit offendiculi occasionem *ex me*, id est, qui nulla re quæ in me sit absterretur ac ceu repellitur, quò minùs in me credat, & mihi vt vero Saluatori adhæreat. Multos, licet signa admirarentur, varia tamen offendebant & etiamnum offendunt in Christo, alios personæ quam exteriùs gerit humilitas, alios doctrinæ seueritas, alios mortis vilitas, alios denique aliud, quum quisque veluti data opera scandalorum congeriem sibi fabricat, quò minùs ad Christum accedat, vel vt à Christo deficiat, vt propterea *lapis offensionis & petra scandali* meritò dictus sit (1.Pet.2.v.8.) non suo vitio, sed nostro. Neminem enim scandalizat Christus, nemini dat iustam offendiculi occasionem, sed nostra siue malitia, siue infirmitas, offendiculi occasio-

nem sibi ipsa accipit vnde non debet. Porrò discipulos Iohannis, quos hîc notat, offendisse videtur humilitas conuersationis Domini, quòd non seorsum ab hominibus illa vitæ seueritate viueret, qua ipsorum magister Iohannes (vnde & suprà 9. v. 14. videntur luxum ipsi exprobrare) ad hæc, quòd nullo alio, præter illa miracula, vitæ splendore insignis esset, quippe qui ciuilem duceret vitam; fortassis etiam, quòd ab externa Legis obseruantia ad interna mage reuocaret. Porrò hæc quòd ipsos offenderent, non tam malitia faciebat, quàm contentiosum studium alterius nominis. Ipsos itaque taxat hîc mordetque Iesus, sed occultè, passionem mentis eorum ita detegens, vt apud turbam non pudescerent, sed taciti ipsi secum agnoscere possent vitium suum, faciliusque attrahi. In ipsis autem etiam nos opportuna occupatione præmunit, pugnandum nobis esse cum scandalis vt perstemus in fide, scandalis resistendum esse quæ ad impediendum fidei cursum occurrent: quia numquam occasiones nobis deerunt eius repudiandæ, donec animos nostros supra omnia offendicula siue scandala extulerimus.

τούτων δὲ πορευομένων, ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς λέγειν τοῖς ὄχλοις περὶ Ἰωάννου· τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;

7 Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Iohanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? *Luc. 7. v. 24.*

ABEVNTIBVS. πορευομένων euntibus. videtur esse pro διερχομένων abeuntibus, reuertentibus illis ad Iohannem, vt responsum Iesu illi referrent. Amplissimè nunc prædicat Dominus laudem ac virtutes Iohannis Baptistæ; sed postquam discesserunt ipsius discipuli, ne adulari Iohanni videatur, & assentationibus gratiam ipsius colligere. AD TVRBAS. Satisfecerat Iesus discipulis Iohannis: iam oportebat vt & turbæ præsenti satisfaceret, quæ, ex eo quòd illam discipulorum Iohannis legationem audierat, cùm ignoraret qua mente illam Iohannes misisset, periculum erat ne existimaret illum suam de Iesu, quem aliàs Christum esse palàm testatus fuerat (Ioh. 1. v. 26. 3. v. 28. 5. v. 33. 10. v. 41.) sententiam mutasse, aut dubium euasisse, taxatumque à Iesu iis verbis: *Beatus est qui* &c. ac non potiùs, quod res erat, sanandæ discipulorum Iohannis imbecillitati, hæc accommodata fuisse. id quod certè nullo modo expediebat sentiri de Christi prodromo. Diluit itaque illud Iesus, commendans illum vt constantia cæterisque propheticis virtutibus nobilem, ex ipsius populi sententia. VIDERE. θεάσασθαι spectare vt spectaretis. vide suprà 6. v. 1. q.d. Ne cui obrepat inconstantiæ aut leuitatis suspicio de Iohanne. Certè non fuit huiusmodi vestra ipsorum de illo opinio, quando dudum relictis vrbibus, magna frequentia magnaque sedulitate, in desertum, vbi tum ille agebat, vndequaque concurrebatis ad illius spectaculum. Quid enim tanto studio pergebatis vt spectaretis? ARVNDINEM VENTO AGITATAM? ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον an arundinem quæ à vento agitabatur? quæ ad quemlibet venti impulsum nunc huc nunc illuc se inclinaret? Significat propriè græcum vocabulum, vndarum more huc atque illuc impelli: quod latinè exprimas, vt quidam, *vndantem & fluctuantem*: quin & Latini dicunt, segetes fluctuare, quum vento agitantur. Per arundinem itaque, quæ cùm sit nutanti cacumine, quouis vel leuissimo vento huc illuc agitatur, intelligit Saluator, hominem leuem & inconstantem, qui ad quamlibet occasionem vacillet atque reciprocet, & sententiam mutet. Quærit igitur, An existis spectatum hominem arundinis instar instabilem? q.d. minimè, non ea estis sensuum stoliditate, vt propterea vrbibus egressi sitis, tot tantarumque ciuitatum populi: sed contrà, facto ipso monstrastis, vnanimiter iudicasse vos, hominem esse magnum atque admirabilem: vt certè erat, constans ab ineunte ætate eremi vitæque cumprimis duræ atque angustæ cultor, longè à populari gloria segregatus. quem proinde intelligere debetis, in doctrina ac testimoniis suis olim de me pronunciatis, perpetuò sui similem esse, & ne nunc quidem in carcere quidquam suæ sententiæ mutasse.

ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.

8 Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. *Luc. 7. v. 25.*

SED. ἀλλὰ hoc loco interrogat, vel est loco *igitur*. Syrus illius loco habet: *Et si non.* vbi prior interrogatio seipsam soluit, subiungit alteram. VIDERE. vt videretis. MOLLIBVS. additur græcè & syriacè *ἱματίοις* vestimentis. Mollibus autem vestitum, id est, delitiis vestium ac ciborum gaudentem, vt ex hoc mollis videri posset facileque mutabilis? Subaudit responsionis loco *non*, subiungitque rationem. QVI MOLLIBVS VESTIVNTVR. qui mollia ferunt siue gestant, quibus placet vestitus splendidus, quibus cordi sunt ciborum vestiumque deliciæ, qui luxum vitæque delitias affectant. IN DOMIBVS REGVM SVNT. hi captant aulas regum & palatia principum, vbi illa suppetunt, & qui hos videre desiderant, eò pergunt: atque in huiusmodi cadere potest, corruptæ sententiæ, inconstantiæ, aut assentationis suspicio. *In domibus*, inquit, *regum sunt*, non in deserto scilicet, quò vos perrexistis, quodque Iohannes suæ habitationi elegerat, vbi nullæ suppetunt vestium aut ciborum deliciæ, sed inculta omnia, austera, & squalida sunt, & quæ nihil quàm tedium adferant. Ostendit itaque reipsa populus, quando in desertum profectus fuit Iohannis spectandi gratia, non se existimasse Iohannem hominem esse mollem, sed è contrario duris ad miraculum vsque se exercitantem: id locus, id cibus, id vestitus illius loquebantur. *Habebat*, ait Euangelista suprà 3. v. 4. *vestimentum de pilis camelorum & zonam* &c. Non est igitur quòd quisquam suspicetur, illum, qui factis ipsis suis, animum omnibus monstrauit tam à deliciarum mollitie alienum, tam infractum illum minimeque eneruatum, olim ad gratiam cuiusquam de me tam magnificè testificatum, nunc vertisse sententiam. Qui, quàm nesciret adulari, satis tum clamitabat ipse etiam carcer, cùm hæc Iesus diceret.

Sed

Luc. 7. v. 26.

Sed quid existis videre? prophetam? etiam, dico vobis, & plus quàm prophetam.

9 ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; προφήτην; ναί, λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου.

SED QVID. Syrus: *Et si non, quid.* Postquam ostendit Saluator quid non sit Iohannes, & amolitus est ab eo inconstantiæ ac leuitatis suspicionem, nunc docet quid sit, descendens ad ipsam basim encomij illius, in qua, ceu in cardine, rei summa vertitur, & ex qua omnium longè manifestissimum facit, fieri non potuisse, vt suam de Christo sententiam mutauerit: quippe quam ex proprio officio, propter quod diuinitus missus & delegatus fuerit, protulerit. Sed quoniam, inquit, non sine causa in desertum egressi estis, oportet vt magnum aliquod spectaculum fuerit, quod vos tam frequentes eò pertraxerit, & singularis ac magnifica vobis fuerit de viro opinio. Quid igitur quæsiuistis in eo videre? PROPHETAM? Hic exprimit populi de Iohanne sententiam: *omnes enim habebant Iohannem sicut prophetam* (vt est infrà 21. v. 26.) id est sanctum veritatis doctorem à Deo missum. hac enim significatione vtebatur populus voce prophetæ. Vera itaque hîc causa & appellatio est, quamobrem Iohannes vt miraculum quoddam viseretur populo, qui per quadringentos ferè annos propheta caruerat. ETIAM. ναί. certè. DICO VOBIS affirmo vobis, ET PLVS QVAM PROPHETAM, etiam ampliùs quàm prophetam, etiam maiorem & præstantiorem propheta. s. vidistis. Si igitur procurristis in desertum vt videretis prophetam, non hîc estis frustrati spe vestra. Affirmo enim vobis, vidisse vos, non solùm prophetam, sed & excellentiorem propheta; plus vos in eo viro spectasse, quàm in vllo alio ex prophetis spectauerit antiquitas. Quibus verbis, non modò sancit Iesus Iohannis auctoritatem, sed supra veteres prophetias euehit eius doctrinam, ac supra prophetarum ordinem ipsum extollit & locat, vt populus ad rectum ministerij eius scopum collimet, & peculiare aliquod atque excellentius illi datum fuisse mandatum discens, memoria infixum teneat quod est ille de Christo loquutus. Probat Iesus primùm populi de Iohanne sententiam, Iohannem prophetam fuisse, vocula illa *&*, quæ pro etiam accipitur: ET PLVS QVAM. Tum suam subiicit sententiam, qua perficit eam quæ populi. Propheta fuit Iohannes, quia vir sanctus immediatè à Deo missus, pœnitentiam conuersionemq; ad Deum, populo Iudaico prædicauit, & Messiam venturum prædixit, præsentemque diuino spiritu cognouit nemine indicante. Fuisse autem plus quàm prophetam docet Saluator Malachiæ vaticinio quod subiungit.

Luc. 7. v. 27. Mal. 3. v. 1.

Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

10 οὗτος γάρ ἐστι περὶ οὗ γέγραπται· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

HIC EST ENIM. Ratio cur Iohannes plus quàm propheta. DE QVO SCRIPTVM EST in libro Malachiæ prophetæ. MITTO. Loquitur Malachias tamquam de re iam præsenti, vt solent etiam alij prophetæ, nimirum de re futura tam certi quàm si eam coràm oculis cernerent. ANGELVM MEVM. τὸν ἄγγελόν μου מלאכי *malachi*, nuncium meum, eximium & præclarum quendam illum, vt sit ἀντονομασία in hoc nomine. Voces græca & hebraica communes sunt ad cælestes spiritus & homines mortales. Fuit itaque Iohannes angelus siue nuncius & minister Dei, quia *fuit homo missus à Deo*; *homo* natura, *angelus* ministerio, quia *missus a Deo*, vt nunciaret instantem, & exhiberet præsentem, Christi Saluatoris aduentum. Hunc in modum & pater ipsius de ipso prophetauerat: *Et tu puer, propheta Altissimi* &c. Luc. 1. v. 76. nam prophetæ nonnumquam nuncij vocantur. 2. Paral. 36. v. 15. 16. Nec tamen solùm ob ministerium, quamquam ob id præcipuè, verumetiam ob vitæ puritatem, huic ministerio congruam, & virtutis meritum, Angelus dictus est. *Mirabilis enim fuit*, ait Auctor imperfecti, *qui humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quod non habuit natura, per gratiam Dei.* ANTE FACIEM TVAM. proximè ante te. Vox est patris ad filium, vt Saluator seu Euangelista refert, qui prophetiam iuxta sensum recitat, D. Hieronymo auctore. nam hæc inprimis verba non sunt apud prophetam, nec hebraicè nec græcè, nisi in fine sententiæ, vbi est לפני *liphni*, quod iuxta verbum reddas, *ad faciem meam*; iuxta sensum, *ante me.* QVI PRÆPARABIT. ὃς κατασκευάσει, quod est hebraicè ופנה *oupinna*: id quod Lxx similiter vertêre ὅστις ἑτοίμασει *qui parabit*, vti est in Regia editione. nam in alio exemplari inuenio καὶ ἐπιβλέψεται, quod est, *& inspiciet*, sed subaudiendum opinor, ad mundandum & parandum. Alij ex hebræo vertunt, *Et complanabit, & verret, & emundabit.* omnia in sensum eundem: estque eadem hebraicè vox hoc loco, quæ Isa. 40. v. 3: *Parate viam Domini*; vbi hoc ipsum prædicitur. TVAM. non est apud prophetam nec hebraicè nec græcè. addidit Saluator seu Euangelista, quamquam nec Syrus habeat. ANTE TE. ἔμπροσθέν σου à fronte tua, coram te, vt intelligas Christum qui nunciabatur iam adesse. Propheta, quod diximus, habet לפני *liphni*, quod est, ad faciem meam, siue ante me: est enim illic vox Christi filij Dei de seipso loquentis, vt B. Hieronymus docet, vel potiùs vox Dei Patris loquentis de Christo filio, qui facies est Patris, *imago & figura substantiæ eius* (Heb. 1. v. 3.) quam mutauit Saluator in vocem Dei Patris ad Christum filium loquentis (eadem enim est vtriusque vox) quò clariùs euadat, quì seruiat proposito. Porrò alludit prophetia ad Regum ac principum consuetudinem duplicem, quando illi diu desiderati ciuitatem aliquam suam solenni comitatu ingressuri sunt, quam numquam aut diu est quòd inuiserint. Vna consuetudo est, quòd aduentus eorum antè nunciari per præcursorem soleat, quem nos vulgò vocamus *Fourier*, quò præparentur omnia, ita vt ipsis dignum sit (inter quæ, non minimum sunt viæ per quas oportet vt aduenient) & maiore cum pompa populique frequentia occurratur. Altera, quòd iam aduenientem Regem, nobilissimorum principum aliquis aperto capite sit qui proximè antecedat, & sceptrum præferat, Regem subsequentem monstret, ac de via secedere omnes faciat quà Rex venit. Ad vtramque consuetudinem respexisse, & Prophetam & Saluatorem qui Prophetam citat, prorsus

prorsus sit verisimile: nam non sine causa repetiit Saluator siue Euangelista לפני *liphne*, vertitque semel *ante faciem tuam*, semel *ante te:* & vtroque officio Iohannes functus est. Inprimis enim nunciauit Christum mox venturum, nunciauit aduentum siue manifestationem Christi instantem: & præparauit, id est, præparari iussit, omnes hortatus est vt præpararent venturo viam, baptismi & pœnitentiæ prædicatione (vide suprà 3. v. 3. in illud: *Parate viam Domini*) Nam vt semestri Iohannes ante Christum conceptus & natus est: tantillo etiam ferè tempore, ante Christum prædicare cœpit. Deinde Christum iam aduenientem monstrauit fecitque manifestum omnibus, & se quidem demittens, illum autem extollens, omnes hortatus est illum agnoscere & suscipere, in illum credere, illique adhærere, quippe Christo diu desiderato & vero mundi saluatori. Atque vtrumque egit ex Dei delegatione Ioh. 1. v. 6. & 33. His itaque modis Iohannes Christi nuncium egit, & venienti viam præparauit. Porrò ex hoc iam vaticinio ostensum vult Iesus, plus ipsum esse quàm prophetam: quia angelicam in terris vitam ducens, Christum, quem cæteri prophetæ, è longinquo vaticinati fuerant aliquando venturum, mox esse venturum nunciauerit; immo & vbi iam venisset præsentem ostenderit, ac, coram facie illius positus, digito ipso monstrauerit, suisque manibus baptizauerit, & regnum cælorum ac redemtionis tempus, quod cæteri eminùs & obscurè sub vmbris præcinuerant, ipse propè iam appropinquasse palàm primus nunciauerit, ac viam Christo ad homines, hominibusq; ad Christum & cælorum regnum, munire cœperit baptismi & pœnitentiæ denuntiatione, denique ab aliis ipse prophetis, nominatim à Malachia prædictus sit futurus huiusmodi. Ex quibus iam luce meridiana clarius efficere Iesus vult, longè à Iohanne esse, vt in dubium iam reuocauerit, quod aliàs fuerat ex officio sibi à Deo delegato disertè testatus, nempe Iesum esse Christum.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ ἐγήγερται ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, μείζων ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ· ὁ δὲ μικρότερος, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν μείζων αὐτοῦ ἐστιν. 11

Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum, maior Iohanne Baptista: qui autem minor est, in regno cælorum maior est illo. *Luc. 7. v. 28.*

AMEN DICO VOBIS. Perfectè subiicit suam de Iohanne sententiam. NON SVRREXIT. non exstitit, non est exortus. INTER NATOS MVLIERVM. Hebraismus, qualis si dicas inter filios hominum, pro inter homines. MAIOR. scilicet propheta, quod subaudit D. Hilarius canone vndecimo: nam & Euangelista Lucas disertè illud addit. Qua sententia, non æquari tantùm Iohannes cæteris antè prophetis, sed & præferri intelligendus est: declarat enim Saluator quod priùs dixerat: *Et plus quam prophetam.* Maior ergo propheta Iohanne non surrexit, prophetandi inprimis docendique munere. Nam ministerio prophetandi de Christo, omnium prophetarum maximus Iohannes censendus est, qui præsentem esse asseruit, quem alij sperandum confirmauerant, *cui, soli licuit*, vt Hilarius ait, *& prophetare Christum & videre*. Magnitudo ergo ad prophetandi docendique munus inprimis refertur: huic autem cùm cætera responderent, priuilegia donaque quibus diuinitùs auctus est, & vitæ quam duxit insignia, intelligendus est absolutè omnibus ante se prophetis, ac aliis omnibus proinde sanctis magnisque veteris Testamenti viris, tam vitæ sanctitate quàm sublimitate doctrinæ, esse prælatus. Tam præclaro autem elogio ornatur, vt attentiùs obseruent Iudæi quam ille attulerat legationem, sciantque, fieri nequaquam posse vt modò ab ea variet. QVI AVTEM MINOR EST. sed qui minor est illo, scilicet ætate, prædicandi ordine, & præsertim opinione vestra, id est, qui à vobis minor illo censetur. Hoc ait Christus de seipso. Vt ne enim, cumulatiore illa laude, videretur Iohannem sibi præposuisse, confirmat summa cum modestia testimonium quod Iohannes de ipso tulerat, cùm diceret: *Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius.* Marci 1. v. 7. Nam vsque ad id temporis quo hæc Iesus loquebatur, minor à Iudæis, & principibus, & plebeis, habebatur Iohanne, propheta & sacerdotis filio, cælestem in terris vitam agente, certeque non carente diuina auctoritate. Auctoritati verò Iesu detrahebatur, propter familiaris conditionis humilitatem, inuidiæ magis obnoxiam: quem non solùm initio legationis obitæ, sed in medio etiam tempore, Apostoli, ex populi iudicio, pro magno referebant haberi alterum Iohannem Baptistam. infrà 16. v. 14. IN REGNO COELORVM. Videtur istud ad sequentia referendum esse, iuxta sententiam Hilarij, Chrysostomi, Theophylacti, Euthymij, hoc sensu. Dei & sanctorum angelorum iudicio, qui modò scilicet, cælorum siue cæleste regnum constituunt, Deo in sanctis angelis, & sanctis angelis in Deo, cęlesti modo regnantibus. Hoc est igitur, reuera siue recto iudicio: nam Dei & sanctorum angelorum iudicium errare non potest. MAIOR EST ILLO. natura, sanctitate, virtute, efficacitate, docendo, præstando, denique omnibus veræ magnitudinis modis. Ita enim & Iohannes testatus fuerat, *Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, cuius ego non sum dignus* &c. Ioh. 1. v. 30. 27. Hic enim filius est, ille seruus; hic dominus, ille minister; hic princeps regni cælorum, ille præcursor principis; hic sponsus, ille sponsi amicus.

ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. 12

A diebus autē Iohannis Baptistæ vsque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Luc. 16. v. 16.*

A DIEBVS AVTEM. Quia regni cælorum fecerat mentionem, etiam ab illo Iohannem commendat, docens, ex quo ille cœpit prædicare, Messiam eiusque regnum & tempus salutis à prophetis prædicta, adesse.

A DIEBVS, id est, à tempore quo Iohannes Baptista prædicare cœpit. Hebraismo isto optimè exprimitur, quàm fragilis & caduca sit mortalium vita. VSQVE NVNC. ad hunc vsque diem. Non negat deinceps id futurum, sed significat id cœpisse Iohanne prædicante, nec desiisse Iohanne cessante & Iesu succedente, intelligendum relinquens non minùs id deinceps futurum dum durabit regni cælorum prædicatio.

REGNVM COELORVM quod ille primus & ab ipso ego (sup. 3. v. 2. & 4. v. 17.) prædicauimus hominibus factum esse propinquum, proximum esse vt ad illud etiam homines admittantur, quo soli hactenus angeli fruiti fuere. sic D. Hieronymus. Ante Iohannis legationem, regnum cælorum erat in præparatione, promissione, & figurarum inuolucris: ab illa verò præsens est & expugnari incipit. VIM PATITVR. vis illi adfertur, vi inuaditur siue occupatur, ob turbam irruentium & vi conantium irrumpere: quasi impetu quodam in illud perrumpitur, præ eo quo expetitur feruenti multorum studio. Fit, inquit, magnus hominum concursus, ac si violenter homines irruerent ad occupandum id quod prædicatur Dei regnum, dum non solùm cupidè, sed rapido impetu & violento feruore excipiunt oblatam gratiam. Mox enim vt publicè omnibus expositus est, qui antea diu occultus fuerat (Rom. 16. v. 25. 26.) hic cælestis Patris thesaurus, multi auidè accurrerunt, & obtinere, immo rapere contenderunt, Deo indente Iohannis & Christi doctrinæ eam spiritus efficaciam, vt in corda hominum penetraret, accenderetque ardorem illorum. Itaque vim pati dicitur regnum cælorum, partim propter multitudinem & feruorem eorum qui Iohannis & Christi prædicatione accensi, ad intrandum in illud confluebant, *& magno studio*, quod ait Chrysostomus, *properantes*, quasi alij aliis certatim festinabant anteuertere: partim quia illi quibus nullum ius regni erat, quibus videbatur illud non esse destinatum, in illud intrare contendebant, & præ filiis regni irruebant, vt, peccatores, publicani, meretrices, gentiles. Infrà 21. v. 31. 32. Luc. 5. v. 10. & seqq. 15. v. 1. &c. Posteriorem rationem habet D. Hilarius canone 11. in Matthæum; priorem D. Ambrosius initio libri 8. in Lucam; vtramque idem Ambrosius sub finem libri 5. in Lucam. Et quod ad multitudinem siue frequentiam, quam priori ratione intelligendam dari diximus, ait lib. 5. Ambrosius: *Cum sint aliqua quæ cogendo densari feruntur, non est absurdum quia cogitur regnum, quando pluribus frequentatur, cogentesq; diripiunt illud.* Quod verò ad feruorem, ait lib 8: *Omnis qui vim facit, vehementi studio properat, non torpenti lentescit affectu. Est ergo fidei religiosa violentia, segnities criminosa.* Denique quod ad ius, de quo posterior ratio, vterque auctor ait: *Rapitur Christus, cum aliis nascitur, aliis deligitur & suffragatur* &c. ET VIOLENTI in illud scilicet: intelligitur enim vis inferri regno cælorum, quod patet Luc. 16. v. 16: quamquam regno vis inferri non possit, nisi & nobis ipsis vim inferamus, quæ vulgaris expositio est, cæterasque cupiditates atque affectus nostros cedere cogamus cupiditati qua flagremus obtinendi regni. Nam quia permulti torpent, & nihilo plus mouetur maior hominum pars quàm si nulla vmquam vox de Christo aut Christi regno emissa esset, ideo violentiam illam, de qua loquutus fuerat, non nisi in certo hominum genere exstare Iesus admonet, dum ait, *Et violenti rapiunt illud.* Non traditur, inquit, nisi iis qui legitimè certauerint, & vicerint, custodierintque quæ præcepta illis sunt lege militiæ diuinæ, quicumque illi fuerint, nulla generis aut conditionis habita ratione, qui inquam non frigidè & defunctoriè, sed viribus omnibus illud expugnauerint, & ardenti ad illud affectu adspirantes, religiosa violentia quasique impetuoso impetu perruperint. Allusio est ad figuram terræ promissionis, quæ non nisi viribus & armis, Iosue duce, obtinenda erat: erat enim illa regni cælorum figura. RAPIVNT. siue diripiunt, vt est in aliis codicibus id est, obtinent. Metaphora sumta à castris vel ab arce quapiam, quæ irrumpentibus hostibus diripitur. Ad hunc verò scopum tendebat hæc Iesu sententia, Inexcusabiles esse, qui manifestam Dei virtutem, quæ tam in doctoribus Iohanne ac Iesu, quàm in auditoribus refulgebat, contemtim velut clausis oculis præteribant, nec obseruabant præsens regni ac salutis, ipsiusque Saluatoris Messiæ, tempus.

Luc. 16. v. 16.

Omnes enim prophetæ & Lex [13] vsque ad Iohannem prophetauerũt.	πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν.

OMNES ENIM. Ratio quare regnum cælorum vim patiatur à diebus Iohannis Baptistæ. PROPHETÆ. libri prophetarum. vide suprà 5. v. 17. ET LEX Mosis. VSQVE AD IOHANNEM. vsque ad Iohannis prædicationem. PROPHETAVERVNT. Propriè hìc accipiendum est verbum prophetandi, subestque in eo emphasis. Functi sunt officio suo, prædicendi, promittendi, & figuris adumbrandi futurum Christum & Christi regnum. eò enim ferè tendebant omnia Legis & prophetarum oracula. Relinquit intelligendum, A Iohanne autem, Christus præsens adesse, & cælorum siue Christi regnum appropinquasse, nunciatur: sistiturque ante oculos, quod illi vt longè adhuc absens prædixerant & figuris adumbrauerant. Vaticinati sunt, inquit, futura, quæ à Iohanne clarè & perspicuè cernuntur præsentia. Ac si diceret, Mirum non esse, si Deus nunc tam potenter operetur in hominum animis, ita vt vim patiatur regnum cælorum, quia non procul, vt antea, sub obscuris vmbris se insinuet, sed palàm & cominùs ad statuendum regnum suum adsit; minimeque æquum esse, vt nunc frigeant homines, ex quo se illis cum regno suo præsentem Christus exhibet, qui veterem populum vaticiniis suspensum tenuerat.

&, si vultis recipere, ipse est Elias [14] qui venturus est.	καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι.

SI VVLTIS RECIPERE. Si vultis credere. Syrus imperatiuè habet, *Si vultis, recipite.* Hoc addit, vt beneuolentiam captet, faciliusque persuadeat id quod, & nouum erat, &, quamquam in commendationem Iohannis dictum, potissimùm tamen pro ipso Iesu faciebat, vt Messias siue Christus esse statueretur. Beneuolentiam, inquam, siue *gratam mentem*, vt Chrysostomus loquitur, captat, dum quasi non auditores cogit fidem habere dicto, sed suæ libertati relinquit. IPSE. Iohannes Baptista. EST ELIAS QVI VENTVRVS EST. ἐστὶν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι est Elias ille venturus. s. ex doctrina Scribarum vestrorum: est Elias ille quem Scribæ vos docent Christo præire debere: ille cuius præcursum Scribæ desiderari putant, vt habear ego Christus. Intelligunt illi quidem Eliam Thesbiten in propria persona, sed errant malè intellecta Scriptura sacra. Malachias enim cap. 4. v. 5. promittit venturum Eliam in propria persona ante diem Christi magnum & horribilem: sed is qui promittitur ab ipso eodem Malachia aliisq; prophetis ante hũc diem Christi humilem & amabilem, nõ est Elias in propria persona, sed *in spiritu & virtute* (sic enim interpretatur Gabriel angelus

angelus Luc. 1. v. 17.) is porrò Iohannes iste est, qui tali auctoritate & spiritus efficacitate præcedit hunc meum aduentum, quasi Elias sub finem mundi præcessurus est alterum. vide infrà 17. v. 10. 12.

ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. 15 Qui habet aures audiendi, audiat.

QVI HABET. Familiare Iesu epiphonema, quo excitat auditorum animos ad obseruandum & attentè scrutandum arcanum quod dixerit. *Mysticum enim erat*, inquit Hieronymus, *& egens intelligentia*, quòd dixerat Iohannem esse Eliam, & feria cumprimis, tum illud, tum cætera præcedentia: ex quibus etiam colligendum dabat, mysterium aduentus Christi. AVRES AVDIENDI. cui datum propositumque est vti auribus ad audiendum. quo fine à Deo datæ sunt. significat non omnes habere aures ad audiendum. vide infrà 13. v. 9. vbi accuratiùs hoc exponitur. AVDIAT hæc, & audita obseruet ac mente pertractet.

τίνι δὲ ὁμοιώσω τὴν γενεὰν ταύτην; ὁμοία ἐστὶ παιδίοις ἐν ἀγορᾷ καθημένοις, καὶ προσφωνοῦσι τοῖς ἑταίροις αὐτῶν, 16 Cui autem similem æstimabo generationem istam? similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus Luc. 7. v. 31. 32.

CVI S. rei. Hactenus commendatione ministerij Iohannis, illicere Iudæos Iesus voluit vt crederent Iohannis de ipso testimonio. Porrò Pharisæi & Scribæ apud se cùm spernerent ea quæ in Iohannis laudem protulerat Iesus (quod habet Lucas cap. 7. v. 30.) dederunt Iesu cordium cognitori hanc expostulandi occasionem, & accusandi inuincibilem ipsorum duritiam, qui cùm varijs eos modis tentauerit ad se allicere, illi inflexibili contumacia eius gratiam repulerint, nec duris nec mollibus moti. SIMILEM ÆSTIMABO. ὁμοιώσω assimilabo, similem dicam. GENERATIONEM ISTAM. ætatem, seculum istud. id est, huius ætatis siue seculi homines, tam præfractos & contumaces. Non comprehendit omnes ætatis suę homines, sed de Pharisæis, Scribis & eorum assectis, propriè loquitur, quos Lucas populo & publicanis opponit cap. 7. v. 29. 30. SIMILIS EST. tale quid contingit in generatione ista, in hominibus generationis siue ætatis istius, quale cùm pueri sedentes in foro acclamant sodalibus suis &c. PVERIS. Vtitur similitudine, quam ex vulgari puerorum ludicro sumtam esse, credibile est: neque enim vero absimilis est ista coniectura, quòd pueri alternos choros agentes ita cecinerint, & sibi mutuò acclamarint. Et quidem videri possit Christus data opera, vt Scribarum superciliū deiiceret, à pueris mutuò sumsisse obiurgationis materiam: quamquam & rudes auditores cùm haberet, vndique exempla collegerit prudens magister, accommoda vt illorum animi formarentur & excitarentur. SEDENTIBVS. qui sedere ac ludere solent. IN FORO. ἐν ἀγορᾷ, quod est forum rerum venalium. QVI CLAMANT. προσφωνοῦσι acclamantibus. COÆQVALIBVS. coætaneis. τοῖς ἑταίροις αὐτῶν sodalibus suis.

καὶ λέγουσιν· ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. 17 dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis. Luc. 7. v. 32.

DICVNT. καὶ λέγουσιν & dicentibus. CECINIMVS VOBIS. ηὐλήσαμεν ὑμῖν tibia cecinimus vobis, cantiones scilicet lætas, & nuptijs congruentes. ET NON SALTASTIS. ad modos nostros, non estis prouocati ad tripudium. LAMENTAVIMVS. Lamentati sumus, lugubria siue lugubres cantiones cecinimus, funeribus congruas. ET NON PLANXISTIS. Non estis prouocati ad planctum. Ita enim solebant Iudæi ad funera exhibere cantores luctuosos, qui ploratum ac luctum excitarent (vide suprà 9. v. 23.) id pueri ludicrè imitabantur. Comparat sui temporis homines morosis pueris, quibus nulla sodalium cantilena placet; rebellibus & contumacibus, quibus studia & instituta suorum sodalium numquam probantur, numquam arrident, numquam huiusmodi sunt vt se illis accommodare velint & socij esse lusus.

ἦλθε γὰρ ἰωάννης μήτε ἐσθίων μήτε πίνων, καὶ λέγουσι· δαιμόνιον ἔχει. 18 Venit enim Iohannes neque manducans neque bibens: & dicunt, dęmonium habet. Luc. 7. v. 33.

VENIT à Deo missus. præteriti temporis est. ἦλθε. Accommodat similitudinem Saluator elegantissima antithesi, demonstrans, Dei fidem & diligentiam nihil earum omisisse rerum, quæ ad salutem Iudæorum promouendam pertinerent: ipsos verò, sumta cum Deo contentione, nihil omisisse, quod modò ad impediendam ipsorummet incolumitatem. & repellendam diuinam curam ac beneuolentiam, pertinuerit: vnde iam, non Dei morositate, sed sua culpa & malitia propria pereant. IOHANNES. Se & Iohannem Baptistam pueris comparat illis qui frustra præcinunt cæteris. NEQVE MANDVCANS NEQVE BIBENS. ita viuens vt absque cibo & potu vitam sustinere videretur, quippe quo & parco vtebatur & alieno à vulgari vsu, quo non facilè quiuis vitam aut possit aut velit sustinere. vide suprà 3. v. 4. Subaudiendum est, vt exemplo disciplinæ viuendi ita duræ atque austeræ ad Deum conuerteret. Iohannes ergo cùm vita esset austera, & tonaret pœnitentiam seuerasque reprehensiones, exemplo ac prædicatione quasi lugubrem canebat cantum, vt ad Deum per luctum & pœnitentiam attraheret. ET DICVNT homines istius generationis.

DÆMONIVM HABET. id est, malè sanæ mentis homo est, caret sensu communi, cerebro est minùs benè composito, vel certè inhabitatur à dæmone, cuius virtute illum potest vitæ rigorem ferre. Non solùm non ex-

non exemplo illius per luctum & pœnitentiam ad Deum & voluptatum ac mundi contemptum attrahuntur; verumetiam, quod ad procurandam ipsorum salutem fit, in blasphemam vertunt calumniam. Nam quod vir sanctus agebat diuino Spiritus sancti consilio, ad ipsorum promouendam salutem, id immundo spiritui adscribere, calumnia erat cumprimis ingrata, sacrilega, ac blasphema.

Luc. 7. v. 34. 35.

Venit Filius hominis manducans & bibens: & dicunt, Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia à filiis suis. 19

ἦλθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων καὶ πίνων, καὶ λέγουσιν· ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν. καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς.

VENIT. ἦλθεν. similiter à Deo missus. FILIVS HOMINIS. De se loquitur Dominus Iesus in tertia persona, prout ipsi familiare est. vide suprà 8. v. 20. MANDVCANS ET BIBENS. vulgari mortalium more viuens, cibo, potu, vestitu, vitamque hanc sustinendi modo. non diuerso vtens à cæteris plerisque hominibus inter quos promiscuè versatur. Subaudiendum, vt, exemplo disciplinæ viuendi remissioris, & ipse ad Deum attraheret: vt, quibus difficilior visa fuerat Iohannis austeritas, Iesu ciuilitate, comitateque delinirentur: & qui commoti non fuerant illius austeritate, huius humanitate vincerentur. Vnam enim eandemque rem Iohannes & Iesus diuersis licet viis tentarunt: atque vnum fuit vtriusque consilium, etiamsi viuendi studia atque exempla contraria viderentur, nempe, vt ad Deum per Christum Iudæos adducerent. Hac enim varietate Deus, quasi diuersas personas indueret, voluit peruicaces magis conuincere: quòd sese inflectens & transformans in omnem modum, non tamen eos flexerit. Iesus igitur quum facilem duceret vitam, quasi læto, hilari ac nuptiali cantu, blandiùs allicere studuit. nec mirum, cùm sponsus ipse esset (Iohan. 3. v. 29.) qui suos alibi propugnans dicebat: *Numquid possunt filij sponsi* &c. suprà 9. v. 15. Cæterùm quamuis præstantior fuerit longè Iesus Iohanne, non tamen idcirco vulgaris viuendi modus præstantior austero est, modò cætera paria sint, & non statuatur perfectio in externa vitæ austeritate, sed in interno primùm ac spirituali Dei cultu, à quo externa austeritas proficiscatur. Diuina enim dispensatione assumsit Iesus facile viuendi genus, vt Iohannes quidem inusitata illa sanctè viuendi ratione, ipse autem insolenti splendore miraculorum, auctoritatem sibi compararet, qui missus fuerat omnium Saluator, etiam infirmorum: qui vt ne abiicerent salutis spem, suscepit non rarò in se ea quæ ipsorum propriè sunt, nec sunt in se omnium perfectissima, vt quòd tristatus sit vsque ad mortem & deprecatus imminentem passionem, id quod martyrum multi, qua fuerunt constantia, non fecerunt. ET DICVNT. Etiam Filij hominis humanitatem, quam amplexari & exosculari, quaque ad meliora prouocari debuerunt, non solùm non exosculantur, sed & iniquè in conuitia ac calumnias interpretantur. Atque ita natio ista ad omnem occasionem fit deterior, dum nullum remedium sibi non vertit in materiam maioris morbi. VORAX. φάγος edax. POTATOR VINI. Insignius est græcè vnica voce οἰνοπότης vinipotor, cui opponitur ὑδροπότης aquæpotor. Conuitium hoc temulentiæ in Christum, fabricasse videntur Pharisæi, ex occasione miraculi aquæ in vinum versæ Ioh. 2. v. 9. 10. Magna certè & dictu horrenda de Saluatore iactata conuitia, temperantiæ ac sobrietatis absoluto exemplari: qui ita se ad communis vitæ vsum accommodauit, vt verè diuinam coleret temperantiam nec aliorum luxuriam aleret vel dissimulatione sua vel exemplo. PVBLICANORVM ET PECCATORVM AMICVS. Quia publicani maximè & peccatores ad Iesu prædicationem conuertebantur, contemti à Scribis & Pharisæis; fiebat vt esset ipsis Iesus familiarior, sed ita, vt à peccatis ipsos reuocare, sua illa familiaritate conaretur. vide suprà 9. v. 10. & 11. vbi calumniæ huic Iesus respondet. Nec à Iohanne itaque nec à Iesu, diuersis licet modis tentantibus, apud illius seculi homines quidquam profectum est, præ ea qua fuerunt ferrea ac maleuola peruicacia. ET. pro sed. Nam ו *vau* Hebræorum, cui respondet καὶ *&*, hanc etiam significationem admittit: vt manifestè apparet Act. 10. v. 28. IVSTIFICATA EST. probata ac laudata est. Hæc enim Saluatoris sententia ei respondet, quam Lucas præmittit v. 29. cap. 7: *Et omnis populus audiens & publicani, iustificauerunt Deum*, quod est, laudauerunt & glorificauerunt. SAPIENTIA Dei, quæ in Iohanne & me eluxit, quæ per nos se declarauit studiosam procurandæ modis omnibus salutis generationis istius.

A FILIIS SVIS. à filiis sapientiæ. nam αὐτῆς ad σοφίαν refertur. Syrum hic habet *à seruis suis*: nam in Luca, habet & ipsum, *à filiis suis*. Dicuntur autem filij sapientiæ, ipsi sapientes, ex idiotismo hebræo, de quo iam sæpè diximus: estque hìc exceptio ab eo quod generationem illam siue ætatem vniuersam in comparationem adduxisse videbatur: denique subest hìc tacita antithesis inter genuinos sapientiæ filios & nothos, qui inanem titulum sine re obtendunt. Sapientiæ enim filij vocantur, ij qui Iohanni & Iesu crediderunt (nam iustificasse dicuntur sapientiam Dei, quando doctrinæ & consilio à Dei sapientia profectis acquieuerunt) quales fuerunt populus & publicani Luca Euangelista auctore (cap. 7. v. 29. 30.) qui minimè omnium sapientes habebantur, cùm Scribæ & Pharisæi pro sapientibus se venditarent, qui hìc innuuntur minimè sapientes fuisse, quòd sapientiam Dei in Iesu & Iohanne relucentem nec agnouerint nec probauerint. Est igitur hic huius loci sensus: Quamquam plerique huius ætatis, nec durioris instituti viuendi exemplo, quod in Iohanne, nec remissioris, quod in me, propositum fuit, præ ea qua laborant ferrea peruicacia, flexi aut ad Deum adducti sint, quinimmo deteriores euaserint: ab iis tamen omnibus agnita & probata est, atque apud eos omnes laudem & auctoritatem suam tenet Dei sapientia (quæ per ministerium nostrum declarauit, curæ sibi modis omnibus esse, vt procuret salutem ætatis istius) qui veri sunt & germani sapientiæ filij, id est, Quamuis apud plerosque nihil profecerimus; multum tamen apud verè sapientes, qui sunt electi Dei, minimè omnium à mundo sapientes habiti.

τότε ἤρξατο ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, ἐν [20] αἷς ἐγένοντο αἱ πλεῖσαι δυνάμεις αὐτοῦ, ὅτι οὐ μετενόησαν.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam.

TVNC, cùm emissis ad Euangelium prædicandum Apostolis, prædicaret & ipse in ciuitatibus eorum, suprà v. 1. Tunc reputans secum Israëlitarum ingratitudinem, & obduratam inuincibilemque malitiam (qualis mox descripta est eâ quæ de Iohanne interiecta historia est) ac singularium præsertim quarumdam ciuitatum, in quibus diu sine fructu magister ipse prophetæ munus exercuerat, & miracula multa ediderat. COEPIT. nam & postea hoc idem fecit. Luc. 10. v. 13. EXPROBRARE. extremamque perniciem prophetare, ad terrorem aliorum. CIVITATIBVS. ciuibus earum ciuitatum IN QVIBVS PLVRIMA ab ipso edita sunt miracula. Porrò sub miraculis doctrina comprehenditur: neque enim Christus spectandam proponens Patris virtutem, interea obmutuit, immo miracula edidit idcirco vt ad os ipsius attenderetur. QVIA quòd. POENITENTIAM malè anteactæ vitæ. vide suprà 3. v. 2. Docemur his verbis, in quem finem Dominus miracula sua ediderit: certum est enim, documenta suæ virtutis Dominum protulisse, vt crederent homines & obtemperarent Euangelio quod ipse prædicabat: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*; vt homines ad Deum inuitaret, qui, quum naturâ auersi ab eo essent omnes, à pœnitentia initium facere necessum erat. Non dicit: Quia non admisissent virtutes eius, quia non laudauissent, quòd spectatores & admiratores non fuissent, denique quòd non credidissent virtutem eius admirandam & diuinam, tantis & tam frequentibus exemplis confirmatam; sed *quòd pœnitentiam non egissent*. ea enim peccatoribus inprimis necessaria est. vide suprà 7. v. 22. 23. & Luc. 13. v. 26. 27.

οὐαί σοι χοραζίν, οὐαί σοι βηθσαϊδά· [21] ὅτι εἰ ἐν τύρῳ καὶ σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις αἱ γενόμεναι ἐν ὑμῖν, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν.

Væ tibi Corazain, vę tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. *Luc. 10. v. 13.*

VÆ TIBI. s. ita dicens: *Væ tibi*; quod deplorantis & ultionem extremorum suppliciorum prædicentis est. vide infrà 23. v. 13. CORAZAIN. In plerisque libris græcis est *Corazin*: Syrum ܟܘܪܙܝܢ vtroque potest modo legi. Erat autem ciuitas ad littus maris Galilææ siue Tiberiadis sita, vt & ea quæ proximè sequitur *Bethsaida*: sed Bethsaida quidem citra mare in Galilæa; Chorozain verò vltrà; media inter vtramque & vtrique vicina Capharnaum erat. Fuit Bethsaida ciuitas Philippi, Andreæ, & Petri, quod habes Iohan. 1. v. 44: sic dicta Bethsaida, tamquam piscationis vel piscatorum domus, quòd vt erat mari vicina, plerique, verisimile est, illius incolæ piscatores essent. nam בית *beth* domus est; צידא *saida* piscatio, צידא *saide* piscatores, à צוד *soud* piscari. id quod etiam in Notationibus nostris obseruauimus Ioh. 5. v. 2.

IN TYRO ET SIDONE vicinis gentium idololatrarum ciuitatibus. Vicinæ immo contermìnæ Galileę sunt, ea parte qua sorte cecidit tribui Aser (Ios. 19. v. 28. 29.) & quamquam existiment nonnulli eas ad sortem Aseritarum pertinuisse (id quod de Sidone quidem liquidum fieri videtur Iudic. 1. v. 31.) numquam tamen Hebræorum acceperunt imperium, nedum religionem, Deo id credo nolente, vt à Gentium commerciis essent alieniores Hebræi. Tyrus, à rupe nomen habet vndequaque altissima in qua est ædificata, conuersa litera *sade* in *tau*. nam צור *tsur* hebraicè, & rupis & vrbis istius nomen est. צידון *Sidon*, vel à Sidone primogenito Chanaan (Gen. 10. v. 15.) ita vocata est, quod putant nonnulli, vel à piscatione piscium que copia, vt mox Bethsaida, quod alij. Sitæ sunt ciuitates istæ ambæ in eodem maris Mediterranei littore (nam Tyrus, cùm esset insula, ab Alexandro Magno coniuncta est cum continente à parte Orientis) à se mutuò dissitæ ducentis circiter stadiis, ambæ opportunissimo instructæ portu, ambæ quoque proinde emporia nobilissima, veteribus scriptoribus tam prophanis quàm sacris celebrata, de primatu dubio olim certamine contendentia. Horum quia propter viciniam infamis apud Iudæos erat impietas vitiositasque (vt illiusmodi maritima loca. ab exteris perpetuò frequentata nationibus, à negotiosa illa, quæstuosa, ac voluptuosa vita, ad religiosam excoli vix vmquam possunt) data opera hanc comparationem adducit Saluator, quò populares suos magis pungat, dum malitia & insanabili Dei contemtu Tyrum & Sidonem à Corazain & Bethsaida asserit superari. Maledictionem ergo suam non parum amplificat, quum dicit, plus sperandum esse correctionis ex illis locis in quibus nulla est religio, quàm appareat ex ipsis Iudææ ciuitatibus: singularem enim obstinationem notat earum vrbium in quibus frequenter egerat, docuerat, & miracula perpetrauerat.

VIRTVTES cum huiusmodi doctrina coniunctæ quæ prauam eorum vitam damnasset. IN VOBIS. intra siue apud vos, à me scilicet. OLIM. iamdiu, mox vt factæ fuissent; vel, etiam iam olim cùm maximè florerent, quo modo vos numquam, ac proinde magis elatis & obstinatis animis esse potuissent. Quàm enim floruerint vrbes istæ negotiatione & opibus, ac proinde etiam voluptatibus & vitiis, præter auctores profanos, ex prophetis Isaia (c. 23.) & Ezechiele (c. 26. & 27.) intelligere licet. IN CILICIO. ἐν σάκκῳ in sacco, id est, cum sacco, operti saccis. Sacci vox omnibus ferè omnium nationum linguis eadem vna est. Porrò rectè vertit Interpres cilicium, tum hoc loco, tum aliis plurimis, etiam veteris Testamenti, quia significatur vestimentum, non vile tantùm, sed & durum, asperum, ac carnis afflictiuum, quo luctus atque anxietatis tempore vestiri mos erat, & interulæ loco constringere lumbos, exutis vel laceratis splendidioribus ac delicatioribus vestibus. tristis reorum atque lugentium habitus. ET CINERE. conspersi cinere. vult dicere, insignem acturos fuisse pœnitentiam. Solent enim olim apud veterem populum, qui, vel pœnitentiam agebant solennem, vel lugebant grauiter, sacco se vestire & conspergere cinere, ita confitentes reatum suum, & testantes animi dolorem, seseque humiliantes, & iram deprecantes iudicis: erat hic grauissimæ pœnitentiæ habitus (Ierem. 6. v. 26. Thren. 2. v. 10.) quem gentiles quoque imitatos fuisse constat ex Iona cap.

na cap. 3. v. 6. Porrò ex hoc loco discere licet, *μετάνοιαν* siue pœnitentiam, aut, vt malunt hæretici, resipiscentiam, Saluatori non esse solùm nouam vitam siue vitæ in melius mutationem: de quo egimus suprà 3. v. 2.

POENITENTIAM EGISSENT. quod longè abest à vobis. *μετενόησαν*. Intelligo simpliciter, cum D. Augustino lib. 2. de bono perseuerantiæ cap. 9. & 10, Dominum ex sua loqui sententia, vt præscium futurorum: quamquam auditoribus id non aperiret, qui intelligere poterant dictum à Domino, quid facturi fuissent Tyrij & Sidonij, quatenus ex re ipsa percipi humanitùs poterat. Nam quòd tam corrupti erant illarum vrbium mores, ac tam effrenis dissolutio, ignorantiæ imputari poterat, quòd nulla illic vox Dei audiebatur, nec miracula fiebant, quibus admoniti resipiscerent: cùm contrà, vrbium Galilææ quas Dominus obiurgat, plus quàm ferream contumaciam loqueretur copia verbi Dei cum miraculorum coniuncta frequentia. Cæterùm hîc quæritur, quare Deus, iis posthabitis quos conuertendos miraculis illis nouerat, apud illos ea fieri voluerit, quos nouerat illis nihilo meliores, immo verò deteriores, effectum iri? Non est autem aliud quod respondeatur, quàm quod ait Apostolus Rom. 9. v. 18. 20: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. O homo tu quis es qui respondeas Deo?* Quoscumque misericordia sua non dignatur, iustè exitio destinat: qui, si quibusdam verbum suum subducens eos perire sinit; alios verò vt magis inexcusabiles reddat, etiam hoc vel illo modo ad pœnitentiam solicitat & hortatur, quis eum propterea iniquitatis insimulet? Ergo infirmitatis nostræ conscij, discamus altitudinem istam consiliorum Dei reuerenter suspicere atque adorare.

Luc. 10. v. 14.

Verumtamen dico vobis, Tyro & [22] Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis.	πλὴν λέγω ὑμῖν, τύρῳ καὶ σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσαι ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ ὑμῖν.

VERVMTAMEN. *πλὴν*. alij vertere malunt, ita vt sit illatiua coniunctio, *ideo*; alij ita vt amplificet superiora, *quinetiam*. TYRO ET SIDONI. Tyriis & Sidoniis. REMISSIVS ERIT. tolerabilius erit, mitiùs cum illis agetur. quòd minores & pauciores illis fuerint ad vitæ emendationem admonitiones, legem dumtaxat naturæ transgressis. IVDICII extremi atque communis. QVAM VOBIS. quibus vltra naturæ legem etiam scripta lex data est & frequentes prophetarum ac meæ cumprimis monitiones, diuinissimorum miraculorum frequentia stipatæ. Omnes Deus opportunis ac sufficientibus rationibus ad pœnitentiam aduocat quosdam verò etiam superabundantibus. In Tyro & Sidone id agendum curauit Deus quod satis esset: in vobis multa fieri insuper voluit ex abundanti misericordia. dabitis ergo ambo pœnas, sed vos longè grauiores. Reliqua quære sup. 10. v. 15.

Luc. 10. v. 15.

Et tu Capharnaum, numquid vsque [23] in cęlum exaltaberis? vsq; in infernum descẽdes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem.	καὶ σὺ καπερναοὺμ, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ· ὅτι εἰ ἐν σοδόμοις ἐγένοντο αἱ δυνάμεις αἱ γενόμεναι ἐν σοὶ, ἔμειναν ἂν μέχρι τῆς σήμερον.

ET TV CAPHARNAVM. Apostrophe ista ad Capharnaitas facta magnam habet epitasim: veluti si quis cœtum aliquem perditorum hominum obiurgans, tandem omnibus aliis præteritis, in certum aliquem, grandi impietate insignem, feratur. Sic nominatim compellat Christus vrbem Capharnaum, Galilææ emporium. NVMQVID VSQVE IN CÆLVM EXALTABERIS? Græcè & Syriacè, absque interrogatione legitur, hîc vt secundùm Lucam: *Quæ vsque in cælum exaltata es.* de qua diuersitate scripsimus in Notationibus. Græcæ itaque editionis sensus est: Quæ præsentia, habitatione, & miraculis meis, tanto honore tantaque gloria aucta es, vt ad cælum vsque excreuisse, cæloque caput inferre posse videaris. Latinæ editionis iste: Num putas semper eo te honore ornandam, quem tibi præsentia, habitatio, & miracula mea attulerunt, vt sublimis & clara perseuerans, à futuris in perpetuum retro seculis in cælum laudibus feraris? Hæc certè incomparabilis erat dignitas, quòd Filius Dei regnum suum auspicaturus, sibi eam palatij & sanctuarij loco delegerat (sup. 4. v. 13.) in qua ita fuerit assiduus, vt vocetur ciuitas ipsius (sup. 9. v. 1.) denique quam tam multis magnisque miraculis illustrauerit, vt nullam æquè. Atqui, perinde ea in sordibus suis demersa erat, ac si nulla vmquam illic stillasset diuinæ gratiæ gutta. VSQVE IN INFERNVM DESCENDES. *καταβιβασθήσῃ* deprimeris. nam significat *καταβιβάζεσθαι*, ab alio deiici, detrudi, prosterni: opponitur enim *τῷ ἀναβιβάζειν*, quod est, in equum attollere. Latinus Interpres legisse videtur *καταβήσῃ*. Sensus est, cadet fama tua, & vastata funditusque excisa, extrema ignominia afficieris, denique & æternorum suppliciorum damnationem subibis. Non est dubium quin cum reliqua Galilæa Romani & Capharnaum vastauerint, quamquam Iosephus libris de bello Iudaico illius non meminerit nominatim. vide infrà 24. v. 15. 16. Pronunciat Christus eò magis horrendam pœnam ipsi Capharnaum instare, quò maioribus Dei beneficiis ornata erat, idque quòd ad agendam scelerum suorum pœnitentiam permota non esset. IN SODOMIS. ciuitate illa abominata, cuius execrandam memoriam, quòd eam ira Dei horrendo exemplo funditùs sustulerit. Notanter Sodomitarum exemplo terret, vt si futuri iudicij non adeò magnam, vt fit, rationem habeant, vel isto Dei in Sodomitas iudicio, quod omnibus constat, permoueantur. vide suprà 10. v. 15. FORTE MANSISSENT. *ἔμειναν ἄν*. Interpres ex *ἂν* vertit *forte*, non hîc tantùm, sed & aliàs frequenter (Ioh. 5. v. 46. Psal. 80. v. 15.) id quod conuenire potest, quando particula est *δυνητικὴ* siue potentialis: quo modo eam hîc accepisse Interpres videtur, ita vt *forte mansissent*, dixerit pro mansisse potuissent. Aliquando vertit *vtique* (Heb. 8. v. 7.) ac videtur nonnumquam abuti *forte* pro *vtique*, aduerbio dubitandi pro confirmandi, vt illo loco Psalmi, & fortassis etiam isto Euangelij. Aliquando denique relinquit intactam, non vertit (mox v. 21.) quo modo etiam alij

Inter-

Interpretes, cùm illic v.21. tum hîc v.23. Porrò verisimile est, vtrumque locum eodem modo intelligendum esse; Saluatorem loqui, vel vt præscium futurorum, vel quatenus ea ex rebus ipsis humanitùs percipi poterát.

MANSISSENT. exstarent. euersi sunt enim diuinitùs. VSQVE IN HANC DIEM. vsq; ad hodiernum diem. Quia scilicet virtutum magnitudine frequentiaque eò facilè adducti fuissent, vt pœnitentiam egissent scelerum suorum, & ad meliora conuersi fuissent, quod vos non estis. Cæterùm id confitendum est, quamuis ad seruandos Sodomitas remedium esset in manu Dei, iustum tamen eum fuisse vltorem in illis perdendis.

πλὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι γῇ Σοδό-μων ἀνεκτότερον ἔσαι ἐν ἡμέρᾳ κρί-σεως, ἢ σοί. [24] Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.

TERRÆ SODOMORVM. Sodomitis. Cætera, vt mox v.22. & sup. 10. v.15.

ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰη-σοῦς εἶπεν· ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυ-ψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. [25] In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Luc. 10. v.21.*

IN ILLO TEMPORE. eo ipso tempore, vel alio quo talis occasio fuit, qualis ex iis quæ antecedunt exprobrationibus accipi possit. RESPONDENS. in verba erumpens occasione arcanorum Dei iudiciorum, quæ partim verbis superioribus expresserat, partim secum cogitabat. Impropriè igitur accipitur respondendi vox, phrasi sacris literis familiari, vbi ex re præsenti, occasio accipitur in verba prorumpendi, etiamsi nulla alicuius interrogatio præcesserit, ex hebraico ac syriaco verbo ענה *hana*, quod sæpè non tam respondere, quàm cogitatam & opportunam orationem proferre, aut intermissum sermonem prosequi & velut nouum subiicere ac ordiri significat, ita vt planè sit loqui, sermonemque instituere, maximè sequente verbo dicendi, vt passim in Iob & Euangeliis. CONFITEOR TIBI. agnosco coram te, laudandus es mihi dicendæque tibi gratiæ. Nam hebraicum verbum ידה *iada*, cui respondet Syricum ܝܕܐ *ida*, positum in quinta coniugatione, cùm græci constanter verterint ἐξομολογεῖσθαι confiteri, non minus significat laudibus celebrare & gratias agere. Vnde illud frequens in Psalmis: *Confitemini Domino quoniam bonus* &c. Testatur his verbis Christus, se in hoc Patris decreto, licet ab humano sensu illud discrepet, acquiescere. PATER. Apostrophe ista plurimum momenti apud auditores discipulos habuit: idem tamen sermone ad ipsos conuerso docentur infrà 13. v.11. 14. 15. & Luc. 8. v.10. Significatur autem voce Patris, affectus ex animo laudantis Deum. Et quidem Pater mundo opponitur, quòd ad consiliorum diuersitatem. DOMINE CÆLI ET TERRÆ. Significatur non fieri Dei impotentia, quòd sapientes Euangelio non obediant; fieri autem pro arbitrio voluntatis Dei, quòd paruuli obediant. Totius enim orbis cùm sit Dominus, facit quæcumque vult, sapientibus idiotas præfert &c. QVIA ABSCONDISTI. quòd absconderis. Abscondit, non, quia visu facilia cùm sint, facit ne visui obiiciantur (neque enim homini visu facilia sunt) nec quia non proponit videnda (Christus enim omnibus promiscuè se doctorem obtulit) sed quia non reuelat, quia oculos non aperit ita vt videant, quia mentes non illuminat ita vt credant. Non igitur de externa prædicatione loquitur, sed de interna Spiritus sancti illuminatione. HÆC mysteria regni cælorum, & magnifica gratiæ tuæ munera, per Euangelium à me & discipulis meis promulgata. vide infrà 13. v.11. A SAPIENTIBVS. qui ingenio & doctrina pollent. Per concessionem loquitur, eò quòd sapientes à mundo habeantur: non enim laudabilem illam cælestemque sapientiam intelligit, sed hanc quæ seculari doctrina præstatur. ET PRVDENTIBVS. συνετῶν intelligentibus. Huiusmodi erant Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, cæterique periti Legis qui habebantur, in Capharnaum & aliis Iudææ ciuitatibus, quibus Euangelium Christus prædicauit. horum enim pauci crediderunt. Eruditio ingeniique acumen nullius est momenti ad fidem obtinendam: è contrà inscitia non obstat misericordiæ Dei, quò minùs rudes & crassos homines cælesti sapientia illustret.

ET REVELASTI. & reuelaueris. illustrans mentes interno Spiritus tui lumine, corda aperiens vt prædicationi acquiescerent. PARVVLIS. νηπίοις, ad verbum, infantibus id est, idiotis, iis qui nullo sapientiæ titulo clarent, qui nullius fiunt à mundo, non pluris quàm pueri infantes. Fortè alludit ad illud Dauidis: *Ex ore infantium*. Psal. 8. v.3. Huiusmodi erant Apostoli & discipuli plerique omnes Saluatoris: quos, hac diuinæ laudis celebratione, & solatur quia paruulos, & animat vt vocatos, & reprimit vt Dei reuelatione non suo studio fidē assequutos. Hoc modo se habebat Ecclesia & Apostolis postea prędicantibus: vide 1. Cor. 1. v.26. & seq. vbi etiam ratio huius diuini consilij exprimitur, de stercore erigentis pauperes. In quo consilio Christus hîc sibi placet & gratulatur, vt ne quis vilem tunc & obscurū Ecclesiæ statum despicere auderet.

ναὶ ὁ πατὴρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. [26] Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. *Luc. 10. v.21.*

ITA PATER. ναὶ ὁ πατήρ. etiam, vel rectè Pater. Sic profectò fecisti, & quidem rectè ô Pater. Nominandi enim casus græcis est pro vocandi. vt & Mar. 15. v.34. Repetitio autem ista, vehementer approbantis est, vt nefas sit negare aut damnare, quod tanta asseueratione confirmatum est. simile Luc. 12. v.5. PLACITVM. εὐδοκία. ad verbum, beneplacitum, gallicè *bon plaisir*. *Fuit placitum*, pro placuit, hebraismus; quem-

admodum

admodum & in eo quod sequitur ANTE TE pro tibi. Verè & rectè ô Pater fecisti, quia sic placuit tibi. Non dicit qua ratione sic ei placuit, sed tantùm quia placuit. Laudat Patris factum Christus, & rectum ostendit, ea sola ratione quòd ipsi sic placuerit; non delectatus malo reproborum, sed iusto Patris iudicio. Docet itaque nos, non discutere Dei iudicia, illos reprobantis, hos eligentis, sed laudare ea & prędicare, vel hac sola ratione, quòd Deo sic placeat, cuius voluntas definita, quando nobis cognita est, pro summa ratione & iustitia celebranda; beneplacitum, pro mille rationibus amplectendum est: quamuis interim non prohibitus sit dolor, quem, ex consideratione mali proximos occupantis, sancti concipiunt, nisi modum excedat, & in contentionem aut murmurationem vertatur. vide sup. 6. v. 10. Nec reprobationis igitur, nec prædestinationis, hominum ex damnata progenie natorum, horum præ aliis, causa quærenda est alia, quàm Patris cælestis voluntas per se ipsa rectissima: quo rursus documento, discipulorum suorum Christus animos à fastu præmunit, dum intelligunt, electionem sui, non ipsorum meritis, sed gratuito Dei beneplacito adscribendam.

Luc. 10. v. 22.

Omnia mihi tradita sunt à Patre [27] meo. Et nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.	πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου. καὶ οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱόν, εἰ μὴ ὁ πατήρ· οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ υἱός, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι.

OMNIA MIHI. Mutat sermonem, ita tamen vt intelligi possit mansisse vultu ad Patrem in cælos defixo. vide Notas Luc. 10. v. 22. Ne existimarent discipuli auditores, Patre inferiorem esse Filium, vt qui Patri gratias agat, Dominum cæli & terræ agnoscat, &, aliorum excęcationem, aliorum illuminationem, soli ipsius beneplacito adscribat; dicit, homo licet sit, à Patre tamen sibi data ea omnia quæ Pater habet, naturam inquam Dei, & quæcumque illam comitantur, potentiam, dominium, facultatem gubernandi saluandique homines &c. quo modo & Ioh. 16. v. 15. dicit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* TRADITA SVNT. Non per alienationem, sed per communicationem, quæ facta est ab æterno per generationem, cui nihil deperiit etiam tum quum accessit humana generatio. Significat itaque æqualem se esse Patri; ac proinde vnam & communem sibi esse cum Patre potentiam, voluntatem, atque operationem, qua aliis reiectis, aliis reuelat regni cælorum mysteria, quibus visum fuerit, non prædicando extrinsecus in aures, quod ipsius erat secundum humanitatem, sed mentes intrinsecùs illuminando. Quare & discipulorum animos anxios (quales esse poterant ex eo quòd intelligerent, pro cælestis Patris, lucem habitantis inaccessibilem, arbitrio, citra discrimen meritorum, alios prædestinari, reprobari alios) exhilarat, dum Patrem nihil operari docet absque ipso, qui per humanitatem expositus omnibus est, mediator Dei & hominum constitutus. Obserua itaque à Christo Domino hîc notari, duplicem naturam suam, vnam qua Patri æqualis est, alteram qua homo hominibus expositus. ET NEMO. Nullus autem. Occurrens obiectioni illi quam aliquando audiuit: *Tu de teipso testimonium perhibes*, ne existimetur temerè sibi arrogare summa ista, explicat nulli se nisi Patri notum; ac proinde non mirandum, si non credant in ipsum, nisi ij quorum mentes Pater secreta illustratione dignatus fuerit. Nulli autem notum se dicit, subaudi creaturæ, nullus à Patre essentia distinctus nouit: non enim excluditur Spiritus sanctus, multoque minùs ipse Filius, quibus est eadem vna cum Patre natura. Cæterùm parca est in Euangeliis mentio de Spiritu sancto, ante discessum Saluatoris: prima enim cura Saluatori fuit, Patris & Filij cognitionem discipulorum mentibus imprimere: postea verò vbi discessum pararet, etiam ea docere quæ sunt Spiritus sancti. non enim simul omnia capi à rudibus poterant. Vt itaque vetus Testamentum vnum Deum; ita nouum, Deum Trinitatem nos docet: illud enim prius inculcandum fuerat hominum cordibus. NOVIT. ἐπιγινώσκει. compositum pro simplici. FILIVM. me Dei Filium esse, diuinam meam generationem, naturam ac maiestatem, Patris naturæ ac maiestati æqualem. Filius & Pater, generatio naturaque diuina, omnem creatæ cognitionis vim transscendunt: nec nisi reuelatione cognosci possunt. NISI PATER qui illum genuit. Ille solus nouit perspectumque habet Filium vnicum ex sua substantia à se esse genitum, ille solus intelligit & comprehendit generationem illam suam, & eam quam generatione ab ipso Filius habet diuinam naturam, illiusque perfectionem atque eminentiam, ille solus certò iudicare potest quid in Filium contulerit. Non addit: *Et cui voluerit Pater reuelare*, quia mox disertè satis illud dixit his verbis: *Et reuelasti ea paruulis.* primum enim inter mysteria regni Dei, est nosse Filium Dei. Itaque istud, tum ex præcedentibus, tum ex consequentibus, intelligendum reliquit: cui consentaneè, Petro postea Filium confitenti dictum est: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus* &c. infrà 16. v. 17. NEQVE PATREM. Quemadmodum neque Deum esse Patrem, & genuisse Filium sibi æqualem QVIS NOVIT. Ante Christi prædicationem, *notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius*, sub ratione Dei, non sub ratione Patris: quomodo interpretatur B. Augustinus illud Iohannis 17. v. 6: *manifestaui nomen tuum hominibus*, de nomine Patris. NISI FILIVS, ante Luciferum ex illius vtero genitus. Æqualitas Filij cum Patre, ex mutuæ & æqualis cognitionis secreto. ET CVI VOLVERIT. nam pro voluntatis suæ beneplacito, non pro meritis hominum, reuelat Filius quemadmodum Pater. FILIVS REVELARE. mentem illius donans huius rei lumine. Agnosce iterum æqualem Filij cum Patre virtutem in reuelandis secreto afflatu fidei mysteriis. Non enim de externa prædicatione etiam miraculis confirmata hîc agitur: ad illam enim multos admittebat Christus, quibus tamen Patrem non reuelabat, eò quòd intus illos non doceret, hoc est, intellectum illorum suæ doctrinæ non subiiceret. hoc enim inprimis necessarium est. Huiusmodi porrò distinctio, vt Pater quidem reuelet Filium, Filius autem Patrem, seruit docendis rudioribus, cùm alioqui Patris & Filij eadem vna sit in omnibus operatio. Igitur & Filius Patrem nouit & is cui Filius Patrem reuelat sed discrimen immensum est inter vtriusque notitiam, cùm ille naturæ æqualitate, hic reuelantis dignatione cognoscat: ille notitia comprehendat omnem abyssum perfectionum paternarum, hic non amplius cognoscat quàm gratuito Filij dono illi reueletur, vt nec totius est capax.

Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς.

28 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

VENITE. Declarata diuinitatis suæ magnificentia, ne putaretur homunciones contemnere, aut certè ne illi maiestatem reueriti absterrerentur, omnes ad se humanissimè inuitat. VENITE. affectibus fidei & spei religiosæ. In hac euocatione, liberi arbitrij significatio est. Non autem quòd hoc possint suis ipsorum viribus, absque singulari gratia Dei (iam enim docuit non absque Patris reuelantis munere Filium cognosci, & Ioh.6.v.44: *Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*) sed quòd non absque suis viribus id faciant, quando Deus facit vt faciant. simul enim operantur gratia Dei & liberum hominis arbitrium, vt duo iugales equi currum trahunt quem vnus solus non queat. AD ME. cui Pater omnia tradidit, & solus iuuare vos possum. OMNES citra discrimen. non enim est personarum acceptor Christus, ad omnes recipiendos paratum se testatur, vt ne quis praua dubitatione viam sibi præcludat. Non est autem qui non laboret, antequam à Christo liberetur. QVI LABORATIS. οἱ κοπιῶντες qui molestiam patimini. s. sub iugo veteris hominis, eò enim videtur respicere, propter consequentia. ET ONERATI ESTIS. qui fatigati estis ex onere, qui fessi succumbitis oneri, Oneri, inquam, siue iugo (nam hæc eadem sunt vt mox dicetur, peccatorum oneri concupiscentiarum, denique oneri miseriarum huius vitæ ac mundi. Hæc enim omnia asperitate sua mortales affligunt vt iuga, & vt onera suo pondere grauant: peccata, quia fœdè maculatos torquent conscientiæ remorsu, & obnoxios constituunt iræ Dei: concupiscentiæ, quia irrequietè solicitant ad peccandum: miseriæ, quia *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Sap.9.v.15. Sed plerique necessitatis suæ sensu non tanguntur, nullam sentiunt aut molestiam aut fatigationem, occalluerunt iugo, indurauerunt sub onere: ex innumera pereuntium turba pauci perire se sentiunt, obstupuerunt enim illis sensus, præ eo quo tenentur amore sæculi terrenæque felicitatis, ideo nec ad Christum venire curant. Qui verò peccati pondus molestiamque sentire incipiunt, qui de peccatis, inquam, suis confusi, metuque iræ Dei perculsi, iniquitatis mortisque æternæ reatu conscientias afflictas habent, & ita malis suis intus vrgentur vt deficiant, qui sub onere pungentium simul ac prementium concupiscentiarum gemunt, denique quibus mundus hic & mundi miseriæ perspectæ molestiam tædiumque adferunt, hos demum ad Christum ex petendum mala sua impellunt (nisi falsa opinione adducti extra Christum remedium quærant) hi præparati sunt recipiendæ huic Christi gratiæ, de qua sequitur: ET EGO REFICIAM VOS. κἀγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς & ego faciam vt vos requiescatis, ego requiem vobis dabo. Nam & Interpres, ex nomine ἀνάπαυσιν ab hoc verbo deducto, versu sequenti vertit *requiem*: *Et inuenietis requiem animabus vestris*. Promittit Christus liberationem à molestia & onere, & ab ea quæ sequitur fatigatione recreationem, hoc est, quietem: quam emphatico pronomine *Ego*, à se solo præstari significat. Quomodo autem illam præstet iam explicat.

ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς, καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ· καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν.

29 Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.

TOLLITE IVGVM MEVM. Cæterùm, inquit, requies quam ego promitto, in eo sita est, vt ab omni opere vacetis, aut ex leges viuatis; sed in eo, vt excusso veteris hominis iugo, meo colla submittatis. ita enim vrget pronomen *meum*. Iugo in colla iniecto boues subiguntur, coërcentur ne discurrant, seruire coguntur, & in laboris officio continentur. Hinc ducta metaphora, imperium quodlibet siue lex, in sacris literis, iugum vocatur (Gen.27.v.40. Psal.2.v.3. Ierem.2.v.20.) eò quòd subditos in iugi modum sibi subiiciat, contineat in officio, & coërceat ne faciant quod libet. Est iugum veteris hominis, quod à vetere præuaricatore Adamo accepimus (onus inquam illud superiori versu descriptum) quæ est *lex peccati*, *lex membrorum*, *lex mortis* (quibus nominibus ab Apostolo, septimo ad Romanos capite, depingitur) sub quo iugo seruitur peccato, carnis concupiscentiis, morti ac vitæ huius miseriis. Illud Christus iubet vt excutiamus, si respirare, si requiescere cupimus: nam quomodo illud fatiget subiectos mox dictum est. Excutitur autem, detestatione malè anteactæ vitæ, exspoliatione veteris hominis cum actibus suis, postremò abrenuntiatione Sathanæ ac pomparum illius: per quæ fit, vt accepta à Deo, Christi merito, peccatorum remissione, liberi fiamus à veteris hominis iugo. A quo liberati, idonei efficimur qui in humeros tollamus Christi noui hominis iugum, id quod hîc deinde præcipitur. Iugum autem Christi, quod à Christo nobis imponitur, lex Euangelij, lex spiritus vitæ est: sub quo seruitur iustitiæ, Deo, & vitæ. quod quidem in humeros tollere, illud est quod Apostolus monet (Rom.6.v.3. Ephes.4.v.22.) *in nouitate vitæ ambulare, induere nouum hominem qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis*, id est, nouam assumere viuendi rationem, quæ per Dei gratiam ad similitudinem Dei & imitationem noui hominis Christi instituta sit, in iustitia & vera sanctitate, in omnis generis virtutibus. Porrò in eo quod dicit *Tollite*, rursus liberi arbitrij significationem dat: sed in iugo ipso comprehenditur gratiæ præsens auxilium, adducentis hominem ad subleuandum iugum & vnà cum illo subleuantis. Conuenit hæc sententia, cum illa à qua Christus eiusque discipuli prædicationis exordium sumserunt, *Pœnitentiam agite*. pœnitentia enim, & peccati detestationem & virtutis studium, in se comprehendit. A ME. meo exemplo. potestis enim ex vita & doctrina omni mea obseruare.
QVIA MITIS SVM. quòd mitis ac mansuetus sim, placidus minimeque difficilis moribus, etiam in asperis & aduersis. vide suprà 5.v.4. ET HVMILIS. minimè superbus aut elatus, qui nihil detrectem quod ad Dei gloriam faciat. Ferè iunguntur hę duæ virtutes in sacris literis, propter cognationem & cohærentiam

summam: humilitatem enim mansuetudo plerumque comitatur, vt ex qua nascitur. CORDE. animo: non externa tantùm morum specie, sed vera animi, intra eum modum qui ab homine desiderari queat, temperantia. Videtur hîc Christus, non tam explicare iugum illud suum; quàm ne, præ ea qua laboramus animi superbia, iugum ipsius tamquam humile despiciamus aut refugiamus, vel præ impatientia tamquam asperum ac difficile excutiamus, nos ad imitationem sui formare. q. d. Non molestum vobis erit iugum meum, si meo exemplo ad mansuetudinem & humilitatem vos ipsi assuefaciatis. Mansuetudo enim non contendit: humilitas nil detrectat. Cæterùm est pars non parua iugi Christiani, mansuetudo humilitati coniuncta. ET INVENIETIS REQVIEM eo ipso. s. quo iugum meum super vos tolletis; sequetur vos, apprehendet vos, requies: non alia re opus erit vt illam assequamini illâve fruamini. Quam frustra multis aliis rationibus quæritis requies, vt solent laborantes & onerati; eam in me inuenietis. Iugum enim meum in humeros sublatum, à molestia vos recreabit, & ab onere illo quod miseros omnes mortales premit liberabit: præstabit requiem, perfectam quidem modis omnibus in cælo; non contemnendam verò, quin omni ratione expetendam, & in terra. Primùm enim, peccatis dimissis, conscientiam virtutis studiosam, tranquillam ac serenam reddet: deinde concupiscentiarum ardorem restinguet, aut certè animosam fortitudinem suggeret cui nequeant illæ nocere: postremò contemtum mundi donabit, asperitatem huius infelicis vitæ, Dei amore & spe exspectatæ beatitudinis leniet. Huc pertinet illud Apostoli Rom. 8. v. 2: *Lex spiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis.* Similis est apud Ieremiam prophetam cap. 6. v. 16. promissio, ad quam putatur Christus Dominus allusisse: *State super vias* &c. *& inuenietis refrigerium*, siue requiem, *animabus vestris.* Alia Eccl. 51. v. 34. & 35. ANIMABVS VESTRIS. Non dicit *corporibus*, nam vt in hac vita non liberat suos Christus iugo veteris hominis quatenus corpora adficit: ita nec promittit corporibus requiem, sed animabus. vnde & Apostolus ait 2. Cor. 4. v. 16: *Sed licet is qui foris est noster homo corrumpitur: tamen is qui intus est renouatur de die in diem.* Iugum igitur Christi, animabus suauem requiem adfert, virtutis conscientia gaudentibus & confidentibus ac requiescentibus in Deo: quam non tantùm non turbat molestia ea quam corpus patitur (Ioh. 16. v. 33.) vt potiùs hanc illa absorbeat.

Iugum enim meum suaue est, & 30 onus meum leue.	ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστιν.

IVGVM ENIM MEVM. Lex mea. Quia iugum requiem præstare non solet sed molestiam, docet iugum suum alterius esse conditionis. SVAVE EST. χρηστὸς facile, commodum, blandum, Augustinus *lene*, quod asperitate non atterat colla eorum à quibus fertur; vt solent iuga, colla iumentorum; quod facilè ferri queat, quo commodè vti liceat. Lex mea, lex noua, lex Euangelij, aspera non est: licet enim quædam carni dura præcipiat, at non timore cogit nec timore impletur, sed amore, interiori homine renouato, inuitat volentes ad sui exercitationem suauissimam. vide Augustinum libri de natura & gratia capite 69. Facilis igitur blandaque est, quæ ad sui obseruationem prouocat nec aliter obseruatur, quàm amore Dei & iustitiæ, spe certa summi boni acquirendi: quæ quidem, quam non tollunt asperitatem, si quæ esse possit? Iugo veteris hominis, horum contraria asperitatem augent: idcirco sub illo laboratur, vt suprà dictum est. Simulat quidem blanditiem, *sed in nouißimo mordet vt coluber*: nam & diuitias ipsas spinis comparat Saluator infrà 13. v. 22.

ET ONVS. Idem est onus quod iugum, & posterior hæc sententiæ pars, aliis verbis prioris repetitio est. Lex Christi onus vocatur, quia obseruanda necessariò ab illo est qui æternam salutem desiderat. Opponitur autem oneri, de quo mox v. 28. LEVE. Considera epithetorum proprietatem: onus enim grauitate, iugum asperitate iumentis molestum esse solet. Noua Christi lex, lex Euangelij, grauis non est: licet enim magna adeoque heroica non pauca præcipiat: at non præcipit vt suis ea viribus homo impleat; sed, scripta cùm sit in cordibus & visceribus fidelium, à Spiritu Dei viui inhabitante & regnante (Ier. 31. v. 33. Ezech. 36. v. 26. 27.) adfert ipsa secum implendi facultatem, Dei inquam gratiam, quæ faciat vt in præceptis ambulemus. Leuis est igitur, quæ secum adfert sui obseruationem. Quare & Apostolus Iohannes 1. Epistolæ 5. v. 3: *Mandata eius grauia non sunt.* Onus autem veteris hominis quàm sit graue, suprà declaratum est. Quòd si qui illius pondus fatigationemque, præ eo quo tenentur voluptatum amore, non sentiunt, at sentient profectò tandem serò ac frustrà, quando se ipsi deplorabunt: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Sap. 5. v. 7. Leue onus esse non potest, cuius pondus vel tandem opprimit, vbi fatigatio vel tandem sentitur: cuius contrarium omnino accidit in Christi onere, ex quo omnium minimè fatigatio sentietur in futuro seculo, sed econtrà recreatio ac requies numeris omnibus absoluta.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἐπορεύθη ὁ Ἰησοῦς τοῖς σάββασι διὰ τῶν σπορίμων· οἱ δὲ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπείνασαν, καὶ ἤρξαντο τίλλειν στάχυας καὶ ἐσθίειν·

1 In illo tempore abiit Iesus per sata sabbato: discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas & manducare. Mar. 2. v. 23. Luc. 6. v. 1.

IN ILLO TEMPORE. Per id tempus prædicantis Christi. Historia ista suo loco narratur à Marco & Luca. ABIIT. ἐπορεύθη iuit, iter fecit. PER SATA. per agros frumento consitos. SABBATO. τοῖς σάββασι, ad verbum, *sabbatis*, id est, vno ex sabbatis, quodam sabbato. Græci duobus modis vocem hanc efferunt, semel vt tertiæ declinationis σάββα-τα σάββασι, semel vt quintæ σάββατον σαββάτου (hinc enim datiuus iste σάββασι) vtroque modo etiam hebraicè effertur: frequentius tamen est שבת *sabbath*, quàm שבתון *sabbathon*. Significat autem propriè septimum hebdomadæ diem, sic dictum à quiete, nam שבת *sabath* quiescere est, שבת *sabbath* quies: eo quòd initio mundi Deus illo requieuerit ab opere creationis (Gen. 2. v. 2.) ac postea præceperit etiam Israëlitis, illo singulis hebdomadis recurrente ab omni opere abstinere (Exo. 20. v. 10. 35. v. 2. 3.) Cæterùm & alius quiuis dies festus, præsertim quo ab operibus seruilibus feriandum erat Iudæis, sabbatum vocatur (Leuit. 23. v. 15. 24. 32. 39.) sed hîc de propriè dicto sabbato sermo est, quo permittebatur quidem certi spatij deambulatio, quale Act. 1. v. 12. describitur, à monte oliueti in ciuitatem Ierusalem; sed prohibebatur omne opus, non tantùm seruile, verumetiam quo necessarius cibus parari posset. Hinc enim orta est quæstio subsequens. ESVRIENTES. fame pressi, fame stimulante. ἐπείνασαν, esurierunt &. Non sibi prospexerant de rebus corpori necessariis: harum enim minima illos cura tangebat, auditu & assiduitate Saluatoris perpetuò detentos. Fortè nec otium illis suppetiuerat præ frequenti populi accursu, quemadmodum aliquando Mar. 3. v. 20. VELLERE SPICAS inter eundum. Permittebat illud Lex Deut. 23. v. 25. ET MANDVCARE grana exclusa. Non auferendi & seruandi, sed frumento vescendi gratia, auellebant spicas. Austerioris vitæ indicium est, non præparatas epulas quærentis, sed cibo simplici, primùm obuio, contentæ. Sine præmeditatione aliqua ac præparatione mensam sibi sic constituunt, vt continua ferè cogantur inedia premi, neque tamen à Christo abscedant. Poterat facilè Christus illos pascere, & quidem abundanter: verùm ita maluit suos instituere, vt ferendæ fami assuescerent, discerentque modicis esse contenti, in tempus illud quo abforet ipse corpore, quando omnis generis molestiæ pro Euangelio tolerandæ ipsis forent. Fames itaque discipulorum, nostram debet reprimere gulam: & spicarum euulsio, delicias cupediasque nobis excutere è manibus.

Οἱ δὲ φαρισαῖοι ἰδόντες εἶπον αὐτῷ· Ἰδοὺ οἱ μαθηταί σου ποιοῦσιν ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν σαββάτῳ.

2 Pharisæi autem videntes dixerunt ei: Ecce, discipuli tui faciunt, quod non licet facere sabbatis. Mar. 2. v. 24. Luc. 6. v. 2.

PHARISÆI AVTEM qui inter reliquam turbam Dominum comitabantur, non vt quidquam ab illo discerent, sed vt obseruarent illius dicta & facta, haberentque quod carperent. VIDENTES. ἰδόντες cùm vidissent: addit Syrus *illos*, id est, illud discipulorum factum. ECCE. doctor es, diuinæ scilicet Legis obseruans. DISCIPVLI TVI quos tu erudis & formas, quorum proinde facta tuam exprimunt doctrinam, ex quorum operibus intelligere licet quid tu doceas. Ita discipulos reprehendunt, vt præceptorem inprimis notent. QVOD NON LICET. quod nemini licet, quod omnibus prohibitum est. SABBATIS. ἐν σαββάτῳ in sabbato. Externis operibus violant sabbatum, quod lege Dei tam religiosa quiete colendum præcipitur: facilè itaque videre est, doctrinam tuam diuinæ legi aduersam esse, & abducendos te agente à præscripto legis Dei, qui tuo se magisterio dediderint. Ambitio & personæ odium concurrentia, quiduis facilè in calumniam rapiunt, etiam minutissima quæque, & simplicissima, atque à prohibentis Legislatoris mente alienissima: quale erat istud discipulorum factum, obiter inter eundum spicas vellentium & conterentium, vt fami affligenti mederentur, quod non erat aliud quàm malum aut nucem ex arbore carpere, excorticare, & comedere. Cæterùm allaturi sint tibi, non tantùm Decalogi illud præceptum sæpiùs repetitum, sed & loca Exod. 16. v. 22. 23. & 35. v. 2. 3., quibus declaratum est, sabbato ita omne opus esse prohibitum, vt etiam illud quo cibum pares. De aliis diebus festis, nominatim primo Azymorum, scriptum est Exod. 12. v. 16: *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*; de sabbato verò: *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.* Exod. 35. v. 3.

Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· Οὐκ ἀνέγνωτε τί ἐποίησε Δαβίδ, ὅτε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ·

3 At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant: Mar. 2. v. 25. Luc. 6. v. 3.

NON LEGISTIS. Vos qui Scripturarum scientia gloriamini, si legissetis & pressè considerassetis, non discipulos meos calumniaremini vt violatores sabbati & legis diuinæ transgressores. Refellit pharisaicam calumniam ex probato Scripturarum exemplo, simul & naturæ lege. DAVID. vir ille iuxta cor Dei. 1. Regum 13. v. 14. ET QVI CVM EO ERANT. s. esurierunt. vnde à plerisque libris græcè additur αὐτὸς *ipse* & qui

& qui cum eo, ita vt clarum sit ad proximum *esuryt* referendum, fame stimulante ipsum & comites ipsius. Comites Dauidi fuisse vel paucos aliquot, dubium esse non potest, id disertè affirmante Christo Domino: nam nec alioqui Dauid panibus quinque simul & hasta aut gladio onerare se voluisset. 1. Reg. 21. v. 3. 8. Verisimile est, cùm fugæ necessitatem metueret, de fidis aliquot comitibus sibi prouidisse, quos ita disposuerit, vt à Ionatha reuersus, in via paratos fugæ socios inuenire posset. Nam & cùm illos nollet apparere in Nobe, solus ipse adiit tabernaculum Domini, & cum Pontifice egit, illis alicubi relictis.

Mar. 2. v. 26. Luc. 6. v. 4.

4 quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις;

IN DOMVM DEI. in atrium tabernaculi Domini. quomodo venerit ad summum sacerdotem agentem in tabernaculo Domini. In atrium tabernaculi laicis patebat ingressus. Vocatur autem tabernaculum domus Dei, quia habitaturus erat Dei in medio filiorum Israel, vt frequenter ipse loquitur (Exo. 25. v. 8. & 29. v. 45.) illic enim præsentem se exhibebat, per miracula, oracula responsa, aliaque effecta: denique illuc adibatur, illic colebatur. PANES PROPOSITIONIS. τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως. Hebraica phrasi ita dicuntur, pro eo quod latinè dicas panes propositi, siue, vt quidam explicant, apposititij. Syrus dicit, panem mensæ Domini. Lxxij Interpretes, aliquando ἄρτους ἐνωπίους, aliquando προκειμένους, interpretati sunt, ex hebraico לחם פנים *lehem panim*, quod ad verbum sonat, panem facierum seu faciei, caret enim hebræis *panim* numero singulari. Nominis ratio est, quòd essent panes perpetuò, ita vt numquam deesse possent, appositi siue propositi in conspectu Domini, super mensa aurea huic cultui consecrata, sita in priori tabernaculi parte, ad latus aquilonare, proximè à sancto sanctorum. Huius enim mensæ non alius erat vsus, quàm ad duodecim huiusmodi panes perpetuò continendos, iugis conuiuij significatione & forma, quo testabantur duodecim tribus Israel, se à Deo continuè nutriri & ali; docebantur autem veri Israëlitæ, perpetuam Deo in pauperes eleemosynam offerre. Nam quod Iosephus ait lib. 6. de bello cap. 6., duodecim panibus annum fuisse significatum & signa circuli Zodiaci; vt septem lucernis candelabri stellas errantes, friuolum est. COMEDIT. Sumit Christus pro confesso culpa vacasse Dauidem. QVOS NON LICEBAT EI EDERE lege communi. NEQVE HIS: multoque minus his. Ipse enim Dauid propheta erat & Rex designatus, ac proinde persona eximia, cui videri posset illud præ aliis concessum, nisi & comites eius eisdem panibus famem pepulisse constaret.

NISI SOLIS SACERDOTIBVS. Panes illi singulis sabbatis mutabantur, quando loco veterum calidi recentesque apponebantur. Veteres igitur sublati à facie Domini, in vsum cedebant sacerdotum, atque illorum solorum, à quibus nec alibi comedi poterant quàm in loco sancto. Leuit. 24. v. 8. 9. Sensus igitur loci est: Dauid vir iuxta cor Dei, Deo & hominibus probatus, fame vrgente, & comedit ipse, & distribuit comitibus suis, sacros propositionis panes, quos tam ipse quàm ipsius comites, cùm sacerdotes nequaquam essent, diserta lege prohibebantur comedere; iudicante haud dubium viro sancto, cuius mentem Dei Spiritus illustrarat, legem positiuam, etiam ab ipso Deo sine medio latam, ita interpretandam esse, vt cedat legi naturæ, & sacras ceremonias ita obseruari iussas, vt vrgenti hominis necessitati non præiudicent. Id si obseruassetis aliquando in sacrarum Scripturarum lectione, non discipulos meos accusaretis legis Dei violatæ, quòd, fame stimulante, obuias frumenti spicas, die sabbati auulsas interque manus comminutas, comedant.

5 Aut non legistis in Lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?

ἢ οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῷ νόμῳ, ὅτι τοῖς σάββασιν οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι, καὶ ἀναίτιοί εἰσι;

AVT NON LEGISTIS. Alterum exemplum calumniæ refutatiuum, à minori ductum. IN LEGE Mosis. Nam exemplum Dauidis mox allatum, in prophetis legitur, iuxta eam sacrorum librorum diuisionem quam Saluator docet Luc. 24. v. 44. vide & suprà 5. v. 17. QVIA SABBATIS. quòd singulis sabbatis. Syrus omisit τὸ *sabbatum*, vt quod superfluum iudicaret. SACERDOTES IN TEMPLO. οἱ ἱερεῖς ἐν τῷ ἱερῷ. Iucunda vocum consonantia, quæ reddi non potest latinè. VIOLANT. βεβηλοῦσι prophanant. Non legistis in Lege, quòd sacerdotes, quando sabbatis singulis sabbatum in templo violant, id faciunt absque crimine? Legitur autem illud iis locis, quibus Lex iubet victimas & sacrificia sabbatis in templo offerri: nam eo ipso quo id fieri iubet, docet id absque crimine faciendum. Porrò violare sacerdotes sabbatum dicit, impropria locutione rudibus auditoribus accommodata, quibus ita in speciem videri poterat, eò quòd sacerdotes in templo ea opera sabbatis faciant, quibus, si alibi sabbatis fierent siue ab ipsis sacerdotibus siue ab aliis, sabbatum violaretur: cuiusmodi sunt, mactare, excoriare, mundare, secare, boues, oues, vitulos, ligna comportare, ignem struere, cadauera igni imponere, liba coquere, & plurima huiusmodi, quæ Lex, pro ratione sacrificiorum, passim sabbatis, aliisque festis diebus, fieri iubet, nominatim verò Num. 28., laboriosa, sordida, ac planè seruilia opera, si per se spectentur. ET SINE CRIMINE SVNT. Syrus ad clariorem intelligentiam repetit coniunctionem *In*: *Et quòd sine crimine sunt?* ἀναίτιοί εἰσι insontes sunt, crimine vacant, non habentur prophanatores sabbati, aut transgressores Legis de sanctificando sabbato. Subaudit Saluator: Excusat enim eos templum cui seruiunt: Lex à lege sabbati excipit ministerium templi; aut aliud his simile. Hinc definitio est Iudaicarum traditionum, *In templo non esse sabbatum*. Templi autem ministerium excusat, quia templum sancta Dei domus est, sanctitatem tribuens operibus legitimè in ea gestis, ita vt sint seruitus cultusque Dei. Seruitus autem seu cultus Dei, quamuis magnos habeat coniunctos manuarios labores, censeri non potest opus seruile, aut prophanum, quo sabbatum violetur: sed est opus pium & sanctum, quo sabbatum sanctificetur.

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε. [6] Dico autem vobis, quia templo maior eſt hîc.

Dico. affirmo. Conſtanter teſtatur ſe Deum ſeu Dei Filium, nixus rei veritate, tot iam admirandis operibus declarata, & adhuc etiam declaranda. Qvia. quòd. Maior. ſanctior, dignior. Hic. aduerbium eſt. ὧδε. in hoc loco. Eſt hoc in loco qui templo ſit maior, filius inquam eius cuius templum eſt domus, id eſt, Dei. Seipſum ſubindicat Dominus Ieſus, Dei Filium. Templo enim, ſub templi ratione qua Deo conſecratum eſt, nemo maior eſſe poteſt, præter ipſum Deum ſeu Dei Filium. Non eſt autem templum, domus Dei, ſanctitate aut dignitate Filio Dei conferendum: nam templo accidentariam quandam ſanctitatem impertit Deus: Filio verò ſuo eſſentialem ſuæ naturæ ſanctitatem communicat. Quocirca ſi templi miniſterium excuſat opera alioqui ſeruilia à ſabbati prophanatione, templo ſanctitatem illis tribuente, ita vt ſint ſanctus Dei cultus: multò magis miniſterium Filio Dei præſenti exhibitum excuſat, Filio ſanctitatem copioſam impertiente officiis ſibi præſtitis, ita vt ſint ſanctiſſimus, diuiniſſimus, ac proximus Dei cultus. Iam verò diſcipuli mei, quòd auulſarum ſpicarum grana, manuum contrictu eruta, manducant, itaque naturæ ſatisfaciunt; faciunt id vt mihi Dei Filio adſint, miniſtrent, cooperentur, propalanti propagantique Dei Patris regnum, quod eſt opus Deo longè gratius, quàm quæuis templi ſacrificia.

εἰ δὲ ἐγνώκειτε τί ἐστιν, ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν, οὐκ ἂν κατεδικάσατε τοὺς ἀναιτίους. [7] Si autem ſciretis quid eſt, Miſericordiam volo & non ſacrificium; numquam condemnaſſetis innocentes. *Oſe. 6. v. 6.*

Si avtem sciretis. Sed vt nulla ſuppetant Scripturarum exempla, ſi vel hoc *ſciretis*, intelligeretis, intellectu ſimul & voluntatis affectu caperetis. Arguit eos ignorantiæ ex animi feritate profectæ, oſtendens illos externo ſabbati cultu magis duci quàm charitatis affectu. Qvid est. quid ſibi velit hic Dei ſermo, vim huius verbi Domini. Misericordiam. beneuolentiam humanitatemque erga proximos veſtræ opis indigentes. Volo. probo. Et non sacrificivm. magis quàm ſacrificium mihi oblatum. Sub ſacrificio, quod primo loco illi habebant in cultu Dei, comprehendit externum omnem Dei cultum (in quo eſt ceſſatio ab operibus die ſabbati) cui ſuperſtitioſè illi addicti erant, neglecto eo cultu qui animo redditur, & ſe monſtrat omnium certiſſimè in miſeratione proximorum, plurimis miſeriis (qui eſt hominis in hac vita ſtatus) repletorum. vide ſup. 9 v. 13. locum hunc ſcripturæ latiùs explicatum. Condemnassetis legis Dei tranſgreſſæ. Non enim fuiſſetis animi tam crudelis & à miſericordia humanitateq; omni alieni, vt carpẽtes ac terentes manibus obuias aliquot frumenti ſpicas, eoque crudi cibi genere vrgentem famem ſedantes, iudicaretis violatores legis Dei: ſed è contrà, in benigniorem partem rem interpretati, & miſerati labores quos etiam cum famis inedia coniunctos mecum ſubeunt pro gloria Dei, excuſaſſetis à tranſgreſſione. Innocentes multis modis diſcipulos meos. *ἀναιτίους*, mox vertit *ſine crimine*.

κύριος γάρ ἐστι τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. [8] Dominus eſt enim Filius hominis, etiam ſabbati. *Mar. 2. v. 28. Luc. 6. v. 5.*

Dominvs est. Conſtructionis ordo eſt: Filius hominis eſt dominus etiam ſabbati. Enim. Adfert & quartam rationem qua innocentiam adſtruit diſcipulorum ſuorum. q. d. Atque eo etiam minùs condemnandi ſunt vobis, cùm dominus ſit Filivs hominis. ego qui dignatione miſer & vulgaris ſum homo. vide ſuprà 8 v. 20. Etiam sabbati. ſic & alij codices græci addunt *καὶ τοῦ σαββάτου*. Naturâ, vt rerum omnium, ita & ſabbati ſum dominus, quippe Filius Dei, vnus cum Patre creator, auctor, inſtitutor, ac moderator, rerum omnium à Deo profectarum. Hoc ex operibus meis intelligere & cognoſcere debetis: hoc enim Deus tot iam miraculis oſtendit ac probauit, ac populus magnis acceptis beneficiis intellexit. Quocirca non eſt qui me certiùs queat iudicare de ſabbati ſiue prophanatione ſiue violatione, qui poſſum etiam illud pro arbitrio moderari, immo & pro arbitrio abrogare, ac de illo ſtatuere quod conſultiſſimum iudicauero. Nec ego igitur ab officio ad quod miſſus ſum impedior religione ſabbati: nec diſcipuli miniſtrique mei poſſunt perperam agere in eo quod me præſente & conſentiente faciunt; non erant proinde à vobis condemnandi criminis. Chriſtus omnium dominus eſt, iure creationis gubernationiſque, merito redemtionis, & dono Patris. Et ſabbati itaque dominus eſt vt legiſlator, qui vt illud inſtituit, & penitiſſimè perſpectam habet illius colendi rationem, ita & poteſt abrogare, homineſque ab illius colendi neceſſitate abſoluere, multo autem magis rigorem illius temperare, aut cum aliquibus aliquando diſpenſare. Occultè inſinuauit ſe abrogaturum aliquando Iudaicum ſabbatum, vt poſtea fecit. Quatuor itaque modis tutatur Saluator diſcipulos ſuos aduerſus Phariſæorum calumniam; primùm, Dauidis exemplo, à neceſſitate naturæ; deinde ſacerdotum, ab opere ſublimiori; tertiò, Oſeæ prophetia, vt dignos commiſeratione; poſtremò, ab auctoritate ſua. Quatuor item modos docet, iuxta quos ceremonialis omnis & poſitiua lex interpretanda veniat: quorum vnus eſt, vt cedat legi naturæ: alter, vt cedat alteri legi magis particulari: tertius, vt maior humanitatis & dilectionis proximi quàm rigoris verborum & externæ ceremoniæ ratio habeatur: vltimus, vt ſi diſpenſet is qui legem tulit, vel auctoritate pollet, culpa non ſit legem poſthabuiſſe.

καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν, ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν. [9] Et cùm inde tranſiſſet, vênit in ſynagogam eorum. *Mar. 3. v. 1. Luc. 6. v. 6.*

Transisset. digreſſus fuiſſet, diſceſſiſſet, data hac de ſabbato doctrina, & phariſaica calumnia refutata. Venit poſtea; altero quodam ſabbato. Luc. 6. v. 6. Eorvm. Phariſæorum, quos redarguerat malè interpretatos

terpretatos spicarum in sabbato vsum. Notanda bonæ conscientiæ in Saluatore fiducia, nihil verentis prodire in publicum illorum conspectum, quos expertus erat in hoc totos esse, vt dicta factaque ipsius omnia in calumniam raperent.

Mar. 3. v. 1. 2. Luc. 6. v. 6. 7.

Etecce homo manũ habens aridam: & interrogabant eum dicentes: Si licet sabbatis curare? vt accusarent eum. [10] καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος ἦν τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν· καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν λέγοντες· εἰ ἔξεστι τοῖς σάββασι θεραπεύειν; ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ.

ET ECCE commodùm. q. d. Mox atque in synagogam esset ingressus, ecce commodùm aderat occasio miraculi, quò suam firmaret de sabbato doctrinam. HOMO quidam aderat. ARIDAM. emortuam, ad opus omne inutilem; mancus qui miseriam suam subleuationis ergô omnibus testabatur. INTERROGABANT. Cùm scirent Christum facilem, data opportunitate, ad opem miseris ferendam, nec superstitiosum adeò, vt ipsi, sabbati obseruatorem, metuentes id quod res erat, priores verbis lacesserunt illum, non ad hoc vt prouocarent eum ad misero benefaciendum, sed potiùs; qua laborabant inuidia; vt auocarent, ne accresceret ipsi per miraculum auctoritas; aut si auocare nequirent, at opus ipsum calumniæ obnoxium redderent etiam priusquam perpetraretur. Hoc enim consilio sabbati religionem proponunt in medium, amentes prorsus ex eo quòd omnes eorum sensus impium Christi odium occuparet. SI LICET. licet ne.

CVRARE. hominem ægrum sanare. Non est verisimile illos eius opinionis fuisse, vt, sanationem solo verbo, sabbati religione prohiberi existimarent, nam nec illam vmquam Christo improperarunt, nisi externi aliquid operis accessisset: nemo enim vmquam verba & orationem aut sermonem die sabbati prohibita esse dixit. Sed cùm nescirent, an opera aliqua adhibita, an sermone solo, rem Saluator gesturus esset (nunc enim hoc, nunc illo vtebatur modo) rem omnem confundunt & dubiam faciunt, quò detrahant operibus eius quouis modo gestis, & in populi odium illum adducant etiam optimè merentem. ACCVSARENT apud Summum sacerdotem & reliquum magistratum, tamquam aduersarium Legis, vel ex oratione, si responderet licere (nam medicinam facere, opus seruile & sabbatis illicitum esse dicebant, propter operam externam, quæ necessariò ab hominibus adhiberi consueuit; vel ex actione, si curaret (eo exaggeranda grauiùs, quo disertiùs illum præmonuissent criminis) vel denique ex vtroque. Hæc mens erat eorum, necessariæ quæstionis velo obtecta.

Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo qui habeat ouẽ vnam, & si ceciderit hæc sabbatis in foueam, nónne tenebit & leuabit eam? [11] ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· τίς ἔσται ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος ὃς ἕξει πρόβατον ἕν, καὶ ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τοῖς σάββασιν εἰς βόθυνον, οὐχὶ κρατήσει αὐτὸ καὶ ἐγερεῖ;

QVIS ERIT EX VOBIS HOMO. phrasis hebraica, pro Quis vestrûm. QVI HABEAT. ὃς ἕξει qui habebit. VNAM. vnicam. Sabbati religio non cogit vt vel ouicula vna sinatur perire aut malè habere. CECIDERIT. ἐμπέσῃ inciderit. SABBATIS. die Sabbati quocumque. TENEBIT ET LEVABIT. misertus apprehendet & extrahet, ne vel illo die sit illi malè? Respondet Saluator propositæ à Pharisæis quæstioni, argumento ducto ex ipsorummet recepta veraque sententia: docebant enim illi, non violari sabbatum opere quod fiat pro anima, hoc est, in salutem animantis alicuius: quamquam hodie eò vsque excreuerit quorumdam ex illis superstitio, vt nec hominem latrinis aut puteo audeant die sabbati extrahere.

Mar. 3. v. 4. Luc. 6. v. 9.

Quanto magis melior est homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere. [12] πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου; ὥστε ἔξεστι τοῖς σάββασι καλῶς ποιεῖν.

QVANTO MAGIS. πόσῳ οὖν quanto igitur. MELIOR EST HOMO OVE? διαφέρει præstat homo oui. Subauditur, ita vt magis iuuandus & curandus sit die sabbati, si opus habet, homo, quàm ouis? Sequitur à minore: Die sabbati iuuare licet, & malis, in quæ fortè inciderit, eripere miseram ouiculam vnam; multo magis hominem ægrum remedio ministerióve adhibito sanare. Parui enim refert malè habere aut etiam perire ouiculam vnam, cuius periculum ad damni magis quàm ad mali rationem pertinet: magni verò interest perire & vel malè habere vno die hominem, cuius ærumna veri mali rationem habet, & leuanda mox venit ex charitatis præcepto. Subnotat illos auaritiæ simul & feritatis. BENEFACERE. curare, & cuiuluis alterius modi beneficium egenti præstare. Generalis ex præmissis conclusio hac ratione elicita: Licet oui laboranti opem ferre die sabbati, quia beneficium misero animali præstatur (*nouit enim iustus animas iumentorum suorum.* Prou. 12. v. 10.) si beneficium bestiæ præstare die sabbati licet, licet igitur sabbatis quacumque ratione cuilibet opus habenti benefacere, ac proinde etiam malo laborantem hominem curare. Curationem enim ad beneficentiam referendam esse, exemplum ab oue allatum commonstrauit, quandoquidem vtrumque pertineat ad rationes animæ è periculis eruendæ. Opponit Saluator beneficium seruitio, propriissimè ex natura rerum petito verbo; subdocens, hoc, seruitium inquam, non autem beneficium, sabbati religione excludi.

τότε λέγει τῷ ἀνθρώπῳ τὴν ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα· ἐκτεινόν τὴν χεῖρά σου· καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεστάθη ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη. 13 Tunc ait homini: Extende manum tuam. & extendit, & restituta est sanitati sicut altera. *Mar. 3. v. 5. Luc. 6. v. 10.*

TVNC. illis redargutis, populo verò ad rei euentum inhiante. AIT. iubet. HOMINI. τῷ ἀνθρώπῳ illi homini, quod etiam apertiùs est in Syro. Superfluum est enim illud quod sequitur in quibusdam libris græcis τὴν ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα. EXTENDE MANVM TVAM aridam illam. Iubet simul & suggerit facultatem præstandi quod iubet. ET EXTENDIT. qui extendit, Christo Deo vitam & vegetantem potentiam manui reddente. cæteroqui enim non potest manus arida ac proinde mortua & contracta extendi. ET RESTITVTA EST ipso extensionis momento. SANITATI. ὑγιὴς sana, viua, vegeta, apta suis omnibus officiis fungi. Syrus hanc vocem omittit. SICVT ALTERA. Syrus, sicut socia eius. s. quæ nihil vmquam mali passa fuerat. Postquàm Pharisæos Christus oratione & argumentatione conuicerat, reipsa magis etiam oppressit. Docuerat licere sabbato citra religionis detrimentum curare proximum corpore ægrum, quocumque modo id fiat, siue medicamentis adhibitis siue admota manu tantùm, siue quouis alio externo opere adhibito, illudque opus non seruitium appellandum esse, sed beneficium, cuius omissio iniuria esse possit, quod est apud alios Euangelistas. Attamen volens ipse manco præsenti sanitatem conferre, non vtitur aliquo externorum illorum modorum, vt facto luto, aut manu tacta & contrectata, vel alio simili: sed eam init rationem, quam nulla vmquam Scribarum subtilitas, aut Pharisæorum superstitio, cogitauit in sabbati violatione ponere. Ea fuit alloquutio tantùm, eaque breuissima: nemo enim loqui prohibetur sabbato: alioqui neque ipsi potuissent illum interrogare. Non curat igitur, sed, solo verbo, solo iussu, sanat, nihil exteriùs agens. Nihil itaque illis relictum fuit, vnde vel speciem accusationis effingere possent, nisi fortè, manus extensionem, aut manum ipsam, quòd illo iubente ac volente restituta esset, accusantes, sensu communi planè se carere ostenderent. Redarguti itaque primùm rationibus fuere; mox verò reipsa multò magis & spectaculo exhibito perturbati: quibus omnibus, illorum non solùm inscitia, sed & inuidia patefacta est, & Christi virtus illustrior testatiorque euasit.

οἱ δὲ φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον κατ' αὐτοῦ ἐξελθόντες, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσιν. 14 Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant aduersus eum, quomodo perderent eum. *Mar. 3. v. 6. Luc. 6. v. 11.*

EXEVNTES. ἐξελθόντες egressi. s. synagoga, relicta turba apud quam mutire non audebant confusi. CONSILIVM FACIEBANT. id est, consilium conuocabant. συμβούλιον ἔλαβον, id est, consilium ceperunt, inierunt, inter se mutuò & cum aliis deliberarunt & consultarunt. QVOMODO. qua ratione, quo nomine inuento, quo accusari & in odium adduci posset. PERDERENT. è medio tollerent, occiderent. Non enim ferebant inuidi gloriam Iesu, doctrinis rationi tam consentaneis, & miraculis adeò magnificis, de ipsis quidem triumphantis, populi verò animos in sui admirationem trahentis simul & sibi deuincientis. Doctrina igitur pietatis, miraculo stabilita, ita à reprobis excepta est, vt docti & conuicti, deteriores etiam redditi sint, & virulentiam suam magis ac magis profuderint.

ὁ δὲ ἰησοῦς γνοὺς ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν· καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς πάντας· 15 Iesus autem sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes: *Mar. 3. v. 7. 8. 10.*

SCIENS. γνοὺς cognoscens, quum nosset, virtute diuina, occulta eorũ consilia. RECESSIT. secessit. Quum in promtu haberet, vitam suam miraculis tueri & hostes perdere, secedendo maluit infirmitatem nostram subire. pars hæc exinanitionis eius fuit, quam laudat Apostolus, Epistolæ ad Philipp. 2. v. 7. Cùm enim satis superque veritatem ostendisset, subducit se ab aduersariorum conspectu, nulla contentione aduersus illos suscepta, ne rabiem illorum acueret magis: nondum enim aderat decretum à Patre mortis tempus. MVLTI. ὄχλοι πολλοὶ turbæ multæ, quod est græcè & syriacè. Turba propensiore erat in Christum animo, propter beneficia sanitatis quæ ipse præstabat: non enim inuidebat gloriæ illius: facilè itaque illum sequitur etiam fugientem. Considera, Christi gloriam, etiam in recessus coactam, in iustum suum splendorem erumpere, populis maxima frequentia accurrentibus, & miraculis magnificè coruscantibus. CVRAVIT. sanauit. ἐθεράπευσεν. vide suprà 4. v. 23. EOS OMNES. omnes qui ex eis opus habebant; magno certè numero. Mar. 3. v. 10. Non tam agit Euangelista hoc loco, vt ostendat aliquos à Christo sanatos fuisse, quàm vt propensam illam & numquam satis æstimatam Christi bonitatem & benefaciendi facilitatem quibusuis obuiam, nec quidquam peruersorum malignitate exacerbatam, exprimat, & doceat magis quanta sit bonitas quàm quanta sanandi virtus. Vrget itaque Christus propositum suum, benefaciendi, & rebus ipsis confirmandi causam rationemque suam, docens ita pericula declinare, vt absque detrimento doctrinæ & officij.

καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν. 16 & præcepit eis ne manifestum eum facerent. *Mar. 3. v. 12.*

PRÆCEPIT. ἐπετίμησεν increpauit, obiurgauit, interminatus est, acrioribus verbis tamquam minis additis præcepit. Præceptum autem fuit ex causa datum, ex qua etiam acrimonia verborum profecta est, vt nimirum planè

planè testatum faceret, non à se quæri, aut magistratuum exacerbationem, aut mundi gloriam. vide suprà 8. v. 4. NE MANIFESTVM EVM. ne se aut ipsum manifestum FACERENT. ne diuulgarent miracula ab ipso edita.

vt adimpleretur quod dictum est[17] per Isaiam prophetam dicentem:

ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ ἠσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος·

VT ADIMPLERETVR. Ita factum est vt impleretur. vide sup. 1. v. 22. Dum, inquam, cederet Iesus furori aduersariorum suorum, dum afflictæ ac miseræ plebi benefaceret, dum caueret hostium exacerbationem, omnem denique gloriam ac strepitum mundi reiiceret, completum est vaticinium. PER ISAIAM PROPHETAM. Non enim promittunt prophetæ Christum Regem, quales sunt Reges terreni, quibus in more positum est, vt læsi se mox vlciscantur, & aduersarios si possunt perdant, cedere aduersariis pro re habeant infami, vulgum aspernentur, nec tam benefaciant illi, quàm dominentur (Luc. 22. v. 25.) pompam & mundi gloriam affectent, iactent, ostentent, quocumque veniunt magnos concitent clamores, vrbes & oppida tumultu impleant quo maiorem sibi admirationem concilient. Contraria prorsus est, & à prophetis describitur, Christi Regis conditio, quem mansuetudo, modestia, humilitas, & mundi contemtus, atque in pauperes beneficentia ornant.

Isa. 42. v. 1.

Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit animæ meę. Ponam spiritũ meum super eum, & iudicium Gentibus nuntiabit.[18]

ἰδοὺ ὁ παῖς μου ὃν ἡρέτισα, ὁ ἀγαπητός μου εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ᾽ αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ.

ECCE. Vox est Dei Patris per prophetam excitantis fideles omnes ad Christi proprietatumque illius considerationem, & quasi digito ostendentis quem missurus sit: huc enim pertinet demonstrationis nota *Ecce*.
PVER MEVS. seruus meus. nam hebraicè, vt & chaldaicè, apud Prophetam, & syriacè apud Matthæum, est עבדי *habdi*, quod non est ambiguum ad filium & seruum, quemadmodum ὁ παῖς puer. Addit Paraphrastes Chaldæus, Messias. Seruus autem Dei vocatur Messias, secundùm dispensationem carnis assumtæ, qua *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens & habitu inuentus vt homo*. Philip. 2. v. 7. Homo enim, vt reliqua omnis creatura, est seruus; Deus, Dominus. Iuxta naturam igitur humanam, Christus est Dei seruus; non qualiscumque, sed in quo per excellentiam est quidquid in seruo commendabile est: nam & munus illi à Domino iniunctum pręcipuum est, redimendi inquam humani generis, & obedientia ipsius promtissima, ac spectatissima fides. Quò spectat, vocem illam עבד *hebed* serui, non rarò ad cultum ac venerationem referri: quis autem sic coluit Deum vt Christus? QVEM ELEGI præ omnibus creaturis, vt sit mihi filius germanus, illique benefaciam & vtar ad humani generis redemtionem. Hinc Christus vocatur *Dei electus* Luc. 23. v. 35. Non est igitur fas hominibus respuere, quem Deus elegit. Hieronymus ex hebræo vertit, *suscipiam eum*; Lxx, *assumam eum*, Chaldæus *admouebo eum*: quæ omnia conueniunt cum eo quod Euangelista reddidit *quem elegi*. temporum enim præteriti & futuri non est apud prophetas ratio. DILECTVS MEVS. s. ecce. vide suprà 3. v. 17. Hoc loco propriè est in hebraico Prophetæ volumine nomen *electi*: verùm obseruanda hîc Hieronymi regula, Euangelistas citantes prophetarum vaticinia, non verba numerasse, sed sensum sequutos. Ita docet tum alibi, tum quæstione secunda ad Algasiam, vbi locum hunc exponit.
IN QVO BENE COMPLACVIT. εἰς ὃν εὐδόκησεν. Interpres expressit aduerbium *bene*, ex quo componitur vox εὐδοκεῖν, de qua simul & de huius loci perfecto sensu, vide suprà 3. v. 17., vbi eisdem penè verbis vsus est Pater cælestis, quando baptizato Iesu intonuit: *Hic est* &c. ANIMÆ MEÆ. Metaphoricè Deus sibi animam tribuit, qua intimum suum erga Christum significat affectum. Hebraicè est רצתה נפשי *rasetha naphsi*, voluit anima mea. s. in eo. id est, quem ex animo diligo. PONAM. dabo. Propheta habet נתתי *nathatti* dedi. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, vt est alibi apud Isaiam cap. 11. v. 2. id quod etiam visibiliter impletum est, descendente Spiritu instar columbæ & manente super eum. Ioh. 1. v. 32. 33. SPIRITVM MEVM. non de Spiritu meo, sed Spiritum meum, integrè ac perfectè, omnia dona Spiritus mei, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilij & fortitudinis, cæteraque alibi enumerata, & si quæ sunt alia, copiosissimè illi largiar, ita vt de plenitudine eius omnes accipiant (Ioh. 1. v. 16.) non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Ioh. 3. v. 34. ET IVDICIVM. Et hoc meo Spiritu instructus, *iudicium*, id est, id quod ego iudico & probo, ac solum iustum rectumq; est, *omne consilium Dei* vt loquitur Apostolus Act. 20. v. 27. Chaldæus paraphrastes addit pronomen *meum*. Euangelium intelligit, quod iudicauit Deus in temporis plenitudine promulgandum, adeoque probat & iudicatum constitutumq; firmissimè habet, quippe iustissimum iuxta ac rectissimum, ita vt absque illo nemini salutem dare decreuerit. GENTIBVS. populis, quomodo transtulerunt Chaldæus & Syrus (עממין *hammin*) populis inquam totius orbis terrarum, Iudæis per se, reliquis per Apostolos & discipulos suos quod ad externam prædicationem attinet (nam quod ad internam, Iudæis & Gentibus omnibus, vnus ipse) quamquam Christo prædicante Iudęis, accurrerint & Gentiles ex vicino: quod etiam hîc contigisse ex Marc. 3. v. 8. clarum est. id quod fuit præludium quoddam vocationis Gentium. Prædicitur itaque hîc vocatio Gentium, Christum, etiam Gentes à Deo prorsus alienas, sub Dei imperium adducturum. NVNTIABIT. ἀπαγγελεῖ annuntiabit, prædicabit. Hebraicè est יוציא *iosi*, quod Latinus *proferet*, Græci ἐξοίσει *efferet*, Chaldæus *reuelabit*, vertêre; Euangelista iuxta sensum *annuntiabit*. Annuntiabit autem siue proferet Iudæis, id quod sub inuolucris Legis & prophetiarum apud eos latebat: Gentibus autem, quod vno Iudææ angulo conclusum occulebatur, palàm in orbem vniuersum educet. Annuntiabit porrò, non auribus tantùm populorum, ita vt audiant, verumetiam cordibus, ita vt amplectantur: cùm enim Spiritum à Patre acceperit tam abundanter, quàm vt in omnes queat effundere,

dere, fiet, vt Spiritus illius gratia ac virtute, intus formet etiam corda hominum, ad amplectendum & ſequendum iuſtiſſimum probatiſſimumque Euangelium Dei.

οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ.	19	Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. *Iſa. 42. v. 2.*

Non contendet. Sequitur modus quo vtetur in iudicio ſiue Euangelio annuntiando. Non litigabit cum contradictoribus, non certabit cum aduerſariis, vt Euangelij veritatem illis perſuadeat. contentiones non faciet. Hebræum יצעק *ubak* alij omnes vertunt *clamabit*. Neqve clamabit iracundè. non agetur perturbationibus. Sic Paulus ad Epheſ. 4, v. 31: *Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blaſphemia tollatur à vobis*. Hebraicè eſt לא ישא *lo iſſa*, id quod duobus modis Hieronymi commentarius explicat, vel *non accipiet*. ſ. perſonam in iudicio, vel *non leuabit*, ſ. in altum vocem ſuam posterius, præter Euangeliſtam, probat inter veteres Chaldæus paraphraſtes. Duo itaque iſta *Non contendet neque clamabit*, eadem penè ſunt. Non contendet verbis, nec vociferabitur aduerſus eos, qui, Dei iudicium Euangeliumque ab ipſo annuntiatum, reſpuent, adeoque ipſum annuntiatorem odio proſequentur, & verbis ac rebus ipſis perſequentur: nihil per vim aget aut tumultum contra aduerſarios ſuos, vt ſolent terreni principes: ſed licet poteſtas ei non deerit, tamen cedet dabitque locum inuincibili malitiæ. ita vidimus mox ſuprà v. 15. Docet Propheta, fore, vt in negotio prædicandi Euangelij, Rex Chriſtus ſumma vtatur manſuetudine placidiſſimaque modeſtia. In plateis. Plateas quærunt iactabundi buccinatores & oſtentatores, vt audiantur videantúrve ab hominibus, qui illac frequentes tranſeunt & obambulant, curioſique ſunt ad omnem mundi ſtrepitum, qui in plateis verſatur, cognoſcendum. Contrà mox v. 16. Chriſtus, in deſertis locis cùm ſanitatum perpetraſſet tot tamque inſignia miracula, nolens ea ad plateas ferri aut per plateas ſpargi, vetuit ne diuulgarentur. Vocem eivs. oſtentationis aut iactantiæ cauſa ſonantem. q.d. à iactantia & oſtentatione alieniſſimus erit, quæ Regibus mundi huius familiaris eſt. Quamquam intelligi poſſit, eódem iſtud ſpectare cum iis quæ præcedunt, hoc ſenſu: Domi intus, ſi doceat, ea vtetur in loquendo temperantia, vt foris in platea contigua vox non exaudiatur. quod eſt, ſumma vtetur modeſtia.

κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.	20	Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiiciat ad victoriam iudicium. *Iſa. 42. v. 3. 4.*

Arvndinem ſiue calamum, quæ vox eſt græcè, vilem licet & exigui pretij. Qvassatam. συντετριμμένον, ad verbum, contritum, comminutum, quo modo etiam vertunt quidam: ſed rectiùs Interpres *quaſſatam*, id eſt, concuſſam, non prorſus fractam, aliqua adhuc ſpe reliqua. minus enim aliquid eſſe רצוץ *raſus* quàm שבר *ſabar*, quæ hebræa huius loci verba ſunt, manifeſtum fit: nam quomodo confringi poſſit quod contritum ſit? Non confringet, cœptam fracturam, præ rei vanæ contemtu, conſummans; quin potiùs eriget & corroborabit. Sunt quidam naturæ vitio damnoſi, qui obuia omnia peſſundant vel abſque aliquo ſuo emolumento, crudeles, immites. Alius Chriſtus, cuius pergit Propheta admirandam modeſtiam, in humanitate bonitateque erga homunciones ſitam, deſcribere, per *arundinem* intelligens vulgus hominum, pauperes plebeioſque è populo: arundini enim populus adſimilatur, ob inanitatem ſimul & inſtabilitatem. *Quaſſatam* verò dicit, variis malis incommodiſque tum corporis tum animi affectos. Hos enim cùm ſoleant Reges diuiteſque huius ſeculi faſtidire, contemnere, abiicere, per potentiam opprimere (Iac. 2. v. 6.) aut certè non adiutos ſibi relinquere vt pereant, quod eſt confringere: Chriſtus non tantùm non contemſit aut oppreſſit, vt etiam ad ſe humaniſſimè admiſerit, & ab iis quibus laborabant, ſiue corporis, ſiue animi, morbis liberauerit, *quod confractum alligans*, iuxta Ezechielem, *& quod infirmum conſolidans* (34. v. 16.) Vidimus illud mox ſuprà v. 15. quàm clementer turbas ſe ſequentes exceperit, doctrinaque coniuncta miraculis ab animi corporiſque malis ſanauerit, quod latiùs deſcriptum eſt à Marco cap. 3. v. 7. 10. 11. quin & aliis locis ſimilia ab ipſo Matthæo. Immò verò plena ſunt huius beneficæ comitatis Chriſti quatuor Euangelia, ſiue peccatores per pœnitentiam ſuſceptos, ſiue ægrotos infirmoſque è populo ſanatos conſideres. Nuſquam enim Chriſtus afflictos atque inſtar calami ſemifracti ſe habentes comminuiſſe legitur, ſed contrà ſemper erexiſſe ac corroboraſſe: nihil enim tam debile fuit, tam confractum, tam abiectum, in quo vel tantilla ſpes eſſet ſalutis acceptandæ, quod non fouerit, curauerit ac ſeruauerit. Et linvm. funiculum lineum ſeu cannabinum, aut ſparteum, id eſt, ellychnium. Syrus habet lucernam. Prouerbia hæc eſſe videntur è vulgo petita. Fvmigans. obſcurè ardens. Cæteri enim ex hebræo tranſtulerunt, Hieronymo teſte, *obſcurum* atque *tenebroſum*. Neoterici, *ferè extinctum*, ſiue *vicinum extinctioni*; id eſt, non omnino extinctum, aliqua adhuc ſpe reſtante reparandi luminis. Non extingvet omnino, ſed fouebit potiùs & excitabit vt clarè ardeat. Lino fumigante idem ſignificatur quod arundine quaſſata: nam & linum ſiue ellychnium leue ac vile eſt, & obſcuritas malorum animi corporiſque ſignificationem habet. Cæterùm videri hîc poſſit reſpectum ad tenue illud fidei lumen quod erat in turbis Chriſti ſequacibus. Licet enim illud vix exiguis ſcintillis, iiſque obſcura fuligine implicitis, micaret (non tam enim fide, quàm cupiditate ſanitatis acquirendæ & videndorum miraculorum accenſi Chriſtum ſequebantur) tamen mirè fouet illud Chriſtus doctrinæ ac miraculorum beneficiis, tamquam affuſo oleo mucoque ſecreto, vt clareſcat. In quibus igitur erat aliquid bonæ ſpei reliquum, hos fouebat, opprimebat nequaquam. Licet autem iſtud, de ea ratione quam in prædicando Euangelio Chriſtus ſeruauit, propriè intelligatur: vtitur tamen ea ratione

& ho-

& hodie erga nos Christus. An non enim plerique omnes semifractæ arundini & obscuro ellychnio similes sumus? parcit autem nobis Christus, vt plenius in nobis lumen accendat, & solidum robur suppeditet. Quòd ergo ita se nostræ infirmitati attemperat, immensam eius bonitatem exosculari discamus. DONEC. non certi terminum temporis, sed rei euentum notat. EIICIAT. efferat; Hieronymus *educet*, LXX ex hebræo vertunt *efferet*. est enim vox eadem, quæ mox eo versiculo *Et iudicium Gentibus nuntiabit*, יוציא *iosi*, ad verbum sonans exire faciet. AD VICTORIAM IVDICIVM. donec efferat iudicium eousque vt victoria potiatur. Sensus est, Mansuetudine, modestia, benignitateque ista sua, id facturus est, vt illud quod annunciabit iudicium illud quod prædicabit Euangelium, vbique obtineat & vincat. Nam qua ipse ratione feliciter cœperat, eadem per Apostolos & discipulos perfecit, mansuetudine, humilitate, modestia, benignitateq; Christiana, omnes tandem Euangelij aduersarios superante. Pro *ad victoriam*, hebraicè est לאמת *leemeth* ad veritatem, *Educet iudicium ad veritatem*, id est, faciet vt Euangelium ab omnibus verum esse agnoscatur: cuius sensum Euangelista reddens, faciet, inquit, vt Euangelium vbique vincat; victoriæ vocabulo, quę non nisi pugnando acquiritur, indicans, non sine magno certamine & conatu Euangelium propagandum. Nam diabolus quascumque potest difficultates ingerit, ita vt illud non nisi luctando erumpere queat. Testatur igitur Propheta, Christum adeò constantem fore, vt legationem suam ad extremum persequatur. Id quod sequitur apud Prophetam: *Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium* (quæ vulgatæ nostræ editionis versio est) Euangelista omisit: nisi quòd, cùm eadem esse iudicaret *Ad veritatem educet iudicium*, & *Ponet in terra iudicium*, ex posteriori versiculo ad priorem addiderit *donec*, & *victoriam* ad maiorem emphasim posuerit pro *veritate*, quia in posteriori mentio est terræ, in qua nihil sancti absque pugna constitui posse, propter habitatores plerosque omnes terram sapientes, omnis Scriptura loquitur.

Isa. 42. v. 4.

& in nomine eius Gentes sperabunt.[21] καὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι.

ET. Tunc autem, vbi ad victoriam eiecerit iudicium, vbi Euangelium gloriosè propagauerit. IN NOMINE EIVS. in nominatissima ipsius potentia, misericordia, ac bonitate. vide suprà 6. v. 9. & 7. v. 22. GENTES. etiam ac præcipuè *Gentes*, à Deo alienæ, hospites Testamentorum (Ephes. 2. v. 12.) ad quas nihil iam spectare Christus promissáque diuina putantur. Gentes nominat potiùs quàm Israëlitas, tum quia inexspectata res erat conuersio Gentium, tum quia inter illas præcipuè Euangelium fructificaturum erat. SPERABVNT salutem, colent eum vt salutis auctorem, recepto nimirum Euangelio Fideles & Christianæ effectæ. Euangelista, cùm hactenus vbi varietas, hebraico adhæreat fonti, hac parte LXX est imitatus, quorum est versio: *Et in nomine eius Gentes sperabunt*: cùm hebræa, si verbum verbo reddas, habeant vt est in nostra editione: *Et legem eius insulæ exspectabunt*. Cæterùm sententia est eadem, insulares, hoc est, eos qui trans mare habitant (mos est enim sacrarum literarum, eas Gentium sedes, ad quas è Syria non est accessus nisi per mare, insulas vocare, tamquam vltra mare nihil esset aliud; quod populi erat iudicium; quàm aquæ & insulæ) quæ est maior Gentium pars (erant enim Iudæis Gentes & ad ortum ac meridiem habitantes cùm ipsis mare esset ab occidente) auidè excepturos, tamquam si diu exspectassent ac desiderassent legem Christi, Euangelium inquam, cuius prima doctrina: *Non est in aliquo alio salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*. Act. 4. v. 12.

Luc. 11. v. 14.

Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus & mutus: & curauit eum ita vt loqueretur & videret.[22] τότε προσηνέχθη αὐτῷ δαιμονιζόμενος, τυφλὸς καὶ κωφός· καὶ ἐθεράπευσεν αὐτὸν, ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν.

TVNC. quodam circa illud tempore, aliquanto tempore pòst. OBLATVS EST EI. vt à malis quibus opprimebatur liberaretur. DÆMONIVM HABENS. Vno verbo *dæmoniacus*, quemadmodum est græcè δαιμονιζόμενος. MVTVS. κωφὸς ambiguum est ad surdum & mutum: sed hîc pro muto accipiendum esse, manifestum ex eo quod consequitur *ita vt loqueretur*. Tribus igitur malis miser hic vexabatur, dæmonio, cæcitate, & loquendi impotentia: sed quorum posteriora duo, primi effecta fuerint. Apparet enim hunc oculis captum fuisse, & sermonis vsu priuatum, non naturæ vitio, ita vt in neruis opticis, aut linguæ symmetria, defectus esset; sed dæmonis maleuolentia, pro permissa sibi à Deo licentia, impedimenta obiicientis sensibus, ne officio suo fungerentur. vide suprà 9. v. 33. CVRAVIT. sanauit, liberauit à dæmonio. Christus miseretur & cogit Satanam cedere, vt maximè ille inuideat & insaniat: confidentibus igitur in Christum nihil oberit Satan. ITA VT LOQVERETVR ET VIDERET. Græcè est: Ita vt is qui cæcus & mutus (fuerat) & loqueretur & videret. Sublato enim dæmonio, simul & impedimenta sustulit, quæ dæmonium oculis & linguæ inferebat.

Luc. 11. v. 14.

Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: Numquid hic est filius Dauid?[23] καὶ ἐξίσταντο πάντες οἱ ὄχλοι, καὶ ἔλεγον· μήτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς Δαβίδ;

STVPEBANT. ἐξίστανται significat, præ admiratione apud se non esse, & de statu mentis deiici. OMNES TVRBÆ. omnis turba, vniuersa populi turba. Diuersi hominum ordines proponuntur, variè de hoc miraculo iudicantium. Quidam admirantur & obstupescunt. alij blasphemant. Sed vnde factum est vt admirata sit populi turba, nisi quia res ita cogebat, perspicua Dei potentia in admirationem sui turbam ab omni maligno affectu puram & integram rapiente? Et certè nemo est qui non in hac historia tamquam in speculo insolitam Dei potentiam cernat. NVMQVID. An fortè. FILIVS DAVID. ὁ υἱὸς Δαβίδ filius ille Dauid,

Dauid, promiſſus ille Dauidi filius, id eſt, Chriſtus (neque enim videtur græcè addendum ὁ χριστὸς) vide ſuprà 1.v.1. & 9.v.27. An poſſit hic eſſe Chriſtus promiſſus quem omnes expectamus? Certè mira edit opera, qualia nunquam alius quiſquam. Non procul aberrant: ex operibus enim huiuſcemodi Chriſtum cognoſcendum, iam antè docuerant Prophetæ. vide ſuprà 11.v.5. En miraculi fructum, manuducentis populum ad fidem: non quòd repentè profecerint quantum oportebat (dubitanter enim loquuntur) ſed hic tamen non exiguus eſt profectus, dum ſeſe expergefaciunt ad indagandam attentiùs veritatem.

(4) οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες εἶπον· οὗτος[24] οὐκ ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, εἰ μὴ ἐν τῷ βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων.

Phariſæi autem audientes dixerunt: Hic non eiicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Mar. 3. v. 22. Luc. 11. v. 15.

PHARISÆI AVTEM. quorum mens erat inuidiæ veneno infecta, AVDIENTES ita propenſas in Ieſum populi ſententias. IN BEELZEBVB. per Beelzebub. vide ſuprà 10.v.25. PRINCIPE DÆMONIORVM. ſummum ſiue primarium dæmonem. vide ſuprà 9. v.34. Quum in re aperta & conuicta tergiuerſari nequeant, malignè tamen arrodunt quod diuinitus factum erat: nec modò laudem miraculi obſcurant, ſed & in probrum trahere conantur, quaſi magica incantatione editum fuerit: & eius operis quod homini tribui non poterat, diabolum fingunt eſſe auctorem.

εἰδὼς δὲ ὁ ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις[25] αὐτῶν, εἶπεν αὐτοῖς· πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ᾽ ἑαυτῆς, ἐρημοῦται· καὶ πᾶσα πόλις ἢ οἰκία μερισθεῖσα καθ᾽ ἑαυτῆς, οὐ σταθήσεται.

Ieſus autem ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuiſa contra ſe, non ſtabit. Mar. 3. v. 24. 25. Luc. 11. v. 17.

SCIENS. cùm ſciret. COGITATIONES. multoque magis verba quæ loquuti fuerant populo. Ieſus virtute diuina intellexit blaſphema verba quæ illi longiuſculè ab ipſo poſiti populo inſuſurrabant intellexit & mentem qua id facerent, dum non inſcitia aut temeritate, ſed data opera & dolo malo, contra dictamen ſuæ ipſorum conſcientiæ, conuitium fabricarent. & impugnarent quod rectum erat, diabolo adſcribentes quod cernebant Dei opus eſſe, ad hoc vt à Chriſto & Euangelio populum abſtraherent. Quia itaque blaſphemia iſta ex profeſſo Dei gloriam hominumque ſalutem impugnabat, & Ieſus conceptæ intus malitiæ iudex ac teſtis erat, ideò pluribus eam accurateque refutauit, ſumma tamen vſus manſuetudine.
DIXIT. Exemplis aliquot à rerum natura & experientia ſumtis refutat aduerſarios: & primùm quidem oſtendit non ſe vti opera dæmonis. OMNE REGNVM quamuis amplum & inuictum. DIVISVM CONTRA SE. quod inteſtinis diſſidiis ſecum ipſum pugnat. Syrus ad verbum: Diuiſum aduerſus animam ſuam. DESOLABITVR. ἐρημοῦται) deſolatur, vaſtatur, neceſſe eſt breuî vaſtetur & pereat. ET OMNIS CIVITAS VEL DOMVS. non regnum tantummodò, ſed ne ciuitas quidem. imò ne priuata quidem familia, poteſt conſiſtere, vbi diſſideant inter ſe inhabitantes: adeò nihil eſt ſtabile, vbi regnat ſeditio. NON STABIT. fieri non poteſt vt perſtet.

καὶ εἰ ὁ σατανᾶς τὸν σατανᾶν ἐκβάλλει,[26] ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἐμερίσθη· πῶς οὖν σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ;

Et ſi ſatanas ſatanam eiicit, aduerſus ſe diuiſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? Mar. 3. v. 26. Luc. 11. v. 18.

ET SI. Sed ſi. SATANAS SATANAM. dæmon vnus alium. Appoſitè vtitur Saluator ſatanæ nomine, quo declaratur, diabolum nihil vnquam boni hominibus velle, quorum eſt aduerſarius & iuratus hoſtis.
EIICIT vndique ex hominibus me miniſtro. ADVERSVS SE DIVISVS EST ſatanas, ſiue corpus ſatanæ, turba dæmonum: pugnant diſſidentque inter ſe dæmones, dum alij lædere, alij liberare homines ſtudent. Nam ſi quando inter ſe colludant, & ſponte cedant vnus alteri, ita ſe vinci ſimulant, vt iidem ipſi nihilominus triumphent: atqui Chriſtus aperto Marte illos aggreſſus eſt, vt illos prorſus deiiceret vbicumque ſe offerrent, nec quidquam illis faceret reſiduum, ita eiiciens ex hominibus, vt homines ſanos & integros Deo reſtitueret. Et colluſio quidem ſiue voluntarius egreſſus ſimulata expulſione velatus, locum habere queat ſemel aut iterum: ſed vbi tot numero quot ſe Chriſto quotidie dæmoniaci offerunt expelluntur, idque ſumma cum facilitate ſimul & auctoritate, ab eo qui rebus ipſis manifeſtè ſe diaboli inimicum vndequaque declaret, fieri non poteſt vt fiat opera dæmonis, quin egregiè inter ſe diſcordent & tumultuentur dæmones. Quamuis enim ſit inter dæmones alius alio ſuperior: non tamen patiantur inferiores ſe exturbari amatis & multis ſæpè laboribus acquiſitis poſſeſſionibus, quin aduerſus ſuperiores rebellent, ſuperbia omnes cùm certent inter ſe, obedientia vacui, in hoc vnum concordes vt hominibus noceant, quæ & vnica qua ſe oblectent voluptas eſt. STABIT. quomodo igitur curæ eſt ſatanæ vt firmum ſtet REGNVM EIVS? Diabolus ſumma calliditate ab initio occupauit in homines regnum, ſeu propriè loquendo tyrannidem, dum illos ad peccatum pertraxit. Quo quidem regno, ſuperbus ille adeò elatus & oblectatus eſt, vt nihil prius illi fuerit, quàm ſumma ſemper cura illud ſtabilire, amplificare, hominesque ſub peccati miſeriarumque iugo tenere, ſuffragantibus & cooperantibus angelis ſuis. Quòd ſi iam ipſe paſſim exigat angelos ſuos ex hominibus (qua non eſt illis gratior habitatio) ſummas procul dubio mouet diſcordias, acuitq; illos in ſeditionem aduerſus ſe, & omnino diſſident in partes contrarias, dum hi regnum continent & tuentur, ille verò ſtultiſſimè exſpoliat ac deſtruit. nam depereunt regno tot homines, quot à dæmonum occupatione liberantur,

liberantur, minimùm, vt non tantùm subiecti sint quantum fuerant. Pessimè itaque consulit regno suo, diuidens illud atque exspolians: breui enim huiusmodi dissidiis corruat necesse est. Cæterùm cùm id nullo modo credibile sit de astutissimo hoste, cui econtrario ante omnia cordi est regnum tueri & augere, hominesque sibi mancipare: euadit manifestum, quàm absurda calumnia sit, dæmonia à me illius operâ eiici.

Luc. 11. v. 19.

Et si ego in Beelzebub eiicio dæmones, filij vestri in quo eiiciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. [27] καὶ εἰ ἐγὼ ἐν βεελζεβοὺβ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; διὰ τοῦτο αὐτοὶ ὑμῶν ἔσονται κριταί.

FILII VESTRI. Alterum argumentum ab auctoritate & experimento, quo ostendit etiam amplius quàm eo quod præcedit, se inquam Dei virtute ad expellendos dæmones vti. Per filios autem intelligit exorcistas gentis Iudæorum, quales erant septem illi filij Sceuæ principis Sacerdotum, de quibus Act. 19. v. 14: quos à Salomone accepisse rationem côiurandorum dæmonum perhibet Iosephus lib. 8. Antiq. ca. 2. Filios autem vocat Pharisæorum & Scribarum, quia Pharisæi & Scribæ, qui inter Iudæos tamquam patres habebantur, hos vt filios agnoscebant & probabant, cùm Iesum econtra detestarentur. IN QVO EIICIVNT? per quem, cuius opera aut virtute expellunt dæmones? Responsum ab ipsis peti vult, tamquam diceret, in confesso esse quid responsuri sint, illos nempe inuocato nomine Domini, virtute Dei, eiicere dæmones. IVDICES VESTRI ERVNT. collatis inter se ipsorum & meis gestis, reipsa condemnabunt vos inuidiæ atque odij in me concepti, & perfidæ in Deum blasphemiæ: quòd idem vnum opus eiectionis dæmonum, in illis quidem diuinæ virtuti, in me autem, in quo illustriora fulserunt diuinæ præsentiæ argumenta, diabolo adscripseritis. Hæc enim inæqualitas ostendit, quod æquum & rectum est non valere, sed cæcum erga Christum odium dominari; dum in hoc damnant, quod in suis laudi ducunt.

Luc. 11. v. 20.

Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. [28] εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

SI AVTEM EGO. Ex superioribus rationibus obiter infert, se non tantùm non statuere regnum diaboli, quod calumniabantur inimici, vt econtra adducat & præsens exhibeat regnum Dei, cui illi impiè & ingratè se opponant. IN SPIRITV DEI. per Spiritum Dei, cooperante Spiritu sancto, vt res ipsa loquitur. Spiritus Dei opponitur Beelzebub, sanctus Spiritus impio, castus immundo, princeps angelorum totiusq; creaturæ principi dæmoniorum. EIICIO passim, tanta multitudine quanta se quotidie offerunt. PERVENIT IN VOS. quod Mosis olim ac prophetarum oracula promiserunt, & Iohannes Baptista propinquum annunciauit, hoc nunc se, me duce & administro, præsens exhibet & *peruênit in* siue super *vos*, ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς, occupauit vos, minimè illud desiderantes, sed inuitos, contemnentes, & oppugnantes. REGNVM DEI. eripiuntur enim homines diaboli imperio, multi corporaliter, plures spiritualiter (illud enim huius typum gerit) & impletur illud Scripturæ: *Ipse conteret caput tuum* (Gen. 3. v. 15.) Ita destructo diaboli regno, surgit Dei regnum, cui ingrati & miseri vos opponitis, eligentes à partibus diaboli esse, potiùs quàm Deum apud vos regnare, & oblatam regni illius salutem amplecti. Quid sit regnum Dei, vide suprà 3. v. 2.

Mar. 3. v. 27. Luc. 11. v. 21. 22.

Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiet? [29] ἢ πῶς δύναταί τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ, καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον δήσῃ τὸν ἰσχυρόν, καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει;

AVT. ἤ. Quidam vertunt *Nam*, quidam *alioqui*. Tertium argumentum à comparatis. QVOMODO POTEST. Aut si ego non eiicio dæmonia in Spiritu sancto, nec peruênit in vos regnum Dei: quomodo fieri potest vt fortis illius aduersarij vasa diripiantur & domus exspolietur, quod ad oculum quotidie videtis, dæmonibus eiectis, tum ex corporibus, tum ex animis, hominibus ad meliora conuersis (mox enim docuerat illam veram & manifestam esse exspoliationem) nisi aliquis vincat illum & vinciat? Nec enim exspoliabit ipse se, nec gratis vmquam dabit aliquid eorum quæ possidet. Agnoscatis igitur oportet, à me, cooperante Spiritu sancto, Satanam vinci ac vinciri, & destrui quidem illius, adduci autem Dei regnum. FORTIS alicuius, robusti, valentis viribus. VASA. arma, instrumenta, supellectilem, res: quæ omnia hebraico more כלי *cele*, id est, vasa dicuntur. ALLIGAVERIT. vicerit, & inermem redditum ligauerit, aut in vincula coniecerit. Fortem intelligit Saluator satanam, quippe leonem rugientem, cuius fortitudo describitur Iob 40. & 41. sub nominibus Behemoth & Leuiathan. Domum fortis intelligit regnum seu imperium satanæ; vasa illius, arma quibus inuadit homines vt regnum propaget, qualia sunt, malefica dæmonum vis, tentationes ad omnis generis vitia; arma item quibus munit regnum ne pereat, vt sunt, peccandi voluptas, consuetudo, cæteraque huiusmodi retinacula, denique supellectilem quam possidet, quæ sunt vasa siue filij iræ, homines inquam ipsi quos captiuos tenet. Iam Saluator tam mox à baptismo quàm deinde quauis occasione data, præsertim verò moriens, congressus cum diabolo vicit illum, & non quidem internecioni dedit, sed ligauit illum hactenus, ne impediret quin diriperet ipse Saluator vasa ipsius, & domum exspoliaret, quin perficeret opus redemtionis quod statuerat. Inuasit itaque Dominus regnum ipsius, maleficos milites præsidiis vndique exegit, peccata remittendo abstulit, à peccandi consuetudine ad virtutis cultum abduxit, itaque homines ex Satanæ regno translatos Dei regno restituit, quod quidem à morte sua per Apostolos eorumque successores perfecit.

ὁ μὴ

ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι· καὶ ὁ [30] μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει.	Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non congregat mecum, ſpargit.	*Luc. 11. v.23.*

QVI NON EST MECVM. Vulgatam certiſſimamque ſententiam, quæ hebraicè prouerbij modo ferebatur, ſuo accommodat propoſito, terrens auditores eos, qui medij ita ſe gerebant, vt nec adhærere Chriſto, nec oppedere vellent, multò verò magis eos qui manifeſtè ipſum oppugnabant: quemadmodum ſi Rex, neceſſarium bellum gerens, dicat ſubditis ſuis: Quicumque veſtrûm non eſt mecum, contra me eſt. Nam occaſione belli quod ſibi cum Satana eſſe dixerat pro redemtione generis humani, addit bellum eſſe vniuerſale, à quo nullus hominum ſubducere ſe poſſit quin ſtet à partibus alterutrius ſiue Chriſti ſiue Satanæ, principum nullo vmquam fœdere conciliandorum; medium neutrúmve eſſe, vt nec vni adhæreas nec alteri, non licere: nam *Qui mecum non eſt*, inquit, qui non eſt in parte mea, non fauet partibus meis, ad tyrannum hunc expugnandum illiuſque regnum deſtruendum; CONTRA ME EST, aduerſarius meus eſt, ſtat à partibus Satanæ, quas promouet, eo ipſo quo ſe mihi, prout tenetur, non iungit; vel ipſo animi conſenſu, ſi amplius nequit; depugnanti pro ipſius aliorumque hominum liberatione. Chriſtus neminem pro ſuo agnoſcit, qui non integro ſinceroque animo ipſi adhæreat: diabolus omnes abſque delectu ad ſua caſtra admittit, quantumuis diuerſos atque aduerſos, qui modò Chriſto non faueant. vide ſuprà 6.v.10. NON CONGREGAT MECVM, non ſe aggregat mihi, non adhæret mihi. SPARGIT, ſiue, vt habet Syrus, Spargendo ſpargit, omnino ſpargit, elongat ſe à me, abit in diſperſionem cum Satana, aduerſarium ſe mihi conſtituit. Vnum enim idem eſſe videtur quod ad ſententiam poſterius hoc colon cum priore *Qui non eſt mecum contra me eſt*, vt ſæpe fit in prouerbiis bimembribus.

διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, πᾶσα ἁμαρτία [31] καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις· ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις.	Ideò dico vobis, omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blaſphemia non remittetur.	*Mar. 3. v.18.29. Luc. 12. v.10.*

IDEO. Non ex proximo verſu iſte infertur, ſed ex tota illa quæ præceſſit ſerie diſputationis Chriſti. q.d. Cùm igitur manifeſtum ſit dæmonia à me virtute dæmoniaca non eiici ſed virtute Spiritus ſancti, idque vos ipſi, ſi velitis, facilè animaduertatis: idcirco illud vobis affirmo committi à vobis blaſphemiam in Spiritum ſanctum, peccatum grauiſſimum nec vmquam dimittendum. Phariſæorum peruerſitatem ſeueriſſima definitione condemnat. ET. adeoque. BLASPHEMIA. vide ſuprà 9.v.3. REMITTETVR. remiſſibilia ſunt. HOMINIBVS pœnitentiam agentibus ac diuinam miſericordiam implorantibus. SPIRITVS. ſ. ſancti. id eſt, in Spiritum ſanctum ſic enim interpretantur Marcus & Lucas, & transfert hoc loco Syrus. Simile habuimus ſuprà 10.v.1. vbi ſimiliter ſubaudiendum fuit κατὰ aduerſus. Hoc loco manifeſtè docetur Spiritus ſancti diuinitas. BLASPHEMIA. Docet Saluator blaſphemiam in Spiritum ſanctum aliis omnibus peccatis eſſe grauiorem, quippe irremiſſibilem. Ex eo autem quòd Phariſæos & Scribas huius criminis notat, intelligere licet, ſpeciem vnam blaſphemiæ in Spiritum ſanctum fuiſſe, quòd expulſionem dæmonum, quam manifeſtum erat fieri à Chriſto virtute Spiritus Dei prouocantis ad ſalutem, ipſi deſtinata malitia attribuerent Satanæ hoſti Dei. Blaſphemia igitur in Spiritum ſanctum ea eſſe videtur, qua quis deſtinata malitia, contra proprium animi ſui ſenſum, Spiritus ſancti gratiam ac virtutem Deique gloriam oppugnat; Dei virtutes ſibi patefactas, aut in ipſis operibus relucentes ad ſalutem humani generis, in quibus celebrari Dei gloriam decebat, in eius dedecus malitioſè conuertit, inque diuini nominis contumeliam data opera proſilit. Sed quærat aliquis, An eouſque amentiæ proſilire queant homines, vt Dei gloriam oppugnare ſcientes & volentes non dubitent? Reſpondetur, audaciam iſtam prodire quidem ex cordis cæcitate, ſed in qua malitia exſuperet, vt clarum eſt hoc loco de Phariſæis inuidia odioque excæcatis. vide Mar. 3.v.5. Eſt altera quæſtio: Cur vocetur potiùs blaſphemia in Spiritum ſanctum quàm in Patrem & Filium, quibus tribus vt debetur vnus honor, ita vna infertur contumelia? Vulgatum eſt, ſacram Scripturam, quò nobis innoteſcerent perſonæ in diuinis, conſueuiſſe ſingulis perſonis ſua attributa adſcribere, communia illa quidem in ſe omnibus, ſed vſurpatione vni propria; & quidem Spiritui ſancto amorem, bonitatem, ac proinde dona, chariſmata, gratias, virtutes, miracula, lumen, quo, hæc & cætera huiuſmodi, ad ſalutem humani generis à Deo Trinitate proficiſcentia munera, cognoſcuntur. quæ quidem blaſphemus in Spiritum ſanctum ingratiſſimus oppugnat, vt Phariſæi liberationem hominum à dæmonum ſeruitute ac poteſtate, quæ proprio iure ac certiſſimo Spiritui ſancto adſcribi debebat, quippe beneficium in ſummorum bonorum genere ac definitione ponendum. NON REMITTETVR. hominibus repetunt Græci & Syri. irremiſſibilis eſt, numquam fiet vt remittatur. non quòd huius ſceleris enormitas Dei ſiue potentiam ſiue bonitatem ſuperet, ſed quòd numquam aut certè admodum rarò fiat vt remittatur. Veræ quidem pœnitentiæ numquam admiſſi venia negatur: cæterùm hi, vt numquam ad remiſſionem, ita nec ad pœnitentiam perueniunt. Ratio eſt, quia directò oppugnant id ſine quo ad pœnitentiam & peccatorum remiſſionem perueniri nequit, Spiritum ſanctum ſcilicet, ſiue gratiam Spiritus ſancti: à qua dum manent alieni, excæcantur magis magiſque, obdurantur, traduntúrque in reprobum ſenſum, ita vt ad pœnitentiam numquam adſpirent. Sic enim & morbus ille incurabilis dicitur, qui directè oppugnat id ſine quo ſanitas recuperari nequit; qui nec ceſſat conficere corporis vires, nec admittit cibum aut medicinam, Deo licet curabilis ſit. Simile eſt peccatum iſtud ei, quo dæmones peccauerunt in Deum vt Deus eſt, obſtinata malitia reſiſtentes Deo: non mirum igitur ſi ſimiliter ſit irremiſſibile, tametſi non æquè.

Mar. 3. v. 28. 29. Luc. 12. v. 10.

32 Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autē dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.

καὶ ὃς ἐὰν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.

VERBVM aliquod offenſiuum, contumelioſum, blaſphemiam. Idem clarioribus verbis repetit, firmioris aſſeuerationis cauſa, innuens interim non ideo ſe loqui duriùs, quia iniuria ipſe affectus fuerit. CONTRA FILIVM HOMINIS, me, in quo præter ſimilitudinem carnis peccati nihil nouit nihil hactenus credidit: mihi, nondum ex diuina virtute cognito, ſed homini tantùm exiſtimato, auctoritatem aliquam detraxerit. Huiuſmodi verba ſiue conuitia tolerauit Chriſtus ſuprà 11. v. 19: huiuſmodi fuit & Pauli blaſphemia 1. Timoth. 1. v. 13. REMITTETVR EI. remiſſibile peccatum eſt, non tam graue eſt vt remiſſionem peccatorum pœnitentiámve excludat: poteſt enim ille doceri, moneri, ad fidem adduci, & tandem pœnitere ac remiſſionis compos fieri. DIXERIT. ſ. verbum, obloquutus fuerit. CONTRA SPIRITVM SANCTVM. qui, vt Apoſtolus ait Heb. 10. v. 29., Spiritui gratiæ contumeliam fecerit; auſus fuerit Deum ipſum impetere ſeu ab ipſo euidenter profecta opera. NEQVE IN HOC SECVLO. neque in hac vita, vbi proprius eſt remiſſionis locus. Seculum propriè tempus centum annorum ſignificat: accipitur autem pro tempore, & ſynecdochicōs pro vita, cuius durationem tempus metitur. NEQVE IN FVTVRO, neque in futura vita, vbi quibuſdam aliquando contingit veniam dari, iis qui ex hac vita Deo grati, non ſine alicuius culpæ tamen aut pœnæ reatu, deceſſerint. Senſus eſt, numquam remittetur, ſed & in hac & in illa vita punietur, hîc reprobo ſenſu, illic igne æterno. Nec enim de culpa tantùm hîc agitur, verumetiam, ſuffragante interpretatione Græcorum, de pœna, cui neceſſariò ſubiacet à morte peccatum in vita non remiſſum. Futurum autem ſeculum, non tantùm ad extremum iudicij diem, vt inſulsè torquet Caluinus, verumetiam ad medium tempus referendum eſſe, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd, vt mox à corporis morte, vita animæ per ſe incipit: ita & incipit tempus quo vitæ illius duratio menſuratur. Quare Saluator, qui his verbis docere voluit peccatum iſtud numquam dimittendum; complecti debuit futuri ſeculi nomine (nec enim complexus eſt huius ſeculi nomine) & hoc tempus medium inter mortem corporis & reſurrectionem: quod quidem futurum ſeculum vocatur, non quòd animabus à corporibus ſeparatis præſens non ſit, ſed quòd mortalibus, qui de eo loquuntur, quamdiu vitam hanc corporalem adhuc viuunt, futurum ſit. Vt ergo vita futura, ita & futurum ſeculum, incipit vnicuique mox à morte corporis (longè enim aliud eſt, quando Scriptura diem nouiſſimum aut diem Domini nominat) nec aliter à reſurrectione incipere dici poteſt, quàm, vt vita corpore reſumto perfectior erit, ita ſeculum omnes prorſus homines, nemine excepto, comprehendet. Non inualido igitur argumento hinc colligunt Catholici, quædam aliquando peccata à morte remitti; mortalia quoad pœnam, venialia quoad pœnam & culpam. Quod vt eludant, alij alia hæretici fingunt, vt, quòd futurum ſeculum ab articulo mortis incipiat, & huiuſmodi indigna refutatione.

Luc. 6. v. 44.

33 Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur.

ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον καλὸν καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ καλόν· ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον σαπρὸν καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ σαπρόν· ἐκ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται.

FACITE. ponite, ſtatuite, fatemini ſ. in veſtris de me ſermonibus. Alio iterum argumento, à naturæ obſeruatione ducto, Phariſæos blaſphemos arguit & conuincit. Eſt autem argumentum quod cornutum vocant, Hieronymus ἄφυκτον ſeu ineuitabile, quod interrogatos hinc inde concludit & vtroque cornu premit. Si vultis, inquit, latere cæcitatem inuidi cordis veſtri, conſiſtentia loquamini oportet. Arborem eiuſque fructum, aut ſimiliter bona, aut ſimiliter mala, neceſſe eſt fateamini. Nam, iuxta communem etiam hominum ſenſum, ex fructu arbor dignoſcitur. Vos autem, nulla rerum cohærentia, fructum quidem admittitis bonum, arborem verò calumniamini malam; laudatis opus, damnatis auctorem. Eiectionem dæmonum ex hominibus rem agnoſcitis eſſe bonam (nam ſi negetis, res vos ipſa conſuadet, tot numero hominibus, quot mea opera liberati ſunt, habentibus iam optimè & iucundè beneficio fruentibus, qui antea peſſimè affligebantur) illius verò auctorem malum dæmonem dicitis. Atqui, ſi opus bonum eſt, & auctorem oportet dicatis bonum, Spiritum ſanctum inquam per me operantem. MALVM. σαπρόν. vide ſuprà 7. v. 17. AGNOSCITVR. Nam *omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.* ſup. 7. v. 17.

Luc. 6. v. 45.

34 Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis, os loquitur.

γεννήματα ἐχιδνῶν πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες; ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ.

PROGENIES VIPERARVM. vide ſuprà 3. v. 7. vbi Iohannes Baptiſta hoc idem Phariſæis improperat. Poſtquam Saluator blaſphemam Phariſæorum calumniam pluribus rationibus confutarat, & quàm graue peccatum

peccatum eſſet docuerat, inſigni obiurgatione pro merito illos excepit: &, tamquam corrigeret id quod proximè dixerat: *Facite arborem bonam & fructum eius bonum.* Quid, inquit, moneo vt rationi conſona & ea quæ decent loquamini? nam cùm ex malis maioribus mali orti ſitis, quomodo fieri poſſit vt mali bona loquamini? vt vel in vobiſipſis conſiderare liceat arborem malam & fructum eius malum. POTESTIS. id eſt, poſſitis, modo potentiali. q. d. mirum foret. LOQVI. ore efferre, de operibus meis rectum pronunciare iudicium. MALI corde, animo erga me odio atque inuidia pleno? Hoc ſubaudit Saluator: nam ex corde, vt ex radice, pendet præcipuè hominis ſiue bonitas ſiue malitia. Non aliud à vobis eſt exſpectandum, quàm vt, cùm malitia cor refertum ſit, mala verba ore euomatis. EX ABVNDANTIA CORDIS. ex eo quod in corde abundat. Cor, vt eſt irrequietum, ita perpetuis agitatur cogitationibus. aliaſque aliis accumulat, & inſtar locupletiſſimi penu intus plenum eſt abundatque affectionibus. Eæ verò quales ſunt, talia ſunt & verba quæ ex harum aceruo promuntur, ſi bonæ bona, mala ſi malæ ſeu vitioſæ. Promit enim os verba ex aceruo ſiue theſauro, vt mox dicitur, cogitationum cordis, quem nec facilè quiſquam exhaurit quantumuis verboſus, quin id quod in ore verſatur, longè magis abundantiuſque verſetur in corde. Hæc ſignificantur hoc ſacro prouerbio: quo addit improperationi ſuæ auctoritatem Saluator. Eſt autem ſententia hæc prouerbialis, quemadmodum cæteræ, vera vt pluſimùm: in hypocritis tamen qui ſimulatè loquuntur, vt ſanctè ſonent verba, at vitioſa ſunt ex vitioſo principio, fingente formanteque verba eo modo, quo conſequi queat id cuius abundat æſtuatque deſiderio.

ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει ἀγαθά· καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει τὰ πονηρά.

35 Bonus homo de bono theſauro profert bona: & malus homo de malo theſauro profert mala. Luc. 6. v. 45.

BONVS. Declarat ſententiam proximè præcedentem. DE. ἐκ ex. BONO THESAVRO bonarum ſanctarumque cogitationum atque affectionum, coaceruatarum ac repoſitarum in corde. Quam mox abundantiam cordis vocauit, hîc appellat theſaurum, cumulum ſiue aceruum cogitationum in cor collectarum. PROFERT. effert, depromit. ſ. ore. BONA. ſancta. ſ. verba. ita accidit vt plurimum. MALO THESAVRO impiarum ſeu malarum cogitationum atque affectionum.

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι ὑπὲρ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

36 Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

DICO AVTEM. Vt autem penſitare & præuidere queatis quale iudicium vobis exſpectandum ſit pro blaſphemiis iſtis veſtris, illud vobis affirmo, quod dictu mirum videri poterit. QVONIAM OMNE. quòd quodcumque VERBVM OTIOSVM locuti fuerint homines. *Otioſum* vanum, inutile, quod ſine vtilitate & loquentis dicitur & audientis, alioqui minimè nociuum aut reprehenſibile. REDDENT RATIONEM, id eſt, cogentur reddere, exigetur ab eis ratio, ita vt ſi nequeant reddere (vt inutilis dicti nulla poteſt adferri recta ratio) pœnæ pro merito adiudicentur. *Reddent* autem iudici, exiget iudex, conueniens vniuſcuiuſque conſcientiam. DE EO. ſubaudiendum eſt: Quanto magis de blaſphemia, & ea in Spiritum ſanctum, tanto interuallo verbum otioſum ſuperante, vt hoc illius comparatione omnino non videatur peccatum cenſendum? IVDICII extremi. Illi porrò quibus ante diem illum remiſſa à Deo fuerint verba otioſa; quales erunt electi omnes; rationis loco remiſſionem adferent. In reprobis; venialia peccata fuerint licet ſolummodo; tamen vnà cum mortalibus iudicis ſententia punientur.

ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, καὶ ἐκ τῶν λόγων σου καταδικασθήσῃ.

37 Ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

EX VERBIS ENIM. Non enim tunc operum ſolùm, ſed & verborum ſermonumque exactiſſima habebitur ratio. Ex verbis tuis, non minùs quàm ex operibus, vt ex fructu bono bona arbor (ſunt enim verba teſtes cordis, & lingua mentis character) IVSTIFICABERIS. agnoſcêris & pronunciaberis iuſtus, ſi ita ferat examen iudicis omnia circumſpicientis & trutinantis. Quia iuſtificari hîc opponitur τῷ condemnari, idcirco accipitur pro iuſtum declarari: alibi, apud Apoſtolum præſertim, eſt iuſtum fieri ſeu reddi. ET. id eſt, vel. Nec enim inſolens eſt iſta coniunctionis copulatiuæ acceptio in hoc dicendi genere. TVIS tamquam ex malo fructu mala arbor. CONDEMNABERIS peccati pœnæque promeritæ. Videri poſſit, Phariſæos aut certè alios Chriſti auditores, exiſtimaſſe, nullam vel paruam verborum in iudicio Dei habendam eſſe rationem, modò mens rectè ſenſerit & vita fuerit inculpata. Hanc opinionem reprobat Chriſtus, affirmans ad ea vſque verba iudicium agendum, quæ vanitatis ſolius, vtpote friuola, notari queãt: longè magis ea ponderanda, quę contra conſcientiã locutus fueris, cum veritatis detrimento, & tanto auditorũ incommodo.

τότε ἀπεκρίθησάν τινες τῶν γραμματέων καὶ φαρισαίων, λέγοντες· διδάσκαλε, θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν.

38 Tũc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſęis, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre. Luc. 11. v. 16. Inf. 16. v. 1.

TVNC RESPONDERVNT. His ita à Chriſto ediſſertis ſubiecerunt. vide ſuprà 11. v. 25. QVIDAM. alij ab iis

ab iis qui Christi opera Beelzebub adscripserant. manifestum id est ex Luc. 11. v. 16. MAGISTER. præceptor. Illis redargutis, secundum hoc propositum vigent illi, simulata oratione magistrum appellantes, quasi talem ipsi agnoscerent qualem se populis ille præbebat, sed vellent sibi maiori signo confirmari ipsum esse prophetam à Deo missum ad regnum cælorum annunciandum & procurandum. VOLVMVS cupimus, desideramus. A TE. ex te. SIGNVM. miraculum aliquod omni exceptione maius. vides enim; volunt dicere; in dubium vocari ea quæ hactenus operaris. Lucas addit *de cælo* cap. 11. v. 16. Quod ergo dicunt, hoc est: Si quæ facis, non facis Satanæ, sed Dei virtute, age, apparere nobis fac de cælo signum aliquod, vnde sciamus certò, diuinitus abs te agi quæ agis. fac vt è cælo testetur Deus se tui magisterij auctorem esse, ac miraculo, tamquam sigillo è cælis adhibito, doctrinam legationemque tuam confirmet. Respexisse videntur ad Mosen, vt & alibi, quum dicerent: *Quod ergo tu facis signum vt videamus & credamus tibi? quid operaris?* Ioh 6. v. 30. Moses magister & legislator probatus fuit signis cælestibus, manna, tonitruis, igne, fumo, vocibus, buccina cælesti, & cætera. Tale quid videntur ab eo petere, quasi, si tale quid faceret quale fecit Moses, credituri essent in illum. Atqui Christo propositum fuit, miraculis suis id notanter ostendere, se Saluatorem hominum esse, ac proinde eiusmodi edere quæ hominibus salutem adferrent: & facilè illi sibi persuadebant Christum non editurum signum pro ipsorum arbitrio, curioso illo & superuacaneo, si non ob aliud, ne ostentationis notam incurreret: eo verò studiosiùs petebant, vt cùm non ederet persuaderent populo non esse illi cum Deo negotium, sed cum Satana, quia non posset signum è cælo producere, sed ex inferis potiùs proferret, consuetudine cum dæmonibus inita.

Luc. 11. v. 29. Infrà 16. v. 4.

Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.	39 ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον ἰωνᾶ τοῦ προφήτου.

GENERATIO. γενεὰ natio, gens. explicat, non eorum tantùm qui interrogauerant, sed & nationis totius, cuius illi erant capita, proprietates & ingenium. *Iudæi enim signa petunt*, quod ait Apostolus 1. Cor. 1. v. 22., & Euangelistæ passim testantur. nam & frequenter repetiuerunt hanc ipsam exactionem. MALA. scelerata, domus exasperans iam olim. malum hominum genus & seculum peruersum. Summa libertate adulatoribus hypocritis respondet, in eosque inuehitur, qui peruerso, non simplici, animo signum petebant; *tentantes*, quod Lucas ait: præcipuè autem, quòd Deo ingrati, tot ejus virtutibus malignè spretis, subterfugium captarent ne obedirent. Cuius enim non socordiæ modò sed malitiæ erat, ad tot edita hactenus signa oculos claudere? Cæterùm non aliò tendebat consilium, nisi vt Christum impunè meritoque viderentur reiicere.

ADVLTERA, id est, adulterina, patres minimè referens, vt quæ à Deo vero patre desciuerit, & à maiorum, de quibus sibi placet, pietate ac virtute degenerauerit; *semen Chanaan* & non Abraham, vt prophetæ loquuntur. vide Mar. 8. v. 38. QVÆRIT. ἐπιζητεῖ requirit, sibi exhiberi pro suo arbitratu, non contenta hactenus exhibitis. ET pro sed. NON DABITVR EI quale petit: nec enim quærit vt veritatem cognoscat: nam & illa vt cognoscatur, sufficiunt quæ edita sunt. Deus non debet hominum voluntati obsequi, præcipuè deprauatorum: sed homines oportet agnoscere & sequi id quod à Deo institutum est. Non destitit quidem posthac Christus virtutem suam apud illos exserere, ac variis adhuc eos miraculis conuincere, quò inexcusabiles redderet: sed indignos intelligit, quorum impiæ cupiditati obtemperet.

NISI. Coniunctio ista non excipit hoc loco, sed ponitur pro *sed*, vt Gal. 2. v. 16. Sensus est: Dabitur autem ei signum quod minimè desideret, non è summo cælo, sed ex ima terra, quo semel opprimatur, ita vt vel credat vel pereat. Resurrectio enim, vt erat summa Iesu gloria, ita summum erat tormentum inimicis eius: quæ prædicata & adstructa, tanto illos pondere pressit, vt necesse haberent vel credere in Iesum vel conteri (*super quem enim ceciderit, conteret eum.* infrà 21. v. 44.) id quod & nationi exasperatrici tandem accidit: factus est enim *nouissimus error peior priore*, quod augurati fuerant (infrà 27. v. 64.) SIGNVM IONÆ. miraculum quale præcessit in Iona propheta, quod & aliàs illi assignaui. (Ioh. 2. v. 19.)

Luc. 11. v. 30.

Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.	40 ὥσπερ γὰρ ἦν ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας· οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας.

IN VENTRE CETI. in visceribus balenæ. Sicut Ionas ad sedandam tempestatem in mare proiectus est, & exceptus à balena, egit in eius visceribus tamquam mortuus (nec enim nisi miraculo vel ad horam illic viuere poterat) TRIBVS DIEBVS ET TRIBVS NOCTIBVS. Præstitisset ad exprimendum tempus continuum, cuius non est hoc loco parua emphasis, seruasse quartum casum qui est græcè, *Tres dies & tres noctes.* Subaudiendum est autem hic: Quibus transactis euomitus est viuus in terram, & probatus hoc miraculo propheta à Deo missus, prædicauit Niniuitis: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Noluit enim hæc exprimere Saluator quæ ex nobili historia facilè poterant à quouis suppleri, declinandæ iactantiæ causa, ne & de se ipse exprimere cogeretur. FILIVS HOMINIS. Familiare erat Saluatori ita de seipso loqui; ac proinde facile etiam auditoribus intelligere. IN CORDE TERRÆ. Hebraismus, pro, in medio, in intimo terræ; corpore in sepulchro, anima in inferno seu limbo, qui propriè est in corde terræ, id est, *in inferioribus* seu infimis *partibus terræ*, vt loquitur Apostolus Ephes. 4. v. 9. Sic moriar ego ad placandam Patris iram pro hominum peccatis, & corpore conditus sepulchro anima versabor in inferis. TRIBVS DIEBVS ET

TRIBVS

TRIBVS NOCTIBVS. tres dies & tres noctes, vt mox. Loquitur de se Dominus, sicuti Scriptura de Iona (Ionæ 2. v. 1.) cæteroqui non hæsit Dominus tres dies & totidem noctes integras in sepulchro aut limbo: sed periphrasi diei & noctis intelligit diem vnum ciuilem, cuius partes sunt dies & nox, id est, lux & tenebræ: quemadmodum Ezechias, *de mane vsque ad vesperam* inquit, pro eo quod est, vno die naturali (Isa. 38. v. 12.) Tres autem dies ciuiles iacuit Saluator sepulchro egitque in limbo κατὰ συνεκδοχήν (vt frequenter docet D. Augustinus, nominatim lib. 3. de cons. Euang. cap. 24. quia duorum ex tribus diebus partibus aliquibus, nimirum, primi diei tot horis, quot supererant à morte aut sepultura, ad mediam vsque noctem (media enim nocte Iudæi, dies quatenus non erant festi, & finiebant & incipiebant, vsu communi, non aliter ac nos) altero die integro tertij diei tot horis, quot, dum resurgeret. fluxerant à media nocte. resurrexit autem, si non diluculò, certè à media nocte: &, si quidem diluculò resurrexit (id quod verisimillimum esse docemus infrà 28. v. 1.) habes etiam trium dierum naturalium & trium noctium naturalium aliquid. Quare infrà 16. v. 21. ait: *Et tertia die resurgere.* Huc verò subaudiendum venit similiter vt mox: Quibus euolutis surgam rediuiuus è terra, eoque miraculo consummatissimè declaratus Filius Dei, prædicabo nationi huic: Adhuc quadraginta dies & euertetur. Declaranda sunt paucis singula. Prædicit hic inprimis Saluator resurrectionem suam, quod frequenter aliàs, vt scandali ex morte sua præscindat occasionem. Miraculum autem resurrectionis suæ obijcit aduersariis suis vnum instar omnium postremum à se in terra exhibendum, omnium certissimum, grauissimum, atque maximum, in quo Satanas nihil potest, quod nec hominum nec angelorum quisquam imitari queat, soli Deo possibile, numquam aliàs visum, auditum, aut factum, quod cætera omnia miracula priùs edita absoluit & perficit, ipsumque alia plurima efficacitatis plena ex se producit: quo proinde Iesus perfectissimè declaratus est Filius Dei, vt & Apostolus docet Rom. 1. v. 4. Datum est porrò miraculum hoc adulteræ Iudæorum generationi, non quòd Iesus à resurrectione illi apparuerit corpore (quamquam enim nihil ipsi nocere potuissent, non tamen decebat gloriam rediuiui, obijci impiorum iniuriis, sed quòd in iis quibus apparuerat quique resurrectionem ipsius testabantur ac prædicabant, manifestam Spiritus sancti virtutem, cui contradicere non posset, spectarit. Per hos igitur, Apostolos inquam & discipulos suos, prædicauit Iudæis Iesus à morte resuscitatus, id quod Ionas è mari ac ventre balenæ redditus viuus per se Niniuitis: Adhuc quadraginta dies & peribitis. quamquam annos pro diebus Iudaicæ nationi indulserit bonitas Dei ad pœnitentiam prouocans: nam singulis non concessa est nisi breuissima quadragesima huius vitæ. Hortati quidem sunt Apostoli vniuersos inprimis ad fidem & pœnitentiam, proposita salute æterna, vt reliquias seruarent: sed cùm de natione ipsa spes nulla esset, de qua scriptum nouerant: *Excæca cor populi huius* &c. (Isa 6. v. 9.) cui proinde omnium maximum resurrectionis miraculum non nisi ad maiorem obdurationem seruiebat, acclamabant iis qui spem de se conuersionis præbebant: *Saluamini a generatione ista praua* (Act. 2. v. 40.) breui scilicet euertenda: qua etiam relicta abibant ad Gentes (Act. 13. v. 46.) comminati priùs pessima quæque ex vaticiniis prophetarum. (Act. 13. v. 41. &c.) Et licet fortè, disertis verbis, instans nationi excidium non prædicarint (quamquam dixerint & quæ non iudicarint scribenda) rem tamen ipsam quam proximè dixerunt, quam Saluator hîc prædicere & determinatè intelligendam dare videtur ex Ionæ prædicatione, quadragesimo videlicet aut circiter anno à sua resurrectione, peruicaciter incredulam nationem subuertendam. cui interpretationi D. Chrysostomus suffragatur in illa verba: *Et signum non dabitur ei.*

41 ἄνδρες νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν· ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα ἰωνᾶ, καὶ ἰδοὺ πλεῖον ἰωνᾶ ὧδε.	Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Iona hîc. Luc. 11. v. 32.

NINIVITÆ itaque temporis Ionæ. Pergit in declarando signo Ionæ, quomodo non conuertendi illo, sed condemnandi sint Iudæi. SVRGENT. ἀναστήσονται resurgent, ex morte. Sermo est de carnis resurrectione. IN IVDICIO extremo, iudicij extremi tempore. Manifestum hinc euadit iudicium cum resurrectione coniunctum fore: quod obseruauit D. Aug. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 5. CVM GENERATIONE ISTA. vnà cum hac huius temporis natione. Resurgent ambo à morte, iudicandi: simul enim resurgent omnes.

ET CONDEMNABVNT EAM sibi collatam, non iudicandi potestate, sed comparationis exemplo. Facta Iudæorum cum Niniuitis comparatione, res manifesta vel inde erit, Iudæos meritò æternæ morti addici. Simile Rom. 2. v. 27. POENITENTIAM EGERVNT. μετενόησαν. Exemplo Niniuitarum ostendi potest quid vera siue pœnitentia siue μετάνοια requirat (de quo sup. 3. v. 2. egimus) conuersi sunt enim de via sua mala, & ieiunauerunt, vestitique sunt saccis. Ion. 3. v. 5. 10. IN PRÆDICATIONE. εἰς τὸ κήρυγμα ad prædicationem. IONÆ prophetæ, comminantis euersionem ciuitatis. ECCE. ita se res habet, quantumuis reprobetis & ingratum sit vobis audire. PLVS aliquid, res maior, dignior, ac testatior etiam ante resurrectionis miraculum, sed præcipuè post illud datum. Vt minùs illos irritaret, genere neutro & tertia persona modestè seipsum notat. IONA. Græca latinaque forma Ionas dicitur, qui hebraica *Iona*. Hic, ὧδε hoc loco apud hanc generationem. Rursus est defectiua oratio, relinquit enim subaudiendum Dominus: Prædicans verbum Dei, non tamen ad pœnitentiam conuertitur generatio ista. Id quod sic intelligendum est, vt etiam prædicat de suæ ætatis Iudæis, quòd, nec viso resurrectionis suæ omnium maximo miraculo, conuertendi sint: prædicit enim quid in extremum iudicium proditurum sit. Collatio autem Iudæorum cum Niniuitis huiusmodi est: Niniuitæ, barbari, à cultu Dei alieni, dum audiunt Ionam, virum extraneum, vnico miraculo commendatum, annunciantem instans vrbis ipsorum excidium, credunt, & auersi à via mala pœnitentiam agunt in sacco & cinere. Iudæi, professione cultores veri Dei, inter sacras literas enutriti, audiunt Filium Dei, tribulem suum, Messiam sibi promissum omnium vaticiniis prophetarum, à Iohanne Baptista demonstratum, miraculis innumeris, iisque irrefragabilibus, probatum, omni populo vtilem ac bene-

ac beneficum, prædicantem pœnitentiam, promittentem regnum cælorum, neque nisi secundo loco comminantem interitum, nec credunt, neque auersi ab animi sui pertinaci malitia pœnitentiam agunt. immò contrà impiè reiiciunt benefactorem, afficiunt iniuriis, blasphemant, denique morte mulctant, & ne quidem meliores euadunt, dum præstat ille reipsa illud resurrectionis suæ omnium maximum miraculum, & suæ mortis ac resurrectionis vim virtutemque aliis communicatam effectis ipsis clarè ostendit. Nihil huiusmodi Ionas fecit: nulli enim alij communicauit sensum illum reditus sui in lucem, nisi narratione tantùm. & quidem ille à balena absorptus viuus, viuus redditus est: Iesus autem terra conditus mortuus, viuus egressus est, nec tali vita qualem antè egerat, sed immortali.

Luc. 11. v. 31.

Regina Austri surget in iudicio [42] cum generatione ista, & condemnabit eam: quia vénit à finibus terrę audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hîc.

βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτήν· ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶντος, καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶντος ὧδε.

REGINA. Adfert alterum simile exemplum quo damnandi sint suæ ætatis Iudæi. AVSTRI. Meridiei, regni seu regnorum ad Meridiem sitorum Iudææ respectu, Æthiopiæ & Ægypti, vt Iosephus scribit lib. 8. Antiq. cap. 2. Æthiopiæ autem regia, Saba dicebatur, cui postea Cambyses Persarum rex indidit nomen Meroës, de nomine sororis suæ. ita rursus Iosephus lib 2. Antiq cap. 5. Hinc in tertio Regum dicta est ista, *Regina Saba*: & Isaias cap. 43. v. 3. iungit sibi mutuò, Ægyptum, Æthiopiam, & Saba. SVRGET à morte, iudicanda. CONDEMNABIT. Multis enim rationibus clarescet, vos meritò damnari. A FINIBVS ex longinquis oris, ex insula ac ciuitate Meroë. PLVS aliquid, cuius sapientia maior, grauior, ac testatior. Non tot tantaque pericula fecit sapientiæ Salomonis Regina Saba, quam tamen summopere admirata confessaque est: quot quantaque generatio hæc fecit sapientiæ meæ, quam omnibus argumentis certissimam comperit. Subaudi, non tamen audior, recipior aut magnifio. Comparatio igitur Iudæorum cum Regina Saba huiusmodi est: Mulier gentilis, in schola Dei minimè educata, Regni verò amplissimi negotiis districta, fama sapientiæ quæ de Salomone ferebatur excitata difficillimum arripuit iter, ex remotissimis terræ partibus Ierosolyma, vt eius sapientiæ periculum faceret: quam admirata supra modum, licet non nisi de terrenis atque humilibus rebus dissereret Salomon, consilia excepit illius. Iudæi diuinæ legis alumni, sacris literis addicti, Christum Dei virtutem ac sapientiam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, summum suum vnicumque doctorem, regni cęlorum æternæque salutis mysteria à seculis abscondita ac veram Dei sapientiam depromentem, vltrò se offerentem, rogantem, atque inuitantem, non recipiunt, reiiciunt plane, etiam dato illo resurrectionis grauissimo signo, quando & sapientiam illam suam credentibus atque obedientibus sibi communicauit & impertiuit, qua re solus ipse admirandus est. Apertè docent exempla ista duo à Saluatore allata, vnumquemque, pro mensura donorum Dei, quæ contempserit aut quibus non fuerit vsus, puniendum.

Luc. 11. v. 24.

Cùm autem immundus spiritus [43] exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.

ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν, καὶ οὐχ εὑρίσκει.

CVM AVTEM. Hoc postremo simili terret Iudæos, denuncians vniuersæ genti pœnam quam ipsorum ingratitudo in hac quoque vita meretur, quòd oblata Dei gratia non sit illis curæ: nam mox loquutus est de ea, quæ illos in futuro seculo manet damnatione. Quamquam enim generalis hæc doctrina sit, vt sciant quale sibi iudicium accersant, qui, in vanum accepta Dei gratia, ianuam diabolo rursus aperiunt: tamen ad Iudæos primùm hoc dictum, videre licet ex fine versus 45. sequentis: *Sic erit & generationi huic pessimæ.* Quare claritatis causa totam hanc orationem ita possis construere: Accidet peruersæ huic nationi, non secus quàm accidit homini, ex quo spiritus immundus semel eiectus, in eundem pluribus sociis comitatus reuertitur. Sumta est itaque similitudo ab homine obnoxio dæmonio malo, qui postquam liberatus est & suæ menti redditus, sua ignauia dæmoni redeunti fenestram aperiens, longè grauiùs laborat quàm laborarat priùs. EXIERIT. diuina fugatus virtute. AB HOMINE in quo sedem fixerat. AMBVLAT διέρχεται perambulat. Loquitur de diabolo tamquam de homine. ARIDA. ἀνύδρων inaquosa, aquis carentia, ac proinde sterilia, deserta, & ad habitandum inepta. id est, quocumque pergat, omnis illi extra hominem habitatio ingrata est, & tamquam triste exsilium ac squalido deserto simile. NON INVENIT requiem, quia tamdiu sibi displicet animoque torquetur ac discruciatur, quamdiu extra homines habitat nec illos infestat.

Luc. 11. v. 24. 25.

Tunc dicit: Reuertar in domum [44] meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.

τότε λέγει· ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου ὅθεν ἐξῆλθον. καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σχολάζοντα, σεσαρωμένον, καὶ κεκοσμημένον.

TVNC DICIT. Ingenium studiumque Satanæ nobis describitur, quòd numquam cesset à noxis, numquam quiescere

quiescere aut à malo inferendo queat abstinere, sed assiduè satagat, seq; huc atque illuc verset, *denique* suos omnes intendat conatus & sensus excitet, vt domicilium recuperet quo pulsus est. vt enim superbissimus est, expulsi magis acuitur rabies ac nocendi libido, dolore ex amissa præda concepto. Quare discamus, simulac laqueis eius Christi gratia erepti sumus, vehementius & acrius certamen paratum nobis esse: illum enim maiore contra nos odio ardere & magis hostili impetu aduersus nos ferri. REVERTAR. omnem mouebo lapidem vt reuertar. IN DOMVM MEAM. hominem intelligit. Misera hominis conditio, dęmonum esse habitaculum: quod quidem vitio Adæ omnes natura sumus. VNDE EXIVI. Non dicit pulsus sum, nec enim id vult superbus agnoscere: sed tamquam sponte exierit, redibo, inquit, stoliditas enim mea, aut certè ignauia fuit, quòd exierim. Hoc modo se animat, & vires nouas colligit, ad certamen miseriqueho-minis de integro oppugnationem. INVENIT. εὑρίσκει præsens est, vt mox. ita sæpe fit vt inueniat. Non enim semper inuenit; VACANTEM. vacuam habitatore, Deo non habitatam Dei gratia destitutam, nihil esse quod impediat quò minùs in eam redeat habitatum. Perstat in similitudine à domo sumta. Qui vacui sunt Spiritu Dei, ij ad recipiendum diabolum parati sunt, cuius summæ deliciæ sunt inanitas illa quæ diuinæ gratiæ neglectum sequitur. SCOPIS MVNDATAM. σεσαρωμένον versam à σαρῶ verro. Nec solùm nihil inuenit quod impediat, verumetiam quod alliciat & oblectet. Eo modo paratam inuenit ac si ipse inuitaretur & cupide rursus expectaretur hospes; quo modo cupidè excepturus hospitem aliquem, parat, purgat, ornat domum, vt in illam libeat se recipere. Sensus est igitur, inuenit hominem eo statu, vt diabolo rursus commoda esse possit & delectabilis domus: similitudo enim ab hominibus sumta est, quos mundities & nitor in hospitiis delectat. Nam spiritui immundo sola immunditia placet, & deformitas pulchra est: nihil ei bene olet præter fœtorem & sordes, vnde euersum est quidquid affectionum est cogitationumve piarum, sparsa sunt autem aconita pro floribus, & tensa aulæa superbiæ omnisque impuritatis. hæc enim ornamenta sunt domus illius quæ diabolo placeat.

τότε πορεύεται καὶ παραλαμβάνει μεθ' 45 ἑαυτοῦ ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ, καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ.	Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

Luc. 11. v. 26.

VADIT. abit lætus. ET ASSVMIT sibi socios inuitatos habitationis commoditate. SEPTEM ALIOS. plures alios. Nam numerus septenarius hîc indefinitè capitur, vt sæpè aliàs 1. Reg. 2. v. 5. Isa. 4. v. 1. Cęterùm opponuntur septem spiritus mali, septem spiritibus bonis, qui memorantur Apoc. 1. v. 4., & Isa. 11. v. 2. enumerantur. NEQVIORES SE. πονηρότερα ἑαυτοῦ sceleratiores, peiores, nocentiores quàm ipse sit; & hoc, tum vt muniat sibi domum ne facilè iterùm expellatur, tum vt expleat omnem suam nocendi libidinem in eum quem semel relinquere coactus fuit. HABITANT κατοικεῖ inhabitant, octo illi spiritus. Docet Christus, si semel diabolo erepti, ipsius Christi gratia exciderimus, septuplo ampliùs diabolo nos fieri obnoxios, vt maiore in nos licentia quàm priùs grassetur; & hanc esse iustam siue perfidiæ siue ignauiæ nostræ pœnam. NOVISSIMA. τὰ ἔσχατα postrema. fit vltima conditio hominis illius, deterior, calamitosior, miserabilior, priore; grauius laborat & discruciatur à dæmone quàm vmquam antea, præstitisset illi numquam à dæmone liberatum fuisse. Locum hunc interpretatur D. Petrus 2. Pet. 2. v. 20 21. SIC ERIT. ita agetur cum, simile quid accidet. GENERATIONI HVIC. nationi huic. PESSIMÆ. τῇ πονηρᾷ scelerate, scilicet vt sint illi nouissima peiora prioribus. Prophetia est Christi Saluatoris de gente Iudæorum, cuius hęc sententia est: Eiicio ego ex hoc populo dæmonia omnia, quemcumque occupent; ex corporibus omnium, ex animis eorum qui audire me volunt pœnitentiam prædicantem: omnibus omnino promtum me exhibeo, immo viribus omnibus adlaboro, vt è diaboli tyrannide ereptos ad Deum adducam, & destructo Satana, Dei regnum inter ipsos constituam ac firmem. verùm alius erit rei euentus, quem & coniicere licet ex rebus quæ nunc geruntur. Abactus enim mea virtute & territus oblata per me Dei gratia dæmon, cùm alios his similes homines non inueniet quos occupet (nec enim æquè omnes idoneos iudicat ad maleficentiæ suæ exercitationem) tandem me morte sublato, viset an non pateat ei in ipsos reditus. Illos porrò tam idoneam & commodam habitationem sibi effectos inueniet, quàm numquam antea: inueniet enim, alios neglexisse, alios reiecisse acceptam Dei gratiam, alios ingratè contemsisse oblatam, alios summa etiam cum pertinacia oppugnasse, sceleribus madidos, homicidas (vt nihil desit) Messiæ ac Saluatoris sibi promissi atque exhibiti, ac proinde gratia ac tutela omni Dei vacuos, & vitiorum omnis generis cultu insignes. Assumtis igitur pluribus aliis sociis auxiliaribus, aduersariis totius virtutis, furibundè reuertetur in gentem hanc, firmabitque sibi in ea domicilium ac regnum, quod ita probè muniet & captiuum tenebit, vt numquam deinde cessurus sit. Aggregabit in eam quidquid vsquam immundorum atque abominabilium spirituum est, spiritum erroris, mendacij, blasphemiæ, contumaciæ, confusionis, indurationis, excæcationis, & totius malitiæ suæ per hanc gentem edet exempla, importunissimè, illo agente, resistentem Euangelicæ veritati cognitæ, & satis superque (Spiritu sancto ad extremum in discipulos meos illapso, visibili omnibus mutationis ipsorum & sanctificationis exemplo atque spectaculo) manifestatæ; ita vt deterior longè sit futura scelestæ gentis conditio, quàm si me numquam præsentem, docentem, hortantem, & dæmonum ex corpore & animo exactionibus aliisque beneficiis iuuantem atque allicientem habuisset. iam non aliud reddita quàm dæmonum domicilium, *Satanæ synagoga* (vt Iohannes loquitur Apoc. 3. v. 9.) & gehennæ pabulum, digna quæ & ex hoc mundo exstirpetur, nec ampliùs referat formam populi vnius suo iure viuentis. Hæc omnia ita accident, reliquiis dumtaxat seruatis.

Mar. 3. v. 31. Luc. 8. v. 19.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. 46

ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος τοῖς ὄχλοις, ἰδοὺ ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ εἱστήκεισαν ἔξω, ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι.

ADHVC. Nondum finierat hanc concionem Iesus, cùm ecce ex Nazareth adessent mater & fratres eius. FRATRES. s. cognatione, vt docet B. Hieronymus contra Heluidium, fratres patrueles, nepotes Ioseph ex Maria Cleophæ sorore aliisque fratribus aut sororibus. Mariam enim matrem Domini, putamus vnigenitam fuisse. vide infrà 13. v. 55. 56. Obtinuit vsus hebraici syriacique sermonis, vt nomen fratrum propinquos significet, eosque omnes qui de vna familia sunt. Gen. 13. v. 8. & 14. v. 14. & 20. v. 12. & 19. v. 15. & aliis locis à B. Hieronymo adductis. FORIS domo in qua Iesus concionabatur, quæ quidem ea fuisse videtur quam in Capharnaum suæ habitationi delegerat. Mar. 3. v. 20. Stabant autem foris, non quòd nullo modo intrare possent (miserunt enim alium intrò qui ipsorum præsentiam nunciaret. Mar. 3. v. 31.) sed quòd intus agere non possent quod decreuerant. QVÆRENTES. cupientes. Id prætexebant fratres, quòd haberent de quo cum illo loquerentur: at propositum illis erat manus in prodeuntem foras inicere, & ab officio abstractum domum secum in Nazareth abducere, atque illic continere, quòd dicerent eum *in furorem versum esse*, vt narrat Marcus cap. 3. v. 21. *neque enim fratres eius credebant in eum.* Ioh. 7. v. 5. Maioris autem auctoritatis causa matrem eius adduxerant, quam quidem celauerant consilium suum: quamquam & illa, cùm magna teneretur solicitudine de filio, quem intelligebat multorum odiis insidiisque expositum, lubens inuiseret eum, nepotum comitatu se offerente.

Mar. 3. v. 32. Luc. 8. v. 20.

Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te. 47

εἶπε δέ τις αὐτῷ· ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ἑστήκασι, ζητοῦντές σοι λαλῆσαι.

QVIDAM. qui ab illis missus fuerat eius vocandi gratia. Mar. 3. v. 31. QVÆRENTES TE, id est, quærentes tibi loqui, quemadmodum est græcè & syriacè.

Mar. 3. v. 33.

At ipse respondens dicenti sibi ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? 48

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε τῷ εἰπόντι αὐτῷ· τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, καὶ τίνες εἰσὶν οἱ ἀδελφοί μου;

DICENTI SIBI. τῷ εἰπόντι αὐτῷ ei qui ipsi hoc dixerat. ET QVI SVNT. q. d. nullam matrem, nullum fratrem agnosco secundùm carnem, dum Dei ago negotium. Non est interrumpenda diuinæ doctrinæ exercitatio propter humana parentum negotia. Non abnegat matrem & propinquos, qui sanctè coluit humanum ordinem, & legitimis erga parentes officiis functus noscitur: sed vrget antiquum propositum præferendi negotia resque diuinas humanis. Simile Luc. 2. v. 49.

Mar. 3. v. 34.

Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei. 49

καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, εἶπεν· ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου.

MANVM. manu discipulos designans. ECCE MATER. Hi sunt quos matris & fratrum loco hîc agnosco, quorum salutis negotium ago, & tam præfero humanis parentum siue affectibus siue negotiis, quàm solent homines his alia omnia postponere.

Mar. 3. v. 35. Luc. 8. v. 21.

Quicumq; enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est. 50

ὅστις γὰρ ἂν ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, αὐτός μου ἀδελφὸς, καὶ ἀδελφὴ, καὶ μήτηρ ἐστίν.

QVICVMQVE, siue hi præsentes discipuli mei, siue alij tandem futuri. VOLVNTATEM meo præconio declaratam: quæ quidem, & fidem exigit (Ioh. 6. v. 40.) & opera (suprà 7. v. 24. 1. Thess. 4. v. 3.) vide suprà 7. v. 21. FRATER. ille à me agnoscitur & frater & soror & mater: ille horum simul omnium mihi instar est: tam est mihi vnus ille, propinquus & charus, quàm sunt homini frater, soror, & mater, personæ homini omnium & coniunctissimæ & amabilissimæ. Propinquus est autem, non carne quidem, sed spiritu: verùm spiritus quanto carne præstantior est, tanto mihi ille quàm hi magis est curæ. Quocirca, dum illi erudiendo ac formando, multisque fratribus ac necessariis ad regnum Dei parandis atque instruendis, qui quidem Deo Patri filij, mihi autem fratres cohæredes fiant, incumbo; longè abest, vt, negotio hoc omnium maximi momenti, quod à Patre mihi iniunctum est, relicto, ad ea me conuertam quæ mater & fratres carne proponere desiderant. Loquitur Saluator iuxta opinionem auditorum, existimantium parentes inuisere illum, velleque eum conuentum de rebus aliquibus familiaribus: cæteroqui non ignorabat ipse consilium fratrum suorum. Hîc itaque Christus, carnis & sanguinis propinquitatem extenuans, & spiritali cognationi longè postponens, discipulos suos omnes in eum honoris gradū recipit, in quem homines eos qui ipsis inter consanguineos primi sunt, immo in matris & fratrum illos locum substituit. Detestanda est igitur nostra ingra-

ingratitudo, nisi posthabitis omnibus carnis votis, Christo adhæreamus. Pendet autem hæc sententia ex Christi officio: significat enim, non paucis quibusdam à Patre se datum esse, consanguineis inquam & agnatis, sed multis, quos eò adducat vt voluntatem Patris faciant, & illius filij, ipsius verò Christi fratres fiant, ea natiuitate quæ ex Deo est. Ioh. 1. v. 13. Porrò non hîc Iesus Mariam discipulis suis posthabet: sed considerans matrem ex sola carne, vti homines solent, spiritalis cognationis vinculum, quod ex mandatorum Dei obseruatione nascitur, sanctius habet. Cæterùm, vt, si quæ laus matribus iure accedit ex præstantia filiorum quos in lucem ediderunt, Maria omnes excellit, quæ orbi terrarum Filium Dei, omnium Saluatorem, virgo peperit: ita quidquid veræ laudis, quidquid perfectionis, quidquid spiritalis cum Christo cognationis aut prærogatiuæ, ij adsequuntur qui faciunt voluntatem Patris cælestis; Maria omnes longè superat, quæ omnium & accuratissimè & absolutissimè Dei Patris voluntatem impleuit.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἐκάθητο παρὰ τὴν θάλασσαν. 1 In illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. *Mar. 4. v. 1.*

IN ILLO DIE. eodem illo die, seu potiùs eodem illo tempore (dies enim sæpe pro tempore ponitur) postridie fortassis: nam manifestum satis est hæc post superiora temporis ordine mox esse sequuta, cùm dicatur, egressum domo illa in qua iam dissеruerat, se dedisse ad mare docendi studio quale hîc narratur. EXIENS ἐξελθὼν egressus. DE DOMO illa seu hospitio, habitationis suæ, in qua turbæ importunitate ad dæmoniaci curationem & disputationes inde sequutas adactus fuerat. Nam cuiuscumque esset domus ista, eam sibi pro domicilio delegerat Christus in oppido Capharnaum, ita vt cùm ea abesset, domi abesse videretur, domique esse cùm in ea esset. vide Mar. 3. v. 20. & 9. v. 33. Verisimile est, concione illa finita, Iesum matri & cognatis aliquid dedisse, illam vt solaretur, hos vt increparet & argueret temerariæ stolidæque incredulitatis; tum etiam corporis necessitati cum Apostolis satisfecisse, à quo priùs impedierat turba. Deinde verò postridie, relictis agnatis domúsque angustijs, cùm sciret multitudinem copiosam vndique aduolaturam, exiuisse ad ampla circa vicinum mare loca. SEDEBAT docens populum insatiabiliter inhiantem doctrinæ ipsius.

SECVS MARE. iuxta siue apud mare, Galilææ, vicinum Capharnao. Syrus, Super littus maris. Videmus Christum terra marique Euangelium propagare; & sicut mercatores lucrum, ita ipsum animas quærere, denique postquam priuatim domi prædicauit, prodire in publicum, vt omnes doctrinæ suæ participes faciat.

καὶ συνήχθησαν πρὸς αὐτὸν ὄχλοι πολλοί, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον ἐμβάντα καθῆσθαι· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν εἱστήκει. 2 Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore. *Mar. 4. v. 1. Luc. 8. v. 4.*

NAVICVLAM. τὸ πλοῖον nauim siue nauigium. Ita vt cogeretur nauim conscendere ne à multitudine opprimeretur, & illic sedere, eque naui velut è suggesto seu cathedra docere, vbi nemo ipsum premere, videre autem & audire omnes commodè possent. IN LITTORE velut in amphitheatro condensata. Indicatur Saluatorem ita appositè accurateque theatrum instituisse, vt nulli omnino dorsum obuerteret, verùm omnes ex aduerso positos haberet. Contrario igitur more quàm fieri soleat, è mari Iesus iecit rete in terram piscandi gratia.

καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς πολλὰ ἐν παραβολαῖς, λέγων· ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπείρειν. 3 Et loquutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exijt qui seminat seminare. *Mar. 4. v. 2. 3. Luc. 8. v. 5.*

MVLTA ad salutem pertinentia, potissimùm de verbo Dei & regno cælorum. IN PARABOLIS. per parabolas, non nudè & apertè, sed sub similitudinum & comparationum inuolucris: parabolæ enim vox comparationem seu collationem significat, qua res diuersæ asseruntur re aliqua similes esse, dicta à παραβάλλω comparo, assimilo: quamquam non tam ob comparationem siue collationem parabolæ dicantur eæ quas Saluator hîc adfert (certè prima nullam exprimit collationem) quàm ob inuolutam & obscuram aliarum rerum per alias significationem, cuiusmodi propriè sunt ænigmata & allegoriæ. Cur autem parabolis sit vsus Saluator, ratio mox datur v. 13. cui & aliæ accedunt, vt, quòd is docendi modus, prophetis familiaris, auditores & attentiores reddat & intelligendi curiosiores. Ita enim fit, vt quæ docentur, per exempla, à rebus notissimis, omnium etiam idiotarum sensibus, sumta, iucundiùs irrepant in animos hominum, permoueant efficaciùs, tenaciùs hæreant, denique vehementiorem intelligendi cupiditatem accendant. DICENS inprimis, hanc primam omnium parabolam proponens. Vt ne enim existimaretur, aut ipsum sibi placere de tanta confluentium auditorum frequentia, aut auditores omnes eiusdem esse mentis, eandemque omnibus animorum ad audiendum Dei verbum apparationem, parabolam eam primam profert, qua docet, non in omnibus fructuosum esse sacræ doctrinæ semen dum spargitur, non omnes meliores reddi audito Dei verbo, non verbi siue seminis vitio, sed quòd multi impedimenta adferant per quæ fiat vt ipsorum animi tanta careant vtilitate. Impedimenta itaque illa dum explicat, docet præmonetque hac prima rursus parabola, qua

qua ratione fructuosè Dei verbum audire queant, nemini suum studium otiosum esse volens. ECCE. Significat vox ista narrari rem certam, dignam animaduersione. fortè etiam indicat tempus sementis siue autumni fuisse, ita vt parabola sumta fuerit è re præsenti. EXIIT domo in agrum. QVI SEMINAT. ὁ σπείρων seminans, id est, seminator, agricola quidam. Participijs loco nominum vtuntur Hebræi. vide suprà 4.v.3. SEMINARE. græca phrasis pro ad seminandum.

Mar.4. v.4. Luc.8. v.5.

Et dum seminat, quędam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea.

4 καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ἃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ, καὶ κατέφαγεν αὐτά.

DVM SEMINAT. dum longè latéque spargit semen in vniuersum agrum, contingit cadere QVÆDAM. ἃ μὲν hæc quidem, alia quidem. s. grana seminis. SECVS VIAM. iuxta viam publicam. Via in medio sita propriè iudicatur, vbi & tritissima & tutissima est. Itaque iuxta viam dicit, pro in oram viæ, in quam faciliùs quàm in mediam viam contingit semen cadere, dum iacitur in sulcos agri conterminos. In oram igitur viæ, quam & ipsam homines iter facientes pedibus continuè calcant, quæ ceciderint seminis grana, cùm cadant in incultam, duram, & minimè aptam suscipiendo semini terram, nullam spem fructus relinquunt, eoque minùs, quòd cùm maneant nuda, à volucribus absumantur. VENERVNT. aduolarunt. CÆLI. omittitur ab aliis libris, vt græcè quoque, ac syriacè. vide Notas.

Mar 4. v.5 Luc.8. v.6.

Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

5 ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη, ὅπου οὐκ εἶχε γῆν πολλὴν, καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς.

PETROSA loca, loca silicibus lapidibusque abundantia. MVLTAM nec supra se nec infra. CONTINVÒ ad teporem solis, non valentem penetrare terræ intima, quippe à saxis reflexum ac proinde geminatum. EXORTA SVNT. ante tempus enata sunt. ALTITVDINEM. βάθος profunditatem, obsistentibus saxis. Supra se non tegebantur profunda terra quæ seruaret condita semina in tempus suum; infrà minus erat liberæ profunditatis ob saxa contigua. quare cùm deorsum radices agere non possent, sursum necesse ac facile fuit vt erumperent calore accedente.

Mar.4. v.6. Luc.8.v.6.

Sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

6 ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος ἐκαυματίσθη, καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, ἐξηράνθη.

SOLE ORTO. increscente solis calore, sole feruescente. AESTVAVERVNT. ἐκαυματίσθη exusta sunt vel perierunt æstu nimio. s. grana illa seminis & quod præcociter ex illis natum erat germen. RADICEM quæ humorem suggereret ex profundiore terra. ARVERVNT. Ex his seminis granis, spes aliqua fructus fuit, quia germen & herba, sed tenuis, quæ & facilè proinde perijt; ita vt hîc verum apparuerit quod dicitur: *Quod citò fit, citò perit.*

Mar 4. v.7. Luc.8. v.7.

Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea.

7 ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰς ἀκάνθας, καὶ ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, καὶ ἀπέπνιξαν αὐτά.

IN SPINAS. in terram feracem spinarum. Non enim intelligi adultas spinas, manifestum ex eo est, quòd oriri & crescere illas dicat vnà cum semine. CREVERVNT. ἀνέβησαν, ad verbum ascenderunt, celeriùs assurrexerunt, vt solent lolia, & altiùs densiúsque sese sparserunt, quàm bona semina, quæ tardiùs prouenjunt. SVFFOCAVERVNT EA semina iam in culmos excreta, præcluserunt eis vsum auræ liberioris, suppresserunt ea ita vt excrescere emergereque haud possent. Hîc maior etiam affulserat spes, quia radix, quia germen, quia culmus, sed quæ conciderit spinis in latum ac longum se condensantibus. Triplex igitur hîc designata est terræ infructuosæ differentia.

Mar.4. v.8. Luc.8.v.8.

Alia verò ceciderunt in terrã bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.

8 ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν, καὶ ἐδίδου καρπὸν, ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα.

BONAM. non itinerantium pedibus duratam, non lapidosam, non spinosam, excultam autem & omni ex parte præparatam. DABANT. dederunt, feliciter enata produxerunt. ALIVD. ὃ μὲν. ad verbum, hoc quidem. s. seminis granum. Non parem omnia fructum attulerunt, licet idem vnum semen essent & eiusdem generis grana, sed pro soli ratione varijs gradibus aucturn. CENTESIMVM. s. fructum. ἑκατὸν &c. ad verbum: Hoc quidem centum, illud verò sexaginta, illud verò triginta. s. grana. Interpres sensum aptè expressit. Ex singulis granis natæ sunt vna aut plures spicæ, quarum aliæ centũ grana protulerunt ex vno, aliæ sexaginta ex vno, aliæ triginta, pro terræ ipsius vario ingenio & cultu. multum enim cultura facit ad per-

ad percipiendorum fructuum copiam atque præstantiam. Cæterùm non hyperbolicè loquitur Christus de fructu centuplo, vt tunc fuit quarundam regionum fœcunditas. Nam Libyphœnicum nominatim regionem, testatur Plinius lib. 5. nat. hist. cap. 4. ita eximiæ esse fertilitatis, vt cum centesima fruge agricolis fœnus reddat terra. Triplex hic igitur terræ bonæ differentia indicatur, vt mox triplex terræ malæ.

ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. 9 Qui habet aures audiendi, audiat. Mar. 4. v. 9. Luc. 8. v. 8.

QVI HABET. qui vtitur cui datum statutumque est vti auribus. AVDIENDI. ἀκούειν ad verbum, audire, id est, ad audiendum, ad agendum id ad quod à Deo creatæ sunt aures, ad quod constitutus est sensus auditus, quod vtique est audire ea quæ auditu digna sunt, eo animo quo audire oportet, cum conamine intelligendi & obediendi voluntate; ea certè inprimis quæ eò pertinent vt Deo placeas. Qui non audit, aut audita non conatur intelligere quæ debet, aut audit quæ non debet, aut quo animo non debet, vt calumniãdi vel irridendi animo, is non vtitur auribus ad audiendum (quales adfuisse quosdam auditorum, Christus subindicat hic, & postea explicat etiam clariùs) peruersum est enim hoc aurium officium. Igitur qui eo animo ac studio venerat vt audiret ex ore Christi verbum Dei ad suam vtilitatem & salutem, is habebat aures audiendi, dociles scilicet & obedientes: simplicissimus enim vsus sensus ac sine vllo vitio exigitur à Christo. AVDIAT hæc, auditu cumprimus digna ac salutaria & simplici animo consideret scruteturque vt intelligat. Excitat hoc sibi familiari epiphonemate Saluator auditorum animos ad attentiorem parabolæ considerationem. vide suprà 11. v. 15.

καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ εἶπον αὐτῷ· διατί ἐν παραβολαῖς λαλεῖς αὐτοῖς; 10 Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

ACCEDENTES. Significari videtur, discipulos, consilio inter se priùs accepto, magna cum Domini reuerentia adijsse. Porrò id accidisse, non hîc coram populi multitudine, sed postea multitudine missa, Marcus testatur cap. 4. v. 10., nec obscurè colligitur ex eo quod Matthæus hîc habet *in parabolis*, quo respicitur ad plures alias illarum parabolarum quæ hoc capite recensentur. DISCIPVLI cum duodecim etiam reliqui. Mar. 4. v. 10. IN PARABOLIS. propositis similitudinibus quas non exponis, quas nec ipsi nec nos intelligimus. Similitudines quæ perpetuam metaphoram continent, ænigmaticæ sunt, & rem sub allegoriis inuoluunt: vbi verò additur expositio, rem de qua agitur illustrant. vt enim plus energiæ ac ponderis habet figuratus sermo simplici mixtus, ita & magis perspicuus est. EIS. turbis. nec enim ita consueuisti nobis. Non sui tantùm rationem habent, verumetiam alijs optant consultum: quum enim parabolam non intelligerent ipsi, facilè arbitrabantur & populo esse obscuram.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ὅτι ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται. 11 Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum. Mar. 4. v. 11. Luc. 8. v. 10.

QVIA. Causa redditur rei propositæ. VOBIS quibus paratus sum pro more tenebras parabolarum elucidare, habentibus aures ad audiendum, cupidis audiendi simul & intelligendi doctrinam sacram, qui simplici discendi & obsequendi animo me sequimini. DATVM EST singulari Dei Patris munere. nam & vsum aurium ad hæc audienda non nisi Deo donante habetis. Psal. 39. v. 7. NOSSE. clarè audire & intelligere absque parabolarum inuolucris. Docetur fidem esse Dei donum. MYSTERIA. sacra arcana, quæ naturæ communi facultate inueniri per se non possunt, nisi eorum auctor ipse Deus doceat & exponat. REGNI CÆLORVM. pertinentia ad regnum cœlorum quod prædico. Huius generis sunt, arcana de humanæ salutis & cælestis regni ratione ac perfectione, & quæ ad hæc pertinent sacrorum librorum oracula ac sententiæ, & similitudines huc facientes tam ex natura quàm ex arte & consuetudine petitæ.
ILLIS. turbæ seu multitudini illi, cuius pars longè maior non habet aures ad audiendum. eorum enim, alij non desiderant Dei verbum ex me audire, sed videre prodigia; alij curiosè tantùm cognoscere cupiunt quid dicam, auditaque negligunt nec curant intelligere; alij contemnunt etiam & irrident, quidam scientes prudentes calumniantur, indigni proinde quibus diuina mysteria simpliciter credantur. Significat Saluator plærosque omnes illius multitudinis reprobos fuisse (vt Dei iudicio reprobata Iudæorum eius temporis gens fuit) & si ex numero electorum aliqui, illorum res eodem adhuc fuisse statu quo cæterorum. NON EST DATVM à Deo Patre. quia nec vsus aurium ad audiendum Dei verbum illis datus est. Deut. 29. v. 4. Gratiam itaque discipulis factam Christus amplificat. quia peculiariter illis sit datum quod aliis negatum est. Si quis roget quæ huius discriminis causa, vnde hoc dignitatis priuilegium discipulis Christi, potiùs quàm cæteris Iudæis non in aliam id referendum est originem, quàm in gratuitam Dei electionem, qui illos quidem Misericors elegit, hos autem suæ mentis peruersitati Iustus reliquit: quod quidem intelligendum Saluator dat repetita voce: *Datum.* q. d. Vos magnificis Dei donis gratis augemini: illi quales sunt relinquuntur.

ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, καὶ περισσευθήσεται· ὅστις δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. 12 Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Inf. 25. v. 29.

QVI ENIM HABET. Vulgare prouerbium, & quidem verissimum, ditioribus dari, pauperibus semper auferri.

auferri. Id vt vulgò locum habet, ita, inquit Saluator, habet & in regno cælorum meo. Vos multis hactenus donis cumulati estis, vocatione consuetudineque filij Dei, fide, obedientia, animi simplicitate, vitæ integritate, recto sensuum vsu, aurium ad audiendum Dei verbum &c. Additur his cognitio mysteriorum regni, quæ est scientia vitæ: quin etiam alia longè & plura & maiora addentur. *Ei enim qui habet.* s. quod debet. quem à se electum semel cœpit Deus Pater formare suisque ornare beneficijs, DABITVR EI, illum magis ac magis assiduè exornabit. ET ABVNDABIT. καὶ περισσευθήσεται & abundantior reddetur. id est, ita vt abundet seu abundantior abundantiorque reddatur. Significatur, non simplex abundantia, sed abundantiæ incrementum. & id quidem continuum ad perfectionem vsque. q. d. nec cessabitur à largitate donec cumulatissimè abundet, donec beneficientiam suam Deus ad cumulum vsque erga eum compleuerit. Quasi enim Deum suæ liberalitatis intuitus ad continuum largitatis fluxum prouocat: & sicut inexhaustæ sunt eius diuitiæ, ita in filijs suis locupletandis numquam fatigatur. Nónne hoc iam cernere est in Apostolis completum, cæterisque quos ad se Deus accepit electis, quos tamquam per gradus & incrementa paulatim prouexit (non enim primo die perfectos reddidit) donec tandem expolierit in summam perfectionem? Et nos igitur, quoties altius prouehimur, meminerimus, quidquid nobis quotidie beneficiorum accedit, ex illo fonte manare, quòd liberalitas Dei inchoatum nostræ salutis opus velit absoluere. QVI AVTEM NON HABET. s. quod debet. quem à se reprobatum permittit Pater sibi, relinquit eo statu quo est. nullis exornat donis quibus salus ipsius æterna promoueatur, quibus iustus Deoque acceptus reddatur, aut si quibus, ad quoddam dumtaxat tempus continuat ei influxum gratiæ suæ. ET QVOD HABET. non solùm nihil dabitur, verumetiam id quod habet donorum siue gratiæ siue naturæ. Aliquando accidit vt præclaris etiam dotibus excellant reprobi, immo ad tempus quoddam iusti sint & Deo placeant: sed nec potest homo subsistere, nisi plurimis Dei donis fultus. Cæterùm, vt id quod ad breue tempus est, vix esse censetur, ita quamdiu non habet homo huiusmodi dona quibus Deo placeat, nihil habere iudicatur. reliqua enim nihili reputantur à Deo, nihil est solidum, euanidum est omne, quando animus veræ pietatis vacuus est, quantus quantus foris fulgeat splendor. Idcirco Saluator *non habet* dicit & *habet.* AVFERETVR AB EO. Sic ab hac turba, ab hoc populo, non habente fructum regni Dei, auferetur regnum Dei quo hactenus gloriatur. Non habenti rectum sensuum facultatumque naturæ vsum, vsum aurium ad audiendum Dei verbum &c. non solùm non datur mysteriorum regni cognitio, verumetiam omnis vsus sensusque & facultates ipsæ auferuntur, ita vt cùm audire se aliquid existimarit quod ad rem faciat, nihil tamen audierit, cùm videre, nihil viderit. Namque audire & non intelligere quæ audias, perinde tibi fuerit ac si surdus esses: audis sonum verborum, sed significationem, nisi pro concupiscentiis tuis faciat, non magis intelligis, non magis te afficit aut mouet, quàm iumentum. Ergo sensus naturalis humanus quem habebas, quoque vti poteras, versus est tibi in bruti sensum: vnde iam deuenitur ad incrassationem cordis, hebetationem sensuum, atque omnino ad vitæ animæque vsum longè minorem quàm natura humana sortita sit. Auferuntur igitur reprobis si quæ sunt illis Dei dona, frequenter hac in vita, siue omnia siue aliqua, semper verò omnia in altera vita. HAC in vita dona gratiæ auferuntur, quia charitas reprobis vel tandem extinguitur; si quidem habent; qua extincta, fides mortua est, reliquaque omnia otiosa & sine fructu. Donorum autem naturæ humanus sæpe illis vsus aufertur, dum ingenio & sensibus ad nihil aliud vtuntur, quàm ad quod bestiæ, ad edendum inquam, bibendum, subandum & cæteras corporis voluptates. In altera vita, omnia omnino gratiæ dona, quibus nondum priuati prorsus fuerint, tollentur ab eis; fides, spes, scientia, & quidquid est cæterorum: nec relinquentur eis naturæ dona, nisi quatenus facient ad subeundam pœnam eam quam Dei iudicio promeruerint. Contraria igitur ratione quàm electi, in deterius semper ruunt reprobi, donec prorsus exinaniti in sua inopia extabescant.

Mar. 4. v. 12. Luc. 8. v. 10.

Ideo in parabolis loquor eis, quia [13] videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt:	διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν οὐδὲ συνιοῦσι·

IDEO ergo. EIS. Pluribus alijs de causis in parabolis loquebatur, quæ, suprà v. 3. expositæ sunt, & discipulis quoque ipsis seruiunt: verùm idcirco turbæ illi populi Iudaici. QVIA VIDENTES opera diuina, & miracula manifesta quæ edo. NON VIDENT. non considerant, non dijudicant, nihili faciunt, contemnunt, non intelligunt quid sibi velint, non vident ex eis Messiæ præsentiam, non cernunt salutis suæ procurationem. In summa, non habent oculos ad videndum ea quæ Dei sunt & salutis ipsorum. ET AVDIENTES Dei verbum, NON AVDIVNT rem, non habent aures ad audiendum ea quæ ante omnia audienda fuerant. NEQVE INTELLIGVNT. Non curant intelligere, calumniari potiùs & irridere. Posterius hoc, est explicatio prioris *non audiunt.* Visus & auditus hominibus dati sunt, non eo tantùm fine quo bestijs, vt naturæ noxia fugiant, conducibilia amplectantur; verùm præcipuè, vt, ea quæ vident & audiunt, intelligant si merentur, vt ea quæ sensibus hauserint ad mentem transmittant, considerent, dijudicent, intelligere conentur, si intellectu sunt digna, vt est inprimis verbum Dei. Qui igitur audit quidem prædicari verbum Dei, sed intelligere aut ad mentem transmittere non curat, is audit & non audit; audit, quia verba auribus percipit; non audit, quia ad proprium finem auditionis rerum huiusmodi non agit; Prorsus similis bestiæ, quæ & ipsa, sonos verborum quibus Dei verbum prædicatur, audit, sed quia ad se nihil iudicat pertinere, vt neque noxios carni neque conducibiles, negligit. Sic se res habet & in visu. Sententia igitur verborum Christi est: Ideo parabolicè seu ænigmaticè loquor eis, vt sermonem meum attemperem statui illorum. Is autem status eorum est, vt si nudam eis veritatem proponerem, audirent verba, sed rem intelligere non curarent, irriderent potiùs & contemnerent, vt canes sanctum & margaritas porci. Parabolas itaque adhibeo, quas nec intelligere possint, nec exponi sibi desiderant, vt omnino sint quales esse volunt, audientes & non audientes, itaque pro meritis puniantur & magis ac magis excæcentur Dei iudicio.

καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἠσαΐου ἡ λέγουσα· ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε. 14

Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. *Isa. 6. v. 9.*

ET ADIMPLETVR. ita vt impleatur. Nec mirum videri istud debet, quod iam olim à propheta fore prædictum est, vt populus qui tanto aduentus Messiæ desiderio tenetur, vbi is aduenisset, reijceret eum, nec seriò eum aut videre aut audire vellet. DICENTIS. sic Syrus. Græcè est λέγουσα dicens, vt in alijs quoque latinis libris. AVDITV AVDIETIS. omnino audietis. Aderit vobis promissus desideratusque Messias, quem hisce auribus vestris audietis prædicantem regnum cælorum. Quia obscuriora sunt hebræa in aliam linguam ad verbum translata, eò quòd imperatiuis vtantur pro futuris; idcirco Matthæus, aut certè eius interpres græcus, LXX viros sequutus est, qui sensum per futura bene clarè reddiderunt. Est autem ad verbum hebraicè: *Audite audiendo & ne intelligatis, & videte videndo & ne cognoscatis.* Verba ista iubetur propheta populo renunciare: *Vade*, ait Dominus, *& dices populo huic, Audite* &c. populo vtique sui temporis: propter quod quidam, in Iudæis illius temporis, primò impletam esse prophetiam docent. Quod vt fieri potest, ita videtur præcipuè de Iudæis temporis Messiæ intelligenda in quos passim etiam ab Apostolis citatur: quemadmodum & vnus est populus, is qui Isaiæ, & is qui Messiæ tempore fuit, ita vt rectè illi dici potuerit, quod in hoc fuerit implendum. Porro, vt diximus, sunt quidem imperatiua pro futuris (quod non est insolens hebræis, vt Psal. 36. v. 3. 27.) figura tamen hac loquendi illud amplius significari videtur, per Deum ipsis id licere, hoc est, ab irato & reprobante ipsos Deo permitti, quod suapte malitia facturi sunt: quemadmodum Iudæ, proditionem meditanti, Saluator: *Quod facis*, inquit, *fac citius.* Ioh. 13. v. 27. NON INTELLIGETIS. non erit vobis curæ intelligere, potiùs reijcietis & contemnetis. ET VIDENTES VIDEBITIS. omnino videbitis, hisce oculis vestris videbitis ipsum & admiranda ipsius opera. ET NON VIDEBITIS. Hîc est vox ἴδητε, plus aliquid signans quàm βλέπειν quæ præcedit, sicut plus est intelligere quàm audire. Hæc igitur ad oculos corporis refertur, illa ad animi. Sic & Hebræa priùs vtuntur voce ראה raa, Chaldæa & Syra חזה haza, quæ sunt videre; posteriùs omnia ידע iadah, quæ est cognoscere. *Non videbitis* igitur, id est, non cognoscetis, noletis enim Messiam agnoscere, immo tamquam incognitum reprobabitis.

ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. 15

Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. *Isa. 6. v. 10. Mar. 4. v. 12.*

INCRASSATVM EST, ἐπαχύνθη crassum redditum est, saginatum seu pingue factum est. ita Euangelista cum LXX. Redditur ratio cur audiant & non intelligant, videant & non videant. Hebraicè rursus sunt imperatiua: *Crassum seu pingue redde cor populi huius*, quod Hieronymus iuxta sensum vertit *Excæca*, Chaldæus *Infatua*. Continuatio est sermonis eius quem Dominus vult per prophetam populo annunciari. Sunt autem iterum, non tantùm imperatiua pro futuris, sed & certa persona pro incerta. *Excæca.* s. quicumque, pro excæcetur, *impingua* pro impinguetur, *aggraua* pro aggrauentur, *claude* pro claudantur, verba tamquam ab animo irato profecta, quę quidem non sunt imperantis, sed ferentis iustam in impium populum sententiam, deserentis inquam exponentisque malis. Excæcatur autem, partim ab ipso Deo, quò respexisse videntur Iohannes cap. 12. v. 40. & Paulus ad Rom. 11. v. 8. præcipuè verò à semetipso, propria voluntate & culpa, quò respexerunt maximè LXX interpretes, & qui eos sequuti sunt, Matthæus hoc loco & Lucas Act. 28. v. 26. Nam quæ sequuntur, disertè ita reddiderunt, vt ad populum referri debeant; illud præsertim *clauserunt.* præteritorum enim apud Prophetas & futurorum indifferens est vsus. Itaque impinguetur seu excæcetur cor populi huius, id est, irato me deserente ac permittente, impinguabunt seu excæcabunt ipsi sua corda, omnis intelligentiæ fontem. Quemadmodum cor nimia pinguedine offusum hebetatur aut etiam suffocatur: sic mens delicijs corporeis ebria hebetatur aut etiam excæcatur (nam, vt habet græcus senarius, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον: quod D. Hieronymus vertit epistola secunda quæ est de vita Clericorum: *Pinguis venter non gignit mentem tenuem*) ita vt minimè sit perspicax rerum præsertim diuinarum, immo cœca reddatur ad id omne quod Dei est. Indicari igitur voce impinguandi videtur, proxima excæcationis efficiens causa, quæ in populo ipso fuerit, non natura, sed voluntate: quòd ita videlicet saginarint voluptatibus carnem, vt mentem carnis sagina suffocarit; siue, quod idem vnum est, quòd ita suæ voluntati addicti fuerint, terrenæ, animali, diabolicæ, vt capiendis Dei rebus nullum reliquerint in animis suis locum, vt ad Dei voluntatem stupuerint obduruerintque. sunt enim vnicuique deliciæ, id quod familiare & iucundum est ipsi maximè, siue corporeum illud sit siue spiritale. GRAVITER AVDIERVNT. Hebraicè: *Et aures eius aggraua*, id est, aggrauentur, me iustè deserente ipsi aggrauabunt, quod est, tamquã mole aliqua obturabunt, aut sordibus ita impleri sinent, vt grauiter audiant. Id verò fieri videtur, quando aures ita assuefiũt audiendis turpiloquijs, rebusque alijs siue impijs siue vanis, quibus quisque delectatur, vt ad res diuinas audiendas arrigi nequeant. CLAVSERVNT. ἐκάμμυσαν. quod est proprium oculis verbum, quemadmodum Latinis conniuere. Hebraicè est השע hasah quod alij deriuant à שעע sahah vertuntque *restringe*, *reprime*, alij à שוע souah, vertuntque *obline*, *obduc*, *incrusta*. Chaldęus cum alijs interpretatur טמטם *tantem* claude, obstrue: indubiè

Mar. 3. v. 28. 29. Luc. 12. v. 10.

Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autẽ dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.

32 καὶ ὃς ἐὰν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι.

VERBVM aliquod offenſiuum, contumelioſum, blaſphemiam. Idem clarioribus verbis repetit, firmioris aſſeuerationis cauſa, innuens interim non ideo ſe loqui duriùs, quia iniuria ipſe affectus fuerit. CONTRA FILIVM HOMINIS, me, in quo præter ſimilitudinem carnis peccati nihil nouit nihil hactenus credidit; mihi, nondum ex diuina virtute cognito, ſed homini tantùm exiſtimato, auctoritatem aliquam detraxerit. Huiuſmodi verba ſiue conuitia tolerauit Chriſtus ſuprà 11. v. 19: huiuſmodi fuit & Pauli blaſphemia 1. Timoth. 1. v. 13. REMITTETVR EI. remiſſibile peccatum eſt, non tam graue eſt vt remiſſionem peccatorum pœnitentiámve excludat: poteſt enim ille doceri, moneri, ad fidem adduci, & tandem pœnitere ac remiſſionis compos fieri. DIXERIT. ſ. verbum, obloquutus fuerit. CONTRA SPIRITVM SANCTVM. qui, vt Apoſtolus ait Heb. 10. v. 29., Spiritui gratiæ contumeliam fecerit; auſus fuerit Deum ipſum impetere ſeu ab ipſo euidenter profecta opera. NEQVE IN HOC SECVLO. neque in hac vita, vbi proprius eſt remiſſionis locus. Seculum propriè tempus centum annorum ſignificat: accipitur autem pro tempore, & ſynecdochicῶs pro vita, cuius durationem tempus metitur. NEQVE IN FVTVRO, neque in futura vita, vbi quibuſdam aliquando contingit veniam dari, iis qui ex hac vita Deo grati, non ſine alicuius culpæ tamen aut pœnæ reatu, deceſſerint. Senſus eſt, numquam remittetur, ſed & in hac & in illa vita punietur, hìc reprobo ſenſu, illic igne æterno. Nec enim de culpa tantùm hìc agitur, verumetiam, ſuffragante interpretatione Græcorum, de pœna, cui neceſſariò ſubiacet à morte peccatum in vita non remiſſum. Futurum autem ſeculum, non tantùm ad extremum iudicij diem, vt inſulsè torquet Caluinus, verumetiam ad medium tempus referendum eſſe, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd, vt mox à corporis morte, vita animæ per ſe incipit: ita & incipit tempus quo vitæ illius duratio menſuratur. Quare Saluator, qui his verbis docere voluit peccatum iſtud numquam dimittendum; complecti debuit futuri ſeculi nomine (nec enim complexus eſt huius ſeculi nomine) & hoc tempus medium inter mortem corporis & reſurrectionem: quod quidem futurum ſeculum vocatur, non quòd animabus à corporibus ſeparatis præſens non ſit, ſed quòd mortalibus, qui de eo loquuntur, quamdiu vitam hanc corporalem adhuc viuunt, futurum ſit. Vt ergo vita futura, ita & futurum ſeculum, incipit vnicuique mox à morte corporis (longè enim aliud eſt, quando Scriptura diem nouiſſimum aut diem Domini nominat; nec aliter à reſurrectione incipere dici poteſt, quàm, vt vita corpore reſumto perfectior erit, ita ſeculum omnes prorſus homines, nemine excepto, comprehendet. Non inualido igitur argumento hinc colligunt Catholici, quædam aliquando peccata à morte remitti; mortalia quoad pœnam, venialia quoad pœnam & culpam. Quod vt eludant, alij alia hæretici fingunt, vt, quòd futurum ſeculum ab articulo mortis incipiat, & huiuſmodi indigna refutatione.

Luc. 6. v. 44.

Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur.

33 ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον καλὸν καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ καλόν· ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον σαπρὸν καὶ τὸν καρπὸν αὐτοῦ σαπρόν· ἐκ γὰρ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται.

FACITE. ponite, ſtatuite, fatemini ſ. in veſtris de me ſermonibus. Alio iterum argumento, à naturæ obſeruatione ducto, Phariſæos blaſphemos arguit & conuincit. Eſt autem argumentum quod cornutum vocant, Hieronymus ἄφυκτον ſeu ineuitabile, quod interrogatos hinc inde concludit & vtroque cornu premit. Si vultis, inquit, latere cæcitatem inuidi cordis veſtri, conſiſtentia loquamini oportet. Arborem eiuſque fructum, aut ſimiliter bona, aut ſimiliter mala, neceſſe eſt fateamini. Nam, iuxta communem etiam hominum ſenſum, ex fructu arbor dignoſcitur. Vos autem, nulla rerum cohærentia, fructum quidem admittitis bonum, arborem verò calumniamini malam; laudatis opus, damnatis auctorem. Eiectionem dæmonum ex hominibus rem agnoſcitis eſſe bonam (nam ſi negetis, res vos ipſa conſuadet, tot numero hominibus, quot mea opera liberati ſunt, habentibus iam optimè & iucundè beneficio fruentibus, qui antea peſſimè affligebantur) illius verò auctorem malum dæmonem dicitis. Atqui, ſi opus bonum eſt, & auctorem oportet dicatis bonum, Spiritum ſanctum inquam per me operantem. MALVM. σαπρόν. vide ſuprà 7. v. 17.
AGNOSCITVR. Nam *omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit.* ſup. 7. v. 17.

Luc. 6. v. 45.

Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? ex abundantia enim cordis, os loquitur.

34 γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες; ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ.

PROGENIES VIPERARVM. vide ſuprà 3. v. 7. vbi Iohannes Baptiſta hoc idem Phariſæis improperat. Poſtquam Saluator blaſphemam Phariſæorum calumniam pluribus rationibus confutarat, & quàm graue peccatum

peccatum esset docuerat, insigni obiurgatione pro merito illos excepit: &, tamquam corrigeret id quod proximè dixerat: *Facite arborem bonam & fructum eius bonum*. Quid, inquit, moneo vt rationi consona & ea quæ decent loquamini? nam cùm ex malis maioribus mali orti sitis, quomodo fieri possit vt mali bona loquamini? vt vel in vobisipsis considerare liceat arborem malam & fructum eius malum. POTESTIS. id est, possitis, modo potentiali. q. d. mirum foret. LOQVI. ore efferre, de operibus meis rectum pronunciare iudicium. MALI corde, animo erga me odio atque inuidia pleno? Hoc subaudit Saluator: nam ex corde, vt ex radice, pendet præcipuè hominis siue bonitas siue malitia. Non aliud à vobis est exspectandum, quàm vt, cùm malitia cor refertum sit, mala verba ore euomatis. EX ABVNDANTIA CORDIS. ex eo quod in corde abundat. Cor, vt est irrequietum, ita perpetuis agitatur cogitationibus, aliasque aliis accumulat, & instar locupletissimi penu intus plenum est abundatque affectionibus. Eæ verò quales sunt, talia sunt & verba quæ ex harum aceruo promuntur, si bonæ bona, mala si malæ seu vitiosæ. Promit enim os verba ex aceruo siue thesauro, vt mox dicitur, cogitationum cordis, quem nec facilè quisquam exhaurit quantumuis verbosus, quin id quod in ore versatur, longè magis abundantiusque versetur in corde. Hæc significantur hoc sacro prouerbio: quo addit improperationi suæ auctoritatem Saluator. Est autem sententia hæc prouerbialis, quemadmodum cæteræ, vera vt plurimùm: in hypocritis tamen qui simulatè loquuntur, vt sanctè sonent verba, at vitiosa sunt ex vitioso principio, fingente formanteque verba eo modo, quo consequi queat id cuius abundat æstuatque desiderio.

ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει ἀγαθά· καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ ἐκβάλλει τὰ πονηρά.

35 Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala. *Luc. 6. v. 45.*

BONVS. Declarat sententiam proximè præcedentem. DE. ἐκ ex. BONO THESAVRO bonarum sanctarumque cogitationum atque affectionum, coaceruatarum ac repositarum in corde. Quam mox abundantiam cordis vocauit, hîc appellat thesaurum, cumulum siue aceruum cogitationum in cor collectarum. PROFERT. effert, depromit. s. ore. BONA. sancta. s. verba. ita accidit vt plurimum. MALO THESAVRO impiarum seu malarum cogitationum atque affectionum.

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

36 Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

DICO AVTEM. Vt autem pensitare & præuidere queatis quale iudicium vobis exspectandum sit pro blasphemiis istis vestris, illud vobis affirmo, quod dictu mirum videri poterit. QVONIAM OMNE. quòd quodcumque VERBVM OTIOSVM locuti fuerint homines. *Otiosum* vanum, inutile, quod sine vtilitate & loquentis dicitur & audientis, alioqui minimè nociuum aut reprehensibile. REDDENT RATIONEM, id est, cogentur reddere, exigetur ab eis ratio, ita vt si nequeant reddere (vt inutilis dicti nulla potest adferri recta ratio) pœnæ pro merito adiudicentur. *Reddent* autem iudici, exiget iudex, conueniens vniuscuiusque conscientiam. DE EO. subaudiendum est: Quanto magis de blasphemia, & ea in Spiritum sanctum, tanto interuallo verbum otiosum superante, vt hoc illius comparatione omnino non videatur peccatum censendum? IVDICII extremi. Illi porrò quibus ante diem illum remissa à Deo fuerint verba otiosa; quales erunt electi omnes; rationis loco remissionem adferent. In reprobis; venialia peccata fuerint licet solummodo; tamen vnà cum mortalibus iudicis sententia punientur.

ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, καὶ ἐκ τῶν λόγων σου καταδικασθήσῃ.

37 Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

EX VERBIS ENIM. Non enim tunc operum solùm, sed & verborum sermonumque exactissima habebitur ratio. Ex verbis tuis, non minùs quàm ex operibus, vt ex fructu bono bona arbor (sunt enim verba testes cordis, & lingua mentis character) IVSTIFICABERIS. agnoscêris & pronunciaberis iustus, si ita ferat examen iudicis omnia circumspicientis & trutinantis. Quia iustificari hîc opponitur τῷ condemnari, idcirco accipitur pro iustum declarari: alibi, apud Apostolum præsertim, est iustum fieri seu reddi. ET. id est, vel. Nec enim insolens est ista coniunctionis copulatiuæ acceptio in hoc dicendi genere. TVIS tamquam ex malo fructu mala arbor. CONDEMNABERIS peccati pœnæque promeritæ. Videri possit, Pharisæos aut certè alios Christi auditores, existimasse, nullam vel paruam verborum in iudicio Dei habendam esse rationem, modò mens rectè senserit & vita fuerit inculpata. Hanc opinionem reprobat Christus, affirmans ad ea vsque verba iudicium agendum, quæ vanitatis solius, vtpote friuola, notari queãt: longè magis ea ponderanda, quę contra conscientiã locutus fueris, cum veritatis detrimento, & tanto auditorũ incommodo.

τότε ἀπεκρίθησάν τινες τῶν γραμματέων καὶ φαρισαίων, λέγοντες· διδάσκαλε, θέλομεν ἀπὸ σοῦ σημεῖον ἰδεῖν.

38 Tũc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisęis, dicentes: Magister, volumus à te signum videre. *Luc. 11. v. 16. Inf. 16. v. 1.*

TVNC RESPONDERVNT. His ita à Christo edissertis subiecerunt. vide suprà 11. v. 25.

ab iis qui Christi opera Beelzebub adscripserant. manifestum id est ex Luc. 11. v. 16. MAGISTER. præceptor. Illis redargutis, secundum hoc propositum vrgent isti, simulata oratione magistrum appellantes, quasi talem ipsi agnoscerent qualem se populis ille præbebat, sed vellent sibi maiori signo confirmari ipsum esse prophetam à Deo missum ad regnum cælorum annunciandum & procurandum. VOLVMVS cupimus, desideramus. A TE. ex te. SIGNVM. miraculum aliquod omni exceptione maius. vides enim; volunt dicere; in dubium vocari ea quæ hactenus operatus. Lucas addit *de cælo* cap. 11. v. 16. Quod ergo dicunt, hoc est: Si quæ facis, non facis Satanæ, sed Dei virtute, age, apparere nobis fac de cælo signum aliquod, vnde sciamus certò, diuinitus abs te agi quæ agis. fac vt è cælo testetur Deus se tui magisterij auctorem esse, ac miraculo, tamquam sigillo è cælis adhibito, doctrinam legationemque tuam confirmet. Respexisse videntur ad Mosen, vt & alibi, quum dicerent: *Quod ergo tu facis signum vt videamus & credamus tibi? quid operaris?* Ioh. 6. v. 30. Moses magister & legislator probatus fuit signis cælestibus, manna, tonitruis, igne, fumo, vocibus, buccina cælesti, & cætera. Tale quid videntur ab eo petere, quasi, si tale quid faceret quale fecit Moses, credituri essent in illum. Atqui Christo propositum fuit, miraculis suis id notanter ostendere, se Saluatorem hominum esse, ac proinde eiusmodi edere quæ hominibus salutem adferrent: & facilè illi sibi persuadebant Christum non editurum signum pro ipsorum arbitrio, curioso illo & superuacaneo, si non ob aliud, ne ostentationis notam incurreret: eo verò studiosiùs petebant, vt cùm non ederet, persuaderent populo non esse illi cum Deo negotium, sed cum Satana, quia non posset signum è cælo producere, sed ex inferis potiùs proferret, consuetudine cum dæmonibus inita.

Luc. 11. v. 29. Infrà 16. v. 4.

39 Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον ἰωνᾶ τοῦ προφήτου.

GENERATIO. γενεὰ natio, gens. explicat, non eorum tantùm qui interrogauerant, sed & nationis totius, cuius illi erant capita, proprietates & ingenium. *Iudæi enim signa petunt*, quod ait Apostolus 1. Cor. 1. v. 22., & Euangelistæ passim testantur. nam & frequenter repetiuerunt hanc ipsam exactionem. MALA. scelerata, domus exasperans iam olim. malum hominum genus & seculum peruersum. Summa libertate adulatoribus hypocritis respondet, in eosque inuehitur, qui peruerso, non simplici, animo signum petebant; *tentantes*, quod Lucas ait: præcipuè autem, quòd Deo ingrati, tot ejus virtutibus malignè spretis, subterfugium captarent ne obedirent. Cuius enim non socordiæ modò sed malitiæ erat, ad tot edita hactenus signa oculos claudere? Cæterùm non aliò tendebat consilium, nisi vt Christum impunè meritoque viderentur reiicere.

ADVLTERA, id est, adulterina, patres minimè referens, vt quæ à Deo vero patre desciuerit, & à maiorum, de quibus sibi placet, pietate ac virtute degenerauerit; *semen Chanaan* & non Abraham, vt prophetæ loquuntur. vide Mar. 8. v. 38. QVÆRIT. ἐπιζητεῖ requirit, sibi exhiberi pro suo arbitratu, non contenta hactenus exhibitis. ET pro sed. NON DABITVR EI quale petit: nec enim quærit vt veritatem cognoscat: nam & illa vt cognoscatur, sufficiunt quæ edita sunt. Deus non debet hominum voluntati obsequi, præcipuè deprauatorum: sed homines oportet agnoscere & sequi id quod à Deo institutum est. Non destitit quidem posthac Christus virtutem suam apud illos exserere, ac variis adhuc eos miraculis conuincere, quò inexcusabiles redderet: sed indignos intelligit, quorum impiæ cupiditati obtemperet.

NISI. Coniunctio ista non excipit hoc loco, sed ponitur pro *sed*, vt Gal. 2. v. 16. Sensus est: Dabitur autem ei signum quod minimè desideret, non è summo cælo, sed ex ima terra, quo semel opprimatur, ita vt vel credat vel pereat. Resurrectio enim, vt erat summa Iesu gloria, ita summum erat tormentum inimicis eius: quæ prædicata & adstructa, tanto illos pondere pressit, vt necesse haberent vel credere in Iesum vel conteri (*super quem enim ceciderit, conteret eum.* infrà 21. v. 44.) id quod & nationi exasperatrici tandem accidit: factus est enim *nouissimus error peior priore*, quod augurati fuerant (infrà 27. v. 64.) SIGNVM IONÆ. miraculum quale præcessit in Iona propheta, quod & aliàs illi assignaui. (Ioh. 2. v. 19.)

Luc. 11. v. 30.

40 Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

ὥσπερ γὰρ ἦν ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας· οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας.

IN VENTRE CETI. in visceribus balenæ. Sicut Ionas ad sedandam tempestatem in mare proiectus est, & exceptus à balena, egit in eius visceribus tamquam mortuus (nec enim nisi miraculo vel ad horam illic viuere poterat) TRIBVS DIEBVS ET TRIBVS NOCTIBVS. Præstitisset ad exprimendum tempus continuum, cuius non est hoc loco parua emphasis, seruasse quartum casum qui est græcè, *Tres dies & tres noctes.* Subaudiendum est autem hîc: Quibus transactis euomitus est viuus in terram, & probatus hoc miraculo propheta à Deo missus, prædicauit Niniuitis: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Noluit enim hæc exprimere Saluator, quæ ex nobili historia facilè poterant à quouis suppleri, declinandæ iactantiæ causa, ne & de se ipse exprimere cogeretur. FILIVS HOMINIS. Familiare erat Saluatori ita de seipso loqui; ac proinde facile etiam auditoribus intelligere. IN CORDE TERRÆ. Hebraismus, pro, in medio, in intimo terræ; corpore in sepulchro, anima in inferno seu limbo, qui propriè est in corde terræ, id est, *in inferioribus* seu infimis *partibus terræ*, vt loquitur Apostolus Ephes. 4. v. 9. Sic moriar ego ad placandam Patris iram pro hominum peccatis, & corpore conditus sepulchro anima versabor in inferis. TRIBVS DIEBVS ET

TRIBVS

TRIBVS NOCTIBVS. tres dies & tres noctes, vt mox. Loquitur de se Dominus, sicuti Scriptura de Iona (Ionæ 2. v. 1.) cæteroqui non hæsit Dominus tres dies & totidem noctes integras in sepulchro aut limbo: sed periphrasi dici & noctis intelligit diem vnum ciuilem, cuius partes sunt dies & nox, id est, lux & tenebræ: quemadmodum Ezechias, *de mane vsque ad vesperam* inquit, pro eo quod est, vno die naturali (Isa. 38. v. 12.) Tres autem dies ciuiles iacuit Saluator sepulchro egitque in limbo κατὰ συνεκδοχὴν (vt frequenter docet D. Augustinus, nominatim lib. 3. de cons. Euang. cap. 24.) quia duorum ex tribus diebus partibus aliquibus, nimirum, primi diei tot horis, quot supererant à morte aut sepultura, ad mediam vsque noctem (media enim nocte Iudæi, dies quatenus non erant festi, & finiebant & incipiebant, vsu communi, non aliter ac nos) altero die integro tertij diei tot horis, quot, dum resurgeret, fluxerant à media nocte. resurrexit autem, si non diluculò, certè à media nocte: &, si quidem diluculò resurrexit (id quod verisimillimum esse docemus infrà 28. v. 1.) habes etiam trium dierum naturalium & trium noctium naturalium aliquid. Quare infrà 16. v. 21. ait: *Et tertia die resurgere.* Huc verò subaudiendum venit similiter vt mox: Quibus euolutis surgam rediuiuus è terra, eoque miraculo consummatissimè declaratus Filius Dei, prædicabo nationi huic: Adhuc quadraginta dies & euertetur. Declaranda sunt paucis singula. Prædicit hîc inprimis Saluator resurrectionem suam, quod frequenter aliàs, vt scandali ex morte sua præscindat occasionem. Miraculum autem resurrectionis suæ obiicit aduersariis suis vnum instar omnium postremum à se in terra exhibendum, omnium certissimum, grauissimum, atque maximum, in quo Satanas nihil potest, quod nec hominum nec angelorum quisquam imitari queat, soli Deo possibile, numquam aliàs visum, auditum, aut factum, quod cætera omnia miracula priùs edita absoluit & perficit, ipsumque alia plurima efficacitatis plena ex se producit: quo proinde Iesus perfectissimè declaratus est Filius Dei, vt & Apostolus docet Rom. 1. v. 4. Datum est porrò miraculum hoc adulteræ Iudæorum generationi, non quòd Iesus à resurrectione illi apparuerit corpore (quamquam enim nihil ipsi nocere potuissent, non tamen decebat gloriam rediuiui, obiici impiorum iniuriis) sed quòd in iis quibus apparuerat quique resurrectionem ipsius testabantur ac prædicabant, manifestam Spiritus sancti virtutem, cui contradicere non posset, spectarit. Per hos igitur, Apostolos inquam & discipulos suos, prædicauit Iudæis Iesus à morte resuscitatus, id quod Ionas è mari ac ventre balenæ redditus viuus per se Niniuitis: Adhuc quadraginta dies & peribitis. quamquam annos pro diebus Iudaicæ nationi indulserit bonitas Dei ad pœnitentiam prouocans: nam singulis non concessa est nisi breuissima quadragesima huius vitæ. Hortati quidem sunt Apostoli vniuersos inprimis ad fidem & pœnitentiam, proposita salute æterna, vt reliquias seruarent: sed cùm de natione ipsa spes nulla esset, de qua scriptum nouerant: *Excæca cor populi huius* &c. (Isa 6. v. 9.) cui proinde omnium maximum resurrectionis miraculum non nisi ad maiorem obdurationem seruiebat, acclamabant iis qui spem de se conuersionis præbebant: *Saluamini a generatione ista praua* (Act. 2. v. 40.) breui scilicet euertenda: qua etiam relicta abibant ad Gentes (Act. 13. v. 46.) comminati priùs pessima quæque ex vaticiniis prophetarum. (Act. 13. v. 41. &c.) Et licet fortè, disertis verbis, instans nationi excidium non prædicarint (quamquam dixerint & quæ non iudicarint scribenda) rem tamen ipsam quam proximè dixerunt, quam Saluator hic prædicere & determinatè intelligendam dare videtur ex Ionæ prædicatione, quadragesimo videlicet aut circiter anno à sua resurrectione, peruicaciter incredulam nationem subuertendam. cui interpretationi D. Chrysostomus suffragatur in illa verba: *Et signum non dabitur ei.*

41 ἄνδρες νινευῖται ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν· ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα ἰωνᾶ, καὶ ἰδοὺ πλεῖον ἰωνᾶ ὧδε.	Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Iona hîc. Luc. 11. v. 32.

NINIVITÆ itaque temporis Ionæ. Pergit in declarando signo Ionæ, quomodo non conuertendi illo, sed condemnandi sint Iudæi. SVRGENT. ἀναστήσονται) resurgent, ex morte. Sermo est de carnis resurrectione.

IN IVDICIO extremo, iudicij extremi tempore. Manifestum hinc euadit iudicium cum resurrectione coniunctum fore: quod obseruauit D. Aug. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 5. CVM GENERATIONE ISTA. vnà cum hac huius temporis natione. Resurgent ambo à morte, iudicandi: simul enim resurgent omnes.

ET CONDEMNABVNT EAM sibi collatam, non iudicandi potestate, sed comparationis exemplo. Facta Iudæorum cum Niniuitis comparatione, res manifesta vel inde erit, Iudæos meritò æternæ morti addici. Simile Rom. 2. v. 27. POENITENTIAM EGERVNT. μετενόησαν. Exemplo Niniuitarum ostendi potest quid vera siue pœnitentia siue μετάνοια requirat (de quo sup. 3. v. 2. egimus) conuersi sunt enim de via sua mala, & ieiunauerunt, vestitique sunt saccis. Ion. 3. v. 5. 10. IN PRÆDICATIONE. εἰς τὸ κήρυγμα ad prædicationem. IONÆ prophetæ, comminantis euersionem ciuitatis. ECCE. ita se res habet, quantumuis reprobetis & ingratum sit vobis audire. PLVS aliquid, res maior, dignior, ac testatior etiam ante resurrectionis miraculum, sed præcipuè post illud datum. Vt minùs illos irritaret, genere neutro & tertia persona modestè seipsum notat. IONA. Græca latinaque forma Ionas dicitur, qui hebraica *Iona*.
Hic, ὧδε hoc loco apud hanc generationem. Rursus est defectiua oratio, relinquit enim subaudiendum Dominus: Prædicans verbum Dei, non tamen ad pœnitentiam conuertitur generatio ista. Id quod sic intelligendum est, vt etiam prædicat de suæ ætatis Iudæis, quòd, nec viso resurrectionis suæ omnium maximo miraculo, conuertendi sint: prædicit enim quid in extremum iudicium proditurum sit. Collatio autem Iudæorum cum Niniuitis huiusmodi est: Niniuitæ, barbari, à cultu Dei alieni, dum audiunt Ionam, virum extraneum, vnico miraculo commendatum, annunciantem instans vrbis ipsorum excidium, credunt, & auersi à via mala pœnitentiam agunt in sacco & cinere. Iudæi, professione cultores veri Dei, inter sacras literas enutriti, audiunt Filium Dei, tribulem suum, Messiam sibi promissum omnium vaticiniis prophetarum, à Iohanne Baptista demonstratum, miraculis innumeris, iisque irrefragabilibus, probatum, omni populo vtilem ac bene-

ac beneficum, prædicantem pœnitentiam, promittentem regnum cælorum, neque nisi secundo loco comminantem interitum, nec credunt, neque auersi ab animi sui pertinaci malitia pœnitentiam agunt, immò contrà impiè reiiciunt benefactorem, afficiunt iniuriis, blasphemant, denique morte mulctant, & ne quidem meliores euadunt, dum præstat ille reipsa illud resurrectionis suæ omnium maximum miraculum, & suæ mortis ac resurrectionis vim virtutemque aliis communicatam effectis ipsis clarè ostendit. Nihil huiusmodi Ionas fecit: nulli enim alij communicauit sensum illum reditus sui in lucem, nisi narratione tantùm. & quidem ille à balena absorptus viuus, viuus redditus est: Iesus autem terra conditus mortuus, viuus egressus est, neque tali vita qualem antè egerat, sed immortali.

Luc. 11. v. 31.

Regina Austri surget in iudicio[42] cum generatione ista, & condemnabit eam: quia vénit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hîc.

βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτήν· ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν σολομῶντος, καὶ ἰδοὺ πλεῖον σολομῶντος ὧδε.

REGINA. Adfert alterum simile exemplum quo damnandi sint suæ ætatis Iudæi. AVSTRI. Meridiei, regni seu regnorum ad Meridiem sitorum Iudææ respectu, Æthiopiæ & Ægypti, vt Iosephus scribit lib. 8. Antiq. cap. 2. Æthiopiæ autem regia, Saba dicebatur, cui postea Cambyses Persarum rex indidit nomen Meroës, de nomine sororis suæ. ita rursus Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 5. Hinc in tertio Regum dicta est ista, *Regina Saba*: & Isaias cap. 43. v. 3. iungit sibi mutuò, Ægyptum, Æthiopiam, & Saba. SVRGET à morte, iudicanda. CONDEMNABIT. Multis enim rationibus clarescet, vos meritò damnari. A FINIBVS ex longinquis oris, ex insula ac ciuitate Meroë. PLVS aliquid, cuius sapientia maior, grauior, ac testatior. Non tot tantaque pericula fecit sapientiæ Salomonis Regina Saba, quam tamen summopere admirata confessaque est: quot quantaque generatio hæc fecit sapientiæ meæ, quam omnibus argumentis certissimam comperit. Subaudi, non tamen audior, recipior aut magnifio. Comparatio igitur Iudæorum cum Regina Saba huiusmodi est: Mulier gentilis, in schola Dei minimè educata, Regni verò amplissimi negotiis districta, fama sapientiæ quæ de Salomone ferebatur excitata difficillimum arripuit iter, ex remotissimis terræ partibus Ierosolyma, vt eius sapientiæ periculum faceret: quam admirata supra modum, licet non nisi de terrenis atque humilibus rebus dissereret Salomon, consilia excepit illius. Iudæi diuinæ legis alumni, sacris literis addicti, Christum Dei virtutem ac sapientiam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi, summum suum vnicumque doctorem, regni cælorum æternæque salutis mysteria à seculis abscondita ac veram Dei sapientiam depromentem, vltrò se offerentem, rogantem, atque inuitantem, non recipiunt, reiiciunt planè, etiam dato illo resurrectionis grauissimo signo, quando & sapientiam illam suam credentibus atque obedientibus sibi communicauit & impertiuit. qua re solus ipse admirandus est. Apertè docent exempla ista duo à Saluatore allata, vnumquemque, pro mensura donorum Dei, quæ contempserit aut quibus non fuerit vsus, puniendum.

Luc. 11. v. 24.

Cùm autem immundus spiritus[43] exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.

ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν, καὶ οὐχ εὑρίσκει.

CVM AVTEM. Hoc postremo simili terret Iudæos, denuncians vniuersæ genti pœnam quam ipsorum Ingratitudo in hac quoque vita meretur, quòd oblata Dei gratia non sit illis curæ: nam mox loquutus est de ea, quæ illos in futuro seculo manet damnatione. Quamquam enim generalis hæc doctrina sit, vt sciant quale sibi iudicium accersant, qui, in vanum accepta Dei gratia, ianuam diabolo rursus aperiunt: tamen ad Iudæos primùm hoc dictum, videre licet ex fine versus 45. sequentis: *Sic erit & generationi huic pessimæ*. Quare claritatis caussa totam hanc orationem ita possis construere: Accidet peruersæ huic nationi, non secus quàm accidit homini, ex quo spiritus immundus semel eiectus, in eundem pluribus sociis comitatus reuertitur. Sumta est itaque similitudo ab homine obnoxio dæmonio malo, qui postquam liberatus est & suæ menti redditus, sua ignauia dæmoni redeunti fenestram aperiens, longè grauiùs laborat quàm laborarat priùs. EXIERIT. diuina fugatus virtute. AB HOMINE in quo sedem fixerat. AMBVLAT διέρχεται perambulat. Loquitur de diabolo tamquam de homine. ARIDA. ἀνύδρων inaquosa, aquis carentia, ac proinde sterilia, deserta, & ad habitandum inepta. id est, quocumque pergat, omnis illi extra hominem habitatio ingrata est, & tamquam triste exsilium ac squalido deserto simile. NON INVENIT requiem, quia tamdiu sibi displicet animoque torquetur ac discruciatur, quamdiu extra homines habitat nec illos infestat.

Luc. 11. v. 24. 25.

Tunc dicit: Reuertar in domum[44] meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam.

τότε λέγει· ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου ὅθεν ἐξῆλθον. καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σχολάζοντα, σεσαρωμένον, καὶ κεκοσμημένον.

TVNC DICIT. Ingenium studiumque Satanæ nobis describitur, quòd numquam cesset à noxiis, numquam

quiescere

quiescere aut à malo inferendo queat abstinere, sed assiduè satagat, 1c 4; huc atque illuc verset, denique suos omnes intendat conatus & sensus excitet, vt domicilium recuperet quo pulsus est. vt enim superbissimus est, expulsi magis acuitur rabies ac nocendi libido, dolore ex amissa præda concepto. Quare discamus, simulac laqueis eius Christi gratia erepti sumus, vehementius & acrius certamen paratum nobis esse: illum enim maiore contra nos odio ardere & magis hostili impetu aduersùs nos ferri. REVERTAR. omnem mouebo lapidem vt reuertar. IN DOMVM MEAM. hominem intelligit. Misera hominis conditio, dæmonum esse habitaculum: quod quidem vitio Adæ omnes natura sumus. VNDE EXIVI. Non dicit pulsus sum, nec enim id vult superbus agnoscere: sed tamquam sponte exierit, redibo, inquit, stoliditas enim mea, aut certè ignauia fuit, quòd exierim. Hoc modo se animat, & vires nouas colligit, ad certamen miserique hominis de integro oppugnationem. INVENIT. εὑρίσκει præsens est, vt πιοι. ita sæpe fit vt inueniat. non enim semper inuenit. VACANTEM. vacuam habitatore, Deo non habitatam Dei gratia destitutam nihil esse quod impediat quò minùs in eam redeat habitatum. Perstat in similitudine à domo sumta. Qui vacui sunt Spiritu Dei, ij ad recipiendum diabolum parati sunt, cuius summæ deliciæ sunt inanitas illa quæ diuinæ gratiæ neglectum sequitur. SCOPIS MVNDATAM. σεσαρωμένον versam à σαρῶ verro. Nec solùm nihil inuenit quod impediat, verumetiam quod alliciat & oblectet. Eo modo paratam inuenit ac si ipse inuitaretur & cupide rursus exspectaretur hospes; quo modo cupidè excepturus hospitem aliquem, parat, purgat, ornat domum, vt in illam libeat se recipere. Sensus est igitur, inuenit hominem eo statu, vt diabolo rursus commoda esse possit & delectabilis domus: similitudo enim ab hominibus sumta est, quos munditiès & nitor in hospitiis delectat. Nam spiritui immundo sola immunditia placet, & deformitas pulchra est: nihil ei bene olet præter fœtorem & sordes, vnde euersum est quidquid affectionum est cogitationumve piarum, sparsa sunt autem aconita pro floribus, & tensa aulæa superbiæ omnisque impuritatis. hæc enim ornamenta sunt domus illius quæ diabolo placeat.

τότε πορεύεται καὶ παραλαμβάνει μεθ' 45 ἑαυτοῦ ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ, καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ.	Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. Luc. 11. v. 26.

VADIT. abit lætus. ET ASSVMIT sibi socios inuitatos habitationis commoditate. SEPTEM ALIOS. plures alios. Nam numerus septenarius hic indefinitè capitur, vt sæpè aliàs 1. Reg. 2. v. 5. Isa. 4. v. 1. Ceterùm opponuntur septem spiritus mali, septem spiritibus bonis, qui memorantur Apoc. 1. v. 4., & Isa. 11. v. 2. enumerantur. NEQVIORES SE. πονηρότερα ἑαυτοῦ sceleratiores, peiores, nocentiores quàm ipse sit; & hoc, tum vt muniat sibi domum ne facilè iterùm expellatur, tum vt expleat omnem suam nocendi libidinem in eum quem semel relinquere coactus fuit. HABITANT κατοικεῖ inhabitant, octo illi spiritus. Docet Christus, si semel diabolo erepti, ipsius Christi gratia exciderimus, septuplo amplius diabolo nos fieri obnoxios, vt maiore in nos licentia quàm priùs grassetur; & hanc esse iustam siue perfidiæ siue ignauiæ nostræ pœnam. NOVISSIMA. τὰ ἔσχατα postrema. fit vltima conditio hominis illius, deterior, calamitosior, miserabilior, priore; grauius laborat & discruciatur à dæmone quàm vmquam antea, præstitisset illi numquam à dæmone liberatum fuisse. Locum hunc interpretatur D. Petrus 2. Pet. 2. v. 20 21. SIC ERIT. ita agetur cum, simile quid accidet. GENERATIONI HVIC. nationi huic. PESSIMÆ. τῇ πονηρᾷ scelerate, scilicet vt sint illi nouissima peiora prioribus. Prophetia est Christi Saluatoris de gente Iudæorum, cuius hęc sententia est: Eiicio ego ex hoc populo dæmonia omnia, quemcumque occupent; ex corporibus omnium, ex animis eorum qui audire me volunt pœnitentiam prædicantem: omnibus omnino promtum me exhibeo, immo viribus omnibus adlaboro, vt è diaboli tyrannide ereptos ad Deum adducam, & destructo Satanæ, Dei regnum inter ipsos constituam ac firmem. verùm alius erit rei euentus, quem & conicere licet ex rebus quæ nunc geruntur. Abactus enim mea virtute & territus oblata per me Dei gratia dæmon, cùm alios his similes homines non inueniet quos occupet (nec enim æquè omnes idoneos iudicat ad maleficentiæ suæ exercitationem) tandem me morte sublato, viset an non pateat ei in ipsos reditus. Illos porrò tam idoneam & commodam habitationem sibi effectos inueniet, quàm numquam antea: inueniet enim, alios neglexisse, alios reiecisse acceptam Dei gratiam, alios ingratè contemsisse oblatam, alios summa etiam cum pertinacia oppugnasse, sceleribus madidos, homicidas (vt nihil desit) Messiæ ac Saluatoris sibi promissi atque exhibiti, ac proinde gratia ac tutela omni Dei vacuos, & vitiorum omnis generis cultu insignes. Assumtis igitur pluribus aliis sociis auxiliaribus, aduersariis totius virtutis, furibundè reuertetur in gentem hanc, firmabitque sibi in ea domicilium ac regnum, quod ita probè muniet & captiuum tenebit, vt numquam deinde cessurus sit. Aggregabit in eam quidquid vsquam immundorum atque abominabilium spirituum est, spiritum erroris, mendacij, blasphemiæ, contumaciæ, confusionis, indurationis, excæcationis, & totius malitiæ suæ per hanc gentem edet exempla, importunissimè, illo agente, resistentem Euangelicæ veritati cognitæ, & satis superque (Spiritu sancto ad extremum in discipulos meos illapso, visibili omnibus mutationis ipsorum & sanctificationis exemplo atque spectaculo) manifestatæ; ita vt deterior longè sit futura scelestæ gentis conditio, quàm si me numquam præsentem, docentem, hortantem, & dæmonum ex corpore & animo exactionibus aliisque beneficiis iuuantem atque allicientem habuisset. iam non aliud reddita quàm dæmonum domicilium, *Satanæ synagoga* (vt Iohannes loquitur Apoc. 3. v. 9.) & gehennæ pabulum, digna quæ & ex hoc mundo exstirpetur, nec ampliùs referat formam populi vnius suo iure viuentis. Hæc omnia ita acciderunt, reliquis dumtaxat seruatis.

Adhuc

Mar. 3. v. 31. Luc. 8. v. 19.

Adhuc eo loquente ad turbas,[46] ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei.

ἔτι δ' αὐτοῦ λαλοῦντος τοῖς ὄχλοις, ἰδοὺ ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ εἱστήκεισαν ἔξω, ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι.

ADHVC. Nondum finierat hanc concionem Iesus, cùm ecce ex Nazareth adessent mater & fratres eius. FRATRES. s. cognatione, vt docet B. Hieronymus contra Heluidium, fratres patrueles, nepotes Ioseph ex Maria Cleophæ sorore aliisque fratribus aut sororibus. Mariam enim matrem Domini, putamus vnigenitam fuisse. vide infrà 13. v. 55. 56. Obtinuit vsus hebraici syriacique sermonis, vt nomen fratrum propinquos significet, eosque omnes qui de vna familia sunt. Gen. 13. v. 8. & 14. v. 14. & 20. v. 12. & 29. v. 15. & aliis locis à B. Hieronymo adductis. FORIS domo in qua Iesus concionabatur, quæ quidem ea fuisse videtur quam in Capharnaum suæ habitationi delegerat. Mar. 3. v. 20. Stabant autem foris, non quòd nullo modo intrare possent (miserunt enim alium intrò qui ipsorum præsentiam nunciaret. Mar. 3. v. 31.) sed quòd intus agere non possent quod decreuerant. QVÆRENTES. cupientes. Id prætexebant fratres, quòd haberent de quo cum illo loquerentur: at propositum illis erat manus in prodeuntem foras inicere, & ab officio abstractum domum secum in Nazareth abducere, atque illic continere, quòd dicerent eum *in furorem versum esse*, vt narrat Marcus cap. 3. v. 21. *neque enim fratres eius credebant in eum.* Ioh. 7. v. 5. Maioris autem auctoritatis causa matrem eius adduxerant, quam quidem celauerant consilium suum: quamquam & illa, cùm magna teneretur solicitudine de filio, quem intelligebat multorum odiis insidiisque expositum, lubèns inuiseret eum, nepotum comitatu se offerente.

Mar. 3. v. 32. Luc. 8. v. 20.

Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te.[47]

εἶπε δέ τις αὐτῷ· ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ἑστήκασι, ζητοῦντές σοι λαλῆσαι.

QVIDAM. qui ab illis missus fuerat eius vocandi gratia. Mar. 3. v. 31. QVÆRENTES TE, id est, quærentes tibi loqui, quemadmodum est græcè & syriacè.

Mar. 3. v. 33.

At ipse respondens dicenti sibi[48] ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε τῷ εἰπόντι αὐτῷ· τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, καὶ τίνες εἰσὶν οἱ ἀδελφοί μου;

DICENTI SIBI. τῷ εἰπόντι αὐτῷ ei qui ipsi hoc dixerat. ET QVI SVNT. q. d. nullam matrem, nullum fratrem agnosco secundùm carnem, dum Dei ago negotium. Non est interrumpenda diuinæ doctrinæ exercitatio propter humana parentum negotia. Non abnegat matrem & propinquos, qui sanctè coluit humanum ordinem, & legitimis erga parentes officiis functus noscitur: sed vrget antiquum propositum præferendi negotia resque diuinas humanis. Simile Luc. 2. v. 49.

Mar. 3. v. 34.

Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea & fratres mei.[49]

καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπὶ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, εἶπεν· ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου.

MANVM. manu discipulos designans. ECCE MATER. Hi sunt quos matris & fratrum loco hic agnosco, quorum salutis negotium ago, & tam præfero humanis parentum siue affectibus siue negotiis, quàm solent homines his alia omnia postponere.

Mar. 3. v. 35. Luc. 8. v. 21.

Quicumq; enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.[50]

ὅστις γὰρ ἂν ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς, αὐτός μου ἀδελφὸς, καὶ ἀδελφὴ, καὶ μήτηρ ἐστίν.

QVICVMQVE, siue hi præsentes discipuli mei, siue alij tandem futuri. VOLVNTATEM meo præconio declaratam: quæ quidem, & fidem exigit (Ioh. 6. v. 40.) & opera (suprà 7. v. 24. 1. Thess. 4. v. 3.) vide suprà 7. v. 21. FRATER. ille à me agnoscitur & frater & soror & mater: ille horum simul omnium mihi instar est: tam est mihi vnus ille, propinquus & charus, quàm sunt homini frater, soror, & mater, personæ homini omnium & coniunctissimæ & amabilissimæ. Propinquus est autem, non carne quidem, sed spiritu: verùm spiritus quanto carne præstantior est, tanto mihi ille quàm hi magis est curæ. Quocirca, dum illi erudiendo ac formando, multisque fratribus ac necessariis ad regnum Dei parandis atque instruendis, qui quidem Deo Patri filij, mihi autem fratres cohæredes fiant, incumbo; longè abest, vt, negotio hoc omnium maximi momenti, quod à Patre mihi iniunctum est, relicto, ad ea me conuertam quæ mater & fratres carne proponere desiderant. Loquitur Saluator iuxta opinionem auditorum, existimantium parentes inuisere illum, velleque eum conuentum de rebus aliquibus familiaribus: cæteroqui non ignorabat ipse consilium fratrum suorum. Hîc itaque Christus, carnis & sanguinis propinquitatem extenuans, & spiritali cognationi longè postponens, discipulos suos omnes in eum honoris gradū recipit, in quem homines eos qui ipsis inter consanguineos primi sunt, immo in matris & fratrum illos locum substituit. Detestanda est igitur nostra ingra-

ingratitudo, nisi posthabitis omnibus carnis votis, Christo adhæreamus. Pendet autem hæc sententia ex Christi officio: significat enim, non paucis quibusdam à Patre se datum esse, consanguineis inquam & cognatis, sed multis, quos eò adducat vt voluntatem Patris faciant, & illius filij, ipsius verò Christi fratres fiant, ea natiuitate quæ ex Deo est. Ioh. 1.v. 13. Porrò non hîc Iesus Mariam discipulis suis posthabet: sed considerans matrem ex sola carne, vti homines solent, spiritalis cognationis vinculum, quod ex mandatorum Dei obseruatione nascitur, sanctius habet. Cæterùm, vt, si quæ laus matribus iure accedit ex præstantia filiorum quos in lucem ediderunt, Maria omnes excellit, quæ orbi terrarum Filium Dei, omnium Saluatorem, virgo peperit: ita quidquid veræ laudis, quidquid perfectionis, quidquid spiritalis cum Christo cognationis aut prærogatiuæ, ij adsequuntur qui faciunt voluntatem Patris cælestis; Maria omnes longè superat, quæ omnium & accuratissimè & absolutissimè Dei Patris voluntatem impleuit.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ἐν δὲ τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἐκάθητο παρὰ τὴν θάλασσαν.

1 In illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare. *Mar. 4. v. 1.*

IN ILLO DIE. eodem illo die, seu potiùs eodem illo tempore (dies enim sæpe pro tempore ponitur) postridie fortassis: nam manifestum satis est hæc post superiora temporis ordine mox esse sequuta, cùm dicatur, egressum domo illa in qua iam disseruerat, se dedisse ad mare docendi studio quale hîc narratur. EXIENS ἐξελθὼν egressus. DE DOMO illa seu hospitio, habitationis suæ, in qua turbæ importunitate ad dæmoniaci curationem & disputationes inde sequutas adactus fuerat. Nam cuiuscumque esset domus ista, eam sibi pro domicilio delegerat Christus in oppido Capharnaum, ita vt cùm ea abesset, domi abesse videretur, domíque esse cùm in ea esset. vide Mar. 3.v.20.& 9.v.33. Verisimile est, concione illa finita, Iesum matri & cognatis aliquid dedisse, illam vt solaretur, hos vt increparet & argueret temerariæ stolidæque incredulitatis; tum etiam corporis necessitati cum Apostolis satisfecisse, à quo priùs impedierat turba. Deinde verò postridie, relictis agnatis domúsque angustijs, cùm sciret multitudinem copiosam vndique aduolaturam, exiuisse ad ampla circa vicinum mare loca. SEDEBAT docens populum insatiabiliter inhiantem doctrinæ ipsius.

SECVS MARE. iuxta siue apud mare, Galilææ, vicinum Capharnao. Syrus, Super littus maris. Videmus Christum terra marique Euangelium propagare; & sicut mercatores lucrum, ita ipsum animas quærere, denique postquam priuatim domi prædicauit, prodire in publicum, vt omnes doctrinæ suæ participes faciat.

καὶ συνήχθησαν πρὸς αὐτὸν ὄχλοι πολλοί, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον ἐμβάντα καθῆσθαι· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν εἱστήκει.

2 Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore. *Mar. 4. v. 1. Luc. 8. v. 4.*

NAVICVLAM. τὸ πλοῖον nauim siue nauigium. Ita vt cogeretur nauim conscendere ne à multitudine opprimeretur, & illic sedere, eque naui velut è suggesto seu cathedra docere, vbi nemo ipsum premere, videre autem & audire omnes commodè possent. IN LITTORE velut in amphitheatro condensata. Indicatur Saluatorem ita appositè accurateque theatrum instituisse, vt nulli omnino dorsum obuerteret, verùm omnes ex aduerso positos haberet. Contrario igitur more quàm fieri soleat, è mari Iesus iecit rete in terram piscandi gratia.

καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς πολλὰ ἐν παραβολαῖς, λέγων· ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπείρειν.

3 Et loquutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exijt qui seminat seminare. *Mar. 4. v. 2. 3. Luc. 8. v. 5.*

MVLTA ad salutem pertinentia, potissimùm de verbo Dei & regno cælorum. IN PARABOLIS. per parabolas, non nudè & apertè, sed sub similitudinum & comparationum inuolucris: parabolæ enim vox comparationem seu collationem significat, qua res diuersæ asseruntur re aliqua similes esse, dicta à παραβάλλω comparo, assimilo: quamquam non tam ob comparationem siue collationem parabolæ dicantur eæ quas Saluator hîc adfert (certè prima nullam exprimit collationem) quàm ob inuolutam & obscuram aliarum rerum per alias significationem, cuiusmodi propriè sunt ænigmata & allegoriæ. Cur autem parabolis sit vsus Saluator, ratio mox datur v.13. cui & aliæ accedunt, vt, quòd is docendi modus, prophetis familiaris, auditores & attentiores reddat & intelligendi curiosiores. Ita enim fit, vt quæ docentur, per exempla, à rebus notissimis, omnium etiam idiotarum sensibus, sumta, iucundiùs irrepant in animos hominum, permoueant efficaciùs, tenaciùs hæreant, denique vehementiorem intelligendi cupiditatem accendant. DICENS inprimis, hanc primam omnium parabolam proponens. Vt ne enim existimaretur, aut ipsum sibi placere de tanta confluentium auditorum frequentia, aut auditores omnes eiusdem esse mentis, eandemque omnibus animorum ad audiendum Dei verbum apparationem, parabolam eam primam profert, qua docet, non in omnibus fructuosum esse sacræ doctrinæ semen dum spargitur, non omnes meliores reddi audito Dei verbo, non verbi siue seminis vitio, sed quòd multi impedimenta adferant per quæ fiat vt ipsorum animi tanta careant vtilitate. Impedimenta itaque illa dum explicat, docet præmonetque hac prima rursus parabola, qua

qua ratione fructuosè Dei verbum audire queant, nemini suum studium otiosum esse volens. ECCE. Significat vox ista narrari rem certam, dignam animaduersione. fortè etiam indicat tempus sementis siue autumni fuisse, ita vt parabola sumta fuerit è re præsenti. EXIIT domo in agrum. QVI SEMINAT. ὁ σπείρων seminans, id est, seminator, agricola quidam. Participijs loco nominum vtuntur Hebræi. vide suprà 4.v.3. SEMINARE. græca phrasis pro ad seminandum.

Mar.4. v.4. Luc.8. v.5.

Et dum seminat, quędam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea.

4 καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ἃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ, καὶ κατέφαγεν αὐτά.

DVM SEMINAT. dum longè latéque spargit semen in vniuersum agrum, contingit cadere QVÆDAM. ἃ μὲν hæc quidem, alia quidem. s. grana seminis. SECVS VIAM. iuxta viam publicam. Via in medio sita propriè iudicatur, vbi & tritissima & tutissima est. Itaque iuxta viam dicit, pro in oram viæ, in quam faciliùs quàm in mediam viam contingit semen cadere, dum iacitur in sulcos agri conterminos. In oram igitur viæ, quam & ipsam homines iter facientes pedibus continuè calcant, quæ ceciderint seminis grana, cùm cadant in incultam, duram, & minimè aptam suscipiendo semini terram, nullam spem fructus relinquunt, eoque minùs, quòd cùm maneant nuda, à volucribus absumantur. VENERVNT. aduolarunt. CÆLI. omittitur ab aliis libris, vt græcè quoque, ac syriacè. vide Notas.

Mar.4. v.5. Luc.8. v.6.

Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ.

5 ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη, ὅπου οὐκ εἶχε γῆν πολλὴν, καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς.

PETROSA loca, loca silicibus lapidibusque abundantia. MVLTAM nec supra se nec infra. CONTINVÒ ad teporem solis, non valentem penetrare terræ intima, quippe à saxis reflexum ac proinde geminatum. EXORTA SVNT. ante tempus enata sunt. ALTITVDINEM. βάθος profunditatem, obsistentibus saxis. Supra se non tegebantur profunda terra quæ seruaret condita semina in tempus suum; infrà minus erat liberæ profunditatis ob saxa contigua. quare cùm deorsum radices agere non possent, sursum necesse ac facile fuit vt erumperent calore accedente.

Mar.4. v.6. Luc.8.v.6.

Sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

6 ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος ἐκαυματίσθη, καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, ἐξηράνθη.

SOLE ORTO. increscente solis calore, sole feruescente. AESTVAVERVNT. ἐκαυματίσθη exusta sunt vel perierunt æstu nimio. s. grana illa seminis & quod præcociter ex illis natum erat germen. RADICEM quæ humorem suggereret ex profundiore terra. ARVERVNT. Ex his seminis granis, spes aliqua fructus fuit, quia germen & herba, sed tenuis, quæ & facilè proinde perijt; ita vt hîc verum apparuerit quod dicitur: *Quod citò fit, citò perit.*

Mar 4. v.7. Luc.8. v.7.

Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea.

7 ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὰς ἀκάνθας, καὶ ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, καὶ ἀπέπνιξαν αὐτά.

IN SPINAS. in terram feracem spinarum. Non enim intelligi adultas spinas, manifestum ex eo est, quòd oriri & crescere illas dicat vnà cum semine. CREVERVNT. ἀνέβησαν, ad verbum ascenderunt, celeriùs assurrexerunt, vt solent lolia, & altiùs densiúsque sese sparserunt, quàm bona semina, quæ tardiùs proueniunt. SVFFOCAVERVNT EA semina iam in culmos excreta, præcluserunt eis vsum auræ liberioris, suppresserunt ea ita vt excrescere emergereque haud possent. Hîc maior etiam affulserat spes, quia radix, quia germen, quia culmus, sed quæ conciderit spinis in latum ac longum se condensantibus. Triplex igitur hîc designata est terræ infructuosæ differentia.

Mar.4. v.8. Luc.8.v.8.

Alia verò ceciderunt in terrã bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.

8 ἄλλα δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν, καὶ ἐδίδου καρπὸν, ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα.

BONAM. non itinerantium pedibus duratam, non lapidosam, non spinosam, excultam autem & omni ex parte præparatam. DABANT. dederunt, feliciter enata produxerunt. ALIVD. ὃ μὲν. ad verbum, hoc quidem. s. seminis granum. Non parem omnia fructum attulerunt, licet idem vnum semen essent & eiusdem generis grana, sed pro soli ratione varijs gradibus auctum. CENTESIMVM. s. fructum. ἑκατὸν &c. ad verbum: Hoc quidem centum, illud verò sexaginta, illud verò triginta. s. grana. Interpres sensum aptè expressit. Ex singulis granis natæ sunt vna aut plures spicæ, quarum aliæ centũ grana protulerunt ex vno, aliæ sexaginta ex vno, aliæ triginta, pro terræ ipsius vario ingenio & cultu. multum enim cultura facit ad per-

ad percipiendorum fructuum copiam atque præstantiam. Cæterùm non hyperbolicè loquitur Christus de fructu centuplo, vt tunc fuit quarundam regionum fœcunditas. Nam Libyphœnicum nominatim regionem, testatur Plinius lib. 5. nat. hist. cap. 4. ita exuniæ esse fertilitatis, vt cum centesima fruge agricolis fœnus reddat terra. Triplex hic igitur terræ bonæ differentia indicatur, vt mox triplex terræ malæ.

ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. 9 Qui habet aures audiendi, audiat. Mar. 4. v. 9. Luc. 8. v. 8.

QVI HABET. qui vtitur cui datum sta:utumque est vti auribus. AVDIENDI. ἀκούειν ad verbum, audire, id est, ad audiendum, ad agendum id ad quod à Deo creatæ sunt aures, ad quod constitutus est sensus auditus, quod vtique est audire ea quæ auditu digna sunt, eo animo quo audire oportet, cum conamine intelligendi & obediendi voluntate; ea certè inprimis quæ eò pertinent vt Deo placeas. Qui non audit, aut audita non conatur intelligere quæ debet, aut audit quæ non debet, aut quo animo non debet, vt calumniãdi vel irridendi animo, is non vtitur auribus ad audiendum (quales adfuisse quosdam auditorum, Christus subindicat hic, & postea explicat etiam clariùs) peruersum est enim hoc aurium officium. Igitur qui eo animo ac studio venerat vt audiret ex ore Christi verbum Dei ad suam vtilitatem & salutem, is habebat aures audiendi, dociles scilicet & obedientes: simplicissimus enim vsus sensus ac sine vllo vitio exigitur à Christo. AVDIAT hæc, auditu cumprimus digna ac salutaria & simplici animo consideret scruteturque vt intelligat. Excitat hoc sibi familiari epiphonemate Saluator auditorum animos ad attentiorem parabolæ considerationem. vide suprà 11. v. 15.

καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ εἶπον αὐτῷ· διατί ἐν παραβολαῖς λαλεῖς αὐτοῖς; 10 Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

ACCEDENTES. Significari videtur, discipulos, consilio inter se priùs accepto, magna cum Domini reuerentia adijsse. Porrò id accidisse, non hìc coram populi multitudine, sed postea multitudine missa, Marcus testatur cap. 4. v. 10., nec obscurè colligitur ex eo quod Matthæus hìc habet *in parabolis*, quo respicitur ad plures alias illarum parabolarum quæ hoc capite recensentur. DISCIPVLI cum duodecim etiam reliqui. Mar. 4. v. 10. IN PARABOLIS. propositis similitudinibus quas non exponis, quas nec ipsi nec nos intelligimus. Similitudines quæ perpetuam metaphoram continent, ænigmaticæ sunt, & rem sub allegoriis inuoluunt: vbi verò additur expositio, rem de qua agitur illustrant. vt enim plus energiæ ac ponderis habet figuratus sermo simplici mixtus, ita & magis perspicuus est. EIS. turbis. nec enim ita consueuisti nobis. Non sui tantùm rationem habent, verùmetiam alijs optant consultum: quum enim parabolam non intelligerent ipsi, facilè arbitrabantur & populo esse obscuram.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ὅτι ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται. 11 Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum. Mar. 4. v. 11. Luc. 8. v. 10.

QVIA. Causa redditur rei propositæ. VOBIS quibus paratus sum pro more tenebras parabolarum elucidare, habentibus aures ad audiendum, cupidis audiendi simul & intelligendi doctrinam sacram, qui simplici discendi & obsequendi animo me sequimini. DATVM EST singulari Dei Patris munere. nam & vsum aurium ad hæc audienda non nisi Deo donante habetis. Psal. 39. v. 7. NOSSE. clarè audire & intelligere absque parabolarum inuolucris. Docetur fidem esse Dei donum. MYSTERIA. sacra arcana, quæ naturæ communi facultate inueniri per se non possunt, nisi eorum auctor ipse Deus doceat & exponat. REGNI CÆLORVM. pertinentia ad regnum cœlorum quod prædico. Huius generis sunt, arcana de humanæ salutis & cælestis regni ratione ac perfectione, & quæ ad hæc pertinent sacrorum librorum oracula ac sententiæ, & similitudines huc facientes tam ex natura quàm ex arte & consuetudine petitæ.

ILLIS. turbæ seu multitudini illi, cuius pars longè maior non habet aures ad audiendum. eorum enim, alii non desiderant Dei verbum ex me audire, sed videre prodigia; alij curiosè tantùm cognoscere cupiunt quid dicam, auditaque negligunt nec curant intelligere; alij contemnunt etiam & irrident, quidam scientes prudentes calumniantur, indigni proinde quibus diuina mysteria simpliciter credantur. Significat Saluator plærosque omnes illius multitudinis reprobos fuisse (vt Dei iudicio reprobata Iudæorum eius temporis gens fuit) & si ex numero electorum aliqui, illorum res eodem adhuc fuisse statu quo cæterorum. NON EST DATVM à Deo Patre, quia nec vsus aurium ad audiendum Dei verbum illis datus est. Deut. 29. v. 4. Gratiam itaque discipulis factam Christus amplificat. quia peculiariter illis sit datum quod aliis negatum est. Si quis roget quæ huius discriminis causa, vnde hoc dignitatis priuilegium discipulis Christi, potiùs quàm cæteris Iudæis non in aliam id referendum est originem, quàm in gratuitam Dei electionem, qui illos quidem Misericors elegit, hos autem suæ mentis peruersitati Iustus reliquit: quod quidem intelligendum Saluator dat repetita voce: *Datum*. q. d. Vos magnificis Dei donis gratis augemini: illi quales sunt relinquuntur.

ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, καὶ περισσευθήσεται· ὅστις δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. 12 Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Inf. 25. v. 29.

QVI ENIM HABET. Vulgare prouerbium, & quidem verissimum, ditioribus dari, pauperibus semper auferri.

καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία ἡσαΐου ἡ λέγουσα· ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε· καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε.

14 Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. *Isa.6.v.9.*

Et adimpletvr. ita vt impleatur. Nec mirum videri istud debet, quod iam olim à propheta fore prædictum est, vt populus qui tanto aduentus Messiæ desiderio tenetur, vbi is aduenisset, reijceret eum, nec seriò eum aut videre aut audire vellet. Dicentis. sic Syrus. Græcè est λέγουσα *dicens*, vt in alijs quoque latinis libris. Avditv avdietis. omnino audietis. Aderit vobis promissus desideratusque Messias, quem hisce auribus vestris audietis prædicantem regnum cælorum. Quia obscuriora sunt hebræa in aliam linguam ad verbum translata, eò quòd imperatiuis vtantur pro futuris; idcirco Matthæus, aut certè eius interpres græcus, Lxx viros sequutus est, qui sensum per futura bene claré reddiderunt. Est autem ad verbum hebraicè: *Audite audiendo & ne intelligatis, & videte videndo & ne cognoscatis.* Verba ista iubetur propheta populo renunciare: *Vade*, ait Dominus, *& dices populo huic, Audite* &c. populo vtrique sui temporis: propter quod quidam, in Iudæis illius temporis, primò impletam esse prophetiam docent. Quod vt fieri potest, ita videtur præcipuè de Iudæis temporis Messiæ intelligenda, in quos passim etiam ab Apostolis citatur: quemadmodum & vnus est populus, is qui Isaiæ, & is qui Messiæ tempore fuit, ita vt rectè illi dici potuerit, quod in hoc fuerit implendum. Porro, vt diximus, sunt quidem imperatiua pro futuris (quod non est insolens hebræis, vt Psal. 36. v. 3. 27.) figura tamen hac loquendi illud amplius significari videtur, per Deum ipsis id licere, hoc est, ab irato & reprobante ipsos Deo permitti, quod suapte malitia facturi sunt: quemadmodum Iudæ, proditionem meditanti, Saluator: *Quod facis*, inquit, *fac citius.* Ioh. 13. v. 27. Non intelligetis. non erit vobis curæ intelligere, potiùs reijcietis & contemnetis. Et videntes videbitis. omnino videbitis, hisce oculis vestris videbitis ipsum & admiranda ipsius opera. Et non videbitis. Hîc est vox ἴδητε, plus aliquid signans quàm βλέπειν quæ præcedit, sicut plus est intelligere quàm audire. Hæc igitur ad oculos corporis refertur, illa ad animi. Sic & Hebræa priùs vtuntur voce ראה *raa*, Chaldæa & Syra חזה *haza*, quæ sunt videre; posteriùs omnia ידע *iadah*, quæ est cognoscere. *Non videbitis* igitur, id est, non cognoscetis, noletis enim Messiam agnoscere, immo tamquam incognitum reprobabitis.

ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιστρέψωσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς.

15 Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. *Isa.6.v.10. Mar.4. v.12.*

Incrassatvm est, ἐπαχύνθη crassum redditum est, saginatum seu pingue factum est. ita Euangelista cum Lxx. Redditur ratio cur audiant & non intelligant, videant & non videant. Hebraicè rursus sunt imperatiua: *Crassum seu pingue reddito cor populi huius*, quod Hieronymus iuxta sensum vertit *Excæca*, Chaldæus *Infatua*. Continuatio est sermonis eius quem Dominus vult per prophetam populo annunciari. Sunt autem iterum, non tantùm imperatiua pro futuris, sed & certa persona pro incerta. *Excæca.* s. quicumque, pro excæcetur, *impingua* pro impinguetur, *aggraua* pro aggrauentur, *claude* pro claudantur, verba tamquam ab animo irato profecta, quę quidem non sunt imperantis, sed ferentis iustam in impium populum sententiam, deserentis inquam exponentisque malis. Excæcatur autem, partim ab ipso Deo, quò respexisse videntur Iohannes cap. 12. v. 40. & Paulus ad Rom. 11. v. 8. præcipuè verò à semetipso, propria voluntate & culpa, quò respexerunt maximè Lxx interpretes, & qui eos sequuti sunt, Matthæus hoc loco & Lucas Act. 28. v. 26. Nam quæ sequuntur, disertè ita reddiderunt, vt ad populum referri debeant; illud præsertim *clauserunt.* præteritorum enim apud Prophetas & futurorum indifferens est vsus. Itaque impinguetur seu excæcetur cor populi huius, id est, irato me deserente ac permittente, impinguabunt seu excæcabunt ipsi sua corda, omnis intelligentiæ fontem. Quemadmodum cor nimia pinguedine offusum hebetatur aut etiam suffocatur: sic mens delicijs corporeis ebria hebetatur aut etiam excæcatur (nam, vt habet græcus senarius, παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον: quod D. Hieronymus vertit epistola secunda quæ est de vita Clericorum: *Pinguis venter non gignit mentem tenuem*) ita vt minimè sit perspicax rerum præsertim diuinarum, immo cæca reddatur ad id omne quod Dei est. Indicari igitur voce impinguandi videtur, proxima excæcationis efficiens causa, quæ in populo ipso fuerit, non natura, sed voluntate: quòd ita videlicet saginarint voluptatibus carnem, vt mentem carnis sagina suffocarit; siue, quod idem vnum est, quòd ita suæ voluntati addicti fuerint, terrenæ, animali, diabolicæ, vt capiendis Dei rebus nullum reliquerint in animis suis locum, vt ad Dei voluntatem stupuerint obduruerintque. sunt enim vnicuique deliciæ, id quod familiare & iucundum est ipsi maximè, siue corporeum illud sit siue spiritale. Graviter avdiervnt. Hebraicè: *Et aures eius aggraua*, id est, aggrauentur, me iustè deserente ipsi aggrauabunt, quod est, tamquā mole aliqua obturabunt, aut sordibus ita impleri sinent, vt grauiter audiant. Id verò fieri videtur, quando aures ita assuefiūt audiendis turpiloquijs, rebusque alijs siue impijs siue vanis, quibus quisque delectatur, vt ad res diuinas audiendas arrigi nequeant. Clavservnt. ἐκάμμυσαν. quod est proprium oculis verbum, quemadmodum Latinis conniuere. Hebraicè est השע *hasah* quod alij deriuant à שעע *sah* vertuntque *restringe, reprime*, alij à שוע *souah*, vertuntque *obline, obduc, incrusta.* Chaldęus cum alijs interpretatur טמטם *tamtem* claude, obstrue: indubiè

indubiè enim significatur occlusio seu compressio oculorum ad Messiæ opera. NEQVANDO. μήποτε. פן *pen* ne fortè. hæc particula ostendit quorsum prosit videre & intelligere, vt scilicet homines ad Deum conuersi bene & feliciter habeant. Significat autem, reprobos illos studiosè affectare suam illam cæcitatem surditatemque, quam vltro foueant, consuetudineque sua augeant & quotidie cumulent magis: ita vt nolint aliter secum agi, nec melius quidquam intelligere, quàm intelligant, cupiant: immo vereantur quasi, ne tot tandem visis auditisque veritas præsentiæ Christi in animos ipsorum illabatur, & conuertantur ad Deum ab errore ac vitijs in quibus sunt, qua re fieret vt bene haberent ac sanitatem à Deo consequerētur, accepta per Christum peccatorum remissione. Hic status fuit Scribarum, Pharisæorum, & maioris partis populi Iudæorum, Christi tempore. ET SANEM EOS. Ita Euangelista cum LXXII, quod & Hieronymus sequutus est: qui quidem vocem רפא quæ est hebraicè, ita legisse videntur, vt sit participium præsens, *rophe*, subaudito pronomine primæ personæ. Cæteroqui legitur *rapha* tertia persona præteriti: quam quidam intransitiuè & impersonaliter acceptam vertunt: *Et sanitas sit illi*, siue sanetur: quidam *Et sanet eum*. s. Christus medicus à me missus. Notatur autem hoc loco ordo & consequentia donorum Dei in nostri iustificatione: primum est enim videre & audire, secundum est intelligere, tertium conuerti, quartum sanari seu iustificari.

Luc. 10. v. 23.

16 Vestri autem beati oculi, quia vident; & aures vestræ, quia audiunt.

ὑμῶν δὲ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοί, ὅτι βλέπουσι· καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει.

BEATI. felices. Miseri illorum oculi, quia videntes non vident. Quod mox Dei donum vocauit, iam nominat beatitudinem. QVIA VIDENT me meaque opera. Persistit Dominus in modo loquendi mutuò à Propheta accepto. Visus autem hîc, vt non solus corporalis, ita nec solus intellectualis accipiendus venit, sed vterque. Beati vos qui me meaque opera & oculis cernitis & sana simplicique mente capitis ac probatis aut si non capitis, habetis qui exponat capiendi auidis. AVRES VESTRÆ. s. beatæ. id est, vos beati qui mysteria regni cælorum à me docta hauritis auribus & corporis & animi.

Luc. 10. v. 24.

17 Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν ἃ βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον· καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν.

MVLTI PROPHETÆ. Gratiam discipulis factam alia comparatione ampliùs etiam extollit. Non illorum tantùm reproborum conditione, vestra melior est; sed & plurimorum electorum Dei, & eorum Dei donis inter homines celebrium. *Multi* enim *prophetæ*; non dicit *omnes*, non quia non omnes, sed quia non necesse sit scire an omnino omnes. Prophetæ inprimis conscij fuerunt futuri aduentus Messiæ & eorum quæ per eum gerenda erant ad redemtionem generis humani. ET IVSTI. alijque iustitia, pietate, inquam, vitæque integritate insignes viri, exspectantes redemtionem Israel, quemadmodum illi Lucæ 2. Simeon & Anna. CVPIERVNT. summis votis desiderarunt, ita tamen vt se Deo submitterent in temporis plenitudinem. Nec verò fieri aliter potuit, quin sub onere maledictionis, quo oppressum est genus humanum, promissæ liberationis desiderio toti arderent. Sciamus ergo quasi famelicos ad Christum suspirasse; & tamen tranquillam fuisse eorum fidem, ita vt Deo non obstreperent, sed patienter animos suos suspenderent vsque ad maturum reuelationis tempus. VIDERE suis oculis præsentia, quæ futura credebant, Christum inquam, Dei filium caro factum, mundi saluatorem, eiusque opera admiranda quæ ad seruandum hominem patraturus erat, promissionum denique impletionem. *A longè hæc adspexerunt & salutarunt*, quod Apostolus ait ad Heb. 11. v. 13. voluissent autem ea propè videre & præsentia fieri, non tantùm pro oculorum recreatione, verùm multò magis pro animi: Longè enim maiorem adferunt animo voluptatem, res ex promisso præsentes, quàm futuræ, tum propter desideratum effectum præsentem, tum quia perfectiùs intelliguntur & comprehenduntur, cùm futura omnia obscura sint humanæ menti; vt omittam, dum res præsens exhibetur, plurima singularia ferè apparere, quæ non fuerint cum re præcipua prophetijs declarata. QVÆ VIDETIS quotidie. absoluitur à tempore. ET NON VIDERVNT. quia nondum aduenerat temporis plenitudo. ET AVDIRE me regnum cælorum eiusque mysteria prædicantem, explicantem atque tradentem. vt quæ ipsis in figura aut parabolis & similitudinibus tradebantur prædicenda & exspectanda, ab ipso tantorum mysteriorum pontifice narrata & expedita explicataque perciperent. Heb. 1. v. 2. & 2. v. 3.

18 Vos ergo audite parabolam seminantis.

ὑμεῖς οὖν ἀκούσατε τὴν παραβολὴν τοῦ σπείροντος.

VOS ERGO quibus datum est nosse mysteria regni cælorum præ alijs omnibus, tam prophetis virisque Dei qui à seculo sunt, quàm huius ætatis reprobis Iudæis. PARABOLAM. Quid sibi velit parabola, quis sensus sit parabolæ. SEMINANTIS. quam proposui de illo seminatore.

Mar. 4. v. 14. 15. Luc. 8. v. 11. 12.

19 Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde

παντὸς ἀκούοντος τὸν λόγον τῆς βασιλείας, καὶ μὴ συνιέντος, ἔρχεται ὁ πονηρός, καὶ ἁρπάζει τὸ ἐσπαρμένον ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ·

αὐτοῦ· οὗτός ἐστιν ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς. | eius: hic est qui secus viam seminatus est.

Omnis qvi avdit. Græca ad verbum sonant: *Omni audiente verbum regni & non intelligente, venit malus* &c. quæ oratio ita resoluitur: Quum quilibet audit, & non intelligit &c. In quem sensum & latina accipienda sunt. Verbvm regni. τὸν λόγον τῆς βασιλείας sermonem regni, tractantem de eo quod prædico regno cælorum. vide sup. 3. v. 2. nec non 4. v. 23. vbi vocat *euangelium regni*, quod hîc *verbum regni*. Seminis similitudine, inquit Christus, significatur verbum Dei, salutare euangelium, quod ego alijque à me missi mecum, hominibus prædicamus, & longè lateque spargimus tamquam seminatores. Quadruplex verò terræ genus variè semen excipiens, significat quadruplex auditorum genus, diuersimodè Dei verbum corde excipiens. ita Saluator. Porrò *verbum regni* seu *Dei*, ideo semen vocatur, quia quod semen est terræ ad procreandas eiusdem speciei fruges, id verbum Dei est auditoribus ad producendas omnis generis virtutes ac bona opera verbo tradita, quibus reddantur filij regni seu Dei: & vt absque semine terra vix aliud quàm spinas & tribulos & steriles herbas profert, ita homo absque verbo Dei, noxia dumtaxat aut inania. Cætera in quibus similitudo consistit, ex subsequentibus intelliguntur. Et non intelligit. & non est illi curæ intelligere, non est illi curæ mente concipere, considerare, probare, retinere, intelligere. Hæc enim omnia intelligendi voce comprehenduntur, vt ex se mutuò pendentia: neque qui non assequitur intellectu, si modò veneretur & aueat studeatque assequi, sed qui non curat intelligere, qui negligit, vel quod peius est oppugnat aut contemnit, is damnatur. Vnusquisque autem tantùm intelligere tenetur prædicatum verbum Dei, quantum necessarium est, vt saluti aut vocationi suæ satisfaciat. Venit malvs, ὁ πονηρὸς ille malus, ille desperatè malus, semper vigil vt malefaciat, cuius voluntas immutabilis est à malo in bonum (vide sup. 6. v. 13.) id est, aliquis ex numero malorum dæmonum, qui semper præstò sunt, & mox vt obseruant quempiam contemptim aut neglectim audientem nec in cordis penetralia recipientem Dei verbum, metuentes ne si vel memoriæ pergat inhærere, tandem præ ea qua est ponderis soliditate insidat in animum, & fructificet, summa velocitate aduolant. Dæmones, docet, parabolicè à se per *volucres cæli* designatos fuisse, ea de causa, quòd & ipsi versentur in hoc cælo siue aëre terræ proximo (Ephes. 6. v. 12.) vnde infestent homines instar noxiarum volucrium, & signanter insidientur melioribus initijs, vt famelicæ aues iactis seminibus, summa subtilitate, agilitate, pernicitate, voracitate, ac superbia præditi. Numquam satiantur malis hominum, omne bonum hominibus inuident, & cùm nihil ipsi habeant boni, præter naturam cuius auctor est Deus, altissime tamen superbiunt. Et rapit procurata obliuione, alia vana animo obijciens, quibus nouit hominem delectari. Qvod seminatvm est prædicatione In corde eivs. tamquam in via, id est, super cor eius: quod prædicationis ministerio, per sensum auditus, cecidit super cor illius durum, intrò minimè susceptum. Qvi secvs viam seminatvs est, id est, qui significatur per eam terræ portionem, quæ cùm sit iuxta viam publicam, semen excepit. Ratio est, quia numero quidem ac loco iungit se auditoribus verbi Dei, vt ora viæ confinis est agro: sed re, viæ non agri, contemtoris non auditoris, naturam refert: quandoquidem cor illi sic instar viæ publicæ patens vitiosis quibusuis affectibus, incultum, nullo proscissum, vt aratro, desiderio quærente Deum; durum, quod longa peccandi, & continua vitiosarum affectionum aliarum alijs succedentium vestigia ferendi, consuetudine obduruit callumque obduxit; siccum denique & sterile, & cuius nulla est præparatio vt intelligat aut *suscipiat in mansuetudine insitum verbum*, iuxta monita Iacobi Apostoli c. 1. v. 21. In huiusmodi itaque auditorem irritus est iactus verbi Dei: nihil in eo, vtpote inepto prorsus, efficit prædicatum Dei verbum.

ὁ δὲ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπαρείς, οὗτός ἐστιν, ὁ τὸν λόγον ἀκούων, καὶ εὐθὺς μετὰ χαρᾶς λαμβάνων αὐτόν, | 20 Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud; *Mar. 4. v. 16. Luc. 8. v. 13.*

Qvi avtem svper petrosa. Is qui designatur per terram, quæ cùm sit petrosa, inter petras semen excepit. Verbvm. τὸν λόγον illud verbum s. regni siue euangelij. Continvò. auidè, feruenter, mox vt prædicatur. Cvm gavdio. mira alacritate exsultat ob euangelium sibi reuelatum, delectatus illius pulchritudine, illius luce, rectitudine, & vtilitate, quòd hominem & iustum reddat & ad æternam adducat salutem. Huiusmodi gaudium solidè conceperat ille Psal. 18. v. 9: *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda* &c. Accipit. in cor recipit, mente concipit, considerat, probat. Adde (nam & hoc intelligitur) quò fit vt & Euangelio credat, & fidei quædam opera edat: illud enim mox germinat fidem, & in bona quædam fidei specimina tamquam herbam erumpit, perfusum gaudio & affectum feruore illo quo exceptum est.

οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ, ἀλλὰ πρόσκαιρός ἐστι· γενομένης δὲ θλίψεως ἢ διωγμοῦ διὰ τὸν λόγον, εὐθὺς σκανδαλίζεται. | 21 non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur. *Mar. 4. v. 16. 17. Luc. 8. v. 13.*

In se. ἐν ἑαυτῷ. in seipso. Radicem. non habet cor aptum in quod verbum radices agere queat, quia petrosum seu lapidosum est. Non prorsus est durum instar tritæ & callosæ viæ, habet aliquid terræ mollis ac bonæ eiusque aratro proscissæ, sed raræ eiusque mixtæ silicibus & lapillis: id est, habet aliquid bonitatis & integritatis, habet desideria quædam bona & affectiones pias, sed maiorem cordis partem occupantibus inueteratis vitæ prioris affectibus: vnde fit vt nequeat semen vitæ cor totum solidè penetrare, & radices stabilis pietatis constantisque propositi agere. Hoc autem cùm nequeat, sursum præcociter erumpit in herbam,

in herbam, fidem inquam & fidei quædam opera: sed quia in intimos affectus radicem non egit, quæ ex profundiore corde vitalem succum & perennem sancti Spiritus humorem suggerat; quia non penitus auditor ille imbibit nec serio imbutus est veræ pietatis affectu; quia non certo ac firmo consilio constituit sibi summum bonum in regno verbi adipiscendo; fidei non suppetit continuus humor ad perseuerantiam. Huic igitur auditori deest, *in fide charitateque*, vt Apostolus loquitur Ephes. 3. v. 17., *radicatum ac fundatum esse*.

TEMPORALIS. πρόσκαιρος quasi dicas, ad tempus, s. durans. Lucas explicat, *ad tempus credit*. Quamdiu detrimenti nihil accipit quod ad res temporales, gaudet, laudat verbum, iactat se illius cultorem & amatorem. FACTA AVTEM orta q; TRIBVLATIONE. oppressione à priuatis hominibus suscitata. ET ἢ aut, quomodo est & syriacè. PERSECVTIONE. à tyrannis aut magistratibus. si quæ oriatur procella persecutionum aut ingruat aduersitas. PROPTER VERBVM. propter professionem auditi verbi seu acceptæ fidei Euangelicæ. Si ob Christianæ fidei confessionem, intentetur facultatum publicatio, exsilium, carcer, supplicia, mors aut alia tribulatio inferatur, tum velut herba, solida radice humorisque copia destituta ad æstum solis exarescit, ac deficit ab instituto. CONTINVÒ. priusquam tangatur ipse, solo timore. Quod continuò amplexus fuerat secundis rebus, rebus aduersis continuò reijcit. SCANDALIZATVR. σκανδαλίζεται offenditur, afflictione aduersitateque velut scandalo siue offendiculo turbatur & impeditur quò minus prosequatur iter quod cœperat, quò minus pergat Euangelio adhærere, id est, timore persequutionum resilit à fide. Quisquis ergo ferre non potest aduersa, quæcumque propter fidem ferenda occurrunt, non perueniet ad Euãgelicam frugem: sed neque peruenisset iste, etsi nulla aduersitas orta fuisset, vt nec semen inter petras germinans, etsi sol non efferbuisset: verùm tribulatio manifestum eum fecit, vt feruor solis germen illud præcox. Ab huiusmodi igitur auditore exceptum verbi semen, præbuit quidem spem aliquam fructus, sed auditoris vitio in prima herba aruit.

Mar. 4. v. 18 19. Luc. 8. v. 14.

Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum, suffocat verbum, & sine fructu efficitur.	22	ὁ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρεὶς, οὗτός ἐστιν, ὁ τὸν λόγον ἀκούων, καὶ ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, συμπνίγει τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται.

QVI AVTEM. Is autem qui designatur per eam agri partem quæ inter spinarum semina bonum semen excepit. AVDIT sedulò & concipit mente, considerat, probat, retinet. Pijs desiderijs Deum quærit, vt cultus aratro: vacuum se præbet vitæ prioris affectibus, tamquam petris. Huic itaque nihil deest in partibus terræ bonæ, nisi id quod sequitur, videlicet, quòd spinarum cùm sit ferax, non resecet enascentes vnà cum verbo spinas. Et quidem si spinarum tantùm esset ferax, non ideo vitiosæ terræ compararetur (nam & optimi quique, qui bonæ terræ comparantur, sunt huiusmodi sed quia ita est ferax, vt etiam ferat, quia non exstirpat, aut saltem resecat, enascentes spinas, id vitium est, & fructuum impeditiuum. Itaque cùm in hunc iacitur semen verbi, fieri potest vt nihil sit in eo vitij, nam & idcirco germinat, radices agit, excrescit in herbam & culmum: sed admittitur vitium antequam maturescat. ET. pro sed, quod frequens est Hebræis.

SOLICITVDO. ἡ μέριμνα. vide sup. 6. v. 25. SECVLI ISTIVS. vitæ huius, suscepta pro rebus ad hanc vitam pertinentibus. FALLACIA. ἡ ἀπάτη seductio, ἀπατᾶν enim est seducere, seu extra viam ducere, ita vt à via quis aberret. DIVITIARVM. Fallacia siue seductio diuitiarum, pro, fallaces siue seductrices diuitiæ, id est & nominatim solicitudo acquirendarum aut conseruandarum diuitiarum seductricum. Seductrices autem dicuntur, quia cùm expetantur & amentur plurimùm, tum vt necessariæ, tum vt & vtiles, facilè abducunt hominem à recto, siue vt comparentur, siue vt conseruentur. *Qui volunt diuites fieri*, inquit Apostolus, *incidunt* &c. 1. Tim. 6. v. 9. 10. SVFFOCAT. Dum sinit homo huiusmodi solicitudines liberius crescere, dum non exstirpat illas, aut resecat saltem, & modum illis ponit; celeriùs vt solent lolia, assurgunt quàm bonum verbi semen, quod simul quidem sed tardiùs excrescit, & tamquam spinæ in longum ac latum se condensantes, sibique inuicem cohærentes atque implexæ (vna enim aliam parit, lætam alioqui segetem, è verbo inter ipsas enascentem, dum in culmos assurgit, opprimunt, ita vt nequeat emergere. Tanta crescit hæretque animo solicitudo de his quæ sunt mundi, vt obruatur tandem atque extinguatur conatus, cura, & affectus omnis vitæ melioris, tametsi is & in cor radices egerit & foras in plura opera bona excreuerit. Vt porrò sollicitudo de his quæ sunt Dei, hominis mentem colligit, sanat, serenat ita è contra, solicitudo de his quæ sunt mundi, instar spinarum, lacerat siue distrahit, vulnerat, turbat. SINE FRVCTV. ἄκαρπος infructuosus. In tertio hoc auditorum genere, ampliùs profecit verbum quàm in primo aut secundo, sed & hîc tamen auditorum culpa præpeditur ne fructum natiuum assequatur.

Mar. 4. v. 20. Luc. 8. v. 15.

Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit, aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum.	23	ὁ δὲ ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν σπαρεὶς, οὗτός ἐστιν, ὁ τὸν λόγον ἀκούων καὶ συνιών, ὃς δὴ καρποφορεῖ, καὶ ποιεῖ, ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα.

QVI VERÒ. Is verò qui significatur per eam agri partem, quæ cùm sit terra bona semen excepit. AVDIT sedulò & attentè. INTELLIGIT, mente concipit, considerat, probat, retinet, conatur ad amussim intelligere. Declarat enim intelligendi vox, non solùm cognitionem verbi, sed etiam æstimationem, studium, & retinendi curam: id quod cæteri Euangelistæ planum faciunt. Hæc igitur omnia cùm requirantur, & intel-

& intelligendi voce comprehendantur, distinguitur hac parte classis ista auditorum, à primis & secundis: illi enim nihil omnium curant, hi verbum non retinent. ET FRVCTVM AFFERT. ὃς δὴ καρποφορεῖ. id alij vertunt: *Qui quidem*, *Qui denique*, aut, *Qui iste et fructum fert*. Syrus vertit vt noster Interpres, quo modo alij Euangelistæ disertè habent. Sensus igitur est: Et ita se comparat omni ex parte vt etiam fructum ferat. Qua parte distinguitur quartus iste auditorum ordo, ab omnibus quidem tribus præcedentibus, sed signanter à tertio qui cùm sit proximus ferendo fructui, excidit tamen à fructu, quòd non omni ex parte sibi intendat, quòd curam non adhibeat resecandi assurgentes spinas. Quartus itaque hic ordo, terræ bonæ comparatur, id est, præparatæ ita vt ex concepto verbo fructum queat producere: non enim durus & incultus est, vt primus ille ordo, aut certè si fuerat, esse desijt; nec temporarius & inconstans, vt secundus; nec denique negligens sui, vt tertius: sed contrarijs præditus virtutibus, idoneus est multiplici fructui ex audito verbo ferendo. Cæterùm aptitudinem seu præparationem hanc ex se suaque natura non habet, *sed sufficientia eius ex Deo est* (2. Cor. 3. v. 5.) non minus quàm incrementum & fructus. Fructum itaque hic affert & edit maturum, perfectum, & absolutum; non ita reliqui. Primo enim perit verbi semen, nihil in eo operatur: in secundo germinat & præcociter erumpit in herbam, fidem producit & opera quædam bona viridis fidei specimina: in tertio etiam radicem agit firmi consilij, & assurgit in culmum spei, complura edens bonorum operum exempla. Quartus hic solus culmen imponit, spicas granis grauidas reddit & maturitate perficit, operum bonorum copiam accumulat & charitate absoluit: atque hic demum est maturus & perfectus fructus verbi regni, opus inquam bonum, vt ex fide & spe, ita & ex charitate promanans. Semen tritici fert grana suæ naturæ ac speciei: verbum regni producit quod in se habet, docet, & tradit, opera scilicet bona regno digna, id est, cum fide, spe & charitate coniuncta; ex fide pullulantia, spe in Deum erecta, charitate perfecta: his enim solis fit vt Deus in nobis regnet, his solis reddimur filij præsentis regni & hæredes futuri. Sunt & opera bona quæ charitas non informat, quæ & ipsa ex verbo nascuntur (id enim videre licuit in secundo & tertio auditorum generibus) sed germina sunt, herba, culmus, fructus non sunt, aut certè imperfecti minimèque maturi, nec satis digni proinde Deo regnante, neque meritorij æterni regni. Quæritur an hoc quartum auditorum genus, certum de salute sit, nec possit tribulationibus superari, vt secundum genus, aut regno quauis ratione excidere? Certum est quidem superari posse, & salute excidere (nam & maturam messem contingit perire ita vt in horreũ non colligatur, hinc enim monentur singuli, *tenere quod habent, ne alius accipiat coronam ipsorum* Apoc. 2. v. 11.) denique; *cum metu & tremore salutem suam operari* (Philip. 2. v. 12.) sed rariùs id accidit, eò quod sint hi qui sunt *in fide & charitate fundati, ac radicati, corroboratique virtute in interiorem hominem*, vt Apostolus loquitur Ephes. 3. v. 16. 17. Illud porrò secundum auditorum genus, eo modo se habet, quo non possit consistere, & aduersus tentationes maximè, tenellum, absque radice &c. ALIVD QVIDEM, ALIVD AVTEM. Græca, ὃ μὲν, ὃ δὲ, masculini generis, ambigua sunt: referri enim possunt ad λόγον sermonem siue verbum, quò retulit Interpres noster, vertens neutro genere *aliud*; vel ad hominem, quò alij referunt, & vertunt *alius* masculino genere. Vt ad hominem referatur clarior est sententia: locutus enim Christus de vno hominum genere, iam varias illius species enumerat. Ad verbum autem si referas, oportet imaginari tamquam grana verbi tot quot sunt homines qui verbum Dei audiunt, vt intelligas, quædam quidem grana perire, alia verò fructum edere, vnum centena, aliud sexagena, aut tricena: idem enim vnum est verbum quod omnes audiunt, sed dum prædicatur tamquam spargitur & in plura grana seu guttas diuiditur, quæ singula à singulis auditoribus excipiantur. Quare non simpliciter subaudiendum est verbum, quando hic dicitur *Aliud quidem*, *aliud vero*, sed tamquam verbi granum: & quia de vno hominum genere sermo præcedit, intelligendum etiam est plures hic species declarari. Perfectus igitur hic sensus erit: *Aliud quidem* siue vnum, subaudi verbi granum, facit in isto à quo exceptum est, centum grana bonorum operum eiusdem generis secum. ALIVD siue vnum, eiusdem verbi granum, edit in alio à quo exceptum est sexaginta aut triginta bonorum operum grana eiusdem secum generis, id est, verbo respondentium: nam vt verbi grana ita & opera singula tamquam grana imaginari oportet. Sunt autem hic numeri certi pro incertis, quibus significatur, non æquali omnes mensura fructum ferre, sed in triplici esse differentia quartum istud fructuosorum auditorum genus, vt sterilium auditorum triplex modò fuit varietas. Alios enim eorum, copiosissimum ex audito verbo fructum ferre, veluti si spica centum grana ferat ex vno; alios copiosum sanè, vt si sexaginta ex vno; alios mediocrem, vt si triginta. Hi sunt tres gradus profectus spiritualis, hi sunt tres ordines hominum Deo dignè ambulantium, vt Paulus loquitur 1. Thess. 2. v. 12. veluti si dicas, incipientium, proficientium, perfectorum, vel potiùs, bonorum, meliorum, & optimorum. Etsi autem centupli respectu tenuis est eius terræ fertilitas quæ trigecuplum prouentum reddit: videmus tamen vt terras omnes simul coniungat Christus, quæ agricolæ laborem ac spem non prorsus frustrantur. Hinc igitur docemur, minimè spernendos eos esse qui minùs excellunt, quando ipse Dominus, licet vnumquemque pro abundantiæ suæ gradu præferat, communi tamen bonitatis elogio inferiores quoque dignatur. Annotat hic porrò hæreticus quidam in hæc verba: *Tres istos gradus insulsè quidam ad virgines, viduas, & coniuges detorquẽt*; D. Hieronymum aliosque veteres insulsissimè taxans. Non enim sentiunt illi, quod vult iste, prouentum quem à nobis exigit Dominus, ad solum cœlibatum pertinere (coniuges enim annumerant) nec negant fieri posse vt vberior sit in proferendo omni virtutum genere quorumdam coniugum pietas quàm multorum virginum: sed ea est illorum sententia, in genere eorum qui virtute castitatis sunt præditi, virgines, cæteris paribus, summum gradum seu locum obtinere, proximum viduas, infimum coniuges: quod non est aliud, quàm, virginalem castitatem viduali, & vidualem coniugali præferre. Itaque si ex audito sermone qui commendet omnibus virtutem castitatis, eò quis proficiat vt coniugio castè vtatur, is, ex Patrum sententia, iuxta parabolam hanc, tricesimum fructum affert; si alius eò, vt post primas nuptias, alias, virtutis amore, non expetat, hic sexagesimum; si postremò alius eò, vt virginitatem suam Deo offerat & illibatam seruet, hic centesimum. Sic autem & in genere eorum qui virtute fortitudinis sunt præditi, centuplum proferunt martyres, sexagecuplum confessores, tricecuplum ij qui, vt ait Apostolus Gal. 5. v. 24. *carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, si quidem isti inter se conferantur. Denique similiter de cæteris virtutibus sentiendum esse, mens D. Hieronymi est, tametsi trium horum graduum non semper extent propria nomina aut exempla. Cæterùm

Cæterùm nec illud omittendum est, fieri vt vnius virtutis quis afferat centesimum aut sexagesimum fructum qui alterius virtutis non nisi tricesimum adferat,& econuerso. Varietas autem ista, quòd alius alio ampliorem fructum producat,ex auditoris tamquam soli differentia prouenit. Auditorum autem differentia, partim esse potest ex varia eorum natura atque ingenio, prout alius alio est perspicacior,æquior, diligentior; præcipuè verò est ex diuersi ate culturæ. colit enim terram agricola antequam injiciat semen. Agricola porro siue seminator est Christus, etiam tum cùm alius eius nomine exterioris prædicationis munere fungitur : ille enim aperit corda & sensus vt excipiatur verbum (Luc. 24.v.45. Act. 16.v. 14.) ille corrigit animi vitia quæ à fructu impediant (Psal. 66.v.34.35) ille hominem bonum reddit & optimum fœcunditatisque dono præditum. Psal. 112.v.9.1.Cor.3.v.6.7. 2.Cor.9.v.10 Pro varietate igitur donorum quibus Christus cum Patre agricola (Ioh. 15.v.1.) auditores dignatur præparare, excolere,& augere,fit vt alius alio copiosiorem fructum edat.

Aliam parabolam proposuit illis [24] dicens : Simile factum est regnum cælorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo:

ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς λέγων· ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείραντι καλὸν σπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ·

PARABOLAM. similitudinem non absimilem præcedenti, à semine acceptam & seminante,qua præmuniuit suorum animos ne offenderentur,cùm visuri essent in Ecclesia,quam ipse colligere incipiebat, confusam bonorum simul cum malis mixturam. Quemadmodum enim superiore parabola præmonuit,non esse expectandum vt Euangelium ex auditoribus omnibus fructum referat: ita hac parabola præmonet,non esse expectandum, vt in Ecclesia quam ad vitæ sanctitatem ipse euocabat,omnes sancti & boni sint. Hic igitur est parabolæ istius scopus, quamdiu in hoc mundo peregrinatur Ecclesia, bonis & synceris in ea permixtos fore malos & hypocritas : id quod idcirco ob oculos ponitur, vt boni quidem patientia se arment, & inter scandala,quibus turbari possent, retineant infractam fidei charitatisque constantiam, non scindant vnitatem, non deserant congregationem ; mali verò, non sibi ex eo placeant quòd Ecclesiæ sinu foueantur aut etiam in ea emineant. ILLIS turbis,de quibus initio capitis dicitur,v.3. *Et locutus est eis multa in parabolis.* Inter hanc & superiorem parabolas, quas congregatæ populi multitudini Saluator proposuit,vnam post aliam (quod videtur) inseruit Euangelista explicationem prioris, qua seorsum Dominus solos discipulos fuerat dignatus. Iam itaque redit Euangelista ad publicam Domini concionem. SIMILE FACTVM EST. ὡμοιώθη assimilatum est,quod est, vel,potest simile dici seu comparari, vel reddetur simile, vt sit præteritum pro futuro: futuram enim rem prædicit, quamuis iam tum cœpta essent seminari zizania, vt Iudas exempli gratia. REGNVM CÆLORVM. Regnum, vt diximus suprà 3.v.2. dicitur & ipse populus regnatus:qua ratione hoc loco accipitur regnum cælorum pro Ecclesia ; non tamen vniuersa illa, sed qua parte adhuc in terra militat. HOMINI patrifamilias. Sensus est, Tale quid accidet in Ecclesia & regno meo, quale, si, postquam quis seminauit bonum semen in agro suo,inimicus illius clàm superseminet zizania, & reliqua parabolæ. Sic enim & seminatis à Christo per Euangelium iustis, statim &c. Nam hunc loquendi modum quo Matthæus vtitur, Marcus explicans ait : *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem* &c.4.v.26. QVI SEMINAVIT. Qui seminauerat. σπείραντι. Alij legunt præsenti tempore σπείροντι seminanti,quod minùs congruit.

Cùm autem dormirent homines, [25] vênit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt.

ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, ἦλθεν αὐτοῦ ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἔσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, καὶ ἀπῆλθεν.

CVM AVTEM DORMIRENT HOMINES.id est,omnes.periphrasis noctis ; noctu,clam omnibus nequis prohiberet aut obseruaret. INIMICVS inuidens felici successui rerum hominis illius. SVPERSEMINAVIT. ἔσπειρε seminauit. Fortè legit interpres ἐπέσπειρε. ZIZANIA. inutile zizaniorum siue lolij semen. Zizaniorum nomine designatur omnis noxia, vitiosa, inutilis fruticatio, quæ sementi ac frugum incremento officit,sata strangulat ac necat,succumque quo nutriuntur depopulatur,sic vt segetes aliæque herbæ salutares aut malignè emergant aut prorsus suffocentur. Lolium porrò, quod tritico infestum est ac noxam infert, inter zizania principatum obtinet. IN MEDIO. ἀνὰ μέσον inter,ad verbum per medium. Sic gallicè dicimus *parmy*, hebraicè בתוך *betoch*. TRITICI. inter semina tritici à patrefamilias seminata. ET ABIIT sciri nolens id à se factum, donec res se ipsam redderet manifestam.

Cùm autem creuisset herba & fru- [26] ctū fecisset,tunc apparuerūt & zizania.

ὅτε δὲ ἐβλάστησεν ὁ χόρτος καὶ καρπὸν ἐποίησε, τότε ἐφάνη καὶ τὰ ζιζάνια.

CREVISSET. ἐβλάστησε germinasset, pullulasset. ET FRVCTVM FECISSET. præsertim verò cùm esset proxima ferendo fructui, cùm iam formatum fructum liceret adspicere, cùm culmi spicis essent onusti. APPARVERVNT. manifestarunt se, prodita dissimilitudine , nullo aut certè malo fructu prædita, quæ hactenus latuerant. nam in prima herba minùs conspicua est zizaniorum à tritico discretio.

Accedentes autem serui patrisfa- [27] milias dixerunt ei : Domine, nónne

προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι τοῦ οἰκοδεσπότου εἶπον αὐτῷ· κύριε, οὐχὶ καλὸν

καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ; πόθεν οὖν ἔχει τὰ ζιζάνια;

bonum semen seminasti in agro tuo? Vndè ergo habet zizania?

ACCEDENTES ea re visa. PATRISFAMILIAS. τοῦ οἰκοδεσπότου Domini domus, cui est familiæ ius. DOMINE. Hoc loco, in editione syriaca, est vox illa *Maran*, qua vtitur Apostolus 1. Cor. 16. v. 22. quæ est, *Domine noster*. SEMINASTI. seminaueras.

28 ὁ δὲ ἔφη αὐτοῖς· ἐχθρὸς ἄνθρωπος τοῦτο ἐποίησεν. οἱ δὲ δοῦλοι εἶπον αὐτῷ· θέλεις οὖν ἀπελθόντες συλλέξωμεν αὐτά;

Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis imus & colligimus ea?

INIMICVS HOMO. id est, inimicus aliquis, ex hebraico dicendi genere, in quem sensum & Syrus habet. *Vir inimicitiæ auctor*. Supple, qui mihi tam malè vult, vt etiam nullo suo bono me gaudeat lædere. HOC FECIT vt ager meus producat zizania. VIS. additur græcè οὖν igitur. IMVS ET COLLIGIMVS. ἀπελθόντες συλλέξωμεν abeuntes colligamus, abeamus & colligamus, vt pura sit seges tua.

29 ὁ δὲ ἔφη, οὔ· μήποτε συλλέγοντες τὰ ζιζάνια, ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον.

Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

NE FORTE. μήποτε nequando. Non dubitantis hoc est, sed prædicentis rei euentum, futurum tamen præter intentionem ipsorum colligentium. ERADICETIS aut conculcetis. ET etiam. Græcè non est καὶ, est tamen syriacè. TRITICVM, quod aut vicinum est, aut lolio adhuc persimile. Est enim, inter alia, genus lolij (quod murinum dicunt, quòd à muribus erodatur) spuria atque adulterina tritici species, quæ à puro tritico discerni aliquando nequit.

30 ἄφετε συναυξάνεσθαι ἀμφότερα μέχρι τοῦ θερισμοῦ· καὶ ἐν τῷ καιρῷ τοῦ θερισμοῦ ἐρῶ τοῖς θερισταῖς· συλλέξατε πρῶτον τὰ ζιζάνια, καὶ δήσατε αὐτὰ εἰς δεσμὰς πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτά· τὸν δὲ σῖτον συναγάγετε εἰς τὴν ἀποθήκην μου.

Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad cōburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

CRESCERE simul. est enim græcè συναυξάνεσθαι, quasi dicas coaugeri. COLLIGITE. vbi simul omnia demessa fuerint, separate ante omnia. ALLIGATE. δήσατε ligate. AD COMBVRENDVM αὐτὰ ea additur græcè, vt comburantur.

31 ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, λέγων· ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν κόκκῳ σινάπεως, ὃν λαβὼν ἄνθρωπος ἔσπειρεν ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ·

Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo:

Mar. 4. v. 31. Luc. 13. v. 19.

ALIAM PARABOLAM qua voluit intelligendum dare, qua virtute quóque successu Euangelium esset vniuersum terrarum orbem peruasurum, & ecclesiam Catholicam collecturum, discipulos animans ne humilibus offensi exordijs resiliant. Consultò enim Dominus regnum suum à tenuibus & contemtis principijs auspicatus est, vt insperati progressus potentiam ipsius meliùs illustrarent. GRANO SINAPIS. Tale quid accidet in parando cælesti regno seu condenda Ecclesia mea, quale si quis seminet granum seu semen sinapi in agro suo. HOMO. quispiam.

32 ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων, ὅταν δὲ αὐξηθῇ, μεῖζον πάντων τῶν λαχάνων ἐστὶ, καὶ γίνεται δένδρον, ὥστε ἐλθεῖν τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατασκηνοῦν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ.

quod minimum quidē est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.

Mar. 4. v. 31. 32. Luc. 13. v. 19.

MINIMVM QVIDEM EST OMNIBVS SEMINIBVS. μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων minus quidem est omnibus seminibus, id est, minimum est omnium seminum: est enim comparatiuus loco superlatiui, vt 1. Cor. 13. v. 13. Minimum est autem omnium seminum. s. olerum; non quòd nulla possint olerum semina esse minora, sed quòd vnum sit ex minimis omnium ac valde paruum, sic enim vulgò loqui solemus.
CVM AVTEM CREVERIT seminatum & enatum. MAIVS EST OMNIBVS OLERIBVS. maximum est omnium

est omnium olerum, omnium olerum genera magnitudine superat, quantitate proinde minimum, virtute maximum. Comparatiuus loco superlatiui, vt mox. ET FIT ARBOR. euadit in arborem. durescit enim à stirpe sursum, & in calidioribus quidem regionibus longè vltra humanam staturam assurgit. HABITENT. commorentur. Græcè est κατασκηνοῦν, quod quidam vertunt *nidulentur*: nam & Interpres suprà 8.v.20. κατασκηνώσεις, vertit *nidos*. Rectiùs tamen congruere videtur habitandi vox, quia non nidificandi tantùm gratia agunt in arboribus volucres, verùm etiam habitandi & versandi dum nullis opus habent nidis, dum scilicet carent pullis. cæterùm vox κατασκηνοῦν, à σκηνὴ quod est tabernaculum deducta, loco conuenit, eò quòd frondosæ arboris rami sint auiculis veluti tabernaculum seu tentorium. Porrò altera similitudinis pars, quam Saluator intelligendam relinquit, est hæc: Ita euangelium, quo congregatur & conditur ecclesia, paraturque cæleste regnum in terris, inter omnia genera doctrinarum quæ sunt in mundo, minimum est, minimum habet splendoris & commendationis, siue à naturali ratione, siue ab hominum consuetudine, siue à magistrorum eloquentia & auctoritate, immo abhorret ab insito hominibus iudicio, ac proinde etiam contemtum est, Iudæis scandalum, Gentibus autem stultitia: tamen vbi à me (quod cœpi) & ijs qui hac in parte legationis munere pro me fungentur, prædicatum diuulgatumque fuerit in mundo, cætera omnia doctrinarum genera quæ hactenus in mundo viguerunt, celebritate, soliditate, firmitate, æternitateque superabit, & se per vniuersum terrarum orbem longè lateque diffundens, innumerabiles alliciet attraheteque discipulos & cultores, ita vt nulla sit orbis pars, nulla natio sub cœlo, ex qua non turmæ magnæ gaudeant accedere, amplecti doctrinam illius, requiescere in vmbra fidei quam prædicat & commorari in salutari obseruatione ac suaui contemplatione rerum diuinarum, plurimarum numero, quas in se continet, virtus cùm sit & sapientia Dei (1.Cor.1.v.24.) Quò fiet breuî, vt augustissimum in terris sit cælorum regnum, omnium & locorum & temporum, Ecclesia inquam Catholica. Obseruandum porrò, quàm cœci sint nostri temporis hæretici, qui scripturam hanc interpretantur, tamquam nondum impleta sit, tamquam etiamnum, annis à Christo mille sexcentis, durent humilia Euangelij enascentisque Ecclesiæ exordia.

Luc. 13. v. 21.

Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

33 ἄλλην παραβολὴν ἐλάλησεν αὐτοῖς· ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον.

ALIAM qua hec idem voluit inculcatum, quod proximè præcedenti docuerat. FERMENTO. Tale quid accidit in parando cœlesti regno quod ineo, quale cùm fermentum farinæ miscetur. MVLIER. mulierum enim illud est domesticū officium. ABSCONDIT. ἐνέκρυψεν condidit, cōfudit, miscuit. SATIS. σάτα. Satum nec latina nec græca vox est, sed syriaca, cuius vsus est numero singulari Matth. 5. v. 16. ܣܐܬܐ *sato*; hoc loco numero plurium legitur ܣܐܝܢ *sain*, deriuata ab hebraica סאה *sea*, quam latina editio veteris instrumenti, nunc *satum*, nunc *modium* vertit. Erat verò satum mensura aridorum, certa vasis figura, in cuius medio signum expressum erat, quo dimidium mensuræ ipsius dignoscebatur, vt scribunt Hebræi. Fuisse autem apud Hebræos in vulgari vsu, non tantùm Saluatoris ætate, quod Euangelium docet, verumetiam ipsius Abrahæ & deinceps, monstrat occurrens passim illius mentio in veteribus libris. Porrò continebat satum cabos sex, cabo vno continente oua communia viginti quatuor. TRIBVS. Tria sata efficiebant vnum *Epha* seu *Ephi*, id quod manifestum fit ex Ruth 2.v.17. collatis latina & chaldaica versionibus cum fonte hebraico. & 1. Reg. 1.v.24 in quem locum vide Notationes nostras in varias lectiones. Erat verò Ephi, mensura regia, & maximè communis ac celebris, ad publica etiam commercia maximè omnium vsurpata, id quod ex sacris literis clarum est: & quidem Ephi siue tria sata, onus fuisse vnius mulierculæ, ex illo Ruth loco patet: atque eadem mensura consueuisse mulierculas farinam adhibere ad vnam domestici panis coctionem, non tantùm hic Euangelij locus dat intelligendum, verumetiam alia loca. Gen. 18.v.6. Iud. 6.v.19. 1.Reg.1.v.24. Idcirco igitur trium satorum meminit Saluator. DONEC. ἕως οὗ vsquequo. FERMENTATVM EST. fermenti naturam induit. TOTVM. s. illud trium satorum farinæ corpus. Alij *tota* vertunt ex ὅλον, & ad τὸ ἄλευρον farinam referunt. Sententia parabolæ est: Quemadmodùm modicæ fermenti massulæ ingens est vis agendi in immodicam farinæ copiam cui admiscetur, quam breuî afficit totam & in suam transformat naturam: ita humile Euangelium meum, vniuersum terrarum orbem cui prædicabitur, alterabit, & in suam trahet vertetque naturam, non priùs desinens vim suam exserere, quàm omnes omnium & locorum & temporum electos ita affecerit, vt ex ipsius dictamine & sentiant & agant.

Mar. 4. v. 33. 34.

Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis:

34 ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις, καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς·

IN PARABOLIS. per parabolas. Sensus est: Has omnes parabolas locutus est. quibus quidem pij & veræ disciplinæ cupidi, discipuli inquam, & si qui alij huiusmodi in illa turba erant, excitarentur ad inquisitionem veritatis, vel in aliud tempus declarandæ veritati opportunius attenti redderentur: cæteri verò à quibus Euangelicæ doctrinæ nuda simplicitas negligenda erat, corticem tantùm durum tractare possent, sine latentis veritatis profanatione. Genus ergo docendi sequutus est aptum & congruum auditoribus. SINE PARABOLIS. χωρὶς παραβολῆς absq; parabola, id est, præter parabolas. NON, id est, nihil. hac videlicet concione seu tēpore, quod disertè subaudiunt Græci: non enim continuis semper parabolis ad turbas vtebatur.

ὅπως

ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος· ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου, ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. 35

vt impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo absconditta à constitutione mundi. Psalm. 77. v. 2.

VT IMPLERETVR. ita vt impleretur. vide suprà 12.v.17. PER PROPHETAM. gerentem typum Iesu absolutissimi Doctoris & prophetæ. Ne quis existimet nouum atque insolens esse hoc docendi genus, adducit prophetam, qui & ipse promittat vti, atque vtatur, hoc docendi modo, &, cùm gerat Christi typum, prædicat vsurum Christum: ambo enim, prophetæ & Christus, in eo conueniunt, quòd per parabolas doceant mysteria regni cælorum. *Propheta* autem iste est auctor psalmi 77, siue is fuerit Asaph, cuius nomen titulus præfert siue Dauid. APERIAM IN PARABOLIS OS MEVM. Hebraicum dicendi genus, pro loquar parabolas, cui tamen emphasis subest, grauitatis & frequentiæ, vide sup. 5. v. 2. Præfatur psalmi auctor & promittit parabolas se locuturum. Agit porrò toto psalmo, de ijs quæ Deus in populo Israëlitico gessit ab egressu ex Ægypto, de assiduis Dei erga populum illum beneficijs, totaque Synagogæ gubernatione vsque ad sua tempora. Hæc igitur dum parabolas vocat, significat, ea figuras & typos esse rerum ad Christum eiusque ecclesiam pertinentium; *vniuersaque illa parabolice sentienda*, quod Hieronymus ait, *nec manifestam tantum sonare literam, sed abscondita sacramenta*; itaque præter historicũ sensum, inuestigandum in illis & alium parabolicum seu figuratum sensum. Nam & de his ipsis rebus loquẽs Apostolus 1. Cor. 10. v. 11. *Hæc omnia*, inquit, *in figura contingebant illis*. Cæterùm non eæ tantùm parabolæ intelligendæ huc veniunt, quæ hoc psalmo memorantur, verumetiam aliæ quas suo Christus ore depromturus erat; quædam sumtæ à rebus olim gestis sub veteri lege, quemadmodum istæ aut etiam eædem cum istis; quædam à naturalibus rebus, pro auditorum vario ingenio. *In parabolis* igitur s. quales sequuntur & alijs plurimis. ERVCTABO. Magis propriè transferre volens Euangelista hebræam vocem אביע *Abbiah* quàm LXX qui φθέγξομαι *loquar* habent, vertit *eructabo* siue scaturiam: de fontibus enim propriè dicitur: metaphoricè autem est loqui, tamquam effundere ex ore verba more scaturiginis. ABSCONDITA. κεκρυμμένα occultata. ita vertit Euangelista hebraicum nomen חידות *hidoth*, quod LXX viri προβλήματα problemata, pro quo latinus psalmus habet *propositiones*, id est, quæstiones; Alij *ænigmata*, quod est, res arcanas, graues & difficultatis plenas, quæ attenta consideratione opus habeant: arcana inquam regni cælorum, tam ea quæ huius psalmi historia occultantur, quàm alia his similia. Idem significatur quod per *parabolas*: est enim eiusdem repetitio, satis trita in psalmis. Quamuis autem nihil in hoc psalmo videatur difficultatis, sed nuda rerum olim gestarum & à maioribus quasi per manus posteritati relictarum historia, absque vllo verborum sensus abstrusioris inuolucro: ænigmata tamen siue κεκρυμμένα *abscondita* appellat, significans, vt diximus, aliquem subesse sensum occultiorem & abstrusiorem eo qui prima fronte se offert; ænigmata reuera & mysteria siue arcana quæ oportuerit Apostolum reuelare 1. Cor. 10 & Heb. 9. 10. 11. A CONSTITVTIONE MVNDI. s. quæ sunt. Hebraicè est מני קדם *minne kedem*: porrò קדם *kedem* primam rerum originem & antiquitatem vetustatemque declarat. Quare rectè Euangelista, respiciens tam ad ea quæ psalmi historia, quàm ad ea quæ allatæ ore proprio à Christo similitudines adumbrant, quæ vtraque profectò mysteria sunt regni cælorum, vertit *à constitutione mundi*, quod est, à creatione mundi, à prima rerum origine, græcè ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, tamquam dicas, à iactis fundamentis mundi: nam καταβάλλειν est in inferiorem locum iacere, sicut fieri solet in ædificiorum fundamentis; vnde καταβολὴ fundamentum dicitur. Subauditur autem, quæ sunt huiusmodi, abscondita scilicet, id est, quæ Deus nemini aut paucis certè aperuit à mundi fundatione siue creatione, quod est, ab æterno: nam ante mundi fundationem non erat cui illa Deus aperiret. Hæc sunt ea occulta de quibus loquitur Apostolus Rom. 16. v. 25: *Secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum, secundum præceptum æterni Dei &c.* Porrò illi qui ad historiam ipsam psalmo commemoratam respiciunt, hebraica illa verba interpretantur *ab olim*, pro eo quod est, quæ olim, seu quæ superioribus temporibus contigerunt. LXX ambiguè ἀπ' ἀρχῆς *ab initio*.

τότε ἀφεὶς τοὺς ὄχλους ἦλθεν εἰς τὴν οἰκίαν ὁ Ἰησοῦς, καὶ προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ λέγοντες· φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν τῶν ζιζανίων τοῦ ἀγροῦ. 36

Tunc dimissis turbis vênit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

TVNC. finitis parabolis, vesperi verisimile est. VENIT IN DOMVM. venit seu rediјt domum, quã manè egressus fuerat (sup. v. 1.) hospitium suum. EDISSERE, φράσον declara, explica. Sciscitandi fiduciam maiorem ex eo acceperant, quod audierant: *Vobis datum est* &c. sup. v. 11. PARABOLAM τὴν παραβολὴν illam parabolam. ZIZANIORVM AGRI. de zizanijs quæ dixisti in agro ab inimico sata fuisse. Syrus habet: *zizaniorum & agri*. Hanc præ cæteris sibi postulant explicari, quòd & difficilior videretur, & horribiles comminationes adiunctas haberet.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ὁ σπείρων τὸ καλὸν σπέρμα, ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. 37

Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est filius hominis.

RESPONDENS non grauatè. Facilem se Christus rogatus exhibet & sedulum in agendo interpretem verbi sui. QVI SEMINAT. eo qui seminat bonum semen, significatur FILIVS HOMINIS qui idem filius Dei. Hu-

Dei. Humili nomine se ipse designat, nam & vt homo seminatorem in terra egit: sed maius aliquid vult intelligi, dum sibi attribuit semen bonum, mox etiam regnum & in angelos imperium, v.41. Idem ipse est paterfamilias, quia sponsus, vir, Dominus Ecclesię, quam & redemit & collegit. vide suprà 10. v. 25. Sunt porrò & alij præter Christum qui seminant bonum semen, Apostoli inquam & alij ab eo vel eius Ecclesia missi: se tamen vnum nominat, quia alios ad conserendum agrum suum non nisi vt instrumenta adhibet, ipse vnicus operis auctor, à quo semen ipsum bonum & profectus fructusque omnis proficiscitur.

Ager autem, est mundus: bonum verò semen, hi sunt filij regni: zizania autem filij sunt nequam.	38	ὁ δὲ ἀγρός, ἐστιν ὁ κόσμος· τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, οὗτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας· τὰ δὲ ζιζάνια, εἰσὶν οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ.

MVNDVS. Non sola Iudæa, sed etiam gentes, dabuntur Filio hominis in hæreditatem, & termini terræ in possessionem. Psal. 2. v. 8. Isa. 49. v. 6. Per vniuersum mundum ducet Filius hominis aratrum suum & semen sparget: propagabit dilatabitque Ecclesiam suam per vniuersum terrarum orbem. FILII REGNI. *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (Ioh. 1. v. 13.) id est, ex diuino & *incorruptibili semine, per verbum Dei viui & permanentis in æternum* (1. Pet. 1. v. 23.) *voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* (Iacob. 1. v. 18.) Bonum itaque semen propriè est *verbum regni*, quod vocat sup. v. 19: *Filij* autem *regni* idcirco bonum semen dicuntur, quia ex bono semine nati. Hos porrò, infrà v. 43. iustos appellat: qui *regni filij* ideò dicuntur, quòd ciues sint & domestici regni cælorum, Ecclesiæ inquam Christi, huiusmodi in quibus regnet Deus, quòd ita viuant vt dignum est cœlesti Dei regno, non numero tantùm verumetiam merito Ecclesię Christi membra, ac proinde etiam Filij Dei & hæredes bonorum illorum æternorum quibus perficiet Deus hoc regnum. Hos verò seminat Christus in mundo, non quòd de integro creet, sed quòd inserto in ipsorum pectora cùm adhuc à Deo sunt alieni, Euangelio, operante spiritus sui gratia, regeneret eos & efficiat filios Dei ac regni, exhibeatque, *lucentes in medio prauæ & peruersæ nationis, sicut luminaria in mundo.* (Philip. 2. v. 15.) Non est autem vlla pars mundi, in qua non plurimos reddat huiusmodi. FILII SVNT NEQVAM εἰσὶν οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ sunt filij illius nequam, siue illius mali. Manifestum est igitur *nequam* in nostra editione secundi casus esse. Illum autem malum siue *nequam* Saluator Diabolum vocat, ob rationes suprà v 19. & 6. v. 13. datas. Huius filios dicit homines malos seu iniquos, vt mox vocat v 41. tamquam diabolico spiritu plenos; suggestione, non infusione; imitatione, non creatione filios, quales illi quos Saluator alloquitur Ioh. 8. v. 40. 44. *Vos facitis opera patris vestri. Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere* &c. quidquid enim vitij est tam in diabolo quàm in hominibus, non aliud est quàm integræ naturæ corruptela. zizanijs autem hi conferuntur, quia impura siue doctrina siue vita viriant agrum dominicum.

Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus: messis verò, consummatio seculi est: messores autem, angeli sunt.	39	ὁ δὲ ἐχθρὸς ὁ σπείρας αὐτά, ἐστιν ὁ διάβολος· ὁ δὲ θερισμός, συντέλεια τοῦ αἰῶνός ἐστιν· οἱ δὲ θερισταί, ἄγγελοί εἰσιν.

DIABOLVS ille nequam seu malus. Ille INIMICVS est capitalis & Filij hominis & omnis boni seminis ab ipso seminati, declaratus huiusmodi præconijs sacrarum scripturarum, per quæ etiam omnes aduersus illum bellum gerere iubentur, nec vlla ipsi amicitia iungi. Ad hunc omne malum semen refertur auctorem. Hic enim seminat zizania, quia prauis consilijs in mortalium pectora insertis deprauat eos, & sibi similes efficit tamquam filios. Seminat autem in mundo, quia nulla est mundi pars in qua non plurimos huiusmodi disseminet; & quidem in medio tritici quod seminauerat Filius hominis. non enim de quibusuis zizanijs hìc agitur. Antequam seminasset Filius hominis, erat mundus zizanijs plenus ex diaboli semente: Filius hominis boni seminis sui virtute magnam partem illorum zizaniorum mutauit in triticum: id ægrè ferens diabolus, eisdem locis quibus Filius hominis seminarat, & sub nomine ipsius Filij hominis, seminauit zizania ea de quibus hìc agitur, dum quosdam quidem ex tritico illo rursus reddidit zizania, ex filiis regni filios gehennæ, ex Christianis hæreticos, ex bonis malos; alios verò, quos ab initio zizania redditos semper conseruarat huiusmodi, dolosè inseruit in societatem ecclesiæ, mentientes Satanæ abrenunciationem. Simulac enim gregem aliquem sibi vspiam collegerit Christus, multæ hypocritæ se insinuant, obrepunt peruersi homines, multi etiam mox ab instituto deficiunt: ita fit vt multis statim sordibus repleatur sacer ille cœtus quem sibi Christus segregauerat, Diabolo agente. Non enim fortuitò aut naturaliter fit vt multi improbi fidelibus se permisceant, sed discimus huius mali culpam Diabolo imputandam: non vt eius damnatio homines absoluat à reatu, sed primùm ne quid maculę Filio hominis adspergatur propter vitium hoc aduentitium; deinde ne miremur, quum semper ad nocendum vigilet Satan. Porrò id noctè Satan fecit quando dormiunt homines, id est, astutè, clàm, & opportunitate obseruata, quæ tunc maxima est, quando Pastores & magistri ecclesiarum minimè vigilantes negligunt ecclesiæ sibi commissæ curam. Tunc enim vt optimè fucum facit, nemine aduigilante aut prohibente; ita latet quoque faciliùs ipse mali auctor, *transfigurans se in angelum lucis* (2 Cor. 11. v. 14.) & sationem zizaniorum suorum specie hypocrisis ita obnubilans, vt nihil minùs appareat, quàm aliquod vestigium Satanæ, id quod ei cumprimis in votis est, vt eo faciliùs inhæreat, crescat, & serpat malum, quo minùs obseruatur à dæmone profectum: quo etiam consilio persuadet filijs suis, vt dæmonem verbis impugnent, Dei autem & Christi nomine se venditent. Hoc itaque facto pullulant simul vtraque, crescunt, virentque, mixtim inter se, nominis Christiani societate gaudentia, fru-

menta

menta & zizania: & in prima quidem herba plerique illa non dignoſcunt à ſe mutuò, quòd zizania hypocriſi obuelata frumentorum ſynceritatem æmulentur, quòd ſpecie contendant cum bono ſemine, nomen Chriſtianum, ſacramentorum communionem, vitæ integritatem, præ ſe ferentia: ſed cùm eò profecerunt ambo, vt videre liceat fructus quos edunt, vel proximè edere meditantur, tum demum manifeſtum fit diſcrimen. illis fructus ſpiritus, his opera carnis dæmoniſque producentibus, ſiue hæretici ſint, ſiue malæ vitæ Catholici. Hoc igitur dum cernunt ſerui fideles, *quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, pij inquam miniſtri Reipublicæ Chriſtianæ, mirantur: abſurdum enim eſſe videtur eccleſiæ Chriſti ſinu foueri homines impios & ſceleratos, vel ex ea prodire hæreticos: dumque intelligunt id agente diabolo procuratum, zelo accenſi, quòd malitiam oderint, cogitant, Dei conſultâ iuſtitiâ, malos omnes è medio tollere, & purum reddere Filij hominis agrum. Sed acquieſcunt diuinis monitis, quibus docentur, non hominum eſſe, malos ſemel omnes auferre terraque excutere, Iob 38 v. 13. quòd facilè illi, vnà cum malis, vicinos bonos, aut ex malis adhuc futuros bonos, ſint excuſſuri: ſed Dei & Filij hominis, iudicis mundi. Cæterùm non prohibentur, ſeruato iuſtitiæ ordine quoſdam malos è vita auferre, præ cæteris inquam manifeſtos & inſignes, de quibus parua aut nulla ſit emendationis ſpes, vel in quibus auferendis nullum ſit periculum bonorum generi, à quibus potius periculum ſit ne peruertantur aut vitientur boni, ſi ſinantur liberè agere aut multi viuere: ſed prohibentur conari ac velle omnes in vniuerſum malos ex vita hac extirpare, quod non eſt hominum cæcutientium: ſimulque præmonentur (ne vana ſeipſos ſpe lactent) quantam quantam diligentiam adhibeant ad vitia corrigenda, & in commune omnes licet mutuas operas conferant ad purgandam eccleſiam (quod quidem ſumma diligentia fieri ab omnibus debet) non tamen eouſque profecturi, vt penitus illam ab omni ſorde purgent, quin ſemper bonis ſint mixti mali: quia ſic viſum ſit miſericordi Deo, ſinere vt ſimul hìc viuant atque agant boni & mali, tolerare horum inter alteros confuſionem & commixtionem (donec ipſi placeat mortali huic vitæ finem imponere) ſiue ob malorum ad pœnitentiam prouocationem, ſiue ob bonorum exercitium, ſiue alias ob cauſas. Monentur itaque pij, ne animis deficiant quia malos ſecum ferre coguntur, poſtquam huiuſmodi futura ſit eccleſiæ conditio vſque in finem ſeculi. Huiuſmodi parabolæ ipſius enarrationem, nihil continere exiſtimo, quod non diſertè ſatis ipſa Chriſti expoſitio det intelligendum. Nam quando cauet ne triticum eradicetur, dat intelligendum, non ſolos electos tritico notari: quo modo veteres, non ſolos reprobos zizanijs notatos, intelligunt. CONSVMMATIO SECVLI huius, id eſt, finis vitæ mortalis totius humani generis & omnium eò pertinentium. Hic finis *meſſi* comparatur, quia tunc exſcindentur ex hac vita mortali omnes ſimul homines totius mundi, boni, mali, vtpote virtute ſimul & impietate maturitatem Deo perſpectam aſſequuti: quemadmodum in meſſe, totius agri maturata frumenta & zizania ſimul omnia demetuntur. De hac meſſe vide Apoc. 14. v. 14. & deinde. ANGELI ſancti, ſpiritus cæleſtes quibus Deus vtitur nuncijs ac miniſtris. Hi *meſſores* dicuntur, eorum enim miniſterio Filius hominis, primarius meſſor iuxta Apocalypſin, adducet finem mortalium rebus. Hi ignem excitabunt, quo innouati qui tunc fuerint reperti viui, mortalem vitam cum immortali commutent, & conflagret quidquid ſupereſt operum à mortalibus relictorum aut mortalium vſibus ſeruientium, exuranturque ſordes quibus mundum illi contaminarunt: mortuos quotquot vnquam fuerint homines reuocabunt in vitam, ſimul omnes viuos & mortuos cogent ad iudicium, & cætera quæ hìc ſequuntur.

ὥσπερ οὖν συλλέγεται τὰ ζιζάνια, καὶ πυρὶ καίεται· οὕτως ἔσται ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος.	40	Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: ſic erit in conſummatione ſeculi.

SICVT ERGO ſ. tempore meſſis, vbi frumenta ſimul & zizania omnia demeſſa fuerint. COLLIGVNTVR & ſeparantur à tritico. SIC ERIT. ſic agetur. id pergit explicare.

ἀποστελεῖ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ συλλέξουσιν ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πάντα τὰ σκάνδαλα, καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν·	41	Mittet Filius hominis angelos ſuos, & colliget de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem:

MITTET. ἀποστελεῖ amandabit ſ. in mundum vniuerſum. FILIVS HOMINIS. Iudex conſtitutus viuorum & mortuorum, qui iam contemtus habetur homo. SVOS. *Ipſe enim caput eſt omnis principatus & poteſtatis* Coloſſ. 2. v. 10., & cùm ſit etiam filius Dei, miniſtros habet ſpiritus cæleſtes eoſdem quos Deus.

ET COLLIGENT. Hoc accipient à Filio hominis mandatum, vt primùm extirpent vitam hanc mortalem & quæcumque ad illam pertinent, deinde in vitam reuocent numquam interituram quotquot vnquam mortali vita fruiti fuerint, tum ſeparent malos à bonis. quod vt fiat, COLLIGENT DE. ἐκ è. REGNO EIVS Filij hominis per vniuerſum mundum ſparſo. OMNIA SCANDALA. Porrò regnum Filij hominis hìc dicitur, populus cui hac in mortali vita agenti filius hominis Chriſtus cæleſti modo regnauit, id eſt, eccleſia. Ex hoc populo in vitam reuocato, Angeli colligent *omnia ſcandala*, id eſt, omnes illos qui populo illi ſiue eccleſiæ permixti, ſcandalo alijs fuerint; falſa doctrina aut impura vita, alijs, cadendi, impingendi, ſiue peccandi, præbuerint occaſionem. Hi primo loco nominantur, quia grauiſſimè animaduertetur in huiuſmodi auctores, defenſores, fautoreſque errorum ac vitiorum, qui non ſolùm ipſi iniqui fuerint, verumetiam alios, vi, prece, doctrina, conſilio, aut exemplo ad iniquitatem traxerint vel prouocarint. QVI FACIVNT INIQVITATEM, factores ſiue operarios iniquitatis, id eſt, & omnes iniquos. vide ſup. 7. v. 23. Sunt enim iniqui, qui ita peccant, vt nulli præbeant offendiculum, quales ſunt hypocritæ, clandeſtini, & ij quorum exempla vix aut non mouent. In hæc duo capita, zizaniorum ſignificatum partitus eſt magiſter ipſe, ſcandala & factores iniquitatis: vnde perſpicuum fieri videtur, non de ſolis hæreticis hìc ſermonem haberi, ſed de omnibus

omnibus vitiorum quocumque genere corruptis, qui modò inter filios regni, ecclesiæ inquam, versentur, & ecclesiæ membra aut sint aut fuerint aliquando. Nam illi qui regno siue ecclesiæ Christi numquam admixti fuerunt, cùm iam olim in ipsa vita mortali separati & iudicati fuerint, nullo tunc negotio colligentur. Collecti porrò iniqui omnes, in fasciculos colligabuntur, quod habet parabola, quia iungentur sibi mutuò qui similibus peccatis fuerint obnoxij, vt similes luant pœnas.

Et mittent eos in caminum 42 ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.

καὶ βαλοῦσιν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

MITTENT. βαλοῦσι proiicient, terra dehiscente. CAMINVM. τὴν κάμινον latinè dicas fornacem. Regnum reprobi cum fornace commutant. IGNIS. id est, igneum siue ardentem ex Hebræorum idiomate. vide sup. 5. v. 22. Periphrasis inferni caminus seu fornax ignis, inde sumta, quòd quemadmodum qui in fornacem ardentem iniectus sit, non possit ignis supplicium effugere, vndique tam igne quàm fornace conclusus: sic impiis numquam patebit ex inferno egressus, aut euasio ex cruciatibus ignis illius æterni. Tunc itaque, Angelorum ministerio, absolutissimè purgabit Filius hominis à zizaniis regnum suum. IBI ERIT. ibi sera & inutili pœnitentia ducti, pœnas dabunt pro meritis, intolerabiles & ineluctabiles, absque omni bonorum & vsu & sensu. vide sup. 8. v. 12. Zizaniorum exitum annotare permagni retulerit, quę, quamquam dum crescunt, prosperè agere videantur, & bonam frugem pænè obruere atque adeò pessundare, tamen ad ignem, fletum, & stridorem dentium destinantur.

Tunc Iusti fulgebunt sicut sol 43 in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῶν. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

TVNC. iniquis separatis & in gehennam præcipitatis. Emphaticum prorsus est hoc aduerbium temporis: tacitam enim continet antithesin, non solùm status electorum & status reproborum; verumetiam præsentis status & vltimæ instaurationis, cuius spe fideles suos Christus sustentat. IVSTI. qui ad finem vsque mortalis vitæ iustitiam coluerint. FVLGEBVNT. Qui in mundo hoc oppressi, iniuriis probrisque affecti, miserijs plurimis obnoxij, contenti, obscuri, atque in speciem minoris elegantiæ quàm reprobi fuerant, regnantibus sæpè ac splendentibus his etiam in ecclesia: tunc discussis omnibus miseriæ nebulis, verè liquidoque conspicui fulgebunt, in pretio & honore præcipuo, animo corporeque beati, sine vlla rerum exceptione molestarum; reprobis contrà miserrimè in fornacem demersis tartareum. Confertur instauratio illius temporis cum nubilo præsentis temporis statu; & futurus splendor electorum cum tenebris extimis reproborum. SICVT SOL, animæ gloria etiam in corpus redundante, illudque clarum reddente instar solis, quemadmodum infrà 17. v. 2. de Christo transfigurato scriptum est: *Et resplenduit facies eius sicut sol.* Alludere existimatur Saluator ad locum Dan. 12. v. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Nam *iustificantes plurimos* (quo modo loquuntur hebræa, pro eo quod ad sensum Interpres vertit *qui ad iustitiam erudiunt plurimos*) illi opponuntur *scandalis*; *docti* verò siue *intelligentes*, *facientibus iniquitatem*. An verò æquabunt solis fulgorem corpora beatorum, an verò etiam superabunt (*non quia*, inquit Chrysostomus, *solis etiam splendorem non superabunt: sed quando nihil fulgentius sole videmus, propterea re apertissima nobis ad exprimendum vsus est*) vtinam aliquando detur reipsa discere: cæterùm claritatem fore, tum magnificentiorem, tum oculis gratiorem, quàm sit vlla huius vitæ, etiam solaris, dubium non est; certum interim, pro meritis maiorem fore vnius quàm alterius, *vt alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum: & stella quoque à stella differt in claritate.* 1. Cor. 15. v. 41. IN REGNO illo à zizanijs omnibus perpurgato & modis omnibus consummato, in quo *erit Deus omnia in omnibus.* vide sup. 6. v. 10. Hoc est felix illud horreum, in quod triticum congregatur. PATRIS. Mox regnum suum Filij hominis vocauerat: quamdiu enim in hoc adhuc mundo situm est regnum illud, parat, continet, administrat illud Filius hominis à Patre acceptum, vi sanguinis sui *mundat sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum*, in quo *oportet illum regnare* & victoriam de hostibus referre, *donec Pater ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Cùm autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse Filius subiectus ei qui subiecit sibi omnia, tradet regnum Deo & Patri, vt sit Deus omnia in omnibus.* 1. Cor. 15. v. 24. 25. 28. Tunc itaque, non Filij hominis, sed Patris & Dei regnum vocabitur. EORVM. αὐτῶν sui, à quo in filios regni sunt adoptati. Poterat dicere *mei*, maluit *sui*, vt spem illorum eò magis erigeret. QVI HABET. Familiari hoc epiphonemate admonet discipulos, vt non oscitanter hæc audiant, sed diligenter apud se expendant distinctas boni seminis & zizaniorum rationes, vt quod ipsorum maximè intersit.

Simile est regnum cælorum the- 44 sauro abscondito in agro: quem, qui inuenit homo, abscondit, &, præ gaudio illius, vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.

πάλιν ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν θησαυρῷ κεκρυμμένῳ ἐν τῷ ἀγρῷ, ὃν εὑρὼν ἄνθρωπος ἔκρυψε, καὶ ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ, ὑπάγει, καὶ πάντα ὅσα ἔχει πωλεῖ, καὶ ἀγοράζει τὸν ἀγρὸν ἐκεῖνον.

SIMILE EST. Græcè & syriacè præponitur πάλιν *rursus*. Addit Saluator domi apud discipulos quasdam alias

alias parabolas, quarum primis duabus declarat illis pretium regni cælestis, omnibus mundi rebus meritò præferendi. REGNVM CÆLORVM. Accipitur pro dominatu Dei, ita vt omnia complectatur, quemadmodum suprà 3.v.2. descriptum est. THESAVRO. sensus est: Dum à me prædicatur regnum cælorum, & ad illud omnes inuitantur, æquum sit fieri à vobis discipulis cæterisque auditoribus meis (id quod etiam noui facturos multos) quod faceret homo si fortè fortuna defossum in agro inuenisset occultum thesaurum, pretiosissimum illum. Adhortatio est simul & prophetia. INVENIT. præteritum est ex aoristo εὑρών. Alij vertunt *Quem inuentum*, ad quem modum Interpres sup. v. 33. *quod acceptum*. ABSCONDIT. & hoc præteritum est ex ἔκρυψε. Reliquit occultatum eo loco quo inuenit, & tacuit, nemini rem aperuit, dissimulauit negotium, ne sibi, aut præriperetur thesaurus ab alio, aut à domino negaretur agri venditio. ILLIVS. quod accepit ex illo reperto. VADIT, ὑπάγει, subducit se, clàm discedit. VENDIT. nihili pendit iacturam facere eorum omnium quæ possidet, modò sibi comparare queat agrum illum tanto thesauro diuitem, persuasus non se iacturam facere, sed quæstuosissimam mercaturam. Ita & oporteat auditores meos, gaudere de insperatè oblato sibi per me, quod nulla comparatio æquare potest, quo solo diuites felicesque esse queunt, regno cælorum, occulto hactenus nec ab aliquo ne propheta quidem promulgato; nec gaudere tantùm, verumetiam, quidquid antea studij operæ aut curæ in rebus alijs ponebant, totum huc conuertere, cupidè, ardenter, modisque omnibus illud expetere, & illi se subijcere atque indiuulsè adhærere, siue illius causa res fortunæque omnes, siue honor, siue vita, siue omnia denique humana exponenda sint, quandoquidem nullus vmquam aut fructuosior aut præstantior thesaurus contingere illis possit.

πάλιν ὁμοία ἐςὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ ἐμπόρῳ, ζητοῦντι καλοὺς μαργαρίτας· 45 Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas:

ITERVM. Eumdem habet hæc parobola scopum eandemque sententiam cum superiore. HOMINI. viro, cuipiam. NEGOTIATORI. Tale quid fieri dignum est à discipulis & auditoribus meis, quibus ego annuncio regnum cælorum (fiet verò certè à multis) quale fit à negotiatore quærente BONAS καλοὺς pulchras, studiosio comparandarum sibi pulchrarum margaritarum. pulchritudo pretium auget in margaritis. MARGARITAS. gemmas siue lapides pretiosos, videtur enim species pro genere posita: quamquam *principium culmenq;*, quod Plinius ait, *omnium rerum pretij, margaritæ teneant*. L.9.c.35. vide suprà 7.v.6.

ὃς εὑρὼν ἕνα πολύτιμον μαργαρίτην, ἀπελθὼν πέπρακε πάντα ὅσα εἶχε, καὶ ἠγόρασεν αὐτόν. 46 inuenta autem vna pretiosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

INVENTA AVTEM. Ita legitur etiam syriacè & in quibusdam libris græcè, εὑρὼν δὲ. In alijs est ὃς εὑρὼν qui cùm inuenisset. PRETIOSA. πολύτιμον magni pretij. QVÆ HABVIT. ὅσα εἶχε quæcumque habebat, pluris illam vnam faciens. Sic enim oporteat & auditores meos, qui naturâ, vt cæteri hominum, beatitudinem semper appetunt & quærunt, annunciato à me regno cælorum, vt qui inuenerint illud quo vno beati effici queant, omnibus huius mundi bonis posthabitis, illud amplecti, ita vt totus mundus nihil illis sit præ hoc bono, quo pretiosius est nihil. Id fecit Apostolus, Philip.3.v.7.& 8. Eò adduci Adolescens non potuit, infrà 19.v.21.22. Nam Christum lucrifacere, Christum sequi, curare modis omnibus, etiam iactura facta cæterarum rerum, vt Christi regno adscribaris, subijciaris, & constanter adhæreas, hoc est emere regnum cælorum, quod hac in vita incipit, in altera feliciter perficitur. Cæterùm non necesse est re ipsa semper relinquere omnia (vita certè non temerè profundenda est) sufficit animi præparatione, quando impedimentum non adferunt regno cælorum: nam vt minimùm necesse est paratos esse quidquid obstat relinquere. Non enim habet regno cælorum iustum honorem, nec spirituales Dei gratiæ, carnalis cùm sit, suum pretium apud eum obtinent, apud cuius animum, non omnibus mundi opibus, delicijs, honoribus, commodis, vitæque ipsi, præponuntur.

πάλιν ὁμοία ἐςὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν σαγήνῃ βληθείσῃ εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἐκ παντὸς γένους συναγαγούσῃ· 47 Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti:

REGNVM CÆLORVM. populus regnatus Deo, ecclesia militans, vt suprà v.24. Tertiam hanc Saluator discipulis parabolam domi proponit, qua inculcat illis hoc idem quod mox parabola zizaniorum docuerat, in Ecclesia sua semper fore malos permixtos bonis ad seculi vsque consummationem, quando demum futura est perfecta restitutio: quamquam singulariùs ista parabola de illis solis malis loquatur, qui vnius cum bonis ecclesiæ in mundo hoc constitutæ, tamquam pisces varijs vnius sagenæ in mari versantis, communione fruuntur. Idcirco autem inculcat illud, tum ne turbentur vbi non viderint in ecclesia eam quam optarint puritatem, tum ne ipsi sibi placeant inani ecclesiæ aut fidei titulo vel nuda sanctitatis professione, nisi genuina se exhibeant ecclesiæ membra. SAGENÆ. σαγήνῃ. græcam vocem retinuit Interpres, quæ retis quoddam genus notat, ex sententia plerorumque: propriè tamen est sinus retis, in quem capti pisces deueniunt; quo modo hoc loco accipitur, ita vt congruat ecclesiæ, excipienti, continenti, fouenti, & seruanti eos, qui verbo regni tamquam ore retis capti fuerint. MISSÆ. βληθείσῃ iactæ. Parabola piscatoribus commodè proposita. GENERE PISCIVM. Licet non sit græcè *piscium*, rectè tamen addidit Interpres: subaudiendum est enim. Nam si quæ aliæ fortè res incurrant in rete, vt muscus, alga, & cætera huiusmodi,

modi, illarum generi capiendo non seruit rete. Seruit autem capiendo piscium generi, quos excipit, & bonos & malos, & vtiles vsibus hominum, & inutiles ac noxios, serpentini inquam generis aut putres: nam & nonnulli capti boni in ipsa sagena moriuntur ac putrefiunt. Sic & ecclesia, tametsi delectus habeatur eorum qui in eam admittuntur, complectitur bonos & malos, pios & impios, iustos & iniustos: nam alij, mali cùm sint, simulantes Sathanæ abrenunciationem, dolosè intrant, alij boni ingressi in malitiam degenerant. Interim verò continet illa omnes & tolerat, omnesque ad bonam frugem parare conatur atque vtiles esse optat.

quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

48 ἣν, ὅτε ἐπληρώθη, ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, καὶ καθίσαντες, συνέλεξαν τὰ καλὰ εἰς ἀγγεῖα, τὰ δὲ σαπρὰ ἔξω ἔβαλον.

IMPLETA. Plena tum erit ecclesia, *cùm plenitudo gentium intrauerit, & omnis Israël saluus fuerit*, vt loquitur Apostolus ad Rom. 11.v.25. EDVCENTES ET SECVS LITTVS SEDENTES. s. piscatores seu ij quorum illud curæ commissum est. ἀναβιβάσαντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν καὶ καθίσαντες subducentes in littus & sedentes. ita legitur tam syriacè quàm græcè. Plena vbi fuerit ecclesia, educetur ex fluxis atque instabilibus huius seculi mortalisque vitæ vndis, ad firmam & stabilem terram alterius seculi vitæque immortalis vbi sine vlla vacillatione sedetur ab angelis sanctis & iussis diuinis vacatur. ELEGERVNT. συνέλεξαν collegerunt. BONOS s. pisces. τὰ καλὰ bona s. piscium genera. IN VASA. in æterna tabernacula, quæ alibi vocat. MALOS. σαπρὰ, putria, praua. FORAS MISERVNT. abiecerunt.

Sic erit in consummatione seculi. exibũt angeli, & separabunt malos de medio iustorum,

49 οὕτως ἔσται ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος· ἐξελεύσονται οἱ ἄγγελοι, καὶ ἀφοριοῦσι τοὺς πονηροὺς ἐκ μέσου τῶν δικαίων,

SECVLI huius, vbi subducta fuerit in littus sagena. EXIBVNT à me iudice emissi. SEPARABVNT. ad mortem secundam. MALOS quos prima mors malos corripuerit. DE MEDIO IVSTORVM. hebraica phrasis, pro à iustis, id est, eis quos mors iustos inuaserit. Ex vna ecclesia fient duo distinctissima collegia. Reliqua lege suprà v.39.40.41.

& mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.

50 καὶ βαλοῦσιν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

MITTENT. proijcient foras. *Foris canes* ait Apocalypsis c.22. v.15. *& venefici* &c. *pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* cap.21.v.8. FLETVS. Non potest discipulis suis Christus satis inculcare & considerandum proponere horrorem pœnarum earum quæ manent impios. Reliqua huius versiculi tractata sunt sup.v.42.

Intellexistis hæc omnia? dicunt ei: etiam.

51 λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· συνήκατε ταῦτα πάντα; λέγουσιν αὐτῷ· ναὶ κύριε.

INTELLEXISTIS. Græcè & Syriacè præponitur: *Dicit eis Iesus*: id quod nostri Interpretis exemplar græcum maiori cum gratia non legit. HÆC OMNIA. has omnes similitudines & earum explicationes? Nouerat Christus quantum assequuti essent illorum singuli: sed parabat hac interrogatione docere illos rationem instituendæ doctrinæ, qui euangelium regni docturi erant vniuersum orbem.

Ait illis: Ideo, omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

52 ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· διὰ τοῦτο, πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά.

IDEO. quia hac mea docendi ratione factum est vt vos assequuti sitis intellectum mysteriorum regni cælorum. SCRIBA. Doctor, enarrator scripturarum rerumque sacrarum. DOCTVS effectus me docente, omnis qui scriba me præceptore effectus est (fuit enim Christus primus Scriba in regno cælorum) aut vobis alijsque deinde præceptoribus efficietur. nam *doctus* hoc loco, non nomen, sed participium est: quod est græcè, non πεπαιδευμένος, sed μαθητευθεὶς, vt intelligas ex discipulo factus doctor (non enim est præter Christum αὐτομαθὴς quisquam in negotijs regni cælorum) à verbo μαθητεύειν, quod, & transitiuè pro docere accipitur (infrà 28.v.19.) & absolutè pro discipulum esse (infrà 27.v.57.) formatum à nomine μαθητὴς discipulus. IN REGNO CÆLORVM, quales vos inprimis efformare ac reddere conor. Quia græcè est εἰς non ἐν, multi vertere malunt *in* vel *ad regnum cælorum*: sed, vt frequentem esse permutationem εἰς pro ἐν,

etiam

etiam apud idoneos auctores, in comperto est; ita rectiùs noster Interpres transtulit: IN REGNO CÆLORVM. Alludit enim Saluator ad Iudæorum loquendi morem, scribam in regno cælorum appellans prædicatorem seu doctorem regni cælorum ac mysteriorum eò pertinentium, doctorem legis nouæ, quemadmodum illi vocabant scribam in lege Mosis seu legis Mosis, professorem seu enarratorem legis Mosis rerumque eò pertinentium. 1. Ezræ 7.v.6.& 21. vide suprà 2.v.4. SIMILIS EST. similis esse debet, si suo rectè officio fungi volet. s. meum imitatus exemplum. PROFERT ijs quos sua mensa excipit. THESAVRO. penu, promtuario. vide sup. 12.v.35. Prouidus paterfamilias non viuit in diem, ita vt tum demum. cùm siue familia siue hospites cibo reficiendi sunt, cibos emat aut à vicinis commodatò postulet: sed annonam habet in penuarijs repositam, & quidem varij generis tum nouam tum veterem. NOVA ET VETERA. Vtraque iungit, & familiæ ac conuiuis suis proponit prudens paterfamilias, noua & vetera, vt dum noua quidem veteribus addunt vigorem, vetera autem nouorum temperant feruorem, simul vtraque eò accommodatiora naturæ & faciliora concoctu sint. Sic enim & scriba in regno cælorum, non tunc primùm discere debet cùm docendum est illi, sed debitè instructus sit oportet scientiæ thesauro, quem ex assidua præceptoris auditione, lectione, meditatione, contemplatione, atque exercitatione, sibi compararit. vnde discipulis & auditoribus suis ita depromat noua & inaudita hactenus regni cælorum mysteria, vt ea confirmet, explicet, atque elucidet, adiunctis sententijs, figuris & similitudinibus, sumtis à rebus veteribus, siue ijs quæ à mundo condito hominibus notæ atque vsitatæ sunt, siue ijs quæ sunt antiquorum veteris testamenti librorum. Illa enim, noua, diuina, cælestia, & rationis cancellos transcendentia cùm sint, per hæc vetera, humana, terrestria, & familiaria, hominum captui attemperantur. Hac docendi ratione, Christus, hoc sermone & alijs multis vsus est ad docenda (quæ primus ipse docuit) regni cælorum mysteria, de futuro Ecclesiæ successu ac statu, de bonis quæ iustos & pœnis quæ impios manent, de relinquendis omnibus, & cætera huiusmodi: eandem docendi rationem vult deinde discipulos suos, cùm obituri essent ipsi doctorum partes, imitari.

καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τὰς 53 παραβολὰς ταύτας, μετῆρεν ἐκεῖθεν.	Et factum est, cùm consummasset Iesus parabolas istas, transijt inde.

CONSVMMASSET. ἐτέλεσεν finiuisset, absoluisset. TRANSIIT. μετῆρεν transtulit. s. se, id est, digressus est, abijt. Non tamen eodem illo die: sub noctem enim demùm parabolas finisse videtur. INDE. è domo illa de qua mox suprà v. 36. in Capharnaum sita: vt loco mutato latiùs spargeret euangelicam doctrinam.

καὶ ἐλθὼν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, ἐδί- 54 δασκεν αὐτοὺς ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν, ὥστε ἐκπλήσσεσθαι αὐτοὺς, καὶ λέγειν· πόθεν τούτῳ ἡ σοφία αὕτη καὶ αἱ δυνάμεις;	Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc & virtutes? Mar. 6. v. 1. 2. Luc. 4. v. 16. 22.

VENIENS. ἐλθὼν cùm venisset. PATRIAM SVAM Nazareth, non quòd in ea natus, sed quòd educatus, Luca interprete cap. 4. v. 16. Non est auspicatus prædicationem in patria, ob causas dictas sup. 4. v. 13. non tamen præteritam voluit, ne suos aut despicere aut negligere videretur. Parta iam igitur rebus alibi gestis auctoritate & nominis celebritate, tum in patriam venit, cùm inuidia popularium suorum superior redditus esse debuerat. Occasio autem quod iam potissimùm eò profectus sit, ista fuisse videtur, vt præsens rebus ipsis refelleret, quam superioribus diebus cognati de ipso sparserant opinionem, quòd in furorem versus esset: simul & monstraret, quàm nihil possent in ipsum inuitum, qui è Nazareth Capharnaum excurrerant, vt eum tenerent. Mar. 3. v. 21. DOCEBAT EOS. Inter cætera explicuit illis Isaiæ de Christo prophetiam, grauissimi ac diuinissimi argumenti, Luca referente cap. 4. v. 21. SYNAGOGIS. τῇ συναγωγῇ. synagoga. & quidem verisimile est tantillo oppidulo non nisi vnam fuisse & suffecisse synagogam. vide suprà 4. v. 23.
MIRARENTVR. ἐκπλήσσεσθαι αὐτοὺς adeò vt obstupescerent. s. rei nouitate perculsi. vide suprà 7. v. 28. Docebat & explicabat res diuinas, non vulgariter sed sapientissimè, coniunctis veteribus rebus cum nouis mysterijs disserebat de regno Dei, suamque doctrinam dicendi auctoritate, scripturæ testimonio, & miraculorum exhibitione, ornabat & confirmabat. Hinc admiratio & stupor, simul & ex eo quod dicerent: VNDE HVIC qui numquam litteras didicit (Ioh. 7. v. 15.) nec cum viris magnis vmquam versatus est? VIRTVTES. αἱ δυνάμεις miracula, facultas edendi huiusmodi mirifica opera, quæ insolitam aliquam potestatem testentur (vide suprà 7. 22.) quæ hîc nonnulla, plurima verò alibi; quod intelligimus; edit? Relucebant in Christo duo hæc, incomprehensibilis in sermone sapientia, & diuina admirabilisque virtus in opere. Quæ duo Nazareni cùm in Christo agnoscerent, vehementiùs eos tangere debebant, vt Deo gloriam tribuerent: nam certè dum insolitis modis agit Deus, operantis manus suæ potentiam testatam facit.

οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός; οὐχὶ 55 ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριὰμ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, Ἰάκωβος, καὶ Ἰωσῆς, καὶ Σίμων, καὶ Ἰούδας;	Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria; & fratres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? Mar. 6. v. 3. Luc. 4. v. 22.

FABRI FILIVS. ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς ille fabri filius, in fabrili domo & arte, vnde sapientiæ studium procul exsulat, à pueritia ad virilem vsque ætatem educatus. Faber latinè & τέκτων græcè, voces sunt significationis amplæ, ad omnes artifices, qui, corporis labore adhibito, è quauis duriore materia, aliquid struunt, se extendentis. Vnde fit, vt varient opiniones, cuius generis faber Ioseph fuerit, alijs existimantibus fuisse fabrum ferra-

ferrarium, D. Hilario in hunc locum, Beda in cap. 4. Lucæ; alijs lignarium, Auctore operis imperfecti Hom. 1. & 31. in Matthæum, B. Augustino cuius verba à plærisque citantur ex sermone quodam de Natiuitate Domini. D. Ambrosius initio libri tertij in Lucam ad vtriusque & ferrarij & lignarij fabri artem alludit. Sed & vox Syriaca ܢܓܪܐ *nagro* ambigua est ad lignarium & ferrarium fabrum. Vt vt sit, cùm statutum esset filio Dei, eum qui pater ipsius putaretur, esse humilis conditionis virum, consultò fabrum elegit, qui opificio ipso suo repræsentaret imaginem veri patris ipsius opificis rerum omnium. Porrò quòd ipsum Ioseph non nominant ciues, qui matrem & fratres nominant, indicio est, Ioseph eo tempore vita defunctum fuisse. Vt enim non decebat eum, qui prædicaturus erat patrem suum Deum, esse in viuis hominem matri suæ côniuentem, qui pater ipsius publica opinione haberetur: ita non dubium est, quin diuina dispensatione Ioseph è viuis sublatus sit, ante ostensionem Iesu ad Israël. MARIA. *μαριὰμ Mar-iam* est græcè vt syriacè. vide suprà 1. v. 16. Extremæ ignobilitatis gradus est mundanis hominibus, cùm quis nomen tantùm tuetur suum, neque vllo dignitatis honoris ue agnomine fulget. FRATRES cognatione, fratres patrueles, filij Mariæ Cleophæ seu Alphæi, aliorumque fratrum aut sororum Ioseph. *Miraris*, inquit Hieronymus, *si errent in fratribus, qui errant in patre?* Et libri aduersus Heluidium cap. 8. *Eodem modo*, ait, *æstimentur & fratres, quo æstimatus est pater.* Erant igitur hi nepotes Ioseph, nec aliter Iesu fratres, quàm ille pater, ex coniugij inquã lege & vulgi opinione. vide suprà 12. v. 46. IACOBVS. hic est ille Iacobus Alphæi, qui suprà vocatur, cap. 10. v. 3. IOSEPH. græcè & syriacè est *ἰωσῆς Ioses*. Erat hic Iacobi frater, infrà 27. v. 56. SIMON. Hunc fuisse filium Cleophæ fratris Ioseph testatur ex Hegesippo Eusebius hist. eccles. lib. 3. cap. 11. IVDAS Thaddæus dictus, sup. 10. v. 3. A Luca Iudas Iacobi, quia & ipse Iacobi frater cap. 6. v. 16. Subaudiendum est autem hic: *Nonne dicuntur* siue vocantur? finit enim hîc demum interrogatio, quæ cœpit ab illis verbis: NONNE MATER EIVS q. d. nouimus omnes ex nomine, ciues nostros pauperculos & idiotas, piscatores aut certè mechanicos, alienos ab omni eruditione, literarum rudes, inter quos iste semper versatus est, educatus, & adultus in virum. Porrò ex horum quatuor numero, duo iam sequebantur Iesum, Apostoli quoque ab eo designati, Iacobus & Iudas. sup. 10. v. 3. Mar. 3. v. 18.

Mar. 6. v. 3.

Et sorores eius nónne omnes [56] apud nos sunt? vnde ergo huic omnia ista? & scandalizabãtur in eo.

καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσι; πόθεν οὖν τούτῳ ταῦτα πάντα; καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ.

SORORES patrueles, neptes Ioseph ex fratribus aut sororibus. OMNES fœminei generis est ex πᾶσαι. Constructio igitur verborum est. Et sorores eius omnes nónne apud nos sunt? quo ordine legit Syrus. APVD NOS SVNT. nobiscum habitant, notæ proinde, eiusdem conditionis mulierculæ cuius fratres, nihilo splendidioris aut fortunæ aut dignitatis: quarum nulla vnquam foris habitauit, sicut nec vllus fratrum, quò diuertere iste potuisset, eruditionis alicuius comparandæ gratia. HVIC. Emphasis est in hoc pronomine. *Huic* homini humili & obscuro, nec genere nec conditione conspicuo: vnde hic paruo tempore subitò factus alius ad nos redit doctrina ac miraculis pollens? SCANDALIZABANTVR. offendebantur, acceperunt offendiculi occasionem quo minùs in eum crederent. vide sup. 11. v. 6. IN EO. ex humili ipsius progenie atque educatione. quæ cùm iam inde ab Iesu pueritia illis fuisset nota & ob oculos posita, tantum in illorum animis ipsius contemtum genuit, quantus non permitteret, vt agnoscerent diuinitùs acceptam, quam sciebant non esse humano studio acquisitam, sapientiam, quam suis auribus hauriebant, & facultatem edendi miracula, quæ suis oculis videbant & sentiebant, adeò manifestè, vt mentis stupore corriperentur. A Deo enim in Christo operante, data opera oculos conuertunt ad Ioseph & Mariam & cognatos, quorum obscura erat apud eos conditio, vt velum manifestæ luci opponant. Hinc ergo perperàm & iniustè concepta fuit à Nazarenis offensio: quum potiùs amplecti eum reuerenter debuerint, quasi repente è cælo delapsum. Propria enim confessione se iugulant, quum tam insigne testimonium reddunt doctrinæ Christi, quæ tamen locum apud eos non inuenit, quia vsitatam non habet originem è terra: nam quid hoc aliud est, quàm prophetam diuinitùs edoctum reijcere, quia ex hominum schola non prodeat? Videmus ergo, non simplicem ignorantiam hominibus obesse: sed sponte sibi tenebras obducere, & accersere scandala, vt Christi doctrinæ obstrepant.

Mar. 6. v. 4. Luc. 4. v. 24. Ioh. 4. v. 44.

Iesus autem dixit eis: Non est [57] propheta sine honore, nisi in patria sua & in domo sua.

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ.

PROPHETA. Præco verbi Dei, doctor sacrarum rerum. SINE HONORE. *ἄτιμος* expers honoris, vel, quod paulò amplius est, *inhonorabilis*, vt habet Hilarius, seu *inhonorus*, vt Origenis Interpres. Syrus *sebir* vilis, despectus. NISI IN PATRIA id est, nusquam magis inhonoratur, vel nusquam minus iusti honoris illi tribuitur, quàm in patria, à ciuibus. ET IN DOMO. familia siue cognatione, ab ijs qui genere ipsum attingunt. *Nam nec fratres* agnatique Christi *credebant in eum*. Ioh. 7. v. 5. Mar. 3. v. 21. Obijcit itaque ciuibus suis Saluator vulgare prouerbium, ab hominum ingenio sumtum, non nouum dicens hoc esse quod sibi nunc accidit, hoc idem enim prophetis ac doctoribus cæteris accidere solere. Cæterùm non exigẽdum est prouerbium hoc ad perpetuam veritatis regulam, quod ad Iohannem notat Chrysostomus, cùm illo, vt prouerbijs ferè solet, celebretur id quod sæpius & vt plurimum vsu venit: certum est enim alibi potiùs prophetas magnificeri quàm in patria, *& domi aliena magis honorari quam sua*, quod ait Chrysostomus: cuius rei prodebat se hîc in Christo Domino manifestum exemplum. Illius porrò rei duplex causa esse videtur; vna familiaritas, quæ contemtum, vt dici solet, parit, tum quia eo ingenio ferè sunt homines, vt plu-

ris faciant

ris faciant & maiori in æstimatione habeant peregrina & aduentitia quàm domestica, tum quia familiaribus, ipsâ experientiâ innotescunt, si non vitia, at saltem infirma naturæ. Altera causa est, inuidia, malum inter notos eosque qui communione sanguinis, ciuitatis, aut alterius societatis, sibi mutuò iunguntur, commune, qua fit vt non facilè senior iuniorem, superior nuper inferiorem, par parem, sibi præferri permittat, *suam conspicionem existimans gloriam contribulis*, quod scribit Theophylactus in Iohannem. Non est quidem prophetæ ambiendus honor, sed vbi non honoratur docendi munus, quod à Deo accepit, at inuidia contemtuque excipitur, nihil illic potest boni præstare, hominibus data opera occludentibus animos doctrinæ eius.

καὶ οὐκ ἐποίησεν ἐκεῖ δυνάμεις πολλὰς, διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν. 58	Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.	Mar. 6. v. 5. 6.

VIRTVTES. miracula, vt mox versu 54. INCREDVLITATEM pertinacem, cum contemtu coniunctam, qua Iesum, nec Christum, nec à Deo missum, agnoscere volebant, ac proinde se reddebant indignos miraculis, quæ fidei conciliandæ & promouendæ gratia ab Iesu edi consueuerant.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ ἤκουσεν ἡρώδης ὁ τετράρχης τὴν ἀκοὴν ἰησοῦ, 1	In illo tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu,	Mar. 6. v. 14. Luc. 9. v. 7.

TEMPORE quo peragrabat Iesus Galilæam, docens & doctrinæ confirmationem miracula edens, emissis etiam quaquauersum in eumdem finem duodecim Apostolis. HERODES cognominatus Antipas, filius Herodis Magni siue Ascalonitæ, illius de quo suprà cap. 2. TETRARCHA. s. Galilææ. A morte Herodis Ascalonitæ, Imperator Romanus, Augustus, diuisit Iudææ regnum (hoc enim pro more passim Romani habebant, regna findere, illorumque vires distrahere, ne facilè rebellarent imperio) in Herodis filios, iuxta patris testamentum, Archelao attribuens dimidiam paternæ ditionis partem sub Ethnarchæ nomine, alterum dimidium partitus in Herodem cuius hîc est mentio, & Philippum, sub *tetrarcha*, Iosepho teste lib. 17. Antiq cap. 10. & 13. vide suprà 2. v. 22. & Luc. 3 v. 1. Porrò *tetrarcha* nomen à Romanis inuentum, à Græcis autem petitum, à quarta quidem regni parte dicitur (vt hic Herodes quarta paterni regni parte fruebatur) vsurpatur tamen, pro omni eo qui parte aliqua regni, Romani populi auctoritate dilecti, potitur: vnde tetrarchia vocatur huiusmodi principatus: quo nomine & Syrus ipse vtitur. FAMAM celebrem, res gestas. Luc. 9. v. 7. IESV. de Iesu. Mirum videri posset, iam demum à morte Iohannis, ab Herode audiri res gestas Iesu, quæ celebres erant etiam viuente Iohanne (sup. 11. v. 2. 5.) nisi, quod Chrysostomus notat, consideretur crassa huius, vt ferè principum, negligentia, quibus curæ non est, quid viri virtute conspicui prædicent, quo à vitijs homines ad virtutem adducant: vel enim omnino non referuntur ea ad illos; vt quæ parui faciant; vel certè si referantur, audiunt oscitanter, ita vt animum non adijciant. Certum præterea est, Herodem hoc tempore bellis occupatum fuisse aduersus Aretham regem, vlciscentem filiæ suæ repudium; adhæc ante repudium istud & bellum, Romam fuisse profectum, testatur Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 7. Cæterùm ea tandem celebritate inclaruit nomen Iesu, vt vi in Herodis aulam irruperit, illamque ita penetrauerit, vt turbarit vniuersam, nec vltra potuerit tyrannum latere. Hoc igitur eo consilio Euangelistæ referunt, vt sciamus non obscuram fuisse Euangelij prædicationem, sed regibus, tyrannis, & omni populo notam, ita vt nemo ignorantiam potuerit prætexere.

καὶ εἶπε τοῖς παισὶν αὐτοῦ· οὗτός ἐστιν ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς, αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ διὰ τοῦτο αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. 2	& ait pueris suis: Hic est Iohannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.	Mar. 6. v. 16.

PVERIS. ministris familiaribus: nam de huius posteritate nihil traditur. Vox *παῖδες* domesticos omnes complectitur, præter patrem & matrem familias. Syrus habet ܠܥܒܕܘܗܝ *habdin* seruis. IOHANNES. Aliorum primùm hæc fuit sententia (Luc. 9. v. 7.) eorum qui ante Iohannis mortem Iesum non nouerant: è quorum numero cùm esset Herodes, iuit & in eorum sententiam; quòd neminem nosset Iohanne sanctiorem; quòd eamdem intelligeret esse Iesu doctrinam quæ fuerat Iohannis: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*; Præcipuè verò timore adductus, quem commissi in Iohannem sceleris conscientia genuit; timore inquam, ne, aut grauiùs reprehenderetur, aut vindictam diuinam, Iohanne iam multò quàm antea fortiore, efficaciore, & diuiniore, ex resurrectione redeunte, experiretur, populo in se concitato aliisue modis. Quemadmodum igitur trepidæ vacillant malæ conscientiæ, &, dum pessima quæque præsumunt, ad quamlibet auram flectuntur (Sap. 17. v. 11.) ita, quod metuit tyrannus, facilè concipit, creditque id quod timet: & perturbatus, consilij capiendi causa, confert rem cum ministris suis familiaribus. SVRREXIT. Quemadmodum cadere dicitur qui moritur; ita surgere qui reuiuiscit. A MORTVIS inter quos erat, è quorum numero erat. phrasis sacræ scripturæ familiaris. Syrus *ex domo mortuorum*. Vix menses aliquot prætereant

terierant quòd interfecerat Iohannem, & tamen reſurrexiſſe eum arbitratur: erat enim Iudæorum de reſurrectione ſcientia rudis admodum, quæ ante Iohannem & Ieſum non perinde clarè docta fuerat. Iohannis porrò ſanctitati hoc tribuit cum alijs Herodes, quòd ſtatim à morte redierit ad vitam: teſtatur enim Ioſephus, Phariſæorum fuiſſe opinionem, animis bonorum facilem eſſe ad vitam reditum. lib. 18. Antiq. cap. 2.

ET IDEO quia ſurrexit à mortuis & reſurrectione diuinior factus eſt. Non in eo errabant Iudæi, quòd crederent homines ſanctos à reſurrectione auguſtioribus & vndequaque maioribus præditos fore facultatibus quàm in hac vita. VIRTVTES. δυνάμεις miracula, qualia in priori vita nulla edidit. Ioh. 10. v. 41. vide ſuprà 13. v. 54. Accipit autem miracula pro facultate edendi ipſa miracula. OPERANTVR ἐνεργοῦσι agunt, vigent, efficaces ſunt. ideo pollet virtute edendorum miraculorum, ac proinde etiam metui poſſit ne quid aduerſus nos moliatur in vindictam nuperæ occiſionis. Timet, nec tamen adducitur ad pœnitentiam: non enim amant res diuinas impij. IN EO. per eum.

Mar. 6. v. 17. Luc. 3. v. 19. 20.

Herodes enim tenuit Iohannem, & alligauit eum, & poſuit in carcerem, propter Herodiadem vxorem fratris ſui.

3 ὁ γὰρ ἡρώδης κρατήσας τὸν ἰωάννην, ἔδησεν αὐτὸν, καὶ ἔθετο ἐν φυλακῇ, διὰ ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ.

HERODES ENIM. Quia Herodis & Iohannis meminerat Euangeliſta, per occaſionem ſubtexit obiter hiſtoriam occiſi ab Herode Iohannis. TENVIT. κρατήσας poſtquam tenuiſſet. ſ. iniecta manu, id eſt, cepiſſet, miniſterio ſatellitum proculdubio, tradentibus Iudæis. vide ſuprà 4. v. 12. IOHANNEM in Iudæa baptiſmi ac pœnitentiæ prædicationi operam dantem. ET ALLIGAVIT. ἔδησεν ligauit, vinxit vt captiuum, abduxitque in Macheruntem caſtrum. vide ſuprà 4. v. 12. IN CARCEREM. ἐν φυλακῇ in cuſtodia. Ita carcer græcè vocatur miti vocabulo. Syrus *in domo vinctorum*. vide ſup. 5. v. 26. PROPTER HERODIADEM. illius adulteræ inceſtæque mulieris, cuius turpi amore tenebatur, tum cauſa tum impulſu. Herodias nomen eſt patronymicum, vel certè diminutiuum, impoſitum ab Herode Aſcalonita (veriſimile eſt) huic nepti ſuæ ex filio Ariſtobulo, vt ſcribit Ioſephus lib. Antiq. Iud. 18. cap. 7. VXOREM. Additur ab alijs *Philippi*, id quod apud Marcum conſtanter ab omnibus legitur. Nupſerat illa Philippo tetrarchæ Ituræ & Trachonitidis, de quo Lu. 3. v. 1. cuius manſuetudine abuſus Herodes (erat enim vir perpetuò modeſtus, & amator quietis ac otij, quod Ioſephus ſcribit eius libri qui ſuprà cap. 6.) auſus eſt apud illam de impetrãdo illius coniugio mentionem facere. Qua aſſentiente, conuenit inter eos, vt quamprimum Herodes Roma reuerteretur quò iam iter inſtituebat, illa migraret in ipſius domicilium, ipſique iungeretur inceſtis nuptijs, repudiata Arethæ regis Petræ filia quam ipſe antea duxerat. Ita Ioſephus cap. 7. quamquam loco Philippi Herodem alterum incognitum illum ponat, de quo vide Marc. 6. v. 17. FRATRIS SVI germani, licet non vterini: Herodes enim hic ex Malthace Samaritide; Philippus ex Cleopatra Ieroſolymitide natus eſt, eodem iterum teſte lib. 1. de bello Iudaico cap. 18.

Mar. 6. v. 18. Luc. 3. v. 19.

Dicebat enim illi Iohãnes: Non licet tibi habere eam.

4 ἔλεγε γὰρ αὐτῷ ὁ ἰωάννης· οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν.

DICEBAT intrepidè & conſtanter, nihil veritus tyranni offenſam. ILLI inter cæteros accedenti, ſpectandi prophetæ gratia, quando religionis cauſa in Iudæam venerat, aut iter faciebat per fines Peræ ſolo Iordane medio diſtinctos à finibus Iudææ in quibus hic baptizabat. Nemini parcebat Baptiſta, nec ipſis Phariſæis. ſup. 3. v. 7. NON LICET per Dei & ipſius naturæ legem; violas diuina quin & humana iura.

HABERE pro vxore. EAM quæ tui fratris adhuc etiam viuentis (obijt enim demum Philippus vigeſimo anno Tiberij Cæſaris. cap. 6. eo quo mox) vxor eſt, atque ex eo mater, illo adhæc inuito tibi adhærens. Adulterio & inceſtui raptum iungis, legis Dei pluribus modis tranſgreſſor. Pudorem Baptiſta conabatur incutere vt ad pœnitentiam prouocaret. Sed licet facilè crederet meretricis illecebris irretitum à propoſito non reuocandum: tamen quia publicum erat ſcelus atque adeò turpe, non putauit ſibi diſſimulandum, quantumuis moleſtus eſſet & ingratus monitor. Libera igitur cùm eſſet prophetę obiurgatio, & publica infamiſque facti ipſius atrocitas, peccatum autem corrigere libido non fineret; non fruſtra timebat Herodes, ne qua repente populi (accurrebant enim ad Iohannem & Galilæi atque Peræi) ſeditio aduerſus ipſum moueretur, præter hoc quòd increpationem non ferret. Quam ob cauſam vincit prophetam conijcitque in carcerem, illo vincto tranquillam ſibi licentiam promittens. Hæc prima ac præcipua Herodi cauſa fuit in carcerem mittendi Iohannis: fuit & alia quam Phariſæi vrgebant, à quibus Iohannes Herodi traditus fuit, quæ non tam mouit Herodem, quàm ipſi ſeruijt velaminis loco, de qua ſuprà 4. v. 12. Hîc itaque clarè cernimus, quale fidos & cordatos veritatis prædicatores præmium in mundo maneat, præſertim vbi vitia coarguunt. Vix enim centeſimus quiſque hominum correptionem admittit, multóque minùs tyranni, quibus nihil acerbius eſt quàm in ordinem cogi.

Et volens illum occidere, timuit populum, quia ſicut prophetam eum habebant.

5 καὶ θέλων αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ἐφοβήθη τὸν ὄχλον, ὅτι ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον.

OCCIDERE quamprimum vt in carcerem coniectus erat, incitatus ab infeſta & importuna illa inceſta fæmina, quæ, aſſiduè ſtimulando, Dei timorem ipſi excuſſerat. TIMVIT ſibi à populari motu, ne populum Iohannis ſtudioſum in ſe concitaret, ſi crudeliùs quidquam in illum decreuiſſet. Vides vt metuant multos,

quos

quos metuunt multi. Certè, timoris populi causa, multa agunt & omittunt impij principes, contra animi sententiam. A multitudine sibi Herodes metuebat: Dei verò iudicium propter atrox facinus imminens, securè contemnebat. SICVT PROPHETAM. id est, prophetam. Metuebat tumultum populi, apud quem nouerat Iohannem esse vehementer gratiosum, quòd & complures haberet discipulos, & baptizasset permultos & à plerisque crederetur Messias; à nemine certè non haberetur vir sanctimoniæ singularis & propheta à Deo missus, cui contradicere non liceret.

γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ ἡρώδου, ὠρχήσατο ἡ θυγάτηρ τῆς ἡρωδιάδος ἐν τῷ μέσῳ, καὶ ἤρεσε τῷ ἡρώδῃ.

6 Die autem natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. *Mar. 6. v. 21. 22.*

DIE AVTEM NATALIS. γενεσίων δὲ ἀγομένων quum autem natalitia agerentur. s. in quibus nihil voluptatum genialium omittebatur. Syrus: *Quum autem esset domus natiuitatis Herodis.* Mos celebrandi natalem diem ab ethnicis profectus est, qui cùm ea, in qua prosperè agebant, vita, nihil sperarent melius, anniuersarium ingressus in eam diem festiuis gaudijs colebant. Gen. 40. v. 20. 2. Machab 6. v. 7. vt prophanos auctores prætercam. SALTAVIT ad mensam regiam. ὠρχήσατο tripudiauit, gesticulatrones exhibuit quales in choreis, lasciua gesticulatione oblectauit præsentes. FILIA HERODIADIS ex marito deserto, Salomæ nomine (testatur Iosephus lib. 18. cap. 7.) filia inquam matre digna. operculum patella: quam ad mores suos ita formauerat mater, vt non posset sibi esse dedecori. IN MEDIO. palàm & spectantibus omnibus. Syrus *coram assessoribus.* Non potuit fieri absque meretriciæ lasciuiæ turpi nota, publica huiusmodi nobilis puellæ, conuiuio se ingerentis, saltatio. hoc igitur conueniebat scorti filiæ. Hinc porrò apparet qualis fuerit Herodianæ aulæ disciplina. Simile exemplum saltatriculæ ingressæ in conuiuium Ptolomæi Regis Ægypti narrat Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 4. PLACVIT. nihil enim est tam vehemens ad animum, quantumuis durissimum, inflectendum, atque emolliendum, quàm visa mulierculæ ad modos musicos accommodata saltatio.

ὅθεν μεθ᾽ ὅρκου ὡμολόγησεν αὐτῇ δοῦναι ὃ ἐὰν αἰτήσηται.

7 Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. *Mar. 6. v. 22. 23.*

CVM IVRAMENTO. Non tantùm permisit indecoram saltationem, verumetiam vsque adeò oblectatus est vano ac lasciuo saltatricis tripudio, vanus ipse ac lasciuus Herodes (iam ter insanus, vt qui, præter amorem incestæ mulieris, & vino captus, & lætitia ex spectata ludicra lubricaque saltatiuncula perfusus erat) vt non suffecerit ei promittere, nisi &, grauitatis omnis prudentiæque oblitus, iuramentum temerè adhiberet, Deumque in testem aduocaret, sui erga meretriculam beneuoli atq; in omnem munificentiam effusi animi, quo minùs illa dubitaret petere quidquid animo collibetet. POLLICITVS EST. ὡμολόγησεν spopondit. Verbum ὁμολογεῖν, quod propriè est confiteri, vsurpatur in mutua stipulatione, significatque factam stipulationem responso suo ratam habere: vt quum vnus quærit: Spondes? alter respondet, Spondeo; posterior iste dicitur ὁμολογεῖν, id est, assentiri & confessione sua se ad id præstandum obligare. AB EO. Hoc addidit Interpres: non enim legitur siue græcè siue syriacè.

ἡ δὲ προβιβασθεῖσα ὑπὸ τῆς μητρὸς αὐτῆς, δός μοι, φησίν, ὧδε ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ.

8 At illa præmonita à matre sua, Da mihi, inquit, hîc in disco caput Iohannis Baptistæ. *Mar. 6. v. 24. 25.*

PRÆMONITA. προβιβασθεῖσα priùs inducta, persuasa atque instructa; Syrus docta. A MATRE ad quam egressa est mox accepta pollicitatione regia (Mar. 6. v. 24.) Mater impia, lasciua, adultera, crudelis, puellam sibi similem affingit & instituit: tanti refert quales parentes nactus sis. DA MIHI, INQVIT. Docilem se præbuit puella ista ad flagitium plus satis, & præter decorum maternæ turpitudini crudelitatique morigeram: quales & hodie inuenias matres & filias mutuæ libidini inseruientes. Hîc. hoc iam loco, hac hora, coram conuiuis his. Interea enim dum feriueret regius animus, abuti eo voluit: ne fortè decocto vino & digestis testibus, refrigesceret atque à promissione resiliret. IN DISCO. ἐπὶ πίνακι in patina qua cibi mensæ apponuntur; tamquam missum vnum. quasi diceret: In patinis mensæ tuæ, non sunt cibi qui me siue exsaturare siue oblectare queant, sed erit hic missus vnus. CAPVT. Nihil ita cruciabat Herodiadis animum vt viri sancti vita, nec quidquam optatius ipsi erat illius morte; non tantùm ob vindictam, quantùm ob repudij metum quo vrebatur. Timebat enim, ne, si pergeret Iohannem audire Herodes, ipsa tandem repudium pateretur, fastidiosa scortatori, detestabilis marito, nulli grata. Sperabat autem hoc scelere sibi magis deuinctû fore Herodem, si fœdus adulterini coniugij, prophetæ sanguine ictum esset. Ergo vt securè in posterum luxurietur, eius iubet cædem peti quem vnum aduersarium senserat. Ita scilicet impij de peccato in peccatum ruunt, & seipsos in profundum mergunt. Quod autem caput sibi adferri petit, facit, tum vt certior sit de viri morte, tum vt linguæ illi illudat quæ pellicatui ipsius aduersabatur.

IOHANNIS BAPTISTÆ. Nihil moratur sanctitatem viri, nihil excellentiam prophetæ: non deterretur sceleris siue magnitudine siue horrore, indigni lætitia diei natalis. Hoc enim ingenio sunt omnes adulteræ, vt quouis modo è medio sublatos cupiant, quotquot sentiunt libidinis suæ aduersarios. Hîc, nisi non sit copia, nemini parcitur, non marito, non liberis, nemini prorsus, ne sanctissimo quidem. Huiusmodi exemplis plena sunt omnia.

Et con-

Mar.6. v.26.27.

Et contristatus est rex: propter iuramentum autem & eos qui pariter recumbebant, iussit dari: 9 καὶ ἐλυπήθη ὁ βασιλεύς· διὰ δὲ τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς συνανακειμένους ἐκέλευσε δοθῆναι·

CONTRISTATVS. non simulatè, sed verè, ob fidem datam. Quamquam enim principiò ex tyrannica ira in carcerem illum coniecisset, &, nisi obstitisset timor populi, etiam occidisset: interea tamen dum carcere teneretur, audiens illum iterum atque iterum, eò adductus est, vt & ipse illum virum sanctum ac iustum agnosceret, illiusque monitis non paucis in rebus pareret, quod Marcus narrat. Considerantem itaque, viri ad mortem expetiti innocentiam, sanctitatem, & dignitatem, pœnitet suæ leuitatis: simul quia prævidet quàm odiosum futurum sit crimen, concessisse prophetæ caput in præmium saltationis lasciuæ puellæ, infamiam damnumque metuit. REX. Etsi minus aliquid sit tetrarcha quàm rex, tamen & tetrarchæ ipsi reges vocantur, vt tetrarchiæ regna, apud Plinium aliosque auctores. Certè, si non titulo, potestate ac dominatu reges erant: nihil enim illis minùs licebat in tetrarchias quàm regibus in regna. Idcirco autem fortè regis hic nomine Euãgelista vtitur, quòd hoc verè Regis esset, ob iniqua promissa tristari; tyranni, ea soluere.

PROPTER IVRAMENTVM AVTEM. διὰ δὲ τοὺς ὅρκους sed propter iusiurandum (particula enim δὲ discretiua est hoc loco) ne violaret iusiurandũ. Quantumuis ea fuisset mens Herodi promittenti, & promissionem iuramento firmanti, se daturum quidquid tandem peteretur, siue iustum illud foret siue iniustum (nam promissiones huiusmodi generales, apud sanæ mentis homines, commodam accipiunt interpretationem, pro rebus licitis & honestis) non tamen stare promisso debuerat, vt periurium euitaret, qui periurium iam commiserat, eo ipso, quo, interposito iuramento promiserat facere quod facere non posset (quod enim cum Deo facere non potes, omnino non potes) ad quod omittendum Dei præcepto obligabatur. Non igitur periurium euitauit, aut iuramento satisfecit ne deesset illi veritas, quando rem petitam præstitit: sed scelus scelere maiore cumulauit, periurium inquam homicidio, in quo nulla est veritas cui præsideat Deus; ipso iam actu in Deum contumeliosus, qui priùs sola fuerat voluntate, dum, quòd in se fuit, Deum reipsa fecit impiæ neci præsidere. Quòd si verè religio egisset Herodem, qua ratione periurium voluisset effugere, quia Dei lege prohibitum; eadem, manus à cæde retraxisset: sed vanitas potiùs illum egit, qua irritum fieri noluit quod semel protulerat. Nulla re magis suam dignitatem stabiliri principes putant, quàm dictorum promissorumque constantia & veritate. Ea autem sententia omnino tyrannica est, nisi modus adhibeatur: qui propter corruptas principum mentes, & conseruandæ potentiæ opinionem, plærumque non adhibetur. Is autem est, vt nihil iniustum aut iniquum à regibus vel proferatur vel agatur. ET EOS QVI PARITER RECVMBEBANT. καὶ τοὺς συνανακειμένους & eos qui simul accumbebant, conuiuas clarissimos, primos Galilææ quod scribit Marcus; ne apud eos inconstantiæ ignominiam sustineret, quibus testibus promissionem ediderat. Quasi verò retractare turpius sit quod temerè stulteque promiserit, quàm sibi constare in scelere nefario. Non ergo interior religio constrinxit Herodem, sed mera ambitio præcipitem egit: quia sibi minimè honestum duceret, fidem coram tot tamque celebribus testibus datam non præstare. Vt autem inter omnes conuiuas non fuit vnus qui regem ab infando scelere vel verbulo reuocaret, cùm præsertim tristitia vultu declarata opportunitatem suggereret; ita intelligere licet, inter conuiuas hos fuisse, qui Iohannis necem facilè desiderarint, Scribas inquam & fœderatos, de quibus infrà 17.v.12. Saluator: *Sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt: sic & filius hominis passurus est ab eis.* IVSSIT DARI. *Inter epulas atque conuiuia (quod omnes etiam barbari horrere consueuerunt) consummandæ crudelitatis profertur edictum. Capitis damnatur propheta, conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet vel absolui.* ita Ambrosius lib. 3. de virginibus.

Mar.6. v.27.28.

misitque & decollauit Iohannem in carcere. 10 καὶ πέμψας ἀπεκεφάλισε τὸν ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ.

MISITQVE. καὶ πέμψας & cùm misisset, s. aliquem ad carcerem. ET DECOLLAVIT. illius opera seu ministerio decollauit. Patitur Deus suos impiorum ludibrio exponi: sed pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Hoc itaque decuit ornari scelere natalem Herodis diem, digni cui ille *labentes apponat candidus annos.* Passus est Iohannes ætatis anno 32. & dimidio, quod obseruat Nicephorus lib. 1. cap. 19.
IN CARCERE. Nam vt publicè faceret, præter hoc quod timor seditionis non sinebat, opportunitas nulla erat, quòd mox ad cœnam caput adferendum esset, vt meretricum libidini satisfieret. In carcere itaque decollatur, nemine præsente, nemine consolante, nemine condolente: sed considerabat vir sanctus Deum, cui vitam suam offerebat, intuentem omnia, & præsentem remuneratorem.

Mar.6. v.28.

Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ. 11 καὶ ἠνέχθη ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἐδόθη τῷ κορασίῳ, καὶ ἤνεγκε τῇ μητρὶ αὐτῆς.

ET ALLATVM EST ad mensam. Hoc quoque ad sceleris atrocitatem accessit, quòd epulæ humano sanguine mistæ sunt, & innocentis caput post mortem ludibrio habitum. Animaduerte autem quàm abominandæ pompæ intuitu, fœdare oculos conuiuæ cogantur (si tamen erant inter illos quibus facinus displiceret) vt discas, qui magnatum mensis assident, sæpè multis sceleribus implicari. Porrò intelligere licet, ex eo quòd ita vicinus esset carcer conuiuio, vt mox posset caput ad mensam adferri, Herodem tunc in arce Machæronte cœnasse, vbi Iosephus tradit Iohannem fuisse detentum & interfectum. vide sup. 4. v. 12.
DATVM EST vt saltationis præmium. PVELLÆ. virgini meretrices omnes impudentia superanti.
ET TVLIT ipsa. ἤνεγκε obtulit. MATRI SVÆ totius negotij architectrici, & mali artifici ac fonti. Exsultat

sultat itaque Herodias voti sui compos facta, & linguam veriloquam discriminali acu confodit, denique crudelem triumphum de suo censore agit: sed postea, illa simul & Herodes, suis opibus exuti, nec regni tantùm honore, sed & natali solo ac subsidijs omnibus priuati, perpetuo apud Lugdunum Galliæ vrbem damnati exilio, suaue bonis omnibus à iusto Dei iudicio profectum spectaculum præbuere. narrat Iosephus lib. 18. Antiq. Iudaic. cap. 9.

καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ [12] ἦραν τὸ σῶμα, καὶ ἔθαψαν αὐτό, καὶ ἐλθόντες ἀπήγγειλαν τῷ ἰησοῦ.

Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt Iesu. Mar. 6. v. 29.

Et accedentes rumore audito, postridie mane fortassis. Tvlervnt. sustulerunt. vt permissus ab Herode fuerat discipulis accessus ad magistrum carcere detentum (suprà 11. v. 2.) ita & permissi ab eo sunt magistri cadauer auferre & sepulturæ tradere. iam enim plus satis Herodem flagellabat cædis conscientia, vt non luberet & in occisum sæuire. Corpvs. Syrus [Syriac] *selado* quod truncum corporis absque capite significat. Nam *Herodiades*, quod ait Nicephorus, *Iohannis reprehensionem quodam modo etiam post capitis resectionem verita, coniungereque id rursus reliquo corpori timens, apud se remotis arbitris in abstrusiore Regiæ loco sepeliendum duxit.* Sepelievrvnt. Hac re, non gratitudinem tantùm erga occisum magistrum declararunt: sed & professi sunt palàm doctrinam illius vigere in cordibus suis. Iesv. Sic discipulos suos instituerat Iohannes, vt ab ipso transirent in scholam Iesu.

καὶ ἀκούσας ὁ ἰησοῦς ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν [13] ἐν πλοίῳ εἰς ἔρημον τόπον κατ' ἰδίαν· καὶ ἀκούσαντες οἱ ὄχλοι ἠκολούθησαν αὐτῷ πεζῇ ἀπὸ τῶν πόλεων.

Quod cùm audisset Iesus, secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum: & cùm audissent turbę, secutę sunt eũ pedestres de ciuitatibus. Mar. 6. v. 31. 32. 33. Luc. 9. v. 10. 11. Ioh. 6. v. 1. 2.

Qvod s. Herodi se innotuisse, ab eoque de se verba haberi. cui sensui fauet, quòd Græcè non sit relatiuum *quod*, sed dumtaxat coniunctio καὶ, *&*, vt syriacè [Syriac] *den* autem. Iuxta hunc igitur sensum, quem græci scholiastæ, Theophylactus sequitur, & Euthymius memorat, redit hoc loco Euangelista ad historiæ suæ seriem, à qua digressus fuerat, occasione data narrans Iohannis Baptistæ cædem, quæ intelligenda est tamquam per parenthesim descripta ad hunc vsque versum: neque enim verisimile est, Euangelistam, relicta ea quam sequebatur historiæ serie, diuerticulum prosequi. id quod dicendum erit, si intelligas cum plerisque, etiam Chrysostomo adstipulante, *quod*. s. Iohannem occisum. Avdisset ab Apostolis suis redeuntibus ex legatione in quam fuerant ab ipso emissi, de qua suprà 10. v. 5. vide Mat. 6. v. 30. Luc. 9. v. 10. Secessit. præstandæ Apostolis requiei gratia. Mar. 6. v. 31. Non fugit Herodem, quia postridie huc reuersus est, aut in locum vicinum (infrà v. 34. Iohannis 6. v. 17.) Inde. ex eo Galilææ loco quo discipuli reduces ipsum inuenerant; Capharnao ciuitate aut loco vicino. In navicvla. ἐν πλοίῳ nauigio, tamquam volens turbas latere quò abiret, idque quò minùs illæ sequerentur; aut, si sequerentur, non ita citò, nec facilè, & vel in itinere essent discipuli ab illis liberi. Desertvm situm in agro vrbis Bethsaidæ, inter Bethsaidam & Tiberiadem, prope mare. vide Luc. 9. v. 10. Nam quamquam Tiberias, Eremus ista Bethsaidę, Bethsaida, & Capharnaum, omnes sitæ essent cis mare, Galilææ respectu: patebat tamen nauigatio ab vna ad aliam, eratque itineris compendium, propter amplos maris sinus intermedios: patebat & iter terra, sed longiùs, per littus maris flexuosum. Avdissent. intellexissent, ex rumore mox sparso. Exactè adeò obseruabatur Iesus à populo assecla, vt nequò clam secedere posset. Pedestres. itinere pedestri, terrà, vt habet Syrus. opponitur ei quod Christus dictus est abijsse nauigio. Feruor populi declaratur, pedès in desertum festinantis, omni necessariarum rerum cura deposita. amor addidit alas. De civitatibvs circumiacentibus.

καὶ ἐξελθὼν ὁ ἰησοῦς εἶδε πολὺν ὄχλον, καὶ [14] ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, καὶ ἐθεράπευσε τοὺς ἀῤῥώστους αὐτῶν.

Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum. Mar. 6. v. 34. Luc. 9. v. 11.

Exiens secreto montis in quem secesserat (Iohannis 6. v. 3.) Hæc est diuini spiritus Christi charitas, vt eorum qui se quærunt curam suæ ipsius anteponat etiam necessariæ quieti. Mvltam. Secessus Christi, non sedauit desiderium sequendi ipsum, sed magis acuit & accendit. Misertvs est. vide suprà 9. v. 36. Proprium Iesu hoc semper fuit, qui venerat vt omnes opis indigos iuuaret. Non à se abigit, nec quidem succensuit importunis, qui nullam sibi suisque quietem permitterent: tanta erat Saluatoris benignitas, tamque exposita ad iuuandum & docendum facilitas. Præualuit igitur in eo misericordiæ affectus, vt fessus cum discipulis suis continuaque molestia ferè oppressus, sibi tamen non parceret mox vt populi cura ad nouum laborem vocaret. Eis. eorum, vt perditarum ouicularum. Et cùm descendisset de monte. Langvidos τοὺς ἀῤῥώστους ægrotos, infirmos. Fidei, quam rebus ipsis monstrarunt, præmium acceperunt sanitatem. Eorvm. quos illi adduxerant, vel qui malè valebant ex ipsis.

ὀψίας δὲ γενομένης, προσῆλθον αὐτῷ [15] οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ λέγοντες· ἔρημός ἐστιν

Vespere autem facto, accesserũt ad eũ discipuli eius, dicẽtes: Desertus est locus, Mar. 6. v. 35. 36. Luc. 9. v. 12.

locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas, vt, euntes in castella, emant sibi escas.

ὁ τόπος, καὶ ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν. ἀπόλυσον τοὺς ὄχλους, ἵνα ἀπελθόντες εἰς τὰς κώμας ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς βρώματα.

FACTO. die incipiente declinare, vt Lucas ait cap.9.v.12. incipit enim vespera ab hora nona promeridiana, duratque vsque ad noctis tenebras. ACCESSERVNT ex monte, in quo permiserat eos requiescere, & cibum sumere, interea dum curaret ipse populum. Tantus erat vtrimque feruor, & Christi & populi, vt discipuli existimarent, nec Christum ipsum necessitatis populi meminisse. Capiunt itaque ipsi cordi eius rei curam. DESERTVS. vbi nullus suppetit cibus. Locus aptus mox edendo miraculo, vt ne quis diceret ex vicino oppido aliquid ad illam mensam fuisse conductum. HORA prandij, tempus cibi sumendi.

PRÆTERIIT. Vincebat famis necessitatem amor. In hoc tempus distulit Dominus miraculum quod in animo habebat edere, primùm vt discipuli animis essent ad illius considerationem erectis, deinde ne videretur citra necessitatem ad miraculi operationem prosilire, insuper vt turbæ esurientes maiori miraculi sensu mouerentur, adhæc vt eo illustrius esset miraculum, quo copiosiore cibo opus erat ad sedandam maiorem famem, denique vt declararet quàm semper habeat in promtu opem, qua, eorum qui in ipso fiduciam collocant, necessitatibus subueniat. IN CASTELLA. εἰς τὰς κώμας in vicos, in villas. ESCAS. Meminerant fortassis Apostoli, quo in periculo fuerint Moses & Aaron, quando eductis in desertum populis deerat panis: arduum est enim ad ventrem verba facere qui caret auribus: fames & mora bilem in nasum conciunt.

Mar. 6. v. 37. Luc. 9. v. 13.

Iesus autem dixit eis: Non habent [16] necesse ire, date illis vos manducare.

ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· οὐ χρείαν ἔχουσιν ἀπελθεῖν, δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν.

IRE. ἀπελθεῖν abire, cibi emendi causa. Nouerat ipse suam cum bonitate coniunctam potestatem. VOS. Non dicit, Ego illas pascam, quod arrogantis visum fuisset: sed, vos, inquit, date illis quod comedant. Exercendæ fidei discipulorum causa ita ipsos alloquitur, vt, dum agnoscunt ipsi inopiam suam, vel ad ipsius recurrant prouidentiam omnipotentem, vel ad miraculum saltem attenti reddantur. Nam cùm admirabile aliquid & repentinum, priorum nonnumquam obliuionem adducere soleat, primùm eos propria confessione alligari voluit, ne vllo stupore obliuiscerentur.

Mar. 6. v. 38. Luc. 8. v. 13. Ioh. 6. v. 9.

Responderunt ei: Non habemus [17] hîc nisi quinq; panes & duos pisces.

οἱ δὲ λέγουσιν αὐτῷ· οὐκ ἔχομεν ὧδε εἰ μὴ πέντε ἄρτους καὶ δύο ἰχθύας.

RESPONDERVNT EI. οἱ δὲ λέγουσιν αὐτῷ ipsi verò dicunt ei. ita habet & Syrus. NON HABEMVS. q. d. Non est hîc nobis possibile, vt quibus nihil amplius suppetat quàm. Infirmi adhuc carnisque addicti medijs, monstrant suæ in Iesum fidei exiguitatem, quamquam promtam præ se ferant voluntatem iuuandi populi. QVINQVE. Vnus sufficere fortasse poterat nutriendis quinque ad summum aut sex: nam huiusmodi magnitudinis esse queant panes quinque, onus vnius adolescentuli. Ioh. 6. v. 9 Obserua frugalitatem Apostolorum & neglectum copiæ. PISCES paratos haud dubiè in cibum. vide Ioh. 6. v. 9.

Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. [18]

ὁ δὲ εἶπε· φέρετέ μοι αὐτοὺς ὧδε.

AFFERTE. Aliud præceptum ad fidei discipulorum exercitationem, quo, cùm fides, tum promta illorum obedientia, & in egenos liberalitas, enituit, dum adferunt quibus fortè ipsi poterant egere. HVC in conspectum populi. subaudi, id factum fuisse. Cibi ostensio cum subsequente præcepto accumbendi, significatio est celebrandi conuiuij.

Mar 6. v 39. 41. Luc. 9 v. 14. 16. Ioh. 6. v. 10. 11.

Et cùm iussisset turbã discumbere [19] super fœnum, acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cælum, benedixit: & fregit, & dedit discipulis suis panes, discipuli autem turbis.

καὶ κελεύσας τοὺς ὄχλους ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τοὺς χόρτους, λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησε· καὶ κλάσας ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς τοὺς ἄρτους, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ὄχλοις.

IVSSISSET discipulis. Præceptum videbatur in speciem ridiculum, alimentis parua adeò copia suppetentibus, tantum inuitare & accumbere facere conuiuarum numerum: sed probare Christus voluit, discipulorum, quos solicitos esse videbat, obedientiam, eosque docere, ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, sibi subdita esse (Rom. 4. v. 17.) Porrò illi, tametsi nihil viderent apparatus, tamen ad iussum Domini iubent turbam discumbere, velut iam apponendis epulis. DISCVMBERE. facere discumbere. transitiuè accipitur, nam græcè est ἀνακλιθῆναι, quod est ad verbum. reclinari, id est, curari vt discumberet turba. Sic enim conueniebat vt cibum sumerent, non confusè in turba, sed ordine collocati, quò manifestum esset miraculum. Voluit hîc Dominus reipsa confirmare suum illud dictum: *Quærite primum* &c. sup. 6. v. 33. Nam idcirco non negligit eos, qui ipsius causa sui fuerant obliti, quamquam non perinde purè sanitatem magis & signa, quàm Christum sectarentur. Ioh. 6. v. 2. Porrò, qualis fuit simplicitas obediendi Apostolorum, vt iuberent discumbere; talis & facilitas obsequendi populorum, vt vno tantùm verbo iussi discumberent, de

ſine licet incerti. FOENVM. τὸν χόρτον gramina, *herbas* vertit ſuprà 13.v.26. fœnum propriè non niſi de reſectis herbis dici videtur. Syrus *ſuper terram*. Fœnum ſtrati loco fuit. ACCEPTIS in manus, coram omni multitudine, quò conſtaret & de miraculo & de ſe auctore. QVINQVE. τοὺς πέντε illis quinque. IN CAELVM ad Deum Patrem, teſtatum faciens non aliunde ſe quàm à Deo Patre miſſum, ab eoque ſe habere poteſtatem his alimētis benedicendi, & ſe ſua omnia illi accepta ferre, deque omnibus proinde gratias agere. Docens adhæc non priùs menſam eſſe attingendam, quàm Deo gratias egerimus pro cibis datis (meretur enim gratitudo beneficiorum accumulationem) eiuſque benedictionem cælitus traxerimus. BENEDIXIT. ſ. panibus illis & piſcibus (Luc. 9. v. 16.) Benedixit autem, *benedictione augens illos ac multiplicans*, quod ait Origines. *Panes enim illi tamquam ſemina erant* (Auguſtinus ait) *non quidem terra mandata, ſed ab eo qui terram fecit multiplicata.* Benedixit igitur, id eſt, impartiuit, dedit illis, multiplicationis virtutem, vim ſeminalem, vim inquam maxima copia producendi ex ſe ſibi ſimile. Benedicendi enim verbum, cùm ad homines refertur in ſacro ſermone bene precari; cùm ad Dei Chriſtique auctoritatem, benefacere eſt, & amplificationis vim facultatemque ſignificat. Sic initio mundi benedixit animalibus Deus, cùm diceret: *Creſcite & multiplicamini &c.* Gen. 1. v. 22. 28. E conuerſo *maledixit terræ*, cùm ſterilem reddidit. Gen. 3. v. 17. Mar. 11. v. 21. *maledixit ficui*, quando areſecit. Porrò benedicens panibus ac piſciculis Chriſtus, etſi non eſt vſus ſigno crucis (quod cauillantur hæretici) cuius virtus nondum promulgata erat, veriſimile eſt tamen exteriori aliquo ſigno vſum, vt. ſacræ ac viuificæ manus impoſitione. ET FREGIT ET. καὶ κλάσας & cùm fregiſſet. Paternus planè mos eſt frangendi ſiue, vt noſtrate loquamur more, ſcindendi panis, Chriſto domino vſitatus, quo non eſt alius paterfamilias aut maior aut liberalior. In hac autem Chriſti fractione, cœpta eſt fieri multiplicatio, quæ aucta eſt in diſcipulorum diſtributione, perfecta autem inter manus edentium. ita enim & multitudini illi opportunè miniſtratum eſt, & ſingulis teſtatior facta eſt virtus benedictionis Ieſu. Porrò non quinque panes multiplicantur in plures (ſic enim de Dei tantùm illos ſuppeditantis, non de Ieſu conſtituiſſet virtute) ſed *fragmentis fragmenta ſuccedunt, & fallunt ſemper præfracta frangentes*, Hilarij verbis vtor. *Frangente enim Domino, ſeminarium fit ciborum*, ait Hieronymus. *Vidiſſes*, Ambroſius inquit, *incomprehenſibili quodam rigatu, inter diuidentium manus, quas non fregerant, fructificare particulas, & intacta frangentium digitis ſponte ſua fragmenta ſubrepere, quemadmodum videmus liquidis fontibus continuos fluere ſucceſſus, & quidquid de illis auferas vſurario quodam reparari meatu. Multiplicabantur enim*, ait Chryſoſtomus, *in diſcipulorum manibus quinque illi panes ac fontis in morē ſcaturiebāt.* vide infrà v. 21. DEDIT plenis, credibile eſt, cophinis. DISCIPVLIS. vt his primùm teſtatū fieret miraculum, ſimul & decorum miniſterio ſeruaretur. Nam quaſi parum eſſet oculatos eſſe teſtes, vult Chriſtus ſuam ab ipſis virtutem palpari. Præparat deinde & illos & populum, vt illi quidem ſciant ſe miniſtros fore, cibi ſpiritualis à Chriſto accepti, diſtribuendi populo: populus autem aſſueſcat illis diſpenſatoribus myſteriorum Chriſti. (1. Cor. 4. v. 1.) PANES illos. Panes repetit potiùs quàm piſces, tametſi & piſces dederit diſcipulis diſtribuendos; quia vſus loquendi habet vt panis frangi dicatur, non ita piſcis: panem fregiſſe ait Marcus, piſcem diuiſiſſe. TVRBIS. Populo nil proponendum eſt, quod non ſit acceptum à Chriſto.

καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν· 20 καὶ ἦραν τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων δώδεκα κοφίνους πλήρεις.	Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.	Mar. 6. v. 42. 43. Luc. 9. v. 17. Ioh. 6. v. 12. 13.

MANDVCAVERVNT ex quinque illis panibus & duobus piſcibus. OMNES nemine excepto. SATVRATI ſunt. ad ſaturitatem vſque manducauerunt. multis enim cibus datur non ad ſaturitatem. Omni ex parte miraculum fit manifeſtum. primò quidem ex eorum ſaturitate qui epulati fuerant: mox verò ex eſcarum copia quæ ſuperfuerant: poſtremò ex eorum multitudine qui ad ſaturitatem vſque manducauerant.

TVLERVNT. ſuſtulerunt. ſ. diſcipuli (Ioh. 6. v. 13.) Docemur hîc, ne, reliquias bonorum quibus paſti ſumus, ſuum more perdamus. Admonemur & frugalitatis: neque enim maior Dei largitas luxuriæ irritamentum eſſe debet. RELIQVIAS. τὸ περισσεῦον quod ſuperfuerat. ſ. ex panibus & piſcibus Mar. 6. 43. Ne putes, aut phantaſma fuiſſe, aut parcè cibum ſuppetiſſe; ecce reliquias. Miraculo inſtructum conuiuium, numeris omnibus abſolutum: nam potum miraculo præbere neceſſe non erat, qui è vicino mari ſuppetebat, dulcis illo & potabilis aquæ, teſte Ioſepho l. 3. de bello Iud. cap. 18. DVODECIM. ſ. videlicet. Veriſimile eſt, præter fragmenta à diſcipulis in duodecim cophinos collecta, & alia non pauca à pluribus è populo reſeruata fuiſſe, tum in vſum futurum, tum ad rei geſtæ memoriam. Diues certè Chriſto penu, ita paſcenti eos qui in ſe confidunt, vt non ſolùm ſatientur, ſed & multa ſuperſint, maioreſque, quàm fuerat ſumma appoſitorum, colligantur reliquiæ, in futuras aliorum dierum neceſſitates. Vides & beneficentiæ exitum proſperrimum. Apoſtoli enim, qui Domino in communem vſum quinque panes ac piſciculos duos impenderant, hos ſumma liberalitate compenſatos recipiunt. *Quin & alia quoque de cauſa*, ait Victor Antiochenus, *tantam reliquiarum vim facere viſum fuit, nimirum, quò publicè hinc conſtaret, tantam rerum abundantiam magis proueniſſe, ad oſtendendam facientis virtutem, quam ad explendam præſentem populi neceſſitatem.* Nam & idcirco cophinos reliquiarum, non plures neque pauciores, ſed conſultò pares eſſe fecit numero Apoſtolorum, duodecim inquam; vt Apoſtoli, futuri orbis magiſtri, dum ſuis ſinguli manibus vnum reliquiarum cophinum geſtant, miraculum memoriæ tenaciùs infigentes, ſuo illud tempore orbi promulgent, eoque Chriſti domini virtutem teſtatam faciant. Populus enim parum hinc emolumenti accepit: mox namque oblitus, petit aliud ſignum. Ioh. 6. v. 30. COPHINOS. κοφίνους. Græca vox eſt, qua omnes Euangeliſtæ vtuntur: quam & Interpres Syrus ſeruauit, ܩܘܦܝܢܝܢ *Couphinin*, non minùs quàm Latinus, vt non dubium ſit quin fuerit ea Chriſti domini tempore Iudæis vſitata. Eſt autem menſuræ genus cophinus, ijs qui de hoc argumento ſcribunt: verùm hîc accipitur proculdubio, pro eo genere corbis, quod Iudæis pauperioribus foris agentibus, conſuetum fuiſſe geſtare; ad ſtipis rerumque neceſſariarum haud dubiè repoſitionem; Iuuenalis poëta ridet ſatyra ſexta, nec non & tertia, qua ait: *Iudæis quorum cophinus fœnúmque ſupellex.* nam quod fœnum

T

fœnum addit, ex eo esse non est veri dissimile, quod in cophino aliquid semper fœni paratum haberent, siuè ad tegenda reposita, siue ad seruandam interiorem cophini munditiam: quàquam alij stratum intelligunt per fœnum. Huc facit quod Iosephus l. 2. de bello Iud. cap. 14. narrat de Iudæis Flori auaritiæ illudentibus, canistrum eos circumtulisse, stipem eius nomine postulantes. Facile itaque est creditu, postquam mos hoc Iudæorum habebat, in tanta multitudine non paucos suppetisse cophinos, quos libenter obtulerint singuli suos, ad colligendas tam admirabilis conuiuij reliquias: vt taceam non potuisse deesse vnum aut alterum ipsi familiæ Christi. Porrò cophinos huiusmodi, licet non essent publica rerum mensura, consueuisse tamen ferè certa quadam & ea ferè æquali magnitudine, ita vt vnius propemodum eiusque publicitùs notæ essent capacitatis, vt est credibile; ita euangelium non obscurè indicat, distinguens inter cophinum & sportam, infrà 15.v.37.16.v.9.10. Mar.8.v.8.19.20. Cuius porrò quantitatis capaces fuerint, liceat colligere ex onere, cuius probabile est capaces fuisse, tanto videlicet quanto non incommodè brachio ferri queat. Arias Montanus putat cophinum idem esse quod hebraicè סל *sal*: cui D. Hieronymus in Genesim adstipulatur dicens *sal* rectiùs cophinum verti quàm canistrum, Gen. 40.v.16.17. quo ex loco videri possit, *sal* corbis genus esse, tanti capax quantum esse possit onus virilis capitis. somnium est enim quod habet de tribus canistris. Quòd porrò LXX *cophinum* transtulerunt Psal.80.v.7. alia est vox hebraicè, nempe דוד *doud*.

FRAGMENTORVM τῶν κλασμάτων. ea vox græcè & syriacè ante vocem *duodecim* ponitur, ita vt construi possit, & cum *reliquias*, & cum *cophinos*, & cum *plenos*. Noster Interpres cum *plenos* construxisse videtur, molliore iunctura. PLENOS. Insignem hoc addidit miraculo splendorem, dum eo edito exstaret illustre adeo eius documentum, quod cibo refecti per otium spectarent.

Mar.6. v.44. Luc 9.v. 14. Ioh.6. v.10.

Manducantium autem fuit numerus, quinque milia virorum, exceptis mulieribus & paruulis. [21]	οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων.

MANDVCANTIVM AVTEM FVIT NVMERVS. οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν qui autem ederant fuere. Non dicit aderant, sed ederant, ad miraculi euidentiam. QVINQVE MILIA. ita & Syrus. porrò græcè hìc additur ὡσεὶ πεντακισχίλιοι quasi seu ferè quinquies mille. EXCEPTIS. χωρὶς absque. MVLIERIBVS ET PARVVLIS. γυναικῶν καὶ παιδίων mulieribus & puerulis: qui & ipsi comederunt & satiati sunt, sed extra numerum sunt. Putant quidam horum non minorem fuisse numerum quàm virorum: verùm, credibile est, deserti & prolixioris itineris pedestris difficultate, hos maiori ex parte fuisse reuocatos, nec accurrisse nisi ex vicinioribus deserto locis. Ad huiusmodi igitur immensam hominum turbam cibo explendam, Christi faciente benedictione, aucti sunt quinque illi panes & pisciculi duo: quemadmodum aspicimus, eiusdem benedictione, augeri quotannis frumenti copiam, vnde & in præsentiarum victus mundo suppetat, & in futurum semen. Sed hoc quidem paulatim, succedente tempore facit, vt ex vnoquoque frumenti grano in terram iacto multa producat, illo, indita sibi virtute, ex vicina terra, materiam sibi adiungente, & alimenta exsugente, quæ in suam conuertat naturam, quò fiat vt & crescat & multiplicetur: istud verò vno temporis momento fecit, eo quo durare potuit conuiuium illud, indita panibus ac pisciculis illis virtute, qua, ex tempore, adiunctam sibi circumstantem aëris aliámue materiam quam Deo placuit exhibere præsentem, possent in suam naturam conuertere & sibi reddere similem. Nam vt simpliciter dicas, additum Dei virtute fuisse similem panem ac piscem, absque eo vt primi illi quinque panes & duo pisciculi quidquam eam ad rem contulerint, non sit hoc saturare 5000. virorum ex quinque panibus & duobus pisciculis, seu frangere quinque panes in quinque hominum milia (quo modo loquitur scriptura infrà 16.v.9. Mar.8.v.19. & alibi) rursus restare duodecim cophinos reliquiarum ex illis panibus & piscibus. Mar.6.v.43. Ioh.6.v.13.

Mar.6. v.45. Ioh.6. v.16.

Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. [22]	καὶ εὐθέως ἠνάγκασεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν, ἕως οὗ ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους.

STATIM edito hoc miraculo, quo virtutem suam summa cum beneficentia coniunctam testatus fuerat, vt miraculis suis solet. COMPVLIT. ἠνάγκασε coëgit, quo modo secundùm Marcum vertit. Cogere enim oportuit, quia se ab illo diuelli inuitè patiebantur, partim quidem propter animi studium, quo in illum ferebantur, partim quòd sua secum naui ipsum vehere vellent ne pedes venire cogeretur, cùm etiam nox appeteret. Duplici autem de causa mox voluit illos abesse; Vna, ne conspirarent cum turbis cogitantibus de ipso in regem tollendo & salutando (Ioh.6.v.15.) siue latentem ipsum indicando, siue alio modo: facile enim tunc fuisset discipulos ad eandem cum populo sententiam perduci. Altera, vt solus ipse citiùs & expeditiùs turbas posset dimittere: cùm enim discipuli in mare, Christus in montem secessisset, necessum erat vt illæ de abeundo cogitarent. Tertiam addit schola Chrysostomi, vt, si præsentia Christi, phantasmatis suspicionem, non veritatis certitudinem ipsis præberet, absentia magis corroborarentur, cùm monumenta signi & testimonia miraculi secum habentes, reliquiarum inquam copiam, traijcerent. Porrò licet inuiti & præter animi sententiam discedant absque Præceptore discipuli, non tamen obmurmurant, sed cedunt morigeri imperio & obtemperant. TRANS FRETVM. εἰς τὸ πέραν in vlteriorem ripam, eam ex qua venerant, aut certè vicinam, non in oppositam ex diametro, πέραν enim græcè non aliud est, quàm τὸ, ex hac terra in illam, medijs aquis; vt traiectus intelligatur; neque mox v. 34. dicit eos venisse in terram Gerasenorum, de qua sup. 8.v.28. sed in terram Genesar. DONEC. ἕως οὗ hoc loco significat dum, siue interea dum, quo modo vertit secundùm Marcum. DIMITTERET. Non enim dimittere poterat præsentibus discipulis, quibus

quibus illæ semper adhæsissent, exspectantes præceptoris, etiamsi abesset, ad illos reditum. Promittebat igitur, dimissis turbis, se subsequuturum: hoc enim significabatur hac oratione. Et quidem non apparebat qua ratione subsequi posset, mari præsertim, cùm alia nauis non esset ibi, quod Iohannes ait cap. 6. v. 22. & nox instaret: sed eo plus laudis meretur discipulorum docilitas, quibus pluris est auctoritas cælestis magistri quàm suus sensus. Parare porrò Christus voluit locum illi quod proximè sequitur miraculo.

καὶ ἀπολύσας τοὺς ὄχλους, ἀνέβη εἰς τὸ [23] ὄρος κατ' ἰδίαν προσεύξασθαι· ὀψίας δὲ γενομένης μόνος ἦν ἐκεῖ.	Et dimissa turba ascendit in montem solus orare: vespere autem facto solus erat ibi.	Mar. 6. v. 46. Ioh. 6. v. 15.

Et dimissa. Dimissa igitur s. verbis, cùm vale eis precatus iussisset eos abire. Non quòd efficere potuerit verbis vt illos ablegaret, saltem plerosque eorum; qui tota illic nocte manserunt (Ioh. 6. v. 22. 23. 24.) exspectantes ipsius reditum, aut ex latebris egressum. Ascendit. reipsa dimisit ac reliquit eos, clàm se subducens. In montem. vt effugeret vim statuentium creare ipsum Regem (Ioh. 6. v. 15.) vt cogeret illos abire, denique vt oraret. Solvs. κατ' ἰδίαν seorsum, priuatim, secretò. Quòd solus & in montem, natura orationis exprimitur, quæ amat secessus: id quod nobis præsertim exemplum est, quibus minimis quibusque auocamentis concidit precandi ardor vel remissus languescit. Orare. ad orandum. s. Patrem suum. Orauit vt homo (nec enim poterat omnia vt homo) nunc pro se, ad declarandam gratiam quæ humanæ ipsius fieret naturæ; nunc pro hominibus, vt mediator. vide Luc. 11. v. 1. Orauit autem haud dubium inter cætera, vt, cùm turba de carnali regno cogitaret, peteret à Patre ea quæ ad spiritale regnum cælorum in hominum animis confirmandum pertinerent. Cæterùm non petitionem tantùm complectitur oratio, sed & meditationem, laudem, gratiarumque actionem. Docuit autem exemplo suo, à prædicatione, ad vitandam gloriam vanam, secedendum esse Doctori, & colligendam in Deum mentem, neque semper multitudini adhærendum, commendandum verò seorsum Deo prædicati verbi profectum in auditoribus.

Facto. cùm sol occidisset, cùm tenebræ factæ essent, quod ait Iohannes v. 17. vide suprà v. 15. Ibi. in monte, in terra ait Marcus. Id repetit Euangelista, vt viam sibi sternat ad narrandum proximum miraculum.

τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης [24] ἦν, βασανιζόμενον ὑπὸ τῶν κυμάτων· ἦν γὰρ ἐναντίος ὁ ἄνεμος.	Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.	Mar. 6. v. 47. 48. Ioh. 6. v. 18.

Navicvla. τὸ πλοῖον nauis. In medio mari iactabatvr. ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν, βασανιζόμενον iam in medio mari erat, vexata. Syrus habet, Iam recesserat à terra stadijs multis cùm agitaretur plurimùm. Quod dicitur *in medio mari*, hoc est, in profundo; significat periculi magnitudinem. βασανίζειν suprà 8. v. 24. vertit Interpres torquere; hîc, iuxta sensum, iactari. Flvctibvs. ὑπὸ τῶν κυμάτων à fluctibus. vide suprà 8. v. 24. Contrarivs quem Iesus ipse suscitarat, tum demum cùm discipuli in profundum maris deuecti essent, vt exerceret illorum fidem & in aduersis constantiam, suique desiderium excitaret. Ad euidentiorem quoque miraculi, quod mox consecutum est, demonstrationem, non parum faciebat, quòd ventis contrarijs flantibus, fluctibusque secundùm ventorum flatus sese erigentibus, ipse nihilo seciùs, quàm à nullo impeditus, liberè per aquas incederet & ambularet.

τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτὸς, ἀπῆλθε πρὸς [25] αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης.	Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos, ambulans super mare.	Mar. 6. v. 48.

Vigilia. φυλακῇ custodia. Nox in quatuor olim partes diuisa est, quæ *vigiliæ* à Latinis, *custodiæ* à Græcis dictæ sunt, quòd quater, singulis ternis noctis horis, mutarentur vigiles seu custodes, ij inquam quorum erat, iuxta militarem disciplinam, excubias agere, ad custodiam, seu ciuitatis, seu exercitus. Quarta igitur vigilia, est postrema noctis pars, ea qua Lucifer oritur lucetque; postremæ tres noctis horæ, desinentes in diluculum, quæ *vigilia matutina*, dicitur Exo. 14. v. 24. Tota itaque propemodum nocte, cum tenebris, fluctibus, & procellis, periculosè luctari Christus discipulos sinit, demumque sub diei crepusculum adest, quo magis attentis animis oblatam opem excipiant, discantque non statim petendam esse aduersitatum solutionem, sed ferendas fortiter, donec visum sit Domino opem suo tempore ferre. Venit ἀπῆλθε abijt. Intelligere liceat, abijsse, id est, ex monte descendisse & ad discipulos iter fecisse. Alij existimant euangelistam abusum voce *abijt* pro venit, quomodo & Syrus vertit. Ad eos. Iesus additur græcè & syriacè. Verisimile est, per aëra momento temporis permeasse, donec propè adesset eis. Ambvlans placidè, absque vllius cymbæ adminiculo. Svper mare, perinde quasi solidam terram calcaret, & illud quidem procellosum, furens, ac sæuiens. Syrus *super aquas*. Dominum se maris monstrat, quod, tantum abest vt perdere potuerit discipulos ipsius, vt etiam iter ipsi ad eos, quantumuis infestum, dare coactum sit. Vt enim nutui ipsius subiacent omnia, per quem facta sunt omnia, consolidauit ipse naturâ liquidas aquas, ne diffluerent cederentque ponderi corporis sui grauis (simile Exod. 14. v. 22.) vel certè non permisit corpus suum pro natura corporis grauis agere, id est, ad ima ferri, liquidaque vestigijs pressa suo pondere secare ac penetrare. non quòd corpus suum leue reddiderit, sed quòd grauitatis actionem impedierit. Porrò posterius hoc verisimilius hoc loco esse, ex eo docetur, quòd mare fluctuosum iam fuerit ex valido vento, nec quieuerit nisi Iesu nauigium ingresso.

Mar. 6. v. 49. Ioh. 6. v. 19.

Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamauerunt. [26] καὶ ἰδόντες αὐτὸν οἱ μαθηταὶ ἐπὶ τὴν θάλασσαν περιπατοῦντα, ἐταράχθησαν, λέγοντες· ὅτι φάντασμά ἐστι. καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου ἔκραξαν.

EVM. non quòd dignoſcerent Ieſum eſſe, cùm id noctis tenebræ tempeſtaſque & Ieſus longiùs abſens minimè permitterent, ſed quòd viderent aliquem, qui erat ipſe Ieſus. Græcè & ſyriacè additur οἱ μαθηταὶ diſcipuli. QVIA. id eſt, huiuſmodi verba. PHANTASMA. φάντασμα, latinè ſpectrum, à φαίνεσθαι apparere, videri. Syrus viſio mendax ſeu fallax. Putabant illuſionem ſibi diabolicam apparere, non hominem quempiam: res enim erat inſolita atque inaudita, hominem aquis inambulare. Porrò ſpectra ſiue viſa hominibus aliquando obijci, non eſt vana opinio. Imaginatur quidem homo nonnumquam, corruptis cerebri humoribus, ea ſe videre quæ non videt nec vſpiam ſunt: interdum verò obijciuntur hominibus ſpectra quædam non citra iuſtum Dei iudicium, per miniſterium bonorum malorúmue ſpirituum, erudientia atq; admonentia homines, imponentia etiam non rarò ac nocentia. Quod quia per ſualum plæriſque eſt, ſpectra nocere ijs quibus apparent, nec facile eſt homini corporato ſe defendere aduerſus ſpiritum, niſi fide; idcirco plærique, cùm fidei imbecillitate laborent, ſpectris viſis, aut vel ſola imaginatione conceptis, ſibi metuunt animiſque percelluntur. Sic igitur & diſcipulorum animos turbauit ſpectri opinio: quo etiam factum eſt, vt minùs Ieſum agnoſcerent: timor enim omnes ſenſus turbat ac ferè aufert, viſus hebeſcit, aures ſimiliter, mens denique ipſa penè vaneſcit. PRÆ TIMORE. Tantus terror illos inuaſit, vt velut impotentes ſui facti, exclamauerint. Adde enim, quòd vulgus nautarum putare dicatur, huiuſmodi viſa præſens exitium portendere nauigantibus. CLAMAVERVNT. Confuſus clamor & incerta vox, magni deſperatique timoris indicium eſt: in quem, ob auxilij, quod adferri ab ijs queat qui clamorem audierint, ſpem, nulla licet affulgeat, erumpere ſolent ij quos nimius terror inuadit; tum etiam vt terrorem viciſſim rei apparenti, ſi poſſibile eſt, incutiant eamque confundant. Timorem itaque qui ab vndis erat Apoſtolis, excepit alter timor à ſpectro, vt exercerentur ad ferendas tentationum accumulationes.

Mar. 6. v. 50. Ioh. 6. v. 20.

Statimque Ieſus locutus eſt eis, dicens: Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere. [27] εὐθέως δὲ ἐλάλησεν αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς, λέγων· θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε.

STATIMQVE. εὐθέως δὲ ſtatim autem ſ. vt clamauerunt. Docemur hîc, vbi ſummè creuit periculum, tum præſens inſtare Dei auxilium. Nec ſecùs hîc cum diſcipulis ſuis Ieſus egiſſe videtur, quàm ſolent matres cum paruulis, quibus nonnumquam ſe abſcondunt illæ, terriculamento etiam procurato, mox verò manifeſtant, vt ad ſe illos venire compellant, & arctiori amoris vinculo ſibi copulent. LOCVTVS EST. Voce & loquela familiari cognoſcendum ſe dedit, qui viſu non dignoſcebatur. HABETE FIDVCIAM. θαρσεῖτε. confidite, bono animo eſtote, quomodo ſonat ſyrica vox ܐܬܠܒܒܘ Etblabebou. Idcirco enim noluit ſtatim quieſcere tempeſtatem, vt ſpem in ipſum agnitum fiduciamque conciperent. EGO SVM is quem videtis, non ſpectrum aliquod aut phantaſma. *Ego ſum*, quem maxima poſſe iam ſæpiùs eſtis experti, vt non mirum ſit quòd in vndis obambulem. *Ego ſum* à quo mali nihil timendum vobis eſt, quique facilè à periculo omni vos liberabo, pater, præceptor, & ſeruator veſter. Ita quidem ſolemus alloqui eos, qui, cùm non videant, ex voce ob familiarem conuictum nota, nos poſſunt cognoſcere, *ego ſum*: ſed quàm fuerit verbum hoc Chriſto proprium, tamquam naturâ ipſi conueniens, & cum Deo commune (Exod. 3. v. 14.) facile eſt intelligere ex geſtis Iohannis 18. v. 6. Fiduciam itaque, ad quam ſuos hortatur, in præſentia ſua locat, ac ſi diceret, poſtquam ipſum ſibi adeſſe ſentiunt, ſolidam bene ſperandi materiam ſuppetere, multoq; minus eſſe quod timeant. NOLITE TIMERE. μὴ φοβεῖσθε ne timeatis. ſiue à ſpectro ſiue à mari. Verba ſunt non tantùm ſignificatiua, verumetiam effectiua. Terrorem qui animos illorum occupauerat, ne impediat ac moretur ipſorum fiduciam, corrigit. Hic effectus eſt vocis & præſentiæ filij Dei erga fideles, vt pacem animoſamque fiduciam animis ingeneret, ne carnis timoribus cedant.

Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. [28] ἀποκριθεὶς δὲ αὐτῷ ὁ πέτρος εἶπε· κύριε, εἰ σὺ εἶ, κέλευσόν με πρός σε ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ὕδατα.

PETRVS, mox ſumto animo ex Ieſu præſentia tam admiranda, vt erat feruétiſſimus & vbique ante omnes proſiliens. DOMINE, SI TV ES. Non ſtatim tenebatur credere, illum, quem ſuper mare ambulantem videbat, & loquentem audiebat, eſſe Ieſum: potuiſſet enim ſpectrum mentiri & effigiem & vocem Ieſu, vt poteſt angelum lucis. Quia igitur non certò ipſi conſtabat eſſe Ieſum, idcirco *ſi tu es* inquit. Quia verò ſpe optima ducebatur, vixque dubitabat, ideo, & *Domine* inquit, & precem poſtulat. IVBE ita vt res ſequatur. Non enim ſola iuſſionis verba poſtulat, quæ potuiſſet & phantaſma proferre. Iam didicerat imperio voluntatique Ieſu omnia ſubiacere, nec opus eſſe oratione ad Patrem, tantùm vt iuberet. Iubente enim Ieſu, credit facere ſe poſſe, quod non poterat duce natura. AD TE. vt te clarè videam, certoque cognoſcam, & præſente fruar. Non itaque præſumtio aut temeritas fuit petitio iſta Petri, ſed fidei charitatiſque ardor. Non enim ad oſtentationem aliúmue eiuſmodi ob finem miraculum petijt, ſed tantùm vt ipſi Ieſu adeſſet quamprimùm, & ſe monſtrantem certò cognoſceret ac amplecteretur. Nam ſi per maris cùm altitudinem tum tempeſtatem licuiſſet, nihil huiuſmodi petijſſet, ſed ieciſſet ſe ipſe in mare, vt Iohannis 21. v. 7.

21.v.7. Quòd enim non dixit: Veni ad me Domine, modestiæ fuit, atque obseruantiæ, præsertim cùm videretur Iesus velle iter perficere mari. Mar.6.v.48. Non itaque tentat Deum, qui, Deo edente miraculum, si quæ restet dubietas, petit modestè miraculi accumulationem, ad Dei gloriam suamue salutem. Immo verò vt peteret Petrus in aquis sibi sterni viam, diuino consilio gestum est, eo quod mox declarabitur.

ὁ δὲ εἶπεν· ἐλθέ. καὶ καταβὰς ἀπὸ 29 τοῦ πλοίου ὁ πέτρος, περιεπάτησεν ἐπὶ τὰ ὕδατα, ἐλθεῖν πρὸς τὸν ἰησοῦν.

At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam; vt veniret ad Iesum.

VENI. Iubet partim vt se monstret eum esse quem dixerat, partim vt fidem Petri dilectionemque commendet. DESCENDENS nihil cunctatus postquam iuberet Iesus. Quòd enim Iesus id iuberet, non illusor aliquis spiritus, cognouit, tum ex fide securitateque in animo ipsius nata ad hunc iussum, tum ex eo quòd tentanti vndæ non cederent, Iesu corporis grauis naturalem actionem prohibente. NAVICVLA. naui, vt suprà. SVPER AQVAM. Dum non solus Iesus inambulauit fluctuantibus aquis, sed & Petrus faciente Iesu, cautum est, ne quis de veritate carnis Iesu dubitare posset, tamquam leuis naturæ & aëriæ, cùm de Petri natura non sit dubitandi locus. AD IESVM. ecce finem facultatis à Petro petitæ. Ostentationis causa si petiisset, non pertexisset rectà ad Iesum.

βλέπων δὲ τὸν ἄνεμον ἰσχυρὸν, ἐφοβήθη· 30 καὶ ἀρξάμενος καταποντίζεσθαι, ἔκραξε, λέγων· κύριε, σῶσόν με.

Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac.

VIDENS. animaduertens, translatione à corpore ad animum. VALIDVM quo facilè posset in abyssum agi, tam insolidè ambulans, si naturam spectes. Quamdiu considerabat Christi virtutem iussionemque, fide plenus erat: at vbi, dimotis paulisper oculis à Iesu, cœpit considerare ventorum vehementiam, liquidamque vndarum naturam, timore correptus cœpit fide fluctuare: quæ cùm, periculo iam facto maris sub pedibus constrati, confirmari magis debuisset; ex carnis imbecillitate, accedente tentatione venti, imminui deficereque cœpit. Permisit eum Iesus huic tentationi, vt perspectam haberet fidei suæ teneritudinem atque inconstantiam: neque sibi quidquam arrogaret, sed Deo & Iesu laudem omnem adscriberet. MERGI. A ventorum vehementia metus, à metu diffidentia, à diffidentia periculum, Christo & Petri corpus & maris aquas suæ relinquente naturæ. Quem ergo fides super aquam portauit, diffidentia mersit. SALVVM ME FAC. σῶσόν με serua me s. pereuntem. Periculum resuscitauit igniculum fidei, vt ad Iesum pro ope refugeret. Huius rei anagoge vsus orat & Psaltes Psal.68.v.2.3. *Saluum me fac Deus, &c.*

καὶ εὐθέως ὁ ἰησοῦς ἐκτείνας τὴν χεῖρα, 31 ἐπελάβετο αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ· ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας;

Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?

CONTINVÒ. Syrus, in ipsius horæ puncto. Exemplum diuini auxilij, quàm sit Iesus ad eripiendum è periculis inuocantes se beneuolus ac promtus. EXTENDENS MANVM. Quod hîc visibiliter, aliàs geritur inuisibiliter. Nam & sic Dauid Psal. 17. v. 17. 143.v.7. APPREHENDIT EVM. s. & subleuauit ac restituit aquarum planitiei. MODICÆ FIDEI homo. ὀλιγόπιστε ô parùm fidelis, seu parùm credens. Syrus, paruæ fide. vide suprà 6.v.30. Admonet discipulum, mersionis periculum in quod inciderat, non esse ab vndis aut ventis, quæ priùs subseruierant, sed à fidei imbecillitate. Non enim satis est fidem habere vehementem ac temporariam: sed oportet habere perpetuam & constantem, etiam his in fluctibus seculi, qui nobis ad Christum properantibus interitum sæpe minantur. QVARE εἰς τί ad quid, id est, quid vel quorsum. DVBITASTI. ἐδίστασας. Quidam vertere malunt hæsitasti, non enim tam hîc sermo est de dubitatione quæ est in intellectu, quam ea quæ est in affectu. Cæterùm bene congruit dubitandi vox: nam, vt latinè dubius propriè dicitur qui ex duabus viis non satis nouit vtram sequi debeat: sic à Græcis dicuntur διστάζειν quorum animus nunc huc nunc illuc rapitur. Nondum eò peruenerat Petrus, vt de Christi potentia dubitaret: sed fiduciam, quam conceperat ex potentia simul & præcepto Iesu, remisit nonnihil, dum timorem admisit in animum, ex venti vehementia plus æquo considerata. Debebat enim, non considerare quid posset ventus, & exinde timere, sed cōstanter, intenta mente in virtutē iubentis Iesu, primam conseruare fiduciam. Magis itaque arguitur hîc fiduciæ exiguitas quàm fidei, quamquam illa ex hac nascatur, ac proinde vtraque notetur. vide suprà 6.v. 30. & 9. v. 2.

καὶ ἐμβάντων αὐτῶν εἰς τὸ πλοῖον, 32 ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος.

Et cùm ascendissent in nauiculam, cessauit ventus. Mar.6. v.51.

ASCENDISSENT Iesus & Petrus, confecto per mare itinere vsque ad nauim. NAVICVLAM. nauim, vt suprà. CESSAVIT ἐκόπασεν quieuit. Non mox vt apparuit Iesus tempestas sedata est, donec melius expergefierent discipuli tum ad expetendam, tum ad sperandam eius gratiam. Atq; id notandum est, vt sciamus non absque causa Dominum plærumque differre, quam in manu sua habet salutem.

οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ, ἐλθόντες προσ- 33

Qui autem in nauicula erant, venerunt

runt & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es. | ἐκύνησαν αὐτῷ, λέγοντες· ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς εἶ.

NAVICVLA. vbique est græcè τῷ πλοίῳ naui seu nauigio. ERANT. remāserāt, qui non exierāt naui quemadmodū Petrus. reliqui scilicet discipuli, cum nautis fortè quorū erat nauis. vide infrà 15. v. 39. VENERVNT virtute Iesu & admirabili eius auxilio obstupefacti, propiùs accesserunt. ADORAVERVNT ad genua accidentes (nam & hoc notat vox προσεκύνησαν) totosque se illi sub jicientes. Vt voce igitur, ita & re ipsa, profitentur fidem suam, dum honorem ipsi impendunt talem, qualis decet Filium Dei. VERE. iam certò cognoscimus, iam argumētis plusquam sufficientibus docti sumus. Fructus miraculorum Iesu. FILIVS DEI ES qualem te ipse prædicas, non filius Dauid tantùm, verumetiam Dei. Prædicabat Iesus se Filium Dei, patrem suum dicens Deum, æqualemque se faciens Deo: id quod non falsò, ipsi etiam aduersarij, ex Iesu verbis intellexerant, habitis ad eos diu ante miraculum istud, Ioh. 5. v. 18. Discipuli itaque, licet natiuitatis verbi Trinitatisque nondum perspecta haberent mysteria, profitentur tamen se credere & habere eum Dei Filium, qualem se, sicut verbis ita & operibus, declararet.

Mar. 6. v. 53.

34 Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar. | καὶ διαπεράσαντες ἦλθον εἰς τὴν γῆν γεννησαρέτ.

TRANSFRETASSENT in vlteriorē ripam. διαπεράσαντες traiecissent. vide suprà v 22. GENESAR. non procul à Capharnao, id quod ex Iohannis 6. v. 17. intelligitur. *Genesar* habet & Syrus, licet græcè ferè sit *Genesaret*: id quod tamen idem vnum est vnius regiunculæ nomen, de qua scribit Iosephus l. 3. de bello Iudaico cap. 18. *Ad Genesar lacum, eiusdem nominis terra protenditur, natura simul & pulchritudine admirabilis* (&c.) *Nam præter aeris lenitatem, & fonte quoque irrigatur vberrimo, qui Capernaum ab indigenis appellatur* (&c.) *Longitudo autem regionis, secundum littora cognominis lacus, xxx. stadijs extenditur, & latitudo xx.* Ex quibus Iosephi verbis intelligitur, Capharnaum eius regionis ciuitatem esse, quòd fons Capharnaum, cuius situs intra lacum erat, illius regionis esse dicatur: id quod & ex eo qui mox dictus est Euangelij secundùm Iohannem loco, cum hoc collato, intelligitur. Ex eo autem quòd Capharnaum sit, sequitur non esse Bethsaidam, multóque minùs Tiberiadem, eius regionis ciuitates, quòd ampliùs quàm xxx. stadijs à Capharnao ciuitate distet. præter alia enim (quod Iohannes intelligendum dat c. 6. v. 19. 21.) à deserto Bethsaidæ, xxv. aut triginta circiter stadijs, marino itinere eoque compendiosiore emensis, procul adhuc aberant Apostoli ab eo ad quem pergebant loco. Ab hac porrò terra continente, lacus nomen accepit, quod Iosephus ibidem ait. Deu. 3. v. 17. Iosu. 11. v. 2. omniumque clarissimè 3. Reg. 15. v. 20. regio vocatur *Cenereth*, seu plurali numero *Cenereoth* Ios. 19. v. 35 est ciuitas eo nomine. Num. 34. v. 11. Ios. 12. v. 3. & 13. v. 27. *mare Cenereth* legimus. Quibus omnibus locis (præterquam Ios. 19. vbi retinet hebraicum nomen pro ciuitate) Chaldæus paraphrastes vertit גינוסר *Ginosar*, quod est, *Genesar* siue *Genesareth*, quem & posteriores interpretes sequuntur. Vnde facilè intelligitur, verum esse, quod And. Masius in Iosue notauit, *Cenereth* à posteritate molliùs flexum in *Genesar*, *Genesara*, & *Genesareth*: id quod & probat locus 1. Machab. 11. v. 67. Cæterùm, vrbem quæ dicitur *Cenereth*, eam esse quæ postea Tiberias dicta est non facilè adducor vt credam: nam præter hoc quòd alterius sententiæ Chaldæus Interpres fuisse videatur, Iosephus narrans quî condita sit ab Herode Tiberias, ita describit rem, vt non vetus ciuitas restaurata, sed omnino noua exstructa sit, electo ad hoc optimo agro Galilææ, in ora lacus Genesarethici, multis sepulchris referto. lib. 18. Antiq. cap. 3. D. Hieronymus nihil amplius dicit, quàm ita ferri à quibusdam, Tiberiadem antiquitus Cenereth dictam fuisse.

Mar 6. v. 55. 56.

35 Et cùm cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes: | καὶ ἐπιγνόντες αὐτὸν οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου, ἀπέστειλαν εἰς ὅλην τὴν περίχωρον ἐκείνην, καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας·

COGNOVISSENT ἐπιγνόντες agnouissent, vidissent rursus adesse. LOCI ILLIVS ad quē appulerat nauigio. MISERVNT. s. nuncios. IN VNIVERSAM REGIONEM. εἰς ὅλην τὴν περίχωρον in totā circumiacentē regionē. qui per omnem illam regionem diuulgarent adesse Iesum, vt adducerent omnes, si quos haberent ægrotos. Non contenti hi priuata Christi fruitione, volunt illam & vicinis omnibus esse communem: qua re non vulgarem in proximos charitatem declararunt, Iesu gratissimam. Declararūt & insignem in Iesum fidem, quòd non vnum atque alterum leprosum ægrotúmue sanare posset, vt antiqui illi prophetæ, sed quòd omnes, quotquot se offerrēt, sanare & posset & vellet. OBTVLERVNT. pro impersonali oblati sunt (vide suprà 9. v. 2.) non tamē omnes eodem illo die quo appulerat. OMNES regionis circumiacentis. Magna multitudo significatur. HABENTES. affectos, morbis obnoxios.

Mar. 6. v. 56.

36 & rogabant eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quicumque tetigerunt, salui facti sunt. | καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα κἂν μόνον ἅψωνται τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ· καὶ ὅσοι ἥψαντο, διεσώθησαν.

ROGABANT. Fides cum oratione coniuncta, beneficia mirificè impetrat. VEL FIMBRIAM VESTIMENTI. aliquid ipsius, saltem vestis extremitatem, imitati Hæmorrousam fœminam. vide suprà 9. v. 20. 21. Syrus hìc vtitur voce כנפא *Cenphe* pro fimbria, quæ alā propriè significat. TANGERENT. vt admitterētur vel ad extremæ vestis contactū. Rogabant hi, quod Hæmorrousa non fecerat, quia non quiuis ægrotus valet

valet ſequi euntem,niſi placeat Ieſu, vel ſubſiſtere, vel propiùs accedere. QVICVMQVE fide acti. vide Mar. 5. v. 31. & Luc. 8. v. 48. Non reſtrictionis cauſa hoc addit Euangeliſta,tanquam non omnes qui rogauerunt tetigerint;ſed miraculi,quòd,cùm facile fuerit omnibus tangere, ad rem tam facilem & nullius in ſpeciem momenti, ſequuta ſit omnium ſanitas. TETIGERVNT ſ. vel fimbriam ſeu extremitatem veſtimenti eius. Non ſignificatur omnes tetigiſſe fimbriam, ſed aliquid Ieſu,etiamſi tantùm extremum, veſtis; quod,humilitatis obſeruantiæque haud dubiè cauſa,multi apprehenderunt,etiamſi Ieſus ſe totum præberet. SALVI FACTI SVNT. διεσώθησαν ſeruati ſunt. Syrus ſanati ſunt. ſ. iuxta fidem ſuam. quocumque morbo tenerentur. non quidem ex natura veſtium, ſed ex Chriſti virtute quam fides conciliabat. Rebus ipſis approbat fidem illorum.quā audent impudenter noſtræ ætatis hæretici ſuperſtitionis inſimulare. Quomodo enim foueat veritas ſuperſtitionem,quā vno poterat verbo corrigere, oblato interim carnis ſuæ,veſtis loco,contactu, aut imperata ſermone ſanitate? Non enim *ad veſtis tactum reſtringunt iſti Chriſti gratiam*, quod illi aiunt,*aut fraudant eum honoris ſui parte non fidentes ipſius verbo*: ſed eam Chriſto tribuunt cùm ſanctitatem, tum virtutem,vt non opus eſſe iudicent.ipſum ſubire moleſtiam omnes alloquēdi,aut manus omnibus imponendi.cùm tot eſſent numero,ſed ſufficere ſi vel aliquid ipſius contingi poſſit,quod nullam adferat moleſtiam;minimè ex carne Chriſtum æſtimantes, ſed prorſus ex ſpiritu. Lege hiſtoriam Hæmorrouſæ ſecundùm Matthæum & Marcum.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Τότε προσέρχονται τῷ ἰησοῦ οἱ ἀπὸ ἱεροσολύμων γραμματεῖς, καὶ φαρισαῖοι, λέγοντες·	Tunc acceſſerunt ad eum ab Ieroſolymis Scribæ, & Phariſæi: dicentes:	Mar. 7. v. 1.

ACCESSERVNT. προσέρχονται accedunt. TVNC quo tempore fiunt ea quæ proximè antecedunt. AB IEROSOLYMIS. οἱ ἀπὸ ἱεροσολύμων qui ab Ieroſolymis, Ieroſolymitani. quod quidem non niſi cum proximo SCRIBÆ iungendum eſſe videtur, non item referendum ad *Phariſæi* prout ex Marco euadit clarius c. 7. v. 1. Erant & in Galilæa Scribæ, nec deerant vſquam ſiue in Iudææ ſiue in Galilææ oppidis: ſed Ieroſolymitani primas tenebant. Hi doctrinæ ac religionis totius obtinebāt arcem,& inquiſitionem proinde cenſuramq; doctrinarum ſibi arrogabant. Commoti igitur fama crebreſcente de Ieſu, emiſerunt è ſuis quoſdam (quod tamen non nunc primùm faciunt. Mar. 3. v. 22.) qui obſeruarent quid doceret quidque faceret in Galilæa Ieſus, nouus ille doctor,ab ipſis nec miſſus nec probatus. ET PHARISÆI eius loci. Phariſæi perfectioris exteriorum obſeruantiæ exēplum; Scribæ ſcientiæ auctoritatem ſibi vendicabant. Vtriuſque partis ſententiæ conuenerant vt Ieſum reprehenderent.

διατί οἱ μαθηταί σου παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων; οὐ γὰρ νίπτονται τὰς χεῖρας αὐτῶν, ὅταν ἄρτον ἐσθίωσιν.	2 Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lauant manus ſuas, cùm panem manducant.	Mar. 7. v. 5.

QVARE. Quærunt tamquam facti rationem petentes, ſed reuera odio acti nil niſi rem criminantur, vt tam præceptorem quàm diſcipulos populo reddant exoſos, arbitrati facti rationem dari non poſſe. DISCIPVLI TVI qui ex tua pendent inſtitutione. vide ſuprà 12. v. 2. TRADITIONEM. παράδοσιν. ita vocatur præceptum per manus traditum,non vt lex,dictante Deo ſcriptum. SENIORVM. τῶν πρεσβυτέρων presbyterorum,id eſt, maiorum noſtrorum, ab ijs qui in populo Dei primas olim in cauſa religionis tenuerunt acceptā. Dum nequeunt diſcipulos Ieſu accuſare legis Dei tranſgreſſæ, accuſant traditionis ſeniorum violatæ: cuius neglectu citò offenſos fuiſſe,mirum non eſt,quòd eo & ipſorum auctoritas eleuari videretur, qui iam ſeniorum locum tenerent,illorum ſucceſſores & inſtitutorū propagatores. Tentabant igitur Ieſum an nihil eſſet dicturus aduerſus ſeniorum auctoritatem,quò maiorem ipſi ſeniorum inuidiam conflarent. NON ENIM. Hæc eſt traditio cuius tranſgreſſionem culpādam putant:eximia verò,quæ deceat curam tantorum virorum. Niſi ipſi indicauiſſent, ſuſpicio eſſe poterat,magnam aliquam magnæque dignitatis traditionē ab diſcipulis fuiſſe violatam,quos tanti viri in crimen vocarent:ſed propoſitionem grauem leuiſſima aſſumtio eleuat. LAVANT MANVS. Ciuilitatis loco habebant hoc diſcipuli à Ieſu docti,non religionis idcirco, ſi non eſſet lauandi vel opportunitas vel neceſſitas,facilè omittebant. CVM PANEM MANDVCANT. ſumturi cibum. Hebraicus eſt idiotiſmus. Scimus quàm ſeuerè requiſierit lex corporis munditiem (Leuit. 11. 15. Num. 14.) non quòd illa Deo per ſe accepta eſſet,aut redderet ſolius corporis immunditia quemquam Deo inuiſum, ſed vt rudis populus obſeruationibus huiuſmodi à corporis tandem ad mentis puritatem adduceretur. Porrò Phariſæi & Scribæ, dum præter corporis munditiem nihil intelligebant à lege requiri, nec damnari aliud,quàm immunditiam exteriorem,& ea quidem hominem Deo ipſi abominabilem reddi; non contenti lotionibus à lege mandatis (quas obſeruare vtique ſufficiebat) plures alias inſtituerant, eo conſilio, vt,ex earū obſeruatione, Lex cautiùs religioſiuſq; cuſtodiretur,& tanto forent ipſi Deo gratiores,quanto ſcilicet mundiores. Inter ceteras porrò illa vna erat, vt cibum non ſumerent niſi loti: ne fortè,inter varia vitæ negotia, ex contactu rei cuiuſuis immundæ, redditi vel per incogitantiam immundi,& cibum quem attacturi eſſent immundum, & ſeipſos qui eum ſumturi bis redderent immundos. Nam, quòd Lex ait Num. 19.

Num. 19. v. 22. *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit vsq, ad vesperum.* Harum constitutionum auctores existimantur fuisse Scribæ quidam paulò ante Christi ætatem: quorum responsa ac sententias, acuta quidem & ingeniosa, sed vana in plærisque & superstitionibus plena, Iudæi postea in libri formam redegerunt, quem *Misnaioth* illi vocant. Ab his traditorum præceptorú, cùm esset inter Pharisæos & Scribas æquales Iesu, vsus sanctus, quòd momẽti ea multum habere ad pietatem sanctitatemque crederent, magni criminis loco obijciunt Iesu, quod vel vnius illorum neglectum in discipulis suis toleret.

Mar. 7. v. 9.

Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatũ Dei, propter traditionẽ vestrã? 3 ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· διατί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν;

QVARE ET VOS. Opponit Iesus quæstionem similem simili, qua, malitiosam de re nihili criminationem, iusta recriminatione repellit, & per antistrophen in ipsos regerit contrarium eius quod in ipsum eiaculabantur, accusans ipsos seruatarum traditionum, cùm ipsi accusarent transgressarum. Quærit igitur & ipse vicissim tamquam facti ipsorum rationem (non enim, nisi postquam eos confusos prostrauisset, facti discipulorum rationem reddere voluit) sed reuera, quandoquidem illius nulla ratio dari queat, audacem illorum ferociam reprimit, iniquam ac præposteram morositatem retundit, traditiones ipsorum præceptis Dei aduersari exemplo monstrat, denique quo loco illæ illarumque transgressiones habendæ sint clarum facit. MANDATVM DEI. Vt discipulis, ipsos, ita transgressioni traditionis seniorum opponit transgressionem mandati Dei, relinquens vtraque æquo mentis examini trutinanda. PROPTER TRADITIONEM. *διὰ τὴν παράδοσιν*, quod etiam Syrus vertit ܡܛܠ *metul* propter. Quidam vertere malunt *per traditionem*, vt significetur causa per quam: cui interpretationi vult Marcus c. 7. v. 13. Cæterùm res eòdem redit, præ studio traditionis, adducti auctoritate traditionis. Hanc autem particulam viget cumprimis hoc loco Saluator: poterat enim multis alijs modis arguere ipsos de transgressione legis Dei, sed voluit hoc loco ostendere ipsis, quomodo à traditione ducantur ad transgressionem legis Dei, quò ita ipsos, discipulorum accusatores, repprimeret, vt simul discipulos accusatos obiecto crimine inciperet liberare. Nam si huiusmodi sunt inter traditiones quæ abducant à lege Dei, manifestum euadit quanti illæ faciendæ sint, & quid criminis illas nonnumquã præterire. VESTRAM. Illi dixerant *seniorum*, Iesus regerit *vestram*: non quòd à senioribus traditiones istas, de quibus agitur, non accepissent: sed quòd nuper admodum, ab hominibus eiusdem cum ipsis farinæ, inuentæ essent, quas ipsi vt suas ipsorum defenderent, non seniorum obseruatione, aut amore perspectæ in eis seu veritatis seu pietatis, sed ambitione moti, vt nempe, qui eumdem seniorum iam locum tenerẽt, suam tuerentur auctoritatem, similia vbi liberet tradendi atque instituendi. Cæteroqui erant & Iudæis traditiones, iam inde à Mose & primis patribus absq; scripto acceptæ, si non aliæ, sacrorum librorum catalogus.

Mar. 7. v. 10. Exo. 20. v. 12. Deut. 5. v. 16. Exo. 21. v. 16. Leu. 20. v. 9.

Nam Deus dixit, Honora patrẽ & matrẽ; &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. 4 ὁ γὰρ θεὸς ἐνετείλατο, λέγων, τίμα τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα· καὶ, ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω.

NAM. Exemplo vno in medium allato, declarat, ipsos, dum traditioni pertinaciùs adhærẽt, Dei transgredi mandatum, immo, quod plus est, irritum reddere. DIXIT. ita habet & Syrus. porrò græcè est *ἐνετείλατο* mandauit. PATREM tuum. ET S. dixit. pœnam statuens transgressoribus ijs qui contrarium agerent, vt ostendat non leuiter à se præcipi, quod tam seuerè iubeat puniri. QVI MALEDIXERIT. quicunque dehonestauerit, contumelia dedecoréue affecerit. Species pro genere. MORTE MORIATVR. *θανάτῳ τελευτάτω*, ita vertunt & LXX non rarò, id quod est hebraicè מות יומת *mot ioumath*: alias verò seruata paronomasia *θανάτῳ θανατούσθω* reddunt, vt interpres noster latinè, *morte* aut *mortè moriatur*, siue vt alij, verba sequentes, *moriendo morietur*, quod est, *moriatur*. nam futurum imperatiui loco est, vt frequentissimè. Est autem sensus hebraicæ istius phraseos: Omnino moriatur, Absque vlla venia & veniæ spe morte multet eum Iudex. nec enim est dignus vita, qui in eos iniurius est à quibus accepit vitam.

Mar. 7. v. 11.

Vos autẽ dicitis, Quicumque dixerit patri vel matri: Munus quodcumque est ex me tibi proderit. 5 ὑμεῖς δὲ λέγετε, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρί, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς.

VOS AVTEM. Ipsos Deo opponit. DICITIS, docetis sequentes traditionem. QVICVMQVE filius. PATRI VEL MATRI suis, inopiæ leuandæ causa aliquid ab ipso petentibus. MVNVS. *δῶρον*, syriacè קרבן *corban*, quam vocem Marcus seruauit, & interpretatus est quo modo Matthæus hîc, *δῶρον*, *munus*, *donum*. Cæterùm non quodlibet munus seu donum significat, sed quod Deo offertur, quale illud de quo suprà 5. v. 24. oblationem inquam (quo modo in Leuitico, Numeris, & alibi, centies à Latino Interprete redditur) & rem quamuis Deo deuotam. Porrò cùm ecliptica sit oratio ista, qua Saluator erroneam illam Scribarum traditionem, concisè, ita vt ipsis nota erat, exprimit, vt scias qua ratione supplenda sit, nosse oportet quæ illa fuerit traditio. Origenes, omnium vetustissimus, ab hebræo quodã, quod ait, doctus, & cæteri deinde plærique omnes græci ac latini, veteres ac recentiores, Tractatores, in eam ferè conueniunt sententiã, vt dicant, Scribarum hanc ex traditione doctrinam fuisse: Si filius Deo voueat id quo pater & mater suam ab ipso petunt inopiam subleuari, non posse illud in patris matrisue vsum conuerti, sed Deo reddendum esse. Nam, quod multi habent, etiam voti propositum, ex Scribarũ traditione suffecisse, non facilè cum Paulo Burgensi

genſi adducor vt credam. B. Arias Montanus, illam hîc damnari traditionem exiſtimat, quam, ipſo libro Traditionum Iudaicarum quem mox dicebamus, monſtrat diſertè ac diffusè doceri, ſi quis iuraſſet nullam alicui הנאה *bannaa* (qua voce Syrus hîc vtitur) id eſt, commoditatem præſtare, illi non licere boni quid facere aut prodeſſe aliqua in re, ei aduerſus quem abiurauit, etiam patri ſeu matri. Nam per munus ſeu ſacrificium iurari à Iudæis ſolitum, illudque iuramenti genus ex traditione fuiſſe grauiſſimum, non tantùm illic docetur, verùm etiam in Euangelio infrà 23. v. 18. Nec verò abſimiles multum ſibi mutuò ſunt duæ iſtæ doctrinæ, vt quæ ex eodem videantur ductæ principio: Quemadmodum Deus præſtat hominibus; ita votum Deo nuncupatum, & abnegationem Deo teſte pronunciatam, præſtare præferendaque eſſe cuivis deuinctioni erga homines, etiam coniunctiſſimos, vt patrem & matrem. Poſteriorem igitur ſententiam ſi ſequaris, intelligendum eſt iuramentum his verbis ineſſe, & ſubaudiendum, *Munus* iuro ſi, id eſt, Sanctum munus iuro, me velle diſperire, ſi quodcumque ex me tibi proderit, ſi quidquam proficiſcatur à me quod tibi proſit. Iuxta alteram verò ſententiam, receptam illam, intelligendum eſt votum his verbis ſignificari (non enim ſufficere arbitramur voti propoſitum, quòd diximus) ſupplendum proinde, *Munus* ſ. eſto vel eſt, hoc ſenſu: Sit vel eſt Deo conſecratum & deuotum. *Eſt* ſubaudit Chryſoſtomus cum ſua Schola: cui expoſitioni ſuffragatur & Syrus, qui habet ܩܘܪܒܢܝ *corbani*, munus meum ſeu oblatio mea. id enim cùm ſequentibus iungi non poſſit, ſupplere oportet *eſt* vel *eſto*: Oblatio mea eſt, iam Deo dicata ac deuota. Sequitur hoc idem Andreas Maſius, enarrans cap. 6. v. 19. Ioſue, vt vouendi ſit potiùs quàm iurandi formula, & ſi iuxta eandem illam Hebræorum Doctorum traditionem, quam adfert Arias Montanus, locum explicet: cui nec ipſe Arias in Marcum ſcribens refragatur. Ad hunc porrò modum, refert poſt Origenem & Hieronymum Theophylactus, à Iudæis dici ſolere & debitoribus, à quibus deſperarent debiti recuperationem: Munus (eſt vel eſto) id quod mihi debes, quo minùs ſcilicet, quouis prætextu, id cedere poſſet in emolumentum debitorū. QVODCVMQVE EX ME ſ. prouenienſ. Nā *eſt* verbum ſubſtantiuū notant quidē abeſſe à nonnullis latinis manuſcriptis: vt certè non exſtat ſiue græcè ſiue ſyriacè, denique in Marco ne latinè quidem. TIBI PRODERIT. prodeſſe tibi poſſit, prodeſſe tibi cupis. Græcè eſt ὠφεληθῇς iuuèris, nam ita eſt ad verbum, vt paſſiuum paſſiuo, & coniunctiuum coniunctiuo reddas. verùm iam ſexto caſu reddas oportet articulum ὁ, qui phraſi attica græcè legitur quarto: *Quocumque ex me iuuèris*, omne id quo à me iuuari poſſis. nam particula ἐὰν potentialis, cum verbo ὠφεληθῇς iungenda eſt. Syriacè legitur ܡܕܡ ܕܬܬܗܢܐ ܡܢܝ *Medem detethane menni*; ad verbum, id quo iuuaberis ex me, quod eſt, id quo iuuari vis ex me, id quod prodeſſe tibi cupis ex me. verbum ܬܬܗܢܐ *tethane* futurum paſſiuum eſt, ab ܗܢܐ *hana*, quod eſt, vtilem eſſe, iuuare, prodeſſe: vnde vox illa הנאה *bannaa* quam mox dicebamus, ſiue ܗܘܢܝܐ *hemana*, vtilitas, commoditas. Cæterùm vtramuis loci huius enarrationem ſequaris, adhuc pendet ſententia, & ſubaudire oportet præterea aliud, vt, Quicumque dixerit patri vel matri: Munus, quodcumque ex me tibi proderit, nulla in re prodeſſe poteſt patri aut matri, vel, non poteſt illud quod Deo conſecrauit in patris matriſue vſum conuertere. Quidam ſubaudiunt inſons erit, alij rectè facit, tamquam docuerint Scribæ, non ſolùm teneri liberos huiuſmodi ſiue iuramento ſiue voto, ſi quod feciſſent (quædam enim malè fiunt, quæ tamen facta tenēt) verumetiam abſque peccato adeoque rectè ab illis fieri, ſi parentes opē petentes hac ratione fruſtrarent, ac proinde etiam hortati fuerint & docuerint liberos ita cum parentibus agere (id quod plurimi veterum intelligunt) quæ ſumma fuerit peruerſitas, ſed huiuſmodi, quæ ex Saluatoris verbis non niſi hactenus liquere videatur, quod aſtorgis liberis anſam dederint hoc modo vtendi, itaque debitam parentibus opem fruſtrandi.

καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ 6 ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ· καὶ ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν.

Et non honorificabit patrē ſuum aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. *Mar. 7. v. 12. 13.*

ET ita, hac ratione, ſequutus hanc veſtram ex traditione doctrinam. verba ſunt Chriſti. NON HONORIFICABIT. non honorabit ſ. filius (ſeruādum erat verbum mandati mox laudati, vt græcè ſit & ſyriacè) non obſeruabit mandatum Dei de honorandis patre & matre. Non honorabit enim, quia ſinet eos egeſtate conſumi aut premi, nō ſuccurrens indigentiæ ipſorum, præpeditus ſcilicet voto aut certè iureiurando: quod Marcus dicit: *Et vltra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo aut matri.* Nam honor quem præcipit diuinum mandatum, comprehendit id omne quod ad parentum curationem atque amplificationem facere poſſit: & quidem primum omnium in honore locum obtinet, vt miſeriam ſubleuemus eorum quos honorare aut volumus aut debemus. Iubentur itaque, illo Dei præcepto, parentes à liberis coli, honore, gloria, obeditione, obſeruatione, nutritione, veſtitione, omni denique pietatis officio, quo, vel egere queant, vel augeri eos deceat. Tranſgreditur igitur Dei præceptum, nec honorat parentes filius, qui opis indigis, cùm facultas ſuppetat, non ſuccurrit: immo verò dehoneſtat parentes & ignominia afficit, peior maledico: adeoque illudit & Deum & parentes, dum votum Deo nuncupat in fraudem parentum, aut teſtem Deum inuocat ſuæ in parentes iniurioſæ feritatis. ET ita vos IRRITVM FECISTIS. ἠκυρώσατε. deriuatur hoc verbum à κῦρος, quo plena auctoritas & imperium declaratur: itaque ἀκυροῦν propriè eſt, imperio & auctoritate ſpoliare. *Irritum feciſtis* igitur, id eſt, ſuo in homines imperio & auctoritate ſpoliaſtis, antiquaſtis, abrogaſtis, non tantùm tranſgredimini dum vobis videtur, verumetiam tranſgredi licere & oportere docetis. qua pœna digni, ſi, qui tranſgrediuntur dumtaxat, irremiſſibiliter morte plectendi ſunt? PROPTER. ad conſeruandam auctoritatem traditionis veſtræ contrariæ. Græcè eſt διὰ, vide ſuprà v. 3. & Mar. 7. v. 13.

Hypo-

Mar. 7. v. 6.

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: 7 ὑποκριταί, καλῶς προεφήτευσε περὶ ὑμῶν ἠσαΐας, λέγων·

HYPOCRITÆ. Aduersus confusos vi maiore inuehitur, longiusque progrediens, ex scripturæ auctoritate fontem aperit totius mali, hyprocrisin inquam, Dei cultum hominisque sanctimoniam in externo ceremoniarum operumque splendore constituentem, & quibus ille deest irreligiosos iudicantem. quare apposite hypocritas vocat, digno illos nomine ex spiritus grauitate & auctoritate appellans. Vide supra 6. v. 2. & 7. v. 5. BENE. exactissimè enim conueniunt illius prophetia & vestra opera: ad amussim exprimitis rebus ipsis id quod ille prædixit. DE VOBIS. nam ad Christi præsertim tempora, illius capitis aduersus Ariel prophetia, pertinet.

Mar. 7. v. 6. Isa. 29. v. 13.

Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me. 8 ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ· ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ.

LABIIS. ore, oratione. In Græcis libris, Euthymio disertè suffragante, constanter duo sunt membra ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ τοῖς χείλεσί με τιμᾷ *Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat*: quo modo habet Propheta. Verùm Seruator, non verba Prophetæ recitare studens, sed sensum attulisse contentus, omisisse ea verba videtur: *Appropinquat mihi ore*, vt quorum eadem sit sententia quæ istorum. *Labijs me honorat* (appropinquare Deo, ministrare, seruire est) In hanc enim legendi rationem conspirant, Editiones Syrica & Latina Matthæi, atque adeò, citra omnem editionum varietatem, Marcus Euangelista: quibus omnibus B. Hieronymus Isaiam enarrans adstipulatur. Quare non aberrat quidã, coniectans illa græcæ Matthæi editioni adiecta ab aliquo, qui voluerit absolutum reddere Prophetæ testimonium. HONORAT. laudat, celebrat, inuocat, colit. Sub cultu autem labiorum, exterior omnis cultus intelligitur. COR. spiritus, animus, quo inprimis honorari colique requiro. *Spiritus est Deus, &c, eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. Ioh. 4. v. 24. Porrò cor siue spiritus integer hîc intelligendus est, non tantùm qua parte constat voluntate, quæ hîc tamen præcipuè consideratur, verùm etiam qua intellectu. LONGE EST πόῤῥω ἀπέχει longè abest, minimè me honorat aut colit, est à me alienum, longè diuersa à mea voluntate cogitat, desiderat, amat; non me cogitat, non ad me respicit, virtutibus fide spe & charitate vacuum est, quæ sunt proprius cultus mei; immo cæcum ignorat veram hanc colendi me rationem. Opponitur, vt *cor* ori ac *labijs*, ita τὸ *longè esse* illi *appropinquare* seu propè esse, quod exponitur per *honorare*: coniungenda enim sunt duo hæc, os propè & cor longè, ad hypocrisin conuincendam. Intelligenda est igitur prior pars cum exclusione posterioris: non enim est Deo ingratus exterior labiorum cultus, nisi ab interiori cordis seiunctus sit: immo verò & exteriorem cultum requirit, vt tam corpore colatur quàm animo, qui vtriusque auctor & creator est (David ponit in donis Dei, labia sua aperiri, & os annunciare laudem Dei. Psal. 50. v. 17.) sed non absque interiori, qui, in fide, spe, & charitate consistens, cor sanctificat & Deo appropinquare facit, quem vt sibi maximè proprium Deus inprimis exigit, ita vt absque hoc ille numquam placeat, hic verò frequenter absque illo. Quod non intelligentes Scribæ, ipsum per se exteriorẽ cultum Deo gratum esse & satisfacere persuasum habebant. Hinc igitur omnis illorum error, vt votum Deo nuncupatum pluris facerent quàm patris matrisve indigentiam, sacrificium præferrent misericordiæ, prophetarũ sensa non assequuti: ceremoniarum obseruationibus toti addicti essent, rigidos agerent censores in eos qui ex charitatis dictamine illas quandoque negligerent, præter legis ceremonias, quò perfectiùs scilicet Deo seruirent, & alias ipsi instituerent ad veram animi pietatem nihil facientes: deniq; externam tantùm iustitiam persequerentur, cordis mundatione sanctificationeque neglecta.

Mar. 7. v. 7. Isa. 29. v. 13.

Sine causa autẽ colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. 9 μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων.

SINE CAVSA. μάτην frustra, vanè, inaniter. putant se colere, cùm non colant, ideò frustra: non enim hic est cultus mei. Generali increpationi, qua reprehendit Propheta præposteram obseruantiam constitutionum exteriorum, etiam earum quæ à Deo profectæ essent, subnectit particularem, qua docet, eo periculosiùs ipsos in Dei cultu errare, quòd sequantur inuenta mandataque hominum, quæ, si ad quid valeant, labia sola formare possunt. nam quæ à Deo præcepta sunt exteriora, si quis eis rectè vtatur, plurimum faciunt ad cor in Deum agendum. DOCENTES. sequentes ipsi & alios docentes vt sequantur. DOCTRINAS ET MANDATA HOMINVM. Alij libri, vt in notis diximus, omissa coniunctione legunt *Doctrinas mandata hominũ*, cõformiter græco, quę Appositio est, hoc sensu, doctrinas quæ sunt mandata hominũ: ad quem modum Syrus exprimit relatiuum: *Doctrinas quæ præcepta (sunt) filiorum hominum*. Sequitur interpretationem LXX virorũ hac pręcipuè parte Seruator, nisi quòd præponat vocem *doctrinas*, quã illi iuxta Hebræa postponunt, hoc modo: μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας *frustra autem co. me, do. mandata hominum & doctrinas* s. hominum, quod est, mandata ab hominibus docta. Hebraicè est ותהי יראתם אתי מצות אנשים מלמדה *Vattehi iratham othi, misuat anasim melummada*: quod ad verbum vertas: *Et fuit timor eorum erga me, mandatum hominum doctum*. Timor Dei, cultus Dei vocatur, phrasi non infrequenti, qua & Syrus hîc vtitur. *Mandatum*, LXX subaudierunt *docere*: liceat subaudire *iuxta* cum Chaldæo paraphraste, quãquam non opus sit quidquam supplere. *Mandatum hominum doctum*, id est, ab hominibus doctum. Sensus est igitur: Cultus quo me prosequuntur est mãdatum ab hominibus doctum. Colunt me obseruatione mandatorũ ab hominibus traditorum. Porrò mandata hominum sunt, non quæuis ab hominibus profecta mandata, sed quæ ita sunt hominũ vt non sint Dei, quæ homines sine spiritu Dei, suopte ingenio prauo ac corrupto, effingunt.

Huius-

huiusmodi autem sunt ea inprimis, quæ dantur ab hominibus non præditis auctoritate legitima: ea deinde quæ aduersantur mandatis Dei: denique ea quæ nihil conferunt ad obseruationem mandatorum Dei & interiorem ac proprium Dei cultum. Scribis auctoritas non deerat, sed vel contraria erant ipsorum mandata mandatis Dei, vt illud de Corban, vel nihil conferebant pleraque ad interiorem ac verum Dei cultum, vt illa de lotione manuum, populorum, mensarum (Mar. 7. v. 3. 4.) idcirco mandata erant hominum. Ecclesiæ mandata, vt à legitima auctoritate proficiscuntur, ita maximè respondent Dei mandatis, deque eis pendent, & ad illorum obseruationem promouendam, quæ interiorem Dei cultum conducunt plurimum. Quòd si qui, cùm studiosè ista obseruent, negligant interim mandata à Deo immediatè profecta, aut, exteriori illorum obseruatione contenti, non ea referant ad cultum fidei, spei, & charitatis, impingunt illi in priorem huius prophetiæ periochen: *Populus hic labijs me honorat*, &c.

καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον, εἶπεν αὐτοῖς· ἀκούετε καὶ συνίετε. 10 Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite. *Mar. 7. v. 14.*

CONVOCATIS AD SE TVRBIS προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον aduocata turba. Magna turbæ pars, cùm nihili duceret Scribarum & Pharisæorum λογομαχίας, remiserat; verisimile est, auscultandi studium, alijs intenta. Quocirca Saluator, postquam silentium imposuisset & lethalem plagam inflixisset Scribis ac Pharisæis, volens iam ex proposito discipulos obiecto crimine illotarum manuum liberare, & veritatis in eam rem doctrinam, à qua aberrabant Scribæ, proferre, aduocat turbam, ne frustrà proferat, si soli eam audiant Scribæ & Pharisæi, qui, præ inuidia & fastu indociles, nihil nisi deteriores reddendi erant. Docilis enim erat turba, aut certè aliqui ex ea, quippe à prauis illis affectibus libera. DIXIT EIS. conuertit enim se ad turbam, relictis Scribis & Pharisæis, præsentibus licet, vt insanabilibus. AVDITE doctrinam à Deo proficiscentem, hactenus vobis inauditam, quippe doctrinis hominum, Scribarum inquam vestrorum, contrariam. INTELLIGITE. considerate & expendite, vt intelligatis veritatem. Excitat eos ad attentionem & intelligendi studium: tametsi enim Dominus simplices ac rudes amet, crassam tamen ignorantiam & intelligendæ veritatis negligentiam in eis non amat. Magna itaque cura turbam dedocet quod malè didicerat, quæ facilè persuaderi solet, magnam aliquam pietatem inesse in eiusmodi rebus obseruandis (multoque magis si doctorum accedat auctoritas) quandoquidem faciliùs multo & dici & agi huiusmodi res queant, quàm solida pietatis virtutisque opera.

οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος, τοῦτο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. 11 Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. *Mar. 7. v. 15.*

NON, id est, nihil, ex Marco, ita vt sit propositio vniuersalis. QVOD INTRAT τὸ εἰσερχόμενον quod ingreditur. IN OS. in hominem. COINQVINAT. κοινοῖ ad verbum *communicat*, quo modo aliàs vertit. Nam quia κοινὸν commune vocabant Iudæi id omne quod immundum erat, hinc factum est vt & verbum κοινοῦν *communicare*, vsurpatum fuerit pro immundum reddere, coinquinare, polluere. vide Mar. 7. v. 2. Syrus, qui ab hoc idiotismo abhorret, vtitur hic verbo סאב *seab* aliàs טמא *temo*, quæ propriè polluere notant: Polluit autẽ siue coinquinat hominẽ, id est, reddit hominẽ immundũ, inuisum, aut ingratum Deo. QVOD PROCEDIT. τὸ ἐκπορευόμενον quod egreditur. EX ORE. Synecdoche est oris pro homine, Marco explicante: allusio est tamẽ ad præsentẽ causam, nam de edendo quæstio erat. COINQVINAT s. sæpe. non enim omne (quia est & quod sanctificet) sed solum. Sententia est: Arguuntur à Scribis & Pharisæis discipuli mei vt irreligiosi, quòd illotis manibus cibũ sumserint: itaque & vos, dum ab illis religionẽ docemini, auditis, lauandas esse manus ante cibum, ne fortè manus immundæ cibum, cibus comedentem polluat. Ego autem dico vobis, nihil eorum quæ deforis ingrediuntur in hominem, quibuscumque sordibus obnoxium sit, polluere hominem aut reddere Deo minùs gratum. Sed si vultis scire quænam illa sint quæ verè hominem contaminent, & quæ religio sit non studiosè vitare, non sunt ea quæ ingrediuntur, sed contra quæ egrediuntur ex homine, quæ homo ex se profert, illa frequenter, & quidem sola, violant eam hominis munditiem quæ Deo placet.

τότε προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἶπον αὐτῷ· οἶδας, ὅτι οἱ Φαρισαῖοι ἀκούσαντες τὸν λόγον, ἐσκανδαλίσθησαν; 12 Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?

TVNC. vbi dimissis omnibus domum ventum esset, quod ex Marco intelligitur c. 7. v. 17. SCIS οἶδας nosti, non obseruasti. Obseruauerant illud discipuli, vel etiam audierant susurrationem. QVIA quòd. VERBO. sermone, dogmate. HOC tuo. SCANDALIZATI SVNT. offensi sunt. vide suprà 11. v. 6. q. d. discipuli: Mirum est quod non occurreris scandalo, neque explicueris clariùs doctrinam hanc tuam. Scandalizati autem seu offensi fuerunt, immo duplicata est offensio quam priùs conceperant, vbi viderunt, non iam obliquè, sed ex professo, apud populum aduocatum, suas lotiones, omnesque illas exteriores obseruationes: *Ne tetigeritis, neq; gustaueritis, neq; contrectaueritis* (Coloss. 2. v. 21.) quibus se bellè legem implere & Deo suo esse sanctos arbitrabãtur, tamquam nugas ab Iesu reijci. PHARISAEI autem potiùs quàm Scribæ offensi fuerunt: nam quãquam Scribæ profiterentur rerum huiusmodi disputationem & scientiam, exactam tamen earum obseruationem profitebantur Pharisæi, qua, si non Scribis præstantiores, at populo tertæ, quem illi vocabant, id est, vulgo, admirabiles, suspiciendi, & reuerentia maxima digni, consentientibus etiam

etiam Scribis, erant, & videri atque haberi contendebant. Cæterùm non audebant siue Pharisæi siue Scribæ contradicere Iesu, à quo solidè adeò fuerant refutati: nec persuadebant sibi quorumuis ciborum esum ab illo permitti, etiam lege vetitorum (vt certè non permittebatur) cùm nihil tale in ipsius aut discipulorum moribus obseruarent.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε· πᾶσα φυτεία, [13] ἣν οὐκ ἐφύτευσεν ὁ πατήρ μου ὁ οὐράνιος, ἐκριζωθήσεται.

At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.

PLANTATIO. planta, germē. Familiare est sacris literis homines plantis comparare, & eorum in hoc mundo constitutionē plantationi, Isa.5.v.2. Ier.2.v.21. 12.v.4. Amos 9.v.15. QVAM NON PLANTA. PA. ME. CÆLESTIS. Homines quidem omnes à Deo creati & plantati sunt in hoc mundo: sed quia primæua hæc plantatio, cùm diaboli inuidia, tum hominis culpa, vitiata est: necesse est illam noua à Deo replantatione & insitione emendari: quibus quæ non contingit, non censentur illi à Deo plantati, eò quòd vitiositas illa, quæ primæuæ illi plantationi mox accessit nec est à Deo, perseueret in eis, multum etiam aucta ætate. Itaque plantati propriè à Deo Patre dicuntur, qui gratuita eius adoptione, in arborem vitæ Christum (absque quo non est salus) insiti sunt. Hoc sensu Deus Pater, Isa.60.v.21. populum Ecclesiæ, Christi gratia renouatæ, vocat *germen plantationis meæ.* Hi soli sunt arbores bonæ, & proferunt fructus dignos perpetua vita. Reliqui, vt non censentur à Deo plantati, ita nec proferunt fructus vita dignos, immo morte, arbores steriles, putres, spuriæ, malæ. ERADICABITVR vt praua & inutilis, exscindetur & in ignem mittetur, quod habes Matth.7.v.19. sublata ex hac vita præcipitabitur in perpetuum exitium. Similis formæ sententia exstat cap.4.v.3.4. Iam subaudiendum venit, huiusmodi plantationes manifestè sunt Pharisæi isti, quantumuis virentibus ornati fictæ sanctimoniæ folijs; quippe iurati & aperti inimici, vt mei, ita Patris mei cælestis, denique insanabiliter peruersi.

ἄφετε αὐτούς· ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ [14] τυφλῶν. τυφλὸς δὲ τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον ἐμπεσοῦνται.

Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum: cæcus autē si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.

SINITE ILLOS. Quocirca relinquite illos sibi, ne laboretis aut soliciti sitis de illorum offensione & in doctrinam meam impactione, de quorum eradicatione & perpetuo exitio constare vobis debet. Iesu igitur non minùs quàm discipulis nota erat Pharisæorum offensio: sed non iudicabat operæpretium vt placandis illis intenderet, aut clariùs interpretaretur doctrinam contumaciter reiecturis. Nemo certè vmquam magis scandala cauit quàm ipse, hoc est, dicere aut facere quidquam quo aliquis posset à pietate & salute vel reuocari vel impediri (id enim est scandalizare) sed reprobi, ex cunctis ferè dictis & factis eius, sibi ipsi scandala struxerunt, id est, occasiones acceperunt, vnde alieniores sese ab ipso vitæ auctore facerent, & veritati infestiores euaderent. vide suprà 11.v.6. Significat hîc porrò Christus, non ita curandos esse homines huiusmodi, vt illorum offensio nos valde commoueat, qui offensionis occasionem ex bono nostro accipiunt, causam ex se solis habent. Iudicio tamen & prudentia opus est, vt, inter infirmos qui ignorantia offensi mox se reddunt sanabiles, & malignos ac contumaces, qui scandala vltrò sibi accersunt, discernamus. Hos enim, qui ex sola sua prauitate offenduntur, negligi debere, ac per medias illorum offensiones securè pergendum, tum exemplo tum sermone hîc suo Christus docet: infirmorum autem ignorantiam, ne plus æquo turbetur, erudiendam esse, mox etiam monstrat in discipulis, qui & se ipsi turbatos nonnihil illo Domini paradoxo fuisse aperiunt. CAECI SVNT ET DVCES CAECORVM. Alij libri rectiùs omittunt coniunctionem. vide Notas. Græcè est ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν duces sunt cæci cæcorum. Non itaque interpungendum est post illud *Cæci sunt*, sed *cæci* construendum cum *duces*. Occurrit Saluator tacitæ Discipulorum obiectioni: Quod dico illos eradicandos vt plantas adulterinas, ac proinde non esse curandum offendantur nec ne doctrina mea bona sanctaque, non vos moueat, propterea quòd principes, duces, doctores, & exempla sint populi, (Ioh.7.v.26.48) *Duces* certè sunt, sed *cæci cæcorum*. Duces, id est, eos qui se alijs ac præsertim cæcis ductores præbere volunt, oportet esse quàm oculatissimos: volunt isti populo cæco, rudi, & magna veri rectique ignorantia laboranti, præire ac prælucere, tum doctrina tum vitæ exemplo: atqui sunt ipsi deploratiùs cæci, mente veri rectique nescia, non tam ignorantiæ vitio quæ sanabilis sit, quàm obstinatæ malitiæ, cui cura nulla adhibita mederi queat. DVCATVM PRÆSTET ὁδηγῇ præierit, duxerit. ὁδηγεῖν est ducem esse itineris. CADVNT ἐμπεσοῦνται incident. Tamquam dicat Saluator: Deplorandus certè populus tam infelices duces nactus. Nam ex huiusmodi ducum ducatu quid tandem sequuturum est, nisi miserabile exitium, quale solet cùm cæcus cæco dux viæ est, vt ambo in foueam cadant, ambo & dux & is qui ducitur in extremam perniciem præcipites ruant. Sic enim futurum est, & his & populo qui eos sequitur, admiratur, credit, paret, imitatur, adhæret, vt simul in idem vnum trahantur exitium tam huius quàm futuri seculi.

Mar.7. v.17.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Πέτρος εἶπεν αὐτῷ· [15] φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν ταύτην.

Respondens autē Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

RESPONDENS. his subijciens. vide suprà 11.v.25. PETRVS vt discipulorum corypheus, omnium nomine. Nam, quod proposuerant de Pharisæis, non minùs sua quàm illorum causa in medium attulerant, sperantes Dominum, vt immeritò offensos Pharisæos ostenderet, illius sui dicti rationem declarationemque redditurum. Fuerant enim & ipsi, etsi non offensi, turbati, illo paradoxo, quod videbatur. EDISSERE. explica. PARABOLAM ISTAM: *Non quod intrat in os, &c.* Quamquam clari ac perspicui sensus esset thesis illa

illa Saluatoris, discipuli tamen parabolam esse existimabant, qua aliud voluerit significatum, quam verba præ se ferrent (vt non rarò parabolis vtebatur Saluator) eo quòd propriè accepta, contraria viderentur ei quam à puero imbiberant hactenusque didicerant doctrinæ. plurima esse, non tantùm ex traditionis, sed & ex legis præscripto immunda, quæ comesta reddant hominem immundum. Leuit. 11. Deut. 14.

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν· ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς [16] ἀσύνετοί ἐστε;

At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? *Mar. 7. v. 18.*

ADHVC ET VOS. q. d. Sint Pharisæi, sint populus terræ, sed vos hactenus meæ assueti doctrinæ, adhuc SINE INTELLECTV. ἀσύνετοι expertes intelligentiæ, ita vt sermonis mei propriè accepti, vt debet, veritatem non intelligatis? Iam sæpiùs docuerat Christus, quibus in rebus sita esset hominis siue puritas siue impuritas, deque his rebus non semel neque breuiter disseruerat neque obscuris verbis, vt ex Capitibus 5. 6. & 7. huius Euangelij intelligitur: idcirco increpat tarditatem discipulorum suorum, cui tamen non desinit doctorem se præstare.

οὔπω νοεῖτε, ὅτι πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον [17] εἰς τὸ στόμα, εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται·

Nō intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: *Mar. 7. v. 19.*

NON. οὔπω nondum. Syrus, vt nos, non. Si nondum legas, sensus est: Nondum intelligitis ex his quæ à me sæpiùs audistis. OMNE QVOD IN OS INTRAT. πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα omne id quod ingreditur in os, in hominem. IN VENTREM ex stomacho. VADIT. χωρεῖ cedit. Subaudi ex proximo versu qui huic opponitur, *& non in cor* (quod iuxta Marcum & hic additur) non ingreditur, non afficit animam, nobiliorem hominis portionem. ET, ne dicatis, quòd, vel hærendo in corpore, inquinet quouis modo, si qua immunditia affectum sit: nescitis quòd illud, ex ventre deinde in aluum secretum, ea parte qua vel sordibus contaminatum, vel fæculentum, vel terrestre, vel denique ad nutritionem ineptum est, quæ maior est vtique pars. IN SECESSVM. εἰς ἀφεδρῶνα in latrinam. quæ à seorsum sedendo ita vocatur græcis, quemadmodum *latrina* latinis à lauando aut latendo. EMITTITVR. ἐκβάλλεται eicitur. Syrus: *Et inde per expurgationem eijcitur foras.* Subaudi, ac proinde non coinquinat hominem quod intrat in os. His enim verbis Saluator declarat priorem illius suæ theseos partem, hanc: *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* tamquam dicat: Id quod coinquinat hominem, ea coinquinatione quæ vitanda sit viro religioso ne Deo displiceat, animam hominis afficiat coinquinetque oportet: vt enim anima est nobilior hominis pars, ita illa præcipuè vult coli, & ex illa præcipuè hominem mundum immundúmve iudicat Deus. nam corporis sordes, quæ possunt frequenter homini etiam inuito obrepere & adhærescere, nihili facit. Atqui nullus cibus in hominem introiens, ingreditur aut afficit hominis animam: præter hoc enim quòd corporata non agant in spiritum, natura docet omnes, cibum non aliò quàm in ventrem ferri per stomachum, & quamquam aliquid illius ex ventre ad totius corporis nutritionem assumatur, maiorem tamen illius portionem, ac omnino quidquid fecium, sordium, aut immunditiarum adiunctum est, ex ventre per aluum humano corpore expelli, ita vt cibus in hominem ingrediatur, non aliter quàm in aliud quoduis animal, naturali quodam agendi modo, homini cum bestiis communi. Nullus igitur cibus, qui in hominem ingreditur, hominem coinquinat.

τὰ δὲ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος, [18] ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχεται, κἀκεῖνα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον;

quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem? *Mar. 7. v. 20.*

QVÆ AVTEM PRO. DE ORE. τὰ δὲ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ στόματος quæ autem egrediuntur ex ore. Obseruanda est paronomasia & antithesis vocum εἰσπορευόμενον & ἐκπορευόμενα. Ex ore porrò, id est, ex homine, quod diximus: quæ egrediuntur, intellige pleraque omnia. non enim sputa, vomitus, excrementa, consideranda huc veniunt. DE CORDE. ἐκ τῆς καρδίας ex corde, ex anima rationali, ex intellectu & voluntate propriis animæ rationalis facultatibus. Quia cor ad spiritalem naturam proximè accedit, & anima eo vt principe instrumento ad omnes functiones vtitur, idcirco obtinuit vsus, vt cor hominis pro hominis anima accipiatur, sed & pro propriis illius facultatibus intellectu ac voluntate. ET EA sola. non enim omnia, quia sunt & quæ sanctificent ex homine eiusque anima egredientia. COINQVINANT. exeunt enim ex homine vt huiusmodi, id est, vt prædito anima rationali, voluntate ac libero arbitrio: cùm ea quæ in hominem intrant, intrent in eum vt in quoduis aliud animal, naturali modo. Quæritur: An non etiam cibum homo voluntate comedat? An non & actus comedendi egrediatur homini ex corde, & quidem suis cum circumstantiis, quid, quantum, quomodo &c.? proculdubio: ac proinde potest is etiam actus hominem coinquinare, id quod fit in crapula & ebrietate: sed cibus ipse qui comeditur, etiamsi sordibus aliquibus affectus, non coinquinat, ingreditur enim in ventrem, non egreditur ex corde. nam hac de re quæstio erat: id quod etiam mox exponitur. HOMINEM. Cum hoc versu finitur interrogatio, quæ cœperat cum superiore.

ἐκ γὰρ τῆς καρδίας ἐξέρχονται, [19] διαλογισμοὶ πονηροὶ, φόνοι, μοιχεῖαι,

De corde enim exeunt, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, forni- *Mar. 7. v. 21. 22.*

fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. | πορνεῖαι, κλοπαί, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι.

DE CORDE. ex corde. vt suprà. *Omni igitur custodia serua cor tuum.* Prou. 4. v. 23. EXEVNT. nascuntur, vt effectus ex causa. Quædam eorum quæ coinquinant, ita egrediuntur ex hominis corde, vt tamen non erumpant siue in verba, siue in opera, sed in corde maneant: quædam in verba prorumpunt; alia in opera. Singulorum hîc à Seruatore enumerantur exempla. COGITATIONES MALÆ cuiusuis generis peccatorum, non obrepentes illæ inscijs aut inuitis, sed animo scienti prudentique placentes, etiamsi foras non erumpant. Has Scribæ & Pharisæi pro immundis, id est pro peccatis, non videntur habuisse (vide suprà 5. v. 28.) idcirco fortasse primo eas loco ponit: simul quia fons sunt cæterorum omnium peccatorum, verborum & operum. HOMICIDIA. φόνοι cædes. alij φθόνοι inuidiæ legunt. FORNICATIONES. πορνεῖαι scortationes. BLASPHEMIÆ siue in Deum siue in homines. nam & sermones quibus aliena fama læditur, græcè blasphemiæ dicuntur, παρὰ τὸ τὴν φήμην βλάπτειν, id est, à lædenda fama & existimatione.

Mar. 7. v. 23.

Hæc sunt quę coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. [20] | ταῦτά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον· τὸ δὲ ἀνίπτοις χερσὶ φαγεῖν, οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

HÆC & his similia, quæ ex corde exeunt. SVNT. manifestum est esse huiusmodi quæ coinquinent, quippe legi Dei contraria. COINQVINANT. verè immundum & Deo inuisum reddunt. Subaudi, Igitur ex homine egrediuntur ea, quæ hominem immundum reddunt. His enim declarauit Seruator posteriorem illius suæ theseos partem hanc: *Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Iam ex integra illa thesi his modis firmata & explicata infert quod sequitur: NON LOTIS. ἀνίπτοις illotis. NON COINQVINAT, vt quod ad ea pertineat quæ ingrediuntur in hominem, cibum inquam, qui possit ab illotis manibus corporeas aliquas sordes contrahere, non ad ea quæ egrediuntur. Ad hunc scopum retulit Seruator thesin illam suam & illius declarationem, vt doceret, Dei cultum non esse in eo situm, an lotis an illotis manibus cibum sumas, neque posse animum pollui cibo ab illotis fortè manibus immundo. Cæterùm, plura quàm illud vnum, eadem ratione docta voluit; vt, Quòd immunditiæ contractæ, etiam Legis iudicio, ex contactu rerum quarumvis corporearum, non coinquinent hominis animam, Quòd nullus cibus, etiam Lege vetitus, natura sua immundus sit, id est, huiusmodi qui hominis animam queat polluere, Quòd peccatoris contactus non sit vitandus homini religioso vt contagiosus; & si quæ sunt his similia, in quibus Iudæos errasse turpiter, cùm ex Euangeliis, tum ex Paulinis Epistolis, manifestum est. Verumtamen docere noluit, licere Iudæis vesci cibis lege prohibitis, carnibus suillis, leporinis, aliisque huiusmodi (nam idcirco fortasse scopum quò tendebat aperuit, ne discipuli illud intelligerent, quod temporis nondum ferebat opportunitas) non magis quàm Adamo protoplasto licuisse edere ex ligno scientiæ boni & mali. Nam quanquam, & illius ligni fructus, & carnes suillæ, leporinæ, cęteræque huiusmodi res, essent natura mundæ ac bonæ: illarum tamen vsus contra Dei præceptum, vt res erat ex homine promanans, ita & inquinans hominem. Eadem est ratio de vsu ciborum, ad domandam carnis concupiscentiam, ab Ecclesia statutis diebus interdictorum. Non enim cibi ore hausti ac si immundi essent te inquinabunt, sed contumax cibi intemperantia ex corde profecta, quemadmodum crapula & ebrietas, à quibus cauendum Saluator alibi monet.

Mar. 7. v. 24.

Et egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. [21] | καὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος.

INDE. è terra Genesar, in qua gesta sunt superiora. SECESSIT latendi nonnihil & quiescendi gratia. IN PARTES. in agrum, in territorium. Syrus *in fines.* TYRI ET SIDONIS. id est, Phœniciæ. duarum enim præcipuarum vrbium nominibus regionem circumloquitur. Concurrebant nihilominus Tyri ab Austro, & Sidonis ab Aquilone confinia: quæ in Orientem simul, huc ad duo, illuc ad tria miliaria, excurrentia, Galilææ reddebantur contermina. vide suprà 11. v. 21. & Mar. 8. v. 10. Porrò etsi prædicandi Euangelij causa non adiit Christus harum gentium partes: quia tamen iam imminebat illud tempus, quo Christus à Iudæis reiectus ad Gentes transferretur, voluit eius rei quædam edere præludia.

Mar. 7. v. 25. 26.

Et ecce mulier Chananæa, à finibus illis, egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili Dauid: filia mea malè à dęmonio vexatur. [22] | καὶ ἰδοὺ γυνὴ Χαναναία, ἀπὸ τῶν ὁρίων ἐκείνων, ἐξελθοῦσα ἐκραύγασεν, αὐτῷ λέγουσα· ἐλέησόν με κύριε, υἱὲ Δαβίδ, ἡ θυγάτηρ μου κακῶς δαιμονίζεται.

ECCE. cùm vellet ipse latere. Mar. 7. v. 24. CHANANÆA. genere ex Chananæis: nam vt græcè per χ, ita syriacè per ܟ coph literam scribitur, vt ne deducas à *Cana* oppido, quod per ܩ kopb siue κάππα scribitur. Accipitur hîc porrò Chananæi nomen, non ita vt complectatur septem illas gentes quæ terram Israëli promissam possederant; quo modo frequenter; sed ita vt vnam illarum significet, propriè eo nomine à sex reliquis distinctam, Deut. 7. v. 1. Iosu. 3. v. 10: quam iuxta mare habitasse, manifestum fit Num. 13. v. 30., nec omnino ab Israëlitis fuisse deletam, Iud. 1. v. 30. 31. 32. 33. Ex illa gente mulierem hanc fuisse Euangelista ait: quam & idcirco *Syrophœnissam* Marcus vocat. Nam Græcis Phœnices dictos, qui Hebræis Chananæi, liquet

quæ et ex Iosu. 5 v.1., vbi LXXij senes, *Reges Phœnicia* vertunt, pro eo quod hebraicè est *Reges Chanaan*. Accedit, quòd vt profani scriptores, Phœnicum industriam celebrant in nauigatione & mercatura; ita sacri, Chananæorum. Osee.12.v.7.Isa.23.v 8.Prou.31.v.24. vsque adeò vt & proprium Chananæi nomen, pro appellatiuo mercatoris accipiatur nonnumquam. Iob 40.v.25.Zach.14.v.21. Lege Andream Masium in caput 5. Iosuæ. Tyrij igitur & Sidonij, qui illis Phœnices dicuntur, his sunt Chananæi: nam & Sidonij inter Chananæos numerantur, Iud.1.v.31., & plerique à Sidone primogenito ipsius Chanaan nomen accepisse autumant, primogenito fortasse præ aliis nomen patris ferente. Constat autem, si reliquas Chananæorum vrbes aliquando; duas has, Tyrum inquam & Sidonem, numquam in Hebræorum potestatem venisse. vide suprà 11.v.21. A FINIBVS ILLIS. Fines vocat quas mox *partes*: nam sic erant partes, vt & fines Tyri ac Sidonis. Potest pars ista, & cum nomine *Chananæa* coniungi (mulier Chananæa, finium seu partium illarum) & cum participio *egressa*. ita tamen vt non intelligatur egressa mulier fines, quos Iesus fuerat ingressus, sed egressa domo sua, in finibus illis sita, ad Iesum. mox enim peruênit ad eam fama aduentus Iesu. Mar. 7. v.25. CLAMAVIT. nec enim propiùs audebat accedere ad virum sanctum vt immunda, quales sciebat sui generis homines à Iudæis omnibus haberi. Clamor autem desiderij vehementiam declarabat. DOMINE. Sic Christum vocat ex linguæ vsu, viros honoratos eum ad modum compellantis. FILI DAVID. Messia. vide suprà 9.v.27. Cùm celebris apud Iudæos vigeret Christi & redemtionis promissæ fama, factum est vt promissionum illarum odor & ad vicinas gentes peruenerit, eoque magis quòd Iesus tunc temporis promissum redemtorem rebus ipsis se declararet, confluentibus omnibus vndique etiam harum partium hominibus. Mar.3.v.8. Luc.6.v.17. Credit itaque inprimis mulier ista gentilis, Iesum esse Christum seruatorem à Deo Iudæis ex genere Dauid promissum. FILIA MEA. Explicans qua in re cupiat eum sui misereri, profert filiæ suæ malum. Filiæ itaque malum suum ducit: ea est virtus charitas. Parentes hinc sumant exemplum curæ & orationis pro liberorum salute. MALE. miserè, grauiter. Credit insuper facultatem ipsi esse liberandi filiam suam à dæmonio. & quidem absentem: ita vt non absimilis fuerit fides huius mulieris illi Centurionis suprà 8.v.8. Fidei deinde huic fiduciam addit, conceptam ex spectatissima Iesu humanitate. Vtramque oratione hac sua clamosa testatur.

ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον. καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἠρώτων αὐτὸν, λέγοντες· ἀπόλυσον αὐτήν, ὅτι κράζει ὄπισθεν ἡμῶν.	23	Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

QVI. ὁ δὲ ipse autem. VERBVM. quidquam (ponitur enim *verbum* ex Hebræorum idiotismo pro indefinita particula) non de superbia Pharisaica, sed quò probaret testatamque faceret mulieris constantiam. ACCEDENTES. nam sequebantur præeuntem. ROGABANT. orabant. Rectè *rogabant* vertit Interpres ex ἠρώτων: nam sicut apud Latinos rogandi verbum ambiguum est ad orare & interrogare, ita etiam τὸ ἐρωτᾷν apud Græcos Mar.7.v.26. Lu.7 v.3. 2.Thess.2.v.1.& alibi. DIMITTE. ablega amanda, concedens ei id quod petit. hunc enim sensum Saluatoris responsio insinuat. CLAMAT. clamores ingeminat, clamare non cessat quamdiu impos relinquitur voti. Notanda est inuicta mulieris fiducia, silentio, quod videri poterat quoddam esse repulsæ genus, minimè deiecta. POST NOS. molestia simul & dedecore nos afficit: molestiam enim clamor, latère præsertim cùm hîc velis; dedecus, clamitantis mulieris consequutio nobis parit.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ.	24	Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.

NON SVM. Causam reddit Apostolis, quare difficilem huic mulieri se præbeat, qui consueuerit miseris omnibus esse expositus. MISSVS à Patre Apostolus seu legatus. id enim notat verbum ἀπεστάλην, à quo deriuatur nomen apostoli. AD. εἰς. pro πρὸς. QVÆ PERIERVNT. τὰ ἀπολωλότα perditas. Sensus est, nisi ad quærendum curandumque oues perditas. s. doctrina & miraculis. Quod est ouis perdita, id est homo alienus à Deo. vide suprà 9. v.36. & 10.v.6. Porrò non solos electos intelligit Christus oues perditas, quia omnes Deus complexus fuerat in fœdere quicumque genus à sanctis patribus ducerent, & promiscuè omnibus Christus promissus erat, sicuti etiam sine exceptione omnibus se patefecit ac obtulit.

DOMVS ISRAEL. familiæ Israel, populi Israelitici. vide suprà 10.v.6. Christus constitutus erat à Patre totius humani generis Redemtor, tam Gentium quàm Israelitarum; sed Apostolus seu legatus Israelitarum tantùm, à Paulo idcirco *minister circumcisionis* dictus. Rom. 15. v.8. de huiusmodi igitur missione, apostolatu inquam, hîc agit, cuius quidem functio erat, Euangelium docere; comprobatio, miracula edere; finis verò, perditos lucrifacere. Sensus itaque est: Non sum promissus datúsve Apostolus gentibus, vt Euangelij prædicatione Deo illas lucrifaciam, sed solis Israelitis: ac proinde nec miracula mihi edenda sunt Gentibus, sed solis Israelitis, quæ non nisi in adstructionem doctrinæ & comprobationem legationis meæ edere debeo. Hoc itaque agebat Iesus dum non nisi rarò & ægrè Gentibus se præberet, vt omnino se probaret Iudæis eum qui fuerat ipsis promissus. Nam si Gentibus simul & Iudæis absque discrimine doctorem ac miraculorum operatorem se præbuisset, non iniuriâ Iudæi in dubium vertere potuissent an ipse is esset qui ipsis fuerat promissus. Ipsis enim promissus fuerat Christus, non Gentibus. Nam quamquam & Gentium salutem promissiones complecterentur: nulla tamen Gentibus facta est. Quocirca Apostolus: Dico, inquit, *Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super*

super misericordia honorare Deum. Rom. 15. v. 8. 9. Quòd igitur Christus Israelitis se offerret doctorem & seruatorem, promissum soluebatur; quòd Gentibus oblatus est, misericordiæ fuit. debuit ergo primùm Israelitis satisfieri à Christo per se: deinde verò potuit per alios Christi nomine ac virtute & Gentium succurri malis, eoque iustiùs quo contumaciùs illi Christum reiecerunt. Quocirca nec Apostolos suos Christus, quamdiu ipse in viuis præcipuum docendi munus obibat, abire permisit in vias Gentium, sed ad Israelem tantùm. vide suprà 10. v. 5. 6. Inter hęc verò Iesus, dum huiusmodi suis responsum daret discipulis, exercebat mulieris istius quæ audire poterat fidem, cuius virtute & experimento illa dignissima iudicaretur beneficio postulato, etiam Iudæis ipsis arbitris.

At illa venit & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me.	25	ἡ δὲ ἐλθοῦσα προσεκύνει αὐτῷ, λέγουσα, κύριε βοήθει μοι.

VENIT coram eo. Adeò non est defatigata mulier tot repulsis, vt etiam creuerit fides eius de Messiæ bonitate concepta, quæ animum ipsi addiderit propiùs coramque accedendi, quod suæ conscia vilitatis hactenus ausa non fuerat. ADORAVIT supplex; procidit ad pedes eius, quod Marcus habet. Sperauit honoris & humilitatis officiis se posse beneuolentiam ipsius demereri. ADIVVA. βοήθει succurre. Græcum verbum significat, ad vocem alicuius accurrere auxilij ferendi causa.

Mar. 7. v. 27.	Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.	26	ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· οὐκ ἔστι καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις.

BONVM. æquum. nam τὸ καλὸν hoc loco opponitur potiùs τῷ ἀδίκῳ iniquo quàm τῷ ἀπρεπεῖ indecenti. PANEM cibum. FILIORVM. τῶν τέκνων liberorum. vt tam filias quàm filios complectatur. *Panem filiorum*, cibum liberis alendis propositum debitumque. Subaudi ex Marco, illis nondum saturis. MITTERE. βαλεῖν obiicere. CANIBVS. τοῖς κυναρίοις catellis. s. cuiusmodi tu es. Diminutiuo vtitur, ideò verisimile est, quòd de domesticis canibus loquatur. Panem intelligit doctinam & miracula sua, quæ vtraque vnus erant panis seu cibus (nec enim miracula nisi propter doctrinam edebantur) illa viuificans, nutriens roboransque instar panis, hæc obsonij instar prouocantia appetitionem edendi panis. filios siue liberos intelligit Israelitas, quòd à Deo adoptati essent in filios, illique præ omnibus gentibus singulariter hactenus curæ. Exo. 4. v. 22. Psal. 147. v. 8. 9. Isa. 1. v. 2. Canes seu catellos dicit Gentiles, à Dei cultu alienos, quorum erat publica impudensque cum idolis fornicatio, qui Iudæis comparati, non magis Deo curæ esse videbantur, quàm sint patrifamilias canes liberis collati. Vult igitur in Dei familia Israelitas esse id quod sunt in hominis familia liberi, Gentiles quod in hominis familia canes: quod quamquam verum sit (huiusmodi enim origine sumus, vt iaceat hîc necesse sit omnis carnis superbia) magis tamen dicit Saluator ex Israelitarum sententia quàm sua, qui nouerat, vicibus breui mutatis, Israelitas quidem canes se præstituros (Psal. 21. v. 17. Philip. 3. v. 2.) Gentiles autem filios. Sensus est igitur; Non est æquum, priusquam Israelitis ad quos missus sum, vt filiis, satisfactum sit, doctrinam & miracula mea seruire tibi tuique similibus Gentibus, quippe canibus, quos exspectare oportet dum filij refecti sint. Hoc itaque responso reliquis repulsis duriore, spem omnem Christus mulieri præcidere videtur. Non enim solùm docet, doctrinam & doctrinæ confirmatiua miracula adeoque ministerium suum omne Iudæis deberi, verumetiam non sine contumeliæ specie mulierem ipsam gentemque ipsius canibus comparat, vt quorum aut nulla aut postrema habenda sit cura. Sed voluit hac bonitatis suæ dissimulatione, exemplum fidei, qua hæc mulier prædita erat, incomparabilis, magis proferre & illustrare.

Mar. 7. v. 28.	At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.	27	ἡ δὲ εἶπε, ναὶ κύριε· καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν.

ETIAM. ναὶ profectò. Ita se res habet vt dicis. NAM ET. καὶ γὰρ etenim. Nam catelli micas duntaxat edunt è mensa lapsas: sufficere canibus debet vt micas mensa excidentes excipiant, si quid edere velint prandentibus liberis. Obscuritatem quandam latinè parit transposita coniunctio *&*: potest tamen eundem in sensum accipi: Nam & catelli, si quid edant nondum saturis filiis, micas edunt panis filiorum è mensa excidentes, non panem ipsum. iuris amplius nihil habent. Ita confirmat prudens mulier id quod Christus dixerat, vt ostendat non impedire quo minùs accipiat ipsa id quod petit, vt quæ mica contenta sit. Insuperabilis itaque animi huius mulieris magnitudo, id quo videbatur omnino repulsa vertit in argumentum impetrandi, tamquam capiens ipsam Dei sapientiam laqueo sui oris verborum. DOMINORVM SVORVM. Patrumfamilias. nam & illorum est mensa, & illi domini sunt catellorum. Syriacè additur *& viuunt*, quod est, vt viuant. Subaudit mulier, id quod præ modestia non exprimit, sed Christo colligendum relinquit: Catellæ itaque loco cùm habenda sim, non mihi potes Dominus & paterfamilias micam negare, quæ catellis negari non solet. Facilè intellexit se gentemque suam catellis, Iudæos liberis assimilari, eoque magis, quòd audisse verisimile est illud à Domino discipulis datum responsum: *Non sum missus* &c. Cæterùm non grauiter fert conuitium, nec Iudæis inuidet filiorum honorem: quin potiùs, & se catellam cum gente sua, & Iudæos filios esse fatetur; & illorum quidem vt filiorum esse mensæ accumbere, cibique abundantia frui, secum verò benè agi, si micas posset instar catellæ sub mensa colligere: considerabat enim eximium illum honorem

honorem & opulentam gratiam, quibus Iudæos Deus, neglectis Gentibus, tam olim quàm ad causque tempora augebat. Micam igitur, sanationem suæ filiæ dicit, vt quæ si conferretur cum illa miraculorum copia, illisque gratiæ diuitiis, quas in Iudæos Christus per singula momenta profundebat, nihil amplius censenda esset quàm mica vna panis è diuite mensa elapsa. Et certè numquam gratiam suam Deus ita inclusit inter Iudæos, quin Gentibus subinde micas concesserit. Itaque ad exprimendam quæ tunc vigebat gratiæ Dei dispensationem, nihil aptiùs vel magis scitè dici potuit.

τότε ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ· ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις· γενηθήτω σοι ὡς θέλεις. καὶ ἰάθη ἡ θυγάτηρ αὐτῆς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

28 Tunc respondens Iesus ait illi: O mulier, mágna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. *Mar.7. v.29.30.*

TVNC. accepto huiusmodi responso, cùm non æquum iudicaret amplius dissimulare. *Propter hunc sermonem* ait Marcus. O MVLIER. exclamat tamquam victus. *Ideo certe eam repulerat*, ait Chrysostomus, *vt ad hanc vocem rerum consequentia conueniret, vt fulgente corona mulierem ornaret.* MAGNA. rara, eximia, minimeque vulgaris. *Magna* tum in se tum in effectis. In se, quia sublimia credit, & de me Christo, & de populo Dei, & de conditione Gentium. In effectis, quia confessionem firmam, feruentem perseuerantemque orationem, veram animi humilitatem ab omni inuidia alienam, sapientiam denique insignem producit. Nam hæc omnia in hac muliere obseruare licet: quæ, modica doctrinæ scintilla duce, non modò cælestem Christo potentiam tribuit, genuinumque eius officium & filiorum Dei honorem agnoscit: sed & de promissa per Messiam diuinitus salute persuasa, per quantumuis ardua obstacula benè sperare non desinit: denique fiduciam humilitate sic condit, vt neque sibi temerè quidquam arroget, neque fontem gratiæ sibi præcludat pusillanimi indignitatis propriæ sensu. FIDES. vide suprà 9. v. 2. FIAT. Vtitur Saluator verbo imperantis ad restaurandam creaturam, vt filius eius qui simili verbo vsus condiderat creaturam. Gen. 1. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* Psal. 148. v. 5. TIBI. illius fidei intuitu, quæ longè maiora queat impetrare. SICVT VIS. Animaduerte quî fides parentum prosit liberis.
SANATA. à dæmonio liberata. Impropriè vtitur sanandi verbo: non enim est morbus esse dæmoniacum. EX ILLA HORA. ἀπὸ ab. eodem illo momento quo hanc iubentis vocem Iesus emisit. vide suprà 8. v. 13.

καὶ μεταβὰς ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς ἦλθε παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἀναβὰς εἰς τὸ ὄρος ἐκάθητο ἐκεῖ.

29 Et cùm transisset inde Iesus, vênit secus mare Galilææ, & ascendens in montem sedebat ibi. *Mar.7. v.31.*

CVM TRANSISSET. μεταβὰς digressus. INDE. ex partibus Tyri & Sidonis. Edito obiter miraculo liberationis puellæ illarum partium ne tanti beneficij fama peruulgata, alij multi confluerent ex Gentibus, vt suorum singuli medelam languorum impetrarent, relinquit partes illas: priuilegij enim cuiusdam illud & singulari fide quasi extortum miraculum fuerat. SECVS. παρὰ iuxta. MARE. stagnum apud quod maiori ex parte diuersabatur. vide suprà 4. v. 18. & infrà v. 39. ASCENDENS. ἀναβὰς cùm ascendisset. IN MONTEM quò foret omnibus conspicuus. Montibus gaudet, secreti & quietis amans.
SEDEBAT IBI. exspectans aduentantem multitudinem Israelitarum. Nonnumquam circuit ciuitates & vicos, tamquam pastor quærens oues perditas: aliàs sedet exspectans confugientes ad se: modis omnibus declarat Israelitis paratum se ipsis expositumque esse, si modò beneficiis vinci possent.

καὶ προσῆλθον αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, ἔχοντες μεθ' ἑαυτῶν, χωλούς, τυφλούς, κωφούς, κυλλούς, καὶ ἑτέρους πολλούς· καὶ ἔρριψαν αὐτοὺς παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς,

30 Et accesserunt ad eũ turbæ multæ, habentes secum, mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos: *Mar.7. v.32.*

ET. tunc. MVTOS & surdos. vtrosque enim complectitur vox κωφοὺς (vide suprà 12. v. 22. & Mar. 7. v. 32.) quamquam proximo versu τοῖς κωφοῖς opponatur λαλοῦντας loquentes. Non est hic idem prorsus latinorum verborum qui græcorum ordo. DEBILES. κυλλοὺς mancos, membris captos, quorum manus aliáve membra, seu naturæ vitio, seu paralysi & aliis id genus morbis, debilitata erant & vsui inepta. ALIOS MVLTOS. multorum aliorum generum corporeis vitiis obnoxios. PROIECERVNT EOS, vt ouiculæ ægrotæ ac morbidæ ad pedes pastoris abiiciuntur, quò conspectarum misereatur. Significatur hac voce, cùm oblatorum miserorum multitudo, tum fides offerentium, qui nec de potentia, nec de clementia Christi dubitarent, quin mederetur miseris vel conspectis. CVRAVIT EOS. sanauit eos omnes, ex tempore, absque omni difficultate. vide suprà 4. v. 23. 24. Iam aliquoties Euangelista hunc ad modum vno verbo cumulos signorum vno loco ac tempore patratorum perstringit (vide suprà 8. v. 16. 14. v. 35.) vt Christi Domini potestatem immensam & inexhaustam bonitatem intelligas. Hîc porrò claram fecit Christus disputationem illam suam superiorem cum discipulis & muliere Chananæa. Illîc enim ægrè micam vnam tribuit Chananææ, ægrè filiolam vnam à dæmonio liberauit: hîc in Galilæam, Israelitarum regionem, reuersus, nulla omnino proposita difficultate aut disputatione, curauit omnes ad se fide qualiquali duce venientes, panem vt filiis copiosè elargiens.

ita vt turbæ mirarentur, videntes, mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israel.

31 ὥστε τοὺς ὄχλους θαυμάσαι, βλέποντας, κωφοὺς λαλοῦντας, κυλλοὺς ὑγιεῖς, χωλοὺς περιπατοῦντας, καὶ τυφλοὺς βλέποντας· καὶ ἐδόξαζαν τὸν θεὸν τοῦ ἰσραήλ.

MIRARENTVR. Multitudo eorum qui curati fuerant, & summa curationis facilitas, obstupescere vniuersos cogebat. Hic autem miraculis erat finis diuinitus præstitutus, vt ad admirationem simul & fidem homines permouerentur. MVTOS. eos qui muti fuerant. nam sensu diuiso, vt dialectici loquuntur, intelligenda sunt hæc. Græcè & Syriacè additur κυλλοὺς ὑγιεῖς, debiles seu mancos sanos, id est, membris suo vsui restitutis vtentes. Cæterùm illud Interpres non legit, D. Hieronymi in hunc locum commentario adstipulante. MAGNIFICABANT. ἐδόξασαν glorificauerunt, seu, vt in aliis est libris, ἐδόξαζον glorificabant. magnificè extulerunt & collaudarunt. ISRAEL. ipsius Israel, quem colit populus abs patre Israele genus ducens. Magnificabant autem, quòd exhibito Messia ac Propheta olim promisso, visitaret, seruaret, & bonis augeret plebem suam.

Mar. 8. v. 1. 2. 3.

Iesus autem, conuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.

32 ὁ δὲ ἰησοῦς προσκαλεσάμενος τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, εἶπε· σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον, ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι, καὶ οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι· καὶ ἀπολῦσαι αὐτοὺς νήστεις οὐ θέλω, μήποτε ἐκλυθῶσιν ἐν τῇ ὁδῷ.

CONVOCATIS. προσκαλεσάμενος cùm aduocasset. Voluit, priusquam ageret aliquid, negotium cum discipulis conferre, vt verbis vltro citroque datis ad miraculum ipsos redderet attentos. *Vult enim pascere quos curauerat, & ablatis debilitatibus, iam sanis offerre cibos*, quod notat Hieronymus. MISEREOR TVRBÆ. σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον commoueor misericordia erga hanc turbam. En pontificem qui suorum miseria tangitur (Heb. 4. v. 15.) cui curæ est necessitas etiam corporum eorum qui ipsi adhærent. Alterum itaque hîc editur, certissimæ Dei & Christi erga eos qui se sequuntur prouidentiæ exemplum (simile enim suprà ca. 14. exhibitum fuit) quod idcirco iteratum est, vt de indeficienti illius cùm potentia tum beneuolentia certiores redderentur, quicumque regnum Dei & illius iustitiam ante omnia quærerent. vide suprà 14. v. 14. 19. Commoda enim vtrobique occasione, quæ se offerebat, est vsus, inuicta inquam plebis ipsum sequentis perseuerantia. TRIDVO. ἡμέρας τρεῖς triduum, totos tres dies. Totos adeò eos rapuit & doctrinæ gratia & miraculorum tum splendor tum vtilitas, vt toto triduo nequiuerint à Saluatore auelli, ne subleuandæ quidem necessitatis corporum gratia, vt nihil dicam de familiis à quibus etiam longè aberant quidam eorum. Hîc mihi considera, non tantùm populi ardorem, sed & Christi Domini laborem, dies noctesque tres continuos sub dio subitum. PERSEVERANT MECVM. προσμένουσί μοι adhærent mihi, permanent apud me, à latere meo non discedunt. Sanabat clementissimus Dominus omnes corporis morbos: animos verò cælesti sermone pascebat. Hac benefaciendi promtitudine adeò sibi deuinciebat animos multitudinis, vt ab eo non posset diuelli. Dumque totis animis doctrinæ & miraculis intenti sunt, de corporis victu non cogitant: ita vt, sanatis corporibus, pastis animis, de fame periclitarentur. NON HABENT. nihil habent. Non dicit non habent amplius, vt intelligas plerosque omnes nihil secum eò attulisse commeatus: quippe ignaros se tanto illic tempore hæsuros. QVOD MANDVCENT. quo famem sedent, iam triduo aut diu certè, si qui secum quid attulerant, toleratam. DIMITTERE. domum ablegare. IEIVNOS. non dato cibo.

NOLO. Effectus misericordiæ, quæ non potest nō succurrere afflictis, & adhibere etiam cautionem futuris malis. NE. μήποτε nequando. ita est ad verbum, sed particula ποτὲ quando hoc loco abundat. DEFICIANT. ἐκλυθῶσιν ad verbum exsoluantur, quòd in animi deliquio nerui resoluantur. IN VIA. priusquam domum perueniant. Significat plerosque ita extenuatos inedia esse, vt fieri non possit vt absque cibo sumto iter domum peragant. Extremum igitur exspectauit priusquam eis subuenit, tum vt illorum constans feruor redderetur manifestus, tum alias ob causas simili in negotio expositas suprà 14. v. 15. Iam subaudit Saluator huic suæ ad discipulos conuocatos orationi: Quid igitur consilij? Qua ratione poterimus eos pascere?

Mar. 8. v. 4.

Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam?

33 καὶ λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· πόθεν ἡμῖν ἐν ἐρημίᾳ ἄρτοι τοσοῦτοι, ὥστε χορτάσαι ὄχλον τοσοῦτον;

ERGO. non legitur syriacè, nec ferè græcè. IN DESERTO. vbi nihil est inuenire ciborum, vt alibi queamus comparare, si alibi essemus. Nota locum patrando huic miraculo idoneum. Vide suprà 14. v. 15.

TANTOS. tot, tam multos. s. comparemus. τοσοῦτοι tanti, id est, tot, tam multi. s. sint. Agebat Saluator, vt discipuli reuocatum in memoriam superius illud virtutis ac gratiæ suæ documentum, quo paucis panibus pauerat aliquot hominum milia, aptarent ad præsens negotium, dicerentque: Domine si non vis illos ieiunos dimittere, quod ais, auge & multiplica potestate à Deo Patre tibi tradita, panes aliquot & pisciculos quos ad manum habemus, ita vt omnibus sufficiant, quemadmodum fecisti nuper. At illi, tamquam

præciperet ipsis obliquè Dominus vt ipsi turbam hanc pascerent, aut certè consilium ex eis quæreret, qua fieri id posset ratione humana, respondent, fieri non posse, etiamsi abundè suppeteret pecunia emturis, vt, in eo in quo erant deserto loco, tantam vim panum inuenirent, quanta sufficere posset numerosæ adeò multitudini. Sic rudes adhuc erant, parumque profecerant, vt præter creaturarum facultatem & vires nihil expenderent, diuinamque Christi virtutem non intelligerent, nec recurrere ad eam nossent, ita obliti priorum quasi nihil vmquam tale vidissent. *Non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.* quod Marcus dixit post prius illud panum miraculum c.6. v.52. Interea verò, simplex illorum confessio, de inopia facultatis omnis humanę ad negotium hoc peragendum, illustrauit edendum iamiam miraculum. Vide suprà 14.v.16.17. & Marci 6.v.37.

34 καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, πόσους ἄρτους ἔχετε; οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, ἑπτὰ, καὶ ὀλίγα ἰχθύδια.

Et ait illis Iesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. *Mar.8. v.5.*

QVOT HABETIS in familiæ nostræ annonam repositos. Dissimulans Christus obliuionem diffidentiamque ipsorum (vt non oportet morosum esse erga tardos) peragit institutum miraculi negotium, rogatq. quot haberent panes. Vide Mar 6.v.38. SEPTEM. vide suprà 14.v.17. Quia frequens erat Christo in eremis agere, & in ea loca proficisci vbi cibus nullus nec pretio venalis suppeteret, habebant pro more discipuli, ex Christi haud dubium præcepto, vt commeatum aliquem secum ferrent (vide infrà 16 v.7.) sed vides quàm parcum & frugalem. PAVCOS PISCICVLOS. magnitudine paruos & paucos numero pisces, in cibum, verisimile est, paratos, assos inquam aut torrefactos. Syrus: Modicum piscium minutorum.

35 καὶ ἐκέλευσε τοῖς ὄχλοις ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὴν γῆν.

Et præcepit turbæ vt discumberent super terram. *Mar. 8. v.6.*

ET. tunc. PRÆCEPIT per discipulos. Tanta potentiæ Christi vis & promtitudo erat, vt audito tantùm panum numero, multitudinem statim ad epulandum accumbere iusserit, certus apparatum illum tametsi exiguum in omnes abundè futurum satis. qui & absque præuio vllo apparatu potens non minùs erat eosdem pascere. Reliqua ad hunc pertinentia versiculum lege suprà 14.v.19.

36 καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους καὶ τοὺς ἰχθύας, εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἔδωκε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, οἱ δὲ μαθηταὶ τῷ ὄχλῳ.

Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens fregit & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. *Mar.8. v.6.*

SEPTEM PANES ET PISCES. *τοὺς ἑπτὰ ἄρτους καὶ τοὺς ἰχθύας* illos septem panes & illos pisces. Nuper quinque panes fuerant & duo pisces; iam adsunt septem & aliquot pisces: vnde discimus non adstringi potentiam Christi mediis adminiculis, nec referre coram ipso parum ne adsit an multum quo suos pascat: sicut de mediocri suo exercitu & ingenti hostium multitudine loquens dicebat Ionathan 1.Reg.14 v.6: *Non est Domino difficile saluare vel in multis vel in paucis.* GRATIAS AGENS *εὐχαριστήσας* postquam gratias egisset. s. Deo Patri, pro data sibi facultate, panes & pisces istos augendi. ita vt possent exercitui huic sufficere. *Quasi ceterorum hominum more, virtutem & energiam circa id quod propositum erat à Deo accipiat, gratias illi agit* (ait Victor Antiochenus in cap.8. Marci) *cùm tamen huiusmodi vim, non aliunde, vt sancti viri solent, sed à seipso peteret.* Eadem hîc egit Christus quæ in priori panum miraculo. Quod ergo illic dixit Euangelista *Adspiciens in cælum benedixit*; hîc ait *gratias agens*, gratiarum actione quæ Deo redditur, comprehendens, & suspectum in cælum, qui est habitus gratias agentis Deo, & benedictionem panum ac piscium, quæ est gratiarum actionis tamquam effectus. vide infrà 26.v.26. & Mar.8.v.6.7. Non enim Euangelista hîc significat, *benedicere* nuper à se pro *gratias agere* acceptum fuisse: quod vt absurdissimè tueantur nostræ ætatis hæretici, duriorem esse aiunt hanc loquendi Euangelistarum formam, panibus benedicere; emolliendam huiusmodi interpretatione, Deo de panibus gratias agere. sic enim Beza in cap.9. Lucæ; acutè scilicet. Quasi verò, quod in Capite Scripturæ dicitur, Deum benedixisse animalibus, intelligendum sit, Deum gratias sibi ipsum egisse de animalibus. Quòd si illic benedictio valuit ad multiplicationem; cur non & hic? vide suprà 14.v.19.

ET DISCIPVLI. *οἱ δὲ μαθηταὶ* discipuli autem. DEDERVNT. expressit Interpres, quod græcè ex præcedentibus supplendum relinquitur. POPVLO. *τῷ ὄχλῳ* turbæ. Reliqua circa hunc versum dicenda quære suprà 14.v.19.

37 καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν· καὶ ἦραν τὸ περισσεῦον τῶν κλασμάτων, ἑπτὰ σπυρίδας πλήρεις.

Et comederunt omnes & saturati sunt: & quod superfuit de fragmentis tulerunt, septem sportas plenas. *Mar.8. v.8.*

DE FRAGMENTIS. *τῶν κλασμάτων* fragmentorum. TVLERVNT. sustulerunt discipuli, videlicet *septem sportas plenas.* Nuper superfuerant fragmentorum duodecim cophini; iam supersunt septem sportæ: tunc cophinorum numerus responderat numero Apostolorum; iam sportarum numerus respondet numero panum. Ne enim reliquiarum æqualis numerus, miracula hæc duo confunderet, & alterius adduceret obliuionem, huiusmodi discrimine, ex Chrysostomi sententia, indelebilem vtriusque signi voluit Saluator memoriam

moriam consecrare. Ineffabilem virtutem suam, quodque omnia suo subiaceant nutui, clarè omnibus monstrans, dum ex alia atque alia cibi quantitate, & ex alia atque alia comedentium multitudine, tantum facit reliquiarum superesse, quantum vult & manifestum est expedire. SPORTAS. σπυρίδας græcè, qua voce & Syrus hîc vtitur אספרידין *Aspiridin.* Non eiusdem fuisse capacitatis, sportas quæ hîc, & cophinos qui suprà 14. v. 20. nominantur, manifestum fit ex proximi capitis 16. v. 9. & 10. Vtrum verò horum corbium genus capacius fuerit, incerta res est, nisi quòd, cùm Act. 9. v. 25. Paulus in sporta submissus fuisse dicatur (vbi tam græcè & syriacè quàm latinè eadem vox legitur quæ hîc) & cap. 14. superiori ostensum non absque similitudine veri sit, cophinum corbis esse genus quod brachio gestari soleat, videatur sporta cophino intelligi capacior, duplum fortè aut amplius continens eius quod cophinus, ita vt hic quidem brachio vnius, illa verò duorum hominum manibus consueuerit portari. Quod si verum est, maior nunc contigerit reliquiarum copia quàm nuper. Sed vnde hîc in deserto adfuerint huiusmodi sportæ (non enim ad vnam septies repetitam mensuram recurri posse, clarum satis cùm ex priori miraculo (suprà 14. v. 20. Ioh. 6. v. 13.) tum ex proximo capite euadere arbitror) an aliqui initio concursus cibum venalem sportis huc attulerint, an vna aut altera sporta fuerit in ipsa familia Christi, quæ panes huc attulit in suum vsum & pisces, an alia occasione, non habeo quod definiam. Reliqua ad huius versus intelligentiam, petenda sunt ex cap. 14. v. 20.

Mar. 8. v. 9.

Erant autem qui manducauerunt, [38] quatuor milia hominum, extra paruulos & mulieres.	οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν τετρακισχίλιοι ἄνδρες, χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων.

ERANT AVTEM QVI MAND. οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν qui autem ederant erant. QVATVOR MIL. HOM. τετρακισχίλιοι ἄνδρες quater mille viri. EXTRA. χωρὶς absque. suprà vertit *exceptis*. Reliqua lege sup. 14. v. 21.

Mar. 8. v. 10.

Et dimissa turba ascendit in na- [39] uiculam, & vênit in fines Magedan.	Καὶ ἀπολύσας τοὺς ὄχλους ἐνέβη εἰς τὸ πλοῖον, καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια μαγδαλά.

DIMISSA. postquam sanarat ægrotos, docuerat turbam, & fame periclitantem pauerat, dimissa illa discedit, ne, si pergeret ipse illic hærere, noui aliquid illa moliretur, vt nuper quando statuerat illum rapere in regem (nihil enim æquè mouet hominum vulgus vt cibi beneficium) aut certè ipse exspectare videretur laudis aliquid vel gratiæ. vide suprà 14. v. 23. & Ioh. 6. v. 14. 15. ASCENDIT. ἐνέβη inscendit. NAVICVLAM. εἰς τὸ πλοῖον in nauim. conductam haud dubiè, vel enim nullam habebant Apostoli ampliùs nauim suam, vel si habebant, non poterat illa parata adesse ad quamcumque fortè maris oram Iesus se appelleret. Idcirco autem nauigio discessit, ne turbæ sequerentur: vide suprà 8. v. 18. Atque hanc arbitror causam esse, cur iuxta mare plerumque versatus sit, vt posset cùm vellet iudicaretque consultum relinquere turbam & secedere aut certè aliò abire. IN FINES. in agros locaque vicina. MAGEDAN oppidi vltra mare Galilææ siti (id quod ait Hieronymus libro de locis Hebraicis) circa Gerasam, de qua suprà 8. v. 28. *Nunc Magedena regio dicitur*, inquit idem. Syrus legit מגדן *Magedn*, u loco n. Græcus *Magdala*, quod minùs est probabile: nam Magdalum castrum citra mare collocatur. Videri possit vrbs illa fuisse, celeberrima in veteris Testamenti libris, quæ *Mageddo* latinè dicitur, hebraicè מגדו *Magedo*, & quidem Zach. 12. v. 11. מגדון *Magedon*, nisi hæc citra, & quidem longiusculè à mari Galilææ, in campo magno Galilææ, fuisset.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Mar. 8. v. 11.

Et accesserunt ad eum Pharisæi [1] & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis.	Καὶ προσελθόντες οἱ φαρισαῖοι καὶ σαδδουκαῖοι, πειράζοντες ἐπηρώτησαν αὐτὸν σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὑποδεῖξαι αὐτοῖς.

ET, tunc, interea dum ageret eo loci, in finibus Magedan. ACCESSERVNT. προσελθόντες quum accessissent. Interpres latinus participium προσελθόντες mutauit in verbum, quemadmodum & Syrus, molliore verborum constructione. AD EVM. Græci & Syri subaudiunt illud, non legunt. PHARISÆI ET SADDVCÆI. Altera pars superstitione nimia laborans, altera nulla penè religione calens, sibi mutuò aduersariæ, conspirant in Christum, genuinæ pietatis doctorem. Vide suprà 3. v. 7. TENTANTES. Tentare quid sit, vide suprà 4. v. 3. Experimentum virtutis Christi expetebant isti, non ita vt desiderarent clarum euadere quàm esset illa diuina, sed ita vt vice versa desiderarent clarum euadere quàm illa esset nulla minimeq; cælestis, quò proinde miracula, virtutem, auctoritatemque ipsius eleuare possent, ipsumque reiicere, pudefacere, aut certè irritare. *Tentantes* itaque, id est, non sinceris animis nec studio discendi, non eo fine vt crederent in Iesum, tametsi illud simularent, sed eo quo dictum est. sic enim ferè accipitur tentare, vt & tentantium scopum notet: ideoque & variè in sacris litteris accipitur, pro vario tentantium scopo. ET ROGAVERVNT. Syriacè *& rogantes*, molliùs etiam quàm latinè: nam græcè ἐπηρώτησαν rogauerunt, coniunctione omissa, perquàm durum est. Hæc fuit tentatio. Quasi summo tenerentur cognoscendæ amplectendæque veritatis desiderio, orant eum obnixè, vt &c. gerentes se tamquam qui credituri in ipsum essent si rogata

gata præstaret. SIGNVM. miraculum aliquod insigne. DE CÆLO. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ex cælo. Proficiscens, vbi Deus habitat prima veritas, quo manifestè te à Deo missum, Dei filium, & Christum seruatorem esse declares; manna exempli gratia quale Moses. terrena enim miracula sunt quæ hactenus exhibes, etiam illud panum, quod iam in ore est omnium. OSTENDERET ederet. EIS ipsis, doctoribus ducibusque populi, quibus si satisfecisset, nullo negotio & populus vniuersus in ipsum esset crediturus. Scopus hypocritarum istorum est, non accipere miraculum quale petunt (vel enim non credunt dari posse, vt Sadducæi, qui ad naturam omnia referunt: vel non credunt daturum Iesum, ostentaturumque se superuacanea petentibus, vt Pharisæi) sed superiora omnia miracula abs Iesu edita, & peculiariter illud mox auctorum panum, quod iam ab omnibus celebrabatur, eneruare, tamquam incerta an à Deo profecta, minimeque sufficientia vt fidem ipsi Iesu concilient, quippe terrestria, & quæ Magiæ artibus, siue naturalis, quam solam agnoscunt Sadducæi, siue dæmoniacæ, quam nuper Pharisæi obiecerant, adscribi possint; Et, siquidem nullum produceret è cælis Iesus miraculum, persuadere rudi populo ipsum nihil habere auctoritatis à cælo; si aliquod produceret, paratis illud calumniis obscurare. Cætera huc pertinentia vide supra 12. v. 38.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ὀψίας [2] γενομένης λέγετε, εὐδία, πυῤῥάζει γὰρ ὁ οὐρανός.

At ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cælum.

FACTO VESPERE. ὀψίας γενομένης cùm fuerit vespera. Sensus est, Quum vespere animaduertitis cælum rubere, prædicere soletis serenitatem diei crastini, persuadere vobis soletis crastinum diem serenum fore. Supple, atque ita fit plerumque. SERENVM ERIT. εὐδία serenitas. s. cras erit. CÆLVM. aer. Ratio physica est, quòd, cùm vesperi solis occidentis radij inflammant nubes igneasque reddunt, monstrent rariores illas esse, & huiusmodi quæ facilè sint ea nocte consumendæ.

καὶ πρωΐ, σήμερον χειμών, πυῤῥάζει [3] γὰρ στυγνάζων ὁ οὐρανός. ὑποκριταί, τὸ μὲν πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ γινώσκετε διακρίνειν, τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε;

Et manè, Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli diiudicare nostis; signa autem temporum non potestis scire?

Luc. 12. v. 56.

ET MANE. s. dicitis, dicere soletis. TEMPESTAS pluuiæ aut venti. s. erit. RVTILAT. πυῤῥάζει rubet, rubicundum est. idem est verbum quod mox. TRISTE. στυγνάζων tristitiam adferens. ad tempestatem procliue. serenitatem non promittens sed tempestatem. Syrus vertit ad verbum ܟܡܝܪܐܝܬ *cemiroith* mœstè. Subaudi, atque ita ferè accidit. Ratio physica est, quòd, cùm manè solis orientis radij rubefaciunt nubes, intelligatur, ex eo quidem quòd orientis solis virtuti non cedunt, maiores eas esse quàm vt dissipari aut consumi à sole queant; ex eo autem quòd radiorum penetrationem admittant, rarefactas esse, & resolutioni in pluuiam aut ventum propinquiores quàm vt procul à sole retrudi queant. Cæterùm, non tam ductu rationis naturalis Iudæos illud intellexisse, quàm ductu sensus longæque obseruationis euentorum, videtur positum habere Saluator. FACIEM. Græcè & syriacè præcedit ὑποκριταὶ hypocritæ: quo certè nomine digni erant, quòd videri vellent huiusmodi, quorum omne studium esset in scrutandis venerandisque rebus ad Dei cultum & promissa pertinentibus, cùm ne tantùm quidem studij fideique his rebus tribuerent, quantum rebus naturæ, & iis quidem parui momenti. A recto itaque naturæ ordine arguit Christus, iustè sua ingratitudine perire, qui in rebus præsentis vitæ præpostero studio satis acuti, cælestem lucem, scientes & volentes stupore obruunt. *Faciem* autem, id est, vultum, habitum, dispositionem, speciem externam. sic enim *facies* Hebræis dicitur, externa species & quasi vultus rerum omnium. ERGO. Græcè μὲν quidem, syriacè neutrum legitur. CÆLI. inferioris aeris. DIIVDICARE. διακρίνειν discernere. Syrus, scrutari (ܒܩܐ *beke*) ita vt intelligatis quale pro sua varietate portendat tempus, serenum an tempestuosum. NOSTIS, ex probabilibus signis, quibus contenti alia non requiritis. SIGNA. notas, indicia. TEMPORVM illorum æternò prædestinatorum, promissorum deinde, ac iam demum impletorum. τῶν καιρῶν horum temporum vertas licet, vt Syrus habet *temporis istius*. Signa plenitudinis temporum quibus adforet Messias, vel signa horum temporum quibus adest promissus olimque desideratus Messias, plurima illa, certissima ac prorsus infallibilia, à prophetis diuino spiritu admonitis disertè prædicta, & iam cum rebus ipsis coniuncta ac præsentia, ita vt ex eis non de futuro coniectandum, sed de præsenti tempore iudicandum sit. Huiusmodi erant, Iudaici sceptri ablatio, ex Gen. 49. v. 10., hebdomadæ Danielis, ex Dan. 9. v. 25., miracula cæcorum, surdorum, claudorum, mutorum sanatorum, ex Isa. 35. v. 5., & similia alia quæ iam omnis rerum natura explicuerat, nox, lux, Angeli, stella, vox Patris è cælo, Spiritus sancti descensus columbæ specie, testimonium Iohannis, voces dæmoniorum, ciborum multiplicatio maxima bis edita, sanationes, aliaque miracula innumera. Hæc omnia, & Pharisæis satis esse potuere ac debuere vt nihil amplius requirerent; & Sadducæis oculos aperire, vt signum de cælo dari posse crederent, & multa iam data agnoscerent, atque cum promissis & prædictionibus conuenire intelligerent. NON POTESTIS SCIRE. Rectiùs alij libri omittunt *scire* (qua de re in Notis) nam diiudicare seu discernere, repetendum est è proximo. Syrus addit, declarare. Subaudi, ita vt ex iis intelligatis quale iam illuxerit tempus (lætum, inquam illud & desideratum aduentus Messiæ) nec alia præter ea requiratis? Interrogatio est, in se continens huiusmodi responsionem, argumento ducto à minori ad maius: Maximè deberetis; &, si quidem non possitis, nulla venia digna est vestra (qui facilè creditis fallacibus cæli signis, longiuscula obseruatione à vobis adnotatis) siue negligentia, qua non obseruatis tantę tamque necessariæ rei signa, siue affectata cæcitas, qua videre non vultis, siue irritandi Dei cupiditas, qua alia pro vestro arbitratu exigitis, tamquam illa nec cælestia

stia sint nec sufficere debeant. His itaque verbis admonet Christus, satis testatam esse virtutem suam, ita vt salutis tempus agnoscere illi possent, nisi sponte oculos claudendo refugerent apertam lucem.

Mar. 8. v. 12. 13.

4 Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis abiit.

γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. καὶ καταλιπὼν αὐτοὺς ἀπῆλθε.

GENERATIO itaque. Colligit enim istud è proximo. MALA. irritatrix. QVÆRIT improbè. NISI SIGNVM. εἰ μὴ τὸ σημεῖον nisi illud signum. quod & aliàs illi promisi. RELICTIS. Non dimisit illos vt aliàs turbas, sed reliquit offensus peruersitate eorum insanabili. ABIIT, iterum conscenso nauigio. Mar. 8. v. 13. Cætera huius versus quære suprà 12. v. 39.

Mar. 8. v. 14.

5 Et cũ venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere.

καὶ ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸ πέραν, ἐπελάθοντο ἄρτους λαβεῖν.

VENISSENT, id est, venirent, irent, nauigarent. Ita enim accipiendum hoc loco videtur præteritum pro præsenti, & ἔρχεσθαι pro ire, vt Ioh. 6. v. 17. TRANS FRETVM. εἰς τὸ πέραν in vlteriorem ripam; Bethsaidam versus, id quod intelligitur ex Marco c. 8. v. 22. OBLITI SVNT. ἐπελάθοντο obliti fuerant. PANES in commeatum familiæ. ACCIPERE. emere, eo loci vnde discesserant, priusquam nauim conscenderent, si fortè vel diutiùs in mari hærendum, vel eò concedendum esset vbi non foret copia emendi panis. Sic enim intelliguntur consueuisse, dum abirent ex loco aliquo in quo erat venalis cibus, prospicere familiæ de annona, incerti quò ducendi essent à Domino, in deserta an in habitata loca. vide suprà 15. v. 34. Iam itaque obliuione illud prætermiserant: adeò toti abrepti fuerant in docentem Iesum, vt parua esset ipsis corporis cura.

Mar. 8. v. 15.

6 Qui dixit illis: Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.

ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· ὁρᾶτε καὶ προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων.

QVI DIXIT. Syriacè: Ipse autem dixit. Græcè: Iesus autem dixit. Q.d. Euangelista: Illius suæ obliuionis admoniti fuere discipuli hoc sermone Iesu, qui, vt nullam abire sineret horam inutilem, inter nauigandum præmuniebat instruebatque illos hunc in modum, occasione sumta ab aduersariis quibuscum viderant ipsi fuisse negotium. INTVEMINI. ὁρᾶτε videte. quomodo vertit secundùm Marcum. ET Syrus omittit vt omittitur secundùm Marcum. CAVETE. προσέχετε. at endite vertit alibi. Conduplicatio verborum idē significantium nihil aliud quàm epitasin cautionis habet: tamquam dicat: Diligenti cura cauete vobis. A FERMENTO. à doctrina. (inf. v. 12.) ne imbuamini doctrina, eiusmodi quæ hominem inficit non emendat, inflat non implet, coram Deo nihil cõtinens solidū. Christus ex re nata discipulos hortatur, vt sedulò à corruptelis omnibus sibi caueant, quæ sinceram pietatem inficiunt. Nam quum ad errores & vanitatē sponte inclinet humanum ingenium; vbi nos circumstant peruersa commenta, adulterinę doctrinæ, & similes aliæ pestes, nihil procliuius est quàm deficere à vera & natiua fidei puritate, nisi studiosè nobis caueamus. PHARISÆORVM. doctrinā illam intelligit, quam Pharisęi ipsi commenti fuerant non acceperant siue ex libris sacris siue à sanctis Patribus. Huiusmodi doctrina erāt traditiones illæ & mandata doctrinæq; hominū, de quibus sup. 15. & inf. 23. Capitibus, alię Dei præceptis cōtrarię, alię inanes & ad verā animi pietatem nihil conferentes. Huiusmodi doctrina erat interpretatio illa Legis, qua Pharisæi ita Dei Legem interpretabantur, vt externos tantùm hominum mores formare intelligeretur. Vide suprà 5. v. 23. 29. & 15 v. 8. Et, vt vno verbo dicam, Pharisęorum doctrina omnis in componenda exteriori pietatis specie præcipuè versabatur, finem statuens, hominibus probari magis quàm Deo. Hæc doctrina, fermenti instar, hominem qui ea fuerit imbutus, inficit, ambitione, inuidia, hypocrisi, & omnis generis veteri malitia è veteri homine exsucta; denique inflat hominem, & tamquam in fermento totus esset ita tumentem reddit, prę se omnia despicientem, & aduersarium omnis quod ab aliis adferatur boni. Hos effectus vident in Pharisæis, ij qui Euangelicam historiam reuoluunt. SADDVCÆORVM. Horum fermentum non tam acerbum mordaxque vt Pharisæorum, quàm mucidum putridum que erat, ab incorrupta Dei veritate prorsus alienum: negabat enim eorum doctrina carnis resurrectionem (infrà 22. v. 23.) negabat spiritum (Act. 23. v. 8) negabat animæ immortalitatem (Ioseph. lib. 18. Antiq. cap. 2.) Hæc doctrina hominem beluinum reddit, in exteros inhumanum, in socios ferum, suis verò voluptatibus libidinibusque omnino addictum: qualis hominis voces, sunt illæ Sap. 2. Isa. 22. v. 13. 1. Cor. 15. v. 32: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* &c. Huiusmodi ferè Sadducęorum mores describit Iosephus cùm superiori loco, tum lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. Fermentum porrò singuli suum & Pharisęi & Sadducæi tueri, propagare, hominumque mentibus inserere studebant: idcirco admonet discipulos suos Christus ab illo sibi sedulò vt caueant. Ex aduerso autem Christus suam doctrinam, *panem vitæ & intellectus* (Ecclesiastici 15. v. 3) *azymum sinceritatis & veritatis* (1. Cor. 5. v. 8.) duplici illi fermenti generi directè oppositam, palàm vbique promulgabat & prędicabat: eam ob causam persequebantur ipsum Pharisæi & Sadducęi more hostium capitalium.

ὁι δὲ διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς λέγοντες, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν. 7 At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia panes non accepimus. *Mar. 8. v. 16.*

AT ILLI. οἱ δὲ illi autem, illi itaque. COGITABANT INTRA, vel potiùs, vt est in aliis plerisque libris, INTER SE. cogitationem, quæ in mentem vna omnibus venerat huius admonitionis occasione, sibi mutuò declarabant anxiè. *διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς*. Quidam vertere malunt *disceptabant inter se*, quasi alij in alios culpam reiicientes: eò quòd ambigua sit vox διαλογίζεσθαι ad disputare seu disceptare, quod verbis fit, & cogitare quod mente; verbis autem egisse hac de re inter se mutuò colloquutosque esse discipulos, manifestum euadat ex Mar. 8. v. 16. Atqui Interpres cogitandi voce est vsus, vt vtrumque complecteretur (vt vox ista, etiam ex idoneorum auctorum vsu, tam sermone cum aliis, quàm mente apud se, rem tractare notat) præsertim cùm hîc obliuioni aptum aliquid opponendum esset. *Intra se*. apud se. Syrus in animis suis. Aliàs legitur *inter se*, mutuò scilicet. Græcum ἐν ἑαυτοῖς anceps est ad vtrumque, nam & ἐν accipitur pro *inter*.

QVIA. superest sensui. NON ACCEPIMVS. obliti sumus familiæ de panibus prospicere. Sensus versiculi istius est: Hanc Iesu commonitionem cùm discipuli intelligerent de fermento pani admisceri consueto, tamquam vetarentur Pharisæorum & Sadducæorum hominum impiorum ac deploratorum vesci pane, veniebat eis in mentem, quòd panem omisissent secum auferre ex eo loco ex quo soluerant: itaque solliciti ne fortè ad huiusmodi loca deueherentur, vbi vel nullus suppeteret panis, vel non alius quàm à Pharisæis aut Sadducæis profectus, ac proinde cibi inopia laborandum esset, queruntur inter se de obliuione tam crassa, & fortassis alij in alios culpam reiiciunt. Qua in re bis peccabant, semel, quòd anxij essent de victu, semel, quòd ineptè intelligerent doctrinam præceptoris de corporato fermento. Has duas ob causas castigat illos Dominus proximis verbis: qui & idcirco figurato sermone consultò vsus fuerat, vt proderent illi vlcus occultum quod sanare ipse posset.

γνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· τί διαλογίζεσθε ἐν ἑαυτοῖς, ὀλιγόπιστοι, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβετε; 8 Sciens autem Iesus dixit: Quid cogitatis intra vos, modicę fidei, quia panes non habetis? *Mar. 8. v. 17.*

SCIENS. γνοὺς id cùm nosset. vi suæ diuinitatis, etsi corporis auribus non audisset qua de re illi contenderent. DIXIT. αὐτοῖς eis, quod & ab aliis libris latinè additur. QVID COGITATIS INTRA vel INTER VOS. quare vobis hoc in mentem venit vt ea de re anxiè colloquamini. q. d. non deberet. non enim tam interrogatio est, quàm expostulatio. Alij, disceptatis, vt mox. MODICÆ FIDEI. ô modicæ fidei homines. Vide suprà 6. v. 30. Exclamatione huiusmodi obiurgatoria, aperit illis causam totius mali, videlicet fidei & quæ hinc sequitur fiduciæ exiguitatem: ex ea enim factum est vt cogitarent disceptarentque anxiè de panum copia obliuioni data, & absque ea non intellexissent præceptoris dictum de panibus corporatis. QVIA. quòd. HABETIS. ἐλάβετε accepistis, quomodo & Syrus legit. quasi verba mea de panibus agant, & quasi inopiam passuri sitis quia ipsi vobis prospicere obliti sitis.

οὔπω νοεῖτε, οὐδὲ μνημονεύετε τοὺς πέντε ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων, καὶ πόσους κοφίνους ἐλάβετε; 9 Nondum intelligitis, neq; recordamini quinque panū in quinque milia hominū, & quot cophinos sumsistis? *Suprà 14. v. 20. Mar. 8. v. 19.*

NONDVM INTELLIGITIS, siue modum loquendi docendique meum, siue virtutem meam, & curam quam pro his gero qui mihi adhærent. NEQVE REC. QVIN. PANVM. οὐδὲ μνημονεύετε τοὺς πέντε ἄρτους neque meministis quinque illos panes. IN QVINQVE MILIA HOMINVM. s. distributorum. In aliis libris scribitur *Et quinque milia hominum*, pro, & quinque milium hominum. s. qui pasti fuerint & saturati quinque illis panibus, vobis non solùm testibus verumetiam ministris. Græcè & syriacè non est aliud quàm τῶν πεντακισχιλίων illorum quinque milium, absque coniunctione, vbi genitiui reguntur à voce proxima, panes, genere loquendi à vulgi consuetudine petito, sicut pleraque alia. Nam panes illorum quinque milium, id est, panes quibus refecti fuerunt viri illi quinquies mille numero. ET, quum esset tantus conuiuarum numerus, quum esset tam parcus apparatus. QVOT COPHINOS reliquiarum. SVMSISTIS. ἐλάβετε accepistis, acceperitis. s. non recordamini?

οὐδὲ τοὺς ἑπτὰ ἄρτους τῶν τετρακισχιλίων, καὶ πόσας σπυρίδας ἐλάβετε; 10 neq; septem panū in quatuor milia hominū, & quot sportas sūsistis? *Suprà 15. v. 37. Mar. 8. v. 20.*

IN siue ET QVATVOR MILIA. vt mox. Græcè & syriacè etiam est vt mox: Neque illos septem panes illorum quatuor milium. SPORTAS. Obserua quàm constanter retineant Euangelistæ (idem est enim iudicium de Marco) in hoc miraculo *sporta*, in priori *cophini* nomen, vt intelligas variam vtriusque mēsuram.

πῶς οὐ νοεῖτε, ὅτι οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν, προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων; 11 Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum? *Mar. 8. v. 21.*

QVARE. πῶς quomodo. ita est & syriacè. Quî fit igitur, cùm promtum sit vobis illorum nuperrimè gestorum recordari, vt non intelligatis. Interrogatio est cum admiratione simul & expostulatione coniuncta.

QVIA. quòd. NON DE PANE, vt de illo solicitudinem vobis ingererem. DIXI dixerim, loquutus fuerim, quando dixi: CAVETE. προσέχειν cauere, vt vobis caueretis. Subaudi, sed maius aliquid & sublimius voluerim? Sensus est: Debueratis, huiusmodi exemplis docti, certam, perpetuam, & constantem, meæ erga vos prouidentiæ fidem concepisse, ac proinde non esse soliciti de panis fortè desiderati inopia, multoque minùs verba mea ad huiusmodi temporalium rerum curam trahere, & de corporato pane intelligere doctrinam, quam iam scire oportebat longè abesse vt de huiusmodi rebus caueat.

12 Tunc intellexerunt quia non dixerit cauendũ à fermento panũ, sed à doctrina Pharisęorũ & Sadducęorũ.

τότε συνῆκαν ὅτι οὐκ εἶπε προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης τοῦ ἄρτου, ἀλλ' ἀπὸ τῆς διδαχῆς τῶν φαρισαίων καὶ σαδδουκαίων.

TVNC. huiusmodi obiurgatione attentiores facti. QVIA. quòd. A FERMENTO PANVM, à fermento panibus admisceri solito, id est, fermento corporato. SED A DOCTRINA. sed quòd fermenti nomine doctrinam significarit illorum hominum.

Mar. 8. v. 27. Lu. 9. v. 18.

13 Venit autẽ Iesus in partes Cæsareę Philippi: & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis?

ἐλθὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὰ μέρη Καισαρείας τοῦ Φιλίππου, ἠρώτα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ λέγων· τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;

VENIT. ἐλθὼν cùm venisset, s. deinde. IN PARTES. in fines, in territorium. Syrus in loca. Vide suprà 15. v. 21. CÆSAREÆ PHILIPPI. Καισαρείας τοῦ Φιλίππου Cæsareæ eius quæ Philippi, id est, eius quæ dicitur seu cognominatur Philippi. Philippus tetrarcha Ituræ & Trachonitidis, frater Herodis tetrarchæ Galilææ, vrbem, antiquitus, ante ingressum Israelitarum in terram promissam vocatam *Lesem* seu *Lais*, deinde post ingressum, vbi à tribu Dan occupata esset, à nomine patris eius tribus nominatam *Dan* (Iosu. 19. v. 47. Iud. 18. v. 29.) rursus vbi rerum apud Syros potiti sunt Græci, quibus notior erat Pan quàm Dan, appellatam *Paneas*, ædificiis instruxit, & in honorem regnantis Tiberij Cæsaris nominauit *Cæsaream* (Iosephus lib. 18. Ant. Iud. c. 3.) imitatus Herodem Ascalonitam patrem suum qui vrbem quam condiderat loco priùs dicto Turris Stratonis, in Cæsaris Augusti gratiam vocauerat Cæsaream. Iosephus lib. 15. Ant. Iud. cap. 13. Distinctionis porrò causa, illa dicitur *Cæsarea Philippi*, tamquam dicas, Cæsarea à Philippo condita, cùm altera vt vetustior & nobilior simplici ferè Cæsareæ nomine celebretur, tum in Actis Apostolorum, tum in Antiquitatibus & Bello Iudaicis. Sita fuit Cæsarea Philippi ad radices montis Libani, in valle seu planitie ea quæ Rehobæa dicitur, vbi præcipuus Iordanis fons est, à quo flumini isti impositum esse nomen tradunt doctores Hebræi (vide suprà 3. v. 5.) vrbs Phœniciæ, olim ditionis Sidoniorum priusquam à Danitis cœpta esset (Iud 18. v. 7. 28.) quam Philippus suę tetrarchiæ metropolim constituit. Quæ quia à tergo, id est, versus Septemtrionem, habet montem Libanum, quo constat finitam fuisse Chananæam, ideò sæpè pro termino terræ sanctæ Aquilonari ponitur, quemadmodum Bersabee pro Australi. Vnde genus illud loquendi in veteri Scriptura, quoties vniuersa Israëlitarum terra designatur, *A Dan vsque Bersabee*, q. d. quàm longa est terra Israel. 1. Reg. 3. v. 20. &c. Quia autem terminus seu extrema Israelitarum ciuitas fuit, verisimile fit Israelitas & Chananæos seu Phœnices mixtos illic habitasse, vt in finibus solent finitimi pacis tempore. In huic igitur ciuitati vicina loca eduxit discipulos suos Iesus, & quidem ex Herodis tetrarchia in tetrarchiam Philippi, tum vt quàm latissimè, intra fines tamen à Patre constitutos, regnum Dei propagaret, tum vt & seorsùm & tutiùs de summis mysteriis, quæ nondum promulgari oportebat, cum discipulis ageret. ET omittitur græcè, vbi præcedit participium. INTERROGABAT non discendi sed docendi gratia. QVEM. Non de morum sanctitate, aut vitæ integritate quærit, quæ notissima erat, sed de opinione dignitatis auctoritatisque suæ; & id quidem non propter gloriæ cupiditatem, quam ille non affectabat, sed vt discipulos declarantes hominum de ipso iudicium varium, doceret certius & maius aliquid sentire, in ipsorum aliorumque vtilitatem. HOMINES turbæ, vt Lucas exponit. Nam de primatibus Iudæorum, aduersariis, calumniatoribus, & persecutoribus suis manifestis plerisque omnibus, non rogat, vt quos constaret nihil de ipso boni prædicare. apud plebeios porrò benè audiebat. *Homines* ergo, seu populi terræ, qui biennio iam & eo ampliùs doctrinam meam audierunt, vitæ institutum doctrinæ conforme obseruarunt, miracula conspexerunt, plerique etiam veritatem vtilitatemque miraculorum re ipsa senserunt, quorum de me opiniones audisse potuistis à me emissi, & audire aliquando potestis iterum. FILIVM HOMINIS. id est *me*. vt erat familiare Christo Domino de se ipso hac ratione loqui (vide suprà 8. v. 20.) ita hoc loco studiosè loquitur, ne iactanter de se ipse quærere videretur, quod notat Hieronymus. Græcè additur *me (quem me dicunt esse filium hominis?)* quod tametsi videri possit adtitium esse, & ex commentario in textum irrepsisse (quod in Notis est dictum) vetus tamen est, Syricæ editionis auctori & B. Hilario notum: quod licet Syrus in hunc sensum interpretetur: *Quid dicunt de me homines? quòd sim filius hominis?* Quem me dicunt esse homines, an filium hominis? præstat tamen cum B. Hilario intelligere *me filium hominis*, per appositionem, me qui sum filius hominis. Cùm iam ipsius fama per omnem regionem celebrata esset, & virtus multis miraculis atque exemplis perspecta: tandem periculum facit iudicij & cognitionis ingenij humani, quantum assequi potuerit, tantis operibus miraculisque spectatis, & tanta doctrinæ grauitate ac veritate explorata, cæteris denique ipsius rebus animaduersis.

οἱ δὲ εἶπον· οἱ μὲν ἰωάννην τὸν βαπτιστήν, ἄλλοι δὲ ἠλίαν, ἕτεροι δὲ ἱερεμίαν, ἢ ἕνα τῶν προφητῶν. 14 At illi dixerunt: Alij Iohannem Baptistam, alij autē Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis. Mar. 8. v. 18. Luc. 9. v. 19.

IOHANNEM. cuius anima redierit in corpus nuper occisum, faciei lineamentis voce sque sono, tanta rerum mutatione variatis. vide suprà 14. v. 2. ELIAM. Ex personæ grauitate, prædicationis libertate, & miraculorum fama, interpretabantur eum esse Eliam, maximè cùm scripturis prophetarum accepissent Eliam rediturum, nec mortuum sed raptum. Mal. 4. v. 5. 4 Regum 2. v. 11, 12. IEREMIAM rediuiuum. Quòd id præstare videretur, quod Ieremiæ dictum fuerat c. 1. v. 9. 17. 18: *Ecce constitui te* &c. *Ne formides* &c. *Ego quippe dedi te* &c. AVT VNVM. alij vnum. EX PROPHETIS. τῶν προφητῶν illorum prophetarum. s. antiquorum rediuiuum. Luc. 9. v. 8. 19. Non certo nomine, sed verè tamen vnum aliquem antiquissimorum illorum ac miraculis celeberrimorum prophetarum rediuiuum apparere credebant, eorum præsertim quibus florentibus maximæ rerum mutationes à Deo paratæ fuerant, cuiusmodi Moses, Iosue, Samuel, Ieremias, fuere. Nam vt sibi persuaderent nouum esse prophetam suæ ætatis, maiora erant ea quæ gerebat ac patrabat, quàm vt permitteret inuidia in æquales. Tantum igitur homines, ex miraculorum, virtutis, doctrinæ, ac integritatis vitæ Iesu obseruatione, assequuti hactenus fuerant: quorum, cùm variæ sententiæ essent, nulla tamen vltra propheticam dignitatem processerat. Erant qui eò profecerant vt Christum esse crederent (vt illi qui ipsi acclamauerant *Fili Dauid*. suprà 9. v. 27. 15. v. 22. sed pauci, & quidem obscurè, nec sine errorum admixtione plurimorum: nam plerique, quo minùs ipsum crederent Christum, desiderabant in eo regiæ dignitatis splendorem, offensi ipsius humilitate. Nulli verò eò vsque assurrexerant, vt aliquid humana natura præstantius de ipso sentirent.

λέγει αὐτοῖς· ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; 15 Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Mar. 8. v. 19. Luc. 9. v. 20.

VOS. Magna est in hoc pronomine emphasis qua discipuli opponuntur & separantur à vulgo hominum. q. d. Saluator: In varias de me sententias sectum est hominum vulgus, quemadmodum retulistis: vos autem, qui perpetui fuistis, & operum meorum spectatores, & doctrinæ auditores, qui familiariter mecum publicè priuatimque indiuidui socij versati estis, qui in nomine meo plurimas ipsi quoque fecistis virtutes, quibus mysteria regni cælorum nudè absque parabolarum ambagibus aperui, & omnia quæcumque audiui à Patre nota feci, quibus proinde meliùs certiusque innotuisse debeo. QVEM. qua dignitate auctoritateque præditum. quousque nam profecistis vos fide in me? DICITIS. Non ignorabat quid sentirent, sed ab iis inprimis qui aliorum erant doctores destinati, oris confessionem exigit, laudaturus si quidem rectè sentiant; sin minùs rectè, emendaturus.

ἀποκριθεὶς δὲ σίμων πέτρος εἶπε· σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. 16 Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Mar. 8. v. 29. Luc. 9. v. 20.

SIMON PETRVS. Simon nomen est à natiuitate impositum; Petrus à vocatione ad Apostolatum. Vide suprà 4. v. 18. & Mar. 3. v. 16. DIXIT primus sententiam suam, vt qui & primus erat à Christo in hoc collegio (suprà 10. v. 2.) & cæteris erat feruentior. Silentibus haud dubium reliquis & hæsitantibus quid essent dicturi, Petrus qui iam ardebat veritatis diuinitus sibi reuelatę amore, ante cæteros sententiā dicere voluit, eo magis quòd metueret ne quis eorum indignius aut abiectius quid proferret quàm Christi maiestatem deceret. Suam dixit sententiam, non collegarum, cum quibus rem non contulerat, quorumque opiniones non erat rimatus: verùm id dixit quod sibi & omnibus tenendum esse credidit, quodque vt omnes sequerentur optauit. TV ES. Hæc mea de te, quem video oculis meis auribus audio, manibus contrecto, quicum familiariter hactenus versor, sententia fidesque est. Nihil ferè commune habet hoc Petri testimonium cum illis quæ Apostoli ex hominum opinione retulerant: illic enim humana omnia, quamuis sanctissima; hìc omnia diuina, profunda, admiranda, fidei, spei, & consolationis plena, indicantur. CHRISTVS. ὁ χριστὸς ille Christus. additur articulus emphaseos nota tam huic quàm tribus proximis voculis. Ille Christus à Lege & prophetis olim promissus, & à sanctis omnibus hactenus exspectatus ac desideratus, vnctus cōsecratusq. à Deo Rex, Sacerdos, & Propheta: Propheta ad dandam scientiam salutis plebi eius, Sacerdos ad reconciliandum illos Deo, Rex ad protegendum illos & ornandum. vide sup. 1. v. 1. FILIVS. ὁ υἱὸς ille filius, vnicus, dilectus, in quo sibi complacuit. suprà 3. v. 17. DEI VIVI. τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος Dei viuentis; non Dei alicuius ab hominibus habiti fictive, sed eius cuius natura est Deum esse, qui per se viuens ab æterno, naturalissimo viuentis opere te genuit sibi æqualem, & reliquis rebus omnibus viuis cum tempore à se creatis vitam viuificandique facultatem fons ipse vitæ subministrat. Additur *viui*, tum ad distinctionem à filiis deorum fictitiorum (quales erant Heroes Gentibus) illi enim Dij, vel non viuunt omnino, vel à Deo creatore habent vt viuant, ac proinde nec dij sunt; tum ad distinctionem à filiis Dei adoptiuis, in quos, non naturam suam Deus transfudit viuentis opere, sed gratiam creantis seruantisve liberalitate. Breuis Petri confessio, sed quæ totam fidei salutisque summam in se contineat, D. Ambrosio teste. Aduersus varias turbæ opiniones profitetur Iesum esse Christum: contra verò id quod Iesus se filium hominis summissè vocarat, magnificè eum filium Dei prędicat; & hominem illum agnoscens, Christi titulo insignem, & Deum, illustrem nomine iure debito filij Dei. Quòd Dei filium dicit, potentem declarat; quòd Christum, datum paratumque ad redimendum humanum genus, doctrina inprimis quam offert salutis, sacerdotio deinde, quo det semetipsum pro hominibus vt illos redimat ab omni iniquitate, & mundet sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum, regno denique quo illos in fidem pręsidiumq. suum

receptos conſeruet, ornet, locupletet, beet. Hæc enim tria ſub Chriſti elogio comprehenduntur, doctrina ſalutis, ſacerdotium æternum, & regnum æternum.

Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.

17 καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· μακάριος εἶ Σίμων Βαριωνᾶ, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Dixit ei. Non rogauit cæteros ex ordine diſcipulos quid ſentirent, quòd ſciret eos nondum inſtructos cognitione veritatis: ſed Petri ſententiam, cauſam tam exactè quàm verè definientem quum audiſſet probauit, laudauit, & ſequendam omnibus, vt cælitùs à Deo Patre profectam, ſua auctoritate propoſuit. Conſideranda porrò hoc loco, maximi ponderis & auctoritatis actio Chriſti, quomodo typum quendam exprimat celebrandi concilij. Nam miſſis cæteris, ſolus cum diſcipulis, poſt preces Deo oblatas, (id enim habet Lucas) de ſumma rerum quæſtionem proponit: & admirabili quodam ordine (vt priùs deſtruantur errores, ac ſubinde ſolida firmitate veritas ſtabilita locetur) inprimis interrogat quæ ſit illorum qui foris ſunt opinio de filio hominis, demum quæ diſcipulorum. Vbi cùm Petrus cæteris in ſummæ fidei profeſſione præſtitiſſet, & quid eſſet ſentiendum fixiſſet clauum, conſtituit eum Chriſtus Chriſtianæ fidei atque Eccleſiæ caput. Beatvs es. felix es. ſupple, ob hanc tuam fidem illiuſque profeſſionem, qua primus emines. Verba iſta ex Chriſti pectore effuſa intelliguntur, gratulantis, non ſibi honorem, ſed Petro felicitatem. *Beatus es*, id eſt, ornatus huiuſmodi dono, fide inquam iſta in me, quo beatitudinem infallibiliter conſequêris, &, vt primus in hoc genere, dona alia maxima, quibus, & ſummum tibi ipſe promereberis beatitudinis gradum, & innumeros alios tecum ad beatitudinem adduces. Ex fide in Ieſum Chriſtum filium Dei viui beatitudo (Ioh. 17. v. 3. 20. v. 31.) abſque ea miſeri & maledicti natura ſunt omnes homines (Epheſ. 2 v. 3. 5.) Prædicauerant porrò antehac & alij Ieſum filium Dei, Nathanael Ioh. 1. v. 49., diſcipuli omnes ſuprà 14. v. 33: ſed non naturâ filium Dei intellexerunt, aut certè non explicitè illud crediderunt ac profeſſi ſunt, quemadmodum hîc Petrus: qui ſi hoc idem nuper profeſſus fuerat (Ioh. 6. v. 69.) non illic opportunitas fuerat laudandi atque ornandi illum, quemadmodum hîc, vbi in concilio, ad ſcrutandam veritatem à Ieſu conuocato, rogatus dixit ſententiam ſuam. Simon Bar Iona. *Bar* Syris filius dicitur, qui Hebræis *Ben*. *Iona* vtraque lingua columbam ſignat, eſtque proprium nomen patris Petri; quod quidam putant (referente inter alios Hieronymo) ex *Iohanna* contractum aut certè deprauatum, quia Ioh. 21. v. 15. 16. 17. latinè legatur: *Simon Iohannis diligis me plus his?* vide Notas in eum locum. Seruit autem *Bar Iona* ſeu fili Iona cognomenti loco, Hebræorum more. Opponit verò Saluator *Simon Bar Iona* voci *Beatus*, vt memor Petrus humilis conditionis & ignobilis originis ſuæ, clariùs intelligat felicitatem hanc ſuam, contrariis inter ſe collatis. Qvia. Nihil mirum ſi tua iſta in me fide te beatum dicam, *quia* non vulgaris res eſt, ſed diuina prorſus, nec niſi è cælo accepta. Caro et sangvis. His nominibus homo & humanum omne ſignificatur, hinc accepta loquendi conſuetudine (nã illius vſus eſt & Ioh. 1. v. 13. Gal. 1. v. 16. Eph. 6. v. 12.) quòd homo carne potiſſimùm & ſanguine conſtare conſpiciatur. Caro itaque & ſanguis non revelavit tibi, id eſt, nec alius quilibet homo te docuit, nec tu ipſe tua ſiue perſpicacia ſiue induſtria aſſequutus es, vt nec adulatio aut humanum quidquam ſuggeſſit ſ. me eſſe Chriſtum filium Dei viui. Sed Pater mevs Deus viuus, cuius me filium prædicaſti. Qvi in cælis est. (vide ſuprà 6. v. 9. & 7. v. 21.) qui in cælis maximè gloriam ſuam manifeſtat (cæteroqui enim vbique eſt) & omni creaturæ præeſt, ſupple, *reuelauit tibi*, inſpirauit tibi, illuminauit cor tuum & docuit te, non proponendo tantùm intellectui tuo veritatem, ſed & firmum aſſenſum fidemque inſpirando. ita patefecit tibi me filium ſuum homouſion quem ſolus ipſe nouit (ſuprà 11. v. 27. Ioh. 6. v. 44. 45.) res proinde momenti maximi atque eiuſmodi quæ te reddere queat beatum, poſtquam conſcius es cæleſtium arcanorum Dei. Carni & ſanguini opponitur hîc peculiaris Dei illuminatio, doceturque fidem in Ieſum Chriſtum, eſſe Dei donum ſingulare, beatum hominem reddens, cuius laus non viribus ſtudiiſve humani ingenij, ſed ſoli gratiæ Dei tribuenda ſit, illuſtrantis tenebras mentis humanæ ita vt myſteria in Ieſu abſcondita queat percipere. Hinc autem & illud intelligitur, nec prædicationem vel miraculis confirmatam (quæ etſi non prorſus humana ſit, non tamen eſt niſi externa) ſufficere vt fidem auditoribus ingeneret: nam quamquam non apertè omnino, prædicauerat tamen Ieſus naturâ ſe filium Dei, patrem ſuum pro more appellans Deum, ita vt aduerſarij ab ipſo ferè initio, blaſphemiæ ipſum hanc ob rem arguerint (Ioh. 5. v. 18.) vtque id oſtenderet rebus ipſis, eò retulerat ea omnia quæ ediderat miracula: quæ omnia Petro viſa & audita fuerant: ſed diſpoſita his fuiſſe potuit mens illius, illuſtrata fide nequaquam, donec placuit Patri intus docere. Vide ſuprà 11. v. 27.

Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.

18 κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

Et ego. κἀγὼ δὲ & ego autem. Teſtimonio de ſe Apoſtoli reddit vicem. q. d. Tu mihi dixiſti: Tu es Chriſtus filius Dei viui: viciſſim ego dico tibi: Tu es Petrus. Dico, non caſſo ſermone, ſed quem res ipſa conſequetur. *Dico*, vt Chriſtus filius Dei viui, qualem confeſſus es. Seipſum enim, quod hîc notat Chryſoſtomus, pollicitationibus ſubſequentibus filium Dei eſſe reuelat & oſtendit. Tibi. Simoni filio Iona, non cuiuis alij adſtantium. Qvia, vel ſupereſt ſenſui, vel pro quòd accipitur. Tv es Petrvs, et svper hanc petram. Ornat Simonem promiſſione eminentis dignitatis Ieſus, ad illius beatitudinem inter cætera pertinentis. Syriacum Teſtamentum, qua lingua Saluator eſt vſus, habet

ܟܐܦܐ

ܐܢܬ ܗܘ ܟܐܦܐ ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ *Ant hou cepha, vehal hada cepha*, quod est: Tu es petra, & super hanc petram. nimirum, idem vnum nomen, cuius significatio est *petra*, repetit: nec aliter potuit Munsterus suum fabricare hebraicum Euangelium. Quanquam autem *Petrus* syriacè eodem nomine nihil variato *Cepha*, seu vt alij pronunciant, *Cipho* appelletur (voce enim κηφᾶς *Ciphas* seu *Cephas*, qua vtimur Latini & Græci, data est terminatio his linguis congrua) ac proinde ambigua sit vox *cepha* ad nomen proprium & appellatiuum: tamen priori hic loco accipiendum non esse *cepha* pro nomine proprio, etsi allusio sit ad illud, monstrat id quod sequitur: *vehal hada cepha & super hanc petram*, id quod idem vnum est ac si latinè græcéve dicas *super quam*: *Tu es petra super quam ædificabo ecclesiam meam.* antecedens enim positum est loco relatiui: id quod perfrequens esse hebraicæ & cognatis linguis norunt qui vel leuiter in illis sunt exercitati. Atque hic est clarus & euidens huius loci sensus: non enim hìc imponit Saluator Simoni nomen *Cepha*, sed nuper impositi (Mar. 3. v. 16.) iustam innuit rationem: *Tu es petra super quam* &c. supple, ita vt meritò tibi nuper petræ nomen dederim. Græcus Euangelistæ Interpres transtulit σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ: quod etsi similiter intelligi vertique latinè possit: *Tu es petra & super hanc petram* (tam enim πέτρος græcè quàm πέτρα petram signat, eodem vno nomine & masculinam & fæmininam terminationem recipiente) tamen quia in vna eademque sententia, differenti nominis terminatione Interpres est vsus, videtur intellexisse, Saluatorem, vel imposuisse hìc Simoni nomen *Cepha*, vel nuper impositum hìc voluisse memorare, addita nominis ratione. Id quod sequutus latinus Interpres reddidit: *Tu es Petrus & super hanc petram*: quæ versio hoc differt à græca, quod græca intelligi queat quemadmodum lectio syra seu hebræa; hæc minimè, eò quòd vox *Petrus* latinis non nisi proprium sit nomen. Cæterùm sensus eòdem redit: intellexit enim Interpres *Tu es Petrus*, Meritò tibi nuper imposui nomen Petrus, idem vnum quod petra; respondes enim nomini tuo: nam verè petra es, super quam ædificabo ecclesiam meam. Habuit Interpres nomen *Petrus*, non vt deriuatum à petra, sed, quod res est (nam & ex superioribus id euadit manifestum, vbi idem nomen, *cepha* syriacè, πέτρος græcè, & proprium esse & appellatiuum docuimus) vt simplex, idem significans quod *petra*, sola terminatione mutata vt viri nomini aptiùs seruiat. Nam & hoc rursus loquitur subsequens pericope: *Et super hanc petram*, vbi non potes aliud subaudire, quàm *qua tu es*, *isto tuo nomine significatam.* ipse iste modus loquendi euincit id quod res est: nec enim præcessit alterius petræ mentio quàm demonstret pronomen *hanc*. Vnde quidam non dubitant, etiam id quod latinè habemus *Tu es Petrus*, exponere Tu es petra: quibus S. Leo velle videtur serm. 3. in anniuersario adsumtionis suæ, vbi ait: *Tu es Petrus, id est, cùm ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis* (&c.) *ego fundamentum* (&c.) *tamen tu quoq; es petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Persimilis foret loquendi ratio, si Imperator militi nomine Leoni, rebus gestis nomen exprimenti, diceret: *Tu es Leo, & hunc leonem præficiam exercitui meo.* quamquam enim hæc forma, ob ambiguitatem nominis *Leo*, similior sit illi syriacæ, quàm huic latinæ, eòdem tamen omnia recidunt. His porrò nil obstat quòd Christus *petra* seu *cepha* dicatur 1. Cor. 10. v. 4: nam, præter id quod mox S. Leo nos docuit, B. Hieronymus in hunc locum notat: *Sicut ipse lumen, Apostolis donauit vt lumen mundi appellarentur, cæteraq; ex Domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Ac secundum metaphoram petræ rectè dicitur ei: Aedificabo Ecclesiam meam super te.* hæc Hieronymus. Similia habet in Lucam Ambrosius. Et Simoni quidem hìc tribuit Iesus petræ vices; ipse sibi sumit partes ædificatoris. Iam verò *cepha, petra*, vel rupes (non enim quemlibet sed durum lapidem seu cautem *cepha* significat, respondens hebraicæ voci סלע *selah*, qualem describit Saluator suprà 7. v. 24.) à Iesu vocatur Simon Bar Iona, metaphoricè: quod iam dixit Hieronymus; idcirco quòd primus eam amplexus & professus sit fidem, in qua & sit perseueraturus (nam perseuerantia illi vel promittitur hìc vel prædicitur) quæ vt solidæ & infallibilis veritatis, redderet ipsum solidum atque huiusmodi qui errare nequeat in doctrinæ Christianæ explicatione, constantem in vitæ sanctæ exercitatione, securum certumque atque huiusmodi qui falli nequeat in beatæ vitæ exspectatione, robustum ac firmum ad sustinendos infirmiores, denique immobilem contra aduersarias potestates. ET SVPER HANC PETRAM quæ tu es, super te firmum adeò ac solidum. His verbis iacit Saluator primum lapidem ædificij quod exstruere cogitat, ecclesiæ; & illum quidem non qualemcumque, sed petram, vt sapiens ædificator, cuius est, non super arenam, sed petram, ædificare domum suam. suprà 7. v. 24. 26. ÆDIFICABO. ego qui vt filius Dei viui quiduis possum. Prosequitur metaphoram à petra acceptam, quod suprà ex Hieronymo attulimus. Familiarissimum Christo & Apostolis fuit ædificandi verbú, vbi agitur de hominibus adsciscendis aptandisq; regno Dei (Eph. 2. v. 20. 4. v. 12. 1. Tim. 1. v. 4. 1. Petri 2. v. 5. & alibi) cui opponitur destruere (2. Cor. 10. v. 8. 13. v. 10.) & hoc siue de singulis agatur siue de omnibus simul aut multis: nam & singuli singula fiunt ædificia seu templa Dei, & omnes vnum. Quemadmodum enim lapides varij sibi mutuò aptè iuncti vnum hominis corporatum ædificium fiunt: ita diuersi homines, ad vnanimem fidei virtutisque vnius amorem adducti, sancto consensu vnum spiritale fiunt ædificium Dei & Christi, in cuius medio resideat Deus & Christus. Quod quidem Christus ipse ædificat, quia ipse, merito mortis & afflatu gratiæ suæ, singulos ex erroribus vocat, fide donat, à peccatis mundat, iustitia ornat, & charitate coalescere facit. ECCLESIAM. illam quam prophetæ per vniuersum terrarum orbem dilatandam prædixêre. Hęc est quę ædificio comparatur, siue domum intelligas, siue templum, siue ciuitatem. Ecclesia vox græca est, ab ἐκκαλεῖν euocando dicta, quòd significet cœtum hominum ad certi aliquid spectandum, audiendum, agendúmve euocatum: quo modo in vsu est, tum apud Ethnicos scriptores, tum apud Lucam Euangelistam Act. 19. v. 32. 39. Frequens est eius vsus apud LXX Interpretes, qui pro vocibus קהל *kahal* & עדה *heda*, quæ hebraicè congregationis cœtusque significationem habent, nunc Synagogam, nunc Ecclesiam transtulerunt. Ab his acceptam Ecclesię vocem Apostoli, appropriarunt cœtui confitenti credentique in Iesum Christum filium Dei, relicto Synagogæ vocabulo Iudæis, in opinione exspectandi Christi remanentibus, vt minùs congruo, cùm à συνάγειν cogendo *synagoga* nomen habeat, cogi autem pecudum propriè sit & eorum qui vi aguntur aut timore; conuocari, hominum ingenuorum, quos ducat amor liberalis. vide suprà 4. v. 23. Syrus ecclesiam vocat ܥܕܬܐ *hidto*, synagogam ܟܢܘܫܬܐ *cenusto*. MEAM. eam quam cogito ædificare, quam vt ædificem veni. *Meam* inquit, non tuam; Iesu est

enim Ecclesia, vt ædificatoris, redemtoris, collectoris, inhabitatoris, ac domini (Rom. 14. v. 9.) non Cephæ aut alterius hominis (1. Cor. 1. v. 12. 13.) quamquam Cephæ aliorumque ministerio ad ædificationem sit vsus (Ephes. 4. v. 11. 12.) Obseruandum est autem quòd dicit Iesus *ædificabo* futuro tempore: quamquam enim, & ante tempora Petri, ab ipso mundi exordio, ecclesia extiterit, & iamtunc Iesus collegerat cœtum quendam discipulorum: sed rara erat, perparua, minimeque copiosa ecclesia, nec adhuc aut vocabatur aut agnoscebatur ecclesia Iesu Christi, donec ipse eam soluto reipsa sanguinis sui pretio redemisset, & diuiter effuso Spiritu sancto sanctificasset, illuminasset, ac roborasset eximiè ac manifestè, certa etiam Reipublicæ forma constituta. Die itaque sacro Pentecostes insigniter cœpit Iesus ædificare, propagare, ac dilatare ecclesiam suam, eamque ædificat iam inde ab eo tempore vsque ad seculi istius finem, quamdiu nouos aliquos fideles in ecclesiam, tamquam nouos lapides in structuram, admittit atque inserit: & quidem super Simonem filium Iona, tamquam super primum ædificij lapidem petramque immobilem ædificat, quia huic primum professo Iesum Christum filium Dei viui, infallibilis veritatis & insuperabilis roboris fidem, in eaque constanter perseueranti, reliquos omnes aggregat, fidei illius imitatores, illo, vt fidem illam, ita & firmitatem, in omnes vniuersamque ædificij compagem diffundente. Nam & ipse, die festo Pentecostes, primus cœpit Euangelium annunciare, nec eo tantùm die, sed & subsequentibus, videre est in Actis Apostolorum, primum ipsum vbique promulgare ac propugnare fidem Christi, tum inter Iudæos (Act. 2. 3. 4. 5.) tum inter Gentes (Act. 10. 11. 15. v. 7.) Igitur quemadmodum Abram merito eius qua Deo credidit fidei dictus est Abraham, & promissionem accepit patrem se fore multarum Gentium (Gen. 17. v. 5.) credentium inquam omnium, Apostolo interprete (Rom. 4. v. 16. 17.) ita Simon Bar Iona merito fidei illius excellentis, quam à Deo acceptam primus professus fuerat, nomen accepit virtutemque petræ, & promissionem ædificandæ super se Ecclesiæ, vt caput & robur fidei Christianæ. Hæc cùm manifesta sit ipsius Iesu sententia, non potest ipsi Iesu esse iniuria, quasi qui ecclesiam suam super hominem ædificarit: quando robur illud Simonis petrinum, Iesus, non humanis Simonis viribus tribuit, sed fidei illius in se Christum filium Dei viui; & fidem ipsam, non carni & sanguini, sed Deo Patri. Vnde clarum euadit, ita super Simonem petram ædificatam esse ecclesiam, vt virtus soliditasque omnis ipsius petræ, à Christo & Deo proficiscatur. PORTÆ. Portæ ponuntur pro iis quæ intra portas habitant aut sunt, & per portas egrediuntur aut emittuntur, præsertim verò pro potestate publica, quæ exercendi iudicij causa in portis residere, & præsidiis militum quæ in portis excubare consueuerunt. INFERI. ipsius inferi. ᾅδου inferni, tartari. Vocatur ᾅδης tamquam ἀΐδης lucis expers: pari ratione aliàs σκότος tenebras vocat. Syrus vtitur voce ܫܝܘܠ *Seioul* eadem cum hebræa שאול *Seol*, à postulando dicta, quòd semper postulet orcus, numquam satur. Latinis inferus dicitur, seu potiùs inferi, quòd à Deo, qui sanctis suis gloriam suam suprà in cælis manifestat, & ab omni pariter bono, quàm longissimè absint. Opponit Saluator ædificium ædificio, ciuitatem diaboli ciuitati Dei. Sunt itaque portæ inferorum, inferi ipsi, vis omnis satanica & potestas diaboli, quidquid vel viribus vel consilio potest Satan tenebrarum princeps inferis egressus, quæ omnia aliis etiam metaphoris descripta sunt suprà 7. v. 27. Nihil dicit de humana potentia, tum quòd sub satanica intelligatur vt minor sub maiore, tum quòd hæc ferè non nisi satana agente oppugnet ecclesiam. NON PRÆVALEBVNT ADVERSVS EAM. οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς non præualebunt illi, non vincent illam s. ecclesiam, non subuertent à me super te ædificatam aut in suam redigent potestatem. Sensus est, Quæ ecclesia mea, eam accipiet firmitatem ex sui super te petram ædificatione, vt contra omnem satanæ potentiam sit constitura inuicta, mihi constanter adhærens ac parens, & salutem in me sperans ac consequens: nempe, quia inconcussa perpetuò manebit Dei veritas, cui innititur fides illa tua quam es professus, præbens tibi robur petræ; quam, vnà cum ipso robore, in ecclesiam meam, tibi tamquam capiti primoque huius fidei professori ac doctori aggregandam, diffundes. Nititur ergo Ecclesia Christi solida petra, id est, Petro profitente Iesum Christum filium Dei viui, tam firmiter super illam ædificata, vt nulla vi subuerti queat, id est, à Christo separari aut salute in Christo excidere vel frustrari. Hoc primò hîc significatur; secundò autem quòd non tantùm nô subuertetur, verumetiam subuertet ipsa omnes diaboli machinationes & munitiones, non tantùm non vincetur, verumetiam vincet, nec poterit ipsi resistere quidquid tandem ad ipsam oppugnandam ex inferis prodierit. Secundò inquam hoc hîc significatur, nam primò non potest, absque iactura perseuerantis metaphoræ à petra acceptæ, quæ oppugnatam ponit Ecclesiam, non oppugnantem: præter hoc quòd non semper Ecclesia expugnare queat portas regnaque inferorum, vt non est hoc illi promissum. Hîc itaque monemur, quamdiu in terris peregrinabitur Ecclesia, minimè quietam fore, sed multis hostium insultibus expositam. Nam ideò negatur superior fore Satan, quia illi assiduè infestus erit. Sed habet illa promissionem hanc victoriæ, certam & infallibilem: quæ etsi ad singula illius membra non extendatur (possunt enim singula vinci) tamen eâ, viuis membris illique constanter adhærescentibus, pusillanimitas omnis aufertur à Satana oppugnatis, & spes optima datur de omnibus illius copiis triumphandi. Verùm vt spes optima datur triumphi, ita rursus quasi classicum canitur, vt semper ad bellandum instructa sint & parata.

Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.	19	καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν· καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

ET TIBI. tibi præterea, non alteri. Solum Simonem filium Iona alloquitur, in quo ornando ac beando pergit. Promiserat fore ipsum in Ecclesiæ suæ fundamento petram ipsam, id est, caput ac robur fidei Christianæ; iam promittit summum fore in Ecclesia sua rectorem. Conueniebat enim vt primus esset auctoritate,

qui primus fuerat fidei professione & charitate. DABO ego, penes quem iterum vt Christum filium Dei viui, est ea potestas atque auctoritas (Apoc. 3. v. 7.) Non dicit *dabuntur*, sed *dabo*: quo sanè verbo sibi ipse omnem potestatem regni cęlorum vt domino vendicat, ita vt eam possit committere cuicumque placuerit, idque summo iure. Cùm enim sit filius Dei viui, nihil non subiacet ipsius imperio: cùm verò etiam sua ipse morte paraturus sit hoc regnum, non est alterius quàm ipsius, regno quemquam præficere. Rursus autem *dabo* ait non *do*, promittit non dat, siue quia nondum omnino conditum erat hoc regnum, (*ædificabo* enim mox dixit) nec claues ipsæ, quales alteri dandæ, Iesu morte fabricatæ (Sacramenta enim legis nouæ ex Christi passione sunt orta) siue quia nondum erat tempus alteri tradendi claues, sed conueniebat vt ipse illas seruaret sibi, & plena solus ipse auctoritate gubernaret ecclesiam suam, quamdiu præsens visibilisque adesset. Post resurrectionem autem, cùm pararet ipse abitum, visibilem sui præsentiam subtracturus, tunc opportunum erat alterum suo loco constituere. Tunc igitur dedit claues, quas hîc promittit, Simoni filio Iona, quando tertiò illi mandauit: *Pasce oues meas.* Ioh 21. v. 15. 16. 17. Huius porrò meminisse oportet Simonem illiusque successores, quòd claues non à se ipsis habeant, sed à Christo datas, quibus proinde vti debeant, non pro arbitrio suo, sed pro ea quam nouerunt Christi voluntate: quamquam enim reliquis ipsi potestate superiores sint, at Christus ipsis, à quo omnis ipsis potestas collata est. CLAVES. summam absolutamque potestatem atque auctoritatem. hæc enim clauibus significatur, metaphora sumta ab eo, quòd claues domus ciuitatisque penes illum esse soleant, cui est summa gubernandæ domus ciuitatisque auctoritas, cuius est expellere, intromittere, excludere quos iudicauerit: Vnde etiam solent principibus, quando à ciuibus recipiuntur & domini agnoscuntur, ciuitatis claues offerri. Similis est loquendi figura Isa. 22. v. 22. Apoc. 3. v. 7. REGNI CÆLORVM. ecclesiæ quam super te ædificauero, administrandæ & gubernandæ. Regnum enim cælorum hîc accipitur pro ecclesiæ ea parte quæ in terris militat (vide sup. 3. v. 2.) quã idcirco hîc regnum cęlorum potiùs vocat quàm repetat vocem ecclesiæ, vt sciat Simon potestatem quæ ipsi promittitur spiritalem & cælestem esse, eiusmodi qua regantur homines ita vt requiritur vt ad cælestem beatitudinem queant perduci. His itaque verbis promittitur Simoni abs Iesu potestas summa absolutaque auctoritas in ecclesiam suam, adeoque prædicit Iesus successurum illum vicarium muneri iurique suo postquam terras ipse reliquerit: necessarium iudicans, *vno capite constituto, omnem schismatis tollere occasionem*, quod Hieronymus annotat in Iouinianum. quod vbi præstitit Iesus Simoni, constituit illum haud dubiè à se supremum caput summumque pastorem suæ in terra militantis Ecclesiæ, & vniuerso terrarum orbi præposuit (ita in hunc locum Chrysostomus.) Sita est autem auctoritas ista summa gubernandi ecclesiam, in admittendis his illisve in ecclesiam, in excludendis expellendisque aliis, in docenda ecclesia leges quas Christus per se ipse tulit, in condendis aliis pro loco & tempore necessariis vtilibúsve ad obseruationem legum Christi & spiritalem ecclesiæ salutem, in coercendis transgressoribus, in recipiendis in gratiam eis quos malè actæ vitæ pœnitet, in condonandis mitigandísve pœnis pro peccatis debitis, in commutandis promissionibus & votis Deo nuncupatis, in ordinandis episcopis, sacerdotibus, diaconis, aliisque cooperatoribus, denique in iis rebus omnibus gerendis, quas Iesus ipse gereret, ad regendum ecclesiam iuxta formam à se semel constitutam, si conspicuus ipse adesset, quæ scilicet ad spiritalem æternamque hominum per Christum salutem pertineant. Horum verò quamuis pleraque non solius sint Petri eiusque successorum, verumetiam aliorum Apostolorum & Episcoporum, atque adeò sacerdotum: tamen potestas horum omnium suprema ac plena penes solum est Petrum, aliis vel sub ipso vel etiam ab ipso accipientibus potestatem certis limitibus circumscriptam. ET. id est, Quibus clauibus instructus, fiet vt. Relicta tamen clauium metaphora, transit Saluator ad aliam, sed non absimilem: nam claudere & ligare, rursus aperire & soluere, sibi mutuò admodum vicina sunt. Volens ergo Iesus declarare supremam potestatem Simoni proximis verbis promissam, adfert in exemplum vnum quoddam, præcipuum ex multis quæ erunt potestatis ipsius; quòd penes ipsum erit summa omnium vitæ spiritalis mortisque auctoritas, quòd quoscumque peccatis obstrictos poterit vel iustè punire vel clementer seruare, qua in re quo ampliorem obtinent facultatem principes terræ, eo arbitrantur dominatum suum & perfectiorem esse & gloriosiorem. QVODCVMQVE. quemcumque eorum qui ciues erunt huius regni per orbem terrarum diffusi. LIGAVERIS malè liberum. Quamdiu peccator quod vult agit, liber sibi hominibusque videtur; quando autem pro merito punitur, ligatus. Ligat igitur peccatorem Petrus, dum lata sententia cogit illum subire meritas pœnas. siue capitalem, vt si ecclesia illum expellat & separet à communione sanctorum, aut neget ei peccatorum remissionem; siue inferiorem, vt si differat remissionem peccatorum, si ad tempus iubeat esse abstentum, si aliis etiam humiliatum modis, si ieiunia præcipiat cæteraque opera carnis afflictiua, si eleemosynarum mandet largitionem precumque augmentum. His omnibus aliisque huiusmodi modis ligatur à Petro peccator, duriùs mitiúsve pro meritis; & hoc, vel publico iudicio, si peccata sint publica, vel secreto. Sciendum porrò, ligare peccatores, nec Christi, nec Petri proinde vicarij, proprium esse munus: cùm Christi proprium munus à prophetis esse describatur, *vinctos*, non vincire ampliùs, sed *soluere* (Isa. 42. v. 7. 49. v. 9. 61. v. 1. & alibi.) *venit enim* (quod ipse de se ait Ioh. 3. v. 17.) *non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*; *venit*, inquam, *peccatores saluos facere.* (1. Timoth. 1. v. 15.) Accidentale igitur Christo Petroque est & quasi præter naturam ligare peccatores: sed quia in ecclesiam irrepunt quidam ficta animi conuersione, alij in ecclesiam admissi (quæ hominum est, aliquorum infirmitas, aliquorum malitia) degenerant, nec, quod sanctè promiserant, pergunt abrenunciare diabolo & pompis eius, necessum est Christo Petroque, tam pro publica totius ecclesiæ quàm pro priuata ipsorum peccatorum salute, ligare peccatores, duriùs mitiúsve, pro peccatorum qualitate, & ea quam præbent emendationis spe. SVPER TERRAM. tu in terra iudicem agens in eos qui degunt in terra. Ad mortuos non extenditur hæc Petri potestas, nisi impropriè. ERIT LIGATVM, id est, erit firmum ratumque: erit is habebiturque ligatus ea ratione qua à te fuerit ligatus. ET IN CÆLO. non tantùm in terra inter homines ciues regni huius mei, verumetiam in cælo, meo & Patris mei iudicio. Idem erit meum Patrisque mei iudicium, quod fuerit tuum. Elegans antithesis cæli & terræ, longissimè à se mutuò distantium, qua commendatur potestas ista Petro data. QVODCVMQVE. quemcumque, vt suprà. SOLVERIS suis vinctum peccatis, pœnísve promeritis; cuicumque peccata aut pœnas peccatis debitas remiseris,

miseris. *Peccata* vincula vocantur per translationem, tum quòd hominem fœdæ captiuitati diaboli peccatique subiiciant, adimantque ei veram quæ ex virtute est libertatem, tum quòd luendis pœnis reddant obnoxium, quas impossibile illi sit effugere. (Prou. 5. v. 22.) In peccato enim vnoquoque, mortifero præsertim, duo sunt vinculis non absimilia, macula siue fœditas animæ inhærens, qua Deo displicet homo, & diabolo similis, illi iungitur vt seruus, subiiciturque vt captiuus; & reatus, quo debitor est homo pœnæ, æternæ imprimis, deinde & temporariæ. His accedit nonnumquam tertium vinculum, illud quod diximus ab ipso Petro inijci, dum peccator vincula illa sua quibus tenetur non satis agnoscens, imò fortè bellè liberum se existimans, vt resipiscat aliquando, illaqueatur innodaturque vinculis pœnisque excommunicationis maioris minorisve, satisfactionis, aut similibus. Hæc porrò vincula omnia soluit Petrus, ea quam à Christo accepit potestate: & quidem illud excommunicationis, quando peccatorem correctum recipit in ecclesiam quem expulerat deploratum, aut admittit ad communionem Sacramentorum quam antè negauerat. Illud autem fœdæ captiuitatis, seruitutis vnionisve vinculum, soluit, quando mortis Christi, per pœnitentiæ sacramentum operantis, virtute, peccatum remittit: quo actu simul & illud vinculum soluit, quo obnoxius est peccator pœnæ æternæ. Illud verò quo obligatur luendæ pœnæ temporariæ, siue illi Petrus ipse subiecerit ipsum, siue illam Dei iustitia exigat, soluit, quando, ob causas rationi congruas, concedit peccatori indulgentiam quam vocamus, id est, pœnas illas vel integrè vel partim remittit. His itaque ferè modis, soluit Simon Petrus, eâ quæ hic ipsi à Christo promittitur auctoritate, miserè ligatum peccatorem, & hoc quidem, publico nonnumquam, nonnumquam secreto iudicio. Nam quod promissum est à Iesu, etiam datum est procul dubio, etiamsi nusquam datum legeretur: quamquam locus ille Ioh. 21. v. 15. 16. 17. rem hanc totam complectatur. Etsi verò similis ligandi soluendique potestas alibi etiam cæteris Apostolis & Episcopis data sit (infrà 18. v. 18. Ioh. 20. v. 23.) non tamen ea auctoritatis in omnes eminentia & plenitudine potestatis, qua hìc Simoni promittitur eiusque successoribus, quorum est & restringere ordinariam aliorum potestatem, vbi id expediat Reip. Christianæ. Vnde Synodus Alexandrina, Athanasio præsidente, ex sententia Nicenæ Synodi, scribit Felici Papæ, *Romanæ Sedi ab ipso Domino potestatem ligandi & soluendi speciali esse priuilegio super alios concessam.* Supremum itaque in ecclesia sua iudicem Iesus Simonem constituit, & similiter successores illius. nec enim Ecclesiæ suę, non vltra Simonis vitam, prospexit. SVPER TERRAM. vt suprà.

ERIT SOLVTVM. erit is habebiturque solutus ea ratione qua à te fuerit solutus. ET IN CÆLO. vt suprà. Intelligendum porrò hîc est, Saluatorem habere pro re posita, quando promittit sententiam iudicij cælestis nihil discrepaturam ab ea quam in terra tulerit Simon Petrus, Simonem potestate hac legitimè vsurum; ita vt nihil agat, impellentibus, odio, fauore, cæterisve humani animi affectibus, sed iudicet iuxta iustitiæ æquitatisque regulas, sequatur leges Christi ac Dei: nam si, verbi gratia, insontem ligaret, non est mens Christi id ratum in cælis fore. Vnde & intelligere licet, hanc iudicandi auctoritatem Petro datam, nullum præiudicium adferre iuri Dei, quasi is vt pedarius iudex subscribere cogatur mortalis hominis sententiæ, quando Petro incumbit nil nisi ex iustitiæ regula pronunciare, tantumque fideliter exsequi studere quod Deum existimet mandare. Ita fit igitur vt nihil aut sibi aut Patri deroget Christus interposito hominis ministerio, quin solus ipse absoluat & liget auctoritate non ab alio accepta, sed propria. Iam verò sub vna hac iudicandi auctoritate, ligandi soluendique facultate, insignis illa excellentiæ; intelligit Saluator id omne facultatis, quod vel necessarium vel vtile fuerit ei cui datæ sint claues regni cælorum, qui vniuerso regno regendo gubernandoque, ita vt ad cælestem beatitudinem adduci queat, sit præpositus, & id omne ratum fore in cælo, quod is in terra ex quacumque huiusmodi facultate gesserit. Vt autem huiusmodi honoris eminentiæque coronis ornauit Simonem Iesus: ita prouidit fidelium ecclesiæ suæ, eorum qui bonæ sunt voluntatis, consolationi, vt de peccatorum remissione, cæterisque bonis spiritualibus quæ Petrus eiusue successores ipsis fuerint largiti, non minùs securi sint quàm si ipse testis è cælo descenderet; eorum verò qui sequuntur concupiscentias suas terrori, ne, quando à Petro eiusve successoribus puniuntur pro meritis, contemnant quia cum hominibus rem sibi esse putent, postquam idem vnum sit cæleste Dei quod terrestre Petri iudicium, &, vt Chrysostomi verbis vtar, *quamuis homo sit mortalis, cælesti tamen polleat potestate.* Certiores enim suos Iesus reddit, non aliunde petendam esse vitæ mortisve certitudinem, post latam abs Petro sententiam, sed habendum esse id quod ille iudicauerit, tamquam diuinum è cælo responsum, id quod ille egerit, tamquam ab ipso Deo actum. Miserè se hoc loco torquet Caluinus vt se expediat à primatu Romani Pontificis: nec habet demum aliud effugium, quàm vt dicat, *non ita prodigum Deum, vt suum honorem in apostatas transferat.* Nam quòd claues regni cælorum, & ligandi soluendique potestatem, ad Euangelij prædicationem refert, absurdius est & à Christiana schola alienius, quàm vt egeat refutatione.

Mar. 8. v. 30. Luc. 9. v. 21.

Tunc præcepit discipulis suis, vt[20] nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christus.

τότε διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν ὅτι αὐτός ἐστιν ἰησοῦς ὁ χριστός.

TVNC. Post laudatam Simonis fidem, &, ob fidei excellentiam, honorum eminentiam illi promissam; ne arbitrarentur discipuli, hoc idem sibi non tantùm sentiendum, verumetiam mox diuulgandum omnibus ac prædicandum. PRÆCEPIT. διεστείλατο edixit, imperauit. DISCIPVLIS. apostolis concilio præsentibus. NEMINI, priusquam ipse permitteret. DICERENT. aperirent, aut persuadere conarentur, suam de ipso sententiam ac fidem. Prohibet Apostolis, non sibi ipse: ipse enim, & pro concione illud docuit non obscurè, quando nouerat ipse expedire. (Ioh. 5. v. 18. 8. v. 58. 10. v. 30.) & mortem denique subiit pro confessione huius veritatis. Mar. 14. v. 61. 62. 64. Ioh. 18. v. 37. 1. Timoth. 6. v. 13. QVIA. quòd. CHRISTVS. ὁ χριστὸς ille Christus, quòd ipse Iesus esset Christus filius Dei viui, qualem Petrus confessus fuerat. Clarior est sententia omissa voce *Iesus*, quam libri quidam tam græci quàm latini omittunt, Syro adstipulante. Voluit Iesus mox à principio ea agere, per quæ rebus ipsis ostenderet se esse Christum filium Dei viui, hominumque animos ad eam fidem recipiendam præpararet: voluit tandem

& Apo-

& Apostolos illud scire certoque cognoscere, quod iam vidimus, vt maiori cum attentione opera verbaque ipsius omnia obseruarent, & illum etiam grauissimè vsque ad crucem & mortem oppressum colerent, testes postea futuri & admiratores diuini consilij. Cæteros prorsus omnes ab Apostolis noluit latere hanc veritatem (videmus quî Marthæ exposita fuerit Ioh. 11.v.27. nec dubium quin & Mariæ aliisque similibus domesticis fidei) immo voluit ab aduersariis sciri atque intelligi quòd se haberet pro Christo filio Dei, partim ex suis ipsius sermonibus, partim ex Iuda proditore & exploratoribus, verisimile est (Luc. 23. v. 2. Ioh. 19. v.7.) & huius rei tamquam criminis voluit accusari & condemnari, quod diximus: sed noluit adhuc ab Apostolis suis illud diuulgari & prædicari persuaderique passim cuilibet, non tam quòd nondum illi idonei essent ad hanc rem, vt nondum erant, quàm ne tenella fides hominum animis insita, imminentis passionis tempestate subuerteretur atque eradicaretur absque omni spe restitutionis. Alienissimum enim erat ab omnium tam opinione quàm exspectatione, Christum à sua gente reprobari & occidi, quod nec in Deum cadere posse, sententia erat omnium longè etiam receptior. constat autem, quod iam radices egit, si euulsum fuerit, non facilè posse iterum plantatum pullulare: homines que, qui in summa aliquem habuerint æstimatione, si semel exciderit ille, difficillimè posse ad pristinam de illo opinionem reduci. At verò mysterio crucis omnique passione consummata, & scandalis omnibus de medio sublatis, quando nihil restaret quod retundere aut perturbare multitudinis fidem posset, immo quando primis miraculis postrema gloriosissimè responderent, tunc opportunum futurum erat, Iesum esse Christum filium Dei viui mundo prædicari, & sinceram atque immobilem fidem omnium animis imprimi, vt etiam tunc maximè, post toleratam humiliter atque obedienter mortem crucis, opportunum futurum erat *Christum intrare in gloriam illam suam* (Luc. 24. v.26.) de qua Apostolus Philip. 2.v.9: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.* Alij alias adferunt causas huius præcepti Iesu: sed hæ duæ, quarum priorem exponit schola Chrysostomi, loco sunt propriæ, si proximum versum consideres.

21 ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ πολλὰ παθεῖν ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι.	Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

Mar 8. v 31. Luc. 9. v.22.

EXINDE. ἀπὸ τότε ex tunc, ex eo tempore, quo suam illis diuinitatem dignitatemque declarauerat; vt absolutissimè illos instrueret doceretque mysteria reparandæ salutis humanæ. COEPIT. nam antè non nisi obscurè & sub parabolarum inuolucris ista innuerat, Ioh. 2. v.19. 3. v. 14. OSTENDERE. claris disertisque verbis prædicere, ità vt hanc simul declararet causam præcepti mox silentij. Luc. 9. v. 21. 22. QVIA. quòd. OPORTERET. necessarium esset, ad satisfaciendum Prophetarum vaticiniis, Patrisq; mandato, ac suo ipsius consilio, id est, ad præstandum Christi officium & redimendum humanum genus. Necessitas intelligitur, non coactionis, sed finis; & omnino consequentię, quod aiunt dialectici, non consequentis. IRE. ἀπελθεῖν abire, non ampliùs rediturum hac vitæ forma. IEROSOLYMAM, destinatum suæ morti locum. Rectiùs græcè dicitur Ierosolyma neutro genere numeri pluralis. vide suprà 2. v. 1. Vrbs Ierosolymorum sola erat in qua liceret sacrificia ea offerre quæ mortis Christi vmbram præferebant (Deut. 12. v. 5. 6.) & nominatim phase seu pascha (Deut. 16. v. 5. 6.) ideo elegit illam Christus, vt illic rem ipsam exhiberet, oblationem inquam sanguinis sui, vnam pro peccatis hostiam (Heb. 10. v. 10. 12.) vbi figuræ ob oculos ponebantur. Fecit & loci celebritas, primùm ad supplicij augmentum, quod subire placuit vt dirissimum ita & probrosissimum, deinde & ad gloriam, fama mortis & mirabilium antecedentium ac subsequentium, inde in vniuersum mundum facilè diuulgata, & ecclesia illinc in omnem terram facilè diffusa. ET illic. MVLTA. multas verborum rerumque iniurias, quas infrà historia passionis explicat. Non suffecit Christo mortem pati, sed exposuit se etiam ferendis impiorum iniuriis multiformibus, ipsa morte nihil leuioribus, tum vt plenissimè satisfaceret iustitiæ Dei pro nobis è peccati seruitute redimendis & sanctæ æternæque vitæ asserendis, tum vt absolutissimum nobis relinqueret patientiæ ferendarumque æquo animo aduersarum rerum exemplum. PATI oporteret. horum enim ea peruersitas erit vt inferant mala, Patris autem illud consilium vt feram. A SENIORIBVS. ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων à presbyteris. syriacè ܡܢ ܩܫܝܫܐ *men kasise*, qui hebraicè similiter זקנים *zekenim* dicuntur Deuter. 21. v. 2. Nomina hæc omnia, à senio licet dicta, non tam ætatis quàm dignitatis sunt, eos designantia, penes quos erant iudicia, quos hebræi posteriores græco vocabulo vocant *Sanhedrim* (vide suprà 5. v. 21.) vt ij planè sint presbyteri hoc loco & similibus, quos latini eadem ratione *Senatores* vocant, penes quos est auctoritas gubernandæ Reip. vide Dan. 13. v. 5. 28. 34. 61. Infrà 26. v. 3. passimque in historia passionis, vocantur οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ presbyteri populi, *seniores populi*, quod est, iudices populi. SCRIBIS ET PRINCIPIBVS SACERDOTVM. vide suprà 2. v. 4. Si à plebeis motu populari incitatis ferendum aliquid fuisset, minùs probrosum fuisset, quàm si ab iis qui plebi præerant, & quidem omnibus ordinibus conspirantibus, iudicum, doctorum, summorum sacerdotum. Populum enim, facile fuisset credere, leui insolentia agitatum, innocentem iniustè vexasse: at de his, quorum erat ius dicere, & insontes tueri, non facile esse poterat huiusmodi quid persuaderi. Cùm faceret igitur hæc ignominia ad passionis suæ exaggerationem, & turbare non leuiter discipulos posset, explicuit illam Iesus. Nihil enim minùs consentaneum erat, quàm gratiam peculiariter Iudæis promissam, à gentis ducibus reprobari. ET OCCIDI, etiam occidi ab illis adhibito Gentium ministerio. vide infrà 21. v. 39. Occidi ab his Christum necessum erat, quia tanta erat eorum malitia, quanta non ferret vitam benefacientis omnibus Christi. Mori autem Christum necessum erat,

ex definito Patris suoque ipsius consilio, ad humani generis redemtionem. Suppetebant quidem omnipotenti Deo plures aliæ rationes redimendi humani generis, qui vno voluntatis suæ iussu poterat rem omnem conficere: sed mortem filij sui homo facti iudicauit rationem esse omnium aptissimam. Debebatur hominum peccatis æterna mors, iustitia exigente: illorum nullus pro aliis satisfacere idoneus erat, cùm omnes æquè mortis essent rei: quin etsi eorum aliquis fuisset innocens, non tamen suffecisset is, vt nec vlla alia creatura, cuius virtus omnis finita est, satisfacere iustitiæ pro peccatis admissis in maiestatem Dei infinitam mortemque promeritis æternam; iustitia etiam postulante, non alium, sed hominem pro homine luere. Quare oportebat, vt, si congrua maximè ratione redimendus esset homo, innocens Dei filius factus homo mortem subiret, qui; & vt homo mori proque fratribus satisfacere pro morte morte reddita posset, & vt Deus tantam dignitatem virtutemque, infinitam inquam, operibus humanæ naturæ in vnitate personæ sibi vnitæ tribuere, quanta necessaria esset ad satisfactionem. Hoc Dei consilium vt discipulis suis Iesus integrè tandem aperiret, postquam docuerat illos veritatem tam diuinæ in se quàm humanæ naturæ (iudicauit enim paulatim & seruato ordine quodam docendos) cœpit iam illis & passionem suam mortemque prædicere, ne quid ignorarent eorum mysteriorum quæ ad officium Christi & procurandam humani generis salutem pertinerent. Noluit illis antè persuadere futuram occisionem sui, quàm firmasset illos in fide deitatis suæ, ne persuasa mors obstaculum præberet fidei in Deum immortalem: sed postquam Deum se esse confirmauerat, ne continuò abriperentur in eam opinionem in quam cum plerisque omnibus propendebant, fore vt Christus regnum hoc in mundo felicissimum iniret, atque eo feliciùs quo Deus ipse aduersa omnia facilè posset auertere, & suo omnes dominatui subiugare, voluit subiicere mortis breuì sibi inferendæ prædictionem; simul illos muniens aduersus procellam illam tempestuosam, ne, dum reprobari, affligi, occidi, morique ipsum cernerent, à fide in ipsum ac spe deficerent, postquam viderent omnia longè antè ab ipso præscita fuisse, ac proindè facilè ab ipso caueri potuisse, nisi certo suo Patrisque consilio vltro hisce malis se ad tempus exponeret. TERTIA DIE s. à sui occisione. vide suprà 12. v. 40. RESVRGERE. ἐγερθῆναι suscitari s. à morte, diuina, in quam mors non cadit, humanam naturam suscitante. Suscitandi verbum metaphoram habet à somno; resurgendi à casu sumtam: mors enim nunc casui nunc somno comparatur. Necessarium fuit Christum à morte resurgere, frustrà enim mortuus fuisset, nisi mortem sua morte vicisset; vicisse autem mortem non poterat, qui in morte ipse remaneret. quare *impossibile fuisse* ait Petrus (Act. 2. v. 24.) *vt ab inferno ille detineretur.* Resurgere autem oportuit, non quouis modo, sed numquam ampliùs moriturum, ad vitam inquam immortalem & regnum æternum. Voluit porrò addere Saluator huius suæ à morte resurrectionis significationem, ne deiicerentur animis discipuli, si audirent illum ad mortem & quidem probrosam tendere, nec intelligerent quid mortem consequuturum esset: quasi nihil aliud esset Iesu propositum, quàm docere aliquamdiu, & doctrinam miraculis stabilire, deinde mori, & morte finem accipere. quod certè non fuisset Christum Dei filium hominumque saluatorem se præstare. Admonet itaque, vbi visuri essent morientem, forti animo diem exspectare tertium, quo visuri sint superata morte viuentem.

Mar. 8. v. 32.

Et assumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.

22 καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ πέτρος ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, λέγων· ἵλεώς σοι κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο.

ET. Quibus auditis. ASSVMENS. προσλαβόμενος *apprehendens* vertit secundùm Marcum. Apprehendit Iesum Petrus, quemadmodum solemus amicum, declarantem inopinatò absurdi quid sibi esse propositum aut persuasum, quasi oblitum sui, retinere ad mentemque reuocare, & tamquam ne in suam ruat perniciem retrahere. PETRVS reliquis ardentior & Domini amantior, libertate etiam sumta ex re mox benè gesta & promissionibus acceptis, cæteris omnibus perturbatis & hæsitantibus, in medium prosilit. INCREPARE. corripere, reprehendere (non iurgantis auctoritate, sed amantis ac miserantis affectu) eò quòd diceret Iesus oportere se affligi & occidi, qui nihil huiusmodi ipse meruisset, indigna prorsus & aliena à Christo filio Dei, eoque magis quòd se vltrò videretur velle obiicere periculis, quæ facilè posset cauere. Petrus ex reuelatione nouerat dignitatem Iesu: at cætera quæ abs Iesu audiebat, non ad illam reuelationem, sed ad humanæ cogitationis rationes referebat. Habebat hæc, vt inutilia immo nocentia, ita Christo indigna: credebat autem facilè posse vitari; Iesum enim impotenti quodam zelo ardere ac ferri aduersus improbitatem seniorum, scribarum, ac sacerdotum Ierosolymitanorum, à quibus sibi persuaderet hæc se passurum; ignorans Petrus aduentus Christi rationem, Patris voluntatem, crucis necessitatem, redemtionis mysterium. ABSIT A TE, vt dicas aut persuadeas tibi, occidi te oportere, vel indigna pati, huiúsve rei periculis exponere, vtque iuxta hanc opinionem res tuas instituas. Græcè est ἵλεώς σοι *propitius tibi* s. esto, parce tibi, respice te; eodem sensu, ne scilicet illud tibi persuadeas, & negotia tua eò referas. Phrasis est peculiaris hebræis, frequens in veteribus libris, in qua vsus est vocis חאלילה *halila*, quæ prohibitionem seu profanationem sonat: estque detestantis seu abominantis aliquid vt profanum, illicitum, aut indignum: quam Chaldæus paraphrastes reddit eodem modo quo hoc loco Syrus חס לך *has lach* parce tibi; Græci & Latinus Interpretes, nonnumquam eo modo quo hoc loco est grecè, nonnumquam eo quo latinè. Gen. 18. v. 25. 44. v. 7. 17. 1. Reg. 20. v. 2. 2. Reg. 23. v. 17. 3. Reg. 21. v. 3. NON ERIT. non accidet, non continget. TIBI Christo filio Dei viui, quem Pater Deus non potest deserere, quem decet honor omnis & gloria, quem denique manet regnum prospertimumque in omnes imperium, in ipsa sancta Ierosolymorum ciuitate, iuxta prophetarum oracula, auspicandum. HOC. pati inquam multa & occidi, indignú est enim te. Quo certior à Deo Patre factus fuerat Petrus de Iesu maiestate, eo indigniora illo hæc iudicabat: & quamquá addidisset Iesus se post dira omnia resurrecturú, tamen, vel non intelligebat illud, vel prestare censebat Petrus omnino non mori quàm à morte resurgere. Itaque quem testatus fuerat esse Christú, incautus dehortatur à prestando Christi officio ac munere, quòd grauis ac probrosa sit carnis incómoditas iis qui adhuc carnis infirmitudine laborant, nondú Spiritus sancti viribus corroborati. alia exempla sui edidit Petrus post acceptum Spiritum.

ôdd

ὁ δὲ στραφεὶς εἶπε τῷ πέτρῳ· ὕπαγε [23] ὀπίσω μου σατανᾶ, σκάνδαλόν μου εἶ, ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων.

Qui conuersus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

Mar. 8. v. 33.

CONVERSVS. vultu toruo in Petrum à latere sibi adstantem manuque se prehendentem verso. VADE POST ME. ὕπαγε ὀπίσω μου abi à me, abscede seu facesse hinc è conspectu meo. Nam vt ὕπαγε idem est quod latinis apage, facesse, discede: ita *ὀπίσω μου post me*, pro è conspectu meo seu à me accipi videtur. ex oculis enim se recipere, & auersis in contrariam partem vestigiis abire solet (quod est, *post nos*) is qui prorsus à nobis repellitur. Cæterùm non prorsus omnino his verbis discipulum à se reiicit Iesus: subaudit enim, si in hac perstas sententia, abscede à me, non te agnosco discipulum meum. SATANA, id est, aduersarie. est enim satanas per se nomen generale. Vide suprà 4. v. 10. Eum qui se conabatur egregiè amicum præstare, aduersarium nominat & consultorem pessimum, quòd decreto Patris consilio & promtitudini obediendi suæ aduersaretur, à morte ferenda auocans quem Pater mori statuerat pro hominum salute. *Sapientia carnis*, ait Apostolus, *inimica est Deo*. Rom. 8. v. 7. Cæterùm hoc durior est ista agnominatio, quòd satanæ nomen ex consuetudine diabolo per antonomasiam approprietur; tamquam obiiceret Iesus, præpostero illo suo zelo, ipsum diaboli partes obire, idemque cum diabolo moliri, ne scilicet saluetur humanum genus. certè dum magistri cursum abrumpere conatus est, per eum non stetit quin & se & totum humanum genus æterna salute imprudenter fraudauerit. Itaque quantumuis amantis affectu Petrus suggessisset id quod sibi visum fuerat: voluit tamen dura huiusmodi increpatione ipsum Iesus refellere, non tam vt illius arrogantiam retunderet, qui miseratione potiùs humana motus fuerat; quàm vt imprimeret menti illius, quanti res ista referret, postquam tanta detestatione dignus sit cæteroqui amatus discipulus, qui rei illi se opponat: & declararet euidenter, seriò se esse de sua morte loquutum, nec temerè quidquam profudisse. verùm id quod & fieret breuî & fieri oporteret, expediret atque deceret. SCANDALVM MIHI ES seu meum es, vt est græcè, id est, scandalo es mihi, offensionis ac ruinæ causa mihi es quod in te est, dum reuocare me conaris ab obedientia quam Deo Patri debeo, qui mortis pro hominum salute tolerandæ præceptum mihi condidit. Christus scandalum pati, cadere aut offendere, non poterat: sed Petrus offendiculum ipsi obiiciebat, & quod in se erat ruinam procurabat incautus. Quare si Christus, cui lapsus periculum esse non poterat, blandientem Petrum tam acriter retudit: multo minùs nos, quos seduci facile est, vllam amicitiam quantumuis blandam ferre debemus, quæ nos ab obedientia diuinæ voluntatis auocat, iubetque vt nobis ipsis parcentes, non quæ Dei sed quæ hominum sunt sapiamus. per se enim caro nostra eò inclinat, vt neglecta voluntate Dei nobis ipsis parcamus. QVIA. Hic totius mali fontem aperit. NON SAPIS. οὐ φρονεῖς. non sapis siue intellectu siue affectu; hac scilicet parte, qua contra Dei consilium consulis carni meæ. EA QVÆ DEI SVNT. ea quæ Deus probat. non probantur tibi ea quæ Deo probantur: detestaris ea quæ Deus iudicat congrua. vtilia, necessaria, mortem inprimis meam. Non est sapientia illa tua Dei sapientiæ consentanea. SED EA QVÆ HOMINVM. s. sunt, sapis, id est. ea quæ caro & sanguis reuelant seu suggerunt. Sapientia hæc tua humana est, ea probans quæ homines probant, ea fugienda putans quæ homines refugiunt, quorum iudicium plerumque à Dei iudicio dissonat. Aduersa putas me non decere, & eo minùs quò magnificentiùs de me sentis quia hominum sententiâ illa probrosa sunt; occisionem mei censes rem me indignam, quia homines mortem horreant & quoad eius fieri ab ipsis potest vitent: aliud est Dei iudicium, qui res aduersas gloriæ seminaria mihi statuit; mortem decreuit, mihi vtilem, hominibus necessariam. Similis est huic Apostoli sententia 1. Cor. 2. v. 14: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi. & non potest intelligere* &c. Hîc iam obseruare licet, quî differat homo Dei gratia fultus à semetipso sibi relicto. Petrus qui à Patre inspiratus agnouerat Christum filium Dei viui: mox subtracto à Patre lumine sapit ea quæ carnis & hominum sunt; tantisque abs Iesu verbis castigatur, quantis priùs fuerat laudatus. Cæterùm vsque adeò nihil obfuit castigatio ista prioribus laudibus, vt profuerit quàm maximè, & idoneum tandem reddiderit Petrum, cui promissa (non enim erant illa hactenus nisi promissa) præstarentur: quando non iam iniurias mortémve suadebat refugere, sed *abibat ipse à conspectu concilij, gaudens quod dignus habitus esset pro nomine Iesu contumeliam pati*. Act. 5. v. 41.

τότε ὁ ἰησοῦς εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· εἴ [24] τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτόν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι.

Tunc Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Mar. 8. v. 34. Lu. 9. v. 23.

TVNC. Postquam Petri passionem mortemque horrentis retudisset humanum consilium, vt deinde tam illius quàm cæterorum discipulorum suorum mentibus imprimeret indubitatam suæ passionis mortisque quam prædixerat exspectationem, docet omnes, etiam turbas consultò aduocatas (quod Marcus habet) quid sapiendum huiusmodi in negotio vt sapias quæ Dei sunt, nimirum, non sibi tantùm, sed & suo exemplo ipsi Petro & prorsus omnibus, mortem cæterasque aduersitates forti animo ferendas vbi à Deo immittantur; quas etiam sua causa plerisque inferendas dat intelligendum. SVIS simul omnibus. SI QVIS. quisquis, sit princeps sit plebeius, sit senex sit iuuenis, sit vir sit fæmina. VVLT. Loquitur tamquam liberum relinquat vnicuique, vt suauiùs attrahat: cæteroqui, etsi in libera hominis voluntate sit positum non sequi Iesum, ei tamen qui seruari velit necessarium est sequi. POST ME VENIRE, me sequi, non pedibus sed imitatione; discipulus verusque sectator meus esse, & fieri ciuis regni cælorum quod à me prædicatur

catur & promittitur. ABNEGET. ἀπαρνησάσθω. plus habent emphaseos verba ista composita quàm simplicia, omnino neget se nosse, habeat se tamquam qui prorsus non norit, id est, tamquam qui omnino non amet, non diligat. SEMETIPSVM, non tantùm sua. *Qui me desiderat, se abiiciat*, ait sanctus quidam. Syrus *animam suam*; ita enim consueuit vti animæ voce pro huiusmodi pronominibus. vide sup. 10. v. 39. Quo loquendi modo & nos legimus Luc. 14. v. 26. *odisse animam suam*, idem vnum cum eo quod hîc habemus *abnegare semetipsum*. Semetipsum autem quando abnegare iubetur discipulus Christi, non id quod est creatione intelligitur abnegare debere, siue corpus siue animam (quorum non minima illi iniungitur cura) sed id quod est aut esse potest sua voluntate. Nam quia voluntas inter facultates humanæ animæ principatum gerit, totumque adeò hominem gubernat & regit, idcirco abnegare semetipsum siue animam suam dicitur, qui abnegat voluntatem suam. Suam autem non quamcumque iubetur abnegare (nec enim hominem agat qui voluntate non vtatur) sed ita suam, ita propriam, vt non consonet voluntati Dei, proprium omne velle quod à Dei lege aut certè Dei voluntate discrepet: quod vt frequens, ita varium & multiplex est in vnoquoque hominum, à corruptione præsertim naturæ. Itaque *abneget semetipsum*, id est, constans reiciat ac repudiet omne id quod ita voluntati naturæ suæ humanæ iucundum gratumq; est, omne id in quod ita propendet voluntate propria, vt Dei voluntati non sit consentaneum, considerans non quid sibi bonum, sed quid Deo gratum sit. Hoc vt faciamus eò spectat oratio illa: *Fiat voluntas tua* (suprà 6. v. 10.) ex cuius proinde expositione huius præcepti petenda est expositio. Hoc autem qui facit, iudicatur ab hominibus *abnegare semetipsum*, non nosse, non diligere semetipsum, cùm reuerà maximè is diligat semetipsum, & qui contrà agit, verè abneget oderitque seipsum. nam ab hominum vulgari iudicio sumsit hanc loquendi rationem Seruator. TOLLAT in humeros, supponat lubens humeros cruci. CRVCEM SVAM. Facile est ei qui seipsum abnegarit, ferre æquo animo crucem aduersitatemque quamcumque, quam consideret à Deo sibi destinatam. ET SEQVATVR ME, id est, meo exemplo, qui memetipsum abnego & crucem meam fero. *Descendi*, inquit, *de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Ioh. 6. v. 38. Et cùm de cruce propriè dicta ageretur, *Non*, ait Patri, *sicut ego volo, sed sicut tu.* infrà 26. v. 39. In his igitur qui sequitur Iesum, est ille discipulus Iesu, heresque promissionum illius, sapiens quæ Dei sunt non quæ hominum. Reliqua ad hunc versiculum pertinentia vide suprà 10. v. 38.

Mar. 8. v. 35. Luc. 9. v. 24.

Qui enim voluerit animam suam [25] saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.	ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, εὑρήσει αὐτήν.

QVI ENIM. ὃς γὰρ ἂν quicumque enim. q. d. non frustrà hæc moneo. ANIMAM SVAM. semetipsum. synecdoche partis nobilioris pro toto. SALVAM FACERE. σῶσαι saluare, seruare s. in hoc mundo, crucem diuinitùs sibi impositam abiiciendo, sibiq; parcendo atque indulgendo, me negato aut Dei obedientia iustitiáve relicta. PERDET EAM in futuro seculo, non seruabit sed perdet seipsum. damnum suipsius faciet irrecuperabile. præpostera enim sui ipsius seruandi cupiditas, in æternum exitium ipsum præcipitabit. Itaque non modò non faciet lucrum quod captat, sed etiam eius rei quam seruatam esse vult, id est, suipsius, iacturam facit, quod damnum est omnium maximum. QVI AVTEM. ὃς δ' ἂν quicumque autem. PERDIDERIT in hoc mundo, in hac vita, abnegando scilicet seipsum, & ferendo crucem quæ ipsi propter confessionem nominis aut obseruationem doctrinæ meæ obuenerit. INVENIET. id est, saluam faciet, vt in priori sententiæ membro. non modò nullum detrimentum patietur sui, quin potiùs lucrifaciet seipsum, quo lucro nullũ possit homini felicius contingere. Reliqua vide sup. 10. v. 39.

Mar. 8. v. 36. Luc. 9. v. 25.

Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? [26]	Τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ; ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ;

QVID ENIM. q. d. Nec paruifaciendum est homini damnum seu perditio suiipsius. PRODEST HOMINI. ὠφελεῖται ἄνθρωπος iuuatur homo. MVNDVM VNIVERSVM. vniuersi mundi bona, totius orbis imperium, opes, delitias, & si quæ sunt alia illius bona, prosperam valetudinem, vitam longæuam &c. LVCRETVR in hoc seculo. ANIMÆ VERÒ SVÆ, id est, sui ipsius, quo modo exponit Lucas cap. 9. v. 25. DETRIMENTVM PATIATVR. iacturam faciat, *se autem ipsum perdat & detrimentum sui faciat* ait Lucas. s. in seculo venturo, vbi declaratus exsul regni cælorum æternis addicatur suppliciis, vbi, nec alibi, est veri nominis vt salus ita & perditio. Q. d. Saluator, Nihil prodest, non est æstimabile damnum hoc totius mundi lucro, omnino inæstimabile est damnum. Et quidem fatentur omnes, hominem ipsum longè præstare cunctis mundi opibus: sed interea excæcat plerosque carnis sensus. HOMO etiam qui vniuersum obtineat mundum. COMMVTATIONEM. compensationem. Significatur id quo dato redimitur aliquid, iuxta priscorum commercia, quæ non moneta, sed mutua rerum permutatione constabant, aut iuxta bellicum morem, quo miles vnus alio redimitur. PRO ANIMA SVA. τῆς ψυχῆς αὐτοῦ animæ suæ. quid dabit homo cuius permutatione redimat animam suam, id est, seipsum, perditum in altero seculo. q. d. nihil. damnum est enim irrecuperabile. Nihil est in rebus mundi, quin neque omnes simul res mundi, queant hominem qui seipse perdiderit, inque exitium futuri seculi adduxerit, perditione exitióve eripere.

eripere. Itaque cùm nec æstimabile nec recuperabile sit, sui vnius in futuro seculo damnum, totius hic mundi lucro; forti animo, quidquid hic mundus habet expetendum, honores, diuitiæ, voluptates, sanitas, adeoque ipsa corporis vita, posthabenda ac contemnenda sunt, & mors aduersaque omnia in hoc seculo ferenda, nec sibi parcendum, potiùs quàm à me aut iustitia desciscens, sui ipsius damnum patiatur, aut seipsum quis perdat in altero seculo: quemadmodum ego, potiùs quàm non obediam mandato Patris, mortem statuo alacris subire.

μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ.

27 Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.

Mar. 8. v. 38. Luc. 9. v. 26.

FILIVS ENIM. Confirmat ea quæ mox dixerat v. 25. & 26., *perdet eam, inueniet eam, animæ suæ detrimentum patiatur, nullam dabit commutationem pro anima sua* (tamquam enim rogatus quomodo & quando hæc erunt, respondet his verbis: *Filius hominis* &c.) consolans interim discipulos, quibus hactenus nil nisi triste tum prædixerat tum præceperat, reuelandæ gloriæ suæ prædictione & promissione reddendæ ipsis mercedis.

FILIVS HOMINIS. Vtitur tertia persona de se loquens, ad declinandam arrogantiæ opinionem; vt plerumque; & quidem vocabulo Filij hominis, notat præsentem vitæ suæ conditionem. ego, qui nunc viuo in carne mortalis homo, vilis, abiectus, ac mundo contemtus, mox etiam conculcandus ab omnibus & pro verme potiùs quàm homine habendus. VENTVRVS EST. rediturus est aliquando & appariturus huic mundo, auctus scilicet à Patre auctoritate potestateque iudicis mundi vniuersi. *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est* &c. Ioh. 5. v. 22. 23. 27. 28. 29. IN GLORIA. cum gloria, conspicuus gloria, amplitudine, magnificentia. Ne ex præsenti adspectu discipuli æstimarent ipsius regnum, gloriam Patris & angelorum commemorat. Longè ergo alium se fore promittit, quum adueniet mundi iudex: longè alia specie se videndum præbebit.

PATRIS SVI. ea qua Pater ipsius est nobilis, id est, *vt beatus & solus potens, Rex Regum & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem*. 1. Tim. 6. v. 15. Non quidem reiecta filij hominis forma (eâ enim hominibus reis videbitur) sed affectâ vnigeniti filij Dei manifesta gloria, quæ, dum iudicem tam potentem quàm iustum declarabit, piis quidem solatio, impiis verò terrori erit. Eadem porrò cùm sit Patris & Filij gloria, eadem est & natura, vt rectè ex hoc loco colligunt veteres, suffragante Apostolo Philip. 2. v. 11. CVM ANGELIS sanctis omnibus. (infrà 25. v. 31.) comitatus, non vt modò paucis dumtaxat ac tenuibus discipulis, sed innumeris sanctorum angelorum, nobilium illorum ac virtute potentium spirituum, turmis, qui visibili forma iudicantis maiestatem cingent atque ornabunt, præsto *ad audiendam vocem sermonum eius*: quorum si vnus aliquando vna nocte fundere potuit potentissima Assyriorum castra, cæsis centenis & octuaginta milibus (4. Reg. 19. v. 35.) quid non subuersuros atque domituros credas, vbi omnes coniunctis copiis ac viribus cum Domino ad iudicandum venerint? Angelorum in iudicio officium suprà 13. v. 39. & 49. & infrà 24. v. 31. descriptum est. SVIS, vt Patris, ita & Filij, angeli sunt. vide suprà 13. v. 41. ET TVNC REDDET s. mercedem iustam, siue præmium siue supplicium, *iustus iudex*. 2. Tim. 4. v. 8. VNICVIQVE hominum, à protoplasto ad hysterogenem vsque, omnibus, nullo excepto, in vitam reuocatis, atque ad tribunal suum citatis & coactis. SECVNDVM OPERA EIVS. κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ secundùm actionem ipsius, id est, secundùm facta seu opera ipsius (est enim singulare hebraico more collectiuè sumtum pro plurali, interprete & ipso Apostolo ad Rom. 2. v. 6.) prout meruerint opera ipsius humana, id est, collecta simul omnia ea quæ pro arbitrij sui libertate egit ipse homo hac in mortali vita, siue foris siue intus apud animum solum, siue verbis siue rebus ipsis, siue palàm siue clàm, siue admissione siue omissione: quamquam si fuerint meritis contraria eiusdem vnius varia opera, fiet vt secundùm ea decernat iudex mercedis substantiam, id est, aut præmium aut supplicium, quorum studio reus occupatus vitæ mortem iunxit. nam priora quæ fuerint contrarij meriti, quoad accidentia poterunt mercedem variare, quoad substantiam nequaquam. Non est porrò quod hic sibi blandiatur hypocrita de suorum splendore operum: non enim iudex iste in trutinam adducet ipsa per se opera exteriora, & non multo magis interiores animi motus, adeoque ipsius animi constitutionem, à quibus ea opera profecta sint. non hæc à se mutuò separabit exactissimus iudex, de humanorum operum meritis iudicaturus, immo verò maximam habebit animi rationem, vsque adeò vt, vbi alia non fuerint opera, secundùm solos ipsos animi voluntarios motus (nam & illi, quod diximus, operum nomine intelliguntur) hominem iudicaturus sit; atque vbi nec hi suppetent, vt in iis qui ratione numquam vsi fuerint, secundùm solam animi constitutionem, siue fœdam illam ex peccato originis, siue pulchram ex Sacramento regenerationis, habita ratione ad opera hominum primi & secundi, quæ peculiari ratione sunt & istorum. Hæc igitur est operum descriptio, secundùm quæ Filius hominis iustus iudex reddet vnicuique mercedem, vitam æternam si fuerint bona (Rom. 2. v. 7. 10.) vt eorum qui pro cōfessione ipsius Filij hominis perdiderint animas suas in hoc seculo; æternum supplicium, si mala (Rom. 2. v. 8. 9.) vt eorum qui negato Filio hominis animas suas hìc saluare voluerint. Nihil enim nisi quod æternum sit iusta esse potest merces hominis, mortali quidem vita defuncti, sed immortali nihilominus anima præditi, ad immortalem adhæc vitam reuocati. Cæterùm quę censebuntur illic opera bona, meritoria æternæ vitæ; quæ mala, meritoria supplicij æterni, iudicabit ipse potissimùm scrutator cordis renumque vniuscuiusque, cui singulorum operum, vt aliarum rerum omnium, pondera, mensuræ, & intima pretia perspecta sunt: id tamen quod ecclesiam suam hac de re docere dignatus est, partim expositum est (vide suprà 10. v. 41. & 13. v. 23.) partim exponetur à nobis, opportunioribus locis: hic sufficit aduersus hæreticos notare, manifestum ex hoc loco euadere, esse quædam opera bona, secundùm quæ reddatur homini merces vita æterna; quemadmodum sunt quædam mala, secundùm quæ reddatur merces supplicium æternum, cùm par idemque de vtrisque Saluatori sit sermo. Qui cùm promittat se vnicuique secundùm

dùm opera ipſius ius dicturum, docet fidem operum vacuam, ad ſalutem nil profuturam; declarat opera aliena nec auxilio cuiquam futura nec nocumento; pollicetur iuſtum abſque perſonarum acceptione iudicium (nam προσωποληψίας perſonas non opera conſiderat) prædicit ſe nullis cuiuſquam flectendum precibus, nullum ſe accepturum munus, nullam commutationem ſeu compenſationem, vt condemnet innocentem aut abſoluat noxium, qui ne latum quidem vnguem à meritis operum vniuſcuiuſque diſceſſurus ſit, erga eos præſertim quorum condemnationem iuſtitia requiret. Denique dum non alterius rei quàm operum hac in mortali vita actorum habendam illic rationem dicit, dat intelligendum, vnumquemque illic iudicandum ſecundùm eum ſtatum in quo res ipſius fuerint decedentis de hac vita (vnde illud B. Auguſtini Epiſtola 80: *In quo quemque inuenerit ſuus nouiſsimus dies, in hoc comprehendet eum mundi nouiſsimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo iudicabitur*) ac proinde mox à morte tempeſtiuum eſſe vt ſubeat vnuſquiſque ſingulare Dei iudicium (cui nulla opus eſt temporis mora ad examinanda cauſarum merita) & accipiat interim locum meritis dignum, donec dies vniuerſali illi iudicio conſecratus aduenerit. quare ad hunc modum intelligere oportet hunc aliaque ſimilia ſacræ Scripturæ loca. Nam quòd ad vniuerſalis iudicij retributionem potiùs reuocamur quàm illius ſingularis, ex eo eſt, quòd illius retributio imperfecta ſit & occulta; huius demum, perfecta, abſoluta, & orbi manifeſta futura ſit, quando ſimul omnibus in vnum coactis, ſingulis ſingulos omneſque ſpectantibus, ius dicetur tam corpore quàm anima ſubeundum. Ante eum diem, corpus quod ſocium hic fuit operum, non eſt mercedis: & ad eum vſque diem vt fiet mundo ſemper noua aliqua hominum acceſſio, non poſſunt ante eum omnes ſimul homines in vnum cogi: poſtremò non ante eum diem manifeſta apparebit oculis totius mundi Ieſu Chriſti cum Deo Patre regnantis gloria ac maieſtas, cuius prædictione ipſe animum hîc addere diſcipulis ſuis voluit.

Mar. 9. v. 1. Luc. 9. v. 27.

Amen dico vobis, ſunt quidam [28] de hîc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.	ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.

AMEN. Verè, Lucas exponit. Ne diſceptantes apud ſe diſcipuli, longum eſſe diem illum nouiſſimum, quo promittat manifeſtationem gloriæ ſuæ & præmi[...] laborum, imminentia verò eſſe pericula quæ ſua cauſa velit ſubiri, animis deiicerentur; propiore eos fiducia erigit, quòd ſcilicet futuræ gloriæ ſuæ ſpecimen breuì daturus ſit. Vt ergo interim diſcipulos ſuos ſuſtentet Dominus, confirmationem temporis intermedij illis proponit, ac ſi diceret: Vt certiores vos faciam gloriæ & regni eius quod me apud Patrem manet, orbi aliquando manifeſtandi, cuius participes futuri vos cæterique imitatores mei ſitis, illud prædico vobis, & habete pro certo. DE HÎC STANTIBVS. τῶν ὧδε ἑστηκότων eorum qui hîc ſtant ſeu adſtant, id eſt, adſunt ſeu præſentes ſunt, ſederint licet fortaſſe. Memineris adfuiſſe cum Apoſtolis turbam populi. Mar. 8. v. 34.

NON GVSTABVNT MORTEM. non ſentient mortem, non morientur. metaphora ſumta eſt, pro ſacræ Scripturæ more, à calice, qui tamquam propinetur morituro, mortem continente. Porrò quòd dicit non morientur, non ideo dicit quòd longum adhuc futurum eſſet id quod promittit, demum ſcilicet ſub finem vitæ Apoſtolorum; ſed quòd nollet mox omnibus id innoteſcere (vide infrà 17. v. 9.) quare nec nominare voluit quinam illi forent. DONEC VIDEANT. ἕως ἂν ἴδωσι vſque dum viderint, ſuis oculis FILIVM HOMINIS. me. VENIENTEM. apparentem, quomodo exponit Euthymius. IN REGNO SVO. in gloria, claritate, magnificentia, regni quod ipſum manet, ea qua venturus eſt ad iudicandum orbem terrarum. Promittit ſpecimen gloriæ, qua ipſe vt Dei filius ornandus, & mundo iudicando aliquando appariturus ſit, oculis conſpicuum exhibere ſenſibuſque ſubiicere, quatenus natura mortalis capere illam poſſit. Pręſtitit promiſſum, primùm in transfiguratione ea quæ proximo capite deſcribitur, quando Petrus, Iacobus, & Ioannes, *ſpeculatores facti magnitudinis illius*, viderunt fulgentem cæleſti planeque diuina claritate, viderunt honoratum Moſis & Eliæ prophetarum rebus geſtis celeberrimorum præſentia, denique audierunt accipientem à Deo Patre, *voce delapſa ad eum à magnifica gloria*, honorem & gloriam filij Dei. Pręſtitit deinde iterum à reſurrectione, quando Apoſtoli omnes, Iuda excepto, viderunt viuentem immortalem vitam; tandem etiam agili fulgidoque corpore præditum, gloriaque & honore coronatum, deducentibus angelis ſanctis, comitantibuſque iuſtorum ſpiritibus, magnificè aſcendentem in cælum, & ingredientem in regnum illud ſuum æternum, vnde olim rediturus eſt ad iudicandum orbem terrarum in æquitate. Act. 1. v. 9. 10. 11. Quare Iohannes, Euangelij ſui cap. 1. v. 14., ſatisfactum ſibi à Domino Ieſu hac parte declarans: *habitauit*, inquit, *in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Et Petru[s] Epiſt. 1. v. 16: *Non*, inquit, *doctas fabulas ſequuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præ[ſen]tiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis* &c.

CAPVT

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλὸν κατ' ἰδίαν.

1 Et post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum.

Mar. 8. v. 1. Luc. 9. v. 28.

ET. latinè dicas *autem*. POST DIES SEX. id est, sexto die. (vide Mar. 8. v. 31.) s. ab ista promissione: *Sunt quidam de his stantibus* &c. vt promissum solueret. *Docet Dominus*, inquit Hilarius, *& rebus & verbis, & fidem spei nostræ æqualiter sermo atque opus instruunt, vt contra vim sensumq; iudicij optabile fieret præsentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum.* Quò certiorem autem Euangelistæ concilient huic historiæ fidem, exactè describunt circumstantias omnes, temporis, loci, personarum. ASSVMIT secum, reliquis Apostolis relictis ad pedem montis. Non assumsit omnes, ne res diuulgaretur priusquam id expediret (certè filium perditionis Iudam non congruebat adesse) tres autem assumsit, quot poterant sufficere ad ferendum testimonium quando diuulgari expediret. ternarius enim numerus Legis censura ad rem probandam idoneus pronunciatur. Deut. 19. v. 15. PETRVM, quem statuerat præficere Ecclesiæ suæ, suo terras relinquentis loco: qui vt recenti memoria dederat ipsi Iesu testimonium filij Dei viui, doctus occulta Patris inspiratione; ita congruum erat vt ipse suis oculis videret Iesum indutum gloria decenti filium Dei viui, & audiret auribus disertam Dei Patris filium suum agnoscentis vocem. IACOBVM filium Zebedæi, quem Maiorem vocamus, qui primus Apostolorum pro Christo perditurus erat animam suam (Act. 12. v. 2.) præ reliquis proinde animandus spectaculo gloriæ Christi. IOHANNEM, qui vt erat reliquis omnibus Apostolis futurus longæuior, ita ipsum congruebat testem esse visæ gloriæ Iesu. Hos iterum tres solos nuper ad spectandam puellæ à morte suscitationem admiserat (Mar. 5. v. 37.) coram solis his tribus agonem cum mortis imminentis horrore iniit (infrà 26. v. 37.) denique hos tres testes esse voluit eorum omnium quæ gessit, quippe quibus à principio à se vocatis (suprà 4. v. 19. 21.) ad maiora statuerat vti. id quod nouis illis nominibus quæ his tribus imposuit quando creauit Apostolos (Mar. 3. v. 16. & 17.) satis declarauit. EIVS. Iacobi. DVCIT. ἀναφέρει subducit. IN MONTEM. Vulgaris opinio est fuisse montem Thabor. Atqui Thabor media in Galilæa situs fuit, in campo magno Galilææ: constat autem extra Galilæam rem istam gestam fuisse, ex eo quòd in fine historiæ dicat Marcus Euangelista, Mattheo suffragante, Iesum eiusque discipulos inde profectos, esse prætergressos Galilæam. vide Mar. 9. v. 30. Verisimile itaque fit, saluo meliori iudicio, vt superiora, ita & hæc consequentia, in partibus Cæsareæ Philippi contigisse (suprà 16. v. 13.) illicque egisse Iesum octo plus minus diebus (Luc. 9. v. 28. 37.) quibus in partibus, inter alios, Libanus mons erat, sacris literis celebratissimus, de quo Isaias cap. 35 v. 2: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri.* EXCELSVM. sublimem. Insignis altitudinis fuit mons Thabor: sed non æquiparandus Libano, quo in terra repromissionis nihil esse excelsius, testatur Hieronymus in caput vndecimum Zachariæ: qui & ibi altiorem se tollit, vbi Cæsareæ Philippi imminet, quod Adrichomi theatrum notat. Loci celsitudine, cælestem rei celsitudinem commendare, Saluatoris mens fuit. SEORSVM. à nullo enim alio conspici voluit. *seorsum* autem, cùm à reliquis Apostolis ac plebe, tum ab omnibus mundi tumultibus, qui planè impedimento sunt contemplaturis Deum.

καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, καὶ ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος, τὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς.

2 Et transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

Mar. 9. v. 3. Luc. 9. v. 29.

TRANSFIGVRATVS EST. μετεμορφώθη. vox eadem illa est à qua poëtæ nominant vanas fabulosasque deorum suorum metamorphoses, in varias naturas figurasque transmutatorum. Atqui sacra ista metamorphosi, non subtracta est Iesu pristina faciei corporisve siue forma siue figura, multo minùs substantia humani corporis ipsius transiit in spiritus aëris aut alterius naturæ substantiam: sed ea qua inter homines versabatur, obscura, humilis, infirmaque, vt cæterorum hominum, tum faciei tum corporis species, mutata est in cælestis diuinæque maiestatis specimen. Figuræ faciei corporisque familiari ac notæ discipulis, accessit insolens splendor & gloria mirifica: ideo transfiguratus dicitur, non quòd character lineamentáve faciei aut corporis mutata sint; *sed*, inquit Theophylactus in Marcum scribens, *quòd, manente charactere qualis prius, ineffabilis lucis factum sit augmentum.* Figuræ igitur vox, in hoc transfigurationis nomine, pro specie accipienda est: qua vocula vsus Lucas clariùs dixit: *Facta est species vultus eius altera.* Quin & Matthæus, quod obscuriùs dixerat *transfiguratus est*, explicuit subsequentibus verbis. Nam quasi quæras quomodo transfiguratus sit, respondet: *Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem* &c. ANTE EOS. ἔμπροσθεν αὐτῶν coram eis, in conspectu eorum, discipulis cernentibus mutatio facta est, ne suspicio esse posset angeli aut alterius loco Iesu substituti, si suis oculis non vidissent illi, quum fieret illa in Iesu corpore metamorphosis.
ET. pro, id est. RESPLENDVIT. ἔλαμψε splenduit, splendorem & decorem induit. Regno Satanæ tenebræ congruunt, propter horrorem ac miseriam; regno Dei splendor & lux, ob beatam lætitiam.
FACIES EIVS. faciei, quæ præ cæteris corporis partibus est animi index, magna fuit Iesu inter homines versanti tum grauitas tum maiestas: sed miris modis ea aucta est accessione beati huius fulgoris. SICVT

SOL, instar solis. non quouis splendore illustrata est, sed tamquam solari, aureo illo, immenso, atque ineffabili, ita tamen temperato, vt non auferret spectatoribus discipulis conspectum natiuæ effigiei. Fulsit Iesu facies claritate tum magnificentiore tum oculis gratiore quàm sit vlla huius mundi, etiam solaris. vide suprà 13.v.43. Hęc est enim Scripturæ consuetudo, vt describens excellentiam eius quod supra naturam est, vtatur comparatione eius quod secundùm naturam simili qualitate excellere reperitur. VESTIMENTA. Ne putes solam splendore huiusmodi affectam faciem fuisse (quamquam illa inprimis fuerit, quæ summum dignissimumque in corpore obtinet locum) vestimenta eius facta sunt alba, nimirum, reliqui corporis splendore, penetrante ac tingente ea quibus tegebatur vestimenta. ALBA. Lux in suo fonte, sole inquam aut igne, nullo interposito velamine, visa, aurea fuluaque apparet; transparens autem per velamen seu rem mediam, aut visa in re altera excipiente à fonte, alba apparet sensibus. Hac ratione luna alba videtur, & ipse quoque sol obiectis nubibus. Eadem ratione vestimenta Iesu alba sunt visa, facies verò fulua aureaque.

SICVT NIX. id est, albissima sunt reddita ac splendidissima, quemadmodum niue nihil est in rebus naturæ albius, nec proinde splendidius. omnium enim colorum splendidissimus est albus. Græcè & syriacè est ὡς τὸ φῶς *sicut lux*: ac videri possit ad eum modum latinè quoque scriptum fuisse, quemadmodum in Notis ostendimus. Itaque *alba sicut lux*, id est quod Lucas ait, *albus refulgens*. Sicut lux s. à sole in aërem, lunam, rémve aliam diffusa: nam faciei quidem splendor, soli; vestimentorum autem, luci siue lumini à sole diffuso, comparatur. Quali itaque splendore corporis est in regno suo & ad iudicandum venturus est Iesus, quali rursus ornaturus est corpora sectatorum suorum (*reformabit enim corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Philip.3.v.21.) talem iam ad breue tempus induit discipulisq; monstrauit; non æqualem tamen, sed mortalium discipulorum captui accommodatum. Neque enim fuit hæc solida cælestis gloriæ exhibitio: sed symbolis, quæ carnis modo congruerent, ex parte gustandum prębuit, quod totum percipi nondum poterat. nam à morte demum *videbimus eum sicuti est*. 1.Ioh.3.v.2. Porrò is splendor, non foris Iesu accessit, quemadmodum Mosi (Exo.34.v.29.) *ex consortio sermonis Domini*, sed ex diuina ipsius natura in humanam, ex anima in corpus profluxit, beatitudine ea qua diuina ipsius natura per se, rursus ea qua anima ipsius ex diuinæ naturæ visione beata erat, in corpus exundante; interna inquam virtute & gloria cum externo habitu communicata. Docemur itaque, ex interna beatitudine externam oriri, contrà quàm mundus opinatur: & ipsi Iesu, quamdiu in forma serui versatus est in hoc mundo, nihil fuisse detractum, quia sponte se exinanierit, sub carnis infirmitate maiestatem occultans.

Mar.9. v.4. Luc.9. v.30.

Et ecce apparuerunt illis Moses 3 & Elias cum eo loquentes.

καὶ ἰδοὺ ὤφθησαν αὐτοῖς μωσῆς καὶ ἠλίας μετ' αὐτοῦ συλλαλοῦντες.

ECCE rem magis etiam miram. vide suprà 1.v.20. APPARVERVNT. ὤφθησαν visi sunt. ILLIS. discipulis. MOSES ET ELIAS. ille à mille quingentis annis mortuus, hic à mille ex hominibus raptus. Iesus vitæ mortisque Dominus huc illos suæ nutu voluntatis euocauerat, partim vt spectaculum sua pręsentia ornarent, partim vt testimonium perhiberent veritati; illi mortuo, reddito ad breue tempus corpore; hoc, ex eo in quem curru igneo auectus fuerat loco, adesse iusso. Decebat, Iesu cælestem gloriam induto, & futuri aduentus sui ad iudicium imaginem exhibenti, adesse aliquod cæleste consortium: vt porrò robur adderetur discipulorum de Iesu fidei, nulli congruentiùs accersi poterant quàm duo isti, Moses & Elias; tum quòd ipsi futuri essent præcursores aduentus Christi ad Iudicium; Elias omnium, Moses quorumdam opinione; tum quòd plurimi fierent ab omnibus Iudæis. Moses enim Legis promulgator, qui seuerissimè in transgressores animaduerterat, Elias autem propheta maximus, qui pro Dei honore & gloria magno zelo decertauerat, ambo, visa in monte Horeb Dei gloria, & præclaris rebus gestis, cæteris omnibus prophetis sanctisque viris illustriores; præsentes ad ornamentum simul & obsequium Iesu, reipsa declararunt, non Legis transgressorem aut blasphemum, rapientem æqualitatem Dei, esse Iesum; quæ calumnia erat Scribarum & Pharisæorum; sed nec Eliam aut aliquem veterum prophetarum esse Iesum, quę vulgi erat opinio; sed Eliæ & cæterorum omnium veterum prophetarum esse dominum, adeoque Christum filium Dei viui; qualem Petrus confessus fuerat; quem, Lex in Mose vt legislatore repræsentata, variis figuris adumbrarit; Prophetæ (inter quos Elias, etsi non scriptis relictis, rebus tamen gestis post Mosen proximus eminebat, incomparabilis legum vindex atque assertor) vaticiniis suis descripserint. Non tam itaque ad priuatas Mosis & Eliæ personas apparitio ista referenda est, quàm ad legationem, cùm eam quæ olim ipsis iniuncta fuerat, tum eam quæ in fine seculi iniungenda sit. Quærat quis, vnde Apostolis notitia Mosis & Eliæ quos numquam conspexerant? responsio facilis est, cùm Deus in medium eos produceret, notas etiam & signa dedisse quibus innotescerent, siue illa fuerint monimenta aliqua rerum nobilissimarum ab ipsis gestarum, siue habitus ipsorum sacris literis descriptus (4.Reg.1.v.8.) siue verba vel ipsorum vel Iesu de rebus olim ab ipsis gestis, siue denique alia. Nam nec veridissimilis est illorum opinio, qui putant Mosen & Eliam etiam cum Apostolis esse loquutos. CVM EO LOQVENTES. μετ' αὐτοῦ συλλαλοῦντες cum eo colloquentes, tamquam cum maiore scilicet atque eo ipso de quo ipsi vaticinati fuerant vt pręnuntij. Vterque rationes muneris à se quondam obiti cum Iesu communicabat tamquam illius minister & testis, ita vt præsentibus Apostolis significaretur apertè, illos Iesu causa legatione olim functos fuisse, ipsorumque ministerij finem Iesum Christum fuisse: namque ille, vt diuini negotij pontifex summus, ab vtroque obseruabatur. Itaque colloquium Mosis & Eliæ cum Iesu, est consensus Legis & prophetarum cum Iesu eiusque Euangelio (Rom.3.v.21.) oportebat enim Apostolos confirmari non esse nouam religionem quam Iesus prædicabat, sed testatam in Lege & prophetis, quibus duobus consueuit Saluator totam ipsam veterem Scripturam intelligere. Vide supr. 5. v.17. Hinc itaque facile est intelligere, qua de re Moses & Elias colloquuti fuerint cum Iesu, cùm tamquam testes missi à Deo declarare voluerint Iesum Legis & prophetarum finem scopumque esse. Porrò Lucas singulariter colloquutos fuisse ait de ea quam breuî morte sua confecturus erat expeditione: id quod notandum diligenter est, vt obserues, quomodo Iesus ita semper studuerit docere discipulos suos dignitatem suam, vt non ignorarent humilitatem; & vice versa ita humilitatem, vt non obliuiscerentur dignitatem, quòd perfici

fieri non posset redemtio nostri si deesset altera. Probata Petri sententia quòd ipse esset Christus filius Dei viui, ne discipuli procul animum reuocarent ab omni opinione ferendæ ipsi aduersitatis, prædicit passionem mortemque suam, atque adeò constanter, vt non tantùm sibi, sed & discipulis suis omnibus similia suo exemplo ferenda prænunciet. At ne tanta asseueratio obeundæ mortis, rursus in dubium adduceret fidem illorum de ipsius diuinitate, promittit apparitururm se aliquando orbi paterna gloria illustrem iudicem viuorum & mortuorum, cuius gloriæ etiam breui coram electis testibus specimen edere pollicetur. Quando iam illud edit, ne rursus testes illi abrepti spectatæ gloriæ abundantia omnem mortis exspectationem abiicerent, iubet spectaculum gloriæ imminentis mortis testificatione misceri, cùm vt mortis mentio voluptatis magnitudinem temperaret, tum vt discipuli visuri obeuntem mortem, recordarentur eius quam vidissent gloriæ, vide suprà 16. v. 21.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ πέτρος εἶπε τῷ ἰησοῦ· κύριε, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι. εἰ θέλεις, ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνὰς, σοὶ μίαν, καὶ μωσῇ μίαν, καὶ μίαν ἠλίᾳ.

4 Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Mosi vnum, & Eliæ vnum.

Mar. 9. v. 5. Luc. 9. v. 33.

RESPONDENS. in verba erumpens, occasione ea quam Lucas narrat, quòd videret Mosen & Eliam parare abitum. Vide suprà 11. v. 25. PETRVS captus ineffabili dulcedine magnifici huius spectaculi, nec satis sui potens. AD IESVM. Quamuis Moses & Elias adessent, Iesum tamen vt præcipuum & summum, à quo res omnis penderet, interpellat: viderat enim Mosis & Eliæ erga Iesum vt Dominum obseruantiam. BONVM. iucundum, beatum. NOS HÎC ESSE, id est, nobis hic esse, vbi scilicet frui datur adspectu gloriæ tuæ ac sanctorum. Non recedant obsecro Moses & Elias, sed SI VIS. Suggerit consilium, sed prudentior quàm aliquando, subiicit illud correctioni Domini. FACIAMVS. extruamus. Futurum quod syriacè legitur ambiguum est ad *faciemus* & *faciamus*. TABERNACVLA. σκηνὰς vmbracula, tentoria, qualia ex arborum ramis & frondibus excitari solent. TIBI VNVM. Præponit Iesum Petrus, iam doctus Iesum & Mose & Elia & prophetis omnibus maiorem, adeoque filium Dei viui esse. ET ELIÆ VNVM. vt liceat hîc sedem figere & perpetuò manere, perpetua frui visione gloriæ tuæ ac sanctorum, nec reuerti ad mundum, tumultibus, timoribus, miseriis plenum. Nihil de se dicit & sociis, arbitratus si modò Iesu & sanctis patribus manere illic persuasisset (nihil autem ad manendum desiderari aliud iudicabat, quàm tabernacula aduersus solis ardores aërisque iniurias extructa, aliarum rerum omnium oblitus) se sibi & sociis, si opus foret, facilè de tabernaculo prospecturum. Atqui scire oportebat Petrum, iis quos cælestis gloria vestit & protegit, nullis opus esse tabernaculis manufactis ac caducis; sibi verò non quærendum esse triumphum ante victoriam, aut coronam ante certamen, sed nec hanc quæ iam ipsi cernenda dabatur, eam esse gloriam in cuius visione esset conquiescendum; vt verò ea fuisset, non sibi soli & paucis sociis, retinendum fuisse Christum in monte, qui à Patre destinatus erat Saluator mundi, cui proinde Ierosolyma abeundum erat mundi redimendi regnique morte parandi causa. Præposterum itaque fuit Petri votum, errauitque quòd finem visionis non teneret, æternam optans eam quę temporarij speciminis loco ostensa erat gloriam: indicio tamen hoc ardoris sui, dedit intelligendum, quàm beata futura sit ęterna explicatæ Dei & Christi gloriæ visio in angelorum hominumque sanctorum omnium consortio, quem visa ad horam humanitas Christi transfigurata in societate duorum è sanctorum patrum choro (gutta vna immenso illi mari comparata) tanta affecit dulcedine, vt rebus aliis omnibus spretis sola illius fruitio ipsi sufficeret. Hoc porrò discrimen est nouæ Legis à veteri, in qua contrà omnino quàm hîc, terribilem se exhibebat Deus, vsque adeò vt populus ille refugeret visionem colloquiumque Domini. Exod. 20. v. 18. 19. Deut. 5. v. 24. 18. v. 16.

ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ νεφέλη φωτεινὴ ἐπεσκίασεν αὐτούς· καὶ ἰδοὺ φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης λέγουσα, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα, αὐτοῦ ἀκούετε.

5 Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos: & ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite.

Mar. 9. v. 7. Luc. 9. v. 34. 35.

ADHVC EO LOQVENTE. Adhuc Petro loquente verba ista. Nullo responso dignatus est Iesus propositionem multis modis incongruam: quare & noua re submissa tamquam abrupit Deus Pater Petri sermonem. ECCE rem aliam admirabilem. Postquam Moses & Elias, Lex & prophetæ, honorificum Iesu testimonium attulerant; adfert & ipse per se Deus Pater Iesu culmen honoris. NVBES. Dei cum mortalibus aliquando propiùs ac familiariùs agentis vel colloquentis, sedes esse solent nubes (Exod. 16. v. 10. 40. v. 32. 33. 34. 35. 36. Num. 11. v. 25.) tamquam è summa sede sua, cælo, vbi lucem inhabitat inaccessibilem, ad nubes vsque se demittentis, quòd imbecillitatis humanæ captus & intuitus maioris lucis & splendidioris gloriæ vim ferre nequeat. Quare Psalmographus nubem vocat *ascensum* seu vehiculum Dei Psalm. 103. v. 3.; Iob *tentorium* seu *tabernaculum Dei*. c. 36. v. 29. Neque verò præsentiæ solùm Dei, sed & efficientiæ, virtutis, & gloriæ spectaculum, in nubibus esse solet. Psal. 67. v. 35. 88. v. 7. Est itaque & hoc loco nubes apparens, cùm præsentiæ Dei Patris indicium, tum magnificæ gloriæ illius, vt D. Petrus loquitur, visibile exemplar. neque enim absque gloria Pater Filio gloriæ suæ specimen edenti testimonium attulit. nam &

ideò fuit *nubes* LVCIDA. clara. Olim cùm ferretur lex vetus, apparuit Deus per nubem caliginosam (Exod. 19. v. 9. 20. v. 21.) quippe vmbras proferens futurorum bonorum, & metuendum se declarans: iam cùm demonstrat nouæ legis latorem, apparet per nubem lucidam, exhibitionis rei ipsius claræque veritatis, amoris rursus & beneuolentię, argumento. OBVMBRAVIT. operuit cinxitque instar vmbraculi.

Eos qui præsentes aderant, Iesum, Mosen, Eliam, & tres discipulos (& Mosen quidem atque Eliam abstulit ex oculis discipulorum) nam illi quidem apud se mutuò erant, nubes autem non quælibet erat, sed lata profundaque, quod Chrysostomus ait, ab ipso cælo ad terram vsque haud dubium diffusa. ECCE. admirabilibus admirabiles res succedunt. VOX audita est, vox inquam maiestatis plena. DE NVBE. ἐκ τῆς νεφέλης ex illa nube, è summo illius nubis, adeoque è cælo ipso (quod Petrus ait 2. Epist. 1. v. 18.) profecta Deo Patre faciente. DICENS Apostolis qui soli aderant præter Iesum (Iam enim discesserant Moses & Elias, & soli docendi erant diuinitatem ac magisterium Iesu. HIC Iesus, cuius gloriæ diuinitatisque latentis specimen vobis monstratur, quem iam vidistis à Mose & Elia, inter omnes prophetas summis, probari, obseruari, Dominumque agnosci. FILIVS MEVS Dei viui, qualem nuper confessi estis. Hæc est perfectio, hoc culmen gloriæ Iesu, quòd Deus agnoscat testeturque ipsum esse filium suum. *Accipiens*, ait Petrus 2. Epist. 1. v. 17., *à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum* &c. Hac gloria ornatus venturus est iudicare orbem terræ & regnabit in secula seculorum. Hanc denique gloriam reliqua omnis gloria & bona omnia consequuntur. IN QVO MIHI BENE COMPLACVI. ἐν ᾧ εὐδόκησα in quo complacui. Hoc verbo Pater Iesum mediatorem esse testatur, in quo *mundum reconciliet sibi*. IPSVM AVDITE quem doctorem & legislatorem vobis atque humano generi dedi (hac enim parte doctorem Ecclesiæ constituit; propiùs lógè & familiariùs per ipsum vobis loquens quàm olim Patribus per prophetas. Ipsi, quæcumque docuerit aut mandauerit, etiamsi superent captum mentis vestræ, etiamsi humano iudicio absurda aut carni inimica, fidem adhibete atque obedite, non aliter ac mihi; ipsi inquam, non alteri cuius qui ab eo vel tantillum dissideat; cui iam vidistis Legem & prophetas cedere suo munere defunctos; in quo vno exstant omnia & plenè & clarè, quorum non erat in Lege & prophetis nisi vmbra obscura; qui denique eos qui ipsum audierint ad talem gloriam perducet quali vos iam ipsum vidistis ornatum. Allusio autem hîc esse videtur ad prophetiam Mosis Deut. 18. v. 15: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies* &c. Reliqua ad paternæ vocis explicationem facientia quære suprà 3. v. 17.

Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.	6	καὶ ἀκούσαντες οἱ μαθηταὶ ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα.

ET AVDIENTES. καὶ ἀκούσαντες & vt audiuerunt s. vocem maiestatis diuinæ plenam. *Et* pro nam seu quia. TIMVERVNT VALDE. magno timore correpti fuerunt. Ea est enim naturæ nostræ infirmitas, vt expauescat audita voce Dei, nec ferat siue oculis siue auribus maiestatis illius præsentiam quin deiiciatur. *Quid est enim omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis*, dicebant illi Deut. 5. v. 26. Cæterùm discipulos istos Iesu non ita peruasit aut turbauit timor, quin mente serena clarè intellexerint quid vox illa ferret, Petro teste 2. Epist. 1. v. 18.

Et accessit Iesus & tetigit eos, dixitque eis: Surgite & nolite timere.	7	καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἥψατο αὐτῶν, καὶ εἶπεν· ἐγέρθητε καὶ μὴ φοβεῖσθε.

ET. tunc. mox vbi vox illa personuisset. IESVS Dei filius non terretur Dei voce: nec inflatus laude dedignatur discipulos viles. TETIGIT. Non solo sermone discipulos animat, sed & tactu confirmat, vt omnem discutiat metum, ne fortè spectrum suspicentur. DIXITQVE nota ac familiari loquela vsus. SVRGITE. Quos Dei maiestas prostrauerat, quæ omnem facilè carnem absumat, Christus mediator erigens officium suum exsequitur, per quem habemus accessum fiduciamque prodeundi in conspectum Dei. NOLITE TIMERE. μὴ φοβεῖσθε ne timeatis. q. d. Non est hæc vox irati Dei, sed placati, beneuoleque docentis atque hortantis vos, eo fine vt saluemini: non est igitur quod timeatis.

Mar. 9. v. 8. Luc. 9. v. 36.	Leuantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum Iesum.	8	ἐπάραντες δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν οὐδένα εἶδον εἰ μὴ τὸν Ἰησοῦν μόνον.

LEVANTES. ἐπάραντες quum sustulissent, sublatis oculis etiam antequam se erexissent in pedes. NEMINEM VIDERVNT eorum quos antea viderant, non Mosen, non Eliam. NISI SOLVM IESVM, ita vt hac ratione certo certiores redditi sint, voce illa non alium quàm Iesum ipsum declaratum esse filium Dei & præceptorem hominum, præter hoc quod pluribus aliis argumentis hoc idem manifestum ipsis esset. Nam quamquam discipuli antè quàm Dei voce in terram prosternerentur vidissent Mosen atq; Eliam discedentes, nube illos ex oculis auferente: tamen mox vt oculos ausi fuerunt sustollere, circumspexerunt an nusquam iterum illi adessent. Cæterùm non tantùm illos ampliùs non viderunt, sed neque nubem, neque gloriam vultus aut vestium Iesu. Voce enim audita, mox disparuit & nubes, & Iesus resumta pristina faciei ac vestimentorum specie quali venerat in montem, propiùs accedens iussit surgere discipulos. Hoc rerum statu omnia, sublatis oculis, vidisse discipulos, intelligendum hîc est. Discedunt itaque Moses & Elias solo remanente Iesu, & quasi fiunt ex tribus vnus, vt doceatur, Legi ac prophetis temporariam fuisse gloriam, vt solum Euangelium conspicuum maneat. Non ampliùs auditur vox Patris è nube, quia ideo semel loquuta est, vt semper deinde audiatur Filius. Occulit Iesus gloriam suam, resumta similitudine carnis peccati dum perficiat

perficiat opus redemtionis nostri. Denique spectaculum illud totum euanescit, relicto desiderio ac spe sui tempore opportuno æternùm videndi, vt interim ad pristinã militiam redeundum sibi esse discipuli sciant.

καὶ καταβαινόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἐνετείλατο αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς λέγων· μηδενὶ εἴπητε τὸ ὅραμα, ἕως οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ.

9 Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

DESCENDENTIBVS ILLIS f. cum Iesu. Græcè est: Cùm descenderent ipsi s. Iesus & discipuli. DE MONTE ad cæteros in pede montis relictos discipulos; antequam ad illos peruenirent. PRÆCEPIT EIS. Quidam libri omittunt ἐν, tametsi græcè legatur, illius loco accipientes τὸ descendentibus illis. NEMINI, ne condiscipulis quidem vestris. VISIONEM. τὸ ὅραμα hanc visionem, id quod mox vidistis. Prohibet aliis referri quid vidissent, quia, vel incredibile foret pro rei magnitudine, vel post tantam gloriam sequens crux apud rudes animos scandalum faceret irreparabile. Vide suprà 16. v. 20., vbi eadem de causa prohibuit ne diceretur Christus filius Dei viui. Id tamen quod iam aliis noluit dici, iam voluit his tribus ostendere, primùm vt solueret promissum suprà 16. v. 28. factum, cuius ratio illic data fuit: deinde vt hi capita arctiùs ipsi inhærerent, illorumque exemplo cæteri discipuli; cumque visuri ipsum essent mortem obeuntem, non prorsus deiiceret ipsos infirmitas, quasi necessitate aut vi pati cogeretur, qui declaratus cælitus Dei filius, nihilo difficiliùs posset corpus suum à morte eximere, quàm particeps reddere cælestis gloriæ: denique vt cùm suo tempore discipuli isti prædicaturi rem essent, euidens fieret, etiam quo tempore semetipsum Iesus exinaniuit, deitatem gloriamque, licet abscondita esset carnis velo, integram ipsi stetisse. A MORTVIS. Subindicat causam suæ prohibitionis, quia moriendum ipsi sit. RESVRGAT. ἀναστῇ resurrexerit. Syrus vtitur voce simplici ܢܩܘܡ cum surgere (vt non sunt illis linguis verba composita) quæ eiusdem hoc in negotio est significationis. Non enim hîc resurgere dicitur qui rursus surgit, sed qui rursus stat, qui lapsus surgit ita vt iterum stet quemadmodum ante lapsum; qui mortuus iterum viuit quemadmodum ante mortem. nam familiaris est sacris literis metaphora, vt stare intelligatur qui viuit, cadere qui moritur. Hoc semel annotandum fuit. Non vult Iesus sepulta manere miracula sua, sed non vult ea manifesta reddi ante tempus opportunum, quando cum fructu queant aperiri. Post resurrectionem, quando nihil amplius ipsi restare debebat aduersi subeundum, immo quando aliud etiam luculentius discipulis suis omnibus editurus erat suæ gloriæ specimen, resurgens primùm à morte, mox etiam cælos ipsos ascendens & rebus ipsis Deo in cælis se adesse declarans, tunc demum id quod iam in monte seorsùm gestum est, aliis dictum, & fidem inuenturum erat & fructum (vide suprà. 16. v. 20.) vt certò constaret, Iesum Dei filium, ita factum fuisse id quod non erat, vt numquam desierit esse quod fuerat, sponte mortem obiisse, in Dei Patris gloriam receptum esse, eadem cum gloria appariturum mundo iudicem, simili gloria affecturum electos suos qui ipsius exemplo seipsos hic abnegauerint, crucem tulerint, & perdiderint animas suas.

καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ λέγοντες· τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσιν, ὅτι ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον;

10 Et interrogauerunt eum discipuli dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primũ venire?

DISCIPVLI illi tres, antequam ad cæteros veniretur, inter descendendum. QVID ERGO. Quum iam viderimus Eliam tecum in monte, agnoscentem te Christũ saluatorem Israel. SCRIBÆ. legisperiti, legisdoctores. DICVNT, docent populum. PRIMVM VENIRE. priùs venire s. quàm veniat Christus, præcedere aduentum Christi? Nam, si præcedere debuisset, iam vtique fecisset illud, non minùs paratus ad præcedendum, si necesse fuisset, quàm ad apparendum in hoc monte tibique gratulandum. Videtur igitur ex odio tui profecta doctrina illa Scribarum, vt quia Elias te non præcessit, persuadeant populo te Christum esse non posse, quantumuis opera actaque tua eum te esse loquantur. An verò possit illius doctrinæ aliqua esse ratio, & futurum fortasse dehinc sit vt tibi Elias præcurrat?

ὁ δὲ ἰησοῦς ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα.

11 At ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia.

ELIAS. in propria persona. VENTVRVS EST. ἔρχεται præsens pro futuro veniet. additur græcè & syriacè πρῶτον primum, id quod Interpres subaudit ex interrogatione discipulorum. Venturus est primum, id est, præueniet, præcedet me Christum. Sensus est: Si simpliciter quæratur, An exspectandum sit vt Elias in propria persona præcurrat Christo; proculdubio id ita erit: est enim prophetæ Malachiæ c. 4. v. 5. promissio, mittendum à Deo Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, id est, dies Christi filij Dei, auctoritate à Patre accepta iudicaturi orbem terrarum in iustitia. ET cùm venerit ille, RESTITVET, iuxta eamdem promissionem versu sexto sequenti, OMNIA, instaurabit omnia, id est, Israelem omnem reliquum ad fidem in me salutemque adducet, & Gentium plenitudini vniet. Rom. 11. v. 25. Duabus his vocibus Saluator exponit, quod pluribus propheta, dum ait: Et conuertet (siue, vt LXX transtulerunt, quos Euangelista hac parte imitatus est, ἀποκαταστήσει restituet) cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, quod est, vniet fide religioneque Christiana Iudæos Gentibus. Gentium enim patres Iudæi sunt, quia salus ex Iudæis est. Ioh. 4. v. 22.

Mar. 9. v. 13.

Dico autem vobis, quia Elias iam [12] vênit, & non cognouerunt eum, sed fecerũt in eo quęcũq; voluerunt. Sic & Filius hominis passurus est ab eis.

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι ἠλίας ἤδη ἦλθε, καὶ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτὸν, ἀλλ' ἐποίησαν ἐν αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν. οὕτω καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει πάσχειν ὑπ' αὐτῶν.

DICO AUTEM VOBIS. Si autem quæratur an Elias hunc meum aduentum præcedere debuerit, dico illum in persona sua præcedere non debuisse, sed alium in spiritu & virtute Eliæ, qui ob id iure etiam Elias vocari possit, qui & præcessit. Quia igitur Scribæ tantopere requirunt Eliæ præsentiam ante hanc meam, si Christum me agnoscent; dico vobis QVIA. quòd. s. etiam ex Marco. ELIAS. ille scilicet qui hunc meum aduentum præcedere debuit iuxta prophetarum vaticinia, qui quidem non fuit Elias in propria persona (Ioh. 1. v. 21.) sed *in spiritu & virtute* (Luc. 1. v. 17.) Iohannem Baptistam intelligit (infrà v. 13.) VENIT. adfuit, præcessit me (est enim præteriti temporis *venit*. ἦλθε.) functus est officio præcursoris, adeoq; nihil est quod desiderari in huius ætatis adnotatione possit. Vult dicere Saluator, Non omnino errant Scribæ in eo quod docent, Eliam, proximè venturi Christi pręcursorem ac nuntium fore. Inprimis enim, Christum ad iudicandum venturum, Elias in propria persona antecessurus est, iuxta Malachiæ prophetiam: venientem autem ad docendum & redimendum, non Elias quidem in persona præcedere habet (qua in re errant Scribæ) alius tamen *in spiritu & virtute Eliæ*, quem *angelum Dei* idem propheta vocat (cap. 3. v. 1.) Isaias (cap. 40. v. 3.) *Vocem clamantis in deserto, Parate viam Domini*. Is porrò adfuit, tali auctoritate & spiritus efficacitate, aduentum hunc meum instantem annuncians primùm, mox etiam præsentem demonstrans, populosque libera vitiorum increpatione ac pœnitentiæ prædicatione, recipiendo mihi Christo redemtori apparans, quali Elias propheta, siue *Thesbites* (quod legunt alij) iuxta Malachiam, alterum olim aduentum meum præcessurus & prænunciaturus est, populosque venturo mihi iudici præparaturus, ne cùm venero subitò prorsus omnes exterminem. Vide suprà 3. & 11. v. 10. 14. & 14. v. 4. Luc. 1. v. 17., vt intelligatis quanta similitudo sit Eliæ & Iohannis, tum in instituto vitæ, tum in officio præcursoris Christi, vt propterea hîc Iohannes Eliæ, tamquam antiquioris, celebrioris, & Iudæorum iudicio certioris, ac in Scriptura sacra proprio nomine designati præcursoris, nomen accipiat (quamquam Eliæ præcursio futura adhuc exspectetur, Iohannis iam præterierit) habito respectu ad receptam illam ex Scribarum doctrina Iudæorum opinionem, Christum non sine præuio Elia prodire debere: cuius omnis error in eo fuit, quòd non distingueret aduentum Christi duplicem, ac proinde etiam præcursorem duplicem. ET. sed. NON COGNOVERVNT EVM s. Scribæ. id est, noluerunt agnoscere ipsum esse prænuntium Christi à Deo missum, tamquam alterum Eliam, licet ipse disertis verbis, non sine spiritus auctoritate, id testaretur, & Isaiæ quoque auctoritate confirmaret, excæcante eos malitia ipsorum. IN EO. id est, ei. QVÆCVMQVE VOLVERVNT, id est, libidinem suam in eum expleuerunt ipsi & fœderati ipsorum, id est, mortem eius procurarunt, tradiderunt eum Herodi (suprà 4. v. 12.) à quo ad mortem quærebatur (suprà 14. v. 5.) à quo etiam tandem occisus est, ipsis applaudentibus. suprà 14. v. 9. 10. Nihil quidem illi fecerunt extra voluntatem Dei, verùm ipsi non spectarunt voluntatem Dei, sed obsequuti sunt suæ ipsorum malitiæ. SIC ET. Ab exemplo Iohannis occisi, credibilem facit discipulis occisionem sui, nec enim mirum videri debere, si eadem libidine magistrum deinde reneiant, qua priùs ministrum. FILIVS HOMINIS, manifestatus illis quidem, sed contumaciter negatus ab eis Christus. PASSVRVS EST contumelias mortemque. AB EIS Scribis. Mar. 14. v. 1. 15. v. 1. Non magis parcent Christo, quàm pepercerunt illius prodromo. Quod fecerunt anteambuloni, id facturi sunt domino. Huiusmodi dicto Iesus auocauit discipulos suos à somno gloriæ ad futuram tempestatem quæ imminebat, à iucundis ad necessaria.

Tunc intellexerũt discipuli, quia [13] de Iohanne Baptista dixisset eis.

τότε συνῆκαν οἱ μαθηταὶ, ὅτι περὶ ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς.

TVNC. ex his Iesu verbis, quòd nuperum diceret Eliæ aduentum, & Scribas illius aduersarios adeoq; homicidas à quibus & se diceret occidendum. QVIA DE IOHANNE. quòd, Iohannem Baptistam, diceret esse Eliam illum qui iam venisset, & se Christum vt prænuntius à Deo missus antecessisset.

Et cùm venisset ad turbam, acces- [14] sit ad eum homo, genibus prouolutus ante eum, dicens:

καὶ ἐλθόντων αὐτῶν πρὸς τὸν ὄχλον, προσῆλθεν αὐτῷ ἄνθρωπος, γονυπετῶν αὐτὸν, καὶ λέγων

CVM VENISSET Iesus. Græcè & syriacè est plurali numero ἐλθόντων αὐτῶν cùm ipsi venissent s. Iesus & tres eius discipuli testes transfigurationis. AD TVRBAM quæ ad reliquos nouem Apostolos in pede montis relictos confluxerat. HOMO. id est, quidam. GENIBVS PROVOLVTVS ANTE EVM. γονυπετῶν αὐτ. ad genua accidens illi, supplicantium scilicet more. Ardens desiderio obtinendæ filio sanitatis, humiliter demisseque supplicat pater.

Mar. 9. v. 17. 18. 22. Luc. 9. v. 38. 39.

Dñe miserere filio meo, quia lu- [15] naticus est, & malè patitur: nam sæpè cadit in ignẽ & crebrò in aquam:

κύριε ἐλέησόν μου τὸν υἱὸν, ὅτι σεληνιάζεται καὶ κακῶς πάσχει· πολλάκις γὰρ πίπτει εἰς τὸ πῦρ καὶ πολλάκις εἰς τὸ ὕδωρ·

DOMINE MISERERE FILIO MEO filij mei. vide suprà 15. v. 22. LVNATICVS EST. σεληνιάζεται lunationibus

nationibus afficitur. vide ſuprà 4.v. 24. Manifeſtum ex Marco & Luca fit, hunc comitiali morbo laboraſſe, vt qui, eliſus in terram, volutaretur ſpumans, ſtridens dentibus atque areſcens. Cæterùm cùm omnis illius ſanatio ſit dæmonis expulſio (infrà v.18.) clarum quoque euadit, non à naturæ vitio hunc illi morbum fuiſſe, ſed ab eius à quo poſſidebatur dæmonis maleuola procuratione. namque immundi ſpiritus, tum aliis tum latendi cauſa, morbos efficiunt aliquando naturæ vitio perſimiles, quemadmodum & hunc ipſum ſurdum ac mutum reddere conſueuerant dum inuaderent. Mar.9. v.25. MALE PATITVR. malè afficitur, miſerè affligitur; nec ſine frequenti vitæ periculo. NAM SÆPE CADIT IN IGNEM. Dæmonum proprium eſt vt perdant homines, moxque interficiant in quos aliquid acceperint facultatis (vt *homicidæ ſunt ab initio.* Ioh.8.v.44.) niſi proſpiciens Deus illorum impediat conatus & frangat conſilium: id quod in hoc puero videre eſt, qui toties in ignem & in aquam iniectus, manifeſta Dei prouidentia & cura ſeruatus eſt. Obſerua hoc loco, quì Matthæus, hiſtoriæ compendio vſus, iunxerit ea quæ homo iſte non ſimul à principio dixit, id quod ex Marco perſpicitur.

καὶ προσήνεγκα αὐτὸν τοῖς μαθηταῖς σου, [16] καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν αὐτὸν θεραπεῦσαι.

& obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. *Mar.9. v.18. Luc.9. v.40.*

OBTVLI EVM ſanandum. TVIS te abſente. Acceperant enim diſcipuli à Ieſu poteſtatem dæmonia eiiciendi, & languorem omnem curandi (ſuprà 10.v.1.) qua & vtebantur efficaciter. NON POTVERVNT. Quod ſuæ culpæ potiùs aut certè non minùs erat, id diſcipulis adſcribit. Quare non potuerint diſcipuli, exponitur infrà v.20.& 21. CVRARE. ſanare. vide ſuprà 4.v.23.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· ὦ γενεὰ [17] ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; φέρετέ μοι αὐτὸν ὧδε.

Reſpondens autē Ieſus ait: O generatio incredula & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? vſque quò patiar vos? Afferte huc illum ad me. *Mar.9. v.19. Luc.9. v.41.*

GENERATIO. natio, gens. Exclamat Ieſus in hominem iſtum lunatici patrem alioſque præſentes, maximè verò in Scribas, quorum Marcus meminit, atque horum occaſione in gentem totam (nec enim erant iſti diſſimiles reliquis pleriſque omnibus) vt cauſam non ſanati pueri. INCREDVLA. infidelis, qua voce vtitur Interpres ſecundùm Lucam. Defectu fidei hominum fit vt vera & magna beneficia in homines à Deo non conferantur: incredulitas diuinam potentiam detinet quò minùs efficientiſſimam in rebus etiam difficillimis ſentiamus; ac præſertim, vbi, & is qui poſtulat miraculum incredulus eſt, & adſtantes pro quorum ſalute edendum foret. Pater pueri huius, cùm propter abſentiam Ieſu offerret illum diſcipulis, verebatur ne minor eſſet diſcipulorum virtus, quàm vt tam atroci ſpiritui expellendo par eſſet; cumque iam reipſa ſe id comperiſſe putaret, cœpit & de Ieſu virtute diffidere, cui plures alij præſentes adſtipulabantur, veriſimile eſt. Scribæ, qui numquam crediderant in Ieſum, iam etiam in infidelitate obdurabantur & exſultabant. PERVERSA. diſtorta. Significat duros, præfractos, & pertinaciter incredulos, qui nihil vlla ratione doceri ſe, nihil ſibi quod rectum ſit perſuaderi patiantur. Plurima hactenus ediderat Ieſus miracula tam per diſcipulos quàm per ſeipſum, multa dederat ſui documenta luce meridiana clariora: atqui non tantùm ad fidem adducti non ſunt Iudæorum plerique, ſignanter autem Scribæ, vt etiam ab obtrectando, calumniando, & perſequendo, non abſtinuerint, immò dedita opera lucem ante oculos poſitam extinguere ſint conati. Vetus eſt iſtud epitheton nationis Iudaicæ, ab ipſo etiam Moſe illi attributum, Deut. 32. v.5: *Generatio praua atque peruerſa.* nam & tales ſe in egreſſu ex Ægypto præſtiterunt. QVOVSQVE ERO VOBISCVM? ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν; quouſque tandem ero vobiſcum? Interpres neglexit particulam πότε, quæ tamen hîc ſuam habet emphaſin. Superiora valdè aſpera, ſed hæc longè aſperiora ſunt: quid enim accidere illis poſſit deterius, quàm vt deſerantur aut tamquam deſperati abiiciantur à Chriſto? verba ſunt animi indignabundi, moleſtè ferentis ſe nihil proficere, ſe operam perdere in iuuandis & docendis iſtis; arguentis tamen & obiurgantis, tamquam medici, non tædio victi. q. d. Quid hîc ago vobiſcum? quamdiu fruſtrà verſor apud vos? quamdiu hîc luctari pergam cum veſtra pertinacia? Tot perpetratis hactenus miraculis, tot beneficiis cumulatis, nihil proficio. Meritò certè vos deſeram vt intractabiles. Hîc quodammodo Dominus Ieſus ſecum ipſe certat: iuſtitia ſuadet vt deſerat incorrigibiles; bonitas deſiderat ſalutem illorum & cupit malitiam ſuperare: itaque iuxta æquitatem caſtigat excipitque eos pro meritis, vt vel hinc reſipiſcant. Non dubium eſt quin Chriſti animus eandem ſemper moderationem retinuerit: interim tamen eorum malis ſic ingemiſcebat, vt magnis duceretur affectibus. nec enim parua animi ipſius afflictio fuit, illorum peruerſitas incurabilis. VSQVEQVO PATIAR VOS? ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; quouſque tandem tolerabo vos? Quamdiu feram mores veſtros intolerabiles? Repetitio pondus addit obiurgationi. AFFERTE. Vt demonſtret ſe non ipſis ſed vitiis ipſorum ſuccenſere, ſimul & vt virtutem ſuam, quæ in dubium vocata fuerat, ab opprobrio vindicet, nec exiſtimetur rei difficilis præſtationem obiurgationis ſimulatione ſubterfugere, pergit benefacere iubetque adduci miſerum; non quòd abſentem curare non poſſet, ſed vt, & mali grauitas, & ſua virtus, ad Dei gloriam perſpicuæ omnibus fierent.

καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐξῆλ- [18] θεν ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον, καὶ ἐθεραπεύθη ὁ παῖς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

Et increpauit illum Ieſus, & exiit ab eo dæmonium: & curatus eſt puer ex illa hora. *Mar.9. v.25.27. Luc.9. v.42.*

ET. tunc. cùm allatus eſſet puer. INCREPAVIT ILLVM. obiurgauit illum, ſ. dæmonem (ſimile infrà

infrà v. 19.) id est imperiosè direquè præcepit illi. Græcè est ἐπετίμησεν αὐτῷ, quod ex Euthymij sententia hoc loco vertendum est, interminatus est, seuerè præcepit seu imperauit illi s. dæmonio egressum. nam hæc subaudiuntur è proximè sequenti membro ET EXIIT AB EO DÆMONIVM. non enim insuetum est hebræis huiusmodi loquendi genus, quo relatiuum præponitur antecedenti, & suppletur prius membrum ex posteriori: Præcepit illi seuerè Iesus *& exiit ab eo dæmonium*. q. d. Exiit ab eo dæmonium, Iesu seuerè præcipiente illi vt exiret. Nam vt ad puerum referas *illum*; præter hoc quòd cæteri Euangelistæ disertè exprimant quòd spiritum immundum increparit Iesus; nihil commiserat puer increpatione dignum propter quod ab infantia hoc modo diuexaretur, vt nec erat, iam impos mentis, increpationis capax. Porrò increpatio seu ἐπιτίμησις ista præ se fert imperium simul & indignationem Iesu aduersus dæmonem, imperium vt in subditum, indignationem vt in hostem, imperium vt in eum qui obedire cogatur, indignationem vt in eum qui inuitus obediat, & iniquè gaudeat mortales affligere. Meritò irascitur dæmoni homines infestanti Iesus, qui venerat vt homines saluaret. *Et exiit* statim. Ad Christi imperium necesse est diabolicam potestatem in nihilum redigi. CVRATVS sanatus. PVER. παῖς iuxta græcos de secundo, παιδίον de primo ætatis septennio dicitur. EX ILLA HORA. eodem illo momento (vide suprà 8. v. 13.) nulla ampliùs redeundi potestate retenta. Declarauit Iesus virtutem suam, præsentem illam, promtam, & nullis cedentem malis, aduersariis incredulisque omnibus pudefactis.

Mar. 9. v. 28.

Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus eiicere illum?

19 τότε προσελθόντες οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ κατ' ἰδίαν, εἶπον· διατί ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό;

TVNC. hac occasione paulò pòst. DISCIPVLI. apostoli illi nouem, qui frustra tentarant dæmonium expellere. SECRETÒ. κατ' ἰδίαν priuatim, seorsum s. à publico. domi scilicet quod addit Marcus. Verebantur aliqua sua culpa accidisse quòd dæmonem ipsi eiicere nequiuissent: idcirco perplexi animo, suadente pudore, seorsum quærebant eius rei causam, non coram multitudine populi. ILLVM dæmonem vel spiritum. αὐτὸ illud s. δαιμόνιον dæmonium. vt reliqua hactenus eiecimus potestate ea quam nobis dedisti?

Luc. 17. v. 6. Inf. 21. v. 21. Mar. 11. v. 23.

Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis.

20 ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· διὰ τὴν ἀπιστίαν ὑμῶν. ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ, καὶ μεταβήσεται· καὶ οὐδὲν ἀδυνατήσει ὑμῖν.

PROPTER. Duas reddit causas non eiecti dæmonij, quarum hæc est prior. INCREDVLITATEM. fidem imperfectiorem. non enim prorsus increduli seu infideles erant, sed deerat ipsis perfecta fides hac in parte. Cui autem non est perfecta fides, sequitur ex parte esse incredulum. vide Mar. 9. v. 24. Luc. 17. v. 5. In hunc sensum frequenter exprobrat Iesus discipulis suis quòd sint *modicæ* seu *pusillæ fidei*. VESTRAM. Suprà v. 17. adscripsit culpam incredulitati patris & adstantium; hîc adscribit incredulitati discipulorum, volens allicere illos ad petendum fidei incrementum (vide Luc. 17. v. 5.) nam ad miraculi patrationem requiritur fides vtriusque partis, & eius quæ habet edere, & eius cui editur miraculum; inprimis tamen & maximè eius quæ edere habet (quamquam Iesu, qui propria virtute operabatur, nulla fide opus erat) Sed illos quidem quorum peccatum manifestum omnibus erat, Iesus coram omnibus arguit; discipulos autem, quorum non item, seorsum, vt illorum consuleret auctoritati. Non pauca enim aliàs dæmonia feliciter eiecerant, fide necessaria instructi: sed cùm viderent hîc dæmonium adeò sæuum, quod in iuuene tot iam annis radices egisset; fide apud se fluctuare cœperunt, & timere ne maior esset mali vis quàm vt ea quam à Iesu acceperant virtute vinci posset; conturbati ad hæc Scribarum præsentia paratorum ad calumniam quidquid tandem eueniret. Potestatis igitur eiiciendorum dæmonum, quam à Christo acceperant, vsus, per incredulitatem impeditus fuit. AMEN. rem hanc certam habetote. Docet discipulos qua fide oporteat ipsos instructos esse vt nihil tentent frustra. SI HABVERITIS. ἐὰν ἔχητε si habeatis. FIDEM. Fides quam Saluator hîc & passim exigit, complectitur & fidem & fiduciam; quod iam sæpè docuimus; possitque definiri fides per fiduciam operans. Vide suprà 6. v. 30. & 9. v. 2. 28. SICVT GRANVM SINAPIS, id est, humilem quidem minimeque se ostentantem, ac proinde paruam, hominum præsertim iudicio; sed viuam, acrem, vehementem, feruidam, instar grani sinapi, quod exiguum quidem & vile oculis est, attritum autem & commansum, monstrat quantæ sit acrimoniæ, quantique feruoris. Non enim à sola quantitate grani sinapi similitudo ista ducitur, vt illa suprà 13. v. 31., sed à quantitate simul & ab interiori virtute, ita vt significetur fides, minima specie, feruore maxima. Huiusmodi fides ea est, quæ & Dei omnipotentiam tam constanter clareque credit, quàm si coram oculis suis cerneret quiduis operantem, & de Dei bonitate tantam concipit fiduciam impetrandi id quod expedit, quanta nihil vacillet aut hæsitet firmitate. Huiusmodi fuit Mosis fides, qui, Apostolo teste, *inuisibilem tamquam videns sustinuit*. Heb. 11. v. 27. Hæc est perfectio fidei, non eius quæ à spe distinguitur, sed eius quæ à Saluatore nostro vbique necessaria prædicatur ad impetrandum aliquid ab ipso aut à Deo Patre, quæ spem in se comprehendit, vt fide magna Deo Christoq; attribuens, ita spe magna sibi de Deo Christoq; promittens. Huiusmodi fides nulli non necessaria est vt saluus fiat, vt à Deo beatitudinem & quæ eò ducunt sibi ipsi impetret: sed illius perfectissimus gradus qui hîc descri-

describitur, paucorum est, & inter peculiaria Dei dona numeratur quæ non omnibus fidelibus dentur (1. Corinth. 12. v. 9.) ea præsertim parte qua tendit ad obtinendum efficiendumque aliquid, quod ad propriam quidem salutem non pertinet, expedit tamen fieri ad salutem aliorum aut Dei gloriam, nequit verò absque virtute diuina. Et quidem sanctissimorum præsertim virorum est huiusmodi fidei perfectio, quorum mens benè conscia sibi (1. Ioh. 3. v. 21. 22.) tranquilla placideque composita, Deo cognito dilectoque liberè ac familiariter vtitur, & ad thesauros gratiæ eius penetrat vt illis fruatur: esse tamen possit absque charitate, doctore Apostolo 1. Corinth. 13. v. 2. Quocirca per se sola non reddit hominem Deo gratum, nec sufficit ad salutem, non magis quàm quæuis alia fides & spes informis. DICETIS. dicere id est, iubere poteritis. Supple, Quando necessarium aut perutile id esse iudicaueritis ad Dei gloriam vel salutem hominum. alioqui enim non fides illud dictet, sed præsumtio. Nihil magis fidei contrarium est stultis & incompositis carnis votis, vt ne putes promitti quidquid temerè in mentem aut in buccam venerit. MONTI HVIC prægrandi, immobili, atque inanimi. Monstrabat vicinum aliquem montem: opponens montem maximum fidei minimæ, quæ quidem similis sit grano sinapi. TRANSI HINC ILLVC. μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ demigra hinc illuc, id est, aliò. ET TRANSIBIT. καὶ μεταβήσεται & demigrabit. s. iuxta præceptum vestrum. sensibilibus imperiis natura insensitiua obsequetur: multo igitur magis dæmonium cedet iussui vestro. Nam quum montem vno sermonis iussu transferre, res vulgò habeatur impossibilis, ac longè difficilior quàm dęmonij expulsio, idcirco illa vtitur ad vim virtutemque fidei declarandam, tam ad dæmonia eiicienda, quàm ad quiduis aliud agendum; hyperbole quidem vsus ea ex parte qua vix vsu venit vt locus exigat ad Dei gloriam transferri montes, veritate tamen non parcus, cùm & illud ipsum fieri possit. Quamuis enim Apostoli illud numquam fortasse fecerint, quia opportunum non fuit, fecerunt tamen alia nihilo faciliora, prout res postularunt, quando mortuos suscitarunt, vmbra morbos depulerunt, aliaque huiusmodi (nam & demigratio euersioque montium, aliquando fit naturæ virtute, in terræmotu) & illud ipsum alij ipsis inferiores fecerunt vbi res exegit, quemadmodum legitur de Gregorio Thaumaturgo apud Eusebium lib. 7. Eccles. Hist. cap. 25. & de aliis quibusdam. Non itaque docet hîc montes transferre, sed efficacitatem certitudinemque fidei tradit. NIHIL, quamuis ab hominum facultate & naturæ rationibus alienum, quod quidem ad Dei gloriam, rebus ita postulantibus, huiusmodi cum fide tentaueritis. IMPOSSIBILE effectu ERIT VOBIS. hac enim Deo gratissima fide, qua se coli Deus & eximiè honorari ducit, quiduis ab ipso impetrabitis; conciliabitis eum vobis, ita vt certissimè adspiret ipse cœptis vestris, *apud quem non est impossibile omne verbum*. Luc. 1. v. 37. Itaque viua ac perfecta fide prædito omnia sunt possibilia, mediocri fide prædito mediocria; parua, parua aut nulla. nam pro rei agendæ magnitudine oportet fidem magnam esse viresque colligere. maiori fide maioribus in rebus opus est. Intelligenda est autem hæc sententia *Nihil impossibile erit vobis*, quemadmodum aliæ similes, quòd scilicet est ex ipsa fide, quæ inprimis necessaria est, pollerque virtute quiduis efficiendi, nisi aliunde desitis negotio. Nam si fidem quidem huiusmodi mente concipias, otiosus verò non adiungas ea quæ fides dictet agenda ad rem tanti momenti impetrandam, sola fide non assequêris quod voles. manifestum id fit ex subsequenti versu.

Τοῦτο δὲ τὸ γένος οὐκ ἐκπορεύεται εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.	21	Hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.

Mar. 9. v. 29.

HOC AVTEM GENVS. Alteram reddit causam non eiecti dæmonij. Defuit, inquit, vobis fides qualis necessaria inprimis & ante omnia est ad huiusmodi dæmonij expulsionem: verùm etsi illa instructi fuissetis, sola nudaque non suffecisset. *Hoc* enim *genus* s. dęmoniorum pessimorum & obstinatissimorum. Non sunt dæmonia omnia æquali naturæ virtute prædita, nec in malitia ceterisque semper paria sunt: sed eorum alia atque alia conditio, aliam atque aliam rationem expugnandi postulat, quorum discretio à Iesu Christo petenda est. NON EIICITVR. οὐκ ἐκπορεύεται non egreditur. quomodo est & syriacè. s. plerumque. PER ORATIONEM. ita explicuit Interpres idiotismum hebraicum ἐν προσευχῇ *in oratione*, quod dicas latinè *oratione & ieiunio* (abundat enim *in*) s. exorcistæ compulsum, id est, merito virtuteque orationis ac ieiunij.

ET IEIVNIVM. *Ieiunij semina*, ait Chrysostomus, *in discipulis iacit*, illiusque necessitatem & vsum tacitè insinuat, qui valeat aduersus dæmones etiam dirissimos. Iungitur autem familiariter orationi ieiunium, quippe quod orationem mirum in modum adiuuet, commendet, & ornet: vt è contrario crapula & ebrietas orationi sunt inimicæ. Est autem sententia Saluatoris: Eum, inquit, qui volet huiusmodi dæmonij genus eiicere, præter fidem armatum esse oportet oratione & ieiunio. Vulgaria dæmonia, fide requisita præditi, absque his adminiculis sæpe eiecistis: sed hoc genus obstinatissimorum ferocissimorumque, non facilè possessione deturbatur, nec nisi summa contentione vincitur, vt fortis ille armatus sup. 12. v. 29. grauiores enim pestes grauioribus opus habent remediis. Adhibenda est feruens assiduaque oratio comitata ieiunio (non paruas enim hæc vires vnà cum fide afferunt) nec his igitur cùm vacaueritis, nihil mirum quòd frustrati fueritis conatu vestro. Non erat mox cessandum vt primo tentamine res non successit, sed ieiunio vacandum & orationi. Ieiunio, quod est virtutis temperantiæ actus, caro spiritui subiicitur (vide suprà 6. v. 18.) oratione, quod est eleuatio mentis in Deum, spiritus Deo vnitur. Ita homo, exercitiis virtutum istarum, spiritali naturæ propinquior, Deoque gratior, tamquam angelus ex homine redditus, idoneus est cui adsit Deus ad nequissimos etiam spiritus expellendos: quemadmodum è contrario pigritia & crapula inuitantur ac retinentur dæmones. Et quidem proficiscuntur oratio & ieiunium ex fide: dictat enim fides, pro desiderati à Deo negotij grauitate, adhibenda esse, orationem, ieiunium, aliáve virtutum exercitia: sunt tamen ista ab ipsa fide distincta. Fides credendo, oratio petendo, ieiunium tacendo, sed flagellando & vrendo, dęmonem pellit. Porrò ipsi Iesu, qui, vt Dei filius solo quiduis potest imperio, vt non congruit fides, ita necessaria non fuit oratio aut ieiunium, ad dæmonij huius aut cuiusvis alterius eiectionem, quamquam & his vacauerat in monte.

Mar. 9. v. 31. Luc. 9. v. 44.

Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum: 22

διαστρεφομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· μέλλει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων·

CONVERSANTIBVS. agentibus Iesu eiusque discipulis, cùm iam essent. Nam post sanatum lunaticum puerum reuersus est Iesus cum suis ex eo loco in Galilæam, id quod Marcus clariùs habet. Primam mortis passionisque suæ futuræ claram prædictionem dedit in partibus Cæsareæ Philippi; repetit reuersus in Galilæam, ipso in itinere quo proficiscitur Capharnaum. infrà v. 24. TRADENDVS EST. μέλλει παραδίδοσθαι futurum est vt tradatur. s. proditione Iudæ condiscipuli vestri, quamquam illud nondum aperiat, quod nec Iudas adhuc meditatus fuerat; reseruat autem vltimæ cœnæ. Frequenter prædicit discipulis passionem mortemque suam, quam non facilè illi credebant aut admittebant, ne inopinato periculo turbarentur, ne cùm adesset tristis illa rerum facies, labefactaret ipsorum fidem, memorum quàm sæpè quamque asseueranter illa audiissent prædicta, quæ & vitare vtique potuisset ipse qui potuerat prædicere, nisi sponte certoque Dei consilio illa subire elegisset. Signanter autem iam reperiuit, cùm per Galilæam adornaret iter in Iudæam (vide Mar. 9. v. 30.) vbi accidere ista oportebat, vt certissimam præscientiam suam deliberatamque voluntatem monstraret, qui prædiceret omnia explicatè, priusquam illic ageret vbi euentura illa erant, priusquam odia in se inimicorum paterent, immò verò eo loci vbi gloriosè ipse celebrabatur & colebatur. Quoties verò rem istam prędicit, toties nouam declarat circumstantiam quam antè non declararat; quemadmodum hoc loco tradendum inimicis se dicit, quod antea non dixerat, vt constaret, non tantùm mortem, sed & circumstantias singulas mortis accuratè ipsi exploratas expetitasque fuisse priusquam contingerent. IN MANVS HOMINVM. potestati hominum impiorum, id est, inimicis, persequutoribus suis, videlicet Senioribus, Scribis, & Principibus Sacerdotum, quos suprà 16. v. 21. nominauerat.

Mar. 9. v. 31.

& occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. 23

καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθήσεται. καὶ ἐλυπήθησαν σφόδρα.

ET OCCIDENT EVM homines illi, id est, qui occident eum. s. cruce. Nam quòd & hoc, genus scilicet mortis suę, discipulis declarauerit, cùm adhuc esset in Galilæa, testantur Angeli Luc. 24. v. 6. 7. ET TERTIA. ipse autem tertia. RESVRGET. ἐγερθήσεται suscitabitur. CONTRISTATI SVNT discipuli, eò quòd diceret Iesus se occidendum, tum quia diligebant Iesum præceptorem suum, tum quia hactenus sibi finxerant aureum & iucundum regni Christi statum, qui simulac innotuisset, summo plausu ab omnibus excipiendus esset. VEHEMENTER. Quamquam addiderat Iesus, ignominiæ mortis breui subsequuturæ resurrectionis gloriam: immodicus tamen mortis horror quo repentè correpti fuerunt, consolationi ex spe resurrectionis additæ ianuam præclusit, ipsis, vel non intelligentibus quid sibi vellet insolens resurrectio, vel existimantibus satius fore non mori, quando id sibi posset præstare qui posset à morte resurgere. Atqui docet nos Saluator, quoties mortis ipsius fit mentio, totum simul triduum complecti, ne ita hæreamus in morte, vt obliuiscamur aut negligamus resurrectionem. Nam si mysterium resurrectionis considerassent attentè & intellexissent, non vtique fuissent immodicè contristati ob mortem: sed quæ non statim profuit admonitio, suo postea tempore plurimùm profuit. Reliqua lege suprà 16. v. 21. 22.

Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebãt ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? 24

ἐλθόντων δὲ αὐτῶν εἰς καπερναοὺμ, προσῆλθον οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες τῷ πέτρῳ, καὶ εἶπον· ὁ διδάσκαλος ὑμῶν οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα;

VENISSENT. Iesus eiusque discipuli. CAPHARNAVM. Iesus parans migrationem è Galilæa in Iudæam, noluit præterire Capharnaum ciuitatem suam, in qua hactenus domicilium habebat (vide suprà 4. v. 13. 9. v. 1. 13 v. 1.) fortè vt temporaria negotia necessitatis humanæ, disponeret ante abitum. nec enim quidquam iam legitur publicè Capharnai egisse, vt qui festinaret aliò nec vellet quemquam scire. Marc. 9. v. 30. DIDRACHMA. ita legendum est neutro genere numeri pluralis, à singulari didrachmum: quo modo & græcè est τὰ δίδραχμα, à singulari τὸ δίδραχμον. Est autē didrachmum propriè pondus duarum drachmarum, quas Syrus ܙܘܙ zuzin vocat: drachma porrò octaua parte vnciæ definitur. Transfertur verò didrachmi nomen, ad genus numi significandum, didrachmi pondere cusum, vt solent ponderum nomina ad numismata eius ponderis transferri. didrachmum itaque argenteum (de argenteo enim hîc quęstio est, non de aureo) eiusdem pretij sit cuius denarius maior, de quo infrà 18. v. 28. & Mar. 6. v. 37., valens, iuxta hodiernum argenti pretium, decem assibus, stuferis, siue patardis, cum dimidio, nostratis monetę, id est, duobus regalibus hispanicis. In veteribus libris vocatur dimidium sicli: nam siclum tetradrachmum, id est, quatuor drachmarum fuisse, Iosephus tertij Antiquitatum capite nono, & post eum Hieronymus, & ex neotericis Arias Montanus aliique scribunt, citra distinctionem vllam sicli sanctuarij à siclo prophano. Fuerat olim lege cautum, vt quotiescumque recenseri contingeret filios Israel, omnes qui in censum venirent, ætatis inquam viginti annorum aut maioris, soluerent singuli dimidium siclum, tam pauperes quàm diuites, pretium redemtionis vitæ suæ, ne recensiti interficerentur: qui quidem dimidius siclus à singulis collectus,

collectus, iussus fuerat tradi in vsus tabernaculi testimonij, Exod. 30. v. 12. 13. 14. 15. 16. *Ex hac lege nata* est consuetudo, quò tutò posset recenseri populus quoties visum esset, absque periculo interfectionis qualis fuit Dauidis tempore 2. Reg. 24. v. 15., quò etiam subueniretur sacris oneribus templi non minimis certè, vt quotannis singuli illius ætatis dimidium siclum, id est, didrachmum, penderent in vsus templi. Cuius consuetudinis nonnihil intermissæ restauratio præcipitur à Rege Ioa 2. Paralip. 24. v. 5. 6. 7. 8. 9. Eiusdem consuetudinis Iosephus meminit libri 18. Antiq. cap. 12., eamque ad Imperatoris Vespasiani vsque tempora perseuerasse, testatur libro 7. de bello Iudaico sub finem capitis 26. vbi scribit, Imperatorem illum, templo iam deuastato, Iudæis dispersis, vbicumque terrarum degerent, præcepisse, vt illud didrachmi tributum quod templo Ierosolymorum pendere soliti fuerant, in Capitolium quotannis adferrent. De illo igitur sacro tributo, quod viritim Iudæi templo ac proinde Deo annuè soluere consueuerant, est hîc quæstio, suffragantibus huic expositioni Hilario & Ambrosio. itaque intelligendum, *Didrachma* in vsus templi quotannis à viris Iudæis debita. Syrus periphrasi vsus habet: *Bina Zuzin argenti capitatim.* ACCIPIEBANT. exigebant, colligebant, quibus colligendorum didrachmorum cura mandata erat à principibus sacerdotum aut magistratibus templi. AD PETRVM, quem solum fortè foris domo repererunt, & nouerant Iesu cæteris discipulis familiariorem. Iesum ipsum, qui maximam ea præsertim in vrbe auctoritatem sibi compârauerat, interpellare debitorem veriti sunt; præter hoc quòd incerti essent de repulsa cum verecundia patienda. NON SOLVIT. non consueuit soluere quotannis? Interrogatio est, non negatio. DIDRACHMA templo sacrosancto Deoque debita? erat quotannis vnum à viris singulis debitum. Modestè exigunt solutionem; loquuntur autem tamquam qui nesciant an soleat soluere: & credi quidem possit quòd id nescierint, siue quòd non iidem essent collectores qui fuerant annis superioribus, siue quòd non ita diu, triennium nondum, esset quòd habitationem suam Iesus hanc in ciuitatem transtulisset. suprà 4. v. 13. (nam cùm Nazarethi habitaret, Nazarethi haud dubium & exigebatur didrachmum & soluebatur) sed dubitandi præcipua causa fuisse videtur, quòd nouus ipse doctor non satis æquum præbere se putaretur Legi & templo, iudicio Scribarum & Sacerdotum (quorum erant isti procul dubio studiosi) ac proinde fieri posse, quòd vel sentiret non esse soluendum templo didrachmum, vel se priuilegio aliquo eximeret.

λέγει· ναί. καὶ ὅτε εἰσῆλθεν εἰς τὴν [25] οἰκίαν, προέφθασεν αὐτὸν ὁ ἰησοῦς λέγων· τί σοι δοκεῖ σίμων; οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον, ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων;	Ait, Etiam. Et cùm intrasset in domum, præuênit eum Iesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis?

ETIAM s. soluit siue consueuit soluere. *factus enim sub lege* (Galat. 4. v. 4.) similem se reddidit cæteris omni ex parte *absque peccato*. Heb. 4. v. 15.) Nouerat itaque Petrus & consuetudinem & voluntatem magistri. INTRASSET s. Petrus. quod Syrus exprimit. IN DOMVM in qua Iesus erat, conuenturus eum de ea quæ petebatur didrachmi solutione. PRÆVENIT EVM, præoccupauit, prior est Petro loquutus ea de re de qua Petrus in animo habebat ipsi loqui. Qua re præparauit Petri animum ad doctrinam proximam, declarans se Filium Dei, Deum quem nihil lateret, vt qui nosset ea quæ gesta essent inter absentes, quidque animo volueret Petrus vt ipsi proponeret. QVID TIBI VIDETVR. Dic mihi quid sentias hac de re, ex dictamine rationis æquitatisque naturalis? Quærit docendi causa. REGES TERRÆ. Reges homines, qui alij in his, alij in aliis, mundi huius partibus regnant. TRIBVTVM. τέλη tributa (generale nomen est) ad administrationem defensionemque regnorum suorum. CENSVM. Græcus vtitur latina ista voce, censu, κῆνσον, quam verisimile est tunc etiam apud Iudæos in vsu fuisse, Latinis seu Romanis pendentes censum, id est, quo modo Syrus vertit, argentum siue pecuniam capitatim, de quo vide infrà 22. v. 17. Solent enim plerumque res peregrinæ & aliunde inuectæ, suæ gentis vocabula secum adducere. Huius itaque tributi singulariter meminit, quòd cùm ea ætate penderetur, frequens esset illius in populo mentio. A FILIIS SVIS consortibus atque hęredibus regnorum suorum. ALIENIS s. à filiis suis, an ab aliis subditis qui non sunt filij ipsorum, an à cæteris sibi subiectis? *Non de filiis simpliciter*, ait Chrysostomus, *sed de propriis & regni hæredibus disputat: atque ideo distinguendo alienos opposuit, quo vocabulo eos appellauit, qui ab ipsis regibus nati non sunt; suos verò, quos ex se genuerunt.*

λέγει αὐτῷ ὁ πέτρος, ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων. [26] ἔφη αὐτῷ ὁ ἰησοῦς, ἄραγε ἐλεύθεροί εἰσιν οἱ υἱοί.	Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij.

ERGO tuo iudicio LIBERI SVNT FILII, id quod verum est. Ita infert vt simul confirmet: quam vim quidam cùm inesse putent voculæ ἄραγε, vertunt *Nempe igitur*. *Liberi sunt* à soluendo censu omniq; tributo regibus patribus suis. tantum enim abest vt accipiant illi tributa à filiis, vt potiùs tributa ab aliis accepta in thesauros recondant asseruentque filiis. Ex hoc iam exemplo relinquit Petro à simili aut certè à minori intelligendum (loquitur enim scienti cuius patris ipse sit filius) Et ego igitur qui Dei sum filius, liber sum à tributo Deo soluendo in templi vsum. nec enim minùs diligit minorísve facit filium suum Deus Pater, quàm reges homines filios suos; immo multò ampliùs diligit & pluris longè facit. Vnde Euthymius, *Per exemplum*, ait, *ostendit, quod cum naturalis sit Dei filius, non debet pendere Patri didrachmum.* Et hoc antiquior Hilarius: *Vt ostenderet*, inquit, *Legi se non esse subiectum, & vt in se paternæ dignitatis gloriam contestaretur, terreni priuilegij posuit exemplum; censu aut tributis regum filios non teneri, potiusq; se redemtorem animæ nostræ corporisq; esse, quam in redemtionem sui aliquid postulandum.*

Vtau-

Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum: & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle: & aperto ore eius inuenies ſtatêrem. illum ſumens da eis pro me & te.

27 ἵνα δὲ μὴ σκανδαλίσωμεν αὐτοὺς, πορευθεὶς εἰς τὴν θάλασσαν βάλε ἄγκιστρον, καὶ τὸν ἀναβαίνοντα πρῶτον ἰχθὺν ἆρον, καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ εὑρήσεις στατῆρα· ἐκεῖνον λαβὼν δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ.

VT AVTEM NON. q.d. Iure igitur meo ſum liber: ſed ne ſcandalizemus &c. *Vide*, habet Chryſoſtomus, *quemadmodum nec omnino recuſat, nec ſimpliciter iubet dare tributum: ſed prius monſtrauit non eſſe his vectigalium legibus ſe ſubiectum, tunc demum dare iuſsit; alterum ne diſcipuli, alterum ne exactores ſcandalum paterentur.* SCANDALIZEMVS EOS. Scandalo ſeu offendiculo ipſis ſimus, cauſam ipſis præbeamus malè ſentiendi loquendíque de nobis, habendi nos tamquam Legis & templi Dei contemtores, id quod ſuapte natura offenſiuum ſit. Cauſam autem præbuiſſet iſtis Ieſus, quia ignotum ipſis erat Ieſum eſſe filium Dei, nec adhuc ſcire tenebantur quod nondum clarè latéque ſatis à Ieſu prædicatum fuerat, & Apoſtolis quidem ipſis etiam prohibitum diuulgare (ſuprà 16. v. 20.) *prouidenda verò ſunt bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Rom. 12. v. 17. *Scandalo* igitur, ait Hilarius, *præſtat vt ſoluat: cæterum debito Legis eſt liber.* Cauſam porrò dediſſet ſcandali non ſolus Ieſus, verumetiam Petrus, per quem negaſſet Ieſus cenſum, vt qui eiuſmodi præceptori adhæreret, quem rogatum, inſtantibus collectoribus, nequiſſet adducere ad ſoluendum ſacrum cenſum quem templo Deóque deberet. Quocirca plurali numero ait *Scandalizemus*: docens quiduis potiùs agendum ac ferendum quàm ſcandalum alicui dandum; ſuo iure abſtinendum, pecuniæ cæterarúmque huiuſmodi rerum damnum faciendum. VADE. πορευθεὶς profectus. AD MARE Galilææ, quod hanc vrbem alluit. ET MITTE. βάλε iace. ASCENDERIT ad hamum, ineſcatus. TOLLE. extrahe mari. INVENIES in ore eius. STATEREM. numum argenteum tetradrachmum. Nomen eſt græcum *ſtater*, quo tamen & Syrus & Latinus vtuntur: ſignificat medium vnciæ; vnciæ inquam quali pharmacopolæ vtuntur; quemadmodum ſiclus Hebræis: transfertur autem ad genus numi eiuſdem ponderis, dupli didrachmi, de quo mox diximus, id eſt, quatuor drachmarum, eius pretij cuius ſunt apud nos quatuor Regales Hiſpanici. *Siclus*, inquit Hieronym. in c. 4. Ezechielis, *id eſt ſtater, habet drachmas quatuor: drachmæ autem octo latinam vnciam faciunt.* DA EIS qui à te didrachmum exegerunt. Quòd ex mari peti iubet didrachma quæ ſoluat, facit, non tam inopia coactus vacuorum loculorum, quàm vt immunitatem ſuam, tamquam filij, à tributo Deo ſoluendo, Petrum doceat rebus ipſis, quam verbis adſtruxerat (intelligendum enim relinquit Euangeliſta, hæc ita facta fuiſſe vt præcipiuntur & prædicuntur) Nam diuinitatis ſuæ ſpecimen edidit non exiguum, cùm ſecreta maris & occulta piſcium, ab hominum commercio maximè alienorum, ſibi nota monſtrauit, eumque piſcem ad hamum primum aſcenſurum, qui ſtaterem fortè ore excepiſſet; vel potiùs, cùm ſe maris rerumque omnium Dominum oſtendit, cui piſces eſſent tributarij & mare munera offerret, qui eum quem vellet piſcem, cuius in ore crearet, cuderet, hærereque faceret, ipſe, imperij ſui iuſſu, ſtatêrem, ad hamum primùm compelleret. nam ſi naturaliter res agantur, ſtatêrem quem fortè in mare delapſum, aut in littore repertum, piſcis ore excipiat, non retineat ore, ſed in viſcera traiiciat. Hinc porrò non tantùm confirmauit Petri de ſe Dei filio fidem, verumetiam declarauit ſe ſponte degere pauperem vitam, cuius eſſent mare, terra, & plenitudo eorum. PRO ME, vt iuxta eam quam accepi formam ſerui agam. ET TE. nam valet duo didrachma ſtater, quod notat etiam in hunc locum Hieronymus, ac proinde cenſus duorum eſt. Liberaliùs ſoluit Ieſus quàm fuerat rogatus, non tantùm neceſſario, ſed etiam decoro ſatisfaciens: parum enim honeſtum fuiſſet, Petrum adferre coactoribus didrachmum magiſtri ſui, nec adferre proprium, cuius non minùs ipſe quàm magiſter debitor iudicaretur: quamquam Petrus tamquam domeſticus Ieſu Filij Dei, eodem iure liber erat quo ipſe Ieſus Filius Dei. *Vidiſti igitur honoris excellentiam*, ait Chryſoſtomus, *vide nunc quanta philoſophia vtitur Petrus. Miraris omnipotentiam Chriſti, mirare diſcipuli etiam fidem, qui ad rem ita natura incredibilem ilicò paruit: cuius quidem fidei retributionem confeſtim habuit, Chriſto in tributi ſolutione coniunctus.* (Hæc ille.) nam cæteros diſcipulos ſuos, inopiæ ratione voluit Ieſus apud exactores tacitè eſſe excuſatos, etſi non minùs pro omnibus quàm pro ſe & Petro didrachma potuiſſet ex mari piſcari.

CAPVT

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ ἰησοῦ, λέγοντες· τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;	1	In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum?

HORA. tempore, quo Iesus erat Capharnai domi. ACCESSERVNT vocati, quod habet Marcus cap.9.v.35. DISCIPVLI. Apostoli. DICENTES, cùm viderent æmulationem suam omnino latere non posse, quam suppressam esse optassent. QVIS PVTAS. τίς ἄρα quisnam. Interpres vtitur *putas* loco coniunctionis expletiuæ. Non addunt *nostrûm*, id quod tamen congruat illi quæ inter ipsos fuerat de primatu contentioni à Marco narratæ, ne suam prodant ambitionem. MAIOR EST. maximus erit. comparatiuus loco superlatiui, & præsens pro futuro. Maximus, id est, Regi Christo, auctoritate, honore, dignitate proximus. IN REGNO CÆLORVM quod à te prædicatur & à nobis creditur propinquum. Frequens erat Iesu sermo de regno cælorum, quod præterquam quòd appropinquasse palàm prædicabat, iam etiam intellexerant Apostoli in foribus esse, ex eo quòd docuerat illos, se, tertia à sua morte, quam breuî obiturus esset, die, resurrecturum. nam & sic infrà 20. v.20. & Luc.22. v. 24., tertiò inquam, hoc ambitionis vitio adusti referuntur Apostoli, eadem vna occasione mentionis mortis & resurrectionis, quid aliud foret resurrectio ignorantes nisi instauratio quædam & possessio regni. vide infrà 20.v.21. Fingebant autem animis, regnum hoc, quamuis in cælis postea æternum foret, priùs tamen hoc in mundo surrecturum, splendidum, gloriosum, felix, cælestique Dei virtute firmum, cuius Christus Rex, Christi studiosi ciues forent, alij aliis honore ampliores, Christo Regi gratiores ac familiariores, auctoritate postremò dignitateque clariores, atque ex his vnus ab ipso Rege primus, quemadmodum fit in aliis huius mundi regnis; nec dubitabant quin duodecim ipsi ceteris omnibus priores ac maiores forent, vt primi & indiuidui comites atque Apostoli Christi Regis; sed è suo numero obseruauerant iam Christum Petro & duobus Zebedæi filiis familiariùs quàm reliquis ipsis vti, & his quidem nomen filiorum tonitru, illi Petri nomen imposuisse, tamquam futuri primarij lapidis in eo quod moliebatur ipse Ecclesiæ ædificio, rursus huic claues regni cælorum & potestatem ligandi atque soluendi promisisse. Vt ergo suspicantes sunt admodum, quos occupat prauus regnandi ac dominandi affectus, cœperunt cogitare apud se, hos primates fore sibique præferendos esse in regno cælorum, ac præsertim Petrum omnibus: id quod tamen non æquis animis poterant ferre, cùm essent inter ipsos, alij ætate maiores illis, quique Christo priùs adhæserant, vt Andreas, alij qui Christo sanguine iuncti essent, quod illi non erant, vt Iacobus Alphæi, Simon Cannæus, alij quos eruditio maior & industria prudentiaq; ad præfecturam aptior commendaret, vt Philippus & Bartholomæus. Hinc itaque contentio ipsorum ambitiosa: quorum etiam animos non parum irritauit, vbi domum reuersi viderunt, neglectis ceteris, pro Petro vt pro Iesu sacrum didrachmum exsolui. Cæterùm quum interrogatione simul & aduocatione Iesu, quæ Marcus narrat (cap.9 v.33.35) adducti, peccatum hac in re suum tacitè secum timideque animaduerterent, videntque non se prorsus latêre posse, quæstionem in medium proferunt generalem quandam, qualem vidimus, qua ita sperant se obtegere posse peccatum suum (tamquam qui non de se solis sed de omnibus quæsiuissent, desiderantes scire id quod omnium intersit, quod non ambitionis vtique sed prudentiæ fuisset) vt tamen intelligant suę controuersiæ definitionem. Nam, si, exempli causa, responderet Iesus, Natu maximus ex iis qui me sequuntur, vel coniunctissimus mihi sanguine, vel qui plura reliquit vt me sequeretur, vel qui assiduus mihi magis fuerit; ex huiusmodi aliqua expositione putabant illi se posse statuere comparationum inter se ac distinctionum contentionumque finem. Hîc describitur Apostolorum vt cæterorum hominum ambitione infectum ingenium, quò sanetur tam in nobis quàm in illis: in quibus quidem integrè adeò sanatum fuit, vt posteà de postremo potiùs quàm de primo contenderint loco.

καὶ προσκαλεσάμενος ὁ ἰησοῦς παιδίον, ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν,	2	Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum,	Mar. 9. v.36. Luc.9. v.47.

ADVOCANS. προσκαλεσάμενος quum aduocasset. PARVVLVM. παιδίον puerulum. puellum. significatur admodum puerum fuisse, etiam ex Chrysostomi sententia; ex eo tamen quòd aduocatus est, intelligitur pedibus vel mediocriter vti potuisse. infantem itaque accipe iam primùm balbutientem atque itutientem, bimulum inquam trimulúmve. Facit ad emphasim diminutio, dum non ad cuiuscumque pueri, sed ad admodum pusilli imitationem inuitantur, qui ab omnibus passionibus omnino sit liber. Fieri possit filium fuisse eius, cuius ea domus erat propria, vel qui eam administrabat Iesu absente: quem, non dubium est, fuisse cum familia sua domesticum fidei. STATVIT. collocauit, sedere fecit. IN MEDIO EORVM. vbi æquè ab omnibus conspiceretur. vt non verbis tantùm recitato, sed & re ipsa ob oculos posito exemplo admodum opportuno, efficaciùs moueret, altiusque infigeret quod docere volebat. Vsi sunt huiusmodi χρείᾳ, actione simul & oratione constante, vtilissima illa ad permouendum, frequenter prophetæ; dum, verbi gratia, captiuitatem & transmigrationem, & verbis prædicunt, & in exemplum viuum, Isaias incedit nudus ac discalceatus (Isa.20.v.2.) Ieremias vincula & catenas iniicit collo suo (Ier.27.v.2.) Ezechiel migrat in omnium conspectu, interdiu transfert supellectilem suam, & vesperi perfosso pariete ipse domo humeris effertur. Ezech.12.v.7.

& dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cęlorum. | 3 | καὶ εἶπεν· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε, καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

ET DIXIT declarans quid paradigmate puelli in medium producti doctum vellet, hoc inquam, vt per puerulum fastus expertem inculcaret humilitatis virtutem. AMEN DICO VOBIS. vide suprà 5. v. 19. CONVERSI FVERITIS. pœnitentiam egeritis (hæc enim esse eadem docuimus suprà 3. v. 2.) conuersi ad Deum ab eo quod vos auersos tenet ambitioso primatus atque honoris desiderio. SICVT PARVVLI. ὡς τὰ παιδία vt pueruli, similes puerulis, qui humiles sunt, modesti, simplices, aperti; ambitionis & inuidiæ omnis expertes, nulli se præferunt omnibus morigeri, de aliis magna, de se parua mente concipiunt, pro paruulis se, pro magnis alios habent; nisi, inquam, quales isti sunt ætatis indole, tales vos voluntate reddamini, aut certè quàm proximè accedatis. Scimus puerulis multa esse vitiosa, idcirco non ad omnia promiscuè extenditur similitudo: sed quia nondum illi nouerunt inuidere, aut inanem gloriam exspectare, aut primatus desiderare dignitatem, sed maximam hanc virtutem possident, puram dico simplicitatem & humilitatem, eorum exemplo Christus deleri vult ex suorum animis, quæ filij huius seculi de honorum dulcedine perpetuò agitant, nequa eos titillet ambitio, sed instar puerorum humiles & candidi, nec non ab omni fuco & fastu studeant esse alieni. NON INTRABITIS. non admittemini, excludemini. οὐ μὴ εἰσέλθητε. vide suprà 5. v. 21. Corrigit hoc loquendi modo erroneam discipulorum de regno cælorum opinionem. IN REGNVM CÆLORVM, quod discipulis meis à me præmij loco promittitur. quod licet hac in vita incipiat spiritaliter, post hanc vitam tamen demum perficitur, honoris, gloriæ, bonorumque omnium aggregatione, & absoluti laborum præmij obtinet rationem. In hoc regno, extra quod beatitudo non est, non primi non eritis, sed omnino non eritis; æternùm miseri; nisi mutatis animis, reuersi in naturam puerorum, fastum omnem ambitionisque affectum exuatis. Longè aberratis qui de primo loco contenditis, quibus nullus erit illic locus. Horribilis sententia, non enim de leui aliqua & paterna castigatione, sed de perpetua abdicatione loquitur. Quamuis autem non fuerit fortasse mortiferum crimen ista discipulorum æmulatio, non poterat illis tamen, nisi positis huiusmodi animis, patere ingressus in regnum cælorum, *in quod nihil intrabit coinquinatum*, Apoc. 21. v. 27. Itaque medetur primùm Saluator illi quo discipuli laborabant vitio, quod optauerant ipsi esse occultum, ne incrudesceret; deinde respondet propositæ quæstioni.

Mar. 9. v. 35. Luc. 9. v. 48.

Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. | 4 | ὅστις οὖν ταπεινώσῃ ἑαυτὸν ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὗτός ἐστιν ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.

QVICVMQVE is fuerit qui; non ex vestro numero solùm. ERGO continuandi vim habet, vt satisfaciat propositę quæstioni. HVMILIAVERIT. ταπεινώσῃ *demiserit* vertunt qui volunt latinè loqui. Qui humiliter demisseque senserit de semetipso, qui nulli quantumuis contemtibili se putauerit præferendum aut æquandum, qui alios omnes se meliores & honore digniores esse persuasus gaudeat sibi anteponi. SE. non caput aut genua sua, sed animum, nobiliorem sui portionem. SICVT PARVVLVS ISTE. ὡς τὸ παιδίον τοῦτο sicut puerulus iste s. humillimus est conditione ætatis, non elatè de se sentit, non ægrè fert postponi aliis, immò persuasus est alios sibi præferendos, honorum gradus & quæuis superbiæ fomenta ignorans. *Qui ergo humiliauerit se sicut paruulus iste*, tam alienus fuerit à superbia quàm paruulus iste, id est, qui perfectissimè se humiliauerit (est enim perfectæ humilitatis exemplar huiusmodi puerulus) qui fuerit omnium humillimus. HIC MAIOR EST. οὗτός ἐστιν ὁ μείζων hic est ille maior, hic erit maximus ille de quo vos quæritis. Qui omnium fuerit humillimus, is erit omnium maximus, Regi Christo acceptissimus, ac proinde honore & gloria cumulatissimus: ad quem quo quisque propiùs accesserit, eò maior ac nobilior erit. Similis est hæc sententia illi celebri: *Qui se humiliat exaltabitur*. Sola nos docet extolli humilitate, vt procul nos reuocet à superbia; humilitatemque spiritus, ab omni ambitione & contentione alienam, virtutem esse, sine qua vt nullus admittitur ad regnum, ita qui ea maximè valeat, præcipuum fore in regno, vt ne quidquam nobis decedere putemus, vbi vltrò cedimus omni magnitudine. IN REGNO CÆLORVM. Non hoc in mundo, vbi humiles ferè contemnuntur, sed in regno cælorum, vbi, nec vsquam alibi, est felix constansque solidi honoris excellentia. In regnis terrarum maximus est primumque assequitur locum, quisquis ambitioni & superbiæ maximè studet, quisquis gloriæ cupidior audaciùs sibi vsurpat imperium, cæterisque submotis semet anteponit: in regno cælorum è contrario, erunt omnium primi & maximi qui fuerint omnium humillimi & minimi, adhærebit summa gloria iis qui gloriam maximè fugerint. Vt pauperibus promittitur regnum cælorum suprà 5. v. 3.; ita hîc humilibus primus in regno locus. contraria enim ratione ac mundi, Christi regnum obtinetur. Magna humilitatis commendatio, quæ tanti apud Deum sit meriti, quanto primum in cælis accipiat locum, pro vltimo quem in terris elegerit.

Mar. 9. v. 37. Luc. 9. v. 48.

Et qui susceperit vnũ paruulum talem in nomine meo, me suscipit: | 5 | καὶ ὃς ἐὰν δέξηται παιδίον τοιοῦτον ἓν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται·

SVSCEPERIT hospitio. Hoc vno beneficentiæ, humanitatis, honorisque officio omnia intelligit. PARVVLVM TALEM. παιδίον τοιοῦτον puerulum talem, ætate, sed magis voluntate, humilitatis inquam ac modestiæ virtute, cuius consuetudinem mũdus vt ignobilem auersatur. De vtroque puerulorum genere videtur loqui, & eo quod propriè huiusmodi est, & eo quod metaphoricè sic appellat, significans eos qui deposita omni

omni altitudinis opinione ad ſubiectionem & modeſtiam ſe moreſque ſuos componunt, qui omni ſuperbia vacui nihili fieri pro nihilo ducunt. De his ſolis Syrus intelligens locum & hic & ſecundùm Marcum vertit ܐܝܟ ܛܠܝܐ ܗܢܐ *Sicut talis hic* tamquam puerum hunc, quod eſt, ſimilem puero huic. IN NOMINE MEO, mea cauſa, quia diſcipulus meus eſt, & ex mea doctrina hunc in modum ſe exinanit. Vel ſi & de puellis ætate loquatur, *in nomine meo*, quia meus eſt Sacramenti regeneratione, aut, vt educet eum in candore huiuſmodi puerili iuxta doctrinam meam. ME SVSCIPIT. eo loco id habebo, non ſecus remunerabor, quàm ſi meipſum excepiſſet hoſpitio, aut aliis huiuſmodi beneficentiæ, humanitatis, honoriſque officiis proſequutus fuiſſet. huiuſmodi enim apud me maximi ſunt pretij, vt qui mihi ſimillimi ſint & me proximè referant. Quia noua erat doctrina iſta, aliena à conſuetudine mundi, cui humiles ſunt contemtui, declarat quanti faciat ipſe illos quos ſibi æquat, prædicitque non obſcurè, fore & hoc in mundo à quibus honorentur illi & beneficiis afficiantur, dum obliquè illos omnibus commendat, & quo ſe quiſque magis exinaniet, eo plus honoris illi haberi præcipit, maxima remunerationis ſpe data. Qua ſimul ratione fideles omnes inuitat, vt, dum ſe quiſque ſubiicere ſtudet, alij alios in pretio habeant, mutuamque foueant charitatem. Reliqua lege ſuprà 10. v. 40.

ὃς δ᾽ ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, συμφέρει αὐτῷ ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.

6 qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. *Mar. 9. v. 42. Luc. 17. v. 2.*

QVI AVTEM. Vt à præmio manente eos qui honorauerint humiles, ita & à pœna manente eos qui læſerint, oſtendit quanti ipſe humiles faciat. SCANDALIZAVERIT. cauſam præbuerit ruinæ in itinere iuſtitiæ. τῷ *ſuſcipere*, quod dixit ſuperiori verſu, opponit τὸ *ſcandalizare*. Similiter itaque hoc vno præcipuo, animæ inquam nocumento, omnia nocumenti, iniuriæ, contemtuſque genera intelligit, idque eò magis quòd ferè ex contemtu neglectuque fiat vt ſcandalizentur puſilli. Hoc enim ferè facit vt ab humilitate ac modeſtia deſciſcant plerique, hoc plurimum obeſt ne ad voluntariam modeſtiam ſe ſubmittant multi, quia hac ratione redduntur mundo contemtibiles: durum ſiquidem eſt ab hominibus conculcari aut haberi faſtidio.

VNVM. vel vnum ſolum. quid igitur ſi duos, ſi decem, ſi populum, ſi innumeros? DE PVSILLIS ISTIS. τῶν μικρῶν τούτων paruorum iſtorum, hoc eſt, humilium, qui facti ſunt puerulorum inſtar. parui ſunt in oculis ſuis, pro paruis ſe habent, pro paruis ſe gerunt, parui à mundo fiunt, magni eſſe nō appetunt.

QVI IN ME CREDVNT Chriſtum filium Dei viui. Hoc addit, tum vt de adultis præcipuè ſermonem ſibi fuiſſe hactenus ſignificet (infantes enim à ſcandalo immunes ſunt) tum quia non eſt virtus humilitas iis qui non credunt in Chriſtum. Scandalizat autem humilem Chriſtianum, qui vel alienæ doctrinæ aſſeueratione, vel vi. vel repulſa & contemtu, vel diſſuaſione, vel exemplo, vel alio denique modo, conatur eum à cœpto humilitatis aut alterius cuiuſuis virtutis ſtudio auocare vel remorari; aut ſi ex induſtria non hoc conetur, id agit quod ex natura rationeque ſua auocare aut remorari queat, atque impedire ne contento ſimplicitatis Chriſtianæ curſu aſſequatur regni cæleſtis dignitatem, etiamſi reipſa non auocetur aut impediatur, etiamſi reipſa nihil noceatur fideli quod ad virtutis ſtudium aut ingreſſum in regnum. EXPEDIT EI. Hebraicè dicas, bonum illi ſ. eſſet, id eſt, expediret ei, præſtaret ei, conſultius ipſi eſſet, minùs malè cum illo ageretur. MOLA. lapis molaris. ASINARIA, id eſt, grandis. ſic dicta, ſiue quòd ab aſino circumagatur (nam molæ leuiores hominis manu circumferuntur, dicunturque truſatiles) ſiue quòd in molis, ſaxum maius quod ſubſternitur immotum, vt alterum quod in gyrum agitur ſuſtineat, ὄνος *aſinus* græcè dicatur, quòd aſini in morem omne onus ferat. Syrus *mola aſini*. IN COLLO. de collo. ἐπὶ τὸν τράχηλον in collum. IN PROFVNDVM. ἐν τῷ πελάγει in profundo, in alto, in medio: quo enim longiùs à littore, eo profundiùs. πέλαγος *pelagus* græcè dicitur quod latini altum vocant: poſtea verò pro ipſo mari cœpit vſurpari. Syrus *in profundu*. Terrendi gratia expreſſit Saluator ſupplicij genus, quo, *ſecundum ritum prouinciæ, maiorum criminum*, ait Hieronymus, *iſta apud veteres pœna fuit*, vt lapidi molari alligati ſontes in profundo mari ſubmergerentur, exitio, tam violento atque horribili, quàm certo, tum ob ſaxi magnitudinem, tum ob maris profunditatem. Expediret autem illi hanc pœnam ſubire, ſupple ex B. Luca, potiùs *quàm ſcandalizare vnum de puſillis iſtis*. Si ante perpetratum ſcandalizationis crimen, alterum ipſi foret eligendum, aut ſcandalizare humilem, aut demergi in mare, conſultius ipſi foret, hanc pati pœnam quantumuis atrocem ac formidabilem, quàm admittere illud crimen, optare potiùs deberet mortem huiuſmodi grauem, ignominioſam, & ſine ſepulchro quàm ſeſe auctorem, impulſorem, vel promotorem alicuius offenſionis præbere, tum quia peccatum peius ac deteſtabilius eſt omni pœna, tum quia pœna longè grauiori quàm illa ſubmerſionis peccatum iſtud punietur. pœna inquam gehennæ, quæ vt eſt & acrior & ignominioſior quàm quæuis huius vitæ, ita eſt & æterna. Nullum mortis genus potuerunt excogitare huius mundi tyranni, quod cum illo ſupplicio poſſit conferri, quo corpus ſimul & anima perenni cruciatu morientur, nec mori licebit. Subindicat Saluator, cruciatus multis partibus maiores, in altero ſeculo quàm in iſto. in improbos & ſceleratos homines deſæuire. Ergo quia procliues ſunt filij huius ſeculi ad hoc vt deſpiciant humiles. & pro nihilo ducunt abiicere illos ac conculcare, ſeueriſſima prædictione eius quæ ipſos manet pœnæ, abſterret illos: & ſimul humiles conſolatur, declarans quàm charos & pretioſos Deus ipſos habeat, ne ipſis moleſta ſit ſua conditio, dum eos mundus deſpicit. Itaque ſi longè abeſſe ab ea quam Saluator minatur pœna velimus, diligenter cauendum eſt, ne quis noſtrûm, ſuo vel iudicio, vel conſilio, vel ſtudio, vel errore, vel more, offenſionem paret ſimplicibus, eóſve deſpiciat, ſed contrà, manus illis porrigat, comiterque eos adiuuet ad benè currendum.

Luc. 17. v. 1.

Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala. Verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.

7 οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τῶν σκανδάλων· ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται.

VÆ. mala extrema ſummaque pericula impendent. MVNDO. hominibus hoc in mundo degentibus & bonis & malis. A SCANDALIS. vide ſuprà 5. v. 29. Occaſione ſuperioris ſententiæ, de ſcandalo, re maximè noxia, diſſerit: & quò doceat omnes vt ſtudiosè vitent tam pati ſcandala quàm dare, deplorat mala quæ à ſcandalis vt à peſte nocentiſſima mundo cernit incumbere. Malis enim, ſcandalorum auctoribus ſcandalaque dantibus, impendet grauiſſima Dei & in hoc & in futuro ſeculo vltio: malis autem ſimul & bonis, quamdiu hoc in mundo agunt, ſummum eſt à ſcandalis, quæ ab aliis dantur atque obiiciuntur, periculum, ne patiantur illa, ne illis cedant, offendantur, atque lædantur, bonis ne bonitate excidant, malis ne in peius ruant, ac proinde in exitium extremum præcipites vtrique cadant. Ergo quibus vitare Dei maledictionem eſt animus, ſummo ſtudio cauere debent ne quod aliis ſcandalum dent, & cautiſſimè ſe munire ne quo ab aliis dato lædantur. NECESSE EST ENIM. Redditur ratio malorum mundo à ſcandalis impendentium, quia videlicet ea eſt calliditas antiqui ſerpentis hominibus inſidiantis, eaque malitia ipſorum hominum plerorumque omnium, vt neceſſe ſit, vt fieri aliter non poſſit, quamdiu hic mundus perſtabit. Neceſſitas itaque hîc intelligitur, non abſoluta ſed conditionis, quæ non aliud vult quàm rem certò ſic ſe habituram. VT VENIANT. ἐλθεῖν venire, naſci, edi, procurari, obiici, dari. Fieri non poteſt vt à ſcandalis ſit immunis hic mundus aut vlla eius pars, quin ſemper alia aliis ſuccedant: vbique enim maior eſt numerus hominum malorum, quibus non ſatis eſt ipſis eſſe malis, niſi & alios ſibi ſimiles aut etiam deteriores reddere conentur, aut certè ſi non conentur ex profeſſo, rebus ipſis datiſque exemplis id agunt, dæmonibus negotia huiuſmodi nuſquam non promouentibus, ſæpe etiam procurantibus. Cùm autem maxima ſit humani cordis tum cæcitas tum ad malum propenſio, fit vt non tantùm ſibi ipſi noceant ſcandalorum auctores, verumetiam aliis, ita vt etiam optimi quique in ſummis verſentur perditionis periculis. dum enim vndique obiiciuntur ſcandala conficientibus rapidum huius vitæ curriculum, dum ſcandalis quaſi certatim datis plena ſunt omnia, ita vt vix pedem abſque offenſionis periculo mouere liceat, contingit vt miſeri homines, vel cæci ſcandala non videant, vel viſa fragiles cupiditateque victi non caueant, vel ſi ſit etiam vitandi propoſitum, ſæpè non obſeruent, itaque in peccatum, &, quæ peccatum conſequuntur, huius vitæ clades innumeras, & extremam denique perniciem, cum ipſis ſcandalorum auctoribus, ruant. Quò itaque magis ſuorum curam ac ſolicitudinem acuat Dominus, admonet fieri aliter non poſſe, quin pergendum ſit per varia ſcandala, ac ſi dixiſſet, ineuitabile eſſe hoc malum in mundo iſto. Viſum eſt enim Deo tantiſper illud permittere, quò exerceantur electi. VERVMTAMEN. Occurrit obiter tacitæ obiectioni, ne quis exiſtimet ſcandala impunè edi obiicique, quia neceſſe dixerit eſſe vt veniant. VÆ. ſupplicium maledictioque æterna imminet. non patietur Deus inultum, ſæpè etiam in hoc ſeculo. HOMINI ILLI. ita eſt etiam græcè, ſed pronomen, vt ſyriacè non exſtat, ita ſignificantiùs videtur ab aliis latinis libris omitti. VENIT. editur, datur. qui cauſa, qui auctor eſt ſcandali: per quem obiicitur alicui cauſa ruinæ, & impedimentum ſalutis præſtatur: qui praua ſua ſiue doctrina ſiue exemplo proximum perdit. Q.d. Quamuis neceſſe eſſe dixerim hoc in mundo occurrere ſcandala, non tamen excuſandus venit, quiſquis ſcandalum aliis obiicit: non enim ipſe neceſſitate coactus, ſed praua ſua voluntate, peruerſoque liberi arbitrij conſilio ductus, ea procurat ſeu edit. ideò grauiſſima illum manet Dei vindicta.

Sup. 5. v. 30. Mar. 9. v. 43. & 45.

Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eũ & proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

8 εἰ δὲ ἡ χείρ σου ἢ ὁ πούς σου σκανδαλίζει σε, ἔκκοψον αὐτὰ καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ· καλόν σοί ἐστιν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλόν, ἢ δύο χεῖρας ἢ δύο πόδας ἔχοντα, βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον.

SI AVTEM MANVS. Quòd ſi ſcandalum non ab alio vllo homine tibi obiiciatur, ſed à teipſo tibi ipſi offeratur, vt, *ſi manus tua vel pes tuus ſcandalizat te*, manus tangit quod facilè te ad peccatum alliciat, pes eò te ducit vbi pecces; manus pruriat ad immunditiam, ad pugnam, ad cædem; pes ad adeundum conſortia impiorum. Scandalizare, quod perſonæ propriè conuenit, impropriè tribuitur humanis membris, eò quòd offerant ſenſui communi ea per quæ fit vt concupiſcentia irritata ad malum ſolicitet aut etiam adducat hominem: quare ea membra nominat, per quæ ferè offerri interiori ſenſui conſueuerunt irritamenta malorum, manum inquam, pedem, oculum, ſub quibus reliqua intelligit. Nam quòd ea in medium adducit quæ ſunt gemina in corpore humano, facit vt doceat nos, non impoſſibile eſſe id quod præcipit, quamuis non ſine labore & dolore præſtandum ſit, poſtquam nemo ſit noſtrûm, qui, vbi neceſſe eſt, non libenter ſinat ſibi auferri membrum quoduis, cuius amputatione reliquum poſſit corpus à morte ſeruare. ABSCIDE. præcide. Hoc fac in periculo animæ, quod faceres in periculo corporis. EVM. pedem vel manum. αὐτὰ ea, manum vel pedem. nega tibi illorum hac in re vſum non minùs quàm ſi truncatus fores manu & pede. PROIICE ABS TE. habe te perinde ac ſi ignorares ſuppetere tibi hæc membra ad hunc vſum, quantumuis tibi vel iucundus vel vtilis ſit eius rei vſus. Cura non minùs ſtudiosè huiuſmodi ſcandalis reſiſtere, quàm iis quæ aliunde offeruntur, etiamſi non ſine maxima & moleſtia & pœna. *Non eſtis in carne, qui non ſe-*

cundùm

eundem carnem ambulatis. Rom.8.v.9. BONVM. id est, melius. nam hebræi carent comparatiuo. AD. εἰς in. VITAM INGREDI. locum vitæ, cælos intrare, ex hac temporaria vita feliciter transire ad æternam ac beatam, quæ sola meretur vitæ nomen. Huiusmodi enim deformitas, omni forma præstantior, digna est vita æterna. DEBILEM. κυλλὸν mancum, truncum manu. vide suprà 15.v.30. VEL CLAVDVM. Aptior est hic ordo, quàm is quo græcè & syriacè præponitur *claudum*. *Debilem vel claudum*, id est, qui vixeris tamquam debilis seu mancus, aut claudus (nec enim vitam ingressus mancus claudúsve permanebis, vbi sicut nullum occurret scandalum, ita liber esse poterit membrorum vsus) id est, qui à vitiis te cohibueris non secus ac si membris eis quibus peccatur caruisses, aut certè non promtè vti potuisses. Simili loquendi modo, homines, carere manibus dicunt eum qui non vlciscitur iniurias; & infrà 19.v.12. seipsos castrasse dicit Saluator, qui membra genitalia ab omni venereo vsu coërcuerint. QVAM DVAS MANVS VEL DVOS PEDES HABENTEM. quàm membris liberè, pro tua libidine, nulla vitandorum scandalorum habita ratione, vsum. MITTI. inuitum coniici, Dei iudicis sententia. IN IGNEM ÆTERNVM. in mortem æternam (opponitur enim vitæ æternæ: nam misera vita, mors est) paratam illis qui scandala fouent, qui scandalis cedunt. Reliqua ad hunc versiculum pertinentia lege suprà 5.v.29.30.

9 Καὶ εἰ ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζει σε, ἔξελε αὐτὸν καὶ βάλε ἀπὸ σοῦ· καλόν σοι ἐστὶ μονόφθαλμον εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός.

Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proiice abs te: bonum tibi est cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. *Suprà 5. v.30. Mar.9. v.47.*

ET SI OCVLVS. Eódem spectat hæc sententia quò superior, vnde eius expositio petenda est, simul & ex v.30.cap.5. CVM VNO OCVLO. μονόφθαλμον ad verbum vnoculum. luscum, qui vixeris tamquam luscus, tamquam is cuius visum multa præterierint. GEHENNAM IGNIS. gehennam igneam, ardentem. vide suprà 5.v.23. idem est quod mox dixit *ignem æternum*, nisi dicas vnum esse supplicium, alterum supplicij locum. His itaque sententiis docet Christus, nihil esse tam delectabile, vtile, necessarium quo quis sibi interdicere non debeat, potiùs quàm admittere vt inde scandalum patiatur, id est, in peccatum labatur Deumque offendat. mortem enim æternam huius esse stipendium. Propter nullius vel charissimæ rei detrimentum aut iacturam, institutum rectè ac simpliciter viuendi iter deserendum, immò vltrò iis rebus renuntiandum, quas aliàs vtiles vel iucundas duxerimus, si intelligamus impedimento nobis esse ad vitam obtinendam.

10 Ὁρᾶτε μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν οὐρανοῖς διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.

VIDETE. cauete, quo verbo vigilantiam ac solicitudinem incutit. Redit autem ad id vnde digressus fuerat, ad humilium inquam commendationem, non ignarus quàm procliues sint homines plerique omnes vt contemnant eos qui à mundo nihili fiunt. NE CONTEMNATIS. Sup.v.6. vsus fuerat scandalizandi verbo: iam vtitur magis generali contemnendi, tam vt significet omne læsionis genus à se vetari, quàm vt fontem aperiat totius mali. contemtus enim, non tantùm facit vt scandalum patiantur humiles, verumetiam vt audacter illis scandala obiiciantur, offendantur, lædantur, affligantur. VNVM. vel vnum. EX HIS PVSILLIS. τῶν μικρῶν τούτων paruorum istorum, id est, humilium. s. qui in me credunt. vide suprà v.6. DICO ENIM. Affirmo enim illud VOBIS. Nouis argumentis docet quanti faciant & Pater & ipse humiles, quò reuocet homines ab illorum contemtu: nimis enim absurdum est ab homine mortali despici, quos Deus tanto habet in pretio. QVIA. quòd. ANGELI EORVM. angeli, quorum custodiæ protectionique illi commissi sunt. Quamquam hîc videantur nullo in gradu aut pretio esse, si cum mundi ambitione conferantur: tamen magno in honore sunt apud Deum, qui beatos illos spiritus, Angelos suos, præficit custodiæ illorum, volens eos angelico præsidio vndequaque esse munitos. Hîc itaque docemur Angelos humilium ac timentium Deum ex diuina delegatione custodes ac protectores esse: quod ipsum & plurima alia S. Scripturæ loca docent. Psal.33.v.8. Psal.90.v.11. Heb.1.v.14.& cætera. Et quamquam honorem hunc habeat Deus piis præsertim hominibus: non est tamen dubitandum, quin & impiis hoc misericordiæ indulgeat, quò ad ea quæ Dei & salutis suæ sunt excitentur. IN CÆLIS. id est, cælestes, quorum propria habitatio in cælis est. Hoc epitheto distinguuntur à malis angelis (etsi Syrus illud non legat) quorum propria habitatio in inferis est, qui & ipsi humilibus frequenter adsunt, sed sponte inuida adducti vt noceant. SEMPER. διὰ παντὸς per omne s. tempus. etiam tum cùm pusillis adsunt, & intendunt seruandis illis: vbique enim præsentis Dei facie fruuntur, ita vt nec reuocentur à cura humilium præ auiditate redeundi ad videndum Deum, nec distrahantur cura quam propter Deum & in Deo gerunt. *Sic enim exteriùs implent ministerium, ait quidam, vt tamen interiùs numquam desint per contemplationem: nam quolibet missi veniant, intra ipsum currunt qui vbique est.* VIDENT FACIEM. vident nudam essentiam siue naturam (*facies* enim manifestam visionem declarat, quæ *non per speculum fit aut in ænigmate*) *vident Deum sicuti est*, quomodo Iohannes loquitur, 1.Ep.3.v.2. Qua re præter hoc quòd beati sunt (nam in Dei visione rationalis creaturæ beatitudo con-

sistit) etiam Deo familiares & proximi esse intelliguntur, qui non opus habeant vt, si quid occurrat, Deum adeant, vel accessum ad eum aut colloquium eius postulent, cui semper pręsentes sunt. Ex more seculi huius, consistere in conspectu regis, faciemque eius perpetuò videre posse, signum est domesticæ intimæque familiaritatis, vt de seruis Salomonis legimus 3. Reg. 10. v. 8. Significatur itaque Angelorum cum Deo agendi liberrima facilitas summaque fiducia. Quemadmodum autem princeps, si subditis aliquibus suis eos deputet protectores, quos perpetuò secum habet intimos, coniunctissimos & familiarissimos, summo illos afficiat honore; nec solùm, sed & prospiciat illorum saluti ac bono quàm certissimè, quòd ad Regem illi referre mox possint quæcumque occurrunt, causamque illorum agere: sic & Deus, dum Angelos continua faciei suæ fruitione beatos, humilium custodiæ præficit, declarat quàm charos humiles habeat, quamque velit esse ab hostibus tutos & bonis auctos. Cùm enim curæ inprimis sit spiritibus illis obedientissimis id quod Deus ipsis mandarit, non omittunt mox ad Deum, cuius familiari vtuntur consuetudine, referre humilium preces ac vota & quidquid occurrit quod ad salutem illorum faciat, causamque eorum agere, vt vel augeantur bonis, vel seruentur à malis, vel pœnas dent qui illos læserint: nec differt Deus, iis qui perpetuò ipsi adstant, mandata expedire, ad horum salutem, tutelam, custodiam, atque adeò vltionem pertinentia. Quare cauendum est vnicuique ne hos lædat aut contemnat: nec enim impunè id agat, angelos eorum passurus accusatores & vltores, omninoque aduersarios. Aliorum angeli & ipsi quidem vident faciem Patris: non tamen ea libertate agere possunt apud Deum causam illorum, quibus superbia Deum conciliat aduersarium.

PATRIS MEI QVI IN CÆLIS EST. Patris mei cælestis, id est, Dei omnipotentis. Hoc positum est ad auxesim, tacitaque est antithesis inter Deum & homines.

Lu. 19. v. 10.

Vênit enim Filius hominis saluare quod perierat. [11] ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός.

VENIT ENIM. quo Patre suo qui in cælis est mandante *vênit*. Non mirum, inquit, quòd Deus Pater Angelos suos æterna faciei suæ visione beatos tutores humilibus delegarit, cùm & Filium suum vnigenitum, agentem in sinu suo, miserit ad illos cùm iam periissent seruandos. Alterum argumentum prouidentiæ ac beneuolentiæ Dei erga humiles Christianos, sumtum à ratione aduentus Christi in hunc mundum.
FILIVS HOMINIS. id est, ego vêni in hunc mundum è sinu Patris. ego Filius Patris mei qui in cælis est, id est, Dei, factus sum filius hominis, id est, misellus homo. SALVARE. ad saluandum, vt ad iustitiam & vitam æternam reducerem. QVOD PERIERAT. τὸ ἀπολωλὸς perditum. genus humanum, peccatis obnoxium & æternæ mortis reum (nondum enim prorsus perierat, sed eo statu erat quo certò perire debebat, nisi seruatum fuisset à Filio Dei, simile oui erranti, quę nondum quidem periit, sed proxima est vt pereat, nisi à pastore inuenta seruetur) atque inter cæteros pusillos istos, nec enim fuerunt isti dissimiles cæteris, donec me saluante, à peccatis liberati, & fide atque humilitate donati sunt. Quòd si misit Deus Filium suum in mundum ad reuocandos & saluandos istos cùm iam periissent: quanto minùs vult, vt cùm iam Filij sui opera reuocati credunt & vitæ viam ambulant, à quoquam contemnantur, scandalizentur, iniuria afficiantur aut perdantur? Simili argumento Apostolus non semel vtitur vt à scandalo dehortetur. Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11.

Luc. 15. v. 4.

Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nónne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam quæ errauit? [12] τί ὑμῖν δοκεῖ; ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα, καὶ πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν, οὐχὶ ἀφεὶς τὰ ἐννενηκονταεννέα ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ζητεῖ τὸ πλανώμενον;

QVID VOBIS VIDETVR? iudicium vobis ipsis relinquo. Illustrandæ rei gratia similitudinem adiicit, vt doceat quàm sit sibi & Deo Patri curæ vel vnus solus humilis Christianus. ALICVI. τινὶ ἀνθρώπῳ alicui homini. Si fuerit homo seu pastor aliquis centum ouium diues. ERRAVERIT procul à grege.
VNA ex tanto numero. IN MONTIBVS in quibus pascuntur, alterius custodiæ commissas. Græcè est ἐπὶ τὰ ὄρη, id quod Interpres coniunxit præcedentibus, adstipulantibus Euangelio Syrico & commentario Theophylacti. Alij iungunt sequentibus: ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς ζητεῖ in montes profectus quærit. In vallibus enim potiùs pascuntur oues, in montibus errant. Vtriusque sensus meminit Euthymius. EAM QVÆ ERRAVIT. τὸ πλανώμενον illam errantem, eam quæ errat? nónne, etsi multarum sit diues, magna tamen solicitudine quærit vel vnam solam aberrantem? q. d. proculdubiò ita fit inter homines vel vobis ipsis iudicibus.

Et si contigerit vt inueniat eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta nouem quæ non errauerunt. [13] καὶ ἐὰν γένηται εὑρεῖν αὐτό, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι χαίρει ἐπ᾽ αὐτῷ μᾶλλον ἢ ἐπὶ τοῖς ἐννενηκονταεννέα τοῖς μὴ πεπλανημένοις.

CONTIGERIT. γένηται fiat. AMEN. verè. Mutat cœptum loquendi genus, quo vehementiùs moueat.
QVIA. quòd. SVPER EAM MAGIS QVAM SVPER, gaudebit de ea magis quàm de, gaudebit inquam actu, id est, singulari quodam & pręsenti gaudio. Non est sententia, magis diligi aut pluris fieri vnam ouem inuentam quàm multas numquam perditas, sed singulari quadam & præsenti lætitia dominum affici propter hanc ouem, qua non afficiatur propter reliquas: tum quòd singularis ratio cogitandi ac

lætandi

lætandi de hac occurrat, inuentio inquam perditæ, quæ non occurrit de aliis (vnde & solent homines de nouis ac felicibus fortunis magis cogitare ac lætari, quàm de veteribus etiam maioris momenti) cum quòd gaudium animi de hac oue inuenta, propter oppositam animi tristitiam de eadem mox perdita, magis sentiatur, quàm illud quod animo inhæret de cæteris simul omnibus, quod vtique habitu maius est.

οὕτως οὐκ ἔστι θέλημα ἔμπροσθεν τοῦ 14 πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ἵνα ἀπόληται εἷς τῶν μικρῶν τούτων.	Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

Sic. Accommodat similitudinem proposito, vsus argumento à minori ad maius. ANTE PATREM VESTRVM. ἔμπροσθεν τοῦ πατρὸς ὑμῶν coram Patre vestro. Hebraismus, q.d. firmum huiusmodi decretum ab ipso Deo Patre emanasse. Non dicit, voluntas mea, vt à Deo Patre se missum significet ad saluandos perditos, eandemque esse voluntatem Patris & suam. *Vestrum* autem hîc dicit potiùs quàm *meum*, vt intelligendum det Dei erga homines amorem, quo se patrem illis potiùs exhibeat quàm dominum. VT PEREAT. ἵνα ἀπόληται vt perdatur ad verbum, vt scandalis conficiatur aut quauis ratione iustitiam deserat, multo minùs vt mortem incurrat æternam. Sed, scilicet, est voluntas eius, vt ad vnum omnes salui fiant. plus enim significatur quàm dicitur. VNVS. vel vnus. DE PVSILLIS ISTIS τῶν μικρῶν τούτων paruorum istorum, qui in me credunt, id est, humilium Christianorum (vide suprà v.6.) quos amat & curat vnicè. Sententia loci est: Quemadmodum pastor diues centum ouium, si vel vnam earum perdiderit, non eam sinit perire, sed magna cura ac diligentia quærit vbicumque; & si fiat vt illam inueniat, maius gaudium monstrat ob eam inuentam quàm ob reliquas semper seruatas, non tam diuitiarum causa, quàm quòd diligat & misereatur ouiculæ suæ: ita, immo verò multo magis, Deus, qui natura bonus est, cuius misericordia cum humana collata est tamquam aquæ gutta cum mari composita, diues licet sit & multas habeat oues pascuæ suę, timentes ipsum ac colentes, & ab ipso pastore humiliter confidenterque pendentes (ij autem sunt humiles Christiani) tamen, quia summo illas amore ac misericordia prosequitur, non vult vel vnam earum perire, nec potest multarum salus perditionem vel vnius obducere aut obfuscare. Quare cùm errassent periissentque illi omnes cum toto humano genere, Filio suo in mundum misso quæsiuit ac seruauit eos: & si rursus errarit perditusque fuerit eorum aliquis, faciente alicuius vestrûm scandalo aut contemtu, vel quouis alio modo, præter hoc quòd grauem de vobis sumet vindictam, non desinet modis omnibus iterum quærere, per semetipsum, per Filium, per angelos & homines, vt eum seruet: qui si recuperetur, vt monstret Deus quàm sit ipsi curę salus illius, cùm in se ipse immutabilis gaudere nequeat, in angelis suis (hos enim nominat Lucas cap.15. v. 10.) gaudium edet maius de illo vno inuento, quàm de cæteris omnibus qui semel recuperati numquam ampliùs aberrarunt saluis. Quamobrem vos vobis cauete, ne quem istorum vestra siue scandalizatione siue contemtione perdatis, nisi etiam Dei Patris vestri voluntati aduersari velitis. Quæritur, An si quis pusillorum istorum humilitatem & iustitiam pertinaciter deserat, & reuocantem Deum audire contemnat, nolit Deus illum perire, id est, suppliciis addici æternis? Respondeo, hoc rariùs accidere vt horum aliquis iustitiam pertinaciter deserat, nam singulariter Deo curæ esse significantur humiles Christiani, ita vt si quando errent, ferè faciat vt se reuocantem mox audiant: quando tamen illud accidit, proculdubio vult Deus huiusmodi perire: cæterùm non est illa illius perditio ex Dei voluntate tamquam ex origine, sed ex illius spontanea malitia. quemadmodum si proteruè rebellem filium pater exheredet, non patris voluntas huius origo est (nec enim eum in finem filium genuit) sed filij rebellio. Nô supplicij causa nos condidit Deus, sed beatitudinis, cuius nos capaces creauit, & plurima obtulit media illius assequendæ. Lege Damascenum lib. 2. de orthodoxa fide cap. 29. vbi duplicem in Deo consideratione distinguit voluntatem, antecedentem & consequentem.

ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός 15 σου, ὕπαγε καὶ ἔλεγξον αὐτὸν μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ μόνου. ἐάν σου ἀκούσῃ, ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου.	Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

Luc.17. v.3.

SI AVTEM. Quisquis autem es, Christiane, siue præfectus siue plebeius, si. Hactenus docuit non lædendos neque contemnendos humiles: iam docet neque contemnendos peccatores. Cùm enim à ratione alienum sit lædi contemni ve qui neminem lædunt, videri poterat rationi consonum vt ij qui lædunt vicissim lædantur. Atqui non tantùm non lædendum tibi eum qui te læserit, verumetiam magnam curam salutis illius gerendam tibi asserit, vt à peccati morte ad iustitiæ vitam ipsum reuoces, eo de quo mox v.11.12.13. Filij hominis exemplo. PECCAVERIT errore, ignorantia, aut fragilitate infirmitatéve humana: id quod exponimus tam ex græco verbo ἁμαρτήσῃ, quam ex syriaco ܢܣܟܠ *Sechal*. Nam eum qui destinata malitia peccat, ferè non comprehendit lex ista. IN TE. si iniuria quauis animaduersione digna affecerit te. Sub peccato in te commisso quoduis peccatum intelligi vult in Deum aut proximum commissum, cuius tu conscius sis nec sit omnino publicum (publica enim publicè mox arguenda veniunt) nam præter hoc quòd dolore nos conueniat vulnerari quoties Deus offenditur, eadem in his omnibus peccati generibus militat ratio lucrifaciendi fratris, vt ne dicam eo maior, quòd quo grauior est iniuria Deo illata ea quę homini infertur, eo periculosiùs perierit frater. Cæterùm quia, præ ea qua laboramus philautia, grauissimam semper habemus offensam quam contigerit in nos admitti, maximeque procliues sumus vt illam mox acerrimè reprehendamus atque euulgemus, & accepta vel per nosipsos vel certè per iudicem vindicta corrigamus, ideirco illam nominat præ reliquis, illic præcipuè frænum nobis iniiciens, vbi maximè solemus præcipites

cipites agi. vt prætercam quòd, vt peccatum in te admissum tibi notius est quàm cuiuis alteri, ita correptió tua qui es læsus, plus habeat energiæ apud læsorem considerantem animum tuum salutis suæ non vindictæ studiosum, quàm alterius. *Nam si qui pœnas ab eo petere posset*, ait Chrysostomus, *is de salute ipsius laborat, maximè omnium poterit eum placare.* FRATER TVVS Christianus. nec enim hîc intelliguntur ij qui foris sunt, id est, qui Christiana veraque à nobis religione discrepant. Nam patres siue maiores non excluduntur (de subditis & æqualibus nulla est quæstio) præsertim considerati ea ratione qua & ipsi sunt fratres hominesque priuati. VADE. non exspectes dum prior ipse ad te veniat culpamque agnoscat, sed quæras ipse opportunitatem. ET CORRIPE EVM. vt corripias eum. Non continuò aliis manifestes peccatum illius, aut accuses eum apud iudicem, multo minùs te ipse vlciscere, sed cura vt corripias, vt arguas eum, vt admissi peccati grauitatem, absurditatem, fœditatem, iniustitiam, nocendi vim, ipsi ob oculos ponas, & ad pœnitentiam prouoces atque emendationem. Non dicit *dimitte ei*, nec enim extrinsecus dimittere iubemur nisi pœnitenti: vt autem pœniteat eum, correptione aptandus est: sic enim mandat Christus vt alij aliis ignoscamus, vt etiam vitia corrigere studeamus. Peccantem fratrem iubet corripi, *quod qui non fecerit*, ait ex veteribus quidam, *vtique delinquit*, aut ex odio volens fratrem perseuerare in delicto, aut ex acceptione personę parcens ei. *Obliuiscere*, inquit Augustinus, *iniuriam tuam, non vulnus fratris tui, nec sinas eum tuo silentio perire.* sermone de verbis Domini 16. Est porrò correptionis genus quod bonum publicum offensum reparare conatur, estque actus virtutis iustitiæ, nec requirit eam progrediendi rationem quæ hîc præscribitur. Hoc autem loco præcipit correptionem fraternam, actum virtutis charitatis, eo præstantiorem eleemosyna, quo præstantius fratris bonum nititur reparare læsum: præcipit inquam præcepto affirmatiuo, quod semper quidem obligat, sed pro personarum, loci, temporis, finis, cæterarumque circumstantiarum opportunitate: in quo etiam Saluatoris mens magis spectanda est quàm verba. INTER TE ET IPSVM SOLVM, studens correctioni, parcens pudori. primùm experire remedium quàm maximè blandum, quod ne pudoris quidem incommodo fratrem aspergat. Tres gradus fraternæ correptionis distinctè præscribit, & primùm quidem tentari vult omnium lenissimum ac modestissimum, vt corripias fratrem magna cum mansuetudine seriaque suauitate inter te & ipsum solum, nemine alio audiente, nullis arbitris, ita vt & famæ ipsius parcas, & consulas pudori. *Nam si solus nosti*, ait Augustinus, *quia peccauit in te, & eum vis coram pluribus arguere, non es corrector sed proditor.* Vult Saluator temperare, non tantùm vindictam, sed & asperitatem, qua quidam zeli prætextu fratrum delicta nimis cupidè in publicum traducunt: vbi enim de fratrum salute agitur, sic nos mouere debet zelus, vt illius norma sit charitas. In alterutram ferè partem omnes inclinant, vt vel mutuò se fallant mortiferis blanditiis, vel nimis acriter insectentur quibus mederi oportebat. Christus autem mutuum amorem commendat discipulis suis, qui procul sit ab adulatione: tantùm admonitiones moderatione condire iubet, ne si nimis rigidæ sint ac duræ, infirmos exaniment. SI TE AVDIERIT. si correptionem tuam admiserit & pœnitentia motus peccati se condemnauerit promissa emendatione. q.d. Spes optima est (nec enim oportet vt omnino certus sis) si quidem hac ratione correptionem instituas, vt tibi benè monenti acquiescat. Nam si primo mox insultu peccatum ipsius coram pluribus aliis traducas, inimicum te suum, qui teipsum vlcisci tuoque honori studere velis, quem dedecus & infamia sua oblectet, arbitratus, verecundia amissa, non tantùm non resipiscet, verumetiam obstinationis callum sibi obducet: si verò mansuetè & secretò cum eo agas, minimè famam ipsius lædens aut apud alios ipsum pudefaciens; si seruato nominis ipsius honore, secretò atque amicè cum eo agens, negotium tentes, spes est, vt ille animaduertens prudentiam hanc tuam & sinceram sui dilectionem, ad cordis compunctionem adducatur, & agnitum peccatum emendet. Quod si fiat, LVCRATVS ERIS siue es FRATREM TVVM. fratrem perditum recuperasti. Ab vtilitate & fructu doctrinam Christus commendat suam. Perierat frater peccando, & tibi, & sibi, & Deo; Deo à quo factus fuerat alienus, sibi qui obnoxium se reddiderat æternæ morti, tibi cui se reddiderat inimicum, cuique cum fratre malum omne animi affectione commune est: amica hac tua correptione, suauissimè lucrifecisti eum; Deo, cui per pœnitentiam reconciliatur; sibi, qui salutis vitæque æternæ ius recuperat; tibi, qui præter hoc quòd tuum bonum ducis fratris salutem, amicum recuperas, & per illius salutem tibi quoque salutem acquiris. Quamquam autem Dei & Iesu Christi proprium sit peccatorem conuertere, cuius est cor ad pœnitentiam mouere: quò tamen ad officium magis strenui simus, suum nobis honorem transscribit Christus, quòd fratrem perditum lucrifacimus, qui nil nisi externum correptionis ministerium adhibemus. Hîc porrò finem exprimit Iesus ob quem corripiendus est qui peccauerit frater, vt perditus lucrifiat: quare, si vel non est perditus, vt si peccata non sint mortifera, vel nosti eum spontanea pœnitentia duci, vel non est spes ipsius lucrandi, non præcipitur huiusmodi fraterna correptio: vbi autem spes est lucrandi, ita est instituenda correptio, vt verisimillimum est fieri posse vt finem hunc assequaris, quod vt plurimùm fit si prima admonitio priuata fuerit. Hunc verò finem assequutos vult nos Christus eo contentos esse, non vult euulgari, accusari, delictum fratris qui priuatam obiurgationem susceperit: satis esse vult ei qui monuit, quòd fratrem errantem secreta admonitione in viam reduxerit, atque ita *animam eius à morte saluarit*, vt inquit Iacobus cap. 5. v. 19. 20. Porrò & hoc hinc intelligitur, quàm necessaria sit inter fideles mutua reprehensionum libertas.

Si autem te non audierit, adhibe[16] tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

ἐὰν δὲ μὴ ἀκούσῃ, παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα, ἢ δύο, ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα.

TE solum. addidit Interpres Latinus, vt Syrus, pronomen quod græcè subauditur. NON AVDIERIT. correptionem tuam reiecerit, peccatum impudenter defendens aut excusans vel certè in eo perseuerans. nam qui factum perfricta fronte negarit, is, nisi testes suppetant, Dei iudicio relinquendus est. Quàm

graue

graue peccatum ſit corripientem non audire, docet pluribus locis Scriptura. Prou. 15. v. 5. 15. v. 12. 32. & alibi. ADHIBE, παράλαβε aſſume, accipe. ADHVC. ἔτι. non legitur ſyriacè. VNVM VEL DVOS. quot fratris emendatio videtur requirere, viros honoris Dei fraternæque ſalutis ſtudioſos, quos apud præfractioris animi fratrem auctoritate valere exiſtimas, qui illum, qui te vno priuatim amicéque monente minùs docilem ſe præbuit, tecum ſeueriùs etiam vehementiuſque vrgeant, vt à ſcelerata conſuetudine abducatur: quemadmodum iumentum in foueam collapſum, ſi vnus ſolus extrahere nequit, plures in auxilium aduocantur. En alter correptionis gradus, quem grauiorem nonnihil, ſi primus eáque quæ primum charitate dictante conſequi poſſunt non ſuccedant, tentari Saluator præſcribit vt frater Deo lucrifiat; non aliter ac medicus ægroto efficaciora adhibet pharmaca, vbi moderatiora nihil effecerint. Vult, qui fratri ſecretò atque amicè corripienti acquieſcere neglexerit, nec tunc quidem mox publicis remediis cogi, ſed priùs adhuc coram pluribus aliquot quos reuereatur corripi, ſiue vt pudore mediocri, qui non progrediatur vſque ad infamiam, corrigatur, ſiue vt teſtimonio duorum aut trium poſſet reuinci; vt, inquam, vel pudefactus admonitione vel victus auctoritate plurium, emendet errata, aut certè, ſi id nolit, peruicaciam ſuam pluribus teſtatam reddat, vt ſi fortè ea ſit impudentia, vt poſtea negare velit, ſe vel peccaſſe vel admonitum peccati fuiſſe, conuincatur illis teſtibus. Duplicem itaque in vſum iterum corrigendo fratri teſtes adhiberi Saluator vult, ſemel vt plus ponderis habeat magiſque ſeria ſit admonitio, ſemel vt ſi contumax eſſe pergat, parati ſint teſtes animi ipſius obſtinati. Vterque vſus intelligendus datur verbis proximis ex Lege ſumtis Deut. 19. v. 15. ORE. ſermone, teſtimonio. DVORVM VEL TRIVM TESTIVM. connumerat ipſum correptorem. STET. ratum firmumque conſiſtat & habeatur. VERBVM. negotium de quo agitur, fraterna iſta tua correptio. q. d. vt, vno ex ore loquentibus duobus vel tribus, maioris auctoritatis atque efficacitatis ſit correptio; vel certè, vt, ſi obſtinatus eſſe pergat reſque ad publicum Eccleſiæ iudicium deferenda ſit, parati ſint qui damnent contumaciam ipſius teſtes duo vel tres, quot Lege requiruntur vt iudicetur quis reus criminis alicuius.

ἐὰν δὲ παρακούσῃ αὐτῶν, εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ· ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης.	17	Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.

NON AVDIERIT. παρακούσῃ neglexerit audire, non ſit audire dignatus, aut audire ſe diſſimularit. ſic παροράω dicuntur qui non dignantur adſpicere vel fingunt ſe non videre. Senſus eſt, Si acquieuerit monitioni veſtræ, benè habet, lucrati ipſum eſtis, non eſt quòd vltrà pergat veſtra ſolicitudo: ſed ſi nihili faciens veſtram omnium admonitionem in defenſione aut commiſſione peccati perſeuerarit, DIC. aperi, tu qui negotium orſus es, rem totam ECCLESIÆ. Non vniuerſali Eccleſiæ per orbem terrarum diffuſæ (nec enim id fieri facilè poteſt) ſed particulari, cui iſte proximè adhæret, conuiuit, & ſubeſt; nec multitudini congregatæ propriè, ſed illius præpoſito ſiue præſuli, penes quem eſt Eccleſiaſticæ auctoritatis vſus, huiuſmodi cui mox dicit *Quæcumque alligaueritis* &c. vt ab illo publica huiuſmodi auctoritate frater corripiatur, ſi fortè illam reuereatur, qui priuatas adhortationes contemſit, vel certè vt ne publica ſalus lædatur, ſi ſeruari ipſe nolit. Nam quia publicam Eccleſiæ perſonam præpoſitus gerit, & totius Eccleſiæ nomine ſingulorum habet curam, nec adminiſtrat hanc prouinciam, ſi bene adminiſtrat, abſque conſilio vel totius multitudinis vel ſelectorum probatiorum ex ea, idcirco Eccleſiæ declarari dicitur, quod illius præpoſito declaratur. Loquitur autem Saluator de re certò ac breui futura tamquam de præſenti, nondum enim ædificarat Eccleſiam ſuam. ſuprà 16. v. 18. Tertius itaque hîc à Chriſto præſcribitur correptionis gradus, omnium grauiſſimus, vt qui cum iactura famæ & ſumma pudefactione coniunctus ſit, publica Eccleſiæ reprehenſio: ad quem tum demum veniri vult, vbi priores modi tentati nihil profuerint. Si enim peccator fuerit intractabilis, durus, impœnitens, & frontis adeò perfrictæ vt omnem contemnat amicam admonitionem, pergat autem mala conuerſatione & ſeſe & alios lædere, iam totum negotium deferri iubet ad Eccleſiæ præfectum, vt ab eo & increpetur acerbiùs & pudefiat palàm. Maiorem enim rationem ſalutis fraternæ vult haberi, quàm aut famæ aut verecundiæ. ECCLESIAM. paſtorem Eccleſiæ redarguentem ac reprehendentem peccatum ipſius. NON AVDIERIT. παρακούσῃ audire ſeu obedire contemſerit aut neglexerit, vt mox. Si publicam reueritus auctoritatem, promiſerit reque ipſa præſtiterit emendationem, quamquam difficulter, tamen tandem lucrifactus eſt, redi cum eo in gratiam, & quemadmodum antea vtere vt fratre. Si verò nec publicæ auctoritatis monitis obtemperauerit, idque tibi conſtiterit publicæ auctoritatis declaratione, qua eam ob cauſam excommunicetur, id eſt Eccleſia eiiciatur; quia nulla alia tibi reſtat via procurandæ ſalutis eius, SIT TIBI. non eum ampliùs habe vt fratrem, ſed ſit tibi, eo loco quo ethnicus. SICVT ETHNICVS. ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς ſicut quiuis ethnicus, à Dei cognitione & cultu, adeóque veræ religionis communione, alienus, ſ. eſt vobis Iudæis. Ethnicum intelligit qui errorem ſuum tueri & defendere atque Iſraëlitarum veritati anteponere ſtudet: namque ethnicorum non vna olim ratio fuit. ET PVBLICANVS. periuriis, rapinis, pauperumque oppreſſionibus infamis; manifeſtus malique exempli & quaſi incorrigibilis peccator. Publicanum ad exemplum ſummæ nequitiæ vbique ponit. vide ſuprà 5. v. 46. Sicut Iudæi, pollui ſe arbitrati ſi quando ethnicorum aut aliorum publicorum peccatorum menſa vel conſortio vtantur, ſumma cautione illos vitant: ita tu abſtine omni iſtius conſortio, tamquam inſanabilis & contagioſi peccatoris, indigni fratris & Chriſtiani nomine, non tantùm iis in negotiis quæ ſunt religionis, verumetiam in iis quæ ſunt conſuetudinis vitæ, ita vt *nec cibum cum eo ſumſeris* (1. Cor. 5. v. 11.) *nec Aue ei dixeris*. Ioh. Epiſt. 2. v. 10. Quòd ſi etiam hoc rerum ſtatu pergat te contumax lædere, non tantopere aut miraberis aut offendêris, quippe cùm nec nouum nec mirum videri debeat. Siquis te lædat qui à tua religione omnino ſit alienus, non tu eum viciſſim lædes, ſed lenitate & patientia vinces: ita igitur & erga hunc te habebis. neque enim tu debes illi eſſe ſicut ethnicus & publicanus, vt par pari rependas; ſed ille tibi, vt vitetur, &, ſi fieri poſſit, bono potiùs exemplo ad ſanam mentem pertrahatur, quàm vltione procurata magis etiam abalienetur.

tur. Nec enim hæc ipsa excommunicationis pœna & vitatio ipsius adeò seria, ad perdendum eum tendit, sed non minùs quàm superiora remedia ad lucrandum, vt vel ex eo ad mentem redire cogatur quòd ab omnium consortio se videat amputatum: quamquam nec consortium cum eo simpliciter omne prohibeatur, sed tantummodo consortium tamquam cum fratre Christiano. Non enim prohibet curam, aut negligi vult salutem ipsius: *nam & ipsos ethnicos*, ait Augustinus, *in numero quidem fratrum non deputamus, sed tamen eorum salutem semper inquirimus.*

Amen dico vobis, quęcumq. alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. [18] ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ.

AMEN. Pertinent hęc ad superiorum explicationem & confirmationem. Nam *quis poterat*, ait Hieronymus, *contemtorum fratrum hac esse responsio vel tacita cogitatio: Si me despicis, & ego te despicio*, si me vitas, & ego te vito, si me condemnat Ecclesiæ pastor Episcopus, & mea sententia condemnabitur; *potestatem tribuit Apostolis* & Ecclesiæ præpositis ligandi ac soluendi certissimo cum effectu ac vi, *vt sciant qui ab ipsis condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari. Ad terrorem*, inquit Hilarius, *metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile seueritatis Apostolicæ iudicium præmisit. Amen* ait, id est, verè ego dico vobis, habere hoc pro re certa atque indubitata & vos & quicumque mihi & Ecclesiæ meæ adhæsuri sunt. DICO. Ego penes quem est suprema in Ecclesiam meam auctoritas, *duo* efficaciter, do potestatem istam. VOBIS Apostolis meis, vestrisque successoribus futuris Ecclesiæ meæ præsidibus ac præfectis. QVÆCVMQVE. quemcumque subditorum seu membrorum Ecclesię meæ. ALLIGAVERITIS δήσητε ligaueritis, excommunicationis aliisve vinculis constrinxeritis, vel certè ligatos reliqueritis. Ligat Ecclesiæ præpositus peccatorem quem excommunicat, & vinculo excommunicatio comparatur, quia priuat peccatorem communione fidelium, non secus ac ligatus corporatis vinculis, prohibetur vti libera hominum consuetudine. Et quamquam auctoritatem excommunicandi ante omnia Saluator hîc Ecclesiæ præsulibus det (de ea enim sermonem cœperat instituere versu superiori) intelligit tamen & cætera suprà 16.v.19. declarata. Eandem enim potestatem hîc cæteris Apostolis largitur, quam similibus illic verbis Petro concesserat; ea sola differentia, quòd quia illic promittuntur Petro claues regni cælorum, intelligatur Petri in vniuersam Ecclesiam auctoritas, & sub vna ligandi soluendique potestate omnis alia potestas ad Catholicam Ecclesiam gubernandam opportuna; hîc sola ligandi soluendique potestas Apostolis data singulis in eos quibus ipsos præesse continget. ET IN CÆLO. Græcè & syriacè non additur *&* coniunctio. Quem eiecerint Ecclesiæ præsules Ecclesia, eiicit & illum Deus cælo: quem priuauerint communione fidelium, priuat & illum Deus societate beatorum: nisi pœnitens curauerit se ante mortem vinculo solui & Ecclesiæ communioni restitui, non intrabit in regnum cælorum, sed vt fuerit ligatus manus ac pedes eiicietur in tenebras exteriores: denique quidquid ad spiritualem peccatoris punitionem illi decreuerint, ratum Deus habet. neque enim cum hominibus est negotium, sed Deus erit vindex. Non ambigua igitur hoc loco est Christi mens. Nam quum præfractis ac superbis procliue sit præsulum Ecclesiæ iudicium hoc prætextu contemnere, quia hominibus subiici nolint: Christus vt terrore frangat hanc contumaciam, damnationem quæ nunc ab illis spernitur, in cælo ratam fore denunciat, vt ne huiusmodi iudicium paruipendat quis, aut nihili æstimet se fidelium suffragiis multatum. Interim suos ad iustam seueritatem animat, ne improbę eorum contumacię succumbant, qui disciplinam exleges respuent vel excutient. SOLVERITIS. non enim ad destructionem dumtaxat potestatem vestram valere volo. ET IN CÆLO. Rursus addidit Interpres coniunctionem. Trepidis conscientiis solatium adferre metumque eximere Saluator volens, testatur, communioni atque vnitati Ecclesiæ, magno suo spiritali commodo, reuera restitui, quos Ecclesiæ præpositi in gratiam recipiunt: eorumque peccata coram Deo & angelis esse deleta, qui ab illis veniam obtinuerint. Nam si quis ficta animi conuersione impetrarit absolutionem, non ille quidem in cælo absoluitur, sed ipse in causa est: potestas enim absoluentis sufficiens est, sed ipse obiicit impedimentum. Reliqua lege suprà 16.v.19.

Iterùm dico vobis, quia si duo ex vobis cõsenserint super terram de omni re quamcũque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cęlis est. [19] πάλιν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς περὶ παντὸς πράγματος οὗ ἐὰν αἰτήσωνται, γενήσεται αὐτοῖς παρὰ τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς.

ITERVM DICO. Amplius dico, etiam hoc affirmo. Additur à plerisque græcis libris *amen*, verè: quod tamen syriacè non magis agnoscitur quàm latinè. Aliud donum quod Ecclesiæ à se detur adiungit, vt scilicet impetret à Deo quidquid petat: non illud præpositis proprium, quemadmodum ea quam proximè dederat ligandi soluendique potestas, quamquam his eminenter conueniens, sed membris omnibus commune. QVIA. quòd. SI DVO. si vel soli duo, multo magis si plures aut Ecclesia vniuersa. Etiam minimo numero congregatorum fidelium quanta vis sit declarat. EX VOBIS discipulis meis, fide viua credentibus in me, ac singulariter præfectis Ecclesiæ meæ. CONSENSERINT. συμφωνήσωσιν. Translatio est à corpore ad animum (nam de voce & cantu propriè dicitur συμφωνία) tamquam dicatur, non minùs gratam esse Deo concordem plurium orationem, quàm sit concentus musicus hominum auribus. *Consenserint* itaque, id est, concordes fuerint concordes inquam meo spiritu non affectu moti humano, sed vnanimes quærentes quę Dei sunt. Cyprianus Epistola 8. & Ambrosius Epist. 82. legunt: *si duobus ex vobis*

conue-

conuenerit. SVPER TERRAM. ἐπὶ τῆς γῆς in terra. Opponitur ei quod sequitur *in cælis*, quemadmodum versu superiori. In terris necessitas est, in cælis auxilium. DE OMNI RE QVAMCVMQVE PETIERINT. de quauis re quam voluerint petere. Syrus super omni eo quod voluerint petere. Construenda est hæc pars cum verbo *consenserint*, hoc sensu, Si duo vestrûm concordibus animis votisq; rem quamcumque precibus postularint in terris, quæ modò non sit aliena à voluntate Dei. Materia enim consensus simul & ratio cõsentiendi iuxta Christi disciplinam constituenda est. FIET ILLIS s. res omnis quamcumque petierint, quidquid petierint, etiam id quod non possit ea quam iam vobis dedi ligandi soluendiq; potestate cõfici. QVI IN CÆLIS EST. qui super omnia est, ac proinde dare potest quidquid rogatur, certo certiùs exaudientur à Patre meo qui est in cælis. Intelligendum porrò istud est quemadmodum illud sup. 7. v. 7: *Petite & dabitur vobis*; si ipsorum oratio conditionibus requisitis sit prędita: cęterùm hoc amplius hîc docetur, quòd ad ritè petendum faciliusq; quod petieris impetrandum plurimum faciat vnanimis concorsque plurium oratio. quod quidem proposito Christi ita seruit, vt dicat: Quòd si ea sit peruersorum quorumdam fratrum contumacia, vt ad reprimendos illos ligandi soluendique potestas minimè sufficiat, aut quauis alia re opus habeatis quam hac facultate nequeatis conficere; est vobis aliud refugium, publica oratio, quæ & ad obtinenda bona quæcumque necessaria, & ad repellenda aduersa omnia Ecclesiæ imminentia, præsentissimum erit vobis remedium. Nam si vel duo soli vnanimes iungatis ardentes preces, petatisque vt contumacem fratrem conuertat reprimátve Deus quem Ecclesiæ auctoritas non reprimit, aut quiduis aliud oretis consentaneum diuinæ legi, tam grata est Deo huiusmodi concordia, vt ab ipso benedicenda sit plenumque assequutura effectum. Ergo vt alibi sæpè promittit Deus se priuatis cuiusque precibus fore facilem: ita hîc publicas preces singulari promissione dignatur, quò nos acriùs ad earum studium inuitet.

οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι [20] εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν.	Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

VBI ENIM. Dat rationem efficacitatis precum publicarum, ita tamen vt promissionem longiùs extendat quàm ad preces. DVO VEL TRES. multo magis si duo vel tria milia aut Ecclesia vniuersa. Promissionem de paucis extulit, vt doceret quàm probet nos in ipso conspirare & conuenire, etiamsi minimo numero simus: gratius ergo ipsi est, si plurimi inter nos in ipso conspiremus. CONGREGATI ad postulandam precibus à Deo, vel tractandam inter se, rem quamcumque. IN NOMINE MEO. nihil enim rectè petitur, nihil rectè quæritur, quod non petitur & quæritur in nomine meo, in quo constituit Pater vestram omnium salutem. Itaque *in nomine meo*, id est, propter me, mea causa, quia res facit ad honorem meum, & Patris vtique. Honorem autem suum Christus ducit, non tantùm cultum sui & Patris, sed & Ecclesiæ fratrumque salutem. Potest etiam intelligi *in nomine meo*, auctoritate mea, tamquam gerentes personam meam.
IBI SVM. Non dicit *ero*, non enim tardat vel cunctatur; sed *sum*, iam illic inuenior, præsens gratia ac fauore singulari, eo quòd summoperè me oblectet huiusmodi concordia. IN MEDIO EORVM. inter eos. operans intus in eis & extra pro eis. ibi sum, vt eorum conatus adiuuem, eosque voti compotes reddam, custodiens & arctiùs etiam coniungens eos: vt eorum preces accendam, & tamquam mediator Deo Patri offeram gratasque reddam, cui nihil negare potest Pater; vt consilio eos dirigam, & quidquid aggressi fuerint ad prosperum successum deducam: denique vt tamquam supremus iudex inter eos sedens, eam quam meo nomine pronunciauerint sententiam confirmem. Hoc quum inæstimabile sit bonum, Christum in negotiis omnibus habere præsentem, qui preces, consilia, & euentus benedicat, sententiasque ac iudicia confirmet (sicut rursum nihil miserius quàm eius præsentia destitui) non leuem stimulum addere nobis debet, vt tam reuerenter quàm libenter conueniamus, tum ad publicas preces, tum ad conuentus eos qui ad promouendum negotium pietatis aut morum reformationem ab Ecclesię Catholicæ præsulibus indicuntur: in quibus quidem supereminent œcumenica Concilia. In medio seu conciliabulis eorum quos Ecclesiæ præsules ligarunt, nominatim hæreticorum, præsidet is cui traditi sunt Satanas: non enim conuenire possunt in nomine Christi, hostes Christi, alieni ab Ecclesia Christi.

τότε προσελθὼν αὐτῷ ὁ πέτρος, εἶπε· [21] κύριε ποσάκις ἁμαρτήσει εἰς ἐμὲ ὁ ἀδελφός μου καὶ ἀφήσω αὐτῷ; ἕως ἑπτάκις;	Tũc accedens Petrus ad eũ, dixit: Dñe quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? vsque septies?

TVNC. His auditis quæ de lucrifaciendo fratre in nos peccante pręscripserat Dominus. ACCEDENS propiùs interrogandi causa. PETRVS discendi cupidissimus. QVOTIES. q.d. Fieri possit vt toties iteret peccatum in me frater, vt venia dignus non videatur, tamquam illusor aut certè eiusmodi cui mea indulgentia sit peccandi illecebra. An non est igitur terminus aliquis statuendus veniæ dandæ? An si etiam septies me irritarit, septies condonem oportebit? PECCABIT ET DIMITTAM. Phrasis hebraica pro, Si peccet dimittam. Si frequenter offendat me, quoties dimittam ei? VSQVE SEPTIES. an vsque septies? an si etiam septies peccarit in me, patienter ferendum & mox ipsi condonandum erit? Videtur Petro numerus septenarius abundè multus, immo æquo maior esse, ex carnis sensu.

λέγει αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· οὐ λέγω σοι, ἕως ἑπτάκις, ἀλλ' ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. [22]	Dixit illi Iesus: Nõ dico tibi vsq; septies, sed vsque septuagies septies. *Luc. 17. v. 3. 4.*

VSQVE SEPTIES. s. dimittendum à te esse fratri peccatum in te repetitum. SED dico dimittendum esse. VSQVE SEPTVAGIES SEPTIES. Egregiè regerit in Petrum, numerum quem ille vt æquo maiorem

rem assumserat, immensè multiplicatum & hyperbolicè auctum, semel conuellens opinionem illius, vt qui nimis restrictus foret. Adeò enim non mouetur Christus obiecto septenario numero tamquam multo, vt disertè exprimat nullum fieri debere remittendi finem: neque enim certum numerum præscribit, sed potiùs mandat vt numquam fatigemur. Numerus itaque certus *septuagies septies*, siue, vt est græcè ad verbum, *septuagesies septem*, pro incerto eoque maximo atque interminato ponitur, siue *septuaginta septem vices* intelligas, quo loquendi modo vtitur Lamech Gen. 4. v. 24. ad quem putant quidam Saluatorem alludere à contrario; siue, vt alij, *quadringentas nonaginta vices*, numero septenario septuagies multiplicato, quo modo dicere solemus latinè *sexcenties*. vtrumque enim intelligendi modum tam græca phrasis quàm latina admittit. Sensus igitur est, toties quoties in te peccarit, immò, quod Hieronymus ait, *quoties in te peccare non possit*, vt intelligas, animo paratum te esse debere etiam sæpiùs dimittere quàm te frater offendat, quantumcumque sæpè offendat. Iniuriarum obliuio & clementia maior esse debet tua, quàm fratris iniquitas. Intelligendum porrò est, quoties peccauerit in nos frater, toties esse extrinsecus dimittendum, *si conuertatur*, si peccati ducatur pœnitentia: manifestum est ex Luc. 17. v. 3. 4. Igitur quoties certa pœnitentiæ signa dederit, toties recipiendus est in gratiam: sed non sequitur, pœnam mox dimittendam, aut absque promerita punitione recipi debere, si sępiùs delictum iterarit: immò verò vt occurratur pronitati peccandi, & contagio scandali, ne disciplinæ aut iustitiæ ordo periclitetur, adhibenda correctio est, siue verborum siue verberum, pro frequentiæ & grauitatis ratione; nec sine magna etiam id fit charitate. Vnde Augustinus sermone 15. de verbis Domini: *Peccat semel, ignoui*, inquit: *peccat secundò & tertiò, ignoui; quartò vapulet. Corripiamus verbis, &, si opus est, & verberibus, sed delictum dimittamus, culpam de corde abscidamus, vt si per charitatem imponatur disciplina, de corde lenitas non recedat.* hæc Augustinus. Magnam hoc Christi præceptum peccatoribus pœnitentibus consolationem præstat: nam si tantam Christus exigit ab hominibus clementiam, quantam existimandum est esse ipsius Christi & Dei?

Ideò assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.	23	διὰ τοῦτο ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὃς ἠθέλησε συνᾶραι λόγον μετὰ τῶν δούλων αὐτοῦ.

IDEO. vt intelligatis quàm hoc sit æquum immo necessarium, fratri veniam roganti peccatorum in vos admissorum condonare quotiescumque tandem peccarit. Quia nos ad misericordiam flectere difficile est, præsertim verò quia mox tædium obrepit vbi multa fratrum vitia toleranda sunt, doctrinam suam aptissima parabola confirmat Dominus, *Palæstinorum Syrorumq; sequutus morem*, quod Hieronymus ait, *qui ad omnem sermonem suum parabolas iungunt, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem & exempla teneatur alteq; cordibus infigatur.* ASSIMILATVM EST s. à me, simile est ac simile vobis esse declaro. vide suprà 13. v. 24. REGNVM CÆLORVM. Ecclesia mea qua parte adhuc in terra militat ad cælum destinata. HOMINI REGI. cuidam regi. Sensus est, Ideo declaro vobis quòd ita se res habet in Ecclesia ac regno meo, Ita agetur cum filiis regni atque Ecclesiæ meæ, vt si Rex quispiam inter homines, auditis rationibus seruorum suorum, vni ex illis immenso debito onerato, neget misericordiam omnem, ob hoc solum quòd ille in re minima negarit misericordiam roganti conseruo. &c. vide suprà 13. v. 24. PONERE. συνᾶραι conferre. inire computationem. CVM SERVIS SVIS quibus crediderat bonorum suorum administrationem.

Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem milia talenta.	24	ἀρξαμένου δὲ αὐτοῦ συναίρειν, προσηνέχθη αὐτῷ εἷς ὀφειλέτης μυρίων ταλάντων.

RATIONEM. non repetitur græcè aut syriacè, sed subauditur è proximo. QVI DEBEBAT. ὀφειλέτης debitor. qui subductis rationibus conuictus est esse debitor. EI. ab aliis libris omittitur. DECEM MILIA TALENTA. μυρίων ταλάντων decies mille talentorum s. argenti. *Talentum* vox est latinis græcisque vsitata, pro ea quæ hebraicè dicitur quaque Syrus hoc loco vtitur ככר *cicar*. Est verò non numi nomen, sed ponderis, siue numorum certo pondere cusorum, siue massarum auri, argenti, alteriúsve metalli, quod definiunt qui de sacris ponderibus scribunt (Arias Montanus libro *Thubalcain*) octingentis circiter & mille siclis, id est, nongentis vnciis, eius generis quod pharmacopœis in vsu est. Atque vt clariùs intelligas, immensam fuisse summam vnius talenti, lege vel quod 2. Paralip. 25. v. 6. scribitur, *Amasiam regem Iuda, in expeditionem quam parabat aduersus Idumæos, mercede conduxisse de Israel centum milia robustorum, centum talentis argenti*, id est, mille robustos vno talento. Quare si argenti talenta hoc Euangelij loco intelligantur (quomodo verisimile est intelligere oportere, vbi nihil additur) talentum vnum sint nongenti Regales Hispanici ex maximis illis, constantibus octo Regalibus simplicibus, id est, mille octingentæ & nonaginta libræ Turonicæ seu floreni. namque simplex regalis, si iusti est ponderis, hodie fit quinque solidis Turonicis, stuferis, siue patardis (vt nos loquimur) & quadrante; maximus Regalis 42. solidis seu patardis. Decem itaque milia talentorum sunt nouies mille milia magnorum Regalium siue vnciarum, id est, octodecies mille milia & nongenta milia librarum Turonicarum seu florenorum. Opes immensæ ac planè regiæ, quas potentissimo Persarum ac Medorum Regi Assuero promisit Aman tyrannus, si facultas daretur perdendi Iudæos. S. S. E. Esther 3. v. 9: *Si tibi placet decerne vt pereat, & decem milia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Ponit Saluator seruo huic grandem prouinciam fuisse traditam, eumque vel negligenter administrasse, vel audacter prodegisse, rem domini sui. Optimè verò congruit summa huiusmodi exprimendæ grauitati criminum aduersus Dei maiestatem à nullo non hominum admissorum, tantæ quantæ ab ipsis sua propria virtute satisfieri nequeat, vt nullis aut paucis possibile sit Regi exsoluere decem milia talentorum. Inprimis enim originis

peccato omnes nascimur obnoxij, pauci deinde sunt vel nulli quorum reliqua vita à peccato mortali sit libera; multi verò vt grauissima ita & frequentissima admittunt crimina. & hæc quidem omnia peccata aduersus Deum sunt, cuius maiestas in se infinita, cuius infinita in nos beneficia, merenturque mortem æternam singula: quid igitur mirum si homunciones ad vnum omnes declaremur debitores decem milium talentorum, id est, maximi & insolubilis debiti? Porrò quare peccata assimilentur debitis, & peccatores debitoribus, exposuimus suprà 6. v. 12.

μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι, ἐκέλευσεν αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ πραθῆναι, καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ τὰ τέκνα, καὶ πάντα ὅσα εἶχε, καὶ ἀποδοθῆναι. 25

Cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum dominus eius venũdari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.

CVM AVTEM NON HABERET VNDE REDDERET. μὴ ἔχοντος δὲ αὐτοῦ ἀποδοῦναι non habente autem eo reddere, id est, non valente. ἔχω additum verbis infinitis plerumque significat possum. VENVNDARI. Erat hæc consuetudo regnorum quorumdam, vt cùm debitor soluendo aliter non esset, posset creditor vendere etiam ipsum debitorem vxoremque eius & filios. Huiusmodi quid legimus 4. Reg. 4. v. 1. vbi vxor prophetæ cuiusdam mortui Elisæo: *Et ecce*, inquit, *creditor venit vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* QVÆ HABEBAT. ὅσα εἶχε quæcumque habebat. ET REDDI debitum, quatenus posset, conflata ex omnium venditione pecunia. Iussit inquam extremo cum illo rigore agi, non tam ex duritia, quàm vt doceret seruum debiti quo obstrictus erat grauitatem, & perterrito persuaderet ad preces se & obsecrationem conuertere. Sic & Deus nobiscum agit, quando æterna nobis supplicia ob peccata minatur.

πεσὼν οὖν ὁ δοῦλος, προσεκύνει αὐτῷ λέγων· κύριε μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί, καὶ πάντα σοι ἀποδώσω. 26

Procidens autem seruus ille, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

AVTEM. οὖν ergo. ROGABAT EVM. προσεκύνει αὐτῷ adorabat eum, quo modo est & syriacè. Interpres legit παρεκάλει, vt & quidam libri habent. DICENS: Domine additur græcè & syriacè. Vnicum azylum seruorum perditorum, preces. PATIENTIAM HABE IN ME. μακροθύμησον ἐπ' ἐμοί longanimis esto erga me, ne indulgeas iracundiæ tuæ aduersum me, differ iram erga me, patientia vtere erga me. sic Deus *macrothymos* in sacris literis celebratur, id est, clemens, magnanimus, cohibens impetum animi, *patiens, & multæ misericordiæ.* OMNIA quæ tibi debeo. Non habebat vnde redderet, aut vnde speraret se posse reddere, & tamen pollicebatur se omnia redditurum; nimirum cognoscebat domini sui clementiam, qui, placatus modò humilitatis officiis, omnia facilè condonaturus esset. Illam itaque domini patientiam ac magnanimitatem, instar optimæ solutionis sibi fore ducebat, præter conatum promtamque voluntatem, quæ ipse adhibiturus esset.

σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου, ἀπέλυσεν αὐτόν, καὶ τὸ δάνειον ἀφῆκεν αὐτῷ. 27

Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.

MISERTVS. σπλαγχνισθεὶς misericordia commotus. Misericordiæ domini, non meritis serui, attribuenda remissio est. SERVI ILLIVS se humiliantis & restitutionem promittentis. DIMISIT EVM liberum à captiuitate (iam enim captiuus tenebatur) multoque magis à venditione. DEBITVM. τὸ δάνειον mutuum illud, innumerabile scilicet. id cum Latino Interprete Syrus exponit *debitum*: mutuum enim vocat, quod ille ex facultatibus domini ad se translatum, suis vsibus appropriauerat. DIMISIT. ἀφῆκεν remisit, condonauit. Munificus æquè ac clemens Rex, quem mouet adeò supplicis serui miseria, vt preces illius excedens & vota, condonet debitum tam ingens & inæstimabile, cuius exactionem rogatus fuerat differre dumtaxat. Parabolicè describuntur inexhaustę Dei miserationes erga peccatores pœnitentes.

ἐξελθὼν δὲ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος εὗρεν ἕνα τῶν συνδούλων αὐτοῦ, ὃς ὤφειλεν αὐτῷ ἑκατὸν δηνάρια· καὶ κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε, λέγων· ἀπόδος μοι εἴ τι ὀφείλεις. 28

Egressus autem seruus ille inuênit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eum dicẽs: Redde quod debes.

EGRESSVS. à facie, è conspectu Regis ac domini sui, recentem beneficij magnitudinem adhuc ante oculos habens. INVENIT in ipsâ fortè adhuc Regia. DE CONSERVIS SVIS. ex eiusdem secum domini seruis, cui comitatem debebat vt æquali, & obseruantiam vt domini sui, à quo tanto beneficio affectus fuerat, seruo. Obseruatu dignum est id quod notatur, homines omnes conseruos inter se esse, vtpote eiusdem domini cultui ac famulatui natura obstrictos. CENTVM DENARIOS argenteos. Exiguum debitum, quodque collatum illi decem milium talentorum, omnino euanescit. Non est vero absimile Saluatorem vsum ipsa voce denarij, nam & Syrus ea vtitur ܕܝܢܪܝܢ *Dinarin*. Erant enim in communi tunc vsu apud Iudęos Romana numismata: ex quibus erat denarius argenteus (infrà 22. v. 19.) sic primùm dictus quòd denos æris asses valeret. Plerique autem hodie, Budæum sequuti, denarium drachma æstimant:

B. Arias Montanus, qui Iudæorum res ſcrutatur, duplicem docet apud Iudæos in vſu fuiſſe denarium; vnum minorem, cuius pondus granis hordei 96. definit, quod non multo amplius eſt quàm vnius drachmæ; maiorem alterum, qui quarta vnciæ parte conſtet, ſitque dimidius ſiclus, didrachmum græcè, nobis duplex Regalis Hiſpanicus. Maiorem denarium ſi hoc loco intelligas, centum denarij non ſunt amplius quàm ſexta & triceſima pars vnius talenti; ſi minorem, qui eſt vnius ſolius drachmæ, ſecunda & ſeptuageſima pars. quid hoc ad decem milia talentorum, hoc eſt, centum denarij ad ſeptuaginta duo mille milia, aut certè triginta ſex mille milia, denariorum? Nec amplius eſt hominem peccaſſe, quantumcumque etiam crebrò, in hominem, id eſt conſeruum, eumque qui & ipſe nonnumquam peccet, non tantùm in Deum, ſed & in homines, ſi comparetur cum peccato mortifero etiam vnico in Deum admiſſo. TENENS. κρατήσας cùm prehendiſſet, vt captiuum, cùm manus inieciſſet violentas. SVFFOCABAT EVM. ſtrangulabat eum, ſtringebat illi guttur, premebat fauces, velut iamiam ſumturus pœnas de eo, niſi quantocius redderet debitum. Nota truculentam ſæuitiam ſerui, qui prior tam inſignem domini in ſe clementiam fuerat expertus, in ſeruum: qualis & ſæpè eſt hominum in homines ob mutuas iniurias. REDDE μοι *mihi* additur græcè & ſyriacè. QVOD DEBES. εἴ τι ὀφείλεις ſi quid debes: ſed rectiùs eſt in aliis libris, latino conformiter, ὅ, τι ὀφείλεις quod debes.

Et procidens conſeruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. 29

πεσὼν οὖν ὁ σύνδουλος αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, παρεκάλει αὐτὸν λέγων· μακροθύμησον ἐπ' ἐμοὶ, καὶ πάντα ἀποδώσω σοι.

ET PROCIDENS. πεσὼν οὖν procidens igitur. CONSERVVS EIVS. εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ *ad pedes eius* additur ſyriacè & à pleriſque libris etiam græcè. DICENS. totidem verbis obſecrabat eum, quot ille dominum. Conſultò Saluator fingit eadem omnia ſupplicis officia exhibita ſeruo huic à conſeruo, quæ ipſe ſeruus ſuprà v. 16. exhibuerat communi domino, vt damnet hominum ferociam inhumanam, qui ſæpè rogati ab hominibus conſeruis veniam delictorum, non minori, ne dicam etiam maiori, animi corporiſque demiſſione, ea qua ipſi Deum peccatorum veniam rogant atque obtinent, minimè placantur quin vindictam expoſcant. Atqui quo vilior eſt homo Deo compoſitus, eo minorem quàm Deus meretur ſatisfactionem, idque à conſeruo. conſerui enim tam naturâ quàm conſuetudine minùs neceſſarij & officioſi ſunt inter ſe.

Ille autem noluit, ſed abiit & miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. 30

ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν, ἀλλὰ ἀπελθὼν ἔβαλεν αὐτὸν εἰς φυλακὴν, ἕως οὗ ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον.

NOLVIT facere quod rogabatur, noluit patientiam habere, patientia vti, differre iram. Ne verba quidem ipſa veritus eſt, quibus ipſe ſalutem acquiſierat: nec tantùm non condonauit illi debitum, ſed neque dilationem conceſſit ſolutionis, contraria prorſus ratione vſus erga conſeruum ac dominus erga ipſum.
ABIIT. perrexit cum conſeruo, vi traxit eum & abduxit ad iudicem. MISIT. coniecit, iudice annuente poſtulatis ipſius. vide ſuprà 5. v. 26. 27. IN CARCEREM. εἰς φυλακὴν in cuſtodiam. affligendum, ſi non aliis torturis, certè carceris pœna. DONEC &c. Facilè dignoſcitur ex hac ſimilitudine, quo ſtudio & ingenio Deus aduerſus homines, quo etiam malo animo homo aduerſus hominem, agat. Deus hoc quærit vt ſoluat homo, vel, quod certiſſimum eſt, ſe ſoluendo non eſſe profeſſus, miſericordiam clementiamque imploret: homo mala mente, malo animo, opportunitatem ſibi gaudet dari ſæuiendi in hominem occaſione debiti exigendi; ac priùs ipſe ſuam crudelitatem priuatè exercet, deinde cùm videt amplius ſibi non licere, iudiciorum auctoritate non tam vtitur quàm abutitur: perſuadet iudici ſe ius ſuum perſequi, ſed non ſine iniquo & vindictæ cupido animo id facit.

Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde: & venerunt & narrauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. 31

ἰδόντες δὲ οἱ σύνδουλοι αὐτοῦ τὰ γενόμενα, ἐλυπήθησαν σφόδρα, καὶ ἐλθόντες διεσάφησαν τῷ κυρίῳ αὐτῶν πάντα τὰ γενόμενα.

CONSERVI. alij ſerui illius domini, qui & tunc præſentes adfuerant, quando iſte, anxius debitorum cauſa & ſupplex, remiſſionem acceperat decem milium talentorum. EIVS, tam qui opprimebat quàm qui opprimebatur. erant enim ſimul omnes vnius domini ſerui. quare Syrus habet plurali numero *eorum*.
QVÆ FIEBANT. quæ gerebantur ab illo oppreſſore crudeli & ingrato. CONTRISTATI SVNT VALDE. quippe qui odiſſent crudelitatem, ingratitudinem omnemque malitiam. Quod iniquum videtur & iudicatur conſeruis, natura ipſa & communi ſenſu indignitatem rei indicante (ſic enim ſolent homines boni crudelitatem deteſtari in iis notanter quos ſeruauit miſericordia, quemadmodum oppreſſionem & contemtum pauperum in iis qui ex pauperibus diuites euaſerint) quanto grauiùs offendit Deum in cælis exiſtentem, ab omni iniquitate, infirmitate, ignorantia, & errore, quàm longiſſimè remotum? Hoc igitur ad emphaſin facit, quòd à propriis conſeruis accuſetur oppreſſor immitis. ET VENERVNT ET NARRAVERVNT. καὶ ἐλθόντες διεσάφησαν & cùm veniſſent declarauerunt. OMNIA QVÆ FACTA FVERANT. tamquam multa & mira. Hoc loquendi modo, maxima rei indignitas quam illi deteſtati ſint, ſignificatur. Optimi quique homines, dum vident tyrannicam quorundam hominum, qui tantum ipſi Deo debent quantum nemo verbis exprimat, in alios à quibus offenſi fortè fuerint ſæuitiam, non ſe continent quin gemant & Deo quere-

querelas exponant. Nobis itaque coram Deo tot aduersarij testes erunt crudelitatis ingratæ, quot nobiscum viuunt pij homines.

τότε προσκαλεσάμενος αὐτὸν ὁ κύριος αὐτοῦ λέγει αὐτῷ· δοῦλε πονηρὲ, πᾶσαν τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην ἀφῆκά σοι, ἐπεὶ παρεκάλεσάς με· 32 Tunc vocauit illum dominus suus & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me:

VOCAVIT in iudicium. NEQVAM. πονηρὲ male, scelerate. Quando debitor conuincebatur decem milium talentorum, nihil illi conuitij dicebat dominus: at postquam ingratus aduersus socium crudelitatem exercuit, tunc nequam atque improbum seruum appellat. OMNE. πᾶσαν totum seu vniuersum, quomodo vertit v. 34. DEBITVM. τὴν ὀφειλὴν ἐκείνην, debitum illud, immensum illud debitum decem milium talentorum. Exprobrat ingrato beneficium. DIMISI TIBI QVONIAM ROGASTI ME. ἀφῆκά σοι ἐπεὶ παρεκάλεσάς με. Quidam malunt aoristos istos vertere in plusquamperfecta, *Dimiseram tibi quoniam rogaueras me*. id quod non malè conuenit menti domini statuentis reuocare gratiam. *Rogasti me*. supplex mihi factus es. non enim rogauerat remissionem, sed dilationem, non quòd non optaret remissionem, sed quòd disertis verbis petere non auderet.

οὐκ ἔδει καὶ σὲ ἐλεῆσαι τὸν σύνδουλόν σου, ὡς καὶ ἐγὼ σὲ ἠλέησα; 33 nónne ergo oportuit & te misereri cõserui tui, sicut & ego tui misertus sũ?

ERGO addidit Interpres. Mansuetus dominus ex æquo disceptat cum seruo, qui omni sermone indignus est, & patienter ac leniter eum conuincit qui per se condemnatus est. ET TE seruum, qui præter hoc quòd dominum tuum imitari debueras, naturali præcepto doceris proximo facere quod tibi velis fieri, in re minima MISERERI (non dico prorsus remittere debitum) CONSERVI TVI tibi æqualis, minimeq; vti aduersus eum extrema crudelitate qualem audio, SICVT ET EGO dominus TVI serui mei in re maxima MISERTVS SVM? Huiusmodi emphasis subest singulis voculis, ducens argumentum à minori ad maius. Ac tribus præcipuè membris constat hæc exprobratio: opponitur dominus seruo, immensa summa minutæ, singularis clementia summæ inhumanitati: ex quibus tribus intelligitur scopus parabolæ. Quid sumus nos si cum Deo conferimur? Iam verò cuius summæ quisque nostrûm ei debitor est? postremò quàm leues sunt offensæ fratrum in nos, si expenditur nostra erga Deum obligatio? Malus itaque, sceleratus, & indignus Dei misericordia est, homuncio immensa mole oneratus, qui erga sui similes implacabilis, ne minimum quidem delictum remittit, cùm doceat & natura, tales nos præstare proximis, quales ipsi libenter experimur alios. Seruus porrò nihil respondens, demonstrat, Deo iudicante omne excusationis argumentum cessare.

καὶ ὀργισθεὶς ὁ κύριος αὐτοῦ παρέδωκεν αὐτὸν τοῖς βασανισταῖς, ἕως οὗ ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ. 34 Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.

IRATVS extrema & implacabili ira. TRADIDIT lata sententia. TORTORIBVS. & carcere & torturis pœnisque varijs affligendum. Iure antiquo Romanorum, cui Iudæi Christi tempore fuere adstricti, debitores à creditoribus tradi solitos tortoribus, in ergastulum trudendos, verberibusque flagellandos, in confesso est: primus enim Constantinus Imperator, Christiana mansuetudine imbutus, à plumbatarum ictibus debitores exemit. QVOADVSQVE REDDERET. perpetuò ad mortem vsque torquendum si numquam redderet, vt nulla affulgebat reddendi spes. VNIVERSVM. totum. DEBITVM. τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ quod debebatur ipsi (ita legit & Syrus) ipsa inquam decem milia talentorum, priùs remissa. Nam quamquam leges humanæ non permittant repeti debitum semel remissum: Rex tamen pollens plenitudine potestatis, iudicansque ex æquo & bono, non alligatus legibus, peccatum, quo iste, tantæ domini gratiæ ingratus, nec exiguam fratri misericordiam concesserat, tam graue iudicauit, quàm prius illud debitum decem milium talentorum; adeò inquam detestabilem meritò censuit hanc inhumanitatem cum huiusmodi ingratitudine coniunctam, vt multari mereretur pecunia eius summæ cuius ille priùs acceperat remissionem: ac proinde haberi decreuit prius illud debitum eo loco ac si numquam ipsi remissum fuisset, vt qui indignus esset qui insigni illo remissionis beneficio frui pergeret. *Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam*. Iac. 2. v. 13.

οὕτω καὶ ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος ποιήσει ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀφῆτε ἕκαστος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν τὰ παραπτώματα αὐτῶν. 35 Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

SIC. tam seuerè quàm Rex iste seruo isti suo. Hæc est conclusio & clauis qua aperitur sensus & consilium parabolæ. Confer personas & res, vt maiorem obligationem in comparatis quàm in comparatione ipsa videas. PATER MEVS CÆLESTIS, Rex magnus super omnem terram. Non dicit, vester, indigni enim sumus Deo Patre si tales sumus. FACIET VOBIS. aget vobiscum. FRATRI SVO. Alia consideratio

ratio qua moueri oporteat ad facilem veniam, quia, quod regni cælorum rationem spectat, non conserui sunt, sed fratres. DE CORDIBVS VESTRIS. ex cordibus vestris. Deo qui corda non minùs intelligit quàm ora, non sufficit vt ore remittas, nisi & corde animoque hoc idem agas; omnem vindictæ appetitionem, iram, odium, amaritudinem & iniuriæ recordationem animo expellens, pristino habeas fratrem loco, æquè vt antè ad benefaciendum ipsi propensus. manere namque crebrò maligna quædam in animis iniuriæ memoria solet. *Omnem itaque*, inquit Hieronymus, *fictæ pacis simulationem*, Saluator hac parte *euertit*: nam in regni cælorum iudiciis, impurum cor & dolosum maximè improbatur. Iam additur græcè & syriacè τὰ παραπτώματα αὐτῶν *delicta eorum*. id quod Interpres. vel non legit, vel subaudiendum reliquit. Sententia autem huius propositionis, parabolam rei propositæ accommodantis, est: Nullus est vestrûm, qui, si iudicio cum eo contendatur, non inueniatur grauiter frequenterque in Deum peccasse. E diuerso quoque, nullus est vestrûm, quem frater seu proximus non aliquando offendat, nonnumquam etiam crebrò & grauiter. Cæterùm tanta est differentia, inter peccata in vos commissa quantumcumque grauia & frequentia, & ea quæ vos in Deum admisistis, quanta inter debitum centum denariorum & debitum trigintasex mille milium denariorum (ne dicam maior) quorum illud tam facilè à fratre soluatur tibi, si omnino oporteat, quàm illud à te difficulter Deo. Frater cùm sit fortunæ tenuis fragilisque naturæ, tua opus habet misericordia, vt tibi satisfaciat de ea qua te affecit iniuria; at si tu placari nolis, vbi fecerit quod debuerit, absoluet eum Deus omni erga te debito. Tu verò vilis egenusque homuncio qui Deo iniurius fuisti, grauibus adeò si non etiam frequentibus peccatis obnoxius es, vt nequaquam sufficias iustitiæ per te satisfacere, nisi perdaris funditùs, siue consideretur ipsa peccatorum enormitas, etiam cum frequentia plerumque coniuncta, siue ipsa Dei maiestas quæ offensa est. Quare si vos fratribus rogantibus negetis veniam peccatorum in vos admissorum, si implacabiles sitis si vindictam persequamini, vel certè simulata pace fratrem oderitis animo; negabit vicissim & Deus vobis rogantibus misericordiam ac remissionem peccatorum in se admissorum, odio vos prosequetur vt degeneres, & rigidus atque implacabilis tradet tortoribus dæmonibus in tetro gehennę carcere cruciandos, vnde nulla erit liberationis spes, cùm soluendo futuri non sitis: semper enim ęternoque exigi à vobis præcipiet debitum quod numquam persoluetis, nec erit qui vos poterit debito absoluere. atque omnino quales vos fratribus exhibueritis in remittendis delictis paruis, talem se Deus præstabit vobis in magnis. Quòd si fortè priùs suffurati veniam à Deo, vt est ille facillimus ad clementiam, existimetis liberiùs iam vos posse cum fratribus agere, vindictam de ipsis repetere, eosque odisse: ingratitudinem hanc vestram detestabilem tam seuerè puniet Deus, quàm puniturus fuerat peccata illa vestra, si numquam illa condonasset prorsus omnia exigens nihilque remittens; vt qui contraria prorsus via incedentes, indigni sitis qui frui pergatis ipsius misericordia. nam vt est misericordissimus erga peccatores pœnitentes, ita è diuerso seuerissimus erga eosdem si nolint ipsi vicissim erga fratres esse benigni. Pessimè itaque sibi consulunt qui ad ignoscenda fratrum delicta sunt inflexibiles, legemque sibi statuunt nimis duram ac grauem, vt Deum erga se æquè rigidum & inexorabilem experiantur, qui ipsis magna non dimittat, cùm fratribus ipsi non dimittant parua. Ratio verò quam oportet obseruari iis qui regni cælorum filij permanere desiderant, hoc modo habet, vt qui multa sibi condonari velit, is multis etiam multa condonet errata; certior, numquam ea tanta fore, quanta ipsius erga Deum debitis æquari possint: & etiamsi cuncta simpliciter proximo peccata dimiserit, quantùm aquæ stilla ingenti mari comparata, tantùm immo verò multo etiam magis, misericordiam suam ab infinita Dei bonitate distare, qua ipse vehementer opus sit habiturus, vbi vitæ suæ rationes in iudicio relaturus est.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Mar.10. v.1.

1 Et factum est cùm consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem.

καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν ὁ ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, μετῆρεν ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, καὶ ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια τῆς ἰουδαίας πέραν τοῦ ἰορδάνου.

CONSVMMASSET. finiuisset, absoluisset. in ciuitate Galilææ Capharnaum, domi apud discipulos. ISTOS. superiori Capite descriptos. de humilitate, correptione & condonatione fraterna. MIGRAVIT. μετῆρεν transtulit, s. se. A Capite 4. versu 12. continua serie huc vsque, narrauit Matthæus gesta ac dicta Saluatoris in Galilæa locisque vicinis: & quamquam pluries interim in Iudæam profectus fuerit, ad solennitates præsertim Ierosolymitanas; id quod ex Euangelio Iohannis intelligitur; nullius tamen earum profectionum meminit hic Euangelista, nisi huius, qua ita Iesus è Galilæa discessit, vt statuerit non eò ampliùs redire mortalis, quam proinde Interpres migrationem vocat. A GALILÆA. Euangelio iam illic satis prędicato explicatoque. IN FINES. in loca e.tima IVDÆÆ. regionis eius quæ sorte olim obtigerat tribubus Iuda & Beniamin, cuius metropolis Ierusalem. vide suprà 2.v.1. Cœpit implere Iesus hac sua in Iudæam profectione, id quod prædixerat suprà 16.v.21., eundum sibi Ierosolymam, & post varias afflictiones morte persoluendum illic munus Christi: velut enim occurrere cœpit ad futuram mortem, quam clanculum moliebantur aduersarij. Ioh.7.v.1. TRANS IORDANEM. per viam seu regionem eam quæ est vltra Iordanem. hoc enim sensu intelligere oportere, ita vt particula ista referatur ad verbum *venit*, & non ad nomen *fines*, Marcus docet. Cæterùm cùm Lucas narret Iesum per regionem Samaritanam hoc iter fecisse (Luc.9. v.52.) sequitur, eum, ex Samaritana regione, relicta via rectà ducente Ierosolyma & in fines Iudææ

dææ ab aquilone, profectum Iordanem versus, eoque traiecto petiuisse per Peræam fines Iudææ abortu; vbi cùm hæsisset minimùm, turba populi sanata ac dimissa, profectum Ierosolyma ad mediam iam scenopegia, quod habet Iohannes cap.7.v.14.

καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς ἐκεῖ.

2 Et sequutę sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. Mar.10. v.1.

SEQVVTÆ SVNT non tam ex Galilæa, vbi voluit latere iter suum (Mar.9.v.30. Ioh. 7.v. 10.) quàm ex regionibus illis per quas transierat ad fines vsque Iudææ; *sequutæ sunt* autem, partim doctrinæ, maximè verò sanitatis causa. Iam sic vndique inclaruerat fama Iesu, vt non posset latere. CVRAVIT. sanauit & simul *& docuit*, quod habet Marcus. Nusquam cessat, aut beneficio vel doctrinæ parcit. Eos. qui ęgroti erant ex illis. Nota quomodo integras plebes vnico verbo Euangelistę transcurrunt, descriptiones singulorum qui sanati sunt prætermittentes. IBI. in finibus Iudææ, f. & illinc à se ablegauit. idcirco enim huc illos adduxit, extra rectam viam Ierosolymorum, quia noluit eos secum ducere Ierosolyma, quò properabat, ne insolentior ingressus, tanta cum populi turba tam longè attracta, exasperaret Iudæos quærentes ipsum interficere (Ioh.7.v.1.) daretque calumniæ & accusationis de seditione occasionem, præsertim cùm sufficerent, & ipsi ad gloriam, & hominibus ad salutem, testimonia in suo loco nascentia.

καὶ προσῆλθον αὐτῷ οἱ φαρισαῖοι πειράζοντες αὐτὸν καὶ λέγοντες αὐτῷ· εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν;

3 Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa? Mar.10. v.2.

AD EVM illic constitutum vltra Iordanem; non tamen priùs quàm Ierosolyma proficisceretur ad scenopegia, sed postquam Ierosolymis huc rediit (Ioh. 10. v.40.) vt enim silentio præterit Matthæus iter Iesu Ierosolyma scenopegiorum causa, de quo Iohannes cap.7. v.10., ita & reditum eius ad fines Iudææ vltra Iordanem. PHARISÆI. Cùm Scribarum hic sententiæ diuisæ essent, Pharisæi, qui perfectionem in more cultuque vitæ professi, doctrinarum rationem Scribis relinquebant, nulli parti, vt videri poterat, addicti; quæstionem proponunt Iesu, sperantes eum in inuidiam earum partium, aduersus quas sententiam ferret, adducendum. TENTANTES. non discendi studio quod simulabant, sed tentandi, experiundi simul & conandi ipsum eò adducere, vt quid diceret pugnans cum lege Mosis, aut alioqui reprehensione dignum, vel certè huiusmodi quod odium ipsi conciliaret: in omnem enim partem iudicabant illi odiosam ac præcipitem fore responsionem. Nam quamuis iam sæpiùs inuictam Iesu virtutem & sapientiam fuerant experti, qua semper obstructum ipsis os fuerat & impudens lingua repressa: necdum tamen queritandi & tentandi finem faciunt, vsque adeò sæuum & indomitum malum est inuidia. SI LICET. licétne. HOMINI. viro, marito. DIMITTERE. ἀπολῦσαι absoluere, repudiare, à thoro domoque in perpetuum separare cum facultate ducendæ alterius. QVACVMQVE EX CAVSA? pro arbitrio & libitu suo? Quæstio ista ponit licere aliquando viro repudiare vxorem suam (de hoc enim conueniebat eo tempore inter Scribas seu Legisperitos) sed de causis repudij legitimis quærit, an quælibet res reddens vxorem viro exosam, sit legitima causa repudij: qua de re alebatur eo tempore inter Scribas contentio cumprimis grauis, variè interpretantes verba Mosis Deut. 24.v.1: *Si acceperit homo vxorem & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Quidam Scribarum omnem causam, vel minimam quamque offensionem, ad repudij ius admittebant, illis verbis nixi: *Et non inuenerit gratiam ante oculos eius*: atque hæc opinio vulgò obtinebat, eratque in more. Quidam vnam tantùm legitimam causam diuortij, quod natura mensque omnis honestior vt turpe & iniquum detestatur, esse asseuerabant, *fœditatem*, consideratis subsequentibus Mosis verbis *Propter aliquam fœditatem*; Atque horum alij *fœditatem* adulterio tantùm aut impudicitia definiebant, alij in plures species dilatabant. In quamlibet partem pronunciaret Iesus, sperabant æmuli in inuidiam ipsum adductum iri, tum apud illos Scribarum qui diuersum tenerent, tum apud populum, viros, si diceret id non licere quo iam illi tamquam lege vtebantur, mulieres, si promiscuè id virorum libidini permitteret.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς;

4 Qui respondens ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem, ab initio masculum & fæminã fecit eos? Gen. 1. v.27. Mar. 10. v.6.

NON LEGISTIS. Non respondet: *Quid me tentatis hypocritæ*, quemadmodum infrà 22. v.18., vt cum omnipotentia humilem etiam mansuetudinem monstraret. Ideò nec semper silentio hæc tradit, ne ignotam ipsi malitiam suam putarent: nec semper carpit, vt cuncta nos mansuetè ferre doceret; eoque minùs hîc, quòd vtilis quæstio proponeretur, quam dignum esset ipso doctore solui, vt discipulis ipsius de sacro & insolubili coniugij nexu certa lex constaret. *Non legistis*, inquit, vos qui Legis peritiam profitemini; id est, si non legistis, defunctoriè in sacris literis versamini; si legistis, considerasse vos oportuit eius quam mouetis quæstionis solutionem, omneque dubium iamdiu animis vestris exclusisse; itaque non me audite, sed Deum per sacras Scripturas loquentem. Non mox ait, non licere quauis ex causa vxorem dimittere, ne statim arriperent aduersarij occasionem contentionis & tumultus: sed antequam sententiam diceret suam, pro ea quæ perpetua ipsi obseruata ratione fuit, ad eludendam aduersariorum fraudem retundendamque malitiam, ex sacris literis sententiam profert apertissimam, quam citra impietatis aut erroris notam nec impugnare illi

nec inuertere possent: ex qua vbi manifestum reddidit Dei in causa coniugij consilium, postea docet quid de proposita quæstione sentiendum. QVIA. quòd. QVI FECIT. ὁ ποιήσας operatus, id est, factor, opifex, creator. s. vt rerum omnium ita & hominum. Non enim additur græcè *hominem*, vt nec latinè in multis exemplaribus, sed more hebraico participium nominis loco vsurpatur, quemadmodum suprà 8. v.33. AB INITIO mundi, in prima rerum creatione, institutione, naturæque inditione. Iungenda est pars ista sequentibus. MASCVLVM ET FÆMINAM. ἄρσεν καὶ θῆλυ. Græca hæc nomina, quibus post LXX Euangelista vtitur, neutra sunt, vt non tam personas quàm sexum intelligas, tamquam dictum fuisset, In sexu gemino creauit hominem; vnum marem, alterum fæminam (quam Moses נקבה *nekeba* vocat tamquam perforatam seu cauatam, id est, ad congressum idoneam, vt sibi mutuò iuncti in vnam carnem, humani generis speciem propagarent. Cùm autem & pleraque alia animalia gemino sexu creasset Deus, de nullo alio tamen quàm de homine legitur *Masculum & fæminam fecit eos*, quia in homine, eoque solo, instituit Deus coniugium, & quidem vnius maris cum vna fæmina. Quod ad alia animalia, non est veridissimile, vni mari plures fæmellas fuisse creatas, vni arieti plures oues, vni gallo plures gallinas; at de homine signanter scriptum est *Masculum* vnum & *fæminam* vnam *creauit eos*, non masculum vnum & fæminas plures, id quod ex priorum repudio quærebatur. Nam si id licitum fuisset Adæ, aliam accipere vxorem, si fortè tandem Eua ipsi displicuisset, debuisset Deus non Euam solam sed plures creasse fæminas, è quibus, Eua repudiata, aliam posset Adam eligere, qui filiabus suis iungi minimè poterat. FECIT EOS s. coniuges, virum inquam & vxorem, de quibus proponitur quæstio. Genes. 1. v. 27. & 5. v. 2. vbi habes, *creauit eos*, siue iuxta LXX, *fecit eos*, cùm nihil aliud præcedat, oportet intelligere relatiuum plurale referri ad masculum & fæminam, ne quis existimaret, masculũ & fæminam non nisi vnum hominem esse, aut masculum solum hominem, vel solum ad Dei imaginem creatum esse, aut denique fæminam alio quàm sexto die fuisse productam. Itaque ex modo primææ creationis hominis, docet Iesus, & coniugium humanum à Deo institutum esse, & numero duali institutum; eam primam esse Dei institutionem, vt vnus mas vni fæminæ indiuiduo matrimonio coniungatur. Deus, inquit, conditor omnium, eo ipso quo ab initio quo voluit cœpitque hominem creare, masculum fecit & fæminam, sicque instituit primum coniugium, vt vnus vni indissolubili copula iungeretur, declarauit, masculum quemque, qui deinde ex his primis duobus generationis ordine proditurus esset, vnica fæmina contentum, aliam non debere appetere; masculum vnum nullam putare debere sibi in mundo fæminam factam esse præter vnam, & contrà, fæminam vnam nullum putare debere sibi in mundo masculum factum esse præter vnum. Nec solùm hoc reipsa Deus monstrauit, sed & lege lata disertè sanciuit, vt vnus vir vni vxori perpetuò absque rescissione coniungatur, coniugium enim rem esse inseparabilem: nam hoc est quod sequitur:

Gen. 2. v. 21. Mar. 10. v. 7. 8.

& dixit: Propter hoc dimittet [5] homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna?	καὶ εἶπεν· ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν;

ET DIXIT s. qui fecit, id est, creator. In Genesi non habes quis dixerit verba ista, nisi quòd ex serie orationis videantur ipsius Adæ esse verba, vel certè Mosis. Cæterùm siue Adæ siue Mosis sint verba, certum est, diuinitus inspiratos legem promulgasse, quam statueret Deus, tum huic tum futuris deinde hominum coniugiis. quare *dixit* Deus s. per Adam aut certè Mosen. PROPTER HOC. quia masculus vnus fæminę vni matrimonio iunctus est, primaque primi viri vxor singularis de ipso viro sumta est, & ex illius ossibus & carne formata. DIMITTET. καταλείψει relinquet. Non est ea vox græcè, quæ suprà v. 3. in ipsa Pharisæorum quæstione. *Dimittet* autem, quod ad vitæ societatem, quod ad cohabitationem & conuersationem familiarem. Non habebat hoc locum in Ada primo marito, cui nullus erat pater aut mater, sed in futuris huius posteris locum habiturum erat, idcirco futuro tempore *dimittet*, dicitur, scilicet posthac; significatur tamen, si fuissent ipsi Adæ pater & mater, præ vxore fuisse relinquendos. HOMO. vir, masculus iam matrimonio iunctus. PATREM ET MATREM suos, à quibus progenitus, educatus, & ad virilem ætatem perductus fuerit. ADHÆREBIT. (opponitur τῷ *dimittet*) cohabitatione conuersationeque familiari, indiuidua vitæ societate. προσκολληθήσεται adglutinabitur. Hac voce à κόλλα glutino deriuata, Euangelista post LXX intelligendam dat arctissimam viri & vxoris coniunctionem, quasi glutino vnitorum, *potestate ipsa dictionis ostendens*, ait Chrysostomus, *minimè illos esse separandos*. VXORI SVÆ. (non vxoribus suis) tamquam suæ carni. Non iubetur filius matrimonio iunctus relinquere patrem & matrem, aut alienior fieri à parentibus (nec enim aboletur coniugio pietas erga parentes) sed si vti non possit consuetudine vtriusque, patris seu matris simul & vxoris, præcipitur relinquere potiùs consuetudinem parentum quàm vxoris, & adesse consortio, obsequio, subsidio, vxori potiùs quàm patri matrive, si vtrisque simul nequit: cuius ratio intelligenda datur, tum hîc tum in Genesi, partim ex antecedentibus, partim ex consequentibus, quia, vt Eua prima coniux ex viri sui costa, carne inquam & ossibus, ædificata, vna cum viro suo caro fuit, quam proinde amplecti ille debuit vt carnem suam, nec ab ea abhorrere, vt à cæteris animalibus, quippe idonea adiutrice ad speciei suæ propagationem: ita vir omnis & vxor vna caro sunt, & tamquam vna caro se mutuò amplecti, conuenire, sibique inuicem adhærere indissolubiliter debent, vt genus humanum propagent. Postquam Adam consideratis animalibus omnibus non inuenisset conuenientem sibi vxorem, tandemque Deus ex dormientis latere produxisset vnam, ille experrectus: *Hoc*, inquit, *nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* id est, Hoc tandem idoneum est mihi adiutorium ad generis mei propagationem, cui, vtpote eiusdem mecum naturæ, immo ossi ex ossibus meis, carni de carne mea (qualia non inuêni reliqua hactenus animalia) aptè commisceri queam, ac proinde indiuulsè adhærere & conuiuere debeam. His iam Adæ verbis addidit Deus, siue per Adam ipsum, siue per Mosen loquutus: Eandem ob causam eodemque modo vir omnis dehinc adglutinabitur vxori suæ tamquam suæ carni & idoneæ adiutrici ad generationem sibi similium, nec

deseret

deſeret eam præ coniunctiſſimis quibuſque, etiam patre & matre, quin inſeparabiliter conuiuat ei, ipſique duo carne iuncti vnam liberis procreandis dent operam. *Salubri Dei conſilio factum eſt*, ait ex veteribus quidam, *vt ſui corporis portionem vir amplecteretur in fœmina, nec à ſe putaret eſſe diuerſum, quod de ſe cognoſceret fabricatum.* Sunt quidem etiam filius & pater ac mater vna caro (nam & Laban ad Iacob Gen. 29.v.14: *Os meum es & caro mea*, inquit, vt prætercam ſimiles aliorum loquendi modos) ſed magna differentia eſt ab Ada Euaque & marito vxoreque. Filius enim ex informibus ſemine & ſanguinibus fæminum patris matriſque tamquam inferior generatur, vt per ſe deinde ſeorſum carne ſubſiſtat: Eua autem ex formatis iam oſſe & carne, coſta inquam lateris Adæ, tamquam æqualis ſumta eſt, hoc fine, vt lateri Adæ iuncta conueniret cum eo in vnam carnem ad communis generis propagationem. Quare ſi origine vna caro ſunt pater & filius, vt Adam & Eua (quamquam originis multùm diuerſa ſit ratio) certè non ipſo fine originis, permixtione inquam, ſeu permixtionis iure. Quæ porrò duplici nexu natura coniunxit, ea firmiùs ſibi mutuò adhærere voluit, quàm ea quæ vnico nexu copulauit: & inter ea quæ vno ſolo nexu conueniunt, ea minùs ſeparari decet quæ ex naturæ inſtitutione inter ſe permiſceri debent, & tamquam vna cauſa conuenire ad eundem vnum nobilem naturæ actum, vt poſt Adam & Euam maritus omnis & vxor, quàm ea quæ habent à ſe mutuò ſeparata conſiſtere, ſola originis vnius ex altero ratione coniuncta, vt parentes & filius. Hanc rationem Scriptura intelligendam dat, cur ſocietas patris & matris relinquenda ſit, ſi ita res poſtulat, potiùs quàm vxoris, ſignificans, ſanctam quidem eſſe, naturalem illam filij cum parentibus coniunctionem, Deoque probatam imprimis & gratam; ſed ſanctiorem etiam Deique è præcepto præferendam, mariti cum vxore. Atque hîc argumentum validiſſimum ſe offert ad proſternendam repudiorum libertatem. Nam ſi Deus, qui cultum & obſeruationem erga parentes vehementiſſimè commendauit, edito ea primùm de re præcepto promiſſione aucto, atque adeò inſolubili nexu filios parentibus obligauit, præcipiat relinqui patrem & matrem potiùs quàm vxorem, conſequitur maximum nefas eſſe, initam ſemel coniugalem coniunctionem tentare diſſoluere, neque cauſam vllam eſſe poſſe quæ diuortium poſtulet. ET ERVNT ſ. quod non ſunt nec eſſe poſſunt homo & pater eius materve. *Erunt* autem ſ. & verſabuntur inter ſe, agent ſecum mutuò, tamquam vna caro.
DVO. οἱ δύο qui duo ſ. fuerant carne ante initum matrimonium; *duo* inquam, non plures. Nam quamuis vox *duo* hebraicè non legatur ſuarum literarum ſono, tamen ex loci circumſtantiis tam apertè quàm quod apertiſſimè intelligenda datur. Dicta enim hæc ſunt vnius mulieris de Adæ carne formatæ, non plurium, occaſione. Dictum eſt *& adhærebit vxori ſuæ*, non *vxoribus ſuis*. Cùm ergo ſubiungitur, *Et erunt in carne vna*, vtique intelligitur vir & vxor eius, quemadmodum ego & hæc vxor mea, vel, ſi accipias Moſis aut Dei eſſe verba, quemadmodum ſunt vna caro Adam & hæc vxor eius; duo ſcilicet, non plures; non vir vnus & vxores plures. Nec poſſunt vir vnus & vxores plures vna eſſe caro: vnius enim mulieris caro non eſt alterius, diuiſáque eſt viri caro pluribus. Manifeſtè igitur intelligenda datur vox *duo*, etiamſi non legatur: quam LXX, Chriſtus, Apoſtolus, Latinuſque Pentateuchi Interpres, prudenter expreſſerunt, cùm maioris explicationis gratia, tum vt clarior gratiorque eſſet inſinuata antitheſis duorum & vnius: *Erunt duo in carne vna.* IN CARNE VNA? (hic demum abſoluitur interrogatio. Græcè eſt εἰς σάρκα μίαν in carnem vnam (ablatiuo vſus eſt Interpres loco accuſatiui, vt frequenter) id eſt, caro vna: quo modo Saluator ipſe explicat verſu proximo, quo modo & Syrus legit: *Et erunt duo ipſi vna caro.* Additur enim præpoſitio ex hebraica phraſi, frequentiſſima illa in ſacris litteris. Gen.2.v.7: *Factus eſt homo in animam viuentem.* Alibi: *Ego ero illis in Deum & ipſi erunt mihi in populum. Eſto mihi in Deū protectorem & in domum refugij.* &c. *Caro* autem pro corpore ponitur, iuxta interpretationem Apoſtoli 1.Cor.6.v.16: *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne vna.* & 7.v.4: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet ſed mulier.* Subauditur autem *Erunt caro* ſeu corpus vnum, quemadmodum ego & hæc vxor mea ſumus caro ſeu corpus vnum, vel quemadmodum Adam & hæc vxor eius ſunt caro & corpus vnum. Idcirco enim primam vxorem de viro ſumſit & de carne atque oſſibus viri ædificauit Deus, vt typum quendam & formam ederet omnis futuri deinde humani coniugij, quo vir & vxor forent caro vna ſiue corpus vnum, non iam origine vnius ex altero, ſed commixtione. Hoc enim proprium habuerunt Adam & Eua quòd tam origine quàm commixtione fuerint vna caro (*ex vna namque radice facti ambo*, ait Victor Ant. in Marcum, *in vnum rurſum corpus conueniunt ambo*) cæteri coniuges commixtione ſola ſunt vna caro. Hoc enim modo fiunt maritus & vxor, id quod hîc fore dicuntur, vna caro ſiue vnum corpus, per copulam inquam coniugalem, qua carnes ſeu corpora mutua commiſcent & vniunt, ita vt ex duabus fiat vna caro ſeu corpus, vſque adeò vt tamquam cauſa efficiens & principium vnum prolem gignat. Conuenire enim debet vtriuſque caro tamquam vna caro, neutra per ſe ſufficiens ad peragendum opus illud cuius gratia Deus geminum ſexum ab initio fecit, id eſt, ad generandum ſibi ſimile & propagandam ſpeciem. Et quamquam non ſemper re ipſa vniant ſeu commiſceant coniuges corpora, tamen quia iure & ex ipſa Dei inſtitutione id facere poſſunt, quoties opportunum eſt, ita vt etiam mutuæ carnis corporiſque poteſtatem ſeu dominium ad hanc rem habeant (id quod ex Apoſtolo mox audiuimus) idcirco non ad horam aut ad tempus, ſed ſimpliciter & ſemper dicuntur & ſunt vna caro. Qua parte diſtinguitur congreſſus coniugalis à meretricio, quo etſi duo ſimiliter fiunt vnum corpus ſiue vna caro (quod Apoſtolus iam nos docuit) re ſeu facto ipſo, non tamen iure aut poteſtate, neque ex Dei inſtitutione, immò contra Dei præceptum. His itaque verbis *Et erunt duo in carne vna*, ipſa coniugij ex Dei inſtitutione natura explicatur, duos vnam eſſe carnem (quod antequam reipſa fit, non eſt perfectum coniugium) & coniugum copula indiuulſa præcipitur, Saluatore ipſo conſequenter declarante.

ὥς τε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ [6] μία. ὃ οὖν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.	Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Mar.10. v.8.9.*

ITAQVE. Priſca recitata lege, quæ tam verbis quàm rebus firma perſiſtit, & indubitata latoris auctoritate nititur, magna iam cum poteſtate ipſe quoque & interpretatur & legem ſancit, geminam inferens concluſionem,

sionem, quarum priore, exponit postrema laudatæ Scripturæ verba & elucidat propositam quæstionem, quam posteriore soluit. Prior hoc modo se habet: Quandoquidem ergo, ex ipsa Dei institutione, coniugum, binario numero coniunctorum, est, esse carnem vnam, IAM NON. οὐκέτι non ampliùs, posthac non, postquam dico quod coniugum est perpetrarint, postquam fuerint quod coniugum est proprium. SVNT DVO s. carne, propria carne à se mutuò distincti, quemadmodum antea. id est, desinunt esse duo carne diuisi & à se mutuò separabiles. SED VNA CARO seu corpus (quomodo Syrus hoc loco legit) s. sunt (est enim caro seu corpus pars substantialis hominis) diuina auctoritate coniuncta vnaque reddita: vnum corpus sunt ex Dei ordinatione compositum, alter autem alterius membrum, tam indissolubiliter iuncti, ac si penitus essent carnis seu corporis vnius membra duo. Creati fuerant duo, non vnus: è diuerso, copula matrimonij è duobus reddidit vnum, quæ vnio non natura solùm, sed & Dei institutione ac coniunctione constat. Non dicit, *sed vnus homo*, quia non vnus homo sunt maritus & vxor, sed duo homines, singuli pro se Deo rationem reddituri. Sed nec dicit *vnus spiritus*, tametsi enim vnanimes sint oportet coniuges, si bene res agitur, ita vt sit eorum cor vnum & anima vna, non tamen est nec esse potest ea vnitas spiritus quæ carnis. carnes enim seu corpora eorum reipsa permiscentur, animæ verò non reipsa sed amore eodemq. velle ac nolle coniunguntur: denique in carnem mutuam coniuges habent potestatem, non item in spiritum siue animam. Sed neque simpliciter mutuæ carni dominantur, sed tantum quantum spectat ad congressum: sicut nec absolutè vna caro sunt, sed quòd tamquam vna caro conueniant conuenireque debeant ad opus coniugij. Quare in suis singuli seorsum corpore & anima accipient pro meritis, non paria semper nec eadem, quinimmo contraria nonnumquam, vnus præmia, alter supplicia si vnus benè, alter malè, matrimonio cæterisque huius mundi rebus fuerit vsus. *Duo in lecto vno*. ait, *vnus assumetur & alter relinquetur*. Luc. 17. v. 34. QVOD ERGO. Posteriorem hanc conclusionem Saluator ex priore proximè infert. q. d. Id cùm ita sit, *quod Deus coniunxit* &c. Non dicit *quos*, loquitur enim de duobus tamquam de vno, id est, vna re, vna carne. CONIVNXIT. συνέζευξεν. verbum quod propriè coniugibus conuenit, tamquam dicas *coniugauit* seu eodem iunxit iugo: hinc enim dicti sunt & græcè σύζυγοι & latinè coniuges, tamquam vnum ducentes iugum. *Quod ergo Deus coniunxit*, id est, Vnam ergo carnem quam ex duabus auctoritate sua coalescere fecit Deus. HOMO siue maritus siue vxor siue illorum iudex aut consiliarius. Quemadmodum enim hac sententia frænat Christus virorum libidinem ne vxores repudiando sacrum nodum abrumpant: ita & aliis omnibus legem edicit, ne sua auctoritate repudia huiusmodi confirment aut suadeant. NON SEPARET repudio aut diuortio. Obseruanda vocum antithesis, *Deus*, *homo*; *coniunxit*, *separet*. Homo non sit eius audaciç vel temeritatis qui separet, qui disiungat aut diuidat, non magis quàm carnem aut corpus suum vel alterius, quod & ipsum creatoris Dei est, sua auctoritate discerpat, truncet, mutiletve membro aut parte aliqua. *Separat* autem qui vxorem repudiat, ac multò magis qui animo ducendę alterius id facit; ille verò omnium maximè qui aliam ducit; *Separat* inquam, quod ex se est, quia contra fidem carnem vnam diuidit, sed non disrumpit vinculum à Deo iniectum coniugio tum cùm fides daretur, nec, qui semel fidem violauit, iterum quando lubet tamquam liber violare potest. *Quemadmodum ergo*, ait Chrysostomus, *scelus est in duo diuidere carnem vnam: sic & mulierem a viro suo dirimere iniquissimum est, tamq; præter naturam quàm membrum à corpore rescindere*, ita vt seipsum quodam modo laceret, quisquis vxori nuncium remittit. In crimine itaque grauissimo est dissolutionis factorum Dei, quisquis nuptialem coniunctionem dissoluerit: & non modò aduersus naturam rerum, sed & aduersus auctorem ipsum rerum ac naturæ committit; aduersus naturam, quia vnam carnem lacerat; aduersus auctorem, quia disiungit quod ille coniunxit. Ipse solus disiungere potest quod coniunxit, id quod facit, dum morte aufert alterum coniugum. Iam verò ex hac conclusione relinquit Saluator aliam colligendam, vt quæ seipsam disertè prodat, qua quæstioni propositæ non tantùm negando respondetur, non licere dimittere vxorem quacumque ex causa, sed absolutè definitur, Numquam licere dimittere vxorem. Posuerant enim illi quandoque licere, de legitimis dumtaxat causis quæstionem mouerant: Iesus ita respondet, vt sententia sua prius stabilita quàm pronunciata concludat, viro numquam licere repudiare vxorem suam animo aut facultate ducendæ alterius, quia id fuerit separare quod Deus coniunxerat. Huc igitur spectat Christus, vt maritus quisque pro se datam fidem sanctè colat: & quos libido vel prauus affectus ad repudium solicitat, hanc sibi cogitationem iniiciant: Quisnam es qui diuinæ coniunctionis liberam tibi rupturam facis?

Deut. 24. v. 1. Sup. 5. v. 31. Mar. 10. v. 4.	Dicunt illi: Quid ergo Moses mandauit dare libellum repudij & dimittere?	7 λέγουσιν αὐτῷ· τί οὖν μωσῆς ἐνετείλατο δοῦναι βιβλίον ἀποστασίου καὶ ἀπολῦσαι αὐτήν;

QVID, id est, quare vel quomodo. MOSES. Si non licet vxorem dimittere, vt dicis, éstne igitur Moses Deo contrarius, qui &c. Cùm viderent se ad altiorem rationem quàm cogitauerant reuocatos, nec posse se de repudio quidquam affirmare absque violatione diuini instituti, eò quòd leges naturæ initio latæ perfectionem ac sanctitatem perpetuam seruent: atque adeò notatos se agnoscerent quòd quęstionem in longum protulissent quam omnino abolitam esse oporteret, atque dum illum capere cuperent, se captos sentirent; crimen effugere student Mosis scripto obiecto. DARE. siue, vt est in aliis exemplaribus, *dari*, s. vxori exosæ. LIBELLVM REPVDII. βιβλίον ἀποστασίου volumen abscessionis. vide suprà 5. v. 31. ET DIMITTERE αὐτὴν eam additur græcè & syriacè. atque ita dimittere eam. Hoc ipso enim significat liberum licitumque esse viro vxorem dimittere, modo seruato quem præscribit, id est, repudij libello dato. Certum est Mosen mandasse dari libellum repudij, sed illud nec certum nec verum est repudium à Mose mandatum aut probatum esse, id quod isti sentiebant, non rectè expensa orationis ac rerum ratione, nimirum ex legis ciuilis permissione statuentes de Dei approbatione & conscientiæ regula. vide suprà 5. v. 31.

λέγει

λέγει αὐτοῖς, ὅτι μωσῆς πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἐπέτρεψεν ὑμῖν ἀπολῦσαι τὰς γυναῖκας ὑμῶν· ἀπ᾽ ἀρχῆς δὲ οὐ γέγονεν οὕτω.

8 Ait illis: Quoniam Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

Mar. 10. v. 5.

QVONIAM. ὅτι. superest sensui. Falsam inuidiam apta responsione diluit. AD. propter. non sponte, non sui oblitus, sed propter DVRITIAM CORDIS τὴν σκληροκαρδίαν *duricordiam* dicas κατὰ πόδα, quæ aliàs duritia ceruicis vocatur, estque obstinatio seu obfirmatio animi non cedentis monitis bonis, non sinentis sibi persuaderi id quod est optimum, nec facilè acquiescentis quibuscumque præceptis salutis, quippe obdurati in sua vel opinione vel praua consuetudine. VESTRI. nationis vestræ numquam hactenus sibi dissimilis. Non ait *patrum vestrorum* loco *vestri*, ne intelligerent illi meliores se esse patribus suis, quasi si cum Mose legislatore vixissent ipsi, nihil opus fuisset ob duritiam cordis ipsorum huiusmodi quid permittere; sed è diuerso agnoscerent prorsus similes se patribus suis esse, vsque adeò vt, qui ipsos nominet, patres nominasse censendus sit, de quibus est frequens adeò Dei querela, vt de populo duro corde, dura ceruice, incircumciso corde. Exod. 32. v. 9. 33. v. 3. 34. v. 9. Deut. 9. v. 6. 31. v. 27. Isa 46. v. 12. 48. v. 4: *Sciui quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.* Ezech. 2. v. 4: *Filij dura facie & indomabili corde sunt.* 3. v. 7: *Omnis domus Israel attrita fronte est & duro corde.* Denique de patribus simul & de his ipsorum filiis, protomartyr Stephanus Act. 7. v. 51: *Dura ceruice & incircumcisis cordibus & auribus: vos semper Spiritui sancto restitistis: sicut patres vestri & vos.* Obiectionem itaque aduersariorum Saluator in caput ipsorum retorquet, tam sapienter quàm iustè & capiens eos qui ipsum capere nitebantur, & pro Mose respondens. Si placet, inquit, indulgentia Mosis, agnoscite & causam qua coactus indulsit. Deponite cordis duritiam, & non erit nec opus nec locus diuortij permissioni, quin seuerè prohibeatur. PERMISIT. Dixerant illi *mandauit*, respondet Iesus signanter *permisit*. q. d. non mandauit Moses neque probauit vt licitum, sed permisit. *Permisit* autem, id est, non prohibuit, seuerè non vetuit, reliquit consuetudinem qua fueratis imbuti, non voluntate sed necessitate. Non enim dixit Moses: *Si acceperit homo vxorem* &c. *dimittet eam*, sed, *scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & ita dimittet*: id quod idem vnum est ac si dixisset, Si dimittere voluerit, nolo quidem prohibere, conniueo, permitto, sed iubeo ne alia ratione dimittat quàm scripto & in manus vxoris tradito libello repudij. Constat autem ex permissione nihil statui posse de re, licitáne sit an illicita, cùm permissio tolerationis quoddam genus sit, tolerationem autem nemo legem aut doctrinam appellet. VOBIS. nationi vestræ.

DIMITTERE. à thoro & cohabitatione perpetuò separare cum facultate ducendarum aliarum vt suprà v. 3. Permisit hoc Moses, inquit, non quòd natura rectum esset, sed pro duritia cordis vestri, quia perspectus ipsi fuit animus vester durus adeò & obstinatus, vt si prohibuisset vobis (prout æquum facilè censebat, minimè ignarus primæuæ institutionis naturæ quam ipse descripserat) dimittere vxores vestras, quod iam ante datam legem pro more habebatis, non cessissetis, non acquieuissetis, non obediuissetis mandato; vel certè si obedire coacti fuissetis, quò absolui possetis ea quam odissetis, aut frui ea quam deperiretis, maiora perpetrassetis mala quàm sit ipsum vxoris repudium, vt veneficiorum, vxoricidiorum, idololatriæ, atque apostasiæ à Dei cultu ac lege, aliorumque. Reliquit itaque consuetudinem quæ inter vos obtinuerat, permisitque minus malum vt præcaueret maius: leuius malum indulsit, ne grauius à vobis committeretur. neque enim is probat diuortium, qui hoc mauult admitti quàm vxoricidium. Multa sunt apud Deum flagitiosa, quæ legibus non puniuntur. Obserua quî Saluator nihil respondeat de libello repudij, is enim πάρεργος erat rectè rem existimantibus. Nam si negotium ritè expendatur, libellus repudij magis impedit repudium quàm adiuuet aut confirmet, estque damnosus repudianti, nec tam venia data quàm pœna inflicta viris in fauorem mulierum. Cùm enim in tanta animorum duritie, inconsultum iudicaret legislator, consuetudinem repudiandæ vxoris, quæ tum apud circumuicinas gentes tum apud hunc ipsum populum vigebat, prohibere; quam non potuit omnino tollere, mitigauit addita libelli lege, ne subitò aut facilè eiicerent, quibus priùs esset, positis animis, libellus, vel per se, vel per alium rei peritum, scribendus, quo cederent omni in vxores manumissas iure. qua de re latiùs suprà 5. v. 32. AB INITIO naturæ rectè à Deo institutæ. *Ab initio* institutionis matrimonij. NON FVIT SIC. non fuit Adæ aut cuiquam alteri permissum dimittere vxorem. non sic institutum est matrimonium vt ex libidine mariti fieret diuortium: sed vt perpetuo atque indiuulso maritus & vxor vinculo coniungerentur, institutum est coniugium natura inseparabile, ipso Mose, quod intellexistis, referente: quare quòd idem postea diuortij meminit, intelligitur permissio esse conniuentis in prauis hominum moribus quos corrigere non possit. Hac enim ratione ostendit Saluator, Mosis legem hac parte nil nisi permissionem fuisse: nam si repudij lex vtilis & salutaris fuisset, illa vtique à principio creatæ naturæ lata fuisset. Id quod minimè à Deo ita factum est, sed natura iam corrupta, hominum malitia effectum, vt ad prauas consuetudines à primæua illa institutione nimiùm degenerantes veniretur, in quibus cùm inter cæteras & vestra natio obduruisset, iudicauit prudens legislator, ad euitanda maiora mala, tolerandas eas esse vsque ad tempus correctionis adimpletionisque suæ legis. quod quidem nunc adesse scitote, quo veni ego vt instaurem amplificemque naturam, & Mosis legem perficiam. Reuocat itaque doctor & seruator Christus, matrimonij legem, ad primæuam Dei institutionem, quæ est lex ipsius naturæ rei, vtque est recta & perfecta, ita est & perpetua, proque lege inuiolabili habenda nulla præscriptione aboletur, quinimmo ex hominum intelligitur esse vitio quidquid ab ea deflectit. Huiusmodi itaque temperatura responsionis, Iesus asseruit præceptum Dei, nec Mosen tamen damnauit, nec castitatis laudem imminuit, & se Pharisæorum captione prudentiumque omnium odio exemit; minimè dehinc permittens Christianis repudium, in quibus meritò non tolerat cor durum, qui promisit carneum. Ezech. 36. v. 26.

Sup. 5. v. 32. Mar. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18.

Dico autem vobis, quia quicumq; [9] dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται· καὶ ὁ ἀπολελυμένην γαμήσας, μοιχᾶται.

DICO AVTEM. Illud autem affirmo vobis consentaneè primæuæ coniugij institutioni; id quod Lex ob cordis vestri duritiam occuluit, apertè pro libera Euangelij luce explicans. Adhuc apertiùs etiam respondet Iesus propositæ à Pharisæis quæstioni, Non licere viro vxorem dimittere quacumque ex causa, sed solius fornicationis causa; ac ne ea quidem ex causa sic licere dimittere vt altera possit duci, aut dimissa alteri possit nubere. QVIA. quòd. QVICVMQVE sine vlla exceptione, siue sub naturæ lege, siue sub Mosis, siue sub mea constitutus. DIMISERIT. thalamo domoq; eiecerit. Nihil amplius hic intelligit Saluator voce dimittendi, quandoquidem mox addat *& aliam duxerit*. VXOREM SVAM qualiscumque tandem sit, quouiscumque laboret vitio. NISI OB FORNICATIONEM. Ita legitur & à quibusdam hodie græcis libris *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*. A plerisque verò omittitur *εἰ* coniunctio, nec aliud legitur quàm *μὴ ἐπὶ πορνείᾳ* *non ob fornicationem*: quomodo & Augustinus olim græcè legebat, annotans lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 11: *Nisi ob fornicationem, vel hoc quod magis in græco legitur, præter causam fornicationis*; intelligensque toto illo opusculo illud *nisi* perinde ac si dictum esset *non*. Hoc modo & Syricum Euangelium legit ܕܠܐ ܓܘܪܐ *Delo gauro* quæ non adultera, id est, non adulteram. Hanc porrò pericopen siue excipientem siue negantem solummodo, alij ad solum proximum dimittendi verbum referunt, tanquam per parenthesin dicatur: Quicumque dimiserit vxorem suam (quod quidem solius fornicationis causa licet). quasi ea velit Iesus perfectè satisfacere Pharisæorum quæstioni, Numquam licere dimitttere vxorem ita vt coniugij vinculum dissoluatur, ita vt alia duci possit, ob commissum tamen adulterium, quo caro vna diuisa est, licere dimittere è thoro & domo, itaque se absoluere mala muliere, conformiter ei quod docuerat suprà 5. v. 32. Atque hæc D. Hieronymi interpretatio est, cui adstipulari videntur Origenis Theophylacti & Euthymij enarrationes, nihil hîc intelligentium concessum viro aliud quàm vt dimittat seu eiciat adulteram. Alij verò non tantùm ad præcedens dimittendi verbum referunt pericopen istam, verumetiam ad subsequens *& aliam duxerit*: quorum quidam (post sciolos quosdam Catholicos, nostri temporis hæretici) intelligunt hîc permitti marito innocenti dimittere vxorem adulteram & aliam ducere, atque adeò adulterio solui coniugij vinculum: quidam, nominatim D. Augustinus libris duobus ad Pollentium scriptis de adulterinis coniugiis, signanter lib. 1. cap. 11. & lib. 2. cap. 9., intelligunt ita prohiberi hîc vnum grauissimum adulterij genus, dimissa scilicet vxore non adultera aliam ducere, vt aliud minùs graue, dimissa inquam adultera aliam ducere, non permittatur, sed à parte totum significetur, aut certè ex aliis Scripturæ locis intelligendum relinquatur nec hoc ipsum licitum esse, ex Mar. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18. 1. Cor. 7. v. 11. Non enim qui quod grauissimum est in genere aliquo damnat, mox licitum docet id quod minùs est graue. ET ALIAM DVXERIT ac cognouerit, dimissa adhuc superstite. Hoc porrò si adulterium est, dimissa vna aliam ducere: multo maius adulterium est duas aut plures simul habere vxores: vt certè polygamia legi naturæ ac primæuæ coniugij institutioni contraria est, non minùs quàm repudium, neque vnquam licita fuit, nisi Deo per disertam reuelationem singulariter permittente. MOECHATVR. non contrahit matrimonium, sed committit adulterium, nihil illum absoluente legis permissione. Suprà 5. v. 32. vbi nihil aliud præmiserat quàm *quicumque dimiserit*, dicit *Facit eam mœchari*; hîc vbi addiderat *& aliam duxerit*, *mœchatur* inquit: nam si dimittat tantummodo, causa est, quòd ex se, vxori vt mœchetur; quòd si etiam aliam ducat, non tantùm vxori causa est mœchiæ, verumetiam ipse mœchatur. *Mœchatur* autem, etiam ea quæ dimissa est existente fornicationis rea, iuxta priorem sensum: quia licet illa carnem, quæ vna fuerat ac manere debuerat, diuiserit, ac proinde fidem violauerit: non tamen vinculum ex fide semel data natum soluit, quin sibi mutuò obligati ac deuincti permaneant, ne ampliùs diuidant eam carnem: *quod vinculum nisi morte alterius non soluitur, non in adulterium conuentu* (inquit Augustinus cap. 13. lib. 2.) *sed de corpore exeuntis*: neque enim vel apud Iudæos, mox vt adulterium aliqua admiserat, capitali supplicio afficiebatur. *Mulier*, inquit Apostolus, *alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit*. Rom. 7. v. 2. 1. Cor 7. v. 39. Consequitur, similiter & vir quanto tempore mulier ipsius viuit. ET QVI. Virum alloquitur potiùs quàm dimissam, quòd viro, vtpote libero ad ducendam aliam quamcumque, facilius sit persuadere vt non ducat mulierem ab alio dimissam, quàm mulieri dimissæ vt nemini nubat, quæ, si non intemperantiæ, certè honoris recuperandi causa, votis omnibus desiderat esse qui ipsam velit & ducat. DIMISSAM. etiam ob fornicationem. ita Hieronymus iuxta priorem sensum ex eo intelligens *id secundum virum* sermonem dirigi, quòd *meretrix & quæ semel fuerit adultera opprobrium non timeat* si mœchari dicatur. D. Augustinus intelligit *dimissam* non ob fornicationem, iuxta alterum sensum; prioris scilicet membri pericopen repetendam sentiens in posteriori, non quòd dimissa ob fornicationem possit ab alio viro duci, sed quòd minùs possit, satisque intelligatur, si illa non possit, hanc minùs posse. Caluinus repetit pericopen vt Augustinus, sed, si fides ipsi habetur, solus ipse rectè interpretatur, adulterij non esse reum qui repudiatam ob adulterium duxerit, insigni priuilegio præ castis honorans adulteras: quamquam non putabat suo tempore Augustinus, quemquam ita absurdum vt hoc sentiret. c. 9. lib. 1. MOECHATVR. tametsi lex id permiserit. Reliqua ad hunc versiculũ pertinentia quærenda sunt suprà 5. v. 32.

Dicunt ei discipuli eius: Si ita [10] est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.

λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικός, οὐ συμφέρει γαμῆσαι.

DICVNT. obiiciant. domi, verisimile est, vbi Marcus narrat proximè præcedentem sententiam fuisse abs Iesu

Iesu repetitam. cap. 10. v. 10. 11. Si. admirantium est, non dubitantium. CAVSA. negotium. si ita agitur cum coniugibus, si ita se res habet inter virum & vxorem, si ita inseparabile est semel initum coniugium vt ob nullum quantumuis graue ac molestum vxoris vitium soluatur, ita vt illa repudiata alia possit duci. Noua erat doctrina ista discipulis Iesu, qua dura viris præscribi conditio videbatur, eò quòd vulgò aliud hactenus & à legisperitis doceretur, & à plebe fieret: magna enim hactenus Iudæi vtebantur repudiandarum vxorum licentia. Atqui expendenda non minùs erat dura vxorum seruitus, quàm maritorum commoda libertas. NVBERE. vxorem ducere, quo modo vertit Syrus. nam de marito loquuntur discipuli, penes quem ex Iudaica consuetudine auctoritas erat repudiandę vxoris, cùm par non esset penes vxorem. Non expedit vxorem ducere, non expedit in eam se seruitutem conücere, ex qua non nisi per mortem libertas fit, ita vt siue proba siue improba, siue blanda siue aspera, morosa, rixosa, conuitiatrix, siue frugalis siue temulenta aut prodiga, siue honesta siue fœda aut quocumque alio vitio molesta sit vxor, conuiuere & perferre oporteat donec separet mors. *Commorari* (ait Ecclesiasticus c. 25. v. 23.) *leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Præstat certè continenter viuere, & à re vxoria prorsus abstinere, quàm difficili adeò & periculis pleno se subiicere iugo, vt si semel incommodam vxorem nactus sis, cogaris multa cum animi molestia & afflictione infelix vitam cum illa finire, vno excepto adulterij vitio, ob quod dimittere illam possis, non etiam aliam ducere. Continua Iesu doctrina & vitæ exemplum adduxerant discipulos eò vt sapere inciperent perfectiora: sed imperfectè etiamnum profecerant, quos incommodorum quę matrimonium secum trahit horror, potiùs quàm virtutis amor à coniugio absterrebat.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· οὐ πάντες χωροῦσι [11] τὸν λόγον τοῦτον, ἀλλ' οἷς δέδοται.	Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

NON OMNES. q. d. ex sententia D. Hieronymi lib. 1. contra Iouinianum cap. 7: *Rectè quidem sentitis, nuptias non perinde expedire;* præferri certè meretur virginitas & cælebs castitas nuptiis: *sed difficilis res est & non omnes,* immò pauci, *capiunt verbum hoc:* pauci tanta virtute sunt prædìti, quanta superent affectum illum corporis omnium violentissimum. In carne præter carnem viuere, sublime ac rarum est. *Ita rem extulit,* ait Chrysostomus, *præcipuamq; ostendit, & hac ratione attraxit magis atque hortatus est.* CAPIVNT. accipiunt seu admittunt in se: id enim est χωρεῖν. Non dicit *capaces sunt*, quod ex Erasmi versione vrgent Bucerus & Caluinus, vt doceant non cuiuis possibilem esse à nuptiis continentiam; sed χωροῦσι *capiunt* (quod etiam annotat vetus auctor operis in Matthæum imperfecti) non quòd capere non possint, sed quòd capere nolint; nolint autem, vel simpliciter, vel interpretatiuè, quòd non accommodent seipsos vt capiant, non aperiant os vt vinum hauriant, non faciant quod scriptum est: *Dilata os tuum & implebo illud.* Psal. 80 v. 11. Nimirum immundas cogitationes animo fouent, molliter delicateque cutem curant, vino in quo est luxuria se replent, poetas aliosque obscœnos auctores versant, colloquia turpia miscent, fæminarum adspectu & familiari consuetudine oblectantur, eunt post concupiscentias suas, castitatem vel non amant vel non agnoscunt pro singulari dei dono, vt omittam grauiora. Huiusmodi non capiunt cælibem castitatem, quia os claudunt liquori virgineo, contraria prorsus ratione animum componunt vitamque instituunt ac ea qua parari seruarique castitas possit. VERBVM ISTVD. τὸν λόγον τοῦτον sermonem istum, scilicet *quod non expediat nubere*. Non omnes illud efficaciter persuadent animis suis quòd præstet cælibem castumque viuere quàm maritum, non descendit hoc in omnium animos quòd ita sint aliis affectibus occupati, vt illic non sit locus diuino consilio; non omnes admittunt adhortationem abstinendi à nuptiis, vt neque consulendus est iis cælibatus, quorum constanti infirmitati necessarium est coniugij remedium. SED ij capiunt QVIBVS à Deo DATVM EST capere. est enim singulare Dei donum, capere, vt à nuptiis, perfectioris castitatis amore, abstineas. Illis porrò datum à Deo est capere hoc donum, quibus datum est non ire post concupiscentias suas, innascentes animo voluptatis cogitationes ipso in ortus exordio opprimere, carnis superbiam cibi potusque parcitate domare, ieiuniis aliisque mortificationis generibus carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigere, lasciua spectacula, spurca carmina, fœda colloquia, mulierum consortia, cæteraque irritamenta æstuosæ libidinis vitare, piis operibus ac sanctis negotiis perpetuò occupari, nosse & hæc omnia & castitatem ipsam Dei esse donum, denique orationi instare. His modis capitur, paratur, seruatur absque nuptiis castitas: suntque singula hæc Dei dona simul & castitas ipsa, non quod à libera hominis electione nequaquam proficiscantur, sed quòd non absque cooperatione gratiæ Dei præstari atque obseruari ab homine queant. Vt non capiat homo continentiæ donum, sola hominis electio facit: vt capiat, concurrant oportet gratia Dei & electio ac studium hominis. Gratia Dei numquam non parata est: electio ac studium hominis, cuius corrupta natura à virtute aliena est, plerumque desunt suis partibus, ideò paucis datur capere. Quare veteres tractatores intelligunt, his datum esse qui petierunt & adlaborauerunt. Euthymius: *Datum est,* inquit, *his qui petiuerunt* (*Petite enim, ait, & dabitur vobis*) *petentibus* (*inquam*) *non simpliciter, sed feruenter & perseueranter, & vt semel dicam, sicut oportet. Significatum est ergo virginitatem Dei donum esse, datum his qui petunt vt oportet.* Theophylactus: *Hoc loco,* ait, *datum est, valet, quibus cooperator Deus. Illis autem datum est qui petunt: Petite enim inquit* &c. Auctor operis imperfecti: *Quod autem dicit, Quibus datum est, non hoc significat, quoniam quibusdam datur, quibusdam non datur: sed illud ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Euangelio Dominus dicit: Petite* &c. Chrysostomus: *Sed si electionis opus est id, inquies, quomodo incipiens statim dixit: Non omnes capiunt, sed quibus datum est? Vt singulare id esse certamen perdiscas, non vt sorte datam necessitatem suspiceris. His enim datum est qui sponte id eligunt: quod ideo dixit, vt ostenderet superiore nobis auxilio esse opus* (*quod quidem omnibus illud expetentibus paratum est*) *si volumus in hac lucta superiores euadere.* Denique inter latinos patres Hieronymus: *His datum est,* inquit, *qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent laborauerunt.* his enim minimè denegat Deus gratiam suam. Apostoli tamquam solo ipso in homine situm esset extra nuptias castè viuere, euitandarum molestiarum vxoriarum causa, dixerant: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Iesus corrigit imprudentem sermonem, probans quidem illum ea ex parte qua sentirent castitatem

nuptiis

nuptiis præferendam, ſed docens non ob carnis moleſtias ſeu tribulationes nuptias fugiendas eſſe, at Dei cauſa, vt Deo reddaris ſimilior; nec cuiuis mox vt velit ſuis viribus poſſibile eſſe abſque nuptiis caſtam vitam ducere, ſed Dei auxilium vt neceſſarium implorandum eſſe: quia Dei donum ſit, & caſtitas, & ratio illa qua caſtitas paratur ac ſeruatur.

[12] Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.

εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν οὕτω· καὶ εἰσὶν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων· καὶ εἰσὶν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω.

SVNT ENIM. Iam declarat qui hoc capiant Deo dante quòd non expediat nubere; eunuchi ſcilicet, quos caſtrauit, non natura, non vis hominum, ſed propria voluntas, vt ſunt varia eunuchorum genera. *Enim* coniunctio continuandi vim hoc loco habet, non probandi. EVNVCHI dicuntur viri teſticulis deſtituti, ſic dicti ab εὐνὴ cubili & ἔχω cuſtodio, quòd adhiberi ſoleant ad cuſtodienda cubilia diuitum matronarum virginumque, ne quis ſtuprum inferret. Syriacè ܡܗܝܡܢܐ *mehaimene* dicuntur à fide, quòd virginum mulierumque pudicitia ipſis crederetur. DE VTERO. ἐκ κοιλίας ex ventre. SIC, id eſt, eunuchi, teſtibus trunci (vt alij naſcuntur trunci digitis, manibus, oculis) vel certè teſtibus frigidi. Sed hi non capiunt, vult dicere Ieſus, laudabilem extra nuptias caſtitatem, quos natura à coniugio arcet. Natura hoc habent vt nulla tangantur rei vxoriæ appetentia, ineptique ſint nuptiis ineundis: caſti ſunt natura non virtute; quod ſcilicet eſt ex hoc genere caſtrationis. QVI FACTI SVNT ſ. eunuchi. οἵτινες εὐνουχίσθησαν *qui eunuchizati ſunt* (ſimili enim forma verbum græcum à nomine εὐνοῦχος formatum eſt) quomodo Hieronymus legit lib. 1. contra Iouinianum cap. 7. Syrus: *Qui facti ſunt eunuchi.* id eſt, qui caſtrati ſunt. AB HOMINIBVS. quibus teſtes ab hominibus exſecti, contuſi, aut attriti ſunt. Hi ſpadones propriè dicuntur: quos poëta deſcribens ait: *Nec non infelix ferro truncata iuuentus Atq; exſecta virum.* Erat hoc olim Regibus ac principibus frequens, viris aut certè pueris teſticulos auferre, itaque ad coitum illos & generationem ineptos reddere, quò tutò illos gynæciis præficerent, & ſeruandarum vxorum pellicumque curam illis committerent: quales Aſſyria Perſarum Regibus tributi nomine 500. aliquando perſoluiſſe legitur. Cæterùm Turcis hodie non ſufficit pueros teſticulis mutilare, niſi & cole & ſcroto & quidquid eo continetur, ſummo cum vitæ diſcrimine cui plerique ſuccumbunt, ſemel abſciſſis, transforment in fœminas, vt Nero Sporum, Cælio referente lib. 15. lect. antiq. cap. 9.: quòd experientia docuerit, teſticulis ſublatis, licet gignendi, non tamen mox coëundi facultatem ſublatam eſſe. nam & Eccleſiaſticus cap. 20. v. 2: *Concupiſcentia*, inquit, *ſpadonis deuirginauit iuuenculam.* Porrò nec iſti eunuchi, Saluator ait, laudem merentur, tametſi à nuptiis abſtineant, quia violentiæ coactioniſque eſt, non virtutis, quòd nuptiis non vtantur, quod ſcilicet eſt ex ratione huiuſcemodi caſtrationis: nam aliunde vertere hi poſſunt in virtutem id quod neceſſariò patiuntur, quemadmodum fecere SS. Prothus & Hyacinthus Eunuchi Eugeniæ virginis. Huiuſmodi eunuchis quos vis hominum caſtrauit, meritò adnumerentur ij, qui inuiti à parentibus in cœlibatus legem detruduntur. SEIPSOS CASTRAVERVNT. εὐνούχισαν ἑαυτοὺς *eunuchizauerunt ſeipſos*, dicas κατὰ λέξιν ex græco; ex Syro, *eunuchos fecerunt animas ſuas*, pro, ſeipſos. Primos & ſecundos eunuchos tenet neceſſitas, neque enim vxores animi virtute, ſed carnis neceſſitate non ducunt, quia viri non ſunt: hos tertios coronat voluntas (nam caſtrauerunt, inquit, ipſi ſeipſos) ſoli proinde laude ſunt digni. *Caſtrauerunt* autem *ſeipſos*, non exſectis aut ablatis teſtibus (quod volebant olim hæretici quidam, Valeſij dicti, qui & ſeipſos caſtrabant & hoſpites ſuos, hoc modo exiſtimantes Deo ſe ſeruire debere, Auguſtino auctore cap. 37. de hæreſibus) nec enim id laudem, immo vituperiũ meretur, diuina lege prohibitum, *tamquam homicidæ opus*, ait Chryſoſtomus, *fraus & inuentio diabolica:* tametſi Origenes id feciſſe legatur. Nam præter periculum mortis cui exponitur is qui caſtrationem ſubit, mutilatur membro ad bonam valetudinem neceſſario: neque enim ſolùm generationis adiumentum eſt in teſtibus, ſed & principatus ac neceſſitas ſumma, ſita in redundantia virilis cuiuſdam vigoris, qui ab illis in cætera membra corriuatur: vſque adeò vt medicorum princeps Galenus, teſtes bene viuendi principium dixerit, vt cor viuendi, referente Cælio lib. 4. cap. 7: *Conſpicua eſt enim commutatio quæ ſubtractis teſtibus contingere animali deprehenditur. Nam illud reddi frigidius certum eſt: flacceſcit quoque robur illi non ſecus ac ſeneſcentibus, venæ coarctantur, ſanguinis flos hebeſcit, minuuntur arteriæ, pulſus elangueſcit, glabreta ſunt toto corpore. Prætenuem in eunucho vocem audimus, malos agnoſcimus mores: ſunt porrò imberbes, rationis item peſſimæ, nec ferè inuentus eſt exſectus aliquis bonæ legis aut intellectus non diminuti.* Hæc ferè ex Cælio. Non itaque licita eſt deteſtatio: quin & inutilis eſt ad caſtitatem. nam quamquam generandi facultas auferatur, non tamen pruritus carnis & appetentia reſtinguitur venereorum, præſertim ſi pubeſcit qui caſtratur; nec animus, qui fons eſt impudicitiæ omnis, caſtior redditur: id quod Eccleſiaſticus ſignificat cap. 30. v. 21. adferens in exemplum *ſpadonem amplexantem virginem & ſuſpirantem.* Quod ergo Saluator ait, *qui caſtrauerunt ſeipſos*, non id eſt, qui teſtes ſibi exſecuerunt, ſed, qui etſi natura non minùs quàm cæteri plerique viri ſint, apti vt cæterorum more voluptatem ex fœminarum cognitione capiant, tamen, non ſecus ac ſi apocopi forent & virilia ſibi ipſi amputaſſent, interdixerunt ſibi ipſis omni vſu venereæ libidinis, noluerùntque eſſe quod nati ſunt. Simili loquendi modo Saluator ſuprà 5. v. 30. & 18. v. 8. manum iubet abſcindere & eruere oculum, pro eo quod eſt, ita ſe gerere ac ſi mancus quis aut luſcus foret. Quòd autem præterito tempore vtitur *caſtrauerunt*, non futuro *caſtrabunt* (licet non tam de iis qui hactenus id fecerint, quàm de iis qui ipſius ipſiuſque matris exemplo facturi deinceps magno numero id ſint in Eccleſia ædificanda, loquatur) nec præſenti *caſtrant* aut aſſiduè caſtrant, ſignificat, ſemel fieri

fieri huiusmodi castrationem, qua eunuchus quis fit regis cælorum, quemadmodum semel nec amplius fit exsectio testium, quò eunuchus quis fiat alicuius è regibus terræ. Fit autem, quando quis voto semel Deo nuncupato se-ipse obligat ad seruandam perpetuam extra nuptias castitatem. Nam qui ad tempus dumtaxat aut ex simplici animi proposito abstinet à nuptiis, non ille castrauit seipsum, cùm reseruet sibi facultatem amplectendi nuptias vbi visum fuerit, castratio autem abdicationem non tantùm vsus verumetiam potestatis signet. Sed is qui omnem sibi adimit facultatem ducendæ vxoris, ita vt numquam licitè vxorem ducere, ac proinde nec mulierem tangere, multoque minùs quauis alia Venere se oblectare possit (qualis ille est qui castitatem semel Deo promisit) ille demum seipsum castrat, similisque redditur eunucho ad nuptias inepto, defectu, non virilitatis, sed legitimæ potestatis, quam sua sibi sponte aufert. Nam si qui semel hac ratione seipse castrauit, mutata tandem voluntate nuptias ineat (extra nuptias enim, omnis vsus libidinis, quin & sensus animum oblectans, adeoque voluntas, vsus aut sensus, turpis & illicita est) non alio apud Deum loco coniugium illud habebitur quàm si eunuchus illud contraxisset, id est, inualidum atque irritum, immo verò eo peiore, quo huiusmodi veriùs violat mulierem quàm eunuchus. Quamquam autem sit hoc eunuchorum quos Saluator laudat genus perfectissimum, illud tamen non existimem prorsus excludendum, eorum qui ita se gerunt ac si castrati forent, qui amore virginitatis coitus amorem emarcescere sinunt, non voto obstricti, sed firmo animi proposito constantes. Quum porrò animo castratio ista fiat non mutilatione corporis, manifestum est de virginibus ac mulieribus non minùs quàm de viris locum intelligendum: quamquam & fæminas quidam *ἀνάχιας*, id est, eunuchas fecisse legantur (Cælius lib. 29. cap. 29.), & nascantur etiam quædam ad nuptias ineptæ, vt eæ quas Græci *ἀτρήτους*, id est, impertusas vocant, ita vt nihil opus sit à viris similitudinem mutuari pro mulieribus, vt in quibus & triplex illud eunuchorum genus inueniatur. Obserua autem qui Saluator hic tribuat homini, quod versu superiori attribuit Deo (non enim ait, *quos Deus castrauit*, sed *qui seipsos castrauerunt*) quia vtriusque sit opus: castrat seipsum homo Deo gratiam dante, opus hominis est Dei donum. PROPTER REGNVM CÆLORVM. amore regni cælorum, non amore idololatriæ, philosophiæ, aut hominum laudis, vt quidam ex Gentibus; nec timore molestiarum quæ ex coniugij inseparabilitate à vobis metuuntur (quamquam & illæ meritò veniant considerandæ) sed *propter regnum cælorum* & iustitiam eius (hæc enim duo sibi mutuò cohærent. suprà 6. v. 33.) vt liberiùs iustitię Deóque colendo vacantes, quo gratiores Deo, eo regni cælestis beatitudinem certiùs, faciliùs, perfectiúsque assequantur. Nam (quod Apostolus ait 1. Cor. 7. v. 32.) *qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Hoc Pauli loco iste Euangelij dilucidè exponitur: & quidem Paulus etiam considerat *instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse* (v. 26.) sed præcipuè *honestatem, quódque facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi* (v. 35.) & expeditiùs proinde assequendi regnum cælorum. In hoc consistit ratio & vis perfectionis huius virtutis: nec enim per se Deo placet quòd quis sibi neget naturalem nuptiarum vsum, nisi referatur ad Dei cultum & regnum cælorum. Est itaque hîc Saluatoris sententia: Sunt tertij generis eunuchi, quos nec natura castrauit nec alius homo, sed ipsi se castrarunt, non mutilatione corporis, sed abstractione ab omni vsu libidinis, qui non secùs se priuarunt omni potestate contrahendi nuptias & perinde se continent ab omni impudicitia animi & corporis, ac si exsectis forent naturalibus, idque non propter onera incommodáve coniugij præcipuè, sed propter spem regni cælorum, vt *ἀπερισπάστως* Deo adhæreant & seruiant hoc in sæculo, & in altero singularem regni cælorum coronam mereantur. Hi sunt ij qui Deo dante capiunt non expedire nubere, & soli, inter eunuchorum varia genera, laudabiles sunt studio castitatis, merenturque præmium. Sed ne quis obijciat, impossibilem esse spontaneam huiusmodi sui ipsius castrationem, eâdem hac variorum eunuchorum enumeratione in hunc ferè modum possibilem esse ostendit. *Cogita tecum* (Chrysostomi sunt verba) *si aut à natura eunuchus esses aut iniuria hominũ effectus, quid faceres, cum & huiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia rutilantesq́ue coronas habebis, si ita viues quemadmodum sine aliquo illi præmio: immo verò multo faciliùs, tutiùs atque iucundiùs, tum quia spe retributionis corroboraris, tum quia conscientia virtutis gaudes, & adhuc non ita ingentibus cupiditatis fluctibus iactaris. Non enim sic amputatio membri, quemadmodum rationis frænum, immo vero sola ratio huiusmodi fluctus comprimit. Non enim à cerebro aut à lumbis illum inquietissimum æstrum proficisci dixerim, sed à lasciuia mentis & cogitationis neglectu.* Hæc Chrysostomus. QVI. quicumque s. à nuptiis liber. nam coniuges alligati sunt sibi inuicem. POTEST CAPERE s. vt seipsum castret propter regnum cælorum, quemadmodum tertium hoc eunuchorum genus. Potest autem capere, cuius voluntas, Deo adspirante, tam firma est in amore castitatis, vt non facilè ipse succumbat libidinis æstibus si quando exoriantur, & quiduis agere patique paratus sit ad illos domandos castitatemque tuendam; orationem, ieiunium, cilicium, fugam, cordis custodiam, cæteraque huiusmodi adhibere, mortem denique, si opus sit, pati. Non enim de quacumque hîc agitur potestate, quasi aliqui castitatis non sint capaces aut impossibilis aliquibus sit castitas (cùm enim omnes simpliciter Saluator hortetur, omnes simpliciter posse significat) sed de potestate voluntatis, qua illi posse aliquid dicuntur, quibus est voluntas firma constans ardensque ad faciendum aliquid, eiusmodi quæ non facilè cedat contrariis; illi non posse, quibus voluntas, aut præ timiditate nulla est, aut præ infirmitate eiusmodi quæ leui impulsu in diuersa feratur. Huiusmodi loquendi modo dicat imperator militibus suis, si quis ex hostili exercitu prodeat hostis: Qui potest hunc hostem vincere, vincat. Ille itaque potest capere, qui verè efficaciter atque ardenter vult à nuptiis continere, eaque conferre quæ ad parandam seruandamque continentiam necessaria sunt: ille non potest, qui ardenter amat nuptias vel extra nuptias impudicitiam, aut eo se gerere vult pergitque modo quem castitatis studium vel omnino vel non facilè admittit. Quare excitatiua sunt hæc Saluatoris verba *Qui potest capere*, vt si nondum velit quis aut nondum omnino ardeat capere, segnitiem tandem excutiat, vires exserat, proculque abijciat omnem animi affectionem dispositionemque repugnantem, & adlaboret vt capiat Dei gratia adiuuante. Nam qui congrua vitæ institutione, syncero ardentique castitatis ac perfectionis amore, & constanti de Dei adiutorio concepta fiducia, instructus fuerit, etsi corpus non parum rebelle patiatur, non ille præsumit si persuadeat sibi se capere posse. CAPIAT. seipsum castret, seruet virginitatem illibatam,

tam, aut, si ea deflorata est, castitatem extra nuptias. *Capiat*, magnum enim accipiet bonum, illustrem carpet virtutem, eximia regni cælorum corona augendam. Neminem cogit Saluator nuptiis abstinere, quòd res sit natura sublimis, sed virginitatem castitatemque nuptiis præfert, & propositis regni cælorum premiis hortatur omnes, vt corpora sua, adhibito virginitatis aut continentiæ voto vel certè firmo proposito, sponte castrata, Deo consecrent, sanctique & corpore & spiritu Domino seruiant. Saluatorem sequutus Apostolus 1.Cor.7.v.35. *Hoc*, inquit, *ad vtilitatem vestram dico, nō vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obseruandi.* *Ita magis animat atque incendit*, ait Chrysostomus, *vel quia magnitudinem virtutis ostendit, vel quia inæstimabili misericordia sua noluit rem in necessitatem legis concludere: & ad hæc possibile id esse monstrat, vt eligendi cupiditas crescere possit.* *Palma proposita est*, ait Auctor operis imperfecti: *qui concupiscit gloriam non cogitat de labore. Nemo vinceret si omnes periculum timerent. Ex eo quòd quidam non possunt, & a proposito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores; sed cadentium negligentiæ imputare, non difficultati virginitatis.* D.Hieronymus lib.1. in Iouinianum cap.7: *Proponit*, inquit, *ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad cursum, tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit veniat & bibat. qui potest capere capiat, vincat, superet, & triumphet. Non dicit velitis nolitis bibendum vobis est atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum: maiorisque gratiæ est offerre quod non debeas quam reddere quod exigaris.* hæc ille. Peruersè mireque hoc loco ludunt hæretici, Christi Apostolos, & cum Apostolis Hieronymum nominatim, traducunt vt iniurios sacro illi Dei dono coniugio, cælibatus electionem dicunt non esse positam in hominum arbitrio, non magis cælibem castitatem cuiuis à Deo petendam quàm perpetuam à cibo abstinentiam; eum cui datum fuerit agere cęlibi, vltrò à coniugio abhorrere, alios omnes qui à coniugio abhorrent, sacrilega audacia, gigantum more, cum Deo pugnare, cælibatum non esse virtutem nec meritorium vitæ æternæ, sed conducere dumtaxat ad regnum cælorum prædicandum, denique eius loco quod ad castrationem sui Christus hìc vnumquemque adhortatur, ipsi id ferè solum inculcant, minimè spernendum esse coniugij vsum, nisi cæca temeritate nos in exitium præcipites dare velimus. Hæc Bucerus & Caluinus scortatores castrati, non tam veritatis quàm sacrilegij sui tuendi consilio eructarunt, ita absurda, vt si seipsa non refellant, solido eo quem dedimus loci commentario abundè refutentur.

Mar.10.v.13. Luc.18.v.15.

Tunc oblati sunt ei paruuli, vt [13] manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem increpabant eos.	τότε προσηνέχθη αὐτῷ παιδία, ἵνα τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς καὶ προσεύξηται· οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτοῖς.

Tunc temporis. Oblati sunt à parentibus haud dubium aut nutritiis. Ei è domus penetralibus prodeunti, verisimile est, cùm sciret se ad fores exspectari. Paruuli. *παιδία* puerulı. Lucas infantes. Infantia primo ætatis septennio definitur. Vt manus eis imponeret et oraret. vt orans manus ipsis imponeret, vel, vt impositis manibus oraret pro ipsis, quod est, vt benediceret eis. est enim hæc descriptio benedictionis, à ritu sumta: nam vetus & celebre benedicendi symbolum apud Iudæos, manuum impositio erat cum oratione coniuncta. Acceperant porrò hunc morem à patribus Iudæi, vt viris officio aut virtute claris, pueros manuum impositione benedicendos offerrent, non sine subsequuta frequenter manifesta Dei adspiratione. sic Ioseph obtulit Iacobo patri filios suos Ephraim & Manassen. Gen.48.v.13. 14.15. Itaque Iesu, vt prophetæ Dei, insigni sanctitate conspicuo, puerulos offerunt isti, adhibitis manuum impositione & oratione benedicendos: quamquam & alia ratione moti fuisse videntur. Viderant manibus à Iesu impositis ægrotis, & dæmones & morbos frequenter pulsos (vide Luc.4.v.40.) confidunt itaque infantes à malis huiusmodi tutiores fore, si manus illis Iesus dignetur imponere. Sed quia non virtuti in ipso Iesu sitæ attribuunt sanationes illas, sed Deo à quo ille propter eximiam vitæ sanctimoniam quiduis impetret, ideò non tantùm illud petunt vt imponat illis manus, verumetiam vt oret pro ipsis Deum; oret autem, vt præseruentur à malis & adolescant feliciter in viros bonos. Increpabant obiurgabant, prohibebant eos offerentes sic enim disertè Marcus, vt minùs honorificè Dominum obseruantes, & molestos re, indigna eo, cui, non cum pueris, sed cum viris, turbis ac populis sacrum esset continuumque negotium. Existimant indignum auctoritate dignitateque Iesu cum pueris agere, in pueris occupari: dispensationem ipsius putant longè sublimiorem quàm cui possit vel debeat esse negotium cum infantibus. Hac ratione abigunt offerentes, immò etiam increpant illos, tamquam admittentes rem indignam Iesu, & parùm magnificè de ipso sentientes, cuius operam non ad humilia huiusmodi sed ad sublimia deberent petere. Si paruuli isti ægroti fuissent, fortè non repulissent eos (neque enim repulerunt adultos insanos rationisque vsu carentes) sed quia in sanis nulla ipsis apparebat occasio declarandæ virtutis diuinæ, & infantes nullius erant doctrinæ capaces, non videbant quamobrem Christo offerri aut à Christo benedici deberent. Nondum intelligebant munus Christi, à maximo ad minimum vsque perire omnes necesse esse, quos non seruaret redemtor mundi Christus, suæque gratiæ participes faceret.

Mar.10.v.14. Luc.18.v.16.

Iesus verò ait eis: Sinite paruulos [14] & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum.	ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν· ἄφετε τὰ παιδία καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με. τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

Paruulos. *τὰ παιδία* puerulos. Et nolite eos prohibere. *καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ* & ne prohibete eos, ne impediatis eos. Repetitio vehementiam declarat. Ad me venire. Referendum est hoc ad vtrumque, ad *sinite* & ad *ne prohibete ad me venire* s. vt benedicantur. Puellos qui per ætatem nondum ipsi poterant siue pedibus siue affectibus venire, ad se venire reputat quando à parentibus aut amicis fide duce ipsi offeruntur. Talium est enim. Dat rationem quare arceri à se infantes nolit: quia *talium* s. si

modò

modò ad me venerint & à me fuerint benedicti. *Talium*, id est, eorum qui tali conditione sunt præditi quali paruuli, quod est ipsorum paruulorum, & eorum qui paruulos simplicitate Christiana imitantur. Non enim dicit istorum, sed *talium*, non quod excludat pueros à quibus facit initium, sed quòd concludat simul adultos eos qui pueris similes sunt, qui *paruuli sunt non sensibus sed malitia* (1.Cor.14.v.20.) ac signanter superbia, qua Apostoli moti repulerant pueros abs Iesu. Occultè itaque arguit suos tamquam nondum à fastu alienos, & proinde necdum idoneos regno cælorum, quippe qui, puerulis qui neminem contemnunt dissimiles, puerulos abiiciant & contemnant. Itaque puerorum inprimis dicit esse *regnum cælorum*, eorum inquam qui ab ipso Christo mundi saluatore fuerint benedicti (nec enim per se sufficit illa naturæ ætatisve simplicitas) deinde & eorum qui puerulis sunt similes (quales vt se reddant, submonet Apostolos) qui tales sunt virtute, electione inquam voluntatis adiutæ gratia ipsius, quales pueri ingenita natura, qui scilicet humiliter de se sentiunt, honores non ambiunt, alios omnes sibi præponi æquanimiter patiuntur, neminem fastidiunt aut contemnunt, superioribus citra obloquium credunt atque obtemperant, læsi vindictam non expetunt, iram non fouent, vitia ignorant, casti sunt, puri sunt, innocentes denique, simplices, candidi. Omnis enim animi præparationis ad regnum cęlorum Christi gratia obtinendum exemplum est puerilis simplicitas. Ad hanc refingi oportet superbam hominum malitiam, eorum qui adulti in illius virtute non perseuerarint, si velint admitti in regnum cælorum. Non itaque ætas puerilis præfertur ætati adultæ, sed virtus vitio, adultorumque ornamentum esse docetur puerilis innocentia. REGNVM CÆLORVM. æterna felicitas, cuius ego annunciator, promissor, possessor, & largitor sum. q. d. Non enim existimare debetis indignum me esse cum pueris agere, infantibus manibus impositis benedicere, postquam regnum illud cęlorum, cuius gratia omnia à me fiunt vt homines eò adducam, non alij obtinebunt quàm puerul, quos ad me venisse & benedictionem à me consecutos fuisse contigerit. Ætate pueri, modò benedictione mea impetrata, iam nunc idonei sunt regno cælorum. Vos adulti, qui iam diu mea præsentia ac benedictione fruimini, nondum idonei estis, sed vt idonei fiatis, & cæteri quicumque alij, æmuli reddamini oportet puerulis simplicitatis humilitatis, atque innocentiæ. Minimè itaque à mea benedictione repellendi sunt, qui quales inpræsentiarum sunt vitæ conditione, apti sunt regno: quosque dum aspicio seu contrecto, specimen contemplor omnium electorum Dei, qui futuri sunt hæredes regni mei. Discant hîc parentes, magnam gerere solicitudinem paruulorum liberorum, quos vident Domino tam esse charos, præcipuè autem curare, ne, dum excedunt pueritia, & innocentia excedant.

καὶ ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας, ἐπορεύθη ἐκεῖθεν. 15 Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde. *Mar.10. v.16.*

ET. itaque. IMPOSVISSET. Lege Luc.4. v.40. rationes impositionis manuum. EIS paruulis. MANVS viuificas, tamquam virtutem suam incubantem, diuinæ virtutis illapsu salutem illis augens corporis animique, occulta virtute infusa sanctificans ac Deo Patri commendans illos & consecrans vt inter Dei filios reciperentur. Hoc quidem beneficium nuper per circumcisionis Sacramentum ipsis contulerat: nihilominus, postquam ipsi offerrentur, iam illud per se ratum habet, & firmius etiam statuit, donaque donis cumulat, non minus quàm si illis conferret Baptismi Sacramentum: quod etiam ipsum tamen non idcirco isti postea neglexerunt. Beati paruuli quos suæ benedictionis gratia Iesus auxit: non dubium quin hi omnes euaserint in viros sanctos ac præclaros. Docetur hîc manifestè etiam ad infantilem ætatem Christi gratiam extendi, nimisque fore crudele à redemtionis gratia ætatem illam arcere. Non addidit Euangelista *&* *orasset*, quia illud ex errore postulatum fuerat. ABIIT INDE. ἐπορεύθη ἐκεῖθεν profectus est illinc s. aliò.

καὶ ἰδοὺ εἷς προσελθὼν εἶπεν αὐτῷ· διδάσκαλε ἀγαθέ, τί ἀγαθὸν ποιήσω ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον; 16 Et ecce vnus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam? *Mar.10. v.17. Luc.18. v.18.*

ECCE. Attentionem parat Euangelista nouæ historiæ. VNVS. quidam. cupiens doceri qua ratione pueris se persimilem redderet. ACCEDENS ad abeuntem. MAGISTER BONE. Huiusmodi elogiis & blanditiis salutari solent Sapientes Hebræorum à discipulis, captandæ beneuolentiæ causa. Significabat itaque hac præfatione adolescens, se Iesu doctrinam libenter velle amplecti. QVID BONI FACIAM. Ponit iste faciendum aliquid esse vt obtineas vitam æternam: ponit iterùm nihil mali faciendum esse; vtrumque rectè: vt enim non manet vita ęterna malè agentes, ita neque otiosos seu nihil agentes: quamquam satis sit mali, nil fecisse boni. Quærit itaque *Quid boni faciam*, id est, quid boni doces mihi faciendum. VT HABEAM. vt promerear, vt assequar. VITAM ÆTERNAM. vitam æternò beatam (nam quæ æternò misera est, mors esse censetur, non vita) regnum cælorum, quod tu prædicas & promittis. Vtilissima quæstio, præ se ferens coniunctam eam obediendi promtitudinem quam desideres. *Audierat credo* (ait V. Beda in Marcum) *iste quæsitor vitæ æternæ à Domino, tantum eos qui paruulorum sint similes, dignos esse introitu regni cælestis: atque ideò curam gerens tractatus certioris, poscit sibi, non per parabolas, sed apertè, quibus operum meritis vitam æternam consequi possit, exponi.*

ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ· τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός· εἰ δὲ θέλεις εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωήν, τήρησον τὰς ἐντολάς. 17 Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? vnus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Mar.10. v.18. Luc.18. v.19.*

QVID. quare. ME. tamquam bonum. dixerat enim: *Magister bone.* INTERROGAS DE BONO

quod

quod facias vt obtineas vitam æternam? Græcè est λέγεις ἀγαθὸν *dicis bonum*: verùm hoc Marci & Lucæ, illud Matthæi proprium esse, docemus in Notis ad varietates græcas. VNVS solus. BONVS cuius natura sit bonitas, absoluta, perfecta, independens, immutabilis, fons atque origo omnis eius quæ alibi reperiatur bonitatis. DEVS. nempe Deus. Ille solus laudari meretur vt perfectè bonus, & ab illo solo petendum est omne bonum, illud signanter quo ad vitam æternam perueniatur, quod, absque illo, vt à nullo magistro doceri, ita à nullo discipulo præstari potest. Mens erat adolescentis quàm posset honorificentissimo titulo ornare Christum, quò eius iniret gratiam: nec tamen aliud quàm bonum boni magistrum seu doctorem appellabat, nihil vltra nudum hominem de illo sentiens. Iesus volens adolescentem studiosum salutis suæ ad perfectam in se fidem tacitè adducere, & illius ac præsentium discipulorum suorum mentes erigere, vt ipsum agnoscerent Deum, dicit solum Deum esse bonum, tacitè inferens se Deum esse si magister bonus sit, rectéque adolescentem dicere, si quod dicit intelligit; dicit inquam solum Deum esse bonum, qui scilicet ipse sit cum Patre & Spiritu sancto, cui collati homines laudem bonitatis non mereantur, & à quo solo proficiscatur cùm doctrina bona, tum opus omne bonum. *Non enim bonitatis testimonium renuit*, ait Hieronymus, *sed magistri absque Deo exclusit errorem.* Inter alia itaque, ad fidem doctrinæ habendam submonetur adolescens, qui tametsi aliquo credendi obediendique affectu imbutus accesserat, vult tamen eum Christus altiùs conscendere, vt Deum ipsum esse credat, ipsique vt Deo obediat, cui propria est laus boni, eiusmodi quæ non debeat referri in alium, vel alterius seruire laudi. SI AVTEM. Non exspectat Iesus responsum adolescentis quòd ad laudem bonitatis, ne videatur laude illa delectari animo, desiderareque vt confirmet adolescens etiam magis quod semel dixerat: sed obiter laude illa reiecta in Deum, quem se esse intelligentibus insinuarit, pergit satisfacere propositæ quæstioni. VIS. A voluntate hominis pendet introitus in vitam: quam nullus quidem non vult, sed pauci volunt ea voluntatis efficacitate qua faciant quæ Deus requirit. AD VITAM æternam. Quam iste dixerat *vitam æternam*, Iesus absolutè *vitam* vocat: nec enim aliam dignatur vitæ nomine, siue mortalem istam, siue reproborum immortalem. *Considerandum itaque* (quod ait Augustinus serm. 17. de verbis Domini) *quantum amanda sit æterna vita, quando sic amatur misera ista & quandoque finienda vita.* INGREDI. vide suprà 5. v. 21. & 18. v. 8. SERVA obserua MANDATA Dei, obedias præceptis Dei solius boni. Præcepta Dei viam monstrant ad vitam, docent bonum quod faciendum est ad consequendum vitam æternam. Illorum custodia virum puerulo similem reddit & aptum regno cælorum. *Mandata* autem dicit, non aliqua tantùm, sed omnia procul dubio. Obserua aduersus hæreticos, Euangelium non esse nudam & absolutam promissionem vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum Dei, nisi quatenus, quod D. Prosper docet, & ipsa mandatorum Dei obseruatio Euangelio promittitur. Porrò vt est necessaria obseruatio mandatorum Dei ad obtinendum vitam, ita est & sufficiens: quamuis non ea cognoscere sufficiat ad hoc vt valeas obseruare, sed fide & gratia opus sit mediatoris.

Mar. 10. v. 19. Luc. 18. v. 20.

Dicit illi: Quæ? Iesus autem dixit: [18] Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices,	λέγει αὐτῷ, ποίας; ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπε, τὸ, οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις,

QVÆ mandata? nam ποίας græcè, quod de qualitate propriè quærit, accipiendum est pro τίνας quod de substantia quærit. Persuasus erat à Iesu nouo doctore regni cælorum noua mandata discipulis ac sectatoribus proponi: Iesus autem Legis mandata illi enumerat, quam non soluere venerat sed implere. NON HOMICIDIVM FACIES. τὸ articulus qui græcè præponitur, seruit iis quæ τεχνικῶς seu materialiter accipiuntur, quemadmodum ea quæ hîc ex Lege recitantur. οὐ φονεύσεις *non occides*. Futurum indicatiui loco imperatiui, hebraico idiomate, pro ne occidas seu homicidium facias: quæ ratio & in cæteris hîc laudatis præceptis locum habet. Est autem Iesu responsio: Non alia mandata quàm illa Dei digito in tabulis duabus scripta & à Mose è monte allata, quæ tu nosti prout Israëlitæ omnes, ex quibus sunt, *Non homicidium facies, Non adulterabis &c.* vt ne arbitreris me aliena à Lege requirere. Illorum enim obseruatio, cùm hominem interiùs exteriusque, ita vt iustum est, componat, reddit eum dignum vita. NON ADVLTERABIS. οὐ μοιχεύσεις *non mœchaberis*, vt alibi vertit. NON FACIES FVRTVM. οὐ κλέψεις non furaberis.

Mar. 10. v. 19. Luc. 18. v. 20.

Honora patrem tuum & matrem [19] tuam, & diliges proximum tuum sicut teipsum.	τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου, καὶ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

HONORA. Quatuor præceptis negatiuis tangentibus proximum, addit vnum affirmatiuum, & quidem illud ordine ac reipsa primum. ET s. quo omnia de proximo præcepta concluduntur, DILIGES PROXIMVM &c. Ne longior sit in enumerandis iis quæ cœperat secundæ tabulæ præceptis, dat tandem illud *in quo omnia instaurantur* seu recapitulantur, quo modo Apostolus loquitur Rom. 13. v. 9. Sub præceptis autem secundæ tabulæ, synechdochicῶς intelligi vult primæ tabulæ præcepta, quibus homo rectè & vt oportet se habere iubetur erga Deum. nam si illa quibus diligitur proximus necessaria sunt ad obtinendam æternam vitam, multo magis ista quibus diligitur Deus, cùm longè deuinctior Deo sit homo quàm proximo. Illa autem potiùs recensuit quàm ista, non quòd illa istis potiora sint, sed quòd illa homini & faciliora & notiora sint, de quorum obseruatione facilius sit homini iudicare, quàm de obseruatione istorum, in interiori animi affectu magis quàm in opere exteriori consistente. Nam qualis sit cuiusque animus, ex charitatis erga proximum operibus facillimè perspicitur.

λέγει

λέγει αὐτῷ ὁ νεανίσκος· πάντα [20] ταῦτα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου· τί ἔτι ὑστερῶ;

Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deeſt?

Mar. 10. v. 20. Luc. 18. v. 21.

ADOLESCENS. iuuenis vir aut certè ætati virili proximus. OMNIA HÆC & cætera Decalogi mandata. Nouerat adoleſcens neutiquam ſufficere vt aliqua, niſi omnia mandata ſeruarentur. CVSTODIVI hactenus pro virili. A IVVENTVTE MEA. vide Notas ad varias lectiones. Iuuentutis autem nomine pueritia intelligitur: quemadmodum Syrus vertit ܡܢ ܛܠܝܘܬܝ *men talioutbi* à pueritia mea: nam adoleſcentis iuuentus alia eſſe non potuit quàm pueritia, cùm iuuentus propriè accepta ſupra adoleſcentiam ſit. Ab ineunte ætate, ex quo cœpi vti ratione, caui pro viribus ne quod Dei mandatum tranſgrederer. Rarum iuuentutis exemplum, obſeruaſſe præcepta Dei. Nam etſi non omni fortaſſis ex parte illud verum eſſet, tamen non arroganti ſed ſimplici ac proficiendi ſtudioſo animo dixit: nec minus ipſi concedi poteſt, quàm quòd iuxta vulgarem Scribarum interpretationem mandata ſeruarit, nullo cuiquam damno illato, & vulgaribus charitatis officiis exhibitis, probus bonæque indolis adoleſcens. DEEST vt habeam vitam æternam? vidêris enim & alia requirere præter illa vulgaria, cùm minimè vulgaris doctrina tua ſit. q.d. paratus ſum & alia & plura præſtare, ſi oportet. Cupidum admodum ſe monſtrat aſſequendæ vitæ æternæ, & paratum ſe offert ad quæuis agenda illius gratia, minimè ſibi ſuæ conſcius imbecillitatis.

ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· εἰ θέλεις τέλειος [21] εἶναι, ὕπαγε, πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ, καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι.

Ait illi Ieſus: Si vis perfectus eſſe, vade, vende quę habes, & da pauperibus (& habebis theſaurum in cælo) & veni, ſequere me.

Mar. 10. v. 21. Luc. 18. v. 22.

SI VIS PERFECTVS ESSE. Non mendacij arguit adoleſcentem, nec vera fatetur loquutum, poſita tamen veritate, *Si vis*, inquit, *perfectus eſſe* ſ. in obſeruatione mandatorum Dei, ſiue in his quæ ducunt ad vitam æternam. Mandatorum Dei obſeruatio, inquit, per ſe ſufficit ad obtinendum vitam: ſed *ſi vis perfectus eſſe*, ſi non qualibet mandatorum Dei obſeruatione contentus es, nec quolibet æternæ vitæ gradu, ſed ad ſublimiſſimum adſpiras, paratus quàm exactiſſimè teipſum in cuſtodia mandatorum Dei exercere, vt præ te fers & decet diſcipulum meum, VADE &c. Proponit Ieſus adoleſcenti, paupertatis ſpiritu ſiue voluntariæ, cuius ſuprà 5. v. 3. proprium præmium eſſe definiuit regnum cælorum, abſolutiſſimam formam, vt, vel amplectatur illam, vel intelligat quid vitij in ſe lateat, amor ſcilicet diuitiarum. *Si vis* inquit. Perfectio vitæ Chriſtianæ ita eſt donum gratiæ Dei, vt ſit & opus voluntatis noſtræ *Perfectus eſſe*. Non dicit *diſcipulus meus eſſe*, quemadmodum Luc. 14. v. 33: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; nec *ad vitam ingredi*, vt mox; ſed *perfectus eſſe*, vt doceat, alia mandata ſeu præcepta eſſe, quorum obſeruatio neceſſaria ſit ad vitam ſeu ſalutem obtinendam; alia conſilia, quorum obſeruatio tum ad huius tum ad æternæ vitæ gradum perfectiorem adducat, ex quibus ſit facultatum alienatio. eam proinde conſulit ad perfectionem, non præcipit vt neceſſariam ad ſalutem, interprete etiam Apoſtolo Petro Act. 5. v. 4. Cæterùm non in ipſa diuitiarum alienatione propriè conſiſtit vitæ perfectio, ſed in ſequela Chriſti, quod mox dicemus, in exactiſſima mandatorum Dei, ac præſertim duorum illorum charitatis in quibus tota Lex pendet & prophetæ, obſeruatione: ad quam quidem momentum magnum adfert diuitiarum proiectio. Si vis, inquit, ad perfectionem eniti, & exactam puerilem ſimplicitatem obtinere, quæ proxima ſit regno Dei ſubeundo, vt, omni non ſolùm ambitione ſed & cupiditate liber, Deo te permittas totum, *Vade* domum. VENDE magno conſtantique animo. (Non caret ſua emphaſi coniunctionis omiſſio.) Hoc iis dicitur, qui res ſuas in ſua habent poteſtate: aliis dicitur *deſere*. QVÆ HABES. σου τὰ ὑπάρχοντα ea quę ſunt tibi, id eſt, facultates & bona tua. Syrus *poſſeſſionem tuam*. Hæc cura ſui retardant vitæ accipiendæ facultatem, tibique vehementer impedimento ſunt, non quòd in ſe mala ſint, ſed quòd facile ſit illis plus æquo adhærere. DA. pretia accepta diſtribue, non paulatim, ſed ſimul & ſemel, ita vt, ſemel omnibus diuitiarum oneribus, curis, atque affectibus expeditus, nudus remaneas. Hic ſummus eſt perfectionis gradus in hoc genere virtutis: *nam paulatim fructus poſſeſsionum ſuarum pauperibus diuidere, ſecundus aut tertius gradus eſt: quem & nos recipimus* (ait libri aduerſus Vigilantium capite 5. Hieronymus) *dummodo ſciamus prima ſecundis & tertiis præferenda*. *Da* inquit, non diuitibus conſanguineis, ne non tam abs te abieciſſe quàm apud illos recondidiſſe iudiceris, ſed *pauperibus*, qui breui conſumturi ſunt in neceſſarios vitæ vſus, nec habent quod retribuant. Non quouis modo abiici aut diſſipari ſuadet bona, ſed ita vt vtilitatis adferant pauperibus aliquid, quorum duram mitigent inopiam; tibi plurimum, qui diuitiarum contemtum liberalitatis virtute cumules. Cæteroqui enim, diuitias abiicere, virtus non eſt, ſed vana potiùs ambitio. Aptè ſuadetur, occulto amatori diuitiarum, manifeſtus diuitiarum contemtus. ET HABEBIS. Quare non tuæ tibi peribunt diuitiæ, ne fortè id metuas; ſed fiet, vt loco theſauri quem diſpenſas in terra, colligas tibi ipſe & recondas THESAVRVM longè pretioſiorem, cui collatus tuus ille nihil ſit, ampliſſimum inquam ſolidorum ac meritò diligêdorum bonorum aceruum, quem ſeruatis diuitiis non ſis habiturus, qui tutiſſimè tibi adſeruetur certiſſimeque te maneat IN CÆLO, Deo illum tibi parante adſeruanteque, qui ſibi à te putat præſtitum quod feceris pauperibus. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis*, inquit Sapiens Prou. 19. v. 17. Proprium præmium rerum in pauperum vſus diſperſarum eſt theſaurus in cælo, dum, *iactura terrenæ ſubſtantiæ*, quod ait Hilarius, *cælorum opes emuntur*; nec quæuis illæ, ſed ſummæ, ſublimiſſimæ, ac copioſiſſimæ. vide ſuprà 6. v. 19. 20. Hoc autem tamquam parentheſin interiicit ſententiæ ſuæ Saluator, quò leniat eius quod exigit operis aſperitatem. *Quoniam*, inquit Chryſoſtomus, *cum magna illi cura de pecuniis eſſet, cunctis ipſum denudari rebus conſulebat; vt oſtendat non amiſſurum bona ſua, ſed tanto plura maioraque inuenturum, quanto cælum terra præſtabilius eſt, retributionis præſtantiam theſaurum appellauit,*

pellauit, simul & abundantiam & stabilitatem atq; incorruptibilitatem præmij, vt fieri poterat, humano verbo signanter exprimens. Quare non putemus (quod ait è sanctis quidam) *si mundum despexerimus, grandia nos abdicasse, cum tota terra cæli comparatione sit breuissima: nec etiamsi toti terræ dominantes ei abrenunciaremus, dignum quid esset comparatione regni cælorum.* ET VENI. pauper terrenis rebus (te enim quæro, non tua) liber curis, spe omni seculi abiecta. SEQVERE ME vitæ ducem atque auctorem. indiuidua vitæ societate mihi adhæreto pauperem agenti vitam, & obseruato imitatorque doctrinam & vitam meam, contemtum diuitiarum, paupertatem, patientiam, humilitatem, castitatem, & virtutes cæteras, erisque discipulus meus non vulgaris sed consummatus. Hac oratione significabat Iesus respiciendum ad se tamquam verum ducem ad vitam regnumque Dei, in cuius sequela seu imitatione potissimùm consisteret vitæ perfectio. Ipse, qui perfectissimè omnium dilexit Deum & proximos, totius perfectionis exemplar est, ita vt quo quis ad ipsius vitam propiùs accedit, integriusque diligit Deum & proximum, eo sit perfectior. Vt autem ad sequendum proximè Christum adducaris, plurimum iuuat omnibus mundi diuitiis se expediuisse, rarusque assequitur perfectionem qui id non fecerit: quandoquidem diuitiæ plurima secum adferant, non tantùm perfectionis, sed & salutis impedimenta, quod quidem Christus versibus 23. 24. & 26. proximis declarat. Diuitiæ, cùm ad fiduciam ac amorem sui animum possidentis trahant, & teneant variis affectibus curisque vitiosis obnoxium, mirum in modum præpediunt liberam charitatis actionem. At pauperis, & signanter eius qui diuitias sponte Dei causa dispertit, animus, à terrenarum rerum fiducia amoreque abstractus, liberè fertur ad diligendum Deum, à cuius totus prouidentia pendet, totum se permittens Deo, reiiciensque in diuinam prouidentiam, relicta cogitatione rerum humanarum. Nec enim semel reliquisse diuitias sufficit, sed neque ampliùs quærendæ aut concupiscendæ sunt, si perfectus pauperem sequêris Iesum: nam cupiditate irrequietus animus vacare totus nequit amando Deo. Quare Augustinus quæstione 36. inter 83: *Charitatis,* inquit, *venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum eius est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.* Quod cùm ita sit, cùm nolit inquam Iesus redire ad opes mundi eum qui semel Dei causa opes reliquerit, sed abiicere eum velit etiam eas quas habere possit, omne inquam ditescendi desiderium, haud obscurè hîc, non paupertatem tantùm, sed & paupertatis votum suadet.

Mar. 10. v. 22. Luc 18. v. 23.

Cùm audisset autem adolescens [22] verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

ἀκούσας δὲ ὁ νεανίσκος τὸν λόγον, ἀπῆλθε λυπούμενος· ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά.

VERBVM hoc. *τὸν λόγον* hunc sermonem. Syrus *sermonem istum.* de venditione rerum omnium ad assem & erogatione in pauperes. ABIIT. reliquit doctorem Iesum, nihil amplius interrogans. TRISTIS. *λυπούμενος* tristis factus. tacitus ac mœrens deiectus animo. Non indignatus est, non obmurmurauit, non derisit sermonem Iesu, quod Pharisæi Luc. 16 v. 14. (venerat enim discendi obtemperandique animo) sed contristatus est. Iam alacrem ac paratum se declarauerat facere quidquid tandem requireret Iesus ad assequendam etiam vitæ perfectionem, quam facilè quoque desiderabat: sed audiens se moneri vt diuitias abiiciat, rem iudicat duriorem & grauiorem præscribi quàm vt ipse præstare queat; itaque fit tristis & abit, tum quòd desperaret se posse hunc perfectionis gradum conscendere, tum quòd verecundia afficeretur, non respondens ei promtitudini obsequendi doctrinæ Iesu quam mox præ se tulerat. ERAT ENIM HABENS. habebat enim. Redditur ratio quare tristis abierit. MVLTAS. *Non pariter certè*, ait Chrysostomus, *hac passione opprimuntur, qui pauca possident, & qui magna rerum copia obruuntur.* Et Victor Antiochenus in Marcum: *Non tanta vi detinentur, neque tanta potentia à perfectionis studio abstrahuntur, qui pauca in bonis habent atq; illi qui magna opum copia affluunt.* Si res huic fuisset angusta domi & curta supellex, vt Petro, Andreæ & filiis Zebedæi; cùm non deessent ipsi semina pietatis, non minùs facilè fortassis vocantem Iesum sequutus fuisset atque illi. POSSESSIONES. *κτήματα* facultates, bona. Ad verbum *κτήματα possessiones* reddas: sed minùs latè patet Latinis vox possessionis quàm Græcis *κτημάτων*. Illis enim possessio fundos tantùm declarat, quum *κτημάτων* appellatione intelligatur quidquid ab aliquo possidetur, sint fundi, sint pecuniæ, sint thesauri, sint alia. Habebat igitur hic bona seu facultates multas, quas scilicet, cùm in eis collocaret fiduciam suam, impensè diligebat, nec commutare paratus erat cum thesauro cælesti. Nam, quod B. Augustinus annotat Epistola 34., arctissimè diliguntur diuitiæ acquisitæ, longè etiam magis quàm concupitæ: eoque arctius ac tenacius est vinculum, quo diuitiæ sunt ampliores. Hîc itaque manifestum factum est quid adolescenti defuerit, quid vitij latuerit in ipsius animo, quo, si non ab omnimoda, certè à perfecta, ad quam videbatur adspirare, adeoque à facili mandatorum obseruatione præpediebatur. Cùm enim diuitias bonaque plurima haberet, durum censebat illis omnibus se exuere, semel vniuersa relinquere, & pauperem adhærere pauperi Iesu. Quamquam verò non id ipsi absolutè præcepisset Iesus, sed dumtaxat si perfectus esse vellet: ita tamen attonitus est eo consilio audito, vt mox, tristis quidem, sed tamen reliquerit Iesum, veritus ne pluribus ad diuitiarum proiectionem aut contemtum conaretur ipsum Iesus pertrahere. *Cum magna*, inquit Chrysostomus, *Christum lætitia adiisset, ita suffossus atque obrutus fuit, quia eiiciendam pecuniam esse audiuit, vt nec respondere quidem potuerit, sed tristitia ac mæstitia pressus discesserit.* Cæterùm non dicitur, detrectasse eum seruare mandata, vt haberet vitam æternam: quemadmodum an non reuersus aliquando postea fuerit ad Christi scholam, factus vnus ex eius discipulis, si non perfectissimis illis, qui reipsa, at mediocribus, qui affectione diuitias proiiciunt, incertum est: nisi fortè, cum ętate crescens, vt solet, diuitiarum amor, tandem ipsum penitus obruerit.

Mar. 10. v. 23. Luc. 18. v. 24.

Iesus autem dixit discipulis suis: [23] Amen dico vobis, quia diues

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι δυσκόλως πλούσιος

πλούσιος εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

difficilè intrabit in regnum cælorum.

IESVS videns adolescentem abire mœstum, proposuit illum discipulis suis, quibus hoc spectaculum ediderat, exemplar diuitum omnium, quò intelligerent discipuli, quàm esset diuitum conditio periculis salutis plena, quamque tuta ipsorum qui sponte pauperes viuebant. Volebat enim animaduerti, illo iuuenis, cætera boni, sed diuitis, exemplo, quanto tutior sit pauperum conditio quàm diuitum, quamque expeditior ad regnum Dei petendum, quò forent admoniti discipuli recti consilij & propositi ab ipsis suscepti qui paupertatem amplexi fuerant, nequando, aut tæderet eos suæ paupertatis, aut diuitiarum amore caperentur.
AMEN. Præmittit adseuerationem ne temerè aut obiter dicere videatur. DIVES. abundans terrenis opibus, pecuniis, agris, possessionibus. quo maiores diuitiæ, eo maior difficultas. Si porrò diues difficilè; raptor, fur, auarus, nullo modo. DIFFICILE. difficulter. Non dicit impossibile esse, sed difficile: nam quod difficile est, id quamuis plerumque non fiat, fit tamen aliquando, sed cum labore. Difficile itaque est, tum quia rarum est, quod annotant Hilarius & Hieronymus, tum quia non sine labore, quod Beda in Marcum: nascitur autem raritas ex labore. INTRABIT IN. obtinebit, assequetur. REGNVM CÆLORVM. vitam æternam. Difficulter enim persuaderi potest diues vt relinquat diuitias, diuitiæ autem retentæ difficilem reddunt viam ad regnum cælorum. Non excludit Iesus adolescentem illum regno cælorum aut vita æterna, si modò mandata seruauerit: sed difficile ipsi esse docet, & cæteris omnibus diuitibus, retentis diuitiis mandata seruare, ac proinde etiam assequi regnum cælorum seu vitam æternam; subindicans consilium quod adolescenti dederat abiiciendi diuitias, non tantùm ad virtutum perfectionem & thesaurum cælestem adipiscendum valere, verumetiam ad faciliùs & seruandum mandata & obtinendum regnum cæleste seu vitam æternam. Difficile quidem & arduum est omnis generis hominibus, in militia huius vitę versantibus, obtinere victoriam & mereri regnum cælorum, sed peculiariter diuitibus: nihil enim est quod perinde à regno Dei abstrahat ac diuitiæ. Nam præterquam quòd diuitiæ plerumque teneant possessores sui variis vitiorum affectibus obnoxios, superbiæ, ambitionis, luxuriæ, gulæ, aliisque; hoc habent singulare, quod corruptum hominis animum facilè à Deo auocent & ad sui fiduciam atque amorem pelliciant. Certum est quidem diuitias per se malas non esse, neque nobis sua natura impedimento esse quo minùs seruiamus Deo (alioqui culpa in ipsum auctorem redundaret) sed impedimentum est ex vitio naturæ nostræ, dum corrupta hominis mens, defectionis à Deo ansam, ex illis accipit, rebus per se bonis. In confesso est nulla re magis Deum ab homine coli, quàm si fiduciam suam omnem in ipso collocet, & totius in ipsum cordis amore feratur: atqui diuitibus proprium est, Deo, quem non vident quamque sibi faueat nesciunt, neglecto, thesauris diuitiisque quas vident & putant se in manibus potestateque habere, suo addictas vsui si quæ ingruat necessitas famis, belli, aliáve, aut quauis re egeant, fidere, illarumque ope mala omnia à se superanda & bona acquirenda sperare (quod quidem vitij frequentissimè in sacris literis diuitibus improperatur. Psal. 48. v. 7. 51. v. 9 &c.) ac proinde beatos se illis ducere, ardenter illas amare, solicitè seruare, non facilè de thesauro diminuere, augere potiùs sitibundè per fas & nefas, & numquam iusto plus adesse posse arbitrari, tamquam eo certiùs solidiusque consistant quo largior copia suppetat. Hoc proprium est diuitum ingenium, à quo pauci vel nulli omnino immunes sunt. *Beatus diues*, ait Ecclesiasticus cap. 31. v. 8., *qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia thesauris: quis est hic & laudabimus eum?* q. d. rarus vel nullus est diues hac laude dignus, vt hoc præstiterit in vita sua. Quare & Apostolus 1. Tim. 6. v. 17. moneri iubet *diuites huius seculi ne sperent in incerto diuitiarum sed in Deo viuo* &c. vide Mar. 10. v. 24. Ob hanc igitur causam difficile esse Saluator docet diuitem intrare in regnum cælorum, quia difficile est diuitem non subiacere vitiis istis, quibus manifestum est excludi hominem à regno cælorum. *Rem seculi*, ait B. Hilarius, *famulatus Dei non sine seculi vitiis assequitur.* Docemur itaque raros esse diuites qui his vitiis non subiaceant, ac qui proinde non excludantur regno cælorum: eos verò qui non subiaceant, laboriosè colluctari, nec tamen vnquam prorsus immunes esse, ac proinde, quamuis magnis sudoribus, non eum in regno cælorum assequi locum quem pauperes, quorum, cùm nihil possideant huius seculi, facilè spes tota fiduciaq; est Dominus Deus.

πάλιν δὲ λέγω ὑμῖν, εὐκοπώτερόν 24 ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν.

Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.

Mar. 10. v. 25. Luc. 18. v. 25.

ET ITERVM. πάλιν δὲ Iterum autem, immò quod amplius est. Corrigit quod dixerat, duriùs repetens quod molliùs dixerat, quò magis terreret diuites, qui non facilè moueri adhortationibus sacris solent. FACILIVS. εὐκοπώτερον leuioris laboris ad verbum. CAMELVM, animal vastum, gibbosum, & tortuosum. Erat illud apud Iudæos vulgare, ac proinde notissimum auditoribus Iesu. PER FORAMEN ACVS sartoriæ, per foramen quod habet aut quod facit acus, minimum illud atque huiusmodi per quod vix subtilissimum filum adhibita oculorum acie transmitti potest. TRANSIRE. hominis opera. Prouerbialis ista oratio inuenitur & à veteribus Iudæorum Magistris non semel vsurpata, ad res impossibiles vel summè difficiles significandum. INTRARE IN REGNVM CÆLORVM. promereri, assequi vitam æternam. Itaque, vulgari adagio adhibito, Iesus sermonem amplificans, non tantùm difficile esse, sed & impossibile asseuerat, diuitem intrare in regnum cælorum, insigniter reprimens diuitum arrogantiam, qui cùm se quiduis suis opibus posse præsumant, quod præcipuum est minimè possint, immò totius impedimenta salutis ex opibus patiantur. Quomodo verò iam impossibile dicat, quod mox non nisi difficile dixit, explicat v. 26. subsequenti. Cæterùm quòd comparatiuo *facilius* vtitur, non intelligit impossibili magis impossibile esse,

sed

ſed hyperbole eſt, in huiuſmodi loquendi generibus vſu recepta, quale eſt illud de iis inter quos inſanabile diſſidium eſt: *Prius ouem lupus ducat vxorem*, & pleraque alia ſimilia. Porrò non ineleganter, diues turgens ac tumens opibus, cuius dorſo longæ latæque diuitiarum ſarcinæ incumbunt, quæ frequenter oneri ſunt ipſi magis quàm vſui, vt quas baiulet aliis potiùs quàm ſibi, camelo comparatur, & anguſta porta qua intratur ad vitam (de qua ſuprà 7. v. 14.) foramini acus, vt intelligas, eos quibus diuitiæ affluunt, ſuperbia faſtuque magis turgere, quàm vt ſe ad anguſtias, in quibus Deus continet ſuos, redigi ſinant. His itaque duobus verſibus docet Ieſus, diuitias hominibus maiori noxæ quàm lucro eſſe, adeoque nihil eſſe quod tantum impedimentum adferat ducendæ vitæ Deo dignæ, & aſſequendo regno cælorum: ac proinde dilucidam exponit rationem conſilij ſui Adoleſcenti dati, vendendi omnia ac dandi pauperibus; quin & rationem inſtituti ſui, quo cum diſcipulis ſuis ipſe pauper viuebat, ne illi pudori ſibi eſſe paupertatem putarent, ſcirent contrà eſſe ſaluti, & quidem ſalutis perfectioni.

Mar. 10. v. 26. Luc. 18. v. 26.

Auditis autem his diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit ſaluus eſſe?	25	ἀκούσαντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἐξεπλήσσοντο σφόδρα, λέγοντες· τίς ἄρα δύναται σωθῆναι;

MIRABANTVR. ἐξεπλήσσοντο percellebantur, obſtupeſcebant. ob doctrinam tam arduam & inſolentem, qua diuites omnes tamquam reprobi excludi videbantur regno cælorum. Notemus ſic admiratione perculſos fuiſſe diſcipulos, vt tamen non refugerint à Chriſti doctrina. Secus adoleſcens: nam ſic eum deterret ſani conſilij auſteritas, vt Chriſto relicto abeat. POTERIT SALVVS ESSE? δύναται σωθῆναι; poteſt ſeruari, poteſt ſaluus fieri? Obſeruandum eſt, diſcipulis idem eſſe ſaluum fieri, quod Ieſu intrare in regnum cælorum; quemadmodum Ieſu idem eſt regnum cælorum, quod Adoleſcenti vita æterna. Cœperant iam Apoſtoli, exemplo pietatis accepto à Domino, non pro ſua ipſorum tantùm, ſed & pro aliorum ſalute curam animo gerere, & præceptorum aſſumere viſcera, dolereque plurimùm de interitu hominum: idcirco quamuis ipſi pauperes eſſent, nec diuitias vllas affectarent, contenti Dei Chriſtique prouidentia, tamen pro aliis ſoliciti, dicunt: Si impoſſibile eſt diuites, cæterà probos, niſi relictis diuitiis, aſſequi regnum cælorum: quis ergo hominum ſaluabitur, cùm rarus aut nullus ſit diues qui diuitias abiiciat, contrà potiùs qui diuites non ſunt omnes diuites eſſe optent atque laborent (videtur certè idem animi morbus eſſe, niti diuitiis quas habeas, & deſiderare quas non habeas) & ſi diuitiæ impedimentum adferant ingreſſui in regnum cælorum, multo magis manifeſtorũ multitudo vitiorum, toto orbe tam inter pauperes quàm inter diuites regnantium.

Aſpiciens autem Ieſus dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.	26	ἐμβλέψας δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατά ἐστι.

ASPICIENS. ἐμβλέψας intuitus, cùm adſpexiſſet. *eos* addit Syrus, ſcilicet diſcipulos. Significatur Ieſus benigno intuitu ſedaſſe anxium diſcipulorum animum. APVD HOMINES. ſolis viribus facultateque hominum corruptorum, ſi humanæ tantùm vel ſcientiæ vel facultatis rationibus agatur. Hoc, ſcilicet vt camelus traiiciatur per foramen acus, & diues intret in regnum cælorum. Non demonſtrat pronomen id quod proximè dixerant diſcipuli, ſcilicet vt quis ſaluus ſit, ſed id quod antea Ieſus dixerat, quo non ſatis intellecto diſcipuli turbati fuerant. IMPOSSIBILE EST. impoſſibile eſſe intelligo. APVD DEVM, cuius celebris eſt laus ab omnipotentia. OMNIA quæ poſſe potentiæ eſt, & inter cætera transferre camelum per foramen acus, & diuitem adducere in regnum cælorum. Nam quod ad camelum, facere poſſit, vt, cameli corpore locum non occupante, ſubſtantia transferatur per foramen acus, ceſſantibus operationibus latitudinis & craſſitiei; quemadmodum in Sacramento Euchariſtiæ, facit, vt ſub ſpecie paruæ panis buccellæ Chriſti corpus contineatur, ceſſante omni quantitatis continuæ operatione. Quod verò ad diuitem attinet, potens eſt & docere & monere & multis modis atque exemplis inſtruere diuitem & allicere atque aduocare ad veram æſtimationem cùm diuitiarum mundi tum regni cælorum, id eſt, ſic mutare diuitis animum, vt, vel diuitias cauſa regni cælorum abiiciat, vel, ab amore fiduciaque omni abſtractus, legitimè diuitiis vtatur, liberaliterque earum participes pauperes faciat, ſemper paratus relinquere, ſi quando id poſtulet Euangelij negotium ſeu ratio ſalutis æternæ, atque hac ratione idoneum reddere ingreſſui in regnum cælorum. Exponit itaque hoc loco Saluator id quod obſcuriùs duriuſque dixerat, impoſſibile eſſe diuitem obtinere regnum cælorum, & ſeueritatem ſententiæ ſuæ temperat, ſic tamen vt homines in ſeipſis proſtratos recumbere doceat in vnam Dei gratiam. Docet homines ex ſe ſolis nihil facere aut adferre poſſe quo ſeruentur: cæterùm non humana infirmitate metiendam eſſe ſalutem, ſed diuina virtute, in qua ſpes homini reſtet. Quod igitur dixerat impoſſibile eſſe diuiti ſeruari, intellexerat, opibus, artibus, ſcientiis, viribus ſolis humanis: ſed quod ſic impoſſibile eſt, id poſſibile eſſe ait Dei potentia & gratia. Non quòd Dei potentia, diuitem obnoxium vitiis iis quæ diuitum ſunt propria, adducere queat in regnum cælorum (nec enim potentia Dei, Dei iuſtitiæ aduerſatur) nec quòd id faciat Dei potentia abſque cooperante diuitis voluntate, diuite ipſo nihil agente, patiente dumtaxat (*ita enim Deo*, ait Chryſoſtomus, *rem attribuit, quò virtutis præ oculis magnitudinem ponat, vt voluntati quoq; tua*) ſed quod Dei potentia diuitis immutet voluntatem ac mentem, faciatque vt deſerat ille vitia quæ priùs diligebat, & contrariis ſtudeat virtutibus à quibus antea abhorrebat. Quare ad implorandam Dei opem & gratiam, collocandamque in Deo fiduciam, diuites his excitat Chriſtus, ne deſperabundi, de aſſequendo regno cælorum, tamquam de re prorſus impoſſibili, cogitationem omnem abiiciant, certiores, quòd homo, qui ſine Deo nihil poteſt, in Deo ſe confortante poſſit omnia. Fallit igitur Caluinus, qui ex hoc loco refelli aſſerit axioma Catholicorum: *Quiſquis dixerit Legem obſeruatu impoſſibilem, anathema ſit*: non enim abſolutè dicendum eſt impoſſibile, quòd, licet ſolis naturæ corruptæ viribus fieri nequeat,

queat, fieri poteſt accedente auxilio Dei credentibus ac petentibus per Chriſtum mediatorem promiſſo paratoque. *Non impoßibilia iubet Deus* (ait Auguſtinus libri de natura & gratia cap. 43.) *ſed iubendo admonet, & facere quod poßis, & petere quod non poßis*, ab adiuturo vt poſſis. Exigit ardua & maiora lapſi hominis viribus, ſed idem addit opem vt poſſis quod iuberis. Ita fit vt quod diues non poteſt ex ſeſe, intrare inquam in regnum cælorum, id poſſit auxiliante Deo qui nihil non poteſt. Cæterùm vtile eſt ſcire quàm arduus ſit in cælum aſcenſus, tum vt conatus omnes ſuos huc vnuſquiſque intendat, tum vt ſibi quilibet diffiſus virtutem imploret è cælo. Sed quæritur, An non etiam impoſſibile ſit pauperes ſuis ipſorum viribus abſque Dei gratia intrare in regnum cælorum? procul dubio ſic ſe res habet: ſed diuitiæ peculiaria obiiciunt diuitibus ſalutis impedimenta ſuprà v. 23. deſcripta, cuiuſmodi pauperibus non obiiciuntur, propter quæ magis impoſſibile eſt diuitem per ſeipſum ſaluari quàm pauperem, & maiori potentiorique Dei gratia ad operandum ſalutem ſuam opus eſt diuiti quàm pauperi. *Dominus* (ait Victor Antiochenus in Marcum) *vt oſtendat diuiti magno diuinæ gratiæ præſidio opus eſſe, vt ad virtutis faſtigium aliquando perueniat, ſtudium hoc peculiare Dei opus appellat*. Impoſſibile itaque eſt diuitem per ſe ſolum abſque ſingulari Dei gratia ſeruari: difficile eſt autem etiam cum Dei gratia (nullam enim Saluator hac parte diſtinctionem dedit) tam quia minùs capax eſt gratiæ Dei, quàm quia validè oppugnatur in cauſa ſalutis; vtrumque, quia diuitias retinere viſum eſt: ita vt, eâdem gratia, eiuſdem paritque efficacitatis, ſuppetente diuiti & pauperi, pauper ſublimem beatitudinis gradum mereri queat, vbi diues vix mediocrem. Hæc itaque omnia eò tendunt, vt ad diuitiarum contemtum ſuos Chriſtus adducat.

τότε ἀποκριθεὶς ὁ πέτρος εἶπεν αὐτῷ· [27] ἰδοὺ ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι, τί ἄρα ἔσται ἡμῖν;

Tunc reſpondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis?

TVNC vbi ſatisfecerat Ieſus diſcipulorum ſuorum animis anxiis pro ſalute aliorum. RESPONDENS. in verba prorumpens, occaſione conſilij quod adoleſcens detrectauerat ſequi. PETRVS caput, collegarum ſuorum nomine. DIXIT EI. interrogauit Ieſum de præmio quod ſe collegaſque maneret, ob conſilium illud, quod dictabat læta conſcientia maiori ex parte præſtitum. de ſalute ſua non fuerant in metum adducti diſcipuli ſermonibus Ieſu, eò quòd manifeſtè nec eſſent diuites nec eſſe deſiderarent (niſi fortè clàm Iudas) præmium tamen adoleſcenti promiſſum non perinde ſibi ipſi promittere audebant, quòd non omnes ſua vendita diſtribuiſſent pauperibus. Quærit itaque Petrus: ECCE quod ab adoleſcente flagitas, illeque præſtare recuſat, NOS Apoſtoli tui, alacriter te iubente, ſi non præſtitimus omnes, certè quàm proximè acceſſimus. Non vendidimus quidem nec diſtribuimus omnes pauperibus, ſed RELIQVIMVS ſaltem, deſeruimus, relicta vſibus pauperum vxorum, liberorum, fratrum, ſororum, OMNIA noſtra, quidquid ſuppetebat nobis bonorum, quidquid erat amicorum, vxores, parentes, fratres, ſorores, amicos, domos, agros, pecunias, ſupellectilem, & cætera, denique quidquid etiam induſtria noſtra lucrifacere & acquirere potuiſſemus. Fuerant inter Apoſtolos quidam diuites, Matthæus inprimis, &, quæ quorumdam opinio eſt, Bartholomæus, qui ſua etiam vendidiſſe & pauperibus dediſſe potuerant: cæteri ſi non ſua omnia vendita dederant, certè reliquerant pauperibus, nec parum reliquerant, qui ſua omnia re ipſa reliquerant, plura relicturi ſi plura ſuppetiſſent (tametſi ſuum cuique maximum ſit) affectu prætereà reliquerant cogitationem & ſpem omnem terreni lucri, quæ nemini vel egentiſſimo exigua eſſe ſolet, ita vt non ſit arguendus Petrus piſcator præſumtionis ſi confidenter loquatur *reliquimus omnia*. SEQVVTI SVMVS TE. facti ſumus comites tui, inopis, huc illuc prædicandi Euangelij cauſa oberrantis, & tecum hactenus permanemus, non ſine offenſa mundi & moleſtia noſtra, ſtatuimuſque ſemper manere. QVID ERGO ERIT NOBIS ſ. mercedis aut præmij? num theſaurus in cælo quem adoleſcenti illi diuiti promittebas? Non metuit Petrus ne fruſtrà ipſe & Apoſtoli relictis ſuis omnibus Ieſu ſe addixerint, ſed exponi ſibi deſiderat præmium quod ipſos maneat. quomodo adoleſcenti videbatur expoſitum, vt qui doctus in Chriſti ſchola ſciret nulla opera bona à Deo irremunerata relinqui.

ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω [28] ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνων, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ ἰσραήλ.

Ieſus autem dixit illis: Amē dico vobis, quòd vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione, cū ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuę, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Luc. 22. v. 30.

DIXIT. reſpondit. ILLIS. Petro & cæteris Apoſtolis ſuis, quorum nomine Petrus loquutus fuerat. AMEN. De rebus futuris & etiamnum occultis promiſſa facturus, confirmat ſermonem ſuum conſueta aſſeuerandi formula. Non reiicit Petri quæſtionem, vt pro re magnificentiorem, quòd pauca quædam ipſe & plerique omnes collegarum reliquiſſent, quippe pauperes piſcatores, paupere ſupellectili pauperibuſque amicis inſtructi: non enim ex rerum derelictarum quantitate aut modo virtutem hanc æſtimat Ieſus, ſed ex animo affectuque relinquentium. Et ſcimus tenues homines, quietę & pudicæ vitæ aſſuetos, à ſuis non minùs ægrè auelli, nec minùs hilariter domi viuere manuariis operis, quàm opulentiſſimum quemque. QVI SEQVVTI ESTIS ME prædicantem Euangelium regni, qui relictis omnibus, mihi pauperi & variis tentationibus obnoxio adhæſiſtis hactenus indiuulſi comites & cooperatores promulgandi diſſeminandique Euangelij, ſi quidem in hoc munere perſeueretis. Hoc ſubauditur, tum quia hîc non comprehenditur

ditur Iudas, tum quia non eorum ſolùm cauſa quę hactenus pręſtiterant Apoſtoli, ſed & eorum quæ deinde ac præſertim Chriſto in cælos aſſumto pręſtituri erant, magnifica hæc ipſis fit promiſſio. Duo attulerat Petrus à ſe & collegis præſtita, *reliquimus omnia & ſequuti ſumus te*: Ieſus priùs declarat quod ſit præmium ſequelæ, quæ præcipua res eaque Apoſtolis propria erat, deinde quę ſpontaneæ derelictionis rerum. IN REGENERATIONE mundi, id eſt, *in conſummatione ſeculi*, quomodo loquitur ſuprà 13. v. 38. in die veteris mundi nouiſſimo, quo omnia quęcumque in mundo iſto ſunt in aliam conditionem renouabuntur, homines quotquot vmquam morti conceſſerint viuifica Dei virtute reſurgent renaſcenturque in vitam immortalem, *cæli noui & terra noua creabuntur, abeuntibus prioribus*, denique *vniuerſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis*, & reſtituetur in eum ſtatum qui decebit *libertatem gloriæ filiorum Dei*. Hæc eſt mundi regeneratio: dum enim perficitur regeneratio hominis, iam ſecundum corpus per reſurrectionem, pulchrè deſcriptam Ezech. 37, quæ priùs cœpta fuerat ſecundùm animam per Baptiſmum, de qua Ioh. 3. v. 5. & Tit. 3. v. 5. (duplici enim hominis morti duplex regeneratio debebatur, ſi ſaluandus erat homo) renaſcitur vnà & mundus vniuerſus, induitque formam nouam. Nam *veluti homines* (inquit Chryſoſtomus in illud Rom. 8. v. 21: *Quia & ipſa creatura* &c.) *dum filius dignitate aliqua adepta proditurus eſt, & ſeruos quoque ſplendidiore veſte ad filij gloriam exornant: ita & Deus creaturam incorruptione veſtit propter libertatem gloriæ filiorum. Quemadmodum enim corruptibili te effecto, & ea quoque corruptibilis eſt effecta: ſic incorruptibili effecto te, & ipſa quoque ſubſequetur come ç tibi erit.* Sequentibus itaque iungimus particulam iſtam *in regeneratione* (pro qua Syrus habet *in ſeculo nouo*) qua diſtinguit Chriſtus inter regni ſui principium & complementum, corrigens errorem illum, quo mira felicitas, ſimulatque Meſſias apparuiſſet, exſpectabatur, ex promiſſa toties à prophetis Eccleſiæ renouatione, & tamquam admonens diſcipulos vt pauliſper durent, illorumque vota ſuſpendens ad tempus vſque conſummationis ſeculi, quo manifeſtanda ſit quæ iam lateret ſua ac ipſorum gloria, & pręcipuum electionis ſuæ fructum percipiant.

CVM SEDERIT. Cùm Ieſus forma humana appariturus ſit iudex mundo, veriſimile eſt & eo ſitu humani corporis apparitūrum, qui conuenientiſſimus eſt iudici; is autem eſt ſeſſio, qua, præter auctoritatem, ſedatus tranquilluſque animus declaratur, iudici, ſi cui alij, neceſſarius, vt iuſtè iudicet. FILIVS HOMINIS. Chriſtus in humilitate iam conſtitutus. vide ſuprà 16. v. 27. IN SEDE. ἐπὶ θρόνου in throno. *Thronus* (qua voce etiam Syrus hîc vtitur) auguſtius aliquid ſignificare videtur quàm *ſedes*, regni inquam ſolium. Nullus illic erit artificis opera fabricatus thronus, ſed vel Cherubim aut throni (de quibus Pſal. 79. v. 3: *Qui ſedes ſuper Cherubim*) vel nubes (de qua Apoc. 14. v. 14: *Et ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis*) omnino autem magnificentiſſimum aliquid, cui nullus regius thronus conferendus ſit, throni erunt loco. vide infrà 25. v. 31. MAIESTATIS SVÆ. δόξης αὐτοῦ gloriæ ſuæ, in ſede ſeu throno ſuo glorioſo ſ. ad iudicandum viuos & mortuos. Senſus eſt, cùm ego me iudicem exhibuero mundo. SEDEBITIS ET VOS. *Vos* nunc humiles atque abiecti, *ſedebitis* mihi proximi; non ſtabitis vt cæteri qui iudicandi erunt. Alluſit ad Regum morem, qui in ſummo tribunali conſident, conſiliarios autem ſibi habent in conſeſſu proximos. Humana ergo ſed magnifica ſimilitudine diuinum ac maieſtatis plenum iudicium adumbrat. SVPER SEDES DVODECIM. ἐπὶ δώδεκα θρόνους ſuper duodecim thronos. id eſt, non confusè vno in ſedili, ſed in veſtris ſinguli thronis, magnifico ordine maieſtatiſque pleno conſeſſu. Reſpicit ad numerum Apoſtolorum ſuorum, eſt tamen numerus certus pro incerto: nec enim aſſerit ipſos omnes hac gloria afficiendos eſſe, niſi conditione intellecta cùm vnus eorum Iudas loco dilapſurus eſſet; multò verò minùs ſolos, cùm minimè negetur pluribus concedendum, quod promittitur duodecim. Hîc enim ſolos illos alloquitur Chriſtus, qui ipſi in terra oberranti, & abiecto tum ob carnis infirmitatem tum ob nouam Euangelij doctrinam, primi atque indiuidui comites adhæſerunt. His verò pares præmio intelliguntur ij, qui poſt Chriſtum, in ordinem Apoſtolorum coaptati, primi cum illis aſſertores & propagatores regni Chriſti fuere, vt Matthias, Paulus, Barnabas. IVDICANTES mecum, id eſt, mecum pro meritis præmia & ſupplicia decernentes. Sicut *Deus Pater iudicium omne dedit Filio hominis* (Ioh. 5. v. 22. 27.) ſic Filius hominis iudicium reddit ſecum commune iis qui ipſum ſequuti ſunt. In illo die, quidam etiam mali leguntur iudicaturi comparatione ſui cum aliis, vt Niniuitæ (ſuprà 12. v. 41.) alij leguntur iudicaturi approbatione ſententiæ iudicis, vt omnes ſancti (1. Cor. 6. v. 2.) ſed peculiaris modus promittitur Apoſtolis, vt non tantùm collatione ſui cum aliis, aut approbatione ſententiæ iudicis, iudicent, verumetiam auctoritate poteſtateque ſibi collata, tamquam regni principes, regis legati, primique conſiliarij, omninoque vt iudices, ex quorum conſilio ſummus iudex (tametſi nullius ille conſilio opus habeat) ſententiam ferat: vt, qui cum ipſo Chriſto in terris regni cælorum negotia adminiſtrarant, illic cum ipſo eodem, piis æterna præmia quæ polliciti fuerant, impiis ſupplicia quę fuerant comminati, reipſa exhibeant. DVODECIM TRIBVS ISRAEL, & cum ipſis orbem terrarum vniuerſum. hoc enim ſubaudit. Nam quòd duodecim tribus Iſrael præ aliis nominat, facit, quòd his ſolis miniſter miſſus annunciandæ ſalutis, his ſolis ipſe cum Apoſtolis hactenus Euangelium prædicaret, qui non aliorum quàm ſuum regem Chriſtum gloriarentur: præter hoc quòd cumulum gloriæ Apoſtolis adferat, fore ipſos iudices contribulium ſuorum, populi proprij eiuſque à quo ferè iniuriis affecti contemtique fuerint. Intelligendum porrò hîc Ieſus dat, hoc conſilio duodecim à ſe Apoſtolos electos fuiſſe, vt eſſent tamquam duodecim doctores inprimis, deinde & iudices, duodecim tribuum Iſrael, quò teſtatius faceret Deum diſperſas populi ſui reliquias velle colligere. Satisfaciens itaque Ieſus Apoſtolorum ſuorum interrogationi de præmio quod ipſos maneret, primùm promittit ſequelæ ſui hoc ipſos præmium relaturos, vt in die mundi nouiſſimo ſint cum ipſo orbis vniuerſi iudices, conſorteſque eximiæ illius gloriæ quam pater in ipſum maximi pręmij loco collaturus erat. Quo quidem intelligendum dat, illos non tantùm ingreſſuros in regnum cælorum, & theſauro aliquo donandos, qualem adoleſcenti promiſerat, ſed & primos principes fore regni cælorum, ac præcipua inter beatos gloria eminentiaque fulſuros.

Mar. 10. v. 29. 30. Luc. 18. v. 29. 30.

Et omnis qui reliquerit domum, vel [29] fratres, aut ſorores, aut patrē, aut matrē,	Καὶ πᾶς ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα, ἢ μητέρα, ἢ γυναῖ-

ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγρούς, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει.

aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

ET OMNIS QVI. non vos tantùm ſed quicumque tandem. Iam declarat Ieſus quod præmium bonorum ſua cauſa relictorum. RELIQVIT. reliquerit. Non tantùm qui vendiderit diuiſeritque pauperibus, ſed & qui deſeruerit, etiamſi non ſequutus me fuerit, quomodo vos, etiamſi non omnia bona ſua, quod vos, ſed eorum aliquid duntaxat deſeruerit, vt *domum* vnam, fratrem vnum, ſororem vnam &c. nam & amici in bonis numerantur. AVT PATREM. Enumerat parentes & reliqua omnia, eo conſilio, vt oſtendat nihil eſſe tam charum, quod ſuperare non debeat amor ſui; nihil tam pretioſum, quod non ſuperet merces ab ipſo propoſita. AVT FILIOS. ἢ τέκνα aut liberos, vt vtrumque ſexum complectatur. AVT AGROS. ſ. aut quid ſimile bonorum ſuorum. PROPTER NOMEN MEVM. propter me, mea cauſa, vt me ſequatur, vel, potiùs quàm me deſerat. Non quauis de cauſa relinquentibus ſua promittit præmium, ſed ſua ſolius cauſa: vt enim nullum erit præmium relinquentibus domos, agros, fratres, ſorores, alia cauſa quàm Chriſti; ita etiam manebit ſupplicium eos qui parentes aut liberos ſua ope curáve indigentes, alia ex cauſa reliquerint; ac præſertim vxorem. Relinquit autem domos aut agros Chriſti cauſa, qui cùm non poſſit ea poſſidere ſalua lege Chriſti, deſerit ea & relinquit poteſtati inimicorum ſeu perſequutorum, potiùs quàm fidem neget aut Chriſti legem quouis modo violet; vel certè, etiamſi nulla vis vrgeat perſequutoris, tamen quò Chriſtum perfectiùs imitetur, illa vendit, alienat aut derelinquit. Fratres autem, ſorores, parentes, liberos, vxorem, Chriſti cauſa relinquit, quibuſcum conuiuere, quorum conſuetudine vti non poteſt, ſimul & fidem Chriſti colere, aut charitatem ſeruare illibatam, quòd ſint illi inimici legis Chriſti. Quod ergo de vxoribus dicit, non nuptias diuidi vult, ſed ipſi quoque coniugi Chriſtum præponi (vbi alter deſerendus foret) quem iubemur rebus omnibus, & ipſi animæ vitæque præponere. Ille etiam Chriſti cauſa hos relinquit, qui vxori conſentienti, parentibus & liberis non opus habentibus ſua ope curáve, vt integriùs Deo ſeruiat, valedicit. Nam ſua relinquere, aliquando conſilij eſt, vt euadas in virum perfectum, nec fieri debet aliter quàm ſeruatis circumſtantiis legitimis: aliquando verò præcepti, ne Chriſtum ipſum relinquas ſeu offendas, omninoque faciendum. CENTVPLVM. ἑκατονταπλασίονα centuplicia ſ. ſingula (eſt enim numerus multitudinis) id eſt centies tantundem pro ſingulis. Syrus ad verbum habet *vnum in centum* ſ. auctum. id eſt, pro vna domo relicta centum domos, pro vno fratre relicto centum fratres. & cætera conſequentia ſimiliter, interprete Marco: ex quo etiam ſimul & ex Luca, docemur, ſubaudiendum hîc eſſe *in hoc ſeculo*. Quin & Lucas nos docet numerum centupli eſſe numerum certum pro incerto, cuius verba ſunt: *Et non recipiat multo plura in hoc tempore.* q. d. Saluator: Non tantùm non damno afficietur, vt potiùs ingenti lucro. Non ſufficit Ieſu ſuorum mentes ſurſum ad ſpem vitæ æternæ efferre, verumetiam præſentibus eos ſolatiis ſuſtentat confirmatque ad ferendam crucem. Cæterùm non eſt iſtud intelligendum, quòd recuperabit dominium longè plurium domorum aut agrorum (nec enim mundi diuitias promittit cultoribus ſuis Chriſtus) nec quòd luxuriabitur bonis alienis, ſed quòd ad moderatum ac verum vſum ſuppetent ipſi, præſto paratæque erunt, plurium hominum domus ac facultates. nam etiamſi mundus aliquis diuitiarum tuus ſit, nihil amplius inde tibi ipſe accipias permittit ratio quàm moderatum vſum. Itaque ei qui vnam domum Chriſti cauſa reliquerit, præſto apertæque erunt centum aut plures domus ſi opus habeat, ſi opus ſit vrgente perſecutione aut alia ex cauſa mutare habitationem. Centum alij Chriſti cultores parati erunt ex prouentibus agrorum ſuorum vitæ neceſſaria illi ſubminiſtrare qui vnum agrum reliquerit, ita vt non ſolùm non cariturus ſit eo commodo quo ad vitam hanc ſuſtinendam ex ſua domo aut ſuo ex agro opus habebat, verumetiam abundantiùs hoc illi ſuppetet. Similiter pro vno fratre relicto, plurimi erunt Chriſtiano inſtar fratrum, fraterno ipſum amore proſequentes, & ſpiritali glutino ſuauiùs adhærentes: pro vna ſorore, plurimæ adoleſcentulæ caſtè diligent obſeruabuntque vt fratrem: pro vno patre, ſenes plurimi tamquam filium fouebunt: pro vna matre, matronæ plurimę affectu materno neceſſitatibus illius proſpicient: pro vna vxore, centum aliorum vxores caſto ſpiritu ipſi coniunctæ, paratæ erunt per ſe aliosque ſeruire valetudini commoditatibusque illius, non ſecùs quàm ſi forent vxores illius: denique pro filio aut filia vna, innumeri reuerebuntur eum vt patrem, & ab eius doctrina ſana conſiliisque pendebunt, ex quibus maiorem animus illius accepturus eſt voluptatem, quàm acciperet ex germanis liberis. vehementiores enim dulcioresque ſunt affectus ſpiritus quàm naturæ, & vehementiùs amat quem conciliauit pietas quàm quem adiunxit natiuitas. Non itaque amittit res ſuas qui propter Chriſtum illas relinquit, ſed potiùs apud Deum deponit, earumq; cura liberatus, vſum pleniſſimum certiſſimumque ex diuina prouidentia toties experitur, quoties neceſſitas tempúſve poſtulat: quò reſpiciens Apoſtolus, de ſe qui vnam tantùm domum & vnius prouinciæ paruos agros dimiſerat, & ſui ſimilibus, gloriatur: *Tamquam nihil habentes & omnia poſſidentes.* 2. Cor. 6. v. 10. Quòd ſi verò nonnumquam ſinat Chriſtus huiuſmodi extorres inedia affligi aut etiam perire, tunc, Chriſtus ipſe eſt eis inſtar omnium, qui externa corporis bona relicta, internis animi bonis compenſat (exemplo Apoſtolus eſt Philip. 4. v. 12.) *quæ comparatione & merito ſui ita ſunt*, quod ait Hieronymus, *vt ſi paruo numero centenarius comparetur*, quibus multo ſolidiùs hominis animus reficitur, quàm fruitione quorumcumq; corporalium quę potuit reliquiſſe bonorum: corporalium inquam bonorum diſpendium ſpiritualibus animi dotibus ſarcitur, ita vt centuplo malis accepta quàm relicta. ET. præterea quod eſt omnium maximum, pro rebus vanis & mox perituris, *vitam æternam* ac beatam thesaurũ in cælo, qui Euangelio promittitur. POSSIDEBIT. κληρονομήσει iure hæreditario poſſidebit. Vide ſuprà 5. v. 4. Subaudi *in futuro ſeculo*, ex Marco & Luca. Subaudi rurſus ex aliis Scripturæ locis, quantum eſt ex dignitate meritoq; huius operis, ſi cætera requiſita concurrant, nec aliunde impedimentum obiiciatur. Subaudi denique, quanto minùs deerunt neceſſaria huius vitæ, & poſſeſſio æternæ, vobis, qui non vnum aliquid, ſed omnia mea cauſa reliquiſtis? Summa igitur eſt: Qui ſponte ſua perdiderint ob Chriſti cauſam, fore tamen etiã in hac vita feliciores quàm ſi ſua retinuiſſent: præcipuã verò mercedem illis in cęlo eſſe repoſitam.

Multi

Mar. 10. v. 31. Luc. 13. v. 30.

Multi autem erunt primi, nouissimi; & nouissimi, primi. 30 πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι· καὶ οἱ ἔσχατοι, πρῶτοι.

MVLTI AVTEM. Occurrit Iesus tacitæ Apostolorum suorum obiectioni: poterant enim illi apud se cogitare, quæ esset verisimilitudo harum promissionum, vt ipsi idiotæ vilesque homunciones, sederent aliquando iudices duodecim tribuum Israel, insignium pluribus nobilibus, literatis, & primariæ auctoritatis viris, & vt ij qui Christi causa suis hîc exuerentur & persequutionem paterentur, tandem, persequutoribus, diuitibus illis ac potentibus, exclusis, vitam obtinerent æternam. ERVNT PRIMI. Verborum ordo est: Multi autem primi erunt nouissimi, & multi nouissimi erunt primi: cuius sensus est: Multi eorum qui in hoc perituro seculo sunt primi, viribus, diuitiis, scientia legis, opinione sanctitatis, auctoritate, honore; in altero illo æterno seculo erunt vltimi, id est, nulli, nullius fient, contemnentur, abijcientur, alienissimi erunt & remotissimi à vita æterna & omni bono: contrà, multi eorum qui in hoc seculo sunt vltimi nullique fiunt, in altero primis potientur, erunt inter primos, loco, honore, atque auctoritate. *nec enim est personarum acceptor Deus.* Sic agetur vobiscum: vos pauperes nulloque hîc inter Iudæos loco, in altero seculo iudices & principes eritis cæterorum: Scribæ & Pharisæi plerique, Adolescens iste diues, alijque huiusmodi Iudæorum hîc principes seu primores, illic viles, abiecti, ac nulli erunt, adeoque excludendi vita æterna. Similiter qui hîc mea causa bonis suis spoliati fuerint aut afflicti, illic beati futuri sunt, æterna inopia morteq; mulctatis persequutoribus, quantumuis hîc opibus viribusque præstiterint. Dicit autem *multi* non omnes, eò quòd fiet vt quidam, sed pauciores, qui in hoc seculo primas honoris tenuerint teneant & in altero aut certè non fiant nouissimi, & vt quidam eorum qui hîc viles abiectique fuerint, permaneant huiusmodi & illic. Porrò sententia hæc, *& simpliciter* (Euthymio annotante) *omnibus dicta est, vt numquam hi qui præponuntur in vita, extollantur; neque hi qui hîc despiciuntur, animum despondeant.* vide Luc. 13. v. 30.

CAPVT VICESIMVM.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 1 Ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐξῆλθεν ἅμα πρωῒ μισθώσασθαι ἐργάτας εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

SIMILE EST. γὰρ *enim*, quod vt additur græcè ac syriacè, ita latinè quoque à quibusdam libris. Hanc parabolam à Saluatore adferri ad declarandam sententiam proximè præcedentem, tum ista causalis coniunctio, tum ipsa sententia ad calcem parabolæ repetita (infrà v. 16.) demonstrat. REGNVM CÆLORVM. Ecclesia Dei cœpta à mundi initio. Sensus est: Sic agitur ageturque in Ecclesia Dei, quemadmodum si paterfamilias aliquis &c. vide sup. 13. v. 24. HOMINI, id est, alicui, ex idiotismo hebraico. QVI EXIIT. qui exire, id est, domo prodire in publicum, possit. Non enim res gesta narratur, sed eiusmodi quæ facilè aut fiat aut fieri possit. PRIMO MANE. ἅμα πρωῒ cum mane, cum prima luce, ante solis ortum. CONDVCERE. ad conducendum. μισθώσασθαι mercede conducere: est enim verbum à nomine μισθὸς mercede deriuatum. IN VINEAM. ad colendam vineam SVAM.

Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 2 συμφωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργατῶν ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, ἀπέστειλεν αὐτοὺς εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ.

CONVENTIONE FACTA. συμφωνήσας pactus. Ex præpositio superest sensui latinè. DENARIO argenteo. vide suprà 18. v. 28. DIVRNO. τὴν ἡμέραν, subauditur κατὰ distributiuum *(in diem)* sed cuius non videtur hîc propria significatio vsurpari, cùm de vno tantùm die agatur: *in vnum diem* dicas. Quare sensum optimè expressit Interpres dum reddidit *diurno*, hoc est, qui pendi consueuerat pro vnius diei opera; denario minori vtique (duplicem enim fuisse suprà docuimus) cuius pondus, drachmæ erat; valor, qui nobis vnius regalis Hispanici. IN VINEAM SVAM ad colendum eam.

Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, 3 καὶ ἐξελθὼν περὶ τὴν τρίτην ὥραν, εἶδεν ἄλλους ἑστῶτας ἐν τῇ ἀγορᾷ ἀργούς,

EGRESSVS iterum. CIRCA HORAM TERTIAM. Dies Iudæis in horas duodecim diuidebatur, quarum prima incipiebat oriente, duodecima finiebatur occidente sole: quæ quidem horę longæ erant, si dies longus esset, vt æstate; breues si breuis, vt hieme; mediocres, si mediocris, vt circa æquinoctia. id quod etiam Romanis vsitatum fuisse, ostendit Cælius lib. 12. lect. antiq. cap. 9. Harum autem horarum quatuor, prima, tertia, sexta, nona, æquali à se mutuo spacio distantes, seruiebant loco quatuor partium principalium diei, in quas opera negotiaque diurna diuidebantur: quo ferè loco etiam hodie apud nos sunt horæ, sexta antemeridiana, nona, duodecima, & tertia, quarum vna qui à labore cessarit, dicitur operariis nostratibus iacturam fecisse

cisse ὥραν πρώτην, latinè quadrantis operæ. Itaque illis quatuor horis diligens paterfamilias egressus fingitur. Nec profana tantùm Iudæorum negotia his quatuor horarum portionibus diuidebantur, verumetiam sacra apud eos orationum & templi exercitia (vide Mar. 15. v. 25.) quæ egregiis Domini Iesu operibus consecratæ, mox etiam ab Apostolis & Christianis ad preces adhibitæ sunt. Vnde Ecclesia Catholica etiamnunc diurnas sacerdotum preces in has quatuor horas partitur, nominatimque Psalmum illum CXVIII., in quo non est versiculus, demto vnico, cui non sit mentio legis Domini, vt (quò hoc obiter annotem) inter diurna negotia semper memores sint mandatorum Dei cui sancti sunt. Cęterùm differentia est inter primam horam & cæteras: à primæ enim horæ initio prima incipit diei pars; à tertiæ autem fine secunda, à fine sextæ tertia, à fine nonæ quarta ac postrema. Quare quod dicitur *circa horam tertiam*, intellige finitam, sub finem horæ tertiæ. ALIOS qui seriùs aduenerant, vt qui diutiùs fortè stertuerant. IN FORO publico, vbi se pro more exhibebant paratos omnibus qui ipsorum opera indigerent. OTIOSOS. Creati sumus, non vt inutiles sine fructu viuamus, sed vt laboremus, nec vt nobis solis laboremus, sed vt inprimis creatori: nec enim quisquam ideò conducit operarium vt manducet tantùm.

κἀκείνοις εἶπεν, ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον δώσω ὑμῖν. οἱ δὲ ἀπῆλθον. [4] & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. illi autem abierunt.

ET VOS quemadmodum primi. IN VINEAM MEAM. Ab aliis libris omissum pronomen *meam*, indicat amplam celebremque vineam fuisse, cuius & signanter operariis satis per se notam. QVOD IVSTVM FVERIT. Denarius integer non his iure debebatur, quòd dies non esset integra, sed quadrans iure demi poterat, ideo fidei suæ hortatur vt committant pretium operæ.

πάλιν ἐξελθὼν περὶ ἕκτην καὶ ἐννάτην ὥραν, ἐποίησεν ὡσαύτως. [5] Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter.

ET NONAM. omnibus horis exiuit quibus à solicito patrefamilias requiri id possit. SIMILITER. ὡσαύτως itidem.

περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν ἐξελθὼν, εὗρεν ἄλλους ἑστῶτας ἀργοὺς, καὶ λέγει αὐτοῖς· τί ὧδε ἑστήκατε ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργοί; [6] Circa vndecimam verò exiit, & inuênit alios stantes, & dicit illis: Quid hîc statis tota die otiosi?

CIRCA VNDECIMAM. sub finem vndecimæ. Ad cumulum solicitudinis, quæsiuit operarios etiam cùm vnica diei hora reliqua esset; sollicitus, tam pro operariis ipsis, quod dicas, ne diem otio transigerent, quàm pro vineæ suæ cultura. ALIOS. Quòd hos antè non viderat, fecit fortasse, quòd, vel in foro non fuerant, vel latuerant, desideriis carnis, laboris loco, vacantes. STANTES. græcè additur ἀργοὺς otiosos; syriacè *& otiosos*.

λέγουσιν αὐτῷ· ὅτι οὐδεὶς ἡμᾶς ἐμισθώσατο. λέγει αὐτοῖς· ὑπάγετε καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον λήψεσθε. [7] Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

NEMO. Culpam in alios conijciunt: sed ne turbet eos Dominus, quin potiùs vt alliciat, non ipsos reprehendit. ET VOS quemadmodum cæteri. nam quantumuis parum temporis ad operandum sit reliquum, minimè tamen negligendum est. IN VINEAM MEAM. Quod sequitur græcè ac syriacè *Et quodcumque iustum fuerit accipietis*, crediderim adiectum esse ex versu 4. superiori. Cùm enim minimum diei restaret, vna inquam sola hora, nulla his vt reliquis promissio facienda fuit, sed suffecit diuitis patrisfamilias ipsos mittentis auctoritas, tantillum laborem facilè compensaturi.

ὀψίας δὲ γενομένης λέγει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος τῷ ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ· κάλεσον τοὺς ἐργάτας, καὶ ἀπόδος αὐτοῖς τὸν μισθὸν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων. [8] Cùm serò autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.

SERÒ. ὀψίας serum diei, vespera. Sole occidente finiebatur hora diei duodecima ac postrema, incipiebatque vespera. PROCVRATORI SVO. Syrus *magistro* seu *præfecto domus suæ*. In amplis familiis sub patrefamilias est procurator siue œconomus, cui paterfamilias suam credit pecuniam, vt procuret domui cibum ac cætera necessaria. VOCA. Noluit opus mercenariorum apud se morari vsque manè, iuxta legem Leuit. 19. v. 13. OPERARIOS qui vineam meam hodie coluerunt. MERCEDEM parem omnibus, denarium. A NOVISSIMIS. ab iis qui vltimi aduenerunt.

Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. [9]

καὶ ἐλθόντες οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον.

VENERANT in vineam. *Venerant* suppleuit Interpres; alij, conducti fuerant. SINGVLOS DENARIOS. ἀνὰ δηνάριον singuli denarium. ἀνὰ hoc loco æqualem distributionem significat. Cùm minimùm fiderent meritis suis, solamque exspectarent domini gratiam; denarium, mercedem labori totius diei debitam, præter suam & aliorum omnium exspectationem, acceperunt. Obserua vt dicto patrisfamilias audiens sit procurator.

Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. [10]

ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι ἐνόμισαν ὅτι πλείονα λήψονται· καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον.

ET PRIMI. græcè non legitur *&*: *primi* autem dicuntur qui à prima diei hora vsque ad postremam in opere perdurarant. Mediis præclusa erat murmurandi occasio, quia omnibus ipsis fiebat gratia, licet non non æqualis gratiæ nouissimorum. PLVS. vt qui plus laborarant quàm cæteri omnes. SINGVLOS DENARIOS vel singuli denarium, vt mox.

Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias, [11]

λαβόντες δὲ ἐγόγγυζον κατὰ τοῦ οἰκοδεσπότου,

ACCIPIENTES. λαβόντες cùm accepissent.

dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus? [12]

λέγοντες· ὅτι οὗτοι οἱ ἔσχατοι μίαν ὥραν ἐποίησαν, καὶ ἴσους ἡμῖν αὐτοὺς ἐποίησας, τοῖς βαστάσασι τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸν καύσωνα;

HI NOVISSIMI. Erant & cæteri laboris magnitudine primis impares, sed maximè nouissimi. VNA HORA. μίαν ὥραν vnam horam. Incertum an sit accusatiuus transitiuus an temporis, vtrùm vnam horam fecisse dicantur qui vnius horæ spatium peregerunt in opere, an qui fecerunt opus horæ spatio. hoc posterius sequutus est Interpres. FECERVNT id est, laborauerunt; vel *fecerunt* s. opus. PARES mercede. nam loco atque ordine etiam prætulerat illos. PORTAVIMVS PONDVS DIEI. pertulimus continuum totius diei laborem. Notant laboris diuturnitatem. ÆSTVS. Feruores s. diei vel solis. græcè est numero singulari τὸν καύσωνα æstum. Exaggerant laborem suum etiam à difficultate & molestia coniuncta affligentis æstus solaris, quem vltimi ne senserant quidem, quippe remissum sub vesperam. Videtur legenda sententia cum nota interrogationis seu potiùs indignationis. quasi dicant: Rem indignam admittis & intolerabili nos afficis iniuria. Si pronunciatiuè legas, subaudi, iniquissimè.

At ille respondens, vni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nónne ex denario conuenisti mecum? [13]

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν ἑνὶ αὐτῶν· ἑταῖρε, οὐκ ἀδικῶ σε· οὐχὶ δηναρίου συνεφώνησάς μοι;

VNI iungendum est verbo *dixit*, non participio *respondens*, quod ex græco fit clarum. *Vni* autem pro omnibus, illique fortè qui præ cæteris vehementiùs murmurabat. AMICE. ἑταῖρε. Hoc vocabulo, quod sodalem propriè significat, Græci; illo Latini, ignotum compellare solent. Ex superest.

Tolle quod tuũ est, & vade: volo autẽ & huic nouissimo dare sicut & tibi. [14]

ἆρον τὸ σὸν, καὶ ὕπαγε· θέλω δὲ τούτῳ τῷ ἐσχάτῳ δοῦναι ὡς καὶ σοί.

QVOD TVVM EST. quod pactus tibi reddidi. VADE. ὕπαγε abi. nihil tibi amplius mecum negotij, nihil tua refert si velim, prout VOLO, HVIC NOVISSIMO. Vnum monstrat loco omnium, quemadmodum vnum alloquitur loco omnium. Prius ET græcè syriacéque non legitur, ac certè obesse videtur, cùm mox sequatur alterum. De tuo, inquit, nihil decedit, si quid huic additur ex mea liberalitate.

Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? [15]

ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι;

AVT dicere vis contra omnem rationem, non licere mihi, non esse mihi per te liberum. FACERE. græcè syriacéq; additur ἐν τοῖς ἐμοῖς *in meis* s. rebus, id est, *de meo*, sicut interpretatur Augustinus sermon. 59. de verbis Domini. Latinè subaudiendum hoc est. NEQVAM. πονηρὸς malus. Quia inuidia potissimùm elucet

elucet in oculis, dum non æquis oculis adſpicit *inuidus alienum bonum*; hinc Hebræi *oculum malum* ſiue *nequam*, inuidiam dicunt. Similis loquendi figura exſtat Prou.23.v.6. Eccleſ.14.v.8. 31.v.14. Mar.7.v.22. Eſt itaque ſenſus: An verò inuidus es tu quòd ego huic benefaciam? an inuides quòd erga hunc liberalis ſim? an inuides huic benignitatem meam?

οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι, πρῶτοι· καὶ [16] οἱ πρῶτοι, ἔσχατοι· πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

Sic erunt nouiſſimi, primi; & primi, nouiſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

Sup.19. v.30. Mar.10. v.31. Luc.13. v.30. Inf.22. v.14.

Sic. Quemadmodum paterfamilias iſte, vbi ſerum diei aduenerat, iuſſit œconomo ſuo, præter omnem omnium exſpectationem, operarios quidem vnius eiuſque vltimæ & ad operandum commodiſſimæ horæ, ſingulariter honorare, primis inquam ipſis mercedem ſoluere, mercedemque multo ampliorem quàm vel ipſi vel alij iud carent vnius horæ labore fuiſſe promeritam; operarios autem totius diei longè poſthabere, vltimis mercedem numerare, nec maiorem quàm pactus fuerat. & quamquam parem illorum mercedi, eiuſmodi tamen quæ nullius fieret, ſi horum labor cum illorum conferretur; idq; egit rectè, nullius reprehenſioni meritò obnoxius, erga illos benignus, erga hos iuſtus: Sic in regeneratione & conſummatione ſeculi, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, iudex à Deo Patre conſtitutus vt reddat omnibus mercedem ſecundùm ea quæ geſſerint in corpore, multi qui in hoc ſæculo abiectiſſimi fuerint, nec quidquam viſi fuerint agere quod eximio aliquo præmio foret dignum, ac proinde nullo inter homines fuerint loco nulliuſq. facti, quin perſecutionibus potiùs quàm laudibus hominum obnoxij, quales vos qui relictis omnibus ſequuti eſtis me, aliique qui mea cauſa reliquerint ſua, tunc donabuntur vita æterna, & quidem inter primos, multum his ipſis aliiſque admirantibus honoris quo præter opinionem affecti fuerint excellentiam; & è diuerſo multi qui nunc primas tenent, videnturq; ſibi atque aliis pro Dei ſeruitute labores ferre intolerabiles, tam vt alios quàm vt ſemetipſos gubernent, in Dei cultu contineant aſſiduos, ad Dei cultum, dilapſos reducant, alienos adducant, quemadmodum Scribæ & Phariſæi primoreſque Iudæorum plerique, qui ieiunant bis in ſabbato, decimas dant omnium, videntur regere populum, circumeunt mare & aridam vt faciant vnum proſelythum &c., tunc nullo erunt in honore, nullius fient, excludentur vita æterna, atque adeò amandabuntur in tenebras exteriores. nec erit iuſta obmurmurandi cauſa, poſtquam videbunt, honoribus, opibus, aliiſque huiuſmodi bonis hac in vita acceptis, quæ pluris fecerunt quàm vitam æternam, contentos ſe eſſe debere; nec quidquam proficiet inuidia, liberali Dei miſericordia defendente, ſi quid in alios illos collatum ſit quod iuſtitia non debuerat: præter hoc quòd non ex laboris diuturnitate aut magnitudine de operum meritis iudicet Deus, quemadmodum homines. Ad ſimilem modum infrà 21.v.31. dicit Ieſus principibus Iudæorum: *Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Quò pertinet & quod ait Apoſtolus Rom.5.v.20: *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.* Hic eſt germanus parabolæ ſenſus: *in parabolis enim non oportet nimia in ſingulis verbis cura perangi, ſed cùm quid per parabolam intendatur didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlteriùs anxio eſt conatu inueſtigandum*; inquit Chryſoſtomus: cætera enim, tamquam emblemata hiſtoriæ abſoluendæ cauſa adiecta eſſe, tenendum eſt. Quamquam autem occaſionem huius tam ſententiæ quàm parabolæ dederint Apoſtoli & ipſorum æquales Phariſæi, non ideo tamen minùs nobis & cuiuſvis ſæculi hominibus congruit: certè Iudæis & Gentibus eadem ſententia accommodatur Luc.13.v.30 Reliqua vide ſuprà 19.v.30. Mvlti enim. Ne quis obiiciat quomodo fiant nouiſſimi excludanturq; vita æterna qui fuerint cultores ſeruiq; Dei: *Multi*, inquit, quouis ſæculo *vocati* vocandique à Deo *ſunt* ad Dei cognitionem & cultum, quemadmodum ille paterfamilias quauis hora diei vocauit operarios qui ipſi in colenda ipſius vinea ſeruirent: ſed ex eis pavci ſunt à Deo electi ad vitam æternam, id eſt, Dei gratia ſic aucti, vt ad mortem vſque Deo perſeueranter ſeruientes quomodo oportet & dignum eſt, beatitudinem æternæ vitæ aſſequantur; quemadmodum patrifamilias non ſic omnes accepti fuerunt, vt gratuitam ſuam munificentiam in omnes effunderet. Rurſus quemadmodum ille, illos omnium minimè honorauit, qui videbantur omnium maximè eſſe promeriti: ſic frequenter illi minimè electi ſunt, quos mundus iudicat maximè eſſe, qui præſunt cæteris, qui aſſidui ſunt in ſeruitio Dei &c. Gratuita eſt enim Dei electio, nec propter hominum opera fit, ſed ipſa cauſa eſt operum neceſſariorum vt electionis finem homo adſequatur, fiduciam excitans magis ſemper nitêtem gratia Dei quàm operibus. *Non enim ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt Rebeccæ: Quia maior ſeruiet minori; ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Rom.9.v.12.13. Sunt porrò *vocati* & *electi* græcis nomina, κλητοὶ, ἐκλεκτοὶ, non participia, quamquam eòdem vtrumque redeat. Fideles autem *vocatos* nominat Ieſus (quem ſequitur Apoſtolus Paulus) vt doceat, fidem, & Dei donum eſſe, & opus liberi arbitrij. Niſi Deus prior nos ad ſe vocaſſet, & ſui cognitionem nobis inſinuans ad ſe colendum nos attraxiſſet, abiiſſemus cum reliqua hominum turba per deuia errorum & ignorantiæ tenebras, nihil vmquam de inuenienda luce veritatis aut recta via, nihil de Deo vero cognoſcendo aut colendo ſoliciti; vocauit tamen, non coëgit nos, quia non inuitos ad fidem & cultum ſui adduxit, ſed ex nolentibus atque auerſis, ſuæ gratiæ efficacitate, volentes reddidit. Hoc verò initium eſt, neceſſarium quidem, ſed ſolum non ſufficiens ad vitam æternam. Nam vocationem, quod Apoſtolus docet Rom.8.v.30. ſequatur neceſſe iuſtificatio, & iuſtificationem glorificatio. Glorificationem autem quia non omnes aſſequuntur, idcirco dicit Ieſus non omnes vocatos eſſe *electos*, illos *electos* appellans, quos Deus ex humani generis maſſa perdita damnataque, ſingulari ſua gratia, elegit; ſeu, vt Apoſtolus loquitur, prædeſtinauit; vocandos, iuſtificandos, & glorificandos. Neque verò ſolummodo conteſtatur Ieſus, non omnes vocatos eſſe electos, ſed *paucos*: quò venit conſiderandum terribile iudicium Dei, non tantùm hominum, verumetiam vocatorum, id eſt, recta in Deum fide aliquando donatorum, Chriſtianorum inquam, Iſraelitarum, & his antiquiorum fidelium, paucos electos eſſe, ſi eiuſdem conditionis reprobis conferantur.

Mar. 10. v. 32. Luc. 18. v. 31.

Et ascēdens Iesus Ierosolymam, [17] assumsit duodecim discipulos secretò, & ait illis:

καὶ ἀναβαίνων ὁ ἰησοῦς εἰς ἱεροσόλυμα, παρέλαβε τοὺς δώδεκα μαθητὰς κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ εἶπεν αὐτοῖς·

ASCENDENS. inter ascendendum.s.ex finibus Iudææ in quos venisse dictus est sup.19.v.1., ex ciuitate inquam Ephrem quod intelligi videtur ex Ioh.11.v.54.) siue locis Iordani fluuio & deserto Ierichûntino vicinis, hæc enim humilia erant, vt ferè fluuiatica, respectu Ierusalem, *cuius fundamenta in montibus*. Psal.86.v.1 Non autem intelligendum, hunc primum fuisse ascensum Iesu in Ierusalem ex quo migrauerat è Galilæa veneratque in fines Iudææ, sed hunc & eum quidem postremum, solum à Matthæo narrari. Profectus porrò iam Ierosolymam est, eò quòd instaret Pascha, tamquam agni paschalis offerendi causa, reuera autem vt seipsum Deo pro hominum salute offerret agnum immaculatum. ASSVMSIT ad se. SECRETÒ κατ' ἰδίαν priuatim seorsum s.à reliquis discipulis & turba, quos noluit conscios esse eorum quæ prædicturus erat de huius itineris euentu ac fine, partim ne præ scandalo accepto ex imminentium periculorum formidine ipsum desererent, partim ne rei gerendæ series, quam exactè sigillatimque iam aperire volebat, diuulgaretur & in hominum ore antequam eueniret versaretur, quo fieret ingloria ipsius mors, vt quam sibi ipse temerè accersere visus fuisset, principibus ita cum illo agentibus, quemadmodum intellexissent ipsum prædixisse aut ominatum fuisse. Ideo satis habuit apud Apostolos suos hoc deponere arcanum, quibus amet facilè, & superaturus erat timorem futurorum malorum, & prohibiturus ne euulgarent id quod odissent: quamquam nec hos delegit tamquam impræsentiarum admodum idoneos auditores (vt qui nec intellexerint quid voluerit Iesus, quod notat Lucas, nec se ita munierint, vt cùm mala illa præsentia forent, se seruarent illęsos perseuerarentq; constantes) sed vt huiusmodi, apud quos deposita hæc reuelatio, impræsentiarum non posset obesse, in futurum autem etiam prodesse plurimum, vbi, rebus peractis, in memoriam reuocantes longè antè ea omnia sibi ex ore magistri audita fuisse, & intellecturi essent ipsi diuinam Iesu præscientiam ac voluntariam mortem, & aliis testes omnium apti ac numero sufficientes futuri. Nam sicuti semen in terram iactum non statim germinat: ita scimus Christum Apostolis multa dixisse quæ non statim fructum protulerint. Græcè & syriacè additur ἐν τῇ ὁδῷ *in via* siue itinere, vt intelligas Iesum inter proficiscendum separasse nonnihil Apostolos ab aliis, quò solis ipsis loqueretur.

Mar. 10. v. 33. Luc 18. v. 31.

Ecce ascendimus Ierosolymam, [18] & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte,

ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ,

ECCE iam euenit quod vobis prædixi aliquoties dum adhuc essem in Galilæa, eundum mihi esse Ierosolyma, & probra multa adeoque mortem à me illic ferenda. Hoc est illud iter meum Ierosolymitanum, quod mortem mihi, & quidem ignominiosam, adferet. Huiusmodi emphasin habet aduerbium *ecce*. Iam tertiò Iesus prædicit Apostolis suis simul omnibus passionem mortemque suam, omnino illud volens infixum cordibus ipsorum, mortem mortisque genus & circumstantias singulas præuisas præcognitasque ipsi fuisse: quare &, vt iam erat mors propinquior, ita explicatiùs, distinctiùs, propiusque quàm hactenus designat eius circumstantias, luculentissimum suæ deitatis documentum edens. ASCENDIMVS. proficiscimur. Obserua diuinam Iesu fortitudinem ad vincendos mortis terrores, qui sciens & volens ad eam subeundam properat. ET SCRIBIS qui iamdudum ipsi struunt insidias. ET CONDEMNABVNT. qui condemnabunt, subaudiuntur enim principes sacerdotum & Scribæ. Id fecerunt infrà 26. v.66., quando audito ipso Iesu, confitente se esse Christum filium Dei, rogati à Caipha sententiam, vnanimiter dixerunt *Reus est mortis*. Reliqua lege suprà 16.v.21.& 17.v.22.

Mar. 10. v. 33. 34. Luc. 18. v. 32. 33.

& tradent eum Gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die resurget. [19]

καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ ἐμπαῖξαι, καὶ μαστιγῶσαι, καὶ σταυρῶσαι· καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

TRADENT. Hinc Pilatus: *Gens tua*, aiebat, *& pontifices tradiderunt te mihi*. Ioh.18.v.35. GENTIBVS, Romanis scilicet, Pilato præsidi & aulæ exercituique ipsius; *tradent* inquam, non vt mitiùs cum eo agatur, sed vt morte omnium probrosissima dirissimaque, qualem ipsi inferre non facilè poterant, afficiatur, morte inquam crucis. Eo prorsus ordine prædicit historiam passionis suæ, quo res gesta est. AD ILLVDENDVM. ad hoc vt illudant ei gentes. Non hoc disertè petierunt à Pilato, vt ludibrio exponeretur & flagellaretur Iesus; tantùm vt crucifigeretur: sed gratum ipsis fuit quidquid suppliciorum petitioni ipsorum adiiceretur: præter hoc quòd illudendi materiam præbuerunt, quando eum quem captiuum tradiderant, vt affectantem Regis nomen dignitatemque accusauerunt: nam flagellationem sciuerunt pro more crucifixioni præuiam esse. Quare meritò ipsi ea omnia expetiuisse censentur quæ euenerunt. Illusus est autem Iesus à Romanis militibus infrà 27.v.27.28.29.30.31. Illusionem porrò præcessit flagellatio. Ioh.19. v.1.2. Non leuem verò aut paruipendendam fuisse siue flagellationem siue illusionem, satis significat prædictio isthæc.

ET CRVCIFIGENDVM. Genus mortis suæ declarat, cruci scilicet se adfigendum. Crux omne genus cruciatus atque interitus significat, sed vsu receptum est vt pro ligno sumatur, & eo peculiariter cruciatu interituque, quem patiuntur illi qui ligno affiguntur, eò quòd cruciatus interitusque ille in ligno, alios omnes facilè superet, vtpote mors tarda & planè cum sensu. Flagellatione quietem, illusione honorem, cruce vitam

Iesu

Iesu auferre voluerunt, quæ sunt tria hominis in hac vita bona. itaque omnibus modis nocere studuerunt.

ET TERTIA. & pro sed. subaudi, postquam hæc ipsi contigerint. Acerba duraque hæc erunt: sed constantes estote, durate non amplius quàm triduum vnum, rerum scena mutabitur. Tristium omnium vna sufficiens consolatio est resurrectio. Reliqua lege suprà 16.v.21.& 17.v.23.

τότε προσῆλθεν αὐτῷ ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου μετὰ τῶν υἱῶν αὐτῆς, προσκυνοῦσα καὶ αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ. 20

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. *Mar.10. v.35.*

TVNC. breui pòst eodem in itinere. ACCESSIT priuatim, seorsum à reliquorum discipulorum consortio, ne ab illis deprehenderetur negotium. MATER FILIORVM ZEBEDÆI. mater Iacobi & Iohannis fratrum, Apostolorum, proprio nomine Salome, quod Marcus explicat cap.15.v.40 Non dicit vxor Zebedæi, verisimiliter quòd vidua esset, orbata Zebedæo marito. A filiis autem ipsius nomen circumscribit, cùm quòd filij in historia Euangelica notissimi essent, tum quòd rem istam gesserit filiorum nomine & instinctu: nec tamen filios nominat, ne traducere velle videatur. Cùm metuerent filij, ne ambitionis redarguti pudendam repulsam paterentur, subornant matrem, cui præter hoc quòd facilè ignoscèdam votorum mensuram (tsi fortè immoderatiorem iudicant, vtpote studio maternæ sedulitatis pro filiorum honore solicitæ, etiam deberi aliquid à Iesu censent, quippe quæ non tantùm filios Iesu ministrare patiebatur, sed & se ipsam addixerat, ex earum numero quæ Iesum sequutæ ex Galilæa ministrabant ei. infrà 27.v.55.56. CVM FILIIS SVIS. cum ipsis filiis suis, præsentes ipsos exhibens, quò magis moueret Dominum, & ipsi pro se quoque loquerentur si opus foret. ADORANS. ad genua ipsi accidens. Insigni reuerentiæ officio Iesu animum captat, petitura rem magnam. ALIQVID quod non mox aperiret. Nam, quod ex Marco intelligitur, priùs in genere petiuit concedi sibi quidquid esset postulatura: verita enim & ipsa repulsam, vbi declaratura esset quid illud esset quod postularet, conatur ante omnia Iesum sibi generali pollicitatione deuincire, assensum venata antequam petat, ne postea negare liceret; vel sua hac timida insinuatione se malè sibi consciam prodens.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ, τί θέλεις; λέγει αὐτῷ· εἰπὲ ἵνα καθίσωσιν οὗτοι οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων σου, ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. 21

Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo. *Mar.10. v.36.37.*

QVID VIS? quid petis? q.d. plurimùm refert quid petas. Vult vt explicet id quod petit, vt doceat non esse sapientis polliceri vel amicissimo quod nescias. DIC. iube, decerne, statue. id enim tuum est tamquam Regis. VT SEDEANT. Alludit, à filiis instructa, ad promissionem paulò antè (suprà 19.v.28.) duodecim ipsis factam: *Cum sederit &c. sedebitis & vos super sedes duodecim &c.* HI DVO FILII MEI. Iacobus & Iohannes præsentes. AD SINISTRAM ἐξ εὐωνύμων sic græci, ominis causa, vocant sinistram corporis partem, *εὐώνυμα*, id est, boni ominis. Sensus est: Cingant tibi latus vtrumque, sedeant tibi proximi, nemo sit illis propinquior tibi, sint ipsi à te Rege primi proceres regni. Petit filiis suis primatum consessus regij, ac proinde primas in regno; dignitatem atque auctoritatem ipsi Iesu proximam, vt sint honore auctoritateque primi à rege Christo. nam ad dexteram & ad sinistram sedere alicui, proximos dignitatis & auctoritatis gradus obtinentium situs est. IN REGNO TVO. cùm sederis in sede maiestatis tuæ seu regni tui, quod proximum esse intelligimus. Occuparat hæc opinio iam instare regnum Christi, animos, non tantùm filiorum Zebedæi, sed & cæterorum Apostolorum (Luc.19.v.11.) occasione eius quod dixerat Iesus, se nunc proficisci Ierosolyma moriendi resurgendique causa. Nam quamquam hoc prorsus non intellexerint quid sibi vellet, quod scribit Lucas 18.v.34: tamen mortis, quæ triduum dumtaxat nec amplius occuparet, cogitatione seposita, prædictam resurrectionem animo reuoluentes, regni significationem continere iudicarunt, quemadmodum & aliàs, & quidem nunc eo magis fortasse, quia non ita multò antè promisisset Iesus, se, in regeneratione sessurum in sede maiestatis suæ cum duodecim ipsis, & iudicaturum duodecim tribus Israël. Neque verò errabant in eo quòd resurrectioni regnum siue beatitudinem coniunctam esse imaginarentur (resurrectione enim *Christus intrauit in gloriam suam*, quod ipse testatur Luc. 24. v. 26.) sed quòd sperarent illius beatitudinis se aliosque mortales fore participes, adeoque in terra regnum illud iucundum ac beatum exoriturum, simul ac resurrexisset Iesus (qua de re & quæstionem ipsi mouerunt à resurrectione, Act. 1. v.6.7.) quod regnum quamquam ipse frequenter regnum cælorum appellasset, illi tamen putabant initium sumturum in terris. vide suprà 18.v.1. Itaque Iesum iam ad capessendum regnum proficisci arbitrati filij Zebedæi, praua præ cæteris honorum cupiditate accensi animis, tempus esse putauerunt quo seipsos Regi Christo commendarent pro loco ab ipso primo, quem post initum regnum non facilè essent impetraturi si alij eum semel occupassent. Credebant futurum Iesu Christi regnum, etsi ne minima quidem illius tunc vmbra appareret, quia sic docuerat ipse Iesus: nec dubitabant quin ipsi regni socij futuri essent Iesu, postquam ipse illud promiserat: sed primam eius regni dignitatem ambiunt. Cùm enim considerarent se à Christo plurimùm diligi, nec vulgari apud eum gratia pollere, immò frequenter multis aliis ex Apostolorum numero ab ipso præponi, adeoque solos cum Petro spectatores admissos fuisse præclari illius speciminis futuri regni in monte secretò exhibiti, sperarunt voti compotes euadere se posse. Cęterùm aliunde metuentes ne repulsam paterentur, submiserunt matrem.

Mar. 10. v. 38. 39.

Respondens autem Iesus dixit: Nescitis quid petatis. potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

22 Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· οὐκ οἴδατε τί αἰτεῖσθε. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν; καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; λέγουσιν αὐτῷ, δυνάμεθα.

NESCITIS. Matre supplicante respondet filiis, vt declaret se non inscium esse matrem à filiis interpositam, matrisq; petitionem ex filiorum descendere voluntate ac consilio: tacitè interim filios simulationis arguens simul & opinionis ipso indignæ, quem putarent astuta petitione & incauta promissione capi posse.

NESCITIS QVID PETATIS. τί αἰτεῖσθε quid petitis, ad verbum. Crassam, carnalem, ambitiosamque discipulorum petitionem, ignorantiæ insimulatione contentus est repulisse mitis magister: error enim, non ex malitia, sed ex simplicitate profectus, sanari debet aut ad tempus tolerari. *Nescitis*, inquit, *quid petatis*, id est, Multis erroribus implicita est petitio vestra. Vos existimatis beatum illud regnum meum fore mundanum, terrenum, ac huius vitæ, ambitioso Gentium ac mundi more illustre, quo vos breuî mecum hac in terra atque inprimis Ierosolymis, regia ciuitate, iucundè ac feliciter regnaturi sitis: erratis, exspectatis quod nusquam, quod numquam futurum est. Putatis deinde, vos hoc statu idoneos esse illi regno meo: fallimini, longè alij reddamini, longè alia præstetis oportet. Postremò arbitramini precum ambitu primas huius regni impetrari posse, meque eas quibus velim ac faueam amicis ad gratiam concedere: multum abest, nec enim petitionibus deferentur primæ, sed meritis. Hæc est summa Dominicæ responsionis, cuius primus articulus & secundus his verbis *Potestis bibere* &c, tertius his *Sedere autem ad* &c. continentur. POTESTIS. forténe satis estis, constantes, & parati. quasi dicat humano more, multum equidem ambigo an possitis: adhuc enim estis pueri delicati, quibus nondum gustatus est amarus huiusmodi calix. & quamquam non dicat ipsos non posse, insinuat tamen adhuc esse imbecilliores tenerioresque quàm vt admittant huiusmodi calicem propinatum.

BIBERE CALICEM. vt bibatis τὸ ποτήριον illud poculum, illum calicem iniuriarum, suppliciorum, mortis. Calix in S. literis, metonymicῶς acceptus pro eo quod calice continetur, sortem alicui diuino consilio paratam significat, siue iucundam vt Psal. 15. v. 5., siue molestam vt Isa. 51. v. 17. & 22., hoc loco, & alijs. Videtur autem similitudo sumta à more patrumfamilias simul & natura potus: quòd quemadmodum quem pater familias conuiuis domesticisque suis præparauerit propinaueritq; potum, siue suauem illum siue amarum, siue purum siue fæculentum &c. eum necesse est bibant si sitim sedare velint: ita quam vnicuique conditionem seu sortem constituerit Deus, eam necesse est vt subeat, siue lenem illam siue asperam, siue prosperam siue aduersam; subeat inquam totusque patiatur, quemadmodum quod bibitur in viscera traiectum totum afficit hominem. Ab hoc porrò loquendi modo, nec vulgaris sermo noster abhorret, quo eodem poculo bibere dicimus eos quibus sors similis contingit. Sic igitur Iesus, passionem quam ex Dei Patris decreto ferre debebat totusque subire, calicem vocat. QVEM EGO BIBITVRVS SVM, quem ego bibiturum me dixi; pati talia qualia me ex Patris decreto oportet pati, afflictiones, opprobria, supplicia, crucem, mortem? potestisne fieri socij passionum certaminis, & mortis meæ? q.d. Si benè considerastis verba mea, ego non hoc tantùm prædixi me die tertio resurrecturum, ac proinde etiam beatum regnaturum: sed & hoc addidi, multa me priùs indigna passurum, proditionem, illusionem, flagellationem, mortem crucis. Satisne igitur vos fortes experimini qui imitemini hoc exemplum meum, quod vt omnes qui mecum regnare volunt, ita inprimis eos qui primas obtinere sedes, imitari necesse est? nec enim melior faciliórve esse potest ciuium conditio quàm ipsius Regis. Quibus in verbis subest non vulgaris consolatio ad leniendam crucis acerbitatem, dum in ea ferenda Christus discipulis se ducem præbet, sic subnotans illorum imbecillitatem, vt simul animum addat & alliciat. Ostendit igitur Iesus ipsos nescire quid petant, tum quia petant gaudia honoresque regni Christiani hoc in sæculo quæ nulla sunt, cùm Regis Christi exemplo, non gaudia sed afflictiones, non honores sed ignominiæ, non vita læta sed crux acerbaque mors, exspectandæ sint hoc in sæculo iis qui ad regnum illud electi sunt: tum quia primas petunt in regno, ignari an vel idonei sint qui admittantur in regnum; ignari inquam an in hac vita ferre fortiter possint aduersa illa omnia quæ eos manent qui ad illud regnum parantur, immò verò re ipsa etiamnum imbecilliores quàm vt ferre possint, ac proinde nondum idonei qui intrent in regnum, multo minùs in primas sedes dignitatésve, quas qui obtinebunt Regi Christo quàm simillimos esse oportebit toleratione malorum. Vt itaque discipulorum ambitionem compescat Iesus, & à peruerso mundanæ felicitatis desiderio ipsorum animos reuocet, proponit ipsis crucem & ærumnas illas omnes quæ Dei filiis hoc in sæculo subeundæ sunt, docens neminem consortem fore regni sui, nisi qui passionum & mortis socius antè fuerit. Quocirca demonstrat intempestiuè ipsos adspirare ad regni gloriam, quam præcedat necesse est malorum tolerantia, quæ nulla ipsi adhuc tulerint, immò tyrones ferendis nondum satis sint pares: tamquam si diceret: Vos de honoribus & coronis cogitatis: ego verò de luctamine atque sudore dissero. Vos de triumpho soliciti estis, ego de paranda certamine victoria. Non præmiorum hoc tempus est, nec felix illa regni gloria modò apparebit, sed bella, pericula, & necem, præsens continet vita. Quare si regni aliquando mecum communione frui velitis, priùs vos comparetis oportet ad certamina, ad toleranda fortiter constanterq; hoc in mundo, exemplo meo mortem cęteraq; acerbissima ac tristissima quæque quę immiserit Deus, qualia hîc præparauit probandis electis suis. Gręcè & syriacè additur huic versiculo: *Et baptismate, quo ego baptizor, baptizari?* quod nos habebimus vt Marco proprium: de quo lege Grecarú lectionum varietates.

POSSVMVS bibere. parati sumus & promto animo cupimus tecum ferre acerba omnia, tecum & in carcerem & in mortem ire, quemadmodú dicebat Petrus Luc. 22. v. 33. Non negant se esse qui petant quod mater proposuerat, primatum in Christi regno (animaduertunt enim se latere non posse) sed dum audiunt requiri à Christo quod in se situm esse arbitrantur, cupiditate assequendi promittunt quiduis, minimè metientes vires suas; rati, modò promissum accipiant illius honoris, se facilè quiduis eius gratia toleraturos, vt res merebatur, præsertim cùm etiam Rex ipse dux foret.

23 καὶ λέγει αὐτοῖς· τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε· τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου.

Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

MEVM. meo similem. BIBETIS. persequutiones pro Euangelio feretis, etsi non mecum, tamen olim, suo tempore, induti virtute ex alto. Quamquam temerè responderent se posse quod vires ipsorum nondum ferebant, tamen quia aliquando id præstituri erant, amplectitur promtitudinem eorum, non tamquam veram, sed vt huiusmodi aliquando futuram; pollicetur que ipsis, quam discipulis omnibus sibi obedientibus adornabat, persecutionum tolerationem, vt illarum memoria ac recordatione caderet ipsorum ambitio. Feretis aliquando, inquit, meo exemplo aduersa non minima pro Euangelio regni, fortitudine à me aucti. huc ergo parate animos vestros. Id ita accidisse vel ex S. literis constat. Act. 5. v. 40. 22. v. 2. Apoc. 1. v. 9. Nam quod ad Iohannem, tametsi mors necessaria est (nec enim hac in vita potietur quis beato illo Christi regno) non tamen necessaria est à persequutoribus illata mors, vt quis bibat hunc Domini calicem. Sequitur græcè & syriacè quemadmodum mox: *Et baptismate quo ego baptizor baptizabimini.* SEDERE AVTEM. quasi dicat, Non idcirco tamen promitto vobis id quod petitis, quia nec soli id præstituri estis vt bibatis calicem meum, nec solum illud sufficit ad obtinendum locum regni primum. Eritis mihi quidem socij regni consolationisque, quemadmodum fueritis certaminis ac tristium passionum, calicis inquam ac baptismi: sed locus regni primus incertum quorum erit certò tamen eorum quibus Deus Pater eum preparauit. AD DEXTERAM MEAM VEL SINISTRAM. *καὶ ἐξ εὐωνύμων μου & ad sinistram meam.* Sed siue legas *&*, siue *vel*, eadem est sententia, pro, primum à me seu proximum mihi locum, summum omnium in regno meo honoris gradum.
DARE VOBIS. seu aut quibusuis alijs. Græcè & syriacè non additur *vobis*, nec legitur ab Interpretibus græcis, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, vt neque inter Latinos ab Augustino lib. 1. de Trinitate cap. 12. Eo omisso clarior est sensus. Tertia causa hîc insinuatur cur nesciant quid petant, quia falsò, ambitiosis precibus, existiment impetrari posse primas sedes. SED QVIBVS, id est, nisi quibus. PARATVM EST. non adhuc parandum, sed paratum est, id est, præparatum, prædestinatum, constitutum, decretum, æterno & numquam mutabili consilio. Sic infrà 25. v. 34. Christus rex electis: *Possidete*, inquit, *paratum vobis regnum à constitutione mundi.* A PATRE MEO. cuius occulta etiamnum sed iusta sunt iudicia. Ille ab æterno perspecta habens futura singulorum electorum opera operumque merita ac momenta, quæ ipsius cooperante gratia hac in vita facturi sibiq; comparaturi essent, suum singulis ab æterno destinauit in regno meo locum ac honoris gradum, summum primumque iis qui per opera omnium illustrissima præ cæteris magis idoneos dignosque se essent reddituri. Quinam illi sint, vósne an alij, non est meum nunc declarare, quod Pater vult adhuc apud se manere secretum (nam quòd solum Patrem nominat, facit inter cætera, vt rem secretam sibi tenendam insinuet) sed quicumque illi sint, vbi sua singulis distribuenda à me erunt præmia in nouissimo iudicij die, illis nec alijs concedam oportet primas illas sedes. Æquum est enim, vt non pro meo libitu humanoque beneplacito, amicorum vel familiarium meorum hîc cedam affectationibus aut votis, sed iustissimam Patris prædestinationem sequar, quæ ἀπροσωπολήπτως, vitæ non personæ, meritorum non gratiæ alicuius humanæ ratione habita, vt quisque certaturus viriliter esset, ita ei locum præmiumque in regno illo, æterno decreto sanciuit. Quocirca vos, nihil soliciti de loco vestro, adlaborate, vt fortitudinis, humilitatis, cæterarumque virtutum studio quàm maximè proficiatis, certiores, fore, si cæteros omnes his rebus superaueritis, cæteris omnibus etiam priores vos fore & mihi propinquiores in regno meo, ex infallibili decreto Patris & dono meo. Quòd si verò alij vos superauerint, multoque plura atque excellentiora virtutum ornamenta in medium attulerint quàm vos, & illi vtique vos precedent, nec poteritis vos, quantumuis mihi iam familiares & chari, obtinere primatum. Paucis orationem ita temperauit vt discipulorum, & compesceret ambitionem, & ad studium virtutis erigeret animos. Contra hanc veterum patrum explicationem, docent nostræ ætatis hæretici, gratuitam Dei misericordiam eligentis, absque vllo operum ac meritorum respectu, significari his verbis *quibus paratum est à Patre meo*: sed refelluntur simili loco infrà 25. v. 34 & 35, vbi præparationis regni ratio ex operibus deducitur. Aliud est enim hunc præ illo ex hominibus eligi seu prædestinari: aliud hunc præ illo regno aut prima regni sede donari. Illius nulla est in homine causa, huius causa sunt bona hominis opera meritaque: illud soli Dei gratiæ est adscribendum; hoc gratiæ primùm, operibus proximè.

24 καὶ ἀκούσαντες οἱ δέκα, ἠγανάκτησαν περὶ τῶν δύο ἀδελφῶν.

Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Mar. 10. v. 41.

ET AVDIENTES. καὶ ἀκούσαντες cùm autem audissent, id est, intellexissent rem istam ex interuallo. DECEM. alij decem Apostoli. Priuatim loquebantur Iesu mater & duo illi fratres: sed Iesus ita respondit, vt cæteri, & quid diceret audirent, & ex responso quid peteretur intelligerent. Cùm enim sciret eodem vno morbo omnes ipsos laborare, voluit ipsis simul omnibus mederi, vnumq; responsum semel omnibus seruire.
INDIGNATI SVNT. ægrè tulerunt. Malum ex malo nascitur: non enim indignati sunt eò quòd illorum ambitionem detestarentur, sed quòd ipsi quoque ambitione acti eminere in Christi regno vellent non minùs quàm illi. Nec placati sunt ea quam illi tulerant repulsa: quanto igitur magis commoti fuissent si illi obtinuissent optatum? DE DVOBVS FRATRIBVS. quòd duo illi fratres cæteris ipsis præferri præesseq; studerent (nam matrem facilè intelligebant à filiis subornatam) quòd huiusmodi præsumtione efferrentur, vt

artificiosè submissa matre clanculum agere auderent apud Dominum vt sociis suis præponerentur in regno. Fuerant illi non semel à Domino præpositi cæteris plerisque, tulerantq; isti æquanimiter, magistri dignitatem reueriti: sed quòd ipsi vltrò precibus solicitent Dominum vt honor iste sit ipsis proprius ac perpetuus, id nequaquam ferunt. videbantur sibi singuli non minori ratione hoc idem postulare posse, immò sibi potiùs aut ex ipsorum numero aliis locum illum deberi credebant. Summa, vt suis quisque dotibus ac meritis blanditur, ita nullus non sibi sperabat primatum, quisque occultè apud se spem primatus fouebat. Itaque inuidentes indignantur. quòd duo isti fratres, ignorantes mensuram suam, parùm agnoscentes mediocritatem suam, primas ausi fuissent postulare, immodica honoris cupiditate accensi. Declarantur nobis Apostolorum vitia, nō vt ea imitemur, sed vt sinamus ea sanari in nobis, quemadmodū illi siuerunt in se, vsq; adeò perfectè, vt postea ab omnibus huiusmodi miseriis & animi morbis prauisque affectionibus liberos, vltrò primas sibi mutuò deferre videas. Si ergo placet Apostolorum infirmitas, placeat & docilitas atque obedientia.

Mar.10. v.42.

Iesus autem vocauit eos ad se, & 25 ait: Scitis quia principes Gentium dominantur eorum; & qui maiores sunt potestatem exercent in eos?

ὁ δὲ ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτοὺς εἶπεν· οἴδατε ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν;

VOCAVIT. προσκαλεσάμενος cùm aduocasset. Conturbatos atque commotos, antequam verba cum ipsis faceret, tum ipsa vocatione, tum quia propiùs eos attraxit, non parum mitigauit. EOS. Decem. AD SE. eò vbi erat cum duobus illis fratribus, qui seorsum haud procul ab aliis ipsum conuenerant. Cùm ex eodem ambitionis morbo in cordibus latente, oriretur horum æmulatio, ex quo fratrum postulatio (fratres enim præponi volebant cæteris: isti postponi nolebant sociis) conuocauit omnes in vnum, vt propiùs, familiariùs, ac benigniùs, vno doctrinæ pharmaco omnibus adferret remedium, quo & errorem & affectum ambitionis ipsis eximeret. Cumq; hactenus, reiecta opinione instantis regni sui qua parte beatum est, docuisset aduersa priùs omnia hac in vita ferenda quàm illo daretur frui, primumq; in eo locum non precibus concedendum sed meritis: nunc admissa eadem illa opinione, qua parte colligendum, præparandumque est regnum, docet non expetendum in eo esse primatum, eò quòd non ita illius primores se gerere poterunt, quemadmodum Apostoli arbitrabantur, ad normam Gentilium Principum, tamquam dominandi imperandiq; honore sublimes, sed debebunt contrario prorsus modo se gerere tamquam ministri adeoq; serui aliorum. ET AIT. Non statim condemnat abiicitq; delinquetes discipulos, sed fert & instruit spiritu lenitatis. SCITIS. Interrogando periodum hanc lego. q. d. si nescitis, facile est scire quod sciunt omnes. QVIA. pro quòd. PRINCIPES GENTIVM, à Dei lege, cultu, cognitioneque alieni ac vobis abominationi, sicut ipsæ Gentes. *Gentium* inquit, quia & Christianos Reges vult ab his vitiis esse alienos: quamquam præcipuè, non de Regum conditione, sed de Apostolorum successorumq; officio agat. DOMINANTVR EORVM quibus sunt principes constituti. κατακυριεύουσιν αὐτῶν dominantur in eas. ita exprimitur præpositionis κατὰ in malum sonantis vis, resoluta compositione, & relatiuum genere respondet suo antecedenti. Nam αὐτῶν refert ἐθνῶν *gentium*: tametsi Interpres *eorum* dixit pro *earum*, ad rem non ad vocem respiciens: quemadmodum & in eo sequutus est græcam phrasin, quòd *eorum* dixit, pro eo quod latinè secundùm Marcum dicit *eis*. Syrus *Domini earum sunt*. Sensus est: Dominos agunt in eas, dominandi imperandique honorem spectant arroganter quæruntque è principatu suo, in eo sibi placent quòd præsint aliis, à quibus timorem, honorem, & obedientiam velut à seruis exigunt, denique principatum dominatu definiunt; vnde magna sæpè tyrannis. Non proponunt sibi eorum quibus præsunt vtilitatem & commoditatem, vt totius principatus sui scopum, sed seipsos proponunt suamque ambitionem, cui seruire subditos cogunt tum legibus tum vi, malo frequenter ipsorum subditorum. Eodem verbo græcè vsus Petrus 1. Epist. 5. v. 3. prohibet Episcopis dominari in cleros siue sortem Domini, populum inquam Christianum. ET QVI MAIORES SVNT. καὶ οἱ μεγάλοι & magni, id est, magnates earum (nam *earum* repetit hîc Syrus) qui dignitate auctoritateq; pollent inter eas. *principes* vertit secundùm Marcum. Magnum vocant Hebræi, quem Latini magnatem. exemplum 2. Reg. 7. v. 9. POTESTATEM EXERCENT IN EOS seu eas. κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν auctoritate vtuntur in eas. Similiter addita præpositio in malam partem verbum trahit: ad quod declarandum quidam vertunt: *licentia* seu *imperiosa auctoritate vtuntur in eas.* sensus est, eo delectantur, eò referunt dignitatem suam, vt iubeant & imperent pro libitu subditis, inuitosque ad obsequium sui compellant: magnitudo siue amplitudo, ex imperandi auctoritate definita, non aliam ipsis mensuram habet quàm imperandi facultatem. Hinc porrò nascitur vsus potestatis tyrannicus, cum malo subditorum coniunctus. Vult dicere Saluator, Scire vos conuenit, hanc vestram affectionem, qua adspiratis singuli ad primas honoris auctoritatisque in regno meo, affectionem esse Gentilium, qui ea qua funguntur publica præfectura abutuntur ad ambitiosæ maiestatis auctoritatisque exercendæ materiam, propriam præcipuè spectantes gloriam & vtilitatem.

Mar.10. v.43.

Non ita erit inter vos: sed quicum- 26 que voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister:

οὐχ οὕτως δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν· ἀλλ' ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν μέγας γενέσθαι, ἔστω ὑμῶν διάκονος·

NON ITA ERIT si benè erit (quamquam ita fore persuasos vos esse rebus ipsis declaretis) non ita esse congruit, cauete ne ita sit. Futurum imperatiui loco, ex idiotismo hebraico. Interpres non legit coniunctionem δὲ: *Verum non ita erit.* INTER VOS Christi discipulos, quorum mores multum differre oportet à moribus Gentium ignorantium Deum & mundo eiusq; concupiscentiis viuentium. VOLVERIT. Impropria loquutio est, eò quòd alloquatur eos qui vellent. Non enim docet Apostolos quomodo primatum sibi comparare

rare queant: sed, ex onere quod incumbit primati, docet non ambire primatum. id quod clarè intelligitur ex exemplis, antecedente Gentium & consequente Filij hominis. *Voluerit* igitur, supple quemadmodum vos id vultis; sed accipe pro eo ac si dicat: Sed quicumque fuerit inter vos maior. INTER VOS hac in vita versantes (id enim volebant ac sperabant) Nam tametsi regnum illud meum beatum, non sit vobis nisi à morte exspectandum: erit tamen hac in vita exordium illius regni mei, Ecclesia inquam quam paro colligere & ædificare, in qua alij alijs præerunt, & inprimis vos. MAIOR FIERI. μέγας γενέσθαι magnus fieri vel esse, dignitate auctoritateque alijs eminere. SIT ille, adeptus quod vult, vbi maior fuerit, sit oportet, esse debet, sciat necesse est se esse debere, si in suo ritè fungi velit munere, si ad eum modum præesse volet quem ego requiro ex Dei Patris præscripto, si vt nomine ita & merito magnus erit, si locum quem hoc in seculo obtinet retinere voluerit & in futuro. Ambitiosorum est, dum ad honores adspirant, seruiliter blandiri: sed nihil minùs illis propositum est quàm seruire vbi adepti fuerint quod desiderant. aliud docet Christus. VESTER MINISTER. se exhibeat oportet ministrum vestrum, incumbat necesse est procurandis vndique commoditatibus salutis vestræ, non proprium honorem aut commodum, sed vestram quærat oportet salutem & vtilitatem; nec idcirco tamen imperiosa in vos auctoritate vtatur, sed ministri instar omni cum mansuetudine agat, si potest, obsecratione potiùs quàm imperio adhibito, ne quem temerè exasperet, persuasus non suum esse iubere aut imperare subiectis, *secundum potestatem quam Dominus dedit illi in ædificationem & non in destructionem* aut elationem. 2.Cor.13.v.10. Opponit Saluator ministrum esse, ei quod mox attribuit magnatibus Gentium, potestatem exercere, ne sibi fingant Apostoli talem in spiritali Ecclesiæ regimine speciem rerum, qualem videre est in imperiis regnisque terrenis.

καὶ ὃς ἐὰν θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, ἔστω ὑμῶν δοῦλος· 27 & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: *Mar.10. v.44.*

ET QVI. Res eadem inculcationis causa repetitur, nisi quòd plus aliquid significetur, quo quis maiori fungitur dignitate, eo arctiori subiacere seruituti. PRIMVS seu princeps (plus est quàm esse magnum) alijs omnibus maior. ERIT. ἔστω sit, esse debet, vbi principatum fuerit assequutus, vbi primus fuerit. VESTER SERVVS. vobis prorsus addictus, nullatenus liber. Plus est seruum esse quàm ministrum: nam minister liber esse potest, seruus autem totus est domini sui, quidquid habet in bonis siue naturæ siue fortunæ totum addictum est seruituti domini: opponiturque seruum esse, ei quod in more positum esse dixerat principibus Gentium, dominari. Non putet suum esse in reliquos dominari, in reliquos dominum agere aut seruitium ab illis extorquere: sed contrà adeò se seruitio vestro obnoxium esse sciat, vt quidquid habet bonorum siue animi siue corporis, adeoq; vitam suam, vbi fuerit opus, seque ipsum totum, impendere debeat tutandæ saluti vestræ. Dignitatis itaque seu præstantiæ ratio inter Christianos, non ad commoditatem personæ ipsius, sed ad laborem, diligentiam, curam & sedulitatem à Christo refertur, neglectione propriorum commodorum & alienorum cura ac studio definita. Hanc Reip. à me instituendæ rationem, vult dicere Saluator, si intelligeretis, non vos duo primas ambiretis, sed fugeretis vt miserrimam seruitutem: nec vos decem his inuideretis expetitum locum, sed misereremini potiùs eorum, vobisipsis autem gratularemini; certiores, si obtinerent, ipsis quidem magni laboris & negotij, vobis autem honoris & commodi causam fore.

ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. 28 sicut Filius hominis non vênit ministrari, sed ministrare, & dare animã suã redemtionẽ pro multis. *Mar.10. v.45.*

SICVT. Exemplo suo confirmat quod dixit de præfectorum conditione & officio, præcepto suo suum addens exemplum, quò potentiùs moueat. FILIVS HOMINIS. ego, citra controuersiam Dominus & magister vester, &, vt verè profitemini, Filius Dei ac Rex Israel. Semper memoria repetendum est, seruum non esse domino suo maiorem, nec discipulum magistro. NON VENIT in hunc mundum, in hanc vitam mortalem. MINISTRARI. græca phrasis, pro *vt sibi ministretur* (quomodo vertit secundùm Marcum) s. ab hominibus quamuis omnium seruitute dignissimus. Non insolescit dignitate sua, nec sua potestate abutitur in commodum suum, vt hominum ministerio ad pompam magnificentiæ suæ vtatur, vt his imperet, alios seruitio premat. Permisit quidem sibi ministrari (suprà 8.v.15. infrà 27.v.55.) sed non ideò vênit, non ideò homo factus est, vt homini homines inter quos versaretur ministrarent. SED MINISTRARE. sed vt ipse hominibus ministraret eorum saluti vtilitatiq; seruiret. quod quidem fecit, dum ministeria, corporalia nonnumquam, spiritalia assiduè, corporali labore interueniente, discipulis aliisque præstitit, triennio discurrens quocumque, nullisque laboribus parcens vt quæreret ac saluaret oues perditas domus Israel, Euangelium prædicans, liberans omnes oppressos à diabolo, & sanans omnem languorem omnemq; infirmitatem in populo. Hic forma præscribitur iis qui præsunt, vt si quidem permittant sibi nonnumquam ministerium aliquod à subditis exhiberi, sciant tamen non ideò se præfectos vt sibi ministretur à subditis, sed contrà vt ipsi subditis ministrent. ET quod amplius est. DARE, in mortem vtique. ANIMAM SVAM. id est, seipsum. vide suprà 10.v.39. Idcirco mortis à Christo iterum ingeritur mentio, vt discipulos à peruerso terreni regni figmento abstrahat. REDEMTIONEM. λύτρον redemtionis pretium: non enim ipsam redemtionem declarat λύτρον, sed eius pretium, id est, id quo dato redimuntur qui captiui tenebantur: estque appositio, animam suam redemtionem seu redemtionis pretium. PRO MVLTIS. pro omnibus hominibus. nam alijs omnibus se opponit, omnes autem multi sunt, verùm vt opinionem iactantiæ vitet, *multis* mauult dicere quàm *omnibus*. *Pro multis* inquam redimendis, ἀντὶ πολλῶν causa redimendi multos s. à Dei ira, à captiuitate peccati ac diaboli, à morte æterna. Redemtionis hominum è seruitute peccati & captiuitate diaboli, in quam iustè à Deo, quem deseruerant, fuerant traditi, Filius Dei homo factus seipsum moriens Deo

obtulit

obtulit pretium. Redemtio ista, remissio est peccatorum, doctore Apostolo Ephes. 1. v. 7. Coloss. 1. v. 14. sunt enim peccata per quæ captiui ac morti obnoxij tenemur. Huius pretium non alibi quàm in Christi morte reperitur, quam solis nobis peccatoribus debitam, ipse à peccato liber, Deus iuxta ac homo, tulit, itaque iustitiæ Dei pro nobis satisfecit, & *factus est propitiatio pro peccatis nostris ac totius mundi* (1. Ioh. 2. v. 2) vide suprà 16. v. 21. Ad hoc negotium obeundum venisse se testatur, quo quidem non tantùm ministrum se præbuit hominibus, verumetiam seruum: solet enim seruus pretio æstimari, & ad domini salutem, libertatem, vtilitatem, emi, vendi, reiici, occidi. domini enim est quidquid est. Et quidem Iesu mors sufficiens est pretium pro omnibus hominibus redimendis, quodque in se fuit, pro omnibus se dedit: sed efficacitas illius in solos electos perfectè se exserit. Rursus hìc Iesus exemplum se statuit maioribus, vt intelligant vitam etiam se debere subditis vbi res postulat, potiùs quàm vocationem qua aliis inseruiunt temerè deserant. Summa omnium est, vt qui honore proximus esse Iesu velit tum in hoc seculo tum in futuro, ille ad imitationem Iesu se comparet, & quàm proximè ad eius exemplum accedat, huc consilia omnia referens, vt etiam ad infimum vsque ignominiæ incommoditatisque gradum hìc se deiiciat, quò omnium saluti consulat.

Mar. 10. v. 46.

Et egredientibus illis ab Iericho, sequuta est eum turba multa: [29] καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν ἀπὸ ἱεριχὼ, ἠκολούθησεν αὐτῷ ὄχλος πολύς·

ILLIS Iesu eiusque discipulis. Syrus & vtitur numero singulari & addit nomen Iesu. AB IERICHO. è Ierìcho ciuitate, per quam ex oppido Ephræm seu Iudææ finibus Iordane ab ortu definitis iter est Ierosolymam, à qua abest CL. stadiis, vt à Iordane LX, Iosepho teste libri 5. de bello Iudaico capite 4. diximus porrò alibi, octo stadiis confici vnum miliare Italicum, triumque Italicorum miliarium iter vna hora fieri. Sed à Iordane quidem Ierichuntem via æquabilis facilisque est, Ierichunte verò Ierosolymam, accliuitate & decliuitate multa difficilis ac molesta. Incertum autem an nomen *Iericho* impositum huic vrbi sit à lunæ nascentis forma. qua illa planicies est quæ vrbem habet (*luna* hebraicè ירח *iareah* dicitur, vrbs יריחו *ieriho*) an verò à Balsami suauissimo omnium odore, cuius sola penè ferax est. ריח *reah* enim Hebræis est odor. Hanc à Iosue destructam ignique succensam, reædificauerat, regnante Achab Israeli, quidam Hiel Bethelites (3. Reg. 16. v. 34.) & quidem cum iactura liberorum suorum, iuxta imprecationem ipsius Iosue cap. 6. v. 26. SEQVVTA EST, partim doctrinæ, partim miraculorum causa. MVLTA. qui omnes testes fuere miraculi subsequentis. Prioribus iunxerant se Ierichuntini multi, atque eo plures, verisimile est, quòd instaret Pascha, quodque rumor nonnullus instantis regni Dei in vulgus sparsus fuisse videatur. Luc. 19. v. 11. Nam quo magis tempus clarificationis Christi appetebat, eo maiorem fuisse turbam quæ ipsum sequebatur, clarum fit Ioh. 12. v. 19.

Mar. 10. v. 46. 47. Luc. 18. v. 35. 37. 38.

& ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid. [30] καὶ ἰδοὺ δύο τυφλοὶ καθήμενοι παρὰ τὴν ὁδὸν, ἀκούσαντες ὅτι ἰησοῦς παράγει, ἔκραξαν λέγοντες· ἐλέησον ἡμᾶς κύριε υἱὸς δαβίδ.

ECCE mox se offert miraculi occasio, Iesu nusquam, ne in itinere quidem, à benefaciendo otioso, vt nusquam non est hoc quod dicitur, Iesus. DVO CÆCI. Duobus cęcis solo contactu sanatis confirmat se vnum esse mundi lucem. SEDENTES. Cæteris ambulantibus soli cæci sedent, indissolubili tenebrarum catena ligati, nihil corporis solutum habentes præter vocem. SECVS VIAM. non procul à porta ciuitatis, iuxta viam qua Ierichunte Ierosolymam pergitur, stipem mendicantes à facientibus illac iter. sic enim solent mendici vias celebres obsidere, vbi quæstus eorum vberior. AVDIERVNT. intellexerunt. TRANSIRET. παράγει præteriret, prætergrederetur. CLAMAVERVNT cùm accedere eum per se nequirent. Reliqua huius versiculi quære explicata suprà 9. v. 27. & 15. v. 22.

Mar. 10. v. 48. Luc. 18. v. 39.

Turba autē increpabat eos vt tacerent. At illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri, fili Dauid. [31] ὁ δὲ ὄχλος ἐπετίμησεν αὐτοῖς ἵνα σιωπήσωσιν. οἱ δὲ μεῖζον ἔκραζον λέγοντες· ἐλέησον ἡμᾶς κύριε υἱὸς δαβίδ.

TVRBA ea quæ præcedebat Iesum (quod Lucas ait) vt in summo honore habebat Iesum. INCREPABAT. obiurgabat. quid enim aliud possit turba quàm obturbare? VT TACERENT. ne clamore suo importuno turbarent iter Iesu. Existimabat turba eleemosynam illos petere à Iesu: indignum autem iudicabat fatua sapientia, virum tantum iter facientem sisti mendicorum causa, aut eorum vexari clamore, quasi gloriæ ipsius obesset, rem ipsi esse cum hominibus sordidis. Aut certè quia vident Iesum non statim ad eorum clamorem respondere, suspicantur hoc illi esse molestum, quum ipse potiùs dissimularet, quo magis esset perspicua cæcorum fides & ardor. Fieri etiam possit in turba fuisse, qui offenderentur ipsum vocari Dauidis filium, id est, Christum. MAGIS CLAMABANT obiurgati. Non solùm nihil remittebant de contentione sua, verumetiam duplicabant sancta improbitate clamorem, tum vt monstrarent se nolle cedere increpationibus huiusmodi, tum vt supra turbæ strepitum à Iesu exaudirentur, qui ne præterlaberetur, interea dum ipsi repellerentur à comitibus, verebantur, ignari quàm aut propè aut procul abesset. Exemplum fidei fiduciæque inuictæ, ardentis desiderij, constantis fidei, tentationibus minimè succumbentis: quin etsi sciret se apud plerosque odiosè loqui, quibus minimè gratus erat honor Iesu, metum superauit ardor desiderij, vt vocem liberè nihilominus extolleret. Vtile est pro diuino cultu & salute propria pudorem deponere. Hìc constans ac fortis animus, quo magis vetatur, eo altiùs prouehitur. Quanto igitur plures obices opponit Satan, etiam per eos

per eos qui Christi nomen profitentur (turba enim hæc vt discipula Iesum sequebatur, tanto constantiùs nobis in eo quod cœpimus bono pergendum est. DOMINE. Syrus *Maran*, quod est *Domine noster*. Non multiloquè, sed instanter, assiduè, & perseueranter orandum.

καὶ στὰς ὁ ἰησοῦς ἐφώνησεν αὐτοὺς, καὶ εἶπε· τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν; 32	Et stetit Iesus & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis?	Mar. 10. v. 49. 51. Luc. 18. v. 40. 41.

STETIT. substitit. dum non procul abesset à cæcis, non offensus, sed delectatus clamore quem fides eliciebat: sciebat enim non stipem eos petere, sed visum. Vbi satis spectatus esset omnibus ipsorum ardor, quia sequi non poterant, minusque assequi, progredientem, restitit ipse, nihil aspernatus miseros homunciones.

VOCAVIT ad se, ministerio aliorum, quod Marcus & Lucas disertè exprimunt. Poterat suo loco manentes sanare, sed euidens oportebat vt esset miraculum, si populo fructuosum esset: hoc autem factum est, cùm in iussos præsentes se sistere omnium oculi conuersi fuere: propter quod etiam non ipse adiit cæcos, sed ad se vocauit. ET AIT. iam præsentibus. QVID. Non ignorans quid aut illi peterent aut ipse facturus esset interrogat, sed vt ipsis malum confessis suum, & desiderium fidemq; in Iesum interpretatis, elucescat turbæ miraculum proximum, nec ostentabundè videatur Iesus visum reddidisse, aut reddidisse iactare, iis qui nil nisi stipem petiissent: nam & solent nonnumquam mendici cæcitatem fingere stipis causa, quò plus accipiant.

λέγουσιν αὐτῷ· κύριε, ἵνα ἀνοιχθῶσιν ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοί. 33	Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri.	Mar. 10. v. 51. Luc. 18. v. 41.

DOMINE. Syrus iterum *Maran*, quod est, Domine noster. VT. id volumus, id petimus, vt. Hanc solam nec aliam eleemosynam à te petimus, cæterarum omnium rerum securi. Lucem, non diuitias, postulamus. APERIANTVR. Cæcorum oculi. licet diductis palpebris aperiantur, clausi tamen censentur, quia vitiati lumen non admittunt necessarium ad res visu cognoscendas, nec ampliùs proinde vident quàm si clausi forent. Aperiri ergo dicuntur, quando reparantur ita vt suo fungi queant officio exteriora videndi & cognoscendi. OCVLI NOSTRI. Magnæ rursus fidei breuis oratio. Quamuis enim rem magnam & natura impossibilem petant, tamen tribus verbis petunt quod ab homine præstari non poterat, nihil addubitantes quin Iesus id ilico, posset tamquam potentissimus, vellet tamquam clementissimus. Oratio nulli nostrûm non necessaria: *Illumina oculos meos ne vmquam obdormiam in morte.* Psal. 12. v. 4.

σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ ἰησοῦς ἥψατο τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν· καὶ εὐθέως ἀνέβλεψαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ. 34	Misertus autem eorum Iesus tetigit oculos eorum: & confestim viderunt, & sequuti sunt eum.	Mar. 10. v. 52. Luc. 18. v. 43.

MISERTVS. signo miserationis edito malis eorum condolescens; vultu ipso & oculis præ se ferens affectum misericordiæ. Non enim est græcè vox ea quæ mox v. 30. & 31. ἐλέησον. sed σπλαγχνισθεὶς, de qua vide suprà 9. v. 36. TETIGIT viuifica ac reparatrice manu sua tamquam organo deitatis; *vt disceremus*, ait Theophylactus, *omnia ipsius membra, Dei esse membra.* CONFESTIM. Natura paulatim, Deus momento producit opus. VIDERVNT. ἀνέβλεψαν visum seu videndi facultatem receperunt. subaudit Interpres ex proximo *oculi eorum*, quod græcè repetitur, vt & syriacè, vbi legitur: *Aperti sunt oculi eorum.* SEQVVTI SVNT cum cæteris, quod priùs per cæcitatem non poterant. EVM iter facientem rebus ipsis demonstrantes præsentibus populis visu se perfectè donatos. Euidens signum recepti visus, nec corporei tantùm, sed & spiritualis. Non ingrati ad mendicitatis sedem aut ad sua mox redierunt, vt multi post accepta beneficia facere solent: sed gratos se exhibentes dederunt se Christo comites, in comitatu Iesu remanserunt, tum sua, tum aliorum causa; sua, quòd auelli nequirent à benefactore suo; aliorum, vt contemplans turba præsentes eos in quibus recèns editam vidissent virtutem Iesu, in maiorem Iesu amorem raperetur. Et quamuis incertum sit diúne hoc officium præstiterint: fuit tamen hoc grati animi, spectaculum gratiæ Christi multis in hoc itinere præbere. Cæci sumus omnes nos veri ignorantia, donec à Christo illuminemur: illuminatos autem æquum est sequi, non tenebras nostras, sed Iesum veram lucem lucisque auctorem, Ierosolymam rectà ad crucem proficiscentem.

CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Mar. 11. v. 1. Luc. 19. v. 29.

Et cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos,

1 καὶ ὅτε ἤγγισαν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ ἦλθον εἰς βηθφαγῆ πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, τότε ὁ ἰησοῦς ἀπέστειλε δύο μαθητάς,

ET CVM. Cùm autem. APPROPINQVASSENT. non procul abessent s. Iesus eiusq; comites. ET VENISSENT è vicina Bethania, vbi noctem superiorem egerant. Ioh. 12. v. 1. 12. BETHPHAGE. εἰς βηθφαγῆ in Bethphage, id est, prope Bethphage, vt exponunt Marcus & Lucas. *Bethphage* vicus erat situs ad pedem montis oliuarum orientalem, vnde & nomen sortiri videtur: nam בית *beth* est domus, פה *phe* os גיא *ge* vallis, quasi dicas domum oris vallis, quòd ad pedem montis, in ipso vallis orificio, situs, primus in vallem ingressus esset. Sacerdotum villam fuisse veteres Tractatores notant, fortè quòd victimas illic alerent, & cùm foret opus illinc acciperent, vt propè aberat ciuitate. AD MONTEM. Syrus prope montem. OLIVETI. qui est seu vocatur Oliuetum, constructio transiens pro non transeunte. *Oliuetum* significat locum oliuis consitum: quare cùm oliuis mons iste abundaret, *oliuetum* dictus est. quomodo & græcè Act. 1. v. 12. vocatur ἐλαιών. Cæterùm hoc loco græcè mutato accentu est τῶν ἐλαιῶν, quod est, *oliuarum*, suffragante Syro: quod quidem eodem sensu dicitur. Mons iste ex opposito ciuitatis Ierosolymorum ad orientem situs distabat ab ea itinere sabbathi, quod habent Acta Apostolorum; sex stadiis, si à vertice, quinque si à pede occiduo metiaris, quod habet Iosephus libri 20. Antiq. cap. 6. & sexti de bello capite 3., interiacente valle Iosaphat, quæ media secatur à torrente Cedron. DVOS DISCIPVLOS. duos è discipulis suis; incertum quos.

Mar. 11. v. 2. Luc. 19. v. 30.

dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi:

2 λέγων αὐτοῖς· πορεύθητε εἰς τὴν κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν, καὶ εὐθέως εὑρήσετε ὄνον δεδεμένην καὶ πῶλον μετ᾽ αὐτῆς· λύσαντες ἀγάγετέ μοι·

IN CASTELLVM. εἰς τὴν κώμην in vicum, in pagum. vide suprà 9. v. 35. QVOD CONTRA VOS EST. τὴν κατέναντι ὑμῶν qui è regione, ex opposito vestri est. Manu demonstrabat vicinum aliquem pagum (idcirco haud nominabat) quales plerumque vrbibus adiacere solent, in quibus vehendorum onerum gratia asini in vsu habentur; non tamen Bethaniam, ex qua veniebat (sic enim dixisset *Redite*, nō *Ite*) nec Bethphage, vbi erat aut quò ibat. ET STATIM in ipso introitu, ad primas domos. Non fortuitò vos mitto. ALLIGATAM. δεδεμένην ligatam. PVLLVM eius. Intelligitur pullus asininus, adultior ille quidem & equitationem ferre potens, tener tamen adhuc nondumque à matre separatus ad vsum aliquem. Res absentes Iesu præsentes erant & conspectæ, ita vt certò nosset vbi essent & quales essent, perinde ac si præsens corpore fuisset. qua re diuinitatis suæ edebat argumentum quale Ioh. 1. v. 48.

Mar. 11. v. 3. Luc. 19. v. 31.

& si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos.

3 καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι, ἐρεῖτε, ὅτι ὁ κύριος αὐτῶν χρείαν ἔχει· εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς.

SI QVIS, quicumque ille fuerit, dominus iumentorum aut alius. DIXERIT. contradixerit, interrogans quare soluatis, qua auctoritate id faciatis, quò velitis abducere, aut quid agere, vel aliquid huiusmodi. Ne quid discipulos moretur quo minùs ad obsequium præstò sint, maturè quæstionibus occurrit.
QVIA. ὅτι quòd, vel potiùs superfluit. DOMINVS. Non iubentur nominare Iesum, nec dicere Dominus noster aut Dominus vester, sed simpliciter *Dominus*, vniuersi videlicet, & iumentorum istorum, & dominorum ipsorum, & absolutè omnium; cui proinde non facilè quid negandum est. *Dominus* appellari voluit, qui sese mox Regem ex diuino decreto exhibiturus erat exspectātibus redemtionem Israel. Visum itaque est Iesu auctoritatem hìc exercere regiam adeoq; diuinam, iumentis his duobus ad breuem vsum postulatis.
HIS OPVS HABET. his vti vult. Dominus omnium, pauperum iumentis vtitur, nec quidquam habet proprij, *propter nos pauper factus cùm diues esset*. 2. Cor. 8. v. 9. Non autē auferri vult inuitis iumēta, quamuis omnium esset dominus, sed dominij simul & necessitatis ratione adducta persuaderi vt permittāt abduci. DIMITTET s. is qui vobis aliquid dixerit, sinet à vobis abduci, mea adactus occulta virtute. EOS. asinam & eius pullum. Vt res absentes fuere Iesu conspectæ, ita & futuri rerum exitus præuisi ac cogniti, adeoque imperio eius vbi voluit cesserunt omnia, etiam hominum corda, quæ potuit quò voluit flectere. Cum omniscientia itaque suam hìc declarauit omnipotentiam ac supremum in omnes dominium; vel ob eam causam, vt futuris occurreret suspicionibus, ne de industria negotium istud confinxisse videri posset, quò Zachariæ prophetiam sibi accommodaret: facile enim cuiuis sit asinam inuenire qua equitet vrbemque ingrediatur.

τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος·

4 Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: *Ioh. 12. v. 14.*

Hoc totum f. quòd adduci sibi Iesus iussit asinam & pullum per discipulos suos. Vt adimpleretur. vide suprà 1. v. 22. Sensus est: Vt eis vteretur iuxta prophetæ vaticinium. Cæteróqui, non vaticinij præcipuè causa id fecit, sed quòd ita visum esset exprimere sui in hoc mundo regni qualitatem. Iesu ex decreto Patris consilium fuit, postquam multis signis virtutis suæ documenta ediderat, regium titulum & honorem (quem hactenus refugerat, ne exasperaret animos inimicorum suorum) vbi iam aduenerat hora mortis quam ipse sibi præfiniuerat, & crux esset in ianuis, nulla exacerbationis inimicorum habita ratione (vt qui mortem ipse vrgeret magis quàm à morte vrgeretur) admittere, immò pro Rege illo seu liberatore Israelis exspectato se palam gerere ac monstrare (qui ipse reuera erat) ad consolationem instructionemq́, suorum, quamquam futuram magis quàm præsentem. Itaque qui pedes vagatus fuerat iam annis aliquot per Iudæam, Galilæam, adiacentesq́. regiones; non fessus ex itinere, quod hodie breue confecerat ex vicina Bethania, nec ad leuandam residui itineris molestiam, cùm vicina esset Ierosolymorum ciuitas quò pergebat, sed quòd cognoscendus conspicuusq; omnibus ingredi ciuitatem illam, regni Israelitici caput, vellet, & indicio aliquo ratas facere regias Messiacasq; populi acclamationes (quas, si pedes iuisset, existimari potuerat inuitus pati, denique Regem se Israelitis omnibus offerre, qui more regio vectus regnum suum palàm iam quasi auspicaretur, animalia hæc accersiuit. Cæterùm ita consilium fuit Iesu se Regem Israel declarare, vt simul declararet se non esse regem huius mundi; sic regni sui specimen exhibere, vt intelligeretur illud non esse de hoc mundo, non esse terrenis regnis affine, nec caducis huius mundi opibus præsidiisve constare. Erant enim plerique qui talem exspectarent Messiam regem, quales habet hic mundus: horum exspectationem Messias ipse irritam esse voluit. Quare vsus est substantia earum rerum quæ in vsu sunt Regibus terræ vbi regnum accipiunt; ornatu verò, robore, fastu sumtibus, magnificentia, minimè. Vectus, metropolim ingressus est regni, quod solent reges; sed asino vectus, quod non solent reges, qui superbis equis vel turgidis mulis sedere solent, aut si quando asinis, comtis illis, nitentibus, atque omnino propriis, Iesus autem incomto commodatoq́ue accepto. Stratus ipsi fuit asinus, sed vilibus pauperum discipulorum palliis, non aureis pannis, pretiosis ephippiis, phaleris auro gemmisque distinctis. Stipatus fuit, sed imbellibus discipulis, non armatis satellitibus. Resonuerunt faustæ acclamationes, sed non nisi pauperculi contemtiq; vulgi. Et sic in cæteris quæ mox videbimus, ita miscuit humile excelso, vt pro Rege quidem intelligeres ipsum se gerere, sed nihil videres eorum ob quæ Reges ab hominibus magni fieri solent, opum inquam ac virium: quippe qui doceret humilitate ac mansuetudine se velle omnes ad se trahere, & has virtutes omnes imitari, qui consortes regni ipsius esse cuperent. Quare ne offenderentur Israëlitæ, & ridiculum iudicarent, vbi Rex ipsorum hac humili ratione aduenturus esset, temperata regia magnificentia cum plebeia humilitate, præmonuit eos propheta Zacharias. Ne etiam Euangelij lectores, mundanis rebus addictiores, proprio carnis sensu ducti, irriderent hanc Iesu pro Rege se ostentantis nouam pompam, laudauit prophetam Euangelista Matthæus, à nudo rei intuitu ad prophetiæ considerationem traducens. Atqui nihilo instructiores Israëlitæ, signanter primores, quàm si Propheta tacuisset (vt qui Scripturas non scrutabantur, vel certè eum non intelligebant in quo implebantur quæ legebant, præ corruptis moribus atque ingeniis omnem regis regniq́ue Messiaci rationem humanæ amplitudinis modo definientes) non tantùm non exceperunt Regem eo quo propheta prædixerat modo aduenientem, verumetiam irritati ansam hinc acceperunt eum ad mortem vsque persequendi: quemadmodum & inter ipsos Christianos, propter morum ac sæculi vitium diuinæque virtutis ignorationem, plurimi, si non irrident, haud sapiunt rem à Christo gestam. Dicentem. Non verba Prophetæ recitat Euangelista sed sententiam, Lectori relinquens vt ad prophetam recurrat, singulaque ipsius verba exactiùs expendat.

εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι, πραῢς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου.

5 Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. *Zach. 9. v. 9. Ioh. 12. v. 15.*

Dicite. nunciate. Filiæ. τῇ θυγατρὶ ipsi filiæ. datiuus est. Sion. Sion mons erat altissimus ciuitatis Ierosolymorum, quam forma semicirculi ambiebat toto australi tractu, seruiebatque ei arcis ac propugnaculi loco, in eminenti, solida, ac prærupta vndique rupe fundatus, nomine ציון *Sion* à siccitate accepto (nam ציה *Sia* & ציון *Saion* ariditas est) quem vbi Dauid Iebusæis ereptum, munitiorem reddidisset, & in plateas vicosq; distinctum domibus & quidem magnificis instruxisset, dicta est *Ciuitas Dauid*. 2. Reg. 5. v. 7. (Iosepho *ciuitas superior* nominatur) factaq; est sedes Dauidici regni, cuius successor, heres, ac restaurator futurus exspectabatur Messias. Pro *Dicite filiæ Sion*, Propheta habet: *Exsulta satis* (siue valde) *filia Sion, iubila filia Ierusalem.* Filiam Sion & filiam Ierusalem Euangelista pro eadem habet, prout est vnus populus Ierosolymitanus, qui *filia* dicitur, phrasi familiari sacris literis, ciuitatis à qua fouetur, arcisq; à qua defenditur, materno quasi affectu. Ierosolymitanum itaque populum, &, sub illius vt principem in regno locum tenentis nomine, vniuersum Dauidici regni populum, Israelem inquam omnem, hortatur Propheta vt exsultet & iubilet, quia magna ratio suppetat, ob illud quod adfert iucundum nuncium instantis Messiæ aduentus: quod si magno hactenus desiderio exspectatum est, summo nunc cum gaudio debeat meritò excipi. Nam sicuti absente Christo mœrore nos penitus confici necesse est: ita rursus fideles admonet Propheta, esse cur solidè gaudeant, vbi ipsis adest redẽtor. Quod porrò adfert Propheta ipse nunciú, vult & ab aliis ex ore suo diuulgari, quò nulli non innotescat è populo: hinc Euangelista prophetam citat ac si diceret: *Dicite filiæ Sion.* Habet Prophetam præconis instar, triumphalem Christi in Ierusalem aduentú præeuntis, mandantisq; obuiis omnibus vt ciuitati

tati annunciont aduentantem Messiam, quò læta se paret ad eum excipiendum. ECCE. Parat attentionem excitatque ad audiendum singulare illud quod adfert nuncium, tantæ exsultationis quantam requirit argumentum, nullo tamen humano sensu metiendum. REX TVVS. ὁ βασιλεύς σου Rex ille tuus. Non hostis, non alienigena, cui vi vel dolo; sed rex tuus, è gente tua, è familia Dauid, proprius, legitimus, vnicus, cui diuino iure regnum Israel debetur, ille cuius tu in peculium cessisti, olim tibi à Deo omnium prophetarum vaticiniis promissus, à patribus desideranter exspectatus, quem solum agnoscere tuum debes. VENIT. יָבוֹא iabo veniet. (ἔρχεται) quod Euangelista habet, ambiguum est ad præsens & futurum. Venit seu veniet s. breui, temporibus huius secundi templi. Diu venturum se prædixit & promisit, iam fidem promissis reddet. *Venit* autem ipse ad te, non tu ad eum, ipsum tibi tuo suffragio aut opera euocaturus ac constituturus, quem Deus tibi regem vnxit ac constituit. Significatur hac orationis figura, diuinitus mittendum esse regem hunc: tantum enim, inquit, regem, nisi vltro venientem experireris, optare quidem tibi desiderareq; poteras, adducere verò & constituere nullis humanis meritis, artibus, aut opibus vales. TIBI. in tuum vsum & vtilitatem; non vt suam rem conficiat, quod plerumque reges, sed vt te saluet & beatum reddat, adeoq; vt tuus sit totus, vt tibi proprium sit quidquid est aut habet bonorum. Addit Propheta, quæ Euangelista omittit, duo illustria adiuncta, ex quibus intelligatur quibus ad rem gerendam quantisq; virtutibus Rex iste instructus sit: *Iustus & saluator.* quod est ac si diceret: Vt te iustificet & saluet, ne pereas sed viuas in æternum. Duplex optimi principis studium constare oportet: alterum in iis quibus præest regendis, alterum iisdem ab omni externa iniuria atque incommoditate defendendis declaratur. Ad vtramque hanc rem Regem Christum maxima virtute præditum describit; *Iustum*, qui & ipse sit perfectè iustus, & cultores suos iustificet, atque sanctissimis moribus ac legibus in cordibus inscriptis imbuat; *Saluatorem*, & quidem ex proprio nomine (nam vocabulo נושע nosan alludit Propheta ad nomen ישוע Iesuah) qui de infernæ seruituris iugo & potestate tenebrarum liberatos defendat & tueatur. MANSVETVS. In Hebræo est עָנִי hani, quod LXXII senes & Euangelista verterunt πραΰς seu πρᾶος mansuetus, mitis; alij, inter quos D. Hieronymus, pauper, humilis. Nam quamquam discrimen sit inter עני hani & ענו hanau, ita vt hoc propriè sit mansuetus, illud pauper: quia tamen his voculis, tum vicissitudinaria quædam est literarum æquiualentia, tum rerum significatarum summa affinitas (nam vt pauperes & afflicti plerumque mansueti sunt; ita mansueti verè dici nequeunt, qui non & ipsi pauperes sint & afflicti, id est, ita minimè sibi ipsi fidentes, vt iniurias tolerare malint quàm vlcisci) fit vt indifferenter nunc vnum nunc alterum ex alterutra transferatur. Additur hebraicè pronomen הוא hou ipse pauper siue mansuetus (quamquam alij illud præcedenti voci *saluator* iungant) quæ indicatio asseuerationem habet, hunc Regem præter cæteras virtutes & hoc habiturum quòd futurus sit pauper & mansuetus. Reges enim Gentium, tumentes opibus ac viribus, dominantur in subditos (suprà 20. v. 25.) iste contemtor diuitiarum sponteque pauper, non ferocem Dominum in te aget, sed benignum & facilem patrem. Blandus est & mitis, non terrens peccato saucios sed consolans, non abiiciens sed veniam offerens: pro quorum salute seipsum etiam tanquam agnum mansuetum in mortem tradit, non vindictam clamante eius sanguine sed veniam. *Non contendet neque clamabit, nec arundinem quassatam confringet* (sup. 12. v. 20.) adeoque nulla vltio apud eum memoratur, vt etiam inimicis compatiatur eisq; immensam beneuolentiam suam offerat. Luc 19. v. 41. 42. 23 v. 34. Mansuetudinem porrò paupertatemq; Messiæ monstrat deinde Propheta ex apparatu & pompa, qua sese suis excipiendum exhibiturus est. SEDENS. רֹכֵב roceb equitans. SVPER ASINAM. Quidam asinum genere masculino transferre malunt tam apud Euangelistam quàm apud Prophetam: sed consideranti seriem antecedentium & consequentium apud Euangelistam, dubium esse non potest quin *asinam* genere fæminino Euangelista intellexerit in prophetia, quam adducit vt consentaneam mandato Iesu de asina cum pullo adducenda, & obeditioni discipulorum de asina cum pullo adducta. FILIVM SVBIVGALIS. filium animalis onerarij, sub iugo incedere soliti. *Subiugale* vocat Euangelista asinam, vt doceat, prophetiam, in ea asina, quæ non ad iter faciendum, sed ad gestanda onera & laborem alebatur, impletam esse, Christo, more pauperum agente, qui eodem quo agros suos arant iumento vehuntur. Cæteróqui Propheta habet בֶּן־אֲתֹנוֹת *Ben Athonoth* filium asinarum, quod est, filium vnius ex asinabus seu alicuius asinæ, plurali sumto collectiuè, quod fit hebraicè. Vt vitulus dicitur filius vaccæ; sic filius asinæ pullus asininus, qui propter ætatis teneritudinem nondum matrem sequi desiit, quod LXX dicunt *pullum nouum*. Asinis olim, non plebeios tantùm, sed & nobilissimos ac celeberrimos homines vehi solitos, legimus. Num. 22. & Iud 5. v. 10. Balaam aliosq; asina; Iud. 10. v. 4. 12. v. 14. filios Iair & Abdon iudicū pullis asinarum; 3. Reg. 13. prophetam vtrumque de quo illic mentio est asino. Est enim vehiculi genus, placidioris molliorisque sessionis quàm alia iumenta, quæ sessorum membra duriori concussione exercent. Cæterùm quia animal est stupidum, tardum, infirmum, & bello pugnisq; ineptum: idcirco à plerisque, signanterque à principibus ferè viris, ad vehendum ignobile, vile, humillimumque habetur, quibus equi in vsu sunt, robusti illi, agiles, veloces, animosi bellicosi. Atqui Christum, qui *e diuite egenus propter homines foret* (2. Cor. 8. v. 9.) *cuius regnum non foret de hoc mundo* (Ioh. 18. v. 36.) *quiq; infirma mundi electurus erat vt confunderet fortia* (1. Cor. 1. v. 27.) non equo, sed asinæ illiusq; pullo sedentem se exhibiturum populo suo Propheta prænunciat, & Euangelista factum narrat, non quòd defuerent ipsi, si vellet, equi aliáve iumenta, verùm vt non ferocem se metuendumque opibus ac viribus offerret, sed contemtorem diuitiarum, mansuetum, ac benignum, omninoque huiusmodi cuius ingressus pacificus & prorsus omnibus vtilis esset. Ab asino hoc habuit quod ab equo, vt cæteræ turbæ eminentior conspicuum agnoscendumq; se exhiberet; hoc autem amplius ab asino, quòd suam agendæ gerendæq; rei rationem, non humanis modis, sed diuinis arcanisq. virtutibus definiendam esse, ipso spectaculo docuerit, magnam paupertatem, magnam humanarum opum contemtionem ac despicientiam, humilitatem ac mansuetudinem magnam professus, qui non vt terreat, vrgeat, aut premat hominem, sed vt adiuuet onusque ipsius in se recipiat venerit, suis se vtilem, nulla verò re grauem difficilémve ostendens. *Vis cognoscere*, ait Auctor operis in Matthæum imperfecti, *mansuetudinem venientis? Non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens: nec ascendit super feruidum equum, discordiæ amatorem & litis, qui gloria iactantia pectus habet repletum, qui de longè odorat bellum & gaudet ad vocem tubæ, & cùm viderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo, Benè factum est* (locus est Iob 39. v. 28.) *sed sedet super asinam, tranquillitatis & pacis amicam, oneris patientissimam ac laboris. Non autem vides in circuitu eius splendentes gladios*

gladios aut cetera ornamenta terribilium armorum. sed quid? ramos frondentes, testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non vt propter potentiam timeretur, sed vt propter mansuetudinem amaretur. hæc ille. *Rex* igitur, non quales cæteri hactenus reges tui, opum ac virium terrenarum periturarumque ostentatione insignis (nam quamquam omnia sint ipsi in manu, consultius tamen iudicat hæc contemnere) sed qui paupere vita, & quam parat obire dira morte sua, te è diaboli seruitute redemtum, regat ad voluntatem suam, & veris animi bonis ornet hac in vita, solidis verò æternisque tam corporis quàm animi omnigenis bonis beet in altera, damnatis ad pœnam æternam impiis. Iam quod dicunt Propheta & qui mox rem gestam narrat Euangelista *Sedens super asinam & pullum*, non sic intelligendum est, quasi simul sederit super vtrumque (id enim aut impossibile aut ridiculum fuerit) sed quòd nunc super asinam, nunc super pullum sederit, iuxta simpliciorem & verisimiliorem D. Augustini libri 2. de consensu Euangelistarum capite 66. aliorumque sententiam. Priùs asina vsus est Iesus, deinde pullo: pullus fortè par non fuisset ferendo sessori in montis ascensu descensuq;, asina minùs decuisset ingressum in vrbem: itaque foris asina sequente pullo, pullo in ciuitatem sequente asina vectus est. Præcipuè verò mysterij causa his duobus iumentis voluit vti, vt significaret, non solis iis quibus promissus fuerat Iudæis, sed toti se mundo, id est duobus populis quibus constat mundus regnaturum, Iudæis Mosaicæ legis iugo assuetis, quos asina; & Gentibus sine Dei lege viuentibus hactenus, quos pullus figuraret. *Nam sicut peccatores equi sunt diaboli*, ait auctor ille operis imperfecti, *ita & sancti equi dicuntur Christi* &c., quamquam mites asinos potiùs amet Christus quàm feroces ac superbos equos.

πορευθέντες δὲ οἱ μαθηταί, καὶ ποιήσαντες καθὼς προσέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς,

6 Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Iesus:

Mar. 11. v. 4. 5. 6. Luc. 19. v. 32. 33. 34.

EVNTES. πορευθέντες profecti. PRÆCEPIT. προσέταξεν præceperat. Laudatur in discipulis promtum obsequendi studium, qui absque mora impleuerunt quod erant iussi, nihil detrectantes ministerium, siue vt vile aut insolitum, siue vt incertum: successitque res acquiescentibus mandatis ac promissionibus Domini ex sententia.

ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν.

7 & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

Mar. 11. v. 7. Luc. 19. v. 35.

ET ADDVXERVNT. Itaque adduxerunt duo illi discipuli. Adduxerunt autem, ministerio quidem suo, sed virtute & auctoritate Iesu Christi. ET IMPOSVERVNT iidem illi duo discipuli. SVPER EOS s. asinam & pullum adductos. Vtrumque strauerunt quòd vtroque Dominus vti vellet, qui vtrumque iusserat adduci: quamquam Syrus *super pullum* legat pro *super eos*. VESTIMENTA. τὰ ἱμάτια pallia, summas siue extimas vestes. Cùm viderent Domino propositum esse vehi Ierosolymam his animalibus conscensis, instrauerunt ornaruntque illa vt potuerunt optimè: loco ephippiorum aureorum, stragulorum hyacinthinorum, stapedum argenteorum sed inauratorum, cæterorumque huiusmodi pretiosorum stratorum, quæ non suppetebant, palliis ea suis operuerunt, quæ certè quouis pretiosissimo equino strato chariora ipsis erant, quò tum commodiùs tum honorificentiùs sederet nec nuda animalium terga incommodè parumq; honestè premere cogeretur; nihil verecundati vestibus se nudare & absque palliis comitari, modò constaret Domino qui debebatur ipsi honor. DESVPER. super asinum & pullum sic instratos. ἐπάνω αὐτῶν super eos (quomodo mox vertit) s. asinam & pullum, vicissim tamen, quemadmodum diximus. Quidam transferre malunt *super ea*. s. vestimenta: nam ambigua sunt græca, sicut & latina à quibus omittitur relatiuum. Nobis probatur prius, ad vtrumque tamen respectus est. Syrus vbique sui similis, *super eum*, s. pullum. SEDERE FECERVNT, id est, collocarunt. sic enim loquimur de iis qui alium iuuant vt conscendat equum, officij si non necessitatis causa. Græcè est ἐπεκάθισεν *insedit*, sed in aliis exemplaribus ἐπεκάθισαν *sedere fecerunt*. Vide Notas.

ὁ δὲ πλεῖστος ὄχλος ἔστρωσαν ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐν τῇ ὁδῷ· ἄλλοι δὲ ἔκοπτον κλάδους ἀπὸ τῶν δένδρων, καὶ ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ.

8 Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

Mar. 11. v. 8. Luc. 19. v. 36. Ioh. 12. v. 13.

PLVRIMA AVTEM TVRBA. plurimi è turba. Tantus erat turbæ fauor. VESTIMENTA. pallia, vt mox versu superiori. Exemplum discipulorum, quo fuerant prouocati, etiam superauerunt. IN VIA consternebant vestibus suis viam qua pergendum erat Iesu: quod erat summi honoris obseruationisq; maximæ argumentum (quale Regibus vix exhibitum legitur) proprij corporis vestibus se exspoliare, eisq; adeò non parcere, vt asino calcandas præbere, quò via sessori iter facienti foret mollior, expeditior, ornatior, tamquam & in cælum suis eum vestibus eleuassent, si possibile fuisset. CÆDEBANT. ramis ex arboribus decisis ornabant viam. DE ARBORIBVS oleis & palmis, quarum erat illic copia. In Palæsthina citiùs quàm apud nos virescunt & frondent arbores: contigit enim illud XIII. Kal. Aprilis. Si quod autem damnum dominis arborum intulerint; leue fuit illud, & à pietate profectum in Christi honorem. IN VIA. Viæ ornandæ, Iesu honorandi, & lætitiæ exsultationisq; in hoc Iesu triumpho excitandæ causa. Ramorum enim foliatorum viriditas ac stramen, publicam lætitiam & festum diem significabat more antiquo. Sternebant itaque viam, alij palliis suis, sub pedibus iumentorum, alij arborum ramis, à latere, aut ita omnino vt incedentem non impedirent implicito itinere.

Mar. 11. v. 9. 10. Luc. 19. v. 37. 38. Ioh. 12. v. 13.

Turbæ autem quæ præcedebant 9 & quæ sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.

καὶ οἱ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες ἔκραζον, λέγοντες· ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου, ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις.

QVÆ PRÆCEDEBANT. Illis qui comitati fuerant Iesum ex Ierichunte & locis per quæ transierat, iuncti iam erant plurimi, qui Ierosolymam vndique instantis diei festi causa conuenerant, intelligentesq; aduentum Iesu exierant ei obuiam. (Ioh. 12. v. 12. 13.) qui quàm immenso fuerint numero, intelligere licet, tum ex Euangelistarum exaggerationibus, tum ex affluentia qua pro more consueuerant Iudæi ad diem festum Paschæ Ierosolymam confluere, quæ tanta fuit, vt scribat Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 13. Cestio Syriæ præsidi, Ierosolymam azymorum siue Paschæ diebus aduentanti, occurrisse ex vrbe facilè tricesies centena milia hominum: quibus consimilia habet lib. 7. cap. 17. CLAMABANT gratulabundæ ac lætæ, nihil veritę aduersarios Iesu. Ita solet populus publicum gaudium clamore testari. Sic itaque opere cuncta compleuerunt, vt vocis quoque addiderint præconium. HOSANNA. Quin vox ista accepta sit ex Psalmo 117. v. 25, quod D. Hieronymus Epist. 145. ad Damasum docet, dubitare non potest, qui considerat, etiam id quod sequitur *Benedictus qui venit in nomine Domini*, totidem illic verbis legi. Nā quod ibi scribitur הושיעהנא *Hosianna*, facile est animaduertere cuiuis, qui vel summis labris gustarit hebraica, elisam inprimis euphoniæ causa literam *iod* siue *i* (id quod etiam in hoc ipso vocabulo ipsius linguę vsus admittit, quemadmodū videre licet Psal. 85. v. 1. Ierem. 31. v. 7.) deinde loco literarum ע *hain* radicalis & ה *he* paragogicæ, suppositam, cùm aliud non posset latinè aut græcè, vocalem *a*, pręterea repetitam literam *nun* sine *n* requirente proprietate Grammatices, denique ex linguæ lege & vsu voces duas pronunciari vt vnam. Verisimile est id quod D. Hieronymus ait, hunc Psalmum id temporis frequenter legi à Iudæis, & in synagogis cani, ac de Messiæ aduentu exponi solitum, signanterq; versiculum hunc; ac proinde, si non plerisque è turba, vt minimùm peritioribus & studiosioribus rerum sacrarum, familiarem fuisse: qui cœperint illum acclamare Iesu, reliquis imitantibus, pręsertim cùm non tam proprio ipsarum turbarum, quàm diuino instinctu, hæc acta fuisse, intelligere liceat ex Luc. 19. v. 40. Nec est vero dissimile, quod addunt alij rerum Iudaicarum periti, vocem *Hosanna* fuisse Iudæis solemnem acclamationis formulam (ideoque & relictam hebraicam ab Euangelistis) frequentari solitam in feriis præsertim Tabernaculorum quemadmodum nobis tempore Paschali in vsu est *Alleluia*: sic enim etiam hodie Iudæi, celebrantes dies festos Tabernaculorum, ad singula Dei nomina, epitheta, beneficia, ac monimenta recitata, repetunt *Hosanna*, eo ferè sensu quo nos in Litaniis *Libera nos Domine*; & *Te rogamus audi nos*. Porrò id cùm fieret adhibitis arborum ramis, quos in feriis Scenopegion mos erat gestare, iuxta legem Leuit. 23. v. 40. & Iosephum libri 3. Antiq. cap. 10., hinc obtinuit vsus apud Iudæos tam veteres quàm hodiernos, vt fasciculos salicum & quarumuis arborum ramos, quos ferunt identidem clamantes ac respondentes *Hosanna*, *Hosannas* appellent. Cæterùm non hîc in Euangelio sumi *Hosanna* pro arborum ramis, quod quidam volunt, sed eo modo quo in Litaniis acclamationibusque illis Iudaicis diei festi Tabernaculorum, & Psalmo ex quo trahit originem, manifestum euadit ex eo quòd subsequatur proximus eiusdem Psalmi versiculus: *Ben. qui ve. in no. Domini*. In Psalmo autem *Hosianna* accipi, pro eo quod est *salua obsecro* siue *salua nunc*, docent Interpretes veteres & neoterici, dum constanter omnes ad eum modum transferunt. Sensus porrò petendus est ex integro Psalmi versiculo, qui sic habet: אנא יהוה הושיע נא אנא יהוה הצליחה נא *Anna Adonai hosianna, anna Adonai hasliana*: O Domine salua quæso, ô Domine prospera quæso: quamquam loco *quæso* verti possit *nunc*. Vox est populi, lætantis & exsultantis, &, sub figura Dauidis, Messiæ nuper contemto ac reprobato, hoc verò diuino die in regem exaltato, fausta omnia à Deo precantis (considerentur ea quę immediatè pręcedunt) O Domine salua obsecro Regem nostrum, lapidem nuper reprobatum (ne ampliùs reprobetur aut vilipendatur ab ædificantibus, ab iis qui auctoritate pollent in hoc regno) saluum & incolumem serua, salute perpetua affice. Hoc est *Hosianna*: quod quidem clariùs explicatur altero subsequenti versiculi membro: O Domine prospera seu da felicem successum obsecro. hoc est enim *hosianna* siue salua obsecro, quod *hasliana* prospera obsecro: atque eòdem pertinet id quod subsequitur *Benedictus qui venit* &c. Quo modo igitur hîc accipitur *Hosianna*, eodem accipiendum est & Euangelicum *Hosanna*: sed quia ab Euangelista additur tertius casus *filio Dauid* τῷ υἱῷ Δαβίδ, technicῶs positum intelligendum est, sic tamen vt ad eam quam diximus significationem respiciatur: ita vt sensus sit: *Hosanna* sit, accinatur, seu acclametur, *filio Dauid*; quomodo dicere possimus, *Christo resurgenti cani Alleluia*. Id porrò reipsa aliud non est quàm *Hosanna* seu salua quæso filium Dauid: quomodo multi viri docti interpretantur, tertium casum loco quarti ex hebraica phrasi accipiētes: quòd vt verbum הושע *hosa* nonnumquam cum litera *lamed*, seruiente plerumque tertio casui, construitur, Iud. 7. v. 2. 2. Reg. 10. v. 11. Psal. 43. v. 4. 97. v. 1. Ezech. 34. v. 22., ita Euangelista hebraicè vsus sit voce *Hosanna* præposita *lamed* voci *filio*, quemadmodum certè legitur syriacè. Sed cùm tam græcè quàm latinè, relicta sit vox *Hosanna* non versa, quam alioqui facile fuerat vertere, cumq; ab aliis Euangelistis absolutè acclamata referatur nullo addito nomine; videtur respectum potiùs ad vulgarem illum, quem diximus, vsum ac frequentationem vocis *Hosanna*, tamquam solemnis formulæ acclamationis: nam & affectata alioqui à græco D. Matthæi Interprete fuisset obscuritas, seruato hebraico verbo tertium gręcè casum dedisse loco quarti, cùm *lamed* non rarò etiam quarto casui seruiat. Itaque *Hosanna filio Dauid*, id est, solemne illud Hosanna Dauidicum, Iesu quem promissum & hactenus exspectatum Dauidis filium agnoscimus, sit, contingat, acclametur vnanimiter à nobis. Quæ est vox acclamatioq; populi, sancti Spiritus instinctu agnoscentis Iesum filium Dauid, id est, Messiam, eiq; congratulantis tamquam regnum Dauidis patris, cuius per ipsum restauratio iamdiu foret exspectata, ineunti, denique salutem, prosperitatem, faustaque omnia illi à Deo precantis, eademque sibi ipsi per illum lætè promittentis. Vbi enim Christus filius Dauid appellatur, illic respectus est ad regni Dauidici

uidici restitutionem. Intelligendum est itaque, *Hosanna* ex verbo redditum, si etymon quæras, esse *salua obsecro*, compositum ex *Hosa* salua & *na* obsecro; ex vsu verò, vocem esse Deo lætis animis gratias agentium, & ita diuinam virtutem agnoscentium, vt eam certam postulent & perpetuam, non absimilem illi *Viuat Rex* in materia proposita. BENEDICTVS sit à Deo, benedictionibus beneficijsque à Deo augeatur, benè sit ei, prosperet Deus ac secundet regnum ipsius. QVI VENIT. הבא *habba* veniens. IN NOMINE non suo, tamquam semetipsum ingerens, sed DOMINI. (Ioh. 5. v. 43.) iussu, vice, auctoritateq; Domini, vnctus, destinatus, missusq; à Deo cum diuina virtute ac potestate, gerens etiam personam Dei per eum visitantis populum suum. HOSANNA inquam audiatur IN ALTISSIMIS cæli, id est, acclametur à nobis maxima cum vociferatione sublatis in cælum vocibus: vel *Hosanna* perpetuum sit; salus, prosperitas, firma sit ac æterna filio Dauid, *in* pro ex *altissimis* (nonnumquam enim capitur *in* pro *ex*, vt Psal. 148. v. 1: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in* pro de *excelsis*) quod est, à Deo qui habitat in altissimis cælis. Repetunt *Hosanna* (vt ferè solent acclamationes repeti) pro more familiari Scenopegiorum, argumento ardoris maximi, quo ex animo Iesum recipiebant vt Christum Regem: nec secundò tantùm repetisse intelligendum est, sed crebrò & tamquam ad singulos passus, quemadmodum nos *Alleluia* Deo & Agno accinimus Paschali perfusi gaudio. Hæc communis omnium oratio, prophetica quædam acclamatio fuit, ex consilio instinctuque Dei in illis hominibus nata qui viderant virtutes Iesu, vt hoc pacto cognosceretur Christus rex publicè salutatus, vt fuerat promissus.

καὶ εἰσελθόντος αὐτοῦ εἰς ἱεροσόλυμα, ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις, λέγουσα· τίς ἐστιν οὗτος; 10

Et cùm intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic?

INTRASSET Iesus huiusmodi cum apparatu, vecturæ, comitatus, honoris, gloriæ, applausuum, acclamationum. IEROSOLYMAM. Israelitici regni caput ac sedem. COMMOTA EST VNIVERSA CIVITAS, commoti sunt ciues omnes insolito spectaculo, rerum nouitas motum attonitis attulit. Non obambulauit Iesus ostentabundus ciuitate vniuersa qui rectà perrexit in templum (infrà v. 12.) haud ita procul distans à porta ciuitatis orientali, quæ aurea dicebatur, quam fuerat ingressus: sed fama peruasit mox ciuitatem vniuersam iam inde à quo cœperat triumphus in monte Oliueti: qua crescente dum ingrederetur ciuitatem, commoti concurrerunt ciues omnes ad nouum insolitumq; spectaculum. Hoc enim erat consilium Dei, vt Iesus propheta cognitus à multis, auditus à plurimis, nunc regio plausu salutatus regni Dauidici rex, in nomine Domini ingressus publicè agnosceretur: de quo vt hoc iam implebatur, cætera etiam quæ scripta erant, aut expectari & obseruari, aut impleta agnosci oporteret. Non tam itaque erant ciues Ierosolymitani qui Christum comitabantur regemq; excipiebant (id enim hinc manifestum est quàm aduenæ, quòd Iohannes testatur 12. v. 12: nec clàm, obscurè, aut furtim res ista gesta fuit, sed toto populo spectante, non ignaris sacerdotibus & principibus: qui omnes *commoti sunt* id est perculsi animis, Deo faciente. Nisi enim adfuisset Dei virtus, & in illo contemtibili carnis habitu conspicua fuisset spiritus maiestas quæ attonitos reddidisset: quomodo passi fuissent suo magno periculo Iesum regem excipi, & in vrbem regiam regia pompa palàm induci? Non igitur clandestinus fuit hic Iesu ingressus, neque hostes eius latuit, aut quieuerunt illi quòd eum contemnerent: sed perculit eorum animos Deus, occultoq; metu cohibuit, ne quid contrà tentare auderent. DICENS. Alij id dicebant quòd verè Iesum non nouissent, quorum perstringitur supina ignorantia ac securitas; alij, non quòd non nouissent, sed quòd, liuore adusti crepantesque inuidia, indignum dicere vellent eo honore. QVIS EST HIC qui tanto honore turbarum & congratulatione publica vrbem ingreditur, & rex Israel salutatur?

οἱ δὲ ὄχλοι ἔλεγον· οὗτός ἐστιν ἰησοῦς ὁ προφήτης ὁ ἀπὸ ναζαρὲτ τῆς γαλιλαίας. 11

Populi autem dicebant: Hic est Iesus propheta à Nazareth Galilææ.

POPVLI ὄχλοι turbæ. simplices & rectæ. A rudibus docentur Christum in prophetis promissum ij, apud quos sedem habebant cultus Dei & prophetarum libri. HIC qui rex Israel à nobis agnoscitur & excipitur. PROPHETA. ὁ προφήτης ille propheta A NAZARETH GALILÆÆ oriundus. celebris ille nullique non notus doctrina ac signis: diuinis inauditisque quæ hactenus edidit miraculis clarissimus, quibus iam diu declarauit se hoc honore dignum, vtpote prophetam illum à Mose promissum Deut. 18. v. 15.

καὶ εἰσῆλθεν ὁ ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ, καὶ ἐξέβαλε πάντας τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν κατέστρεψε, καὶ τὰς καθέδρας τῶν πωλούντων τὰς περιστεράς. 12

Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas euertit.

Mar. 11. v. 15. Luc. 19. v. 45. Ioh. 2. v. 14. 15.

IN TEMPLVM. in atrium templi, quò mos erat non sacerdotes intrare. Ad templum vsque triumphus hic ductus fuit: eò cùm peruenisset, descendit Iesus ex pullo, eumq; cum asina matre, per eosdem (verisimile est) per quos accersiuerat discipulos, remisit. Moris erat vt qui equès templum accederent, cùm peruenissent ad portam montis domus orientalem, quæ porta equorum dicebatur, ex equis descenderent, & pedès progrederentur in templum. Porrò non arcem Sion aut domum regiam petiit Iesus, quòd nollet hac in vita mortali mundanum Regem agere; sed *templum* Dei, vt gnesius filius Dei domum Patris, gloriam sibi attributam in Patrem referens, monstransq; eò tendere quem admiserat regis titulum, vt homines ad Deum adduceret.

Igitur vt rex nouus, in ciuitatem, regni caput, adductus, rectà in patris suumq; palatium magna libertate pergit: vbi non dubium est quin ante omnia Patri gratias egerit pro fide religioneque turbarum à quibus fuerat agnitus & honoratus Rex, eique commendauerit successum prosperum negotij redemtionis hominum omnium quod meditabatur. Interim exemplum nobis reliquit statim inuisendi templum Dei simulac vrbem aliquam ingressi fuerimus, & ante omnia quærendi regnum Dei ac iustitiam eius. EIICIEBAT è templo, regia auctoritate. Quemadmodum bonus princeps ad regnum euectus, primùm curat purgare aulam suam à vitiis quæ inoleuisse potuerunt, paternorum ministrorum siue perfidia siue incuria (aulam enim regiam prælucere decet reliquo regno, & pendet ab ea totius regni salus) sic iam & Christus, templum purgauit à turpitudinibus, sacerdotum auaritia in illud admissis, & regem se declarans, & summum templi pontificem, diuinique cultus præsidem. nec enim cuiusuis istud foret, cui non sit auctoritas publica. *Eiiciebat* autem flagello adhibito (quod ex simili secundùm Iohannem historia intelligitur) necessariò, si non ad homines, certè ad pecora abigenda: nam & ipsa pecora eiecisse intelligendus est, quemadmodum secundùm Iohannem.
OMNES maximo illos numero, instante Pascha; numquam reliquo anno plures. Narrat Iosephus libri 7. de bello capite 17, in vno die festo Paschæ, numerata ducenta quinquaginta sex milia hostiarum oblatarum & quingentas: erat autem dies iste eiectionis, is, quo sibi prospiciebat vnusquisque de hostia Paschali. vide Ioh. 12. v. 12. VENDENTES. boues, oues, capras, columbas, farra, cæteramque huiusmodi sacrificiorum materiam, quæ ex Legis instituto eo in templo poterat offerri. IN TEMPLO. Non in sancto sanctorum, nec in sancto, aut in atrio proximo, nec denique in atrio Israelis, aut vicino fæminarum (sed in atrio extimo, hæ enim partes erant templi) quod vocabatur *Atrium profanum*, & *Atrium Gentium*: quod posterioribus temporibus extra Israelis ac fæminarum atrium constructum fuit, amplitudine, quod quidam tradunt, stadiorum quatuor: in quod exteri, id est, gentes quæ Israelis nomen non profiterentur, conuenire ad orandum possent, necnon Israelitæ qui ceremoniali ritu puri non essent. Nam quamquam diceretur *Atrium profanum*, non tamen seruiebat ad tractandas res prophanas, sed ad excipiendum orationis causa personas quæ à Iudæis habebantur profanæ seu immundæ: quamquam & mundi eò quoque frequenter conueniunt, & Iesus sæpè doceret illic ac miracula operaretur. MENSAS. in mensis enim pecunia numerari consueuit, vnde & trapezitæ dicti sunt, qui hîc κολλυβισταὶ dicuntur, quòd ex *collybo*, quod *cambium* latinè vocatur, id est, ex pecuniæ permutatione, lucrum facerent, mutantes aurum argento, maiorem monetam minore, aut eius loci moneta pecuniam peregrinam: quemadmodum & *numularij* latinè dicuntur à *numulis* quos tractant. CATHEDRAS. sedes. Venditores columbarum verisimile est fæminas fuisse, quibus cùm difficile sit diu in pedes consistere, in vsu fuerit sedeculas secum adferre: nam & fæminis cathedras attribui, monstrat illud Martialis: *Inter femineas tota qui luce cathedras Desidet.* EVERTIT. κατέστρεψε subuertit, disiecit propriis manibus; ne illi ad mensas, aut hæ ad sedes redirent suas. Sic autem subuertit mensas numulariorum, vt etiam effuderit æs, & pecuniam dispersérit, quod ex Iohanne intelligitur, coëgeritque collectis humi pecuniis loco discedere. Iudæis cùm vnicum esset templum, in quo solo, holocausta, decimæ, primogenita, vota, primitiæ manuum, oblationes spontaneæ, cæteraque sacrificia offerri possent, situm in loco quem elegisset Dominus (Deut. 12. v. 13. 14. 17. 18.) qui hoc temporis erat Ierusalem (Psal. 75. v. 3.) fiebat vt iis qui longiùs habitarent, incommodum esset boues, oues, decimas frumenti, vini, olei, cæteraque offerenda, secum adferre. Quare permissum erat Lege (Deut. 14. v. 24. 25. 26.) vt, pecunia ex propriarum rerum venditione conflata, similes aliásve illîc emerent vbi erant offerendæ. Ad hoc igitur olim macella foraque publica seruierant, vt æquum erat. Verùm pòst, sacerdotibus illa non satis opportuna visa fuere, qui in ipsa templi atria mercatum hunc introduxerunt, quò & maiori offerentium commoditati seruirent (quos ea molestia leuabant ne procul quærenda essent sacrificia) & quæstum ipsi maiorem facerent. Nam vt qui tabernam ingreditur variis mercibus pulchrè instructam, quamuis nihil emere in animo habeat, illecebris tamen captus mutat consilium: sic captandis oblationibus retia tendebant sacerdotes, vt à singulis lucri aliquid emungerent. Offerre quidem iusserat Dominus, nec apparere in conspectu ipsius vacuum (Deut. 16. v. 16.) sed nolebat templum nundinationi auaritiæq; seruire. Iam vt nulla difficultas esset quæ oblationum frequentiam impediret, constituti illic erant & numularij, qui accepto lucello pecunias commutarent, prout exigeret venditorum emtorumq; conuentio, aut prout oblatio requireret certam monetæ speciem, ex legis traditionisve præscripto (siclum verbi gratia aut dimidium siclum) quin & *sub cautione mutuam darent pecuniam, qui non haberent, accepta munusculis vilibus*, quod D. Hieronymus ait. Numularij porrò huiusmodi ac mercatores, si non erant sacerdotes ipsi aut sacerdotum famuli, certum est alios non fuisse, quàm quos sacerdotes admisissent; nec alios admissos, quàm qui sacerdotibus certum penderent tributum pro concesso loco tam fructuoso ad quæstumq; accommodo quàm erat ille, quò per vniuersum terrarum orbem dispersi Iudæi, quinetiã gentes nonnullæ, sacrificij faciendi causa indies confluebant. Hæc igitur auaritia, & quæ consequebatur diuini templi profanatio, cùm reprehensione correctioneq; dignissima esset, Iesus stimulatus zelo honoris domus paternę, eiecit è templo nundinatores negotiatoresque omnes, præclaro edito potentiæ suæ specimine. Nec enim infimum hoc est, ne dicam facilè maximum miraculorum ab ipso gestorum, quòd vnus ipse, huiusmodi multitudinem, & quidem violenter atque ignominiosè exturbare potuerit, nitentem auctoritate pontificum & sacerdotum præsentium, quibus ipse exosus erat. Nam, ne dicas, quòd turbis fautricibus, quæ immensæ aderant, fretus hoc egerit; egit illud idem initio suæ prædicationis, cùm nulla adhuc populi turba ipsi adhæreret. Ioh. 2. v. 15. Quare intelligere oportet, quod viri sancti notãt, igneum quiddam atq; fulgureum ex Christi oculis radiasse, & diuinitatis maiestatem in facie reluxisse, quæ perterruerit aduersarios ac in stuporem verterit. vide Ioh. 2. v. 15. Numquam legitur æquè commotus Iesus, numquam æquè sæuisse, ac in hoc negotio, vbi videtur quasi in tabula depingere voluisse Apostolicum illud: *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* 1. Cor. 3. v. 17.

Mar. 11. v. 17. Luc. 19. v. 46. Ioh. 2. v. 16.

Et dicit eis: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabi- [13] καὶ λέγει αὐτοῖς· γέγραπται, ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται,

ται· ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

tur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

ET DICIT. Addit facti sui rationem ex diuinis scriptis. SCRIPTVM EST Isa. 56. v. 7. DOMVS MEA. templum meum. Templum vocatur *domus Dei*, quia ædificium est cultui Dei, nec alij vsui destinatum, quod, tamquam si in eo habitaret Deus, acceditur Dei orandi colendiq; causa, ex ipsius præscripto, vbi & singulariter iuxta promissum suum præsentem se exauditionis facilitate piè rogantibus exhibet, virtutemque exserit suam. 2. Paral. 7. v. 14. &c. DOMVS ORATIONIS. domus ad orationem deputata seu consecrata; *orationem*, qua ego inuocor & coli me iudico. Psal. 49. v. 15. Sub oratione comprehenditur gratiarum actio, laus, sacrificium, omnisq; legitimus Dei cultus: id quod non insolens est sacris literis. Act. 3. v. 1. &c. Hic est finis, & certus vsus templi Dei. VOCABITVR. agnoscetur, erit, interprete Luca Propheta non loquitur propriè de templo Iudaico, sed sub illius typo de Ecclesia Christi ex Iudæis & Gentibus in vnum Dei templum spirituale coagmentanda; quemadmodum sub typo holocaustorum, victimarum & sabbathi, de adoratione cultuque Dei in spiritu & veritate. Quod ergo de prototypo præcipuè Propheta prædixit, id de typo Saluator citauit: necesse est enim, vt quicquid illud est, typo priùs, tametsi perfectiùs prototypo, congruat: cęteroqui non foret typus, qui à prototypo dissideret. FECISTIS EAM. quod in vobis est. SPELVNCAM diuersorium LATRONVM. Alludit Saluator ad locum Ierem. 7. v. 11., cuius querimoniam in suum tempus quadrare significat: vbi Deus templum suum tamquam speluncam latronum haberi improperat, ab iis qui inani templi prætextu contenti, hac fiducia peccandi licentiam sibi indulgebant, vacantes homicidiis, furtis, adulteriis, idololatriæ, cæterisq; eiusmodi abominationibus. Hîc porrò Filius Dei *speluncam latronum* fieri exprobrat, non quòd homines in templo trucidarent (quamquam postea rebelles Romanis, Iosepho teste, id fecerint) sed quòd negotiationem in templo exercerent, quod vt est exercitium alienum ab exercitio orationis cui templum dicatum est, ita plerumque cum auaritia, sæpè etiam cum latrocinio, fraude, oppressione, rapina, coniunctum est, & peculiariter hîc fuisse potuit. Negotiationem omnem comitantur tumultus & auaritia seu lucri cupiditas. Orationi autem nil magis inimicum esse potest quàm tumultus inter se concertantium, & quidem de lucro: est autem lucri cupiditas, latronum morbus, & auaritia radix latrocinij, cum quo scelere nihil habet commune oratio. Quare latronibus negotiatores assimilantur, non singuli omnes, sed plerique; quod quemadmodum latronum studium est, spoliis inhiare, insidiosèq; inuigilare lucris, atque adeò ne vitæ quidem prætereuntium parcere, modò spes lucri affulgeat: ita venditores quidem toti inhiant lucro, nihilq; nisi lucrum ex mercium quas prætereuntibus omnibus obtrudunt distractione captant quàm possunt maximum, nihil parcentes tenui emtorum substantiæ, modò rem ipsi faciant: quæ vt eò sit maior, variis frequenter artibus merces vitiant, variis periuriis mendaciisq; mercium vitia ac pretia occultant itaque sæpè ex calamitatibus aliorum lucrum comportant. Emtores verò, eorum quæ student emere pretia per fas nefasq; modis omnibus è diuerso eleuant, nihili facientes an detrimentum patiatur pecuniæ inops venditor, modò ipsi quàm minimo emant, & suum lucrum etiam damno aliorum procurent. Hi mores, hæ animi affectiones, consentaneæ cùm sint latronum studiis, neque rarò pauperum vt substantiam ita vitam despolient, idcirco Saluator, mercatu, ait, templum Dei in latronum speluncam mutari, & tam emtores quàm venditores (nam hos vt vnius criminis reos pari pœna plectit cum auaro & sordido, si non etiam vsuras frequentante, numulariorum genere, expellit, exprobrans templum Dei in contrarios prorsùs vsus quàm quibus dicatum erat traduci. Nam tametsi non aliæ illic res venderentur, quàm quæ illic Deo offerendę erant: quia tamen non alia ratione res hîc vendebantur, quàm similes alibi, spe inquam lucri tumultuosa, idcirco minimè hoc in templo permittit sed ad forum ablegat. Iam si templi huius breui cum suis ritibus interituri decentiam ita vindicat, vt non patiatur in eo vendi quæ secundùm Legis præscriptum patitur offerri: quantam putas exigit suorum inter Christianos honestatem templorum, quantoque maiorem animati templi, cuius ipse futurus erat architecton, insignem puritatem nobis commendat?

καὶ προσῆλθον αὐτῷ τυφλοὶ καὶ χωλοὶ ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς. 14

Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.

ET. id est, tunc, eiectis nundinatoribus. Primùm Rex nouus palatium suum repurgauit, deinde in eo consedit, & dona regali munificentia populo suo distribuit, rem agens dignam loco, simul etiam turbę præconium cælestibus signis sanciens, & palàm faciens verè in se competere ius honoremq; Messiæ, quem prophetæ huiusmodi notis insigniunt. Isa 35. v. 5. 6. ACCESSERVNT adducti, qui per se soli non possent. CÆCI ET CLAVDI non pauci numero. IN TEMPLO. in ea templi parte ex qua illos eiecerat, in atrio inquam quod vocabant profanum, ipse piis misericordiæ operibus illud sanctificans, quod illi inclementiæ operibus profanarant. ET SANAVIT EOS. visu cæcis, gressu claudis ex tempore atque integrè restituto, ne quid deesset quod faceret ad veram regij ingressus magnificentiam. Interim ne auctoritas illa in templum, quam sibi præter vsitatum morem vsurpauerat, temeritatis suspecta foret, eam miraculis asseruit.

ἰδόντες δὲ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς τὰ θαυμάσια ἃ ἐποίησε, καὶ τοὺς παῖδας κράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ λέγοντας ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ, ἠγανάκτησαν, 15

Videntes autē Principes sacerdotum & Scribę mirabilia quę fecit, & pueros clamātes in tēplo, & dicentes Hosanna filio Dauid; indignati sunt,

VIDENTES. *ἰδόντες* cùm vidissent. omnium enim fuerant præsentes spectatores. PRINCIPES SACERDOTVM ET SCRIBÆ. Vide suprà 2. v. 4. MIRABILIA. miranda. scilicet regium in vrbem ingressum, efficacem negotiatorum è templo eiectionem, extemporaneam claudorum ac cæcorum sanationem.

QVÆ FECIT. ἃ ἐποίησε quæ fecerat. ET PVEROS adhuc CLAMANTES. Pueri quod audierant à maioribus acclamatum Iesu, non cessarunt acclamare etiam tum quum maiores iam silerent in templo, nihil veriti grauem sacerdotum præsentium auctoritatem: vt solent pueri delectari publicis clamoribus, nec facilè finem facere, parentum præsertim maiorumque exemplo prouocati. HOSANNA FILIO DAVID. vide suprà v.9. INDIGNATI SVNT. ægerrimè tulerunt. non aliam ob causam quàm quòd experirentur Iesum suis repugnare affectibus.

& dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique. numquam legistis, quia ex ore infantium & lactētium perfecisti laudem?	16	καὶ εἶπον αὐτῷ· ἀκούεις τί οὗτοι λέγουσιν; ὁ δὲ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς· ναί· οὐδέποτε ἀνέγνωτε, ὅτι ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον;

Psal. 8. v. 3.

ET DIXERVNT. Longè ampliùs indignati fuerant (ne dicam crepuerant ira inuidiaque) quum viderant admiranda illa quæ priùs gesserat, quàm cùm audirent pueros clamantes Hosanna: sed tunc quidem diuino metu percussi, tum à multitudine concordis populi, tum à rerum maiestate incusso, ne hiscere quidem ausi fuerant: nunc verò, vbi feruor populi videbatur remissus, putabantq; suppetere sibi euidens argumentum notandæ in eo cenodoxiæ, quòd à pueris quos verbo facilè compescere poterat (nam, populi totius ora à se obturari haud posse, potuerat dicere) sustineret honores sibi acclamari; in huiusmodi inuidiæ plena verba eruperunt: AVDIS QVID ISTI DICVNT? q.d. Cùm audias quid pueri isti dicant (nec enim potes non audire) & æquo animo feras quod facilè possis prohibere, monstras miris modis à te affectari honoris titulos, Regis ac Messiæ (quos & à pueris, quorum leue ac puerile est testimonium, gaudeas tibi acclamari) ac proinde minimè illos tibi competere, sed solam ambitionem. Insignis malitia, non solùm à laudando Christo abstinent ipsi, sed & produnt latentem animi inuidiam, qua nec ferant vt ab aliis laudetur: & de signis quidem quæ viderant nihil dicunt, calumniam autem struunt ex puerorum acclamatione. VTIQVE. ναί etiam (audio. Constans & indubia responsio est, quæ & salis nonnihil habere videtur, ac si diceret: Vocem quam ipsi edere deberetis exprimunt pueri. non enim quod vos vultis, vana & puerilis est hæc gloria. NVMQVAM enim LEGISTIS vos qui Scripturarum sacrarum peritiam profitemini, id quod per Dauidem Deo dicit Spiritus sanctus. QVIA. præponitur, ex græca phrasi, sententiæ quæ recitatur, latinè superfluum. EX ORE. non enim tam ex mente puerulorum verba sacra procedunt, quàm virtute Dei tenera illorum lingua ad formanda huiusmodi verba ducitur. INFANTIVM. νηπίων paruulorum sæpè vertit. LACTENTIVM. minimorum ætate. PERFECISTI LAVDEM. laudem tuam numeris omnibus absoluisti? Adfert Saluator Psalmi locum iuxta LXX, quorum interpretatio tunc in vulgari erat vsu. Cæteroqui hebraicum יסדת עז *issadta hoz* ad verbum reddas *fundasti fortitudinem*: sed quod non alium habeat sensum, quàm, inuictam & perfectè laudabilem declarasti potentiam tuam. vicina sunt enim firmum & perfectum. Ansam calumniæ Sacerdotes & Scribæ ex eo accipiunt, quòd se patitur Christus regem à pueris vocari: malitiam hanc refutat Christus testimonio Dauidis, qui infantes ipsos præcones facit gloriæ Dei. Interrogat ergo, An non aliquando legerint illud Psalmi, quo docetur, Dei laudem, ore hominum adultorum celebratam, Deo auctore perfici, accedente puerulorum concentu, magna cum Dei gloriæ hostium erubescentia? quamquam postremum istud præ modestia reticeat, relinquens aliis recolendum. Illud iam accidere vult intelligi, quando laudem Christi (quam & Dei esse insinuat) à viris cœptam, pueri Deo instigante perficiunt, ad maiorem æmulorum, qui ipsimet sacerdotes & scribæ erant, confusionem. Manifestè itaque docet, pueros illos & simplicissimos & ab omni prauo affectu alienos, impulsos esse diuinitùs ad acclamandum sibi testandumque se esse regem filium Dauid (solemne enim esse Deo, huiusmodi testibus suam laudem absoluere, aduersariis & improbis hominibus vel inuitis: nequa ætas laudi ipsius desit, ne ea quidem à qua exspectari non potest vt ex se adsit. Quasi igitur dicit: Vultis vt his occludam ora quibus Deus aperit? non enim tam ipsi loquuntur, quàm spiritus Patris eorum. Sic ergo responsum suum temperat, vt & declinet à se opinionem vanæ gloriæ, & aduersarios non leuiter perstringat tamquam Dei inimicos. Discimus hinc, teneram ætatem, mox vt loqui incipit, formandam ad sonandas laudes Dei, etiamsi nō satis intelligat ea quę loquitur.

Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniā, ibiq; mansit.	17	καὶ καταλιπὼν αὐτοὺς ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως εἰς Βηθανίαν, καὶ ηὐλίσθη ἐκεῖ.

Mar. 11. v. 11.

RELICTIS cùm iam vespera aduenisset, quod habet Marcus. ILLIS inuidis & perfidis, qui inde deteriores reddebantur vnde ædificari debuerant. ABIIT. ἐξῆλθεν exiit. FORAS EXTRA CIVITATEM. ἔξω τῆς πόλεως foras ciuitate, vel extra ciuitatem. Quum aduenisset vespera exiit ciuitate, vt omnem occasionem auferret aduersariis suis, cogitandi & suspicandi, ipsum tanto plausu exceptum regemque à multitudine declaratum, velle moliri aliquid noctu, agere de occupanda vrbe, vel regno terreno ineundo, aut populum ad opes copiásve comparandas congregare; cuiusmodi vana multa in mentem veniebant, non dubium est, illis hominibus. Cæterùm ipse quidquid faciebat, palàm & media luce faciebat, ostendens omni exemplo, suum regnum non esse ex hoc mundo. IN BETHANIAM. Vicus erat quasi quindecim stadiis (Ioh. 11.v.18.) hoc est, duobus circiter miliaribus Italicis à Ierosolymis distans, vltra montem oliuarum: cuius nomen interpreteris *domum obedientiæ*. IBIQVE. domi Mariæ & Marthæ sororum Lazari, aut certè domi Simonis leprosi. MANSIT ea nocte. ηὐλίσθη diuersatus est, pernoctauit.

πρωΐας δὲ ἐπανάγων εἰς τὴν πόλιν, ἐπείνασε. [18] Manè autem reuertens in ciuitatem, esuriit.

Mar. 11. v. 12.

MANE, XII. Kal. Aprilis, die quarto, die lunæ inquam, ante passionem. Immemor hesternæ iniuriæ, tamquam operarius mercede conductus redit summo diluculo in vrbem, ad labores docendi & ad Deum attrahendi Iudaici populi, tametsi refractarij atque ingrati. REVERTENS è Bethania. ESVRIIT, siue quòd incœnatus regni cælestis rebus Patri commendandis noctem insumsisset, siue quòd famem in seipso excitarit, vt locum pararet miraculo simul & mysterio. Hac enim fame corporis declaratam voluit animi sui famem, qua ardentissimè expetebat illius populi salutem, vel testatam assiduitate illa laborum quos ad excolendum populum illum adhibebat.

Καὶ ἰδὼν συκῆν μίαν ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ἦλθεν ἐπ' αὐτὴν, καὶ οὐδὲν εὗρεν ἐν αὐτῇ, εἰ μὴ φύλλα μόνον· καὶ λέγει αὐτῇ· μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα. καὶ ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκῆ. [19] Et videns fici arborem vnam secus viam, vênit ad eam: & nihil inuênit in ea nisi folia tantùm: & ait illi: Numquã ex te fructus nascatur in sempiternum. & arefacta est continuò ficulnea.

Mar. 11. v. 13. 14. 20.

FICI ARBOREM. συκῆν ficum. *Arboris* nomen addidit Interpres, quia ficus latinè anceps est ad arborem & fructum. VNAM, id est, quandam, phrasi hebraica. SECVS VIAM. ἐπὶ τῆς ὁδοῦ in via, id est, iuxta viam, seu proximam viæ, vbi solent plantari arbores. VENIT AD EAM, tamquam si speraret ex ea cibum quo famem sedare posset. NISI FOLIA. Foliis diues erat, sed vacua fructibus. AIT ILLI. Arborem alloquitur, cuius mero imperio regitur omnis creatura, non minùs expers rationis quàm particeps.

NVMQVAM. Quia fructum quem promittis, me visitante & requirente non habes, *numquam posthac ex te fructus nascatur*. Plus intelligitur quàm dicitur, arefias scilicet, intereas, ad fructum ferendum inepta, igni apta fias. AREFACTA EST CONTINVO. Mox sensit arbor efficacitatem verbi Iesu, & radice ilico infecta cœpit tabes sursum serpere, & depopulari quicquid esset viroris vigorisque, ad ipsum vsque verticem, ita vt & folia defluerent, & aliud miseram ficum manere deinde non posset, quàm id quod steriles arbores manet, vt à domino suo excideretur & in ignem proiiceretur. suprà 3. v. 10. Hoc porrò non ita accipiendum est, vt dictum factúmve intelligatur ex iracundia, quasi inediæ impatiens Iesus, sensus experti ficui maledixerit, vt solent homines, qui, cæco & impotenti spiritu ducti, rebus inanimatis maledicunt, si non seruiant pro libitu: fuisset enim, non iniusta modò, sed puerilis quoque ac ridicula vltio, *cum nondum esset tempus ficuum* producendarum, quod annotat Marcus. Nihil ergo culpæ aut vitij in illa ficu naturali fuit: verùm res, non ipsa in se, sed in significatione fuit consideranda. Vt enim prophetæ, non solùm verbis, sed & rebus ipsis aliquando prophetant (exempli gratia, Isaias nudus ac discalceatus publicè incedens. Isa. 20. v. 2.) sic Iesus in parabolis multa, non solùm dixit, sed & fecit. Et inter cętera, ficum hanc typum esse voluit Iudaici populi, ad quem vênit ipse caro factus colendum fouendumq́; spe grati fructus, docendo assiduè atque admonẽdo, & nunc promissione regni cælorum prouocando, nunc beneficiis præsentibus alliciendo, nunc minis deniq; exstimulando: sed nec tandem laboribus omnibus adhibitis vllum fidei fructum ex illo percepit adeoq; cõtemsit ille iustitiæ pietatisq́ fructum ferre cõtentus ornatu foliorum, id est, inanibus verbis, iactatione Legis gloria templi, ceremoniarum obseruatione, traditionum custodia, imagine opinioneq; sanctitatis, &, vt semel dicam, nuda ac ieiuna religionis specie, omni pietatis veræ virtute carente, absque vllis dico fructibus veritatis, iuxta illud prophetæ: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. citatum suprà 15. v. 8. Ob hanc caussam breui fore significat Iesus, vt ipso iusto iudice (qui se offerens vt benignum patrem non recipitur) populus ille damnetur sterilitatis, &, qui fructum iustitiæ suo tempore ferre non vult, deinde nec possit; maledictionisque sententia, mox re ipsa subsequente, confirmetur, ita vt à Deo derelictus ac reprobatus, cælestis gratiæ influxu negato, exarescat, & vt mori continget vnumquemque ipsorum, in tenebras exteriores proiiciatur, tandem & gens vniuersa, veteris legis insignibus tamquam ornatu foliorum spoliata excisa loco, patria eiiciatur, ramiq, in omnes orbis terræ partes dispersi, pabulum supersint ignis æterni; Nec ad tempus tantùm hoc modo deserantur (quemadmodum accidit prioribus seculis, quando post afflictiones rediere ad pœnitentiam) sed in sempiternum, nulla restitutionis spe reliqua, prætérquam quòd sub mundi consummationem, Gentium plenitudine ingressa, reliquiarum poterit misereri Deus (Rom. 11. v. 25. 26.) Illud tamen non de vnoquoque Iudæorum intelligendum est, quasi omnes & singuli Christi sententia sterilitatis damnandi ac reprobandi sint, sed de Principibus sacerdotum, Scribis, ac Pharisæis, contumacibus, & potissima ac multo maxima Iudæorum parte. Id accidit paulò postquam Spiritus sanctus à Christo publicè missus est in discipulos, quando *ablatum ab illis est regnum Dei, & datum est genti facienti fructum eius*: id quod etiam disertis verbis prædixerat illis Christus infrà v. 43. Huius igitur rei non multos post dies efficiendæ imaginem esse voluit Christus, arboris condemnationem: qui, in certissimum instantis diuini iudicij testimonium, sententiam illam in ficum pronunciauit, &, magno futuræ in populum Iudaicum maledictionis prodigio, statim exsequutione subsequente confirmauit: atque cùm hoc exemplo reipsa ostenso, tum aliis pluribus orationibus ac sermonibus, calamitatem illis impendentem denunciauit, summo studio ad sanam eos mentem reuocandi. Et omnino consideranda hîc est verbi caro facti ac nobiscum habitantis philanthropia. Frequẽtissimè enim, *vbi adferre voluit promissæ procurandaq́, a se salutis exempla, virtutis suæ potestatem in humanis corporibus exercuit, spem futurorum & animæ salutem curis præsentium ægritudinum commendans. Nunc verò vbi vnam semel seueritatis in contumaces formam edere constituit, futuri speciem, damno arboris, rei sensus expertis, indicauit, vt impietatis periculum, sine ipsius detrimento hominis, ad quem saluandum venerat, indicaretur.* ita ferè inter alios B. Hilarius. Quòd autem ficum potiùs exsecratus sit quàm quamuis aliam arborem, quidam existimant caussam fuisse, quòd, ex nonnullorum

lorum veterum sententia, ficus fuerit illa transgressionis arbor, quæ in Genesi vocatur *lignum scientiæ boni & mali*. Non verò iniuria affecit Christus dominum, cuius ficum arefecit ad Dei honorem aliorumq; salutem: nam præter hoc quòd *data ipsi à* Patre *fuerat omnis potestas in cælo & in terra*, etiam dominus ipse est *cuius est terra & plenitudo eius*. Psal.23.v.1. Seruit hoc exemplum etiam nobis, ne, si simus instar ficus huiusmodi, *habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes* (2.Timot.3.v.5.) reprobemur cum Iudæis.

Mar.11. v.20.21.

Et videntes discipuli mirati sunt, [20] dicentes: Quomodo cõtinuò aruit?

καὶ ἰδόντες οἱ μαθηταὶ ἐθαύμασαν, λέγοντες· πῶς παραχρῆμα ἐξηράνθη ἡ συκῆ;

ET VIDENTES. καὶ ἰδόντες & quum vidissent, quod quum vidissent s. postridie manè. Non statim atque pronunciasset Iesus ea exsecrationis verba, viderunt discipuli ficum arefactam, & dixerunt id quod hic refertur. sed postridie manè, cùm illac iterum præterirent, id quod intelligitur ex Marco cap.11.v.20. DICENTES inter se, audiente Iesu. QVOMODO sic CONTINVÒ ad verbum vnum abs te pronunciatum. Nam quamquam non mox ficum aridam conspexere discipuli, vt verba prodierunt ex ore Iesu (quippe qui non hærerent illic apud ficum, sed iter suum vnà cum Iesu prosequerẽtur) tamen mox inuasit arborem tabes, quod diximus; quæ non vno quidem momento, sed breuissimo tempore serpsit per vniuersum arboris corpus, ita vt postridie, cùm nihil viroris in ea viderent discipuli, qui pridie virentium foliorum copia ipsemus oblectarat, facilè intelligerent continuò aruisse ad sermonem Iesu. nec enim illud æstu, aut frigore, aut ictu, effici tam breui tempore poterat. ARVIT. Additur græcè & syriacè ἡ συκῆ hæc ficus. Non quærunt discipuli quo consilio Iesus arefecerit hanc ficum, quam tempus ipsum excusabat à ferendo fructu: sed admirantur virtutem Iesu, qua tam repentè, arbor naturâ maximè succulenta (quæ etiam radicitus excisa insitam humiditatem multo tempore reseruat) ad vnum abs Iesu pronunciatum verbum, exaruerit contabuerítque ab imis radicibus, & ita humore omni pulchritudinéque priuata sit, nihil vt nisi sterilis aridique ligni deformitatem spectandam præbeat. Quocirca etiam Iesus non aperit illis consilium suum (quod fortè nec expediebat disertis verbis aperiri, Iuda maximè præsente) sed relinquit illis aliisq; considerandum miraculum, & cum concionibus suis conferendum ac tunc præsertim in memoriam reuocandum, quando à resurrectione sua, accepto Spiritu sancto, præsentem conspectui essent, quam ipse hîc adumbrabat, Iudæorum reprobationem.

Sup.17. v.20. Mar.11. v.23. Luc.17. v.6.

Respondens autem Iesus ait eis: [21] Amẽ dico vobis, si habueritis fidem, & nõ hęsitaueritis, non solũ de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare, fiet:

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν, καὶ μὴ διακριθῆτε, οὐ μόνον τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε, ἀλλὰ κἂν τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε, ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται·

RESPONDENS. Discipulis admirantibus potentiam ipsius, respondet Iesus, hoc ipsum & eo maiora miracula, vbi res postulet, etiam ab ipsis edi posse, si viua constantique fide instructi fuerint, vt cui infallibiliter obsecundet Deus. Non quòd ipse fidei virtute miraculum illud patrarit (nec enim habuit fidem, perfectioribus donis auctus) qui virtute propria vsus est, quippe Dei filius. FIDEM illam præstantissimam comparatam grano sinapi. NON HÆSITAVERITIS diffidentia Rom.4.v.20.) imperterriti operis difficultate. μὴ διακριθῆτε *non diiudicaueritis* ad verbum, id est, non discreueritis inter facile & difficile opus quod ad Deum, certò confisi quòd difficile non minùs facturus sit quàm facile. qui hæsitat seu diffidit, ille dispicit, diiudicat, ac discernit. Ille igitur hæsitat qui rei difficultate considerata diffidit Deo ne faciat. Huiusmodi hæsitationem excludit fides illa perfecta, quæ quiduis sibi de bono & omnipotente Deo promittit intrepidè, quod cognoscit expedire vt fiat. Nam quamuis, si suas ipsius vires, indignitatémve ad impetrandum à Deo res huiuscemodi magnas, homo consideret, habeat causam hæsitandi ac diffidendi: tamen fretus, tum rei æquitate, tum Dei potentia, promissionibus ac bonitate, effert se ipse supra omnem imbecillitatis indignitatisque propriæ considerationem. DE FICVLNEA. τὸ τῆς συκῆς hoc huius ficus, id est, hoc quod factum est huic ficui. MONTI HVIC. Montem oliuarum præsentem monstrabat, verisimile est. TOLLE s. te. ἄρθητι tollere seu tollitor. è terra. IACTA TE. βλήθητι iactare, proiicitor, *mittere* vertit secundùm Marcum. Syrus *cade*. IN MARE aliquot milibus passuum distans. FIET, Deo votis vestris satisfaciente. Non docet Iesus montes transferre, sed fidei certitudinem, adeò scilicet nihil esse magnum, difficile, aut impossibile humano iudicio, quod non fide constanti ac perfecta, vbi gloria Dei poposcerit, effici & impetrari à Deo queat. Huiusmodi fide minimè hæsitante instructus Dauid, vicit Goliath.1.Reg.17.v.46. Reliqua ad huius versiculi explicationem pertinentia quære suprà 17.v.20.

Mar.11. v.24.

& omnia quæcumque petieritis [22] in oratione, credentes accipietis.

καὶ πάντα ὅσα ἂν αἰτήσητε ἐν τῇ προσευχῇ, πιστεύοντες λήψεσθε.

ET OMNIA. Ad quæuis à Deo impetranda efficax est fides. PETIERITIS à Deo *secundùm voluntatem eius*. 1.Ioh.5.v.14. IN ORATIONE. id est, oratione. Fides nonnumquam ex tempore operatur, rebus ita exigentibus; plerumque verò non præsumit ipsa sola operari seu impetrare, sed dictat adhibendam orationem ieiunium, aliaque similia (vide suprà 17.v.21.) erumpit in feruentes preces, & ad bonitatem Dei suppliciter confugit. CREDENTES. id est, si credideritis, si fide instructi fueritis (participium conditionem includit) fide inquam per fiduciam ita operante, vt nihil hæsitet diffidentia. Iac.1.v.6: *Postulet in fide nihil hæsitans*, id est, nihil dubitans de potentia Dei, quin possit dare eam quæ postulatur sapientiam, quamuis res magna

magna ac difficilis sit, nec diffidens de benignitate Dei, quin velit dare id quod rectè petitur, quamuis vili ac minimè promerenti, de sua tamen erga Deum voluntate securo. Huiusmodi fides semper impetrat id quod petit, præsertim cùm eá cognoscatur, admonente Spiritu sancto, quid & quando petendum; impetrat autem quantum est ex parte ipsius, nisi quid aliud desit, quemadmodum diximus suprà 17. v. 20. Defectus autem vel exiguitas fidei, sæpè obicem obiicit quò minùs accipiatur id quod petitur. ACCIPIETIS. vide suprà 7. v. 7. & 8.

καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ ἱερὸν, προσῆλθον αὐτῷ διδάσκοντι οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, λέγοντες· ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; καὶ τίς σοι ἔδωκε τὴν ἐξουσίαν ταύτην; 23

Et cùm venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem?

Mar. 11. v. 27. 28. Luc. 20. v. 1. 2.

CVM VENISSET post superiorem doctrinam discipulis in itinere datam: quod quidem accidit, non eo die de quo suprà v. 18., sed postridie, vt illud de quo v. 20., quod ex Marco fit clarum. qui fuit dies Martis seu tertius ante diem passionis. ACCESSERVNT magno cum apparatu & potestatis ostentatione. AD EVM græcè redundat αὐτῷ ex phrasi hebraica. DOCENTEM. Superiora egerat pro officio regali: nunc pro munere prophetico docet in templo populum, mistim & regis, & pontificis, & prophetæ munia complens. Hæc admodum vrebant animos procerum. PRINCIPES SACERDOTVM. ἀρχιερεῖς summi sacerdotes (vide suprà 2. v. 4.) ET SENIORES, id est iudices, POPVLI, & doctores (addunt enim *scribas* cæteri Euangelistæ) id est, totum illud concilium quod omnem sibi auctoritatem in rebus ad religionem pertinentibus arrogabat; vel certè omnium ordinum eius concilij conspirantium legati. vide suprà 16. v. 21. Videri voluerunt legitimo consilio gerere omnia, conatiq; sunt, sua præsentia, auctoritate, & numero, Iesum & populum ipsius studiosum perterrefacere atque ab officio reuocare. IN QVA. Additur *in* ex idiomate hebraico, nobis superfluum: & ποίᾳ græcè ponitur pro τίνι, ita vt rectè interpres dederit *qua*, non *quali*. POTESTATE. ἐξουσίᾳ auctoritate. vide suprà 7. v. 29. HÆC. totos dies docendo occupare aures multitudinis, eiicere è templo vendentes ementesque ea quæ in templo Deus præcepit offerri, tamquam Christum se gerere & ostentare prosequentibusque acclamationibus populi ciuitatem ac templum ingredi, & cætera huiusmodi quæ nimiam licentiam meritò interpretamur. ET quia facilè non credimus te ita temerarium, vt dicas te propria à nullo alio accepta, auctoritate, hæc facere, dic nobis QVIS TIBI DEDIT HANC POTESTATEM? ἐξουσίαν auctoritatem? Certè nos non dedimus, à quibus tamen solis probari hactenus consueuerunt scribæ doctoresque populi, penes quos solos omnis residet in templum auctoritas, quibus denique insciis & quorum absque bona venia, nec Christus ipse, vbi venerit, se ingeret docendis regendisve populis, ne à Mose & prophetis alienus ac proinde minimè Christus habeatur, si nobis legitimis Mosis & prophetarum successoribus non consentiat. Dum iniquissimè ferunt prosperum successum rerum Iesu, *post quem totus mundus abierat*, (Ioh. 12. v. 19.) quod sui interpretantur derelictionem & contemtum, quærunt inuidiam facere, non iam ex doctrina, veráne sit an falsa, aut ex miraculis, sintne à Deo an à diabolo, quod nō semel infeliciter conati fuerant, sed ex auctoritate, de missione ac mandato controuersiam mouentes. Tentant itaque seditionis notare Iesum, quòd nulla potestate publica præditus, priuata auctoritate, tanta auderet, huiusmodi vsi argumento: Auctoritas sacri ministerij nulli est à semetipso, sed vel à Deo est vel ab ordinariis & legitimè præpositis hominibus. Porrò Deus illam commisit nobis, quos populo suo præposuit. Non debes igitur tu tibi sumere, vt, nulla à nobis accepta potestate, immo nobis nolentibus & inuitis, hæc facias; & quandoquidem facias, meritò seditiosus ac alienæ potestatis vsurpator iudicaris. In hoc minimè falluntur, quòd censeant, absque legitima accepta auctoritate talia tentare qualia gerebat Iesus, temerarij fore & seditiosi: nemo enim se ipse ingerere debet vel ad sacerdotij honorem vel ad prophetæ munus: multo minùs fas cuiquam sit Messiæ sibi nomen assumere. Nec hoc ipsis negatur, quin sint ipsi legitimi præpositi populi Dei, à quibus docendi regendiq; auctoritas accipienda tunc temporis fuerit iis quibus ab hominibus accipienda ea fuit, quippe quos *super cathedram Mosis sedere* Iesus ipse fatetur (inf. 23. v. 2.) Sed quòd in hoc insistunt, non esse legitima potestate præditum quem suis ipsi suffragiis nō elegerint, ac si penes eos, etiam Deo excluso, tota illa resideat potestas, minimè ferendum est. Nam quamuis non facilè Deus, præteritis iis quibus id muneris inter homines reliquit, per se ipse huiusmodi auctoritate quempiam insigniat: complures tamen illi populo prophetas miserat, quibus solus ipse, absque hominum opera, auctoritatem fuerat largitus. Cæterùm illud quandocumque facit Deus, indubitatis atque irrefragabilibus testatur argumentis, de quibus quidem iudicare, rursus hominum est eorum quos Deus populo suo præfecit, sed non est eorum auctoritatem illis abrogare pro libitu. Quod igitur Deus obseruarat erga prophetas, id maximè sibi obseruandum iudicauit erga Christū, vt omnis auctoritas ac potestas ipsi Christo esset à se vno Deo, ab hominibus nequaquam, eò quòd non deceret, vt, corrigendi, docendi, Ecclesiam colligendi ac regendi, auctoritatem acciperet Filius Dei ab hominibus, dominus à seruis, doctor à discipulis, Christus à populo suo. Ne quis tamen hac ratione falleretur, aut tamquam vsurpatorem alienæ auctoritatis Iesum pro Christo se gerentem reiiceret, tam fecit Deus testatam auctoritatem à se datam Iesu quàm quod maximè. Inprimis enim, proximè præmisit illi præconem, Iohannem filium Zachariæ sacerdotis, virum admirāda cùm natiuitate tum vita insignem, palàm clamantem Christum esse propinquum & ad ipsum excipiendum omnes adhortantem, denique præsentem Iesum pro Christo monstrantem & commendantem omnibus, vt Dei filium, à Deo missum, & salutis auctorem (Ioh. 1. & 3.) deinde ipsi Iesu Christo *dedit testimonium maius Iohanne* (Ioh. 5. v. 36.) opera nimirum quæ edidit, vsque adeò admiranda, vtilia, ac frequentia, vt reipsa clamarent, Deo auctore geri quidquid gerebatur, & in propatulo esset, *neminem posse ea signa facere, nisi esset Deus cum eo*. Ioh. 3. v. 2. Ex his clarissimis Dei loquentis testimoniis, intelligere debuerant primores, auctoritatem ipsi Iesu esse à Deo datam, citra ipsorum operam, ac pro-

ac proinde eam & suspicere, magis etiam quàm propriam. Verùm illi odio atque inuidia excæcati, noluerunt æstimare opera Dei, dataque opera clauserunt oculos Deo rebus ipsis testificanti de filio, illius auctoritatem eleuantes ex hoc solo quòd ab ipsis data non esset & derogare videretur auctoritati ipsorum. Initio prædicationis suæ cùm Iesus iterum cauponantes eiecisset è templo, iidem isti indignabundi rogauerant eum: *Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis:* (Ioh. 2. v. 18.) Iam cùm scirent in promptu esse Iesu signa edere, adeoque innumera ab ipso edita esse, impiè ac peruersè tacent signa, nudamq; petunt auctoritatis declarationem. Et quidem non in eo culpandi veniunt, quòd soliciti sint vt cognoscant qua auctoritate polleat Iesus (hoc enim erat officij ipsorum) sed quòd postquam tot tantisque virtutibus comprobata fuisset diuina Iesu auctoritas, quasi omnium ignari, improbè ac sine pudore, de re abundè testata, quærant quæ sit ipsi auctoritas, fere idum minimè fuit. Itaque quasi numquam ex ipso audissent à quo esset missus (quod tamen frequentissimè dixerat) aut quasi numquam satis ostendisset se à Deo missum & auctoritate à Deo accepta pollere, rogant impudenter qua auctoritate hæc faciat, non causa intelligendæ veritatis, quæ ex rebus ipsis, quod diximus, manifesta erat, sed calumniandi quidquid tandem esset responsurus, & reddendi inuisum populo. Nam à Deo se cum auctoritate missum si respondisset, dixissent nullum vmquam pseudoprophetarum fuisse qui diuinam non prætexuerit missionem: miracula verò à se edita si adduxisset, dixissent diabolo auctore fuisse edita, nec vllum vmquam è cælo datum.

Mar. 11. v. 29. Luc. 20. v. 3.

Respondens Iesus dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum sermonem: quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.	24	ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· ἐρωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ λόγον ἕνα, ὃν ἐὰν εἴπητέ μοι, κἀγὼ ὑμῖν ἐρῶ ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ.

VNVM SERMONEM. rem vnam seu aliquam, id est, quiddam. QVEM SI DIXERITIS VOS MIHI. ad quem si sincerè responderitis mihi quod sentitis, vt facilè poteritis si modò volueritis. DICAM manifestè, immò ex vestra responsione manifestum erit. IN QVA POTESTATE. qua auctoritate. FACIO. faciam. Cùm negare responsum in re adeò seria & principali non esset tutum, ne populus præsens scandalizaretur, tamquam conscio Iesu sibi vsurpatæ auctoritatis; minimè verò expediret clarè respondere iis qui præter ansam calumniandi nihil quærerent, prudenter illis & ipse quæstionem proponit, huiusmodi, ad quam si responderent quod res erat, ipsi satisfacerent illi quam improbè proposuerant quæstioni; si non responderent, at satisfaciendi argumentum suppeditatum esset.

Mar. 11. v. 30. 31. Luc. 20. v. 4. 5.

Baptismus Iohannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes:	25	τὸ βάπτισμα ἰωάννου πόθεν ἦν; ἐξ οὐρανοῦ, ἢ ἐξ ἀνθρώπων; οἱ δὲ διελογίζοντο παρ᾽ ἑαυτοῖς, λέγοντες·

BAPTISMVS. Antiqui libri monstrare videntur, Interpretem vsum esse voce *baptismum* barbara, pro latina *baptismus* aut *baptisma*. Baptismi autem nomine synecdochicῶs intelligit Saluator totam Iohannis functionem, baptismum inquam cum doctrina (nam & ipsi sacerdotes sic se intelligere versu proximo declarant) sed baptismum nominat, ob rei tum nouitatem tum celebritatem. VNDE ERAT quod ad institutionem? vnde baptizandi prædicandique auctoritatem acceperat Iohannes, munere nuper simul & vita defunctus?

E CÆLO. cælitúsne, à Deo immediatè. AN EX HOMINIBVS. an à vobis præsidibus populi Dei, vel certè à semetipso aut ab aliis vanis hominibus. Baptismus & doctrina Iohannis, ab ipsóne Iohanne aliísve hominibus inuenta fuere, an diuinitus ei tradita? Vsurpauit Iohannes officium illud docendi & baptizandi populum, an fuit ei legitimè commissum? & si commissum, à Deo proximè, an à vobis? Sic enim videtur coniungendus duplex sensus illius *an ex hominibus*: nam ad vtrumque Iesus respicere videtur. Quæstionem proponit, non curiosam aut vanam (id enim fuisset subterfugere responsum) sed ad rem maximè pertinentem. Nulla commodior ratio est eludendi calumniatores, eorumque redarguendi fraudem, quàm vt quæstioni quæstio opponatur, eiusdem omnino formæ, sed argumenti irrefragabilis, quò solutio quæstionis ab ipsis propositæ altera quæstione in eos retorqueatur. Quæsierant illi, Auctoritas Iesu è cælo esset an ex hominibus: quærit vicissim Iesus, Baptismus Iohannis è cælo fuerit an ex hominibus? quasi diceret: Si Iohannis Baptismus è cælo fuit, vt publica omnium confessione fuit, est & auctoritas mea è cælo, quam constat Iohannis testimonio fuisse laudatam. Non enim poterat Iohannes agnosci Dei seruus, quin Iesus agnosceretur filius. COGITABANT. διελογίζοντο reputabant, disceptabant, ratiocinabantur, rationes conferebant in vtramque partem. INTER SE mutuò, seorsum à Christo.

Mar. 11. v. 31. 32. Luc. 20. v. 5. 6.

Si dixerimus, è cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus; timemus turbam. omnes enim habebant Iohannem sicut prophetam.	26	ἐὰν εἴπωμεν, ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ ἡμῖν, διατί οὖν οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ; ἐὰν δὲ εἴπωμεν, ἐξ ἀνθρώπων, φοβούμεθα τὸν ὄχλον. πάντες γὰρ ἔχουσι τὸν ἰωάννην ὡς προφήτην.

SI DIXERIMVS. Si responderimus. Sermo est conferentium inter se mutuò. E CÆLO fuisse Iohannis baptismum, Iohannem auctoritate à Deo immediatè accepta baptizasse ac prædicasse, id quod palàm omnes tenent. NON CREDIDISTIS ILLI. non suscepistis baptismum ipsius & fidem adhibuistis doctrinę eius,

eius, qui constanter testatus est me esse Christum (etiam cùm vos ex professo ad ipsum misistis, vt intelligeretis an esset ipse Christus) Dei filium, à Patre è cælo missum, baptizantem in Spiritu sancto, cui Pater dederit omnia in manum, in quem oporteat omnes credere qui nolint perire (Ioh. 1. & 3.) nam hæc si credidissetis, non iam rogaretis quæ sit mihi auctoritas. vtique autem credendum est doctrinæ è cælo profectæ. Cauent fateri veritatem, ne convincantur perfidiæ. EX HOMINIBVS. humanam fuisse adinuentionem siue institutionem, Iohannem siue sponte siue ab aliis hominibus instigatum vsurpasse huiusmodi auctoritatem, vel certè à nobis accepisse. TVRBAM. populum magno numero præsentem, gregatimque à Iohanne baptizatum, *ne lapidet nos*, quod addit Lucas. Cauent negare veritatem, timore, non Dei, sed hominum, libenter negaturi, quippe quod commodum sibi foret, nisi faceret hominum timor. Merces malæ conscientiæ, timere eos quibus timori esse licuit. HABEBANT. ἔχουσι *habent*, quo modo & alij latini libri legunt, & sermo est, non Euangelistæ, sed ipsorum principum. SICVT PROPHETAM. pro propheta (ὡς enim veritatem notat hîc, non similitudinem) *propheta* autem, non ab hominibus mittitur, vel auctoritatem habet suam, ne iis quidem qui sunt legitimi præsules, sed immediatè à Deo. præter hoc quòd constet omni populo, Iohannem nulla à nobis auctoritate fuisse donatum, sed è deserto velut nouum hominem prodiisse afflatum ac missum à Deo. Non reputant quid Scripturis aut veritati consentaneum sit, neque interrogant conscientiam suam, sed quærunt id quod optimè seruiat affectibus suis, & conuocant in pectora dolos omnes, vt vitent laqueos, quos à se paratos Iesu, sentiunt à Iesu sibi iniectos. Ita Iesu sapientia callidos in calliditate sua cepit.

καὶ ἀποκριθέντες τῷ Ἰησοῦ, εἶπον· οὐκ οἴδαμεν. ἔφη αὐτοῖς καὶ αὐτός· οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ. [27]

Et respondentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

Mar. 11. v. 33. Luc. 20. v. 7.

ET pro Igitur. NESCIMVS vnde erat. In angustias adducti, hinc discriminis vitæ, illinc confitendæ veritatis quam oderant, itaque ab omni tuta commodaque responsione exclusi, eligunt impudenter mentiri ignorantiam rei, quam nullo modo oportebat ipsos, doctores ducesque populi, pro officij sui ratione ignorare. Mentiuntur itaque, quia hoc minùs sibi incommodum iudicant; mentiuntur inquam, quia nullam causam habent dubitandi de cælesti Iohannis auctoritate, populo vniuerso sancta, quam dum viueret ille numquam ausi fuerant reprobare, multoque minùs iam poterant postquam integerrimam viri vitam sanctissima mors concluserat. ET IPSE. id est, etiam seu similiter ipse. non quòd nescire se dixerit quemadmodum illi (non enim poterat mentiri) sed quòd clarum responsum negauerit quemadmodum illi. NEC EGO DICO VOBIS. q. d. Manifestum est quòd dicatis vos nescire vnde fuerit Iohannis Baptismus, non quòd nesciatis, sed quòd mendaci subdoloque consilio adducti, ne in veritatem incurratis dicere nolitis: meritò igitur *nec ego* iam *dico* disertis verbis *vobis* maleuolis *qua* auctoritate *hæc* faciam. quando vos mentimini nescire quod scitis, meritò ego nego ad id quod scio disertè respondere. nam ita pactus fuerat, dicturum se qua potestate vteretur, si dixissent ipsi vnde esset Iohannis Baptismus. Pudefactos itaque & confusos cogit ab vlteriori exactione cessare: quamquam non sine responso eos ablegat, quod diximus, qui producto in medium Iohannis testimonio & exemplo, diuina auctoritate se instructum esse demonstrat, nec magis opus habere vt ad docendum ab ipsis admitteretur quàm opus habuerat Iohannes, quem ipsi numquam vel ad docendum emiserant vel docere prohibuerant. Disertum ergo responsum negat, tacitè verò dat huiusmodi, se ea auctoritate hæc gerere quam Iohannes, *homo* citra controuersiam *missus à Deo*, ipsi attribuerat, auctoritate inquam è cælis à Deo immediatè profecta, quali & Iohannes ipse fuerat vsus. Non igitur detrectauit Christus respondere, immò obiectæ quæstioni plenè & solidè satisfecit, peruersam interim aduersariorum calliditatem simplicissima sapientia superans, qua ita capti fuerunt vt siue responderent siue silerent condemnarentur. Porrò signanter hîc vsus est Iesus præsenti tempore *dico*, nam & sæpè anteà dixerat, & paulò pòst, cùm venisset hora ipsius, coram his ipsis clarissimè dicturus erat, qua auctoritate esset ipse insignis. inf. 26. v. 64.

τί δὲ ὑμῖν δοκεῖ; ἄνθρωπός τις εἶχε τέκνα δύο, καὶ προσελθὼν τῷ πρώτῳ εἶπε· τέκνον ὕπαγε, σήμερον ἐργάζου ἐν τῷ ἀμπελῶνί μου. [28]

Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili vade, hodie operare in vinea mea.

QVID AVTEM. Non contentus Iesus os eorum impudens obturasse, altera quæstione sub ænigmate proposita conuincit eos ex ore ipsorum proprio intolerabilis peruicaciæ, quòd cùm videri vellent genuini filij Dei, pergant erga Deum esse contumaces nec pœnitentiam amplecti, occasione accepta ex subdola illa ipsorum responsione qua dixerant, se nescire an Iohannis Baptisma è cęlo esset. VOBIS VIDETVR de eo quod subiicio, quod certè dicere non potestis vos nescire. PRIMVM. priorem.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, οὐ θέλω. ὕστερον δὲ μεταμεληθεὶς ἀπῆλθε. [29]

Ille autem respondens ait, Nolo: postea autem pœnitentia motus, abiit.

RESPONDENS proteruè. NOLO. Hunc in modum loquitur vita peccatorum, Deo præcipiente iustitiam. POENITENTIA rebellionis in patrem. ABIIT in vineam & coluit eam, sermonis contumaciam labore corrigens.

Accedens autem ad alterum, dixit [30] similiter. At ille respondens ait, Eo Domine, & non iuit.

καὶ προσελθὼν τῷ δευτέρῳ, εἶπεν ὡσαύτως. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, ἐγὼ κύριε, καὶ οὐκ ἀπῆλθε.

ACCEDENS pater. AVTEM. καὶ &. ALTERVM filium. τῷ δευτέρῳ *secundum*: sed in aliis libris est ἑτέρῳ *alterum*, vt latinè & syriacè. DIXIT SIMILITER. simile dedit illi præceptum operandi eo die in vinea sua. EO DOMINE. ἐγὼ κύριε *ego Domine*, quo modo est & syriacè: qui hebraismus est, qualis legitur Gen. 37. v. 14. 1. Reg. 3. v. 4. 5. 6. 9., promtum se offerentis ad parendum, pro eo quod nos dicimus latinè, Præstò sum. Latinus Interpres si non vertit *ego* sed *eo*, sensum expressit: est enim sensus: Paratus sum facere faciamque libens quod præcipis domine; quod est, Ego vado domine: vnde & alij quidam Interpretes, exprimunt *abeo*, quod subaudiunt: *Ego domine abeo*. Obserua ciuilitatem verborum istius, mox præstò se offerentis patremque maioris honoris causa dominum appellantis, compositam cum rusticitate verborum alterius, ne nominantis quidem quem alloquitur patrem. Hunc in modum Israëlitæ accepta lege dixerunt: *Omnia quæ loquutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes*. Exod. 24. v. 3. 7. ET NON IVIT. Non tamen iuit in vineam patris nec coluit eam, ne postea quidem prælucente fratris pœnitētis exemplo. Insignis hypocrita.

Quis ex duobus fecit voluntatem [31] patris? Dicunt ei, Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

τίς ἐκ τῶν δύο ἐποίησε τὸ θέλημα τοῦ πατρός; λέγουσιν αὐτῷ, ὁ πρῶτος. λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οἱ τελῶναι καὶ αἱ πόρναι προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

QVIS EX DVOBVS. τίς ἐκ τῶν δύο quis ex his duobus. vter istorum. Hîc extorquet eorum contra seipsos iudicium. FECIT VOLVNTATEM. obediuit præcepto. DICVNT EI illi, non intelligentes quorsum hæc tenderent. PRIMVS. prior ille, qui prius quidem recusauerat, postea verò ad cor reuersus fecit quod fuerat à patre iussus. Rectè respondent. nec aliter poterant in re clara: hic enim, tametsi tardè, fecit; alter verò omnino non fecit: huic verba defuere, non facta; illi facta defuere, non verba. *Quis autem non malit negari sibi id quod poscat, dummodo quod poposcerit fiat, quam non fieri quod spondeatur vt fiat: cùm facilis effectus ex desperatione fit gratior. spes autem destituta plus doleat*. Hilarij sunt verba. * AMEN DICO VOBIS. Aperiens quorsum proposuisset parabolam, sic probat illorum responsum, vt illud in ipsos retorqueat, & proprio eos iudicio condemnet, asseueratione interim vtens in re ab illorum opinione alienissima. PVBLICANI ET MERETRICES, id est, plurimi eorum qui nuper fuerunt publici infamesq. peccatores in vtroque sexu. Auaritia potissimùm viri, quos variæ distinent curæ; luxuria fæminæ, quibus otium familiare est, infames sunt. PRÆCEDENT. προάγουσι *præcedunt* (quomodo est & in aliis latinis libris) iam nunc scilicet, Vos religionis sanctitatisque professione spectatos IN ad REGNVM DEI quod cœpit à Iohanne prædicari: hoc est, cessantibus vobis properant ad regnum Dei. sic instituunt vitam vt rectà pergant ad beatum Dei regnum, à quo vos vestro vitæ instituto procul absceditis. Non enim quòd hi subsequerentur dixit illos præcedere. qui omnino non sequebantur adeoque tenebant viam aduersam. quod versu proximo declarat; sed quòd si ad regnum pergere vellent, prout erat ipsis relicta pergendi potestas, istos sequi deberent, qui iam eius viæ non parum confecerant. Persuadebant illi sibi, se duces esse itineris ad regnum Dei & primas illic tenere, nec facilè passi fuissent quemquam secum conferri etiam sanctissimum: atqui Iesus præfert illis, non populares, sed eos qui vulgò infames ac detestabiles erant, flagitiosæ vitæ homines, qui nullo habendi videbantur loco in regno Dei. Quum enim crassè hominibus illuderent hypocritæ isti, detrahit illis laruam Christus, ne se amplius venditent specie pietatis, ostendens nihil illos minùs esse quàm quod iactabant, zelotas legis & religiosos diuinæ voluntatis obseruatores. Hoc est enim quod vult dicere: Si prior filius fecit voluntatem patris, non posterior, iuxta vestram eamq; veram sententiam: publicani igitur & meretrices faciunt voluntatem Dei, vos verò minimè; ac proinde præcedunt isti vos in regnum Dei: eo quòd illi, priori filio similes, postquam ad tempus rebellarint præceptis Dei, iam tandem, malè anteactæ vitæ pœnitentia ducti, obtemperant: vos verò semper contenti speciosa Deo promissa verbaq; dedisse, & inanem sanctitatis imaginem præ vobis tulisse, posteriori filio similes, numquam obtemperatis. Hæc iam declarat versu proximo.

Vênit enim ad vos Iohannes in via [32] iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea vt crederetis ei.

ἦλθε γὰρ πρὸς ὑμᾶς Ἰωάννης ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ· οἱ δὲ τελῶναι καὶ αἱ πόρναι ἐπίστευσαν αὐτῷ· ὑμεῖς δὲ ἰδόντες οὐ μετεμελήθητε ὕστερον τοῦ πιστεῦσαι αὐτῷ.

VENIT. Post alias non raras Dei admonitiones exigentis obedientiam quam debetis mandatis eius, *venit* tandem AD VOS, Deo mittente, IOHANNES Baptista, prædicans propinquum esse Christum regem eiusq; regnum, & adhortans omnes vt ad excipiendum præpararent se pœnitentia, malè inquam anteactæ vitæ detestatione & initione nouæ. Poterat seipsum proponere Dominus Iesus maiori ratione: sed quia ipse exosus erat primatibus, declinandæ inuidiæ causa, maluit Iohannem in medium adferre, simul ostendens, & Baptismum Iohannis fuisse probatum quem illi dixerant sibi ignotum, & præsentem peruicaciam ipsorum

non

non esse nouam, cùm similem demonstrarint prædicante Iohanne. IN VIA IVSTITIÆ. s. incedens, id est, agens vitam perfectè iustam adeoq; angelicam, moribus & vita integer, in cuius actionibus & studiis nihil iure reprehendi, nihil non summopere laudari deberet, ita vt dubium esse non posset quin à Deo esset missus, quod ipse affirmabat. ... Hebræis pro vita & moribus, seu instituto vitæ accipitur. significatur itaque rationem viuendi quam tenuit Iohannes fuisse manifestè iustam & rectam, & ab omni vitio sinistraque nota alienam, in qua nihil culpare potuerint Sacerdotes & Scribæ, aut excipere, quin iustitiæ esset consentanea & ei quam aliis ipse commendabat pœnitentiæ: qua proinde satis declarauit se à Deo missum esse, & nihil causæ reliquit cur posset meritò reiici. ET NON. Non tamen. CREDIDISTIS EI, doctrinæ eius. non credidistis, quod ille affirmabat adesse Christum regem, adeoque Christo ab ipso demonstrato vt hostes iurati aduersamini, nihili fecistis quæ de regno cælorum propinquo euangelizauit & de imminenti iudicis ira minatus est ille: non putastis suscipiendum vobis baptismum ipsius, aut curandum vt pœnitentiam ageretis, & fructus pœnitentia dignos ederetis: itaque Deo vos per illum admonenti re ipsa non obediuistis: quamquam pro more inclamaretis Dominum Dominum ac patrem Abraham & exactam legis Dei obseruantiam iactaretis, & gloriaremini phylacteriis fronti præfixis, aliisque huiusmodi quæ ad rem sola nil pertinent. Videmus hîc, quàm difficile sit ad pœnitentiam permouere eos, qui, quum sint impij, specie tamen pietatis se venditant pro eximiis cultoribus Dei, vt multo sit facilius deploratissimos peccatores ad meliora reuocare.

ET MERETRICES magno numero. CREDIDERVNT EI. peccata sua confessi susceperunt baptismum ipsius; quò digni essent regno cælorum, pœnitentia se pararunt, à viis suis pessimis conuersi sunt, in ieiunio, fletu, & planctu, & quæ hactenus spreuerant mandata Dei toto sunt corde amplexi, denique Christo, quem ille prædicauit adhęserunt & adhærent perseuerantes in studio pœnitentiæ. Non enim tantùm significat, eos verbis Iohannis annuisse, sed & serio affectu amplexos fuisse quod audierant. VOS AVTEM obdurati. Amplificat contumaciam Primatum. VIDENTES coràm, publicam publicorum peccatorum ad Deum conuersionem & correctionem hactenus sibi constantem. NEC POENITENTIAM HABVISTIS. οὐ μετεμελήθητε non resipuistis POSTEA. id est, hactenus, me etiam perficiente quæ Iohannes benè cœperat. VT CREDERETIS EI cum illis. vt vel fidei illorum exemplum sequeremini, quibus debueratis ipsi esse exemplum. id quod insanabilis peruicaciæ & extremæ desperationis certissimum est signum, vbi non tantùm non mouent diuina sanctorum doctorum monita, sed nec manifesta deploratorum peccatorum, qui illis permoti ad meliora conuertuntur, exempla. Legimus Act 6. v. 7. multam turbam sacerdotum obediuisse fidei, sed nihil illa turba ad eam quæ mansit incredula. idem iudicium est de Scribis & senioribus.

ἄλλην παραβολὴν ἀκούσατε· ἄν-³³θρωπός τις ἦν οἰκοδεσπότης, ὅστις ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα, καὶ φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε, καὶ ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνὸν, καὶ ᾠκοδόμησε πύργον, καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπεδήμησεν.	Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Mar. 12. v. 1. Luc. 20. v. 9.

AVDITE. Plebem alloquitur, quod constat ex Luca, sed in proceres præsentes & audientes stylum stringit: quorum immedicabilem malitiam, à maioribus tractam, apertiùs etiam quàm superiori parabola describit, vaticinans eò venturos, vt, sicut maiores prophetas, ita ipsi Christum Dei filium ac prophetarum Dominum, nedum Iohannem Baptistam, & contemnant & interficiant. ob quod etiam instet eis excidium perpetuum. HOMO ERAT. id est, erat quidam. PATERFAMILIAS. Clauis qua recludatur abstrusa ista parabola, infrà v. 43, à Domino se traditur: vbi eum in quem ipse intenderit scopum aperit. In hunc igitur scopum vt quadrent, ita singulæ ænigmatis partes veniunt explicandæ. Imitatur hîc autem Iesus prophetas, à quibus frequentes huiusmodi similitudines sumuntur à vineis (vt vinetis abundabat ea regio) & singulariter Isaiam capite quinto. *Paterfamilias* itaque intelligitur Deus Pater, cui familia ampla est, mundus & plenitudo eius, rationis participibus constans angelis & hominibus, quorum ille, naturâ Dominus, beneuolentiâ pater est. VINEA est populus Israel. Isa. 5 v. 7: *Vinea Domini exercituum, domus Israel est.* Vineæ comparatur, quòd latè diffusus, cùm esset doctus cultum Dei, quamuis fragilis ac vilis corpore (*vt lignum vitis*, Ezech. 15.) aptus esset proferre fructus iustitiæ, quibusuis botris vinisque pretiosiores ac Deo certè gratiores. Singuli è populo, intelligendi sunt huius vineæ palmites. quemadmodum Ioh. 15. v. 5. Saluator, Apostolos suos singulos, palmites dicit. Exereuerat porò Israel in vineam siue populum, cùm habitaret in Ægypto (Psal. 104. v 23. 25.) sed cùm illic silueseeret, adeoque opprimeretur inter idololatras, transtulit eum Dominus in terram promissionis, &, eiectis impiis gentibus tamquam eius terræ spinis, illic plantauit adoptatum in populum peculiarem; iuxta illud Mosis Exod. 15. v 17: *Introduces eos & plantabis in monte hereditatis tuæ*; & illud Psalmi 79. v. 9: *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam.* Illic plantatæ CIRCVMDEDIT SEPEM, tutelam inquam prouidentiæ suæ. id est, diuinæ custodiæ munitione eam vallauit. diuina cura prouidentiaq; muniuit (sepes enim diuinam custodiam cælesteque præsidium significat qua à circumiacentibus hostibus protegeretur, ne temerè pateret illorum incursui direptioniue. ad hoc enim seruire sepem testatur Isaias cap. 5. v 5: *Auferam sepem eius & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.* rursus, Psalmus 79 v. 13: *Vt quid destruxisti maceriam* &c. FODIT. Duæ sunt partes torcularis, vna est prelum quo vinum ex vuis exprimitur; altera est vas seu locus concauus prælo substractus, quo expressum ex vuis vinum excipitur. Lacunis igitur cùm soleat olim recens vinum excipi, hinc mentio hîc *fodiendi*, & apud Isaiam *excidendi.* TORCVLAR autem intelligitur Lex, vrgens vnumquemque & premens vt fructum edat pietatis. TVRRIM. Turris non malè intelligatur ciuitas Ierosolymorum, quæ prę cæteris ciuitatibus eminens velut caput in corpore (vide sup. 2. v. 1.) fuit terræ Israeliticæ quod turris vineæ, vnde prospici procul &

propulsari aduentantes hostes possent, templo præsertim seu tabernaculo instructa, ex quo præuideri poterant mala imminentia iis qui Domino non fructificarent. Quamquam incertum est, an in singula huiusmodi significata dinumerauerit ista siue Saluator siue Isaias, an verò id solum significarit, omnia opportuna, quæ ad prosperitatem, felicitatem, ac bonum populi pertinere queant, quo ab hostibus tuti immò formidabiles hostibus, & in Deum pij ac religiosi esse & inter se mutuò pacem colere possent in hanc Remp. à Deo collata fuisse. Isaias enim post enumerata superiora singula, subiicit v.4: *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei?* q.d. nihil. nam qui sic interrogat, certus est nihil sibi obiici posse. LOCAVIT. non dono dedit aut pretio vendidit, sed *locauit*. Non alienauit ab se, aut in alios transtulit dominium vineæ, sed reliquit aliis vtendam & curandam vineam, quamdiu visum ipsi foret, pactus certam fructuum portionem quotannis sibi reddi, reliquo emolumento agricolis relicto. Potuisset per se ipse Deus populum suum regere, sed vult eam ad rem hominum opera vti, ita tamen vt ius dominij sui in populum, in eos minimè transferat, sed perinde agat ac si paterfamilias vineam aut agrum colono locet, qui operam suam culturæ impendens, ratam fructuum partem annuè soluere teneatur. EAM ita rebus omnibus affatim ornatam atque instructam. AGRICOLIS peritos se profitentibus colendæ vineæ. Hi fuerunt reges, sacerdotes, doctores, iudices, cæteriq; primates & magistratus populi Israel. His enim commisit Deus vineam suam colendam, id est, regendum populum suum, vnicuique suis partibus commendatis, pro varia functionum ratione, in officio continendo, defendendo, docendo, monendo, malos castigando, peruersos amputãdo, bonos honorando exemplis præeundo, &c., ita vt populus suauem virtutis fructum afferret Deo. relicto ipsis emolumento reliquo, id est *lana & lacte*, vt alibi loquitur iuxta parabolam pastoris & ouium. Ezech. 34. v. 3. PEREGRE PROFECTVS EST. gessit se tamquam absentem, qui nusquam abest, cælum cùm impleat & terram, permisso regimine populi sui arbitratui fideiq; illorum. Variis signis præsentem se exhibuerat, cùm transferret populum hunc suum ex Ægypto in promissam terram: vbi ille in terra promissa semel constitutus fuit, tabernaculo siue templo & lege instructus, subtraxit ea signa, &, quasi absens esset ipse, curam populi deinde permisit primatibus: quorum quò magis splendida atque honorifica fuit conditio, eo magis obstricti fuere Domino ne segniter in opere colendæ vineæ versarentur, sed pactos fructus curarent suo tempore reddere.

Mar. 12. v. 2. Luc. 20. v. 10.

Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. 34 ὅτε δὲ ἤγγισεν ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν, ἀπέστειλε τοὺς δούλους αὐτοῦ πρὸς τοὺς γεωργοὺς, λαβεῖν τοὺς καρποὺς αὐτοῦ.

TEMPVS FRVCTVVM. tempus quo fructus dominis promissos vinitores præstare consueuerant, vinum inquam doliare. Huiusmodi fructus seu vina, sunt cultus atque obedientia Dei, virtutes & proba secundùm mandata opera. Et quamquam numquam non fuerit tempus huiusmodi fructuum domino reddendorum, ex quo lex semel lata fuit: illud tamen peculiariter tempus fructuum vocat, quo, quin fructus huiusmodi domino ab agricolis assignarentur, nulla esse potuit excusatio: quod quidem fuit, quando sub Iudicibus & Regibus plerisque, populus in terra promissionis pacificè habitauit. nihil enim tunc impediuit, quin populus pietatem & bona opera fructificaret curantibus præpositis. APPROPINQVASSET. Loquitur tamquam de longè constituto patrefamilias sed diligẽte, qui miserit seruos suos cùm tempus recipiendorum fructuum immineret, ad futuros agricolis vbi tempus adesset. SERVOS SVOS alios post alios. Seruos intelligit prophetas (familiare est veteribus Scripturis prophetas vocare seruos Dei) qui non præpositi fuere regendo populo Dei, sed à Deo missi vt præpositos & populos commonefacerent officij. AD AGRICOLAS. primò enim ad principes & præpositos, ad populum verò consequenter, prophetæ missi fuere. ACCIPERENT serui ipsius nomine, vel acciperet ipse per seruos (est enim anceps ad vtrumque infinitiuus λαβεῖν) ab agricolis. FRVCTVS pactos conuentosque lege locationis, ad se deferendos. EIVS s. vineæ, quos edidisset vinea; vina inquam optima iam in vtres immissa, id est, cultum, honorem, obedientiam, tributumq; spirituale, Deo debita. Syrus vertit: *Vt ad se mitterent de fructibus vineæ suæ.* Quod igitur significat Saluator, hoc est, opportuno tempore missos à Deo prophetas, fideles seruos maiestatis ipsius, qui tamquam viserent Dei nomine an primates populum sic regerent, vt viueret dignè Deo; & si non, admonerent eos officij. Hæc enim parabola dirigitur in præpositos populi; similis Isaiæ, in ipsum populum: illic enim querela est quòd vinea non tulerit fructum bonum (Isa. 5. v. 2. 7.) hîc quòd agricolæ fructus domino non assignarint. Et quidem non poterant illi fructus domino assignare, si vinea fructus non ederet: sed significatur, culpa illorum imprimis accidisse quòd vinea fructus non ederet, aut pro vuis ederet labruscas, quòd vineam illi non colerent, neque curarent vt oporteret.

Mar. 12. v. 3. 4. 5. Luc. 20. v. 10. 11. 12.

Et agricolæ, apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. 35 καὶ λαβόντες οἱ γεωργοὶ τοὺς δούλους αὐτοῦ, ὃν μὲν ἔδειραν, ὃν δὲ ἀπέκτειναν, ὃν δὲ ἐλιθοβόλησαν.

ET pro Sed. AGRICOLÆ. cùm sibi coluissent vineam, non domino, non tantùm nullum ex vinea fructum domino sua sponte miserunt, quod debuerant, sed neque admoniti à seruis ea causa missis, quos non solùm contemserunt audire, verumetiam ausi sunt indignè tractare. Hoc est, Non sic gubernarunt populum Israel primores plerique omnes, etiam admonentibus & vrgẽtibus prophetis sanctis, vt esset ipsis curæ vt populus Deo seruiret & Deo gratos fructus iustitiæ ederet, sed satis ipsis fuit si dominarẽtur ipsi populo, & sua ipsi commoda ex populo traherent. Immò verò non tantùm non audierunt prophetas, Dei verbis monentes; verumetiam ceperunt, eos captiuos & iniuriis variis affecerunt, quumq; ipsi pœnas dare deberent, de sanctis Dei seruis pœnas sumserunt. ALIVM CECIDERVNT seu verberarunt, vt Ieremiam Phassur sacerdos (Ier. 20. v. 2.) Sedecias Micheam (3. Reg. 22. v. 24.) ALIVM OCCIDERVNT vt Isaiam Manasses. ALIVM LAPIDAVERVNT, vt Ioas Zachariam filium Ioiadæ. 2. Paral. 24. v. 21. 22.

πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους πλείονας τῶν πρώτων, καὶ ἐποίησαν αὐτοῖς ὡσαύτως. 36 Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. *Mar. 12. v. 5.*

PLVRES PRIORIBVS, vt vel multitudine admonentium oppressi, curarent officium facere. Describitur cum hominum malitia certans longanimitas Dei, non sic offensi iniuriis illatis seruis prioribus, vt statim exposceret perfidos ad supplicium, sed inuitantis eos ad pœnitentiam & ad officium pluribus etiam aliis missis. SIMILITER. non tantùm non audierunt, sed & indignè tractarunt adeóque interfecerunt. Frequens est huiusmodi querela apud Ieremiam, *quòd miserit Deus omnes seruos suos prophetas ad Israel, de mane & de nocte consurgens, nec sit auditus, immo contemtus & derisus.* Ierem. 7. v. 25. &c. quæ & causa fuisse traditur vastationis Ierusalem & Iudææ. Ier. 44. v. 4. 5. 6. & 2. Paral. 36. v. 14. 15. 16. qui locus apprimè huc spectat. Et quamquam Scriptura non explicet, quibus persecutoribus & quo modo vitam prophetæ singuli finiuerint, Apostolus tamen Heb. 11. v. 36. 37. 38. varia afflictionum genera enumerat quibus illi interierint, & Stephanus Act. 7. v. 52. exprobrat: *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iusti?* Cæterùm de Manasse nominatim scribitur, *quod innoxio sanguine seruorum Dei prophetarum, in quorum manu Deus ipsi loquebatur, repleuerit Ierusalem vsque ad os.* 4. Reg. 21. v. 10. 16.

ὕστερον δὲ ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, λέγων· ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου. 37 Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. *Mar. 12. v. 6. Luc. 20. v. 13.*

NOVISSIME. postremò, tandem, vbi venit plenitudo temporis. Post missum Messiam, nullus ampliùs exspectatur propheta: ipse est enim legis & prophetarum finis. MISIT per incarnationem, misit hominem factum, fructum vineæ similiter requirere. AD EOS agricolas, principes & præpositos populi, non numero eosdem ad quos miserat varios prophetas, sed gente atque ordine. Vt enim vnus censetur populus Israel ab exitu ex Ægypto vsque ad Christi aduentum: ita & vnus ordo procerum, in officio regendi populi sibi mutuò succedentium, tametsi sub variis nominibus, iudicum, regum, ducum, sacerdotum, principum populi, scribarum, seniorum &c. FILIVM SVVM vnigenitum. Seipsum significat Dominus Iesus, tanto maiorem prophetis, quanto in familia filius maior est seruis. *Multifariam enim olim Deus loquutus in prophetis, nouissimè loquutus est in filio.* Heb. 1. v. 1. 2. Filius igitur Dei fuit Iesus, prophetæ autem serui, distinctione manifesta: nam si adoptione dumtaxat fuisset filius, non autem natura, haud constaret distinctio. VEREBVNTVR. tametsi contemserint seruos, tamen reuerebuntur filium meum; & si non amabunt eum, certè erubescent pactum vineæ fructum negare ipsi, id est, in verecundiam adducti monitis filij mei præsentis cogentur satisfacere officio. FILIVM MEVM qui propiùs referet personam meam quàm retulerint serui. Non prædixit Deus hoc esse futurum, quod contrà accidit, nec spe melioris euentus deceptus est, sed prosequens parabolam Iesus, attribuit Patri id quod homini patrifamilias congruisset, qui si post missos complures seruos censuisset mittendum tandem & filium, hac ratione adductus fuisset, quòd verisimile esse iudicasset, mouendos reuerentia filij, quòd omnis ratio & æquitas illud postularet. *Verebuntur itaque filium meum*, id est, æquum erit vt reuereantur: vt poterunt ita debebunt meritò eum reuereri. quo sermone, & causæ æquitas & agricolarum libertas declaratur. Eò protracta est longanimitas Dei erga principes Israel, vt quamuis nihil apud eos profecisset per prophetas, tamen tentaret & per filium, volens extremum experiri remedium, etiam cum filij sui periculo. Fuit is summus longanimitatis ac bonitatis gradus.

Οἱ δὲ γεωργοὶ ἰδόντες τὸν υἱόν, εἶπον ἐν ἑαυτοῖς· οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, δεῦτε, ἀποκτείνωμεν αὐτόν, καὶ κατάσχωμεν τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ. 38 Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. *Mar. 12. v. 7. Luc. 20. v. 14.*

AGRICOLÆ. principes populi. VIDENTES FILIVM. ἰδόντες τὸν υἱὸν cùm vidissent filium s. in vineam aduenisse, vt fructum vineæ exigeret. non enim venit vt iudicaret illos ob scelera in seruos admissa, sed vt saluaret pœnitentes. Verè viderunt filium opera Deo digna facientem, & quæ de Christo prædicta fuerant perficientem omnia. *Si enim non venisset, & locutus eis fuisset, & opera non fecisset in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, Ioh. 15. v. 22. 24. Cognouerunt Iesum esse Christum filium Dei, ex testimonio Iohannis Baptistæ, ex doctrinæ efficacitate, ex maiestate signorum, ex fide populorum, ex prophetiis & Scripturis sacris: sed inuidia se ipsi excæcantes, noluerunt illud sibi persuadere. nam illud sibi si persuasissent, *numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Manifestissimè hic Dominus probat, Iudæorum principes, non per ignorantiam, sed per inuidiam, crucifixisse filium Dei. DIXERVNT. Non tantùm non sunt reueriti, vt mox inierint consilium de occidendo eo. INTRA SE. ἐν ἑαυτοῖς verti potest, & *intra se*, quod est, apud se seu in animis suis, & *inter se mutuò.* Posteriorem interpretandi rationem confirmant sequentia, qui est sermo inter se colloquentium. HIC EST HERES vineæ, filius vnicus patrisfamilias à quo vineam conduximus. huic promissum ac destinatum est regnum absolutumque dominium in populum Israel. Psal. 2. v. 7. 8. *Constituerat eum Deus heredem vniuersorum*, ait Apostolus Heb. 1. v. 2. Heres porrò dicitur, non quòd Deo Patri mortuo esset successurus in regnum siue dominium, sed quòd dominium regnumque, Patris dono ipsi foret perpetuum, nihil interim derogans imperio Patris. Dixerunt porrò *hic est heres*, quando etsi nollent cognouerunt ipsum esse Messiam: rursus quando dixerunt: *Totus mundus post eum abiit* (Ioh. 12. v. 19.) *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (Ioh. 11. v. 48.) VENITE, OCCIDAMVS EVM. Hoc dixerunt cùm dicerent: *Expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo. ab illo die cogitauerunt vt interficerent eum.* (Ioh. 11. v. 50.

v.50. 53.) qui quidem dies non parum præcessit hunc, tertium ante passionem, quo parabola ista dicta fuit.

HABEBIMVS. κατάσχωμεν obtineamus, occupemus, sicut hactenus. HEREDITATEM EIVS. vineam inquiam. regnabimus tamquã in orbata domo, nam occiso herede negligetur à domino hereditas, curabiturq; à nobis tãtùm ad vsum nostrum, liberum merumq; erit nobis in populum Israël dominium: nec enim finit iste nos pro nostro arbitratu cum populo agere, traducens vitia nostra, honorem lædens, & quæstum prohibés. Vt liceat igitur nobis retinere dignitatem & imperium in populum, occidamus eum, ne fortè Romani audientes venisse ad nos regem & saluatorem, infestis armis adsint, templum vrbemq; vastent, populum captiuum abducant, nobis ante omnia à sacerdotij dignitate amotis. Ioh. 11. v. 48. Persuaserunt illi sibi, rationem illam continendæ suæ Reip. & religionis, fore sibi perpetuam occiso Christo, qui longè alio modo quàm ipsi, interpretabatur ac definiebat regnum Dei & Christi, ea videlicet ratione, quæ ipsis, ad terrenas commoditates relata, nimis humilis nimisq; inepta videbatur. Ambitio itaque & auaritia principum notatur, qui voluerunt sibi populi dominium vsurpare, cùm serui essent: attigitq; hîc Iesus ac declarauit sibi perspecta secreta ipsorum consilia, & prodidit ipsis conscientiam ipsorum, iam tum molientium ipsi necem in quam pridem conspirauerant.

Mar. 12. v. 8. Luc. 20. v. 15.

Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam & occiderunt. [39] καὶ λαβόντες ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος καὶ ἀπέκτειναν.

APPREHENSVM. captum, comprehensum, & pro blasphemo damnatum, EIECERVNT. præterita pro futuris more prophetico. EXTRA VINEAM, protestantes quòd non agnoscant eum vineæ dominum; *extra castra* alibi dicitur, extra populi Israel societatem. Id interpretatur Apostolus accidisse, quando *extra portam passus est Dominus Iesus* (Heb. 13. v. 11. 12. 13.) quemadmodum narratur infrà 27. v. 33. & Ioh. 19. v. 20. Extra ciuitatem Ierosolymorum, Israelitici regni caput, quò populus Dei omnis religionis causa consueuerat conuenire, *eiecerunt* principes morte damnatum Iesum, tamquam alienum à regno Israel, adeoque populi communione indignum; & sic abnegatum OCCIDERVNT. Quamuis enim Romanis tradiderint occidendum, non tamen Romanis legibus lata, sed illorum improbitate, calumnia, & importunitate, atque populi dementatione, extorta fuit sententia, nec tam sententia, quàm permissio ipsorum facta voluntati, qui illum occidere iam diu cogitauerant & omni studio conatuque curauerant. Sic certauit cum diuina bonitate humana malitia, opposito summo gradui clementiæ gradu summo crudelitatis, vtrimque vltimis priora superare contendentibus. Vt enim non fuit maior longanimitas, quàm, loco vindictæ, quam sumere poterat pro iniuriis illatis seruis, misisse ad admonendos debitores etiam filium: ita non fuit sæuitia maior, quàm occidisse etiam ipsum filium. Prædixit itaque hîc Iesus principibus populi, mortem, quin & locum mortis, quam post triduum ab ipsis passurus erat, quòd, imitati maiores suos, interfectores prophetarum, ipsi Christum breui interfecturi essent; ne quid causari possent, ob quod ipsum negarent filium Dei, si vel tandem ab ipsius morte vellent redire ad cor. Sic, præterquam quòd exprobraret illis ingratitudinem, sceleris ac perfidię plenam; sustulit etiam offendiculum quod instabat ex morte sua propinqua, dum sibi illam prophetarum exemplo inferendam prædixit.

Mar. 12. v. 9. Luc. 20. v. 15.

Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? [40] ὅταν οὖν ἔλθῃ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, τί ποιήσει τοῖς γεωργοῖς ἐκείνοις;

DOMINVS ipse per se, adductis secum exercitibus suis. QVID FACIET? impunitúmne relinquet tam crudelem seruorum suorum & filij vnigeniti contemtum? Interrogat facitque alios iudices, quò sententia æquior habeatur. Sic Isaias, ciues Ierosolymitanos & ipsos Iudæos, iudices esse vult in simili causa iusq; dicere. Isa. 5. v. 3.

Mar. 12. v. 9. Luc. 20. v. 16.

Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. [41] λέγουσιν αὐτῷ· κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς, καὶ τὸν ἀμπελῶνα ἐκδόσεται ἄλλοις γεωργοῖς, οἵτινες ἀποδώσουσιν αὐτῷ τοὺς καρποὺς ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν.

AIVNT s. quidam auditorum. Nec enim verisimile est, ipsos principes facilè adeò respondisse & sententiam dixisse, qui mox simili responso capti, egregiè excepti fuerant (sup. v. 31.) ILLI. Iesu. est enim græcè singulare αὐτῷ. MALE. id est, mala morte vel malis affectos. PERDET. pro meritis. αὐτοὺς eos additur græcè & syriacè ex idiotismo hebraico. Nihil aliud respondent quàm id quod causa ipsa exigit responderi: hoc porrò maximè locum habet, & ita omnino euênit, in re per parabolam significata. quare & secundùm alios Euangelistas hęc ipsa responsio Iesu adscribitur: ita igitur nobis hîc explicabitur tamquam si esset ipsius Iesu. Malè perdidit Iudæorum principes, qui filij sui mortem machinati fuerant, Deus Pater, anno à morte filij sui quadragesimo aut circiter, quando funditus vastauit per Titum & Vespasianum Imperatores Iudæam, plenè perfecteque perditurus ac puniturus in extremo iudicio. ET VINEAM. Non tamen perdet aut excidet vineam suam (*non enim repulit Deus plebem suam quam præsciuit*. Rom. 11. v. 2.) sed *vineam* suam, idest, reliquias Israel cum multitudine Gentium. Eadem vna censetur vinea siue Ecclesia quæ priùs, tametsi cum principibus maior pars populi Israel sit reprobata ac perdita, ob successionem continuam in cultum & populum Dei. nam in incredulorum Iudæorum locum mox receptæ sunt Gentes. LOCABIT. præficiet regendæ Ecclesiæ suæ. ALIIS AGRICOLIS fidelibus ministris ac dispensatoribus (1. Cor. 4. v. 1. 2.) Apostolos suos intelligit & eorum successores. Malorum ministrorum reprobationem sequitur bonorum delectus: non enim deserit Deus Ecclesiam suam. Porrò hoc, *vineam*

neam locabit aliis agricolis, opponitur ei quod dixerant: *Habebimus hereditatem eius.* In contrarium enim vertit eis Deus malum consilium. Vt possiderent hereditatem, occiderunt heredem: & quia occiderunt heredem, perdiderunt hereditatem. QVI REDDANT EI FRVCTVM bona fide. qui sic instruent regentq; populum Dei, vt Deo dignè viuat, & vberes bonorum operum veræque pietatis fructus, Deo quouis vino gratiores, edat. Hoc disertiùs explicat Saluator infrà v. 43. Quàm fuerint autem hac in re soliciti Apostoli, tum scripta tum acta ipsorum testantur. Lege Acta Apostolorum, & videbis cap. 2. v. 41. tria milia hominum ad fidem & pœnitentiam conuersorum, cap. 4. v. 4. quinque milia offerri in primitias Deo. SVIS. id est, statutis seu opportunis. alluditur ad leges locationis, quibus certa soluendi fructum annuum tempora præfiniuntur. vide suprà v. 34.

42 λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς γραφαῖς· λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας. παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν;	Dicit illis Iesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Dño factũ est istud, & est mirabile in oculis nostris?

Psal. 117. v. 22. 23. Mar. 12. v. 10. 11. Luc. 20. v. 17.

ILLIS. non auditoribus illis suis qui hoc dederant responsi, sed principibus sacerdotum & populi, qui cùm subolfacerent aduersùm se dictam fuisse parabolam, declararunt (quod Lucas habet cap. 20. v. 16.) responsum illud à Iesu probatum, sibi minimè probari, longeq; à se esse tam indignum paricidij crimen. NVMQVAM LEGISTIS. Huiusmodi loquendi modus est refellentis opinionem diuersam eorum qui dictis non acquiescunt, quales hîc se præstabant proceres præsentes, quod ex Luca vidimus. Ac si diceret Iesus: An non Scriptura hoc ipsum dicit, annon Dauid in spiritu hoc ipsum se præuidisse testatur, primores populi fore Christo aduersos? SCRIPTVRIS sacris. Libri sacri, Deo inspirante dictati, καθ' ἐξοχὴν Scripturæ vocantur, quòd eiusmodi sint Scripturæ, quæ falsum, erroneum, aut turpe nihil cõtineant, sed vera sanctaq; omnia. Apostolus 2. Tim. 3. v. 16. vocat γραφὴν θεόπνευστον *scripturam diuinitus inspiratam.* *In Scripturis.* in Psalmo illo celeberrimo de Messia à Dauide edito, quem sæpè legistis. Alloquitur peritos Scripturarum. Ex hoc Psalmo & fausta illa acclamatio sup. v. 9. accepta fuit: continet enim hic Psalmus descriptionem regni Dauidici, perpetui illius, quippe à Christo Dauidis filio & successore restituendi vbi collapsum esset, & in ipso ad fines vsque mundi stabiliendi, de quo suprà 1. v. 16. LAPIDEM Antiptosis pro *lapis*, nisi mutes collocationem verborum: *Quem lapidem.* REPROBAVERVNT. reiecerunt, tamquam ineptum ad ædificationem, vt ędificio inutilem adeoque noxium, qui nullo loco dignus esset in structura ædificij. Loquitur Psalmographus de re futura tamquam præterita, more prophetico. ÆDIFICANTES domum Dei. participium loco nominis more hebraico, pro ædificatores, cæmentarij, architecti, qui præsunt ædificandæ domui Dei. Quos parabola Iesu mox notabat per agricolas, hos Scriptura Dauidis hîc notat per ædificatores, primates inquam populi, Petro interprete Act. 4. v. 11., quorum vt erat colere populum ita vt Deo dignos fructus ederet, sic erat ædificare populum ita vt domus seu templum Deò inhabitatore dignum esset. id est, docendo, monendò, regendo, modisque omnibus curare, vt vnusquisque in suo ordine ac vocatione Deo seruiret atque placeret. vide suprà 16. v. 18. Nam quamuis in excidium potiùs & ruinam templi seu populi Dei incubuerunt isti, dum Christum fundamentum reiicerent: vocationis tamen & officij respectu vocantur ædificantes, quemadmodum mox agricolæ: populus autem qui mox vineæ, hîc ædificio assimilatur. Lapidi porrò comparatur Christus, partim propter terrestre corpus, partim propter soliditatem, firmitatem & robur. Hunc *lapidem de monte abscissum sine manibus* (Dan. 2. v. 45.) id est, natum ex virgine, pretiosum quidem illum in se, sed externa specie contemtibilem, acceperant magistri illi, quibus incumbebat cura ædificandæ domus Dei, principes inquam sacerdotum & populi, collocandum, vel in fundamento, iuxta architectum Paulum, vel in angulo: verùm illi, cùm essent impij inuidique, reprobarunt illum tamquam ædificationi inutilem adeoque nocivum, reiecerunt vt pseudochristum qui à Deo abduceret Israëlem fidei ipsorum commissum, itaq; eiectum extra vineam siue synagogam, & communione populi Dei indignum iudicatum, occiderunt morte turpissima. Nam qui mox filius missus, is iam lapis datus, & qui mox filius eiectus atque occisus, is nunc vocatur lapis reprobatus. HIC FACTVS EST IN CAPVT. Hebraismus pro Hic factus est vel cœpit esse caput. Similis phrasis fuit suprà 19. v. 5. ANGVLI eius domus. Hic cœpit esse summus domus Dei *lapis angularis*, ἀκρογωνιαῖος vt loquitur Apostolus Ephes. 2. v. 20., id est, lapis summus in angulo, in summo angulo collocatus, in angulo præcipuus, totius ædificij iuncturam sustinens. In more est architectis, vt ædificiorum angulos, quibus muri duo sibi mutuò iunguntur, firment lapidibus solidissimis eius magnitudinis qua vtrumque murum complecti possint: quo in ordine qui supremus est lapis, is vt est præcipua ædificij fultura, ita est loco honorificentissimo constitutus. Hinc sumta metaphora, prædicit Dauid, Christum, à principibus Israel reiiciendum tamquam indignum communione populi Dei, fore (sunt enim præterita pro futuris, vt mox in parabola) caput, principem, ac regem populi Dei, id est, domus seu Ecclesiæ Dei, in quem recumbat Ecclesiæ salus, qui Ecclesiæ statum contineat stabilem & indissolubilem, qui denique præcipua sit Ecclesiæ fultura. Hoc idem alibi significatur per *fundamentum* (1. Cor. 3. v. 10. 11.) vt enim à Christo lapide angulari Ecclesia accipit iuncturam indissolubilem, ita à Christo fundamento accipit stabilem firmitatem: in Christo fundata & constructa. Christo innixa Ecclesia, perseuerat constantissima: sine Christo ruit omnis ædificatio, etiam summo labore instituta. Isaias vno loco vtrumque iunxit: capitis 28. v. 16. agnominat Christum *lapidem & anguli & fundamenti*. Cæterùm hoc amplius significari videtur voce anguli, Christum fore caput Ecclesiæ ædificandæ ex duobus populis Iudæis & Gentibus, quos in vnam Dei domum, in vnam Ecclesiam compacturus, & in vna fide Euangelica contenturus sit, quemadmodum continet & compingit lapis anguli duos parietes in vnum ædificium. Sic enim interpretatur Apostolus capite illo secundo Epistolæ ad Ephesios, vbi postquam multis disseruit de Christo *pace nostra*, *qui inimicitiis sublatis & soluto medio maceriæ pariete fecerit vtraque*

vnum, tandem vbi disputationem concludit, vno vocabulo complecti volens munus illud Christi quod pluribus explicuerat, vocat Christum ἀκρογωνιαῖον, id est, *summum lapidem angularem*, ad hunc respiciens, non dubium est, Psalmi locum, quem etiam Isaias & plures alij sacri scriptores imitati sunt. Angulo igitur comparat Dauid, concursum vtriusque populi, Iudaici & Gentilis, in vnam fidem, in qua à Christo, tamquam à summo angulari lapide, contineantur: estq; plena loci sententia quòd adeò nihil proficient aduersarij Christum reprobando, vt ipsis inuitis futurus sit dux & caput populi Dei, eiusq; miris modis aucti, accessione scilicet Gentium. Quamuis autem reprobatis Iudæorum plerisque nouæ accessetint Gentes, idem tamen populus, eadem domus Dei censetur, quemadmodum suprà v.41. eadem vinea. Ne perturbarent electos impij hominum conatus, quos ad impediendum Christi regnum adhibituri erant, ante tempus admonuerat Deus ita fore: nihil enim minùs consentaneum dicas, quàm membra in caput, colonos in dominum, consiliarios in regem suum, insurgere, & architectos fundamentum reiicere ab ædificio. Sed quidquid moliantur homines, simul testatus est Deus, in erigendo Christi regno victricem fore potentiam suam. A DOMINO. non ab hominibus. subest enim tacita antithesis inter Deum & homines. Non fortuitò, non humana industria, sed mirifica Dei virtute. FACTVM EST ISTVD s. lapidem ab ædificantibus reiectum, relatum esse in caput anguli; Iesum à principibus populi Dei reprobatum & interfectum, factum esse caput populi Dei immensa accessione multiplicati. sic interpretatur Petrus 1. Epist. 2. v. 4. Hoc sola Dei omnipotentia factum est, hominibus qui possent aliquid, omni modo contranitentibus, non tantùm ędificatoribus illis Iudæis, verumetiam Gentilibus. *Factum est* autem *istud*, Christo inprimis ex morte resuscitato & in cælos assumto; deinde Apostolorum tamquam nouorum architectorum, veteribus illis ab officio amotis, prędicatione orbi annunciato. Et horum quidem hominum, Apostolorum inquam, operá vsus est Deus; sed hominum, per se prorsus contemtibilium, sola Dei virtute celebrium. lege Apostolum 1. Cor. 1. & 2: *Videte vocationem vestram fratres* &c. *Et ego cum venissem ad vos* &c. Pro neutro *istud*, græcè tam apud Euangelistam quàm apud Interpretes LXX, quinetiam hebraicè, est fæmininum αὕτη *ista*, quemadmodum mox pro neutro *mirabile*, est fæmininum *mirabilis*. quod, quidam ad caput, alij ad angulum referunt (sunt enim hæc, græcis præsertim, fæminina) sed dubium vix esse potest, quin fæminina Hebræorum more pro neutris sint posita, prout etiam hîc vertit latinus Interpres tam in Psalmis quàm in Euangeliis: neutro enim Hebræi cùm careant, vtuntur fæminino genere, si quod adiectiuum ponendum sit substantiuè; vt in illo Psalmi 26. v. 4: *Vnam petij à Domino, hanc requiram*, & alibi frequenter. MIRABILE IN OCVLIS NOSTRIS. id est, nobis mirabile visu. Loquitur Dauid in persona eorum qui futuri erant tempore Christi eiusq; Apostolorum, fidelium pręsertim, quibus fuit non tantùm mirabile, verumetiam gratum ac lætum (sequitur enim vox exsultantium: *Hac dies quam fecit Dominus* &c.) nam incredulis non fuit nisi mirabile, hominem plebeium, vilem, contemtum, & inermem, à principibus reiectum adeoque crucis supplicio sublatum, rediuiuum fieri caput ac regem innumeræ multitudinis tum Iudæorum tum maximè Gentium in ipsum credentium, toto frustra repugnante mundo. Iam ex hac Scriptura ostendit Iesus, non esse absurdum illud, quod superiore parabola subindicatum, longè adeò à se reiiciebant principes, fore vt ipsi interficerent Christum, quorum erat Christum ante omnes recipere: quandoquidem Scriptura diuina, eo Psalmo qui de Christo extra controuersiam scriptus est, manifestè dicat Christum lapidem, ab ædificantibus domum Dei, Ecclesiam, reprobatum iri; quum Messiam, qui salutis humanæ fundamentum est, Deus producet, contrarios illi fore & infestos principes, quibus mandata fuerit cura populi Dei. Hoc enim significatur his verbis: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*. Cæterùm ne confidentiam hinc acciperent principes funditus exstirpandi Iesu, addidit & sequentia, *Hic factus est* &c. quibus declarat, non sic se occidendum ab ipsis, vt ipse spolietur aut honore Christi aut vineæ hereditate, sed tanto maiorem gloriam à Deo se consequuturum, quanto maiorem ignominiam ab ipsis passurum. Admonet ex hoc loco Caluinus, non obstare legitimam vocationem, quo minùs impij sint ac scelerati Christi hostes, qui ministri esse debuerant; eo scilicet fine, vt sicut Christo credendum atque obediendum fuit, quamuis reprobaretur à Scribis & Pharisæis, à principibus sacerdotum & populi, sic ipsi Caluino credatur atque obediatur, quamuis damnetur hæreseos à Papa & Episcopis. Quod concedit, licet inuitus, Papam & Episcopos legitimè vocatos, quippe legitimos successores Apostolorum, rei euidentia non permittit vt omnino neget: quòd verò se Christo comparat, nimis ridiculus est. Edat argumenta missionis sui à Deo qualia Christus edidit, de quibus scriptum est: *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (Ioh. 15. v. 24.) & tūc poscat sibi aduersus Papam & Episcopos fidem adhiberi, quemadmodum poposcit Christus aduersus suæ ætatis sacerdotes & principes. Proferat Scripturam quæ prædicat, mille quingentis annis post ædificatam & portis inferorum inexpugnabilem redditam à Christo Ecclesiam, proditurum Caluinum, qui allato alio quàm Ecclesia nouisset Euangelio, reprobandus quidem esset ab ædificantibus, sed à Domino in caput anguli assumendus, qualem de se Christus protulit. Verùm vt nulla missionis sui à Deo argumenta Caluinus edit, ita plures occurrunt Scripturæ ex quibus intelligatur, Caluini ab ædificantibus reprobationem, quantumuis multos abducat post se, iustissimam esse, vt hęretici, nouissimis temporibus discedentis à fide, errantis & in errorem mittentis, euangelizantis præter id quod acceptum est, ac proinde anathemate digni, blasphemè præsumentis, semel à Christo restitutum regnum Dauid iterumque collapsum, à se restitui. Sed hęc latiùs prosequi, non est nostri hîc instituti.

Ideò dico vobis, quia auferetur [43] à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.	διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, καὶ δοθήσεται ἔθνει ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς.

IDEO. Conclusio præcedentium. Quia igitur vos principes Christum occisuri & pertinaciter reprobaturi estis; quia tantum à vobis principibus facinus patrandum est in promissum vobis à Deo Saluatorem Christum filium Dei; & quia tu populus maiori ex parte principibus hoc in negotio adhærebis, in Christo inquam eiusq; Euangelio peruicaciter reiiciendo, cęteris vestris criminibus huic respondentibus; *Ideò* DICO

prædico

prædico vobis & principibus & populo, ideò certo certiùs euenturum est vobis id quod prædico vobis. Opponit istos genti, cùm addit *& dabitur genti*: ideò cum principibus plebei intelligendi veniunt, id est Iudæorum populus vniuersus. Hactenus direxerat Iesus sermonem ad principes, id est, duces & rectores, coram plebe: nunc plebem ipsam simul alloquitur. A principibus malum oriebatur: sed iam hoc suis peccatis meritus fuerat populus vt tam corruptos ac degeneres haberet pastores: deinde totum penè corpus simili tandem malitia infectum fuit, vt Christo resisteret. Hæc ratio est, cur horrendam Dei vindictam promiscuè populo & principibus Christus denunciet. QVIA pro quòd ponitur, vel certè superest. AVFERETVR iusto Dei iudicio. REGNVM DEI. regnum Christi, regnum cælorum, quod est, dominatus Dei seu Christi in homines quorum rectè composita vita in terris regentem è cælis Deum sequitur &c. quemadmodum descripsimus suprà 3.v.2. Quia vos Christum reprobatis, auferetur à vobis Christi regnum. Hoc regnum Iudæis primus annunciauit propinquum Iohannes Baptista: quem sequutus Iesus propiùs illud eis adduxit & obtulit, ac tandem à morte sua præsens exhibuit. Antea ignotum fuit Iudæis regnum Dei, nec nisi sub inuolucris propositum, vigebatque inter eos seruitus potiùs quàm regnum: quamquam erat inter eos aliquid regni Dei, vt cognitio Dei mandatorumque ipsius, fides in Christum venturum, potissimum verò iustitia qua quidam illorum iusti, sancti, Deoq; accepti fuere, quales non facilè tunc erant in quouis alio populo (vide hæc omnia latiùs explicata suprà 3 v.2.) vnde & populus Dei, peculium atque hereditas Dei, frequèns vocantur. Hoc igitur regnum & quidquid eius est, prædicit Iesus ipsis auferendum, quod est ac si diceret, Desinet apud vos esse regnum Dei, desinet regnare vobis Deus, desinetis esse populus Dei, peculiaris scilicet, acceptus & gratus, nullus erit ex vobis iustus aut Deo gratus, nullus quem in terris per fidem, spem, & charitatem Deus regat, in cælis sua facie beet. Quamdiu Christus vixit, nondum fuit ab ipsis ablatum Dei regnum: nam tametsi primores plerique omnes resisterent Christo Dei regnum euangelizanti & offerenti, plebis tamen parti maiori Christus etiamnum venerationi erat, nec paucos ex eis Dei regno lucrifaciebat Christus, denique nondum abolita erat vetus illa religionis seu colendi Dei forma. At cùm, post Christi resurrectionem ex mortuis ascensionemq; in cęlos, Euangelio sufficienter promulgato, persisterent & principes & è populo plerique omnes in Christo eiusq; Euangelio reiiciendo, tunc desierunt esse populus Dei, tunc subtracta est illis prædicatio regni Dei, &, deserente ipsos gratia Dei, nullus deinde ex ipsis Deo placuit aut gratus fuit (nam reliquiæ quæ seruatæ fuerunt, in alium populum transierunt, cuius Christus factus est caput) denique ex Iudæis facti sunt *Satanæ synagoga* (Apoc. 3. v. 9.) oppugnantes ea ipsa Dei dona quibus iusti & Deo grati fieri possent, fidem in Christum cum lege ac verbo Dei Christum prædicantibus, donec, misso diuinitus exercitu Romano, corporaliter etiam exstirpati sunt, templo sacrificiisque subuersis, & residuis in vniuersum terrarum orbem dispersis. nam tametsi adhuc retinuerint libros legis ac verbi Dei cum cultu aliquo Dei, inania sunt illa omnia, vbi fides in Christum deest. Non igitur, mox vt Christum reprobare cœperunt, ablatum est ab eis regnum Dei: sed diu inuitati sunt ad pœnitentiam à longanimo Domino, & tum demum ablatum est, cùm nullus ampliùs restaret siue principibus siue populo excusationis locus. Ablatum est autem à Deo, subtrahente ipsis pro ipsorum meritis gratiam suam, sine qua in Deum & Christum credere, sperare, diligere, & Deo gratus esse, nemo potest. Eo ipso autem quo ablatum est ab ipsis regnum Dei, facti sunt populus regni diaboli quod diximus: nec enim nisi duo regna sunt, Dei vnum, diaboli alterum, ita vt qui non est de regno Dei, de diaboli sit oporteat (vide suprà 12. v. 30.) ex quo semel se Deo diabolus opposuit, & Deo permittente factus est *princeps tenebrarum*, id est, eorum omnium qui à Deo sunt alieni: quamquam non tam regnum sit, diaboli principatus, quàm tyrannis tolerata à Deo, vide sup. 6. v. 10. Quemadmodum autem regnum Dei vera omnia bona & temporariæ & æternæ vitæ suis ciuibus adducit, id quod ex superiori definitione constat; sic contrà diaboli regnum vera omnia mala. Extremam itaque perniciem cum pœnis æternis, minatur Christus Iudæis, quibus auferendum minatur regnum Dei. Cæterùm non singulis Iudæorum ablatum est regnum Dei (seruatæ enim sunt reliquiæ) sed populo, sed synagogæ Iudæorum, qua relicta in Christi Ecclesiam transierunt & habent transire pauci illi qui elegerunt eliguntq; adhærere regno Dei. ET DABITVR GENTI alij, id est, Gentibus. Iudæis opponit gentem aliam: manifestè igitur, cum reprobatione Iudæorum, prædicit vocationem Gentium. Non existimetis Deum vobis esse obstrictum, aut defore Deo regnum, si vos perrexeritis contemnere illud: sunt gentes multitudine vos infinitè superantes, ad quas transferet illud Deus. Transferet autem, per prædicationem Euangelij quod illæ sunt amplexuræ. Id quod tunc cœpit, quando dixerunt Iudæis Apostoli Act. 13. v. 46: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Dabitur* verò inquit, quò significet Dei erga Gentes gratiam, de qua Apostolus Rom. 15. v. 9: *Gentes autem super misericordia honorare Deum* &c. & Rom. 11. v. 22: *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei; in Iudæos quidem seueritatem, in Gentes bonitatem.* FACIENTI. quæ faciat. id est, facturæ seu edituræ. nam de re præsenti non loquitur. FRVCTVS EIVS s. regni. est enim græcè pro *eius* αὐτῆ. quod refertur ad τὴν βασιλείαν regnum. Fructus regni sunt, qui Galat. 5. v. 22. vocantur *fructus Spiritus: Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia* &c. Vocantur *fructus regni*, quia Dei regnum requirit & exigit huiusmodi fructus: sunt fructus quales conueniunt regno Dei, quales decet populum edere qui Deum sibi vult regnare, singulosq; è populo, si singulis regnabit Deus. nec enim regnat Deus sterilibus aut otiosis. Non tamen dicit Saluator, quòd singuli alterius gentis edituri sunt fructus regni (nulla enim vmquam gens electa fuit, in qua non remanserint haud pauci reprobi) sed quòd maior aut bona pars gentis. *Dabitur*, inquit, Gentibus, quarum, & præpositi & populi, curantibus præpositis, certatim edent Deo gratissimos pietatis & iustitiæ fructus. Sic enim interpretatur Saluator id quod suprà v. 41. dictum fuerat: *Et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis*: sed discrimen est, quòd illic de solis loquatur præpositis populi; hìc, amplificato sermone, de populo simul & præpositis. Causam porrò hìc intelligendam dat, cur à Iudæis auferendum esset regnum Dei, quòd honore hoc se indignos redderent, quòd fructus non facerent regni Dei, quòd non viuerent dignè regno Dei, immò viuerent indignè. nihil indignius regno, quàm reprobare regem. Notatur autem hìc perpetuitas regni Christi, dum prædicitur, Deum, in cuius manu sunt omnes fines terræ, si gens vna non edat regno dignos fructus, apud aliam regno suo domicilium

lium sedemq; daturum. Grauis est & horrenda hæc comminatio: quæ quidem semel in Iudæis impleta est, nostra autem omnium causa scripta est. *nam si naturalibus ramis non pepercit Deus, quid insititiis facturus est?* Rom 11.v.21. O Domine Iesu, ne, obsecro, sicut à pluribus aliis gentibus vicinis nostris, ita & à nobis, ad Indos transferas regnum tuum, dum inualescunt inter nos hæreses, quas proximum est vt Turcismus absoluat: sed da nobis misericors fructum regni tui constanter facere.

Luc. 20. v. 18.

Et qui ceciderit super lapidem [44] istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

καὶ ὁ πεσὼν ἐπὶ τὸν λίθον τοῦτον, συνθλασθήσεται· ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ, λικμήσει αὐτόν.

ET QVI. Infert & aliud ex illo Psalmi 117. loco. quo clariùs etiam docet, non nocituros Christo qui illi se opposuerint, sed sibi solis, irritos fore vanosq; conatus illorum, sibi solis perniciosos. Et quandoquidem, inquit, illo Scripturæ loco Christus lapidi magno angulari comparatur, prædico vobis etiam illud fore vt omnis QVI CECIDERIT SVPER LAPIDEM ISTVM, id est, qui offenderit in hunc lapidem, qui ruinæ seu peccati causam acceperit ex me Christo, vt omnes illi qui Christum persequuntur, prædicatū non recipiunt vel receptum deserunt. Hoc suprà 11 v.6. aliis verbis dixit: *Qui fuerit scandalizatus in me.* CONFRINGETVR. συνθλασθήσεται. *conquassabitur*, quo modo vertit secundùm Lucam, id est, lapidem non lædet, sed ipse ita concutietur, vt toto corpore fractus doleat, si non etiam caput vulneret aut pedem brachiumve confringat. sic enim vsu venire solet iis qui in maioris molis lapidem impingentes cadunt. Sensus est, Mihi Christo nihil nocebit, sed hoc solum proficiet, vt semetipsum lædat grauissimè, si non corpore, certè anima, quam deformabit eluxabitq; iniquitas: spes tamen esse poterit recuperandæ sanitatis, quamdiu durabit hæc vita, si per pœnitentiam resurrexerit. Vt enim hic lapis in fundamento anguloq; collocatus, tutissimum præsidium est aduersus omnes insultus mundi ac satanæ, iis qui illi inhærent & innituntur: ita solidus, inuictus, & exitialis est rebellantibus. SVPER QVEM VERÒ ex alto, graui pondere suo CECIDERIT, CONTERET EVM. λικμήσει αὐτόν, *ventilabit eum*, id est, dissipabit, ita conteret vt dispergat, vt minutæ partes dispergantur in auras (propriè enim λικμᾶν est ventilando paleas à frumento separare minutimque dispergere) nec sit vlla reparationis spes: quemadmodum contingere solet, non tantùm vasis fictilibus, verumetiam hominum corporibus, si quis ingens lapis in illos illapsus fuerit. Sic lapis Christus, super quem è cælis, quò est eleuandus (quamdiu enim versatur in terris, neminem iudicat) iratus, grauis vltor, ceciderit, totum iræ vindictæque suæ pondus demiserit; cadet autem inprimis super omnes aduersarios suos qui pertinaciter ipsi rebellarint; eum non luxatum modo & aliqua sui parte mutilatum confractúmve, sed contritum minutimque dispersum *instar pulueris ante faciem venti*, perdet irreparabiliter. Fit hoc autem nonnumquam hac in vita, sic enim incidit hic lapis in Iudæos istos contumaces, quos euertit per Romanos, atque ita contriuit dissipauitque, vt dissilierint ac dispersi sint, sicut paleæ ex vno horreo, in totum mundum. Fiet autem maximè in nouissimo iudicij die, quando *à cælestis Patris dextra veniens in nubibus cæli iudicare viuos & mortuos, impios semel omnes, qui secundum duritiam suam & impœnitens cor thesaurizarint sibi iram in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei*, grauitate maiestatis suæ opprimet, prolata in ipsos grauissima æternæ mortis sententia, quæ tanto pondere tantaque vi & efficacitate in illos incidet, quanta illos irreparabiliter atque æternùm perdat. Similis tropus exstat Isa. 30. v. 13. 14. & Ierem. 19. v. 10 11. Perinde igitur faciunt Christi Christianæque fidei persequutores, ac si grandis aliquis lapis, quem ipsi in sublime proiecissent, in propria ipsorum capita incideret, quo penitus contererentur. Nam dum vicisse se putant & rem suam confecisse versarique in tuto, tum maximè vicini sunt excidio, ac imminet capitibus ipsorum vindicta præceps. quæ enim in nouissimo iudicij die perficietur vindicta, ea, si non antè, certè mox à morte, incipit.

Mar. 12. v. 12. Luc. 20. v. 19.

Et cùm audissent principes sacer-[45] dotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret.

Καὶ ἀκούσαντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι τὰς παραβολὰς αὐτοῦ, ἔγνωσαν ὅτι περὶ αὐτῶν λέγει.

ET CVM. Cùm autem. PHARISÆI. Suprà v. 23.. vbi narratur accessus primatum ad Iesum, loco Pharisæorum nominantur seniores populi: ex quo intelligitur, seniores populi plerosque omnes Pharisæos fuisse. PARABOLAS. τὰς παραβολὰς has parabolas. COGNOVERVNT. manifestè tandem intellexerunt. DICERET. loqueretur. quòd inuolucris parabolarum malitiam ipsorum depinxisset, & quæ ipsos maneret vltionem Sciebant ipsi qui essent, quomodo affecti, & quid molirentur: conscientia itaque ipsorum interpres erat parabolarum Iesu.

Mar. 12. v. 12. Luc. 20. v. 19.

Et quærentes eum tenere, timue-[46] runt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

καὶ ζητοῦντες αὐτὸν κρατῆσαι, ἐφοβήθησαν τοὺς ὄχλους, ἐπειδὴ ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον.

ET. Ideò; nec ideò tantùm, verumetiam quia iamdudum inter se definierant, omnem occasionem illius apprehendendi & occidendi sibi captandam. Ioh. 11. v. 53. 56. QVÆRENTES. desiderantes, affectantes, & mirificè cupientes EVM TENERE. capere apprehendere, ad occidendum. Id quod tamiam prædictum à Iesu. ipsi fuerant deprecati, quòd nimirum Christum Dei filium occisuri essent, affectant nihilominus reipsa perficere Nihil omisit Iesus eorum quæ ad præmonendos illos atque à malo retrahendos facerent (idcirco enim & de futuris instruxit verùm illi nec Scripturis cedunt, nec iusta increpatione emendantur, immo deteriores irritatioresque effecti, ardent vt suæ libidini satisfaciant. TIMVERVNT. non sunt ausi,

ausi, eò quòd timerent TVRBAS, ne turbæ resisterent, tumultu excitato. Turbas timent, non Deum, nec diuinum quod imminere audierant iudicium. vano timore velut freno constrictos retinuit inimicos suos Christus, quamdiu non venerat hora eius. SICVT PROPHETAM. pro propheta à Deo misso. vide suprà v.26. Turba meliùs de Iesu sentit quàm magnates, quamquam debuerat ampliùs profecisse.

CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς, πάλιν εἶπεν αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς, λέγων

1 Et respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens:

ET. Atqui. RESPONDENS. id est, non tantùm non cedens perspectæ sibi, quam illi animo conceperant, maleuolentiæ, verumetiam nouam ex illa occasionem arripiens, & intermissum nonnihil sermonem prosequens, nihil veritus, intrepidus veritatis annunciator adeoque Dominus, exacerbare magis magisque quos nouerat desperatos. vide suprà 11.v.25. DIXIT. loquutus est. IN PARABOLIS. id est, parabolicè. Aliam addidit parabolam, qua manifestiùs etiam quàm superioribus, prædixit ipsorum ac populi, ob ingratissimam constantissimamq; contumaciam erga longanimem Dei beneuolentiam, excidium ac reprobationem, & Gentium surrogationem; declarauit apertiùs & exactiùs tractauit, quomodo mali malè perdendi sint, & auferendum ipsis regnum Dei dandumq; Gentibus. EIS. summis sacerdotibus & Pharisæis. Iungendum est hoc pronomen potiùs verbo *dixit*, quàm participio *dicens*. DICENS. id est, in hæc verba. Hoc Syrus omittit.

ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὅστις ἐποίησε γάμους τῷ υἱῷ αὐτοῦ,

2 Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo:

SIMILE FACTVM EST. ὡμοιώθη assimilatum est, id est, simile est siue erit (vide suprà 13.v.24.) futuram enim rem prædicit, quamuis parte aliqua cœptam. REGNVM CÆLORVM. Ecclesia. vide & hoc sup. 13. v. 24. HOMINI REGI. alicui regi. Tale quid accidet in parando condendoq; regno cælorum, id est, in colligendis hominibus quibus Deus regnet cælesti modo, qui hoc quidem in seculo incipiat, perficiatur autem in altero (vide suprà 3.v.2.) quale si rex quispiam, propinquis suis recusantibus venire ad nuptias filij sui, quosuis è plateis indiscriminatim accersat & admittat, qui modò assumant vestem nuptialem. FECIT NVPTIAS. parauit conuiuium nuptiale, magnificentissimum vtique, quale decuit regem. Hinc Syrus pro nuptiis vertit ܡܫܬܘܬܐ *mesthoutho*, quod est conuiuium, à bibendo dictum, sicut Græcis *symposium*: nam ܫܬܐ *setho* bibere est. FILIO SVO vnigenito ducenti vxorem. Regi comparat Iesus Deum patrem, qui est rex magnus super omnes deos, omnipotens, terribilis apud reges terræ (Psal.94.v.3. Psal.75.v.13.) se verò filio regis, vtpote filium Dei; coniunctionem sui cum Ecclesia à se redemta, siue regnum cælorum, nuptiis; conuiuio denique nuptiali, bona illa omnia, animi hoc in seculo, corporis & animi in altero seculo, quorum fruitio ad singulos ex Ecclesia ex illa coniunctione redundat. Misit Deus Pater Filium suum in mundum, iussit hominem fieri, vt homines sua morte redimeret è peccati & diaboli seruitute. Fecit illud Filius Dei, factus homo hominumque affinis mortem subiit pro hominum vita, soluit Patri ἀντίλυτρον quod iustitia exigebat, insontem sanguinem suum. Hac ratione reddidit, eam hominum multitudinem quæ meritis fructuque mortis ipsius fruitur, suam, & quidem ancillam, si iure vti vellet suo, sed maluit sponsam & vxorem (sic enim loquitur Scriptura sacra, Ioh.3.v.29. 2.Cor.11.v.2. Ephes.5.v.25. Apoc.19.v.7.& 21.v.9.) coniungens illam sibi sacro spiritualis coniugij vinculo, hoc quidem in seculo fide, spe, & charitate, in altero autem beata æternaq, sui fruitione. Nam quia opus illud redemtionis, ardentissimi amoris opus fuit, qualis sit sponsi erga sponsam, qui amore ebrius semetipsum in dirissima tormenta & indignissimũ mortis genus præcipitet quò frui illa possit, noluit eam ancillæ loco habere, sed sponsæ vxorisque, & desponsionis ac coniugij ratione & iure filiam Patri suo efficere ac confirmare, ita se ipsi vniens, *vt nihil triste, nihil luctuosum, sed omnia spiritualis gaudij charitatisq, sint plena*, inquit Chrysostomus, & summus spiritualium rerum splendor eluceat. Hæ sunt spirituales nuptiæ Christi filij Dei cum Ecclesia: quæ quidem, & quæ illas consequuntur bona, sola humanam mentem reficientia & exsaturantia, quod est conuiuium nuptiale, parari à Deo Patre & filio ipso cœperunt, ex quo *Verbum caro factum est & habitauit in nobis*: paratæ verò fuerunt, quando, verbo mortem passo, consummata fuere omnia, quando & earum mox aliqui participes facti sunt. Mox enim Christus, effractis inferi portis, extraxit, quæ illic detinebantur, sanctarum animarum myriades, ociusque ad vitam reuersus in triumpho duxit & copulauit sibi, perpetua præsentiæ fruitionisq; sui felicitate donatas. Eos deinde fideles suos, qui tunc adhuc mortalem hanc vitam viuebant, ex peccati tyrannide in libertatem iustitiæ assertos, fidei charitatisque vinculis sibi coniunxit, & salutari Euangelicæ doctrinæ meditatione ac variis Sacramentorum charismatumq; diuinorum ferculis pauit, certa interim data spe vitæ gloriæque similis ei quam ipse iam obtinuerat, & æternæ ad cælestes thalamos admissionis. Ad similem modum egit cum aliis omnibus qui deinceps se Ecclesiæ suæ aggregarunt, agetq; ad finem vsque seculi, quamdiu noui fideles Ecclesiæ sponsæ suæ accedent. Quamdiu igitur durabit hic mundus, tamdiu celebrabuntur hæ nuptiæ, siue coniunctionem siue conuiuium lætitiamque nuptialem intelligas: nec finientur cum hoc mundo, immò tunc demum perficientur, hoc solum excipietur, quòd à mundi fine, nec vlla ampliùs noua membra sponsæ accedent, nec vlli noui conuiuæ admittentur. Hæc ratio est nuptiarum quas fecit Deus Pater Christo filio suo, optimè conueniens cum descriptione regni cælorum seu regni Christi sup.3.v.2.tradita.

Et mi-

& misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.	3	καὶ ἀπέστειλε τοὺς δούλους αὐτοῦ, καλέσαι τοὺς κεκλημένους εἰς τοὺς γάμους· καὶ οὐκ ἤθελον ἐλθεῖν.

VOCARE. vt vocarent. INVITATOS. τοὺς κεκλημένους vocatos: nam græcè vox eadem repetitur. Syris & Latinis alia atque alia est vox: prius enim est ܩܪܐ *kero*, quæ propriè est vocare; hîc verò est ܠܡܙܡܢ *bazmen*, quam inuitare etiam vertit Syri interpres, deducta à ܙܡܢ *zeman*, quod καιρὸν, id est, tempus opportunum significat. *Inuitatos* itaque, id est, eos qui priùs inuitati fuerant, hoc est, præmoniti futurarum nuptiarum & vocationis sui ad illas, iussit *vocare*, id est, certiores facere diei & horæ instantium nuptiarum, quò se pararent & venirent. Postquam decretæ sunt futuræ nuptiæ, solent consanguinei, propinqui, & necessarij reddi certiores inuitarique, ita tamen vt sub nuptias iterum sint inuitandi cum significatione diei nuptiis præfiniti. AD NVPTIAS. ad conuiuium nuptiale, quomodo iterum vertit Syrus. ET. pro sed. illi NOLEBANT. οὐκ ἤθελον noluerunt VENIRE. quod vt à ratione maximè alienum, ita præter omnem opinionem exspectationemque regis ac seruorum fuit. *Quid enim dementius*, ait Chrysostomus, *quàm cùm ad nuptias voceris resilire? nam quis in nuptias venire non optaret, & eas regis quas amantissimo filio facit?* Dum igitur pararentur instarentque nuptiæ filij Dei caro facti cum hominum Ecclesia, misit Deus Pater fideles seruos suos, Iohannem Baptistam, duodecim Apostolos, & Lxxij discipulos, qui Iudæos, familiares amicos suos, populumq; peculiarem, filij verò sui propinquos adeoq; consanguineos, quos olim prophetarum ministerio harum nuptiarum opportuno tempore celebrandarum certiores fecerat & ad illas inuitauerat, adduxeratq; ad credendum in Christum venturum & præstolandum expetendumq; eius aduentum (fuit enim ipsis promissus Christus Christiq; salus: vnde & suprà 8. v. 12. *filij regni*, quod est, nuptiarum vocantur) commonefacerent instantium nuptiarum, admonerent instantis læti feliciſq; diei redemtionis ac salutis in Christo, vt se præpararent & properantes opportunè adforent. Porrò serui quàm diligentissimè præstantes quod iussi fuerant, omnia Iudææ oppida ac castella circumierunt & euangelizarunt vbique: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*, quod non est aliud quàm, Apparate vos, instant *nuptiæ Agni* ad quas vocamini. (Suprà 3. v. 1. 2. Mar. 6. v. 7. 12. Luc. 3. v. 3. & 9. v. 2. 6. & 10. v. 1. 9.) Et vocati sunt quidem, iuxta quod loquitur parabola, vt essent conuiuæ, sed reuera non tantùm vt essent conuiuæ, verumetiam, quod longè maius est, vt essent aliquid sponsæ, vt essent membra sponsæ. Idcirco enim tacet parabola quæ sit in his nuptiis sponsa, vt ipsa conuiuarum vniuersitas seu multitudo sponsa esse intelligatur; & ad nuptias vocari, hoc esse, quod vocari vt Ecclesiæ Christi inseraris. Cæterùm Iudæi, quantumuis sedulò vocati, noluerunt ad istas cælestis regis nuptias venire plerique omnes, noluerunt in Christum credere, Christo adhærere, in Christi Ecclesiā inseri, prǣter reliquias, id est, paucos quosdā, qui *filij sponsi*, siue *nuptiarum* vocātur sup. 9. v. 15. Apostoli enim cæteriq; serui, fuerunt non tantùm præcones, verumetiam conuiuæ adeoq; capita istarum nuptiarum. Potuisset verò Saluator addere, quòd non solùm serui, sed & ipse regis filius sponsus, eò se demiserit, vt inuitatos ad suas nuptias vocarit (præbuit enim se ipse ministrum circumcisionis, peragrans Iudæam vniuersam, & vbique prædicans hoc ipsum: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*. sup. 4. v. 17. 23. & 9. v. 35.) sed noluit iterum ingerere mentionem ministerij filij, quam abundè fecerat superioribus parabolis, præsertim ne parum seruare videretur parabolæ decorum, si post inuitationem ipsius sponsi, alios seruos missos fuisse diceret. Notat itaque hîc Iesus, inprimis Dei erga Iudæos gratiam, quòd ipsos aliis omnibus præferens primis ipsis offerat regnum Christi; deinde Iudæorum perfidum ingratumque neglectum, quòd cùm olim desiderassent Christi regnum, præsens reiicerent etiam benignè à Deo inuitati.

Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata; venite ad nuptias.	4	πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους, λέγων· εἴπατε τοῖς κεκλημένοις, ἰδοὺ τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα, οἱ ταῦροί μου καὶ τὰ σιτιστὰ τεθυμένα, καὶ πάντα ἕτοιμα, δεῦτε εἰς τοὺς γάμους.

ITERVM MISIT. Magna Regis patientia atque humanitas, qui quamuis meritò offendi potuisset vocatorum ingratitudine, quòd & suam maiestatem & regias filij sui nuptias parui fecissent, honore affecti ab ipso maiore quàm mererentur, itaque illos sibi deinde relinquere, quibus ipse conuiuis nihil opus habebat ad decorandas filij sui nuptias: tamen misit iterum alios seruos ad illos vocandos, & nouis nuntiis, in ipso paratarum nuptiarum articulo, iussit illos vrgeri, etiam vehementiùs, vt venire festinarent, suis verbis usq; præscriptis, ad hoc vt omnino intelligerent seriò se vocari & requiri, regiq; esse cordi vt veniant, si fortè priùs id minùs fuissent persuasi. PRANDIVM MEVM. prandium quo statui honorare nuptias filij mei. PARAVI. Cùm primùm vocarentur inuitati, instabat conuiuij dies: interea dum exspectati sunt illi, aduênit dies & prandium paratum fuit. ALTILIA. τὰ σιτιστά. *saginata* legunt Latinorum Patrum plerique, nominatim Hilarius. Vt ab alendo dicta sunt *altilia*, ita τὰ σιτιστὰ à σιτίζειν, quod est, cibare & alere. quòd domi, in villis, aut viuariis, accuratè alantur, vt pinguescant & magis idonea sint ad ciborum suauitatem, siue sint quadrupedia, siue aues, siue pisces. Dapes regiis nuptiis dignæ, tauri cæterique cibi venatu capti, pro magnificentia mensæ; altilia pro deliciis. OCCISA. τεθυμένα mactata. θύειν licet de sacrificiis propriè dicatur, ad alias etiam epulas trahitur: quamquam, vt solent veteres solennia conuiuia à sacrificio auspicari, ita nuptiale conuiuium, quod hîc typicè describitur, à sacrificio crucis Christi accepit initium. ET reliqua OMNIA ad voluptatem splendoremq; à me parari iussa (vt nihil omisi eorum quæ ad splendidissimum conuiuium requiri possint) PARATA sunt. Hic mos est nuptiarum, præsertim regiarum, cibos exquisitissimos,

magni-

magnificentissimos, & lautissimos quosque, vndique comparare. VENITE. nihil superest nisi vt veniatis, & mensæ accumbentes epulemini, ne isthæc omnia frustra parata sint: *venite* inquam, non ad laborem aut luctum, sed ad conuiuium nuptiale, ad honorem, delicias, gaudium. Olim inuitati cum multis suspiriis exspectabatis tempus nuptiarum: nunc paratis nuptiis exspectamini conuiuæ. Hæc parabola est, quam priusquam explicemus, notandum est, ab hoc versiculo deinceps omnia quæ dicuntur, tametsi præteriti temporis verbis vtatur, futura à Iesu prædici. Æquanimiter ferens Deus Pater suæ munificentiæ priorumq; seruorum contemtum; præ eo quo flagrabat amore salutis Iudaici populi, quem diu in peculium elegerat, cuiq; olim hasce nuptias promiserat, misit à Christi resurrectione seruos alios, eosdem inquam illos Apostolos & discipulos mutatos in viros alios, & cum illis nouos non paucos, vt Paulum, Barnabam, Stephanum, qui non vocarent illos tantùm, verumetiam vrgerent vt venirent ad filij sui nuptias, vt Ecclesiæ filij sui se iungerent, sic tamen vt intelligendum darent extremam hanc fore vocationem, qua contemta instet excidium: declarantes iam parata esse omnia quæ ad salutem ipsorum æternam pertinerent, eò quòd iam immolatus esset *agnus qui tollit peccata mundi.* Nam inter priorem illam & hanc posteriorem vocationem contigit Christum occidi, cuius morte, vt totius humanæ salutis fonte, consummata sunt omnia: & quamquam, pro enormi illo quo Christum ipsi occiderant scelere, dignum erat grauissimas ab ipsis pœnas peti: tamen considerans Deus, non quòd Christus ab ipsis occisus esset, sed quòd pro ipsis Christus mortuus esset, cunctabundos iterum ad nuptias & honores vocari trahiq, iussit, his aut aliis huiuscemodi verbis: Iam *mortuus est Christus pro peccatis vestris, & resurrexit propter iustificationem vestram*: iam penetrauit cælos, & sedet ad dexteram Patris interpellans pro vobis: iam sublata sunt cuncta obstacula, apparataq; sunt omnia, pretio meritoq; sanguinis ipsius; expensis vtique magnis; quibus ad salutem ac beatitudinem vobis opus esse possit: impleta sunt quæcumque prædixerant prophetæ, reserata Scripturarum arcana, mors occisa est, diabolus victus, caro subacta: procurata est remissio peccatorum, promerita iustitia, præstò copia donorum Spiritus sancti: offert se vita, salus, adoptio, pax, gaudiumq; in Spiritu sancto: deliciæ verbi Dei exundant, totius gratiæ fons apertus est, denique cælum ipsum patet morituris cum æternis atque incomprehensibilibus quæ illic recondita sunt bonis, quorum in promtu est pignus, hinc Spiritus sanctus abundè in vos effundendus, hinc ipsius agni caro & sanguis in cibum potumq; proponenda. Venite igitur, credite in Saluatorem, accedite cum fiducia ad thronum gratiæ, & pœnitentiam agentes baptizemini in nomine ipsius, vt his ferculis lautitiisq; diuini prandij, verè pulchris, verè delectabilibus, & *desiderabilibus super aurum & lapidem pretiosum multum & dulcioribus super mel & fauum*; vt his bonis, omni etiam à rege nuptiis filij sui vnigeniti parato prandio vtilioribus, iucundioribus, preciosioribus ac magnificentioribus, fruamini hac in vita, in altera æternùm accubituri mensæ Dei cælesti absque omni satietatis fastidio, & fruituri cœna absolutæ modis omnibus beatitudinis, cum Abraham, Isaac, & Iacob patribus vestris, qui olim cùm viuerent anhelabant ad tempus quo promissa ista exhiberentur, sed tunc sperabantur dumtaxat adhuc, nondum erant parata, prout nunc sunt. Huiusmodi sermonibus rebusq; oblatis Iudęos à Christi resurrectione ad fidem in Christum allectos fuisse ab Apostolis & Apostolicis viris, manifestum est ex Actis & Epistolis Apostolorum: id quod à Salomone adumbratum fuerat Prou. 9. v. 2: *Sapientia immolauit victimas suas* &c. Fuerunt porrò non ad prandium tantùm vocati, sed absolutè ad nuptias seu conuiuium nuptiale, quod & prandio constat & cœna: & quamquam serui iussi sunt dicere prandium esse paratum, eò quòd prandium prius sit cœna, non tamen cœna fuit imparata perseuerantibus in vesperam. Prandio assimilantur illa Dei dona iam descripta, quibus mens hominis fidelis reficitur hac in vita; cœnæ verò illa & animi & corporis bona quæ exspectantur in altera vita: illa priora sunt, hæc posteriora, & post quæ non sint exspectanda alia; illa in meridie, hæc in vespera mundi proponuntur: illa temporaria pleraque, hæc æterna sunt: ad hæc non admittitur, qui illa non prægustauerit, denique ab his excluditur, qui illis indignè se gesserit. Prandium itaque nuptiarum filij Dei cum Ecclesia hìc describit Matthæus, Lucas cap. 14. v. 16. cœnam, in tempore nouissimo, nulla subsequente fame, celebrandam, è qua eiiciendus est nullus, quia nullus nisi bonus dignusque admittendus. Ad prandium venitur fide, intratur autem Sacramento Baptismi: ad cœnam venitur honesta in prandio conuersatione, digna huiusmodi nuptiis, intratur autem per mortem corporis.

⑤ Οἱ δὲ ἀμελήσαντες ἀπῆλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, ὁ δὲ εἰς τὴν ἐμπορείαν αὐτοῦ·	Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam:

NEGLEXERVNT. ἀμελήσαντες cùm neglexissent, seu non curassent. Non fuit eis curæ venire, non tanti fecerunt nuptias vt venire vellent. ABIERVNT ad propria sua negotia. IN VILLAM SVAM. εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν in agrum suum. Flocci fecerunt regias nuptias studiosissimamque regis inuitationem: prætulerunt verò, quidam voluptatem deliciasq, ruris sui, quidam lucra mercaturæ suæ, nec tantum suffurari sibi ab his rebus otij voluerunt, quantum necessarium esset ad fruendum regiis nuptiis. Iudæorum plerique Dei iussu ab Apostolis & eorum cooperatoribus virtute ex alto indutis efficacissimè vocati *ad societatem Filij Dei* & salutem in Christo, quam patres eorum votis omnibus exspectarant & percupierant; aliis occupati nihili fecerunt, securè contemserunt, ita dediti mundo ac rebus terrenis, vt non vacaret ad Deum accedere, alij huc alij illuc diffluentes in varias cupiditates; præsertim verò, voluptatum quidam, quidam diuitiarum huius mundi, studium, saluti oblatæ præferentes. Quamdiu homo inhæret huiusmodi, quaslibet facilè salutis suę occasiones negligit: sed nulla excusatio est, si ob quæcumque negotia, vera salus negligatur, & terrena, quæ data sunt in salutis adminicula, vertantur in impedimenta, quamuis plerique bellè se excusari æstiment.

reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. | 6 οἱ δὲ λοιποὶ κρατήσαντες τοὺς δούλους αὐτοῦ, ὕβρισαν καὶ ἀπέκτειναν.

RELIQVI inuitatorum, ægrè ferentes. TENVERVNT captiuos. *κρατήσαντες* postquam apprehendissent. ET CONTVMELIIS AFFECTOS OCCIDERVNT. *ὕβρισαν καὶ ἀπέκτειναν* contumeliis affecerunt & occiderunt, nefaria dementia & ingratissima mente acti. Quid hoc furore furiosius? Erga eos qui ad tantum honorem & tam inæstimabilem felicitatem inuitabant vt regiæ accumberent mensæ, non modò ingrati, verumetiam contumeliosi & crudeles fuerunt, humanitate in feritatem versa. Iudæorum præsertim primates, Apostolos aliosque quos potuerunt præcones Euangelij regni, coniecerunt in carcerem, statuentes interficere (Act. 5. v. 18. 33. & 12. v. 3. 4. & 21. v. 27. 30. 31.) virgis ceciderunt & percusserunt (Act. 5. v. 40. & 21. v. 32. & 2. Cor. 11. v. 24: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi*) occiderunt denique quos potuerunt, Iacobum Zebedæi, Stephanum (Act. 12. v. 2. & 7. v. 58.) Iacobum fratrem Domini (Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 8.) Ingratitudinem hanc crudelissimâ prædixit hic Iesus, & apertiùs etiam paulò pòst infrà 23. v. 34. 37.) Ita ad extremũ scelerum prorupit ille populus, dum ad superbam gratię reiectionẽ accessit vesana crudelitas.

Rex autem cùm audisset iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. | 7 ἀκούσας δὲ ὁ βασιλεὺς ἐκεῖνος ὠργίσθη, καὶ πέμψας τὰ στρατεύματα αὐτοῦ ἀπώλεσε τοὺς φονεῖς ἐκείνους, καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἐνέπρησε.

CVM AVDISSET huiusmodi contemtum gratiæ suæ & cædem seruorum, vindictam clamante sanguine ipso. Significari hîc possit, Dei aduersùs Iudæos iudicium fuisse maturum summoq; consilio decretum, non antequam ipsorum scelus patratum & apertum diuulgatumq; esset. IRATVS EST. lenitate spreta in furorem se vertente, non vltrà ferendam aut dissimulandam putauit tantam rei indignitatem, id est, statuit vlcisci. Clarè Iudæis hîc prædicit Iesus, ipsos tandem exterminandos, adeoq; & Ierosolymam ipsorum metropolim, CIVITATEM præuaricatricem, incendio vastandam, Deo, contemtum Euangelij gratiæ benignitatisque suæ, maximè verò cædem seruorum suorum puniente, & quam sæpè minatus fuerat consummationem adducente, MISSIS in illos EXERCITIBVS SVIS, bello, fame, & peste: ipse est enim Deus exercituum, cui Romani hîc militarunt vlciscenti gentem reprobam (quemadmodum aliàs Rex Babylonis, Ier. 25. v. 9.) qui tametsi sibi viderentur sua sponte Iudæos oppugnare, id tamen Dei permissu, instinctu, adeoque occulto iussu fecerunt. Hæc quî euenerint intelligitur ex Iosepho ipso Iudæo. qui à Romanis, diuino quodam motis adiutisq; impetu, vniuersa iam vastata Iudæa, Ierosolymam Paschali tempore (cùm tota illuc gens collecta esset, & farta hominibus ciuitas) obsessam & dicto citiùs expugnatam incendioque vnà cum templo absumtam fuisse narrat. & mortuorum quidem, tum fame, tum peste, tum gladio, per omne tempus obsidionis, fuisse vndecies centum milia, captiuorum verò milia septem & nonaginta, qui dispersi in omnem ventum, alij ad opera, alij ad bestias damnati, alij vilissimo pretio venditi, cæteri triumpho seruati fuerint. Legatur ipsius liber septimus de bello Iudaico. Huius porrò cladis, tametsi dicat Iesus causam fore cædem Apostolorum præconumq; suorum (quemadmodum etiam Iosephus neci Iacobi fratris Iesu Christi excidium Ierosolymitanum attribuit) non tamen negat occisionem sui fore causam præcipuam: quod cùm sup. 21. v. 41. dictum esset his verbis, *Malos male perdet*, à se probatis Luc 20. v. 16., noluit hîc repetere, præsertim ne parabola interrumperetur. In rebus enim humanis, occiso sponso, cessant solennia nuptiarum, & nullus ad illas ampliùs inuitatur.

Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratę sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. | 8 τότε λέγει τοῖς δούλοις αὐτοῦ· ὁ μὲν γάμος ἕτοιμός ἐστιν, οἱ δὲ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι.

TVNC. Non ad proximum referendum est, *tunc* cùm perditi essent homicidæ illi & succensa ipsorum ciuitas; sed ad pręcedentia, *tunc* cùm isti constanter recusarent venire ad nuptias, seruorum etiam aliis contumelia aliis morte affectis. NVPTIÆ. Syrus vt suprà *conuiuium*. Ex quo Christus mortuus est & resurrexit, nuptię istæ continuè celebrantur, & conuiuium nuptiale perpetuò paratum instructumq; constat. SED QVI INVITATI ERANT. *οἱ δὲ κεκλημένοι* sed vocati. NON FVERVNT DIGNI. *οὐκ ἦσαν ἄξιοι* non erant digni, id est, erant indigni. contemnendo prębuerunt se indignos nuptiis his meis, quas ipsis tamen potissimùm apparaueram. Nec Gentiles quidem digni fuerunt, sed ingratos maximè indignos iudicat.

Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis vocate ad nuptias. | 9 πορεύεσθε οὖν ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, καὶ ὅσους ἂν εὕρητε καλέσατε εἰς τοὺς γάμους.

ITE ERGO. ne frustra parauerim hunc nuptialium delitiarum apparatum. AD EXITVS. *ἐπὶ τὰς διεξόδους* in perexitus, permeationes VIARVM, id est, peruagamini, percurrite vias omnes ad extremum vsque, non sit via quam non percurratis, non sit viæ angulus quem non adeatis. nec enim distinguit exitus viarum à viis, cùm mox subdens huiusce mandati exsequutionem dicat: *Et egressi serui eius in vias*. Priùs non iussi fuerant vocare nisi inuitatos, ac proinde non aliò ire quàm vbi illi habitabant: iam nulla habita ratione inuitatorum aut habitationis eorum, iubentur vias omnes perlustrare, ac à capite ad exitum vsque peruagari. &

QVOS-

QVOSCVMQVE ac quotcumque (vtrumque enim vertitur ex ὅσους) inuenerint, cuiuscuius conditionis sint, ad paratum à rege conuiuium nuptiale vocare, omnino volente impleri nuptias suas. Indignè enim ferens Rex contemtum quem patiebatur à suis, vel quò illos irritet, ignotissimos & alienissimos quosque accersit & admittit ad nuptias. Hîc gentium vocatio describitur, *quibus salus accidit delicto Iudæorum vt illas æmularentur* (Rom. 11. v. 11.) Nam postquam iteratò missis præconibus, constanter Iudæi recusarunt audire recipereque Euangelium regni, iussi sunt à Deo præcones, quibus aliquando mandatum fuerat *ne in vias Gentium abirent nec in ciuitates Samaritanorum intrarent, sed vocarent solas oues perditas domus Israel* (Matth. 10. v. 5. 6.) non sese ampliùs ad Iudæos adstringere, sed quaslibet vias peruagari *vsque ad vltimum terræ, in dispersionem Gentium abire*, & gentibus à Deo alienis, quæ nullam vmquam promissionem de Messia eiusq; regno acceperant, immo ne Deum ipsum quidem nouerant, quibusuis sine discrimine, etiam remotissimis, nemine ex eis ob barbariem aut pessimè anteactam vitam excluso, Euangelium prædicare ac regnum cælorum salutemq; in Christo offerre, vel in despectum Iudæorum, si fortè hac ratione ad zelotypiam exstimularentur, qui quia priore loco electi fuerant, perinde ac si ipsis carere non posset Deus, eius gratiam sibi persuaserant esse addictam. Hoc modo sibi à Deo iussum fuisse, constanter Paulus & Barnabas Iudæis exprobrabant & testabantur Act. 13. v. 46: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsq; ad extremũ terræ.*

καὶ ἐξελθόντες οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι εἰς τὰς ὁδοὺς, συνήγαγον πάντας ὅσους εὗρον, πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς· καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων. [10]	Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

ET EGRESSI. Egressi igitur, iuxta mandatum Domini. SERVI EIVS. οἱ δοῦλοι ἐκεῖνοι serui illi, quomodo est & syriacè. IN VIAS quaslibet, varias & longinquas. CONGREGAVERVNT. adduxerunt ad nuptias. OMNES. distributio est pro generibus singulorum, non pro singulis generum; ex omni genere hominum multos. QVOS. ὅσους quotquot & quoscumque INVENERVNT (nam quæsiuerunt diligentissimè) qui modò vocantes sequi voluerunt. MALOS ET BONOS. πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς & malos & bonos, malos pariter ac bonos, id est, quorum aliqui fuerunt mali, aliqui boni, id est, aliqui honesti, aliqui sordidi, alij digni nuptiis, alij indigni: qualescumque tandem fuerint, adduxerunt eos, nec enim iussi fuerant penitiùs perscrutari eos, modò præ se ferrent voluntatem gerendi se dignè nuptiis. ET IMPLETÆ SVNT. ita vt tandem impletæ sint: tanto numero congregauerunt quanto impletæ sunt. NVPTIÆ. locus nuptiarum. Syrus domus conuiuij. DISCVMBENTIVM. phrasi græca positus est casus secundus pro sexto *discumbentibus* (refertur enim ad *impletæ sunt*) quod est, conuiuis. Itaque satisfactum est voluntati Regis, nec perierunt impensæ. Accepto diuinitus mandato Gentibus Euangelium prædicandi, Apostoli eorumq. cooperatores & successores, *profecti in mundum vniuersum, prædicauerunt vbique omni creaturæ, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, ita vt in omnem terram exierit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: prædicauerunt autem hoc idem quod Iudæis, *Prandium meum paraui* &c. & allexerunt adduxeruntq. ad nuptias regni cælorum id est, in Ecclesiam Christi filij Dei, obuios omnes *ex omni tribu & lingua & populo & natione*, qui modò se credere Euangelio & sathanæ eiusq; pompis abrenunciare profiterentur, non disquirentes curiosè an reuerà crederent & ex animo abrenunciarent aut propositi essent tenaces: promiscuè omnes congregarunt sine delectu, nemine excluso, nisi apertè incredulis & contradictoribus, ita vt quidam sincerè, quidam fictè, mentientes fidem aut pœnitentiam, in Ecclesiam ingressi sint, alij etiam sincerè ingressi ad pristinas peccatorum sordes redierint. Hac porrò ratione tandem, in consummatione seculi inquam, complebitur numerus eorum, quos æterna Dei prædestinatio statuit, ex Gentibus præsertim in Ecclesiam Filij sui admittere (vide sup. 13. v. 48.) immensus ille, *quem dinumerare nemo possit*. Non enim obfuit frequentiæ nuptiarum quòd inuitati venire recusassent, immò eo plures adfuerunt: nam illis recusantibus, ex viis quibuslibet, ex toto vndique orbe terrarum, accersiti sunt quicumque vellent venire. Vnde Apostolus, *delictum Iudæorum*, ait, *diuitias esse mundi, & diminutionem eorum diuitias Gentium*. (Rom. 11. v. 12.) Hoc itaque modo satisfiet voluntati Dei, qui *omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire*: nec frustrà mortuus fuerit Christus, tametsi à suis reiectus. Quemadmodum autem suprà ita loquutus fuerat Christus, quasi nullus Iudæorum vocatus ad nuptias venerit, quia pauci: ita hîc de Gentilibus ita loquitur, quasi omnes vocati venerint, quia multi & infiniti venerunt. nam & horum quidam venire recusarunt, quidam etiam seruos, Euangelij præcones, contumeliis & morte affecerunt. Porrò *bonos* non dicit Saluator, quòd huiusmodi essent quando vocabantur (*nec enim erat ex filiis hominum qui faceret bonum vsque ad vnum*, Psal. 13. v. 3.) sed quòd vocati huiusmodi euaserint, id est conuersi fuerint ad Deum & nouam vitam relicta veteri. *Malos* verò dicit, hypocritas, qui conuersionem simularunt, & inconstantes, qui relapsi perseuerarunt in malo: nam qui malitiam ne verbis quidem vmquam sunt detestati, minimè adducti fuere: quamquam non est habita ratio, quales ante vocationem fuissent. Addidit verò hoc de bonis & malis coactis, eò quòd videri poterat, ad has sacrosanctas nuptias neminem admittendum fuisse nisi bonum, à seruis præsertim missis à Domino cordium scrutatore. Atqui noluit Dominus iudicium hoc seruis committere, qui mali essent qui boni, sed reseruauit sibi: *quia*, vt inquit Hilarius, *malos intelligere non omnium est, & humana simplicitas difficile fraudulentiam simulatæ mentis intelligit.*

εἰσελθὼν δὲ ὁ βασιλεὺς θεάσασθαι τοὺς ἀνακειμένους, εἶδεν ἐκεῖ ἄνθρωπον οὐκ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου, [11]	Intrauit autem Rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali,

INTRAVIT. εἰσελθὼν ingressus f. in locum conuiuij nuptialis. Hactenus descripta fuit solicitudo Regis ad vo-

 candum

candum conuiuas: iam describitur cura eiusdem erga conuiuantes. Hactenus quoque egit Saluator quod sui erat propositi, delineauit futuram Iudæorum exstirpationem & Gentium surrogationem: quæ sequuntur addidit occupationis loco, ne vel Iudæi obiicerent, Estne igitur personarum acceptor Deus, vt, nobis ob incredulitatem reiectis, Gentiles, hoc solo nomine quòd in Christum credant, tam malos, quàm bonos, saluaturus sit? vel Gentiles, modò crederent, securiùs se viuere posse putarent absque magna solicitudine de vita sancta. VT VIDERET. θεάσασθαι vt spectaret. DISCVMBENTES seu accumbentes, id est, conuiuas, quales homines essent, an honesti & læti, & dignè magnificentia nuptiarum ipsius agerentur omnia. ET VIDIT. græcè omittitur &. HOMINEM. id est, quendam, cum cæteris nuptialiter ornatis mensæ accumbentem. NVPTIALI. γάμου ad verbum *nuptiarum*, id est, decenti nuptias & festum diem, indutum veste indigna nuptiis, lacera, sordida, aut vili, itaque dehonestantem nuptias. Vt enim honesta vestis honestat nuptias, vbi sunt decetq; honesta esse omnia, & declarat animum erga sponsum & sponsam, erga auctores & amicos & socios nuptiarum, reuerenter, fauorabiliter, hilariterq; affectum: ita non habet nuptiis ac præsertim regiis quem debet honorem, qui illis interest veste vili, immò irreuerentem, parumq; studiosum, si non etiam contemtorem, se declarat sponsi & sponsæ reliquiq; cœtus nuptialis. *In consummatione seculi, quando intrauerit plenitudo Gentium* (Rom. 11. v. 25.) visitabit Deus Pater vnà cum Filio suo (non ignorans, sed iudicans & singulorum merita discernens) à qua iam abesse videtur, Ecclesiam Filij sui, ex Gentibus præsertim collectam, an omnes qui in ea sunt aut fuerunt, dignè se gesserint vocatione sua & prandio illo nuptiali, Sacramentorum inquam cæterorumq; donorum cælestium quæ ex Christi munificentia in Ecclesia sunt communione ac propositione: inueniet autem non omnes fuisse tales, immò multos qui tantis beneficiis se gesserint indignè, qui in his nuptiis absque veste nuptiali versati fuerint. Vestis decēs has nuptias, est vita immaculata & sancta, aliena à sordibus peccatorum & omnis generis virtutibus ornata ac splendida, quam Apostolus vocat *arma lucis* (Rom. 13. v. 12.) *nouitatem vitæ* (Rom. 6. v. 4.) *nouum hominem* (Ephes. 4. v. 24.) *nouam creaturam* (Gal. 6. v. 15.) denique *Dominum Iesum Christum* (Rom. 13. v. 14) qui explicans Coloss. 3. v. 12., quid sit induere nouum hominem, quod paulò antè dixerat: *Induite, ait, vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* (&c.) *super omnia autem hæc charitatem.* Absque huiusmodi veste qui viuit in Christi Ecclesia, qui fidelibus permixtus non ducit vitam fidelium consortio & quibus fruitur Christi muneribus dignam, puram inquam & piam, is & Christum & Ecclesiam contumelia afficit. Non satis est itaque (quod veteres plerique Græci ac Latini hîc annotant, in Christum credere, & Baptismo ablutum inq; Ecclesiam admissum nutriri pabulo doctrinę cælestis & participem esse diuinorum Sacramentorum ac munerum, verumetiam oportet gratiæ vocationis respondere, exutis veteris hominis exuuiis, & charitatis innocentiæque Christianæ veste assumta. Non satis est in Ecclesia à cæteris fidelibus tolerari, aut quietè cum eis conuersari, vel etiam ipsis placere, immò primum inter eos locum tenere, si indutus veste polluta sordibus peccatorum, si deditus operibus tenebrarum & charitatis vacuus, inter eos agas. Facile quidem est homines specie pietatis decipere, vt frequenter impossibile est hominibus, discernere malos à bonis: sed Deum perlustrantem Ecclesiam fallere aut latere non poterunt huiusmodi, siue multi siue pauci fuerint, etiam vnus inter mille. Nam quòd vnum dicat parabola à rege animaduersum qui non esset indutus veste nuptiali, cùm multi in Ecclesia sint & à Deo agnoscantur sordidæ vitæ homines, fit pro decoro parabolæ, ne nuptiarum gaudia cum luctu confundantur, si plerique narrentur nuptiis miserè eiici: denique vt fit distinctio inter inuitatos & fortuitos hospites, ne quemadmodum illorum nullus venisse dicitur, quia pauci venerunt, ita hi omnes qui venerant intelligantur expulsi, quia plurimi; cùm contrà, tam multi ex Gentibus per Christum salui facti sint, vt Scripturæ sacræ, Iudæos Gentibus conferentes, sic loquantur, quasi omnes Gentes saluatæ, omnes Iudæi sint perditi. Idcirco igitur vnicum nominat, sed plurimos huic similes, adeoq; omnes malę vitæ Christianos, à se intelligi declarans, subiicit: *Multi enim sunt vocati* &c. Postremò quòd Rex dicitur tum demum vidisse impudentem illum cùm nuptiæ plenę essent, non significatur Deus ante nouissimum iudicium non videre aut considerare impuros in Ecclesia filij sui versantes, sed significatur tolerare plerosque eorum, si fortè ad cor reuersi vitæ deformitatem emendent, nec antea publicè punire pro meritis mundo inspectante: nam mox à morte singulorum, singulos priuatim separat & punire incipit. Qualis enim quis inuenitur & priuatim iudicatur in die mortis: talis inuenietur & publicitùs iudicabitur in iudicio vniuersali.

& ait illi; Amice, quomodo huc [12] intrasti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit.	καὶ λέγει αὐτῷ· ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου; ὁ δὲ ἐφιμώθη.

AMICE. erga quem tantam ego amicitiam gessi, quòd admiserim ad filij mei nuptias. Obiurgatio ex iustitia non ex odio profecta. QVOMODO. qua fronte, qua audacia? nescis me studiosum admodum harum nuptiarum, & tam volentem quàm potentem vlcisci iniurias? Arguit eum audacis impudentiæ, quòd veste sordida munditias polluere nuptiales non sit veritus. HVC. ad has regias nuptias. INTRASTI & versaris mensæq; accumbis. NON HABENS vt illi & illi. VESTEM legibus nuptiarum requisitam.

OBMVTVIT. ἐφιμώθη capistratus est, id est, os illi occlusum est, prorsus obmutuit, quasi capistro aut freno iniecto. Malè sibi conscius nihil potuit in excusationem adferre, vt qui, vel neglexisset nuptialem vestem assumere, vel semel assumtam dilacerasset aut dilapidasset. In extremo iudicio, Deus, non praua affectione, sed iustitiæ motus zelo, seuerissimè arguet Christianos improbos, erga quos ipse quidem hîc verum amicum egerat, vt quos *e tenebris vocauerat in admirabile lumen suum*, & pauerat in Ecclesia sua cibo potuq; verbi ac mysteriorum suorum: ipsi verò non minùs impudentes quàm audaces, non reueriti puritatem munerum & sanctorum societatem, nec extimescentes futurum iudicium, indignè se gesserint vocatione & beneficiis, reiectis armis lucis induerint opera tenebrarum, susceptam in Baptismo innocentię vestem peccatorum maculis deturparint, mysticam mensam suis sordibus dedecorarint, absque reuerentia & gratiarum actione diuinis sint

nis sint vsi muneribus aut potiùs neglexerint illa, denique non se curauerint ornare virtutibus sanctis, ac nominatim studere operibus charitatis, quæ nouerant ipsius maiestati summopere grata esse (infrà 25. v. 42.) Hæc aliaque huiusmodi tunc improperabit malis Christianis Deus: ipsi verò quo se iure defendant aut excusent inuenient nihil, loquacissimi licet & litigandi peritissimi fuerint hoc in seculo. Non poterunt suas sordes negare, occultæ licet hic fortasse fuerint, *quia ille forum incr. pabit* (inquit in hunc locum B. Gregorius) *qui testu conscientia intus animum accusabit*, simul *& illuminabit abscondita tenebrarum, ac manifestabit consilia cordium*. Non poterunt dicere: Quare nos vocasti in Ecclesiam tuam malos cum bonis? nam quamuis mali vocati fuerint, nec habita sit ratio quales ante vocationem fuerint, non tamen vocati sunt vt manerent mali, sed vt contrà redderentur boni. Postremò nec poterunt prætexere paupertatem, qua factum sit vt facultas non fuerit emendæ vestis nuptialis, quòd ignorare non potuerint, si studiosi fuerint audiendi verbi Dei, Deum quibus offert nuptias, vestes non negare; quoscumque inuitauit, paratum fuisse & vestire dignè nuptiis, eorumque sordes cum splendido habitu mutare, si rogatus fuisset (Ezech 16. v. 7. 8. & deinceps) Prorsus itaque obmutescent suæ ipsorum conscientiæ sententia damnati, & nec veniam quidem rogabunt, quia tempus veniæ tunc nullum erit.

τότε εἶπεν ὁ βασιλεὺς τοῖς διακόνοις· δήσαντες αὐτοῦ χεῖρας καὶ πόδας, ἄρατε αὐτὸν καὶ ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

13 Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores. ibi erit fletus & stridor dentium.

TVNC. cùm ille obmutescens semetipsum coram omnibus condemnaret. MINISTRIS. διακόνοις non est hìc δούλοις *seruis*, vt sup. v. 3. 4. 8. Ministri Dei sunt angeli sancti, de quibus Dan. 7. v. 10: *Millia millium ministrabant ei* &c. & Heb. 1. v. 14: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus* &c. denique sup. 13. v. 49: *Exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* LIGATIS MANIBVS. Singula verba, iudicij præ se ferunt grauitatem. Ligantur reis mortis manus, ne se defendere; pedes, ne fugere; vtraque, ne quouis se modo iuuare possint: intelligenda est itaque ineuitabilis reproborum pœna, absque omni facultate defensionis & liberationis spe. MITTITE. ἐκβάλετε eiicite s. foras ex nuptiis, ex regno cælorum, ex cœtu sanctorum. Græcè additur ἄρατε αὐτὸν καὶ ἐκβάλετε tollite eum & eiicite: quod tamen syriacè non magis legitur quàm latinè. Hic prandio fruitus nuptiali excluditur à cœna. IN TENEBRAS EXTERIORES. in extimas tenebras inferorum, dignitate luceq; conuiuij cum carcere tenebricoso, & voluptate nuptiali cum summo cruciatu commutata. A parabola clàm dilabitur Iesus ad rem significatam: nam & adeò fuit clara parabola, vt res ipsa citra inuolucra narrata fuisse videatur. Reliqua huius versus quære suprà 8. v. 12. & 13. v. 42. 50.

πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί.

14 Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

MVLTI ENIM. Reddit rationem ob quam parabolæ adiecerit postremam illam partem de eo qui obseruatus est carere in nuptiis veste nuptiali: ratio enim est, quia etiam ex Gentibus in Christi Ecclesiam admissis multi reprobandi sint, immò plures quàm saluandi. Iudæos plerosque omnes Christo nomina non daturos ac proinde perituros docuit: sed & ex Gentibus qui dederint magno numero, addit paucos per Christum æterna salute potituros, Deo qui personas non accipit, damnante, illos ob perfidiam, hos verò ob vitam à fide dissentaneam. Maturè itaque præmonitos voluit Gentiles, ne se efferant quòd in Iudæorum locum subrogati sint, sed studeant viuere dignè illâ Dei misericordia; fore enim, vt non minùs dent pœnas Deo qui vixerint indignè Christo in quem crediderint, quàm qui nûquam in Christum credere voluerint. Quòd autem dicit *multi*, cùm vnius solius præcesserit mentio, significat sub parabolico inuolucro vnius multos intelligendos esse. q. d. Nec enim putandum est omnes vocatos electos esse, immò verò sciendum paucos electos esse ex multis vocatis. *Vocatos* autem non eos hìc intelligit qui ad nuptias vocati venire contempserint, qui fidem salutemq; sibi in Christo oblatam minimè amplexi sint (nam illos indubitatum est, non posse esse electos) sed eos solos qui vocationi obtemperauerint, qui verè ad nuptias venerint, qui ita vocati fuerint vt & audierint & receperint fidem in Christum salutemq, per Christum oblatam. Hi cùm videri possint omnes electi, pronunciat, vt ex aliis nullos, ita ex his paucos electos esse. *Electos* dicit illos, quos elegit Deus æterna per Christum vita saluteq; donandos: qui quidem sunt illi, qui in nuptiis vestem nuptialem seruant immaculatam, qui in prandio nuptiali ita dignè se gerunt vt mereantur in nuptiis æternum manere, id est, qui in Ecclesia militante, piè, integrè, immaculatè, omninoq dignè vocatione sua, viuunt ad mortem vsque. nam electio inde probatur, si quis ad finem vsque perstet. Huiusmodi autem sunt pauci inter vocatos, eò quòd plerique, vel non viuunt dignè vocatione sua, vel non perseuerant viuere vsque ad finem, ac proinde reprobantur, nec ex prandio nuptiali admittuntur ad cœnam, id est, ex Ecclesia militante ad triumphantem. In summa docet hoc loco Christus, fidem ipsam & Ecclesiæ communionem minimè sufficere, vt quem pro suo agnoscat & æterna vita beet Deus, nisi ea vocatione dignè viuere perseueret. Reliqua ad huius versiculi expositionem lege suprà 20. v. 16.

τότε πορευθέντες οἱ Φαρισαῖοι, συμ-

15 Tunc abeuntes Pharisæi, consilium

Mar. 12. v. 13. Luc. 20. v. 20.

silium inierunt vt caperent eum in sermone.

ἐβούλιον ἔλαβον ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ.

TVNC eodem illo die Martis, irritati auditis parabolis quibus maximè illos compungi oportuerat. ABEVNTES. πορευθέντες profecti, digressi. PHARISÆI. Sup. 21. v. 23. & 45. nominantur etiam *principes sacerdotum & seniores populi*: verùm isti sub Pharisæis intelligũtur (id quod Marcus & Lucas verisimile faciunt) siue quòd plerique eorum secta Pharisæi essent, siue quòd Pharisæi præcipuè consilium hoc inierint, siue denique quòd Pharisæi maximè inter se ventilare solerent quæstionem de censu Romanis soluendo. INIERVNT. ἔλαβον ceperunt. VT vel *quomodo*, vtrumque enim verti potest ex ὅπως. CAPERENT. παγιδεύσωσιν illaquearent, irretirent. verbum ἀπὸ τοῦ παγίδος à laqueo deriuatum, quales à venatoribus figuntur. IN SERMONE. in verbis ipsius, eiusmodi, è quibus velut è laqueis non facilè posset se extricare: vt proposita quæstione captiosa elicerent ex ore ipsius responsum eiusmodi ex quo calumniam in eum deuoluerent. Cùm viderent se tot iam propositis parabolis exemplisque notatos, neque quid opponerent haberent, adeoque responsa sua sibi captiosa esse cernerent, loco eius vt resipiscant, rationem ineunt qua & ipsum capiant adeoque illaqueent suis verbis, in quibus faciliùs offenditur, quem vi nondum capere audebant, in opere autem capere impossibile erat irreprehensibilem. Dispiciunt quomodo incautum agant in laqueum & crimini publico obnoxium reddant, proposita quæstione controuersa, captiosa, & periculo plena, vtpote ad politicas rationes pertinente, quæ omnes tangeret & ab omnibus intelligeretur: quamquam iamdiu experientia didicisse debuerant nullum valere consilium aduersùs Dominum.

Mar. 12. v. 13. 14. Luc. 20. v. 21.

16 Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.

καὶ ἀποστέλλουσιν αὐτῷ τοὺς μαθητὰς αὐτῶν μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν, λέγοντες· διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ διδάσκεις, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων.

ET MITTVNT EI. Consilio itaque inito mittunt ad eum. DISCIPVLOS SVOS, quos in suis ipsi opinionibus & viuendi agendique modis instituebant & exercebant: docebant obseruantes esse ad superstitionem vsque literæ Legis & traditionum seniorum, omnem denique exteriorem sanctimoniam ac munditiam exactè colere, interioris animi cultura neglecta. lege præter Euangelia Iosephum lib. 18. Antiq. cap. 2. Non adeunt nunc ipsi Iesum, persuasi intellectum abs Iesu iri fraudem, si quę dolosa quæstio proponeretur ab ipsis, quos nosset hostes suos professos. Subornant itaque discipulos suos, eiusmodi qui referant quidem proximè ingenium præceptorum, sed ignotos Iesu, quòd existimant, vt, dum non habet illos Iesus pro inimicis, faciliùs capiatur illorum adulatione, & mentem liberè aperiat suam habitis sinceris ac discendi cupidis.

CVM HERODIANIS. Syrus, *cum iis qui de domo Herodis*. cum domesticis aut officialibus vel certè amicis ac fautoribus Herodis (vide Mar. 3. v. 6.) quos similiter credebant Iesu ignotos; Herodis autem tetrarchæ, qui nunc temporis Ierosolymis aderat, exspectans imminens Pascha (Luc. 23. v. 7.) discipulis suis adiungunt Herodianos, quos non dubium est vnà cum Domino suo Romanorum fuisse fautores & venatores gratiæ Cæsaris (tametsi Herodes iste apud Cæsarem accusatus aliquando fuerit, quòd parum fidum Romanis se præstaret. lib. 18. Antiq. cap. 9.) vt si quid pronunciet Iesus aduersus iura Romanorum, illi mox vlciscantur, & comprehensum Romanis tradant. hoc enim erat condictum. Nam quòd Romanos ipsos siue prætorianos non assumunt, faciunt, quòd nollent sanctuli ethnicorum vti consuetudine, aut adductis Cæsarianis militibus Iesum perterrefacere. DICENTES per eos. λέγοντες. primi casus est, non quarti: refertur ad Pharisæos, non ad discipulos. quare Syrus vertit *& dicunt ei*. Vnde intelligitur, ea quæ sequuntur verba, à Pharisæis præceptoribus præscripta fuisse discipulis, ita vt non tam discipuli quàm præceptores ipsi loquuti fuerint. MAGISTER. Magistrum vocant, cuius nolunt esse discipuli. Ioh. 9. v. 28. SCIMVS. multa iam experientia didicimus. QVIA VERAX ES. quòd verax sis, quòd vera doceas tam priuatim quàm publicè. Rectè de doctrina tua persuasi sumus, ita vt credamus te amatorem & doctorem esse veritatis. ET VIAM DEI. nam viam Dei, viam quam velit Deus ab hominibus ambulari (*Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*) quid Deus velit fieri, quid Deo sit gratum, quid iniustum, quid placeat aut displiceat.

IN VERITATE. id est, verè, fideliter, purè, ac sincerè, absque fuco & omni praui affectus corruptela. solent enim ambitio, auaritia, cæterique praui affectus puram docendi rationem inficere. ET NON EST TIBI CVRA DE ALIQVO. nec curas quemquam, id est, & liberè quoque doces, ita vt nullius causa, quisquis ille sit, diues, potens, honoratus, nullius gratia aut odio ductus aut metu commotus, vel aliter doceas quàm se res habeat, vel doctrinam opportunam subtrahas. Tacitè indicant plerosque Cæsaris metu non audere aperire quid sentirent de quæstione proponenda. Libertatem itaque ipsius laudant, ne vereatur Cæsarem offendere, quo callidè ipsum in Cæsaris iram pertrahant. Nihil est quod doctores à fideli doctrinæ dispensatione magis abducat, quàm si curent placere hominibus. Gal. 1. v. 10: *Si hominibus placerem* &c. QVEMQVAM. περὶ οὐδενός. posset etiam verti *quidquam*, nisi id quod sequitur posceret *quemquam*. PERSONAM. εἰς πρόσωπον in personam HOMINVM, id est, quorumcumque. sensus est, non enim habes delectum personarum. vt huius gratia sic, alterius aliter doceas, aut huius odio expromas, alterius timore reticeas veritatem, sed solum respicis Deum, cui quæ placita esse nosti, magna libertate annuncias, citra personarum delectum. Exemplo sunt summi sacerdotes & seniores nostri, Scribæ quoque & Pharisæi, quorum errores & vitia liberè constanterq; redarguis, non minùs quàm ipsius vulgi. huc enim respiciunt. *Perpendis*, ait Chrysostomus

ſtomus, *quomodò ſe ſubaperiunt, in eum velle ſermonem Chriſtum depellere*, quo Cæſarem *offendat affectatæ rebellionis ſuſpicione? nam quod dicunt, Nulla eſt tibi cura de aliquo, nec ad perſonam hominum reſpicis*, *Herodem* ac Cæſarem *ſubostendere videntur*. πρόσωπον, quod Interpres hoc loco vertit *perſonam*, ſecundùm Marcum vertit *faciem*: vtrumque enim permittit vox iſta græca, quamquam ſyriaca & hebraica, quæ in hoc loquendi genere vſitatæ ſunt, faciem declarent. פנים *panim*, ܦܐܐ *Appe*. Facies autem ſiue perſona, in huiuſmodi phraſi accipitur, non pro indiuiduis hominum, ſed pro attributis perſonæ, id eſt, qualitatibus animi, corporis, rerúmve externarum, ſiue veris, ſiue fictis, & quidem (quando in vitio ponitur) non pertinentibus ad merita cauſæ. Perſonam itaque ſiue faciem alicuius reſpicit, qui in hunc vel illum modum iudicat aut docet ex eo quòd conſideret perſonam ſeu faciem, id eſt, aliquid alicuius quod eſt extra cauſam & rem. vide Luc. 20. v. 21. Sic in re præſenti, perſonam reſpexiſſet Ieſus, ſi conſideratione metuque potentiæ Cæſaris, vel pronuntiaſſet tributum Cæſari dandum eſſe, vel cùm locus poſceret noluiſſet docere quod ſentiret. Vt integer ſit doctor, faceſſat neceſſe eſt perſonarum reſpectus, qui tenebras offundit veritati iuſtumq; iudicium peruertit: id quod ſæpiùs in Lege Deus inculcat. Deut. 1. v. 17. & 16. v. 19. Germana eſt igitur hæc probi fidique doctoris laus, quòd ſtudioſus veritatis, id quod Deo gratum eſt, incorruptè, ſincerè, ac liberè doceat, nec cuiuſuis hominis gratia ab officio deflectat: quæ quidem in Ieſum competebat excellentiſſimè, verùm ab iſtis tribuebatur Ieſu non ſincerè, cùm palàm clamarent ipſum eſſe ſeductorem populi (infrà 27. v. 63. Ioh. 7. v. 12.) ſed decipiendi animo, vt captus ficta laude adulationeque, myſterium cordis ſui ſimpliciter aperiret, nec quidquam vereretur liberè pronunciare tributum Cæſari negandum eſſe: in quam ſententiam, vt veri Dei cultui ſua opinione magis conſentaneam, arbitrabantur Ieſum, qui ſummum Dei colendi ſtudium præ ſe ferret, propenſiorem. *Adulatione*, inquit Chryſoſtomus, *putant eum ita inflare & audacem reddere, vt contra inſtitutas leges & præſentem rerum ſtatum quidpiam dicat*, quo ipſe ſibi principis iram ac mortem accerſat. Hoc eſt quod prouerbio dicitur, lethale mulſum propinare: hoc eſt quod Pſalmus 27. v. 3. canit: *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.*

εἰπὲ οὖν ἡμῖν τί σοι δοκεῖ· ἔξεστι δοῦναι κῆνσον καίσαρι, ἢ οὔ; [17]	Dic ergo nobis quid tibi videtur: Licet cenſum dare Cæſari, an non?

Mar. 12. v. 14. Luc. 20. v. 22.

DIC ERGO. Quandoquidem igitur huiuſmodi doctor à nobis haberis & verè es, venimus ad te, vt NOBIS anxiis declares QVID TIBI VIDEATVR de hac quæſtione quæ non parùm nos torquet. LICET ſalua religione, abſque offenſa Dei. nam pecuniæ iactura haud eſt nobis curæ. CENSVM. tributum. Cenſus, vox à Romanis accepta, vt legitur etiam græcè, ita & Iudæis Chriſti tempore in vſu haud dubium fuit. Propriè ſignificat æſtimationem facultatum, pro cuius ratione in prouinciis vectigalibus tributum ſoluebatur: hîc pro ipſo tributo accipitur. Syrus periphraſi vſus, dicit *pecuniam capitis* ſeu *capitatim*. DARE. ſoluere. CÆSARI Romano exigenti. A primo Imperatore Iulio Cæſare (ſic dicto, à patris nomine, non à cæſo matris vtero) qui Auguſtum reliquerat nominis & imperij ſui heredem, omnes deinde Imperatores dicti ſunt Cæſares: quod nomen, non tantùm Romanis, verumetiam Iudæis, Syris, & Græcis cæteriſq; nationibus quibus Romani imperitabant, nobile fuit. AN NON licet, nam aliis aliud hac de re ſentientibus, hæremus perplexi quid nobis ſequendum ſit. Tuam ſententiam ſemel ſi intellexerimus, tranquilli ſciemus quid nobis ſit faciendum. Contendentibus de regno Iudææ Hircano & Ariſtobulo fratribus, & cauſam, ſingulis ſuam agentibus apud Pompeium Magnum res Romanas in Oriente gerentem, Pompeius Hircano fauens, Ieroſolymam ab Ariſtobuli factione occupatam cepit, & ſubiecit eam ſimul & Iudæam vniuerſam fecitq; vectigalem populo Romano (Ioſeph. lib. 14. Antiq. cap. 8.) Quo ex tempore, Romani tributa à Iudæis quoties opportunitas dictaret exigere cœperunt, donec Auguſtus Cæſar, cum vniuerſo orbe & ipſos deſcribi ac cenſeri ſinguloſque annuum cenſum ſoluere iuſſit. Quod dum fieret Saluatore noſtro naſcente (Luc. 2. v. 1. 2. 3. 4.) ortus eſt inter Iudæos quidam Iudas nomine, natione Galilæus, qui indignum ratus & contra leges patrias, Iudæos alienigenis tributum pendere, populum ad rebellionem ſolicitauit, & vniuerſam gentem ad tuendam libertatem eſt adhortatus, teſte Gamaliele Act. 5. v. 37. Cenſum enim nihil aliud quàm manifeſtam ſeruitutis profeſſionem eſſe dictitabat iis quibus Deus ſolus pro domino & principe habendus eſſet & agnoſcendus (Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 12.) cui qui decimas & primitiua penderet, nihil tributi debere hominibus, ac præſertim idololatris atque impiis, populum liberum, Deo ſummo Regi ſacrum ac peculiarem & adoptatum in filium, adeoque mortem potiùs ferendam eſſe & ſupplicia omnia quàm hîc cedendum. Etſi porrò addat Gamaliel, Iudam hunc cum ſectatoribus ſuis facilè periiſſe (Act. 5. v. 37.) Romanis nimirum delentibus: tamen vt accepit hæc ſententia veriſimilitudinis non parum ex lege Domini, & grata pleriſque è vulgo fuit quod à ſoluendis tributis ſemper eſt alienum, ſic dimanauit ad poſteros, ita vt & Phariſæorum pleríque (quamquam metu Romanorum profiteri cauerent) in eam propenſi fuerint, & populus cenſum inuitus ſoluerit, quidam denique etiam publicè hanc opinionem defenderint, præſertim paulò poſt Chriſti tempora: id quod conſtat ex Ioſepho lib. 18. Antiq. cap. 2. & 20. cap. 3. & lib. 7. de bello cap. 29. qui & defectionem Iudæorum à Romanis excidiumque Ieroſolymitanum huic hæreſi adſcribere videtur: cuius notant quidam etiam Galilæos illos de quibus Luc. 13. v. 1. Aduerſus hanc hæreſim diſputarunt & Apoſtoli, nominatim Paulus Rom. 13. v. 1. ac deinceps, & Tit. 3. v. 1. in quem poſteriorem locum D. Hieronymus: *Hoc præceptum*, inquit, *propterea puto ab Apoſtolo editum, quia Iudæ Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos ſectatores: qui inter cætera hoc quaſi probabile proferebat ex lege, nullum debere Dominum niſi ſolum Deum vocari, & eos qui ad templum decimas deferrent, Cæſari tributa non reddere. Quæ hæreſis in tantum creuerat, vt etiam Phariſæorum & multam partem populi conturbaret, ita vt ad Dominum quoque noſtrum referretur hæc quæſtio. Licet Cæſari dare tributum an non? Quibus Dominus prudenter cautéq; reſpondens ait: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Cui reſponſioni Paulus Apoſtolus congruens, docet principibus & poteſtatibus credentes debere eſſe ſubiectos* &c. Hæc Hieronymus. Igitur cùm hæc quæſtio admodum controuerſa eſſet illo tempore & Ieſus eiuſque diſcipuli, Galilæi, putari poterant fauere opinioni Galilæorum, propoſita eſt Ieſu à Phariſæis, duplicem

plicem laqueum tendentibus, in quorum alterum arbitrabantur necessarium vt incideret. Existimabant enim, respondendum ipsi alterutrum, vel licere vel non licere censum pendere Cæsari. Quòd si religioni magis fauens quàm prophano principi, responderet non licere (id quod optabant simul & sperabant, eò quòd diuini cultus rigidum se exhiberet vindicem) certi erant comprehendendum ab Herodianis præsentibus, vt seditiosum, legum publicarum violatorem, & rebellionis auctorem, tradendumque Romanis & ab eis perdendum vt imperij hostem & læsæ maiestatis reum, exemplo Iudæ illius, cuius nupera supererat memoria. Quòd si licere responderet, erant ipsi clàm, susurris reddituri inuidiosum populo, tamquam adulatorem principum & patriæ libertatis proditorem, magis fauentem tyrannidi Gentium quàm honori ac religioni Dei, denique populum Dei sanctum, semen Abrahæ, idololatris subijcientem, ac proinde effecturi vt posthac nihil obstaret quin possent pro libito manus in eum inijcere & occidere, à quo prohibebantur hactenus timore populi. Nam vt taceret Iesus interrogatus, sperabant non commissurum, ne videretur respicere personam hominum, & humano metu teneri, eoque veritatem occulere in re tanti momenti.

Mar. 12. v. 15. Luc. 20. v. 23.

Cognita autem Iesus nequitia eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ? [18] γνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὴν πονηρίαν αὐτῶν εἶπε· τί με πειράζετε ὑποκριταί;

COGNITA. Cognitam perspectamq; habuit Iesus fraudulentiam ipsorum (quamuis occultam, & tam vario artificio obuelatam, quasi nihil differrent ipsi ab optimis discipulis) spiritu illo suo diuino qui omnia scrutatur & corda penetrat. vide suprà 9. v. 4. NEQVITIA. πονηρία malitia, id est, fraudulenta hypocrisi. EORVM tam mittentium quàm missorum. TENTATIS. nitimini incautum fallere. Experiri volebant scientiam Iesu, non vt eam nouissent, sed vt Iesum deciperent & in mortiferum agerent laqueum. vide suprà 4. v. 1. HYPOCRITÆ. simulatores. Simulabant Iesum præceptorem eiusq; doctrinam in pretio à se haberi, seq; velle se ipsi præbere dociles, adeoq; religione moueri vt scirent hac in re veritatem, cùm nihil horum spectarent, sed hoc solum vt fallerent & insidias struerent ad perdendum. Perinde est igitur ac si dicat: Vos me putatis laudibus vestris speciosis atque hypocrisi capere & eò agere vnde nequeam me extricare: atqui perspectæ sunt mihi insidiæ vestræ, nouique quàm fictis animis me laudetis & doceri à me petatis, quibus nihil minùs curæ est quàm studium veritatis ac iustitiæ. Primis verbis retegit consilia ipsorum fraudulenta, quo nihil efficacius est ad retundendos hypocritas, qui, quamdiu latêre credunt hypocrisin suam, tamdiu insolescunt, si prodatur ac publicetur, turbantur animo minusque nocere queunt: *vt & prima virtus est respondentis, interrogantium mentem cognoscere*, quod in hunc locum Hieronymus ait. Ergo priusquam responsum daret, suæ diuinitatis specimen edidit, arcana ipsorum producens in medium, & significans intelligi à se dolos artesque ipsorum: vt, considerantes ipsum humanorum cordium cognitorem, resipiscerent mentemque mutarent. *Pharisæi igitur blandiebantur vt perderent* (ait auctor operis in Matthæum imperfecti) *Iesus confundebat vt saluaret: quia vtilior est homini Deus iratus quàm homo propitius.*

Mar. 12. v. 15. 16. Luc. 20. v. 24.

Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. [19] ἐπιδείξατέ μοι τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου. οἱ δὲ προσήνεγκαν αὐτῷ δηνάριον.

OSTENDITE. Quamuis potuisset amplius responsum negare, postquam aperuisset interrogantium dolum: ne tamen putaretur metu principum tacere quid sentiret, præterea vt Ecclesiam suam etiam hac in parte erudiret, captauit occasionem commodè respondendi captiosæ quæstioni, simulq; ad oculum demonstrandi quod res erat, petendo sibi exhiberi NVMISMA CENSVS, id est, nummum qualis census loco exigi consueuerat, quem alioqui non semel viderat. DENARIVM. Denarius argenteus (solebant enim Romani victis gentibus argentum in tributo imperitare, non aurum, quod scribit Plinius lib. 33 cap. 3.) minor, verisimile est (de quo sup. 18. v. 28.) ponderis circiter vnius drachmæ (nam drachma octaua, denarius septima pars vnciæ fuisse putatur) pretij regalis Hispanici, vnus aut plures, pro ratione census facultatum vniuscuiusque, numisma erat quod in censum annuè soluebatur ætate Christi. modestum sanè tributum.

Mar. 12. v. 16. Luc. 20. v. 24.

Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? [20] καὶ λέγει αὐτοῖς· τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή;

SVPERSCRIPTIO. ἡ ἐπιγραφὴ *inscriptio* vertit secundùm Marcum. Solent, vt nunc, ita & olim, numi figuræ esse rotundæ, & in medio quidem imaginem & arma, circa extrema autem nomen, insculpta exhibere, principis aut Reipub. cuius iussu erant cusi. Quòd verò interrogat quasi parùm agnoscat eiusmodi literas atque imagines, non est quòd ignoret, sed partim vt significet terrena huiusmodi non esse sibi curæ qui cælestia tractabat, partim vt qui ipsum captatum venerant capiat ipse, & extorqueat ex ipsorum verbis quæstionis solutionem, dum necesse haberent respondere id quod ad causam faciebat.

Mar. 12. v. 16. 17. Luc. 20. v. 24. 25.

Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. [21] λέγουσιν αὐτῷ· καίσαρος. τότε λέγει αὐτοῖς· ἀπόδοτε οὖν τὰ καίσαρος καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ.

CÆSARIS. Tiberij vtique, qui illo tempore regnabat inde ab annis octodecim. Manifestum hinc est fuisse Romanum numum: nam Iudæi, Cæsaris imaginem, rem sibi detestabilem, monetæ à se cusæ minimè impressissent. Tiberij imago medio denario insculpta erat, nomenque in circuitu, cum titulo, verisimile est, Asiatici aut Syriaci, declarante imperium eius in Iudæos. Nam quamuis longè ante Tiberium denarij apud Romanos vsus fuerit: eius tamen pretij numisma Tiberius cudi iussit, quod vellet sibi à Iudæis in censum pendi.

pendi. Nam, quod ex Ælio Lampridio Cæsar Baronius docet, moris apud Romanos fuit, vt numismata pro ratione tributi vel census ab Imperatoribus cuderentur, nec vno semper modo eadem permanerent, sed secundum incrementa ac decrementa tributorum mutarentur ac nouiter formarentur. REDDITE ERGO. Non respondet licere vel non licere Cæsari censum soluere; sed declarat, ex ipsorum verbis consequi, etiam oportere Cæsari censum soluere; declarat autem in hunc modum: Si verum est quod dicitis, denarium, qui in censum exigitur, Cæsaris & nomine & imagine insignitum esse: est igitur Cæsaris ille denarius: res enim eius esse censetur, cuius iure præfert vel nomen vel imaginem. Si Cæsaris est denarius, & tamen apud vos reperitur, in vsu & possessione vestra: igitur denarium à vobis exigens Cęsar, quod suum est exigit. Reddite itaque ipsi petenti quod suum est, denarium, inquam, & si quid aliud ipsi à vobis debetur. Nam etsi proprietas denarij iustè ad vos transiit: ius tamen supremi dominij penes eum manet qui insculpta imagine ac nomenclatura sua numum edidit: non tale ius, quali, omnes huiusmodi numos semel à se iusto pretio euulgatos gratis repetere possit, sed tale quali modestum de eis vectigal imponere possit. Quod est autem de numis, Cæsaris imaginem præ se ferentibus, in quibus res euidentior est, idem est de cęteris quæ Cæsar à vobis modo habito exigit in recognitionem dominij & subsidium administrandæ defendendæque Reipub. Postquam enim subiicimini Cæsari, postquam regnat vobis Cæsar (quod vel numi testantur quorum formam valoremque vobis ille pro animi sententia præscribit) pręstandum à vobis id omne est quod subditorum est, minimeq. litigandum de subiectionis parte, hoc est, de censu soluendo. Cæterùm si nullum penes vos Cæsaris numisma nec quidquam aliud bonorum huius mundi resederit, sed mecum reliqueritis omnia, conditione soluendi censum aut reddendi tributum Cæsari non tenebimini. Non itaque tam date quàm *reddite*, quippe debitum, CÆSARI in censum exigenti, denarium suum, & si quid aliud iuris ipsius tamquam principis est in vos, honorem, timorem, obedientiam. ET QVÆ SVNT DEI DEO s. reddite. καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. Deo bis addit articulum, Cæsari nequaquam, honoris causa Deo præ Cæsare debiti. Addit autem hoc posterius membrum Saluator variis ex causis, sed quas ad duas potissimùm reducemus. Prior est, vt occurrat Iudæorum obiectioni huiusmodi: Túne igitur populum Dei homini subiicis, & alium vis agnoscat dominum quàm Deum à quo in peculium electus est? Fieri enim, inquit, potest vtrumque, vt & Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt reddatis: non est fraudandus Cæsar iuribus suis pietatis prætextu. *Nec enim ex eo quòd reddit quis Cæsari quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo quæ Dei sunt*, ait in hunc locum Origenes. Docet itaque nihil officere pietati, si res humanæ hominibus dentur, si quis Deo dicatus det prophano principi tributum de ea re quæ pauperiorem reddit, non impium: & in summa pronunciat, non violari ius Dei, nec lædi eius cultum, si Iudæi, quoad externam politiam, Romanis pareant, eorum refellens errorem, qui se Dei populum esse non putabant, nisi ab omni humani imperij iugo essent immunes. Reipsa enim ostendit istos confundere rationes humanas cum diuinis, nec distinguere, vti deberent, inter magistratum terrestrem & cælestem. Præest quidem Deus vnus omnibus, & omnia Dei ipsius sunt: sed homines, in his quæ sunt huius mundi, Deus regit per homines. Præfecit itaque Cæsarem orbi terrarum (*non est enim potestas nisi à Deo.* Rom. 13. v. 1.) vult proinde Cæsari vt pareatur in his quæ sunt mundi, id est, in rebus corporeis & externis (verbi gratia, numis, quos ex ipsa materia & forma manifestum est nihil ad pietatem aut religionem pertinere) *non solum propter iram, verumetiam propter conscientiam* (Rom. 13. v. 5.) Interiora verò quæ animum propriè tangunt, quæ ad religionem & cultum sui pertinent, qui præsertim est *pura mente colendus*, non subiecit Cæsari, sed suo peculiari regimini ac iudicio reseruauit. Hæc Dei sunt iura, Deo reddenda. Cæsari reddenda sunt numismata ipsius imagine insignita: Animus qui Dei imaginem ac similitudinem gerit, Deo reddendus est, fidelis, pius, integer, immaculatus. Vnde Tertullianus libri de idololatria cap. 15. ait: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo; id est, imaginem Cæsaris Cæsari quæ in numo est, & imaginem Dei Deo quæ in homine est, vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum.* Inprimis itaque docet hac parte Saluator, nihil obstare quo minùs & Cæsari pareatur & Deo, salua pietate, immo suadere pietatem vt vtrique pareatur, singulo tamen in his quæ ipsi debentur, quæ ipsi sunt propria, ita vt neutri alterius prætextu fiat iniuria, nec Cæsari prætextu Dei, nec Deo prætextu Cæsaris. Vnde consequenter intelligitur quousque Cæsari terrenisque magistratibus obediendum sit, quousque scilicet continent se intra iura propria, à Deo ipsis concessa, nec ex Dei iure quidquam sibi vsurpant. Nam si quid præcipiant quod Legi Dei aduersetur, si quid exigant quod nos reddat impios, non quod suum est petunt, sed quod Dei. *Tu*, ait Chrysostomus, *cùm audis reddenda esse Cæsari quæ sua sunt, illa solum dici non dubita quæ pietati ac religioni nihil officiunt: nam quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris sed diaboli tributum & vectigal est.* Posterior causa cur hoc addat Saluator *Et quæ sunt Dei Deo*, est, vt perstringat hypocrisin Pharisæorum, qui magna tenerentur solicitudine an tributum Romanis soluendum esset, ob pietatem quidem, quod præ se ferrent, ne quid ex Dei honore decederet, sed reuera ob pecuniariam crumenæ iacturam. Nam si sincera pietate ducerentur, non tanto zeli ardore mouerentur pro re nihili, sed curarent quod magis ad rem pertinet, vt Deo redderent cultum debitum, obseruando mandata ipsius, minimè incumbentes fraudibus & dolis quibus perderent innocentem.

καὶ ἀκούσαντες ἐθαύμασαν, καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον.	22	Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.	Mar. 12. v. 17. Luc. 20. v. 26.

ET AVDIENTES. quod quum audissent. MIRATI SVNT adeò prudens cautumque responsum, quale non exspectauerant, quo ita satisfieret quæstioni ac rei ipsi, vt nihil relinqueretur, quo vel Cæsar vel populus meritò offendi posset; & illud quidem elicitum ex ipsorummet verbis, qui ipsum suis ipsius verbis irretire studebant. (*In laqueo isto quem absconderunt comprehensus est pes eorum.* Psal. 9. v. 16.) Nam vt ostenderet Iesus se non capi insidiosa illorum suauiloquentia, ita temperauit responsum admirabili sua sapientia, vt neutri parti se redderet obnoxium, sed & aduersariis adimeret captatam lædendi ansam, & omnes admoneret quid facere ipsos oporteret. ET RELICTO EO quem vincere non poterant, pudefacti, non sunt in melius mutati, sed ABIERVNT relatum eis à quibus missi fuerant præceptoribus Pharisæis responsum quod acceperant præcedente manifestatione totius machinationis dolosæ. Hoc igitur responso Christus gloriam suam singu-

singulariter illustrauit, coactis aduersariis pudore confusis discedere, qui aduersus semetipsos cuncta fabricati, vecordiam malitiamque suam tamquam in theatro euulgarunt. Agnoscimus ergo quàm verè scriptum sit Prou. 21. v. 30: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

Mar. 12. v. 18. Luc. 20. v. 27.

In illo die accesserunt ad eũ Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, [23] ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ προσῆλθον αὐτῷ σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν, καὶ ἐπηρώτησαν αὐτόν,

IN ILLO DIE. eodem illo die & hora, Pharisæis ad hunc modum delusis ac victis. SADDVCÆI. quidam Sadducæorum. De Sadducæis vide suprà 3. v. 7. QVI DICVNT. quidam illorum qui dicunt, qui docent. Descriptio Sadducæorum à doctrina insigniter erronea. NON ESSE RESVRRECTIONEM. nullam vmquam fore hominum semel mortuorum à morte resurrectionem. Syrus pericopen istam hoc modo legit: *Et dicunt ei, Non est viuificatio mortuorum*; tamquam isti hanc suam sententiam primùm aperuerint Iesu declarantes se esse Sadducæos, deinde ad huius suæ sententiæ confirmationem proposuerint eam quæ sequitur quæstionem. ET INTERROGAVERVNT EVM etiam ipsi quæstionem; non quidem dolosam, qualem mox proposuerant Pharisæi, sed eiusmodi qua existimabant egregiè stabilitum iri errorem suum, ac refutatum iri contrariam & quidem frequentem Christi doctrinam, de resurrectione ex mortuis, vita æterna & regno cælorum. Sectæ contrariæ aduersus Christum conspirant, nec alterutri displicet doctrinam suam in Christi persona oppugnari.

Deut. 25. v. 5. Mar. 12. v. 19. Luc. 20. v. 28.

dicentes: Magister, Moses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. [24] λέγοντες· διδάσκαλε, μωσῆς εἶπεν· ἐάν τις ἀποθάνῃ μὴ ἔχων τέκνα, ἐπιγαμβρεύσει ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἀναστήσει σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ.

MAGISTER. qui pro magistro te geris. MOSES. Etiam ante Mosen lex ista in vsu fuit, quod manifestum facit exemplum Thamar nurus Iudæ Genes. 38. DIXIT. præcepit. FILIVM. τέκνα liberos. Hebraicè est, vt hìc latinè, בן *ben* filium. nam vel vnico filio relicto, absoluebatur frater à suscitandi fraterni seminis lege. VT DVCAT. ἐπιγαμβρεύσει ducet. Moses hoc pluribus verbis explicat, ne incestuosum censeretur huiusmodi coniugium (quale aliàs fuisset) *Ingredietur ad eam, & (pro, id est) capiet eam sibi in vxorem, & leuiri iure ducet eam*: sic enim ad verbum hebraicè est. A nomine יבם *iabam*, quod est leuir seu frater mariti, fit verbum יבם *iabam*, tamquam si dicas leuirare, id est, leuiri iure ducere. Non absimilis huic est vox græca ἐπιγαμβρεύειν, qua Euangelium hìc vtitur, deducta à nomine γαμβρὸς, quod inter cætera affinem significat, tamquam dicas affinitatis iure ducere. FRATER. יבם *iabam*, leuir, LXX *frater viri* s. maior natu seu ætate proximus. ET SVSCITET. καὶ ἀναστήσει & suscitabit. SEMEN. posteritatem, filium, FRATRI SVO mortuo. Hoc est quod dicit Moses: *Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel*: seu, vt alij κατὰ πόδα vertunt: *Et erit, primogenitus quem pariet, stabit nomine fratris eius mortui, & non delebitur nomen eius ex Israel.* Cuius sensus est: Qui primus ex eo coniugio nascetur, mortui nomine censebitur; habebitur filius fratris mortui, eritq; heres illius. Suscitandi metaphora accepta videtur à cultura terræ, quòd quemadmodum ex terra culta sataq; fructus, ita ex vxore cognita filius exsurgat. Seminis autem vocabulo filius declaratur, non tantùm quòd ex semine Patris sit ortus, verumetiam quòd alius ipse vlteriùs semen esse, alios vicissim gignere queat. Iam hac parte datur intelligenda ratio Legis, quòd nimirum velit Lex, quo fieri potest modo, satisfacere naturali hominis absque liberis morientis desiderio. Cùm enim naturæ instinctu desideret homo, postquam nequit ipse permanere in seipso, relinquere à morte similem sibi loco suo, qui ipsum repræsentare videatur: eius rei spem facit etiam illi qui ἄτεκνος moritur, dum ordinat, vt ex vxore ipsius à fratre filius ipsi adscribendus progignatur. Hac enim ratione, mortuo quodam modo filius adoptatur: adeoque non potest non videri germanus mortui filius, qui & ex vxore & ex fratre ortus, ipsius gerat nomen & bona possideat.

Mar. 12. v. 20. Luc. 20. v. 29.

Erant autem apud nos septem fratres: & primus vxore ducta defunctus est, & non habens semen reliquit vxorem suam fratri suo. [25] ἦσαν δὲ παρ' ἡμῖν ἑπτὰ ἀδελφοί, καὶ ὁ πρῶτος γαμήσας ἐτελεύτησε, καὶ μὴ ἔχων σπέρμα ἀφῆκε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ.

ERANT AVTEM APVD NOS. inter ciues nostros. Siue vera res ista, siue ficta fuerit, nihil refert, cùm fuerit res possibilis, positoque possibili nullum sequi queat inconueniens, quæ est maxima Dialecticorum. Quamquam verisimile est figmentum fuisse, quod sentit schola Chrysostomi: quomodo enim non posteriores, priorum periculis territi, abominati mulieris illius nuptias fuissent? ET PRIMVS. quorum primus DEFVNCTVS EST vita breui pòst. SEMEN. Syrus *filios*. RELIQVIT iuxta præscriptum legis superioris. FRATRI SVO post se natu maximo.

Mar. 12. v. 21. 22. Luc. 20. v. 30. 31.

Similiter secundus, & tertius, vsque ad septimum. [26] ὁμοίως καὶ ὁ δεύτερος, καὶ ὁ τρίτος, ἕως τῶν ἑπτά.

SECVNDVS. καὶ ὁ δεύτερος & secundus s. ducta illa fratris sui vidua in vxorem, defunctus est absque liberis. SEPTIMVM. τῶν ἑπτὰ illos septem. nullus enim eorum renuit eam accipere, quò Legi obtemperarent.

ὕστερον

ὕστερον δὲ πάντων ἀπέθανε καὶ ἡ γυνή. [27] Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est.

Mar.12. v.22. Luc.20. v.32.

NOVISSIME AVTEM OMNIVM. ὕστερον δὲ πάντων post omnes autem. ne videretur postremo præ cæteris debita vxor, si ille superuixisset mulieri. DEFVNCTA EST. ἀπέθανε mortua est. nulli alij nupta post hos septem fratres.

ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, τίνος τῶν ἑπτὰ ἔσται γυνή; πάντες γὰρ ἔσχον αὐτήν. [28] In resurrectione ergo, cuius erit de septem vxor? omnes enim habuerunt eam.

Mar.12. v.23. Luc.20. v.33.

IN RESVRRECTIONE mortuorum ad vitam, quam tu futuram doces cum Pharisæis, id est, in vita æterna quam futuram doces post resurrectionem, cùm reuixerint septem illi fratres vnà cum muliere illa. DE SEPTEM. τῶν ἑπτὰ horum septem. VXOR? q.d. videtur non posse vni alicui eorum cæteris omissis attribui, subduntque causam, quia OMNES HABVERVNT EAM vxorem, & quidem legitimè, ex præscripto legis Dei, ac proinde omnibus est æquale ius ad illam recipiendam, & si vni attribuatur, eadem ratione debet & cæteris. De industria exemplum proponitur de iis qui legi obtemperarunt in ineundo coniugio: ne si aduersus legem egissent illi, negaret Christus futuram illorum, quippe impiorum, resurrectionem, vt non perinde credebatur à Pharisæis futura impiorum resurrectio. Huic igitur quæstioni quidquid tandem responderet Iesus, putabant Sadducæi consequuturam inextricabilem difficultatem & absurditatem intolerabilem, ac proinde vel hinc ridiculam euasuram doctrinam de mortuorum resurrectione. Nam si diceret illam fore vxorem huius vel illius è septem fratribus, euidens aperiret, ipsorum iudicio, seminarium discordiarum inter fratres, cæteris æquali iure nixis, bella dissidiaq; mouentibus fratri qui ea frueretur, aut certè, si legum vi cogerentur quiescere, inuidentibus fratri, quòd ille potiùs sua vxore frueretur quàm ipsi sua. Quòd si diceret, omnium pariter septem vxorem fore (quod verisimilius videri posset, ad reddendum vnicuique suum, & ad euitanda intestina inter fratres bella) rem cùm turpissimã tum absurdissimam pronunciaret, septem viros & quidem fratres, ad vnam ingressuros mulierem, inuerecundè, fœdè, incestuoséque, quod numquam permiserit, vel natura, vel ratio humana, vel lex Mosis, ne quidem vt vel duorum virorum vna esset vxor. Idcirco enim de vna vxore à septem fratribus ducta, iuxta legis præscriptum, exemplum produxerunt, potiùs quàm de vna septem viris nihil ad se mutuò attinentibus nupta (quod faciliùs vsu veniat) vt bella, dissidia, inuidiasque inter fratres, & incestuosæ libidinis portentum vrgerent atque idcirco de septem potiùs fratribus quàm de paucioribus aut pluribus, vt sic cresceret illinc rerum consequentiũ absurditas, ne hinc exemplum vt ἀδύνατον aut numquam euenturum contemneretur ac reiiceretur. Denique si diceret nullius fore vxorem è septem, arbitrabantur illud absonum fore, vt septem mariti viderent singuli coram se positam vxorem suam, nullusque eorum posset ea vti, sed cogerentur omnes vnà cum vxore cælibes esurire, cæteris coniugibus, quorum neuter hîc expertus esset secundas nuptias, illic se mutuò amplexantibus & fruentibus. Vndique igitur consequuturas cùm existimarent absurditates à ratione maximè dissentaneas, posita resurrectione; hac quæstione velut machina insuperabili euertere se posse putarunt Christi de resurrectione doctrinam. Nec absimile vero est, ipsos sæpius huiusmodi telo petiisse Pharisæos, quamquam Christo minus fuerit quàm plumbeus pugio.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· [29] πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφάς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ. Respondens autem Iesus ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

Mar.12. v.24.

ERRATIS. in eo quòd negatis futuram carnis resurrectionem. Erroris eos arguit, non hypocriseos, fraudulentiæ, aut malitiæ, vt Pharisæos: quare & patienter crassitudinem eorum docet. NESCIENTES. id est, eò quòd nesciatis, eò quòd vel non legatis vel certè non intelligatis. SCRIPTVRAS sacras (quamuis aliud vobis persuadeatis Mose pro vobis citato) quæ indubiè docent exspectãdam carnis resurrectionem. VIRTVTEM. τὴν δύναμιν potentiam. nec intelligatis potentiam Dei, quàm sit illa maior naturæ viribus, & potens hominem mortuum in vitam reuocare, corpusque animale mutare in spiritale. Nam quemadmodum naturæ viribus fieri non potest, vt humanum corpus absque cibo, potu, cæterisque similibus in vita sustineatur, & semel putrefactum redactumque in cineres dispersos in omnem ventum, aut etiam in res alias transmutatum, idem numero resurgat: ita imaginamini hæc fieri non posse à Deo, ipsius potentiam concludentes finibus naturæ creatæ intellectusque vestri. Atqui scrutanda erat vobis Scriptura, & dandum, Deum multa posse, quæ vos fateremini intelligere non posse. Causam erroris ipsorum aperit duplicem, vnam quòd Scripturas doctrinæ sacræ fontem non scrutarentur, qui se gerebant pro doctoribus populi; alteram quòd non considerarent omnipotentiam Dei. Illinc latebat eos veritas: hinc fiebat vt in alienum sensum detorquerent, quidquid etiam viderent in Scripturis de resurrectione prædictum: quemadmodum fecerunt & quidam post Christum, Hymenæus & Philetus, *dicentes resurrectionem esse iam factam*, quod testatur Apostolus 2.Timot.2.v.17.18. qui & ipse virtutem Dei in resurrectione spectandam docet 1.Cor.6.v.14. & alibi. Duplex causa ista huius erroris, mater est & plerarumque aliarum hæreseon atque errorum.

Mar. 12. v. 25. Luc. 20. v. 35. 36.

In resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. 30

ἐν γὰρ τῇ ἀναστάσει οὔτε γαμοῦσιν οὔτε ἐκγαμίζονται, ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τοῦ θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσι.

IN RESVRRECTIONE. tempore resurrectionis, tempore quod sequetur resurrectionem, in vita æterna. ENIM. Probat eos errare & ex errore procedere propositionem huiuscemodi quæstionis. NEQVE NVBENT NEQVE NVBENTVR. *Latina consuetudo*, inquit Hieronymus, *græco idiomati non respondet. Nubere enim propriè dicuntur mulieres, & viri vxores ducere: sed nos simpliciter dictum intelligamus, quod nubere de viris, & nubi de vxoribus scriptum sit.* ita Hieronymus. Græcè est, οὔτε γαμοῦσιν οὔτε ἐκγαμίζονται quòd proprio sermone vertas, *neque vxores ducunt neque dantur ad nuptias*, vti & Interpres ipse vertit Luc. 17. v. 27. Dicuntur ἐκγαμίζεσθαι quas parentes ἐκγαμίζουσιν, id est, nuptum dant & collocant (1. Cor. 7. v. 38.) nam probæ virgines sponte propria non nubunt aut viros eligunt. Syriacè est *Neque accipiunt mulieres neque mulieres sunt viris*. Sunt hîc præsentia loco futurorum, & personalia verba loco impersonalium: *Neque nubent neque nubentur* s. aliqui: subaudiendum est, vt vos opinamini futurum posita resurrectione. Ponebant enim illi pro re indubitata, si foret carnis resurrectio, fore & esum, coitum, cæteraque carnis oblectamenta & exercitia, qualia in hoc seculo: hoc posito interrogabant cuius è septem foret illa vxor? Christus Dominus loco responsi negat positionem ipsorum, neque ipsa respondet, non esse locum huiusmodi quæstioni, postquam non subsisteret quæstionis fundamentum: quod fundamentum quia admittebant Pharisæi, idcirco laborabant in diluendo hoc cauillo. Dicit igitur: Resurgent quidem viri & mulieres ijdem qui hîc vixerant, sed nequaquam carne copulabuntur sibi mutuò vt hîc. SED ERVNT *sed sunt*, quo modo legitur & in aliis latinis libris: at ponitur pro *erunt*, quod est viuent s. omnes, absque nuptiis & omni nuptiarum vsu. SICVT ANGELI DEI. sicut spiritus, qui sunt angeli, nuncij, ac ministri Dei. Etiam Angelos negabant Sadducæi (Act. 23. v. 8.) sed vnum eorum errorem Christus altero insinuato reddit odiosiorem, & refutat assumpta sententia alteri errori contraria tamquam clara & certa q. d. Tam absurdè erratis in neganda hominum resurrectione, quàm in negandis angelis. sunt enim subsistuntque Angeli, quos omnis scriptura memorat, & viuunt absque cibo, potu, coitu, multiplicati non successione generationis sed vna creatione. His similiter viuent homines olim mortui, vna iam resurrectione simul omnes in vitam reuocati: quod ne habeatur impossibile, præstò est illud angelorum exemplum. Non erunt incorporei, multo minùs angeli, nec enim forent homines: similitudo, non natura, angelica promittitur. IN CÆLO. qui in cælo sunt, id est, cælestes. s. sunt, sicut sunt cælestes angeli. Hoc addit ad differentiam angelorum diaboli qui in inferis sunt. Quemadmodum cælestes angeli viuunt absque nuptiis & omni nuptiarum vsu: sic viuent homines iusti ex morte rediuiui, non ducent vxores viri, neque nubent aut nuptui dabuntur mulieres, & qui hac in vita matrimonio iuncti fuerint, in illa matrimonium non agnoscent, vbi affectus nuptialis appetitúsve carnalis copulæ nullus erit, nec vllus matrimonij vsus siue ad sobolem propagandam siue ad mutuum auxilium ad vitæ curas ferendas. non indigebunt horum aliquo, sed vnusquisque sibi sufficiens erit, planè ac plenè Deo ipso beatus, sicut angeli sancti. Hoc si sciretis, non proponeretis crassam huiusmodi quæstionem, cuius è septem futura sit vxor. Notat eos crassæ stupiditatis, qui aliud vitæ genus mente concipere nequiret quàm hoc mortale, quod constat coitu, esu, potu, vestitu. Sed obiiciant illi. Ad quid resurgent viri & mulieres discreti genitalibus membris, quorum non est alius vsus quàm coitus & egestio, si egestio coitusque illic nullus erit? resurgent tamquam membra corporis eius quod resurgere habet, vt corpus quod vixerat & ceciderat, idem resurgat, idemque pro rerum gestarum merito recipiat, corpus inquam altera hominis pars substantialis: quod quamquam non vtetur tunc membris genitalibus. prout tamen illis bene vel malè vsum fuerit in vita mortali, decus ex eis referet vel ignominiam. *Corporibus illis* (ait Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 17.) *vitia detrahentur, natura seruabitur. Erunt membra fœminea, non accommodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non allicitur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit. sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui, & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit.* Huius angelici status expectatione solentur se oportet, quibus hîc *corpus corruptibile aggrauat animam*, præsertim si iam nunc pro sua virili meditentur agantque quod in resurrectione sunt futuri. *Nam etsi omnes virtutes spirituales res sunt angelicæ, præcipuè tamen castitas res est angelica: per hanc enim singulariter homines angelis assimilantur, & vincitur natura virtutibus*, ait Auctor operis imperfecti. Porrò loquitur hîc de iustis Dominus, quorum erit resurrectio ad vitam & gloriam, de quibus fuerat interrogatus: cæterùm idem relinquit intelligendum de impiis, quibus accidet resurrectio ad contumeliam æternam, quòd erunt sicut angeli diaboli in inferno, scilicet absque nuptiis; dissimili tamen ex causa. Nam in iustis nuptiæ cedent perfectioribus bonis: impiis verò non tantum erit bonorum quantum esse possunt nuptiæ.

Mar. 12. v. 26. Luc. 20. v. 37.

De resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: 31

περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν, οὐκ ἀνέγνωτε τὸ ῥηθὲν ὑμῖν ὑπὸ τοῦ θεοῦ λέγοντος·

DE RESVRRECTIONE AVTEM MORTVORVM quòd olim futura sit minimeque aduersetur scriptis Mosis. Sublato erroris fundamento, veram doctrinam validissimè probat sacræ Scripturæ auctoritate, ostendens ipsos nescire Scripturas. QVOD DICTVM EST A DEO DICENTE VOBIS. τὸ ῥηθὲν ὑμῖν ὑπὸ τοῦ θεοῦ λέγοντος, quod dictum est vobis à Deo dicente (quo ordine legit & Syrus) illud enim clarè adstruit futurã mortuorum resurrectionem. *Dictum est* autem *à Deo*, ministerio angelico, *vobis* Israelitis per Mosen. quòd à Deo iussus est Moses patribus vestris dicere, si quærerent ipsius nomen. Illis qui Mosen produxerant, Mosen regerit, per Mosen docens resurrectionem, quam illi per Mosen nitebantur subuertere.

ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ἀβραὰμ, καὶ ὁ θεὸς ἰσαὰκ, καὶ ὁ θεὸς ἰακώβ; οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς, θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων.	32 Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.

Mar. 12. v. 26. 27. Luc. 20. v. 37. 38.

SVM. non exprimitur hebraicè à Moſe, ſed ſubauditur pro linguæ more, & æternitatem declarat: Ego vt fui ita ſum & æternùm ero. DEVS ABRAHAM. Exodi capite 3. v. 5. cùm Moſes in deſerto appropinquaret rubo ardenti, citra conſumtionem ait ei Dominus de medio rubi: *Ne appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta est*. Et cauſæ loco adiecit v. 6: *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob*. Rurſus paulò pòſt v. 15. à Deo miſſus Moſes ad filios Iſrael, iuſſus eſt dicere: *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſit me ad vos*. quod idem repetitur v. 16. Hîc vbi Moſi Deus primùm ſe reuelat & ordinat eum prophetam, conſtanter vocat ſe Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Iacob: volens enim Moſi & filiis Iſrael innoteſcere, quibus proprium ipſius nomen tetragrammaton adhuc erat ignotum, à nobilibus ipſorum patribus vocat ſe Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Iacob. q. d. ſe illum eſſe Deum, quem celebres ipſorum patres, Abraham, Iſaac, & Iacob, olim in hoc mundo ſingulari pietatis affectu coluerint, & quos ipſe viciſſim ſingulari beneuolentiæ affectu complectatur iuſtus iudex. non ſolùm enim ſe nominat ab eo quod fuit, ſed & ab eo quod eſt æternumque erit: & à iudicio אלהים *Elohim* (cuius nominis hic eſt vſus) Deus vocatur, quod omnes docent. NON EST DEVS MORTVORVM. οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς θεὸς νεκρῶν Non eſt Deus, Deus mortuorum ſ. hominum, id eſt, extinctorum anima & corpore, quomodo vos aſſeritis homines mori, brutorum animalium inſtar. *Sadducæorum opinio* (inquit Ioſephus lib. 18. Antiq. cap. 2.) *cum corpore extinguit ſimul & animas*. Nam ſiue nomē ſiue naturam Dei conſideres, Deus qui eſt non eſt Deus eorum qui non ſunt, Deus vita non eſt mortuorum (quid enim vitæ cum morte?) Deus Dominus eſſe non poteſt eorum qui irrecuperabiliter perierunt (quis enim regem ſe eſſe glorietur eorum qui omnino non ſunt?) Denique iudex eſſe non poteſt eorum qui prorſus extincti ſunt & æternùm permanſuri ſunt mortui. in huiuſmodi enim nullum poteſt exerceri iudicium, his non poteſt bene aut malè fieri. SED VIVENTIVM hominum, corpore & anima vnitis, quomodo hîc viuitur, ſ. eſt Deus. nam vt & ipſe, ita eſſe declarat eos quorum ſe vocat Deum; vt eſt vita, ita vitæ rationem indicat in his quorum ſe dicit; vt eſt Dominus & iudex, ita eſſe ſignificat eos quorum eſt, eo ſtatu quo iuſtè eos iudicare queat & pro meritis dignè remunerare ac benefacere. Iam relinquit hinc colligendum Saluator: Igitur Abraham, Iſaac, & Iacob, non ſunt mortui ſeu extincti corpore & anima, ſed viuunt corpore & anima. Cæterùm cùm conſtet illos hactenus mortuos eſſe, id eſt, anima & corpore à ſe mutuò ſeparatis, intelligit illos viuere Deo, de quo addit ſecundùm Lucam: *Omnes enim viuunt ei*. Fatetur illos mortuos eſſe huic mundo, ſed negat Deo mortuos eſſe: Deo enim viuere illos docet, & tamquam dormire, vtpote qui poſſit ipſos in vitam reuocare, animaſque ipſorum corporibus iterum vnire, quod & certo certius facturus ſit. nam ſi id numquam facturus eſſet, non erat dicendus Deus ipſorum ſolius potentiæ ratione, non magis quàm brutorum animalium mortuorum. Ad ſimilem modum Saluator de Lazaro & puella loquitur quos ſtatuerat reſuſcitare. *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado vt à ſomno excitem eum*. Iohan. 11. v. 11. *Non eſt mortua puella, ſed dormit*. ſup. 9. v. 24. Quemadmodum à contrario, quod Chryſoſtomus annotat, Adam quo die comedit ex ligno vetito mortuus dicitur, quia certò moriturus erat, quippe ſententia lata. Deo futura omnia præſentia ſunt: ideoque de re futura tamquam de præſenti loquitur. Quòd ſi dicat quis (quod Sadducæi contra quos diſputatio eſt non dicebant) diſcrimen eſſe inter homines & beſtias mortuos, quòd à morte illorum animæ ſuperſunt immortales, harum intereant ſimul cum corpore, ac proinde Deum dici potuiſſe Deum iſtorum ratione animarum viuentium, etiamſi corporum reſurrectio numquam ſequeretur: reſpondendum eſt, Deum non poſſe dici Deum & iudicem Abraham, aut Iſaac, aut Iacob, ratione ſolarum animarum viuentium, ſi nulla eſt ſpes reſurrectionis corporis: nam imprimis anima Abrahæ non eſt Abraham, nec anima Iſaac, Iſaac, ſed vna ſola pars, quamquam præcipua, Abrahæ & Iſaac. Abraham, Iſaac, & Iacob, nomina ſunt, non animarum, ſed ſuppoſitorum ſeu perſonarum, vt loquimur, conſtantium anima & corpore vt partibus ſubſtantialibus. id quod notat etiam Theophylactus in Marcum. Nam quod Chriſtiani inuocantes animam Petri, dicimus Sancte Petre ora pro nobis, fit ob ſpem reſurrectionis. Adhæc non permittit æquitas diuini iudicij, vt Deus iudex iuſtus, remuneraturus Abrahæ pietatem in corpore exercitam, ſoli animæ Abrahæ benefaciat, relicto corpore, quo non minùs quàm anima conſtabat Abraham dum coleret Deum. Huc pertinet quod Apoſtolus ait 1. Cor. 15. v. 19: *Si in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus* (nec ſcilicet expectanda eſt nobis c[illegible]nis reſurrectio) *miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. Manifeſtè itaque ex hoc loco colligitur, non ſolùm immortalitas animarum, verumetiam reſurrectio corporum Abrahæ, Iſaac, & Iacob, illoſq; aliquando in vitam, anima & corpore vnitis conſtantem, qualem hoc in mundo egerunt, Dei virtute iuſtoque iudicio reuocandos eſſe. Quod ſi iſti, quare non & alij? Quærunt hîc plerique Latinorum, cur attulerit Chriſtus aduerſus Sadducæos hunc Exodi locum, obſcurum (quod videtur) nec ex profeſſo, ſed ex conſequenti dumtaxat, docentem carnis reſurrectionem, cùm exſtent apud prophetas clariſſima pleraque loca? & reſpondent, idcirco eum non attuliſſe teſtimonia prophetarum, quòd Sadducæi prophetarum libros non reciperent, ſed ſolos libros Moſis. id quod, quo fundamento nitatur, ſalua illorum auctoritate, non inuenio. Nam quòd Ioſephus lib. 18. Antiq. cap. 2. de Sadducæis ait: *Nec quidquam præter legem ſeruandum exiſtimant*; non opponit legem prophetis (eadem enim ſunt prophetarum quæ legis præcepta) ſed traditionibus: nam traditionum nulla erat Sadducæis cura, quod diſertè docet lib. 13. Antiq. cap. 18. cuius loci verba citauimus ſup. 3. v. 7. Si enim Sadducæi prophetas reieciſſent, proculdubio habiti fuiſſent deſertores patriæ religionis, & excluſi templo ac ſynagogis, vbi Pſalmi Dauidici quotidie canebantur, & prophetarum libri publicè legebantur atque exponebantur. Luc. 4. v. 16. 17. Act. 13. v. 15. 27. Atque vſque adeò non excludebantur locis ſacris & communione fidelium, vt & ipſe ſummus Sacerdos ſecta nonnumquam Sadducæus eſſet, quemadmodum Ananias ille de quo Act. 23. v. 2. & Iohannes ipſe filius ac ſucceſſor Simonis Machabæi. vide ſup. 3. v. 7. Quòd igitur attulerit

Christus ad adstruendam resurrectionem hunc potiùs locum ex Mose quàm alium ex prophetis, fecisse potuit, vel, vt loco ex Mose allato locum ex Mose opponeret, quod suprà subindicauimus ex Chrysostomo & eius schola vel quòd iudicauerit hunc locum locis prophetarum clariorem esse, aut certè ad refellendos Sadducæos validiorem. Non enim quæ nobis Christianis clarissima sunt prophetarum loca, continuò fuere eiusmodi & Iudæis eo tempore: fitque sæpe, vt magis pateant illusioni aduersariorum veritatis clarissima loca, quæ rem de qua agitur disertè adstruunt, quàm ea quæ rem non tam docent quàm ponunt, & non nisi implicitè, consequentiæ inquam necessitate, asserunt. Exempla suppetunt à nostri temporis hæreticis.

Et audientes turbæ mirabantur [33] in doctrina eius. | καὶ ἀκούσαντες οἱ ὄχλοι ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ.

AVDIENTES ἀκούσαντες quum audissent s. huiusmodi Iesu responsum Sadducæis datum. MIRABANTVR ἐξεπλήσσοντο percellebantur, obstupescebant. vide sup. 7. v. 28. IN super DOCTRINA EIVS. modo dicendi ipsius, expromto, claro, solido, diuino, efficaci, eruentis etiam ex Scripturis mysteria à nemine hactenus animaduersa. doctrinam de futura carnis resurrectione, frequenter audierant à Scribis & Pharisæis: sed numquam audierant tam facili ac solida sacræ Scripturæ auctoritate adstructam, nec tam diuinè expositum cuiusmodi futura esset hominum à resurrectione vita: qualis inquam iam angelorum, absque coitu, cibo, potu, reliquisque huiusmodi mortalis corporis siue voluptatibus siue necessitatibus. Scribarum enim & Pharisæorum, alij opinabantur fore, à resurrectione, hominum vitam qualis est in hoc seculo, id quod etiam hodie Iudæi credunt, quorum quidam quoque solos iustos resurrecturos asserunt: alij non tam resurrectionem docebant quàm μετεμψύχωσιν, id est, animarum in alia corpora transmigrationem. Itaque verè quidem docebant futuram hominum à morte resurrectionem: sed veram doctrinam multis errorum maculis adspergebant, de quibus aliquid dictum est suprà 14. v. 2.

Pharisæi autem audientes quòd [34] silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum. | οἱ δὲ φαρισαῖοι ἀκούσαντες ὅτι ἐφίμωσε τοὺς σαδδουκαίους, συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτό.

AVTEM. q.d. non sicut turbæ sunt admirati, sed inuidia agitati, *conuenerunt*. AVDIENTES. ἀκούσαντες cùm audissent, quidam suis ipsorum auribus, quidam ex relatu. SILENTIVM IMPOSVISSET. ἐφίμωσε ad verbum os obturauit. coëgit tacere & cedere cum dedecore. Non considerarunt quòd sapientissimè Iesus ex Scripturis sacris erroris conuicisset Sadducæos: sed hoc considerarunt & hoc ægrè tulerunt, quòd Sadducæos vicisset & superasset, gloriam inquam hanc illi inuiderunt. CONVENERVNT. Ne silentium videretur etiam ipsis impositum, qui præ Sadducæis videbantur sibi Scripturarum periti, *conuenerunt* dispecturi, adhibitis multorum consiliis, quî possent exprobratam Sadducæis inscitiam Scripturarum in ipsum Iesum retorquere, & gloriam sapientiæ quam retulerat deprimere. Nam quamuis odissent Sadducæorum hæresin, non ferebant tamen æquanimiter laudem quam reportabat Iesus ex illius hæresis debellatione. Pharisæi itaque & Sadducæi, quamuis inter se sectis contrarij, ad oppugnandum tamen Iesum pari mente consentiunt, nec animaduertunt sæpiùs antea victi, vanum fore conatum omnem suum, ambitione, inuidiaque, quæ temeritatem & impudentiam nutriunt, excæcati.

Mar. 12. v. 28.

Et interrogauit eum vnus ex eis [35] legis doctor, tentans eum: | καὶ ἐπηρώτησεν εἷς ἐξ αὐτῶν νομικός, πειράζων αὐτόν, καὶ λέγων·

ET. itaque post consilium initum. VNVS. à cæteris subornatus. emiserunt vnum, vt si vincat ille, omnes victores habeantur; si vincatur, solus erubescat. EX EIS. ex ipsorum Pharisæorum numero. LEGIS DOCTOR. νομικὸς q.d. legalis, id est, versatus & exercitatus in lege & Scripturis sacris. Syrus dicit *peritus legis*; Marcus *scriba*. quæ omnia eadem sunt. TENTANS EVM. tentandi gratia, causa sumendi maioris experimenti sapientiæ sacrarum Scripturarum in Iesu (D. Aug. lib. 2. de consensu Euang. cap. 73.) quamquam decipiendi animum apud collegas simularet. Videtur enim iste, se ipse obtulisse cæteris quibuscum conuenerat Pharisæis, ad aggrediendum Iesum, tamquam qui in promtu haberet quæstionem insignem & doctam, ex intimis legis arcanis petitam, qua facilè inscitiæ Scripturarum conuincere Iesum, & notam dedecoris inurere posset sapientiæ eius à populo admirationi habitæ. Simulauit itaque apud collegas propositum sibi esse Iesu conflare ignominiam: sed reuera nihil aliud desiderauit quàm audire sententiam Iesu, quem mox obseruarat in sacris Scripturis profundissimè exercitatum, de quæstione momenti maximi controuersa, quam nemo nisi legis siue sacræ Scripturæ peritissimus solidè soluere posset. id enim intelligitur ex Mar. 12. v. 28. 32. 33. 34. Itaque postquam Iesus in disserenda diuinarum humanarumque rerum ratione sapientiam declarauerat suam, nunc quantum calleat alteram disciplinæ partem, quæ in actione consistit, periculum fit. Quod sequitur καὶ λέγων & *dicens*, vt non est latinè, ita nec syriacè.

Mar. 12. v. 28.

Magister, quod est mandatum [36] magnum in lege? | διδάσκαλε, ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ;

MAGNVM. pro maximum. nam Hebræi carent superlatiuo. Sæpe de magno mandato interrogat, qui nec minimum obseruat. IN LEGE Mosis. Inter varia legis, Mosi à Deo datæ, mandata, quod est omnium maximum, quod Deus præ ceteris omnium maximè exigit, & cuius obseruatio ipsi est omnium gratissima. Hæc quæstio inter Scribas siue legis peritos tunc controuertebatur (quod notat V. Beda in Marcum) quibusdam

dam

dam præferentibus aliis omnibus mandatis illa quæ ſunt de offerendis ſacrificiis, quaſi nihil poſſet Deo gratius fieri, quàm quòd oblatis variis à ſe præſcriptis ſacrificiis coleretur (Mar. 12. v. 33.) quibuſdam illa præponentibus quæ ſunt de diligendo Deo & proximo (Luc. 10. v. 27.) Hæc igitur quæſtio cùm angeret hunc legiſdoctorem, voluit ſcire quid Ieſus de ea ſentiret.

ὁ δὲ ἰησοῦς ἔφη αὐτῷ· ἀγαπήσεις κύριον [37] τὸν θεόν σου, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου.

Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

Mar. 12. v. 30. Luc. 10. v. 27. Deut. 6. v. 5.

Ait. Reſpondet, quia vtilis quæſtio eſt; & quidem ex ipſis legis penetralibus reſpondet, allatis pro mandatis omnium maximis, vno ex Deuteronomio, altero ex Leuitico. Diliges. futurum indicatiui, loco imperatiui *Dilige*, more hebraico. Alloquitur Moſes populum Dei. *Dilige* vt filius patrem, non time vt ſeruus Dominum; *Dilige*, inquam, id eſt, beneuolo ac ſuaui amoris affectu complectere in pretio habitum. Cæterùm non interior tantùm amoris actus hìc præcipitur, ſed & exterior qui ab interiore proficiſcatur; nec actus ſolùm, verumetiam habitus, vt ſi quando actu non ames Deum, nihil tamen agas quod aduerſetur amori eius, quodque nolis ad ipſius amorem & honorem eſſe relatum. Dominvm. Vtitur hìc Moſes nomine tetragrammato, Deo proprio (vide ſuprà 1. v. 20.) perinde ac ſi diceret: *Diliges Ieſum*. Illud autem cùm ſit nomen eſſentiæ Dei, cauſam ſimul continet ob quam diligendus ſit Deus, & quidem *ex toto corde*, quod ſequitur, id eſt, ſuper omnia & propter ſeipſum: quia videlicet eſt ipſum primum ens ſummumque bonum, omnis entis omniſque boni principium, ac proinde primum ſummumque quod diligi & amari mereatur. Devm. qui eſt vnus ſolus verus Deus, creator, conſeruator, gubernator, & iudex, totius mundi huius. Tvvm. qui te in populum peculiarem elegit atque adoptauit qui te viciſſim diligit defendit, ornat, & innumeris beneficiis inceſſanter afficit, quem & tu denique ſolum colendum recepiſti. Hìc iterum aliæ cauſæ ſuggeruntur amoris, & priore quidem nomine *Dominus* ſignificatur, amore dignum eſſe ex propria natura; hoc verò *Deus tuus*, ex beneficiis in nos collatis, quia prior ipſe dilexit nos, ita vt non tam amari à nobis quàm redamari iubeatur: nihil eſt enim facilius quàm redamare amantem. Denique innuitur, ſi illi colendo nos ipſi obſtrinximus, hunc cultum inprimis exigi, vt ipſum diligamus. Ex. *ἐν in* legitur græcè & hebraicè, in hoc quemadmodum in ſequentibus membris: quamquam vtrumque tam *in* quàm *ex* latinè ſuperuacaneum eſt. Toto corde tvo. Non ſatis habet lex præcipere vt diligatur Deus, ſed addit, *ex corde*, vt eum vero, ſincero, ſolidoque amore proſequaris; nec hoc ſatis, verùm adiungit etiam *ex toto corde*. Qui diligit Deum non ex corde (quales illi de quibus Pſalmus 77. v. 36: *Dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei: cor autem eorum non erat rectum cum eo.*) hypocrita eſt: qui diligit corde non toto, aliud diligit, non Deum. Dei enim dilectio cor totum ſibi vendicat, non capitur niſi corde toto. Opponitur autem cor totum cordi diuiſo ſeu diſpertito, opponitur & cordi remiſſo ac languido. Vt opponitur cordi diuiſo, toto corde diligendus eſt Deus, quia nihil diligendum eſt, niſi vel Deus ipſe vel id quod Deo placet. Qui aliquid quod Deo diſplicet cum Deo diligit aut facit vel amat partim ea quæ Deo placent, partim ea quæ diſplicent, corde non toto ſeu integro, ſed diſſecto ac diſpertito in amorem alienum, Deum diligit, ac proinde nec diligit. exemplum eſt Deut. 13. v. 3. & 4 Regum. 10. v. 31. Diliges itaque Dominum ex toto corde tuo, id eſt, Dominum diliges & omnia quæ Dominus diligit quæque Domino placent, nihil autem eorum quæ Dominus odit vel quæ ipſi diſplicent. Hoc eſt autem reuera, ſolum Dominum Deum dilige, Deum nimirum propter ſeipſum cætera autem omnia propter Deum, vel quia Deus ea diligit diliges, vel quia odit oderis. Porrò vt opponitur cor totum cordi remiſſo, toto corde diliges Deum, id eſt, totum te des totuſque incumbas diligendo Deo, quod eſt, nihil æquè tibi ſit curæ ac Deum diligere, & ſtudere vt ipſi placeas, nihil tanti facias quanti amorem Dei ſic enim communi modo loquendi totum animũ libris ſacris applicat, cui nihil æquè eſt curæ ac ſtudium ſacrorum librorum. Iubemur amorem Dei & ſtudium placendi Deo, præferre rebus omnibus, ſtudioſiſſimè diligẽtiſſimeque huic rei incumbere, nihil magis aut æquè diligere ac Deum; non quidem ſecundùm intentionem, quamquam hoc Deo ſit dignum (fit enim vt homo iuſtus maiori amoris ardore feratur in parentes aut liberos quàm in Deum ſed ſecundùm pretium & æſtimationem, ita vt nihil ſic habeamus in pretio vt Deum, nihil tanti æſtimemus aut faciamus quanti Deum, ſemper parati iacturam omnium etiam vitæ noſtræ pati, potiùs quàm admittere aliquid contrarium dilectioni Dei. Hoc eſt autem quod dici ſolet, Deum ſuper omnia diligendum. Nam qui diligit aliquid plus quàm Deum, aut æquè charum habet ac Deum, non ille toto ſeu perfecto corde diligit Deum, ſed corde remiſſo ac flaccido puſilloque animo, ac proinde nec diligit. Poſterior hæc ratio totius cordis verſatur circa modum diligendi, prior circa res dilectas: vtraque paucis clariſque verbis ſic explicatur: Diliges Dominum Deum tuum propter ſeipſum ſuper omnia: cætera vel diliges vel oderis propter ipſum. In tota anima. toto animo. Mente. ſiue cogitatione. *τῇ διανοίᾳ.* hebraicè Moyſes loco *mentis* ſcribit *fortitudinem*: Marcus & Lucas Euangeliſtæ, quin & ſyriacum Matthæi Euangelium, vtrumque exprimunt, *& mentem & fortitudinem*. Porrò non ſunt tria hæc, cor, anima, mens, anxiè diſtinguenda: cordis enim nomine, & affectus declaratur qui dicitur anima, & intellectus qui dicitur mens. Maioris explicationis cauſa, nunc tria, nunc quatuor, exprimuntur in hoc loquendi genere, poſtquam interdum duobus ſolis, vt 4. Reg. 23. v. 3., ſæpe vnico hoc *ex toto corde*, nihil minus Scriptura velit ſignificatum. Ad epitaſin igitur vehementiamque declarandam idem hìc tertiò repetitum eſt, in quo omnino tibi ſignificetur & inculcetur, vt Deum ſolidè, quantum potes, ſuper omnia diligere ſtudeas, certus, quantumcumque etiam extremum ſtudium adhibeas, ſemper illum mereri maius, nec fieri poſſe vt modum excedas ſi dignitatem ipſius conſideres. nam, quod quidã ait, *modus amandi Deum ſine modo eſt*. *Lex iſta* (ait Victor Antiochenus in Marcũ *eiuſdem verbi circa eamdem materiam repetitione præ cæteris abundat: habet enim Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Facit hoc autẽ, quò hominem tanto Dei amore flagrare debere demonſtret, vt nihil prorſus in vllam omnino animæ facultatem irrepere ſinat, quod ſuam erga Deum dilectionem excludat aut diminuat aut aliò transferat.* hæc Victor. Ceterùm non præcipitur hac lege extremus ille

amoris gradus quo Deus dignus est, vt quem nec angeli assequantur: nec mandatur vt continuo perpetuoque amoris affectu atque actu feraris in Deum, citra omnem distractionem animi cordisque diuulsionem, hoc enim non est nisi beatorum: nec iubetur denique vt careas concupiscentia carnis legi Dei rebellanti, quod non est in potestate hominis mortalis: sed præcipitur, vt, pro conditione hominis mortalis, quoad eius fieri potest ab homine mortali (est enim sermo ad hominem mortalem) diligas Dominum Deum tuum propter teipsum super omnia, si non actu semper, at habitu; ita nimirum animo semper comparato, vt nihil tanti facias quanti Deum, omniaque tua ad eius honorem velis esse relata, paratus quidvis pati potiùs quàm admittere quid quod eius dilectioni aduersetur, quemadmodum iam explicuimus. Praua concupiscentia quæ occupat appetitiuas hominis vires, nisi regat hominem, seducta parte vtente ratione, non reddit reum transgressi huius mandati: immo quò viriliùs constantiusque illi resistit homo, eamque refrenat & subiugat, eò magis in Dei amore exercitatur & proficit. Quocirca Scriptura etiam ipsa testatur, ab hominibus mortalibus præceptum hoc obseruatum fuisse. Scribit enim inprimis de Iosia rege 4. Reg. 23. v. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* Rursus de Dauide 3. Reg. 14. v. 8: *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Atqui Dauid transgressus est hoc præceptum quando adulterio homicidium coniunxit. Rectè quidem, sed semel transgressus præceptum, non est censendus numquã obseruasse, præsertim transgressionis venia à Deo impetrata. Quòd si angelis hominibusque beatis ferenda esset lex charitatis (vt cæteris destructis *charitas numquam excidit.* 1. Cor. 13. v. 8.) non aliis verbis opus esset eam ferre, quàm quibus hîc fertur: quæ quidem tunc pro conditione angeli hominisque beati interpretanda forent: Dominum Deum tuum, primum principium & finem vltimum summumque bonum tuum, quo tibi, ipsius dono, frui datur, suauissimo charitatis affectu complectere, hunc solum, neglectis cæteris omnibus rebus, cogita, comtemplare, desidera, dilige incessanter, omnes cogitationes tuas, omnem vitam, & omnem intellectum, in eum confer à quo habes ea ipsa quæ confers, denique omnibus animi ac naturæ viribus in eius amorem æternum rapere, eoque inflammare & delectare, nec sit in te quod repugnet aut aduersetur. Sed quando fertur lex ista mortalibus, intelligi debet pro conditione modoque mortalium: sic tamen vt debeant intelligere mortales, quantumcumque in huius mandati obseruatione exerciti sint, semper superesse profectui locum.

Mar. 12. v. 30.

Hoc est maximũ & primũ mandatum. 38 αὕτη ἐστὶ πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή.

MAXIMVM ET PRIMVM. Hoc ordine legit etiam Syrus; nam Græcus è conuerso: *Primum & magnum.* Ad verbum enim græcè legitur *magnum*, vt suprà v. 36. *Magnum* autem siue *Maximum*, id est præcipuum, dicit, inprimis, quia Deus illud præ cæteris mandatis omniũ maximè ab homine requirit, illiusque custodia Deo omnium est acceptissima, quo repudiato cætera fecisse nihil prodest; deinde quia cætera omnia mandata secum trahit, & tamquam complectitur in se: non enim diligit Deum, nisi qui omnia eius mandata obseruet. Quid hîc dicent, qui credere maius prædicant esse mandatum quàm diligere? quibus & Apostolus aduersatur 1. Corin. 13. v. 13. PRIMVM. Primum est dignitatis seu perfectionis ordine, inprimis quia circa Deum primum ac summum bonum versatur, deinde quia primum & ante omnia illud obseruandum dictat lex naturæ integræ, denique quia cætera omnia mandata ad hoc respiciunt, & ad hoc referuntur tamquam ad finem, qui primus est in mente legislatoris. *Finis enim præcepti charitas.* 1. Tim. 1. v. 5. Primum autem eo magis vocat, *quò secundum quoque, quod à primo diuelli non debet, commodiùs inferre queat*, ait Victor in Marcum.

Mar. 12. v. 31. Luc. 10. v. 27. Leuit. 19. v. 18.

Secundum autem simile est huic: 39 δευτέρα δὲ ὁμοία αὐτῇ, ἀγαπήσεις
Diliges proximum tuum sicut teipsum. τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

SECVNDVM pro Alterum, nec enim est tertium. *Secundum* autem, non ordine legislationis aut Scripturæ, quia hoc priùs in Leuitico, illud posteriùs in Deuteronomio fertur, sed ordine dignitatis, quo Deus prior est proximo. Ordine perfectionis *secundum*, sed *primum* ordine generationis, prout se habet natura corrupta. *Qui enim non diligit fratrem quem videt: Deum quem non videt quomodo potest diligere?* 1. Ioh. 4. v. 20. SIMILE EST. non æquale sed *simile*, dignitate impar, officio aliisque modis *simile*. Nam & ipsum præcipit dilectionem, & quidem eiusmodi quam etiam Deus admodum requirit & probat: denique *simile* amplitudine omnia secundæ tabulæ mandata concludit. *Qui enim* (ait Apostolus Rom. 13. v. 8. 9.) *diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Plus itaque docet Iesus quàm fuerat rogatus, de maximo mandato rogatus, addit & à maximo proximum, vt doctrinam omnem de maximis mandatis absoluat, quorum vnum ex altero pendet, alterumque absque altero nequit obseruari, vt ne quis sibi persuadeat, modò dilecto Deo, securè se posse contemnere socios, denique vt occultè insimulet Pharisæos concepti erga se proximum odij. DILIGES. Dilige. vt suprà. Nec hîc interior tantùm amoris actus, verumetiam exterior præcipitur: præceptumque est, partim negatiuum, partim affirmatiuum: Numquam oderis proximum tuum, sed, pro re nata, nunc affectu sinceri amoris, nunc etiam opere prosequere. PROXIMVM TVVM, quemlibet alium hominem, quantumuis vilem, barbarum, aut incognitum tibi, etiam inimicum. vide supra 5. v. 43. D. Augustinus epistola 52: *Proximus sanè hoc loco*, inquit, *non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt omnes homines. Nam si pecunia ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negociandi sed nascendi lege communis?* Quæras: Quare igitur non dixit legislator, Diliges quemlibet alium hominem, sed dixit, *Diliges proximum tuum?* Vt nomen proximi simul suggereret tibi legis ipsius rationem: idcirco enim diligere iuberis quemlibet alium hominem sicut teipsum, quia ille proximus siue socius tuus est, quia est id quod tu, homo à quo nihil humani alienum est, ratione præditus, ad imaginem Dei factus, æternæ beatitudinis & summi boni, quod Deus est, capax. Qua igitur ratione moueris vt teipsum diligas; moueris autem consideratione naturæ illius tuæ propriæ; eadem æquum est mouearis, vt quemlibet alium homi-

hominem naturæ societate communioneque tibi coniunctum ac proximum diligas. Nec enim est tam barbarus aut impius, qui non sit nobis coniunctus hoc vinculo, quod sacrosanctum & inuiolabile est, nec vllius prauitate aboleri potest. In natura igitur communi, & in Deo communis naturæ auctore ac fine, considerandi sunt. SICVT TEIPSVM. s. diligis. Syrus sua phrasi, *sicut animam tuam*. vide suprà 10. v. 39. Non præcipitur amor sui ipsius, sed ponitur vt certus & indubitatus, quem sponte, natura ipsa duce, citra præceptum omne geramus. Cæterùm non quiuis amor sui ipsius intelligitur: est enim qui passim damnetur, & in amando seipso excedat modum, cuius duo præcipua sunt vitia, vnum quo diligit homo seipsum secundùm exteriorem maximè hominem, obsequendo concupiscentiis suis; alterum quo se solum diligit neglectis aliis. Intelligitur autem hic amor sui ipsius sobrius seu ordinatus, eiusmodi qui sequitur, non corruptum peruersumque iudicium, sed dictamen rectæ rationis, quo solicitus est homo vt se conseruet, & bonum congruum sibi procuret malaque aduersantia repellat: quibus quidem de rebus nō est opus vt lex homini feratur. Dicit ergo lex, *Sicut teipsum* diligis, quibus verbis duo vult: Primùm corrigere vitium illud philautiæ seu amoris tui, quo tibi ipsi nimium deditus, aliis neglectis tui solius curam geris. nam q.d. Tu non solùm teipsum, quòd soles illiberaliter, verumetiam proximum diliges, in eumque diffundes amorem tuum. Deinde præscribere vult modum quo proximum diligas, ne vel excedas vel desis. Quocirca non dicit *ex toto corde tuo*, nam ille amoris modus soli debetur Deo: nec dicit *plus quam teipsum*. Deum enim plus quàm nosipsos diligere iubemur, sed proximos quamquam aliquando laudabiliter possumus non tenemur, vbi agitur de eiusdem ordinis bonis, aliquando nec possumus. Rursus non dicit *propter teipsum*, quia diligere proximum propter teipsum, non est nisi diligere teipsum, quemadmodum diligere proximum propter Deum, est diligere Deum, id quod superiori mandato præceptum non repetitur hic. Denique non dicit *æque ac teipsum*, siue *quantum teipsum*: sicut enim non teneris æquè benefacere proximo ac tibi ipsi rebus ipsis externis, quando scilicet aut impedit aut nō vrget necessitas; ita nec æquali animi ardore teneris bene velle: quamquā non possis inuidere aut nolle ipsi æquè bene esse, aut etiam meliùs quàm tibi. nam & tu hoc damnes in aliis erga te, vt in paupere diuitias tibi inuidente. Dicit ergo *sicut teipsum*, quod est, simili modo quo teipsum diligis, ad exemplum & formam dilectionis tui, vt quemadmodum teipsum diligis verè & sincerè, bonum tibi ipsi volendo ac faciendo, malum nolendo atque auertendo, idque non contemptim ac viliter, sed propter tuum ipsius bonum; simili modo te habeas erga proximū. Itaque *diliges proximum tuum sicut teipsum*, hoc idem est quod sup. 7. v. 12. Saluator aliis verbis extulit. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*; quodque huic ex opposito respondet Tob. 4. v. 16: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*. *Ea est enim regula dilectionis* (ait Augustinus libri de vera religione cap. 46.) *vt quæ homo vult sibi bona prouenire, & proximo velit: & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit*. In summa, amor sui ipsius, naturalis ille & sobrius qualem diximus, datur nobis regulæ & exempli loco, ad quem exigere oporteat amorem proximi: vt quauis re nata, si scire velis quomodo te erga alium gerere debeas, cōsideres quomodo simili re nata velles alium se gerere erga teipsum.

ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται.	40	In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.

IN HIS DVOBVS. non in solo altero. VNIVERSA vel tota. nam vtrumque admittit vox ὅλος. PENDET. κρέμανται pendent. est enim græcè ordo verborum: *Vniuersa lex & propheta pendent*. Sensus est: His duobus mandatis exhibentur, comprehenduntur summatim & ob oculos ponuntur, tota legis & prophetarum doctrina, non tantùm decem illa decalogi præcepta. Eorum omnium quæ lex & prophetæ iubent, cauent, ordinant, statuunt, monent, docent, subductis rationibus hæc est summa, diligendum ab homine Deum præ omnibus & proximum sicut seipsum. Hæc est totius legis epitome, hoc summarium totius diuinæ Scripturæ: quidquid illic exstat quod ad doctrinam vitæ, ab illis adimpletur qui diligunt Deum & proximum. Dei dilectione continentur omnia quæ sunt fidei, spei, religionis & morum; proximi verò, omnia quæ sunt iustitiæ & iudicij, obseruātiæ, veritatis, amicitiæ, misericordiæ, & similium. *Pendent* ergo inquit; non tantùm huc tendunt aut referuntur (nam vel ad prius solum, ad diligendum Deum, tendūt omnia legis & prophetarum, tamquam ad vltimum finem) sed *pendent*, id est, summatim intelligenda proponuntur, quemadmodum id quod in ligno pendet, ab omnibus videri & considerari potest. Non enim mox vt Deus docetur diligendus, intelligitur diligendus & proximus: sed ambo ista simul clarè ob oculos ponunt quidquid lex & prophetæ hominem doctum volunt. vide suprà 7. v. 12. Quare ob oculos semper habenda sunt præcepta ista duo, & ad ea studia omnia nostra exigenda.

συνηγμένων δὲ τῶν φαρισαίων, ἐπηρώτησεν αὐτοὺς ὁ ἰησοῦς,	41	Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus,

CONGREGATIS. cùm essent congregati eo tempore, conuenerant enim, quod dictum est suprà v. 34, vt dispicerent quì deprimere possent spectatam vndequaque Iesu sapientiam. Noluit Iesus vni soli eam quæ sequitur quæstionem proponere, vt illi qui interrogauerat de mandato maximo, sed congregatis voluit, vt omnes doceret rem scitu necessariam, declarans gratum sibi fore si vel aliquis eorum nosset respondere, si non omnes. Itaque *qui ad tentandum Iesum fuerant congregati, & veritatem fraudulenta interrogatione carpere nitebantur, occasionem præbuerunt confutationis suæ*, ait D. Hieronymus. PHARISÆIS. quorum aliqui etiam scribæ erant officio. vt ille de quo mox v. 35. Sadducæos non interrogat, vel quia non aderant, vel quia non conuenerant: maximè verò, quia improbabiles erant, & Scripturarum ignari, præteriuit eos. INTERROGAVIT. Pluribus impetitus aduersariorum sibi mutuò succedentium quæstionibus, suo iure & ipse tandem quæstionem vicissim expromsit, non insidiosam aut otiosam, sed necessariam cum primis & opportunam, qua discere potuerant summam credendorum (suprà 16. v. 16.) quemadmodum superiori quæstione docti fuerant summam agendorum, qua denique si discere nollent, sæpe hactenus victi, omnino prosternerentur.

rentur. Nam etsi sufficientibus hactenus argumentis intellexissent Iesum esse Christum filium Dei, sicut ostensum est suprà 21. v. 38: illud tamen sibi persuadere noluerunt odio Iesu, prætexentes Scripturas esse contrarias, quæ vnum solum agnoscunt Deum. Persequebantur itaque & ad necem quærebant Iesum, hac præcipuè adducta causa, quòd non tantùm se Christum diceret, verumetiam filium Dei, *quia patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* (Ioh. 5. v. 18.) *quia homo cum esset, faceret seipsum Deum* (Ioh. 10. v. 30. 33.) & Abrahamo priorem (Ioh. 8. v. 58. 59.) Vnde & Pilato occlamabant (Ioh. 19. v. 7.) *Nos legem habemus* (s. docentem vnum esse Deum) *& secundum eam debet mori, quia filium Dei se fecit.* Proposita igitur quæstione, qua ex Scripturis sacris manifestè docet, promissum Christum esse, non hominem tantùm, verumetiam genuinum filium Dei, omnem ipsis eripit prætextum aduersandi sibi, & pertinaces meræ condemnat malitiæ: opportunè, cùm instaret hora mortis, post doctrinam verbo & opere rutilantem, post omnia miracula & signa, post argumenta æqualitatis cum Patre complura, ex sacris libris testatam faciens naturam diuinam in se cum humana coniunctam, vt intrepidè in ipsum recumberet piorum omnium fiducia. Nam si altera natura ipsi defuisset, saluare nos morte non potuisset. vide suprà 16. v. 20. 21.

Mar. 12. v. 35. Luc. 20. v. 41.

dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid.	42 λέγων· τί ὑμῖν δοκεῖ περὶ τοῦ χριστοῦ; τίνος υἱός ἐστι; λέγουσιν αὐτῷ· τοῦ δαβίδ.

DICENS. Hic vltimus Christi sermo ad Pharisæos & aduersarios suos fuisse creditur (exceptis iis quæ iam captus ipsis respondit) quo ad cognoscendum se, illos prouocare est adnisus. QVID VOBIS. qui Scripturas scrutamini. VIDETVR. quæ vestra fides aut sententia est. DE CHRISTO ex Dei promissione à vobis exspectato; de illius natiuitate ac natura? Eadem est hæc quæstio cum illa suprà 16. v. 15. Apostolis proposita: *Vos autem quem me esse dicitis?* nisi quòd illic de seipso apertè interroget, vtpote cum sinceris discipulis & amicis agens. Nam hìc cum aduersariis & inimicis agens, qui ipsum Christum esse pernegabant, non de se quærit, ne calumniandi ansam præberet (*seductorem enim profectò & perditum virum respondere non dubitassent*, ait Chrysostomus) sed generaliter de Christo, quem proculdubio exspectabant, licet Iesum esse negarent. q. d. sepósita controuersia illa, simne ego Christus an non, dicite candidè, quid de Christo, quicumque ille sit aut erit, sentiatis. CVIVS FILIVS EST seu erit (absoluitur *est* à tempore, hominis ne filius an etiam Dei? quid docet hac de re Scriptura sacra? Excitat quæsitum hoc, quo ex sua hac interrogatione & ea quam nouerat eos daturos responsione commodè quò tendit perueniat. DAVID. est filius Dauid, proditurus est ex genere, familia, & semine Dauid: hoc Scribę publicitùs docent ex sententia sacrorum librorum quibus Dauidi promittitur Christus filius. Hoc adeò tritum erat eo tempore, vt Christus vulgò vocaretur filius Dauid. vide sup. 1. v. 1. De proximo Christi patre non arbitrantur Pharisæi Iesum quærere, vt cuius nomen putent Scripturis non expressum, ignari quid sibi velint ea loca, *filius meus es tu, ego hodie genui te* (Psal. 2. v. 7.) *Ex vtero ante luciferum genui te* (Psal. 109. v. 3.) *Ecce virgo concipiet & pariet filium:* (Isa. 7. v. 14.) nimirū, Christo proximum patrem non alium esse quàm Deum, proximam matrem virginem. Respondent igitur, Christum eius esse filium, qui titulo progenitoris Christi celeberrimus est in sacris literis, à quibus nec alius nominatim post hunc eo titulo ornatur: sed non assequuntur mentem Iesu, qui de proximo potiùs patre quærit, & alludit ad morem illum suum quo consueuerat ipse Deum vocitare patrem suum. Cæterùm non malè intellexerant illi ex sacris literis, Christum ex semine Dauid nasciturum: sed reprehensionem merebantur quòd hoc solum intellexerant nec quidquam amplius. Nihil amplius illi hauserant ex diuinis Scripturis, quàm Christum hominem Deo charum super omnes qui vmquam Deo placuerant nasciturū ex posteritate Dauid, & collapsum patris regnum restituturum multo augustius quàm vmquam fuerat, redemtis Israëlitis omnibus ex dispersione gentium, gentibusque omnibus imperio Iudaico subiugatis. Nec aliud vulgò de Christo sentiebatur, quàm quòd futurus esset terrenus quidam rex, qui populum Dei in terrenam quandam libertatem assereret, regnumque terrenum ad fines vsque terræ dilataret, oriturus ex tribu Dauidis. Carnales nihil nisi carnale sperabant, habebantque Christum quasi vnus quilibet ex Adæ filiis futurus esset, reipsa auferentes ipsi facultatem saluandi mundum.

Mar. 12. v. 36. Luc. 20. v. 42.

Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, dicens:	43 λέγει αὐτοῖς· πῶς οὖν δαβὶδ ἐν πνεύματι κύριον αὐτὸν καλεῖ, λέγων·

ILLIS. coram populo vniuerso pręsenti, quos omnes docere cupiebat. QVOMODO ERGO. s. si Christus nihil aliud est quàm filius Dauid. Obiicit aduersus responsionem ipsorum, vt doceat, non falsam illam esse, sed minùs sufficientem. Arguit enim illorum ignorantiam, qua nihil aliud de Christo sentiebant, quàm quod conuenire posset hominis filio, ansam præbens ampliora de maiestate Christi cogitandi.
IN SPIRITV s. sancto, id est, per Spiritum sanctum, dum motus, impulsus, actusque spiritu Dei sancto, Christi historiam arcana aptissimaque serie præuisam sibi decantat. nam extra controuersiam est, quòd librum Psalmorum dictauerit, non suo sed Dei spiritu, instinctu Spiritus sancti, qui nec erronea, nec vana, nec superuacanea, nec vllo modo pugnantia dictat; nec adulationis causa aut ad ornatum quidquam pronunciat, quod idem ad rem & veritatem non faciat. Inest in hoc loquendi genere quædam energia, qua significatur, non tam Dauidem loquutum fuisse quàm spiritum Dei, qui quodammodo Dauidem ipsum possederit. Dicitur enim, nescio qua maiori cum emphasi, *Dauid in spiritu* loquutus, quàm *spiritus in Dauide*, quasi Dauid vt instrumentum à Spiritu actus fuerit. DOMINVM, s. suum, ac proinde se seruum illius.

Psal. 109. v. 1.

Dixit Dominus Domino meo, Sede	44 εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου

ἐκ

ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου; | à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? | Mar. 12. v. 36. Luc. 20. v. 42. 43.

DIXIT pro dicet, more prophetico. DOMINVS Deus. Nomen Dei ineffabile hoc loco legitur, quod interpretetis *Ens*, sed solet transferri *Dominus*, quod docuimus sup. 1. v. 20. DOMINO MEO Messiæ siue Christo. לאדני *ladoni*. Non legitur hîc *Adonai*, quod est aliud Dei nomen quod propriè vertitur *Dominus*, sed *Adoni*, quod est nomen appellatiuum significans *Dominus meus*. SEDE A DEXTRIS MEIS. לימיני *limini* ad dexteram meam. sis agnoscarisque mihi æqualis, natura, maiestate, imperio. Non est intelligendum quòd Deus corporeus sit ita vt vel dexteram vel sinistram habeat, nec quòd Filius Dei Patri præferatur, ita vt Pater à sinistris sit, Filio à dextris constituto (mox enim versu quinto Pater collocatur à dextris Filij.) sed metaphora ab eo sumta, quòd locus maximè honorificus, apud Israelitas certè & pleraque alias nationes, sit sedere à dextris (metaphorica enim locutione, non necesse est significari respectum ad sinistram: vt non omnes respectus mox significātur metaphorico sermone, qui proprio) significatur quòd Filius Patri sit æqualis, quòd habeat cum Patre naturæ consortium, æquum regnum paremque maiestatem, quòd fruatur paterno regno, pari in throno, pari in honore permanens, eamque dignitatem pacificè & quietè, solidè immutabiliterque obtineat. vide Mar. 16. v. 19. Sedet autem Filius ad dexteram Patris iam inde ab æterno: quò si respicias, dicere sede à dextris meis, est æqualem sibi Filium generare, quo modo exponit glossa: sed Christus, hoc est, Filius Dei factus homo, ab initio demum incarnationis sedet à dextris Dei Patris, quando Pater cuius dicere est facere, vt dedit homini esse Deum, ita dedit esse Deo æqualem. Cæterùm de tempore glorificationis Christi præcipuus est Prophetæ sermo: nam Christo à negotio redemti generis humani ad cælos ascendenti, dixit Deus Pater sede à dextris meis, iussit vt sederet, dedit ei sedere ad dexteram suam, hoc est, prædicantibus Apostolis & credente orbe terrarū agnosci ab omnibus sedere ad dexteram Dei, Deo esse æqualem, & accepta omni potestate in cælo & in terra regem esse regum & Dominum dominantium (familiari enim Scripturæ tropo res tum dicitur fieri cùm innotescit) quando & iussus est effectus huius sessionis se diffundere in humanam naturam. Hæc interpretatio est Apostoli Ephes. 1. v. 20: *secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem ecclesiam*. Similiter ad Philip. 2. v. 9. *Exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris*. Itaque Iesus Christus homo sedet ad dexteram Dei (infrà 26. v. 64.) sed ratione naturæ suæ diuinæ, ita tamen vt effectus huius sessionis exundet in humanam, quo sic ornatur humana natura, vt dignum est diuinā cui coniuncta est, quod quidem est frui potioribus bonis Dei, quibus potiora nō possunt contingere creaturę. Vel igitur ex consequentibus his verbis, *Sede à dextris meis*, intelligere debuerant Pharisæi, cur Dauid Christum vocaret Dominum suum. *Ad quem enim hominum aut angelorum dixit aliquando Deus: Sede à dextris meis?* sic vrget iterum Apostolus Heb. 1. v. 13. DONEC. significatur Christus perpetuò sessurus ad dexteram Dei. *Donec* enim affirmationis & promissionis vim habet: non excipit tempus aliquod, sed illud exprimit quo videri poterat Christus non sedere à dextris Dei, intelligendum relinquens postea multo magis sessurum. vide sup. 1. v. 25. Quare Apostolus Heb. 10. v. 12: *In sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius*. *Donec* igitur quidam positum putant pro *etiam donec*. PONAM. reddam, faciam vt sint. Pater ad se accipit subiugationem inimicorum, vt eo certiùs futura credatur. Nam quòd à Patre subiiciuntur Filio inimici, non infirmitatem Filij, sed vnitatem naturæ qua alter in altero operatur significat. Nam & Filius subiicit inimicos Patri. sic D. Ambrosius in Lucam. INIMICOS TVOS. eos qui tibi aduersantur, quicumque illi sint, reges, populi, regna, imperia, Iudæi, Gentiles, Turcæ, & alij quicumque. Inter cæteros significauit spiritus Dei ipsos Scribas & Pharisæos. SCABELLVM. ὑποπόδιον. vide suprà 5. v. 35. PEDVM TVORVM. sub pedibus tuis. subiectos tibi instar scabelli sub pedibus, ita vt eos pedibus conculces, & pro arbitrio punias. Non dicit donec tradam eos in manus tuas, sed quod amplius est, sub pedes, quo declaratur extrema rigidissimaque subiectio. Subiicientur Christo etiam electi: sed dulci, amica, filialique conditione; reprobi autem violenta, coacta, acerba, seruili, & ferrea. Fit hæc autem paulatim vt moriuntur singuli inimicorum Christi: sed implebitur perfectè de Christi inimicis ad vnum omnibus ab extremo iudicio, quemadmodum docet Apostolus 1. Cor. 15. v. 24. & seqq. Docet itaque hîc Spiritus sanctus inuictum & inexpugnabile fore Christi regnum: est enim sensus, quantumuis insaniant homines, irritum tamen fore quidquid machinari audebunt ad labefactandum Christi regnum, quod non hominum arbitrio sed diuinitùs erectum æterna stabilitate fulcietur. Aduerte autem quàm in loco vtatur Iesus hoc Psalmi testimonio, quo non solùm declarat Christum Dominum esse Dauidis, sed & absolutam fore Christi aduersus hostes victoriam, quò timorem incutiat aduersariis suis quibuscum agit, ne hoc ipsis contingeret, quod Propheta prædixerat de hostibus Christi. conscij sibi cùm essent, quòd Iesus ipse non temerè à plerisq; Christus haberetur, & pro eiusmodi se gereret. Fuit igitur ac si diceret: nihil miseri omittitis quo me impugnetis: sed tantum abest vt me expugnaturi sitis, vt paulò pòst ad dexteram suam Pater me sit collocaturus in summa rerum omnium potestate, quam exercebo donec vos & alios omnes hostes meos ad nihilum redegerim & in gehennam præcipitauerim. Certè id apertè ipsis dixit paulò pòst captiuus cùm adiuraretur à principe sacerdotum: *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. infra 26. v. 64. habent hæc omnia minas contra hostes Christi.

εἰ οὖν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν κύριον, πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστι; | 45 | Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? | Mar. 12. v. 37. Luc. 20. v. 44.

VOCAT EVM DOMINVM suum, vt verè vocat. QVOMODO FILIVS EIVS EST? quomodo hæc consistunt,

Christum & Dominum Dauidis esse & filium? quomodo non repugnant, Christum Dauidis esse filium, & nihilominus à Dauide vocari Dominum? Res est insolitata & ab ipsa natura naturalique rerũ ordine aliena, vt pater filium Dominum vocet, vt pater se filij seruum agnoscat, progenitor nepoti multis pòst seculis ex progenie sua nasciturо vt Domino suo se subiiciat. Filius & nepos esse nobis potest, qui post nos futurus est: sed Dominus esse non potest, nisi qui aut nobiscum est, aut ante nos est. fit autem vt filius patrem honoris causa Dominum appellet, sed nõ facilè contrà. Salomon 3. Reg. 1. v. 19. 26. vocatur *seruus Dauidis*, sed nusquã Dauid Salomonis. *Quomodo filius eius est?* Loquitur tamquam non esset agnoscendus filius Dauid, vt errorem illorum corrigat, & intelligant non esse Christum talem filium Dauid qualem ipsi imaginabantur. Non enim negat Christum esse filium Dauid, sed quærit quomodo hoc fiat: *quomodo, verbum quærentis est, non negantis*, ait D. Augustinus serm. 234. de tempore. Reprehenduntur enim, non quòd docerent fore Dauidis filium, sed quòd merum sibi hominem fingerẽt, qui venturus è cælo erat vt hominis naturam indueret. Est igitur mens Iesu: Cùm Christus secundùm humanam naturam sit filius Dauid, ac proinde eo inferior, oportet ponere in eo & aliam naturam per quam sit Dominus eius & eo superior.

Mar. 12. v. 34. Luc. 20. v. 40.

Et nemo poterat ei respondere[46] verbũ: neque ausus fuit quisquam ex illa die eũ amplius interrogare.

Καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο αὐτῷ ἀποκριθῆναι λόγον· οὐδὲ ἐτόλμησέ τις ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἐπερωτῆσαι αὐτὸν οὐκέτι.

ET pro sed. NEMO illorum omnium Pharisæorum, qui illic erant congregati. VERBVM. id est, quidquam (vide sup. 15. v. 23.) scilicet quo difficultatem hanc explicaret Non poterant negare Psalmum illum de Christo scriptum esse: hoc enim apud ipsos in confesso fuisse docet ipsorum silentium, prout etiam ex contextu Psalmi euincere promtum est, de alio intelligi non posse. non enim in merum hominem aut in alium quàm in Christum competere possunt quæ illic leguntur. Iudæi posteriores varias expositiones commenti sunt, quibus lucem hanc nobis eriperent, sed frustra. Inter cæteros, Auctoris chaldaicæ paraphraseos quæ hodie exstat, palpabilis non versio sed peruersio est ista: *Dixit Dominus in verbo suo quòd daret mihi dominationem, eo quod sederim ad discendam legem dextera mea: Expecta quo usque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum:* quamquam Petrus Galatinus lib. 3. cap. 5. & lib. 8. cap. 24. aliam paraphrasin nobiscum clarè facientem, quam adscribit Rabbi Ionathæ, citet in hæc verba: *Dixit Dominus verbo suo, sede ad dexteram meam.* Sunt qui dicant Psalmum hunc à Dauide populo dictatum fuisse, non sibi, tamquam populus Christum vocet Dominum suum, non Dauid. Atqui, vt non se eximere voluit Dauid à populo Dei, ita nec ab imperio Christi, quem nouerat populo Dei promissum redemtorem: nec enim siue ipse siue alius quisquam à Christi subiectione eximi potest, quin simul excidat salute æterna. Sed roget aliquis, An non sæpe contingat vt filius euadat patre maior & iure à patre vocetur Dominus verbi gratia, Isai plebeius homo, nónne Dauidem filium in regnum sublatum meritò appellasset Dominum? Et vir vulgaris filium Episcopum an malè Dominum nominet? Quid igitur mirum, si Dauid, Christum regem longè se maiorem & augustiorem, Dominum vocauerit? Quamquam durum est semper, filium à patre ornari Domini titulo: tamen vt hoc fiat, oportet, non tantùm vt filius dignitate maior sit patre, verumetiam vt pater subsit filio, siue vt seruus Domino, siue vt inferior superiori, aut minimùm vt ex filij eminentia pendeat, opémve aut beneficium accipiat: cæteroqui non vocabit pater filium, etiam longè se excellentiorem, Dominum. Philippus Macedo, etiamsi oraculo cognouisset, Alexandrum filium suum fore se longè maiorem adeoque totius orbis domitorem, non tamen appellasset eum Dominum cui similis dignitate, etsi impar, nec suberat, nec quidquam debebat acceptum. Eodem modo, si Christus nihil aliud futurus erat quàm quod sentiebant Pharisæi, homo magnus, Deo præ cæteris charus, Rex Israel & terrę vniuersæ: non erat causa cur Dauid, magnitudine, pietate & regia dignitate similis, etsi non æqualis, eum cui nulla ratione suberat, ex cuius regno nihil salutis aut vtilitatis propriæ exspectabat, vtpote multis seculis pòst ex genere suo nasciturі, vocaret Dominum suum. E diuerso potiùs erat cur Christus Dauidem vocaret Dominum suum, cui & originem & regnum accepta referre debebat. *Nam dedit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Luc. 1. v. 32. Nihil itaque respondere potuerunt Pharisæi, vt qui hactenus non animaduertissent quid sibi vellet huiusmodi Scripturæ locus, nec intellexissent ex sacris litteris naturam Messiæ duplicem: non tamen rogauerunt Iesum, quippe quos puderet ab ipso doceri. *maluerunt enim inflata taciturnitate disrumpi, quam humili confessione edoceri*, ait Augustinus in hunc Psalmi locum. Quamquam etiamsi respondere quod verum erat potuissent, noluissent, quòd facilè viderent illud pro Iesu facere. Erat autem respondendum, quòd duplex esset Christi natura, quòd Christus constaret duplici natura, diuina & humana: secundùm humanam esse filius Dauidis, secundùm diuinam Dominus Dauidis & omnium: filius esset, quatenus natus ex virgine Dauidicæ tribus; Dominus, quatenus natus ex patre ante secula, & prior ipso carnis suæ patre. sic enim alibi confitetur Dauid Deo: *O Domine, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ* (Psal. 115. v. 16.) Considerans itaque Dauid Christum homine maiorem fore, fore aliquid maius quàm humana origine ab ipso esset acceptурus, filium inquam Dei, Regẽ non tantùm terræ, sed & cæli, nec corporum solùm sed & animarum, vocauit eum Dominum suum; nec id tantùm ob naturam diuinam, verumetiam ob humanam sed diuinæ coniunctam, qua nouerat eum passurum mortem & redemturum humanum genus è seruitute peccati, asserturumque in libertatem gloriæ filiorum Dei: cuius redemtionis, tametsi futuræ, iam experiebatur ipse in se initia, iustificatus à peccatis, & redditus homo secundùm cor Dei, exspectans suo tempore perfectionem, salutem beatitudinemque æternam. Hac enim ratione Apostolus passim Christum vocat Dominum nostrum, quòd nos morte sua è tyrannide diaboli in suum ius & dominium adseruerit; non tam Patris concessu, quàm acquisitionis iure & merito, Dominus, caput, & iudex Ecclesiæ. Salutem itaque suam omnem cùm sciret Dauid se Christo acceptam debere, seque adeò totum, & hoc præcipuè ob diuinam naturam, sine qua *caro non prodest quidquam* (Ioh. 6. v. 63.) quam nouerat ipsi fore cum Deo Patre cõmunem, vocauit *Dominum* suum quem credebat filium fore. Cæterùm noluit Iesus ipse vltrò soluere aduersariis suis hunc nodum, tum quòd nollent ab ipso doceri, tum quòd necdum opportunum tempus adesset palàm prędicandi diui-

diuinitatem Christi. Sed prudenti admodum consilio, postquam aduersarios cæterosque auditores suos interrogauit & perplexos reddidit, sinit eos ratiocinari quid consectaneum, & expendere atque apud animos suos premere hunc Scripturæ locum totumque adeò hunc Psalmum, qui de diuina Christi natura cum humana coniuncta propriè & quasi ex instituto agit, & cõferre cum verbis suis quæ aliàs protulerat, suoque illo more loquendi, quo Deum vocitabat patrem suum, denique cum rebus hactenus à se gestis. Quod si facere voluissent, facilè intellexissent promissum esse Christum filium Dei, non adoptiuum sed germanum, eumque verè esse Iesum: sed liuor, odium, ambitio, ceteraque vitia animos eorum ita excæcarant, vt nollent sibi persuadere quod non obscurè cernebant. Voluit itaque Iesus, quemadmodum mox dictum fuit v.41., instante passione sua, vt omnem inimicis suis auferret excusationis prætextum, ex sacris litteris eos docere diuinam naturam Christi, quam hactenus ipsi non animaduerterant nec intellexerant, non apertè sed modestè subindicans, quod paulò pòst Apostolis palàm explicandũ reliquit. AVSVS FVIT. Non solùm os eis obturauit, sed & audaciam eorum compescuit, timore incusso. *Qui maris terminum posuit, ipse audaciæ diaboli aduersus se agẽtis quando voluit tunc finem posuit*, inquit Auctor operis imperfecti. *Conticuerunt igitur, lethali perfossi vulnere*, quod ait Chrysostomus. EX ILLA DIE Martis, tertia ante diẽ passionis. Docuit ergo & subsequentibus diebus Mercurij ac Iouis. EVM publicè docentem. INTERROGARE tentandi gratia: nam discendi gratia, si discere voluissent, maior etiam occasio suppetebat interrogãdi, postquam omni ex parte, omnibus hominum aduersariorum studiis, fortem, constantem, sapientissimumque se probasset Iesus. Non ampliùs fuerunt ausi Iesum aggredi quæstionibus, non modò quia paratum esse senserunt ad quosuis insultus sustinendos, verumetiam quia viderunt insidias in illum intentas in suum caput recidere pudebatque eos cum dedecore repelli, aut tacendo palmam Iesu concedere, ad hæc quòd quæstionibus quæ ab ipso opponerentur, viderent se, nunc pares haud esse vt responderent, nunc si responderent, capi accedente timore ne hinc eius apud populum auctoritas cresceret magis magisque, vt iam creuerat non parùm. Itaque non ampliùs propositis dolo plenis quæstionibus lacessiuerunt, sed aperto marte comprehensum occiderunt, *vt intelligas, venena inuidiæ superari quidem posse, sed conquiescere non posse*, ait D. Hieronymus.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

Τότε ὁ ἰησοῦς ἐλάλησε τοῖς ὄχλοις καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, [1]

Tunc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos,

TVNC. Cùm modis omnibus Iesus testatam fecisset sapientiam eximiam suam, quin & sacræ Scripturæ testimonio ostendisset non obscurè se Christum Filium Dei, nec quidquam tamen apud aduersarios suos Scribas & Pharisæos profecisset, vt nec iis omnibus quæ hactenus dixerat & gesserat, LOCVTVS EST AD TVRBAS. Nihil veritus, quam aduersarij ipsi machinabantur mortem, voluit traducere ad plebem etiam mores incorrigibilium, quorum de scientia arrogantiam egregiè represserat, non vt ipsos infamaret aut inuidiam eis crearet, sed ne contagio longiùs serperet, ne populus ipsos duces suos imitaretur, cùm in aliis, tum in eo præcipuè peccato, quo Christum pertinaciter reijciebant. Detraxit itaque eis palàm in templo præsentibus falsam pietatis ac sanctimoniæ personam, ne miseram plebeculam in eandem secum ruinam & perniciem traherent. Sed quoniam defectus in personis, non in professione erat, prouidet, vt personarum ratione posthabita, muneri, ministerio, & professioni ipsi, sua dignitas integra maneat, quamdiu illa Reip. facies duret, vt intelligatur non Mosaicæ legis ministerium in illis, sed quòd iuxta Mosaicam legem non viuerent & crederent, impugnare & carpere. ET præcipuè AD DISCIPVLOS SVOS, ex quibus maximè sermonis sui fructum sperabat.

λέγων· ἐπὶ τῆς μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι. [2]

dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi.

DICENS Ne putaretur, quod dixi, aduersarius esse Mosaicæ legis, aut odio eorum vel cupiditate principatus moueri, hoc primò remouet, vt omni suspicione ablata liberiùs reprehendat. SVPER CATHEDRAM. in cathedra. Quia consuetudo habet vt doctores & iudices officio fungentes suo sedeant (anima enim perspicacior est quiescente corpore) hinc cathedræ nomen ad docendi & iudicandi munus significandum vsurpatur. MOYSI. Genitiuus est contractus ex Moysëi, à nominatiuo Moyseus. Cathedra Moysi, est ea quam primus occupauit Moyses, quemadmodum cathedra Petri quam primus occupauit Petrus. Intelligitur autem per cathedram Moysi, auctoritas promulgandi interpretandique legem Dei, & populum iuxta eam iudicandi ac regendi, qua primus à Deo auctus fuit Moses. SEDERVNT. consederũt, iamdiu sedent, quamuis indigni. In huiusmodi verbis sic vsurpamus vocem præteriti temporis, vt intelligamus actũ etiamnum manẽtem, velut in *fleuit* & *appropinquauit*. Est, inquit Saluator, penes eos auctoritas docendi legem regendique populum, qualis à Deo data fuit primò Mosi; est autem per legitimam successionem: successerunt enim in locum Mosis. SCRIBÆ. Penes Scribas erat auctoritas legendi interpretandique legem. vide sup. 2. v. 4.

PHARISÆI. Pharisæi ferè gubernabant populum & ad magistratum gerendum adsciscebantur, reiectis Sadducæis (testis est Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 2.) quam ob causam fortasse non sunt hìc nominati à Christo Sadducæi, vt etiam primaria capita doctrinæ horum contraria erant doctrinæ Mosis. Itaque quos Moses sui muneris successores reliquit, aliis atque aliis nominibus per alia atque alia tempora vocatos, tamen re eosdem, audiri & obseruari vult Christus.

Omnia

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere. dicunt enim & non faciunt. [3]

πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε· κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε. λέγουσι γάρ, καὶ οὐ ποιοῦσι.

ERGO. id eſt, quandoquidem res ita ſe habet, quandoquidem ſedent Scribæ & Phariſæi in cathedra Moſis, id eſt, ſucceſſerunt in locum Moſis, ad legendum interpretandumque legem & regendum populum. QVÆCVMQVE. non aduerſantia cathedræ Moſis, non contraria legi Dei, omnia licita & honeſta, etiamſi fortè minùs neceſſaria. Sic Apoſtolus Coloſſ. 3.v.20. *Filij obedite parentibus per omnia.* Fit autem vt parentes præcipiant quæ legi diuinæ aduerſantur: ſed integra perfectaque obedientia declaratur his ſignis vniuerſabilibus, eiuſmodi tamen quæ ponat, *Deo magis obediendum eſſe quam hominibus.* Nam ſi Phariſæis ideo obediendum eſt, quia in cathedra Moſis ſedent: igitur ſi quid doceant aut iubeant aduerſus cathedram Moſis, id eſt, aduerſus Moſen ſeu eam quam Moſes promulgauit Dei legem, aduerſus doctrinam à Moſe & maioribus acceptam ac traditam, non eſt eis obediendum. Quam ob cauſam, ſup 16.v.6.12. monuit diſcipulos ſuos Saluator vt caueant ſibi à Phariſæorum & Sadducæorum fermento ſiue doctrina, propria nimirum ac priuata, doctrinæque à Moſe acceptæ contraria. Cæterùm hoc intereſt inter Phariſæos, &, qui hîc non nominantur, Sadducæos, quòd doctrinę Sadducæorũ præcipua quæque capita aduerſarẽtur veritati Dei: Phariſæi, etſi quædam docerent legi Dei contraria, erant tamen eæ quæſtiones ferè de iis quæ rariùs contingunt (qualis illa de *Corban* ſup. 15.v.5.6.) aut doctrina erat inepta potiùs quàm peruerſa (qualis illa de iuramento, infrà v.16.18.) aut certè inutilis & vana (qualis illa de lauandis ante cibum manibus, ſup.15.v.2.) denique moribus infecta potiùs quàm verbis, cùm toti eſſent in exteriori homine formando, interiori neglecto. vide ſuprà 16.v.6. DIXERINT. iuſſerint VOBIS τηρεῖν *ſeruare* additur græcè & ſyriacè. SERVATE. obſeruate. ET FACITE. Poſterius prioris eſt explicatio, & repetitio ad epitaſin valens. q. d. Omnino obedite. Non vitæ ſcilicet ipſorum, ſed cathedræ habita ratione. Non enim ſua, ſed quæ per Moſen Deus imperauit, prædicant: auditur in illis Deus. *Illa enim Cathedra* (inquit Auguſtinus lib.4. de Doctr. Chriſtiana, cap.27.) *non eorum, ſed Moyſi, cogebat eos bona docere etiam non bona facientes. Agebant ſua in vita ſua, docere autem ſua, cathedra illos non permittebat aliena.* Igitur, interim dum Deus Spiritu ſancto in terras miſſo illam faciem rerum quæ tunc erat in meliorem mutaret, legeque veteri abrogata Scribas & Phariſæos publicè exauctoraret, docet Ieſus diſcipulos ſuos & turbas omnem obedientiam præſtare illis, quippe Moſis locum obtinentibus. Atqui ſuprà, cap.15. reprobat Ieſus traditiones Scribarum & Phariſæorem, *vt doctrinas & mandata hominum.* Dicendum, quòd Ieſu, cùm eſſet nouæ legis lator & Euangelicæ veritatis præco, non congruerit vt diſcipulos ſuos exerceret in iis traditionibus quæ vanæ & friuolæ forẽt, quod ad negotium cultus Dei, qualis illa de lauandis ante cibum manibus: permiſit itaque diſcipulis ſuis cibum ſumere ſiue illotis ſiue lotis antea manibus ſine diſcrimine. Cæterùm turbis vltrò non mouit ea de re quæſtionem, nec docuit vt contemtis traditionibus ſeniorum illotis manibus menſæ accumberent, donec publicè laceſſitus ab ipſis Scribis & Phariſæis, coactus fuit veritatem, quam alioqui in opportunius tempus diſtuliſſet, docere, & oſtendere traditionis illius vanitatem, nihil ad pietatem pertinentis. Hoc quando conſtat, ſicut Ieſu docente conſtitit, nulla eſt culpa, ſi abeſt ſcandalum, tranſgredi præcepta maiorum: ſed non eſt illud facilè præſumendum de præceptis maiorum, quæ nec vllo modo cum ſcandalo fratrum ſunt negligenda, iuxta illud Apoſtoli: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* 1.Cor.8.v.13. NOLITE FACERE. μὴ ποιεῖτε, ne facite, non imitemini opera, mores, vitam eorum. Mandatis eorum obedite, ſed viuendi agendique modum ne ſequamini. Vult eis obediri, ſed cum cautela. Auctoritas, inquit, eorum ita permoueat vos ad obedientiam, vt non ad imitationem. Doctrinam ſequimini, non vitam, quemadmodum ex aurifodinis aurum colligatis reiecta terra. Hoc ideo dicit, quòd ſciat, doctorum magis vitam ad exemplum trahi, quàm doctrinam ad obedientiam. Plebs enim licitum ſibi eſſe putat, quidquid à ſuis rectoribus fieri animaduertit, legemq; ſibi fingit ex vitioſis ipſorũ moribus. DICVNT. præcipiunt ENIM aliis optima quæque, ſecundùm legem Dei, ET pro ſed NON FACIVNT ipſi. Bene dicunt, ſed malè faciunt, rectè monent alios, ſed ipſi iniquè viuunt, non concordant eorum doctrina & vita, non reſpondet vita verbis, aliter viuunt quàm viuendum doceant. Hoc eſt primum Scribarum & Phariſæorum vitium, inter varia quæ Dominus hoc capite notat, & quidem huiuſmodi vitium eſt quod in ſe complectitur peccatum triplex, Vnum, quòd Dei præcepta tranſgrediantur, Alterum, quòd cùm ex officio debeant tranſgreſſores corrigere, ipſi tranſgrediẽdo ſe reddant ineptos, Tertium, quòd exemplo ſuo noceant maximè aliis & trahant ad tranſgreſſionem, labefaciant doctrinam ſuam & reddãt Dei præcepta exoſa. Ita qui erat Scribis & Phariſæis maximus honor, ſedere in cathedra Moſis, in eorum maximam cedebat accuſationem. Cæterùm non vult Ieſus contemni doctrinam ſacram propter corruptos doctorum mores, aut ob perſonarum vitia, quidquam detrahi profeſſionis ſeu miniſterij dignitati auctoritatíve.

Luc.11. v.46.

Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. [4]

δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων· τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά.

ALLIGANT. δεσμεύουσι ligant, colligant velut in faſciculos, accumulant & coaceruant. ENIM. Oſtendit quod dixerat *dicunt & non faciunt*, magna cum exaggeratione. ONERA plura GRAVIA, ET, pro id eſt, IMPORTABILIA. δυσβάστακτα difficilia portatu. IMPONVNT imperioſè. HOMINVM, id eſt, aliorum,

rum, ferenda ab eis: at ipsi non solùm humeris suis portare ea nolunt, vt suo exemplo promtiores illos reddant quorum humeris ea ferenda imponunt, sed ne digitum quidem adhibere dignantur vt ea vel dimoueant: loco (opponit enim digitum humeris) id est, nihil ex his faciunt quæ aliis imperant. Similitudine ab eis sumta, qui gaudeant alios onerare iis quos collegerint fascibus, sed seipsos subtrahere oneri; qui cogunt homines ad humeros supponendos illis oneribus, ad quę ferēda ipsi ne digitum quidem velint adhibere; ostendit Pharisæos, & prætertim Scribas, quibus illud peculiariter improperatur, Luc. 11. v. 46. (nam Pharisæos obseruantes admodum fuisse cōstat traditionum propriarum, & quidē magis quàm diuinarum. sup. 15. v. 3.) studiosè quærere & colligere vndique, quæ præcipiant, & complura grauissima obseruatuque difficillima mandata præscribere magno cum auctoritatis fastu subditis suis, ad quæ obseruanda ipsi ne minimum quidem conatum adhibere statuant. *ducebant enim* (quod notat Arias Montanus in hunc locum) *se scire quid facto opus esset* ac proinde non erat eis curæ difficultas, qua se eximebant. Nam verbo quidem *alligandi* declarat Saluator vndique colligi præcepta, ex lege, ex traditionibus seniorum, ex propria sententia, quæ grauissima reddantur, primùm ob multitudinem, deinde ob molestiam plerorumque, adhæc ob rigorem interpretationis diuinorum, denique ob difficillimam veniæ impetrationē si quis ea transgressus esset. Hi enim, & varia congerebant onera pręceptorum, & onera ipsa vel ex lege, vel ex ipsorū doctrina imposita, nouis atq. excogitatis circumstantiis accumulantes, grauiora reddebant. Rigidè ac hæc nimisque austerè Dei præcepta interpretabantur, prout familiare est superbis hypocritis, vt imperiosè ab aliis ad viuum flagitent quidquid debetur Deo, iniq. inexorabiles in vrgendis officiis, sibi autem blandè remittant quæ tam seuerè iniungunt & securè quiduis indulgeant. Considera præceptum de sanctificando sabbato, quàm rigidè fuerint interpretati, quot seniorum traditionibus, quot propriis constitutiunculis, arctarint & aggrauarint; postremò quanti fecerint illius quæ videbatur transgressionē vel minima in parte. Porrò, *imponendi* verbo, iactantia notari à Saluatore videtur, qua sibi in eo placuerint quòd aliis leges conderent & imponerent, quòd imperium in alios exercerent. Denique malitia significatur, cùm addit, quòd ne *digitum* quidem ferendis oneribus, ne minimum quidem conamen obseruandis præceptis, quibus alios onerant, adhibere velint. Non enim quia non possint præ infirmitate tanta onera ferre quanta alij, sed quia absolutè nolint vel minimo onere grauari, vel minimum ferre laborem, malitiosè subtrahunt se iis quas aliis præscribunt legibus. Verè igitur *dicunt & non faciunt*; eoque grauiora etiam & magis onerosa reddunt præcepta: nam quando qui dicit facit, alleuiat onera exemploque suo consolationem affert. *Duplicem itaque*, ait Chrysostomus) *hic nequitiam eorum ostendit, tum quia sine venia exquisitissime multitudinem viuere volunt, tum quia nimium sibiipsis indulgentes, magnam assumunt licentiam: quorum opposita in optimo principe requiruntur, vt scilicet aduersus seipsum nulla vtatur venia, sed seuerum se iudicem exhibeat; erga subditos autem mitior & ad dandam promtior veniam sit.* Sic & quicumque timent Deum, quia suæ infirmitatis sibi conscij sunt, clementer ignoscunt infirmis: & quia in se ipsos magis quàm in alios seueri sunt, non tam præcisi sunt exactores. Hinc intelligitur illud imprimis, legislatorem suis ipsius teneri legibus: deinde & illud, non insolenter reiicienda nec iniquiùs ferenda esse subditis pręcepta maiorum, quantumuis duriuscula & minùs necessaria videantur, quantumuis occupationi sint potiùs ad maiora intentis animis quàm saluti, denique quantumuis maiores ipsi ea non faciant & tam condendo quàm non obseruando peccent, modò pietati non obsint & maiora legis mandata semper præferantur, ita vt hæc fiant, illa non omittantur. Non enim tam reprehenduntur quòd aliis huiusmodi onera imponerent, quàm quòd ipsi se subtraherent oneribus: nec dicit Saluator, nolite vos ea onera suscipere aut ferre, sed permanet in eo quod dixerat, *Quæcumque dixerint vobis seruate & facite.*

πάντα δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν ποιοῦσι πρὸς ⁵ τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις. πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν.	Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.

OMNIA VERÒ. q. d. Videri quidem possint viri sancti, qui multa faciant laude virtutis digna: sed *omnia* OPERA SVA, quæ præ se ferunt speciem boni, vt eleemosynas, orationes, ieiunia, decimationes.

VT VIDEANTVR. πρὸς τὸ θεαθῆναι ad hoc vt spectentur, vide sup. 6. v. 1., quo toto Capite etiam declaratur hæc sententia. AB HOMINIBVS. non vt Deo placeant aut probentur, sed vt ab hominibus spectati laudentur. Nihil aliud est illis propositum quidquid faciunt, quàm se venditare placereque hominibus, & aucupari ab eis gloriam. Vt ab hominibus lauderis, sufficiunt externa virtutis opera, etiamsi animus à virtute maximè sit alienus: non enim conspicuus est hominibus animus. Atqui ab animo proficiscitur virtus, nec quidquam rectè fit quod rectus animus non imperauerit. Hi igitur cùm animo neglecto sola curent exteriora, vt quibus homines contemti sint; nihil rectè veræque virtutis faciunt, & perinde est apud Deum atque si nihil prorsus facerent. Hoc secundum est vitium quod hîc taxatur in Scribis & Pharisæis: vel enim transgrediebantur illi legem Dei apertè, vel simulabant probitatem quæ non erat. ENIM. Græcè est δὲ *autem*, latinè & syriacè rectiùs *enim*. Nam *quod generaliter accusarat Dominus, nunc per partes diuidit*, inquit Hieronymus. Declarat exemplis aliquot quomodo omnia sua faciant vt videantur ab hominibus, & quauis occasione venentur humanam laudem, *non ex magnis & præclaris rebus, sed è paruis & vilibus gloriam mendicantes*, quod notat Chrysostomus. Ostendit eam quam præ se ferunt sanctimoniam, friuolas esse nugas, & pro nihilo habenda ea in quibus magnificè se iactant, quia mera illic regnet ostentatio. Primùm enim vt in se conuertant hominum oculos, probentque se egregiè sanctos ac studiosos mandatorum Dei, DILATANT. quàm latissima & amplissima faciunt. PHYLACTERIA SVA. latioribus amplioribusque phylacteriis ad frontem & brachia vtuntur quàm cæteri, quò cæteris videantur esse religiosiores, non contenti talia ferre qualia alij plerique. Deut. 6. v. 8. mandat Deus populo Israel de præceptis suis: *Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos*, siue (vt vertitur similis sententia Exod. 13. v. 16.) *eruntq; quasi appensum quid ob recordationem*

tionem inter oculos tuos. id quod alij vertunt: *Et erunt in monumentum, in frontalia, in perspicilla, inter oculos tuos.* His enim omnibus modis transfertur vox טטפות *totaphoth*. Hic cùm nihil aliud præcipiatur Iudæis, quàm vt omni tempore curent memores esse præceptorum Dei, quemadmodum memores sint signi appositi brachio vel manui, aut rei ante oculos appensæ, ita vt ad eorum regulam componant omnes vitæ suæ actiones; intellexerunt illi, Dei præcepta sibi describenda esse, & fronti ac brachio appendenda. Igitur descripta Dei præcepta aut eorum aliqua præcipua, vt ea quæ Deut. 6. v. 4. 5. statuuntur, in membranulis corio inclusis, circumdederunt brachio sinistro, & quasi coronam capiti facientes, ab aure ad aurem fronti alligarunt, vt siue quò manum porrigerent essent in cõspectu, siue quo caput mouissent essent ob oculos, summam ea in re pietatem sitam putantes. qua de Iudæorum superstitione qui volet plura cognoscere, legat Hieronymum Oleastrum in Exodi & Deuteronomij loca mox citata. Pharisæi porrò, quò ostentarent se cæteris magis pios, membranulas latiores, splendidiores, & magis conspicuas, pluraque Dei præcepta, aut certè maioribus literarum formis exarata, complexas, gerebant, his gloriantes ac stultè se iactantes. nihil interim minùs quàm obseruandorum Dei præceptorum memores. Præcepta legis, cùm in vita ipsorum nusquam apparerent, in membranis ostentabant inscripta, quæ animis inscribi & in corde portari oportuerat, & vita exprimi. Membranulas, seu, vt Hieronymus vocat, *pittaciola*, huiusmodi, Iudæi nominarunt תפלים *thephilim* (quo nomine & Syrus hîc vtitur tanquã alligacula seu appendices, quòd fronti & brachio annecterentur, Græci φυλακτήρια, quasi dicas conseruatoria, quòd seruirent ad conseruandam memoriam mandatorum Dei. MAGNIFICANT. magnas faciunt, producunt, faciunt quàm longissimas & densissimas FIMBRIAS. τῶν ἱματίων αὐτῶν *palliorum suorum* additur græcè & syriacè. Num. 15. v. 38. 39. 40. & Deut. 22. v. 12. iussi fuerunt Iudæi, ceu infantuli obliuiosi, de quattuor angulis palliorum suorum (quibus, hinc intelliguntur, vsi fuisse quadrangularibus, id est, apertis à lateribus, non à parte anteriori) suspendere fimbrias, quas cùm viderent, recordarentur mandatorum Dei. vide sup. 8. v. 10. Nam quia facilè obrepit carni legis Dei obliuio, subinde ad eius memoriam reuocare populum suum Dominus volebat, vt quocumque verteret oculos, pia admonitio statim occurreret. Has fimbrias, quasi certum pietatis argumentum, Scribæ & Pharisæi gerebant densiores & longiores, quàm alij, volentes haberi magis & memores & obseruantes mãdatorum Dei quàm alij, vana de se opinione hominum bonaque existimatione contenti. Tantum igitur absuit vt proficerent huiusmodi rudimentis, vt perfectam iustitiam in vestium ornatu collocantes, legem in tota vita sua spernerent.

Mar. 12. v. 39. Luc. 10. v. 46. & 11. v. 43

Amant autem primos recubitus in cænis, & primas cathedras in synagogis, [6] φιλοῦσί τε τὴν πρωτοκλισίαν ἐν τοῖς δείπνοις, καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς,

AMANT AVTEM. φιλοῦσί τε amantque, quomodo etiam est syriacè. RECVBITVS. accubitus, locum honoratiorem in capite mensæ. IN CÆNIS & conuiuiis solemnibus ad quæ inuitantur. solent antiquis solemnia conuiuia potiùs cænæ esse quàm prandia, quia positis negotiorum curis longiùs in noctem cænæ trahi possint absque interruptione cuiusquam. Hinc illud Apostoli 1. Thess. 5. v. 7: *Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.*

PRIMAS CATHEDRAS. primos consessus, primarum sedium honores. πρωτοκαθεδρίας. q.d. præsidentias.

IN SYNAGOGIS quò conuenitur ab omnibus audiendæ legis causa (vbi proinde maximè regnare debet humilitas) aliisque publicis conuentibus, eò quòd gloriosum sit primas vbique obtinere. Cæterùm, non dicit Saluator, obtinent aut collocantur loco honestiore, sed *amant*: non enim obtinere locum primum peccatum est ei cuius dignitati locus primus debetur, magistros primos sedere nõ vetat, quibus officij ordine competit: sed amare, affectare, ambire primum locum, certare & contendere pro primo loco, neque ferre posse æquanimiter vt alius qui æqualis aut inferior sit loco præcedat. hoc illud est quod à Saluatore reprehenditur. hoc ambitionis est vituperatione dignissimæ, & maximorum sæpe causa malorum. Non tam rem igitur reprehendit Saluator, quàm animum: fit enim, vt superiore loco constitutus, humili & modesto; inferiore, elato sit animo.

Mar. 12. v. 38. Luc. 20. v. 46.

& salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. [7] καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ῥαββί ῥαββί.

SALVTATIONES. s. amant, affectant à pluribus magna cum reuerentia salutari nudatis flexisque capitibus & curuatis genibus. IN FORO. ἐν ταῖς ἀγοραῖς in foris & plateis, locis frequentibus, quò multus est hominum concursus; vt honor, & eò amplior sit quò à pluribus exhibetur, & eò celebrior quò spectantibus pluribus. VOCARI, s. amant, appetunt, hoc nomine sibi placent, & aliis se præferunt. RABBI. græcè repetitur *Rabbi Rabbi*, quasi significetur admodum delectatos fuisse frequenti huius tituli repetitione: sed syriacè non magis repetitur quàm latinè. *Rabbi*, id est, Domine mi, vel magister mi. à *Rab*, quod multum quidem propriè significat seu magnum, transfertur autem ad eum qui eruditione vel dignitate magnus est, & quasi vnus instar multorum. addito porrò primæ personæ pronomine, dignitas crescit. Fastuosus admodum fuit hic titulus. nec vllo magis placebant sibi aut gaudebant ornari, homines superbi. Huc porrò tendebant illi omni sua simulata virtute & phylacteriis fimbriisque amplificatis, hic finis fuit totius ostentationis, vt gloria potirentur loci primi, reuerentiæ summæ, & insignis laudis nominis. qui enim quærit humanam gloriam, quærit, vel vnum istorum, vel omnia isthæc tria.

Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. [8] ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββί· εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητής, ὁ χριστός, πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε.

VOS AVTEM. discipulos suos, quibus destinarat totius magisterium orbis terrarum, opponit Pharisæis & Scribis,

Scribis & moribus horum mores illorũ. Vos, inquit, longè aliis moribus esse oportet quàm illi sint: primùm, vos esse oportet alienos à studio laudis & gloriæ humanæ; deinde verò, humiles & imperfectum ac nihil vestrum agnoscentes. Itaque, cùm mittero vos prędicare euangelium omni creaturæ vsque ad vltimum terræ.

NOLITE VOCARI. μὴ κληθῆτε ne vocemini, non solùm nõ ametis vocari, verumetiam ne vocemini quantum in vobis est fugite quoad eius fieri à vobis potest huiusmodi appellationẽ, agnoscentes indignos vos esse hoc nomine. Cũ prohiberi nemini possit actio aliena, intelligenda est prohiberi propria: idcirco subaudiendũ est, ne vocemini quantum in vobis est, aut quoad vos, ne patiamini vos vocari proprij honoris causa. Quòd si vocemini etiam inuiti, at animo constantes tenete vos indignos qui ita vocemini. Subsequitur ratio: VNVS solus EST ENIM dignus magistri nomine, in quem hoc nomen propriè competit, alij ipsi collati magistri nomen non merentur. MAGISTER. doctor καθηγητὴς nomen à præeundo sumtum, quale latinis *præceptor* à præcipiendo. Cùm hactenus Euangelista vel eius Interpres vsus fuerit nomine hebraico, iam vertit illud in græcum. Cæterùm Syrus perseuerans in eadẽ voce scribit ܪܒܟܘܢ *Rabbecun*. *Rabbi* est magister mi, *Rabbecun* magister vester. Iam additur græcè quis sit ille vnus magister noster, ὁ χριστὸς nempe *Christus*, quod quidẽ Latina & Syra non agnoscunt hoc loco, sed solùm versu 10. subsequẽte. Videri possit Iesus, modestiæ causâ, quandoquidem se pro Christo gerebat, noluisse illud priùs palàm exprimere, quàm cùm repetiturus esset sententiam inculcatione dignam. Iam erat ipse vnus & solus magister, quibusdã præsentium diuina auctoritate probatus, & aliis omnibus breui probandus, de ipso enim vox Patris de cælo personuerat cum magnifica gloria: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene coplacui, ipsum audite*. sup. 17. v. 5. Solus iubetur audiri, solus igitur ipse magister est, nõ tam secundùm humanam naturam, qua à paucis audiri potuit, quàm secundùm diuinam filij Dei. Quidquid enim consideres in officio magistri, siue magistri personam, siue discipuli, siue actum docendi, siue rem quæ docetur, tam propriè & singulariter omnia inueniuntur in Christum quadrare, vt solus ipse modis omnibus omnium magister dicendus & habendus sit. Nam quòd ad magistri personam, in quo potissimùm requirũtur duo, scientia & auctoritas; si scientiam spectes, solus ipse nouit omnia & infallibiliter nouit; si auctoritatem, ipse solus docet omnes propria auctoritate à nemine nisi à Patre nascendo accepta. Alij omnes plura ignorant quàm sciant, & ea ipsa quæ sciunt, tenuiter & imperfectè admodum sciunt, vixq; scire dicendi sunt: auctoritatem verò docendi à seipsis nõ habent, sed à Christo, si legitimè docent. Quòd ad personam discipuli, iure optimo magister ille dici potest qui numquam fuit discipulus, qui à nullo alio quàm à seipso doctus fuit. Huiusmodi verò præter Christum nullus est, omnes alij, si non ab aliis, certè à Christo sunt docti, quidquid scientiæ habent à Christo doctore habent, illi debent referre acceptum qui sapientia Dei est, eius comparatione omnes sunt discipuli, solus ipse magister. Adde quòd omnes prorsus veritatem docti, discipuli sunt vnius Christi; at pauci aliqui singulorum aliorum. Huc pertinet, quòd vt proficiant doctrina discipuli, non sit in potestate alterius alicuius magistri quàm Christi: absque illius afflatu frustra laborãt in erudiendis discipulis alij omnes. Nam quod ad actum docendi attinet, alij nihil aliud quàm verba sonant, nihil aliud quàm exteriore sermone aures discipulorum pulsant, idque facere possunt quanta ipsis possibile est eloquentia & diligentia: at Christus, Dei verbum, mentibus ipsis res exhibet, interiori luce mentes ipsas illustrat & intellectum præstat (quod propriè est docere) *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioh. 1. v. 9. qui quidem illuminatur. Alij itaque exercẽt dumtaxat intellectum, Christus aperit & illuminat Luc. 24. v. 45.) Denique quod ad res quæ docentur, Christus, cùm sit ipsa veritas, fons & origo est omnis veritatis, nihil verum est, nulla vera aut salutifera doctrina est, quæ ab ipso non proficiscatur. Ex Christo docet, quisquis rectè docet: fallit & fallitur quisquis docet quod ab ipso non acceperit. Huic proinde subesse debent quotquot docent, & ab hoc vno doctrinam eos accipere oportet, & eamdem doctrinam quam ipse docuit docere eos conuenit, neque extra præscriptum eius quidquam annunciare. Itaque & hac ratione, si spectes res quæ docentur, solus Christus est magister noster. Ille enim propriè magister meretur dici, qui doctrinam quam docet à seipso habet, nec alteri refert acceptam; non ille, qui ab alio traditam doctrinam aliis dispergit. Itaque modis omnibus Christus solus inuenitur verè proprieque magister dicendus & habendus, non Apostolorum tantùm, sed & noster omnium veritatem doctorum. OMNES AVTEM VOS. Hoc membrum oppositum est superiori: Nam quia fratres sumus, neminem in alios magisterio fungi concedit, magisterio inquam quale mox descripsimus Christi esse. FRATRES non magistri alij in alios ESTIS; *fratres* autem, vt natura ab vno patre Adam accepta, ita doctrina, s. si illi vni magistro comparemini. omnes estis filij doctrinæ Christi, omnes condiscipuli, nemo in alium propriè agere potest magistrum. ita enim parum aut nihil est in officio docendi quod vestrum est quoque alios excellitis, si Christo conferamini, quantumuis magnis Dei donis cumulati sitis, vt nullus aliorum magister dici mereatur, sed habere vos omnes meritò debeatis vt condiscipulos, quemadmodum natura omnes fratres estis, ab vno auctore naturæ facti vnius naturæ, non alius alio præstantioris. Ex his iam sequitur, id quod probare Iesus statuit, nemini ferendum quod in se est vt vocetur magister, multo minùs ambiendum alicui magistri nomen, aut licere vt aliquis se hoc nomine aliis præferat. Quomodo enim facilè ferat vt vocetur magister, qui in magisterio imperfectionem suam adeoque suum nihil agnoscat collatum cum perfectione Christi? Nam qui ambit magistri titulum gloriæ causa, eoque accepto delectatur, & aliis superbè se præfert, etiam iniuria Christum afficit & ad se rapit quod Christi est: sic enim se gerit quasi ipse magistri nomen mereatur, quasi ipse in officio docendi aliquid per se agat aut à seipso habeat. Quòd si crederet aut consideraret à se parum aut nihil, omnia verò à Christo proficisci, ac proinde eum solum omnium magistrum agnoscendum, cæteros verò omnes condiscipulos inter se, non affectaret ipse Rabbi titulo ornari vel laudari aut magister dici, multo minùs aliis se præferret hac ex causa, quasi ipse aliquid esset præ illis, sed refugeret huiusmodi nomen, laudemque omnem Christo transscriberet, humiliter professus se non magistrum sed ministrum dumtaxat esse, qui, pro ministerio à Christo iniuncto, veritatem veritatisq; cognitionem à Christo acceptam, nihil aliud quàm in medium proferat apud homines aliquot, Christo quod præcipuum est perficiente. Sequitur ex his similiter, si solus Christus est magister noster, illum solum nobis hoc nomine esse ornandum. Sed dicat aliquis, quum iam per se Christus non doceat exteriùs, sed ad hoc magistros nobis ordinet ac præficiat, absurdum videri, si discipuli eos à quibus docentur recusent agnoscere vel vocare magistros, & qui docent pertinaciter à se amoliri magistri nomen

men debeant. Respondeo, non esse Christo quæstionem de voce præcipuè, sed de re. Quemadmodum licet sup. 19. v. 17. asserat solum Deum esse bonum, permittit tamen homines suo modo bonos dici & licet Ioh. 10. vnicum se pastorem prædicet, multos tamen sub se pastores admittit: ita licet hîc solum se magistrum velit agnosci, sinit tamen vt & alij sic vocentur, modò ius suum sibi integrum maneat, modò neminem præter ipsum habeamus vt primarium magistrum nostrũ, à cuius maximè instructione pendeamus, & cui præcipuè scientiam nostram acceptam feramus. Ipse enim solus est magister noster intus illuminans scientiamque creando infundens, sine cuius magisterio frustra laborat quiuis doctor exteriùs. Vocentur igitur & alij magistri, sed sub isto & *ex consortio huius*, quomodo Hieronymus loquitur, *veri magistri*. Nec enim mens Christi est, vt discipuli se æquent præceptoribus suis, eosque recusent agnoscere magistros: sed ne magistri superbè se præferant discipulis, plus sibi tribuentes quàm conueniat, mens Christi est eos continere intra iustas metas. Quod si faciant, non quidem pertinaciter amolientur à se magistri nomen (præsertim si cum discipulis agatur, ne rerum ordo peruertatur) sed se eo indignos profitebuntur, quando se vtilis opportunitas offert; quando non offert, at animo semper agnoscent imperfectionem indignitatemq; suam, nulloque modo sibi placebunt hoc nomine, multo minùs aliis se præferent. Minimè verò omnium affectabunt aut ambient sibi huiusmodi titulos ab aliis tribui propriæ gloriæ causa: nam aliquando ob Christi gloriam & publicam vtilitatem, vt doctrina eorum solicitiùs & fructuosiùs excipiatur, & officium maiori cum auctoritate obeatur, nõ illicitè quis petit insigniri magistri titulo: cuiusmodi ob causas Paulus seipse vocat *doctorem gentium* 1. Tim 2. v. 7. Hæc igitur est sententia Christi, vt Apostoli ipsius & alij quicumque doctoris partes obeunt, sic fugiant pharisaicam ambitionem, vt humiliter quod res est de se sentientes, Deo & Christo gloriam omnem transscribant, & faciles atque humanos se inter alios etiam discipulos præbeant.

Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in cælis est. 9 καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς· εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

ET PATREM. Etiam patrem. NOLITE VOCARE. μὴ καλέσητε ne vocetis s. quemquam. VOBIS. Interpres legit ὑμῖν, aut certè intellexit ὑμῶν positum pro ὑμῖν, quem sensum sequutus est & Syrus. Alij intelligunt positum pro ὑμέτερον, hoc sensu, Neminem vocetis patrem vestrum. SVPER TERRAM. ex mortalibus qui agunt in terra. Visus vocabulo fratrum, accepta occasione transit ad titulum patris, & vt clariùs ostendat non ambiendum, ferendum, aut tribuendum facilè alicui titulum magistri, docet nec patris titulum ambiendum, adeoque nec tribuendum cuiquam, qui tamen vel maximè iure naturæ videri poterat posci posse. Cumque hic dicat *nolite vocare*, qui mox dixerat *nolite vocari*, intelligitur alterutrum prohibens vtrumque prohibere, videlicet, & superiori versu prohibere voluisse ne quemquam vocemus magistrum, eo scilicet modo quo Christo proprius est hic titulus (id quod certè intellexit Auctor operis in Matthæum imperfecti) & hoc versu prohibere, ne quisquam proprij honoris causa sinat se vocari patrem, multoque minùs affectet vocari, paternam sibi ipse perfectionem adscribens, eoque titulo tamquam sibi apprimè congruo glorietur, & se præferat insolenter filiis suis. Vt enim declaretur quàm dignum reprehensione sit ambire huiusmodi titulos, asseritur quòd nec congruant nec adscribendi sint alicui mortalium, nisi admodum imperfectè. Humilitatem igitur pro scopo doctrina hæc omnis habet. VNVS. solus. EST ENIM. Ratio. PATER VESTER primarius & præcipuus, iuxta paternitatis perfectionem. QVI IN CÆLIS EST. is pater qui in cęlis est, vel is qui in cælis est, nempe Deus. Ille est auctor totius vitæ nostræ, ille corpus vobis formauit, ille animam vitæ principium infudit, ille vos pascit, fouet, educat, prouehit, seruat, ille *pars est hereditatis vestræ & calicis vestri*, de illius denique cura prouidentiæ pendetis toti, *à quo omnis paternitas nominatur in cælo & in terra* (Ephes. 3. v. 15.) Huic si comparētur mortales, patres dici non merentur, quorum prouidentia, in educandis, seruandis, prouehendis, & locupletandis filiis, admodum est incerta, in generandis autem nihil nisi semen administrat formando corpori, & hoc ipsum Dei munere acceptum. Quum patris nomen non sibi sumserint homines, sed diuinitus ipsis concessum sit: nec modò fas sit patres nobis vocare in terra eos qui nos genuerunt, sed & impium sit hoc eos priuare honore, certum est non prohiberi à Christo nudam patris appellationem, sed doceri nos, quod aiunt græci, vt nouerimus quem propriè nos oporteat vocare patrem. Nam *quomodo vnus per naturam Deus & vnus filius* (inquit Hieronymus) *non præiudicat cæteris ne per adoptionem Dei vocentur & filij: ita & vnus pater & magister, non præiudicat aliis, vt abusiue appellentur patres & magistri*. Fiduciam itaque non appellationem vult Christus à nobis esse sublatam. Non est hominum aliquis à nobis vocandus pater, ita vt in eo sistamus, paternamque perfectionem ipsi attribuamus, nec vlteriùs in Deum referamus fiduciam quam de patre concipimus: ita vt ei vitam & esse nostrum præcipuè acceptum feramus, atque ab eius prouidentia toti pendeamus, & ab ipso præcipuam hereditatem præcipuumque quo beati simus bonum exspectemus. Nec modò quisquam nobis hac ratione appellandus est pater, sed nec quisquam sinere debet vt hoc nomine vocetur habeatúrve pater: considerans autem hæc sibi minimè competere, gloriæ causa affectare non debet, aut etiam adscriptum tolerare, patris nomen, multò minùs hoc nomine fastuosè se præferre filiis, durus erga illos & inhumanus, quos habere debet vt fratres, ab vno secum Deo patre productos; sed si quæ ex patris nomine, & sapientia aliísve qualitatibus filiorum, resultet gloria, omnem referre in Deum, professus parùm aut nihil sibi hac in parte adscribi posse. Quidquid enim perfectionis horum titulorum in mortalibus esse potest, vix vmbra est, si cum ea quæ in Deo est perfectione conferatur, & hoc ipsum à Dei largitate profectum.

Nec vocemini magistri: quia magister vester vnus est, Christus. 10 μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί· εἷς γὰρ ὑμῶν ἐστιν ὁ καθηγητής, ὁ χριστός.

NEC VOCEMINI. Non igitur vocemini quod in vobis, multoque minùs vocari ametis, MAGISTRI. Si

patris

patris non estammodus titulus, adeoque nec adscribi cuiquam potest iuxta perfectionem suam, imperfectè dumtaxat admodum: multò minùs amandus est aut cuiquam describendus magistri titulus. amplius enim facit pater, vt pater; quàm magister, vt magister dici mereatur. CHRISTVS Dei filius. Nunc demum vbi repetit doctrinam quam vult memoriæ maximè impressam (quò magis detestentur huiusmodi vitium, quod nimiùm altas radices in humanis cordibus egit, honoris inquam & præcellentiæ cupiditatem) explicat se illum esse qui solus magister habendus & appellandus sit: quemadmodum Ioh. 13. v. 13. *Vos*, inquit, *vocatis me magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim*. Reliqua lege versu 8. superiori.

ὁ δὲ μείζων ὑμῶν, ἔσαι ὑμῶν διάκονος. 11 Qui maior est vestrûm, erit minister vester. Sup. 20. v. 26.

QVI MAIOR. Postquam retraxit Saluator suos ab imitatione superbiæ pharisaicæ inuitat ad humilitatem, *morbum inanis gloriæ, quem fugiendum dixerat, per humilitatem docens esse fugiendum*, quod notat Chrysostomus. græcè & syriacè additur δὲ *autem*: *Qui autem maior*; quod rectè accipias pro *sed*: Sed qui maior, qui præstátior, qui excellit, s. magistri vel patris, docendi, regendi, aut præessendi, officio, dignitate, eruditione, aut aliis Dei donis. VESTRVM. refertur ad *qui*, qui vestrûm, qui ex vobis aut inter vos. Syrus vertit *in vobis*. Ne ametis, ait, vocari, aut vocemini quòd in vobis, patres aut magistri, præeminentiæ aut honoris titulis qui vobis non debentur nec congruunt. Sed cui fortè è vobis datum est præesse aut excellere aliis, non existimet ille se cæteris maiorem, præstantiorem, aut feliciorem: ERIT enim s. si suo rectè fungetur officio; vel *erit*, id est, sit, oportet vt sit, MINISTER VESTER, vt agnoscat & exhibeat se, nō principem, non dominū, non ambitiosum magistrum, sed ministrū vestrum, ac proinde fugiat magistri ac maioris nomē, quod in se est, vel hoc nomine non se aliis præferat. Quod habet aliunde accepit & gratis accepit, & in hoc accepit vt aliis impartiret. Itaq; quo maior est dotibus diuinis, non hoc erit arrogātior, sed solicitior vt communicet, in auctorem Deum gloriam omnem transferens sibi præter humilis ministri sedulitatem nihil vendicans. Reliqua lege suprà 20. v. 26. & 27. Hic versiculus ostendit, Christum non de vocibus litigasse hactenus, sed rem spectasse. Maiorem vocat ipsemet, sed vult vt pro ministro se ille habeat, pronunciās, quamcumque in Christiana Repub dignitatem, esse, nō imperium, sed ministerium. Quisquis in hac mensura se continet, nec Deo, nec Christo quidquam eripit, quocumque ab aliis ornetur titulo, ipse quòd ad se omnem honoris titulum refugiens.

ὅστις δὲ ὑψώσῃ ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· καὶ ὅστις ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται. 12 Qui autē se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Luc. 14. v. 11. & 18. v. 14.

AVTEM. δὲ accipitur pro γὰρ *enim*, vt aliàs aliquando: quare Syrus hìc vertit [illegible] *ger* enim. Nam ostendere vult damnabilem affectum ambientium, & contrà laudabilem affectum contemnentium, inanem gloriam, de quibus egit hactenus ex pœna illorum & horum prēmio. Porrò sententia ista (quam quidam putant Saluatoris tempore prouerbium fuisse vsu receptum, ego verò potiùs ipsius Saluatoris nostri fuisse apophthegma, vnum inter alia, consentanea pluribus aliis sacræ Scripturæ, vt generalis est & variis accomodari rebus propositis potest, sæpius vsurpatur à Saluatore: digna est enim quæ sæpe in memoriam reuocata consideretur, atque ob oculos habeatur, vt & timorem Dei in sublimitate ac dignitate, & fiduciam in humilitate atque aduersitate discamus. QVI. ὅστις quicumque. sit magnus, sit paruus, nobilis, ignobilis, diues, pauper. SE. ἑαυτὸν seipsum. Syrus sua plurali, *animam suam*. EXALTAVERIT. extulerit per superbiam, qui se superbè extulerit siue reipsa siue animo solo, magnificè de seipso senserit, nimium sibi tribuerit, aliis se prætulerit, ambiuerit honorem quem non habet, honore quem habet abusus fuerit, aut Dei donis perinde gloriatus fuerit, ac si ea ex seipso haberet, aut certè ac si in ipso subesset dignitas quæ ipsum proprio merito extolleret. HVMILIABITVR ab aliis, deprimetur, honore deiicietur ac spoliabitur, in verecundiam ignominiamque adducetur, nonnumquam quidem hac in vita, siue à Deo, siue ab homine, siue ab vtroque (nam & apud homines malè audit iactantia) infallibiliter autem à Deo in futura vita, pœna ignominiaque affectus vel temporaria vel æterna pro modo culpæ, nisi hac in vita priùs sponte se humiliauerit per pœnitentiam.

ET QVI. καὶ ὅστις & quicumque SE ipsum HVMILIAVERIT. humiliter demisseque senserit de seipso, seipsum honore indignum iudicauerit, adeoq; nihil se reputauerit coram Deo, agnoscēs se nihil boni habere proprium, sed à Deo omnia, ac proinde honores non ambiuerit, nec oblatis fuerit elatus, sed vsus ad vtilitatem aliorum, denique infirmitatis suæ probè sibi conscius nihil sublime spirauerit, EXALTABITVR ab aliis, extolletur, honoribus augebitur, nonnumquam hac in vita, siue à Deo, siue ab homine, siue ab vtroque, infallibiliter autem à Deo in futura vita, gloria & honore coronatus æterno. Itaque fugientes honores honor consequitur, honorem verò sectantes honor fugit: atque ille dignior est, qui humilior: is maximus, qui sibi minimus, atque is iam minimus esse incipit apud Deum, qui suo iudicio magnus est. Deum Christus hìc nobis statuit iudicem, qui *superbis resistat*, eorumque supercilium humiliet, *humilibus verò det gratiam*. Æquissimum est enim iudicium, vt cùm solus Deus mereatur exaltari, humilietur qui se ipse exaltare præsumit, & sibi arripere quod Dei est: cumque hominis sit *humiliari sub potenti manu Dei*, exaltetur qui seipse intra conditionis suæ metas continet, nec sibi plus arrogat quàm conueniat. sua enim modestia prouocans liberalitatem Dei, auctis dotibus fit maior; vt ille sua superbia irritans Deum, ablatis quibus efferebatur dotibus fit minor ac vilior. Iam proposito suo præsenti sic accommodare sententiam istam videtur Saluator: Meritò ministrum se credet & exhibebit, & vt huiusmodi humiliter demisseque se geret, si sibi consultum volet, qui inter vos dignitate, auctoritate, aut aliis Dei donis, eminuerit. Nam si aliter se geret, vt, si, contra hanc humilitatis formam, Dominum agat illorum quibus præest aut præcellit, insolenter se præferat illis, aut gloriam honorémve expetat ab illis, vertetur ipsi in ignominiam, & quidem æternam. Si autem è diuerso, non se illis prætulerit, gloriam honorémve ab illis non ambiuerit, honoribus exhibitis non fuerit oblectatus, denique non aliud quàm ministrum se agnouerit ac gesserit salutis vtilitatisque illorum, honoribus augebitur longè

amplioribus adeoque æternis. Verissima est enim sententia: *Qui se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Insolentiam Deus humilem effecturus est, & humilitatem elaturus in gloriam*, quo modo Hilarius hanc sententiam effert. *Vide*, ait Chrysostomus, *quomodo eos rursus ad contrarium amorem impellit. Non enim a cupiditate primatus prohibet solùm, sed ad alterum extremum hortatur: sic enim desiderio potieris, inquit, tuo. propterea qui primas partes obtinere contendis, necesse est vt postremas persequatur. Qui enim seipsum humiliauerit, is exaltabitur.*

Luc. 11. v. 52.

Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritę, quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. [13]

οὐαὶ δὲ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων· ὑμεῖς γὰρ οὐκ εἰσέρχεσθε, οὐδὲ τοὺς εἰσερχομένους ἀφίετε εἰσελθεῖν.

VÆ prædicentis est denuntiantisque vindictam Dei, supplicij haud dubium æterni, simul & deplorantis ac commiserantis. Nam (vt Basilius in Cathena Luc. 11. v. 52. citatus ait) *hac vox væ, quæ intolerabilis est, profertur doloribus, eis conuenit qui paulò post detrudendi erant in graue supplicium.* vide sup. 11. v. 21. AVTEM. hac coniunctione præcedentibus sequentia connectuntur. Iesus enim hactenus alloquutus turbas de Scribis & Pharisæis, iam vertit sermonem ad ipsos Scribas & Pharisæos: in quos iam postremò sub mortem suam liberiùs acriusque magna spiritus vehementia inuehitur, nec dubitat in faciem exprobrare scelera, & horribilem Dei vindictam denuntiare, non tam ipsorum causa, quàm vt plebem & simplices ab ipsorum imitatione reuocet, quò si non ipsi pudore, certè alij terrore corrigantur. Quum enim desperata insania, in suam & totius populi perniciem, euangelicæ prædicationi oblataque redemptioni se opponerent illi, ac nesciret Christus ipsos quippe reprobos non minus pertinaciter id facturos à morte sua, voluit paulò ante mortem suam, solemni testimonio relicto, illos omnibus exosos & detestabiles reddere, populumque ab eorum admiratione, & falsa opinione quam de ipsorum sapientia ac sanctitate habebat, abducere, quò omnes præmuniret, ne quis nisi volens & sciens ab ipsis deinceps falleretur, vt hactenus. vide sup. v. 2. HYPOCRITÆ. Vehementer aliquos increpans Christus, hoc nomine vtitur, si mereantur, vt intelligatur, nihil execrabilius esse falsitate & simulatione, ac præsertim in negotio religionis. Nam & hoc ipsum quòd claudebant regnum cælorum ante homines, pietatis prætextu faciebant, resistentes Christo annuntiatori regni cælorum quasi Dei aduersario. Erant porrò quidam Scribarum & Pharisæorum viri sinceri ac laudati, vt Nicodemus & Simon leprosus, sed pauci. Illos itaque quales erant eo tempore plerique omnes, alloquitur. CLAVDITIS. Quum legis & sacrarum literarum peritiam profiterentur, præsertim Scribæ, ipsorum erat, ad intrandum in regnum cælorum, ex lege & Scripturis sacris allicere homines: itaque quòd in commune totius populi exitium munus suum peruerterent, improperat Christus. Porrò cùm non claudatur nisi quod apertum est, notare oportet, quòd id temporis aperiebat Christus regnum cælorum eatenus clausum. Aperiebat autem prædicando: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*, nec prædicando tantùm, quod etiam fecerat præcursor eius Iohannes, siue declarando patere illud omnibus credentibus euangelio ac pœnitentibus (Marc. 1. v. 15.) verùm etiam adducendo in regnum cælorum tanquam rex cælorum prædicationi obtemperantes, id est, inserendo in eam quam ædificabat ecclesiam, quod est regnum cælorum, hac in vita incipiens, perficiendum in altera. vide sup. 3. v. 2. Cæterùm, quod proximè aperitur, ostium est, ostium autem, seipsum esse pronunciat Christus Iohan. 10. v. 9. aperiens igitur Christus seipsum, id est, docens fidem in Christum, quid de Christo credendum, quid à Christo expectandum, aperuit regnum cælorum. Ostium ergo regni cælorum, est fides in Christum: vbi fides in Christum patefacta & euangelizata est, ibi apertum est regnum cælorum: in quod intrat, qui credit in Christum & pœnitentiam amplectitur. Iam Christo hac ratione regnum cælorum hominibus aperiente, ita vt omnes ingredi possent qui vellent: Scribæ & Pharisæi contrà claudebant illud ante homines, quia damnabant doctrinam de regno cælorum omnemque prædicationem Christi, vt blasphemi, seductoris, & aduersarij legis ac prophetarum, calumniabantur miracula, doctrinæ Christi confirmatiua, vt à dæmonum principe profecta, persequebantur Christũ eosque omnes qui credebant in eum, denique faciebant quod in se omnemque mouebant lapidem, ne quis in Christum crederet, ac proinde impediebant ne quis in regnum cælorum introiret, prorsus contraria Christo molientes. Claudebant igitur ipsi regnum cælorum, & quidem ANTE HOMINES, id est, coram, & in os hominum parantium ingressum. Multi enim accurrebant ad Christum euãgelizantem, auideque doctrinam eius excipiebant, & parati erant in Christum credere, nisi isti prohibuissent & impediuissent. Id quod Christus explicans subdit: VOS ENIM NON INTRATIS s. respuentes fidem in me, reiicientes me & doctrinam meam: NEC INTROEVNTES, id est, conantes paratosque introire, iamque habentes pedem in limine paratos in me credere, & euangelium pœnitentiamque amplecti, SINITIS id facere, contrariis exemplis, consiliis, iussis, calumniis, minis atque terroribus, eos reuocantes. nam & iamdudum conspirauerant, *vt si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret.* (Ioh. 9. v. 22.) Est hæc duplex iniquitas, nec facilè alia grauior, similis satanicæ inuidiæ, malè facere & alios prohibere benefacere: quam proinde grauissima manet vindicta Dei ex hac Christi doctrina. *Hi sunt*, ait Chrysostomus, *quos pestes transeundo appellamus, qui ad consumendos alios studiosè vigilantes, veris doctoribus ex diametro sunt oppositi. Si enim doctoris est errantes reuocare: qui ad salutem tendentes in errorem reducit, is perditus omnino atque pestifer est.*

Mar. 12. v. 40. Luc. 20. v. 47.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos [14]

οὐαὶ δὲ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας

τῶν

τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· διὰ τοῦτο λήψεσθε περισσότερον κρίμα.

viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium.

VÆ proximè præcedenti, Sixtina Biblia cum multis latinis exemplaribus, ſubiungunt iſtud *væ*, de deuoratione viduarum per fictum orandi ſtudium, quod græci & ſyrici libri præponunt. Et græci quidem ac ſyrici libri, quos videre licuit, conſtanter omnes, hic ſecundùm Matthæum illud legunt, Chryſoſtomo, Auctore operis imperfecti, Theophylacto, Tito, Euthymio, etiam interpretantibus: ſed latini libri, pleriquo variè admodum legunt; alij, nec pauci boni, omnino omittunt, fauentibus, inter latinos tractatores, Hieronymo, Chriſtiano Druthmaro, & alijs; inter græcos, Origene & Euſebio Cæſarienſi, auctore canonum euangelicorum, dum in octauum canonem, vbi ſoli Marcus & Lucas conueniunt, hunc verſum retulit. Cùm igitur mea eſſet ſententia, verſum hunc, à D. Hieronymo editionis latinæ caſtigatore, ſublatum fuiſſe, vt qui, præfatione in quatuor Euangelia ad Damaſum ſcripta, doceat, ex his Euſebianis canonibus, confuſionis errore ſublato, ſingulis Euangeliſtis ſua reſtituere, non eſt hic verſus tractatus à me, niſi apud Marcum & Lucam.

οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι [15] ὑποκριταί, ὅτι περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν, ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον· καὶ ὅταν γένηται, ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν.

Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis eũ filium gehennæ duplo quàm vos.

HYPOCRITÆ. In ſingulis accuſationum capitibus appellat eos hypocritas, feriens conſcientias ipſorum, & indicans ficta, ſimulata, ac mentita eſſe quæcumque in negotio religionis agunt. Aliud itaque taxat hîc hypocriſeos genus, ſed eiuſmodi quod ſuperioris generis taxationem magis confirmet. Poterant enim illi dicere, tantum abeſſe vt ipſi claudant ante homines regnum cælorum, vt etiam exteros & gentiles idololatras ad Dei cultum & regnum cælorum adducant. Nam ſtudioſè adlaborabant iſti, vt gentilium aliquos ad religionem Iudaicam adducerent, & incircumciſos miſcerent populo Dei: atque hoc zelo & labore per ſe ſancto fauorem populi acquirebant. Sed Chriſtus pronunciat, illud ſtudium, quamquam ſterile, adeò ipſis non eſſe dandum laudi, vt Dei vindictam magis prouocet, eò quòd eos quos lucrifecerint gentiles ſic inſtituant, vt non ad regnum cælorum aut vitam æternam, ſed ad gehennæ ſupplicia eaque non minima pertrahant; ſine ipſo docente, quòd non recto affectu gentiles venentur, non cauſa ſalutis æternæ illorum (cùm propriam non curent,) ſed gloriæ aut quæſtus cauſa, ob honorem aut lucra à diſcipulis captanda. CIRCVITIS. percurritis. ARIDAM. id eſt, terram. ſic enim Hebræis vocatur ea terræ portio ex qua Deus habitationis hominum cauſa aquas repulit. Gen. 1. v. 9. 10. Eſt autem prouerbialis hyperbole *circuitis mare & aridam* ſiue mundum vniuerſum (totus enim hic mundus inferior, vel eſt mare, vel eſt terra) pro quæritis magna diligentia & labore, omnemque operam adhibetis. VNVM. vel vnum aliquem. PROSELYTVM. græca vox eſt, latinè ſonans aduenam, quam Hebræi efferunt גר *ger*, qua ſignificant eum quem ex aliena natione in ſuæ legis conſortium adduxerint, qui à gentilitate ad Iudaiſmum adductus eſt, non natione Iudæus, ſed adoptione factus, ac in legis Moſaicę fœdera receptus, quaſi dicas aduentitiũ ad religionem, quod opponitur Iudæo nato. Ex quo Pompeius magnus Iudæos Romanis tributarios fecit, licuit Iudæis mundum peragrare, adeoque per mundũ vniuerſum mox ſeſe ipſi diſperſere, Deo permittente, vt quos, longis temporibus antea, intra fines Iudææ, tamquam pueros domi, ne ſeducerentur à gentilibus, continuerat; illi tandem diſperſi, locum pararent euangelio appropinquanti, fide vnius Dei, quæ iam coaluerat altaſque radices egerat in cordibus eorum, per mundum vniuerſum promulgata. Non quòd ipſi palàm promulgarint fidem vnius Dei, ſed quòd pro eiuſmodi qui vnum ſolum Deũ colerent agniti fuerint vbicumque terrarum agerent, de quibus poëta ſcribit: *Nil præter nubes & cæli numen adorant*. Nam ſi quos conarentur ab incredulitate gentili abſtrahere, non id agebant publicè, ne legibus gentilium principum punirentur, ſed ſecretò. Quum verò hoc agebant, rectè laudabiliterque agebant, ſanctumque erat ſtudium hoc, vt diximus, nec ob illud hîc reprehenduntur: ſed quòd paruo cum fructu id agerent, paucoſque lucrifacerent, intelligendum datur, cùm magnos ſubire labores pro vno adducendo perhibentur. Reprehenduntur autem propter illud quod ſequitur, quòd proſelytum, quem tanta diligentia ac labore in conſortium ſuæ religionis pellexerant, ad hoc vt ſaluus fieret, redderent ſceleratum, ac proinde obnoxium æternæ damnationi, magis quàm eſſent ipſimet. FILIVM. id eſt, reum, GEHENNÆ ignis, dignum addictumque ſuppliciis æternis. DVPLO, id eſt, *multo*, ex communi more loquendi, ſic D. Auguſtinus capite 16. libri contra Adimantum. QVAM vos ſ. ſitis, duplò ſeu multò magis quàm vos ſitis, qui multò magis quàm vos mereatur luere æternas gehennæ pœnas, ac proinde etiam luiturus ſit vobis grauiores. Intrepidè improperat aduerſariis ſuis, primùm ipſos filios eſſe gehennæ, deinde & illos multo magis, quos ipſi videri volebãt Deo & vitæ æternæ lucrifeciſſe. Quum autem dicit *duplò* ſeu multò, ſignificat differẽtiam eſſe peccatorum, & vnius peccatis deberi reddendaſque eſſe grauiores gehennæ pœnas quàm alterius. Gehenna enim non redditur niſi peccatis, ac proinde dicens, *facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos*, dicit etiam, facitis eum peccatorem ſeu ſceleſtum duplo quàm vos, ſeu multò ſceleratiorem vobis, quem videri vultis feciſſe purum vnius Dei cultorem. Sed quomodo hoc faciebant Scribæ & Phariſæi? faciebant illud, tum doctrina, tum exemplo. Doctrina, quia non rectè nouitios inſtituebant: non quòd eos docerent quid contrarium legi Dei, ſed quòd ſolida pietate non imbuerent eos, quippe qui non tam animos eorum quàm externos mores formarent, ipſoſque mores externos, non tam in mandatis

Dei maximis exercerent, quàm in ceremoniis, & propriis variis constitutionibus, sæpe superstitiosis aut vanis, quas plures etiam proselytis imponebant quàm Iudæis natis. Exemplo, quia non nisi fucatæ sanctimoniæ, reuera autem malæ vitæ, exemplum proselytis præbebãt. Fiebat itaque his modis, vt proselytus, vel relaberetur in idololatriam post agnitam veritatem, tamque apostatam ac desertorem ageret legis Dei semel susceptæ: vel malam magistrorum vitam sic imitaretur, vt non in illorum malitia sisteret, sed eorum vtens exemplis vlteriùs etiam progrederetur, quemadmodum fieri consueuit. *Probos enim doctores*, inquit Chrysostomus, *vix imitari quimus: improbos autem, quia faciliores ad mala sumus, etiam superamus*. Exemplum huiusmodi proselyti exstat in Herode primo. Sed quærat aliquis: Quomodo poterant proselyti duplo magis fieri gehennæ rei, quàm ipsorum magistri qui ipsos huiusmodi faciebant? videtur enim, qui alium facit filium gehennæ, ipse fieri multo magis. Respondendum, quòd non ex proposito reddebant magistri discipulos istos suos sceleratos, ac proinde gehennæ obnoxios, tamquam hoc pro scopo haberent; reddebant tamen eo modo quo culpa in ipsos redundaret digna interminatione diuinæ vindictæ, sed minor quàm erat ipsorum discipulorum, qui, occasione quidem à magistris accepta, sed voluntate propria se reddebant etiam peiores magistris. *Hic atque Christus Scribas & Pharisæos in duobus magnis criminatur*, ait Chrysostomus, *quorum vnum est, quia inutiles ad salutem multorum existentes, vix magno sudore quemquam possunt attrahere: alterum quia desides ad custodiendum attractos sunt, immo verò etiam proditores, cum eos malo exemplo viuendi seipsis deteriores faciant.*

Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debet.

[16] οὐαὶ ὑμῖν ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ λέγοντες, ὃς ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ, οὐδέν ἐστιν· ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ, ὀφείλει.

VÆ. Etiam ignorantiam manet horribilis vindicta Dei, ignorantiam inquam doctorum, crassè errantium in iis quæ sunt professionis ipsorum. VOBIS. Eosdem alloquitur Scribas & Pharisæos, præcipuè tamen Scribas, quorum proprium officium erat docere populum. DVCES. ὁδηγοὶ duces viæ, id est, *doctores*, institutores, rectores, exempla, *populi*. pro huiusmodi enim vos geritis. CÆCI crassa supinaque ignorantia: qui professi doctores ipsi erratis, & in errorem inducitis. Nihil indignius duce viæ, quàm quòd sit cæcus: nihil indignius doctore, quàm quòd erret & ignoret quæ alios docet. Nequaquam sunt huiusmodi, idonei, duces aliorum. *Nam si maxima videtur calamitas atque miseria*, inquit Chrysostomus, *quando cæcus duce sibi nihil opus esse existimat: quid dicemus, si aliorum etiam dux esse contendit?* QVI DICITIS. quorum hæc doctrina est.

PER TEMPLVM. Rectè exposuit Interpres hebraismum ἐν τῷ ναῷ *in templo*. Sermo est autem de templo Ierosolymitano: non enim erat Iudæis, nisi vnicum illud templum. NIHIL EST. non tenetur iureiurando, non tenetur præstare si quid hoc modo promiserit, non est periurij reus si quid falsi hoc modo asseruerit, denique non est hoc iuramentum si quis per templum iuret. IN AVRO. id est, per aurum. hîc enim reliquit Interpres hebraismum, vt & in sequentibus. Per *aurum* autem pecunia intelligitur, D. Hieronymo interprete, ea nimirum cui excipiendæ seruiebat gazophylacium. Nihil vile consueuerant Iudæi, templo, quod in summa veneratione habebant, offerre, aurum potiùs, si suppetebat, quàm argentum aut æs. vide Marc. 12. v. 41.

TEMPLI. quod templo seu ad vsum templi eiusque ministrorum offertur. DEBET. tenetur iureiurando, periurus est si quid iurauerit falsum, aut si non præstiterit quod adhibito huiusmodi iureiurando promisit. Etsi Scribæ doctrina, Pharisæi exemplo, nihili facerent iuramentum editum per creaturas, adeoque pro iuramento non haberent, quòd nomen Dei non interponeretur (id quod ex hoc loco, simul & Capite quinto superiori, fit manifestum) excipiebant tamen quasdam creaturas, quas populo studebant reddere commendabiles, seruientes auaritiæ suæ. Vt enim allicerent homines & promtiores redderent, ad sacrificia ac dona frequentia Deo temploque offerenda, quorum pars non minima consueuerat cedere ipsorum lucro, qui plerique sacerdotes aut Leuitæ erant; docebãt, iuramentum per sacrificia & dona templi editum, pro vero iuramento singulariter habendum esse: tamquam nihil Deo gratius esset, nihil esset post Deum maius aut sanctius, nihil quod propiùs referret Deum ipsum, donis Deo oblatis, vt quæ immediatè essent Dei, quorum causa templum & altare conditum esset. Notum est quanti fecerint illi sacrificia, tanto inquam vt etiam cum charitate committerent (sup. 22. v. 36.) & nutritioni patris ac matris inopum præferrent (suprà 15. v. 5.) quæ omnia ex auaritia fuisse profecta, fit verosimile.

Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?

[17] μωροὶ καὶ τυφλοὶ, τίς γὰρ μείζων ἐστὶν, ὁ χρυσὸς, ἢ ὁ ναὸς ὁ ἁγιάζων τὸν χρυσόν;

STVLTI. qui sequimini opinionem omnino stultam, fatuam, atque absurdam, digniora manifestè indignioribus postponentem. CÆCI. qui excæcati auaritia, pluris facitis, iudicio præpostero, non ea quæ per se sanctiora sunt, sed quæ vestræ auaritiæ gratiora. Cæcitatem eis exprobrat, non corporis, sed animæ; simul & stultitiã seu iudicij inopiam ex cæcitate profectam. Non vocat eos hypocritas, fortasse quia non ipsi auctores erant huius doctrinæ, sed à maioribus acceptam sequebantur. Nam auctores, non dubium quin dictante hypocrisi hanc doctrinam finxerint, pluris facientes sacrificia ac dona templi quàm facienda essent, non pietatis erga Deum intuitu, quod videri volebant, sed studio proprij lucri. QVID ENIM. quidnam, vtrumnam. redarguit eos ratione ex natura rerum adducta. MAIVS, dignius, sanctius.

SANCTIFICAT. cõsecrat. facit vt sanctum sit, id est, vsibus sacris destinatum. Loquitur de sanctitate externa, qua sanctificari est à prophano ad sacrum vsum separari: nam corpus inanime nõ potest intrinsecè sanctum esse, sed dumtaxat quatenus ad aliud sanctum refertur. refertur autem aurum ad vsum templi: igitur aurum sanctum

sanctum est propter templum. Prophanum est aurum antequam templo offeratur: simulatque templo oblatum fuerit, sanctum est nec potest in prophanos vsus conuerti. Templum verò ipsum sanctum est, non propter aurum (siue enim cum auro, siue sine auro, templum sanctum est) sed propter Deum inhabitantem, quia domus Dei est, quia Dei vsibus Deoque colendo dedicatum est. Sanctitatem igitur auro impertit templum. Vtique autem, sanctius, dignius & maius est, id à quo aliud sanctificatur, quàm id quod sanctificatur, quemadmodum benedicens maior est eo cui benedicit (Hebr.7.v.7.) id quod quiuis etiam cæcus videat. Maius itaque est templum auro: quare si verum ratumque iuramentum esse dicitis quod fit per aurum: nónne stultum est docere, iuramentum per templum nihil esse?

καὶ, ὃς ἐὰν ὀμόσῃ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδέν ἐστιν· ὃς δ᾽ ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ δώρῳ τῷ ἐπάνω αὐτοῦ, ὀφείλει. [18] Et, quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicumque autẽ iurauerit in dono quod est super illud, debet.

ET s. dicitis. IN ALTARI. per altare. IN DONO. per donum seu munus, quod Syrus dicit *corban*, vt & Marcus Euangelista cap.7.v.11. vbi Iosephi testimonium attulimus, ex quo intelligitur *Corban* Iudæis familiare iuramenti genus fuisse. QVOD EST impositum seu quod offertur. SVPER ILLVD, s. altare, id est, per sacrificium bouis, arietis, vaccæ, ouis, similæ, &c. Reliqua pete ex versu 16. superiore.

μωροὶ καὶ τυφλοί, τί γὰρ μεῖζον, τὸ δῶρον, ἢ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἁγιάζον τὸ δῶρον; [19] Cæci, quid enim maius est, donũ, an altare quod sanctificat donum?

CÆCI. *μωροὶ καὶ τυφλοὶ* stulti & cæci, quo modo legitur & syriacè. Interpres non legit hoc loci *μωροὶ stulti*.

DONVM. munus, sacrificium, corban. QVOD SANCIFICAT DONVM? Vnum certum altare ex sua institutione diuino cultui dedicatum est, sed non vnum certum donum. Itaque donum antequam super altare offeratur, prophana res est, potestque in prophanos vsus conuerti: simulatque verò altari impositũ fuerit, dicatur Deo & fit res sacra. nam & si extra altare offeratur, non donum Deo gratum, sed abominatio est. Ab altari igitur accipit donum vt sit res sacra. Maius est autem id quod sanctificat, eo quod sanctificatur. Quare si iuramentum quod fit per donum, verum ratumque est, multo magis est quod fit per altare. Reliqua petenda sunt ex versu 17. superiori.

ὁ οὖν ὀμόσας ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, ὀμνύει ἐν αὐτῷ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ. [20] Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt.

QVI ERGO. Infert ex præcedentibus, contra traditionem ipsorum, verum ratumque iuramentum esse quod fit per altare aut templum, ita tamen vt nouas intexat rationes quibus hoc ostendat. Simul etiam docet per nullam creaturam esse peierandum, eò quòd, qui per creaturam quamcumque iurat, per Deum iuret, in qualibet creatura relucentem, & quamlibet creaturam gubernantem. Est igitur sensus: *Qui ergo iurat* per altare, verè iurat, non solùm quia altare maius est sacrificio, & sanctificat sacrificium, verumetiam quia qui iurat per altare, IVRAT non tantùm IN EO seu per illud, sed ET IN OMNIBVS, sed & per omnia, sacrificia ac dona, QVÆ SVPER ILLVD SVNT, ac proinde per Deum cui illa offeruntur. Additur alia ratio, præter eam quæ superiùs, v.19. indicata est, cur iuramentum habendum sit quod fit per altare, nimirum, quia qui per altare iurat, etiam per dona ac sacrificia ipsa, ac proinde per Deum, iurat. Altare secundùm se nequit in testem citari, sed secundùm quod relucet in eo maiestas Dei: relucet autem in eo maiestas Dei, non solùm quia locus est dicatus colendo Deo, verùm multò magis ob modum colendi Dei qui in eo exercetur, qui est, offerri super illud sacrificia in recognitionem supremæ Dei maiestatis. ad excipienda enim sacrificia seruit altare, nec extra altare offerri sacrificia possunt: huiusmodi est inter hæc coniunctio. Itaque omni modo, si legitimum est iuramentum per sacrificiũ iurasse, quod vos asseritis, est & per altare iurasse, quod vos negatis.

καὶ ὁ ὀμόσας ἐν τῷ ναῷ, ὀμνύει ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν τῷ κατοικήσαντι αὐτόν· [21] & quicumque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso;

IVRAT IN ILLO, ET IN EO. iurat non tantùm per illud, verumetiam per eum QVI HABITAT IN IPSO, id est, per Deum cuius est templum. Iuramentum eius non sistit in templo ipso, sed refertur in Deum cuius templum est, etiamsi Deum ipsum non nominet expressè. Quemadmodum in sacris literis templum vocatur domus Dei: ita à domo sumta metaphora dicitur Deus habitare in templo; idque ad formam principis, qui tutandi regendique populi sui gratia in medio illius habitat. Cæterùm non habitat in templo Deus, quòd ipse *manufactis templis* contineri queat (Act.17.v.24.) *qui cælum implet & terram.* (Iere.23.v.24.) sed quia ibi peculiariter vult inuocari & coli, seque ipsum illic piè rogantibus præsentem exhibere exauditionis facilitate, concurrentibus cæteris causis quas sup.21.v.13. explicuimus. Itaque qui per domum Dei iurat, per Deum iurat: domus enim cum inhabitatore suo consideratur. Non dicit Saluator similiter versui superiori: *Iurat in eo & in auro ipsius*: quia non est talis coniunctio inter templum & aurum, qualis inter altare & sacrificium, nec eiusmodi conditio referendi præsentiam maiestatis Dei in auro, cuiusmodi in sacrificio, denique vix est congrua iurandi formula per aurum templi. Est igitur loci sententia: Similiter verè iurat qui per templum iurat, non tam quia templum auro maius sanctificat aurum (quamquam hæc argumentandi ratio aduersus vos sit valida) quàm quia per Deum iurat cuius est templum, qui per templum iurat. Relucet enim in templo diuinæ tum præsentiæ tum magnificentiæ specimen longè illustrius, quàm in quouis auro, templo oblato.

&qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. [22] ϗ ὁ ὀμόσας ἐν τῷ οὐρανῷ, ὀμνύει ἐν τῷ θρόνῳ τοῦ θεοῦ, ϗ ἐν τῷ καθημένῳ ἐπάνω αὐτοῦ.

ET QVI IVRAT IN CÆLO. id est, quemadmodum qui iurat per cælum. IN THRONO DEI ET IN EO. per thronum Dei & per eum QVI SEDET SVPER EVM, id est, Deum.q.d. Sic iurat per Deum, qui iurat per templum aut altare, quemadmodum qui iurat per cælum, iurat per Deum, cuius maiestas & gloria refulget in cælo, quo vt throno vtens mundum vniuersum regere videtur; etiamsi disertè non nominetur Deus. Hoc latiùs expositum est, suprà 5.v.35. Quamquam Scribæ non pluris facerent iuramentum per cælum quàm per templum aut altare: tamen quia celebrior est forma iurandi per cælum, adfert eam Iesus exempli gratia, quò declaret superiora, docens quomodo omnes iurandi formulæ in legitimum finem ac scopum dirigendæ sint. Nam cùm iurare non sit nisi Deum in testem inuocare, quicumque iurat, per quamcumque rem iuret, conuincitur Deum in testem citare. Vel enim rei illi deitatem affingit, quod non est credendum de fidelibus: vel rem illam nominat vt diuina est, vt Deum refert, auctorem, rectorem, fautorem, &c.

Luc. 11. v. 42.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. hæc oportuit facere, & illa non omittere. [23] οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ ἄνηθον, ϗ τὸ κύμινον· ϗ ἀφήκατε τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, τὴν κρίσιν, ϗ τὸν ἔλεον, καὶ τὴν πίστιν. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι.

VÆ VOBIS. Curiosam nimisque exactam interpretationem atque obseruationem præceptorum minimorum ac faciliorum, quæ magis ad significationem & ad iustitiam exteriorem quàm ad interiorem referebantur, notat Iesus, cum reprehensione negligentiæ præceptorum maiorum. HYPOCRITÆ. Vultis enim legis obseruandæ studiosissimi videri, ex eo quòd ne minima quidem prætereatis: conuincimini autem simulatores, ex eo quòd maxima quæque contemnatis. Atque hoc ferè vitio laborant omnes hypocritæ, quòd in rebus minutis valde seduli sint & anxij, præcipua autem legis capita negligant. DECIMATIS. decimas datis menthæ & anethi, &c. scilicet, qui estis ex alia tribu quàm Leui, tribui Leui, & qui ex inferioribus familiis Leui, summo pontifici ac sacerdotibus. Nam, quod D. Hieronymus docet in caput 45. Ezechielis, *Ἀπόδοσιν, hoc est decimam partem omnium frugum, Leuiticæ tribui* (sacerdotibus inquam & leuitis) cæterarum tribuum *populus ex lege debebat: ac rursus ex ipsis suis decimis, Leuitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus, decimas dabant sacerdotibus, & hæc est quæ appellatur δευτεροδεκάτη.* lege caput 18. Numerorum. MENTHAM. τὸ ἡδύοσμον. Nota est herba, de qua Plinius lib. 19. cap. 8. *Menthæ nomen*, ait, *suauitas odoris* (hoc enim significat Hedyosmos apud græcos) *mutauit, cum alioqui Mintha vocaretur, vnde veteres nostri nomen declinauerunt.* ANETHVM producta media significat odoriferam herbam, quæ tormina sedat, singultus cohibet, & cætera quæ docet Plinius lib. 20. cap. 18. CYMINVM. Latini dicunt cuminum, verso υ in u & producta media. Sub his tribus intelligit Saluator & reliqua vilium minimique pretij herbarum genera, quarum decima à populo non soluebatur, vti nec à Leuitis admodum desiderabatur, quòd, & parui pretij essent, & facilè suppeterent quantum satis esset ex propriis hortis. At Scribæ & Pharisæi, dum vellent populo religiosiores & exactissimi legis obseruatores videri, vt minimo dispendio rarum pietatis studium ostentarent, etiã horum decimam soluebant, ne quid scilicet omitterent eorum quæ lex videri poterat præcepisse, quæ Leui. 27. v. 30. statuit in hæc verba: *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt & illi sanctificantur*; quod est ad verbum hebraicè: *Et omnis decima terræ, de semine terræ, de fructu ligni, Domino illa, sanctitas Domino.* Quæ verba si rigidè interpreteris, etiam menthæ similiumque parui pretij herbarum decimatio præcipiatur: at æqua & commoda interpretatione, non præcipitur, quippe quæ ab eis parui fiebat quibus fuisset debita. Hinc itaque illa Pharisæi coram Deo gloriatio, Luc. 18. v. 12: *Decimas do omnium quæ possideo*; non tantùm scilicet eorum de quibus Publicanus iste & ceteri homines dant decimas, verùm omnium, etiam minimorum quorumque. Atque adeò, quia duplex est vsus menthæ, anethi, cumini, & aliarum quarumdam similium herbarum, semel cùm virentia in vsus colliguntur, semel cùm arida in vsus asseruantur, qua erant superstitiosa anxietate, bis hæc decimabant decimandaque docebant Scribæ & Pharisæi, & viridia, & arida: id quod ex ipsorum libris Arias Montanus docet tam in Lucam quàm in Matthæum scribens. ET pro sed. RELIQVISTIS ἀφήκατε omisistis. præteritum pro præsenti relinquitis, omittitis, negligitis; vel certè reliquistis s. iamdiu. QVÆ GRAVIORA SVNT LEGIS. quæ præcipua sunt legis, quæ lex maximè & ante omnia & ab omnibus requirit, quæ Deus maximi facit. Sunt in lege præcepta varia, quædam externa, typica, & ad tempus seruanda, quæ ad typum futuri aut ad externam obseruantiam pertinent, variisque ex causis omitti possint, etiam ante tempus illud quo prorsus cessare habet eorum obligatio: cuiusmodi sunt, sacrificia, decimæ, multoque magis decimatio herbarum siue olerum. hæc leuiora sunt legis, non leuia in seipsis (neque enim contemni potuere vmquam) sed leuia respectu aliorum à lege præceptorum. Nam sunt alia in lege quæ animum tangunt, sine quibus pietas non potest consistere, sine quibus nemo Deo placere potest, quæ non ad tempus præscripta, sed perpetuò bona ac Deo grata à nemine citra peccatum & salutis dispendium vmquam omitti poterunt; de quibus scriptum est Mich 6. v. 8: *Indicabo tibi ò homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Leuiora illa propter hæc grauiora lege firmata sunt: quare ab his dirupta, prodesse nihil possunt. IVDICIVM, pro iustitia, æquitate, & rectitudine accipitur, qua fit vt cuique reddatur quod suum est, nec alius alium fraudet aut lædat. Vnde *iudicium & iustitiam facere* in Scripturis, est iustè & cùm æquitate viuere inter homines. MISERICORDIAM. benignitatem. Misericordia longiùs progreditur, vt qui que studeat

studeat de suo proximis succurrere, miseris auxilio esse, consilio, opera, opibus; subuenire oppressis, in commune humaniter conferre facultates quibus præditus est, denique erga omnes benignum, humanum, & facilem esse. His duobus, *iudicio*, inquam *& misericordia*, quæ sepenumero in f. litteris coniunguntur, comprehenditur, quidquid lex à nobis exigit præstandum proximo, modus omnis quo lex vult, quacumque re nata, vt nos erga proximos nostros geramus tam animo quàm opere: & respondent hæc duo vni illi præcepto quod simile est maximo: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. sup. 22. v. 39. FIDEM in Deum. Fide vt pote radice significantur etiam spes & charitas, quibus tribus comprehenditur quidquid lex à nobis exigit ad colendum Deum, modus omnis quo nos gerere debemus erga Deum, animo inprimis, deinde & opere: & respondent primo illi maximoque præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, sup. 22. v. 37. 38. Meritò itaque, *iudicium, misericordia, & fides*, grauiora dicuntur legis, quibus implentur duo illa maxima mandata, in quibus vniuersa lex pendet & prophetæ. sup. 22. v. 40. Hæc autem securè prætermittebant ac contemnebant Scribæ & Pharisæi; *fidem* quidem, exempli gratia, cùm pertinaciter reijcerent Christum à Deo Patre missum: nam *qui non credit in Filium Dei, nec credit in Deum, immo mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo*. 1. Ioh. 5. v. 10. *Misericordiam* autem, cùm superbè despicerent peccatores, nec allicerent ad pœnitentiam. sup. 9. v. 11. 13. Denique *iudicium*, cùm viduarum domos deuorarent Mar. 12. v. 40. cùm Christum odissent, persequerétur modis omnibus, & ad mortem quærerent. Hæc f. grauiora, iudicium, misericordiam, & fidem. OPORTVIT. ἔδει oportebat. FACERE. exercere ante omnia. ET ILLA. illa interim f. decimare mentham, anethum, & cyminum, oportuit NON OMITTERE, sed ex magno studio obseruádæ legis grauioribus leuiora addere f. si existimabatis lege Dei esse præcepta. Nihil enim, quod modò lege Dei præceptum esse existimetur, etiamsi re vera non sit, prætereundum est: suo tamen loco habendi sunt singula, nec grauiora postponenda sunt leuioribus. Fatetur quæcumque Deus mandauit seruanda esse, nec quidquam omittendum: sed non obstare totius legis studium, quo minùs in præcipuis capitibus præcipuè insistere oporteat, ac præpostere facere eos qui sese in minimis occupant, neglectis maximis à quibus æquum fuerat ordiri. Præoccupans igitur hac parte Saluator, negat illos à se argui, quòd seruarent minima præcepta, sed quòd cura peruersa, cùm anxiè seruarent minima, vt haberentur legis diuinæ studiosissimi; audacter transgrederentur maxima, præposterè religiosi. quod quidem manifestiùs declarat subdens:

ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες. 24 Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

DVCES CÆCI. Vehementiùs in eos inuehitur, quia non sibi solis, sed & populo cui præerant peccabant, quippe in quos populus tamquam viua veræ pietatis exemplaria respiceret. Excæcauerat autem eos hac parte, non ignorantia, sed malitia siue hypocrisis, quòd contenti laude hominum, Deo placere non curarent: quo exemplo abducebant populum à vera legis obseruatione. EXCOLANTES. διυλίζοντες defæcantes. q. d. à materia purgantes. participium loco verbi, qui excolatis CVLICEM, CAMELVM AVTEM deglutitis, absorbetis. Prouerbialis sententia, qua pulchrè exprimitur putida hypocritarum in rebus minutis anxietas, qui perinde faciunt, ac si quis tenuem panis micam colaret, integrum autem voraret panem. Quadrat ergo in eos adagium, qui cùm anxiè curent minima, maxima contemnunt, in leuioribus obseruandis superstitiosi, in grauioribus plus quàm supini: sumtum ab eis, quorum si in potum fortè inciderit culex pusillum animalculum, quod vix noceat etiam potatum, non tantùm digitis illud extrahant, sed & colo transmittant liquorem ipsum guttatim, ne culicem aut eius sordes absorbendo, strangulentur, lædantur, aut certè polluantur: si verò ingens belua, vastus tortuosusque camelus inciderit, qui non tantùm immundum reddat, sed & certò strangulet occidatque potatus, non tantùm non extrahant, verumetiam securè vnà cum potu suo sorbeant camelum ipsum, nihil veriti immunditiam immensam aut vitæ periculum præsens. Est porrò in posteriori hac adagij parte hyperbole agnoscenda (nec enim possit absorberi ab homine camelus perinde ac culex) sed non abhorrens à consuetudine loquendi, ita vt minimè opus sit cum Caietano fingere, *asilum* aut quid aliud huiusmodi, supponendum in locum cameli: nam & in libris Hebræorũ frequenter culicem & camelum vt minimæ & maximæ rei symbola vsurpari, testis est Arias Montanus in hunc locum. ac certè, quanta differentia est inter camelum ac culicem, & deglutitionem huius atque illius: tanta immo maior est inter præcepum de annumerandis decimis menthæ aliorumque huiusmodi si præceptum est, & præceptum de colendis iudicio, misericordia, ac fide, & transgressionem huius atque illius. *Irridet itaque*, ait Hilarius, *eorum in colandis culicibus diligentiam, quorum in glutiendis camelis esset incuria*. Huiusmodi enim, inquit, estis vos, qui, quò pietatis opinionem vobis concilietis, minima quæ citra culpam præterire liceat, anxiè superstitioseque obseruatis, ac magna vobis religio sit præterire: at quæ grauissima sunt legis prorsus negligitis absque vllo conscientiæ sensu: id enim tam absurdum est, quàm si quis camelum non dubitaret deglutire, muscam verò aut culicem studiosè colaret.

οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι καθαρίζετε τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τῆς παροψίδος, ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀδικίας. 25 Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritę, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia.

Luc. 11. v. 39.

VÆ VOBIS. Prosequitur eamdem sententiam, ac figuratè Scribis & Pharisæis exprobrat, hoc vnum solicitè ipsos curare, vt corã hominibus niteant. HYPOCRITÆ. Nã in externis ostentare munditiem, neglectis ijs quæ sola nos coram Deo mundos reddunt, non mundities est, sed hypocrisis, ac veræ munditiei pernicies.

MVNDATIS. mundari, ablui studiosè ante cibum iubetis (vide Mar. 7. v. 4. 8.) ne quo pacto inquinemini, sed

ſed perſeueretis mundi & Deo grati, atque huiuſmodi ab omnibus habeamini. vide ſuprà 15. v. 2.

QVOD DEFORIS EST. τὸ ἔξωθεν quod extra eſt, partē ſiue ſuperficiem exteriorem tam concauam quàm conuexam. CALICIS. ποτηρίου poculi, ex quo bibere vultis. PAROPSIDIS. patinæ ex qua cibum ſumere vultis. *Paropſis* patina eſt ſeu diſcus, in quo cibi & condimenta apponuntur menſis, dicta à rotunditate flexuque. *Quod deforis eſt calicis & paropſidis*, id eſt, calicem ipſum & paropſidem: opponit enim calicem & paropſidem continentes, eis quæ continētur calice & paropſide: nam horum reſpectu calix ipſe & paropſis extra ſeu deforis ſunt. INTVS. vbi præcipuus eſt eorum vſus: calicis enim & paropſidis vſus interior eſt, ſolaque eorum interior immunditia nocet. PLENI ESTIS, vel potiùs vt eſt in aliis libris, *pleni ſunt* ſ. calix & paropſis: latiniùs dixiſſet neutro genere *plena ſunt*. RAPINA. quia ea quæ continent rapina parta ſunt. vult dicere, cibus veſter & potus rapina partus eſt atque iniuſtitia, oppreſſione ſ. inferiorum, viduarum, pupillorum, egenorum. *Hoc ipſum*, ait Chryſoſtomus, *& prophetæ ſæpius prædicauerunt, quòd principes eorum rapaces eſſent, ſocij furum, in iudicando nullam iuſtitiæ rationem, ſed munera & retributiones ſequerentur.* Iſa. 1. v. 23. 24.

IMMVNDITIA. Interpres legiſſe videtur ἀκαθαρσίας, pro eo quod hodie legitur, vel *ἀδικίας iniuſtitia*, vel *ἀκρασίας intemperantia*. *Iniuſtitia* conuenit cum *rapina*. q. d. rapina omniſque generis iniuſtitia. *Intemperantia* reſpicit abuſum cibi & potus. q. d. plena ſunt cibo & potu, quæ & iniuſtè adquiſitis, & intemperanter abſumitis. *Immunditia* ad vtrumque referri poteſt, & ad iniuſtitiam, & ad intemperantiam. q. d. plena ſunt rapina & omnis generis iniquitate, ſ. quæ ſola immunditiæ meretur nomen, ſola immunditiam adducit omni ſtudio extirpandam quæ Deo reddat ingratum, ac proinde immundiſſimi manent calix veſter & paropſis, quantumuis curioſè abluti foris. non enim niſi honeſtatis eſt exterior munditia, interior verò neceſſitatis. In ſumma igitur dicit. Creditis vos inquinari, ſi biberitis ex illoto calice aut ederitis ex patina non lota: & puri vobis videmini, ſi, quod in calice ac patina eſt, rapina aut fraude ſit partum: perinde ac ſi patina & calice exteriùs lotis, non curetis intus ſordida ſint necne, vnde tamen omne periculum eſt. Hic eſt primus huius loci ſenſus: ſed vlteriori ſenſu, mens Chriſti eſt generaliùs docere ac monere. Nam ſub allegoria exterioris partis patinæ ac calicis, omnem externam ſpeciem deſignat, & tamquam dicit: Vobis nulla munditiés curæ eſt, niſi exterior corporis; interiorem animi à peccatis munditiem, quæ præcipua eſt & ſola prodeſt, contemnitis, intus pleni impuritatibus omnis generis vitiorum.

Phariſæe cæce, munda priùs quod [26] intus eſt calicis & paropſidis, vt fiat id quod deforis eſt mundum.

Φαρισαῖε τυφλὲ, καθάρισον πρῶτον τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου καὶ τῆς παροψίδος, ἵνα γένηται καὶ τὸ ἐκτὸς αὐτῶν καθαρόν.

CÆCE. non videns quod intus eſt, aut certè non intelligens intus ſitam eſſe veram munditiem quę Deo te reddat acceptum. PRIVS. contrariè quàm hactenus facis. QVOD INTVS EST. quod continetur calice & paropſide. VT FIAT. Significatur vel ordo vel conſequentia: Munda prius interiùs, vt tunc & exteriùs ipſum mundare ritè queas, aut. Munda interiùs ipſum, tunc exteriùs facilè per ſe mundū fiet. ID vel potiùs vt eſt in aliis libris, *& id* QVOD DEFORIS EST. id eſt, etiam calix ipſe & ipſa paropſis. Legitimus ordo mundandi eſt, ab interiori incipere, vt deinde externa munditiés ſequatur. Prima cura eſſe debet, vt cibus ac potus mundus ſit, hoc eſt, iuſtè partus nec vllo alio peccato infectus; ſecunda, vt munda ſint vaſcula ex quibus ſumendus eſt cibus ac potus: illa enim interiora, hæc exteriora ſunt. hic rectus eſt ordo. Sequitur etiā, vt, ſi cibus & potus ſit immundus, vaſcula quoque ſint immunda (nec enim munda eſſe poſſunt vaſcula, quę continent quid immundum: non eſt mundum, quod intus eſt ſordidum,) rurſus ſi mundus, vaſcula quoque ſint munda, id eſt, neminem coinquinantia aut Deo ingratum reddentia, etiamſi corporatę ſordes minùs curioſè ablutæ ſint, non magis quemquam inquinantia quàm ſi munda prorſus eſſent. Aufer igitur rapinam omnemque peccati immunditiam, cura vt ſubſtantia qua cibum tibi potumque iubes comparari ſit iuſtè parta, nec abutaris cibo ipſo aut potu ad crapulam vel ebrietatem: ſic fiet mundum, priùs quod in veſtris calice & paropſide fuerit, deinde & ipſa calix ac paropſis, etiamſi pauca raraque aqua abluantur. Non laudat Dominus ſordes, nec damnat munditiem exteriorem, ſed ſecundo minimoque loco ea haberi vult, vt quæ minimùm ſiue proſint ſiue obſint. Et quod ad verba quidem, inhæret hîc calicis ac paropſidis ſimilitudini: ſed mens eius eſt, quod diximus, perpetua quadam tranſlatione, quam Allegoriam Rethores vocant, redarguere iſtorum hypocriſin, omnemque huiuſmodi præpoſteram religionem immo ſuperſtitionem, qua egregiè mundos ſe eſſe & Deo placere putabant, ſi corpora & vtenſilia ſua ſæpe ſtudioſeque lauarent, de animo à vitiis mundando nihil ſoliciti, ſola denique externa neglectis internis curabant: quibus rectè dicitur: *Cæce, mūda priùs quod intus eſt, vt fiat & id quod deforis eſt mundum.* Nam quod ad ordinem quidem, hic iuſtus eſt ordo, vt priùs ac præcipuè ſtudeas animi munditiei, deinde verò ſi videtur & corporis: nam neque mundum cenſeri debet corpus, quamdiu occupatur ab anima immunda, poteſt autem eſſe anima munda etiam in corpore immundo: denique ex anima, non ex corpore, iudicat Deus hominem mundum vel immundum. Quod verò ad ſequelam, cui interiora ſunt munda, ſunt & exteriora: *iuſtis enim omnia ſunt munda, & nihil eſt eis immundum* (Tit. 1. v. 15) anima mundata, mundatur & corpus. *Nam ſi laboremus*, ſcribit Richelius in hunc locum, *interiorem puritatem ſortiri, incrementa gratiæ adipiſci, Deo conſcientiam puram & tranquillam mentem offerre, conſequenter omnia exteriora noſtra morum probitate ornantur, & interna ſinceritas in exterioribus tamquam in ſuo effectu reſulget. Si verò conamur ſolam exteriorem apparentiam oſtentare, nec intus nec foris mundi ſumus, ſed penitus ſordidi.* Ita ille rectè, vnde intelligas mundata anima mundari & corpus, conſcientiæ puritatem matrem eſſe integritatis famæ, interiora denique omnia, ad ſe rapere & in ſuam conditionem transformare exteriora. Munda itaque interiora per pœnitentiam & virtutis amorem, eruntque etiam exteriora omnia tua munda & honeſta.

Væ vobis Scribæ & Phariſæi [27]

οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑπο-

ὑποκριταὶ, ὅτι παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις, οἵτινες ἔξωθεν μὲν φαίνονται ὡραῖοι, ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ὀστέων νεκρῶν καὶ πάσης ἀκαθαρσίας.

hypocritę, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ áforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Luc. 11. v. 44.

SIMILES ESTIS. παρομοιάζετε assimiles estis. Alia similitudo in eundem finem spectans. SEPVLCHRIS. Iustorum corpora dicuntur templa Dei, (1. Cor. 6. v. 15. 19.) corpora peccatorum sepulchra, vt quæ anima mortua inhabitet. sic Auctor operis imperfecti. DEALBATIS. κεκονιαμένοις illitis seu incrustatis gypso aut calce albario seu tectorio opere inductis; à κονία quod calcem & tectorium opus declarat: quod quidem opus fit, cùm calce aut gypso ad maiorē gratiam & decorem parietes inalbamus. AFORIS. ἔξωθεν foris, extra.

PARENT. φαίνονται apparent, videntur, spectantibus. SPECIOSA. pulchra. OSSIBVS MORTVORVM tristibus ac deformibus. OMNI. quauis. SPVRCITIA. ἀκαθαρσίας immunditia, abominanda s. cadauerum, vermium, putredinis, saniei, fœtoris. *Cum enim morietur homo, hereditabit serpentes & bestias & vermes* (Ecclesi. 10. v. 13.) Quod apparet, blanditur oculis hominum prætereuntium: quod autem occultant, fallit. Forinsecus splendent humano opere cultuque, lita sunt calce, ornata marmoribus, auro coloribusque distincta, quibus proinde in speciem nihil est pulchrius, venustius, aut delectabilius: at si aperueris & intrò adspexeris, ita sunt turpia & detestanda, vt sensus hominum non ferant ea vel videre.

28 οὕτω καὶ ὑμεῖς ἔξωθεν μὲν φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι, ἔσωθεν δὲ μεστοί ἐστε ὑποκρίσεως καὶ ἀνομίας.

Sic & vos, áforis quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

SIC ET VOS. sic enim & vos. Declarat versum præcedentem, comparationem explicans, simul & superiores versus 23 & 25. AFORIS, foris, extra. quantum iudicare vulgus potest ex iis quæ foris videntur in vobis. PARETIS. apparetis. IVSTI. propter fictam scilicet morum grauitatem, vestium religiositatem, lata phylacteria amplas fimbrias, prolixas preces. zelum lucrifaciendi gentiles Deo, exactissimam decimarum persolutionem, munditiem extremam, perfectissimam traditionum obseruationem, & cætera quæ hoc capite 13 sis exprobrauit dealbationi non absimilia. horum quippe gratia reddebantur hominibus conspicui velut iusti. INTVS AVTEM in animis vestris. Ad interiora semper penetrat, *qui sciebat quid esset in homine* (Iohan. 2. v. 25.) vt conscientiam purgare doceat: nam externam personam immutare, facillimum est. PLENI ESTIS. non quomodocumque obnoxij sed scatetis. *omnia enim opera sua faciebant, vt viderentur ab hominibus, dicebantq; nec faciebāt:* (sup. v. 3. 5.) HYPOCRISI studio simulationis hypocrisis intus est: nam externa opera, nō tantùm non damnanda, verumetiā laudanda forent, nisi animus cogeret ea hypocrisi seruire volens apparere quod esse non laborat. Hoc vitium studiosè admissum, non solùm hominibus, verumetiam Deo fucum facere cogitat, ratiunculis instructum quibus coloret peruersitatem suam. *Dicito mihi, ô hypocrita,* ait Auctor operis imperfecti, *si bonum est esse bonum, vt quid non vis esse quod vis apparere? Si verò malum est esse malum, vt quid vis esse, quod non vis apparere? Nam quod turpe est apparere, turpius est esse: quod autem formosum est apparere, formosius est esse.* INIQVITATE, ἀνομίας legis præuaricatione, alienatione à lege. Legis obseruatione vos venditatis, cùm pleni transgressione sitis, omnisque generis peccatis madeatis: quæ si patefierent, vt suo tempore manifesta erunt, horrerent videre homines. Non absurdè hypocrisis sterilis & in peccatis obdurata, cum inueteratis aridisque ossibus mortuorum, iniquitas cum putredine immunditiaque cadauerum, conferatur. Iam cogitet apud se vnusquisque, an his miserrimis atque infelicissimis Scribis aut Pharisæis sit similis. *Nam huiusmodi & nunc plurimi inueniuntur* (annotat ex Chrysostomo Titus) *qui munditiei & ornatus exterioris maximam curam gerunt, animā verò decoris omnino nullam: quinimo vermibus ac sanie induibilisq; grauеolentia, cupiditatibus inquam absurdis atque improbis, animam replent.*

29 οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι οἰκοδομεῖτε τοὺς τάφους τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων,

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, Luc. 11. v. 47.

HYPOCRITÆ. similes re vera patribus vestris interfectoribus prophetarum, quibus videri vultis dissimiles. In eo enim se prodit impia fictio & crassa impudentia, quòd, cùm viuos iustos extinguere conentur, in cultu mortuorum religiosi videri appetant. QVI ÆDIFICATIS. Rectiùs latinè legitur *qui*, quàm græcè ὅτι *quia*: non enim quia ædificabant & ornabant sepulchra iustorum, ideo reprobantur. Quare si legatur *quia*, ad totum loci complexum referendum est: *Quia cùm ædificatis sepulchra*, &c. & vos iactetis à patrum crudelitate alienos, Christo eiusque legatis mortem quam molimini inferetis. Nam postremum istud *væ*, reliquis omnibus grauius, cadit demum in versum 31, vbi declaratur causa maledictionis, his verbis: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* *Aedificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum*, id est, ædificatis & ornatis monumenta seu sepulchra prophetarum aliorumque iustorum (nec enim aliud dicere vult de sepulchris iustorum, quàm de sepulchris prophetarum, aut è diuerso) quod est, additis magnificis ac sumtuosis structuris & sculpturis ambitiosè ornatis sepulchra ac memorias prophetarum aliorumque iustorum, qui iustitiæ causa olim à maioribus vestris innocenter interfecti fuere, propter prædicationem, inquam, verbi Dei & liberam vitiorum increpationem. Non est verisimile, quòd isti transtulerint sacra propho-

prophetarum cadauera ex vno loco in alium: sed quòd, cùm iacerent illa loco humili & obscuro, ipsi locum illustrarint, structuris, sculpturis, varioque ornatu. Quo fuco vulgi fauorem captabant, & gloriam nominis immortalem quærebant, inscriptis nominibus propriis, tamquam qui prophetarum memoriam reuerenter colerent, & virtuti eorum qui interfecti fuerant fauerent, ac proinde fidi essent eorum imitatores, maioribus longè dissimiles.

Luc. 11. v. 47.

& dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorũ, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. 30 καὶ λέγετε· εἰ ἤμεθα ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν πατέρων ἡμῶν, οὐκ ἂν ἤμεν κοινωνοὶ αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν.

DICITIS. huiusmodi verbis sæpe vtimini. FVISSEMVS. vixissemus. IN DIEBVS. tẽporibus, ætate. PATRVM præcessorum NOSTRORVM, tum origine tum præfectura, maiorũ nostrorum Israelitarum qui ante nos functi sunt magistratu & præfuerunt populo Israel. Non tam enim à priuatis hominibus, quàm à populi principibus, quorum locum isti iam obtinebant, ferè occisi fuere prophetæ. NON ESSEMVS. οὐκ ἂν ἤμεν non fuissemus IN SANGVINE effundendo, id est, in cæde. hebraismus, pro, non consensissemus cum illis in mortem prophetarum. His verbis declarabant quare adornarent memorias prophetarum, nimirum, quod diximus, vt mundo testatum facerent se extra culpam esse paternorum scelerum, quòd si vixissent ætate maiorum suorum, nequaquam conspirassent cum illis in necem innocentium Dei seruorum, sed contrà defendissent seruos Dei ab iniuriis. plus enim intelligi volunt quàm dicant. Ornatu itaque sepulchrorum, primùm declarare voluerunt innocentiam dignitatemque eorum qui interfecti fuerant, quibus viris iustis & integris Deus olim vsus fuerat vt nunciis verbi voluntatisque suæ; suam deinde erga eos obseruantiam longè alienam ab ingrata crudelitate maiorum, qua factum fuisset, si ætate maiorum vixissent, vt non tantùm non consensissent in cædem illorum, verumetiam modis omnibus eos aduersus maiorum suorum malè exacerbatos animos defendissent. Haberi itaque voluerunt patribus suis meliores, & singularem pietatem suam apud populum & posteros celebrare.

Itaque testimonio estis vobisimetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. 31 ὥστε μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς, ὅτι υἱοί ἐστε τῶν φονευσάντων τοὺς προφήτας.

ITAQVE huiuscemodi verbis vestris. TESTIMONIO ESTIS VOBISMETIPSIS. μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς testamini vobisipsis. Syrus *aduersus vosipsos.* QVIA, id est, quòd. FILII ESTIS. Retorquet dictum eorũ in ipsos, & gloriam ipsorũ vertit in ignominiam: quod enim ipsi pro se iactabant gloriabundi, vt haberẽtur patribus suis meliores, ipse in eos reiicit, vt ostendat eos patribus suis esse similes, quemadmodum filij consueuerunt. Vos his verbis fatemini, inquit, vos filios esse eorum qui prophetas occiderunt (vt certè estis potiùs quàm Abrahæ, illorum facta moribus ac vita exprimentes) nam agnoscitis patres esse vestros eos à quibus immeritò interemti fuere prophetæ. Argumentum est à correlatiuis. Quamquam non præcipuè vitio vertit quòd sint homicidarum filij (*filius enim non portabit iniquitatem patris*. Ezech. 18. v. 20.) obiter tamen perstringit stultam eorum iactantiam, quòd in suo genere gloriari solerent, qui originem traherent ab impiis, scelestis, & sanguinariis patribus.

Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 32 καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν.

ET VOS. id est, vos igitur. Resipit tota hæc oratio commotum animum: solent enim ira accensi, conciso, abrupto, & tropis variato, vti rationis genere. IMPLETE. perficite. MENSVRAM s. peccatorum seu malitiæ. Non infinitè permittit Deus excrescere gentis cuiusuis malitiam, sed terminum statuit ac modum, qui hoc loco *mensura* vocatur, metaphora sumta à rebus quæ certa mensura vẽduntur, quarum pretium integrum tum persoluitur, cùm plena mensura traditæ fuerint: ita enim, cùm iniquitates gentis alicuius ad summum peruenerint gradum, quem pati nõ vult Deus vt transcendant, tum infligitur extrema vindicta, quam prophetæ *consummationem* non absimiliter vocant (Iere. 4. v. 27. & 5. v. 20. 18. & 30. v. 11.) Sic discimus ex illo loco Gen. 15. v. 16. *Nondum enim completa sunt iniquitates Amorrhaeorum*, tunc nationis seu gentis alicuius iniquitates seu mensuram iniquitatum impleri, quando multitudo criminum peruenit ad summum vsque gradum, ita vt gentis exterminationem Dei iustitia postulet. Implere itaque mensuram figuratè dictum est, pro, absoluere impietatem, & id scelerum parare, perficere, atque addere, quod deest ad commouendam penitus diuinam indignationem, iudiciumque exstirpationis maturandum. PATRVM VESTRORVM. quam diuinitus constitutam genti vestræ ne excederet, patres vestri parricidiis prophetarum replere cœperunt. *Quem prophetarum non sunt persequuti patres vestri, & occiderunt*, &c. Act. 7. v. 52. 53. Fuit autem hæc mensura diuinitus constituta, vt post occisos prophetas & iustos, Christo quoque Dei Filio cum legatis suis occiso, non vltrà sineretur gens Iudaica insolescere, sed exstirparetur pro merito. *nihil est enim, vltra Dei iniuriam, grauius peccare quod possent*, ait D. Ambrosius in Lucam. Itaque ex eo quòd fatebantur Scribæ & Pharisæi se esse filios eorum qui prophetas occiderant, infert Christus: *Vos igitur implete mensuram patrum vestrorum.* Cæterùm non imperat aut præcipit illis, vt hoc faciant, quasi hoc facturi non essent nisi ipse præcepisset: sed sic colligit ipsos hoc facturos argumento verisimili, eò quòd soleant filij parentes imitari & moribus eis respondere, ac telam quam illi orsi fuerint absoluere; vt etiam prædicat & prophetet ipsos hoc omnino facturos, occisuros inquam Christum eiusque legatos. Nec verò hoc solum prædicit, verùm illud etiam, hoc facto mox adfore vindictam diuinam, quæ Iudæos, vt quorum completæ sint iniquitates, exstirpet. Sed

quærat

quærat aliquis, si mens Christi est prædicere, non imperare futura, quare non vtitur voce futuri, sed imperatiui? causa est, quò sic prædicat, vt etiam permittat, significetque se conscium consiliorum ipsorum, eorum signanter quibus suam ipsius necem meditabantur, seque ea contemnere. Prophetia est igitur cum ironica permissione, qualis illa qua Iudæ dixit ea nocte qua traditus est: *Quod facis fac citiùs*. Iohan. 13.v.27. Est ergo loci sensus: Cùm vel vestro ipsorum testimonio sitis filij eorum qui prophetas occiderunt, genuini autem filij consueuerint exprimere paternos mores, & perficere quod patres cœperint, consequens est vt vos similiter eos occidatis qui apud vos subeunt Prophetarum locum, me inquam & Apostolos meos cęterosque iustos qui ad vos à me mittentur. Quod quidem etiam certò prædico vos facturos, & hac ratione adimpleturos mensuram malitiæ gentis vestræ, à patribus vestris impleri cœptam. Illi interfecerunt seruos præcursores ac prænuncios Christi; nondum adimpleta mensura est, nondum ad summū gradum peruênit iniquitas. hoc vt fiat, vos occidetis Christum ipsum Dominum & Dei Filium cum suis comitibus. Quod vbi feceritis, noueritis hoc quoque, vicissim iustitiam Dei, tamquam pro mensura plena, soluturam vobis gentique vestræ promeritum exstirpationis pretium seu potiùs supplicium. Scio quid meditemini, & quantopere optetis vt me meosque detur è medio auferre: quod quidem per me licebit vt faciatis, nec vt hactenus impediam quin breui mea vita pro libitu abutamini quam paratus sum dare in redemtionem pro multis. Quæ cùm ita sint, manifestum est quàm longè absitis à sancta illa erga prophetas & iustos vita defunctos obseruantia, cuius laudem aucupamini ornando sepulchra eorum, & quàm mendaciter vos ipsos præferatis patribus vestris, tamquam alienos ab illorum parricidiis, qui sacrilegum furorem patrum, qué in mortuorum sepulchris damnatis, in cæde viuorum imitamini. Dum enim Christum ipsum vobis præsentem eiusque comites ad vos missos persequimini ad mortem, quam & breuì estis eis illaturi, res ipsa loquitur, quòd, si fuissetis in diebus patrum vestrorum, certo certiùs fuissetis socij eorum in sanguine prophetarum, immo verò crudelitate superassetis eos, contrà omnino quàm iactetis. Facile est enim venerari iustorum cineres mortuos, qui duris correptionibus molesti non sunt vitiis vestris, & damnare malitiam alienam procliue est: sed propri[illegible] agnoscere malitiam, & æquanimiter ferre increpationes iustorum viuentium ac præsentium, hæc demum virtus est, quæ in vobis minùs etiā quàm in patribus vestris locum inuenit. Quocirca væ vobis hypocritæ. Non dubium quin hæc dicens Christus hostes suos grauissimè pupugerit. Hæc perpetua in mundo cæcitas homines transuersos agit, vt antiquos & vita defunctos bonos laudent, præsentes & viuentes odio vel fastidio prosequantur. Hic perpetuus mos fuit Iudæorum nominatim, de quibus hoc loco Auctor operis imperfecti: *Semper Iudæi prateritorum sanctorū cultores fuerunt & præsentium contemtores, magis autem & persequutores*, &c. Illis similes sunt Christianorum plerique, qui sanctos mortuos colunt, viuos oderunt.

ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν, πῶς φύγητε ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς γεέννης;

33 Serpētes, genimina viperarū, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?

SERPENTES. Retecto scelere eorum, eo præsertim quod in Christum moliebantur, exclamat in detestabilem malitiam eorum, disertis verbis raptans eos ad Dei tribunal, & annuncians quæ ipsos manent æterna supplicia, non tam ipsorum causa, quàm vt alij præsentes à simili exitio sibi cauerent. *Serpentes* autem vocat, propter nocendi adeoque occidendi libidinem cum astutia ac simulatione coniunctam. nam callidè nocendi & clàm infuso veneno homines perdendi studio notatus est serpens. GENIMINA γεννήματα fœtus, filij; *progenies* vertit sup. 3.v.7. & 12.v.34. VIPERARVM. nec quiuis serpētes, sed viperæ, quales patres vestri. Inter serpentes enim malitiā excellit vipera: viperarum autem filij, non sunt nisi viperæ. q.d. igitur: Pessimorum parentum pessimi filij, homicidæ homicidarum. Nam *sicut de viperis nascuntur viperæ: sic de homicidis patribus vos, inquit, nati estis homicidæ*. sic Hieronymus. vide sup. 3.v.7. QVOMODO. Extulit per interrogationem, quòd hoc schemate oratio magis incandeat. FVGIETIS. φύγητε fugiatis, id est, fugere possitis, quibus malitia innata est, & cupiditas cædis seruorum Dei quasi hereditaria. difficillimè enim exuitur quod connatum est. A IVDICIO GEHENNÆ. id est, iudicium gehennæ, iudicium Dei quo meremini addici æternis gehennæ suppliciis? q.d. Non poteritis effugere. Vnica fugæ via est pœnitentia: sed eam vt amplectamini & mores vestros mutetis, obstat pertinax & in naturam vobis sponte versa malitia. Iudicium hominum hîc fugitis, scelera vestra virtutum coloribus fucantes: at Dei iudicium, cuius oculis clara sunt *abscondita tenebrarum & manifesta consilia cordium*, fugere omnino non poteritis, quin pro meritis vos adiudicet morti æternæ.

διὰ τοῦτο ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω πρὸς ὑμᾶς, προφήτας, καὶ σοφοὺς, καὶ γραμματεῖς· καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε καὶ σταυρώσετε, καὶ ἐξ αὐτῶν μαστιγώσετε ἐν ταῖς συναγωγαῖς ὑμῶν, καὶ διώξετε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν·

34 Ideo ecce ego mitto ad vos, prophetas, & sapientes, & scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem:

Luc. 11. v. 49.

☞ IDEO. pertinent hæc eòdem quò præcedentia: pergit enim declarare ampliùs quomodo impleturi sint mensuram patrum suorum, & quomodo eos exceptura sit vindicta diuina, non solùm futura gehennæ, verumetiam præsens vindicta exstirpationis. *Ideo* quia vos implebitis mensuram patrum vestrorum. nam inprimis quidem ad personam Domini, sed deinde & ad discipulos eius, referendum est illud *Implete mensuram patrum vestrorum*. ECCE. Mira & immensa Christi bonitas, seruos mittentis, &, signis omnium maximis adhibitis, ad fidem & pœnitentiam inuitantis Iudæos, etiam postquam ab ipsis sacrilegè occisus fuerit: mira è diuerso & inuicta Iudaicæ crudelitatis pertinacia, quæ non contēta Christum ipsum occidisse,

occidit etiam illos Christi seruos, per quos ipse se rediuiuum efficaciter demonstrans pergit ipsis salutem offerre. EGO breui ad dexteram Dei sedens, quantumuis nunc à vobis despectus. emphasin habet hoc pronomen. MITTO. mittam proxime, mox a resurrectione mea per xxxviij. aut xl proximos annos. *mittam*, sicut misit me Pater. Iohan. 20 v. 21. Ministri salutis non veniunt nisi diuinitus mittantur.
AD VOS Scribas & Pharisæos cæterosque Iudæos iam reos effusi sanguinis mei. Extendit sermonem ad omnes, hactenus alloquutus solos Scribas & Pharisæos. PROPHETAS. prophetiæ dono excellentes, quo futura prædicant. SAPIENTES. sapientia insignes, qua norint quem quando debeant proferre sermonem, *ut contradicere & resistere nequeant aduersarij omnes*. Luc. 21. v. 15. Act. 6. v. 10. SCRIBAS. doctores interpretatione legis Scripturarum que præstantes, scribas doctos in lege simul & regno cælorum, qui norint *de thesauro suo proferre noua & vetera*. vide sup. 13 v. 52. hoc est, mitto complures legatos & præcones, varijs efficacibusque Spiritus sancti donis instructos. *Obseruare enim hic licet*, quod notat Hieronymus, *varia esse dona discipulorum Christi*. iuxta Apostolum 1. Cor. 12. Inter hos præcones eminuerunt *Apostoli*, *qui*, quod Hilarius ait, *& de futurorum reuelatione prophetæ, & de Christi agnitione sapientes, & de legis intelligentia scribæ fuerunt*. Ex his Iohannes, prophetam se declarauit Apocalypsi, sapientem Epistolis, scribam doctissimum Euãgelio, quæ scripta reliquit. Præter Apostolos plures alij nominãtur prophetæ & doctores seu scribæ. Act. 13. v. 1: *Erant autem in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas, & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus*. Rursus Act. 11. v. 27. 28., inter cæteros prophetas Ierosolymis Antiochiam profectos nominatur *Agabus*, *qui prædixerit famem futuram sub Claudio*, quemadmodum & Act. 21. v. 10. 11. prædixit captiuitatem Pauli, quam etiam *per omnes ciuitates sibi prænunciari* Paulus ipse testatur Act. 20. v. 23. Denique Act 6. v. 10. describitur Stephanus huiusmodi, cuius sapientiæ non poterant resistere aduersarij plurimi numero cum eo disputantes. Quòd autem hos misit Christus, fecit vt extremùm tentaret an nequiret Iudæos ad salutem adducere: quod verò varios misit, valuit ad amplificationem gratiæ eius. Sed dicat aliquis, videri non mittendos fuisse seruos alios, postquam Dominus ipse venerat nec quidquam profecerat; nam & Christo occiso, impletam fuisse malitiæ mensuram. Respondeo, Christi eiusque Apostolorum cæterorumque præconum Euangelij missionem ad Iudæos non nisi vnam censeri: nam vt Christus præsens se ipsum obtulit, ita discipuli postea non nisi Christum ipsum prædicauerunt. Non absoluerat munus suum Christus antequam mortuus esset & resurrexisset; morte & resurrectione sua perfecit quod erat redemtoris saluatorisque mundi: à morte igitur resurrectioneque sua, per alios perrexit salutem offerre Iudæis, quod iam non decebat per ipsum fieri. Mortem quam ipse indignè passus fuerat ab eis, cuius ipsi sacrilegè erant auctores & rei tenebantur obstrictissimè, offerri ipsis iussit in redemtionem peccatorum, etiam eius peccati quo mortem ipsi intulerant, considerans non tam quòd ab ipsis quàm quòd pro ipsis & pro mundo vniuerso à peccatis saluando mortuus esset; nec simpliciter offerri iussit, sed exhibito & efficaciter adstructo illo omnium maximo resurrectionis suæ signo, quod mortalis promiserat, meminisse oportet *signi Ionæ prophetæ*, promissi sup. 12. v. 39. 40.) adstructo inquam per seruos suos euidenter mutatos in viros alios & efficacissimis Spiritus sancti donis ac virtutibus instructos: quos illi cùm interfecerunt & repulerunt non minùs quàm mortalem Christum, conuincuntur desperatissimè Christum repulisse & summum obduratæ impietatis gradum attigisse, Christo & in se & in suis occiso ac repulso. vide suprà 22. v. 4. 6. ET EX ILLIS. sed ex illis s. quosdam. Ego quidem mittam ad vos. vos verò non tantùm non recipietis eos, verumetiam quosdam eorum OCCIDETIS. huius exemplum fuit, inprimis Stephanus protomartyr, quem illi lapidauerunt (Act. 7. v. 58.) deinde Iacobus vterque, maior quem decollauit Herodes Agrippa, applaudentibus Iudæis (Act. 12. v. 2.) minor, quem è summo templo præcipitarunt illi, & fullonis fuste peremerunt. Eusebius lib. 2. historiæ cap. 23) Quosdam etiam CRVCIFIGETIS, quò respondeant magistro suo genere mortis ignominiosissimæ. huiusmodi fuit Simeon filius Cleophæ, consobrinus Domini, teste Eusebio lib. 3. cap. 32. ET EX EIS. Alios eorum FLAGELLABITIS IN SYNAGOGIS VESTRIS. vide sup. 10. v. 17 & 22. v 6. DE CIVITATE vna IN CIVITATEM aliam. Non contenti eos vexasse in vna ciuitate, sequemini vexatum & in aliam in quam fortè fugerint, nusquam illis daturi aut permissuri quietem. sic legimus cum Paulo & Barnaba actum fuisse. Act. 13. & 14. Atque in his omnibus Christum ipsum occiderunt, persequuti sunt & repulerunt: id quod Christus ipse testatur dum Saulo discipulorum suorum persequutori cælitus occlamat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actorum 9. vers. 4.

Luc. 11. v. 50. 51.

35 vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsq. ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.	ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα δίκαιον, ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς, ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἄβελ τοῦ δικαίου, ἕως τοῦ αἵματος Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου, ὃν ἐφονεύσατε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου.

VT. Non causam finalem significat coniunctio *vt*, sed causam meritoriam simul & rei ipsius consequutionem. Non enim ideò ipsi occiderunt aut persequuti sunt missos ad se, vt hæc ipsis acciderent: sed quia occiderũt & persequuti sunt, meruerunt VT VENIAT, & veniet indubiè. *Vt veniat* igitur, id est, ita vt venturus sit iuxta meritum vestrum. SVPER aduersus VOS, vos oppressurus & extincturus. OMNIS SANGVIS. vindicta debita effusioni omnis sanguinis, vltio promerita omni effusione sanguinis. Hebraicum dicendi genus, *vt veniat super vos omnis sanguis*, pro, vt in vestrum caput redundet, in vos recidat omnis sanguis, vt rei sitis omnis sanguinis, vt vindicta de vobis sumatur pro omni sanguine. Similis phrasis 2. Reg. 1. v. 16. 3. Reg. 2. v. 32. 33. infrà 27. v. 25. Huic opponitur illa phrasis, qua amoueri dicitur sanguis innocens ab aliquo 3 Reg. 2 v 31. IVSTVS. id est, iustorum, quo modo vertit Syrus, eorum qui populum Dei ad iustè sancteq; viuendum tam exemplis quàm verbis sunt adhortati Dei nomine, quos Lucas vocat *prophetas*.

QVI

QVI EFFVSVS EST. ἐκχυνόμενον qui effunditur. præsens pro præterito. omnis qui iniustè effusus est à quibuscumque maiorum vestrorum. non solùm is quem vos manibus vestris effudistis & effundetis propediem, non solùm inquam sanguis meus legatorumque ac præconum meorum, verumetiam ob meum & illorum sanguinem omnis sanguis sanctorum superiorum ætatum. SVPER TERRAM. id est, à mundo condito. minatur eis vindictam, non solùm eorũ quos ipsi essent occisuri, sed simul etiam eorũ quos occiderant maiores ipsorum, significans gentis huius excidium & omnimodam vastationem. ABEL IVSTI primi, propter iustitiam à fratre necati. Abel celebris est titulo primi hominis iusti, idcirco κατ' ἀντονομασίαν vocatur *iustus*: Adam non est celebris nisi peccato suo, tametsi iustitiam ipse recuperasset longè ante occisum Abel. *Fide*, ait Apostolus, *plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consequutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo*. Declarat itaque Iesus, Iudæos nepotes & heredes esse malitiæ Cain. ZACHARIÆ FILII quidem BARACHIÆ, patris autem Iohannis Baptistæ. Patrem Iohannis Baptistæ fuisse Barachiæ filium, testatur Hippolytus martyr, citatus à Nicephoro lib. 2. historiæ ecclesiasticæ cap. 3. QVEM OCCIDISTIS. quem vestra hæc generatio siue ætas, quem proximi parentes vestri, occiderunt. nouerat etiam fortasse Iesus præsentes adesse aut adhuc viuere aliquos eorum qui occiderant aut cædem imperarant. prætererat enim dumtaxat trigintaquatuor circiter annos.

INTER TEMPLVM ET ALTARE. inter vestibulum templi & altare holocaustorum, id est, in atrio sacerdotum. nam in huius atrij medio situm erat altare holocaustorum: ipsum verò atrium occidentem versus terminabatur templo interiori eiusque vestibulo, id est, ex ipso per vestibulum ingressus erat in templum interius continens sanctum & sanctum sanctorum. vide sup. 4. v. 5. hoc in loco, vt sibi proprio, cùm versarentur sacerdotes, rem diuinam siue facientes siue audientes: nihil mirum in eo interfectos fuisse, à tyrannis insanientibus, tam hunc, quàm Zachariam illum filium Ioiadæ de quo 2. Paralip. 24. v. 21. Cæterùm huiusmodi periphrasi loci Saluator hic vtitur, *inter templum & altare*, vt sæuitiam amplificet eorum qui nec loci sanctitate absterriti fuerint à cæde iusti. Vesana nimiùm rabies, quam altaris & templi conspectus sedare non potuit, quin sacrum locum nefando homicidio fœdaret. Porrò quòd locus iste intelligendus sit de Zacharia patre Iohannis Baptistæ, fuisse olim celebrem opinionem Græcorum, multis testimoniis docet Baronius Annalium tomo primo: & quamquam Chrysostomi schola loquatur ambiguè, varias adferens opiniones, in hanc tamen magis inclinat. Cæterùm de causa occisionis huius Zachariæ, non perinde inter se conueniunt Græci. Plerique eam adferunt causam, quòd Mariam, postquam Iesum peperisset, statuerit in loco virginibus ad orandum deputato, asserens eam virginitate illibata peperisse Christum. Atqui non est verisimile, Deiparæ virginitatem diuulgatam fuisse, quamdiu conuiuebat illa marito Iosepho, quem probabile est vixisse donec Iesus adoleuisset in virum: minùs etiam verisimile est propalatum fuisse quis esset Christus aut eius mater, ante tempus ostensionis Christi ad Israel. Petrus Alexandrinus episcopus & martyr citatus à Baronio, & Græcus quidam Expositor à Cathena Thomæ & Richelij commentariis Lucam enarrantibus, eam dant causam, quòd cùm, Christo nato, inter cęteros infantes, iussisset Herodes & filium huius (in cuius natiuitate non ita pridem admiranda acciderant, *diuulgata per omnia montana Iudææ*. Luc. 1. v. 65.) interfici, ille subtractũ & in eremum à matre Elizabeth deportatum prodere noluerit. Id quod ita fit verisimile, Baronio expositore, vt credam etiam verum fuisse, quod Hieronymus hanc sententiam recitans nec probans ait, *quòd propterea occisus sit, quia Saluatoris prædixerit aduentum*. Quis enim dubitet, quin promissum Christum, verè, vt fama erat, aduenisse prædicauerit, & vt Christi Regis ac Redemtoris persequutores redarguerit, eos qui ipsius filium cæteros que innocentes puellos ad necem quærebant? Quamquam verò Herodes alienigena occidi iusserit hunc Zachariam: Iudæi tamen, non dubium, Herodis ministri, eum occiderunt fauentibus & consentientibus aliquibus Scribarum, Pharisæorum & Sacerdotum, absque quibus non facilè patuisset violentiæ locus in templo: tametsi & Herodes non vt alienus hìc habendus sit, cooptatus in populum Israel. Mens itaque Iesu hoc loco fuit, nominare primum & vltimum iustum, à populo *super quem inuocatum est nomen Domini*, non tamen manibus eorum quos alloquebatur aut æqualium, interfectum, omnesque simul his duobus extremis concludere. Sed quare igitur, loco patris, non nominauit filium, Iohannem Baptistam, qui diu post patrem interfectus fuerat? Respondet Origenes, quia manifesta est res, quòd Scribæ & Pharisæi non occiderunt Iohannem, sed Herodes. Atqui è contrà, manifesta est res, quòd Scribæ & Pharisæi cum Herode Iohannem occiderint. sup. 17. v. 12. Quare cùm vellet nominare Iesus primum & vltimum non ab his quos alloquebatur aut eorum æqualibus occisum, Iohannem vltimum nominare non debuit, quem illi quos alloquebatur aut eorum æquales à biennio plus minùs occiderant. Nec Herodes iste tetrarcha à Iudæis separandus est, quippe qui non proselytus solùm fuerit vt pater, sed & natus Iudæus tam religione quàm patria. Iohannem igitur voluit Iesus secum & cum Apostolis ac discipulis suis intelligi, quos suis manibus occiderũt Iudæi suæ ætatis: nam & congruebat malitiæ absolutæ, Regem cum suis, non tantùm pedisequis, verumetiam præcursore, è medio auferre. Iam vt intelligatur, quomodo futurum prædicat Iesus, vt de Iudæis suæ ætatis vindicta capiatur cædis omnium iustorum, non eorum tantùm quos ipsi suis manibus interemerint, Christi inquam eiusque comitum, verumetiam omnium à maioribus ipsorum à condito mundo interfectorum, à primo ad vltimum vsque; considerare oportet, quòd ab initio mundi, postquam peccauerat Adam, Deus, relictis plerisque omnibus hominibus, adeoque vniuerso propemodum mundo, *vt ingrederentur vias suas*, vnam saltem aliquam semper elegerit familiam, cui sui cognitionem & cultum dederit. huiusmodi fuit prima familia Adæ: qua distracta in varias familias, successit familia Seth, deinde Enos (Gen. 4. v. 26.) demum tempore diluuij familia Noë; à diluuio Sem, postea Heber, Abraham, Isaac, tandem Iacob, cuius familia etiam distracta in varias, adeoque in duodecim distincta, tota permansit cultrix veri Dei, & excreta in populum innumerabilem leges Dei colendi recteque viuendi à Deo ipso accepit: qui populus ad ipsa vsque tempora Iesu Christi perdurauit, Deo illum regente & protegente aduersus reliquas omnes totius mundi incredulas gentes. Hæc successio est populi Dei ab orbe condito, censeturque vnus *populus super quem inuocatum fuit nomen Domini*. In hoc populo reperire semper fuit viros iustos, qui cæteros ad iustitiam colendam tum exemplis tum verbis inuitarent (extra hunc populum vix vllus exstitit iustus) quamquam non omnes in eo iusti fuere, immo verò rari iusti, plerique

verò omnes iniusti, peruersi, Dei in quem credebant exacerbatores, & iustorum qui Deo placebant ipsosque ad meliora adhortabantur persequutores adeoque homicidæ. Hoc manifestum fuit in prima familia Adæ, in qua Cain occidit Abelem: in familia Abrahæ, Ismael persequutus est Isaacum: in familia Isaaci, Esau afflixit Iacobum: in familia Iacobi, Iosephû cæteri fratres vexarunt: denique populus ex Iacobo aliàs Israele, oriundus, semper infestus fuit prophetis cæterisque viris iustis, à quibus officij erga Deum & proximos iuxta leges à Deo latas admonebatur, vsque adeò vt etiam plerosque eorum crudeliter occiderit, donec eò ventú est, vt, dum natus esset, diuinitus ipsi promissus, saluator Christus, quem semper exspectauerat ac desiderauerat, illum ipsum Christum ad necem quæsierit, multis innocentibus puellis interfectis, inter quos cùm non reperiretur Christi prodromus, patrem ipsius sacerdotem sacrilegè in ipsis templi penetralibus trucidarit. Ob hæc scelera cùm potuisset iustè Deus populum hunc auferre è medio, tolerauit tamen eum semper, & pœnis mitioribus afflictum ad pœnitentiam inuitauit, donec ad summum vsque gradum malitia illius peruenisset, Christo Saluatore eiusque Euangelistis morte multatis. Hoc scelus omnium maximum conferens iustitia Dei cum continua serie similium scelerum ab orbe condito admissorum ab hoc populo, neque vltra ferendum ducens, decreuit populum hunc, non quouis modo punire, quo modo antea sæpe fecerat, sed delere & exstirpare, & *auferre locum eius ac gentem*, eoque reiecto ac reprobato, in eius locum assumere, quas hactenus præ illo vilipenderat & deseruerat, reliquas sine discrimine totius mundi gentes. Hæc diuina vindicta vênit super Iudæos quos Christus hîc alloquitur, id est, super Iudæos ætatis Christi & proximos filios eorum qui perrexerunt persequi & è medio auferre præcones Christi. Nam anno à morte Christi, quæ hanc interminationem mox sequuta est, quadragesimo, aut, vt alij volunt, tricesimooctauo cùm *egresso in omnem terram sono Apostolorum*, euangelium inter gentes disseminatum esset, paulò post cædem Iacobi minoris fratris Christi, ab his ipsis Iudæis factam ob prædicationem nominis Iesu Christi, *perdidit Deus homicidas istos, missis exercitibus suis* (suprà 22. v. 7.) ducibus Tito & Vespasiano, qui templum & Ierosolymam metropolim reliquasque omnes ciuitates eorum, succenderunt, vastauerunt, funditus deleuerunt, & peremerunt longè maiorem sanguinarij huius populi partem, paucis ignominiosè dispersis (vide sup. 22. v. 7.) nec vmquam ampliùs in populum vnum coalituris, præter obdurationis & reprobationis pœnam, coniunctam cum inuidiosa surrogatione gentium, reliquis omnibus miseriis quas passi sunt maiorem. Hæc porrò exstirpationis pœna, iam inde à mundi initio, quo cœpit populus hic condi, cœpta est promereri, tandemque promerita est, ab hoc populo, continuis cædibus & persequutionibus seruorû Dei. Nolens enim ampliùs ludibrio haberi ab hoc populo Deus, sed vlcisci volens sanguinem seruorum suorû omni ætate ac seculo ab eo effusum, semel eum deleuit, totamque in eum iram suam effudit, spectaculo omnium seuerissimo atque grauissimo. Manifestum itaque fit, quomodo venerit super Iudæos ætatis Christi omnis sanguis iustorum effusus ab orbe condito à maioribus ipsorum, præter illum quem ipsimet suis manibus effuderunt; quandoquidem in ipsos inciderit excidium gentis, illatum à Deo pro omni illo iniustè effuso sanguine. *Omnis enim gens vel ciuitas*, ait Auctor operis imperfecti, *non cùm peccauerint, statim punit eas Deus, sed exspectat per multas generationes, & modò mandat, modo minatur, interdum ex parte castigat, vt quanto diutius eos exspectauerit, tanto & Dei iudicium iustius sit & illorum dignior pœna. Quando autem placuerit Deo perdere ciuitatem illam aut gentem, videtur omnium generationum præcedentium peccata reddere illis: quoniam quæ illæ omnes generationes merebantur, hæc sola passa est.* hactenus ille. Sic Amalechitarum peccatum quo restiterant Israeli egredienti ex Ægypto, gentis excidio demum puniuit Deus per Saulem Regem 1. Reg. 15. v. 2. 3. 7. Similiter, non manserant quidem impunita scelera patrum Iudæorum: sed cùm insignem & publicam orbi vniuerso vindictam mererentur tam longæ diuturnæque impietates, visum est Deo & de præsentium & de præteritorum impietatibus per Titum & Vespasianum vindictam facere, gente funditus exstirpata: exstirpatione enim illa, non modò vltus est se Deus de Iudæorum eius ætatis, sed & de omnibus antè à reliquis patratis flagitiis. Quærat aliquis, quo iure quáve iustitia, vltima ætas sola passa est, quod non sola promeruerat? Dicendum inprimis, quòd vltima ætas, vt vnus populus cum superioribus ætatibus, iustè punita sit pro sceleribus omnium ætatum. Iustè enim ab ipsa gente perpetui cõtemtus exigitur ratio & pœna exposcitur, quocumque seculo alij atque alij vixerint. Deinde, etsi non sola ætas vltima promeruerat huiusmodi pœnam (nam & præcedentes, præsertim simul omnes, promeruerant) promeruerat tamen, primò, quia maiorum suorum crudelitatem imitata fuerat. *Malorum imitatio facit*, inquit Augustinus in priori expositione Psalmi 108., *vt non solum sua, sed etiam eorum quos imitati sunt, merita sortiantur. Quoniam* (quod habet Chrysostomus in hunc locum) *qui multos propter peccata sua vexatos esse non ignorat, neque idcirco factus est melior, sed eadem committens non curat, illorum quoque pœnas iustè sustinebit.* Secundò, quia non tantùm imitata fuerat scelera maiorum suorum, verumetiam superarat, *& iniquiora fœdioráque quam cæteri omnes*, ait Chrysostomus, *perpetrarat, nec quidquam eos à malitia potuit reuocare*, patrum crudelitatem non solùm referentes sed & vincentes. Postremò, quia non superarant tantùm impietatem patrum suorum, verumetiam consummarant & impleuerant, id est, ad summum vsque impietatis gradum progressi fuerant, quem vltra pati non debebat longanimitas Dei, quin extremè vlcisceretur, Christo nimirum saluatore eiusque Apostolis & præconibus è medio sublatis, cuius solius peccati enormitas meruit pœnam æquiualentem pœnis quas promeruerant vmquam simul omnes alij homicidæ iustorum. Promeruerat itaque vltima ætas exstirpationis pœnam quam passa est: promeruerant autem etiam superiores ætates simul omnes, & passæ sunt, non in seipsis, sed in vltima; passæ inquam sunt, quia posteritas earum deleta est & Resp. radicitus exstirpata, in qua illæ hactenus viuebant & florebant: quemadmodum è diuerso Abraham acceperat promissam terram, non in se, sed in semine suo. Potuerunt porrò plura peccatorum genera concurrere, quibus Iudaicus populus excidium promeruerit: sed videmus præcipuum peccatum fuisse, homicidia continua eorum à quibus pietatem docti fuerant, maximè autem Christi.

Luc. 11. v. 51.

Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. 36 ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἥξει ταῦτα πάντα ἐπὶ τὴν γενεὰν ταύτην.

AMEN. verè, certò. Repetitio ista magnam & vehementem habet asseuerationem, maioris terroris incu-

incutiendi causa adiectam, ne quis inanem fuisse putaret comminationem. VENIENT. Interpres rectè omisit ὅτι. HÆC OMNIA homicidia sacrilega, id est, vindicta debita his omnibus cædibus iustorum, qui propter pietatem asserendā occisi sunt, ea est autem exstirpatio gentis. SVPER GENERATIONEM ISTAM. super homines huius generationis siue ætatis. Quia dixerat *vt veniat super vos*, ne existimarent breuî adeò hoc exspectandum, biennio inquam aut triennio proximo; interpretatur, quòd vindicta quam minatur apprehensura sit homines suæ ætatis, homines qui iam nati essent & viuerent, non explicans quàm citò aut quàm tardè. Simili modo dicit proximo capite v. 34: *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant*. Ne cum Iudæis periret & fides in Deum & Christum, noluit priùs consummationem adducere Deus, quàm & reliquias Israel conuertisset, & in Gentibus Euāgelium percrebuisset. Id simulatque factum est, factum autem fuit quadragesimo circiter anno à Christi morte, deleuit Deus reprobam gentem. Sed dicat aliquis: Non venit igitur vltio super plerosque eorum quos Christus hîc alloquitur quique Christum ipsi occiderunt, quippe qui post annos xl. aut xxxviij. ferè mortui fuerint. Credibile est quidem plerosque horum mortuos fuisse excidij Ierosolymitani tempore, qui iudicium gehennæ minimè effugerunt; certum est tamē non omnes, præsertim si excidium gentis ab initio belli Iudaici, quod ampliùs quadriennio durauit, cœptū fuisse consideres. Perseuerarunt autē qui ex his nati sunt, cum senioribus qui superstites remanserant, in reprobando Christo & occidendis iis qui Christum prædicabant: vt verò vna missio censetur Christi eiusque Apostolorum & reliquorum præconum, ita & vna persequutio. vide sup. v. 33. Non igitur iniusto, sed alto Dei consilio, dilatum est nonnihil à morte Christi, Iudaicæ gentis excidium.

Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλὴμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις τὰ νοσσία ἑαυτῆς ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε;

37 Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

Luc. 13. v. 34.

IERVSALEM. Crescens oratio, à Scribis & Pharisæis ducibus, quos solos hactenus suis nominibus compellauerat, progreditur ad ciuitatem ipsam Ierosolymorum, metropolim Iudæorum omnium, cum qua expostulat de cōtumacia peruicaci, nullis hactenus flexa beneficiis & inuitationibus, vt vel ipsa saluari vellet, vel suos saluari permitteret. Quod igitur nominat Ierusalem, parantis attentionem est: quod autem ingeminat nomen simul & exclamat, exaggerantis conditionem ciuitatis est, tot dignitatibus, gratiis, ac beneficiis donatæ, & ex intimis animi visceribus miserantis deplorantisque. q.d. Ierusalem, ciuitas magni regis, quam ego mihi in sacrum & quasi cæleste domicilium dudum elegeram, & totius Iudææ principem tam quod ad religionē quàm quod ad imperium statuerā, denique præ cunctis mundi ciuitatibus ornaueram. Tamquam enim ad dilectam loquitur, quod notant Græci, semper quidem amatam, sed amantis contemtricem, quam dolet daturam pœnas quòd tanto honore atque amore se præstiterit indignam, testatus amorem suum etiam vbi punienda est ipsa mutui amoris inopia. Per ciuitatem autem intelligit ciues ipsos seu potiùs cœtum ciuium omnium. Similibus exprobrationibus vsus est Dominus aduersus Corozain, Bethsaidam, & Capharnaum, suprà 11. v. 21 23. QVÆ OCCIDIS. ἡ ἀποκτείνουσα occidens, interficiens, id est, interfectrix. LAPIDAS. λιθοβολοῦσα lapidans, lapidatrix. solent enim Hebræi vti participiis præsentis temporis, loco nominum verbalium, id quod nō semel iam annotauimus. Non igitur sic de præsenti tempore loquitur Christus, vt non de præterito & futuro, sed de omni tempore ipsi sermo est, quasi dicat, cui hoc pro more est & tamquam in naturam versum, vt lapides aliisque modis occidas prophetas & cæteros iustos ad te missos. Inter cætera occisionis genera frequentissimum Iudæis erat lapidare: cæterùm non sic lapidare refertur ad missos, vt non etiam ad prophetas, sed phrasi hebraica vtrumque verbum vtrique nomini indifferenter iungendum est quod ad sensum. AD TE. πρὸς αὐτὴν ad teipsam, vt te à vitiis & obstinatione reuocent salutemque tuam procurent. MISSI SVNT. ἀπεσταλμένους missi fuerint (est enim participium modi expers) s. diuinitus. Ierusalem semper ducem se præbuit reliquis Iudæis, vt in rebus cęteris, ita in occidendis prophetis, tam pertinaciter quàm si prophetarum sanguine extinguere conata fuisset salutificas Dei admonitiones. Quare alibi Saluator: *Non capit*, inquit, *prophetam perire extra Ierusalem*. Luc. 13. v. 33. Vt hîc igitur declarat Christus, Ierusalem principem atque architectum fore sceleris de quo mox dixerat: *Et ex illis occidetis & crucifigetis*, &c.: ita consilium eius est, scandalo quod tum ex horum tum maximè ex sua ipsius morte, quę propè instabat, metuendum erat, occurrere, ne fideles, quum eum indignè occidi Ierosolymis viderent, tale spectaculum sua nouitate turbaret. His enim verbis iam admoniti fuerunt, nihil mirum esse, si vrbs lapidandis & iugulandis prophetis assueta, suum redemtorem eiusque discipulos crudeliter occideret, vtpote antiquum obtinens. QVOTIES. q.d. sæpissimè iam olim hactenus. per angelos, per prophetas, per iustos varios, tandem etiam per meipsum; idque non obstantibus sceleribus illis tuis immanissimis cædium iustorum: non enim tam dolui de iniuria illis illata, quibus quam gloriam pro tolerata morte præparauerim ego scio quàm de tuorum interitu. Indomita obstinatio, quia non semel atque iterum ipsos Christus colligere voluit, sed per continuos successionis gradus alios atque alios submisit per quos colligerentur. tandem etiam ipse venit caro factus. VOLVI ego *congregare*, id est, feci ea per quæ congregari potuissent, ea quæ ad congregandos illos facerent (habetur enim opus pro voluntate, cuius plerumque inter homines est signum)

CONGREGARE. dispersos distractosque in varia studia peccatorum & expositos mille periculis perditionis, colligere in sinum meum, ad me Deum vnum cum Patre & Spiritu sancto conuertere, mihi recōciliare, & vnire fidei, charitatis, cæterarumque virtutum vinculis, denique sub alas protectionis meæ constituere. *Nihil enim adeò dispergit, vt peccatum: & nihil ita ad Deum aggregat, vt virtus*; notat Theophylactus. FILIOS

TVOS. id est, ciues tuos (solent enim ciues Scripturæ more vocari filij ciuitatis) cæterosque Iudæos, ad te tamquam matrem, religionis ac principatus causa, confugientes; teipsam denique quę constas filiis seu ciuibus tuis. QVEMADMODVM. nec quouis modo congregare, sed comiter, blandè, solicitè, summa cum cura, beneuolentia, affectu, ac dilectione. *Amorem suum*, inquit Chrysostomus, *ab imagine significauit: ferventi namque amore aues pullos diligunt suos.* GALLINA. ὄρνις auis. Vox græca cōmunis est ad auem & ad gallinam: & mirus quidem inest auibus omnibus amor fouendi tutandique pullos, sed gallinæ præsertim. Vix enim aliud est animal, quod tanta cura & solicitudine pro natis suis distringatur, raucedine vocis totiusque corporis exteriore habitu solicitudinem testante, & quod tanto conamine ac periculo adeoque pertinaciter eos tueatur; cui etiam potiùs conueniat pullos sub alas congregare. Quare rectè Interpretes Latinus & Syrus, *gallinam* transtulerunt. CONGREGAT glocitu conuocatos PVLLOS SVOS per diuersa vagantes SVB ALAS suas, partim vt foueat, ne fortè frigore pereant; partim vt defendat, ne à miluis rapiantur. *Crebrò*, ait Chrysostomus, *hac imago auis & alarum apud prophetas inuenitur, & in cantico Moysi, & in Psalmis, mirabilem prouidentiam & eximiam protectionem denotans.* Maximum itaque animi sui ergo Iudæorum salutem affectum ostendit hac similitudine Christus, quò plus ignominiæ huic scelestæ genti irroget, quæ suaues & plus quàm maternas eius inuitationes respuit: nam ad blanditias vsque se demittere grauatus non est, quò cicuraret in suum obsequium rebelles, *factus ipsemet tandem quasi terrena & domestica auis*, vt loquitur B. Hilarius. Sed quandonam voluit Iudæos congregare gallinæ instar? quandonam fecit ea per quæ illi congregari potuissent? quando per angelos, quod dictum est, per prophetas, per iustos, postremò etiam per semetipsum, docuit, instruxit, præcepit, prohibuit, nunc blandè nunc asperè admonuit, iam promissis iam minis allexit, aliquando cæsos virga filiorum, plerumque summis beneficiis affectos, inuitauit. Hæc enim omnia eò faciebant, vt possent illi congregari, vt possent adduci ad Christum Deum. Occultè igitur hîc intelligendam dat Iesus æternam diuinitatem suam, & omnes retro prophetas à se missos, denique Iudaicum populum iam olim à se gubernatum fuisse, iuxta illud Ioh. 8. v. 58: *Antequam Abraham fieret, ego sum. Per singulas enim generationes*, ait Origenes, *semper voluit & festinauit perficere voluntatem Patris in eis, etsi non in corpore constitutus, sicut nunc in fine seculorum. Ipsius enim volentis congregare filios Ierusalem voces, habentur in lege & prophetis. Cessent ergo hæretici* (inquit Rabanus in Cathena citatus) *Christo principium ex virgine dare, omittant altum legis & prophetarum Deum praedicare.* Porrò vt ex Christi cum gallina comparatione, intelligitur in Christo singularis amor curaque salutis hominum; ita ex hominum cum pullis, intelligitur in hominibus necessitas fotus, protectionis, & gratiæ Christi. Vt enim pulli aduersus accipitrem vitam tueri non possunt suo robore aut cursu, nisi se abdāt sub corpus & alas matris; ita neque nos salutem nostram, aduersus dæmones in aëre, qui multo astutiùs & pertinaciùs nostris insidiantur animabus quàm accipitres aut milui pullis gallinaceis, nisi confugiamus sub tutelam & merita Christi. ET pro sed NOLVISTI. s. tu Ierusalem. οὐκ ἠθελήσατε noluistis (sic enim habent græca & syra) s. vos Ierosolymitæ. *Noluisti* autem s. congregari filios tuos à me, nō permisisti, immo modis omnibus impediuisti, ne congregarentur à me, atque hoc etiam effecisti. Alloquitur Ierusalem, id est, cœtum ciuium Ierosolymitarum: & quamquam pręcipuè inuehatur in ipsos duces, qui malorum omnium maxima causa erant ac fuerant, omnes tamen in eumdem reatum trahit, quia primatū consiliis plebs consentiebat & facta approbabat approbaueratque. Improperat itaque Ierosolymæ, quòd, quæ, vt mater Iudæorum omniū, omnibus author esse debuerat, vt Christo tam per seipsum quàm per prophetas & iustos admonenti salutis obedirent ac subiacerent; nullos, quod in se fuit, obedire & ad pœnitentiam ac salutem adduci permiserit, atque adeò prohibuerit variis obstaculis datis, irridendo, contemnendo, persequendo, trucidando denique, Christum eiusque seruos. Lege 4. Reg. 21. v. 9. & deinceps, 2. Paral. 36. v. 13. & deinceps, Ier. 7. v. 13., præter alia veteris Testamenti loca, Euangelia adhæc & Acta Apostolorum. In eundem sensum exprobrat Stephanus Ierosolymitis Act. 7. v. 51: *Vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita & vos.* Notanda est autem emphatica oppositio inter velle Christi & nolle Ierosolymæ. *ego*, inquit, *volui, tu noluisti*. Ego magno studio ea exhibui & feci per quæ filij tui ad salutem adduci possent: tu nō minori studio ea opposuisti, quibus salutem eorum excluderes. Quid igitur? Ierusalem ne voluntati Dei resistere potuit? minimè voluntati absolutæ & propriè dictæ, quæ beneplacitum dicitur, neque huiusmodi voluntate voluit Christus congregare filios eius (nam si ea voluntate id voluisset, res effectum omnino sortita fuisset: dedisset enim filiis eius, non solùm adminicula illa vocationis externæ, verumetiam ipsum interius velle congregari, & contrarios conatus matris Ierusalem elisisset) sed congregare voluit, voluntate quæ impropriè sic vocatur, ea nimirum, quæ præcepta, prohibitiones, minas, promissiones, aliasque huiusmodi operationes adhibet: atque huic resisti potest, & frequenter, Deo permittente, resistitur ab hominibus, sicut hîc factum est, vbi, Christo congregare volente (id est, vocante & modis omnibus consulente, suaque consilia miraculis roborante) noluerunt congregari plerique filiorum Ierusalem, idque prohibente ac seducente ipsa Ierusalem, cui adhærere maluerunt quàm sequi inuitationes Christi. Quidam verò, quamquam pauciores, voluerunt hoc ipsum quod Christus, & inuita Ierusalem contemtaque nouerca amplexi sunt monita Christi. Porrò quemadmodum quando fategit Christus saluare filios Ierusalem, fategit vtique & ipsam Ierusalem saluare, quæ non constat nisi filiis suis: sic & quando noluit Ierusalem ad salutem à Christo adduci filios suos, noluit etiam ipsa ad salutem adduci. Quare duo hîc intelligenda sunt, damnantia ipsam Ierusalem, quòd scilicet nec ipsa voluit saluari, nec suos permisit saluari: quorum tamen hoc primò, illud consequutiuè intelligitur. Quibus ostendit Christus quàm iusto & euidenti Dei iudicio decreta sit Ierosolymæ reprobatio, cuius culpam in neminem conferre illa possit quàm in seipsam, quæ vltrò sibi ipsi damnationem huiusmodi molita esset.

Luc. 13. v. 35.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 38	ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος.

ECCE igitur *relinquetur*; vel, Idcirco *relinquetur*. Quia tu noluisti filios tuos congregari à me, & illi te potiùs quàm me audierunt, ob insuperabilem hanc peruicaciam vestram, multis seculis hactenus continuam,

tinuam, RELINQVETVR. ἀφίεται relinquitur. præsens pro futuro, nisi quòd præsenti hoc amplius significetur, mox fore vt relinquatur; mox, tum propter temporis breuitatem, tum propter præsentem meriti plenitudinem. VOBIS Ierusalem & filiis tuis ciuibus Ierosolymitanis Iudæisque omnibus. DOMVS. habitatio, ciuitas, terra, regio, natio. nam cum Ierusalem erat & reliqua Iudæa deserenda & exscindenda. VESTRA. Domum ipsorum vocans, obliquè significat suam ampliùs non esse.

DESERTA à me vno cum Patre Deo, *a patrocinio scilicet meo derelicta*, ait Chrysostomus, vacua me habitatore, destituta præsentia, auxilio, gratia, & tutela diuina. *Ipse igitur* Christus *erat*, addit Chrysostomus, *qui etiam superiore tempore continebat eos atque protegebat*; nimirum vt æternus Dei filius. Passim sacræ litteræ vocant Ierusalem *ciuitatem quam elegit Dominus vt poneret nomen suum ibi, & habitaret in ea; ciuitatē Dei, ciuitatem regis magni* (Psal. 47. v. 2. 3. Matth. 5. v. 35) at postquam sceleribus cæteris despectionis misericordiæ diuinæ toties sibi oblatæ, addidit sacrilegam repulsam Christi & Euangelij, factum est quod hîc prædicitur, & quod longè antè prædixerat Ieremias cap. 12. v. 7: *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam.* *Deserta* est à Deo & Christo; subtracta diuina gratia, non illic ampliùs colitur Deus aut Christus nominatur. *Deserta* autem, exposita est prædæ hostium inuisibilium & visibilium, haud secùs ac pulli qui maternarum alarum fotum diffugiunt, vel deuorantur ab accipitre, vel longiùs dispersi pereunt. Sic Ierusalem & Iudæa vniuersa, simulatque à Deo & Christo deserta fuit, facta est *synagoga Sathanæ* & præda aquilæ Romanæ, à qua filij illius omnes, vel interfecti fuere, vel in extremas terras miserè dispersi. Quod igitur hîc dicit Christus, huiusmodi est: Vos hactenus noluistis à me colligi & in meam vos dare tutelam: deseremini igitur à me, prout meremini, & relinquemini in prædam hostibus vestris.

λέγω γὰρ ὑμῖν, οὐ μή με ἴδητε ἀπ' ἄρτι, ἕως ἂν εἴπητε, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.	39 Dico enim vobis, non me videbitis àmodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Luc. 13. v. 35.

DICO. prædico & affirmo. ENIM. Confirmat quod prædixerat de propinqua desertione. VOBIS. *Ad Ierusalem loquitur & ad populum Iudæorum*, inquit Hieronymus; non ad præsentes tantùm qui hæc audiebant loquentem. NON ME VIDEBITIS ampliùs, non ampliùs mea præsentia & beneficiis fruemini, subtraham vobis, vt præsentiam corporis mei, ita protectionem ac beneficia mea omnia, & inprimis Euangelij prædicationem, quo fiet vt non conuertamini ad me, nec per fidem me cognoscatis, sed planè excæcati omnino à me deseramini. Quamdiu Christus qui redemtor ipsis aduenerat, perseuerabat apud eos, per se aut alios, testis ac præco redemtionis à se allatæ, restabat fidei ac salutis spes: sed eius discessu, perinde ac solis occasu, lux vitæ euanuit, & necesse fuit incredulis miseram succedere cum tenebris solitudinem, & cum derelictione cæcitatem. Hinc admonuerat eos Iohan. 12. v. 35: *Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate dum lucem habetis vt non vos tenebræ comprehendant.* Semel itaque Iesus de se vt æterno Deo loquutus versu 36. superiori, perseuerat in eo loquendi genere: & alludens ad imminentem præsentiæ suæ corporeæ subtractionem, significat subtractionem omnis tutelæ ac gratiæ Dei, & notanter fidei vt fundamenti, qua denudandus sit populus Iudaicus. Hanc subtractionē tutelæ gratiæq; diuinæ prædixerat Isaias cap. 5. v. 5. 6. his verbis sub typo vineæ: *Et nunc ostendam vobis quid faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem*, &c. AMODO. ab hoc tempore, id est, breuî post hoc tempus: quemadmodum post biduum præsentiam meam corpoream, ita anno circiter quadragesimo pòst, vniuersa beneficia mea, vobis auferam. Nam corporis quidem sui præsentiam biduo postquam hæc dixerat eis subtraxit: beneficia tamen sua eis offerre, etiam cum aliquorum profectu, Euangelium inquam & regnum cælorum; alia quædam beneficia eis continua facere, non desiit, donec Ierosolymitanum excidium instaret. Cæterùm breue esse quadraginta annorum spacium comparatum reliquo temporis spacio labenti in finem vsque seculi, ita vt meritò prorsus dixerit Saluator *amodo*, nemo non intelligit. DONEC DICATIS. *donec* veniat tempus quo mutatis animis *dicatis* vos Iudæi: gentem enim alloquitur, quod diximus, quæ numquam integrè exstirpanda eadem permansura sit ad finem vsque seculi. Nec enim ij qui hæc audiebant hoc dicturi erant, sed filij seu posteri ipsorum, seri eorum nepotes. *Dicatis* autem s. mihi aut de me *Benedictus qui venit in nomine Domini*, celebrem hunc Psalmi versiculum Messiæ proprium, quem indignamini nunc mihi à quibusdam accini. Illum enim mihi aliquando attribuetis, Messiam me agnoscentes, quantumuis hoc nunc vobis tam incredibile quàm indignum videatur, qui me iam capitali odio prosequimini. Diu erit, inquit, quòd me ampliùs non videbitis: cùm autem iterum videritis, dicetis *Ben. qui ve. in no. Domini.* Illud erit, quando rediturus sum in mundum auctoritate Patris vt iudicem mundum, serò inquam, *postquam plenitudo gentium intrauerit* (Rom. 11. v. 25.) *in consummatione mundi*, instante meo ad iudicium aduentu. Tamdiu, tot inquam seculis, vos non videbitis me aut corporis aut animi oculis, non credetis in me, non eritis in tutela mea, non fruemini salutiferis beneficiis meis, omnino permanebitis in cæcitate cordis vestri. At quando apparere cœperint euidentia signa mei ad iudicium aduentus, tunc agnoscentes vos frustra alium exspectasse Messiam, iamque vrgeri vos fine temporis, reuertemini ad cor, & ego misertus vestri recipiam vos in gratiam ac tutelam, & præbebo me vobis conspiciendum, priùs fide, mox etiam corpore ad iudicium adueniens vosque ad me accipiens. Tunc dicetis mihi gratulabundi: BENEDICTVS est à Deo. felix est summisque honoribus auctus, iam etiam regni perfectione cumulandus; benedictione ad hæc seu laude omni hominum dignus est & prædicandus. QVI VENIT. qui proximè venit, qui mox *venturus est ad iudicandum orbem terrarum in æquitate.* IN NOMINE DOMINI. iussu, auctoritate, ac vice Dei Patris. q. d. Gratissimus est nobis aduentus eius, gratulamurq; te ei honorem hunc & subsequentem regni perfectionem. Noluerunt olim maiores nostri hoc tibi accini ex sacris Psalmis, Domine Iesu, noluerunt agnoscere hoc de te prædictum, quem reprobarunt *vt venientem in nomine suo, adeò que in nomine Beelzebub*: nos de te confitemur hoc fuisse prædictum, nos credimus & olim te venisse humiliter ad saluandum mundum, & mox te venturū gloriosè ad iudicandum, *in nomine Domini*: ac proinde ex animo prorsus illud tibi accinimus. Tanto autem pleniori in Iesum Chri-

ſtum fide dicent iſtud Iudæi iſti poſtremi, quàm turbæ in introitu Ieroſolymorum: quanto pleniori fide imbuti ſunt Chriſtiani quàm Iudæi. Reliqua huius verſiculi quære ſuprà 21. v.9. Huic interpretationi de conuerſione Iudæorum in fine ſeculi, fauet prophetia Oſeæ, cap. 3. v. 3.4.5. (nam & Auguſtinus lib. 18. de ciuit. Dei cap. 28. citat eam in hanc ſententiam, quæ habet, quòd *poſtquam multis ſeculis ſederint Iſraelitæ ſine rege, & ſine principe, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim; in nouiſſimo dierum reuertentur ad Dominum Deum ſuum & ad Dauid regem ſuum*. His itaque poſtremis verbis mirum in modum vſſit Ieſus Iudæos auditores ſuos inuidia odioque ſui flagrantes, dum eos ita prædixit diu deſerendos à ſe & Deo, vt ipſi tandem longis malis quærentes remedium, redituri eſſent ad ipſum, & propheticis laudibus, à quibus iam maximè abhorrebant, aucupaturi ipſius gratiam. Nihil poterat iam dici, aut magis graue ipſis, aut magis honorificum Ieſu: de cuius futuri veritate, relinquebat Ieſus iudicari ex cæteris ſuis verbis & operibus.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Mar.13. v.1. Luc.21. v.5.

Et egreſſus Ieſus de templo ibat: [1] & acceſſerũt diſcipuli eius, vt oſtenderent ei ædificationes templi.

Καὶ ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ· καὶ προσῆλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ.

ET pro *tunc*. die Martis ſub veſperam. Iam inde à cap. 21. v. 20. hucuſque omnia conſequenter videntur contigiſſe die tertio ſeu die Martis ante paſſionem Domini; quin & ea quæ ſequuntur omnia vſque ad cap. 26. v. 1. DE TEMPLO. Particula iſta græcè iungenda eſt verbo *ibat* cui poſtponitur; hoc ſenſu abibat à templo. Latinè cùm præponatur, rectiùs iungitur verbo *egreſſus*, quem ſenſum ſequutus eſt Syrus. IBAT. faciebat iter ſuum, progrediens montem oliuarum verſus. ET ACCESSERVNT. cùm ecce acceſſerunt. Tota hæc oratio hebraiſmum ſapit, in hunc modum latinè vertenda: Tunc ad egreſſum è templo Ieſum, intereundum, ipſo in itinere acceſſerunt &c. *Acceſſerunt* autem, familiariter remorantes nonnihil euntem. DISCIPVLI quidam. VT OSTENDERENT, & oſtendendo ad conſiderandum prouocarent, iam enim ſæpe viderat. ÆDIFICATIONES. τὰς οἰκοδομὰς ædificia, ſtructuras TEMPLI, quàm ſcilicet eſſent magnificæ, pretioſæ, artificioſæ, pulchræ, firmæ. Erat planè tẽpli ſtructura, ab Herode nouiter excitata, & miro opere maximiſque ſumtibus amplificata, eiuſmodi, vt meritò omnium oculos in ſe conuerteret, & intuentium animos admiratione afficeret, ad miraculum vſque ſtupenda tam manus quàm materiæ pretio, id quod latè deſcribit Ioſephus capite vltimo libri XV Antiquitatum, & lib 6. de bello cap. 6: quo poſteriore loco, *Exterior*, inquit, *facies nihil quod animus & oculi mirarentur non habebat. Cruſtis enim aureis grauiſſimis vndique tecta, vltra primos ortus igneo ſplendore lucebat, vt cum intuerentur contendentium oculi, quaſi ſolis radiis auerterentur*, &c. Iam ex pluribus Chriſti verbis intellexerant diſcipuli quòd Ieruſalem deſerendam & deuaſtandam prædiceret ſup. 23. v. 38.39. Luc. 19 v. 44.: hoc conſequenter & de templo prædictum interpretati, rogant Chriſtum vt admirandam templi excellentiam & inauditam magnificentiam ſplendoremque pulcherrimum cum firmitate coniunctum conſideret, tacitè dicentes, quod palàm non audebant, rem indignam aut certè deplorandam fore, ſi præclarum huiuſmodi opus, & hoc Dei vſui conſecratum, euerteretur aut periret, volentes Chriſto, ex conſideratione ſumtuoſitatis, pulchritudinis, firmitatis, amplitudiniſque corporeę, commiſerationem excitare, vt ſententiam mutaret, & meliora polliceretur. Rudes diſcipulos rudis cauſa mouet & carnalis. *Poſt comminationem deſerendæ Ieruſalem*, inquit Hilarius, *tanquam commouendus ambitione templi eſſet, magnificentia ei extructionis oſtenditur.*

Mar.13. v.2. Luc.21. v.6.

Ipſe autem reſpondens dixit illis: [2] Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· οὐ βλέπετε ταῦτα πάντα; ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ καταλυθήσεται.

IPSE AVTEM. ſic eſt & ſyriacè, meliùs quàm græcè, vbi repetitur nomen Ieſu, ὁ δὲ Ἰησοῦς *Ieſus autem*. RESPONDENS. Non additur græcè, vt neque ſyriacè, nec tamen malè conuenit loco. VIDETIS HÆC OMNIA? ædificia eorumque cum magnitudine ornatum ac ſplendorem? q.d. Vos me prouocatis ad hæc adſpicienda, vt conſiderata eorum magnificentia, digna, hominũ iudicio, quæ ſeruetur immortalis, eximam ea ab interitu, quem prædixi manere hanc ciuitatem: verùm ego hæc iamdiu adſpexi & conſideraui, vos autem è diuerſo prouoco ad ea exactiùs etiam contemplanda, eorumque excellentiam imprimendam animis veſtris, vt quò magis eorum eximiam raritatem, eò magis etiam eorum extremam euerſionem admiremini, quàm certò vobis prædico futuram. Syrus cum multis græcis libris, ſuffragante Chryſoſtomo, legit οὐ *non* ſeu *nónne videtis hæc omnia?* q.d. certè videtis hæc omnia & admirantes obſtupeſcitis, ſed ſcitote, &c.

AMEN DICO VOBIS. Illud vobis certò futurum affirmo. Inſpicite hæc diligenter & admiramini etiam atque etiam: at ego certò affirmo vobis, omnia funditus deſtruenda, vtcumque magnifica & ſplendida, vt ne putetis temerè quid à me prędictum, neglecta conſideratione magnificentiæ rerum, immortalitate ſcilicet dignarum. Tam non mouetur Ieſus admiratione aut indulget affectui diſcipulorum ſuorum, vt id, cuius ipſi commiſeratione ducebantur, exaggeratum, cum graui aſſeueratione confirmet certò futurum. HIC. in his omnibus quæ videtis ædificiis, quantumuis præclaris ac ſumtuoſis. LAPIS SVPER LAPIDEM. lapis lapidi cohærens. DESTRVATVR. καταλυθήσεται diſſoluatur. Hoc eſt, tantum abeſt vt ſint futura perennia, vt deſtruenda ſint, nec ſimpliciter deſtruenda, ſed ſolo æquanda, &, vt ille loquitur Iud. 7. v. 13., *Terræ*

fundiţus

funditus coæquabuntur, seu, vt est in prophetis, *fundamenta eorum reuelabuntur* siue *denudabuntur*. Mich. 1. v. 6. Habacuc 3. v. 13. Structura omnis dissoluetur à fundamentis vsque, nec relinquetur lapis immotus, eque loco suo non deiectus, perpetuæ vastationis significatione, & argumento reprobationis certissimæ: solùm remanebunt lapides dissipati in monumentum tanti excidij. Non est hîc anxiè quærendum, an fundamenta ipsa eruta fuerint, multo minùs an non remanserit lapis qui alteri lapidi cohæreret: nam vulgari modo loquendi vsus Saluator, significare tantummodo voluit, maximam, extremam, omnimodamque destructionem, deuastationem, atque excidium (quomodo Chrysostomus alijque exponunt) quod certè templo vnà cum ciuitate attulit Romanus exercitus imperatore Tito, omnia incendio vastans & solo coæquans, vt Iosephus testatur lib. 7. de bello, cap. 9. 10. & 11. Et quamquam templi incendium deuastationemque Titus modis omnibus prohibuerat, quia tamen Dei sententia, à Christo Domino hîc pronunciata, iamdudum illud igne excidioque damnauerat, milites nihil reueriti edictum ducis, sed diuino quodam moti impetu (quomodo Iosephus ipse cap. 9. & 10. mox citatis loquitur) illud incenderunt, postea etiam Tito iubente totum funditus vnà cum ciuitate subuerterunt. lib. 7. cap. 18. Cæterùm ne quid vel quod ad subterranea fundamenta restaret, Iudæi ipsi, Iuliano apostata imperante, quidquid supererat vetustarũ ruinarum ac fundamentorum eruerunt; eo quidem fine vt noua fundamenta iacerent, sed alio Dei consilio, qui non permisit, vt, iuxta facultatem ab Apostata acceptam templi ædificandi, vel fundamenta noua collocarent, terra ignem euomente, alijsque prodigijs & portentis editis, quemadmodum refert inter alios Theodoritus lib. 3. ecclesiasticæ historiæ capite 20. Cùm itaque sperarent discipuli mouere se posse misericordiam Iesu, exhibitione magnificentiæ templi: Iesus respondet, structuræ magnificentiam nihil ad rem facere, quò minùs templum illud funditus sit euertendum, *& de futuro illos admonens*, ait Auctor imperfecti, *quasi præscius Deus, & de præsenti eos docens, quasi benignus magister*. Iam olim enim cõsueuerant Iudęi huiusmodi inani fiducia niti, vt numquam se à Deo deserendos, sed templi, vt magnificentissimi, ita peculiariter à Deo electi, religione ac sanctimonia seruandos putarent: hinc enim clamat Ieremias cap. 7. v. 4: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini*, &c. Cæterùm doctore Iesu, nulla Deo per se placet corporum pulchritudo aut magnificentia; sola animorum pulchritudo ei grata est: quare si hæc desit, illam nihili ducit: si non dubitant homines fœdare animos suos sceleribus, & ea committere quæ Deo displicent; nihil dubitat Deus destruere ædificia quibus illi vtuntur, quantumuis illa speciosa, magnifica, ac rara, adeoque ad ipsius Dei honorem præcipuè ædificata. *Non erit magnus, magnum putans, si cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales*, ait quodam loco Augustinus. Quocirca cùm Iudæi Christum sibi diuinitus promissum & exhibitum pertinaciter reiicerent, persequerentur, occidere denique meditarentur, vltra omnem reliquam vitæ impietatem; Deus nihil moratus corpoream templi sibi ædificati, quo illi gloriabantur, pulchritudinem ac maiestatem, decreuit illud euertere ac solo æquare, vt se de illis qui eo abuterentur & indignè se gererent vlcisceretur. Etsi enim vtile fuit templum dirui, ne qui Christianorum ad vmbratile illud cultus genus relaberentur, quo consueuerat in templo illo coli Deus: hæc tamẽ peculiaris fuit ratio, quòd Deus filij sui repulsam gratiæque ab ipso allatæ contemtum, voluit horribili exemplo vlcisci.

καθημένου δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ὄρους τῶν [3] ἐλαιῶν, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ κατ' ἰδίαν, λέγοντες· εἰπὲ ἡμῖν, πότε ταῦτα ἔσται; καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος;

Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserũt ad eum discipuli secretò, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui & consummationis seculi?

Mar. 13. v. 3. 4. Luc. 21. v. 7.

SVPER MONTEM OLIVETI. ἐπὶ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν in monte oliuarum. vide sup. 21. v. 1. Egressus sub vesperam templo & ciuitate, rectà venit in montem Oliuarum, qui obuius traiiciendus ipsi erat, pergenti Bethaniam cibi sumendi causâ. Sedit itaque & quieuit nonnihil, fatigatus laboribus diei, media via. hoc est, in monte Oliuarum: vel potiùs, cibo Bethaniæ sumto rediit in montem Oliuarum, vbi nocte morari consueuerat (quod Lucas testatur cap. 21. v. 37.) in horto in quo & captus fuit (quod intelligitur ex Iohanne cap. 18. v. 1. 2.) vbi sedentem & paratum se exhibentem ad docendum, discipuli proximè sequentibus quæstionibus sollicitarunt, & retulerunt doctrinam de temporibus nouissimis cùm prolixam tum maximè salutarem & necessariam. DISCIPVLI. Apostoli quidam, quatuor numero, à Marco nominati. SECRETÒ. κατ' ἰδίαν *seorsum*: Syrus ad verbum, *inter se & eum*. *Seorsum* autem, non tantùm à turbis (nullæ enim hoc loco & hac hora turbæ aderant, nox cùm esset aut certè instaret, verumetiam à reliquis Apostolis. *De magnis enim & occultioribus rebus*, ait Chrysostomus, *de mysterijs & futurorum reuelatione*, inquit Hieronymus, interrogaturi, Iesu solitarij captarunt opportunitatem, persuasi quòd solis ipsis faciliùs hæc declaraturus esset, vt quædam alia, quàm præsentibus turbis aut etiam omnibus duodecim, prępertim cùm tutum minimè videretur palàm loqui de templi & vrbis excidio. Hoc enim Stephano postea criminis loco obiectum fuit Act. 6. v. 14. Cæterùm etsi soli quatuor Iesum accesserint interrogandi causâ: credo tamen Iesum non nisi omnibus duodecim præsentibus respondisse, & quæ his proximis duobus capitibus continentur explicuisse. DIC obsecro NOBIS si non alijs omnibus. QVANDO HÆC ERVNT. supple ex versu superiori, *quòd non relinquetur in hoc templo* (erat enim templum in conspectu. Marc. 13. v. 3.) *lapis super lapidem qui non destruatur*, & alia similia de euersione Ierosolymorum & Iudæorũ reprobatione, sæpe nobis abs te prædicta? SIGNVM ex quo intelligere possimus instare ADVENTVM TVVM in gloria, de quo aliàs nobis loquutus dixisti: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius*. sup. 16. v. 27.

ET CONSVMMATIONIS SECVLI. Et imminentis finis mundi (*seculum* enim pro mundo accipitur, consuetudine hebraici syriaciq. sermonis) de quo aliàs nos docuisti: *In consummatione seculi, mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala*, &c. (sup. 13. v. 40. quando etiam nobis pollicitus es: *Vos qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes*

duodecim

duodecim tribus Israel. sup.19.v.28. Duo quærunt, siue mauis tria, signũ ac tempus euersionis templi ac mundi, & gloriosi aduentus Iesu ad iudicium. Duo postrema, aduentus inquam Domini & consummatio seculi, quin coniuncta forent, ac proinde vnum idemque foret vtriusque instantis signum, nihil dubitabant (iam enim hoc eos docuerat Iesus suprà 19. v. 28. quare etiam vnam de vtroque interrogationem instituunt, quod notat Euthymius, & Marcus nec meminit aduentus Domini) sed an his coniunctum foret excidium templi vrbisque Ierosolymorum, incerti quidem erant, at ita opinabantur, arbitrati templum perire non posse, nisi simul periret & mundus, templum cadere non posse, quin cõcuteret totum mundum. Nam simul atque templum Christus periturum dixerat, vltrò eis in mentem venit finis mundi & Christi regnum: idcirco tria hæc commiscuerunt tamquam res indiuiduas. Cæterùm non est intelligendum, quòd excidij quidem Ierosolymitani tempus, finis verò mundi non aliud quàm signum quæsierint: sed quòd vtriusque tempus quæsierint determinatum, aut saltem signum præuium. Hic est enim mos loquendi Hebræis, vtentibus oratione bimembri, vt in vtroque membro vtrumque velint intelligi, etiamsi alterum tantùm in altero exprimant, vt Prou. 10. v. 1. & sæpe aliàs. vide suprà 23. v. 28. 36. Fuit igitur hæc quæstio, partim curiosa, partim vtilis: curiosa, quatenus scire voluit præfixum à Deo tempus interitui rerum, atque eatenus negat responsum Iesus (infrà v. 36.) vtilis, quatenus signa quærit, quibus admoneantur vt se præparẽt ad excipiendum Dominum & promissum sibi regnum, atque eatenus respondet Dominus quæstioni. *Quemadmodum viator de mansione, agricola de messe, mulier prægnans de decimo mense; sic serui Dei libenter de consummatione seculi requirunt*, inquit Auctor imperfecti. Sed cùm Apostoli iam instare excidium templi ac mundi, simul & initium regni arbitrarentur; & excidium quidem parùm ad se pertinere, nihil sibi obfore (*de supplicio enim*, ait Chrysostomus, *tamquam a se alienis audiebant, quasi omnis periculi expertes futuri*) regnum verò suum fore, quod, iudicato à Iesu simul & ipsis mundo, feliciter inituri essent: Iesus intelligendum dat, non tam propè hæc instare quàm ipsi arbitrarentur, signa verò assignat huiusmodi, quæ plurimùm ipsos tangant, à quibus ipsis immineant afflictiones variæ & pericula salutis non parua, vt ad patientiam se priùs componerent, quàm anhelarent ad gloriam, ad bellum se priùs accingerent quàm triumpho inhiarent.

Mar. 13. v. 5. Luc. 21. v. 8.

4 Et respondens Iesus dixit eis: Videte ne quis vos seducat.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· βλέπετε μήτις ὑμᾶς πλανήσῃ.

VIDETE. id est, cauete. Ante omnia præmonet suos vt sibi caueant, excitat ad vigilandum, & solicitos efficit, vt reddantur ad declinanda futura discrimina cauti & instructi. q. d. Vos de tempore illo nouissimo quæritis: sed ante omnia debetis de vobis ipsi esse soliciti. Vos, quorum erit, alijs me Christum prædicare, eosque ad me veritatem adducere. SEDVCAT in errorem, abducat à fide in me. Quia audistis Iudæos aduersarios vestros delendos, templo eorum & ciuitate destructis, ne existimetis vos interim ab omni periculo immunes fore. antequam templum & mundus pereant, meaque gloria manifestetur, magna salutis pericula vos cingent, &, nisi sedulò vobis caueritis, oppriment; caueritis autem, constanter adhærendo mihi ac doctrinæ meæ, reiiciendoque aduersantia omnia.

Mar. 13. v. 6. Luc. 21. v. 8.

5 Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent.

πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες, ἐγώ εἰμι ὁ χριστὸς, καὶ πολλοὺς πλανήσουσι.

VENIENT s. me hinc à vobis ablato, ante excidium templi, aduentum meum, & consummationem seculi. Quemadmodum discipuli de his tribus rogauerant, tamquam connexis & simul futuris, horum tempora commiscentes: ita Iesus, discipulis in eo errore relictis, sic respondet, vt apertè tempora non distinguat, recensens primùm signa his tribus communia, eiusmodi quæ futurum aliquando excidium, tum ciuitatis Ierosolymorum ac templi, tum mundi vniuersi, docerent, sed quàm breui non perinde. Postea alia prædicit signa singulis propria, quibus illa, vel instare intelligantur, vel etiam in foribus esse. huiusmodi enim signorum discrimen hoc capite obseruandum est: quædam propria esse excidio rerum Iudaicarum, quædam propria ruinæ totius vniuersi, quædam communia vtrique; rursus, quædam esse signa quòd hæc aliquando futura sint, quædam quòd proximè instent. IN NOMINE MEO. non hoc est, auctoritate mea, sed sub nomine meo, cùm nominis mei falsa vsurpatione, vsurpantes seu mentientes nomen dignitatemque mihi propriam, hoc est quod sequitur DICENTES, EGO SVM CHRISTVS, ille scilicet patribus olim promissus & hactenus expectatus, saluator Israel. qui infrà v. 24. vocantur *pseudochristi*. MVLTOS, tum eorum qui in me crediderint, tum aliorum. Hanc circumstantiam data opera Christus addidit, ne fideles conspecta insanientium turba labascerent. SEDVCENT. inuenient stultè credulos quos fallant, ita vt sibi mendacibus credant & adhæreant. Cauete igitur ne & vos seducamini. Itaque, quod D. Hilarius ait, *vt fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcepit*. Ante excidium Ierosolymitanum, quàm multi Messiæ schemate se Iudæis obtulerint, populique Israel liberatores ac saluatores se polliciti fuerint, & quàm multos è Iudæis præsertim seduxerint, excæcatis iusto Dei iudicio, vt à pseudochristis deciperentur, qui verum Christum iam repudiauerant, tum ex Iosepho Iudæo, tum ex alijs auctoribus discitur. Inter hos ex primis, post Christi in cælos ascensum, fuit Theodas quidam præstigiator cuius mentio est Act. 5. v. 36. de quo Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 2. vel secundùm aliorum librorum distinctionem cap. 4. Post hunc fuit Ægyptius quidam, cuius meminit Felix Iudææ præses Act. 21. v. 38., de quo idem Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 6. vel secundùm alios 12., & lib. 2. de bello Iudaico cap. 12. De alio quodam scribit lib. 20. Antiq. cap. 7., qui etiam lib. 20. Antiq. cap. 6. & lib. 2. de bello cap. 12. refert, *prouinciam refertam fuisse latronum & magorum turba, sub specie religionis rebus nouis studentium, populumq; salutis pollicitatione seducentium*. Nec dubium quin huiusmodi præstigiis ludendos exposuerit Deus, qui Filium suum tam indignè repulerant. Etsi enim breui dissipatæ sunt omnes illæ insaniæ, permisit tamen eos Deus ita inter se scindi,

se scindi, primum vt se infames & exosos redderent, deinde vt apud eos prorsus concideret salutis fiducia, denique vt toties frustrati, bruto stupore in suam perniciem ruerent. Inter hos pseudochristos, meritò numerant veteres, nominatim D. Hieronymus, etiam Simonem Magum, qui vt ante baptismum *magiis dementauerat Samaritanos, dicens, se esse virtutem Dei magnam* (Act. 8. v. 9.) ita post baptismum, Christo cui nomen dederat reiecto se ipsum pro Christo & sermone Dei omnipotente, obtrusit, multosque, tum ex Iudæis ac Samaritanis, tum ex Gentilibus, seduxit. Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 20. August. hær. 1. ad Quoduultdeum. Euseb. lib. 2. Eccles. hist. cap. 13. hunc magistrum imitatus Menander discipulus, & ipse Samaritanus, similiter pro vero mundi saluatore se obtulit, magicis artibus etiam magistrum superans. Tertull. lib. de præscriptis hæret. cap. 46. Euseb. lib. 3. Eccl. hist. cap. 26. fuerunt & alij ante euersam Ierusalem tum hæretici, tum Iudæi, qui se Christos profiterentur: volens enim diabolus Christi in terram aduentum obscurare, efficereque cùm primùm prædicaretur, ne quis eum credens salutem assequeretur, varios impostores excitauit, qui omnes se Christos dicerent, vt homines dubij quis tandem verus Christus agnoscendus esset, gentiles quidem neminem agnoscerent pro Christo, Christi nomen tamquam vanum & inane reiicerent, Iudæi verò falsum Christum pro vero reciperent, ac proinde à salute alieni omnes manerent: fuitque plausibilis fallendi occasio ad manum, quòd verus Christus ignominioso crucis supplicio è medio sublatus esset, cùm tamen Iudæorum omnium mentes spe redemtionis erectæ & desiderio accensæ essent. Iam post excidium Ierosolymitanum, ante mundi consummationem, quàm multi hactenus venerint mentito nomine Christi, & quàm multos sæpe Iudæorum seduxerint ac deluserint, historiæ plenæ sunt: exemplum vnum habeto Barchochabam, tēpore Adriani Imperatoris, de quo historia Ecclesiastica Eusebij lib. 4. cap. 6. Denique instante mundi fine, Antichristus pro Christo se geret, & à Iudæis vt huiusmodi recipietur: sic enim interpretantur plerique veterum illud Ioh 5. v. 43: *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Vnde Augustinus serm. 45. de verbis Domini: *De Antichristo,* inquit, *dictum est, & omnes sic intelligunt quod ait Dominus: Ego veni in nomine Patris mei & non suscepistis me: si alius venerit in nomine suo, hunc suscipietis.* Voluit igitur Christus monere Apostolos suos, & in illis fideles omnes, vt cùm seductores huiusmodi oriri & grassari viderent, sedulò sibi ab eis cauerent, & meminissent futuri aliquando excidij tum Ierosolymorum tum mundi vniuersi, quo huiusmodi cum sequacibus suis funditus essent exstirpandi.

μελλήσετε δὲ ἀκούειν πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων· ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε. δεῖ γὰρ πάντα γενέσθαι, ἀλλ᾽ οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος. 6

Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum, videte ne turbemini. oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

Mar. 13. v. 7. Luc. 21. v. 9.

AVDITVRI. nonnumquam etiam visuri. ENIM. δὲ *autem*, quo modo est & syriacè. Latinum *enim*, si non potest accipi pro *autem*, referendum est ad id quod subsequitur *videte ne turbemini*. Aliud enim hîc prædicitur signum futuræ euersionis Ierusalem & mundi. PRÆLIA cædes, motus, tumultus, seditiones. Quia sequitur *Consurget gens in gentem* &c., prælia hîc intelligenda videntur minora, qualia inter ciues, conterraneos, & incolas, aliquando oriuntur, quæ propriè seditiones dicuntur & bella intestina: nam & Lucas *prælia*, inquit, *& seditiones.* Quare Chrysostomus in hunc locum, *Bella*, ait, *& bellorum rumores, primos in petus appellat.* OPINIONES. ἀκοὰς ad verbum auditiones idiotismo hebraico, pro rumores, PRÆLIORVM, præsagientes tumultus & seditiones alias ex aliis. Rumores sæpe rebus ipsis atrociores ac tristiores sunt, magisque terrent ac turbant. Huiusmodi prælia seditiones, tumultus, & cædes, ante excidiū Ierosolymitanum, inter Iudæos oriri cœperunt, præside Iudææ Cumano: atque inde multis annis fuere continui, aliis ex aliis semper nascentibus. lege Iosephum lib. 20. Antiq. cap. 4 & lib. 2. de bello cap. 11. ac deinceps Post excidium Ierosolymorum, ante mundi consummationem, non est opus eorum exempla quærere, cùm per se vndique suppetant plurima. VIDETE. cauete NE TVRBEMINI plus æquo, ita vt deseratis, vel fidem in me, vel iniunctum vobis officium prædicandæ fidei in me; ita vt deseratis iustitiam. Tumultus rumoresque bellorum, multos turbant adiguntque ad desperationem, vt cœpta etiam recta relinquant. Quare iubet Christus, vt sui intrepido animo pericula omnia excipiant, caueantque deficere malis obruti, id est, iniunctum diuinitus munus omittere aut partes recti honestique temerare. Cumque mox monuisset, vt aduigilarent, ne adulatione seducentium circumuenirentur, iam præmonet ne periculorum vi opprimantur. *Duplex enim bellum futurum asserit*, inquit Chrysostomus, *alterum à seductoribus, alterum ab hostibus.* Iustum non decet turbari, quicquid in mundo accidat. OPORTET ENIM. Ratio cur turbari non debeant, quia *oportet.* præsens pro futuro *oportebit* (loquitur enim de re futura) necesse erit, non quidē absolutè, sed posita hominum malitia vna ex parte, & ex altera parte Dei prouidentia, cui visum est huiusmodi mala permittere, ad eliciendum maiora bona, vtpote malorum hominum punitionem & bonorum exercitationem. HÆC. prælia & rumores præliorum. græcè pro *hæc* est πάντα *omnia*, syriacè vtrumque iungitur *hæc omnia*. FIERI. contingere, prælia committi, rumores spargi reque ipsa impleri. s. ante rerum finem. Quis prudens se ipse nimium turbet, ob ea quæ necesse est fieri, nec vitari possunt, sed iustissimo atque optimo Dei iudicio eueniunt? Dei beneplacito vnumquemque forti animo acquiescere conuenit. NONDVM. id est, *non statim*, (sic enim explicat Lucas cap. 21. v. 9.) s. vt hæc fient. EST. id est, erit. FINIS. s. siue ciuitatis & templi, siue seculi. q. d. præcedent adhuc alia grauiora mala, *malorum semper incipiente ex fine principio*, quod ait Iosephus lib. 3. de bello cap. 15. Apertè prænunciat, quæ per se grauia forent, præludia solùm fore calamitatum maiorum, ne quidquam etiam grauissimum turbaret eos, minimeque sibi promitterent hoc in mundo tranquillum statum.

ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ 7

Consurget enim gens in gentem, & regnum

Mar. 13. v. 8. Luc. 21. v. 10. 11

regnum in regnum: & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· καὶ ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ, καὶ σεισμοὶ κατὰ τόπους.

CONSVRGET ἐγερθήσεται surget, præliabitur, bellabit. Non solùm ciues in ciues, pauci in paucos, sed GENS IN GENTEM. Ante deuastationem Ierusalem, prelio insurrexerunt Iudæi in Samaritanos, in Romanos, in Syros (Iosephus lib. 2. de bello cap. 11. 18. 19.) Cæsarienses, Schytopolitæ, Ascalonitæ, Ptolomenses, Alexandrini, Damasceni, in Iudæos (lib. 2. de bello cap. 19. 20. 21. 25.) regnum Agrippæ & omnia vicina regna totius Syriæ, vnà cum Romano Imperio, in regnum Iudaicum, & primùm quidem in Galilæam cæteramque Iudæam, priusquam ad Ierosolymam veniretur. PESTILENTIÆ, ET FAMES. græcè & syriacè præcedit *fames*, quòd conforme est græco prouerbio λοιμὸς μετὰ λιμὸν pestis post famem. Belli filiæ sunt fames & pestilentia: bello enim omnia deuastãte, & bonis ac ædibus plerosque eiiciente, agrisque proinde non cultis, sequitur fames ac plurimæ miseriæ: ex fame & miseriis hominum desolatorum, nascitur pestilentia. Sed quia non tam ex hominum quàm ex Dei arbitrio grassantur fames & pestis, nec tam ex naturali rerum connexione quàm à superiore causa contingunt; considerandum est, Iesum, postquam declarauit ea mala quæ homines ab hominibus essent passuri, subiicere ea quæ Deus vltor addet flagella, insurgẽs ipse in reprobos, vertensque omnia ad vsum vltionis, quæ illi ad vsum vitæ accepta verterant ad vsum culpæ. Deo enim faciente, aër pestilens est & lethalis, velut indignans impiis vita & habitu indignis: terra tamquam impatiens improbos alere ac sustinere, negat alimoniam, motibusque se concutit insolitis. PER LOCA diuersa, plura, id est, pluribus & variis locis. Hoc non referri nisi ad *terræmotus*, manifestum est ex Marco & Luca: nam terræmotus non tam generalis & diuturnus est quàm fames. De terræmotu qui acciderit ante rerum Iudaicarum interitum, nihil legimus, nisi quòd Eusebius in chronico annotet, Nerone imperante, terræmotum Romæ exstitisse, eoque in Asia tres vrbes concidisse. Iosephus terræmotus in Iudæa non meminit, grauioribus fortè intentus, quòd præ aliis malis hoc leuiculum duxerit: sed de fame, cuius comes est pestis, eaque maxima, quæ Iudæam tenuerit, cuique succurrerint Rex & Regina Adiabenorum, scribit lib. 20. Antiq. cap. 2. & 3. Hanc famem prædixerat Agabus propheta Act. 11. v. 28., ob quam & Christiani Antiocheni subsidia miserunt habitantibus in Iudæa fratribus, vt ibidem sequitur v. 29. 30., & Paulus vndique à gentibus eleemosynas colligit perferendas sanctis in Ierusalem, Rom. 15. v. 25. 26. 1. Cor. 16. v. 3. 2. Cor. 9. v. 2. 3. Bella porrò, famem, & pestem, & nos hodie egregiè patimur, vt non opus sit horum exempla aliunde adferre ex mundi senio: nam de terræmotu non aliunde petenda exempla insignia sunt, quàm à patrum nostrorum memoria. Hæc igitur dedit Christus signa futuræ aliquando consummationis tum Ierosolymorum tum mundi; signa autem, non necessariò quidem significantia ex seipsis, sed ex prædictione, quia prædicta sunt præcessura; verisimiliter tamen etiam ex seipsis significantia, vtpote ex quibus futurus rerum interitus nõ obscurè intelligi posset. Nam quemadmodum, quò sæpius febris hominem occupat, eò certius est eum moriturum: ita quò magis crebrescunt hæc mala, eò certius est mundũ interiturum. Et quemadmodum non statim quidem emoritur corpus hominis, ingentibus morbis concussum, sed tamen morbi sæpe recurrentes declarant non procul abesse mortis diem: ita cùm huiusmodi malis frequenter concutitur mundus, significationem dant illa mundi iam senescentis & ad ruinam tendentis. *Nam quia in occasu seculi sumus* (inquit Ambrosius in Lucam) *præcedunt quædam ægritudines mundi.*

Mar. 13. v. 8.

Hæc autem omnia, initia sunt dolorum. [8] πάντα δὲ ταῦτα, ἀρχὴ ὠδίνων.

HÆC AVTEM OMNIA. errores, seditiones, rumores, bella, pestilentiæ, fames, terræmotus grauissima licet mala, stupenda atque horrenda. INITIA ἀρχὴ principium, tamquam initia seu principium. SVNT pro *erunt* suppleuit interpres. DOLORVM. ὠδίνων *parturitionum*, quomodo vertit in commentario Hieronymus: nam ὠδῖναι propriè sunt dolores illi quos sentiunt mulieres parturientes. Tamquam initia erunt parturitionum, id est, similia erunt primis illis doloribus qui sunt instãtis partus nuntij quod est, leuia erunt si cum illis malis conferantur, quæ in ipsa consummatione subsequutura sunt. Frequens est sacris literis, acerbitates calamitatum exprimere metaphora à partus doloribus accepta. Dicit hîc igitur Saluator: Quemadmodum dolores illi qui partum præcedunt, per se licet grauissimi, leues sunt si conferantur cum illis doloribus ac pressuris quæ in ipso partu comprehendunt prægnantes: ita quæ hactenus prædixi mala, per se atrocissima, parua ac leuia erunt, nec nisi præludia, collata cum illis quæ occupabunt homines in ipsa euersione rerum publicarum, siue Ierosolymitanarum, siue totius orbis terrarum. Sanè qui Iudaici belli historiam pressiùs considerat, videt, in ipsa Ierosolymorum expugnatione, calamitatibus illis omnibus, quæ singulæ præcesserant, conglobatis mirisque modis auctis Iudæos opprimi, imposturis, seditionibus, bellis, pestilentia, fame, legantur libri Iosephi de eo bello sextus & septimus. Hoc idem futurum exspectandum est in ipsius mundi consummatione, quæ quò propinquior, eò mala hæc omnia maiora, crebriora, densiora, & atrociora erunt, siue de erroribus, siue de seditionibus & bellis, siue de plagis elementaribus, siue de aliis quæstio sit, summum in ipsa consummatione obtentura gradum, quando vnus tandem terræmotus impios in vniuersum omnes vasto profundoque hiatu æternùm absorbebit. Lege Lactantium lib. 7. cap. 15. & 16. vbi hęc declarans inter cætera scribit: *Propinquante huius seculi termino, humanarum rerũ statum commutari necesse est, & in deterius nequitia inualescente prolabi: vt etiam nostra hæc tempora, quibus iniquitas & malitia vsque ad summum gradum creuit, in illius tamen insanabilis mali comparatione, felicia & prope aurea possint iudicari* (hoc est, *initia sunt dolorum.*) *Omnis terra tumultuabitur, frement vbique bella, &c. Tunc peragrabit clades orbem, metens omnia & tamquam messem cuncta prosternens, &c. Tunc detestabile atque abominabile tempus existet, quo nulli hominum sit vita iucunda. Euertentur funditus ciuitates, &c. Ita conficietur humanum genus, vt vix decima pars hominum relinquatur, &c.* In quam sententiam & D. Augustinus epistola 80: *Nec tamen frustra dixit Apostolus: In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa; & hinc ea periculosa futura demonstrans, tales homines futuros esse prædixit: nisi quia tanto plures erunt magisque abundabunt, quanto magis propinquatur ad finem.*

τότε παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν, ⁹ καὶ ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς· καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν διὰ τὸ ὄνομά μου.

Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

Mar. 13. v. 12. 13. Luc. 21. v. 16. 17. Sup. 10. v. 22.

TVNC. Ne putarent Apostoli, quibus promissa à Christo beatitudo ob oculos semper versabatur, se immunes fore à malis, interea dum aduersarij Christi superiora à Deo mala passuri essent, prædicit ipsis, quo statu ipsorum tunc res erunt, ne inexspectata aduersa ipsos obruerent quin potiùs aduersus præuisa tempestiuè se præpararent ac præmunirēt: simul indicat causam iustissimæ punitionis reproborum, qui Christum etiam in iis persequantur, quorum opera, ipse eos ad salutem reuocare conatur. Quemadmodum igitur mox monuit Christus suos ne cōmunibus hominum malis turbarentur; ita iam monet ne propriis, alia quædam signa prædicens, è quibus Apostoli Ierosolymorum, nos mundi futuram consummationem intelligeremus. Tunc itaque cùm hæc euenient, cùm malis plena erunt omnia, ac proinde pœnitentiā placanda ipsis foret ira Dei, peccatis addent grauiora peccata. TRADENT s. homines, phrasi hebraica pro trademini. Vos Apostolos meos cæterosque prædicatores & professores nominis mei (*per Apostolos enim, omnium credentium persona signatur*, ait Hieronymus, innocentes & qui omnibus studebitis benefacere. IN TRIBVLATIONEM. tribulandos, trademini iudicibus, variis modis affligendi, immo etiam occidendi, trademini autem etiam à fratribus & propinquis, quidam etiam à parentibus, quemadmodum sup. 10. v. 21. dictum est, & hoc etiam loco Marcus & Lucas dicunt. ET OCCIDENT VOS. adeoque occident non paucos ex vobis. Dicent enim vos omniū malorum orbi euenientium esse causam, bellorū, pestilētiarum, famis, terræmotuum, &c., ac proinde tunc maximè in vos sæuient. sic rectè Origenes in hunc locum. OMNIBVS GENTIBVS. Iudæis & Ethnicis, plerisque omnibus omnium gentium & nationum. Euthymio hic proprium est, vt τὸ *gentibus* disertè non legat. PROPTER NOMEN MEVM. Afflictos, in pœnā solatur causa. Quī ante euersionem Ierosolymorum hæc acciderint Apostolis cæterisque Christianis, Iudæis præsertim eos persequentibus, & tamquam rerum publicarum perturbatores gentibus inuisos reddentibus, ex Actis Apostolorum & Ecclesiasticis historiis manifestum est: quando & Apostoli omnes, præter vnum Iohannem, occisi fuere. Ante mundi verò finem; quis ignorat decem illas celebres Christianorum per vniuersum mundum sub Imperatoribus Romanis persequutiones, quarum sola prima, quæ sub Nerone fuit, antecessit excidium Ierosolymitanum? Porrò instante mundi fine regnanteque Antichristo, futuras alias similes nec minores, nullus Christianus dubitat. Igitur & hoc signum commune est consummationi tum Ierosolymorum tum mundi. Reliqua ad huius versiculi expositionem facientia legenda sunt sup. 10. v. 22.

καὶ τότε σκανδαλισθήσονται πολλοί, καὶ ¹⁰ ἀλλήλους παραδώσουσι, καὶ μισήσουσιν ἀλλήλους.

Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem.

ET. Hac occasione autem. SCANDALIZABVNTVR. scandalum patientur, impingent in vim aut metum mortis, suppliciorum, persequutionis, odij, ita vt excidant à recepta semel in me fide. deserent fidem in me timore mortis & tribulationum odiique vitandi causa, & fient ex fratribus hostes. Non parùm intererat Apostolorum, aliorumque Christianæ fidei præconum & cultorum, præscire, non tantùm quòd increduli ipsos propter fidem in Christum tribulaturi, & persequuturi, verumetiam quòd fidelium non pauci essent à fide Christi defecturi, non ferentes incredulorū odia, improperia, tribulationes, supplicia, aut minas. Magna enim futura erat illorum afflictio, adeoque tentatio, videre hos desciscere à Christi ad salutem necessaria doctrina. Ne ergo supra modum turbarentur multis deficientibus (vt semper paucus est electorum numerus) de his quoque voluit præmonere, quos Apostolus Paulus solet *falsos fratres* vocare (2. Cor. 11. v. 26. *periculis in falsis fratribus*) Quare in hunc locum Chrysostomus: *Vides*, inquit, *bellum triplex futurum, vnum ab hostibus, alterum à seductoribus, tertium à falsis fratribus.* TRADENT. prodent, tradent in manus inimicorum, id est, infidelium. *tradent* autem qui fuerint scandalizati, qui à me defecerint. huiusmodi enim volentes redimere pericula & odia, quæ incurrerant aut incurrere verentur propter amplexum Euangelium, & gratiam apud persequutores inire, antequam qui sint declarent, prodere consueuerunt veros fideles de ipsis adhuc benè sentientes persequutoribus & hostibus. Quod autem dicitur *inuicem*, *ἀλλήλους alij alios*, non intelligitur quòd fidelis falsum fratrem prodet, quemadmodum falsus frater fidelem: sed quòd alij & alij, complures falsi fratres, prodent alios & alios, complures, inquam, fideles. ET ODIO HABEBVNT. Maius enim odium est huiusmodi apostatarum erga fideles, quàm ipsorum infidelium. Porrò fideles ipsi, si exacti obseruatores sunt doctrinæ Christi, non oderunt vicissim huiusmodi falsos fratres, sed diligunt eos, lugent lapsum eorum, & orant Deum desiderantque vt resurgant. Syrus præponit odium proditioni, hæc enim ex illo nascitur.

καὶ πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐγερθήσονται, ¹¹ καὶ πλανήσουσι πολλούς.

Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.

PSEVDOPROPHETÆ. qui se mentientur prophetas, id est, doctores Euangelicæ veritatis. vide suprà 7. v. 15. SVRGENT sua sponte, non missi. MVLTOS eorum qui vestra opera crediderant in me; quosdam etiam quos tormenta & persequutiones superare non potuerant. *Multos seducent*, inquit Auctor imperfecti, *non omnes: quia non est seducentium virtus, sed negligentia seductorum.* Suprà v. 5. prædixerat orituros qui se dicerent

rent Christos: iam prædicit & alios orituros, qui se dicent prophetas seu doctores veritatis qui verum Christum confitentes & prædicantes, sub nomine ipsius spargent doctrinas falsas, mendacia & errores Christo adscribent & tanquam ab ipso profecta docebunt, sanam doctrinam admistis erroribus corrumpētes. Hic igitur hæretici intelliguntur, quales ante excidium Ierosolymitanum fuere *Hymenæus & Philetus, dicentes resurrectionem esse iam factam* 2. Timo. 2. v. 17. 18., *Nicolaitæ*, quorum mentio est Apoc. 2. v. 15., Cerinthus & Ebion, aduersus quos Iohannes Euangelium scripsit, de quibus præmonuerat Paulus maiores natu Ecclesiæ Ephesinæ Act. 20. v. 29. 30: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobisipsis exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Post excidium Ierosolymitanum ante mundi consummationem, quàm multi alij hactenus orti fuerint hæretici, & quàm multos seduxerint & etiamnum seducant, meridiana luce, proh dolor, clarius est: quorum numerus, quò finis mundi propinquior, eò erit auctior.

Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. [12] καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν, ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν.

ABVNDAVIT πληθυνθῆναι, ob multiplicatam esse, nimirum tunc, id est, quia multiplicabitur seu *abundabit*, vt est in aliis libris. Syrus, *propter multitudinem iniquitatis.* INIQVITAS. persequutiones scilicet tyrannorum, & odia gentium illis adhærentium, scandalaque eorum qui illorum metu à fide defecerint, hæreses denique à pseudoprophetis sparsæ. REFRIGESCET. extinguetur, peribit, quæ priùs feruebat. CHARITAS MVLTORVM erga Deum & proximos, qua Deum & Christum diligere eiusque cultoribus benefacere cœperant: pugnant enim aduersus se mutuò vt contraria, iniquitas & charitas. Multi inquit, tametsi animo non prorsus deficient à fide Christiana quam à vobis didicerint, verebuntur tamen eam confiteri, & operibus ipsis Christianos se declarare, vobisque constantibus ea charitatis officia exhibere quæ aliquando consueuerant. Charitatis ardorem in his, extinguet frigus iniquitatis foris dominans, siue metu hominum ipsis incusso, siue languore fidei charitatisque creato per varia exempla deficientium. De huiusmodi videtur Paulus loqui 2. Timoth. 1. v. 15: *Scis hoc quod auersi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigelus & Hermogenes.* quibus v. 16. opponit: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit.* Rursus 2. Timo. 4. v. 10. 16: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, non illis imputetur. Demas me reliquit, diligens hoc seculum. Multorum* autem dicit, non *omnium*, tam hoc quàm præcedentibus versibus, vt scirent aliquos semper constantes permansuros, in quibus non frustra laborassent adducendis ad Christum, quorumque feruenti charitate medijs in tribulationibus fouendi essent. Vt essent præmuniti aduersus omnia, prædicit Iesus suis pericula malaque omnia, occursura in Ecclesiæ collectione ac propagatione, *aduersus omnia eos exacuens & magnanimitate roborans, ac consortationibus quasi adamantinos reddens*, quod ait Euthymius. Prædicit autē duplicia ferè mala, quædam quæ ab infidelibus sint passuri, odia inquam & persequutiones, alia quæ in fidelibus non sine summo animi cruciatu sint conspecturi; illa foris, hæc intus; & hæc quidem triplicis generis, quibusdam fidelium à fide deficientibus metu persequutionum, aliis circa fidem naufragantibus seductione hæreticorum, aliis inter hæc charitatem exuentibus & derelinquentibus.

Sup. 10. v. 22. Mar. 13. v. 13. Luc. 21. v. 19.

Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. [13] ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.

QVI AVTEM. Ne dicerent Apostoli: Quis igitur saluabitur tam multis pereuntibus, aliis ob non susceptam, aliis ob desertam, aliis ob erroribus contaminatam fidem, aliis denique ob repudiatam charitatem? respondet Dominus, QVI PERSEVERAVERIT inter hæc mala, qui non cesserit iniquitati abundanti ac grassanti, sed constanter restiterit, permanserit constans & in fide & in charitate, nullis erroribus infectus, nullis persequutionibus victus, nullis odiis motus aut scandalis deiectus. Reliqua exposita sunt sup. 10. v. 22.

Mar. 13. v. 10.

Et prędicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. [14] καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι· καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος.

ET PRÆDICABITVR. Potuissent Apostoli dicere: Si totus mundus turbabitur, & nominatim insurget aduersus nos, propter prædicationem nominis & Euangelij tui, ac deinde etiam breuì finietur; frustra nos statuis emittere ad Euangelium prædicandum: nihil enim proficiemus, vniuerso mundo quamdiu poterit prohibente ac repugnante, & breuì pòst pereunte. Præoccupat Christus: Quantumuis turbandus sit vniuersus mundus, tamen *prædicabitur Euangelium hoc in vniuerso mundo*, nec priùs aderit rerum finis. Voluit enim hoc signo dato animum ipsis adiicere, vt scirent fortiter sibi pugnandum esse, postquam intelligerent se victores fore. Quamquam enim hoc incredibile videri poterat, oportuit tamē ipsos magistri testimonio fretos contra spem in spem credere, & interea fortiter eniti ad exsequendum munus suum. Multùm itaque pertinuit, non tantùm ad instructionem, verumetiam ad confirmationem & consolationem discipulorum Christi, hoc præscire. *Prædicabitur* publicè per vos aliosque discipulos seu fideles meos. HOC EVANGELIVM REGNI cælorum. faustum hoc nuntium de regno cælorum, non iam propinquo, sed præsenti, & credentibus omnibus patenti per me. vide sup. 4. v. 23. IN VNIVERSO ORBE terrarum. ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ in tota habitata s. terra. in toto mundo, seu, vt Syrus loquitur, seculo; non in sola aliqua parte mundi, vt hactenus lex Mosis in sola Iudæa & Israelitarum regione, quemadmodum canit Psalmus septuagesimus quintus. Non existimetis, seditiones, bella, tumultus, errores, persequutiones vestri, cæteraque mala, impeditura

tura

rura quò minùs hoc Euangelium promulgetur: hoc certum vobis prædico, quòd illis turbis malisque omnibus, licet maximis, non obstantibus, promulgabitur in vniuerso prorsus mundo, nihilque prohibere poterit illius cursum, quin vniuersum mundum liberè percurrat. Fuit hoc euidens argumentum omnipotentiæ & inuictæ virtutis Christi. IN TESTIMONIVM. ita vt sit testimonium, ita vt seruiat testimonij loco, OMNIBVS GENTIBVS, non soli Israeli, sed & omni alij nationi ac genti quæ sub cælo est. *Testimonium* autem æternæ salutis à Deo per me Christum mediatorem obtinendæ: vt testetur omnibus gentibus, gentesque omnes intelligant, æternam salutem ab vno vero ac solo Deo ipsis esse paratam, si amplexæ fuerint hoc Euangelium; contrà verò perditionem æternam, si non amplexæ. His verbis Christus intelligendum dat finem prædicandi Euangelij in vniuerso orbe. Iudæis hactenus Deus de se & salute à se per Christum exspectanda non obscurè testatus fuerat per legem & Prophetas; at longè iam & clariùs & efficaciùs per Euangelium. Inter gentes autem, *non quidem sine testimonio semetipsum reliquerat, benefaciens de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda illarum, quærere Deum, si forte attrectarent eum aut inuenirent,* (quomodo Paulus gentibus concionatur Act. 14. v. 16. & 17. v. 27.) sed vt erat illud testimonium obscurum ingenio hominum variis tenebris obducto, non agnouerunt illæ Deum nec quæ ab ipso exspectanda esset salutem. *Itaque postquam in præteritis generationibus dimisisset Deus omnes gentes ingredi vias suas, tandem tempora huius ignorantiæ despiciens* (quod ibidem Paulus ait) promulgauit gentibus omnibus Euangelium regni, quo clarissimè dilucidissimeque testatus est eis, non tantùm de se Deo viuo & vero, vt ab his vanis ad se conuerterentur, verumetiam de regno suo & salute æterna, qua ratione eam per Christum filium suum assequi & obtinere possent; vt ij quidem homines ex singulis gentibus, qui fidem testimonio huic adhibere vellent, & in fide hac ac vita fide digna perseuerare, seruarentur; qui verò nollent, inexcusabiles iustè perderentur, testimonium præsertim cùm fuerit non simplex, sed efficacissimis Spiritus sancti signis ac virtutibus munitum. Porrò cùm dicit Christus *Prædicabitur in testimonium*, non intelligit nudè prædicandum & testimonij loco proponendum *omnibus gentibus*, committendum autem euentui si cum fructu prædicabitur nec ne: sed intelligit, prædicandum cum fructu, haud dubium, fructificaturum illud apud omnes gentes, immo, quamquam non sine præuiis turbis ac molestiis maximis, subiugaturum etiam sibi tandem omnes gentes; denique, etsi maior semper remansurus sit numerus reproborum, collecturum ex omnibus & singulis gentibus electos aliquos & ad salutem æternam adducturum: quæ res rursus seruiuit consolationi Apostolorum, ne nimium de perditione suæ gentis tristarentur, dum se intelligerent, socios de omnibus gentibus esse habituros, multoque plures ex gentibus saluandos esse, quàm ex Iudæis essent perituri, quod notat V. Beda in Marcum. ET TVNC. postquam in vniuerso orbe gentibus omnibus fuerit prædicatum & creditum, haud dubiè, ab omnibus gentibus, licet non à singulis hominibus ex numero gentium. CONSVMMATIO. τὸ τέλος finis scilicet rerum. Non dicit *tunc statim veniet*, sed *tunc*, non priùs *veniet*. Non dicit quòd simulatque Euangelium in toto orbe terrarum fuerit prædicatum, aderit rerum finis, sed quòd non priùs aderit. Imaginabantur Apostoli breui adfore rerum finem: docet Christus, non ita breui adfore, quin priùs prædicandum sit hoc Euangelium in toto orbe terrarum, salusque in Christo gentibus omnibus offerenda. Porrò non determinat Christus de vtrius consummatione seu fine loquatur, templi ne an seculi (de vtroque enim proposita fuerat quæstio) quia discipuli eumdem vtriusque finem fore persuasi erant. Illis igitur in eo adhuc errore relictis, vult & hoc signum, quod hoc versu dat, quemadmodum ea quæ præcedētibus versibus dedit, de vtriusque fine seu cōsummatione intelligi, nimirum, tum ante finem templi ac ciuitatis Ierosolymorum, tum ante finem mundi Euangelium prædicandum omnibus gentibus vniuersi orbis: nam & sic accidit. Licet enim non nisi ante finem mundi perfectè hoc accidet, ita vt nulla gens aut natio sub cælo sit cui non clarè ac publicè prædicatum fuerit Euangelium, & oblata per Christum salus: suo tamen modo, etiam ante finem Iudaicarum rerum, Euangelium in vniuerso orbe omnibus gentibus prædicatum fuit, quia in maiori parte orbis noti, Asiæ inquam, Africæ, & Europæ, & celeberrimis illius regionibus ac gentibus, prædicatum fuit: simili enim loquendi modo Lucas Act. 2. v. 5. dicit *Ierosolymis habitasse Iudæos ex omni natione quæ sub cælo est*. Quocirca Apostolus Paulus Coloss. 1. v. 6 loquens de verbo veritatis Euangelij: *Quod peruenit*, inquit, *ad vos, sicut & in vniuerso mundo est, & fructificat, & crescit*. & paulò pòst v. 23: *Quod prædicatum est in vniuersa creatura quæ sub cælo est*. Rursus Rom. 1. v 8: *Fides vestra*, ait, *annunciatur in vniuerso mundo*. Atque hic Paulus solus, si, vt gloriatur Rom. 15. v. 19, *ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuit omnia Euangelio Christi*, idque annis plus minus quatuordecim ante euersionem Ierusalem: quid non terrarum ac regionum peragrarunt cæteri simul omnes Apostoli, discipuli, ac præcones Christi, ante eam euersionem? Hæc huius loci interpretatio conciliat sibi mutuò varias Patrum sententias, Græcorum de fine Ierosolymorum, & Latinorum de mundi fine locum ferè interpretantium, videturque germana esse, à Dionysio Carthusiano & aliis quibusdam suggesta. Voluit igitur Christus, vt Apostoli cæterique fideles, exspectarent videre, non sine magna sui inter aduersa consolatione, Euangelium in vniuerso terrarum orbe cum salute plurimorum promulgatum, ante destructionem Ierusalem: cumque id visuri essent re ipsa factum, rursus exspectarent perfectiùs illud faciendum ante destructionem mundi. Nam quòd ante destructionem Ierusalem voluit Deus Euangelium vbique prædicari, duplex ferè causa fuit: Vna, quòd noluit perdere veterem populum suum, antequam collegisset nouum (vide suprà 23. v. 35.) altera, vt toti orbi innotesceret Iudæorum ergo promissum Christum impietas obdurata, nec gentium totius orbis exemplis emollita aut ad pœnitētiam prouocata, iustissima per se causa deletionis ipsorum. Quòd autem ante finem mundi velit illud Deus perfectissimè impleri, est, quod, pro ineffabili misericordia sua, nullam gentem quantumuis barbaram & obscuram, velit penitus abiicere, licet iustè posset omnes, sed absolutè omnibus in semine Abrahæ velit benedicere, id est, omnibus & singulis in Christo salutem offerre, & aliquos ex singulis ad æternam salutem re ipsa per Christum adducere. Id quod vsque adeò verum est, vt nullā aliam ob causam videatur Deus nostri orbis hominibus nuper reuelasse, qui à Noëmi diluuio hactenus incognitus fuit, orbem nouum Antipodarum, quem Americam vocant: quàm vt ante mundi finem etiam illic Euangelium regni prædicetur, omninoque impleatur hæc prophetia in omnibus gentibus quæ sunt in rerum natura, etiam incognitis iisque quæ perpetuò alioqui nos latuissent. Cæterùm quàm citò aut quàm tardè aderit mundi finis postquam omnes gentes Euangelium

audierint, non declarat Iesus. Itaque & hoc signum est consummationis, non tam instantis quàm futuræ, propius tamen instare significans quàm cætera hactenus signa, nisi quòd, propter eas quæ incognitæ esse & adhuc latere possint gentes, difficile erit scire quandonam ad vnam omnibus fuerit prædicatum.

Mar. 13. v. 14. Luc. 21. v. 20. Dan. 9. v. 27.

Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) 15

ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑστὸς ἐν τόπῳ ἁγίῳ· ὁ ἀναγινώσκων νοείτω·

CVM ERGO. Non est τὸ ergo illatiuum, sed continuatiuum sermonis. Quare Syrus vertit ܕܝܢ den, quod conuenit cum græcorum δὲ autem. Cùm hactenus dederit Christus communia signa futuræ aliquando consummationis tam mundi quàm templi, subiungit iam propria signa consummationis templi siue Ierosolymorum, & quidem instantis, subditurus deinde similia signa instantis consummationis mundi itaque propiùs iam accedens ad satisfaciendum quæstionibus propositis suprà v. 3. VIDERITIS. quàm primùm videritis, vos aut alij mei discipuli. In Apostolis, loquitur discipulis siue fidelibus suis illis, qui eo tempore victuri & in Iudæa acturi erant, quo Iudæa vastanda & Ierosolyma subuertenda, ita tamen vt intelligerent Apostoli hæc futura, *nonnullis eorum adhuc viuentibus*, inquit Chrysostomus. Plures siquidem Apostolorum ante id temporis mortui sunt: cæteri autem qui remanserant superstites, in aliis tunc orbis partibus versabantur, Euthymio annotante. ABOMINATIONEM. rem abominabilem ac detestandam, quam nemo non propter fœditatem atque turpitudinem execrando meritò auersetur. Daniel hebraicè scribit numero plurali *abominationes*. DESOLATIONIS. exitialem, minitantem desolationem & exitium, quam quiuis recti iudicij portendere iudicet & secum trahere desolationem atque interitum. Hebraicè est, משׁמם, *mesomem*: id quod Christus dominus & Euangelistæ, sequuti interpretes LXX, acceperunt pro abstracto, vel certè claritatis causa dederunt abstractum pro concreto (quamquam LXX plurali numero verterint *desolationum*) cæteroqui concretum est, participium inquam, quod est, desolans siue desolantis, *desolantis* autem s. turbæ vel exercitus. DICTA. prædicta. A DANIELE. διὰ Δανιὴλ per Danielem. Danielis prophetæ testimonio confirmat, templum Iudaicum vnà cum Iudæa excidendum & populum reprobandum. STANTEM. existentem. Voculam hanc expressit Saluator, quam Daniel reliquit subaudiendam. IN LOCO SANCTO. Interpres Latinus post LXXII senes vertit in *templo*, quòd hebraicè est על כנף *hal cenaph* super alam: *Et erit in templo abominatio desolationis*, seu, vt est apud LXX, *desolationum*. Christus Dominus dicere maluit *in loco sancto*, vt cum téplo comprehenderet & ciuitatem, quæ suprà 4. v. 5. ab ipso quoque Euangelista vocatur *ciuitas sancta*. Quod enim est hebraicè *super alam* (*& super alam abominationes desolantis*) intelligi potest, & de ciuitatis & de templi ala siue extremitate; immo debet de vtriusque intelligi. Opponitur autem locus sanctus abominationi: exsulare enim debet, si ab omni, maximè à sancto loco, abominatio. QVI LEGIT locum illum Prophetæ INTELLIGAT. conetur intelligere, det operam vt intelligat. q. d. Obscurus est locus, & tamen dignus, qui intelligatur, quippe plurimùm faciens ad rem præsentem. Ex eo loco intelligere est tempus aduentus Christi, mortem Christi, abrogationem sacrificiorum legis, templi vrbisque Ierosolymorum deuastationem, denique populi Iudaici reprobationem. Sicut Apostoli hìc admonentur, vt in legendis Scripturis vigilantes sint & de intelligendis soliciti: ita taxantur Iudæi, quòd Scripturas vel non legerent vel oscitanter & sine intellectu legerent, nec attenderent ad prophetias, quibus abolitio Iudaici illius status, cui nimiùm tenaciter inhærebant, prædicta fuerat. Hanc itaque Christi Domini adhortationem sequuti plurimi Christianorum doctorum, desudarút in intelligendo illo Danielis & hoc Christi siue Euangelistæ Danielem citantis loco: ex variis autem illorum sententiis, duæ mihi videntur maximè probabiles, & quidem eæ quæ hunc locum ex Euangelio Lucæ interpretantur, ex quo illud omnino manifestum fit, quod de abominatione desolationis dicitur, non ad finem seculi, sed ad oppugnationé Ierusalem pertinere, doctore D. Augustino epistola 80. & lib. 2. de consensu Euang. cap. 77. Lucas enim huius loco *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, habet *Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem*. Vnius earum sententiarum quę mihi probantur primus auctor reperitur Origenes, & clariùs post eum Auctor imperfecti, qui *abominationem desolationis* intelligunt exercitum Romanorum obsidentium ciuitatem templumque Ierusalem, abominatos inquam Iudæis Gentiles, & desolandi causa eò adductos. Alterius auctor laudatur Alphonsus Tostatus, qui *abominationem desolationis* interpretatur exercitum sceleratissimorum illorum Iudæorum, qui se ipsi zelotas dixerunt, & ciuitatem templumque obsessa visi sunt defendere velle. Cæterùm ego neutram harum interpretationum credo per se sufficere, sed vtramque iungendam esse arbitror, vt perfecto sensu plena habeatur loci sententia. Romanus exercitus Ierusalem obsidens, verè fuit abominatio, non tam quia idololatris constabat (iam diu enim consueuerant Iudæi cum Romanis idololatris conuersari, adeoque eos armatos pro foribus templi adstantes ferre, ad compescendos si qui orirentur tumultus, lib. 20. Antiq. cap. 4.) quàm quia idola secum attulerat, si non in statuis (quod tamen est verisimile) minimùm in insignibus militaribus, quorum alia Iouis, alia Martis, alia Mineruæ, alia Lunæ, alia Cæsaris aut Aquilæ gerebant effigies: celebre est auté, idola, abominationum nomine in veteribus Scripturis significari (Deut. 4. v. 25. 26. & 27. v. 15. &c.) Romana præsidia, cùm inter Iudæos ante rebellionem agerent, minimè vsa fuisse militaribus insignibus in quibus essent huiusmodi effigies, idque præter morem suum, tantùm vt hoc indulgerent Iudæorum religioni, liquidò patet ex libri 18. Antiquitatum cap. 4. & 7. siue secundùm aliam editionem cap. 5. & 11. vbi de Pilato Iudææ & Vitellio Syriæ præsidibus agitur. At verò cùm iusto exercitu coacto, aduersus Iudæos iam rebelles & hostes, aduentarent Romani, quis dubitat eos secum attulisse familiaria signa, eaque Iudæis obsessis, vel irritationis causa, ostentasse? immo & idola aurea argenteáue in exercitu habuisse, quibus preces & subinde etiam sacrificium pro prospero victoriæ successu offerrent? Fuit igitur hic exercitus *abominatio*, & quidem *desolationis*, cùm à signo, quia desolationem minabatur, tum ab euentu,

euentu, quia desolationem secundò reuersus adduxit & templo & ciuitati, ad desolationem redegit Iudaicas res. Stetit autem hic exercitus in loco sancto, quando obsedit Ierusalem ciuitatem sanctam, adeoque ingressus interiores illius partes, sacrosanctum templum, quod aquilonaribus ciuitatis mœnibus adiacebat, primùm oppugnauit, eius alæ seu extremitati, id est, muris, inhærens, eosque suffodiens, quemadmodum mox dicetur. Romanorum exercitui opposuit se exercitus Iudæorum illorum, quos Iosephus seditiosos vocat, ipsi autem se zelotas nominarunt, *v.i bonarum professionum æmulos, cum pessimam facinorum immanitatem superassent, nullumq; non malitiæ genus æmularentur*, quod ait Iosephus lib.4. de bello cap.5. & lib.7. cap.28. Hi omnis generis sceleribus madidi, præsertim verò innocentium sanguine & crudelissimis cædibus, abominationis nomen & ipsi cumprimis merebantur, ab abominandis illis & execrandis facinoribus quæ assiduè perpetrabant. *Omne enim ius hominum ab his calcabatur, ridebatur etiam diuinitas, prophetarumq; responsis tamquam vulgaribus fabulis illudebant. Cum verò multa contempsissent de virtute ac vitiis statuta maiorum, ita agebant, velut cum patriis legibus etiam naturæ iura disturbare pepigissent.* Hæc aliaque de his Iosephus lib.5. de bello cap.2. & alibi. Execranda autem ac detestanda peccata, *abominationem* dici consueuisse, innumera diuinæ Scripturæ exempla testantur, nominatim Psalmus 5.v.7. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus*. Leuit.18.v.22. 26.29. Prouerb.3.v.32. Si igitur abominandi homines, cùm primùm Romanis rebellare cœpissent, templum arcis loco occuparunt & castrorum more muniuerunt, cùm aduersus Romanos, tum aduersus Iudæos contribules suos (lib.2. de bello cap.17.) cùm verò postea Romani ciuitatem ac templum obsiderent, tam duce Cestio quàm Tito duce, etiam in interiorem templi partem se receperunt (lib.2. cap.24.) nec illic existentes à cæde & sanguine ciuium aut sacerdotum aliisque sceleribus execrandis sibi temperarunt (exempla manifestissima sunt lib.5. de bello cap.1. & lib.6. cap.1. vbi *per atria diuina stagnum fecisse dicitur diuersorum cadauerum sanguis*) tamquam ipsis dictum fuisset, id quod Ezech.9.v.7., post commemoratas præcedenti capite plurimas abominationes à Iudæis in templo perpetratas, dicitur: *Contaminate domum, & implete atria interfectis*. Itaque manifestè hi declararunt in seipsis eam quæ prædicta fuerat *abominationem desolationis stantem in loco sancto*. Quis enim recti iudicij non ominaretur, reiici à Deo locum, eiusque desolationem instare, qui hactenus habitus ter sanctus, iam subiaceret huiusmodi prophanationi execrabiliũ hominum? Huc accedit quod scribit Iosephus lib.5. de bello cap.2: *Vetus quidam sermo ferebatur, tunc demum ciuitatem captum iri, sancta quoque flammis exurenda esse lege belli, cum seditio fuisset exorta, fanumq; Dei propria (Iudæorum) manus ante violassent. Quibus Zelotæ, nihil de eorum fide dubitantes, ministros se præbuerunt*. Hæc Iosephus. Nam quamuis non ampliùs locus ille Deo sanctus & gratus esset, quippe quem deseruerat à Filij sui morte: tamen quia talis hactenus fuerat à multis seculis, talisque etiamnum habebatur à plerisqueomnibus Iudæis, etiam ab illis ipsis zelotis qui illum prophanabant, nec erat adhuc palàm à Deo reprobatus (vide infrà v.20.) idcirco adhuc sanctus vocatur, sic tamen vt abominatio omnem illi sanctitatem sanctitatisque opinionem auferre significetur, & non solùm illud polluere prophanareque, verumetiam breui adducendam desolationem illi minitari, Romana oppugnando, Iudaica propugnando. Neque enim mirum videri debet, quòd nos duplicem abominationem hìc intelligamus, cùm Christus non nisi *abominationem* singulari numero dixerit: nam, præterquam quòd propheta hebraicè vtatur numero plurali *abominationum*, & Lucas Euangelista græcè numero plurali *exercituum*, rectè potest numero singulari duplex intelligi abominatio, vbi vna sine altera mente concipi non potest. Non enim concipi potest exercitus oppugnans, nisi concipiatur & propugnans: quemadmodum agente nominato intelligitur & patiens, & è diuerso patiente nominato agens. Itaque *cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto*, id est, cùm aut quàm primùm videritis ciuitatem & templum hoc ab abominando exercitu foris obsideri & oppugnari, nec à minùs abominando exercitu intus occupari & defendi, vno ob idola, altero ob scelera palàm abominando, vtroque nihil nisi loci desolationem minitante, illo superba sua animositate, hoc funestis suis agendi modis, *Tunc qui in Iudæa sunt fugiant*, &c. Addidimus explicationis causa *cùm primum videritis* aut *simulatq; videritis*: quia nõ tantùm à Christo hìc datur signum euersionis templi ciuitatisque, verùm etiam signum opportunæ fugæ, tum ex Ierosolymis, tum ex Iudæa, quemadmodum sequitur proximis versibus. Intelligenda est igitur hìc ea ciuitatis obsidio, quam non præcesserit Iudææ vastatio, & quæ fugæ locum reliquerit, quippe breui soluta. Huiusmodi autem fuit obsidio ea quam ciuitas primùm passa est à Cestio Gallo Syriæ Præside, qui cùm intellexisset, Romanum præsidium Ierosolymis à Iudæis rebellantibus interfectum esse, coacto exercitu plurium milium equitum & peditum, magna clade Iudæos hìc illic affecit, eorumque oppida quantũ licuit deuastauit, & inter alia Ioppen captam incendit, occisis in ea Iudæis octies mille quadringentis, demum Ierosolymam pergens cepit exteriores eius partes: cumque seditiosi, hoc est, zelotæ, in partem templi interiorem refugissent, Cestius à septemtrionali tractu templum aggreditur, quod milites quidem strenuè oppugnabant, mœnia suffodiẽtes & templi portas incendere molientes, ita vt seditiosos ipsos stupor inuaderet: sed Cestius repẽte milite reuocato, sine vlla spei repulsa, ciuitatis obsidionem inconsultè soluit, nec sine turpi ac damnosa fuga discessit. hæc omnia Iosephus lib.2. de bello, à cap.18. vsque ad 25. Hanc igitur obsidionem simulatq; vidissent, præmonuit Christus suos, tempus esse aufugiendi, tum ex Ierosolymis, tũ ex regione Iudęa, tacitè prędicens, hanc quidem obsidionem breui soluendam, aliam verò deinde subsequuturam, quæ soluenda non esset, donec templum ciuitatemque desolasset ac funditus deleuisset, vniuersa priùs Iudæa vastata. Nero enim Imperator, mox vt accepit res Romanorum apud Iudæam duce Cestio non prosperè gestas, misit Vespasianum ducem, qui Iudæos rebellantes vlcisceretur & subigeret. Vespasianus autem protinus ex Achaia, vbi cum Nerone fuerat, Titum quidem filium suum mittit Alexandriam, vt inde quintam itemque decimam legiones moueret: ipse verò transmissus ad Hellespontum, terreno itinere in Syriam peruênit, ibique Romanas vires multaq; à vicinis regibus auxilia congregauit (lib.3. de bello cap.1.) Et primum quidem Galilæam eiusque munitissimas omnes ciuitates debellauit, deinde & Samariam ac regionem Trans amnem, ad hæc Iudæam omnem, ita vt nihil aliud subigendum restaret, præter Ierusalem metropolim, in quam cùm pararet cum omnibus copiis proficisci, accepit nuncium de Nerone Imperatore peremto. Itaque expeditionem in Ierosolymam differens, pauloque pòst ipse Imperator declaratus, Romam abiit, Tito filio cum selectis copiis ad expugnandam Ierosolymam relicto (Iosephus libris 3.4. & 5. de bello. Titus verò, primo anno imperij paterni, die decimoquarto mensis

 Aprilis,

Aprilis, qui primus erat Azymorum, ciuitatem hominibus qui ad paschalem solemnitatem vndique confluxerant refertam præter opinionem arctissimè obsessam (perasse enim videntur, Vespasianum & Titum, de stabiliendo Imperio solicitos, hoc saltem anno ab Ierosolymorum obsidione cessaturos) mensis Septembris die octauo integram occupauit, inflammauit, exstirpauit, templo primùm omnium expugnato & inceso (libris 6. & 7. de bello) Primam itaque illam Cestij obsidionem, Christus suis dedit signi loco, quod cùm vidissent, scirent Ierusalem vniuersam que Iudæam Romano exercitu redeunte, breuì pòst desolandam & excidendam, sibique opportunè fugiendum esse, si consultum saluti suæ vellent. Quo signo Christianos, & inter cæteros Simeonem, post Iacobum fratrem Domini Ierosolymitanum Episcopum (quem constat ad tempora vsque Traiani fuisse superstitem) vsos, ciuitate Ierosolymorum & Iudæorum regione migrasse, & trans fluuium, cùm in alia oppida regni Agrippæ qui Romanis constanter adhæserat, tum maximè in Pellam secessisse (quod narrat Epiphanius hæresi 29. & 30., & Eusebius lib. 3. Ecclesiasticæ historiæ cap. 5., haud dubium est (quamquam nouo etiam responso à Deo accepto admonitos tunc fuisse Eusebius referat) nam & Iosephus lib. 2. de bello cap. 25., *Post Cestij*, inquit, *casus aduersos, nobilium Iudæorum multi, tamquam è naui pessum itura, ex ciuitate enatabant*. Et hi quidem moti fuisse videntur, partim oraculo illo superiori ex Iosepho citato, partim desperatione veniæ à Romanis impetrandę: Christiani verò, tum his, tum magis longa Christi Domini prædictione, &, cùm tempus ipsum adesset, singulari etiam Dei monitu. Nam sicut olim, ne innocens Loth periret cum Sodomitis, Deus maximè cauit: ita ne innocentissimi Christiani, & qui iam antea bonorum direptionem, cæteraque quæ Paulus ad Hebræos commemorat, à contribulibus suis passi fuerant, Euangelij causa, scelestissimorum suppliciis inuoluerentur, multis modis eos præmonuit, & futurorum omnium certiores fecit.

Mar.13. v.14. Luc.21. v.21.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant [16] ad montes: | τότε οἱ ἐν τῇ ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη·

TVNC. hactenus pendens sententia hìc absoluitur: parenthesim enim facit hæc exhortatio *qui legit intelligat*. *Cum videritis* &c. *tunc fugiant qui*, &c. Signo dato, subnecit, diras & horrendas calamitates toti Iudææ instare, vt nihil optabilius sit quàm procul inde subduci. IN IVDÆA. in terra Israel. non solùm in Ierusalem, sed & in cæteris ciuitatibus, oppidis, & pagis, terræ Israeliticæ. Accipitur hìc *Iudæa* generaliter, vt non solùm sortem tribus Iuda, sed & Galilæam cæterasque Israelitarum regiones complectatur. Primum omnium enim Galilæam Vespasianus debellauit, deinde & cæteras Iudæorũ rebelles prouincias antequam accessit ad obsidendum Ierusalem, vt mox dictum est. Quare illi qui primi omnium atq; frequentiùs Christi Iesu prædicationem audierant, nec tot tantisque visis miraculis crediderant, ante omnes diuino pariter ac recto iudicio, Romanis vlciscentibus, perfidiæ & impietatis dedere pœnas. SVNT. suppleuit Interpres pro *erunt* aut *fuerint*. *Sunt* autem ex vobis discipulis seu fidelibus meis. Apostolis hæc dicuntur, vt postea horum admoneant credentes. Admonentur enim discipuli, non verò increduli, qui contrà potiùs, Deo agente, in ciuitates coacti sunt vt perirent. FVGIANT. Quemadmodum superiùs, ita & hìc monet, quomodo sui se gerere debeant in malis & quid facere, ne & ipsos comprehendat calamitas; fugere inquam, & se subducere, mox vt viderit signum datum. AD MONTES. relictis ciuitatibus. Prædicit, Ierusalem & reliquas ciuitates Israel plerasque omnes, minimè tutas fore, vt certè omnes à Romanis obsessæ, expugnatæ & vastatæ fuerunt, paucis quibusdam exceptis, quæ se vltrò dediderunt, vt Sepphoris, de qua lib. 3. de bello cap. 1. & 3. Non verò intelligit Christus *montes* Iudææ, nam & illi à Romanis expugnati fuere, quod nominatim de Itaburio seu Thabor monte in Galilæa, & de monte Garizin in Samaria, narrat Iosephus lib. 3. de bello cap. 12 & lib 4. cap. 2.: sed ex vulgari fugientium consuetudine, qui ad montes, vt loca inuia atq; inaccessa se recipere solent, loquens Christus, per *montes* intelligit loca tuta; simul alludens ad illud Angeli præceptum ipsi Loth datum Gen. 19. v. 17: *Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circà regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas*. Loca autem maximè tuta fuerunt, longissimè à Iudæa distantia, vicina deinde quæ quidem Romanis confœderata fuerunt, vt pleræque regni Agrippæ ciuitatis: quædam enim rebellarunt, tum ipsi Agrippæ, tum Romanis, vt Tiberias, Tarichæa, Gamala. lib. 3. de bello cap. 16. 17. & lib 4. cap 1. huic Christi præcepto parentes Christiani Ierosolymitæ, fugerunt in Pellam, oppidum regni Agrippæ, quemadmodum dictum est superiori versu. Inimici Christi contrà, vel non fugerunt, vel in ciuitates fugerunt, quemadmodum Iosephus lib. 3. de bello cap. 4. testatur de Galilæis, quos tandem etiam in Ierosolymam fugisse, qui quidem superstites remanserant, scribit lib. 4. cap. 2. & 4. Adeoque qui in exteris regionibus degebant Iudæos, maximo tunc numero Ierosolymam conuenisse, refert lib. 7. cap. 17. Non enim seruari hos voluit Deus: sed ciuitatibus tamquam carceribus conclusos, ad mactandum paratos habere, prout breuì pòst mactauit.

Mar.13. v.15. Luc.17. v.31.

& qui in tecto, non descendat [17] tollere aliquid de domo sua: | ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος, μὴ καταβαινέτω ἆραι τὰ ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ·

ET qui ex vobis IN TECTO. ἐπὶ τοῦ δώματος *super tectum* (sic vertit secundùm Marcum) domus suæ fuerit, tunc cùm viderit abominationem desolationis stantem in loco sancto (solent enim Iudææ regionis incolæ in planis ædium suarum tectis versari, & negotia obire. TOLLERE. vt tollat. ALIQVID DE DOMO SVA. τὰ ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ ea quæ sunt ex domo sua, id est, ea quæ habet inferiùs domi. Alij libri pro τὰ legunt τί *aliquid*, cum Latino Interprete. Syrus ambiguè scribit *quod vel quæ in domo sua*. Non descendat vt pecuniam aut quiduis aliud, ad fugam, aut ad vitam in exteris regionibus traducendam, necessarium accipiat, multo minùs vt componat & secum auferat res suas ne dum sua seruare cupit, incidat in periculum ineuitabile, seque ipsum perdat, sed tantùm vt fugiat. Figurata & hyperbolica est ista loquutio (quales sunt Hebræis frequentes) qua nihil aliud quàm magna festinatio & ocissima fuga, seu, vti D. Augustinus

stinus circa medium epistolę 80. loquitur, *festinatio fugæ* suadetur. Cùm enim à Cestij obsidione vsque ad aduentum Vespasiani in Galilæam, spacium circiter sex mensium; & ad Ierosolymorum vsque obsidionem, trium annorū cum dimidio spacium, inter medium fuerit: credibile est, iis qui rebus suis maturè consuluerunt, suppetisse temporis aliquid, vt secum auferrent quæ ad fugam ineundam & vitam alibi agendam forent opportuna. nam non Christianos ipsos solùm Ierusalem egressos fuisse, sed & supellectilia Ierosolymitanæ Ecclesiæ ab ipsis exportata & in tuto collocata fuisse, monstrat quod Eusebius testatur de Iacobi cathedra ad suam vsque ætatem integra seruata lib. 7. hist. Eccles. cap. 15. Si enim ea Ierosolymis mansisset, vtique cum tota ciuitate incēdio periisset. Cæterùm paruum fuisse illud ad fugam opportunum spacium temporis, quamquam quibusdam maius quàm aliis (vt non vno in omnes die mala ingruerunt, facilè ex eo intelligitur, quod sexto circiter à Cestij obsidione mense (id enim Iosephus dat intelligendum) vt vix Vespasianus & Titus aduenerāt, *mox ignis & sanguis Galilæam totam repleuerit, nec quisquam expers eius acerbitatis aut cladis fuerit*, quod idem Iosephus ait lib. 3. de bello cap. 3. subdens: *Vnam salutis spem fugientes habebant in ciuitatibus, quas murorum ambitu Iosephus communierat*. Verùm ciuitates illas, vnam post aliam, vt Romani mox obsederunt & facilè expugnarunt, omnibus interfectis, ita prospera vsi victoria non cessarūt, donec & reliquas omnes Iudæorum prouincias subegissent. Interea autem dum hæc agerentur, prętertim verò iam subacta Galilæa, Ierosolymitæ non quietè egerunt, sed seditionibus cædibusque sese mutuo confecerunt, ciuitate sic zelotarum arctata custodiis, vt nulli facultas esset effugiendi, nisi qui pecunia custodibus data eam redemisset, id quod certè non erat pauperum Christianorum, qui, iamdiu *rapinam bonorū passi*, eleemosynis gentium alebantur) legatur idem à libri quarti capite quinto vsque ad libri quinti caput tertium. Omnibus verò Iudęorum prouinciis præter vnam Ierosolymam subactis, cùm Romani, acceptis nunciis de Neronis & subsequentium Imperatorum morte, ipsoque tandem Vespasiano à suis militibus Imperatore designato, de patria & imperio soliciti, Iudæorum militiam negligerent, & ab oppugnandis illis abstinerent toto facile sesquianno, ipsi inter se Iudæi funestissima bella gesserunt, exorto nouæ conspirationis principe Simone Geraseno, qui primùm quidem Ierusalem ipsam obsedit semel atque iterum, *ita vt qui Iohannem Zelotarum principem fugisset, exciperet sæuior in cædibus Simon, quiq́; intra statium eius esset tyrannum, ab eo qui prope erat occideretur*: postea autem à populo spe auxilij aduersus zelotas accipiendi intromissus, nihilo minorem reliquis exercuit tyrannidem. *Quocirca grauis metus ac terror (ed primus (* ait ille lib. 6. cap. 1. *) populum occupauerat, & neque consilij capiendi tempus erat, vt voluntatem mutarent, neque pactionum aut fugæ spes cupientibus. Etenim custodiebantur omnia, dissidentesq́; latronum principes, quoscumque Romanis pacatos esse, vel transfugere ad eos velle sentirent, quasi communes hostes interficiebant, solumq́; in occidendis vita dignis concordes erant*. Hic status fuit Ierosolymorum, donec Titus venit ad obsidendum vrbem. Legatur idem à lib. 5. cap. 6. vsque ad lib. 6. cap. 2. Tito autem iam vrbem obsidente, quàm nulla patuerit, aut certè non nisi interdum clancularia eaque periculosissima fuga, ex eodem deinceps Auctore licet intelligere. Galilææ igitur habitatoribus, à soluta Cestij obsidione, minus temporis spacium; Ierosolymæ verò, circiter biennium (quantum conicere licet) suppetiit ad fugam non incommodum: sed quia facilè elabuntur menses, immo annus vnus atque alter, iis qui inuiti patriam deserunt, aut sic fugere cogitant vt res suas secum auferant: idcirco Christus, tamquam minimum temporis aut hora vna sola ad fugam suppetitura esset, monet, relictis omnibus quæ vel minimum moræ adferre possent, quàm ocissimè fugere, omniaque fugæ maturitati postponere; Duo quædam insinuans, vnum, mala summa fore, quæ qui inciderit, optarit euadere cum iactura omnium facultatum bonorumque suorum, ac nudum effugere posse, & beatum se iudicaturus sit qui cæteris perditis vitam seruauerit: alterum, mala ita fore repentina ac subitanea, vt mora exitium plerisque sit allatura, qui res suas secum ferre, aut necessaria negotia ante fugam expedire volent. In maxima & calamitosissima rerum trepidatione, minimè curari debet supellex domestica, impedimento potiùs quàm adiumento ad salutem futura: sic enim Loth nihil aut minimum secum abstulit, vt expeditissimus fugeret è Sodomis. Hanc eandem parabolam accommodat Iesus eis qui victuri sunt instante mundi excidio, vt rebus aliis omnibus spretis, celerrimè se conuertant ad Dominum, Luc. 17. cap. 31.: quemadmodum & totum hunc Matthæi locum multi veterum de mundi consummatione interpretantur, quia, quod notat Auctor imperfecti, *quæ corporaliter dicuntur de excidio Ierusalem, spiritaliter intelligi possunt de excidio mundi*, cuius figura, imago, & quasi præludium fuit excidium Ierusalem, vt & Cataclysmus, Sodomiticum incendium, submersio Ægyptorum, & cæteræ quæ veteribus historiis narrantur clades.

καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ, μὴ ἐπιστρεψάτω [18] ὀπίσω ἆραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ.	& qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.

Mar. 13. v. 16. Luc. 17. v. 31.

IN AGRO foris tunc fuerit, siue colendi agri, siue ambulandi in agris causa. NON REVERTATVR, in ciuitatem aut locum vnde egressus fuerit, quicumque ille sit in Iudęa. Additur græcè & syriacè *ὀπίσω retro* (quod constanter etiam à Latinis secundùm Marcum legitur) est autē quasi dicas, Ne reuertatur vnde egressus fuerit, hebraico loquendi modo: nam qui redit vnde egressus est, respicit retroque se vertit. Fieri autem potest Saluatorem alludere ad illud Angeli ad Loth, Gen. 19. v. 17: *Noli respicere post tergum*, siue *retro*.
TOLLERE. vt accipiat secumque auferat. TVNICAM SVAM. In quibusdam græcis libris est *τὰ ἱμάτια αὐτοῦ vestimenta sua*, aut alias scilicet res, quibus opus habere possit, vt commodè agat in exteris regionibus. Interpres, vt Regius codex, legit singulare, *τὸ ἱμάτιον*, & *tunicam* vertit, cùm potiùs *pallium* congruere videatur, quod seruit fugientibus & itinerantibus aduersus aëris iniuriam (vix enim exit quis foras in agrum absque tunica) vel *vestimentum*, quemadmodum vertit secundùm Marcum. Subaudi, sed vt est in agro nudus, rectà inde fugam ineat ad montes aut extra Iudæam. Hyperbole est qualis versu superiore, idemque significatur vtraque, extrema scilicet imminere nec procul abesse mala, quæ nemo non velit se vel nudum effugisse, cum detrimento rerum omnium, etiam earum quibus maximè opus habet, ideoque non esse nectendas moras.

Mar.13. v.17. Luc.21. v.23.

Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. [19]

οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, καὶ ταῖς θηλαζούσαις, ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.

VÆ. quia extrema mala Iudæam manentia illas occupabunt absque spe fugæ & salutis. PRÆGNANTIBVS. quia onere ventris graues fugere nō poterunt. NVTRIENTIBVS. θηλαζούσαις *mammantibus* legit D. Augustinus in Psal. 39. (vox enim est formata à θηλὴ *mamma*) id est, lactantibus. quia sine infantulis suis non volent fugere, naturæ vinculo retentæ (non enim sic facilè est liberos relinquere, vt vestimenta cæteramque supellectilem domesticam) cum infantulis suis non poterunt fugere, sarcina prægrauatæ. *itaque cùm nequibunt simul & se & lactentes conseruare, vnà deperibunt*, inquit Chrysostomus. Coniicit Theophylactus prædici hîc fortassis illud etiam, quòd mulieres in his malis comesturæ essent puerulos suos, cuius rei exemplum habet Iosephus lib. 7. de bello cap. 8. Porrò & hoc longè antè prædixerat Moses euenturum, inter cæteras maledictiones, Israelitis Deo rebellibus. Deut. 28. v. 53. & sequentibus. IN ILLIS DIEBVS qui sequentur primam illam consistentiam abominationis desolatricis in loco sancto. Sed quare potiùs dicit *væ prægnantibus & nutrientibus*, quàm decrepitis & ægrotis, qui magis etiam impediri solent à fuga? primùm quia beatæ haberi solent & benedictæ mulieres fœcundæ, vt contrà steriles maledictæ: deinde quia in deliciis istæ & securæ solent agere, & in moderato bello his parci consueuit, tum propter sexum, tum propter fœtum. Prædicit igitur nec prægnantes aut lactantes à malis immunes fore, immo fœcunditatem, quæ solet benedictionis haberi loco, ipsis allaturam perniciem, quia præpediet fugam, vnicam salutis anchoram.

Mar.13. v.18.

Orate autem vt non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato. [20]

προσεύχεσθε δὲ ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος μηδὲ ἐν σαββάτῳ.

ORATE Deum. Impedimenta temporum oratione tollenda docet: Dei enim est tempora disponere, nec est humanæ potestatis illa moderari, quemadmodum est res domesticas relinquere. NON FIAT FVGA VESTRA. non occurrat vobis fugiendi necessitas. HIEME VEL SABBATO, id est, tempore incommodo, quo non liceat procul & expeditè fugere. Hiems enim, ob temporis importunitatem, sabbatum ob religiosam consuetudinem, fugam impedire & retardare poterant. Hieme viæ sunt difficiles, propter niues & pluuias & lutum, dies sunt breues, nocturnæ sub dio in montibus aut desertis mansiones intolerabiles, propter frigora & procellas. Itaque incommodissima est hiems iis quibus velociùs & longiùs fugiendum est, vt istis erat velociter extra Iudæam fugiendum. Sabbato verò solet vnusquisque fluidioribus & pretiosioribus vestibus indui, quæ itineri impedimento sint, si subitò ingrueret fugiendi necessitas. Sabbato præterea Iudæis præscriptum erat certum viæ spacium, non perinde longum, quod vltra progredi lege prohiberentur (Act. 1. v. 12.) Etiam sabbatum itaque contrarium erat iis quibus subitò procul fugiendum esset. Cæterùm non vult Christus suos docere, vt sabbatum posthac obseruent, multoque minùs vt existiment se ea sabbati religione obstringi, quæ non permittat procul fugere, etiam vitæ necessitate vrgente: sed loquitur iuxta opinionem, qua iam imbuti erant, cum cæteris omnibus Iudæis, Apostoli ipsius, fortè etiam accommodans se infirmitati discipulorum suorum Iudæorum, Iudæam habitantium, quos præsciebat ceremonias non priùs facilè relicturos, quàm templum illud subuersum esset: id quod ita fuisse, partim cōstat ex Actis cap 21. v. 20. & deinceps, partim ex Epiphanio hæresi 29. & 30., docente hæresin Nazaræorum & Iudaizantium, ortam fuisse post euersionem Ierusalem, inter Christianos habitantes Pellam & Berrhœam, qui ex Ierusalem reliquaque Iudæa eò refugerant instante desolatione. Hinc enim intelligitur, Iudaizantes non priùs pro hæreticis fuisse habitos, quàm templum Iudaicum euersum esset. Sermonem itaque accommodat Christus opinioni discipulorum suorum: cæterùm nihil aliud vult, quàm vt orent Deum, ne quid occurrere permittat quo impediantur fugere futuram tribulationem; ne impedimento aliquo detineantur siue tempestatis siue religionis, aut animo fluctuante turbentur, ne expeditè fugiant. Perseuerat autem in eo loquendi modo, quasi minimum temporis ad fugam suppetiturum sit à visa abominatione, hora scilicet vna aut maximùm dies, vt summam maturè fugiendi curam incutiat animis discipulorum suorum, prænūcians, si fuerint tardiores, impedimenta obiici posse, quibus à fuga impediti malis inuoluantur.

Mar.13. v.19. Luc.21. v.23.

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. [21]

ἔσται γὰρ τότε θλῖψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν, οὐδ' οὐ μὴ γένηται.

ERIT in Ierusalem & vniuersa Iudæa, idque certo certiùs. ENIM. Reddit rationem quare tam solicitè fugiendum consulat, & quare miseros atque infelices prædicat fore qui fugere prohibebuntur. TVNC. breuì postquam abominatio desolationis primùm apparuerit in loco sancto. TRIBVLATIO MAGNA. Quasdam huius tribulationis species particulatim recenset Lucas, dicens: *Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes.* AB INITIO. ἀπ' ἀρχῆς à principio MVNDI creati VSQVE MODÒ. ἕως τοῦ νῦν *vsque nunc*, vsque ad hoc tempus. Nec in Sodomorum conflagratione, nec in Ægyptiaca seruitute, nec in captiuitate Babylonica, nec in Antiochi persecutione, nec aliàs. NEQVE FIET. οὐδ' οὐ μὴ γένηται. Triplex negatio fortissimè negans, quasi diceres latinè *neque omnino erit aliquādo.* Hoc quidam, sequuti D. Augustinum epistola 80., restringunt ad tribulationes populi Iudæorum, quasi dicatur, populum Iudaicum numquam passum, nec vmquam passurum, tam magnam tribulationem. Atqui credo cum aliis, absolutè veram esse Christi sententiam, intellectam de particularibus gentium ac regionum tribulationibus: nam vniuersale hominum totius mundi excidium, quale fuit tempore Noë, & erit mundo finiente, cùm omnes com-

complectatur alijs non confertur) nullam vmquam regionem, nullam gentem, passam fuisse aut passuram, tantam tribulationem, cladem, & calamitatem, quantam gens & regio Iudæorum, posteaquàm abominatio primùm stare cœperit in loco sancto. Id omnino fatebitur qui legerit historiam Iosephi de bello Iudaico, ab initio tertij libri vsque ad finem septimi: nec considerauerit solùm mala ea quæ Ierosolymis (quamuis omnium maxima) sed & quæ in Galilæa ac reliqua Iudæa, ante & post Ierosolymorum expugnationem, Iudæis, tum à Romanis hostibus, tum à gentilibus suis acciderint. Quare Iosephus ipse libri 6. de bello cap. 11: *Vt autem breuiter dicam*, inquit, *neque aliam ciuitatem vmquam talia perpessam puto* (loquitur de Ierosolymis) *neque vllam nationem post hominum memoriam seditiosis malitia ferociorem fuisse*. Et lib. 7. cap. 17: *Superat omnem humanam & diuinitus emissam pestem, numerus peremtorum, quos partim palam occidêre, partim cepêre Romani*. Antichristi persequutio, non erit tribulatio diuinæ vindictæ: nec erit gentis alicuius, quod verisimile est. sed nobiliorum ex omnibus gentibus Christianorum afflictio; grauior quidem, talis tamen qualis fuit Neronis, Diocletiani, Maximiani, ceterorumque olim tyrannorum. Quærunt hîc D. Chrysostomus eiusque discipuli, quare Iudæi tribulatione omnium maxima affecti fuerint: recteque respondent, quia peccatum omnium maximum admiserint, parricidium Christi Filij Dei, coniunctum cum pertinacissima illius repulsa. Nullis enim verbis exprimi potest sceleris illius indignitas, quòd Filium Dei vitæ auctorem cælitus sibi oblatum, ad mortem rapuerint: quod nefandissimum sacrilegium, tot etiam scelestæ contumaciæ & ingratitudinis circumstantiis implicitum, vt præ omnibus ætatum omnium peccatis maximè detestabile fuit, sic etiam æquum fuit illius vindictæ atrocitate alia omnia superari. In quam sententiam Auctor operis imperfecti his ferè verbis: *Vsque ad Christum*, inquit, *Iudæi, etsi peccatores, vt filij sunt habiti, & vt filij castigati: Crucifixo Domino, desierunt esse filij, & facti sunt hostes, & vt tales eradicati absque vlla salutis spe reliqua. Sicut enim illi tale facinus commiserunt, quale numquam commissum est, nec est committendum: sic & super illos talis sententia vênit, qualis numquam vênit nec veniet.*

καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι.	22 Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.	Mar. 13. v. 20.

BREVIATI FVISSENT. ἐκολοβώθησαν decurtati, diminuti, contracti essent. supple ex Marco *à Domino*; idque non re ipsa (sermo est enim de re futura) sed æterno Domini Dei decreto. DIES ILLI. tempus illud, summæ scilicet illius tribulationis. Nisi Deus decreuisset illud afflictionis tempus abbreuiare, id est, breuius reddere quàm Iudæorum culpa merebitur & diuinæ iustitiæ seueritas exiget. *Hic ostendit*, inquit Chrysostomus, *grauioribus illos suppliciis dignos: dies autem nunc, tempus belli atque obsidionis illius significant.*

NON FIERET SALVA OMNIS CARO. Nulla caro salua fieret siue seruaretur, à morte scilicet. Duplex hebraismus, vnus, *non omnis* pro *nulla* (qualis Psalmo 118. v. 133. & Psal. 142. v. 2.) alter, *caro* pro homine. Nullus, inquit, è Iudæis mortem euaderet (*omnem enim carnem, modo Iudaicam appellauit*, ait Chrysostomus) nec seruarentur ex eis vllæ reliquiæ, sed perirent ad vnum omnes, totaque gens funditus exstirparetur. Nisi malis Deus finem breuiorem statuisset imponere, radicitus perituri essent Iudæi, ita vt ne vnus quidem residuus maneret. In quem sensum scribit Chrysostomus: *Tale est quod dicitur: Si diutius Romanorum in Ierosolyma bellum durauerit, nemo Iudæorum omnino euadet. Sic autem dixit, vt tam præsentes quàm absentes his verbis includeret. Non enim qui in Iudæa fuerunt solum impugnabantur: sed vbique dispersos Iudæos mirabili odio & inaudita indignatione Romani pellebant, persequebantur, trucidabant.* Ita Chrysostomus. Intelligendum est igitur, quòd si diuturnior fuisset illa tribulatio, fuisset autem diuturnior si Romani diutiùs laborare coacti fuissent vt superiores fierent, omnes penitus Iudæi periissent quos Iudaica terra continebat, quinetiam futurum fuisset, vt Romani tædio victi & odio pertinacissimæ gentis exagitati, Iudæos omnes per vniuersum terrarum orbem dispersos, vna die horaque, signo dato iussissent interfici: quod eo fuisset facilius, quo magis illi omnium gentium odia sibi contraxerant. SED. Cladium atrocitatem ita amplificat, vt admisceat consolationem, quòd scilicet illis extingui posset Iudaicum nomen, nisi Dominus electos suos respiceret, atque in illorum gratiam aliquid leuationis adferret. Non parua enim consolatio est piis, quòd numquam Deus ita frænum laxet iræ suæ, quin saluti consulat electorum suorum. PROPTER ELECTOS. propter eos quos ab æterno Deus ad æternam beatitudinem elegit (vide suprà 20. v. 16.) ex numero scilicet eorum Iudæorum qui tunc viuent aut ex viuentibus sunt nasciturі. *Nam*, quod ait D. Augustinus epistola 80., *non debemus ambigere, illo Iudaicæ calamitatis tempore, fuisse in populo illo electos Dei, quorum alij iam in Christum crediderant, alij credituri fuerant* aut producturi qui credituri essent, alij Ierosolymis aut in Iudæa remanserant, alij iuxta diuina monita maturè fugerãt, aut alioqui extra Iudæam per orbem terrarum dispersi agebant, quidam etiam Christi Euangelium annunciabant. *Propter electos* autem, id est, vt electi seruentur salute æterna, ne electi vnà cum reprobis pereant, antequam nati sint, aut antequam ad æternam beatitudinem accipiendam per fidem in Christum aliaque necessaria sint parati. Potuerunt in ea tribulatione & electi quidam fuisse mortui: verùm non alij quàm qui fide, spe, & charitate instructi iam re ipsa digni essent vita æterna. Atqui, non solùm electi seruati fuere, sed & reprobi ac desperati multi. Rectè, non enim suffecit Deo electos seruare solos, quod facilè potuisset, sed propter eos seruauit etiam alios multos, ita vt multis aliis bene fuerit propter electos. Seruauit Deus gentis partem, vt inde electos suos, qui permixti erant, quasi semen excussa palea, educeret. Quamquam ergo reprobis simul & electis temporalis contigerit salus, quia tamen illa non profuit reprobis ad æternam vitam, meritò solis electis adscribitur, sicut mira Dei prouidentia in eorum gratiam directa fuit. *Igitur ne dicant Iudæi*, inquit Chrysostomus, *mala hæc propter prædicationem & adorationem Christi sibi accidisse, non solùm non fuisse causam malorum fideles ostendit, verumetiam nisi fideles fuissent, interemtione vniuersos necandos fuisse asserit. Nam si dilatio belli permissione diuina facta fuisset, nullæ Iudæorum exstarent reliquiæ: sed ne cum infidelibus Iudæis fideles interimerentur, citius ei bello finem imposuit.* Iniuriâ ergo queruntur frequenter hoc in mundo impij, quòd piorum Deumque timentium causa accidant ipsis aduersa: cùm contrà testetur Dominus, quòd propter illos Deus vltio-

vltionem ab impiis meritam temperet,& suæ impetum iræ cohibeat. Magnus patriæ murus, vir iustus.

BREVIABVNTVR DIES ILLI. id est, breuiabitur tempus illud tribulationis, celerior imponetur illi tribulationi finis. Diuturniorem merebitur huius tribulationis acerbitatem impietas reproborum: sed electorum causa decurtab tur seu abbreuiabitur. *Breuiabuntur* autem re ipsa, qui æterno decreto olim breuiati sunt, idque à Deo Patre meo, qui, sua pro benignitate, cruenta illa bella tempestiuè dissoluet sæuisque prælijs & pugnis maturè finem imponet, nimirum efficiens vt Romani citiùs euadant superiores quàm suis ac naturæ viribus euasissent. Nam vt taceam de Galilæa reliquaque Iudæa, munitissima vrbibus regione, quam numquam vno & dimidio anno subegissent Romani, nisi miris modis ipsis fauisset Deus; in Ierosolyma metropoli expugnanda, multos annos frustrà consumsissent, quam quinque mensium tempore obtinuerunt, nisi excæcasset zelotas cæterosque seditiosos Deus, vt propria ciuitatis frumenta, quæ non paucis annis sufficere potuissent obsessis, exurerēt (lib. 6. de bello cap. 1.) & timorē eis incussisset, vt inexpugnabiles munitiones temerè desererent. Hinc Iosephus frequentissimè adscribit manifesto Dei auxilio prosperos Romanorum aduersus Iudæos successus, & nominatim lib. 3. cap. 11: *Profecto*, inquit, *Deus Galilæorum clades Romanis donabat.* & lib. 7 cap. 16: *Intro*, inquit (in superiorem ciuitatem Sion) *Titus ingressus, & alia, & ciuitatis munitiones ac turrium cautes miratus est, quas tyranni per dementiam deseruerant. Conspecta quidem earum solida altitudine, itemque magnitudine, subtilique lapidum compagine singulorum, quantumque paterent vel quantum erigerentur, Deo, inquit, plane adiuuante pugnauimus, & Deus erat qui detraxit ab istis munitionibus Iudæos. Nam quæ hominum manus, aut quæ machinæ, ad istas valerent?* Hæc ille. Quare Titus, oblatam sibi à finitimis gentibus auream coronam respuens, *tali se honore indignum esse respondit: non enim se tali um operum auctorem fuisse, sed Deo iracundiam contra Iudæos demonstranti manus suas præbuisse.* id quod ex Philostrato refert Baronius anno Domini 72. Hoc igitur modo breuiauit Deus tempus summæ illis Iudæorum afflictionis: qua temporis breuitate seu paucitate dierum factum est, quod Iosephus scribit lib. 7. de bello cap. 15., *vt Ierosolymis captis, infinita multitudo venierit, ex populo autem seruati sint plusquam quadraginta millia.* quo ex numero aliquos fuisse electos aut electorum maiores, non est dubitandum.

Mar. 13. v. 21. Luc. 17. v. 23.

Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hîc Christus aut illic, nolite credere.	23	τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, ἰδοὺ ὧδε ὁ χριστός, ἢ ὧδε, μὴ πιστεύσητε.

TVNC. in illis summæ tribulationis diebus. Pergit explicare pericula temporis illius quo Ierusalem cum Iudæa vniuersa vastabitur. Hæc enim sententia, quam primam ex tribus B. Hieronymus memorat, nobis probatur, vt scilicet & locus hic intelligatur de tempore belli Romani aduersus Iudæos: quamquam alij plerique omnes transitum hic fieri intelligant à tempore excidij Ierosolymitani ad tempus medium inter Ierosolymæ & mundi excidium. Cæterùm non negamus, quæ hîc dicuntur, locum habere, non minùs hoc tempore medio quàm illo, sed arbitramur de illo, Ierosolymitano inquam, hîc propriè esse sermonem.

SI QVIS. In rerum confusione præsto plerumque sunt impostores, quia, quod Iosephus ait lib. 7. de bello cap. 11., *cito in aduersis homini persuadetur. Quòd si etiam malorum instantium liberationē polliceatur qui fallit, necessitatis qui ea patitur spei totus efficitur. Sicut enim ægrotus* (ait Auctor Imperfecti) *in doloribus positus, omni homini ostendenti sibi aliquid ad remedium facile credit,* &c. Quia ergo ab hac tentatione maius instabat periculum, quàm à quauis alia, ne miseri in rebus afflictis ac desperatis fallaci salutis titulo decipi se paterentur, iterum repetit quod suprà v. 5. de pseudochristis dixerat: quamquam suprà loquutus est de tempore præcessuro Iudaicum bellum, hîc de ipso belli tempore. VOBIS. discipulis meis. Sic loquitur Apostolis, vt per Apostolos, verbo scriptoque tradituros, velit hæc intelligi à discipulis suis illis, qui eo tempore victuri essent, & acturi, siue Ierosolymis reliquave in Iudæa (verisimile est enim quosdam negligentiores remansisse) siue in locis vicinis. HIC, aduerbium est. ὧδε. CHRISTVS redemtor saluatorque à Deo promissus, i. est, quem Deus nunc misit vt populum suum saluet, & à Romanis malisque imminentibus liberet. AVT ILLIC. ἢ ὧδε aut hîc. Interpres dedit sensum *aut illic.* id est, quemcumque locum vobis demonstrauerit vbi agat Christus. Tres enim factiones eo tempore Ierosolymis fuisse, D. Hieronymus testatur ex Iosepho libri 6. de bello capite primo. NOLITE CREDERE. μὴ πιστεύσητε ne credideritis, i. hîc, illic, aut quocumque terræ loco, esse Christum. Iam enim veni ego à Deo missus, vnus & æternus Christus: alium præter me accipere non debetis.

Mar. 13. v. 22.

Surgēt enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.	24	ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς.

SVRGENT. exorientur eo tempore. PSEVDOCHRISTI. qui mentientur se esse Christum à Deo missum & multò antè promissum, me vt seductorem reprobaturi; Christum, inquam, se iactabunt, cùm nō sint, immo cùm sint aduersarij Christi, tamquam autem Christus sint, promittent sectatoribus suis liberationem à malis, & salutem ac felicitatem, & eam quidem corpoream ac mundanam, qualem Iudæi à Christo exspectant. *Multi*, inquit Hieronymus, *captiuitatis Iudaicæ tempore, principes extitere, qui Christos esse se dicerent, intantum vt obsidentibus Romanis tres intus fuerint factiones.* Hi principes fuere numero tres, quod ex Iosepho clarum est: Eleazarus filius Simonis, Iohannes filius Leuiæ, Simon filius Gioræ, contendētes pro principatu singuli cum asseclis suis, nec paucis nec inualidis. Cùm enim persuasum tunc omnibus esset, promissum sacris Scripturis ex Iudæa regem, qui orbis terrarum imperio potiretur, eo tempore oriri debere. quisque illorum seditiosorum principum, ratus, si Romanis potuisset esse superior, ita vt Ierusalem ab eorum obsidione tyrannideque liberaret, facilè Iudææ se principem fore, & ex Iudæa progressum, assequi posse diuino oraculo

Iudæis promissum orbis imperium, pro Christo saluatore populi Dei, cui illud diuini oraculi omnium sententia congruebat, se gesserunt, operamque dederunt tam vt Romanis resisterent quàm vt inter Iudæos rerum potirentur. In hanc sententiam Iosephus lib. 7. de bello cap. 12: *Sed quod maxime eos ad bellum excitauerat,* inquit, *responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multiq́ sapientes interpretatione decepti sunt.* hæc ille. Atqui non animaduertebant Iudæi, quomodo iam tum impleretur vaticinium illud in Iesu Nazareno, quem ipsi reiecerant: quomodo iam tum per vniuersum mundum propagatum esset & quotidie cresceret regnum Iesu, quamquam non tale quale ipsi affectabant. PSEVDOPROPHETÆ. Pseudochristi habebant suos pseudoprophetas tamquam symmistas, per quos homines ad se allicerent, non verbis tantùm, sed signis quoque & prodigiis magnis. Singuli seditiosorum illorum principum, adsciuerant sibi, ac subornauerant pseudoprophetas, à quibus populo commendarentur: quò, sibi hac etiam arte populi gratiam conciliantes, velut diuinitus concessum auspicarentur imperium. De huiusmodi pseudoprophetis à tyrannis subornatis loquitur Iosephus libri 7. de bello capite 11. DABVNT. edent & palàm omnibus spectanda proponent. s. pseudochristi illi & pseudoprophetæ. SIGNA. Quum miraculis & signis tamquam sigillis veritatis à Deo profectæ, consueuerim ego & ante me prophetæ fidem adferre doctrinæ: illi nos imitati, vt mendaciis suis fidem concilient, edent & ipsi signa ac prodigia magna. Cæterùm non possunt pseudoprophetæ ad confirmationẽ imposturarum suarum edere vera signa siue miracula, hoc est, operari præter ordinem totius naturæ creatæ, non magis quàm Deus potest testis esse mendacij, qui solus ita operari potest, ac solus proinde auctor est verorum miraculorum: sed quæ illi edunt signa siue miracula, vel fictitia sunt & illusoria, nec sunt quod esse apparent, vel res quidem veræ sunt & admirandæ, sed inutiles, omnino autem non maiores quàm per occulta semina insitasq; creaturis virtutes fieri valent, opera præsertim malorũ angelorum, *qui* (quod ait D. Augustinus libri 3. de Trinitate cap. 8.) *pro subtilitate sua, semina rerum istarum nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occasiones.* Porrò licet de signis aut prodigiis editis à pseudochristis illis eorumq; pseudoprophetis, nihil scribat Iosephus, rebus bellicis totus intentus: tamen par est credere, eos, vt tam ingẽtem populũ vana spe in officio cõtinerent, multa malis artibus esse operatos quemadmodũ magi illi de quibus scripserat antea lib. 2. de bello cap. 12. ITA VT IN ERROREM INDVCANTVR. ita vt me derelicto pseudochristum amplectantur, atque eo errore ad mortem vsque perseuerent. ὥστε πλανῆσαι ita vt seducant, à me abstractos ad pseudochristũ abducant; vel, ita vt fallendi sint: iungitur enim hoc, verbo futuri temporis.

SI FIERI POTEST. εἰ δυνατὸν si possibile esset, si qua vis valeret aduersus prædestinationẽ Dei. Dei decretum est, ne quis salutem æternam consequatur nisi per Iesum Christum: eiusdemque voluntas ac beneplacitum est, vt ij quos ab æterno elegit æternam salutem consequantur: non possunt igitur, quos Deus ab æterno elegit, Iesu Christo abnegato in errores induci, in iisque retineri. *Voluntati enim Dei quis resistet?* quis frustrabit Deum decreto suo? quid impediet beneplacitum Dei, ne sortiatur effectum? Fieri, quidem potest vt seducantur electi, & Christo aut Christiana fide derelictis pseudochristum vel hęresim ad tempus amplectantur (quamquam hoc rarum est, vix enim certius est reprobationis diuinæ argumentum, quàm si quis à fide excidat) sed vt in huiusmodi errore citra pœnitẽtiam vitam finiant, fieri non potest: non quòd ad finem vsque vitæ peccare, & in peccatis perseuerare nequeant (*nam non posse peccare, non est huius vitæ donum, sed merces alterius,* doctore D. Augustino libri de correptione & gratia cap. 11.) sed quòd infallibile diuinæ electionis propositum sic eos custodiet, proteget, reget, tamque efficaci gratia iuuabit liberum arbitrium voluntatemque eorum, vt, errores cæteraque peccata abominati, perseuerent aut certè moriantur in fide & charitate. Necessaria est igitur perseuerantia electorum; non absoluta quidem necessitate, sed posita diuina electione siue prædestinatione, quam necessitatem dialectici consequentiæ vocant, non consequentis. Addidit porrò Iesus hanc partem *ita vt in errorem inducantur si fieri potest,* ETIAM ELECTI, vt significaret ita magna admiranda, & verisimilia, à pseudoprophetis, ad confirmationem errorum, edenda signa, vt plurimi sint seducendi adeoque ipsi electi in summa adducẽdi salutis discrimina, omninoque fallẽdi ac perdendi, si sibi suisque sensibus prudentiæ ac viribus derelinquerentur, nec, singulari Dei gratia cõfortati, in veritate rectaque fide retinerẽtur. Neque enim illis ex se tanta suppetet munitio, qua Satanæ machinis resistãt: sed quia Christi sunt oues, *quas nemo potest rapere ex manu eius.* Iohan. 10. v. 28. Hac parte itaque, vt terrorem suis incutit Christus, quò magis solicitè sibi caueãt: ita animũ addit, vt confidant se Dei gratia & protectione tutos fore.

ἰδοὺ προείρηκα ὑμῖν. 25 Ecce prædixi vobis. *Mar. 13. v. 23.*

VOBIS. & per vos aliis quos verbo scriptoque docturi estis, PRÆDIXI futura salutis pericula, à pseudochristis & pseudoprophetis, à signis & prodigiis, à multitudine seducendorum, ob id scilicet, vt vobis sedulò caueatis, nec vos cum aliis plerisque seduci permittatis. *Testatur quòd mani feste prædicendo muneretur,* inquit Euthymius. Cùm enim prædixerim, ait, vobis hæc futura peribitis inexcusabiles, si per ea vos sinatis seduci. Qui enim res longè antequam fierent prædicere potuit: dignus est cui præmonenti credatur & obediatur. nam & misericordia magna est, mandatis præuenire periculum. Cùm Iesus mox intelligendum dederit, electos seduci non posse, & nihilominus pergit monere suos vt sibi solicitè caueant ne seducantur: docet, non esse cuiquam scrutandum electus sit necne, sed viuendum sicut electos decet, & fugienda peccandi pericula: quæ qui fugere non vult, eò fortasse quòd si electus sit perire non possit, satis loquitur se non esse electum. Quin etiamsi quis certus esset se electum esse, & ita moriturum vt saluus futurus sit: tamen medio tempore, ab omnibus peccatis peccandique periculis, summopere sibi cauere deberet, tum ne Dominum Deum auctorem electionis sui offenderet, qui meritò debet ei esse charissimus, tum ne eius quã exspectaret beatitudinis minueret gradum. Licet ergo electi perire nequeant, cautione tamen opus habent ne seducantur: nam quòd perire nequeant, per se non habent, sed per diuinam prouidentiam & gratiam Christi, quæ non debet illis negligentiæ & temeritatis argumentum, sed magis diligentiæ ac studij cautionem præbere.

Si ergo

Si ergo dixerint vobis, Ecce in [26] deserto est, nolite exire; Ecce in penetralibus, nolite credere.

ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν, ἰδοὺ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστὶ, μὴ ἐξέλθητε· ἰδοὺ ἐν τοῖς ταμείοις, μὴ πιστεύσητε.

SI ERGO. Quod in genere dixerat *ecce hic aut illic*, particulariùs describit, & quasi indice notat de quibus loquatur. DIXERINT. pseudoprophetæ aut quiuis alij. IN DESERTO EST Christus. vbi colligit copias suas, vt egressus vi armataque manu, Romanorum nos iugo eripiat, & restituat regnum Israel in statum pristinum. His verbis Iesus Simonem Gerasenum Gioræ filium notare visus est, qui, ante seriam obsidionem Ierosolymorũ Romanis ob imperij negotia à bello cessantibus, in montanis desertisque locis, collecto exercitu multorum milium, non tantùm seruorum siue latronum, verumetiam popularium, ipsi tamquam regi parentium, cùm Acrabatenam vnam ex Iudææ toparchiis, & Idumęam subiugasset, in obsessam à se Ierusalem à ciuibus aduersus seditiosos zelotas admissus, magna tyrannide Ierosolymitanos oppressit. Lege Iosephum lib. 5. de bello cap. 7. & deinceps. NOLITE EXIRE. μὴ ἐξέλθητε ne exieritis s. in desertum, ad audiendum aut videndum eum qui illic esse dicitur Christum, quantumuis multi ad eum concurrant. Non tantùm nolite credere Christum in deserto esse, sed nec domo exeatis vt visatis quid rei sit, idque ne fortè seducamini per signa aut aliter. IN PENETRALIBVS. ἐν τοῖς ταμείοις in cõclauibus s. est Christus. sup. 6. v. 6. vertit *cubiculum*. Significantur loca in ædibus abstrusiora, penitiora, ac secretiora. Porrò templi penetralia, & Eleazarum ac Iohannem zelotarum duces, prænotasse hîc videtur Iesus, quorum ille prior, hic illo deuicto posterior, occupauit etiam interiorem templi aditum, teste Iosepho lib. 6. de bello cap. 1. & 4. *In penetralibus* templi est, vbi præsto est ei familiare Dei auxilium, quo nos à Romanis & malis omnibus liberet.

NOLITE CREDERE. μὴ πιστεύσητε ne credideritis. Crebra denunciatio, omnibus adimit omnem excusationem. Crediderant magno suo malo pseudoprophetæ prædicanti *Ecce in penetralibus*, illi de quibus Iosephus scribit lib. 7. cap. 11. *Venerunt* (Romani milites, cùm iam templum arderet) *etiam in eam quæ restabat vnam porticum extra templum, quò confugerant ex populo mulierculæ, itemque pueri, & promiscua multitudo, prope ad sex hominum milia. Sed priusquam de his Cæsar quidquam decerneret vel ducibus imperaret, ita flagrantes milites incendunt porticum. Hinc contigit, vt alij quum se ex flamma præcipitarent morerentur, alios ipsa corrumperet: ex tanto autem numero nemo seruatus est. His causa interitus quidam pseudopropheta fuerat, qui eo die prædicauerat in ciuitate, quòd eos in templum Dei ascendere signa salutis accepturos iuberet. multi enim a tyrannis tunc subornati prophetæ, populo denunciabant vt exspectarent Dei auxilium*, &c. Hæc Iosephus.

Luc. 17. v. 24.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis. [27]

ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν· οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

SICVT ENIM. q. d. Iesus: fallantur huiusmodi imposturis alij, qui alium Christum eumq; carnalem saluatorem exspectant, me non agnoscunt: sed vos qui in me Christũ, qui iam veni, creditis, falli minimè debetis. Atqui ne mihi obiiciatis: Tu nos doces te rediturum ad iudicandũ mundũ: vbi igitur audierimus *Ecce hic est Christus aut illic*, quid sciemus an tu non sis, qui redeas ad iudicandum mundum, præsertim si te facie numquam nouerimus, vt qui nos ætate sequentur: hoc scitote, quòd reditus meus ad iudicium, non erit occultus, sed publicus omnibusque per se manifestus. *Sicut enim fulgur*, &c. EXIT AB ORIENTE. promicat è partibus Orientis, è nube sita ad Orientem cæli. PARET. φαίνεται apparet, videtur. eodemque momento videtur, quippe sua luce clarum. VSQVE IN OCCIDENTEM. vsque ad partes Occidentis, videtur subitò & ab iis qui in Occidente sunt, parte cæli opposita, multoq; magis in partibus à latere Austro & Aquilone. *Orientis & Occidentis nomine, totum orbem significare voluit*, quod notat D. Augustinus libro quæstionum Euangelicarum cap. 38: & quamquam fulmen vnum idem, nullum ita amplum & clarum est, vt toto mundo videri queat, sic tamẽ apparet oculis nostris: certè non in vnum aliquem angulum detruditur, aut vno aliquo loco concluditur fulmen, ita vt sibi mutuò monstrare hòmines debeant, Ecce hîc aut illic est fulmen, sed dispergitur per se manifestum in totam illam regionem cui ea pars cæli ex qua prodiit imminet, punctoque temporis immensum illustrat mundi spacium. Sicut ergo fulgur non latet, sed *ab Oriente elatum* (Hilarij sunt verba) *lumen suum vsque ad Occidentis plagam spargit, & vndecumque micans vbique cernitur*, suoque fulgore conspicuum, vltro omnium se oculis infert, eorum etiam qui in abditissimis degunt locis. ITA ERIT ET. similis huic erit. ADVENTVS. reditus. FILII HOMINIS. id est, meus Christi ad mundum iudicandum redituri, exiens scilicet ab Oriente & parẽs vsque in Occidentem, id est, non clancularius, nõ occultus, non vno certo siue vrbis siue deserti loco conclusus, aut qui indicari aliis ab aliis debeat, sed per se toto orbe terrarũ manifestus hominibus simul ad vnum omnibus, suaque claritate & glorioso ac maiestatis pleno fulgore ex alto aëre sponte omnium oculis se ingerens, eorũ etiam qui in intimis agant penetralibus. Non erit talis qualis hic prior aduentus meus, occultus & humilis, quo pręsentia mea, de loco in locũ transeuntis, vna in Iudææ regione visibilis est: sed manifestus erit & gloriosus, meaq; pręsentia toti simul mundo desursum ex nubibus & summo aëre fulguris in morem conspicua, maiestatis fulgore totum replens orbem. Simulatque enim à dextera Patris egressus sedero in nubibus cæli ad iudicandum viuos & mortuos, nullus erit hominum tam abstruso, recondito, aut remoto loco, cuius oculos non perstringet omnia penetrans claritas gloriæ meæ, meque ipsi exhibebit, nullo alio nunciante aut indicante conspicuum. erit aduentus ille meus ipse sui nuncius. *Non enim*, inquit Chrysostomus, *quemadmodum primus aduentus meus apud Bethlehem fuit, in angulo videlicet orbis minimo, nec vllo ea hominum sciente, sic & secundus, sed manifeste adeò, vt nuncio res non indigeat. Non est paruum profectò signum, ita venire vt latere non possit*. & paulò pòst: *Quomodo igitur fulgur apparet? non indiget certè præcone aut nuncio, sed in momento temporum omnibus apparet: sic igitur aduentus ille statim propter gloriæ splendorem*

vbique

vbique videbitur. Si enim sol, ait Auctor Imperfecti, *tantam habet splendoris virtutem, vt in quacumque parte cæli fuerit, vbique appareat quasi præsens: quanto magis sol spiritualis Christus, cùm venerit, in toto videbitur mundo?* Iam hinc infert Iesus: Quicumque igitur ita veniet deinceps pro Christo se gerens, vt vno certo loco nunciari aut monstrari opus habeat, eo ipso cognosci poterit esse pseudochristus. Porrò quòd Orientem nominauit Iesus potiùs quàm Meridiem aut aliam mundi plagam, loquens de emicatione fulguris (è Meridie enim sæpius quàm ex Oriente solet prodire fulgur) videtur fecisse, quòd verisimile sit ipsum, qui, vt forma humana apparebit iudicaturus, ita ex vna certa cæli plaga prodeat necesse erit) ex Oriente proditurum, & in nubibus ad Orientem cæli sessurum iudiciumque exerciturum, quod ex Apostolica traditione refert Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 13. vbi addit. *Quocirca eius aduentum operientes, ad Orientem adoramus.*

ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί.

28 Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. *Luc. 17. v. 37.*

VBICVMQVE Græcè additur *enim*, syriacè *autem*, latinè neutrum. *Vbicumque*. quantumuis remoto loco CORPVS. τὸ πτῶμα cadauer. tam πτῶμα Græcis, quàm *cadauer* Latinis, à cadendo dictum est: magisque hoc cōuenit metaphoræ qua Christus vtitur quàm nomen *corporis*. CONGREGABVNTVR. congregari solent.

AQVILÆ. carniuoræ sunt, ac proinde mox conuolant ad cadauer, si quod visu aut olfactu percipiant, *quod etiam trans maria eas sentire* testatur Hieronymus hoc loco. Videri possit Iesus sententiam hanc sumsisse ex libro Iob, cap. 39. v. 33., vbi de aquilæ natura disserens Deus, tandem ait: *Et vbicumque cadauer fuerit* (siue, vt ad verbum hebraicè est, *occisi fuerint*) *statim adest*: quamquam alij Hebræorum prouerbium fuisse arbitrantur, quo significarint, haud magno studio esse opus, ad coniungendum ea quæ natura sua coniunguntur. Ne fulguris similitudo à Iesu allata, præberet Apostolis occasionem apud se cogitandi: Quid nobis proderit aduentus ille tuus manifestus totique mundo è cælo & nubibus conspicuus, si non apparebis nisi fulguris instar, cuius apparitio momentanea est; quàm citò apparet, tam citò præterit; quàm citò reuelatur, tam citò latet, & quantumcumque paruo tempore appareat, vt est terribile, omnes illud videre refugiunt: addit aliam similitudinem Iesus, qua docet, se electis suis, non terribilem appariturum, sed amabilem, nec momēto solùm vno, sed sic vt ad ipsum accedere & coniungi ipsoque frui possint. Quemadmodum, inquit, aquilæ naturali instinctu atque impetu feruntur & conueniunt vndique ad cadauer, vt ad escam suam suauissimam ac delicatissimam, quod alioqui non inuitatas, ipso odore suo ad se allicit, immensis etiam terrarum spaciis & maris fluctibus separatas, nec illæ illud deserunt quamdiu restat ex eo quo pascantur: ita vos electi mei, è morte rediuiui, & vt aquilæ iuuentute renouati, simulatque in nubibus apparuero, mox sentientes virtutem præsentiæ aduentus mei, ad me tamquam vitam æternam & summum bonum vestrum, vndique ex omnibus mundi partibus, sponte maximoque desiderio ac summo animi affectu anhelantes conuolabitis, vt me æternùm fruamini & saturemini, nihil impediti alta cæli nubiumque à terra distantia. Hunc sensum Lucas Euangelista indicat cap. 17. v. 36. 37: atque hoc est quod Apostolus dicit 1. Thessal. 4. v. 17: *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Cadaueri se comparat Christus, propter mortem cuius signa cicatrices inquā vulnerum, feret iudicaturus. quippe quę electis fons est omnis boni æternæque salutis, quòd Christo Deo & homine æternùm frui ipsis detur. Aquilis verò electos assimilat pro more Scripturæ, potiùs quàm vulturibus aut coruis, qui & ipsi cadaueribus pascuntur: quòd regium & magnificum animal aquila sit, quòd *in arduis ponat nidum suum* (Iob 39. v. 30.) quod altissimè simul & velocissimè atque expeditissimè volet (Isa. 40. v. 31.) quòd ita oculata sit, vt intrepida acie solem intueatur, denique quòd senex ætate renouetur & longæuam ducat vitam (Psal 102. v. 5.) His enim similes electi, qui regio animo voluptatibus imperarint, & terrenis despectis conuersatione in cælis fuerint, Christo ad iudicium veniente resument corpora dotata immortalitate simul & agilitate. & ad sedētem in nubibus cæli, quem acutissimis fidei oculis mox intuebuntur & cognoscent, admirabili velocitate promtitudineque volabunt. Quòd verò electos solos, non autem omnes homines, Iesus aquilis comparet, manifestum est, quia reprobi non aggregabuntur Christo sedenti in nubibus, sed relinquentur in terra (infrà v. 40.) nec sponte ferentur ad Christum, sicut aquilæ ad cadauer, sed inuiti cogentur ad locum iudicij vt malè sibi conscij, audituri in terra Christi è nubibus aduersus ipsos sententiam.

εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς, καὶ οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται.

29 Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. *Mar. 13. v. 24. 25. Luc. 21. v. 25. 26.*

STATIM AVTEM POST TRIBVLATIONEM DIERVM ILLORVM. Signis instantis excidij templi siue Ierosolymorum, eiusque descriptioni, subiicit Iesus signa instantis excidij mundi eiusque descriptionem, hac ratione prorsus satisfaciens illi quæstioni discipulorum suorum, qua interrogarant: *Et quod signum aduentus tui & consummationis seculi?* suprà v. 3. vt enim connexa erunt consummatio seculi & aduentus Christi, ita eadem erunt signa vtriusque. *Statim post* summam illam *tribulationem dierum illorum* quos dixi breuiandos propter electos, *statim* post Iudææ vastationem & templi ciuitatisque Ierosolymorum excidium. Erit magna tribulatio dierum illorum, quibus Iudæorum res proterendæ sunt: statim verò sequetur alia rerum omnium cæli & terræ perturbatio, quæ præcedet consummationem seculi & aduentum Filij hominis. *Statim* dicens, docet discipulos suos non idem fore templi & mundi excidium, templum & mundum non simul peritura, quo in errore illos hactenus ferè reliquerat: sed ita docet, vt quantum temporis intermedium foret non explicet,

nisi quòd dicat paruum fore temporis spacium intermedium. Intelligit autem ipse paruũ fore Dei æstimatione, *ante cuius oculos*(quod Psalmus 89.v.4.& ex Psalmo Apostolus Petrus 2.Epist.3.v.8. dicunt) *mille anni tamquam dies hesterna quæ præterijt,& tamquam custodia in nocte*: relinquens vt discipuli intelligerent, paruũ fore etiam hominum æstimatione,tamquam decem,viginti,aut paucioribus diebus aut annis pòst futurum. Quo in errore relinquere suos omnes voluit Iesus, partim vt semper se tenerent paratos ad diem illum, tamquam iam instantem & ipsorum seculo futurum, quo nemo seruandus est,nisi vigilans & paratus (id quod paulò pòst latiùs docet) partim, quia etiam hominũ more numerantibus, breue temporis spacium intermediũ est, quando dies iudicij tam est vnicuique propinquus, quàm est mors propinqua. Nam (quod D. Augustinus ait epistola 80.) *in quo statu quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisquam moritur, talis in die illo iudicabitur*. Quare Dominus, cùm suis tum Apostolorum sermonibus, palàm prædicari voluit, non longè abesse diem illum suum. Sic enim Petrus 1.epist.4.v.7: *Omnium finis*, inquit, *appropinquauit*. Sic Paulus 1.Cor.10.v.11: *In quos (nos) fines seculorum deuenerunt*. Sic Iohannes 1.epist.2.v.18: *Filioli nouissima hora est*. Quomodo loquuti fuerant & prophetæ; Moses Deut.32. v.35: *Iuxta est dies perditionis,& adesse festinant tempora*. Sophonias cap.1.v.14: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis*,&c. *consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram*. Cæterùm nequaquam per hoc prædicere voluit Dominus, certum tempus aduentus sui, aut intra certum tempus diem suum instare: sed, quod diximus, quotidie omnique hora voluit eum ab omnibus exspectari. SOL mundi oculus & cor, fons luminis ac vitæ creaturis reliquis, solitus exhilarare rerum mundi faciem. OBSCVRABITVR. *conuertetur in tenebras*(quomodo loquitur Ioel cap.2.v.31.) *fiet niger tamquam saccus cilicinus*(quomodo Apocalypsis cap.6.v.12.) *Obscurabitur* autem, Deo auferente, quam ab initio creationis ipsi dederat lucem. Vt prima lux nascentem, sic postremæ tenebræ morientem loquentur mundum. LVNA domina humidorum, altrix mundi. NON DABIT LVMEN SVVM. quippe eo priuata. Sicut enim siccato fonte, riuum siccari necesse est: sic sole spoliato lumine, necesse est lunam quoque obscurari, quippe quæ lumen omne suum à sole mutuet. *Luna non splendebit in lumine suo*, inquit Isaias cap.13.v.10. Ioel, *luna conuertetur in sanguinem*. Apocalypsis, *luna tota fiet sicut sanguis*. STELLÆ omnes tam fixæ firmamenti quàm planetæ,

CADENT de cælo, videbuntur hominibus velut trepidæ de cælis cadere, tum quia agitatæ impetu circumactorum cælorum subitò deficientur lumine, quasi in cælo ampliùs non sint, ita vt cælum omne cæcum sine vllis luminibus appareat, tum quia ignitæ exhalationes stellis similes è cælo emittentur in terram, *vtique mirabilius quam nunc fit*, ait Augustinus lib.20. de ciuitate Dei cap.24. Hoc Isaias cap.13.v.10.dicit: *Stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum*. & cap.34.v.4: *Tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu*. Ioel cap.3.v. 15: *Stellæ retraxerunt splendorem suum*. Apocalypsis cap.6.v.13: *Stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cùm à vento magno mouetur,& cælum recessit sicut liber inuolutus*. VIRTVTES. δυνάμεις potestates, facultates, vires CÆLORVM COMMOVEBVNTVR. σαλευθήσονται *agitabuntur*(quomodo vertit interpres sup.11.v.7.) cõcutientur. Vt duo quædam intelligenda videntur per *virtutes*, ita duo quædam hîc videntur prædici. *Virtutes cælorum* intelliguntur inprimis bases siue axes, fulcra seu robora cælorum, quæ Iob, cap.22.v.24. *cardines*, cap.26. v.11. *columnas cæli* vocat, sensusque est, quasi fundamenta cæli commouenda esse, atque ita concutienda, vt cæli ipsi nutare & de ruina periclitari videantur. Hoc est id quod Petrus Apostolus dicit 2. Epist.3.v.10: *Cæli magno impetu transient*. Deinde *virtutes* intelliguntur potentiæ & influentiæ cælorum in hæc inferiora: quæ potentiç & ipsæ turbabuntur ac cõfundentur vnà cum turbatis cælorum corporibus. Quemadmodum enim ordinatus cælorum cursus consueuerat suaues spirare influentias, quibus inferiora hæc cõseruarentur: ita perturbatus cælorum cursus impediet, quò minùs illi vires suas in hæc inferiora exserant. Hoc itaque versu docemur, sub excidium mundi, inprimis cælestia omnia corpora perturbanda: quod cùm fiet, non poterunt non & inferiora omnia turbari è cælestibus pendentia. Quocirca tumultuabũtur etiam aër & mare (de mari diserta est prophetia Luc.21.v.25.) & terra sterilis motibus quatietur insolitis, neque diu quidquam huius mundi viuere poterit, destitutum vegetantis cæli influxu, & irrequietum à tumultuantibus elementis. Nam & ignis tandem velocissima cælorum agitatione commotus ac diffusus, incendet omnia, ita vt (quod ait D.Petrus 2.epist.3.v.10.) *elementa calore soluantur,& terra quæq; in ipsa sunt opera exurantur*. In quo incendio, soli viuent, Deo faciente, homines qui tunc remanserint viui: quibus incendium erit mortis & resurrectionis loco, quo corpora ipsorum immutentur. Sic igitur erunt, cælestium luminarium defectio & virtutum commotio, signa proximè instantis excidij mundi, vt coniungenda sint cum ipso excidio, ipsumq; excidium breuì effectura: quemadmodum oculi caligantes, singultus frequens, interruptus anhelitus, brachia cadentia, pedum ac crurum rigor, denique totius humani corporis tamquam machinæ dissolutæ maxima perturbatio, sic signa sunt propinquæ mortis, vt mortem quoque ipsam efficiant ac secum breuì adducant. *Quemodo enim impulsæ ad casum arbores* (ait V. Beda in Lucam) *fragoris motusque sui præmittere solent indicia: sic termino appropinquante, quasi pauentia nutabunt ac trement elementa*. Cæterùm in signa hæc data sunt, non solùm excidij mundi seu consummationis seculi, verumetiam diei Domini, aduentus inquam Christi ad iudicium: quem similiter non à longè portendent, sed præsentem declarabunt & mox exhibebũt: cõtingent enim tamquam in ipsa hora inmediatè, præcedente aduentum Domini, vt quidam superioris seculi tractatores loquuntur. Si ergo quærat aliquis, Quare Deus sub aduentum Filij sui ad iudicium, huiusmodi editurus sit, commoturus inquam cælum & terram: proxima causa est, quia vult vt mundus intereat: quemadmodum perturbat humani corporis machinam, quia vult vt homo moriatur. Sed quemadmodum non vult vt homo sic moriatur vt corpore & anima pereat, quin potiùs vt resurgat omnis corruptionis expers, acturus vitam immortalem: ita non vult mundum quod ad substantiam interire, sed solùm quod ad vanitatem cui inuitus subiacet. Rom.8.v.20. Mundus propter hominem factus induit quodammodo hominis conditionem. Vt homo si non peccasset, non fuisset mortuus: ita fortè nec interisset mundus. Peccauit homo, coactus est mundus peccatoribus peccatisque seruire, & non sine gemitu ferre hominum iam mortalium peccata, funera, sordes: itaque expleto quem Deus constituit hominum numero, omnibusque hominibus mortuis, morietur & ipse mundus. Sed quemadmodum resurget homo, & ij quidem qui per Christum in Dei filios adoptati fuerint

fuerint resurgent immortales & incorrupti: *ita & mundus liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*, Rom. 8. v. 21.) & æternus, immutabilis, ac gloriosus, seruiet Dei filiis æternis, immortalibus, ac gloriosis, *vt scilicet mundus in melius innouatus* ait Augustinus lib. 20. De ciuitate Dei cap. 16 *) aptè accommodetur hominibus etiam carne in melius innouatis*. Quare lux quæ ad tempus soli & lunæ ablata fuerat, reddetur eis longè copiosior: *erit enim*, quod Isaias ait, cap. 30. v. 26., *lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum*. *Stellæ* quæ visæ fuerant de cælo cadere, *fulgebunt in perpetuas æternitates*: & cæli, non tantùm non ampliùs circumrapientur violenter, sed nec mouebuntur, donati perpetua suauique quiete. Denique *nouos cælos & nouam terram secundum promissa Dei exspectamus, in quibus iustitia habitat*. 2. Pet. 3. v. 13. Proxima itaque causa, cur Deus sub aduentum filij sui talia editurus sit, qualia hoc versu declarantur & ex eis sequuntur, est, quia vult vt mundus intereat, ita vt sint quasi languores moribundi mūdi & vmbra mortis: cæterùm accedet & alia causa, vt seruiant citandis hominibus ad tribunal Dei, cuius contemtu plerique ad vltimum vsque diem lasciuient, & declarent ingruere terribilem vltionem Dei, velut omnibus elementis in vltionem impiorum excandescentibus, S. S. E. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Sap. 5. v. 21. His itaque terror incutietur reprobis, vt cogitent quàm terribile iudicium & graue ipsis instet, quorum causa mundus sursum deorsum conturbetur, *& adhuc viuentibus tamquam gustus detur infernalium suppliciorum*, inquit Auctor Imperfecti.

καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς· καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. 30

Et tunc parebit signum Filij hominis in cælo; & tūc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cęli, cum virtute multa & maiestate.

Marc. 13. v. 26. Luc. 21. v. 27.

TVNC. obscuratis sole, luna, & stellis. PAREBIT. φανήσεται apparebit, videbitur, splendebit sole clariùs, splendidiùs cunctis astris. SIGNVM FILII HOMINIS. id quo Filius hominis hominibus fuerat significatus, id quo Filius hominis hoc in mūdo notus & celebris fuerat. hoc autem, nec est, nec fuit, nec erit aliud, quàm crux aut eius effigies: cruce enim seu crucis signo, toto orbe terrarum cognoscitur Iesus: sint fideles, sint infideles, visa cruce aut eius signo, siue exciso è quauis materia, siue picto, siue manibus in aëre formato, intelligunt Iesum Nazarenum; & qui illud formant, colunt, aut venerantur, Iesu Nazareni cultores, id est, Christianos esse. Denique signo crucis, tamquam proprio Iesu Christi, iam inde ab initio vniuersa religio Christiana vsa est, sicut etiamnum vtitur, & in sacris & in prophanis negotiis, nihil aggrediens aut conficiens absque adhibito signo crucis. *Quid est* (inquit Augustinus tractatu 118. in Iohannem) *quod omnes nouerunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*. Quare veterum Patrum plerique, locum hunc de cruce interpretantur: ex quibus Chrysostomus: *Hoc signum*, inquit, *est crux ipsa: crux enim sole fulgentior videbitur, nam obscuratur sol, crux autem apparet*. In quam sententiam canit Ecclesia: *Hoc signum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit*. Prædixerat itaque hoc loco Iesus Christus, & intelligendum dederat (quamquam non statim Apostoli hoc sint assequuti: vt enim crucem disertè nominaret, opportunitas temporis nondum erat) se tam nobilem & celebrem mundo cruce fore, quàm sit rex aut monarcha quicumq; armis seu insignibus suis, immo multò magis. Quare Christianos se non esse manifestè declarant nostræ ætatis hæretici, qui crucis signum non tantùm non vsurpant, verumetiam irrident & modis omnibus abolent: ne verò Christo aduersaria insania ipsorum retegatur, consultò locum hunc de alio quàm crucis signo interpretantur: sed nihil possunt aduersus splendidam veritatem. Nam quidquid aliud intelligatur, vel est ipse Filius hominis (hic autem distinguitur disertè *signum Filij hominis* à Filio hominis, cùm mox subditur, *Et videbunt Filium hominis* vel non est huiusmodi quo Filius hominis toti mundo sit notus, qui nec ita facie notus est vt cruce. Itaque quemadmodum Regem in ciuitatem venientē præeunt ipsius signa, & insignia, quò notū fiat omnibus Regem aduenire, vt ea qua decet auiditate exspectetur & honore excipiatur: ita Iesum Christū ad iudicium venientē præcedet crux vel crucis signum, tamquam trophæum & insigne regium, quo de diabolo & mundo triumphauit, sublimibus Angelorum humeris gestatum, quò notum fiat toti mundo, quis veniat ad iudicandum, lætenturque & parent se ad excipiendum beneuolè qui ipsi adhæserint, terreantur verò & in extremas angustias redigantur qui ab ipso fuerint alieni. Sic ferè D. Augustinus serm. 130. de tempore. IN CÆLO seu aëre proximo, ita vt ab omnibus totius mundi hominibus conspici queat. TVNC. visa totius vniuersi perturbatione, præsertim verò spectata radiante in cælis cruce. PLANGENT. cædent se, id est, lamentabuntur summopere, pectoris percussione similibusque signis dolorem animi testabuntur. TRIBVS. familiæ, nationes, populi TERRÆ mundi. omnes qui in viuis tunc fuerint & boni & mali, præsertim verò mali ac reprobi, quorum erit longè maior pars. Hi enim, videntes, ex cæteris quidem signis mundum finiri, ex signo autem crucis intelligentes Filium hominis, id est, Iesum Nazarenum, ad iudicandum mundum aduentare, præsument ipsi sententiam aduersum se, conscij sibi, quòd vel non crediderint in eum, vel non ita vixerint vt exegerat fides in eum. Quamquam enim minimum aliquod superesse poterit pœnitentiæ spacium, cùm incipient signa hæc apparere (vide Luc. 17. v. 31.) paucis tamen tunc dabitur vera pœnitentia, qui non antea fuerint ad Deum conuersi, ac proinde serus atque inutilis erit planctus plerorumque omnium & desperationi coniunctus. Nam boni, quamquam plangent propter horrorem imminentis districti iudicij, quod quale futurum sit erga ipsos erunt incerti (*nescit enim homo an odio an amore sit dignus*. Eccles. 9. v. 1.) non mala tamen spe roborabuntur instantis salutis æternæ. Allusit hic Saluator ad locum Zachar. 12. v. 11. 12. & deinceps. ET breui pòst. paulùlum enim præcedent superiora omnia, sic tamen præcedent, vt non nisi incipiente iudicio desinant, & crux quidem, etiam in ipso iudicio, ante Iudicem, vt cognoscatur, constituta

 perma-

permaneat, quemadmodum Regibus sua arma aut insignia solent anteferri. VIDEBVNT. supple è proximo, omnes tribus terræ. *videbunt* inquam, suis oculis corporeis. FILIVM HOMINIS. me, ea hominis forma qua iam sum. Cùm enim ascendit Christus in cælum, non deposuit naturam humanam, sed clarificauit: iudicabit itaque humana forma, vt à iudicandis omnibus iudex ipse videatur. VENIENTEM è summo cælo IN NVBIBVS CÆLI aërei, ita venientem vt insideat vehaturque nubibus, quemadmodum dicimus *venientem curru*. Est autem numerus pluralis pro singulari, *nubibus* pro *nube*: nam & facilè vna nubes constare poterit pluribus. E cælis egresso, sternet pater nubem aëris lucidissimam, throni simul & vehiculi loco, qua sedēs vehetur paulatimq; descendet (nec enim paruum est itineris spacium) in infimam hanc aëris regionem, eousque vnde ab omnibus totius mundi hominibus videri queat. Nubes itaque, partim seruient gloriæ & magnificētiæ Filij hominis, qualem describit Psalmus 103. v. 3: *Qui ponis nubem ascensum* seu vehiculum *tuum*. vide sup. 17. v. 5. vbi transfiguratio, specimen editum fuit, gloriæ qua venturus esset Christus ad iudicium. Partim tēperabunt claritatem Filij hominis, ita vt clarè videri, & considerari queat ab hominibus omnibus, aliter quàm sol, in quem homines oculos figere nequeunt. CVM VIRTVTE MVLTA ET MAIESTATE. μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς cum potestate & gloria multa, quod est, magna (multum enim & magnum confundunt Hebræi) non s. vt iam, cum humilitate & infirmitate, ob quam multi iam eum audire nolunt. Gloria corporis Iesu maxima erit, eiusmodi qua nulla queat esse maior, propter diuinæ naturæ cum humana coniunctionem: potestas Iesu similiter maxima in cælo & in terra, quali nulla resistere queat creatura, efficax ad reuocandum in vitam & iudicandum homines omnes, ad addicendum æternis suppliciis reprobos, ad beatitudine æterna donandum electos, ad renouandum restaurandumque mundum. Denique maiestas, gloria, & potestas Iesu huiusmodi erit, quæ deceat Filium Dei & Dominum vniuersorum, Regem Regum & Dominum dominantium: talis inquam maiestas, qualis à nemine contemni possit; talis potestas, quali omnibus præualeat. Descripta porrò hîc, venturi in nubibus Filij hominis magnificentia, potestas, & gloria, totidem ferè verbis prædicta fuerat à Daniele cap. 7. v. 13. 14. quem locum hîc de se interpretari videri possit Dominus Iesus.

Mar. 13. v. 27.

Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cęlorũ vsque ad terminos eorũ.	31 καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ μετὰ σάλπιγγος καὶ φωνῆς μεγάλης, καὶ ἐπισυνάξουσι τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν.

ET. Qui Filius hominis cùm venerit in nubibus, ex nubibus apparens iis qui tunc in viuis erunt. MITTET ἀποστελεῖ amandabit s. in vniuersum mundum ANGELOS. id est, quosdam ex sanctis angelis, quibus comitatus aduenerit, vt omnes eum comitabuntur (infrà 25. v. 31. sup. 16. v. 27.) Satellitiũ sanctorum angelorũ, vt augebit gloriam & magnificentiam Iesu ad iudicium aduenientis, ita seruiet virtuti seu potestati, vt exsequantur quod mandauerit & iudicauerit. S.S.E. *Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Psal. 102. v. 20. 21. SVOS. quippe caput omnis principatus & potestatis, & cum Patre Deus ac Dominus Angelorum. vide sup. 13. v. 41. Tanta itaque erit magnificentia, vt vtatur Angelis ministris: atque hoc videbunt viui residui, quod ipse Filius hominis emittet cum mandatis angelos sanctos. Apparebunt enim visibili forma, quod docet D. Gregorius Hom. prima in Euangelia. CVM TVBA. Quia solent Iudæi tuba populum conuocare (Num. 10. v. 1.) tuba rursus indicere dies festos (lege Iosephum libri 5. de bello Iudaico capite 9.) hinc sumta metaphora, tubam Iesus vocat, imperium voluntatis suæ, quo omnes homines viui & mortui conuocabuntur cogenturque ad tribunal ipsius, & electi quidem etiam ad festiuitatem æternam. ET VOCE MAGNA. *Et* exegeticum est, accipiendum pro *id est*, cum tuba quæ erit vox magna, aut cum voce magna quæ erit tamquam tuba, sicut sæpius Apocalypsis ait (cap. 1. v. 10. cap. 4. v. 1.) *audiui vocem magnam tamquam tubæ*, quod est, tubæ clangori similem, personantem tubæ instar. Tubam quidem corporatam tunc non audiendam, cōcedunt tractatores omnes: sed clamorem seu vocem magnam, id est, fortem & claram instar soni tubæ, audiendam per vniuersum mundum, quæ ab Angelis formanda sit in elementis, fortassis etiam articulatam, qualis illa proximi capitis versu sexto: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*; aut illa. *Surgite mortui, venite ad iudicium*; multi verisimiliter credunt. *canet enim tuba*, inculcans Apostolus ait. 1. Cor. 15. v. 52. Alij tubam vocemque magnam, nihil aliud intelligunt, quàm efficacissimam viuorum & mortuorum ad iudicium congregationem, Christi iussu & ministerio Angelorum efficiendam. Quemadmodum enim tubæ clangor, aures non tantùm vigilantium, verumetiam dormientiũ ferit, ita vt è vestigio à somno excitentur: sic voluntas imperiumque Iesu feretur in rerum naturam, ad restaurationem quotquot vmquam fuerint mortuorum, tanta efficacitate, quanta mox res ipsa sequetur, & mortui omnes ad vitam reuersi vnà cum viuis comparebunt coram Iudicis tribunali, electis admissis ad festiuitatem cælestem. Verè igitur vox magna erit, quæ vincula mortis disrumpēs animas corporibus ilicò restituet, omnesque homines viuos & mortuos iudici exhibebit præsentes. Cum hac voce, id est, hac iussione seu mandato instructi, emittentur angeli in mundum vniuersum. ET CONGREGABVNT. qui congregabunt. hoc habebunt angeli in mandatis, & hoc facient iussu Domini voceque magna; *congregabunt* inquam, ad Filium hominis, &c. Vt congregare ponit esse & viuere, ita intelliguntur angeli ad vitam primùm reuocaturi eos qui fuerint mortui, deinde ad Filium hominis adducturi omnes & viuos & rediuiuos. ELECTOS EIVS, lata sentētia ab ipso æterna beatitudine donandos. *Hoc etiam*, inquit Chrysostomus, *vocationis modo illos honorauit, electis assignans angelos ministros*. Porrò non solos electos angeli ad vitam reuocaturi & iudicandos ad Filium hominis adducturi sunt, verumetiam reprobos omnes (nam sup. 13. v. 41: *Mittet*, dixit, *Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis*) sed cùm hæc discipulis suis solis disserat Iesus, vt eos consoletur & animet spe, tamquam futuros è numero electorum, meminit tantùm electorum: quamquam intelligi vult, & reprobos omnes vndique colligendos, ipso iudice addicendos

cendos æternis pœnis. A QVATVOR VENTIS. ab omnibus mundi partibus, quæ numerantur quatuor, Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio, & quatuor primarijs ventis qui ex eis flant distinguuntur.
VSQVE AD TERMINOS EORVM. ἕως ἄκρων αὐτῶν vsque ad summa eorum. Græcè repetitur eadem dictio ἄκρων, quę & *summam* significat, & *terminum* seu extremum. Itaque vertere liceat, & *A summis cælorum vsque ad summa eorum*; & , *A terminis* seu extremis *cælorum vsque ad terminos* seu *extrema eorum*: sensus est autem, Ab vna cæli summitate vsque ad alteram, ab vno cæli termino seu extremitate vsque ad alteram. Quidam per *summa cælorum* intelligunt polos cæli. q. d. A polo Arctico vsque ad Antarcticum per mediam terram, ab omni loco, siue ille sit sursum, siue deorsum, siue altè, siue profundè; ita vt per ventos quidem, mundi latitudinem; per summa verò cæli, altitudinem profunditatemque significarit Christus. Sed rectiùs per *summa cælorum* intelliguntur termini seu extrema cælorum: Interpretem enim pro iisdem habuisse summa & extrema, videri ex eo potest, quòd eandem vocem hîc vertat *summa* & *terminos*. Est ergo sensus, ab vno cæli extremo vsque ad alterum, q. d. ab Oriente vsque ad Occidentem, seu ab omni loco qui sub cælo est. Similis loquutio est Deut. 4. v. 32: *A summo cælo vsque ad summum eius*, pro, ab vno cæli termino vsque ad alterum; & Psalm. 18. v. 7. *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius*, ab vltimo puncto Orientis vsque ad vltimum Occidentis. Ne quis enim fortè cogitaret, solummodo à quatuor angulis mundi, & non etiam à mediterraneis regionibus ac locis, colligendos electos, addit ab extremis vsque ad extrema cælorum, declarationis, asseuerationis, & exaggerationis causa, eò quòd manifestè nullus locus sit qui non intra istos terminos comprehendatur. Sensus est igitur, vbicumque fuerint, quocumque tandem loco sub cęlo, quàm longè & latè patet mundus, quantumuis remoto aut abstruso loco ipsi aut partes eorum, corpora aut corporum partes vel cineres, facilè reperient eos Angeli, & coniungent partes sibi mutuò, ita vt resurgant qui fuerint mortui, & ad Christum iudicem omnes aggregētur, nec quemquam patientur abesse. Rerum itaque mundi extremarum hic videri possit futurus ordo, vt primùm omnium obtenebrescant sol, luna, & stellæ, quemadmodum solet moribundi hominis facies ante omnia expallescere. Mox fulgeat in cælo signum Filij hominis, Crux. Deinde circumagantur cæli insolita velocitate. Paulò pòst turbentur elementa omnia, præsertim aër, aqua, & terra. His succedat ignis corripiens mundum vniuersum & cōsumens omnia seruientia mortalium hominū vsibus, omnia inquam, hominum manibus facta & animalia omnia, præter hominem ipsum. Mundo hac ratione pereunte, apparebit hominibus qui remanserint viuis Iesus Christus, nube sedens, nubeque è cælis in hanc aëris infimam regionem magnificentissimè vectus, comitatus Angelis suis sanctis, quos e vestigio mittet ad resuscitandos homines omnes mortuos, omnesque viuos & mortuos ad iudicium congregandos. Interea dum alij à morte suscitabuntur, viui per ignem absque morte immutabuntur seu renouabuntur, vitamque mortalem cum immortali mutabunt, *non exspoliati, sed superuestiti*, seu superinduti, *absorpto quod mortale est a vita*, quemadmodum Apostolus loquitur 2. Cor. 5. v 4. Omnibus, viuis inquam & mortuis, mox resuscitatis & renouatis, adductisque ad locum iudicij, imperabit Iudex mundo tranquillitatem & serenitatem, eumque renouatum restituet decori illi, quem perpetuò seruaturus est, igne conflagrationis in abyssum coacto. Congruit enim tranquillitas iudicio, nec decet aut iudicem aut reos perturbari interea dum iudicium agitur. Quare non in igne iudicandi dicuntur reprobi, sed igni adiudicandi: *Discedite*, inquit, *a me maledicti in ignem*, infrà 25. v. 41. Mundo renouato agetur iudicium, aperientur libri, statuentur, alij sursum in nubibus à dextris iudicis, alij à sinistris relinquentur in terra. & cętera quemadmodum describitur proximo capite. Hic videri possit ex sacris Scripturis futurus rerum ordo in die nouissimo: quæ quia breuissimo tempore peragentur omnes, sæpe ita commemorantur, vt ordo iste videatur confundi: quamquam prophetica hæc omnia cùm sint, numquam intelligentur aut certiùs aut meliùs, quàm cùm fient vel facta fuerint. *Quibus modis & quo ordine hæc veniant* (inquit Augustinus lib. 20. de ciuit. Dei. cap. 30.) *magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligētia.*

ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολήν. ὅταν ἤδη ὁ κλάδος αὐτῆς γένηται ἁπαλὸς, καὶ τὰ φύλλα ἐκφυῇ, γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος· 32	Ab arbore autem fici discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia propè est æstas:	Mar. 13. v. 28. Luc. 21. v. 29 30.

AB ARBORE AVTEM FICI. ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς à ficu autem, quomodo est & syriacè. vide sup. 21. v. 19. ficum nominat potiùs quàm aliam arborem, quia ficus notissima erat in regione Iudæa, & passim obuia.
DISCITE PARABOLAM. id est, accipite similitudinem sumite exemplum. Similitudinem autem ipsam quam vult inculcatam deinde explicat. RAMVS. præsertim verò cauliculus ramique extremum. EIVS fici. TENER mollis, leuis, vegetus. FVERIT. γένηται factus fuerit. NATA. ἐκφυῇ enata s. fuerint. Alij legunt ἐκφύῃ, quod est germinat, producit. Primùm enim tenerescit ramus, deinde gemmas protrudit, & folia floresque parturit. SCITIS. siue ex consueto vobisque diu obseruato naturæ ordine, siue etiam ex ratione naturali, quòd PROPE sit ÆSTAS, proximè instare æstatem. Germinatio enim illa fici, vt effectus est solis nobis appropinquantis & incipientis calorem generare, cuius virtute, vitalis succus, qui antea præ frigoris rigore in radicem se receperat, sursum attractus per totum arboris corpus diffundatur: ita argumentum est, solem breuî nobis proximum fore, & calorem summum cum serenitate rerumque omnium maturitate coniunctum, quæ est æstas, effecturum.

οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅταν ἴδητε ταῦτα πάντα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις. 33	ita & vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis.	Mar. 13. v. 29. Luc. 21. v. 31.

ITA ET VOS. Apostolos alloquitur, tamquam qui hæc visuri essent, non quòd visuri essent, sed quòd placeret vt ipsi hoc sibi persuaderent: interim per ipsos hæc dicta vult illis iustis & electis, qui victuri essent in

fine ſeculi. HÆC OMNIA incipere & fieri, quæ iam prædixi de tempore conſummationis ſeculi, ſolem inquam & lunam obſcurari, ſtellas è cælo cadere, agitari cælos, apparere in cælo ſignum Filij hominis, mox-que etiam ipſum Filium hominis, emittentem angelos ſuos ad reſuſcitandos & congregandos ad iudicium homines. His incipientibus propè erit, eò autem propiùs quò longiùs hæc fuerint progreſſa. SCITOTE. γινώσκετε. Idem verbum, quia anceps eſt, pro loco, hic vertit per imperatiuum, quod mox per indicatiuum.

QVIA. quòd propè ſit, adeoq; in ianuis, id eſt, proximè. Quia proximus eſt nobis qui iam eſt in foribus domus noſtrę, hinc vſus loquendi, vt in foribus eſſe dicatur quod proximū eſt, qui exſtat & Gen. 4. v. 7. Iac. 5. v. 9. PROPE EST autem IN IANVIS, ſupple ex Luca *regnum Dei* ſeu *redemtio veſtra*. Tam certò & tam breuì conſequetur hæc regnum Dei, quàm certò & quàm breuì conſequitur æſtas germinationem arborum, immo etiam certiùs & breuiùs. His enim fieri incipientibus, propinquiſſimum erit regnum Dei; deſinentibus autem, ſuccedet. Mox enim vt emiſſi fuerint Angeli conuocandorum hominum cauſa, reſurgent homines omnes, alij in opprobrium, alij in vitam ęternam, quod erit regnum Dei. Eſt autem mens Ieſu, præmonere ſuos, ne viſis his quæ prædixerat horribilibus, plus æquo terreantur, ſed potiùs bono animo ſint, eò quòd ſigna certa videāt vicinæ ſalutis beatitudiniſque ſuæ (id enim ex Luc. 21. v. 28. intelligitur) tamquam æſtatis hiemi ſuccedentis, per quam, poſt toleratas varias huius mundi afflictiones, beata tranquillitate & æterna ſerenitate donandi ſint. Nam impiis, contrà, erunt hæc ſigna inſtantis horrendæ hyemis, poſt æſtatem quam ipſi ſibi hîc ſtatuerant.

Mar. 13. v. 30. Luc. 21. v. 32.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

34 ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται.

AMEN. Quia dixerat *cùm videritis*, tamquam Apoſtoli ea eſſent viſuri, quæ videri poterant diu, quippe in finem ſeculi, differenda: ne quis exiſtimaret diu differenda eſſe ea omnia de quibus hactenus loquutus fuerat, tum illa de excidio Ieroſolymorum & Iudææ, tum illa de ſignis mundi finem præceſſuris, graui aſſeueratione, *vt fides eſſet certa futurorum*, inquit Hilarius, confirmat, illa omnia, ea ipſa generatione futura; ita ſatisfaciens rurſus diſcipulorum ſuorum interrogationi, qua parte rogarant *Quando hæc erunt?* ſuprà v. 3.

QVIA NON PRÆTERIBIT. οὐ μὴ παρέλθῃ nequaquam prætererit, præterire non poſſit, hoc eſt, minimè deficiet aut eſſe deſinet. GENERATIO HÆC. hæc ætas & hoc hominum in me credentium genus. Quidam huius generationis nomine intelligunt *eam ætatem*, quidam *genus fidelium ſeu Chriſtianorum tunc recens ortum, cui Chriſtus in Apoſtolis loquebatur*, quæ poſterior interpretatio eſt Origenis, Hilarij, Chryſoſtomi eiuſque ſcholæ, & aliorum veterum, adferentium ſimilem ex Pſal. 23. v. 6. locum, quo viri innocui vocantur *generatio quærentium Dominum*. *Nouit enim Scriptura*, inquit Chryſoſtomus, *non à temporibus ſolum, ſed etiam à piis moribus, generationem deſcribere*. Multæ aliæ ſunt interpretationes, ſed has duas ita probo præ cæteris, vt etiam coniungendas arbitrer ad perfectum loci ſenſum. DONEC OMNIA HÆC quæ prædixi hactenus, vel de excidio Ieruſalem, vel de fine ſeculi. FIANT. γένηται facta fuerint. priùs fient hæc omnia, quàm generatio iſta prętereat, quàm homines omnes huius generationis moriantur aut eſſe deſinant. Diſſeruit hactenus hoc capite Chriſtus, partim de excidio Ieruſalem, partim de mundi pereuntis ſignis; proximè quidem de huius, paulo antè verò de illius excidio & ſignis. Quidam *hæc omnia* putant referre ſola ea quæ dixit de excidio Ieruſalem, alij ſola ea quæ de ſignis pereuntis mundi, alij denique omnia tam ea quæ de excidio Ieruſalem quàm ea quæ de fine mundi dixit. His poſtremis ego puto aſſentiendum eſſe, puto, inquam, Saluatorem, de vtriuſque & templi & mundi pereuntis ſignis, hîc loqui; alio tamen ſenſu intelligere, generationem illam non præterituram donec Ieruſalem cum templo euerſa ſit, alio non præterituram donec mundus incipiat interire. Ieruſalem enim intelligit euertendam, priuſquam illius, qua hæc loquebatur, ætatis homines omnes è viuis decedant, quemadmodum ſuperioris capitis verſu 36. dixerat: *Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam*. Mundum autem, intelligit, illa quæ prædixerat interitus ſigna paſſurum, priuſquam hoc hominum genus recèns ortum, quod in ſe formauerat & erudierat cuique loquebatur, hoc eſt, Chriſtianorum, deſineret; quantumuis recèns orti eſſent Chriſtiani, tamdiu tamen fore, quamdiu foret mundus; Ieruſalem euerſa Iudæiſque ad nihilum penè redactis, mundo denique pereunte, ſemper permanſuram Eccleſiam iam à Chriſto ædificari cœptam, nec vllis malis ſuperandam. Itaque vt perfectus habeatur loci ſenſus, duplex commentarius iungendus eſt, tam vocis *generatio*, quàm vocularum *hæc omnia*. neque mirum videri debet, Chriſtum vnâ ambiguâ oratione varia ſignificare voluiſſe, vnâ inquā oratione de pluribus tamquam quæ eiuſdem generis ſint loquutum, quæ non niſi æquiuocè ſint eiuſdem generis: ſcimus enim Chriſto propoſitum fuiſſe eam ingenerare mentibus diſcipulorum ſuorum opinionem, vt non magis excidium mundi, quàm excidium Ieruſalem, arbitrarentur procul abeſſe: quam ob cauſam mox dixerat, ſtatim poſt vaſtationem Iudææ adfore mundi finem. ſup. v. 29. Quamobrem cùm de vtroque hactenus loquutus ſit, & vtriuſque proxima ſigna latè deſcripſerit, iam vt paulò propiùs explicet quod diſcipuli auebāt ſcire, quónam tempore illa illorumque ſigna futura eſſent, addit, illa ea ipſa generatione futura: intelligens quidem, quemadmodum diximus, Ieroſolymorum excidium, ea ipſa viuentium hominum ætate futurum; mundi autem excidium, ea ipſa quæ tunc orta fuerat Chriſtianorum durante religione futurum; relinquens autem vt diſcipuli intelligerent, vtrumque ea ipſa viuentium hominum ætate futurum. Ita enim voluit mundi nouiſſimum diem eſſe occultū, vt tamen voluerit ab vnoquoque breuì exſpectari: qui quidem verè Dei æſtimatione breuì adfuturus erat, ſed non perinde hominum æſtimatione, ſi declaratum eis fuiſſet quantum temporis reſtaret. *Nam hoc modicum*, inquit Auguſtinus tractatu 101. in Iohannem, *longum nobis videtur, quamdiu adhuc agitur: cùm finitum fuerit, tunc ſentiemus quam modicum fuerit.* Ambiguè igitur loquutus eſt Chriſtus, vt ſolicitos redderet diſcipulorum animos de propinquo extremi iudicij die.

ὁ οὐρα-

ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι.

35 Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

Mar. 13. v. 31. Luc. 21. v. 33.

CÆLVM quo nihil in rebus creatis firmius est, quod rectè quidam olim aheneum dixit; ET TERRA, qua nihil immobilius aut constantius. TRANSIBVNT tamen seu *præteribunt*, id est mutabuntur, esse desinent suo modo, non quidem secundùm substantiam, sed secundùm præsentem statum, quo seruiũt rerum generationi & corruptioni, quem mutabunt cum meliore statu (Isa. 65. v. 17. 2. Pet. 3 v. 13. Apoc. 21. v. 1.) non absque maxima ipsorum & totius vniuersi perturbatione, qualem mox descripsimus v. 29. vide sup. 5. v. 18. & Luc. 16. v. 17. VERBA AVTEM MEA quæ hîc hactenus feci, & alia quæcumque. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Psal. 144 v. 13. NON PRÆTERIBVNT seu *transibunt* (eadem enim vox græca repetitur) id est, non erunt inania non fallent, non frustrabuntur euentu, nullo denique modo mutabuntur, sed omnino qualia dicta seu pronunciata fuerint talia erunt, hoc est, quidquid prædixerint id omnino eueniet, & eodem prorsus modo eueniet quo prædixerint, absque omni mutatione. Non enim de sono verborũ Christi hîc agitur, qui vtique transiit cõtinuò, adeoque nihil velocius verbo, quod statim perit simul ac enunciatum est: sed agitur de rebus per Christi verba significatis. Dicit igitur Christus, verba sua, cælo & terra, firmissimis totius machinæ mundi corporibus, firmiora & constantiora esse: illa enim aliquando mutanda esse, quemadmodum paulo antè docuerat; verba autem sua, talia prorsus esse, quales sunt res ipsæ, nec vllam passura vmquam mutationem, etsi de rebus futuris loquantur, sed ita prorsus implenda vt prænunciarant, quod est, verba sua esse diuinæ & incõmutabilis veritatis, adeoque Dei verba, quibus proprium est *manere in æternum*, quod Isaias ait cap. 40. v. 8. *Deducta enim*, inquit Hilarius, *ex æternitate, id in se continet virtutis vt maneant: illa*, cælũ inquam & terra, *ex conditione creationis suæ, id est, profecta de nihilo, habent id in se necessitatis, vt mutari & non esse possint*. Nã quia multa hactenus magnaq; prædixerat Christus, & ea omnia futura, de quorum veritate, quamdiu non euenissent, non esset hominum sed Dei solius iudicare: vt pondus addat verbis suis minimè inanibus, fidemque à discipulis talem impetret, qualem illos adhibere æquum fuerat; ad hæc ne quis postea his verbis ipsius fidem detrahere auderet, si quorum iudicio illa non implenda censerentur, eò quòd viderentur transgredi tempus quod factum à quibusdam suo tempore fuisse testatur Apostolus Petrus 2. epist. 3. v. 4.) protestatur, verba sua diuina, indubitata, & infallibilia esse, quæque non euenire tam sit impossibile, quàm Deum à veritate & à se ipso deficere. Hinc Victor Antiochenus in Marcum, imitatus, vt plerumque aliàs, Chrysostomum in Matthæum: *Cum Dominus*, inquit, *de seculi consummatione (de re vtique quæ apud multos parum recepta erat) verba faceret, in dictorum suorum fidem, cæli terræq; soliditatem allegat, perque hac eadem totius vniuersi se Dominum esse, non absque potestate demonstrat*.

περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ ὁ πατήρ μου μόνος.

36 De die autem illa & hora, nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus Pater.

Mar. 13. v. 32.

DE DIE AVTEM ILLA. Hactenus cùm descripserit Christus varia signa aduentus sui & consummationis seculi, quæ discipuli rogauerant sibi aperiri: hoc versu reprimit illorum curiositatem, qua petierant etiam tempus determinatum sibi declarari (suprà v. 3: *Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis seculi?*) docens non esse illud ab vllo mortalium inuestigandum, quippe quod nulli, ne cælestium quidem angelorum, Deus reuelet, secretum hoc apud se solum seruans. Dicit igitur: Satis sit vobis scire, constitutum esse à Deo nouissimum mundi aduentusque mei diem: sufficiat audisse ex me varia signa illius tum aliquando futuri tum propè instantis: nam definitum tempus quando ille adfuturus sit, Pater vestro bono vobis omnibusque occultat, nec ex iis quæ descripsi signis aut vllis aliis poterit à vobis intelligi. *De die autem illa & hora*, qua cælum & terra transibunt, quaque Filius hominis veniet & apparebit vt omnes iudicet. Per *diem & horam* intelligit *tempora & momenta* seu opportunitates, quemadmodum exponit Act. 1. v. 7., id est, certum tempus à Deo constitutum ac præscriptum consummationi seculi & aduentui iudicis. Non solùm enim diem & horam nemo scit, sed neque tempus certum, interprete Augustino epistolis 78. & 80. Cæterùm *diem & horam* dicere maluit, quàm mensem, annum, lustrum aut seculum, duas ob causas; vnam, ne procul abesse, quin potiùs instare, crederetur; alteram, quia annum & mensem poterunt fortassis aliqui scire, ij nimirum qui videbunt ea, quæ tamen incertum est prorsus quando appatitura sint, vltima instantis excidij mundi signa, quando propè erit in ianuis, quæ pars erunt ipsius excidij diem verò & horam, nec illi quidem. Sic enim, quamquam nemo nouit annũ aut mensem mortis suæ vel alienæ: vbi tamẽ videt vmbram mortis, id est, effecta illa quæ consueuerunt mortem proximè secum adducere, annum, mensem, hebdomadam, verisimiliter nouisse potest, diem & horam non item. NEMO vel propheta SCIT, sciuit aut sciet. Præsens à tempore absolutum, omne tempus in se comprehendit: non solùm enim de præsenti, verumetiam de præterito & futuro Saluator loquitur: nam &, quod prophetis atque apostolis negatum fuit, hoc nulli vmquam hominum reuelandum est priusquam appareat. *Scit* s. dicere quænam futura sit, vel nemo scit diem illam aut horam determinatam, quæ aut quando illa futura sit. NEQVE ANGELI. Ne angeli quidem. *Repressit eos*, inquit Chrysostomus, *ne discere vellent quod angeli nesciunt*. CÆLORVM: id est, cælestes. q. d. nemo neque in cælo, neque in terra, neque naturali scientia neque Dei reuelatione. Ne hominibus molestum sit diem illum nescire, Angelos eis Christus associat. Nimiæ enim superbiæ ac improbæ cupiditatis foret, plus nobis appetere, qui super terram reptamus, quàm cælestibus Angelis concessum sit. Cælestes Angelos latet: quid igitur terreni homines inuestigare se posse præsumunt, siue ex astris, siue aliundecumque? NISI SOLVS PATER. qui sibi vult hoc reseruare arcanum. *Hoc dum dicit, etiam prohibet, eos animi vt discant postea*, inquit Theophylactus. Pater vt solus apud se constituerat & prænouerat primam mundi diem horamque, ita solus apud se constituit prænouitque nouissimam hanc, nullis cuicumque se-

cundarum causarum inditis argumentis suæ qua hanc ordinauit liberrimæ voluntatis. Patri vt attribuitur mundi creatio, ita & mundi resolutio: sed vt creatio, futuræque creationis cognitio, communis fuit sacrosanctæ Trinitati, ita erit & resolutio, estque futuræ resolutionis cognitio. Dictio igitur *solus* non excludit Filium & Spiritum sanctum, sed solummodo creaturas, quod Euthymius & alij annotant: estque idem *solus Pater*, ac si dixisset *solus Deus*, si illam Scripturis familiarem attribuendi consuetudinem excipias. Aperuit igitur Christus discipulis suis, de nouissimo mundi aduentusque sui die, quidquid & quàm propè dici potuit: potuit autem dici quidquid vtile foret hominibus scire. Signa varia prædixit, ex quibus intelligi posset perituri mundi senectus ætasque nouissima: alia declarauit quæ cum ipso mundi interitu suoque ipsius aduentu coniuncta forent, quibus ad ipsas vsque ianuas discipulos adduxit: sed quemadmodum incertum est, quamdiu superuictura sit senectus hominis, quæ sola durat aliquando ad longius tempus quàm omnes simul superiores ætates; ita incertum relinquit, quando periturus sit mundus: & quemadmodum nescitur definita dies & hora mortis, etiamsi conspiciatur quis animam agere, ita nescietur mundi finis determinatus, etiam cùm extrema illa signa pereuntis mundi apparebunt. Sed quare, obsecro, Deus Pater seruat sibi huius rei notitiam? quia non prosit hominibus scire, ne fallacem concipiant securitatem: quia ignorantia huius rei hominibus vtilissima est, quò omni hora credant venturum iudicem, nescientes qua hora venturus sit, itaque semper vigilent, & paratos se teneant, ne imparati ex improuiso obruantur. Hanc causam explicat Christus versu 42. & aliis subsequentibus.

Luc. 17. v. 26.

Sicut autem in diebus Noë, ita [37] erit & aduentus Filij hominis.	ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

SICVT AVTEM s. fuit aut accidit IN DIEBVS seu temporibus NOE. ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε sicut autem dies Noë s. fuerunt. Ita est græcè ad verbum, verùm eo sensu quem dedit Interpres. *Vniuersalem*, inquit Chrysostomus, *prædictamq́; cladem & minime creditam, exempli loco proponere voluit, vt quoniam apud multos futura non creduntur, à similitudine præteritorum moueantur animo atque credant.* ADVENTVS. id est, in aduentu, proximè instante aduentu. Nemini, inquit, nouissimus ille mundi dies notus est aut erit, ac proinde inexspectatus erit hominibus incredulis & negligentibus salutis suæ, & imparatos nihilque tale exspectantes opprimet, quemadmodum diluuium quod accidit tempore Noe: fideles autem oportet perpetuas excubias agere. Hoc iam speciatim & veluti per partes clariùs explicat copiosiusque prosequitur.

Luc. 17. v. 27.

Sicut enim erant in diebus ante [38] diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam,	ὥσπερ γὰρ ἦσαν ἐν ταῖς ἡμέραις ταῖς πρὸ τοῦ κατακλυσμοῦ, τρώγοντες καὶ πίνοντες, γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες, ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτὸν,

ERANT s. homines reliqui præter Noë & ipsius familiam. IN DIEBVS. has duas voculas Syrus omittit. ANTE DILVVIVM, qui proximè præcesserunt diluuium, quo vniuersus semel periit mundus tempore Noë. COMEDENTES. τρώγοντες. Quamquam vox græca propriè dicatur de bestiis, magis tamen præsumpta securitas hîc notatur, quàm vitium. Quare & Lucas vtitur hominibus proprio verbo ἐσθίειν. Non simpliciter tamen intelligitur edisse & bibisse ad sustinendam naturam, sed genio indulsisse & conuiuiis vacasse citra solicitudinem. NVBENTES ET NVPTVI TRADENTES. γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες *vxores ducentes & ad nuptias dantes*, quomodo Interpres vertit secundùm Lucam, idque propriè. vide sup. 22. v. 30. Syrus, *accipientes vxores & dantes viris*. Sensus est, voluptatibus vitæ huius lætisque rebus solito more vacantes, & *tamquam nullo malo venturo lasciuientes*, quod inquit Chrysostomus, perinde scilicet occupati in deliciis & commodis præsentis vitæ, ac si nulla mutatio timenda fuisset. Itaque non tam damnat hoc loco Christus illius temporis intemperantiam in edendo, bibendo &c. (hoc enim si voluisset, atrociora longè illius ætatis scelera protulisset in medium) quàm quòd hęc egerint absque solicitudine, & timore prænunciati diuini iudicij, quòd spretis Dei minis supini exspectarint horribilem interitum, curandæ cuti & celebrandis voluptuosè nuptiis potiùs vacantes, quàm contemplando ac timendo exitio diuinitus sibi prædicto. Idcirco enim subiicit Christus:

Luc. 17. v. 27. 30.

& nõ cognouerunt, donec vênit [39] diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis.	καὶ οὐκ ἔγνωσαν, ἕως ἦλθεν ὁ κατακλυσμὸς, καὶ ἦρεν ἅπαντας· οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

ET NON COGNOVERVNT. & non cognoscentes s. exitium sibi imminens, quamquam antè prædictum; *Non cognouerunt autẽ*, id est, credere, seu cognoscere noluerunt, scientes prudentesq́; ignorarunt, non persuaserunt sibi aut certè sic se gesserunt tamquã mali nihil esset exspectandũ. Nam etsi fieri potuerit, vt multi per orbem terrarũ sparsi, omnino non cognouerint mali quid orbi instare, qui nihilominus ob scelera sua simul cũ aliis deleti sunt: de iis tamen præcipuè loquitur Christus, apud quos agebat Noë, eorumq́; vicinis, quibus Noë prædixerat diluuium ob hominum crimina instans, quorũ etiam oculis in arcæ fabrica per annos plus quàm centum triste spectaculum obiecerat, cuius rei famam per vniuersum penè mundum diuulgatam fuisse, sed somnij instar exceptam, non est dubium. Qui igitur viderant aut audierant, Dei per Noë virum iustum editum oraculum, præ cæteris magis fuere inexcusabiles & culpandi, quòd præter sceleratam vitam, quam non emendarent, etiam Dei minis fidem non haberent, sic agentes omnia quæ luberent, consueto more, tamquam

tamquam non crederent, vel certè non curarent futurum diluuium. *Iacebat*, ait Titus, *arca in medio ob omnium oculos, futurorum malorum prænuncia: at illi eam conspicientes, alij irridebant*, quod notat Theophylactus, alij parui faciebant, *& perinde ac si triste nihil instaret lasciuire pergebant*, alij denique, initio commoti animis, tandem quia diu differri diluuium videbatur, omnino non venturum sibi persuadebant. Fons itaque & causa perditionis istorum fuit incredulitas, quæ mentes eorum excæcauerat: sicut contrà Apostolus docet, Noë fidei oculis occultam adhuc Dei vindictam eminus vidisse, vt maturè eam timeret. Heb. 11. v. 7: *Fide, Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum.* Nam si credidissent illi futurum, id quod Noë prædicabat, non tantùm à sceleribus sibi cauissent, verùm nec libuisset eis celebrandis voluptuosè conuiuiis nuptiisque intendere: quemadmodum Noë cum suis, tametsi edit & bibit moderatè ad vsum necessarium naturæ, quamdiu placeret Deo eam viuere, non tamen in conuiuiis versatus est, aut nuptiis voluptuosè vsus, nimirum ob oculos semper habens imminens mundi excidium. Certè quod à nuptiarum vsu Noë eum suis abstinuerit, non obscurè intelligitur ex Gen. 5. v. 31. & 7. v. 11. 13. vbi cùm dicatur Noë quingentesimo vitæ suæ anno tres filios genuisse, eisque vxores dedisse, non legitur tamen aut ipse alios aut filij ipsius vllos liberos generasse ante diluuium, quod accidit sexcentesimo anno vitæ ipsius. DONEC VENIT adfuitque re ipsa DILVVIVM. Tunc experientia docti cognouerunt, sed serius, nihil tunc proderat nouisse, quod priùs nouisse noluerant. ET TVLIT. sustulit, occidit, submersit. OMNES huiusmodi, citra exceptionem, qui non cognouerant, aut, tamquam non cognouissent, sic se gesserant, qui quidem fuerunt homines prorsus omnes totius mundi, vno Noë cum suis excepto.

ITA ERIT. similiter accidet. ADVENTVS. id est, in aduentu, in diebus ante aduentum, qui proximè præcedent aduentum, vel vsque ad diem aduentus FILII HOMINIS ad iudicandum & consummandum mundum. Epulabûtur filij huius seculi & celebrabunt nuptias, operam dabunt omnis generis lætitiæ, *dicentes* quod Apostolus ait 1. Thess. 5. v. 3.) *pax & securitas*, tuta res & nihil periculi; pax abundans præsentibus bonis securitas tuta à futuris malis, persuasi tranquillè & securè agere se posse tranquillè frui præsentibus bonis, nihil metuere periculi ab iis quæ euenire possint malis, denique neglectis intenti prorsus erunt terrenis rebus, curas suas in longum tempus extendentes, & solitum vitæ cursum, ac si in eodem statu mansura semper esset terra continuantes. Atque hæc agent, ad eum vsque diem quo Filius hominis aduenìet, ita vt, vel omnino non cognoscant, à fide Christiana ad barbariem alienati, vel cognitum non credant, dicentes *vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ* (2. Pet. 3. v. 4.) vel creditum non exspectent, persuasi in longum adhuc tempus differendum, finem seculi extremumque iudicium, quamquam variis Dei oraculis prænunciatum, & signis præmonstratum, donec re ipsa præsens filius hominis iudex cum virtute multa & maiestate, omnes ipsos imparatos repètè opprimat cum horrendo ipsorum exterminio, & æternis pœnis immergat, omnes inquam huiusmodi, absque discrimine, à regibus vsque ad mancipia. Docet hoc loco Christus Dominus, quidquid à nobis hac in vita agitur, siue editur, siue bibitur, siue quiduis aliud geritur ad hanc vitam pertinens, conditum esse debere exspectatione aduentus sui extremique iudicij, vt ita fiat, vt non imparatos nos reddat ad subeundum iudicium, si repentè contingeret iudicem adesse. Ostendit denique hîc Christus, inexspectatum fore plerisque omnibus extremum mũdi aduentusque sui diem, ac proinde non fore illum certò præcognitum, quemadmodum diluuij dies præcognitus non fuit, vel certa illius hora aut tempus à Noë prædictum. Cæterùm grauis hîc quæstio oritur, quomodo hîc prædicat Christus, homines more solito ad extremum vsque mundi diem vacaturos huius vitæ voluptatibus, id quod congruit tranquillitati & paci: cùm superiùs, inter cætera signa consummationis seculi, dederit bella, pestilentias, famem, terræmotum, piorum denique grauissimas afflictiones, & hæc eò grauiora, quò mundi finis foret propinquior? Nam & quando accident signa proximè instantis finis mundi, regnumque Dei erit in ianuis, quando, inquam, sol obscurabitur, lunaque non dabit lumen suum, &c. disertè dixit: *Et tunc plangent omnes tribus terræ, & arescent homines præ timore & exspectatione eorum quæ superuenient vniuerso orbi.* Respondeo (præter hoc quod fieri poterit, id quod multi post D. Hieronymum asserunt, mundum nonnullo tempore pacatum ac tranquillum fore proximè ante interitum, quemadmodum sæpe fit, homines quasi conualescere, paulò antequam moriantur) nulla fore bella plagasque hoc in mundo, ante ipsam consummationem extremam, à quibus non multi immunes sint, etiam cõstituti inter media mala. Quidam enim victores erunt, pluresque alij huiusmodi quorum prosperitatem augebit miseria aliorum: denique piorum maximè afflictiones erunt, gaudẽtibus & exsultantibus impiis, id quod docent Augustinus epistola 80. & Chrysostomus hunc in locum, qui, *Pax*, inquit, *& lascitia insensatis erit, illi vitam in tribulatione trahentes mærebunt.* Cæterùm quando signa illa postrema pereuntis mundi euenient, nulli quidem lætè agent, omnes plangent & timore exanimabuntur: sed illa ad ipsam mundi consummationem interitumque pertinebunt, eruntque illius pars, quemadmodum oculi fracti, nasus distortior, interruptus anhelitus, pedes cruraque rigentia, pars sunt mortis hominis vniuscuiusque, & ad ipsam mortem pertinẽt. Quare quod Christus dicit, erunt comedentes, bibẽntes, vxores ducentes, & nuptum tradentes, vsque ad ipsam mundi consummationem & aduentum Filij hominis, intelligit, ad illa vsque extrema signa, quæ eadem initia sunt ac partes consummationis seu interitus mundi, & tamquam Filij hominis aduentantis satellitia quædam, cum ipso Filij hominis aduentu computãtur. Nam quando illa accident, nemini ampliùs lubebit edere, bibere, nuptiis aut rebus lætis operam dare, sed attoniti & exanimati exspectabũt omnes horam nouissimam vitæ, tum suæ, tum mundi, quæ non diu quidem differetur, incertum tamen quamdiu, quemadmodum incertum est quando moribundus exhalaturus sit animam, etsi certum sit diu viuere non posse. vide Luc. 17. v. 31.

τότε δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁ εἷς παραλαμβάνεται, καὶ ὁ εἷς ἀφίεται·	40	Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur:

TVNC. Ne quis existimaret absolutè omnes tunc temporis sic acturos, & proinde ex improuiso omnes perituros; aut ex certo aliquo hominum genere omnes vel perituros vel fore saluos; aut denique socios omnes hac in vita, socios quoque fore salutis vel interitus, subiicit: *Tunc* s. in aduentu Filij hominis, cùm s. cœperint

perint

perint apparere signa illa in sole, luna, & stellis, cæteraque pereuntis mundi, coniuncta cum aduentu Filij hominis. DVO ERVNT. continget duos esse, quorum vnus assumatur, &c. IN AGRO vno, colentes agrum vnum, socij operæ & mercedis (vide Luc. 17. v. 34.) nihilque minùs cogitantes quàm de fine mundi, quos subitò diuidet diuersitas præmij. ASSVMETVR. παραλαμβάνεται assumitur, certò subitoque assumetur: non quòd assumetur inter operandum, sed quòd locum præ terrore neuter mutabit, in quo cõprehenderint eos initia illa pereuntis mũdi, donec ex eo ipso loco breuì pòst rapiantur ad iudicium. vide rursus Luc. 17. v. 31. Nam quis rerum ordo tunc futurus videatur, suprà v. 31. descripsimus. *Assumetur* autem, ad Filium hominis. sic enim explicat ipse Filius hominis Luc. 17. v. 37., interrogantibus discipulis, *Vbi Domine?* Assumetur, inquam, ad Filium hominis, ipso iudice æterna vita beatitudineque coronandus, & perpetua ipsi societate iungendus. *Qui assumitur, rapitur obuiam Christo in aëra: qui autem relinquitur, improbatur*, ait Ambrosius in Lucam. Non omnes itaque tunc temporis citra timorem lasciuient & repente perdentur: sed quidam similes Noë, in arcam vitæ assumti seruabuntur. RELINQVETVR. ἀφίεται relinquitur. s. in terra. Non quòd eo loco permanebit (rapietur enim ad locum iudicij) sed quòd, non sursum ad Filium hominis rapietur, quemadmodum ipsius socius, sed infrà in terra relinquetur, longiùs à Filio hominis, vbi, ipso Filio hominis ex alto ferente sententiam, condemnandus est pœna ęterna, indeque detrahendus in inferiora tartari. Tunc igitur videre erit admirabilem tristissimamque diuisionem, eorum qui visi fuerant sibi mutuò coniunctissimi.

Luc. 17. v. 35.

41 duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur. | δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι, μία παραλαμβάνεται, καὶ μία ἀφίεται.

DVÆ ancillæ MOLENTES. Ancillarum olim fuisse molere, & hoc fuisse extremum vilissimumq; inter homines conditionis ac vitæ genus, clarum fit ex Exodi 11. v. 5., vbi inter se opponuntur tamquam extrema, primogenitus Pharaonis regis & primogenitus ancillæ quæ est ad molam. IN MOLA vna. Per molam intelligit *pistrinum* (quomodo secundùm Lucam legit Ambrosius) id est, locum in quo molitur: quemadmodum & vox græca μύλων, pistrinum propriè, non *molam* significat. VNA ASSVMETVR. non reiicietur à regno Dei, vel fæmina, vel conditio aliqua seruilis, tametsi Scribæ seruos & fæminas in numero eorum non censeant, qui congregationem Israel faciunt. VNA RELINQVETVR. Nulla conditio hominum singulariter vel exclusa vel ad salutem excepta erit: sed vt ex singulorum animantium generibus, quædam in arcam assumta sunt vt seruarentur, alia in terra relicta vt diluuio perirent; sic fiet & in conditionibus vitæ hominum. Non itaque hìc significatur, vbicumque duo sub nouissimum diem simul futuri sunt, eorum alterum seruandum, alterum exitio relinquendum, aut quòd necesse erit, quicumque inter se coniuncti fuerint, ita diuelli (fieri enim poterit, vt aut seruẽtur aut pereant ambo) sed significatur in primis quod diximus, non omnes qui vnius erunt conditionis vitæ, pariter aut seruandos aut reprobandos, verbi gratia, liberos diuitesque non seruandos omnes nec omnes reprobandos, similiter neque seruos & pauperes, sed ex omni statu & conditione etiam vilissima, alios seruandos, alios perituros, quemadmodum nunc in omni statu sunt boni & mali, & in omni conditione ac gradu optimis admixti sunt pessimi. Significatur deinde, nec societatis tunc habendam esse rationem vt serueris, si ipse malus fueris; neque vt perdaris, si bonus; socios non ideo quia communi necessitudine coniuncti sunt paris fore tunc sortis, sed, citra omnem commiserationem, separandos subitò à se mutuò etiam coniunctissimos, si discrepent meritis, dolore maximè deplorabili eorum qui relinquentur: quemadmodum Noë, non soli filij vel nurus erant, verumetiam alij multi, parentes, consanguinei, cognati, socij, necessarij, qui relicti fuerunt omnes, quia Noë monita sequuti non fuerant. Nemo igitur socium exspectet vt Deo seruiat, sed quisque pro se omni vinculo solutus & expeditus celeriter currat. Significatur postremò, tam piis & electis incognitam fore diem illam & horam, quàm reprobis. Nam si præcognita foret, nemo tunc agrum coleret aut molæ circumagendæ vacaret, aut aliud simile ageret, quod non tam ad præsentem, quàm ad futurum vitæ mortalis vsum destinatur. quod cùm non seruiat nisi futuris vitæ mortalis necessitatibus, ab ea die deinde necessarium esse non potest. Docet igitur, non ex eo fore, quòd ex paribus alij præ aliis assumentur, quòd hi præ illis maiorem notitiam obtinebunt illius diei vel horæ (declarabit enim opus ipsum eorum, quòd ea iustè hora iudicem nec ipsi exspectauerant) sed intelligendum relinquit, discrimen ex eo fore, quòd alij futuri sunt similes ipsi Noe, alij coætaneis Noë, quos mox descripserat. Hi perierunt, vt dictum est, quia futurum diluuium non credentes aut certè non exspectantes, non se pararunt, vt iram Dei possent effugere: Noë seruatus est, quia credidit Deo comminanti, &, quamquam nesciret determinatum diluuij diem, parauit se tamen modis omnibus vt euadere posset quando Deo placeret immittere. Sic in fine seculi, relinquentur, qui futurum iudicium non credentes aut certè non exspectantes, non vigilauerint, neque se parauerint; assumentur autem, qui vigilauerint, & in officio permanentes paratos se semper tenuerint ad eum diem quandocumque tandem adforet. Hoc verò Christus consequenter iam clariùs latiùsque docet & explicat.

Mar. 13. v. 33. Luc. 21. v. 36.

42 Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. | γρηγορεῖτε οὖν, ὅτι οὐκ οἴδατε ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κύριος ὑμῶν ἔρχεται.

VIGILATE. Sic ordinanda periodus est: *Quia ergo nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, vigilate*. Quia ergo dies illa horaque ignota est vobis, vt cæteris omnibus, & incuriosos ipsius perditura est plerosque omnes, vos, si vobis consultum velitis, *vigilate* s. omni die horaque, ne & vos dies illa horaue ex improuiso opprimat dormientes. Porrò non loquitur Christus de corporis, sed de animi mentisque vigilia & somno. Vigilat enim, qui diem illum præ oculis habens, solicitus est ne fortè ingruat imparato, ac proinde ad eum semper se parat paratumque tenet, pœnitentia, fuga vitiorum, & exercitio virtutum. Dormit è contrario, qui diem illum futurum non timens, securè peccatis dat operam, & torpori desidiæque indormit, non metuens eo die

eo die inueniri imparatum. Duo igitur requirit vigilia quæ hîc præcipitur, memoriam exſpectationemque diei Domini, coniunctam cum ſolicitudine vt ad eum diem parati ſimus, & fugam vitiorum ſtudiumque virtutis quibus ad eum diem paramur. Nec infrequens eſt Scripturæ ſacræ, ſtudium vitiorum, ſomnum; virtutum, vigiliam vocare. 1. Theſſ. 5. v. 4: *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis eſtis & filij diei, non ſumus noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus.* Similia loca ſunt, Rom. 13. v. 11: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.* &c. Eph. 5. v. 8: *Vt filij lucis ambulate,* &c. *Surge qui dormis,* &c. Quemadmodum enim qui dormit, non præuidet pericula imminentia, nec proinde ſibi cauet: ita qui viuit in peccatis, tamquam non prænoſceret, non præcauet mala ſibi à die Domini impendentia. Contrà qui virtuti ſtudet, tamquam vigil & memor diei illius, aſſidueque Dominum exſpectans, præmunit ſe & ſuæ conſulit immunitati ac ſaluti. Accedit quòd ad virtutem ſeruandam magna vigilantia & circumſpectione ſit opus, ob vitia vndique circumſtantia & aduerſantia; & vigilia, etiam corporis, virtutis ſtudio ferè coniuncta ſit, vt caſtitati, ſobrietati, orationi; vitiis verò ſomnolentia & corporis & animi, vt manifeſtum eſt in fornicatione, crapula, ebrietate. vide Luc. 21. v. 34. Poſtremò alludit hac metaphora Chriſtus, etiam ad ſimilitudinem ſeruorum operientium reditum Domini ſui, quam ſæpè aliàs adfert: è quibus qui vigilat, ſatisfacit officio ſuo, paratus oſtium aperire & excipere Dominum foris aduenientem; quod non, is qui dormit. Neque verò vno aut altero dumtaxat die hîc vigilare iubemur, ſed omni die horaque (quia enim neſcimus qua hora, vult vigilemus omni hora) id quod obſeruat etiam qui neceſſario ſomno ſe dat, modò ante ſomnum paratum ſe præſtiterit ad eum diem, ſi fortè dormientem occuparet: neque enim requiritur, vt actu ſemper cogites de die Domini, ſiue dormias, ſiue vigiles corpore. Semper vigilat, qui ſemper ſe parat aut paratus eſt in eum diem, quemadmodũ mox exponit Chriſtus v. 44. ſubſequente. NESCITIS. *Non dixit ſe neſcire,* inquit Chryſoſtomus, *ſed quòd ipſi neſciant.* QVA HORA. quo tempore. Certò venturus eſt, ſed incertum vobis quo tempore, idcirco omni tempore vigilare debetis. DOMINVS VESTER. id eſt, Filius hominis: de nullius enim, niſi de Filij hominis aduentu hactenus loquutus eſt. Dominum igitur ſe noſtrum manifeſtè vocat, cùm ob creationem, tum maximè ob redemtionem, quòd propter nos homo factus, nos ſeruos peccati libertati propediem aſſerturus eſſet, ſoluto ſanguinis ſui pretio. VENTVRVS SIT. ἔρχεται venit: præſens pro futuro. Supple autem, ad iudicandos vos, ad reddendum vnicuique veſtrũm pro meritis æterna vel præmia vel ſupplicia: hic enim eſt aduentus Filij hominis, qui promittitur poſt aduentum eius in carnem. Continetur autem hac parte cauſa vigilantiæ præceptæ: Dominus veſter venturus eſt ad vos iudicandos, & æternis vel præmiis vel ſuppliciis prout digni fueritis afficiendos: iudicabit autem procul dubio, quales vos inuenerit: vigiletis igitur oportet, & curetis vt eo ſtatu à Domino inueniamini, quo non ſuppliciis ſed præmiis æternis mereamini ipſius iudicio affici. Nam pendet hinc totius ſumma ſalutis veſtræ. Hæc eſt, inquam, cauſa vigiliæ: continuæ verò & perpetuæ vigiliæ cauſa continetur, qua parte dicit *neſcitis qua hora,* prout mox eſt declaratum. Alloquitur autem hîc Chriſtus, in Apoſtolis ſuis, etiam reliquos omnes homines iuxta id quod Mar. 13. v. 37. addit: *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*: cumque hoc ipſum quod hîc dicit, inferat ex præcedentibus (quod monſtrat coniunctio *ergo*) dat intelligendum, quod veteres omnes tractatores annotant, hanc eſſe cauſam, cur viſum ſit Deo Patri, vt dies illa horaque nobis omnibus occulta & ignota maneat, vt continuè perpetuoque vigilemus, vt ſemper benefaciamus & paratos nos teneamus ad ſubeundum iudicium Domini; ne, ſi dies illa horaque præcognita nobis eſſet, toto vitæ tempore in peccatis viueremus, nec niſi in fine diem Domini pœnitendo exſpectaremus; triduo fortaſſis antè vigilaremus, noſque ipſi præpararemus in occurſum Domini, rati reliquo tẽpore ſecurè dormire & operibus tenebrarum vacare nos poſſe. *Solicitos igitur facit,* inquit Chryſoſtomus, *& curioſos, ne vmquam virtutem negligant.* Sic enim incertos nos de aduẽtus ſui tempore eſſe voluit, vt tamen quotidie, immo ſingulis momentis, ad eum exſpectãdum intenti eſſemus, vt incertitudo temporis, quæ aliis adducit ſegnitiem, nobis attentionis & vigilantiæ eſſet ſtimulus: conſultò namque nobis abſconditum eſt, vt nullo vmquam momento ſecuri continuas excubias ageremus. Sed dicat aliquis: Quæ ratio eſt, propter paucos quoſdam homines, quos dies ille ſupremus viuos inueniet, cæteros omnes antecedentes, numero infinito maiores, attonitos ſuſpenſoſque tenere illius diei timore & exſpectatione, qui non poterit ex improuiſo occupare longè antè mortuos? Reſpondeo, etſi dies mundi nouiſſimus, non alios comprehendet viuos quàm mortalium vltimos, tamen quod de eo die dicitur, ad omnes quocumque ſeculo viuentes mortales, & ad ſingulos eorum, maximè pertinere: quia cum nouiſſimo mundi die, & ſub eo, intelligitur vitæ vniuſcuiuſque nouiſſimus dies, & ſub iudicio omnium generali intelligitur iudicium vniuſcuiuſque particulare: atque ita intelligenda ſunt verba Chriſti, cùm de aduentu & iudicio ſuo mundique fine loquitur, vt non ſolùm vniuerſalem mundi finem, verùm etiam ſingularem vniuſcuiuſque mortalium, & aduentum ſuum tam in hoc quàm in illo fine, ob oculos ponat; Nec mirũ, habet enim Chriſtus ac Scriptura ſacra, dies & aduentus illos iudiciaque pro vno & eodem, tum quia eiuſdem rationis ſunt quod ad incertitudinem temporis & periculum noſtrum, tum quia nexu quodam neceſſario ſeſe mutuò conſequuntur, & omnino ſibi inuicem reſpondent. Nam (quod ſuprà recitauimus ex epiſtola 80. D. Auguſtini) *in quo quemque ſtatu inuenerit ſuus nouiſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouiſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo iudicabitur.* Vbi & latiùs paulò pòſt in eandem ſententiam Auguſtinus ſcribit his verbis: *Cur itaque omnibus dicit, quod ad eos ſolos pertineat qui tunc erunt, niſi quia eo modo ad omnes pertinet quomodo dixi? Tunc enim vnicuique veniet dies ille, cùm venerit ei dies, vt talis hinc exeat qualis iudicandus eſt illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum inueniat eum Domini aduentus. Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit ſuæ vitæ huius vltimus dies.* Hæc D. Auguſtinus. Neque ſolùm talis iudicabitur quiſque in nouiſſimo mundi die, qualis mortuus fuerat, verumetiam qualis mox à morte iudicatus fuerat. Hinc B. Auguſtinus libri 2. de anima & eius origine ad Petrum presbyterum capite 4: *Nam illud quod rectiſſimè & valdè ſalubriter credis* (doctor ille tuus) *iudicari animas cùm de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari, atque in ipſa qua hic vixerunt carne, torqueri ſiue gloriari, hoc itáne tandem ipſe neſciebas?* & D. Hieronymus in caput ſecundum Ioëlis prophetæ: *Diem Domini,* inquit, *diem intellige iudicij, ſiue diem exitus vniuſcuiuſque de corpore. Quod enim in die iudicij futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis die mortis impletur.* Pro vno

itaque

itaque & eodem habetur, mortis vniuscuiusque & extremi iudicij dies: nam quamuis tempora diuersa sint, status tamen, & causa, atque sententia eadem est, ita vt illud solùm propemodum differre videatur, quòd hic singuli iudicentur, illic omnium simul iudicia promulgentur. Sed quare igitur, in huius generis argumento, potiùs nominatur dies iudicij quàm dies mortis? causa est, quia in die iudicij, omnes, publicè iudicati, perfectam pro meritis retributionem accipient: in die mortis, non omnes, sed singuli, non publicè, sed occultè iudicantur, nec perfectè remunerantur, sed iuxta animam tantùm, corporis enim remuneratio differtur in resurrectionem. Nota est autem ea sacrę Scripturæ consuetudo, qua tum potiùs rem fieri commemorat cùm innotescit, quàm cùm fit: ob quam etiam, piorum præmia & supplicia impiorum, adscribit diei mundi nouissimo, non quòd ante eum diem nihil referatur aut præmij aut supplicij, sed quòd non perinde manifestum sit. Itaque cùm pro vno eodemque habeantur, dies mundi nouissimus & dies mortis vniuscuiusque, qui propter illum vigilare monentur, monentur simul propter hunc: & quibus incutitur solicitudo ob incertitudinem Dominici aduentus, tam aduentum in fine vitæ, quàm aduentum in mundi fine, ob oculos habere iubentur.

Luc. 12. v. 39.

Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.

43 ἐκεῖνο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν εἴασε διορυγῆναι τὴν οἰκίαν αὐτοῦ.

ILLVD AVTEM. Exemplo docet semper vigilandum esse, quod superiori versu monuerat. SCITOTE. agnoscatis oportet, quod in confesso est. QVONIAM SI SCIRET. ὅτι εἰ ᾔδει quòd si sciuisset PATERFAMILIAS bonus QVA HORA. quo tempore. ποίᾳ φυλακῇ qua custodia (quo modo est etiam syriacè) qua vigilia noctis. vide sup. 14. v. 25. VIGILARET VTIQVE. ἐγρηγόρησεν ἄν vigilasset, ET NON SINERET καὶ οὐκ εἴασε & non siuisset, nõ permisisset. DOMVM SVAM. parietes domus suę. Cùm ostia plerumq; firmiùs obstructa sint, quàm vt possint à quoquam foris aperiri aut effringi, fures alias ædium partes tentant, vt ingressum sibi faciant. Subaudiendum est hìc, nec proinde rerum suarum damnum pateretur, aut passus fuisset. Nam, siue sermo sit de eo qui iam passus sit damnum, iuxta græcum, siue de eo qui passurus sit, iuxta latinum & syriacum textum, eodem res recidit. Cæterùm non est perfecta hæc similitudo, sed ex proximo versu, quo res ipsa explicatur, intelligitur supplenda hunc in modum: Sed quia scire non potest paterfamilias, qua hora aut quo tempore fur venturus sit, eò quòd furis conditio sit, vt eo tempore veniat quod minimè sciatur, & quo minimè exspectetur, idcirco omni tempore vigilare debet, si vel quantùm possibile est, vt res suas à fure seruet. Vel iuxta græcam lectionem: Sed quia scire non potuit quo tempore fur venturus esset, eò quòd fur illud tempus obseruet quo minimè omnium exspectetur, vigilasset omni tempore, si possibile fuisset: verùm quia impossibile est & abhorrens ab hominis natura, perpetuò esse vigilem, accidit vt passus sit damnum.

Luc. 12. v. 40.

Ideò & vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.

44 διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς γίνεσθε ἕτοιμοι, ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.

IDEO. ne damnum patiamini, non pecuniæ aut supellectilis, sed totius salutis vestræ. ET VOS omnes, exemplo animosi gnauique patrisfamilias, cui ad perpetuò vigilandum, non voluntas deest, sed naturæ possibilitas. ESTOTE PARATI ad subeundum iudicium Filij hominis, omni hora seu tempore. Non dicit *vigilate* (iam enim subindicauerat, impossibile homini esse semper vigilare) sed *parati estote*, sic interpretans, quod metaphorico sermone suprà v. 42. dixerat *vigilate*: nam semper esse paratum, minimè impossibile est. Paratus enim semper est, qui semper eo statu consistit, quem Dominus requirit, qui semper eum vitæ statum tenet, qui Deo gratus est. Nam huic nihil periculi imminet à iudicio Filij hominis, immo verò Filio hominis iudice æterna vita remunerandus est. Contrà imparatus est, qui aliter se habet quàm pręcipit Dominus, cuius vita seu conuersatio eo statu est qui displicet Deo, dissentanea inquã à præceptis Dei: huic enim imminet à Filij hominis iudicio discrimen extremum, quippe quo addicendus sit æternis suppliciis. QVA NESCITIS. ᾗ οὐ δοκεῖτε qua non putatis. præsens pro futuro, qua minimè exspectabitis. HORA. tempore. VENTVRVS EST ad vos iudicandos, in morte primũ, deinde & in resurrectione. furis s. instar, eo quo minimè putabitur tempore. Furi manifestè assimilat seipsum Christus, quod attinet ad diem aduentus sui, quemadmodum frequenter alibi sacrę literę, nominatim Apoc. 16. v. 15: *Ecce venio sicut fur*; idque quia vtriusque aduentus incertus est, & inopinatus, plerisque etiam omnino inexspectatus. Monet igitur Christus, vt curemus nos ipsos omni tempore sic gerere & habere, vt quandocumque venerit Dominus, inueniat nos paratos & in officio constantes, dignosque qui ipsius iudicio ad cælestia præmia assumamur. Porrò vt integer sensus superioris versus ex hoc eliciendus fuit, ita est huius ex illo, hunc in modum: Quòd si sciretis, qua hora Filius hominis venturus esset, in eam horam vos pararetis. *Tale quid autem est quod dicitur*, inquit Chrysostomus cum discipulis suis Tito & Euthymio: *Si scirent homines quando sunt potißimum morituri, ea prorsus hora pœnitere studerent, & diligentiam suam circa illam horam ostenderent. Ne igitur illo solummodo tempore, sed continuè diligentes sint, per๑ totam vitam magno studio satagant se paratos tenere, & communem omnium finem, & eum qui cuique proprius est, fecit Deus vt ignorarent, furisq; instar venturum prædixit.*

Luc. 12. v. 42.

Quis putas est fidelis seruus &

45 τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς δοῦλος καὶ φρόνι-

φρόνιμος, ὃν κατέστησεν ὁ κύριος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι αὐτοῖς τὴν τροφὴν ἐν καιρῷ;

prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?

QVISPVTAS. τίς ἄρα quisnam. Admonitioni congruenti omnibus, subiicit aliam peculiarem Apostolis suis reliquisque quos Ecclesiæ suæ præfecturus erat, vt quibus incumbere deberet singularis vigilandi necessitas, & cura non tantùm sui ipsorum, verumetiam aliorum: quos priùs quidem præmiis allicit ad præstandum officium; postea terret suppliciis, si defuerint. Quare Hilarius hunc in locum: *Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantia curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est, episcopis, in exspectatione aduentus sui sollicitudinem mandat*. Cæterùm, quod monet Chrysostomus, potest parabola hæc suo modo accommodari omnibus, qui quouis modo præsunt aliis, vel ad erogandam dispensandamque quam Deus concesserit pecuniam. EST FIDELIS SERVVS. Sic ordinanda videtur hæc periodus: *Quisnam seruus, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore, est fidelis & prudens?* SERVVS non dominus. Seruum enim se agnoscens, dominum agere non debet; pro domini voluntate, non pro suo libitu regere. FIDELIS. fidus ET PRVDENS. *Fidelis*, vt non fallat; *prudens*, vt non fallatur; *fidelis*, vt non quæ sua sunt sed lucrum domini & conseruorum salutem sincerè quærat; *prudens*, vt mediis ad hoc vtatur quàm maximè propriis; *fidelis*, ne neget conseruis cibum debitum; *prudens*, vt distribuat, iudicio adhibito, qualem quantumque cuique oportet: *fidelis* denique, ne retineat aut consumat in vsum proprium ea quæ sunt conseruorum; *prudens*, vt dispenset ea conseruis tempore opportuno: beneficium enim non suo tempore datum, frustrandū redditur, & beneficij nomē amittit. *Vtraque igitur re opus est*, inquit Chrysostomus, *ne s. quæ domini sunt ad proprios vsus rapiamus, & vt opportunè omnia dispensemus. Nam si alterum horum absit, eius absentia alterum omnino claudicat*. Si enim fidelis quis fuerit, sed non prudens, plus sæpe obest quàm prodest: si verò prudens, sed non fidelis, is tantò intolerabilior, quantò prudentior: vtrouis autem modo, pereunt res domini. CONSTITVIT. præteritum est. DOMINVS suus. foras proficiscens. *Dominus* ipsum, non ipse se. SVPER FAMILIAM SVAM, ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ super famulitium suum, super reliquos famulos suos: Syrus, *super filios domus suæ*, id est, super domesticos suos. quem præfecit reliquis seruis suis. VT DET. vt dispenset seu subministret: non tam vt accipiat, quàm vt det. ILLIS. familiæ seu famulitio, reliquis seruis.

CIBVM. τὴν τροφὴν alimentum. necessarium & congruum. IN TEMPORE. tempore opportuno. quotidie in prandio & in cœna, vel qualibet hebdomade aut mense. pro more patriæ. Ponit Christus patremfamilias, cui amplum sit famulitium, eumque humanum & benignum, qui foras profecturus vnum ex seruis suis præficiat reliquis, cui mandet curam aliorum, vt illis operi suo incumbentibus, prospiciat temporibus opportunis de cibo: in quo seruo requirit fidem & prudentiam, qualem descripsimus. Porrò huic patrifamilias tacitè se comparat Christus, qui breuî ex hoc mundi iturus ad Patrem, aliquos ex seruis suis præfecturus erat reliquis, qui reliquos cælestis doctrinæ & diuinissimorum sacramentorum pabulo, quo cibarentur & alerentur in vitam æternam, ipsius vice pascerent, & saluti tam illorum quàm suæ inuigilarēt, nec vllo vmquam opportuno tempore ab opere cessarent, donec ipse à dextera Patris ad visitandum & iudicandum omnes rediret. Ab his exigit fidelitatem & prudētiam; fidelitatem, ne docere aut regere negligant, vel, quod sit peius, verbo aut exemplo seducant, suæ curæ commissos; prudentiam, vt quàm opportunissimè faciant, quæ sui officij sunt, eaque ratione qua optimè Deo aut custodiant aut lucrifaciant sibi creditos. Altera harum virtutum si desit, non satisfaciunt illi officio, immo perdunt animas sibi commissas: quamquam Apostolus 1 Corin. 4. v. 2. non requirat nisi fidem, & prudentiam s. includens fidei, tametsi ad hunc Euangelij locum videatur alludere. Hinc igitur summi Ecclesiæ præsules, Episcopi dicti sunt, tamquam inspicientes & aduigilantes ne desint necessaria.

μακάριος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν 46 ἐλθὼν ὁ κύριος αὐτοῦ εὑρήσει ποιοῦντα οὕτως.

Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit sic facientem.

Luc. 12. v. 43.

BEATVS ILLE. q. d. rarus est huiusmodi seruus, sed beatus quisquis tandem huiusmodi est. *Non enim ignorans dixit quisputas est, sed vt quod rarum est ac multo dignum honore demonstraret*. ita Titus. Raros fore significat Ecclesiæ suæ præfectos qui bene præerunt, qui populum Christianum sibi commissum fideliter prudenterque recturi sint, sed ter quaterque beatos fore quicumque huiusmodi sint futuri. CVM VENERIT. cùm redierit, quantumcumque tardè aut ex improuiso. Non enim fecerat eum dominus, temporis quo rediturus esset certiorem, vt perpetua solicitudine in officio contineretur. SIC FACIENTEM. id est, fideliter & prudenter reliquis quibus præpositus fuerat seruis administrantem cibum temporibus congruis, sicut ipsi fuerat præscriptū. *Beatus ille* Episcopus omnisque Ecclesiasticus præfectus, *quem cùm venerit* ad iudicium DOMINVS, siue in vitę, siue in mundi fine, qui ex improuiso vtique veniet, quaque minimè exspectabitur hora, INVENERIT ipse dominus. Non enim ille beatus, qui ab humano die iudicetur huiusmodi (1. Cor. 4. v. 3.) sed qui domino probetur, & quem dominus *inuenerit* iudicaueritque, attentum in officium suum, suo gnauiter fungentem officio pascendi regendique populi. *Sic* inquit *facientem*, ipso nimirum actu momentoque quo venerit dominus: non enim sufficiet bene aliquando fecisse, nisi ad aduentum vsque suum perseuerantem dominus inuenerit.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐπὶ πᾶσι τοῖς 47 ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν.

Amen dico vobis, quoniā super omnia bona sua constituet eum.

Luc. 12. v. 44.

AMEN. Explicat beatitudinem serui illius. QVONIAM, id est, quòd. OMNIA BONA SVA.

πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ ad verbum, *omnia quæ sunt ipsius*, quomodo vertit & Syrus. Super omnes diuitias, facultates, & res suas, super vniuersam substantiam suam, non tantùm super seruos suos eorumque cibos. Quia seruos quibus præpositus fuerat fideliter prudenterque rexit, administrans eis cibum in tempore, expertus dominus illius fidem ac diligentiam in cibis seruorum, credet ei, non seruos solùm seruorumque cibos, verumetiam thesauros, diuitias, & bona sua omnia, vt ea omnia administret, & primas ipse eis vtatur fruaturque. Præficiet eum omnibus bonis suis, & veluti rerum omnium consortem habere dignabitur, ita vt propemodum domino æquetur suo, quomodo Pharao honorauit Iosephum Gen. 41. v. 40. & deinceps. His significatur singularis beatitudinis gradus, respondens merito eorum, qui populo Christiano præfecti, fideliter prudenterque id munus obierint. Non tantùm enim populo illi præferentur, quemadmodum hac in vita: verumetiam dominabuntur omnibus creaturis, cælestibus ac terrestribus, & conregnabunt cum Christo, cui omnia tradidit Pater; non soli quidem assequuturi æterna præmia, sed cæteris ampliori fruitione possessioneque cælestium & diuinorum omnium bonorum honorandi ac beandi. Quemadmodum Adam in statu innocentiæ dominabatur omnibus creaturis: ita electi à resurrectione recuperabunt hoc donum; verùm longè excellentiùs illi, qui non se solos, sed & alios, ad vitam æternam adduxerint.

Luc. 12. v. 45.

Si autem dixerit malus seruus 48 illle in corde suo, Moram facit dominus meus venire:

ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ κακὸς δοῦλος ἐκεῖνος ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν·

SI AVTEM. *Deinde, quod semper factitat*, inquit Chrysostomus, *non à bonorum præmiis tantùm, sed à prauorum etiam pœna, audientes corrigit*, comminans ex aduerso exitium præfectis malis. MALVS. vel infidelis, vel insipiens, vel vtrumque. ILLE. id est, huiusmodi, constitutus scilicet super famulitium domini sui. IN CORDE SVO. More hebraico dictum est, in corde dicere, pro, occulta persuasione teneri, ita affectum esse ac si ore diceres, quamquam non facilè hoc ore exprimas. MORAM FACIT. χρονίζει tardat. iamdiu reditum distulit, nec etiamnum citò rediturus est. Inibo igitur aliam rationem gubernandæ familiæ, auctoritatemque mihi, non serui, sed domini vsurpabo. Testantur enim mores huius, quòd non ductus desiderio aduentus domini, dicat *Moram facit dominus*, &c., sed amore vitiorum, tædioque perseuerandi in officio & timore Domini, quemadmodum annotat Augustinus epist. 80. Significat Christus, huiusmodi fore plures Ecclesiæ suæ præpositos, qui, ex absentia ipsius & iudicij tarditate, accepta occasione, delegata præfectura abutentur: longiore Domini mora confisi, inopinatum eius aduentum non cogitabunt, longos sibi vitæ annos pollicebuntur, diemque illum quo reddenda sit ratio fingent numquam venturum, postremò absentiæ Christi prætextu impunitatem sibi promittent in corde suo. Hanc discimus hîc, causam esse vitæ impiæ multorum Ecclesiæ præfectorum, ita vt pro libidine quiduis audeant absque vllo Dei metu.

Et cœperit percutere conseruos 49 suos, manducet autem & bibat cum ebriosis:

καὶ ἄρξηται τύπτειν τοὺς συνδούλους, ἐσθίειν δὲ καὶ πίνειν μετὰ τῶν μεθυόντων·

ET COEPERIT ac perrexerit, tamquã domino numquam aut serò admodum venturo hac, inquam, re confisus. Multi initiò, cùm præfecturam acceperunt, rectè se gerunt, aduentum timoremque Domini habentes præ oculis: sed postquam præfectura ipsis, temporis lapsu vsque, stabilita videtur, exuunt timorem Domini, & tamquam agnata ipsis præfectura perpetua foret, nec Dei iudicio obnoxia, incipiunt agere omnia pro libitu. PERCVTERE. pulsare, verberare, iniuria afficere, non tantùm non cibare & pascere ac regere, verumetiam opprimere & iniustè tractare, ac potestate ad seruorum bonum sibi data, ad tyrannidem abuti; non tantùm non docere, rebus sacris imbuere, & iuxta Christi leges gubernare, verumetiam exemplo, si non verbo quoque, à recta fide aut pia vita seducere, & constantes variis modis vexare. *Percutere est iniustè percutere*, inquit Auctor Imperfecti: *qui autem propter iustam causam percutit, etsi percutiat, percutere non videtur. Sicut enim iusta ira, non est ira, sed diligentia: sic iusta percussio, non est percussio, sed correctio.* CONSERVOS SVOS. quibus ipse conditione nihil melior est, seruus inquam quales ipsi, præter hoc solum quòd superiorem obtineat locum. MANDVCET AVTEM ET BIBAT. ἐσθίειν δὲ καὶ πίνειν manducare autem & bibere s. cœperit ac perrexerit, id est, comessationibus ac potationibus se addixerit, bonis administrationi ipsius à domino concessis abutens ad suas voluptates, *& præsentium tantum curam in cultu ventris exercens*, quod ait Hilarius. *Bibat*, inquit. Non necesse est vt potatio ad ebrietatem vsque progrediatur, qua obruatur vsus rationis: sufficit si reddat ineptum ad obeundum officium, tempusque consumatur potando, quod sollicitudini ac labori tribuendum est. CVM EBRIOSIS. μετὰ τῶν μεθυόντων cum ebriis, quod est; cum ebriosis seu ebrietati deditis, vt vertit Interpres. Neglecta cura conseruorum, & societate optimorum quorumque, conuersetur cum ebriosis, comessationibus & potationibus vacans, & in hæc substantiam Domini sui Christique patrimonium expendens ac prodigens. Non latuit Filium Dei, quales futuri essent mores plerorumque Ecclesiæ suæ præfectorum: nihil enim absurdi, verbis istis, non minas tantùm, sed & prophetiam contineri. Omnium autem criminum in præfectis, duo summa capita hîc licet obseruare: alterum est iniuriæ faciendæ cupiditas & audacia, quo comprehenditur neglectus salutis subditorum; alterum est voluptatum studium. Porrò illud ad hoc tamquam ad finem refertur: facit enim quis iniuriam aliis, vt suis commoditatibus ad voluptatem propriam consulat.

Luc. 12. v. 46.

veniet dominus serui illius, in 50

ἥξει ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου, ἐν ἡμέρᾳ

ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ, καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκει, | die qua non sperat, & hora qua ignorat,

VENIET DOMINVS. ad eum iudicandum. En serui nequam supplicium & pœna. Principiò spe sua frustrabitur, veniet enim Dominus, & maximum ipsi terrorem incutiet inopinatus eius aduentus. NON SPERAT. οὐ προσδοκᾷ non exspectat s. eum venturum, immò qua putat eum adhuc longè abesse. HORA. ἐν ὥρᾳ in hora. Rectè omisit Interpres *in*, quod potuerat & mox omisisse, cùm diceret *in die*. Dies autem & hora pro tempore accipiuntur. QVA IGNORAT. Nam præter hoc quòd omnibus ignota sit hora siue mortis siue excidij mundi: fit plerumque, vt citiùs è medio tollantur illi, qui vitam sibi longissimam pollicentur.

καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ [51] μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. | & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis. illic erit fletus & stridor dentium.

Luc. 12. v. 46.

DIVIDET. *Non lenem patremfamilias, sed seuerißimum sentiet iudicem*, inquit Hieronymus. *Diuidet autem*, ait, *non quò gladio eum dissecet, sed quò à sanctorum consortio eum separet*. *Diuidet* igitur *eum*, id est, in hoc malitiæ statu inuentum amputabit seu separabit à familia sua, ab officio amotum eiiciet ex numero seruorum suorum familiarium. PARTEMQVE EIVS PONET. Dabit ei talem partem, id est, hereditatem, sortem, conditionem, qualem hypocritis. consortem eum faciet hypocritarum. Similis loquendi modus est, Iob 20. v. 29: *Hæc est pars hominis impij à Deo*; Iob 27. v. 13: *Hæc est pars hominis impij apud Deum*; Psal. 72. v. 26: *Pars mea Deus in æternum*, & alibi, desumtus à diuisionibus hereditatum, vt & alij similes: *Dominus pars hereditatis meæ*, &c. Significatur igitur, non qualiscumque pars, sed stabilis, hereditaria, æterna, perpetua inquam hereditate possidenda. CVM HYPOCRITIS. id est, cum impiis, cum reliquis impiis. sic enim frequenter accipitur nomen חנף *haneph* pro omni impio. Iob 8. v. 13. 13. v. 16. &c. Morientes & rursus ex morte resurgentes episcopos cæterosque Ecclesiæ præpositos malos, officio priuabit Christus, ab Ecclesia separabit, & in gehennam eiiciet, vbi pars hereditasque æterna est omnium impiorum. ILLIC. vbi pars hypocritarum erit, & simul huiusmodi serui mali. ERIT FLETVS. Hæc gehennæ descriptio est, *illic erit fletus & stridor dentium*, Christo Domino vsitata, quam hîc repetit, vt explicet quæ sit futura huius serui mali & cæterorum reproborum hereditaria pars, æternum inquam gehennæ supplicium. Illic, vult dicere, pro malè dulcibus voluptatibus, quibus ebrius non exspectarat aduentum Domini, intolerabili cruciatu punietur, risu verso in fletum, & cantilenis in stridorem dentium. Porrò quia hîc fletus & dentium mentio est, videatur hoc solum pertinere ad tempus à resurrectione, nisi & animabus à corpore separatis sua membra tribuerentur, vt animæ diuitis Epulonis oculi & lingua, Luc. 16. v. 23. 24., idque propter vires animæ singulas, respondentes singulis membris corporis. Reliqua ad huius inferorum descriptionis explicationem facientia, vide suprà 8. v. 12. & 13. v. 42. 50. Transit autem subitò Christus hoc loco, à parabola ad rem significatam: quia tam clara fuit parabola, quàm si & superiora omnia nudè proposita fuissent. vide simile suprà 22. v. 13. & infrà 25. v. 13.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

τότε ὁμοιωθήσεται ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν δέκα παρθένοις, αἵτινες λαβοῦσαι τὰς λαμπάδας αὐτῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου. [1] | Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ.

TVNC. in subitaneo illo & improuiso meo Filij hominis aduentu ad iudicandum mundum. SIMILE ERIT. ὁμοιωθήσεται assimilabitur s. etiam: nam & ea quæ præcedit parabola, depingit quid tunc accidet in Ecclesia: sed illa quidem ad præpositos Ecclesiæ pertinuit maximè, hæc omnes admonet, *doctores & populares*, inquit Auctor Imperfecti, *non solos præpositos, nec solas plebes, sed prorsus omnes*, ait Augustinus serm. 23. de verbis Domini. REGNVM CÆLORVM. Ecclesia quam ex hoc mundo collegerim. vide sup. 3. v. 2. Quamuis reprobi, qui hac in mortali vita fuerant Ecclesiæ membra, à resurrectione, etiam ante iudicium, nō erunt ampliùs membra Ecclesiæ: sic tamen de eis loquitur, tamquam adhuc forent, donec manifesto publicoque iudicio sint separati. DECEM VIRGINIBVS. Sensus est, Tale quid accidet in populo Ecclesiæ regnique mei, quale, si decem virginum ad nuptias inuitatarum, quinque excludantur nuptiis, quia sponso subitò adueniente minùs paratæ, &c. vide sup. 13. v. 24. Tertia hac parabola hortatur nos Christus ad perpetuam vigilantiam: id quod constat ex conclusione, infrà v. 13. Prima parabola à fure sumta fuit; secunda à seruo, familiæ domino absente præposito; tertia hæc à virginibus nuptialibus, aduentum sponsi exspectantibus: non satis enim vigilantiæ commonefieri possumus, qui somnolentiæ plus æquo dediti sumus. In his porrò parabolis, simul & in ea quæ subsequitur de distributis talentis, huiusmodi est ordo, vt quò sunt posteriores, eò perfectiùs explicent formam futuri iudicij vniuersalis: cuius & historiam tandem subiicit Dominus. *Decem virginibus* ad nuptias inuitatis & assumtis in obsequium sponsæ. Quemadmodum mos erat Iudæorum in nuptiis, vt sponso darentur iuuenes aliquot comites siue socij, quos sup. 9. v. 15. diximus vocari filios sponsi: ita mos erat vt sponsæ darentur virgines seu iuuenculæ aliquot; & quidem decem numero, quod annotant quidam. Huc alludit Psalmus 44. v. 15: *Adducentur regi virgines post eam*, &c. QVÆ ACCIPIENTES. αἵτινες λαβοῦσαι

quæ cùm accepissent. LAMPADES SVAS nuptiales, accensas. *Nam quæ lampades suas queruntur extingui*, inquit Hieronymus, *ostendunt eas ex parte lucere. Acceperunt lampades*, scribit Origenes, *inprimis quidem accensas, sed ad tantum iter obuiam exeundi sponso oleum non acceperunt.* EXIERVNT OBVIAM. occurrerunt, id est compararunt se ad occurrendum. omnes enim occurrerunt animo & professione, si non reipsa, omnes se præpararunt suo singulæ modo, omnes exspectarunt aduentum, omnes denique proximum erat vt reipsa occurrerent, nisi quasdam remoratæ fuissent lampades oleo deficientes. SPONSO ET SPONSÆ. Græcè nulla est mentio *sponsæ*, vt neque apud Græcos tractatores, Chrysostomum, Titum, Theophylactum, & Euthymium. Constanter verò additur latinè & syriacè, vt etiam exponitur à veteribus, Hilario, Auctore Imperfecti, & Augustino, quemadmodum in Notationibus nostris in varias lectiones olim ostendimus. Legatur, non legatur, certè intelligendum videtur: neque enim sponsus absque sponsa facilè potest solus intelligi, præsertim in virginum comitatu. Huiusmodi igitur nuptialium virginum, inter cætera, erat, nocte nuptiarum (solebat enim nuptiarum pompa nocte celebrari, & quidem ferè à puellis) conuenire domum sponsæ, illicque vnà cum sponsa operiri aduentum sponsi, singulis lampadibus ardentibus instructis, omninoque paratis; deinde, huiusmodi cū apparatu, sponso ædibus appropinquanti, obuiam nonnihil procedere; denique sponsum deducentem mox sponsam domum suam, nuptiarum celebrandarum gratia, comitari, eisque honoris gratia lampades lumenque præferre. Hic intelligitur quomodo occursus seruierit vtrique, & sponso & sponsæ. Sic porrò est & singulorum, regno Christi adscriptorum, id est, Christianorum Ecclesiæ adhærentium, instructos fide, virtutibus seu bonis operibus splendida, exspectare in nocte seculi huius, aduētum Christi ad Ecclesiam illam suam, cælesti regno æternisque gaudiis, qua parte illam lata sententia dignam iudicauerit, beandam, eique aduentanti sic instructos occurrere. Hæc professio est plerorumque omnium Christianorum: profitentur enim plerique, quòd Dominum venturum ad vniuersale iudicium (de eo enim præcipuè hìc sermo est) exspectent, seque ad illius occursum parent fide & operibus bonis. exspectent inquam, tamquam sponsum, quem ament, & amanter atque honorificè excipere desiderent, idque vt cum ipso & sub ipso consortes fiant cælestium gaudiorum. Cæterùm sunt quidam Christiani, qui hoc non profitentur, ij nempe, quorum vita manifestè mala est, & euidenter rebellis mandatis Dei. Quare D. Augustinus serm. 23. de verbis Domini: *Non qualescumque*, inquit, *animæ hic significantur, sed tales animæ quæ habent catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Ecclesia Dei.* Seipsum sponso, & Ecclesiam suam sponsæ, assimulat Christus sup. 22. v. 2: singulos item Ecclesiæ suæ, filiis seu filiabus sponsi seu sponsæ, sup. 9. v. 15. Simul omnes enim sunt Ecclesia ipsa sponsa, singuli verò sunt tamquam filiæ sponsæ, virgines, sociæ, seu pedisequæ sponsæ. Nam & virgines vocantur ab Apostolo 2. Corint. 11. v. 2. 3., si fidem in Christum simplicem seruent & incorruptam: fornicantur enim, pro modo loquēdi sacrarum Scripturarum, qui alium Deum colunt præter Dominum: virgines proinde sunt, qui fide nulli vmquam alij quàm Deo Christoque adhæserunt. Porrò per lampadem fides significatur, interpretibus Hieronymo & Auctore Imperfecti; per lampadem autem accensam, fides coniuncta cum bonis operibus: sine quibus operibus fides non lucet, id est, extincta seu *mortua est*, interprete B. Iacobo cap. 2. v. 26.; cum quibus verò, lucet, ardet, ostenditur. *Ostende mihi* (inquit ibidem Iacobus v. 18.) *fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.	2	πέντε δὲ ἦσαν ἐξ αὐτῶν φρόνιμοι, καὶ αἱ πέντε μωραί.

FATVÆ ET QVINQVE PRVDENTES. Græca & syra, ordine inuerso, præponunt prudentes fatuis: *Prudentes & quinque fatuæ*, qui ordo naturę magis consentaneus est. Fidelium seu Christianorum, eorum etiam quorum cum fide lucent opera bona, alij prudentes sunt, alij, nec pauciori numero, vt ne dicam maiori, fatui stultique. Omnes in hac vita absque discrimine misti sunt & professionis titulo coniuncti, omnes sunt Christiani, omnes baptizati, omnes Ecclesiæ Catholicæ adhærent, omnes fidei etiam bona opera iungunt, omnes aduentus Christi exspectationem cum vita æterna profitentur, id est, omnes virgines sunt professione, omnes habent lampades & quidem accensas, omnes vocari se parant ad nuptias & ad sponsum excipiendum: dispares verò quomodo sint, apparebit in aduentu sponsi; qui prudentes sint, qui fatui, vbi Dominus venerit, conspicuum erit. Prudentes sunt, qui rebus suis cautè tutoque prospiciunt, qui prouidēt media ad finem quem desiderant assequendum necessaria: contrà fatui, qui negligunt eam curam, qui non curant prospicere sibi de necessariis ad finem.

Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumserunt oleum secum:	3	αἵτινες μωραὶ λαβοῦσαι τὰς λαμπάδας ἑαυτῶν, οὐκ ἔλαβον μεθ' ἑαυτῶν ἔλαιον·

SED QVINQVE FATVÆ αἵτινες μωραὶ quæ fatuæ. sic est & syriacè. *Sed* non legitur græcè aut syriacè: Interpres videtur addidisse, hunc versum primo opponens, tamquam dixisset Saluator, omnes quidem acceperunt lampades suas vt sponso obuiam irent, sed fatuæ ita acceperunt lampades suas, vt non etiam *oleum secum s. in vasis*, ex proximo versu. Declarat quare fuerint fatuæ, quia contentæ assumsisse lucentes lampades, oleum inquam in lampadibus, non prospexerunt sibi de oleo in vasis, quo affuso foueri sustinerique lux lampadum posset, si quando illæ extinctionem minarentur, sponso diutiùs tardante. Illæ, non considerantes incertitudinem aduētus sponsi, primàne face, an secunda tertiàve noctis vigilia, venturus esset, persuaserant sibi, quod habebant in lampadibus suis oleum, suffecturum, aut certè non ita subitò proditurum sponsum, quin spatium aliquod suppetere posset alicunde comparandi olei, si opus foret. Similes his plurimi sunt Christiani, qui fide & externa morum honestate contenti, non sunt soliciti de charitate Dei solidaque pietate, qua Deum diligant ex toto corde, qua faciant omnia vt Deo placeant, qua refugiant quidquid Deo displicet, siue manifestum illud sit siue secretum, qua denique non coram hominibus tantùm & ad tempus

splen-

splendeant, sed Dei etiam iudicio probari, & æternùm in cælis lucere queant. Externa virtutis pietatisue opera, cum recta quidem fide coniuncta, non tamen ex charitate Dei aut solidè pia mente profecta, quibus commendabiles redduntur hominibus dumtaxat, sufficere posse putant, vt eis Christum iudicem excipiant, eisque confidunt proinde, non intelligentes, splendorem illorum temporarium tantùm esse, extinguendum procul dubio dispariturumque Christi aduentu: aut certè si ea sufficere non putant, sperant non ita ex improuiso venturum Dominum, quin aliunde poterunt iuuari, siue patrocinio sanctorum, siue pœnitētia, siue alio modo. His deest *oleum in vasis*, hoc est, *charitas Dei diffusa in cordibus* Rom. 5. v. 5.) *Vascula enim nostra sunt corda*, inquit Gregorius Homilia 12. in Euangelia; oleum autem est charitas, qua Deus super omnia diligitur, quæ vt oleum vniuersis humoribus, ita supereminet ipsa vniuersis virtutibus, sine qua fides otiosa, languida, extincta, mortua est, siue qua denique nulla eduntur opera bona, quæ quidem Deo grata sint, & Christo iudice mereantur cælestia gaudia. Hæc interpretatio eadem est cum illa Hieronymi & Auctoris Imperfecti, qua per oleum bona opera intelliguntur: charitas enim vna solaque, mater & radix & nutrix est operum bonorum: fides dictat quid operandum sit, charitas verò est quæ operatur, atque ita operatur, vt numquam sit otiosa, vt semper & ita opportunitate operetur. Habent igitur isti cum fide aliquid dilectionis & bonorum operum, tamquam aliquid olei in lampade lucente, seruant complura mandata Dei, non pauca edunt opera officio bona, viuunt sine scandalo: sed oleum in vasculis, id est, matrem ipsam solidè bonorum operum, nutricemque perpetuam, qua solidè perpetuoq; illa lucere & ardere queant, charitatem ingenuam, non habent in cordibus *non habent*, vt D. Hieronymus loquitur, *lumen indeficiens, nec opera perpetua*. Quamobrem fatui vocantur, quòd contenti similitudine veri, ipsum verum ac necessarium medium, ad assequenda cælestium nuptiarum gaudia, non sibi tempestiuè comparent.

αἱ δὲ φρόνιμοι ἔλαβον ἔλαιον ἐν τοῖς ἀγγείοις αὐτῶν, μετὰ τῶν λαμπάδων αὐτῶν. 4 prudentes verò acceperūt oleum in vasis suis, cum lampadibus.

CVM LAMPADIBVS *αὐτῶν* *suis* reperitur græcè. Non suffecit eis assumsisse ardentes lampades: nam quia, consumto eo quod in lampade est oleo, contingit eam tandem extingui, assumserunt etiam secum oleo plena vascula, ex quibus infuso in lampadem recenti oleo, tenerent eam in lumine, considerantes incertam horam aduentus sponsi: ne fortè enim imparatæ deprehenderentur, exitus omnis prouiderunt. His similes sunt alij Christiani, qui non contenti fide cum externa morum honestate coniuncta interna etiam se iustitia instruunt, quæ in charitate, & bonis quæ ex ea semper pullulant operibus, consistit: & quamuis externa non negligunt, Deo tamen ante omnia placere quærunt nec tam confidunt in externo lumine quod hominibus patet, quàm in eo quod absconditè gerunt oleo solidæ pietatis, qua nixi nullam lampadum suarum extinctionem metuunt, Christo iudice ac sponso tardè licet aduentante.

χρονίζοντος δὲ τοῦ νυμφίου, ἐνύσταξαν πᾶσαι καὶ ἐκάθευδον. 5 Moram autē faciente sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt.

MORAM FACIENTE. *χρονίζοντος* tardante. Loquitur accommodatè ad virgines quæ sponsi aduentum exspectabant, quibus, quia statim vt sperabant non venit, visus est nimium morari: tempus enim quamuis breue, præ impatientiæ nostræ feruore, nimis diu protrahi videtur. DORMITAVERVNT. nictarunt, quod fit, quando oculi somno prægrauati conniuent & mox in somnum incidunt demisso capite, mox somnum excutiunt erecto, quemadmodum faciunt qui in longum vigiliam protrahere conantur. ET DORMIERVNT. tandemque prorsus obdormierunt. Mora sponsi quæ videbatur, fuit causa somni, aut potiùs occasio: nam propria somni causa est humana infirmitas. Prænunciat Christus, non quidem diu differendum aduentum suum ad iudicium vniuersale, quem vult ab omnibus omni hora exspectari, sed non tam citò adfore, quàm plerique fidelium arbitraturi essent, quin scilicet alij eorum priùs obituri essent mortem, alij desituri essent de ipsius aduentu cogitare, &, quo tempore accidet, actu eum exspectare (sic enim euenire solet iis qui diu aliquem exspectarunt, vt tandem exspectare desinant) tam ex numero eorum qui probi sincerique forent, quàm ex eorum qui hominibus viderentur solummodo huiusmodi. Duplex interpretatio hîc coniuncta est, quia parabola etiam ad eos pertinet quos viuos inueniet aduentus Christi: somnū vocare solemus, si quis non cogitet ea de re de qua meritò deberet: somnū item sacræ Scripturæ mortem vocant, quia tam facilè Deus mortuos suo tempore excitabit à morte, quàm homo dormientem excitat à somno. Quare D. Hilarius: *Mora sponsi*, inquit, *pœnitentiæ tempus est: exspectantium somnus, credentium quies est, & in pœnitentiæ tempore mors temporaria vniuersorum. Non tardat quidem Dominus*, sed si tardare videtur, sicut quidam existimāt, *patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*, quod ait Petrus 2. Epist. 3. v. 9. Oportet namque vt numerus electorum compleatur, suam quoque mūdi malitia assequatur plenitudinem. Ista consideranda sunt, ne tarditatem aduentus Domini, cum impiis, in argumentum incredulitatis & negligentiæ trahamus.

μέσης δὲ νυκτὸς κραυγὴ γέγονεν, ἰδοὺ ὁ νυμφίος ἔρχεται, ἐξέρχεσθε εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ. 6 Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.

MEDIA NOCTE, cùm omnes profundo somno detentæ, nihil minùs quàm de aduentu sponsi cogitarent. CLAMOR magnus, quo excitari possent omnes, etiam altissimè dormientes. FACTVS EST subitò, à præeuntibus sponsi comitibus, cùm is appropinquaret ædibus sponsæ. ECCE SPONSVS desideratus, quem hactenus exspectastis, VENIT. præsentis temporis est. EXITE. vt tam honorificè quàm amicè

amicè eum excipiatis. Quando minimè omnium exſpectabitur ab iis qui tunc in viuis erunt, pleriſque hominum antè diu mortuis. *ſubitò emittet Filius hominis angelos ſuos cum tuba & voce magna* (quod ſup. 24. v. 31. habuimus) qui nuncient ipſum adeſſe, omneſque conuocent ad occurrendum ipſi, iudici quidem omnium, ſponſo autem eccleſiæ ſuæ & prudentium omnium Chriſtianorum, parato eos in cæleſtia gaudia inducere. *Nocte media clamor, cunctis ignorantibus*, inquit Hilarius, *tubæ vox eſt, Domini præcedentis aduentum, & vniuerſos vt obuiam ſponſo exeant excitantis; clamor, quaſi præcurrentium & prætubantium angelorum*, ait Auctor Imperfecti. *Nam ſubitò*, quod ſcribit Hieronymus, *quaſi intempeſta nocte & ſecuris omnibus, quando grauiſſimus ſopor eſt per angelorum clamorem & tubas præcedentium fortitudinum, Chriſti reſonabit aduentus.* Clamat quidem quotidie Dominus, breuî ſe venturum, ſed multi audire ſe diſſimulant: tunc tota mundi machina reſonabit, & terrifica maieſtas Domini ſic implebit cælum & terram, vt ad vnum omnes quàm ociſſimè ſurgere & Domino occurrere cogantur. id quod proximo verſu ſequitur.

Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas.

7 τότε ἠγέρθησαν πᾶσαι αἱ παρθένοι ἐκεῖναι, καὶ ἐκόσμησαν τὰς λαμπάδας αὐτῶν.

TVNC ad eum clamorem. SVRREXERVNT à ſomno, vt obuiam egrederentur ſponſo, eumque dignè exciperent. OMNES, etiam fatuæ. ORNAVERVNT *compoſuerunt* vertit Origenis Interpres, apparauerunt, vel certè apparare tentauerunt (nam fatuæ hoc præſtare nequiuerunt, quod conſtat ex proximo verſu) affuſo oleo, ſi deeſſet, abſterſis ſordibus, ſi quæ vel ab oleo vel ab ellychnij muco contractæ eſſent, viridibus denique foliis aut floribus vel aliis conſimilibus ornamentis additis. LAMPADES SVAS, quò ſponſo gratę forent. Clamoſiſſimus Chriſti aduẽtus omnes excitabit à ſomno ſiue mortis ſiue incogitantiæ, & ſolicitos reddet quomodo Chriſto occurrant, etiam fatuos. Mox enim vt nouiſſimæ tubæ ſonitu excitati omnes erunt, *adſpicient & diſcutient fidem ſuam*, ait Auctor Imperfecti, *conſiderabunt opera ſua, interrogabunt conſcientias ſuas*, conuertent mentem ad conſiderationem vitæ anteactæ, an illa huiuſmodi fuerit quæ ſponſo probari poſſit, aut de qua iudici rationem reddere queant, nihilque æquè deſiderabunt, quamquam ſerum tunc erit quidquam hanc in rem agere. *Nam*, quod D. Auguſtinus ait ſerm. 23. de verbis Domini, *nihil aliud eſt, cœperunt aptare lampades ſuas, quam parare Deo operum ſuorũ reddere rationem.* Iis igitur qui ad id præſtandum ſe conſiderabunt imparatos, non erit gratus clamor ille *Ecce ſponſus venit* (quamquam per ſe ſuauiſſimus, meritoque optatiſſimus) ſurgendum tamen erit omnibus, exeundum, & comparendum, paratis, imparatis.

Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.

8 αἱ δὲ μωραὶ ταῖς φρονίμοις εἶπον· δότε ἡμῖν ἐκ τοῦ ἐλαίου ὑμῶν, ὅτι αἱ λαμπάδες ἡμῶν σβέννυνται.

FATVÆ AVTEM. cùm adornare lampades ſuas non poſſent. DATE NOBIS aliquid DE ex OLEO VESTRO, quod habetis in vaſculis veſtris oleariis, quo lumen lampadum noſtrarum reſtauremus. QVIA LAMPADES NOSTRÆ, cùm ad mediam vſque noctem arſerint, oleo omni quod inerat conſumto EXTINGVVNTVR, nec aliud nos oleum habemus, quo eas ardentes teneamus. Nefas eſt autẽ inanibus extinctiſque lampadibus ſponſo occurrere, & contra omnem morem eſt, ſic ad nuptias admitti. *Tametſi fatuæ erant, hoc tamen intelligebant*, inquit Origenes. Simulatque ad iudicium excitati conuocatique omnes fuerint, vt *dies ille illuminabit abſcondita tenebrarum & manifeſtabit conſilia cordium* (1. Corint. 4. v. 5.) ita facilè videbunt & intelligent, ſeriùs licet, illi qui hoc in mundo, non tam Deo placere, quàm externa morum probitate hominibus ſatisfacere ſtuduerant, vitam illam ſuam non fuiſſe permanenti lumine ſolidaq; pietate præditam, eiuſmodi quæ ferre poſſit iudicium Dei, & digna ſit vita æterna gaudiiſque cæleſtibus, id quod hîc philautia & amore terrenorum excæcati minùs intellexerant. Quare auxilium tunc implorabunt eorum, quos, libris apertis, videbunt prudentiùs ſe geſſiſſe, & ſaluti meliùs proſpexiſſe ſuæ. Taxatur itaque hîc ſera eorum pœnitentia, qui ſuos defectus non antè ſentient, quàm dum præcluſa erit remediis ianua. *Antequam dormirent illæ virgines* (inquit Auguſtinus ſerm. 23. de verbis Domini) *non eſt dictum quia extinguebantur lampades earum. quare tunc ardebant? quia non deerant laudes hominum.* Præſente ſponſo extinguuntur, quia tunc laus erit vnicuique à Deo (1. Corint. 4. v. 5) non ab hominibus.

Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.

9 ἀπεκρίθησαν δὲ αἱ φρόνιμοι, λέγουσαι· μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν· πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τοὺς πωλοῦντας, καὶ ἀγοράσατε ἑαυταῖς.

NE FORTE NON SVFFICIAT. Quia græcè ſequitur πορεύεσθε δὲ μᾶλλον *ite autem potiùs, ſed ite potiùs*, ſupplent alij interpretes eclipſim addito verbo *veremur, periculum eſt, non faciemus*, aut ſimili: Non faciemus, nequando non ſufficiat; Veremur vt ſufficiat. Cæterùm Interpres vetus non legit illud δὲ *autem*, itaque nullam ſenſit eclipſim. *Hoc autem non de auaritia prudentes*, ait Hieronymus, *ſed de timore reſpondent*, non apertè negantes, ſed prudenter declinantes petitionem fatuarum. VENDENTES. participium loco nominis *venditores* ſ. olei, elæopolas. VOBIS. ἑαυταῖς vobis ipſis. Non erat aliud præſentius remedium, ſed periculo pleniſſimum, ob moram emtum abeundi & vicinitatem ſponſi, ita vt non tam conſulendi cauſa prudentes, quàm exprobrandi & irridendi, hoc dixiſſe videri poſſint, huiuſmodi ſenſu: Fuit antehac opportunum tempus emendi olei, quod à vobis negligi non oportuit: ſerò iam abibitis emtum, nuptiis interea excludendæ. Signi-

gnificatur hîc, nullum in die nouissimo auxilium ab electis ferendum reprobis, non quòd electi tunc sibi ipsis non satis confident, qui certissimi de sua salute & securissimi erunt, sed quia serùs erit quã vt auxilium dare possint. In hac vita impios iusti iuuare possunt & debent, exhortationibus, orationibus, intercessionibus, satisfactionibus, non ita vt permanentes in impietate saluentur, sed vt Deo reconcilientur & ad iustitiam conuertantur: in extremo iudicio nec debebunt iuuare nec poterunt, quando nemo ex iniusto iustus reddi poterit, quippe præterito eo, quod ad conuersionem & eius quæ ad conuersionem necessaria est diuinæ gratiæ largitionem statutum fuerat, tempore, sed secundùm eum, quo mortalem vitam finierit, statum vnusquisque iudicabitur, ex propriis meritis, non ex alienis: nihil proderunt tunc aliena opera & merita, si propria defuerint. Significatur igitur hoc versu, nullum tũc ferendum à iustis auxilium reprobis, quantumcumque flebiliter & contentè implorent, etiam amici ab amicis, & socij à sociis: sed neque consiliũ eis dandum à iustis prædicitur, quod nullum tunc esse poterit (multa enim parabolæ supplementa ornamentaque sunt, quæ non sunt trahenda ad certam significationem) verùm si quid aliud significetur, irridendi à sanctis significantur, quòd serò sapiant, quemadmodum intelligit D. Augustinus serm. 23. de verbis Domini, vbi ait: *Non consulentium, sed irridentium est ista responsio: Non enim sapientes de suo erant, sed illa in illis erat sapientia, de qua scriptum est Prou. 1. v. 24: Quia vocaui & renuistis. &c. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis, id quod timebatis, aduenerit, cum irruerit. &c.* Docetur hîc igitur nihil in die nouissimo rationis futurum, qua negligentiam suam resarcire queant, qui inuenti fuerint imparati.

ἀπερχομένων δὲ αὐτῶν ἀγοράσαι, ἦλθεν ὁ νυμφίος, καὶ αἱ ἕτοιμοι εἰσῆλθον μετ᾽ αὐτοῦ εἰς τοὺς γάμους, καὶ ἐκλείσθη ἡ θύρα. [10] Dum autem irent emere, vênit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.

IRENT EMERE. ἀπερχομένων ἀγοράσαι abirent emtum, interea dum illæ abirent olei emendi causa. VENIT. adfuit domi sponsæ. PARATÆ. instructæ s. lampadibus luculenter ardentibus, quibus non deesset olei copia. INTRAVERVNT CVM EO. abierunt cum sponso & sponsa, & intrauerunt cum eis AD NVPTIAS. in domum nuptialem, ad nuptiale conuiuium & nuptialia gaudia. CLAVSA EST, non ampliùs aperienda, quippe ingressis omnibus qui essent admittendi; *clausa est* inquam imparatis & malè prouidis. Interea dum reprobi sera pœnitudine ducti cogitabunt anxij de remedio, aderit Christus, & quos in illo ipso articulo aduentus sui paratos, & fide per dilectionem operãte solidaque pietate ornatos inuenerit, pronunciata sententia admittet ad æterna cæli gaudia, nullos postea alios admissurus. *Non enim post iudicium patet precum aut meritorum locus*, inquit Augustinus serm. 22. de verbis Domini. Quia inter honesta mundi gaudia maximum habetur gaudium nuptiale, idcirco beatitudo cælestis nuptiis comparatur, quamquam & sunt illic nuptiæ Christi cum Ecclesia (sic enim vocantur Apoc. 19. v. 9.) intima inquam, inseparabilis, & summè beata vnio electorum cum Christo & Deo.

ὕστερον δὲ ἔρχονται καὶ αἱ λοιπαὶ παρθένοι, λέγουσαι· κύριε, κύριε, ἄνοιξον ἡμῖν. [11] Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

NOVISSIME. ὕστερον postea. iam clausa ianua. ET RELIQVÆ. iam emto haud dubium oleo, & lampadibus clarè ardentibus, paratæ, sperantes se ad nuptias adhuc admittendas esse. DICENTES. pulsantes ianuam & clamantes DOMINE, DOMINE sponse. Ingeminatio magnam animi affectionẽ declarat, quã vt admitti desiderant, ita verentur ne maneant exclusæ. vide sup. 7. v. 22. Nihil porrò aliud hîc significatur (multa enim adduntur ad explendum ornandumque parabolæ contextum) quàm quòd, in nouissimo iudicij die, homines stulti & improuidi, nimis serò, cùm tempus præterierit, summopere dolebunt de vita negligentiùs acta, volent modis omnibus posse emendare errata, rogabunt contentissimè Dominum misericordiam, denique miris modis excruciabuntur quum serò agnoscẽt ablatam sibi esse spem salutis æternæ. Huc spectat locus ille Sap. 5. v. 3: *Dicentes intra se, pœnitentiam agentes &c. Errauimus à via veritatis &c. Egregia quidem*, inquit Hieronymus, *in Domini appellatione confessio, idemq; repetitum indiciũ fidei est: sed quid prodest voce inuocare, quem operibus neges? Nihil eis proderit*, habet Auctor Imperfecti, *anxietas illa, tunc incipientibus bene agere, cùm tempus bene agendi concluditur. Nihil proderit ex necessitate repetita confessio, eius qui ex voluntate nec semel confessus est*. Porrò quòd nouissimè seu postea venisse dicantur reliquæ virgines, non significatur, electis iam in cælos assumtis, reprobos causam suam acturos (videntur enim reprobi priùs in gehennam detrudendi, quàm electi in cælos assumendi) sed significatur, vel ordo dignitatis, vel quòd, lata iam pro electis sententia, reprobi videntes se reiici, pro se dicturi sint, quemadmodum videre licet infrà v. 44.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς. [12] At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos.

RESPONDENS. intus. AMEN. verè. Vtitur asseueratione, quia poterant dicere, se inuitatas fuisse ad nuptias, adeoque sponsæ familiares extitisse socias &c. NESCIO VOS. οὐκ οἶδα non noui vos meas, dignas nuptiis meis. vide sup. 7. v. 23. Nihil tũc proderit reprobis pœnitentia malè anteactæ vitæ, nihil voluntas meliùs agendi & sincera solidaque pietate Domino seruiendi, nullas denique exaudiet tunc Dominus preces, nec vllum daturus est misericordiæ locum, sed constanter reiecturus ac reprobaturus, & exclusos nuptiis tenebris exterioribus æternùm addicturus, quoscumque adueniens inuenerit imparatos, tamquam

non ſuos & indignos cæleſtibus nuptiis gaudiiſque, quantumcumque familialiter hîc cum ſponſa eccleſia egerint, & inter primos profeſſi fuerint exſpectationem cęleſtium nuptiarum. *Dictum eſt* (inquit Auguſtinus ſerm. 23. de verbis Domini) *verum eſt, non fallaciter dictum eſt, Pulſate & aperietur vobis; ſed modo, quando tempus eſt miſericordia, non quando tempus eſt iudicij. Non enim poſſunt confundi iſta tempora, cum miſericordiam & iudicium Domino ſuo cantet Eccleſia*. Ad iudicij tempus ſpectat illud Prou. 1. v. 28: *Tunc inuocabũt me, & non exaudiam* &c. Itaque *neſcio vos cum dixerit* (inquit Chryſoſtomus) *nihil aliud quam gehenna & intolerabilis cruciatus relinquitur, immo verò etiam gehenna iſtud verbum grauius eſt.*

Vigilate itaque quia neſcitis [13] diem neque horam. | γρηγορεῖτε οὖν, ὅτι οὐκ οἴδατε τὴν ἡμέραν οὐδὲ τὴν ὥραν, ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.

VIGILATE ITAQVE. Huc tendit parabola. q. d. Ne ſimile quid tunc vobis cõtingat, ne excludamini cęleſtibus nuptiis, & à me ſponſo reprobemini, *vigilate*, id eſt, eſtote parati, prudẽter & tempeſtiuè proſpicite vobis de oleo charitatis ſinceræque pietatis, tempori vobis parate bonorum operum cõmmeatum. Non præcipuè corporalem vigilantiam præcipit, neque enim quinque illas virgines idcirco reiecit, quòd dormitauerant & dormierant (id enim & reliquæ quinque æquè fecerant) ſed quòd ſponſo aduenĩente paratæ non fuerant, quòd antequam obdormirent non proſpexerant ſibi de olei copia, quo fouere lumen lampadum poſſent & dignè occurrere ſponſo, dormientibus fortè ſuperuenturo. *Vigilate* ergo, id eſt, eſtote parati, quemadmodum ſup. 24. v. 42. & 44. *Vigilate* autem, in omnem diem & horam. QVIA NESCITIS DIEM NEQVE HORAM, qua ſcilicet Filius hominis venturus eſt (id quod multi græcorum librorum exprimunt etiam) ad vos iudicandos, quæ quidem vnicuique incipit à morte. Is cùm ſubitò apparuerit, iam non erit ampliùs tempus benefaciendi, ſed cuique ferendum erit præmium pro retrò geſtis: perdet is proculdubio & citra omnem miſericordiam excludet cæleſtibus gaudiis, quoſcumque ea hora inuenerit imparatos, inſtar fatuarum illarum. Nullus tunc erit locus precibus, nullus pœnitentiæ aut voluntatis in melius demutationi, illis ſeriò ſtudendum eſt antequam ille veniat, nam mox vt aduenerit ſerum erit. *Neſcitis diem neque horam, non modò vltimi illius temporis*, ait Auguſtinus ſerm. 22. de verbis Domini, *quo venturus eſt ſponſus, ſed ſua quiſque dormitionis diem & horam neſcit. Quiſquis autem paratus eſt vſque ad ſomnum, id eſt, vſque ad mortem qua omnibus debetur, paratus inuenietur etiam cùm illa vox media nocte ſonuerit, qua omnes euigilaturi ſumus*: quemadmodum & è diuerſo, quiſquis in morte imparatus fuerit, etiam tunc imparatus inuenietur. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem numquam poſſumus præuidere: *nam qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit*. ſic D. Gregorius Hom. 12. in Euangelia. Reliqua lege ſup. 24. v. 42.

Sicut enim homo peregrè pro- [14] ficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua. | ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος ἀποδημῶν ἐκάλεσε τοὺς ἰδίους δούλους, καὶ παρέδωκεν αὐτοῖς τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.

SICVT ENIM. Coniunctio *enim* ſignificat, ſubſequẽtem parabolam eodem ſpectare quò ſpectat pręcedens, & in eandem illam ſententiam adferri, *Vigilate ergo* &c., vt ne ſcilicet dormiamus aut torpeamus, ne otioſi aut inutiles ſedeamus, ſed vigilemus ac laboremus, & ſinguli nos in iniũcto munere ſtrenuè exerceamus, interea dum Dominum abſentem & incerto tempore reuerſurũ exſpectamus, ne cùm venerit tamquã inutiles ſerui ab ipſo reprobemur. q. d. Nam vt ſemper vigiletis, etiam hoc incitare vos debet, quòd rurſus ſic erit tunc regnum Dei, ſicut homo peregre proficiſcens, qui, &c. tunc iterum ſimile erit regnum Dei, homini peregre proficiſcenti, qui &c. ſic quoque agetur in nouiſſimo die, ſicut ſi homo peregre profectus, & dilargitus bona ſua ſeruis ſuis ad negotiandum, tandem redeat & ponat rationem cum eis & cætera parabolæ. Ad ſimilem enim modum ſupplenda eſt ea quæ hoc loco occurrit eclipſis, qua aduerbium *ſicut* non habet reſpondentem ſibi ἀπόδοσιν. Conſimilem parabolam in paulò alium finem non ita pridem diſcipulis ſimul & populo propoſuerat Ieſus, Luc. 19. v. 12: hanc ſeorſum Apoſtolis repetiit, eo ſolo fine, vt diſcerent, quomodo in diem iudicij nouiſſimum parare ſe deberent, laborando inquam, negotiando, & rem Domini ſedulò procurando. Aliam enim hanc, aliam illam eſſe parabolam, exiſtimat inter veteres Chryſoſtomus cum diſcipulo ſuo Euthymio. PROFICISCENS. mox profecturus. VOCAVIT. conuocauit ad ſe. SERVOS SVOS. familiares. TRADIDIT. non vt fierent ipſorum propria bona quæ profundere aut expendere poſſent pro libitu, ſed vt eis negociarentur; credidit ea fidei eorum, vt negociando augerent ea domino ſuo, vt inde domino ſuo lucrum referrent, à quo ſortem acceperant. BONA SVA. τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ facultates, ſubſtantiam ſuam. vide ſup. 24. v. 47. Chriſtus Dominus carne terram relicturus aſcenſuruſque in cælum, viſibilem corporis ſui præſentiam domui ſuæ eccleſiæ ſubtracturus, varia beneficia donaque contulit in ſeruos ſuos Apoſtolos, largitus eſt eis honorem ſacerdotij, tribuit poteſtatem remittendi retinendique peccata, aperuit ſenſum vt intelligerent Scripturas, dedit auctoritatem prædicandi Euangelij per vniuerſum terrarum orbem, inſigniuit virtute edendorum miraculorum: quæ quidem dona perfecit, & plura alia inſuper addidit, non Apoſtolis tantùm, ſed & cæteris fidelibus ſuis, miſſo Spiritu ſancto, mox vt profectus, in cælum peruenerat (nec enim exigenda ad amuſſim ſunt parabolę verba) de quibus Apoſtolus Epheſ. 4. v. 7. *Vnicuique noſtrùm data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Neque verò tunc tantùm, verumetiam poſtea hactenus, non ceſſat Chriſtus peregrè à nobis in cælo agens, fideles ſuos, quos duplici iure, creationis inquam & redemtionis, ſeruos habet, variis donis cumulare, iis inprimis quæ vocamus gratias gratis datas, qualia ſunt, ſcientia, doctrina, ſacerdotium, auctoritas, præfectura, deinde etiam iis quæ vocamus gratias gratum facientes, qualia ſunt, fides, ſpes, charitas, donum ſapientiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ, &c. Poſtremò & aliis, quæ non animi, ſed corporis atque fortunæ dicuntur bona, qualia ſunt, ſanitas, diuitiæ, &c. quanquam de his minùs propriè hic agi exiſtimem. *Talenta enim hic*, inquit Chryſoſtomus, *pro eo quod vnuſquiſque facere poteſt*

accipimus,

accipimus, siue auctoritate protegere, siue pecuniis iuuare, siue doctrina admonere, siue alia quapiam re proximis prodesse queas. Hæc sunt bona, hæ facultates & diuitiæ Christi, quibus Christus diues est & seruos suos diuites facit: quas sic possidet vt semper effundat atque distribuat, nec vmquam tamen exhauriatur aut minus retineat. Sic porrò distribuit, non vt serui ea sibi tamquam propria arrogent aut reseruent, sed vt agnoscentes deposita esse Domini, hac lege vt illorum reddenda sit ratio, dispensent ea ex Domini voluntate, ad lucrum inquam Domini, id est, ad profectum & augmentum regni Dei in seipsis & in aliis. Seruorum ergo nomine, non tantùm prædicatores, sed etiam omnes qui sunt in Ecclesia intelligit, quorum est, accepta dona, bona fide, pro sua cuiusque persona & conditione, ad Dei honorem & animarum salutem dispensare.

καὶ ᾧ μὲν ἔδωκε πέντε τάλαντα, ᾧ δὲ δύο, ᾧ δὲ ἕν, ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν, καὶ ἀπεδήμησεν εὐθέως.

15 Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim.

ET VNI. καὶ ᾧ μὲν & huic quidem DEDIT ex bonis suis QVINQVE TALENTA auri vel argenti. VNVM Vnum talentũ argenti valet nongentis vnciis argenti, seu mille octingẽtis & nonaginta florenis, quod docuimus sup. 18. v. 24. SECVNDVM PROPRIAM VIRTVTEM. κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν secundùm ipsius facultatem, potestatem, seu vires, prout vid[e]t quemque prudentem, peritum, industrium, idon[e]um esse ad negotiandum & administrandum commissa. Significat hic versus, varia multaque esse Christi dona, eaque non vni dari omnia, sed hæc quidem huic, alia aliis, nec omnibus æqualia, sed quibusdam plurima & maxima, aliis mediocria aliis minima & pauca (numero enim trium omnia fidelium genera comprehendit nulli non vel vnum, tamquam vnum talentum ex inexhausto thesauro diuitiarum Christi: nullum enim est animi donum, quantumuis paruum, cuius pretium talento etiam auri inferius sit, vt quo emi queat cælestis hereditas, si quis rectè vtatur. Quòd varia multaque sint Saluatoris dona, docet pluribus locis Apostolus Paulus. Ad Ephesios 4. v. 11. explicans illud *Dedit dona hominibus*, ait: *Et ipse dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores*. 1. Cor. 12. v. 7. *Vnicuique*, inquit, *datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum*. Quod etiam non vni det cuncta Deus, idem explicat 1. Cor. 12. v. 29: *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores?* &c. Quo ex loco etiam intelligitur, quòd non omnibus promiscuè Dominus largiatur eandem donorum mẽsuram, sed varia dona sua ita distribuat, vt alij alios excellant, & hic quidem capitis, illi aurium, isti pedum vices subeant in corpore Ecclesiæ. Denique quòd nemo sit qui non aliqua Dei dona acceperit, idem Apostolus testatur Rom. 12. v. 6. *Habentes donationes, secundum gratiam quæ data est nobis differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina*. &c. *Nullus enim est*, inquit Gregorius Homilia 9. in Euangelia, *qui veraciter dicat, talentum minimè accepi, non est vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine, cuilibet pauperi, etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit*. Exempli igitur gratia, quinque seu plura talenta, & quidem auri, id est, excellentissima, Christus contulit in D. Paulum, quem constituit Apostolum, quem ditauit sermone sapientiæ & scientiæ, insigniuit gratia sanitatum & operatione virtutum, ornauit discretione spirituum, generibus linguarum, interpretatione sermonum; duo seu pauciora & minora, in D. Timotheum, quem per impositionem manuum Pauli ordinauit Episcopum, fide auxit non ficta, & ab infantia sacras litteras docuit; Vnum, & quidem ex infimis, in Onesimum, alacritatem inquam ministrandi Paulo in vinculis Euangelij: quamquam nec illud fuit sine pluribus aliis, fide, spe, charitate, &c. vt non facilè vnum solum exstat in quocumque. Cæterùm qualiacumque in nos collata sint dona Dei, debet vnusquisque persuasus esse, non frustra sibi tradita & accepta esse, quod diximus, sed, quamquam disparia, tamen vt exerceantur esse accepta, & instar pecuniæ apud nos deposita, vt inde aliquid lucri proueniat. Neque rationem habere quisquam debet, quantum sibi traditum sit, ita vt qui minus acceperit ideò negligat suas partes, sed vnusquisque quas acceperit partes, illas strenuè exerceat oportet, & satagat Domino satisfacere. Quamquam verò pro arbitrio suo eoque liberrimo, distribuat sua dona Christus, *diuidens singulis prout vult* (1. Cor. 12. v. 11.) nonnumquam tamen rationem habet aptitudinis eorum quibus ea confert, siue sit ea naturalis, siue supernaturalis (hoc enim significant illa parabolæ verba *vnicuique secundùm propriam virtutem*) non aliunde tamen quàm ab ipsius munere profectæ. Exempli causa, scientiam Scripturarum & auctoritatem prædicandi Euangelij, largitur illi cui priùs dederat præclarum ingenium coniunctum cum memoria & eloquentia insigni; officium præpositi, illi qui pietate in Deum cæteros omnes collegas suos antecelluerat; denique alia dona iis qui se priùs, ipso adiuuante, præparauerant & disposuerant. Cæterùm non hinc sequitur, *singulis conferri Dei dona secundum meriti sui modum*, quod Caluinus Catholicis hîc per calumniam affingit: aliud enim est, naturâ capacem esse donorum Dei, aliud mereri dona Dei; aliud posse habere charitatem, aliud habere charitatem, quemadmodum docet Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 2., vbi illud *secundùm propriam virtutem* interpretatur, *secundùm propriam & naturalem possibilitatem*: sicut & aliud est, esse dispositum aptumque ad accipienda Dei dona, aliud ea mereri. Nam & sunt quæ nemo propriè meretur, vt illa quæ vocamus gratias gratis datas: gratiam enim gratum facientem fit aliquando vt quis mereatur, iuxta illud celebre D. Augustini emblema: *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici*. Cæterùm non est hoc perpetuum, vt in distribuendis donis suis Christus rationem habeat aptitudinis nostræ, nec ita vrgenda est ista parabola: non rarò enim dona sua Christus confert in rudes, ineptos, & inidoneos, quos aliquando quidem simul idoneos facit, aliquando quales sunt relinquit, iusto nec minùs sapienti iudicio. Multi enim præsunt, qui minimè digni aut idonei sunt: multi sunt sacerdotes, sacerdotio inepti, &c.

Quod

Quod ſequitur in parabola ET PROFECTVS EST STATIM, poteſt ſignificare libertatem quam nobis relinquit Dominus, negotiandi vel otiandi pro arbitrio, tamquam domino abſente: nam præſente domino non ita probata fit proborum ſeruorum erga dominum fides, quando & ſerui pigri ad oculum laborant ac ſeruiunt.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque.	16	πορευθεὶς δὲ ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν, εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα.

ABIIT ad negotia. OPERATVS EST. id eſt, negotiatus eſt, quemadmodum fuerat ipſi mandatum. IN EIS, id eſt, ex eis ſeu per ea. LVCRATVS EST. hoc eſt, quod græcè dicitur ἐποίησεν *fecit*.

ALIA QVINQVE. altera quinque. *talenta* repetitur græcè, quamquam vt non latinè, ita nec ſyriacè. Operari ſeu negotiari per dona Chriſti, eſt, in eis ſe exercere, eaque vtiliter impendere, vti eis ad promouendam Dei gloriam, & aliorum ſuamque ipſius ſalutem, quod Apoſtolus 2. Timoth. 1. v. 6. dicit: *Reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Nihil indignius eſt, quàm Dei gratias, quarum vis in vſu cōſiſtit, ſepultas latere, nec in aliquem vſum accommodari. Proficit virtus per exercitium operationis niſi operetur deficit. Admonemur igitur, ſummo ſtudio collaborare gratiæ Dei, munera à Domino nobis tradita ſtudioſè expendere ad lucrum Domini, quærendo non quæ noſtra ſunt ſed quæ Domini. Eſt autem lucrū Domini, gloria Domini, ea præſertim quæ ex cognitione Domini & hominum iuſtitia ſaluteque reſultat Non ditatur quidem aut creſcit Deus opera aut gloria noſtra, nec quidquam ei accedit ex eo quòd homines ſint iuſti, fideque ac moribus ipſum ſanctificent aut glorificent: nam vt ſcriptum eſt Iob 22. v. 3: *Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua?* & rurſus, cap. 35. v. 6: *Si peccaueris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? homini qui ſimilis tui eſt nocebit impietas tua, & Filium hominis adiuuabit iuſtitia tua*, &c. Quia tamen, & decet Deum, & debetur Deo, ab hominibus gloria, & debent homines conari vt fide, charitate, & iuſtitia Deo creatori ac redemtori ſuo ſimiles reddantur, idcirco Deus in lucro deputat, ſi quis hoc negotium promoueat, quamquam Deo quidem hinc nihil, hominibus verè plurimum vtilitatis accedat. Sed ea eſt Dei philanthropia, qua fit vt tam grata immo gratior ſit ipſi hominum ſalus, quàm mercatoribus eſt lucrum, cuius illi ſunt auidiſſimi. Donorū autem Dei, quædam propriè pertinent danturque à Deo ad ſalutem poſſeſſorum, vt caſtitas, manſuetudo, donum meditandi res diuinas; quædam ad ſalutem aliorum, vt præfectura, ſacerdotium, donum prædicandi verbum Dei. Cæterùm & illa ſeruire poſſunt ſaluti aliorum, ſi non alio modo, certè exemplo: & hæc promouere ſalutem poſſeſſorum, ſi ritè exerceantur. Semper enim qui aliis, etiam ſibi, & quidem priori, proficit, niſi obijciat ipſe obſtaculum: nam qui cum aliis ſua dona communicat, non minuit ea, ſed auget è contrario: gratiæ enim exercitium, meretur augmentum. Non ſolùm autem quod aliis, verùm illud etiam quod ſibi ipſi quis proficit, in hoc ſalutis hominum negotio, in loco lucri Chriſtus ponit. Itaque lucrari per dona Dei, eſt, per exercitium donorū Dei ſeipſum & alios ad fidem, iuſtitiam, aut iuſtitiæ augmentum, aut alioqui ad glorificandum Deum adducere. Hoc eſt lucrum, quod ex Dei donis facere iubemur. Dicet aliquis: Ego quantumcumque laborem & coner, auxiliante ea quæ à Deo mihi data eſt gratia, nihil proficio apud homines. Si ita eſt, ſi non deeſt diligentia tua cooperans gratiæ Dei, ſed aliunde fit vt profectus impediatur, tu lucrum feciſſe cenſeberis, quale procliue erat vt ex huiuſmodi diligentia tua & dono Dei ſequeretur. Vbi dona Dei æqualia, & poſſeſſorum æqualis diligentia, ibi æquale eſt meritum, etſi profectus in aliis ſequatur inæqualis: euentus enim non eſt in hominis poteſtate. Iam quòd parabola, quinque talenta lucrifeciſſe dicat, eum qui quinque acceperat, ſignificat, ſi plura dona acceperis à Deo, curandum vt ex vnoquoque dono fructum referas. Nam ſi quis vel vnum donorum à Deo in ſe collatorum tenet otioſum, nec exponit ad lucrum, ſeruus inutilis iudicabitur: *omni enim cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Luc. 12. v. 48. In quam ſententiam D. Gregorius Homilia nona in Euangelia: *Cum augentur*, inquit, *dona, rationes etiam creſcunt donorum*. Porrò cùm duplum lucratus ſeruus iſte prædicatur, monemur, vt ita cooperemur gratiæ Dei, vt non fructum tantùm, ſed & vberem fructum, ex ſingulis donis excitemus, &, pro ratione gratiarum quas acceperimus, inſigne animarum lucrum faciamus, quod quaſi æquiualeat gratiis doniſque acceptis: nam in humanis, apud negotiatores, ſummum eſt lucrum dupli, aut certè rarò exceditur. Exemplum eorum qui quinque talenta duplicauerunt, qui, quoniam plurimum gratiæ à Deo acceperunt, præſtantiſſima fecerunt lucra, eſt, Apoſtolus Paulus, *qui per gratiam quæ ipſi data fuerat à Deo, vt eſſet miniſter Chriſti Ieſu in gentibus, nō audet loqui aliquid eorum quæ per ipſum non efficit Chriſtus, in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti, ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerit Euangelium Chriſti.* Rom. 15. v. 15. 16. 18. 19. Sed roget quis, An hic Apoſtolus non ampliùs quàm duplicauerit talenta ſibi credita, an non & triplicaſſe, immo quadruplicaſſe Dei dona, dici poſſit? Reſpondeo, ſi inter ſe comparentur, Dei dona ex vna parte, & Pauli labor atque induſtria ex altera, fieri non poſſe, maiorem eſſe Pauli laborem & induſtriam, quàm Dei dona, quia in bonis hominum operibus præcipuum ſemper locum obtinet Dei gratia (conſideramus enim hîc habitus donorum, vt illis ſemper præſto eſt gratia illa, quę concomitari ſolet volentes operari) ſed ſi inter ſe comparentur, Dei dona quæ ſunt in Paulo, & Dei dona quæ ſunt in aliis hominibus ex miniſterio Pauli cooperati gratiæ Dei, proculdubio non duplò tantùm, verùm & centuplò, maiora ſunt ea quæ ſunt in aliis omnibus, iis quæ ſunt in Paulo ſolo, ſicut granum ſeminis in terram iniectum paulò pòſt centuplò ſuperatur à ſuo fructu. Verùm, quemadmodum qui cooperatus eſt quidem gratiæ Dei ſicut debuit, ſed non eſt conſequutus in aliis fructum quem ſequi conſentaneum erat, effectu nimirum aliis ex cauſis impedito, nihil minus fructus feciſſe cenſetur, quàm ſi fructus reipſa conſequutus fuiſſet, quod mox diximus: ita è diuerſo, vbi effectus longè vberior ſit, quàm ex huiuſmodi donis Dei & hominis labore ſequi procliue ſit, aliis nimirum cauſis adiutus, nihil amplius ille fructus feciſſe iudicabitur. Cæterùm, ita fit plerumque, vt fructus vberrimus, maximam hominis diligentiam cooperantem gratiæ Dei arguat, qualis proculdubio

fuit

fuit Pauli: vt è contrario fructus nullus aut modicus, vbi non deest gratia Dei, hominis negligentiam testatur. id quod fit & in negotiatione, à qua parabola ducitur, tametsi & illic accidat, vt qui maximè laborarit negotiator, nullum aut minimum consequatur lucrum, & contrà qui minimè, maximum. Quærat denique alius: An omnium qui donis sunt pares, par sit lucrum: an omnes qui quinque acceperunt, quinque lucrifaciant, vt loquitur parabola? certa res est quòd non, nam præterquam quòd fiat vt quidam nullum aut paruum lucrum faciant (quemadmodum mox diximus) inter eos qui faciunt, alij copiosius, alij minùs copiosum, mediocre inquam, faciunt, pro ea qua Dei donis cooperantur ratione. Sed non mox reprobandus à Christo est qui duplum summúmve lucrum non fecerit, nec omnino exiget Dominus vt æquales fuerint industria ac profectu, quicumque æquales fuerint donis; mediocrem diligentiam & subsequens mediocre lucrum æqui boni consulet, interim verò imitandum proponit exemplum perfectissimum.

ὡσαύτως καὶ ὁ τὰ δύο, ἐκέρδησε καὶ αὐτὸς ἄλλα δύο. 17 Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

ACCEPERAT suppleuit Interpres. ALIA DVO. καὶ αὐτὸς ἄλλα δύο & ipse altera duo. *Et ipse* non additur syriacè aut latinè. Hic mediocres denotat, qui & ipsi pro modo gratiæ sibi concessæ strennuè laborant, nec parùm sibi & aliis prosunt, ipsi in pietate crescentes, alios ad pietatem adducentes, adimplentes denique illud Petri Apostoli 1. epist. 4. v. 10: *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

ὁ δὲ τὸ ἓν λαβὼν, ἀπελθὼν ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ, καὶ ἀπέκρυψε τὸ ἀργύριον τοῦ κυρίου αὐτοῦ. 18 Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

VNVM talentum. FODIT illud IN TERRAM, ne furto auferretur aut alioqui periret ipsi. ABSCONDIT. non produxit in negotiationem, non exposuit spei lucri. Iste figurat eos, qui Dei gratiam ad nullum neque suum neque proximi vsum applicant, qui eâ ad Dei gloriam & suam aliorumque salutem promouendam non vtuntur, qui cùm per acceptam à Deo gratiam commodare proximis possint, idque eò faciliùs quò minùs onerosa ipsis incûbit administratio (facilius est enim paruæ administrationi satisfacere, illiusque reddere rationem, quàm magnæ) siue quòd reformident laborem in vsu gratiæ subeundum, siue quòd otio & quieti suæ consulant, siue denique quòd pusillanimitate vincantur, non magis eam exserunt, quàm si non accepissent, subterfugiunt omnia charitatis officia, nec vllum habent communis ædificationis respectum, adeoque & suam ipsorum salutem plerumque negligunt, contra Apostoli admonitionem 2. Cor. 6. v. 1: *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid autem sit *in vacuum gratiam Dei recipere*, explicans 1. Timoth. 4. v. 14: *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ est in te*; & 1. Cor. 15. v. 10: *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. Vacua*, id est, frustranea, otiosa, infructuosa, *non fuit*: sequitur enim, *quia per eam laboraui plus cæteris.* In vanum itaque seu frustra accipere gratiâ Dei, negligere gratiam Dei, est talentum abscondere & terræ infodere, vbi nimirum nulli est vsui. *Sapientia absconsa & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* ait Sapiens Eccles. 20. v. 32. Cęterùm notandum est hic, perpetuum non esse, vel vt qui minus à Deo gratiæ acceperint, sint in ea excolenda negligentes, vel vt qui plus acceperint sint diligentes, sed fieri aliquando, vt hi plura quæ acceperant talenta abscondant & otiosa teneant, illi vno talento gnauiter negotientur. Quare igitur Christus abscondere talentum illi potiùs attribuit qui vnum acceperat, quàm ei qui plura? ratio, vt arbitror, est, quia rariùs contingit vt otiosa teneant dona Dei qui ea copiosè sunt assequuti: nam, si non vtantur eis, abutuntur plerumque, quemadmodum quotidie fieri videmus de præclaris ingeniis. Longè verò faciliùs fit, vt qui rara minimeque præclara dona acceperunt, socordia aut pusillanimitate victi, ea abscondant & tamquam frustra accepta teneant. Ad hæc, ex eo quòd reprobandus sit is qui vnum talentum acceptum abscondit, faciliùs intelligitur & eum reprobandum esse qui plura absconderit, quàm è conuerso.

μετὰ δὲ χρόνον πολὺν ἔρχεται ὁ κύριος τῶν δούλων ἐκείνων, καὶ συναίρει λόγον μετ' αὐτῶν. 19 Post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.

VENIT. peregrè rediit. Græcè est tempus præsens, tamquam narretur res quæ iam geratur ob oculos: sed præsens, Interpres pro præterito accepisse videtur, quia quod sequitur, & ipsum per præteritum vertit. POSVIT. συναίρει confert, ponit. Occultè prædicit multum temporis lapsurum, inter ascensionem suam in cælum & reditum è cælo ad celebrandum iudicium vniuersale. quod notat inter alios D. Hieronymus; multum inquam æstimatione hominum. quod suprà voluerat intelligi breue fore Dei æstimatione; breue, vt semper tamquam instans timeatur; longum, ne præpropera videatur domini à seruis exactio, cuius longanimitas celebris est, concedentis vnicuique tempus ad bene agendum sufficiens. In iudicio itaque vniuersali, exiget Christus ab omnibus fidelibus, domesticis Ecclesiæ suæ, qui se seruos ipsius profitētur (quanto magis à rebellibus!) rationem donorum quibus ipsos in vita auxerat, quomodo illis sint vsi, quam à singulis exigit mox à morte. Reddet autem vnusquisque rationem, propria vel accusante vel defendente conscientia. Hic itaque apertè docet Christus, non simpliciter nobis data ea quæ à Deo accepimus dona, sed hac lege vt illorum reddenda sit ratio, quemadmodum diximus. Ideò autem plerumque securi sumus, & minùs sedulò impen-

impendimus nos ad ſpiritalia lucra, propterea quòd quæ accepimus noſtra eſſe putamus, & de noſtro deperdi ſi quid lucri negligamus: nec cogitamus nos ſuſcepiſſe rem alienam adminiſtrandam, de qua reddenda ſit ratio lucri & damni ad vltimum vſque quadrantem.

Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.

20 καὶ προσελθὼν ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν, προσήνεγκεν ἄλλα πέντε τάλαντα, λέγων· κύριε, πέντε τάλαντά μοι παρέδωκας, ἴδε ἄλλα πέντε τάλαντα ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς.

ET pro tunc. QVI QVINQVE. Primus poſcitur rationem, cui plurimum fuerat creditum.
OBTVLIT. προσήνεγκεν attulit. ALIA. altera. TRADIDISTI. tradideras, credideras. ad negotiandum. ECCE ALIA QVINQVE. Lucrum omne domino offert à quo ſortem acceperat, profeſſus ſe, vt ſeruum, domino debere induſtriam. SVPERLVCRATVS SVM. ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς. Hoc Latinus Interpres intellexit, *lucratus ſum ſuper* ſeu præter *ea*, quemadmodum & Syrus: alij intelligunt, *lucratus ſum in eis*, pro ex eis vel per ea. q.d. cum Apoſtolo: *Non ego, ſed gratia tua me cum*. 1.Cor.15.v.10. Quanta cum fiducia apparebunt in iudicio extremo, Petrus, Paulus, aliique apoſtoli & apoſtolici viri, qui, dictante conſcientia quid egerint, ſinguli, tot animarum myriadas Chriſto offerent, quot prædicatione & laboribus ſuis ab errore olim conuerterunt? Alloquitur Philippenſes Paulus cap.2.v.16. in hunc modum: *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. In illo examine* (inquit Gregorius Hom.17. in Euangelia) *Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe traxit, apparebit. Ibi Paulus, conuerſum, vt ita dixerim, mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Iohannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectum ſui iudicis cōuerſam ducet. Ibi omnes dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui ſanctis ſuis prædicationibus Deo poſt ſe ſubditum gregem trahunt.* Cæterùm non erit tunc opus, vt electi ipſi prædicent lucra ſua, quid aut quantum profecerint, regnoque Dei lucrati ſint, & Domino coram omnibus oſtentabundè offerant quæ per ſe, Domino inprimis, cui omnia nuda ſunt & aperta, &, Domino faciente, alijs omnibus manifeſta erunt: ſed parabola hîc deſcribit modum, quo hac in mortali vita ſeruus domino reddat rationem.

Ait illi dominus eius: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium domini tui.

21 ἔφη δὲ αὐτῷ ὁ κύριος αὐτοῦ· εὖ, δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστὲ, ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω, εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου.

EVGE. bene ſanè. Vox eſt laudantis, & congratulantis. q.d. Eſt vnde exſultes. Græcè non legitur εὖγε, ſed tantum εὖ, quod eſt, bene ſeu rectè ſ. habet. Applaudit dominus ſeruo bene functo officio. BONE ET FIDELIS. poſterius epitheton interpretatio eſt prioris, ideò enim bonus quia fidelis. Laudat in ipſo fidem, quæ præcipua eſt in diſpenſatoribus. 1.Cor.4.v.2. vide ſup.24.v.45. Boni in iudicio coram omnibus, laude à Deo & præconio inſignientur: *tunc enim laus erit vnicuique à Deo*, quod ait Apoſtolus 1.Cor.4.v.5.
QVIA non legitur aut græcè aut ſyriacè, decetque eius omiſſio & ſermonis conciſio maieſtatem domini: ſeruo enim dominus omnis monoſyllabus eſt. SVPER PAVCA bona tuæ adminiſtrationi credita, ſuper pauca beneficia donaque in te collata. Quantumuis magna & multa ſint beneficia donaque quibus hac in mortali vita electos Deus afficit, & omnino talia ſine quibus ſaluari nequeant, quæ Apoſtolus 2. Cor.4.v.7. *theſaurum*, Chriſtus ipſe ſup.7.v.6. *margaritas* vocat: *tamen comparatione futurorum parua & pauca ſunt*, inquit Hieronymus, ſimilia granis aliquot collatis cum magno aceruo tritici, aut guttæ cum magno vaſe vini, quod habet Auctor Imperfecti. Hinc igitur admonemur quanta ſint futuræ vitæ bona. FVISTI FIDELIS. bene eis & cum fructu es vſus, non tua quærens, ſed quæ domini tui. Laudatur, non propter dona quæ acceperat, ſed propter lucra quæ refert ſua fidelitate. Infidelis Chriſti ſententiâ iudicatur, tamquam non quomodo oportet adminiſtrans alienum ſibi creditum, qui Dei donis vel abutitur vel non vtitur. SVPER MVLTA bona per te adminiſtranda & poſſidenda. In modico magnam fidem tuam conſiderans, maiora tibi credam, ad maiora te eleuabo. Cohæres eris meus, heres patris, beatæ bonorum omnium affluentiæ mecum conſors. Quod hîc dicit *multa*, ſuprà 24.v.47. dixit *omnia*, bona ſcilicet infinita. Animaduertere hîc licet, quomodo merces merito quantitate non ſemper reſpondeat: nam cauſa, meritoria vtique, quod hîc conſtituatur ſuper multa, eſt, quòd fidelis fuerit ſuper pauca. INTRA IN GAVDIVM DOMINI TVI. eſto particeps gaudij eiuſdem cum domino tuo, perfruere eodem gaudio quo dominus tuus gaudet. Hæc pars explicatio eſt ſuperioris: hoc eſt enim ſeruum ſuper multa ſiue omnia conſtituere, admittere in gaudium domini ſui, id eſt, eiuſdem regni, eiuſdem gloriæ, eiuſdem gaudij participem efficere. Non dicit *ad*, inquit Auctor Imperfecti, ſed *in gaudium, vt poſſeſſor ſit gaudij, non tantum ſpectator*. Alludit fortaſſis hæc phraſis ad illam: *Si introibunt in requiem meam*. Pſal.94.v.11. non poſſit maior eſſe felicitas ſerui, quàm quòd admittatur in gaudiū domini. Quare Chryſoſtomus; *Vniuerſam*, inquit, *hoc verbo monſtrat beatitudinem*. Gaudium enim, eſt quies animi in bono adepto. Gaudium autem Domini noſtri eſt de ſeipſo, quemadmodum beatus eſt ſeipſo, vtpote ſummo bono: admittitur igitur in gaudium Domini, qui admittitur ad fruendum Deo, qui adipiſcitur viſionem Dei & in ea quieſcit, impleturque in illo Pſalmus 15.v.11: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*; quæ vna eſt beatitudo noſtra. Paulatim dilabitur Chriſtus à typo ad prototypum, à parabola ad rem ſignificatam. Quia coram omnibus loquitur tam reprobis quàm electis, è cælo præſens in terra ad omnes iudicandos, mōſtrato

cælo

cælo tamquam palatio suo, *intra*, inquit, nec tamen *in palatium* dicit *aut regiam meam*, denique *nec in cælum*, sed *in gaudium Domini tui*; tamquam ipsum Domini gaudium futura sit habitatio ipsius, tamquam cingendus & obumbrandus sit perpetuo Domini gaudio, nec tam gaudium intraturum in ipsum, qui parui gaudij videri possit capax, quàm ipse in capacissimum & incomprehensibile gaudium, à gaudio quasi absorbendus. Nam quando gaudium est de re minore quàm nos ipsi sumus, rectè dicitur gaudiũ intrare in nos: at quando res de qua gaudium offertur maior est nobis, nos potiùs dicendi sumus intrare in gaudium.

προσελθὼν δὲ καὶ ὁ τὰ δύο τάλαντα [22] λαβὼν εἶπε· κύριε, δύο τάλαντά μοι παρέδωκας, ἴδε ἄλλα δύο τάλαντα ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς.

Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

LVCRATVS SVM. Græcè & syriacè additur ἐπ' αὐτοῖς *in eis*, quemadmodum suprà v. 20., vbi reliqua exposita sunt.

ἔφη αὐτῷ ὁ κύριος αὐτοῦ· εὖ δοῦλε [23] ἀγαθὲ καὶ πιστέ, ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστός, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω, εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου.

Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

EVGE SERVE BONE. Nemo putet à Domino se contemtum iri, si modicam dispensationem habeat, modò munus suum fideliter obeat. Non enim tam perpenditur quantum habueris facultatis, aut quàm arduum munus administraueris, quàm quanta fide erga Dominum vsus fueris: *nec tam considerat Dominus lucri magnitudinem, quàm studij voluntatem*, quod ait D. Hieronymus. Quare, quod idem ait, *vtrique seruo, & qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, idem patrisfamilias sermo blanditur*, eadem verborum dulcedine vterque excipitur, eadem denique pro vtroque sententia fertur, quia pro ratione donorum par fuit industria. Sed quamquam eadem prorsus sententia sit quæ pro vtroque fertur, & eâdem beatitudine vterq; donetur: non tamen idem prorsus est vtriusq; præmium: eiusdẽ enim præmij, eiusdem beatitudinis, varij sunt gradus, pro varietate meritorum. Maius autem meritum est eius qui quinque, quàm eius qui duo lucratus fuerat: etsi enim sortis & lucri eadem proportio sit vtrique, tamen, cæteris paribus, plus aliterque laborandum fuit ei qui ex quinque confecit decem, quàm ei qui ex quatuor duo; ei qui quinque, quàm ei qui duo sola dona exercuit, ac proinde maius illi, qui plus in Domini pecunia laborauit, quàm huic debetur præmium, etiam D. Hieronymo teste: quemadmodum & maius supplicium meruisset ille quàm iste, si vterque negligens fuisset. Exempli gratiâ, ponantur ob oculos & sibi mutuò conferantur Paulus & Timotheus, quos diximus. Cæterùm fieri possit, vt plus lucri faciat & plus præmij mereatur qui duo sola talenta donorum acceperit, quàm qui quinque, si illius quàm huius maior fuerit charitas, sedulitas, conatus.

προσελθὼν δὲ καὶ ὁ τὸ ἓν τάλαντον [24] εἰληφὼς εἶπε· κύριε, ἔγνων σε ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος, θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας, καὶ συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισας·

Accedens autem & qui vnũ talentũ acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti:

Luc. 19. v. 21.

ACCEDENS. Hîc depingitur inertis stertentisque serui ingenium. SCIO. ἔγνων σε noueram te. QVIA HOMO DVRVS ES. ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος quòd durus sis homo. Nihil scilicet remittens eorũ quæ tibi videri possint debita, immo verò aliena rapiẽs, hoc enim sequitur. METIS. θερίζων metens, metere volens.

CONGREGAS. συνάγων ὅθεν congregans inde VBI NIHIL SPARSISTI, *vbi non sparsisti* sumtum, vbi nihil tibi debetur. Vulgare videtur prouerbium fuisse, in eum iactari solitum, quem auaritiæ notare vellent, auiditatis inquam æris & lucri, tamquam vndequaque & ex omni occasione captãtem lucrum, etiam vbi ipsi nihil deberetur, quemadmodũ apud nos dicitur: *Bonus odor lucri ex re qualibet*. Animaduertens seruus iste piger, socios suos collaudatos & præmiis affectos fuisse, ob industriam & lucrum factum, metuens quod res erat, ne ipse è contrario vituperaretur & puniretur, vtpote malè sibi conscius, rationem redditurus orditur ab excusatione sui, sed huiusmodi excusatione, qua crimen neglecti officij conduplicat, & scelus scelere cumulat, inertiam inquam calumnia, in dominum suum negligentiæ suæ culpam coniiciens, & suam inertiam exprobrata domino auaritiæ seueritate excusans. q. d. Tu non vis perdere, sed solùm lucrari, & si lucrum non adfertur, tollis tibi res seruorum tuorum pauperum quauis ratione, iure vel iniuria. *Qui simpliciter inertiam debuit confiteri*, inquit Hieronymus, *& orare patremfamilias veniam, è contrario calumniatur, &*, considerata rapaci domini auaritia, *prudenti consilio* se ab omni negotiatione abstinuisse præfatur. Hic personam eorum refert, qui acceptis à Deo donis non vtuntur, qui Dei dona supprimunt, &, vt peccatum vnum aliud secum semper trahit, culpam in Dei parcitatem seueritatemque coniiciunt. Hi in extremo iudicio, cùm nihil iustæ excusationis adferre poterunt, animo, non verbis, opinor, obiicient Deo hoc ipsum quod de eo hac in vita senserant, quòd scilicet durus & inclemens sit, cui difficile sit seruire, quòd nimis auidus & assiduus in exigendis à tarda hominum imbecillitate bonorum operum lucris, quòd grauia iubeat & ad hæc præstanda exiguas concedat facultates, quòd maiorem perfectionem requirat quàm quæ humanis operibus præstari queat, quòd requirat vt lucrifaciamus proximos nostros quibus non det vt obediant, denique quòd cùm

pro beneplacito suo, alios eligat, alios reprobet, ab omnibus æquè vitæ sanctitatem exigat, & hæc quidem omnia sub grauissimis adeoque æternis pœnis. Hi Dei iustitiam oderunt, & ab eius iudiciis abhorrent, & quamquam semper negligentes sint operum bonorum, tamen Deum perpetuò misericordem requirunt indultorem, iustum oderunt vltorem.

& timens abij & abscondi talentũ tuũ in terra. ecce habes quod tuũ est.	25	καὶ φοβηθεὶς ἀπελθὼν ἔκρυψα τὸ τάλαντόν σου ἐν τῇ γῇ. ἴδε ἔχεις τὸ σόν.

ET. Itaque, eam ob causam. TIMENS ne offenderem te, vt difficile est satisfacere duro & auaro Domino, offenderem inquam, si, vt sunt varij in negotiatione casus, vel nihil lucri assequerer, vel minus quàm tu aueas, vel, quod maximum sit, talentum ipsum per fortunæ iniquitatem mihi seu integrè seu parte periret. ABSCONDI. vt illud certè, securè saluum tibi foret, nec vllis periculis obnoxium. Cùm perspecta mihi esset inflexibilis duritia auaritiæ tuæ, satius iudicaui me facturum, si sortem tibi certò seruarem, quàm si cum periculo sortis lucrum aliquod venarer, quod etiam vel nullum vel modicum esse posset, damnum fortè potiùs lucri loco, persuasus certius mihi à te imminere supplicium, si sors casu periret aut minueretur, quàm præmium si quid fortè lucri accederet. Nam si lucrum tantopere amas, quanto magis sortem ipsam? HABES QVOD TVVM EST. ἔχεις τὸ σόν habes tuum. Cùm igitur fideliter tibi referam hoc ipsum quod mihi tradideras, nulla sui parte imminutum, quod adeò non profudi vt nec attigerim, non habes quod conqueraris, aut quod amplius exigas à me: certè, quò minus adfero lucri, eò tutiùs tibi sortem saluam repræsento. *Dicit se prudenti fecisse consilio*, inquit Hieronymus, *ne dum lucra pecuniæ quæreret, etiam de sorte periclitaretur*. Ex talibus prauis de Deo opinionibus, quales superiori versu descriptæ sunt, nascitur pusillanimitas & timor Dei, non laudabilis ille, sed seruilis & impius, qua timetur Deus tamquam difficilis & morosus dominus, cui difficillimum vel etiam impossibile sit satisfacere, facillimum verò offendere quidquid agas: vnde fit vt omittant huiusmodi seruire Deo, & quæ à Deo acceperint dona ad suam aliorumque vtilitatem expẽdere, ne peccent scilicet, & offendant Deum, vel nihil vel minus quàm Deus exigat spiritalis lucri faciendo, vel vitiando Dei dona, vel denique, dum conantur alios lucrifacere Deo, perdendo seipsos vnà cum donis suis quibus non satis prudenter sint vsi. Verbi gratiâ, quidam sacerdotio à Deo aucti abstinent à sacrificij celebratione, quia numquam persuadent sibi se vt oportet paratos: alij sacerdotio simul & scientia instructi, abhorrent ab audiendis confessionibus, ne se peccatis aliorum inuoluant: rursus alij ad regimen aliorum legitima vocatione iudicati idonei, recusant ne de aliis suo cum periculo rationem reddere cogantur. Hi omnes habent Deum pro duro & difficili domino. horum quidam statuunt apud se, Deo reddere dona sua illibata, quibus si non sint bene vsi, certè etiam non malè, quando ea non vitiarint operibus malis. Alij etiam ad vitia declinant & ad sola terrena quærenda, corporis tantùm curantes salutem, negligentes animæ.

Respondẽs autem dominus eius dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi:	26	ἀποκριθεὶς δὲ ὁ κύριος αὐτοῦ εἶπεν αὐτῷ· πονηρὲ δοῦλε καὶ ὀκνηρέ, ᾔδεις ὅτι θερίζω ὅπου οὐκ ἔσπειρα, καὶ συνάγω ὅθεν οὐ διεσκόρπισα·

Luc. 19. v. 22.

MALE. *calumniator Domini tui*. (sic D. Hieronymus) *procax ac superbe ad accusandum Domini iudicium*. sic Beda in Lucam. PIGER. socordia tua fuit, non studium vtilitatis domini tui, quòd talentũ tuum absconderis. Hic non est fidelis seruus. SCIEBAS QVIA METO. noueras me hominem esse durum (id enim subaudiendum est ex versu 24.) & solere velle metere etiam VBI nihil SEMINO. ἔσπειρα, seminaui, & *congregare* ὅθεν inde VBI nihil SPARSI, id est, noueras auiditatem lucri meam. Non admittit verum esse quod ille dixerat, immo subindicat conuitium esse: sed quod ille attulerat in excusationem sui, retorquet in accusationem condemnationemque ipsius, etiam D. Hieronymo interprete. adeò periculosum est sua excusare peccata. *Ac si apertè dicat*, inquit Gregorius Homilia 9. in Euangelia: *Si iuxta tuam sententiam & illud exquiro quod non dedi, quanto magis à te exigo quod ad erogandum dedi?* *Si*, inquit Hieronymus, *durum & crudelem esse me noueras, & aliena sectari, ibique metere vbi non seuerim: quare non tibi istiusmodi cogitatio incussit timorem, vt scires me mea diligentiùs quæsiturum?* Ego tibi talentum tradideram ad negotiandum, tamquam semen ad seminandum: inde si lucrum quæro, nihil aliud quàm inde metere volo vbi seminaui. Timore Domini duci videntur quidam, quòd Dei donis non vtantur, reuera autem pigritia est quæ eos mouet, & laboris tolerantia quæ absterret: quòd si verò quis timor est, inutilis & impius est, quem sibi format seruus malus dum malè sentit de Domino. At qui si vera rectaque etiam foret illius de Domino opinio, qua habet eum pro rigido exactore bonorum operum, etiam vbi non præbeat auxilium sufficiens, & pro difficili ac moroso Domino, quem facilè sit offendere etiam dum bene agere conaris; mouere illa quoque eum debuerat ad vtendum Dei donis: quia si exigat Deus bonorum operum lucrum vbi non præbet auxilium sufficiens, quanto magis vbi præbet & donis instruit ad bene operandum? Si facilè offenditur etiam dum quis conatur bene agere & vti donis: clarum fit multo magis offendi, si quis non vtatur donis nec bene agere conetur. Incertum est offendendi periculum, quod potest comitari vtentem: sed certum exitium quod manet non vtentem. Sunt enim Dei dona homini tamquam semina data quæ seminet, ad fœnus suo tempore reddendum Deo, quod egregiè Auctor Imperfecti explicat.

oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, & veniens	27	ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις, καὶ ἐλθὼν ἐγὼ

ἐγὼ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ. | ego recepissem vtique quod meum est cum vsura.

OPORTVIT. ἔδει oportebat ERGO TE vel COMMITTERE PECVNIAM MEAM τὸ ἀργύριόν μου argentum meum. Potest intelligi & informe & monetale argentum (vtroque enim olim exercebatur negotiatio) quo modo intelligi potest etiam *talentum*. Vrget porrò dominus aduersus seruum hanc vocem *pecuniam meam*, quam s. seminaui vtique & sparsi apud te, & tibi in hoc credidi vt per te cresceret; ac proinde scire debebas, quoniam *qui metit vbi non seminat, magis vult metere vbi seminauit*, quod habet Auctor Imperfecti. NVMVLARIIS. τοῖς τραπεζίταις trapezitis, mensariis. Intelligit fœneratores, qui, vt pluribus possint fœnerari, ipsi à pecuniosis pecuniam mutuò accipiunt, quam certo cum lucro, condicto die restituunt. Hi græcè nomen habent à mensis, quibus perpetuò assident ad ratiunculas subducendas & pecuniam numerandam.

VENIENS. reuersus. RECEPISSEM VTIQVE. ἐκομισάμην ἄν recuperassem si non à te, vt qui recipere nequiuisses, à numulariis ipsis. CVM VSVRA. Loquitur ex more gentis illius, quæ consueuerat exteris gentibus fœnerari, idque pro re licita habere, quia permissum lege Deut. 23 v. 19. Oportebat te, si non ardua & quæstuosa negotia aggredi, saltem fœneratoribus credere pecuniam meam, apud quos ea nec perire poterat nec expers esse lucri, vsque adeò vt etiamsi tu eam non repetisses, ego reuersus facilè eam recuperassem ab ipsis fœneratoribus, & quidem cum fœnore ac lucro. Oportebat te, accepto à me talento, vel lucelli aliquid addere facillima aliqua & tutissima via. Oportebat te, vel facillima aliqua minimeque peccandi periculo obnoxia ratione, vti dono tibi credito, verbi gratia, docendo aut admonendo fraternè proximos, quos spes esse poterat iuuandi (donum enim cum his communicatum crescit) vel societatem ineundo cum aliis, qui maioribus animarũ lucris operam dant, vt quod solus aggredi non fueras ausus, saltem aggrederere cum sociis, & si non totius, certè vel cooperando aut ministrando parui fructus particeps fieres. alloquitur eum qui vnicum talentum acceperat, non tantùm indulturus ei qui quinque: nam Apostolus, *Væ*, inquit, *est mihi si non euangelizauero*. 1. Corin. 9. v. 16. Quòd si nec hac ratione à proximis tuis aliquid spiritalis fructus reipsa referre potuisses, vt qui tibi bene monenti agentique obedire noluissent, ego ipse exegissem ab eis fructum hunc, tu interim talentum tuum impendisses, nec tuo muneri prorsus defuisses. Non tam fructum in aliis reipsa productum requirit à nobis Dominus, quàm conatum, quòd suprà docuimus. Non est anxiè disputandum, qui sint numularij aut mensarij, sed collimandum est in parabolæ scopum: quemadmodum optimè fecisse videtur Chrysostomus, quem sequuti sumus. Verba eius sunt: *Oportebat te committere argentum meum numulariis, id est, oportuit te dixisse, admonuisse, consuluisse. Sed non obtemperant, ait: nihil hoc quippe ad te pertinet. quid hac re mitius atque humanius? homines sane non ita facere solent, sed ipsum qui pecuniam credidit, exactionis etiam officium facere volunt; ipse verò non ita, sed te oportebat, inquit, creditum facere, exactionem autem mihi relinquere, qui cum vsuris creditum ipsum exegissem. Audiens sanè vsuram splendorem operum intelligat. Te igitur oportuit quod facilius est facere, & difficiliora mihi relinquere.* Hæc Chrysostomus.

ἄρατε οὖν ἀπ᾽ αὐτοῦ τὸ τάλαντον, καὶ [28] δότε τῷ ἔχοντι τὰ δέκα τάλαντα. | Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Luc. 19. v. 24.

TOLLITE. Alloquitur adstantes ministros suos parabolicus Dominus: significatur autem, quòd, non angelorum ministerio (quo ad hanc rem non videtur fore opus) sed reipsa, in iudicio siue particulari siue vniuersali, ante omnia reprobi, Christo iudice, spoliabuntur omnibus Dei donis, quibus in vita mortali instructi fuerant, fide, spe, scientia, præfectura &c., omnia ipsis auferentur, vel simpliciter, vel hactenus, quòd si quæ remanebunt, non ad salutem, vtilitatem, gaudium, vel ornamentum ipsorum remanebunt, quemadmodum hac in vita, sed ad supplicium dumtaxat & pœnam. Etiamsi igitur nunc ignaui & inutiles serui instructi sint Spiritus donis, tandem tamen omnibus nudabuntur, & manifesta erit mundo inopia ipsorum ac probrosa egestas. ET DATE EI QVI HABET DECEM. Significatur è contrario, inprimis quòd electi in altero seculo, Christo iudice, retinebunt dona sua, nec dona tantùm, verumetiam fructũ vsus donorum. Quamquam enim fidelis seruus talenta sua omnia decem domino obtulisset, quippe cuius erant omnia & sors & lucrum (nam seruus domino operam præstare debuerat) tamen *ei* inquit, *qui habet decem talenta*, dans intelligendum, quòd contentus oblata sibi fuisse omnia, vt iustũ fuerat, reddiderit reliqueritq; omnia ei, qui obtulerat, fideli seruo. Quo significatur, vsum donorum suorum & lucrum animarum, bonorumque operum, quod seuerè adeo Dominus à nobis requirit, non sua causa requirere, vt sibi aliquid accedat, sed nostra: præter enim dona ipsa, nostrum fore, nostramque auctorum tum salutem tum gloriam æternam, quidquid tandem vsu illorum profecerimus, aut in aliis aut in nobis ipsis. Dominus igitur, quem piger seruus vt durè auarum accusauerat, ostendit quàm non auarus sed munificus sit erga seruos fideles: erga ignauum verò seruum talem se præbet, qualem ille Dominum esse tenuerat, durum inquam & quasi auarum, dum aufert ab eo quidquid ipsi dederat. Alterum quod hîc significatur, est, quòd præter hoc quòd electi retinebunt & dona sua & fructum vsus donorum, etiam ita cumulabuntur omnis generis donis ac dotibus, pro absolutissima Domini erga ipsos munificentia, vt dona omnia reproborum translata in ipsos esse videri possint, idque eo cumulatiùs, quo pluribus Dei donis in vita rectè vsi fuerãt. Dabitur igitur fideli seruo donum à pigro ablatum, non idem numero, sed specie, si desit, nec ad vsum (præterierit enim tempus meriti) sed ad gaudij, honoris ac gloriæ accessionem. Etsi ergo aliàs lege prohibitum est, ne aliena appetamus: hoc tamen loco proposita nobis est legitima ratio, qua aliena, sine omni peccato, immo magna cum iustitia, consequamur. Video vicinum meum insigni dono à Deo ornatum esse quo nolit vti: ego si iis quibus me Deus instruxit gnauiter vtar, etiam illud Deo iudice meum faciam.

Luc. 19. v. 26. Sup. 13. v. 12.

Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. 29

τῷ γὰρ ἔχοντι παντὶ δοθήσεται, καὶ περισσευθήσεται· ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

OMNI ENIM. Probat æquitatem iudicij illius, quo talentum ablatum à seruo pigro, datur ei qui decem habet talenta; probat inquam vulgari allato prouerbio, quod quidem, à solemni rerum in hoc mundo euentu, ex non satis æquis hominum moribus proueniente, sumtum est: sed vult dicere, in Dei iudicio iustè ac legitimè agendum, quod homines hîc inter se parũ iustè rectèque agunt. Hoc prouerbium quidem sup. 13. v. 12. exposuimus: sed hîc pro loci argumento paulò aliter exponendum est. OMNI HABENTI. s. quod debet, verbi causa, lucrum ex creditis talentis, fructum ex Dei donis: quod, D. Augustinus lib. 2. quæstionum Euangelicarum quæstione 46. & Chrysostomus in hunc locum, clarius dicũt: *Omni habenti*, Dei dona, id est, *vtenti eis*, bene rectèque scilicet: ille enim demum verè habet, qui vtitur. DABITVR plus donorum. Significat, Deum remunerari rectum vsum priorum suorum donorum, posterioribus gratiis. ET ABVNDABIT. Hæc certissima sententia, inquit, diuino consilio decreta est, vt qui rectè vsus fuerit donis sibi à Deo creditis, is amplioribus augeatur. EI AVTEM QVI NON HABET. ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος ab eo autem qui non habet, id est, qui non vtitur Dei donis; fortè quia parua & rara habet; vel *non habet* quod debet, fructum s. ex Dei donis, seu lucrum ex talentis. ET QVOD VIDETVR HABERE. etiam illud quod videtur habere, talentum s. siue donum, quamuis vnicum & exiguum. *Videtur habere* dicit, quia habet tamquam non habeat: otiosum enim & sine fructu habet, non eo vtens aut se aliósve iuuans. Simili enim modo dicimus, *Auaro tam deesse quod habet, quàm quod non habet*; quia frustra & inutiliter habet quidquid habet.

AB EO. Additum est ex idiotismo sermonis hebraici, alioqui superfluum. Reliqua ad huius versiculi explicationem facientia, quærenda sunt sup. 13. v. 12.

Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores. illic erit fletus & stridor dentium. 30

καὶ τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.

ET. Superiori prouerbio quasi per parenthesin interiecto, perficit sententiam aduersus pigrum seruum. Non enim in talenti ablatione finem ponit illius condemnandi, sed in supplicium quoque æternum & in intolerabiles cruciatus illum ablegat. INVTILEM. Hoc epitheto innuitur, quam præcipuè ob causam reprobetur iste, nimirum quia vixit inutilis, *quia bona facere neglexit*, ait Chrysostomus, acceptis à Deo donis non est vsus ad Dei honorem, ad promouendam salutem suam & aliorum, licet cæterà fortè bonus & probus fuerit (quamquam rarò exstet peccatum vnum solum, quod non aliud secum trahat, quemadmodum in isto vidimus) Mala arbor censetur, non solùm quæ malos, verumetiam quæ nullos fructus profert. Cæterùm si iste ob hanc causam damnatur æterno supplicio, quia non est vsus Dei donis: multo magis damnabitur qui malè est vsus, qui talentum non abscondit, sed dilapidauit cum ebriosis & meretricibus, aut, quod amplius est, aduersus Dei honorem in aliorum perniciem expendit; Verbi causa, qui peritia Scripturarum & sacrarum rerum scientia non est vsus ad alios lucrifaciendos Deo, licet plures lucrifacti fuerint, sed solùm ad gloriam aut quæstum venandum & corporis voluptates, vel, quod pessimum sit, ad peruertendos & seducendos alios in hæresim, errores, aut alia vitia. Nec enim omnia improborum seruorum, quibus sua bona dominus crediderat, genera, parabolâ exprimuntur: sed illud solum genus, quod videri poterat maximè excusabile, eorum s. quibus non tam voluntas defuerat quàm animus. *De aliis*, inquit Ambrosius in Lucam, *siletur, qui quasi prodigi debitores, quæ acceperant perdiderunt*. EIICITE domo mea, cœtu fidelium seruorum. ILLIC ERIT. Illic pro gaudio Domini, quod labore & diligentia noluit promereri, cruciabitur fletu ac stridore dentium. Reliqua huius versiculi exposita sunt sup. 8. v. 12. & 13. v. 42. & 24. v. 51.

Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: 31

ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, τότε καθίσει ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ·

CVM AVTEM. Hactenus variis parabolis docuit nos Iesus, quomodo ad iudicium nouissimum nos ipsi præparare debeamus: summa enim omnium est, quòd vigiles, prudentes, fideles, & vtiles esse monemur, si redeuntem ad iudicium Dominum, nostro bono velimus excipere. Iam verò sine parabolis & figuris, futuri illius iudicij formam atque historiam manifestè graphicèque describit: sic tamen vt & hîc obliquè admoneat, quid potissimũ tutos nos reddere possit ad iudicium illud subeundum, eleemosynæ inquam studium; hoc fine sermonem hunc concludens, &, inter vltima, hanc sui ad iudicium reditus historiam, discipulorum paulatim eruditorum cordibus imprimens. VENERIT. apparuerit mundo. FILIVS HOMINIS. ego, vilis qui iam habeor homuncio, eadem quidem hac hominis forma, sed IN MAIESTATE. ἐν τῇ δόξῃ in gloria: id est, cum gloria, conspicuus gloria & magnificẽtia. vide sup. 16. v. 27. & 24. v. 30. SVA. se digna, quæ à Patre ipsi vt Filio hominis decreta est, debetur autem modis omnibus vt Filio Dei. Gloriam illam suam, opponit contemtioni despicientiæque præsenti, ac signanter ignominiæ crucis, quam breuĩ passurus erat; præmuniens animos discipulorum, & spe patientiaque erigens. ET OMNES sine exceptione, à summo primi

mo primi ordinis ad vltimum vsque infimi, adeoque *cælu euacuatu*, quod ait Chrysostomus. Quando homines omnes iudicabuntur, non mirum adfore omnes angelos. Angelorum innumerabilem multitudinem atque exercitum describit Daniel cap.7.v.10., vbi de Deo Patre loquens, qui vnà cum Filio hominis & per Filium hominis iudicaturus est, ait: *Millia milliū ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.* ANGELI. cælestes spiritus. ἅγιοι *sancti* additur græcè & syriacè, quod vt Interpres non legit, ita satis intelligitur. Præterea *eius* addit syriacus textus, vt & quidam latini libri minùs correcti: verùm rectiùs illud omittitur, ne putes aliquos ex sanctis angelis non esse eius. Apparebunt autem visibili forma, quod alibi docuimus. suprà 24.v.31. CVM EO. tamquam ministri ipsius, qui nunc paruo humilique vestro comitatu cōtentus contemnitur. Aderunt tunc Filio hominis omnes angeli, partim magnificentiæ causa (vt regem visitantem regnum suum, solent principes, nobiles, aulici, duces, & exercitus omnes comitari) partim ministerij, vt mandata & sententiam eius exsequantur. Ipsius enim iussu, finem mortali mundo imponent, congregabunt homines omnes magna voce tubæ nouissimę, adducent ad locum iudicij, separabunt malos à bonis, postremò, iuxta sententiam ab ipso iudice latam, illos quidem proiicient in caminum ignis (sup. 13.v.41.& 42. hos verò adducent secum ad cælestia regna. vide suprà 16.v.27. & 24.v.31. Adiicere licet, quòd aderunt angeli, vt approbatores iudicij, quippe testes gestorum ab hominibus, qui sub ipsorum custodia bene vel male vixerint. TVNC. hoc aduerbium temporis, non refertur ad solum proximum verbum *sedebit*, verumetiam ad subsequentia, *congregabuntur, separabit, statuet*. Qualitatem aduentus sui secundi ita describit, vt ostendat illum priori, in quo tunc erat, longè dissimilem fore. SVPER SEDEM MAIESTATIS SVÆ. ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ super thronum gloriæ suæ, super thronum suum gloriosum regiumque tribunal, tamquam omnium rex & iudex. quæ quidem sedes, illustrissima magnificentissimaque nubes futura creditur, vt in aëre apparenti atque sedenti, aërea nubes throni siue sedis loco seruiat. vide sup. 19.v.28. & 24.v.30. hæc, similitudine à foro iudiciario ducta, dicuntur. Tunc publicitus exhibebit se mundo regem ac iudicem omnium, solium suum palàm eriget in hominum omnium conspectu, & vt perfectum ordinem stabiliat in cælo & terra, vt impios prosternat sub pedibus suis, pios colligat in societatem æternæ ac beatæ vitæ, tribunal conscendet in excelso collocatum, tanta illustre gloria ac magnificentia, quantam nemo contemnat, omnes verò reuereantur eiusque vim sentiant. Sedet quidem Filius hominis ab ascensu ad cælos continuè ad dexteram Patris, super thronum paternum ac regium, iudex rectorque omnium: sed quod plerique nunc, vel non credunt, vel non curant, hoc omnes tunc suis oculis videbunt & rebus ipsis sentient, *ita vt etiam mali ipsum conspicantur inuiti, & qui contempserint in humilitate, cognoscant in potestate*, ait Auctor Imperfecti.

καὶ συναχθήσονται ἔμπροσθεν αὐτοῦ [32] πάντα τὰ ἔθνη, καὶ ἀφοριεῖ αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ὥσπερ ὁ ποιμὴν ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων·	& congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis:

CONGREGABVNTVR ipsius iussu & imperio ab angelis excitantibus & conuocantibus tuba ac voce magna, reque ipsa adducentibus ab omnibus mundi partibus, vt suprà 24.v.31. dictum est. Iusti quidem vt aquilæ ad cadauer aduolabunt, impij autem velint nolint congregabuntur. ANTE EVM. sedentem, vt dictum est, nube lucida, terræ vicina, tamquam pro tribunali, id est, in eum terræ locum congregabuntur, vbi omnes ipsum videant in conspectu audiantque loquentem, & vicissim ipse omnes. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, inquit Apostolus Rom.14.v.10. Necesse est intelligere, fore certum aliquem & definitum locum terræ, in quem homines omnes congregandi sint ad iudicium: nam si maneant per mundum sparsi, & vnusquisque suo loco iudicetur, non congregabuntur: congregandi autem dicuntur, & quidem ante iudicem. Eum porrò locum, in quem homines omnes congregandi, & Filius hominis descensurus sit, non in alia, credibile est, mundi regione fore; quàm in ea in qua Filius hominis mortalis fuerat conuersatus; nec in alia illius parte, quàm in qua opus humanæ redemtionis perfecerat. Quare D. Hilarius, sub finem canonis 25. in Matthæum, existimat fore locum passionis; alij verisimiliùs, ex Ioële cap.3.v.2.12.& Zacharia, cap.14.v.4., fore locum ascensionis, vallem inquam Iosaphat, subiacentem monti Oliuarum: quamquam vtraque sententia vera erit. Descendente enim Domino è cælis in montem Oliuarum (vt ille ipse esse intelligatur, qui ex eodem hoc monte olim in cælos ascenderat) & sedente super nube splendida, imminente monti, tamquam super monte ipso Oliuarum sederet, omnes gentes congregabuntur in vallem Iosaphat subiectam, & in loca circumuicina, ad Austrum, Occidentem, & Aquilonem, nec enim omnium capax esse poterit vallis illa inter quæ est mons Caluariæ seu passionis locus, vicinus ciuitati Ierosolymorum ab Occidente, vt mons Oliuarum ab Oriente: nihil namque erit impedimenti, ciuitate Ierosolymorū & omnibus humanarum manuum operibus igne conflagrationis è medio sublatis, quin & montibus plerisque, terræ motu quem descensus Domini excitabit, complanatis. Neque verò in immensum excurret amplitudo loci qui huiusmodi capiat multitudinem: in primis enim electi, non in terra, sed in aëre ipso consistent: reliquorum verò hominum, nudorum & compressorum (habebuntur enim ignominiosè) magnam turbam capiet locus terræ non magnus: quòd si verò qui longiusculè à iudice aberunt, facilè nihilominus videbunt maxima claritate refulgentem, cuius facies fulguris instar conspicua, & vox instar tonitru sonora erit. Quare locus ipse iudicij plurimùm faciet ad condemnationem reproborum, & quasi per se ipse feret aduersus eos sententiam. OMNES citra exceptionem, quæ tunc supererunt & quæ vmquam fuerint aut extiterint.

GENTES. id est, homines; non tantùm enim omnes gentes, sed & omnes ac singuli homines omnium gentium, adeoque homines prorsus omnes, omnis temporis, omnis nationis, omnis conditionis, omnis ætatis, sexus vtriusque, ab Adam & Heua protoplastis ad hysterogenem vsque, siue antea mortui, siue tunc viui reperti fuerint. Omnino enim nullus poterit iudicium istud effugere. Nec tamen dicit *homines*, sed *gentes*, vt sa-

vt faciliùs consideres iudicandorum tum varietatem tum multitudinem (non parum enim hoc facit ad explicandam iudicis maiestatem) sciasque nullam gentem, quantumuis barbaram & alienam à Dei Christique cognitione, excipiendam, vt ne putes Israelitas solos & Christianos iudicandos. SEPARABIT loco, diuidet in duas distinctas partes seu ordines, auctoritate sua, sed opera rursus angelorum. sup. 13. v. 49: *Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.* EOS. subaudit Christus *homines*, quod reipsa præcesserat inclusum voci *gentes*: nam gentes ipsas non separabit à se mutuò: nullæ enim erunt gentes integræ, quæ vel seruari vel perire debeant, sed inter omnes & singulas gentes erunt aliqui, loco & merito à se inuicem separandi. AB INVICEM. alios ab aliis, bonos scilicet à malis, reprobos ab electis. *Nunc enim non segregati, sed mixti sunt vniuersi*, inquit Chrysostomus, *neque solum mixti*, addit Auctor Imperfecti, *verumetiam confusi, sicut tempore hyemis inter virides & aridas arbores discretio non est*. Tunc verò exquisitissimè & infallibiliter separabuntur: vt enim *cognouit Dominus qui sunt eius* (2. Timo. 2. v. 19.) & omni scientia illa sua, qua nihil non nouit, perspecta habet singulorum & opera & merita: ita docebit angelos suos, quorú opera ad separationem vtetur, qui boni seu electi, qui mali ac reprobi sint. Tunc multi, eheu dolor, apparebunt reprobi, qui iam electi habentur, immo electis præsunt. Quis clamor, quis gemitus, putas, hîc futurus est reproborum, qui vel ex ipsa hac separatione bonorum à se animo præsument sententiam aduersus se ferendam! SICVT PASTOR vesperi, grege domum ex agris adducto. SEGREGAT. ἀφορίζει separat (idem enim verbum repetitur) & in diuersis stabulis collocat. OVES AB HOEDIS. qui mixtim pasti fuerant in agro. Sub ouibus totum ouinum genus, scilicet arietes, verueces, & agnos; sub hœdis, hircinum genus, hircos, capras, & capros intelligit: nam hœdi propriè iuniores sunt, hirci viri, capræ fœminæ, capri mares castrati. Videri possit allusisse Christus ad prophetiam Ezechielis cap. 34. v. 17: *Ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum*, &c. Quemadmodum, vult dicere, pastor vesperi reducto ex agris grege, vbi mixtim totus pastus fuerat, separat arietes ouesque ab hircis & capris, & in diuersa stabula cogit, quòd non conueniat eisdem stabulis contineri & agere, fœtidos molestosque hircos, quibus mundas & innocuas oues: sic Filius hominis Christus, in mundi consummatione, homines bonos & malos, qui simul mixti, & prosperis aduersisque rebus citra discrimen adfecti, in agro huius mundi vixerant, & illi quidem ab his duros sæpe insultus molestiasque sustinuerant, separabit a se mutuò, vt diuersis eos assignet habitaculis, bonos cælis, malos inferis, eò quòd non conueniat, semper eos simul agere, sed aliquando oporteat separatim vtrosque pro meritorum diuersitate tractari. Aliis similitudinibus ad hoc idem propositum declarandum, vsus fuit Christus sup. 13. v. 30. 40. 41. 48. 49., & Ioannes Baptista sup. 3. v. 12.

& statuet, oues quidem à dextris [33] suis, hœdos autem à sinistris.	καὶ στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων.

STATVET. eorumdem angelorum ministerio. OVES. Quia similitudine vsus fuerat à pastoralibus sumta, in ea perseuerans, metaphoricòs vocat homines, bonos quidem & electos, *oues*: malos verò & reprobos *hœdos* seu hircos. Illos *oues*, propter obedientiam, patientiam, mansuetudinem, simplicitatem, præsertim verò vitæ innocentiam cum benefaciendi studio coniunctam (oues enim ab innocua maximè simplicitate & vtilitate commendabiles sunt) hos verò hircos, propter stupiditatem, rixositatem, immodestiam, lasciuiam, præsertim verò vitæ immunditiam & fœtorem peccatorum: nam hirci fœtore inprimis & graueolentia notantur. Nec malè additur, quòd hircus locis altis & præcipitiis gaudeat: sic enim & impij ambulant difficiles ac periculosas vias. Sap. 5. v. 7. A DEXTRIS SVIS, id est, loco honoratiori ac nobiliori, superiori inquam loco, in aëre (quomodo interpretatur D. Thomas in commentario) quippe ad beatitudinem destinatos. A SINISTRIS. id est, loco ignobiliori, inferiori inquam, in terra, vtpote ad miseriam perpetuam condemnandos. Nam, quod suprà didicimus, sic electi congregabuntur ad locum iudicij, vt non in terra remaneant, sed ad iudicem assumantur in aëra: reprobi verò relinquētur in terra. vide sup. 24. v. 40. & 41. Prope tribunal in aëre, à manu iudicis dextra & sinistra, astabunt vel assidebunt cùm Angeli tum electorum hominum perfectissimi, quales Apostoli: ante tribunal verò, in aëre quidem cōsistent electi, in terra autem reprobi. *A dextris* igitur & *à sinistris*, idem sit hîc, quòd suprà & infrà: eodem loco, sed illos in aëre, hos in terra constituet. Consistent autem illi in aëre, vel vi corporum gloriosorum, vel operâ sanctorum angelorum, vel alia ratione diuinæ potestatis. *Quo tempore, quomodo, putas, impios confundendos!* ait Auctor Imperfecti.

Tunc dicet Rex his qui à dextris [34] eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.	τότε ἐρεῖ ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ· δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.

TVNC. his ita constitutis, vniuersoque hominum genere in duos ordines distributo. DICET. Non est veridissimile, Christum ore prolaturum sententiam eam, quæ hoc versu continetur, aut certè similem, qua hos iudicet regno dignos. REX. *habens in vestimento & in fæmore suo scriptum, Rex regum & Dominus dominantium.* Apoc. 19. v. 16. A nomine Filij hominis cœperat, quo ipse notus erat, vt seipsum significaret: iam verò maiestate descripta, Regem se vocat: nam & iudicans omnes, atque alios quidem regno æternùm donans, alios verò excludens, non alia quàm regia auctoritate id faciet, & egregiè Regem rebus ipsis se declarabit. HIS QVI A DEXTRIS. Propensior ad saluandum quàm ad damnandum, paratiorque ad benefaciendum quàm ad puniendum, incipit à saluandis iudicium: *sponte enim benefacit, quia bonus est; inuitus autem punit, quia iudex est*, ait Auctor Imperfecti. VENITE ad me, adiungamini mihi. Vox ista singularis cuiusdam fauoris & amici complexus affectum notat, qua Christus electos suauiter inuitat ad se Regem & prima-

primarium regni possessorem ac dominum: loquitur enim tamquam possessor regni, qui continuò in illud rediturus, & ipsos secum introducturus sit. BENEDICTI PATRIS MEI. id est, benedicti à Patre meo, chari, dilecti, fauorabiles Deo Patri meo, quos mundus quidem despicatos & execrabiles habuit, sed Pater meus *benedixit omni benedictione spirituali in cælestibus in me* (quo modo interpretatur Apostolus Ephes. 1. v. 3.) id est, quos Pater meus tot tantisque spiritualibus beneficiis cumulauit per me, quot quantisque ad hanc felicitatem perduxerit, vt admittamini ad regnum cæleste. Vt enim dicere Dei, est facere; ita benedicere, est benefacere. vide sup. 14. v. 19. Simili loquendi modo Gen. 24. v. 31. dictum legitur seruo Abrahæ à Laban, *Ingredere benedicte Domini*, quod est, chare seu dilecte Domino, tamquam cui Dominus fauens benefecerit. Porrò hîc agitur de beneficiis eiusmodi, quæ possessores Deo gratos & regno dignos reddunt, non separatim tamen consideratis, sed vt coniunctis cum beneficio seu dono perseuerantiæ, quod reipsa adducit ad regnum, & beneficia benedictionemque erga nos Dei stabilit perpetua. Reprobi, quamquam & ipsi non pauca à Deo beneficia in vita acceperint, immo maiora aliquando quàm electi, quibus Deo grati essent & regnum possent adipisci: tamen quia non perseuerarunt, sed peccando tandem reiecerunt beneficia illa, exciderunt que benedictione Dei, benedicti Patris iam appellandi non veniunt. Quod autem dicit *benedicti Patris mei* potiùs quàm *benedicti mei*, facit pro suo more, quo Patri solet adscribere sua & suorum omnia, tamquam primo fonti. Quare Rabanus in Cathena ad hunc locum citatus: *Ad eum*, inquit, *refert potestatem regni, à quo est ipse rex genitus*. Innuitur denique his verbis, salutem electorum, quòd regno donentur, ex Dei fauore & benefica benedictione proficisci. POSSIDETE. vt possideatis mecum. κληρονομήσατε hereditate, hereditate possidete seu accipite, quo modo Interpres vertit 1. Pet. 3. v. 9: *In hoc vocati estis, vt benedictionem hereditate possideatis*. vide sup. 5. v. 4. Vocabulo hereditatis duo significantur, vnum quòd tamquam filij, alterũ quòd quieta, stabili ac perpetua possessione, regno fruentur. *O quanta gloria*, inquit Chrysostomus, *quanta beatitudinis hæc verba sunt! Nec dicit accipite, sed hereditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis à principio debebantur*. hæc ille. Iure hereditario accipite, vt heredes Dei Patris, coheredes mei. Rom. 8. v. 17. Sed quamquam regnum electis, tamquam filiis hereditas, adiudicetur, non tamen bonorum operum merita excluduntur, quod nugantur hæretici: non enim adiudicatur vt filiis naturâ seu generatione, quemadmodum in humanis hereditas filiis obuenit à morte parentum, qualescumque tandem ipsi sint, boni, mali, modò naturâ filij: sed adiudicatur tamquam filiis adoptione, imitatione, similitudine, quòd quidem, qui ratione vtuntur, absque bonorum operum meritis esse non possunt: quare non omnibus citra discrimen, sed iis solis adiudicatur, qui perseuerarint in retinenda ad mortem vsque Dei similitudine & spiritu adoptionis. PARATVM. præparatum s. prædestinatione Patris mei, id est, prædestinatum, constitutum, decretum à Deo Patre meo, omnium præicio vide sup. 20. v. 23. VOBIS. nam ego quidem illud semper possedi, tamquam Filius Dei æternus. Vt mox benedictionem, ita hîc prædestinationem Dei, insinuat esse causam salutis electorum, vt non fortuitò sibi regnum obuenire, sed ab æterna Dei electione intelligant. REGNVM cælorum, vitam, gloriã, beatitudinemque æternam. *Regnum* hîc accipitur pro cælestibus æternisque bonis (inter quæ præcipua est visio Dei) quibus homo beatus redditur. vide sup. 3. v. 2. & 6. v. 10. A CONSTITVTIONE, à creatione MVNDI. hoc est ab æterno. vide sup. 13. v. 35. Nam quia idem tempori quod mundo damus initium, nec facilè homines Dei æternitatem comprehendimus, quæ fuerit ante creationem mundi: idcirco accommodans se Christus imbecillitati mentis nostræ, *à creatione mũdi* dixit pro *ab æterno*. Cæteroqui Apostolus, disertis verbis, *ante mundi constitutionem* electos nos esse affirmat, Ephes. 1. v. 4 Quare Chrysostomus Homilia 1. in epistolam ad Titum: *Ostenditur*, inquit, *ex his nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim atque ab ipso initio dilecti sumus*. & Hom. 34. in Genesim: *Vide bonitatem Dei excellentiam, quanta erga nostrum genus misericordia vsus sit, vt & ante iacta fundamenta mundi, nobis regni cælorum fruitionem præparare dignatus sit*. Ex his igitur, nobis mortalibus intelligenda datur, incomprehensibilis Dei erga nos misericordia & gratia, qui infinitis seculis antequam existeremus aut nati essemus, decreuerit nobis regnum cælorum, vt certissima spe paternæ Dei de nobis curæ animati fortiter superemus obstacula omnia miseræ mortalisque vitæ, & ad paratam nobis beatitudinem cursum alacriter tendamus.

ἐπείνασα γὰρ, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με· ξένος ἤμην, καὶ συνηγάγατέ με·	35 Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erã, & collegistis me:

ESVRIVI ENIM. Quemadmodum diximus verisimile fore, vt Christus iudex ore ac verbis ferat sententiam, qua electos regno dignos iudicet: ita non credimus verisimile fore, vt ore ac verbis rationem exprimat sententiæ suæ, & causam promat salutis electorũ, causam inquam quæ sit ex parte ipsorum electorum. Non enim erit vna causa salutis omnium, sed variæ etiam singulorum: quas non verbis enumeratas, sed *illuminante Domino abscondita tenebrarum & manifestante consilia cordium reuelatas* (1. Corin. 4. v. 5.) vnusquisque, cùm de se tum de aliis clarissimè intelliget. *Fiet enim virtute diuina*, ait Augustinus lib. 20. de ciuitate Dei cap. 14., *vt cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam*. Quam ob rem, quòd Christus hîc suæ pro electis sententiæ attexit rationem seu causam, docendi gratia id facit, non quòd ea illic verbis declaranda à se sit, sed partim quòd, vt diximus, ab omnibus intelligenda sit non minùs clarè quàm si verbis exprimeretur, partim vt nos præmoneret, quomodo promereri nobis eum in diem queamus lenem sententiam miteque iudicium. Quemadmodum igitur superiori versu insinuauit, causam beatitudinis electorum ex parte Dei, esse Dei prædestinationem & benedictionem: ita hoc versu manifestè docet, eiusdem causam, ex parte ipsorummet electorum, esse bona opera ipsorum, iuxta illud quod suprà 16. v. 27. dixerat: *Filius hominis venturus in gloria Patris sui cum angelis suis, reddet vnicuique secundum opera eius*. Illam inquam causam insinuauit potiùs quàm apertè declarauit, quia in Deo abscondita à Deo pendet: hanc manifestè declarauit, vt ad eam in voluntate nostra sitam nos excitaret. Quid enim poterat manifestiùs dici, quàm *Possidete regnum, esuriui enim & dedistis mihi*

manducare &c.? quo non aliud intelligi potest Christus velle, quàm causam dare cur ipsos regno donet, & eam quidem causam esse misericordiæ opera quæ exercuerint. Ne enim sola gratia & fauore nixuram sententiam ipsius, tamquam acceptoris personarum, quis vereretur, exprimere hîc voluit sententiæ suæ rationem causamque iustus iudex. Quare pudeat Caluinum, aduersus splendidam veritatem mentiri, *enim hoc loco, non causam, sed consequentiam potius notare*: quod vt per se fit absurdum, ita clarissimè refellitur eo quod infrà v.42. de reprobis damnatis igne æterno è diuerso dicitur: *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*. quid enim? an non causa illic redditur promeriti ignis æterni? an verò sola consequentia notatur, omissorum operum misericordiæ & ignis æterni inter se mutuò? Neque verò vna causa aliam excludit, prædestinatio aut benedictio Dei, hominum opera; aut hominum opera, prædestinationem vel benedictionem Dei: vt enim vnius effectus esse possunt plures causæ, ita tunc maximè, cùm causæ sibi mutuo subiciuntur, aut vna aliam mouet. Remota sed prima causa adeoque fons salutis electorum, est prædestinatio Dei: proxima verò, ex parte quidem Dei, est benedictio Dei, ex parte verò electorum, sunt opera bona. Benedictio Dei subiacet prædestinationi, estque prædestinationis effectus: nam quem Deus ab æterno prædestinauit ad regnum, illi tempore opportuno benedicit & benefacit, augetque eum gratia ac donis suis. Benedictio autem seu gratia Dei mouet & iuuat hominem ad bene operandum: opera denique bona merentur regnum, *reddet enim vnicuique secundum opus eius*, quod Scriptura ait non vno loco. Sed obicitur, prædestinationem benedictionemque seu gratiam Dei esse gratuitam, adeoque regnum seu vitam æternam Apostolo gratiam dici Rom.6.v.23. Rectè, gratuita est æterna prædestinatio, quia hominum bona opera non sunt illius causa, sed ipsa causa est bonorum operum: similiter dicendum est de temporaria benedictione, nisi quòd huius augmentū homo mereri queat: quamobrem bona opera ipsa & quę illis redditur vita æterna, meritò vocantur gratia, tamquam proficiscentia ex radice, fonte, seu origine, quæ mera gratia est: sed quia bonorum operum non sola Dei prædestinatio & benedictio seu gratia causa est, verum etiam liberū hominis arbitrium, quod cooperatur gratiæ Dei, & placuit Deo, bonis operibus profectis à libero hominum arbitrio, moto atque adiuto à gratia ipsius, promittere vitam æternam; idcirco bona opera, & quæ illis redditur vita æterna, quæ origine gratia sunt; illa quidem sunt merita, hæc verò merces, ex proxima causa. Non enim ipsa per se opera hominum bona etiam adiuuāte gratia Dei facta, mereantur vitam æternam, nisi Deo placuisset promittere: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, suprà 19. v.17. Promittere aut pacisci hunc in modum nobiscum Deus non tenebatur, ac proinde gratuita fuit promissio & pactio: sed post quam promittere & pacisci dignatus est, tenetur promisso seu pacto. Non solùm igitur bona hominum opera, Dei gratia sunt, verumetiam gratia Dei est quòd vitæ æternæ meritoria sunt: sed quod gratia promisit, id iustitia soluit, quemadmodum Christus iudex hoc loco monstrat, qui gratuitas salutis electorum causas superiori versu expressas, prædestinationem inquam & benedictionem Dei, quibus includitur promissio, cum meritoria causa, quam hoc versu declarat, hac ratione videtur cōiungere, ac si dicat: Curastis enim, vt huiusmodi præparationi & benedictioni Patris mei, moribus responderetis; *satagentes vt per bona opera certam vestram electionem faceretis*. 2.Pet.1.v.10.

DEDISTIS MIHI. redemtori, saluatori, domino ac regi vestro. Viget pronomen *mihi*, vt intelligatur quare huiuscemodi operibus, per se paruis ac vilibus, retribuat mercedem regnum cælorum: notum est enim opera accipere dignitatem, cùm aliunde, tum à persona cui fiunt: verbi gratia, si quis regi fame aut inopia extrema presso subuenisset, non mirum si postea rex illum regni sui consortem faceret. Quare Auctor Imperfecti: *Tale*, inquit, *videtur opus, non quale datum est, sed qualis persona illius qui accepit*. Nam quamuis ex Dei promissione potissimùm fiat, quòd opera nostra bona meritoria ac digna sint vita æterna, quod mox diximus; non ex sola tamen Dei promissione: nam huc facit, & gratia Spiritus sancti inhabitantis per quam illa fiunt, & iustitia hominis à quo illa fiunt, & finis Deus propter quem illa fiunt: hæc omnia concurrentia cum Dei promissione, ea dignitate afficiunt opera hominum bona, vt promereantur, Deo iusto iudice, vitam æternam seu regnum cælorum. HOSPES. & errans, sine domo in terra aliena. COLLEGISTIS ME. hospitio me excepistis. Quanta gloria, quòd coram mundo vniuerso, electos Christus, patronos & hospites suos fuisse profitebitur! quod notat Chrysostomus.

nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.	36	γυμνός, καὶ περιεβάλετέ με· ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με· ἐν φυλακῇ ἤμην, καὶ ἤλθετε πρός με.

OPERVISTIS. vestiuistis. INFIRMVS. ægrotus. VISITASTIS me, vt facultatibus, opera, aut saltem consolatione vestra, reficeretis. VENISTIS AD ME redimendum, iuuandū, aut certè alloquio solandum. *Quia dedistis*, inquit Auctor Imperfecti, *quæ semper habere non poteratis, recipite quæ in æternum possideatis. Varias* (notat Euthymius) *humanitatis partes recenset, vt si quidem possumus, omnes impleamus; sin autem, at saltem eas quas possumus. Ideo enim singula recoluntur, vt aduertamus non futurum extra misericordiam, qui vel partem horum operum fuerit exsequutus*, ait B. Leo serm.7. de ieiunio decimi mensis. Sub his porrò quæ recenset corporalibus humanitatis seu misericordiæ operibus, cætera intelligit: quæ ex hoc loco simul & Tobiæ libro, memoriæ causa, septenario numero catechumenis definiri consueuerunt; non quòd plura non sint, sed quòd cætera omnia ad hæc septem facilè reduci queant. Sub corporalibus verò, intelligit & spiritualia eaque nobiliora misericordiæ opera, qualia sunt, ignorantes docere, consolari mœstos, iniustè oppressis succurrere; nec illa sola, verùm & alia cuiuscumque generis opera bona: quibusdam enim operibus bonis recensitis, vult & reliqua omnia intelligi. Non solùm enim iudex Christus operum misericordiæ rationem habebit, sed & operum iustitiæ, & operum temperantiæ, denique operum religionis seu pietatis erga Deum, hoc est, omnium bonorum operum (vt enim hîc operibus misericordiæ, sic alibi aliarum virtutum operibus, regnum cælorum promittit. suprà 5.v.3: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, & deinceps, rursus 10. v. 32. & 19.v.17.21.29.) atque inprimis ipsarum virtutum fidei, spei, & charitatis rationem habebit, quę aliquando sine vllis exterioribus operibus regno dignæ esse possunt, sed exteriora opera sine ipsis numquam. Nam

vt *sine fide impossibile est placere Deo*, Heb. 11. v. 6. *ita si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13. v. 3. Cæterùm vnam speciem bonorum operum posuit hic Christus, pro toto genere operum bonorum & virtutum: vno enim exemplo docere voluit, quod suprà 16. v. 27. dixerat, se redditurum vnicuique secundùm opera sua, id est, se neminem aut saluaturum, aut damnaturum, nisi iustissima de causa, eaque publicè & coram omnibus declarata, quemadmodum in forensium iudiciorum sententiis fieri solet, vnde videtur metaphoram sumere voluisse. Hinc fit vt & exteriora opera potiùs recenseat quàm verba aut cogitationes, quia verborum, & maximè cogitationum exterioribus signis haud declaratarum, nulla in iudiciis humanis habetur ratio: quamquam secus erit in diuino iudicio, in quo quosdam sola etiam animi constitutio vel saluabit vel damnabit, eos scilicet qui numquam vsi fuerint ratione. vide sup. 16. v. 27. Cæterùm quòd misericordiæ opera præ aliis hîc exprimat Christus, facit plures ob causas. Vna est, quia inter bona opera, illa, vt magis naturalia sunt homini, ita notiora & magis vulgaria sunt, quæ vt penè à quolibet præstari queunt, ita facile communia erunt electis omnibus, & ostendunt, ob ipsa si remuneratio accipiatur, ob maiora virtutum opera multò magis accipiendam. Alia est, quòd huiusmodi officia vt effectus charitatis reginæ virtutum, singulariter nobis velit esse commẽdata, & ad ea miseris exhibenda prouocare fideles omnes, à quibus, propter insitam nobis tenacitatem, ex philautia & inopiæ timore immodico, si non ex auaritia proficiscentem, abhorremus plerique, necessaria sint licet maximè proximis nostris. Habere igitur se Christus docet pro argumento dilectionis Dei, si quis his modis se exerceat in diligendo proximo, adeoque præferre huiusmodi opera operibus aliarum virtutum, ita vt hæc illis cedere velit tamquam minùs necessaria, vbi commodè vtraque præstari nequeunt. Hinc illud in Euangeliis ex propheta frequentatum: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, suprà 9. v. 13. & alibi. Tertia causa est, quòd misericordiæ opera causa erunt salutis plerorumque: non quòd sola misericordiæ opera aliquos saluabunt, sed quia multi perituri fuissent, nisi obstitissent exercita ab ipsis misericordiæ opera. Nam quia gratissima est Deo misericordia, ipsiusque promissio est *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*: fit vt Deus multos misericorditer adducat ad veram pœnitentiam, remissionem peccatorum, emẽdationem vitæ, aut certè firmum emendandi propositum, & consequenter ad vitam æternam, quos eò non adduxisset, nisi misericordiæ erga proximos fuissent studiosi. Hæc sententia est D. Augustini sermone 38. de sanctis & 53. de diuersis, vtroque eadem penè scribentis, sed posteriore in hæc verba: *Scriptum est, Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum* &c. *Proinde illis quos coronaturus est, solas eleemosynas imputabit, tamquam dicens: Difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissime facta vestra, non inueniam vnde vos damnem: sed ite in regnum, esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Non ergo itis in regnum, quia non peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis redemistis*, hæc Augustinus.

τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ δίκαιοι, λέγοντες· κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, καὶ ἐθρέψαμεν; ἢ διψῶντα, καὶ ἐποτίσαμεν; [37] Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te; sitientem, & dedimus tibi potum?

TVNC RESPONDEBVNT. Quòd ista inter iudicem & electos sermocinatio non fiet verbis vltro citroque habitis, quemadmodum hîc narratur, manifestum ex eo fit, quòd electi plerique omnes ex hoc Euangelio docti, iam norint, neque tunc proinde poterunt ignorare, Christum in iudicio suo habiturum, misericordiæ opera pauperibus Christianis exhibita, eo loco quo si ipsius personæ exhibita fuissent. Quare intelligere oportet, Dominum, docendi præcipuè causa, hunc in modum describere iudicium, vt sciamus quàm grata sint ipsi quantique faciat charitatis officia indigentibus fratribus impensa, & discamus supra captum carnis nostræ assurgere, quoties opem nostram implorant miseri fratres, ne contemti hominis aspectus beneficentiam nostram retardet, denique doceamur quàm felici statu res electorum in extremo iudicio erũt, quorum pia opera tanti fient, quanti si iudicem ipsum iuuissent ac fouissent aliquando. Quod igitur dicit *tunc respondebunt*, animo intelligit responsuros; corde inquam, non ore. Quando videbunt electi, Christum iudicem, misericordiæ opera ab ipsis præstita remunerare tam diuiter & magnificè, quàm si ipsius personæ ipsi ea exhibuissent, exsultantibus præ gaudio incidet in mentem, quòd ipsi plerique omnes nõ viderint Christum in carne mortali inopiam patientem: sed Christus è diuerso ipsis in mentem reuocabit, ipsique mox recordabuntur, quod ex Euangelio olim didicerant, *quamdiu vni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis*. Eorum igitur, quæ in nouissimo iudicio dicenda Christus hîc præmonet, sola sententia, expressa versibus 34. & 41., quæ ad substantiam iudicij pertinet, ore; cætera tantummodo animo ac mente, proferenda videntur.

IVSTI. illi maximè qui Christi in mortali carne præsentiâ numquam fruiti fuerint. DICENTES. Non quòd dubitantes de veritate dictorum velint arguere iudicem, aut quòd gratam non habeant ipsius sententiam: sed persuasi certò de infallibili iudicis sententia, & securissimo gaudio pleni, admirantes intelligere quærunt abstrusam veritatem, quam, nisi iudice pronunciante, numquam sibi arrogare fuissent ausi, vt bonarum est mentium non magno æstimare pia opera sua. ESVRIENTEM. qui plerique omnes numquam te vidimus in carne mortali? PAVIMVS. ἐθρέψαμεν aluimus; nutriuimus. SITIENTEM. ἢ διψῶντα aut sitientem.

πότε δέ σε εἴδομεν ξένον, καὶ συνηγάγομεν; ἢ γυμνὸν, καὶ περιεβάλομεν; [38] quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te?

aut

aut quando te vidimus infirmũ, aut in carcere, & venimus ad te? [39] πότε δέ σε εἴδομεν ἀσθενῆ ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ ἤλθομεν πρός σε;

Et reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. [40] Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐρεῖ αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ᾽ ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε.

RESPONDENS animo ſeu menti vniuſcuiuſque iuſtorum, prout dictum eſt. AMEN DICO. Quò minoris faciunt iuſti pia opera ſua, eò maioris ea facit Dominus. QVAMDIV. ἐφ᾽ ὅσον in quantum, quatenus eo ipſo quo. FECISTIS. hæc aut horum aliquid. VNI. vel vni, multo magis ſi pluribus. EX HIS. τούτων horum. FRATRIBVS MEIS, à me dictis Chriſtianis. Potuit Chriſtus quando hæc docuit Apoſtolos monſtraſſe, quos ſup. 12. v. 49. fratres ſuos vocauerat: ſed non illos ſolos, verùm omnes pios Chriſtianos intellexit: nam vt ibidem v. 50. dixerat: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus & frater & ſoror & mater eſt*. Vocat autem hos fratres ſuos, vtpote filios Dei, quamquam non naturâ filij Dei ſint, qualis ipſe, ſed imitatione & adoptione dumtaxat: qua re ſupra modum nobis commendat ſuam erga fideles beneuolentiam; quippe quos ita charos habeat, vt etiam ſumma in gloria conſtitutus Regis ac Iudicis omnium, vel minimos eorum agnoſcat, non tantùm pro ſuis, ſed & pro fratribus, cùm interea mundus illos, immo ij etiam qui Chriſtiani videri volunt, contemnant & abiiciant. *Ecce homo*, inquit Auctor Imperfecti, *ſi ex humili generatur, & Deo præſtante aſcenderit ad aliquam dignitatem, erubeſcit generationem ſuam audire. Et Chriſtus adhuc gloriabitur, fratres ſuos dicendo, ſedens in maieſtate, quia veniens in iudicio gloria non mutauit voluntatem priorem.* MINIMIS. id eſt, pauperibus, inopibus, indigis. hos minimos vocat, tum propter humilitatis virtutem, qua parui fuerunt in oculis ſuis, tum propter contemtum mundi, quòd minimi à mundo, id eſt, ab hominibus pleriſque etiam bonis, fuerint habiti: nam in mundo, *pauper vbique iacet*, quod ille ait. *Minimos hic dicit*, inquit Origenes, *aut quaſi in mundo minimos exiſtimatos, aut quia apud ſeipſos minimi erant: volentes enim apud Deum fieri magni, ſeipſos minimos faciebant.* Minimos igitur appellat pauperes, non quòd ipſe pro minimis eos habuerit, etiam cùm in mundo viuerent, quos ſemper habuit pro fratribus; aut quòd in extremo iudicio pro minimis ſint habendi, etiam à mundo aut reprobis, quorum erunt voces illæ ex Sap. 5. v. 3: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperij*, &c. *quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt?* ſed ob cauſas quas diximus. Addit autem *minimis*, id eſt, pauperibus ſeu indigis, quia quod Chriſtianis quidem, ſed diuitibus aut qui opibus operáue noſtris non egent, præſtitum fuerit, id non habebit Chriſtus pro præſtito ſibi, quia aut omnino non, aut non proximè ipſius cauſa præſtitum eſt, ſed gloriæ, retributionis, aut humanæ amicitiæ cauſa: vt nec in huiuſmodi iuuandis virtus miſericordiæ conſiſtit, aut in illuſtribus hoſpitio excipiẽdis virtus hoſpitalitatis, quemadmodum aduerſus Ciceronem Lactantius docet libri ſexti capite 12. *Tenendum eſt enim*, inquit, *omni modo, vt ab officio miſericordiæ ſpes recipiendi abſit omnino. huius enim operis & officij merces, à Deo eſt expetenda ſolo.* MIHI FECISTIS. Hoc eo loco habui, & proinde iam etiam remuneror, ac ſi mihi ipſi indigenti feciſſetis. Solemne eſt etiam inter homines, vt frater ſibi reputet factum, ſi quis fratri ipſius inopiam patienti bene fecerit. Vrget igitur Chriſtus voculam hanc *fratribus*, & requirit, vt eleemoſynæ noſtræ, ſi mercedem recipient regnum cælorum, dentur pauperibus tamquam fratribus ipſius, id eſt, tamquam filiis Dei, fidelibus Chriſti, vt conſideremus in ipſis Deum & Chriſtum in quem credunt & cui ſeruiunt. Id igitur hoc loco eſt *fratribus*, quod ſup. 10. v. 42. *in nomine diſcipuli*, & ſup. 18. v. 5. *in nomine meo: Qui ſuſceperit vnũ paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit.* Benefacere pauperi ſolùm quia pauper eſt, officium eſt naturalis miſericordiæ: ſed benefacere pauperi, quia pauper frater eſt Ieſu Chriſti, officium eſt Chriſtianæ miſericordiæ, quæ in pauperibus, non ſolùm paupertatem, verumetiam Chriſtum conſiderat, & propter Chriſtum ipſis ſubuenit, à quo vocati, & filij Dei ipſiuſque fratres effecti, ſunt heredes Dei, coheredes ipſius, cuius charitas non ideò minor, quin potiùs maior, erga ipſos eſt, quia pauperes ſunt. Eleemoſynam ergo huiuſmodi reſpectu datam, Chriſtus tali tantóque præmio ſe dignaturum promittit, quali quantoq; remunerare ipſum deceret, ſi in ipſius perſonâ collata fuiſſet: aſſeuerat enim verè ſe hos pauperes habere pro fratribus, ſeque olim rebus ipſis id declaraturum. In illo igitur iudicio, plus nobis proderit pauper vnus olim à nobis fotus, quàm omnes amici ſæpe à nobis magnificè excepti. *Quid potuit nobis maius Chriſtus edicere?* ait Cyprianus ſermone de Eleemoſyna: *quomodo potuit magis iuſtitia ac miſericordia noſtra operam prouocare, quàm quòd præſtari id dixit ſibi, quidquid egenti præſtatur & pauperi? vt qui reſpectu fratris in Eccleſia non mouetur, vel Chriſti contemplatione moueatur: & qui non cogitat in labore & egeſtate conſeruum, vel Dominum cogitet in illo ipſo quem deſpicit conſtitutum.* Solos porrò fideles nominatim hîc commendat Chriſtus, non quia velit alios prorſus omnes pauperes ſperni, ſed quia vt quiſque propiùs ad Deum accedit, ita nobis charior eſſe debet, & *domeſticos fidei* extraneis præferri cõuenit, quod etiam Apoſtolus monet Gal. 6. v. 10. Neque enim fructu carebit eleemoſyna, iis pauperibus data quos conſtat non eſſe fratres Chriſti, ſed infideles aut impios, ſi modò data fuerit tamquam iis qui poſſunt fieri fratres Chriſti, aut vt faciliùs eò adducantur. Quærat aliquis, An non etiam iudicandi ſint, fratres iſti Chriſti minimi, & ſuperior illa extremi iudicij ſententia illos comprehenſura? videntur enim diſtingui ab iis qui iudicantur, eò quòd his dicatur, *Quamdiu vni*, &c. tamquam fratres iſti Chriſti minimi, præſentes quidem ſint iudicio, ſed iudicis ſententia in ipſos non feratur. Dubium non eſt quin omnes ſint iudicandi, & ſuperior iudicis ſententia electos omnes complexura: vt enim nullus hac in vita adeò pauper fuit, & ab aliis adiutus, qui non aliquando & ipſe aliis pauperibus benefecerit, ſi non opibus, certè opera, conſilio, aut commiſeratione: ita, quemadmodum ſuprà diximus, ſub vno genere bonorum operum reliqua omnia Chriſtus intelligit, qui ſeruat pauperes per patientiam, ſicut diuites per miſericordiam: quam ob cauſam permitti à Deo, vt alij egeant, alij abundent hoc in mun-

in mundo, docet Augustinus serm.44. de diuersis. Postremò considerare hîc licet, quod sæpè alibi, quî Christus aliud agens, prædicat multiplicandam Ecclesiam suam, vt in quam ex omnibus gentibus plurimos colligendos ponat & diuites & pauperes, quæ dum hæc diceret, non nisi paucis constabat discipulis Iudæis.

τότε ἐρεῖ καὶ τοῖς ἐξ εὐωνύμων· πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. 41

Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

TVNC. lata huiusmodi pro dexteris sententia. DICET. placido minimeque turbato vultu, proferet sententiam formidabilem. A SINISTRIS. deorsum in terra. quos suprà per hædos significauerat. Vt regni promissione ad bene agendum allexit, ita minis metuque gehennæ retrahit nos à peccatis, Christus hæc prænuncians. DISCEDITE. abite A ME. à conspectu meo, in quem adducti estis iudicij causa; nec tantùm à conspectu, verùm etiam à societate, amicitia, gaudiis, & bonis omnibus meis. Pro iusto iudicio habete discedendum vobis à me. Obseruanda est antithesis verborum huius & superioris sententiæ. Illa habet *venite* ad me, hæc *discedite à me*: illud probantis & recipientis, hoc reprobantis & reiicientis est. Etsi fortè olim sic iustis permixti fueritis, tamquam propinqua vobis mecum esset affinitas: tamen *discedite* procul *à me operarij iniquitatis* (hoc enim addit sup.7.v.23.) tamquam dissimiles mei, quos numquam nouerim, & quibuscum nihil mihi commune sit, immo tamquam hirci immundi & fœdi quos abominer, *vixq́ tamdiu sustineam, quamdiu statis in iudicio meo* (Auctor Imperfecti) *discedite* in quã *à me*, vita, salute, beatitudine, summo ac solo hominũ bono. Hęc prima eaque grauissima pœna reprobis infligenda est, quòd à conspectu Dei & Christi abiicientur, quòd à Deo æternùm separabuntur, quòd priuabuntur vita & gloria æterna, sita potissimùm in visione ac fruitione Dei: de quo Isa.c.26.v.10: *Impius non videbit gloriam Domini.* Hanc vocamus pœnã damni, eamque altera, quæ subsequitur, pœna sensus, longè grauiorem esse, docet multis locis Chrysostomus; sub finem Homiliæ 21. in Iohannẽ, initio Homiliæ 47. ad populum Antiochenum, denique circa medium parænesis prioris ad Theodorũ lapsum, vbi ait: *Sunt quidam absurdi iudicij, ij duntaxat amant effugisse gehennam: contra ego multo durius esse tormentum assero, non assequutum esse tantam gloriam, & illinc elapsum esse*, &c.

MALEDICTI. Contrarium habet superior sententia *benedicti*. Vt autem benedicere Dei esse diximus benefacere, & benedictos esse quibus Deus benefacit quosque diligit: ita maledicere Dei, est malefacere, punire, odisse, & maledicti sunt, quos Deus odit, execratur, punit, quibusque nihil boni facit aut vult. Hos igitur à sinistris, quantumcumque à mũdo benedicti ac beati fuerint habiti, *maledictos* vocat, vt odiosos & execratos Deo ac sibi, quos Deus oderit & abominetur, exitio denique eoq; æterno deuouerit, nec vel vna aliqua benedictione dignos habeat, quæ calamitatem faciat leniorem; non solùm quia aliquando peccauerint & iram Dei meruerint (quod commune ipsis fuit cum omnibus electis) sed quia in peccatis etiam perseuerauerint & vitam finiuerint, atque eo statu huic iudicio sistantur. Nec tamen ait *maledicti Patris mei*, vt suprà *benedicti Patris mei*, quòd multi rectè annotant ex Origene: quia non est Deus auctor maledictionis, sicut benedictionis. Nam benedictionem quidem, sponte, libenter, & ex animi propensione, etiam antequam promeruerint, impertit; maledictionem verò non nisi ob merita præcedentia, idque quasi inuitus, tantùm vt iustitiæ satisfaciat suæ. ipsi igitur potiùs homines sibi maledictionis auctores esse significantur. *Non ipse Pater*, ait Chrysostomus; *sed opera eius propria maledixerunt*; & Origenes: *Benedictionis quidem minister est Pater, maledictionis autem vnusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna operatus est.* IN IGNEM. in supplicium ignis. vide suprà 3.v.12.& Mar.9.v.44., vbi ex D. Augustino docuimus, ignem verum & corporeum hîc intelligendum esse, qui non solùm cogitatione, verumetiã sensu tactuque percipietur: de quo Chrysostomus Homilia 44. in hoc Euangelium: *In ignis fluuium atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur; ignes dico, non huius ignis, sed ignis certè multò quàm hic horribilioris, cuius flamma maximam conficit abyssum, ita vt vndique ignis immanissimæ similis fera transcurrere videatur.* Et paulò pòst: *Nam si acerrimos, quos iste ignis & hac flamma dolores infert, oratione assequi non possumus: quid de illo dicemus? præsertim cùm hîc, vno temporis momento, in ignem positus homo exspiret: ibi autem crematur quidem ac dolet, sed nequaquam quod crematur consumitur.* sic Chrysostomus. Hæc igitur altera erit pœna reproborum, quam dicimus pœnam sensus. Non sola tamen pœna ignis illos cruciabit, verumetiam, quod alibi nos Christus docuit, *tenebræ, & vermis, & fletus, ac stridor dentium, sulphur* denique quod Apocalypsis reuelat cap.19.v.20. Sed quia maxima pœna est *ignis*, cuius actio vehementissima est naturâ suâ, & reliquæ illæ pœnæ virtute continentur in igne, vt cuius sunt effectus, idcirco ignem solum Iudex nominat, tamquam & maximam & maximè propriam pœnam reproborum. Ignis enim causa est fletus & stridoris dentium, quemadmodum & vermis, id est, inutilis illius remorsus ac pœnitudinis. Nam tenebræ, partim ex sulphurei ignis naturâ nascentur, partim ex qualitate loci, vbi angusto aëri deerit congrua raritas. Cęterùm non omne lumen huic igni & loco deerit, sed ambiguum quoddam lumen erit, quo miseri sese mutuò, non ad solatium, verùm ad augmentum supplicij conspiciant. *Ignis* porrò opponitur *regno*, quod prior sententia nominat: *regno* felicitas & beatitudo; *igne* miseria & infelicitas summa significatur. ÆTERNVM. non principio quidem, sed fine carentem. *Aeternus ignis* (ait Augustinus libri de natura boni aduersus Manichæos cap. 39.) *non sicut Deus æternus dicitur propriè, quia propterea ignis æternus est, quòd sine fine sit, non est tamen sine initio, Deus autem etiam sine initio est. Aeternum* igitur, id est, fine cariturum; sed non tantùm, verùm etiam sine fine vos cruciaturum. vide suprà 3.v.12. vbi Iohannes Baptista simili loquendi modo minatur *ignem inextinguibilem*. *Aeternum* non accipi hîc posse pro diuturno, pluribus argumentis docet D. Augustinus capitibus 5. & 6. libri contra Priscillianistas & Origenistas: nec intelligi posse, ignem quidẽ æternum fore, sed actionem ignis in reprobatos non fore æternam, idem docet capite 15. libri de fide & operibus, idque præsertim ex vltimo huius capitis versu. QVI PARATVS EST. τὸ ἡτοιμασμένον qui paratus fuit vel fuerat, id est, creatus. s. à Deo Patre meo. Quandónam

paratus,

paratus, ab æterno an *à constitutione mundi?* non hoc dicit, cauere enim vult, ne intelligamus. supplicium paratum fuisse ante peccatum,quasi non tam ob peccatum, quàm ob decretum diuinum,damnati sint igne: quamquam vt hominibus, ita & angelis, electis regnum, ignem reprobis, iam inde ab æterno Deus rerum omniũ præscius destinauerat. Vult igitur Saluator vt intelligamus,diabolo eiusque angelis,æternum ignem paratum seu creatum fuisse,simulatque peccauerant, ac proinde mitissimum Deum non sponte sua parasse, sed coactum diabolica audacia. Quæras iterũ, An simulatque peccauerant illi, in hunc ignem detrusi eoque puniti fuerint:an verò ipsis,sicut hominibus,solummodo paratus ignis hic fuerit,illo aliquando puniendis? communis opinio habet,quòd non omnes quidem dęmones mox detrusi fuerint in infernum,qui proprius est huius ignis locus: omnes tamen, siue in inferno, siue ad tempus, Deo ordinante, in aëre hoc caliginoso, agant,ignem hunc iam inde ab initio quo peccauerunt secum ferentes eique alligati, patiantur, nec ab extremo iudicio pœna ipsis augenda sit nisi accidentaria. vide sup.8.v.29.& Luc.8.v.31. DIABOLO principi. vide sup.4. v.1.& 9. v.34. Diabolum sibi Christus opponit, tamquam omnium reproborum caput.

ANGELIS EIVS. dæmonibus inferioribus s. puniendis. Primus à Deo desciuit, qui nobilissimus omnium creatus fuerat, Lucifer nobis dictus,ab excellentia diuinæ lucis, qua ante peccatum eminuerat spiritibus reliquis: desciuit autem,quòd subesse recusans,similis ambierit fieri Altissimo. Huius suggestione & suasu plurimi alij ex omnibus angelorũ ordinibus simul desciuerunt,desiderãtes similiter & sperantes se fore sicut Deos: qui huius angeli dicuntur, etiam Apoc.12.v.7.(*draco pugnabat & angeli eius*) non quòd ab ipso creati fuerint(absit)sed, partim quia ab ipso seducti, ipsi adhæserint potiùs quàm Deo, partim quia ipse præsit istis,retinueritque imperium in eos,quod à Deo acceperat ante peccatum, ac proinde abutatur his nunciis ac ministris ad adducendos homines ad similem perditionem. Signanter porrò ait, quod notant Origenes & Chrysostomus, *qui paratus est diabolo & angelis eius*,opponens hoc ei quod suprà dixerat de regno *paratum vobis*. q.d.qui paratus seu creatus fuit,non vobis,sed diabolo atque angelis eius puniendis. Quamquam enim ab æterno Deus hunc ignem destinarit reprobis,non minùs hominibus quàm angelis: duplici tamen ex causa, angelis illum paratum fuisse Saluator ait, non hominibus. Prior est, quia paratus fuit antequam peccasset homo: creatus enim fuit simulatque peccassent angeli, quod quidem fuit ab initio (*nam ab initio diabolus peccat*. 1.Ioh 3.v.8.) antequam homo originali casu rueret, immo antequam creatus in rerum natura existeret. Lege Auctorem libri de mirabilibus sacræ Scripturæ inter opera D.Augustini lib. 1.cap.2. In hunc modum pædagogus, si virga parata ob peccatum ab vno discipulorum commissum, cædat & alios qui posteà peccent,dicat,non vobis hanc paraueram virgam. Posterior est,quia homines,etiam lapsos in peccatum, Deus reuocare dignatus est, non item angelos: hominibus enim obtulit salutem per Christum, & meritos iam licet ignem æternum, satagit eripere, *volens omnes homines saluos fieri*, quomodo loquitur Apostolus 1.Tim.2.v.4. Subest igitur sub his Iudicis verbis tacita exprobratio, quòd homines reprobi diabolum imitati fuerint,eique adhærere maluerint quàm Deo, adeoque oblatam ipsius per Euangelium pœnitentiam ac salutem ingrati respuerint,& satanæ socij permanere elegerint. Hoc autem quì fecerint,declarat proximo versu: *Esuriui enim*, &c. Præcipuè igitur, primò, ac propriè, æternus ignis dæmonibus paratus seu creatus fuit; hominibus autem non,nisi consequenter,quòd postea dæmonibus similes se reddiderint,æquumq; sit, vt socij culpæ,sint & pœnæ socij. Ex hoc Scripturæ loco clarè discitur, vno eodemque igne affligendos dæmones & homines, quod notat Augustinus lib.21. de ciuitate Dei cap. 10. Sed roget aliquis, Qua ratione ignis iste corporeus,paratus fuerit affligendis ac puniendis dæmonibus spiritibus incorporeis? videri enim posse potiùs hominibus corporeis ignem corporeum paratum fuisse. Respondeo,etsi ignis corporeus,naturæ suæ vi affligere nequeat spiritum incorporeum, id tamen posse Deo iubente, *miris*, quod ait Augustinus loco mox citato, *sed veris modis*; iussisse autem Deum,ad coërcendam diaboli superbiam, vt is, spiritus licet esset,à corpore naturâ inferiori atque ignobiliori, proximè tamen ad spiritum accedente,torqueretur & pateretur,tale prorsus suppliciũ, quale humana anima vnita corpori ab igne patitur. Quemadmodum enim humanus spiritus alligatur adhæretque corpori: sic intelligit D. Augustinus, spiritum dæmonem alligari igni corporeo, non tamen vt formam materiæ, *quasi det igni vitam*, sed sic vt ab igne tamquam à carcere detineatur,& pœnam accipiat ab eo vt diuinæ iustitiæ instrumento.

Esuriui enim,& non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum:	42	ἐπείνασα γὰρ, καὶ οὐκ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ οὐκ ἐποτίσατέ με·

ESVRIVI ENIM. Eadem est ratio huius versus,quæ versus 35.superioris, quo de electis contrarium pronunciatur. Redditur itaque hìc manifestè causa sententiæ præcedentis aduersus impios ferendæ, causa inquam ex parte ipsorummet impiorum,id est, meritoria,ob quam promereantur ablegari in ignem æternum diabolo paratũ,quia videlicet *imitati immisericordem inhumanumq; diabolum*, quod ait Euthymius (*compassionis enim*,inquit Theophylactus,*expertes sunt diaboli,& hostiliter atque immitè erga nos affecti*) misericordiæ opera exercere contempserint, si non etiam multa mala opera patrarint. Ex parte Dei aut Christi Iudicis, quòd isti damnentur igne æterno,ipse quidem Deus iustus iudex causa est,sed quòd promeruerint hunc ignem æternum,huius rei nulla causa in Deo aut Christo est. Non enim sicut prædestinatio & benedictio Dei, electis causa sunt promerendi regni:ita reprobatio & maledictio Dei,reprobis causa sunt promerendi ignis æterni: quia non vt illa bonorum operum,ita hæc causa sunt malorum. Malorum operum,sola hominis voluntas, solum liberum arbitriũ,causa est. Reprobatio & maledictio Dei ponunt hominis opera mala, vixque aliud efficiunt, quàm negationem gratiæ ad bene operandum & salutem assequendum necessariæ, permittentes interea hominem libertati voluntatis suæ Nam quamuis æterni illius decreti Dei,quo hũc hominem statuit reprobare seu reiicere,nec præuenire gratia sua, potiùs quàm illum,ex eadem primi hominis perdita massa progenitum,& maioribus fortasse peccatis in vita futurum obnoxium, non sit causa in homine: est tamen causa in homine cur ipsum reprobet, originale inquam peccatum, vt minimùm. Cur ex duobus ex eadem

perdi-

perditionis massa genitis hunc potiùs quàm illum reprobet, non est causa; sed cur hunc causa est. Nam si nullum à Deo præuisum fuisset hominis peccatum, ne originale quidem, non poterat Deus iustus, ipsum reprobare aut statuere negare ipsi gratiam necessariam, si non ad assequendum regnum cælorum, certè ad eu tandum ignem ęternum. NON DEDISTIS MIHI benefactori, redemtori, Domino, & Deo vestro. Quemadmodum opera bona maiorem dignitatem; ita opera mala siue omissiones bonorum, maiorem indignitatem accipiunt, à persona cui fiunt. Maius supplicium meretur, qui benefactori suo, à quo diuitias ipsas suas accepit, neget vitæ necessaria, quàm qui alij, cui non est deuinctus nisi necessitudine naturæ. *Si inimicus fuissem*, inquit Chrysostomus, *nonne ad immisericordes etiā flectendos mitigandosq́; sufficerent passiones illæ, inedia scilicet, frigus, vincula* &c.? *vos autem neq; amico hæc contulistis, amico duo, & domino, & benefactori. At canem plerumque famescere videntes frangimur, & beluarum inedia nonnumquam flectimur: tu verò Domino famescente non moueris? qua ratione poterunt hæc excusari* hæc illæ. Peccatum omne mortale, quod vocamus, ex ipsa natura sua, quia aduersus Deum admittitur, meritorium est ignis æterni, etiamsi Deus illum numquam fuisset comminatus (nam vt plura requiruntur ad construendum, quàm ad destruendum; ita ad merendum regnum cælorum, quàm ad merendum ignem æternum. fit tamen vnum alio ex variis circumstantiis magis graue.

MANDVCARE. id est, cibum, panem. *Singula*, ait Chrysostomus, *ad condemnationem illorum sufficiunt: petitionis scilicet facilitas & dandi potestas, panis enim petitur: petentis miseria, quia pauper atque mendicus: retributionis expetendæ magnitudo, regnum enim promittitur: terror pœnarum, gehenna enim incutitur: accipientis dignitas, Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus, quia tantum descendere dignatus est: ius tribuendi, summa enim iustitia est de suis ei concedere. Verùm ab his omnibus cupiditate habendi retracti sunt*, &c. Reliqua huius versiculi exposita sunt suprà v. 35.

ξένος ἤμην, καὶ οὐ συνηγάγετέ με· 43 γυμνὸς, καὶ οὐ περιεβάλετέ με· ἀσθενὴς καὶ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐκ ἐπεσκέψασθέ με.	hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me; infirmus & in carcere, & non visitastis me.

INFIRMVS ET IN CARCERE. Quòd duo postrema humanitatis genera quæ suprà recensentur sigillatim, hîc in vnum contrahantur. fit, quod ait Origenes, *quia clementia iudicis est, benefacta hominum largius prædicare & amplificare quam malefacta.* NON VISITASTIS ME. non venistis ad me, vt suprà v. 36. *Perpende*, inquit Chrysostomus, *non vnum aut duo, sed omnia illos contempsisse* Procul dubio punietur grauissimè qui omnia contemserit: non tamen euadet qui contemserit vel vnicum horum, sibi possibile & proximo necessarium. Videtur plerisque nostrûm in dantium arbitrio relicta esse eleemosyna: atqui videmus hîc qui eius omissio damnet gehennæ. Id tunc fieri explicant scholastici doctores, quando alicui habenti bona sibi suisque sustinendis superflua, occurrit qui patiatur necessitatem extremam aut verisimile illius periculum: quod vt verum esse credo, ita sæpiùs accidere arbitror quàm nos nobis persuadeamus. Cæterùm non solùm eas eleemosynarum omissiones hîc commemorari arbitror, quæ sunt peccata mortalia, verùm & eas, quæ etsi non sint peccata mortalia, occasionem tamen præbuerunt quo minùs ab aliis mortalibus peccatis liberati fuerimus, vt mox dicemus. Non solùm enim præceptæ eleemosynæ siue spiritualis siue corporalis aliarumq́; virtutum omissio punietur igne æterno: verùm multo etiam magis prohibitorum criminum vitiorumque commissio, de quibus Apostolus Gal. 6. v. 21. ait, *quod qui talia agunt regnum Dei non consequentur: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*, addit Ephes. 5. v. 6. Duplex est culpa, commissionis in mandata Dei, quæ negatiua dicuntur, & omissionis erga præcepta affirmatiua & charitatis officia. *Ex isto loco sciendum est*, inquit Auctor Imperfecti, *quod non tantum pro eo quod peccauerunt homines condemnandi sunt, sed etiam pro eo quòd bene non faciunt. Si autem pro eo quod bene non faciunt, sic condemnantur: putas quales pœnas exsoluent pro eo quòd peccant? Si tanta pœna mulctatur*, ait quodam loco D. Gregorius, *qui non dedisse conuincitur: quanta pœna feriendus est, qui redarguetur abstulisse aliena?* Qui ergo opera quidem misericordiæ non omiserit, sed talia crimina qualia diximus ad finem vsque vitæ admiserit, tamquam hœdus reprobabitur; non minùs, quin potiùs magis, quàm, qui illa quidem omiserit, hæc verò non commiserit. Itaque quemadmodum suprà v. 36. de contrario dictum est, intelligere oportet, quòd Christus hoc loco vnam speciem peccatorum posuerit pro toto genere, & quibusdam recensitis peccatis, voluerit & reliqua omnia intelligi, quasique vno exemplo docere, se neminem nisi iustissima de causa regno exclusurum morteque damnaturum æterna, alios quidem ob hanc causam, alios ob aliā. Nam Mar. 16. v. 16: *Qui non crediderit*, inquit, *condēnabitur*. Ioh. 3. v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Sed quare præ aliis peccatis Christus hîc commemorarit omissa misericordiæ opera, fuit, vt doceret, æterna morte digna esse ista, quæ plerique parua aut nulla esse peccata existimant; vt Comicus ille, qui impiè scriptum reliquit: *Bis peccat qui misero dat pecuniam, semel quia perdit quod habet, semel quia misero prodit vitam.* Deinde quòd sub his facilius sit intelligere grauiora peccata quàm hæc sub grauioribus. Multi fortassis erunt, qui se commissione atque opere in legem peccasse negabunt sed condemnandos docet Christus, nisi non tantùm non malè, verumetiam benè egerint. Quare & suprà v. 18. exemplum protulit eius, non qui malè, sed qui omnino non est vsus talento sibi credito. Hinc verò facilè intelligitur, perituros qui malè agunt, si peribunt qui benè non agunt. Nam si meretur incendium qui esurientem non pascit: clarum est multo magis mereri, qui esurienti aufert panem suum, & afflictioné addit afflicto. *Si in ignem mittetur qui nudum non vestit*, inquit Augustinus serm. 38. de omnibus sanctis, *vbi mittendus est qui vestitum exspoliauit? Si cum diabolo damnatur, qui hospitibus non præbuit domum suam, putas vbi mittendus est qui tulit alienam? Si periturus est qui carcerem non visitauit, quid de illo fiet qui fortè in carcerem misit? Rogo vos, fratres charissimi, hinc attendite, quam spem habere possunt qui mala faciunt, quando illi perituri sunt qui bona non faciunt.* Ita Augustinus. Præterea ostendit Christus, iustum fore iudicium suum, negaturi misericordiam eis qui non fecerint misericordiam: datque intelligendū, multos perituros ob neglectum eleemosynę studium,

qui,si illud coluissent,fuissent salui. Nam si illud coluissent,ac proinde misericordia erga proximos vsi fuissent, fuisset & Deus ipsorum vicissim misertus, adduxissetque eos ad veram pœnitentiam ac remissionem peccatorum,quos iam siuit in peccatis obdurari,reddens *iudicium sine misericordia nō facientibus misericordiam*, iuxta id quod Iacobus ait cap.2.v.13. Verùm has causas,ob quas,operum misericordiæ Christus,in descriptione ista iudicij nouissimi, potiùs meminerit, quàm aliorum, latiùs explicuimus suprà v.36.ex quo reliqua petenda sunt ad huius versiculi explicationem facientia.

Tunc respondebũt ei & ipsi dicẽtes: [44] Domine, quando te vidimus esurientem,aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum,aut in carcere, & non ministrauimus tibi?	τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ καὶ αὐτοὶ λέγοντες· κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, ἢ διψῶντα, ἢ ξένον, ἢ γυμνὸν, ἢ ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐ διηκονήσαμέν σοι;

TVNC. id est,ad hæc,cùm videbunt opera sua longè aliter expendi, quàm ipsi reputauerant; nec minùs grauiter se puniri,quàm si iudicem ipsi in contemsissent. RESPONDEBVNT. cogitatione,non verbis. vt enim non permittentur obloqui, ita propria conscientia ipsos mox condemnabit, nec suggeret euadendi spem. *Respondebunt* autem,nō modestè,sed superbè,arguendi potiùs causa quàm discendi,& accusandi iudicem potiùs quàm se excusandi.nam nec conuicti agnoscent iustitiam Iudicis. *In iudicio stant*, ait Auctor Imperfecti, *& adhuc peccare non cessant*. Perseuerabunt enim in superbia illa,qua nunc Christum in pauperibus dedignantur agnoscere. DOMINE. Domini appellationem extorquebit ab ipsis timor supplicij,non reuerentia Iudicis. ET NON MINISTRAVIMVS TIBI. q.d. numquam te vidimus huiusmodi aliquam necessitatem patientem,ob quam ministerio nostro opus haberes, qui plerique omnes ne vidimus te quidem in terra viuentem. Contractiùs hîc enumerata misericordiæ exercitia sunt,siue quòd iam sæpius repetita fuere, siue quòd significetur (quod notat Origenes) *impiis gratum esse sua dissimulare opera & scelera enumerare*, præsertim quorum desperant veniam,tum quòd conscientia ipsis mox dictet meritas pœnas,tum *ne grauiora videantur diligenter & sigillatim enumerata*. Reliqua vide suprà v.37.

Tunc respondebit illis dicens: [45] Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.	τότε ἀποκριθήσεται αὐτοῖς λέγων· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ᾽ ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε.

ILLIS. illorum mentibus, DICENS. docens vel in memoriam reuocans quod olim in vita docti fuerant. VNI. id est,vel vni,aut *non vni* ponitur pro *nulli*. MINORIBVS. τῶν ἐλαχίστων minimis. id est, pauperibus. Rectè obseruauit Origenes, non addi hîc *fratribus meis*, vt additur suprà v. 40: non ideò tamen, quod ille sentit, hîc omittitur, *vt extenuet Iudex culpas reproborum*, sed quòd subaudiendum illud relinquat ex superiori sentētia. NEC MIHI FECISTIS. noueratis enim,vel certè nosse debueratis,ipsos fratres esse meos, non minùs mihi charos & pretiosos quàm propia membra,ac proinde mihi à vobis negari, quod ipsis negaretis, nec impunè eos posse à vobis contemni ac derelinqui. Quare nulla vobis est excusatio, nulla iusta conquerendi causa. Nos igitur plusquam lapides esse oportet, nisi ex visceribus nostris misericordiam exprimat hæc sententia. Itaque quoties ad miseros iuuandos pigrescimus, veniat nobis Filius Dei ante oculos, cui aliquid negare immane sacrilegium est. Reliqua huius versiculi exposita sunt suprà v.40.

Et ibunt hi in suppliciũ æternum, [46] iusti autem in vitam æternam.	καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον, οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον.

ET pro *Itaque*. id est,iuxta hoc iudicium & sententias huiusmodi latas, à quibus nulla patebit appellatio ad tribunal Dei (idem vnum enim erit Dei,quod Filij hominis iudicium) quas nulla mutabit pœnitentia siue Iudicis siue reorum, quas denique nulla erit ratio subterfugiendi, quin incunctanter subsequatur earum exsequutio. IBVNT. ἀπελεύσονται abibunt. & quidem mox ac sine mora. Hi qui à sinistris fuerant constituti. *Ibunt hi* non sponte, sed coacti. Hinc enim sup.13. v.42.& 50: *Mittent eos*, inquit, *Angeli in caminum ignis*. Terra enim dehiscente, & ibunt,& cadent & proijcientur. *Ibunt* porrò priores mirè cruciati adspectu felicitatis iustorum remanentium cum Domino; iustis interim constanter contemplantibus, in illos quidem seueritatem,in se verò bonitatem Dei. Rom. 11.v.22. SVPPLICIVM. Cyprianus sermone de eleemosyna, & Augustinus pluribus locis, nominatim, præter loca superiùs expressa,capite 33. libri de spiritu & litera,& tractatu 21 in Iohannem, legunt *ambustionem* seu *combustionem*, quia ignis, quem sententia nominauerat, supplicium est combustio: malunt tamen aliquando *ambustionem* dicere quàm *combustionem*, ne igne consumendi intelligantur reprobi. Sed vox græca κόλασις, *supplicium*, pœnam seu cruciatum, propriè significat: quod eo congruentius est huic loco, quòd, quamquam inter pœnas sensus & maximum & maximè proprium, non tamen solum ignis supplicium in inferno erit, quemadmodum suprà docuimus. Rectè igitur refutat D. Augustinus ex hoc loco eos, qui quod sententia habet de igne æterno, illudebant interpretando, fore quidem ignem æternum, sed actionem ignis in impios non fore æternam: nam quod suprà dixerat Christus *ignem æternum*, hîc interpretatur *supplicium æternum* (sunt enim & hæc Christi non Euangelistæ verba) nec dicit *in locum supplicij æterni*, nequis ipsis, licet in loco æterni supplicij agentibus, aliquid tamen aliquando

quietis

quātis à ſupplicio polliceatur. *In ſupplicium* inquit, tamquam ipſum ſuppliciū futura ſit habitatio ipſorum, tamquam cingendi & complectendi ſint perpetuo ſupplicio, ab eoque quippe capaciſſimo abſorbendi, quemadmodum ſuprà v. 21. dixit: *Intra in gaudium domini tui*. ÆTERNVM. numquam deſiturum, interprete Theophylacto. Ne quis ſibi blandiatur, fore aliquando huius ſupplicij finem, æternum fore prædixit: vtque eo certiores nos faceret huius æternitatis, oppoſuit æternum æterno, ſupplicium vitæ, tam æternum fore ſignificans ſupplicium, quàm vitam, quod notat Auguſtinus Enchiridij capite 112, & libri contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas capite 6., vbi ait: *Vtrumque ſine fine dictum eſt æternum, hoc eſt αἰώνιον, ne cum diaboli pœnas dolemus, & de regno Chriſti dubitemus*. Ex Auguſtino Gregorius lib. 4. dial. c. 44. Similia habet: *Si falſum eſt quod minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret; etiam falſa eſt pollicitus, vt ad iuſtitiam prouocaret*, &c. De huius ſupplicij æternitate ſcribit Auguſtinus cap. 56. libri de ſpiritu & anima: *Reprobi*, inquit, *ignibus inferni traditi, in ſupplicijs dolorem ſentient, & in doloris anguſtia pauore ferientur, & ſemper tolerabunt, & ſemper timebunt, quia ſine fine ſemper cruciati, viuent ſine ſpe veniæ & miſericordiæ, quod eſt miſeria ſuper miſeriam. Si enim poſt tot millia annorum, quot capillos habuerunt omnes quicumque fuerunt & erunt, pœnas ſuas finiri ſperarent, multo leuius eas ſuſtinerent: ſed quia ſpem non habent, nec habebunt, deſperatione deficient*. Quomodo autem æternùm vrentur, nec tamen comburentur vmquam ab igne, horum corpora, docet Auguſtinus libro 21. de ciuitate Dei, cuius capite 3: *Neceſſe eſt*, inquit, *vt viuat dolens, non eſt neceſſe vt occidat dolor, quia nec corpora iſta mortalia, & vtique moritura, omnis dolor occidit. Vt autem dolor aliquis poſſit occidere, illa cauſa eſt, quoniam ſic eſt anima connexa huic corpori, vt ſummis doloribus cedat atque diſcedat*, &c. *Tunc autem tali corpori anima, & eo connectetur modo, vt illud vinculum, ſicut nulla temporis longitudine ſoluitur, ita nullo dolore rumpatur*. Hac de re & Lactantius lib. 7. cap. 21: *Idem*, ait, *diuinus ignis, vna eademque vi atque potentia, & cremabit impios & recreabit, & quantum e corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit, quod poetæ in vulturem Tityi tranſtulerunt. ita ſine vllo renaſcentium corporum detrimento, aduret tantum ac ſenſu doloris afficiet*. Hæc ille. plura vide ſup. 3. v. 12. Sed obiiciunt quidam, quomodo admittat iuſtitia Dei, vt peccata temporaria puniat æternis pœnis, culpam cum fine pœna ſine fine? His reſpondent D. Auguſtinus lib. 21. de ciuitate Dei cap. 11. & 12., B. Gregorius lib. 4. dial. cap. 44., & D. Thomas 1. 2. q. 87. articulo 3. Summa eſt, quòd nullius legis iuſtitia hoc obſeruet, vt mora pœnæ nō ſit prolixior mora culpæ, immo quòd ex omnibus pœnarum generibus quas humanæ leges infligunt, nulla ſit, excepta fortè talionis pœna, quæ non ſit diuturnior ipſa culpa, adeoque æterna ſit pœna eorum qui morte mulctantur, quippe qui in ſempiternum auferantur de ſocietate viuentium. Quinetiam damnum, ignominia, exſilium, ſeruitus, cùm plerumque ſic infligantur, vt nulla venia relaxentur, pro huius vitæ modo ſimilia ſunt pœnis æternis: ideò quippe æterna nō ſunt, quia nec ipſa vita quæ his plectitur, porrigitur in æternum. Porrò ratio huius iuſtitiæ, quòd pœna diuturnior ſit ipſa perpetratione peccati, eſt, quia non tam facilè pœna reparat, quàm facilè peccatum peruertit, rectum ordinem à lege conſtitutum: quando igitur ea eſt peruerſio, quam pœna reparare nequit, tunc æquum eſt vt pœna ſit æterna. Huiuſmodi autem irreparabilis peruerſio, eſt in omnibus grauibus peccatis, quibus è medio tollitur charitas, qua rectus ordo hominum ſub Deo, vel obedientia, qua rectus ordo hominum ſub ſuo principe, continetur conſeruaturque: non enim poteſt humana virtute reparari charitas, aut obedientia reſarciri, ita vt omni curuitate, diſtortione, & obliquitate ſublata, redeatur in rectum ordinem. Qui ergo in ſemetipſo interemerit charitatem, vel obedientiam ruperit, ille cùm irreparabiliter, quod in ſe eſt, peruerterit rectum ordinem, dignus eſt pœna æterna, nec mereri poteſt remiſſionem illius, etiamſi ex animo pœniteat eum peccati, & ſtatuat non ampliùs peccare, adeoque facilè præſumatur non amplius offenſurus, niſi miſericordiá eius, qui eſt ordinis principium, Dei inquam aut principis, ipſi condonetur. Iam verò, ſi non tantùm irreparabiliter, quod in ſe eſt, peruerterit rectū ordinem ſemel aut iterū, ſed pertinaciter id pergat velle ac facere, aut ita ſæpe relabatur, vt pertinaciam adæquet, mox opportunitate data peccata iterans; manifeſtus etiam eſt, quòd æternùm mereatur puniri, qui, quod in ſe eſt, æternùm peccat. Nam ſi viueret æternùm, æternùm etiam peccaret: adeoque vellet æternùm viuere, vt æternùm peccare poſſet, deſiderans, non quidem ſub ratione peccati, ſed ſub ratione boni vtilis aut delectabilis, ſemper frui concupiſcentiis, carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, aut horum aliquibus, eaque optans ſibi eſſe perpetua. An non eſt videre, auaros pleroſque, fornicarios, ebriolos, potiùs deſeri à vitiis, quàm ipſi ea deſerant? Scortationi aut ebrietati quando actu vacant, facerént ne vmquam finem, niſi natura facere cogeret? ſi ferrent natura & crumena, annos integros & eo ampliùs continuè ſcortarētur, potitarent, genio indulgerent, abſque defatigatione, contenti æternùm ita viuere. atque eadem eſt ratio de cæteris peccatis. Quare rectè docetur, iuſtū eſſe, vt quod homo in ſuo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur. *In ſuo autem æterno peccaſſe dicitur homo, non ſolum ob continuationem actus in tota vita*, ait D. Thomas, *verumetiam quia hoc ipſo quo finem in peccato conſtituit, voluntatem habuit in æternum peccandi*. Poſtremò, ſi conſideretur infinitæ bonitatis & maieſtatis Deus, ſolum ſummum æternumque bonum & finis vltimus hominum, quo impiè reiecto vilis peccator creaturis ipſius audet inhærere, luce meridiana clarius euadit, iuſtè puniri ſupplicio æterno, qui offendere non veretur Deum æternum; clariſſimum inquam euadit, nō tantùm exemplo legum humanarum, verumetiam ratione, eaque triplici, vna à natura peccati, altera à voluntate peccatoris, tertia à Dei in quem peccatur, maieſtate ſumta. Verùm huic iuſtitiæ Dei, obſerua clementiam ſummam coniunctam, omnino ſeruare homines volentis & minimè perdere. Si enim perdere vellet, non ante tot ſecula præmoneret iudicij ſui & æternorum ſuppliciorum quæ impiis ſit inflicturus. *Non enim te vult percutere, qui tibi clamat obſerua*, inquit Auguſtinus ſerm. 38. de ſanctis. *Inuitus vindicat, qui quomodo euadere poſſimus multò antè demonſtrat*. IVSTI AVTEM. ſ. ibunt IN VITAM. fruentur vita, excipientur fouebunturque à vita, comitabuntur Chriſtum in cælum, tanta, ſi non maiori, gloria eò redeuntem, quanta ad iudicium exercendum inde deſcenderat. Annon & impij ibunt in vitam? nec enim ſupplicium videri poteſt eſſe, niſi vbi eſt vita. Non conſueuit Scriptura noui Teſtamēti, aliam vocare vitam, præſertim verò æternam (eſt enim nomen hoc *vita æterna*, Scripturæ noui Teſtamenti peculiare) quàm eam quæ beata eſt (vide ſup. 19. v. 16. 17.) nam eam quæ miſera eſt & in ſuppliciis ducitur, mortem potiùs vocat quàm vitam. Rom. 1. v. 32. Apoc. 20. v. 6. Vnde Auguſtinus libri de ſpiritu & anima capite 56: *Miſeris*, inquit, *mors eſt ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper viuet, & finis ſemper incipiet, & defectus deficere neſciet: mors perimet & non extinguet*. Quare

vitam hic opponit Saluator *supplicio:* & quod suprà v.34. dixit *regnum*, hîc appellat *vitam*. *Vitam* igitur intelligit, à suppliciis omnique malo liberam, cælestem, beatam, Deo fruentem, qualem dignum est ducere eos qui possident regnum cælorum: *& hæc quidem summum bonum est & finis ciuitatis Dei*, quod ait Augustinus lib. 19. de ciuit. Dei cap. 11. ÆTERNAM. Vt miseria impiis, ita è contrario beatitudo iustis, æterna erit. Quid non faciat homo, vt æternùm beatus euadat miseriam æternam? parum est quidquid magni aut faciat aut patiatur in tempore quod finitur, modò bene sit ipsi illo in tempore quod non finitur: quandoquidem necesse sit, vt in altero seculo, vel impius patiatur supplicia æterna, vel iustus fruatur vita ęterna: nam in duos hos ordines, vniuersum hominum genus, perpetuò permansurum diuisum, hîc manifestè docetur: quamquam vt in domo Patris, ita & in carcere, vt in cælo, ita & in gehenna, mansiones multæ erunt. Quærat aliquis, quid noui, vel supplicij impij, vel gaudij iusti, assequentur, lata nouissimi iudicij sententia, quod priùs non habuerint: qui plerique omnes mox à morte corporis, diu ante hoc iudicium, quod ad animam, ignem cæteraque inferni supplicia impij; vitam æternam cæteraque cælorum bona iusti, possederint? Respondeo, quòd illi inprimis, quos aduentus iudicis viuos inuenerit, ibunt & corpore & anima, siue in supplicium siue in vitam æternam, numquam antea à se experta. Deinde, quòd reliqui, corpore simul & anima, concedent, vel in supplicia vel in gaudia, quę priùs non nisi secundùm animam obtinuerant: & vel in cælum vel in abyssum pergent anima & corpore, vbi priùs non fuerant nisi animæ ipsorum. Nec enim verisimile est, reproborum corpora mox à resurrectione ante sententiam latam arsura igne: verisimilius, & animas tantisper à cruciatu ignis liberandas, dum iudicium peractum sit: vt non congruit, reos coram tribunali constitutos vt causam dicant & sententiam accipiant, perturbari aut affligi ante pronunciatum iudicium. vide sup. 24. v. 31. Vt autem nihil etiam horum sit, hoc certè efficiet iudicium istud, vt qui antea occulto Dei iudicio acceperant vel præmia vel supplicia pro meritis, manifesto ac publico Dei iudicio, ob causas mundo vniuerso declaratas, eadem accipiant: nec ampliùs boni malique permisceantur, sed toto mundo in duos ordines diuiso, deinde in æternũ, mali omnes tam dæmones quàm homines, inclusi abysso seu carcere inferni, miseri luant supplicia; boni omnes tam angeli quàm homines, in cælo & reliquo mundo spacioso, beati diuinis gaudiis præmiisque fruantur. Vt igitur hîc erit ab hoc iudicio finis mundi corruptibilis, & principium statusque deinde æternus atque immutabilis mundi incorruptibilis: ita his verbis, quibus hoc significat Iesus: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*, claudit prolixum sermonem de consummatione seculi hactenus habitum.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

[1] Et factum est, cùm consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis:	Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ ἰησοῦς πάντας τοὺς λόγους τούτους, εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ·

ET FACTVM EST. vide suprà 7. v. 28. Hactenus cùm docuerit Euangelista, quî Iesus obierit partes prophetæ seu doctoris: iam orditur eam historiæ partem, qua vt Christus perfectus obiit partes sacerdotis ac regis, hominum redemtoris ac saluatoris, quî inquam *tradens semetipsum pro nobis in mortem, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis* (Ephes. 5. v. 2.) saluatorem se mundo exhibuerit. vide sup. 16. v. 16. CVM CONSVMMASSET. ὅτε ἐτέλεσεν cùm finiuisset, simularque absoluisset, eodem tempore & loco, mora tamen interiecta, qualis congruit ei qui argumentum sermonis mutat. SERMONES HOS OMNES de excidio Ierosolymorum ac templi, seculi consummatione, & aduentu suo glorioso, superioribus duobus capitibus diligenter recensitos. DIXIT etiam hoc. DISCIPVLIS. Apostolis. Hi enim soli aderant. Die Martis sub noctem, postquam de temporibus nouissimis amplè disseruisset, & olim futura pleraque Apostolis suis prædixisset, voluit & instans mortis suæ tempus aperire, ne quando calumniæ sermo ipsius obnoxius fieri posset, tamquam qui docere volens longè pòst futura, ignorarit breuî futuram sibique imminentem necem.

Mar. 14. v. 1. *Luc.* 22. v. 1.	[2] Scitis quia post biduum Pascha fiet: & Filius hominis tradetur vt crucifigatur.	οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται· καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι.

SCITIS vtpote publicitus notum, quod nemo non nouit. Quemadmodum apud Christianos, instantis Paschæ omnes norunt diem, non solùm qui Kalendaria legere nouerunt, verumetiam ex illis idiotæ omnes; sic fuit & apud Iudęos, quippe quæ vtrique populo pręcipua totius anni celebritas sit, quam omnes diu antè desiderent atque exspectent. Vt nobis eduntur annua Kalendaria, ex quibus notum fiat in quos eius anni menses & dies festa incidant singula; ita & olim Iudæis. Consuetudinis enim erat, vt embolismos siue intercalationes, quas nobis frequentiores illi habebãt (secundo aut tertio quoque anno intercalabant integrum mensem) & annorum mensiumque principia, atque in quos festa inciderent dies, Scribæ signarent scripto, quod præ foribus Collegij Synedrij, quod erat in templo, in extremo Atrij Israelis figerent, vt anni ac mensium ratio, atque obseruandarum solemnitatum constituta tempora, nota, quod diximus, omnibus fierent. id intelligitur ex Chaldaica paraphrasi Cantici canticorum cap. 7. v. 4. QVIA. quòd. POST BIDVVM. id est, perendie, intra biduum, secundo ab hoc die. quemadmodum alibi dicitur, *& post tres dies resurget.* vide Marc. 8. v. 31. Loquebatur hoc Iesus sub finem diei Martis, aliquamdiu ante mediam noctem: quę quidem media nox, finis erat diei Martis, & principiũ diei Mercurij: porrò die Iouis subsequẽte vesperi, incipiebat

incipiebat Pascha. Scire enim oportet, quòd quamquam Iudæi dies festos inciperent à vespera, iuxta illud Leuit. 23. v. 32: *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*: tamen, vulgari vsu & obseruationis & locutionis, dies ciuiles inchoarent à media nocte, & ad mediam vsque noctem subsequentem producerent, quemadmodum Romani, & nos quoque hodie. Nam si, quod plerique sentiunt, vespera initium erat tam diei ciuilis quàm festi, quid opus erat admonere, sabbata à vespera inchoanda esse? Immo verò vbi ea lex datur, postquam constitutum fuisset, vt decimo die mensis septimi, seruaretur dies festus expiationis, quo vnusquisque affligere deberet animam suam, subijcitur (Leuit. 23. v. 32.) *& affligetis animas vestras die nono mensis (in vespera redditur hebraicè) sequitur ratio, quia a vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Nono die incipit sabbatum expiationis, decimo tamen diei attribuitur, quia maiorem decimi diei partem occupat, tres scilicet quadrantes decimi, noni vnum solummodo quadrantem, à vespera vsque ad mediam noctem. hanc sententiam nostram probant viri doctissimi Franciscus Suarez commentans in D. Thomam p. 3. q. 53. a. 2. disp. 46. sect. 3. & Benedictus Pererius scribens in illud Gen. 1. v. 5: *Factumque est vespere & mane dies vnus*, vbi iste ait: *Prope certum est, &, si id nunc ageretur, multis exemplis Scripturæ, multisque argumentis probari posset, apud Iudæos fuisse olim in vsu triplex genus dierum: diem scilicet legalem, a vespera ad vesperam; diem naturalem, ab ortu solis ad ortum; diem vsualem, a media nocte ad mediam noctem.* hæc ille. PASCHA. primus isque solemnissimus Paschæ dies. *Pascha* vox est Chaldaica פסחא *pasha* seu *pascha*. addito ad finem pro linguæ more *aleph* seu *a* (vide simile suprà 5. v. 22 & alibi, deriuata ab hebræa פסח, quam Latinus Interpres *phase*, Iudæi hodie *pesah* pronũciant. Significat *saltum* siue *transitum* nam פסח *pasah* Hebræis *transire* seu *transilire* est; διάβασιν & ὑπέρβασιν græcè reddiderunt veteres Iudæi eò quòd solemnitas hęc celebraretur in memoriam eius, quòd Deus interficiens primogenita omnia in singulis Ægyptiorum domibus, Hebræorum domos sparsim sitas inter domos Ægyptiorum, transilierit, nec cuiquam in eis nocuerit, eò quòd notatæ essent pro foribus, sanguine agni superliminaribus & postibus (considera figuram crucis) illito, cuius agni mactatione & esu solemnitas illa iussa fuerat celebrari. Hanc nominis rationem dat D. Hieronymus in commentario huius loci, *eo quod*, inquiens, *exterminator videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit, nec excusserit eos.* Immo verò ipsamet Scriptura sacra dat hanc nominis rationem Exod. 12. v. 27. vbi ait: *Victima transitus Domini est, quãdo transiuit* (quod κατὰ πόδα reddas ex Hebræo: *Sacrificium pesah est Domino, qui pasah*, id est, *transiuit*) *super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios & domos nostras liberans.* Syri & ipsi vtuntur nomine Paschæ, sed literam *samech* mutant cum *sade* ܦܨܚܐ *pasha*, itavt non à transitu, sed à gaudio & hilaritate dent nomen, eò quòd solemnitas sit maximè festiua & læta, instituta ad repræsentandum potissimùm res duas, vnam quam diximus, quòd sanguis agni postibus illitus saluti fuisset Israelitis omnibus qui se intra ædes continuerant: alteram consequentem, quòd populus Israel hac ratione ab Ægyptiaca seruitute fuisset liberatus. Accipitur porrò aliquando vox *Pascha*, pro hostia seu sacrificio, hoc est, agno, qui in symbolum duplicis illius quam mox exposuimus rei, quotannis ab Israelitis immolabatur (infrà v. 17.) aliquando verò pro solemnitate ipsa, præsertim verò pro primo die (agebatur enim diebus septem Exo. 12. v. 14. 15. 16.) qui omnium celeberrimus ab agni esu & immolatione sumebat initium: quomodo sumitur hoc loco.

FIET γίνεται) fit aut est, præsens pro futuro *fiet*, erit incipiet, celebrabitur. ET f tunc, primo illo & celeberrimo die Paschæ, qui post biduum seu perendie incipiet & erit. Non subaudit *scitis* (neque enim hoc sciebãt Apostoli, quod nullus hominum nouerat, ne illi ipsi quidem qui in Christi necem conspirabant, vt mox v. 5. manifestum erit, sed quod nesciebant hoc eius voluit aperire q. d. Vt scitis post biduum Pascha fore, ita scitote eodem illo Paschæ die qui post biduum erit, filium hominis tradendum vt crucifigatur. FILIVS HOMINIS. ego. TRADETVR. παραδίδοται traditur, præsens pro futuro, vt mox. *Traditur* autem s. gentibus, à principibus sacerdotum & scribis. sic enim sup. 20. v. 19. prædixerat: *Et tradent* (principes sacerdotum & scribæ, *eum gentibus ad crucifigendum*. VT CRVCIFIGATVR. εἰς τὸ ad hoc vt. Plus significat quàm verba præ se ferant, nempe, non tradendum se tantùm ad hoc vt crucifigatur, verumetiam reipsa se crucifigẽdum, primo die Paschæ. Sermocinatus cum Apostolis de aduentu suo glorioso & regno æterno, ne ignarus aut immemor crederetur ignominiosæ quæ sibi instaret mortis, aut Apostoli, toti in regni cõtemplatione, quam sæpius prædixerat, obliuiscerentur, repetit illius prædictionem, declarans iam etiam, quod non hactenus, tempus & diem ipsum quo esset eam passurus. Quo quidem modo ostendit, quòd voluntariè se ad mortem offerret: præsciens enim & genus mortis & diem, *nec tamen fugiens aut declinãs insidias*, quod ait Hieronymus, immo intrepidè & alacriter in ipso temporis articulo se offerens hostibus, monstrauit spontaneam se adire mortem, quam euadere potuisset si voluisset, immo quam nemo ipsi inferre potuisset, nisi ipse vltrò sciens & volens se tradidisset. Præmuniuit itaque optimè hac ratione discipulos suos, quod notat Origenes, ne planè deiicerentur, aut æquo plus turbarentur, quando viderent breui Præceptorem ad crucis supplicium rapi: vt ipsorum simul & nostra plurimùm intererat scire, voluntariam fuisse mortem quam passus sit Iesus, quò intelligeremus, spontaneum sacrificium, quo Filius Dei mundi peccata abstulerit, & Deum generi humano reddiderit propitium, quod morte ab inuito tolerata fieri non potuisset: denique vltrò & alacriter ad mortem pergentem, iam victorem, mortis conspiceremus. vide sup. 16. v. 21. & 17. v. 22. & 20. v. 18. quæ loca cum hoc sunt conferenda, vel vt notetur quî quasi gradibus quibusdam Christus prædixerit mortis suæ circumstantias. Illud porrò hoc loco declarat futurum suæ mortis tempus, quod minimè omnium credi potuisset, tum propter breuitatem, tum propter celebritatem. Videri enim poterat impossibile, tam breui tempore, tridui inquam, extare traditorem, modum traditionis inueniri, capi illum, iudicio sisti, causam agi, damnari, crucifigi, mori: atque hæc celeberrimo sanctissimoque Paschæ die agenda quis crediderit? Et tamen affirmat Iesus ita fore, vt in morte ipsius, non tam hominum malitia consideraretur, quàm diuinum consilium, quo mors ipsius constituta fuerit ad publicam hominum salutem, illata, non quando homines voluerunt, sed quando Deo & ipsi placuit, ita vt occidi ab hostibus nequiuerit alio die, siue priùs, siue posteriùs, quàm eo quem, illi quidem vitabant, ipse verò cum Patre præfinierat, quò antiquæ figuræ ac prophetiæ rationem cum ipsa veritate constare manifestaretur. Conferens enim inter se Iesus, primùm diem Paschæ & diem mortis suæ, eumdemque fore prænuncians, dat intelligendum, *id quod gerebatur, mysterium esse maximum*, quod ait Chrysostomus, *& diem festum ac solemnitatem quæ ad salutem orbis celebraretur*, nempe, se exhi-

biturum sese verū Agnum Dei, quem typicus ille Paschæ agnus tot iam seculis præsignarit, atque illi veteri & vmbratili immolato, se tamquam verum & nouum pascha eodem die successurum, & pro redemtione mundi immolandum, qui solus omnium à peccatorum maculis immunis, seruaturus & liberaturus sit, non ab Ægyptiaca seruitute & exterminatione, sed à seruitute peccati & perditione æterna, signatos sanguine ipsius, credentes in ipsum crucifixum & mortuum pro hominum salute. *etenim pascha nostrum est Christus*, per crucem pro nobis *immolatus*, quod ait Apostolus 1. Cor. 5. v. 7. Diem igitur Paschæ primū & celeberrimum, significat Iesus, æterno Patris consilio, morti suæ fuisse destinatum & præfixum, quò res noui Testamenti, veteris testamenti figuræ responderet, & typici agni figuram verus agnus impleret, denique veteri pascha immolato nouum immediatè succederet, atque vmbra transeunte veritas deinde permaneret. Quod quidem D. Leo Papa egregiè explicat serm. 7. de passione Domini, his verbis: *Diuino intelligimus dispositum fuisse consilio, vt sacrilegi Iudæorum principes, qui sæuiendi in Christum occasiones sæpe quæsierant, non nisi in solemnitate paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim, vt manifesto implerentur effectu, quæ diu figurato fuerant promissa mysterio, vt ouem significatiuam ouis vera remoueret, & vt vno expleretur sacrificio, variarum differentia victimarum. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, & legalis festiuitas dum mutatur impletur.* Hæc Leo. Congruit hoc ipsis perfidorum Iudæorum traditionibus, qui populum Israel à Messia redimendum esse tradunt, eodem die quo à Deo olim liberatus fuit ex Ægypto, primo inquam die Azymorum siue paschæ, quintodecimo mensis Nisan. lege Augustinum Eugubinum in Exodi caput duodecimum, & Andream Masium in Iosue 5. v. 10. sub finem. Et sanè, non in hunc tantùm finem Iudæis iniunctum fuerat pascha, vt antiquæ liberationis essent memores, verumetiam vt futuram & quidem potiorem à Christo exspectarent.

Mar. 14. v. 1. Luc. 22. v. 2.

Tunc congregati sunt principes sacerdotum & seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas:

3 τότε συνήχθησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως, τοῦ λεγομένου καϊάφα·

TVNC. circa idem tempus quo Christus dixit verba illa versus superioris; postridie mane, verisimile est, die scilicet Mercurij seu feria quarta ante meridiem. *Tunc* inquit, ne, quod prædixerat Iesus de die mortis suæ, putes ipsum resciuisse ex capto à primatibus Iudæorum consilio: non tantùm enim non ceperant consilium occidendi Iesu die festo Paschæ, verumetiam contrariæ omnino sententiæ erant, non occidendum eo die. *Tunc* rursus, cùm immineret dies ille sacer ac lætus Paschę, inchoandus proximo die vesperi, cui celebrando conueniebat piis operibus præparari. Has emphases habet aduerbium istud *tunc*, positum pro die Mercurij: quo die simul & proximo vsque ad meridiem, creditur à plerisque Iesus mansisse in Bethania & monte Oliuarum, nec reuersus esse Ierosolymam, nisi sub vesperam diei Iouis: argumentum tamen hac de re dubitandi, & existimādi Iesum quotidie, vsque ad diem passionis, hoc est, etiam diebus Mercurij & Iouis, Ierosolymam venisse, atque in templo docuisse, suggerunt loca Matth. 22. v. 46. & Luc. 21. v. 37. Postremò, quia die Mercurij seu feria quarta, hoc concilium conuenit aduersus Christum, quod etiam Christum à Iuda proditore pretio emit, idcirco quarta feria ieiunio postea deputata fuit ab Ecclesia Christi, quod annotant, inter Latinos Augustinus epistola 86. sub finem, inter Græcos Theophylactus & Victor Antiochenus, scribentes in Mar. 14. v. 1. 2. CONGREGATI SVNT aduersus Dominū & aduersus Christū eius. Psal. 2. v. 2.

PRINCIPES SACERDOTVM. primarij sacerdotes, tam ij qui summi pontifices aliquando fuerant, quàm capita 24. familiarum sacerdotalium (vide sup. 2. v. 4.) qui religionis negotiis tunc maximè intendere debuissent. Sequitur græcè ac syriacè καὶ οἱ γραμματεῖς *& Scribæ*, quos etiam Marcus & Lucas hîc nominant. SENIORES. id est, iudices, magistratus (vide sup. 16. v. 21.) & quidem præcipui, quales qui erant ex synedrio magno. vide sup. 5. v. 21. hi plerique omnes Pharisæi erant, teste Iosepho lib. 18. Antiq. cap. 2., vbi ait, *Sadducæos, quoties magistratus, licet inuiti, suscipiunt, Pharisæorum decretis assentiri; ni facerent, non ferendos à plebeiorum multitudine.* Penes hos tres ordines, quasi tres Reip. status, vt nos loquimur, primariorum sacerdotum, doctorum, & Iudicum, erat suprema in Iudæorum Rep. auctoritas, summo Pontifice præsidente. Hi enim & sacris & prophanis rebus præerant, atque his constabat Synedrium illud magnum, de quo iam sæpe loquuti sumus. His omnibus scopus erat vnus & idem, auctoritatis & dignitatis suæ defendendæ, cui Iesum credebant aduersari, ac proinde horum machinis mors illius structa fuit (Ioh. 11. v. 47. 48. 49. 50.) quorum auctoritate decuerat populi furorem cohiberi, si quis aduersùs Iesum exortus fuisset. IN ATRIVM. εἰς τὴν αὐλὴν in aulam. Aula siue atrium, prima pars domus est, eaque amplissima, partim subdialis, quam cortem vocant Latini & aream, partim tecta; qualis esse solet in ædibus Regum & potentum: synecdochicōs autem hîc pro ipsis ædibus sumitur. PRINCIPIS SACERDOTVM. summi Pontificis. Vnus igitur erat ἀρχιερεὺς seu princeps sacerdotum, & plures: sed plures suberant vni summo, qui quidem intelligendus venit, quoties vsus est numeri singularis. Hic igitur reliquis præerat, & reliquos, verisimile est, conuocauerat, dux sceleris, quā oportuerat ducem esse virtutis. Aggrauatur horum peccatum, à tempore, à loco, à multitudine & conditione peccantium. DICEBATVR. vocabatur. CAÏPHAS. græcè καϊάφας Caïaphas, quod quidam vt quadrisyllabum pronunciandum docent: atqui trisyllabum est etiam Latinis & Syris. Huius proprium nomen erat Iosephus, cognomen *Caiphas* seu Caîfas (vide Luc. 3. v. 2.) quod idcirco fortassis solum positum fuit ab Euangelistis, quia vulgo notius magisque celebre quàm nomen proprium.

Mar. 14. v. 1. Luc. 22. v. 2.

& consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.

4 καὶ συνεβουλεύσαντο ἵνα τὸν ἰησοῦν δόλῳ κρατήσωσι καὶ ἀποκτείνωσιν.

CONSILIVM FECERVNT. συνεβουλεύσαντο simul consultarunt, vnanimi consensu consilium inter se inierunt.

Vt

VT. id eſt, qua ratione. Conueniebat inter eos, dolo vtendum eſſe ad prehendendum Ieſum, ſed quis dolus opportuniſſimus foret, maturo adhibito conſilio inueſtigabant. DOLO. fraudulenter & per inſidias, non palàm & vi, ſed clanculum atque occultiùs, inſcio populo, ipſoque Ieſu minimè exſpectante. TENERENT. tenere, capere poſſent. ET OCCIDERENT. ad hoc vt occiderent. *Dolo* ad *tenerent* refertur, non ad *occiderent*: nec enim doloſè occidere, ſed doloſè comprehẽdere, & ſic comprehenſum palàm occidere volebant. Non nunc conſultarunt an eſſet comprehendendus & occidendus Ieſus (id enim à pluribus iam diebus, hortatu Caïphæ, definierant, à reſuſcitato inquam Lazaro. Ioh. 11. v. 53.) ſed cùm iam ſæpiùs tentaſſent eum palàm apprehendere (ſup. 21. v. 46.) adeoque publicum dediſſent mandatum, *vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicet vt apprehendant eum* (Iohan. 11. v. 56.) nec tamẽ res ſucceſſiſſet, partim metu populi, partim ipſius Ieſu prudentia nunc concluſerunt, non palàm vt hactenus, aggrediendum eſſe, ſed clàm, furtim, occultè, & ex inſidiis, ne vel populus impedire, vel ipſe Ieſus, vt ſæpe aliàs (Iohan. 7. v. 32. 46.) euadere poſſet. Sed quo modo & qua ratione id præſtare poſſent, in eo potiſſimùm laborabant: nec ſibi ſatisfecerunt, donec Iudas ipſis pollicitus eſt officium proditoris, &, vt nocte, extra ciuitatem, adductiſque militibus, apprehenderetur, ſuaſit.

ἔλεγον δέ· μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ.	5 Dicebant autẽ, Non in die feſto: ne fortè tumultus fieret in populo.	Mar. 14. v. 2. Luc. 22. v. 2.

DICEBANT AVTEM & hoc. etiam hoc inter ſe ſtatuebant. Duo quædam hoc concilio ſtatuta & definita fuere; Vnum, dolo apprehendẽdum eſſe Ieſum; Alterum, non eſſe occidendum die feſto proximo; Tertium, quo dolo commodiore vtendum eſſet, permanſit dubium, donec Iudas operam ſuam obtulit. NON IN DIE FESTO. μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ *non in feſto* Paſchæ proximo; minimè verò primo die, ſolemniſſimo illo & celeberrimo. Agebatur enim feſtum illud diebus ſeptem. Sic Herodes Agrippa, Petrum captum reſeruat Act. 12. v. 3. 4., *volens post Paſcha*, expletis diebus azymorum, *producere eum populo*. Subaudiendum eſt autem *Non in die feſto* occidatur; & hoc quidem potiùs quàm teneatur aut apprehendatur, quia ratio ipſorum ſubſequens de tumultu populi, non ita locum habet in clancularia apprehẽſione, quemadmodum in publica occiſione. Quare ſi opportunitas fuiſſet, illius doloſè abſque tumultu apprehendendi etiam primo die feſto Paſchæ (quemadmodum fuit, Iuda modum ſuggerente Luc. 22. v. 4.) non ſtatuerant opportunitatem negligere (quemadmonum non neglexerunt) præſertim cùm non per ſemetipſos, ſed per ſatellites ſuos, & Romanos præcipuè milites, id eſſent facturi. nam & aliàs diebus feſtis eum apprehendere tentarant (Ioh. 10. v. 39.) etiam, quod videtur, in die illo magno feſtiuitatis Scenopegiorum, de quo Iohan. 7. v. 44. 45., quo omne opus ſeruile prohibitum fuerat Leui. 23. v. 36. Cæterùm etſi eum fortè die Paſchæ primo caperent, propoſuerant tamen non occidere ipſum eo die, ſed ſeruare in tempus proximum à diebus Paſchæ ſeu azymorum, aut certè in alterum vel tertium diem azymorum (reliqui enim dies non ita celebres erãt vt primus) eò quòd non clanculum, ſed publicè ipſum occidere animus eſſet. Quamquam poſtquam iam eum primo die Azymorum ſeu Paſchæ comprehenſum tenuiſſent, ſiti ſanguinis innoxij ex præſentaneo obiectu acriùs prouocata, continere ſe non potuerint, quin, mutata ſententia, etiam occiderint eodem die, ne qua fortè ratione elaberetur, ſi vltra eum diem ſeruaretur, metu excuſſo ſpeque meliore de populo concepta, accedentibus præſertim ſuſurrationibus per ſycophantas ſuos procuratis (infrà 27. v. 20.) & adhibita Romanorum militum cuſtodia (infrà 27. v. 54.) Vnde manifeſtum fit, in Chriſto occidendo, nihil mero iſtorum conſilio aut arbitrio actum fuiſſe, nec temere Chriſtum pro hoſtium ſuorum libidine abreptum fuiſſe ad mortem, ſed diuinitus adductum. Illis enim aliud tempus, quàm dies feſtus Paſchæ celeberrimus, magis idoneum videbatur: at Deus, qui expiandis peccatis Chriſtum agnum in victimam deſtinauerat, eum diem vt proprium elegit, qui vmbram corpori, agnum typicum vero, Paſcha vetus nouo, & coniungeret & opponeret. Diuino igitur ſpiritu diem mortis ſuæ prædixerat Ieſus ſuprà verſu 2.: quibus enim coniecturis huc adduci potuiſſet, quum ipſis hoſtibus in animo eſſet tempus differre? NE FORTE. ἵνα μὴ vt ne. TVMVLTVS aduerſus nos FIERET. γένηται fiat. Verba ſunt hoſtium Chriſti. Interpres videtur intellexiſſe, eſſe verba Euangeliſtę. hac ratione moti illi fuerunt, quòd nollent Ieſum occidere in die feſto Paſchæ, ne populus, tumultu excitato, eriperet eum ex manibus ipſorum, & contrà fortaſſis ipſoſmet ad mortem expeteret. Ratio timendi fuit, vna, quia multi ex populo credebant in Ieſum; multi, ſi non credebant, venerabantur eum vt prophetam; pauci aduerſabantur aut non fauebant, conciliati variis illis beneficiis ac miraculis. Altera, quia ſi vmquam, certè die Paſchæ primo, plurimus populus, adeoque vniuerſus quaſi Iſrael, ex Galilæa, patria Ieſu, & ex omnibus Iudæorum prouinciis, immo & ex exteris regionibus, Ieroſolymis collectus foret, quippe præcipuo ex tribus feſtis, ad quæ annis ſingulis maſculinum omne comparere lex præceperat Deut. 16. v. 16. Tertia, quia ipſe dies Paſchæ, dies vtique feſtiuus & lætus præ cæteris, quo etiam noxij conſueuerant dimitti liberi, videri populo potuiſſet importunus cædi huiuſmodi viri, adeoque violari indignè ſanguine innocentis. Ex his cauſis metuebant illi populi ſeditionem: quam quidem præcauere ſtudebant, non ad euitandum publicum malum (ne qui ſcilicet è populo in ſeditione perirent, aut religio impediretur die illo omnium ſolemniſſimo) ſed ad Ieſum certiùs & retinendũ & interficiendum; *non timentes*, quod ait Hieronymus, *ſeditionem, vt ſimplex ſermo demõſtrat, ſed cauentes ne auxilio populi de ſuis manibus tolleretur: nec ſtudentes deuotioni*, quod habet Leo ſerm. 7., *ſed facinori*. Non enim mouit eos religio, ne ſanctiſſimum Paſchæ diem violarent: nam vel non arbitrabantur, maleficum capere, iudicare, & interficere, opus eſſe die huiuſmodi feſto prohibitum, vt non eſt opus ſeruile (certè Num. 15. v. 32., qui collectis lignis ſabbatum violauerat, ipſo ſabbato captus, in carcerem coniectus, & lapidatus fuit) præſertim verò ſi per alios illud fieri curarent quàm per Iudæos, Romanos inquam: vel ſi prohibitum eſſe arbitrabantur, ita pernicioſum Reip. & vita indignum reputabant Ieſum, odio rabidi, tamquam ſabbati & totius legis violatorem ac deſtructorem impiiſſimum, adeoque blaſphemum in Deum, vt facilè mereretur poſtponi religio diei feſti ipſius occiſioni. Quare, niſi feciſſet metus populi, nihil veriti fuiſſent concludere, Ieſum, etiam die feſto Paſchæ, ſi capi poſſet, trucidandum: id

quod tandem quoque fecerunt, inani metu euanescente, simulatque prosequendi propositi opportunitatem sunt nacti. Ob metum populi differre statuerant, sed *postquam proditorem inuenerunt* tam felici cum successu apprehensionis, *commutati exspectare non potuerunt*, quod ait Chrysostomus, *sed in ipsa solennitate ipsum occiderunt*. Cogitauerant longè minori cum periculo occidendum esse post festum, quando dilapsa esset turbæ frequentia, quæ mox à primo die consueuerat minui (neque enim integris septem azymorum diebus omnes illic permanere tenebantur, quamquam multi permanerent, sed sufficiebat primo die mansisse, comesto pridie vesperi pascha Deut. 16. v. 7.) cæterùm voluit Deus ipse, vniuersam populi Israelitici multitudinem adesse, quando, summus sacerdos ab ipso constitutus, sanguinem proprium offerret, & testem esse sacrificij æterni à Filio suo pro humani generis salute offerendi, denique post Pascha typicum immolatum, eodem die spectare immolationem Paschæ hactenus ab ipsis præsignati. Quare quod sæpissimè sategerant principes Iudæorum, vt Iesum occiderent, efficere non potuerunt, quamuis longo tempore & multis conciliis initis ac tentata sæpe re, *quia nondum venerat hora eius*, vt loquitur Iohannes cap. 8. v. 2: quæ hora quando adfuit (Iohan. 13. v. 1.) quando inquam adfuit dies Paschæ siue azymorum primus, à Deo Patre delectus ad huius victimæ mactationem, tunc adeò breuiter omnia expedita sunt, & ex voto omnia principibus successerunt, quamuis de ratione illius comprehendendi nihil dum definitum haberēt, & diem censerent importunum, vt agnosci facilè posset diuinum consilium, maximeque probari expositione ipsa rei gestæ, quòd non ex ipsorum, sed ex Patris suoque arbitrio sit mortuus, quando, vbi, & quomodo voluit. Tunc nullus ortus est populi tumultus pro Iesu à morte liberando: sed contrà tumultus populi Iesum ad crucem deposcentis, talis qualis Pilatum coëgit eum tradere voluntati ipsorum (infrà 27. v. 24. Marc. 15. v. 15.) vt iusta illius populi reprobatio declararetur, qui, vnà cum principibus suis, Messiæ necem procurauerit & solicitauerit.

Mar. 14. v. 3. Iohan. 12. v. 1.

Cùm autem Iesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi,	6	τοῦ δὲ ἰησοῦ γενομένου ἐν βηθανίᾳ, ἐν οἰκίᾳ σίμωνος τοῦ λεπροῦ,

CVM AVTEM. Priusquam explicet Euangelista, quo dolo Iudæorum principes vsi fuerint ad comprehendendū Iesum (eo scilicet quem Iudas Apostolus, magistri proditor, suggessit) & qua occasione mutarint consilium de non occidendo Iesu in die festo; quò id clariùs faciat, interserit historiam Iesu, aliquot diebus antè in conuiuio à muliere vncti vnguento pretioso, vnde Iudas meditandæ proditionis causam acceperat, quòd cùm auarissimus esset homo, ægrè tulisset, non quidem vnguentum ex vase, sed vnguenti pretium ex manibus suis effluxisse. ESSET. ante quinque dies Paschæ, vt Iohannes loquitur cap. 12. v. 1. Nam *ante sex dies Pascha venit Bethaniam*, postridie verò exhibitum ipsi illic fuit conuiuium istud. BETHANIA. Bethania, quæ propè ab Ierosolyma aberat (vide suprà 21. v. 1.) hospitium præbere solet Iesu Ierosolymam frequentanti (nec enim morari consueuerat Ierosolymis noctu. sup. 21. v. 17.) vbi habebat plures addictos sibi, Lazarum cum Maria & Martha sororibus, *Simonem* hunc, à quo legitur & Luc. 7. v. 36. non absimili conuiuio exceptus fuisse &c. LEPROSI. Ita vocatur, vel quòd, quondam leprosus à Iesu sanatus fuerit, quod ferè Veteres sentiunt; vel quòd hoc ipsi familiare cognomen fuerit, tametsi leprosus numquam fuerit, quemadmodum quibusdam est cognomen Cocles, Rufus, Claudus, qui tamen coclites, rufi aut claudi numquam fuerint, quod quidam recentiorum volunt.

Mar. 14. v. 3. Iohan. 12. v. 3.

accessit ad eum mulier habens alabastrū vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.	7	προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαστρον μύρου ἔχουσα βαρυτίμου, καὶ κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀνακειμένου.

ACCESSIT. προσῆλθεν *accesserat* vertunt alij, quia agitur de re antè gesta. AD EVM mensæ accumbentem. MVLIER quædam, Maria soror Lazari & Marthæ, Iohanne teste. Matthæus non curauit mulieris nomen hìc exprimere: eò quòd (prætérquam quòd notam omnibus sciret quibus Euangelium esset annuntiatum, ex occasione, non suo ordine & loco, historiam hanc hìc narraret. Cæteroqui infrà locis propriis, 27. v. 56. & sequentibus, vocat eam Mariam Magdalenen. ALABASTRVM. pyxis est vnguentaria delicatior, sic dicta, quòd ex alabastro seu alabastrite lapide ferè confici soleret: de quo Plinius lib. 36. cap. 8: *Hunc (onychem) aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cauant ad vasa vnguentaria, quoniam optime ea seruare incorrupta dicitur*. Hæc ille. Est autem genus marmoris pretiosi, humani vnguis candorem referens, vnde & onyx appellatur: quare Horatius, pro alabastro, *Nardi paruus onyx* dixit. Cicero alicubi nominat *alabastrum* masculino genere, dicens: *Quibus etiam alabaster plenus vnguenti putere videtur*; prouerbiali sermone, pro, quibus etiam optima displicent. VNGVENTI. suauis addit Syrus. plenum vnguēto aromatico. Vnguentum, non est illa compositio spissa & tenax, qua vtuntur chirurgi ad curāda vulnera, sed diuersorum odorum siue liquorum ex odoriferis herbis expressorum commistio, ad irriganda vngendaque hominū corpora, deliciarum causa inuenta: de qua Plinius initio libri 13. in hæc verba: *Hactenus in odoribus habent pretia siluæ, erantq́ per se mira singula: iuuitq́ luxuriam ea omnia miscere, & e cunctis vnum odorem facere. ita reperta sunt vnguenta*. sic ille. Vnguentorū tamen, quædam spissa, quædā liquida fuisse, idem postea cap. 3. testatur, vbi ait: *Sed quosdam crassitudo maxime delectat, spissum appellantes, linique tam, non solum perfundi vnguentis gaudent*. Vnguentis primùm Persas vsos, deinde Græcos, postea Romanos, docet capitibus primo & tertio libri illius, quamquā Romani aliquando edixerint, ne quis venderet vnguenta exotica. Iudæos denique vnguentis vti solere, ex vtriusque Testamenti libris constat. vide sup. 6. v. 17. Cæterùm non voluptatis modò intuitu, sed & valetudinis, veteres vnguentis vsos fuisse, docet Cælius lib. 27. Lectionum antiquarum cap. 26. Porrò hìc sermo est de vnguento liquido seu liquore suauis & salutiferi odoris: is huiusmodi est naturæ, vt non commaculet corpora vestesque quibus infunditur, sed ita dumtaxat irriget, vt gratissimo odore commendet. PRETIOSI. βαρυτίμου grauis pretij, ad verbum: solet enim æs olim, non semper numerari, sed aliquando etiam appendi, ex qua

ex qua consuetudine orta sunt multa dicendi genera. Non vulgare vnguentum fuit ac promiscuum, sed singulare & magni pretij: cuius autem generis & cuius pretij fuerit, declararunt posteriores Euangelistæ. Quemadmodum æquum erat, Christo ad conuiuium solemne inuitato, ab iis qui iam in ipsum credebant, & agnoscebant quis esset, honoris causa parari epulas exquisitiores, quàm in vulgaribus conuiuiis proponi consueuerant: ita putauit hæc mulier, ad vngendum Christum, vtendum sibi pretiosiore vnguento, quàm ad vngendum quemuis alium vti mos esset. EFFVDIT. κατέχεε effuderat, vt suprà. supple vnguentum illud. effudit copiosissimè, quidquid alabastro continebatur, libram vnam, Iohanne teste. SVPER CAPVT IPSIVS Iesu RECVMBENTIS. Vnguentorum vsus celeberrimus in conuiuiis erat magnificentioribus & festiuioribus, paratis ad excipiendos & modis omnibus recreandos gratissimos amicos, in quorum capita eá effundebant eorum præsertim quos honoratissimè tractare & iucundissimè reficere vellent (Psalm. 22. v. 5. Luc. 7. v. 46.) ita fiebat, vnguento ex capite in reliquum corpus vestesque defluente, vt sibi aliisque optimè ac iucundissimè olerent, nec vlli sensuum inter côuiuandum sua deesset voluptas. Qua de re Cælius lib. 27. cap. 24. citato: *Cum bellariis*, inquit, *corollisq́ue, in mensas secundas veniebant vnguenta*. Et liquor quidem duplex reficiebat, vnguentum foris, vinum intus: quam ad rem alludit Psalmus 103. v. 15. Hunc morem mulier hæc imitata, vt erat mos patriæ (vide Luc. 7. v. 46.) inter cœnandum effudit vnguentum suum in caput Iesu, non tamen luxus aut deliciarum causa, sed vt Iesu quidem dignitatem, suam ipsius verò erga Iesum, fidem, amorem, gratitudinem denique, hoc argumento testatam faceret, quippe quæ *non vt nudo homini afferret honorem*, quod ait Chrysostomus, *sed vt maiori cuidam supraq́ue hominem*. Credebat illa Iesum esse Filium Dei qui in mundum venisset, id est, Filium Dei hominem factum: nam si Martha soror ipsius id crediderat (Iohan. 11. v. 27.) multo magis ipsa, quæ optimam partem elegerat (Luc. 10. v. 42.) Credebat Iesum esse Christum seu vnctum Domini, quem Deus Pater præ sociis omnibus vnxisset oleo lætitiæ, dato Spiritu absque mensura. Nouerat eum breui occidendum, & quidem sponte seipsum in mortem daturum: nam si hostes nouerant id ab ipso prędictum fuisse (infrà 27. v. 63.) multo magis domestici fidei. Memor erat summorum beneficiorum abs Iesu acceptorum, olim quidem remissionis peccatorum suorum iustificationisque (Luc. 7. v. 48.) nuperrimè verò resuscitationis Lazari fratris sui, Ioh. 11. v. 44.) Amabat Iesum plurimùm iam inde ab initio, quo in eum crediderat: *dimissa enim fuerant ei peccata multa, quoniam dilexerat multum* (Luc. 7. v. 47.) qui quidem amor eius erga Iesum saluatorem suum, non deferbuit deinde, sed multùm profecit, magnumque cepit augmentum. Ex huiusmodi igitur sancta animi affectione, dedit se ad vngendum Iesum, iuxta morem quidem conuiuiorum, sed vt reficeret laboribus fatigatum, vt solamen adferret ad mortem properanti, aut potiùs sibi ipsi mœstæ eam ob causam, denique vt honoraret benefactorem suum, Christũ Domini & Filium Dei viui: atque ad hoc vsa est vnguento omnium quod habere potuit pretiosissimo, & quidem copiosissimè, nihil reputans nimium, quod ipsi impendere posset, cuius contactu non esse digna sciret omnia regum totiusque mundi vnguenta, adeoque nihil in rebus creatis ita esse pretiosum, quod ipsius dignitatem æquaret, vel quo non meritò esset honorandus, immo quo non longè dignior ipse foret, tum ob propriam dignitatem, tum ob eius erga ipsam merita; parata denique corpus & animam gloriæ ipsius impendere. Non solùm enim vnxit caput, verumetiam pedes, quod Iohannes testatur, & quidem tersos priùs capillis suis ab humi prostrata. Aliàs Luc. 7. v. 38. solos vnxerat pedes, peccatrix adhuc cùm esset: iam iusta & alacrior Iesuique familiarior reddita, audet etiam caput, adeoque totum ipsius corpus, perfundere.

ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἠγανάκτησαν λέγοντες· εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη;	8	Videntes autẽ discipuli, indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hæc?	Mar. 14. v. 4. Iohan. 12. v. 4.

VIDENTES: ἰδόντες quod cùm vidissent. DISCIPVLI. Apostoli, *quidam* addit Marcus; præsertim verò *Iudas*, quem nominat Iohannes. Quidam Apostolorum, re non satis considerata, indignati fuerant, moti Iudæ detractione, qui primus auctor fuit huius accusationis: vt ferè fit, vt prima alicuius fraudulenti & improbi oratione, simplices alij in eandem sentẽtiam subitò impellantur, vnde sapientiori dicto reuocentur, sed ille improbus auctor non reuocetur. INDIGNATI SVNT aut fuerant, vt suprà. succensuerant mulieri. VT QVID. εἰς τί ad quid, quorsum. PERDITIO HÆC? inutilis ista profusio vnguenti adeò pretiosi s. facta est, ex Marco q. d. nulla est causa iusta, sed manifestus est luxus, meritò coarguendus.

ἠδύνατο γὰρ τοῦτο τὸ μύρον πραθῆναι πολλοῦ, καὶ δοθῆναι τοῖς πτωχοῖς.	9	potuit enim istud venundari multò, & dari pauperibus.	Mar. 14. v. 5. Iohan. 12. v. 5.

ENIM. addunt causam, quare existiment perditionem esse, cuius nulla fuerit vtilitas aut iusta causa. ISTVD. τὸ μύρον vnguentũ additur græcè: quamquam syriacè vt latinè subaudiendũ relinquatur. MVLTÒ. magnò. *plus quam trecentis denariis*, quod habet Marcus. ET pretium DARI PAVPERIBVS, eoque multis pauperibus subueniri. q. d. Si volebat ipsa vnguento illo carere, nec vltrà illud apud se seruare, quippe deliciosius quàm deceat discipulã, sed donare Iesu præceptori; non debebat inutiliter effundere illud in corpus ipsius, qui deliciis huiusmodi non capitur, immo verò abhorret ab huiusmodi luxu, sed nobis illud dare vendendum magno pretio, quanti valet, quod pretium ex doctrina & mente præceptoris distribui à nobis potuisset pauperibus, & multis vtile esse. plausibilis reprehensio. Erat quidem Iesus ipse pauper, viuebatque ex piorum eleemosynis: sed non interpretabantur Apostoli, officium istud à muliere exhibitum Iesu vt pauperi, quòd nõ pauperum, sed luxuriantium diuitum esset, hoc modo vngi: nouerant autem, solere Iesum, quod supererat necessariis vsibus ipsius & discipulorum, distribui iubere pauperibus (Ioh. 13. v. 29.) Itaque, cùm hinc contemptum deliciarum, illinc eleemosynæ studium, hactenus tam exemplo quàm verbo exactissimè docuisset discipulos suos Iesus, totius temperantiæ frugalitatisque exemplar, non vsque adeò mirum fuit, si quos eorum prima fronte offendit huius mulieris factum (quamquam permissio præceptoris sufficere ipsis debuerat, vt intelligerẽt iustam subfuisse rationẽ) sed alia mente Iudas, huius obmurmurationis au-

mis auctor, alia reliqui, offensi sunt & pauperum curam obiecerunt: hi namque sincerè, vt sentiebant, loquebantur; ille simulatè, non commodi pauperum, sed proprij sui gratia, furto volens rebus suis prouidere, quod Iohannes declarat cap. 12. v. 6.

Mar. 14. v. 6. Iohan. 12. v. 7.

Sciens autem Iesus ait illis: Quid [10] molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.

γνοὺς δὲ ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· τί κόπους παρέχετε τῇ γυναικί; ἔργον γὰρ καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ.

SCIENS hoc, hanc inquam discipulorum suorum indignationem aduersus mulierem & reprehensionem operis à se permissi, tametsi ad aures eius querelæ perlatæ non essent. Verisimile est enim discipulos ita fuisse indignatos, & prodigalitatis insimulasse mulierem, vt mulierem quidem intelligere, Iesum verò latere illud vellent: sed nihil latere Iesum potest, *qui scrutari nouit etiam renes & corda*. QVID MOLESTI ESTIS. *τί κόπους παρέχετε* quid labores seu molestias præbetis, est ad verbum. cur negotium facessitis sine causa? Sæpius mulier ista, rebus sublimioribus addictior, egerat insolens aliquid, quod ab aliis non perinde fuerat intellectum, propter quod à Iesu defendi debuerit, non iam solùm, verumetiam Luc. 7. v. 37. cùm primùm lauaret, tergeret, vngeret & oscularetur pedes Iesu; rursus Luc. 10. v. 39., cũ, ministerio omni corporali sorori relicto, ipsa otiosa sederet ad pedes Iesu audiens verbum illius. Itaque pro tacente, & causam suam Domino committente, respondit Dominus, non seuerè aut durè, sed mãsuetè reprimens indignationem suorum. BONVM. *καλὸν* pulchrum, egregium, laude dignum. Non est perditio quod vos dicitis, sed opus bonum atque laudabile, quod illa OPERATA EST IN erga ME. opus bonum, profectum ex plurimus virtutibus, humanitate, gratitudine, sublimissima fide, ardentissima charitate ac pietate, quemadmodum mox declarauimus.

Mar. 14. v. 7. Iohan. 12. v. 8.

nam semper pauperes habetis [11] vobiscum: me autem non semper habetis.

πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ᾽ ἑαυτῶν, ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε.

NAM SEMPER. Soluit obiectionem de cura pauperum quæ fallebat discipulos. PAVPERES. quorum curam prætexitis. Hinc intelligimus, non esse fortuitum, quòd multi semper egeant, sed certo Dei consilio semper nobis offerri erga quos nostra se charitas exerceat, quos alioqui ditare Deus posset si vellet. HABETIS. præsens à tempore absolutum, continens proinde omne tempus, etiam futurum. *Habetis* autem, vos, mulier ista, cæterique mortales, quibus aliqua facultas suppetit aliis benefaciendi. VOBISCVM. inter vos agentes, ac proinde semper vobis opportunitas est eritque illis benefaciendi. ME AVTEM. Seipsum opponit pauperibus, non quòd ipse non esset, sed quòd non tamquam pauperi mulier officium hoc ipsi præstitisset. Opponit igitur se personam certam incertis, dominum seruis, benefactorem iis quibus fiunt beneficia, amicum ignotis. Non sic obligat eleemosyna, vt liberet ab omni officio aliis præstando, amicis, necessariis, benefactoribus, maioribus. NON SEMPER. id est, non diu. plus enim significat quàm dicat: significat autem se breuì ipsis auferendum, se breuì moriturum. HABETIS. præsens pro futuro *habebitis* s. vobiscũ, *quomodo nunc in omni conuictu & familiaritate*, inquit Hieronymus. Loquitur Christus de præsentia sua visibili, qua inter homines vixit, mortalis, passibilis, & hominum obsequiis egens. Non diu me habebitis vobiscum conuersantem in carne mortali, ita vt possitis mihi benefacere, fouendo aut tractando hanc carnem meam humaniter, aut excipiendo me conuiuiis, vnguentis, vel aliis huiusmodi corporeis beneuolentiæ argumentis. Non diu hoc vobis aut mortalium cuiquam licebit: non diu poterunt huiusmodi, mortali carni meæ impendi, quæ seruire possint pauperibus. Non fuit igitur ab hac muliere præferenda eleemosyna officio huic erga me, quemadmodum vos vrgetis, idque ob temporis circumstantiam. Parata est illa, quauis data occasione, pauperibus benefacere: sed non ideò putauit & rectè, negligendum sibi quod occurrit obsequium mei, amici, benefactoris, domini, & præsertim iam parantis abitum mortique propinqui, quod illa nouit, cui breuì non ampliùs licebit etiamsi velit hac ratione mihi seruire. Vale igitur si mihi dixit, quid obmurmuratis? vt non defuit illa hactenus, ita non deerit post hac, officio suo ergà pauperes. Discimus hinc, quòd humanitatis officia, quæ alicui certæ personæ exhiberi postulat certum tempus, non sint prætermittenda, propter communia debita quæ indeterminatè debemus proximis; nec sic præceptum esse, omnia semper expendere in pauperes, vt non etiam aliquando, opportunitate data, liceat expendere aliqua in amicos, multoque magis benefactores &c.

Mar. 14. v. 8. Iohan. 12. v. 7.

Mittens enim hæc vnguentum [12] hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

βαλοῦσα γὰρ αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν.

MITTENS ENIM. Discipulorum obiectione diluta, declarat, inprimis quòd non semper ipsum essent habituri, quòd breuì ipsis esset auferendus, quod mox dixerat: deinde, opus esse bonum quod mulier in ipsum fecerat, officium enim esse sepulturę: postremò, permissum illud à se, non causa delitiarum, sed loco vnctionis sepulchralis. *Mittens*. iniiciens, effundens. *βαλοῦσα* præteriti temporis est: quare pleniùs vertas: *Nam quod hæc misit*. id est, iniecit, effudit. IN CORPVS MEVM. Vt enim copiosè effusum fuerat, ita defluxerat ex capite in reliquum corpus. AD SEPELIENDVM ME. vt ego sepeliar s. quomodo decet & *mos est Iudæis sepelire*. Syrus addit aduerbium *tamquam*: *Tamquam ad sepeliendum me*. Habebat Iudæorum consuetudo, vt cadauera suorum aromatibus condirent, antequàm traderent sepulturæ: testatur Euangelium secundùm Iohannem

Iohannem cap. 19. v. 40. Faciebant hoc, primùm, vt declararent perseuerantem suum erga mortuos amorem, deinde vt cadauera, quamdiu liceret, à putrefactione & fœtore seruarent, denique ad testandam eam quam de mortuis habebant spem resurrectionis. Erat igitur hoc opus pium, nec vllo pacto reprehensibile: hoc idem mulier exhibere voluit Iesu, viuo quidem adhuc, sed morti propinquo. Non ergo ad delitias aut luxum, sed ad sepulturam meam hoc fecit, inquit: constat enim non adhiberi cadaueri vnguenta ad delitias. FECIT hoc. Nouerat Christum esse morti propinquum, quod iam sæpius ipse prædixerat: verebatur vt mortuo sepulturæ officium posset impendere, quippe quę cognosceret rabiem odij principum aduersus Iesum: voluit igitur adhuc viuo exhibere si fortè mortuo exhibere prohiberetur: itaque inter reliquas causas vngendi Iesu, quas suprà explicuimus, habuit etiam istam. Nescio cur hoc dici non possit de hac muliere, & cur plerique tractatores, non intendisse eam doceant vt Iesum vngeret in sepulturam, sed nesciam reipsa id fecisse. cùm non obscurum mihi esse videatur, mulierem hanc, & excepisse attentiùs verba Iesu, & pleniori de Iesu fide præditam fuisse, quàm ipsi tunc Apostoli. Sed dato quod hoc ipsa fortè non intenderit, non intenderit inquam vnctionem hâc Iesu impendere tamquam breui sepeliendo: at ea mens fuit Spiritus sancti ipsam instigantis ac mouentis: hoc enim omnes dicunt: & Iesus hanc ab ipsa vnctionem tamquam breui sepulchro condendus suscepit. Quia enim nouerat cum Spiritu sancto Iesus, ipsam summopere desideraturam & conaturam vngere corpus ipsius à morte, sed excludendam ab hoc negotio acceleratione resurrectionis ipsius: idcirco, vt pio ipsius desiderio satisfieret, instigauit eam Spiritus sanctus, & permisit Iesus, vt sub mortem vngeret quem à morte non posset. Sciebat quidem Iesus sibi non defore à morte vnctionem Nicodemi & Iosephi Arimathæi: voluit hoc tamen mulieris pietati ante mortem indulgere, cum significatione mortis sepulturæque suæ instantis, vtilì discipulis præsentibus ac spectantibus. Dicit igitur Iesus: Profectò non semper habebitis me, ita enim propinqua est mors mea, vt vnctio hæc sit mihi sepulchralis, vt vnctio hæc significationem habeat instantis sepulturæ meæ. Quare non est vobis succensendum huic mulieri, tamquam quæ prodegerit, aut luxuriosè, aut frustra, vnguentum hoc pretiosum, sed persuadere vobis debueratis, nisi iusta subesset causa, nisi opus esset bonū & rationi consentaneum, numquam illud à me permittendum fuisse, quem nostis ab huiusmodi vitæ delitiis semper alienum fuisse. Nemo vestrûm improbat morem vngendi mortuos, optimis quibusque & timoratissimis inter Iudæos vsitatum, ad significationem spei resurrectionis pertinentem: non debetis igitur & hoc factū improbare, cùm mihi mortuo, neque minor honor debeatur quàm cuiuis alij, neque vlli magis propria resurrectionis ratio significatio, spesque sit, quàm mihi, qui me resurrecturum sæpiùs iam prædixi. Porrò hæc mulier, sciens instare mortem meam, & verita ne mortuum me vngere prohibeatur, instigante præsertim Spiritu sancto, qui certò nouit hoc ipsi negandum esse, opportunitate iam data vnxit moriturum, non ex more conuiuiorum luxurians, sed extremum officium mihi impendens: quod quidem non odore suo, sed significatione sepulturæ ac resurrectionis meæ mihi gratum est, & à me suscipitur tamquam à mortuo iamque sepeliendo, tam alieno ab omni appetentia ac delectatione delitiarum, quàm est cadauer. non enim hoc tempus deliciarum mihi est, sed mortis ac cædis: non deliciosus vngor, sed memor instantis mihi mortis, quam vobis inculcatam esse volo. hæc omnia implicitè superioribus verbis significat Iesus. Adfert autem potiùs officium ac significationem sepulturæ pro ratione boni operis, quàm humanitatem, gratitudinem, fidem, charitatem, aut pietatem mulieris, quòd hæc priùs quàm illa calūniæ esse potuissent obnoxia, apud Iudam proditorem: præter hoc, quòd mortis suæ instantis, cuius inculcandæ mentionem vndique captabat, memoriam discipulorum mentibus imprimere voluerit, signanter verò Iudam pungere, quem præsciebat, ex huius facti occasione, mox machinaturum mortem ipsius: q. d. inquit Chrysostomus in Iohannem, *Molestius sum & grauis, sed exspecta parumper, & migrabo*: tu interim caue, ne manus tuas meo sanguine polluas.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ [13] τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη, εἰς μνημόσυνον αὐτῆς.

Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius. *Mar. 14. v. 9.*

AMEN DICO VOBIS. Asseueratione vtitur, prædicens rem futuram, quæ difficiliùs credi solet. Ostendit autem ab effectu, opus illud mulieris, non qualecumque bonum opus esse, sed excellentissimum, quippe quod æternam laudem per mundum vniuersum sit obtenturum. HOC EVANGELIVM regni, quod ego hactenus prædico. IN TOTO MVNDO. quod quidem prædicabitur in toto mundo. vide sup 24. v. 14.

DICETVR. prædicabitur, recitabitur, quemadmodum solent egregia facta posterorum memoriæ commendari. ET QVOD HÆC FECIT. καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη etiam id quod hæc fecit, etiam hoc huius mulieris factum, quòd scilicet me vnxerit vnguento pretioso. IN MEMORIAM EIVS. εἰς μνημόσυνον αὐτῆς in monumentum ipsius ad verbum; non in vituperium, sed in memoriam laudemque perpetuam ipsius, nimirum mulieris. refertur ad *dicetur*, non ad *fecit*. Erit hinc perpetua ipsius cum laude memoria. Sententia est, ex Tito in hoc Euangelium & Victore Antiocheno in Marcum, Chrysostomum præceptorem imitatis: *Tantum abest vt ego illam condemnem, quasi malefecerit, aut reprehendam quasi minus recte fecerit, vt factum hoc nullo vmquam tempore latere permissurus sim. Etenim quod domi & in occulto ab illa factum est, hoc vniuersus terrarum orbis cogniturus est, quoniam mente pia & feruenti fide atque animo contrito factum est: non enim tam propter impensas gratum fuit, quàm propter fidem quam vnà cum vnguento obtulit. Hæc enim fragrantissimi odoramenti instar mihi fuit.* ita illi. Sic igitur vbique prædicandum hoc prædixit Christus, vt laudandum & commendandum ab omnibus, tamquam opus bonum & egregium, à Dei instinctu & mulieris pietate profectum. Discipulorum igitur & præsertim Iudæ murmurationi atque obtrectationi, totius orbis terrarum iudicium, defensionem, & laudem opponit, affirmans quòd omnes omnium seculorum homines magnis laudibus celebrabunt, & Gentium omnium consensu apud exteros & in remotis mundi plagis laudabitur, quod domesticis visum fuerat

fuerat damnandum. Testata fuit hac voce gentium vocatio. Porrò quod tunc prædixit Christus fore, cùm nulla appareret verisimilitudo, immò cùm aduersa omnia Euangelij prædicationi instare viderentur, mors videlicet ignominiosa ipsius &c. Hoc nos iam post tot secula manifeste videmus impletum. *Factum iam videmus*, ait Chrysostomus, *quod prædixerat, & quocumque terrarum ieris, hanc mulierem prædicari audies: quod quidem fecit virtus eius qui hoc prædixerat.* Multi hoc consequi desiderarút, vt memoria ipsorum per vniuersum orbem terrarum viueret, idque magnis adhibitis laboribus efficere conati fuerunt: sed non fuerunt consequuti, quod muliercula ista nihil huiusmodi cogitans, tum quia facta ipsorum virtutis laudem haud promeruerut, tum quia defuit ipsis potentia fautoris huiusmodi. *Notandum autem*, ait Beda in Marcum, *quod sicut Maria gloriam adepta est toto orbe, quocumque Ecclesia sancta diffusa est, de obsequio quod Domino pia deuotionis exhibuit: ita è contrario, ille qui obsequio eius detrahere temeraria lingua non timuit, perfidiæ nota longe lateq; infamatus est, & Deo simul atque hominibus meritò factus est exosus: quamquam modestius Dominus, opus bonum laude perpetua celebrandum prædicens, futuram impij infamiam silentio præteriit.* Quòd porrò vnà cum Euangelio prædicari Christus voluerit hoc opus, fuit, quòd pertineat ad historiam Euangelij à Christo allati: hinc enim Iudas occasionem sumsit prodendi Christi & tradendi in mortem, qua morte ratum humano generi fuit Euangelium. quam ob causam & à tribus Euangelistis literis mandatum fuit hoc factum. Quod cùm ita sit, non paruam irrogant Christo Domino iniuriam, Caluinus eiusque discipuli, ab ingenio Iudæ non admodum alieni, qui studiosè hîc annotant, opus hoc extraordinarium fuisse, non probandum, nisi verbo Dei, id est, Christi, nixum, singulari Spiritus sancti instinctu factum fuisse constaret. Atqui, si ex parte dumtaxat Spiritus sancti, Mariam nesciam mouentis, & non etiam ex parte ipsius Mariæ, mente ac ratione optima instructæ, bonum ac laudabile fuit hoc opus, certè non vndequaque & absolutè bonum fuit (exemplo sit Caïphæ prophetia Iohan. 11. v. 51.) ac proinde parùm honorificũ Christo, cuius prodendi occasio fuerit opus extraordinarium, ex suo genere non probandum. Cæterùm nihil tale veritus Christus iussit illud vbique terrarum prædicari, nec latere voluit se illius occasione à discipulo fuisse proditum. prophetauit illud laudatum iri ab omnibus (nihil enim moratus est Caluinianos) denique mulierem eo perpetuò futuris temporibus nobilitandam prædixit. Censuit igitur opus fuisse virtutis perfectissimæ ac memoria laudeque sempiterna dignissimæ, qualem suprà v. 7. explicuimus. Et quamquam pro boni operis ratione non aliud adferat quàm significationem propheticam instantis sepulturæ suæ: non tamen id facit, vt excuset Mariam. quod ille audet dicere, sed adfert id, quod calumniæ minùs obnoxium, & scitu tunc vtilius esset (quemadmodum versu superiori diximus) relinquens Ecclesiæ suæ, à qua bonum illud opus præcipit promulgari, ampliorem, opportuno tempore, illius interpretationem. Sed quorsum ista Caluinus? vt reprobet corporeum cultum, vt ipse loquitur, cereorum, suffituum, ornatusque magnifici, quibus vtuntur Catholici: opus enim extraordinarium, semel probatum certam ob causam, non fuisse trahendum in exemplum, sed in pauperibus deinde vngendum esse Christum, qui semel sustinuerit vngi in se. Periculosè igitur Christus voluit hoc mulieris opus vbique celebrari, si noluit quemquam imitari. Vnguentis quidem perfundendum non est nobis Christi corpus, quod à Maria Magdalena semel atque iterum factum, non permisisset Christus quotidie sibi fieri, vtpote contrarium vitæ pauperi & contemtrici voluptatum mundi, quam elegerat vt idoneam nobis redimendis; non est, inquam, nobis Christi corpus deliniendum vnguentis, quippe quod ablatum à nobis est, neque ampliùs eo statu est, quo possit vnguentis recreari, aut suauibus odoribus refici: sed quod in expendendis subinde terrenis bonis, non in necessitates pauperum, sed in honorem solummodo Christi & Dei, non sit nobis imitanda Maria, falsum est. Respondet quidem Christus Iudæ obmurmuratori, obiicienti pauperum curam, se non diu hac in mortali vita fore, ac proinde nõ diu pauperibus quid decessurum ex eo quòd corpus ipsius solatiis & oblectamentis corporalibus foueretur: sed quòd deinde corporalia omnia bona sic in vsum pauperum vertenda essent, vt in ipsius honorem nihil posset expendi, minimè præcipit: immo verò, sicut ex hominibus ablatus ab hominibus colẽdus est spiritu ita etiam corpore & corporalibus bonis, qui vtriusque tam corporis quàm spiritus est auctor; non quòd corporeo iam cultu, aut opus habeat, aut per se oblectetur, sed quòd gratum sit ipsi, spiritum hominis ita efferuere pietate, vt etiam corpus & corporalia sua omnia impendat (modò tamen pauperum cura non negligatur) præsertim cùm constans homo corpore & spiritu, immo corpore spiritum aggrauante ac deprimente, opus habeat exterioribus corporeisque adminiculis, quibus spiritus ipsius excitetur, & fides pietasque in Christum ac Deum prouocetur & conseruetur: quæ cùm abolere hæretici nituntur, nihil moliuntur aliud, quàm vt ex hominis spiritu omnem Christi & Dei cultum adeoque memoriam euellant.

Tunc abiit vnus de duodecim, [14] qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum,	τότε πορευθεὶς εἷς τῶν δώδεκα, ὁ λεγόμενος ἰούδας ἰσκαριώτης, πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς,

TVNC. hoc aduerbium temporis, vel respicit ea quæ præcedunt versum sextum huius capitis, ita vt à versu sexto ad hunc vsque, quæ interiicitur historia vncti Iesu, intelligi debeat per recapitulationem & tamquam per parenthesin interposita (quæ inter alios D. Augustini sententia est lib. 2. de consensu Euang. cap. 78.) vel respicit ea quæ proximè antecedunt. Si illa, sensus est, *tunc* cùm congregati essent principes in atrio Caïphæ, & dispicerent de modo comprehendendi atque interficiendi Iesu. Si proxima respiciat, sensus est, *tunc*, hac occasione paulò pòst, cùm congregati essent principes, quod mox diximus. Nam & aliquando sic vtimur hoc aduerbio, vt significet, non tempus præsens, sed præsenti proximum: præsertim si rerum series cohæreat natura vel ratione. Cæteri Apostoli correptione Domini facilè reuocati fuerunt, & mox repressa est eorum indignatio, vbi audierunt factum mulieris à præceptore probari: tantum enim deferunt illius iudicio, vt postquam agnoscunt ipsi placere quod sibi displicebat, acquiescant: sed Iudas subdolus totius murmuris auctor, non tantùm non acquieuit, verumetiam exacerbatior & deterior effectus est, tum quòd mulier, in quam ipse tota efferbuerat bile, à Domino defensa, laudem assequuta esset, ipse verò reprehensionem; tum quòd

quòd frustratus esset lucro, quod ex vnguenti, si non fuisset effusum, pretio, suffurari potuisset, vt loculos habens solitus erat sibi nummorum partem aliquam fraude & furto vsurpare. Ioh. 12. v. 6. Cogitauit itaque apud se, quomodo se de præceptore vindicaret: cumque sciret principes sacerdotum & populi inhiare ipsius apprehensioni ac cædi (id quod ipso suo conatu & publicis etiam edictis testatum fecerant. Sup. 21. v. 46. Iohan. 11. v. 53. 57.) neque quidquam esse in mora, nisi vt absque tumultu caperetur, triduo proditionem ipsius meditatus, prima inquam sabbati, secunda & tertia, tandem quarta sabbati, cum in finem adiit principes, quos intellexerat de capiendo & occidendo Iesu quotidie magis magisque solicitos, consilia ea de re agitare, & suam ipsis operam promisit. ABIIT. non coactus, nec inuitatus, sed sua sponte. *Non a principibus inuitatus, non vlla necessitate constrictus, sed sponte propria scelerata mentis consilium iniit*, inquit Beda in Marcum. VNVS DE EX DVODECIM illis selectis, quos Apostolos nominauerat Iesus ipse. *Ex primo illorum choro*, inquit Chrysostomus, *quos quasi optimos elegerat, qui cum Petro & Iohanne vnius ordinis erant*. Cæterùm *vnus, vocatione non prædestinatione, numero non merito, corpore non animo, specie non virtute*. sic D. Augustinus tractatu 61. in Iohannem & Auctor commentarij in Marcum inter D. Hieronymi opera. Additum autem est hoc, triplicem ferè ob causam, vnam ad exaggerandum scelus, quòd proditor, non vnus ex LXX discipulis aut vulgaribus auditoribus Iesu esset, sed ex numero duodecim, ad familiarem conuictum, indiuiduum comitatum, & Apostolatus honorem, ex tanto discipulorum numero abs Iesu electus (quod notanter vrgent Psalmi, 40. v. 10: *Homo pacis meæ*, &c. & 54. v. 13. *Si inimicus maledixisset mihi*, &c.) alteram, ad significandum, personam idoneam fuisse ad proditionem, quippe domesticum, qui sciret quò Iesus solitus esset se conferre semotus à turba; tertiam, vt videamus quàm nulla sit societas immunis à consortio malorum, ne quis putet propter quorumdã impietatem reliquos abiiciendos esse. DICEBATVR. vocabatur IVDAS ISCARIOTES (vide sup. 10. v. 4.) malè gratus adeoq; impiissimus discipulus. Nominauit eum Euangelista, ne cæteris Apostolis iniuriam faceret, incertis suspicionibus relinquens locum. AD PRINCIPES SACERDOTVM & cæteros congregatos in atrio principis sacerdotum Caiphæ, quemadmodum mox dictum est versu 3.

εἶπε· τί θέλετέ μοι δοῦναι, κἀγὼ ὑμῖν 15 παραδώσω αὐτόν; οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια.

& ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

Mar. 14. v. 13. 11. Luc. 22. v. 4. 5.

QVID pretij aut premij VVLTIS MIHI DARE. Non sunt verba hæc eius qui in potestate ementium ponat quantum velint dare, salua D. Hieronymi venia, sed potiùs contrà, verba sunt postulantis condignum præmium, & audire volentis an pretium operæ sint oblaturi. q. d. Si mihi dare volueritis tantum, quantum æquum est. *Quid vultis mihi dare?* proponit Iesum venalem. Infelix, damnum quod ex effusione vnguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare, quod rectè D. Hieronymus annotat. Nec rogat quid cum Iesu facturi sint, sed simpliciter de pecunia paciscitur, parùm solicitus quid in Iesum sint designaturi. Hic notanda est auaritia Iudæ, qua ille excæcatus, humanitatis, familiaritatis, beneficiorum Iesu erga ipsum, denique omniscientiæ & omnipotentiæ Iesu, oblitus est: ita vt in hoc emineat veritas Apostolici dicti 1. Tim. 6. v. 10: *Radix omnium malorum est cupiditas. ἡ φιλαργυρία.* ET EGO, cui hoc facile est, quippe familiari ipsius discipulo. Discamus simulatos amicos pestilentiores esse publicis hostibus. EVM. quem scio à vobis quæri. Non dignatur Iesum suo nomine, vtpote inuisum his quibuscum tractabat, & iam etiam sibi. TRADAM in manus. Magna præsumtio, quòd polliceri audeat eum tradere, quem diu expertus fuerat & nosse & posse omnia. Noui ego, inquit, quàm vobis sit cordi hunc hominem posse capere, sed quòd præ populi metu non audeatis eum adoriri. Accipite animum, ego vos voti compotes reddam, ego vobis eum tradam, ita vt sine aliquo tumultus popularis periculo possitis in eum manus iniicere, si modò dignum hac mea opera præmium polliceri mihi velitis. Nam quamuis vos sitis principes mei, quibus meritò debeam obedire hoc in negotio, & gratis cõferre operam omnem quam possim ad iuuandos vestros pro Reip. salute conatus: facilè tamen consideratis, quòd si hoc faciam, excidam ex familia eius, qui me hactenus aluit, ac proinde opus mihi erit pecunia qua per me viuam. Euangelista refert substantialia verba, quibus Iudas operuit mentem suam: sed verisimile est, hæc aliaue huiusmodi non defuisse, præsertim verò Iudam, tum vt sceleris sui turpitudinem colore honesti obduceret, tum vt fidem sibi conciliaret, addidisse causam, quare ipse, qui hactenus ex familiarissimis Iesu discipulis erat, iam meditaretur ipsius proditionem. Causa autem esse potuit, quòd cùm ipse illum hactenus habuisset pro viro bono, contemtore deliciarum voluptatumque mundi, iam secus de ipso sentire cogetur, esse hominem amantem conuiuiorum & voluptatum seculi, experiẽtia doctus, quòd his diebus passus fuisset perfundi sibi à muliercula caput, pedes, totumq; adeò corpus, tanta copia vnguenti nardini pretiosissimi, quantam ipsis principibus ad sua conuiuia adhibere religio esset & prodigalitatis nota. Itaque sibi hoc luxu offenso visum esse mereri ipsum, vt principibus traderetur, à quibus ob alias iustas causas quæreretur. CONSTITVERVNT. decreuerunt, pacti & polliciti sunt, quamquam Euthymius vertere malit *appenderunt*, ex ἔστησαν. Non dicitur quòd mox ab initio ipsi obtulerint triginta argenteos, sed quòd tandem saltem conuenerit inter Iudam & ipsos de hoc pretio: nec quòd mox ipsi pecuniã numerarint, sed quòd promiserint numerare proditione peracta. TRIGINTA ARGENTEOS. τριάκοντα ἀργύρια triginta argentea; Syrus ܬܠܬܝܢ ܕܟܣܦܐ *telotin decesspo triginta argenti.* Quia additur nomen numerale, significatur, vel certum argenteæ monetæ genus, vel certum pondus argẽti. Quamuis autem vile fuerit hoc pretium venditi Filij Dei, in se tamen non tam vile & exiguum fuisse, quàm vulgaris opinio habet, manifestum fit, partim quòd eo emtus fuerit ager figuli in sepulturam peregrinorum, ager inquam suburbanus, ciuitati inhærens, venditus perpetua dominij translatione, in sepulturam peregrinorum, quibus ea ciuitas scatebat (qua de re infrà 27. v. 7. agemus latius) partim quòd Iudas hactenus à Iesu nutritus, cùm sibi ipsi propriis facultatibus alendo iam prospicere deberet, solicitior, non alio pretio contentus fuisse credi possit, quàm quo diu posset vitam sustinere, fortassis etiam ditescere, à Iesu familia separatus. Inter varias igitur opiniones de valore horum triginta argenteorum, ea minùs à veritate

recedere videri poſſit, quæ per *argenteos* intelligit *ſiclos*, quod & alibi Scriptura ſacra, vt 2. Reg. 18. v. 11. 12. ita interpretantibus Græcis LXXII, Latino, & Chaldæo. Quare Origenes vel eius Interpres, hoc loco legit, *At illi ſtatuerunt ei triginta ſtateres*: *ſtater* enim Græcis, idem eſt quod *ſiclus* Hebræis. vide ſup. 17. v. 27. Siclum autem numi genus fuiſſe Hæbræis, quales ſunt tetradrachmi Attici, ex Ioſepho & aliis docuimus ſuprà 17. v. 24. Fuerit igitur ſiclus, conſtans viginti obolis, quod ſæpe Scriptura inculcat (Exod. 30. v. 13. Leuit. 27. v. 25.) idem ferè quod nobis hodie florenus Rhenenſis ſiue Teutonicus conſtans viginti ſtuferis; quod libra Artheſiæ conſtans viginti patardis; quod Francus Gallicus ſeu libra Turonenſis conſtans viginti ſolidis Turonenſibus, denique quod maior regalis Hiſpanicus conſtans quatuor regalibus ſimplicibus, qui tamen, ſi iuſti ſunt ponderis, propiùs accedunt ad pondus ſicli, valentque hodie viginti vno ſtuferis ſeu ſolidis. Itaque triginta argentei, hodie ſint triginta vnus & dimidius floreni noſtratæ monetæ; Chriſti tempore, quo argentum longè minoris valoris erat, fuerint fortè floreni duodecim plus minus: ſed quid hæc ſumma ad agrum emendum aut ad vitam hominis diu ſuſtinendam? Elias Leuita Iudæus, ex Thisbi citatus in Regiorum bibliorum Dictionario Syrochaldaico, voce סלע, annotat ex Rabbinorum obſeruatione, nomen argenti ſiue argentei, in Pentateucho vſurpari pro ſiclo, in prophetis pro libra, in hagiographis pro talento. Quare nunquam ſatis laudatus Cæſar Baronius, per *argenteos* ſingulos hîc intelligit libram argenti: eò quòd locus hic Euangelij, illi prophetæ Zachariæ reſpondeat, quem Euangeliſta infrà 27. v. 9. citat: præſertim cùm Epiphanius, vetus auctor inter Græcos, ſub finem libri de menſuris & ponderibus, argenteum vnum definiat denariis quatuor & centum. Nam cùm denarius ferè æquiualeat drachmæ (ſuprà 18. v. 28.) drachmæ autem centum conficiant minam Atticam; ſi verò demas quatuor drachmas, libram Romanam; argenteus vnus, etiam ipſi Epiphanio, æquipollet libræ argenti, aut certè parum intereſt. Alius quidam Neotericorum ſcribit, ſe ex Græcorum commentariis didiciſſe, ſingula ἀργύρεια valuiſſe minam Atticam. Huic, præter Epiphanium, ſuffragatur Ioſephus lib. 2. Antiq. cap. 3., vbi, pro eo quòd Gen. 37. v. 28. dicitur, Ioſeph venditum fuiſſe viginti argenteis, ipſe venditum fuiſſe dicit viginti minis: minam autem Atticam proximè reſpondere libræ Romanæ, iam oſtendimus: nam de Attica mina Ioſepho, de libra Romana Euangelio, ſermonem eſſe, non dubium eſt, cùm illis temporibus Iudæi Romanis ſubditi, Romanorum ponderibus & numiſmatis vterentur, quemadmodum & Epiphanius libram duodecim vnciis ſeu 96. drachmis æſtimat. Denique Euthymius Græcus huius Euangelij enarrator, per *argenteum* hîc libram argẽti intelligere videtur, dum ait: *Principes autem ſacerdotũ appenderunt ei triginta argenteos: nam argenteus certum libræ pōdus erat, ſicut etiam denarius, ſtater, talentum. Certum libræ pondus erat*, id eſt, certũ pondus erat quod erat libra: ſicut denarius certum pondus drachmæ erat, ſtater certum pondus quatuor drachmarum ſeu dimidiæ vnciæ, talentum certum pondus 75., aut, iuxta Epiphanium, 125. librarum. Poſſint igitur per *triginta argenteos* ſeu *argentea*, intelligi triginta libræ argenti, conſtantes ſingulæ denariis aut drachmis argenti centum plùs minùs, hoc eſt, vigintiquinque ſiclis. Quare ſi intelligamus, drachmam argenti, eius ferè pretij eſſe, cuius eſt hodie regalis Hiſpanicus ſimplex, triginta argentei, conficiant nunc ſummam circiter octingentorum florenorum ſeu librarum Turonenſium, ſingulos florenos ſeu libras quadraginta groſſis Flandricis æſtimanti. Huiuſmodi pecuniæ ſumma, vt hodie ematur commodus ager, aut viuatur in annos plures à viro plebeio, ita olim triginta argẽti libris, quamquam argentum aurumque (potuit enim pars ſummæ in auro ſoluta fuiſſe) cuius valor iam eſt octingentorum, tunc temporis vix fuerit quadringentorum florenorum. Huius igitur ſummæ auiditate illectus Iudas, præceptoris ſui proditionem pollicitus eſt atque molitus, ſperans ſe hoc argento, addito peculio illo quod ex loculis præceptoris paulatim ſuffuratus fuerat (Ioh. 12. v. 6.) diu poſſe commodè per ſe viuere, adeoque diteſcere. Hoc ipſo porrò, quo Ieſus paſſus eſt ſe vili huiuſmodi pecunia vendi, fieri meruit diues pretium redemtionis omnium noſtrûm: *emti enim ſumus pretio magno* (1. Cor. 6. v. 20.) quod fuit Ieſus ipſe, qui non Iudæorum emtorum, ſed noſter factus eſt. quod enim Iudas vendidit & Iudæi emerunt, nos lucrati ſumus.

Mar. 14. v. 11. Luc. 22. v. 6.

Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet. 16 καὶ ἀπὸ τότε ἐζήτει εὐκαιρίαν ἵνα αὐτὸν παραδῷ.

EXINDE. ἀπὸ τότε ex tunc, ex eo tempore, quo promiſſa ipſi fuit à principibus, huiuſmodi, qua contentus fuit, argenti ſumma. QVÆREBAT. deſiderabat ſimul & obſeruabat ſtudioſè. OPPORTVNITATEM loci ac temporis, quo infallibiliter & commodè Ieſum tradere, nihil impediente populo fautore, poſſet. hæc enim in pacto conditio interceſſerat. *Qualem autem*, inquit Origenes, *opportunitatem quærebat, Lucas manifeſtius explanauit, dicens: Et quærebat opportunitatem, vt traderet eum eis ſine turba, id eſt, quando populus non erat circa eum, ſed ſecretus erat cum diſcipulis ſuis: quod & fecit, eum tradens nocte poſt cœnam, cum ſecretus eſſet in prædio Gethſemani*, extra ciuitatem. Fuit autem opportunitas Iudæ, quo tempore minùs ſperauerant Principes, die inquam feſto Paſchæ: Deus enim eo tempore occaſionem permiſit, quo oportebat Chriſtum pati, hoc eſt, cùm paſcha immolabatur, vt figuram res impleret, quemadmodum diximus ſuprà v. 2. VT EVM TRADERET ſeu proderet. Pacto inito redibat ad familiam Ieſu, ſed in ea proditorio animo verſabatur, obſeruans locum & tempus idonea ad præſtandam Ieſu hoſtibus fidem, proditione Ieſu, auidus inhianſque pecuniæ promiſſæ. *O ſingularem amentiam*, exclamat Chryſoſtomus: *quomodo penitus habendi cupiditate fuit excæcatus? Nam qui ſæpius vidit ipſum per medios inimicos tranſiſſe, nec detentum fuiſſe: qui diuinæ omnipotentiæ ipſius multa documenta reipſa percepit, retineri eum poſſe putauit, præſertim cùm tot ſibi tam terrentia quàm mulcentia verba ab eo dicerentur, vt ſceleratam hanc cogitationem à ſe abiicere omnino debuerit*. Similia ex Chryſoſtomo habet Titus.

Mar. 14. v. 12. Luc. 22. v. 7. 9.

Prima autem die Azymorũ, acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicẽtes: 17 Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες αὐτῷ·

ποῦ

ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα;

Vbi vis paremus tibi comedere paſcha?

PRIMA AVTEM DIE AZYMORVM. τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων primo autem azymorum. Interpres ſuppleuit *die*. A ζύμη quod eſt fermentum, formatur ἄζυμος, quod eſt, infermentatus, fermento carens. Hinc Iudæi, dies illos quibus non licebat vti panibus fermentatis, ſed oportebat veſci azymis, vocarunt græcè *ἄζυμα* numero plurali, eo genere loquendi quo gentes dicebant, ὀρχεῖα, βακχεῖα, Bacchanalia, Saturnalia. Præceptum enim datum fuerat Iſraeli, iam inde ab egreſſu ex Ægypto, quamquam non obligarit ante egreſſum ex Ægypto, in hæc verba: *Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperam, comedetis azyma, vſque ad diem vigeſimamprimam eiuſdem menſis ad veſperam. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus veſtris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael.* Exod 12. v. 18. 19. Ratio hiſtorica huius præcepti fuit, vt commemorarent quotannis feſtinationem illam qua ex Ægypto egreſſi fuerant, *ita mox vrgentibus eos exire Aegyptiis* poſt interfecta primogenita ſua, *& nullam facere ſinentibus moram*, vt farinam ſuam fermentare, prout ſtatuerant, non poſſent, ſed cogerentur, mox vt aquâ conſperſa fuerat, feſtinanter in humeros acceptam ſecum auferre, ex eaque ſubcinericios panes azymos, quales paulò antè cum agno paſchali comederant, pluribus deinde diebus coquere, iiſque eſſe contenti (Exod. 12. v. 33. 34. 39.) ſic enim Deuteronomium cap. 16. v. 3: *Septem diebus comedes abſque fermento panem afflictionis, quoniam in pauore* (alij vertunt *feſtinanter*, id eſt, cum tanta trepidatione & feſtinatione, vt non licuerit tibi permiſcere fermentum tuæ cõſperſioni) *egreſſus es de Aegypto, vt memineris dies egreſſionis tuæ de Aegypto, omnibus diebus vitæ tuæ*. Panis azymus, facilè conficitur (ſtatim enim vt farinæ admixta eſt aqua, coqui poteſt) ſed inſipidus eſt & grauis minuſque ſalubris (quamobrem hîc vocatur *panis afflictionis*, quod eſt, panis miſer) fermentatus verò nõ ita quidem citò conficitur (exſpectandum eſt enim tantiſper dum fermentum attenuet fermentetque farinæ maſſam) ſed vt palato gratior, ita & ſalubrior eſt, faciliorque concoctu. Ad conſeruandam igitur huius rei memoriam, quòd ita feſtinanter coacti fuerint Ægypto egredi, vt panem ſuum fermentare non poſſent, præſcripſerat Iſraelitis Deus ſeptiduanum quotannis azymorũ eſum. Allegorica porrò ratio huius inſtituti, explicatur ab Apoſtolo 1. Corinth. 5. v. 8., vt docerentur veri Iſraëlitę, redemti ſanguine Chriſti immolati, toto vitæ ſuæ tempore, quod ſeptem diebus voluitur, *epulari, non in fermento veteri, neque in fermento malitia & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. Ex ſeptem igitur diebus azymorum, primum dicit Matthæus fuiſſe, quando Apoſtoli interrogarunt Ieſum de loco parandi paſchæ. Verùm cùm paſcha & azyma ſimul inciperent, veſperi inquam quartidecimi diei menſis primi (tunc enim, cum eſu agni paſchalis, incipiebat eſus panum azymorum, qui perdurabat deinde ſeptem continuos dies. Exod. 12. v. 6. 8) quomodo dicit Euangeliſta, fuiſſe primum diem azymorum ſiue paſchæ, cùm de apparando primùm paſcha ageretur? Synecdochicõs loquitur Euangeliſta, vocans eum diem ciuilem primum azymorum, à cuius veſpera incipiebat primus azymorum. Ad hunc modum D. Auguſtinus, ſub finem epiſtolæ 86. interpretatur, vbi ait: *Matthæus Euangeliſta quintam ſabbati dicit fuiſſe primam diem azymorum, quia eius veſpera ſequente, futura erat cœna paſchalis, qua cœna incipiebat azymum & ouis immolatio manducari*. hæc ille. Dies primus azymorum ſiue paſchæ, vtpote feſtus, incipiebat veſperi, dies verò ciuilis finiebatur media nocte ſubſequenti. vide ſup. v. 2. Quia igitur incipiebat primus dies feſtus azymorum ſiue paſchæ cum extremo quadrante diei ciuilis, ſynecdochicõs dies ille ciuilis vocatur primus dies azymorum ſiue paſchæ, à parte totus: cùm autem diei ciuilis ſubſequẽtis tres quadrantes occuparet is dies feſtus, multo magis etiam ille dies ciuilis dicebatur primus azymorum ſiue paſchæ; azymorum tamen potiùs quàm paſchæ, quemadmodum pręcedens paſchæ potiùs quàm azymorum, quod clarum eſt Leuit. 23. v. 5. & alibi, vbi lex ait: *Menſe primo, quartadecima die menſis ad veſperum, phaſe Domini eſt, & quintadecima die menſis huius, ſolemnitas azymorum Domini eſt*: inprimis, quia eſus paſchæ, hoc eſt, agni, non niſi vnicus erat, abſoluebaturque veſperi diei decimæquartæ, eſus autem azymorum non vnicus tantùm erat, coniunctus eſui agni veſperi diei decimæquartæ, verumetiam continuus per reliquum illius diei decimæquartæ finientis media nocte, & per diem decimamquintam, pluresque conſequentes. Quum igitur lux decimæquintæ illius diei ſolemniſſima, proprio nomine appellanda eſſet, potiùs ab azymis, quorum continuus erat vſus, quàm ab agno paſchæ, cuius eſus pridie veſperi præceſſerat, nominatur: vt dies decimaquarta, ratione veſperæ & extremi quadrantis, potiùs accipit nomen paſchæ ab agno, cuius celeberrima tunc erat immolatio, quàm azymorum ab azymis, licet eſus azymorum tunc inciperet vnà cum eſu agni, nec deinceps liceret alio quàm azymo pane veſci, ſeptem continuos dies. Præterea, eſus paſchæ, monimentum propriè erat Iſraëlis ab exterminatore ſeruati, hoc eſt, ſignum ſaltus ſiue tranſitus Domini, quo occidens primogenita Ægyptiorum, tranſilierat domos Iſraëlitarum, ſignatas ſanguine agni (lege ſuprà v. 2.) id quod acciderat circa extremum diei decimæquartæ: eſus autem azymorum, monimentum erat egreſſionis Iſraelis ex Ægypto, quæ acciderat die decimaquinta & ſubſequentibus. Ob has duas cauſas, veſpera diei decimæquartæ propriè *phaſe* ſeu *paſcha*; dies autem decimaquinta, *azymorum* potiùs vocatur: tametſi aliàs confundantur hæc nomina, & aliquando quidem paſchæ atque azymorum primus dies adſcribatur diei decimæquartæ, aliquando diei decimæquintæ, menſis primi: quod quo ſenſu fiat, iam docuimus, quamuis multi in hac re explicanda laborent, eò quòd non animaduertant diſcrimen diei ciuilis à die feſto quoad principium, diem inquam ciuilem, non perinde ac feſtum, à veſpera, ſed à media nocte, incipere, quod oſtendimus ſuprà v. 2. Quod ergo hîc dicit Euãgeliſta *prima die azymorum*, id eſt, eo die à cuius veſpera incipiebat primus azymorum. Is erat, quod diximus, quartuſdecimus dies primi menſis Niſan. Menſes Iudæis lunares erant, qui vt ſolari anno reſponderent, nunc duodecim, nunc tredecim erant numero. Primus menſis, in annotãdis rebus profanis, erat Tiſri; in ſacris, Niſan: ille autumnali, hic verno ęquinoctio propinquus. Nouilunium enim proximum æquinoctio verno, quod æquinoctium numquam non incidit in Latinum Martium, plerumque erat primus dies menſis Niſan: huius decimusquartus dies, ſiue, quod idem vnum eſt, decimaquarta luna, veſperi, ſecum adducebat paſcha: qui quidem hoc anno, de quo hîc ſermo eſt, fuit nonus Kalendas Aprilis, & dies Iouis, more loquendi Gentilium; quinta ſabbati, Iudæorum; Chriſtianorũ more, feria quinta. Eſt igitur hic ordo rerum,

octiduo ante mortem à Christo Domino gestarum. Sexta sabbati siue die parasceues, hoc est, feria sexta siue die Veneris die octauo mensis Nisan, venit ex Ephren in Bethaniam: die sabbati, hoc est, nono mensis, solemni cœna in Bethania exceptus fuit, Iuda obmurmurante: decimo mensis, prima sabbati, quem nos dicimus diem dominicum, solemni pompa Ierusalem ingressus, eiecit è templo nundinatores, & cæcos claudosque sanauit. Vndecimo die mensis, secunda sabbati, seu feria secunda, die lunæ inquam, maledixit sterili ficui. Duodecimo die mensis, qui fuit tertia sabbati, nobis feria tertia seu dies Martis, explicuit mysterium ficus maledictæ, confutauit principes volētes certiores fieri de auctoritatis qua vtebatur iure, variis parabolis perstrinxit perfidiam eorum, & excidium prædixit, satisfecit quæstionibus à Pharisæis & Sadducæis propositis, væ interminatus est scribis & Pharisæis hypocritis, discipulis prophetauit subuersionem Ierosolymorum & templi, instruxit denique discipulos de nouissimis temporibus & iudicio extremo. Decimotertio die mensis, qui fuit quarta sabbati, feria quarta seu dies Mercurij, principes concilium inierunt de modo perdendi Iesu, cum quibus tandem Iudas iniit pactum illius prodendi. Decimaquarta mensis quæ fuit quinta sabbati, feria quinta seu dies Iouis, circa meridiem, aut, quod mauult Theophylactus in Lucam, mane, emisit Iesus duos discipulorum suorum ad parandum pascha, quod quidem vesperi, cùm pascha & azyma sumerent initium, comēdit. Postridie, die decimaquinta, sexta sabbati, quæ eadem est parasceue Iudæis, nobis feria sexta & dies Veneris, paschæ & azymorum prima ac solemnissima luce, crucifixus & mortuus est. DISCIPVLI. Apostoli, *duo* quod ait Marcus; *Petrus & Iohannes*, Luca nominante. ACCESSERVNT. Iussi enim à Iesu parare pascha (Luc. 22. v. 8.) accesserunt & rogarunt vbi illud parari vellet, quod annotauit etiam Euthymius. VBI. Non quærunt de oppido aut ciuitate (certi enim erant non posse extra ciuitatem Ierosolymorum edi, *locum quem elegerat Dominus.* Deut. 16. v. 5. 6.) sed de hospitio quærunt, quia nullum ea in ciuitate Iesus proprium habebat hospitium, solitus vesperi ciuitate exire in Bethaniam & montem Oliuarum: præter hoc autem, quòd difficile tunc esset, ea in ciuitate commodum hospitium inuenire, vt erat hominibus plena, timebant iam maximè Apostoli, vt quis præceptorem domo sua vellet excipere, quem constabat ad mortem à principibus quæri, edictis publicis propositis, *vt si quis cognouerit vbi sit, indicet vt apprehendant eum.* Ioh. 11. v. 56. Prudenter tamen id dissimulant Apostoli, animosè, postquam iussisset Iesus parari pascha, rogantes de hospitio, vbi parare possent, re ipsa profitentes, nō defore ipsi hospitium si modò vellet, quantumuis insanirent inimici. PAREMVS TIBI COMEDERE. vt comedas PASCHA, id est, agnum paschalem. *pascha* suprà v. 2. accipitur pro die festo, hîc pro agno qui eo die consueuerat immolari. Ad parandum autem, erat inprimis Apostolis emendus agnus masculus anniculus & immaculatus. Quod enim præcipitur Exod. 12. v. 3., vt iam inde à decima die mensis, vnusquisque sibi seligat huiusmodi agnum, quem die decimaquarta ad vesperam immolet, non fuit præceptum nisi illius temporis: cùm enim sæpe repetatur præceptum immolandi phase, nusquam hoc repetitur in lege. Quare cùm dispersus iam esset Israel per terram promissam, immò per orbem vniuersum, iis qui habitabant extra eum locum quem elegerat Dominus, sufficiebat eò conuenire die decimaquarta, & emtum illic agnum immolare: ita vt non dubium sit, quin ciues Ierosolymitani, magnam in eum diem paratam haberint agnorum huiusmodi copiam, quos venderent foris aduenientibus fratribus. Erat itaque Apostolis inprimis emēdus agnus: deinde erat & mactandus. Nam quamuis videatur, non potuisse emi à lanionibus, mactatus, excoriatus, & ad veru paratus, sed vel à sacerdotibus vel ab ipsis familiis fuisse mactandus (*pascha* enim, quod ait Philo sub finem libri de decalogo, *populariter singuli sacrificant, non exspectatis sacerdotibus, ipsi permissu legis hîc fungentes sacerdotio*) non tamen necesse erat, vt omnes eius familiæ quæ agnum comestura erat, interessent mactationi: sufficiebat eum ab aliquibus ex familia mactari nomine omnium (nam consistebat hoc sacrificium in manducatione magis quàm in immolatione) vt hîc videmus Iesum cum decem Apostolis abfuisse, vênit enim demum cum illis vespere iam facto (Mar. 14. v. 17.) solebat autem mactari agnus hora nona, die declinante, Iosephus lib. 7. de bello cap. 17.) cùm vesperi esset comedendus. Mactata hostia assanda erat, & hoc itaque curandum Apostolis fuit, simulque prouidendum mensæ de lactucis agrestibus, de panibus azymis, de baculis (Exod. 12. v. 8. 11.) de aliis quibusdam præterea cibis, pro ratione diei festi & facultatum (nec enim agnus vnus sufficiens esse poterat reficiendis tredecim viris) denique de vino. Ad hæc omnia emenda (nisi quæ fortè paterfamilias ille, apud quem hospitium sibi delegerat Iesus, vltrò gratisque offerret) iussit haud dubiè Iesus, pecuniam à Iuda ex communibus loculis numerari, his quos ad parandum pascha amandabat.

Mar. 14. v. 13. 14. Luc. 22. v. 10. 11.

At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad [18] quemdam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis meis.	ὁ δὲ εἶπεν· ὑπάγετε εἰς τὴν πόλιν πρὸς τὸν δεῖνα, καὶ εἴπατε αὐτῷ· ὁ διδάσκαλος λέγει, ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν, πρὸς σὲ ποιῶ τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου.

AT IESVS DIXIT. ὁ δὲ εἶπεν ipse autem dixit, quomodo legit & Syrus, adiecto pronomine εἶ. ITE IN CIVITATEM Ierosolymorum. Hinc intelligitur, Iesum Ierosolymis non fuisse, sed Bethaniæ, vel in monte Oliuarum, verisimile est, quando misit hos suos discipulos ad parandum pascha. AD QVEMDAM. πρὸς τὸν δεῖνα ad illum, ad certum quemdam. Syrus ܠܘܬ ܦܠܢ *leuath pelon* ad talem. Sic & Hebræi, eum cuius nomē, vel ignorat is qui memorat, vel non vult exprimere, vocant פלני *peloni*. Non est igitur vsus Iesus hac voce *quemdam*: sed vult Euangelista, intelligi, quòd Iesus non nominarit virū, descripserit autem dumtaxat talibus indiciis qualibus posset inueniri, quæ quidem à posterioribus Euangelistis declarantur. Non misit Iesus discipulos suos ad incertum hominem: cùm igitur nominare noluerit eum ad quem mitteret, significat Matthæus, huiusmodi voce, *peloni, pelon, τὸν δεῖνα*, seu *quemdam*, quòd descripserit eum certis signis. Atque hoc est quod ait D. Augustinus lib. 2. de cons. Euang. cap. vltimo: *Quod interposuit Matthæus ad quemdam, tamquam ex persona sua, studio breuitatis, illum compendio voluit insinuare.* & paulò pòst: *Vt ipse nobis insinuaret, taci-*

to no-

to nomine fuisse quemdam in ciuitate, ad quem Domini discipuli mittebantur vt prepararent pascha. Eodem modo & nos vulgo loquimur. Cur autem viri nomen celare voluerit Iesus, duę potissimùm causæ fuerunt. Vna quam annotarunt Euthymius in hunc locum & Theophylactus in Lucam, ne Iudas, qui iam obseruabat omnem opportunitatem prodendi Iesu, si nouisset locum vbi Iesus cœnaturus esset, missis eò satellitibus turbaret, si non etiam impediret, sacram cœnam; Altera, quam habet Chrysostomus, quòd ignotus esset homo, atque ita ostendere vellet Iesus Apostolis suis, se omnia & scire & posse, probareque re ipsa auctoritatem & imperium virtutis suæ diuinæ, qua quiduis posset apud quosuis, etiam absentes & ignotos, cuique nemo quiret resistere. Nam etsi non ignotus erat vir iste spiritui Iesu (*ipse enim Iesus nouerat omnes, nec opus ei erat vt quis testimonium perhiberet de homine, cum ipse sciret quid esset in homine.* Iohan. 2. v. 24. 25.) tamen oculis corporis Iesu numquam fortasse visus fuerat, nec auribus auditus. Quamquam enim satis constet fidelem fuisse, & in Iesum credidisse: inde tamen non plus intelligitur, quàm Iesu prædicationem ab ipso auditam & miracula fuisse visa, quod commune ipsi erat cum infinita populi multitudine. Non omnes enim qui credebant in Iesum, id palàm faciebant, Iesum familiariter adeundo, aliisve modis: nã, quod Iohannes testatur cap. 12. v. 42: *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eiicerentur.* Quamuis igitur iste absens esset & humanitus ignotus Iesu: dum tamen ad eum mittit Iesus, & iubet ab eo assignari sibi locum vbi cœnet, illeq; mox acquiescit, non obstante discrimine præsente, quod incurrere poterat ex hospitio Iesu concesso, rebus ipsis monstrat Apostolis suis Iesus, inprimis omniscientiam suam, qua nihil ipsum lateret, deinde imperium auctoritatemque suam in quosuis, vt intelligerent, nec latere ipsum machinationes principum aduersus ipsum, quemque illæ successum accepturæ essent, & si quid aduersi passurus esset, propriæ ipsius voluntatis, non necessitatis id fore. Quare Chrysostomus: *Sed cur ad ignotum eos hominem ire iussit? ostendere hinc quoque voluit, potuisse se passionis tormenta euitare. Nam qui mentem illius verbis solùm induxit, vt ipsum cum discipulis reciperet suscipere: quid fecisset crucifigendus, si pati noluisset? quod etiam de asina fecit.* hæc ille. Nam quod quidam coniiciunt, Iesum priùs locutum fuisse viro huic de parando sibi loco cœnæ, iniurium est Iesu, & contrarium verbis subsequentibus. MAGISTER tuus & noster. Syrus ܪܒܢ *Rabban* magister noster. Iesus familiariter à discipulis suis vocabatur *Magister* (Ioh. 11. v. 28. & 13. v. 13.) contentusque humili hoc titulo à doctrina accepto, qui tamen nulli alij æquè ac ipsi congruebat (vide sup. 23. v. 8. 10.) & ipse se eo appellat, eoque solo suam huic viro auctoritatem insinuat, cùm vti potuisset verbis illis magnificis: *Hæc dicit Dominus*, aut, *Filius Dei dicit.* Vocando autem se magistrum, aperit, illum cui verba hæc sua perferri iubet, esse discipulum, ac proinde, penes se vt magistrum, auctoritatem esse præcipiendi ipsi tamquam discipulo, quod diximus: fuit enim *discipulus Iesu*, id est, fidelis, credens in Iesum, *sed occultus*, vt multi alij, *propter metum iudæorum.* Ioh. 19. v. 38. 39. Non addit nomen suum, *Iesus magister*, quia tam discipuli mandatum perferentes, quos publicitus notum erat esse discipulos Iesu, quàm conscientia audientis, nec alij magistro quàm Iesu adhærentis, clarè interpretabantur quis magister loqueretur. DICIT. nunciat tibi per nos in hæc verba. *Dicendo præcipit*, inquit Chrysostomus. TEMPVS MEVM. tempus abitus mei, tempus mortis meæ, quod mihi à Patre & à memetipso constitutum est. PROPE EST. instat. Toties inculcat propinquum esse mortis suæ tempus, vt intelligant discipuli, sponte ipsum properare ad gerendum morem decreto Patris, *nec inuitum ad passionem accedere*, quod ait Chrysostomus. APVD TE. domi tuæ. FACIO. mox faciam, huius ipsius diei vespera, (ante illud tempus meum. *Faciam* autem, id est, facere seu celebrare decreui, PASCHA, cœnam paschalem, iuxta præscriptũ legis Mosaicę. q. d. non diu tibi aut cuiuis alij in me credentium molestus ero, vt qui breuî ex hac vita sim discessurus: priusquam tamen discedam, statui postremum pascha apud te celebrare, tu his meis quos ad te misi discipulis demonstra domi tuæ locum idoneum: hoc enim addunt alij Euangelistæ, *Vbi est diuersorium meum?* non rogat, sed pro suo iure mandat & imperat: quòd si priùs viro loquutus, ipsi persuasisset vt se domo exciperet, ridiculè iam vteretur huiusmodi verbis auctoritate & imperio plenis. Lenit porrò imperium, præfatus instare tempus discessus sui: quasi diceret, nihil minus magistro concedere potes, antequam à te auferatur, si non es ingratus discipulus. Simili in absentes & ignotos auctoriate atque imperio vsus est Iesus sup. 21. v. 2. 3. quando ad se adduci iussit asinam cum pullo; imò maiori, tribuens sibi ipse non magistri sed domini nomen: *Dominus his opus habet.* CVM DISCIPVLIS MEIS. cum Apostolis meis. Quamquam omnes qui credebant in Iesum vocarentur discipuli Iesu: illi tamẽ duodecim κατ' ἀντονομασίαν sic vocabantur, *quos Apostolos nominauerat*, quosque in familiam adsciuerat suam, quos publicè notum erat esse numero duodecim. Non ergo dicit *tecum*, quod vrget Victor Antiochenus in Marcũ, sed *cum discipulis meis*: quia singulæ familiæ, singulos agnos immolare debebant, nec extraneos poterant aduocare, nisi fortè vnius familiæ homines non sufficerent ad edendum agnum. Vt porrò Iesu familia erat plus quàm sufficiens esui vnius agni; ita non dubium & huius viri familia. Iam subaudit Matthæus quod alij Euangelistæ exprimunt: In eo autem loco quem ille vobis assignauerit, parate nobis ad comedendum pascha.

καὶ ἐποίησαν οἱ μαθηταὶ ὡς συνέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα.	19 Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.	*Mar.* 14. v. 16. *Luc.* 22. v. 13.

DISCIPVLI illi quos emiserat. Simplex horum obedientia, experta est efficacitatem verborum Iesu. Non enim anxiè inquirunt de euentu, sed imperio placidè obediunt, & simpliciter quod iussi fuerant perficiunt.

CONSTITVIT. συνέταξεν aoristus pro plusquamperfecto *constituerat*, iniunxerat, præceperat. Nimirum, abierunt in ciuitatem, adierunt virum illum quem indicauerat Iesus, retulerunt illi verba Iesu, & in loco eo quẽ ille mox præbuit PARAVERVNT omnia ad celebrandum PASCHA necessaria, sup. v. 17. enumerata. Inter cætera autem, emtum agnum curarunt assari: quod quomodo fieret, operæpretium est considerare, vt obseruetur similitudo inter assationem veteris paschæ & crucifixionem noui. Perfodiebatur corpus agni veru, pedes verò, tam posteriores qui pedum, quàm priores qui manuum sunt loco, distendebantur diuaricaban-

ricabanturque bacillis infixis in volas: tamquam si veru, stipitem crucis; bacilli verò, transuersum lignum præsignassent, vnà cum clauis in diuini agni manus pedésque infixis. nam ignis afflictionis hìc non minor fuit, quàm illic flammeus. Nescio autem quid vulnerum perpetuò gerant agni in mediis pedum volis, non absimili modo quo Saluator noster ex cruce reseruat in manibus & pedibus fixuras clauorum.

Mar. 14. v. 17. Luc. 22. v. 14.

Vespere autem facto, discumbebat [20] cum duodecim discipulis suis. | ὀψίας δὲ γενομένης, ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα.

VESPERE AVTEM FACTO, vel, vespera autem cùm esset. nam ad vtrumque indifferens est γενομένης. Notat Euangelista horam qua Christus pascha comedit, qua scilicet à lege præscriptum fuerat. Præscriptum enim fuerat Exod. 12. v. 6: *Immolabit eum:* agnum) *vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*; & Leuit. 23. v. 5: *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam, Phase Domini est*. Præcipua actio immolationis paschæ, erat manducatio: illa quamquam nocte fieri posset, modò fieret ante mediam noctem, proprium tamen illius tempus erat vespera, illa quæ hebraicè duali numero vocatur ערבים *harbaim*, id est, illud tempus vespertinum, quo lux tenebris & dies nocti miscetur (solent enim Hebræi dualem numerum iis nominibus dare, quæ res significant, aut duplices, aut quasi duplices) quod est, inter occasum solis & noctem, vocaturque latinè crepusculum, gallicè *entre chien & loup*, quo scilicet visu discernere nequeas occurrentem lupum à cane. Quòd autem non aliud, quàm tempus istud vespertinum, intelligatur voce illa numeri dualis, manifestum ex eo fit, quòd lex aliis locis idem repetat vtens eadem voce numero singulari ערב *hereb*. Deut. 16. v. 6: *Immolabis phase vespere ad solis occasum*. Iosue 5. v. 10: *Et fecerunt phase quartadecima die mensis ad vesperam*. Illud igitur proprium tempus fuit, quo se dare oporteret ad manducandum agnum. Reliquæ immolationis actiones, vt, iugulatio, mactatio, assatio, fieri debebant pro ratione temporis mãducationi destinati, vt ratio dictat, modò à meridie, præsertim verò circa horam nonam, declinante iam die, quod suprà v. 17. ex Iosepho annotauimus. Quum enim vna hora hæc omnia fieri nequirent, præscripsit lex horam cœnæ ipsi, quæ præcipuum totius sacrificij erat. DISCVMBEBAT. id est cœnabat; Richelius, *hoc est, pascha comedit*. Vt verbo discumbendi seu accumbendi non necessariò significatur quòd cubuerit seu iacuerit Iesus inter cœnandum (quamquam ea est propria verbi significatio) ita nec significatur necessariò quòd sederit, præsertim semper, quasi non potuerit aliquando stetisse; sed quòd conuiuio adfuerit, quòd ex ea ad quam accesserat mensa cœnam sumserit, nunc stans, nunc sedens, pro opportunitate. Primò enim pascha, id est, agnum paschalem, quod sacrificij magis genus quàm cœnæ erat, comedit pro more festinus & stans (quamquam enim non disertis verbis id præceperat, satis clarè tamen intelligendum id dederat Lex Exod. 12. v. 11. ipso etiam Philone interprete, ante medium libri de sacrificiis Abel & Cain) ipse quoque paratus ad iter, & festinans ad transeundum ex hoc mundo ad Patrem. Reliquum deinde cibum, siue alteram eamque communem cœnam, quietè citra festinationem comedit sedens (Iohan. 13. v. 2. 4.) quæ cùm peracta esset, mensa tamen nondum ablata, iterum surrexit ad lauandum discipulorum pedes (Iohan. 13. v. 4.) quibus lotis iterum sedit Ioh. 13. v. 12.) & quidem in multam noctem, non cibi causa, sed sermocinationis & tradendorum sacrosanctorum mysteriorum formâ cibi potusque. Quare si non conuiuium tantùm, verumetiam situm conuiuantis Iesu, Euangelista intelligi voluit verbo *discumbendi*, eum qui diuturnior fuit sedendi situm nominauit, alterum relinquens intelligendum, ex solemni pascha edendi ritu. Vox Syra ܣܡܝܟ *semich* & stanti & sedenti adscribi potest: significat enim propriè innixũ esse, quod quidem tam de baculo quàm de lecto aut scamno potest accipi. CVM DVODECIM DISCIPVLIS SVIS. Sic legitur & Syriacè Græcè non est amplius quã μετὰ τῶν δώδεκα cum duodecim. Significat Euangelista, quòd Iesus iuxta legis præscriptum (Exod. 12. v. 3. 21.) cum tota familia sua immolarit pascha, ne Iuda quidem impiissimo absente: nam & ipse, licet aliud nihil quàm proditionem animo volueret, nolebat abesse, ne quem suspicioni de se relinqueret locũ. *Omnia sic agit Iudas*, inquit Hieronymus, *vt tollatur suspicio proditoris*. *O ingentem impudentiam Iudæ!* exclamat hìc Chrysostomus: qui post initum proditionis pactum, ausus fuit mensæ Domini cum aliis discipulis accumbere, Domini cõscientiam nihil veritus. Sperabat forsan (vt erat impius) ipsum consilij sui esse ignarum, vel certè non proditurum, ob animi mansuetudinem, cuius in illo multa iam experimenta ceperat. Significat præterea Euangelista, quòd nullus Apostolorum abfuerit à noui paschæ & mensæ sacræ cæterorumque mysteriorum institutione, quod nostra non parùm intererat scire. Vt autem significat Apostolos omnes adfuisse, ita videtur intelligendum dare, nullum alium adfuisse: nam quod quidam dicunt, adfuisse LXX discipulos, non fit verisimile, tum quòd non essent illi de familia Iesu, tum quòd non constituerent illi vnam aliquam inter se familiam, sed variarum familiarum cùm essent, singuli haud dubium eodem tempore Pascha cum familiis fecerint suis.

Mar. 14. v. 18. Iohan. 13. v. 21.

Et edentibus illis, dixit: Amen dico [21] vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est. | καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν, εἶπεν· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με.

EDENTIBVS ILLIS. s. Iesu & duodecim discipulis, id est, inter edendum; edendum autem, non pascha, quod primùm festinanter à stantibus comestum fuerat, sed reliquos eius cœnæ cibos: quamquam non tam de comestione ipsa, hoc est, actu comedendi, quàm de conuiuio hìc sermo sit. DIXIT turbatus spiritu, Iohanne teste. Quod Matthæus narrat vt ante institutionem sacrosanctorum mysteriorum à Iesu dictum, id Lucas narrat vt pòst dictum, cap. 22. v. 21. D. Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 1. & Euthymius enarrans Euangelium secundùm Lucam, existimant bis, antè & pòst, dictum fuisse: Alij semel dumtaxat, idque pòst, ne, si Iesus antè hoc prædixisset, discipuli animos turbatos haud attendissent, ad noua quidem & sublimia externa tamen specie humilia mysteria. Anticipatione igitur Matthæus sit vsus. AMEN DICO VOBIS. Vtitur asseueratione, vt fidem maiorem conciliet verbis suis, quæ sciebat omnibus præter Iudam

discipulis

discipulis incredibilia visum iri. Vos hoc vobis ipsis non facilè persuadeatis: atqui ego illud vobis etiam atque etiam affirmo. QVIA. quòd. VNVS. vide sup. v. 14. VESTRVM. Vrget hoc pronomen; *vestrûm* duodecim, quibus præ cæteris omnibus benefeci, quos Apostolatus honore insigniui, in familiam meam cooptaui, docui, instruxi, ornaui, alui. TRADITVRVS EST. παραδώσει tradet, prodet. s. hostibus meis qui ad mortem me quærunt; non enim opus erat dicere quibus, quia bene nouerant Apostoli à principibus sacerdotum & senioribus ac scribis capitales insidias Iesu strui. Sæpiùs hactenus prædixerat Apostolis suis Iesus se tradendum in manus hominum, principum sacerdotum & seniorum (sup. 17. v. 22. & 20. v. 18.) nunc cùm res ipsa propè instaret, prædixit eis etiam à quo tradendus sit; ab vno inquam ex ipsorummet numero, inter postrema domesticum scelus, quo procuranda sibi mors esset, aperiens, eodem consilio, quo reliqua hactenus suæ passionis aperuerat, vt scirent, ipsum non ignorare aduersariorum insidias atque consilia, quantumuis proditor præsens dissimularet, intelligerentque, postquam res aduenisset, ipsum nõ fuisse circumuentum aut de improuiso proditum, sed scientem prudentem & volentem mori, cessisse proditori: nam qui prænouerat proditorem, potuerat vtique sibi ab eo cauisse, eiusque consilium frustrasse, si voluisset. Indicauit itaque notum sibi proditorem, non tamen mox nominauit, plures ob causas, Vnam ne irritaret eum, quin potiùs ad pœnitentiam prouocaret: *mittit crimen in numero*, inquit Hieronymus, *vt conscius agat pœnitentiam*. Conuênit pupugitque clanculum conscientiam ipsius Iudæ, eique subostendens nota sibi consilia ipsius fecit, vnde à concepto scelere potuisset reuocari. Nam quamuis nouisset desperatam illius excæcationem, non ideò tamen correptionem omittere voluit, vel vt omnem ipsi excusationem excuteret. *Notam* (inquit Leo serm. 7. de passione) *ibi esse proditoris conscientiam demonstrauit, non aspera nec aperta impium increpatione confundens, sed leni ac tacita admonitione conueniens, vt facilius corrigeret pœnitendo, quem nulla deformasset abiectio.* Alia causa cur non mox Christus nominauerit Iudam proditorem, fuit, ne reliqui discipuli in ipsum subitò insurgerent; Alia rursus, vt nos doceret, peccatores occultos non esse mox publicè traducendos.

καὶ λυπούμενοι σφόδρα, ἤρξαντο [22] λέγειν αὐτῷ ἕκαστος αὐτῶν· μήτι ἐγώ εἰμι, κύριε;

Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? *Mar. 14. v. 19.*

ET CONTRISTATI. Qui contristati. Nam & Christus ipse turbatum se exhibebat hæc testificans, quod Iohannes habet. VALDE. *Intolerabilis luctus sanctum illum inuasit chorum*, quod ait Titus: *semimortui enim erant*, inquit Chrysostomus, verbis illis gladij instar corda ipsorum transfigentibus. Nam quamuis nullus ipsorum, præter vnum Iudam sibi malè conscius esset, nec de sociis argumentum suppeteret sinistrè suspicandi: tanti tamen apud ipsos erat præceptoris auctoritas, vt certò persuasi essent nihil temere ab ipso dici, immo verba ipsius pro infallibilibus, qualia verè erant, haberent, potiusque ipsius dictis quàm suæ ipsorum conscientiæ crederẽt. Nam, vt Chrysostomus ait Homilia 71. in Iohannem, *quòd ad vnum proditio referebatur, hoc formidinem minuebat: sed quod addiderat vnus ex vobis, simul omnes perturbabat*. Inprimis enim, de se quisque dubitabat & solicitus erat. Nam quamuis mentis suæ latibula perscrutantes, nihil in se proditionis vndecim inuenirent, conscij tamẽ imbecillitatis humanæ sibi ipsis singuli suspecti erant, ne parùm sibi essent cogniti, metuentes, ne fortè quæ est humanæ mentis fragilitas, in horas sæpe mutabilis) ad huiusmodi proditionis crimen, subitò passionibus transuersum acti, adducerentur. De futuro enim peccato, vnusquisque solicitus timere sibi debet: Nam, quod quodam loco ait D. Augustinus, *Non est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector a quo factus est homo.* Contristabantur itaque valde, veriti singuli, inprimis, ne fortè ipsi, ex discipulis in proditores, ex ouibus in lupos, subitò verterentur; deinde, vt ipsi non forent huiusmodi, ne opinio huiusmodi de ipsis in cæterorum animis gigneretur: dolebant adhæc, quòd huiusmodi nota inurenda esset ipsorum sodalitio; præter caput ipsum malorum, quòd Dominus ab ipsis ablatus, hostium sæuitiæ esset subiiciendus, quod quomodo futurum esset, iam propemodum intelligerent, Domino singulis penè momentis noui aliquid explicante. Hæ causæ fuerunt grauissimæ Apostolorum tristitiæ.
SINGVLI. etiam Iudas. *Existimo*, inquit Origenes, *quia inprimis putauit latere quasi hominem, qui postquam vidit conscientiam suam notam Christo, amplexus est occultationem positam in verbis ipsius: quorum primum infidelitatis erat, secundum autem impudentiæ.* DICERE. ei additur græcè & syriacè. Bona enim conscientia freti vndecim, liberè interrogando testari voluerunt, quàm procul remotos se esse existimarent ab huiusmodi scelere.
NVMQVID EGO SVM is qui te tradet? Conscientia quidem nihil huiusmodi mihi testatur, verùm & de quo sociorum tantum scelus suspicari debeam ignoro: an fortè ego subitò euadere queam tam impius atque scelestus? Quod si ita futurum sit, aperi obsecro, ad hoc vt ego, vel pudore cohibear à crimine tam execrãdo, vel collegarum manibus priùs occidar. Quod si non est futurum, declara quęso similiter, vt metu & aliorum opinione de me liberer. Non rogant *quis est Domine*. quod vident à Christo studiosè taceri, ne importunitatis arguantur (exemplo sit Petrus Ioh. 13. v. 24.) sed cupiunt singuli Domini iudicio immunes pronunciari, contenti primum crimen à se amouisse, ita vt nec ipsi de se metu, nec alij de ipsis praua suspicione laborent.
DOMINE. Syrus ܡܪܝ *Mari* Domine mi. Blandientium est. Non dubium quin singulæ interrogationes innocentium discipulorum, cor Iesu tamquam amoris gladio transuerberarint, contemplantis illorum, hinc innocentiam cum humilitate coniunctam, hinc tristitiam ex amore erga se profectam.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· ὁ ἐμβάψας [23] μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτός με παραδώσει.

At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. *Mar. 14. v. 20. Luc. 22. v. 21.*

QVI INTINGIT. ὁ ἐμβάψας qui intinxit. Absoluitur à tempore, poniturque pro consueuit intingere.
IN PAROPSIDE. ἐν τῷ τρυβλίῳ in catino, in patina vna. *est lancis genus*, inquit Euthymius. Præter solidum cibum

 apponitur

apponitur mensis plerumque etiam liquidus, patina profundiuscula contentus (acetum verbi gratia) in quem condimenti loco seruientem, intingunt qui volunt singuli panem suum, vel solum vel coniunctum obsonio solido. Cæterùm non voluit Iesus significare, quid tunc temporis Iudas ageret, quòd tunc cùm Iesus hoc diceret, manum vnà cum Iesu in paropsidem eandem immitteret: sed ad quantam familiaritatem admissus esset, qui & in hac cœna & plerumque aliàs, ex eadem cum Iesu patella peteret intinctum, sodalis & mensæ & catini. Vtrùm vero plures catini siue paropsides fuerint in hac cœna, incertum est (potuit enim Iesu & duodecim, vna paropsis sufficisse, in mensa præsertim rotunda: quamquam vt erat hæc cœna solemnis, & instructa in ædibus viri diuitis, necessariam supellectilem abundè suppeditantis, ita nihil illi ad decorum defuisse, verisimile est. sed quando Iesum pluribus contigit vti, certè absque vlla paropside sæpe cibum cum suis sumsisse, vt cùm in itinere versaretur, credibile est) non minùs Iudas vnus fuit eorum qui in eandem cum Iesu paropsidem intingerent, quàm cæteri, prout se obtulisset occasio sedendi prope Iesum, quandoquidem in accumbendo nullum inter se Apostoli seruarent ordinem. Quòd si etiam continens pro contento, paropsis pro cibo accipiatur, nō est locus quæstioni de vna aut pluribus paropsidibus, sed significatur, quòd eodem cibo Iudas vesci consueuerat quo Christus, quòd non alium cibum Christus parari iubere solitus fuerat pro se, quàm pro Iuda cæterisque Apostolis. Est igitur huius formulæ loquendi vis non alia ferè, quàm, quem mensa & cibis dignor meis, cum quo mihi communis est mensa cibusque: & videtur Saluator allusisse ad illud Psal. 40. v. 10: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*: id quod etiam nominatim attulit ad hoc negotium Iohan. 13. v. 18. Interrogatus igitur Iesus à singulis *Numquid ego sum*, non respondet singulis, sed simul omnibus, non quis sit aut quis non sit futurus proditor (sic enim intelligit D. Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 1.) sed fore vnum ex ipsis conuiuis suis familiaribus, confirmans idem quod priùs dixerat, hoc addito quod magna cum emphasi & exaggeratione facinus exagitet, ingratitudinemque illius qui foret explicet, qui nec benignè sibi concessa mensæ cibique communione motus, à tanto facinore reuocetur, immo in ipsa mensa constitutus, prodendi patrisfamilias sui commoditatem meditetur, pro beneficio familiaritatis plusquam hostilia reddens, cùm panis & salis communio soleat etiam ignotos amicitiæ fœdere iungere, adeoque ethnicis esse sacra. Maluit itaque Iesus, Apostolos suos omnes, aliquamdiu mœstos, anxios, & perplexos relinquere, exercentes se interim in reputanda sceleris atrocitate, quàm proditorem indicare, priusquam tantùm eum redarguisset, quantùm ad adducendum ad pœnitentiam satis esset, si conuerti voluisset. Huc fecit exaggeratio ista criminis.

Mar. 14. v. 21. Luc. 22. v. 22.

24 Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει, καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ· οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται. καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος.

FILIVS QVIDEM HOMINIS. Hoc Christus tamquam ad se conuersus dicit. VADIT. moriendo ex hoc mundo discedit. Est autem præsens pro futuro proximè instante. *His verbis* (inquit Victor Antiochenus in Marcum) *mortem suam transitioni aut discessui cuipiam similiorem ostendit, quam vere morti. Significat per eandem vocem quoque, sponte se ad mortem abire.* Hæc ille. similia habet Theophylactus. SICVT SCRIPTVM EST in lege, Psalmis & Prophetis, sicut prædictum est per Spiritum sanctum. Num. 21. vers. 8: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo*, &c. Psal. 40. v. 10: *Etenim homo pacis meæ* (&c.) *magnificauit super me supplantationem.* Isa. 53. v. 7: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur*, &c. Dan. 9. v. 26: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, &c. DE ILLO. *Quibus verbis* (ait Chrysostomus) *discipulos confirmauit, ne imbecillitati hanc rem attribuant.* Hoc enim est quod Christus de se dicit: Vadit autem, non quòd non se valeat de hostibus vindicare, & quam illi machinantur proditionem cædemque euadere, sed vt impleat Scripturas & obtemperet Deo Patri, qui id se velle olim per Prophetas testatus est. Hac igitur parte consolatur Apostolos suos, ostendens quòd nihil accidet fortuiti aut nec opinati, nihil coacti aut violenti, ex mera potentia inimicorum, nihil denique quod Pater eũ nolit aut ipse imparatus sit tolerare. VÆ AVTEM. Væ tamẽ. Proditio quidem sortietur effectum, tradar ego in mortem, neque ipsa consequetur mors mea: sed non glorietur proditor, tamquã re bene gesta aut grandi lucro facto. *Væ illi*, manent illum immensa eaque æterna supplicia. vide sup. 11. v. 21. & 23. v. 13. TRADETVR hostibus interfecturis. Græcè est præsens *παραδίδοται traditur*: iam enim hoc agebatur: *Sed obijciet quispiam*, inquit Chrysostomus: *Atqui si est scriptum, Christum hæc fuisse passurum, quamobrem Iudam qui scripta perfecit criminamur? Quia non illo certè animo, sed improbitate sola, in turpissimum illud facinus fuit impulsus*, &c. *Quippe non Iudæ traditio, sed sapientia Christi atque potentia, salutem peperit vniuersis: Christus enim improbitate aliorum ad vtilitatem nostram vsus est. Nam ne quis putet ministrum dispensationis Iudam fuisse, quasi miserum deflet.* Hæc Chrysostomus. Non enim tradere coactus fuit Iudas, quia scriptum fuerat: sed scriptum fuerat, quia Iudas sponte traditurus erat. BONVM. melius seu minùs malum. Hebræi carent gradibus comparationis. ERAT EI. esset ei. minùs noceret ei. SI NATVS NON FVISSET HOMO ILLE qui hoc facturus est. Altera phrasis hebraica: vtramq; latinè reddas: Præstaret homini illi numquam natum fuisse; numquam natum, id est, numquam procreatum, numquam conceptum fuisse (sic enim accipitur *natus* etiam sup. 1. v. 20.) vel certè in vulua mortuum: tam horrenda illum manet vltio pro huiusmodi scelere. Adeò grauia subibit supplicia pro merito criminis huius, vt minùs malè cũ illo ageretur, si numquam exstitisset in rerum natura. Notandum autem, quòd non simpliciter dictum est *bonum erat*, sed *bonum erat ei*. Deus enim etiam præscius peccati Iudæ, melius fore iudicauit vt esset, quàm vt non esset, nouerat enim quid boni facturus esset de illo eiusq; peccato: sed ipsi, posito quod propria sponte commissurus erat proditionis peccato, melius & optabilius erat non esse, quàm esse, tum propter peccatum ipsum, tum propter pœnam peccatum huiusmodi diuino iudicio consequuturam, de qua propriè hîc loquitur Christus.

Christus. Etsi enim impossibile est, vt non esse, secundùm propriam rationem, aut eligatur aut appetatur (quod multis docet D. Augustinus lib. 3 de libero arbitrio cap. 7. 8.) vt tamen consideratur tamquam miseriæ priuatiuum seu exclusiuum, ita apprehenditur vt bonum, ac proinde ea ratione & elegi & appeti potest, licet reipsa nihil sit: immo verò tanta possit esse miseria, quanta faciat, vt meritò & rationi consentaneè, appetatur, optetur, atque eligatur, non esse præ ipso esse; vt, si miseria alicuius maius sit malum, quàm ipsius esse sit bonum, quemadmodum est eorum qui gehennæ adiudicati sunt, nominatim verò Iudæ proditoris, de quo absolutè pronunciat Saluator, non tantùm quòd optabit non esse, verumetiam quòd melius illi erit non esse. *Simpliciter etiam dictum est*, inquit Hieronymus, *multo melius esse non subsistere, quam male subsistere*. Sed adde ex D. Augustino lib. 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 8: *Ego non dico, paruulos sine Christi baptismate morientes, tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret, cum hoc Dominus, non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impijssimis dixerit.* Quare Victor Antiochenus in Marcum: *Hoc dicitur*, inquit, *propter diros cruciatus, quos Iudas apud inferos expensurus erat: siquidem satius est multo, omnino non esse, quam tantis miserijs & calamitatibus perpetuo obstrictum esse.* Prænunciat itaque Iesus Iudæ, suppliciorum quæ ipsum maneant atrocitatem, si pergat propositum persequi: vt si non amore, vel timore reuocetur: comminationes enim sunt & admonitiones ad deterrendum proditorem à scelere. *Pœna praedicitur*, inquit Hieronymus, *vt quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia.*

Ἀποκριθεὶς δὲ ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, εἶπε· μήτι ἐγώ εἰμι, ῥαββί; λέγει αὐτῷ, σὺ εἶπας.	25 Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi. Tu dixisti.

RESPONDENS. huiusmodi sermonibus Iesu subiiciens. vide sup. 11. v. 25. Cùm singuli Apostolorum de se rogarent suprà v. 22., haud dubium est, etiam Iudam, ne tacendo se prodere videretur, tunc de se impudenter rogasse, Iesu nihil aliud ipsi quàm reliquis respondente, suprà v. 23. 24. Sed cùm Iudę cõscientia dictaret, quod ipse à Iesu his omnibus verbis notaretur, adeoque indicio porrectæ buccellæ iam Iohanni proditum se esse sentiret (Iohan. 13. v. 26.) *vt audacia*, quod ait Hieronymus, *bonam conscientiam mentiretur*, iterum de se rogare impudens dissimulator est ausus. QVI TRADIDIT EVM. ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν ille tradens seu prodens eum, id est, qui iam totus in eo erat vt proderet eum, ille conscius sibi consilij de proditione initi. Syrus vno verbo *proditor*. NVMQVID EGO SVM. méne illum esse arbitraris? q. d. id de me suspicari non potes, qui ex tua delegatione iam diu œconomum familiæ tuæ tam diligenter quàm fideliter egi. Non vt veritatem audiat neque mœstus quærit, quemadmodum reliqui, sed ne omnimodam infamiam apud collegas incurrat. Etsi igitur intelligeret se Iesu cognitum, adeoque Iohanni indicatum opinaretur: quæstionem tamen audacter repetiit, ne mox id collegæ omnes resciterent, persuasus quòd Iesus id nõ esset palam omnibus declaraturus, vel si declaraturus, ipse è contrario impudenter negaturus, & tamquam contumeliam passus è domo abiturus, denique proditionem quasi non præmeditatam vindictæ specie exerciturus. *Corpore enim tantum cum cœnantibus recumbebat* (ait Leo serm 7. de passione) *mẽte autem sacerdotum inuidiam, testium falsitatem, & furorem imperitæ plebis armabat.* RABBI. præceptor mi. Reliqui discipuli dixerant *Mari*, ipse *Rabbi*, adulantis, seu, quod ait Hieronymus, *blandientis iungens affectum*: minùs enim vulgare & grauius quid atque amplius est *Rabbi*, quod etiam hodie apud nos obtinuit consuetudo. Sic autem solent proditores & hypocritæ, singularibus magisq; honorificis titulis vti, vt animis bonam de se ingenerent opinionem, & sinistram omnem suspicionem amoueant. TV DIXISTI. Modus loquendi ab eo sumtus, quòd is qui interrogat aliquid, prior illud dicat necesse est, quamquam interrogando dicat, quod ab alio enunciando audire desiderat: exempli causa, qui interrogat quemadmodum Iudas hoc loco, *Numquid ego sum?* ille dicit *ego sum.* Ex vi verborum igitur, ambigua est huiusmodi responsio (nam & cæteris Apostolis idem potuisset responderi, qui omnes similiter dixerant *ego sum*) sed ex circumstantiis intelligitur quid sibi velit, modusque est, modestè & minima cum offensione eius quo cum loquimur, minimaq; cum arrogantia nostra, quod interrogamur concedendi. simile infrà v. 64. & 27. v. 11. *Tu dixisti* hoc ipso quo me rogasti. Tu prior dicis te esse proditorem illum, non est quod ego dicam. Tua verba hoc habent, multoque magis conscientia tua. *Ex ore ipsius iudicat illum*, ait Origenes, pertinacem illius impudentiã frangere conatus. Indicauit tandem Iesus suis omnibus eũ, quem videret nihilo fieri meliorem, quòd parceretur nomini ipsius, si vel detecta larua rediret ad cor. *Nam cum confuse atque indistinctè audiens non mouetur*, inquit Chrysostomus, *vt magis eum tangeret, velamina detexit*. O admirabilem Iesu mansuetudinem! Non obiurgat, non exprobrat, non abigit à mensæ communione: *& quamquam dicere potuisset*, quod habet Chrysostomus, & ex eo Titus, *scelestè atque sordide, tam longo tempore hoc malum parturiens, & nunc diabolus factus concilijs argentũ ex pacto habituros, audes à me redargutus, quasi nullius tibi rei conscius, interrogare? Nihil tamen horum dicere voluit: sed quid? Tu dixisti. ita terminos nobis ac regulas tolerantiæ, & obliuionis fixit iniuriarum*, contentus illius quidem conscientiam feriisse, reliquis autem modestè tandem illum non tam explicuisse quàm indicasse. Non dubium enim quin his verbis intellexerint reliqui Apostoli Iudam notari, quamquam fortè non tam clarè quàm voluissent: sed molesta responsio Iesu continuit eos, ne subitò in Iudam insurgerẽt, præsertim cùm nescirent ita propè instare proditionem ipsam. Cæterùm Iudas, post hæc verba, quibus se indicatum intellexit, non diu illic hæsit: sed breuì egressus est (quod narrat Iohannes cap. 13. v. 30. & irritatior patrauit quod statuerat. Exemplum animi obdurati, qui adeò admonitionibus non emollitur, vt etiam obdurescat magis. Egressus autem contulit se domũ Caiphæ, vbi à concilio cõuocato exspectabatur (infrà v. 57.) præmonuerat enim interdiu, fore sibi hac nocte à pascha comesto, opportunitatem tradendi magistri, siue ille pernoctaret ea in domo in qua pascha comedisset, siue pro more exiret in montem Oliuarum: idque eo fine, vt illi, milites aliosque, quos comprehendendi causa secum mittere vellent, paratos tenerent.

Cœnan-

Mar. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19.

Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. 26

ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, λαβὼν ὁ ἰησοῦς τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε· λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

COENANTIBVS AVTEM. Pergit Euangelista narrare, quî Iesus, postquam Deo obtulisset vetus agni paschalis sacramentum, in illius locum instituerit nouum corporis & sanguinis sui sacramentum sacrificiumque, quod foret perpetuum suæ mortis, qua parta esset hominibus salus, illustre mnemosynum, quemadmodum illud fuerat, tum mnemosynum liberationis Israel ex Ægypto, tum vmbra eiusdem dominicæ mortis & redemtionis humanę. Sed neminem moueat, quòd suprà v. 2. & 5. diximus, Christum occisum esse verum agnum & pascha, qui eodem hoc die festo in veteris illius locum esset successurus: nam, & Christus occisus, & hoc sacramentum corporis ac sanguinis Christi occisi, nouum pascha est succedens in locum veteris illius. Quamquam enim agnus in Ægypto immolatus, cuius sanguine Israel liberatus fuit ab exterminatione, propinquiorem similitudinem gessisse videatur, Christi occisi; agnus verò qui quotannis immolabatur, propior fuisse figura sacramenti corporis ac sanguinis Christi occisi: vterque tamen figura fuit vtriusque. COENANTIBVS. ἐσθιόντων edentibus, quemadmodũ vertit sup. v. 21. Cæterùm, quia cœna erat, idcirco *cœnantibus* hîc interpretatus est iuxta sensum: id quod tamen non de actu cœnandi aut comedendi intelligendum est, sed de cœna siue conuiuio ipso. q. d. cœna adhuc durante, mensa nondum ablata. Non est verisimile, quòd nouum ac sacrosanctum corporis sui cibum, miscuerit Iesus cum cibo profano, quem sui comederint absoluto esu paschatis figuratiui: sed quòd eum dederit postquam sui satis fecissent naturæ, mensa tamen ciborumque reliquiis nondum remotis, ita vt comedere adhuc potuissent qui voluissent (manifestum est ex Iohanne cap. 13. v. 26., vbi, post sacrosanctorum mysteriorum celebrationem, intinctus panis Iudæ à Iesu porrectus fuisse narratur) sub finẽ cœnę, quando non comedere, etsi cibus adhuc adsit, sed suauibus colloquiis familiares operam dare solent: quo tempore, & durat adhuc cœna, quia cibi nondum ablati sunt, & peracta est, quia nõ ampliùs cõmeditur. Non iussit Iesus priùs mensam auferri, tum quia pane & vino opus habebat ad noua mysteria, tum quia domi non propriæ sed alienæ cœnabat. Voluit autem sub finem cœnæ mysteria hæc instituere, non quòd eorum vsum esse vellet post cœnam, sed, partim quòd veteri symbolo subiungendum esset nouum, veteri paschati comesto, quod non nisi in cœna comedi poterat, nouum, quod annotãt antiqui plerique omnes Interpretes: partim quòd, *quò vehementiùs commendaret mysterij huius altitudinem, vltimum hoc voluerit infigere cordibus & memoria discipulorum, à quibus ad paßionem digressurus erat*, quod ait peculiariter Augustinus epistola 118. ad Ianuarium cap. 6. Pro more enim hominum valedicentium amicis, reliquit postremò Dominus morti proximus discipulis suis mnemosynum hoc pretiosum.

EIS. Iesu & duodecim discipulis. ACCEPIT. λαβὼν postquã accepisset, *in sanctas ac venerabiles manus suas.* Hac in manus acceptione, aliisq. quæ sequũtur actionibus, benedictione, fractione, inuitatione, distributione panis, attentos reddidit discipulos, vt obseruarent, non vulgarem panem sibi dari, qualem cum agno ederant, sed singulare aliquid & excellens, id nempe quod verbis exprimit, corpus ipsius. Accepit igitur in manus panem, vt ostenderet operaturum se aliquid circa eum, quemadmodum sup. 14. v. 19. IESVS ille Christus Filius Dei omnipotentis. In hoc nomine huiusmodi intelligenda est emphasis, vt fides indubitata adhibeatur iis quæ subsequuntur. Filio enim Dei, non magis quàm *Deo, potest impoßibile esse omne verbum.* Sic inter alios plerosque veteres Patres Chrysostomus hoc vrsit in hunc locum scribens: *Credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit: superet & sensum & rationem nostram sermo ipsius* (&c.) *Quoniam ergo ille dixit Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus.* Hæc pluraque alia huiusmodi hîc Chrysostomus. Nõ hoc considerabant illi, qui cùm polliceretur Iesus id quod hîc præstat dicebant: *Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem?* (Ioh. 6. v. 42.) sed considerabat Simon Petrus, dicens: *Domine, verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei* (Ioh. 6. v. 68. 69.) Quare hic credidit verbis Iesu, illi retro abierunt (Ioh. 6. v. 66.) PANEM qualis mensæ appositus erat, triticeum haud dubium eumque azymum; placentam seu libum azymum: nec enim poterat fermentatus panis vel in ædibus reseruari, ex quo paschalis agnus cum azymo comedi inciperet. Referũt porrò Neotericorum plerique, Iudæis eum fuisse morem, vt cœnam paschalem concludens paterfamilias, acceptum panem azymum & vinum distribueret suis: eam ceremoniam volunt à Iesu ita obseruatam, vt in nouæ legis sacramentum eam mutarit, quemadmodum aliàs Iudaicum Iohannisque baptismum. Id si verum est, non existimo ego, Iesum vna eademque actione distributi panis & vini, satisfecisse & illi consuetudini & institutioni noui sacramenti (sic enim parum attentos habuisset Apostolos ad noui sacramenti institutionem) sed actionem repetiisse, nimirum, postquam consuetudinem obseruasset, iterum sumsisse in manus panem, & singulari modo benedictum pro corpore suo edendum obtulisse: quemadmodum videmus apud Lucam bis calicem ab ipso acceptum & porrectum fuisse. Luc. 22. v. 17. & 20. Confecit porrò sacramentum hoc Iesus ex pane & vino, remanentibus vtriusque speciebus, primùm vt præstaret se sacerdotem secundùm ordinem Melchisedec, qui Deo olim panem & vinum obtulerat (Gen. 14. v. 18.) impleto illo Dauidis vaticinio: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec* (Psal. 109. v. 4.) quod ex pluribus veteribus nominatim sanctus Hieronymus hîc annotat. Deinde vt intelligendũ daret quod aliàs dixerat (Ioh. 6. v. 55.) carnem suam verè esse cibum, & sanguinem potum, plenam inquam perfectamque animarum refectionem, qua aleremur in vitam æternam: neque enim naturæ nostræ magis consentaneus est siue cibus siue potus, quàm panis & vinum. Præterea ne horrorem nobis adferret, humanam ipsius carnem nudè manducare & sanguinem bibere, seipsum nobis attemperans, carnem & sanguinem suum familiaribus panis viniique speciebus obuestiuit. Annotant hoc inter alios patres, Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. & Cyrillus ad Lucam à D. Thoma his verbis citatus:

us: *Ne enim horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis*. Postremò panem & vinum adhibuit, vt mutuæ inter nos charitatis perpetuò nos admoneret, vt sicut ex collectis pluribus tritici granis fit vnus panis, & ex plurium racemorum liquore confluente fit vnum vinum: *ita vnum corpus* & anima vna, tum cum Christo Domino, tum inter nos mutuò, *esse meminerimus, omnes qui de vno pane*, id est, Christi corpore panis speciebus velato, *participaremus*. 1 Cor. 10. v. 17. Annotat hoc ex vetustioribus se patribus Augustinus tractatu 26. in Iohannem. Atque hanc postremam ob caulam, etiam azymum panem potiùs quàm fermentatum delegit Dominus conficiendo huic sacramento sincerissimæ charitatis, quod omnem simulationem fictæ pacis excludit: fermentum enim hypocrisis & simulationis significationem habet (Luc. 12. v. 1.) quinetiam malitiæ & nequitiæ (1. Corint. 5. v. 8.) quam purissimum hoc Sacramentum similiter odit (vide sup. v. 17.) Quare Auctor libri de cardinalibus operibus Christi inter opera D. Cypriani: *Non oportet*, inquit, *esse fermentarios noui testamenti ministros, puras sinceras[que] mentes sanctum quærit conuiuium*. ET BENEDIXIT AC. καὶ εὐλογήσας & postquam benedixisset. *Benedixit* autem s. panem: hoc enim exigit verborum hîc series: *Accepit Iesus panem & benedixit ac fregit*, panem accepit, panem fregit, panem ergo benedixit. Quod clarius etiam est græcè: Postquam accepisset Iesus panem, & benedixisset, fregit. Nam & D. Paulus 1. Cor. 10. v. 16. benedictionem ad propositam materiam refert, cùm ait: *Calix benedictionis cui benedicimus*, &c. Similiter veteres patres plerique omnes, quando panem calicemque benedictione sacrari passim aiunt. Non est igitur sequẽdum, quod quidam, signanterq; hæretici, *benedixit* interpretantur *Deo*, pro laudes dixit, gratias egit Deo. Nam quamuis Lucas & Paulus pro εὐλογήσας hîc dicant εὐχαριστήσας, quod ad Deum referendum videtur: non idcirco tamen & εὐλογήσας ad Deum referendũ est, &, vbicumque legitur εὐλογεῖν, studiosè vertendũ gratias agere, quod quidam hæretici faciunt: nam & similis harum vocum apud Euangelistas cõfusio exstat, vbi agunt de miraculis panum & piscium multiplicatorum, quibus locis quod vnus simpliciter dicit *benedixit*, alius autem *gratias egit*, tertius dicit *benedixit illos* seu *illis* panibus scilicet & piscibus. Marc. 8 v. 7. Luc. 9. v. 16. Ergo, quemadmodum illic annotauimus, non benedicere accipiendum est pro gratias agere, sed vbi Iesus dicitur benedixisse, illic intelligendus est & Deo gratias egisse, vt &, qui habitus est Deo gratias agentis, suspexisse in cælum. Rursus è diuerso, vbi dicitur suspexisse in cælum & gratias egisse, illic intelligendus est & benedixisse propositæ creaturæ: ita vt in hoc argumento, tum benedictione gratiarum actio cum suspectu in cælum, tum gratiarum actione benedictio, vt sunt res connexæ, pro more loquendi Euangelistarum comprehendatur, ad eum ferè modum quo aliàs gratiarum actio & oratio ex se mutuò intelliguntur, propter connexionem. Nam & Apostolus 1. Tim. 4. v. 4. 5. sanctificari dicit *cibum per gratiarum actionem, verbum Dei, & orationem*: quod enim priùs dixerat *gratiarum actionem*, mox vocat *orationem*. Tantùm autem abest, vt εὐλογεῖν benedicere accipiendum sit pro εὐχαριστεῖν, & vertendum gratias agere, vt potiùs cõtrà εὐχαριστεῖν gratias agere accipiendum sit pro εὐλογεῖν benedicere: id quod non absque magna similitudine veri duo nostri seculi viri docti, Iohannes Maldonatus in hunc locum, & Thomas Stapletonus in Antidotis, docent, præsertim ex veteribus patribus, qui Sacramentum hoc, Eucharistiam, εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, quasi dicas, cibum eucharistizatum, panem super quem gratiæ actæ sunt, aliisque similibus nominibus vocant, nec rarò nomen gratiarum actionis pro benedictione vsurpant: quod videri possit & Iohannes Euangelista fecisse cap. 6. v. 23. suffragante Interprete Syro. Nam & Syrum obseruauimus, sæpe, vbi in hac materia est εὐχαριστεῖν, vertere ܒܪܟ *berach* benedicere. Marc. 8. v. 6. Iohan. 6. v. 11. 23. Et quamquam vox ista, eadem cum hebraica בָּרֵךְ *berech*, videri possit ambigua, vbique tamẽ ea vtitur Syrus pro εὐλογεῖν, nõ vbique pro εὐχαριστεῖν, vt etiam propriè declarat *benedicere*. Quid quòd Latinus Interpres 1. Cor. 14. v. 16., vbi Paulus, in vna eademque sententia, quod priùs εὐλογεῖν. postea εὐχαριστίαν dicit, vt εὐλογεῖν, ita εὐχαριστίαν vertit *benedictionem*? Sed ego hos loquendi modos, non tam inde natos arbitror, quòd εὐχαριστία seu gratiarum actio pro benedictione sumatur, quàm quòd à parte totum significetur, gratiarum actio inquam cum benedictione coniuncta (quemadmodum celebratio huius sacramenti alibi vocatur fractio panis, nec enim solent, aut benedictio esse absque gratiarũ actione, aut gratiarum actio absque benedictione, si legitimè fiant. Quare Syrus Marc. 14. v. 23. circa calicem, coniunxit vtrumque: *Gratias egit & benedixit*, cùm græcè & latinè non aliud legatur quàm *gratias egit*. In eo igitur quod Euangelista hîc dicit, *Et benedixit*; intelligendum est, Iesum, & suspexisse in cælum, & gratias egisse Patri, & tandem benedixisse panem. Nam si in communibus cibis gratiarum actioni oratio iungitur, qua cibus sanctificetur, quod mox ex Paulo didicimus: multo magis Christus, instituens sacramentum, sic Patri gratias egit, vt etiam panẽ benedixerit & sanctificarit. Hunc sensum sequuta Ecclesia Catholica, texuit canonem Missæ hunc in modum: *Et eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit*. Primùm itaque, postquam accepisset in manus panem, suspexit seu eleuauit oculos in cælum, vt est ille habitus gratias agentis Deo, sicut diximus. Deinde gratias egit Deo Patri, & quidem de potestate à Patre accepta benedicendi panis & instituendi huius sacramenti; idque non tantùm vt filius hominis, verumetiam vt Filius Dei: solius enim filij hominis non erat, posse instituere huiusmodi sacramentum: quemadmodum autem potestatem eam dono à Patre acceperat vt filius hominis, ita natura seu origine à Patre acceperat, vt Filius Dei: voluit verò testatum facere, se Deo Patri sua omnia modis omnibus accepta referre, neque quidquam facere nisi ex eius tum potestate tum voluntate. Non rogat tamen Patrem eam potestatem, non enim iam ipsi erat à Patre impetranda, quam ab initio acceperat: sed vt certus de potestate sibi concessa, gratias agit etiam ante rem præstitam. simile Iohan. 11. v. 41. 42. Porrò quibus verbis gratias Deo egerit, incertum est: sed non est dubium, quin huiusmodi gratiarum actione, discipulos suos mirum in modum attentos reddiderit & excitauerit, ad reputandum institutionem nouorum mysteriorum tamquam maximorum & omni gratiarum actione dignissimorum. Postremò actis gratiis Iesus benedixit panem seu pani. Non dubium est quin initio cœnæ quoque panem & mensam benedixerit: sed quia ea benedictione nihil singulare voluerat operari, tantummodo vt filius hominis inuocare diuinam beneficentiam, vt mensa foret salutaris, quemadmodum consueuerunt serui Dei, idcirco illius benedictionis non meminerunt Euangelistæ. Ante hoc verò nouum conuiuium, omnes meminerunt gratiarum actionis & benedictionis,

recedere videri possit, quæ per *argenteos* intelligit *siclos*, quod & alibi Scriptura sacra, vt 2. Reg. 18. v. 11. 12. ita interpretantibus Græcis LXXII, Latino, & Chaldæo. Quare Origenes vel eius Interpres, hoc loco legit, *At illi statuerunt ei triginta stateres*: *stater* enim Græcis, idem est quod *siclus* Hebræis. vide sup. 17. v. 27. Siclum autem numi genus fuisse Hæbræis, quales sunt tetradrachmi Attici, ex Iosepho & aliis docuimus suprà 17. v. 24. Fuerit igitur siclus, constans viginti obolis, quod sæpe Scriptura inculcat (Exod. 30. v. 13. Leuit. 27. v. 25.) idem ferè quod nobis hodie florenus Rhenensis siue Teutonicus constans viginti stuferis; quod libra Arthesiæ constans viginti patardis; quod Francus Gallicus seu libra Turonensis constans viginti solidis Turonensibus, denique quod maior regalis Hispanicus constans quatuor regalibus simplicibus, qui tamen, si iusti sunt ponderis, propiùs accedunt ad pondus sicli, valentque hodie viginti vno stuferis seu solidis. Itaque triginta argentei, hodie sint triginta vnus & dimidius floreni nostratæ monetæ, Christi tempore, quo argentum longè minoris valoris erat, fuerint fortè floreni duodecim plus minus: sed quid hæc summa ad agrum emendum aut ad vitam hominis diu sustinendam? Elias Leuita Iudæus, ex Thisbi citatus in Regiorum bibliorum Dictionario Syrochaldaico, voce סלע, annotat ex Rabbinorum obseruatione, nomen argenti siue argentei, in Pentateucho vsurpari pro siclo, in prophetis pro libra, in hagiographis pro talento. Quare nunquam satis laudatus Cæsar Baronius, per *argenteos* singulos hîc intelligit libram argenti: eò quòd locus hic Euangelij, illi prophetæ Zachariæ respondeat, quem Euangelista infrà 27. v. 9 citat: præsertim cùm Epiphanius, vetus auctor inter Græcos, sub finem libri de mensuris & ponderibus, argenteum vnum definiat denariis quatuor & centum. Nam cùm denarius ferè æquiualeat drachmæ (suprà 18. v. 28.) drachmæ autem centum conficiant minam Atticam; si verò demas quatuor drachmas, libram Romanam; argenteus vnus, etiam ipsi Epiphanio, æquipollet libræ argenti, aut certè parum interest. Alius quidam Neotericorum scribit, se ex Græcorum commentariis didicisse, singula *ἀργύρεια* valuisse minam Atticam. Huic, præter Epiphanium, suffragatur Iosephus lib. 2. Antiq. cap. 3., vbi, pro eo quòd Gen. 37. v. 28. dicitur, Ioseph venditum fuisse viginti argenteis, ipse venditum fuisse dicit viginti minis: minam autem Atticam proximè respondere libræ Romanæ, iam ostendimus: nam de Attica mina Iosepho, de libra Romana Euangelio, sermonem esse, non dubium est, cùm illis temporibus Iudæi Romanis subditi, Romanorum ponderibus & numismatis vterentur quemadmodum & Epiphanius libram duodecim vnciis seu 96. drachmis æstimat. Denique Euthymius Græcus huius Euangelij enarrator, per *argenteum* hîc libram argẽti intelligere videtur, dum ait: *Principes autem sacerdotũ appenderunt ei triginta argenteos: nam argenteus certum libra pōdus erat, sicut etiam denarius, stater, talentum. Certum libra pondus erat*, id est, certũ pondus erat quod erat libra: sicut denarius certum pondus drachmæ erat, stater certum pondus quatuor drachmarum seu dimidiæ vnciæ, talentum certum pondus 75., aut, iuxta Epiphanium, 125. librarum. Possint igitur per *triginta argenteos* seu *argentea*, intelligi triginta libræ argenti, constantes singulæ denariis aut drachmis argenti centum plùs minùs, hoc est, vigintiquinque siclis. Quare si intelligamus, drachmam argenti, eius ferè pretij esse, cuius est hodie regalis Hispanicus simplex, triginta argentei, conficiant nunc summam circiter octingentorum florenorum seu librarum Turonensium, singulos florenos seu libras quadraginta grossis Flandricis æstimanti. Huiusmodi pecuniæ summa, vt hodie ematur commodus ager, aut viuatur in annos plures à viro plebeio, ita olim triginta argẽti libris, quamquam argentum aurumque (potuit enim pars summæ in auro soluta fuisse) cuius valor iam est octingentorum, tunc temporis vix fuerit quadringentorum florenorum. Huius igitur summæ auiditate illectus Iudas, præceptoris sui proditionem pollicitus est atque molitus, sperans se hoc argento, addito peculio illo quod ex loculis præceptoris paulatim suffuratus fuerat (Ioh. 12. v. 6.) diu posse commodè per se viuere, adeoque ditescere. Hoc ipso porrò, quo Iesus passus est se vili huiusmodi pecunia vendi, fieri meruit diues pretium redemtionis omnium nostrũm: *emti enim sumus pretio magno* (1. Cor. 6. v. 20.) quod fuit Iesus ipse, qui non Iudæorum emtorum, sed noster factus est. quod enim Iudas vendidit & Iudæi emerunt, nos lucrati sumus.

Mar. 14. v. 11. Luc. 22. v. 6.

Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet. [16]	καὶ ἀπὸ τότε ἐζήτει εὐκαιρίαν ἵνα αὐτὸν παραδῷ.

EXINDE. ἀπὸ τότε ex tunc, ex eo tempore, quo promissa ipsi fuit à principibus, huiusmodi, qua contentus fuit, argenti summa. QVÆREBAT. desiderabat simul & obseruabat studiosè. OPPORTVNITATEM loci ac temporis, quo infallibiliter & commodè Iesum tradere, nihil impediente populo fautore, posset. hæc enim in pacto conditio intercesserat. *Qualem autem*, inquit Origenes, *opportunitatem quærebat, Lucas manifestius explanauit, dicens: Et quærebat opportunitatem, vt traderet eum eis sine turba, id est, quando populus non erat circa eum, sed secretus erat cum discipulis suis: quod & fecit, eum tradens nocte post cœnam, cum secretus esset in prædio Gethsemani*, extra ciuitatem. Fuit autem opportunitas Iudæ, quo tempore minùs sperauerant Principes, die inquam festo Paschæ: Deus enim eo tempore occasionem permisit, quo oportebat Christum pati, hoc est, cùm pascha immolabatur, vt figuram res impleret, quemadmodum diximus suprà v. 2. VT EVM TRADERET seu proderet. Pacto inito redibat ad familiam Iesu, sed in ea proditorio animo versabatur, obseruans locum & tempus idonea ad præstandam Iesu hostibus fidem, proditione Iesu, auidus inhiansque pecuniæ promissæ. *O singularem amentiam*, exclamat Chrysostomus: *quomodo penitus habendi cupiditate fuit excæcatus? Nam qui sæpius vidit ipsum per medios inimicos transisse, nec detentum fuisse: qui diuinæ omnipotentiæ ipsius multa documenta reipsa percepit, retineri eum posse putauit, præsertim cùm tot sibi tam terrentia quàm mulcentia verba ab eo dicerentur, vt sceleratam hanc cogitationem à se abiicere omnino debuerit*. Similia ex Chrysostomo habet Titus.

Mar. 14. v. 12. Luc. 22. v. 7. 9.

Prima autem die Azymorũ, accesserunt discipuli ad Iesum, dicẽtes: [17]	τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες αὐτῷ·

ποῦ

ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; | Vbi vis paremus tibi comedere pascha?

PRIMA AVTEM DIE AZYMORVM. τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων primo autem azymorum. Interpres suppleuit *die*. A ζύμη quod est fermentum, formatur ἄζυμος, quod est, infermentatus, fermento carens. Hinc Iudæi, dies illos quibus non licebat vti panibus fermentatis, sed oportebat vesci azymis, vocarunt græcè *azyma* numero plurali, eo genere loquendi quo gentes dicebant, ἀγριώνια βακχεῖα, Bacchanalia, Saturnalia. Præceptum enim datum fuerat Israeli, iam inde ab egressu ex Ægypto, quamquam non obligarit ante egressum ex Ægypto, in hæc verba: *Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, vsque ad diem vicesimamprimam eiusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israel.* Exod 12.v.18.19. Ratio historica huius præcepti fuit, vt commemorarent quotannis festinationem illam qua ex Ægypto egressi fuerant, *ita mox vrgentibus eos exire Aegyptiis* post interfecta primogenita sua, *& nullam facere sinentibus moram*, vt farinam suam fermentare, prout statuerant, non possent, sed cogerentur, mox vt aquâ conspersa fuerat, festinanter in humeros acceptam secum auferre, ex eaque subcinericios panes azymos, quales paulò antè cum agno paschali comederant, pluribus deinde diebus coquere, iisque esse contenti (Exod. 12.v.33.34.39.) sic enim Deuteronomium cap. 16. v. 3: *Septem diebus comedes absque fermento panem afflictionis, quoniam in pauore* (alij vertunt *festinanter*, id est, cum tanta trepidatione & festinatione, vt non licuerit tibi permiscere fermentum tuæ cōspersioni) *egressus es de Aegypto, vt memineris diei egressionis tuæ de Aegypto, omnibus diebus vitæ tuæ.* Panis azymus, facilè conficitur (statim enim vt farinæ admixta est aqua, coqui potest) sed insipidus est & grauis minusque salubris (quamobrem hîc vocatur *panis afflictionis*, quod est, panis miser. fermentatus verò nō ita quidem citò conficitur (exspectandum est enim tantisper dum fermentum attenuet fermentetque farinæ massam) sed vt palato gratior, ita & salubrior est, faciliorque concoctu. Ad conseruandam igitur huius rei memoriam, quòd ita festinanter coacti fuerint Ægypto egredi, vt panem suum fermentare non possent, præscripserat Israelitis Deus septiduanum quotannis azymorū esum. Allegorica porrò ratio huius instituti, explicatur ab Apostolo 1. Corinth. 5. v. 8., vt docerentur veri Israëlitę, redemti sanguine Christi immolati, toto vitæ suæ tempore, quod septem diebus voluitur, *epulari, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Ex septem igitur diebus azymorum, primum dicit Matthæus fuisse, quando Apostoli interrogarunt Iesum de loco parandi paschæ. Verùm cùm pascha & azyma simul inciperent, vesperi inquam quartidecimi diei mensis primi (tunc enim, cum esu agni paschalis, incipiebat esus panum azymorum, qui perdurabat deinde septem continuos dies. Exod. 12. v. 6. 8) quomodo dicit Euangelista. fuisse primum diem azymorum siue paschæ, cùm de apparando primùm pascha ageretur? Synecdochicōs loquitur Euangelista, vocans eum diem ciuilem primum azymorum, à cuius vespera incipiebat primus azymorum. Ad hunc modum D. Augustinus, sub finem epistolæ 86. interpretatur, vbi ait: *Matthæus Euangelista quintam sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia eius vespera sequente, futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymum & ouis immolatio manducari.* hæc ille. Dies primus azymorum siue paschæ, vtpote festus, incipiebat vesperi, dies verò ciuilis finiebatur media nocte subsequenti. vide sup. v. 2. Quia igitur incipiebat primus dies festus azymorum siue paschæ cum extremo quadrante diei ciuilis, synecdochicōs dies ille ciuilis vocatur primus dies azymorum siue paschæ, à parte totus: cùm autem diei ciuilis subsequētis tres quadrantes occuparet is dies festus, multo magis etiam ille dies ciuilis dicebatur primus azymorum siue paschæ; azymorum tamen potiùs quàm paschæ, quemadmodum pręcedens paschæ potiùs quàm azymorum, quod clarum est Leuit. 23. v. 5. & alibi, vbi lex ait: *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, phase Domini est, & quintadecima die mensis huius, solemnitas azymorum Domini est*: inprimis, quia esus paschæ, hoc est, agni, non nisi vnicus erat, absoluebaturque vesperi diei decimæquartæ, esus autem azymorum non vnicus tantùm erat, coniunctus esui agni vesperi diei decimæquartæ, verumetiam continuus per reliquum illius diei decimæ quartæ finientis media nocte, & per diem decimamquintam, pluresque consequentes. Quum igitur lux decimæquintæ illius diei solemnissima, proprio nomine appellanda esset, potiùs ab azymis, quorum continuus erat vsus, quàm ab agno paschæ, cuius esus pridie vesperi præcesserat, nominatur: vt dies decimaquarta, ratione vesperæ & extremi quadrantis, potiùs accipit nomen paschæ ab agno, cuius celeberrima tunc erat immolatio, quàm azymorum ab azymis, licet esus azymorum tunc inciperet vnà cum esu agni, nec deinceps liceret alio quàm azymo pane vesci, septem continuos dies. Præterea, esus paschæ, monimentum propriè erat Israëlis ab exterminatore seruati, hoc est, signum saltus siue transitus Domini, quo occidens primogenita Ægyptiorum, transilierat domos Israëlitarum, signatas sanguine agni (vide suprà v. 2.) id quod acciderat circa extremum diei decimæquartæ: esus autem azymorum, monimentum erat egressionis Israelis ex Ægypto, quæ acciderat die decimaquinta & subsequentibus. Ob has duas causas, vespera diei decimæquartæ propriè *phase* seu *pascha*; dies autem decimaquinta, *azymorum* potiùs vocatur: tametsi aliàs confundantur hæc nomina, & aliquando quidem paschæ atque azymorum primus dies adscribatur diei decimæquartæ, aliquando diei decimæquintæ, mensis primi: quod quo sensu fiat, iam docuimus, quamuis multi in hac re explicanda laborent, eò quòd non animaduertant discrimen diei ciuilis à die festo quoad principium. diem inquam ciuilem, non perinde ac festum, à vespera, sed à media nocte, incipere, quod ostendimus suprà v. 2. Quod ergo hîc dicit Euāgelista *prima die azymorum*, id est, eo die à cuius vespera incipiebat primus azymorum. Is erat, quod diximus, quartusdecimus dies primi mensis Nisan. Menses Iudæis lunares erant, qui vt solari anno responderent, nunc duodecim, nunc tredecim erant numero. Primus mensis, in annotādis rebus profanis, erat Tisri; in sacris, Nisan: ille autumnali, hic verno ęquinoctio propinquus Nouilunium enim proximum æquinoctio verno, quod æquinoctium numquam non incidit in Latinum Martium, plerumque erat primus dies mensis Nisan: huius decimusquartus dies, siue, quod idem vnum est, decimaquarta luna, vesperi, secum adducebat pascha: qui quidem hoc anno, de quo hîc sermo est, fuit nonus Kalendas Aprilis, & dies Iouis, more loquendi Gentilium; quinta sabbati, Iudæorum; Christianorū more, feria quinta. Est igitur hic ordo rerum,

octiduo ante mortem à Christo Domino gestarum. Sexta sabbati siue die parasceues, hoc est, feria sexta siue die Veneris die octauo mensis Nisan, venit ex Ephren in Bethaniam: die sabbati, hoc est, nono mensis, solemni cœna in Bethania exceptus fuit, Iuda obmurmurante: decimo mensis, prima sabbati, quem nos dicimus diem dominicum, solemni pompa Ierusalem ingressus, eiecit è templo nundinatores, & cæcos claudosque sanauit. Vndecimo die mensis, secunda sabbati, seu feria secunda, die lunæ inquam, maledixit sterili ficui. Duodecimo die mensis, qui fuit tertia sabbati, nobis feria tertia seu dies Martis, explicuit mysterium ficus maledictæ, confutauit principes volētes certiores fieri de auctoritatis qua vtebatur iure, variis parabolis perstrinxit perfidiam eorum, & excidium prædixit, satisfecit quæstionibus à Pharisæis & Sadducæis propositis, væ interminatus est scribis & Pharisæis hypocritis, discipulis prophetauit subuersionem Ierosolymorum & templi, instruxit denique discipulos de nouissimis temporibus & iudicio extremo. Decimotertio die mensis, qui fuit quarta sabbati, feria quarta seu dies Mercurij, principes concilium inierunt de modo perdendi Iesu, cum quibus tandem Iudas iniit pactum illius prodendi. Decimaquarta mensis, quæ fuit quinta sabbati, feria quinta seu dies Iouis, circa meridiem, aut, quod mauult Theophylactus in Lucam, mane, emisit Iesus duos discipulorum suorum ad parandum pascha, quod quidem vesperi, cùm pascha & azyma sumerent initium, comēdit. Postridie, die decimaquinta, sexta sabbati, quæ eadem est parasceue Iudæis, nobis feria sexta & dies Veneris, paschæ & azymorum prima ac solemnissima luce, crucifixus & mortuus est. DISCIPVLI. Apostoli, *duo* quod ait Marcus; *Petrus & Iohannes*, Luca nominante. ACCESSERVNT. Iussi enim à Iesu parare pascha (Luc. 22. v. 8.) accesserunt & rogarunt vbi illud parari vellet, quod annotauit etiam Euthymius. VBI. Non quærunt de oppido aut ciuitate (certi enim erant non posse extra ciuitatem Ierosolymorum edi, *locum quem elegerat Dominus*. Deut. 16. v. 5. 6.) sed de hospitio quærunt, quia nullum ea in ciuitate Iesus proprium habebat hospitium, solitus vesperi ciuitate exire in Bethaniam & montem Oliuarum: præter hoc autem, quòd difficile tunc esset, ea in ciuitate commodum hospitium inuenire, vt erat hominibus plena, timebant iam maximè Apostoli, vt quis præceptorem domo sua vellet excipere, quem constabat ad mortem à principibus quæri, edictis publicis propositis, *vt si quis cognouerit vbi sit, indicet vt apprehendant eum*. Ioh. 11. v. 56. Prudenter tamen id dissimulant Apostoli, animosè, postquam iussisset Iesus parari pascha, rogantes de hospitio, vbi parare possent, re ipsa profitentes, nō defore ipsi hospitium si modò vellet, quantumuis insanirent inimici. PAREMVS TIBI COMEDERE. vt comedas PASCHA, id est, agnum paschalem. *pascha* suprà v. 2. accipitur pro die festo, hîc pro agno qui eo die consueuerat immolari. Ad parandum autem, erat inprimis Apostolis emendus agnus masculus anniculus & immaculatus. Quod enim præcipitur Exod. 12. v. 3., vt iam inde à decima die mensis, vnusquisque sibi seligat huiusmodi agnum, quem die decimaquarta ad vesperam immolet, non fuit præceptum nisi illius temporis: cùm enim sæpe repetatur præceptum immolandi phase, nusquam hoc repetitur in lege. Quare cùm dispersus iam esset Israel per terram promissam, immò per orbem vniuersum, iis qui habitabant extra eum locum quem elegerat Dominus, sufficiebat eò conuenire die decimaquarta, & emtum illic agnum immolare: ita vt non dubium sit, quin ciues Ierosolymitani, magnam in eum diem paratam habuerint agnorum huiusmodi copiam, quos venderent foris aduenientibus fratribus. Erat itaque Apostolis inprimis emēdus agnus: deinde erat & mactandus. Nam quamuis videatur, non potuisse emi à lanionibus, mactatus, excoriatus, & ad veru paratus, sed vel à sacerdotibus vel ab ipsis familiis fuisse mactandus (*pascha* enim, quod ait Philo sub finem libri de decalogo, *populariter singuli sacrificant, non exspectata sacerdotibus, ipsi permissu legis hic fungentes sacerdotio*) non tamen necesse erat, vt omnes eius familiæ quæ agnum comestura erat, interessent mactationi: sufficiebat eum ab aliquibus ex familia mactari nomine omnium (nam consistebat hoc sacrificium in manducatione magis quàm in immolatione) vt hîc videmus Iesum cum decem Apostolis abfuisse, vênit enim demum cum illis vespere iam facto (Mar. 14. v. 17.) solebat autem mactari agnus hora nona, die declinante (Iosephus lib. 7. de bello cap. 17.) cùm vesperi esset comedendus. Mactata hostia assanda erat, & hoc itaque curandum Apostolis fuit, simulque prouidendum mensæ de lactucis agrestibus, de panibus azymis, de baculis (Exod. 12. v. 8. 11.) de aliis quibusdam præterea cibis, pro ratione diei festi & facultatum (nec enim agnus vnus sufficiens esse poterat reficiendis tredecim viris) denique de vino. Ad hæc omnia emenda (nisi quæ fortè paterfamilias ille, apud quem hospitium sibi delegerat Iesus, vltrò gratisque offerret) iussit haud dubiè Iesus, pecuniam à Iuda ex communibus loculis numerari, his quos ad parandum pascha amandabat.

Mar. 14. v. 13. 14. Luc. 22. v. 10. 11.

At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad [18] quemdam, & dicite ei: Magister dicit, Tempus meum propè est, apud te facio pascha cum discipulis meis.	ὁ δὲ εἶπεν· ὑπάγετε εἰς τὴν πόλιν πρὸς τὸν δεῖνα, καὶ εἴπατε αὐτῷ· ὁ διδάσκαλος λέγει, ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν, πρὸς σὲ ποιῶ τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου.

AT IESVS DIXIT. ὁ δὲ εἶπεν ipse autem dixit, quomodo legit & Syrus, adiecto pronomine *eis*. ITE IN CIVITATEM Ierosolymorum. Hinc intelligitur, Iesum Ierosolymis non fuisse, sed Bethaniæ, vel in monte Oliuarum, verisimile est, quando misit hos suos discipulos ad parandum pascha. AD QVEMDAM. πρὸς τὸν δεῖνα ad illum, ad certum quemdam. Syrus ܠܘܬ ܦܠܢ *leuath pelon* ad talem. Sic & Hebræi, cum cuius nomē, vel ignorat is qui memorat, vel non vult exprimere, vocant פלני *peloni*. Non est igitur vsus Iesus hac voce *quemdam*: sed vult Euangelista, intelligi, quòd Iesus non nominarit virū, descripserit autem dumtaxat talibus indiciis qualibus posset inueniri, quæ quidem à posterioribus Euangelistis declarantur. Non misit Iesus discipulos suos ad incertum hominem: cùm igitur nominare noluerit eum ad quem mitteret, significat Matthæus, huiusmodi voce, *peloni, pelon, τὸν δεῖνα*, seu *quemdam*, quòd descripserit eum certis signis. Atque hoc est quod ait D. Augustinus lib. 2. de cons. Euang. cap. vltimo: *Quod interposuit Matthæus ad quemdam, tamquam ex persona sua, studio breuitatis, illum compendio voluit insinuare.* & paulò pòst: *Vt ipse nobis insinuaret, tacito no-*

te nomine fuisse quemdam in ciuitate, ad quem Domini discipuli mittebantur vt prepararent pascha. Eodem modo & nos vulgo loquimur. Cur autem viri nomen celare voluerit Iesus, duę potissimùm causæ fuerunt, Vna quam annotarunt Euthymius in hunc locum & Theophylactus in Lucam, ne Iudas, qui iam obseruabat omnem opportunitatem prodendi Iesu, si nouisset locum vbi Iesus cœnaturus esset, missis eò satellitibus turbaret, si non etiam impediret, sacram cœnam; Altera, quam habet Chrysostomus, quòd ignotus esset homo, atque ita ostendere vellet Iesus Apostolis suis, se omnia & scire & posse, probaréque re ipsa auctoritatem & imperium virtutis suæ diuinæ, qua quiduis posset apud quosuis, etiam absentes & ignotos, cuique nemo quiret resistere. Nam etsi non ignotus erat vir ille spiritui Iesu (*ipse enim Iesus nouerat omnes, nec opus ei erat vt quis testimonium perhiberet de homine, cum ipse sciret quid esset in homine*. Iohan. 2. v. 24. 25.) tamen oculis corporis Iesu numquam fortasse visus fuerat, nec auribus auditus. Quamquam enim satis constet fidelem fuisse, & in Iesum credidisse: inde tamen non plus intelligitur, quàm Iesu prædicationem ab ipso auditam & miracula fuisse visa, quod commune ipsi erat cum infinita populi multitudine. Non omnes enim qui credebant in Iesum, id palàm faciebant, Iesum familiariter adeundo, aliisve modis: nã, quod Iohannes testatur cap. 12. v. 42: *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eijcerentur*. Quamuis igitur iste absens esset & humanitus ignotus Iesu: dum tamen ad eum mittit Iesus, & iubet ab eo assignari sibi locum vbi cœnet, illeq; mox acquiescit, non obstante discrimine præsente, quod incurrere poterat ex hospitio Iesu concesso, rebus ipsis monstrat Apostolis suis Iesus, inprimis omniscientiam suam, qua nihil ipsum lateret, deinde imperium auctoritatemque suam in quosuis, vt intelligerent, nec latere ipsum machinationes principum aduersus ipsum, quemque illæ successum accepturæ essent, & si quid aduersi passurus esset, propriæ ipsius voluntatis, non necessitatis id fore. Quare Chrysostomus: *Sed cur ad ignotum eos hominem ire iubet? ostendere hinc quoque voluit, potuisse se passionis tormenta euitare. Nam qui mentem illius verbis solùm induxit, vt ipsum cum discipulis veniet suscipere: quid fecisset crucifigentibus, si pati noluisset? quod etiam de asina fecit*. hæc ille. Nam quod quidam coniiciunt, Iesum priùs locutum fuisse viro huic de parando sibi loco cœnæ, iniurium est Iesu, & contrarium verbis subsequentibus. MAGISTER tuus & noster. Syrus ܪܒܢ *Rabban* magister noster. Iesus familiariter à discipulis suis vocabatur *Magister* (Ioh. 11. v. 28. & 13. v. 13.) contentusque humili hoc titulo à doctrina accepto, qui tamen nulli alij æquè ac ipsi congruebat (vide sup. 23. v. 8. 10.) & ipse se eo appellat, eoque solo suam huic viro auctoritatem insinuat, cùm vti potuisset verbis illis magnificis: *Hæc dicit Dominus*, aut, *Filius Dei dicit*. Vocando autem se magistrum, aperit, illum cui verba hæc sua perferri iubet, esse discipulum, ac proinde, penes se vt magistrum, auctoritatem esse præcipiendi ipsi tamquam discipulo, quod diximus: fuit enim *discipulus Iesu*, id est, fidelis, credens in Iesum, *sed occultus*, vt multi alij, *propter metum iudæorum*. Ioh. 19. v. 38. 39. Non addit nomen suum, *Iesus magister*, quia tam discipuli mandatum perferentes, quos publicitus notum erat esse discipulos Iesu, quàm conscientia audientis, nec alij magistro quàm Iesu adhærentis, clarè interpretabantur quis magister loqueretur. DICIT. nunciat tibi per nos in hæc verba. *Dicendo præcipit*, inquit Chrysostomus. TEMPVS MEVM. tempus abitus mei, tempus mortis meæ, quod mihi à Patre & à memetipso constitutum est. PROPE EST. instat. Toties inculcat propinquum esse mortis suæ tempus, vt intelligant discipuli, sponte ipsum properare ad gerendum morem decreto Patris, *nec inuitum ad passionem accedere*, quod ait Chrysostomus. APVD TE. domi tuæ. FACIO. mox faciam, huius ipsius diei vespera, ante illud tempus meum. *Faciam* autem, id est, facere seu celebrare decreui, PASCHA, cœnam paschalem, iuxta præscriptũ legis Mosaicę. q. d. non diu tibi aut cuiuis alij in me credentium molestus ero, vt qui breuî ex hac vita sim discessurus: priusquam tamen discedam, statui postremum pascha apud te celebrare, tu his meis quos ad te misi discipulis demonstra domi tuæ locum idoneum: hoc enim addunt alij Euangelistæ, *Vbi est diuersorium meum?* non rogat, sed pro suo iure mandat & imperat: quòd si priùs viro loquutus, ipsi persuasisset vt se domo exciperet, ridiculè iam vteretur huiusmodi verbis auctoritate & imperio plenis. Lenit porrò imperium, præfatus instare tempus discessus sui: quasi diceret, nihil minus magistro concedere potes, antequam à te auferatur, si non es ingratus discipulus. Simili in absentes & ignotos auctoriate atque imperio vsus est Iesus sup. 21. v. 2. 3. quando ad se adduci iussit asinam cum pullo; imò maiori, tribuens sibi ipse non magistri sed domini nomen: *Dominus his opus habet*. CVM DISCIPVLIS MEIS. cum Apostolis meis. Quamquam omnes qui credebant in Iesum vocarentur discipuli Iesu: illi tamẽ duodecim *κατ' ἀντονομασίαν* sic vocabantur, *quos Apostolos nominauerat*, quosque in familiam adsciuerat suam, quos publicè notum erat esse numero duodecim. Non ergo dicit *tecum*, quod vrget Victor Antiochenus in Marcũ, sed *cum discipulis meis*: quia singulæ familiæ, singulos agnos immolare debebant, nec extraneos poterant aduocare, nisi fortè vnius familiæ homines non sufficerent ad edendum agnum. Vt porrò Iesu familia erat plus quàm sufficiens esui vnius agni; ita non dubium & huius viri familia. Iam subaudit Matthæus quod alij Euangelistæ exprimunt: In eo autem loco quem ille vobis assignauerit, parate nobis ad comedendum pascha.

καὶ ἐποίησαν οἱ μαθηταὶ ὡς συνέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα.	19 Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.	*Mar. 14. v. 16. Luc. 22. v. 13.*

DISCIPVLI illi quos emiserat. Simplex horum obedientia, experta est efficacitatem verborum Iesu. Non enim anxiè inquirunt de euentu, sed imperio placidè obediunt, & simpliciter quod iussi fuerant perficiunt.

CONSTITVIT. *συνέταξεν* aoristus pro plusquamperfecto *constituerat*, iniunxerat, præceperat. Nimirum, abierunt in ciuitatem, adierunt virum illum quem indicauerat Iesus, retulerunt illi verba Iesu, & in loco eo quẽ ille mox præbuit PARAVERVNT omnia ad celebrandum PASCHA necessaria, sup. v. 17. enumerata. Inter cætera autem, emtum agnum curarunt assari: quod quomodo fieret, operæpretium est considerare, vt obseruetur similitudo inter assationem veteris paschæ & crucifixionem noui. Perfodiebatur corpus agni veru, pedes verò, tam posteriores qui pedum, quàm priores qui manuum sunt loco, distendebantur diuaricaban-

ricabanturque bacillis infixis in volas: tamquam si veru, stipitem crucis; bacilli verò, transuersum lignum præsignassent, vnà cum clauis in diuini agni manus pedésque infixis. nam ignis afflictionis hîc non minor fuit, quàm illic flammeus. Nescio autem quid vulnerum perpetuò gerant agni in mediis pedum volis, non absimili modo quo Saluator noster ex cruce reseruat in manibus & pedibus fixuras clauorum.

Mar. 14. v. 17. Luc. 22. v. 14.

Vespere autem facto, discumbebat [20] cum duodecim discipulis suis. | ὀψίας δὲ γενομένης, ἀνέκειτο μετὰ τῶν δώδεκα.

VESPERE AVTEM FACTO, vel, vespera autem cùm esset. nam ad vtrumque indifferens est γενομένης. Notat Euangelista horam qua Christus pascha comedit, qua scilicet à lege præscriptum fuerat. Præscriptum enim fuerat Exod. 12. v. 6: *Immolabit eum (agnum) vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam*; & Leuit. 23. v. 5: *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam, Phase Domini est.* Præcipua actio immolationis paschæ, erat manducatio: illa quamquam nocte fieri posset, modò fieret ante mediam noctem, proprium tamen illius tempus erat vespera, illa quæ hebraicè duali numero vocatur ערבים *harbaim*, id est, illud tempus vespertinum, quo lux tenebris & dies nocti miscetur (solent enim Hebræi dualem numerum iis nominibus dare, quæ res significant, aut duplices, aut quasi duplices) quod est, inter occasum solis & noctem, vocaturque latinè crepusculum, gallicè *entre chien & loup*, quo scilicet visu discernere nequeas occurrentem lupum à cane. Quòd autem non aliud, quàm tempus istud vespertinum, intelligatur voce illa numeri dualis, manifestum ex eo fit, quòd lex aliis locis idem repetat vtens eadem voce numero singulari ערב *hereb.* Deut. 16. v. 6: *Immolabis phase vespere ad solis occasum.* Iosue 5. v. 10: *Et fecerunt phase quartadecima die mensis ad vesperam.* Illud igitur proprium tempus fuit, quo se dare oporteret ad manducandum agnum. Reliquæ immolationis actiones, vt, iugulatio, mactatio, assatio, fieri debebant pro ratione temporis mãducationi destinati, vt ratio dictat, modò à meridie, præsertim verò circa horam nonam, declinante iam die, quod suprà v. 17. ex Iosepho annotauimus. Quum enim vna hora hæc omnia fieri nequirent, præscripsit lex horam cœnæ ipsi, quæ præcipuum totius sacrificij erat. DISCVMBEBAT. id est, cœnabat; Richelius, *hoc est, pascha comedit.* Vt verbo discumbendi seu accumbendi non necessariò significatur quòd cubuerit seu iacuerit Iesus inter cœnandum (quamquam ea est propria verbi significatio) ita nec significatur necessariò quòd sederit, præsertim semper, quasi non potuerit aliquando stetisse; sed quòd conuiuio adfuerit, quòd ex ea ad quam accesserat mensa cœnam sumserit, nunc stans, nunc sedens, pro opportunitate. Primò enim pascha, id est, agnum paschalem, quod sacrificij magis genus quàm cœnæ erat, comêdit pro more festinus & stans (quamquam enim non disertis verbis id præceperat, satis clarè tamen intelligendum id dederat Lex Exod. 12. v. 11. ipso etiam Philone interprete, ante medium libri de sacrificiis Abel & Cain) ipse quoque paratus ad iter, & festinans ad transeundum ex hoc mundo ad Patrem. Reliquum deinde cibum, siue alteram eamque communem cœnam, quietè citra festinationem comêdit sedens (Iohan. 13. v. 2. 4.) quæ cùm peracta esset, mensa tamen nondum ablata, iterum surrexit ad lauandum discipulorum pedes (Iohan. 13. v. 4.) quibus lotis iterum sedit Ioh. 13. v. 12.) & quidem in multam noctem, non cibi causa, sed sermocinationis & tradendorum sacrosanctorum mysteriorum formâ cibi potusque. Quare si non conuiuium tantùm, verumetiam situm conuiuantis Iesu, Euangelista intelligi voluit verbo *discumbendi*, eum qui diuturnior fuit sedendi situm nominauit, alterum relinquens intelligendum, ex solemni pascha edendi ritu. Vox Syra ܣܡܝܟ *semich* & stanti & sedenti adscribi potest: significat enim propriè innixũ esse, quod quidem tam de baculo quàm de lecto aut scamno potest accipi. CVM DVODECIM DISCIPVLIS SVIS. Sic legitur & Syriacè Græcè non est amplius quã μετὰ τῶν δώδεκα *cum duodecim.* Significat Euangelista, quòd Iesus iuxta legis præscriptum (Exod. 12. v. 3. 21.) cum tota familia sua immolarit pascha, ne Iuda quidem impiissimo absente: nam & ipse, licet aliud nihil quàm proditionem animo volueret, nolebat abesse, ne quem suspicioni de se relinqueret locũ. *Omnia sic agit Iudas*, inquit Hieronymus, *vt tollatur suspicio proditoris. O ingentem impudentiam Iudæ!* exclamat hîc Chrysostomus: qui post initum proditionis pactum, ausus fuit mensæ Domini cum aliis discipulis accumbere, Domini cõscientiam nihil veritus. Sperabat forsan (vt erat impius) ipsum consilij sui esse ignarum, vel certè non proditurum, ob animi mansuetudinem, cuius in illo multa iam experimenta ceperat. Significat præterea Euangelista, quòd nullus Apostolorum abfuerit à noui paschæ & mensæ sacræ cæterorumque mysteriorum institutione, quod nostra non parùm intererat scire. Vt autem significat Apostolos omnes adfuisse, ita videtur intelligendum dare, nullum alium adfuisse: nam quod quidam dicunt, adfuisse LXX discipulos, non fit verisimile, tum quòd non essent illi de familia Iesu, tum quòd non constituerent illi vnam aliquam inter se familiam, sed variarum familiarum cùm essent, singuli haud dubium eodem tempore Pascha cum familiis fecerint suis.

Mar. 14. v. 18. Iohan. 13. v. 21.

Et edentibus illis, dixit: Amen dico [21] vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est. | καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν, εἶπεν· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με.

EDENTIBVS ILLIS. s. Iesu & duodecim discipulis, id est, inter edendum; edendum autem, non pascha, quod primùm festinanter à stantibus comestum fuerat, sed reliquos eius cœnæ cibos: quamquam non tam de comestione ipsa, hoc est, actu comedendi, quàm de conuiuio hîc sermo fit. DIXIT turbatus spiritu, Iohanne teste. Quod Matthæus narrat vt ante institutionem sacrosanctorum mysteriorum à Iesu dictum, id Lucas narrat vt pòst dictum, cap. 22. v. 21. D. Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 1. & Euthymius enarrans Euangelium secundùm Lucam, existimant bis, antè & pòst, dictum fuisse: Alij semel dumtaxat, idque pòst, ne, si Iesus antè hoc prædixisset, discipuli animos turbatos haud attendissent, ad noua quidem & sublimia, externa tamen specie humilia mysteria. Anticipatione igitur Matthæus fit vsus. AMEN DICO VOBIS. Vtitur asseueratione, vt fidem maiorem concilies verbis suis, quæ sciebat omnibus præter Iudam

discipulis

discipulis incredibilia visum iri. Vos hoc vobis ipsis non facilè persuadeatis: atqui ego illud vobis etiam atque etiam affirmo. QVIA. quòd. VNVS. vide sup. v. 14. VESTRVM. Vrget hoc pronomen; *vestrûm* duodecim, quibus præ cæteris omnibus benefeci, quos Apostolatus honore insigniui, in familiam meam cooptaui, docui, instruxi, ornaui, alui. TRADITVRVS EST. παραδώσει tradet, prodet. s. hostibus meis qui ad mortem me quærunt; non enim opus erat dicere quibus, quia bene nouerant Apostoli à principibus sacerdotum & senioribus ac scribis capitales insidias Iesu strui. Sæpiùs hactenus prædixerat Apostolis suis Iesus se tradendum in manus hominum, principum sacerdotum & seniorum (sup. 17. v. 22. & 20. v. 18.) nunc cùm res ipsa propè instaret, prædixit eis etiam à quo tradendus sit, ab vno inquam ex ipsorummet numero, inter postrema domesticum scelus, quo procuranda sibi mors esset, aperiens, eodem consilio, quo reliqua hactenus suæ passionis apeuerat, vt scirent, ipsum non ignorare aduersariorum insidias atque consilia, quantumuis proditor præsens dissimularet, intelligerentque, postquam res aduenisset, ipsum nō fuisse circumuentum aut de improuiso proditum, sed scientem prudentem & volentem mori, cessisse proditori: nam qui prænouerat proditorem, potuerat vtique sibi ab eo cauisse, eiusque consilium frustrasse, si voluisset. Indicauit itaque notum sibi proditorem, non tamen mox nominauit, plures ob causas, Vnam ne irritaret eum quin potiùs ad pœnitentiam prouocaret: *mittit crimen in numero*, inquit Hieronymus, *vt conscius agat pœnitentiam*. Conuênit pupugitque clanculum conscientiam ipsius Iudæ, eique subostendens nota sibi consilia ipsius fecit, vnde à concepto scelere potuisset reuocari. Nam quamuis nouisset desperatam illius excæcationem, non ideò tamen correptionem omittere voluit, vel vt omnem ipsi excusationem excuteret. *Notam* (inquit Leo serm. 7. de passione) *ibi esse proditoris conscientiam demonstrauit, non aspera nec aperta impium increpatione confundens, sed leni ac tacita admonitione conueniens, vt faciliùs corrigeret pœnitendo, quem nulla deformasset abiectio.* Alia causa cur non mox Christus nominauerit Iudam proditorem, fuit, ne reliqui discipuli in ipsum subitò insurgerent; Alia rursus, vt nos doceret, peccatores occultos non esse mox publicè traducendos.

καὶ λυπούμενοι σφόδρα, ἤρξαντο [22] λέγειν αὐτῷ ἕκαστος αὐτῶν· μήτι ἐγώ εἰμι, κύριε;	Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?

Mar. 14. v. 19.

ET CONTRISTATI. Qui contristati. Nam & Christus ipse turbatum se exhibebat hæc testificans, quod Iohannes habet. VALDE. *Intolerabilis luctus sanctum illum inuasit chorum*, quod ait Titus: *semimortui enim erant*, inquit Chrysostomus, verbis illis gladij instar corda ipsorum transfigentibus. Nam quamuis nullus ipsorum, præter vnum Iudam sibi malè conscius esset, nec de sociis argumentum suppeteret sinistrè suspicandi: tanti tamen apud ipsos erat præceptoris auctoritas, vt certò persuasi essent nihil temere ab ipso dici, immo verba ipsius pro infallibilibus, qualia verè erant, haberent, potiusque ipsius dictis quàm suæ ipsorum conscientiæ crederêt. Nam, vt Chrysostomus ait Homilia 71. in Iohannem, *quòd ad vnum proditio referebatur, hoc formidinem minuebat: sed quod addiderat vnus ex vobis, simul omnes perturbabat.* Inprimis enim, de se quisque dubitabat & solicitus erat. Nam quamuis mentis suæ latibula perscrutantes, nihil in se proditionis vndecim inuenirent, conscij tamē imbecillitatis humanæ sibi ipsis singuli suspecti erant, ne parùm sibi essent cogniti, metuentes, ne fortè (quæ est humanæ mentis fragilitas, in horas sæpe mutabilis) ad huiusmodi proditionis crimen, subitò passionibus transuersum acti, adducerentur. De futuro enim peccato, vnusquisque solicitus timere sibi debet: Nam, quod quodam loco ait D. Augustinus, *Non est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector à quo factus est homo.* Contristabantur itaque valde, veriti singuli, inprimis, ne fortè ipsi, ex discipulis in proditores, ex ouibus in lupos, subitò verterentur; deinde, vt ipsi non forent huiusmodi, ne opinio huiusmodi de ipsis in cæterorum animis gigneretur: dolebant adhæc, quòd huiusmodi nota inurenda esset ipsorum sodalitio; præter caput ipsum malorum, quòd Dominus ab ipsis ablatus, hostium sæuitiæ esset subiiciendus, quod quomodo futurum esset, iam propemodum intelligerent, Domino singulis penè momentis noui aliquid explicante. Hæ causæ fuerunt grauissimæ Apostolorum tristitiæ.

SINGVLI. etiam Iudas. *Existimo*, inquit Origenes, *quia inprimis putauit latere quasi hominem, qui postquam vidit conscientiam suam notam Christo, amplexus est occultationem positam in verbis ipsius: quorum primum infidelitatis erat, secundum autem impudentia.* DICERE. ei additur græcè & syriacè. Bona enim conscientia freti vndecim, liberè interrogando testari voluerunt, quàm procul remotos se esse existimarent ab huiusmodi scelere.

NVMQVID EGO SVM is qui te tradet? Conscientia quidem nihil huiusmodi mihi testatur, verùm & de quo sociorum tantum scelus suspicari debeam ignoro: an fortè ego subitò euadere queam tam impius atque scelestus? Quod si ita futurum sit, aperi obsecro, ad hoc vt ego, vel pudore cohibear à crimine tam execrādo, vel collegarum manibus priùs occidar. Quod si non est futurum, declara quæso similiter, vt metu & aliorum opinione de me liberer. Non rogant *quis est Domine*, quod vident à Christo studiosè taceri, ne importunitatis arguantur (exemplo sit Petrus Ioh. 13. v. 24.) sed cupiunt singuli Domini iudicio immunes pronunciari, contenti primum crimen à se amouisse, ita vt nec ipsi de se metu, nec alij de ipsis praua suspicione laborent.

DOMINE. Syrus ܡܪܝ *Mari* Domine mi. Blandientium est. Non dubium quin singulæ interrogationes innocentium discipulorum, cor Iesu tamquam amoris gladio transuerberarint, contemplantis illorum, hinc innocentiam cum humilitate coniunctam, hinc tristitiam ex amore erga se profectam.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· ὁ ἐμβάψας [23] μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτός με παραδώσει.	At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Mar. 14. v. 20. Luc. 22. v. 21.

QVI INTINGIT. ὁ ἐμβάψας qui intinxit. Absoluitur à tempore, poniturque pro consueuit intingere.
IN PAROPSIDE. ἐν τῷ τρυβλίῳ in catino, in patina vna. *est lancis genus*, inquit Euthymius. Præter solidum cibum

apponitur mensis plerumque etiam liquidus, patina profundiuscula contentus (acetum verbi gratia) in quem condimenti loco seruientem, intingunt qui volunt singuli panem suum, vel solum vel coniunctum obsonio solido. Cæterùm non voluit Iesus significare, quid tunc temporis Iudas ageret, quòd tunc cùm Iesus hoc diceret, manum vnà cum Iesu in paropsidem eandem immitteret: sed ad quantam familiaritatem admissus esset, qui & in hac cœna & plerumque aliàs, ex eadem cum Iesu patella peteret intinctum, sodalis & mensæ & catini. Vtrùm verò plures catini siue paropsides fuerint in hac cœna, incertum est (potuit enim Iesu & duodecim, vna paropsis sufficisse, in mensa præsertim rotunda: quamquam vt erat hæc cœna solemnis, & instructa in ædibus viri diuitis, necessariam supellectilem abundè suppeditantis, ita nihil illi ad decorum defuisse, verisimile est: sed quando Iesum pluribus contigit vti; certè absque vlla paropside sæpe cibum cum suis sumsisse, vt cùm in itinere versaretur, credibile est) non minùs Iudas vnus fuit eorum qui in eandem cum Iesu paropsidem intingerent, quàm cæteri, prout se obtulisset occasio sedendi prope Iesum, quandoquidem in accumbendo nullum inter se Apostoli seruarent ordinem. Quòd si etiam continens pro contento, paropsis pro cibo accipiatur, nō est locus quæstioni de vna aut pluribus paropsidibus, sed significatur, quòd eodem cibo Iudas vesci consueuerat quo Christus, quòd non alium cibum Christus parari iubere solitus fuerat pro se, quàm pro Iuda cæterisque Apostolis. Est igitur huius formulæ loquendi vis non alia ferè, quàm, quem mensa & cibis dignor meis, cum quo mihi communis est mensa cibusque: & videtur Saluator allusisse ad illud Psal. 40. v. 10: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*: id quod etiam nominatim attulit ad hoc negotium Iohan. 13. v. 18. Interrogatus igitur Iesus à singulis *Numquid ego sum*, non respondet singulis, sed simul omnibus, non quis sit aut quis non sit futurus proditor (sic enim intelligit D. Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 1.) sed fore vnum ex ipsis conuiuis suis familiaribus, confirmans idem quod priùs dixerat, hoc addito quod magna cum emphasi & exaggeratione facinus exagitet, ingratitudinemque illius qui foret explicet, qui nec benignè sibi concessa mensæ cibique communione motus, à tanto facinore reuocetur, immo in ipsa mensa constitutus, prodendi patrisfamilias sui commoditatem mediretur, pro beneficio familiaritatis plusquam hostilia reddens, cùm panis & salis communio soleat etiam ignotos amicitiæ fœdere iungere, adeoque ethnicis esse sacra. Maluit itaque Iesus, Apostolos suos omnes, aliquamdiu mœstos, anxios, & perplexos relinquere, exercentes se interim in reputanda sceleris atrocitate, quàm proditorem indicare, priusquam tantùm eum redarguisset, quantùm ad adducendum ad pœnitentiam satis esset, si conuerti voluisset. Huc fecit exaggeratio ista criminis.

Mar. 14. v. 21. Luc. 22. v. 22.

Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.	24 ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει, καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ· οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται. καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος.

FILIVS QVIDEM HOMINIS. Hoc Christus tamquam ad se conuersus dicit. VADIT. moriendo ex hoc mundo discedit. Est autem præsens pro futuro proximè instante. *His verbis* (inquit Victor Antiochenus in Marcum) *mortem suam transitioni aut discessui cuipiam similiorem ostendit, quàm vere morti. Significat per eandem vocem quoque, sponte se ad mortem abire.* Hæc ille. similia habet Theophylactus. SICVT SCRIPTVM EST in lege, Psalmis & Prophetis, sicut prædictum est per Spiritum sanctum. Num. 21. vers. 8: *Fac serpentem aeneum, & pone eum pro signo*, &c. Psal. 40. v. 10: *Etenim homo pacis meæ* (&c.) *magnificauit super me supplantationem.* Isa. 53. v. 7: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur*, &c. Dan. 9. v. 26: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*, &c. DE ILLO. *Quibus verbis* (ait Chrysostomus) *discipulos confirmauit, ne imbecillitati hanc rem attribuant.* Hoc enim est quod Christus de se dicit: Vadit autem, non quòd non se valeat de hostibus vindicare, & quam illi machinantur proditionem cædemque euadere, sed vt impleat Scripturas & obtemperet Deo Patri, qui id se velle olim per Prophetas testatus est. Hac igitur parte consolatur Apostolos suos, ostendens quòd nihil accidet fortuiti aut nec opinati, nihil coacti aut violenti, ex mera potentia inimicorum, nihil denique quod Pater eũ nolit aut ipse imparatus sit tolerare. VÆ AVTEM. Væ tamẽ. Proditio quidem sortietur effectum, tradar ego in mortem, reque ipsa consequetur mors mea: sed non glorietur proditor, tamquã re bene gesta aut grandi lucro facto. *Væ illi*, manent illum immensa eaque æterna supplicia. vide sup. 11. v. 21. & 23. v. 13. TRADETVR hostibus interfecturis. Græcè est præsens *παραδίδοται traditur*: iam enim hoc agebatur: *Sed obijciet quispiam*, inquit Chrysostomus: *Atqui si est scriptum, Christum hæc fuisse passurum, quamobrem Iudam qui scripta perfecit criminamur? Quia non illo certè animo, sed improbitate sola, in turpissimum illud facinus fuit impulsus*, &c. *Quippe non Iudæ traditio, sed sapientia Christi atque potentia, salutem peperit vniuersis: Christus enim improbitate aliorum ad vtilitatem nostram vsus est. Nam ne quis putet ministrum dispensationis Iudam fuisse, quasi miserum deflet.* Hæc Chrysostomus. Non enim tradere coactus fuit Iudas, quia scriptum fuerat: sed scriptum fuerat, quia Iudas sponte traditurus erat. BONVM. melius seu minùs malum. Hebræi carent gradibus comparationis. ERAT EI. esset ei. minùs noceret ei. SI NATVS NON FVISSET HOMO ILLE qui hoc facturus est. Altera phrasis hebraica: vtramq; latinè reddas: Præstaret homini illi numquam natum fuisse; numquam natum, id est, numquam procreatum, numquam conceptum fuisse (sic enim accipitur *natus* etiam sup. 1. v. 20.) vel certè in vulua mortuum: tam horrenda illum manet vltio pro huiusmodi scelere. Adeò grauia subibit supplicia pro merito criminis huius, vt minùs malè cũ illo ageretur, si numquam exstitisset in rerum natura. Notandum autem, quòd non simpliciter dictum est *bonum erat*, sed *bonum erat ei.* Deus enim etiam præscius peccati Iudæ, melius fore iudicauit vt esset, quàm vt non esset, nouerat enim quid boni facturus esset de illo eiusq; peccato: sed ipsi, posito quod propria sponte commissurus erat proditionis peccato, melius & optabilius erat non esse, quàm esse, tum propter peccatum ipsum, tum propter pœnam peccatum huiusmodi diuino iudicio consequuturam, de qua propriè hîc loquitur Christus.

Chriſtus. Etſi enim impoſſibile eſt, vt non eſſe, ſecundùm propriam rationem, aut eligatur aut appetatur (quod multis docet D. Auguſtinus lib. 3 de libero arbitrio cap. 7. 8.) vt tamen conſideratur tamquam miſeriæ priuatiuum ſeu excluſiuum, ita apprehenditur vt bonum, ac proinde ea ratione & elegi & appeti poteſt, licet reipſa nihil ſit: immo verò tanta poſſit eſſe miſeria, quanta faciat, vt meritò & rationi conſentaneè, appetatur, optetur, atque eligatur, non eſſe præ ipſo eſſe; vt, ſi miſeria alicuius maius ſit malum, quàm ipſius eſſe ſit bonum, quemadmodum eſt eorum qui gehennæ adiudicati ſunt, nominatim verò Iudæ proditoris, de quo abſolutè pronunciat Saluator, non tantùm quòd optabit non eſſe, verumetiam quòd melius illi erit non eſſe. *Simpliciter enim dictum eſt*, inquit Hieronymus, *multo melius eſſe non ſubſiſtere, quam male ſubſiſtere*. Sed adde ex D. Auguſtino lib. 5. contra Iulianum Pelagianum cap. 8: *Ego non dico, paruulos ſine Christi baptiſmate morientes, tanta pœna eſſe plectendos, vt eis non naſci potius expediret, cum hoc Dominus, non de quibuſlibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis & impiiſſimis dixerit.* Quare Victor Antiochenus in Marcum: *Hoc dicitur*, inquit, *propter diros cruciatus, quos Iudas apud inferos expenſurus erat: ſiquidem ſatius eſt multo, omnino non eſſe, quam tantis miſeriis & calamitatibus perpetuo obſtrictum eſſe.* Prænunciat itaque Ieſus Iudæ, ſuppliciorum quæ ipſum maneant atrocitatem, ſi pergat propoſitum perſequi: vt ſi non amore, vel timore reuocetur: comminationes enim ſunt & admonitiones ad deterrendum proditorem à ſcelere. *Pœna prædicitur*, inquit Hieronymus, *vt quem pudor non vicerat, corrigant denunciata ſupplicia.*

Ἀποκριθεὶς δὲ ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, εἶπε· μήτι ἐγώ εἰμι, ῥαββί; λέγει αὐτῷ, σὺ εἶπας.

25 Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum, Rabbi? Ait illi. Tu dixiſti.

RESPONDENS. huiuſmodi ſermonibus Ieſu ſubiiciens. vide ſup. 11. v. 25. Cùm ſinguli Apoſtolorum de ſe rogarent ſuprà v. 22., haud dubium eſt, etiam Iudam, ne tacendo ſe prodere videretur, tunc de ſe impudenter rogaſſe, Ieſu nihil aliud ipſi quàm reliquis reſpondente, ſuprà v. 23. 24. Sed cùm Iudę cõſcientia dictaret, quod ipſe à Ieſu his omnibus verbis notaretur, adeoque indicio porrectæ buccellæ iam Iohanni proditum ſe eſſe ſentiret (Iohan. 13. v. 26.) vt *audacia*, quod ait Hieronymus, *bonam conſcientiam mentiretur*, iterum de ſe rogare impudens diſſimulator eſt auſus. QVI TRADIDIT EVM. ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν ille tradens ſeu prodens eum, id eſt, qui iam totus in eo erat vt proderet eum, ille conſcius ſibi conſilij de proditione initi. Syrus vno verbo *proditor*. NVMQVID EGO SVM. méne illum eſſe arbitraris? q. d. id de me ſuſpicari non potes, qui ex tua delegatione iam diu œconomum familiæ tuæ tam diligenter quàm fideliter egi. Non vt veritatem audiat neque mœſtus quærit, quemadmodum reliqui, ſed ne omnimodam infamiam apud collegas incurrat. Etſi igitur intelligeret ſe Ieſu cognitum, adeoque Iohanni indicatum opinaretur: quæſtionem tamen audacter repetiit, ne mox id collegæ omnes reſcirent, perſuaſus quòd Ieſus id nõ eſſet palam omnibus declaraturus vel ſi declaraturus, ipſe è contrario impudenter negaturus, & tamquam contumeliam paſſus è domo abiturus, denique proditionem quaſi non præmeditatam vindictæ ſpecie exerciturus. *Corpore enim tantum cum cœnantibus recumbebat* (ait Leo ſerm 7. de paſſione) *mẽte autem ſacerdotum inuidiam, teſtium falſitatem, & furorem imperitæ plebis armabat.* RABBI. præceptor mi. Reliqui diſcipuli dixerant *Mari*, ipſe *Rabbi*, adulantis, ſeu, quod ait Hieronymus, *blandientis iungens affectum*: minùs enim vulgare & grauius quid atque amplius eſt *Rabbi*, quod etiam hodie apud nos obtinuit conſuetudo. Sic autem ſolent proditores & hypocritæ, ſingularibus magiſq; honorificis titulis vti, vt animis bonam de ſe ingenerent opinionem, & ſiniſtram omnem ſuſpicionem amoueant. TV DIXISTI. Modus loquendi ab eo ſumtus, quòd is qui interrogat aliquid, prior illud dicat neceſſe eſt, quamquam interrogando dicat, quod ab alio enunciando audire deſiderat: exempli cauſa, qui interrogat quemadmodum Iudas hoc loco, *Numquid ego ſum?* ille dicit *ego ſum*. Ex vi verborum igitur, ambigua eſt huiuſmodi reſponſio (nam & cæteris Apoſtolis idem potuiſſet reſponderi, qui omnes ſimiliter dixerant *ego ſum*) ſed ex circumſtantiis intelligitur quid ſibi velit, moduſque eſt, modeſtè & minima cum offenſione eius quo cum loquimur, minimaq; cum arrogantia noſtra, quod interrogamur concedendi. ſimile infrà v. 64. & 27. v. 11. *Tu dixiſti* hoc ipſo quo me rogaſti. Tu prior dicis te eſſe proditorem illum, non eſt quod ego dicam. Tua verba hoc habent, multóque magis conſcientia tua. *Ex ore ipſius iudicat illum*, ait Origenes, pertinacem illius impudentiã frangere conatus. Indicauit tandem Ieſus ſuis omnibus eũ, quem viderat nihilo fieri meliorem, quòd parceretur nomini ipſius, ſi vel detecta larua rediret ad cor. *Nam cum confuſe atque indiſtincte audiens non mouetur*, inquit Chryſoſtomus, *vt magis eum tangeret, velamina detexit*. O admirabilem Ieſu manſuetudinem! Non obiurgat, non exprobrat, non abigit à menſæ communione: *& quamquam dicere potuiſſet*, quod habet Chryſoſtomus, & ex eo Titus, *ſceleſte atque ſordide, tam longo tempore hoc malum parturiens, & nunc diabolus factus concilijs argentũ ex pacto habiturus, audes à me redargutus, quaſi nullius tibi rei conſcius, interrogare? Nihil tamen horum dicere voluit: ſed quid? Tu dixiſti. ita terminos nobis ac regulas tolerantiæ, & obliuionis fixit iniuriarum*, contentus illius quidem conſcientiam feriiſſe, reliquis autem modeſtè tandem illum non tam explicuiſſe quàm indicaſſe. Non dubium enim quin his verbis intellexerint reliqui Apoſtoli Iudam notari, quamquam fortè non tam clarè quàm voluiſſent: ſed moleſta reſponſio Ieſu continuit eos, ne ſubitò in Iudam inſurgerẽt, præſertim cùm neſcirent ita propè inſtare proditionem ipſam. Cæterùm Iudas, poſt hæc verba, quibus ſe indicatum intellexit, non diu illic hæſit: ſed breuĩ egreſſus eſt (quod narrat Iohannes cap. 13. v. 30.) & irritatior patrauit quod ſtatuerat. Exemplum animi obdurati, qui adeò admonitionibus non emollitur, vt etiam obdureſcat magis. Egreſſus autem contulit ſe domũ Caiphæ, vbi à concilio cõuocato exſpectabatur (infrà v. 57.) præmonuerat enim interdiu, fore ſibi hac nocte à paſcha comeſto, opportunitatem tradendi magiſtri, ſiue ille pernoctaret ea in domo in qua paſcha comediſſet, ſiue pro more exiret in montem Oliuarum: idque eo fine, vt illi, milites alioſque, quos comprehendendi cauſa ſecum mittere vellent, paratos tenerent.

Cœnan-

Mar.14. v.22. Luc.22. v.19.

Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.

26 ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, καὶ εἶπε· λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Coenantibvs avtem. Pergit Euangeliſta narrare, quî Ieſus, poſtquam Deo obtuliſſet vetus agni paſchalis ſacramentum, in illius locum inſtituerit nouum corporis & ſanguinis ſui ſacramentum ſacrificiumque, quod foret perpetuum ſuæ mortis, qua parta eſſet hominibus ſalus, illuſtre mnemoſynum, quemadmodum illud fuerat, tum mnemoſynum liberationis Iſrael ex Ægypto, tum vmbra eiuſdem dominicæ mortis & redemtionis humanę. Sed neminem moueat, quòd ſuprà v.2. & 5. diximus, Chriſtum occiſum eſſe verum agnum & paſcha, qui eodem hoc die feſto in veteris illius locum eſſet ſucceſſurus: nam, & Chriſtus occiſus, & hoc ſacramentum corporis ac ſanguinis Chriſti occiſi, nouum paſcha eſt ſuccedens in locum veteris illius. Quamquam enim agnus in Ægypto immolatus, cuius ſanguine Iſrael liberatus fuit ab exterminatione, propinquiorem ſimilitudinem geſſiſſe videatur, Chriſti occiſi; agnus verò qui quotannis immolabatur, propior fuiſſe figura ſacramenti corporis ac ſanguinis Chriſti occiſi: vterque tamen figura fuit vtriuſque. Coenantibvs. ἐσθιόντων edentibus, quemadmodū vertit ſup. v.21. Cæterùm, quia cœna erat, idcirco *cœnantibus* hîc interpretatus eſt iuxta ſenſum: id quod tamen non de actu cœnandi aut comedendi intelligendum eſt, ſed de cœna ſiue conuiuio ipſo. q. d. cœna adhuc durante, menſa nondum ablata. Non eſt veriſimile, quòd nouum ac ſacroſanctum corporis ſui cibum, miſcuerit Ieſus cum cibo profano, quem ſui comederint abſoluto eſu paſchatis figuratiui: ſed quòd eum dederit poſtquam ſui ſatisfeciſſent naturæ, menſa tamen ciborumque reliquiis nondum remotis, ita vt comedere adhuc potuiſſent qui voluiſſent (manifeſtum eſt ex Iohanne cap. 13. v. 26., vbi, poſt ſacroſanctorum myſteriorum celebrationem, intinctus panis Iudæ à Ieſu porrectus fuiſſe narratur) ſub finē cœnę, quando non comedere, etſi cibus adhuc adſit, ſed ſuauibus colloquiis familiares operam dare ſolent: quo tempore, & durat adhuc cœna, quia cibi nondum ablati ſunt, & peracta eſt, quia nō ampliùs cōmeditur. Non iuſſit Ieſus priùs menſam auferri, tum quia pane & vino opus habebat ad noua myſteria, tum quia domi non propriæ ſed alienæ cœnabat. Voluit autem ſub finem cœnæ myſteria hæc inſtituere, non quòd eorum vſum eſſe vellet poſt cœnam, ſed, partim quòd veteri ſymbolo ſubiungendum eſſet nouum, veteri paſchati comeſto, quod non niſi in cœna comedi poterat, nouum, quod annotāt antiqui plerique omnes Interpretes: partim quòd, *quò vehementiùs commendaret myſterij huius altitudinem, vltimum hoc voluerit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paßionem digreſſurus erat*, quod ait peculiariter Auguſtinus epiſtola 118. ad Ianuarium cap. 6. Pro more enim hominum valedicentium amicis, reliquit poſtremò Dominus morti proximus diſcipulis ſuis mnemoſynum hoc pretioſum.

Eis. Ieſu & duodecim diſcipulis. Accepit. λαβὼν poſtquā accepiſſet ſ. *in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.* Hac in manus acceptione, aliiſq. quæ ſequūtur actionibus, benedictione, fractione, inuitatione, diſtributione panis, attentos reddidit diſcipulos, vt obſeruarent, non vulgarem panem ſibi dari, qualem cum agno ederant, ſed ſingulare aliquid & excellens, id nempe quod verbis exprimit, corpus ipſius. Accepit igitur in manus panem, vt oſtenderet operaturum ſe aliquid circa eum, quemadmodum ſup. 14. v. 19. Iesvs ille Chriſtus Filius Dei omnipotentis. In hoc nomine huiuſmodi intelligenda eſt emphaſis, vt fides indubitata adhibeatur iis quæ ſubſequuntur. Filio enim Dei, non magis quàm *Deo, poteſt impoßibile eſſe omne verbum.* Sic inter alios pleroſque veteres Patres Chryſoſtomus hoc vrſit in hunc locum ſcribens: *Credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit: ſuperet & ſenſum & rationem noſtram ſermo ipſius* (&c.) *Quoniam ergo ille dixit Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus & oculis intellectus id perſpiciamus.* Hæc pluraque alia huiuſmodi hîc Chryſoſtomus. Nō hoc conſiderabant illi, qui cùm polliceretur Ieſus id quod hîc præſtat dicebant: *Nónne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius nos nouimus patrem & matrem?* (Ioh. 6. v. 42.) ſed conſiderabat Simon Petrus, dicens: *Domine, verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei* (Ioh. 6. v. 68. 69.) Quare hic credidit verbis Ieſu, illi retro abierunt (Ioh. 6. v. 66.) Panem qualis menſæ appoſitus erat, triticeum haud dubium eumque azymum; placentam ſeu libum azymum: nec enim poterat fermentatus panis vel in ædibus reſeruari, ex quo paſchalis agnus cum azymo comedi inciperet. Referūt porrò Neotericorum plerique, Iudæis eum fuiſſe morem, vt cœnam paſchalem concludens paterfamilias, acceptum panem azymum & vinum diſtribueret ſuis: eam ceremoniam volunt à Ieſu ita obſeruatam, vt in nouæ legis ſacramentum eam mutarit, quemadmodum aliàs Iudaicum Iohanniſque baptiſmum. Id ſi verum eſt, non exiſtimo ego, Ieſum vna eademque actione diſtributi panis & vini, ſatisfeciſſe & illi conſuetudini & inſtitutioni noui ſacramenti (ſic enim parum attentos habuiſſet Apoſtolos ad noui ſacramenti inſtitutionem) ſed actionem repetiiſſe, nimirum, poſtquam conſuetudinem obſeruaſſet, iterum ſumſiſſe in manus panem, & ſingulari modo benedictum pro corpore ſuo edendum obtuliſſe: quemadmodum videmus apud Lucam bis calicem ab ipſo acceptum & porrectum fuiſſe. Luc. 22. v. 17. & 20. Confecit porrò ſacramentum hoc Ieſus ex pane & vino, remanentibus vtriuſque ſpeciebus, primùm vt præſtaret ſe ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedec, qui Deo olim panem & vinum obtulerat (Gen. 14. v. 18.) impleto illo Dauidis vaticinio: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec* (Pſal. 109. v. 4.) quod ex pluribus veteribus nominatim ſanctus Hieronymus hîc annotat. Deinde vt intelligendū daret quod aliàs dixerat (Ioh. 6. v. 55.) carnem ſuam verè eſſe cibum, & ſanguinem potum, plenam inquam perfectamque animarum refectionem, qua aleremur in vitam æternam: neque enim naturæ noſtræ magis conſentaneus eſt ſiue cibus ſiue potus, quàm panis & vinum. Præterea ne horrorem nobis adferret, humanam ipſius carnem nudè manducare & ſanguinem bibere ſeipſum nobis attemperans, carnem & ſanguinem ſuum familiaribus panis viniqne ſpeciebus obueſtiuit. Annotant hoc inter alios patres, Ambroſius lib. 4. de ſacramentis cap. 4. & Cyrillus ad Lucam à D. Thoma his verbis citatus:

us : *Ne enim horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis*. Postremò panem & vinum adhibuit, vt mutuæ inter nos charitatis perpetuò nos admoneret, vt sicut ex collectis pluribus tritici granis fit vnus panis, & ex plurium racemorum liquore confluente fit vnum vinum: *ita vnum corpus* & anima vna, tum cum Christo Domino, tum inter nos mutuò, *esse niteremur, omnes qui de vno pane*, id est, Christi corpore panis speciebus velato, *participaremus*. 1 Cor. 10. v. 17. Annotat hoc ex vetustioribus se patribus Augustinus tractatu 26. in Iohannem. Atque hanc postremam ob causam, etiam azymum panem potiùs quàm fermentatum delēgit Dominus conficiendo huic sacramento sincerissimæ charitatis, quod omnem simulationem fictæ pacis excludit: fermentum enim hypocrisis & simulationis significationem habet (Luc. 12. v. 1.) quinetiam malitiæ & nequitiæ (1. Corint. 5. v. 8.) quam purissimum hoc Sacramentum similiter odit (vide sup. v. 17.) Quare Auctor libri de cardinalibus operibus Christi inter opera D. Cypriani; *Non oportet*, inquit, *esse fermentarios noui testamenti ministros, puras sinceraśq; mentes sanctum quærit conuiuium*. ET BENEDIXIT AC. καὶ εὐλογήσας & postquam benedixisset. *Benedixit* autem s. panem : hoc enim exigit verborum hîc series: *Accepit Iesus panem & benedixit ac fregit*, panem accepit, panem fregit, panem ergo benedixit. Quod clarius etiam est græcè: Postquam accepisset Iesus panem, & benedixisset, fregit. Nam & D. Paulus 1. Cor. 10. v. 16. benedictionem ad propositam materiam refert, cùm ait: *Calix benedictionis cui benedicimus*, &c. Similiter veteres patres plerique omnes, quando panem calicem que benedictione sacrari passim aiunt. Non est igitur sequēdum, quod quidam, signanterq; hæretici, *benedixit* interpretantur *Deo*, pro laudes dixit, gratias egit Deo. Nam quamuis Lucas & Paulus pro εὐλογήσας hîc dicant εὐχαριστήσας, quod ad Deum referendum videtur: non idcirco tamen & εὐλογήσας ad Deum referendū est, &, vbicumque legitur εὐλογεῖν, studiosè vertendū gratias agere, quod quidam hæretici faciunt: nam & similis harum vocum apud Euangelistas cōfusio exstat, vbi agunt de miraculis panum & piscium multiplicatorum, quibus locis quod vnus simpliciter dicit *benedixit*, alius autem *gratias egit*, tertius dicit *benedixit illos* seu *illis* panibus scilicet & piscibus. Marc. 8. v. 7. Luc. 9. v. 16. Ergo, quemadmodum illic annotauimus, non benedicere accipiendum est pro gratias agere, sed vbi Iesus dicitur benedixisse, illic intelligendus est & Deo gratias egisse, vt &, qui habitus est Deo gratias agentis, suspexisse in cælum. Rursus è diuerso, vbi dicitur suspexisse in cælum & gratias egisse, illic intelligendus est & benedixisse propositæ creaturæ : ita vt in hoc argumento, tum benedictione gratiarum actio cum suspectu in cælum, tum gratiarum actione benedictio, vt sunt res connexæ, pro more loquendi Euangelistarum comprehendatur, ad eum ferè modum quo aliàs gratiarum actio & oratio ex se mutuò intelliguntur, propter connexionem. Nam & Apostolus 1. Tim. 4. v. 4. 5. *sanctificari* dicit *cibum per gratiarum actionem, verbum Dei, & orationem*: quod enim priùs dixerat *gratiarum actionem*, mox vocat *orationem*. Tantùm autem abest, vt εὐλογεῖν benedicere accipiendum sit pro εὐχαριστεῖν. & vertendum gratias agere, vt potiùs cōtrà εὐχαριστεῖν gratias agere accipiendum sit pro εὐλογεῖν benedicere: id quod non absque magna similitudine veri duo nostri seculi viri docti, Iohannes Maldonatus in hunc locum, & Thomas Stapletonus in Antidotis, docent, præsertim ex veteribus patribus, qui Sacramentum hoc, Eucharistiam, εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, quasi dicas, cibum eucharistizatum, panem super quem gratiæ actæ sunt, aliisque similibus nominibus vocant, nec rarò nomen gratiarum actionis pro benedictione vsurpant: quod videri possit & Iohannes Euangelista fecisse cap. 6. v. 23. suffragante Interprete Syro. Nam & Syrum obseruauimus, sæpe, vbi in hac materia est εὐχαριστεῖν, vertere ܒܪܟ *berach* benedicere. Marc. 8. v. 6. Iohan. 6. v. 11. 23. Et quamquam vox ista, eadem cum hebraica ברך *berech*, videri possit ambigua, vbique tamē ea vtitur Syrus pro εὐλογεῖν, nō vbique pro εὐχαριστεῖν, vt etiam propriè declarat *benedicere*. Quid quòd Latinus Interpres 1. Cor. 14. v. 16., vbi Paulus, in vna eademque sententia, quod priùs εὐλογεῖν. postea εὐχαριστίαν dicit, vt εὐλογεῖν, ita εὐχαριστίαν vertit *benedictionem*? Sed ego hos loquendi modos, non tam inde natos arbitror, quòd εὐχαριστία seu gratiarum actio pro benedictione sumatur, quàm quòd à parte totum significetur, gratiarum actio inquam cum benedictione coniuncta (quemadmodum celebratio huius sacramenti alibi vocatur fractio panis, nec enim solent, aut benedictio esse absque gratiarū actione, aut gratiarum actio absque benedictione, si legitimè fiant. Quare Syrus Marc. 14. v. 23. circa calicem, coniunxit vtrumque: *Gratias egit & benedixit*, cùm græcè & latinè non aliud legatur quàm *gratias egit*. In eo igitur quod Euangelista hîc dicit, *Et benedixit*; intelligendum est, Iesum, & suspexisse in cælum, & gratias egisse Patri, & tandem benedixisse panem. Nam si in communibus cibis gratiarum actioni oratio iungitur, qua cibus sanctificetur, quod mox ex Paulo didicimus: multo magis Christus, instituens sacramentum, sic Patri gratias egit, vt etiam panē benedixerit & sanctificarit. Hunc sensum sequuta Ecclesia Catholica, texuit canonem Missæ hunc in modum : *Et eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit*. Primùm itaque, postquam accepisset in manus panem, suspexit seu eleuauit oculos in cælum, vt est ille habitus gratias agentis Deo, sicut diximus. Deinde gratias egit Deo Patri, & quidem de potestate à Patre accepta benedicendi panis & instituendi huius sacramenti; idque non tantùm vt filius hominis, verumetiam vt Filius Dei: solius enim filij hominis non erat, posse instituere huiusmodi sacramentum: quemadmodum autem potestatem eam dono à Patre acceperat vt filius hominis, ita natura seu origine à Patre acceperat, vt Filius Dei: voluit verò testatum facere, se Deo Patri sua omnia modis omnibus accepta referre, neque quidquam facere nisi ex eius tum potestate tum voluntate. Non rogat tamen Patrem eam potestatem, non enim iam ipsi erat à Patre impetranda, quam ab initio acceperat: sed vt certus de potestate sibi concessa, gratias agit etiam ante rem præstitam. simile Iohan. 11. v. 41. 42. Porrò quibus verbis gratias Deo egerit, incertum est: sed non est dubium, quin huiusmodi gratiarum actione, discipulos suos mirum in modum attentos reddiderit & excitauerit, ad reputandum institutionem nouorum mysteriorum tamquam maximorum & omni gratiarum actione dignissimorum. Postremò actis gratiis Iesus benedixit panem seu pani. Non dubium est quin initio cœnæ quoque panem & mensam benedixerit: sed quia ea benedictione nihil singulare voluerat operari, tantummodo vt filius hominis inuocare diuinam beneficentiam, vt mensa foret salutaris, quemadmodum consueuerunt serui Dei, idcirco illius benedictionis non meminerunt Euangelistæ. Ante hoc verò nouum conuiuium, omnes meminerunt gratiarum actionis & benedictionis,

nedictionis, & quidem etiam seorsum circa panem, seorsum circa calicem, significare volentes singularem quamdam & eximiam hanc benedictionem fuisse. Benedixit igitur panem, id est, consecrauit (vt Patres aliàs loquuntur & interpretantur, nominatim D. Ambrosius) sanctificauit, sacramentum corporis sui adeoque corpus suum effecit. Diximus sup. 14. v. 19., benedicere, cùm de hominibus dicitur, esse bene precari; at cùm de Deo & Christo, esse benefacere (vt dicere Dei est facere) & amplificationis vim facultatemque obtinere. Sic Mar. 10. v. 16. cùm puerulis, Luc. 24. v. 50. cùm discipulis suis benedixit Iesus, gratia vtrique sua eos auxit. Matth. 14. v. 19. & 15. v. 36. (quæ duo miracula, tamquam præludia sacramenti eucharistiæ, aliquando instituendi, præmiserat, id quod ex Iohanne constat) benedixit panem, quia dedit ei virtutem multiplicandi seipsum. Simili modo hoc loco *benedixit*, quia eò dignitatis extulit vt in corpus suum mutauerit. Nam & sic veteres patres benedictionem circa panem & calicem vrgent, tamquam efficacem & operantem id quod subest rei. Vnde Ambrosius lib. de his qui mysteriis initiantur cap. 9: *Quantis vtimur exemplis, vt probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur*, &c. *Benedixit* autem, etsi non adhibito signo crucis, quemadmodum nos ex Apostolica traditione facimus (vide suprà 24. v. 30.) postquam orbi promulgata est virtus crucis, ex qua omnis vis sacramentorum & bonum omne nostrum salusq; fluit (quod blasphemè Caluinus, vt est inimicus crucis Christi, magicam incantationem vocat) adhibito tamen signo aliquo externo, vt manus impositione, vel panis eleuatione aut agitatione in formam crucis ad quatuor mundi plagas, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum (quæ ceremonia frequentissima erat in sacrificiis veteris legis. lege interpretes Exod. 29. v. 24. 26.) omnino autem adhibitis his verbis *Hoc est corpus meum*. Nam etsi hæc verba non proximè subdantur ab Euangelista huic verbo *benedixit*: intelligendum est tamen coniuncta fuisse, quemadmodum docet D. Thomas Aquinas, cùm in proprio huius loci commentario, tum Summæ theologicæ parte 3. q. 78. a. 1. ad 1. Neque enim ita vrgere oportet significationem præteriti in aoristo εὐλογήσας, vt quæ sequuntur omnia, *fregit, dedit, ait*, necessariò post benedictionem facta fuisse, eoque ordine quo recensentur, oporteat intelligere. Nam Christus ipse comêdit priusquam discipuli ipsius, qui tamen non comêdit, priusquam pronunciasset hæc verba *Hoc est corpus meum*. Non adstringunt se Euangelistę in narrationibus suis ordini rerum gestarum. Potuit igitur hic ordo fuisse, Benedixit dicens Hoc est corpus meum, fregit, comêdit ipse, dedit discipulis suis, ait: Accipite & comedite. Quòd enim benedictio panis, his verbis *Hoc est corpus meum*, à Iesu facta fuerit, Iesuque exemplo etiã hodie fiat à nobis, quamuis effreni Bezæ magicam verborum sacramentalium murmurationem libeat appellare, passim docent antiqui doctores. Ex quibus Ambrosius Latinus libri de his qui mysteriis initiantur capite 9: *Ante benedictionem*, inquit, *verborum cælestium, alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur*, &c. Et paulò antè: *Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur?* &c. Chrysostomus Græcus tom. 3. Homilia de proditione Iudæ: *Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, ait, corpus meum: hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dixit: Crescite & multiplicamini & replete terram, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa, semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ, vsque ad hodiernum diem, & vsque ad eius aduentum, præstat sacrificio firmitatem.* hæc Chrysostomus, conferens Dei verbum quo initio benedixerat animalibus, cum eo verbo quo iam benedixit pani. FREGIT. Panem benedictum fregit more patrumfamilias (vide sup. 14. v. 19.) in tot partes, quot cum ipso erant Apostoli conuiuæ: distribuendi enim causa fregit. Nec dubium quin manibus fregerit, quamquam etiamsi aliter partitus fuisset, fregisse dictus fuisset Hebræis, quibus omnis ille panem frangere dicitur, qui cum aliis panem suum communicat; inde sumta loquendi forma, quòd panis proprium sit frangi ad hoc vt edatur. Nam quòd quidam existimant, Iesum fregisse panem, modo quodam sibi peculiari, non est verisimile, postquam modum illum ignoret nec sequatur Ecclesia. Quòd enim *fractio panis* alibi vocetur celebratio huius mysterij (Act. 2. v. 42.) à parte totum significatur, nomine obscuriori, quòd fideles facilè intelligere queant, infideles irridere non possint, quemadmodum aliàs vocatur *eucharistia* seu *gratiarum actio*. Etsi autem panem benedictum fregerit Iesus, non tamen fregit corpus suum, sed panis species quæ remanserant, & quidem propriè panis dimensiones, corpore ipso permanente integro, vt antè sub tota panis quantitate, ita iam sub singulis partibus eius quantitatis diuisæ, eo modo quo hominis anima tota est in singulis membris corporis. DEDITQVE s. panem illum. Omnia verba regunt eundem accusatiuum, sed non eodem modo se habentem: accepit enim panem vulgarem, sed dedit benedictum benedictioneq; mutatũ. Ex pluribus partibus in lance vna dispositis, dedit singulis partem vnam: vel potiùs, placentulam totam vna manu tenens, fregit altera, primamque quam fregerat partem dedit vni, mox alteram fractam alteri, & sic deinde: quemadmodum facere solent, qui ex libo delicatiore singulis sociorum particulam distribuunt, vt verè panis hic erat idoneus qui præberet delicias etiam Regibus. Sic enim distribuit ipse, vt nihil superesset aut periret. *Dedit* autem in manus discipulorum, quamquam non malè hodie detur in os. DISCIPVLIS SVIS. Apostolis suis. Primus dedit sibi ipse partem vnam Dominus Iesus, *ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur* (ait Hieronymus epistolę 150. ad Hedibiam quæstione secunda) tum sacrificij absoluendi causa, tum vt discipulos inuitaret, ne fortè abhorrerent, audientes esse corpus ipsius. Hinc Chrysostomus: *Ipse quoque*, inquit, *bibit ex eo, ne auditu verbis illis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus & carnem comedimus? ac ideò perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur id tunc quoque accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorũ induceret.* Similia habet Chrysostomi abbreuiator Titus. Vbi autem primus ipse sumserat partem suam, dedit deinde singulis Apostolis partem vnam: nec præteriit Iudam proditorem (quod veteres Patres plerique omnes docent) quamuis indignissimum, tum quòd adhuc occultum esset eius crimen, tum quòd noluerit ei vllam exasperationis causam præbere. *Vt tu discas*, inquit Chrysostomus hîc, & ex eo Victor in Marcum, *nihil eorum prætermisisse, quæ eum ad suam mentem reducere quoquo modo poterant*. Mera porrò calumnia est quod Bucerus hîc scribit, per *discipulos*, sacerdotes solos à nobis peruersè exponi: neque enim Apostolos in hac sacramenti institutione sacerdotum, sed populi locum tenuisse docemus. Christus ipse hîc sacerdotis partes obiit, obtulit eucharisticum sacrificium, cuius postquam parti-

cipes

cipes fecisset Apostolos, sacerdotes ad offerendum hoc idem sacrificium ipsos ordinauit, illis verbis Luc. 22. v. 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* ET AIT. καὶ εἶπε & dixit. ACCIPITE. Similis Caluini calumnia est, vrgētis hanc vocem hoc modo: *Mira est ista anastrophe, vt mortalis homo, dum Christi corpus accipere iubetur, sibi eius offerendi partes arripiat: atque ita sacerdos à seipso creatus, Deo filium suum immolet.* Nec enim à seipso creatus sacerdos est, cui Dominus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* neque ideò offert, quia iussus à Domino est accipere, sed quia iussus à Domino est hoc facere quod Dominus ipse fecerat. Iā quid exspectet, qui offerente Christo Filio Dei viui iubetur accipere, nisi donū aliquod magnificentissimum simul & vtilissimum? ET COMEDITE. Græcè & syriacè legitur sine copula. Hic exprimit vsum illius quod affert doni: ita enim accipiendum est, vt comedatur nobisque intimè vniatur, sic vt vnum corpus fiamus & vnus spiritus. *Comedite* inquit. Atqui iam quod satis erat comederant, refecti agno paschali inprimis, deinde & reliqua cœna liberali: vt quid iterum inuitantur ad comedendum? Comessationes abominatur Iesus, non præter morem tamen comessantium facit, qui mensam semel ablatam iterum sternunt, vt maiores prioribus delicias apponant. Duo quædam voluit suis significata, Vnum, quòd loco agni paschalis hunc deinde cibum comesturi essent. *Præcipuam,* inquit Chrysostomus, *solemnitatem eorum* (Iudæorum) *dissoluit, ac ad aliam eos mensam horroris plenam conuocat.* Alterum, quòd longè alium cibum & alterius generis iam ipsis offerret, quàm hactenus comederant, longè & pretiosiorem & vtiliorem, quo non corpus sed animus reficeretur, qui non mutaretur in naturam comedentium, sed in cuius naturam ipsi comedentes mutarentur, iuxta id quod de eo B. Augustinus ait: *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Nam quamuis ore comedatur corpus Christi, id est, ex ore in stomachum, per naturalia humani corporis instrumenta, linguam & palatum, transmittatur: non absolutè tamē & secundùm se comeditur, sed quatenus est sub speciebus panis: absolutè autem & secundùm se, non secundùm species, reficit mentes comedentium easque ad se raptas Deiformes reddit. HOC. Subauditur cōiunctio *enim*, quam exprimit Euangelista ad calicem: ideò enim ad comedendum hortatur, eò quòd corpus ipsius sit. q. d. Scitis quòd aliquando vos docuerim: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Ioh 6. v. 53.) Ecce iam carnem Filij hominis: comedite igitur, vt vitam habeatis in vobis. Neque verisimile est tam paucis verbis Dominum vsum esse, quàm scribant Euangelistæ. Pronomen autem *hoc*, τοῦτο, neutro genere, respondet ei cui adiungitur nomini *corpus*, τὸ σῶμα, quemadmodū mox dicitur *Hic est sanguis meus.* Hæretici tam Lutherani quàm Caluiniani, dicunt eo pronomine panem demonstrari, tamquam dicatur Hic panis est corpus meum. *Panem Christus vocat corpus suum,* inquit Caluinus: *relatiuum enim hoc, refert panem, non corpus.* Atqui grammatica non permittit discrepantiam generis inter substantiuum & adiectiuū, qualis est inter ἄρτος & τοῦτο, inter *panis* & *hoc.* Sed substantiuè accipi aiunt *hoc* pro *hæc res*, panis scilicet. Nec hoc esse potest, sic enim dicendum fuisset *Hic panis est corpus meum*; vel *Hic est corpus meum*, subaudito nomine *panis* ex præcedentibus, præsertim verborum serie id non permittente tantùm, verumetiam postulante. Nam quemadmodum nemo de indiuiduo quod clarè videtur & cognoscitur, dicit *hoc* seu *hæc res est homo, est bestia, est lapis*; sic nec de hoc pane qui coràm cernitur, dici potest *hoc* seu *hæc res est corpus meum.* Subiectum enim cùm notius esse debeat prædicato, non est exprimendum nomine generali, quando particulariter cognoscitur. Quòd si particulariter non cognosceretur, sed solùm vniuersaliter, vniuersali quoque seu generali nomine describendum esset; verbi gratia, Si ego & socius meus videamus longè hominem, nec discernat socius meus sitne homo an arbor, dicam ego ipsi rectè, *hoc* seu *hæc res est homo*: sed is si appropinquet, & socio meo non minùs quàm mihi planè innotescat hominem esse, non ampliùs dicere possim *hoc est homo*, sed *hic est homo*. Quamobrem Doctores scholastici, nominatim D. Thomas Summæ p. 3. q. 78. a. 5., qui & ipsi *hoc* substantiuè accipiunt, non panem demonstrari docent, verùm substantiam absque determinatione propriæ naturæ, contentam sub his speciebus, idque ideò quòd subiectum ignotum sit in particulari, quippe quod non sit panis, prout apparet sensibus, sed sit id quod prædicato significatur, corpus inquam Christi, propositione prolata. Cæterùm non est opus pronomen *hoc* substantiuè accipere, quemadmodum manifestum euadit ex consimilibus verbis *Hic est sanguis meus* seu *calix sanguinis mei*: vbi sicut *hic* demonstrat sanguinem meum, ita istud *hoc* demonstrat corpus meum. Nec tamen tautologia est, aut, vt dialectici loquuntur, propositio identica, tamquam diceretur Corpus meum est corpus meum, ridiculè: sed est rectissima & vsitatissima loquutio, qualis si dicas *hic est homo*, aut *hic est frater meus*: quæ propositiones non sunt identicæ. Nam quamuis subiectum & prædicatum idem significent, non tamen eodem modo: subiectum rem significat vocula generali, communi, & obscura: prædicatum verò nomine particulari & claro, quo res possit ab aliis distingui: quo tamen subiectum est notius, propter demonstrationem. Simili modo loquendi, Adam experrectus dicit de Eua formata ex costa sua Gen. 2. v. 23: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Simili ratione Moses, quærentibus Israëlitis de manna *Quid est hoc*, eò quòd ignorarent quid esset, respōdit: *Iste est panis quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Exod. 16. v. 15. Et vt exemplum proposito magis etiam affine adferamus: Si Christo Domino placuisset, aquam in nuptiis coram se positam in vinum conuertere his verbis, *Hoc est vinum*; pronomen *hoc*, non substantiuè pro hac re aut hac substantia, multoque minùs pro aqua acceptum fuisset (neque enim aqua potest esse vinum) sed adiectiuo genere conueniente cum substantiuo, significatum fuisset nihil aliud adesse quàm vinum. Eodem modo in verbis propositis, *Hoc est corpus meum*, quibus panem Christus conuertit in corpus suum (nam etsi non ex significatione verborum, ex mente tamen proferentis Christi efficax & operatoria fuit hæc propositio) *hoc* non substantiam in genere demonstrat, multoque minùs panem (neque enim panis esse potest corpus Christi, magis quàm aqua vinum) sed aliud nihil adesse aut à Christo Domino porrigi, quàm corpus suum. Dicas: Cùm Christus efferret pronomen illud primum *hoc*, nondum erat *hoc* corpus Christi, quod non successiuè, sed momentò fit ex pane, verbis omnibus pronunciatis: quomodo igitur potuit *hoc* demonstrare corpus Christi quod nondum erat? facilis est responsio, quòd huiusmodi propositiones efficaces, quæ hoc re ipsa efficiunt quod significant, eæ præsertim quibus rerum natura mutetur, vt veræ non sunt nisi integrè pronunciatæ, ita hoc demonstrare intelligendæ sunt, quod mox erit illis integrè pronunciatis, non id quod est eo momento quo pronomen profertur, quamuis ad illud habeatur respectus, vt ad terminum à quo, siue ex quo, ipsius operationis. Quemadmodum, si Deus creasset hominem ex limo terræ accepto, his

verbis Hic est homo, *hic* demõstrasset hominem qui exstitisset his verbis dictis, ex limo tamen terræ creatum. Sic superiori illo exemplo de aqua & vino, significatum fuisset nihil aliud adesse quàm vinum, sed ex aqua mutatum. Eodem prorsus modo *hoc* demonstrat corpus Christi, quod erit prolata hac propositione *Hoc est corpus meum*, qua veritas ita significatur, vt etiã efficiatur, sed vt ex pane factum. EST. Nullam huic verbo figuram affingi posse, rectè docent Auctores, contra hæreticos illos qui illud accipiunt pro *significat*, inter quos Beza: *Est*, inquit, *ἐστὶ, metonymice*. Nam cùm sit verbum omnium simplicissimum, in quod alia omnia verba resoluuntur, ipsum verò in nullum aliud, quod grammatici vocãt *substantiuum*, quodque Philosopho doctore solam declarat vnionem extremorũ, nihil aliud significans quàm ipsum esse rebus omnibus commune, denique quod hebraica & syriaca linguæ ferè non exprimunt, sed subaudiunt, vt certè hoc loco; nulla in eo figura esse potest: sed si quæ figura in propositione sit, ea vel in subiecto vel in prædicato necesse est lateat: quod manifestum etiam in hac propositione *Hoc significat corpus meum*, fit, si resoluas eam: *Hoc est significans corpus meum*. Quod adferunt *Petra erat Christus* 1. Cor. 10. v. 4. positum esse, pro petra significabat Christum, decipiunt: sensus enim loci indubitatus est: Christus autem erat petra illa spiritalis consequens eos. Non itaque Christus Dominus ait, *Hoc significat*, aut *Hoc apparet*, sed *Hoc est corpus meum*. Non est quod videtur panis: sed est quod dico corpus meum. CORPVS MEVM. τὸ σῶμά μου ipsum corpus meum. Hoc non iam panis est secundùm substantiam, sed verum & viuum corpus meum, illud ipsum quod cernitis mensæ vobiscum accumbere. Sic vrgendus est articulus τὸ, quem omnes Euangelistæ & Paulus quoque non frustra addunt. *Corpus* autem ait, non *caro*, quia multa sunt de substantia corporis, quæ non de carnis, vt, ossa, nerui, &c. Rursus *corpus* ait, non *sanguis* aut *anima*: neque enim panis conuertitur in sanguinem aut animam, sed in solum corpus: quod tamen cùm sit viuum, necessariò comitantur sanguis & anima. Caluinus in hoc propositionis prædicato figuram statuit, & quidem metonymiam, non verum corpus, sed symbolum siue signum corporis intelligens, docensque locutionem esse sacramentalem, qua externum signum dicitur id esse quod figurat, panis inquã figura corporis Christi, dicitur esse corpus Christi. Quasi verò omnis locutio de sacramento siue signo necessariò excludat rem signatam, neque possit consistere, idem vnum, & sacramentum esse vna ratione, & rem sacramento signatam alia; sacramẽtum secundùm externas species, quibus doceamur non secus pasci animas nostras carne ipsa Christi, quàm panis vigorem corporibus nostris instillet; rem signatam, carnem inquam Christi, secundùm substantiam. Immo verò sacramenta, clarissimis & maximè propriis verbis, vt debent, ita solent à Deo institui, ne in vsu eorum erretur: id quod manifestum est de omnibus veteribus sacramentis, nominatim, Gen. 17. de circũcisione, Exo. 12. de agno paschali, de baptismo nouæ legis sacramento Matth. 28. &c. Igitur quia videt hæresiarcha, se, & hîc, vbi non explicatur, sed instituitur eucharistiæ sacramentum, premi clarissimis Christi verbis, docet, hoc sacramento, non signo tantùm, sed & re ipsa exhiberi veram carnis Christi manducationem; immo non docet, sed dicit subdolè, verbis fucum faciens. Nam vt hoc declaret, ait, *Christi carnem, longe dissitam licet, nobis communicari, id est, nos vitam ex ea percipere, arcana Spiritus sancti virtute, quæ res seiunctas ac procul dissitas aggregare & coädunare in vnum potest, estq́, nexus quo copulamur, & quidam velut canalis per quem quidquid Christus & est & habet ad nos deriuatur: quemadmodum solis radij, solis quodammodo substantiam in terram traijciunt ad vegetandos eius fœtus*. Atqui non est hæc vera carnis Christi manducatio nostrique cum ea coniunctio, sed spiritualis & impropria, nec enim carnis Christi, sed effectus carnis Christi, seu vitæ quam nobis Christus in carne promeruit, manducatio siue perceptio est, quæ tam per baptismum, quàm per eucharistiam credentibus exhibetur, nec minùs per fidem solam, quàm per fidem & sacramentum. *est enim manducatio fidei effectus, nec sine fide manducari Christus potest*, ipso doctore. An verò, quia solis radij, solis substantiam quodammodo in terram traiiciunt, & terræ communicant, idcirco terram soli reipsa coniungi, & terram, aut nos qui terræ fructibus solis calore natis vescimur, solem aut solis corpus substantiámue manducare, quisquam dicere audebit? Nec aliter Spiritus sanctus, res à se mutuo seiunctas, quamdiu tales manent, coädunare potest, nisi virtute seu effectibus: nam vt reipsa coniungantur, quę reipsa seiunctę manent, contradictionem implicat. Sed cõmentarium eius, verbosum, futilem, & secum pugnantem, non ego mihi sumsi refutandum, id quod ab aliis præstitum est: nullis vnquam certè verbis efficiet, vt corpus Christi verè ac reipsa nobiscum communicari persuadeat, nisi realem illius in hoc sacramento præsentiam agnoscat. Nam quòd, vt diximus, *corpus* exponit symbolum corporis, apertissimè refutatur illis verbis, quæ apud Lucam & Paulum adduntur *Quod pro vobis datur*; illud ipsum corpus meum, quod pro vobis datur (nihil autem aliud pro nobis datum est, quàm ipsissimum corpus Christi) præter plurima alia eius rei argumenta, tum ex sacris Scripturis tum aliunde petita, quæ à doctissimis viris ex professo enarrata sunt, è quibus illud vnum hîc adscribam, quòd Christi mens hîc fuerit, vt suprà docuimus, in locum veteris paschæ nouum surrogare. Vetus autem pascha, agnum inquam, figuram fuisse corporis Christi pro nobis in cruce offerendi, nemo potest ire inficias, cùm Scriptura sit clara ea in re (Iohan. 19. v. 36.) Si igitur nihil aliud Christus in hac cœna dedit, quàm figuram siue symbolum corporis sui in cruce offerendi, *quo sumto ore simul & fide assurgeremus in cælum, & crederemus, arcana spiritus virtute, Christi corpus nobis communicari, id est, ex Christi carne, quamuis ea longè distet à nobis, nec misceatur nobiscum, vim viuificam in nos per spiritum diffundi* (sunt verba Caluini) nihil aliud igitur, qui figuris voluit finem imponere, quàm figuram figuræ substituit, & quidem obscuriorem clariori. Agnus enim mactatus, longè clariùs ob oculos ponit corpus Christi crucifixum, quàm panis: idemque agnus comestus, tam idoneus sit ad excitandam in nobis fidem, qua apprehenderemus vim viuificam carnis Christi à Spiritu sancto in nos diffusam, quàm panis, vt ne dicam magis idoneus: non enim minùs, immò magis, caro nutrit & dat vitam, si comedatur, quàm panis. Fallit igitur Caluinus, maius enim & perfectius aliquid agno veteri dare suis Christus voluit, seipsum inquam agnum Dei tollentem peccata mundi. Non igitur ille audiendus est in interpretatione horum verborum, quippe subuersor non interpres, sed Ecclesia Christi catholica, quæ quomodo hæc verba iam inde ab initio intellexerit, discimus ex veterum scriptis, qui, seculis omnibus continuis ad hoc vsque, variis licet egerint in partibus orbis, vnanimiter constanterq; docuerunt, non figuram, non symbolum, non exemplar, non imaginem, sed ipsum verum corpus suum, à Domino Iesu his verbis datum. Horum grauissima testimonia, ex aliorum libris, qui ea diligentissimè collegerunt, petenda relinquimus

quimus: nos Scripturam tractamus, quam aduersarij cùm claram & perspicuam esse clament, nescio qua parte clarior esse possit quàm ista qua dicit: *Hoc est corpus meum*. Quid enim clarius, quid simplicius dici possit, etiamsi linguæ omnes in vnum conuenirent? qui magis perspicuè res intelligenda dari queat, quàm huiusmodi verbis *Hoc est illud?* Neque conuenisset vllo modo, vltima hæc Christi verba, quibus perpetuum instituit nouæ legis sacramentum, quod in perpetuo suorum vsu, suique perpetuam memoriam esse voluit, obscura aut figuris intricata esse, præsertim apud Apostolos, quos primos huius sacramenti faciebat participes, & instruebat vt futuros orbis terrarum magistros, coram quibus parabolis vti non consueuerat, nisi etiam explicaret, *vt quibus datum esset nosse mysteria regni Dei* (Luc. 8. v. 10.) Quòd si nihilominus ita fuisset, & subfuisset his verbis obscuritas aut figurata siue impropria locutio, at aliquis trium Euágelistarum, vel certè Apostolus Paulus, qui diuersis temporibus & locis eadem hac de re scripserunt, eam explicuisset, his aut similibus verbis: *Hic panis est corpus meum*, quæ Lutheranorum; vel *Hic panis est figura corporis mei*, quæ Caluinianorum interpretatio est. præsertim cùm non ignorarent, Capharnaïtas aliquando, simili loquendi modo offensos, magno numero Christum deseruisse. Iohan. 6. v. 60. 66.) Videmus quî alijs plerisque in rebus narrandis Euangelistæ verbis discrepent, vnusque clariùs dicat quod alius obscuriùs, aut certè aliis atque aliis verbis recitent: quî fit vt præter morem omnes hîc eisdem prorsus citra variationem vtantur verbis, nisi quia ita clara sunt hæc verba, vt clariùs exprimi res nequeat? Circa calicem Lucas & Paulus obscuriùs dixerunt: *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*; clariùs Matthæus & Marcus: *Hic est sanguis meus noui testamenti*. At circa panem, quia nihil clariùs dici poterat, quàm, *Hoc est corpus meum*, omnes hæc ipsa verba retinuerunt. Neque Apostoli ipsi quoque, audientes hæc verba ex ore Christi, in hac vltima cœna, vllam parabolam aut figuram imaginati sunt, quam petierint sibi exponi, ingenuè confitentes Iohan. 16. v. 29: *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: in hoc credimus, quia à Deo existi. Sed quomodo turbati non fuerunt cùm dicentem audirent: Hoc est corpus meum.?* rogant Chrysostomus & Titus: respondent: *Quia multa iam & magna de hac ipsa re antea apud eos disseruisset.* Memores fuerunt Apostoli doctrinæ in synagoga Capharnaïtana aliàs à præceptore traditæ, quòd *caro ipsius vere esset cibus, & sanguis ipsius vere potus* (Ioh. 6. v. 55.) propter quam *multi discipulorum tunc abiissent retro*, ipsi autem duodecim rogati *Numquid & vos vultis abire?* respondissent: *Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus quia tu es Christus Filius Dei.* (Ioh. 6. v. 66. & sequentibus) Minùs itaque turbati aut mirati fuerunt, cùm Iesus præstans id quod tunc promiserat *Panis quem ego dabo, caro mea est* (Iohan. 6. v. 51.) iam diceret: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Ita enim altè infixum erat eorũ cordibus, Iesum esse Christum Filium Dei viui, penesque eum esse verba vitæ æternę, vt quidquid diceret firmissimè crederent, etiamsi corporis sensibus repugnaret. Quæ fidei simplicitas quamdiu in Ecclesia viguit, tamdiu nulla fuit, de horum verborum *Hoc est corpus meum* sensu, & de reali corporis Christi in hoc sacramento præsentia, dubitatio. Sed quando cœperunt homines (qua facilè laborant temeraria curiositate) plus suo iudicio quàm Christi auctoritati, plus sensibus suis quàm Christi verbis tribuere: cœperunt tamquã noctuæ tenebras imaginari in meridiana luce, & variis tropis obscurare clarissima verba. *Veritas enim* (ait Auctor libri de card. oper. Christi) *ab erroneis hominibus comprehendi non potuit: & cùm in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata est non illuminata humana præsumtio, & adspectus eius lippitudo inhæsit.* Nam inter alios Caluinus ac Beza nobiles, suum illud de metonymica verborum istorum acceptione commentum, hac ratione probant, quòd nec localem præsentiam, nec Christi descensum, nec infinitam extensionem seu corpus Christi immensum, nec localem coniunctionem, nec aliud quidquam tale, quod nequeat cum veritate humanitatis Christi consistere, postulet: eò quòd non capiant, quomodo propria verborum Domini interpretatio & Catholica veritas, hæc non postulet. Propter huiusmodi igitur, aut potiùs propter alios ab huiusmodi peruersis seductos, opus fuit lucernas adhibere ad illustrandum solem, & Concilia œcumenica cogere, quibus declararetur, non alium esse horum verborum sensum, quàm eum qui se primùm audientibus offert: id quod ita declaratum & definitum est, Conciliis Constantiensi & Tridentino, quibus tandem est standum. Quum igitur constet, eum esse horum verborum *Hoc est corpus meum* sensum, qui se primùm audientibus offert, esseque verè ac reipsa præsens in eo quod hîc instituitur sacramento sacrificioque corpus Christi, & tamen sensibus nihil aliud adesse appareat, quàm qui priùs fuerat, panem: necesse est credere, remanentibus accidentibus, quæ signorum officio fungantur (accidentia enim, vt sufficiunt, ita magis idonea sunt ad significandum) totam substantiam panis in totam substantiam corporis Christi esse conuersam. Non enim dici potest, panem remanere vnà cum corpore Christi, quæ hæresis est Lutheranorum: nam præterquam, quòd panis non possit esse aut dici corpus Christi, vt disparata non possunt de se mutuò prædicari, non potest corpus Christi hîc fieri præsens, nec quidquam esse alicubi vbi priùs non fuit, nisi vel per creationem, vel per loci mutationem, vel per alterius conuersionem in ipsum. Manifestum est autem non fieri hîc præsens corpus Christi per creationem, quia iamdiu creatum & per se subsistens, iterum creari nequit; neque per loci mutationem, non enim deserit cælum, neque tamquam in loco adest in sacramento: fit igitur præsens per conuersionem substantiæ panis in ipsum. Iam id cuius substantia conuertitur in aliud, non remanet, sed desinit esse: non remanet ergo panis. Hanc conuersionem Ecclesia proprissimè transsubstantiationem vocauit, quia ita substantia vna in aliam conuertitur, vt non etiam conuertantur eius substantiæ accidentia. Hæc doctrina, vt ex verbis Christi Domini clarè sequitur: ita à veteribus doctoribus clarissimè asseritur. Quò fit vt non me contineam, quin Caluini impudentiam hîc iterum notem, qui quod Patres dicunt de mutatione panis in corpus Christi, de mutatione, non substantiæ, sed conditionis vsusque panis, interpretatur, *quòd terrestris panis mutetur in alium vsum, vt symbolum corporis Christi & spiritualis cibus esse incipiat.* Si adferret ipsa Patrum verba, refellerent ea vel audita interpretationem peruersam; vt cùm dicunt, *panem transmutari, transformari, transelementari, in corpus Christi; conuerti in substantiam corporis Christi, in dominici corporis transire naturam, non effigie, sed natura mutari, omnipotentia verbi carnem fieri, &c.*, idque allatis exemplis, creationis rerum ex nihilo, conuersionis fluuij in sanguinem, partus ex virgine, mutationis aquæ in vinum, & aliis huiusmodi: sed petantur ea ex aliis. Iam cùm constet etiam, corpus Christi, quod transsubstantiatione in hoc sacramento præsens est, viuere (*Christus enim resurgens ex morte non amplius moritur.* Rom. 6. v. 9.) viuum autem corpus sine anima & sanguine esse non posse: liquidum quoque fit, &

animam & ſanguinem hîc adeſſe, quinetiam diuinitatem, quæ numquam relinquit ſemel à ſe aſſumtam naturam humanam, adeoque Chriſtum totum; ſed corpus quidem eius, vi ſermonis illius efficacis *Hoc est corpus meum*, reliqua autem eius, ſanguinem inquam, animam, & diuinitatem, connexione naturæ. Hæc itaque perfecta fidei doctrina eſt de hoc ſacramento, partim diſertis verbis à Chriſto Domino tradita, partim neceſſaria conſecutione ex eius verbis collecta: cuius reprobatoribus iamdiu anathema dixit Eccleſia catholica.

Mar. 14. v. 23. Luc. 22. v. 20.

Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. [27] καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, καὶ εὐχαριστήσας, ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων· πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες.

ET. etiam. ACCIPIENS. λαβὼν poſtquam accepiſſet. CALICEM. τὸ ποτήριον poculum. Græcam vocem, quæ *poculum* in genere declarat, conſueuit Interpres *calicem* vertere, tum in Euangeliis tum in Pſalmis (eundum enim vtrorumque Interpretem eſſe arbitror, Hieronymo caſtigatore) ſed acceptum pro quouis vaſculo potorio, quem quidam pro certo genere huiuſmodi vaſculi capiunt. Porrò qualis fuerit forma iſtius dominici calicis, incertum eſt: hoc tamen eſt certum, calicem quo nos hodie in myſteriis vtimur, eius eſſe formæ, cuius fuit vas illud quo manna Dei iuſſu aſſeruatum fuit Exod. 16. v. 33., prout videre licet ex ſiclo, habente vno ex latere virgam Aaron, ex altero iſtud vas, cuius figura ex antiquiſſimo numiſmate ſculpta, exſtat in Bibliis Regiis, operà Ariæ Montani & Chriſtophori Plantini. *Calicem* autem ſ. plenum vino, aqua mixto. Non fuit calix plenus aqua, ſed vino; vino autem, non mero, ſed diluto, pro more regionis, tum temperantiæ, tum ſanitatis rationem habente: vt eſt potus humanæ naturæ maximè conueniens, vinum aqua mixtum. Multis hoc docet Cyprianus Epiſtola 63. ad Cæcilium, redarguens vt exempli præceptique dominici tranſgreſſores, qui alium quàm vino & aqua mixtum calicem offerunt: vbi inter cætera ait: *Calix Domini, non eſt aqua ſola aut vinum ſolum, niſi vtrumque ſibi miſceatur: quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola aut aqua ſola, niſi vtrumque adunatum fuerit & copulatũ, & panis vnius compage ſolidatum*. Cur autem ex vino ſanguinem ſuum Dominus conſecrarit, idque remanente vini ſpecie, diximus ad ſuperiorem verſiculum, cùm de pane & corpore ageremus. Sed cur vinum potiùs adhibuerit quàm aquam, ratio eſt, quia vinum ſimilius eſt ſanguini quàm aqua, ita vt in ſacris literis vinum *ſanguis vuæ* vocetur. Deut. 32. v. 14. Aqua frigida eſt & terrea, vinum & ſanguis calida & aëria ſunt. Vinum autem aqua mixtum eſſe voluit, præcipuè duas ob cauſas, quas adferunt ſancti Patres, quarum prior fuit, vt ſignificarentur ſanguis & aqua ex latere ipſius mortui effluxa, quæ extat in Epiſtola decretali Alexandri Papæ primi, to. 1. Conc.; poſterior, vt vnio Chriſti & Eccleſiæ ſignificaretur, *vt Chriſto populus adunatus*, inquit Cyprianus, *& credentium plebs ei in quem credidit copulatus iunctuſq. intelligeretur* (*Aquæ enim populi ſunt*. Apoc. 17. v. 15.) quam rationem clariùs explicat Liturgia Romana his verbis: *Da nobis per huius aquæ & vini myſterium, eius diuinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt particeps*. Iam quare ſeorſum panem, ſeorſum vinũ, Dominus conſecrarit, duę quoque potiſſimę videntur cauſæ fuiſſe; Vna, vt hoc ſacramento ſacrificioque clariùs exhiberetur ipſius mors, panis ſpeciebus referentibus corpus exſangue, vini ſpeciebus ſanguinem à corpore ſeparatum. Altera, vt perfecti conuiuij, conſtantis cibo & potu, formam præ ſe ferret myſterij huius celebratio, quo corpus aliquãdo mortuum in cibum, ſanguis olim effuſus in potũ ſumeretur. GRATIAS EGIT ET. καὶ εὐχαριστήσας & poſtquam gratias egiſſet. Eadem egit Chriſtus circa calicem, quæ circa panem. Quare, iuxta ea quæ ſuperiori verſiculo diximus, quemadmodum Euangeliſta illic dicens quòd Ieſus *benedixit* panem, intelligit quòd & ſuſpexit in cælum & gratias egit; ita hîc dicens quòd *gratias egit*, intelligit quòd & ſuſpexit in cælum & benedixit calicem: ita vt, tum Euangeliſtæ tum ex eis veteres ſcriptores eccleſiaſtici, pro eiſdem habeant, ſiue dicant *gratias egit* ſiue *benedixit*, quia alterum ex altero intelligatur. Quare Cyprianus epiſtola illa ad Cæcilium, citans hunc locum, recitat *benedixit* loco *gratias egit*. Ab hoc porrò verbo εὐχαριστεῖν gratias agere, nomen accepit hoc ſacramentum *euchariſtia*, tum quia cum gratiarum actione, & quæ eam comitatur benedictione, à ſacerdote Chriſti perſonam gerente conficitur, tum quia vſus eius requirit ſummam actionem gratiarum, pro immenſo illo beneficio redemtionis noſtri per ſanguinem Filij Dei, in cuius memoriam eſt inſtitutum. DEDIT ILLIS. diſcipulis ſuis, poſtquam primus ipſe guſtaſſet. BIBITE. *Quàm præclarus eſt calix iſte* (inquit Auctor libri de cardinalibus operibus Chriſti) *quam religioſa eſt huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum huius mundi, ſed diuitiis purpurati delitias contemnentes, cruci hæremus, ſanguinem ſugimus, & intra ipſa redemtoris noſtri vulnera figimus linguam?* EX HOC. ἐξ αὐτοῦ ex eo ſ. *calice*. ſic Richelius; vel ex eo ſ. *quod hoc calice continetur*. OMNES. ſinguli aliquid. Cùm non poſſet Ieſus calicem niſi vni dare, proximo inquam, ne ille ſibi ſoli datum exhauriendum opinaretur, ſed ſciret, poſtquam guſtaſſet ipſe, proximo dandum eſſe, & ille ſequenti, & ſic deinceps, donec omnes eum libaſſent, addidit porrigens calicem primo *Bibite ex eo omnes*, ſeu, vt de priore calice Lucas loquitur (cap. 22. v. 17.) *Diuidite inter vos*, quod idem vnum eſt. Hæc igitur manifeſta cauſa eſt, cur potiùs hîc ſcriptum ſic Ieſum dixiſſe *Bibite ex eo omnes*, quàm ſuprà *Comedite ex eo omnes* (quamquam & hoc dixerit Ieſus, teſte ſacro miſſæ Canone, citato à D. Ambroſio lib. 4. de ſacramentis cap. 5.) quia panem benedictum ipſe ſuis manibus porrexerat ſingulis, calicem autem, cùm nõ ſic commodè poſſet, in orbem ire iuſſerat. Hæretici, nominatim Beza & Caluinus, interpretantur hoc præceptum eſſe, quo mandetur abſolutè omnibus, vt quotieſcumque ſumunt panem Domini, ſumant & calicem: ſed fallunt, præſentes enim ſolos Apoſtolos Ieſus alloquitur, eos videlicet quibus dat calicem, quos, in hac prima ſacramẽti inſtitutione, vult, veriſimile eſt, non tantùm comedere panem, ſed & bibere calicem. Quocirca, vt Matthæus ſcripſit dictum à Domino fuiſſe *Bibite ex eo omnes*; ita Marcus ſcripſit *Biberunt ex eo omnes*. *Biberunt* autem ſoli Apoſtoli: ſolis igitur Apoſtolis dictum fuerat *bibite*: vnum enim horum alteri reſpondet. Quare Syrus pronomine addito vertit: *Bibite ex eo vos omnes*. Numquam hoc intellexit Eccleſia catholica, præcipi hoc loco aut quouis alio ſ. Scripturæ, vt quoties corpus Domini ſumitur ſub ſpecie panis, toties ſumatur & ſanguis ſub ſpecie vini:

immo

Immo ab initio hoc semper obseruauit, vt communionem sæpe daret sub vnica specie, quemadmodum ex scriptis veterum manifestum est. A sacerdotibus, sacrificium hoc celebrantibus, numquam species vna absque altera oblata est, si vtraque haberi potuit: nam ad perfectam sacrificij rationem, necessaria est vtraque species, panis qua corpus Christi vt mortuum, vini qua sanguis vt effusus ob oculos ponatur. Sed ab iis qui sacrificij participes fieri cupiunt, non est opus vt vtraque species sumatur: non minùs enim sacrificij est particeps, qui partis vnius, quàm qui totius sacrificij particeps est: vt non minùs idololatriæ & abnegatæ Christianæ fidei reus erat, qui thuris aliquantulum adolebat, quàm qui simul ex immolata idolo hostia edebat. Præter hoc quòd tantum contineat hoc sacramentum vna specie, quantum duabus. Sed non est nostri instituti hac de re latiùs disputare: hoc tantùm addemus, quòd ex tacito fidelium omnium consensu, longi temporis vsu probato, ita iam inualuerit consuetudo communicandi sub vnica specie eos qui non sacrificant, vt altera species iure negetur iis qui eam insolenter petunt, præsertim cùm ex hæresi petant, quasi species vtraque sumtu semper necessaria sit.

Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.	28 Hic est enim sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Mar. 14. v. 24. Luc. 22. v. 20.

Hic refertur ad *sanguis*, ac proinde genere ei respondet, quemadmodum diximus suprà de pronomine *hoc*, vbi legitur *Hoc est corpus meum*: omnino enim similes propositiones sunt *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*. Beza, qui *poculum* vertit pro eo quod Interpres noster *calicem*, reddit *Hoc est enim sanguis meus*, pronomen neutrum *hoc* referens ad *poculum*, *metonymicè*, vt ait. Possit hæc versio tolerari *Hoc est sanguis meus*, siue per *hoc* substantiuè acceptum intelligas substantiam cõtentam sub speciebus vini, siue acceptum adiectiuè referas ad poculum: nam & Dionysius Richelius sic exponit: *Hic calix, contentum in calice, est sanguis meus*: sed aliò respicit impia mens Bezæ, eò nempe, vt si hîc obtinere possit, pronomen referri ad id quod antecessit, calicem siue poculum, obtineat vt & superiùs pronomen *hoc* referatur ad panem. Atqui discrimen magnum est, & quidem duplex, Vnum quòd non sit ea conuenientia generis inter *panem* & *hoc*, quæ inter *hic* & *calicem*, siue *hoc* & *poculum*: alterum, quòd sit alia ratio panis & alia calicis. panis enim non nisi panem significat, calix autem significat etiam quidquid calice continetur, siue sit vinum, siue sit sanguis, siue quid aliud. idque figura loquendi tam vsitata, quàm est quæuis propria loquutio. Quam figuram nihilominus, si quidem ea vtatur, explicat Euangelista dicens *Bibite*: nemo enim bibit vas ipsum, sed quod vase continetur. Porrò quòd probat Beza interpretationem suam ex Luca, qui dixit *Hic calix est nouum testamentum in sanguine meo*, peruersè agit: nõ enim oportet clariorem Matthæi sermonem interpretari ex obscuriore Lucæ sermone; sed contrà. Quid clarius & vsitatiore loquendi modo dici potuit, quàm *Hic est sanguis meus*, quod Matthæus & Marcus dixerunt, & conformius etiam illi *Hoc est corpus meum*, quod omnes dixerunt, vt non sit illius interpretatio petenda ex eo quod obscuriùs Lucas de sanguine loquutus est; & ex eo quod Lucas dixit *Hic calix est nouum testamentum in sanguine meo*, quod Matthæus & Marcus dixerunt *Hic est sanguis meus*, intelligendum *hic* s. calix, & consequenter hoc vinum, *est sanguis meus*? Lucas alio sermonis genere vsus est quàm Matthæus & Marcus: hi enim recto casu sanguinem nominarunt, ille obliquo. Denique Lucas si calicem dixit figuratè, explicuit, non solùm figuram esse continentis pro contento, verumetiam contentum, non vinum sed Christi sanguinem esse, addẽs de calice *qui pro vobis effunditur*. EST. Non apparet sensibus, sed tamen est. ENIM. coniunctio non legitur syriacè, sed græcè & latinè. Eã si non Christus, Euangelista expressit, vt à Christo subauditam. Ratio enim qua inuitat Christus Apostolos suos ad bibendum est, eò quòd sanguis ipsius sit. Atqui videri possit ea ratio absterrere potiùs debuisse à bibendo: quis enim alliciatur ad bibendum sanguinem humanum, postquam etiam pecuini sanguinis potus omnis & esus districtissimè prohibitus fuerat? Gen. 9. v. 4. Leui. 17. v. 14.? Nouerat Christus Apostolos suos memores eius doctrinæ quam aliàs tradiderat, quòd caro & sanguis ipsius essent cibus & potus vitam largientes æternam (Ioh. 6. v. 54.) quare etiam nouerat facilè alliciendos ad sumendum hunc cibum & potum, postquam ipse affirmaret eum esse. SANGVIS. τὸ αἷμα ipse sanguis MEVS. Auctor libelli de cardinalibus operibus Christi: *Noua est*, inquit, *huius sacramenti doctrina, & scholæ euangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & doctore Christo primùm hæc mundo innotuit disciplina, vt biberent sanguinem Christiani, cuius esum legis antiquæ auctoritas districtissimè interdicit. Ipse Christus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit, vt non tantum exterius hoc sanguine liniremur, sed & interius adspersione omnipotenti anima muniremur*. Hæc ille. Porrò eadem omnia quæ diximus de his verbis *Hoc est corpus meum*, intelligenda sunt & de his *Hic est sanguis meus*. Quare sensus horum verborum ille est, qui se primùm audientibus offert, verè ac reipsa præsentem esse sanguinem Christi, idque transsubstantiatione totius substantiæ vini in totam substantiam sanguinis Christi, remanentibus accidentibus vini: aliter enim præsens adesse nequeat. Quia autem sanguis Christi viuus est, & viuus sanguis extra corpus esse nequit, consequitur, sub speciebus vini, & corpus adesse, & animam, & diuinitatem, adeoque Christum totum. Quocirca tantum continetur sub specie vini, quantum sub specie panis, quinetiam idem: sed panis quidem species corpus figurant, vini autem sanguinem, simul ambæ mortem Domini, vt diximus, qua sanguis separatus à corpore fuit. NOVI TESTAMENTI. sanguis inquam noui testamenti. Hi genitiui molliùs cohærent cum *sanguis meus* græcè, vbi interponitur articulus τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, quasi dicas, qui est illius noui testamenti s. sanguis, id est qui pertinet ad nouum illud testamentum, quo sancitur & confirmatur nouum illud testamẽtum, olim à prophetis promissum, & à me hactenus promulgatum, quod vos amplexi estis. Testamentum latinè & græcè διαθήκη (quo græco vocabulo & Syrus passim vtitur scribens ܕܝܐܬܝܩܐ *Diatis*) ex communi vsu loquendi, est voluntatis nostræ sententia de eo quod post mortem fieri voluerimus: sed quia in sacris literis descendit ex hebraica voce ברית *berith*, quæ fœdus & pactum propriè significat, sæpe pro quouis fœdere seu pacto accipitur. Quare D. Hieronymus in caput secundum Malachiæ scribens: *Notandum*, inquit, *quòd berith verbum hebraicum, Aquila* συνθήκην, *id est, pactum interpretatur*,

terpretatur, LXX *semper* διαθήκην, *id est, testamentum: & in plerisq. scripturarum locis, testamentum non voluntatem defunctorum sonare, sed pactum viuentium.* hæc ille. Exstat porrò in sacris literis fœdus seu pactum Dei cum hominibus duplex, vetus & nouum: de vtroque clarissimè scripsit Ieremias propheta cap. 31. v. 31. & seqq. Vtrumque, & *testamentum* vocatur, quia donatio est hereditatis, & *fœdus siue pactum* quia donatio est sub conditione, si mandata seruentur. D. Paulus, qui LXX sequutus vtrumque vocat *testamentum* (vt & cæteri scriptores noui testamenti) epistolæ ad Hebræos cap 9. v. 15 & seqq., ostendit, nouum quidem propriè vocari testamentum, quia morte testatoris, filij Dei inquam, confirmatum fuit; vetus autem, non quidem propriè, sed tamen similitudine quadam, *quia nec ipsum sine sanguine dedicatum est*. Vetus testamentum, fuit fœdus illud quod Deus per Moisen iniit cum populo Israel, *in die qua apprehendit manum eorum vt educeret eos de terra Aegypti* (quomodo loquitur Ieremias) quando Deus quidem promisit Israeli, futuro populo suo peculiari, terram Chanaan in hereditatem, cum bonorum omnium copia, sed requisiuit obseruationem legum suarum: Israelitæ verò vicissim promiserunt: *Omnia quæ loquutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Describitur hoc fœdus in libro Exodi à cap. 19 vsque ad 24., vbi & leges feruntur quas Dominus vult obseruari, atque inter alias decalogus, & promissiones Domini explicantur. denique quî Israel conditionem non semel acceperit describitur. Hoc fœdus sancitum fuit immolatis vitulis, vt narratur cap. 24. & 5., quemadmodum solemne apud omnes penè gentes fuit, cæsis animalium victimis sancire fœdera, quo promitterent, tam diuturnum fore pactum, quàm diuturna foret horum animantium mors: & quò clariùs etiam testarentur, fœdus pactumque suum esse, alij victimarum sanguinem pateris seu poculis exceptum libabant labiis, alij eo sese adspergebant, vt hic Israelitæ, quibus interdictus erat omnis sanguinis potus: qua de re Exodus cap. 24. v. 6. & sequentibus, in hæc verba: *Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis* (vitulorum immolatorum) *& misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare. Assumensq. volumen fœderis* (in quo scripserat verba fœderis, proximè præcedentibus capitibus exposita) *legit audiente populo: qui dixerunt, Omnia quæ loquutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cũctis sermonibus his*. quæ postrema verba Paulus ad Heb. 9. v. 20., effert in hunc modum: *Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Dimidia sanguinis parte Moses adspersit populum, altero dimidio altare, quod Deum referebat. Porrò cùm esset hoc non tantùm pactum, verumetiam suo modo testamentum, quo Deus terram Chanaan Israëli hereditate donaret, seruiuit mactatio illa victimarum, non solùm ad mutuum inter Deum & Israelem pactum sanciendum, verumetiam ad confirmandum morte testamentum. Cùm enim Deus mori non posset, vt alicuius morte testamentum roboraretur (*quod non nisi in mortuis confirmatum est.* Hebr. 9. v. 17.) occisa sunt pecora, eorumque sanguis Deo oblatus est, ad hoc vt ratum testamẽtum haberet: maximè quia sic præfigurari oportebat sanguinem Christi Filij Dei, quo is stabiliturus esset nouum testamentum. Hoc testamentum pactumque sic sancitum & ictum, irritum fecerunt Israelitæ (Iere. 31. v. 32.) quia non obseruarunt testamenti conditiones, mandata inquam Dei, prout promiserant, immo, accepta peccati cognitione per legem, & illud nihilominus audacter perpetrantes, transgressores effecti sunt, & maiorem iram promeriti. Quocirca Deus per prophetas sæpe prædicit promittitque aliud pactum nouumque testamentum, in locum illius veteris, nominatim Iere. 31. v. 31. vbi ait: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum* (Apostolus ad Hebr. 8. v. 8. ex LXX Interpretibus dicit *testamentum nouum*, addens: *Dicendo autem nouum, veterauit prius*) quod quale futurum sit paulò pòst explicat: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum,* &c. *omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum, quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Hoc nouum fœdus & testamentum à prophetis promissum, continens promissionem æternæ hereditatis media testatoris morte obuenturę, Filius Dei homo factus promulgauit (ipsum enim est Euangelium) & præsens exhibuit, conuocans in fœderis huius societatem nouum populum, eique promittens, præsentem peccatorum remissionem & gratiam ad implendum legem tamquam si ea foret scripta in cordibus eorum, à morte denique visionem Dei cum vita æterna coniunctam, si modò in ipsum crederent, Saluatorem mundi à Deo Patre missum, & baptizarentur, & obseruarent mandata ipsius (inf. à 28. v. 19. 20.) signanter illud de quo ait Iohan. 13. v. 34: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Audierunt complures, & inter primos Apostoli, filium Dei prædicantem, credentesque & adhærentes ei subscripserunt fœderi huic nouo, & testamento nouo dignos se reddiderũt. Quibus aliisque innumeris ex omnibus mundi nationibus in hanc societatem postea conuocandis, vt testamentum hoc fœdusque ratum & firmum esset, ipse Filius Dei obtulit seipsum hostiam Deo Patri, sanguinem suum fudit, promeruit humano generi bona omnia testamento illo comprehensa, &, vt Apostolus loquitur, *noui testamenti mediator effectus est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem acciperent qui vocati essent æternæ hereditatis.* Heb. 9. v. 15. Mortuo enim Christo Domino, noui fœderis bona, tamquam testamento fidelibus exhibita sunt, & quidem æterno atque irreuocabili testamento, quippe quod promittentis morte ratum esset, Filij inquam Dei, qui cum Patre est vnum, *cui si non pepercerit Pater, quin pro nobis omnibus tradiderit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Rom. 8. v. 32. Cæterùm vt non in se tantùm ratum esset testamentum hoc & pactum, verumetiam singuli qui ei se addixissent, certò scirent suum hoc esse, eiusque reipsa participes fierent quoad dona præsentis vitæ, quoad dona verò æternæ vitæ, iusta spe roborarentur, in se vt cœptum, ita perficiendum esse, si modò starent pacto; instituit Christus corporis & sanguinis sui sacramentum sacrificiumque, quo, corpus illud suum quod dederat in mortem crucis & sanguinem quem fuderat, voluit à suis perpetuò offerri, manducari, & bibi, vt muniti & pasti corpore ac sanguine, quibus testamentum hoc fuerat confirmatum, eius copiosè participes fierent, nec dubitarent quin omnia illius bona ad vitam vsque æternam essent assequuturi. Quemadmodum igitur Moses, vitulorum ad confirmationem veteris testamenti immolatorum sanguine, quem crateribus exceperat, adspergens populum Israel, dixerat: *Hic est sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus:* ita Christus, sanguinem mortis suæ, sacro calice haustum, propinans Apostolis & per eos Ecclesiæ suæ, quò nõ foris tantùm adspergerentur, verumetiam intimè perfunderentur, dicit hoc loco: *Hic est sanguis meus noui testamenti*; alludens manifestè ad superiora illa Mosis verba, & se quidem Mosi, nouum testamentum cuius ipse auctor, veteri

veteri cuius minister Moses, corpus suum Deo immolatum vitulis, sanguinem suum sanguini vitulorum, Apostolos reliquosque fideles populo Israel, aspersionem denique sanguinis vitulini, potationi sui sanguinis, opponens; quasi diceret: Quemadmodum Israelitæ adspersi à Mose fuerūt sanguine vitulorum illorum, qui immolati fuerant ad sanciendum vetus testamentum & fœdus illud quod tunc cum Deo Patre meo inierant: ita ego vobis, qui me auctore addixistis vos fœderi noui testamenti, bibendum propino sanguinem corporis mei, Deo ad nouum illud testamentum confirmandum immolati. Sanguinem itaque suum vocat sanguinem *noui testamenti*, quia eius effusione & consequente corporis morte, sancitum, confirmatum, & ratum est nouum testamentum: nulla enim alia ratione noui testamenti promissa implentur aut impleri queunt, quàm per Christi mortem. nam *non est in alio aliquo salus*. Act. 4. v. 12. Intelligendum igitur dat, quanto præstantius sit nouum testamētum veteri, quòd cùm vetus non nisi sanguine vitulorum & pecorum esset confirmatum, quo non erat possibile aboleri peccata. nouum, *dominicum possideat sanguinem*, vt loquitur Chrysostomus, Christi sanguine roboratum sit & consignatum, efficaci ad delenda omnia peccata. Sed vbinam confirmatum est nouum testamentum Christi sanguine, in hac ne cœna an in cruce? respondeo quòd vtrobique, sed in cruce quidem, tamquam literæ publicæ semel confectæ sunt, communes toti humano generi, appenso primario Domini sigillo: in sacramento autem & sacrificio incruento, quod sæpe repetitur, sunt quasi plura exemplaria authentica illius prototypi, seruientia, vt ius illo prototypo omnibus hominibus acquisitum, applicetur prositque his & illis: id quod doctè ita explicatur ab illo S.R.E. Cardinali, hæreticorum omnium malleo, Roberto Bellarmino. Si non enim mox omnium possessionem, certè ius omnium accipit, bonorum noui testamēti, is pro quo offertur & à quo dignè bibitur sanguis Domini in sacramento, atque ita fit particeps noui testamenti, vt omnis illius gratia ipsi certa firmaque constet. Atqui dicas, Exemplar non potest prius esse suo prototypo, nec patitur ratio, vt priùs libetur sanguis quàm mactata sit victima: quomodo igitur Christus hic propinauit Apostolis suis sanguinem suum, antequam ipse victima immolatus fuisset, & sanguis ipsius re ipsa fusus? Respondeo in primis, quòd quemadmodum Exod. 24. præcesserat victimarum immolatio, deinde sequuta fuerat sanguinis adspersio: ita intelligere oporteat, hîc, vbi factum illud Mosis Christus imitatur, præcessisse mysticam corporis dominici tamquam victimæ immolationem, deinde mysticam sanguinis potationem fuisse sequutam. Præterea animaduertendum est, quòd Christus Dominus, instituens hoc corporis & sanguinis sui, sub speciebus panis & vini, sacramentum sacrificiumq;, ita obtulerit semetipsum Deo incruentè in hac cœna, vt habuerit sacrificium corporis & sanguinis sui, quod postridie cruentè oblaturus erat in cruce, tamquam iam oblatum & peractum, vt quod paucis pòst horis certo certiùs à se offerendum esset, & quidem ita certò, vt efficaciter posset per istud operari, etiamsi re ipsa nondum esset peractum, quemadmodum & operatum fuerat *ab origine mundi*. Incruentum enim istud instituit in memoriam illius cruenti, quod manifestum est ex Apostolo 1. Cor. 11. v. 26., interpretante illud *Hoc facite in meam commemorationem*, de morte Domini: non est autem memoria nisi præteritorum: habuit igitur illud tamquam præteritum: præsertim cùm mens ipsius non fuerit, vt semel dumtaxat iam à se in hac cœna offerretur, sed vt perpetuus esset in Ecclesia incruentæ huius oblationis vsus, quæ perpetuam vim ex illo ipsius cruento in cruce sacrificio traheret, & perpetuam denique illius memoriam conseruaret. Tantoque magis habuit Dominus sacrificium illud crucis pro iam peracto, quòd pro vno eodemque habuerit vtrumque, crucis inquam & cœnæ sacrificium, primùm quia minimo temporis spacio à se mutuo distarent, immo vnum continuè quasi post alterum esset inchoandū, deinde quia ipse esset vtrobique & sacerdos & hostia, postremò quòd vni ex altero vim suam omnem virtutemque tribueret. Nihil igitur mirum, quòd sanguinem suum libandum dederit Apostolis suis, vt noui testamenti fierent consortes, antequam ipse illum ad confirmandum nouum testamentum re ipsa effudisset, præsertim cùm ita postularet opportunitas veteris paschæ & ipsius Domini abitus. Sed hîc quæritur, Annon tam corpus Domini mortuum, quàm sanguis effusus, seruierit confirmando nouo testamento? & an non tam fiat quis particeps noui testamenti, manducando corpus, quàm bibendo sanguinem Domini? proculdubio ita est: morte enim testatoris validum fit testamentum, & fœdus hostiæ morte sancitur: mors autem tam in corpore est quàm in sanguine. Quare igitur Christus Dominus, potiùs meminit noui testamenti ad sanguinem, quàm ad corpus, nec ita dicit *Hoc est corpus meum noui testamenti*, vt *Hic est sanguis meus noui testamenti*? Duplex est causa; Vna. Voluit Christus Dominus sequi formam loquendi Mosis de sancito veteri testamento, qua is dixerat adspergens populum: *Hic est sanguis testamenti quod mandauit*. seu, vt LXX habent, *disposuit ad vos Deus*. Nam quamquam cæsis vitulis iam sanxisset testamentum illud Moses, tamen vt populum propiùs redderet eius testamenti consortem, adspersit illum sanguine vitulorū illorum, præsertim cùm populus omnis non posset ex vitulis illis comedere. Ad huius igitur imitationem, Christus sanguinem suum potiùs vocauit sanguinem noui testamenti, quam corpus suum, corpus noui testamenti: tametsi posset ipse, non solùm sanguinem, sed & corpus seu carnem suam, communicare cum omni populo Ecclesiæ, prout fecit, & sciret sufficere si vel solum corpus ipsius gustaretur, quemadmodum Israelitæ solo adspersi fuerant vitulorum sanguine. Altera causa est, quia sanguis magis proprium est mortis, qua testamenta & fœdera roborantur, symbolum, quàm corpus, longeque viuidiùs passionem mortemque Christi oculis exhibet sanguis ipsius sub specie vini, quàm corpus sub specie panis consecratum. Quod ad rem igitur attinet, tam fit consors noui testamenti qui corpus Domini edit, quàm qui sanguinem bibit: sed obseruandum, quòd quemadmodum Israelitis non suffecerat adspersos fuisse sanguine testamenti siue fœderis veteris, ad hoc vt illius promissa perciperent nisi verba fœderis seruarent, id est, obedirent mandatis Domini, prout polliciti fuerant: ita nobis non sufficiat, ad assequendas promissiones noui testamenti, corpore & sanguine agni immaculati, quibus testamentum illud stabilitum est, pasci, nisi nouam noui illius testamenti legem seruemus, & obtemperemus ei *qui factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Hebr. 5. v. 9. Postremò notandum hic aduersus hæreticos, Christum Dominum asserentem, sanguinem suum quem propinat Apostolis suis, esse sanguinem noui testamenti, manifestè docere, non vinum, figuram sanguinis sui, à se propinari, sed ipsissimum corporis sui sanguinem, quo solo sancitum est nouum testamentum, non illius figura aut quauis alia re. QVI sanguis meus. PRO MVLTIS. & nominatim *pro vobis* (id enim addit Lucas.) Non

mirum si Christus Dominus, primum istud eucharisticum & incruentum sacrificium, obtulerit pro iis omnibus, pro quibus mox oblaturus erat cruentum crucis sacrificium; præsertim cùm vtrumque quasi pro vno eodemque cótinuo sacrificio habuerit, vt diximus: nec tamen inquit *pro omnibus*, quia neque sacrificium crucis erat omnes seruaturum: non quòd sufficiens non esset Christi sanguis redimendis omnibus à peccatis, sed quòd non omnibus esset profuturus, idque vitio & culpa multorum, qui non essent ipsi Christo obtemperaturi. *Multos* autem, nó solos electos intelligit, nam & reprobi non rarò remissionem peccatorum aliaque noui testamenti dona, præter vitam æternam, merito sanguinis Christi impetrant. Iam *pro multis* dicens, ostendit, hinc innocentiam suam, quòd ipse mortis nó sit reus, neque opus habeat *vt prius pro suis delictis hostias offerat*, quemadmodum sacerdotes veteris testamenti (Heb. 7. v. 27.) hinc suam erga homines charitatem, quòd cùm ipse morti nihil deberet, pro eis illam subierit. EFFVNDETVR. ἐκχυνόμενον *effunditur*, ita est & syriacè. Multi intelligunt præsens positum esse pro imminente futuro, vt ad crucem referant: sed non frustra præsenti tempore constanter vtuntur tres Euangelistæ simul & Paulus, cùm de sanguine, Lucas autem & Paulus, etiam cùm de corpore loquuntur: quinimmo clarum hinc euadit (id enim requirit propria & simplex loci sententia) quòd non de cruce solùm, verumetiam de cœna & eucharistia Christus loquatur, præsertim cùm Lucas manifestè effusionem non sanguini sed calici attribuat. Cæterùm sic de cœna & eucharistia loqui arbitror Christum, vt etiam de cruce: cùm enim habuerit vtrumque tamquam vnum sacrificium, vt reuera est, quemadmodum diximus: non mirum quòd de vtroque tamquam vno loquatur, & intelligat *qui pro multis effunditur*, tum in hoc sacrificio corporis mei & sanguinis, quod ego nunc incruentè offero per meipsum, oblaturus deinde semper per vos successoresque vestros, donec veniam, tum in eo quod ego mox cruentè offero in ara crucis. Non est intelligendum futurum tempus excluso præsenti, sed præsens incluso futuro propter continuitatem actionis. Cæterùm quod Interpres dedit futurum *effundetur*, similiter intellige, accepta actione cœnæ tamquam futura, propterea quòd Christus priùs hæc verba dixerit, quàm sanguinem suum biberit: consummatur enim sacrificium demum gustatione offerentis. *Effunditur* ergo, id est, libatur & offertur Deo à me: & in cruce quidem effunditur, quia à corpore separatur, Iesu ipsum interea Deo Patri offerente; in sacramento autem, quia in calice collectus & oblatus Deo bibitur à sacerdote (si non in aliorum etiam sumentium ora effunditur) idque respectu habito ad effusionem illam crucis, quæ huiusmodi libamine ob oculos ponitur. Nam in cruce quidem, propria specie; in sacramento autem, sub aliena, vini inquam specie, effunditur. Quare manifestum fit, veri nominis sacrificium vtrobique offerri, tam in sacramento, quàm in cruce: negari enim non potest sacrificium esse, & quidem propitiatorium, vbicumque effunditur sanguis in remissionem peccatorum. Atque hinc intelligitur, quòd in hac cœna Christus, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini, non tantùm dederit edendum & bibendum discipulis, verumetiam Deo Patri obtulerit, sacerdotem se præstans *secundum ordinem Melchisedec*: quemadmodum inter alios patres, quos alij Auctores citarunt, D. Cyprianus epistola 63. docet his verbis: *Vt ergo in Genesi per Melchisedec sacerdotem benedictio circa Abraham possit ritè celebrari, præcedit ante imago sacrificij, in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, &, qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.* ac paulò antè: *Et obtulit hoc idem quod Melchisedec obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Hæc ibi inter alia Cyprianus. Neque verò necessarium est, vt Christus hîc dixerit: Ego corpus & sanguinem meum offero aut sacrifico: satis est, si actio ipsa, offerendi & immolandi, Christo non defuisse ostendatur. Nam nec in veteri testamento vsquam legimus, sacerdotes consueuisse dicere *Ego offero* vel *sacrifico*: sed hoc ipso quòd ad Dei honorem & ad significandam Christi mortem animalia cæsa super altare ponebant, sacrificium Deo offerre censebantur. Ad eundem modum, illa actio Christi Domini, qua ad Dei Patris honorem, corpus suum & sanguinem, sub speciebus panis & vini, præsentia exhibuit, ad hoc vt consumerentur, oblatio fuit & immolatio. Illa autem actio, fuit panis & vini benedictio siue consecratio: per eam enim factum est, vt corpus & sanguis Domini, vera & visibili ratione adessent in mensa, & quidem aptè, tum vt repræsentarent ipsius Domini passionem ac mortem, tum vt ipsa ore consumerentur. consumtione enim perficitur sacrificium. Obtulit igitur Christus Deo Patri corpus & sanguinem suum sacrificium in cœna, obtulit & in cruce: sed oblationi in cœna, ex instante oblatione in cruce, quam primariam & per se efficacem esse voluit, vim suam impertiuit, decernens huius & memoriam & virtutem ad suos per illam deriuari, quemadmodum iam aliquoties diximus. IN REMISSIONEM PECCATORVM. ad obtinendam remissionem peccatorum, vt reipsa obtineant remissionem peccatorum cæteraque promissa noui testamenti. Declarat, sanguinem suum esse sanguinem noui testamenti, sanguine suo efficaciter confirmari nouum testamentum, quia legata, promissa, dona, noui testamenti, per eum effusum obtinentur: commemorat enim remissionem peccatorum tamquam legatam testamento inter alia plura, per eam cætera quoque legata intelligenda relinquens. Ex pluribus enim noui testamenti legatis siue promissis, vnum hîc expressit Iesus, *remissionem peccatorum*, vtpote caput & fontem cæterorum omnium. Impossibile est enim aliquid cæterorum consequi, vtpote, iustitiam, adoptionem, vitam æternam, nisi priùs obtenta remissione peccatorum: vt ea obtenta, reliqua facilè impetrantur. *Hic est* igitur, inquit, ipsissimus *sanguis meus*, quem effundo ad hoc vt multi obtineant noui testamenti promissa, signanter *remissionem peccatorum*. Hac parte distinguit sanguinem suum à sanguine veteris testamenti, qui peccatorum remissionem conferre non potuit, sed solùm valuit *ad emundationem carnis*, vt docet Apostolus Hebr. 9. v. 13. & 10. v. 4. Peccata autem hîc intelligimus omnia, tam à baptismo quàm ante baptismum admissa, non originale solùm & quod ante baptismum admissum sit, vt ineptus quidam hæreticus hîc annotat: omnium enim impetratur remissio per effusionem sanguinis Christi in cruce & in Missa, etiamsi pro quibusdam satisfactio iniungatur. Porrò quando sanguine hoc suo quem propinat, asserit Christus peccata remitti: docet verum & proprium sanguinem suum à se propinari, non figuram illius: nec enim alia quauis re obtinetur remissio peccatorum. Quòd si hæreticus sequutus insaniam suam, exponat Hoc est symbolum sanguinis mei, qui est noui testamenti, qui pro multis effunditur; manifestum est, quòd non cum obliquo, sed cum recto casu coniungantur hæ additiones *noui testamenti, qui pro multis effunditur in re. pec.* Cur autem potiùs sanguinis effusioni, quàm corporis sui traditioni, attribuerit Christus remissionem peccatorum, iam ferè diximus: quia

quia imitari placuit modum loquendi Scripturæ veteris, & quia in ſanguine quàm in corpore manifeſtius eſt ſymbolum mortis, qua ſatisfit pro peccatis: quamquam & de corpore ſuo hoc idem pronunciaſſe videatur, addens ſecundùm Lucam *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*; in remiſſionem vtique peccatorum. Peccaueramus homines omnes in Deum, facti eramus mortis rei, nec ſufficiebamus nobis ipſis redimendis ſiue à peccato ſiue à morte. Ieſus Chriſtus Filius Dei, pro ſua miſericordia mortem ſubiit pro nobis, &, quod idem vnum eſt, ſanguinem ſuum fudit, pretium ſufficiens quo à peccato & morte poſſemus redimi (vide ſuprà 16. verſ. 21. & 20. v. 28.) Fecit hoc moriens in cruce, illic pretium ſoluit: quod quidem per ſacramenta, ac nominatim per euchariſtiam, ſingulis nobis applicat. Atque ita intelligendum eſt, quod de vtraque effuſione, in cruce inquam & in euchariſtia, Chriſtus hîc dicit: nam ſanguinis qui in cruce corporaliter fuſus eſt, fructus per euchariſtiam obtinetur. Sed hîc naſcitur quæſtio: Quomodo per euchariſtiam impetretur remiſſio peccatorum, cùm ad eam ſumendam cum fructu oporteat priùs eſſe à peccatis per alia ſacramenta purgatum? Atqui hinc clarum fit, euchariſtiam non tantùm ſacramentum eſſe, verumetiam ſacrificium: cùm enim vt ſacramentum non proſit niſi ei qui dignè ſumſerit, ore & animo à peccatis mundato, & tamen valeat ad remiſſionem peccatorum, ſacrificium ſit neceſſe eſt, & quidem propitiatorium. Duplex eſt euchariſtiæ vſus, offerri & ſumi: offertur vt ſacrificium, ſumitur vt ſacramentum. Oblatio eius propriè fit in remiſſionem peccatorum; ſumtio, non propriè in remiſſionem peccatorum, verùm ad vitæ ſpiritalis conſeruationem & augmentum. Sed quemadmodum oblatione obtineri etiam poteſt vitæ ſpiritualis conſeruatio atque augmentum, vt & reliquæ noui teſtamenti gratiæ: ita ſumtione obtineri etiam poteſt, peccatorum mortalium obliuioni traditorum & venialium omnium, pœnarum denique temporariarum quæ peccatis reſtant debitæ, remiſſio. Nam quòd & pro Apoſtolorum peccatis primum hoc euchariſticum ſacrificium offerat Chriſtus, teſtatur Lucas, ſcribens *pro vobis* loco huius *pro multis*: quamuis Apoſtoli etiam ſacramentum iam ſumſerint, & quidem dignè, quia mundi omnes, Iuda excepto. Iohan. 13. v. 10. Vnde manifeſtum fit, illum perfectiſſimè participem fieri promiſſorum noui teſtamenti, qui euchariſtiæ ſacramentum ſic offert, vt etiam ſumat dignè, vel pro quo offertur ita vt ab ipſo etiam dignè ſumatur, quemadmodum hîc Apoſtoli. Totius itaque huius loci hæc ſententia eſt: Bibite vos Apoſtoli mei, ex eo quod hoc calice continetur, omnes. Eſt enim ipſiſſimus ſanguis meus largiens bibentibus vitam, ille quo nouum teſtamentum, quod vos ad meam prædicationem dudum amplexi eſtis, confirmatur, quemadmodum vetus ſanguine vitulino confirmatum fuit. Eum ego mox libo ac ſacrifico Deo Patri propriâ ſpecie ad crucem: eumdem ei nunc libo ſub ſpecie vini per meipſum, idemque continuè ago ad diem vſque mundi nouiſſimum per vos & ſucceſſores veſtros, ad hoc vt multi remiſſionem peccatorum cæteraque noui teſtamenti promiſſa aſſequantur, & inprimis vos: qui ſi etiam iam dignè biberitis hunc meum ſanguinem, perfectiſſimè copioſiſſimeque participes fietis remiſſionis peccatorum cæterorumque promiſſorum noui teſtamenti, vtpote ipſo noui teſtamenti ſanguine refecti.

λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι [29] ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν καινὸν, ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου.	Dico autem vobis, non bibam ámodo de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum, in regno Patris mei.

Mar. 14. v. 25. Luc. 22. v. 18.

DICO. affirmo illud. NON BIBAM. ὅτι οὐ μὴ πίω quòd nequaquam bibam. AMODO. ἀπ' ἄρτι ex nunc (ponitur enim ἄρτι pro νῦν) ab hoc tempore. DE HOC. ἐκ τούτου ex hoc, ex hoc alioque huiuſmodi quali hac cœna vtimur. GENIMINE. τοῦ γεννήματος fructu, *generatione* vertit ſecundùm Lucam. *Genimen* ſeu fructus *vitis*, periphraſis eſt vini, qua Ieſus hîc vtitur emphaſeos cauſa, vt ſignificet ſe nullum poſthac huius mundi vinum bibiturum, quale ferunt vites huius ſeculi. Non loquitur de calice illo, de quo hîc immediatè præcedit dictum *Hic eſt ſanguis meus*: ſed de vino in hanc cœnam parato, ex quo calicem impleri iuſſerat, quem poſt paſchalis agni eſum ſuis pro more voluit propinare. Manifeſtum hoc euadit ex Luca, qui intelligendum dat, hoc, non poſt, ſed ante ſacroſanctorum myſteriorum celebrationem, à Chriſto Domino dictum fuiſſe. Cùm enim duorum calicum meminerit Lucas, ex tractatorum, Hieronymi, Bedæ, & Theophylacti, veriſimillima ſententia; de priori, qui coniunctus fuit cum eſu agni, hoc dictum refert: de poſteriori, qui coniunctus fuit cum exhibitione corporis Chriſti, nequaquam. Quod quò magis etiam clarum fiat, ſicut de vino paſchali dictum narrat v. 18: *Non bibam de generatione vitis*, &c.; ſic etiam de agno paſchali v. 16: *Ex hoc non manducabo illud*, &c. Matthæus igitur non ſuo loco poſuit ſermonem hunc Ieſu: poſuit enim poſt ſacramentum euchariſtiæ inſtitutum, qui antè dictus fuerat. Sed vt non ait pòſt dictum fuiſſe: ita aptè pòſt collocauit, nempe, in fine cœnæ, verba quibus ſignificarit Ieſus, hanc vltimam eſſe cœnam, quam cum Apoſtolis ſuis hac in mortali vita ſumturus eſſet. Nam quamquam ſolius vini meminerit Matthæus: à parte tamen totum, cœnam inquam ſeu conuiuium, voluit ſignificatum: quod ex Luca patet, qui hoc idem à Saluatore de cibo affirmatum refert, vt diximus. Si obiicias, hoc non ſignificari his verbis, eò quòd teſtetur Petrus Act. 10. v. 41. Dominum à reſurrectione cum Apoſtolis ſuis ediſſe & bibiſſe. Reſpondeo, hoc quidem verum eſſe, Dominum rediuiuum cum Apoſtolis ediſſe ac bibiſſe: ſed quia id fecit Dominus, non conſueto modo, ad ſuſtinendum corpus, nec more conuiuentis, verùm aliquando dumtaxat & obiter, ſolummodo ad probandum reſurrectionis veritatem, non haberi ab ipſo illius rationem: quemadmodum, quia non ſolito modo tunc cum Apoſtolis conuerſabatur, ſed aliquando quidem ipſis apparebat, plerumque verò non, dicit Luc. 24. v. 44: *Hæc ſunt verba quæ loquutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum*, quaſi hæc ipſis dicens, non eſſet cum ipſis. VSQVE IN DIEM ILLVM CVM. id eſt, donec. *Donec* autem dicens, non ſignificat

significat se iterum aliquando bibiturum, sed se interea non bibiturum. tunc verò multo minùs, quando suppetet vinum nobilius, id est, cæleste. vide suprà 1.v.25. vim huius aduerbij *donec*. ILLVD genimen vitis seu potiùs vinum. Quemadmodum mox vtens pronomine *hoc*, non solùm demõstrauit vinum præsens, verumetiã omne aliud simile: ita hic per pronomen *illud*, non demonstrat vinũ pręsens, sed vinum in genere, & quidem metaphoricè acceptum. Non parua enim cum orationis gratia, Iesus vna eademque uoce, in vna eademq; sententia, nunc propriè, nunc metaphoricè, vti consueuit, vt sup. 8. v. 22. Ioh. 4. v. 13. 14. BIBAM. *πίνω bibo*. præsens pro futuro propè instante. Non enim longè pòst futura promittit, sed proximè, mox scilicet à morte tum sua tum ipsorum Apostolorum, quæ diu differri non poterat in huius vitæ breuitate. Primus autem Christus in regno cælorum bibit, id est, fruitur, vino cælestium deliciarum secundùm naturam humanam: nam secundùm diuinam, seipso beatus est. VOBISCVM. cum plerisque vestrûm: excipitur enim Iudas. *vobiscum* continuè & familiariter conuiuens, quemadmodum in hoc seculo. Communem illis secum gloriam vitamque æternam promittit, non tamen negans quin ipse ante illos ea fruiturus esset, quemadmodum ante illos moriturus & resurrecturus. resurrectione enim perficitur ea gloria & beatitudo. NOVVM. aliud, longè diuersum atque alterius generis, multoque præstantius, vt cætera illic omnia, etiam cæli & terra, erunt noua, longeque excellentiora iis quæ sunt in hoc seculo. IN REGNO PATRIS MEI. in regno cælorum, in æterna ac beata vita futuri seculi. sic Origenes in hunc locum & August. lib. 1. quæst. euang. cap. 43. referunt ad statum futuri seculi. cuius expositionis & Theophylactus meminit. Illic bibam vobiscum aliud vinum, cæleste inquam, quale non ferunt vites huius mundi corruptibilis: illic inebriabimur vino cælestium deliciarum atque *vbertatis domus Dei, & torrente voluptatis eius potabimur*. Psalm. 35. v. 9. Hoc ergo quod Saluator hîc dicit, idem ferè cum eo est quod paulò pòst sequitur apud Lucam v. 29. 30: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Allegoricè enim notatur beatitudo, iucundaque societas eius vitæ quæ cibi & potus adminiculis non indiget. De duobus igitur hac sententia admoniti fuere discipuli, de propinqua præceptoris morte (hanc enim intelligendam dabat, cùm diceret hoc vltimum esse suum cum ipsis in hac mortali vita conuiuium) & de noua ac cælesti eius vita, quando se in regno cælorum longè feliciora cum ipsis agitaturum promittit conuiuia, vbi vinum longè suauius ac præstantius foret quàm quoduis huius seculi. Quoniam enim tristitiæ plenus nuntius erat, cùm testaretur se iam per mortem ipsis subtrahi; mox addidit qua confirmari possent consolationem, morti suæ successuram beatiorem vitam, cuius forent ipsi quoque consortes. Ita videmus vt manuducat suos discipulos ad crucem, vt inde ad spem vitæ æternæ erigat.

Mar. 14. v. 26. Luc. 22. v. 39.

Et hymno dicto, exierunt in 30 montem Oliueti. — καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν.

ET. Postea. HYMNO DICTO. *ὑμνήσαντες* quum hymnum dixissent. s. Iesus eiusque Apostoli vndecim. Iudas enim iam reliquerat sodalitium (Ioh. 13. v. 30.) profectus ad principes, vt indicaret opportunitatem quam obseruarat apprehendendi Iesu. Nam, siue maneret hac nocte ea in domo in qua pascha celebrauerat, siue pro more exiret in mõtem Oliueti, opportunitatem sibi nactus videbatur illius tradendi. Hymnum ergo Iesus, non solus, sed cum eo vndecim, vel cecinerunt, vel recitarunt (non enim necessariò euincit vox græca quòd cecinerint) ad laudem Dei, & gratiarum actionem pro bonis hac cœna concessis, pascha primùm, cœna deinde communi, tandem mysteriis nouis. Loquitur autem Euangelista tamquam de actione vulgata & consueta: nimirum consueuerat Christus cum aliis Iudæis Deum timentibus, à mensa Dei laudes celebrare, hymno siue psalmo aliquo dicto, nec ob tristitiam quidem aut mortis metum eam cõsuetudinem iam intermisit. Multi annotant ex Paulo Burgensi, hymnũ quem Christus iam dixerit fuisse psalmum 112. *Laudate pueri Dominum*, & quinque subsequentes *In exitu Israel, Dilexi, Credidi, Laudate Dominum omnes gentes, Confitemini Domino quoniam bonus*, quòd Iudæi soliti fuerint hos Deo canere post comestum agnum paschalem. Id si ita est, certum est Apostolos à Domino admonitos fuisse, non tam agendas ipsis gratias pro sumpto pascha, quàm pro accepto corporis & sanguinis ipsius sacramento, nec tam pro liberatione ex Ægypto, quàm pro remissione peccatorum & liberatione à diaboli ac peccati seruitute, pro mysteriis inquam regni Dei, quæ tunc agebantur præcipuè. Interim verò docemur, à mensa non recedere, nisi gratiis Deo actis & laudibus dictis; atque ita è mensa surgere, vt ad celebrandas Dei laudes idonei simus; denique à sacra communione, non ad nugas, sed ad preces confugere. *Audiant*, inquit Chrysostomus, *qui quasi porci, cum iam comederint, euersa calcibus mensa, temulenti consurgunt, cùm agere gratias debeant, & in hymnum à mensa deuenire.* EXIERVNT domo & ciuitate. Egressus est domo, partim quòd nollet molestiam aliquã creari patrifamilias, qui domum ipsi suam commodauerat ad celebrandum pascha, partim quòd nollet apprehendi domi mensæ assidens, sed potiùs in secessu orationibus vacans. Notat hoc Origenes scribens in versum 36: *Nec enim conueniebat cùm proderetur, ab illo capi loco, vbi cum discipulis manducauerat pascha: conueniebat autem & priusquã proderetur orare & orandi eligere locum.* Hæc ille. Ciuitate autẽ egressus est, vt ansam omnem calumniæ præscinderet aduersariis suis, ne mentirentur ipsum nocte in ciuitate seditionem aliquam molitum fuisse &c. vide sup. 21. v. 17. Sed quomodo egressus est ciuitate circa mediam noctem? non potuit enim procul abfuisse à media nocte, quando absoluta fuit cœna, in quã cœpta crepusculo vespertino, tot diuina mysteria acta & sermones habiti fuerant. Necesse est dicere, vel portas ciuitatis noctu patuisse, præsertim die festo Paschæ, vt omni hora Iudæis ad solemnitatem pateret accessus, vel à custodibus facilè solitum impetrari, vt eas nocte etiam intempesta aperirent, quòd non perinde sibi meruerent Romani ab externis hostibus.

IN MONTEM OLIVETI. *τῶν ἐλαιῶν* Oliuarum. vide sup. 21. v. 1. & infrà v. 36. Consueuerat Iesus Ierosolymis agens, à die illo solemnis ingressus sui, fortassis etiam antea, vesperi exire ciuitate, & cœnatum abire Bethaniam, indeque reuerti in montem Oliueti, atque ibi noctu agere, quod testatur Lucas cap. 21. v. 37. Iam cœna in ciuitate sumta, non excurrit Bethaniam, sed mansit in monte, eam consuetudinem mutare iam nolens, etiamsi sciret ea sibi nota adductum iri Iudam proditorem, ad locum vbi ipse foret: cùm

enim

enim iam aduenisset hora ipsius, noluit fugere passionem ac mortem, sed vltrò se potiùs offerre, & voluntarius proditori suo occurrere. Vnde Victor Antiochenus in Marcum scribit: *Cur in montem exut: quo spretis latibulis, in commodo loco se exponat manifestumque faciat, qui illum comprehensuri erant. Maturabat enim illum locum occupare, vbi antea orare solitus erat, & quem proditor optimè compertum habebat.*

τότε λέγει αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· πάντες ὑμεῖς σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ, ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ· γέγραπται γὰρ, πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης.	31 Tunc dicit illi Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte: sciptum est enim: Percutiam pastoem, & dispergentur oues gregis.	Mar. 14. v. 27. Zach. 13. v. 7.

TVNC. inter eundum, vt mox v. 36. subiicit *Tunc venit.* OMNES VOS Apostoli mei, qui mihi hactenus inoffensi adhæsistis. SCANDALVM PATIEMINI. σκανδαλισθήσεσθε scandalizabimini, offendemini, offendiculum patiemini, impingetis. vide sup. 5. v. 29. IN ME. Impingetis in me, scandalum patiemini ex iis quæ videbitis in me, offendiculi lapsusque in peccatum occasionem accipietis ex iis quæ fient in me, quantumuis vos aliàs præmonuerim, *beatum esse qui non fuerit scandalizatus in me.* vide sup. 11. v. 6. Quod autem fuerit peccatum istud, in quod inciderint Apostoli, accepta ex Iesu occasione: intelligitur ex subsequente prophetia & ex Ioh. 16. v. 31. 32. fuisse, quòd fugerint Iesumque deseruerint, cùm viderent eum à Iudæis comprehensum abduci & indignè tractari. Cæterùm, cùm nollet Iesus ipse vi resistere inimicis, nec etiam vt Apostoli resisterent (vt erant quoque, humanis viribus, impares) nec vt se captiuos dederent inimicis, nec denique vt ipsum, quocumque abduceretur, sequerentur: non fuit peccatum illud in eo propriè situm quòd fugerint & Iesum corpore dereliquerint, sed in eo quòd fugerint ex timore humano, & ita deseruerint Iesum corpore vt magis animo. Nam si Iesu comprehenso & abducto subduxissent se, persuasi quod res erat quodque sæpiùs docti fuerant, eum propria sponte se in mortem tradere pro multorum salute, exspectassentque resurrectionem eius in diem tertium, quemadmodum fecisse eius matrem virginem non dubium est, nullum, credo, eorum peccatum fuisset. Sed peccatum in eo fuit, quòd videntes Iesum capi, teneri ligari, abduci, nulloque adhibito miraculo à seipso defendi, arbitrati sint eum violenter hæc pati, hostesque ipsi inuito præualere, & pro sua ipsorum libidine ad mortem eum rapere, quidquid tandem antea ipsis prædixisset. Vnde factum est, vt fides in Iesum Christum Filium Dei viui, qua hactenus præditi fuerant, nutare vt minimùm ipsis cœperit, quòd hæc minimè competere viderentur in Christum Filium Dei viui: quæ deinde mutatio siue vacillatio, locum præbuit timori humano, quo metuentes ne & ipsis contingerent his similia, fugerunt, & corpore simul atque animo Iesum deseruerunt; non quòd reiecerint Iesum, aut ad hostes ipsius defecerint, sed quòd non ampliùs ex ipso pependerint, nec putarint se ipsi iam esse curæ, aut se per ipsum seruandos, denique quòd vacillans fides veram fidei rationem amiserit. Nam quòd fidei in hunc modum iacturam fecerint, & quòd hoc sit scandalum illud quod hîc prædicuntur passuri, interpretatur Iesus ipse paulò pòst in hoc ipso ad montem Oliueti itinere, secundùm Iohánem cap. 16. v. 31. 32., vbi respondet eis testantibus se credere in ipsum quòd ex Deo exisset: *Modò creditis? ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.* In quem locum D. Augustinus: *Non enim, ait, quando comprehensus est, tantummodo carne sua eius carnem, verumetiam mente reliquerunt fidem. Ad hoc pertinet quod ait modò creditis &c., tamquam diceret, tunc ita perturbabimini, vt etiam quod modo creditis relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem, & suæ pristinæ fidei, vt ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopha, qui post eius resurrectionem, cum illo se loqui nesciens, & quid ei contigerit narrans: Nos, inquit, sperabamus, quòd ipse fuerat redempturus Israel. Ecce quomodo eum reliquerant, deserendo etiam ipsam fidem qua in eum antè crediderant.* Hæc Augustinus. Quare D. Hilarius inter Latinos patres, *scandalum patiemini* interpretatur, *metu atque infidelitate turbabimini*; Euthymius inter Græcos: *Excutietur a vobis fides quam in me habetis, sicque fugietis.* Sensus integer est, Offensi iis quæ videbitis mihi accidere, deficiemini fide in me, & proinde humano timore correpti vobisque metuentes, diffugietis me relicto. IN ISTA ipsa NOCTE, quæ iam ferè media est, ac multo magis die subsequente. scandalum enim cœpit quando Iesus comprehensus fuit, auctumque est non parùm, dum hostes optato successu in eius cæde potiti sunt. SCRIPTVM EST ENIM. Hac ipsa enim nocte fiet, id quod scriptum legitur apud Zachariam prophetam: ista nocte constabit verè à propheta prædictum fuisse. PERCVTIAM PASTOREM. Apud prophetam legitur *percute pastorem*: est enim vox Dei ad frameam siue gladium suum, etiam D. Hieronymo interprete vbi in prophetam scribit. Iesus igitur prophetiam iuxta sententiam citat, tamquam ex Dei persona dictum sit *Percutiam pastorem*: nam quod Deus gladio suo iubet vt faciat, id ipse significat se facturum. *Percutiam* gladio meo, gladio inquam tribulationis, tradam sinamque venire in manus hostium, & permittam vt comprehendant, affligant, interficiant. Sic loquitur & Isaias cap. 53. v. 8: *Propter scelus populi mei percussi eum*; & Apostolus Rom. 8. v. 32: *Sed pro nobis omnibus tradidit illum*: nihil enim poterant hostes aduersus Iesum, nisi Deo Patre volente & permittente. Quare Pilato ipse ait, Iohan. 19. v. 11: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* *Pastorem* meum *vnum, quem ego suscitabo super oues meas* (Ezech. 34. v. 23.) quem mittam *ad colligendas oues perditas domus Israel* (sup. 15. v. 24.) *pastorem bonum qui animam suam ponet pro ouibus suis.* Ioh. 10. v. 11. ET DISPERGENTVR. & hac ratione fiet vt dispergantur, errent. OVES GREGIS quę ille colligere cœperat. Non verba sed sententiā prophetæ adducens Iesus seu Euangelista, addidit etiam, quam propheta non exprimit, vocem *gregis*: quem gregem Iesus alloquens Luc. 12. v. 32: *Nolite*, ait, *timere pusillus grex, quia,* &c. *Oues enim, Apostolos nominat, vt innocentes*, ait Theophylactus in Marcum: qui & in hunc locum: *Hoc insinuat*, inquit: *Ego contineo vos, mea autem abitio vos disperget.* Dispersi fuerunt Apostoli, quando Iesum pastorem comprehensum, tam fide quàm corpore deseruerunt, ipsoque inter hostium manus relicto fugerunt, & errarunt huc illuc, tamquam oues sine

sine pastore ac duce, desperabundi & perditioni proximi. Porrò Hieronymus in prophetam, non solos Apostolos intelligit, sed & omnem in Christum multitudinem credentium: nam & cæteros fideles similia passos esse, non dubium est. exemplo sit Cleophas ille Luc. 24. v. 21. Cœpit autem hæc dispersio in comprehensione, vbi & percussio: consummata est percussio in morte Iesu; & mansere dispersi discipuli vsque ad resurrectionem Iesu, qui rediuiuus eos iterum collegit, & sub se capite inter se mutuò coniunxit, quamquã plures, & præsertim Apostoli, die sabbati ante resurrectionem, quo deferbuisse videbatur Iudæorum furor, conuenerint in vnum locum. Luc. 24. v. 33, Ioh. 20. v. 2. 10. Prophetiam hanc adducere Iesu placuit, tum vt fidem conciliaret verbis suis, tum vt doceret quòd nihil sibi accidet, vel inexspectatum quod non præsciat, vel fortuitum quod Deus olim non decreuerit: *eo quòd omnes propheta, vt ait Chrysostomus, à prisc. us temporibus, dispensationem hanc futuram prædicarint*. Nam & hoc consilio, singula propemodum, quæ Christus est passus, à prophetis prædicta fuerant. Quod autem Iesus prædicere voluit Apostolis lapsum peccatumque ipsorum, fecit, non exprobrandi mente (cum enim condolenti animo prorsusque benigno prædixerit, ipsa pastoris & ouium adhibita similitudo demonstrat: quis enim indignetur ouibus, pastore percusso fugientibus?) nec vt doceret rem necessariò euentuam esse, quasi euentus necessitas eos à culpa excusatura esset (prædictum enim fuerat, tali modo futurum quali per liberam illorum voluntatem futurum erat) sed ne post lapsum resipiscentes desperarent, aut immodica tristitia absorberentur, immo spem in eo figerent, qui prædixerat fore, vt lapsui erectio quoque succederet, quam quidẽ proximo versu promittit. Hoc est illud quod D. Hieronymus hîc annotat: *Prædicit quid passuri sunt, vt cum passi fuerint non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur*. Postremò, quod hîc prædicitur futurum, euenisse narratur infrà v. 56: *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt*.

Mar. 14. v. 28.

Postquam autem resurrexero, [32] præcedam vos in Galilæam. μετὰ δὲ τὸ ἐγερθῆναί με, προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν.

POSTQVAM AVTEM. *Infirmitatem illorũ, sponsione reditus sui consolatur*, ait Hilarius. q. d. Non diu durabit dispersio isthæc & scandalum: nec enim ego vos deseram, desertus licet. Nam POSTQVAM RESVRREXERO, mea virtute reuixero, ac victor euasero mortis, quæ me vicisse & absorbuisse visa fuerat; quod quidem, sæpe hactenus vobis prædixi fore tertio à morte mea die. PRÆCEDAM VOS, vt pastor oues. Non tamen est intelligendum, quòd illos duxerit, præcedendo forma visibili, sed quòd præuenerit eos. Quare Theophylactus & Euthymius, *prædam, id est, præueniam vos, ibi vos excepturus*. IN GALILÆAM. Non contentus Dominus Apostolis suis promisisse resurrectionem suam, rursus se illis à resurrectione pastorem fore profitetur, & quò plus concipiant fiduciæ, locum edicit, ad quem conuenient, & vbi præsentia ipsius fruentur, atque eum locum qui foret ipsis gratissimus. *Idcirco enim in Galilæam dixit*, inquit Chrysostomus, *vt à timore Iudæorum liberati, faciliùs verbis ipsius & attenderent & crederent*. Non quòd non priùs in Iudæa ipsis esset appariturus, sed partim quòd illi Iudæam odissent, vt in qua nihil tutum opinarentur, partim quòd diuturniùs, & familiariùs, & pluribus, appariturus esset in Galilæa. Sententia est: Vos dispersi, & iam me vt putabitis priuati, cogitabitis de repetenda Galilæa patria vestra, in qua tutò agatis, vt ibi non sint tales hostes mei ac vestri, quales in Iudæa, sed amici ac fautores plurimi. Atqui ego vos illuc præcedam, priùs quàm vos illuc fugeritis, ego illic ero, vobisque eò conuenientibus familiariter apparebo, illic colligam vos ex dispersione, & reducam ad caulas atque ouile meum, & vt bonus pastor reficiam ac sanabo vos peccatis dimissis, & consolabor (confortaboque Ezech. 34. v. 16.) denique quemadmodum mors mea vos turbatos dissipauerat, ita resurrectio mea illic refocillatos colliget in vnum. Hoc ita factũ fuisse narrat Euangelista infrà 28. v. 16.

Mar. 14. v. 29.

Respondens autem Petrus, ait [33] illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. ἀποκριθεὶς δὲ ὁ πέτρος, εἶπεν αὐτῷ· εἰ καὶ πάντες σκανδαλισθήσονται ἐν σοί, ἐγὼ οὐδέποτε σκανδαλισθήσομαι.

ILLI Iesu. ETSI OMNES. Quia dixerat Iesus *omnes vos*, sensit Petrus se notatum inter cæteros: id itaque, præ eo quo ardebat Iesu amore, minimè ferens, quippe alienum à se putans, vt Iesu tam periclitante offendiculum pateretur: Quidquid, ait, de cæteris collegis meis futurum sit, etiamsi illi omnes deserant te & abs te alienentur, ego scio & promitto, numquam me commissurum, quidquid tandem tibi accidat, vt te deseram, aut in te peccem, vacillem fide in te, aut de doctrina & promissionibus tuis dubitem. q. d.: Quo modo cæteri collegæ mei, animo affecti sint, nescio: at ego meum erga te animum huiusmodi noui, quem impossibile sit abs te alienari aut deficere. Magnifica de se promittit Petrus, perspectum se habere existimans suum erga Iesum amorem feruentissimum (*fides enim est, & ardens affectus erga Dominum*, quod ait Hieronymus, *qui sic eum loqui cogit*) sed haud satis sibi notus, immo infirmitatis suæ ignarus, securè magis quàm fortiter grandia pollicetur. Non mentitur quidem, *putat enim se posse, quod se velle sentit*, ait Augustinus libri de gratia & lib. arbitrio cap. 17: sed peccat tamen, & quidem ter, quod notant Chrysostomus & Euthymius; semel quia Christi simul & prophetæ verbis non solùm non acquiescit, verumetiam audactiùs reluctatur; semel, quia cæteris se præponit; tertiò, quia suis viribus facere se posse præsumit, quod absque singulari Dei auxilio facere non potest. *Cum enim dicendum esset*, inquit Chrysostomus, *opem nobis fer, ac ne scandalizemur*, saluos nos fac ab hoc scandalo, adiuua incredulitatem & infirmitatem nostram: è contrario sibi ipsi totum attribuit & arrogat, tamquam Christi ad hæc gratia opus non habeat: quamobrem & cadere permissus est, vt sibi ipse notus fieret. *Magnum prof. cto dogma hinc discimus*, inquit Chrysostomus, *quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiore roboretur*. Et Victor Antiochenus in Marcum: *Offertur hic vobis singulare quoddam documentum. nempe ad depellendas grauiores tentationes, nullam hominis promptitudinem sat esse, si cælestis subsidium desit*. Similia habent Theophylactus in Lucam & Euthymius in Matthæum: hi enim omnes Chrysostomum

sostomum præceptorem imitantur. Habemus itaque hîc in Petro insigne exemplum audaciæ nostræ, dum sumus extra teli iactum: quibus, si conserendæ sint manus, deest illa animi magnitudo quam præ nobis tuleramus. Caro præsumit, sed nescit se infirmam, donec tentatio inciderit. Omnis igitur arrogantiæ nostræ causa, est propriæ infirmitatis ignoratio.

ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ἐν ταύτῃ τῇ νυκτὶ, πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με. 34 Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.

Mar. 14. v. 30. Luc. 22. v. 34. Iohan. 13. v. 38.

AMEN. Reprimit Iesus Petri arrogantiam, & quidem asseueratione vtitur, vt credat ille euenturum citra dubium, submissiusque de se sentiat, persuasus ignotam sibi sui animi fragilitatem, postquam Dominus hoc affirmet. *Petrus de ardore fidei promittebat*, inquit Hieronymus, *& Saluator quasi Deus futura prædicebat:* futura enim omnia, etiam contingentia, certissimè prænouerat. DICO TIBI. q.d. obserua quod dico, & considera quàm cum splendidis tuis promissis conueniat. res enim ipsa docebit, quàm sit sermo tuus verus.

IN HAC NOCTE. hac ipsa nocte, qua tuum in me amando animum adeò iactas constantem. Non dico, diu pòst, quando animus tuus videri posset deferbuisse. ANTEQVAM GALLVS CANTET. & quidem diu ante noctis finem, nempe ante gallicinium, à quo non nisi aliquot horis absumus. id est, breuissimo temporis interuallo. breue tempus opponit amplissimæ promissioni. Galli cantus, qui ab hominibus maximè obseruari solet, ille est, quem is edit sentiens lucem propiùs aduentare, à quo ea pars noctis gallicinium dictum est, etiam sacræ Scripturæ vsu (Mar. 13. v. 35.) estque initium ferè quartæ vigiliæ noctis, complectentis gallicinium, deinde conticinium, quo & galli conticescunt, & quiescunt etiamnum homines, postremò diluculum quo rarescunt tenebræ. Ideò autem meminit Iesus galli cantus, vt signum quoddam Petri animo infigeret, quo reduceret ipsi in memoriam, hanc negationis prædictionem. TER. iungendum est cum verbo *negabis*, non cum *cantet*. Singulæ voces suam hic habent emphasim; non semel dumtaxat aut iterum, sed *ter*. *Vt Deus* (ait Beda in Lucam) *modum, tempus, horam, ac numerum, negationis prædicit*, vt fidem adhibeat Petrus. ME præceptorem & Dominum tuum, quem prædicas adeò constanter abs te amari. NEGABIS. *ἀπαρνήσῃ* abnegabis. Negabis me tibi notum, ac proinde te meum discipulum, qui mihi doctrinæq; meæ adhæreas. Non quocumque modo scandalizaberis in me, lapsus ac peccati occasionem accipies ex me, sed turpissimè: nō tantùm fugies & deseres me, vt alij, verumetiam me meumque consortium ac doctrinam tertiò abnegabis: denique qui te reliquis præponis, reliquis turpiùs delinques. Reliqui animo vacillabunt, at tu ore tam pertinaciter me coram omnibus reiicies, quàm audacter iam promittis te mihi adhæsurum. Negare grauius est quàm scandalizari: scandalum enim propriè metum & trepidationem arguit, negatio abalienationem. Atqui Petrus fidem animo constanter retentam solo ore negauit. Vt hoc detur, quod tamen incertum est (verisimilius est enim, quòd & ipse intus vacillauerit) quantum crimen sit vel ore Christum coram hominibus negare, Christus ipse docet sup. 10. v. 33: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* Prædixerat hoc idem Iesus Petro ante egressum è domo, quod cōstat ex Luc. 22. v. 34. & Iohan. 13. v. 38., vt notat etiam Euthymius in Iohannem: sed quia Petrus hoc minùs obseruarat, vt quod minimè sibi persuaderet, repetit Iesus in itinere, illo inanes iactationes repetente. Cæterùm non fuit coactus Petrus negare, quia Iesus prædixerat: sed Iesus, videns futura tamquam præsentia, constanter Petro id prædixit, quia certo certius facturus erat, præ ea qua se laborare ignorabat animi fragilitate. *Instruitur ad cauendum* (inquit Ambrosius in Lucam) *non cogitur ad negandum*. Et Cyrillus in Iohannem: *Nullam vim*, ait, *inde Petrus passus est, sed qui futura vt præsentia videt, quod futurum erat discipulo prædixit*. Profuit porrò Petro plurimùm ista prædictio: illius enim memor post peccatum, faciliùs rediit ad mentem, quod manifestum est infrà v. 75.

λέγει αὐτῷ ὁ Πέτρος· κἂν δέῃ με σὺν σοὶ ἀποθανεῖν, οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι. ὁμοίως δὲ καὶ πάντες οἱ μαθηταὶ εἶπον. 35 Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Mar. 14. v. 31.

ME MORI. Sentiebat Christum dicere, negationem huiusmodi, metu mortis & pœnarum, ab ipso extorquendam. NON TE NEGABO. *οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι* nequaquam te abnegabo. Petrus animosior quàm par est, pertinaciter se inuictum fore promittit: sed plena temeritatis fiducia est, quia in se & testimonio conscientiæ suæ confidit, non in gratia Christi, immo Christi verbis plus satis audacter contradicit. Non tamen mendacij arguere voluit Dominum (absit) sed, quod ait D. Hilarius: *Intantum & affectu & charitate Christi efferebatur, vt & imbecillitatem carnis suæ & fidem verborum Domini non contueretur*. Fuerant quidem Iesu verba clarissima, adeò vt si non præcipitanter ea arripuisset, sed prudenter de eis cogitasset, facilè animaduertisset rem seriam dici: atqui, turbatior, imaginatus est, non tam prædicentis esse quàm comminantis verba, quòd res eo statu forent, quo periculum esset ne abnegaret. Non ergo mendacij insimulare voluit præceptorem, nec etiam respondit studio contradicendi, verùm vt testatum faceret, quàm abhorreret, quamque esset alienus ipsius animus ab huiusmodi crimine ingrato ac nefando, persuasus facile sibi fore cauere à scelere, quod modò odisset. Porrò, quod Chrysostomus ait, *Christus ab his passionibus eum liberare volens, non impellebat ad negationem (absit hoc enim) sed fauorem suum ab eo subtraxit, & humanam redarguit naturam. Perspice autem, quomodo post resurrectionem hinc eruditus, submissius loquitur*, &c. Iohan. 21. v. 15. 21. 22. Qua de re & Victor Antiochenus in Marcum: *Tu hic modò perpende, quam demissus quamq; modestus Apostolus Petrus post lapsum euaserit. Qui enim ante casum nihil non sibi arrogare audebat, is post lapsum contraria studia*

ſectatus, nihil prorſus ſibi ſed omnia Chriſto Domino tribuebat, &c. Act.3.v.12. SIMILITER vt Petrus, ET OMNES etiam reliqui, DISCIPVLI Apoſtoli, decem numero, DIXERVNT, conſtanter promiſerunt ſe nunquam in præceptore paſſuros ſcandalum, quin potiùs mortem ſubituros quàm eum negaturos. *dixerunt* autem, non ſeorſum ſinguli, ſed ſimul omnes, coniuncto ſtudio, Petro cedere nolentes. Videbant & ipſi nihil magis turpe eſſe poſſe & perfidum, quàm Dominum deſerere: itaque ne viderentur, minùs alieni ab huiuſmodi defectionis ſcelere, aut animoſitate ad adhærendum Domino inferiores Petro, certatim Petri iactantiam imitantur, etiamſi tam in propria quàm in Petri perſona ſuæ fragilitatis eſſent admoniti, ita vt dubitare non deberent, quin & ipſi Ieſum eſſent abnegaturi, ſi ſimilis ipſos arctaret neceſſitas quæ Petrum. Cæterùm, vt non eſt contentioſus Ieſus, ita vltra non reſiſtit ſiue Petri ſiue reliquorum Apoſtolorum vanis promiſſis, relinquens vt proprio deinde experimento ſaperent, ſtultorum inſtar qui non ſapiunt niſi accepta plaga.

Mar.14. v.32. Luc.22. v.40.

Tunc venit Ieſus cum illis in [36] villam, quæ dicitur Gethſemani, & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hîc, donec vadam illuc & orem.	τότε ἔρχεται μετ᾽ αὐτῶν ὁ ἰησοῦς εἰς χωρίον λεγόμενον γεθσημανῆ, καὶ λέγει τοῖς μαθηταῖς· καθίσατε αὐτοῦ, ἕως οὗ ἀπελθὼν προσεύξωμαι ἐκεῖ.

TVNC. His aliiſque ſermonibus in itinere habitis: nam & quæ refert Iohannes capitibus 15.16.17. Euangelij ſui, in hoc itinere dicta fuere. Fuit enim iter quinque circiter ſtadiorum, id eſt, paulò amplius quàm medij miliaris Italici, à domo è qua egreſſus eſt Ieſus ad hunc vſque locum. vide ſup.21.v.1.& 4.v.18. VENIT præſentis temporis eſt ἔρχεται. CVM ILLIS diſcipulis ſuis. VILLAM. χωρίον *prædium* vertit ſecundùm Marcum, Hilarius *agrum* reddit, Syrus inter alios *locum*. *Villa* igitur, non pro domo ruſtica hîc accipienda eſt (neque enim domum iam ingreſſus eſt Ieſus) ſed pro agro vel prædio, cui tamen domum adiunctam fuiſſe veriſimile eſt, vt hortum. Iohan.18.v.1. Nam Chriſti Domini tempore, ſuburbana Ieroſolymorum elegantiſſimis villis & hortis ornata atque inſtructa fuiſſe, Auctores prodiderunt. DICITVR. vocatur. GETHSEMANI. γεθσημανῆ gethſemane. גיא *ge* vallis, שמן *ſemen*, cuius plurale שמנים *ſemanim*, oleum eſt, tamquam dicas, vallem olei (literam θ *th* euphoniæ cauſa crediderim interiectam) quòd, vt quidam arbitrantur, torcular illic ædificatum eſſet ad exprimendum oleum ex oliuis, quarum maxima in proximo monte copia naſcebatur. Syrus aliter ſcribit ܓܕܣܝܡܢ *gedſiman*, neſcio qua ſignificatione, niſi quòd Caninius, libello de locis hebraicis, ſyriacam vocem interpretetur agrum ſeu villam butyri, nimirum à copia butyri: verùm *ged* priori voculæ, non dat literam *dalath*, ſed *ihan*, & poſteriori *ſchin* non *ſemchat*. D. Hieronymus in locis hebraicis, notat, *Gethſemane* fuiſſe locum ad radicem montis Olìueti: atque hoc ſatis loquitur Euangelium, quod cùm ſup.v.30. dixerit Ieſum exiſſe in montem Oliueti, iam nominat locum montis in quem conceſſerit. Nam montem Oliueti nominat, non ſolum montem ipſum, verumetiam totum illum tractum, qui eſt vltra Ieruſalem ad Ortum, poſt torrentem Cedron, etiam villas & hortos qui infra montem erant ad torrentem. Venit igitur Ieſus *in villam Gethſemani*, & quidem in eius villæ hortum, quod ex Iohanne intelligitur: non quidem vt illic lateret, erat enim hortus ipſi familiaris & proditori cognitus, Iohanne teſte cap.18.v.2. Non ergo quæſiuit latebras, immo quaſi ex condicto ſe obtulit ad mortem: venit autem vt illic pro more oraret (vt erat locus ſemotus à turba) & oratione aduerſus ingruentem iam tempeſtatem ſe muniret, relicto nobis exemplo, denique vt locus ipſe argueret ipſius quidem comprehenſi innocentiam, hoſtium verò improbitatem. DIXIT. λέγει dicit. reſpondet verbo præcedenti *venit*. DISCIPVLIS octo. Antecedens loco relatiui. SVIS græcè non additur. SEDETE. manete. HIC. Deſignauit eis locum, in anteriori fortaſſis horti parte, ipſe in vlteriorem ſeceſſurus; niſi enim iuſſi, à præceptoris latere non diſceſſiſſent, præſertim cùm de tempeſtate huius noctis certiores facti eſſent ſuprà v.31. Non ſolùm autem manere eos illic loci iuſſit, verumetiam *orare ne intrarent in tentationem*, quod ſcribit Lucas cap.22.v.40. DONEC VADAM ILLVC ET OREM. ἕως οὗ ἀπελθὼν προσεύξωμαι ἐκεῖ vſquequo vel interea dum abiens orauero illic. Demonſtrabat locum paulò remotiorem, non extra conſpectum tamen; iactu lapidis diſtantem, quod Lucas habet. Non enim prorſus ab his ſe ſubduxit: ſeparauit autem mediocri ſpacio, tum vt *ſeorſum oraret, quemadmodum conſueuerat (erudiens nos quietem ac tranquillitatem in orationibus diligenter appetere,* quod notat Chryſoſtomus) tum vt parceret horum infirmitati, ne offenderentur conſpecta triſtitia & anxietate magiſtri, in quem credebant vt Chriſtum Filium Dei viui.

Mar.14. v.33.

Et aſſumto Petro & duobus filiis [37] Zebedæi, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe.	καὶ παραλαβὼν τὸν πέτρον καὶ τοὺς δύο υἱοὺς ζεβεδαίου, ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν.

ASSVMTO. παραλαβὼν poſtquam aſſumſiſſet ſ. *ſecum*, quod addit Marcus. FILIIS ZEBEDÆI Iacobo & Iohanne. Ex numero vndecim tres eligit, eos quibus amplius confidit, cùm quibus conſueuerat ſecretiſſima quæque communicare, vt teſtes eſſent agonis ſui cum mortis imminentis horrore. Reliquos adeſſe noluit, ne imbecilliores plus æquo turbaret viſa præceptoris infirmitas, quod diximus: hos qui in monte ſpectatores fuerant gloriæ, & ſuperni teſtimonij auditores, decuit eſſe conſtantiores & minùs cæteris offendi. Erant in Ieſu duo iſta inter ſe diuerſiſſima, diuina maieſtas qua nihil ſublimius, & humana imbecillitas, qua nihil abiectius: quoniam autem his tribus guſtum aliquem præbuerat ſuæ ſublimitatis, voluit eoſdem ſuæ imbecillitatis eſſe teſtes, & intelligere, quòd in Chriſto, vt gloria infirmitatem non abſorbuiſſet, ita nec infirmitas gloriam. Hanc ferè rationem adferunt veteres, cur hos tres præ cæteris iam aſſumſerit Dominus, nominatim Hilarius & cum ſua ſchola Chryſoſtomus. vide ſup.17.v.1. COEPIT. Non priùs cœpit quàm hos aſſum-

assumsisset, vt intelligamus tum cœpisse cùm voluit. Paulò antè cùm adesset vndecim discipulis, & mortem quoque suam prædiceret, quinetiam perpetuum mortis suæ symbolum institueret, nõ ita contristatus fuerat, eò quòd nollet tristitiam suam omnibus esse notam: núc verò statim vt à reliquis digressus est, & solus cum tribus familiaribus discipulis fuit, contristari cœpit: non enim coactus aut inuitus, neque subitò & præter voluntatem tristitiam passus est, vt nobis accidit, sed sponte, quando, quomodo, & quantum voluit. MOESTVS ESSE. ἀδημονεῖν anxio esse animo, vehementer angi seu cruciari. ἀδημονεῖν est ita vehementi obiecti discriminis metu angi, vt quasi exanimis & extra te sis. Euangelista hoc verbo nihil aliud quã magnitudinem tristitiæ anxietatisq; Iesu declarare voluit. Cœpit autem ita cõtristari & angi animo, vt id externo etiam corporis habitu declararit, gemibundo pectore, vultu pallido, & languido corpore, tantumque non concidente.

τότε λέγει αὐτοῖς· περίλυπός ἐστιν ἡ 38 ψυχή μου ἕως θανάτου· μείνατε ὧδε, καὶ γρηγορεῖτε μετ' ἐμοῦ.

Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hîc, & vigilate mecum.

Mar. 14. v. 34.

TVNC AIT ILLIS tribus, verbis hoc idem declarans quod rebus. TRISTIS. περίλυπος valde tristis. auget enim præpositio περὶ, quasi dicat, tristitia vndique obsessa & circumuallata est. ANIMA MEA. omnes animæ meæ partes. VSQVE AD MORTEM. *Tantundem est ac si dicat* (inquit Euthymius) *sicut in morte*; quasi in ipsa morte esset constituta, perinde ac si à corpore separaretur, non minùs quàm si morerer. Significatur summus tristitiæ & mœstitudinis labor atque angor. Quemadmodum Filius Dei pro nobis hominibus redimendis assumserat humanam naturam, anima & corpore constantem, sic assumserat & proprietates eiusdem naturæ, tam animæ quàm corporis, atque adeò infirmitates, quæ quidem cum plenitudine gratiæ & veritatis non repugnarent, atque inter cætera, affectiones animi, tristitiam, gaudium, metum, iram, &c. quæ passiones animi dicuntur. natura enim ἀπαθὴς haud idonea fuisset ad satisfaciendum pro nostris peccatis. Sed discrimen non paruum fuit inter Christi & nostras passiones, doctore D. Thoma p. 3. q. 15. a. 4. idque triplex potissimùm. Vnum, quòd cùm illę nobis sæpe obrepant nec opinantibus, & adhæreant etiam inuitis, idque ob imperij, quod hominis in se est per rationem, infirmitatem; Christum corripere non potuerint, nisi à recta ratione excitatæ & imperatæ: non enim nisi sponte sua iratus aut tristatus fuit Christus, quemadmodum docuimus versu superiori, *& potestate non infirmitate turbauit se ipsum*, quod D. Augustinus in Iohannem scribens ait. Alterùm, quòd passiones nostræ sæpe ferantur ad illicita, quòd non passiones Christi. Tertium, quòd nobis sæpe turbent adeoque peruertant iudicium rectæ rationis, quòd nullo modo Christo Domino, à cuius recta ratione sic excitatæ fuerunt, vt etiam gubernatæ, ita vt nec rationem ipsæ turbare, nec qua re modum à ratione præscriptum excedere possent. vide Iohan. 13. v. 21. Quod ad præsens igitur negotium attinet, volens Christus à tristitia exordiri passionem suam, redemtionem humani generis; separatus à turba Apostolorum, solis tribus familiarioribus comitatus, orsus est, viuacissimo ac præsentissimo animo, considerare mortem crucis passionemque sibi imminentem, & singulas eius circumstantias (quæ, quanta, qualia, à quibus, vbi, quando, passurus esset) ipsa morte haud leuiores, vt prænouerat exactissimè omnia, & certo certior erat se non euasurum. Hæc igitur omnia, tam clarè quã quæ maximè sunt præsentia, ob oculos sibi ponens & contemplans, præmeditans, & antequam euenirent acceptans, excitauit in se ipso timorem & tristitiam; timorem, quo metuit hæc futura; sed potiùs tristitiam, qua doluit de eis tamquam præsentibus & certò euenturis, & quidem tantum timorem ac mœrorem (quanta intelligebat fore hæc mala, id est, nocumenta naturæ, ita vt parùm à morte differre videtur mœror. excitauit autem in appetitu sensitiuo, qui proprium subiectum est passionum, & naturâ refugit atque exhorret quæ naturæ aduersantur. Sunt qui tristitiæ huius Christi obiectum existiment fuisse hominum peccata, sunt qui iram maledictionemque Dei æternam peccatis hominum debitam, quam Christus metuerit sibi, vt qui pro peccatis hominum satisfaciendi partes susceperat (quod sacrilegè Caluinus & Beza) sed non aliud fuisse quàm mortem passionemque proximam, oratio qua tristitiam hanc suam Christus in sinum Patris mox effundit, & calicem sub Patris beneplacito deprecatur, loquitur: non quòd hominum peccata Christum non contristarint, sed quòd de ea tristitia hic propriè non agatur, solummodo de tristitia naturali, quam susceperit Christus, vt partem mortis qua pro peccatis hominum satisfacere decreuerat. Nam, peccatis hominum consideratis, non timuit Christus mori, at optauit, nec tristis ob mortem fuit, sed libenter est eam amplexus. Porrò ita tristitiam in appetitu sensitiuo excitauit, vt eam permiserit & in reliquas animæ partes exuberare, totamque occupare animam, etiam voluntatem, id est, appetitum rationalem, non tamen quatenus agit vt ratione præditus, sed quatenus agit vt natura: nam vt ratiocinandi & deliberandi vi præditus, non tristis ob mortem fuit, quod diximus, sed mortis cupidissimus. Neque solùm in animam vniuersam, verumetiam in corpus, redundare siuit Christus tristitiam hanc, ita vt languere corpus, pallere, tremere, viribusque defici cœperit, vt vers. 37. dictum est, adeoque sanguinem sudare, quod Lucas habet cap. 22. vers. 44. Obiiciunt Caluinus & Beza, mollem fuisse Christum & timidum, multisque martyribus inferiorem, si tantopere mortem timuit. Atqui, non timidus, sed fortissimus fuit, cuius timor non coactus, sed spontaneus, & liber, & iudicio rectissimæ rationis nixus fuit: neque mollis, sed constantissimus, quem non tantùm non adegit timor vt quid faceret aut omitteret se indignum quò mortem euaderet, vt etiam vltrò se ipse hostibus mortique obtulerit, nihil moratus naturæ reformidationem quò Patri obediret, nihil veritus dispendium vitæ suæ, quò hominibus salutem pareret. Nam quòd martyres quidam lætissimis animis mortẽ adierint, diuina consolatio fuit, quam, licet haberet præsentem Christus, sibi ipse negauit, non tantùm non permittens vt gaudium ex superiore animæ parte flueret in inferiorem, verumetiam de industria defigens cogitationem in mortem & dirissima quæque quæ impenderent supplicia, quò tristitiam in se excitaret. Ita enim congruebat pluribus de causis. Primùm, vt se verum hominem declararet, passibilem, & eisdem nobiscum affectibus obnoxium: vt nihil ita naturale est homini, ac mortem præsentem & ob oculos positam reformidare. Nam cùm sæpe hactenus Apostolis suis mortem passionemque suam prædixisset, & intelligendum dedisset

sponte à se mortem adiri, quam posset si vellet euadere; ne illi aut alij arbitrarentur, mortem ipsi leuem facilemque fuisse & sine sensu doloris toleratam, quæ vel non læserit Filium Dei, vel minùs afflixerit corpus obstupefactum, voluit his tribus Apostolis tristitiam suam testatam facere, qua declararet, quòd mortem ita exspectaret proximè, vt integris sensibus, & cum dolore ac mœrore, qualis in hominibus consequi solet, immo maiore, toleraturus esset. *Neque enim habent fortitudinis laudem* (ait Ambrosius in Lucam) *qui stuporem magis vulnerum tulerint quam dolorem*. *Si autem* (quod notat Chrysostomus) *cum & vultus & verba & tristitia mœrorem significauerint, non creditur tamen à nonnullis passio: quidnam dicerent, si ista non essent?* Deinde, vt cumulatè Christus pro peccatis nostris satisfaceret, quæ partim animo partim corpore committuntur, voluit non eos tantùm cruciatus ferre qui propriè sunt corporis, verumetiam eos qui propriè sunt animi, timores inquam ac mœrores. Non enim suffecit ei subitam pro nobis tulisse mortem, qualis eorum est qui nec opinantes securi feriuntur, sed mortem subire voluit circumstantiis omnibus planè cōstantem, timore, tristitia, captiuitate, conuitiis, ignominia, iudicio, flagellis, &c., *vt copiosa nostri esset apud Dominum redemtio*. Tertiò, vt infirma membra sua consolaretur, ne timorem horroremque mortis peccatum esse crederent, voluit ipse prior eum pati, quod notat pluribus locis Augustinus. Denique, sua tristitia Dominus sanare voluit tristitiam nostram, mederique omnibus animi nostri passionibus, quò rectè eas regamus & componamus. Sed quare tantam Christus assumsit tristitiam, quanta non maior cum ipsa morte coniuncta sit, quod suo ipse ore testatur? quia mors passioque ob quam tristabatur, futura erat omnium durissima ac ditissima, voluit respondere pœnis maximis tristitiam maximam: nihil enim mediocre in Christi passione fuit, quæ pro non mediocribus hominum peccatis offerebatur. Non tamen tristitia hæc Saluatoris excessit modum, quia nihil ob eam minùs prudenter aut rectè egit, sed contrà sic eam temperauit, vt quemadmodum sponte propria, non antè eam assumserat quàm opportunè solus esset cum tribus, ita sponte opportuneque deponeret, cùm ad hominum societatem rediret, & mors periculaque reipsa adeunda forent. Durauit quidem ad mortem vsque tristitia hæc, immo aucta plurimum est, dum imaginationi mala reipsa accesserunt, eoque magis aucta, quò maiora mala accesserunt, ita vt in cruce ad summum excreuerit gradum: sed præter hoc quòd non semper æqualis fuerit, at interdum intensior, interdum remissior, prout ipsi Domino consultum videbatur (cæteroqui enim, absorptis viribus naturalibus, passionem impediuisset, eaque Dominus se ipsum interfecisset) ferè mansit corde condita, vixque vt hîc exteriùs est declarata, nisi fortè vltimis illis verbis *Deus meus Deus meus vt quid derel. me?* infrà 27. v. 46. Ex quo enim oratione finita ad discipulos rediit, non ampliùs eam extrinsecus monstrauit, sed contrà alacriter, absque omni timore, hostibus obuiam iuit, nec se à discipulis defendi est passus, vt nec in toto passionis decursu vllum timoris signum dedit, sed tantam vbique animi fortitudinem rebus ipsis declarauit, quantam in horto præ se tulerat infirmitatem. *Post rationem enim depulit* (quod ait D. Leo serm. 8. de passione) *trepidationem infirmitatis, & confirmauit magnanimitatem virtutis. Nam quàm constanter* (ait Ambrosius in Lucam) *se morti obtulerit, consequentia declarant, quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmauit, trepidos prouocauit, proditorem osculi dignatione suscepit*. Hic igitur in horto spectandus nobis proponitur summus sacerdos noster, seipsum offerre incipiēs hostiam, qua nos redimat & Deo reconciliet. Et quidem ab animo suo exordium faciens, vt quemadmodum peccatum ab animo incipit (corde enim priùs cōcipitur quàm opere perpetretur) sic hostia pro peccato à Redemtoris animo initium sumeret, illo timorem ac mœrorem præsumente parem morti subsequuturæ. Cuius quidem mœroris sui conscios esse voluit tres familiares suos; tum ob causas iam dictas, tum vt eos ad condolentiam expergefaceret: ideò enim sequitur: *Vigilate mecum*. SVSTINETE. μείνατε manete, exspectate me hîc. VIGILATE in oratione. tempus enim hoc non permittit somnum, sed postulat vigilantem & attentam deprecationem. Vigilare eos vult, partim vt orent & aduersus tentationem proximam se muniant, partim vt obseruent præceptoris omnia, eorumque suo tempore sint testes. MECVM autem addit, tamquam diceret, hoc erit mihi solatium, si vos mecum vigilare & laborare sentiam, & onus meum simul portare. *Vos quasi firmiores adduxi*, ait Origenes, *vt mecum collaboretis in vigiliis & orationibus*; & Euthymius: *Vigilare eos secum iubet, consolationis gratia, sicut moris est in afflictionibus*. Ita enim comparati sunt afflicti, vt cupiant eos vnà secum dolere quos pro amicis habent: nam quidquid hoc sit, nonnihil illis de afflictione minuit, veluti si onus grauius non solus portes, sed in aliorum humeros partem illius deponas. Nequis autem putet Christum alienū ab hoc affectu fuisse, expendat quid illud sit quod dicit Psal. 68. v. 21: *Sustinui qui simul contristaretur*, &c. quamquam non tam sui Christus quàm discipulorum gratia exegerit vt secum vigilarēt, tamquam in communi periculo constituti, ne tentatione proxima superarentur. Etsi autem Matthæus solis tribus hoc dictum recitet, non ideò tamen reliquis dictum non fuit, sed his diligentiùs inculcatum: nam Lucas c. 22. v. 40., omnibus dictum refert: *Orate ne intretis in tentationem*.

Mar. 14. v. 35. 36. Luc. 22. v. 41. 42.

Et progressus pusillum, procidit [39] in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.	καὶ προελθὼν μικρὸν, ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ, προσευχόμενος καὶ λέγων· πάτερ μου, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ᾽ ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο· πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ᾽ ὡς σύ.

PVSILLVM. μικρὸν parùm, nouem fortasse aut decem passibus PROGRESSVS est. Reliquit oraturus etiam horum trium maximè familiarium discipulorum cōsortium, humanam consuetudinem & veluti verecundiam sequutus: pudet enim homines coram aliis, voce aliisque interioris ardoris signis adhibitis, orare, ne cenodoxiæ arguantur: sed non nisi paululùm progressus est, nec longiùs quàm vbi posset ab his tribus videri & audiri: volebat enim hos omnium esse testes, quæ inter orandum vel dicturus vel acturus vel passurus esset. *Nolebat longe fieri ab eis*, inquit Origenes, *sed iuxta eos constitutus orare*. In quam sententiam & Theophylactus:

ctus: *Propterea*, inquit, *non longa distantia à discipulis progreditur, sed prope tres discipulos manet, vt audientes eum, memores sint vt & ipsi in tentationibus precentur similiter.* PROCIDIT. ἔπεσε cecidit IN FACIEM SVAM. pronus in terram, tum pro reuerentia paternæ maiestatis, tum præ angustia animi proprij. Ostendit enim hic habitus gestusque orantis, partim humilitatem mentis, quod Hieronymus, partim animi desolationem, quod alij annotant. omninoq; seriam orandi vehementiam testatur. Eodem vsi sunt Moses & Aaron Num. 20. v. 6. ORANS vt homo: nam vt Deus vnus cum Patre, poterat ipsemet omnia, nec opus habebat orare Patrem. Exemplo nos docet, in tristitia animique angustia, ad orationem cõfugere: quod & Iacobus monet epistolæ suæ cap. 5. v. 13: *Tristatur aliquis vestrum? oret.* ET DICENS, id est, orans in hæc verba: hæc fuit summa orationis eius. PATER. Blandientis vox, pium declarans inuocantis affectum, & hinc beneuolentiam, hinc fiduciam conciliaus, à qua proinde rectè exordium sumitur orationis, quemadmodum docuimus sup. 6. v. 9. Quid enim negare possit filio pater? aut quid non audeat filius sibi polliceri de patre? Et quamquam Iesus illius vocis in oratione vsum nobis secum communem concedere dignatus sit: ipsi tamen soli propriè conuenit, qui non adoptione dumtaxat, vt nos, sed naturâ filius est Dei. Nam quamuis, non quatenus naturâ filius Dei est, sed quatenus filius hominis est, oret: tamen propter naturarum humanæ & diuinæ personalem in se vnionem, Deum alloquitur vt naturâ patrem. Quare & ait *Pater mi*, non vt nos orare docuerat, *Pater noster*: quamquam etiam, singularis affectionis exprimendæ causa, Iesus vtatur, & nobis aliquando vti permittat, pronomine *mi*. SI POSSIBILE EST. id est, si vis sic enim exponit D. Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 4., ex Luca, si tua æquissima voluntas permittit. Non orat vt dubius, siue de potestate, siue de voluntate Patris, siue de euentu denique, sed exprimit vehemẽtissimum desiderium appetitus seu voluntatis naturalis in se, ita tamen vt modis omnibus illud subiiciat placito Patris. Simili sermonis forma obsecrare solemus etiam homines, petentes aliquid quod non nescimus, aliter & quidem iustissimis de causis esse ab eis statutum, & omnino non, vel difficillimè impetrandum, etiamsi in illorum sit manu; *Si possibile est.* TRANSEAT A ME. prætereat me & intactum relinquat, auferatur à me, ne bibere eum cogar: iam nunc enim gustati cœptum amarissimum sentio, quanto magis cùm ad fundum vsque ebibiturus sum? CALIX ISTE. τὸ ποτήριον τοῦτο poculum istud s. quod mihi à te offertur & paratum est; *calix iste passionis*, ait Hieronymus, & mortis imminentis, id est, libera me à suppliciis & morte mihi à te decretis ac proximis, acerbissimis illis, ne debeam ea sustinere. Nam sentio carnis affectum vehementer abhorrentem. vide sup. 20. v. 22. Quæ hoc loco describitur Christi oratio, duabus partibus constat, quæ non singulæ orationes sunt, sed ambæ vnica oratio, exponens Deo desiderium naturæ cum moderamine rationis. Vtraque pars à dictamine rationis & rationalis voluntatis profecta fuit (oratio enim est rationis actio) sed priori ista parte *Transeat a me calix iste*, ratio explicuit desiderium naturale, quo humana natura, nec tantùm appetitus sensitiuus, verumetiam appetitus naturalis, id est, voluntas (considerata tamen vt natura, non vt rationalis) abhorrebat à morte. & refugiebat pati ea quæ sibi contraria erant, desiderabatque ab his liberari, quemadmodum insitum est rei omni naturali, vt seipsam seruare velit, & aduersantia repellere, eoque fortiùs quò sentit esse grauiora. *Secundum quod cœpit pauere*, inquit Origenes, *& tristari, secundum illud & orat calicem passionis transire à se, sed non sicut vult, sed sicut vult Pater. Suscipiens enim naturam carnis humanæ, omnes proprietates impleuit, vt non in phantasia habuisse carnem existimaretur, sed in veritate.* Hæc Origenes. Non fuit hoc votum abruptum, *Christo inter violentos tentationum fluctus alternis votis quasi vacillante*, quod blasphemè Caluinus scribit, addens: *Non fuit hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Eadem vehementia præsentem cælestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputaret in ipso momento, se hac lege missum esse humani generis redemtorem: sicut grauis anxietas sæpe caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia.* Hæc ille impiissimè, Christo Domino inconsiderantiam, obliuionem, mentis caliginem, inconstantiamque adscribens, vt Mar. 13. v. 32. ignorantiam, denique reipsa peccatum, etsi disertis verbis id nolit fateri. Non fuit hoc abruptum Christi votum (absit) sed meditata oratio. Sicuti enim tristitiæ passionem deliberatus sponte ac liberè assumsit: sic animo præsenti & constanti eam rexit, vt modum non excederet, nullam induceret memoriæ obliuionem, nullam menti caliginem offunderet, nullatenus rationem turbaret quò minùs officio fungeretur, nullum denique rationali voluntati extorqueret desiderium à recto alienum. Sed cùm dictaret ratio, in huiusmodi mœrore ad orationem esse confugiendum, sic iudicauit eadem ratio contexendam esse orationem, vt priori quidem eius parte exprimeret desiderium naturæ, optantis à tristissima morte liberari, quo angebatur: posteriori verò declararet desiderium voluntatis rationalis, subiicientis naturæ desiderium beneplacito voluntatique Dei, & hoc illi præponentis. Non itaque vis doloris subitam Christo vocem extorsit (ô impietas Ariana) sed recta ratio liberè ac meditatè dictauit prudentissimam orationem, quæ vehementissimum naturæ desiderium sic exprimeret & effunderet in sinum Patris, vt obseruatissimæ Patris voluntati, iuxta quam nouerat mortem sibi esse tolerandam, subiiceret ac postponeret. Neque verò incongruum fuit Christo, variis huiusmodi teneri desideriis: non enim contraria aut aduersa fuere, sed diuersa, profecta à diuersis facultatibus, rem vnam aliter atque aliter considerantibus; vnum profectum ab appetitu sensitiuo & voluntate naturali, sequente inclinationem formæ naturalis, cuius non est vis alia, quàm rem considerare vt naturæ vel commodam vel noxiam, & commodam quidem appetere, noxiam repudiare, neque valet se vltrà extendere; aliud profectum ab appetitu seu voluntate rationali, cuius munus est rem considerare cum omnibus circumstantiis, & appetere etiam nocentem naturæ ob finem meliorem. Atque eo minùs contraria fuere hæc desideria, quòd ratio dominans appetitui, neque priùs, neque magis, neque diutiùs, permiserit, vt quod suum erat appeteret ille, quàm volebat ipsa atque decebat, & interea etiam dum appeteret, ipsa constanter citraque omnem vacillationem id præferret, quod perpensis omnibus præferre oportebat, nulla ex parte vel impedita vel retardata in actione propria. Lege D. Thomam p. 3. q. 18. a. 6. Paulò aliter fit in nobis peccato vitiatis, nec tamen vel nobis peccatum est præsentem mortem exhorrescere, ob eamque tristari, & seruato moderamine deprecari eam, etiamsi fortè euidens sit, Dei voluntatem hoc habere vt iam moriamur: quia non absolutè ad voluntatem definitam Dei nostram conformare iubemur, sed ad mãdata Dei, id est, non tenemur simpliciter velle id quod Deus vult, sed id quod Deus vult nos velle, quemadmodum docet D. Thomas 1. 2. q. 19. a. 10. & 2. 2.

q.104.a.4. ad 3. Non tantùm autem non est nobis mandatum, mortem quam Deus nobis inferre decreuerit appetere, vt contrà, naturæ à Deo creatore insitum sit perpetuum desiderium vitæ. Vnde & Apostolus 2.Corin.5.v.4: *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, eò quod nolumus expoliari, sed superuestiri. Deus enim mortem non fecit, sed inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum* (Sap 1.v.13.& 2.v.24.) Deus non est auctor mortis, qui immortalem hominem creauerat, sed peccatum quod homo commisit à diabolo seductus, peccatum promeruit mortem naturæ institutioni contrariam adeoque inimicam. Per se igitur refugere semper licet mortem, & desiderare vitam: quod autem licet desiderare, licet & orare, modò quidem nostra voluntas definitæ Dei voluntati se subiiciat, ita vt aduersus eam non contendat aut murmuret (hactenus enim nostram ad definitam Dei voluntatem conformare tenemur) qua ratione mors, quam constat Deum velle vt subeamus, non appetenda quidem nobis necessariò, sed tamen æquanimiter ferenda est: Nam fieri etiam potest vt appetatur, sed per accidens (vt loquuntur) siue quia per mortem aliud maius bonum exspectatur, quàm mors ipsa sit malum, siue simpliciter quia sic fert Dei voluntas. Sic igitur Christus Dominus, quòd mortẽ deprecatur, naturæ suæ humanæ hoc cõcedit quod licitè poterat, ne per se mors passionisque acerbitas ipsi placuisse videretur: sed naturæ desideriũ subiicit postponitq; definitę Patris volũtati, rationali voluntate non tantũ contentus ęquo animo ferre mortem, verumetiam expetens eam, non propter ipsam, sed propter obedientiam, quia sit voluntas Patris vt eam ferat, idque ob maximũ ex ea prouenturum bonum, tam ipsi Christo (*proposito enim sibi gaudio sustinuit crucem*. Heb.12.v.2.) quã vniuerso generi humano, maius longè quàm mors ipsa futurũ sit malũ. *Nequaquam enim respuit passionem* (inquit Chrysostomus à catena in Lucam citatus) *qui reprehendit Petrum hanc impedire volentem, satanam vocans*. sup.16.v.23. VERVMTAMEN NON SICVT EGO VOLO s. *fiat*, quod monet etiam Euthymius. Nam id subaudiendum relinquit feruor orationis, nec enim sua emphasi caret aposiopesis. *Non sicut ego volo*, voluntate, appetitu, seu desiderio naturali. Nam voluntate seu appetitu rationali, quatenus agit vt rationalis, vult id quod subiicit *sed sicut tu vis*. *Non*, inquit Hieronymus, *hoc fiat quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras tua voluntate descendi*. Cæterùm non est hæc castigatio siue correctio orationis pręcedentis, quod Caluinus blasphemat, sed est perfectio orationis verbis præcedentibus cœptæ: non enim duplex hìc Christi oratio describitur, nec distrahenda prior pars est à posteriore, sed vnica describitur oratio, quæ superioribus verbis cœpta, his absoluitur, cuius summa est: Licet humana natura mea mortem passionemq; mihi imminentem plurimùm exhorreat, & eam velit posse euadere: ego tamen me subiicio voluntati tuæ, quẽ esse noui vt eam tolerem, & oro ac cupio vt ea fiat in me. Oratione petens vt transeat calix, addit conditionem si pater velit: sed conditionem sciens non subsistere, absolutè petit & orat vt Patris fiat voluntas ipseque calicem bibat. Sunt & plures catholici tractatores, qui non satis cautè hìc loquuntur, vt cùm dicunt, Christum Dominum quasi in se reuersum, aut reminiscentem ad quid missus esset, subdidisse *Verumtamen non sicut*, &c., quamquam illorum mens longè absit à Caluini impietate. Quemadmodum igitur Christus Dominus, superioribus verbis explicuit quid desideraret voluntate naturali, ita his explicat quid desideret volũtate rationali, vt fiat scilicet quod Pater velit in negotio proposito, subiiciens desiderium naturæ suæ diuino beneplacito, eique acquiescens, & orans vt in se fiat. quæ summa perfectio est, eoq; maior, quòd sciret beneplacitum Dei esse, vt calicem amarissimum biberet. Non enim ait *sed quod tu vis*, quasi Patris voluntatem ignoret, sed quòd Patris voluntati sibi perspectæ ac cognitæ subiacere paratus sit, quantumuis abhorreat ac renitatur natura, vel ea sola ratione, quòd Patris voluntas sit, quæ non possit non esse rectissima atque optima. Vt enim cognita Dei voluntas definita seu absoluta, id est, beneplacitum Dei, licitè nemini potest displicere: ita in eam siue cognitam siue incognitam toto animo recumbere, eique acquiescere, & abnegata voluntate propria integrè pendere de illa, qua non potest alia esse melior, vt cuius proprium obiectum sit summum bonum, perfectio vitæ humanæ maxima est. Porrò ita perfectionis exemplum Christus nobis hìc, vt in omni reliqua vita, reliquit, vt simul hac oratione semetipsum Deo sacrificium obtulerit. Solet plerumque sacrificio, quæ est oratio quædam realis, præmitti & iungi vocalis oratio: id obseruans etiam Christus Dominus, sacrificio passionis suæ, quod iam inchoabat, præmisit aut potiùs iunxit hanc orationem, qua semetipsum sponte obtulit *oblationem & hostiam Patri in odorem suauitatis*, paratus ad subeundam passionem ac mortem, qualem Pater decreuerat, eamque sibi cupiens euenire *humiliauit semetipsum, obedientem se repræsentans vsque ad mortem, mortem autem crucis*. Hæc igitur oratio, toti illi quod subsequutum est sacrificio passionis ac mortis Christi, vim vigoremque subministrauit, vt Deo Patri acceptum esset, vtpote profectum à voluntate in Patris voluntatem liberrimè proiecta. Nam si cruciatum tantùm consideremus in Christi passione, non hanc obedientiam, omittimus quod præcipuum est. Sed quare Christus Dominus sic contexuit hanc orationem, vt priùs quidem desiderium voluntatis naturalis, posteriùs demum rationalis, exprimeret? quare non mox, suppresso desiderio naturali, rationis desiderium explicuit, patrique obtulit in odorem suauitatis? Causæ eædem illæ sunt ob quas assumsit tristitiam, suprà v.38. enarratæ, inter quas illa vel præcipua est, vt se verum hominem declararet; qui passionem non absque dolore & acerbitate sit toleraturus, cui tamen non placeat, passio propter se aut propter acerbitatem suam, tamquam finem præcipuum: hac enim consideratione deprecatur eam, vt naturæ humanæ inimicam, quam, considerata Patris voluntate, & obedientiæ virtute, expetit atque amplectitur. Accessit porrò & alia causa, vt suis præscriberet orandi formam, doceretque, res quæ per se neque bonæ neque malæ sunt, ita abs Deo postulandas, vt nostra desideria, quantumuis vehementia, Dei voluntati beneplacitoque subiiciamus ac postponamus. *Disce*, inquit Ambrosius in Lucam, *Deo esse subiectus, vt non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum*. Et in hunc locum Euthymius: *Docuit*, ait, *quòd, natura licet retrahente, sequi oporteat Dei voluntatem, illamq; propriæ voluntati præponere*. Ante quem Chrysostomus: *Eo*, inquit, *quod dixit, transeat si possibile est, humanitatem suam ostendit: eo verò, quod, non vt ego volo, sed vt tu, sublimem admirabilis philosophiæ virtutem tradidit, cùm exemplo nos doceat, etiam natura abhorrente ac renitente, Deum esse sequendum*. Chrysostomum pro more sequitur Titus Bostrorum Episcopus. Exemplum igitur formamque orandi Christus hìc suis cùm dederit: vbi blasphema Caluini insania, orationem hanc Christi, quod ad priorem partem, non fuisse meditatam?

καὶ ἔρχεται πρὸς τοὺς μαθητάς, καὶ [40] εὑρίσκει αὐτοὺς καθεύδοντας, καὶ λέγει τῷ Πέτρῳ· οὕτως; οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ;

Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?

Mar. 14. v. 37.

ET. Fusa oratione huiuscemodi, & solatio aliquo mitigatæ tristitiæ ex ea accepto: in aduersis enim nusquam animus anxius inuenit consolationem aut faciliorem aut solidiorem, quàm proiiciendo seipsum in diuinam voluntatem. VENIT præsens est ex ἔρχεται. AD DISCIPVLOS SVOS, priùs ad tres illos quos propiùs sibi adiunxerat; deinde progrediens, & ad reliquos: nam neque horum neglexit curam in tanto periculo. Postquàm orationem tantum produxisset, quantum erat expediens, visit discipulos, primùm tamquam solaminis alicuius accipiendi causa etiam ex illorum consortio, quamquam sciret se non accepturum (fuisset enim doloris leuatio, discipulos inuenire socios vigiliç atque orationis. vide suprà v. 38.) tum maximè vt admoneret eos officij, cui nouerat eos deesse, bonus pastor, curam ouium, etiam in summis animi angustiis, non obliuiscens, & interrupta quoque Dei oratione gerens. INVENIT: & hoc præsens est ex εὑρίσκει, quo res narratur tamquam ob oculos geratur. DORMIENTES. Afflictioni potiùs fuerunt Domino quàm solatio, minimè ostendentes se tangi Domini malis, ita vt tunc impletum sit illud Psal. 68. v. 21: *Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit*, &c.: quamquam non studiosè se composuerint ad dormiendum, contrà quàm iussi fuerant, sed ad orandum potiùs compositi, ex carnis fragilitate obdormierint. PETRO quem constituerat caput cæterorum, qui & præ cæteris iactauerat se numquam scandalizandum, immò & in mortem cum Domino abiturum. SIC. siccine, itáne NON POTVISTIS. Omnes alloquitur in persona Petri: respiciens enim ad Petrum, præcipuè quidem ipsum, cum ipso tamen & cæteros taxat, qui omnes Petrum imitati constantiam promiserant. Quidam, nominatim Euthymius, interrogationis notam postponunt aduerbio *sic*. q. d. Christus: Itáne agitur à te Petre & sociis? Siccine facturos vos promisistis?

VNA HORA. μίαν ὥραν vnam horam (quo casu tempus continuum clariùs exprimitur) id est, breuissimum temporis spacium: neque enim constat quòd integram horam orauerit Christus, sed hora pro breui temporis spacio posita exaggerat discipulorum negligentiam. VIGILARE. & orare: nam, quod Origenes ait, *præcipit vigilare, vt vigilantes orent*. MECVM. in extremis angustiis meis, me imprimis vigilante, & dudùm me præbente. *Vigilare mecum*, qui modò pollicebamini mori mecum? (ita vrgent Chrysostomus & Euthymius) immò qui me dormiente vigilare pro me debueratis? Mansuetus Dominus, non exprobrat perfidiam, & magnificas promissiones, nec suum denique pro discipulis laborem, sed somnolentiam benignè castigat.

γρηγορεῖτε, καὶ προσεύχεσθε ἵνα μὴ [41] εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής.

Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.

Mar. 14. v. 38. Luc. 22. v. 40.

VIGILATE. Iterum ac seriò vos moneo vt vigiletis (nam sup. v. 38. hoc idem monuerat) non tam mea causa quàm vestra. ET ORATE. orandus est enim vobis necessariò Deus Pater. vt quis oret, necesse est vigilet: vigilia ad animi intentionem & erectionem ad Deum, oratio autem ad implorandam Dei opem, pertinet: vtraque necessaria est ad superandas tentationes. *Si de vigilando tantum, non etiam de orando, discipulos Dominus admoneret* (inquit Prosper lib. 2. de vocat. gentium cap. 9.) *solas liberi arbitrij vires videretur hortatus: sed cùm addit & orate, satis docuit, superni futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret.*

VT NON INTRETIS. Hoc orate vt non intretis, ne vos Deus sinat intrare, animi consensu scilicet, IN TENTATIONEM proximam, in instantis tentationis siue laqueum siue gurgitem (hinc enim sumitur metaphora) ne tentatio imminens vos illaqueet aut demergat absorbeatque. vide sup. 6. v. 13. vbi Apostoli docti fuerunt quotidie orare *Et ne nos inducas in tentationem*. eadem enim forma loquendi est, *intrare in tentationem* & *inducere*. Tentatio est ad peccatum solicitatio, vt illic diximus: intrat ergo in tentationem, qui à carne, mundo, aut satana ad peccatum solicitatus, succumbit consentitque peccato. *is enim quasi absorbetur à tentatione, & in illius potestate fit*, quomodo loquitur Theophylactus in Lucam. Non ait Christus, ne tentemini, quod veteres plerique omnes rectè annotant (nouerat enim eum esse rerum statum, vt tentationem euadere non possent, quam & iam sæpiùs ipsis prædixerat) sed *ne intretis in tentationem*, *ne tentatio vos superet & vincat*, *& peccato irretitos intra suos casses teneat*, vt D. Hieronymus explicat. Instabat persecutio, qua Christus comprehendendus & suppliciis morteq; afficiendus erat: hac occasione vsuri tum satan tum caro propria, solicitaturi Apostolos erant, vt à fide in Christum deficerent, Christum negarent atque desererent. Hic vt ne succumbant victi, iubet Christus Apostolis orare, & Dei auxilium gratiamque implorare. Instat, inquit, periculum salutis maximum vobis, ac proinde necesse est vt vigiliis & orationibus incumbatis, non tam vt me associetis, quàm vt vos à periculo illo seruemini. Quia in magistri periculo negligentiùs agebant, ad seipsos reuocantur, vt proprij mali sensu expergefiant: denunciat enim, nisi vigilent & orent, statim à tentatione posse opprimi. q. d. Si mea miseria vos non moueat, moueat vestrum ipsorum periculum, cui vt consulatis, necesse est vt vigilantes oretis. Porrò intrarunt nihilominus Apostoli in hanc tentationem, imparatos enim nec vigilia orationeque munitos, quamuis sæpe præmonitos, tentatio oppressit: sed non tam profundè intrarunt, quàm satanas conatus fuit inducere, inferre, intrudere: facilè enim breuique emerserunt, seseque extricarunt, Christi oratione adiuti, quod intelligitur ex Luc. 22. v. 31. 32. SPIRITVS QVIDEM. Occurrit obiectioni, ne dicerent Apostoli, quemadmodum suprà v. 35: *Etiamsi oportuerit nos mori tecum, non te negabimus* aut deseremus: concedit enim eis promtitudinis laudem; sed necessitatem orandi aperit ex periculo infirmæ carnis,

quia nondum prædici sint satis robusto spiritu. *Cur*, inquit Hilarius, *ne in tentationem venirent, orare eos admonuisset, ostendit dicens: Spiritus vester* (*non enim de se hoc dicit*, inquit Hilarius, *sed ad Apostolos hic sermo conuersus est*) voluntas seu appetitus rationalis, dudum renouatus gratia sacramẽtorum meorum, vt optima quæque desideret PROMTVS EST ad resistendum tentationi, abhorret à peccato ac signanter à desertione mei, quemadmodũ mox satis declarastis. CARO AVTEM. sed caro. appetitus sensitiuus, affectusque naturalis, qui carnis humanæque naturæ propensionem sequitur. INFIRMA EST ad obsequendum promtitudini spiritus, ad resistendũ tentationi. Tentatio enim, vna ex parte, si consensum obtineat, pollicetur ea quæ carni placent: altera ex parte, si consensum non obtineat, obiicit aut minatur ea quę caro refugit: quò fit vt caro infirma sit ad resistendum, immo contrà, facilè consentiat tentationi, tamquam amicæ, & spiritum etiam promtum ad resistendum superet secumque abripiat. Vos, inquit, non solo spiritu constatis, sed & carne: nec solus in vobis spiritus operatur, verumetiam caro: inter hæc autem duo non semper æquè bene conuenit, immo frequenter sibi mutuò aduersantur, caroque infirma ad amplectenda ea quæ sunt spiritus, seducit spiritum ad eligenda ea quæ sunt carnis. Quocirca non sufficit spiritus promtitudo, sed vigilia atque oratione confirmandus & diuino auxilio fulciendus est spiritus, oratione inquam impetrandum est diuinum auxilium, vt spiritus, non tantùm promtus, verumetiam robustus, dominetur carni, ita vt non tantùm non inducatur à carne in tentationem, verumetiam contineat ipse carnem, ne diffluens ad ea quæ sibi sunt grata, tentationi cedat. Non itaque gloriandum cuiquam est de promtitudine spiritus, sed timendum est ab infirmitate carnis: promtitudinem spiritus facilè superat carnis infirmitas, vbi tentatio se offert, nisi promtitudini addatur robur precibus à Deo impetratum. Orate igitur, inquit Christus Dominus, ne per carnis vestræ infirmitatem superetur promtitudo spiritus à tentatione superuentura. Roget aliquis: Quomodo infirma est caro, quæ spiritum vincit? respondeo, quòd spiritum vincere, id est, agere contrà quàm spiritus dictet agendum ex Dei lege aut recta ratione, non sit fortitudinis, sed infirmitatis: hac enim ratione Deus, quia omnipotens est, peccare non potest. Fortis dici possit caro ad prosequenda ea quæ sua sunt: sed infirma est ad prosequenda ea quæ sunt spiritus, quæ sola verè sunt fortia. Fortis propriè est spiritus, si promtitudini coniungens robur, carnem sibi subiiciat, & parere cogat, in his quæ sunt secundùm Deum. Talem, monet hîc Christus, nondum fuisse Apostolorum spiritum, ac proinde periculum ipsis fuisse à carnis infirmitate. Sed si periculosè agebatur cum illis, quorum caro quidem infirma, sed spiritus promtus erat: væ illis, quorum, vt caro infirma, ita spiritus segnis & torpidus est, quod notat Origenes. Omnium enim hominum caro infirma est: sed non omnium spiritus promtus, pauciorum etiam robustus ac fortis.

Mar. 14. v. 39.

Iterum secundò abiit, & orauit [42] dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.	πάλιν ἐκ δευτέρου ἀπελθὼν, προσηύξατο λέγων· πάτερ μου, εἰ οὐ δύναται τοῦτο τὸ ποτήριον παρελθεῖν ἀπ' ἐμοῦ, ἐὰν μὴ αὐτὸ πίω, γενηθήτω τὸ θέλημά σου.

SECVNDÒ. secunda vice. statuit enim describere, quì tribus vicibus hoc contigerit. ABIIT ad locum orationis. TRANSIRE grçcè additur *ἀπ' ἐμοῦ a me*, quod tamen non magis syriacè legitur quàm latinè. NISI. quin. BIBAM ILLVM. si mors passioque imminens non potest præterire & auferri à me quin illam patiar, quia scilicet tu ita decreuisti. FIAT. cupio oroque vt fiat VOLVNTAS TVA in me & de me, ego meipsum tibi omnino prorsus integreque offero. Oratio seu petitio in eo est, quòd non permittat tantùm, verumetiam petat, in se fieri, sibi vt perspectissimam ita gratissimam Patris volũtatem, ac proinde mortem passionemque à Patre decretam cupiat & oret sibi euenire. Quamuis autem alia hæc esse videatur oratio, quàm superior illa versus 39., quòd illa videatur magis vrgere desiderium naturæ, hæc verò beneplacitum Patris: non est tamen alia, vel Marco teste cap. 14. v. 39., vbi ait, secundò eumdem à Christo sermonem dictum quem primò. Vt enim hac, ita & superiori illa oratione, præcipuè vrget & fieri desiderat Christus, sibi cognitam ac perspectam Patris voluntatem. Nam si ignorasset quæ esset Patris voluntas, videri potuisset, cùm diceret prima oratione *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, sperasse se euadere posse mortem: sed quandoquidem eam cognitam prospectamque habuerit, non aliud rogasse intelligi potest, quàm quod secunda hac oratione, vt calicem ex Patris voluntate biberet, id est, mortem passionemque subiret. Repetere porrò voluit eandem orationem, cùm ob alias causas infrà v. 44. explicandas, tum quòd ingens illa animi tristitia, licet mitigata fortè nonnihil esset prima oratione, nondum tamen penitus esset exclusa, aut certè recurreret subinde, ipso volente, eò quòd hoc expediens iudicaret. Hic itaque iterum Christus Deo Patri se pro nobis obtulit in mortem, quamuis naturæ suæ acerbissimam, ne quid de spontanea ipsius immolatione dubitaremus.

Mar. 14. v. 40.

Et venit iterum, & inuenit eos [43] dormientes: erant enim oculi eorum grauati.	καὶ ἐλθὼν εὑρίσκει αὐτοὺς πάλιν καθεύδοντας· ἦσαν γὰρ αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ βεβαρημένοι.

ET. hac oratione finita. VENIT. ἐλθὼν cùm venisset, ad discipulos. ITERVM. Latinè & syriacè iungitur cum *venit*, græcè cum *dormientes*. Ostendit quantam gesserit suorum curam, vt eos admoneret officij inter pericula (nam solatium ex vigilantium secum & orantium societate, sciebat sibi nullum fore) non quòd proficere admodum speraret, sed vt ipsi propriam agnoscentes infirmitatem, aliorum deinde infirmitates tolerare discerent. INVENIT. præsens est v. sup. v. 40. DORMIENTES. Homines etiam in maximis periculis suis torpent, nisi à Christo excitentur. GRAVATI somno. *Nam præterquam quòd nox erat*

erat & ea intempesta, inquit Chrysostomus, oculi etiam eorũ mœrore grauabãtur. Non erat ista discipulorum somnolentia, ex animi socordia aut securitate profecta, qua susque deque tulerint quæ gerebantur, sed partim ex fatigatione, partim ex tristitia quæ corda ipsorum occupauerat, quod Lucas testatur cap. 22. v. 45.

καὶ ἀφεὶς αὐτοὺς, ἀπελθὼν πάλιν, προσ- 44 ηύξατο ἐκ τρίτου, τὸν αὐτὸν λόγον εἰπών.

Et relictis illis, iterũ abiit, & orauit tertiò, eundem sermonẽ dicens.

ET RELICTIS ILLIS. Parùm aut nihil dixit illis, quòd spes parua esset proficiendi apud dormitabundos, verecundiæ interim eorum consulens, & parcens infirmitati: excitauit tamen eos, siue voce siue præsentia sua, quod constat ex Marc. 14. v. 40., sed *vt redarguit, magnam eorum infirmitatem esse significans*, quod ait Chrysostomus. ABIIT ad locum orationis, solus oraturus pro suis, quos carnis infirmitas obruebat. Sic negotium nostrum agit Dominus Iesus, sæpe etiam stertentibus & altum dormientibus nobis. EVNDEM SERMONEM quem primò & secundò DICENS. Non necessariò intelligendum est, quòd tertiò eisdem verbis orauerit, verùm quòd tertiò in eandem sententiam orauerit, remque eandem petierit, verbis licet paululùm mutatis, vt secunda vice factum vidimus. Nam *sermo* Hebræis sæpe pro re ipsa sumitur. Tertiò autem idem orauit, vt firmaret rationes circa primam orationem à nobis declaratas, se verum hominem esse, mortem passionemque humanæ suæ naturæ inimicam esse, paratum se pati ac mori vt Patri obediat, se Patri seipsum pro nobis spõtaneam hostiam offerre &c. Repetitio enim, firmitatis indicium est, quod docet Chrysostomus cum schola sua ex Scriptura Gen. 41. v. 32.: atque omnino ternarius numerus, rei veritati, perfectioni, atque constantiæ, seruire solet. Iohan. 21. v. 17. Act. 10. v. 16. 2. Cor. 12. v. 8. Quare & perseuerandum in oratione, docere hoc suo exemplo voluit Christus (quod post Origenem multi hìc annotarunt) & præsertim instante procella persecutionis, neque mox cessandum, si non statim fiamus votorum compotes: quemadmodum hoc idem docuerat verbis Luc. 18. v. 1: *Oportet semper orare & non deficere*. Quod enim ter fit, omnino ac semper fieri videtur. Prima & secunda oratione, non assequutus fuerat Iesus, vt tristitia illa ita vehemens vt foris se proderet, de qua suprà v. 38. apud discipulos questus fuerat, omnino sedaretur: tertia demum id obtinuit, cælitus confortatus, quod narrat Lucas cap. 22. v. 43. vide infrà v. 46. Nam quamuis valuerat ipse propria virtute tristitiam illam dispulisse, vtpote Dominus passionum suarum: maluit tamen, vt nos doceret & ad orandum alliceret, hunc fructum ex oratione percipere.

τότε ἔρχεται πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, 45 καὶ λέγει αὐτοῖς· καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε· ἰδοὺ ἤγγικεν ἡ ὥρα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν.

Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam & requiescite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Mar. 14. v. 41.

TVNC. Finitis precibus & commendata causa vniuersa Deo, suppresso item affectu illo naturę passionem horrentis. VENIT. redit. nam & hoc præsens est. AD DISCIPVLOS SVOS, tres illos primùm, deinde cum illis ad reliquos octo. ET DICIT ILLIS nihilo vigilantioribus inuentis. Ponit enim Euangelista, quòd & tertiò inuenerit discipulos dormientes: quæritur igitur, quomodo illi testes esse potuerint, eorum quæ Christus orans fecit, dixit, aut passus est? nam suprà diximus, quòd ad eum finem tres eorum propiùs sibi adiunxerit. Respondeo, illos non semper dormiuisse, conatos enim, quoties erant à Christo admoniti, vigilare, quamquam breuì post in somnum inciderint; itaque audire potuisse summam orationis eius, & præcipua quæque quæ acciderint vidisse; reliqua quæ somnolenti non viderant, à resurrectione didicisse ex ipso Domino, quod habet Euthymius. DORMITE IAM. dormite deinceps. *καθεύδετε τὸ λοιπὸν dormite* quod reliquum, vel, *de cætero*; Syrus *adhuc* q.d. pergite iam dormire. Ironia est, interpretibus Theophylacto & Euthymio, qua significat, non esse iam tempus dormiendi; excitandos enim præsenti periculo, quos non excitauerat frequens monitio. Non ergo concedentis est, sed importunam somnolentiam exprobrantis, quòd tunc dormirent, cùm dormire minimè deberent. ECCE. declarat nihil minùs iam esse quàm dormiendi tempus: atque hoc modo Deus hominum segnitiem non rarò castigat, vt qui ad verba surdi fuerint, malis tandem coacti euigilent. APPROPINQVAVIT. præteritum pro præsenti appropinquat, propè est, adeoque pro foribus. HORA. articulus temporis à Deo definitus, certum ac determinatum à Deo tempus. Hæc hora Iohan. 7. v. 30. scribitur nondum venisse (*Nondum venerat hora eius*) hìc scribitur propè adesse. ET. id est, qua. TRADETVR iam mox. *παραδίδοται* traditur, scilicet iam iam. IN MANVS. id est, in potestatem omnemque libidinem. PECCATORVM. iniquorum, flagitiosorum, militum videlicet seruorum, principum. *Peccatorum ait, quò mentes discipulorum erigat, vt hoc improbitatis illorum opus esse intelligant, non autem quòd ipse vlli sit peccato obnoxius*. ita Titus.

ἐγείρεσθε, ἄγωμεν, ἰδοὺ ἤγγικεν ὁ πα- 46 ραδιδούς με.

Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.

Mar. 14. v. 42.

SVRGITE. sedebant enim, nam ita dormiuisse vt iacuerint, non est credibile. EAMVS. Non dicit *surgite fugiamus*, sed *eamus* s. obuiam peccatoribus illis, ei qui me tradit eisque quibus tradendus sum. Hìc rebus ipsis declarat Iesus, ex quo precatus fuerat, confortatum se, horrorem illum ingentem passionis ac mortis, quo paulò antè correptus fuerat, exuisse. Oratione enim illa ad Patrem fusa, virtutem roburque assequutus, tristitiam illam vehemẽtem, sedata trepidatione timoreq; omni subacto, fugauit, & tam carne quàm spiritu in Dei Patris optimam voluntatem proiectus, non modò non fugitauit, sed vltrò alacriterque pericula adiit, animo

animo ad mortem omniaque tormentorum genera, quæ Patri visum esset, perferenda obfirmato: nullum denique posthac signum pauoris dedit aut tædij, sed constantissimæ tolerantiæ exemplum præbuit ad mortem vsque. *Surgite* ergo, inquit, *eamus* obuiam flagitiosis aduentantibus, idque ne videamur imparati, oppressi illorum calliditate & insidiis: ne deprehendamur dormientes aut sedentes securè, & glorientur illi quòd incautos nihilque tale exspectantes oppresserint. Monstremus quòd non lateat nos aduentus ipsorum, immo quòd vigiles ipsos exspectemus, quodque ego sciens prudensque vltrò me ipsis donem. id faciemus obuiam illis eundo. Hoc factum fuisse narrat Iohannes cap. 18. v. 4. *Ita vndique discipulos erudit* (inquit Chrysostomus) *non necessitatis nec infirmitatis hanc rem fuisse, sed dispensationis cuiusdam inæstimabilis: prasciebat enim eos venturos, nec solum non fugit, verumetiam obuiam iuit.* Similia ex Chrysostomo præceptore scribunt, Titus, Victor, & Euthymius. ECCE. quod non exspectatis. APPROPINQVAVIT. propè est, quemadmodum vertit secundùm Marcum; propè adest. *Vidit* (inquit Origenes) *in spiritu appropinquantem Iudam traditioni, qui nondum videbatur à discipulis eius.* QVI ME TRADET. ὁ παραδιδούς με tradens seu prodens me. id est, qui venit vt prodat & tradat me. supple *in manus peccatorum* ex versu præcedente. Adest ille de quo vobis dixi in cœna, *Vnus vestrûm me traditurus est*, vt opere hoc ipsum cõpleat. Non dicit adest Iudas, vix enim id etiamnum exspectabãt à Iuda, & alioqui indignus erat qui nominaretur: sed *qui me tradit*, vt intelligant, Iudam cũ hostibus professis adesse, itaque mox commoti exsiliant. Quamquam ergo lugubre & plenũ terroris spectaculum discipulis obiectum hîc fuit: simul tamen oblatum est fiduciæ argumentum, quo se erigerent, quum nihil fortuitum agi res ipsa ostenderet, & Christi prædictio eos dirigeret ad speculandam Deitatis eius gloriam.

Mar. 14. v. 43. Luc. 22. v. 47. Iohan. 18. v. 3.

Adhuc ipso loquente, ecce Iudas [47] vnus de duodecim vênit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi.	καὶ ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ ἰούδας εἷς τῶν δώδεκα ἦλθε, καὶ μετ' αὐτοῦ ὄχλος πολὺς, μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων, ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ.

ADHVC IPSO LOQVENTE apparuit veritas sermonis ipsius, quòd traditor propè esset. ECCE rem stupendam ac nouam. IVDAS dudum Iesum ducem sequutus, nunc factus sceleratæ turbæ dux sceleratior. Dormientibus discipulis Iudas non dormit, sed sedulò vigilat vt proditionis facinus ad finem perducat: quod est prauitatis humani ingenij exemplum, qua fit vt vigilantiores sint ad malum reprobi, quàm ad bonum pij. VNVS DE DVODECIM Apostolis, electus nimirum in ducem virtutis, dux factus est impietatis. Hoc quas ob causas addatur, præsertim verò addi ob sceleris exaggerationem, explicuimus suprà v. 14. & 21. Infanda (inquit Victor in Marcum) proditoris nequitia atque impudẽtia. *Qui enim pari cum cæteris Apostolis honore & dignitate potiebatur, is eorum ducem & antesignanum se præbet, qui Christum ad supplicium & mortem petitum venerant.* Cęterùm exciderat iam ille dignitate apostolica in crimen læsæ maiestatis. Quærat aliquis, Cur permiserit Iesus se à discipulo domestico prodi? videri enim posset parùm ex honore Iesu fuisse, quòd familiaris discipulus in ipsum insurrexerit. Immo verò maximè hoc seruiuit tutando honori Iesu, & adstruxit eius innocentiam. Nam si quid minùs rectum Iesus clàm apud discipulos solitus fuisset aut agere aut docere, iste ex discipulo factus hostis, illud proculdubio euulgasset, vel defensionis sui causa. Iam verò cùm nihil inuenire aduersarij potuerint de quo Iesum meritò accusarent, conuincitur, Iesum, tam priuatim quàm publicè, innocentissimam egisse vitam. sola autem auaritia inductum discipulum, prodidisse ipsum: quod ille ipse quoque, verbis morteque sibi cõscita, testatus est tandem. *Auaritia enim*, inquit Chrysostomus, *illi furorem immisit: auaritia omnes qui ipsi seruiunt, crudeles efficit atque atroces. Nam si propriam auarus salutem negligit, quid faciet de aliena?* VENIT. visus est Apostolis vndecim aduenire illuc, vbi scilicet Iesus erat, in locum Gethsemani. Verisimile est, Iudam, priusquam huc veniret, visisse, an Iesus non remansisset in domo illa in qua cœnatus fuerat. Nam quamquam consueuerat vesperi ciuitate exire: dubium tamen esse poterat, quid ea nocte facturus esset, ob paschæ celebritatem. ET CVM EO. id est, comitatus. TVRBA MVLTA, constans partim tribuno & cohorte militum Romanorum, partim ministris & seruis principum Iudæorum. quod ex Iohanne Euangelista etiam Origenes annotat. Adducta est autem à proditore turba multa, quò Iesus certiùs & caperetur & captiuus principibus sisteretur, eo fine vt ipse pactæ pecuniæ compos fieret. Cùm enim non ignoraret, hinc summum populo erga Iesum fauorem, hinc ipsius Iesu virtutem admirandam, putauit, turba hac populum compesci posse, si fortè vel in horto impedire vellet ne Iesus caperetur, vel in itinere captiuum vellet è manibus eripere (quamquam & noctis tempus elegerat, huius incommodi vitandi causa) Iesum quoque, si se defendere aut effugere vellet, putauit multitudine opprimi posse, & ita circumcingi, ne quà elabi posset aut vi aut arte de medio volentium eum tenere, quemadmodum aliquando. CVM GLADIIS. instructa gladiis. ad turbam enim pertinet hoc, non ad Iudam. FVSTIBVS. ξύλων lignis (quomodo vertit secundùm Marcum) id est, hastis, lanceis, fustibusque ferratis: huiusmodi enim erant arma lignea illius temporis. Munierunt se armis, aduersus vim quorumcumque, & signanter ipsius Christi. Nam & hinc tam solicitus apparatus, quòd diuinam Christi virtutem multis documentis experti fuerant, tum Iudas, tum principes: sed prodigiosè se furere declarant, quòd armorum potentia freti, aduersus Deum insurgere non dubitant. Quid enim cæcius, quàm illum aggredi gladiis & fustibus, qui nutu potest quidquid vult; quàm illi humanis consiliis moliri insidias, quem nihil fugit? MISSI. s. Iudas & turba. hoc addidit Interpres: nam græcè & syriacè subauditur hoc vel aliud simile. A PRINCIPIBVS. tam ab iis qui diuinis, quàm iis qui secularibus rebus administrandis præerant: à synedrio siue concilio magno. vide sup. v. 3. Hi dederant Iudæ & huic comitatui auctoritatem capiendi Iesu: vtque res eo certiùs perficeretur, adiunxerant se etiam ipsorummet principum sacerdotum & seniorum aliqui, quod testatur Lucas cap. 22. v. 52.

ὁ δὲ παραδοὺς αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς [48] σημεῖον, λέγων· ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι, κρατήσατε αὐτόν.

Qui autem tradidit eũ, dedit illis signum, dicẽs: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. *Mar. 14. v. 44.*

QVI AVTEM TRADIDIT. ὁ δὲ παραδοὺς, vel vt est in aliis παραδιδοὺς qui autem tradebat seu prodebat. Interpres legit παραδοὺς *tradidit*. Videtur participium nominis loco positum, pro traditor, proditor, more Hebræorum. Contentus Euangelista semel eum proprio nomine appellasse Iudam, vt nosceretur, iam vocat proditorem. DEDIT. ἐδώκει dederat, antè scilicet quàm eò ventum esset. ILLIS. turbæ. SIGNVM quo nouisse possent Iesum, ne errarent in persona. Nam Romani milites, qui præcipua facilè erant huius turbæ pars, facie vix nouerant Iesum (nec enim erant illi auditores Iesu, quippe alieni à cultu vnius Dei) cæteri qui nouerant, falli & ipsi potuissent, vnumque ex discipulis loco Iesu prehendere ob noctis tenebras, præsertim cùm vnus discipulorum, Iacobus Alphæi, simillimus esset ipsi Iesu, frater Iesu propterea dictus. Aliam cautam addit Chrysostomus cum Tito discipulo, *quia sæpius*, inquit, *circumuentus ab ipsis, pertransierat per medium ipsorum, nescientibus ipsis: quod & tunc factum fuisset, nisi ipse assensisset*. His igitur causis motus Iudas, statuit signum dignoscendi Iesu; putauit enim Iesum, sibi non posse fieri incognitum. QVEMCVMQVE OSCVLATVS FVERO. obseruate quem ego sim osculaturus. Noluit Iudas armatus, primus irruere & manus violentas inijcere in Iesum, sed simulatè Iesum aggredi, & ita latèter prodere, vt prodere non crederetur, duplici ex causa ab Origene tractata. Vna fuit, *quod timeret, si manifestum se aduersarium & proditorem magistri præberet, ne ipsi fieret causa euasionis*. Altera, quam habet & D. Hieronymus, quòd nollet tam effrons impudensque videri. Non enim est dubium, quin partim reuerentia Domini, partim sceleris pudore, cohibitus fuerit, vt palàm nõ auderet se vnum ex hostibus profiteri. Nam malitia hoc habet, vt plerumque etiam cultoribus suis fœteat & ingrata sit, nec facilè nisi virtutis velamine tecta edatur. Quum igitur nollet Iudas prodire in conspectum Iesu & condiscipulorum, vt manifestus proditor, sed donec peracta esset dissimulare proditionem vellet, tale signum elegit, quali, & Iesum hostibus proderet, & proditionem Iesu condiscipulisque absconderet, si posset: nec enim certò sibi persuadebat falli à se posse Iesum, à quo iam antè in cœna proditionis non obscurè notatus fuerat. Huiusmodi autem signi loco, commodissimè osculum fore iudicauit. Quum enim consueuissent discipuli Iesu, vel post longam absentiam, vel nouo aduentu ex via, vel denique in magno aliquo & subito negotio, pro more patriæ, Iesum præceptorem salutare osculo sancto (quam consuetudinem & inter primos Christianos viguisse, abundè testantur D. Pauli epistolæ) hæc consuetudo opportuna visa est Iudæ ad exsequendam proditionem. Sic enim facilem illa ipsi ad Iesum patefaciebat accessum, arrepturo osculandi occasionem ex omni causa, vt non mox declararet quamobrem ipse accederet, & hostibus interim signum esset dignoscendi & apprehendendi Iesu. Nam etsi fortè non ignotus Iesu foret animus ipsius, proditionem osculo tegens, præsente præsertim hostium exercitu ab ipso adducto, *confisus tamen de præceptoris lenitate*, quod ait Chrysostomus, sperauit non se repellendum ab osculo: quòd si autem repelleretur, nihilominus oblatum osculum, seruisset signi loco, & ipse tamquam iniuria affectus, inhumanum hostibus præsentibus subitò tradidisse videri voluisset. Osculo itaque, signo pacis, beneuolentiæ, atque amicitiæ, pro signo bellico, perfidus ille est abusus. IPSE EST quem quæritis, quemque me vobis traditurum promisi. TENETE. κρατήσατε prehendite, retinete, mox scilicet, & diligenter. Dominus enim non semel, delusis hostibus, è manibus euaserat intentantium mortem & vincula. Ioh. 8. v. 59. & 10. v. 39. Mirum est si falli inuitumque teneri posse putauerit, eum cuius omniscientiam omnipotentiamq; sæpius fuerat expertus, adeoque audiuerat in cœna prædicentem sui proditionem: verùm non credebat Iudas in Iesum, non quòd malè de Iesu sentiret, tamquam mago aut homine scelerato (contrarium enim manifestum est, infrà 27. v. 4., vbi deplorat *traditum à se sanguinem iustum*) sed quòd non crederet, Iesum, tamquam Filium Dei, ex se scire posseque semper omnia, etsi aliquando fortassis occulta reuelasset, aut quæ humanas vires excederent operatus fuisset. vide Ioh. 6. v. 64. 70. Quare etsi non fuit certus, sperauit tamen posse illum à se falli & hostibus tradi, omninoque putauit tentandum sibi negotium, spe pecuniæ illectus, auaritiaque excæcatus. Fortassis etiam, ex eo quod audiuerat Iesum in cœna spiritu turbatum, prædixisse *Vnus vestrûm me traditurus est*, plus fiduciæ accepit rem à se posse perfici.

καὶ εὐθέως προσελθὼν τῷ Ἰησοῦ εἶπε· [49] χαῖρε ῥαββί. καὶ κατεφίλησεν αὐτόν.

Et confestim accedẽs ad Iesum dixit: Aue Rabbi. & osculatus est eũ. *Mar. 14. v. 45. Luc. 22. v. 47.*

ET CONFESTIM. Confestim igitur vt illuc venerat. ACCEDENS audacter & inuerecundè, omni timore ac pudore ob auaritiam postposito, *accedens* inquam, tamquam domesticus, quique non esset partis eorum qui se sequerentur Iesu hostium: præcessit enim, turba à tergo relicta, sed tam propè, quàm necesse esset, vt clarè videre posset, cui ipse præberet osculum. AD IESVM obuiam cũ discipulis venientem, quem ob varia ab ipso accepta beneficia reuereri, quemq; ob expertam in ipso omniscientiam timere debuerat. AVE. salue, quod græcè dicitur χαῖρε, hebraicè *Pax tibi*, quo modo & Syrus hoc loco habet. vide sup. 10. v. 12. Pacem siue salutem precatur, non in genere tantùm, verùm maximè à præsenti periculo hostium, in conspectu magistri positorum: tamquam enim non esset ipse ex eorum numero, nec ipse eos adduxisset, optat vt magister ab ipsis seruetur, adeò perfrictæ frontis, vt mẽtiri audeat aduersus euidentem veritatẽ. sic enim pacem ore precatur, vt bellũ non tantùm animo meditetur, verumetiã re ipsa satis manifesta gerat. RABBI. vocat magistrum, cuius magisterium non solùm non agnoscit, sed & contemnit. ET simul OSCVLATVS EST. κατεφίλησε deosculatus est traditor EVM Iesum. Non Iesus osculatus est proditorem, ne facinus detestandum probare videretur, sed proditor osculatus est Iesum, singularis cum beneuolentiæ simulatione, vt solent maximè hypocritæ. *Cui letales insidias struebat, illi infelix salutem cum osculo offerebat*, ait Victor in Marcum, *dans signum osculi, cum veneno doli* (quod habet Pseudhieronymus in Marcum) Christi ac discipulorum conscien-

conſcientiam fallere ſperans, ne ipſo acceſſu magiſtri proditor perſentiſceretur. Fulmina tam ingratum & perfidum ſubitò extinguere omiſerunt, prohibita manſuetudine Domini. *Quamquam autem impudens ſit & ſcelerata confidentia*, inquit in hunc locum Hieronymus, *magiſtrum vocare & oſculum ei ingerere quem tradebat: tamen adhuc habet aliquid de verecundia diſcipuli, cùm non eum palam tradit perſecutoribus, ſed per ſignum oſculi.* Porrò arripuit oſculandi occaſionem, partim ex eo quòd foris adueniret ipſe, quamquam paucis horis abfuerat, partim ex præſenti ſubitóque periculo, imminenti magiſtro ex præſentia hoſtium, quaſi repentè expauefactus magiſtri periculo: ſolemus enim ruere in amplexus amicorum, ſubitò incidentium in vitæ aut aliud graue periculum, eiſque flebiliter meliora precari, aut certè extremum porrigere oſculum. Craſſa ſtupidaque hypocriſis proditoris. Permiſit autem Ieſus oſculum ſibi ab illo porrigi, nec auertit ab eo faciem, duplicem ob cauſam à D. Ambroſio in Lucam ſcribente allatam, ſemel *ne refugere* aut inuitus pati *proditionem videretur*, ſemel vt ad ſceleris pœnitentiam prouocaret, *pluſq; afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret, quia ſcriptum eſt: Cum odientibus pacem, eram pacificus*. Addit tertiam cauſam B. Hilarius his verbis: *Vt doceremur inimicos omnes, eoſque quos ſciremus defuturos in nos eſſe, diligere, oſculum eius Dominus non reſpuit.* Cæterùm quàm durum & amarum fuerit Ieſu hoc oſculum, facile eſt intelligere, tum ex modo quo ſe habuit, quando in cœna ſui proditionem prædixit (Iohan. 13. v. 21.) tum ex querelis deſcriptis in Pſalmis, 40. v. 10: *Homo pacis meæ*, &c. & 54. v. 13: *Si inimicus meus*, &c.

Mar. 14. v. 46. Luc. 22. v. 48 54. Iohan. 18. v. 12.

Dixitque illi Ieſus: Amice, ad [50] quid veniſti? Tunc acceſſerunt & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum.

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει; τότε προσελθόντες ἐπέβαλον τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

AMICE. Quò perfectum Ieſus vbique manſuetudinis exemplar præberet ſuis, non digna, quod facilè poterat, vltione ferijt proditorem, non ab oſculo repulit, non conuitiis inceſſit, non denique exprobrauit perfidiam, ſed blando dicto tetigit illius conſcientiam, condolens eius cæcitati, & miſerum ad pœnitentiam prouocans. *Amice*, id eſt, quem ego hactenus in amicitiam admiſi meam, coniunctam cum familiari conuictu, totque beneficiis ornaui quot potui, quem etiamnum diligo, & cui bene volo, cuiuſque perditionem doleo. Non enim amicum vocat, quòd ab ipſo diligeretur, ſed quòd ipſe eum diligeret: nec eſt ironica appellatio, ſed eſt ingratitudinis obiectio, quòd ex intimo & contubernali amico factus ſit proditor. q. d. ſiccine amico reddis viciſſitudinem? Acrem enim in ſe aculeum continet amici nomen, quo illius conſcientiam pungit, ſubmonens quàm indignum facinus perpetret. AD QVID VENISTI? ἐφ' ᾧ πάρει; ad quid ades? quorſum ſeu cuius rei gratia ades? Iudas tamquã Apoſtolus familiaris Ieſum oſculo ſalutauerat, videri volens ad contubernium Ieſu & Apoſtolorum ſodalitium à negotio aliquo familiari redire. Ieſus autem excipit eum tamquam alienum, atque vnum è numero eorum qui Apoſtoli non eſſent, nouique negotij & ab Apoſtoli familiaris officio alieni arguit eum, quamquam blandè & amanter, cùm rogat: *Amice ad quid veniſti?* Iam à me & Apoſtolis meis diſceſſiſti teque ipſe ſeparaſti, quid igitur negotij tibi hîc eſt? Scio te non adueniſſe vt redeas in familiam meam, quamquam hoc præ te feras: cuius igitur rei gratia ades, hac hora, iſto cum comitatu? Nec hoc interrogat tamquam ignarus, ſcire ex proditore volens quam ob cauſam adueniſſet, & quid illud eſſet noui negotij quod moliretur: facile enim, etiam cuiuis, erat, conſiderare adueniſſe proditionis cauſa, videnti ante ſe poſitam nocte intempeſta manum hoſtium ſuorum capitalium, armatis militibus mixtorum, quos ille ſecum adduxerat, quamquam rem euidentem diſſimularet. Sed huiuſmodi interrogatione voluit Ieſus proditorem ad propriæ conſcientiæ teſtimoniũ reuocare, ſi fortè reputans quàm indignam ob rem veniſſet, prodendi inquã præceptoris & Domini cauſa, ſtimulis conſcientiæ agitatus reſipiſceret: nec enim vel erga prodentem, benignitatem exuit & curam lucrifaciendi. q. d. Tu me celare poſſe te putas, quam ob cauſam adſis: atqui non id me latet, ego optimè noui quàm improba mente adueneris: ſed tu ipſe tuum ipſius facinus conſidera & deteſtare, pudeatque te oſculo Filium hominis prodere. Hoc enim diſertis verbis ſubiunxit, palàm declarans, non incognitam ſibi proditionem ſub oſculo latentem, Luca teſte cap. 22. v. 48. D. Auguſtinus, qui putat illud Lucæ priùs dictum à Domino fuiſſe, iſtud verò Matthæi poſteriùs (lib. 3. de conſenſu cap. 5.) videtur accepiſſe *ad quid*, pro *quò*, quò impietatis, quò inſaniæ *veniſti*? ſed non eſt ille proprius loci ſenſus. TVNC. ſigno dato, dato Ieſu oſculo à proditore, ipſoque retrogreſſo ad turbam, cui ſe medium immiſcuit, veriſimile eſt, permittens aliis vt Ieſum comprehenderent & ligarent, poſtquam ipſe ſuis, proditoris inquam, partibus functus fuerat. Cæterùm non ſtatim acceſſerunt & manus in Ieſum iniecerunt: volens enim Ieſus fruſtrari ſignum à proditore præſtitutum, & oſtendere, quòd nec dolo nec vi cuiuſquam, ſed propria ſponte caperetur, non permiſit vt accurrerent interea dum oſculum libaretur, ſed ipſe oſculo accepto adiuit illos, & rogatos quem quærerent voce proſtrauit, ac tum demum, poſtquam vires patefecerat ſuas, & ſingulis dixerat quæ opportunum erat, erectis ſeipſe tradidit, quod narrat Iohannes cap. 18. v. 4 & deinceps, interprete Auguſtino lib. 3. de conſenſu Euang. cap. 5. & Chryſoſtomo in hunc locum. ACCESSERVNT. turba illa multa, idque magno impetu furoreque. *Circumdederunt me ſicut apes* (Pſal. 117. v. 12.) ardentiſſima eſt apum ira. MANVS violentas, crudeles, & ſacrilegas INIECERVNT proximi ex ea turba, & quidem maxima cum diligentia IN IESVM innocentem, *velut leones parati ad prædam* (Pſal. 16. v. 12.) lupique in agnum. ET TENVERVNT EVM captiuum (nec enim ob aliud voluerant Ieſum agnoſcere, quàm vt caperent) captiuum inquam, auctoritate iudicum legitimorum, *tenuerũt* vi, quod ipſi ſibi poterant perſuadere, ſed ex ſola ipſius permiſſione, id quod rebus ipſis ſatis declarauerat, idque *ipſa nocte in qua comederant paſcha*, ait Chryſoſtomus: *tanta inſania, tantóque furore agitabantur. Signo dato* (inquit Ambroſius Lucam enarrans) *ab iis qui cum fuſtibus venerant comprehenditur: ſed Dominum omnium, myſteria, non arma, tenuerunt.* Chriſtus innocens capitur tamquam ſceleratus, vt nos ſcelerati tamquam innocentes dimittamur, vt noſtram ſub peccato captiuitatem ſoluat, & ſolutam cum feliciore commutet, quæ vera libertas ſit.

καὶ

καὶ ἰδοὺ εἷς τῶν μετὰ Ἰησοῦ, ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἀπέσπασε τὴν μάχαιραν αὐτοῦ, καὶ πατάξας τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως, ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον. 51

Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum: & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.

Mar. 14. v. 47. Luc. 22. v. 50. Iohan. 18. v. 10.

ECCE. rem insuetam: non enim consueuerát Iesus eiusque discipuli, spectatæ cùm essent mansuetudinis, gladiis vti aut armis. EX HIS QVI ERANT CVM IESV. ex vndecim discipulis Iesu præsentibus, Petrus scilicet (Iohannes testatur) *cuius ardentissimo animo iure ista res attribuitur*, quod ait Chrysostomus. Nam Matthæus quidem siluit nomen discipuli, quia reprehensionem à Domino Iesu est passus: Iohannes verò explicuit, ad conciliandam historiæ fidem. VNVS eorum QVI ERANT CVM IESV, *nondum manifeste*, inquit Origenes, *conspiciens apud se euangelicam patientiam illam traditam sibi à Christo, nec pacem quam dedit discipulis suis.* EXTENDENS MANVM. extensa manu, nec enim aliter potest gladius euaginari. EXEMIT. ἀπέσπασε euulsit, exseruit. GLADIVM. non cultellum, vt quidam interpretantur, sed gladium, quo tam cæsim quàm punctim ferire aduersarium liceret. SVVM quem secum ferebat manu brachióve sinistro: nec enim verisimile est, gladio accinctum fuisse, quod eorum est qui magistratum aut militiam profitétur. Quòd gladium habuerit Petrus, Chrysostomus cum suis, fuisse putat ex eo, quòd mactauerat agnum paschalem; Cyrillus verò in Iohannem scribens, fuisse putat ex consuetudine regionis, ad abigendas feras aliaque nocumenta, si quæ inuaderent noctu in agris sub dio cubantes: quemadmodum hodie apud nos moris est, vt omnes iter facientes gestent gladios. At quacumque ex causa fuerint in familia Iesu gladij (*ecce enim duo gladij hic*, aiunt discipuli secundùm Lucam cap. 22. v. 38.) vt certum est non fuisse pugnandi aut lædendi alicuius causa, ita vix dubium est, quin studiosè nunc huc à Petro cæterisque discipulis allati fuerint, occasione arrepta ex verbis illis Domini Luc. 22. v. 36.: *Sed nunc, qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*; præsertim cùm intellexissent, Dominum hac nocte prodendum tradendúmque hostibus. Hæc Chrysostomi sententia est, scribentis in hunc locum his verbis: *A cœna & mensa tunc iam exiuerant, vbi propter agnum gladios esse oportuit. Illi verò quoniam audissent venturos aduersus eum aliquos esse, quasi magistrum defensuri secum gladios acceperunt.* Chrysostomum sequitur Titus. Gladium itaque alia ex causa comparatum, Petrus studiosè iam secum ferebat, vt in arma eum pro magistro conuerteret, vt, inquam, Dominum eo defenderet, si necessitas ingruisset, aut res ita tulisset: id quod re ipsa hîc monstrauit. PERCVTIENS. πατάξας cùm percussisset; vi magna, zelo iram viresque augente. SERVVM PRINCIPIS SACERDOTVM Caiphæ (vide sup. v. 3.) nomine Malchum (quod Iohannes docet) qui primus Iesum aggrediebatur vt caperet. Non enim accidit istud postquam iam ceperant & tenuerant Iesum (nec enim sic intelligendus est superior versus) sed cùm iam ad eum capiendum accederent. Dubium esse non potest, quin princeps sacerdotum, cui maximè curæ erat vt Iesus caperetur, seruo suo omnium audacissimo sibique addictissimo mandarit, vt in prima acie consistens, simulatque Iudas Iesum osculi signo indicasset, imperterritus in Iesum irrueret (formidata enim erat virtus Iesu, quod diximus) cæterisque audacter sequendi exemplum dux animosus præberet. Id ille cùm præstaret, Petrus qui Iesu proximus adstabat, se opponens, ferit eum gladio, ET AMPVTAVIT. ἀφεῖλεν abstulit AVRICVLAM EIVS. dexteram, quod addunt alij Euangelistæ. Mens Petri erat, vt medium ipsi finderet caput (quod annotat etiam Chrysostomus in Iohannem scribens) ac proinde vt interficeret eum: sed seruo ictum declinante, caputque in sinistram obuertente, ac Deo præsertim moderante manum Petri, gladius in auriculam lapsus eam abstulit. *Fecit hoc Petrus, eodem mentis ardore quo cætera*, inquit Hieronymus, eodemque zelo quo aliàs Dominum de sua morte locutum increparat: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* suprà 16. v. 22. Memor enim promissorum suorum fortium, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo, neque scandalizabor in te* (sup. v. 33. 35.) voluit se virum præbere; nec veritus est armatam hostium multitudinem, vtpote paratus mortem subire pro Domini defensione, si opus esset: quamquam animatus illa hostium prostratione quam mox viderat, &, quam non semel aliàs expertus fuerat, Domini virtute, speraret mitissimum Dominum, sua animositate excitatum, adfore, vt ipse cum cõdiscipulis illos omnes facilè disperderet, aut certè cæsis aliquot reliquos in fugam verteret. Atqui non ita satisfecit promissis suis Petrus: non enim vitam suam periculo debebat exponere, vt liberaret Iesum à captiuitate & morte, sed vt ipse fide fideique confessione Iesu pergeret adhærere.

τότε λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἀπόστρεψόν σου τὴν μάχαιραν εἰς τὸν τόπον αὐτῆς. πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀποθανοῦνται. 52

Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Iohan. 18. v. 11.

TVNC AIT. Quòd non mox hostes inuolarint in Petrum eumque discerpserint, fecit virtus Iesu quæ eos cohibuit, id annotante etiam Euthymio: vt & verba Iesu Petrum increpantis, multoque magis opus Iesu aurem restituentis, eos omnino placarunt. IN LOCVM SVVM. in vaginam reconde, nec vltrà progredere. *Noluit enim persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare*, inquit Ambrosius lib. 3. offic. cap. 4. QVI ACCEPERINT. id est, qui vsurparint. GLADIVM vel aliud simile instrumentum f. ad occidendos alios, vt pereant alij: *per gladium enim, omnia arma intelligit*, inquit Euthymius. Accipere gladium dicuntur, qui accipiunt auctoritate propria, non datum aut commissum legitimè. Vt autem legitimè fit

commiſſus, & legitimè quis eo vtatur, ad occidẽdos alios; tria neceſſaria ſunt, auctoritas publica, cauſa iuſta, & iuris ordo. Petro deerat auctoritas, nemo ipſi vſum gladij conceſſerat, non Reſp., non Deus, non Chriſtus Filius Dei, à cuius cùm doctrina tum exemplo alienus erat vſus gladij. Atqui neceſſitas gladium vnicuique in manus tradit aduerſus inuaſores innocentium. Rectè, ſi inuaſores ſint perſonæ priuatæ: ſed ſi magiſtratus ipſe, qui legitima præditus eſt auctoritate, innocentem opprimat, non eſt priuati gladio vti aduerſus magiſtratum, vt innocentem tueatur: id quod hìc locum habebat. miſſi enim hi fuerant à principibus ſacerdotum & populi, ſuffragante procuratore Cæſaris Pilato. Adhæc non ſuppetebat cuiquam hìc neceſſitas defendendi Ieſu, tum quia Ieſus valebat ſe ipſe defendere, & quidem variis modis, fuga, latebris, hoſtium proſtratione, adeoque interfectione, ſi voluiſſet (id quod Petrus facilè intelligere debuerat) tum quia volebat Ieſus ſe ipſum tradere inimicis, & capi, & mori, iuxta decretum Patris, quod Petro cæteriſque diſcipulis ſæpius inculcarat. Nulla igitur legitima auctoritate fultus Petrus cùm gladium vſurpet, meritò à Ieſu reprehenditur. GLADIO PERIBVNT (quo modo in multis græcis exemplaribus legitur ἀπολοῦνται, nam in Regio & aliis quibuſdam eſt ἀποθανοῦνται) *morientur*) id eſt, digni ſunt qui gladio pereant, rei ſunt mortis: qui vſurpant gladium quo pereant alij, merentur vt & ipſi gladio pereant interficianturque, vltionis talione reciprocante in caput ipſorum. Sententia eſt inter cæteras digna Saluatore, conſona legi illi Geneſ. 9. v. 6: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius:* qua non tam prædicitur quid futurum ſit, quàm declaratur meritum homicidæ, & ſancitur pœna, qua is plectendus ab iis ſit, qui gladium non vſurpant, ſed eo à Deo accepto vtuntur. De iure itaque ſermo eſt, non de euentu. Interea tamen tacitè etiam illud ſignificatur, quòd, etſi non ſemper, plerumque tamen ita accidat, vt homicidæ, ſi non iudicum legitimorum, aliorum hominum impiorum vel certè Dei gladio vitam hanc finiant, Deo talionem iuſtè procurante. Cæterùm non eſt mens Saluatoris, vt prædicat, Petrum gladio periturum, eò quòd gladio abuſus ſit: ſed mens eſt, vt propoſita legis comminatione, abſterreat Petrum ne pergat gladio abuti & conari interficere, ac magiſtratui ſignanter reſiſtere, vt qui nihil aliud ſit profecturus ſi pergat, quàm vt legis pœnam & rebellionis notam incurrat, efficiatque, vt tamquam iuſto ſeditionis titulo, etiã in præceptorem ipſum, quaſi qui auctor diſcipulo pugnæ fuerit, ſæuiatur. Huic autem admonitioni cùm ſtatim obtemperauerit Petrus, mõſtrauit, ſe, non ſuperbia, ſed ſubita paſſione, non cupiditate vindictæ, ſed defendendi innocentiſſimi Domini, denique non odio hoſtium, ſed optimi præceptoris, *quamuis carnali, tamen amore* (quod ait Auguſtinus libri de agone Chriſtiano cap. 29.) peccaſſe: ac proinde veniam facilè meruit, Domino præſertim damnum reſarciente, aure reſtituta. Luc. 22. v. 51. Peccatum itaque Petri non admodum graue fuit, licet Caluinus illud miris modis exaggeret, longè alio ſpiritu quàm veteres Tractatores, à quibus vnanimiter omnibus illud extenuatur, vt ex amore Domini & zelo magno, etſi non ſecundùm ſcientiam, profectum: inter quos Chryſoſtomus in hunc locum ſcribens, cum Tito abbreuiatore: *Tu verè*, inquit, *diſcipuli & amorem pium & humilitatem conſidera: alterum enim ex diligẽdi feruore, alterum ex obedientia fecerat. Nam cum audiſſet Mitte gladium tuum in vaginam, ſtatim obtemperauit, & nuſquam poſtea iſtud fecit*. Rurſus idem Iohannem tractans, cum Euthymio diſcipulo Matthæum enarrante: *Non ſe*, inquit, *ſed magiſtrum eſt vltus: præterea nondum perfecta & conſummata virtutis erat. Quod ſi vis Petri ſapientiam intelligere, videbis poſtea caſum, & ſexcentas iniurias paſſum, nullis malis, nullis calamitatibus perturbatum, ſed manſuetè omnia tolerantem*. Poſtremò Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum Manich. cap. 70., poſtquam citaſſet hunc locum: *Ille*, inquit, *vtitur gladio, qui nulla ſuperiori ac legitima poteſtate vel iubente vel concedente, in ſanguinem alicuius armatur. Nam vtique Dominus iuſſerat, vt ferrum diſcipuli eius ferrent, ſed non iuſſerat vt ferirent. Quid ergo incongruum, ſi Petrus poſt hoc peccatum factus eſt paſtor Eccleſiæ, ſicut Moyſes poſt percuſſum Aegyptium factus eſt rector illius ſynagogæ? Vterque enim, non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate, iuſtitiæ regulam exceſſit: vterque odio improbitatis alienæ, ſed ille fraterno, iſte Dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccauit*. Hæc ille. Dum autem Ieſus, propoſita lege, minaretur Petro gladium vſurpanti aduerſus hoſtes ipſius: multo magis minabatur, quamquam tacitè, hoſtibus ſuis, gladium vſurpantibus aduerſus ipſum: id quod à Chryſoſtomo, Tito, & Theophylacto annotatur. Nam quamquam publica auctoritas illos armauerat: cauſa tamen cùm eſſet manifeſtè iniuſta, opprimendi ſcilicet innocẽtem, adeoque eum qui ſe Chriſtum Filium Dei viui innumeris argumentis probauerat, non vſus ſed vſurpatio gladij fuit. Quare & gladio iſti perierunt, tam qui mandauerant, quàm qui exequuti fuerunt. *Inſinuat*, inquit Theophylactus, *quod Romanorum gladio perituri eſſent Iudæi, contra ſe gladium accipientes*. Prima itaque hac ratione Ieſus Petrum reuocat ab vſu gladij, quia ipſi illicitus ſit.

An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?	53	ἢ δοκεῖς ὅτι οὐ δύναμαι ἄρτι παρακαλέσαι τὸν πατέρα μου, καὶ παραστήσει μοι πλείους ἢ δώδεκα λεγεῶνας ἀγγέλων;

AN PVTAS. Secunda ratio qua Ieſus reprimit pugnantem pro ſe Petrum, eſt, quia ipſe Ieſus non egeat Petri aliorúmve Apoſtolorum defenſione, etiamſi fortè ab aliis potiùs quàm à ſeipſo defendi deſideraret. Sciebat Petrus Ieſum, ſi modò vellet, facilè poſſe ſeipſum defendere (nam & experimento iam hoc didicerat, cùm Ieſus ſermone ſolo ſuo hoſtes omnes proſtrauiſſet) ſed perſuaſus erat, ipſum, qua erat manſuetudine, nolle vim vi repellere ſeque ipſum defendere, permiſſurum tamen vt alij id facerent, ſi quibus eſſet ea animi fortitudo: cúmque exiſtimaret, neminem, ſe cæteriſque Apoſtolis, Ieſu adeſſe propinquiorem, qui id vellet & auderet, cœpit ipſe propugnare Ieſum, exemplo condiſcipulos quoque ad pugnam cohortans. Ieſus autem redarguit eum erroris, aut certè inconſiderantiæ, quòd non crederet aut non conſideraret, adeſſe ſibi ſanctos angelos, adeoque copias angelorum infinitas præſto ſibi eſſe poſſe, ſi vellet, à quibus & validiùs & certiùs, quàm ab ipſo aut quibuſuis aliis hominibus, protegi poſſet, & quidem legitimè. *An putas* mihi defuturum auxilium, longè & efficacius & certius quàm tuum tuorumq; condiſcipulorum eſſe poſſit, ſi pla-

si placeret istiusmodi defensio? Tu vnus es & quidem infirmus, & condiscipuli tui simul omnes nulli
sunt numero ijque inermes, collati cum hoc hostium exercitu, ita vt pugna vestra pro me, nonnisi vana &
inutilis esse possit, & nocitura mihi potiùs quàm profutura, quippe irritatura hostem vt crudeliùs etiam
me tractet. *An putas* QVIA. quòd NON POSSVM. non valeo. Græcè additur *ἄρτι modo*, quod latinè
& syriacè rectiùs legitur in posteriori membro huius orationis. ROGARE. orare Deum PATREM
MEVM. supple, vt mittat mihi angelos auxilio; vel, vt est in posteriori membro, vt exhibeat mihi plusquam
duodecim legiones angelorum? Non dicit *Quia non possum accersere plusquā duodecim legiones angelorum*, aut quia
non possum omnes hos perdere; quamquam & hoc potuisset ipse; ne arrogantiùs loqui, hostibus præsertim au-
dientibus, videretur: præter hoc quòd Scripturæ consuetudinem imitatus, Deo Patri attribuat assistentes an-
gelos, *paratos ad audiendam vocem sermonum eius.* ET EXHIBEBIT. Phrasis est hebraica, pro eo quod latinè
dicas: An putas quòd nequirem impetrare à Patre, vt exhiberet MIHI, in hoc periculo constituto.
MODÒ. citra moram. LEGIONES. Dictionis latinæ vsus est etiā græcè & syriacè: nec dubium quin Saluator
ipse ea sit vsus, vtpote tunc temporis vulgari, Romanis Iudææ dominantibus, eamque præsidiis militum
continentibus. Est enim legio nomen militare, significans exercitum sex milium, vt minimùm; vt sum-
mùm, quingentorum & duodecim milium militum: variant enim Auctores. Legio cohortes decem, cohors
quinquaginta manipulos, manipulus viginti quinque milites, continuisse docetur, qui simul omnes fa-
ciant duodecies mille quingentos. Transfert Iesus hoc nomen ad angelos, iuxta sacræ Scripturæ morem,
quæ vbique passim, militiæ, virtutum, & exercituum angelicorum meminit: atque hinc Deum vocat Domi-
num virtutum seu exercituum, id est, *sabaoth*, quòd semper præsto habeat angelicos exercitus, quos emittat
ad debellandum & subiugandum rebelles omnes, tum dæmones tum homines, faciendumque omnem vo-
luntatem suam. Duodecim legiones angelorum sint centum quinquaginta milia angelorum: *plusquam duo-
decim* autem *angelorum legiones* nominans Iesus, significat infinitam esse angelorum multitudinem, iuxta id
quod Daniel scribit cap. 7. v. 10: *Milia milium ministrabant ei, & decies milies centena milia assistebant ei.* Nec
tantùm significat esse Deoque assistere infinitam angelorum multitudinem, verumetiam paratam esse ad
pugnandum pro tuendo se Filio Dei, mox vt requirat. Legimus Psal. 33. v. 8: *Immittet* (quod est, *castrame-
bitur*) *angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*: id quod exemplo monstratum est 4. Reg. 6. v. 17.,
vbi aperiente Domino oculos pueri Elisei, apparuit mons plenus equorum & curruum igneorum in cir-
cuitu Elisei: vt nihil mirum sit, si Filius Dei dicat, impetrare se posse à Patre plusquam duodecim legiones
angelorum. Opponit autem angelos hominibus, multos paucis, cælestes terrenis, infirmis potentes, quo-
rum vnus, celebri memoria, vnâ nocte occidit, in castris Sennacherib Regis Assyriorum, Ierusalem obsi-
dentis, centum octuaginta quinque hominum milia (4. Reg. 19. v. 35. Isa. 37. v. 36.) nec tam militibus oppo-
nit, quàm discipulis, loco nimirum duodecim discipulorum imbellium, quorum vnus iam à se defecerat,
posse sibi auxilio esse plusquam duodecim legiones, id est, plusquam centum viginti cohortes, angelorum,
aduersus vnam cohortem militum (adduxerat enim Iudas cohortem Romanorum militum, quod Iohan-
nes testatur cap. 18. v. 3.) quam vel vnicus angelus valeat delere. *An* igitur *putas*, inquit Iesus, &c. q. d. non
rectè putas, si sic putas, vt præ te ferre videris facto tuo, te defensorem mei præbens aduersus hanc hostium
turbam. Deberes aliud scire ac putare, dudum doctus me esse Christum Filium Dei viui, Patri charissi-
mum, quem is semper exaudiat & cui nihil negare possit, adeo q ue vnum cum Patre qui cum Patre possim
omnia: deberes inquam putare tibique persuadere, me facilè à Patre impetrare, adeoque pro meo ipsius im-
perio accersere posse, non vnum tantùm aut alterum angelum, quamquam vnus sufficiat, sed innumera-
bilem exercitum angelorum, tantumque eorum numerum quantum velim, quin immo singulorum di-
scipulorum loco, qui imbecilliores sunt quàm vt huic hostium turbæ resistant, plusquam singulas legiones
angelorum, *castra fortia valde*, præsidiumque fortius omnibus in vniuersum hominibus, quod subigere va-
leat mundum vniuersum, multo magis me aduersus hanc turbam defendere; supple, si ab aliis defendi vel-
lem. Id si tibi persuaderes aut certè si considerares, non tu vnus temerè prosilires ad defensionem mei, cer-
tus suppetere mihi auxilium longè aliud, & efficacius & certius, quàm abs te & condiscipulis tuis adferri
possit, quod vno oculi ictu turbam hanc omnem disperdat & in cineres redigat: quod cùm non petam, in-
telligeres me nolle defendi aduersus hos, sed velle ab his capi, & sponte me eis tradere, id quod tot aliis ar-
gumentis hactenus euidens feci, prædictione aduentus illorum antequam adessent, prostratione iam præ-
sentium &c. Ergo Dominus, vt Petri temeritatem euidentiùs coarguat, hanc comparationem ponit, præsto
sibi fore, si vellet defendi, non duodecim angelos, loco duodecim discipulorum, sed immensum inui-
ctumque angelorum exercitum, cùm ipse & condiscipuli, pauci atque imbelles, contra militum cohor-
tem & maximam turbam frustra aliquid tentent. *Etenim* (inquit Chrysostomus) *si vnus angelus centum octuagin-
ta quinque armatorum hominum milia interfecit, quid facerent duodecim legiones angelorum in mille viros? Ita ad im-
becillitatem atque timorem eorum qui metu iam semimortui erant, orationem accommodauit.* Chrysostomum se-
quuntur Titus & Euthymius. Neque verò Iesus, quòd ipse vel angelorum auxilio opus haberet, hoc est
loquutus: *magis enim angeli opus habent auxilio vnigeniti Filij Dei, quàm ipse eorum*, inquit Origenes. Nullo indi-
gebat præsidio vel humano vel angelico, ipse fortior ac potentior omnibus & angelis & hominibus. *Sed
loquitur secundum existimationem Petri*, ait Origines: is existimabat, Iesum, non quidem à seipso, sed ab aliis
defendi iam velle, vt diximus. Si quæratur, quomodo Iesus glorietur, se à Patre impetrare posse immensum
exercitum angelorum ad sui defensionem, si vellet petere, cùm Pater decreuisset ipsum capi & mori, ipseque
mox orans contentissimè, transferri à se hunc passionis calicem, obtinere nequiuerit? Respondeo, quòd Iesus
non simpliciter orauerit mox vt auferretur ab ipso calix, sed conditione addita, si ea esset Patris voluntas: nā
si simpliciter petiisset, proculdubio obtinuisset calicis ablationem: verùm tunc nec fuisset voluntas Patris
vt calicem biberet, quemadmodum nec fuisset voluntas Patris vt comprehenderetur, si Iesus petere voluis-
set auxilium legionum angelicarum. non quòd voluntas Dei æterna mutetur, sed quòd res istæ contingen-
tes, naturâ suâ mutabiles sint, vtpote quarum causæ creatæ & proximæ mutabiles sint. Naturâ inquā muta-
biles sunt, nam positâ Dei voluntate, quæ est rerum omnium increata & prima causa, non sunt mutabiles:
quâ etiam positâ, non erat Iesus Deum Patrem rogaturus, siue calicis ablationem, siue auxilium angelorum,

vt nec rogauit. Verùm posita Dei voluntas, non imponit rebus eam necessitatem, quâ aliter fieri non possint, sed eam dumtaxat quâ aliter non fient: illa est necessitas absoluta, quam consequentis vocant dialectici; hæc non nisi conditionalis, & dicitur necessitas consequentiæ.

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? 54 πῶς οὖν πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ, ὅτι οὕτω δεῖ γενέσθαι;

ERGO si vel tu me defendis, vel ego requiram auxilium legionum angelicarum. Interrogans respondet tacitę obiectioni. nempe, cur à Patre in extremo periculo subsidium non petat, quandoquidem facilè impetrare possit: simul & alia ratione compescit pugnacem Petrum. IMPLEBVNTVR. πληρωθῶσιν impleantur, impleri & perfici queant. SCRIPTVRÆ sacræ. Non dicit quæ Scripturæ, quia omnes Scripturæ hac de re prophetarint vel manifestè vel occultè, prout ipse declarauit Luc. 24. v. 25. 26. 27. 44. 46. *Scripturæ*, quas impleri, hoc est, id quod prædicunt euenire, necesse est, si Deus verax erit. QVIA. subauditur *tradentes* aut aliquid simile. quæ dicunt seu prædicunt *quod* SIC OPORTET FIERI, quòd oporteat me capi ab impiis & occidi: quæ, vtpote diuinitus inspiratæ, testantur, hanc esse Dei Patris voluntatē, vt capiar & moriar. *Cum ergo*, ait Origenes, *posset accipere legiones, nolebat accipere, vt per patientiam eius implerentur Scripturæ, prophetantes de ipso, quoniam ita eum pati conueniebat*. Ex pluribus Scripturis vna est Isa. 53. v. 7: *Sicut ouis ad occisionem ducetur*; alia v. 12: *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam*; rursus alia Dan 9. v. 26: *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*. Etsi verò Scripturæ non dicant expressis verbis, quòd sic oporteat vel necesse sit fieri: dum tamen dicunt ita futurum, Scripturæ, quæ à Deo prophetis dictatæ cùm sint, nec falli queunt nec fallere, sequitur quòd ita oporteat & necesse sit fieri, sed necessitate, vt mox dicebamus, consequentiæ, non consequentis. Quare non excusabilis Iudæorū impietas ex eo est, quòd impleuerint id quod scripturæ prædixerant: *non enim ipsi ideò mali fuerunt, quia prædixerant prophetæ*, inquit Theophylactus: *sed quia ipsi hæc mala voluntate facturi erant, ideo spiritus sanctus ea scripto prodidit. Neque enim vt instruentes propheticis verbis ista contra Christum ausi sunt, sed suo ipsimet studio, sponte volentesq́ue, illa perpetrauerunt* (verba sunt Athanasij libello in passionem & crucem Domini) *vt non propheta istarum rerum author sit aut causa, sed ipsorum voluntas, quin potius ipsi in causa fuerunt, vt talia de ipsis prophetæ prædiuinarent.* Quamuis autem nō egebat Iesus ipse Scripturis, ex quibus disceret, diuinitus sibi iniunctum esse, vt iam moreretur: quia tamen mortales, quid apud se statuerit Deus, ex Scripturis discunt, idcirco discipulos alloquens, quod voluntatis suæ testimonium per Scripturas reddidit Deus, in medium producit. Hac itaque tertia ratione, reuocat Iesus Petrum à pugna, quia non tantùm illicita sit & superuacanea, verumetiam quia Dei Patris voluntati, sacris Scripturis declaratæ, contraria: asseuerans, se non violenter ad mortem trahi, sed sponte ire, vt Patris decreto, per prophetas promulgato, satisfaceret. *Sic eos ab omni defensione deterret*, inquit Chrysostomus. *Nam si Scripturis quoque ita videtur, quid vos repugnatis?* Scimus, quidquid malorum nobis accidit, à Deo ipso infligi: sed quamdiu de modo diuturnitateque mali, quod pati nos velit Deus, incerti sumus, adhibendo remedia quæ permittit, non repugnamus eius imperio: quòd si comperta sit eius voluntas, nihil aliud restat quàm quiescere. Hoc Christus nos hîc exemplo suo docuit, qui nec fugere, nec latere voluit, nec defendi se est passus, simulatque nouerat adesse horam, qua decreuerat Pater ipsum pati ac mori. Ergo iam hîc Christus, longè aliam agit personam, quàm mox in horto; non hîc tristem se monstrat, aut qui timeat vel horreat mortem: quòd si animo horret, pergit nihilominus alacriter, quia scit Patri ita placere.

Mar. 14. v. 48. 49. Luc. 22. v. 52. 53.

In illa hora dixit Iesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus, comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. 55 ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς τοῖς ὄχλοις· ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξήλθετε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων, συλλαβεῖν με· καθ' ἡμέραν πρὸς ὑμᾶς ἐκαθεζόμην διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ οὐκ ἐκρατήσατέ με.

IN ILLA HORA. in illo temporis articulo quo iam comprehendendus erat. DIXIT IESVS. *Vide*, inquit Origenes, *postquam dixit ad Petrum: Reconde gladium tuum in thecam suam, quod est patientiæ; postquam auriculam restituit amputatam, sicut alter dicit Euangelista, quod & summæ benignitatis indicium fuerat, pariter & diuinæ virtutis; tunc ista verba locutus est, vt fidelia inuenirentur ex præcedentibus verbis & factis, vt etsi præterita benefacta non recordantur, vel præsentia recognoscant.* TVRBIS quæ venerant ad ipsum comprehendendum, præsertim verò, iis quos adfuisse ex Luca constat, primatibus Iudæorum. nec enim perinde quadrat in milites Romanos illud: *Quotidie apud vos sedebam docens in templo.* Considera autem quàm sereno minimeque turbato animo, Iesus in his angustiis constitutus, singulos excipiat, singulisque quæ oportet dicat, Iudæ, discipulis, turbis. TAMQVAM AD LATRONEM. ὡς ἐπὶ λῃστὴν vt aduersus latronem. Non interrogando, sed enunciando legenda hæc verba sunt, ita vt insigne πάθος exprimāt, expostulantis de ea quæ ipsi irrogetur iniuria, quòd ad conflandam ipsi inuidiam, magnis copiis instructi aduenissent, velut violenter expugnaturi latronem seditiosum, audacem & desperatum, *qui audeat omnia, potiùs quàm se tradat comprehendere se volentibus*, vt ait Origenes. CVM GLADIIS ET FVSTIBVS. vide suprà v. 47. Hic est mos comprehendendi latronis, emissa hominum turba, gladiis fustibusque armata, idque noctu præsertim. Nam quia naturâ ferox cognoscitur latro & qui, tum præsertim cùm ad mortem quæritur, cuius nouit se reum, nullius vitæ sit parciturus vt suam seruet, non nisi multi, & ij armis apprimè instructi, ad eum comprehendendum egrediuntur, idq; nocte præsertim intempesta, vt capiatur ex insperato, sicubi agere sciatur. COMPREHENDERE ME. vt comprehenderetis me. q. d. immeritò sanè, non enim ego me gessi latronis in morem. & id quidem declarat

declarat ſubſequentibus verbis, quæ ſingula vrget. QVOTIDIE. interdiu, clara luce, non vno aut altero, ſed pluribus iam diebus continuis, & frequenter aliàs quotieſcumque opportunitas tulit. *Erat enim diebus docens in templo*, quod Lucas ait cap. 21. v. 37. APVD VOS. præſentibus vobis, expoſitus vobis, principibus & miniſtris. SEDEBAM perſeueranter, quietus, inermis, & placidus. Docentes ſedere conſueuiſſe hîc intelligitur, vt & ſuprà 5. v. 1. & 13. v. 1. 2. & 23. v. 2. & Luc. 4. v. 20. quamquam aliquando ſtetiſſe Ieſus legatur (Iohan. 7. v. 37.) aliquando ambulaſſe (Mar. 11. v. 27.) DOCENS. omnibus benefaciens, doctrina ſalutari, vt taceam ſaluifica miracula. Nam modeſtiæ cauſa miraculorum ſuorum mētionem ſubticet, quòd annotat Chryſoſtomus, *ne*, inquit, *iactare ſe videretur*. IN TEMPLO Dei ſancto, quod frequentare pietatis eſt, eòque celeberrimo, quò populus frequentiſſimus conuenit, & adminiſtrationi veſtræ ſubiecto. Contrà prorſus latro, nocte præſertim incumbit operi ſuo, latrociniis inquam: iudicum conſpectum populique conuentum fugit: nō vno diu audet loco hærere, niſi armatus: nocet quibuſcumq; poteſt omnibus rapina & cæde, doctrinam diuinam deteſtatur, loca denique ſacra impius vitat. ET tamen NON ME tunc TENVISTIS *κρατήσατε* cepiſtis, prehendiſtis. q.d. tunc, cùm meipſum vobis exponerem, comprehendiſſe me debueratis, ſi erat cauſa iuſta, non iam adhibitâ armatâ manu noctu quærere & adoriri velut latronem. Si dicatis, quòd præ timore populi tunc me apprehendere non audebatis: atqui cauſæ iuſtitia, ſi quæ fuiſſet, facilè compeſcuiſſet populum, vt à legitimis iudicibus capi ſineret facinoroſum. Sed latet aliud. Hoc autem quid ſit explicatur verſu ſubſequente, quia nimirum illud tunc ipſis diuinitus permiſſum non fuerit, quod nunc permittitur.

Τοῦτο δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν. τότε οἱ μαθηταὶ πάντες, ἀφέντες αὐτὸν, ἔφυγον.	56 Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt.	Mar. 14. v. 49. 50. Luc. 22. v. 53.

HOC AVTEM. Hic Euangeliſta ex ſuâ perſonâ dicit, verba quæ Ieſus addidit, quod conſtat ex Marco: quamquam Chryſoſtomus, hæc tamquam Ieſu, non tamquam Euangeliſtæ verba, interpretetur, minùs veriſimiliter. TOTVM. quòd Chriſtus eſt comprehenſus ab impiis, idque prodente diſcipulo, nemineque nec ipſo ſe defendente, & quidem non in templo ſed noctu latronis inſtar. FACTVM EST. id eſt, à Deo permiſſum eſt. Non enim factum eſt à turba hac impia Iudæorum militumque, quaſi illi diuinitus acti hæc fecerint, vt implerentur Scripturæ: ſed quod illi ſuapte ſponte facere voluerunt, permiſit Deus, vt Scripturæ implerentur: quemadmodum per Scripturas id prædixerat, quia prænouerat eos id ſuapte ſponte facturos.

SCRIPTVRA PROPHETARVM. id eſt, vaticinia prophetarum, ſcripto à prophetis ipſis mandata ſ. quibus prædixerat Deus ipſe, totum hoc futurum, ac proinde etiam ſe totum hoc permiſſurum, neque hoc tantùm, verumetiam ea quorum hæc forent præambula, reliquam inquam paſſionem mortemque Chriſti. De futura Chriſti captiuitate, exſtat prophetia Ieremiæ, Threnorum 4. v. 20: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*. De proditione diſcipuli, Pſal. 40. v. 10: *homo pacis meæ*, &c. & Pſal. 54. v. 14: *Tu verò homo vnanimis* &c. Aduerſus proditorem & comprehenſores inuehitur Pſalmus 108: *Deus laudem meam ne tacueris*. &c. De eo quòd ſponte ipſe capi, nec à quoquam defendi voluit, habes prophetiam Iſa. 53. v. 7: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur*, &c. Rurſus Scripturæ quę Chriſti doctrinam & diſcipuli proditionem prædicunt, adſtruunt, quòd non in templo inter docendum, ſed foris potiùs, capiendus ſit; neque enim templum locus eſt proditionis. Nam de eo quòd inſtar ſcelerati comprehendendus & tractandus foret, loquutus fuerat Iſaias cap. 53. v. 12: *Et cum ſceleratis reputatus eſt*: quo capite & de reliqua Chriſti paſſione ac morte multa vaticinatus eſt, ſicut & Dauid Pſalmo 21. præter hoc, quòd ſingula dominicæ paſſionis, Scripturæ prænotarint, ſi à nobis intelligerentur, aut ſenſum Chriſtus nobis aperire dignaretur. Significat igitur hoc verſu Euangeliſta, hoc maximè inter alia, quòd iam potiùs, quàm antea in templo, comprehenſus fuerit Ieſus, cauſam fuiſſe, non maiorem Iudæorum violentiam, virtutem, aut induſtriam, ſed *vt adimplerentur Scripturæ*, id eſt, diſpenſationem diuini conſilij, Dei inquam voluntatem, Scripturis infallibilibus antea declaratam, quæ quod ſe aliquando, ſi non etiam hoc loco & tempore, permiſſuram prædixerat, hoc iam loco permiſerit, non alibi antea. Hic enim colligitur huius loci ſenſus eſſe, ex collatione cum Marco & Luca: quò fit vt hîc ſcandalum tollatur, quod potuiſſet turbare infirmos, ex contumelioſa huiuſmodi Chriſti apprehenſione. TVNC. id eſt, cùm Ieſus comprehenderetur: quod quamquam ſuprà v. 50. narrauit Euangeliſta, tamen tum demum factum fuit, poſtquam proxima hæc expoſtulatoria verba *Tamquam ad latronem*, &c., & quæ addit Lucas *Sed hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*, protulerat: ea enim adhuc liber protulit. Nam vt primum Malchi impetum Petrus fregit: ita reliquos, quantumuis inhiarent & fremerent ob dilationem, Ieſus ſua virtute cohibuit, donec & Petrum increpaſſet, & Malchum ſanaſſet, & quo dictum eſt modo cum aduerſariis expoſtulaſſet: tum demum enim permiſit ſe ipſum eis, & præbuit vinciendum nihil reluctans. DISCIPVLI apoſtoli OMNES vndecim, citra exceptionem, tam tres illi præcipui, quàm reliqui. RELICTO EO & animo & corpore, fide non minùs quàm carne. Nam quamquam plurimis argumentis declaraſſet Ieſus, ſe non hoſtium violentia, ſed ſponte propria capi: id tamen, vel nondum intelligebant illi, vel ſi intelligebant aliquo modo (facilè enim obſeruarant, quòd nec ab aliis defendi, nec ſe ipſe defendere vellet) non exiſtimabant iam comprehenſo & capto ſe eſſe curæ, deficiebantur fiduciâ, &c. quæ diximus ſuprà v. 31. FVGERVNT. Non fuerunt vnà cum Ieſu comprehenſi, quamquam illud facile fuiſſet hoſtium turbæ, quia Ieſus prohibuerat, his verbis *Sinite hos abire* (Iohan. 18. v. 8.) cuius occulto imperio illi obedire fuere coacti. *Fugerunt* igitur, & percuſſo paſtore diſperſæ ſunt oues, diſperſi ſunt vnuſquiſque in propria, ipſo ſolo relicto, quemadmodum prædixerat ipſe eis ſuprà v. 31. & Iohan. 16. v. 32. *Fugerunt* correpti humano timore: metuebant enim ne & ipſi comprehenderentur, & comprehenſi de vita ſimiliter periclitarentur, ſi cum Ieſu præceptore diutiùs permanerent.

Et quamuis verbum Iesu *Sinite hos abire*, debuisset illos securos reddere: illud tamen vel non obseruarunt vel minùs curarunt, certè illo nixi non sunt, vt pergerent Iesu adhærere, *promissores* (quod inquit Beda in Marcum) *ad fugæ præsidium, quàm ad fiduciam patiendi cum Christo*, & ad temerè propugnandum, quàm ad constanter sequendum Dominum. Peccarunt igitur capientes huiusmodi fugam, ex fidei defectu & humano timore profectam: præter hoc, quòd coniuncta cum præceptoris derelictione, quoddam fuerit negati præceptoris genus. Debuerant, tum vt promissis suis, tum vt officio satisfacerent, cùm præceptore manere, eumque & in carcerem & in mortem sequi, confitentes constanter, quidquid tandem ipsi accideret, esse Christum filium Dei viui. Cæterùm (quod huc adfert etiam Origenes) *nondum erat eis spiritus*, ad huiusmodi robur *datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* (Ioh.7.v 39.) nec idcirco tamen à peccato immunes fuere, quia defuit eis gratia spiritus (gratia enim non debetur) quamquam fieri potuerit, vt non tam peccarint quòd corpore fugerint, quàm quòd animo reliquerint Iesum, *circa fidem naufragantes*, quod latiùs ostendimus suprà v.31. Non indicabat Iesus consultum Ecclesiæ à se ædificandæ, vt secum morerentur Apostoli, adeoque voluit primus omnium absque societate mori propter cõfessionem nominis Christi, quemadmodum docet D. Augustinus in illud Psalmi 140. v. 10: *Singulariter sum ego donec transeam*: quinimmo prædixerat ipse Apostolis infirmitatem ipsorum, *quodque non possent se sequi modo*. Iohan.13.v.33. Quare si illi à præceptore dimissi his verbis *Sinite hos abire*, abiissent singuli quò visum fuisset, & interea dum præceptor suo sanguine lueret peccata aliorum, seorsum lachrymis fideique exercitationi vacassent, & exspectantes diem tertium resurrectionis, iuxta promissum, fiduciam haud abiecissent, credo non peccassent: sed præcipuum peccatum, inconstantia fuit animi, fide fiduciaque vacillantis, ex qua factum est vt fugerint. Quò autem fugerint incertum est, *vnusquisque in propria* siue in sua, quod dixerat Dominus Iohan.16.v.32., id est, vnusquisque quò sibi visum fuerit (neque enim Apostoli Galilæi prædia aut domicilia propria Ierosolymis habebant) alij Bethaniam, alij Ierosolymam, domos discipulorum eorum locorum.

Mar.14. v.53. Luc.22. v.54.

At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant.	57	οἱ δὲ κρατήσαντες τὸν ἰησοῦν, ἀπήγαγον πρὸς καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα, ὅπου οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι συνήχθησαν.

AT ILLI. οἱ δὲ illi autẽ. TENENTES. κρατήσαντες postquam prehendissent siue cepissent Iesum: nulla enim ratione deliniti sunt, ita vt à concepto scelere reuocarentur. DVXERVNT. Si cui molestum est captiuum duci, cogitet quàm durum id fuerit Dei Filio incomprehensibili, eoque magis quòd non simpliciter ductus fuerit, sed ita vt grauissimæ militũ ministrorumq; insolentiæ ipsi tolerandæ fuerint, aliis, verisimile est, propellentibus, aliis retrahentibus, aliis pulsantibus, aliis, inter quos etiã principes ipsi haud dubium, conuitiis onerantibus. AD CAIPHAM PRINCIPEM SACERDOTVM. *erat enim pontifex anni illius*, quod ait Ioh.cap.18. v.13. VBI, id est, apud quẽ & in cuius domo. SCRIBÆ ET SENIORES, id est, synedrium siue concilium magnum: nam sub Caipha intelligit reliquos principes sacerdotum, id est reliqua inferiora capita sacerdotum. vide suprà v.3. A Caipha supremo capite, & reliquo concilio, missi fuerant ad comprehendendum Iesum (suprà v.47.) comprehensum itaque ad eos adducunt, accepturi ab eis, milites quidem expeditionis stipendium, serui verò laudem & præmia. Nam Iudas domi Annæ accepisse videtur pactum proditionis pretium, quod diximus Ioh. 18.v.13. CONVENERANT. Non ait conuocabantur, sed *conuenerant*, nam antequam Iesus adduceretur, iam *conuenerant*, ea causa, vt simulatque adductus esset, communi omnium sententia atque auctoritate mox condemnaretur, & impia totius concilij factione opprimeretur: *pernoctarunt enim illic vigilantes*, quod ait Chrysostomus. Habebant autem omnes Iesum pro hoste, tamquam qui aduersaretur auctoritati dignitatique ipsorum, præter hoc quòd ipsorum erat de pseudopropheta, quo de crimine Iesum ipsi accusabant, iudicare. Videtur itaque summum concilium, si non vniuersum, at magna ex parte, postquam pascha singuli cum familiis suis prima face comedere festinassent, conuenisse domum Caiphæ, & illic Iudam, qui ipsis tempus illud à pascha comesto, vt proditioni opportunũ, præstituerat (vide suprà v.25.) exspectasse, moxque vbi ille aduenisset subministrasse ei copias auxiliares, turbam militum ministrorumque, quos tenebant paratos, & illis egressis ad Iesum duce proditore comprehendendum, exspectasse illic reditum illorum (toti enim hoc in negotio cùm essent, quiescere non poterant, donec illud esset perfectum, ita erat eis cordi, & mox vt captiuus adductus eò fuerat Iesus, examinasse eum, & testes quæsiuisse, & aduersus eum produxisse, denique confitentem se Christum Filium Dei, mortis condemnasse: ita vt tota penè nocte concilium domi Caiphæ permanserit, nisi quòd, Iesu condemnato, videatur circa vigiliam noctis quartam solutum fuisse, donec summo mane iterum conueniret (infrà cap.27.v.1.) nemine permisso abesse. Constat enim Annam fuisse domi, quando Iesus adducebatur captiuus (Ioh. 18.v.13.) ita vt ille, vel ea nocte non interfuerit concilio, vel secessérit postquam Iudas cũ turba abiisset ad Iesum comprehendendum: At verò quin mane saltem adfuerit, quando iterum conuentum est, nulla ratio permittit vt dubitetur.

Mar.14. v.54. Luc.22. v.54.55. Iohan.18. v.15.16.

Petrus autem sequebatur eum à longè, vsque in atriũ principis sacerdotum: & ingressus intrò sedebat cum ministris, vt videret finem.	58	ὁ δὲ πέτρος ἠκολούθει αὐτῷ ἀπὸ μακρόθεν, ἕως τῆς αὐλῆς τοῦ ἀρχιερέως, καὶ εἰσελθὼν ἔσω ἐκάθητο μετὰ τῶν ὑπηρετῶν, ἰδεῖν τὸ τέλος.

PETRVS AVTEM ex fuga retractus, animoque recepto. Timor adegerat eum vt fugeret: amor reuocauerat vt sequeretur. Cùm cæteri Apostoli alij aliò fugissent, Petrus dilapsus videtur domũ discipuli illius qui erat notus Pontifici, quem Iohannes hîc memorat: à quo confortatus, recepit animum, vt Iesum vnà cum ipso seque-

sequeretur, præsertim cùm ille se notum pontifici assereret. *Ingens itaque Petri ardor fuit*, quod ait Chrysostomus, *& in hoc nobis maxima admiratione est venerandus* (verba sunt D. Ambrosij) *quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. Metus naturæ est, cura pietatis: alienum quod timet, suum quod non fugit: quod sequitur deuotionis, quod negat obreptionis*. ita Ambrosius Lucam enarrans. EVM. Iesum, cùm abduceretur captiuus. A LONGE. eminus, longo interuallo. amori enim adhuc permixtus erat timor, ne si propiùs sequutus fuisset, pro discipulo agnitus captus & ipse fuisset cum magistro. *Timor retrahit, charitas trahit*, inquit Scholiastes ille Marci apud Hieronymum. Tu disce, Iesum, non longè, sed propè sequi. VSQVE IN ATRIVM. ἕως τῆς αὐλῆς vsque ad aulam. id est, vsque ad domum: est enim aula siue atrium prima pars domus. vide suprà v. 3. ET INGRESSVS quoque tandem INTRÒ, in ipsum atriũ, faciente discipulo illo qui erat notus pontifici, quod narrat Iohannes. sperabat enim se per tenebras non agnoscendum. SEDEBAT illic, in atrio, & quidē ad ignem, quod alij Euangelistæ addunt. *Non appropinquabat loco vbi Iesus erat, ne ministris suspicio aliqua nasceretur*, quod ait Hieronymus. CVM MINISTRIS. inter ministros principum Iudæorum, operientes illic dominos suos, in interiori conclaui occupatos examinando Iesu. Nam Romanos milites dimiserant principes, simulatque Iesus ad ipsos adductus fuisset. Admiscet se scelerato gregi famulorum, gerens se tamquam vnum ex ipsis, & audaciam simulans ne notaretur. *Quum introisset Petrus*, inquit Cyrillus lib. 11. cap. 42. in Iohannem) *ne mæsto vultu condolere capto videretur, ac ita expulsus videre non posset quæ vellet, cum ministris se miscuit, & quæ illi faciebant, alto corde premens dolorem, facere simulat*. Non potuit non esse obnoxia periculo, societas improba; & temerarium, inserere se sodalitio aulicorum pontificis scelerati. VT VIDERET FINEM, id est, rei exitum, quid nimirum cum Iesu acturi tandem essent principes, an adiudicaturi eum morti, an in carcerem coniecturi, an flagellis cæsum dimissuri, an denique se ipse liberaturus: vt si illum audiret damnari, consuleret ipse sibi (nam in metu erat) si verò absolutum aut liberatum videret, se mox ipsi gratulabundum officiosumque offerret. Non enim dubium est, quin pio studio Petrus Dominum hucusque sequutus sit, & quidem non tam curiositate ductus, quàm amore, solicito de optimo præceptore: sed cùm testatus esset ipsi Iesus infirmitatem ipsius (suprà v. 31. & 34.) disertèque affirmasset *Quo ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea*, Iohan. 13. v. 36. inconsideratè fecit, longèque satius & consultius ipsi fuisset, gemere ac precari in obscuro aliquo angulo, quàm tam malè firmum hucusque prodire, & in ipsam impij pontificis aulam ingredi. Quàm malè enim ipsi cesserit simulata hæc animositas, mox patebit: nam Euangelista hoc narrans isto versu, sternit sibi viam ad subiungendum paulò pòst trinam Petri negationem, cuius principium hic ingressus fuit.

Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι 59 καὶ τὸ συνέδριον ὅλον, ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι·	Principes autem sacerdotum & omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent:	Mar. 14. v. 55.

SACERDOTVM. quorum vt quisque primus erat auctoritate, ita cæteros superabat impietate. Sequitur græcè ac syriacè καὶ οἱ πρεσβύτεροι *& seniores*: qui latinè intelliguntur, cum scribis ac magistratibus templi, per illud quod sequitur OMNE siue totum CONCILIVM, quòd græcè συνέδριον *synedrium* dicitur. QVÆREBANT. Iesu iam comprehenso, quod paratum habuisse debuerant antequam comprehenderent: nec enim licet manus violentas in eum inijcere, de cuius crimine non antè per idoneos testes constet. Ipso itaque præsenti facto, iudicij sui iniquitatem declarabant, qui ipsum antè capiendum, quàm causam cognoscendam curassent: qui post capturam demum quærunt testes studiosè, & non inuenientes ineunt modum conflandi falsi testimonij. *Quærebant* autem, non per se, sed per aliquos è suis aliosque quibus hoc mandauerant; *quærebant* denique ex ministris suis aliisque suæ factionis, qui magno numero aderant, nox licet esset. FALSVM TESTIMONIVM. Quia verum inter se non poterant inuenire, studebant subornare falsos testes. Syrus nihil aliud habet quàm *quærebant testes*. Non profitebantur se quærere falsum testimonium, immo simulabant se quærere verum, quinetiam gauisi certè fuissent, si verum testimonium potuissent inuenire: sed quia, licet nulla esset ipsis spes aut ratio inueniendi veri testimonij, ob innocentiam Iesu probatissimam, quærebant tamen testimonium, rectè dicit Euangelista, quod falsum testimonium quæsierint; quamquam verum illud, non falsum, videri vellent. Simulatque Iesus adductus fuisset domum Caiphæ, concilio repræsentatus fuit, *& interrogatus à Pontifice de discipulis suis & doctrina*, quod narrat Iohannes cap. 18. v. 19. Iesu autem liberè respondente, doctrinam suam fuisse publicam, itaque non ex ipso, sed ex auditoribus ipsius, quærendum esse de doctrina ipsius, conuertuntur ad auditores, & quærunt qui testimonium, quantumuis falsum, modò verisimile, ferant. VT EVM MORTI TRADERENT. θανατώσωσι, occiderent, morti dederent, & quidem morti crucis, id est, quo nixi videri possent iustè ipsum interficere; iuris specie, per se quidem mortis sententiam in ipsum ferre, Pilato autem vt crucifigi iuberet persuadere. Quæri enim posset, Quare non absque omni testimonio Iesum morti tradere voluerint, præsertim cùm iam diu, antequam in iudicium adductus esset, apud se decreuissent ipsum occidere, siue iure siue iniuria? (Ioh. 11. v. 53.) Duplex causa fuit, vna vt consulerent honori suo: ne enim viderentur homicidæ potiùs quàm læsæ pietatis vltores, formam obseruare voluerunt iusti iudicij. *Nonnulla*, inquit Chrysostomus, *more iudicum quærunt, vt habitum iudicij atque figuram insidiis prætexerent*; *insidias suas*, ait Victor in Marcum, *tribunalis schemate pallïantes*. Nam siue verum testimonium foret siue falsum, modò ferretur vel à duobus concorditer de crimine morte digno, sufficere poterat ad hoc, vt videri possent iustè morti ipsum adiudicare. His igitur verbis notat Euangelista, nihil minùs principibus fuisse curæ, quàm de causa inquirere. vt re bene comperta quod rectum esset decernerent; dumtaxat Iesu opprimendi rationem iuris specie velatam ab ipsis esse quæsitam, laruamque iusti iudicij induisse contẽtos, nihili fecisse iustè an iniustè innocentem sibi exosum perderent. Altera causa quærendi testimonij principibus fuit, quòd in morte Iesu inferẽda vtendum ipsis esset Pilati præsidis opera;

abstulerant enim ipsis Romani facultatem omnem interficiendi, etiam eos quos ipsi morte dignos legitimè iudicassent. Et quamuis Pilatum vrgere cogitarent, vt contentus ipsorum examine atque iudicio, absque alia inquisitione Iesum in crucem agi iuberet (prout fecerunt Iohan. 18. v. 30: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*) tamen facilè sibi persuadebant, Pilatum non consensurum petitioni ipsorum, nisi constaret de crimine morte digno: quare & respondit mox illis indignabundus: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum* (Ioh. 18. v. 31.) Vt itaque Pilato satisfacerent, quærebant testes, qui de Iesu, quem nouerant innocentem, mentirentur crimen aliquod crucifixione dignum, quod Pilatum mouere posset vt cruci Iesum adiudicaret. *Quærebant* autem iam, media nocte, simulatque Iesus venisset in manus ipsorum: nam quamuis statuerant non occidere ipsum die festo (suprà v. 5.) tamen mox vt fuit in manibus, nulla festi diei, qui agebatur iam inde à vespera proximè præcedente, habita ratione, festinarunt ipsum interficere, partim veriti ne quà elaberetur si seruaretur, partim maiori innoxij sanguinis siti ex præsentia accensi. vide sup. v. 5.

Mar. 14. v. 55. 56. 57.

& non inuenerunt, cùm multi[60] falsi testes accessissent. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes,

καὶ οὐχ εὗρον, καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον. ὕστερον δὲ προσελθόντες δύο ψευδομάρτυρες,

ET NON INVENERVNT s. huiusmodi testimonium etiam falsum, quod idoneum esset, vt iuris specie ipsum morte damnarent. *Nullam*, inquit Origenes, *verisimilitudinem reprehensionis inuenerunt in eo, mali licet essent & multi, astuti & ingeniosi.* CVM MVLTI. Syrus *etiam postquam multi.* ACCESSISSENT. Græcè repetitur τὸ *non inuenerunt*, magnâ cum emphasi, hoc modo: Et non inuenerunt, etiam postquam multi falsi testes accessissent non inuenerunt. Nec inter se, nec auditis multis falsis testibus, *inuenerunt*: etiam post capturam, cùm solent homines, suis ipsorum affectibus indulgentes, vel prodere quæ sciuerint, vel fingere quæ non viderint, vel malè interpretari quæ audierint, aduersus eum, quem captum esse & in inuidiam principum adductum intellexerint, *non inuenerunt*. Neque verò ex eo illud fuit, quod omnes Iesu fauerent impensiùs quàm par esset, aut quòd nemo non amans veritatis & iustitiæ refugeret esse testis falsus: multi enim accesserunt falsi testes, multi parati fuerunt, vt principibus gratificarentur, testimonium falsum aduersus Iesum ferre, adeoque, in conspectum iudicum & rei prodeuntes, tulerunt, testatique sunt, alij quòd damnasset legem Mosis, alij quòd violasset sabbatum, alij quòd docuisset suos transgredi traditiones seniorum, alij quòd principes ad plebem tum iniustè tum seditiosè traduxisset, alij quòd arte magica edidisset miracula, alij quòd affectasset regnum & populum ad rebellionem prouocasset, alij denique aliud: sed nihil omnium iudicarunt principes aptum esse, quo tamquam iusto titulo morte posset multari. Vel enim apertè falsa aut dissona erant, vel si quam veri speciem præ se ferebant, non præbebant sufficientem causam mortis inferendæ, & præsertim mortis crucis, quã volebant principes, quamque per se inferre non poterant absque Pilato præside, paruifacturo testimonia, quæ vel solidè non subsisterent, vel solas Iudaicæ legis quæstiones tangerent: præsertim verò cauerunt principes, ne quid Iesu obiicerent, cui mentio miraculorum ab ipso editorum iungenda esset. Itaque adeò alienus fuit Iesus, non tantùm à malo, verumetiam ab omni specie mali, vt impossibile fuerit mentiri sic de illo, vt veri speciem haberet mendacium. *Falsa testimonia*, inquit Origenes, *tunc locum habent, quando cum colore aliquo proferuntur: aduersus Iesum autem nec color inueniebatur, qui posset adiuuare mendacia. adeò munda fuit vita Iesu, & omnino irreprehensibilis.* Hanc Iesu innocentiam inprimis obseruare oportet, ceu præcipuum salutis nostræ caput: nihil enim nobis Iesu mors profuisset, nisi innocens eam passus fuisset. *Nam talis decebat vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, cui necesse non esset priùs pro suis ipsius delictis hostias offerre.* Heb. 6. v. 26. 27. NOVISSIME. postremò. ὕστερον comparatiuus est loco superlatiui. VENERVNT. προσελθόντες accesserunt, tamquam præ cæteris singulare aliquod crimen obiecturi. DVO. Lex enim erat Deut. 17. v. 6: *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur: nemo occidatur vno contra se dicente testimonium.* Ideò duo subornati fuere, quòd notat etiam Origenes.

Mar. 14. v. 58.

& dixerunt: Hic dixit, Possum[61] destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.

εἶπον· οὗτος ἔφη, δύναμαι καταλῦσαι τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι αὐτόν.

HIC DIXIT, nobis audientibus. POSSVM. valeo. DESTRVERE. καταλῦσαι dissoluere. sunt enim lapides cæmento quasi vinculis colligati. TEMPLVM DEI Ierosolymitanum. POST TRIDVVM. id est, non, aliquando post expletum triduum, sed intra triduum. vide suprà v. 2. & Mar. 8. v. 31. διὰ τριῶν ἡμερῶν *per triduum* vertit secundùm Marcum, id est, in triduo seu tribus diebus, trium dierum spacio. REÆDIFICARE. οἰκοδομῆσαι ædificare: sed quia præcedit mentio destructionis, interpres dixit *reædificare*. Vnum & quidem præcipuum testimonium expressit Euangelista, vt ex illo coniiciatur de cæterorum vanitate: quamquam ideò etiam commemorasse istud potuit, quòd mysterium mortis & resurrectionis Iesu, de qua nunc agitur, in se contineat, si non aliter referatur & intelligatur, quàm à Domino Iesu dictum fuit. Voluerunt autem hi testes accusare Iesum, inprimis impietatis erga Deum, vt cuius vnicum idque augustissimum templum cupierit cupiatq; destructum, ac proinde omnem Dei cultum euersum (nam promissum reædificandi, vanum haberi volebant, deinde arrogatæ sibi, vel diuinæ naturæ, summa cum blasphemia, vel artis magicæ, animo scelestissimo, quòd templum, in quo ædificando quadraginta sex annis laboratum fuisset, triduo restaurare se posse præsumeret. Quamuis autem huiusmodi aliquid dixerat aliquando Iesus, quod discimus ex Ioh. 2. v. 19: vocantur tamen hi falsi testes, quia & verba Iesu peruertunt, & verborum sententiam. Non dixerat Iesus *Possum ego destruere templum Dei*, sed *soluite vos templum hoc*, solutionem ipsis tribuens, non sibi.

Impie-

Impietatem, inquit Origenes, *solutionis templi, non ipse promisit facere, sed ipsis qui fuerant apti ad huiusmodi opus commisit. Sibi autem quod reseruauit, id est, & ego in triduo suscitabo ipsum.* Neque dixerat Iesus *& post triduum* possum *reædificare illud*, sed *post triduum excitabo illud*. Denique *loquutus fuerat Iesus de templo corporis sui, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitabat* (Colosſ. 2. v. 9.) isti autem affirmarunt ipsum loquutum fuisse de templo illo lapideo, à Salomone primùm condito, & ab Ezra deinde atque Herode restaurato, verba dubia quæque alium potiùs sensum poscerent, pro suo libitu interpretantes, & ad crimen detorquentes: non enim aliud significatum voluerat, quàm se, ab ipsis quidem occidendum, sed intra triduum resurrecturum. Hæc annotãtur à tractatoribus omnibus, Græcis & Latinis, veteribus & recentioribus. Falsum igitur fuit & horum testimonium: & quamuis veri specie palliatum, non tamen conueniens, vt Marcus ait cap. 14. v. 59.

καὶ ἀναστὰς ὁ ἀρχιερεὺς εἶπεν [62] αὐτῷ· οὐδὲν ἀποκρίνῃ; τί οὗτοί σου καταμαρτυροῦσι; ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐσιώπα.

Et surgẽs princeps sacerdotũ ait illi: Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificãtur? Iesus autẽ tacebat.

Mar. 14. v. 60. 61.

ET. Tunc. SVRGENS, vt omnium oculos in se conuerteret, velut facturum magnum aliquid. Surrexit autem præ ira. *Ira enim præceps & impatiens*, inquit Hieronymus, *excutit de solio pontificem*, cuius erat, sedere quietum, mente vt corpore, sicut iudicum & doctorum omnium. Succensebat autem duplici ex causa, vnâ quòd nihil maioris ponderis adferrent testes aduersus Iesum, quamquam id corde premeret: alterâ, quòd Iesus hoc intelligere videretur, ac proinde silentio contemnere quæ obiiciebantur, tamquam responso indigna. Porrò sic furor illum à sede submouet, vt interim assurgat Christo Filio Dei. PRINCEPS SACERDOTVM Caiphas, qui concilio præerat, cuique maximè curæ erat vt Iesus interficeretur, vt qui id modis omnibus procurandum cæteris persuaserat. Iohan. 11. v. 50. NIHIL RESPONDES. Dicentibus testibus aliis post alios in reum, rei erat respondere & refellere obiecta: Iesus autem silebat, habens obiecta eiusmodi quæ seipsa refellerent satis. Id ægrè ferens pontifex, exaggerat obiecta (quamquam nec ipse animo ea magnifacere posset, neque putaret illis admodum insistendum) & tamquam cõdemnare Dominum queant, vrget vt respondeat, non vt defensioni det locum, sed, quod ait Hieronymus, *vt ex qualibet occasione sermonis locum inueniat accusandi.* AD EA QVÆ ISTI. Gręcè & syriacè duplex est interrogatio, vna absoluitur his verbis *Nihil respondes?* altera sequitur τί οὗτοι quid isti *testificantur aduersum te?* vbi *quid* intelligo aduerbium esse, hoc sensu: Quî fit vt omnes isti testificentur aduersus te? sceleratus certè oportet sis, vel eo nomine quòd tam multi in te testimonium dicant: neque enim aliâ ex causâ omnes aduersari tibi possunt, quàm quòd cogat eos religio. Interpres paulò aliter vel legit vel intellexit græca, sensu etiam omnium clarissimo: Nihil respondes ad crimina, multa adeò & magna, quæ tibi obiiciuntur ab his? Certè iniquum iudicem hîc refert Caiphas, in eo quòd accusationem contra innocentem amplificat & exaggerat, quodque sua auctoritate conatur accusatũ animo reddere deiecto, atque ita territum opprimere. TACEBAT modestiam obtinens antiquam, & nec pontifice quidem vrgente quidquam aduersariis respondebat, tametsi certam & promtam defensionem haberet. Maius enim aliquando est, liberè & fortiter silere, quàm se verbis defendere. Nam tacebat pluribus ex causis; primùm, quòd responsione indigna ea essent quę obiiciebantur, vt diximus. Deinde, *quod sciret quasi Deus, quidquid tandem respondisset, torquendum ad calumniam*, vt ait Hieronymus: eò quòd non hoc ageretur, vt locus esset defensioni, sed dumtaxat vt suppeteret quod iniquè carperetur & damnaretur. Silentio igitur suo indicabat illis, quali iudicio vterentur, nimirum quali respondendũ non esset, corruptissimo inquam, & ad damnandam innocentiam, non ad veritatem cognoscendam comparato. *Iesus*, inquit Chrysostomus, *quia nullum videbat excusationis locum, tacebat: figura enim ibi dumtaxat iudicij erat, re autem ipsa latronum impetus.* Similia habent Chrysostomi discipuli, Titus, Theophylactus, Euthymius, Victor: è quibus postremus Marcum enarrans: *Erat, ait, iudicium illud, quædam verius tribunalis larua, quàm legitimum concilium.* Tertiò tacebat Iesus, quòd nollet se defendere, vt non vi, ita neque verbis, sed vellet, cùm sciret venisse horam suam, ac proinde sacrificio se iam esse deuotum, se componere ad ferendam mortem à Patre decretam, itaque omnem priuatæ defensionis curam abiicere: quod & in tota hac Dominicæ passionis historia notandum est. Postremò, quod ait Auctor commentarij in Marcum, falsò adscripti D. Hieronymo, *taciturnitas Christi apologiam Adæ absoluit.*

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἀρχιερεὺς εἶπεν αὐτῷ· [63] ἐξορκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ἵνα ἡμῖν εἴπῃς εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.

Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deũ viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei.

Mar. 14. v. 61. Luc. 22. v. 67. 70.

AIT. ἀποκριθεὶς εἶπεν respondens ait, sic est etiam syriacè. *respondens* autem, id est subiiciens, Iesu silentium continuante. vide sup. 11. v. 25. non tantùm non punit falsos testes, iuxta legem Deut. 19. v. 16., & absoluit reum: verumetiam magis furens, quòd testimonia solidiora non essent, proponit ipse quo existimat se illaqueare posse reum. ADIVRO TE PER DEVM. præcipio tibi Deo in testem aduocato, mando tibi Diuini nominis auctoritate interposita, inuocato Dei nomine & testimonio, vt scilicet intelligas te coram Deo consistere, & velut à Deo ipso rogari, nec minùs ad respondendum teneri, quàm si iureiurando obstrictus fores. vide Mar. 5. v. 7. Frequens occurrit in veteri testamento ritus adiurandi, quo modo Achab rex Israel adiurat Michæam, vt non dicat nisi veritatem. 3. Reg. 22. v. 16. sed vt iuramẽto non est temerè vtendum, ita nec adiuratione. Caiphas pontificia auctoritate adiurat Iesum, tamquam superior inferiorem, sed sacrilegè: non enim ad cognoscendum veritatem adiurat, sed vt innocentem opprimat. Ne enim Iesus silentio continuato frustraret consilium ipsius, adiuratione adhibita cogit eum, tamquam futurum, non tantùm pontificiæ dignitatis, verumetiam Dei maiestatis contemtorem, si pergat tacere, cogit inquam eum proloqui, id quod sit ipsi mortis causa. VIVVM. Epitheton est Dei veri, quo distinguitur à falsis diis gentium.

vide sup. 16. v. 16. SI TV ES. An tu sis, an tu te ipsum habeas huiusmodi qui sis CHRISTVS siue Messias ille, Rex Israel, olim nobis à Deo per patres & prophetas promissus FILIVS DEI naturâ, æqualis Deo Patri, iuxta quod plurimi de te sentiunt tuis doctis sermonibus. Non enim intelligit, *Filius Dei* adoptionis excellentiâ, qualem credebat fore Christum; sed *Filius Dei* generatione diuinâ, qualem non credebat quidem fore Christum, sed intellexerat, Iesum, & se esse docere, & à discipulis haberi. intellexerat autem, partim ex Iuda aliisve (nam post laudatam Petri fidem *Tu es Christus Filius Dei viui*, sup. 16. v. 16., vulgatis fuerat discipulorum confessio *Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti*, qualis Marthæ Ioh. 11. v. 27.) partim ex publicis ipsius Iesu ad populum concionibus, quibus passim vbique Deum prædicauerat & nominauerat Patrem suum peculiariter, aliquando etiam clarè docuerat *Ego & Pater vnum sumus*, ita vt obiicerent Iudæi auditores, quòd faceret seipsum Deum, ac proinde lapides sustollerent in eum. Ioh. 10. v. 30. 31. nam & Ioh. 5. v. 18. scriptum est, de principibus vtique Iudæorum: *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Sumsit igitur huius interrogationis occasionem pontifex, tum ex doctrina Iesu, tum ex confessione discipulorum: & quidem duo rogat Iesum, prout confessio Petri & discipulorum duo continebat, an sit Christus ille qui eatenus sit exspectatus iuxta promissa Dei, & an sit naturâ Filius Dei. Ægro enim animo ferens, quòd testes nihil obiicerent alicuius momenti, ad ferendam in Iesum mortis sententiam, ipse, cuius furori longa erat omnis mora, paucis causam absoluturus, totius negotij capita hæc duo proponit Iesu. Omnis enim principum erga Iesum odij fons erat, quòd Iesus plebeius & vilis homo, vt ipsorum erat opinio (occupauerat enim eorum animos peruersus Iesu contemtus) pro Christo se haberet, adeoque pro Filio Dei germano: ex his enim duobus capitibus proficiscebantur cætera, quòd absque illorum venia doceret populum, & totum post se traheret mundum, quòd traditiones seniorum minoris faceret, quòd legis ceremonias minùs exactè obseruaret, denique quòd nec principum ipsorum vitiis publicè parceret. Propter vtrumuis autem horum, eum censebant apud se morte dignum: nam quòd se pro Filio Dei haberet, iudicabant blasphemum, vtpote statuentem plures Deos (rectè enim colligebant, quòd esse non poterat germanus Filius Dei, nisi esset ipse etiam Deus) quòd verò pro Christo, reum læsæ maiestatis, tum Cæsaris, tum Christi aliquando venturi. Sic enim, pressi à Pilato causam explicare, ob quam ipsum morte dignum arbitrarentur, duo illa obiecerunt, quòd prædicasset se Christum Regem Iudæorum, itaque contradixisset Cæsari, & quòd se fecisset Filium Dei. Ioh. 18. & 19. Hoc igitur consilio proposuit hæc duo Caiphas Iesu, vt si ea coram ipso synedrio confiteretur, suppeteret causa euidens mox eum damnandi morte; pro confesso sumens, simul ac de facto constaret, omissa iuris inquisitione, in manu esse iustam damnationis causam, vt aduersus regni affectatorem & diuinæ dignitatis vsurpatorem: si negaret, nec sic euaderet mortis sententiam, sed quærerentur mox testes, quibus conuinceretur se pro Christo gessisse, atque se Dei Filium prædicasse: suppetere enim poterant plurimi, cùm etiam à paucis diebus publicè sibi acclamari permisisset: *Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini*. Erat igitur omni ex parte insidiosum hoc problema pontificis impij.

Mar. 14. v. 62. Luc. 22. v. 69. 70.

Dicit illi Iesus: Tu dixisti. verumtamen dico vobis, ámodo videbitis Filium hominis, sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. 64	λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· σὺ εἶπας. πλὴν λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ.

DICIT ILLI IESVS. Non tacet ampliùs Iesus, sed respondet, triplicem ob causam; Vnam, ne videatur contemnere pontificis auctoritatem, illo imperante loquitur, veluti hoc concedens honori quem ille gerebat, indignissimus alioqui cui responderetur; Alteram, ne diuini nominis auctoritatem minoris facere credatur, adiuratus, immeritò licet & absque causa iusta, respondet, quanti sibi sit diuini nominis reuerentia testatum faciens; Tertiam, ne tacendo negare videatur, liberè confitetur veritatem de qua fuerat interrogatus, quippe summam muneris sibi à Deo delegati, quam ipse celare non deberet, sed omnes oporteret scire, nec quemquam prætexere posse eius ignorantiam, tametsi sciret non veritatem sed mortem suam quæri. Quare Chrysostomus: *Cuius etiam*, inquit, *rei gratiâ Christus hoc eis responsum dedit? vt omnem eorum tolleret excusationem.*

TV DIXISTI. s. quòd ego sum Christus Filius Dei. q. d. dixisti quod res est, ita est vt dixisti, id sum quod dixisti, sum inquam ego Christus Filius Dei. Ciuiliter concedentis est, & sic confitentis quod rès est, vt vitet arrogantiæ notam, dum modestè subindicat, totidem verbis affirmari posse, id quod Pontifex veluti dubium interrogat, si quis tantùm pronunciationem mutet. vide sup. v. 25. Quòd si verò parte aliqua dubia est hæc responsio, aufert obscuritatem omnem Iesus iis quæ subiicit verbis: *Verumtamen dico vobis* &c. Filius Dei à Patre in mundum missus, vt Christi officium præstaret & seruaret omnes credentes in se Christum Filium Dei, haud poterat tacere multo minùs negare, hoc præsertim loco, in iudicio inquam, interrogatus, id quod vt prædicaret venerat (Ioh. 18 v. 37.) quippe quod omnes scire & credere oportebat qui salui fieri vellent (cæteroqui enim potuisset, ab iis qui recusabant in ipsum credere, adferri excusatio non dissimilis veræ) sed oportebat id eum etiam cum periculo vitæ confiteri, prout fecit, certò sciens se hoc titulo causæ interficiendum, tametsi quouis titulo mors ipsius quæreretur: & certè primus ipse mori voluit mortuusque est pro confessione veritatis huius, pro qua omnes deinde martyres morituri sanguinemq; fusuri erant.

VERVMTAMEN. πλὴν alij vertunt *quinetiam*, ideò, igitur, certè, sanè. Syrus *autem*. Si *verumtamen* vertas vt Interpres, & non accipias pro *immo* vel *sanè*, oportet subaudire quid tale, quale Lucas exprimit cap. 22. v. 67. Et quidem vos hoc non creditis, verbis meis fidem non habetis, immo contemnitis ea & irridetis, adeoque sacrilegij ac blasphemiæ loco habetis, eò quòd nihil aliud quàm plebeius, vilis, & contemtibilis homo, à vobis habear: *verumtamen* DICO, hoc adiicio, prædico & affirmo VOBIS, tibi Caipha & collegis tuis, vos ro ipsa ali-

aliquando experturos, me non iniustè vsurpare id quod tu dixisti, me inquam esse Christum Filium Dei. Maluit Iesus rebus ipsis suo tempore probare diuinitatem suam, quàm verbis. AMODO. ἀπ' ἄρτι ab hoc tempore, id est, post hoc tempus, deinceps, posthac, cùm scilicet transierit hæc hora tenebrarum, quæ nunc agitur, cumque absoluta fuerit hæc expeditio in qua versor. supple, quandoquidem videbitis Filium hominis, vt certè VIDEBITIS. FILIVM HOMINIS. me, qui modò sum vilis & abiectus homuncio, nec alius à vobis habeor, sed vt huiusmodi à vobis contemnor & iudicor. A DEXTRIS. græcismus est pro à dextera. VIRTVTIS. τῆς δυνάμεως illius potentiæ. DEI. Hoc ab aliis bonis libris omittitur, vt & à græcis ac syriacis: sed vel subauditur (vt certè additur apud Lucam, cap. 22. v. 69.) & *virtutis* seu *potentiæ Dei* positum est pro *potentis illius Dei*: vel per *virtutem*, Deus Pater intelligitur, quod monet Theophylactus enarrans Marcum, cui omnipotentia attribuitur, estque ipsissima potentia & summa potestas, vt ille vocat, inter cuius nomina, complura à potentia & fortitudine dicuntur. Opponit autem inter se Iesus, *Filium hominis & virtutem*, virtutem inquam opponit humilitatis formæ quam tūc gerebat, & cuius gratia contemnebatur, summam celsitudinem humilitati summæ: ac proinde tacitè distinguit aduentum Christi duplicem, præsentem quidem humilem, futurum verò gloriosum, quem illi cōfundebant in vnum, & magnopere falli ait, si ex præsenti intuitu æstimēt quisnam sit. Est igitur hoc *sedentem à dextris virtutis Dei*, idē vnum cum illo symboli Apostolici *sedentem ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, quod quidem est, collocatum supra omnem creaturam, tamquam Dominum & gubernatorem omnium, Deoque assidentem, æqualem naturâ, potestate, imperio honore. vide sup. 22. v. 44. Deinceps, inquit, non videbitis me habitu rei, vt nunc videtis, sed habitu Filij Dei, qui nunc in vinculis & passione constitutus non videor Filius esse omnipotentis. Hæc Iesu prædictio, partim impleta est ab ipsius rediuiui ascensione in cælum, quando prædicantibus Apostolis, & Spiritu sancto miraculis confirmante, credenteque orbe terrarum, videre, id est, certò experiri coacti sunt Iudæorum principes, *Filium hominis* quē ipsi reprobauerant, *super omne nomen exaltatum in gloria esse Dei Patris* (Philip. 2. v. 9.) partim & quidē perfectissimè implebitur in extremo iudicio, quando suis ipsorum oculis *videbunt Filium hominis venientem in gloria Patris sui* (sup. 16. v. 27.) id est, paternæ gloriæ cōsortem, ea gloria affectum quæ deceat Filium Dei, Deo Patri æqualem & dominum omnium. Non enim sine corpore veniet, sed huiusmodi quem *videat omnis oculus & qui eum pupugerunt*, quod ait Apocalypsis cap. 1. v. 7. Quidam de tempore ab ascensione Iesu in cælum; alij, inter quos Chrysostomus, de extremi iudicij tempore, interpretantur: vterque commentarius iungendus est, vt perfectus habeatur loci sensus. Alludit autem Iesus hac parte, ad illud quod his ipsis aliquando obiecerat, ex Psalmi 109. v. 1: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, suprà 22. v. 44., & quasi aduersarios eò remittit, vt discant quid illud sit, an non doceat ille Scripturæ locus, Christum fore germanum Dei Filium. ET VENIENTEM IN NVBIBVS CÆLI. id est, & vectum nubibus è cælo descendere, vt scilicet iudicet viuos & mortuos, id est, videbitis iudicantem omnes gentes, & inter cæteros, vosipsos, qui iam audetis ipsum iudicandi partes vobis arrogare. vide suprà 24. v. 30. vbi ait: *Et videbunt Filiū hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate*. Alterum Scripturę locum aduersariis hac parte indicat, ex quo discant Filium hominis etiam Dei esse Filium, Dan. 7. v. 13: *Ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat*, &c. quæ prophetia in Christi ad cælos ascensione cœpta, in nouissimo iudicio perficietur. Nam inter cætera, *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Act. 1. v. 11. Duo itaque manifesta argumenta hìc indicat Iesus, quorum vtrouis, adhuc quidem futuro, sed à sacra Scriptura disertè prædicto, probandus esset ipse Christus Filius Dei. Vnum, quod inuitare deberet omnes ad se suscipiendum, manifestum testimonium, quod à discipulis ipsius ferendum esset, ipsum exaltatum sedere à dextris Dei, Spiritu sancto sermonem confirmante sequentibus signis. Alterum, vt qui hoc testimonium reiicerent, alterum vellent nollēt habituri essent, extremi iudicij, quo is qui iam humilis videbatur, & paulò pòst maximus ac magnificentissimus videri posset, tandē potentissimus ac seuerissimus iudex videndus esset, & qui antea misericordiæ diuinæ liberalissimus pontifex fuisset, iis qui sese repudiassent iustitiæ quoque assertorem sese confirmaret, magno ipsorum malo propriâ ipsorum culpâ conquisito. Dat itaque intelligendum, quòd quicumque ipsum non receperint ex prioris illius argumenti testimonio, agnoscent tandem ex posteriore, & reipsa, atque periculo in se ipsis facto, fateri cogentur, ipsum esse Christum Filium Dei. Occultè igitur eis minatur, olim sensuros reque ipsa experturos, veritatem quam nunc blasphement, vt iudicem futurum timeant, quem præsentem salutis auctorem agnoscere non sustinent, terrens quòd aliquando ad ipsius tribunal cogendi essent, qui iam ipsum iudicandi auctoritatem vsurparent. Postremò, Iudices omnes Iesus hìc diuini iudicij commonuit.

τότε ὁ ἀρχιερεὺς διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια[65] αὐτοῦ, λέγων, ὅτι ἐβλασφήμησε· τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; ἴδε νῦν ἠκούσατε τὴν βλασφημίαν αὐτοῦ·

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam:

Mar. 14. v. 63. 64.

TVNC. accepto huiusmodi abs Iesu responso. Assequutus quod venabatur pontifex impiissimus, non studio pietatis, sed gaudio captæ prædæ, exilit è cathedra: & quò crimen quod vult Iesu inferre faciat atrocius, prætextu singularis religionis, discindit vestimenta, simulans se præ nimio cordis dolore blasphemiam ferre non posse. SCIDIT: διέῤῥηξε disrupit, lacerauit. VESTIMENTA SVA. plurale loco singularis, vestem interiorem, tunicam suam. Tunicæ Iudæis sic videntur fuisse confectæ, vt superior pars, sub mento, pateret, quò capiti iniectæ commodè possent & indui & exui: quomodo & hodie à quibusdam conficiuntur. Cùm videretur igitur Iudęis scindenda seu dirumpenda vestis, arreptam vtraq; manu tunicæ supra pectus apertæ oram vtramque, violenter distrahebant & diuidebant ad vmbilicum aut cingulum vsque: non enim à parte inferiori in superiorem discerpebant, ne reuelarent turpitudinem suam, quibus vix aut non erat vsus fœmoralium. Consueuerant autem tunc vestem disrumpere seu lacerare Iudæi (id quod tamen etiam Gentibus in vsu fuisse constat) cùm ingentem animi dolorem, ob subitò visam aut cognitam grauissimam

uissimam calamitatem vel rem indignissimam, testari vellent, præsertim verò si quid contra Dei honorem, cum diuinæ maiestatis contemtione aut iniuria, factum dictúmve esset. Hic enim gestus, & ipsos qui subirent, grauiter perturbatos significabat, tamquam ferre non valentes rei acerbitatem indignitatémve, & spectatores vehementer mouebat. Sic Iacob, conspectâ cruentâ filij sui tunicâ, scidit vestiméta sua, Gen. 37. v. 34. sic Iosue intellecta hostium de Israel victoria, Iosue 7. v. 6. sic Ezechias rex auditis Rabsacis aduersus Deum blasphemiis, 4. Reg. 19. v. 1. sic Paulus & Barnabas cùm viderent à Lycaoniis cultum diuinum sibi præparari, Act. 14. v. 13. Alibi quoque reprehenduntur, qui id non fecissent, vt quibus non esset cordi diuinus honor. Iere. 36. v. 24. Hoc igitur modo Caiphas, testatum facere volens, quàm indignè grauiterque ferret, ac vehementer detestaretur, quòd Iesus se dixisset Christum Filium Dei, cæterósque collegas permouere ad detestandum secum & vlciscendum scelus, tamquam manifesta & intolerabilis ea esset blasphemia, ficto religionis studio, quasi zelo diuinæ gloriæ commotus, lacerauit subitò vestem suam. Sed minimè eum mouit diuinus honor, non enim ob auditæ blasphemiæ, quam dicebat, detestationem id fecit, sed vt præsentium omnium odia magis magísque in Iesum incéderet, ad hoc, vt nullo alio requisito testimonio, morti eum mox adiudicarent. Fecit hoc, inquit D. Leo serm. 6. de passione Domini, *ad exaggerandam auditi sermonis inuidiam: nesciens vero quid hac significet insania, sacerdotali se honore priuauit, oblitus illius præcepti: De capite cidarim non deponet, & vestimenta sua non dirumpet*. Hæc Leo. Summo sacerdoti diserta lege prohibitum fuerat, ne vestes laceraret. Leuit. 21. v. 10: *Caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet*. Illius præcepti vel oblitus fuerat Caiphas, vel memor studiosè hac ceremonia grauare voluit causam Iesu, tamquam sit res ardua omnino, si pontifex scindat vestimenta sua, vnde colligi debeat inauditum facinus esse commissum. Cæterùm, cùm facta pontificis non minùs quàm verba, prophetica fuisse par sit (Iohan. 11. v. 51.) significauit hac vestium suarum laceratione pontifex, sacerdotium legis breuî lacerandum & auferendum, quemadmodum lacerante vestem Samuelis Saule, significatum est, auferendum Sauli esse regnum (1. Reg. 15. v. 28.) & scissione pallij Ahiæ prophetæ disrumpendum esse regnum Salomonis. 3. Reg. 11. v. 30. 31. Annotarunt hoc tractatores omnes, græci & latini, veteres & recentiores, ex quibus Origenes: *Conscidit*, ait, *vestimenta sua, ostendens turpitudinem suam, & nuditatem animæ suæ, & mysterium manifestans, conscindendum esse sacerdotium vetus, & scholam sacerdotij eius, & culturæ quæ secundùm literam fuerat*. Et Hieronymus: *Scidit vestimenta sua, vt ostendat Iudæos sacerdotij gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere pontifices.* BLASPHEMAVIT. s. Deum & Regem, quemadmodum mētitum fuerat & de Naboth. 3. Reg. 21. v. 13. contumeliosè & impiè loquutus est aduersus Deum & Christum Regem, arrogans sibi honorem Dei & Christi. Blasphemare enim, vsu sacræ Scripturæ, est manifestam verbis iniuriam irrogare Deo, aut iis qui proximè Dei obtinent locum, Regi, vel Iudicibus: qualis inprimis est, si quis, ea quæ Deo aut Regi sunt propria, sibi aliísve adscribat. vide suprà 9. v. 3. Qui in omnibus Dei Patris gloriam quæsiuit, Patremque honorificauit (Iohan. 8. v. 49.) & præsens Christum præstitit, blasphemasse pronunciatur. QVID ADHVC. quid præterea. TESTIBVS aliis. quid adhuc opus est exquirere testes? q. d. laborauimus hactenus ad inueniendos testes, qui testarentur aduersus eum quid morte dignum, nec inuenire potuimus (fatetur enim turpitudinem propriam) iam non ampliùs opus est vt ea in re laboremus, neque enim aliis opus est testibus. Syrus: *Quid amplius exquirimus nobis testes?* ECCE. rem stupendam. NVNC hoc tempore & loco, quando in manibus est vestris, & coram vobis adstat (quid enim fecisse putandus est seorsum apud discipulos?) AVDISTIS vosipsi iudices (alloquitur enim synedrium ipsum) vos ipsi omnes estis locupletissimi testes. BLASPHEMIAM manifestam. *αὐτοῦ eius* additur græcè & syriacè; qua nimirum & Filium Dei & Christum se dixit. Voces & exclamationes istæ, sunt gaudentis se post longam exspectationem voti compotem effectum, & præiudicio suo condemnantis reum. Duplicem autem ob causam, Iesu blasphemiam impingit; vnam eamque primariam, quòd dixerit se Filium Dei, Deum Deoque ęqualem se faciens, qui vnus solusque est nec habet parem: alteram, quòd Christum Regem se dixerit, id est, vt ipsi apud Pilatum interpretantur Iohan. 19. v. 12., quòd Regem se faciens contradixerit Cæsari, quòd Cæsaris maiestati iniuriam irrogauerit: vt autem ipsi apud se sentiebant, quod cùm Christus Rex non sit, Christi Regis, qui adhuc exspectetur, nomen & dignitatem sibi vsurparit. Audet, inquit, blasphemare coram vobis ipsis iudicibus, confessioné enim blasphemam omnes audistis ex ore eius: ipse ergo sibi est loco innumerabilium testium. Quamquam Iesum Pontifex adiuratione adhibita coëgisset, quod in se fuerat, respondere suæ propositioni, & quod verum esse teneret eloqui: tamen mox vt Iesus obediens respondet, exclamat & pronunciat esse blasphemum, minùs tribuens adiurationi suæ quàm ipse Iesus. Nam si tribuisset quantum par erat, persuasisset sibi, virum adiuratum, eumque captiuum, coram Iudicibus constitutum, non facilè aliud proloqui, quàm ipsam veritatem, non sponte aut temerè, sed religionis intuitu declaratam; vel id saltem quod verum esse esset persuasus: ac proinde non mox iudicasset blasphemiam esse, id quod ille loquutus fuerat, sed iusso illo secedere, diligentissimè examinasset, blasphemia esset néne, discussa illiùs vita omni ac doctrina, miraculis adhæc, insuper Iohannis Baptistæ testimonio, & temporis à prophetis prædicti plenitudine, denique Scripturis sacris, quarum duo loca reus verbis illis suis tamquam digito indicauerat, ex quibus intelligere possent, à prophetis doctum fuisse, Christum eumdem fore Dei Filium, Patri, imperio, & honore, ac proinde etiam naturâ, æqualem, duplicemque fore Christi aduentum, humilem vnum, alterum gloriosum: quinetiam à reuocato Iesu in concilium requisiuissent, quî ista ex Scripturis clarè doceret. Sed nulla Pontifex tangebatur religione iurisiurandi, quod eo solo fine adhibuerat, vt extorqueret, non veritatem, verùm id ob quod videri posset reum iustè reprobare mortique addicere: ac proinde vixdum expressum sermonem rapit ex ore Iesu, lætus animo, quamquam gestu luctum simularet, & examine omni repudiato præposterè blasphemiam confingit, exclamat esse blasphemum, rem esse claram, nec aliis opus esse testibus, quàm hac ipsius confessione, vt interficiatur; motu, gestu, verbis, clamoribus, actioneque omni, indicans voluntatem suam, qua vellet Iesum communibus omnium suffragiis perdi, prætento studio honoris diuini. *Non ignorabat*, inquiunt Chrysostomus & Titus, *si res in cognitionem & examinationem veniret exquisitam, ab omni eum crimine liberari, & ideo ipsemet illum condemnat, cæteróque præoccupat, dicens Vosipsi blasphemiam audistis, quasi ipsos adigens, vt tamquam contra blasphemum sententiam ferrent.*

τί ὑμῖν

τί ὑμῖν δοκεῖ; οἱ δὲ ἀποκριθέντες [66] εἶπον· ἔνοχος θανάτου ἐστί.

Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.

Mar. 14. v. 64.

QVID VOBIS VIDETVR? qua pœna ille vobis videtur afficiendus? Syrus: *Quid vultis* s. fieri de eo. Ferte Iudices sententiam ex iis quæ ipsi vestris auribus audistis, date iudicium. Non proponit collegio Iudicum, cui ipse præsidet, quid vobis videtur de responso ipsius, est ne blasphemia néene: sed id ponens vt certum, nolensque illud in controuersiam venire, rogat quam promeruerit pœnam hic in manifestario planeque confesso blasphemiæ crimine deprehensus? *Noluit*, inquit Chrysostomus, *a seipso sententiam proferre, sed quasi manifestissimo peccato & blasphemia patente, ab illis eam elicere voluit.* Rogat igitur alios quid ipsis videatur, quasi liberum ipsis relinqueret iudicium, cùm iam ipse pronunciasset sententiam, blasphemum inquam esse (nam blasphemis mortem deberi, diserta lex est) vel quasi integri essent ad iudicandum, quos nouerat iam antea secum morti Iesum addixisse. Itaque corrupta odio Pontificis propositio, facilè omnes totius concilij corrupti calculos sibi conciliauit. *Hæc pontifex*, inquit Victor in Marcum, *non tam illos qui aderant, vt mortis sententiam in Iesum ferant, sua oratione inuitans, quam vt quadam importuna huc prorsus compellens. Aut non ipsi, sed ipse verius, odio & inuidia instigatus, eiusmodi sententiam promit.* Hæc ille. RESPONDENTES, vel confusè simul omnes, vel sigillatim rogati singuli sententiam suam. DIXERVNT vnanimiter omnes. Dignum huiusmodi sacerdote præsidente concilium. REVS. obnoxius; Syrus debitor, EST MORTIS, meretur mortem. clara est enim lex: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* Leuit. 24 v. 16. Iustam & legi consonam ferunt sententiam, posita blasphemia: sed in eo peccant, quòd cedant Pontifici vrgenti blasphemiam manifestam, neque dicant liberè, priùs discutiendum esse, an ille loquutus sit blasphemiam, quàm statuatur de pœna. Verùm applaudere & adulari omnes studuerunt Pontifici maximo præsidenti: ac facilè illa, *& scissio vestis*, quod ait Chrysostomus, seu *tunicula dissectio*, quod Victor Antiochenus, & clamosa oratio, & auctoritas summa pontificis, omnes potuit permouere, & in sententiam suam attentiùs pertrahere, aliàs damnationis Iesu cupidos, quosque nulla tangebat salutis promissæ cura. Non dicunt autem *Meretur lapidibus obrui*, quæ pœna blasphemis præscripta fuerat eodem legis loco: *Qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur, lapidibus obruet eum omnis multitudo*: quam & Stephano tamquam blasphemo intulerunt. Act. 6. v. 13. & 7. v. 58: sed relinquentes pontifici & sibi ipsis genus mortis liberum (decreuerant enim inter se in crucem ipsum agere) nihil amplius iam dixerunt quàm *Reus est mortis*. Auditis igitur concordibus omnium totius Synedrij suffragiis, conclusit Pontifex, Iesum morte esse afficiendum, idque curandum simulatq; illuxisset: nec enim differendam interfectionem eius, qui in flagranti crimine ab ipsis iudicibus esset deprehensus. Damnari elegit Iesus, non ex aliorum testimoniis, quantumuis falsis, sed ex sui ipsius oris verbis, sponte ac liberè coram ipsis iudicibus dictis: hic enim damnandi modus est huiusmodi, qui maximè fauere possit innocentiæ rei. Nam præterquam quòd verba semel à reo in iudicio prolata, omnium semper postea subiacere possint examini; cùm iidem hîc sint & accusatores & testes & iudices, facilè corruit vniuersum iudicium, si ostendatur illos odio erga reum capitali antea infectos fuisse: quamquam hic damnandi modus, ex facti nimirum euidentia, maximam infamiam & exsecrationem creet eo tempore quo subitur, apud populum rudem à principum suorum iudicio pendentem. Lata est igitur sententia mortis in Iesum, & vita à morte, veritas à mendacio, iustitia ab iniquitate, morti adiudicata est: venam vitæ mortis ream pronunciarunt filij mortis, ipsi mille mortibus digni. *Quantum putas fuit erroris*, inquit Origenes, *ipsam principalem omnium vitam, ream mortis pronunciare, & tantorum resurgentium testimonio non adspicere fontem vitæ, de quo in omnes viuentes vita fluebat? quoniam sicut Pater vitam habet in se, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso.* Cæterùm, vt reatum æternæ damnationis à nobis auferret Iesus, reatum ipse mortis subiit, *reatu suo reatum nostrum soluit*, ait Auctor commentarij in Marcum apud Hieronymum. Nam quod ad personam suam ipsius, immeritò innocenterque hæc pertulit: quatenus autem peccata nostra in se transtulerat, meritò audiuit quòd blasphemauerit & reus sit mortis.

τότε ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον [67] αὐτοῦ, καὶ ἐκολάφισαν αὐτόν, οἱ δὲ ἐρράπισαν,

Tunc exspuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt,

Mar. 14. v. 65. Luc. 22. v. 63. 64.

TVNC. cùm damnatus esset Iesus & iudicatus morte dignus. EXSPVERVNT. ἐνέπτυσαν inspuerunt s. præsentes, illi inprimis *qui eum tenebant*, quod ait Lucas, alij quoque & ministri & spectatores, quidam etiam ipsorum principum, id quod non obscurè intelligitur ex Marco. Postquã damnatus est Iesus, solutum est concilium, indicto reditu in summum mane: abeuntibus autem principibus singulis quò vellent, mansit eo loco Iesus, vel potiùs in aliquo alio vicino (siue carcer ille fuerit propriè dictus, siue non) cum principibus & ministris quorum custodiæ commissus erat. ministris verò creuerunt animi, vt insolentiùs Iesum tractarent, postquam viderunt concilij præiudicio morti addictum esse, cœperuntque ei tamquam iure condemnato variis modis illudere, & cum illis etiam principum ipsorum aliqui, omni planè se humanitatis affectu destitutos esse & beluina quadam rabie præditos declarantes, dum in moriturum sæuiunt eique insultant.

IN FACIEM EIVS. Spuere in faciem alterius, est genus contumeliæ grauissimæ, animoque ingenuo intolerabilis, factum in ignominiam & contemtum eius qui conspuitur, tamquam infamis & execrabilis, atque omnino eiusmodi, cuius honestissimum, facies, dignum sit excipiendis sordibus contemtoris. Abominantium itaque est & detestantium alterum: cuius exemplum exstat Deut. 25. v 9., quod quidem præceptum fuisse in signum mandati Dei contemti annotat D. Thomas hoc loco. Hanc cõtumeliam inter cęteras, ferre dignatus est Iesus, & facie illa speciosa formâ præ filiis hominum, quæ cælum exhilarare poterat & terram, fœdissima sputa, ex visceribus hesternam crapulam ructantibus attracta, patienter excipere, *ita vt leprosa videretur, nec superesset ei species aut decor*, iuxta id quod propheta prædixerat Isa. 53. v. 2. *Horreto cælum*

& terra (exclamat Euthymius) *vniuersaq́; creatura, in quam faciem, quã intulerint iniuriam!* Fuisse enim iniuriam hanc grauissimam Domino Iesu, ex eo intelligere licet, quòd nominatim eam prædixerit, tú per prophetam Isa. 50. v. 6: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus*; tum per seipsum Mar. 10. v. 34. COLAPHIS CECIDERVNT. ἐκολάφισαν ad verbum *colaphizarunt*, id est, colaphos infregerunt; pugno seu clausa manu, caput, collum, dorsum, aliasque corporis partes, pulsarunt & verberarunt. *Colaphizare*, inquit Theophylactus, *est manibus percutere, & simul incuruatis digitis ac pugno cædere*. Non dubium quin hinc caput Domini intumuerit, & facies liuida sit effecta, ita vt queri potuerit quod apud Comicum quidam: *Colaphis tuber est totum caput*. Hanc petulantiam eò conuertit Dei prouidentia, vt sputis & colaphis fœdata Christi facies, imaginem illam Dei in nobis restitueret, quæ per peccatum vitiata erat. PALMAS IN FACIEM EIVS DEDERVNT. græcè vnica est dictio ἐῤῥάπισαν, quam quidam vertunt *fustibus* aut *bacillis eum ceciderunt*, quidam *crepidis verberarunt*, alij *depalmauerunt* seu *palmis ferierunt*, alij *alapas impegerunt*. Postremis assentiens Interpres, vt periphrasi explicaret indignitatem rei, dixit: *Palmas in faciem eius dederunt*. Quamuis autem ῥαπίζειν propriè dici videri possit, qui contumeliæ causâ, virgâ, fuste, aut crepidâ aliquem cædit (ῥαπὶς enim & virgam & crepidam significat) vsurpatur tamen hoc verbum pro ea percussione quæ fit in maxillam suprà 5. v. 39., quæ crepidâ quidem fieri possit, sed non perinde fuste aut bacillo. Ad hæc Græci Patres, palmam & alapam, omnes hîc significari intelligunt: & quamquam colaphos, alij ad caput, alij ad collum referant, omnes tamen palmas & alapas referunt ad maxillas aut faciem, quibus accedens Interpres, hîc *palmas*, addita faciei mentione; secundùm Marcum vertit *alapas*, alapas intelligens, quæ palma, id est, manu aperta inferuntur. Syrus nihil aliud hîc habet quàm *percusserunt*. Lucas verò addit *percutiebant faciem eius*, ita vt omnino intelligere id oporteat, quod Interpres hîc vertit: *Palmas in faciem eius dederunt*. Habetur autẽ palma seu alapa viris data, maximæ ignominiæ & despectionis loco: & quamquam plus habeat contumelię quàm pœnæ, verisimile fit tamen, quòd ita grauiter & frequenter Christo Domino inflicta fuerit ab inimicis capitalibus, vt ex naribus ipsius & ore copiosus effluxerit sanguis. Fuerunt hæc morte ipsa crudeliora, ab ipsis etiam prophetis prædicta, quod mox vidimus: *quid enim his contumeliis*, inquit Chrysostomus, *potest exæquari? In faciem illam, quam fluctus maris reueriti sunt, quam sol in cruce vidẽs radios occultauit, spuebant, cædebant, abunde animos suos explentes, & vulnera contumeliosissima inferentes, colaphis cædentes, & palmas in faciem eius dantes*, &c. *Sed quam ob rem hæc faciebant* (rogat cum eodem Chrysostomo Titus) *cum occisuri eum essent? quid enim huiusmodi illusione opus erat? crudeles eorum mores in omnibus ostenduntur, qui quasi venatores inuenta multo tandem venatu fera, rabiem suam in eum exserunt, ingentem id sibi voluptatem solemnitatemq́; existimantes, & quàm ipsorum mores in cædem propensi essent ostendentes*. Declararunt his certè extremum odium erga Iesum, tam principes quàm principum ministri: nec enim consueuerant hoc modo tractari rei mortis. At ministri quidem persuadere sibi potuerunt, hominem pronunciatum blasphemum & Dei aduersarium, dignum esse omnis generis contumeliis, quamquam plurima suppeterent argumenta, quæ aliam ipsis de Iesu imprimere debuerant opinionem: sed principum fuit insanus furor, qui hac sæuitia Iesum tractarunt & tractari permiserunt, obliti se iudices esse.

Mar. 14. v. 65. Luc. 22. v. 64.

dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?	68 λέγοντες· προφήτευσον ἡμῖν χριστὲ, τίς ἐστιν ὁ παίσας σε;

DICENTES. addentes insultationem acerbissimam, opprobriis conuitiisque plenam. Hoc ad eos maximè refertur, de quibus mentio proximè antecedit, qui palmas dabant in faciem Iesu, id quod verba Euangelistæ significare videntur, dum ait οἱ δὲ *alij autem*, qua in re etiam Lucas est clarior. Hi enim faciem Iesu velauerunt, ad hoc vt dicere possent *prophetiza*. Verumenimuerò etiam ab iis dictum *prophetiza*, qui colaphis Iesum ceciderunt, Marcus docet. Tenendum est igitur, quòd ante velatam faciem, non facilè quidem palmæ Iesu in faciem illatæ fuerint, nec conuitiatum *prophetiza*: colaphi verò, & ante velatam faciem inflicti fuerint, & pòst addito improperio illo *prophetiza*. PROPHETIZA. προφήτευσον propheta, prophetam agens dicito nobis. velarant enim faciem eius, quod Marcus & Lucas testantur. CHRISTE. nullus enim propheta te maior, si Christus es, qualis haberi vis. Irrisio est cum conuitio coniuncta, quam sarcasmum Græci dicunt, amarissimè pungens. QVIS EST QVI TE PERCVSSIT? q. d. non valeas id dicere, quippe qui pseudochristus sis & falsus propheta. Prophetam te esse iactasti & Christum Dei Filium, ac proinde scientem occulta omnia: dic ergo nobis, obuelatis oculis, quis sit qui tibi illam impingat alapam, & quis hanc, quis rursus hunc pugnum &c. certatim enim verberabant alij post alios. Nam, quod ait Chrysostomus, *vt ipse nihil lenitatis prætermisit, sic illi nihil contumeliæ, nihil impietatis, sed tam verbis quam factis explere furorem suum conati sunt*. Christum & prophetam vocant, conuitiantes & exprobrantes, quòd prophetæ titulo à populo honoratus fuisset, & Christus haberi voluisset, adeoque coram principibus Christum se esse professus esset, inaniter hæc sibi vendicans, qui nihil minus esset, quinimmo pseudopropheta esset, adeò vt ob velamen oculis oppositum ignoret à quo cæsus sit, tantum abest vt ab alapis sibi cauere queat aut iniuriam vlcisci. Huc enim spectarunt ludibria hæc, nihil minùs esse consentaneum, quàm vt princeps esset prophetarum, qui ne à colaphis quidem, ob velum interpositum, sibi cauere possit: *prophetarum Dominus, quasi pseudopropheta irridetur*, ait Theophylactus in Lucam. *Sed qui omnium corda & renes scrutatur, omnisq́; prophetiæ auctor & largitor est: quomodo is, quisnam ipsum cecidisset, ignorare poterat*, ait Victor Antiochenus Marcum enarrans? Nouerat certè, nouerat, suoq́; tempore ostendet quòd nouerat eum, dum trementem prodet iusteq́; iudicabit: sed iam saluatoris partes agens non iudicis, patiens est & longanimis: cuique in manu est, terra dehiscente, deiicere hostes hos suos omnes viuos in profundum inferni, durat & perstat, & *patientiam constanter retinet, summæ per hæc omnia tolerantiæ & patientiæ formam seipsum nobis proponẽs*, quod scribit idẽ Victor in Marcum. Qua de re & Euthymius: *Vniuersa*, inquit, *magno animo sustinebat, docens nos iniurias tolerare*. Cæterùm non tantùm Doctoris in his functus est officio, docentis nos exemplo & rebus ipsis, quod priùs docuerat verbis (sup. 5. v. 39.) verumetiam redemtoris. Nos enim peccatis nostris nihil non meruimus opprobrij: tulit igitur

igitur has ignominias Iesus, vt nostras aboleret, luit inquam ignominias peccatis nostris debitas, &, vt nos à confusione liberaret, confusionem pertulit. Duo quædam sunt in vnoquoque peccato, auersio à Deo, coniuncta cum contemtu Dei, & conuersio ad creaturam, coniuncta cum delectatione peruersa: delectatio meretur pœnam, contemtus verò dedecus & ignominiam: vt ergo plenè Iesus pro peccatis nostris satisfaceret, non tantùm pœnam ferre pro nobis voluit, verumetiam ignominiam. *Vt nos*, inquit Origenes, *qui digni fueramus omnes has infamias pati, erueret, ipse pro nobis passus est eas. opprobria eius nostrum abstulere opprobrium*, ait Auctor commentarij in Marcum apud Hieronymum. Nostro enim nomine omne contumeliarum genus sustinens, æternum honorem nobis acquisiuit. Quare, quod Græci Patres annotant, nihil horum omnium erubuerunt Euangelistæ de præceptore suo scribere, eximiam credentes gloriam, quòd Dominus orbis huiusmodi contumelias pati pro ipsis voluerit: neque ita scripserunt, vt aut Iudæos inimicos conuitiis lacessiuerint, aut præceptorem sublimem extulerint, sed simplici narratione contenti, persuaserunt sibi, res ipsas per se sufficere, vt Iudæis quidem dedecori, Iesu verò honori perpetuo sint. Conati sunt Iudæi contumeliarum aceruis obruere gloriam nominis Iesu: sed contrà omnino accidit, Deo prouidente. Irriserunt & contemserunt illi Dominum: ipsi verò iam omnibus facti sunt derisui & contemtui, *in opprobrium & in parabolam & in prouerbium & in maledictionem omnibus regnis terræ*, iuxta ea quæ prophetæ prædixerant. Infregerunt illi alapas Iesu, & ludibrio affecerunt in Christo donum prophetiæ: *propterea*, inquit Origenes, *receperunt alapam æternam, & omni deinde prophetia priuati sunt. Iesum autem, quia humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad palmas, vsque ad confusionem sputamentorum, & flagellorum, & mortis, exaltauit Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*. sic Origenes. Durauit porrò ista illusio Domini Iesu, vsque ad exortum diei: *hæc intelligitur passus Dominus vsque ad mane* (inquit Augustinus lib. 3. de cõs. Euang cap. 6.) duabus aut tribus circiter horis, quamdiu scilicet tenebatur & custodiebatur à ministris & seruis pontificis ac principum, donec iterum repræsentatus est concilio, de quo infrà 27. v. 1. & Luc. 22. v. 66.

ὁ δὲ πέτρος ἔξω ἐκάθητο ἐν τῇ αὐλῇ, καὶ προσῆλθον αὐτῷ μία παιδίσκη λέγουσα· καὶ σὺ ἦσθα μετὰ ἰησοῦ τοῦ γαλιλαίου.

69 Petrus verò sedebat foris in atrio: & accessit ad eũ vna ancilla dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras.

Mar. 14. v. 66. 67. Luc. 22. v. 56. Iohan. 18. v. 17.

PETRVS. Postquam narrauit Euangelista quid Domino Iesu in domo Caiphæ acciderit; subiungit quomodo actum fuerit cum Petro, quem suprà v. 58. eódem ingressum dixerat. VERÒ. Interea verò dum superiora circa Iesum agerentur; præsertim autem examen Iesu & testium aduersus eum quæsitio ac productio. videntur enim Petri negationes, non inter dictas Domini contumelias accidisse, quamuis id sentiat D. Augustinus, sed Domini condemnationem illusionemque antecessisse. SEDEBAT. ad ignem inter ministros principum, vt videret finem, quemadmodum dictum est suprà v. 58. FORIS. ἔξω extra. Iesus intus erat, in conclaui, apud Pontificem & reliquum concilium; Petrus autem extra, apud ministros & seruos, sed vterque intra ambitum ædium & in domo ipsa. IN ATRIO. ἐν τῇ αὐλῇ in aula, in anteriori domus parte, qua parte tecta erat. AD EVM illic sedentem. VNA. quædam. ANCILLA. παιδίσκη puella pro ancillula accipitur, vt παῖς puer pro seruo, vnde est diminutiuũ. *Ancilla, summi pontificis*, quod addit Marcus, & quidem *ostiaria*, quod habet Iohannes, domini sui ingenio egregiè respondens. *Sed quid sibi vult quod prima eum prodit ancilla, cùm viri vtique magis eum potuerint recognoscere?* rogat Ambrosius in Lucam scribens. Respondeo, occasionem fuisse, quòd ancilla ista, ostiaria cùm esset, intromiserat Petrum, quemadmodum intelligitur ex Iohanne. Sed ita factum est, *vt & iste sexus*, inquit Ambrosius, *peccasse in necem Domini videretur, quæ & ipse redimendus erat*. DICENS ei coram omnibus. ET TV. tu cum aliis multis. Verisimile est, quòd ministris illic sermo fuerit de Iesu eiusque discipulis, quodque nominauerint atque irriserint hos & illos, quos nouerant Iesu fauisse atque adhæsisse. CVM IESV, qui captiuus huc adductus, intus à Domino nostro Pontifice examinatur, malè haud dubium periturus. GALILÆO. Ita vocabatur Iesus, in domo præsertim pontificis, & inter inimicos, despectionis ac vilipendij causâ, tum vt negarent ipsum esse prophetam (non enim concedebant ex regione Galilææ quemquam extitisse prophetam. Ioh. 7. v. 52.) tum vt seditionis ipsum insimularent, tamquam similem Iudæ Galilæi, cuius recens exstabat memoria, qui censum Romanis soluendum negans, auerso populo post se, malè cum sequacibus suis perierat. Act. 5. v. 37. ERAS. conuersabaris, adhærebas ei, discipulus eius eras. Videbatur sibi obseruasse aliquando Petrum in comitatu Iesu.

ὁ δὲ ἠρνήσατο ἔμπροσθεν πάντων, λέγων· οὐκ οἶδα τί λέγεις.

70 At ille negauit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis.

Mar. 14. v. 68. Luc. 22. v. 57. Iohan. 18. v. 17.

NEGAVIT se fuisse cum Iesu. CORAM OMNIBVS. fortiter admodum, bene volens ab omnibus audiri. Vt accusauerat eum ancilla coram præsentibus omnibus, quibus etiam dixerat, quod narrat Lucas: *Et hic cum illo erat*: ita Petrus negauit coram præsentibus omnibus, qui magno numero erant; & quidem ita clara & vehementi voce, vt à pluribus faciliusque audita fuerit ipsius negatio, quàm fuerat ancillæ accusatio. *Neque scio neque noui quid dicas*, inquit Marco referente. NESCIO QVID DICIS. nescio quid velis dicere, non enim noui Iesum Galilæum quem memoras. Non solùm non fui cum illo, sed nec noui eum, nec scio quid verbis tuis significare velis. Habet modus iste loquendi, securæ negationis emphasim: sic enim respondere solemus, cùm significatum volumus, nos ab eo quod nobis obiicitur quàm longissimè abesse. Intelligebat Petrus optimè quid sibi vellent ancillæ verba: sed mentiens ea à se non intelligi, negat se fuisse cum Iesu, negat Iesum eiusque doctrinam sibi esse notam, negat se credere in Iesum Christum, seque illius esse discipulum, denique Iesum ipsum quod ad se modis omnibus negat, negat inquam vitam, mortem timens. Nec exspectat dum hostes vi illata mortem intentent, vel dum quæstionibus subiiciatur, aut dum ad Pon-

ad Pontificis tribunal trahatur: *ad misera vilisq́; puellæ verba*, inquit Chrysostomus, nec ea aspera, ad leuem auram & folij cadentis strepitum, concidit. Sic euidentiùs ostensa est hominis sibi relicti fragilitas, quando à tam fragili sexu, qui sibi tam fortis visus fuerat, tam citò deiectus est: quamquam non tam ancillam ille metuit, quàm ministros præsentes, ne ab illis comprehenderetur, & Pontifici concilioque sisteretur, vnà cum Iesu plectendus morte. Hæc trium prima est Petri negatio. *Ecce columna firmissima* (inquit Augustinus in Iohannem) *ad vnius auræ impulsum tota contremuit: vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? vbi sunt verba illa quando ait* (suprà v. 35.) *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo? Sed quid mirum, si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit?* Cæterùm, etsi ore negauerit, non tamen animo prorsus deseruit Petrus Iesum, aut reiecit fidem in eum (quamquam potuit vacillasse, quod diximus suprà versibus 31. 34.) non enim tam fide defecit, quàm fidei confessione. Non tamen ideo excusatur à peccato, & quidem graui, postquam docuisset Iesus: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cælis est*, (suprà 10. v. 33.) *quamquam subita illa consternatione animiq́; perturbatione obcæcatus, dominicæ illius comminationis penitus oblitus fuerat*, quod ait Victor in Marcum. *Vbi vero negauit Iesum Petrus? in prætorio Iudæorum, in societate impiorum, vbi difficilis innocentia*, inquit Ambrosius in Lucam. *Quàm nociua prauorum colloquia?* ait Beda in Marcum. *Petrus ipse inter ministros pontificum, vel hominem se nosse negauit, quem inter condiscipulos Dei Filium fuerat confessus.* Sed hîc meminisse oportet quod suggerit Scholiastes ille apud Hieronymum, in Marcum scribens: *Petrus sine spiritu voci ancillæ cessit: cum spiritu, nec principibus nec regibus cedit.*

Mar. 14. v. 68. 69. Luc. 22. v. 58. Iohan. 18. v. 25.

Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. [71] ἐξελθόντα δὲ αὐτὸν εἰς τὸν πυλῶνα εἶδεν αὐτὸν ἄλλη, καὶ λέγει τοῖς ἐκεῖ· καὶ οὗτος ἦν μετὰ Ἰησοῦ τοῦ ναζωραίου.

EXEVNTE ILLO. ἐξελθόντα αὐτὸν exeuntem illum. præteritum pro præsenti. *Neque enim iam exierat, & foris eum vidit altera ancilla*, inquit Augustinus lib. 3. de cons. cap. 6.) *sed cùm exiret eum vidit, id est, cum surrexisset vt exiret animaduertit eum.* IANVAM, non domus, sed atrij. εἰς τὸν πυλῶνα in vestibulum, id est, ex ea atrij parte quæ tecta erat, in eam quæ sub dio erat, quæ & cortis appellatur, & area, & vestibulum. vide sup. v. 3. Meditabatur Petrus fugam, & moliebatur abitum, quamuis id dissimularet. EVM. αὐτὸν superest ex hebraico idiotismo. ANCILLA. hoc addidit Interpres, neque enim aut græcè aut syriacè legitur: subaudiendum est tamen, vel *ancilla*, vel *puella*, vel *mulier*. Et hæc ancilla respondit ingenio heri sui atque ancillæ prioris: adeoque videre est totam familiam eorumdem morum, & tales seruos esse, qualis est dominus. QVI ERANT IBI stantes & calefacientes se, quod habet Iohannes cap. 18. v. 18. NAZARENO. Tale cognomen quale Galilæus, omninoque contemtibile: erat enim Nazareth vile contemtumque Galilææ oppidulum: atque adeò iam tum cœperat cognomen Nazareni, apud hostes Iesu infame esse, perinde ac si nos diceremus hæreticum, propterea quòd Iesum Nazarenum nouæ sectæ auctorem esse dictitarent. Et hęc ancilla recognouit Petrum aliàs visum in sequela Iesu.

Mar. 14. v. 70. Luc. 22. v. 58. Iohan. 18. v. 25.

Et iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominem. [72] καὶ πάλιν ἠρνήσατο μεθ' ὅρκου, ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον.

ITERVM NEGAVIT. Non cùm exiret ipse & ancilla loqueretur, sed reuersus ex area in atrium, ex vestibulo ad focum, quod intelligitur ex Iohanne. Videns Petrus non satis tutò versari se posse in illo famulitio, quin periculum esset ne agnosceretur, cogitauit clanculum se subducere: cùm itaque egrederetur ex atrio in aream, altera quædam mulier eum obseruans, confirmauit sententiam prioris, affirmauitque ministris in medio atrij se calefacientibus, planè illum vnum esse discipulorum Iesu. Ipse inter egrediendum illud audiens, non ausus est domo egredi, ne, quod dissimulabat, repentina abitione periculosè proderet, ministris ipsum tamquam fugitiuum & malè sibi conscium prosequentibus: sed in aream dumtaxat egressus, & illic paulisper moratus, quasi aëris captandi causa, mox redit & ministris iterum se iunxit. Illic quodam repetente ancillæ sententiam, de quo Lucas, & aliis quoque vrgentibus eum, de quibus Iohannes, *negauit* Iesum *iterum*, quod hîc dicitur, id est, secundò. Hæc diligenter annotata sunt à D. Augustino lib. 3. de cons. Euang. cap. 6. his ferè verbis: *Cum surgeret Petrus vt exiret, animaduertit eum altera ancilla, & dixit his qui erant ibi*, id est, *qui simul erant ad ignem intus in atrio: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Ille autem qui foras exierat, hoc audito rediens, iurauit illis contradicentibus, quia non noui hominem.* & paulò pòst: *Liquidò colligitur, collatis de hac re omnibus Euangelistarum testimoniis, non ante ianuam secundò Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem: Matthæum autem & Marcum, qui commemorauerunt exisse eum foras, regressum eius breuitatis causa tacuisse.* Hæc Augustinus. CVM IVRAMENTO. Secundæ negationi addidit iuramentum: videns enim quòd primæ negationi suæ, quæ quidem simplex fuerat, fides non adhiberetur, quin plures etiam ipsum accusarent; vt fidem sibi conciliaret maiorem, secundæ negationi addidit iuramentum: postquam simplici negatione elabi non potuit, interposito iureiurando crimen duplicauit, mendacio in negotio religionis addens periurium. ita semel lapsus, in deterius ruit, dum non mox omni modo se extricat ex cōsortio reproborum. *Peccatum quod pœnitentiâ non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit*, ait quodam loco D. Gregorius. QVIA NON NOVI. dicens non noui, vel quòd non nouisset HOMINEM, quemadmodum mox vertit versu 74. Plus negat quàm opus sit: non contentus negare se ad Iesu comitatum pertinere, iurat quòd ne cognouerit quidem vnquam quis sit homo ille Iesus. Manifestum mendacium, quodque facilè redargui potuisset à circumstantibus. nimirum adeò se ignorantem affirmare, vt ne nosset quidem hominem illum, qui nulli non in Iudæa & Galilæa vel facie vel famâ notus esset: nisi tantâ Petrus id adstruxisset detestassetque constantiâ vel impudentiâ potiùs, quanta repressisset accusatores, veritos ne, haud hic, sed alius huic similis, ipsis in comitatu Iesu visus fuisset.

μετὰ μικρὸν δὲ προσελθόντες οἱ ἑστῶτες, εἶπον τῷ πέτρῳ· ἀληθῶς καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ, καὶ γὰρ ἡ λαλιά σου δῆλόν σε ποιεῖ.

73 Et post pusillum, accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit.

Mar. 14. v. 70. Luc. 22. v. 59. Iohan. 18. v. 26.

Post pvsillvm. paulò pòst *interuallo facto quasi hora vnius*, quod ait Lucas, & annotat etiam Augustinus. Verisimile est enim, ministros, cùm testes producerentur aduersus Iesum, arrectis auribus, stetisse ad ostium conclauis, auscultationi intentos, atque hinc factum vt aliquo temporis spacio Petrus liber fuerit ab eorum molestatione. Nam contemporaneas fuisse, Petri negationem & Iesu examinationem, liquet ex Iohanne, historiam vtramque permiscente. Accesservnt ad Petrum. Qvi stabant. qui illic stabant, in atrio. Ex illis qui Iesu adhæserunt. Nam et. nam præterquam quòd multi nostrûm ex visu te cognoscunt, quod te viderint in comitatu Iesu, etiam loqvela tva. ἡ λαλιά σου loquutio tua, modus loquendi tuus Manifestvm te facit. prodit te, quòd ex discipulis Iesu sis. *Non quod alterius sermonis esset Petrus, aut gentis exteræ*, inquit Hieronymus: *sed quod vnaquæque prouincia & regio habeat proprietates suas, & vernaculum loquendi sonum vitare non posset*. Modus loquendi tuus, aiunt, demonstrat quòd Galilæus sis, planè vteris idiomate Galilæorum: sunt autem omnes Galilæi qui adhærent homini huic, vt & ipse Galilæus est. Petrus existens in consortio illo ministrorum pontificiorum, ne arrepta occasione ex taciturnitate ipsius mœstiore, accusaretur: vt discipulus, liberè colloquebatur, credibile est, & fabulabatur cum illis, ita vt cęteris argumentis quibus conuincebatur, accesserit aliud ex loquela. Tametsi enim Galilæi, hebraicè siue syriacè loquerentur, non minùs quàm Ierosolymitæ: erat tamen ipsis alius pronunciandi modus, aliaque dialectus, vt loquuntur Græci, & quidem durior, quod quidam notant, quàm Iudæorum mediterraneorum: præter hoc, quòd vt habitabant Galilæi finitimi gentibus, plura à gentibus vocabula mutuasse potuerint. Felix quem loquela manifestat discipulum esse Iesu.

τότε ἤρξατο καταναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν, ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον. καὶ εὐθέως ἀλέκτωρ ἐφώνησε.

74 Tunc cœpit detestari & iurare, quia non nouisset hominem. & continuò gallus cantauit.

Mar. 14. v. 71. 72. Luc. 22. v. 60. Iohan. 18. v. 27.

Tvnc videns se tot argumentis testimoniisque conuinci, metuensque ne mox comprehenderetur. *En*, inquit Victor in Marcum, *quo alij magis vrgent & affirmant, eo Petrus vehementius iurat & obstinatius agit*. Coepit. significat eum & multis & variis modis id fecisse. Detestari seipsum, sibi ipsi malè precari, exsecrationibus seipsum deuouere. καταναθεματίζειν. ἀνάθεμα vox est vsitata Septuaginta Interpretibus veteris testamenti & Auctoribus noui, pro hebraica חרם *herem*, qua & Syrus hîc vtitur, quæ propriè quidem significat consecrationem & deuotionem: sed quia res Deo deuota & consecrata, perit eius cuius est & cæterorum hominum vsibus, accipitur pro excisione, perditione, & sublatione ab vsu communi ac proinde pro re maledicta & exsecrata. Vnde deductũ ἀναθεματίζειν est deuouere, detestari, maledicere, dirissima & pessima quæque imprecari, *maledictiones inferre*, inquit Euthymius: quod additâ alterâ præpositione κατὰ, augere etiam significationem videtur. Significatur igitur Petrus extremis diris seipsum deuouisse, Dei maledictionem sibi ipsi imprecatus esse: vt si veterum more dixisset: *Hæc faciat mihi Dominus & hæc addat, Vt me Deus perdat, Dispeream terrâ dehiscente, si nouerim hominem*. Et ivrare. Deum vltorem, & celerem eorum quæ sibi ipse imprecabatur malorũ inflictorem aduocare. Qvia. quòd *non nouisset hominem*. ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον quòd non noui hominem (rectè mutauit Interpres figuram sermonis hebraici, recitantis ipsum Petri verbum) quòd Iesum illum, non modò non vt magistrum, sed nec vt hominem quidem nouisset vmquam. Non negauit se esse Galilæum (neque enim poterat, sed hominem illum negauit se nosse, splendidissimo mendacio, quòd homo ille nulli non Galilæorum esset notissimus, apud quos ille maximè fuerat diuersatus, peragrans ciuitates omnes Galilææ & agros. Ita semper crescit cum tentatione peccatum (*perseuerare quippe in peccato, dat incrementum scelerum*, inquit Rabanus in Cathenam adductus) primùm enim simpliciter negauit, deinde negationi addidit periurium, periurio denique exsecrationẽ. Atque hoc quidem idcirco fecit, quòd tertiâ hac vice maximè premeretur, vt dicere cœperamus, non tantùm multorum obseruatione ac visu, verumetiam propriâ loquelâ, atque adeò quòd eadem nocte in horto conspectus fuisset, vt narrat Iohannes. Quare veritus ne deprehensus caperetur vnà cum Iesu, multorum affirmationi & euidentibus signis quibus vrgebatur, opposuit diuinum iuramentum & sui ipsius exsecrationes, quibus corpus & animam seque ipsum totum exitio deuouit. *Ecce* (inquit Augustinus tractatu 113. in Iohannem) *medici completa est prædictio, ægroti conuicta præsumtio: non enim factum est quod iste dixerat Animam meam pro te ponam, sed factum est quod ille prædixerat Ter me negabis*. Permisit autem Dominus vt laberetur hoc modo Petrus, duas maximè ob causas, quas enarrat inter alios Euthymius; Vnam, vt disceret quàm esset ipse fragilis, quàm nihil posset ex se, ac proinde non ampliùs de suis viribus præsumeret, sed *magnorum futurus operator, modestus foret, ac sui casus recordatus, Deo rem omnem adscriberet*. Sic humiliatus est præsumtor, qui etiam cæteris se prætulerat, vt disceret humiliter de se sentire, quando à Domino cæteris prælatus foret. Alteram, vt qui foret summus Ecclesiæ pastor, ouium infirmiorum facilè misereretur, nec eas seueriùs tractaret delinquentes, sed duriorem sententiam proprij casus intuitu temperaret. Interim nobis, quibus hic lapsus est, considerandum relinquitur, *quales ante Spiritus sancti aduentũ Apostoli fuerunt, & quales postquam ex alto virtute induti fuerunt, effecti sint*, quod notat Cyrillus in Iohannem scribens lib. 12. cap. 1. Et continvo, *adhuc eo loquente*, addit Lucas. Syrus *& in illa ipsa hora* siue *momento*. Gallvs. naturæ quidem suæ ingenio satisfaciens, sed Petrum interim proditi officij admonens. Cantavit. ἐφώνησε clamauit, sonuit, ita vt Petrus audiret. Hæc cir-

 cumstan-

cumstantia, hoc consilio, ita diligenter expressa est ab omnibus quatuor Euangelistis, vt appareat, Iesu quidem prædictionem veram fuisse, Petrum autem in ipso articulo diuinitus fuisse admonitum, vt mox resipisceret. Quamuis enim turpe ipsi fuerit ter cadere: Dominus tamen pepercit ei, tum linguas hostium cohibens, ne plures insultus mouerent, tum galli cantu eum excitans ad pœnitentiam.

Mar.14. v.72. Luc.22. v.61.

75 Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras fleuit amarè.

καὶ ἐμνήσθη ὁ πέτρος τοῦ ῥήματος ἰησοῦ εἰρηκότος αὐτῷ· ὅτι πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με· καὶ ἐξελθὼν ἔξω, ἔκλαυσε πικρῶς.

ET. pro tunc, dum scilicet gallum cantantem audiret. RECORDATVS EST VERBI IESV. *Postquam angelus diei clamauit ei, tunc recordatus est*, inquit Origenes. Antea, præ nimio metu oblitus fuerat & sui ipsius & verbi Iesu: iam demum *galli cantu admonitus, quasiq́, à graui somno excitatus, ad se reuersus, comperit se in illud ipsum malum ac probrum decidisse, in quod Dominus ipsum prolapsurum paulo ante denunciauerat*, inquit Victor in Marcum. Quamquam non solus galli cantus id effecit, sed magis respectus Iesu, cuius meminit Lucas: nam nisi Dominus efficaci contuitu suo reddidisset eum sibi, non magis posterior galli cantus mouisset eum, quàm prior ille de quo Marcus cap. 14. v. 68., post quem bis & quidem multo pertinaciùs Dominum negauit. QVOD DIXERAT. εἰρηκότος αὐτῷ qui dixerat ei, qui prædixerat ipsi ita futurum, iactanti fortitudinem suam.

PRIVSQVAM GALLVS. vide suprà v. 34. Iam docebat eum rei exitus, veracem fuisse Dominum Iesum, se verò vanissimum iactatorem & promissorem. Recordatus dominicæ illius prædictionis, cœpit agnoscere lapsum suum, turpem adeò ac fœdum, à quo nec cauerit sibi, quãtumuis à Domino præmonitus, sed stultè confisus viribus suis ingesserit se vltrò in periculum. EGRESSVS FORAS. ἔξω extra s. domum Caiphæ, non sustinens vltrà interesse consortio reproborum, à quibus fuerat ad peccandum impulsus, sed locum quærens secretum, in quo peccatum deflere posset. *Nec enim poterat*, inquit Hieronymus, *in atrio Caiphæ sedens, agere pœnitentiam*, vbi nimirum quo quisque peior erat, hoc sibi magis placebat. D. Chrysostomus annotat, quòd exiuerit Petrus foras, nec palàm flere sit ausus, ne lachrymis proderetur; rectiùs B. Hieronymus: *Egreditur*, ait, *foras de impiorum concilio, vt pauidæ negationis sordes amaris fletibus lauet*. Non enim metus coëgit eum exire foras, sed animi compunctio, quæ prorumpere volẽs in lachrymas, quærebat solitudinem, vbi non impediretur ab impiis, sed solo Deo & angelis testibus liberè posset deplorare peccatum & veniam rogare: quam ad rem locus publicus haud est idoneus. Hæc compunctio, omni metu excluso, fecit, vt nihil veritus ne fuga quod obiiciebatur confiteri videretur, quemadmodum veritus fuerat priùs (suprà v. 72.) incunctanter exierit, foresque sibi aperiri iusserit. Exiuit igitur, non metu, sed iusto peccati dolore, iustoque consortij reproborum odio actus. Fecisset quidem fortiùs ac constantiùs, si coram quibus negauerat Iesum Christum, coram iisdem confessus fuisset, seque ipsum damnasset infidum negatorem: verùm etsi perfectio illa virtutis ipsi defuerit, quæ ante Spiritus sancti aduentum nõ facilè in aliquo reperitur, non tamen defuit virtus, & quidem excellens, qua reliquit societatem impiorum, vt defleret peccatum in quod ab illis fuerat actus, præsertim cùm iam intelligeret fragilitatem suam, quæ causa esse potuisset vt relaberetur, si remansisset, cogentibus illis vt tantum scelus tueretur: quibus vt peruersis nullum damnum illatum fuerat ea negatione, quod reparare esset opus. Pudeat ergo Caluinum, qui pœnitẽtiam Petri ex eo claudicasse docet, quòd metu egressus fuerit, & vitium adscribit Petri lachrymis, quibus ille vitia sua eluit: sed quare? vt locum hunc Catholicis eripiat, ne satisfactione Petrus veniam adeptus fuisse videatur, quam paterna Dei indulgentia sit consecutus. FLEVIT AMARE, id est, grauiter, *examaricans in pœnitentia fletum suum*, inquit Origenes, idque eò quòd graue agnosceret à se commissum esse peccatum, tum præsumtiosiùs contra Domini prædictionem sese efferendo, tum sæpè adeò ac turpiter contra promissionem suam Dominũ negando. Sed sciens vnicam esse pœnitentiæ viam, qua cum domino suo redire posset in gratiam, fletus imbre extinxit fulmen iræ illius. *Fleuit amare*, magna sui cognitione instructus, magna facti pœnitentia ductus, magno ob peccatum dolore correptus, magna de Iesu fide præditus, magna diuinæ misericordiæ spe erectus, magno deniq; amore erga Deũ & Christũ incensus: amaræ enim lachrymæ, veram & sinceram atq. ex intimo corde profectam pœnitentiã ostendunt: de qua D. Ambrosius Lucam enarrans: *Quare fleuit? quia culpa obrepsit ei. Petrus doluit & fleuit, quia errauit vt homo: commune quod labitur, fidei quod pœnitet*. Sed quare non orauit potiùs quàm fleuit? respondet: *Lachrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. Inuenio cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet. Ante flendum est, sic precandum*. Hæc Ambrosius aduersus Caluinum. Commendabilis est autem hæc Petri pœnitentia à tribus; vno, quia cita nec in longius tempus dilata, altero, quia prudens, dum euitat relapsus pericula; tertio, quia vehemens, non contenta fletu qualicumque, sed amaro. Fletus non est quidem prorsus necessarius pœnitenti: tamen quem grauiorum scelerum ex animo pœnitet, non facilè omittet quin amaris fletibus ea in seipso vlciscatur: cuius rei exemplum nobis hîc reliquit Petrus, qui pœnitentiâ hac suâ veniam obtinuit, nec tamen aliter quàm paterna Dei indulgentia, quia & ipsa eius pœnitentia gratuitum Dei donum fuit. Nisi enim Dominus gratiæ suæ radiis cor eius penetrasset, tacitoque afflatu prouocasset pœnitentiæ lachrymas, obduruisset in peccatis. Veniam autem obtinuit, qui non insanabili malitia, sed infirmitate peccauerat. Libenter enim Christo præstitisset debitum pietatis officium, nisi metu superatus amor fuisset. Passus est porrò hoc Christus in Apostolo suo selecto, ne quis quamuis grauiter lapsus desperaret, modò resipisceret, & animi maculas lachrymis ablueret. Exemplum enim omnibus hîc exstat tum metus tum fiduciæ; metus, ne facilè de se præsumant, metuentes lapsum; fiduciæ, ne desperent de venia iam in peccatum lapsi. Hinc beatus Leo sermone nono de passione Domini. *Ob hoc*, ait, *hæsitare permissus est Petrus, vt in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur: & nemo auderet de sua virtute cõfidere, quando mutabilitatis periculum nec B. Petrus potuisset euadere*. Id quod latiùs explicans Euthymius hunc locum enarrans: *Potissimum*, inquit, *hoc permissum est, vt peccatoribus clarum esset pœnitentiæ exem-*

exemplum. Si enim cæterorum princeps Apostolorum, qui tales virtutes & viderat & fecerat, tandem in negationem lapsus est: deinde agnito delicto illum pœnituit, & non solum breui tempore maculam omnem absorsit, sed & cæterorum pastor discipulorum creatus est, & multorum ac magnorum operator miraculorum appellatus: nullum qui ceciderit desperare conuenit, sed illico pœnitentiam agere, quum diuitias cognoscat mansuetudinis Domini. Hæc ille, quibus docemur, peccatorem pœnitentem, non solùm recipi in gratiam, sed & ad summa euehi posse. In quam sententiam D. Ambrosius Lucam enarrans: *Doce nos Petre*, ait, *quid tibi profuerunt lachrymæ tuæ? Sed docuisti illico: nam qui lapsus es antequam fleres, postquam fleuisti erectus es vt alios regeres, qui teipsum ante non rexeras.*

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

πρωΐας δὲ γενομένης, συμβούλιον ἔλαβον πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι.

1 Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi, aduersus Iesum, vt eum morti traderent.

Mar. 15. v. 1. Luc. 22. v. 66.

FACTO siue cùm esset, ex γενομένης. simulatque illuxisset mane, quod posteriores Euangelistæ significantiùs exprimunt. Nocte quo dictum est modo iniuriosè transacta, principes, qui paulò ante diem discesserant, aut certè concilium soluerant, summo mox mane iterum conuenerunt, incredibili vigilantia, summoque studio & appetitu interficiendi Domini. *Cerne solicitudinem sacerdotum in malum*, inquit Hieronymus: properarunt enim, ne quid turbarum interueniret, quod cœptum facinus impediret, iuxta illud Psalmi 13: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* INIERVNT. ἔλαβον ceperunt, idque in eodem Caïphæ palatio, in quo nocte (hoc enim constat ex Ioh. 18. v. 28.) non in domo Sanhedrin, loco iudicij (quod quidam dicunt) consueto, sito in monte templi: non enim voluerunt Iesum extra Caiphæ domum ducere plusquam necesse esset, ne fortè à populo liberaretur. Inierant ea nocte consilium, quod vidimus suprà 26. v. 57., quo, postquam testes auditi, & Iesus ipse confessus fuisset se esse Christum Filium Dei, pronunciarant ipsum esse reum mortis: sed quia nocturna iudicia non habentur legitima, neque omnes nocte adfuerant, denique nec modus nec genus mortis quo Iesum essent interfecturi, erant ipsis omnino definita, summo mane iterum conueniunt. OMNES nemine excepto, præter paucos quosdam: verisimile est enim, quòd eo die, vnum certè aut alterum è principibus sacerdotum, fortè etiam quosdam ex senioribus, in templum miserint, ac eos præsertim qui fauerent Iesu, quales erant Nicodemus & Iosephus Arimathæus: nam & hi ex concilio fuisse videntur. Iohan. 7. v. 50. Luc. 23. v. 51. Cæteroqui omnes aderant, etiam illi qui nocte abfuerant, ex quibus Annas videri possit fuisse (Iohan. 18. v. 13.) Nullus eorum abfuit ab hoc conuentu, eò quòd nullus eorum non sitiret mortem Iesu, neque vellet quisquam absentiâ sua, præbere collegis argumentum, aliud de se sentiendi. Dicunt quidam, sexagintasex numero fuisse, qui Iesum condemnarint. PRINCIPES SACERDOTVM ET SENIORES POPVLI, scribæ quoque, quos addunt Marcus & Lucas, deniq; *concilium vniuersum*, quod insuper addit Marcus; synedrium inquam illud magnum, quod consueuerat esse LXX. virorum. vide suprà 1. v. 13. 16. & 26. v. 3. ADVERSVS IESVM. Hoc Syrus ponit clariùs suprà proximè post *consilium inierunt*. VT EVM MORTI TRADERENT. ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι quomodo eũ occiderent, quo mortis genere, quâ viâ ac ratione facillimâ, commodissimâ, & expeditissimâ. Diu decreuerant eum occidere: nocte tentauerant etiam iuris vias quibus eum possent damnare: iam in eo præcipuè versantur, vt exsequantur id quod ipsis erat decretum. Huius itaque matutini conuentus vna conclusio fuit, vt Iesus in concilium reuocaretur, & si interrogatus *An esset Christus Filius Dei viui*, id affirmaret, quemadmodum nocte fecerat, iam interdiu, à pleno synedrio, vnanimi omnium consensu, iterum condemnaretur: quæ conclusio intelligitur ex Luca. Altera eaque præcipua (nam de priori non erat difficultas) vt eo ipso mane summo, omnes totius concilij principes & iudices, non contenti mittere Iesum, ipsi per se Pilatum præsidem adirent, & Iesu abs se vnanimiter condemnati subitariam crucifixionem extorquerent, suâ auctoritate solâ, si possent, allatis autem pluribus causis, & præcipuè quòd se iactasset Christum regem Iudæorum, ac proinde admisisset crimen læsæ maiestatis Cæsareæ, si opus foret. Hæc conclusio elicitur ex versu subsequente, collato cum cæteris Euangeliis.

καὶ δήσαντες αὐτὸν, ἀπήγαγον, καὶ παρέδωκαν αὐτὸν ποντίῳ πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι.

2 Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi.

Mar. 15. v. 1. Luc. 23. v. 1. Iohan. 18. v. 28.

ET itaque, prout eo concilio definitum fuit. VINCTVM. ligatum. δήσαντες postquam vinxissent seu ligassent. Ligauerant iam antè cùm caperent (testis est Iohannes cap. 18. v. 12.) sed videntur soluisse vincula mane, cùm sisterent eum concilio, tum vt faciliùs responderet ad interrogata, persuasus nõ quæri mortem suam, tum vt confessio eius liberior haberetur, quippe nullâ vi aut pœnarum acerbitate extorta. Simulatque autem & ab hoc concilio matutino fuit condemnatus, rursus ligari iussus est, manibus fortè post terga reuinctis, & catena collo iniecta, quod quidam opinantur, atque hoc modo ad Pilatum est ductus, tamquam mortis reus, iam iudicatus ab ipsis & morte dignus pronunciatus. *Habebant enim hunc morem*, inquit Hieronymus, *vt quem adiudicassent morti, ligatum Iudici traderent. Hic est Samson vinctus à Dalila, Christus à Synagoga*, vt ait Auctor commentarij in Marcum apud Hieronymum. *Alligauerunt Iesum*, inquit Origenes, *soluentem à vinculis, & dicentem eis qui sunt in vinculis, Exite; & compeditos soluentem atque dicentem, Dirumpamus vincula eorum.*

Plura de vinculis Domini attulimus Iohan.18.v.12. ADDVXERVNT. ἀπήγαγον abduxerunt, è domo scilicet Caiphæ, quod exprimit Iohannes. *Adduxerunt* autem, supple ex versu præcedente, omnes principes sacerdotum & seniores populi, adeoque concilium per se vniuersum, quod disertè Lucas ait, adhibita tamen opera ministrorum qui proximè tenerent Iesum. Non satis habuerunt mittere, sed omnes qui ipsum condemnauerant comitati sunt, & adierunt ipsi per se præsidem, semel vt auctoritate præsentiæ omnium populus cohiberetur, ne quid in itinere tentaret ad liberandum Iesum: iterum vt Pilatus vrgeretur, quò absque mora & causę indagine mox iuberet affigi cruci, quem ipsi, causa exactissimè cognita, morte dignum vnanimiter omnes iudicauerant: denique ne quis apud Pilatum auderet fauere Iesu, ipsis omnibus qui eum condemnauerant præsentibus. Metuebant enim alioqui, ne, si ipsi, vel abfuissent omnes, vel pauciore numero adfuissent, Iesum Pilatus ad preces aliquorum (vt multi erant ipsi fautores) liberasset, aut minimùm, donec eius merita perfectiùs examinasset, in carcerem coniecisset & supplicium distulisset, quem ipsi statim absque mora, ne quid tandem obstaculi interciderret, cupiebant interemtum. Has ob causas principes ipsi per se omnes duxerunt Iesum ad Pilatum, idque summo mane, quod etiam Iohannes addit (mox enim definierant concilio, quod diu ipsis fuerat meditatum, vt illo in crucem acto summo mane, nec populus ob eius liberationem tumultum cieret, quippe qui nondum conuenisset, nec celeberrimus ac festiuissimus ille Paschæ atque Azymorum dies primus qui agebatur, quidquam turbaretur, hominibus à templo & sacrificiis abstractis. Ceterùm dissipauit concilium hoc prouidentia diuina, volens Christum meridie mori, tamquam præcipuum Paschæ sacrificium, populo vniuerso spectante, & huic potiùs sacrificio nouæ, quàm aliis veteris legis assistente. vide suprà 26.v.2.& 5. TRADIDERVNT occidendum, non examinandum aut iudicandum. Nec enim mens illorum erat, vt Pilatus cognosceret causam Iesu, sed vt ab ipsis condemnatum sibique traditum mox interficeret, vt cuius causam ipsi plus satis examinassent, *vt vellet executor esse sententiæ, non arbiter causæ*, inquit Leo serm.8.de pass. Domini. vide Ioh. 18. v. 30. *Tradiderunt* ergo, vt in damnatum animaduerteret, nam post damnationem proxima est traditio rei damnati. PRÆSIDI. præfecto, gubernatori, Ierosolymorum scilicet totiusque Iudææ, à Tiberio Cæsare constituto. De Pontij Pilati præfectura diximus Luc.3.v.1. Huic traditus est Iesus, auctoritate imperatoria crucifigendus, circa annum octauum regiminis sui, & impletum est quod Iesus ipse de se prædixerat sup.20.v.19. *Tradent eum* (principes sacerdotum & scribæ) *gentibus, ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Hic cœpit Iudæorum natio, Messiam suum, sibi promissum & missum, abs se ablegare, & gẽtibus tradere. *Sed cur ipsi non interemerunt?* rogat Chrysostomus homilia 82. in Iohannem, respondetque: *multum de eorum imperio iam ademtum erat à Romanis.* Hæc prima est & præcipua causa, quòd Romani sibi vsurpassent vitæ ac necis potestatem in illum populum, nec permitterent vt ipsi quemquam suorum capitali supplicio afficerent. Nam si quidem crimina admissa fuissent aduersus ius gentium, reseruauerant Romani sibi & iudicium & supplicium: si verò aduersus legem Iudæorum peculiariter, permiserant quidem ipsis iudicium, sed interficiendi facultatem non absque assensu suo, id est, Præsidis aut Prætoris à se delegati. Hinc est quod infrà v.15. Iudæis Pilatus ob Paschæ solemnitatem liberum dimittit vnum ex captiuis morte dignis quem voluissent, quòd nimirum Iudæi ipsi in sua potestate captiuos nullos haberent qui mortem meruissent. Quare & Iosephus lib.20. Antiq. Iudai.cap.8. scribit, Ananum pontificem, quòd Iacobum fratrem Iesu, & alios quosdam viros bonos, coacto iudicum concilio, reos impietatis peractos, lapidandos tradidisset, absque assensu Romani Præsidis, pontificatu priuatum fuisse. Leuiores pœnas infligere poterant, vt flagellare (Act.5.v.20.) sed mortem inferre, minimè. Quia igitur Pilatus capitalibus iudiciis præerat, & omnino volebant Iesum interemtum, coguntur ad Pilati tribunal descendere. Videntur quidem Stephanum absque facultate à Præside acceptâ lapidasse Actor.7. v.58., sed impetuosè, furore populum subito impellente, Præsideque dissimulante: quomodo Iesum non ausi fuissent interficere. Nam præterquam quòd Dei Filium non decuit seditiosè occidi, cui reatus noster, legitimo Dei iudicio declaratus, delendus erat: cùm esset Iesus vir clarissimus, quod diximus, atque adeò à plerisque habitus innocens & sanctus, ipsi verò essent manifestarij inimici illius, veriti fuissent ne Præses ipsos aut puniuisset egregiè aut apud Cæsarem accusasset, si absque ipsius consensu Iesum subitò, siue palàm siue clàm, è medio sustulissent. *Timebāt* (ait Chrysostomus hom. 82. in Iohannem) *ne à Pilato accusati, pœnas postmodum darent.* Quare contrà potiùs consilium ipsorum fuit, vt à Romano Præside, inter alias causas, idcirco occideretur, vt quia Iesus maximi à plerisque fiebat, si res iam peracta in crimen vocaretur, maiorem culpæ partem in Ethnicum Iudicem possent deriuare, & inuidiam innoxij sanguinis abs se in Pilatum transferre. Certè non ex inuidia & odio, sed iustissimè potiùs, illum à se condemnatum, visum iri sperabant, si Iudex non Iudæus, neutrius partis studiosus, mortem inferret, tamquam non nisi iustè videri posset illata, quæ non solo ipsorum, sed & Romani Præsidis iudicio, publicè illata fuisset. Ad hæc videntur dedignati eum per se interficere, qui se multis applaudẽtibus diceret Regem Iudæorum, ne fortè tandem exprobraretur ipsis, iure vel iniuriâ, quòd Messiam suum Regemque proprium interfecissent; ac proinde maluisse, vt ab Ethnico id fieret, tamquam non ferente ambitionem affectantis regnum, iactantisque se Regem Iudæorum. Nec enim propositum ipsis fuit, Iesum occidere solummodo, verumetiam celebrem ipsius gloriam, extremâ infamiâ obductam, abolere, supplicio ignominiosissimo à legitimo Iudice publicè de eo tamquam scelesto sumto. Accessit quòd considerarint, Præsidem, cui presto erant præsidia militaria, se, etiamsi liceret, certiùs tutiusque posse interficere, vt qui tumultum popularem, si quis oriretur, non difficulter quiret compescere. Præterea, quia sanctissimus & celeberrimus erat dies Paschæ, quo vel non liceret vel non deceret Iudæum vitâ priuare, immo quo criminosi consueuerant, non tantùm non morte multari, verumetiam à vinculis absolui (quod mox infrà v. 15. clarum fiet) inuidiæ declinandæ causâ, maluerunt à Romano Præside, quem nulla Paschæ tangebat religio, morte eo die plecti Iesum, quàm ab ipsis. Huius enim diei obseruantiâ ductus Herodes ipse Rex, Act.12.v.4., *Petrum comprehensum seruauit in carcere, volens post Pascha* demum, transactis diebus Azymorum, *producere eum populo.* Non absimili ratione moti principes isti sacerdotum ac populi, concluserant inter se, suprà 26. v. 5., non in die festo Iesum occidẽdum esse: sed postquam iam comprehendissent Iesum, nullâ diei festi habitâ ratione, vt erant sitibundi sanguinis Iesu, putarunt illum mox è medio auferendum esse, non suo tamen, sed Pilati ministerio, ne violare diei sanctitatem, quem

celere

colere inprimis ipsorum erat, viderentur. Hoc inter cætera ab ipsis consideratum, annotant è veteribus plures, Chrysostomus homilia 86. in hoc Euangelium, Cyrillus lib. 12. cap. 6. & Augustinus tractatu 114. in Iohannis Euangelium. Postremò Iesum Pilato interficiendum tradiderũt principes Iudæorum, eò quòd vellent eum crucifigi, quod genus mortis ipsi Iesu inferre non perinde poterant: quæ ratio explicatur Iohan. 18. v. 32. Has igitur ob causas, Iesus, Iudæorum præiudicio oppressus, traditus ab ipsis ad mortem fuit Romanis: sed sicut ipsi tradiderunt Dei Filium Romanis occidendum, sic Deus paulò pòst ipsos vicissim Romanis tradidit exstirpandos, quod notant Cyrillus in Iohannem, Victor Antiochenus & Theophylactus scribentes in Marcum. Hic tandem consideremus oportet nosipsos. Sicut enim Christus, vnanimiter conspirantibus & gaudentibus aduersariis, sine omni misericordiâ & spe reditus, nullo assistente aut ipsum agnoscente, ducitur ad iudicium extremum: ita nos ducendi eramus ad horrendum illud Dei iudicium, nisi ipse pro nobis hæc tolerasset.

τότε ἰδὼν ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, ὅτι κατεκρίθη, μεταμεληθεὶς ἀπέστρεψε τὰ τριάκοντα ἀργύρια τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς πρεσβυτέροις,

3 Tunc videns Iudas qui eũ tradidit, quòd damnatus esset, pœnitẽtiâ ductus retulit triginta argẽteos principibus sacerdotum & senioribus,

TVNC. cùm abducendus iamiam esset Iesus è domo pontificis & tradendus Pilato præsidi. VIDENS, certò intelligens. QVI EVM TRADIDIT, id est, qui tradiderat seu prodiderat eum, proditor eius, nostro loquendi more. QVOD DAMNATVS ESSET s. Iesus à principibus ad mortem, quòd adiudicatus esset morti, nec mortem euasurus, principibus extrema tentantibus, & secum ipsis Iesum vinctum ad Præsidem ducentibus, quò is latam ab ipsis mortis sententiam faciliùs exsequeretur. Iudas noctu acceptâ domi Annæ proditionis mercede (quod verisimile esse annotauimus ex Cyrillo Iohan. 18. v. 13.) lætus abierat quò visum fuerat, ad familiarem aliquem suum, credibile est, quem nouerat Iesu minùs fauere: & quamquam nollet ipse se negotio vlteriùs immiscere, sed quietè per se agere, & frui thesauro acquisito, tamẽ subit animum illius cura exitus rei, præsertim verò vt sciret, an Iesus morte esset afficiendus, quod conscientiâ dictante iniquum fore iudicabat. Summo itaque mane cùm venisset domum Caiphæ, & intellexisset Iesum à concilio vniuerso, nocte & deinde rursus mane, reum mortis pronunciatum esse, adeoque videret principes omnes soluto concilio surrexisse, paratos vt ipsimet Iesum abducerent ad Præsidem, quò is sententiam mortis faciliùs exsequeretur, persuasus actum esse de vitâ Iesu, eò quòd non difficilem Præses præbere se consueuisset in interficiendis Iudæis, quos principes Iudæorum ipsi interficiendos tradidissent: Memor adhæc, quòd ipse audierat Iesum prædicentem, vt quòd à discipulo esset tradendus, ita quòd esset hoc die crucifigendus; POENITENTIA DVCTVS eius quam Iesu machinatus fuerat proditionis. Græcè non est, vt ferè aliàs in hoc argumento, μετανοήσας, quod est ad mentem redeuntis, sed μεταμεληθεὶς, quod propriè non est aliud, quàm posteriori cura se crucianti, torquentis se ob id quod perpetrauerit, eò solùm quòd conscientia ipsum remordeat, & inuitum quoque cæco horrore diuexet, ita vt peccatum suum quamuis non oderit, cum dolore & anxietate sibi graue ac molestum esse sentiat. Hoc, est perpetratũ peccatum agnoscere & dolere: illud, non dolere solùm, verumetiam emendare. Illa Petri pœnitentia fuit, hæc Iudæ. Petrus enim sic defleuit peccatum suum vt correxerit: Iudas verò doluit admissum peccatum, non quòd illud perosus ob offensum Deum, adspiraret ad vitam meliorem, sed quòd non ferret eos quibus cruciabatur conscientiæ stimulos: quemadmodum reprobi apud inferos, magis ob vermem conscientiæ quem patiuntur, quàm ob peccata sua dolent. Defuit enim Iudæ, quod paulò pòst patebit, spes in Deo; multo igitur magis amor erga offensum Deum. Tædium & horrorem concepit, non vt se ad Deũ reciperet, sed potiùs vt desperatione obrutus periret. Quum proditionem machinaretur, vel sperabat Iesum etiã hostibus traditum (quod quidam sensere, referente Theophylacto) facilè euasurum mortem, siue miraculo, siue eloquentiâ suâ & principum miseratione, siue denique resurrectione, quam sæpe promiserat (vide infrà v. 63.) vel potiùs non curabat interficiendus resurrecturusve esset necne (Iesus enim constanter se interficiendum esse prædicebat) modò ipse promissâ pecuniâ potiri posset, neque vllis Domini Iesu admonitionibus aut inuitationibus retrahebatur, *auaritiæ magnitudine pondus impietatis excludente*, vt dicit Hieronymus. Iam verò, scelere ipso perpetrato, Satanas illius occupator, qui priùs non permiserat, vt illius animus aliud consideraret quàm spem pecuniæ, obiicit animo illius innocentiam Iesu & proprij sceleris atrocitatem, vt pœnitens, animo non ad Deum conuerso sed abiecto, haud ferens conscientiæ tormenta, ad desperationem adigatur. *Talis nempe diabolus est* (inquit Chrysostomus) *vt non dimittat hominem (nisi vigilet) ante vltimum effectum magnitudinem peccati prauidere, ne pœnitentiâ ductus à peccato resiliat. Postquam autem peccatum omnibus numeris est expletum, tunc videre permittit, vt mærore afficiat, & in desperationem præcipitet. Tam multis enim admonitionibus Christi nihil flexus Iudas, cùm verò in vltimum iam effectum res venit, tunc pœnitentiâ ducitur, neque tunc vtiliter & vt oportebat.* Sic Chrysostomus & Euthymius. RETVLIT. ἀπέστρεψε reuersus est. vsurpatur quintâ coniugatione Hebræorum, pro reuerti fecit, quod est, retulit. *Retulit* igitur & obtulit TRIGINTA ARGENTEOS. τὰ τριάκοντα ἀργύρια illos triginta argenteos, quos nocte superiore pro Iesu prodito traditoque ex pacto acceperat, paucisque dumtaxat horis possederat, tanto priùs studio ambitos. PRINCIPIBVS SACERDOTVM ET SENIORIBVS, quibuscum pactus fuerat, & quorum iussu argentei fuerant ipsi numerati, qui iam parati erant, vt Iesum suo præiudicio damnatum è domo Caiphæ in prætorium abducerent interficiendum. *Iudas*, inquit Hilarius, *agens pœnitentiam, pretium sanguinis Christi reddidit sacerdotibus, vt licet ipse venditi sanguinis iusti auctor esset, tamen ementium infidelitatem ipsa professio vendentis argueret.* Hæc ille. Quinetiam, cupiuit Iudas pecuniam referens, pacta, quod in se esset, rescindere, & infectam reddere suam cum principibus conuentionem, vt quemadmodum ipse restituebat argenteos, sic illi Iesum dimitterent liberum: *Nam in pecuniariis causis, refuso pretio, ius solui consueuit*, quod ait Ambrosius lib. 10. in Lucam. Efficax sanè & laudabilis pœnitentia, si modò cum spe veniæ & Dei amore fuisset coniuncta, vt diximus.

dicens:

dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.

4 λέγων· ἥμαρτον παραδοὺς αἷμα ἀθῷον. οἱ δὲ εἶπον· τί πρὸς ἡμᾶς; σὺ ὄψει.

PECCAVI quàm grauissimè. quàm felix si hoc antea expendisset! TRADENS. tradendo vobis *effundendum* (id enim subaudit Euthymius) SANGVINEM IVSTVM. ἀθῷον innoxium, id est, prodendo & tradendo vobis interficiendum virum innocentem. Nam quòd *sanguinem* nominat, hebraismus est, quo significat, quòd prodiderit eum ad cædem. etsi enim non hoc spectasset ipse vt Iesus interficeretur, cui lucrum propriè propositum fuerat, non ignorauerat tamen Iesum à principibus ad mortem quæri. Vno igitur verbo, & suam impietatem agnoscit, & de præceptoris innocentiâ fert testimonium. Peccatum suum publicù publicè confitetur esse grauissimum, quod prius satanæ astu & propriâ malitiâ excæcatus leue iudicauerat: præceptorem autem, etsi non credat Filium Dei, hominem tamen innocentem & iustum, vt negare non potest, ita palàm prædicat (tanta vis fuit innocentiæ in Christo) & famam eius quam iniustè læserat, in integrum restituit. Hominum enim iudicio, nõ parùm detraxerat Iudas, Iesum prodens, de existimatione Iesu: nam facilè credi poterat, familiarem discipulum, numquam fuisse proditurum, nisi nosset præceptorem nocentem, & dignum qui proderetur, vt qui obseruasset in eo quæ summam reprehensionem mererentur, non cuiuis manifesta. Ne igitur ea opinio innasceretur animis plurimorum, aut ne principes hoc excusationis adferre possent, quòd ipse discipulus Iesum habuisset pro homine noxio, atque vt huiusmodi eum ipsis tradidisset, curatum est à Dei prouidentia, vt Iudas palàm testaretur, quòd præceptorem prodidisset, non ob crimen aliquod ipsius, sed ob lucrum suum, ne quid vel leuis suspicionis infamiæ adhæresceret nomini filij Dei. Seipsum autem accusans hoc modo Iudas, tacitè perstringit ac notat etiam ipsos principes, de eo quòd Iesu innocenti mortem inferre parant, nec obscurè eos secum peccare & sanguinem insontem fundere asserit; vniuersos inquam principes sacerdotum ac populi præsentes, sæuissimos Iesu hostes, qui vt Iesum captiuum tenebant, ita poterant & ipsum Iudam comprehendere, similiaque ei moliri, tamquam principum sugillatori ac fautori Iesu, quos Petrus paulò antè veritus ter Iesum negauerat. At nec veretur nec reueretur eos Iudas, quin suum ipsorumq; commune peccatum coram palamque traducat, conscientiæ stimulis, quos hac ratione mitigandos sperauit, timorem pudoremque omnem excutientibus. Fecit autem hæc omnia, retulit triginta argenteos, peccatum suum confessus est, innocentiam Iesu prædicauit, principes, si incœpto pergerent, homicidij insimulauit, eo fine, vt principes moueret, vt Iesum dimitterent liberum, nec pergerent prosequi eius interfectionem, tamquam diceret: Ego, quòd præceptorem prodidi vobis quærẽtibus animam eius, feci, non quòd quid in ipso nossem morte dignum (quem noui, & faciliùs quàm quiuis alius nosse possum, innocentissimum) sed iniquissimè allectus turpi quod speraui lucro. Æquum est igitur vt ipsum dimittatis liberum, inprimis quia innocens est & immeritò vobis inuisus, me teste maximè idoneo, deinde quia ego vobis restituere offero illam ipsam pecuniam quam mihi numerastis pro eius traditione, quam vt affectaui plurimùm, ita nisi manifestè scirem esse mihi per summam iniuriam partam, numquam referrem, denique ne vos ipsi manus vestras sanguinis innocentis effusione polluatis. Videri poterat hæc verissima & laude dignissima pœnitentia, nisi exitus cogeret mutare iudicium. Porrò quid profecerit Iudas apud principes hac suâ publicâ tamque vehementi & efficaci pœnitentiâ, docet id quod sequitur. AT ILLI nihil commoti pœnitentiâ & testimonio Iudæ, impudenter DIXERVNT: QVID AD NOS? s. quòd tu peccaueris & tradideris sanguinem iustum? cur nobis hoc occlamas? TV VIDERIS. tuum est videre & curare an hoc feceris, nostra non interest. Abi igitur hinc, & noli nobis esse molestus. *Videris* futurum est coniunctiui, à prima persona *videro*: vsurpari autem solet pro imperatiuo *vide*. Neque consentiunt neque dissentiunt verbis Iudæ, siue in eo quòd peccasse se dixerat, siue in eo quòd Iesum innocentem prædicarat, sed nolunt ea examinare, neque sibi acclamari, vt quæ ad ipsos nõ pertineant, ac proinde vt taceat Iudas iubent, & sua secum solus expendat. Iudas suum crimen sic apertè confitebatur, vt ipsos simili crimine teneri occultè insinuaret, ac proinde vt à cœptis desisterent tacitè solicitaret, prout diximus: illi, id quidem quod de se ipso Iudas disertis verbis affirmabat, intelligere se declarant, sed quòd tacitè in ipsos idem crimen deriuaret, quamquam subintelligerent, & morderentur vtique tamquam cauterio conscientiæ ipsorum (Deo faciente) nolunt tamen videri intelligere, ac proinde nihil ad se pertinere Iudæ factum clamant. Atqui sequela erat prorsus manifesta, si peccasset Iudas innocentem tradendo, peccare etiam ipsos innocentem interficiendo. Rectè quidem, sed nolunt id discutere, ac ne considerare quidem, ne qua remora ipsis iniiciatur, quo minùs audacter cœpta perficiant: ac proinde, tam impudenter mentientium, quàm ignorantiam affectantium, est hoc quod dicunt, *nihil ad nos*. *Vide eos nolle*, inquit Chrysostomus, *quantam rem auderent adspicere, qua res culpam eorum maiorem reddit. Apertè namque audacissima iniquitati testantur passione se ferri, & nolle à perperam cœptis desistere, ficto ignorantiæ velamine stultè se adoperientes.* Hæc Chrysostomus. Finxerant ipsi quidem sibi iustas causas, ob quas Iesum interficere possent, præsertim verò blasphemiam in Deum & Christum: sed nolunt ipsi disputationem inire cum Iuda, veriti ne quis conscientiæ scrupulus ipsis iniiceretur, conscij ipsi sibi infirmitatis rationum suarum, quamobrem iubent eum facessere, nullâ datâ causâ cur in cœptis vellent persistere, nec dignantur vel respicere argenteos reportatos sibique oblatos, ne, si illos acciperent, viderentur dimittere debere Iesum, cuius mortem longè auidiùs expetebant, quàm illam & longè maiorem argenti copiam. *Etsi cassa est pœnitentia proditoris*, inquit Ambrosius lib. 10. in Lucam, *est tamen vllus in scelere pudor culpam agnoscere: & quamquam ille non absoluitur, Iudæorum tamen impudentia confutatur, quos cum professus redarguat venditoris, sceleratì tamẽ sibi vendicant iura contractus.* Verumenimuerò etiamsi nihil ad ipsos negotium pertinuisset tamquam socios aut participes sceleris, non poterat tamen non pertinere ad ipsos tamquam ad pastores populi: nam vt huiusmodi, debebant ouiculam confractam alligare, abiectam reducere, de peccato anxiam consolari, & bono animo esse iubere, quòd, vel nõ peccasset, quia ipsi, quibus reip. cura incumbebat, scirent quàm noxius hactenus Reip. fuisset Iesus, vel si ipse fortè perfidiâ in magistrum peccasset, facilè illius

illius peccati veniam à Deo obtinendam; ob blasphemiam autem & plura alia crimina, Iesu mortem sibi esse procurandam, vt auferatur malum de medio Israel. Sed nihil illi huiusmodi, quin potiùs de communi suo & ipsorum peccato anxium, magis anxium à se reiiciunt, & in cœptis se persistere, nullâ datâ ratione, tamquam eo etiam inuito, profitentur: itaque ad desperationem adigunt perditam ouiculam pastores populi, durâ illâ suâ & iniquâ responsione. Interea obseruandum hîc est præmium eorum qui in aliorum gratiam peccant, etiam maiorum suorum. Nam si peccati causâ affligantur illi postea, vel miseri anxiive reddantur, non tantùm non iuuantur ab illis quorum gratiâ peccauerant, verumetiam ridentur, contemnuntur, minimè denique agnoscuntur.

καὶ ῥίψας τὰ ἀργύρια ἐν τῷ ναῷ, ἀνεχώρησε, καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο. 5 Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspẽdit. *Act 1. v.18.*

ET. Tunc ille videns se nihil proficere apud principes, eò quòd prorsus definitum illis esset Iesum interficere, quo iure, quâve iniuriâ, neque aliâ vllâ ratione efficere se posse, vt Iesus euaderet hanc mortem, quam ei prodendo accersierat. ARGENTEIS. τὰ ἀργύρια illis argenteis. IN TEMPLO. pro in templum, in atrium virorum, vbi viri Israëlitæ orare consueuerant. Quum nollent primates in palatio Caiphæ accipere argenteos quos Iudas referebat, noluit ipse illos in terram ad pedes ipsorum proiicere, persuasus non colligendos ab ipsis, sed, quod res erat, à ministris, seruis, & populo, præsentibus, diripiendos; itaque non se satisfacturum, quo se teneri arbitrabatur, officio restituendi, ita vt etiamsi illi Iesum non dimitterent, ipse tamen faceret quod in se esset: vt nec mori volebat tam iniqui pretij possessor, conscientiâ id minimè ferente. Quocirca adiuit templum, vbi celebris erat conuentus tam sacerdotum quàm populi (nec enim templi ministeria die festo paschæ cessauisse potuerunt) nonnullorum quoque, verisimile est, principum, atque illic coram omnibus, effudit pecuniam suam, repetita, credibile est, voce illa *Peccaui tradens sanguinem iustum*; certus, neminem è populo, ausurum illam diripere, sacrilegij metu, sed sacerdotes solos aut leuitas collecturos, & principibus suo tempore oblaturos. Visus itaque sibi est Iudas, cùm in templum argenteos proiiceret, principibus sacerdotum reddere, &, quod in se esset, initum venditionis iusti contractum rescindere. Seruata verò pecunia illa, publicum facta est testimonium Christi eâ emti venditique indignissimè.
RECESSIT. ἀνεχώρησε secessit, abiit ex hominum conspectu, vt solent desperabundi loca secreta quærere, vbi sibi ipsis vim inferant. Pœnitentia humani animi sine gratiâ Dei, quanto maior est, tanto periculosior.
ABIENS. ἀπελθὼν postquam abiuisset, nempe secedens. LAQVEO SE SVSPENDIT. ἀπήγξατο strangulauit se, constrictâ gulâ necauit, laqueo se præfocauit (quæ præpostera mors dicitur, præcluso spiritu, cui quæritur exitus) &, quod additur Act. 1. v. 18., *crepuit medius, diffusaque sunt omnia viscera eius*. Si reiectus à principibus sacerdotum, neque valens quidquam apud eos efficere vt Iesum dimitterent, secedens confugisset ad Dominum Deum, & coram eo prostratus veniam rogasset sperassetque, considerans diuinæ misericordiæ magnitudinem, & orasset, vt, quod restituere in integrum ipse non valebat, proditum inquam Iesum à morte liberare, postquam fecisset id omne quod ipsi possibile fuerat, Dominus Deus potens omnia id facere dignaretur, si consultum iudicaret, & in oratione pœnitentiaque huiusmodi perseuerasset, inuenisset vtique pœnitentiæ locum, & gratiam apud eum qui dixerat: *Viuo ego, quoniam nolo mortem peccatoris, sicut pœnitentiam eius* (sic Origenes huc adfert eum Scripturæ locum) Multa vehementis, efficacis, adeoque præclaræ, pœnitentiæ argumenta ediderat, qualia mox obseruauimus: restabat hoc solum, vt spem veniæ conciperet, & amore offensi Dei ex fiducia nato dolorem quem summum patiebatur informaret. Verùm ille nimiâ diffidentiâ laborans, non confugit ad Dominum, nec offensum rogauit veniam, sic animum defigens in turpitudinem magnitudinemque sceleris sui, vt diuinæ misericordiæ magnitudinem non consideraret, diabolo (vt cum impiis, quos per omnis generis flagitia iactarit, tandem agere solet) prohibente: confugit autem ad laqueum, primùm *quod non valeret conscientiæ stimulos & flagella perferre*, quod ait Chrysostomus, deinde quòd peccati veniam desperaret, dicens apud se quod Cain, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear* (sic enim impij, cùm timere deberent, securè peccant; cùm fidere, despondent animum) tum quòd metueret futura opprobria & pœnas, memor damnationis sui, à Iesu, quem sciebat prophetam esse verissimum, prædictę (*Væ homini illi, per quem* &c sup. 26. v. 24.) resurrectionis quoque (quod notat Origenes) & regni Iesu (*non ferens enim ignominias subsequuturas*, inquit Theophylactus, *seipsum è vitâ subduxit*) adhæc *vt desperatâ tristique vitâ*, quod ait Euthymius, *citius liberaretur*, abundantiori tristitiâ absorptus, denique quòd instinctu diaboli eò adigeretur. Qua de re Chrysostomus, & ex eo Titus, scribunt in hæc verba: *Quòd quidem condemnauit seipsum, & argenteos proiecit, nec Iudæos veritus fuerit, omnia hæc laudabilia sunt: quòd verò seipsum suffocauit, id ab omni venia remotum, perniciosum fuit consilium dæmonis. Exegit enim illum, vt sibi, antequam perfectè pœniteret, mortem consciscere, ne ex pœnitudine illa fructum omnino vllum referret: turpissimóque mortis genere omnibusque manifesto illum occidit, qui suasit vt se laqueo strangularet.* Hactenus illi. Peccato itaque proditionis Filij Dei, addidit Iudas peccatum desperationis & occisionis sui ipsius, *non videns*, inquit Origenes, *quia non conuenit seruum Dei seipsum expellere de hac vita, sed exspectare etiam de hoc Dei iudicium.* Suspendit seipsum de infelici arbore; ficu, quæ sententia est Iuuenci poetæ Christiani, sycomoro, quæ aliorum, & *cælo terraque perosus* (ait Druthmarus) pendens inter vtrumque, in aëre periit, tum terrenis tum cælestibus perditis, omni denique misericordiæ & salutis spe amissa. *Sceleratior omnibus ò Iuda* (exclamat Leo serm. 11. de passione Domini) *& infelicior exstitisti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum.* Considerandum est autem, quòd laqueum quem Domino Iesu parauerat, ipse incidit, iuxta illud Psalmi 34. v. 8: *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipsum.* Sic enim plerumque impij se gerunt erga semetipsos, quomodo priùs se gesserint erga alios: & ferè sui ipsorum fiunt carnifices. Promeruerat certè plurimis modis Iudas, vt desertus à Deo, de seipso pœnam sumeret eiusmodi, qua repararet iniuriam ignominiosam, quam Dei Filio præceptori & Domino suo intulerat. *Ipsum enim mortis genus* (inquit Chrysostomus) *quo proditor periit, eorum ora qui Christum damnauerunt profectò consuit, nec sinit vt vmbram saltem excusationis inueniant. Quid enim dicere possunt, cum talem aduersum se proditor sententiam protulisse inuenitur?* Ita

rectè

rectè Chryſoſtomus, atque eo minus fuit illis excuſationis, quòd etiam ante mortem Ieſu innotuerit ipſis mors Iudæ, cæteriſque innocentiæ Ieſu ad mortem poſtulati argumentis hoc acceſſerit. longè enim ante mortem Ieſu, Iudas ſibi ipſe mortem conſciuit, qui mox vt à principibus reiectus fuerat, digreſſus, gulam laqueo ſibi fregit, etiam prior patiẽs malum ipſum quod alteri ſtruxerat, atque eo infeliciùs, quòd quamuis à ſeipſo dignam pœnam exigeret, tantum tamen abeſſet vt quid de atrocitate iræ Dei leuaret aut minueret, vt eam contrà augeret plurimùm. Poſtremò aduerſus auaros notandus eſt finis Iudæ, quod rectiùs nequeam quàm his Chryſoſtomi verbis: *Audite iſta, audite inquam auari, verſate animo quid ille paſſus fuit. Nam & pecuniam amiſit, & ſcelus admiſit, & animam perdidit. Hæc atrox auaritia tyrannu facere ſolet. Non eſt argento nec hac vſus vitâ, non fructur futurâ, vniuerſa ſimul amiſit: prauaque apud eos quibus tradidit æſtimatione de ſe ſuſcitata, laqueo demum gulam fregit.* Chryſoſtomum imitantur diſcipuli, Titus & Euthymius.

Principes autem ſacerdotum,[6] acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt.

Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς, λαβόντες τὰ ἀργύρια, εἶπον· οὐκ ἔξεστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν, ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι.

PRINCIPES SACERDOTVM. ipſorum enim in primis erat, quæ Deo temploque oblata fuerant dona, iudicare & diſponere. ACCEPTIS ARGENTEIS. λαβόντες τὰ ἀργύρια poſtquam accepiſſent argenteos illos. Non hoc accidit, ſimulatque Iudas argenteos in templum proieciſſet, ſed poſtea, cùm à cæde Ieſu reuerſi eſſent principes ſacerdotum in templum. tunc enim ipſis oblati ſunt argentei illi, dudum ex templi pauimento, in quod à Iuda ſparſi fuerant, à ſacerdotibus aut leuitis collecti & adſeruati. Quamuis autem principes priùs à Iuda noluiſſent accipere argenteos illos, vt diximus, ne quemadmodum ille reddebat argenteos, ita ipſi viderentur Ieſum reddere debere: iam tamẽ accipiunt, quia Iudas cùm in templum eos proieciſſet, videbatur Deo temploque obtuliſſe, præter hoc quòd iam periculum non erat ne Ieſus repeteretur, qui iam erat morte affectus. NON LICET. Cum inſigni malitiâ perpetuam habebat hoc genus hominum coniunctam hypocriſin & pietatis ſimulationem. MITTERE. βαλεῖν iacere. Quidam interpretantur *remittere* ſeu *referre*, ex eo quòd argenteos illos, quibus ſanguis Ieſu emtus fuerat, veriſimile ſit ex corbana acceptos fuiſſe. Solent enim publici ſumtus, qui templi religioniſve cauſa fiebant, ex ſacris ſumi theſauris: quare cùm Ieſum haberent ſacerdotes pro templi legiſque aduerſario, ſumtum neceſſarium ad ipſum è medio auferendum, meritò ex gazophylacio ſumi poſſe cenſuerant. Sed cur potiùs licuit inde ſumere pretium ſanguinis Ieſu, quàm liceat eò referre? CORBONAM. τὸν κορβανᾶν *corbanam*. Declinatur hîc græcè ac latinè vox Syrochaldaica *Corbana*, quæ hebraicè dicitur *Corban*, & ſignificat propriè munus ſeu oblationem & rem quamuis Deo deuotam, quod diximus ſuprà 15. v. 5. Hîc autem impropriè vſurpatur, pro arca illa ad orientalem portam atrij popularis conſtituta, operculo perforato, quâ dona pecuniaria, quæ populus offerebat, excipiebantur & adſeruabantur (quidam duas huiuſmodi arcas eo loco fuiſſe aiunt) quæ aliàs græco vocabulo *gazophylacium* vocatur (Marc. 12. v. 41.) nobis templi ærarium dici poteſt: Syrus hîc vocat *domum*, quod eſt locus, *corbana* ſeu oblationis. De hoc Ioſephus lib. 2. de bello cap. 8: *Eſt apud eos ſacer theſaurus, quem Corban dicunt. Hunc ad inductionem aquarum cum expendi iuſſiſſet Pilatus, populus tumultum excitauit* &c. Nec enim profanis vſibus theſaurus hic ſeruire debebat, ſed ſacris dumtaxat. Hinc, quod diximus, accepti fuerant triginta illi denarij, dandi Iudæ pro prodito Domino: quos, poſtquam Iudæ numerati fuiſſent, & ab illo reſtituti aut certè tamquam donarium in templum proiecti fuiſſent, eodem referre religio ſacerdotibus fuit. *Non licet eos* inquiunt, in gazophylacium proiicere, id eſt, inter dona Dei accipere, QVIA PRETIVM SANGVINIS EST, quo ſanguis eſt venditus, quo emtus vendituſque eſt homo ad mortem, morte afficiendus iamque reipſa affectus (contigit enim iſtud à Domini morte) pecunia eſt ſanguinariâ proditione parta, ab eo à quo in templum proiecta eſt, pretium eſt à Iuda acceptum pro Ieſu prodito ad hoc vt occideretur, ac proinde non offerendum Deo templóve. Prohibuerat Deus Deut. 23. v. 18., ne permitterentur inferri in dona Dei *merces proſtibuli & pretium canis, eo quòd abominatio ſit vtrumque apud Dominum*, quod lex ait. Quia autem non minùs, immo verò magis, homicidium virumque ſanguinum abominatur Dominus (Pſal. 5. v. 7.) hinc factum eſt, quò homines ab homicidio magis abſterrerentur, vt maiores iſtorum adnumerarint pretium ſanguinis, iis quæ inter Dei dona admittenda non eſſent; quinetiam omne turpe lucrum, veriſimile eſt, cùm ſcriptum ſit Prou. 21. v. 27: *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Quæ enim Deo offeruntur, oportet huiuſmodi eſſe, quæ Deo placere poſſint, placere autem non poſſunt ea cum quibus coniuncta eſt iniquitas, ea quæ iniuſtè ſunt parta. Quamquam verò hoc intelligendum eſſet de homicidio iniuſto, quod priuatus aliquis ſua ipſius auctoritate ſceleratè procuraſſet dato pretio: iſti tamẽ ad iſtud homicidium, quo Ieſus interfectus fuerat, extendũt, criminis ſe ipſi damnantes præter mentem: nec enim minùs, immo verò magis quàm Iudas, erant ipſi huius cædis auctores: nec ita poterat hoc pretium ſanguinis eſſe ex parte Iudæ venditoris, vt non eſſet etiam ex parte ipſorum emtorum, quod ſi Iudas iniquè acceperat, ipſi viciſſim iniquè obtulerant. Sed intelligebant fortaſſe ſacerdotes, omne pretium ſanguinis, etiam iuſtiſſimè effuſi, excludendum eſſe à donis Dei, ea ratione qua Dauid prohibitus fuerat ab ædificando templo Domini, quia multum ſanguinem effuderat (1. Paral. 22. v. 8.) iuſtiſſimè licet effuderat. Quod ſi ita eſt, ipſi eadem ratione, multoque maiore, arceri debuerant ab offerendis Deo ſacrificiis. Nam ſi pecunia qua ſanguis ſceleratus iuſtè emtus fuerat, non erat admittenda inter dona Dei: ſacerdotes, qui ſanguinem etiam iuſtum effuderant, admittendine erant ad offerenda ſacrificia, longè illa pecuniariis donis ſanctiora? Sed hæc eſt præpoſtera hypocritarum iſtorum religio, ſoliciti ſunt ne quid iniqui aut immundi referatur inter dona Dei, fortaſſis etiam ne ærarium ipſum & reliqua quæ in ipſo ſunt dona, polluantur admixtione huius pecuniæ homicidio partæ (vt plurimum illi religionis his donis tribui volebant) nec quidquam curãt polluti

ſint

ſint ipſorum animi nec ne, nefariâ illa pactione, qua ſe Dei vindictæ, non minùs quàm Iudas, obſtrinxerant: quinpotiùs manibus ſanguine plenis dona Dei tractant, offerunt, ſummoque opere ipſi contaminant, quemadmodum & Iſaias ipſis exprobrat cap. 1. v. 15.

συμβούλιον δὲ λαβόντες, ἠγόρασαν ἐξ αὐτῶν τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις.	7 Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum.

CONSILIO AVTEM INITO inter ſe mutuò, quid boni operis facere poſſent eâ pecuniâ, indignâ quidem ærario templi, ſed tamen ſacrâ Deoque deuotâ; quippe ſummâ non exiguâ, quæque mereretur, principes ſacerdotum conſilium inire, quomodo ea expendenda foret. Quòd ſi ipſi de ſuo eam pecuniam numeraſſent Iudæ, non fuiſſent veriti eam ad ſe recipere & in ſuos vſus conuertere: ſed quia ex templi ærario eam acceperant, quod diximus, nec iudicabatur eò referri poſſe, eò quod contaminata ex eo eſſet, quòd ſeruiſſet effundendo ſanguini, videbatur aliquid aliud publici piique operis, quod tamen templum illud ſanctiſſimum atque mundiſſimum non contingeret, eâ procurandum eſſe. EMERVNT poſſidendum, non ad annum vſque iubilæi, quo eſſet ad venditorem reuerſurus (quomodo agri plerumque apud Iudæos vendi conſueuerant) ſed perpetuò: emerunt enim in vſum rei ſuo modo perpetuæ. nam ager vſui ſepulturæ peregrinorum ſemel attributus, non poterat alteri deinde vſui applicari. EX ILLIS triginta argenteis. ſupereſt præpoſitio *ex* latinè loquentibus. Emerunt illis: nullam enim aliam pecuniam ad agri pretium conſtituendum additam fuiſſe, etiam Petrus inſinuat Actor. 1. v. 18, vbi dicit, *Iudam poſſediſſe agrum de mercede iniquitatis*. Quo ex loco & hoc intelligitur, quod breui poſt Domini Ieſu mortem eum agrum emerint, nimirum diu ante quadrageſimum ab eius reſurrectione diem. AGRVM FIGVLI. τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως illum agrum figuli, vel agrum illius figuli. Articulus repetitus facit, vt videatur Euangeliſta certum aliquem agrum notare voluiſſe, qui tunc temporis fuerit celebris. Conſilio inito decretum fuit, vt ager ille figuli notus, & iam venum fortaſſis expoſitus, emeretur. Agrum figuli vocat, cuius figulus quidam poſſeſſor erat, qui & figlinam, credibile eſt, illic exercebat agro ipſo argillam aptumque lutum subminiſtrante, propter quod & maioris fuerit pretij. Coactus fortaſſe paupertate fuit figulus hic agrum ſuum vendere, vt viueret & æs alienum diſſolueret: cæteroqui nemo facilè abs ſe alienat hereditatem patrum ſuorum, quod diſcitur ex Naboth 3. Reg. 21. verſ. 3. Fuit autem ager non in ciuitate (nulla enim in ciuitatem ſepulchra admittebant Iudæi) ſed extra, prope tamen, quò efferri facile poſſent cadauera eorum qui in ciuitate fuiſſent mortui, *ſitus ad auſtralem plagam ciuitatis, poſt montem Sion*, quod annotat D. Hieronymus libello de locis hebraicis. IN SEPVLTVRAM. vt in eo ſepelirentur. Pia & neceſſaria res eſt ſepultura, immunda tamen Iudæis: pecuniâ itaque ſacrâ ſed immundâ ex cæde hominis, emitur locus ſeruiturus rei piæ & neceſſariæ ſed immundæ; & alioqui pretium ſanguinis conueniebat in mortuos expendi. *Videbant enim*, inquit Origenes, *quoniam circa mortuos magis eam pecuniam conueniebat expendi, & circa locum mortuorum & ſepulturæ, quoniam pretium ſanguinis erat.* PEREGRINORVM. τοῖς ξένοις peregrinis, vel potiùs hoſpitibus (nam hoſpites ſunt qui verſantur in ciuitate aliena, peregrini autem, qui extra ciuitatem ſuam vbicumque & quocumque ſunt) vt ſeruiret ſepeliendis hoſpitibus, quos contingeret Ieroſolymis mori, nec habere facultatem comparandi ſibi ſepulchri. nam hoſpites diuites & qui honeſtiùs vellent ſepeliri, poterant proprium locum ſepulturæ ſibi comparari iubere. Dubiũ eſt de quibus peregrinis hic ſermo ſit, Iudæis ne an ethnicis: non enim videntur Iudæi, ſepulturæ communionem admiſiſſe inter ſe & ethnicos, religione, fide & ſpe tantopere diſcrepantes. Quum ter anno maſculi omnes Iudæi ſe repræſentare deberent Ieroſolymis, ad tres nimirum feſtiuitates celebriores, quinetiam nullo anni tempore deeſſent Iudęi, qui vnicũ & ſanctiſſimum Dei templum aliunde inuiſerent: non dubium eſt quin plurimi ſemper Ieroſolymis agere conſueuerint Iudæi peregrini, id eſt, qui ciues non eſſent Ieroſolymitani, & quidem omnis generis, diuites & pauperes. Rurſus, cùm Ieroſolymorum vrbs ſubeſſet Romanis, & militum Romanorum præſidio iamdiu teneretur, manifeſtum eſt non paucos etiam illic agere ſolitos ethnicos peregrinos, & quidem pauperes potiùs, quales ferè ſunt milites, quàm diuites. Conſueuerant igitur, tempore dominicæ paſſionis, Ieroſolymis agere peregrini, & Iudæi, & Ethnici: ſed cùm mos ille, quo Iudæi vndequaque Ieroſolymam aduentarẽt ſacrorum causâ, antiquus eſſet, adeoque coæuus ædificationi templi, veriſimile eſt, diu ante Chriſti Domini tempora, proſpectum fuiſſe ſepulturæ illorum Iudæorum, quos extra locum natiuitatis, interea dum Ieroſolymis agerent, mori contingeret: credituque facile eſt, admiſſos illos fuiſſe in publica cœmiteria ciuium Ieroſolymitanorum, vbi pauperes ciues inhumabantur, quibus facultates non ſuppetebant vt proprium ſibi ſuæque familiæ compararent ſepulchrum. Quare probabilius eſt, de ethnicis hic eſſe ſermonem, qui demum à quindecim plus minus annis, ex quo, Archelao Herodis filio in exilium relegato, Iudæa in prouinciam redacta fuerat, Ieroſolymam præſidij cauſa adducti, numeroſè illic habitare cœperant. Quos cùm compertum eſſet loca varia polluere ad inhumandos eos qui ex ipſis mortui eſſent, habebant enim Iudæi ſepulchra pro locis immundis, nonnumquam etiam violenter in ipſa Iudæorum ſepulchra ſuorum cadauera ingerere, vt militibus licet omne quod libet (quod abominabile iudicabatur Iudæis, non dubium) viſum eſt, emtum his triginta argenteis agrum figuli ipſis aſſignare, vbi ſuos ſepelirent, niſi qui ipſorum valerent ſuis ipſorum facultatibus alium aptum locum ad hoc comparare, vt ſeorſum & honeſtiùs collocarentur. Huic ſententiæ ſuffragari videtur vox græca ξένοις quæ non tam de peregrinis eiuſdem nationis, quàm de iis qui ſunt externi & longè poſiti, dici videtur, ita vt vſurpetur pro militibus externis ac mercede conductis, & pro barbaris quibuſcumque. Nec credibile eſt, quòd ciues Ieroſolymitani, Iudæos qui aliunde eò aduenerãt, vt Deo ſacrificium offerrent (quod alibi non poterant) habuerint pro hoſpitibus & externis, quos agnoſcebant fratres, ac proinde non grauatè admittebãt in publica ſua polyandria, præſertim cùm vrbs Ieroſolymorum, complectens commune Iudæorum omnium templum, meritò ſe præſtare deberet communem Iudæorum omnium matrem. In locum igitur deſtinatum ſepulturæ gentilium, quos Ieroſolymis mori contingeret,

expensum fuit pretium sanguinis Iesu, Deo permittente, vt significaretur, sanguinem Iesu gentilibus magis quàm Iudæis profuturum, vt sepelirentur & requiesceret in pace. *Nihil hinc pertinet ad Israel*, inquit Hilarius, *& totus huc seculi (Christi pretio) emtis vsus, alienus est*. Iam verò ex eo quòd consilium inierunt pontifices in quem vsum expendendi essent argentei illi triginta, quódque illis emerint agrum figuli suburbanum, adeoque ciuitati adhærentem, perpetua dominij translatione, non paruum illum, quin potiùs latissimum, quia in sepulturam hospitum ethnicorum, qui non paruo numero vastam illam ciuitatem imperio Romano subiectam continebant; intelligitur, quòd non tam parui pretij fuerint argentei illi triginta, quàm vulgò creditur, sicut suprà 26. v. 15. docuimus.

Act. 1. v. 19.

Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem.

8 διὸ ἐκλήθη ὁ ἀγρὸς ἐκεῖνος, ἀγρὸς αἵματος, ἕως τῆς σήμερον.

PROPTER HOC. quia scilicet emerunt eum principes sacerdotum pretio sanguinis Iesu, abs Iuda proditore desperabundo sibi restituto. VOCATVS EST, non ab ipsis principibus sacerdotum, sed à vulgo, quod instinctu Dei agrum illum hac nota memorabilem fecit. Non enim nomen agro ipsi indiderunt, sed postquam vulgo res innotuit, publico consensu vocatus est ager sanguinis, ac si Deus illorum probrum iussisset volitare in omnium linguis. HACELDAMA, HOC EST. Tres istæ voculæ non leguntur siue græcè siue syriacè, videri autem possint huc translatæ in textum latinum ex Act. 1. v. 19. vbi legitur: *Ita vt appellaretur ager ille, lingua eorũ, hacel-dema, hoc est, ager sanguinis*. Nã & Euthymius hîc annotat in hęc verba: *Liber quoque Actorũ, ait prædium illud vocatum esse Haceldema, id est, prædiũ sanguinis. Hic itaque est ager, de quo liber ille loquitur*. Hæc Euthymius. הקל *hakel* chaldaicè & syriacè est ager, qui hebraicè dicitur שדה *sade*, דמא *dema* sanguis, ab hebræo דם *dam*. AGER SANGVINIS. tamquam pretio sanguinis Iesu comparatus. Vocandus potiùs fuerat Ager aut Sepulchrum peregrinorum, sed diuino consilio vocatus est *ager sanguinis*, vt exstaret memoria innoxij sanguinis Christi, quem sacerdotes huius agri pretio emtum effuderant. VSQVE IN HODIERNVM DIEM. vsque ad hoc tempus, octauum circiter annum pòst, quo hæc scribo. Statuerant principes sacerdotum expendere illam pecuniæ summam in vilem vsum, in sepulturam scilicet militum aliorumque pauperum & ignobilium gentilium, atque hac ratione, memoriam Iesu hac summa ad necem emti, & impietatem suam, vnà cum pecuniâ ipsâ obruere & quasi sepelire: sed Dei prouidentia, ipsorum consilio in contrarium vsa, fecit, vt ager ille quasi æternum monumentum factus sit sceleris ipsorum quod voluerant occultari, ita vt quoties ager ille *Ager sanguinis* vulgò diceretur, toties sceleris ipsorum in Christum admissi memoria renouaretur. *Nomen loco inditum*, inquit Chrysostomus, *omni clarius tuba, sceleratam eorum prædicat cædem*. & paucis interiectis: *Si enim in corbanam pecuniam immisissent, non ita manifesta res facta fuisset: nunc verò prædio emto, etiam posteris rem vniuersam prodiderunt*.

Zach. 11. v. 12. 13.

Tunc impletum est quod dictũ est per Ieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel:

9 τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ προφήτου, λέγοντος· καὶ ἔλαβον τὰ τριάκοντα ἀργύρια, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ·

Zach. 11. v. 13.

& dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

10 καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος.

TVNC. quando principes sacerdotum, triginta argenteis quos Iudas pro prodito Christo acceptos restituerat, emerunt agrum figuli. PER PROPHETAM s. Zachariam: legitur enim prophetia hæc apud Zachariam, Euangelista tamen pro more suo sententiã referente, nõ verba, quod annotauit D. Hieronymus, non tantùm scribens in hunc locum, verumetiam libello de optimo genere interpretandi. Græcè additur *Ieremiam*, vt & in plerisque omnibus latinis libris: sed quare existimem *Ieremiæ* nomen latinè omittendum, græcè quoque adiectũ esse, dixi in Notis ad varias lectiones latinas. ET superest quod ad sententiam, vt frequenter Hebræis. ACCEPERVNT supple ex sequentibus *filij Israel*, nimirum principes sacerdotum, quos disertè subaudit Euthymius: TRIGINTA ARGENTEOS abs Iuda in templum proiectos. PRETIVM. Appositio est, *argenteos pretium*. APPRETIATI. τοῦ τετιμημένου illius æstimati s. Messiæ seu Christi, *qui inæstimabilis est*, ait Theophylactus. QVEM APPRETIAVERVNT. ὃν ἐτιμήσαντο quem æstimauerunt seu æstimauerant s. tanti, decorum scilicet & magnificum pretium. A FILIIS ISRAEL. Vel iungendum est hoc cum *appretiati* seu *æstimati*, quod facit Theophylactus: vel subaudiendum est τινὲς aut οἱ ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, *quidam aut qui à filiis Israel*, pro Israelitæ, quod Euthymius. Iuxta posteriorem hunc modum, hæc verba ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, ordine constructionis præponenda sunt verbo ἐτιμήσαντο, & ἀπὸ à accipiendum pro *ex*, quemadmodũ infrà v. 21. In hoc dicendi genere, huiusmodi eclipsis bis vsurpata est suprà 23. v. 34., & multo etiam clariùs in recto casu Act. 21. v. 16. sicut & ab Hebræis subauditur aliquando relatiuum אשר *aser*. Itaque *à filiis Israel*, id est, ipsi filij Israel, principes inquam sacerdotum (*dicit eosdem illos summos sacerdotes*, inquit Euthymius) estque antecedens, quo Euangelista voluit rei indignitatem amplificare (filij Israel, quos minimè oportuit) loco relatiui, seruati à propheta, cùm ait *Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis* s. filiis Israel, de quibus sermo præcedit; Tamquam si clariùs dixisset Euangelista: Acceperunt filij Israel triginta argẽteos, pretium quo Messiam ipsi æstimauerant, vel quo Messias ab ipsis fuerat æsti-

æstimatus. ET DEDERVNT EOS. Syrus scribit primâ personâ: *Et accepi triginta argenteos, pretium illius honorandi, de quo pacti sunt a filiis Israel, & dedi eos pro agro figuli*. Circa quod notandum, prius quidem verbum ἔλαβον, quod est græce, ambiguum esse ad tertiam personam pluralem & primam singularem, & tam verti posse *accepi* quàm *acceperunt*; sed posterius verbum ἔδωκαν, non esse ambiguum, neque aliter verti posse quàm numero plurali *dederunt*, nisi Syrus omissâ postremâ litera legerit ἔδωκα, quod est, *dedi*. Primæ personæ lectio, prophetæ etiam voce consonat ait enim propheta: *Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad figulum*, quinetiam magis congruit ei quod Euangelista subiungit *Sicut constituit mihi Dominus*: quamquam nec tertiæ personæ lectio, quæ vulgatior est, dissonet. IN AGRVM. pro agro, ad emendum agrum FIGVLI. SICVT CONSTITVIT MIHI prophetæ DOMINVS, vt scilicet prophetiâ hac meâ, tamquam facto meo, prænotarem. Hæc verba postrema posita sunt ab Euangelista, loco illorum quibus propheta dicit, præceptum sibi à Domino fuisse, vt proiceret triginta illos argenteos ad figulum, seque illos accepisse & proiecisse in domum Domini ad figulum sic enim fecit propheta quod constituerat ipsi Dominus. Propheta Zacharias cap. 11. v. 12., ex persona Christi Domini, valedicentis Israelitis, & suam operam subducentis indignis, petit sibi reddi ab illis mercedem, fidem inquam & pœnitentiam, eò quòd iamdiu pauisset eos doctrinâ salutari & beneficiis miraculis. Illi autem, id est, capita eorum, principes sacerdotum & seniores populi, *appenderunt mercedem* Christi *triginta argenteos*, hoc est, loco mercedis quam promeruerat Christus, numerarunt Iudæ proditori triginta argenteos, vt is eo pretio traderet ipsis Christum morte multandum. *Dixit* igitur Christus *Dominus ad* Prophetam, præcepit prophetæ in visione: *Proiice* argenteos illos *ad statuarium* siue figulum (*statuarius* enim hic accipitur pro *figulo*, quem vox Hebræa יוצר *ioser* propriè significat, annotante id etiam D. Hieronymo ad prophetam) ita vt ad figulum deueniant, proiice illos in templum (hoc enim mox exprimitur) ita vt principes sacerdotum illis acceptis emant agrum figuli. Iussus est propheta facere in visione, quod Iudas proditor facturus erat reipsa. *Decorum* scilicet & magnificum *pretium*, *quo appretiatus*, id est, æstimatus, *sum ab eis*, Israelitis, quo illi me dignum æstimarût ob laborem & curam pascendis ipsis adhibitam. *Hoc prepius legendum est, cum irrisione & subsannatione*, ait Hieronymus ad prophetam. Ego fidem & pœnitentiam mercedis loco ab ipsis requisiui, illi vili pecuniâ me æstimarunt, nec mihi eam numerarunt vt ea seruiret vsibus meis, sed proditori qui me ipsis traderet morte afficiendum. Egregium sanè pretium, quo æstimata sunt, non beneficia mea erga ipsos, sed mors mea: beneficia mea & pascendi curam nullius fecerunt, sed vt me pastore meisque beneficiis carere, atque è viuis me auferre possent, hoc demum pretio dignum æstimarunt, & quidem triginta argenteorum, quouis pretio sublatum me cupientes. Ironia est igitur exprobrantis, quod loco fidei pœnitentiæ & salutis ipsorum propriæ, quam solam pro omni mercede laboris auebat, quęque ipsi omnino debebatur, illi ingratissimi & inhumanissimi pecuniam obtulerint, quò sibi proditum possent necare: quæ pecunia quò fuit maior, eò viliorem, nocentiorem, & vitâ indigniorem, Christum iudicarunt. *Et tuli*. accepi igitur prout iussus fueram, illos *triginta argenteos*, inquit propheta, *& proieci illos in domum Domini*, id est, accipientur & proiicientur. Nam quando Dominus præcipit prophetæ vt ipse triginta argenteos illos proiiciat, pręcipit vt proiiciendos prædicat: rursus, cùm se proiecisse propheta refert, quod non fecit nisi in imaginaria visione, eo ipso prædicit à Iuda proditore in templum proiiciendos esse. *Ad statuarium*, id est, ad figulum, ita vt ad figulum deuenerint, pro agro nimirum: ita vt filij Israel, illi qui dominabantur in domo Domini, id est, principes sacerdotum, illos ad se recipiêtes, dederint figulo, pro agro scilicet. Ex hac paraphrasi manifestum fit, prophetæ & euangelistæ eundem sensum esse, licet *verba præpostera sint, & pene diuersa, ac toto ordine discrepantia*, vt ait Hieronymus libello de optimo genere interpretandi. Cæterùm, si dixerit Euangelista primâ personâ *Accepi triginta argenteos, &c., & dedi eos*; vel *Accepi triginta argenteos*, proieciique in domum Domini, illi autem *dederunt eos in agrum figuli*; etiam verba vtriusque sibi mutuò viciniora sunt. Sed si, quod habet vulgata sententia, tertiâ personâ vtrobique vsus Euangelista, dixerit: *Acceperunt, dederunt*, retulit id quod consequens fuit ex eo quod propheta de se dixerat Iudam adumbrante: *Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium*: nam postquam Iudas argenteos illos in templum proiecisset, consequutum est vt principes sacerdotum illos acciperent, & darent figulo pro pretio agri.

ὁ δὲ ἰησοῦς ἔστη ἔμπροσθεν τοῦ ἡγεμόνος, καὶ ἐπηρώτησεν αὐτὸν ὁ ἡγεμὼν λέγων. σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων; ὁ δὲ ἰησοῦς ἔφη αὐτῷ· σὺ λέγεις.	11	Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis.	Mar. 15. v. 2. Luc. 23. v. 3. Iohan. 18. v. 33. 37.

IESVS AVTEM. Redit Euangelista ad historiam Iesu traditi gentibus à principibus sacerdotum & populi. STETIT vt reus ANTE PRÆSIDEM Pilatum, sedentem more iudicis intus in prætorio, principibus foris exspectantibus ne ingressu contaminarentur, Iohan. 18. v. 28. 33. Deforme spectaculum, Filium Dei, ad profani hominis tribunal tractum, causam capitis tamquam maleficum ex vinculis dicere: sed hoc pati ille dignatus est, vt ad cælestem Dei thronum fidentem nobis obtineret accessum, & coram Dei tribunali stare possemus intrepidi. TV ES REX IVDÆORVM? Vt intelligatur Matthæus, qui hîc breuior est, annotandum est ex Iohanne (Iohan. 18. v. 29.) quòd cùm primores Iudæorum, Iesum misissent intrò in prætorium, ipsique remansissent foris, Pilatus præses, relicto Iesu intus, egressus prætorio rogarit illos, quid accusationis adferrent aduersus hunc. Illis autem detrectantibus partes accusatorum, qui Iudicû functi fuissent, vrgentibusque vt Pilatus interficeret, quem ipsi morte dignum iudicassent, renuit Pilatus, donec ipsi declararent, quid criminis esset in viro. Coacti itaque accusarût Iesum de multis, quod Lucas refert cap. 23. v. 2., inter cætera autem de eo quod dixerat se Christum Regem esse. Illud Pilatus præ omnibus maximi fecit, vt quod vergere videretur in præiudicium Cęsaris, cuius ipse procurator erat, ac proinde ad forum ipsius præcipuè pertinebat, tueri merum Cæsaris in Iudæos imperium, nec impunè sinere illud à quoquam lædi.

Nullus enim in vniuerso Romano imperio, pro rege cuiuscumque prouinciæ gerere se poterat, quin seditiosus, rebellis, & læsæ maiestatis reus haberetur, nisi cui Cæsar hoc singulari dono concessisset, prout etiam hoc vrgent Iudæi ipsi Iohan. 19. v. 12: *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.* A morte autem Herodis abstulerat Iudæis Cæsar regium titulum, & paulò pòst etiam regnū in prouinciam redegerat. Hac itaque præcipuè accusatione, cupiebant illi animum Pilati aduersus Iesum exacerbare, Iesum de maiestate reum peragentes. Neque dubium est, quin si Iesum comperisset Pilatus, dominatum in Iudæos sibi vsurpasse aut arrogasse, vel aliquid in statu publico turbasse, absque mora cupidè eum damnasset. Solicitus igitur de læsa maiestate, reuersus in prætorium rogat Iesum: *Tu es.* túne es *Rex Iudæorum?* ὁ βασιλεὺς ille rex olim diuinitus promissus, vt aiunt, & hactenus exspectatus Iudæis? Non rogat *Dicis tu te regem esse Iudæorum* (quæ verba fuerant accusatorum Luc. 23. v. 2.) nec enim sufficere iudicabat, si Iesus negaret se dicere, nisi etiam negaret aut affirmaret se esse. Nam quamuis non dixisset, si tamen fuisset, id de Cæsaris magnificentiâ derogare censebat, nec tantùm si dixisset nec esset, quantùm si esset & non dixisset. Rogat ergo *tu es rex Iudæorum:* quæ quidem quæstio de iure esse videtur, nam re & facto non videbatur Iesus Pilato regiam in Iudæos potestatem exercere. Porrò *tu* hîc tacitam includit emphasim despicientis: *Tu ita vt es*, isto habitu atque apparatu, istâ conditione viuendi, plebeius, vilis, pauper, nudus, miser, solus, comitatu, auxilio omni destitutus, & iam etiam captiuus & de capite reus, *es tu rex Iudæorum*, à quibus persequutionem pateris & morti adiudicaris? Non dubium est quin apud se riserit & contempserit Pilatus, cùm hoc interrogaret (quod certè annotant Origenes & Theophylactus) quòd huiusmodi vermis, vel stolidè arrogaret sibi regnum, vel verè esset Rex ille quem Iudæi hactenus tantopere desiderassent & iactassent; egregium verò regem. Nam quòd verè hic esset Rex Iudæorum, suppetebant plurima argumenta quæ Pilato id persuaderent, quòd publica fama esset adesse tempus aduentus Messiæ à prophetis prædictū, quòd Iesus sanctissimus iuxta ac sapientissimus vir doctrinam suam admodum admirandis operibus iam triennio continuo & eo ampliùs adstruxisset, quòd non ita pridè inter cętera Lazarum quatriduo mortuū resuscitasset, quòd à pluribus Messias haberetur, ipso etiā probante, atque adeò quòd à paucis diebus ipsam vrbem Ierosolymorum regiam honorificè ingresso publicè id fuisset acclamatum: nouerat enim hæc omnia Pilatus. Cæterùm quantum ex ipso vultu habituque iudicare poterat, facies, cultus, conditio, omnia denique modestiam ac simplicitatem præ se ferebant, nihilque minus in eo apparebat, quàm quòd argueret eum aut regem esse aut regni affectatorem. TV DICIS. s. quòd ego sim Rex Iudæorum, vt tu dicis ita est. Modestè concedentis est, quòd iam aliquoties diximus: modus loquēdi, non ambiguus, sed modestè in affirmationem inclinans. Cæterùm non est imaginandum, Iesum primis statim verbis id respondisse: pluribus enim interiectis, quæ Iohannes narrat cap. 18. v. 34., inter cætera, quòd regnum ipsius non esset de hoc mundo, tandem demum respondit iterum rogatus *Tu dicis quia rex sum ego. Multa enim dicta & multa responsa fuisse, vnumquemque verò Euangelistam commemorasse quod satis esse iudicauit*, annotat Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 8. Quòd si nihil amplius respondisset Iesus quàm Matthæus hîc refert, Pilatus non dubiū iniquo animo tulisset hoc responsum: quamquam videatur Matthæus intelligi voluisse, quòd Pilatus ex ipso vultu habituque Iesu, & cæteris quæ nouerat de negotio, facilè iudicarit, Iesum nihil sibi arrogare aut vsurpare, quod Cæsaris aduersaretur imperio. Sed quomodo Iesus se fatetur regem Iudæorum, qui tantum abest vt quoquo modo regnet Iudæis, vt contrà omnigenam persecutionem ab ipsis patiatur, atque adeò ab eis in mortem tradatur? Respondeo, inprimis, quòd fuerit rex Iudæorum iure ipso, iure autem tam suo quàm ipsorum Iudæorum: Iudæis enim fuerat promissus, ac proinde poterant ipsi eum sibi iure vendicare: & iuxta promissa à Deo Patre ad Iudæos est missus, & *constitutus rex ab eo super Sion montem sanctum eius* (Psal. 2. v. 6.) Sed reipsa non fuit rex Iudæorum, *quia in propria venit & sui eum non receperunt* (Iohan. 1. v. 11.) immo verò repulsum occiderunt. Cæterùm quamuis maior pars Iudæorum eum reiecerit, reliquiæ tamen eum receperunt in regem, *acceperuntq́, ab eo potestatem filios Dei fieri*, & in locum carnalium Iudæorum qui reiecerunt, surrogati sunt ex gentibus Iudæi spirituales, Dei laude & Christi confessione Iudæi. *Non enim qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Rom. 9. v. 8. Iure igitur omnium eorum qui carne Iudæi sunt regem se fatetur Iesus, reipsa autem omnium eorum qui spiritu se præstant Iudæos; non tamen regem huius mundi, id est, qui ita regnet Iudæis vt reges huius mundi suis populis, vtque Cæsar Iudæis, quandoquidem *ipsius regnum non sit de hoc mundo*, quod disertè præfatur Ioh. 18. v. 36. Porrò noluit hîc tacere Iesus, legitimè à Iudice rogatus, veritatem, quam oportebat omnes scire, & quam vt testaretur ac præstaret in mundum venerat. vide suprà v. 63. eadem enim erat hæc quęstio, quæ illic Caiphæ *Tu es Christus Filius Dei?*

Mar. 15. v. 3. Luc. 23. v. 2. 5.

Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit.	12 καὶ ἐν τῷ κατηγορεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων, οὐδὲν ἀπεκρίνατο.

ET pro *sed.* Sed CVM foras productus à Pilato ipsum excusante: præsens ACCVSARETVR rursus A PRINCIPIBVS, verentibus ne Pilatus illum ob conceptam de eo bonam opinionem dimitteret. *Lucas* (inquit Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 8.) *etiam ipsa crimina, quæ illi falsò obiecerunt, aperuit.* NIHIL RESPONDIT. Tacuit easdem ferè ob causas, ob quas suprà v. 62., quòd responsione indigna essent ea quæ obiicerentur, quòd ea quæ fecerat omnia, publica essent, & in oculis omnium gesta, quòd sciret se nihil apud aduersarios suos profecturum, immo se illos responsione irritaturum potiùs quàm placaturum, quòd mori cuperet vt se Regem Iudæorum præstaret, & sic mori vt constaret eum volentem mori; (qui enim moriuntur inuiti, etiam mortem meriti, miris modis excusant se, & supplicant iudici vel pro supplicij mitigatione) denique vt silentio suo nobis os ita aperiret, vt fidenter clamare possemus *Abba pater.* D. Augustinus sermone 118. de tempore: *Accusationem*, inquit, *suam Dominus tacendo non firmauit, sed despexit non repellendo. Melior est causa quæ non defenditur & probatur: plenior iustitia, quæ non verbis adstruitur, sed veritate fulcitur. Sciuit Saluator, qui est sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret.* Hoc loco D. Augustinus imitatus

imitatus Ambrosium est, cuius in Lucam hæc inter cætera sunt verba: *Bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Quid timeret, qui non ambiret salutem? Salus omniũ suam prodit, vt acquirat omnium.* Titus in hunc locum: Tacet, inquit, *quòd se nullus eos verbis persuasurum certò sciret*. Denique Hieronymus: *Iesus, ait, nihil respondere voluit, ne crimen diluens à Præside dimitteretur, & crucis vtilitas differretur.*

τότε λέγει αὐτῷ ὁ πιλάτος· οὐκ ἀκούεις πόσα σου καταμαρτυροῦσι; [13] Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? *Mar. 15. v. 4.*

NON AVDIS. q.d. cùm audias, quare non respondes? Pilatus propendens ad liberandum Iesum, quòd sciret rem priuatis odiis agi, prouocat eum ad sui defensionem. QVANTA. quàm multa. Quamuis ipse apud se paruifaciat accusatorum obiecta, aggrauat tamen illa verbis, vt Iesum incitet ad ea refellenda, quod sciebat ipsi non difficile esse, ac proinde faciliùs ipse eum liberare possit. ADVERSVM TE DICVNT TESTIMONIA. σου καταμαρτυροῦσι testificantur contra te?

καὶ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῷ πρὸς οὐδὲ ἓν ῥῆμα, ὥστε θαυμάζειν τὸν ἡγεμόνα λίαν. [14] Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer. *Mar. 15. v. 5.*

Ei præsidi. AD VLLVM VERBVM. πρὸς οὐδὲ ἓν ῥῆμα ad neque vnum verbum. Pluribus enim verbis vrgebat eum, quod patet ex Marco: *Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant.* Semel responderat Iesus Præsidi quod necesse fuerat: vltra non erat opus, poterat enim præses ipse ex se iudicare, qualia illa essent quæ obiicerentur, quàm indigna responsione & quàm minimè merētia mortem. Sed volebat Præses Iesum aduersariis potiùs satisfacere quàm sibi. Atqui nouerat Iesus, aduersarios nullis rationibus placari posse.
MIRARETVR. Non interpretabatur, hoc silentium Iesu, contemtum sui, sed ferebat æquanimiter, & iam tacentem & mox Regem se confitentem. Contrà pontifices vidimus suprà se gerere, tacentem adiurant vt loquatur, loquentem mox condemnant blasphemiæ. Ita multo minus iniquitatis in hoc profano homine, quàm in ipsis populi Dei principibus inuenitur. PRÆSES. non additur sed subauditur syriacè. VEHEMENTER, hominem innoxium, eloquentem & sapientem, in capitis periculo obticescere, nec se verbis defendere cùm facilè posset, cùm frigidas & inanes calumnias refellere promtum esset, Iudice etiam vrgente & propitium ac beneuolum se ipsi præbente. Mirabatur illorum quidem in accusando studium, multitudinem criminationum conquisitam, & conspirationem indicem odij vehementissimi; Iesu verò placidam taciturnitatem, mansuetam patientiam, animi fortitudinem, mortisque contemtum constantem & imperterritum, cum vultu, nullius odij aut acerbitatis notâ, sed summæ modestiæ decore, imbuto; Mirabatur, inquam, vt ethnicus, virtutis patientiæ ignarus. Obserua, tantam fuisse integritatem vitæ Iesu, quanta sine patrocinio ethnico Iudici nota fuerit. *Magnum id certè & mirificum in Seruatore* (ait Athanasius scribens in pass. & crucem Domini) *qui tacendo & non respondendo, tam efficax erat in persuadendo, vt iudex vltrò factiones conspirationesque aduersus eum initas & agnosceret & confiteretur.*

κατὰ δὲ ἑορτὴν εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν τῷ ὄχλῳ ἕνα δέσμιον, ὃν ἤθελον. [15] Per diem autem solemnem, consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. *Mar. 15. v. 6. Luc. 23. v. 17. Iohan. 18. v. 39.*

PER DIEM AVTEM SOLEMNEM. κατὰ δὲ ἑορτὴν in festo autem, supple quod tunc agebatur, nimirum paschę, quod Iohannes exprimit. Syrus addit *in omni festo*, sed intelligit de die festo paschæ annis singulis recurrente. PRÆSES. Quod priùs consueuerat Rex aut dux Iudaici populi, iam translato Iudæorũ regno ad Romanos, facit is qui Romanorum nomine prouinciæ Præsidem agit. Nihil enim iuris relictum à Romanis fuerat primatibus Iudæorum, in eos qui capitis essent rei, quemadmodũ docuimus suprà v. 2. POPVLO. Solebant non tam primates quàm populus hoc vrgere, vt ferè populus maximè huiusmodi priuilegiis delectatur & retinetur. DIMITTERE. ἀπολύειν absoluere, liberare. VNVM VINCTVM. ἕνα δέσμιον vnum captiuum (est enim Græcis nomen, non participium) qui de capite scilicet periclitaretur. QVEM VOLVISSENT. quemcumque eligere voluissent. Verisimile est, antiquam hanc fuisse apud Iudæos consuetudinem, vt diei festo paschæ, condonaretur vnus eorum qui ob crimen morte dignũ tenerentur captiui (quamquam alibi eius consuetudinis mentio haud legatur) ob gratam lætamque recordationem, eius quæ primo illo paschæ festo acciderat, præseruationis Israel filij Dei primogeniti ab Angelo percutiente, & subsequutæ liberationis eius ex Ægypto. Quando ea consuetudo cœperit, incertum est: sed Romani eam inuenientes, cùm rerum Iudaicarum dominium inuaderent, retineri permiserunt, vt cætera Iudaicarum obseruationum, non inquirentes ex lege ortum haberent nec ne. Porrò quidam reprobant hunc morem, tamquam repugnantem officio magistratus & legi Exod. 22. v. 18: *Maleficos non patieris viuere*: alij, & quidem veteres, probant, vt humanum, & congruum exemplis quibusdam veteribus, de Ionatha à populo liberato 1. Reg. 14. v. 45. & de homicidis fortuitis Num. 35. v. 22. D. Augustinus tractatu 115. in Iohannem: *Non reprehendimus*, inquit, *ô Iudæi, quòd per pascha liberatis nocentem, sed quod occiditis innocentem.*

εἶχον δὲ τότε δέσμιον ἐπίσημον, λεγόμενον βαραββᾶν. [16] Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. *Mar. 15. v. 7. Luc. 23. v. 18. 19. Iohan. 18. v. 40.*

HABEBAT. εἶχον *habebant* numero plurali (cui lectioni consonat Syrus) s. populus. Non quòd Iudaicus populus in sua potestate huiusmodi captiuos haberet (nec enim petiuissent à Præside vnius liberationem, si

ipsi eos habuissent) sed quòd Præses, populi, id est, Reip. nomine, flagitiosos captiuos detineret. Latinus Interpres legit numero singulari εἶχεν *habebat* s. præses: quod quidem clarius est. Inter tractatores græcos, priori lectioni Chrysostomus suffragatur, cùm ait: *Propterea non simpliciter dixit latronem, sed insignem latronem eos habuisse, famosum videlicet in proteruitate, & multis homicidiis inquinatum.* Titus, licet Chrysostomum imitetur, posteriori suffragatur, his verbis: *Cur non simpliciter Euangelista inquit, Pilatum habuisse latronem, sed insignem latronem? ne eis vel vmbram quidem excusationis relinquat, &c.* VINCTVM. δέσμιον captiuum. habebat in vinculis quemdam INSIGNEM s. flagitiis (quæ quidem ab aliis Euangelistis describuntur) nulli non notum & exosum ob scelera immania, seditionem & cædem. BARABBAS. Syrus *Barabba*, quod est *filius Abba*, quemadmodum sup. 16. v. 17. *Bar Iona, filius Iona.* Si vlterius placet interpretari, Ambrosius in Lucam rectò vertit *filium patris*, à *bar*, quod est, *filius*, & *abbas* seu *abba*, quod est *pater*. Alij geminant literam r, & exponunt *filium magistri*, à *bar* & *rabbas*, seu *rabba* quod significat *magistrum*. Sed prior Scriptura probatior est. D. Hieronymus hunc locum enarrans, dum notat in hæc verba (*In Euangelio quod scribitur iuxta Hebræos, filius magistri eorum interpretatur*) dat intelligendum, *Barrabbam* recto casu illic scriptum fuisse, *rabbam* enim reddas *magister eorum*.

Mar. 15. v. 9. Iohan. 18. v. 39.

Cōgregatis ergo illis dixit Pilatus: [17] Quem vultis dimittā vobis? Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus?	συνηγμένων οὖν αὐτῶν, εἶπεν αὐτοῖς ὁ πιλάτος· τίνα θέλετε ἀπολύσω ὑμῖν; βαραββᾶν, ἢ ἰησοῦν τὸν λεγόμενον χριστόν;

CONGREGATIS ERGO ILLIS, id est, populo. Cùm igitur populus esset apud ipsum congregatus, occasione Iesu ipsi traditi à principibus. DIXIT præueniens illorum flagitationem. *Moris erat*, inquit Chrysostomus, *vt populus condemnatum aliquem à principe peteret, quem solemnitatis gratia princeps populo condonaret: nunc autem è contrario princeps à populo petit, neque sic illi mitigantur.* QVEM. vtrum. Quandoquidem vnum captiuum debeo hodie dimittere vobis liberum, vtrum VVLTIS DIMITTAM. Pilatus abhorrēs, quod est iusti iudicis, à cæde Iesu innocentis, etsi se ipse Iesus non defendat, tentat omnem modum quo eum liberet. Quocirca cùm non posset eius liberationem à principibus impetrare, innocentiæ à se contestatæ titulo (quod clariùs narrarunt Lucas & Iohannes) nec tutum ipsi videretur, ob Iudaicorum principum potentiam, vi eum eripere, præsertim cùm nesciret quonam ferretur inconstans populi affectio, prudenti consilio agit apud populum, cui sciebat Iesum solere esse gratiosum, vt illius fauore postulatus Iesus, si non vt innocens, certè vel diei festi gratiâ seruetur, quo solent facinorosi homines absolui; *Vt si principes*, inquit Druthmarus, *propter inuidiam volebant eum perdere, populus qui expertus fuerat eius multiplicia beneficia, peteret eum viuere*; vel certè, *si nollent*, quod ait Chrysostomus, *tamquam innocentem absoluere, saltem tamquam condemnatum solemnitati largirentur.* BARABBAM perniciosum illum & nobilem latronem, cuius nostis scelera in Remp. vestram admissa. AN IESVM innocentem & salutiferum, de vobis optimè meritum. q. d. Nolo vobis hodie liberam dare optionem, sed volo vt horum duorum eligatis alterum, alium non sum iam vobis concessurus. Cùm soleret populo libera esse electio ex omnibus incarceratis (quod docet superior versus 15.) vt eum, reuerentem præsentes principes suos, hostes Iesu, & alioqui varium atque inconstantem minimeque concordem, compellat quodammodo ad postulandam liberationem Iesu, proponit nunc ei, non Iesum solum (sic enim nullam permitteret electionem) nec Iesum collatum cum aliis multis, sed collatum cum vno solo, eoque non quouis, sed homine sceleratissimo omnibusque odioso, qui minimè omniū liberationem mereretur, immo cuius liberationem poscere tam inhonestum foret quàm iniquum, constringens populi electionem ad horum alterum, ne ille alium quàm Iesum eligeret, nisi prorsus cœcus & impudētissimè iniquus videri & haberi vellet. Barabbam communem ciuitatis hostem, ac eorum scelerum manifestum auctorem, quæ maximè sunt Reip. inimica, seditionis inquam, non simplicis, sed cruentæ, cumque homicidio coniunctæ, in quem iustè proinde ferri sciebat publicum ciuitatis odium, componit cum Iesu viro bono & sancto, vt publica fama erat, beneficis miraculis optimè de Rep. merito, quod constabat omnibus, accusato quidem à principibus, sed falsò aut certè temerè, ipso iudice censente; huiusmodi antithesi populum officij sui admonens, & iniqua hac collatione iniquam principum contentionem frangere satagens, persuasus vulgi odia sic incensa in Barabbam, vt quiduis potiùs darent concederéntve, quàm vitam ei homini, cui mors horribilissima deberetur. Et debuerat certè criminum illorum atrocitas, quorum Barabbas reus erat, populi odia in eum transtulisse, vt saltem comparatione, simul & amore seruandi priuilegij, Iesus liberaretur, si, non dico æquitate, sed vel pudore populus flecti potuisset. QVI DICITVR & habetur à plerisque vestrûm CHRISTVS, Messias, seu Rex Iudæorum (hæc enim tria eadem sunt.) Hoc addidit, non distinctionis causâ, quasi Barabbas etiam dictus fuerit Iesus (quod quidam olim sensere, Origene referente: qua de re plura in Notis) sed commendationis causâ, quòd plerique è populo Iesum non temerè haberēt pro Christo, itaque maximum foret ipsorum dedecus, si quem hactenus habuissent pro Christo Rege, quique plurimis in eos collatis beneficiis non vanè se iactasset huiusmodi, non eriperent cùm possent à morte. Hoc itaque nomen commemorauit, quod maximum & gratissimum ipsis esse oportuit, cuius ratio omnis ad ipsorum honorem & vtilitatem referebatur, ac præcipuè cùm pronunciaretur ab ipso Præside vltrò in ipsorum fauorem, quod non facilè exspectandum fuerat ab Imperij Romani ministro. Non enim iocosè, sed seriò admodum hîc vocauit Pilatus Iesum, Christum seu regem Iudæorum: nam ex quo audierat Iesum confitentem se regem esse, non tamen huius mundi (Iohan. 18. v. 36. 37.) collata ea confessione cum rebus ab ipso hactenus gestis, quæ omnes illi notæ erant (quod quidem proximo versu docebitur) persuasus fuit, nec falsò nec temerè, Iesum eum esse Iudæorum regem, quem prophetæ promiserant, nec alium, quales inquam sunt huius mundi reges, Iudæis esse exspectandum. Latenter igitur populum hîc commonefacit opinionis optimæ, quam hactenus de Iesu habuit, & excitat, vt quemadmodum hactenus credidit in Iesum, principibus etiam inuitis, ita modò liberet eum à morte, quantumuis reluctantibus principibus. Nam si populus Iesum præ Barabba, vt debuerat, elegisset, nihil moratus fuisset Pilatus principes vrgentes Iesu interfectionem.

ᾔδει γὰρ ὅτι διὰ φθόνον παρέδωκαν αὐτόν. 18 Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum.

Mar.15. v.10.

SCIEBAT ENIM. Redditur ratio cur tantopere adlaborarit Præses, vt Iesus dimitteretur. *Sciebat* autem, ex relatu plurimorum & publica fama. Res toti populo nota, quomodo potuisset latere præsidem, qui eam Remp. administrauerat toto eo tempore quo Iesus euangelium prædicauerat, immo etiam antea? Habebat proculdubio suos, qui ipsum quotidie certiorem facerent rerum quæ in ea ciuitate & prouincia gerebantur, quod latiùs docuimus Luc.23. v.3: quocirca non ignorabat quo animo summi sacerdotes & alij erga Iesum forent. TRADIDISSENT EVM sibi interficiendū, supple ex præcedentibus, principes sacerdotum & seniores populi. hoc enim dictum est suprà v.1.& 2. PER INVIDIAM. eò quòd inuiderent Iesu eam discipulorum sectatorumque multitudinem, & nominis ob doctrinam ac miracula claritatem: quòd homo plebeius & nihili, ipsorum quidem iudicio, nulla facultate ab ipsis, qui populo præerant, accepta, doceret, & doctrinam miraculis ita stabiliret, vt maior populi pars crederet in eum ipsique adhæreret, & clarior ille maiorque principibus ipsis haberetur, adeoque tamquam Christus à plerisque coleretur, qui nihil regium præ se ferret, denique principes ipsi despicerentur, vsque adeò vt etiam liberè palamque ab eo redarguerentur. Hinc illa eorum vox Iohan.11. v.48: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*, Rursus altera Ioh.12. v.19: *Ecce mundus totus post eum abiit*.

Καθημένου δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ βήματος, ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν ἡ γυνὴ αὐτοῦ, λέγουσα· μηδέν σοι καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ. πολλὰ γὰρ ἔπαθον σήμερον κατ' ὄναρ δι' αὐτόν. 19 Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicēs: Nihil tibi & iusto illi. multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

SEDENTE AVTEM ILLO. Interea dum hæc agerentur, Præside sedente more iudicis. PRO TRIBVNALI. ἐπὶ τοῦ βήματος in tribunali, quod latinè dixit Interpres *pro tribunali*. Sedebat pro tribunali, in loco quem Iohannes vocat Lithostroton (cap.19. v.13.) audiens & examinans causam partiumque obiecta: ita vt opportunè admodum hoc nuncium missum fuerit. MISIT. Intellexerat, Iudæorum principes præ foribus prætorij præsentes, instare vt maritus Iesum ab ipsis condemnatum occidi iuberet, maritumque laborantem, vt vel innocentem absolueret, vel se negotio extricaret, obtinere non posse. *Misit* itaque vnum è famulis suis. Non adiit ipsa maritum, eò quòd decorum non permitteret, vt ipsa in conspectum multitudinis prodiens interpellaret maritum Reip. negotiis occupatum. DICENS. Misit qui diceret marito suis verbis, audientibus omnibus, opponens se ipsa furori Iudæorum Iesu interfectionem vrgentium. NIHIL TIBI ET IVSTO ILLI s. commune sit, nihil tibi cum iusto illo sit rei. Phrasis est hebraica, de qua egimus suprà 8. v.29., quam latinè extulisse potuit Pilati vxor: Non te immisceas rebus iusti illius, omitte illum, missum illum fac. q. d. caue ne eum iudicare & morti addicere præsumas, quod Iudæi postulant. *Iustum* vocat, non solùm κατ' ἐξοχὴν, quia præ aliis eximiè iustus erat, conuenienti epitheto, quo & prophetæ sunt vsi (Isa.53. v.11.) verumetiam αἰτιολογικῶς. Ratio enim, cur nolit maritum se immiscere negotio Iesu, quem Iudæi volebant morte plecti, est, quòd Iesus iustus esset, & quidem excellenter iustus, quem interficere summum scelus foret. Nouerat autem Iesum esse iustum, partim ex famâ publicâ, quòd gesta Iesu quotidie ad maritum deferrentur, partim ex somnio quod iam passa fuerat. MVLTA. multos terrores & angores, terribilia visa. PASSA SVM. *Non solum videt*, inquit Chrysostomus, *verumetiam multa patitur, vt maritus, vxori condolendo, tardior ad cædem redderetur*. HODIE. *Notandum*, ait Euthymius, *quòd hodie de nocte dicatur*. Atqui si nocte hæc passa fuerat, cur non narrauerat ea marito surgenti cubitu? Verisimilius est igitur, quòd *hodie*, de aurora & matutino tempore dicat, quodque hæc passa fuerit, postquam maritus cubitu surrexerat (solent enim dominæ, postquam mariti surrexerint, lecto inhærere) interea dum ille, Iesu summo mane sibi oblati negotia tractaret. Cùm igitur, Iesu ab Herode remisso, illa maritum ob hoc negotium anxium esse intelligeret, misit ad eum nuncium, qui referret ei quid ipsa paulò antè in somnis vidisset, quo maritus ab interficiendo Iesu magis etiam absterreretur. PER VISVM. κατ' ὄναρ in somnis, quomodo vertit sup.1. v.20.

PROPTER ILLVM. eò quòd ille mihi videretur abs te malè tractari & occidi; ita vt non dubitem, quin pessimè nobiscum agetur, & vniuersæ familiæ tuæ accerses inexpiabile malum, si quid in illum admiseris. Somniauerat, verisimile est, mulier, Iesum à Iudæis oblatum marito suo, eo permittente, indignis modis tractari & interfici; Deum verò iratum, quòd huiusmodi iniuriâ afficeretur vir iustus & innocens, vlcisci se & de Iudæis & de marito ipsius quàm grauissimè, quàm plurimis & atrocissimis modis, ita vt ipsa, ob mala quæ maritus pati videbatur, vehementissimè angeretur & affligeretur Quamquam verò, occasio esse potuerit somniandi de Iesu, quòd pridie vesperi, Iudæorum principes, à præside marito ipsius, petiissent cohortem vt Iesum apprehenderent (Iohan.18. v.3.) quodque sciret causam Iesu inter Iudæos tractari: minimè tamen dubium est, non naturæ, nec diaboli, sed singulari Dei instinctu, somnium & tormenta illa passam fuisse. Hoc vt ipsamet sensit, persuasa se velut oraculo diuinitus dato admonitam: ita sentiunt veteres tractatores, Latini, Hieronymus, Ambrosius lib.10. in Lucam, Augustinus sermone 121. de tempore; Græci, Origenes, Chrysostomus, & huius discipuli, Theophylactus, Titus, & Euthymius. Ac certè ita euēnit, quemadmodum somnio hoc portendebatur, vt non Iudæi tantùm ciuitasque Ierosolymorum miserè interierint ob Iesum interfectum, verumetiam vt Pilatus, aliquot pòst annis, Romam à Vitellio Syriæ Præside missus, vt responderet apud Cæsarem ad obiecta per Iudæos crimina (Iosephus lib.18. Antiq. cap.5.) tandemque omni honore priuatus, in exilio, Viennæ Gallorum, sua se transuerberans manu, multorum malorum compendium, mortis celeritate quæsierit, quod scribit Ado in Chronicis. Nam quòd se passam dicit, non maritum, est, quòd mariti malum suum duxisset etiam somnians, & ita animo anxia afflictaque fuisset, ac si verè maritus

mala varia passus fuisset: quæ tamen quia ille verè passus non fuerat, nihil vult illa de ipso dicere, sed de se solummodo, persuasa interim, somnium omen esse malorum marito sibique impendentium, si maritus Iesum condemnet: quod ne faciat, conatur eum huius somnij indicatione reuocare; reuocare inquam, tum religione, tum metu; religione, ne iustum damnet, metu ne mala incurrat. Credendum est bonam fuisse mulierem, quæ non ab hoc somnio tantùm, verumetiam iamdiu à famâ publicâ, docta Iesu sanctitatem, pio animi affectu erga eum prædita fuerit. Cæterùm non eo fine à Deo, aut eius iussu ab Angelo, mulieri somnium hoc immissum fuit, vt Iesus liberaretur à morte, verùm vt innocentiæ Iesu testimonia vndique concurrerent. Voluit Deus ita condemnari Iesum, vt omnibus modis, omnis generis & sexus personarum sententiis, omnium denique elementorũ veluti sensu, eius innocentia testata esset, & certo certiùs constaret, ipsum, in aliorum vicem, pœnæ quam non erat promeritus, subiici, id est, alieno, nostro inquam nomine, mortem obire. Quærunt tractatores Græci, quare somnium hoc Deus, vxori potiùs immiserit quàm Pilato: & respondent ferè his Chrysostomi verbis: *Aut quia mulier dignior erat, aut quia, si præses somnium hoc se vidisse dixisset, non ita ipsi creditum fuisset, aut quia non edixisset, sed secum ipse tenuisset. Idcirco igitur ex dispensatione mulier vidit, vt omnibus notum fieret.* Hæc Chrysostomus, ex quibus illud quoque obseruandum, quòd sentiat, somnium vxoris Pilato nunciatũ, non in aurem, sed palàm omnibusque audientibus: quod non est improbabile, postquam ideo datum à Deo fuerat, vt Iesu innocentia redderetur testatior. Porrò quanti fecerit vxoris somnium Pilatus, incertum est: non dubium est tamen, quin inter cætera somnium illud calcar ei addiderit, vt pro Iesu absoluendo magis strenuè certaret, quamquam non effecerit vt perseueraret. Postremò notandum est, quòd in passione Domini nullus loquutus pro Domino sit, nisi Pilatus & eius vxor gentiles.

Mar. 15. v. 11.

Principes autem sacerdotum & [20] seniores, persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent.	Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἔπεισαν τοὺς ὄχλους, ἵνα αἰτήσωνται τὸν βαραββᾶν, τὸν δὲ ἰησοῦν ἀπολέσωσιν.

PRINCIPES AVTEM. postquam Pilatus populo optionem proposuisset, permisit ei spacium aliquod deliberandi de negotio. Interea igitur principes, qui odio Iesu toti flagrabant, nihilque ita vt Iesu sanguinem sitiebant, PERSVASERVNT tum per se tum per seruos & ministros suos, quos submiserunt in omnem populi partem, vbi ipsi præsentes adesse non poterant, POPVLIS. τοὺς ὄχλους turbis, quæ ex se fauissent haud dubium Iesu, & multis parasangis prætulissent Barabbæ. id à se præuisum metuerunt caueruntque principes. VT PETERENT BARABBAM, insignem illum latronem, dimitti ob gratiam festi. Cuius è captiuis liberationem populus citra reprehensionem vellet petere, debebat is miseratione & veniâ aliquâ dignus esse: nam perniciosum hominem, qui Reip. grauiter nocuisset, neque adhuc spem de se certè emendationis præberet, eligere, non absque iniustitia & dedecore poterat, quale quid notat Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 14. Atqui principes, nulla iniustitia, nullo dedecore aut suo aut populi, reuocantur, quo minùs populo persuadeant, vt Barabbam omnium captiuorum pessimum eligat dimittendum, & repudiato bono suum ipsius malum optet. IESVM VERÒ, tamquam scelestissimo Barabba nocentiorem & Reip. magis perniciosum. PERDERENT. poscerent perdi, id est, interfici. Non satis est ipsis, qua sunt malitia indefatigata, vt populus petat Barabbæ latronis liberationem, nisi etiã petat innocentis Iesu mortem: itaque quantum est Pilati studium ad liberandum Iesum, tantum est principum Iudaicorum ad interficiendum. Hinc docemur, quantum possit auctoritas principum, & eorum qui in Rep. duces sunt, vt populum, quo nihil magis flexibile est, tam ad malum trahant quàm ad bonum.

Mar. 15. v. 9. Luc. 23. v. 18. Iohan. 18. v. 40.

Respondens autem præses ait illis: [21] Quẽ vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam.	Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἡγεμὼν εἶπεν αὐτοῖς· τίνα θέλετε ἀπὸ τῶν δύο ἀπολύσω ὑμῖν; οἱ δὲ εἶπον· βαραββᾶν.

RESPONDENS. subiiciens, postquam illi de negotio inter se consultarant. ILLIS. populis siue turbis. QVEM. vtrum DE DVOBVS. ἀπὸ τῶν δύο ex illis duobus. DIMITTI. ἀπολύσω dimittam. *Primùm interrogauerat*, inquit Euthymius, *sed antequam respondissent, occupatus est ad suggestionem vxoris suæ, itaque nunc rursus interrogationem repetit.* AT ILLI s. populi seu turbæ; non soli ministri & serui principum, quod quidam volunt, quamquam illi inter primos. DIXERVNT *sicut edocti erant*, quod supplet Euthymius, longè cõtra exspectationem Præsidis. BARABBAM s. dimitti nobis volumus, is Iesu nobis est gratior. *O mentem scelestam*, exclamat Chrysostomus: *similes sui petunt. Scelestum dimitti, insontem puniri iubent: sic enim eis antiquitus mos fuerat.* Quàm iniqua comparatio, sceleratissimum innocentissimo, seditiosum pacifico, homicidam resuscitatori, Dei Filio filium diaboli, in concedendo vitæ beneficio præponere? &, qua maior impietas nequeat dari, in odium hominis innoxij liberare latronem, quem alioqui minimè liberassent? Iudæorũ odium & malitia, Pilati hominis profani opinionem longè superauit. Intolerandam hanc iniquitatem paulò pòst exprobrat eis Petrus Act. 3. v. 14: *Vos sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfecistis.* Cæterùm non hoc accidit, quòd Iesus populo passim exosus foret, nec sponte populus Iesu offensus iam fuit, sed, quod vidimus, à principibus incitatus: principum quàm Dei obsequentior, tam æquitatis omnis & honoris quàm propriæ salutis subitò oblitus est. Ita non est confidendum in applausu populi, quem facilè videre licebit rapi in partem aduersam: atque hic ferè est mundi genius, vt nocentibus benignum, innocentibus aduersarium se præbeat. Interea verò quàm atrox fuit hęc ignominia generoso Domini Iesu animo? Quamquam enim noluisset liberari more nocentium, & vitam impetrare ob gratiam diei festi, ita vt causa ipsius nihil differret à scelestorum causa qui mortem meruissent, nollet denique donari diei

festo

festo paschæ, qui venerat vt tamquam verus agnus die festo paschæ immolaretur: publicè tamen postponi homini pernicioso, verecundum maximè animo ipsius ingenuo fuit. Sed hanc ignominiam, summâ cum iniustitiâ & ingratitudine coniunctam, æquo animo tulit, nostrâ causa, reputans secum consilium patris, quo tamquam postremus hominum ipse cruci esset destinatus, quippe piaculum constitutus expiandis mundi peccatis. Ideò non ægrè homicidam & latronem præ se liberari est passus, sciens fore, vt innocens ipse, homicidas latrones & nocentissimos quosque, ab eâ quam promeruerant morte, suâ morte liberaret. Hæc qui ritè expendent, non sine displicentiâ sui & detestatione scelerum suorum expendent: nec minorem tamen concipient etiam fiduciam, quia ideò in profundum ignominiæ demersus est Christus, vt nobis ascensum in cælestem gloriam suâ deiectione acquireret: ideò latrone habitus fuit deterior, vt nos aggregaret angelis Dei. Sed Iudæi, qui Iesu saluatore reprobato, Barabbam latronem elegerunt, suâ hac iniquâ electione meruerunt, vt pro Deo diabolum haberent patrem (agnoscentes, homicidam, filium patris diaboli, fratrem suum, & latronibus obnoxij forent ac gladio sine vllo saluatore. Id quod latiùs declarat V. Beda in Marcum scribens, his verbis: *Haret Iudæis vsque hodie sua petitio, quam tanto labore impetrarunt. Quod enim data sibi optione, pro Iesu latronem, pro saluatore interfectorem, pro datore vitæ elegerunt ademtorem, meritò salutem perdiderunt & vitam: & latrocinijs sese ac seditionibus in tantum subdiderunt, vt & patriam regnúmque suum, quod plus Christo amauere, perdiderint, & hactenus eam quam vendidere siue corporis siue animæ libertatem, recipere non meruerint.*

λέγει αὐτοῖς ὁ πιλάτος· τί οὖν ποιήσω[22] ἰησοῦν, τὸν λεγόμενον χριστόν; λέγουσιν αὐτῷ πάντες· σταυρωθήτω.	Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? dicunt omnes: Crucifigatur.	Mar. 15. ᵘ12. 13. Luc. 23. v. 20. 21.

ILLIS. populis. PILATVS attonitus quòd audiret optionem huiusmodi tam impudentem quàm iniustam, quâ latroni potiùs quàm innocentissimo viro vitam concederent, & spe licet frustratus, non desistit tamen opitulari Iesu. QVID IGITVR. postquam vos Barabbam sceleratissimum seruandum eligitis, *quid* vultis FACIAM DE IESV, viro iusto & innocente? *τὸν ἰησοῦν Iesum*, græca phrasis pro Iesu. q. d. vultísne etiam illũ donari festo, aut liberum à me dimitti? hæc enim verba dicit, volens dimittere Iesum, quod intelligitur ex Luc. 23. v. 20. Non arguit quòd eligant nocentem præ innocente, ne irritet, sed placidè conatur adducere, vt cum nocente liberent etiam innocentem: *ponit autem rem in illorum potestate, vt clementia ipsorum totum attribuatur, ita obsequio illos captans ac mitigans*, quod aiunt Chrysostomus & Euthymius.
QVI DICITVR. qui vocatur à vobisipsis, titulo tam celebri quàm si esset vsitatum cognomen. CHRISTVS. Rex Iudæorum. Iterum eis commendat dignitatem cognomenti sanctissimi iuxta ac faustissimi, vel pudore eos ad sanam mentem reuocare satagens, vt non mortem, sed liberationem postulent Iesu, quem pro Christo Rege non frustrà hactenus coluissent, immo cui paucis antè diebus Christi titulum & honorem publicè acclamassent (hoc enim eis reuocat in memoriam) cuius proinde mors ignominiam ipsis esset inustura, ac dedecus maximum allatura, quòd Christus Rex ipsorum, certè qui vulgò nec temere huiusmodi habitus fuisset, morte esset multatus. Q. d. Si vos hominis non miseret, saltem consulite honori vestro, quia eo à me supplicio affecto, quem Christum Regem vestrum publicè agnoueratis, putabunt extranei vos omnes à me fuisse castigatos. vide suprà v. 17. DICVNT. nullam licet mortis causam inuenirent in eo. Act. 13. v. 28. OMNES & populus & principes, quod notat Euthymius. sed populus principum instinctu. Hi enim impietatem suã in multitudinis animos transfuderant. Quanta populi inconstantia! sexto antè die, principes licet ferrent ægerrimè acclamauerat Iesu *Hosanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini* (sup. 21. v. 9.) iam verò, à principibus subitò temereque persuasus, contrà clamat, vt crucifigatur. Quid interea commiserat cruce dignum, nisi quòd assiduè, à mane ad vesperam vsque, salutarem euangelij doctrinam, verbis prædicarat, & miraculis confirmarat? Sic ferè Christianus Druthmarus. CRVCIFIGATVR. agatur in malam crucem. Nec iudicis lenitate, nec verecundiâ, sedatus fuit sæuitiæ ardor, sed, omni pudore abiecto, æquè truces permanent, & pertinaciter vrgent Christi necem. *Filij hominum, dentes eorũ arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus*. Psal. 56. v. 5. *Nec hoc erubescentes*, inquit Origenes, *quod Pilatus Iesum Christum esse confitebatur, nec modum impietatis seruantes, dixerunt omnes crucifigatur. Et si quidem Barabbam dimitti, Iesum autem non petissent crucifigi, sed in potestate dimisissent Pilati vt faceret de eo quod vellet, adhuc magna esset impietatis, quòd relicto iusto homicidam petissent. Nunc autem multiplicauerunt impietatis suæ mensuram, non solum homicidam postulantes ad vitam, sed etiam iustum ad mortem, & ad mortem turpissimam crucis.* Hæc Origenes. Hactenus non declararant principes, quo mortis genere affici vellent Iesum, tametsi apud se in communi concilio statuissent vrgere eius crucifixionem: exspectarunt enim opportunitatem, quâ non poterat melior dari, quàm cùm iam Præses rogaret quid faciendum de Iesu? Quamuis enim Præses hoc eo animo proponeret, vt cum Barabba Iesum quoque populus dimitti peteret: primores tamen populo persuaserunt, vt non tantùm non Iesu liberationem, verumetiam mortem peteret, & eam quidem ignominiosissimam, cruce adferendam, omninoque talem qualem Barabbas latro meruerat, ita vt non solùm Barabbas liberaretur præ Iesu, sed supplicium quoque Barabbæ debitum in Iesum tamquam Barabba nocentiorem conuerteretur. Consueuerant cruci affici serui, & viliores liberi qui iuxta seruos, ob delaturam dominorum, machinationem contra dominorum salutem, fugam diuturnam, crimen falsi, sicariatum, latrocinium, seditionem, læsam deniq; maiestatem. Quòd igitur ad crucem postulant pontifices Iesum, seditionis & læsæ ob regnum affectatum maiestatis titulo prætextuque faciunt. Quòd verò præ alijs mortis generibus crux ipsis adeò placeat, est, quod in crucis supplicio summa essent duo illa, quæ in omni supplicio inueniuntur, atrocitas & ignominia. Quòd atrocitas summa fuerit, manifestum ex eo est, quòd confixio consuesset fieri in locis, vt maximè neruosis & sensu tactus acerrimo præditis, ita remotissimis à corde (illinc enim acerbitas, hinc diuturnitas doloris) vide infrà v. 35. Quòd verò ignominia summa fuerit, patet, quia, quod mox ostendimus, vilissimis simul & scelestissimis hominibus propria fuit, vsque adeò vt mala crux, infelix lignum, & infamis stipes vulgò gentibus voca-

vocaretur, ipsa quoque Iudæorum Lege maledictum & exsecrabilem pronunciante omnem eum qui penderet in ligno. Deut. 21. v. 23. Plura hac de re Iacobus Gretserus lib. 1. de sancta Cruce cap. 35. & 36. Summâ igitur atrocitate, vlcisci se voluerunt de Iesu: summâ verò ignominiâ, nomen Iesu vnà cum vita extinguere persuasi, Iesum crucifixum, omnibus & Iudæis & Gentilibus fore exsecrationi ac detestationi, ita vt nemo tandem foret, qui hominis tam probrosa morte extincti nomen non erubesceret, nedum discipulum eius se profiteri vellet. Quare Chrysostomus hom. 83. in Iohannem: *Et quare*, inquit, *tantopere hanc eius mortem affectabant? quia ignominiosa erat: veriti ergo, ne eius postea memoria seruaretur, hanc probrosam mortem elegerunt, nescij, quod cum impeditur, magis apparet veritas.* Hæc ille.

Mar. 15. v. 14. Luc. 23. v. 22. 23. Iohan. 19. v. 6. 15.

23 Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur.	ὁ δὲ ἡγεμὼν ἔφη· τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; οἱ δὲ περισσῶς ἔκραζον λέγοντες· σταυρωθήτω.

ILLIS non est græcè. QVID ENIM. quidnam, enimuerò quid. superest *enim*, vt græcè γάρ. MALI FECIT, ob quod mereatur crucifigi? q. d. nihil hactenus ipsi obiecistis cruce aut morte dignum, & ego qui pluribus iam annis hîc præsidem egi, nihil audiui vel intellexi. Pilatus Iudex, hac suâ quæstione, populum testem appellat innocētiæ Iesu, & in vniuersum absoluit Iesum, vt innocentem & iustum, quò certius foret, totum hoc quod passus est, nobis impensum esse. Nec modò nihil mali fecit Iesus, verumetiam totâ vitâ suâ beneficentissimus est cognitus. MAGIS. ampliùs. περισσῶς *vehementer, id est, vehementius*, inquit Euthymius, *ita enim scripsit Marcus*. Causæ loco clamorem augent. Quò magis nitebatur Pilatus Iesum absoluere, eò magis Iudæi clamoribus contranitebantur vt crucifigeretur, nullam interim proferentes culpam Iesu, eo supplicio vel quouis alio dignam. *Quia totam accusationem* (scribit Beda in Lucam) *quam aduersus Dominum detulerant, crebrá ac solutiá Pilati interrogatione videbant euacuatam, tandem impudentes ad solas se preces conuertunt, vt quod criminando & quasi ratiocinando nequiuerant, iam postulando & vociferando perficiant. Nihil enim habentes quod responderent*, ait Origenes, *amplius clamauerunt, non deponentes, sed augentes, iram, animositatem, blasphemiam.*

24 Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: acceptâ aquâ lauit manus corã populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: vos videritis.	ἰδὼν δὲ ὁ Πιλάτος ὅτι οὐδὲν ὠφελεῖ, ἀλλὰ μᾶλλον θόρυβος γίνεται, λαβὼν ὕδωρ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας ἀπέναντι τοῦ ὄχλου, λέγων· ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου τούτου· ὑμεῖς ὄψεσθε.

VIDENS. considerans. QVIA NIHIL PROFICERET. quòd nihil proficeret, quacumque ratione liberandi Iesu excogitata & proposita; quòd frustrà contenderet placare populum à principibus & senioribus aliter persuasum. ὅτι οὐδὲν ὠφελεῖ quod nihil iuuaret, quòd nihil eorum omnium quæ in hunc finem adhiberet, iuuaret ad liberandum Iesum cum gratia populi. SED MAGIS. quinpotiùs, immo verò. TVMVLTVS FIERET. oriretur seditio populi, eò quòd non acquiesceret postulationi eius, eò quòd difficilem se præberet in condemnando Iesu, prout populus exigebat. Argumentum hoc fuit, non tantùm inconstantiæ vulgi, verumetiam sinceritatis doctrinæ Iesu, quæ nullis malis artibus vsa homines sibi deuinxerit & reddiderit factiosos, quandoquidem nullus ex omnibus iam apparuerit qui pro ipso fuerit locutus, immo qui non fuerit ipsi aduersarius, iudice licet tantopere fauente & alios quoque inuitante. Pilatus ergo, nihil succedere animaduertens, eorum omnium quæ tentauerat, ad impetrandum à Iudæorum & principibus & populo liberationem Iesu; immo verò videns tumultum populi oriri, eò quòd pro Iesu seruando contentiùs laboraret; comparat se ad condemnandum Iesum, ratus consultius esse, vnum innocentem interficere, quàm multos innocentes seditione fortasse perire, vt fieri assolet. Verùm non Pilatum excusat, sed Iesum, quòd non vllo idoneo testimonio, non vllo probato crimine, sed popularis seditionis metu, damnarit Pilatus Iesum: debuisset enim perstare Pilatus, & omnibus potiùs seditionis periculis se obiicere, quàm ab officio deflectere, & quem nouerat innocentem damnare. Verùm antequam id faceret, ACCEPTA ministro fundente AQVA, LAVIT. ἀπενίψατο abluit MANVS, & suam innocentiam præfatus, impij facti inuidiam in Iudæorum capita retulit. Iam sæpe verò fuerat verbis protestatus, Iesum esse innocentem, nulli obnoxium crimini morte digno: id, nunc laturus sententiam mortis aduersus eum, vt testatus etiam faciat, adeoque persuadeat, se inuitum conscientiaque repugnante, coactum inquam ab ipsis Iudæis, accingi ad condemnandum innocentem, non contentus verbis, addit solemnem ceremoniam. Fortassis etiam, quia vox & clamor eius præ tumultu non exaudiebatur, ideò voci & orationi suæ signum addidit, quo quàm longissimè adstantibus significaret quid vellet. Videtur autem mutuatus exemplum, ex similibus ritibus Iudæorum, qui Deut. 21. v. 6. iubentur, lotione manuum declarare, se expertes cædis: quamquam est quid naturale propemodum, nec insusitatum Romanis, ablutione manuum, animi puritatem innocentiamque significare. *Iudaico vsus est more*, inquit Origenes, *volens eos de Christi innocentia, non solum verbis, sed etiam ipso facto placare*. Etsi verò apud gentes quasdam consueuissent Iudices, priusquam damnarent facinorosos, certis ritibus declarare, quòd non ipsi, sed scelera eos damnarent, non tamen hoc sequutus Pilatus est: nam præter morem lauit manus, vt testaretur rei innocentiam, simul & suam ipsius sententiam ab eo condemnando alienissimam. CORAM POPVLO. inspectante omni populo, si fortè dimoueret eum à mala mente.
DICENS. Quid sibi velit ceremoniâ illâ ablutionis manuum, explicat verbis. A SANGVINE IVSTI HVIVS. si fundatur sanguis iusti huius, si interficiatur iustus ille (sanguis enim pro morte ponitur) EGO INNO-

CENS

CENS SVM, ego nō ſum in culpa, culpa hæc procul à me eſt, tam remotus à culpa hac ſum, quàm manus meæ liberę ſunt à ſordibus hac aquâ ablutæ. Culpa veſtra eſt, qui me ad condemnandū iuſtum veſtra improbitate & tumultu compellitis, cogitiſque ad iniuſtam cędem, ad quam trepidè nec ſine horrore deſcendo. VOS VIDERITIS. Hoc addidit, vt culpam omnem à ſe ad Iudæos transferret. Vos expendite vobiſcum rem exactiùs: in veſtrum caput recidet vltio innoxij ſanguinis, vos vindictâ apprehendet, ego me immunem fore ſpero Deorum hominumque iudicio, qui cùm ad liberandum innocentem fecerim quidquid in me fuit, vos eum contrà omni modo interfectum vultis. Pilatus itaque, nouâ condemnandi formulâ, antequam condemnet Ieſum, abſoluit: nec poterat ſignificantiori modo abſoluere, quàm publicè iuſtū pronunciando, ſolemni adhibito ritu ab illius cæde immunem ſe proteſtando, vindictam denique à ſe amotam, in Iudæos à quibus ad cædem cogeretur, regerendo. Quæ omnia fecit, tum vt declararet quod diximus, quàm ægrè accederet ad condemnandum, quem innocentem & iuſtum credebat, tum vt hac poſtremâ ratione, terroribus miniſque fulta, reuocaret Iudæos, ſi fieri poſſet, ab hac exſecranda innocentis cæde. His verò omnibus, diuina prouidentia, probatiſſimam reddi voluit Ieſu innocentiam, vt conſtaret, eum non pro ſuis, ſed pro noſtris mortuum eſſe peccatis: ſic enim oportuit, eum, in ſe quidem innocentem pronunciari; quatenus verò humani generis perſonam ſuſtinebat, non modò vt ſceleratum, ſed etiam vt ſceleratorum ſceleratiſſimum damnari. Cæterùm parùm profuit Pilato ablutio & proteſtatio huiuſmodi: potuit minuiſſe culpam, ſed non effecit vt eſſet immunis à cæde Filij Dei innocentis: quomodo enim immunis qui tradidit, inuitus licet? non abluitur tam graue crimen aquâ. Quare B. Auguſtinus ſerm. 118. de tempore: *Lauerit licet manus Pilatus*, ait, *tamen ſua facta non diluit. Quamuis abſtergere ſe putauerit iuſti ſanguinem de ſuis membris: eodem tamen ſanguine mens eius tenetur infecta: ipſe enim occidit Chriſtum, qui eum tradidit occidendū. Iudex enim bonus & conſtans, ne ſanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit, nec timere.* In eandem ſententiam ſcribit Titus hoc loco ex Chryſoſtomo, his verbis: *Tametſi lauit manus, ſeq; innocentem eſſe dicebat, mollis tamen parumq; virilis animi fuit tàm permiſſio, ignauiſſimeq; id admodum geſſit. Oportebat enim nullatenus illum eū tradere, quin potius eripere, quemadmodum poſtea Tribunus Paulum.* Act. 21. v. 33. Nouit aliàs Pilatus, immiſſis in populum militibus, ſedare tumultum, quod diſcitur ex Ioſepho lib. 18. Antiq. cap. 4: cur id nunc non fecit? Quòd ſi nunc imparem ſe exiſtimauit ad compeſcendum motum, ob immenſam populi, qui vndique aduentarat ad paſcha, multitudinem: at tantæ conſtantiæ oportet eſſe Iudicem, vt potiùs mille mortibus ſe obiiciat, quàm à recta iuſtitiæ ſemita declinet. *Noli quærere fieri Iudex* (ait Eccleſiaſticus cap. 7. v. 6.) *niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Cæterùm non tam imparem populo ſe ſenſit Pilatus, quàm timuit ne calumniam apud Cæſarem ſubiret, id quod intelligitur ex Iohan. 19. v. 10. 12. 13. Nullo igitur modo à Chriſti cæde immunis fuit.

καὶ ἀποκριθεὶς πᾶς ὁ λαὸς εἶπε· 52 τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν.	Et reſpondens vniuerſus populus dixit: Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.

VNIVERSVS POPVLVS Iudaicus, qui illic præſens aderat maximo numero, ex omnibus Iudææ immò mundi partibus, qui quidem eò cōuenerat, partim quòd audiſſet Ieſu cauſam apud præſidem à principibus agi, partim vt peteret vnum captiuorum ſibi ob paſcha dimitti; Neque populo deerant principes.
SANGVIS EIVS. Sanguis hìc ponitur pro culpa & vindicta cædis. SVPER NOS ſ. ſit aut veniat. Phraſis hebraica, qualis ſæpe occurrit Leuit. 20. *Sanguis eius ſit ſuper eum*, id eſt, ipſe eſt cauſa occiſionis ſui, ipſi imputanda eſt mors ſua ipſius. Sic hoc loco dicunt Iudæi, Culpa vindictaque, quæ incurri queat effundendo ſanguinem huius, interficiendo hunc, imputetur nobis, requiratur à nobis, nos eam præſtabimus, nos eam culpam in nos ſuſcipimus noſtro periculo luendam. Nobis mors eius imputetur, & à nobis ac filiis noſtris pœnæ exigantur. ET FILIOS NOSTROS. *Maledixerunt Iudæi*, ait Titus, *non tantum ſibiipſis, ſed & ad filios imprecationem huiuſmodi protraxerunt, ob nimiam profectò, qua vexabantur, inſaniam.* In ſeſe recipiunt omne malum, ſeſe deuouent, immo & in poſteros deriuant omnem culpam atque vindictam. O impios parentes, qui vno verbo & ſe perdunt & poſteritatem! *ò ſceleſtam vocem*, exclamat Euthymius, *ò extremam audaciam!* Seipſos obſides dant pro Pilato, filios ſeu poſteros ſuos pro poſteris Pilati, ſi fortè iræ diuinæ non ſtatim ſæuire viſum fuerit, ſed tandem demum in familiam, patribus mortuis, vt ſolet aliquando. Furore perciti, quiduis ſpondere audent, vt aſſequantur quod velint, vt Pilatus audacter occidat, vt animum addant timido præſidi, & iā propenſum vt ipſis ſatisfaciat propellant in facinus, nihil territi clariſſimo illius teſtimonio, nihil veriti ſummum periculum ſalutis ſuæ aut filiorum. Stupenda cæcitas & rabies quædam ferina huius indurati & perditiſſimi populi. Porrò vult dicere, nullam vindictam eſſe metuendam ob cædem Ieſu, ac proinde ſecurè ſe omnem vindictam in ſe accipere & filios ſuos, quaſi dicat: Ita certi ſumus nullam à te culpam aut vindictam incurrendam ob cædem huius, vt eam ſecurè in nos ipſos & filios noſtros, quibus nihil charius nobis eſt, recidere velimus, ſi quæ futura eſſe queat. Cæterùm quàm temerè id ſibi perſuaſerint, quamque inconſultè hìc ſpoponderint, ſenſerūt tandem ipſi & filij eorum magno ſuo malo, dum quadrageſimo circiter anno pòſt, à Romanis ſunt funditus euerſi & exſtirpati, plerique occiſi, reliqui capti, & in alienarum regionum ſeruitutem ducti: ſignanter verò, vt hìc Romanum præſidem, vociferantes & tumultuantes, cogunt vt crucifigat Chriſtum: ita Titus Romanus Imperator, Ieroſolymam obſidens, ipſos cibi quærendi cauſâ clàm egredientes, quingentos in dies ſingulos & eo ampliùs, crucifigi à militibus contra murum iuſſit, ita vt propter multitudinem quam cepiſſent milites, *tandem locus crucibus deeſſet, & corporibus cruces*, quod ait Ioſephus ipſe teſtis oculatus lib. 6. de bello cap. 12. Atque adeò, *perſeuerat*, quod Hieronymus ait, *vſque in præſentem diem hæc imprecatio ſuper Iudæos, & ſanguis Domini non aufertur ab eis.* Nam, quod Daniel prædixit cap. 9. v. 27: *Vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.* Quamuis autem ſibi ac poſteris ſuis imprecati ſint exitium miſeri ac ſtulti homines, Chriſtus tamen in ipſos clementior quàm ipſi in ſeſe, *non omnes ex ſententia ipſorum condemnauit*, inquit Chryſoſtomus, *ſed tam ex ipſis quàm ex filiis, eos ſuſcepit qui pœnitentiam egerunt, milleq; bonis honorauit. Nam & Paulus ex ipſis erat, & multa illorum milia qui in Ieruſalem crediderunt*, de quibus

Act. 21.

Act. 21. v. 20. Iacobus ad Paulum: *Vides, frater, quot milia sunt in Iudæis qui crediderunt.* Neque dubium est, quin complures pòst adorauerint crucem Christi, qui nunc in turba clamauerint *Crucifige.* Postremò, quamuis ad seipsos accepissent Iudæi culpam vindictamque omnem cædi Christi debitam, Pilatumque reddidissent immunem: non idcirco tamen Pilatus, vel *euasit reatum, qui cooperatus seditiosis, reliquit iudicium proprium, & in crimen transiuit alienum* (Leo serm. 8. de passione Domini) vel diuinam effugit vltionem, quod ostendimus suprà v. 19. Neque enim spondere valent apud Deum impij pro se inuicem, qui vt pro se solis singuli luant quod dignum est, non sufficiunt.

Mar. 15. v. 15. Luc. 23. v. 24. 25. Iohan. 19. v. 16.

Tunc dimisit illis Barabbam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur. [26]

τότε ἀπέλυσεν αὐτοῖς τὸν βαραββᾶν, τὸν δὲ ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ.

TVNC, sponsione huiusmodi data, cùm videret eos animis obfirmatos atq; obstinatos, nec spem esse vllam placandi eos nisi crucifixo Iesu. DIMISIT liberum ILLIS, id est, prout illi postularant. BARABBAM insignem illum latronem, omnium iudicio damnatum etiã ante iudicium. IESVM AVTEM Christum FLAGELLATVM. φραγελλώσας vox est latina, vnâ literâ commutatâ. Significat autem *flagellis cædere*, vt Cyrus exponit, eadem vtens voce *flagellis, loris cædere*, vt Theophylactus in Marcum. φραγέλλιον, inquit Euthymius, *verber erat è funiculis aut loris contextum, quo dorsa condemnatorum verberabant.* Flagellum igitur idem est quod lorum, differtque à virga, quòd hæc leuior & minùs ignominiosa, flagellum grauius & turpius. Differentiam subindicat Apostolus 2. Corinth. 11. v. 24. 25: *A Iudæis quinquies, quadragenas, vna minus, accepi: ter virgis cæsus sum.* φραγελλώσας postquam flagellasset, quem paulò antè flagellauerat; *flagellatum*, vt vertit latinus Interpres, paulò antè scilicet. Legis Romanæ fuit, vt crucifigendus priùs flagellis verberaretur, hac ratione ab honestorum hominum societate quasi separandus: quod vt hîc notat D. Hieronymus, & subindicat Euangelista ipse: ita ostendunt ex varijs alijs auctoribus, Lipsius & Gretserus, libris de cruce editis. Sed quia Iesus paulò antè flagellatus fuerat, dum speraret Pilatus, flagellatione placatis Iudæorum animis, posse eum à cruce liberari (id enim constat ex collatis locis Luc. 23. v. 22. & Iohan. 19. v. 1.) non iterum flagellauit Iesum iam cruci figendum, sed vt erat paulò antè flagellatus tradidit crucifigendum. Quare non in via aut sub cruce flagellatus fuit, vt aliquando crucifigendi: sed domi, in prætorio, quia ante latam sententiam crucis. Verberatus itaque fuit Iesus, non quidem virgis, quod leuius fuisset, sed flagris seu loris, *& illud sacratissimum corpus pectusq; Dei capax*, ait Hieronymus, *flagella secuerunt.* Non autem à Iudæis flagellatus fuit, quibus præceptum fuerat ne quadragesimum ictum excederent (Deut. 25. v. 3.) sed à militibus ethnicis, quorum immanitate multos sub eiusmodi flagellis interijsse, scribit Vlpianus l. 8. ff. de pœnis. Hoc autem tum magis accidit, cùm flagella insitis talis, ossiculis, aut hamis exasperarent: quod vt cõstat non semel factum fuisse, ita an Christo Domino factum fuerit, incertum est quidem, certum est tamen, dirè admodum fuisse verberatum; Primùm quia prophetæ pluribus locis dignum duxerant eius flagellationem prædicere. Dauid Psal. 34. v. 15: *Congregata sunt super me flagella*; magno s. numero. Isaias cap. 50. v. 6: *Corpus meum dedi percutientibus.* Deinde quia Iesus ipse inter præcipua passionis suæ futura supplicia id longè antè recensuerat, sup. 20. v. 19. Denique quia sic flagellatus fuit, vt flagellatione contenti reddi possent Iudæi, ne pergerent poscere eius mortem per crucem: vnde & Pilatus productum à flagellatione Iesum ostendens Iudæis, *Ecce homo* aiebat, Iohan. 19. v. 5. q. d. sic exceptus est flagris, vt meritò debeatis commiseratione duci, ne velitis crucifixum. Dirè itaque flagellari sustinuit Iesus, vt nos liberaret à flagellis, quæ peccatis nostris deberentur. *Hoc factum est*, inquit Hieronymus, *vt quia scriptum erat: Multa flagella peccatorum* (Psal. 31. v. 10.) *illo flagellato nos à verberibus liberaremur.* Plura de flagellatione dicemus Iohan. 19. v. 1. TRADIDIT EIS s. Iudæis, id est, *tradidit voluntati eorum*, vt ait Lucas. Græcè & syriacè non additur *eis*, licetque subaudire, iis quorum erat crucifigere, id est, militibus suis, quamquam secundùm Iohannem constanter addatur *eis*. VT CRVCIFIGERETVR sua auctoritate. Quamuis coëgerit Pilatum Iudæorum importunitas, vt Christum traderet crucifigendum: non factum tamen est hoc tamquam in tumultu, sed more solemni traditus fuit à Iudice pro tribunali sedente: ita enim voluit Pater, vt nos legitimo iudicio damnatos eius gratiâ absolueret. Cæterùm non pronunciauit Pilatus sententiam in Iesum, tamquam in eum qui cruce dignus esset, quomodo enim verbis condemnasset vt sontem, quem toties, & quidem ad extremum vsque absoluerat verbis, declararatque iustum & innocentem! sed damnatum à Iudæis tradidit crucifigendum, prout illi postulabant & exigebant, non tam ius dicens atque administrans, quàm furori ac gratiæ Iudæorũ seruiens. non aliam ergo sententiam tulit, nec aliud iudicauit, quàm Iesum tradendum sibi esse voluntati Iudæorum. Quocirca falsum esse & euangelio contrarium, quòd Pilatus, in condemnando Iesum, tali sententia sit vsus, qualem Christianus Adrichomus ex alijs recitat: *Iesum Nazarenum, subuersorem gentis, contemtorem Cæsaris, & falsum Messiam, vt maiorum suæ gentis testimonio probatum est* &c. *cruci affigite.* Tradidit vt Iudex Iesum ad crucẽ, sed ita vt in Iudæos, non in Iesum, pronunciarit: *Vos videritis.* suprà v. 24. Vita omnium in mortem tradita est & acerbissimam & ignominiosissimam, vt nos liberaret à morte æterna: quæ tamen non Pilati mens fuit, sed ipsius, Deo Patri pro nobis se offerentis ἀντίλυτρον. Neque enim vi inuitusque est traditus, sed quia voluit ipse: quod vel ex eo licuit obseruare, quòd tantâ Pilati Iudicis ad se liberandum propensione, quantam vidimus hactenus, nequaquam sit vsus pro se, sed audiens tacensque & ferens omnia, permiserit Pilatum & Iudæos de se statuere & agere quidquid vellent.

Mar. 15. v. 16.

Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, cõgregauerunt ad eum vniuersam cohortem. [27]

τότε οἱ στρατιῶται τοῦ ἡγεμόνος παραλαβόντες τὸν ἰησοῦν εἰς τὸ πραιτώριον, συνήγαγον ἐπ' αὐτὸν ὅλην τὴν σπεῖραν.

TVNC, cùm flagellandus esset Iesus. Non mox subiicit Euangelista, quid acciderit, postquam Præses tradi-

tradidiſſet Ieſum vt crucifigeretur, ſed interiicit quid acciderit circa flagellationem Ieſu: duo enim dixerat, & quòd flagellatus fuerat Ieſus,& quòd traditus,vt crucifigeretur. Quòd autem circa flagellationem contigerint ea quæ ſequuntur, conſtat ex Iohan.19.v.1.2. & annotatum eſt à D. Auguſtino inter alios lib.3. de conſ.Euang.cap.9. MILITES,qui lictorum fungebantur officio,quos quatuor fuiſſe diſcimus ex Ioh.19. v.23.vtebantur enim Romani militibus ad adminiſtranda ſupplicia. SVSCIPIENTES.παραλαβόντες accipientes, aſſumentes, poſtquam accepiſſent ſeu aſſumſiſſent.Iohan.19.v.1.dicitur Pilatus Ieſum apprehendiſſe, ſeu accepiſſe, quia iuſſit vt milites ſui eum acciperent, & in prætorium ductum flagellarent.

IN PRÆTORIVM.Syrus: *Duxerunt in prætorium*.πραιτώριον vox eſt latina,græcè ſyriaceq; vſurpata,quâ Romani ſignificare conſueuerant domum prætoris ſiue præſidis, vbi prætor prouinciæ & habitabat & ius dicebat. Poſtquam Pilatus, Iudæis foris ſtantibus nec audentibus *ingredi prætorium ne contaminarentur* (Iohan.18. v.28.) dixerat *Corripiam illum & dimittam* (Luc.23.v.22.) adſtantem ſibi Ieſum in Lithoſtroto (veriſimile eſt qui locus erat, contiguus quidem, ſed extra prætorium, iuſſit à militibus apprehendi ſeu accipi,& intrò in atrium prætorij ductum flagellari. Hoc eſt id quod hîc milites feciſſe referuntur, ſic interpretante etiam Chriſtiano Druthmaro,his verbis: *De loco vbi Pilatus ſedebat,qui Lithoſtrotos dicebatur,duxerũt in domum Pilati.*

CONGREGAVERVNT. conuocauerunt in atrium prætorij, locum ampliſſimum. AD EVM. ἐπ' αὐτὸν *apud eum*; Syrus *aduerſus eum* ſ. Ieſum; illius ſ. ſpectandi & ampliùs deridendi dehoneſtandique cauſa; quaſi qui more regum multis militibus & miniſtris ſtiparetur, à quibus interea affligeretur & derideretur.

VNIVERSAM COHORTEM. è qua ipſi erant,vniuerſos commilitones ſuos. *Cohortem*. τὴν σπεῖραν, ſpiram, quâ græca voce vtitur & Syrus ܐܣܦܝܪ *eſpir*. Ea funem propriè ſignificat,ex multiplicibus funiculis contortum:vnde factum vt pro cohorte & militum caterua accipiatur,eo modo quo vox hebræa חבל *hebel*, funem propriè,metaphoricè cœtum ſignificat. Eſt igitur σπεῖρα militum multitudo. quam cohortem Latini interpretantur: quæ quidem peditum eſt,vt turma equitum. Cohors autem erat decima pars legionis,continens quinquaginta manipulos,id eſt,mille ducentos quinquaginta milites, ſiquidem manipulus viginti quinque milites continebat, quod diximus ſuprà 26.v.53. & docuimus Iohan. 18.v.12. Nam ſunt alij, qui decem ſolummodo milites ſingulis manipulis attribuunt,ita vt cohors ſit quingentorum duntaxat militum.Haud dubium eſt autem,cohortem, cuius hîc eſt mentio,eam fuiſſe,quæ dicebatur prætoria.quæ prætori ſiue præſidi in prouinciâ ſemper præſto aderat: prout hîc aderat Pilato,partim ad fores palatij eius excubias agens, partim ex vicinâ arce Antoniâ, vbi maior pars agebat,euocata ob metum ſeditionis ex populi concurſu.erat enim arx Antonia media inter Pilati palatiũ & templum, ita vt ex ea pateret acceſſus, hinc per Lithoſtroton in prætorium, hinc per pontem in templum. Hanc cohortem nocte ſuperiore ſecum eduxerat Iudas ad comprehendendum Ieſum (Iohan.18.v.3.12.) eadem iam conuocatur, ad ſpectandam & promouendam flagellationem atque illuſionem Ieſu; & quidem *vniuerſa* conuocatur, id eſt, omnes qui aderant è cohorte, qui quidẽ erant pars longè maior.Nam quia Iudæi abſtinebant ingreſſu prætorij,ne contaminarentur:locus autem vbi Ieſus ex decreto Præſidis flagris corripiendus erat,erat atriũ prætorij:ne nullus adeſſet ſpectator flagellationis, eiuſque quam ipſi meditabantur illuſionis,immo verò vt multi adeſſent & ſpectatores & adiutores,Tortores cõuocarunt in prætoriũ vniuerſam cohortem commilitonum ſuorum Romanorum,immo *diabolus*,quod ait Chryſoſtomus, *omnes quaſi dato ſigno ad choream concitabat*. Dæmon enim neſciens quid faceret, ſeipſum deſtruebat. Omnes conuocati fuere,paucoſque veriſimile eſt abfuiſſe,vt eſt militum genus crudele,*voluptatem capiens*,quod ait Chryſoſtomus, *ex contumeliis*. Iudæi,cùm foris ſtarent, non aderant: animus tamen eorum erat in medio prætorio, erat in manibus militum, quos ſuapte ſponte propenſos ad maleficium, huc inſtigarant, credibile eſt.

καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν, περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην.	28 & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.	Mar.15. v.17. Iohan.19. v.2.

EXVENTES EVM. ἐκδύσαντες αὐτὸν poſtquam exuiſſent eum,exuto ſ.veſtimẽta propria;ſcilicet *tunicam inconſutilem & ſtolam*,inquit Origenes: *hæc enim veſtimenta eius talia,deſcribit Iohannes*. Quale tormentum hoc fuerit ingenuo animo Filij Dei, qui ipſa virginea caſtitas & omnis verecundiæ ac pudoris exemplar fuit,denudari coram tanta impudicorum gentilium & laſciuiorum militum, ſannionum ac ſycophantarum multitudine, *ac ſi denudaretur vnus de ſcurris* (quod Dauidi Michol improperabat,2.Reg.6.v.20.) poteſt ex ſe quiſque æſtimare. Nam etſi eum nulla carnis concupiſcentia infeſtaret,quem virgo conceperat: id tamen quia præſentes neſciebant (indutus enim erat *ſimilitudine carnis peccati*) cauſa ipſi erat erubeſcentiæ, ac proinde etiam pœna nuditatis, non minor quàm nobis. Ille itaque dignatus eſt erubeſcere, vt impudicitiam atque impudentiam noſtram auferret à nobis.vide infrà v.35. CHLAMYDEM. Poſtquam denudaſſent eum,primùm omnium alligatum ad columnam flagellarunt; deinde flagellato, loco propriarum veſtium, chlamydem coccineam ludibrij cauſa impoſuerunt. Chlamys vox eſt græca,qua tamen etiam Syrus vtitur,notans pallium militare,quo & milites & imperator ipſe vtebantur, quamquam imperatoria chlamys propriè paludamentum diceretur. Militare autem pallium, breuius & ſtrictius erat,quàm domeſticum. COCCINEAM. κοκκίνην coccinam,cocco tinctam. Eſt coccus granum fruticis cuiuſdam,inficiens veſtes colore rubro & ſupra modum grato, quem nos vocamus *l'eſcarlatte*. Hic quia proximè ad purpureum colorem accedit, milites volentes Ieſu, tamquam iure flagellato ob regnum vſurpatum,illudere,coccineam chlamydem loco purpureæ ipſi circumpoſuerunt: nam purpura Imperatorum Regumque inſigne eſt,ſed rara. Neque enim curæ militibus fuit, vt verè purpuram Chriſtum induerent, ſuffecit eis, vt aliquid purpuræ ſimile ipſi in humeros iniicerent,quo conſtaret ludibrij ratio,regem quaſi in ſcena repræſentantis. Quare nec ſplẽdidam veſtem eos accepiſſe credendum eſt, ſed qualis occurrit, militis alicuius reiectitiam vſuque ineptam chlamydem; colore tamen cocci accedentem ad Imperatorum Regumque purpuream chlamydem. CIRCVMDEDERVNT. περιέθηκαν circumpoſuerunt. ſuperiicitur enim chlamys & circumuoluitur,carens nimirum manicis. Quia affectati regni accuſatus fuerat Ieſus,milites,quo ſunt ingenio petulanti,Cæſaris monarchiæ

 ſtudio-

ſtudioſos ſe declarantes, & Iudæis quoque gratificari cupientes, flagellationi addiderunt à ſe excogitatum illuſionis genus grauiſſimum, quo ita ornarunt eum tamquam regem, vt tamquam vilem ac miſerum deturparint, pudefecerint, & cruciarint, exprobrata ei ambitione, quaſi regnum huius mundi affectaſſet, nec aſſequi potuiſſet. In primis itaque, corpori eius, vt erat nudum à flagellatione, ſuperiniecerunt chlamydem coccineam, vilem illam ac tritam, tamquam pallium regale, *luſum ſibi ipſum facientes*, ait Origenes. Quod quamquã illi iniuſtiſſimè ex ſemetipſis, *iram ſuam vtentes motiuum*, quomodo Chryſoſtomus loquitur, fecerunt, vt & cætera quæ ſequuntur, non temerè tamen Chriſtus ea pati voluit. Veſte coccinea paſſus eſt ſe illudi, primùm quidem vt pro abuſu veſtium noſtro ſatisfaceret, deinde vt etiã ſtolam glorię nobis promereretur.

Mar. 15 v. 17. 18. 19. Iohan. 19 v. 2. 3.

Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorum.

29 καὶ πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, ἐπέθηκαν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ κάλαμον ἐπὶ τὴν δεξιὰν αὐτοῦ. καὶ γονυπετήσαντες ἔμπροσθεν αὐτοῦ, ἐνέπαιζον αὐτῷ λέγοντες· χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων.

PLECTENTES. πλέξαντες poſtquam plexuiſſent, plexam, contextam, concinnatam. CORONAM. ſertum in modum coronæ ſeu diadematis regij. DE SPINIS. ἐξ ἀκανθῶν ex ſpinis, quales vulgò illic creſcebant. rhamnus fuiſſe creditur, iis locis frequens. Meminiſſe oportet arietis, hærentis cornibus inter vepres, Gen 22. v. 13. POSVERVNT. ἐπέθηκαν impoſuerunt. SVPER CAPVT EIVS. quâ non caput tectum vt pileo, ſed tempora redimita & circumdata fuere vt diademate. Vt omni ex parte quaſi in ſcena Regem ex ludibrio repręſentarent, ramuſculos aliquot ſpinoſos conuoluentes in orbemque torquentes & contexentes, coronam condidere, ligno auri vice, & ſpinis gemmarum loco conſtantem, quâ caput eius tamquam regis, non veri ſed miſeri iuxta atque ridiculi, ita redimiuerunt & cinxerunt, vt etiam egregiè pupugerint (*coronant enim compungentes*, ait Ambroſius lib. 10. in Lucam) *& tempora lancinarint* (quod diſertis verbis annotauit Tertullianus mox huc citandus) denique faciem & tempora & collum ſanguine expreſſo fœdarint. Duplex pœna eſt ludibrium cum tormento coniunctum. Porrò *in hac ſpinea corona, ſuſcepit Dominus ſpinas peccatorum noſtrorum*, quod ait Origenes, *intextas in capite ſuo. Peccatorum eſt enim*, inquit Hilarius, *aculeus in ſpinis, ex quibus Chriſto victoria corona contexitur.* Id Tertullianus ſub finem libri de corona militis clariùs explicat, verbis huiuſmodi, quæ vt in omnes commentarios huc tranſcribantur ſunt digna: *Chriſtus Ieſus, quale, oro te, ſertum pro vtroque ſexu ſubiit? ex ſpinis opinor & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in dominici capitis tolerantia obtundens. Certè, præter figuram, contumelia in promtu eſt, & turpitudo, & dedecoratio, & his implexa ſæuitia, quæ tunc Domini tempora & fœdauerunt & lancinauerunt.* Hæc ille. Verè itaque Dominus Ieſus, ſpinas peccatorum noſtrorum ſuo ipſe capite portauit, vt nobis acquireret coronam gloriæ. Coronæ Regum huius mundi vel ſunt aureæ, vel argenteæ, vel ferreæ, quia regna huius mundi opibus, ſplendore, & viribus conſtant: Chriſti autem corona ſpinea eſt in hoc mundo, quia regnum Chriſti in hoc mundo afflictionibus & paratur & conſtat: nam in altero ſeculo, pro coronâ contumeliæ, gloriæ coronâ ornabitur. ARVNDINEM. κάλαμον calamum. quæ eſt vox græca. Leuinus Lemnius libri de herbis biblicis capite 27. de hac arundine in hunc ſcribit modum: *Arundinis plures ſunt differentiæ: vna ſpecies eſt læuore perpolita, enodis nulliſq; diſtincta geniculis aut internodiis, quæ Typha paluſtris vocatur, qualis Chriſto pro ſceptro regali in manum tradita, in affectati regni ludibrium. Eſt huic ſtirpi, ſceptri regalis aut imperatorij forma, cuius cacumen, duarum ferè palmarum altitudine, ac craſſitudine pollicari, denſa compactáque lanugine ſtipatur: quam ſi manu aut digitis demulceas, holoſericum aut villoſam quamdam congeriem contrectare te credas: quæ tamen poſt dies aliquot diſſoluitur in pappos, atque in diffuſam lanuginem euaneſcit.* Hæc ille non abſimiliter vero. IN DEXTERA EIVS ſ. poſuerunt. Arundinem in manum dederunt loco ſceptri (quod notat inter alios veteres Hieronymus) ſpinis caput cinxerunt loco diadematis, chlamydem coccineam humeris impoſuerunt pro purpureo paludamento, ita contemtim regiam quandam ſpeciem ipſi affingentes, & tale regnum ipſius eſſe, qualia darent ipſi inſignia, ſubſannando teſtantes. Ipſe verò ſuſtinuit patienter, concedens regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, hoc eſt non eſſe tale regnum qualia ſunt regna huius mundi, ſed tale ferè eſſe in hoc mundo, quale ipſi ridebant, regnantium ſanguine purpuratum, ſpinis afflictionum abundans, & ludibrio obnoxium, tamquam arundineum, fragile, & armis carnis minimè potens, inane denique, eiuſmodi tamen, quo regnum diaboli eſſet deſtruendum, quemadmodum arundinis ictu ſerpentes venenati occiduntur: quod poſtremum D. Hieronymus annotat cum Athanaſio ſermone de paſſione Domini & cruce. GENV FLEXO. γονυπετήσαντες genuflexi, cùm genuflexiſſent, ſpeciem adorationis Regi conuenientis præ ſe ferentes. ANTE EVM. ſic ornatum inſtar regis, ſed ludrici ſimul & miſeri. ILLVDEBANT EI etiam verbis. AVE. χαῖρε gaude, ſalue, ſis ſaluus. Syrus, *pax*. Fingunt ſe ſalutare recèns coronatum regem, & gratulari, ac proſpera omnia optare regi nouo. REX IVDÆORVM. Hinc totius irriſionis occaſio accepta fuerat, quòd Ieſus in iudicio, tam coram Pilato quàm apud Iudæos, faſſus fuerat ſe Chriſtum Regem Iudæorum, & aliàs paſſus ſibi hoc à populo acclamari. Salutant igitur eum regem Iudæorum, ioco cumprimis amaro, & inſultatione hoſtili. q.d. conatus es Iudæis regnare, ſed non valuiſti: ambiuiſti regnum Iudæorum, ſed aſſequi non potuiſti. talis enim es rex, qualia ſunt inſignia iſta quibus ornaris. Ipſe autem hanc irridentium adorationem æquanimiter tolerando, meruit à Deo ita exaltari, vt *in nomine ipſius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Ieſus Chriſtus, conſors gloriæ Dei Patris, Rex ſit Regum & Dominus dominantium.* Philip. 2. v. 9. 10. 11. Apoc. 19. v. 16.

ϗ ἐμπτύσαντες εἰς αὐτὸν, ἔλαβον τὸν 30 κάλαμον, καὶ ἔτυπτον εἰς τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

Et exſpuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.

Mar. 15. v. 19.

Exspventes. ἐμπτύσαντες inſpuentes, cùm inſpuiſſent. In evm. Syrus, *in faciem eius*. vide ſup. 26. v. 67. ſimilem ignominiam abs Iudæis illatam. Surgẽtes à genuflexione, vt adorationem ſuam clariùs interpretarentur, loco donorum quæ ſolent Regi ab adoratoribus offerri, ſordes ſputorum ſuorum iecerunt in faciem Ieſu, quia nihil vilius haberent quod darent: quaſi dicerent: Non Rex, ſed viliſſimus homo es; non adoratione, ſed extremo contemtu dignus. Salutationi addiderunt ſputa & verbera, tributi loco. Vt autem multi milites aderant, ita multos id feciſſe credibile eſt. Acceperunt arundinem ex dextera eius.

Caput eivs. εἰς τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ *ad caput eius*, verberabant (eum) ad caput ipſius. Interpres omiſſa præpoſitione rectè vertit *Percutiebant caput eius* ſ. eâ arundine. Nam vt arundo, quamuis leuis, non tamen caret ſua duritie: ita grauibus ictibus obtuderunt Domino noſtro caput, *tamquam ſtulto*, inquit D. Thomas in hunc ſcribens locum, qui ſcilicet fatuis modis adſpiraſſet ad regnum, homo pauper, inermis, & vilis. Loco eius itaque, quòd Rex conſueuit ſupplices ſceptro tangere in ſignum fauoris: ipſi ſceptro è manibus huius ſui regis accepto, verberant ipſummet regem, tamquam non regem ſed morionem, ambitam regis dignitatem in caput eius retorquentes; fortaſſis etiam ſpinas hac ratione altiùs adigentes in caput. *Non membrum vnum*, inquit Chryſoſtomus, *ſed vniuerſum corpus, atroces has iniurias patiebatur, caput afflictum coronâ, calamo, pugnis; facies ſputis, maxillæ alapis, reliquum corpus flagellis, nuditate, amictu chlamydis, adoratione ſimulata; manus calamo, quem pro ſceptro tenere dederunt; os quoque ipſum & lingua aceti potione ac felle.* Nullum vſquam exemplum tantæ inhumanitatis & crudelitatis aduerſus manifeſtarium malefactorem editum legimus, quale hic ſpectatum eſt aduerſus hominum omnium innocentiſſimum, & iudicis quoque ore pronunciatum iuſtiſſimum: quem non innocentiſſimum tantùm, ſed & beneficentiſſimum in omnes fuiſſe conſtabat. *Quæ enim Chriſto per ſummam contumeliam illata ſunt, ea ad ſummum contumeliarum omnium faſtigium peruenerunt*, ait Victor Antiochenus Marcum enarrans. Id autem Chriſtus ipſe non obſcurè intelligendum dederat, quando hæc longè antè prædixerat, his verbis: *Tradent eum gentibus ad deludendũ.* ſup. 20. v. 19. Non eſt autem veriſimile quòd Pilatus hæc iuſſerit, ſed quòd, Pilato cõniuente, milites, quo ſunt ingenio petulanti & fero, modis omnibus ſuam explentes libidinem, vltrò hæc Domino intulerint, *in gratiam Iudæorum* (id enim Chryſoſtomus in Iohannem ſcribens diſertis verbis aſſerit) hoc eſt, pontificum & ſeniorum, à quibus nocte ſuperiori amplam pro comprehenſione Ieſu pecuniæ ſummam acceperant; quò regni affectati, vt dicebant Iudæi, inſaniam ipſi exprobrarent: quaſi Ieſus quidquam, quod ad regnũ mundanum pertineret, egiſſet vmquam, aut de eo vſpiam loquutus fuiſſet, ipſe ab omni ambitione alieniſſimus, & ſponte humillimus ac pauperrimus. *Ego autem*, inquit Origenes, *puto milites hoc feciſſe, operãtibus in ſe inuiſibilibus regibus & principibus ſeculi huius, vt videatur iſta deluſio illorum potius fuiſſe quàm hominum.* Cæterùm quò crudeliùs ſæuiit Satan in Ieſum, eò potentiùs deiectus eſt per patientiam Ieſu, qui tacitus manſuetiſſimè ſeſe præbuit ad omne ludibrij genus, vt noſtris peccatis debitam ignominiam in ſe trãsferens, nos eueheret ad ſuam gloriam. Quamuis enim vnico actu potuiſſet, & pro peccatis noſtris omnibus ſatisfacere, & vitam nobis omnibus æternam mereri: quia tamen varia ac multiplicia hominum peccata ſoluenda ſuſceperat, multiplicem quoque ignominiam & pœnam ſubire voluit, & omnibus tum animi facultatibus tum corporis membris, quibus homines ad peccandum abutuntur, affligi, ne vllum peccati genus omitteretur, quod non propriè in ipſo eſſet vltum: & vitam æternam Deique gratiam locupletiſſimè nobis promereretur, ita vt copioſa eſſet noſtri redemtio, quemadmodum diximus ſuprà 26. v. 38. Neque verò huius ſacramenti ſolummodò cauſâ omnia paſſus eſt, verumetiam exempli cauſa, vt abſolutum nobis ederet lenitatis & malorum tolerantiæ exemplar: quæ quidem duo in tota Domini paſſione vbique conſideranda ſunt. Igitur vt cum B. Auguſtino concludamus, hæc eadem ex euangelio Iohannis tractante: *Sic implebantur quæ de ſe prædixerat Chriſtus: ſic martyres informabantur, ad omnia quæ perſecutores libuiſſet facere perferenda: ſic pauliſper occultatâ tremendâ potentiâ, commendabatur prius imitanda patientia: ſic regnum quod de hoc mundo non erat, ſuperbum mundum, non atrocitate pugnandi, ſed patiendi humilitate vincebat: ſic illud granum multiplicandum, ſeminabatur horribili contumelia, vt mirabili pullularet in gloria.* Hæc Auguſtinus tractatu 116. in Iohannem. Porrò quod Pilatus conniuendum ſibi duxerit in hac militum inſolentia, fuit, vt quoquo modo ſatisfaceret Iudæis, quò eis videri poſſet, peccatum quo Ieſus dixerat ſe Regem eſſe Iudæorum, ſatis eſſe caſtigatum, ne pergerent poſtulare ad crucem.

καὶ ὅτε ἐνέπαιξαν αὐτῷ, ἐξέδυσαν 31 αὐτὸν τὴν χλαμύδα, ϗ ἐνέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ σταυρῶσαι.

Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, & duxerunt eum vt crucifigerent.

Mar. 15. v. 20. Iohan. 19. v. 16.

Illvservnt. ἐνέπαιξαν illuſerant, poſtquam omni ludibriorum genere ſatiaſſent animos & oculos ſuos ac cohortis. *Vbi milites*, inquit Victor in Marcum, *ad ſatietatem vſque Chriſtum redemtorem noſtrum ludibrio habuerunt, abduxerunt eum vt crucifigerẽt.* Exvervnt evm iidem milites lictores. Multa à Matthęo omiſſa ſuppleuit Iohannes capite 19. à verſu 4. vſque ad 17. quomodo Ieſus ita vt erat ab illuſoribus ornatus & tractatus, exhibitus à Pilato fuerit Iudæis, illiſque nihilo magis placatus, intrò receptus rurſus examinatus fuerit à Pilato, de eo quòd ſe dixiſſet Filium Dei, tandem iterum foras productus, Pilato pro tribunali ſedente, traditus fuerit Iudæorum voluntati. Tunc demum à militibus, iterum eum ſuſcipientibus, exutus eſt chlamydem coccineam. Ergo hîc redit Euangeliſta ad id quod ſuprà v. 26. dixerat *tradidit eis vt*

 cruci-

crucifigeretur, postquam interiecit quædam quæ vnà cum flagellatione contigerant. sic docet etiam D. Augustinus lib. 3. de consf. Euang. cap. 9. Porrò *de chlamyde quidem scriptū est*, inquit Origenes, *quoniam denuo spoliauerunt eum chlamydem coccineam: de corona autem spinea nihil tale Euangelistæ scripserunt, propterea quod & nos quærere voluerunt exitū rei, de corona spinea semel imposita & nunquā detracta.* VESTIMENTIS EIVS pro suis siue proprijs. Fecerunt hoc milites, tum vt eductus agnosceretur ab omnibus (quemadmodum oportet eum qui publicè Iudicis auctoritate interficitur) tum ne sibi peterent eius vestimenta, quæ sua iure fore tenebant, postquam affectus ille foret supplicio: quorum pretio, etsi non grandi, coccinea illa chlamys non erat conferenda, quæ nullius erat pretij. DVXERVNT. ἀπήγαγον abduxerunt s. è prætorio, insequentibus Centurione cum militibus suis, loco Præsidis, principibus sacerdotum & senioribus populi, cæterisque inimicis, multâ etiam turbâ plebis ac mulierum, quod ex Euangelijs est manifestum, præcedente fortasse buccinatore, quod Romani moris fuisse, ostendit Gretserus libri 1. de cruce capite 16. *Hic educitur Abel in agrum à fratre vt perimatur*, inquit Auctor commentarij in Marcum, D. Hieronymo adscripti. EVM, funibus vinctum & detentum ante se agentes. *Sicut ouis ad occisionem ducetur*, prædixerat Isaias cap. 53. v. 7. Hoc in itinere, facilius est mente concipere quàm verbis, quæ conuitia, quas contumelias & sannas, quos ictus & pulsus, Dominus Iesus pertulerit: nec enim dubium, quin, per sæuitiam simul & lusum, impulerint, deiecerint, erexerint, si non etiam stimulis ac sudibus, quemadmodum solent boues, in corpus actis agitauerint: huiusmodi enim cum vexatione quosdam deduci solitos ad crucem legitur. In hoc itinere verisimile est accidisse illud Psalmi 68. v. 13: *In me psallebant qui bibebant vinum.* Vt enim erat meridies, ita credibile est, multos Iudæorum accumbentes mensæ, spectasse Iesum prætereuntem ædes ipsorū & præ gaudio deinde admiscuisse carmina vino suo, quòd de inimico vindicarentur. Iam hîc meritò consideratur, quoties hodie à cœna Dominus locum mutarit, quotque amara itinera parui temporis spacio nostrâ gratiâ confecerit, non citra fatigationem extremam; septem inquam nec ea breuia. A cœnaculo profectus est in montem Oliuarum, per spacium plus minus sex stadiorum: ex monte Oliuarum tractus est domum Annæ, per æqualis ferè longitudinis spacium; inde domum Caiphæ, distantem gressibus siue passibus trecentis triginta; postea ad ædes Pilati, mille passibus distantes. Hinc ad Herodis palatium fecit trecentos quinquaginta passus: rursus ad Pilati, aliâ viâ, vt dicitur, per sexcentarum vlnarum interuallum ductus est. Vnde denique ad montem Caluariæ & locum crucis, confecit arduos cruentosque passus mille trecentos viginti vnum. Hæc ferè ex Theatro terræ sanctæ Christiani Adrichomi, vbi describit Ierusalem, accepimus: qui per gressum intelligit passum minorem, constantem duobus & dimidio pedibus (is enim est gressus hominum vulgaris) quales passus, in vno miliari Italico, sunt bis mille; in vno stadio, ducenti quinquaginta; cùm alioqui, maiorum passuum siue geometricorum, qui constant quinque pedibus, non sit nisi dimidium.

Mar. 15. v. 21. Luc. 23. v. 26.

32 Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt vt tolleret crucem eius.	ἐξερχόμενοι δὲ εὗρον ἄνθρωπον κυρηναῖον, ὀνόματι σίμωνα· τοῦτον ἠγγάρευσαν ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ.

EXEVNTES. dum exirent s. non prætorio, sed ciuitate, id est, in ipsa porta ciuitatis, vel circa eam: quæ quidem porta, ad occidentem vrbis sita, inter portam Genath à septemtrione, & portam piscium seu negotiatorum à meridie, vocabatur porta vetus & porta iudicialis, cuius mentio est Nehemiæ 3. vers. 6. & 31., eò quòd, vt seniores ius olim in ea dicere consuessent, ita iam quoque extra eam lata mortis iudicia perficerentur. Hac porta via erat in Silo & in Gabaon: non longè extra eam situs Caluariæ locus. INVENERVNT s. milites. HOMINEM. virum. CYRENÆVM. oriundum ex Cyrene, quæ est vna ex ciuitatibus illis quæ pentapolin Lybicam efficiunt, inter Africam propriè dictam & Libyam Marmaricam sita: vrbs celebris & sacris & prophanis historiis, cuius meminerunt, Plinius lib. 5. nat. hist. cap. 5. & Ammianus Marcellinus sub finem libri 22. rerum gestarum. Attamen Iudæum genere fuisse virum hunc, vix dubium est, qui per se ipse, aut certè cum parentibus, habitationem è Cyrenaica regione in Ierosolymitanam transtulerit: Iudæos enim in Libyam vsque & Cyrenem dispersos fuisse, testantur Acta Apostolorum, quæ cap. 2. v. 10., Ierosolymæ, sacro Pentecostes die, adfuisse testantur, Iudæos natos habitantesque *partes Libyæ quæ est circa Cyrenem*: rursus cap. 6. v. 9. produnt Cyrenensibus Ierosolymæ propriam fuisse synagogam. fuit alia Cyrene, vrbs Mediæ, de qua Amos cap. 1. v. 5. ait: *Transferetur populus Syriæ Cyrenem* (prout factum legitur 4. Reg. 16. v. 9.) sed hîc de priori potiùs Cyrene agitur, quod sentit etiam Origenes: *Eo quòd*, inquit, *de pentapoli esset Cyrenes, secundum Libyam.* SIMONEM. Iudaicum est nomen, commune cum Petro Apostolo, quod interpreteris obedientem. *Hic fortaßis Simon*, (inquit Victor in Marcum) *per id tempus adhuc superstes erat, ita vt certò ea referre potuerit quæ circa crucem Domini acciderant.* Hoc idem annotat Theophylactus in Marcum. Hanc ergo ob causam nominatur, omninoque ob certitudinem historiæ. ANGARIAVERVNT. compulerunt, vi coëgerunt, volentem, nolentem, quæ est licentia militaris. De hac voce egimus suprà 5. v. 41. Fortassis ea iam militibus erat vsurpata, vt habent illi sua vocabula castrensia. VT TOLLERET. vt ferret CRVCEM EIVS Iesu. Iesu egredientis è prætorio humeris imposita fuit sua crux, quod narrat Iohannes cap. 19. v. 17. Tulit eam longanimis per ciuitatem Ierosolymorum, donec egressus esset portis, sed difficulter admodum, quòd illa quidem pondere esset grauis, &, vt oblonga, ita portanda simul ac trahenda, maxima cum concussione corporis, atque iter non paruum, ipse verò extremè fatigatus viribusque exhaustus, tum ex multiplicibus itineribus, quæ breuì confecerat, tum ex vigiliis & afflictionibus variis quas passus fuerat, ita vt creditu facile sit, oneri aliquando succubuisse, & cecidisse in terram, præsertim cùm milites conuitiis minisque adhibitis vi propellerent. Quia ergo lento gradu Iesus cruce grauis progrediebatur, milites verò festinabant, vrgentibus maximè sacerdotum Iudæorumque principibus, vt Iesus citò perimeretur, veriti ne in itinere immorari cogerentur, ne etiam Iesus sub onere in via deficeret; cùm iam vrbe egrederentur, adegerunt virum hunc sibi obuiam factum, vt Iesu esset auxilio.

Quum

Quum enim nullus adesset, qui infame nefastumque lignum vel precio portare vellet (tantæ erat ignominię in illo spectaculo crucem ferre) milites, qua fuêre audaciâ, virum hunc rusticum, ignobilem, & pauperem, in itinere inuentum, coëgerunt vt ferret, crucemque ex Iesu humeris in ipsius humeros transtulerunt, non vt Iesu parcerent, aut eum onere leuarent, sed vt maioribus eum suppliciis robore integrum reseruarent, vt minori cum impedimento inter eundum ipsi illuderent, denique vt festinantes citiùs absoluerent negotium occidendi. Tulit igitur Simon crucem Iesu, non posteriori tantùm parte, prioris partis onere, quod longè grauius erat, Iesu remanente, sed vt antea Iesus integram; sic enim D. Augustinus lib. 3. de consen. cap. 10. aliique veteres id intelligunt) tulit partim, partim traxit. Nec tamen ipse videri cuiquã potuit crucifigendus, eò quòd crucem ferret: liber enim erat, non funibus vinctus atque retentus, vt Iesus & alij duo latrones. Quòd autem adeò longa fuerit crux, vt vno suis humeris portante superiorem partem, inferiorem humi repere necesse fuerit, facile est intelligere, si consideretur, quòd, cùm deberet, & terræ infigi vt staret recta, & ita è terra prominere, vt corpus Dominicum altiùs eleuaret, debuerit facilè Dominici corporis longitudinem duplo superare, & mensuræ 14. aut 15. pedum exæquari, prout eam exæquasse notant qui ista inuestigarunt. Felix Simon, qui in cruce ferenda Iesu socius fuit: nam sicut socius fuit passionis, ita fuit & gloriæ, quam ad hunc vsque diem euangelica historia celebris obtinet. Atque hac re significatum est, multos fore qui in cruce portanda Iesum essent secuturi: *Non solum eum*, inquit Origenes, *Saluatorem conueniebat accipere crucem suam, sed & nos conueniebat portare eam, salutarem nobis angariam adimplentes.* Nam & sic nobis omnibus antea præceperat Iesus: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* sup. 10. v. 38. Sustulit quidem Simon crucem coactus, vt & nos plerique omnes non nisi coacti patimur aduersa pro Iesu: sed *felix necessitas*, quod ille ait, *quæ ad meliora compellit*, vbi militum aliorúmve impiorum violentia, salutem nobis & gloriam parit.

καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον γολγοθᾶ, ὅς ἐστι λεγόμενος κρανίου τόπος,

33 Et venerũt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus:

Mar. 15. v. 22. Luc. 23. v. 33. Iohan. 19. v. 17.

VENERVNT. ἐλθόντες postquam venissent: nam proximo demum versu græcè sententia perficitur. DICITVR. vocatur. GOLGOTHA, *Golgoltha* dicendum foret duplici *l*, sed Græci & Latini euphoniæ causa omiserunt posterius *l*, quemadmodũ Syrus ipse prius, scribens ܓܓܘܠܬܐ *gogultho*. Hebræis גל *gal* voluere est, vnde גלגל *galgal* sphæra, cælum, & גלגלת *galgoleth*, quod Chaldæi ac Syri addito *aleph* efferũt גלגלתא *golgultho* seu *golgoltha*, caluaria, caput, à rotũditate & volubilitate. QVOD EST, quod nomen Golgotha, significat idem quod CALVARIÆ LOCVS. ὅς ἐστι λεγόμενος *qui est dictus*. *qui* s. locus. Syrus, *quem interpreteris*. Euthymius: *Quod nomen Golgotha, dictum siue versum ab Hebraica lingua in græcam vel latinam, est & dicitur Caluariæ locus.* Latinus interpres non videtur legisse vocem illam λεγόμενος, frustra repetitam. CALVARIÆ. κρανίου cranij. Caluaria seu cranium, est caput mortui, carne nudatum, quod aliàs calua dicitur. Syrus vocat ܩܪܩܦܬܐ *karkaphto*. Duplex igitur nomen *caluaria* syriacè habet, *Golgultho* & *karkaphto*: ad quem modum etiam Euangelista hebraicè scribens, vnum hebraicum nomen altero explicuit, nisi fortè Interpres eius græcus addiderit hanc clausulam *quod est caluariæ locus*. LOCVS. Vox *Golgoltha* non significat *locus*, sed dumtaxat *caluaria*: At Euangelista, vel certè Interpres ipsius græcus, indicat pro loco hîc accipi. Locus, *Caluaria*, hoc est, *golgoltha* dicebatur, non à protoplasti caluariâ quæ illic fuerit sepulta (quomodo enim Iudæi, locum, sepultura protoplasti celebrem, nefariorum cædibus & sepulturis inquinassent) sed, singulari pro plurali accepto, à caluariis & ossibus hominum eorũ qui ob scelera sua extremo illic supplicio affici & sepeliri consueuerant (sententia est D. Hieronymi) quorum multa passim illic sparsa & neglecta visebantur, vt fit in polyandriis: nimirũ prę se ferebat locus cui rei dedicatus esset, & ex re nomẽ erat inditum vulgò ab Ierosolymitis. Erat igitur *Golgoltha*, locus publicus, infamis sontium suppliciis, passim iacentibus extinctorum ossibus funestus & exsecrabilis, vicinus vrbi Ierosolymorum (testis est Iohannes cap. 19. v. 20) ad plagam occidentalem, quâ parte vergit in septemtrionem, in monte petroso & mediocriter alto, quâ erat via in Silo & Gabaon, vt ferè solent exempla edi in locis conspicuis & iuxta vias sitis. Iesus extra terrenæ Ierusalem septa educitur, tamquam hominum consortio indignus, vt nos sanguine eius expiati ad angelorum consortium in cæleste sacrarium introducamur. Noluit in ciuitate immolari, ne videretur pro solis se offerre Iudæis, aut sacrificium offerre quale intra portas Ierusalem offerebatur, sed foris, vt alterius generis sacrificium esse intelligeretur, quod offerretur pro vniuerso quàm latè patet orbe terrarum. *Ideo non sub tegmine* (inquit Augustinus sermone 130. de tempore) *neque in templo Iudæorum, vt non subtraherent sacrificium salutare Iudæi, neque existimes pro illa tantummodo gente hanc hostiam offerri: propterea enim extra ciuitatem, & extra muros, vt intelligas quoniam communis est hostia pro genere humano oblata.* Neque hoc solum mysterium hac re nobis declaratum est, verumetiam exemplum datum, vt nos *ad eum extra castra exeamus, improperium eius portantes*, id est, ipsius exemplo mundum affectu animoque relinquamus, profitentes *nos hic non habere manentem ciuitatem, sed futuram inquirere*. *Propterea enim Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, consentaneè figuræ illi veteris legis, quam laudat & qua diximus ratione explicat Apostolus Heb. 13. v. 11. Porrò in loco extra vrbem, polluto, fœtido, & impiorum morti deputato, hostes eum crucifixerunt, vt etiam naribus & odoratu affligeretur, morsque ipsius ex loci vilitate atque abominatione magis esset probrosa. Itaque etiam hac parte cum iniquis reputatus est, dum quasi noxius publicè agnitus, in loco noxiorum occisus est: id quod pati inter cætera non recusauit, qui pro noxiis & impiis Deo reconciliandis se ipse offerebat. Cæterùm nihil obstitit loci fœditas, quin gloriosum victoriæ suæ trophæum illic erexerit, neque fœtor cadauerum, quo minus suauis sacrificij eius odor spirauerit per totum orbem & in cælum vsque penetrauerit.

& dederunt ei vinum bibere [34] cum felle mistum: & cùm gustasset, noluit bibere.

ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, καὶ γευσάμενος οὐκ ἤθελε πιεῖν.

ET græcè omittitur. DEDERVNT EI BIBERE. vnus militum accepto poculo pincernam agens irridebat rogabatque vt regem an bibere vellet. sic Theophylactus Lucam enarrans. Fortassis permissus est aliquantulum quiescere ab itinere Dominus, interea dum tortores expedirent crucem. VINVM. ὄξος *acetum*, quomodo habet etiam Syrus, & interpretantur Græci, Chrysostomus, Titus, Theophylactus, & Euthymius. Latinus Interpres pro ὄξος legit οἶνον, vt paruum est inter duas has voculas discrimen: id quod sequuntur veteres, Hieronymus (tametsi textus commentario eius iunctus scribat *acetum*) Hilarius, Ambrosius lib. 3. in Lucam, Augustinus lib. 3. de consensu cap. 11., postremò Origenes, si verba illa eius perpendantur: *Aliud autem vinum non mistum cū felle, nec cum alio aliquo contrario, accepit & bibit, & gratias agens discipulis dedit*, &c. Credibile est, vinū quidem fuisse, sed acerbū & acetosum, ita vt vtroque nomine potuerit declarari, quod annotat Theophylactus in Marcum scribens: videmus enim, ex composito, nō agi cum Domino Iesu, vt cū aliis damnatis morte, sed omnia quæ excogitari queant ludibriorum genera in ipsum edi. Moris erat, qui & hodie apud nos in vsu est, vt sceleratis ad locum supplicij adductis propinaretur vinum, & quidem præstantissimum, iuxta illud Prou. 31. v. 6: *Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo* (sicut iam circa latrones obseruatum fuisse, haud dubium est) idque vt sitibundi & ex itinere aliisque laboribus fatigati animum reciperent propè exanimes, denique vt potu exhilarati mortem & minùs considerarent & faciliùs tolerarent. Suppeditabatur autem vinum illud, si non à Reip., certè ab iis qui miserebantur cruciariorum. Iudæi igitur, ea quidem specie qua pium morem obseruarent, re autem verâ vt Iesu rursus illuderent, vini loco vappam, euanidam, mucidam, atque acidam, adferri curarunt; neque hoc solùm, verumetiam *felle mixtam*, quod sequitur, *nam & hoc ex contumelia*, ait Chrysostomus. Fel desiccatum, panis loco vappæ intriuerunt, non ad confortandum cor, sed ad affligendum fellis amaritudine Domini Iesu gustum, quem solum hactenus non læserant, ne qua pars corporis ipsi esset è cruciatu libera, denique ne quid ipsi omitterent ludibrij. O crudelem impietatem, quæ nullo tacta misericordiæ affectu, afflictum plus satis afflictionibus pergit cumulare! Verè poterat de Iudæis queri Dominus Iesus, quod scribit Ieremias cap. 2. v. 21: *Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? Exspectauit enim vt faceret vuas, & fecit labruscas*, quod prædixerat Isaias cap. 5. v. 2. Christus ergo nullum vsquam solamen inuenit, vt nos per eum omni cōsolatione repleremur. Insinuat autem Euangelista dum meminit fellis, quòd hac ratione impletum sit illud Psalmi 68. v. 22: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto:* quamquam quod de aceto dicitur, manifestiùs actum sit infrà v. 48. Difficultatem autem quæ ex eo oritur, quòd fel Christo, non in escam seu cibum, sed in potum, non pro cibo, sed pro potu, datum fuisse videatur, sic soluit Euthymius, vt dicat, præbitum Christo fuisse quod esset cibus simul & potus, quamquam magis potus quàm cibus. sunt enim huiusmodi quidam potus; vt lac, quod potus vocatur 1. Cor. 3. v. 2., cibus Ezech. 34. v. 3. Eum nos sequimur, cuius verba sunt: *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse, vt acetum quidem loco vini esset, illa verò fragmenta pro bucceila panis. Et præcipuè sanè potum dederunt, consequutiue verò etiam cibum. His enim qui animo destituuntur, vinum præbere solemus insecto pane, vt primum bibentes, postmodum etiam possint edere.* Hæc ille. ET pro *sed*. CVM GVSTASSET. Voluit gustare, tametsi præsciret potum esse felleum, partim ne contemnere videretur vinum de more datum, vtque indicaret se verè sitire ex itineris afflictionumque laboribus, partim vt gustu vappæ felleæ, mederetur gustui nostro delicatiori, ac nominatim peccato protoplastorum, qui pomum vetitum gustando se suumque genus perdiderant. Sed haustu NOLVIT BIBERE, non tam offensus amaritudine atque acerbitate, & barbarie inimicorum suorum, quàm vt ostenderet se placidè secundùm patris mandatum ad mortem progredi, non autem præ impatientia doloris præcipitem ferri, & vltrò sibi ipsi accersere mala. Indicauit denique, se non imbibisse antiqui serpentis venenum, sed solam peccati pœnam absque interiori macula assumsisse pro nobis.

Mar. 15. v. 24. Luc. 23. v. 33. 34. Iohan. 19. v. 18. 23.

Postquam autem crucifixerunt [35] eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Diuiserūt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Psal. 21. v. 19.

σταυρώσαντες δὲ αὐτὸν, διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, βάλλοντες κλῆρον· ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ προφήτου· διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον.

POSTQVAM. statim pòst. CRVCIFIXERVNT. cruci adfixerant milites ex versu 27. Modum crucifigendi præterit Euangelista, vt suo tempore non ignotum: is nobis breuiter est explicandus, postquam dixerimus quæ crucis Christi forma fuerit. Varia enim fuerunt crucium genera, sed Crux Christi eiusmodi fuit, vt gemino constaret ligno, duobus inquam palis seu stipitibus, vno recto & oblongo, altero transuerso eoq; breuiore, & transuersum quidem lignum recto immissum esset, non in vertice, sed paulò inferiùs, vertice nimirum seu capitello ligni recti eminente. Hanc crucis formam, quæ hominis extensi figuram repræsentat, frequenter describit Augustinus ex loco Apostoli Ephes. 3. v. 18., nominatim tractatu 118. in Iohannem & lib. 2. de doctr. christ. cap. 41. vbi ait: *Vt charitate radicati & fundati possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum, id est, crucem Domini, cuius latitudo dicitur in transuerso ligno quo extenduntur manus, longitudo à terra vsque ad ipsam latitudinem, quo a manibus & infra totum corpus affigitur.*

affigitur. Altitudo à latitudine sursum vsque ad summum, quo adhæret caput, profundum verò quod terra infixum absconditur. Eandem crucis formam, Auctor commentariorum in Marcum apud Hieronymum, post alios veteres, exemplis illustrat, dum hoc loco ait: *Ipsa species crucis, quid est, nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens, Arcton dextra tenet, auster in læua consistit, occidens sub plantis firmatur: vnde Apostolus dicit, vt sciamus quæ sit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum. Aues quando volant ad æthera, formam crucis assumunt: homo natans per aquas vel orans, forma crucis visitur. Nauis per maria, antennâ cruci similata sufflatur.* Hæc ille. Ab eadem forma Iudæi crucem Christi contemptim vocant *stamen & subtegmen.* Igitur vbi ad locum supplicij ventum est, proiecta est ab humeris Simonis crux in terram, & Simone abire permisso, milites, Iesu ante omnia detraxerūt vestes, prout constat ex earum partitione de qua mox sequitur, nudaueruntque eum qui cælum stellis & terram floribus vestit. *Talis,* inquit Ambrosius lib. 10. in Lucam, *ascendit crucem, quales nos auctore Deo natura formauit. Qualis in paradiso homo primus habitauerat, talis ad paradisum homo secundus intrauit.* Sed non sine pudore & dolore nudatus est. Dolor ex eo fuit, quòd plagæ toto corpore acceptæ refricarentur: dum enim vestes, saucio corpori & cōcreto sanguini inhærentes, vi abstractæ sunt, renouata sunt vulnera non minore cum dolore quàm fuerant inflicta. Pudor autem, ex nuditate est natus: *operuit,* inquit, *confusio faciem meam.* Psal. 68. v. 8. Quamuis enim nihil in eo esset, cuius oporteret ipsum pudere, puduit ipsum tamen vehementissimè coram tanta hostium populique multitudine nudum in crucem agi, nudumque de cruce pendere: quia pudor & verecundia, qui timor est vituperij, non tam de eo est quod sumus, quàm de eo quod ab aliis habemur. vide sup. v. 28. Cæterùm nudari & vestibus exspoliari se permisit, vt vestem nobis innocentiæ & immortalitatis recuperaret: erubuit nudus, vt pudenda peccata nostra tegeret, vt ad salutarem nos pudorem adduceret, denique vt nos reduceret ad eum statum, in quo nudi non erubescebamus. *Victus est Adam,* ait Ambrosius, *qui vestimenta quæsiuit: vicit ille qui tegumenta deposuit. Eas quas nos in Adam indueramus, pelliceas tunicas exuit* (inquit Athanasius scribens in passionem & crucem Domini) *vt nos pro iis Christum vicissim indueremus.* & postea: *Decebat cum hominem introduceret in paradisum, exuere tunicas, quas Adam accepit cum e paradiso eiiceretur, & pro istis nos vestiret vita & immortalitate.* Sicut ergo Noë vino, sic Christus amore nostri ebrius, nudus decubuit in strato crucis: & quamuis ab impiis filiis est irrisus, de quibus Psalmus 21. v. 18: *Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me;* impudicè scilicet impudenterque vt canes inuerecundi; ab aliis tamen est honoratus. Gen. 9. v. 21. Denudatus Iesus, sed relicta corona spinea (quod disertè testantur Tertullianus libri contra Iudæos capite 13. & Auctor libri de card. oper. Christi, sermone de pass. Domini) humi deinde prostratus est, & supinus super crucem iacentem extensus. Nam quamuis sentiant quidam, in crucem erectam sublatum fuisse, quomodo alij multi crucifixi leguntur: tenendum tamen est, eos præsertim in erectam crucem sublatos fuisse, qui in crucem antè constitutam & erectam, quàm de ipsorum capite ageretur, eo scilicet fine, vt sontibus esset terrori (prout fit etiam hodie) acti fuere. Sed eos qui suas ipsorum cruces attulerāt ad supplicij locum, opportunissimum & commodissimum fuit, prostratos supinos iacenti cruci affigere. Iam iacentis in cruce Iesu manus pedesque vi magna tenuerunt impij milites, aut potiùs funibus adstrinxerūt cruci, veriti, ne præ dolore, quem in fixione ipsa sensurus esset, disiiceret vniuersum corpus, & fixionem impediret: tametsi id facturus non esset, qui spontè se ipse tradebat. Deinde verò, brachiis vtrimque, vt neruus in arcu, extensis (ita tamen vt corpus maneret in æquilibrio stateræ crucis) palmæ manuum, adhibito malleo, ferreis clauis terebratæ & cruci affixæ sunt (id enim constat ex historia resurrectionis. Luc. 24. v. 39. Iohan. 20. v. 25. 27.) clauis inquam, acutis dicam, an, quæ vulgi opinio est, obtusioribus, vt eò grauior esset cruciatus, quò perfossio difficilior? Demum pedes extrahentes, totumque corpus tendentes in diuersum ex confixis manibus, non sine crudeli artuum omnium luxatione, fortè etiam manuum laceratione, tarsum siue conuexum vtriusque pedis traiecere, duobus clauis, singulum suo, quod quidam; vno vtrumque, altero alteri impositum, quod plures sentiunt. Sic enim Nonnus, vetus euangelij secundùm Iohannem paraphrastes, rem describit cap. 19. v. 18: *Illic interfectores, ad lignum quadrilaterum, sublime supra terram erectum, extenderunt Christum, adstringentes vi explicatas vtrimque manus ferreo vinculo: & immenso ac singulari clauo pedis vtriusque pectusculum vno impetu perforatum transfixere, pedibus sibi mutuò impositis ac complicatis, inflexibile exitij vinculum.* Sed quia recto stipiti pedes adfigi nequeant, nisi genua protensa sesquipede exstent, vt sic loquar cum illo (impediant enim calces, ne corpus maneat extensum) idcirco existimant quidam, asserculum siue tabellam fuisse suppositam, in qua innixi simul & fixi fuerint Dominici pedes. Et quamquam non existimem rem ita se habuisse (nam præter hoc *quòd delicatior hæc fabrica sit,* vt ait Lipsius, quàm vt cōueniat rudi cruci; pependisse, non stetisse in cruce Christum, suspensum non stantem in ligno, scriptura agnoscit, Act. 5. v. 30. & 10. v. 39. Gal. 3. v. 13.) persuasus sum tamen, aliquid recti stipitis in cruce, vel eleuatum vel excauatum, siue naturâ siue leui arte, eo loci ita fuisse, vt calcibus introcedentibus pedes rectà extenti potuerint affigi. Extensum enim, non incuruum, poplitibus & genibus flexis, de cruce Dominum pependisse, vt omnes ecclesiastici scriptores tradunt, ita intelligendum dat illud Psal. 21. v. 17: *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* In quem locum D. Augustinus: *Dinumerauerunt,* inquit, *in ligno crucis extensa omnia ossa mea. Non potuit melius describi extensio corporis in ligno.* Sed quia res minutior fuit, ille siue gibbus siue cauus, eaque occulta & tecta extimis pedibus, ita vt videri vix posset, non meminerunt illius scriptores: nam pictores sculptoresque facilè absque eo Christum in cruce extensum formant. Vt enim non coguntur pedibus calces dare, quippe qui lateant, ita nec cruci gibbum aut cauum. Hoc igitur modo cruci affixus Filius Dei, in sublime erectus est: & crux quidem inferiori sui parte immissa in foramen ad hoc adaptatum vt posset recta stare (cùm enim esset locus ille addictus noxiis interficiendis, plura huiusmodi foramina, excauata ex rupe, vt petrosus fuisse mons dicitur, habuit, in quibus cruces mox erigi possent) non sine dira corporis Dominici concussione, si non etiam vulnerum dilatatione. Sic porrò collocarunt crucem, vt, dorso Iesu orientem vrbemque Ierosolymorum spectante, facies respiceret occidentem (*Arcton dextra tenet,* inquit Sedulius, *medium læua erigit axem*) eo quidem consilio, quod indignum reputarint sanctæ vrbis adspectu, sed eo euentu, vt facie sua à Iudæis auersa, nos gentes illustrarit, quorum habitatio in occidente; impletâ illâ prophetiâ Ieremiæ cap. 18. v. 17: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum;* & alterâ illâ Psalmi 65. v. 7: *Oculi eius super gentes respiciunt.* Ita verò eleuatus in aërem Christus, inter cælum inquam & terram, tamquam verus Dei & hominum mediator,

diator, mansit hoc modo, trium horarum & eo amplius spacio, extensus brachiis totoque corpore, corporis mole de teneris ferroque perforatis manibus pendente (neruosæ enim illæ partes, & lentæ frangi, nec solatium oneris aliud, quàm in pedibus similiter transfixis adsequente, cruciatu siquis alius summo. Habent pro more veteres Iurisconsulti, vt crucem nomine summi supremique supplicij, ob eminentiam, designent, tamquam igne quoque & bestiis sæuiorem; Nec mirum, si pœnæ atrocitas, multiplicitas, infamia, & horum omnium diuturnitas, considerentur. De infamia seu ignominia satis diximus suprà v. 22., si hoc vnum addiderimus, crucifixum, in summo cruciatu, viuum & videntem, omniū inspectioni & risui, fuisse expositum, prout accidisse Domino Iesu, infrà patebit v. 39. Pœnæ magnitudinem seu atrocitatem & multiplicitatem, iam posuimus ob oculos. Vna fuit nuditas, obnoxia non tantùm pudori, verumetiam aëris intemperiei. Altera fixio in locis maximè neruosis, ac proinde sensu tactus acutissimo præditis, in mediis inquam manibus & pedibus. Tertia extensio, quæ sola cuiusmodi fuerit, periculum faciat vir pius, extensis brachiis crucifixum Dominum vel ad quadrantis horæ spacium adorans. Quarta pensio de manibus transfixis, recumbens sine quiete in pedes inflexos & transfixos: vbi corporis pendentis pōdus, & supernè & infernè, peperit atque auxit continuè cruciatum. Omitto cætera quæ crucem vel præcedere vel comitari consueuerant, de quibus suis locis. Omnia verò Christo Domino maiorem etiam quàm cuiuis alij crucifixo attulisse cruciatum, D. Thomas summæ theologicæ parte tertia q. 46. rectè docet; idque ex duabus potissimùm causis, quarum vna fuit, corporis à Spiritu sancto formati tenerrima optimaque constitutio, quâ factum est, vt maxima sensuum viuacitate læsiones ac nocumenta omnia & singula perfectissimè senserit, nec minùs parua quàm magna, non minùs sitim quàm vulnerum cruciatum, citra vllum stuporem; Altera fuit, quòd cùm vellet integerrimè satisfacere & copiosissimè redimere humanum genus, nullam plerumque admiserit consolationem aut doloris mitigationem vndecumque illa posset proficisci, siue à diuinitate, siue à ratione, siue ab animi auersione, sed singulas animi vires sibi ipsis relictas, permiserit per se agere & pati quæ ipsarum propria erant, citra redundātiam aliarum in alias. Porò diuturnitas pœnarum in cruce inde oriebatur, quòd esset mors admodum lenta. *Crucifigi* (inquit Augustinus tractatu 36. in Iohannem) *non hoc erat occidi, sed diu viuebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur.* Erat mors lenta, & quidem eiusmodi, quæ integro sensuum & rationis vsu toleraretur. Vbi cruciatus quidem est diuturnus, sed abest vsus cogitatiuæ potentiæ & rationis, animalis potiùs quàm hominis est ea passio: sed si coniungitur, verè illa hominis est passio, eò grauior quò liberiùs ratio intelligit quam sensibus percipit grauitatem. Vtrumque concurrebat in cruce: non enim lædebatur illic caput, ita vt organis vitiatis vsus exteriorum aut interiorum sensuum & rationis auferretur; nec pars vlla membrorum cordi vicinorum, ita vt cor citò malè affectum deficeret & intermoreretur: sed corporis extrema transfigebantur, quæ à corde, quod fons est vitæ ac sanguinis, & à capite, quod sensuum sedes est, longissimè distant, nec tam carne & sanguine quàm neruis abundant, ita vt tactus quidem sensu vigeant, sed sanguinem læsa copiosè non fundant; minùs verò in cruce, cùm claui vulnera clauderent. sic enim videmus, non effluere sanguinem copiosè, quamdiu gladius aut telum inhæret corpori eius qui confossus est. Vix quidem fieri potest, quin perforatis manibus & pedibus, venæ quoque aliquæ perforentur: sed non quæuis venæ læsæ, mox omnem corporis sanguinem effundunt, etiamsi locus pateat, vulneribus apertis aut laceratione dilatatis. Non ergo crucifixis mox omnis exhauriebatur sanguis, sed eo sensim ex vulneribus distillante paulatim destituebantur. Quum igitur non facilè destituerentur vel sanguine vel rationis & sensuum vsu, fiebat vt diu viuerent inter cruciatus, nec animalem tantùm, sed humanam vitam, quamquam alij aliis diutius, prout erant vires ac robur. Leguntur quidam in cruce pluribus vixisse diebus (nominatim S. Andreas biduo) nec tam cruce interiisse, quàm fame aut auium ferarúmue laniatu: alij inualidiores citiùs extincti sunt. Ipse Dominus noster, integro rationis & sensuum vsu, diu in hoc cruciatu vixit, horis tribus & eo ampliùs, sed minùs diu quàm consueuerant alij, ex causis quas infrà dicemus versu 50. Cæterùm crudelissimum hoc teterrimumque supplicium, absque vlla oris capitisue distortione (neque enim aliud membrum crucifixus mouere poterat) ita constanter tulit, vt nihil de serena faciei grauitate remiserit. Non enim aut coactus aut inuitus hoc passus est, qui sponte se tradidit inimicis, à quibus hoc supplicio afficiendum se nouerat adeoque prædixerat. Tradidit autem se, & hoc mortis genus elegit, crucem inquam, vt sanandæ miseriæ nostræ conuenientissimum, quod ait Augustinus lib. 13. de trinitate cap. 10., multas ob causas. Prima causa fuit, quòd cum vellet sufficiētissimè pro omnibus omnium hominum peccatis satisfacere, & iustitiam vitamque æternam eis iustissimè largissimeque mereri, summum extremumque supplicium subeundum sibi duxerit, hîc sua erga homines charitate egregiè demonstrata, hinc hominum in se fiducia miris modis excitata. Hanc rationem indicat Chrysostomus à D. Thoma in Cathena secundùm Lucam citatus his verbis: *Sed dices, decebat saltem gloriosam mortem sibi excogitare, vt euitaret ignominiam crucis,* &c. ac paulò pòst: *Diram, infamem, & detestabilem mortem in cruce suscepit, vt hac interempta dominium mortis totaliter destruatur.* Altera causa fuit, quòd satisfactioni debitæ pro primo hominis peccato, omnium aliorum peccatorum fonte, optimè conueniret crux, vt satanas, *qui per lignum vicerat, operatione*, vt loquitur Tertullianus, *æmula per lignum quoque vinceretur.* Qua de re scholiastes ille Marci, sub nomine Hieronymi: *Extensio manus prima ad lignum, mortem apprehendit: extensio autem secunda, vitam quæ perierat inuenit.* Tertia, vt formâ ipsâ crucis declararet, se pro totius mundi salute pati, seque adeò omnia ad se attracturum. *Si enim*, inquit, *exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum* (Iohan. 12. v. 32:) *omnia*, ab oriente, occidente, meridie, septemtrione: quæ quatuor mundi partes, *quatuor quasi crucis angulis continentur*, quod ait Maximus Taurinensis homilia secunda de cruce, & egregiè declarat Sedulij carmen à V. Beda in Lucam scribenter recitatum, ad quod alludit Scholiastes ille Hieronymianus, suprà à nobis laudatus, vbi de forma crucis agebamus. Nam, quod citat D. Thomas summæ parte tertia q. 46. a. 4. ex Gregorio Nisseno, *figura crucis, à medio tractu in quatuor extrema partita, significat virtutem eius qui in ea pependit vbique diffusam.* In quam sententiam & Lactantius scribit libri quarti cap. 26: *Dicat fortasse aliquis, cur, si Deus fuit & mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus est? cur potissimum cruce? cur infami genere supplicii, quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum?* & paulò pòst, aliis allatis causis, hanc quoque ait præcipuam fuisse. *Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potius*

electa

electa est, quæ significaret illum tam conspicuum támque sublimem futurum, vt ad eum cognoscendum pariter & colēdum, cuncta nationes ex omni orbe concurrerent, &c. *Extendit ergò in paßione manus suas, orbemq; dimensus est, vt iam tunc ostenderet, ab ortu solis vsque ad occasum, magnum populum, ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumq; illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturum*. Hæc Lactantius, quibus adde quod Damascenus alludens ad Apostoli locum Ephes. 3. v. 18., scribit libri 4. capite 12. in hæc verba: *Sicut quatuor extrema crucis per medium centrum vinciuntur & iunguntur: sic per diuinam potentiam, sublimitas, & profunditas, longitudo, & latitudo, siue omnis conspicua, & inconspicua creatura, continetur*; & quod Apostolus ait Ephes. 1. v. 10. *instaurantur omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt in ipso*. Quarta causa fuit, quòd crucem patiens Dei filius, variarum nobis reliquerit exempla virtutum (*Christus enim passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius*. 1. Pet. 2. v. 21.) quæ non perinde nobis reliquisset alio mortis genere; crucifixionis carnis nostræ cum vitiis & concupiscentiis, eleuationis affectionum nostrarum è terra, &c., præsertim verò contemtionis omnium quæ sunt in mundo præ iustitia. Nam si leuius mortis genus subiisset, existimatum à quibusdam fuisset, mortem quidem pro iustitia oppetendam, sed non quoduis mortis genus: multi enim, etsi mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Vt ergo re ipsa doceret, sicut mortem metuendam non esse, ita nec vllum genus mortis, crucem suscepit, quo inter omnia genera mortis nullum execrabilius & formidolosius. Hæc ferè Augustinus quæstione 25. libro 83. qui & libri de agone christiano capite 11: *Nolite*, ait, *timere contumelias, & cruces, & mortem, quia si nocerent homini, non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei*. Postremò crucifigi voluit, vt Patri obediret, & quod ille verborum prophetiis rerumque figuris olim prædixerat, impleret: quamquam præcedentes omnes causas, & si quæ sunt aliæ, ista in se contineat. Prophetiæ exemplum exstat Psalmo 21. v. 17. vbi scriptum est à Dauide ex persona Christi: *Foderunt manus meas & pedes meos*. Figura clarissima legitur Num. 21. v. 9 de qua Iohan. 3. v. 14. ipse Christus ait: *Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. DIVISERVNT. διεμερίσαντο dispertiuerunt, partiti sunt milites inter se.

VESTIMENTA EIVS. tunicam exteriorem, &, quam Iohannes *inconsutilem* fuisse dicit, interiorem. Verisimile est, triplex Iesu foras prodeunti in vsu fuisse vestimētum (quod arbitratur etiam Euthymius) pallium, tunicam exteriorem, & tunicam interiorem (nam pectoralium, femoralium, tibialium, vulgò non sic erat vsus eo tempore) sed pallium quidem direptum fuisse quando apprehensus fuerat (vt non est probabile, cùm condemnatus & vinctus huc illuc contumeliosè traheretur ad superiores iudices, tandem etiam ad supplicij locum, indutum fuisse pallio, quod honoris magis quàm necessitatis gratia gestatur) solas igitur superfuisse tunicas, quas milites inter se partirentur. Non necessarium fuerat vestes exuere Iesu crucifigendo, æquè facile fuisset vestitum crucifigere ac nudum, solentque iis qui honestiores habentur, damnatis morte vestes relinqui: sed Iesus tamquam vilissimus & abiectissimus hominum iis spoliatus est. *Vestes eius inter se partiuntur*, inquit Chrysostomus, *quod in condemnatis, vilibus, & abiectis fieri solet, ac omnino destitutis*. Ne tantillum quidem, aut seruare permissus est operiendo corpori quamdiu viueret, aut mortuus relinquere charis amicis, vt cuius nulla iam ratio haberetur. *Solent enim ex truculentia* (inquit Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 32.) *publicarum rerum vindices, non modò non condolere damnatis, verumetiam atrociùs iussa peragere, & inter calamitates aliorum robur quoddam animi ostentare*. Accessit horum auaritia, qui, cùm Iesus nihil aliud haberet, vestes eius sibi diripiendas, & pro præmio scelerati ministerij retinendas putarunt. Quum enim nescirent an aliquando esset deponendus de cruce, aut quando, vel per quos, ne sibi illæ perirent, tempori eas ad se rapuerunt. Nam quamuis non magni pretij essent, mundæ tamen erant & honestæ, ac vel nitidissimo cuique ad vsum idoneæ. Habent autem hoc pro more lictores, etiam hoc seculo, vt vestimenta eorum quos morte affecerint, cedant ipsis in mercedem operæ. *Vestes damnatorum* (inquit Cyrillus loco superiore) *quasi hereditatis lege ad se pertinentes, sibi vendicant*: habebantur enim in bonis pannicularis, de quibus lege Gretserum lib. 1. de cruce cap. 24. Quare & latronum vestimenta, credibile est ab iis à quibus crucifixi sunt militibus, fuisse accepta & diuisa: quamuis Chrysostomus hoc neget. Euangelistæ enim non latronum historiam texunt, sed Iesu; nec mysterio pollebat vestium illorum partitio, vt Iesu. Milites igitur, vt certi de extinctione Iesu iam crucifixi, diuiserunt vestimenta eius. *Partiuntur ea vestimenta*, inquit Chrysostomus, *per quæ miracula facta sunt, sed tunc nihil efficiebant, Christo ineffabilem eorum virtutem cohibente*. Diuiserunt autem sorte: *Sortem mittentes*, ait Euangelista, iacta scilicet alea (habentur enim hi aleatorum duces) ne qua oriretur inter ipsos contentio. Bis autem sortem miserunt, semel pro partibus tunicæ exterioris, quæ pars cui cederet, quod habet Marcus; semel pro tunica interiori, quis integram acciperet, quod Iohannes. Hæc porrò fecerunt in oculis ipsius Iesu, etiam contumelias & sannas in ipsum obliquè iacientes, quòd pro regalibus regis Iudæorum vestimentis, pretiosissimis illis scilicet & eo rege dignis, certarent, victique & capti regis spolia diuiderent, sicut monent etiam Theophylactus atque Euthymius. Huiusmodi igitur contumelias tulit, inter cætera, Iesus, viditque ipse suis oculis & coràm adspexit è tormentis, quod ipsi solum supererat, vestes, vt spolia distrahi, & tamquam nulla ipsi esset vitæ spes reliqua cedere, non egenis, non amicis, sed impiis, in pretium interfectionis sui. Sic ergo voluit pro nobis pati, vt nihil esset in ipso nihilque haberet, quod non verteretur ipsi & in ludibrium & in tormentum. Omnium denique iacturam passus est, vt nos inopia ipsius ditaremur. Iam prophetia Psalmi quæ in textu sequitur, quia nostro iudicio non est propria huius loci (lege varietates & latinas & græcas) suo loco à nobis tractatur, secundùm Iohannem inquam.

καὶ καθήμενοι ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ. 36. Et sedentes seruabant eum.

SEDENTES, milites qui lictores fuerant, cæterique præsentes, ad custodiam cum suo Centurione, cuius infra v. 54. mentio est, deputati. Sedebant, iacebant, stabant, circa crucem, prout commodum ipsis videbatur. SERVABANT EVM, ne quis eum de cruce deponeret, antequam esset mortuus & præses iussisset. Græcè & syriacè additur ἐκεῖ illic: quod, si ad milites referatur, positum est pro iuxta crucem; si ad Iesum, pro, in cruce, ne scilicet auferretur è cruce. Porrò hoc vt moris erat, custodiam assidere, quoties facinorosus aliquis iussu Præsidis interficeretur, donec lata sententia perfecta esset (quod & hodie obtinet) ita maximè

opus

opus eſſe cenſebatur, cùm Ieſus penderet de cruce, ne vel diſcipuli eum adhuc viuum deponerent, vel ipſe miraculo deſcenderet. Cæterùm, *diligentia militum & ſacerdotum nobis proficit*, inquit Hieronymus, *vt maior & apertior reſurgentis virtus appareat*: non enim dicere poſſunt, viuum è cruce ſublatum fuiſſe. Seruabant porrò milites, non Ieſum ſolùm, ſed & latrones illos duos, de quibus mox ſequitur, quamquam non ita latronum, vt Ieſu cauſa timeri poterat ſeditio.

Mar. 15. v. 26. Luc. 23. v. 38. Iohan. 19. v. 19.

Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus rex Iudæorum. 37 καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τὴν αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην· οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.

IMPOSVERVNT. poſuerunt, affixerunt ſ. iidem milites, Pilati iuſſu. SVPER CAPVT EIVS. ſupra caput eius crucifixi, in ea crucis parte quæ ſupra caput Ieſu eminebat, in ſumma cruce; *Apte*, quod ait Beda in Lucam ſcribens, *quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, ſuper crucem tamen regis maieſtate fulgebat*. CAVSAM IPSIVS. cauſam ob quam eſſet crucifixus. Quidam *crimen* hîc vertere malunt ex αἰτίαν, vt alibi, quàm *cauſam* (vtrumque enim ſignificatum admittit αἰτία) ſed huic loco melius conuenit *cauſa*, quam Iohannes vocat *titulum*. Syrus vertit *occaſionem mortis ipſius*. SCRIPTAM Pilati iuſſu, in membrana tabellæ aptæ adhæreſcente, literis maiuſculis, ita vt de plano rectè legi poſſet. Etiam hoc habebat antiqua Romanorum conſuetudo, vt titulus qui cauſam pœnæ indicaret, vel præferretur damnatis, vel appenderetur (quod exemplis declarat Lipſius lib. 2. de cruce cap. 11.) præſertim cùm non alia à Iudice publicè lata eſſet ſententia (quod in Domino noſtro locum habuit) idque vt iuſtum eſſe probaretur iudicium, neque ſine cauſa per calumniam quiſquam damnaretur, denique vt cognoſcere quiuis poſſet in exemplumque obſeruare. Ne quid ergo quod ad iuſti ſupplicij ſpeciem faceret deeſſet, addita eſt ex more cruci Ieſu ſua cauſa. HIC EST. Hanc cauſam ſcilicet: *Hic* crucifixus eſt IESVS REX IVDÆORVM. *Ieſus* Nomen proprium apponitur, vt notum ſit de quonam ſupplicium ſumatur. *Rex*. ὁ βασιλεὺς ille rex *Iudæorum*. Hanc ſupplicij eſſe cauſam, non dicitur quidem, ſed intelligendum relinquitur: quemadmodum in ſimili titulo qui legitur apud Euſebium initio libri 5. eccleſiaſticæ hiſtoriæ: *Hic eſt Attalus christianus*, intelligendum datur, cauſam ſupplicij eſſe, quòd ſit chriſtianus. *Rex Iudæorum*. rex ille, quem Iudæi, olim ſibi à Deo promiſſum, proprio nomine Meſſiam ſeu Chriſtum vocant. De pluribus fuerat Ieſus accuſatus (Luc. 23. v. 2. Ioh. 19. v. 7.) ſed quia nihil æquè Pilatum mouerat, atque illud quod dixerant: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari* (Ioh. 19. v. 12.) idcirco pro cauſa mortis ſcribit *Rex Iudæorum*. Sed quia non iudicat cauſam hanc legitimam eſſe & iuſtam (neque enim comperERat Ieſum Cæſari rebellaſſe, aut vt Cæſaris aduerſarium ſe geſſiſſe, tametſi faſſus fuiſſet ſe regem eſſe Iudæorum) non ignominioſè illam effert, ita vt crimen Ieſu inurat (veluti, Hic eſt Ieſus affectator aut vſurpator regni Iudaici, vel, quemadmodum vrgēt pontifices Ioh. 19. v. 21., qui dixit ſe regem eſſe Iudęorū) ſed honorificè *Hic eſt Ieſus rex Iudæorum*; crucifixus, quia eſt rex Iudæorum: nullum enim crimē eſt, nec cauſa cruce aut morte, immo verò honore digna, regem eſſe Iudæorum. Nam quamuis non idcirco poſtulatus fuiſſet à Iudæis ad crucem, quòd eſſet rex Iudæorum, ſed quòd ſe & dixiſſet & feciſſet Chriſtum regem Iudæorum: Pilatus tamen ita ſentiebat, eſſe regem Iudæorum, qui ex Iudæorum religione exſpectaretur, qualis à populo antehac publicè habitus fuerat, quamuis nunc à primatibus inuidiâ actis traditus. Publicitus notum erat, quòd ipſe Ieſum innocentem iudicaſſet, crucifixiſſet tamen ex ſententia Iudæorum contraria ſuæ: quare non mirum eſt viſum, quòd Ieſu honoratiorem titulum adſcripſerit, quin potiùs intellectum eſt, quòd mens eius eſſet, Ieſu innocentiam manifeſtiorem reddere, cùm non eſſet veriſimile, regem Cæſari rebellem fuiſſe, qui ſe facilè adeò permiſiſſet crucifigi. Nec tamen metuit Pilatus accuſari apud Cæſarem, vel de fauore perduellis, vel de cæde innocentis (vt erat titulus referendus in acta prouinciæ) nam vt perduellionis non erat conuictus Ieſus, ita res parua erat, viſum fuiſſe honoraſſe verbis, quē rebus ipſis egregiè dedecoraſſet: nec enim poſſet non riſui ſimile iudicari, quòd eum regem prædicaret, quem crucifixiſſet. Porrò poſtquam laboraſſet ad abſoluendum innocentem, quantū potuerat, videbatur ſibi ſe argui à Cęſare non potuiſſe tyrannidis, immo ſe è Cæſaris honore feciſſe, quòd eum, qui conſtanter accuſatus perduellionis ac læſæ maieſtatis Cæſaris, poſtulabatur ad crucem, à ſuo ipſius populo, cuius ſe regem faſſus fuerat, licet non ſecundùm hunc mundum, tradidiſſet populo ſuo, qui eum quidem ſuſcipere noluerat. Cæſaris autem merum in ſe & agnouerat & profeſſus fuerat imperium. Cæterùm non tam vt honoraret Ieſum Pilatus, honorificum hunc titulum ſcripſerat, quàm vt damnaret & ignominia afficeret Iudæos, ſeque de illorum pertinacia, qui minis importunitateque coēgerāt vt crucifigeret innocentē, vlciſceretur. Quid enim potuerat vniuerſæ Iudæorum genti magis ignominioſum eſſe, quàm quòd Rex ipſorum eſſet crucifixus, ipſiſmet rogantibus atque inſtantibus, & quidem ideò crucifixus, quòd rex eſſet ipſorum, rex ille cuius operâ ſperauerant ſe excuſſuros aliquando iugum Romanorum, adeoque dominaturos orbi vniuerſo? Hanc ignominiæ notam voluit ipſis Pilatus inurere, & exponere eos ludibrio omnibus nationibus, denique arctiùs eos, iam rege interfecto, Romanorum iugo ſubiiciendos proclamare; nec tantùm irridere, verumetiā damnare, quod dixi, gētem vniuerſam. Quale enim ſcelus regem proprium crucifixiſſe? Atqui huius illos ſceleris damnat, & omnem à ſe ipſo in illos culpam transfert, dum Ieſum crucifixum ſcribit, eò quòd ſit rex Iudæorum: id namque conſtabat fuiſſe ab ipſis extortum. Quid enim, quòd ideò eum poſtulauerint ad crucem, quòd dixerit ſe regem Iudæorum, non quòd fuerit, cùm & verè dixerit, & verè fuerit, vereque ſe eū eſſe probauerit? Quare & ignominia hæc, non tantùm Pilati tempore, verumetiam hactenus Iudæis adhæſit, adhæretque etiamnum: & manet in perpetuum hoc titulo teſtata, illorum quidem impietas, Ieſu verò innocentia ac gloria. Atque huc ſpectauit Dei prouidentia, quæ Pilati ſtylum gubernauit: non enim ſuo ſenſu ille, ſed Dei inſpiratione ac impulſu titulum hunc dictauit, vt Ieſu permaneret quæ ei deberetur laus, quòd eſſet Rex Iudæorum, id eſt Meſſias ſeu Chriſtus, quod verè erat; & quòd propterea crucifixus fuiſſet, quòd eſſet Chriſtus ſeu Rex Iudæorum; non ſolùm quia Regem Iudæorum ſe eſſe confeſſus fuerat, Iudæorum principibus id ægerrimè ferentibus: verumetiam quia Scripturæ ſacræ id prædixerant,

rant, Christum seu regem Iudæorum, à suo ipsius populo non recipiendum, sed reprobandum, occidendum, & crucifigendum esse, nec tamen perditurum regnum Iudæorum, *nolentibus* Iudæis carne *eum regnare super se*, sed regnum per vniuersum orbem terrarum propagaturum, Iudæis spiritu cordisque circumcisione, turmatim sese ipsi subiicientibus, ipsoque eos, hoste humani generis per crucem superato, redimente, & libertati iustitiæ veræque saluti restituente, regni denique cælorum consortio beante. Fuit itaque non tantùm sine ignominia, verumetiam gloriosus hic titulus, *caput Iesu corona instar exornans*, quod ait Origenes: & solent etiam trophæis ac triumphis addi tituli, vt hîc in media morte cœpit triumphare Iesus, non inscriptus tantùm rex, verumetiam regem agens, *exspolians principatus ac potestates, chirographo quod aduersus nos erat deleto, & eo affixo cruci triumphans illos in semetipso*, quod habet Apostolus Coloss. 2. v. 14. 15., itaque non tantùm non perdens per crucis patibulum, verumetiam confirmans ac corroborans imperium suum, quod notat V. Beda enarrans Marcum.

τότε σαυροῦνται σὺν αὐτῷ δύο λῃσαὶ, εἷς ἐκ δεξιῶν, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων.

38 Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris.

Mar. 15. v. 27. Luc. 23. v. 33. Iohan. 19. v. 18.

TVNC. eodem tempore quo Iesus crucifigebatur. CRVCIFIXI SVNT. σαυροῦνται crucifiguntur: præsens tempus loco præteriti, tamquam res præsens ob oculos geratur. *Crucifixi sunt* ab aliis militibus: aderant enim plures milites, ita vt hi simul cum Iesu potuerint crucifigi. *Crucifixi sunt* denique eodem modo quo Iesus, simili cruce, *aculeis & clauis similibus*, ait Nonnus secundùm Iohãnem, appositis titulis, Hic est N. latro &c. LATRONES. grassatores, qui viis publicis obsessis, viatores & spoliarant & iugularant. Hi latrocinij conuicti & ex confesso iam diu damnati, parati fuerant vt prima opportunitate cruce interficerentur. Quare Pilatus, cùm Iesum innocentem conscientia remordente crucifigendum traderet, iunxit ei hos duos manifestarios latrones, quos citra omnem conscientiæ scrupulum poterat immo debebat crucifigere, tum vt leniret flagellum conscientiæ quod patiebatur ob Iesum, tum vt suæ famæ consuleret, & velamen suæ iniquitati obtenderet, ne ita ab aliis impulsus occidere videretur innocentem, vt per se ipse parceret sceleratis. Credibile est & à Iudæis hoc suggestum fuisse, certè fuit eis hoc Pilati consilium gratissimum, vt societate latronum Iesu innocentia occultaretur nomenque denigraretur, vt ab omnibus impostor haberetur, & eorum similis quibus erat adiunctus; vt vulgus, quod sine iudicio, omnes eadem nota inurit, quos in eodem conditionis genere constitutos esse videt, maximè autem damnatos; existimaret, Iesum, sub titulo Regis Iudæorum, aliquid tale molitum esse aut secretò perpetrasse, quale in illis, quos pœnæ habebat socios, constaret deprehensum & cõdemnatum. Si solus in crucem actus fuisset, separata à maleficis videri potuisset eius causa: nunc autem maleficis mixtus, maleficus ex consortio ab imprudentibus est habitus, & iudicatum est crimen ei esse commune, cum quibus erat ei commune supplicium. Memores fortassis eius quod superiori nocte Iesus ipsis exprobrauerat: *Tamquam ad latronem existis* &c. (suprà 26. v. 55.) cogitarunt apud se, si ægrè tulit tamquam latro comprehendi, multo ægriùs feret si inter latrones crucifigatur: itaque maioris contemtus ignominiæ & irritationis causa illud procurasse potuerunt. At ipse inter malos se numerari est passus, vt nos redderet bonos, & inter latrones censeri sustinuit, vt nos sanctis angelis aggregaret. VNVS A DEXTRIS. pro dextra, ET VNVS A SINISTRIS seu sinistra (græcismo enim ponitur pluralis pro singulari) eius *Iesu*, ita vt Iesus medius inter vtrumque (quod Iohannes disertè expressit) crucifigeretur, & crucifixus erigeretur ac penderet, tamquam latronum non solùm socius, verumetiã antesignanus & princeps. Id militum insolentia egit, quibus & facilè Iudæorum principes præsentes hoc persuasisse potuerunt, vt eo contumeliosi honoris genere Iesum ampliùs infamarent, & reipsa dicerent, latronum esse regem, non Iudæorum, crucem magis etiam quàm latrones ipsi promeritum. Hoc autẽ quàm fuerit Domino Iesu graue, sceleratis annumerari, adeoque princeps eorum haberi, extremum dedecus, facile est æstimare: sed omnia nostra causa est passus, quorũ ad diluenda peccata, atrocissima quæque Dei filio toleranda fuere. Cæterùm, Dei consilio, vita in medio peccatorum collocata est, quò significaretur, eam præsto esse, vt peccatores omnes sanctificaret & seruaret, qui modò vellent eam amplecti. Mysterium euentus declarauit, latronum alter fide amplexus vitam, seruatus est, alter blasphemè eam auersatus periit. Denique frustratus est hostium Christi conatus non tantùm enim non adspersum est nomen Iesu, ex latronum consortio, ea quæ de latronibus esse consueuit opinione, verumetiam clarioris sanctitatis euasit, compositum cum tenebris iniquitatis, solumque per orbem terrarum ita emicuit, vt qui in extremum ignominiæ descenderat, ad summum gloriæ euectus sit, *omni Iudæorum machinamento, in caput eorum conuerso*, quod ait Euthymius. Qua de re latiùs Chrysostomus Iohannem enarrans scribit in hæc verba: *Voluit dæmon rem ipsam obtegere, non tamen valuit. Crucifixi sunt tres, claruit vnus Iesus, vt intelligas eius virtute omnia prouenisse. Atque tribus crucifixis miracula patuerunt, nemo tamen vllum alteri latronum attribuit, sed soli Iesu. Ita diaboli insidiæ irritæ factæ sunt, & in eius caput omni modo irruerunt, nam ex duobus vnus saluus factus est. Non solùm igitur crucifixi gloriam non offendit, sed non parùm auxit: neque enim minus fuit in cruce latronem conuerti & paradisum intrare, quàm petras collidi.* Hæc Chrysostomus.

Οἱ δὲ παραπορευόμενοι ἐβλασφήμουν αὐτὸν, κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν,

39 Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua,

Mar. 15. v. 29.

PRÆTEREVNTES AVTEM. οἱ δὲ παραπορευόμενοι qui autem præteribant, omnes qui præteribant. A versu 27. hactenus loquutus est Euangelista de militibus, nunc de Iudæis instituit sermonem, qui non contenti eo quod à Præside Romano extorserant, Iesum in crucem actum esse, etiam crucifixo in summisque pendenti cruciatibus crudeliter insultant. *Non poterant adhuc animum explere*, inquit Chrysostomus, *sed in patibulo pendentem videntes, amaris omnes impetunt verbis, quæ & rebus ipsis mihi grauiora videntur.* Ita impleuerunt illud Psalmi 68. v. 27: *Quem tu percussisti persequuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt*; quod est:

est: Nec iam confosso vulneribus ac morienti pepercerunt, sed cùm nihil amplius in me possent, adhuc linguis suis amarè me sunt persequuti. Insultant autem Iesu crucifixo, illi inprimis qui præteribât ea via, id est, vulgus hominum, quod illac proficiscebatur Ierosolymam, aut Ierosolyma Silonem, Gabaonem, aut alià: erat enim illac celebris via, præsertim in Silo & in Gabaon, quod diximus suprà v.32. Hoc modo interpretantur, inter alios, Euthymius, dum ait: *Qui prætenbant, puta sua via Iudæi*; & Victor Antiochenus in Marcum scribens, his verbis: *Etiam qui obiter solum illac pertransibant, virulentam linguam in illum exsertare non dubitabant*; cùm è contra omnino soleant prætereuntes misereri damnatorum. Hîc igitur impletum est illud Psalm. 21. v.8: *Omnes videntes me deriserunt me*. Cæterùm *prætereuntes*, non solos eos intelligo, qui iter illac fortè fortuna faciebant, verumetiam eos qui è turba spectatrice studiosè egressi propiùs ad crucem accedebant, & prætereuntes eam, Iesu in os conuitia impudenter furioseque dicebant. Considerandum est enim, Iesu & latronum cruces, à militibus ita fuisse cinctas, vt spacium aliquod ante cruces vacuum fuerit, quò turba quidem prohiberetur accedere, non tamen hi aut illi è turba, modò non illic hærerent. Huic sententiæ fauet Druthmarus, dum ait, eos qui Iesum virtutes edentem præ inuidia videre non poterant, iam ambulasse coram crucifixo, eò quòd viderent quod diu optauerant. Lucas quoque disertè scribit, Iesum etiam à populo, qui spectandi gratia aderat, derisum fuisse. BLASPHEMABANT EVM verbis contumeliosi in diuinam regiamque maiestatem eius. vide sup. 9. v.3. Exclamauerant ipsi, Iesum esse blasphemum (sup. 26. v.65.) Euangelista è diuerso notat ipsos esse blasphemos, ob conuitia in Iesum iacta; Iesum Deum asserens, quippe Filium Dei, & Christum regem. *Semen nequam, filij scelerati, blasphemauerunt sanctum Israel*. Isa. 1. v.4. Blasphemiæ autē exprimuntur versu proximo, quòd non valeret seipsum seruare, quòd nō esset Christus Filius Dei, &c.

MOVENTES CAPITA SVA coram eo, motu capitis declarantes ei animi gaudium, quod ex ipsius calamitate ceperant; tamquam dicerent adspicientes Iesum: Bene habet, quod tu illic sis fixus. quod non solùm fuit contemnentium & irridentium, verumetiam exsultantium de optata quam sint assequuti vindicta, & tamquam iam victo insultantium. *Viderunt me & mouerunt capita sua*, inquit Psalmus 108. v.25. Gestus mouentium caput, variæ est significationis, pro varia ratione mouendi caput. Vt enim aliqui eo modo caput mouent, vt intelligantur rem probare, alij eo modo vt reprobare: sic aliqui ita mouent, vt intelligantur admirari & commiserari calamitatem alienam (Iob 16. v.4.) vel admirari rerum alterius statum, Iob 42. v.11.) Alij sic, vt irridere & contemnere alium (Isa. 37. v.22.) Alij denique sic, vt non tantùm irridere ac contemnere, sed & exsultare videantur de malo alieno, vt Thren. 2. v.15.16. quod & hîc locum habet, iuxta illud quod prædixerat Psalmus ille de Christo patiente scriptus, 21. v.8: *Omnes videntes me, deriserunt me: loquuti sunt labiis, & mouerunt caput*. Christus enim ipse, vsurpans exordium huius Psalmi, infrà v.46, eum de se scriptum fuisse declarat.

Mar. 15. v.29.30.

40 & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. salua temetipsum. Si Filius Dei es, descende de cruce.

καὶ λέγοντες· ὁ καταλύων τὸν ναὸν, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομῶν, σῶσον σεαυτόν. εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, κατάβηθι ἀπὸ τοῦ σταυροῦ.

ET DICENTES. *fixuris clauorum addendo tela linguarum*, inquit Leo. VAH. Hæc interiectio græcè quidem & syriacè vix legitur, latinus tamen Interpres & legit & dedit, hîc non minùs quàm secundùm Marcum. Est autem ea interiectio, quæ græcè οὐὰ dicitur, hebraicè האח *heah*, estque aliquando lætantis, vt Iob 39. v.28. Isa. 44. v.26., aliquando insultantis & exprobrantis, vt Ezech. 25. v.3. Psal. 34. v.21.25. quamquam his locis vertatur *Euge*: *Dilatauerunt super me os suum, dixerunt Euge, euge, viderunt oculi nostri*; quod diu s. desiderauit cor nostrum, exitium eius. Hoc Euangelistæ loco, est *irridentis ac subsannantis*, inquit Euthymius; nec tamen minùs insultantis, exprobrantis, & detestantis, quales apud nos Flandros est *ptu*. QVI DESTRVIS ET REÆDIFICAS. Exemplaria nostra manuscripta meliora legunt personam tertiam, *qui destruit & reædificat*, pro secunda. Græcè sunt participia ὁ καταλύων καὶ οἰκοδομῶν destruens & reædificans, quæ & tertia persona verti possunt & secunda. Tertia vertisse videtur Interpres, præsertim cùm legerit *Vah*, quasi dicerent illi: O egregium impostorem, qui iactabat se templum posse destruere & triduo reædificare! pudeat eum iactantiæ & imposturarum. deinde subitò mutata, ex affectionis vehemētia, persona: *Salua temetipsum*. Secunda persona vertunt alij plerique, præsertim cùm non legant *Vah*: *Qui destruis templum & triduo ædificas*. hoc enim iungunt cum eo quod subsequitur: *Salua temetipsum*. Atqui verisimile est, participia, Hebræorum more, loco nominum posita, vertenda esse: *Destructor templi, illiusque in triduo restaurator*. TEMPLVM. Interpres addidit *Dei*; nam græcè & syriacè non legitur. Quamquam principum ipsorum iudicio non fuisset conueniens testimonium falsorum illorum testium, de quo suprà 26. v.60.61. & Mar. 14. v.59., euulgatum est tamen in vulgus, quò Iesus odiosus redderetur populo, cui nihil poterat proferri ingratius, quàm mentio destruendi templi illius, quod erat omnis eorum & fiducia & gloria. Conficta igitur mendacia, & vulgò temerè sparsa, pro veris criminibus obijciunt: exprobrant præsumptionem iactationemque vanam, quòd præsumsisset se posse, templum Ierosolymitanum à se destructum triduo restaurare; & vt vanitatem arguant, adiiciunt SALVA, σῶσον serua, libera TEMETIPSVM, ab hac scilicet cruce. ostende hîc quid possis, exsere pro temetipso vires illas tuas quas iactitasti. q.d. Egregium verò te monstras, templi, postquam destruxeris, restauratorem, qui cruci affixus non vales temet liberare. Longè enim maioris & operæ & potentiæ sit, vastum illud, postquam destructum sit, templum triduo reædificare, quàm crucem, cui affixus sis, demoliri & euadere, vt etiam hoc illo vtilius magisque necessarium. Improperant igitur cum infirmitate iactationem ostentabundam & vanam, quia virtutem quam sibi asseruit, nūc cùm necesse est, in re longè faciliori, reipsa non ostendat. Atqui nihil tale iactauerat Iesus, quamuis efficere potuisset, siquidem id promisisset: sed vt id quod futurum prædixerat de templo soluendo, de destruendo inquam suo ipsius corpore, reipsa iam fiebat, ita quoque parabatur quod promiserat se præstiturum, de illo tertio die resuscitando. *Quid ergo venia erit*, inquit

Hilarius,

Hilarius, *cum post triduum, reædificatum Dei templum, in corporis resurrectione cernetur?* Itaque nisi mente & iudicio eos primùm maledicendi libido, paulò pòst conspicua fuisset Iesu sententiæ veritas. Sed imperitum & instabile vulgus, futura quidem patienter exspectare nescium, præteritorum verò virtutis exemplorum à Iesu editorum oblitum, & neque damnati innocentiam, neque diuinam prouidentiam considerans, ex solo autem præsenti statu atque adspectu omnia definire consuetum, impotentiam & imbecillitatem atque adeò vanam virtutis iactationem Iesu exprobrat; maximo crimine. Nam præter blasphemiam, innocenter afflictum, improperiis additis ampliùs affligere, maximum scelus est, cùm id in eum etiam qui iustè punitur admissum, barbaries inhumana iudicetur. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ*, prohibet Ecclesiasticus cap. 7. v. 12. Sed grauius etiam est conuitium quod sequitur. SI FILIVS DEI ES, prout gloriatus es & docuisti & in iudicio denique es confessus. DESCENDE DE CRVCE. monstra hoc hac ratione, vt excussis clauis sanus descendas de cruce. q. d. Non valeas de cruce descendere, quod bene habet, ac proinde nec Filius Dei es, sed mendax, superbus, & blasphemus impostor. Quòd falsò & blasphemè prædicauerit se Filium Dei, ex eo docent, quòd nequeat crucem excutere cui affixus est (neque enim id impossibile esse queat Filio Dei) quod autem nequeat, ex eo ostensum putant quòd non faciat, quasi minimè conueniat Filio Dei crucem pati. Sed ferri fortè potuisset hæc ignorantia in vulgo, si non eadem excæcasset sacerdotes & scribas, quod docent proximè sequentes versus.

ὁμοίως ᾗ καὶ οἱ ἀρχιερεῖς ἐμπαίζοντες μετὰ τῶν γραμματέων καὶ πρεσβυτέρων καὶ φαρισαίων, ἔλεγον· [41] Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebant:

Mar. 15. v. 31. Luc. 23. v. 35.

SIMILITER. ὁμοίως ᾗ similiter autem. Euthymius: *Similiter propter blasphemiam dicit: nam & hi quoque blasphemiis eum appetebant, etsi sinu verbis.* PRINCIPES SACERDOTVM. summi sacerdotum, quorum erat compescere vulgus, & prohibere ne afflicti cruciatus conuitiis augerent, exemplo denique præmonstrare, miserandam esse damnati conditionem, non irridendam & misero exprobrandam. ILLVDENTES s. Iesu. Contrà omnino fecere: non minùs enim conuitiis scommatisque amaris Iesum crucifixum incessère quàm populus, dignitatis obliti suæ. Minoris quis faciat, si à vilibus despiciatur: sed si à pontificibus & principibus viris derideatur, probrisque appetatur, longè id difficilius toleratu est, id intima animi gladij instar penetrat. SCRIBIS. doctoribus legis. SENIORIBVS. iudicibus populi. Græcè ac syriacè additur καὶ φαρισαίων & Pharisæis; cultoribus scilicet sanctitatis, nec enim omnes Pharisæi, aut principes sacerdotum, aut scribæ, aut seniores erant) ab omnibus proinde primatum ordinibus. Tanta erat horum omnium insania, vt non erubescerent, & interesse crucifixioni, & insultare crucifixo, quamuis id esset præter eam quæ ipsos deceret grauitatem. Studiosè enim omnes aderant, quòd sua maximè interesse putarent, vt Iesus certo interficeretur, ne, si qua ratione à cruce liberaretur, recideret conatus omnis ipsorum in caput ipsorum. Insultare autem crucifixo idcircò voluerunt, *vt tamquam seductor arrogans & iactabundus & in conspectu omnium vituperatus decederet*, inquit Chrysostomus, *resurrectionem ipsius veriti*, addit Titus, *quam ob id minime credi facerent.*

ἄλλους ἔσωσεν, ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. εἰ βασιλεὺς ἰσραήλ ἐστι, καταβάτω νῦν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, καὶ πιστεύσομεν ἐπ᾽ αὐτῷ. [42] Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.

Mar. 15. v. 31. 32. Luc. 23. v. 35.

SALVOS FECIT. ἔσωσεν saluauit, seruauit, sanauit à morbis morteq; eripuit. s. Dei Patris ope, prout est gloriatus, & sciri credique ab omnibus voluit. Non Iesum alloquuntur, vt quē dedignentur, sed inter se mutuò colloquentes obliquè in Iesum audientē conuitia iactitant. SALVVM FACERE. σῶσαι saluare, id est, à morte liberare. Potest hoc improperiū & interrogando legi & pronunciando: sed vtrouis modo legas, sententia eadē est. Animo enim vindicta se pascente, adeoq; exsaturante, exprobrant Iesu crucem non solùm, verumetiam infirmitatē, quòd nequeat se à cruce cui affixus est liberare: nec fatentur quòd alios saluos fecerit, etiāsi pronunciando legas eorum verba, sed solùm ad augendū vituperium addunt, quòd qui alios saluauit, seipsum saluare nequeat: *interim detrahere conantur prioribus signis*, vt inquit Chrysostomus, *& quæ antè patrarat signa calumniari & in dubium vocare volunt*, quod ait Victor in Marcū, immo quod Theophylactus in Marcum scribit, *derident eius miracula & vellicant quasi phantastica fuissent*, aut, quod Euthymius habet, *præstigiis facta*; vulgo & hac in re peiores, quòd opera Spiritus sancti peruertant. Mens enim illorum est dicere, quòd alios saluos non fecerit, minimùm legitimè, Dei s. ope; quòd eos quos frequēter eum sanasse, fama fuerat, dæmoniacos, paralyticos, cæcos, claudos, aliosque variis morborum generibus oppressos, vel non sanauerit, vel sanauerit in Beelzebub principe dæmoniorum. Id autem monstrare se putant, ex eo quòd seipsum saluum facere non possit; quòd aliis non succurrerit, sed impostor magusque fuerit, ex eo quòd sibi ipsi succurrere nequeat, vt solet diabolus maleficos iure damnatos & in extremis malis constitutos deserere. Facilè malitiosi principes, populo qui præteritorum citò obliuiscitur, imponunt, præsenti rerum statu obiecto. Atqui infirma ratiocinatio est, quòd non possit seipsum saluum facere, ex eo quòd non mox faciat, priusquam conspectus sit in interitu morteque permanere, præsertim cùm resurrectionem suam tertio futuram die prædixisset, quod illi non ignorabant (infrà v. 63.) Nam vt quod cœperat perficeret, quique multos saluos fecerat salute corporea ac temporaria, plures saluos faceret salute spirituali & æterna, perfectum saluatorem se præstans, noluit seipsum ad tempus saluum facere, id est, ferre ad breue tempus voluit mortem, pretium redimendi hominum generis, tertio die ab ea quoque seipsum facturus saluum. *Vere enim languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, quia Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrûm*, quod Isaias ait cap. 53. Nos ergo teneamus, Iesum, cùm facilè posset, non protinus à morte se liberasse, quia noluerit; noluisse autem, sed ad

tempus neglexisse salutem suam temporariam, quia maiori curæ ipsi fuerit salus omnium nostrûm æterna.

REX ISRAEL, id est, Rex Israelitarum seu Iudæorum, quod est, Messias, Christus: quamquam isti libentiùs vtantur nomine *Israel*, quòd magis sit generale quàm nomen *Iudæorum*, quod propriè eos solos significat, qui sunt ex tribu Iuda, etsi Romani eo abuterentur ad omnes Israelitas notandos, ex quacumque forent tribu. EST. prout videri voluit, & se esse iactauit. Inuehuntur, quod diximus, in Iesum audientem, tertia persona, maioris contemtus gratia, tamquam indignum quem alloquantur. NVNC. firmis cùm sit fixus clauis. CREDIMVS EI. præsens pro futuro, quod græcè legitur, πιστεύσομεν ἐπ' αὐτῷ credemus in eum, credemus ipsum esse Messiam Regem Israel, recipiemus eum in Regem illum olim nobis à Deo promissum. *Fraudulenta promissio*, inquit Hieronymus: *quid est plus, de cruce adhuc descendere viuentem, an de sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit & non credidistis: ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis.* Addit Scholiastes Marci apud Hieronymum: *Parua petistis, dum maiora prouenerint: sed infidelitas vestra non potuit sanari signis multo fortioribus quam petistis.* Cæterùm non eo animo hoc dixerunt, quòd desiderarent Iesum de cruce descendere (si enim descendisset, admodum certè doluissent) nec animo promittendi se credituros, sed animo irridendi crucifixum, tamquam dicerent: Nequeat refigere quibus fixus est clauos, & à cruce se liberare; Nec tantùm irridendi crucifixum, verumetiam alienandi ab eo animos populi audientis. Hoc enim agebant principes, vt omnes omnino à fiducia Iesu abalienarentur, & in vniuersum auctoritatem ipsi abrogarent, velut ex re ipsa conuincentes, Messiam esse non posse. Vt enim sententia eorum valebat tunc apud populum, ita populus facilè persuadebatur ab eis, Iesum Messiam esse non posse, nisi de cruce descenderet. Atqui maiora præstiterat Iesus, signanter mortuos reuocarat ad vitam: verùm non alius his animus fuit, quàm aduersandi & quacumque ratione calumniandi diuina opera ab Iesu edita. Sed heus, ô vos sacerdotes & scribæ, quorum est scripturas Scrutari, vbinam scriptum est, Messiam de cruce descensurum, quia vos Iesum reiicitis, eique fidem negatis, quòd de cruce non descendat? Dicetis fortasse, scriptum esse, Messiam non ascensurum crucem, quia multa de gloria & læto regno Messiæ à prophetis prædicta sint, quæ cum cruce non consistant. Atqui non pauciora de humilitate & morte Messiæ prædicta sunt. Daniel cap. 9. v. 26. *occidetur*, inquit, *Christus*: quo autem mortis genere sit occidendus, prædicit Psalmus 21. vbi ait: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Nec vno loco Dauid, Isaias, ac Zacharias, Christum deformem, afflictum, reprobatum, & maledictum, pauperem, contemtum & irrisum inducunt. Debueratis igitur intelligere, quòd *prius oportuit Messiam hæc pati, & ita intrare in gloriam suam* (Luc. 24. v. 26.) quodque non de cruce descendẽdo, sed ascendendo ex sepulchro, Messiam se præstare debuit (Rom. 1. v. 3.) Quod quidem iamdiu antè vobis prædixerat, cùm signum è cælo postulantibus responderet: *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas* &c. (sup. 12. v. 39. 40.) Non ergo acquieuit verbis vestris, vt qui nollet, non in descensu è cruce, sed in perseueranti crucis tolerantia, sitam esse, & suam gloriam, & mundi salutem. *Si voluisset descendere*, inquit Theophylactus Marcum enarrans, *neque principio ascendisset: sciens enim per hoc saluandos homines, sustinuit vt crucifigeretur. Non curabat*, ait Origenes, *indignum aliquid agere propter derisionis iniuriam, & facere quod dicebatur ab eis extra rationẽ & ordinem*, Et Augustinus tractatu 37. in Iohannem: *Quia patientiam docebat, ideo potentiam differebat: si enim commotus ad eorum verba descenderet, victus conuitiorum dolore putaretur.* Mundi salus plus apud Iesum valuit quàm principum conuitia: quibus promittentibus quòd essent ipsum recepturi in regem, si modò è cruce descenderet, respondere potuisset ad eum modum quo vitis reliquis lignis siluæ Iud. 9. v. 13: *Numquid possum deserere vinum crucis meæ, quod breui lætificabit Deum & homines, vt inter vos promouear?*

Confidit in Deo: liberet nunc, si [43] vult eum: dixit enim, Quia Filius Dei sum.	πέποιθεν ἐπὶ τὸν θεόν· ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτόν· εἶπε γὰρ, ὅτι θεοῦ εἰμι υἱός.

CONFIDIT. πέποιθε confisus est, id est, fiduciam habet. in his enim abusus est temporis. IN DEO. iactat se confidere in Deo, LIBERET. s. ergo αὐτὸν eum Deus, NVNC in extremis malis constitutum, SI VVLT EVM. additur enim, vt græcè & syriacè, ita & latinè à Sixtinis Bibliis, hoc loco pronomen *eum*, ex phrasi hebraica, qua & vtitur Psalmus 21. v. 9. Nam si simpliciter dixissent, *si vult*, si velit Deus (prout habent alij latini libri) conuitium, non in Iesum modò, verumetiam in Deum apertè iactatum fuisset, quæ non fuit illorum mens. *Si vult eum*, non ipse Deum, sed Deus ipsum, id est, si Deus diligit eum, si beneplacitum est Deo in eo, si voluntatem Deus adiecit ad eum, quod latinè dicamus, si vult siue fauet ei Deus. Non tam optant principes miraculum, aut exemplum manifestum voluntatis, ac gratiæ Dei erga Iesum, quàm negant edendum. DIXIT ENIM. & in concionibus ad populum, & in ipso iudicio coram nobis. Ostendunt ex verbis Iesu, quòd magnam collocet fiduciam in Deo, quam volunt esse præsumtionem, quodque secundùm ipsius opinionem, Deus non possit non ipsum velle, id est, diligere, ac proinde etiam è malis liberare. QVIA superest latinè loquentibus. FILIVS DEI SVM. tamquam præ cæteris omnibus Deo maximè dilectus & charus. Duo de se docuerat Iesus, vnum quòd Christus esset, alterum quòd Filius Dei. Priùs exprobrarant ei principes superiori versu, & tamquam vanum refutarant ad oculum, quod arbitrabantur: idem de posteriori agunt hoc versu, idque hac ratione: Dixit se Filium Dei esse: id si verum est, & ipsi magna est fiducia in Deo, & Deo vicissim magna est cura de ipso, ac singularis erga ipsum amor. Vnde sequitur, vt Deus liberare ipsum debeat è malis quæ patitur: nam nec relinquit Deus sperantes in se, quod omnis Scriptura loquitur; nec potest filium suum negligere, multo minùs quàm quemuis alium, quod ipsa ratio dictat. Sed non liberat eum Deus: non est igitur Filius Dei, sed arrogans seductor, nec diligitur à Deo, sed reiicitur, denique nec spe fertur in Deum, sed vana fiducia & temeraria præsumtione se effert. Hæc est ipsorum ratiocinatio, qua Iesu crucifixo insultant tamquam de blasphemia conuicto, quem suprà 26. v. 65., quòd fassus esset se Filium Dei, blasphemiæ condemnauerant: & tamquam iam victo omnique spe destituto, exprobrant fiduciam quam habet de Deo vt vanam ac præsumtam. Hæc exprobratio blasphema tam-

quam

quam summa minimeque omnium toleranda, nominatim prædicta fuerat à Dauide Psalmo 21. v. 9., quod annotat etiam Euthymius: *Omnes videntes me, deriserunt me: loquuti sunt labiis & mouerunt caput.* quid loquuti sunt? hoc inter alia: *Sperauit in Domino, eripiat eum.* id est, si sperat in Domino, eripiat eum Dominus. q. d. non sperat in Domino, non fertur in Dominum spe recta & proba fiducia, quia non eripit eum Dominus. *Saluum faciat eum, quoniam vult eum* s. prout ipse dixit, id est, non vult, non diligit eum, quia non facit saluum, non seruat, non liberat à cruce. Ipsissimis improperij verbis vsi sunt sacerdotes & scribæ, quæ scripserat Dauid, quod haud dubiè Euangelista voluit obseruatum, vt appareat illorum cæcitas, citantium aduersus seipsos & vltrò incurrentium in prophetiam qua damnentur. Similem prophetiam ediderat Auctor libri sapientiæ, capite secundo, huiusmodi verbis: *Filium Dei se nominat, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt nouissima illius. Si enim est verus Filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia & tormento interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius.* quod est, respiciet enim & liberabit eum Deus iuxta sermones ipsius. Quo loco videtur significari, quòd etiam antequam in crucem egissent Christum, ita apud se sint ratiocinati impij, & quòd in crucem egerint eum, vt explorarent an verè esset Filius Dei. Sed *excæcarat illos malitia eorum*, quod Sapientia ait, *nescieruntq́; sacramenta Dei. O infanam sceleftique homines,* exclamat Chrysostomus, *an prophetæ non erant prophetæ, & iusti quos occidistis iusti non erant, quoniam eos Deus à periculis non eripuit? immo verò erant; nec minus tamē*, quod addit Euthymius, *periculis subiacuerūt, secundùm variam dispensationem.* Non est æstimanda gratia Dei ex præsenti adspectu; nec ex fiducia hominis in Deo, Deique erga hominem amore, necessariò cōsequitur liberatio ab omnibus huius vitæ malis; vt neque ex toleratione malorum, consequitur Dei odium aut hominis impietas. Sed impressa est ea opinio animis, maximè impiorum, vt quem ipsi oderunt, putent Deo quoque odiosum esse & impium, præsertim si permittantur à Deo suam in eum crudelitatem pro libidine exercere. Multis igitur modis hîc peccarunt sacerdotes & primates, tam opinionibus prauis quàm verbis iniuriosis: inter quæ illa fuere non leuissima, quibus exprobrarunt Iesu crucifixo, non tantùm supplicium suum, verum etiam fiduciam in Deo, à qua erat laudandus, & quod in se, omnem ei salutis spem ademerunt, tamquam dicentes: Stultissimè agis si in Deo confidis, nulla enim spes salutis tibi reliqua est apud Deum, qui nullo pacto tibi vult succurrere. *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius.* Psalm. 3. v. 3. Hoc est solemne Satanæ artificium, dum fingit Deum nostri oblitum, quia non maturè & in ipso articulo occurrit; dum obiicit nos frustrà sperare in Deo, quoties is non adest pro voto, sed auxilium suum paulisper occultat; dum occlamat frustrà nos confidere de amore Dei, vbi palàm auxilium eius non apparet. Præcipuè verò homini in extremis malis versanti, afflicto vndique & ab vniuerso mundo derelicto, iamque nihil aliud quàm iram Dei sentienti & mortem exspectāti, cui hoc solum solatij reliquum est, vt ad Deum possit refugere, & spe fixa in omnipotentis Dei misericordiam animum sustinere, si quis hanc viam præcludere conetur, & omnem ab eo fiduciam in Deo auferre, tentatio est omnium & grauissima, quæ animum maximopere affligit atque angit, & plenissima periculo ne in desperationem adducat. Hoc acerrimo tentationis telo nos aggreditur Satan in extremis agentes, certus si in hanc tentationem nos possit inducere, actum esse de nobis. Eam tentationem etiam pati voluit Dominus Iesus, non quidem suggestam cordi suo à Satana, sed immissam auribus suis à Satanæ ministris, vt eā pro nobis vinceret, & victoriæ huius tam merito quàm exemplo, in extremis nos consolaretur. Quamuis enim lacessitus vocibus impiorum, & reuera quod ad exteriora prorsus à Deo derelictus, ita vt etiam non sine causa, conquerentis instar, id tandem exclamaret: non tamen abiecit spem in Deum, sed *preces supplicationesq́; ad eum qui posset eum saluum facere à morte cum clamore valido & lachrymis obtulit* (Heb. 5. vers. 7.) dixitque quod improperio illi subiungit Psal. 21. v. 10: *Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ*, &c. non iam abiicio spem in te, quæ ab infantia mecum adoleuit. Sed ore pauca loquutus est, sequutus illud prophetæ *In silentio & spe erit fortitudo vestra* (Isa. 30. v. 15.) vt nec ad conuitia quidquam respondit, absolutissimum præbens mansuetudinis exemplum: & adeò non regessit aut vltus est atrocem maledicentiam, morienti irrogatam ipsaq́; morte acerbiorem, vt Patrem pro inimicis orarit (Luc. 23. v. 34.) *Cum malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste*; relinquebat vindictam ei qui iustè iudicat. 1. Pet. 2. v. 23.

τὸ δ' αὐτὸ καὶ οἱ λῃσταὶ, οἱ συσταυρωθέντες αὐτῷ, ὠνείδιζον αὐτόν.	44 Idipsum autē & latrones, qui crucifixi erant cū eo, improperabāt ei.	Mar. 15. v. 32. Luc. 23. v. 39.

IDIPSVM quod principes & populus, vtpote, *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum*, quod Lucas exprimit.

QVI CRVCIFIXI ERANT CVM EO. οἱ συσταυρωθέντες αὐτῷ ad verbum, *concrucifixi ei*; supplicij socij.

IMPROPERABANT. exprobrabant, eadem probra iaciebant in Iesum, partim prouocati multiplici aliorum exemplo, partim pœnarum asperitate exacerbati. Vt enim erant & ipsi Iudæi genere (quod Euthymius annotat, satisque intelligi potest ex ipsorum verbis) ita ægrè cum aliis Iudæis ferebant, quòd Iesus ambiuisset inter ipsos regnum. Verùm huic quod Matthæus refert, latrones quoque Iesu insultasse, contrarium videri possit quod narrat Lucas cap. 23. v. 40., quòd alter latronum defenderit Iesum, & increparit socium, conuitium Iesu dicentem. Origenes, Chrysostomus, cæterique posteriores tractatores Græci, suffragante Hilario Latino, respondent, quòd priùs quidem vterque latro Iesum blasphemarit; tandem verò alter priorem negationem sequenti confessione emendarit. Augustinus lib. 3. de consens. cap. 16. aliique, dicunt Matthæum tropo vsum, numerum pluralem posuisse pro singulari, quemadmodum & Lucam ipsum cap. 23. v. 36., vbi ait, *milites Iesu crucifixo obtulisse acetum*. solet enim, quod vnus facit, pluribus adscribi, ratione societatis. Ambrosius lib. 10 in Lucam, & Hieronymus in hunc locum scribens, vtrumque hunc respondendi modum adferunt, vt neuter sanè sua caret probabilitate. Certè enim verisimile est, quod initiò latro alter socio suo adhæserit, & si non verbis conuitiatus sit Iesu, non ingrata tamen ipsi fuerint conuitia à socio, tamquam communi nomine, dicta: qui tandem victus, hinc aduersariorum Iesu extrema improbitate, hinc constantia Iesu, cælique miraculo, crediderit in Iesum, eumque aduersus socij sui iniurias tuendum receperit. Cęterùm Matthæus, narrans latrones quoque ipsos, qui vnà crucifixi fuerant, in Iesum contumeliosos fuisse, non tam

perſonas latronum notat, quàm conditionem, vt rei indignitatem amplificet, nimirum, quòd non ſolùm à ſacerdotibus & ſenioribus, à populo & vulgo, expertibus illius conditionis quam Ieſus patiebatur, illuſus & probris affectus fuerit Ieſus, verumetiam ab iis *qui in eadem damnatione erant*, quos propria pœna meritò totos occupari conſentaneum erat, qui iuſta de cauſa damnati, debuerant agnoſcere in miſerrimo gradu ſe conſtitutos, & pudore ſuæ ſortis ex culpæ conſcientia pœnæque ſenſu affecti tacere, vtque erga ſe, ita multo magis erga Ieſum, cōmiſeratione moueri, quòd hi quoque Ieſum, multo ſe deſpectiorem atque inferiorem habuerint, quem præ ſe contemnentes improperiis ſint proſequuti. Se enim putabant venia & miſeratione dignos, quòd ſcelera ſua agnoſcerent, & ſupplicia promerita non iniquè ferrent: Ieſum verò qui regnum Iſrael affectaſſet, pauperem & ſuperbum, ambitioſum & vilem, nullam aut veniam aut miſerationem mereri, quòd nulla deteſtandæ iactantiæ & elationis pœnitudine ſe duci declararet. Itaque non tam perſonas ipſas, quàm qualitatem latronum notat Matthæus hoc loco, vt Ieſum etiam latronum damnatorum conditioni deteſtatum illo tempore fuiſſe oſtendat: & tali vtitur loquendi genere, quale D. Auguſtinus in exemplum adfert, his verbis: *Quid autem vſitatius, verbi gratia, quam vt dicat aliquis, & ruſtici mihi inſultant, etiamſi vnus inſultet?* Fuit enim Euangeliſtæ propoſitum, monſtrare, à Chriſto crucifixo conuitiis lacerando, nullum genus hominum abſtinuiſſe, vſque adeò vt ne latro quidem, ſceleratus, concrucifixus, deſperatus, ac ſemimortuus, ei parceret. Illuſerant ei priùs priuatim in atrio pontificis Iudæi, illuſerant priuatim milites in prætorio: nunc publicè coniunctis viribus, morienti & atrociſſima tormenta perpetienti, abſque vlla commiſeratione, inſultant, & Iudæi & milites (facile eſt enim intelligere, nec milites hîc defuiſſe ſuis partibus, prout id Lucas quoque diſertè affirmat cap. 23. v. 36.) & Iudæorum omnes omnino ordines, ſacerdotes & populus, ſummi & infimi, periti & imperiti, ſanctiſſimi qui habebantur & qui ſceleratiſſimi. Quæ pœna, vbi in dira quæ iniuſtè infligitur morte, non modò nemo condolet, verumetiam omnes inſultant? Omnibus certè tormentis durius fuit hoc certamen, quòd omnes quaſi à Deo proiectum & deſertum, probris ac contumeliis vexarunt. Hac ergo oratione Ieſus, pro noſtris culpis, factus eſt opprobrium hominum omniū & abiectio plebis. Patiebatur corpore tormēta acerbiſſima, & nihilominus animus pungebatur, affligebatur, exagitabatur, conuitiis aſperrimis atque indigniſſimis, quibus ſatan proculdubio lethaliter eum vulnerare conabatur. Nimirum continuit diuinam virtutem ſuam, & humanam naturam totam cruciatibus expoſuit, ſummos & corporis & animi cruciatus tolerans ac vincens, vt plenè pro nobis ſatisfaceret. Hæc nobis ob oculos idcircò ponuntur, quò meliùs appareat quanti Filio Dei conſtiterit noſtra ſalus, ſimulque reputantes nos omnibus quas ſuſtinuit pœnis iure eſſe obnoxios, magis magiſque ad pœnitentiam & virtutem omnem incitemur, & ſuperbia, qua genus noſtrum maximè vitiatum eſt, radicitus exſtirpetur ex nobis, quos omnis generis ludibria & ignominias patiens Chriſtus redemit. Porrò inter hæc ludibria ac probra, parabatur, Ieſu quidem æternus honor, hoſtibus verò eius perpetuum dedecus.

Mar. 15. v. 33. Luc. 23. v. 44.

A ſexta autem hora, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam.	45 ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας, σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐνάτης.

A SEXTA HORA diei tranſacta, ſeu ſigno ſextæ horæ dato, id eſt, à meridie. nam vt nobis horæ duodecimę, ita Iudæis ſextæ horæ ſignum, meridiei & incipientis tertij quadrantis diei eſt ſignum, vide Mar. 15. v. 25. Coniunctione aduerſatiua AVTEM, ſignificat Euangeliſta, quod Chriſto ante horam ſextam crucifixo, à ſexta hora, interea dum penderet de cruce, obortæ ſint tenebræ. Quando enim infirmus maximè eſſe cœpit Filius Dei corpore, tunc creatura omnis lugubrem habitum induit, & cum ſuo infirma facta eſt auctore. Quàm conuenienter hanc ſextam diei ſexti horam Chriſtus ad paſſionem elegerit, docet Theophylactus his verbis: *Sexta die homo eſt conditus, qui & ſexta hora de ligno comedit: qua igitur hora Dominus hominem condidit, eadem & lapſum curauit. ſexta die & ſexta hora cruci affixus eſt.* Similiter inter Latinos Beda Marcum enarrans: *Rationis, ait, immo diuinæ pietatis ordo poſcebat, vt qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo innexerat, eadem hora ſecundus Adam mortem moriendo deſtrueret.* meridie enim Adam vetitum cibum guſtarat. Gen. 3. v. 8.

TENEBRÆ. quales nocte ſerena, aut quales in crepuſculo ſiue matutino ſiue veſpertino, quādo lux & tenebræ ſunt permixtę: nam & tunc ſtellę apparent, quemadmodū nunc apparuiſſe teſtatur Auctor libri de mirabilibus ſacræ Scripturæ apud Auguſtinum tomo 3. lib. 3. cap. 12. Non enim ita denſæ fuerunt tenebræ iſtæ, vt omnino nihil videri potuerit; nec ita horribiles, vt tenebræ Ægyptiæ, de quibus ſcriptum eſt Exo. 10. v. 23: *Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat.* Nam his tenebris conſtantibus, milites viderunt ſe mutuò, viderunt arundinem, ſpongiam, vas aceto plenum, os cui acetum propinarunt, & cætera. nec enim voluit Chriſtus ſuæ per tenebras paſſionis curſum impediri, aut ita mori, vt à nemine videretur. Sed obſerua Antitheſin horæ ſextæ & tenebrarum: nam quo tempore clariſſimus eſſe ſolet, eo obtenebratus eſt dies, & quando ſol lucere ac feruere maximè, tunc occidit, iuxta illud Amos 8. v. 9: *Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Ita autem factum eſt, vt euidentius eſſet miraculum, & *vt vniuerſi*, inquit Chryſoſtomus, *qui terram habitant, videant, quia dies vbique terrarum tunc erat.* Porrò ſicut dies qua paſſus eſt Ieſus, in noctem; ſic nox in qua natus fuerat, in diem eſt verſus. FACTÆ SVNT ſubitò, idq; ſole obſcurato, prout explicat Lucas cap. 23. v. 45. Eſt autem obſcuratus ſol, primùm luna interpoſitâ inter ſolem & terrā, quod teſtatur oculatus teſtis Dionyſius Areopagita, cùm in epiſtola quam ad Polycarpum ſcripſit de ſe & Apollophane philoſopho loquitur: *Eramus vna ambo, & ſtabamus ad Heliopolin, ac cernebamus nec opinatò, cùm luna ſe ſoli obiiceba: (neque enim coniunctionis tempus erat) rurſúſque cum eadem ab hora nona ad veſperum ſe media ſolis lineæ præter naturæ ordinem opponebat. Redige autem etiā aliquid aliud ei in memoriam. Scit enim etiam obiectum ipſum à nobis viſum eſſe oriri ab ortu ſolis, & ad ſolis extremum peruenire, deinde euaneſcere: rurſumque non ab eadem parte ſolis & obiectum & receſſum euenire, ſed ab ea quæ, vt ita dicam, ex diametro erat contraria.* Hæc Dionyſius, cuius ſcripta in dubium à ſciolis noſtra ætate vocata, viri docti doctè defenderunt. Porrò hîc multiplex eſt obſeruandum miraculum. Vnum, quòd cùm eclipſis ſolis non ſoleat fieri niſi tempore nouilunij,

lunij, id est, coniunctionis solis & lunæ: hæc facta sit tempore plenilunij, id est, oppositionis solis & lunæ. erat enim Pascha Iudaicum, quod non licebat celebrare nisi luna decimaquarta, quæ haud dubium luna plena est. Hoc omnes tractatores & veteres & recentiores annotát. Cùm ergo luna solem longè transisset, adeoque dimidia ab eo cæli parte distaret; contra proprium motum, quo fertur ab occidente in orientem, retrocessit ad solem, eique se supposuit & coniunxit: quemadmodum Isaiæ 38. v. 8., petente Ezechia rege, sol decem gradibus contrario cursu recurrit. Hinc sequitur alterum miraculum, quòd cùm in eclipsi naturali, luna solem subingredi consueuerit ab ea parte quæ respicit occidentem, eamque primùm obscurare, atque ita transire solis corpus ad oppositam vsque partem; vt proprius eius motus velocior est proprio solis motu (vno enim mense conficit spatium, quod sol demum duodecim mensibus) in hac, subingressa sit à parte orientis. Fuit tertium miraculum, quòd cùm corpus solis, qua parte primùm fuerit tectum, eadem primùm soleat retegi ac nudari; hic, pars ea quæ ad orientem, primò tecta, postremò nudata ac luci reddita fuerit. Nam, quod pro quarto miraculo annotatur, luna cum ad solaris corporis finem peruenisset, qua via venerat, rediit ad principium solaris corporis, & inde ad orientem, vel pene soli occidenti opposita in oriente, eo loco ad quem peruenisset, si naturali motu incessisset: quæ fuit restitutio cælestium corporum in statum pristinum. Liceat quintum addere miraculum, quòd orbis lunæ, qui, qua parte mortales adspiciebat, totus eo tempore erat illustratus; subitò totus ea parte sit obscuratus, ita vt non magis luna quàm sol eo tempore luxerit. Lunæ enim suppositæ soli, accenditur superior, obscuratur inferior orbis. Sic igitur accidit solis obscuratio, interpositione lunæ, admiranda cumprimis, & naturæ ordinem viresque excedente. Sed quia luna, vt longe à sole distat, tametsi eodem signo soli coniungatur, ita etiam sole ac terra est minor; tenebræ autem istæ occuparunt vniuersam terram, quod docent Euangelistæ: non sufficit lunæ interpositio ad obscurandum solem, sed necessaria insuper fuit radiorum solarium retentio, de qua D. Hieronymus: *Videtur mihi, inquit, clarissimum mundi lumen, hoc est, luminare maius, retraxisse radios suos.* Et Cyprianus sermone de bono patientiæ: *Cùm sol, ne Iudaeorum facinus adspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahat.* Item Chrysostomus in cathenam allatus ex sermone de passione Domini: *Non poterat ferre creatura iniuriam creatoris: vnde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora.* Nam sola luna œcumenicam solis eclipsin efficere non potest. Lucem ergo retinuit Deus solis, naturâ lucifluì, ne diffunderetur in terram, eâ copiâ quâ consueuerat: aliquid enim lucis permisit diffundi, qui filium suum mori voluit, hominibus præsentibus & videntibus. Sole igitur, partim per lunæ interpositionem, partim per radiorum retractionem, obscurato, factæ sunt tenebræ. SVPER VNIVERSAM TERRAM, eius hemisphærij quod occupabat dies. nam in terra alterius hemisphærij, vt nox erat, ita non opus vt illic fierent tenebræ. Vniuersum orbem terrarum inualuerunt tenebræ, id enim Euangelistarum omnium verba præ se ferunt: ex quibus Lucas, non tantùm tenebras ortas super totam terram, verumetiam solem, qui totius mundi est oculus, obscuratum dicit. Origeni, qui solam Iudææ terram hic vult significatam, opponendus est Chrysostomus cum sua schola, & inter Latinos Tertullianus, qui Apologetici cap. 21., hoc solis deliquium, vocat mundi casum. Nam si Iosuæ & Ezechiæ temporibus, duplo auctus est dies, non tantùm in terra Iudæorum, quorum res priuata agebatur, verumetiam in orbe vniuerso: quid mirum, si Filio Dei mortem crudelissimam patiente pro totius mundi salute, totus mundus habitum lugubrem induerit, & mœruerit tenebris obuolutus? Nec enim Euangelistæ soli harum tenebrarum meminerunt, verumetiam Historiographi Ethnici, quod testatur Eusebius in chronico ad annum dominicæ mortis scribens in hæc verba: *Quo tempore & in aliis Ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperimus: Solis facta defectio, & tenebræ super vniuersam terram. Bithynia terræ motu concussa, & in vrbe Nicana ædes plurimæ corruerunt. Quæ omnia his congruunt, quæ in passione Saluatoris acciderunt. Scripsit verò super his & Phlegon, qui olympiadum egregius supputator est, in 14. libro ita dicens: Quarto autem anno 202. olympiadis, magna & excellens, inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctè versus, vt stellæ cælo visæ sint, terraq; motus, in Bithynia, Nicana vrbis multas ædes subuerterit. Hæc supradictus vir.* Hactenus Eusebius, quem obserua Phlegontis adducere testimonium, non vt solius, sed vt vnius ex Ethnicis historiographis, aut potiùs præter ethnicos historiographos quos prius dixerat. Vidimus suprà quî Dionysio Areopagitæ conspectæ fuerint hæ tenebræ in Ægypto. Tertullianus Afer, loco mox citato, asserit, Romanos, hunc mundi casum relatum in suis archiuis habere. Lucianus martyr presbyter Antiochenus, prouocans ethnicos ad suos ipsorum annales, apud Eusebium lib. 9. hist. eccles. cap. 6., ait: *Requirite in annalibus vestris, inuenietis, temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem.* Quòd si multi historiographi non meminerint solaris huius deliquij, considerandum est, multos inuidisse gloriæ Christi, cuius fides apud ipsos cœperat propagari, ac proinde studiosè hoc subticuisse, vt & alia: qualis fuit inprimis Iosephus, qui nullum omnium miraculorum à Domino nostro perpetratorum, historiis suis inseruit. Cæterùm facile creditu est, maiores in Iudæa & Ierosolymis tenebras extitisse, quàm in reliquo mundo, vt plures ob causas illic eas Deus excitauit, quàm in reliquo mundo.

VSQVE AD HORAM NONAM postmeridianam, tribus horis continuis. *Ne forsitan videretur,* inquit Hieronymus, *vmbra terræ vel orbis lunæ soli oppositus, breues & ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum spacium ponitur.* Aliud rursus miraculum, ex quo consequitur, Lunam, vel immotam constitisse sub sole, vel lentiori gradu fuisse progressam quàm consueuerit. breuis est enim eclipsis naturalis, nec diutius durat, quàm dum luna, quæ continuè mouetur sub sole, solem transierit, quod breuissimo facit temporis spacio. Verisimile est est autem, has tenebras tamdiu durasse, quamdiu vixit Christus, ac demum eo mortuo, postquam iam labor omnis transisset, lucem redditam, & solem lunamque suæ naturę atque ordini restitutos. Christi enim causa manifestè obortæ sunt tenebræ istæ, vt dignitatis testimonium diuinitus ipsi prę beretur, quòd esset Christus Filius Dei, quemadmodum de se ipse docuerat, ne crucis ignominia coniuncta cum improperiis principum Iudaicorum, infamiam ipsi aut eius doctrinæ adspergeret, si fine diuinis testimoniis vt ignobilis moreretur. Quando enim maxima apparuit Christi infirmitas, tunc maximis miraculis ostendenda fuit eius maiestas. Omnia enim hæc facta sunt, *ad humanam naturam docendam* (inquit Augustinus libri de fide contra Manichæos cap. 26.) *non ad Christi naturam tuendam.* Excitatis igitur subitò meridie tenebris, declarauit Deus Pater, hunc filium suum charissimum esse, qui secum lucem solemque creasset, & mundum gubernaret, valeretque subtracto lumine perdere; cui vt opifici & fictori suo, cæli debitum cultum prę starent. Declarauit

rauit indignitatem atrocissimi sceleris quod in ipsum admittebatur, ac si obtenebrato sole faciem suam à flagitio omnium teterrimo absconderet. cuius neque sol sustineret esse spectator, immo laboraret cum Domino suo laborante, parricidisque perfidis lumen suum vt eo indignis subtraheret, in qua re luna quoque omnem operam poneret, adeoque omnis creatura lugeret, protestans potestatem tenebrarum ea hora vigere, atque hinc hæc horrenda & nefaria geri per tenebrarum earum rectores & ministros, ob quæ omnis natura horreat & confundatur. Declarauit denique grauitatem malorum, quæ impios ob hoc scelus in filium suum admissum manerent. Frequenter apud prophetas, solis lunæque obscuratione, Dei ira extremaque mala prædicuntur, quòd populo de quo se vlciscitur Deus, iisque qui Dei seueritatem experiuntur, nihil lætum; sol & luna minimè lucere, sed tristia omnia & tenebrosa esse videantur. Isa. 13. v. 10: *Obtenebratus est sol in ortu suo*, &c. Ioel 3. v. 15., &c. quem locum suprà recitauimus, Amos 8. v. 9., præter alia. Qualibus ergo per prophetas verbis, talibus iam rebus, tenebris inquam & solis lunæque obscuratione, Deus Pater minatur Iudæis, quòd extremis eos affecturus sit malis & animi & corporis, eos excæcaturus, deleturus, postremò proiecturus in tenebras exteriores, quòd missum à se ad ipsos filium suum ita indignè tractarent. *Hoc signum*, ait Chrysostomus, *non magnitudine solùm miraculi, verùmetiam quia opportunè accidit, ad conuertendos eos sufficiebat.* certè enim spectaculum eis exhibitum fuit terroris plenum, vt Dei iudicium expauescerent. *Signum quærebant aliquando videre de cælo, ecce igitur signum rarum, tenebræ. Mirabilius certè erat, talia efficere dum esset in cruce, quàm dum adhuc ambularet in terra, immo quàm ex cruce descendere. Nam siue ab eo hæc facta esse putabant, timere ac credere oportuisset: siue non ab eo, sed à Patre, oportebat tamen propterea commoueri atque compungi. Iram enim Dei propter facta ipsorum commotam esse, tenebræ illæ significabant, propter facinorosos videlicet eorum ausus.* Hæc Chrysostomus, eiusque discipuli, Titus, Victor, Theophylactus, Euthymius. Sed non sunt expergefacti impij, vt vel scelus suum agnoscerent, vel admirabile Dei consilium in Christi morte expenderent: securè neglecta est ab eis, & clausis oculis prætérita, solis extinctio: nam obtenebratæ erant & excæcatæ eorum mentes, ita vt videntes non viderent. Ne enim agnoscere viderentur, impietatem suam insolita hac naturæ conuersione diuinitus argui, audacter perrexerunt blasphemare, & probris scommatisq; lacessere Dominum crucifixum, & postquam circa horam nonam exclamasset, irridere: *Videamus an veniat Elias liberans eum:* quemadmodum & milites, tum his verbis, tum oblato aceto illudebant eum. infrà v. 49. Luc. 23. v. 36. Quare Titus scriptum reliquit: *Fortassis autem vel eclipsi, vel alia quapiam naturali consequentia, id accidisse putarunt: vnde & post tot tantaq; miracula, adhuc contumelias ingerebant incessebantq; conuitiis.* Hæc ille, quibus addi posset, quòd ausi fortassis etiam sunt blasphemare, quòd his miraculis Deus testaretur impietatem eius quem ipsi crucifixerant, quemadmodum aliàs opera Spiritus sancti adscripserant Beelzebub principi dæmoniorum. Cæterùm, quamuis isti ita extrinsecus se gererent, apud se tamen non lætabantur, quorum animi, etsi inuitis & obseruare nolentibus, nescio quid mali præsagiebant ex his tenebris, quæ vel hoc apud eos effecerunt, ne nudum Domini corpus, ignominiosè è cruce pendens, cum gaudio adspicerent.

Mar. 15. v. 34. Psal. 21. v. 2.	Et circa horam nonam, clamauit [46] Iesus, voce magna dicens: Eli, Eli, lama sabactani? hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?	περὶ δὲ τὴν ἐννάτην ὥραν, ἀνεβόησεν ὁ ἰησοῦς, φωνῇ μεγάλῃ λέγων· ἠλὶ, ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθάνι; τοῦτ' ἔστι, θεέ μου, θεέ μου, ἱνατί με ἐγκατέλιπες;

ET CIRCA. περὶ δὲ circa autem HORAM NONAM. id est, paulò ante aut paulò post horam nonã transactam, cùm iam tribus & eo ampliùs horis de cruce pependisset. *Cum inclinata est dies ad vesperum*, inquit Glossa, *& tepefactus est sol à feruore, passionẽ consummat, ostendens se mori propter peccata nostra, quibus à diuina luce & dilectione in hanc mortem incidimus.* CLAMAVIT. ἀνεβόησεν exclamauit. auget enim præpositio. Ante tenebras alloquutus è cruce matrem, discipulum, & latronem, totum tempus tenebrarum in summo egit silentio, ita perferens patientissimè cruciatus illos dirissimos, vt sacerdotem pro nobis agens & intercedens, Deum patrem apud se oraret, seque ipsum ei hostiam pro nobis redimendis offerret: nisi quòd sub finẽ tenebrarum, cùm cruciatus in immensum iam augeretur (tribus enim & eo ampliùs horis de ligno pependerat) & mortis appropinquantis vmbra se proderet, postquam dixisset *sitio* (vide infrà v. 48.) exclamauit. Exclamauit autem, non coactus aut doloris vehementiâ aut animi mœstitiâ, quod impiè Caluinus docet, sed propria sponte, animo sedato optimeque composito iudicante clamorem sibi edendum esse (quem, vt suarum fuit affectionum Dominus, potuisset non edere) ob causas rationi consonas, Vnam, vt adhuc viuere intelligeretur, quam annotat Chrysostomus; Alteram, vt cruciatuum quos patiebatur acerbitatem declararet; Aliam, vt quod loquebatur, ab omnibus posset intelligi. Postremam, vt se mori ostenderet, non tam violentiâ inimicorum, quàm voluntate propria. Clamor enim huiusmodi à Christo moribundo editus, supra humanæ naturæ vires fuit: nam solet non solùm morientes, verùm & timentes mortem, vox deficere. Intelligendum igitur dedit, quòd etsi vt homo moreretur, tamen vt Filius Dei posset se in vitâ conseruare, si placeret. IESVS cùm instar Noë inebriatus, sed vino amoris erga genus humanum, & nudatus, sed cæli & terræ tectus pallio tenebroso, non iaceret sed penderet in duro crucis strato. MAGNA. Syrus alta. Vtraque ratione clamoris magnitudo exprimitur, & addita verbo præpositione, & adhibito epitheto *magna*. Magna, tum quia valida & sonora, tum quia, vt Origenes ait, *plena mysterij ac doctrinæ.* DICENS. Non deformem clamorem rugitum aut eiulatum edidit, qualem alij eo in supplicio constituti edere potuissent: sed vocem articulatam emisit; nec eam quamuis, sed præmeditatam ad Deum Patrem orationem, eamque è sacris Scripturis petitam, exordium Psalmi 21. vsurpans, prout hebraicè exstat: nam LXX interpretes, omiserunt alterum pronomen, adiecerũt autem medium illud *respice in me: Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* quod D. Hieronymus quoque hîc annotat. ELI, ELI. Syrus *Il, Il*, Deus, Deus. omissis pronominibus, contra fidem, non tantùm euangelij tam græci quàm latini, verumetiam Psalmi ipsius: quamquam obseruandum est, quòd in euangelio secundùm Marcum, idem Syrus *Il*, exponat per *elohi* Deus meus. LAMA. vna

per ſe dictio eſt. *SABACTANI.* Non hebraicum ſed chaldaicum ſiue ſyriacum eſt verbum (nam tria præcedentia *Eli Eli lami*, vtrique linguæ communia ſunt) quo hîc vtitur Syrus, & in Pſalmis paraphraſtes chaldæus, tametſi eo quoque hîc vtatur Auctor euangelij hebraici à Munſtero editi. Hebraicè Pſalmus habet *Azabtani*: nam quod hebraicè dicitur עזב *azab*, ſyriacè & chaldaicè dicitur שבק *ſabac*. Græci libri, & cum illis non pauci latini, legunt chaldaicum *ſabactani*: complures latini, præſertim manuſcripti, haud abhorrent ab hebraico *Azabtani*, vt in Notis ad varias lectiones oſtendimus. Illud ſi Ieſus clamarit, vſus eſt lingua vulgari, vt omnes intelligerent: ſicut aliis euangeliorum locis, exſtant vocabula ſyriaca, vulgari ſermone ab ipſo vſurpata. Hoc verò ſi clamarit, vſus eſt lingua hebraica, quâ Pſalmi à Dauide ſunt editi, quaque illi in templo ac ſynagogis ſoliti erant lectitari & cantari; idque vt faciliùs animaduerteretur, exordium ſacri illius Pſalmi ab ipſo vſurpari. Porrò ſeruauit hæc hebraica verba græcus Matthæi interpres, & ipſe quoque Marcus Euangeliſta, vt doceret, vnde nata ſit opinio illa quorumdam, qui arbitrati ſunt Eliam abs Ieſu eſſe inuocatum, de qua verſu ſubſequente. HOC EST. Neceſſariò addidit interpretationem græcus Euangeliſtæ Interpres, quã Euangeliſta ipſe addere non debuit: vt nec euangelia ſyriacum & hebraicum, quæ nobis exſtant, addunt. DEVS MEVS. Hoc eſt *eli*, nam אל *el* Deus, י *iod* quod eſt *i*, pronomen eſt primæ perſonæ numeri ſingularis. Deum inuocat, non tantùm vt Deum fortem atque omnipotentem (nam à fortitudine Deus hebraicè vocatur *El*) verumetiam vt peculiariter ſuum, quem ipſe ſummè diligat, quippe patrem, & à quo viciſſim ipſe præ aliis omnibus diligatur, vt filius, ſpem fiduciamque quam in ipſo fixam habeat hac voce conteſtans; idque eò clariùs, quòd etiam repetat hanc vocem: repetitio enim affectionis intentionem declarat. VT QVID. *lama* quare. DERELIQVISTI ME? *ſabactani* vel *azabtani*. reliquiſti, deſeruiſti me, inter manus inimicorum, nec liberans me ex his tormentis & afflictionibus, nec conſolans me, aut dolores & mœrores influxus tui dulcedine mitigans. Affirmat ſe derelictum à Domino Deo ſuo non quòd exiſtimet aut metuat Deum ſibi offenſum, vel Dei gratiâ ſe excidiſſe, prout blaſphemat Caluinus, qui deſperationis vocem Ieſu hîc elapſam eſſe concedit. Docet, tentationem huiuſmodi Ieſu hîc obiectam fuiſſe, quaſi Deo, ob hominum quæ luendi ſuſceperat peccata, irato, eſſet exitio deuotus: cumque hac tentatione certamen ei fuiſſe & conflictum cæteris omnibus tormentis duriorem, ita vt, quamuis victor euaſerit, horrore correptus fuerit, & præ interiore animi mœſtitia, timentis ſibi iram ac maledictionem Dei, in hunc clamorem eruperit *Vt quid dereliquiſti me?* atque hanc fuiſſe vel præcipuam partem redemtionis noſtri, quòd animo tulerit eas pœnas, quæ animis noſtris debebantur, inter quas eſt pœna deſperantis ſalutẽ, vt corpore ferebat pœnas corporibus noſtris debitas. Hæc ferè eius ſunt verba, multis modis in Chriſtum contumelioſa: quibus cùm docere inter cætera vult, nouã rationẽ redemtionis noſtri per Chriſtum, quã ante ipſum nemo alius obſeruarit, aufert Chriſto omnem redemtoris mediatoriſq; dignitatem. Repugnat enim mediatoris Dei & hominum dignitati, quòd ſe à Deo alienum & exitio deuotum, quamuis propter hominum peccata, metuat, eoque metu correptus in querimoniæ de Deo vocem erumpat: quem oportet confidenter accedere ad Deum, neque deterritum Dei magnitudine, cui ſe nouerit gratum, neque retractum peccatis hominum, quibus abolendis ſe nouerit parem, ita vt nihil timere debeat iudicium Dei, etiamſi illud eorum loco ſubeat, peccatis illorum in ſe ſuſceptis. Et quamuis ille ſcribat, cum deſperatione luctatum quidem eſſe Chriſtum, ſed non abſorptũ ab ea aut victum: negare tamen non poteſt, à tentatione deſperationis læſum, morſum, aut certè attactum & affectum fuiſſe Chriſtum, quem illa coëgerit, vt ipſe ait, in clamorem erumpere. Neque verò omnes pœnas nobis debitas ferre debuit Chriſtus, etiam eas quæ cum peccato coniunctæ ſunt, aut proprium ferentis peccatum ponunt (nam illæ, tantum abeſt vt promoueant, vt contrà vitient ſatisfactionem) ſuffecit quòd ita corpore tulerit crucem, vt etiam anima mœrorem & dolorem, qualem humana anima pati conſueuit afflicto corpore: qui quidem dolor ſummus fuit in Chriſti anima, quemadmodum cruciatus ſummus in corpore. ſic enim & anima & corpore ſatisfecit pro peccatis noſtris, quæ anima ſimul & corpore committuntur. Nec ſacræ litteræ alia ratione nos redemtos agnoſcunt, quàm cruce, ſanguine, & morte Chriſti, nec tam multitudini magnitudinive pœnarum, quàm perſonæ dignitati, noſtri redemtionem adſcribunt. Sed hæc ſatis aduerſus Caluini blaſphemiam, quæ ſola deſiderabatur vt Iudæorum in Chriſtum blaſphemias perficeret. tantùm enim deſperationem illi, crucifixo non improperarant. Huic veneno antidotum editum eſt à doctiſſimo viro Thoma Stapletono, & nos quoque alia in hoc argumentum diximus ſuprà 26. v. 37. 38. 39. Mirum videri poſſit, quòd abſurdam adeò doctrinam, vel diſcipuli Caluini ſequantur: ſed minimè ferendum eſt, quòd Iohannes Ferus, qui catholicus haberi vult, multis in commentario ſuo hanc hæreſin enarret, inter cætera dicens, quòd Chriſtus Dominus, non ſolùm ſupplicium à nobis meritum, verumetiam deſperationem noſtram in ſe tranſtulerit. Quare cauendum catholicis eſt ab illo & aliis quibuſdam locis in commentariis Feri, quos quidam ab hæreticis deprauatos credunt. Sed vt ad Scripturæ interpretationem redeamus, fatetur Caluinus, Chriſtum prioribus verbis *Deus meus, Deus meus*, ad Deum tamquam ad Deum ſuum confugere, & de tentatione triumphum agere: poſteriora autem *vt quid dereliquiſti me*, ſic explicat, vt Chriſtus Dei alienationem mente concipiens, ac proinde diros anima patiens cruciatus damnati ac perditi hominis, conqueratur Deum ſibi iratum & aduerſum. Quæ illa abſurditas eſt, ſuccinctæ adeò orationis ſola quatuor verba, in contrarios ſenſus diſtrahere, ac non potiùs ſibi ſimilia, & ex prioribus poſteriora exponere, ita vt intelligatur oratio eſſe, etſi querimoniam aliquã depromentis, fiduciâ tamen integrâ in Deum & Patrem ſuum iacti? Non ergo derelictum ſe affirmat Chriſtus, quòd Deo irato exitium metuat, nec, quod alij quidam ſenſerunt, quòd diuina natura humanam in cruce ſeiuncta dimiſerit, quæ nec morte à ſe mutuò ſunt ſeparatæ: ſed quòd diuina natura, humanam relictam ſibi, ad omnem perſequutorũ libidinem, exponat & plurimis & grauiſſimis malis, nullũ auxilium adferens corpori, nullum præbens ſolatium animæ: quòd non liberet hominem Deus, quod facilè poſſit, ab improperiis iniuriiſq; impiorum, à cruciatibus diriſſimis, à morte inuadente, cæteriſque quibus opprimitur extremis malis; nec tantùm nõ liberet, verùm neque vlla conſolatione ſiue exteriore ſiue interiore refocillet. Solet Deus ſanctos ſuos in tribulatione conſtitutos, ſi non mox liberare ab iis quibus affliguntur malis, certè interiori ſolatio ita leuare, vt exteriora mala leuiùs ferant: vnde Pſalmographus: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Pſalm. 93. v. 19. At qui Chriſto

homini

homini in cruce nec tantillum solatij permisit Deus fluere, vel à diuinitate, vel à superiori ratione humana, in inferiores animi vires, nedum in corpus, sed totum ipsum & anima & corpore exposuit tormentis crucis mortisque ad tempus tolerandis. Idcirco igitur se derelictum ait: nam is modus loquendi hominum est, nec tantùm vulgi, sed etiam S. Scripturæ consuetudine probatus, vt se derelictos à Deo dicant, si non adiuuentur à Deo, ita vt liberentur à calamitatibus suis, postquam Deum id orauerint. Psal. 9. v. 22: *Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?* Psalm. 59. v. 1: *Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es & misertus es nobis.* Potiori ergo iure sic loqui potuit Christus, minimè fictè aut theatricè (quod Caluinus obiicit) qui non tantùm non liberatus est ab acerbissima passione & morte, postquam id tertiò rogasset (suprà 26. v. 44.) sed nec inter labores consolatione recreatus, quod plerique alij, verum sibi soli relictus, totusque hostium libidini expositus, ita vt ipso nullus vmquam magis fuerit à Deo derelictus, ne nos derelinqueremur, qui id meriti fueramus. Porrò sic affirmat se derelictu, vt non, aut desperet de salute, aut impatientia vel tædio victus Deo obmurmuret, sed solummodo conqueratur, affectionem exprimens voluntatis naturalis seu inferiorum animi virium, quibus vt graue erat hæc pati, ita gratum fuisset ab his liberari: quemadmodum ab initio, harum naturalium affectionum suarum desiderium declarans, orauerat Patrem, vt, si fieri posset, transiret ab ipso hic calix: homo enim erat, à quo, præter peccatum, humani nihil alienum fuit. Quare Victor Antiochenus in Marcum scribens: *Ostendit per hæc*, inquit, *æquè se omnes cum natura nostras miserias & languores in se transtulisse*; & clarius Theophylactus in Matthæum: *Ostendit se hominem verum & non iuxta apparentiam, siquidem homo, cum vita sit cupidus, naturalem habet viuendi appetitum. Sicut enim in mæstitudine fuit ante crucem, ostendens timorem naturæ nostræ congruentem: sic & nunc inquit, vt quid me dereliquisti? insinuans naturalem viuendi cupiditatem. etenim verè homo erat, nobisq; per omnia similis absque peccato.* Hæc Theophylactus. Sic etiam inter Latinos Auctor ille scholiorum in Marcum apud Hieronymum: *Verba propria sunt*, ait, *Filij hominis*; & ipse Hieronymus in Matthæum: *Ne mireris*, inquit, *verborum humilitatem & querimoniam derelicti, cum formam serui sciens scandalum crucis videas.* Conqueritur autem Christus homo, valido quidem clamore, ob vehementiam, vt cruciatuum, ita desiderij naturalis, sed modestis verbis, non Deum iniustum pronunciando, aut seipsum exsecrando, quod solent desperabũdi, sed placidè interrogando cur ita fieret. Sic enim moderabatur ratio vires inferiores, & exprimebat desiderium earum, quarum non erat scire aut considerare causas ob quas Deus filium suum relinqueret in his malis. Mirum certè videri poterat, Deum, qui non solet derelinquere sperantes in se, immo verò præsto adesse inuocantibus & humana ope consolationeque destitutis, hunc hominem, peculiariter suum, inuocantem, confidentem, innocentem, sanctum, adeoque personæ suæ vnitum, in extremis malis angustiisque præter proprium meritum versantem, desereret, & atrocissimis tormentis confici pateretur. Sed nouerat ratio quas ob causas derelinqueretur, nec propter se quærit, sed vt satisfaciat, quod diximus, inferioribus naturæ affectionibus: quibus cõquerentibus respondit haud dubium ipsa ratio, causas optimè sibi esse notas, tolerandum itaque æquanimiter quamdiu Domino Deo visum esset (ratio enim, non tantùm non est conquesta, vt libentissimè omnia tulerit quamquam non tam conquererentur illæ aut causam quærerent, quàm ingemiscentes exprimerent malum suum, quòd desiderarent orarentque finiri: quemadmodum Exod. 32. v. 11. Moses cùm dicit: *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum*, nec conqueritur nec quærit causam, quam Dominus ipsi declarauerat, sed orat vt posito furore misereatur Dominus populi sui. Cæterùm ratio Christi hominis, id est, Christus ipse, per modum quærẽtis causam, exprimendum iudicauit desiderium naturæ, non ob eam solam causam quam diximus, quòd passio illa res digna esset admiratione, cuius causam nosse non esset naturæ, verumetiam, vt aliis intelligendum daret, nullam in Christo derelictionis esse causam, excitaret autem ad inquirendum, quænam eius rei causa esse posset, quæ haud dubium fuere peccata hominum. Ad hunc enim modum Deus Ezech. 33. v. 11: *Et quare moriemini*, inquit, *domus Israel?* non causam quærens, sed in se quidem causam non esse contestans, inuitans autem ad considerandum quòd causa hæreret in ipsis. Vnde Victor Antiochenus, in Christi vocem vbi à Marco refertur scribit: *Ostendit per hæc inter cætera, nullã sui mortis causam sibi cohæsisse. Nos enim ij eramus, qui à Deo proiecti abiectiq;, per illius crucem & mortem, à Deo denuo in filios assumti & in vitam reuocati sumus. Ipse verò Christus secundum se, numquam à Patre desertus, numquam ab illo abiectus fuerat: notum est enim illud Iohannis: Solus non sum, sed ego & qui misit me Pater.* Hæc ille. Iam si quæratur, cur Christus verbis declarare voluerit naturale desiderium, & non potiùs silentio illud premere, quod vt satis erat notum iis qui aderant, ita declaratum, non commiserationem, sed gaudium erat eis excitaturum? Respondeo, non tam eorum causâ qui præsentes aderant, quàm eorum qui credituri erant in ipsum, Dominum declarasse naturæ suæ desiderium. Licet enim possent ij qui præsentes aderant, obseruare, vnâ ex parte, Domini inter cruciatus mansuetudinem, patientiam, & constantiam ad miraculum vsque omnis turbationis expertem; aliâ tamen ex parte suppetebant ipsis ad oculum argumenta naturæ laborantis: quæ cùm iis qui credituri erant non essent apparitura, periculum erat ne hi, dum præteritam Domini iam rediuiui & ad Patris dexteram gloriâ atque honore coronati passionem essent audituri vel lecturi, crederent, patientiam constantiamque illam portentosam, non humanam fuisse, sed in fictitio corpusculo ementitam, aut certè existimarent, Dominum tamquã Stoicum ἀπαθῆ, vel non vel leuiter sensisse crucem, cruciatus ipsi toleratos fuisse aut nullos aut interiori animi gaudio solatioque, quod à sua diuinitate acceperit, ita mitigatos, vt non admodum acerbi ipsi fuerint; nisi intelligerent, eum fusis precibus Deo ipsi exposuisse, & palàm omnibus declarasse, quàm grauis atque acerba crux ipsi fuerit. Neutiquam verò permittendum erat vt hoc illi crederent aut existimarent, sed contrà omnino curandum vt scirent, quàm truculentos dolores pro ipsis redimendis passus fuisset Filius Dei, quantique ipsi constitisset eorum salus, vt grati Saluatorem redamarent. Vnde Euthymius hunc locum enarrans: *Hoc dixit*, inquit, *confirmans quòd sicut in veritate humanam assumsit naturam, ita quoque verè crucifixus est & non phantasticè, prout multi hæretici delirarunt. neque enim nisi dolens ita clamasset.* Hæc Euthymius. Huiusmodi certè hæretici, suam hæresin colore obducere potuissent, si nullum Iesus acerbitatis pœnarum à se toleratarum argumentum reliquisset. Similia dicta sunt à nobis suprà 26. v. 38. 39. circa similia Christi Domini verba: *Tristis est anima mea vsque ad mortem, Pater mi, transeat à me calix iste.* Cæterùm ita declarauit Dominus cruciatuum quos toleraret magnitudinem, vt Iudæis inimicis præsentibus nullã ansam calumniæ dederit, quasi

Deo

Deo obmurmuraret, aut ab eo desperaret, dum vsus est verbis è sacra Scriptura petitis, quæ nemo posset iniquè interpretari, vt quæ extra controuersiam Dauidi fuissent à Spiritu sancto dictata, & interpretationem acciperent ex multis aliis subsequentibus de spe semper in Deum non frustrà iacta, quòd tantum valerent, quantum oratio claris verbis à Deo petentis liberari ab iis quibus obruatur malis. Vsus est autem exordio Psalmi illius celeberrimi de ceruo matutino (hic est enim Psalmi titulus iuxta D. Hieronymi ex hebraico interpretationem) quem Hebræi ipsi interpretati sunt Christum, vt testaretur Psalmum illum de se intelligendum esse, cuius agonem acerbissimum contemplans ac præuidens Dauid, ipsiusque in cruce pendentis personam ferens, Psalmum hunc cecinisset; & commonefaceret pontifices scribasque præsentes, vt Psalmum illum conferrent cum re præsenti, obseruarentque abs se iam esse in Christum perpetrata quę Psalmus ille manifestè prędixerat, postremò scirent, quòd, quemadmodum priora illius Psalmi, ignominiosa omnia, ipsis facientibus iam euenerant; ita posteriora, gloriosa omnia, ipsis inuitis breuî essent consequutura, liberalissimè exaudita hac ipsius oratione, ita vt non tantùm liberaretur ab omnibus malis, verumetiam caput ecclesiæ ex vniuersis gentibus collectæ effectus, iucundè cum ea Deum Patrem perpetuò celebraret.

τινὲς δὲ τῶν ἐκεῖ ἑστώτων ἀκούσαντες ἔλεγον· ὅτι ἠλίαν φωνεῖ οὗτος.

47 Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Eliam vocat iste. *Mar. 15. v. 35.*

ILLIC STANTES ET AVDIENTES. τῶν ἐκεῖ ἑστώτων ἀκουσάντων eorum qui illic stabant (spectandi gratia) postquam audiissent s. vocem illam Eli Eli. Verisimile est hos fuisse Iudæos Romanis militibus permixtos, quorum verba milites arripuerint. Nā si soli fuissent milites, non dixisset Euangelista *quidam illic stantes* siue spectatores, sed *quidam milites*: quòd autem milites adfuerint docet proximus versus, dum ait *vnus ex eis*. hunc enim fuisse militem testatur Lucas cap. 23. v. 36. VOCAT. inclamat, in auxiliū inuocat. ISTE cruciarius, contemtim enim loquuntur. Quia dixerat Iesus *Eli Eli*, quidam qui primum verbum *Eli* repetitum audierant, cætera autem propter tumultum minùs intellexerant, existimarunt Eliam ab ipso appellari liberatorem, cuius nomen omnibus celebre erat. Viuere enim credebatur, & apparere aliquando nonnullis, denique Messiæ socius futurus aut certè præcursor. Horum sententię, alij, qui Iesu vocem optimè audierant, & petitā ex sacris Psalmis oratione Deum ab ipso inuocatū intellexerant, facilè accesserunt, vt data opera illuderent, & sacra orantis verba calūniantes peruerterent in hanc sententiam: Quia seipsum liberare non potest, putat Eliam sibi posse succurrere, illum itaque in auxilium inuocat: sed non magis ab Elia iuuabitur quàm à Deo. Atqui Iesus non opus habebat Elia liberatore, verùm contrà Elias Iesu redemtore: & nisi cæci illi fuissent, animaduertissent se prouocari ad eum Scripturæ locum, quo omnia illa prædicta fuerant quæ coràm cernebant, quemadmodum superiori versu diximus.

καὶ εὐθέως δραμὼν εἷς ἐξ αὐτῶν, καὶ λαβὼν σπόγγον, πλήσας τε ὄξους, καὶ περιθεὶς καλάμῳ, ἐπότιζεν αὐτόν.

48 Et continuò currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. *Mar. 15. v. 36. Luc. 23. v. 36. Iohan. 19. v. 29.*

CONTINVÒ. mox vt clamatum fuerat abs Iesu *Eli*, & dictum ab aliis fuerat Eliam ab eo esse inuocatum; mox inquam *currens*, &c. ad omnia enim subsequentia & participia & verba refertur aduerbium *continuò*. Cæterùm non obtulit iste Iesu potum, quia clamauerat *Eli*, sed quia priùs quàm clamauerat *Eli*, dixerat *Sitio*, quod refert Iohannes cap. 19. v. 28. Nam quòd priùs dixerit Iesus *sitio*, quàm *Eli*, docet aduerbium istud *continuò*, quòd continuò post auditum *Eli*, quidam accurrens parauerit & obtulerit potum: quem tamen, certum est, quòd non propter *Eli*, sed propter *sitio*, obtulerit, ex illo Iohannis loco. Suffragatur etiam ordo rerum conuenientissimus abs Iesu obseruatus: conuenientius est enim, vt mox postquam Iesus sitim laboremque suum extremum hominibus indicauerat, refugiat ad Deum, quàm mox vt Deum inuocauerat, petere videatur hominum auxilium, & (quod Ferus audet dicere, nec caret blasphemia) vt à Deo derelictus quærat ab hominibus solatium. CVRRENS. δραμὼν postquam cucurrisset, ad locum scilicet vbi vas aceto plenum collocatum erat, non longè à crucibus Iesu ac latronum. nec enim ita propè adstabant vel milites ipsi, quin spacium aliquod vacuum inter cruces & se spectatoresque relinquerent, quemadmodum diximus suprà v. 39. Non ita tamen longè aberant, vt currēdum esset festinanti ad crucem, sed cucurrit iste, partim exsultans præ gaudio, quòd oblata ipsi esset occasio illudendi Domino, partim veritus ne ipse ab alio in eo præueniretur, quod voluptati ipsi foret facere. VNVS EX EIS qui illic stabant & dicebant Eliam vocat iste; miles haud dubium, quod intelligitur ex Luc. 23. v. 36. ACCEPTAM. καὶ λαβὼν & postquam accepisset SPONGIAM. Habet hoc spongia, vt liquorem cui fuerit immersa imbibat, pressa autem refundat. Aderat itaque spongia in hunc vsum parata. IMPLEVIT. πλήσας τε impleuissetque ACETO. quod paratum aderat in vase, prout Iohannes testatur, vt crucifixis animo deficientibus præberetur, vt sanguinis è vulneribus profluuium sisteretur &c. quæ ad Iohannem explicabimus. ET IMPOSVIT. καὶ περιθεὶς & circumposuisset, id est. ἐπιθεὶς imposuisset, infixisset. ARVNDINI. extremo arundinis. Variæ sunt arundinum species: inter alias sunt quædam longæ & firmæ, ex quibus fiunt sagittæ. fistulæ, lanceæ: vnde *feras arundinis* Psal. 67. v. 31., quidam interpretantur, hastatos ac lanceis armatos milites. Quare nihil mirum, quòd arundo hîc seruiat, pro instrumento ad longè porrigendum aliquid apto. Quia Iesus altiusculè crucifixus erat, non poterat ei è vasculo potus propinari: idcirco adhibita est spongia, quæ aceto madefacta impositaque arundini, admota est ori Iesu, vt acetum ex ea exsugeret. ET DABAT EI BIBERE. ἐπότιζεν αὐτὸν potabat eum, potum dabat ei tamquā ad restinguendam sitim, reuera autem ad illudendum: acetum enim, cùm summa valeat exsiccandi facultate, non tantùm non restinguit sitim, verumetiam ampliùs excitat. Quod autem hic illudendi causa acetum obtulerit, discimus ex Luca cap. 23. v. 36. vbi ait: *Illudebant autem ei & milites, accedentes & acetum offerentes ei, dicentes: Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac*. Atque hoc annotant etiam tractatores Græci, Euthymius Iohannem, Victor Marcum enarrantes, quorum hic: *Et hoc quoque*, inquit,

inquit, *quòd spongiam aceto plenam ori illius admouebant, insana absurdeq́ illusionis opus erat*. Porrò ex illo Lucæ loco & hoc intelligitur, quòd iste, non tantùm reipsa, acetum offerens, verumetiam sermone, illuserit Iesu, dicens: *Si tu es rex Iudaeorum*, non aduoces Eliam, sed tu ipse *saluum te fac*. Bis itaque acetum oblatum est Domino, semel sub crucifixionem (suprà v.34.) semel sub mortem: & tunc quidem vinum seu acetum felle mixtum, nunc verò acetum purum aut certè hyssopo conditum. Fecit hoc vinea domus Israel, vuarum loco labruscas proferens (Isa.5.v.2.7.) hæc enim militibus suppeditarat acetum, vini loco Domino obtrudêdum. Sitiebat Dominus salutem illorum: at illi præter fel & acetum nihil offerebant. Nemo vmquam ita damnationi obnoxius habitus est, vt moribundo minimum misericordiæ negaretur: sic tamen cum Christo Domino actum est, aduersus quem extrema omnia exserta sunt, & sitis eius non tantùm non leuata, verumetiam in reduplicationem pœnæ oblatum acetum, vt nulla non corporis parte cruciaretur, & nec os faucesve essent liberæ. De his plura suprà v.34. & Iohan. 19. v.29.

Mar.15. v.36.

49 Cæteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.

οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον· ἄφες, ἴδωμεν εἰ ἔρχεται ἠλίας σώσων αὐτόν.

CÆTERI f. adstantium siue spectatorum, qui dixerant *Eliam vocat iste*. SINE. non offeras ei potum, nec propiùs accedas ad crucem. Syrus plurali numero scribit *Sinite*, sic enim mos est quibusdam linguis alloqui etiam vnicum. AN VENIAT. εἰ ἔρχεται si veniet. est enim præsens pro futuro. LIBERANS. σώσων liberaturus EVM, ad liberandum eum. Interpres legit σώζων præsenti tempore. Verebantur ne fortè aduentus Eliæ impediretur per hoc, quòd iste propiùs ad crucem accederet, & illic moras necteret: non quòd crederent Eliam aduenturum esse, sed quòd, si fortè aduenturus esset (quod fieri posse persuadebat tenebrarum miraculum) nollent impedimentum aliquod obijci, vtpote moratum ad crucem, per quas posset ille retardari, videbatur enim faciliùs aduenturus, si Iesus solus relinqueretur, nullusque hominum propiùs ad eum accederet. Ducebantur autem impia curiositate, contenti videre Eliam, & quî ille Iesum esset liberaturus; in ipsum iniecturi fortasse manus, & in crucem actum daturi Iesu socium, si id tentaret; ignari aut immemores, quî ille aliquando duos quinquagenarios principes cum militibus suis ad se missos, igne cælitus deuocato consumsisset. 4.Reg.1.v.14.

Mar.15. v.37. Luc.23. v.46. Iohan.19. v.30.

50 Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

ὁ δὲ ἰησοῦς πάλιν κράξας φωνῇ μεγάλῃ, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα.

IESVS AVTEM inter hæc ludibria, postquam accepisset acetum, quod testatur Iohannes. ITERVM. Nam & suprà v.46. clamauerat, cùm diceret *Eli Eli*. CLAMANS. κράξας vociferatus, postquam clamasset. Non enim inter clamandum emisit spiritum, sed mox à clamore. Iterum clamauit altissima voce, vt omnino testatum faceret, quod suprà v.46. notauimus, se sponte mori, & quod Iohan.10.v.18. prædixerat, se ponere animam, volentem f. & lubentem, nō vi tolli à se inuito. *Idcirco*, inquit Chrysostomus, *magna voce clamauit, vt ostendat sua hac potestate fieri. Hoc est enim illud quod dixerat: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus sumendi eam. animam enim suam*, addit Theophylactus, *ponit sua potestate*. Clariùs etiam Victor Antiochenus in Marcum scribens: *Per hoc factum*, ait, *Dominus Iesus demonstrabat, se totam vitam mortemq́ suam in libera sua potestate positam habuisse*. Palàm ostendit, se mori, non violenter, quasi nequiret se ipse diutiùs in vita seruare, sed propriâ voluntate: nam qui moribundus valuit clamorem edere ingentem, valuit & à morte se seruare. Impossibile est enim vt à clamore valido statim quis moriatur, si quidem morte lenta interficiatur: nam qui subitò confodiatur gladio, nihil mirum clamare simul & mori. Eos enim qui longo cruciatu & lenta morte tolluntur, mors non occupat, nisi viribus omnibus defectos: porrò absque viribus & laterum robore impossibile est altum clamorem edere: prout videmus, vocem iis, quibus mors appropinquat, paulatim deficere, & magis magisque tenuem reddi. Iesus igitur altè clamans & moriens, declarauit, se, non necessitate, vt alij homines moriuntur, sed voluntate mori (alij enim homines, vt non qua volunt hora nascuntur, ita nec qua volunt hora moriuntur) nec tantùm voluntate mori, & vltrò concedere naturæ, vt grauissimis doloribus excruciata, morti cedat, verumetiam vbi hoc concesserit & mortuus fuerit, mortem vincere se posse, & animam resumere, corpusque proprium ad vitam reuocare, prout ipse facturum se prædixerat. Vt enim cæteris miraculis, ita quoque hac clamoris magnitudine, diuinitatem probauit suam, vt qui supra humanam naturam, in ipso extremo spiritu, vocem ederet adeò magnam, plus esse quàm homo crederetur. *Cum ima voce*, ait Auctor ille Scholiorum in Marcum D. Hieronymo adscriptorum, *vel sine voce morimur, qui de terra sumus: ille verò cum exaltata voce exspirauit, qui de cælo descendit*. Hinc factum est, vt centurio, *quia sic clamans exspirauerat* Iesus, eruperit in huiusmodi vocem: *Verè hic homo Filius Dei erat*. Mar.15.v.39. Facilius fuit Christo Domino, ponere animam & resumere, quàm nobis est dormire & excitari. Accessit quòd idcircò clamore sit vsus magno, vt ab omnibus sermo ipsius intelligeretur, nec vt facinorosus, sed vt pius Deique studiosus, mori agnosceretur, & piè moriendi exemplum omnibus relinqueret. Non enim clamorem edidit informem ac rudem, sed articulatè clamauit hæc verba *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, id quod ex Luc.23.v.46. omnes tractatores & veteres & noui annotant. De huius simul & 46. versus clamore loquens Apostolus Heb.5.v.7. ait: *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesq́ ad eum qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*. EMISIT. ἀφῆκε dimisit SPIRITVM, suum addit Syrus, id est animam suam, è corpore f. permisit iussitque animam suam separari à corpore, id est, mortuus est: est enim periphrasis mortis *emisit spiritum*. Sed spiritum potiùs quàm animam dici hoc loco quidam notant, quòd animæ nomen respectum ad corpus secum adferat, spiritus verò rei sit per se subsistentis, emitteretur autem vt per se subsisteret ad tempus. *Dicit spiritum*, ait Beda in Iohannem, *quia spiritus nomen est rei ita incorporeæ, quod etiam independens est a corpore, iuxta id quod superius dictum est Spiritus est Deus*. Spiritus ergo hîc, pro immortali animæ essentia accipitur. *Emittendi* autem verbo rursus

vltronea

vltronea mors significatur, quòd emiserit è corpore sponte sua, sicut auem ex aucupio, vt qui in sua esset potestate, ita vt retinere potuisset si voluisset. *Quod enim emittitur, voluntarium est; quod amittitur, necessarium*, inquit Ambrosius Lucam enarrans; & Christianus Druthmarus scribens in hunc locum: *Quid est enim emittere spiritum, nisi & animam ponere?* Qua de re Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 13: *Spiritus mediatoris carnem non deseruit inuitus sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit: quippe Dei verbo ad vnitatem commixtus est homo. Hinc ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam à me, & iterũ sumo eam.* Porrò id variis modis Iesus testatum reliquit, primùm clamore valido, quod diximus, eoque repetito: deinde quòd mortuus est, simulatque dixisset, *Consummatum est*, & *Pater in manus*, &c., postremò quòd *emisit spiritum capite inclinato* (Iohan. 19. v. 30.) Cæterùm sic sponte emisit spiritum, vt tamen non sine dolore, eoque summo, qualis solet esse mortis, quæ vt vltima, ita & maxima est pœna: quemadmodum cætera præcedentia tormenta, sponte quidem passus fuerat, non tamen absque cruciatu illis proprio. Vt enim aliis hominibus, ita Christo Domino, naturalis illa animæ & corporis vnio, non sine violentia & ægritudine summa soluta est, separataque & distracta à se mutuò anima & corpus, tametsi permissu voluntateque Domini. Permissio Domini fuit, vt inimici inferrent ea quæ possent humanam ipsius naturam lædere & interficere, animam ipsius à corpore separare: voluntas autem fuit, vt natura ipsius his cederet, quam, si voluisset, ita roborare valuisset, vt non cederet. Quamuis enim sponte sit mortuus, non tamen à se ipso occisus est, sed ab inimicis, iuxta id quod prædixerat ipse suprà 17. v. 22. & alibi: *Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum*: Et quidem cruce, comitata cæteris suppliciis, occisus est, prout mens fuit inimicorum, in hunc finem crucem cæteraque nocumenta inferentium. Crux enim coniuncta cum cæteris iniuriis, valuit ita affligere Christum, vt humanâ Christi naturâ sibi relictâ, naturaliter cogeretur anima separari à corpore; valuit inquam, & reipsa quoque effecit. Vtrumque ergo verum fuit, & quòd crux attulit Christo mortem violentam, profectam non ab intrinseca, sed ab extrinseca causa, & quòd ipse suapte sponte est mortuus: quia virtute sua diuina prohibere potuerat ne cruci affigeretur ab inimicis; nec hoc tantùm, verumetiam ne iam affixus cruci moreretur, siue liberando se à cruce, siue efficiendo ne corpus à cruce aduersi aliquid pateretur. Sed quia id prohibere noluit, quamuis posset, è contrario autem, permisit humanam naturam sibi, vt pateretur quæ naturaliter consueuit ab huiusmodi nocumentis pati: idcircò, & sponte mortuus est, & violenter, quamuis non coactè. Verùm vrgeat quis clamorem illum geminum, quo Christus testatus robur corporis sui iam morti proximi, testatus quoque sit non cruce se interfici: nec enim crux interficiat eum, cui adhuc constet robur vigorque corporis. Solutio est, quòd clamor ille diuino miraculo effectus fuit, diuinâ Christi naturâ suppeditante corpori tale robur, quali posset clamores huiusmodi edere, quod alioqui exhaustum robore, & viribus planè erat destitutum, ac cruciatibus tormentisque confectum. Nam quod D. Thomas p. 3 q. 47. a. 1. ad secundum ait, quòd Christus Dominus conseruarit naturæ corporeæ suæ vigorem & robur vsque ad extremum, minùs est verisimile: verisimilius est, quòd permiserit corporis vires paulatim minui, & naturam suam humanam à cruciatibus sensim ad vitæ finem adigi, idque ita vt à spectatoribus quoque posset obseruari: alioqui enim, aut non mortuus, aut à seipso occisus crederetur, si mortuus esset priusquam cruciatuum vehementia videri potuisset mortalem naturam confecisse. Vidimus suprà v. 32., antequam esset crucifixus, ita debilem corpore Christum, vt impar esset ferendæ cruci: nunc cùm tres horas pependerit crucifixus, consentaneum rationi est, multo fuisse debiliorem. Miraculo interim clamorem edidit humanis viribus maiorem, vt se, nõ tam infirmitate, quàm voluntate, quod diximus, mori declararet: *infirmata enim carne, vox inualuit diuina*, ait Auctor scholiorum in Marcum apud Hieronymum. Adhuc obiiciat quis, Christũ citiùs mortuum esse, quàm consueuerint illi mori, qui cruce interficiũtur: hinc enim præsidem miratũ fuisse, cùm audiret Iesum mortuum esse (Mar. 15. v. 44.) hinc latrones simul cum Iesu crucifixos diutiùs Iesu superuixisse, demumque crurifragio occisos (Ioh. 19. v. 32. 33.) Vnde videatur sequi, quòd non crux Christũ interfecerit, sed ipse se, saltem quòd accelerarit sibi ipse mortẽ, vt qui diutiùs remansisset in viuis, nisi suam ipse soluisset vitam. Non est vel hoc concedendũ, quòd Christus suã accelerarit mortem, vel eam intulerit sibi ipse priùs quàm crux, tamquam crux attulisset quidem ipsi mortem, sed non tam citò quàm est mortuus. Omnino enim, non ipse se, nisi indirectè (vt dialectici loquuntur) quia cùm posset, noluit prohibere, quod diximus; sed directè & naturaliter, eo momẽto quo mortem obiit, crux eũ interfecit, id est, ad eũ statum adduxit, quo anima naturaliter nequiret permanere vnita corpori: nisi velimus refragari Scripturis, quæ cruce eum, inimicis agentibus, occisum docẽt. Act. 2. v. 23: *Hunc per manus iniquorum affigentes, interemistis*. Act. 10. v. 39: *Quem occiderũt suspendentes in ligno*. Philip. 2. v. 8: *Factus obediẽs vsque ad mortem, mortem autem crucis* &c. Sed quòd citiùs mortuus sit, quàm consuessent alij cruce mori, multæ fuerunt causæ, quas recenset Thomas Caietanus scribens in locum illum Thomæ Aquinatis. Inprimis enim, non sola cruce cruciatus fuit, quamuis illa fuerit tormentorum omnium maximum, verumetiam variis aliis pœnis. Tristis anima vsque ad mortem apprehensus est, vinctus turpiterque abductus est, pontificibus oblatus variisque mendaciis exagitatus, tandem blasphemiæ ac mortis reus pronunciatus & variis modis irrisus est, noctem inter hæc insomnem ducens. Summo mane ad diuersa tribunalia huc illuc raptus, & acriter falsoque vbique accusatus, adeoque latroni quod ad liberationem publicè posthabitus, tandem flagris crudeliter cæsus est, spinis coronatus, arundine percussus, & rex contumeliosè salutatus, denique vt diuinæ humanæque maiestatis reus ad crucem postulatus & traditus est. Dehinc molestissimam crucem longè baiulare coactus, & felle refectus, cruci affixus est. De ea nudus pendens tres & eo ampliùs continuas horas, sanguinemque sensim effundens, inter summos cruciatus omni contumeliarum genere ab omnis generis hominibus vexatus est. Vides quot huc concurrant aliæ cum cruce pœnæ, eæque sibi mutuò connexæ omnes, & quasi aceruatim Dominum obruentes, continuo successu coagmentatæ & compactæ? Quæ etsi singulæ corpus non affecerunt dolore; vt certè plurimæ affecerunt; omnes profectò animum mœrore afflixerunt, nec eo mediocri, qui non minùs vitam minuit quàm vulnerum dolor. Huc accessit, quòd sicut hæ pœnæ toleratu grauiores fuerunt Domino Iesu quàm fuissent cuiuis alij, tum propter viuacissimam optimamque & corporis & animi constitutionem, tum propter negationem omnis solatij, quemadmodum docuimus suprà v. 35: ita quoque læserunt eum grauiùs, & mortem vehementiùs accelerarunt. Non mirum ergo, quòd Dominus

Iesus

Iesus citiùs mortuus fuerit, quàm consueuerant crucifixi (quamquam & crucifixos fuisse non dubium est, qui nec tamdiu vitam traxerint quamdiu Dominus; admirandum potiùs quòd tamdiu in cruce vixerit, quàm diximus, viderique posset, quòd nisi diuina virtus fulcisset infirmitatem humanam, longè citiùs natura humana fuisset obruta, cedensque suppliciis finisset vitam. Non enim pœnarum siue multitudo siue acerbitas coëgerunt Christum mori priusquam vellet: qui ita temperauit humanæ naturæ suæ constitutionem, vt quamuis pœnarum vi cogeretur mori, quia ipsi visum erat non prohibere, tunc demum tamen moreretur cùm ipse iudicaret opportunum. Iudicauit autem opportunum, simulatque consummata essent omnia, quod Iohannes dat intelligendum cap. 19. v. 30., tempore sacrificij vespertini, circa horam orationis nonam, vt qua hora homo ob peccatum expulsus fuerat paradiso, eadem ipse pro hominis peccato sua morte satisfaciens homini aperiret paradisum. *Etsi autem mortuum est vt homo,* inquit Damascenus lib. 3. de orthodoxa fide cap. 27., *& sancta eius anima ab incontaminato diuisa est corpore: deitas tamen a neutro, hoc est, nec ab anima nec a corpore, quoquo modo seiuncta est, neque propterea persona vna in duas personas diuisa est. siquidem & corpus & anima ab initio in verbi persona eodem momento exstiterunt: ac licet in morte diuulsa fuerint, vtrumque tamen eorum vnam verbi hypostasin perpetuo habuit.* Hæc rectè Damascenus. Iam quare Iesus Christus Filius Dei voluerit mori, non semel à nobis dictum est, præcipuè autem suprà 16. v. 21., vbi explicuimus illud *Quia oportet eum ire Ierosolymam, & occidi.* Vna sola causa fuit, salus hominum. Homines peccato perditi, redditi fuerant inimici Dei, & meriti mortem corporis pœnasque æternas: nec valebant pro peccatis suis ipsi satisfacere, quippe rei omnes læsæ maiestatis diuinæ. Filius Dei illos miseratus, mittente Patre, factus homo mortemque passus satisfecit iustitiæ Patris, homo pro hominibus, iustus pro impiis, ita vt homines omnes, qui quidem ipsi obedirent, Patri reconciliarit, & remissis peccatis iustitiam ipsis hac in vita, beatitudinem verò in altera, promeruerit, morte etiam ipsa à morte resurgendo destructa. Hæc igitur mors Christi, vita est nostra. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis,* inquit Apostolus Rom. 5. v. 8., *quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Studeamus ergo gratis animis redamare eum, qui animam suam pro nobis vilissimis, inimicis inquam & peccatoribus, posuit: id quod præstabimus, si ipsi commoriamur; si, quemadmodum Christus mortuus est vitæ mortali, ita nos moriamur peccato, vitiis, & concupiscentiis.

Mar. 15. v. 38. Luc. 23. v. 45.

Et ecce velum templi scissum est in [51] duas partes, à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt:	Καὶ ἰδοὺ τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω, καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη, καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν,

ET ECCE. Ignominiam crucis & mortem mox consequuta sunt varia, quæ & mortui maiestatem scelerisque in eum admissi indignitatem, & mortis æquanimiter ab ipso toleratæ efficacitatem, testata sunt. *Et ecce,* simulatque emiserat spiritum Iesus. in quem sensum Syrus pro *& ecce* scribit *& statim.* Nam, quod Augustinus habet lib. 3. de cons. Euang. cap. 19., *Matthæus satis expreßit, tunc esse scissum velum, cùm Iesus emisisset spiritum, non simpliciter dicens, sed addens & ecce velum.* VELVM TEMPLI. Illud sic describit Theophylactus: *Velum templi, erat linteum quoddam, in medio templi pendens, discernensque ab his quæ intra, ea quæ extra, vt interstitium.* Similiter Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 37. Iosephus lib. 6. de bello cap. 6., duo huiusmodi templi vela seu aulæa fuisse testatur, vnum ante sanctum, alterum ante sanctum sanctorum. verba eius hæc sunt, tametsi concisa: *Interior porta tota inaurata erat, & circum eam auratus paries: & fores habebat aureas, quinquaginta quinque cubitis altas, sedecim verò latas; adhæc aulæum longitudine pari, hoc est, velum Babylonium, hyacintho & bysso & cocco & purpura variatum, mirabili opere factum. Intima verò templi pars, viginti cubitorum erat: discernebatur autem similiter velo ab exteriore: inaccessa verò & inuiolata & inuisibilis omnibus habebatur, sanctique sanctum vocabatur.* Origenes quoque hunc tractans locum, duplex agnoscit velum, vnum interius quod velat sancta sanctorum, alterum exterius siue templi; & de exteriori quidem, hoc Euangelij loco sermonem esse existimat, persuasus allegoriæ congruentia. Origenem imitatur Hieronymus epistolæ 150. ad Hedibiam quæstione octaua. Arias Montanus libro de sacris fabricis, in tabernaculo quidem duplex, anterius & interius (quemadmodum & Apostolus ipse Heb. 9. v. 3.) sed in templo Salomonis vnicum statuit, his verbis: *In primo illo templo* (Salomonis) *inter sanctum & adytum, vnum velum tantum extensum fuisse, & sacrorum librorum lectione, & veterum traditione constat. At verò in secundo templo, duo fuisse quidam volunt auctores: Euangelij verò lectio vnum tantum indicat, cui καταπέτασμα græcum nomen facit, atque huic rei veterum traditio adstipulatur.* Certè Euangelista sic loquitur, quasi vnicum fuisset velum, non ideò fortasse quòd plura non fuerint, sed quòd de celeberrimo illo & augustissimo velo loquatur, quod iam inde à prima tabernaculi in deserto constructione (Exod. 26. v. 31.) Deus ad dirimendum sanctum sanctorum à sancto, iusserat suspendi, quod semper expansum & clausum, semper velabat sanctum sanctorum, & quæ in eo, rarissimeque subducebatur. Nam exterius velum quotidie aperiebatur, dum quotidie, mane & vesperi, adoleretur incensum, quod iussum fuerat Exod. 30. v. 7. 8. De hoc itaque velo interiori, quo sanctum sanctorum secernebatur à sancto, plerique tractatores interpretantur miraculum istud scissi veli, Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 37., Theophylactus, Beda, Euthymius, & alij. Lactantius lib. 4. cap. 19: *Velum templi,* inquit, *quod separabat duo tabernacula, scissum est in duas partes,* Leo serm. 10. de passione Domini: *Velum, cuius obiecta includebantur sancta sanctorum, à summo vsque ad ima disruptum est, & sacrum illud mysticumque secretum, quod solus summus pontifex iussus fuerat intrare, reseratum est* &c. Atqui dicas, interius velum populo non fuisse conspicuum. Rectè, sed nec exterius: si enim non prohibebat vestibulum templi, certè prohibebat porta aut paries portæ qua ingressus erat in templum, id est, in sanctum. nam interiorem eius portæ parietisque superficiem tegebat hoc velum, vt alterum velum exteriorem eius parietis per quem ingressus erat in sanctum sanctorum. Discimus ex Luc. 1. v. 9. 10. 21. 22. quòd sacerdos interea dum incensum poneret, quod faciebat vtique in sancto (non enim in sancto sanctorum, quod quidam volunt, sed in sancto, ante velum quod pendebat medium inter vtrumque, situm erat altare thymiamatis seu incensi) non videbatur à populo, tametsi portæ & vela omnia, haud dubium, paterent. Multo igitur minùs videbatur à populo velum illud, quo sanctum sancto-

tum à sancto distinguebatur: sed licet à populo non videretur, videbatur à sacerdotibus, versabaturque in perpetuo illorum conspectu, quoties, vel incensum adolebant (erat enim altare ante velum illud collocatum) vel quauis occasione quod poterant, intrabant in sanctum: pendebat enim ex aduerso portæ qua ingressus erat in sanctum. Sacerdotibus igitur & leuitis eo die sacerdotio fungentibus in ordine vicis suæ, quos certum est plurimos fuisse ob solemnitatem paschæ, conspicuum fuit miraculum quod hic refertur, dilacerati Christo moriente veli, præsertim cùm id fieret hora nona, cùm instaret hora incensi vespertini; ita vt iuuisse potuerit miraculum hoc, ad illud quod legitur Act. 6. v. 7: *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei:* quamquam plerisque eorum nihil profuit vidisse sanctuarium rupto velo nudari, quibus salutificæ lucis conspectum infidelitatis velamen ademit. Populo igitur alia miracula Christus moriens edidit, illud sacerdotibus pungendis voluit esse proprium. Iam quale fuerit illud velum quod scissum fuit, partim iam intelleximus ex Iosepho, partim intelligere licet ex loco Exo. 26. v. 31. *Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum.* Nam huic tabernaculi velo simile fecit Salomon in templo, prout legimus 2. Paral. 3. v. 14. *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso, & intexuit ei cherubim.* Ac facilè præsumi animo potest, si pretiosum fuit velum tabernaculi in deserto: multo pretiosius fuisse velum templi, cùm maioribus Israelitæ opibus abundarent: &, siquidem mutabatur aliquando velum, hoc die, qui fuit Pascha, appensum fuisse quod habebatur omnium pretiosissimum. SCISSVM EST. vltrò disruptum, dilaceratum est A SVMMO VSQVE DEORSVM. ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω à sursum vsque deorsum, à summo vsque ad imum, à superiori parte ad inferiorem vsque. Vt sanctum sanctorum, id est, locus omnium sanctissimus, vbi Deus habitabat, id est, inuocatus præsentem se exhibere consueuerat, hoc velo concludebatur: ita eius veli dilaceratione significatum voluit Deus, se ira commotum, ob scelus in Christum filium suum admissum, quem templo longè maiorem haberet, ex hoc loco temploque migraturum, &, eo destructo eiusque adytis ac mysterijs prophanatis, relicturum agricolas illos, qui heredem suum extra vineam eiectum occiderant, sacerdotes inquam huius templi, & omnino facturum quod filius suus ipsis prædixerat: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* sup. 21. v. 43. In hanc sententiam tendunt pleraque omnia à veteribus tractatoribus & Latinis & Græcis hoc loco annotata. Hilarius, *Veli honor*, inquit, *cum custodia angeli protegentis aufertur.* Hieronymus: *Velum templi scissum est, & omnia legis sacramenta quæ prius tegebantur prodita sunt, atque ad gentium populum transierunt. Iosephus quoque refert, virtutes angelicas, præsides quondam templi tunc pariter conclamasse, Transeamus ex his sedibus.* Respicit locum Iosephi lib. 7. de bello cap. 12. Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Etiam velum scinditur, quo mysteriorum synagoga profanatio declaratur.* Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 37: *Opportunitas tunc maximè pulcherrima fuerat, vt velum scinderetur & lex aperiretur, quando animam pro nobis Saluator tradidit: tunc enim à gratia Dei penitus Israel decidit, resiluitque longè ab ea, quum tanto furore saluatorem suum impiè occidit.* Chrysostomus: *Prophetia quædam hoc erat futura citò ac perpetua desolationis, & mutationis rerum ad maiora & sublimiora.* Victor Antiochenus in Marcum scribens: *Fecit hoc, non in templi contumeliam, sed in sacerdotum notam. Illi enim, qui diutius in templo diuersarentur, indigni erant. Oportebat adhuc vaticinium, quod de futura templi desolatione editum exstabat, impleri.* Theophylactus: *Scinditur, hoc demonstrante Deo, quod templum inaccessum & numquam visum, cuius intima velamen secludebat, soluatur & profanetur, ita vt omnibus sit spectabile;* & in Marcum scribens: *Scissum est velum, per hoc manifestante Deo, quod gratia spiritus è templo euolet, & quod sancta sanctorum omnibus conspicua & manifesta fiant.* Similia habet Euthymius. Hoc ergo primùm veli dilaceratione testatus est Deus, eum qui occisus esset, filium esse suum, seque ob eius cædem iratum, templum illud eiusque sacra reprobaturum, & relictis paricidis aliò migraturum. Testatus est & efficacitatem mortis filij sui, quatenus ab ipso filio sponte tolerata fuerat; quòd per illam essent consummata ea omnia, quæ eius templi mysterijs fuerant occultè prędicta & promissa; quòd proinde veteris illius templi ac legis sacramenta & cultus iam abolerentur, & significatio eorum omnibus aperiretur, nec ampliùs obscuris figuris velanda essent salutis mysteria, sed coruscante Christi euangelio palàm omnibus prędicanda & exponenda. Denique quòd tabernaculo nunc amittente statum, *propalata esset via sanctorum*, vt Apostolus ait Heb. 9. v. 8., id est, pateret sanctis omnibus ingressus in cælum, adumbratum sancto sanctorum, primò Christo per sanguinem suum cælum aperiente simul & ingrediente. TERRA MOTA EST, tamquam horrens immane scelus in creatorem suum admissum, quo modo solet homo horrens contremiscere. Terra hîc testimonium reddit Christo, vt mox reddiderat sol. Non dubium quin mons Golgolthanus & vicina Ierosolymorum ciuitas contremuerint: sed quousque hic terræ motus vagatus sit, incertum est. Audiuimus suprà v. 45. ex Phlegonte & Eusebio, circa hoc tempus terræmotu concussam Bithyniam, & nominatim Nicæam eius metropolin. Addit his alia quædam similia Baronius, quæ alibi contigerint. PETRÆ SCISSÆ SVNT eo terræmotu, nominatim verò rupes Golgolthana (quod testatur Lucianus martyr apud Eusebium lib. 9. eccles. hist. cap. 6. & Cyrillus Ierosolymitanus sub finem catechesis 13.) crepantes quasi mediæ, quòd cædem conditoris sui non ferrent, & Iudæis exprobrantes inuincibilem cordis duritiam. Sed quia creaturæ inanimes, nihil huiusmodi ex seipsis poterant, nisi iubente Deo: idcircò his signis testatus est Deus, hinc dignitatem eius qui fuerat interfectus, quòd esset, non tantùm innocens & iustus, verumetiam Filius Dei, quod docuerat, cæli & terræ dominus, cuius gratia summa & ima concuterentur; hinc iram suam aduersus interfectores, ob sceleris admissi indignitatem. Quocirca annotat ex Chrysostomo Titus: *Quid verò his signis sibi voluit? nimirum indignationem suam declarauit;* & Euthymius: *Vniuersaliter*, inquit, *quæ facta sunt, diuinæ iræ signa erant.* Frequenter in sacris literis, terræmotu & petrarum diuisione ira Dei significatur. Psal. 17. v. 8: *Commota est & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt & commota sunt, quoniam iratus est eis.* Nahum 1. v. 6: *Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.* 3. Reg. 19. v. 11. *Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum.* Diuina igitur indignatio terræmotu & petrarum diruptione indicata est: vnde apparuit quàm prodigiosa esset Iudæorum obstinatio, quos nec terræ concussio nec lapidum scissura moueret. *O duriora saxis pectora Iudæorum!* exclamat Ambrosius lib. 10. in Lucam. *Finduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet, orbe concusso.* Atqui, qui lapides scindere & terram concutere poterat, demonstrabat se longè faciliùs illos perdere & in nihilum redigere posse, nisi ex cle-

mentia, vires suas in elementis ostendens, ipsis vellet salutem offerre, quod Chrysostomus eiusque discipuli annotant. Porrò, præter superiora, & hoc testatus est his ostentis Deus, quòd per mortem filij sui, vniuersus orbis terrarum ad fidem esset commouendus, & saxea pectora impiorum scindenda pœnitentiâ.

& monumenta aperta sunt: & [52] multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.

καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν, καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη.

MONVMENTA. sepulchra APERTA SVNT. disiectis terræ motu aut fissis marmoribus quibus tegebantur: quasi mortui horrerent cædem, quã viui non verebantur inferre: mortui Dominum suum agnoscant, quem viui reprobent. Nam & isto singulari portento declarauit Deus, eum qui fuerat interfectus, filium suum, non solùm cæli & terræ dominum, sed & inferni esse domitorem & dominum mortuorum, qui mortis carcerem ingrediatur, non vt illic clausus maneat, sed vt omnes qui illic captiui tenentur educat, non quòd ad animas tantùm, verumetiam quòd ad corpora, quę suo tempore sit animis redditurus. Nam, quod Hieronymus ait epist. 150. quæst. 8., *monumenta aperta sunt, in signum futuræ resurrectionis*, quòd Filius Dei morte per suam mortem deuicta, mortuos omnes ad vitã esset reuocaturus. Hinc Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Monumentorum reseratio*, inquit, *quid aliud, nisi claustris mortis effractis, resurrectionẽ significat mortuorũ? erant enim mortis claustra reserata*, quod habet Hilarius. Iuxta anagogen verò, *mihi videtur*, ait Hieronymus, *terræmotus & reliqua typum ferre credentium, quod pristinis errorum vitijs deriectis, & cordis emollita duritia, qui prius similes erant tumulis mortuorum, postea agnouerint creatorem.* MVLTA CORPORA. id est, multorum corpora. SANCTORVM QVI DORMIERANT. τῶν κεκοιμημένων ἁγίων eorum qui dormierant sanctorum, sanctorum qui pridem fuerant mortui. Sanctos vocat, eos qui fide in Christum venturum, aut certè præsentem, & charitate erga Deum & homines, prædìti, de vita decesserant. Horum multos dicit resurrexisse: coniiciunt autem quidam, ex horum numero fuisse, Adam & Euam, Abraham, Isaac, Iacob, Dauidem, qui solicitè adeò cauerant, ne alibi quàm in terra promissionis sepelirentur, tamquam præsagientes animo, illic se resurrectionis Christi aliquando fieri posse participes. Fortassis fuerunt illi potiùs, qui Christum in carne viderant, vt Zacharias, Simeon, Iohannes Baptista, & alij his posteriores, noti ijs qui vitam mortalem viuebant, quibusque apparere debebant, Christi discipulis. Non est autem necesse intelligere, illos, vel omnes vel solos, quorum monumenta fuerant aperta. SVRREXERVNT à morte, reuixerunt. *Illuminans enim mortis tenebras*, inquit Hilarius, *& inferorum obscura collustrans, in sanctorum ad præsens consopitorũ resurrectionem, mortis ipsius spolia detrahebat.* Euangelista narrans miraculum apertorum Christo moriente sepulchrorum, addit aliud vicinum, de pluribus sanctis viris à morte resuscitatis: quod tamen non mox à morte, sed demum à resurrectione Christi accidit. Sepulchra quidem aperta fuerant mox vt mortuus est Christus: sed corpora ante Christum non resurrexerunt. Propterea, quod hoc versu de corporum resurrectione indefinitè dicit Euangelista, id proximo versu ad resurrectionis Christi tempus restringit. Quamquam enim monumentorum apertio præsagium fuerit resurrectionis: effectus tamen non nisi triduo pòst consequutus est, quando Christus resurgens alios secum comites ex sepulchris eduxit. *Et tamen cùm monumenta aperta sint*, ait Hieronymus, *non antea resurrexerunt, quàm Dominus resurgeret, vt esset primogenitus resurrectionis ex mortuis.* Nam, *regrediens Dominus post diem tertiam* (quod habet Eusebius Emissenus hom. 6. de pascha) *fructus secum triduanæ peregrinationis viuentibus reportauit: & vt omnes eum de inferis regredi crederent, testes secum ad superos & præcones subactæ mortis exhibuit.* Idcirco enim resurrexerunt, *vt Dominum ostenderent resurgentem*, inquit Hieronymus, vt horum testimonio pariter & exemplo, resurrectio Christi testatior redderetur. Porrò paucorum sanctorum resurrectio, significauit, eorum omnium sanctorum, qui inferno detinebantur, liberationem, quod notauit Theophylactus. Ita multos testes, non solùm resurrectionis suæ, sed & efficacitatis mortis ac resurrectionis suæ, Christus produxit, qui illum peccati, mortis, & inferni victorem probarent.

Et exeuntes de monumentis post [53] resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatẽ, & apparuerunt multis.

καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ, εἰσῆλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς.

ET EXEVNTES. καὶ ἐξελθόντες & egressi, id est, nam, vel qui sancti, egressi. DE. ἐκ ex MONVMENTIS. Hoc Syrus subaudit, non legit. POST RESVRRECTIONEM EIVS. f. Iesu. Possit hoc coniungi verbis præcedentibus, possit & sequentibus. Sequentibus iungit Syrus hunc in modum: *Et exierunt & post resurrectionem eius venerunt:* cuius Interpres Latinus, pro *eius* non rectè vertit *suam*. Plerique porrò præcedentibus hoc iungunt, nec tantùm ijs quæ præcedunt hoc ipso versu, verùm ijs etiam quæ superiori, ita vt sententia Euangelistæ sit, quòd post Christi resurrectionem, non solùm exierint monumentis, verumetiam resurrexerint: quid enim rediuiui in monumentis egissent suis, à morte Christi vsque ad resurrectionem? Quocirca Christianus Druthmarus annotat in hæc verba: *Quod dicit post resurrectionem eius, & ad hoc respicit quod dicit surrexerunt, & ad hoc exeuntes de monumentis.* VENERVNT. εἰσῆλθον introierunt. Nam monumenta Iudæis foris extra ciuitatem sita erant. IN SANCTAM CIVITATEM Ierosolymorum. sancti in sanctam ciuitatem. Quare Ierosolymorum ciuitas appellata fuerit ciuitas sancta, diximus suprà 4. v. 5., ob templum scilicet, & cultum vnius Dei. Quòd autem, Euangelista auctore, retineat hoc nomen, iam recens polluta paricidio Christi, *nulli violentum esse videatur*, inquit Hieronymus quæstione 8. epistolæ 150. ad Hedibiam, *cùm vsque ad destructionem eius, semper Apostoli templum ingressi sint, & ob scandalum eorum qui de Iudæis crediderant, legis exercuerint ceremonias. Intantum autem Ierusalem amauit Dominus, vt fleret eam & plangeret, & pendens in cruce loqueretur Pater ignosce illis. Itaque impetrauit quod petierat, multaque statim de Iudæis millia crediderunt, & vsque ad quadragesimum secundum annum datum est ei tempus pœnitentiæ. Post quos, perseuerantibus illis in malitia,* destructa est: *& ex eo tempore, non appellatur ciuitas sancta, sed sanctitatem & pristinum nomen amittens, spiritualiter vocatur So-*

tur Sodoma & Aegyptus (Apoc. 11. v. 8.) ædificata iam noua Ierosolymorum ciuitate, Ecclesia Christi sancta. Ergo quamdiu palàm à Deo reprobata non fuit, tamdiu pristinum retinuit vocabulum, præsertim verò, cùm domicilium esset, vt olim sanctorum plerorumque veteris testamenti, ita iam sanctorum Christi discipulorum, multorumque electorum ad Christi fidem breuì adducendorum, denique cùm ex ea in vniuersum orbem terrarum egressura esset lex noua, sancta Euangelij lex. Cæteroqui, si ciuium merita respiciantur, non sancta, sed impia ciuitas erat, quæ Dominum suum crucifixerat, competebatque in eam illud Isaiæ cap. 1. v. 21: *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* APPARVERVNT, *ne phantastica videretur sepulchrorum apertio ac dormientium resurrectio*, inquit Euthymius ex Chrysostomo. MVLTIS. *vt hi viderent, qui cernere merebantur*, ait Hieronymus; ijs quibus vt apparerent Deus statuerat; discipulis Iesu, haud dubium, alijsque qui à fide in Iesum non erant alieni; *qui electi erant ad cognoscendum arcanum Dei*, habet Druthmarus. *Apparuerunt* autem, vt socij & præcones resurrectionis Iesu, eadem nimirum de causa, qua Iesus apparuit à resurrectione, vt Iesu resurrectionem suæ resurrectionis experimento probarent; *vt ex eorum resurrectione*, ait Euthymius, *alij certiores reddantur & de resurrectione illius, cogitantes quod qui hos resuscitauit, multo magis seipsum resuscitauit*; vt docerent, Iesum verum esse Christum saluatorem, quem oportuerit pati, & ita intrare in gloriam suam, qui non tantùm ipse resurrexerit, sed & alios secum resuscitarit, vt manifesta tamquam in speculo vel imagine fieret ipsius virtus, qua & ipse iam reuixerit numquam amplius moriturus, & tandem omnes in se credentes sit reuocaturus ad vitam immortalem ac beatam. Hoc porrò officio quando isti defuncti fuerant, verisimile est, eos iterum dormiuisse & in sepulchris suis quieuisse, quemadmodum Mosem, suprà 17. v. 3. euocatum ad transfigurationem Iesu. Cęterùm vt non ad immortalem, ita nec ad mortalem vitam isti reuocati fuere, sed ad mediam quamdam, quæ etsi non esset perpetua, non terrena tamen esset sed cælestis, sine cibo & potu ducta, & sine mortis timore ac dolore finita. Hinc fit vt non omnibus appareant, sed solummodo quibusdam, nec cum istis continuè conuersentur, sed appareant dumtaxat eis aliquando, aliquando dispareant, sicut Iesus. Nec ideò quòd non eo modo resurrexerint quo Iesus, minùs solidum testimonium prębuerũt resurrectionis Iesu: nam quod defuit exemplo, suppleuerunt verbo (idcirco enim *sancti surrexerunt*, inquit Euthymius, *vt fide digni videantur qui de Christo loquantur*) quamuis, etsi resurrexissent immortales & gloriosi, non hoc sensibus continuò apparuisset, vt neque in Iesu apparuit. Cæterùm alij sentiunt hos ad immortalem vitam reuocatos fuisse, sicut Iesum: sed auctoritas Apostoli, docentis Heb. 11. v. 40., iustos veteris legis, non sine Apostolis iustisque nouæ legis resurrectione consummandos, cogit nos, vt diuersum teneamus, cum latinis patribus, Augustino epistola 99. librique 3. de mirab. sacræ Scripturę cap. 13. & Thoma Aquinate summæ p. 3. q. 53. a. 3. ad secundum; necnon gręcis Theophylacto atque Euthymio, hunc locum enarrantibus.

ὁ δὲ ἑκατόνταρχος καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ [54] τηροῦντες τὸν ἰησοῦν, ἰδόντες τὸν σεισμὸν καὶ τὰ γενόμενα, ἐφοβήθησαν σφόδρα, λέγοντες· ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος.

Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.

Mar. 15. v. 39. Luc. 24. v. 47.

CENTVRIO. præfectus vnius ex militum centurijs quæ erant Ierosolymis, Longinus nomine, quod testatur Acta martyrij eius apud Metaphrastem die 16. Octobris. Nam, quod Chrysostomus ait, *quidam dicunt hunc Centurionem in fide postea roboratum adeo fuisse, vt etiam martyrio sit coronatus.* ET QVI CVM EO ac sub eo tamquam duce ERANT milites CVSTODIENTES. seruantes IESVM, ne per tumultum aut violentiam de cruce detraheretur, quemadmodum dictum est suprà v. 36. Pilatus præses, Iesu damnato, addiderat Centurionem hunc cum suis militibus, ad compescendum, si quid fortè tumultus orireturr. Nam quia, & principes & populus Iudæorum, vnanimiter Iesum postularant ad crucem, ac proinde non videbatur seditionis esse periculum, iudicauit centum milites posse sufficere. VISO. ἰδόντες videntes. ET HIS & cæteris QVÆ FIEBANT. τὰ γενόμενα quæ facta fuerant. Contulerunt apud se omnia quæ viderant, terræmotum, diffissionem petrarum, monimentorum apertionem, solis deliquium, Iesu patientiam & pietatem, denique moribundi clamorem, & consideratis omnibus TIMVERVNT VALDE, ne ob scelus admissum in innoxium Dei Filium, immineret ipsis vindicta diuina. fuerant enim ipsi ministri cædis. VERE. prout potentibus adeò & patentibus signis editis testatur Deus. FILIVS DEI. qualem ipse se dixerat, ac proinde nequaquam mortis reus ERAT ISTE vir, vt vt contrà sentiant Iudæi, seductorem fuisse, qui eum idcircò interemtum voluerunt, quòd se Dei Filium & regem Iudæorum dixisset. perijmus ergo, væ nobis, qui in eo interficiendo Iudæis subseruiuimus. Accusatus Iesus publicè apud Præsidem à Iudæis fuerat, præcipuè de duobus, quòd se dixisset Filium Dei, & quòd Christum regem: & quidem illud magis vrserant Iudæi, quòd se dixisset Filium Dei. Nam postquam Pilatus declarasset varijs modis, non esse dignum morte Iesum, ex eo quòd se dixisset regem, subiecerunt illi tandem: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Ioh. 19. v. 7. Audierant hoc Centurio militesque præsentes: audierant &, cùm principes sacerdotum cæterique Iudæorum primates, insultantes iam crucifixo dicerent: *Confidit in Deo, liberet nunc si vult eum: dixit enim quia Filius Dei sum.* suprà v. 43. Non ignorarunt ergo quòd Iesus Filium Dei se prędicarat, id quod etjam passim fama percrebuerat. Quare adducti insolitis signis quę circa Iesum morientem conspexerant, tum in creatura mundi, tum in Iesu ipso, exclamarunt: *Verè Filius Dei erat iste*, quem scilicet esse se dixerat. Non enim crediderunt Iesum esse vnigenitum filium illius vnius Dei quem Iudæi colebant, natum ex Patre ante secula, Patrique coæternum & ęqualem: sed ex ostentis visis intellexerunt, testari Deum, Iesum sibi fuisse gratum & charum, ac proinde fuisse iustum & veracem, & verum dixisse, cùm dixit se Filium Dei, siue esset filius illius vnius Dei quem Iudæi colebant, siue Iouis aut Martis aut Panis aut alterius ex dijs gentium. Nęc vt falsum reiecerunt, quòd dixerat se regem Iudæorum:

facilè enim persuasi sunt, regem esse posse, qui filius Dei sit. Metuerunt igitur sibi à vindicta diuina, quòd cædis illius fuissent ministri: multoque magis damnarunt Iudæos, qui cædem hanc procurarant. *Vt ergo infidelitatis facinus Israelis accumularetur*, inquit Hilarius, *Centurio & custodes, hanc totius naturæ perturbationem contuentes, Dei filium confitentur.* Comparatio enim hæc, ad damnandum Iudæorum stuporem amentiamque, non parum valuit, quòd ipse naturæ sensus, exteros homines, & quidem milites, veræ pietatis expertes, fateri coëgerit, quod neque ex lege neque ex magistris didicerant: cùm interim Iudæi, in lege educati, & Iesu sermonibus miraculisque diu eruditi, concussa ac tremente mundi machina, nihil moti fuerint. Cœpit ergo hîc se exserere, virtus orationis, quam fuderat Iesus, pro ijs à quibus crucifigebatur (Luc. 23. v. 34.) & præludium apparere, gentium à morte crucis ad fidem in Iesum attrahendarum.

Mar. 15. v. 40. 41. Luc. 23. v. 49.

Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ sequutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: 55 ἦσαν δὲ ἐκεῖ γυναῖκες πολλαὶ ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι, αἵτινες ἠκολούθησαν τῷ ἰησοῦ ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, διακονοῦσαι αὐτῷ.

ERANT. stabant. IBI. in loco Golgotano. MVLIERES MVLTÆ, honestæ ac fide dignæ, quæ & obseruare potuerunt & testari quæ gererentur: quippe quæ magno studio tenebantur erga Iesum, quem sequutæ fuerant à Galilæa. A LONGE f. θεωροῦσαι *spectantes*, quod additur græcè ac syriacè, nec non apud D. Hieronymum libri contra Heluidium capite sexto, & Origenes quoque disertè interpretatur. *Spectantes* autem, crucis supplicium quo Iesus afficiebatur, & quæ cum supplicio illo concurrebant, meditabantur admirabilem filij Dei patientiam, reique exitum exspectabant. *A longe* autem stabant, non quia non amarent Iesum intimè, nec quòd timerent Iudæos, sed ob turbæ propinquioris pressuram, quòd eminus spectarent liberiùs. Nam si timuissent, faciliùs latuissent in turba, quàm seorsum, & separatæ magis cognitæ fuissent quàm coniunctæ. Sed persuasæ fuerunt principum furorem exsaturatum sanguine Iesu, in quem vnum omne eorum odium feruere videbatur: opprobria verò quæ ab irrisoribus obijci potuissent, quòd discipulæ fuissent crucifixi, nihili pendebant: nec enim pudebat eos præceptoris in crucem acti, cuius innocentia virtusque insculpta erat ipsarum animis: præter hoc, quòd minùs notæ erant Iudæis, quippe Galilææ pleræque omnes. Amor itaque fecit, quòd istæ Dominum ad mortem vsque comitatæ sunt & nec in crucem actum reliquerint. Quamobrem hìc laudantur, quòd viris trepidè fugientibus clariùs enituit singularis earum pietas erga magistrum. Raro enim studij ardore præditas fuisse necesse est, quæ tametsi nihil præstare officij possent, in extremis tamen probris positum reuerenter colere non destiterunt. Neque tamen viros omnes latuisse existimandum est, quia Lucas dicit, *omnes eius notos procul stetisse*: sed mulieres non sine causa potissimum celebrantur, quòd viris præferri dignæ essent. Mira enim erat harum fides, quòd tam horrendo spectaculo non deficerent à præceptore: mira constantia & magnanimitas, quòd quamquam non essent illic sine periculo (tantum erat odium Iesu) sine timore tamen semper adstarent, amore periculum non considerante, donec mortuus esset præceptor & sepultus. *Vide conuersum ordinem*, inquit Euthymius: *discipuli siquidem fugerant, discipulæ vero adsistentes permanebant.* Similia habent ex Chrysostomo, cæteri eius asseclæ. ERANT. fuerant. A GALILÆA. relicta domo & patria, vt diuinissima eius doctrina fruerentur. Hoc non vulgari laude dignum fuit in his mulieribus, quòd discendi studio à patria abductæ fuerunt, vt assiduè penderent ex ore Christi. MINISTRANTES EI necessaria vitæ de facultatibus suis. *Ministerium quod fœminæ, quæ Iesum sequebantur, præstabant* (ait Victor Antiochenus Marcum tractans) *aliud ferè nullum erat, quàm quòd de pecunijs suis, ipsi ijsque discipulis, sumptus faciebant. Ministrabant Domino de substantia sua* (annotat Beda ad Marcum) *vt meteret earum carnalia, cuius illæ metebant spiritualia.* Nam, quod D. Hieronymus hîc scribit, *consuetudinis Iudaicæ fuit (nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo) vt mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrarent.* De his mulieribus plura diximus Luc. 8. v. 2. 3. de quibus Euthymius hoc loco dicit: *Chorus erat discipularum, apud Dei matrem coniunctarum, & expensas de suis facultatibus suppeditantium.* Hæ igitur, vt non deseruerant Iesum in vita, quocumque iret sequentes ac ministrantes ei: ita nec in morte deseruerunt, sed mœrore licet confectæ, & vnà cum Iesu fixæ magna animi firmitudine assiduè adstiterunt crucifixo, ad redditum vsque spiritum Deo, & corpus terræ mandatum.

Mar. 15. v. 40.

Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. 56 ἐν αἷς ἦν μαρία ἡ μαγδαληνή, καὶ μαρία ἡ τοῦ ἰακώβου καὶ ἰωσῆ μήτηρ, καὶ ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν ζεβεδαίου.

INTER QVAS ERAT. *Præcipuæ nominatæ sunt*, inquit Origenes: quæ scilicet præ cæteris eminebant, casto Domini amore, & feruentiori obsequendi studio. *Quum multæ essent, insigniores enumerat*, ait Euthymius, seu vt Theophylactus in Marcum: *Nomina celebrio um commemorauit.* MAGDALENE vnde dicta quære Luc 8 v. 2. IACOBI Alphæi, seu minoris. vide suprà 10. v. 3. IOSEPH. Græcè & syriacè est ἰωσῆ *Iose*. qui genitiuus est, qualis Ἰησοῦ à Ἰησοῦς, quem Hieronymus aduersus Heluidium scribens format effertque *Iosetis*, à nominatiuo *Ioses*. Suprà 13. v 55. Iacobus & Ioseph seu Ioses, vocantur fratres Iesu. Fuit igitur hæc matertera Iesu, prout etiam vocatur soror matris eius Ioh. 19. v. 25. FILIORVM ZEBEDÆI Iohannis & Iacobi maioris, fratrum, Apostolorum. Huius nomen proprium fuit *Salome*, quod notat Origenes ex Marco, & post Origenem alij.

Mar. 15. v. 42. 43. Luc 23. v. 50. 51. Iohan. 19. v. 38.

Cùm autem serò factum esset, venit quidam homo diues ab Arima- 57 ὀψίας δὲ γενομένης, ἦλθεν ἄνθρωπος πλούσιος ἀπὸ ἀριμαθαίας,

θίας, τοὔνομα ἰωσὴφ, ὃς καὶ αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ ἰησοῦ.

thea, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu.

SERÒ. ὀψίας serum ſ. diei, id eſt, veſpera. Interpres aduerbio vſus eſt loco nominis, quemadmodum ſuprà 20. v. 8. FACTVM ESSET. γενομένης fuiſſet (nam γίνεσθαι tam ſignificat eſſe quàm fieri) aoriſtus eſt ſignificationis præteritæ, nec poteſt verti *fieret*, niſi vocali ſecunda mutata cum tertia legas γινομένης. Quare intelligendum hic eſt, veſperam factam fuiſſe, non perfectam illam, quæ media eſt inter diem & noctem, ſed imperfectam, quæ eſt extrema pars diei. Obſeruandum eſt enim, Ioſephum Arimathæum, acceſſiſſe ad Pilatum, inclinato quidem ad occaſum die, tanto tamen tempore ante occaſum, quanto voti compos poſſet ante occaſum honorificæ ſepulturæ officium Ieſu præſtare. Nam durante ſabbato, quod vnà cum diei occaſu incipiebat, Iudæis neminem ſepelire licebat. Adiuit igitur Pilatum, ſimulatque obſeruauit, ſpectaculo cùm adeſſet, Ieſum mortuum: à morte autem Ieſu, quæ accidit circa nonam, vſque ad diei occaſum & ſabbati initium atque obſeruationem, reſtabant tres horæ liberæ. VENIT. prodiit in lucem, diſcipulum ſe Ieſu declarans, quod hactenus occultauerat, iam operante & trahente morte Ieſu. QVIDAM HOMO. Interpres addidit *quidam*. DIVES. Non iactantiæ cauſa ſcribit Euangeliſta hunc fuiſſe diuitem, quaſi, vel hunc à diuitiis, vel Ieſum à diſcipulo diuite, cenſeat commendandum: ſed vt doceat, qua ratione patuerit huic ad Pilatum præſidem acceſſus. Solent præſidibus & noti eſſe & grati, illi, qui in ea ciuitate cui præſunt, diuitiis, facultatibus, ac nobilitate eminent. Huiuſmodi igitur quia hic erat, facilè à Pilato præſide & auditus eſt & exauditus: vbi vir pauper & plebeius, quales erant illi qui Ieſum palàm ſequebantur, ne auditus quidem fuiſſet. Annotant hoc veterum plerique, nominatim Hieronymus. Cæterùm non hæc ſola cauſa Euangeliſtam mouit, quòd à diuitijs hunc deſcribat, ſed & illa, vt oſtendat, mira animi celſitudine ſuperatum ab eo fuiſſe obſtaculum omne, quod retrahere eum potuiſſet ab hoc officio Ieſu præſtando. Diuitibus, vt ſunt ſuperbi plerumque, nihil difficilius eſſe ſolet, quàm vulgi contemtum ſubire. Scimus autem quàm ſordida & infamis, iudicio vulgi, opera ſit, crucifixi hominis cadauer, è manu carnificis acceptum, de patibulo deponere & ſepelire. Conſueuerunt ad hæc diuites cauere, ne quid agant, quod principibus, à quibus multari bonis poſſent, diſpliceat, & ſtudioſè diſcrimen omne fugere. Atqui Ioſeph, nec contemtum vulgi curans, nec damnum quod ſuis opibus inferri poſſet à principibus Iudæorum, collegis ſuis, Ieſu hoſti ipſorum capitali fautorem adeoque pollinctorem palam ſe exhibet. AB ARIMATHÆA. ſ. oriundus, id eſt, Arimathæus ſeu Arimathæenſis. Oriundus erat ex Arimathæa, ſed ciuis ac ſenator Ieroſolymitanus. Arimathæam exiſtimat Hieronymus eam eſſe, quæ Reg. 1. v. 1. vocatur *Ramathaim*, iuxta LXX *Armatha*, patriam prophetæ Samuelis, ſitam in regione Tamnitica, iuxta vrbem Lyddam, poſtea Dioſpolin dictam. Hæc Hieronymus, libello de locis hebraicis, ſub voce *Armatha*: qui & in epitaphio Paulæ, epiſtolæ 27. cap. 3., de Paula Iudæam peragrante ſcribit: Vidit *Lyddam verſam in Dioſpolin, Dorcadis atque Aeneæ reſurrectione ac ſanitate incluam. Haud procul ab ea Arimathiam, viculum Ioſeph, qui Dominum ſepeliuit.* Addunt alij, Arimathæam, ciuitatem fuiſſe Leuiticam, ſitam in monte Sophim, confini tribui Ephraim, oſtendique ad læuam proficiſcentibus Ieruſalem è Ioppe. Primum eius nomen, à ſitu in monte acceptum, videtur fuiſſe *Rama*, quod eſt, *excelſa*: illud auxerunt, quidam præpoſito *he*, Hebræis emphatico, *harama*; quidam poſtpoſito *aleph*, Syris emphatico, *Ramatha* (quomodo ſyricum euangelium ſcribit) quòd inſigniter alta eſſet: alij, ſeruato vtroque augmento, & data terminatione græca ſiue latina, dixerunt *Arimathæa*. NOMINE IOSEPH. Videri poſſet Filius Dei delectatus nomine Ioſeph, qui curam extremorum naturæ ſuæ humanæ, natiuitatis inquam & ſepulturæ, commiſerit viris vocatis Ioſeph: vt declararet fortaſſe, quòd auxiſſet illos ijs donis gratiæ, quibus olim patriarcham Ioſeph, alterum caſtitate, alterum erga parentem vita defunctum pietate. Celebre eſt enim, quàm honorificè Ioſeph tractauerit & ſepelierit Iacob patrem ſuum mortuum. Gen. 50. v. 2. 3. 7. & ſeqq. DISCIPVLVS ERAT. ἐμαθήτευσε diſcipulum egerat, docendum ſe præbuerat, dum ſcilicet viueret Ieſus. vide ſup. 13. v. 52. Fuerat diſcipulus, auditor ſectatorque ſtudioſus doctrinæ Ieſu, tametſi *occultus*, quod addit Euangeliſta Iohannes. Hac igitur ratione motus fuit, vt ſepulturæ officium præſtaret mortuo Ieſu, quòd præceptor ipſius fuiſſet, cuius, & doctrinam tamquam cæleſtem ac diuinam plurimi faceret, & integritatem ſanctitatemque vitæ perſpectam haberet, offenſus proinde quòd iniuſtè adeò indigneque fuiſſet occiſus.

58 οὗτος προσελθὼν τῷ πιλάτῳ, ἠτήσατο τὸ σῶμα τοῦ ἰησοῦ. τότε ὁ πιλάτος ἐκέλευσεν ἀποδοθῆναι τὸ σῶμα.

Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu. Tunc Pilatus iuſſit reddi corpus.

Mar. 15. v. 43. 45. Luc. 23. v. 52. Iohan. 19. v. 38.

HIC dolore indignationeque, ob interfectum optimum præceptorem, addente animum. AD PILATVM preſidem. CORPVS IESV mortui ſibi concedi, vt citra cuiuſquam prohibitionem de cruce deponere poſſet & ſepelire. Nam abſque Iudicis aſſenſu, nemo poteſt, etiamnum, damnatorum cadauera è patibulis auferre aut tradere ſepulturæ, quod & cauent leges ciuiles: id enim eſſet, iudicem iniuſtæ cædis ipſo facto accuſare. Quare ſi hoc tentaſſet Ioſeph, incurriſſet non ſolùm pœnam tamquam rebellis magiſtratui, verumetiam fuiſſet prohibitus & impeditus. Sciebat quidem Ioſeph, de cruce deponendum & remouendum eſſe corpus Ieſu ante occaſum ſolis, tum quia lex mandauerat, cadauer ſuſpenſi de ligno, eodem die ſepeliendum (Deut. 21. v. 23.) tum quia hoc die, vnà cum occaſu ſolis inciperet ſabbatum, & quidem *magnus ille dies ſabbati*, occurrens inter dies feſtos azymorum (Ioh. 19. v. 31.) nec ignorabat fortaſſe, Iudæos iam hoc impetraſſe à Pilato, vt crucifixorum *crura* ante veſperam *frangerentur, & corpora tollerentur, ne remanerent in cruce ſabbato* (Ioh. 19. v. 31.) ſed veritus ne etiam Ieſu crura frangerentur, & corpus eius, vt latronum, ignominioſè, aut in loco crucis defoderetur, aut in vicinam vallem, damnatorum polyandrion, proiiceretur, petiit illud ſibi à Præſide concedi, vt honeſtè ſepeliret. Quod dum fecit, collegas ſuos, principes

Iudæorum, re ipſa inſimulauit tyrannidis, quòd morte & extrema ignominia affeciſſent, quem ipſe fauore & honore dignum iudicaret (nam Pilatum, publicitus notum erat, nonniſi inuitum coactumque conſenſiſſe) fortaſſis etiam verbis declarauit huiuſmodi: Neſcio, optime Præſes, quibus inuidię ſtimulis acti noſtri, in crucem dedere voluerint Ieſum, virum hunc innocentem & iuſtum, qui non tantùm nemini vnquam nocuit, verumetiam omnibus benefecit: cuius ſanctitatem Deus, tam nunc in morte, quàm antea in vita, miraculis probatam reddidit: de qua & ego inter alios familiare teſtimonium ferre queam. Cæterùm iam illi voti ſui ſunt compotes, mortuus eſt iuſtus: ſed ne ille, ignominioſè etiam à morte habeatur, concede, quæſo, mihi cadauer eius, vt illud terræ mandem, prout meretur: ſcio enim quàm inuitus tradideris eum æmulorum voluntati. Quòd ſi viciſſim tibi rem gratam facere aliquando queam, non deero officio. TVNC. ad huiuſmodi preces. IVSSIT REDDI Ioſepho fautori Ieſu, quod dederat militibus ſuis iuxta voluntatem inimicorum Ieſu. Vel *reddi* poſitum eſt pro *dari*, prout interpretatur Syrus; *reddi* autem, vt auferret quò vellet. *Pro magno dono*, inquit Theophylactus, *donatum eſt illi corpus Ieſu: nam cum vt ſeditioſus eſſet occiſus, reliquum erat vt inſepultus abijceretur. Verum cum Ioſeph diues eſſet, veriſimile eſt quod Pilato aurum dederit.* Ita Theophylactus. Cæterùm non eſt veriſimile, Romanum præſidem, ſordidum huiuſmodi quæſtum facere voluiſſe, ſed facilè annuiſſe, quod abſque ſuo ſumtu concedere poterat, præſertim cùm ipſe Ieſum pro viro iuſto & innoxio ſemper habuiſſet, nec niſi coactus æmulorum improbitate crucifigi permiſiſſet; ſperaſſe interim, Ioſephum, virum nobilem & diuitem, opportunè gratias redditurum. Fortè etiam mouerunt eum ſigna quæ ſub mortem Ieſu acciderant, quorum quædam ſuo ipſe ſenſu perceperat, quædam ex Centurione intellexerat. Denique potuit & vxori ſuæ voluiſſe gratificari, qua reluctante ſuis Ieſum inimicis tradiderat.

Mar. 15. v. 46. Luc. 23. v. 53. Iohan. 19. v. 38.

Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda: [59]	καὶ λαβὼν τὸ σῶμα ὁ ἰωσὴφ, ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι καθαρᾷ.

ET pro itaque, lætus eo munere. ACCEPTO CORPORE. λαβὼν τὸ σῶμα postquam accepiſſet corpus. Non putauit hoc morticino ſe contaminandum, quinpotiùs ſanctificandum, ad manducandum paſcha. Cùm ergo accepiſſet corpus, & tuliſſet cum aliis in hortum ſuum vicinum, lauit, haud dubium (id quod disertè teſtatur Chryſoſtomus Ioh. 19. v. 42. à nobis citatus) abluens ſanguinem, & quas illud contraxiſſe poterat ſordes: deinde aromatibus, quod Iohannes refert, vnctum, INVOLVIT IN SINDONE MVNDA. Sindon, pannus lineus eſt, ex lino Ægyptiaco, ſubtiliore illo delicatioreque textus. Vt maximi faciebat Ieſum Ioſeph, ita pretioſiſſimum linteum eius corpori ſepeliendo adhibuit: & quod ab omni ſorde peccati nouerat alienum, mundæ ſindoni inuoluit corpus, vt dignum fuit. *Puto autem*, inquit Origenes, *magis munditiam ſindon illa habebat, ex quo inuolutum eſt corpus Chriſti, quam prius.* Porrò etſi non periiſſent Ieſu veſtes ſuæ, non tamen iis indutus ſepultus fuiſſet, quia aliud ferebat conſuetudo Iudæorum, qui non cum propriis veſtibus, quibus viui fuerant vſi, mortuos ſuos ſepeliebant, ſed ſindone inuoluebant corpus, manus & pedes ligabant inſtitis, faciem denique velabant ſudario. vide Ioh. 19. v. 40.

Mar. 15. v. 46. Luc. 23. v. 53. Iohan. 19. v. 41. 42.

& poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra: & aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. [60]	καὶ ἔθηκεν αὐτὸ ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ, ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ, καὶ προσκυλίσας λίθον μέγαν τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου, ἀπῆλθεν.

POSVIT ILLVD, non iniecta humo coopertum, ſed concaua petræ teſtudine cinctum. IN MONVMENTO. in ſepulchro. SVO. quod ſibi parauerat. Liberalis Ioſeph erga dilectum præceptorem, paratus ſe ſuaque omnia impendere vſibus eius, cui nec ſuum ipſius ſepulchrum negat, iuxta illud Apoſtoli Gal. 6. v. 6: *Communicet is qui catechizatur verbũ, ei qui ſe catechizat in omnibus bonis.* Porrò teſtari voluit paupertatem ſuam Ieſus in terra, dum vt naſci in aliena domo, ita ſepeliri dignatus eſt in alieno ſepulchro. *Qui non habuit*, inquit Theophylactus ſcribens in Iohannem, *domum in vita, neque poſt mortem ſepulchrum habet, ſed in alieno deponitur, & quum ſit nudus à Ioſeph veſtitur.* Sed ſi quid proprium Ieſus in terra, ſepulchrum certè habere non debuit: nam vt alienum erat à diuina ipſius natura quòd mortuus erat, vtque non propter ſua ſed propter aliorum peccata mortuus erat, ita alieno eum condi ſepulchro congruum maximè fuit. Lege D. Auguſtinũ ſer. 133. de tempore. NOVO. quod & recenter exciſum erat, & nullum etiamnum ſuſceperat hoſpitem: id quod alij Euangeliſtæ exponunt: *In quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Nouum ſepulchrum elegit Dominus, tum quòd non deceret ſanctiſſimum ipſius corpus, quod vt vnitum erat naturæ diuinæ, ita corruptionem non erat ſubiturum, miſceri putridis cadaueribus peccatorum, tum ne reſurrectio ipſius à quoquã poſtea vocari poſſet in dubium, quaſi non ipſe, ſed alius ex eis qui ante ipſum illic fuerant ſepulti, reſurrexiſſet. Poſteriorem hanc rationem omnes veteres annotant, & Græci & Latini. QVOD EXCIDERAT. quod excidi ſibi magno ſumtu curauerat. IN PETRA. ex petra, ex lapide vno viuo ſolidoque, vt erat mons Caluariæ, in cuius latere occiduo ſitum erat hoc monumentum (Ioh. 19. v. 41.) petroſus maximè, quod nuper diximus. Sepulchrum in ſpelunca & Abraham exſtruxiſſe ſibi legitur Gen. 23, v. 19., rurſus Sobna præpoſitus templi Iſa. 22. v. 16. Erat igitur hoc pro more viris nobiliſſimis, qualem fuiſſe Ioſephum hunc ex hac re colligit Chryſoſtomus homilia 84. in Iohannem. Porrò quòd Ieſu hoc ſepulchrum placuerit, non terreum aliquod aut ex pluribus lapidibus ædificatum, ſed iſtud ex vna exciſum rupe, duæ potiſſimùm cauſæ fuerunt; Vna, ſeruiens & ipſa ad adſtruendam reſurrectionis veritatem, ne quis cadauer, ſuffoſſis tumuli fundamentis, per ſubterraneos cuniculos, furto ablatum fuiſſe poſſet calumniari, quam adfert D. Hieronymus; Altera, quòd voluerit ſepulchrum ſuum immobile eſſe nec vnquam aboleri, ſed exſtare perpetuum ſuæ mortis reſurrectionisque monimentum: prout hactenus illud, inter tot vrbis Ieroſolymorum deuaſtationes ac mutationes,

mutationes, seruat inuiolatum & gloriosum. ADVOLVIT adhibito seruorum suorum aliorumque præsentium ministerio. Quare Syrus plurali numero scribit *aduoluerunt*. SAXVM MAGNVM. occlusit ingenti marmore, quale ab vno solo nec aduolui nec reuolui poterat. Fecit id, ne qua iniuria afficeretur corpus, vel à bestiis, vel ab inimicis Iudæis, ne hi vel sæuirent in illud vel etiam furtim illud auferrent. Diuina autem prouidentia cauit hac ratione, ne locus esse posset mendacio, quod nouerat ab inimicis confingendum, discipulos Iesu clàm suffuratos eius corpus. Si enim, aut relictum fuisset ostium monumenti apertum, aut paruo lapide fuisset tectum, dici id verisimiliter potuisset, vel ereptum è sepulchro corpus à discipulis cùm illud pateret, vel certè ipsum viuum, cùm non fuisset mortuus, è sepulchro facilè euasisse. Sed nunc cùm ingenti lapide obstructum fuerit sepulchrũ, ac proinde, quod Hieronymus ait, *non sine auxilio plurimorum potuerit reserari*, nullus huiusmodi mendaciis relictus fuit locus: non enim à pluribus fieri possunt, quæ clàm & secretò fieri debent, præter alias cautiones quæ mox accesserunt. Voluit diuina prouidentia, ita vanis omnibus suspicionibus mederi, vt gloriosæ Iesu Christi resurrectioni viam patulam sterneret. AD OSTIVM. Eodem consilio prouiderat Deus, vt vnicum esset monumenti ostium, ne alia vlla ex parte, vel ad aliud corpus imponendum, vel ad Christi proferendum, aperiri posset. MONVMENTI. Auctore Beda, cùm aliis locis, tum in commentario Euangelij secundùm Marcum, ea forma excauatum è petra rubicundi albique coloris sepulchrum dominicum est, vt foris quidem sit quasi rotunda domuncula, intus verò cubiculi formam referat; eius altitudinis, vt vir stans in eo rectus, vix possit culmen extensa manu attingere. Introitum foris habet ab oriente (ostium monumenti Euangelista hîc vocat) intus verò in latere Aquilonari loculum lecto similem, ex eadem rupe excisum, septem quidem pedes longum, trium verò palmorum mensura cætero pauimento altiùs eminentem, idoneum excipiendo corpori viri mortui, patentem, non desuper, sed ex australi parte, quà corpus posset commodè inferri, prout Iesu corpus eò illatum & impositum fuit. Sic igitur sepultum Iesu corpus fuit, & sabbatum agens præbuit se reformandum Deo per resurrectionem.

ET ABIIT domum suam, lætus de hoc pietatis officio, mortuo præceptori, prout meritus fuerat, præstito; *Abiit* inquam, tum quòd nihil vltra obsequij præstare quiret præceptori, tum quòd nox aduentans discessum suaderet ad propria. Quæri possit, An vir iste rectè fecerit, & ob hoc laude dignus sit, quòd corpus Domini sepeliuerit? Videri enim posset, quòd cura sepulturæ, contraria fuerit fidei resurrectionis: nam si credidisset verbis Domini Iesu, quibus dixerat se die tertio resurrecturum, non fuisset solicitus de eo sepeliendo, dicat aliquis. Respondeo, quòd vir iste, vt non ignorauit illam Domini prædictionem, quam hostes ipsi nouerant (infrà v. 63.) ita veram esse credidit, vt reliquam Domini doctrinam, quamquam quomodo esset implenda nesciret (sicut omnis prophetia & res futura, obscura est priusquam euenerit) ac proinde nec animum in fide illius exerceret, sed simulatque præceptorem mortuum videret, faciendum sibi duceret, quod præsens rerum status exigebat, vt mortuum sepeliret. Mortuus enim sepulturam poscit: quæ si negetur, ignominia; si detur, honor est ei. Vt ergo Ioseph præceptorem viuum ob virtutem dilexerat plurimùm: ita mortuum putauit sibi honorificè sepeliendum, minimeque permittendum, vt cadauer eius, vel fœdè abiiceretur, futurum pars vulpium aut coruorum, vel alioqui indecorè vspiam iaceret, rara ob hoc laude dignus. Fuit autem etiam diuino consilio ad hoc excitatus, vt tam mors quàm resurrectio Iesu eo certior foret, nec à quoquam vocari posset in dubium: nam si non fuisset sepultus, quando resurrectio primùm prædicata fuisset, vel fuisset non sine similitudine veri reiecta, quòd discipulis liberũ fuisset cadauer auferre & resurrectionem mẽtiri, vel nõ fuisset Iesus creditus verè mortuus, ac proinde nec resuscitatus, sed viuus à discipulis de cruce depositus ac sanatus. Deo igitur faciente sepultus fuit Iesus, ita vt de vera eius morte ambigi non posset (nemo enim sepelitur de cuius morte non constet) nec quouis modo sepultus, sed honorificentissimè, quod ex collatis quatuor Euangeliis intelligitur. Pollinctores fuerunt, viri duo, pietate, primatu, ac diuitiis nobiles, Ioseph & Nicodemus: vnguentis & aromatibus non est parcitum: lintea adhibita sunt pretiosissimi fili: monumentum fuit, non terreum aut vetus aliquod, sed nouum è petra magnificè excisum, in horto situm, modisque omnibus ornatum. Quàm ergo fuit mors Iesu ignominiosa, tam fuit honorifica sepultura: nimirum morte consummarat Iesus omnia, quæ pro humani generis salute ferenda ipsi fuerant (Iohan. 19. v. 30.) satisfecerat Patris aduersus hominum peccata iræ: æquum igitur fuit, vt mox à morte suam sibi dignitatem vendicaret, & Patris placatio se ostendere inciperet, nominatim verò sepultura esset honorifica, quæ debebat esse quasi medius transitus ab ignominia crucis ad gloriam resurrectionis. Quemadmodum ergo Christus omnem vitam suam humilem esse voluit, ita sepulturam voluit esse magnificam: non vt nos doceret sepulchri curam agere, sed vt peractis iis quæ pertinebant ad dispensationem humilitatis, iam ad resurrectionis gloriã præluderet. Cæterùm non solùm in sepultura ipsa præludiũ enituit gloriæ resurrectionis, verumetiam in corpore ipso sepulto, quod ita subiit sepulchri vilitatem, vt eluxerit in ipso sepulchro dignitas eius. Nostra corpora, simulatque sunt mortua, corrumpuntur, putrescunt, & in cineres rediguntur: & quamquam non statim putrefactio appareat, statim tamen eò tendunt: calor enim extraneus, succedens exstincto calori natiuo, mox agit ad putrefactionem. At Christi corpus mortuum, vt erat purum omnino & sanctum, quippe formatum virtute Spiritus sancti ex virgine, adeoque diuinæ coniunctum naturæ, non solùm nullam passum est putrefactionem aut corruptionem, sed nec disponi ad corruptionem aut in elementa resolutionem cœpit, diuinitate illud non tantùm seruante in eo virore ac vigore in quo fuerat ab anima relictum, verumetiam ad resurrectionis immortalitatem præparante. Quum igitur aliorum hominum gloria, sepulturâ plerumque finiatur: Christi gloria ab ipsa sepultura cœpit, indeque æternùm durat.

ἦν δὲ ἐκεῖ μαρία ἡ μαγδαληνὴ, καὶ ἡ ἄλλη μαρία, καθήμεναι ἀπέναντι τοῦ τάφου.	61	Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.	Mar. 15. v. 47. Luc. 23. v. 55.

ERAT pro erant. ALTERA MARIA scilicet Iacobi & Ioseph. has enim duas, Magdalenem inquam & Iacobi matrem, suprà v. 56. memorauerat, vno Mariæ nomine nuncupatas. Matrem filiorum Zebedæi

omittit, quam tamen suprà his duabus nominatim coniunxerat, quia discesserat fortassis, ob causam rationi congruam, mox vt mortuum viderat Dominum, fatigata & mœrore plena. Sed quamquam solæ illæ duæ à Matthæo hîc nominentur, vt reliquis animosiores & feruentiores: plures tamen alias adfuisse constat ex Luc. 23. v. 55. 56. & 24. v. 1. 10. SEDENTES. fessæ enim erant à longa statione. CONTRA SEPVLCHRVM. ex aduerso sepulchri. Interea temporis, dum Ioseph & Nicodemus cum suis, intus in anteriori sepulchri parte, occuparentur, lauando, vngendo, linteis inuoluendo, & sepeliendo, corpore Iesu, mulieres istæ sedebant in horto, foris, è regione sepulchri, exspectantes dum viri absoluissent: vt enim non potuissent commodè vnà cum viris intus esse, quòd locus non esset capax, ita verecundum ipsis fuisset sese ingerere, vbi viri, ac præsertim honorati illi, Ioseph ac Nicodemus, pollinctorum obibant officium. Exspectabant autem, vt postquam sepultus esset Iesus & viri egressi, intrarent vicissim ipsæ, & viderent monumentum intus, & quomodo positum in eo esset corpus; eo fine, vt transacto illo quod instabat sabbato, scirent quî faciliùs ad corpus accedere, suoque illud modo ac vice vngere possent: hæc enim constat ex Luca. Porrò his adfuisse virginem Mariam Iesu matrem, non est dubium: cùm enim adfuerit filio crucem patienti (quod testatur Iohannes cap. 19. v. 25.) certum est quòd non deseruerit antequam esset mortuus, nec cùm iam esset mortuus, priusquam esset sepultus: solicita enim vt filius honestè sepeliretur, gratias Deo egit, quando vidit viros illos honoratos aduolare, vt iusta facerent, quos non dubitauit diuinitus fuisse ad hoc excitatos, vt præteream, quod Metaphrastes existimat, nec est vero absimile, Iosephum Arimathæum, arduum illud opus petendi & sepeliendi corporis Iesu, omni excussa formidine aggressum fuisse, hortatu Virginis. Iuncta itaque reliquis mulieribus, præsertim his duabus, communi secum Mariæ nomine vocatis (quas socias eius familiariores fuisse, ex loco illo Iohan. 19. v. 25. satis intelligitur) permansit apud diuinum filij sui corpus, quoadusque sepultum esset. Et quidem, quod ait Metaphrastes, *mortuum filium videns, eo animi motu vsa est, quo oportuit, ita fortiter constanterq; se gerens, vt honestè nec indecore motu animi vteretur, factis etiam ostendens se esse matrem, sed matrem omnino illius, qui motum animi certis finibus continuit. Quinetiam in eo de cruce deponendo, maternis manibus inseruiuit, & clauos qui extrahebantur in sinum suum accepit, & membra illius amplexa est, partim quidem vlnis adstringens, partim vero suis lachrymis plagas emundans, deinde tota toti corpori circumfusa, Ecce tibi, ab omni seculo præfinitum mysterium, ad finem vsque venit, ô Domine, placida voce dicit.* Hæc Metaphrastes die 15. Augusti: quibus ita peractis, comitata est Virgo mater funus ad locum vsque sepulturæ, vbi sedit tantisper cum reliquis fœminis, donec sepulto corpore & egressis è monumento viris, intraret cum illis etiam ipsa, & cōtemplaretur sepulchrum sepulchroque impositum corpus, mœstis sed spe plenis oculis, denique vnà cum illis domum discederet, vespera sabbatoque ingruentibus. Verumenimverò non fit mentio præsentiæ eius ab Euangelistis, eò quòd non sic adesset vt reliquæ mulieres, quibus curæ erat, quod diximus, locum rationemque sepulturæ obseruare, vt possent & ipsæ transacto sabbato corpus vngere, nouisque aromatibus conditum honorare. Fide enim nouerat virgo, transacto sabbato, non opus fore vnguentis, vt quæ expressè cogitaret & crederet, filium die tertio resurrecturum, quemadmodum prædixerat. De qua resurrectione vt mulierculæ non cogitabant, ita nō iudicabat prudentissima virgo eius rei admonendas à se esse, quòd longè maiori cum gratia filius suus esset eis appariturus, quàm ipsa id iam repetitura quod filius sæpè prædixerat. Cæterùm, erat Euangelistis, officiosum mulierculatum illarum studium narrandum, vt declararent, qua occasione factum sit, quòd Iesus rediuiuus ipsis primis apparuerit.

Altera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, 62	τῇ δὲ ἐπαύριον, ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευήν, συνήχθησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι πρὸς Πιλάτον,

ALTERA. postera. QVÆ EST POST PARASCEVEN. quæ est dies post parasceuen, quæ fuit dies sequens parasceuen. Parasceue græca vox est, latinè dicas præparationem. Eo nomine Iudæi, quibus multa illo tempore græca vocabula erant vsitata, vocabant sextam sabbati, seu sextam hebdomadæ diem, quā nos feriam sextam dicimus, & gentilium more diem Veneris: eò quòd illo die pararent necessaria omnia ad viuendum die subsequenti, sabbato videlicet, ne qua re ocium sabbati violare cogerentur: sabbato enim erat ipsis ab omni opere cessandum, etiam parandorum ciborum. Vnde Exod. 16. v. 23. præcipit Moses: *Requies sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est facite, & quæ coquenda sunt coquite, quidquid autem reliquum fuerit* (mannæ) *reponite vsque in mane.* & paulò pòst v. 29: *Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices.* Sexta igitur hebdomadæ dies, parasceue ex eo dicebatur, quòd eo die pararentur necessaria omnia ad viuendum die septimo. Syrus nominat ܥܪܘܒܬܐ *baroubetho,* tamquam vesperam dicas, quomodo Flandri diem illum qui proximè antecedit diem festum vocāt **auondt**, Galli *la nuict*. Sabbatum ergo, vocatur à Matthæo *altera dies quæ est post parasceuen*, quemadmodū parasceue à Marco vocatur prosabbatum seu *antesabbatum*. Mar. 15. v. 42. Nam consummato redemtionis humanæ opere die sexto, sabbato requieuit in sepulchro Dominus: quemadmodum initio mundi, creato homine die sexto, *die septimo requieuerat ab vniuerso opere quod patrarat.* Gen. 2. v. 2. Sed quare Euangelista vtitur huiusmodi circumlocutione *Altera die, quæ est post parasceuen*, & non potiùs clarè dicit: *Altera die quæ fuit sabbatum?* Vt obliquè taxet principes sacerdotum & Pharisæos, quòd hoc die, quem constat fuisse sabbatum, & quidem magnum illum diem sabbati, incidentem in dies azymorum (Iohan. 19. v. 31.) vsi sunt tamquam sabbatum non fuisset: quòd qui se aliàs simulauerant ad superstitionem vsque studiosos sabbati obseruandi, quasi in illius obseruatione tota sita esset religio, vt Christum calumniarentur, sabbato vellentem per discipulos spicas sedandæ famis causa, luto facto ex saliua oblinentem oculos cœci nati, &c.; nam nulla sabbati habita ratione, vt obstaculum dent Christi resurrectioni, adeant Præsidem, petant milites, armatos ad sepulchrum ducant, reuoluto lapide sepulchrum aperiant, clandant, obsignent, modisque omnibus muniant, ab operibus seruilibus, immo plusquam seruilibus, id est, maleuolis & hostilibus, minimè abstinentes.

Nec

Nec ipsi, inquit Chrysostomus, *ista facientes ac patrantes, sabbati vllam rationem habuerunt, sed ad illud vnum spectarunt, vt suam ipsorum explerent malitiam, tamquam hac ratione superiores futuri*. Vnde rectè Theophylactus annotat in hæc verba: *Non nominat sabbatum sabbatum, eò quòd non erat sabbatum, quantum ad Iudæorum insaniam attinebat*. Quamobrem credo, *Pharisæos* nominatim ab Euangelista hîc exprimi, quorum in tota dominicæ passionis historia hoc nomine vix meminerat, vt notanter perstringat illos, qui cùm exactissimam legis traditionumque obseruationem profiterentur, nunc sabbatum audacter violent, vt suæ libidini malitiæq; satisfaciant. Iam quæritur, qua parte sabbati factum ab his sit, quod hîc narratur. Quidam putant nocte, à qua sabbatum incipiebat, factum fuisse: ne enim vel prima nocte discipuli suffurarentur corpus Iesu, illos simulatque intellexissent Iesum sepultum esse, initio noctis adiisse Pilatum, & custodia impetrata sepulchrũ muniuisse. Atqui credibile non est, ita, omni hora, etiam nocte, patuisse illis accessum ad Pilatum, quem plus satis eo die fatigauerant: vt taceam, quòd probabile non esset, prima nocte, vel Iesum resurrecturum, vel discipulos suffuraturos corpus, vt fingerent resurrexisse Iesum, qui demum tertio die se resurrecturum promiserat: quemadmodum & fraus discipulorum palàm detecta fuisset, si ipsi quidem id fecissent, accedentes verò postridie ad sepulchrum principes, corpus non inuenissent. Non igitur nocte, sed luce sabbati, *conuenerunt principes sacerdotum & Pharisæi*, quales ferè erant seniores populi, non paruo numero, vt extorquerent, si refragaretur Pilatus, qui iam concesserat fautoribus Iesu honorificam Iesu sepulturam.

λέγοντες· κύριε, ἐμνήσθημεν ὅτι ἐκεῖνος ὁ πλάνος εἶπεν ἔτι ζῶν, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρομαι.	63	dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam.

RECORDATI SVMVS, præsertim ex quo ille est sepultus. Vt enim pessimè ipsos habebat, quòd intelligerent, Iesum, Præside concedente, honorificè esse sepultum: ita mox memores recti cœperunt, ne verum foret quod Iesus prædixerat se tertio die resurrecturum: quòd honorificam sepulturam, præludium esse ominarētur ad gloriam resurrectionis, prout erat, quemadmodum diximus suprà v. 60. QVIA. quòd. SEDVCTOR. ὁ πλάνος planus, præstigiator, impostor insigni versutia præditus, qui hominibus etiam spectantibus consueuit imponere. Vox græca *planus* latinè vsurpatur, & quidem hunc locum ita legit & interpretatur D. Augustinus homilia 36. inter 50: *Ille planus, id est, ille impostor*. Seductorem & impostorem vocant Dominum Iesum, nõ tam à falsa doctrina, quàm à falsis miraculis, quòd miracula quę edidisset, non nisi præstigias fuisse calumniarentur, quibus diabolica arte procuratis homines delusisset. Vtuntur autem hîc eo nomine, non tantùm ex odio, quo Iesum etiam iam à se interfectum prosequuntur, verumetiam ex causa ea, vt procul abstrahant animum Pilati, ne quam fidem adhibeat his verbis Iesu quæ ipsi memorant: impostorem enim & præstigiatorem fuisse, & sicut in vita præstigiis homines deluserat, ita præsumsisse etiam à morte facere se posse, vt solent aliquando magi & incantatores promittere, se à morte resurrecturos. Videntur sibi impij, vnâ istâ quam superbè euomunt blasphemiâ, vniuersa miracula Iesu, cum doctrinâ, vt imposturam, conuellere: atqui Deus, per ipsosmet, Iesum à sinistra imposturæ opinione vindicat, vt mox videbimus. Obserua autem Euangelistæ simplicem veritatisque studiosam confidentiam, qui nihil veretur scripto tradere probrosum nomen quo præceptor ab inimicis notatus fuit. Annotat hoc Chrysostomus. ADHVC VIVENS. dum adhuc viueret. *mortuus est igitur*, ait Chrysostomus. POST TRES DIES. id est intra tres dies, tertio pòst die, tertio à morte mea die. vide Mar. 8. v. 31. Quòd sic intelligant hoc Iesu verbum, declarant ipsi versu subsequenti, vbi aiunt: *Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium*. Nam si intellexissent, ab Iesu significatum, se resurrecturum, sed non nisi post tres dies à morte exactos, curauissent sepulchrum custodiri, non tantùm in diem tertium, sed pluribus etiam pòst diebus. RESVRGAM. ἐγείρομαι resurgo, id est, certo certius resurgam, videbitis me rediuiuum. Verè dixerat hoc Iesus, nec solùm discipulis secretò, verumetiam publicè inimicis, obscuriùs quidem Iohan. 2. v. 19: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*; clariùs verò suprà 12. v. 40: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti*, &c. Sed verisimile est, inimicos, non priùs illud ita clarè intellexisse, vt hîc declarant, quàm à Iuda proditore secretorum Iesu facti fuissent certiores. qui faciliùs quàm reliqui Apostoli illam Domini prædictionem & intellexerat & notauerat. Reliqui enim ne intelligerent, impediebantur tristitiâ, quam coniuncta mortis prædictio ingerebat: illum cùm mortis prædictio non angeret, resurrectionis contrà promissio malè habebat. Quomodo autem impleuerit vaticinium promissumque hoc suum Dominus Iesus, quomodo inquam tertio die resurrexerit, explicuimus suprà 12. v. 40.

κέλευσον οὖν ἀσφαλισθῆναι τὸν τάφον ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας· μήποτε ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς, κλέψωσιν αὐτὸν, καὶ εἴπωσι τῷ λαῷ, ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν· καὶ ἔσται ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης.	64	Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore.

CVSTODIRI. ἀσφαλισθῆναι tutum reddi, muniri (prout Interpres ipse vertit infrà v. 66.) militum præsidio scilicet. SEPVLCHRVM. fatentur esse sepultum, quod obseruat Chrysostomus. VSQVE IN. vsque ad DIEM TERTIVM: numerandum à morte illius, non ab hac petitione. Non petunt in quartum aut quintum diem: nam quia constabat dixisse Iesum se die tertio resurrecturũ, volunt persuadere Pilato, periculum esse,

esse,ne discipuli, die tertio,aut circa diem tertium, conentur auferre cadauer Iesu, vt persuadeant populo resurrexisse Iesum, prout prædixerat: quòd si constet die tertio non resurrexisse,nimirum cadauer die tertio transacto remansisse & visum esse in sepulchro, nihil illos effecturos, etiamsi quarto aut quinto die auferrent,quia manifestè falsa euasisset prædictio Iesu. Intelligunt igitur *diem tertium*,transactum: quia cùm non prædixisset Iesus qua parte diei tertij esset resurrecturus,initio ne,an medio,an fine, viderunt toto die tertio sibi custodiendum sepulchrum, tam vt resurrectionem impedirent, quàm vt euidenter possent affirmare & monstrare,quòd non resurrexisset,sepulchro simulac transisset dies tertius aperto, & cadauere mõstrato.

VENIANT. ἐλθόντες venientes DISCIPVLI EIVS, qui sunt longè & plures & maiores quàm facilè sciatur,vt patuit in eius sepultura. Syriacè additur *nocte*,vt à plerisque græcis exemplaribus νυκτὸς, quod est, secretò,clàm. ET FVRENTVR EVM. κλέψωσιν αὐτὸν furentur eum,id est, cadauer eius. ET DICANT. & persuadeant PLEBI,imperitæ multitudini,quæ facilè quibusuis rumoribus fidem habet. SVRREXIT prout prædixerat; A MORTVIS. à morte; Syrus *de domo mortuorum*. vide suprà 14.v.2. Volunt dicere; Non metuimus, Præses,ne resurgat,mortuus cùm sit, & iustè meritoque occisus,quod clarum est: sed metuimus,ne,quemadmodum ipse imposturis in omni vita est vsus, ita discipuli ab illo docti, & secretis forte mandatis instructi, simili impostura suffurentur eius cadauer, vt magistri gloriam, adstructa constántia dictorum eius,conseruent, & persuadeant populo, illum, quemadmodum prædixerat,à morte resurrexisse. Ergo vt occurratur fraudi ac dolo discipulorum sectatorumque eius, ne fingant reuixisse,quem tu iustè vita priuasti,ac proinde ne iustitię mortisque sententiæ abs te latæ illudatur,hoc petimus. *Cupientes ostendere etiam antea impostorem fuisse*,inquit Chrysostomus, *ad sepulchrum vsque malitiam extendunt & producunt*. Hanc igitur causam suæ petitioni obtendunt, quòd petant custodiri à militibus sepulchrum vsque ad diem tertium: sed reuera alia fuit causa, nimirum,quòd verè metuerēt,ne Iesus,sicut prædixerat,die à morte tertio resurgeret; ac proinde vellent,quod in se esset,impedire modis omnibus,ne id fieret,aut certè ne sciretur & crederetur. Iustam enim id metuendi causam multa illis suggerebant. Exagitabantur propriâ conscientiâ,dictante hunc fuisse virum iustum,veracem & sanctum,immo Messiam ipsum: terrebantur recordatione signorũ quæ tam in morte quàm in vita ipsius edita fuerant: denique honor sepulturæ, quo præter mentem ipsorum affectus fuerat, videbatur præludere ad gloriã resurrectionis, quam sibi ipse promiserat,nec promiserat tantùm sibi, sed & aliis præstiterat dum viueret,nominatim,nec ita pridem,Lazaro,quatriduo mortuo. Quamuis enim, diuina miracula Iesu,verbis impugnarent, vt præstigias diabolicas: conuincebantur tamen calumniæ à rerum euidentia & sua ipsorum conscientia. Hæc igitur omnia faciebant, vt vehementer timerent,ne vera die tertio appareret, Iesu de sua resurrectione prædictio. Nam quòd adferebant, periculum esse, ne discipuli,ablato furtim cadauere,mentirentur eius resurrectionem, velamen erat,quo metum suum tegebant,ne Pilatus illum animaduerteret. Quæ enim verisimilitudo, Apostolos, discipulorum capita,nullius animi homines,qui dispersi omnes fuerant apprehensione magistri,nec prodire fuerant ausi, vt vel intercederent ipsi,vel alios subornarent ad intercedendum, pro præceptore captiuo,ne in crucem ageretur: quæ inquam verisimilitudo, illos aut cum illis alios quoscumque, pugnaturos aduersus gentem suam vniuersam, pro homine mortuo, à quo nullam exspectarent retributionem, immo qui sua ipsos exspectatione frustrasset, nec prout promiserat resurrexisset; & non potiùs aduersaturos atque odio habituros eum, qui in extrema pericula adductos miserè adeò decepisset,ac proinde seipsos præ verecundia occultaturos, nec in publicum prodituros? Nam si non resurrexisset Iesus,nihil reliquæ eius promissiones firmitatis aut ponderis apud ipsos habituræ erant. Rursus quæ verisimilitudo, pauperes, inermes, illiteratos & rudes, populo persuadere posse resurrectionem,hominis damnati & morte à Magistratibus multati, si non aliud adferrent argumentum, quàm quòd die tertio in sepulchro non fuisset inuentus aut visus! Proximum enim fuisset,vt ipsis obiiceretur, quòd ipsi furto cadauer è sepulchro abstulissent: quod certè iam ipsis obiici non potuit, quando eam quæ verè acciderat resurrectionem prædicarunt, eò quòd exacta sepulchro custodia adhibita fuisset, ne id facere possent. Ita conuertit diuina prouidentia, consilium inimicorum, tentantium impedire Iesu resurrectionem, eò, vt seruiret adstruendæ illius resurrectioni,ne quid cauillari illi possent, aut vllus cuipiam restare sinistrè suspicandi locus. ET ERIT. quod si fiat.erit. si populo semel persuadeant discipuli, Iesum, quemadmodum prædixerat,die tertio à morte resurrexisse,*erit* NOVISSIMVS. vltimus,posterior. ERROR. πλάνη seductio, impostura, PEIOR PRIORE. τῆς πρώτης primo. Errorem vocant doctrinam euangelicam, duplici nomine, tum quòd in se falsam esse dicerēt,tum quòd falsis miraculis,id est,imposturis adstructam. Priorem autem errorem intelligunt, doctrinam quam ipse per se Iesus sparserat, eam præsertim qua docuerat se esse Christum Filium Dei: posteriorem, eandem doctrinam à discipulis augendam articulo resurrectionis Iesu. Hunc errorem posteriorem,priore multis modis peiorem fore adstruũt,quia futurus sit auctior (auctus,vt minimùm, doctrina resurrectionis Iesu) quia confirmaturus sit priorem (facilè enim credetur, volunt dicere, esse Christus Filius Dei, & vera esse ea omnia quæ cùm viueret docuit, si persuasum fuerit, eum resurrexisse à mortuis,res omnium difficillima) quia latiùs propagabitur & plures inficiet (omnes enim seducentur,aiunt,& credēt in eum,tamquam Christum Filium Dei, si semel credita fuerit eius resurrectio) quia difficiliùs eradicabitur & ex plebis animo euelletur, immo verò nulla erit euellendi ratio (vt enim plures occupabit,ita firmiores aget radices in iis quos priùs occupauerat) quia denique turbabit & in extremum periculum adducet Remp., quando publicè docebitur, Christum Filium Dei, iniustissimè à Reip. principibus tam Romanis quàm Iudæis crucifixum fuisse; Deum enim, quem illi interfecerant, à morte resuscitasse. Nam hinc nihil aliud, quàm seditio rebellioque exspectanda populi aduersus primates, ita vt præstaret Iesum numquam crucifixum fuisse, si quando posterior hic de illius resurrectione error esset inualiturus. His præsidis animum commouere satagunt, vt concedat quod petunt, tamquam necessarium ad conseruandam Reip. tranquillitatem: vt sunt impij animis semper irrequieti, heri soliciti vt cruce occideretur Iesus; hodie,ne occisus resurgat. Quamuis autem falsò errorem vocent euangelicam veritatem,nõ falsò tamen præsagit ipsis animus, futurũ vt latiùs propagetur,& firmiores radices agat,euangelium Iesu,si illius à mortuis resurrectio populo persuadeatur, quàm vmquam antea: nam & ita euénit, quodque in Iudæa dumtaxat,ante Iesu resurrectionem,fuerat prædicatum & creditum; post resurrectionem,per totum orbem

terrarum, Apostolorum prædicatione delatum & dilatatum est, nec vllis potuit Regum tyrannorúmve persecutionibus extingui, aut illius progressus impediri. Fuerunt igitur ipsi prophetæ, suæ ipsorum ruinæ & gloriæ Iesu: ac propterea modis omnibus adlaborant, vt resurrectioni Domini Iesu obstaculum ponant, vel cum Deo ipso pugnando, si possint.

ἔφη δὲ αὐτοῖς ὁ Πιλάτος· ἔχετε κουστω-[65] διαν, ὑπάγετε, ἀσφαλίσασθε ὡς οἴδατε.

Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.

HABETIS. ἔχετε ambiguum est ad imperatiuum *habete* & indicatiuum *habetis*: sed indicatiuus est aptior, non quòd Pilatus asserat, iubeatue principibus Iudæorū custodiam militarem, qua vt vtantur permittat (vt enim nullis poterāt militibus vti absque præsidis venia, ita nulli ipsis suberant milites) sed quòd concedat, vt ea Romanorum militum custodia, qua iam vsi fuerant ad crucem, vtantur & ad sepulchrum. q.d. custodia illa vobis præsto est, quæ heri vobis seruiuit ad crucem: seruit enim vobis ad nutum, vt videtis, tamquam vestra. Nam quia ipsi extorserant crucifixionem Iesu, milites à se adhibitos cruci, ipsis seruisse, & quasi ipsorum milites fuisse, dicit. CVSTODIAM. Latina hac voce vtitur & græcus textus, κουστωδίαν, nec ab ea longè recedit syriacus, qui ܩܣܛܘܢܪܐ *Kestonore* dicit pro custodibus. Significat *custodia*, turbā custodum, cateruam militum, tot numero, quot sufficere possint, ad custodiam loci aut rei alicuius. Galli simili modo appellant *la garde*. Ad custodiam crucis videntur adhibiti fuisse facilè centum milites: ad custodiam sepulchri, eadem centuria adhibita fuit, sed non simul tota fortasse, quòd sufficeret manipulum manipulo succedere. Ipsis Christi interfectoribus, custodia sepulchri Christi committitur, quo minùs possit de eius resurrectione dubitari. ITE. ὑπάγετε abite. CVSTODITE. ἀσφαλίσασθε munite s. sepulchrum. SICVT SCITIS. qua optima ratione potestis, pro vestro consilio & prudentia. Quia rem præcipuam ipsis concesserat, crucifixionem Iesu, concedit non difficulter & id quod accedit, vt milites statuant in excubiis sepulchri; sed ita vt significet, quòd non libenter se immisceat rebus illorum. *Tamquam rebus ipsis edoctus*, inquit Chrysostomus, *ipsis amplius cooperari non vult*. Dat autem intelligendum, quòd, si Iesu ea facultas diuinitus detur, vt à morte resurgat, vano ipsos conatu laborare vt impediant. Cæterùm Dei nutu factum est, vt Pilatus petitioni ipsorum annueret: faciebat enim ad illustrandam resurrectionem Iesu.

οἱ δὲ πορευθέντες, ἠσφαλίσαντο τὸν[66] τάφον, σφραγίσαντες τὸν λίθον, μετὰ τῆς κουστωδίας.

Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

ILLI AVTEM. illi ergo. ABEVNTES ad locum sepulchri, & secum ducentes custodiam militum illorum qui crucem seruarant, duce Centurione. MVNIERVNT. ἠσφαλίσαντο tutum reddiderunt. SIGNANTES LAPIDEM. σφραγίσαντες τὸν λίθον sigillato seu obsignato lapide, illo scilicet quo claudebatur ostium sepulchri, de quo suprà v. 60. Postquam saxum illud ingens, quod Ioseph aduoluerat ad ostium sepulchri, reuoluissent, & suis ipsi oculis læti conspexissent Iesum mortuum in sepulchro iacentem (neque enim aliud audebant, timentes præsidem, qui Iesu sepulturam permiserat, si quam contumeliam sepulto intulissent) iterum aduoluerunt saxum illud ad ostium sepulchri, & publicum sigillum ita illi impresserunt, vt nemo illud reuoluere posset & sepulchrum aperire, quin sigillum violaret & frangeret, ac proinde res facilè deprehenderetur. Ad hunc modum Darius Rex, *obsignauerat* lapidem illum, qui positus erat *super os laci* leonum cui Daniel includebatur, *annulo suo & annulo optimatum suorum*, vt scribitur Dan. 6. v. 17., idque *ne quid fieret contra Danielem*, id est, ne Daniel, lacu impunè aperto, à suis inimicis interficeretur, si parcerent ei leones. Similem ob rationem Principes Iudæorum obsignarunt sepulchrum Iesu, ne impunè aperiretur, siue à discipulis Iesu, siue ab ipsis militibus, ad custodiam quidem adhibitis, sed prece preciòve corruptis, siue denique ab Iesu ipso si reuiuisceret: & omnino vt milites maiorem sepulchri curam gererent, ne sigillum, alicuius vel ingressu vel egressu, violaretur, cuius violati rationem ferrent sibi coram Præside esse reddendam. Hic quæratur, cuius sigillo, Iudæorum principes, obsignarunt ostium sepulchri, suóne ipsorum an Præsidis? D. Chrysostomus sentire videtur, quòd Præsidis sigillum impresserint: interpretatur enim, eos, verbis illis *Iube ergo muniri sepulchrum vsque in diem tertium*, petiuisse, non tantùm vt milites iuberentur custodire sepulchrum, sed & vt sepulchrum obsignaretur: & Pilatum quidem vtrumque concessisse, at non permisisse vt milites soli obsignarent, sed *vos*, inquit, *vt vultis obsignate, ne in alios culpam reiicere possitis: ne si soli milites obsignassent, dicere potuissent, quòd milites ante obsignationem corpus extraxissent, & facta discipulis potestate ipsum clam auferendi, ansam ipsis præbuissent hunc de resurrectione sermonem effingendi*. Videtur igitur sentire Chrysostomus, quòd Præsidis sigillum ostio sepulchri impressum fuerit: verùm vt militum maximè causa Iudæi Præsidem adierunt, ita suo, publico inquam magni Synedrij aut ciuitatis Ierosolymorum sigillo, sepulchrum obsignasse credibile est: nec enim minùs Iudæorum quàm Præsidis sigillum reuereri poterant milites, cùm de vtrouis violato par reddenda ipsis esset ratio apud Præsidem, qui omnimodam sepulchri communitionem Iudæis commiserat. Testatur porrò Nicephorus lib. 1. cap. 32., ab antiquis traditum, lapidem illum, sepulchri operculum, non solùm sigillo impresso, sed & ferreis vinculis adhibitis, ita connexum fuisse reliquo sepulchro, quod & ipsum erat lapideum, vt auelli non posset, nisi summâ violentiâ, vel ferrum confringeretur, vel lapis rumperetur. Cui narrationi adstipulatur Beda, dum ait libri de locis sanctis cap. 2., lapidem illum, suis temporibus monstrasse, vinculorum ferreorum, quibus sepulchro alligatus fuisset, vestigia.

CVM CVSTODIBVS. μετὰ τῆς κουστωδίας cum custodiâ. Referri hoc potest, vel ad participium *signantes*, vel ad verbum *munierunt*: ad *signantes* referre videtur Chrysostomus, cum sectatoribus suis Tito & Euthymio, hoc sensu, signantes lapidem præsente videnteque custodia. Sed præstat iungere cum *munierunt*, ita vt sensus sit, *adhibitaq; custodia*, & duplici modo sepulchrum muniuisse referantur, lapidis obsignatione, & custodia militum. Militibus in ambitu sepulchri collocatis, iusserunt vt exactè sepulchrum & obsiderent & obser-

obseruarent, nec ab eo vel latum vnguem, donec triduum à morte Iesu transactum esset, discederent, cauerentque ne quisquam illud aperiret, & vel ingrederetur vel egrederetur, vel aperire aut ingredi egrediue propiusve accedere tentaret: quòd si quis contrà fecisset, eum ipso in loco gladiis hastisque confoderent: ni facerent, sed sepulchrum aperiri aut sigillum violari permitterent, ipsosmet daturos Præsidi pœnas; vt contrà accepturos ampla à se præmia, si fideles diligentesque se custodes præstarent. Omnia igitur ita diligenter exacteque constituerunt & ordinarunt, vt cautum optimè esse sibi persuaderent, non tantùm ne quis corpus Iesu auferret (quod potissimùm à se metui, militibus vt Præsidi declararunt) verumetiam (quod à se timeri dissimularunt) ne Iesus ipse à morte resurgeret, aut, si fortè resurgeret, occluso exitu, retentus sepulchro, cogeretur, aut recidere in mortem, aut post tertium demum diem obsidione soluta nemine credituro exire, vel certè, si qua ratione effracto ostio priùs egrederetur, militum ensibus confossus, morti, quam fugeret, restitueretur. Nam quòd, resuscitatum, existimarunt iterum occidi posse, declararunt, quando *Lazarum interficere cogitarunt, quia multi propter illum abibant ex Iudæis* (Iohan. 12. v. 10.) vt enim ignorabant, an ad aliam vitam resuscitandus esset Iesus, quàm Lazarus, ita futuræ resurrectionis omniū hominum, quam credebant, virtutem nesciebant, quòd foret eiusmodi cui nulla vis aut nocere aut obsistere posset. In summa, laborarunt stolidi, vt, *quantum in ipsis esset, manum opponerent resurgenti*, quod ait Hieronymus, & cum Deo ipso pugnarét, si fortè superiores euaderent. Sed tantum abfuit vt quidquam proficerent, vt contrà nihil aliud efficerent, quàm vt promouerent consilium Dei, & conatibus suis Iesu resurrectionem redderent certiorem, atque omnino huiusmodi quæ nulli calumniæ posset esse obnoxia, denique sibi ipsis adimerent omnem illius refellendæ opportunitatem. Certè enim obscurior fuisset resurrectio Iesu, vel saltem eius negandæ maior fuisset ipsis libertas, si sepulchrum custodiri munirique non curassent. Nam id quādo fecerunt, præterquam quòd longè lateque perlatus est rumor de futura Iesu resurrectione, atque ita parati sunt plebis animi vt eam postea adstructam faciliùs reciperent, illi ipsi quos ad sepulchrum collocarāt inimici Iesu, testes effecti sunt, in primis, quòd nec discipuli, nec vllus mortalium, cadauer Iesu abstulissent, quòd sepulchro inclusum & vndique à se obseptum, diligentissimè seruassent: deinde quòd sepulchrum terræmotu & angelica opera fuisset apertum. denique quòd sepulchrum absque corpore Iesu vacuum & vidissent & inuenissent: vnde nihil aliud intelligi potuit, quàm Iesum, sicut prædixerat, resuscitatum, viuumque è sepulchro diuinitus eductum fuisse, nec vllus ad id negandum, mendacio, quod milites in vulgus sparserunt, relictus est color. *Certa resurrectionis demonstratio*, inquit Chrysostomus, *per ea quæ vos ipsi procurastis reddita est. Si enim obsignatum fuit sepulchrum, fraudi & dolo nullus locus relinquebatur: quòd si nulla fraus admissa fuerit, sepulchrum verò repertum est vacuum, perspicuum est, quòd proculdubio & citra controuersiam resurrexerit. Vides qui vel inuiti veritatis adiuuent demonstrationem?* Hæc Chrysostomus. Ita ergo vsus est Deus, operâ inimicorum Iesu, pro ipso Iesu: & Iesu resurrectio certissimum ab hostibus suis accepit testimonium. Sed hac de re plura capitis proximi versibus 11. 12. 13.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Mar. 16. v. 2. Luc. 24. v. 1. Iohan. 20. v. 1.

1 Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum.

ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, ἦλθε μαρία ἡ μαγδαληνή, καὶ ἡ ἄλλη μαρία, θεωρῆσαι τὸν τάφον.

VESPERE. ὀψὲ aduerbium est, significans serò, tardè, tandem, post tempus. Interpres *vespere* reddidit, quod & nomen esse potest & aduerbium: de quo Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Græcus serò dixit, hoc est ὀψέ. Serò autem, & horam significat in occasum diei, & cuiusque rei significat tarditatem: quomodo si dicas: Serò mihi suggestum est, id est, tardè. Serò venit, qui post præstitutum tempus aduenit: licet manè sequenti die venerit, serò est tamen vbi agendi tempus emensum est. Est & sero tempus noctis profundum, vt si dicas, serò ad lucubrandum surrexi, id est; non vespertino tempore, sed profunda nocte surrexi.* Eadem de re Hieronymus epistolæ 150. ad Hedibiam quæstione quarta: *Mihi videtur, Euangelistam Matthæum, qui euangelium hebraico sermone conscripsit, non tam vespere dixisse quam serò: & eum qui interpretatus est, verbi ambiguitate deceptum, non serò interpretatum esse sed vespere: quamquam consuetudo humani sermonis teneat, serò, non vesperum significare, sed tardè. Solemus enim dicere, Serò venisti, id est, tardè: & quæ facere ante debueras, fac saltem sero, id est, tardè.* SABBATI. σαββάτων sabbatorum. Quidam intelligunt, σαββάτων, non genitiuum pluralem græcum esse, sed vocem & terminationem hebraicam numeri singularis: quia Hebræi sabbatum numero singulari duplici modo vocant, *sabbath & sabbathon.* vide suprà 12. v. 1. Cæterùm vt hoc loco id admittatur, σαββατὼν vocem esse hebraicam numeri singularis vertendum *sabbati*, quia deest articulus: aliis plerisque locis, vbi articulus additur, ἡμέρα τῶν σαββάτων, id admitti non potest, vt Act. 13. v. 14. 16. v. 13., 1. Mach. 2. v. 32., 2. Mach. 15. v. 3. & alibi. Quæritur ergo, quare dies iste, cuius proprium nomen est *sabbatum*, numero plurali vocetur *dies sabbatorum*: Caietanus scribens in hunc locum, putat id fieri, quia dies iste, septimus inquam, non aliquando, vt cæteri hebdomadæ dies, sed semper sabbatum siue festus erat. Quid si id fiat, quia dies iste, non quauis quiete contentus erat, sed perfectissimam exigebat, maiorem quàm quiuis alius dies festus, etiam paschæ: tamquam vocetur sabbatum sabbatorum? vide suprà 27. vers. 1. Sed promtissimum est dicere, enallagen esse numeri pluralis pro singulari, *dies sabbatorum* pro *dies sabbati*. Verùm enallages istius vsus familiaris, ex eo natus fuisse videri possit, quòd Iudæi loquentes græcè, & vtentes voce σαββατὼν suo more vt indeclinabili, existimati sunt à Græcis peccare accentu, & dicere velle ἡμέρα σαββάτων, cùm dicerent ἡμέρα σαββατὼν, quod erat ἡμέρα σαββατὼν vel ἡμέρα σαββάτου dies sabbatum vel dies sabbati. Hinc obtinuerit vsus, vt Græci ex κακοζηλίᾳ dixerint ἡμέρα σαββάτων, & tandem

tandem articulo quoque addito ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων: quos deinde Latini sequuti transtulerint *dies sabbatorum*. hic enim loquendi modus, in Machabæis, Euangeliis & Actis, solummodo exstat. Iam verò ὀψὲ σαββάτων serò sabbatorum siue sabbati, quod hic ait Euangelista, id est, tandem post sabbatum, dudum transacto sabbato, transacto iam sabbato longo interuallo (nam inter sabbatum, &, quod notare Euangelista vult, tempus matutinum, tota nox intercesserat quæ significatio est τοῦ ὀψὲ, quando casum adiunctum habet. Hæc interpretatio est Gregorij Nysseni, quam exemplis etiã confirmat, oratione secunda de resurrectione Christi, dum ait: *Non dixit igitur sero sabbati aut vesperi sabbati, vt vesperum illius diei significaret: sed sero sabbatorum, vt tardius & multum distans* (tempus) *indicaret. Etenim aliquando nos quoque ita dicere solemus,* ὀψὲ τοῦ καιροῦ παραγέγονας, *id est, sero vel tardiùs ad tempus venisti,* ὀψὲ τῆς ὥρας, *id est, serò ac tardiùs ad horam,* ὀψὲ τῆς χρείας, *id est, sero ac tardiùs quam vsus & necessitas postulasset; non vesperam neque tempus quod post occasum solis est significantes, sed tardius & postquam vsus ac necessitas postulauerit, aut post tempus commodum & opportunum, factum esse quippiam hoc modo iudicãtes. Atque* ὀψὲ σαββάτων, *id est serò vel vesperi sabbatorum, longius & tardius praterita septimana tempus significat. Impletur qualibet septimana, occasu solis sabbatum excipiente. Nam etiam Matthæus, cùm temporis articulum, qui multum distabat à fine expleta septimana significaret, & quasi seipsum interpretaretur, adiecit, qua illucescit in vnam sabbatorum.* Hæc ille clarissimè iuxta ac doctissimè, in quo illud obseruandum, quòd nomine sabbatorum intelligat hebdomadam finientem vnà cum sabbato propriè dicto. Ad eumdem hunc modum explicare oportet, quod habet latina editio, *vespere sabbati*. Inprimis enim, non est intelligendus vesper qui sit pars sabbati, sed vesper qui sequatur sabbatum: solet enim vesper, nomen diei præcedentis, præsertim festi ac solemnis, libenter accipere, quamuis ipse pars sit diei subsequentis: tametsi hic vesper, considerato quidem festo die, pertineret ad diem sequentem; considerato verò die ciuili, pertineret ad diem præcedentem, ad mediam vsque noctem. vide suprà 26. v. 2. Deinde, per vesperum hîc, non est intelligenda prima pars seu initium noctis sequentis sabbatum; multo minus vesperugo seu stella lucifer (id enim nullo modo patitur vox græca) sed vel nouissimum siue extremum tempus, tamquam dicatur, Nouissimo tempore siue tandem post sabbatum (quemadmodum exposuimus græcum ὀψὲ, & à multis exponitur illud Psalmi 58. v. 7. 15: *Conuertentur ad vesperam*; vel nox, à parte totum, quòd vesper noctis principium sit, quemadmodum Gen. 1. v. 5., eò quòd sit finis diei, significat diem completam: *Factum est vespere & mane dies vnus*. Huius sententiæ est D. Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 14., vbi ait: *A parte prima noctis, qua est vespera, ipsam noctem voluit significare Matthæus, cuius noctis fine venerunt mulieres ad monumentum. Ea vero causa intelligitur eandem noctem sic appellasse, quia iam à vespere licebat afferre aromata, transacto vtique sabbato. Ergo quoniam sabbato impediebantur vt non ante facerent, ab eo tempore nominauit noctem, ex quo eis licere cœpit vt facerent quodcumque vellent tempore eiusdem noctis. Sic itaque dictum est vespere sabbati, ac si diceretur, nocte sabbati, id est, nocte qua sequitur diem sabbati.* Hæc Augustinus, reddens probabilem causam loquutionis istius, *vespere sabbati*, pro nocte sabbati. In eandem sententiam D. Hieronymus Hedibiæ: *Vespere sabbati*, inquit, *id est, serò, non incipiente nocte, sed iam profunda & magna ex parte transacta*; tamquam sit, non diei, sed *noctis vespera*, vt loquitur Ambrosius: qua de re & Dionysius Alexandrinus epistola ad Basilidem: *Quod autem noctem, & non vesperam presse acceptam, Matthæi vltimo designet, id valide confirmat quod mox subiungitur, qua lucescit in prima sabbati.* QVÆ LVCESCIT. τῇ ἐπιφωσκούσῃ illucescente. Tam græca vox quàm latina fœminini generis est: vtque non potest vox græca ad ὀψὲ referri, quod vel non est nomen, vel neutrum est loco nominis sumtum; ita nec latina ad *vespere*, quod vel aduerbium est, vel nomen masculinum, nisi cum quibusdam dicas reperiri etiam fœmininè. Quocirca plerique participium, non ad ὀψὲ referunt græcè, sed subaudiunt ei ἐν ἡμέρᾳ *in die*, hoc sensu: Dudum post sabbatum, in die illucescente in vnam sabbatorum, quod est, cùm lucesceret, diluculò. Idem liceat subaudire latinè: *Vespere sabbati, die qua lucescit in prima sabbati*: plerique tamen, inter quos Augustinus, *qua lucescit* referunt ad *vespere*, tamquam si *vespera* scriptum fuisset, vel certè *vespere* etiam fœminini esset generis, quod disertè annotat Christianus Druthmarus. *Vespere sabbati, qua lucescit*, pro, Nouissimo tempore post sabbatum, quo illucescebat; vel, Nocte illa post sabbatum, cuius noctis extremum attingebat lucem; cuius finem excipiebat diluculum, id est, cùm illucesceret, *appetente iam die, prospectante & oriente*, vt ait Euthymius.

IN PRIMA SABBATI. εἰς μίαν σαββάτων in vnam sabbatorum. *Vnam*, quod insinuauit Interpres, hebraicò more Euangelista vsurpat pro *primam*, imitatus Mosen Gen. 1. v. 5: *Factumque est vespere & mane dies vnus*, pro, *primus*. Sexto autem casu, Interpres abusus est, pro quarto, cum præpositione *in*, quod non est ipsi infrequens: quamquam quartus casus clariùs signet progressum noctis in diem, initium diei erumpentis orientisque. Denique *sabbati* rectè vertit Interpres pro *sabbatorum*, eadem ratione qua mox. Porrò vna seu prima sabbati siue sabbatorum, vocatur primus hebdomadæ dies, quem nos, sequuti Apostolos, vocamus *diem dominicum* (Apocal. 1. v. 10.) de quo D. Augustinus tract. 120. in Iohannem: *Vna sabbati*, inquit, *est, quem iam diem dominicum, propter Domini resurrectionem, mos Christianus appellat*. Vocatur autem vna seu prima sabbati vel sabbatorum, non quòd singulæ dies hebdomadæ vocarentur sabbata (nec enim id verum fuit, nisi fortè de hebdomadis paschæ & tabernaculorum, quæ duo festa octo continuis diebus celebrabantur) nec quòd integra hebdomada sabbatum diceretur (quamquam id aliquando fieret, vt Luc. 18. v. 12: *Ieiuno bis in sabbato*) sed quòd esset primus dies à sabbato, quemadmodum secundus dies à sabbato vocabatur secunda sabbati, & sic de cæteris. nam & quòd hebdomada quandoque sabbatum nominaretur (quod non fit in lege, vbicumque fieri putatur à multis) fiebat hoc, denominatione sumta à die præcipuo, non quòd tota hebdomada sabbatum foret. nam reliqua hebdomada contra sabbatum distinguebatur: sabbatum enim, quietem, vt declarabat, ita præcipiebat, reliqua hebdomada opus permittente. Iam vt locum Euangelistæ propiùs explicemus, græcæ scripturæ hic est sensus: dudum transacto sabbato, in die illucescente in primam sabbati, id est, cùm illucesceret prima sabbati, cùm iam primus à sabbato dies immineret, cùm oriretur primus hebdomadæ dies. Latinæ editionis eadem est sententia: Nouissimè post sabbatum, cùm illucescebat prima sabbati; vel, Eâ quæ sabbatum proximè sequebatur nocte lucescente in primam sabbati, quod est, oriente diluculo primæ diei sabbati siue hebdomadæ. Nox describitur ab vtroque extremo, à vespere inquam & diluculo, sed à vespere vt diluculo terminatur. Vespera ergo sabbati lucescens in primam sabbati, vocatur diluculum primi diei hebdomadæ. *Matthæus scribit* (respondet Hieronymus Hedibiæ)

biæ) *Dominum apparuisse vespere sabbati illucescentis in vnam sabbati, seipsum interpretans, quid dixisset vespere sabbati, id est, appropinquante iam luce sequentis diei*. Similiter Augustinus: *Sic itaque dictum est vespere sabbati, ac si diceretur nocte sabbati, id est, nocte quæ sequitur diem sabbati: quod ipsa verba eius satis indicant. sic enim ait: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, quod fieri non potest, si tantummodo primam noctis particulam, id est, solum initium noctis, intellexerimus dicto vespere significatam. Neque enim ipsum initium lucescit in prima sabbati, sed ipsa nox quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, secundæ partis initium est, lux autem terminus totius noctis est. Vnde non potest dici vesper lucescens in prima sabbati, nisi nomine vesperi, nox ipsa intelligatur, quam lux terminat*, &c. Significatur itaque, mulieres istas, summo diluculo diei dominici, venisse ad monumentum: id quod reliqui Euangelistæ, tamquam Matthæum interpretantes, clarioribus verbis expresserunt. *Sabbato toto* (inquit Dionysius Alexandrinus) *vnà cum nocte absolute iam transacto, & altero die iam inchoato, venerunt*. Prius venisse non potuerant mulieres: nam ex quo monumentum reliquerant, sepulto Domino, sabbatum inceperat: sabbato autem, vt non licebat aromata emere & cadauer vngere, ita non temerè aliò prodibatur, præsertim à mulieribus, quàm ad templum aut synagogam. Mox vt finitum esset sabbatum, vespere diei sequentis, *emerunt aromata*, quod testatur Marcus cap. 16. v. 1: sed vt non erat mulierum, intempesta nocte foras extra vrbem proficisci (vt neque in tenebris quid agere licuisset) ita postquam reliquam noctem insomnem duxerant, ante lucem iter aggressę, ad monumentum summo diluculo, *cum adhuc tenebræ essent*, quod Iohannes ait, peruenerunt, ita vt cum prima perspicua luce sacrum Domini corpus possent vngere. Quòd autem ita manè profectæ fuerint, fecit quidem vnâ ex parte, feruens erga Dominum Iesum amor: ex altera tamen parte concurrit timor, ne die plena obseruatæ ab aduersariis Iesu, aut prohiberentur vngere dominicum corpus, aut mali vel aduersi quid ob hoc factum paterentur. VENIT. præteritum est ex ἦλθε. Non dicit Euangelista, quòd Iesus resurrexerit vespere sabbati lucescente in primam sabbati, sed quòd Magdalena eo tempore venerit seu peruenerit ad sepulchrum: non enim tam scribunt Euangelistæ, quando resurrexerit Christus, quàm quomodo innotuerit eius resurrectio. Cæterùm credibile est, Euangelistas ita diligenter notasse tempus quo mulieres peruenerint ad sepulchrum, vt ex eodem æstimaremus & quo tempore Christus resurrexerit (quæ & Eusebij sententia est, loco mox citando) nempe diei dominici summo diluculo, paulò ante mulierum aduentum, quæ summo diluculo præsentes, & didicerunt ex Angelis eum viuere, & viderunt sepulchrum corpore vacuum. Nam quamuis punctum temporis quo Dominus resurrexit, ipsi potissimùm notum sit: probabilior tamen sententia habet, resurrexisse profundo diluculo, primaque aurora. Sic docent, inter Latinos Hieronymus & Augustinus scribentes in illud Psal. 56. v. 9: *Exurgam diluculo*; inter Græcos Eusebius lib. 10 demonstr. euang. cap. vltimo, vbi titulū Psalmi 21. *pro susceptione matutina*, interpretatur non semel, de resurrectione Domini ex mortuis sub auroram: sic canit Ecclesia *Aurora lucis rutilat*, &c. quibus adstipulatur Euangelium secundùm Marcum cap. 16. v. 9: *Surgens autem mane prima sabbati*. Quocirca Prosper sententia 203. inter Augustinianas: *Vespere*, inquit, *Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione*. Et alius quidam: *Cùm nascitur, nocte nascitur*, quia ad mortis tenebras properat: *sed cum resurgit, mane resurgit*, numquam ampliùs tenebras visurus. Porrò hac ratione satisfecit Dominus promissioni suæ, quòd die tertio esset resurrecturus, quemadmodum declarauimus suprà 12. v. 40. Nam vt distulit resurrectionem suam in diem vsque tertium, ad confirmandam veritatem mortis suæ: ita non exspectauit finem diei tertij, ad demonstrandam potentiam suam. MAGDALENE. Cyrillus lib. 12. in Iohan. cap. 44. *Non remansisset domi, nec à monumento abfuisset, diligentissima illa mulier, nisi lege sabbati detenta fuisset. Quo die iam exacto, & altero die appropinquante, curriculo venit ad monumentum*. ET ALTERA, quam scilicet paulò superiùs vnà cum Magdalene nominaui; MARIA inquam Iacobi & Ioseph mater. *Duæ vnius nominis mulieres, duas significant plebes* vnius vtrique nominis christiani) *pari deuotione Christi passionem & resurrectionem amplectentes*, ait Glossa. Cæterùm nominat Euangelista has duas, non quòd solæ fuerint (Lucas enim cap. 24. v. 10. plures fuisse testatur, eas inquam omnes quæ solitæ fuerant Iesum comitari) sed quòd duces cæterarum. Maria mater Iesu, tametsi sepulturæ interfuisset, hîc non adfuit, quòd crederet filium suum non opus habere vnctione iterata, qui vel iam resurrexisset, vel breui resurrecturus esset: sed permisit reliquas agere quod visum esset, persuasa, egressis filium suum appariturum longè gratiùs, quàm si ipsa eas ab egressu retraxisset resurrectionis promissione. VIDERE. θεωρῆσαι spectare SEPVLCHRVM. Non tantùm spectandi sepulchri causa venerunt, verumetiam vngendi dominici corporis, quod Marcus cap. 16. v. 1. disertè affirmat. Nam nudiustertius vesperi spectarant sepulchrum: sed quia obseruarāt illius ostio aduolutum fuisse ingens saxum, quod reuoluere non facilè esset muliebrium virium, neque poterant nosse quid aliud interea illic actum fuisse potuisset, Matthæus ait quòd venerint vt viderent sepulchrum, an s. eo modo se haberet, vt pertingere qua ratione possent, ad illud quod eo continebatur dominicum corpus, vt illud vngerent, quia nisi ex adspectu sepulchri non constabat ratio vngendi corporis. Interea quid in animo habuerint illæ subticet Matthæus, quia hoc vnum maximè propositum ipsi erat, de resurrectione testari. Fit autem clarum, quod de sigillo publico militumque custodia sepulchro adhibitis, nihil adhuc intellexerant mulieres: nam si sciuissent, nullo modo fuissent ausæ accedere. Mulieres igitur deliguntur, futuræ primæ testes resurrectionis Christi, præter suam etiam exspectationem, vt & fraudis ac violentiæ absit omnis suspicio, & suspectæ fidei esse non possint, quibus resurrectio persuaderi vix potuerit, tantum abest vt eam ex composito finxerint.

Et ecce terræmotus factus est [2] magnus: Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidē, & sedebat super eum.	καὶ ἰδοὺ σεισμὸς ἐγένετο μέγας· ἄγγελος γὰρ κυρίου καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ, προσελθὼν ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ.

ET ECCE. rem miram, cùm illæ essent in itinere, iamque appropinquarent horto illi in quo erat sepulchrum. Nam quòd ea quæ sequuntur non acciderint præsentibus iam sepulchro mulieribus, manifestum est ex

est ex aliis euangeliis, quæ narrant mulieres vidisse, lapidem, de quo fuerant solicitæ, reuolutum, non autem reuolui. TERRAEMOTVS. in horto illo & locis circumiacentibus, quod subindicat Chrysostomus initio homiliæ 91. MAGNVS. vt magnum aliquid intelligeretur, vt indicio esset præsentis Dei virtutis, quæ vt terræmotum ipsum, ita & resurrectionem Iesu efficeret; Indicio autem esset militibus inprimis, quos hoc terræmotu oportuit expergefieri ad vnum omnes, si qui fortè eorum obdormiscerent (more enim militari, vno atque altero excubias agente, permittitur noctu cæteris dormitare) vt suis ipsi oculis viderent Angelum cælitus descendentem atque amouentem lapidem, & tum ex terræmotu, tum ex aliis indiciis, angelum, id est, cælestem spiritum nunciumque esse cognoscerent, conuincerenturque euidenter nihil hîc humana vi aut fraude fieri, sed sola virtute cælesti. *Terræmotus factus est*, inquit Euthymius, *propter assidentes sepulchro custodes, vt timore terræmotus erecti, & horrore aspectus eius qui lapidem reuoluerat consternati, fugerent, & hæc Iudæis nunciarent, ac testes ipsi fierent veritatis.* Factus est autem & propter mulieres, vt ipsarum mentes pararentur ad diuinum resurrectionis opus animis concipiendum: quamquam, verisimile est, istas, ne absterrerentur ab ingressu loci, non ita perfectè percepisse hunc terræmotum, vt milites; maiorem enim fuisse terræ concussionem in ipso horto, & circa sepulchrum, quò Angelus descendebat, quàm in locis vicinis. Diceres autem, terram quæ in passione præ horrore concussa fuerat, iam præ lætitia resurrectionis Domini subsiluisse.

ANGELVS ENIM DOMINI, terræmotum efficiens. Coniunctione significatur Angelum fuisse causam terræmotus; causam autem, tum efficientem, quia subest creatura corporea angelicis spiritibus ad nutum, præsertim quod ad motum localem; tum finalem, vt angelus Dei intelligeretur adesse. Frequenter enim terræmotu, præsentia Dei aut Angeli loco Dei, demonstrata legitur. Psalm. 67. v. 8: *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est.* Psalm. 113. v. 7: *A facie Domini mota est terra.* Angelus autem vnus hîc refertur visus, sed non dubium quin complures angeli sepulchro dominico adfuerint, & diuinum corpus, ex quo illic sepultum fuerat, continuè custodierint atque adorauerint, denique resurgenti gratulabundi occurrerint: nã & in natiuitate, vnus angelus apparuit pastoribus, sed cum illo vno multitudo militiæ cælestis mox audita est laudare Deum. Luc. 2. v. 13. Fieri autem potuit, vt hîc fuerit Gabriel angelus, missus à Deo ad testificandam Christi resurrectionem, quemadmodum primùm missus fuerat ad nunciandam incarnationem. Luc. 1. v. 26. Sed quicumque ille angelus fuerit, quem è summis vnum fuisse extra dubium est, declarata est hîc dignitas Christi, cuius angeli sint ministri. *Angelus Domini*, inquit Hilarius, *de cælo descendens & lapidem reuoluens & sepulchro assidens, misericordia Dei Patris insigne est, resurgẽti filio ab inferis, virtutum cælestium ministeria mittentis.* DESCENDIT DE CÆLO in terram, visibili eaque humana forma (assumsit enim humani corporis formam, tantisper dum confecisset hoc negotij ad quod missus fuerat, vt solent Angeli) ita vt viderent milites eum ab alto descendere. ET ACCEDENS. qui accedens ad sepulchrũ. REVOLVIT attactum manu. Citatur in catena Seuerianus his verbis lectu dignissimus: *Non dicit voluit, sed reuoluit lapidem, quia lapis aduolutus probauit mortem, & reuolutus exstitit resurrectionis assertor. Mutatur hic ordo rerum, sepulchrum mortem non mortuum deuorat, domus mortis mansio fit vitalis, vteri noua forma, mortuum recipit, reddit viuum.* LAPIDEM. ἀπὸ τῆς θύρας additur græcè & syriacè, quod est, *ab ostio*, sepulchri scilicet. Lapidem ingentem, tamquam festucam, leui manus attactu disiecit. Lapidem autem illum, haud dubiè, quem Ioseph Arimathæus aduoluerat ad ostium monumenti, & principes Iudæorum obsignarant, quod Euangelista dixerat suprà 27. v. 60 66. nec enim alterius lapidis meminit. Quidam docet duplicem lapidem angeli opera fuisse amotum, vnum qui foris clauserit ostium monumenti, alterum qui intus obstruxerit ventriculum monumenti & contexerit corpus Iesu. At nulla vsquã mentio est huius posterioris lapidis: nam neque cæteri Euangelistæ alterius meminerunt, quàm eius quo reuoluto patuit ingressus in monumentum, vt nec mulieres, quæ diligentissimè omnia antè obseruarant, de alio amouendo solicitæ sunt, Mar. 16. v. 3. Contrà verò intelligitur ex Beda, ventriculum monumenti seu loculum qui Dominicum corpus suo sinu complexus est, patuisse, nõ quidem desuper, sed ex latere australi, id est, nullo imposito saxo obstructum & clausum fuisse, sed è viua petra sic excisum. vt inferior quidem petræ pars caua seruiret corpori imponendo, superior verò pars solida, tegendo, cæli seu fornicis instar, anterior denique pars, infrà quidem clausa, suprà autem patula esset (quemadmodum si in spisso muro lectica alicui exstructa sit) ita vt simulatque quis vel ingrederetur vel inclinatus respiceret per ostiũ monumenti, videre posset, an loculus esset vacuus, an repletus corpore. Reiecto igitur somnio illo de duplici lapide, videndum est, cur manum Angelus admouerit ad dimouendum lapidem, quem poterat solo nutu disiicere. Fecit hoc, quia sciri & videri à militibus volebat, lapidem, non terræmotu aut casu, nec hominum operâ, sed se solo auctore dimotum esse. Cæterùm non reuoluit lapidem, vt Domino resurgenti egressum panderet, quasi sine ipsius opera sepulchrum exire non posset: iam enim vt resurrexerat Dominus, ita & sepulchro egressus fuerat. Nam qui sua virtute potuit corpus suum à morte excitare; eadẽ virtute potuit corpus suum educere ex clauso sepulchro. *Quemadmodũ enim*, inquit Euthymius, *natus est seruatis integris claustris virginis: ita quoque resurrexit, seruatis integris monumenti signaculis.* Et Augustinus ser. 138. de tempore: *Iudæi perfidi monumenti lapidem signauerant, vt non haberet Christus egressum: sed quomodo de sepulchro exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate processit? Fefellit custodes, exsiliuit de sepulchro, apparuit discipulis ianuis non apertis. Inde clausus exiit, huc exclusus intrauit.* &c. Non ergo deiecit lapidem Angelus, vt exiret sepulchro Iesus, sed vt ostenderet, sepulchrum Iesu corpore vacuum esse, Iesumque iam mox antea priusquam amotus fuisset lapis resurrexisse. *Surrexerat Christus* (Chrysostomus ait homil. 84. in Iohannem) *& lapide & signis impositis: sed cùm hoc aliis manifestari oporteret, post resurrectionem aperuit monumentum.* Similiter Hieronymus quæst. 6. ad Hedibiam: *Angelum non putemus idcirco venisse, vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti, sed postquam Dominus resurrexit, indicasse quod factum est, & sepulchrum vacuum reuolutione lapidis & sui ostendisse præsentia.* Saxum igitur ab ostio monumenti dimouit Angelus, vt Iesum resurrexisse testaretur, militibus quidem reipsa, apertione inquam sepulchri, mulieribus verò & Apostolis etiam verbis. Solicitæ erant in itinere mulieres de dimouendo lapide: Angelus vt eas cura leuaret, amouit ipse lapidem, non vt pertingerent illæ ad vngendum Domini corpus, quod volebant, sed vt viderent locum corpore vacuum, & scirent Dominum resurrexisse. *Cuius rei gratia venit, & lapidem sustulit?* rogat Titus. *propter mulieres videlicet: vt quia ipsæ in sepulchro positum certò sciebant, dum vident rursus illud corpore vacuum, verè illum crederent surrexisse.*

ET SEDEBAT SVPER EVM lapidem reuolutum, non vt fessus, sed vt indicans se eum esse qui lapidem reuoluisset, ne quis dicere posset lapidem deuolutum fuisse, aut sponte ex terræmotu, aut ab hominibus aliquibus qui fugerint statim. *Sedebat* autem foris extra sepulchium (nam vt lapis ostio longè maior erat, ita non poterat intus iacere) vt publicè & à militibus & à mulieribus videretur: hinc imperterritum dominici sepulchri custodem se ostentans militibus: hinc mulierum exspectans aduentum, vt euangelizaret eis gaudium magnum. Militibus enim seruiebat sessio illa loco huiusmodi verború: Vos armis instructi magno numero ad hoc sepulchrum vigilatis, vt illius apertionem & Domini Iesu resurrectionem impediatis: ego cælitus à Deo missus illud aperio, & testor Dominum Iesum, vobis iisque qui vos constituerunt, inuitis, resurrexisse, loco patente vacuo. Vos si audetis accedite, & in me vobis aduersantem insurgite, ac contemtum Dominorum vestrorum, Dei vtique aduersariorum, si vobis est animus, vindicate. sentietis vindictam diuinam mea manu vos opprimentem. Sedit ergo illic Angelus, tamquam defensor, aut, vt D. Hieronymus loquitur, *custos sepulchri dominici*: cauens inter cætera, ne milites aut prohiberent mulierculas accedere, aut qua iniuria sepulchrum afficerent; Exempli causa, illato in sepulchrum alterius hominis cadauere, ne Iesus crederetur resurrexisse.

Erat autem adspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. 3 ἦν δὲ ἡ ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπὴ, καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ λευκὸν ὡσεὶ χιών.

ADSPECTVS. ἡ ἰδέα idea, visus, vultus. Sic Dan. 10. v. 6. describitur Angelus apparens Danieli: *Facies eius velut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens.* SICVT FVLGVR. resplendens instar fulguris, splendidus & igneus. Igne spiritalis natura & origo cælestis; fulgore gloria & beatitudo angeli, declarata est. VESTIMENTVM. τὸ ἔνδυμα indumentum, *stolam* vocat Marcus. SICVT NIX s. album, id quod etiam græcè ac syriacè exprimitur. Albedine puritas atque innocentia angelica declarabatur. Albedini autem accessit splendor gloriosus. Apparebat hominis specie: sed vt Angelus, non autem mortalis homo, esse intelligeretur, apparuit specie, humana illustriore. Sæpe legimus Angelos vsitato hominum habitu hominibus ita apparuisse vt homines esse crederentur: sed hunc Angelum, quia ideò missus fuerat, vt cælesti diuinaque auctoritate fidem adferret resurrectioni Iesu, oportebat ea forma apparere, quæ humana vice maior, indubitanter Angeli esse cognosceretur. Sedebat ergo, & conspiciendum se in tenebris præbebat, lumine suo ac vestimentorum candore; *támque claro vultu* (inquit ad Hedibiam Hieronymus) *vt non lampadem & humana lumen arte succensum, sed fulgur imitaretur cæli, quo illustrantur omnia: vnde & in tenebris videre potuerunt.* Nam quia adhuc nonnullæ tenebræ erant, fecit splendor Angeli, vt & mulieres & milites videre clarè omnia possent, vult dicere Hieronymus. Porrò non Angeli tantùm proprietates his indiciis demonstratæ sunt, verumetiam eius, cuius resurrectionem Angelus nunciabat, gloria: vt etiam militibus, fulguris similitudine terror incussus est, mulieribus autem candore habitus animus additus: sicut enim *in fulgure terror timoris*, ita *in niue blandimentum candoris* exstitit, quod ait D. Gregorius hom. 21. in Euangelia.

Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. 4 ἀπὸ δὲ τοῦ φόβου αὐτοῦ ἐσείσθησαν οἱ τηροῦντες, καὶ ἐγένοντο ὡσεὶ νεκροί.

EIVS. angeli, huiusmodi specie visi è cælo descendere, sepulchrum aperire, & super deiectum lapidem intrepidè, ipsis despectis, sedere. EXTERRITI SVNT. ἐσείσθησαν concussi sunt s. timore ac terrore. Non est Angelus eis minitatus, sed egit sua, ad quæ impedienda illi fuerant ibi constituti, tamquam ipsi illic non adfuissent, velut contemnens ac despiciens eos. Coacti igitur sentire vel inuiti diuinam virtutem, timuerunt, nec tantùm humano timore, ne pœnas luerent, quasi ipsorum negligentia accidisset, quòd Iesu corpus ablatum esset: sed multo magis diuino, ne, quandoquidem viderent Iesu resurrectionem diuinitus & factam & confirmatam, diuinitus etiam aut immisso fulmine aut dehiscente terra punirentur, vt qui Iudæis, Deo manifestè aduersantibus, operam præstarent. CVSTODES. οἱ τηροῦντες custodientes participium est loco nominis, vt rectè sensit Interpres. Milites dicit, eósque instructos armis, & ad tumultus assuetos, qui adspectu humano territi nequaquam fuissent, si aut discipuli aut quis alius homo venisset ad lapidem dimouendum. VELVT MORTVI. semianimes, *stupefacti instar mortuorum*, inquit Hieronymus, amisso propemodum vsu rationis & sensuum. Mox vt viderant descendentem è cælis Angelum, relicto monumento quod obsidebant, aufugerant in absconditum. Cùm autem vidissent Angelum, perfectis omnibus quæ volebat, sedentem intrepidum super lapidem reuolutum, facti sunt penè exanimes, ita vt nec mulierculas nec discipulos paulò pòst ad sepulchrum accedentes prohibere auderent, & ne hiscere quidem. Cæterùm non sic exanimatos fuisse credendum est, vt neque viderint quid egerint mulieres ac discipuli, neque audierint quid dixerint Angeli: voluit enim Deus illos omnium testes fieri apud principes sacerdotum, prout fuisse constat infrà v. 11. Horum igitur consilium, operam, & diligentiam ad custodiendum corpus Iesu, vanam declarauit Deus, qui humanam mentem in huiusmodi rebus aduersus se initis irridet ac turbat: sicut scriptum est: *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, & in furore suo conturbabit eos.* Psal. 2. v. 4. 5. Itaque hos qui aduersus Dominum & aduersus Christum eius insurrexerant, ita turbauit, vt testes veritatis, suo malo ac nimio terrore edoctos, constituerit. Miserat enim Angelum qui Iesu resurrectionem testaretur & piis & impiis; sed ita, vt impiis quidem terrorem incuteret, piis verò excuteret. Nam & mulieres viso angelo *obstupuerunt*, quod testatur Marcus cap. 16. v. 5. (quia non facilè potest mortalis infirmitas, immortalium ferre conspectum) sed has timentes filiorum more, restituit angelica consolatio (infrà v. 5.) illos timentes vt nequam aut malè sibi conscios seruos, absorpsit stupor tamquam semimortuos, & prostratos nulla virtus erexit. Quid his profuerunt arma, cùm Dominus pugnaret aduersus eos? nec consilium enim, nec fortitudo est contra Dominum.

ἀπο-

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἄγγελος εἶπε [5] ταῖς γυναιξί· μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς, οἶδα γὰρ ὅτι ἰησοῦν τὸν ἐσταυρωμένον ζητεῖτε.

Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quòd Iesum qui crucifixus est quæritis.

Mar.16. v.6.

RESPONDENS. alloquens, mox vt conspectus ab ipsis esset. vide suprà 11. v. 25. ANGELVS. Olim malo angelo colloquente cum muliere, mors introiuit in orbem terrarum: nunc bono angelo colloquente, vita redit morte expulsa. *Surgente Domino*, inquit Seuerianus, *terrenis redditur cæleste consortium: & mulieri cui fuerat cum diabolo letale consilium, fit cum Angelo vitale colloquium.* DIXIT blando sermone lætoque vultu.

MVLIERIBVS. s. Mariæ Magdalenæ & alteri Mariæ. nec enim alias ad sepulchrum venisse Matthæus hactenus narrauit. Quare errant, qui alloquium istud Angeli, ita Mariæ Iacobi & eius sociis accidisse docent, vt non Mariæ Magdalenæ, quippe quæ sola discesserit, & ad Apostolos recurrerit, simulatque lapidem à monumento vidisset ablatum, nec propiùs accesserit sicut reliquæ, ita vt cum hoc Angelo colloqui posset, quod putant Ioh. 20. v. 1. 2. esse significatum: sed falluntur, & refelluntur, non tantùm hoc Matthæi loco, sed & illo Luc. 24. v. 22., quo narratur, mulieres, quæ ante lucem adiuerant monumentum, non inuento corpore Domini, nũciasse discipulis, non solùm ablatum esse corpus, verumetiam angelos à se visos, qui testentur eum viuere, ita vt quidam discipulorum profecti sint ad monumentum. Atqui ad Magdalenes nuncium excurrerunt discipuli ad monumentum (Ioh. 20. v. 2. 3.) fuit igitur illa vna ex iis quæ viderant Angelos, prout Matthæus hoc loco non obscurè asseuerat. NOLITE TIMERE. μὴ φοβεῖσθε ne timeatis s. vobis à me mali aliquid. Vt naturale est homini timere, si videat cælestes spiritus (dum ob incõparabilem distantiam, natura mortalis metuit opprimi ab immortali) ita proprium est cælestibus spiritibus, timorem auferre iis quibus apparent piis hominibus. VOS. emphaticum est, q. d. Illi timeant qui excubias hîc agunt vt Domino Iesu aduersentur: ad illos enim terrendos & compescendos adsum ego. *Quum ait vos*, inquit Chrysostomus, *multum id præ se fert honoris: & simul declarat, eos qui summa audacia facinus illud ausi fuerant patrare, nisi resipuerint, extrema passuros esse. Non enim vestrum est, inquit, metuere, sed illorum qui crucifixerunt.* Alloquitur igitur mulieres, tamquam scirent adesse custodes milites (eò quòd illud postea resciturę essent) etsi iam non scirent, eò quòd nec priùs intellexerant quid de illorum præsentia, nec iam videbant eos, tum quia tenebræ adhuc erant, tum quia reliquerant illi monumentum, & eminus ex abscondito contemplabantur ea quæ fiebant, auscultabantque quid Angelus diceret, prout terror permittebat. nam infrà v. 11. dicuntur nunciasse principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. SCIO ENIM, ne quid dubitetis. Dat rationem cur timere sibi non debeant ab ipso: noui enim, inquit, quo animo adsitis: non vt aduersemini Domino Iesu, quemadmodum impij illi. nouerat hoc autem, non tantùm diuina reuelatione, verumetiam ex ipsis mulierum verbis & gestis quæ potuerat obseruasse: quamquam legationis suæ rationem, ex eo proculdubio intellexerat, à quo fuerat legatus. IESVM. corpus Iesu. Quod proprio nomine appellat *Iesum*, & dicit *crucifixum*, ad faciendam fidem pertinet, vt ostendat se rectè nosse Iesum, nec ignorare fuisse crucifixum & mortuum atque hoc loco sepultum, quo faciliùs credant Iesu resurrectionem adstruenti. QVI CRVCIFIXVS EST. τὸν ἐσταυρωμένον illum qui crucifixus fuit. Non distinctionis solùm causa hoc addit, vt intelligant mulieres de quo Iesu loquatur, sed & gloriæ ac triumphi: non tantùm enim non erubescit Angelus Iesum agnoscere crucifixum, verumetiam gloriæ sibi ducit, quòd crux Domini sui facta esset *caput & summa bonorum*, quod ait Chrysostomus, qua *pax conciliata esset inter eos qui in cælo & eos qui in terris.* Coloss. 1. v. 20. QVÆRITIS hoc sepulchro, obsequij præstandi causa, vt religiosum vnctionis officium illi exhibeatis, vt aromatibus condiatis sacrum eius corpus. Non est ergo quòd timeatis vobis à me, nam sumus eiusdem studij & vos & ego: & ego enim Iesu causa hîc adsum, vt vobis eum quem quæritis indicem, & quid acturæ sitis exponam. *Ad illius obsequium veni*, inquit Druthmarus, *ad cuius vos venitis, & vnum Dominum habemus & vnam voluntatem.*

οὐκ ἔστιν ὧδε· ἠγέρθη γὰρ, καθὼς [6] εἶπε. δεῦτε, ἴδετε τὸν τόπον, ὅπου ἔκειτο ὁ κύριος.

Non est hîc: surrexit enim, sicut dixit. venite & videte locum, vbi positus erat Dominus.

Mar.16. v.6.

NON EST HÎC. non est in hoc sepulchro, non iacet in hoc sepulchro mortuus, prout putatis, ex eo quòd eum nudiustertius hoc sepulchro cõdi videritis. *Non esse hic dicitur per præsentiam carnis*, inquit Gregorius homilia 21. in euangelia, *qui tamen nusquam deerat per præsentiam maiestatis.* SVRREXIT ENIM. Sed nec in aliud sepulchrum translatus est, aut alibi iacet mortuus: surrexit enim à morte ad vitam, reuixit, ac proinde inter viuos agit, & inter viuos quærendus est, non inter mortuos, vestra nihil opus habens vnctione. *Radix amara crucis euanuit*, inquit Auctor scholiorum in Marcum apud Hieronymum, *flos enim vitæ cum fructibus erupit, id est, qui iacuit in morte, surrexit in gloria.* Priùs nunciatur Iesu resurrectio quàm videatur: nec enim congruebat, vt seipsum Iesus manifestaret, priusquam via strata esset & præparati animi ad recipiendam resurrectionem, vt ne abhorrerent discipuli ab apparente Iesu vt spectro; contrà verò, vt non omnino insperata apparatio rediuiui, dum nonnihil differtur, accenderet videndi desiderium. Angelus autem primus nũciat, vt minister Iesu Filij Dei, quemadmodum initio nunciauerat conceptionem & natiuitatem: hæc enim cùm excederent hominum naturam & captum, ab Angelo hominibus maiore primùm nuncianda fuere, qui certissimè scire posset veritatem. Porrò mulieribus primis annunciat Angelus resurrectionem, quia illæ sedulitate sua & animi officiosi ac grati declaratione hoc promerentur, licet fides earum imperfecta, minùs digna cogitet Filio Dei: quemadmodum pastores, vigilia & simplicitate, meruerant primi fieri conscij Christi nati. Luc. 2. v. 10. Nam & cùm, Apostolis hac illac dispersis, mulieres Christo Domino adhæsissent ad

mortem & sepulturam vsque, magis idoneæ esse poterant nuntiæ resurrectionis. *Surrexit* autem Iesus, secundùm eam naturam, secundum quam ceciderat, id est, fuerat mortuus, humanam inquam: corpus enim, quod ideò mortuum fuerat, quia ab anima separatum, iterum viuit animæ, ita vt reuixerit: sed id fecit virtute diuinæ, non humanæ naturæ, Filio Dei corpus suum, vbi opportunum iudicaret, ita suscitante, quemadmodum ipsi nos excitamus à somno, vbi dormitum à nobis est satis. *Surrexit* verò non amplius moriturus (Rom. 6. v. 9.) suscitatus ad vitam æternam ac beatam, ita reformato corpore, vt sit immortale, impassibile, agile, subtile ac spiritale: non quòd redditum sit spiritus, sed quòd solus spiritus per se sufficiat illud viuificare, absque adminiculo cibi, potus, vestium, habitationis, & cæterarum rerum quibus hac in mortali vita opus est, quòd plenè spiritui subiectum sit, & perfectionum eius particeps. Voluit postremò resurgere, tum sua causa, quia non decebat ipsum in morte remanere, & *sanctum Domini videre corruptionem* (*propter quod etiam impossibile erat, teneri eum ab inferno*, teste Petro Actor. 2. v. 24.) tum nostra, vt absolueret opus redemtionis nostri, vt reipsa ostenderet quid sua nobis morte meritus esset, nimirum, iustificationem quod ad animas nostras, resurrectionẽ quod ad corpora, ac proinde se esse peccati mortisque victorem. Resurrectione igitur sua, & fidem nostram stabiliuit, præstás se Filium Dei, & spem nobis dedit, sanctæ vitæ in hoc seculo, æternæ in futuro. vide sup. 16. v. 21. SICVT DIXIT. sicut dixerat, sicut ante mortem suam sæpe prædixerat vobis cæterisque discipulis suis, si memineritis. *Si mihi diffiditis*, inquit Chrysostomus, *verborum illius memineritis*. Fidem nuncio suo, nouo adeò, insueto, atque inexspectato, conciliat Angelus, ex eo quòd Iesus sæpe resurrectionem suam prædixerat: & tacitè notat earum incredulitatem, quod Iesu viuentis verba, vel non receperant fide, vt par fuerat, vel non obseruarant. nam id si fecissent, facilè etiam sine Angeli testimonio potuissent illius resurrectionẽ credere, & solicitæ esse die tertio, non de vngendo, at de videndo Iesu. Nam vt prædixerat Iesus se die tertio resurrecturum, ita quoque Angelus die tertio annunciat eum resurrexisse. vide sup. v. 1. & 12. v. 40. VENITE ET VIDETE. Maiori cum gratia omittitur coniunctio græcè & syriacè. LOCVM. qui corpore vacuus, corporis adhuc habet exuuias, lintea quibus fuit inuolutum, eaque studiosè composita, sicut fieri ab eo solet qui securè surgit è suo cubili. *Vt si meis verbis non creditis*, ait Hieronymus, *vacuo credatis sepulchro*. Inuitat eas vt perficiant iter suum: venerant enim vt ingrederentur speluncam monumenti, sed substiterant præ timore visi Angeli. Hortatur itaque eas Angelus vt ingrediantur, verùm non vt vngant corpus Iesu, quæ mens ipsarum fuerat, sed vt videant Iesu corpus illic non esse, quò faciliùs credant eum resurrexisse. Nam quò certiora sint omnia, adiungit Angelus experientiam & demonstrationem ocularem, ob quam ipse, quod notant Chrysostomus eiusque sequaces, lapidem amouerat. VBI POSITVS ERAT. ὅπου ἔκειτο vbi iacebat; vbi iã non est, sed positus fuerat, prout ipsæ vidistis nudiustertius. DOMINVS. Syrus, *Dominus noster*. Dominum vocat Iesum, tamquam communem Dominum suum ac mulierum, seruum se agnoscens Iesu tamquam Filij Dei. Porrò *Dominum* dicit, non tantùm figuratè pro corpus Domini, verumetiam propriè, eò quòd Iesu corpori, etiam sepulto, vnita fuerit diuinitas, ita vt verè ac propriè Deus Dominusque sepultus fuerit. Denique, quod notat Seuerianus ad cathenam citatus, *dicit crucifixum, & ostendit locum vbi positus erat Dominus, ne alter & non idem resurrexisse crederetur ex mortuis.*

Mar. 16. v. 7.	Et citò euntes, dicite discipulis eius, quia surrexit, & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. ecce prædixi vobis.	7 καὶ ταχὺ πορευθεῖσαι, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ ἰδοὺ προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν· ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε. ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν.

ET. postquam videritis locum. CITÒ. vt quo citiùs lætum hoc nuncium attuleritis, eo citiùs leuetis luctum quo afficiuntur ob Domini mortem. EVNTES. abeuntes. DICITE. nunciate meis verbis. *Alias etiam annunciare efficit*, ait Chrysostomus, *quod maxime ipsas credere facit*. Non solis, inquit, vobis, gaudium hoc retinete, sed festinate cum discipulis communicare. DISCIPVLIS. Apostolis cæterisque, lugentibus ac flentibus Dominum quasi mortuum. Mar. 16. v. 10. Mulieres ad Apostolos mittuntur euangelij annunciandi causa, & singulari priuilegio semel Apostolis præficiuntur magistræ, vt præcipuum salutis nostræ caput illis prædicent, quod illi postea pro iniuncto sibi perpetuo munere, toti mundo sint publicaturi. Hac verò ratione, abolita est infamia illa, qua laborabat sexus muliebris, quòd viro causa mortis fuisset, dum istæ viris vitam primæ annunciant. Fœmina quondam mortis ministra, resurrectionis mysterium intelligit & nunciat prima. vide Luc. 24. v. 9. QVIA. Iubentur mulieres subsequentia verba ex ore Angeli referre discipulis: ita tamen vt ipsæ promissione non excludantur. SVRREXIT. ἀπὸ τῶν νεκρῶν à mortuis additur græcè & syriacè. ET ECCE. & quia ecce. Et ne dicant, quid prodest quòd resurrexerit, quando à nobis non videtur? quomodo fieri potest vt resurrexerit, qui nobis familiaribus suis non apparet? addite & hoc lætum nuncium, quòd præcedat. PRÆCEDIT. præcedet iamque præcedere est paratus (vtrumque enim illo præsentis temporis verbo significatur) non ille vos sequitur, sed vos eum. Quare Euthymius, *Præcedit, id est, preueniet vos*, inquit. priùs vobis illic erit, nimirum, ob corporis immortalis agilitatem, quod momento temporis adest vbicumque voluerit. IN GALILÆAM patriam vestram, iuxta id quod vobis paulò ante mortem promisit (suprà 26. v. 32.) quandocumque vos eò proficisci volueritis, quod vt citò faciatis hortor. Erant discipuli breuî in Galilæam patriam suam redituri habitatũ, si Iesus mansisset mortuus: oderãt enim Iudæam, in qua tam ipsi quàm præceptor ipsorum persecutionem perpetuam fuerant passi. Iohan. 11. v. 8. 12. 16. Atqui Iesu etiam resuscitato, Angelus tacitè eos incitat, & animũ addit, vt festinent in Galilæam: quod vt nouerat ipsis fore gratum, ita liberius eis spacium dare voluit, vt paulatim in ipso itinere animos colligerent. IBI. pro *vbi*. id est, in Galilæa. EVM. viuum, non vt paulò antè mortuum. VIDEBITIS vos, vestris oculis. Hac promissione Angelus verbis suis conciliat fidem: & quamquã discipulos alloquatur per mulieres, non tamen mulieres hac promissione excludit, quod diximus. Itaque qui quærunt Iesum pio studio, plus inueniunt quàm cogitauerant. Quærebant sanctæ mulieres mortuum, viuere eum intel-

intelligunt,& spem accipiunt videndi. Porrò non ignorat Angelus, Iesum in Iudæa, adeoque Ierosolymis, & quidem hoc ipso die, Apostolis suis videndum, quinimmo mox ab his ipsis mulieribus: sed eam solam promittit apparitionem, quæ vt securior, familiarior, & frequentior futura erat, ita longiusculè distabat, gnarus, eas quę mox futuræ essent, confirmaturas promissionem huius,& tanto fore gratiores, quãto minùs exspectatas. *In altero* (inquit Hieronymus epistolæ 150. ad Hedibiam quæst. 7.) Ierosolymis scilicet *pro consolatione timentium videbatur,& videbatur breuiter, rursumq; ex oculis tollebatur: In altero autem, tanta familiaritas erat & perseuerantia, vt cum ipsis pariter vesceretur. Vnde & Paulus Apostolus refert, eum quingentis simul apparuisse discipulis.* 1. Cor. 15. v. 6. In Iudæa non agebant discipuli tutò, vt iam diximus, illic igitur promittitur videndus Iesus, vbi securè ac tutò, &, quod Euthymius ait, *citra Iudæorum timorem*, videri posset, denique *vbi metus fidem non perturbaret*, quod post Chrysostomum notat Victor Antiochenus. In Galilæa longè plures discipulos habuit Iesus quàm in Iudæa: quare illic pręcipuè voluit apparere, vt pluribus satisfaceret,& simul omnes confirmaret. Quas ob causas etiam, in Iudæa rarò apparuit & clàm; in Galilæa frequenter, coram multis, & in multis argumentis. illic enim voluit ouiculas suas pastoris morte dispersas colligere, & ecclesiam suam in vnum congregatam reficere, consolari, & confirmare, denique ante abitum suum docere, quomodo se deinceps gerere deberet, &, vt Act. 1. v. 3. Lucas ait, *loqui de regno Dei*. Postremò, in Galilæa diutius fuerat conuersatus Iesus quàm in Iudæa, poteratque consuetudo locorum in Galilæa adiuuare, vt eum certiùs agnoscerent, & clarè viderent, eum esse, quicum aliàs illic fuerant conuersati: sic enim modis omnibus confirmari rem oportuit, ne quid ad fidei certitudinem deesset. Has igitur ob causas, & promisit Angelus eam potissimùm Iesu apparitionem quæ futura erat in Galilæa, & Iesus ipse in Galilæa præcipuè apparuit. Nam vbi cœperat publicam regni Dei prædicationem (suprà 4. v. 17.) ibi celebriorem esse voluit, primam regni Dei manifestationem, quod resurrectione perficiendum est. ECCE. Attentionem exigit & fidem, non ignorans quàm difficulter credituri essent, & discipuli & istæ mulieres. sicut Sara Gen. 18. v. 13. & Zacharias Luc. 1. v. 20. vix crediderant Angelo promittenti. PRÆDIXI. εἶπον dixi, quomodo est etiam syriacè. *Dixi* autem s. quod res est, *prædixi* quid sit & quid futurum sit, ego Angelus Domini ad hæc nuncianda missus. VOBIS mulieribus & per vos cæteris discipulis. ita omnino excipere debetis & credere, nam re ipsa comperietis quod prædixi, Iesum & resurrexisse & rediuiuum conspiciendum à vobis in Galilæa. Hac loquendi formâ, tacitam continente comminationem, confirmat Angelus, verum esse quod dixerat. q. d. Retuli & nunciaui vobis quod habebam à Deo in mandatis: abite in Galilæam, experiemini esse vt dixi: quòd si mihi non credideritis nec obtemperaueritis, vestra erit culpa, ego enim functus sum officio meo.

καὶ ἐξελθοῦσαι ταχὺ ἀπὸ τοῦ μνημείου, μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης, ἔδραμον ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ.

8 Et exierunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius.

Mar. 16. v. 8. Luc. 24. v. 9. Iohan. 20. v. 2.

ET EXIERVNT. καὶ ἐξελθοῦσαι & egressæ CITÒ DE MONVMENTO, postquam scilicet eò intrauerant & viderant locum vacuum corpore Iesu. Inuitatæ enim blandè ab Angelo, vt ingrederentur speluncam sepulchri, illo præeunte & locum suo fulgore illustrante (quod docet Hieronymus quæstione sexta ad Hedibiam: nam foris, multoque magis intus in spelunca, adhuc tenebræ erant) pietate addente audaciam sexui, ingressę sunt, & viderunt sepulchrum corpore vacuum, relictis, quod Iohannes addit, linteaminibus & sudario separatim inuoluto in vnum locum. cap. 20. v. 6. 7. *Nam dicens quod egressa sunt*, inquit Euthymius, *ostendit primum fuisse ingressas*. *Citò* autem exierunt. Angelo in monumento relicto, concitatæ timore, & gaudio, & angelico denique iussu (hæc enim omnia festinare homines cogunt) quamquam priusquam septis monumenti, aut certè horto, prorsus exissent, occurrerint eis duo alij Angeli, de quibus Luc. 24. v. 4. CVM TIMORE vna ex parte, ob visionis insolentiam, ET GAVDIO, altera ex parte, quòd audissent Iesum viuere. *Cum timore*, inquit Euthymius, *ob admiranda quæ viderant; cum gaudio verò, ob lætum nuncium quod audierant*. *Duplex*, habet Hieronymus, *mentes mulierum tenebat affectus, timoris & gaudij; alter de miraculi magnitudine; alter ex desiderio resurgentis*. Gaudium erat, non purum, sed timore mixtum: æstuabant enim inter vtrumque affectum. Gaudebant, quòd diceretur Iesus viuere, & spes daretur eo fruendi: metuebant, non tantùm ne mali quid paterentur ob insuetum Angeli spectaculum, verumetiam ne spectro delusis obtrusum esset mendacium, & non tantùm non Iesus viueret, sed & corpus ipsius, quod illæ officij causa quærebant, furto sublatum esset, eò quòd sepulchrũ vidissent vacuum. Nam quia id cuius causa gaudere cœperant, quod quidem erat maximi gaudij materia, præter omnem exspectationem, in summo luctu constitutis, nunciatum fuerat, reuocabantur timore, ne illud planè crederent: vt etiam paulò pòst eius rei fidem omninò abiecerunt, donec Iesus ipse eis apparuit. MAGNO. refertur ad vtrumque, tam ad timorem quàm ad gaudium. CVRRENTES. ἔδραμον cucurrerunt, id est, festinarunt. ille enim cursus dicitur grauium matronarum. NVNCIARE. omnia quæ vidissent & audissent. DISCIPVLIS. vndecim Apostolis cæterisque qui cum illis conuenerant, latentibus ob metum Iudæorum. Ioh. 20. v. 19. EIVS. Iesu. Supple, prout nunciarunt, quod manifestè constat ex Luc. 24. v. 9. 10. 22. 23. 24. & Ioh. 20. v. 2. Sequitur græcè ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ *Vt autem ibant nunciare discipulis eius*: verùm illud meritò omittendum, docemus in Notis ad varietates græcas.

καὶ ἰδοὺ ὁ Ἰησοῦς ἀπήντησεν αὐταῖς, λέγων· χαίρετε. αἱ δὲ προσελθοῦσαι

9 Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenue-

tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. | ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ.

ET ECCE rem tam inexspectatam quàm admirandam, dum illæ paulò pòst recurrerent ad Apostolos, nunciaturæ, Iesum vni ipsarum, Magdalenæ inquam, visum esse, IESVS OCCVRRIT ILLIS &c. Non enim est hîc subaudiendum ex versu præcedente, dum illæ currerent nunciare discipulis, ea scilicet quæ hactenus hoc capite narrata sunt: cuius sententiæ fuisse videntur, qui ante hæc verba καὶ ἰδοὺ *& ecce*, græcè addiderunt quod mox diximus *ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ Vt autem ibant nunciare discipulis eius*. Non enim accidit occursus seu apparitio ista Iesu, in eo itinere, quo mulieres abibant nunciatum discipulis, Angelum sibi visum ac locutum, & sepulchrum corpore Iesu vacuum à se suis oculis esse conspectum: sed in alio posteriore itinere, quo abibant illæ nunciatum, Iesum Magdalenæ apparuisse, de quo Iohannes cap. 20. v. 18. Constat enim ex Ioh. 20. v. 2. 18. & Luc. 24. v. 9. 22., mulieres bis à monumēto ad Apostolos fuisse profectas; semel quidem, vt nunciarent, monumentum vacuum esse corpore Iesu, & Angelos qui apparuerant testari eum viuere; semel verò, vt nunciarent, Iesum apparuisse Magdalenæ; & priore quidem itinere, nequaquam nunciasse Iesum ipsis aut ipsarum alicui visum esse. Quare si illa græca verba, quæ additicia esse docuimus in Notis, legenda essent, proculdubio intelligenda essent, de annunciatione, non eorum quæ hoc capite præcesserunt, sed aliorū quæ Matthæus omisit, quî scilicet Magdalenę Iesus visus esset. Multa enim hic intermedia Matthæus omisit. Nunciarunt proculdubio mulieres Apostolis, ea quæ Angelus mandauerat, quæque Matthæus hactenus hoc capite narrauit, quemadmodum ostendimus in fine versus superioris: quamquam magis vrserint, sepulchrum abs se conspectū esse vacuum, quàm visos Angelos, quod intelligitur ex Ioh. 20. v. 2. Ad harum nuncium, Petrus & Iohannes excurrerunt ad sepulchrum, quod narrat Iohannes cap. 20. v. 3. & seqq.: excurrerunt inquam, eo fine, vt ante plenam lucem possent redisse domum, ne obseruarentur à Iudæis. Contemplati omnia, negare non potuerunt, sepulchrum vacuum esse Iesu corpore: potiùs tamen illud crediderunt, quod mulieres fuerant auguratæ, sublatum & aliò translatum esse corpus, quàm resuscitatum (Ioh. 20. v. 8. Luc. 24. v. 12. Aug. lib. 3. de cons. Euang. cap. 24. & tract. 120. in Iohannem.) Illis domum continuò recurrentibus, mulieres quæ illos sequutæ redierant ad sepulchrum, remanserunt illic, priore opinione de rapto Iesu corpore, ex Apostolorum iudicio confirmata. Quocirca Maria quidem Magdalene hæsit apud sepulchrum, quasi exigens à sepulchro corpus quod ei fuerat cōmendatum (Ioh. 20. v. 11.) cæteræ verò paulò longiùs à sepulchro digressæ, vel quæsierunt sicubi iaceret dominicum corpus, vel desperantes se posse inuenire, paulatim se compararunt ad abeundum. Interea verò Magdalenæ ad sepulchrum Iesus apparuit (Ioh. 20. v. 14.) qui simul ac disparuisset, illa accurrit ad socias, quas participes cùm fecisset adeò læti nuncij, traxit secum, vt simul cum ipsa, Iesu ab ipsa visi resurrectionem mandataque Apostolis nunciarent. Hoc in itinere, vt non ex solius Magdalenes, sed ex proprio omnes ac singulæ oculorum testimonio, Apostolis certissima ferre possent nuncia, Iesus omnibus simul mulieribus apparuit: atque hoc illud est, quod Matthæus hîc narrat, qui tacitis mediis iungit extrema, & à priore mulierum ad Apostolos profectione transit ad posteriorem. Et quamquam non loquatur de aliis mulieribus, quàm de iis quas antea nominauerat, Maria Magdalene & Maria Iacobi: non dubium est tamen, quin omnes illæ adfuerint, quas Lucas memorat cap. 24. v. 10., quippe indiuiduæ sociæ. OCCVRRIT ex insperato (non facilè enim tale quid sperabant, quamquam Magdalenæ charissimæ iam apparuisset, posteaquam Angelus dixerat eundum in Galilæam) occurrit inquam, visibilis & propria effigie nobilis, indutus idoneis vestibus pro conditione earum quibus apparebat, quamquam beati corporis natura eas respueret. Omnino enim ad confirmandam resurrectionis certitudinem, voluit illam, non tantùm ab Angelis annunciari mulieribus & à mulieribus discipulis, sed seipsum & mulieribus & discipulis spectandum ac contrectandum offerre. ILLIS. supple ex versu primo, Mariæ Magdalenæ & alteri Mariæ, tametsi & reliquæ adfuerint, quod diximus. *Quæ sic quærebāt*, ait Hieronymus, *quæ ita currebant, merebantur obuiam habere Dominum resurgentem, & primùm audire Auete, vt maledictum Euæ mulieris, in mulieribus subuerteretur*. In quam sententiam & Hilarius: *Quod primum mulierculæ Dominum vident, salutantur, genibus aduoluunt, nunciare Apostolis iubentur, ordo in contrarium causæ principalis est redditus: vt quia à sexu isto cœpta mors esset, ipsi primùm resurrectionis gloriæ & visus & fructus & nuncius redderetur.*
DICENS, ea vocis proprietate, qua ante mortem inter illas consueuerat vti. AVETE. χαίρετε gaudete, saluete. Syrus *Pax vobis*: quibus verbis non dubium quin Iesus sit vsus, vtpote salutandi formula Hebræis sibique inprimis familiari, sed diuiniùs acceptis, quibus optarit eis salutem illam, quam ipse sua morte quidem promeruerat, resurrectione verò demonstrabat & re ipsa exhibebat. vide suprà 12. v. 10. ILLÆ AVTEM. Primo adspectu Iesu è morte rediuiui, eoque inopinato, retrocesserunt nonnihil, quod videtur: sed mox certò eum recognoscentes, ex loquela viuæque vocis energia, facie, corporis habitu, gestibus, cæterisq; proprietatibus, ita vt nullus apud eas relinqueretur dubitandi locus, ACCESSERVNT propiùs ad eū, præ gaudio non se continentes, quòd viuum recepissent Dominum, qui indignè adeò fuerat occisus. Cumque desiderarent ruere in eius amplexus, sed doctæ à Magdalene non esse excipiendum & tractandum vt hominem mortalem, qui relicto hominum consortio breui ascensurus esset ad Patrem, reueritę maiestatem resurrectione præstantis se Filium Dei, maxima cum animi corporisq; summissione, TENVERVNT, tetigerunt, amplexæ atque osculatæ sunt, sinceræq; fidei affectu cōstrinxerunt, PEDES EIVS, humi ad eos prouolutæ, vtpote sese humiles valde, pro tanta maiestate, & indignas antiqua familiaritate, agnoscentes. Porrò eo magis permisit Iesus vt mulieres istæ primo congressu tangerent pedes ipsius, vt eo certiores fierent illæ, de carnis resurrectione; ne quid ad certitudinem deesset, quòd non spiritus ipsas falsa Iesu specie deluderet, sed idem ille Iesus & anima & corpore, qui antea ipsis conuixerat, & tandem fuerat crucifixus, à morte resurrexisset: præsertim cùm remansissent, ipso Iesu volente, in pedibus, vestigia vulnerum ex cruce acceptorum, quæ illæ piè veneratæ & exosculatæ sunt. *Postquam immensa cum lætitia*, inquit Chrysostomus, *ad eum accurrissent, per tactum, resurrectionis documentum & certitudinem acceperunt*. Et Euthymius: *Illæ quidem ex desiderio & reuerentia pedes tenuerunt: ipse verò non prohibuit, præstans vt per tactum certiores efficerentur, quòd phantasma non esset.*

Et

ET ADORAVERVNT EVM, vt exteriori corporis habitu, ita etiam interiori animi affectione. Celebris est adorantium habitus, vt procumbant proni in terram: & videri possit, inter Iudæos, genus adorationis mulierum erga viros fuisse, pedes tangere, si exempla Sunamitidis 4. Reg. 4. v. 27. & Magdalenes Luc. 7. v. 38. Iohan. 12. v. 3. considerentur. Vt igitur vlæ hoc corporis gestu, ita animo agnoscentes, iam clariùs etiam quàm vnquam antea, Filium Dei; *adorauerunt* mulieres istæ Iesum: & quamquam nihil dixisse legantur, intelliguntur tamen opere ipso clamasse, quod paulò pòst Thomas verbis: *Dominus meus & Deus meus.* Ioh. 20. v. 28. Fuit autem adoratio, signum non ambiguæ notitiæ.

τότε λέγει αὐταῖς ὁ ἰησοῦς· μὴ φοβεῖσθε. ὑπάγετε, ἀπαγγείλατε τοῖς ἀδελφοῖς μου, ἵνα ἀπέλθωσιν εἰς τὴν γαλιλαίαν, κἀκεῖ με ὄψονται.

10 Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. ite, nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.

NOLITE TIMERE. μὴ φοβεῖσθε ne timeatis. Gaudebant maximopere ob præsentiam Domini Iesu: & tamen timebant ac tremebant, ex affectione naturæ humanæ, quæ hoc habet, vt timeat, si cælestia aut maiora se oculis occurrant. vide suprà v. 5. *Naturale est hominum*, inquit Druthmarus, *cum aliquid supra naturam suam viderint, timere.* Quia ergo videbant ante se Iesum Filium Dei è morte rediuiuum, timebant, & ex timore ac reuerentia maxima procidebant in terram. Animat igitur eas Iesus & erigit, timorem eis auferens non gaudium, eò quòd resurrectio ipsius, non timoris, sed veri ac perpetui gaudij materiam credentibus adferret. Aufert inquam eis timorem omnem, tum vt familiariùs ipsum adspiciant & recognoscant, tum vt liberiore ac quietiore animo accipiant quæ dicturus est. Priorem rationem Titus ex Chrysostomo declarat his verbis: *Dissoluit porrò ab eis & ipse timorem, ad fidem illis maiorem in modum aditum patefaciens*; posteriorem Hieronymus scribens hoc loco: *Et in veteri, & in nouo testamento, hoc semper obseruandum est, quod quando augustior aliqua apparuerit visio, primùm timor pellitur, vt sic mente pacata possint quæ dicuntur audiri.* ITE. ὑπάγετε abite. Ablegat eas à se, non enim erat ipsis iam familiariter conuiuendum cum Iesu immortali, vt antea cùm mortalis esset, sed sufficiebat quòd vidissent Iesum & recognouissent, & certiores factæ essent resurrectionis ipsius.
NVNCIATE. Ostendit se curam discipulorum non abiecisse. *Mulieribus autem pro Apostolis visus est ad Apostolos, honorans genus quod ex serpentis seductione infame factum fuerat. Et quia olim mulier viro facta est ministra mæroris, nunc mulieres fiunt viris ministræ gaudij.* Hæc Euthymius, Chrysostomum imitans. Priùs voluit Iesus apparere mulieribus, quàm discipulis, vt discipuli (qui vt potissimum debebant scire, ita difficillimè erant credituri, Iesu resurrectionem) per mulierum nuncium prærpararentur ad hoc, vt faciliùs reciperent & crederent, quando Iesus esset eis appariturus. Mulieres mox vt apparuit Iesus crediderunt: discipuli verò, etiam apparente Iesu, quàm difficulter crediderint, scimus. FRATRIBVS. discipulis MEIS. Creditur alludere Iesus ad illud Psal. 21. v. 23: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, citatum ab Apostolo Heb. 2. v. 12. Quos mortalis appellauerat discipulos & amicos, iam immortalis vocat fratres suos, primùm, vt blanda hac appellatione leniat mærorem, quo nouerat eos torqueri, non solùm ob mortem Domini, verumetiam quòd ipsi Dominum in periculis deseruissent; vt metu deiectos eorum animos alleuet, ne se putent ab ipso reiectos. Deinde vt ad accedendum ac videndum & se fruendum, summa humanitate excitet atque inuitet. Quanto enim gloriosior iam euaserat, tanto humiliùs se ipsis accommodat, vt quo maiorem ad reuerentiam resurrectio prouocabat, eo maiorem fiduciam fraterni nominis appellatio adderet. Præterea fratres vocat, vt significet se cum illis esse eiusdem naturæ humanæ, nec alterius iam esse à resurrectione quàm fuerat antea. Adhæc, quia sicut ipse (quamuis alio genere quàm ipse) essent filij Dei, præsertim cùm morte sua iam hoc promeritus esset, vt essent filij Dei & fratres Christi, heredes Dei, coheredes Christi. Dat enim intelligendum, resurrectionis gloriam, non sibi soli partam, sed cum illis communicandam suo tempore, spem addens similis à morte resurrectionis, fore vt ipse sit primogenitus ex mortuis in multis fratribus. Coloss. 1. v. 18. Rom. 8. v. 29. Postremò, vt humilitatis exemplum ipsis nobisque omnibus relinqueret, ne ad altiora prouecti inferiores despiceremus, ipse immortalis & gloriosus mortales peccatores honorat nomine fratrum suorum. vide sup. 15. v. 40. VT EANT IN GALILÆAM. Eadem mandat quæ mandauerat Angelus, vt angelicam visionem confirmet, vt doceat suum Deique Patris fuisse Angelum qui ipsis apparuisset, quippe qui consentanea voluntati ipsius mandasset. ita Christo Angeli, Angelis Christus, mutuam operam præstiterunt. Tacitè porrò, Iesus, & mulieres monet, vt hoc idem faciant. IBI. κἀκεῖ & ibi. redundat &. VIDEBVNT. familiariter & diu præsentia mea fruentur. Statuerat Iesus semetipsum eis manifestare eodem illo die Ierosolymis, relegat tamen eos in Galilæam, ob causas dictas suprà v. 7., certissimè sciens, eos non ita citò in Galilæam profecturos, quin priùs posset illis Ierosolymis in Iudæa apparere. Nam & accepto hoc à mulieribus nuncio, cogitauerunt, verisimile est, apud se, si mulieribus apparuit hîc in Iudæa, cur non etiam nobis hîc appareat?

πορευομένων δὲ αὐτῶν, ἰδού τινες τῆς κουστωδίας ἐλθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἀπήγγειλαν τοῖς ἀρχιερεῦσιν ἅπαντα τὰ γενόμενα.

11 Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerũt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

QVÆ s. Maria Magdalene & altera Maria, sub quibus intelligendæ sunt sociæ, vt iam sæpè diximus.
CVM ABIISSENT. πορευομένων δὲ αὐτῶν euntibus seu proficiscentibus autem illis, supple ex versu præcedente, nunciatum discipulis Iesu à se visi mandata. Non enim de priori itinere hîc agitur, quo mulieres profectæ sunt ad discipulos, vt certiores eos facerent sepulchri aperti ac vacui, & apparitionis Angelorum; sed

sed de posteriori, quo, postquam reuersæ ad sepulchrum fuerant, iam renunciatum ibant, Iesum rediuiuum, primò Magdalenæ ad sepulchrum, deinde in ipso itinere, ipsis simul omnibus, apparuisse, & huiusmodi mandata dedisse. Nam obseruandum est, quòd non priùs loco se mouerint custodes, & consilium inter se inierint quid facto opus, quàm Angelorum perterrefacientium apparitione euanescente, sibi ipsis redderentur, & quasi solutis vinculis liberi abire sinerentur. Atqui nō euanuisse Angelos, cùm primùm mulieres abijssent relatum discipulis Angelorum apparitionem & sepulchrū vacuum, vel exeo intelligere licet, quòd quemadmodum cùm initio mulieres ad sepulchrū venirent, ostendere se & custodes milites perterrefacere debuit Angelus, ne illi prohiberent mulieres accedere & sepulchrum inspicere: ita permanere debuit angelica illa perterrefactio, donec Petrus & Iohannes Apostoli aduenissent & sepulchro visitato discessissent (quanquam illi nullos Angelos viderint) mulieresque reuersæ, Iesu ipso iam viso iterum essent digressæ. Nisi enim angelicus terror milites cōtinuisset quasi vinculis constrictos, multò minus permisissent Petrum & Iohannem accedere mulieresq; redire, quàm principiò permisissent mulieres appropinquare. Nam quod plerique putant, milites præ timore aufugisse, antequam aduenissent Apostoli, incertius illi reddunt militum de Iesu resurrectione testimonium: quos, vt certissimè possent de Iesu resurrectione apud principes sacerdotum testari, voluit Deus omnia ea adspicere, quæ circa monumentum ab Iesu discipulis gererentur, & sepulchrum ipsum denique visitare. prout mox dicit Euangelista, eos nunciasse omnia quæ facta fuerant; ne quis obiicere posset, interea dum aufugerant milites, Iesu cadauer, ab Apostolis Petro & Iohanne, adiutricibus mulieribus reuersis, ablatum fuisse. Vt enim mulieres, priori aduentu suo, non perceperant præsentiam militum, qui ab Angelo fugati, relicto sepulchro, ex abscondito contemplabantur ea quæ fiebant, prout diximus suprà v. 4: ita nec Apostoli, nec mulieres reuersæ, quidquam de eorum præsentia percepisse videntur. Ergo cùm secundò reliquissent mulieres monumentum, Iesu iam viso, nec quid aliud restaret à discipulis circa monumentum gerendum, certis plus satis monumentum vacuum esse Iesu corpore, Iesu ipso ad hæc passim his illis apparente, disparuit visio omnis angelica, quæ circa monumentum à primi Angeli descensu continuè apparuerat, & milites territos, stupefactos, quietos, atque absconditos esse, coëgerat. Hoc illi cùm obseruassent, deposito metu ad se redeuntes, è latebris suis prodierunt, & mox visitato monumento, viderunt vacuum illud esse Iesu corpore, denique consilio inter se inito, miserunt quosdam ex suo numero, qui omnium nomine principibus sacerdotum nunciarēt omnia quæ facta fuerant, prout hoc versu dicitur. ECCE rem aliam admirandam. QVIDAM DE CVSTODIBVS. τινὲς τῆς κουστωδίας quidam ex custodia, quidam custodum; Nō omnes, discessissent enim ab officio si omnes simul stationem reliquissent, quibus mandatum fuerat, vt ad finem vsque diei tertij, cuius iam agebatur mane, sepulchrum custodirent. Alij ergo manserunt in statione, ne omnibus absentibus cadauer Iesu ablatum aut aliquid aliud actum, causari quis posset. VENERVNT. iuerunt missi à cæteris. IN CIVITATEM proximam, Ierosolymorum.

PRINCIPIBVS SACERDOTVM, à quibus fuerant ad sepulchrum custodiendum, Præside permittente, conducti atque ordinati. suprà 27. v. 62. OMNIA QVÆ FACTA FVERANT. quòd scilicet, profundo eius diei diluculo, Iuuenis fulgureo vultu præditus, indutusque stola candida, è cælo, ingenti cum terræmotu, delapsus, disiecisset lapidem ab ostio monumenti, sedissetque super eum, ipsis omnibus nimio timore correptis, fugientibusque à monumento in partem, quippe ferre non valentibus visionem cælestem, sic tamen, vt nec stationem relinquerent, nec officium proderent, sed, quantumuis perculsi & obstupefacti, ex abscondito contemplarentur atque obseruarent ea quæ fierent omnia. Aduenissent deinde mulieres, quæ à Spiritu illo, Iuuenis specie apparente, animatæ & inuitatæ, audierint Iesum non esse in sepulchro, sed resurrexisse, illoque ducente sepulchrum ipsum fuerint ingressæ, tandemque egressæ abierint, immo verò timore actæ aufugerint. Paulò pòst aduenerint viri duo, discipuli, verisimile, & eædem, illos subsequutæ, mulieres: & quòd discipuli quidem monumentum ingressi ac contemplati, redierint eo modo quo venerant, nec quidquam secum absportarint. mulieres verò aliquamdiu hæserint circa monumentum, quærentes Iesum aut Iesu corpus, donec illis digressis, disparuisset omnis illa terrifica visio. Quo facto, mox sumta audacia prodierint ipsi. & lustrarint sepulchrum locaque vicina, nec Iesu cadauer in sepulchro magis quàm in locis vicinis inuenerint, sola viderint & etiamnum restent linteamina, quibus cadauer fuerat inuolutum. Hæc omnia ordine quo res gesta fuerat principibus sacerdotum nunciarunt illi, duplicem ob causam, quam etiam declararunt; Vnam vt officij sui rationem redderent, ne apud Præsidem deserti officij accusarentur, quòd prece preciòve corrupti, sepulchrum sigillo publico obsignatum aperuissent ipsi vel aperiri, & cadauer à discipulis auferri, permisissent, aut certè inertia socordiaq; obruti neglexissent commissi curam. Perfidiam enim longè à se abesse vt fides numquam in Romanis militibus fuerat desiderata: custodiæ verò rationem, pro militari ipsorum more, fuisse exactissimam: &. si quidem cum hominibus pugnandum fuisset, qui vel sepulchrum reserare, vel Iesu cadauer auferre tentassent, nihil se curaturos etiam plures se; sed aduersus Deos nihil se posse, humanasque vires nihil contra cælites valere, vt in confesso est. Cælites ipsi sepulchrum aperuerant, mulierum & virorum quosdam eò introduxerant, testati fuerant Iesum resurrexisse: quid ipsi homines interea agerent, nisi virili pugna cum timore Deorum inita, obseruare omnia ac singula quæ gererentur, & cælitibus digressis lustrare sepulchrum, denique rem omnem vt se habebat, iis à quibus ad sepulchri custodiam constituti fuerant principibus, quàm primùm nūciare, tum vt ipsi se ostenderent nulla culpâ teneri, tum vt principes dispicerent quid facto opus. Hæc enim altera causa fuit, cur milites voluerint Iudæorum principes certiores mox facere omnium quæ acciderant, vt illi dispicerent quid facto opus. Res nota erat militibus, illos nihil magis timere quàm ne fama obtineret, Iesum tertio à morte die resurrexisse: sciebant hoc consilio se adhibitos fuisse ad sepulchri custodiam, vt seruato cadauere rumorem illum extinguerent. Quia igitur res contrà acciderat, & ablato cadauere, eiusque resurrectione diuinitus testata, periculum erat ne fama resurrectionis Iesu per os populi mox spargeretur, rem omnem principibus significant, vt si quid aliud consilij nossent illi, quo occurri posset rumori illi, adhiberent si vellent: Voluerunt enim se illis à quibus conducti fuerant, quamuis Deo manifestè obnitentibus, præstare fideles: verumtamen, quia nondum pecunia corrupti erant, veritatem nec celarunt nec vitiarunt, sed rem omnem ita vt se habebat nunciarunt. Hac porrò ratione factum est, diuina prouidentia curante, vt

milites,

milites, qui à principibus Iudæorum ad impediendam Iesu resurrectionem fuerāt ordinati, primi ipsis principibus Iudæorum resurrectionis Iesu nuncium adferrent. Quamuis enim testati non sint, Iesum rediuiuum à se suis oculis esse visum (vt eum nō viderant, quamuis Magdalenæ ad sepulchrum apparuisset) testati sunt tamen proxima, ex quibus Iesu resurrectio necessariò sequeretur, nempe, cælitum operā sepulchrum fuisse apertum, eorumdem testimonio Iesum viuere, corpus à nullo hominum fuisse ablatum, denique sepulchrum à se inuentum ac conspectum esse vacuum. vide suprà 27. v. 66. Sic primi nuncij regni Iesu facti sunt, qui illud conati fuerant impedire, quemadmodum fratres Ioseph Genes. 45. vers. 26. Et verò, *veritas ab aduersariis declarata, illustris est*, quod ait Chrysostomus. Indigni quidem erant Iudæorum principes, quibus pateficeret Iesu resurrectio, vt certè nec exhilarati nec bene vsi sunt hoc nuncio: sed oportuit eos, postquam deploratè impij erant, hanc etiam veritatem, excitati à morte Iesu, quam suis mendaciis oppugnaturi erant, antè cognoscere, vt contra suas ipsorum conscientias, veritatem impudenter reprobantes, iustissimè condemnarentur.

καὶ συναχθέντες μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, [12] συμβούλιόν τε λαβόντες, ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν τοῖς στρατιώταις,	Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

ET CONGREGATI. Qui principes sacerdotum plurimùm hoc nuncio turbati, conuocarunt SENIORES & scribas (his enim tribus ordinibus constitisse synedrium, iam sæpè diximus) & cœperunt commune consilium hoc, consilium impium, custodes testes pecuniā corrumpendi, & veritatem impudentissimo mendacio opprimendi, ne plebs adduceretur ad fidem in eum, quem iam resurrexisse non dubitabant. PECVNIAM. ἀργύρια *argenteos* vertit suprà 26. v. 15. vbi de Iuda agebatur, propter additum numerum. Hîc speciem intellexit positam loco generis, & plurale loco singularis, si non legit singulare ἀργύριον. *Pecuniam*, inquit Hieronymus, *quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemtionem mendacij, sicut antea triginta argenteos, dederant Iudæ proditori*. Porrò nisi certa res ipsis visa fuisset, & manifestior quàm vt de ea posset dubitari, non numerassent pecuniam, sed accusassent milites proditi officij. COPIOSAM. ἱκανὰ sufficientem; Syrus *non modicam*. satis multum argenteorum, quantum sufficeret pecuniæ, longè ampliùs quàm promiserant pro sepulchri custodia. Auari quidem erant & tenaces (quemadmodum passim testantur Euangelia) sed auaritiam vicit extinguendi Christi libido. MILITIBVS. non iis tantùm qui missi fuerant, sed omnibus qui custodum officio functi, conscij erant veritatis. Quamuis militum testimonium ab omni suspicione esset alienum, & planè irrefragabile, viderentque conatus & consilia sua omnia aduersus Iesum irrita reddi: tamen, vt erant peruersè obstinati, nolebant agnoscere Dei manum, & ad pœnitentiam conuerti, credereque, vel saltem rem euentui permittere, dicereque militibus: Si resurrexit, Deo volente ac faciente, nos repugnare non possumus: sed tempus docebit veritatem. vos interim quia extra culpam estis, accipite pactam custodiæ mercedem. Verùm è contra, studebant vi opprimere manifestum Dei opus, nec pudebat eos, etiam ethnicis militibus consciis, pugnam instituere cum Deo, contraq; conscientiam suam, non solùm occultare, verumetiam peruertere veritatem, idque ex inuidia quidem & odio Iesu, amore verò sui ipsorum, quò tuerentur sui nominis gloriam, ne iniustè hactenus Iesum persequuti fuisse viderentur. vt enim dedecus suum tegerent, & pudorem apud homines tuerentur, Dei offensam securè neglexerunt: *& qui viuentis sanguinem redemerant*, inquit Chrysostomus, *eum qui de resurrectione erat crucifixi & rediuiui, rursus per pecunias sermonem suffodiunt*. Delegarunt itaque è suis aliquos, verisimile est, qui, cum militibus istis missis à cæteris, ad sepulchrum accederent, &, si quidem reliqui milites eadem affirmarent, ipsique sepulchrum Iesu corpore vacuum esse viderent, iuberent vt stationem omnes clàm relinquerent, quia nulla ampliùs opus esset custodia, ampla verò oblata pecunia sponsione eos obligarent, ne ea quæ viderant in vulgus efferrent, immo verò contraria spargerent. Sic peccata peccatis inexcusabili peruersitate cumularunt, donec peruenit ira Dei super illos vsque in finem. 1. Thessal. 2. v. 16.

λέγοντες· εἴπατε, ὅτι οἱ μαθηταὶ [13] αὐτοῦ, νυκτὸς ἐλθόντες, ἔκλεψαν αὐτὸν, ἡμῶν κοιμωμένων.	dicentes: Dicite, quia discipuli eius, nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.

DICITE. Cauete ne promulgetis aut mortalium cuiquam indicetis ea quæ vidistis: contrà verò hunc rumorem spargite. *Vtuntur iis qui veritatis testes erant*, inquit Euthymius, *vt mendacij fierent ministri*. QVIA redundat. Hoc est mendacium quod per milites in vulgus spargi iusserunt, quò resurrectionis veritas obrueretur. DISCIPVLI EIVS NOCTE FVRATI SVNT EVM (id est, cadauer eius) NOBIS DORMIENTIBVS. Sed mendacium huiusmodi, quod semetipsum refelleret apud omnes qui alicuius essent iudicij. *vehementer enim absurdum erat & incredibile quod dicebatur, & prætextu carebat mendacium*, inquit Chrysostomus. *Nam si custodes non apposuissent*, ait ex Chrysostomo Euthymius, *aliquid de furto dicere potuissent: nunc autem apud æquos iudices nihil mutire possunt, vndique imposito eis silentio*. Non enim est verisimile, milites ad custodiam ordinatos, ita segnes fuisse, & militares excubias neglexisse, vt nullus eorum vigilauerit. Quòd si etiam fuisset ea non militum sed nebulonum socordia, non est credibile, illos omnes ita altè dormiuisse, vt nullo discipulorum accedentium strepitu, nullo fragore immanissimi saxi ob ostio monumenti amoti, nullo denique tumultu efferentium cadauer, à somno excitatus fuerit vel vnus aliquis ipsorum, vigiliis cùm essent assueti: nam vel vnus excitatus, proculdubio excitasset quàm ocissimè reliquos. At si ita fuit, vt adeò altè ad vnum omnes dormierint, quomodo iam testari possunt, cadauer ablatum à discipulis, quorum præsentiam nullo sensu

sensu perceperunt? Quòd si dicant se vidisse, sed seriùs, illos cum cadauere aufugientes: quomodo non potuissent cursu assequi milites expediti ac leues, viros imbelles ac rudes, grauis corporis pondere oneratos? vel saltem eminus sequi & obseruare quò ingrederentur? Cur non scrutati sunt domos discipulorum, & illic quæsierunt corpus Iesu? cur hac de causa nullus discipulorum apprehensus fuit? cur non vel mulieres saltem apprehenderunt, vt ex illis nossent veritatem? intererat enim honoris ipsorum, ne perfidiæ arguerentur ac proditi officij. Sic ergo custodum ex parte facilè potuit mendacium istud retegi, nec minùs ex parte discipulorum, quos, cùm essent viri imbelles ac meticulosi, qui præceptorem dum viueret in periculis deseruerant, vel, si qui alij erant discipuli Iesu occultiores audacioresque, non est credendum, ausos ad obsessum sepulchrum per armatos milites penetrare, quos, etiamsi fortè dormiuissent omnes, quod nō facilè aut obseruari aut sperari poterat, à somno excitandos huiusmodi opere, vt facillimum, ita verisimillimum fuisset, ac proinde etiam periculum præsens, ne ad vnum omnes in loco miserè trucidarentur, tantum abest vt spes aliqua esse potuisset cadaueris auferendi. *Nam etiamsi mortem contempsissent*, inquit Chrysostomus, *non tamen istud facere tentassent, temere ac frustra tentaturi, cùm tam multi essent custodes*. At si quidem illi nescio quo astu cadauer surripere potuissent, *et quid illis lucri esset omnino*, quærit Chrysostomus, *si iste non resurrexisset*: quæ inde ipsis vtilitas, si nullis argumentis docere potuissent Iesum viuere? Postremò quæ remanserant linteamina, argumentum fuerunt corporis furtim minimè ablati. *Si enim furari voluissent*, inquit Chrysostomus, *nequaquam nudum corpus furati essent, non propter contumeliam solùm, sed ne in exuendo morantes & cunctantes, aliis facultatem præberent exsurgendi & ipsos apprehendendi: præsertim cùm myrrha, esset pharmacum, quod vsque adeo corporibus adglutinatur & vestimentis adhæresit: quare non facile fuisset linteamina a corpore auellere, sed istud molientes multo opus haberent tempore.* Quare vndique manifestum fit, mendacium illud quod de furto comminiscuntur, non constare: quo adeò non obscuratur veritas, vt etiam fiat illustrior. Nam mendacio illo fatentur, corpus nuper sepultum, iam iam à sepulchro abesse. *Istud enim est constituentium corpus illic non esse*, inquit Chrysostomus. *Quum autem confitentur corpus illic non esse, furtum verò falsum esse ac incredibile, demonstrat ipsorum assistentia, & signacula, atque discipulorum timiditas, certa & indubitata resurrectionis demonstratio vel hinc perspicitur*. Aut igitur mortuum reddant nobis Iudæi, cuius susceperant custodiam, aut rediuiuum nobiscum adorent. Atqui ita cæci erant, vt hæc non viderent, itaque consilij inopes, vt aliud proferre non possent. Sed quomodo non metuerunt, ne Iesus more solito se offerens omnium oculis viuum, mendacium reipsa præsens per se refutaret? Existimat Iansenius, persuasos fuisse, Iesum non resurrexisse ad vitam consuetam ac communem, aut certè non nisi in Galilæa appariturum. Atqui ego puto, vt erant venundati vt facerent malum, ita audacter præcipitanterque protulisse, aduersus Iesum capitalem hostem suum, quæcumque ad extinguendam nominis eius gloriam facere posse viderentur, euentum quidem fortunæ committentes, fidentes verò suæ ad calumnias & mendacia struenda promtitudini. Nam si viuum se omnium oculis Iesus exhibuisset, finxissent, non se, sed milites, mendacij illius auctores, &c. Porrò mendacium istud in auctores suos egregiè conuertit Seuerianus ad cathenam citatus. *Discipulorum crimen esse faciunt*, inquit, *virtutem magistri. Plane amiserunt milites, perdiderunt Iudæi, sed discipuli magistrum suum, non furto sed fide, virtute non fraude, sanctitate non crimine, viuum non mortuum sustulerunt*. hæc ille egregiè. Similia huic versiculo tractata sunt etiam suprà 27. v. 64.

Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.	14	καὶ ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, ἡμεῖς πείσομεν αὐτὸν, καὶ ὑμᾶς ἀμερίμνους ποιήσομεν.

Hoc. quòd vos hoc dicatis, siue verè siue falsò. AVDITVM. intellectum. A PRÆSIDE ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος apud Præsidem, coram Præside. si fama ad Præsidem peruenerit, aut aliquis vos hoc nomine apud Præsidem detulerit. Periculum erat, ne à Præside punirentur, si ille intelligeret, ipsos hoc dicere, & in vulgus spargere. Nam si quidem verum dicerent, fatebantur publicè socordiam suam & præuaricationem officij militaris, quòd nullo agente excubias omnes obdormiuissent, vbi in custodia fuerant collocati, ac proinde accusabant & condemnabant semetipsos. Si falsum dicerent, perfidiæ erant rei, veritatem mendacio opprimentes, & quidem huiusmodi mendacio, quod militum ordini probrum afferret. Siue ergo verè siue falsò dicturi hoc essent, punitionis periculo se exposituri videbantur. NOS. qui auctoritate plurimum valemus apud Præsidem, quorumque res agitur, vt ad quorum preces vos in hac custodia collocati fuistis. SVADEBIMVS EI. πείσομεν αὐτὸν persuadebimus ei s. vt sit placatus, ne quid mali vobis inferat, ne quidquam à vobis exigat pœnæ. SECVROS. ἀμερίμνους. indemnes non tantùm & periculi expertes reddemus, verumetiam liberabimus omni solicitudine. Quò minùs vereantur milites impudenter mentiri, nec timore Præsidis reuocentur, pollicentur principes ipsis vicissim operam suam, & securitatem, si quod immineat à Præside periculum. Vt nouerant Præsidis ingenium molle, ita credebant se facilè persuasuros ei, vt milites absolueret. Nam si Præses existimaret, milites quod verum est euulgare, dicturi erant, se paruifacere hanc negligentiam, nec grande malum ex ea consequi posse: nec enim posse discipulos Iesu, populo resurrectionem Iesu persuadere, postquam militum opera furtū esset diuulgatum: eratque credibile, Præsidem facilè acquieturum ipsis milites defendētibus, à quibus cōtrà milites videbantur accusandi. Quòd si persuasus foret Præses, milites mendacium in vulgus spargere, secretò ei declaraturi erant Iudæorum principes, rem ex cōposito sic fuisse institutam, ne populus ab Iesu discipulis seductus ad tumultum commoueretur; itaque ad vitandum maius & id publicum malum, mendacium, se approbantibus, fuisse euulgatum. Porrò dubium non est, quin intellectum à Præside fuerit, quid à militibus in vulgus spargeretur, & quidem falsò, vt per se ipse etiam facilè poterat mendacium præsumere. Nam si cùm Iesus postularetur ad sepulturam, Præses, *accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset* (Mar. 15. v. 44.) dubitandum non est, quin, militibus à sepulchri custodia reuersis, interrogarit Centurioné, quis successus fuisset rerū, & cur ante finem diei tertij soluta esset sepulchri obsidio? Quomodo enim non aueret rescire, si quid de Iesu resurrectione perceptum esset, quam Iudæo-

Iudæorum principes subindicauerant se timere? suprà 27. v. 63. Neque verò putandum est, Centurionem aut quemuis alium custodum, ausum fuisse mentiri Præsidi: immo certum est declarasse omnem veritatem, quodque milites precibus pecuniisque Iudæorum adducti, mendacium illud veritatis loco diuulgarent. Cæterùm, vel non fuit opus, vt Iudæorum principes pro militibus apud Pilatum intercederent, vel certè facili negotio eum placarunt, quòd remissi animi homo cùm esset, non arderet zelo vlciscendæ perfidiæ; præsertim verò in hac causa, vbi malebat Iudæis fauere quàm Iesu eiúsve discipulis, metu seditionis quæ oriri posset in populo, si prædicaretur ad vitam à Deo esse reuocatus, quem ipse vita spoliarat. Quòd si cum recto & cordato Præside fuisset negotium, non impune, siue militibus, siue Iudæorum principibus mendacium hoc cessisset.

Οἱ δὲ λαβόντες τὰ ἀργύρια, ἐποίησαν ὡς ἐδιδάχθησαν. καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ ἰουδαίοις, μέχρι τῆς σήμερον. 15

At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vſque in hodiernum diem.

AT ILLI. οἱ δὲ illi autē s. milites. PECVNIA. τὰ ἀργύρια argenteis. vt sup. v. 12. SICVT ERANT EDOCTI siue *docti* à principibus sacerdotū ac Iudæorū, constāter negantes resurrectionem Iesu, asserentes autē cadauer furtim à discipulis fuisse sublatum, se dormientibus. Maiorem rationem habuerunt milites pecuniæ, quàm veritatis certissimè agnitæ, immo quàm famæ propriæ, vt consueuerunt auri esse mancipia. Non puduit eos spargere mendacium impudens, quod à prudentibus omnibus facilè poterat deprehendi, idque coniunctum cum propria infamia, quod, præter officium bonorum militum, commissam custodiam neglexissent, modò pecuniā potiri possent. Cæterùm annotant quidam, non omnes milites permisisse se pecunia corrumpi; nominatim verò Centurionem, quem Longinum dictum volunt, huic perfidiæ restitisse, & liberè prædicasse id quod res erat, adeoque Iesu resurrectionem adstruxisse, ita vt ob id & Pilati & principum Iudaicorum odium incurrerit. legatur Metaphrastes mensis Martij die 15. Quinetiam probabile est, reliquos milites, quamuis in vulgus spargerent mendacium illud, tamen, vbi cum familiaribus agerent, veritatem declarasse, ita vt plerisque non ignotus fuerit principum Iudaicorum fucus. ET. Itaque hac ratione. DIVVLGATVM EST. διεφημίσθη diffamatum. sparsum, ita vt obtinuerit fidem VERBVM ISTVD. ὁ λόγος οὗτος sermo iste, mendacium istud, quòd discipuli, Iesu cadauer clàm suffurati fuerant, custodibus dormientibus: quantumuis absurdum & dissentaneum veritati. Facilè enim vulgus sparsis temerè rumoribus credit, & maiorum auctoritate ducitur. APVD IVDÆOS. Iudæorum plerosque. Iudæos opponit discipulis siue christianis. *Iudæos* ergo intelligit reprobos atque incredulos, cuiusmodi erat maior eorum pars: vt qui odio Iesu excæcati, ita procliues erant ad recipiendum friuolum huiusmodi mendacium. Nam probiores ac prudentiores, qui norant res graui æstimare iudicio, facilè detexerunt fucum, & veritatem receperunt, ac proinde etiam ad Iesum se conuerterunt, eiúsque resurrectionem crediderūt, quam discipuli non tantùm prædicabant perceptam visu, verumetiam Scripturis sacris, diuinis miraculis, variisque aliis argumentis clarissimè adstruebant. VSQVE IN HODIERNVM DIEM siue tempus: & tunc temporis cùm milites illud disseminarent contra recentem Iesu resurrectionem, & ab eo tempore vsque ad hodiernum, octauum circiter à Iesu resurrectione, annum, diuulgatum est verbum illud mendax, ac persistit fidemque inuenit, inter plerosque Iudæorum. Id mendacij à Iudæorum principibus confícti, cùm custodes milites semel sparsissent, ita receptum est à Iudæis, vt ne hodie quidem aliter credant: vt hac persuasione etiamnum blandiantur sibi, & in incredulitate se confirment. Facilè enim perseuerat in vulgo, quod ei semel persuasum est, quantumuis absonum fidei: cùm etiam iudicium sit Dei omnium iustissimum, *vt credant mendacio, qui credere nolunt veritati.* 2. Thessal. 2. vers. 10. Addidit ergo Euangelista τὸ *vsque in hodiernum diem*, vt præmuniret, eos qui ad fidem Iesu quotidie conuertebantur, tam ex Iudæis quàm ex gentibus, aduersus receptum illud à reproba Iudæorum gente mendacium: quod quamuis apud Iudæos præualuerit, non obstitit tamen, quin liberè volitaret veritas euangelij, & resurrectionis Iesu fides, per vniuersum terrarum orbem, ad vltimos vsque fines terræ. *Quod enim in Iudæa Iudæus obscurabat auro, fide toto clarui in mundo*, ait Seuerianus.

Οἱ δὲ ἕνδεκα μαθηταὶ ἐπορεύθησαν εἰς τὴν γαλιλαίαν, εἰς τὸ ὄρος οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς. 16

Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi constituerat illis Iesus.

VNDECIM. Apostolos quos hactenus vocauit *duodecim* (suprà 10. v. 1. 26. v. 14. &c.) iam vocat *vndecim*, quia vnus perierat, Iudas. sup. 27. v. 5. DISCIPVLI. Apostoli. Hos nominat tamquam capita cæterorum: cæteroqui non soli Apostoli illuc profecti sunt, sed & 72. discipuli, atque adeò omnes omnino discipuli ac discipulæ: quinimmo verisimile fit, Apostolos proficiscentes in Galilæam, omnes vndique exciuisse quos nouerant Christi fidem amplexos, vt viderent Dominum rediuiuum in Galilæa, loco tempereque ab ipso Domino constitutis. Credibile est enim, quod multi docent, in hoc Galilææ monte accidisse, eam quam Apostolus memorat apparitionem 1. Cor. 15. v. 6: *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul:* Quocirca Druthmarus: *De Apostolis*, inquit, *propter dignitatem solummodo Euangelista dicit. Nam & alij discipuli & fœminæ abierunt in montem.* ABIERVNT. ἐπορεύθησαν profecti sunt; idque post octo vt minimùm dies à resurrectione Iesu: nam octauo adhuc die apparuit eis Iesus Ierosolymis, prout constat ex Ioh. 20. v. 26. si bene expendatur locus. IN GALILÆAM. Omissis cæteris apparitionibus quæ Apostolis factæ sunt, Matthæus hanc vnam narrat, quæ facta est in Galilæa: vtpote quam solam Iesus, tum per Angelum,

gelum, tum per ſe ipſum, promiſerat, ſuprà v. 7. & 10. IN MONTEM Galilææ, quem Thabor fuiſſe plerique exiſtimant. Montem elegit receſſus gratiâ, vt liberè cum ſuis ac ſine arbitris colloqueretur. Nam & quia reſurrexerat ad vitam, non mortalem, ſed immortalem atque à mortalium moribus alienam, in monte deſerto, potiùs quàm in vrbe aut oppido, vbi mortalium frequentia eſt, apparet. VBI CONSTITVERAT ILLIS IESVS. Locum & diem conſtituerat Ieſus, quo ſeipſum à morte rediuiuum monſtraturus & exhibiturus eſſet in Galilæa diſcipulis ſuis ſimul omnibus (neque enim inopinatè aut præter ſpem accidit hæc manifeſtatio, vt pleræque aliæ) conſtituerat autem, vel per Angelum, vel potiùs per ſe ipſe, dum Ieroſolymis appareret, ſiue mulieribus, ſiue Apoſtolis, quamuis ſcriptum non ſit: quod notat etiam Euthymius. Quare omnes vndique diſcipuli Ieſu huc conuolarunt, vt conſpectu Domini è morte rediuiui fruerentur. Quamuis autem vnica celebris apparitio in hoc monte contigerit: probabile eſt tamen, durante illo 40. dierum ſpacio, ſæpius Dominum hic apparuiſſe Apoſtolis, quos peculiariter inſtruere voluit de regno Dei, id eſt, de eccleſia ædificanda.

Et videntes eum adorauerunt, [17] quidam autem dubitauerunt.	καὶ ἰδόντες αὐτὸν, προσεκύνησαν αὐτῷ, οἱ δὲ ἐδίστασαν.

ET VIDENTES. καὶ ἰδόντες quum autem vidiſſent EVM ibi (*id enim ſubintelligendum eſt*, inquit Euthymius) præſentem ſe exhibentem eo in monte. Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 53: *Ex diſpenſatione*, inquit, *Dominus noſter, non in debita corporis ſui gloria, ſed in prima figura cernebatur: ne aliud corpus quam quod de virgine aſſumſit reſurrexiſſe putares, ne aliud quam quod crucifixum & mortuum fuit. Quod enim oculis hominum gloria illius corporis (ſi explicare illam Chriſtus voluiſſet) cerni non poterat, facilè intelliges, ſi transfigurationis non es oblitus* &c. In quam ſententiam & D. Auguſtinus ſcribit lib. 22. de ciuitate Dei cap. 19: *Claritas in Chriſti corpore cùm reſurrexit, ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe, quam defuiſſe, credenda eſt. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adſpectus quando ille à ſuis ita deberet attendi, vt poſſet agnoſci.* ADORAVERVNT. αὐτῷ eum (repetitur enim & græcè & ſyriacè) ſ. ipſi vndecim nihil dubitantes quin eſſet ipſiſſimus Ieſus. *Adorauerunt* autem, iam clariùs quàm vmquam antea intelligentes eſſe Chriſtum Filium Dei viui. nam reſurrectione declaratus eſt Filius Dei. Rom. 1. v. 4. vide ſuprà v. 9. QVIDAM AVTEM. οἱ δὲ hi autem, ſ. vndecim: nec enim aliorum meminit Euangeliſta. ſic id quod Interpres vertit *quidam*, intellige ipſorum vndecim: quo ſenſu Syrus, pro οἱ δὲ, vertit *ex eis autem*. DVBITAVERVNT. dubitauerant. præteritum perfectum pro pluſquamperfecto, qua ſignificatione frequens eſt vſus etiam aoriſti, qui hoc loco græcè legitur. Videntes eum vndecim in hoc Galilææ monte, adorauerunt eum, qui antea Ieroſolymis dubitauerant, an is qui apparebat ipſe Ieſus eſſet, quem ante mortem coluerant. In hanc ſententiam ſcribit Theophylactus hæc verba: *Debes igitur ſic intelligere, quòd cum veniſſent in Galilaam, adorauerunt eum. Illi autem qui adorarunt in Galilea, primùm dubitarunt in Ieruſalem.* Eſt igitur ſenſus: Dum in Galilæa appareret Ieſus Apoſtolis ſuis vndecim, loco quem ipſe præſtituerat, ita certò perſuaſi illi fuerunt, eum qui apparebat Ieſum eſſe qui à morte reſurrexerat, vt nihil dubitarint, mox eum humi proſtrati adorare, reſurrectione planè commonſtrantem ſe Dei Filium, qui priùs in Iudæa difficulter admodum crediderant eius reſurrectionem, immò tam diu dubitarant, quamdiu certiſſimis argumentis non eſſent conuicti. Adorationi Euangeliſta opponit dubitationem, & ne temere eos adoraſſe quis obijceret, addit eos antea dubitaſſe, nec ſcilicet priùs adoraſſe, quàm euidentiſſimis argumentis omni dubio eſſent ſoluti. Solummodo autem meminit Matthæus dubitationis Apoſtolorum, quam alij Euangeliſtæ fuſiùs explicarunt. Marcus enim teſtatur, quòd Magdalenæ & diſcipulis annunciantibus Ieſu reſurrectionem, adeoque viſum ſibi Ieſum, non crediderint (Mar. 16. v. 11. 13.) Lucas narrat, quòd viſa ſint ante illos ſicut deliramenta mulierum verba, nec crediderint illis, ipſoque Ieſu iam apparente, conturbati ac conterriti exiſtimarint ſe ſpiritum videre (Luc. 24. v. 11. 37.) Iohannes denique refert, Thomam adeò pertinaciter dubitaſſe, vt nollet credere, niſi viſis & contrectatis vulneribus. Ioh. 20. v. 25. Dubitarant igitur in Iudæa de Ieſu reſurrectione Apoſtoli omnes, quamquam alij minus, alij magis. De his qui magis, intelligenda eſt latina editio, dum hoc loco vertit: *Quidam autem dubitauerunt:* quaſi dicat: Omnes adorauerunt, tametſi quidam antea in Iudæa pertinaciſſimè dubitaſſent. Dubitarant autem Apoſtoli, non quòd odiſſent credere, ſed quòd, cùm falli nollent, certò autem & infallibiliter credere geſtirent, curioſè priùs omnia indagare & obſeruare, & manifeſtiſſimis modis doceri cupierint. Qua in re Ieſus ita abundè eis ſatisfecit, antequam Ieroſolymis diſcederent, inter cætera præbens ſe eis, non videndum tantùm atque audiendum, ſed & contrectandum, poſtremò etiam conuiuam, vt cùm veniſſent in Galilæam, & appareret Ieſus loco condicto, nihil dubitarint mox procidere in terram, & exclamare ſimul omnes, quod antea in Iudæa vnus Thomas: Dominus noſter & Deus noſter. Porrò *dubitatio illorum, noſtram auxit fidem*, quod inquit Hieronymus: è dubitatione enim liberati, nihil poſteris dubitandum reliquerunt, veritate comperta.

Et accedens Ieſus locutus eſt eis, [18] dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.	καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἐλάλησεν αὐτοῖς, λέγων· ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς.

ET in hoc monte. ACCEDENS propiùs ad eos, & familiariùs videndum atque audiendum ſe præbens, vt erigeret animos attonitos maieſtate apparentis. EIS vndecim. DICENS inter cætera. Multa dixit Apoſtolis ſuis Ieſus, iſto inter reſurrectionem & aſcenſionem intermedio tempore, *loquens de regno Dei*, vt ait Lucas Act. 1. v. 3., id eſt, informans & inſtruens eos, qua ratione regnum Dei & Chriſti, id eſt, eccleſiam, colligere, paſcere, ac regere deberent: ſed quæ Matthæus hic commemorat, ea ſummam omnium complectuntur. DATA EST à Deo Patre. MIHI. vt Dei Filio quidem, iam inde ab æterno, generatione;

ratione; vt filio hominis autem, dono. Quam naturâ & æternò habui quatenus Deus: dono accepi quatenus homo. Et ab initio quidem conceptionis, mero simplicique dono eam habui, ratione vnionis humanæ naturæ cum diuina: sed iam à resurrectione, eminentiori modo sum assequutus. Tribus enim nouis rationibus, à resurrectione data est Christo homini omnis potestas; Vna ratione, quod ad modum, quia morte sua eam promeruerat: quam enim antea dono simplici habuerat, à resurrectione accepit merito mortis à se toleratæ. Docet hoc Apostolus Philip. 2. v. 8: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum.* Quia omnibus quæ in cælo & in terra, ac nominatim hominibus, inferiorem se haberi passus fuerat: omnibus quæ in cælo & in terra, suo merito præpositus est, ac nominatim ius acquisiuit, homines, quos suo sanguine redemerat, in regnum suum congregandi. Altera ratione, quod ad statum: quia qui fuerat homo mortalis, miserijs mortique obnoxius, factus est immortalis: qui in terra conuersatus, iam ascendebat in cælum: decet enim eum, cuius potestati omnia subiecta sint in cælo & in terra, mortalium statu superiorem, sublimem atque immortalem in cælis agere. Tertia ratione, quod ad vsum & notitiam, Christo homini à resurrectione data est omnis potestas in cælo & in terra. Vsus est enim hac potestate, quando emisit discipulos suos, prædicandi nominis sui causa, in mundum vniuersum, & non vi aut armis, sed prædicatione humilium, miraculis stabilita, mundum vniuersum suæ fidei subiecit; vtetur denique, quando iudicaturus est viuos & mortuos. Vsus quidem fuerat hac potestate & ante resurrectionem, miraculis quibusdam in Iudæa editis, & aliquibus ad fidem attractis: sed modica hæc, si ijs comparentur, quæ egit à resurrectione per discipulos. Vsum porrò sequitur notitia: ita factum est, vt dum vtitur hac potestate, *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Familiare autem esse sacræ Scripturæ, vt res tum fieri dicatur, cùm innotescit, non semel docuimus. OMNIS. absoluta, perfecta, plena atque integra, citra exceptionem aut restrictionem, ita vt non solùm corporibus, sed & animis ac spiritibus dominer. POTESTAS. ἐξουσία auctoritas. Syrus dominium. vide suprà 7. v. 29. & Ioh. 17. v. 2. Non enim hîc de potentia seu omnipotentia propriè est sermo, sed de auctoritate ac licentia, quæ in gubernando consistit, & imperium dicitur: quamquam hæc, vt sit efficax, à potentia seiuncta esse non possit, quæ proinde consequenter intelligenda hîc est. IN CÆLO ET IN TERRA. super omnem creaturam, quæ vel in cælo vel in terra vel vbicumque est. nam *per cælum & terram, vniuersa creatura intelligitur,* inquit Druthmarus. Ego mea morte imperium mihi comparaui in omnem creaturam, *ita vt in nomine meo omne genu flectendum sit, cælestium, terrestrium, & infernorum:* mea enim morte *vici mundum.* Ioh. 16. v. 33. Disertè se fatetur cæli terræque dominum ac regem: quomodo Iohannes Apoc. 17. v. 14. vocat *Dominum Dominorum & regem regum,* Petrus Act. 10. v. 36. 42. appellat *omnium Dominum, constitutum a Deo iudicem viuorum & mortuorum,* Paulus Ephes. 1. v. 20. 21. 22. dicit esse *caput totius ecclesiæ, præfectum cunctis principatibus ac potestatibus, omniaq; subiecta pedibus eius. Ipsum,* inquit, *dedit* (Deus Pater) *caput supra omnem ecclesiam* (& triumphantem in cælo & militantem in terra) *& omnia subiecit sub pedibus eius, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro.* Hanc potestatem ab antiquo dierum filio hominis dandam prædixerat Daniel cap. 7. v. 14: *Et dedit ei potestatem & honorem & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.*

πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος·	19 Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:	Mar. 16. v. 15.

EVNTES ERGO. Syrus præmittit hæc verba: *Et sicut misit me Pater meus, etiam ego mitto vos,* quæ verisimile est huc adscripta fuisse ex alio loco, nempe Ioh. 20. v. 21. ERGO, quandoquidem data est mihi potestas & dominium omne in cælo & in terra, ego quidem in cælum ascendam, sessurus ad dexteram Patris, supra omnem principatum ac potestatem: vos verò Apostoli ac legati mei, EVNTES πορευθέντες profecti, vnus huc, alius aliò, DOCETE OMNES GENTES vniuersæ terræ, potestate hac mea incunctanter nixi, & me auctore freti. neque enim quid temerè vobis committo, quod auctoritas mea non ferat. Idcircò igitur Iesus de sua potestate præfatus est, quòd non mediocris sufficeret auctoritas, sed summo vereque diuino imperio pollere oporteret, eum qui omnes totius orbis terrarum gentes sub doctrinam ac ditionem suam redigi mandaret. Suam ergo auctoritatem iacit ac præsternit Iesus, tamquam fundamentum functionis Apostolis iniungendæ. & hac præfatione Apostolos erigit ad liberam animosamque huius muneris exsequendi fiduciam, quòd scirent se legatos eius qui omnium haberet imperium. DOCETE. μαθητεύσατε discipulate, id est, discipulos reddite; eius scilicet quæ seruari queant veritatis, à qua longè sunt alieni. Ponit omnes gentes tenebris ignorantiæ errorumque esse inuolutas, & nec Iudæos legis, nec gentiles sapientiæ studio, aut naturæ lumine, ad veritatis, qua salus constat, cognitionem peruenire posse. Iubet itaque eos doceri; doceri autem, ea vtique quæ ipse prior docuerat, quorum summa fuerat: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* sup. 4. v. 17. Doceri inquam *euangelium* (quod hoc loco exprimit Marcus) quo traditur *scientia salutis*, quam vocat Zacharias Luc. 1. v. 77., de Deo trino & vno, de verbo Dei incarnato, de redemtione generis humani per mortem Filij Dei, de remissione peccatorum, iustitia, & vita æterna obtinenda in nomine Christi, &c. OMNES GENTES. Data est mihi potestas omnis in cælo & in terra: præcipio igitur vt omnes gentes terræ vos doceatis, quas ego, si vobis obtemperauerint, cælo donabo. Nam vt in reliqua cæli & terræ, ita & in homines signanter, & gentes omnes, potestas ac dominium datum est mihi: quod olim mihi promissum (Psal. 2. v. 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*) iam meo sanguine mihi comparaui. Reliqua cæli & terræ subiecta sunt mihi merito humilitatis meæ: at homines gentesque omnes etiam iure redemtionis. Cùm enim illæ captiuæ subiaceant diaboli imperio, ego diabolo mea morte superato, & sanguine meo Deo Patri in pretium redemtionis earum oblato, eas mei

iuris esse feci, vt subiicere eas possim doctrinæ meę, & diaboli imperio ereptas regno meo adscribere. Quare Theophylactus: *Sic intelligit*, inquit, *Data est mihi omnis potestas, propriis meis certaminibus & laboribus seruaui omnes, & facti sunt mihi in sortem & peculiarem populum.* Quod autem dicit *omnes gentes*, opponit omnes gentes vni Iudæorum genti, & mandato hoc nouo rescindit vetus illud quod aliquando dederat *In viam gentium ne abieritis*, suprà 10. v. 5. Tunc enim, quasi peculiariter Iudæorum rex esset, Apostolos suos ad solos mittebat Iudæos, solosque Iudæos hoc beneficio dignabatur: nunc autem, per mortem & resurrectionem acquisito iure regnandi omnibus hominibus, mittit eos ad omnes gentes. *Docete*, inquit, *omnes gentes*, non solùm Iudaicam, sed & incircumcisas omnes. Nam quòd Iudæos non excludat, manifestum est ex eo quod Luc. 24. v. 47. addat *incipientes ab Ierosolyma*, & Act. 1. v. 8: *Eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa.* Quod autem gentiles Iudæis æquet, iubeatque exire Iudęæ fines ad spargendam per omnes mundi plagas salutis doctrinam, clarum est. Quare monstrat, solutum sua morte esse medium maceriæ parietem, quo hactenus regnum Dei intra Iudæorum fines septum continebatur: ideo enim longiùs nunc eius regni fines proferri iubet, *à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum* (Psal. 71. v. 8.) nec alios ecclesiæ, id est, regni Dei & sui in terris, quàm orbis terrę, fines ponit. Priùs in sola Iudæa notum Deum (Psal. 75. v. 2.) nunc vbique terrarum prædicari vult, & tam gentiles quàm Iudæos in societatem noui testamenti admitti; postremò vtrosque citra discrimen consortes fieri salutis à se Christo partæ, quippe *qui pax nostra sit, qui fecerit vtraq; vnum.* Ephes. 2. v. 14. Hoc prophetæ antè prædixerant, nominatim Isaias cap. 49. v. 6: *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ:* hoc vt Apostoli perfectum curent, hic mandat Christus. Quod quamquam non statim clarè intellexerint Apostoli, accedente tamen paulò post Spiritus sancti illustratione, & clarè intellexerunt, & gnauiter curarunt, Act. 10. v. 19. 20. 26. &c. Porrò sic præcipit Iesus omnes gentes doceri christianam fidem, vt etiam prædicat id futurum: quare cùm illud, per vndecim Apostolos eorumque auxiliatores, nec factum sit nec fieri potuerit, intelligere oportet, Iesum hîc, non solùm vndecim Apostolos alloqui, sed & illorum successores, vt hi perficerent, quod illi cœpissent. Huius enim verbi virtute fit etiamnum hodie, vt euangelij prædicatio penetret abstrusissimos orbis angulos, quarum gentes numquam cognitæ nobis fuissent, verisimile est, nisi ex Iesu præcepto & prædictione fuisset illic euangelium spargendum. vide suprà 24. v. 14. BAPTIZANTES. & baptizate i. aqua. id enim ex alijs Euangelij locis intelligitur, signanter ex illo Ioh. 3. v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* prę̨ter hoc quòd ipsa verbi proprietas, sacramenti materiam aquam esse declaret: βαπτίζειν enim mergere est, tingere, lauare, vt diximus suprà 3. v. 6. EOS. non refert *omnes gentes*, sed singulos ex omnibus gentibus, qui nimirum doctrinam vestram receperint; *qui crediderint*, quod exprimitur Mar. 16. v. 16., & quos pœnituerit vitæ prioris, quod additur Act. 2. v. 38. IN NOMINE. εἰς τὸ ὄνομα in nomen, id est, *in nomine*, vt Interpres explicuit, appellato seu inuocato nomine, quomodo exponit glossa interlinearis. Quidam *in nomine* interpretantur *auctoritate*, alij *virtute*, alij aliter: sed genuinam interpretationem esse, *inuocato nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*, loquitur traditio vsusque Ecclesiæ, quæ, & semper intellexit, Apostolis hic præscriptam hanc baptismi formam *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti*; & hoc sequuta, perpetuò hac forma est vsa, damnatis iis qui alia forma baptizare præsumerent. lege Augustinum lib 6. de baptismo contra Donatistas cap. 25. Porrò *nomine* dicit, non *nominibus*, vt doceat nos, Patris & Filij & Spiritus sancti, vnum esse nomen essentiale Dei (*Nomen enim trinitatis, vnus Deus est*, inquit Hieronymus) vt etiam vna virtus est Patris & Filij & Spiritus sancti, quæ in baptismo se exserit. *Vnum nomen trium*, inquit Euthymius, *denotat vnam sanctæ trinitatis naturam.* PATRIS, scilicet mei. ET FILII, id est, & meo. ET SPIRITVS SANCTI, ab vtroque nostrûm procedentis. Quemadmodum vno nomine indicatur vnitas naturæ in diuinis: ita tribus vocabulis, eisque connexis coniunctione, copulatiua diuersorum, significatur trinitas personarum. Hoc veteres plerique omnes annotarunt aduersus hæreticos sui temporis, Arium & Sabellium, quorum ille, in diuinis, naturæ vnitatem; hic, personarum pluralitatem negabat; nominatim, inter Latinos, Hilarius initio lib. 2. de Trinitate, & Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 14.; inter Græcos, Athanasius circa medium orationis tertię contra Arianos. Est verò hic locus, in sacris noui testamenti scripturis, facilè omnium clarissimus, quo doceatur, Deus, ita natura esse vnus, vt personis trinus. Nam quamuis & veteris testamenti scripturis hæc doctrina contineatur, non tamen ita clarè vt noui testamenti; prophetis diuinitus admonitis, populo illi rudi, & ad idololatriam Deorumque pluralitatem constituendam procliui, priùs inculcandam esse Dei vnitatem, & insculpendam vnius Dei fidem, quàm personarum trinitatem explicandam. Christo verò magni consilij angelo, reseruatum est, vt palàm prædicaret & miraculis adstrueret, Deum ita naturâ esse vnum, vt personis sit trinus, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnum esse Deum: quando, Iudæi quidem, fide vnius Dei planè imbuti, Gentiles autem ad eandem fidem per Iudæos toto orbe dispersos præparati, à Patris & Filij & Spiritus sancti personis agnoscendis abhorrere non deberent, si illi quidem sacras prophetarum scripturas scrutarentur, hi verò, præter veterem suum de Diis patribus & filiis errorem, naturæ lumen consulerent. Nam quamuis nequeat hoc mysterium solo naturæ lumine comprehendi, fide tamen creditum, naturæ lumine illustratur, iuxta illud Isaiæ 7. v. 9: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Vt enim alia omittam, Deus nequit intelligi, nisi qui seipso beatus sit, ac proinde qui intelligat ametque seipsum. Quemadmodum autem humana anima, intelligens seipsam, producit in seipsa imaginem suam, quam contemplans, producit vlterius ex se & imagine illa sua amorem sui: ita & Deus seipsum intelligens, vt semper seipsum actu intelligit. Sed in humana quidem anima, imago illa & amor ille naturâ differunt ab ipsa anima: in Deo verò, vt naturâ non differunt (quidquid enim est in Deo, Deus est) ita Deus est imago illa, vocaturque imago, verbum, ac filius (est enim viuens, à viuente procedens, secundùm rationem similitudinis eiusdem naturæ) & Deus est amor ille, vocaturque amor ac spiritus, quia procedit vt viua quædam impulsio seu motio, non secundùm rationem similitudinis, quamquam similitudo sit eius principium. Hoc aliisque huiusmodi exemplis à creatura acceptis, declarari aliquo modo potest, quomodo Deus naturâ vnus, personis sit trinus: sed non est nostri instituti hîc explicare sublimissimum illud SS. Trinitatis mysterium: sufficit admonuisse, claram illius notitiam demum emersisse in publicum

blicum ſub Chriſti regno: nam exortu euangelij claré Deus patefactus hominibus eſt in tribus perſonis, quando Pater in Filio, viua & expreſſa ſua imagine, conſpicuum ſe exhibuit: Filius verò ipſe, claro Spiritus ſui fulgore mundum irradians, & hunc & ſeipſum mundo cognoſcendum præbuit. Eſt verò huius loci, vt diſpiciamus, quare Ieſus, ante omnia baptizari voluerit, eos qui apoſtolicam doctrinam eſſent recepturi, & quare id in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Iam inde ab initio prædicationis ſuæ, baptiſmum inſtituerat Ieſus, vt ſacramentum, quo ij qui in ipſum crederent initiarentur, & numero diſcipulorum ipſius adſcriberentur, prout legimus diſcipulos Ieſu à principio baptizaſſe, Ioh. 4. v. 2. Nunc ablegans diſcipulos ſuos in mundum vniuerſum, iubet eumdem baptiſmum promulgari, præcepitque, vt Apoſtoli quidem eum adminiſtrent, ij verò qui Apoſtolorum doctrinam amplexuri eſſent recipiant, vt ſymbolum, quo profiteantur doctrinam ipſius, & diſcipulis atque eccleſiæ eius adſcribantur, denique ab aliis omnibus diſcernantur, quemadmodum hactenus circumciſione diſtincti fuerant Iſraelitæ ab alijs populis. Non dico aliam non fuiſſe cauſam inſtituti baptiſmi, aut hanc fuiſſe vel ſolam vel præcipuam, ſed hanc primam fuiſſe, vt eſſet ſignum externum & euidens receptæ recèns fidei religioniſque chriſtianæ, quo, velut teſſerâ militari, nouus populus & coaleſceret in vnum & agnoſceretur. Quapropter baptiſmus à S. Patribus ſacramentum fidei appellatur, quòd qui baptiſmum ſuſcipit, eo ipſo fidem chriſtianam profiteatur. Quo euidentius autem eſſet hoc ſignum, voluit Chriſtus baptiſmum fieri, inuocato diſertè nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, id eſt, expreſſo nominatim præcipuo ac ſummo fidei chriſtianæ capite, ex quo reliqui chriſtianæ fidei articuli profluunt, quos Apoſtoli ſuo ſymbolo explicuerũt. Fides enim Trinitatis, totius chriſtianę fidei eſt caput: quam profitetur vtique, qui baptiſmum recipit in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. *His euangelicis verbis, quibus baptiſmus conſecratur, conſtat ſymbolum*, inquit Auguſtinus lib. 6. contra Donat. cap. 25. (verſatur enim ſymbolum totum circa tres perſonas, eaque ratione diuiditur in tres partes) ſymbolum igitur profitetur quis, eo ipſo quo baptizatur. Ergo quemadmodum ſuper Iſraelitas inuocatum fuerat nomen Dei (Deut. 28. v. 10. Iſa. 63. v. 19. Iere. 14. v. 9.) quia vnius Dei cultum profitebantur: ita ſuper ſuos Ieſus iuſſit inuocari nomen Patris & Filij & Spiritus ſancti, tamquam ſacroſanctæ Trinitatis fidem cultumque profitentes: non quòd alius Deus eſſet Pater & Filius & Spiritus ſanctus, quàm fuerat Deus Iſrael, ſed quòd ſub alia ratione cognoſcendus eſſet à populo chriſtiano, quàm cognitus fuiſſet à populo Iſrael. Hæc vna cauſa fuit, propter quam Ieſus præcepit baptiſmum dari, inuocato nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: altera fuit, ne qui baptizarentur, humanum aliquid ſe accipere putarent, & non ſolùm homines, dicendo *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ*, ſed Deum ipſum quodammodo diuiderent, dicentes *Ego ſum Patris, ego ſum Filij*, ſi vnus in huius, alius in alterius perſonæ nomine baptizaretur. Iubet ergo vt baptizent Apoſtoli in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, vt declarent atque teſtentur, ſe, id quod faciunt, non propria auctoritate facere, ſed auctoritate Patris & Filij & Spiritus ſancti, vt non ipſorum, ſed Dei Trinitatis baptiſmus eſſe credatur. Poſtrema cauſa fuit, vt ſignificaretur, cuius virtute baptiſmus eſſet efficax, Patris inquam & Filij & Spiritus ſancti, quodq́; *quorum vna eſt Diuinitas, vna ſit largitio*, quod ait Hieronymus. Docemur enim eumdem nobis eſſe auctorem regenerationis, qui generationis, & ſingulas Trinitatis perſonas, vt ad ſalutẽ noſtram procurandam concurriſſe, ita ſalutis per baptiſmum nos reddere compotes, Patrem qui filium ſuum miſerit vt pro nobis moreretur, Filium qui baptiſmum inſtituerit & ſuo ſanguine irrigatum fœcundarit, Spiritum ſanctum qui animos intus mundet ac renouet, ſicut aqua exteriùs corpora. Iubemur ergo agnoſcere, cui ſalutem noſtram debeamus, & de quo pendere nos totos oporteat, vt perfectam ſalutem conſequamur, de Deo inquam trino & vno, nec magis de vna perſona quàm de alia: nam baptiſmo regeneramur in filios adoptionis Patri per Filium idq́; Spiritu ſancto. Hi tres ſunt vna præcipua cauſa effectuum baptiſmi, cætera omnia concurrunt vt inſtrumenta. Non enim ille ſolus baptiſmi effectus eſt, quem diximus, vt diſtinguat chriſtianos ab aliis, tamquam externum ſignum nihil in animam valens: verùm & alij plures ſunt effectus, humanam animam penetrantes ac renouantes, vtpote peccatorum remiſſio, fidei, ſpei, charitatiſque infuſio, aliorum donorum ſpiritualium largitio, ſalus denique, quod Mar. 16. v. 16. Chriſtus exprimit: de quibus non eſt nobis hîc agendum, vt nec exacta de baptiſmo diſputatio inſtituenda: ſufficiunt huic Scripturæ loco ediſſerendo quę diximus, ſi hoc vnum addamus, non ideo, quia Chriſtus dixit *docete baptizantes*, neceſſarium eſſe vt baptiſmus à docente conferatur, tamquam non ſit alius legitimus baptiſmi miniſter; quàm qui idem ſit miniſter verbi, & baptiſmo coniungi doctrina debeat, vt à qua efficaciam ſuam accipiat, quæ ſunt commenta Caluiniana: hæc enim omnia refutat vel ille Apoſtoli Pauli locus 1. Cor. 1. v. 17: *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.*

διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα [20] ἐνετειλάμην ὑμῖν. καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. ἀμήν.	docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.

DOCENTES. διδάσκοντες. Alia eſt vox græca verſu ſuperiori, vbi legitur *docete omnes gẽtes*, nempe μαθητεύσατε: diſcrimen hoc eſſe videtur, quòd μαθητεύειν ſit, docere eos qui à doctrina & magiſterio tuo ſunt alieni, ita vt reddas diſcipulos: διδάσκειν verò docere iam diſcipulos redditos, & magiſterio tuo addictos, tamquã præceptorẽ: quod diſcrimẽ loco optimè congruit. Iubet enim Ieſus, priùs, vt gentes à Deo & veritate alienæ veritatẽ doceantur: deinde poſtquã veritati colla ſubdiderint, doceantur præcepta vitę Deo ac veritate dignæ. *Ordo pulcherrimus*, inquit Hieronymus (*pulcherrimus* enim lego ex Druthmaro, non *præcipuus*) *Iuſsit Apoſtolis, vt primùm docerent vniuerſas gentes, deinde fidei intingerent ſacramento, & poſt fidem ac baptiſma quæ eſſent obſeruanda præciperent.* Ante baptiſmum docenda eſt veritas euangelica, docenda ſunt ea potiſſimùm quæ ſunt fidei, poſt baptiſmum ea quæ ſunt morum. *Docentes* autem, non oratione tantùm, ſed & vita (quemadmodum ego, quidquid docui, rebus ipſis præſtiti) nec tantùm oratione ac vita, verumetiam correptione corre-

ctioneque, vbi opus est, adhibita, tamquam præceptores ac rectores. Eos, qui ex gentibus veritatem euangelicam docti & baptizati fuerint. SERVARE. obseruare. Non dicit scire & intelligere: licet enim scientia mandatorum Christi necessaria sit, tamen, non in eo vt sciant fideles Christi mandata, finis doctori collocandus est, sed in eo vt obseruent. OMNIA. nihil enim prætermittendum est eorum quæ sunt mandata, postquam, *qui offendit in vno, fit omnium reus.* Iac. 2. v. 10. MANDAVI VOBIS, vt & vos obseruaretis, & ab iis, qui meæ ecclesiæ per baptismum inserendi essent, obseruari curaretis. Hæc est altera doctrinæ christianæ pars, vt qui docti & baptismo professi fuerint fidem Domini Iesu, doceantur obseruationem mandatorum eiusdem. *Neque enim sufficiunt*, inquit Euthymius, *ad salutem, baptismus & dogmata, nisi etiam Deo digna conuersatio accedat.* Porrò quæ sint illa mandata sua Iesus non exprimit, volens nimirū, vt Apostolis, affirmantibus hæc illáve esse Domini mandata, credatur. Cæterùm facilè intelligitur loqui de præceptis vitæ christianæ, quorum pleraque sermone Domini in monte, suprà capitibus 5. 6. 7., comprehensa sunt, alia passim in euangeliis & apostolicis epistolis leguntur. Sed non est mens Iesu, vt sola ea seruare iubeantur christiani, quæ ipse per se disertis verbis præscripserat Apostolis, verùm vt ea etiam ad quæ statuenda Apostolis dederat auctoritatem, quæ Paulus *Domini mandata* appellat 1. Cor. 14. vers. 37. Vetat quidem ne humana commenta fidelibus obtrudantur, quæ vel contraria sint ipsius mandatis, vel ab iis aliena: sed quæ Apostoli ipsi, aut eorum successores, auctoritate ipsis à Christo Domino relicta, instigante Spiritu sancto, constituerint, vult non minùs obseruari, quàm ea quæ suo ipse ore Apostolis ediderat. Quare non tantùm præcepta vitæ christianæ quæ in Scripturis exstant, vt obseruent docendi sunt iam baptizati, verùm ea etiam quæ sunt de vsu Sacramentorum eucharistiæ ac cæterorum, & alia quæ ad ecclesiasticam politiam pertinent, atque in summa, ea omnia quæ necessaria sunt vt quis se gerat sicut decet membrum Ecclesiæ Christi: de qualibus Paulus, postquā statuisset, vt, si quis esuriret, domi manducaret, non in ecclesia Dei: *Cætera*, inquit, *cum venero disponam.* 1. Corinth. 11. v. 34. Rursus vbi prohibuisset, ne mulieres in ecclesia orarent aperto capite: *Si quis*, ait, *videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.* 1. Cor. 11. v. 16. Denique cùm vetasset, ne mulieres in ecclesia loqui permitterentur, subiecit: *Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat, quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* 1. Corinth. 14. v. 37. Dum igitur ait Christus, *quæcumque mandaui vobis*, sub iis, quæ mandauit, intelligi vult & ea quæ mandabit, per eos quibus mandandi auctoritatem relinquit, Apostolos eorumque successores. Sed hîc quæri posset, An præcepta vitæ christianæ, & quæ sunt morum, non sunt docenda etiam ante baptismum? sunt proculdubio, quatenus necesse est ad morum conuersionem, & abrenunciationem sathanæ eiusque pomparum, quæ requiritur ante baptismum, quemadmodum docet D. Augustinus libri de fide & operibus cap. 6. 7. verùm exacta doctrina de ducenda vita vocatione digna, consistente in exercitio omnis generis virtutum, in vsu cæterorum sacramentorum præsertim eucharistiæ, & in obseruatione denique sacrorum canonum, à baptismo demum traditur. Sed nec ea, quæ sunt fidei, ita iubentur ante baptismum doceri, vt non etiam post (nam quæ ante baptismum recepta & credita fuerant, ea post baptismum sunt inculcanda, & latiùs explicanda atque interpretanda) verùm sermo Domini naturæ ordinem imitatur, qui habet, vt primùm quis doceatur veritatem, deinde receptam profiteatur, postremò viuat vt dignum est ea quam sequitur veritate. ET ECCE. Occurrit Christus obiectioni: Poterant dicere Apostoli, Emittis nos in mundum vniuersum, vt doceamus omnes gentes, & baptizemus, ac ex præscripto tuo regamus quicumque crediderint ex omnibus gentibus. Tu verò nos relinquis, ascendis enim ad Deum Patrem tuum, vt ais. Quomodo ergo nos, idiotæ, ineruditi, humiles, imbecilles, pauci numero, & à nobis mutuò adhæc separati, absque te, obire poterimus arduum hoc munus quod iniungis, præsertim cùm Iudæos, & mundum vniuersum, aduersarios haud dubium passuri simus? Respondet Christus: *Ecce.* aduertite & imis cordibus reponite, quam promitto, rem veram, quamquam oculis non subiiciendam. Attentos reddit.

EGO qui vos mitto, *cui data est omnis potestas in cælo & in terra, qui mundum vici* (Iohan. 16. v. 33.) *in quo princeps huius mundi non habet quidquam* (Iohan. 14. vers. 30.) cui Pater promisit fore, *vt poneret omnes inimicos meos scabellum pedum meorum* (Psalm. 109. v. 1.) Ergo emphaticè legendum est hoc pronomen *ego*, ac si diceret, non respiciendum esse quid ipsi possint, sed inuicta ipsius potestate nitendum, cuius auspiciis mittuntur. VOBISCVM peragentibus quod iniungo, proficiscentibus quocumque terrarum, docentibus, prædicantibus Euangelium meum, ecclesiam meam colligentibus, pascentibus, regentibus, ob hæc denique laborantibus, & afflictiones persecutionesque varias patientibus. SVM. id est, ero: sed vtitur præsenti tempore, vt significet, se, labente huius seculi tempore non mutandum, at eumdem semper fore, æquè & paratum & potentem suis adesse; se inquam Deum esse, qui semper est & numquam mutatur, & ne secundùm humanam quidem naturam mutandum, quæ iam immortalis sit reddita. Vobiscum autem ero, id est, vobis adero. Non loquitur de præsentia visibili, nec de corporis præsentia etiam in sacramento, sed de præsentia spiritali & inuisibili. Quamquam, inquit, hoc corpus subducturus sum in cælum, eiusque præsentiam, secundùm propriā speciem, subtracturus vestris oculis, eò quòd sic expediat vobis: non tamen vos deseram, sed perpetuò vobiscum manebo vobisque adero, auxilio scilicet, fauore, & gratia mea. Ad hunc modum, Act. 7. v. 9., dicitur Deus fuisse cum Ioseph vendito, & Ierem. 1. v. 8. Ieremiæ detrectanti prophetæ officium promittit Dominus: *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum vt eruam te. Ne mihi* (inquit Chrysostomus) *rerum difficultatem dixeritis, ego enim vobiscum sum, qui facilia omnia reddo. Istud & in veteri testamento subinde prophetis dicebat, & Ieremiæ pueritiam causanti, & Mosi & Ezechieli subterfugientibus, Ego sum vobiscum: quod & hoc loco istis dixit.* Sed ad quid promittit Christus Apostolis præsentiam auxilij, fauoris, & gratiæ suæ? vt arduum illud quod iniungit munus, disseminandi per orbem terrarum euangelij, & colligendæ regendæque Ecclesiæ, obeant, nihil obstantibus mundi contradictionibus persecutionibusq;. *Nolite* (inquit Prosper lib. 2. de voca. gent. cap. 1.) *de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos in hoc opere non derelinquam, non ad hoc vt nihil patiamini, sed, quod multo maius est, præstiturus vt nulla sæuientium crudelitate superemini.* Ego, ait Luc. 21. v. 15., *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Atqui hæc alibi Iesus attribuit Spiritui sancto. Luc. 12. v. 12: *Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.* Iohan. 14. v. 16: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat*

vobiscum

vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Illic Spiritum sanctum, hîc se, promittit cum Apostolis semper futurum: hîc se, illic Spiritum sanctum, pollicetur instructurum sermone cõgruo Apostolos inter aduersarios deprehensos. Intelligere ergo licet, quod hîc promittit præsentiam auxilij ac gratiæ suæ, vix aliud esse, quàm quod alibi promittit Spiritum sanctum: indiuisa sunt enim dona SS. Triados, quamquam vni personæ familiariùs attribuantur quàm alij. Spiritus sancti gratia, quasi extenta manu, suos iuuat Christus, eisq; adest in omnibus, quæ necessaria sunt, ad colligendam, pascendam, & regendam ecclesiam. Cælestis ergo præsidij fiducia Apostolos animat, pollicens eis suam vbique per vniuersum orbem, præsentiam, opem, & gratiam.

OMNIBVS DIEBVS. omni tempore, absque omni temporis interuallo, citra interruptionem.

VSQVE AD CONSVMMATIONEM. vsque ad finem SECVLI huius mortalis. vide suprà 13. v. 39. More suo alloquitur Apostolos, tamquam victuros ad finem vsque mundi, quòd incertum omnibus esse vellet illud tempus: quare nos, qui videmus Apostolos non vixisse vsque ad finem mundi, intelligimus, quòd, in Apostolis, hîc loquutus sit etiam Apostolorum in hoc munere successoribus, promittens, *& hos semper esse victuros*, quod ait Hieronymus, id est, ad consummationem vsque mundi, fore, qui, verbi Dei prædicatione, ecclesiam christianam ex gentibus congregent, & qui congregatam pascant ac gubernent, *& se numquam ab eis recessurum*, semper eis adfuturum, auxilio, gratia, ac Spiritu suo sancto, vt disseminent euangelium, ita vt ab omnibus mundi gentibus audiatur, quantumuis repugnante mundo, vt credentes ex qualibet gente in ecclesiam ipsius adducant, vt denique adductos, sacramentorum administratione, doctrina sana, & salutaribus monitis, pascant, regant, atque ad salutem æternam perducant. Hæc autem duo dum promittit, semper inquam futuros piscatores ac pastores ecclesiæ suæ, vt semper se eis adfuturum, promittit consequenter, & ecclesiam suam semper futuram, *ad consummationem vsque seculi*, id est, tot annis & seculis quot seculum ipsum stabit, & eam numquam aberraturam à veritate cælestis doctrinæ, vt cuius præfectis semper sit adfuturus, gratiâ ac Spiritu suo sancto, ita vt numquam simul omnes tradant aliud quàm sanam fidei morumque doctrinam. Hinc ergo clarè discitur, & œcumenicorum conciliorum auctoritas, & ecclesiæ christianæ, ex quo semel à Christo super Petrum petram fundata est, perpetuitas: vt pudere hæreticos nostri temporis oporteat, iactantes, euangelium quod multis annorum centuriis latuerit, à se demum in lucem esse prolatum, & ecclesiam dudum collapsam, à se esse restitutam, quod est contra manifestam Christi hoc loco promissionem. Cæterùm, promittens se cum suis fore vsque ad seculi consummationem, non vult intelligi, se post seculi consummationem cum suis non fore: sed exprimens tempus illud de quo poterat dubitari (dubitari enim poterat, an postquam subtraxisset suis visibilem præsentiam, & abiisset ad Patrem in cælum, id quod iamiam parabat, adforet suis peregrinantibus & militantibus in hoc seculo) relinquit intelligendum, id de quo dubitari non poterat, post huius seculi consummationem, quando ipse visibili cum corpore iudicandi causa reuersus, iustos donauerit regno cælorum, quod aliàs promiserat (suprà 25. v. 34.) multo magis cum eis futurum. vide suprà 1. v. 24. vbi hanc loquendi formam latiùs explicuimus. Tunc enim modis omnibus cum eis erit, non vt auxilietur laborantibus, sed vt perfunctos laboribus coronet, & sui ac Patris & Spiritus sancti contemplatione æternùm beatos reddat. *Consummationem ipsis in memoriam reuocat* (inquit Chrysostomus) *vt magis ipsos attrahat, & vt præsentia tantum mala non spectent, sed & futura bona eáque perpetua*. Congruè autem Matthæus, euangelium suum finit his Christi verbis, tamquam nouissimis, vt sciatur, officium euangelij prædicandi, post Christi mortem à Christo aliis fuisse commissum: & sic Christum, relicta hac vita, cælos petiuisse, vt suis numquam desit, ope, & gratia, donec visibilis redeat, vt iudicet seculum, & illos ad se assumat. Græcè & syriacè coronidis loco additur *Amen*: quo solent Hebræi libros suos finire, &, velut sigillo adhibito, testari dictorum omnium veritatem.

FINIS EVANGELII
SECVNDVM MATTHÆVM.

GLORIA ✠ SOLI DEO HONOR ET

FRANCISCI LVCAE BRVGENSIS DECANI AVDOMAROPOLITANI IN SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM COMMENTARIVS.

Εὐαγγέλιον κατὰ Μάρκον. Euangelium ſecundùm Marcum.

CAPVT PRIMVM.

Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ χριστοῦ, υἱοῦ τοῦ θεοῦ. Initium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei.

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM, id eſt, hiſtoria euangelica quæ ratione à Marco deſcripta eſt. vide Matth. 1. v. 1. Marcus Iſraëlita, ex tribu Leui oriundus, Petri Apoſtoli filius religione (1. Pet. 5. v. 13.) diſcipulus & interpres, rogatus Romæ à fidelibus, vt priuſquam aliò auocaretur, quæ ex Petri prædicantis ore audierant acta Ieſu Saluatoris, ipſe ſcripto committeret; Anno ab aſcenſione Domini decimo, breue ſcripſit Euangelium. Illud Petrus cùm legiſſet, à ſe probatum Eccleſiæ ſua auctoritate legendum tradidit. Accedit proximum Euangelio ſecundùm Matthæum, ſed vt non vtitur eodem ordine, ita addit nonnulla, plura omittit: & quamuis breuius ſit, hiſtorias tamen pleraſque fuſiùs narrat. Nam in recenſendis doctrinis, parcius eſt. Qua autem lingua ſcripſerit hoc Euangelium Marcus, adhuc ſub iudice lis eſt. Annales Cæſaris Baronij, multis probare conantur, quòd ſcripſerit ſermone proprio iis à quibus fuerat rogatus, hoc eſt, latino, quem tamen & in Græcum conuerterit. Teſtantur id Syri non obſcurè, qui calci huius Euangelij ſubdunt huiuſmodi coronidem: *Finit Euangelium ſanctum, euangelium Marci, quod locutus eſt & euangelizauit Romæ Romanè*. Cæterùm vt ſcripſerit Marcus latinè, non tamen latinus textus Euangelij ſecundùm Marcum, quo iam vtitur Eccleſia, Marci autographum aut primigenius Marci ſermo eſt: fit enim claro clarius, conferenti inter ſe ipſa quatuor Euangelia, latinum quod habemus Marci Euangelium, non minùs ex græco verſum eſſe, quàm cætera, & quidem etiam ab eodem vetere Interprete à quo cætera. Nam idem vertendi modus ac ratio, & eædem phraſes ac ſolœciſmi (græcè enim doctior fuit Interpres quàm latinè) quales non facilè inueniantur cum alio auctore communes, in Marco paſſim occurrunt qui in cæteris. Nihil familiarius Interpreti quàm ex græco ὅτι transferre *quoniam* vel *quia*, cùm foret omittendum aut mutandum cum *quod*: iam hoc in Marco non minùs obuium eſt quàm in reliquis Euangeliſtis. Vocem δαιμονιζόμενος non minùs hîc quàm alibi reddit *dæmonium habens*, cùm poſſet *dæmoniacus* (Matth. 4. v. 24. 8. v. 16. Mar. 1. v. 32.) *languorem* transfert ex νόσος, quod propriè eſt *morbus* (Matth. 4. v. 23. 10. v. 1. Mar. 1. v. 34.) pro εἰς τὸ πέραν vbique dicit *trans fretum* Matth. 8. v. 18. & 14. v. 22. Mar. 5. v. 1. 21. & 6. v. 45. & 8. v. 13.) κώμην vertit *caſtellum*, ἐξουσίαν *poteſtatem*, ἐσθίειν *manducare*, σῶσαι *ſaluum facere*, διαλογίζεσθαι *cogitare*: compluraque alia obſeruare licebit, ex quibus intelligatur quod dico. latinum quod exſtat Euangelium ſecundùm Marcum, eſſe veteris Interpretis ex græco verſionem. Cæterùm non hinc rectè colligas Marcum non ſcripſiſſe latinè, quemadmodum nec ex ſimili rectè colligas Matthæum non ſcripſiſſe hebraicè: niſi quòd magis mirandum foret, latinum Marci Euangelium periiſſe, quam Matthæi hebraicum. EVANGELII illius fauſti vereque læti & omnibus amplectendi ſalutis nuntij. vide Matth. 1. v. 1. IESV. his nouiſſimis temporibus à Ieſu in mundum allati & reipſa exhibiti. CHRISTI FILII DEI. Hæc eſt ſumma euangelicæ fidei (cuius veritatem hac ſua hiſtoria ſtatuit Euangeliſta oſtendere) hæc fides Petri de Ieſu, Ieſu ore probata ac laudata Matth. 16. v. 16., vbi illa enarrata eſt. Honoratiorem certè fideque digniorem legatum mittere non potuit Deus quàm filium ſuum. *Initium* itaque *euangelij Ieſu* ſ. huiuſmodi fuit, ſic ſe habuit, tale fuit quale ſequitur. Nam *lex & prophetæ vſque ad Iohannem*: à Iohanne autem incipit Euangelium regni cælorum. Matth. 11. v. 12. 13. Docet itaque Euangeliſta, Euangelij initium fuiſſe, pœnitentiç denunciationem, Iohanne Baptiſta præcone factam: nam cætera quæ ab aliis ante eam prædicationem acta narrantur, præambula Euangelij fuere.

Mal. 3. v. 1. Matth. 11. v. 10.

Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

2 ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατεσκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

SICVT SCRIPTVM EST. q. d. Non fortuitò, sed diuina dispensatione; non adinuentione noua, sed consilio longè antè à prophetis prænunciato, Deo fidem suam liberante. IN ISAIA PROPHETA. in libro Isaiæ prophetæ. *ἐν τοῖς προφήταις in prophetis* est græcè: sed à quibusdam exemplaribus legi *ἐν ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ*, idque verum esse, docemus in Notis. Duo prophetica vaticinia, prius Malachiæ, quod hoc versu, posterius Isaiæ, quod proximo versu continetur, in vnum à se conflata, Euangelista compendio vsus, vni Isaiæ tribuit, antiquiori, celebriori, modisque omnibus potiori, tamquam vaticinium vnum quod ad sensum & rem attinet: vnam enim rem vno sensu pronunciant, seque mutuò & confirmant & explicant. Nam angeli ante Christum missi, clamantis admonentisque omnes vt parent viam Domini & rectas faciant semitas eius, Vox, ea est quæ Christo subsequenti viam præparauit. Reliqua ad huius versiculi explicationem necessaria, petantur ex Matth. 11. v. 10., vbi, ex ore Saluatoris, Matthæus eisdem verbis laudat hanc Malachiæ prophetiam, quibus hîc Marcus.

Isa. 40. v. 3. Matth. 3. v. 3. Luc. 3. v. 4. Iohan. 1. v. 23.

Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

3 φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.

PARATE. Eadem voce hîc vtitur Isaias, qua suprà pro *præparabit* Malachias, videlicet פנה *pinna*, quæ est, expurgare, parare. Reliqua pro huius versus enarratione quære Matth. 3. v. 3.

Luc. 3. v. 3.

Fuit Iohannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

4 ἐγένετο ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

FVIT. Ab initio secundi versus hactenus pendet sententia: *Sicut scriptum est in Isaia*, &c. ita *fuit Iohannes in deserto baptizans*, &c. quam duritiam orationis, si quæ est, compensat grauitas. IOHANNES cognomine Baptista, Christi prænuntius. Huius nomen celebrius esse nouerat Euangelista, quàm vt exordium esset altiùs petendum. IN DESERTO Iudææ. vide Matth. 3. v. 1. BAPTIZANS. Græcè alio ordine legitur: *Baptizans in deserto*. Syrum conuenit cum latino. Fuit autem vel erat baptizans, id est, baptizabat, aqua tingebat corpora hominum eorum qui se offerrent. ET PRÆDICANS. & prædicabat. baptismo & prædicatione viam Christo Domino præparabat, & legitima pœnitentia ab omnibus præparandam clamabat. Ordo præposterus verborum, pro *prædicans & baptizans* (baptismum enim præcessit prædicatio, & baptismi prædicationem prædicatio pœnitentiæ) nisi intelligas, baptizans eos qui se offerrent, & prædicatione alios omnes inuitans: quamquam nullus se offerret nisi prædicatione excitatus. BAPTISMVM POENITENTIÆ. baptismum cum pœnitentia coniunctum & pœnitentiæ testimonium ac professionem: adhortatus enim est omnes ad pœnitentiam (*Pœnitentiam agite*, fuit pars vna prædicationis ipsius. Matth. 3. v. 2.) & ad testendam profitendamque pœnitentiam suscepto à se baptismo. Hæc est ratio, cur *baptismus pœnitentiæ* vocetur, etiam Act. 19. v. 4. Quid sit pœnitentia, dictum est illo loco Matthæi. IN REMISSIONEM PECCATORVM, ad obtinendam remissionem peccatorum, ad quam disponeret pœnitentia, ipsam verò concessurum esset proximè instans *regnum cælorum* (quod erat altera pars prædicationis ipsius; cuius, regni inquam cælorum, initium primusque fructus est remissio peccatorum) concessurum autem esset per baptismum quem Christus rex cælorum appropinquans daturus esset. Non enim prædicabat Iohannes remissionem peccatorum obtinendam per baptismum suum, quem aqua sola nudaque constare ingenuè profitebatur: nec solùm baptismum suum, sed & baptismum Christi prædicabat, quem suadebat vt etiam susciperent, ad Christum vbi mox adforet fide accurrentes (Act. 19. v. 4.) tamquam perfectionem baptismi sui, vt qui non sola aqua, vt suus baptismus, sed & Spiritu sancto abundaturus esset (infrà v. 8.) à quo solo est remissio peccatorum, per Christum agnum Dei auferentem peccata mundi (Iohan. 1. v. 29.) Quare Apostolus Paulus baptizari iussit etiam baptismo Christi, eos qui à Iohanne fuerant baptizati. Act. 19. v. 5.

Matth. 3. v. 5. 6.

Et egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ierosolymitæ vniuersi: & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua.

5 καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ ἰουδαία χώρα, καὶ (οἱ ἱεροσολυμῖται), καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες ἐν τῷ ἰορδάνῃ ποταμῷ ὑπ' αὐτοῦ, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.

ET. id est, tunc. OMNIS IVDÆÆ REGIO, plures enim erant regiones Iudææ generaliter acceptæ, videlicet, Iudæa, Galilæa, Peræa, &c. Græcè est *πᾶσα ἡ ἰουδαία χώρα* omnis Iudæa regio, per appositionem, pro tota Iudaica regio. ET. nominatim IEROSOLYMITÆ. Syrus, filij Ierusalem, quod est, ciues. VNIVERSI.

pleri-

pleriqúe omnes. Meliùs hoc loco legitur latinè & syriacè *vniuersi siue omnes*; quàm proximo græcè: ET BAPTIZABANTVR *omnes*. AB ILLO Iohanne. Reliqua lege Matth.3. v.5.6.

ἦν δὲ ὁ ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, καὶ ἐσθίων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον.	6 Et erat Iohannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius: & locustas & mel siluestre edebat. *Matth.3. v.4.*

ET ERAT. Erat autem. PILIS CAMELI. netis & contextis. Nere enim solent pilos camelorum in Palestina & iis regionibus quæ hoc genere animalis abundant. ZONA PELLICEA. Vel est primus casus, & subauditur *erat*; vel sextus, & subauditur *vestitus erat*, *eius*q; positum est pro *suos*. hoc consentaneum est græco. EDEBAT. habebat pro cibo. Reliqua lege Matth.3.v.4.

καὶ ἐκήρυσσε λέγων· ἔρχεται ὁ ἰσχυρότερός μου ὀπίσω μου, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ.	7 Et prædicabat dicens: Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbēs soluere corrigiam calceamentorum eius. *Matth.3. v.11. Luc.3. v.16. Iohan.1. v.15.27. 30.*

DICENS. inter alia hoc præcipuè. VENIT. proximè adest. FORTIOR ME. ἰσχυρότερός μου qui fortior me est. POST ME. venit post me, id est, sequitur me. PROCVMBENS humi. κύψας inclinatus. Facit ad exaggerationem vox ista. CORRIGIAM. lingulam seu vinculum scorteum. *Soluere corrigiam calceamentorum eius*. id est, excalceare eum, à parte totum: soluenda enim sunt calceamenta antequam extrahi possint. Sententia idem vnum est hoc, cum eo quod Matthæus dicit *calceamenta portare*: nec dubium est quin Iohannes, vt sæpius istud repetiuit, nunc his nunc illis verbis fuerit vsus. EIVS additur ex phrasi hebraica, Latinis superfluum. Reliqua lege Matth.3.v.11.

ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα ὑμᾶς ἐν ὕδατι· αὐτὸς δὲ βαπτίσει ὑμᾶς ἐν πνεύματι ἁγίῳ.	8 Ego baptizaui vos aqua: ille verò baptizabit vos Spiritu sancto. *Matth.3. v.11. Luc.3. v.16. Iohan.1. v.26.*

EGO. græcè additur μὲν quidem. Reliqua lege Matth.3.v.11.

καὶ ἐγένετο ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, ἦλθεν ὁ ἰησοῦς ἀπὸ ναζαρὲτ τῆς γαλιλαίας, καὶ ἐβαπτίσθη ὑπὸ ἰωάννου εἰς τὸν ἰορδάνην.	9 Et factum est in diebus illis, venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Iohanne in Iordane. *Matth.3. v.13. Luc.3. v.21.*

ET FACTVM EST. accidit. Genus loquendi familiare Hebræis: vbi narrare aliquid singulare aggrediuntur. ILLIS quibus Iohannes baptizabat, & in hunc modum prædicabat propinquum Christi aduentum. VENIT. præteriti temporis est. A NAZARETH. vbi fuerat educatus & priuatam hactenus vitam duxerat ad virilem vsque ætatem: vnde Nazarenus est dictus. GALILÆÆ s. oppido. IN. εἰς pro ἐν vt & aliâs. Reliqua quære Matth.3. v.13.

καὶ εὐθέως ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, εἶδε σχιζομένους τοὺς οὐρανούς, καὶ τὸ πνεῦμα ὡσεὶ περιστερὰν καταβαῖνον ἐπ' αὐτόν.	10 Et statim ascendens de aqua, vidit cælos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem & manentem in ipso. *Matth.3. v.16. Luc.3. v.21.22.*

ET STATIM ASCENDENS. qui mox vt ascēdebat. s. Iesus, nam & proximo versu sermo ad Iesum dirigitur. Possit etiam suppleri Iohannes, quemadmodum secundùm Matthæum: nam & Iohannes, vt baptizaret, in fluuium descenderat. APERTOS. σχιζομένους scindi, findi, diduci. ET MANENTEM. certissimo argumento virtutis diuinæ in ipso manentis ad munus exercendum, cuius caussa missus erat in mundum. Hæ duæ voculæ non leguntur siue græcè siue syriacè. Quidam putant latinis libris huc adscriptas ex Iohan.1. v.33., ego puto eas deesse græcis ac syricis libris, quas græcus ac vetus Auctor homiliarum in Marcũ Chrysostomo adscriptarum disertè & legit & explicat; sicut & latinus ille cuius commentarius in Marcum exstat inter opera D.Hieronymi. IN IPSO. ἐπ' αὐτὸν super ipsum vel se. s. Iesum. Reliqua leges Matth.3.v.16.

καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῶν οὐρανῶν· σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα.	11 Et vox facta est de cælis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui. *Matth.3. v.17. Luc.3. v.22.*

VOX FACTA EST s. huiusmodi ad Iesum. TV quem emisso spiritu meo demonstro. Alloquitur Iesum filium suum Pater, cui vt homini, huiusmodi beneuolentiæ significatione, animum vult addere, aggredienti difficillimum illud ad quod ipsum emittit, procurandæ hominum salutis opus, vt memor paterni erga se amoris, constanter viriliterque agat, certus, cùm in pretio sit Patri, in nullis rerum difficultatibus se relinquendum. IN TE. ἐν ᾧ in quo, mutata persona: verùm in aliis exemplaribus est ἐν σοί. Reliqua enarrata sunt Matth.3.v.17.

Matth.4. v.1. Luc.4.v.1

Et statim spiritus expulit eum [12] in desertum.

καὶ εὐθὺς τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον.

STATIM, audita hac voce. SPIRITVS sanctus qui in ipsum descenderat & in eo manserat. EXPVLIT. ἐκβάλλει expellit, eiicit ex eo loco. Non est intelligendum fuisse illum quasi inuitum aut reluctantem extrusum, sed diuinæ virtutis motu atque impulsu ad tempus ex hominum cõspectu abreptum. Spiritus sanctus subitò quocumque vult hominem rapit, non quòd vim faciat hominis voluntati, sed quòd hominem mox volentem reddat. Quidam vertunt *emittit*, vt Matth. 12. v. 35. Ioh. 10. v. 4. IN DESERTVM. vt soli essent in palæstra Christus & Antichristus. Reliqua huc facientia petenda sunt ex Matth. 4. v. 1.

Matth.4. v.1.2.11. Luc.4.v.2.

Et erat in deserto quadraginta [13] diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana: eratque cum bestiis, & angeli ministrabant ei.

Καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡμέρας τεσσαράκοντα, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ σατανᾶ· καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων, καὶ οἱ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ.

ET ERAT. Erat itaque, id est, agebat continuè. *ibi illic* additur græcè & syriacè, quamquam necesse non sit, cùm sequatur *in deserto*. ET QVADRAGINTA NOCTIBVS. Vt græca & syra partem hanc omittunt, ita existimant quidam ex Matthæo latinis codicibus adscriptam. Ego id nolim sequi, sed potiùs intelligere, ex noctium mentione, hîc continuam habitationem, vt in Matthæo continuum ieiunium: ne, sub noctem deserto egressum, putes quæsiuisse pernoctationem commodiorem. ET TENTABATVR. i. eo tempore, illis diebus ac noctibus. Sic D. Augustinus lib. 2. de consf. cap. 16. Græcè non legitur coniunctio *&*, sed tantùm πειραζόμενος participium passiuum præsens, quale cùm latinè in vsu non sit, liceat vti ad illius expressionem præterito *tentatus*; aut circumloqui, *tentationem patiens*, vt quidam; vt alij, *tentante eum Satana*, passiuo in actiuum mutato. Syro similiter non est coniunctio, sed aduerbium temporis cum participio passiuo, quod reddas, *quando tentabatur à Satana*. Ex hoc itaque loco intelligitur, Iesum non tantùm peractis quadraginta diebus, quod narrat Matthæus, verumetiam labentibus, variè & frequenter à Satana fuisse tentatum. Et licet Origenes hom. 29. in Lucam dicat nesciri quę fuerint illa tentamenta, coniiciunt tamen quidam, fuisse tentatum, terroribus & difficultatibus, monstris, spectris, & nocentum animantium frequentibus copiis, obiectis. Matthæus & Lucas speciatim narrant tres insignes tentationes: quæ tametsi acciderint postridie quadraginta dierum, rectè tamen & ipsæ ad quadraginta dies referuntur, vt quæ minimùm distent: ideoq. à Marco generatim cum reliquis sunt comprehensæ. His autẽ quadraginta diebus ac noctibus, quibus diabolus Iesum tentauit, intelligit V. Beda significatum totum seculi huius tempus, tẽpus inquam militiæ, id est, vitæ humanæ, quo numquam cessat diabolus fideles tentare, siue affulgeant prospera, siue tenebras offundant aduersa. ERATQVE CVM BESTIIS. & versabatur inter bestias feras. Notatur, tum maxima loci solitudo, tum libera atque illæsa Iesu innocentia. Non in domestico deserto agebat, proximo hominum habitationi, sed in inculto, horrido, inuio, & hominibus inaccesso, procul ab omni mortalium solatio, vbi feræ bestiæ liberæ ab hominum infestatione degebant, leones, vrsi, lupi, pardi, serpentes, quales sunt in solitudinibus eius regionis frequentes: à quibus tamen ipse nequaquam lædebatur, sed erat potiùs ipse illis formidabilis, quemadmodum ante peccatum Adam: nec tantùm ei non nocebant, verumetiam applaudebant, agnoscentes in ipso & Dei virtutem & primæuam hominis innocentiam. ET ANGELI. tandem autem exactis quadraginta diebus & superatis tentationibus, angeli agnoscẽtes Dominum suum, victorem satanæ, hostis communis. MINISTRABANT ILLI cibum & cætera. Itaque omnis natura testata est Iesum esse Filium Dei, eundemque hominem omnium sanctissimum ac Deo dilectissimum; Iohannes baptizans & prædicans, Spiritus sanctus è cælo descendens, Pater cælitus loquens, diabolus tentationibus nihil proficiens, feræ bestiæ applaudentes, Angeli ministrantes. Hoc igitur initium fuit Euangelij Iesu. Reliqua quære Matth. 4. v. 1. 2. 11.

Matth.4. v.12.17. Luc.4. v.14. Iohan.4. v.3.

Postquam autem traditus est [14] Iohannes, vênit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei,

μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ,

PRÆDICANS. & prædicauit ac disseminauit illic. ita resoluit Syrus. vide Matth. 4. v. 17. EVANGELIVM REGNI DEI. fœlix nuntium promittens hominibus cæleste regnum Dei. De regno Dei siue cælorum lege Matth. 3. v. 2. Iohannis prædicatio fuit initium Euangelij: Iesu prædicatio fuit ipsum Euangelium. Reliqua quære Matth. 4. v. 12.

Matth.4. v.17.

& dicens: Quoniam impletum [15] est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitemini & credite Euangelio.

καὶ λέγων· ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρὸς, καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.

QVONIAM, id est, in hæc verba, aut certè superest. IMPLETVM EST TEMPVS. venit plenitudo temporis, adest tempus illud à Deo præfinitum, patribus promissum, à prophetis prædictum, pluribus legis typis præfiguratum, à fidelibus omnibus hactenus summis votis desideratum, tempus inquam salutis per Christum exhi-

exhibendæ. *Lex & propheta vsque ad Iohannem.* Matth. 11. v. 13. ET. pro nam. APPROPINQVAVIT. appropinquat, instat. REGNVM DEI siue cælorum. id est, remissio peccatorum, iustitia, salus, & vita æterna, à prophetis promissæ. POENITEMINI. μετανοεῖτε. *pœnitentiam agite*, vertitur secundùm Matth. eū.

ET CREDITE EVANGELIO. Abundat græcè præpositio ἐν, ex proprietate sermonis Hebræi. Pœniteat vos, inquit, veteris vitæ, eamque corrigite, reipsa ostendentes vos fidem adhibere Euangelio quo vobis annunciatur regnum Dei appropinquare, dum pœnitentia vos ipsi præparatis vt dignè excipiatis & admittamini in beatum illud regnum Dei. Fides non est pœnitentia posterior, sed pœnitentia est testis fidei. *Non te* (ait non vno loco Augustinus) *bonorum operum meritum perduxit ad fidem, sed fides incipit vt bona opera consequantur.* Reliqua petenda sunt ex Matth. 3. v. 2. & 4. v. 17.

περιπατῶν δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς γαλιλαίας, εἶδε σίμωνα καὶ ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, τοῦ σίμωνος, βάλλοντας ἀμφίβληστρον ἐν τῇ θαλάσσῃ· ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς.	16	Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare (erant enim piscatores.)	Matth. 4. v. 18. Luc. 5. v. 1. 5.

ET PRÆTERIENS. περιπατῶν δὲ ambulans autem. Interpres legit παράγων, quod est *præteriens* s. initio cùm redisset in Galilæam. SECVS. παρὰ ad, iuxta. SIMONEM. necdum Petrum. FRATREM EIVS. s. Simonis. Ne subaudias Iesu, & intelligas Andream Iesu fratrem, hinc emendatiora exemplaria græca addunt τοῦ σίμωνος *Simonis.* RETIA. ἀμφίβληστρον rete. Reliqua lege Matth. 4. v. 18.

καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων.	17	Et dixit ei Iesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.	Matth. 4. v. 19 Luc. 5. v. 10.

FIERI. omittit Syrus. Reliqua lege Matth. 4. v. 19.

καὶ εὐθέως, ἀφέντες τὰ δίκτυα αὐτῶν, ἠκολούθησαν αὐτῷ.	18	Et protinus, relictis retibus, secuti sunt eum.	Matth. 4. v. 20. Luc. 5. v. 11.

ET PROTINVS. Illi autem protinus. RETIBVS. suis additur græcè & syriacè. Reliqua quære secundùm Matthæum.

καὶ προβὰς ἐκεῖθεν ὀλίγον, εἶδεν ἰάκωβον τὸν τοῦ ζεβεδαίου, καὶ ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ αὐτοὺς ἐν τῷ πλοίῳ καταρτίζοντας τὰ δίκτυα.	19	Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedæi & Iohannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui.	Matth. 4. v. 21. Luc. 5. v. 9.

PVSILLVM. paululum. ET IPSOS IN NAVI s. vidit quemadmodum priores. Nam vt græca & syriaca & latina quædam manuscripta, hoc loco legunt τῷ *in naui.* COMPONENTES. καταρτίζοντας. reficientes vertit secundùm Matthæum Reliqua leges Matth. 4. v. 21.

καὶ εὐθέως ἐκάλεσεν αὐτούς. καὶ ἀφέντες τὸν πατέρα αὐτῶν ζεβεδαῖον ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ τῶν μισθωτῶν, ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ.	20	Et statim vocauit eos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis, secuti sunt eum.	Matth. 4. v. 21. 22. Luc. 5. v. 11.

STATIM VOCAVIT. ita vocauit vt vellet eos statim sequi. Syrus iungit *statim* cum sequentibus. ET RELICTO. Qui relicto. MERCENARIIS. piscatoribus ad opitulandum mercede conductis. SECVTI SVNT EVM. ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ abierunt post eum: quomodo, suprà v. 18. Syrus, explicat illud *secuti sunt eum.* Reliqua quære Matth. 4. v. 21. 22.

καὶ εἰσπορεύονται εἰς καπερναούμ· καὶ εὐθέως τοῖς σάββασιν εἰσελθὼν εἰς τὴν συναγωγὴν ἐδίδασκε.	21	Et ingrediuntur Capharnaum: & statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos.	Luc. 4. v. 31.

ET. Inde itaque. INGREDIVNTVR Iesus & isti quatuor discipuli ipsius. CAPHARNAVM quò nuperrimè Iesus habitationem transtulerat ex Nazareth (Matth. 4. v. 13.) nam ea de causa frequenter iuit & redijt in hanc vrbem Iesus. ET STATIM. & ex eo tempore statim. non quòd antea numquam, sed quòd, simulatque discipulos istos sibi adiunxisset, assiduè. SABBATIS singulis, quotiescumque recurreret sabbatum, dies hebdomadæ septimus vel quilibet alius dies festus (Matth. 12. v. 1.) quo ociosus ab operibus seruilibus diuinisque rebus vacans populus, conuenire solebat ad lectionē & exhortationes sacras. Aliis diebus docebat Iesus eos qui ad se vltrò confluebant, aut quos erat docendi occasio, quocumque loco id foret: *sabbatis* ipse synagogas, quò nouerat populum vniuersum tunc conuenire discendi gratia, adibat, ne fugere videretur loca aut horas docendi opportunas, & seorsum atque intempestiuè iis solis doctrinam

proponere ſuam qui ad ſe accurrerent. IN SYNAGOGAM eius oppidi inprimis, deinde & cæterorum Galilææ. infrà v.38. vide Matth.4.v.23. DOCEBAT. Quid docuerit non dicit Euangeliſta, ſed ſummam totius doctrinæ Chriſti propoſuiſſe contentus ſuprà v.15., Chriſtiano lectori meditandum relinquit quid docuiſſe potuerit. EOS. ſ. Capharnaitas primùm, tum & reliquos Galilæos. Non additur græcè aut ſyriacè *eos*.

Matth.7. v.28.29. Luc.4. v.32.

Et ſtupebant ſuper doctrina eius: erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ. [22] κὰ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ· ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, κὰ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.

STVPEBANT. ἐξεπλήσσοντο. rectiùs hîc *ſtupebant*, quàm ſecundùm Matthæum *admirabantur*. QVASI. ὡς ſicut. SCRIBÆ. eorum addit Syrus. Reliqua pete ex Matth.7.v.28.29.

Luc.4. v.33.

Et erat in ſynagoga eorum, homo in ſpiritu immundo, & exclamauit. [23] καὶ ἦν ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν, ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, καὶ ἀνέκραξε.

ET. Tunc temporis, cùm quodam ſabbato Capharnai in ſynagoga doceret. ERAT. aderat, cæterorum more: vt enim non ſemper infeſtabatur ab immundo ſpiritu, ſed lucidis interuallis vtebatur, ita docentibus Scribis nihil tale pati ſolitus fuerat quale docente Ieſu & regnum Dei euangelizante. IN SYNAGOGA. Loci annotatio facit ad hiſtoriæ certitudinem, vt ſemper, ita hîc maximè, vbi celeberrimus deſignatur locus, innumerabili teſtium multitudine refertus: ſynagoga inquam, *quo omnes Iudæi conueniebant*, Chriſto ipſo teſte Ioh.18.v.20. Dæmon nec à locis ſacris abeſt, vbi Dei verbũ tractatur, ſi quid ibi quoque nocere queat, *tollens verbum de cordibus plurimorum, ne credentes ſalui fiant*, quod ipſius eſſe opus docetur Luc.8. v.12. EORVM. Capharnaitarum. HOMO. vir quidam. IN SPIRITV IMMVNDO ſ. exiſtens, id eſt, in quo erat ſpiritus immundus (quomodo Syrus explicat) qui tenebatur ſpiritu immundo. Ideo enim in ſpiritu eſſe dicũtur huiuſmodi, quòd eos ſpiritus quaſi incluſos teneat & deuinctos, ita vt aliud agere non queant, quàm quod ſpiritui placet, qui pro ſuo arbitrio ad loquendum & ad omnes motus impellit eos. Sic vernacula lingua in febri nobis eſſe dicuntur, quos febris totos occupat. Quidam accipiunt *in* pro *cum*, homo cum ſpiritu immundo, pro obnoxius ſpiritui immundo. Cur cacodæmon vocetur ſpiritus immundus, diximus Matth.20.v.1. Ex multis variiſque miraculis, quibus confirmatam à Ieſu, in Galilæa prædicante, fuiſſe doctrinam auctoritatemque ſuam, Matthæus teſtatus fuerat cap.4. v.24. Marcus & Lucas vnum ſingulare dæmoniaci in ſynagoga ſanati recitant. ET pro *qui*. ſupple autem *ſpiritus* potiùs quàm *homo*: ſpiritus enim per hominem tamquam per organum. EXCLAMAVIT. *quaſi tormenta ſuſtinens*, inquit Commentarius Chryſoſtomo adſcriptus, *quaſi in dolore poſitus, quaſi flagella ferre non valens*. Duplicem autem ob cauſam torquebatur; vnam, quòd doleret de præſentia ac doctrina Ieſu ſanctiſſimi, ad pœnitentiam omnes adhortantis, & ab immunditiis ad ſanctitatem vocantis, promiſſo regno cælorum, ob quam valde timere cœpit, ne ipſe immundiſſimus pelleretur, vt contraria à contrariis pelli conſueuere, à luce tenebræ, à calore frigus. *Præſentia ſaluatoris*, inquit V. Beda, *tormenta ſunt dæmonum*: nec fert cæleſtem ſpiritum in Chriſto loquentem, ſpiritus impius. Alteram, quòd etiam à Ieſu, quamuis voce nihil ipſi dicẽte, clàm ad exeundum laceſſeretur, ita vt dolore motus, quòd ſibi diſcedendum eſſe videret, in querulos clamores eruperit. Annotauit & idcirco Euangeliſta hanc exclamationem, vt dæmonis de Ieſu teſtimonium, non obſcurum, ſed adeò clarum fuiſſe oſtenderet, vt neminem præſentium in ſynagoga latere potuerit. Quamuis enim ſilentium dæmoni imperarit Ieſus mox vt fuerat loquutus: permiſerat tamen loqui, vt monſtraretur, vim ipſius, dæmonibus quantumuis potentibus, eſſe intolerandam.

Luc.4. v.34.

dicens: Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio qui ſis, ſanctus Dei. [24] λέγων· ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοὶ Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ.

DICENS. Græcè ſubiungitur ἔα, quemadmodum ſecundùm Lucam: quod vel eſt verbum *ſine*, παρὰ τὸ ἐᾶν (quomodo Interpres noſter vertit in Luca) vel aduerbium ſiue interiectio, vt multa verba in aduerbia degenerant, tam Græcis quàm Latinis, ἄγε, ἄπαγε, obſecro & pleraq; huiuſmodi. Tamquam ſit verbum in Marco, exponit Euthymius, *dimitte nos*: alij tamquã ſit aduerbium *Ah* vel *hem*, quę particulæ conueniunt exclamanti, partim præ dolore, partim præ rei nouitate. Porrò vt latinus Interpres non legit voculam hanc ſecundùm Marcum, ita nec ſyricus. QVID NOBIS. Non erat in hoc energumeno niſi vnus dæmon, quod tota hiſtoria teſtatur: plurium tamen nomine loquitur, ſciens eandem ſui & ſociorum eſſe rationem, nempe, Ieſum dæmonibus omnibus æquale bellum indixiſſe. ET TIBI. id eſt, quid tibi nobiſcum ſ. rei aut cauſæ eſt, quòd nos torqueas & ex hominibus eiectos ac perditos velis (ſentimus enim nos abs te torqueri & vrgeri ad exitum) nos te non lædimus, quem confitemur ſanctum eſſe Dei, ſed peccatores nobis ſimiliter immundos. vide Matth.8.v.29. IESV. proprio nomine appellat, vt probet quòd ſtatim addit ſe eum probè noſſe. NAZARENE. Vtitur cognomine quo Ieſus tunc vulgò vocabatur, à loco educationis, quamuis ſciret natum eſſe in Bethlehem, eo libentiùs (vt eſt fraudulentus) ne Ieſus, Meſſias, qui exſpectabatur ex Bethlehem, (Ioh.7.v.42.) habeatur, etſi ipſe clamaret, Meſſiam ſanctúmque illum Dei eſſe. neque fefellit eum hæc exſpectatio, quod ex illo Iohannis loco intelligi poteſt. VENISTI PERDERE NOS? an ad hoc veniſti vt perderes nos? Sciunt dæmones ſe iam perditos eſſe, vt verè ſunt: ſed tunc demum planè perditos

tos se esse persuasi sunt, si non ampliùs sinantur nocere dominariue mortalibus. id fit quando in abyssum relegantur, id quod deprecantur Luc.8. v. 31. Quærit ergo hic dæmon: Ideóne in mundum à Deo missus venisti, vt nos ex hominũ animis, corporibus, & societate eiectos, in abyssum detrudas: nullum enim nobis inter homines locum reliquum facis: doctrina tua nos eorũ animis excludis, dum impietatem è medio tollis, & Dei notitiam pectoribus inseris: potestate tua nos eorum corporibus eiicis: veremur, ne tandem planè hominum consuetudine prohibitos, in abyssum detrudas, quæ nostra extrema pernicies sit. Perditionem suam vocat hic dęmon, si nõ ampliùs permittatur nocere mortalibus (nec enim aliud discriminis est inter pœnam eorum dæmonum qui in abysso ægunt, & eorũ qui in hoc aëre vsque adeò illi oderunt homines, & salutis eorum torquentur inuidia. quam certè maximum esse tormentum, vel ille testatur, qui scripsit: *Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum*. Venerat profectò Iesus, vt dæmones perderet, & eorum in homines, præsertim electos, imperium aboleret: quamquam non statim (quod dæmon iste verebatur) sed paulatim id effecturus esset, nec nisi tandem, extremi iudicij tempore, electorum societate eiectos omnes in abyssum detracturus. SCIO QVI SIS, οἶδά σε τίς εἶ noui te quis es, phrasis græca, pro noui quis tu sis, scio quisnam tu sis. Mira intelligendi facultate præditi sunt dæmones, à qua & dæmonum nomen habent: quare nihil mirum, quòd nouerint quisnam esset Iesus: id quod eos verè nouisse, ipse Euangelista testatur infrà v. 34.

SANCTVS DEI. ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ ille sanctus Dei, nimirũ. Articulum vrgent omnes Græci tractatores, Euthymius, Theophylactus, Victor Antiochenus, Athanasius in cathenam Lucæ adductus: quo significetur, non quiuis sanctus, quales prophetæ plerique fuerãt, sed emphaticè *ille vnicus & præstitutus*, inquit Theophylactus, ille *sanctus sanctorum*, id est sanctissimus omnium, quem Daniel cap. 9. v. 24. suo tempore vngendum prædixerat. Ille *sanctus Dei*, à Deo olim promissus, & hactenus exspectatus, *quem Pater sanctificauit & misit in mundum*, vt Iesus ipse explicat Ioh. 10. v. 36. *sanctificauit*, ornans non solùm omnis generis virtutibus ac donis, præ reliquis filiis hominum, & separans ab omni aliorum comparatione, omnium hominum optimum, potentissimum, efficientissimum, verumetiam comparans & delegans ad maxima sibique grauissima agenda gerendaque, nominatim ad opus illud excellentissimum redimendi humanum genus. *Sanctum* ergo *Dei* vocat dæmon Iesum, vel ex sacris Scripturis, qualis etiam illa Psal. 15. v. 10: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*; vel ex illius temporis consuetudine, quæ Messiam potuit hac periphrasi celebrasse: estque idem *sanctus Dei*, quod infrà 3. v. 11. & Matth. 8. v. 29. dæmones dicunt *Filius Dei*: denique idem quod Messias seu *Christus*, de quo Luc. 4. v. 41. dicitur quòd dæmonia *sciebant ipsum esse Christum*. Cæterùm non sincera hæc veritatis confessio est, sed fraudulenta tartarei canis adulatio, vt pœnam euadat, & remanere in miseri hominis corpore sinatur: quod annotant Euthymius & Theophylactus. Nam quia virtutem, quam sibi exitialem esse sentit, ferre non potest, Iesum inani titulo contentum quiescere cuperet. *Fore enim sperabat* (quod scribit Titus Bostrorum episcopus in Lucam, quamquam Catena verba hæc Cyrillo adscribat) *vt per istiusmodi adulatoria blandimenta, aliquod inanis gloriæ desiderium in eius pectore excitaret, eáque ratione efficeret, ne vel se vel sui ordinis alios increparet, hanc nimirum gratiam pro impensa gratia rependens*. Dicit ergo: Rogo te ne perdas aut vexes nos, sed relinquas quietos: tantum enim abest vt aliquid contra te moliri, aut tibi nocere, vel me tibi opponere velim, vt agnoscam quis sis, & te confitear Christum sanctum Dei, in quem nihil mihi est iuris, vt in cæteros homines peccatores, adeoque meum & omnium dominum. Atqui quorsum erat Iesus sanctus Dei & sanctificatus à Patre, nisi vt homines à diaboli seruitute liberans, eius regnum euerteret? ita aduersus seipsum dæmon pronunciabat sententiam. Qui quamquam vexatus & tortus, vi præsentiæ & doctrinæ Iesu, veritatem fateretur, non cupiebat tamen ab adstantibus sibi credi, immo hoc agebat, vt auctoritatem Iesu suo testimonio eleuaret. Nam vt malorum testimonium parum decoris adfert bonis: ita ingerere ille studebat suspicionem hominibus, aliquid sibi esse cum Iesu necessitudinis. Porrò quatenus dæmones nouerint Iesum fuisse Christum, docuimus Matth. 8. v. 29. vnde etiam plura ad huius versiculi explanationem petenda sunt.

καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ ἰησοῦς, λέγων· 25 φιμώθητι, καὶ ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ.	Et comminatus est ei Iesus, dicens: Obmutesce, & exi de homine. *Luc. 4. v. 35.*

COMMINATVS EST EI. ἐπετίμησεν αὐτῷ increpauit illum, quomodo vertit secundùm Lucam: obiurgauit quòd ipsum diceret esse illum sanctum Dei, & præcepit seuerè minisq; additis, DICENS magna cum maiestate OBMVTESCE, tamquam freno ori iniecto. id enim significat vox φιμώθητι. *Obmutesce*, ait Auctor homiliarum apud Chrysostomum, *laus mea sit silentium tuum. Nolo me laudet vox tua, sed tormenta tua: pœna tua laus mea est. Non quia laudas gratulor, sed quia exis gratulor*. Compescit Iesus dæmonium, sibique testimonium ferre prohibet, tametsi verum, primò, quia non decet immundum de mundo pronunciare, & à Deo refugum de sancto Dei, vt non est impurissimi scorti de virginitate disserere. Secundò, quia nondum venerat tempus, vt Iesus palàm profiteretur quis esset, quod non mox ab initio, temerè & intempestiuè prædicari, sed paulatim voluit intelligi & sciri, prout hominum ingenium ferre posset: quare & Apostolis suis infrà 8. v. 30. prohibet ne cui dicant ipsum esse Christum. Tertiò, ne existimaretur commune aliquid habere cum dæmone, si laudem ab illo profectam ferret: immo contrà testatum voluit, hostile dissidium, quod habebat ipse æternæ salutis & vitæ auctor, cum mortis principe eiusque ministris. Quartò, quia non est statuenda veritas per dæmonem, qui cùm sit mendax & mendacij pater (Ioh. 8. v. 44.) mentitur plerumque, immo nihil aliud cogitat quã mentiri & fallere, nec alio fine quàm vt decipiat, dicit facitque omnia. Quamobrem rectè Euthymius. *Docuit*, inquit, *nos, ne dæmonibus vmquam credamus etiam vera dicentibus: cùm enim ament mendacium, sintq; nobis inimicissimi, numquam vera loquuntur, nisi vt ad fallendum, veritate quasi esca quadam vtantur*. Quamobrem & Paulus Pythonis testimonium ægrè fert, Act. 16. v. 18. DE HOMINE ἐξ αὐτοῦ ex eo, quomodo est etiam syriacè. Interpres, claritatis ergo, antecedens dedit loco relatiui. Solo iussu eiicit immundum spiritum Iesus, occasione ex eo accepta, quòd ab ipso prædicaretur: malens ostendere se esse illum sanctum Dei, dæmonis eiectione, quàm prædicatione. q. d. Non quæro abs te gloriam hanc quam mihi

tribuis, sed hoc quæro vt ab homine exeas, idque facias mando: sic enim meliùs prædicabis quis sim. Non vult Iesus probari testimonio dæmoniorum, sed Dei Patris & sua virtute atq; efficacitate, quæ tanta erat vt etiam inuitum dæmonem vno verbo expelleret: atque hoc maius certiusque testimonium erat, quod Iesus esset sanctus ille Dei, quàm ipsa affirmatio dæmonis.

Luc. 4. v. 35.

Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. 26 Καὶ σπαράξαν αὐτὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον, καὶ κράξαν φωνῇ μεγάλῃ, ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ.

Discerpens. σπαράξαν cùm discerpisset, dilaniasset, non euulsis membris, sed conuulsis & solo prostratis, quod Lucas ait, extentis atque huc illuc iactatis, quasi discerpere hominem voluisset. Augustinus lib. 4. de cons. Euang. cap. 2. annotat, alios codices pro *discerpens* legere *conuexans*: nimirum alia fuit illa interpretatio verbi σπαράξαν, quod etiam Interpres noster vertit *conturbans* infrà 9. v. 20. Quum videret dæmon excundum sibi esse, dolore, indignatione, rabie percitus, torsit cruciauitque hominem longè quàm antea vehementiùs, vt quantum & quamdiu posset noceret. Permisit autem hoc Iesus, vt vis malitiaque dæmonis manifestaretur, qui iussus exire noceat adhuc quantum potest, denique intelligeretur quanto iste malo liberatus esset. Et exclamans. καὶ κράξαν & cùm clamasset voce magna eaque absona, horribili edito eiulatu, quasi victus & à maiore potestate vim patiens, tristissimusque effectus. *Clamauit voce magna*, inquit Euthymius, *flagellatus imperio dominico: non dixit tamen quid clamauerit, eò quod voces nihil significantes ediderit.* iussus enim fuerat obmutescere. Quòd clamaret, quòd discerperet, quem antea obsederat, id erat signum laboris ipsius & tormenti, atque impotentiæ, quæ resistere Iesu imperio non posset: quódque Iesus dæmones inuitos exire cogeret, non autem colluderet cum eis, vt aliquando obiecerunt Pharisæi. Nam *vt & intelligerent circumstantes, hunc verè habuisse dæmonium, cuius erant verba, tametsi lingua hominis ministraret, permisit hæc dæmoni Iesus*, quod ait Theophylactus Lucam enarrans: vbi Titus addit: *Etenim animo restitutus homo, mentísque compos effectus, sobrij modestique viri oratione vtebatur. Quoniam enim aliter intelligi non poterat egrediens dæmon*, inquit ille Chrysostomi nomen præ se ferens, *signis corporis ostenditur quod egressus sit.* Clamorem igitur illum & laniatum egredientis dæmonis, triplici de causa permisit Iesus: semel vt monstraretur hic homo verè obsessus fuisse à dæmone, deinde vt dæmonij istius malitia patefieret, denique vt non sponte sed inuitum, & Iesu virtute superatum exire intelligeretur. Exiit. Obserua quòd Iesus mox à principio ostenderit, quanam causa venerit, nimirum vt de sathana triumpharet, eiusque regnum destrueret.

Luc. 4. v. 36.

Et mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, dicentes: Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc noua, quia in potestate etiã spiritibus immundis imperat, & obediunt ei? 27 Καὶ ἐθαμβήθησαν πάντες, ὥστε συζητεῖν πρὸς αὐτοὺς, λέγοντας· τί ἐστι τοῦτο; τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη, ὅτι κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ;

Et pro Itaque. Mirati svnt. ἐθαμβήθησαν expauerunt, obstupuerunt, præ admiratione & pauore obstupefacti sunt. θάμβος non qualemcumque sed religiosum metum significat, cum admiratione & stupore coniunctũ: qualem concipiunt boni, visis Dei mirabilibus. nam impiorum conscientia citò terretur, ne quid ipsis contingat pro merito. Omnes qui aderant spectaculo huic. neque enim auditus, sed oculus eis testis erat, eorum quæ fiebant, quod ait Victor Antiochenus. Conqvirerent. simul quærerent inter se, more hominum attonitorum, se mutuo interpellantium & interrogantiũ. Lucas ait συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους *colloquebantur ad inuicem.* Qvidnam est hoc? quid hoc rei est quod videmus, quàm insuetum & admirabile? Qvænam doctrina hæc nova est, quam tanta virtus comitatur: quis est hic nouus docendi modus, doctrinam stupendis huiusmodi miraculis stabiliendi? Nouam vocant doctrinam Iesu, non tam quòd noui aliquid doceat, quod aliàs non audiuissent (quamquam regnum cælorum ante Iesum, non fuerat ab aliis ita nominatim & clarè prædicatum) quàm quòd eo modo doceat, quo neminem hactenus docere viderant, aut audierant, docuisse: præcipuè quòd doctrinam signis confirmet. Non ergo nouam vocant, reprobandi, dubitandi, aut exprobrandi causa, sed admirandi & collaudandi, neque nouitatis eam insimulant, vt fidem ei derogent, sed contrà, vt diuinam & nequaquam vulgarem esse affirment, idque ex eo quod consequenter addunt, *quia in potestate* &c. Audierant sæpe docentes Scribas, audierant non ita pridem & Iohannem Baptistam: verùm illi docuerant dumtaxat, minimè verò iunxerant doctrinæ talem signorum efficacitatem (Ioh. 10. v. 41.) qualem Iesus noua ratione iungebat: quæ cùm non possit non esse diuina, clarè intelligũt, diuinam quoque esse debere eius doctrinam. Qvia pro quòd, quòd ad huius doctrinæ confirmationem In potestate. κατ' ἐξουσίαν per potestatem, pro auctoritate & imperio, simplici iussu. q. d. Alij multa adhibere solent ad eiiciendos dæmones, nec tamen semper voti sunt compotes. Exorcistæ, prolixa oratione, contenta imprecatione, inuocatis arcanis nominibus Dei, herbis additis, variisq; aliis ceremoniis vtuntur, & omnino magno negotio impios spiritus aliquãdo profligant: iste verò ceu Dominus illorũ, nudo verbo imperat illis, auctoritate sua iubens, & efficacitate ipsa verbi sui mox compellens exire. *Non alium nominat*, inquit Auctor ille apud Chrysostomum, *sed ipse præcipit, non in alterius nomine dicit, sed in sua potestate.*

Etiam spiritibvs immvndis, qui hominibus parere non solent. Iob 41. v. 24: *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Coniunctio epitasin addit: Non solum morbos sanat, verumetiã dæmoniis, indomabilibus alioqui, imperat, tamquam Dominus seruis captis ac mancipiis. Quòd vtuntur plurali numero, licet vnicum spiritum hîc eiectum viderint, est, vel quia antea viderant alios spiritus similiter Iesu auctoritate expulsos, vel quia credebant, ea ratione qua imperabat vni, posse imperare & aliis:

aliis: id quod mox reipsa ostendit. infrà v.34. ET OBEDIVNT EI nolentes volentes: obedire coguntur imperio eius vel inuiti ac trementes, acti & expulsi vi sola verbi, sine vllo ipsius labore: & illi tamen laborant, ac si maximis alterius potentissimi viribus vrgerentur. tanta illi vel in verbo ac nutu vis atque efficientia est. Hic fuit fructus huius miraculi, quòd Iesu doctrina illo confirmari cœpit, & populus aliquid plus quàm humanum in Iesu agnoscere, sanctum inquam Dei esse, cui in satanam potestas data sit.

ἐξῆλθε δὲ ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εὐθὺς, εἰς τὴν [28] ὅλην τὴν περίχωρον τῆς γαλιλαίας. | Et processit rumor eius statim, in omnem regionem Galilææ. | Luc. 4. v. 37.

PROCESSIT. ἐξῆλθε exiuit, emanauit. RVMOR. ἡ ἀκοὴ auditio, id est, fama. EIVS. Iesu, quomodo scilicet dæmonium nudo verbo ac solo iussu eiecisset, prædicatus ab eo sanctus Dei. Promtè diuulgant homines ea quæ multum mirantur. STATIM ab hoc miraculo perpetrato. videtur hoc inter prima fuisse miracula, quæ Iesus, instituens Galilæam docendo peragrare, ediderit. IN OMNEM. εἰς ὅλην in totam. REGIONEM. τὴν περίχωρον s. γῆν, id est, circumiacentem regionem. Editum est miraculum hoc inter prima, in vna Galilææ ciuitate, Capharnao: ex ea igitur sparsa est huius miraculi fama, in vniuersam Galilæam circumiacentem, quàm latè & quaqua versus pateret. Sic intellexerunt hunc locum interpretes Latinus & Syrus, dum verterunt *in omnem regionem Galilææ*. Alij intelligunt, famam Iesu sparsam fuisse, non solùm in Galilæam, sed & in omnes vicinas regiones. Atqui priori sensui fauet etiam Euangelium secundùm Lucam: quamquam breui pòst acciderit, vt etiam in omnes Galilææ finitimas regiones, adeoque in vniuersam Syriam, fama Iesu fuerit diuulgata, succedentibus nimirum pluribus aliis, dæmoniacorum & aliorum ægrorum, tam alibi in Galilæa, quàm Capharnai, curatorum, miraculis, de quibus hoc capite infrà v. 34. 39. & Matth. 4. v. 23. 24.

Καὶ εὐθέως ἐκ τῆς συναγωγῆς ἐξελθόντες, ἦλθον εἰς τὴν οἰκίαν σίμωνος καὶ ἀνδρέου, μετὰ ἰακώβου καὶ ἰωάννου. [29] | Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Iohanne. | Matth. 8. v. 14. Luc. 4. v. 38.

ET PROTINVS. protinus autem, vt miraculum hoc Iesus ediderat. EGREDIENTES. ἐξελθόντες egressi; Iesus & discipuli. Noluit adesse Iesus strepitui illi applausus popularis. DE ἐκ ex. ET ANDREÆ. nam & Andreas cum fratre Simone illic consueuerat hospitio excipi. CVM IACOBO ET IOHANNE, quos paulò antè, Iesus, cum illis, ad sequelam vocauerat. Reliqua lege Matth. 8. v. 14.

ἡ δὲ πενθερὰ τοῦ σίμωνος κατέκειτο [30] πυρέσσουσα· καὶ εὐθέως λέγουσιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς. | Decumbebat autem socrus Simonis febricitans: Et statim dicunt ei de illa. | Matth. 8. v. 14. Luc. 4. v. 38.

DECVMBEBAT. Hoc miraculum iste Euangelista suo loco describit. DICVNT s. discipuli aut affines. EI DE ILLA. admonent eum ægrotationis illius, quò illam sanet. Reliqua Matth. 8. v. 14.

καὶ προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν, κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς· καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετὸς εὐθέως, καὶ διηκόνει αὐτοῖς. [31] | Et accedens eleuauit eam, apprehensa manu eius: & continuò dimisit eam febris, & ministrabat eis. | Matth. 8. v. 15. Luc. 4. v. 39.

ELEVAVIT. erexit, contactuque viuificæ carnis suæ sanauit. Reliqua Matth. 8. v. 15.

ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος, [32] ἔφερον πρὸς αὐτὸν πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας, καὶ τοὺς δαιμονιζομένους· | Vespere autē facto, cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes: | Matth. 8. v. 16. Luc. 4. v. 40.

CVM OCCIDISSET SOL. vel, quando occidebat sol: est enim ambigua, vox ἔδυ, ad præteritum imperfectum & aoristum secũdum. Porrò Lucas participio imperfecti vtitur, cap. 4. v. 40. quamquam parui referat: atque etiam illic interpres reddit præteritũ: vesperi enim, neque omnino occidit, neque omnino non occidit sol, cùm lux sit mixta tenebris. Dicuntur autem δύειν, quæ aquam subeunt, vt appareat hoc dicendi genus profectum ex vulgi opinione, qui solem mergi putabat Oceano. AFFEREBANT, id est, afferebantur. OMNES, plerosque omnes eius ciuitatis. DÆMONIA HABENTES. dæmoniacos. Reliqua lege Matth. 8. v. 16.

καὶ ἡ πόλις ὅλη ἐπισυνηγμένη ἦν [33] πρὸς τὴν θύραν. | & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam.

OMNIS. ὅλη tota. vt ne omnes ciuitates concurrisse intelligas. CIVITAS. Capharnaum. AD IANVAM, domus Simonis & Andreæ, vbi ipse Iesus hospitio erat exceptus.

καὶ ἐθεράπευσε πολλοὺς κακῶς ἔχοντας ποικίλαις νόσοις, καὶ δαιμόνια [34] | Et curauit multos qui vexabantur variis languoribus: & dæmonia | Matth. 8. v. 16. Luc. 4. v. 40. 41.

multa

multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

πολλὰ ἐξέβαλε, καὶ οὐκ ἤφιε λαλεῖν τὰ δαιμόνια, ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν.

MVLTOS. non quòd non omnes qui adducebantur, sed quòd ij qui adducti fuerunt multi fuerint: Ita & in sequenti membro de dæmoniis. QVI VEXABANTVR VARIIS LANGVORIBVS. ad verbum, malè habentes variis morbis. EIICIEBAT. ἐξέβαλε eiecit s. verbo. SINEBAT. ἤφιε siuit. aoristus posterior est verbi ἀφίημι, addito præpositionis augmento. QVONIAM SCIEBANT EVM. ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν quòd nossent eū, quis scilicet esset, id est, Christum esse, quod Lucas exprimit. Potes hoc ita explicare, vt dicas, non passum eos id proloqui quòd agnoscerent ipsum; vel ita, non passum omnino eos loqui, idque propterea quòd ipsum nossent (quem sensum Syrus expressit) nec tacere scilicet possent id quod nossent, siue vi tormentorum quæ illis adferret præsentia Christi compellens ea exire, siue metu maiorum malorum quæ veritatis confessione sperarent euadere, siue aliis etiam de causis, vt aliàs fallerent, &c. Porrò causa interdicti fuit, quòd nollet diabolo prædicante cognosci, ob causas suprà v. 25. expositas. Reliqua lege secundùm Matth.

Luc. 4. v. 42.

35 Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

καὶ πρωῒ, ἔννυχον λίαν, ἀναστὰς ἐξῆλθε, καὶ ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς ἔρημον τόπον, κἀκεῖ προσηύχετο.

DILVCVLO VALDE SVRGENS. πρωῒ, ἔννυχον λίαν, ἀναστὰς mane, crepusculo valde, quum surrexisset. Tria hîc aduerbia se mutuò sequuntur; primum, πρωῒ, id quod mane siue diluculum significat; secundum ἔννυχον, quod, tempus adhuc veluti intra noctem latens, crepusculum quum adhuc noctis est non parum; tertium λίαν valde. significatur ergo, parum admodum lucis, multum verò adhuc noctis fuisse. Vertas itaque: *Et mane, primo crepusculo, quum surrexisset.* Interpres secundum aduerbium non videtur expressisse: res tamen ipsa satis intelligitur. EGRESSVS domo illa in qua pernoctauerat, & ciuitate. IBIQVE ORABAT. Genus humanum, illiusque è doctrina & actionibus suis profectum. Patri commendans. Orabat summo mane & noctu, quod tempus est orationi amicum maximè, vacaturus interdiu doctrinæ & beneficentiæ.

36 Et prosequutus est eum Simon, & qui cum illo erant.

καὶ κατεδίωξαν αὐτὸν ὁ σίμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ.

PROSEQVVTVS EST. legit enim Interpres ita vt est in quibusdam græcis libris κατεδίωξεν singulari numero. Porrò alij plerique cum Syro legunt plurali κατεδίωξαν prosequuti sunt. Prosequuti sunt autem velut fugientem, vti sæpè solebat ad precandum solitudinem captare, nobis in exemplum. ET QVI CVM ILLO. suppleuit ERANT, nempe, Andreas, Iacobus, & Iohannes (suprà v. 29.) primi enim resciuerant abitum eius, alijque faciliùs conijcere poterant, quò diuertisset: illos autem turba consequuta est, quod Lucas narrat, cap. 4. v. 42.

Luc. 4. v. 42.

37 Et cùm inuenissent eum dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.

καὶ εὑρόντες αὐτὸν λέγουσιν αὐτῷ· ὅτι πάντες ζητοῦσί σε.

DIXERVNT EI: QVIA. λέγουσιν αὐτῷ· ὅτι dicunt ei: Quia. sed *quia* rectiùs omittatur, vti infrà v. 40. OMNES QVÆRVNT TE. Mox redierant omnes manè ad ianuam domus Simonis & Andreæ, ob pridie gestorum magnitudinem.

Luc. 4. v. 43.

38 Et ait illis: Eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni.

καὶ λέγει αὐτοῖς· ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις, ἵνα κἀκεῖ κηρύξω· εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα.

EAMVS. Q. d. Iam illis prædicaui & benè feci qui me quærunt. Vbi aduenerunt discipuli, surgit ab oratione, & ad prædicationem se accingit. IN PROXIMOS. εἰς τὰς ἐχομένας in contiguos, id est, proximos, ἀπὸ τοῦ ἔχεσθαι, quod hærere & affixum se significat. VICOS ET CIVITATES. Græcè legitur vox vna κωμοπόλεις, composita ex κώμη vicus & πόλις ciuitas, qua significari videtur vici qui essent instar vrbium; eiusmodi loca, quæ neque merentur dumtaxat vici nomen, neque etiam dici possunt vrbes, quòd non sint mænibus cincta. oppidula non malè dicas, diminutiuo nomine. Interpres noster cum Syro diuisim legit *κώμας καὶ πόλεις vicos & ciuitates.* PRÆDICEM euangelium regni Dei. AD HOC. vt omnes Israëlitas quæram, omnibusque euangelium ac salutem prædicem, non vni tantùm ciuitati. VENI. ἐλήλυθα. ita enim habet quidam græcus codex: id quod sequuti sunt Interpretes Latinus & Syrus. Porrò alij græci codices habent ἐξελήλυθα *egressus sum* s. à Patre, iuxta illud Iohan. 16. v. 28: *Exiui à Patre & veni in mundum.*

Luc. 4. v. 44.

39 Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia eiiciens.

καὶ ἦν κηρύσσων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, καὶ τὰ δαιμόνια ἐκβάλλων.

ET. Itaque. ERAT PRÆDICANS, id est, prædicabat; sed moram, continuationem, & consuetudinem significat ista circumloquutio. EORVM proximorum vicorum atque oppidorum. ET IN OMNI GA-

LILÆA. Non legitur aut græcè aut syriacè & coniunctio, crediderimque adiectitiam esse: sensus enim proprius esse videtur: *in Synagogis eorum (Galilæorum) per totam Galilæam. εἰς ὅλην τὴν γαλιλαίαν.* hoc est quod Matthæus dixit cap. 4. v. 23: *Et circuibat Iesus totam Galilæam* &c. vbi leges reliqua huc facientia.
ET DÆMONIA EIICIENS. Venerat Christus vt destrueret diaboli regnum, ideò præ cæteris miraculis, quæ ad confirmationem doctrinæ iungebat, istud commemoratur, dæmonia eum è corporibus hominum eiecisse. vide Matth. 4. v. 24. & 8. v. 16.

Καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτὸν λεπρὸς, παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ γονυπετῶν αὐτὸν, καὶ λέγων αὐτῷ· ὅτι ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι. 40 Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo dicit ei: Si vis, potes me mundare. Matth. 8. v. 2. Luc. 5. v. 12.

VENIT præsentis est temporis, ἔρχεται. *Venit*, quodam scilicet tempore, paulò post habitum in monte sermonem, id quod ex Matthæo intelligitur. GENV FLEXO. γονυπετῶν αὐτὸν accidens ei ad genua: procidens ad pedes eius, vertit Syrus. SI VIS. ὅτι ἐὰν θέλῃς quòd si velis. Interpres omisit ὅτι, vtpote quod abundet, vti aliis infinitis locis, quibus tamen frequenter non omisit: sed eam ferè habet vim, vt certa aliquorum dicta referri significet. Reliqua lege Matth. 8. v. 2.

Ὁ δὲ Ἰησοῦς σπλαγχνισθεὶς, ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ· θέλω, καθαρίσθητι. 41 Iesus autem misertus eius extendit manum suam, & tangens eum ait illi: Volo, mundare. Matth. 8. v. 3. Luc. 5. v. 13.

MISERTVS EIVS. σπλαγχνισθεὶς misericordia commotus, non enim ambitione, sed studio gloriæ Patris amorisque in miseros peccatores, ducebatur. Mouerat autem commiserationem Iesu, fide illa sua supplicique oratione. Reliqua lege Matth. 8. v. 3.

Καὶ εἰπόντος αὐτοῦ, εὐθέως ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ἡ λέπρα, καὶ ἐκαθαρίσθη. 42 Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est. Matth. 8. v. 3. Luc. 5. v. 13.

ET CVM ipse DIXISSET istud: Volo, mundare. DISCESSIT AB EO. reliquit eum. MVNDATVS EST. mundus effectus est. Reliqua Matth. 8. v. 3.

Καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, εὐθέως ἐξέβαλεν αὐτόν· 43 Et comminatus est ei, statimque eiecit illum: Luc. 5. v. 14.

ET COMMINATVS EST, &c. Græcè est: *Et comminatus ei, statim eiecit illum*; grauiter ei interminatus; mox ablegauit illum, à se repulit. EIECIT inquit, ἐξέβαλεν, siue quòd celeriter, siue quòd inuitum. Idcircò autem comminabatur ei, ne cui diceret; idcircò mox eiiciebat eum, ne quis obseruaret miraculum ab ipso factum; insigni exemplo popularis gloriæ declinandæ.

Καὶ λέγει αὐτῷ· ὅρα μηδενὶ εἴπῃς, ἀλλ' ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, ἃ προσέταξε Μωσῆς εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. 44 & dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer, pro emundatione tua, quæ præcepit Moses in testimonium illis. Matth. 8. v. 4. Luc. 5. v. 14.

PRINCIPI SACERDOTVM pro tempore fungenti sacerdotio in ordine vicis suæ (erant enim huiusmodi 24. principes sacerdotum, de quibus vide Matth. 2. v. 4., nam græcè non est aliud quàm τῷ ἱερεῖ *sacerdoti*, hîc vt apud Matthæum & Lucam; &, quod liquet ex versu 2. capitis 13. Leuitici, non penes solum summum pontificem erat iudicium de lepra. Quare & Lucæ 17. v. 14. Leprosis Saluator ait: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.*
PRO EMVNDATIONE TVA legali. Debebant enim leprosi sanati, iuxta legem, adhuc mundari, & expiari sacrificiis quibusdam, priusquam cum mundis conuersari habitareque possent. Cætera Matth. 8. v. 4.

Ὁ δὲ ἐξελθὼν ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ, καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον, ὥστε μηκέτι αὐτὸν δύνασθαι φανερῶς εἰς πόλιν εἰσελθεῖν, ἀλλ' ἔξωθεν ἐν ἐρήμοις τόποις ἦν, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν πανταχόθεν. 45 At ille egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem: ita vt iam non posset manifestè introire in ciuitatē, sed foris in desertis locis esset: & conueniebant ad eum vndique: Luc. 5. v. 15. 16.

EGRESSVS. vbi à Iesu discesserat. PRÆDICARE. græcè additur πολλὰ multa siue multùm. Præceptum Christi, præceptum erat ex causa, ea dumtaxat, vt significaret, nequaquam ambire aut quærere se gloriam auræ popularis. Rectè igitur iste fecit: nam quamquam pij gloriam fugiant, vti debent, tamen diuina beneficia ad Dei laudem & aliorum vtilitatem prædicare ij debent qui acceperint. DIFFAMARE. διαφημίζειν. græcè

græcè non ſonat in malam partem: verti poterat, ſpargere aut diuulgare. SERMONEM. rem, hebraico loquendi more. NON POSSET Ieſus, quomodo vellet, ſicut ſolitus erat, ſine magno plauſu, quem ipſe non ambiebat, & abſque turbarum concurſu & affluentia incredibili. MANIFESTE. Indicat eum occultè & ex improuiſo, cùm aduentus eius minimè exſpectaretur, in vrbem aliquam ingreſſum fuiſſe, quemadmodum feciſſe intelligitur initio capitis proximi. IN CIVITATEM Capharnaum, in cuius agro leproſum ſanauerat. vide Luc. 5. v. 12. ESSET. *hic* erat. In aliis libris eſt *eſſe* ſ. cogeretur. ET. nihilo minus magna frequentia CONVENIEBANT, id eſt, conueniebatur AD EVM in deſertis locis latitantem, VNDIQVE. tanto illius flagrabatur deſiderio.

CAPVT SECVNDVM.

Matth. 9. v. 1.

Et iterum intrauit Capharnaũ poſt dies, & auditũ eſt quòd in domo eſſet: | 1 | Καὶ πάλιν εἰσῆλθεν εἰς καπερναοὺμ δι' ἡμερῶν, καὶ ἠκούσθη ὅτι εἰς οἶκόν ἐστι.

ET ITERVM. Iterum autem. POST DIES. δι' ἡμερῶν per dies, id eſt, interiectis diebus: nam διὰ per eſt loco μετὰ poſt, vt Matth. 26. v. 61. Act. 24. v. 17. Gal. 2. v. 1. quanquam certus ferè illis locis exprimatur numerus. Interiectis ergo diebus, inquit; ſed paucis, an multis, non exprimit. Reſpicere autem exiſtimo ad egreſſum è Capharnaum ſuprà v. 35. capitis primi memoratum: nam quam interiecit leproſi ſanatio, accidit poſt eam quæ hic ſequitur paralytici. hæc enim, mox vbi reuerſus fuerat à Geraſenis Dominus, accidit, Matth. 9. v. 1: illa mox à ſermone Domini in monte, Matth. 8. v. 1. 2. IN DOMO. εἰς οἶκον, id eſt, ἐν οἴκῳ domi. Quidam intelligunt ipſam Saluatoris domum fuiſſe, in qua commorari ſolebat: nam eam vrbem, relicta Nazareth, delegerat habitationi ſuæ; Matth. 4. v. 13. Cæterùm, ampla fuerit domus oportet, in quam tanta conuenit multitudo, quantam Marcus & Lucas ſignificãt; & inſtructa apprimè vbi ſpectatoribus, Phariſæis nempe & Scribis, qui vndequaque confluxerãt, non paucis numero, fuit ſedendi locus, quod Lucas habet cap. 5. v. 17. Porrò priùs fuit in domo, quàm ſcitum fuit in vrbem venire: clàm igitur & ſine ſtrepitu in vrbem ingreſſus eſt, vt docendi & benefaciendi ſtudio redire, non ambitionis aut popularis auræ cupiditate ductus frequentare oppida exiſtimaretur.

Et conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam: & loquebatur eis verbum. | 2 | καὶ εὐθέως συνήχθησαν πολλοὶ, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν· καὶ ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον.

ET CONVENERVNT. καὶ εὐθέως συνήχθησαν & ſtatim conuenerunt. Studium diligentiaque populi ad conueniendum ſignificatur particula *ſtatim*. ITA VT NON CAPERET NEQVE AD IANVAM. ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, ad verbum, *vt iam non caperet, neque quæ ad ianuam*, id eſt, adeò vt iam non caperent eos ne ea quidem loca quæ erant ad ianuam, veſtibulum nempe & loca oſtio vicina. Interpres ſi vertit *caperent* numero plurali (ſic enim quædam exemplaria habent) dedit & *quæ* ex articulo τὰ, hunc in modum: *Ita vt non caperent neque quæ ad ianuam.* Si *caperet* vertit (quæ eſt veriſimilior lectio) non videtur legiſſe græcè τὰ, ſed intellexiſſe, *ita vt non caperet eos* domus ſiue locus, *ne ad ianuam quidem*, ne iis quidem locis quæ ante & iuxta ianuam erant. VERBVM euangelij ſiue ſalutis. nam ideò addit articulum, τὸν λόγον: neque enim pleonaſmus eſſe videtur. Frequentiæ conuentu vtebatur Ieſus, nullam aliam ad rem, quàm ad ſuum munus purè obeundum, hoc eſt, prædicationem verbi & euangelij, illis vtiliſſimi quibus loquebatur.

Matth. 9. v. 2. Luc. 5. v. 18.

Et venerunt ad eum ferentes paralyticũ, qui à quatuor portabatur. | 3 | καὶ ἔρχονται πρὸς αὐτὸν παραλυτικὸν φέροντες, αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων.

ET VENERVNT. καὶ ἔρχονται & veniunt, id eſt, tunc venitur atque adfertur. QVI A QVATVOR PORTABATVR in grabato, viuo cadaueri perſimilis. Reliqua lege Matth. 9. v. 2.

Luc. 5. v. 19.

Et cùm non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat: & patefacientes ſubmiſerunt grabatum in quo paralyticus iacebat. | 4 | καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, ἀπεστέγασαν τὴν στέγην ὅπου ἦν, καὶ ἐξορύξαντες χαλῶσι τὸν κράββατον ἐφ' ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο.

OFFERRE EVM ILLI. προσεγγίσαι αὐτῷ appropinquare illi. Interpres legiſſe videtur προσεγγίσαι αὐτὸν (vti eſt in quodam codice) offerre in cõſpectum ipſius: niſi fortè acceperit προσεγγίσαι tanquam quintę coniugationis Hebræorum, qua ſignificet appropinquare facere, quod eſt, offerre. Non id poterant, ianua, quod dictum eſt, magna hominum multitudine vndique obſeptã, adeò vt nullus omnino per illam aditus ad Ieſum pateret, dum nec ij qui intus erant illis qui foris vrgebant concedere aut vllum prorſus acceſſum indulgere vellent.

NVDAVERVNT TECTVM. ἀπεστέγασαν τὴν στέγην *detexerunt tectũ*: eſt enim paronomaſia, qualis ſi dicas, *deteguláuerunt tegulas*. VBI ERAT. tectum domus eo loco ſeu ea parte qua Ieſus erat. ET PATEFACIENTES.

CIENTES. καὶ ἐξορύξαντες & perfodientes, eoque perfosso. SVBMISERVNT χαλῶσι funibus demittunt. id enim propriè est χαλᾶν, quemadmodum demittitur anchorâ aût saxum è sublimi. Est autem præsens pro præterito, quæ enallage narrationibus conuenit, estque Marco familiaris. Pleræque eius regionis ædes, præsertim sublimiores, ita erant constructæ, vt suprema pars, tectum, planum esset, tabulati siue pauimenti instar, in quo liceret comedere, bibere, ludere, ambulare, versari, plures etiam simul esse (Iud. 16. v. 27.) nunc fornicibus, nunc trabibus nixum, muroque (iuxta id quod cauerat lex Deut. 22. v. 8.) circumdatum. Cæterùm domus ista, & humilis fuisse videtur, quamuis fortasse ampla, & tecto prædita acuminato: sublimem enim domum non facilè fuisset ascendere; tectum verò planum non facilè perfodere, quin lapides & cæmēta decidissent in capita eorum qui infrà aderant: denique imbricibus & tegulis, quod habet Lucas, contecta cùm fuerit, non videtur plano tecto fuisse. Itaque paralytici vectores, primùm ascenderunt in tectum huius domus, ea parte quæ ab hominibus libera erat, quippe remotior à ianua: tum nudauerunt illud tegulis scandulisque quibus erat tectum: deinde sustulerunt eò etiam paralyticum grabato decumbentem: quem tandem funibus demiserunt in inferiorem partem vbi Iesus concionabatur (videtur enim domus vnica tecti contignatione instructa fuisse, ea saltem parte vbi sedebat Saluator) nihili facientes, siue laborem suum, siue damnum dandum, siue improbitatis notam, quam apud alios subire poterant, præ eo quo ardebant studio iuuandi proximum, præque ea qua animati erant spe, cōcepta de Christi bonitate, pari cum potentia coniuncta.

GRABATVM. τὸν κράββατον. Ita vocant Latini propriè lectos viliores, in quibus meridiari solebant veteres, non autem, vel accumbere ad mensam, vel nocte quiescere. Sunt autem à Græcis hoc vocabulum mutuati, sed correpta antepenultima, & penultima producta, vt patet ex illo Virgilij: *Membra leuat sensim vili demissa grabato.* Nam etiam in quibusdam græcis exemplaribus scriptum erat κράβατον, in aliis rursus κράββατον. IACEBAT. quippe solutus omnibus omnino membris.

ἰδὼν δὲ ὁ ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, λέγει τῷ παραλυτικῷ· τέκνον ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.	5 Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: Fili dimittuntur tibi peccata tua.	Matth. 9. v. 2. Luc. 5. v. 20.

Lege hunc versiculum expositum Matth. 9. v. 2.

ἦσαν δέ τινες τῶν γραμματέων ἐκεῖ καθήμενοι, καὶ διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν·	6 Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis:	Matth. 9. v. 3. Luc. 5. v. 21.

COGITANTES. διαλογιζόμενοι ratiocinantes. est enim διαλογίζεσθαι idem omnino quod ratiocinari, id est, rationes secum vel cum alio subducere. Vnde factum est, vt pro cogitare & animo versare accipiatur: nam qui secum aliquid in vtramque partem versat, duplicem quodammodo personam sustinet. Eruditio & scientia, nisi modestia tēperetur, inflat homines, & inuidia accendit, præcipuè aduersus eos qui minori labore quàm ipsi, aut minori cum strepitu dicendi, aliquam sapientiæ speciem edunt. Reliqua lege Matth. 9. v. 3.

τί οὗτος οὕτω λαλεῖ βλασφημίας; τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ εἷς ὁ θεός;	7 Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?	Matth. 9. v. 3. Luc. 5. v. 21.

QVID HIC SIC LOQVITVR? quid sibi vult iste ita loquēs? BLASPHEMAT. βλασφημίας blasphemias, ita græcè & syriacè est, id quod præcedentibus iungendum est. Interpres igitur βλασφημεῖ legit, quod est, *blasphemat.* NISI SOLVS DEVS? εἰ μὴ εἷς ὁ θεός, ad verbum, *nisi vnus Deus?* Verū illud erat: propria enim auctoritate solus id Deus potest. cæterū possit id alius, siue homo, siue angelus, potestate delegata, potestate à Deo accepta. Christus autem, & potestatem à Deo acceperat, & Deus ipse erat: id quod cùm aliàs, tum etiam nunc mox, operibus ipsis ostendit: sed non erat fidei capax, mens superba atque inuida. Reliqua lege Matth. 9. v. 3.

καὶ εὐθέως ἐπιγνοὺς ὁ ἰησοῦς τῷ πνεύματι αὐτοῦ, ὅτι οὕτως αὐτοὶ διαλογίζονται ἐν ἑαυτοῖς, εἶπεν αὐτοῖς· τί ταῦτα διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;	8 Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?	Matth. 9. v. 4. Luc. 5. v. 22.

QVO STATIM COGNITO. καὶ εὐθέως ἐπιγνοὺς quod statim cùm cognouisset. SPIRITV SVO diuino. Prophetæ alieno spiritu, nempe Dei, quorundam aliquando cogitationes intellexisse potuerunt: Christus autem suo spiritu, quia Deus ipse erat, illas intellexit. id quod satis declarauit, quando statim vt ortæ illæ erant in eorum animis, ad illas respondit: *statim* enim addit Euangelista. Facto itaque ipso ostendit, nihil esse tam abditum in cordibus hominum, quod ipsius fugeret spiritum, omnia scrutantem & perspicientem. QVIA, quòd. INTRA SE. hoc est, in cordibus suis, vt mox sequitur. vide Matth. 9. v. 3. Reliqua lege Matth. 9. v. 4.

τί ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν τῷ παραλυτικῷ, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι· ἢ εἰπεῖν,	9 Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata; an dicere:	Matth. 9. v. 5. Luc. 5. v. 23.

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula?

ἔγειραι, καὶ ἆρόν σου τὸν κράββατον, καὶ περιπάτει;

Quære huius versus enarrationem Matth.9. v.5.

Matth.9. v.6. Luc.5. v.24.

10 Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico)

ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀφιέναι ἐπὶ τῆς γῆς ἁμαρτίας (λέγει τῷ παραλυτικῷ)

QVIA FILIVS HOMINIS HABET POTESTATEM IN TERRA DIMITTENDI PECCATA. Græcè est: *Quòd potestatem habet Filius hominis dimittendi in terra peccata*; ita vt ad dimittere peccata referri debeat τὸ in terra. Reliqua dicta sunt Matth.9. v.6.

Matth.9. v.6. Luc.5. v.24.

11 tibi dico, Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.

σοὶ λέγω, ἔγειραι, καὶ ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.

Dico. iubeo, impero. SVRGE, TOLLE. ἔγειραι καὶ ἆρον surge & tolle. expendenda sunt orationis verba singula, & obseruandum quî mox res ipsa conueniat. Cætera quære Matth.9.v.6.

Matth.9. v.7.8. Luc.5. v.25.26.

12 Et statim surrexit ille, & sublato grabato abiit coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quià numquam sic vidimus.

καὶ εὐθέως ἠγέρθη, καὶ ἄρας τὸν κράββατον ἐξῆλθεν ἐναντίον πάντων, ὥστε ἐξίστασθαι πάντας, καὶ δοξάζειν τὸν θεὸν, λέγοντας· ὅτι οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν.

STATIM ad vocem Iesu. SVBLATO GRABATO. nunc gestiens & alacer tantæ etiam grabati sarcinæ gestandæ solus sufficiens, in quo paulò antè ipse, velut exanime quoddam affixumque cadauer, à quatuor baiulis deportabatur. ABIIT. ἐξῆλθεν egressus est. CORAM OMNIBVS. dantibus exeunti locum, quem negauerant aduenienti. Sic enim expediebat vtrumque, vt venienti obsistens turba, fidei magnitudinem omnibus faceret manifestam: & datus per mediam multitudinem exeunti locus, miraculi spectaculum omnium oculis subiiceret. MIRARENTVR. ἐξίστασθαι percellerentur, obstupescerent, id est, præ admiratione apud se non essent. Nã ἐξίστασθαι Græcis, & percelli Latinis, declarat loco dimoueri & euerti. HONORIFICARENT. δοξάζειν glorificarent, laudarent, *qui dederat potestatem talem hominibus*, quod Matthæus addit. QVIA. ὅτι. superest sensui. SIC. tale quidquam. quidquam huic facto simile. vide Matth. 9. v.33. VIDIMVS. omnis Israël, ex quo à Deo in peculiarem populum electi sumus. vniuersalis enim oratio siue propositio est, superiora etiam secula complectens. Reliqua lege Matth.9.v.7.8.

13 Et egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos.

καὶ ἐξῆλθε πάλιν παρὰ τὴν θάλασσαν, καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς·

EGRESSVS EST relictis illis scribis, quos re ipsa conuictos, quum inuidia adhuc incensos videret, conuertere magis dissimulando, quàm irritare cõtendendo volebat; ab omni deinde ambitione & fastu alienum se ostendens. RVRSVS AD MARE. è Capharnaum ad mare ciuitati proximum (ciuitatis enim Capharnai mœnia à meridie lambit ipsum mare, quod diximus Matth.4. v.13.) Nam & superiùs egressum dixerat, cap.1.v.35., & quamquam non ad mare, non tamen procul à mari, quum illo ipso die vesperi traiecerit mare (suprà 1.v.35. infrà 4.v.35. & Matth.8. v.18.) prope enim aberat à deserto mare Galilææ. OMNISQVE TVRBA. hoc est, populus terræ, vt Hebræi loquuntur, qui vt simplicior, expers omnis fuci & astutiæ, ita ad disciplinam sæpe opportunior; & is magno numero. non enim dubium est, quin vel negotiationis causa, illic circa mare magna hominum multitudo versaretur. DOCEBAT EOS. docendi munus, numquam Dominus noster, quum est opportunitas, intermittit: nihil enim potest sana doctrina aut vtilius aut melius obtingere. Hæc igitur fuit ei causa egrediendi; simul etiam vt Matthæum piscaretur, quemadmodum sequitur.

Matth.9. v.9. Luc.5. v.27.28.

14 Et cùm præteriret, vidit Leui Alphæi sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. & surgens sequutus est eum.

καὶ παράγων εἶδε λευὶν τὸν τοῦ ἀλφαίου, καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, καὶ λέγει αὐτῷ· ἀκολούθει μοι. καὶ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ.

ET CVM PRÆTERIRET. καὶ παράγων *& cùm transiret* vertit secundùm Matthæum. Sensus est: Cùm autem progrederetur siue pergeret ad mare, eo in itinere *vidit*, &c. Vel, Cùm autem eo in itinere præteriret telonium, *vidit*, &c. Non enim postquam ad mare docuerat, sed tunc cùm ad mare pergeret, vidit vocauitque

que Leuin. LEVI. λευὶν Leuin, quo modo & quidam antiqui codices latinè ſcribunt. Alterum Matthæi Apoſtoli nomen, *Leuis* vel *Leui* primo caſu (vide Luc. 5.v.27.) gentile, quod apparet: nam quia publicanus erat, hæc ei fuiſſe cauſa videtur, vt nomen peregrinum ſibi accerſeret, *Matthæi*: quo quia notior erat, idcirco Marcus & Lucas alterum expreſſere, vt eius honori conſulerent, nomen vulgare primæua appellatione obnubentes. ALPHÆI. τὸν τοῦ ἀλφαίου illum Alphæi, id eſt, filium Alphæi. Non eſt hic ille Alphæus, cuius Iacobus minor filius eſt. AD TELONIVM. Solent enim telonia mari eſſe vicina, quò illic vigilent telonæ, ne quis appellat, ſoluat, aut prænauiget, qui portorium non pendat. Reliqua lege Matth.9.v.9.

15 καὶ ἐγένετο, ἐν τῷ κατακεῖσθαι αὐτὸν ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, καὶ πολλοὶ τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ συνανέκειντο τῷ ἰησοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· ἦσαν γὰρ πολλοί, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.

Et factum eſt, cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebãt cum Ieſu & diſcipulis eius: erant enim multi qui & ſequebantur eum. Matth.9. v.10. Luc.5. v.29.

CVM ACCVMBERET. ſ. Ieſus. ἐν τῷ κατακεῖσθαι αὐτὸν ad verbum, *in accumbere ipſum*. ILLIVS. Leuis. Significatur Leui, alibi domum, alibi telonium habuiſſe; telonium ad litus maris, domum in ciuitate; poſtquam enim docuerat ad mare Ieſus, duxit eum Leui domum ſuam, & inſtructo conuiuio ſimul & valedixit amicis & Ieſu ſe addixit. MVLTI. καὶ πολλοὶ & multi, etiam multi. QVI ET. καὶ &. Latinè videtur omittendum *&*. lege Notas. SEQVEBANTVR. ἠκολούθησαν ſequuti vel proſequuti fuerant: mox enim dixit diſcubuiſſe eos domi Leuis. EVM. Ieſum, euntem domum Leuis, tamquam diſcipuli magiſtrum. En fructum prædicationis Ieſu, non ſolùm in Matthæo, verùm & in alijs publicanis ac peccatoribus, quorum quoſdam, veriſimile eſt, etiam Ieſu adhæſiſſe, quamuis non electos Apoſtolos. Reliqua Matth.9.v.10.

16 καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν, ἔλεγον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· τί ὅτι μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει καὶ πίνει;

Et Scribę & Phariſæi vidẽtes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magiſter veſter? Matth.9. v.11. Luc.5. v.30.

ET SCRIBÆ. Scribæ autem. VIDENTES QVIA MANDVCARET. ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα quum vidiſſent eum edentem. QVARE. τί ὅτι quid quòd, quid eſt quòd. MAGISTER VESTER. Græcè & ſyriacè omittitur, quaſi præ contemtu haud nominent. Cætera Matth.9.v.11.

17 καὶ ἀκούσας ὁ ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς· οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.

Hoc audito Ieſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent. non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Matth.9. v.12.13. Luc.5. v.31.32.

NON NECESSE. non opus. HABENT SANI MEDICO. NON ENIM VENI. Græcè ac ſyriacè non legitur *enim*, & in Luca vix latinè etiam. Cæterùm ſi legendum ſit, non redditur cauſa prouerbij proximè præcedentis, ſed cur prouerbium illud huc attulerit. Interpretatur enim declaratque, quare ſimile ſit officium ipſius, officio medici, nempe, vocando, conuertendoque peccatores ad Deum, quò ſanentur & iuſtificentur; non iuſtos, quum illi iam vocati, conuerſi, ſanati, & iuſtificati ſint. Addit Græcus *ad pœnitentiam*, ea cenſura qua apud Matthæum, ex quo petes reliqua.

18 καὶ ἦσαν οἱ μαθηταὶ ἰωάννου καὶ οἱ τῶν φαρισαίων νηστεύοντες· καὶ ἔρχονται καὶ λέγουσιν αὐτῷ· διατί οἱ μαθηταὶ ἰωάννου καὶ οἱ τῶν φαρισαίων νηστεύουσιν, οἱ δὲ σοὶ μαθηταὶ οὐ νηστεύουσι;

Et erant diſcipuli Iohannis & Phariſæi ieiunantes: & veniunt & dicunt illi: Quare diſcipuli Iohannis & Phariſæorum ieiunant, tui autem diſcipuli non ieiunant? Matth.9. v.14. Luc.5. v.33.

ET ERANT. Erant autem, quodam tempore. ET PHARISÆI. καὶ οἱ φαρισαῖοι, ita quidam codices. plerique verò, omnes noſtri, cum ſyricis, habent καὶ οἱ τῶν φαρισαίων *& Phariſæorum* ſ. diſcipuli quomodo mox legitur etiam latinè. Cæterùm, erant Phariſæorum diſcipuli & ipſi Phariſæi, ſed ætate illi iuniores, ſeniorum diſcipuli, quibus ad carnis impetus reprimendos magis opus eſt ieiunio quàm ſenibus, ætate ac viribus confectis. IEIVNANTES. pœnitentiæ ac religionis ergo obſeruabant communiter ieiunium. ET VENIVNT. Veniunt igitur, ea occaſione veniunt. IEIVNANT. Marcus narrat quæſtionem ita vt interrogent de ſe in tertia perſona: porrò videntur ex Matthæo Iohannis diſcipuli quæſtionem propoſuiſſe. Reliqua pete ex Matth.9.v.14.

Matth.9. v.15. Luc.5. v.34.

Et ait illis Iesus: Numquid possunt [19] filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare.

καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστι, νηστεύειν; ὅσον χρόνον μεθ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον, οὐ δύνανται νηστεύειν.

NVPTIARVM. τοῦ νυμφῶνος *sponsi* vertit secundùm Matthæum. QVAMDIV. ἐν ᾧ subaudi χρόνῳ: quæ eclipsis est Græcis in hoc dicendi genere familiaris. QVANTO TEMPORE respondet sibi ipsi. Syrus hanc periodum omittit, nec aliud habet eius loco quàm ܠܐ *lo non* seu *minime*, quamquam nec hoc in manuscripto legatur. NON POSSVNT. non debent, præter rationem sit ad ieiunium eos cogere. Reliqua dicta sunt Matth. 9. v. 15.

Matth.9. v.15. Luc.5. v.35.

Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt, in illis diebus. [20]

ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.

IN ILLIS DIEBVS. Signanter vrget illos dies, significans egregiè tunc ieiunaturos ipsos & lucturos esse. Cætera lege Matth. 9. v. 15.

Matth.9. v.16. Luc.5. v.36.

Nemo assumentum panni rudis [21] assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum nouum à veteri, & maior scissura fit.

καὶ οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιῤῥάπτει ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· εἰ δὲ μή, αἴρει τὸ πλήρωμα αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται.

NEMO. καὶ οὐδεὶς *& nemo*, sed ab aliis rectiùs omittitur καί. ASSVMENTVM. Meliùs conuenit id quod in Matthæo vertit *commissuram*, nisi magis id commissionem ipsam & suturam declararet, quàm id quod insuitur, quodq; hoc loco dicitur ἐπίβλημα. neque enim ἐπὶ hîc nota est adiectionis ad iustam mensurã, sed supplementum potiùs declarat eius cui deerat aliquid. Quare & ἐπιῤῥάπτει, quod hîc sequitur, potiùs vertẽdum esset *insuit* quàm *assuit*. SVPPLEMENTVM. τὸ πλήρωμα. *plenitudinem* verterat in Matthæo. Porrò illud hîc amplius est, quòd τὸ *supplementum*, instar τοῦ πλήρωμα anceps sit ad primum & quartum casus. Additur autem hîc græcè & syriacè, vti in Matthæo, αὐτοῦ *eius*. NOVVM. iungendum est cum *supplementum*. A VETERI vestimento. MAIOR. χεῖρον peior, vti in Matthæo, ex quo reliqua petenda sunt.

Matth.9. v.17. Luc.5. v.37.38.

Et nemo mittit vinum nouum [22] in vtres veteres: alioqui dirumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt: sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet.

καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μή, ῥήσσει ὁ οἶνος ὁ νέος τοὺς ἀσκούς, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται· ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον.

DIRVMPET VINVM nouum additur græcè. EFFVNDETVR, ET VTRES PERIBVNT. ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται, vti in Matthæo, *effunditur, & vtres pereunt*. Interpres hîc accepit vt futura media: sed futura sint præsentium loco. MITTI DEBET. βλητέον mittendum est. cui datur quarto casu οἶνον νέον vinum nouum. sic enim loquuntur Græci γραπτέον μοι ἐπιστολήν scribendum est mihi epistolam. Cætera tractata sunt Matth. 9. v. 17.

Matth.12. v.1. Luc.6. v.1.

Et factum est iterum, cùm Dominus [23] sabbatis ambularet per sata, & discipuli eius cœperunt progredi & vellere spicas.

καὶ ἐγένετο παραπορεύεσθαι αὐτὸν ἐν τοῖς σάββασι διὰ τῶν σπορίμων, καὶ ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας.

ITERVM. Alia rursus Pharisaicæ calumniæ occasio: quamquam istud *iterum* græcè syriaceq́ue non legatur. SABBATIS. quodam sabbato. AMBVLARET, iret. παραπορεύεσθαι præteriret, vel, vt est in alio exemplari, διαπορεύεσθαι transiret, composita pro simplici *iret*. Ad verbum, Et factum est ipsum præterire. Syrus & Latinus vertunt, Quum iret seu ambularet ipse, fortè ex eo quod alij legunt ἐν τῷ διαπορεύεσθαι. ET DISCIPVLI. vt discipuli eius cœperint. Syrus omisit coniunctionem *&*. PROGREDI. ὁδὸν ποιεῖν iter facere. Non ex professo, sed inter eundum vellebant spicas. Interpres vertit *pragredi* (quæ nostra est ex aliis libris coniectura in Notis) quo intellexit discipulos cœpisse præire & vellere spicas. Non enim tunc demum cœperunt iter facere seu *progredi* (quomodo vulgò legitur) qui iamdudum ambulabant seu ibant. sed potuerunt, qui antea sequebantur. cœpisse præcedere Dominum aliosque, ne fortè occupatis edendi necessitate elaberetur Dominus iter persequens, si sequi perrexissent. ET VELLERE. τίλλοντες vellentes siue vellendo. s. cibi causa. Videtur permutata

mutata verborum collocatio: sensus est enim: Cœperunt iter faciendo, siue, inter proficiscendum seu progrediendum, vellere spicas. nam *cœperunt* græcè, non ad *iter facere*, sed ad *vellere* refertur, iuxta sententiam: nec enim initium itineris significatur, sed initium vellendi. Ceterùm quia obscurius hoc est, idcirco latinus quidem Interpres transtulit *progredi*, quod diximus, Syrus verò omissa voce *cœperunt*, vertit: *Ambulabant & vellebant spicas*. Reliqua lege Matth. 12. v. 1.

καὶ οἱ φαρισαῖοι ἔλεγον αὐτῷ· ἴδε τί ποιοῦσιν ἐν τοῖς σάββασιν, ὃ οὐκ ἔξεστι;

24 Pharisæi autem dicebant ei: Ecce quid faciũt sabbatis, quod non licet? *Matth. 12. v. 2. Luc 6. v. 2.*

ECCE ἴδε τί vide quid. vel, ecce cur. QVOD NON LICET id nẽpe quod nõ licet. Reliqua lege Matt. 12. v. 2.

καὶ αὐτὸς ἔλεγεν αὐτοῖς· οὐδέποτε ἀνέγνωτε τί ἐποίησε Δαβίδ, ὅτε χρείαν ἔσχε, καὶ ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ;

25 Et ait illis: Numquã legistis quid fecerit Dauid, quãdo necessitatẽ habuit & esuriit ipse & qui cũ eo erant? *Matth. 12. v. 3. Luc. 6. v. 3.*

πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ ἐπὶ ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι;

26 Quomodo introiuit in domũ Dei, sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis mãducauit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus, & dedit eis qui cum eo erant? *Matth. 12. v. 4. Luc 6. v. 4.*

SVB ABIATHAR PRINCIPE SACERDOTVM. summo sacerdote; summum sacerdotium siue pontificatum gerente Abiathar. Syrus: *Quum Abiathar summus sacerdos esset*. Iste successerat ex familia Heli. Historia ap. ellat *Achimelech*. summum sacerdotem eum quem Dauid accessit, & sub quo hęc contigerunt. 1 Reg. 21 v. 2. & seq. filium verò huius vocat *Abiathar*. 1. Reg. 22. v. 20. Cæterùm & patrem alibi vocari *Abiathar* & filium *Achimelech*, itaque nomina ista inter illos fuisse cõmunia, clarùm est, 2. Reg 8. v. 17. 1. Paral. 18. v. 16. & 4. v. 6. Binomios igitur fuisse constat, vt prætercam fieri potuisse, vt filius vnà cum patre summo sacerdotio functus fuerit, quemadmodum Dauid regnante manifestum est duos summos sacerdotes fuisse, tam e. superioribus locis, quàm ex 2. Reg. 15. v. 35. 3. Reg. 1. & 1. Paral. 15 v. 11. NON LICEBAT οὐκ ἔξεστι non licet. ET DEDIT EIS QVI. καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς & dedit etiam eis qui. Ecce disertè Saluator asserit comites Dauidi fuisse, quos sacris propositionis panibus actu pauerit sicut seipsum. Cùm enim pueros secum à mulieribus abstinuisse testatus esset, acceptum à sacerdote sacrum panem tulit illis, eo loci, vbi iusserat vt operirentur reditum suum. Cętera horum duorum versiculorum quære Matth. 12. v. 3. 4.

καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον.

27 Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum.

DICEBAT seu dixit, vt vertunt alij ex ἔλεγε. Sensus est: His aliisque ad refutandum pharisaicam calumniam allatis subiunxit sententias has generales circa sabbati legem obseruandas. PROPTER HOMINEM. propter hominis vtilitatem, pro hominum salute ac bono. FACTVM EST. Syrus *creatum est*, id est, conditum, institutum est. Institutum est pro bono & corporis & animæ hominis; Corporis, vt, qui reliquis diebus hebdomadæ, corpore laborasset, illo quiesceret, ne continuis laboribus frangeretur (Exod 20. v. 10. Deut. 5 v. 14.) Animæ, vt, corporis labore vacuus, mente recoleret Dei beneficia, creatoris cæli & terræ, liberatoris è seruitute Ægypti, rectoris mundi, in illiusque se cognitione & cultu maximo suo bono exerceret (Exod. 20. v. 11. Deut. 5. v. 15.) ET NON HOMO factus seu creatus est. PROPTER SABBATVM quod Mose legislatore demum institutum est. Ita tamen ineptiunt Iudæi, vt dicant mundum propter legem conditum esse. Sabbatum igitur homini seruiat oportet, & non homo sabbato, ita vt si sabbato occurrat homini animæ corporisve necessitas vel insignis vtilitas, præstet sabbatum perire quàm hominem, præstet hominis saluti sabbati cultum posthaberi dummodo non sit in fraudem sabbati affectata siue vtilitas siue necessitas. Inscitè itaque peruertãt consilium Dei, qui cum hominis noxa exigant sabbati obseruationem quam Deus homini prodesse voluit. Igitur si hominem occupet sabbato fames, etsi non extrema improuisa tamen, potest necessario labore adhibito famen pellere: nam & alienus est à quiete sabbati, labor famis. Marcus, quatuor modis à Matthæo allatis, quibus tuetur Saluator discipulos, hunc addit quintum, non esse conuertendum in hominis exitium, quod pro hominis bono institutum est, simul & quintum declarans modum iuxta quem lex positiua interpretanda sit, Videlicet, vt non exigatur illius obseruatio, quando manifestè contraria sit legislatoris intentioni.

ὥστε κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

28 Itaque Dominus est filius hominis, etiam sabbati. *Matth. 12. v 8. Luc. 6. v. 5.*

ITAQVE DOMINVS EST. Denique vel Itaque & hoc dicebat: DOMINVS EST &c. continuatiuum est enim *itaque*, vel expletiuum, non illatiuum. Ego dignatione filius hominis, missus ad saluandum hominem illiusque salutem procurandam. qui natura Dominus sum cæterarum rerum omnium, sum & sabbati, ita vt pro arbitrio meo & hominum vtilitate ac salute, illud moderari, laxare, abrogare possim. Reliqua lege Matth. 12. v. 8.

CAPVT TERTIVM.

Matth.12. v.9.10. Luc.6. v.6.

Et introiuit iterum in Synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam. 1 Καὶ εἰσῆλθε πάλιν εἰς τὴν συναγωγήν, καὶ ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος ἐξηραμμένην ἔχων τὴν χεῖρα.

ITERVM. Non refertur ad proximum factum (illud enim in agris contigerat) sed ad frequentes Iesu in synagogas ingressus, docendi & benefaciendi studio, qualium suprà 1. v. 21. & 39. Euangelista meminerat. ARIDAM. ἐξηραμμένην arefactam. Obtulit se noua & Domino benefaciendi suamque doctrinam stabiliendi, & Pharisæis calumniandi, occasio. Reliqua lege Matth. 12. v. 9. 10.

Matth.12. v.10. Luc.6. v.7.

Et obseruabant eum si sabbatis curaret, vt accusarent illum. 2 καὶ παρετήρουν αὐτὸν εἰ τοῖς σάββασι θεραπεύσει αὐτὸν, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ.

OBSERVABANT. supple ex præcedentibus, *Pharisæi*. Obseruabant autem non tantùm, verumetiam an id fieri posset interrogabant, iuxta Matthæum. CVRARET. αὐτὸν *eum* additur græcè & syriacè. VT ACCVSARENT. Non vt visum admirarétur & penitius consideraret opus planè diuinum, quod erat solo verbo aut tactu vegetare manum aridam: sed vt quauis ratione, prætextu cultus sabbati, calumniam struerent. Odio enim Christi cùm toti flagrarent, eò amentiæ venerunt, vt Deum ipsum conarentur in ordinem cogere, tamquam qui sabbatum instituens, legem sibi ipse imposuerit, vel aliqua seruitute se obstrinxerit, ne sabbatis, sicut aliis diebus, operaretur. Reliqua lege Matth. 12. v. 10.

Luc.6. v.8.

Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium. 3 Καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ τῷ ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα· ἔγειραι εἰς τὸ μέσον.

SVRGE IN MEDIVM. Sedenti ægro & stipem exspectanti ab iis quos ad misericordiam moueret suæ miseriæ spectaculum, aut certè audienti inter alios docentem Christum, iubet Christus vt surgat, & conspicuum se præbeat præsentibus omnibus; Sapientissimè profectò, non tantùm vt redderet omnes attentos edendo miraculo, verùm multo magis, vt spectaculum miseri hominis, præsentes ad sequendam benefaciendi opinionem in proponenda quæstione inclinaret, contra sententiam calumniatorum.

Matth.12. v.12. Luc.6. v.9.

Et dicit eis: Licet sabbatis benefacere, an malè? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. 4 καὶ λέγει αὐτοῖς· ἔξεστι τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι ἢ ἀποκτεῖναι; οἱ δὲ ἐσιώπων.

ET DICIT. Tunc dicit, cùm ille surrexisset in medium. BENEFACERE. ἀγαθοποιῆσαι beneficio afficere s. egentem. Coniunctim legendum est *benefacere* vno vocabulo: non enim quærit Christus an boni aliquid facere liceat die sabbati (hoc enim erat extra controuersiam) sed an charitatis officia proximis egentibus præstare liceat. AN MALE? ἢ κακοποιῆσαι an malefacere? prodesse an nocere? ANIMAM. Auget quæstionem. Hominem intelligit per *animam*, hebraica Synecdoche, *à parte totum*, quod ait Euthymius. SALVAM FACERE σῶσαι seruare, salutem afferre, incolumitati restituere. AN PERDERE? ἢ ἀποκτεῖναι an occidere, subaudi τὴν ψυχήν *animam*, hoc est, hominē. Interpres legit ἀπολέσαι, quod est *perdere*; adstipulāte Syro, qui habet ܠܡܘܒܕܘ *lemaubodou*, ab אבד *abad* verbo, notæ & apud Hebræos significationis pereundi ac perdendi. Quidam annotat scribi & in quibusdam exemplaribus græcis ἀπολέσαι, qualia nulla nos vidimus nisi secundùm Lucam. Porrò hoc quidem, *perdere* inquam, aptius meliusque esse iudico quàm *occidere*. Intelligendum est enim, Saluatorem quæstionem hanc proponentem manu monstrasse signasseque mancum hunc in medio cōsistentem, & tamquam de eo interrogasse, an benefacere illi liceret an malefacere, salutem illi adferre an eum perdere. de cuius morte non agebatur, sed de vitio reddente inutilem. nam hoc est *perdere*, inutilem reddere, ita vt non valeas tibi ipsi seruire. Quæstioni itaque ab æmulis propositæ, *Si licet sabbatis curare?* narrante Matthæo; opponit aliam Saluator, cornutam illam, duoque inter se contraria continentem, qua in angustum illos ita cogit, vt etiam tacentes, habeantur ab auditoribus eo redacti, vt à se ipsis propositæ quæstioni non nisi contra suam ipsorum sententiam respondere queant. Vos me interrogatis: An liceat die sabbati hominem corpore ægrum curare? ego vos vicissim interrogo: An liceat die sabbati, hominem nostra opera egentem, beneficio an iniuria afficere? salutem illi adferre an adimere? Certa res est, non licere salutem auferre aut inferre iniuriam. Licet igitur benefacere & salutem adferre. Nam quando proximus eò necessitatis adductus est die sabbati, vt salutis incolumitatisve iacturam fecerit, quemadmodum miser iste; alius autem succurrere illi potest, quemadmodum ego huic possum: ille, si non benefacit proximo, malefacit: si non restituit illi incolumitatem, ademisse censetur. Lege enim charitatis tenetur vnusquisque proximo laboranti succurrere quando potest, vsque adeò vt iudicandus sit auctor eius mali à quo potuit & non liberauit eum. Beneficentiæ igitur exercitatio sabbatis licita, immo præcepta est, tam conueniens sanctificationi diei sabbati, quàm malefacere est alienum. Cùm sciret Saluator nihil ab ipsis respondendum, ita temperauit quæstionem, vt ipsis tacentibus illa secum adferret solutionem sui. Et quamquam non teneretur hominem hunc sanare (diuinæ enim erat hoc, nō humanæ naturæ opus) at habet se vt hominem vnum ex aliis, tamquam qui malefaceret, si egenti cùm posset non benefaceret, quo citra calumniam sanare possit.

ipso opere Deum se esse declarans. TACEBANT. Videbant enim aut certè metuebant, ne verbis suis caperentur si quid responderent (cuius inprimis illos puduisset coram multitudine) præsertim cùm nec discere cupiebant, nec opiniones prauas corrigere, nec discedere ab animo Dominum persequendi.

5 καὶ περιβλεψάμενος αὐτοὺς μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν, λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη.

Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit & restituta est manus illi. *Matth.12. v.13. Luc.6. v.10.*

ET. Itaque. CIRCVMSPICIENS. περιβλεψάμενος cùm circumspexisset. Cùm nihil responderent aduersarij ad propositam quæstionem, Saluator, quo suam sententiam redderet clariorem, attulit exemplum ab oue sumtum, quod Matthæus narrat: tandem conclusit licere sabbatis benefacere, soluens ipse vtramque quæstionem. Quod vbi fecisset, mox eiecit oculos in illos circùm adstantes. CVM IRA. vultu habituque iram atque indignationem præ se ferente. quò monstraret conscium se obstinatæ illorum peruersitatis quæ silentium illud imperaret potiùs quàm veri ignoratio. Ira nobis est passio, Christo tamquam actio erat: nobis sponte oritur, à Christo in se excitatur: orta in nobis, reliquas corporis animique vires turbat, nec pro arbitrio potest reprimi; à Christo excitata, mouet quod ipse moueri velit, turbat nihil denique quiescit pro voluntate ipsius. CONTRISTATVS. συλλυπούμενος condolens seu condolescens. Videtur hoc loco peculiaris quædam esse vis præpositionis σὺν, quæ latinis his verbis non perinde exprimatur; Significari nempe, Saluatorem ita fuisse iratum, vt simul doluerit aduersariorum vicem, illorumque eum ceperit commiseratio: iram dolore fuisse temperatam, concepto, non de iniuria sibi facta, sed de illorum peruersitate. Non itaque fuisse Saluatoris iram, appetitionem vindictæ ex maleuolentia proficiscentem; sed significationem indignationis qua ferretur in vitia, dolens ipse interim huiusmodi vitiis se subiicere homines, quibus quàm optimè vellet. CAECITATE. τῇ πωρώσει, quod Syrus aliique vertunt *duritie*. πῶρος enim callum duritiemque in articulis declarat; hinc πωροῦσθαι callum obducere, & πώρωσις. Interpres potuit legisse πηρώσει, quod est cæcitate; aut potiùs duo hæc confudisse: idem enim vnum insanabilis malitiæ testimonium esse videtur, cor excæcatum & cor obduratum. CORDIS EORVM. quòd corde essent, tum præ inuidia, odio, malitia, excæcato, ita vt intelligere nollent clarissimam veritatem ob oculos positam; tum præ pertinaci contumacia obdurato, ita vt occalluissent ad omnem virtutis stimulum, nec locus ampliùs esset salutari doctrinæ. EXTENDE. Exemplo suo docet, ob deploratam quorumdam peruersitatem, non abstinendum à iuuandis beneficentiâ aliis, præsertim facti ratione iam exposita. ET RESTITVTA EST MANVS ILLI. perierat enim illi manus, cùm reddita esset inutilis. Græcè additur ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη *sana vt altera*: id quod Marco adiectum esse videtur ex Matthæo: nam vt non legitur latinè, ita nec syriacè. Reliqua ex Matthæo petenda sunt.

6 καὶ ἐξελθόντες οἱ φαρισαῖοι, εὐθέως μετὰ τῶν ἡρωδιανῶν συμβούλιον ἐποίουν κατ' αὐτοῦ, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσι.

Exeuntes autē Pharisæi statim cum Herodianis consiliū faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent. *Matth.12. v.14. Luc.6. v.11.*

STATIM. vt erant furore accensi. Nec enim illicitum sabbato ducebant conspirare in necem innocentis. τὸ *statim* & quod sequitur *cum Herodianis* quidam referunt ad *exeuntes*, vt etiam Syrus manifestè: nos ad *consilium faciebant* referimus. CVM HERODIANIS. cum iis qui Herodis partes agebant in iudicando populo, in puniendis publicæ pacis perturbatoribus, & in cæteris ad Reipub. regimen pertinentibus. cum officialibus & ministris vicariis Herodis. Herodes à Romanis constitutus erat Galilææ tetrarcha: Iesus autem Galilæus erat, atque in Galilæa hæc patrabat. In suspicionem itaque adducitur à Pharisæis apud eos qui Remp. Herodis nomine administrabant, quòd populos sibi conciliaret, tamquam nouas res moliturus & pacem publicam turbaturus. quocirca consilium simul ineunt Syrus vertit, *cum iis qui de domo Herodis*. FACIEBANT. ita est ad verbum ἐποίουν, quod est latinè *inibant*. Reliqua Matth. 12. v. 14.

7 καὶ ὁ ἰησοῦς ἀνεχώρησε μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς τὴν θάλασσαν· καὶ πολὺ πλῆθος ἀπὸ τῆς γαλιλαίας ἠκολούθησαν αὐτῷ, καὶ ἀπὸ ἰουδαίας, καὶ ἀπὸ ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς ἰδουμαίας, καὶ πέραν τοῦ ἰορδάνου·

Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare: & multa turba à Galilæa & Iudæa sequuta est eum, & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem: *Matth.12. v.15.*

IESVS AVTEM cognoscens eorum consilia. CVM DISCIPVLIS SVIS. iis qui ipsi adhærebant comitibus indiuiduis. AD MARE Galilææ. quod aliàs stagnum Genesareth (non enim excessit Galilæa) ad loca mari Galilææ vicina minusque celebria conuentibus hominum, vnde etiam vlterior fuga pateret si foret consultum. ET MVLTA TVRBA. καὶ πολὺ πλῆθος ad verbum, & multa multitudo. id est, magna multitudo. A GALILÆA. ex tota Galilæa. ET IVDÆA Strictè hic accipitur Iudæa, pro tribus Iudæ sorte (vide Matth.2 v.1.) è qua in Galilæam iter erat Aquilonem versus ex Austro. ET AB IEROSOLYMIS. etiam ab ipsis Ierosolymis, Iudææ metropoli & sancta ciuitate. ET AB IDVMÆA. regione quam incolunt posteri ipsius Esau, aliàs Edom dicti, fratris Israel, vicina Israëlitarum regioni ex Australi parte. ET TRANS IORDANEM. Ita est ad verbum græcè. Syrus ex præcedentibus præpositionem ἀπὸ repetit, claritatis ergo, &

 nonnulli

nonnulli quoque latini libri, scribentes. *Et ac trans Iordanem*, ita vt sensus sit, A regionibus vltra Iordanem sitis. vide Matth. 4. v. 25. Iordanis fluuius Israelitarum regionis terminus erat ab ortu. vide Matth. 3. v. 5. Reliqua huius versiculi lege Matth. 12. v. 15.

Et qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.	8	καὶ οἱ περὶ τύρον καὶ σιδῶνα, πλῆθος πολύ, ἀκούσαντες ὅσα ἐποίει, ἦλθον πρὸς αὐτόν.

ET QVI CIRCA TYRVM ET SIDONEM s. habitabant: vel οἱ περὶ τύρον καὶ σιδῶνα, hoc est, Tyrij & Sidonij, phrasi Attica. Refertur ad proximum verbum *venerunt*. Syrus præcedentibus iungens vertit: *& a Tyro & a Sidone.* Tyrus & Sidon ciuitates, Galilææ vicinæ, ad mare magnum mediterraneum sitæ erant: quod erat ab occidente terminus Israelitarum regionis. vide Matth. 11. v. 20. Vndique igitur confluebant populi tam ethnici quàm Iudaici ad Iesum. MVLTITVDO MAGNA. Appositio: *Qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna.* Alij subaudito græcè κατὰ, vertunt clariùs latinè textum casum: *Magna multitudine.* Maior etiam hominum turba sequuta est Iesum secedentem, ita vt eò minùs possent Herodiani aggredi id quod cogitabant. AVDIENTES. ἀκούσαντες postquam audissent. Fama publica qua omnes alliciebantur, erat sanitatum & miraculorum diuinorumque beneficiorum copia per Iesum facta: quæ res in calumniam cùm rapi non posset, illorum improborum consilia dissipabat, & testimonium atque fama Iesu ipsiusque euangelij notitia augebatur in horas vndique apud omnes. QVÆ. ὅσα quanta, quàm immensa & mirifica, vel quæcumque.

Et dixit discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret, propter turbam, ne comprimerent eum:	9	καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν.

DIXIT. iussit. DESERVIRET. προσκαρτερῇ semper præsto adesset, assidua comes esset. Nam προσκαρτερεῖν significat in re aliqua aut apud aliquem perseuerare, ita vt semper præsto sis. Quocirca de pedissequis dicitur: non ideò tamen propriè significat deseruire. Interpres Act. 1. v. 14. vertit *perseuerare*. Syrus transfert, vt appropinquare ad se facerent seu, proximè ad se adducerent. COMPRIMERENT. seu opprimerent, θλίβειν enim ita significat premere vt opprimas conterasque. Iussit Saluator præsto esse nauiculam, quam conscenderet, si à vi inferenda turba cohiberi non posset. Minabatur itaque eis, apparatione nauiculæ, abitum, nisi modestiùs se gererent.

Matth. 12. v. 15.	multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas.	10	πολλοὺς γὰρ ἐθεράπευσεν, ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτοῦ ἅψωνται ὅσοι εἶχον μάστιγας.

SANABAT. ἐθεράπευσεν sanauerat. ITA VT IRRVERENT IN EVM. ita vt vi rumperent inciderentque in Iesum. Sensus est: Nam quia multos sanauerat, fiebat vt e turba, qua posset quisque violentia adhibita, conaretur ægrotum suum eò vsque adducere, vt tangere posset Iesum. VT ILLVM TANGERENT. *Virtus enim de illo exibat & sanabat omnes* qui vel tangebant ipsum. Luc. 6. v. 19. PLAGAS. μάστιγας flagella, quotquot morbis aliisve defectibus tamquam flagellis à Deo corripiebantur. Dum morbos scriptura flagella appellat, magna emphasi intelligendum dat, quæ vera morborum origo, & quo consilio à Deo immittantur: qua de re agit Apostolus 1. Cor. 11. v. 30.; &, eodem etiã vocabulo vsurpato, Heb. 12. v. 6. Reliqua lege Matt. 12. v. 15.

Et spiritus immundi, cùm illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei.	11	καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν ἐθεώρει, προσέπιπτεν αὐτῷ, καὶ ἔκραζε λέγοντα· ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.

IMMVNDI vide Matth. 10. v. 1. Syrus accusandi casum intellexit (Græcis enim ambiguè est, neutro inquam genere, τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα) iungens illud versus decimi *Quotquot habebant plagas*, huic, in vnam sententiam: *Quotquot habebant plagas & spiritus immundos*; plagasque intelligens occupationes spirituum immundorum. sic enim vertit: *Et illi qui habebant plagas spirituum immundorum, cum viderent eum, procidebant* &c. Qua in versione non est ea difficultas quæ in nostra. Cæterũ sunt & latini libri quibus eadem distinctio est, casu tamen nihil mutato, vt significetur, non tantùm dæmoniacos, sed & cæteros ægrotos, accidentes acclamasse ipsi Iesu: *Tu es Filius Dei.* Sed prosequamur distinctionem vulgarem. VIDEBANT. oculis eorum quorum corpora occupabant, qui quidem liberationis ergo ad Iesum adducebantur. Nam quia energumenorum corporibus potiùs dæmones vtuntur quàm ipsi energumeni: idcirco adspectus dæmonibus ipsis adscribitur. reliquarum enim quæ sequuntur actionum, manifestè dæmones auctores erant. PROCIDEBANT. accidebant EI ad pedes, timore eiectionis pœnæque subeundæ. CLAMABANT. eo fine vt prædicatus & laudatus parceret illis. DICENTES. λέγοντα refertur ad πνεύματα *spiritus*, propter genus neutrum. FILIVS DEI. vide Matth. 8. v. 29. Subaudiendum, Coacti nihilominus relinquere corpora quæ possidebant. Significat enim Euangelista, Iesum, non tantùm tactum, verumetiam visum solummodo, quosdam sanasse, dæmoniacos inquam (vt enim lux visa tenebras, ita Iesus visus fugat dæmones) itaque salutis fontem, venis omnibus explicitis, salutem illic omnibus quàm largissimè profudisse.

καὶ πολλὰ ἐπετίμα αὐτοῖς, ἵνα μὴ [12] φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσι.

Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum. Matth.12. v.16.

COMMINABATVR. ἐπετίμα increpabat, interminabatur. EIS. omnibus quos sanauerat. Hoc enim idem vnum est cum eo quod habet Matthæus cap.12.v.16. MANIFESTARENT ILLVM. φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσι manifestum ipsum facerent. Reliqua pete ex illo Matthæi loco.

Καὶ ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος, καὶ προσκαλεῖται οὓς ἤθελεν αὐτός· καὶ ἀπῆλθον πρὸς αὐτόν. [13]

Et ascendens in montem vocauit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum. Luc.6. v.12.13

ET pro tunc.nempe,iisdē illis diebus quibus superiora gesta fuerant.Nam penè infinitum esse huius particulæ vsum, quæ respondet literæ Hebræorum *Vau* vocabulis præpositæ,iam sæpe diximus. ASCENDENS. ἀναβαίνει ascendit.præsens est. IN MONTEM, vicinum stagno Genesareth.Matth.5.v.1. VOCAVIT AD SE. καὶ προσκαλεῖται & aduocat. vbi noctem illic oratione transmisisset. Luc.6.v.12 13.Aduocat ad se in montem, tamquam ad sublimitatem euangelicæ perfectionis euocans. QVOS VOLVIT IPSE aliquos eorum qui se disciplinæ ipsius tradiderant, eiusmodi ex quibus vellet Apostolos eligere, non quidem pro meritis illorum,sed pro suo beneplacito. Non dubium enim quin hoc verbo Marcus significet, non ambitioni aut meritis hominum Apostolatum delatum fuisse, sed pro Christi Domini liberrima,prudentissima atque æquissima voluntate & indubitata auctoritate collatū,quod notat & Beda.Nam si dicas electos fuisse, qui cæteris essent præstantiores,non quadrabit hoc in Iudam:nec perfectos formatosque elegit, sed à se formandos. Ita verò & Paulus,Dei voluntatem ac beneplacitum in suo apostolatu sæpe commendat,1.Cor.1. v.1.Ephes.1.v.1.Gal.1.v.15. VENERVNT ἀπῆλθον. compositum pro simplici positum, vti etiam Luc.23. v.33.Nota obedientiam ignorantium quare vocarentur.

Καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, [14] καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν·

Et fecit vt essent duodecim cum illo,& vt mitteret eos prædicare: Luc.6. v.13.

FECIT VT ESSENT DVODECIM CVM ILLO.Legendū si transpositis verbis *Fecit duodecim vt essent cum illo*,quemadmodū docuimus in Notis. FECIT,id est,constituit,delegit,designauit, DVODECIM.Quare eo numero, vide Matth.10.v.1. VT ESSENT CVM ILLO. qui familiariter cū ipso versarentur,& perpetuò ipsi adhærerent, indiuidui comites, continuique doctrinæ ipsius auditores,& spectatores operum.vna causa electionis duodecim. Altera: ET VT MITTERET. καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ & vt emitteret EOS, vbi in doctrina ipsius profecissent,instructi verbis exemplisque præceptoris quo continuò vsi essent.Non enim hîc missio eorum,sed electio dumtaxat describitur Non sunt missi mox vt electi. Nondum hîc Apostolos emittit Christus vt suo munere fungantur,sed tantùm in spem obeundi suo tempore Apostolatus eos sibi contubernales discipulos adoptat.Hîc destinantur ad futuram legationem,quæ Matth.10.v.5.& inf.6.v.7.ipsis iniungitur. Nec mirum si paulatim rudes ad tam arduam prouinciam formare & assuefacere voluit cælestis magister. PRÆDICARE. In Iudæam primùm(Matth.10.v.5.) postea etiam in mundum vniuersum (infrà 16.v.15.)

Καὶ ἔχειν ἐξουσίαν θεραπεύειν τὰς νόσους, [15] καὶ ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια.

& dedit illis potestatem curandi infirmitates,& eiiciendi dæmonia. Matth.10. v.1. Inf.6.v.7. Luc.9. v.1.

ET DEDIT ILLIS. quibus dedit s. quando quidem misit. Interpres aliter legisse videtur quàm modò habeant græca & syriaca, quibus est καὶ ἔχειν & *habere*,id quod cohæret cū altero qui præcedit infinitiuo *prædicare*,qui vterque regitur ab optatiuo *mitteret*:& vt mitteret eos prædicare,& habere potestatem curandi &c., quod est, mitteret eos prædicare cum potestate curandi. Nec enim nunc illis potestatem illam tribuit, sed postea quando illos emisit.infrà 6.v.7. POTESTATEM.cuius vsus,testimoniū & quasi sigillum esset euangelicæ doctrinæ,signumque aptissimum euangelicorum promissorum. INFIRMITATES. τὰς νόσους morbos.

Καὶ ἐπέθηκε τῷ σίμωνι ὄνομα πέτρον· [16]

Et imposuit Simoni nomen Petrus: Matth.10. v.2. Luc.6. v.14.

ET IMPOSVIT SIMONI. καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι. Ante hæc verba habent nonnulli græci codices πρῶτον σίμωνα primum Simonem s.fecit.quæ videri possit germana esse lectio;quamquam vt non Latinus,ita nec Syrus,sic legerint. Nam, præterquam quòd ita loquantur Matthæus & Lucas, nisi ita legas, versiculus proximus incipiens à καὶ ἐ,cum duobus qui consequuntur, nihil prorsus habet cum quo connecti possit. Neque est quod quisquam miretur, si post πρῶτον primum, non sequantur δεύτερον, τρίτον, *secundum*, *tertium*, & similes particulæ, quum sæpe occurrat eiusmodi docendi genus,vt Matth.10.v.2.Act.26.v.20. Nam quod pro ἐπέθηκεν αὐτῷ imposuit ei, scriptum est ἐπέθηκε σίμωνι imposuit Simoni, natum est ex Hebræorum idiotismo,apud quos sæpe reperitur antecedens loco relatiui, vt Psalm.47.vers.1. Porrò à quibus non leguntur ea verba *primum Simonem*,vt à plerisque omnibus non leguntur,necessum est saltem,vt his verbis *Et imposuit Simoni*,subaudiant illi, *quem fecit, elegit, siue constituit primum*. *Imposuit* autem hoc noui nominis Simoni,iam verisimile est,quando eum designauit Apostolum:Ioh.1.v.42.videtur prædixisse nominis huius à se impositionem; Matth.16.v.18. confirmasse,postquam diuina inspiratione testatus fuerat Iesum esse Christum Filium Dei viui. PETRVS. vernacula lingua, qua Saluator vtebatur ܟܐܦܐ *Cepha* (quod ad formam græcorum nominum flexum effertur *Cephas*) Græca & latina πέτρος *Petrus*. Significatio est autem petræ

træ siue rupis. Et quamquam, omnes Christianos, viuos spiritualis templi lapides esse oportet (1. Pet. 2. v. 5.) Christus tamē pro excellētia gratię qua Simonē instruere volebat, peculiare ei Petrę nomē imposuit, eò quòd ipse futurus esset caput & robur fidei ipsius: quæ nominis ratio latiùs declaratur Matth. 16. v. 18. Mutatio enim nominis, quæ à Deo facta in Scripturis legitur, semper doni alicuius spiritualis significationem habet.

Matth. 10. v. 2. Luc. 6. v. 14.

17 & Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem Iacobi (& imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filij tonitrui:)

καὶ ἰάκωβον τὸν τοῦ ζεβεδαίου, καὶ ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν τοῦ ἰακώβου, καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὀνόματα βοανεργὲς, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς·

ET IACOBVM ZEBEDÆI s. deinde fecit, siue constituit, elegit. id subaudire oportet ex communi sensu. IMPOSVIT EIS NOMINA. nominauit eos. hoc fecit, vt significaret, præcipuum adeò munus esse ad quod ipsos delegisset, vnde oporteret eos prorsus alios esse, ideoq; & aliis nominibus vocari. Potissimùm autem his tribus, Petro & duobus filiis Zebedæi, noua nomina dedit, quòd ipsorum præcipuè operâ, ad Euangelij prædicationem, & regni sui institutionem ac propagationem, vsurus esset: quare & præ aliis peculiariter familiares habuit, vt sanè eos ad plura quàm alios adhibuit, id quòd clarè testantur historiæ euangelicæ. infrà 5. v. 37. Matth. 17. v. 1. & 26. v. 37. Sic & Abrahæ, Saræ, ac Israëli, qui vt carnalis Israëlis auctores, ita spiritualis typi fuere, noua nomina à Deo fuere indita. Gen. 17. v. 15. & 32. v. 27. BOANERGES. βοανεργὲς. Dictionem esse corruptam docuimus in Notationibus nostris in varias lectiones: vt flexibilis est mutatio, vbi peregrina vocabula alienæ linguæ literis exprimuntur. Videtur expungendum ο, efferendumque βανεργὲς *banerges*, ex בני *bane* & רגש *reges*. cuius prius vocale punctum omittatur. nam *bane* filij, *reges* tumultus, commotio, tonitru est, siue à רגש *ragas* deducas, siue à רעש *rabas*, *bain* cum *g* mutato, vt aliàs in *Gomorrha*. FILII TONITRVI. Est hoc hebraica phrasi dictum, pro tonantes siue tonatores, quemadmodum dicunt *filius pacis* pro pacificus Ratio porrò nominis erat, quòd illis daturus esset sonoram vocem, qua præ aliis in toto terrarum orbe tonarent, id est, vitiorum redargutione, pœnitentiæ prædicatione, denique euangelij diuinissimorumque dogmatum annunciatione, velut tonitruis de cælo crepantibus, mundum commouerent, & ad cælestium rerum studium erigerent. Id à Iacobo factum esse, argumento est, quòd eum Herodes ante alios omnes neci dedit, indubiè quòd præ reliquis post Petrum infestus ille euangelij prædicatione fuisset. Act. 12. v. 2. Ex Iohannis ore, etiam hodie adhuc, per ea quæ reliquit scripta, tonitrua audiuntur. Initium euangelij ipsius: *In principio erat verbum*, &c. quid aliud est quàm verum de cælo tonitru, quod ea quæ omniū sublimissima in cælo sunt, in mundo audiri faciat, nō absque maxima mortalium commotione.

Matth. 10. v. 2. 3. 4. Luc. 6. v. 14. 15. 16.

18 & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thaddæum, & Simonem Cananæum,

καὶ ἀνδρέαν, καὶ φίλιππον, καὶ βαρθολομαῖον, καὶ ματθαῖον, καὶ θωμᾶν, καὶ ἰάκωβον τὸν τοῦ ἀλφαίου, καὶ θαδδαῖον, καὶ σίμωνα τὸν κανανίτην,

CANANÆVM. τὸν κανανίτην Cananiten. Reliqua lege Matth. 10. v. 3. & 4.

Matth. 10. v. 4. Luc. 6. v. 16.

19 & Iudam Iscarioten, qui & tradidit illum.

καὶ ἰούδαν ἰσκαριώτην, ὃς καὶ παρέδωκεν αὐτόν.

Lege versiculum hunc expositum Matth. 10. v. 4.

20 Et veniunt ad domum: & conuēnit iterum turba, ita vt non possent neque panem manducare.

καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον· καὶ συνέρχεται πάλιν ὄχλος, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν.

ET VENIVNT Christus & duodecim quos delegerat Apostoli; non mox tamen vt illos delegerat: mox enim sequutus est sermo ille quem dicimus in monte; sermonem autem miracula leprosi & centurionis & alia. AD DOMVM, id est, domum seu hospitium quod habitationi suæ delegerat in Capharnaum. Matth. 4. v. 13. Quos selegerat Dominus ex reliqua discipulorum turba, vt ipsius essent familiares, & continuè cum ipso versarentur, domum secum duxit: id quod antea facere non solebat, præsertim omnibus duodecim, quum in contubernium suum nondum illos adsciuisset. Dominus itaque cum Apostolis, labore confectus, domum rediit, vt illic nonnihil respiraret, & cibum capiens nouis se repararet laboribus. ET CONVENIT. Rectè legas ita vt præteriti sit temporis, accentu in penultima, licet præsens sit græcè. TVRBA. doctrinæ miraculorumque auida, adducens inter cæteros ægrotos dæmoniacum quendam cæcum & mutum. Matth. 12. v. 22. NEQVE PANEM MANDVCARE. ne edere quidem panem. tanta erat turbæ importunitas, vt ne sumere quidem permitterentur necessarium sustinendo corpori cibum.

21 Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem versus est.

καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη.

CVM AVDISSENT s. turbam populi comitari Iesum quocumque iret, Iesum se illis præbere doctorem, do-

cere

cere noua, edere prodigiis plena miracula, numerum discipulorum post se trahere, atque ob hæc Scribarum & Pharisæorum calumniis esse obnoxium, primoribusque exosum. SVI. οἱ παρ' αὐτοῦ ad verbum *Qui ab ipso*, id est, agnati, propinqui ipsius, qui ipsum genere attingebant, aut certè huiusmodi habebantur. Syrus ܐܒܝܢܘܗܝ *abinauhi* fratruelis ipsius, nomine ab אח *Ah* fratre deducto. Non omnes tamen, cùm Iacobus Alphæi & Thaddæus iam numerati sint inter duodecim Apostolos. suprà v. 18. EXIERVNT. oppido Nazareth (illic enim habitabat Christi cognatio. Matth. 13. v. 55. 56.) & profecti sunt Capharnaum vicinam, vbi Iesus agebat. TENERE EVM. κρατῆσαι prehendere, vt, manibus iniectis, patriam domum abducerent, atque illic continerent & constringerent eum, ne diuagaretur. Metuebant enim, ne quid vel damni, si quis hac occasione tumultus oriretur, vel saltem inuidiæ aut dedecoris, redundaret tandem ad commune genus: cùm etiam furiosorum & eorum qui mente sunt capti, cura, ad agnatos & propinquos pertineat. DICEBANT ENIM siue inter se, consilia conferentes; siue aliis, à quibus audiebant res gestas Iesu. Ratio consilij eorum, cur illum è turba raptum abducere vellent & cogere domi se continere. QVONIAM. ὅτι superest, vel quòd latinè vertas. IN FVROREM VERSVS EST. ἐξέστη extra se est apud se non est, nō est compos mentis, nulla proinde habenda est ratio eorum quæ siue dicit siue facit. Non humana ratione regitur, sed spiritus alicuius mali ductu, vt ferè insani, facit ea quæ mira videntur, & populum post se trahit. Nota erat illis carnis infirmitas, eius qui vitam inter ipsos duxerat ad eam vsque ætatem: magni igitur nihil persuaderi de illo cùm possent, familiaritate contemtum pariente, insaniæ adscribunt quæ ab ipso fiebant: quam ortam poterant existimare ex ardentiore studio pietatis, cui eum à puero cognouerant addictum.

Καὶ οἱ γραμματεῖς οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες, ἔλεγον ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, καὶ, ὅτι ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. [22]	Et Scribæ qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant: Quoniā Beelzebub habet; &, Quia in principe dæmoniorum eiicit dæmonia.	Matth. 9. v. 34. 12. v. 24.

ET SCRIBÆ. Scribæ autem, id est, Legisperiti. Matthæus Pharisæos nominat, siue quòd iidem Pharisæi simul essent & Scribæ, siue quòd illi sibi mutuò iuncti semper intelligendi sint, vt ferè aliàs coniunguntur.

DESCENDERANT in Galilæam, vt Iesu noui illic inclarescentisque doctoris dicta & facta obseruarent. vide Matth. 15. v. 1. Galilæa loco humili erat, Iudæa montoso. HABET hospitem familiarem, *Beelzebub in eo est* vertit Syrus, occupatur à Beelzebub, cuius opera facit ea quæ facit. Non insanum illi calumniari audebant, cuius rationibus permagno momento plenis sæpius fuerant conuicti, & quidem apud plebem: sed peius aliquid mentiuntur, quo omnis Iesu eleuetur authoritas. ET, QVIA siue *quoniam*. superest: sæpiùs iam hoc annotatum est. IN PRINCIPE. per principem, scilicet Beelzebub. Reliqua quære Matth 9. v. 34. & 12. v. 24.

Καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς, ἐν παραβολαῖς ἔλεγεν αὐτοῖς· πῶς δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν; [23]	Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam eiicere?

CONVOCATIS EIS. προσκαλεσάμενος αὐτοὺς quum aduocasset eos. Syrus *vocauit eos*. Aberant longiusculè ab eo, vbi susurrones agebant in populo: Saluator ostendens etiam absenti sibi nota esse quæ dicerentur, immo & quæ cogitarentur, aduocauit illos ad se, vt audirent refelli susurros suos. IN PARABOLIS, exemplis & similitudinibus allatis. SATANAS SATANAM, dæmon vnus alium. vide Matth. 12. v. 26.

Καὶ ἐὰν βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύναται σταθῆναι ἡ βασιλεία ἐκείνη. [24]	Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare.	Matth. 12. v. 25. Luc. 11. v. 17.

ET SI REGNVM. Quòd si regnum. Syrus: *Nam si regnum.* IN SE. ἐφ' ἑαυτὴν aduersus seipsum. DIVIDATVR. dissideat, in factiones contrarias partitum fuerit. STARE firmum, non diu potest durare. Reliqua Matth. 12. v. 25.

Καὶ ἐὰν οἰκία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύναται σταθῆναι ἡ οἰκία ἐκείνη. [25]	Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.	Matth. 12. v. 25. Luc. 11. v. 17.

SVPER SEMETIPSAM DISPERTIATVR. ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ *in se diuidatur*, vertit versu superiori. DOMVS ILLA STARE. familia illa consistere. Reliqua Matth. 12. v. 25.

Καὶ εἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν, καὶ μεμέρισται, οὐ δύναται σταθῆναι, ἀλλὰ τέλος ἔχει. [26]	Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finem habet.	Matth. 12. v. 26. Luc. 11. v. 18.

ET SI SATANAS. Sic si satanas, corpus dæmonum Frequens est Hebræis vti coniunctione copulatiua loco aduerbij similitudinis. CONSVRREXERIT IN SEMETIPSVM. secum ipse pugnet, ita vt vnus insurgat in alterum, vnusque alterum sua sede violenter exturbet. DISPERTITVS EST. diuisus est, sectus est in

partes

partes inter se contrarias. ET NON POTERIT, siue, vt est in aliis libris græco conformiter, *potest* STARE. non diu potest regnare. Coniunctio ista & græcè ac syriacè præponitur hoc modo: *Et si satanas insurrexit aduersus semetipsum & diuisus est, non potest stare.* SED FINEM HABET. proximum est vt corruat regnum ipsius. Reliqua Matth. 12. v. 26.

Matth. 12. v. 29. Luc. 11. v. 21. 22.

Nemo potest vasa fortis ingressus[27] in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum eius diripiet.

οὐδεὶς δύναται τὰ σκεύη τοῦ ἰσχυροῦ, εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον τὸν ἰσχυρὸν δήσῃ· καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει.

NEMO POTEST. Ita nec ego possim dæmones expellere, & ad pœnitentiam homines ac vitam bonam adducere, nisi vinxissem primum satanam, &c. Vsque adeò igitur non est mihi auxilio Beelzebub, vt ne resistere quidem mihi possit ne ipsum ipsiusque regnum exspoliem. IN DOMVM, *αὐτοῦ eius* additur græcè. ET TVNC. vt tunc diripiat. Reliqua lege Matth. 12. v. 29.

Matth. 12. v. 31. 32. Luc. 12. v. 10.

Amen dico vobis, quoniam[28] omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemauerint:

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, καὶ βλασφημίαι ὅσας ἂν βλασφημήσωσιν·

QVONIAM OMNIA. Ordinem verborum nonnihil turbatum restituit Syrus hunc in modum: *Quòd omnia peccata & blasphemia quas blasphemauerint filij hominum remittentur eis.* FILIIS HOMINVM. hominibus, more hebraico, vbi tamen subest significatio vilitatis. Reliqua Matth. 12. v. 31.

Matth. 12. v. 31. 32. Luc. 12. v. 10.

qui autē blasphemauerit in Spiritū[29] sanctum, nō habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

ὃς δ' ἂν βλασφημήσῃ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως.

NON HABEBIT REMISSIONEM IN ÆTERNVM. non remittetur ei in æternum. ÆTERNI DELICTI. æterni peccati. Æternum delictum seu peccatum vocat, quòd irremissibile sit nec vmquam delendum. Græcè & syriacè est *αἰωνίου κρίσεως æterni iudicij*: est autem *κρίσεως* pro *κατακρίσεως iudicij* pro *condemnationis* (quæ acceptio frequens est sacris litteris) obnoxius est æterno iudicio, reus peractus est æternæ condemnationis, iam adiudicatus est æternæ morti. Reliqua Matth. 12. v. 31. 32.

Quoniam dicebant: Spiritum immun-[30]dum habet.

ὅτι ἔλεγον, πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει.

QVONIAM DICEBANT Scribæ & Pharisæi. Reddit Euangelista causam cur Saluator attulerit in medium doctrinam de peccato in Spiritum sanctum, ideò scilicet quòd Scribæ & Pharisæi peccatum illud committerent, inque pœnas illi debitas inciderent, eò quòd dicerent, &c. Præcisum itaque est hoc dicendi genus, quale habet & infrà 5. v. 8. HABET sibi familiarem, cuius opera pellit alios spiritus immundos. eò quòd adscriberent spiritui immundo, opera manifestè profecta à Spiritu sancto, lucemque in tenebras consultò ac malignè verterent, iniurij gloriæ Dei Spiritus sancti.

Matth. 12. v. 46. Luc. 8. v. 19.

Et veniunt mater eius & fratres:[31] & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum.

ἔρχονται οὖν οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ· καὶ ἔξω ἑστῶτες ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν φωνοῦντες αὐτόν.

ET VENIVNT. *ἔρχονται οὖν* veniunt igitur. Non est otiosa particula *igitur*, pro qua & accipitur latinum *&*: notat enim, Euangelistam redire ad historiam quam narrare cœperat superiori versu 21., vbi de propinquis Iesu dixerat exiisse vt tenerent eum; hîc, *veniunt* igitur, inquit, id est, superueniunt dum Iesus hunc in modum certat cum Scribis, & concionatur. MATER EIVS ET FRATRES. *οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ* fratres & mater eius. Posterior hic ordo verborum idcirco verisimilior fit, quòd eo indicari videatur, fratres huius consilij authores fuisse, matrem ignaram, aliis rationibus persuasam cum illis venisse. FORIS STANTES. ipsi foris manentes. MISERVNT AD EVM VOCANTES EVM. miserunt vocatum eum, miserunt intrò qui nunciaret, aut curaret illi nunciari quouis modo, quòd vocarent eum, quòd vellent eum conuentum extra populi turbam: vt dimittat itaque concionem & ad eos prodeat. Arrogans propinquorum importunitas. Reliqua quære Matth. 12. v. 46.

Matth. 12. v. 47. Luc. 8. v. 20.

Et sedebat circa eum turba: &[32] dicunt ei, Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.

καὶ ἐκάθητο ὄχλος περὶ αὐτόν· εἶπον δὲ αὐτῷ, ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου, καὶ οἱ ἀδελφοί σου, καὶ αἱ ἀδελφαί σου, ἔξω ζητοῦσί σε.

ET SEDEBAT. Sedebat autem s. intenta audiendo Dei verbo. ET DICVNT EI. *εἶπον δὲ αὐτῷ* dixerunt verò ei. s.

ei. s. turba proxima. Intelligendum est eum qui missus fuerat, cùm appropinquare non posset Iesu, dixisse turbæ circumsedenti id quod habebat in mandatis. Illa verò murmurante quod audierat, & Iesu tandem aures arrigente, tunc illum qui missus fuerat vocem extulisse, & explicuisse mandatum quod habebat, quemadmodum Matthæus narrat. ECCE MATER. A turba loquente rectè præponitur mater fratribus. ET FRATRES TVI sequitur græcè *καὶ αἱ ἀδελφαί σου & sorores tuæ*, sed quod ab aliis græcis exemplaribus rectiùs omittitur. FORIS QVÆRVNT TE. foris sunt & cupiunt te conuentum.

καὶ ἀπεκρίθη αὐτοῖς λέγων· τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, ἢ οἱ ἀδελφοί μου;

33 Et respondens eis ait: Quæ est mater mea, & fratres mei? *Matth. 12. v. 48.*

ET FRATRES. s. quinam sunt. Reliqua quære Matth. 12. v. 48.

καὶ περιβλεψάμενος κύκλῳ τοὺς περὶ αὐτὸν καθημένους, λέγει· ἴδε ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου.

34 Et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, ait: Ecce mater mea & fratres mei. *Matth. 12. v. 49.*

IN CIRCVITV EIVS. coram vel apud ipsum dicit Syrus. Matthæo docente discipuli intelliguntur, qui proximè assidebant. Reliqua lege illic Matth. 12. v. 49.

ὃς γὰρ ἂν ποιήσῃ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, οὗτος ἀδελφός μου, καὶ ἀδελφή μου, καὶ μήτηρ ἐστί.

35 Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est. *Matth. 12. v. 50. Luc. 8. v. 21.*

QVI ENIM. *ὃς γὰρ ἂν* quicumque enim. HIC FRATER MEVS. Hic tam est mihi propinquus & charus, quàm est homini germanus frater; &, si quo forte teneriore amore sorores prosequi homines soleant, quàm soror; immo verò quam mater. Cætera petenda sunt ex Matth. 12. v. 50.

CAPVT QVARTVM.

Καὶ πάλιν ἤρξατο διδάσκειν παρὰ τὴν θάλασσαν, καὶ συνήχθη πρὸς αὐτὸν ὄχλος πολύς, ὥστε αὐτὸν ἐμβάντα εἰς τὸ πλοῖον καθῆσθαι ἐν τῇ θαλάσσῃ· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος πρὸς τὴν θάλασσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἦν.

1 Et iterum cœpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita vt nauim ascendens sederet in mari: & omnis turba circa mare super terrã erat. *Matth. 13. v. 1. 2. Luc. 8. v. 4.*

ITERVM. nam & suprà 2. v. 13. & 3. v. 7. cœperat. AD. *παρὰ* iuxta; *secus* vertitur apud Matthæum. AD MARE quò consueuerat magna hominum turba mercaturæ causa confluere. IN MARI, in naui quæ sita erat in mari. Potuisset proximè in mari sedere, sed noluit, ne, rei stupore & insolentia, auditorum attentionem impediret, magisque admirabilium operum effectorem quàm doctorem se probaret. Syrus vertit: *Ita vt ascenderet sederetque in naui in mari*, id est, in naui quæ erat in mari. Cætera petantur ex Matth. 13. v. 1. 2.

καὶ ἐδίδασκεν αὐτοὺς ἐν παραβολαῖς πολλά, καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ·

2 Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua: *Matth. 13. v. 3.*

IN DOCTRINA SVA. iuxta suum docendi morem, adhibitis scilicet parabolis (infrà v. 34.) & illis singularibus, quas apud alium reperiri non contingat; ad hæc magna cum gratia & auctoritate, de quo Matth. 7. v. 28. 29: *Admirabantur super doctrina eius: erat enim docens*, &c. Reliqua quære Matth. 13. v. 3.

ἀκούετε. ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι.

3 Audite. Ecce exiit seminans ad seminandum. *Matth. 13. v. 3. Luc. 8. v. 5.*

καὶ ἐγένετο ἐν τῷ σπείρειν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδόν, καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατέφαγεν αὐτό.

4 Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud. *Matth. 13. v. 4. Luc. 8. v. 5.*

ET DVM SEMINAT. *καὶ ἐγένετο ἐν τῷ σπείρειν* & factum est in seminando, ita est græcè, quamquam syrum latino consonet. ALIVD. s. seminis. CIRCA. *παρὰ* iuxta, secus. CÆLI ab aliis libris omittitur, videturque esse proprium Lucæ. Reliqua horum duorum versuum pete ex Matthæo.

ἄλλο δὲ ἔπεσεν ἐπὶ τὸ πετρῶδες, ὅπου

5 Aliud verò cecidit super petrosa, vbi *Matth. 13. v. 5. Luc. 8. v. 6.*

Ee non

non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non haberet altitudinem terræ. | οὐκ εἶχε γῆν πολλήν, καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς.

SVPER PETROSA. ἐπὶ τὸ πετρῶδες ad verbum in petrosum, in fundum petrosum. Reliqua Matth. 13. v. 5.

Matth. 13. v. 6. Luc. 8. v. 6.

Et quãdo exortus est sol, exæstuauit; & eò quòd nõ habebat radicẽ, exaruit. 6 ἡλίου δὲ ἀνατείλαντος ἐκαυματίσθη, καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν ἐξηράνθη.

EXÆSTVAVIT. ἐκαυματίσθη *æstuauerunt* vertit secundùm Matthæum, ex quo cætera petenda sunt.

Matth. 13. v. 7. Luc. 8. v. 7.

Et aliud cecidit in spinas, & ascenderunt spinæ, & suffocauerunt illud, & fructum non dedit. 7 καὶ ἄλλο ἔπεσεν εἰς τὰς ἀκάνθας, καὶ ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, καὶ συνέπνιξαν αὐτό, καὶ καρπὸν οὐκ ἔδωκε.

ET FRVCTVM. & nec illud fructum protulit, prouectum licet longè fuisset. Reliqua Matth. 13. v. 7.

Matth. 13. v. 8. Luc. 8. v. 8.

Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendẽtem & crescentem: & afferebat, vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum. 8 καὶ ἄλλο ἔπεσεν εἰς τὴν γῆν τὴν καλήν, καὶ ἐδίδου καρπὸν ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα· καὶ ἔφερεν, ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν.

DABAT. præteritum imperfectum pro perfecto *dedit*. ASCENDENTEM. firma radice nixum assurgentem in liberam auram. CRESCENTEM ad plenam vsque maturitatem. VNVM TRIGINTA. vnum seminis granum triginta grana. VNVM SEXAGINTA. Non de tribus granis hîc agitur, sed de triplici seminis fructuúmque differentia: idcirco quidam, claritatis causa, pro ἓν *vnum* vertunt *aliud*, secundo & tertio locis. Quidam libri scribunt ἐν spiritu leni, ita vt sit præpositio *in*, pro distributiua ἀνὰ seu κατὰ posita, & vertas ad verbum: *Et tulit per triginta, & per sexaginta, & per centum*, pro tulit tricena, sexagena, centena. Cætera tractata sunt Matth. 13. v. 8.

Matth. 13. v. 9. Luc. 8. v. 8.

Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat. 9 καὶ ἔλεγεν· ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

DICEBAT. Parabolæ huic à se commemoratæ subiiciebat. Reliqua exstant Matth. 13. v. 9.

Luc. 8. v. 9.

Et cùm esset singularis, interrogauerunt eum, hi qui cum eo erant duodecim, parabolam. 10 ὅτε δὲ ἐγένετο καταμόνας, ἠρώτησαν αὐτὸν οἱ περὶ αὐτόν, σὺν τοῖς δώδεκα, τὴν παραβολήν.

SINGVLARIS. solus, absque populi turba. καταμόνας aduerbium est sonans *solitariè*, quod tamen rectiùs per nomen vertitur. Syrus habet *Quum essent soli*. HI QVI CVM EO ERANT DVODECIM. hæc est latinorum codicum constans lectio per se manifesta. Porrò græci & syrici, Euthymio disertè suffragante, habent οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, quod est, *hi qui circa ipsum* (erant) *cum duodecim*: quo significetur, præter duodecim Apostolos, cæteros etiam qui circa ipsum erant interrogasse. Est autem phrasis græca οἱ περὶ vel παρὰ *qui circa aliquem*, qua signantur ij, qui sunt cuipiam dediti & addicti, ita vt eum sectentur, sintque ipsius velut factionis. Non igitur hîc significantur, externi aliqui homines, qui Christo tunc temporis adfuerint (turbam enim amandarat) sed hi demum qui solebant eum assectari, & discipuli ipsius erant: quales habuit quidẽ, prẹter selectos illos duodecim, etiã alios multos. Quare Euthymius hîc intelligit 70. discipulos, qui tamen nec soli erant. Discipuli itaque Christi vnanimiter omnes, cùm magno intelligendæ huius parabolæ desiderio tenerentur, data opportunitate, cùm solus esset, domi vel in deserto, interrogauerunt eum. PARABOLAM. parabolæ sensum. Duo igitur rogauerunt, vnum quod hîc & apud Lucam exprimitur, quis esset parabolæ sensus: Alterũ quod Matthæus exprimit cap. 13. v. 10., quare turbis in parabolis loqueretur.

Matth. 13. v. 11. Luc. 8. v. 10.

Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt: 11 καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὸ μυστήριον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται·

VOBIS ex Dei Patris electione. MYSTERIVM. enallage numeri pro *mysteria*. QVI FORIS SVNT. τοῖς ἔξω exteris, extraneis, qui nobiscum non sunt, qui non sunt discipuli sectatorésque mei, licet audiant verba facientem. videntur opponi οἱ ἔξω τοῖς περὶ αὐτόν, qui foris sunt iis qui circa ipsum. Intelliguntur reprobi auditores, qui disciplinæ Iesu verè & ex animo sese familiares tradere nolunt, sed vel curiositatis nouarum rerum, vel etiam calumniandi & irridendi studio aguntur. IN PARABOLIS. velata parabolis,

bolis, obscurè. Indigni enim sunt sancto & margaritis nudè propositis. OMNIA FIVNT. Mysteria regni proponuntur, siue agendo siue loquendo à me proponantur. Reliqua lege Matth. 13. v. 11.

ἵνα βλέποντες βλέπωσι καὶ μὴ ἴδωσι, καὶ ἀκούοντες ἀκούωσι καὶ μὴ συνιῶσι, μήποτε ἐπιστρέψωσι καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα.

12 vt videntes videant & non videant, & audientes audiant & non intelligant, nequando conuertantur & dimittantur eis peccata.

Matth. 13. v. 13. 14. 15. Luc. 8. v. 10.

VT VIDENTES VIDEANT. vt omnino videant, propriis oculis videant: hoc est enim quod hebraicè dicitur, *videndo videte*. nam alluditur hîc ad Isaiæ locum quem Matthæus disertè citat. ET NON VIDEANT. non cognoscant, vt est hebraicè apud Prophetam. hîc est vox ἴδωσι, mox erat βλέπειν, vt in Matthæo. Quæritur hoc loco, an vt coniunctio causam indicet, an verò euentum dumtaxat? Mihi non videtur absonum, vt non euentum tantùm, verùm & causam significet, Marcum cum Matthæo conferenti. Cùm enim Matthæus dicat *Quia videntes non vident*; quod Marcus ait *vt videntes videant & non videant*, intelligendum est, vt tales maneant quales sunt & esse affectant. Iusto enim Dei iudicio, filius Dei sermones suos statui reproborum auditorum accommodauit, vt qui veritatem nudè propositam nollent intelligere, obscurè propositam audirent nec possent intelligere: quæ est iustissima pœna repellentiũ veritatem. Matthæus igitur Iudæorum statum, Marcus Dei ex eo sequutum iudicium refert: quæ quidem iungenda sunt, vt perfectè Christi responsio intelligatur. Sed quærat aliquis, Quare non potiùs Christus illis subtrahat & se & sermones suos? Arcanum Dei consilium erat vt Christus etiam illis Dei verbum prædicaret, tum alias ob causas, tum ad maiorem illorum excæcationem: quò enim sæpiùs vitiosis oculis lux offertur, eò excæcantur magis, non tamen lucis, sed oculorum vitio. NEQVANDO. s. si veritas illis nudè absque parabolis proponi pergeret. Significatur libertas arbitrij, quæ tametsi absque singulari Dei auxilio ad conuersionem nequeat peruenire, minùs tamen potest, si non solùm auxilium non detur, verumetiam impedimentum obiiciatur obuelatione doctrinæ. Quod quidem iustè fit, vt quando studiosè quis vult non conuerti, immo veretur ne pluribus auditis tandem conuertatur, studiosè etiam Deus caueat, subtrahatque illi beneficia sua, ne conuertatur. ET DIMITTANTVR EIS PECCATA. Ita explicat prophetam Marcus aut certè Saluator, sanationem hominis in peccatorum remissione inprimis consistere: peccata enim morbi animi nostri sunt. Reliqua quære Matth. 13. v. 13. 14. 15.

καὶ λέγει αὐτοῖς· οὐκ οἴδατε τὴν παραβολὴν ταύτην; καὶ πῶς πάσας τὰς παραβολὰς γνώσεσθε;

13 Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?

ET AIT ILLIS. Vt excitet discipulos, subincrepat illorum tarditatem. NESCITIS. non intelligitis. PARABOLAM HANC quæ facilis esse debuerat assuefactis sermonibus meis, præsertim cùm multis partibus amplificata sensum ipsa suum non obscurè indicet? ET QVOMODO. quomodo igitur. OMNES. cæteras difficiliores, minùs vsitatas ac dilatatas, quas pro opportunitate adfero. COGNOSCETIS. intelligetis, vos quorum foret illas omnes rudi populo explicare?

ὁ σπείρων, τὸν λόγον σπείρει.

14 Qui seminat, verbum seminat.

Matth. 13. v. 19. Luc. 8. v. 11.

QVI SEMINAT. ὁ σπείρων seminans, ille seminator. vide Matth. 13. v. 3. VERBVM. τὸν λόγον illum sermonem. Matthæus addit *regni*, Lucas *Dei*. Sensus est, Per seminatorem illum designaui eum qui Dei verbum populis annunciat & prædicat. Reliqua Matth. 13. v. 19.

οὗτοι δέ εἰσιν οἱ παρὰ τὴν ὁδὸν, ὅπου σπείρεται ὁ λόγος, καὶ ὅταν ἀκούσωσιν, εὐθέως ἔρχεται ὁ σατανᾶς, καὶ αἴρει τὸν λόγον τὸν ἐσπαρμένον ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν.

15 Hi autem sunt qui circa viam, vbi seminatur verbum, & cùm audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.

Matth. 13. v. 19. Luc. 8. v. 12.

QVI CIRCA VIAM s. seminati sunt, id est, qui designantur per terram quæ cùm sit iuxta viam semen excepit. VBI, id est, in quos seu quibus, vt Euthymius explicat & Syrus interpretatur: in quem sensum & codex quidam græcus legit οἷς quibus, pro ὅπου *vbi*. SEMINATVR. prædicatur. CONFESTIM VENIT SATANAS. dant locum Satanæ vt mox accurrat & auferat, quia cor eorum viæ similitudinem refert, incultum & durum non intrò recipit verbum. SATANAS. Matthæus *malum*, Lucas *Diabolum* vocat. Reliqua lege Matth. 13. v. 19.

καὶ οὗτοί εἰσιν ὁμοίως οἱ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπειρόμενοι, οἳ ὅταν ἀκούσωσι τὸν λόγον, εὐθέως μετὰ χαρᾶς λαμβάνουσιν αὐτὸν,

16 Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur, qui cùm audierint verbũ, statim cum gaudio accipiunt illud,

Matth. 13. v. 20. 21. Luc. 8. v. 13.

καὶ οὐκ ἔχουσι ῥίζαν ἐν ἑαυτοῖς,

17 & non habent radicem in se,

Ee 2 sed

Matth.13. v.21. Luc.8. v.13.

sed temporales sunt: deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

ἀλλὰ πρόσκαιροί εἰσιν· εἶτα γενομένης θλίψεως ἢ διωγμοῦ διὰ τὸν λόγον, εὐθὺς σκανδαλίζονται.

Integra horum duorum versuum explicatio petenda est ex Matthæo.

Matth.13. v.22. Luc.8. v.14.

18 Et alij sunt qui in spinis seminantur; hi sunt, qui verbum audiunt,

καὶ οὗτοί εἰσιν οἱ εἰς τὰς ἀκάνθας σπειρόμενοι, οὗτοί εἰσιν, οἱ τὸν λόγον ἀκούοντες,

ET ALII. Græcè & syriacè est καὶ οὗτοι & isti: quod cùm mox repetatur, dicendum est, aut id per Epanalepsin fieri, hoc sensu, isti inquam sunt, aut alterum redundare, vt quod posteriori est loco à græcis quibusdam libris omittitur. Reliqua Matth. 13. v. 22.

Matth.13. v.22. Luc.8. v.14.

19 & ærumnæ seculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ, introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.

καὶ αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι, εἰσπορευόμεναι συμπνίγουσι τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται.

ÆRVMNÆ. sollicitudines, quomodo vertit apud Matthæum, est enim eadem vox græca, αἱ μέριμναι. SECVLI. τούτου huius additur græcè & syriacè, vt & apud Matthæum. DECEPTIO. ἡ ἀπάτη seductio, fallacia vertitur secundùm Matthæum. ET CIRCA RELIQVA CONCVPISCENTIÆ. καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι & quæ circa reliqua concupiscentiæ, id est, & quæ circa cæteras res versantur cupiditates. Addit & cæterarum rerum cupiditates, inquit Euthymius, complectens omne nociuum desiderium; exempli gratia, Desiderium honoris, desiderium cibi & potus, desiderium veneris: quibus si non imponatur modus, si sinantur animum liberè occupare, obruens vitæ semen & quidquid ex illo nasci cœperit. Ergo quot sunt carnis nostræ affectus (quorum innumera est copia & varietas) meminerimus totidem esse noxas ad opprimendum verbi semen, nisi resecentur, retundantur, & moderentur. INTROEVNTES in animum, animum liberè occupantes. Reliqua lege Matth. 13. v. 22.

Matth.13. v.23. Luc.8. v.15.

20 Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum.

καὶ οὗτοί εἰσιν οἱ ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν σπαρέντες, οἵτινες ἀκούουσι τὸν λόγον, καὶ παραδέχονται, καὶ καρποφοροῦσιν, ἐν τριάκοντα, καὶ ἐν ἑξήκοντα, καὶ ἐν ἑκατόν.

SVSCIPIVNT. verbo suscipiendi explicat Marcus intelligendi verbum quo Matthæus fuerat vsus. VNVM s. granum verbi, id est, ita vt vnum verbi granum, in isto à quo exceptum est, edat triginta fructuum siue bonorum operũ grana. VNVM. aliud in alio. Est & græcè neutro genere ἓν vnum, quod ad λόγον sermonem referri non potest, multoque minùs ad hominem: subaudiendũ est igitur è communi sensu, semen siue granum, quemadmodum diximus in Matthæo. Cæterùm Syrus voculam ἐν legit spiritu leni, quemadmodum & græci quidam codices, ita vt sit præpositio: vertit enim In triginta & in sexaginta & in centum; per ב beth scilicet literam, qua linguæ illæ loco in præpositionis vtuntur: cuius sensus est: Alius triginta, alius sexaginta, alius centum. vide suprà v. 8., vbi tamen Syrus non ita vertit. Reliqua pete & Matth. 13. v. 23.

Luc.8. v.16.

21 Et dicebat illis: Numquid venit lucerna, vt sub modio ponatur, aut sub lecto? nónne vt super candelabrum ponatur?

Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται, ἵνα ὑπὸ τὸν μόδιον τεθῇ, ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην; οὐχ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν ἐπιτεθῇ;

ET pro Rursus. DICEBAT. subdebat ILLIS discipulis suis hoc. Solebat sæpè dicere in opportunis argumentis huiusmodi similitudinem, quam & ad præsens argumentum commodè attulit. VENIT. præsens est ex ἔρχεται, positum pro adducitur aut adfertur (in domum scilicet, cænaculum, aut cubiculum) prout Euthymius exponit; vel potiùs pro seruit aut vsus est: Numquid vsus lucernæ est &c. LVCERNA ardens vtique. SVB MODIO. sub vase concauo. species pro genere. AVT SVB LECTO, vbi nemini præbeat lumen? NONNE venit aut seruit. PONATVR. ἐπιτεθῇ imponatur s. venit, scilicet ad hoc vt intrantes lumen videant, quod hîc addit Lucas. Hoc eodem prouerbio vsus est Dominus Matth. 5. v. 15. & Luc. 11. v. 33. (sæpius enim eo vsus est, pro loco, & vt se docendi materia offerebat, quod diximus: quibus locis à nobis expositum est, eo sensu in quem fuerat illuc à Domino allatum. Huc verò in hunc sensum affertur, vt discipulos suos doceat, non esse suæ mentis, vt parabolæ & mysteria regni Dei, quæ ipse obscura Iudæis non intelligentibus proposuerat, priuatim autem discipulis iam explicuerat, remanerent occulta & obscura, ita vt non maiorem homines ex eis fructum accipiant, quàm Iudæi isti, qui audientes non audierant &c.: sed vt aliquando, omnibus exposita ac manifesta, vtilissimum doctrinæ lumen

mundo

mundo vniuerso præbeant. q. d. Sicut non fiunt lucernæ eo fine, vt accensæ occultentur, sed vt lumen præbeant præsentibus omnibus, manifesto candelabro impositæ: ita parabolæ istæ, non sunt à me conditæ eo fine, vt quæ eis continentur mysteria regni cælorum, maneant occulta, nec intelligantur ab hominibus, sed vt, quemadmodum à me vobis sunt explicata, ita toti mundo proposita & exposita, doctrinam hominibus præbeant maximè vtilem ac salutarem, qua tamquam lumine illustrati, optimè se gerant & felicissimè peragant quæ ipsis agenda sunt.

οὐ γάρ ἐστί τι κρυπτὸν, ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ· οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλ' ἵνα εἰς φανερὸν ἔλθῃ. 22 Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed vt in palam veniat. *Luc. 8. v. 17.*

QVOD NON MANIFESTETVR. id est, quod non sit manifestandum. NEC FACTVM EST s. aliquid OCCVLTVM, id est, in occulto siue occultè, vt scilicet occultũ maneat, *vt omnino secretum esset*, inquit Euthymius. SED VT IN PALAM. εἰς φανερὸν in manifestum, in publicum VENIAT factum est, præsertim si rectè factum fuerit; nam si malè, etsi non ex mente eius qui fecit, tamen ex ordinatione diuinæ prouidentiæ factum est vt aliquando publicetur. Bimembris sententia, idem eodem sensu repetens. Prouerbium Saluator prouerbio accumulat, quo alibi quidem aliis occasionibus est vsus (Matth. 10. v. 26. Luc. 12. v. 2.) hîc verò hac, vt id quod mox dixerat confirmet, parabolas à se Iudæis non intelligentibus propositas, & discipulis dumtaxat priuatim edissertas, non remansuras occultas, ita vt mysteria regni Dei eis contenta à nemine aut certè à paucis intelligantur, sed ita publicas & apertas futuras, vt nemo nõ eas & intelligat & vsurpet. Quia si omne occultum, siue bonum siue malum, suo tempore est manifestandum: profectò & harum parabolarum intelligentia, optima illa atque vtilissima, in lucem tandem est proditura: quemadmodum & Paulus dicit euangelij mysterium, æternis temporibus tacitum, in hoc diuinitus ordinatum fuisse, vt suo tempore reuelaretur, & patefieret cunctis gentibus. Rom. 16. v. 25. 26. Est igitur sententia Saluatoris: Nunc quidem multa celamus multitudinem, vel quia non est idonea, vel quia tempus nondum aduenit: verùm vbi tempus aduenerit, nihil est inter nos tam absconditum, quod tunc nõ sit patefaciendum, neque quidquam tam arcanum, quod non sit palam omnibus prædicandum. Quare alibi Dominus prouerbio huic à se adducto subiungit: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Matth. 10. v. 27.

εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. 23 Si quis habet aures audiendi, audiat.

AVDIENDI, id est ad audiendum. AVDIAT hæc, ita vt obseruet, intelligat, ac meminerit: & comperiet certè, rem ita se habituram, atque ipse affirmarim. Matth. 11. v. 15. & 13. v. 9. explicatum à nobis est hoc epiphonema: quo Saluator hîc admonet, inprimis discipulos suos, vt ea quæ dixerat de parabolis suis in lucem proferendis, mente retineant, eo fine, vt cùm id viderint re ipsa factum per ipsorummet prædicationem, animaduertant quàm vera fuerit præceptoris prædictio. Admonet deinde etiam non minùs nos, qui pòst, adeoque post tot annorum centurias, visuri eramus nostris oculis veritatem dominicæ huius prophetiæ, qui parabolæ istæ etiamnum celebrentur publicè & collaudentur, atque ex mente Domini clarissimè simul & vtilissimè in Ecclesia ipsius explicentur. Quare rectè hîc scribit Victor Antiochenus in hæc verba: *Vbi nunc sunt qui Christi virtutem eleuant, fidemque eidem habere recusant? Audiant hæc, & oraculi vim admirati, Domini virtutem adorent. Nam vt hoc fiat, auditorum attentionem excitat; subdit enim: Si quis habet aures audiendi, audiat.*

καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· βλέπετε τί ἀκούετε. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. 24 Et dicebat illis: Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adiicietur vobis. *Luc. 8. v. 18.*

ET DICEBAT. Addebat etiam hoc. VIDETE. hoc est, *attendite*, inquit Euthymius, intelligite, animo fideque conceptum memoria fouete & condite. QVID AVDIATIS. τί ἀκούετε quid auditis s. ex me, ea omnia quæ à me auditis, parabolas earumque explicationem & cætera quæ à me docemini: *nullum ex dictis meis vos fugiat*, ait Theophylactus. Prædixerat sua omnia in lucem suo tempore proferenda ac diuulganda: & quia mens ipsius erat vt hoc fieret per ipsius discipulos, seriò admonet eos, vt doctrinam ipsius attentis animis quàm diligentissimè audiant, tum vt rectè intellectam docere queant, illam ipsam, nihilque aliud ab ea, tum vt memoria complexi omnia, nihil omittant eorum quæ didicerint. *Instanter nos docet*, inquit Beda, *verbo auscultare, quatenus & nostro illud pectore continuè ruminare, & alieno ructare sufficiamus auditui.* IN QVA, id est, qua. MENSI FVERITIS. μετρεῖτε metimini s. aliis. REMETIETVR. vicissim metietur. μετρηθήσεται mensurabitur, mensum erit VOBIS: qua mensura tribueritis aliis, eadem retribuetur vobis; copiosa, si copiosa; parca, si parca; nulla, si nulla aut minori quàm oportet. Tacitè insinuans, quòd ipsi forent ij, per quos parabolæ cæteraque doctrina ipsius in lucem proferendæ, mundoque euulgandæ essent, monet, vt studiosè auditam diligenterque retentam doctrinam ipsius, vbi tempus aduenerit, cum aliis multis largè communicent, proposito hinc præmio, si hac in parte diligentes, hinc periculo, si parci aut negligentes fuerint. Obseruate, inquit, ea quæ ex me auditis, quæ ego vos doceo: sine attentione enim & obseruatione, non potestis ea cum aliis communicare. Prædico autem vobis, quòd qua mensura ea mensi fueritis, id est, ea communicaueritis, aliis, eadem Deus vobis metietur mercedem. Ego enim vos ad hoc elegi & vocaui, vt doctrinam meam mundo publicetis. Quòd si igitur officio deserto ignaui torpueritis, neque quemquam doctrinæ meæ participem feceritis, aut certè quidquam eorum quæ prædicari volueram omiseritis, reprobatos vos vt ser-

uos inutiles iubebit Deus Pater proiici in tenebras exteriores (Matth. 25. v. 30.) Quòd si parci fueritis dispensatores doctrinę quam vobis impertio, parcam quoque sentietis Dei Patris benignitatem erga vos, parcus ipse vicissim erit mercede donisque erga vos. At si doctrinam meam ampla copiosaque mensura dispensaueritis, ita vt integram sedulò cum multis cõmunicaueritis, largam etiam experiemini Dei remunerationem, Deus vicissim erga vos largus, beneficus, & donis tam huius temporarię quàm æternæ vitæ liberalis futurus est: denique quo liberaliùs eam distribueritis aliis, eo erit ipse erga vos liberalior. Videte ergo quę vocationi & officio vestro satisfaciatis, immo saluti consulatis. Nota hic, cælestia dona, parsimonia amitti, liberalitate crescere: &, præter humanarum opum consuetudinem, eo magis ditescere quemque, quo illorum fuerit profusior: amare enim Deum profundi dotes suas. ET ADIICIETVR VOBIS (si quidem ampla mensura mensi fueritis aliis audita à me: hoc enim subaudiendum est, cuius loco græcè & syriacè additur τοῖς ἀκούουσιν audientibus, *vobis qui auditis*: quod vt parùm quadrare ita adiectitium esse videri queat, explicandum tamen quamquam à nemine explicatum inueniam) hac ratione, *Et adiicietur vobis*, qui auditis me meaque, qui vt patulis auribus exceperitis doctrinam meam, ita largis quoque mensuris diffuderitis in alios. Visum enim fuit huiusmodi aliquid vel addendum vel subaudiendum, quia non vt benefaciendo superat humanæ liberalitatis meritum sua liberalitate Deus, ita & puniendo superat meritum ignauię, negligentiæ, aut parsimoniæ hominum. Ait ergo Dominus: Et si quidem ampla mensura doctrinam meam aliis dilargiti fueritis, non solùm eádem aut pari, verumetiam maiori longè mensura fiet mensio vobis, adiicietur vobis multo etiam amplius quàm largiti & promeriti fueritis, tam in hoc seculo quàm in futuro. Hæc Domini sententia non absimilis est illi Paulinæ (2. Cor 9 v. 6.) *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: quamquam Paulo sermo est de spargendis temporariis opibus, Domino de cælesti doctrina spargenda. Reliqua huc facientia pete ex Matth. 7. v. 2. vbi Dominus hoc eodem prouerbio vsus est in alium scopum.

Luc. 8. v. 18.

Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. [25]	ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ᾽ αὐτοῦ.

QVI ENIM. Quartum prouerbium, quo confirmat sententiam proximi, ea parte nominatim qua dixerat *& adiicietur vobis*: acriusque adhortatur Apostolos suos ad doctrinam suam audiendam & multis euulgandam, præmio periculoque repetitis. Habet enim, inquit & hic locum, quod vulgo dici ac fieri solet, vt multum habenti amplius detur, parùm aut nihil habenti, non solùm nihil detur, sed etiam auferatur quod habet. Nam qui habuerit quod debet, cognitionem doctrinæ meæ mysteriorumque regni Dei, & fructum ex iis manantem, quem vsu assequutus fuerit in se aliisque, denique præmium suis meritis par, DABITVR ILLI à Deo etiam amplius, pluribus ille aliis & huius & alterius vitæ donis, vltra omne meritum, à Deo augebitur, nec ab eo ornando cessabit Deus donec eum numeris omnibus absoluerit. QVI NON HABET quod debet, qui vel neglexit habere cognitionem doctrinæ meæ & mysteriorum regni, vel habitæ non reddit fructum, non vtens scilicet aut in communem vsum depromens, quod priuatim acceperit, AB EO ETIAM omne QVOD HABET donorum, & gratiæ, & naturæ, siue ingenio, siue literarum exercitio, siue Dei munere comparatum, tandem auferetur. Hoc latiùs expositum est Matth. 25. v. 29 & 13. v. 12. quo posteriori loco, præmittitur à Christo dandæ explicationi parabolæ seminantis, paulùm diuerso sensu, quàm hic, vbi subiungitur explicationi datæ. Illic enim Apostoli cum turba conferuntur: hic Apostoli secum ipsis comparantur; quod videtur.

Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, [26]	καὶ ἔλεγεν· οὕτως ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς,

ET DICEBAT. Insuper dicebat, proferebat & aliam parabolam à semine sumtam, siue hoc eodem tempore, siue alio opportuno, sed seorsum, vt apparet, discipulis, sicut ea quæ proximè præcedunt. Nam quia frequenter eos hortabatur, vt suo tempore doctrinam ipsius mundo prædicarent: ne obiicerent illi, nullo se cum fructu prædicaturos, quandoquidem magister ipse testaretur, nullo se cum fructu huic populo prædicare, quippe qui audientes non audirent &c., docet, non oportere eos solicitos esse de sequuturo fructu, modò ipsi gnauiter prædicarẽt; nec ideò minùs ardẽter huic muneri incũbere debere, si non statim fructus laboris appareret: ipsorum enim esse prædicare, vt autem fructus sequatur, non ab ipsis pendere, sed aliunde exspectandum esse. SIC EST. sic se habet, eiusmodi est rerum status, in regno Dei, sic agitur ageturque in ecclesia mea colligenda ac regenda. vide Matth. 13. v 24. QVEMADMODVM. ὡς vt. SI HOMO. si quispiam, si agricola. SEMENTEM. τὸν σπόρον semen. IN TERRAM priùs à se cultam.

& dormiat & exsurgat, nocte & die: & semen germinet & increscat, dum nescit ille. [27]	καὶ καθεύδῃ καὶ ἐγείρηται, νύκτα καὶ ἡμέραν· καὶ ὁ σπόρος βλαστάνῃ καὶ μηκύνηται, ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός.

ET DORMIAT. si agricola postquam semen iecerit in terram *dormiat* ET EXSVRGAT. καὶ ἐγείρηται & surgat, nunc quieti indulgeat, nunc vacet negotiis suis. Quemadmodum Psal. 120. v. 8. Act. 1. v. 21. intrare & exire, significat vitam ducere siue conuersari & incumbere rebus suis; & Psal. 138. v. 2. sedere & surgere, notat omnem hominis in vita actionem: ita hoc loco accipitur dormire & surgere. *Dormiat ergo & exsurgat,*

exſurgat,id eſt,diſcedat & alia agat quæ ſunt ipſi agenda, ſiue ad quietem ea ſpectent,ſiue ad occupationem.

NOCTE ET DIE. id eſt,temporibus opportunis.noctu enim dormitur,diu ſurgitur ad negotia.Tranſigat ſecurus noctes & dies,nihil ſolicitus de ſemine in terram iacto,ſed alia agens vitæ munia aliiſq; occupatus: neque enim rectè quidam verbum *exſurgat* ad *ſemen* referunt,quod ſubſequitur. ET SEMEN. Interea verò *ſemen* GERMINET. pullulet intra terræ viſcera primùm,mox extra terram enaſcatur. ET INCRESCAT. *καὶ μηκύνηται* & prolongetur,id eſt,aſſurgat,in altum ſurgat,creſcat & adoleſcat. DVM NESCIT ILLE. *ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός* quomodo neſcit ille,occulta naturæ vi ac ratione quam neſcit homo ille. Interpres accepit *ὡς* pro *ἕως interim dum*. Interea dum neſcit ille,nec ſentit,nec de eo cogitat: neſcit enim quid intra terræ viſcera de ſemine agatur, neque ſcit quomodo diu noctuque ſe habeat ſemen etiam enatum,niſi de induſtria viſat, denique non cogitat de eo anxiè,& ſi cogitet, parum aut nihil facit anxietas & cura ipſius ad hoc vt ſemen fructificet. Eſt igitur ſimilitudo, ſumta ab agricola, quem imitandum Dominus diſcipulis ſuis proponit, huiuſmodi: Quemadmodum agricola, iacto in terram ſemine ſub ſpe metendi, ad alia ſua negotia ſe confert,nec vlla ſe affligit cura de illo ſemine,ſed permittit illud ſibi ac naturæ,& Deo commendat.interea verò dum ille de ſemine non cogitat, ſemen pullulat è terra,& creſcit, atque adoleſcit, occulto modo quem ipſe agricola ignorat: ſic vos, poſtquam ſemen verbi mei diligētiſſimè ſparſeritis in aures & animos auditorum, non eſt quòd de fructificatione eius anxiè ſoliciti ſitis: vt enim nihil amplius vos conferre poteſtis, ita nihil amplius à vobis exigitur, ad fructum eliciendum. Nam ſi in terram bonam cultamque ceciderit verbum; vobis neſcientibus, interea dum vos alia agitis & nihil de eo cogitatis, occultè pullulabit in animis auditorum,& miro tandem modo enatum atque adultum,fructum proferet ſe & Dei regno dignum. Monet igitur Dominus diſcipulos ſuos & doctores omnes,ne anxia inquietudine torqueantur, ſed ponant immodicam curam,de ſequuturo ex verbi prædicatione fructu, poſtquam ipſi ſuo legitimè functi fuerint officio: fructum enim deinde, non ex ipſorum cura, ſed ex auditorum animis verbi ſemine grauidis, exſpectandum eſſe,cuius ſeminis docet maximam eſſe vim. Sed vt ſuo illi officio legitimè fungantur,non hoc vult,vt contenti ſint ſemel anno Dei verbum prædicaſſe,quemadmodum agricola ſemel dumtaxat autumno ſeminat: nam & agricola,antequam ſemen iaciat, terram multo labore exercet ac colit. Mens igitur Domini eſt, vt obſeruent illud 2. Timoth.4 v.2: *Prædica verbum,inſta, opportune,importune,argue,obſecra,increpa,in omni patientia & doctrina.* necnon illud Act.20.v.20.31: *Vos ſcitis &c.quomodo nihil ſubtraxerim vtilium,quo minus annunciarem vobis,& docerem vos, publice & per domos &c. cum lacrymis monens vnumquemque veſtrum.* Hæc enim omnia ſunt,partim exercentis terram, partim ſeminantis Sed hæc qui præſtiterit,ex mente Domini, ſolutus cura, ſpem bonam apud ſe alere debet,poteſtque dicere: *Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare, & dare hereditatem in ſanctificatis omnibus.* Act. 20. v.32.

αὐτομάτη γὰρ ἡ γῆ καρποφορεῖ, πρῶ-τον χόρτον, εἶτα στάχυν, εἶτα πλήρη σῖτον ἐν τῷ στάχυι.	28	Vltrò enim terra fructificat,primùm herbam,deinde ſpicam,deinde plenum frumentum in ſpica.

VLTRÒ. ſponte, per ſe, natura ſuâ, abſque alia agricolæ opera aut cura. TERRA ſemine grauida; ſi quidem bona fuerit. FRVCTIFICAT. *καρποφορεῖ* fructum fert. Concurrunt quidem,cæleſtis pluuia, ſolaris calor,& cauſæ aliæ ſuperiores: ſed quia harum cauſarum concurſus occultus eſt,*vltro* ſiue per ſe,terra ſemenque fructificare dicuntur. Sic igitur & cor bonum atque optimum (Luc.8.v.15.) quod verbum exceperit ac retinuerit, per ſe naturaque ſua, agente verbi vi atque efficacitate, abſque alia doctoris opera aut ſolicitudine,fructum fert: non quòd opus præterea non ſit cæleſti gratia & Spiritus ſancti ope,ſed quia hæc prorſus ſecreta eſt.fructus tribuitur cordi,libero arbitrio prædito, & concepto Dei verbo fœcundo; ex eo fructus exſpectandus docetur, non ex ſubſequenti prædicatoris cura, præſertim immodica. Neque enim omnis cura,prædicatori verbi,poſtquam ſuo officio functus eſt,prohibetur, vt neque agricolæ poſt ſparſum ſemen, ſed immodica atque anxia,quæ prodeſſe non poteſt, quandoquidem fructus exſpectandus ſit maximè ex verbi diuini efficacitate,quæ tanta eſſe docetur,quanta non facilè relictura ſit ſterile,cor non prauum quo fuerit exceptum. Quocirca iubentur doctores bona ſemper cum ſpe pergere ſpargere ſemen verbi, & ſimul aufertur eis materia gloriandi, ita vt cum Apoſtolo agnoſcere cogantur: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* 1.Cor.3.v.7. PRIMVM HERBAM. Non protinus ſimulatque iactum fuerit ſemen enaſcitur & in ſegetem aſſurgit, ſed interualla habet & profectibus ſeu incremētis quibuſdam paulatim aſſurgit. Primùm enim,vbi ſemen tamdiu terra conditum fuerit, vt computruerit & radicem egerit,exſilit in herbam. ea prima ſpes prouentus. Deinde vbi culmus erexit ſeſe,adnaſcitur ſpica, ſed inanis. Tandem ſpicæ folliculi granis tritici implentur. PLENVM. id eſt,plenè formatum, perfectum, ſimile ei quod fuerat ſeminatum. Vt ergo verbi prædicatores, non debent anxiè ſoliciti eſſe de ſequuturo fructu, poſtquam ipſi officio ſuo functi fuerint: ita ſi fructus non ſtatim ſequatur & appareat, non debent animum deſpondere, & ceſſare à Dei verbo prædicando,aut negligentiùs id agere: non enim ſtatim humanus animus,percepto verbo, ſed paulatim fructum ſalutis producit. Primùm enim conditum animo verbum diu mouet animum,& turbat,& verſat in omnes partes,donec ſui ſimilem reddiderit; deinde iacta radice edit prima ſalutis initia,timorem, fidem, pœnitentiam, obedientiam: deinde proficiens altiuſque aſſurgens in ſpem diuinorum promiſſorum,corroborat animum aduerſus contraria omnia: denique reddit hominem viuentem dignè vocatione, Deo per omnia placentem, in omni opere bono fructificantem, plenum dilectione,quæ legis eſt plenitudo, in charitate fundatum ac radicatum, producentem denique omnis generis fructus ſpiritus,quales ſunt charitas,gaudium,pax,patiētia,& cæteri ab Apoſtolo enumerati Gal.5. v.22.23. *Non ſatis eſt ad ſalutem*,inquit Victor Antiochenus,*vt viridis fœni more, per obedientiam floreamus: ſed quadam præterea maſcula animi fortitudine,qua ventorum flatibus,hoc eſt, tentationibus circumacti, erecti culmi inſtar conſiſtamus,opus eſt. Tum etiam, vt veluti vberes ariſtæ, fructuum, hoc eſt,virtutum granis turgeamus,metentiſq; manum impleamus.* Sed hæc,quod diximus, non vna hora fiunt omnia: quamobrem quamuis verbi ſemen ad tem-

pus lateat, quamuis ad tempus imperfectiora producat, iubet tamen Christus bono animo esse pios eius seminatores, ne diffidentia illis alacritatem minuat, quia tandem conspecturi sint fructus semine à se sparso dignos. Parabola ex eo sumitur quod plerumque, non ex eo quod semper fit. *Nullus itaque*, ait Beda, *qui ad bonum propositũ adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentũ ab herba incipit, vt granum fiat.*

Et cũ produxerit fructus, statim 29 ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς, εὐθέως ἀποστέλ-
mittit falcem, quoniã adest messis. λει τὸ δρέπανον, ὅτι παρέστηκεν ὁ θερισμός.

ET CVM. ὅταν δὲ cùm autem. PRODVXERIT. παραδῷ produxerit, reddiderit: sed quia hæc significatio loco non conuenit, eò quòd nomen *fructus* quod sequitur, est nominatiui casus, idcircò Interpres, adiecto pronomine *se* (quod in Notis ostendimus ex veteribus manuscriptis) vertit *se produxerit*, significatione coniugationis hithpaël apud Hebræos, qua actio reciproca denotatur: qua ratione & alia quædam verba transferri consueuerunt. Qui interpretantur *productus fuerit*, derelinquunt actiuam verbi formam: qua seruata, reddi possit *prouenerit*, seu, vt optimè Euthymius, *maturuerit*. Syrus *pinguis euaserit*. FRVCTVS. s. perfectus ac maturus. ὁ καρπὸς *fructus* primi casus est: quod si esset quarti, citra difficultatem verti posset, & citra obscuritatem legeretur: *Et cum produxerit fructus* s. terra; nisi quod amplius quid significari videatur.

MITTIT FALCEM. Euangelista recedens à cœpta orationis forma, hunc versum similiter proximo efferr, cùm potiùs similiter versui 27. fuisset efferendus, versu proximo 28. tamquam per parenthesin lecto: Sic est regnum Dei, vt si agricola, postquam seminarit, dormiat & exsurgat, semen autem germinet & increscat dum nescit ille, denique ille postquam prouenerit fructus mittat falcem, *quoniam adest messis*, id est, metendi tempus. Vbi obseruat agricola ille fructum prouenisse adeoque maturuisse, gaudens resecat & demetit spicas, vt fructu fruatur. Victor: *Vbi regiones*, inquit, *ad messem iam incanuerint, tum demum bonus ille agricola, quò frumenta in horrea conuehantur, mittit falcem suam & metit.* Sic doctor verbi, conspecto fructu in auditoribus, è verbo à se prædicato nato (quod tandem fit plerumque, & quidem quando ille minùs de eo cogitat) gaudet exsultatque in Domino, non secus ac si sibi prouenisset fructus ille, in suum horreum suo commodo conuehendus. Quod si fortè nec tandem aliquando vllus sequutus fuerit fructus, aut certè non responderit animi voto, non est quòd vana ægritudine seipsum maceret doctor, aut tædio affectus prędicandi officium deinde negligat, quia ipse ampliùs facere non potest quàm quod suarum est partium, accepturus interim à Deo mercedem non minorem, quàm si amplissimus fuisset fructuum prouentus. Hic est parabolæ istius scopus, fructum salutis auditorum è verbo Dei prædicato plerumque sequi vel tandem, non opera aut cura subsequenti doctorum, sed vi verbi prædicati potissimùm.

Luc. 13. v. 18.

Et dicebat: Cui assimilabimus 30 καὶ ἔλεγε· τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν
regnum Dei, aut cui parabolæ com- βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἢ ἐν ποίᾳ παραβολῇ
parabimus illud? παραβάλωμεν αὐτήν;

ET. etiam, iterum. CVI rei. ASSIMILABIMVS. ὁμοιώσωμεν assimilemus, assimilare possimus. Interpres legisse videtur ὁμοιώσομεν quod est in quarto exemplari. REGNVM DEI cæleste in terris? Interrogationes huiusmodi, ex natiua Hebręorum rethorica profectæ, quibus & Rabbini in doctrinalibus sermonibus suis frequentissimè vtuntur, seruiunt, tam ad diligentem similitudinis inquisitionem ostendendam, loco & tempori accommodam, quàm ad attentionem parandam, memoriamque confirmandam. CVI PARABOLÆ COMPARABIMVS. ἐν ποίᾳ παραβολῇ παραβάλωμεν, ad verbum, in qua parabola parabolizemus, quod latinè vertas, qua collatione conferamus, id est, conferre possimus? Quoddam iterum exemplar παραβαλοῦμεν scribit, vt noster Interpres. Quamnam ex natura rerum adhibebimus collationem seu similitudinem, qua prædicemus simul & declaremus, ignaris diuini consilij adeoque parua fide præditis, quo successu proximum sit vt crescat regnum Dei ex humili euangelij principio: vt qualia vident natura duce fieri, talia etiam credant naturæ domino conducente futura?

Matth. 13. v. 31. 32. Luc. 13. v. 19.

Sicut granum sinapis, quod cùm se- 31 ὡς κόκκῳ σινάπεως, ὃς ὅταν σπαρῇ
minatum fuerit in terra, minus est om- ἐπὶ τῆς γῆς, μικρότερος πάντων τῶν
nibus seminibus quæ sunt in terra: σπερμάτων ἐστὶ τῶν ἐπὶ τῆς γῆς.

SICVT GRANVM s. est. ὡς κόκκῳ sicut vel tamquam grano s. conferemus. Syrus addit *simile est*. In condendo cælesti Dei regno in terris, tale quid accidit, quale in grano sinapi. CVM SEMINATVM FVERIT recens, id est, cùm seminatur. SEMINIBVS olerum. Reliqua quære Matth. 13. v. 31. 32.

Matth. 13. v. 32. Luc. 13. v. 19.

Et cùm seminatum fuerit, ascen- 32 καὶ ὅταν σπαρῇ, ἀναβαίνει καὶ γίνε-
dit & fit maius omnibus oleribus, ται πάντων τῶν λαχάνων μείζων, καὶ ποιεῖ
& facit ramos magnos, ita vt possint κλάδους μεγάλους, ὥστε δύνασθαι ὑπὸ τὴν
sub vmbra eius aues cæli habitare. σκιὰν αὐτοῦ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνοῦν.

CVM SEMINATVM FVERIT paulò diutiùs, cùm terra aliquamdiu conditum fuerit. ASCENDIT, assurgit. EIVS. ramorum eius. HABITARE. ita vertit hoc loco & Syrus ܢܫܟܢܘܢ *secan* ex κατασκηνοῦν. Cætera petenda sunt ex Matth. 13. v. 32.

καὶ

καὶ τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν· [33]

Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire:

Matth.13. v.34.

Mvltis. quarum plures à Matthæo cap. 13. describuntur. Eis. turbæ. Verbvm Dei. Provt poterant avdire. prout erant capaces, id est, non attulit parabolas petitas à rebus abstrusis & turbæ incognitis: sed à rebus vulgaribus & obuiis, quas vulgò omnes nossent & intelligerent, similitudines seu comparationes sumsit. Non explicuit turbæ quidem nec curauit vt intelligerent quid sibi parabolæ siue similitudines vellent: sed curauit vt à claris & perspectis rebus similitudines duceret, quò verbis ipsius cœleste aliquid ac diuinum subesse etiam attoniti sentirent. Reliqua dicta sunt Matth.13.v.34.

χωρὶς δὲ παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς, κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέλυε πάντα. [34]

sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

Matth.13. v.34.

Seorsvm. κατ' ἰδίαν priuatim. Disserebat. ἐπέλυε dissoluebat, id est, interpretabatur, explicabat tamquam ænigmatum nodos. Omnia omnes parabolas (quis illarum esset arcanus sensus) vel omnino omnes, vel eas omnes quas sibi explicari illi petebant. fortè enim ex aliis alias intelligebant, vt non opus esset omnes exponi. Reliqua lege Matth.13.v.34.

Καὶ λέγει αὐτοῖς ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὀψίας γενομένης· διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν. [35]

Et ait illis in illa die cũ serò esset factum: Transeamus contra.

Matth.8. v.18. Luc.8. v.22.

Et ait. Ait autem. Illis discipulis suis. In illa die qua factum est istud quod sequitur, id est, quadam die, quodam tempore, *in vna dierum*, vti Lucas habet. Non enim illum innuit diem quo superiores parabolas ad populum dixerat: nam ex versu decimo superiori, manifestum fit, post duodecim Apostolorum ordinationem dictas fuisse. Videri fortè possit contigisse postridie curatæ socrus Petri, ex Euangelista Matthæo cap.8.v.18. Cvm serò esset factvm. ὀψίας γενομένης cùm serum esset factum s. diei, id est, vespera. Transeamvs conducto nauigio. Contra. id est, vltra. εἰς τὸ πέραν in vlteriorem ripam. *trans fretum* vertit infrà 5.v.1. Matth.8.v.18. (vbi hoc idem narratur) & alibi.

καὶ ἀφέντες τὸν ὄχλον, παραλαμβάνουσιν αὐτὸν ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ· καὶ ἄλλα δὲ πλοιάρια ἦν μετ' αὐτοῦ. [36]

Et dimittentes turbam, assumunt eum ita vt erat in naui: & aliæ naues erant cum illo.

Dimittentes tvrbam soluentes à littore. Assvmvnt evm. in altum prouehere incipiunt. Ita vt erat in navi. id est, citra vllum è naui in qua erat egressum. In similem sensum Syrus vertit *Cùm esset in naui*: nam sic etiam verti possit. Et aliæ. καὶ ἄλλα δὲ & aliæ autem, sed & aliæ. Naves. πλοιάρια nauiculæ, nauigiola diminutiuum hîc est quarum vectores & ipsi testes fuerũt miraculi subsequuti.
Cvm illo. μετ' αὐτοῦ. subaudire licet, vel Ἰησοῦ Iesu, vel πλοίου nauigio. Profectæ sunt & aliæ nauiculæ, cum ea in qua Christus erat. Syrus dixit *cum illo*, nempe Iesu, & discipulis.

καὶ γίνεται λαῖλαψ ἀνέμου μεγάλη· τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλλεν εἰς τὸ πλοῖον, ὥστε αὐτὸ ἤδη γεμίζεσθαι. [37]

Et facta est procella magna venti: & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis.

Matth.8. v.24. Luc.8. v.23.

Et facta est. καὶ γίνεται & fit, tunc oritur. quasi res iam geratur. Procella magna venti. λαῖλαψ ἀνέμου μεγάλη turbo venti magnus Syrus, tempestas magna ventusque. Et flvctvs mittebat. Vel pluralis numeri & quarti casus est *fluctus* & subaudis *procella mittebat*; vel numeri singularis & primi casus, & subaudis *se*, aut *mittebat* accipis ita vt sit verbum neutrum quod ad significatum: *Fluctus irruebat in nauim*. qua ratione sit singularis numerus pluralis locô. Porrò græcè *fluctus* pluralis est numeri, τὰ δὲ κύματα, & verbum ἐπέβαλλεν singularis; vertas tamen licet quomodo Syrus vertit: *Fluctusque (se) mittebant* (seu iniiciebant) *in nauim*; constructione attica non infrequenti. Ita vt impleretvr navis. ὥστε αὐτὸ ἤδη γεμίζεσθαι ita vt illa iam impleretur s. nauis vndis. Syrus vertit, *ac propè implebatur*. Reliqua lege Matth.8.v.24.

Καὶ ἦν αὐτὸς ἐπὶ τῇ πρύμνῃ ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον καθεύδων· καὶ διεγείρουσιν αὐτὸν, καὶ λέγουσιν αὐτῷ· διδάσκαλε, οὐ μέλει σοὶ ὅτι ἀπολλύμεθα; [38]

Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet quia perimus?

Matth.8. v.24.25. Luc.8. v.23.24.

Et erat. Erat autem. In pvppi. ἐπὶ τῇ πρύμνῃ. Syrus, quum non habeat proprium vocabulum, circumloquitur, *in posteriore parte nauis*. est enim puppis, posterior nauis pars, vbi à nauclero clauus tenetur.
Svper cervical. ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον, quod inde Græcis nomen habet, quòd capiti admoueatur. Lassus ex labore

labore diurno & contentione concionandi, cubuit super ceruical & dormiuit. Ligneum putant ceruical fuisse, Euthymius & Theophylactus, in puppi fabricatum. Vide vt Christus nobiscum communia omnia habere dignatus sit, vtque humani nihil à se, præter solum peccatum, alienum habuerit. ET EXCITANT. tunc excitant. NON AD TE PERTINET. οὐ μέλει σοὶ non est tibi curæ, an nihil curas, *quòd* PERIMVS? Non precantur simpliciter, sed quasi expostulant. Reliqua lege Matth. 8. v.24. 25.

Matth. 8. v.26. Luc. 8. v.24.

Et exsurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna. 39

καὶ διεγερθεὶς ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ, καὶ εἶπε τῇ θαλάσσῃ· σιώπα, πεφίμωσο. καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.

ET EXSVRGENS. ipse autem exsurgens. *διεγερθείς.* COMMINATVS EST. ἐπετίμησε. *imperauit* vertit apud Matthæum. VENTO. vt sisteret impetum & flatum. MARI. ita enim accidit, vt moti semel fluctus, etiam vento quiescente, non quiescant, nisi elapso iam temporis spatio: voluit autem Iesus, vt simul, & ventus cessaret, & mare quiesceret. TACE. quiesce. vlulatus enim maris ex commotione nascitur. Silentium ergo, hoc est, quietem mari imperat, non quòd sensus aliquis subesset in lacu, sed prosopopœia quadam, barbaro ac surdo elemento sensum tribuens, vt virtutem suæ vocis ostenderet in muta elementa penetrare.

OBMVTESCE. Augmentum additum celerem omnimodamque obedientiam exigit. q. d. mox prorsusque obmutesce. Reliqua lege Matth. 8. v.26.

Matth. 8. v.26. Luc. 8. v.25.

Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? 40

καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τί δειλοί ἐστε οὕτω; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν;

ET AIT. Ait autem. QVID TIMIDI ESTIS? Additur ferè græcè, Syro consentiente, οὕτω *adeò*, quod quidem Interpres non legit: nam, quòd timorem ipsis exprobrat Christus, indicat eos timendo excessisse modum. NECDVM HABETIS FIDEM? admirantis est & obiurgantis, siue interrogando, siue enunciando, legas. Tot hactenus visis per me miraculis, nondum tantillum creditis, mihi etiam dormienti vestri curam esse, & potestatem seruandi vos ab omnibus periculis? Græcè & syriacè est. πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν *quomodo non habetis fidem?* qui fit vt non habeatis fidem? s. in me, &, quæ ex fide sequatur, fiduciam in me? Quem scribendi modum quidam ita interpungunt, vt distinctè legant in hunc modum. τί δειλοί ἐστε; οὕτως; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; *quid timidi estis? ita ne? quomodo non habetis fidem?* vel οὕτω ad sequentia adiuncto οὕτως οὔπω ἔχετε πίστιν *siccine nondum habetis fidem?* Interpres loco horum duorum οὕτω & πῶς οὐκ, vnicum habuit οὔπω *nondum*. Reliqua Matth. 8. v.26.

Matth. 8. v.27. Luc. 8. v.25.

Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei? 41

καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους· τίς ἄρα οὗτός ἐστιν, ὅτι καὶ ὁ ἄνεμος καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ;

TIMVERVNT. Timor reuerentiæ religionisque iste fuit; religione magna perculsi sunt, metuentes vt satis digno loco Dominum haberent, quem videbant se nondum habere perspectum. AD ALTERVTRVM. πρὸς ἀλλήλους alius ad alium. QVIS PVTAS EST ISTE? τίς ἄρα οὗτός ἐστι; *quisnam*, aut certè, *quis ille est?* nam hoc loco vix habet latinus sermo quod respondeat τῷ ἄρα. QVIA. vel quòd. Reliqua lege Matth. 8. v.27.

CAPVT QVINTVM.

Matth. 8. v.28. Luc. 8. v.26.

Et venerunt trans fretum maris, in regionem Gerasenorum. 1

Καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης, εἰς τὴν χώραν τῶν γαδαρηνῶν.

ET VENERVNT. venerunt itaque secundo eoque suaui vento. TRANS FRETVM MARIS. εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης in vlteriorem ripam maris. vide suprà 4. v.35. GERASENORVM. τῶν γαδαρηνῶν Gadarenorum. Reliqua lege Matth. 8. v.28.

Matth. 8. v.28. Luc. 8. v.27.

Et exeunti ei de naui, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo: 2

καὶ ἐξελθόντι αὐτῷ ἐκ τοῦ πλοίου, εὐθέως ἀπήντησεν αὐτῷ ἐκ τῶν μνημείων ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ·

ET pro autem. EXEVNTI. ἐξελθόντι egresso. STATIM. partim strepitu appellentium hospitum excitatus, partim Christi imperio citatus. OCCVRRIT. repetitur Græcis αὐτῷ ei, ex idiotismo hebraico: quod rectè omisit Interpres. DE. ἐκ. HOMO. Matthæus duos memorat; Marcus & Lucas vnum, sæuitia celebriorem illum, haud dubiè (multis enim in amplificanda illius sæuitia insistunt) quippe in quo erat quidam quasi dæmonum exercitus: in quo proinde propter mali atrocitatem magis illustre miraculum fuit, maxi-

maximaque eniruit Iesu virtus, cui tanta dæmonum multitudo, vis & concordia, resistere non posset: nam singulatium dæmonum victorum & expulsorum exempla iam plura à Iesu fuerant edita. IN SPIRITV IMMVNDO. s. existens, id est, in quo erat spiritus immundus. vide suprà 1. v.23. Accipienda est autem hîc vox spiritus collectiuè, cùm multi in illo vno essent. Reliqua Matth. 8. v. 28.

ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν ἐν τοῖς μνήμασι, καὶ οὔτε ἁλύσεσιν οὐδεὶς ἠδύνατο αὐτὸν δῆσαι, ³ qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quisquam poterat eum ligare

Matth. 8. v. 28. Luc. 8. v. 27.

ET NEQVE CATENIS. & ne catenis quidem. IAM. non est græcè.

διὰ τὸ αὐτὸν πολλάκις πέδαις καὶ ἁλύσεσι δεδέσθαι, καὶ διεσπάσθαι ὑπ' αὐτοῦ τὰς ἁλύσεις, καὶ τὰς πέδας συντετρῖφθαι, καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἴσχυε δαμάσαι· ⁴ (quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas, & compedes comminuisset) & nemo poterat eum domare:

Luc. 8. v. 29.

DIRVPISSET. διεσπάσθαι discerpsisset, siue distraxisset. Vires, potentiam, regnum, atque ingenium satanæ, exercentis fortitudinem suam in dæmoniaco, denique dæmoniaci miseriam, diligenter describit Euangelista, vt eò maior postea cernatur potentia ac misericordia Christi. POTERAT. ἴσχυε valuerat. DOMARE. subiugare.

καὶ διαπαντὸς νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐν τοῖς μνήμασι καὶ ἐν τοῖς ὄρεσιν ἦν, κράζων καὶ κατακόπτων ἑαυτὸν λίθοις. ⁵ & semper nocte ac die in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus.

ET pro sed. IN MONVMENTIS. Habebant Iudæi, & hi, haud dubiè, Iudæorum vicini, qui & terram olim Iudæorum occupabant, monuméta sua ferè in montibus aut desertis locis (Gen. 23. v. 9. 20. 4. Reg. 23. v 16.) in ciuitatibus neqnaquam, ne illæ mortuorum sepultura contaminarentur: vt enim cadauera iam hominum quàm bestiarum, ita & sepulchra Iudæis, lege contagiosa erant. patet Num. 19. v. 16. ERAT. versabatur (neque enim ad participia proxima referendum est *erat*. habebant familiæ lautiores monumentum singulæ suum, ex rupibus excisum vel lapideo aut lateritio opere cameratum, ea altitudine & latitudine exstructum, vt multi in eo sepeliri pluresq; simul erecto corpore illud ingredi atque egredi possent perspicuum est vel ex Saluatoris monumento. CONCIDENS. minutatim discerpens seu vulnerans semetipsum.

ἰδὼν δὲ τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ μακρόθεν, ἔδραμε καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ· ⁶ Videns autem Iesum à longè, cucurrit & adorauit eum:

Luc. 8. v. 28.

VIDENS ἰδὼν cùm vidisset, id est, agnouisset. Non enim est verisimile, eum, mox vt prodiit è monumento, agnouisse Iesum. CVCVRRIT ad eum, & propiùs adstans ADORAVIT EVM coactus & victus virtute Iesu, supplex factus est ei adulans, vt ne quid ei præter voluntatem accideret; per hominem inquam illum, ipsi dæmones qui in illo erant.

καὶ κράξας φωνῇ μεγάλῃ εἶπε· τί ἐμοὶ καὶ σοί, Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου; ὁρκίζω σε τὸν θεὸν μή με βασανίσῃς. ⁷ & clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi, Iesu Fili Dei altissimi? adiuro te per Deum ne me torqueas.

Matth. 8. v. 29. Luc. 8. v. 28.

ALTISSIMI. aliàs *summi*. τοῦ ὑψίστου. secundùm Lucam vertitur *altissimi* Deus altissimus siue summus vocatur, non quòd sint alij Dij ipso inferiores, sed quia non est, inter eos qui *Dij*, siue habentur dumtaxat, siue suo etiam modo sunt, multò minùs inter alios, quisquam ei conferendus, potẽtia, sapientia, bonitate, cæterisque perfectionibus. *Non est similis tui in dijs Domine*, ait Psalmographus (Psal. 85. v. 8.) *& non est secundum opera tua*. & Psal. 88. v. 7: *Quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Domino in filiis Dei?* Quocirca *Deus Deorum* vocatur Psal. 49. v. 2: hoc est enim, Deus, altissimus. ADIVRO TE PER DEVM. ὁρκίζω σε τὸν θεόν. ὁρκίζειν cui respondet vox hæbræa הִשְׁבִּיעַ *hisbiah*, & syra ܐܘܡܝ *aumo*, est, iusiurandum ab aliquo exigere vt tibi caueas; itaque exponunt quidam: *Confirma mihi, iureiurando interposito, fore vt non me vexes*. Cæterùm, ab ea significatione, trahuntur voces istæ, & hebræa & græca & syra, frequenter ad aliam, cuius est & latina *adiuro*, quæ est, religione aliquem obstringere, metu religionis ac pietatis temeratæ exspectandæque vltionis diuinæ ac si iureiurando constrictus sit, adigere ad aliquid faciendum; diuini nominis auctoritate interposita aliquid imperare. 3. Reg. 22. v. 16. Matth. 26. v. 63. Act. 19. v. 13. 1. Thess. 5. v. 27. sic itaque & hoc loco sumendam arbitror. Quoniam enim nouerat dæmon, suis meritò precibus nihil tribuendum, tentat, si, diuini nominis auctoritate interposita, quam grauissimam esse Christo sciebat, consequi queat quod velit, pro se abutens adiuratione, cuius vsus est contra ipsum. Hærebat anceps inter timorem & audaciam. Nam quòd adorabat, quòd Filium Dei prædicabat, quòd supplex rogabat, timoris erat; quòd expostulabat & adiurabat, audaciæ. TORQVEAS. Verbum Christi adeò efficax erat, vt dæmonem fortissima natura constantem torqueret. Reliqua lege Matth. 8. v. 29.

Dice-

Luc. 8. v. 29.

Dicebat enim illi: Exi spiritus [8] immunde ab homine.

ἔλεγε γὰρ αὐτῷ· ἔξελθε τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον ἐκ τοῦ ἀνθρώπου.

EXI. Tormentum igitur erat illi exire. SPIRITVS IMMVNDE. Ita loquitur, tametsi sciret multos esse, quòd loquerentur per vnum tamquam vnus. AB. ἐκ ex HOMINE τοῦ ἀνθρώπου homine isto.

Luc. 8. v. 30.

Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. [9]

καὶ ἐπηρώτα αὐτὸν τί σοι ὄνομα; καὶ ἀπεκρίθη λέγων· λεγεὼν ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν.

QVOD TIBI NOMEN EST? explica quis tu sis (nominibus enim noscuntur res) an vnus aliquis dumtaxat dæmon, id quod ex modo loquendi tuo ita apparet? Sciebat Iesus multos esse: sed voluit rei veritatem diabolo exprimere, vt virtutis & gratiæ suæ magnitudo præsentibus commendaretur. Cuius enim non erat misericordiæ, hominem plus millies perditum, à totidem exitus eripere? & magnificè in eo refulgebat virtus Christi, quòd voce sua, non vnum dæmonem, sed multam turbam repentè profligaret, ita vt reipsa apertè doceret, totum diaboli regnum sibi subiectum esse. ET DICIT EI. καὶ ἀπεκρίθη λέγων & respondit dicens. LEGIO MIHI NOMEN EST. græcè subauditur *est*. Syrus: *Legio nomen nostrum*. sumus legio dæmonum. Numerus certus pro incerto, vti dæmon ipse explicat: QVIA addens, MVLTI SVMVS alioqui enim, legio, erat duodecim milium quingentorum militum. vide Matth. 26. v. 53. Vsurpant autem nomen militare (quod cùm latinum sit, in vsu est græcè & syriacè) simiæ angelorum lucis, quorum exercitibus quòd præsit Deus, idcircò frequenter vocatur *Dominus sabaoth*, siue *exercituum*. Porrò vt seruiunt bonorum angelorum exercitus nobis seruandis, ita malorum exercitus nobis oppugnandis student, in nostram perniciem spurca colluuies coniurata. Animaduerte autem quàm miserum animal sit homo, vbi Dei tutela destituitur: nempe, vnusquisque, non tantùm singulis dæmonibus patet, sed ingentis turbæ est receptaculum. quò magis sollicitè excubare nos decet, ne tanta hostium turba nos circumueniat. MVLTI SVMVS. Dæmones, cùm spiritus sint incorporei, innumeri facilè vno loco, eoque paruo, definiri queunt.

Luc 8. v. 31.

Et deprecabatur eum multùm, [10] ne se expelleret extra regionem.

καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλὰ, ἵνα μὴ αὐτοὺς ἀποστείλῃ ἔξω τῆς χώρας.

DEPRECABATVR. precabatur, is dæmon qui pro cæteris legatione fungebatur, vel, dęmoniacus cuius per os illi loquebantur. Dant Christo Domino vel inuiti facultatem ipsi esse relegandi ipsos quò velit. SE. αὐτοὺς ipsos. Syrus singulare habet *ipsum*. EXTRA REGIONEM ἔξω τῆς χώρας extra illam regionem, in solitudinem scilicet (Tob. 8. v. 3.) aut in abyssum. id quod ad nocendi libidinem referendum est. Nam hoc vnum studium dæmonibus est, oberrare inter homines leonum instar, ad venandam prædam: dolet illis in solitudinem relegari, aut in abyssum demergi, vbi ablata sit lædendi & perdendi facultas. hoc enim sunt ingenio, vt nihil magis appetant, quàm in exitium quamplurimos homines trahere. Amare autem videntur regiones illas præ aliis, in quibus mores hominum, propter longam consuetudinem, perspectiores habent, ac vbi maior est eis nocendi occasio & spes.

Matth. 8. v. 30. Luc 8. v. 32.

Erat autem ibi circa montem grex [11] porcorum magnus pascens.

ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τῷ ὄρει ἀγέλη χοίρων μεγάλη βοσκομένη.

CIRCA MONTEM. πρὸς τῷ ὄρει ad, id est, apud montem. Reliqua Matth. 8. v. 30.

Matth. 8. v. 31. Luc 8. v. 32.

Et deprecabantur eum spiritus [12] dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.

καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν πάντες οἱ δαίμονες, λέγοντες· πέμψον ἡμᾶς εἰς τοὺς χοίρους, ἵνα εἰς αὐτοὺς εἰσέλθωμεν.

DEPRECABANTVR. παρεκάλεσαν deprecati sunt. SPIRITVS. οἱ δαίμονες illi dæmones. videtur græcè omittendum πάντες iuxta alia exemplaria, quod, vt non latinè, ita nec syriacè exstat. IN PORCOS. εἰς τοὺς χοίρους in istos porcos. Reliqua Matth. 8. v. 31.

Matth. 8. v. 32. Luc. 8. v. 32. 33.

Et concessit ei statim Iesus. [13] Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare, ad duo milia, & suffocati sunt in mari.

καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως ὁ Ἰησοῦς. καὶ ἐξελθόντα τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα εἰσῆλθον εἰς τοὺς χοίρους· καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν· ἦσαν γὰρ ὡς δισχίλιοι· καὶ ἐπνίγοντο ἐν τῇ θαλάσσῃ.

CONCESSIT. Præter alias causas idcircò concessit, vt monstraretur verum esse quod dixerant, magnam se esse in vno homine dæmonum turbam. EI. vel potiùs pluraliter *eis*, vt est in aliis plerisque libris, græco ac syro conformiter. IN PORCOS. εἰς τοὺς χοίρους in illos porcos. MAGNO IMPETV GREX

PRÆ-

PRÆCIPITATVS EST. ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ ruit ille grex è præcipitio. vti in Matthæo. Syrus: *Cucurrit grex ille in rupem & ruit.* AD DVO MILIA. ἦσαν γὰρ aut potiùs ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι erant autem quasi bis mille s. porci, id est, ferè aut circiter duo porcorum milia. ponitur enim ὡς pro περίπου vel χεδὸν: neque ad spiritus referri potest, qui græcè neutro genere πνεύματα efferuntur: sed totidem vt minimùm erant spiritus. Cæterùm, vt non legitur latinè ἦσαν δὲ, seu, vt in aliis est libris, ἦσαν γάρ, ita nec syriacè. Reliqua Matth. 8. v. 32.

οἱ δὲ βόσκοντες τοὺς χοίρους ἔφυγον, καὶ ἀνήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν καὶ εἰς τοὺς ἀγρούς. καὶ ἐξῆλθον ἰδεῖν τί ἐστι τὸ γεγονός· [14]

Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem & in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum: *Matth. 8. v. 33. 34. Luc. 8. v. 34. 35.*

QVI AVTEM PASCEBANT EOS. οἱ δὲ βόσκοντες τοὺς χοίρους pascentes autem porcos, id est, pastores porcorum. IN CIVITATEM ET IN AGROS. vbi porcorum domini habitabant, verisimile est. EGRESSI SVNT. ciues & agricolæ. QVID ESSET FACTVM. τί ἐστι τὸ γεγονός quid illud esset quod factum fuerat. Reliqua Matth. 8. v. 33.

καὶ ἔρχονται πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ θεωροῦσι τὸν δαιμονιζόμενον καθήμενον καὶ ἱματισμένον, καὶ σωφρονοῦντα τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα· καὶ ἐφοβήθησαν. [15]

& veniunt ad Iesum, & vident illum qui à dæmone vexabatur sedentem, vestitum, & sanę mentis: & timuerunt. *Matth. 8. v. 34. Luc. 8. v. 35.*

VIDENT ILLVM QVI A DÆMONE VEXABATVR. θεωροῦσι τὸν δαιμονιζόμενον spectant dæmoniacum, id est, eum qui dæmoniacus fuerat. VESTITVM. καὶ ἱματισμένον & vestitum, nudus enim cogebatur incedere, quando à dæmoniis agebatur, Luca Euangelista auctore cap. 8. v. 27. ET SANÆ MENTIS. sequitur grecè & syriacè (quanquam vltimo loco syriacè ponatur *sedentem*) τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα *cum qui habuerat legionem*. id quod, aut quia iam præcessit *illum qui à dæmonio vexabatur*, aut quia in exemplari suo non legit, omisit Interpres. Repetitur autem ad emphasin miraculi, esse iam sanæ mentis eum, qui nō solùm singulari dæmoni, sed legioni obnoxius fuerat: opponiturque sana mente præditus, obnoxio legioni insanorum dæmonum: sicuti in superiori membro, dæmoniacus, id est, miserrimè à dæmonio vexatus, adeò vt immanissimę belluę similior esset quàm hominis, opponitur sedenti & vestito, id est, quieto & composito. neque tamen duo homines inter se comparantur, sed eiusdem hominis dispares atque adeò prorsus contrarij habitus. TIMVERVNT. expauerunt. Religioso metu tacti sunt, agnoscentes diuinam vim & efficacitatem.

διηγήσαντο δὲ αὐτοῖς οἱ ἰδόντες, πῶς ἐγένετο τῷ δαιμονιζομένῳ, καὶ περὶ τῶν χοίρων. [16]

Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat; & de porcis. *Luc. 8. v. 36.*

QVI VIDERANT. οἱ ἰδόντες illi qui id viderant. QVALITER FACTVM ESSET EI QVI DÆMONIVM HABVERAT. πῶς ἐγένετο τῷ δαιμονιζομένῳ quomodo actum fuisset cum dæmoniaco; quemadmodum sòlo Iesu iussu & imperio, dæmonum legio ex eo expulsa fuisset. ET DE PORCIS s. narrauerunt illis, quomodo fuisset actum cùm eis.

καὶ ἤρξαντο παρακαλεῖν αὐτὸν, ἀπελθεῖν ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. [17]

Et rogare cœperunt eum, vt discederet de finibus eorum. *Matth. 8. v. 34. Luc. 8. v. 37.*

ET pro tunc, non enim mox vt aduenerant rogauêre irati. COEPERVNT significatur blandè eos id rogasse Dominum, cauentes vt ne eum offenderent, maioris damni metu. VT DISCEDERET DE. vt abiret ex. Christi virtutem admirantur multi, qui tamen vel leuissimæ rei iactura redemtam nolint. Reliqua Matth. 8. v. 34.

καὶ ἐμβάντος αὐτοῦ εἰς πλοῖον, παρεκάλει αὐτὸν ὁ δαιμονισθεὶς, ἵνα ᾖ μετ' αὐτοῦ. [18]

Cumque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset cum illo. *Luc. 8. v. 38.*

CVMQVE ASCENDERET NAVIM. vt illorum votis satisfaceret, vt discederet ex finibus eorum. COEPIT ILLVM DEPRECARI. παρεκάλει αὐτὸν rogabat illum. QVI A DÆMONIO VEXATVS FVERAT. ὁ δαιμονισθεὶς. κατ' λέξιν dæmonizatus, qui fuerat dæmoniacus. VT ESSET CVM ILLO. vt liceret sibi esse in comitatu ipsius; tum quòd metueret ne absente Domino iterum à dæmonibus inuaderetur, tum quòd diligeret sanitatis suæ auctorem, paratus ingratos suos ciues relinquere, quò ipsi adhæreret. Vnde apparet, quantum intersit inter notitiam diuinæ bonitatis & diuinæ potentiæ. Potentia enim formidinem incutiens, à Dei aspectu homines fugat longeque dispellit: bonitas autem suauiter allicit, vt sibi nihil optabilius esse homo statuat, quàm Deo esse vnitum. Animaduerte mutationem consiliorum & curarum atque actionum hominis à dæmonio liberati.

Luc. 8. v. 38. 39.

Et non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi dominus fecerit, & misertus sit tui.

19 ὁ δὲ ἰησοῦς οὐκ ἀφῆκεν αὐτὸν, ἀλλὰ λέγει αὐτῷ· ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου πρὸς τοὺς σοὺς, καὶ ἀνάγγειλον αὐτοῖς ὅσα σοι ὁ κύριος ἐποίησε, καὶ ἠλέησέ σε.

ET. ὁ δὲ ἰησοῦς Iesus autem. Additur græcè *Iesus*, sed syriacè non magis quàm latinè. NON ADMISIT EVM vt cum ipso esset, non tamquam indignum, sed quòd cum maiore Dei gloria, & vberiore cum fructu, apud gentiles suos mansurus esset. Nam, quod Victor Antiochenus ait, *præsentia miraculi magnitudinem cleuat; absentia autem vim illius clarius demonstrat.* AD TVOS familiares & ciues. *ad homines tuos*, dicit Syrus. ANNVNTIA ILLIS. ἀνάγγειλον αὐτοῖς renuntia illis. Repulsus à Gerasenis Dominus, illos quidē in præsens, vti meruerant, deseruit: quoniam autem nondum desponderi salus eorum potuit, reliquit eis Apostolum, se illis paulò gratiorem. QVANTA. ὅσα, id est, quàm immensa & quàm mirifica. Nam ὅσον & ἡλίκον sepè permutantur: & verior est sensus, si ad qualitatem potiùs, quàm ad multitudinē referas. DOMINVS Deus. Deo sua omnia Christus adscribit (quemadmodum à Deo Patre sua habet omnia) vt verò Dei propheta habitus docendi obtineat auctoritatem, sicque paulatim erudiat rudem populum, cui nondum cognita erat ipsius diuinitas.

ET MISERTVS SIT TVI. Ita est ad verbum, quo modo certè durè cum præcedentibus cohæret. Videtur igitur ἀπὸ κοινοῦ repetenda particula ὅσα; sed ita, vt cùm priore loco sit nomen hîc degeneret in aduerbium, aut certè subaudiatur κατὰ, sitque sensus: Et quantopere misertus sit tui. Syrus addidit *quòd* coniunctionem (*Et quòd misertus sit tui*) vbi ex ὅσα vertisset *id quod*. Marcus studiosior paulò huiusmodi breuitatis sermonis, Euangelistarum euasit obscurissimus.

Luc. 8. v. 39.

Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus: & omnes mirabantur.

20 καὶ ἀπῆλθε, καὶ ἤρξατο κηρύσσειν ἐν τῇ δεκαπόλει, ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· καὶ πάντες ἐθαύμαζον.

ET ABIIT. En hominis obedientiam. DECAPOLI. vide Matth. 4. v. 25. Videtur Gerasenorum siue Gadarenorum regio in Decapoli sita fuisse: cui sententiæ Plinius suffragatur lib. 5. cap. 18., inter oppida Decapoleos, *Gadaram* numerans *præfluente Hieromiace.* Ac fortassis nomen fuit, illius partis Decapoleos quæ erat trans Iordanē & mare Galilææ *Regio Gergesæorum* siue *Gadarenorum.* QVANTA. ὅσα. vti mox v. 19. IESVS. Iussus Dei in se prædicare bonitatem, non subticuit, vti decebat hominem gratum, Iesum. MIRABANTVR non sine laude & applausu. En fructū prædicationis: nam huiusmodi admiratio, initium fidei fuit.

Matth. 9. v. 1. Luc. 8. v. 37. 40.

Et cùm transcendisset Iesus in naui rursum trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare.

21 καὶ διαπεράσαντος τοῦ ἰησοῦ ἐν τῷ πλοίῳ πάλιν εἰς τὸ πέραν, συνήχθη ὄχλος πολὺς ἐπ' αὐτὸν, καὶ ἦν παρὰ τὴν θάλασσαν.

TRANSCENDISSET. διαπεράσαντος traiecisset. IN NAVI. nauigio. TRANS FRETVM. εἰς τὸ πέραν in vlteriorem ripam, Israelitarum regionem, Galilæam, vnde discesserat, vbique celebris erat & admirandus omnibus, ostenso virtutis suæ lumine vicinis ad æmulationem suorum. CONVENIT vt solet.
ET ERAT. quodam die, non ita diu post reditum hunc à Gerasenis. nam quædam in medio gesta sunt, quæ Marcus narrauit suprà 2; Matthæus ab initio noni capitis ordine ad hanc vsque historiā. CIRCA. παρὰ ad.

Matth. 9. v. 18. Luc. 8. v. 41.

Et venit quidam de archisynagogis, nomine Iaïrus: & videns eum procidit ad pedes eius,

22 καὶ ἰδοὺ ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων, ὀνόματι ἰάειρος, καὶ ἰδὼν αὐτὸν πίπτει πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ,

ET VENIT. καὶ ἰδοὺ ἔρχεται quum ecce venit. QVIDAM. εἷς, ad verbum, *vnus.* DE ARCHISYNAGOGIS. archisynagogorum est græcè. IAÏRVS. ἰάειρος. penultima itaque producenda est latinè. Nominat autem virum pro historiæ certitudine. ET VIDENS. καὶ ἰδὼν. qui quum vidisset. PROCIDIT. πίπτει accidit. præsens est. Reliqua quære Matth. 9. v. 18.

Matth. 9. v. 18. Luc. 8. v. 41. 42.

& deprecabatur eum multùm, dicens: Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum super eam, vt salua sit & viuat.

23 καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλὰ, λέγων· ὅτι τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει, ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς αὐτῇ τὰς χεῖρας, ὅπως σωθῇ, καὶ ζήσεται.

MVLTVM. propter vrgens discrimen; vel difficultatem aliquam impetrandi metuebat, forsitan quòd ex numero primatum esset, qui ferè erant Domino aduersarij: tamen hoc quodcumque esset in se defectus, instanti supplicique precatione compensandum existimabat. QVONIAM. ὅτι. *quia*. causale hoc loco est. FILIA. τὸ θυγάτριον filiola. IN EXTREMIS EST. ἐσχάτως ἔχει, ad verbum, extremè habet, quod est, in ex-

in extremum adducta est, in summo vitæ discrimine est. VENI, IMPONE. ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς vt veniens imponas, rogo. ET VIVAT. καὶ ζήσεται & viuet. & salua erit. id est, quod si non grauaberis facere, futurum est vt viuat seu salua sit. ita est & Matth. 9. v. 18. futuro tempore *viuet*, vnde petes reliqua.

Καὶ ἀπῆλθε μετ' αὐτοῦ, καὶ ἠκολούθει αὐτῷ [24] ὄχλος πολὺς καὶ συνέθλιβον αὐτόν.

Et abiit cũ illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum. *Matth. 9. v. 19. Luc. 8. v. 42.*

ET ABIIT. Abiit itaque Iesus. ET COMPRIMEBANT. ita vt comprimerent. Vt magna est populi ad res insolentes spectandas curiositas, ita cupiebat quisque videre miraculum, nemoque non satagebat Christo esse quàm proximus acuente rogantis nobilitate spectandi desiderium. ita vt premerent & affligerent eum, sectatores & spectatores potiùs quàm iusti auditores. Hic autem mihi obserua Domini humilitatem, ita absque omni fastu inter vulgus conuersantis, vt sinat se ab eo premi, cùm essent ipsi discipuli, qui cinctum liberum facilè à pressura seruare potuissent. Reliqua Matth. 9. v. 19.

Καὶ γυνή τις οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος [25] ἔτη δώδεκα,

Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, *Matth. 9. v. 20. Luc. 8. v. 43.*

ET. tunc. MVLIER. γυνή τις mulier quædam. quam Eusebius Cæsariensis, libri 7. eccles. hist. cap. 14., dicit ciuem fuisse vrbis Cæsareæ Philippi, &, ob acceptum beneficium, Iesu statuam erexisse, ac proinde gentilem fuisse, aut certe mixtæ religionis. QVÆ ERAT IN PROFLVVIO SANGVINIS. οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος existens in fluxione sanguinis, id est, quæ tenebatur morbo fluxionis sanguinis: quo modo loquendi significatur perpetuum fuisse morbum. ANNIS. in annos. Reliqua dicta sunt Matth. 9. v. 20.

Καὶ πολλὰ παθοῦσα ὑπὸ πολλῶν ἰα- [26] τρῶν, καὶ δαπανήσασα τὰ παρ' ἑαυτῆς πάντα, καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσα, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα,

& fuerat multa perpessa à complurìbus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deteriùs habebat; *Luc. 8. v. 43.*

EROGAVERAT. δαπανήσασα insumserat, in medicos facultates omnes suas. itaque bis erat misera, posteaquam malæ valetudini accesserat inopia. NEC QVIDQVAM PROFECERAT. nihil fuerat adiuta, nec remedio, nec consilio. DETERIVS HABEBAT. εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα in deterius venerat. auxerant enim virium corpusculi imbecillitatem plura genera medicamentorum variè adhibita. Signum naturæ à morbo superatæ & à medicinæ arte desperatæ. Pertinent hæc narrata ad miraculi amplificationem: nihil esse tam desperatum ac deploratum, quod non possit Christi virtus sanare.

Ἀκούσασα περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἐλθοῦσα ἐν τῷ [27] ὄχλῳ ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ ἱματίου αὐτοῦ.

cùm audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius. *Matth. 9. v. 20. Luc. 8. v. 44.*

CVM AVDISSET DE IESV quo loco esset; vel, *audisset* frequenter à multis referri miracula, & præsertim sanitatum, quæ ille edebat, diuina prorsus, & humanas vires superantia, quibus declararet manifestè verum se Messiam esse, olim à Deo per prophetas promissum, in quem diuina se virtus & bonitas luculentissimè effudisset. Fides ex auditu. VENIT. Posteaquam cœpit mulier diffidere medicis, cœpit esse saluti vicinior; factaque est illi salus, nullam sperare salutem. Deus enim nulli libentiùs opitulatur, quàm quem humana destituere præsidia. IN TVRBA. Syrus, in compressione turbæ. RETRO à tergo. Reliqua lege Matth. 9. v. 20.

Ἔλεγε γάρ, ὅτι κἂν τῶν ἱματίων αὐτοῦ [28] ἅψωμαι, σωθήσομαι.

dicebat enim: Quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. *Matth. 9. v. 21.*

DICEBAT scapud se, seu cogitabat. ita frequenter accipitur dicere. QVIA. ὅτι abundat. VESTIMENTVM. τῶν ἱματίων vestimenta, id est, aliquid vestimentorum eius; eodem sensu. Fidei rationibus instructa, remedium ipsa sibi inuenit. TETIGERO. Cætera remedia non tantùm tetigerat, sed & perpessa fuerat, plurimorum medicorum consiliis & operis assiduis. SALVA ERO. sanabor. Destituta à medicis, à quibus fuerat magna mercede vexata. repererat alium medicum, qui gratis, subitò, leuique negotio, plenam conferret salutem. Reliqua petenda sunt ex Matth. 9. v. 21.

Καὶ εὐθέως ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος [29] αὐτῆς, καὶ ἔγνω τῷ σώματι, ὅτι ἴαται ἀπὸ τῆς μάστιγος.

Et confestim siccatus est fons sanguinis eius: & sensit corpore quia sanata esset à plaga. *Luc. 8. v. 44.*

SICCATVS EST. ἐξηράνθη exaruit. FONS SANGVINIS. sistebat profluuium sanguinis, subitò correcto liquore, qui velut è perenni fonte solitus erat emanare: adeò enim inualuerat ille morbus, vt in fluxum naturalibus simillimum erupisset. ET SENSIT. καὶ ἔγνω ad verbum, & cognouit: sed rectè interpres *sensit*: nec minùs latè patet γινώσκω quàm αἰσθάνομαι. Ex fluxu illo, debilitatio infirmitasque totius corporis nascebatur: cuilibet enim euacuationi virtutis, casum annexum esse, medici affirmant. Illo igitur fluxu sistente,

 resti-

restituta est virtus toti corpori, sanguine subitò emendato & in venas coacto, non exspectata mora refectionis, quæ longa esse solet in morbis arte naturæque virtute curatis. id sensit mulier. Geminum itaque miraculum hic virtute Iesu editum est. A PLAGA. ἀπὸ τῆς μάστιγος ab eo flagello. vide suprà 3. v. 10.

Luc. 8. v. 45. 46.

30 Et statim Iesus, in semetipso cognoscens, virtutem quæ exierat de illo, conuersus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?

καὶ εὐθέως ὁ Ἰησοῦς ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν, ἐπιστραφεὶς ἐν τῷ ὄχλῳ ἔλεγε· τίς μου ἥψατο τῶν ἱματίων;

ET STATIM. Statim autem. IN SEMETIPSO. apud se. Syrus ad verbum habet, *in anima sua*; refertur ad *cognoscens*, subauditurque, licet nihil diceret mulieri tangenti, immo nec videret eam. VIRTVTEM QVÆ EXIERAT DE ILLO. τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν eam quæ ex se exierat virtutem siue vim. Virtutem si accipias pro virtutis effectu (quo modo non rarò miracula *virtutes* appellantur) sensus est, nouisse Christum quid miraculi operatus esset in muliere. Propriè autem si sumas virtutem, erat in Christo homine, quippe etiam Deo, virtus omnipotens: quæ tum ex illo exisse dicitur, cùm in alios sese exsereret. Porrò non poterat illa se exserere Christo aut inuito aut inscio: sed adeò efficax, certa, ac præsentanea, Christo ipso faciente, fuisse significatur, erga eos à quibus fide petebatur, vt sponte sua fidem ipsam sequi, excipere, amplectique videretur. vide Luc. 6. v. 19. AD TVRBAM. ἐν τῷ ὄχλῳ in turba. QVIS TETIGIT. Gaudebat mulier, beneficium, ipso Christo inscio, quod putabat, assequuta: verùm, vt non expediebat hoc mulieri persuasum esse, ita noluit Christus celari gloriam Dei, & tam insigne fidei latere exemplum. Idcircò interrogabat QVIS TETIGIT VESTIMENTA MEA, requirens eam vt sponte in medium prodiret. nec enim congruebat vt testis sui ipse miraculi esset.

Luc. 8. v. 45.

31 Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

καὶ ἔλεγον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. βλέπεις τὸν ὄχλον συνθλίβοντά σε, καὶ λέγεις· τίς μου ἥψατο;

DISCIPVLI SVI, non intelligentes quid sibi præceptor vellet. COMPRIMENTEM. συνθλίβοντα opprimentem. nam συνθλίβειν, quin & θλίβειν, est ita premere vt opprimas. Verùm apparet per hyperbolen id de Christo dictum esse, propterea quòd tam grauiter premebatur vt penè opprimeretur. ET DICIS: QVIS ME TETIGIT? quum à tam multis tangaris? Eam tetigisse Saluator censet, quæ ita tetigerat, vt se efficacitas virtutis ipsius in illam exseruisset, nimirum quæ fide mediante tetigerat. Cæteri premebant potiùs quàm tangebant.

32 Et circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat.

καὶ περιεβλέπετο ἰδεῖν τὴν τοῦτο ποιήσασαν.

ET. Ipse autem circumspiciebat. Quum mulier obticesceret sperans se posse latere, pudore fœmineo potiùs quàm ingratitudinis vitio; Saluator, neglecto discipulorum responso, circumferebat oculos in turbam, quasi noscitare eam studens. Humano se habebat more: cæteroqui enim non erat illa ipsi ignota, quam suo ipse spiritu ad se traxerat, vt hanc referret sanitatem; nec quo cōsisteret loco latebat eum, etiam priusquam ipse se verteret, itaque potuisset facilè primo eam intuitu monstrare & prodere: sed volebat eam, circumspectione huiusmodi, adducere, vt, metu perculsa, sponte prodiret & beneficium acceptum confiteretur: sic enim plus ponderis habitura confessio erat. VIDERE. vt videret s. humanis oculis.

Luc. 8. v. 47.

33 Mulier verò timens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

ἡ δὲ γυνὴ φοβηθεῖσα καὶ τρέμουσα, εἰδυῖα ὃ γέγονεν ἐπ' αὐτῇ, ἦλθε καὶ προσέπεσεν αὐτῷ, καὶ εἶπεν αὐτῷ πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.

TIMENS ET TREMENS. Locus iste cùm miris modis hæreticos vrgeat, iniurios sacris Sanctorum reliquiis, mirum quàm ridiculè eo se conentur expedire, nominatim Caluinus in Matthæum scribens. Ait inprimis, *singularem fuisse Spiritus sancti impulsum, quod hæc mulier cogitat, si modò tetigerit Christi vestem, se protinus fore sanam; singulare fuisse exemplum, neque ad communem regulam trahi debere.* Atqui, in exemplum tractum est à compluribus bene citò, ipso adhuc Christo in terris agente, admittente, & rebus ipsis probante, Matth. 14. v. 36. vt omittam tot alia scripturarum exempla, de vmbra Petri, sudariis Pauli, ossibus Elisæi, &c. hac itaque ratione sibi non satisfaciens, aliud comminiscens addit: *Fieri etiam potest, vt mulieris fidei aliquid vitij & erroris fuerit admistum, quod Christus per indulgentiam tolerat & ignoscit. Certè quòd postea sibi malè conscia formidat & tremit, talis dubitatio, quum sit fidei contraria, excusatione caret.* & paulò pòst: *Fide duce ad Christum accessit mulier: quod autem in veste hæsit potius quàm vt se illi sanandam precibus offerret, forte zelo inconsiderato paululum à via deflexit, præsertim quum paulò pòst ostendat dubitanter & perplexo animo id tentasse.* Atqui, non ideò malè sibi conscia formidauit, tremuit, perplexa mulier fuit, quòd persuasa fuisset sanandam se vel vestis Christi tactu, cùm hac iam ratione sanitatem assequuta esset, fidesque eius, quæ Domini ore laudatur, hæc ipsa fuerit: *Quod si vel vestimentum eius tetigero*; sed quòd præter opinionem videret se à Christo perceptam fuisse & prodi quum latere voluisset, quòd clanculum accessisset & beneficium inscio quasi suffurari tentasset, denique fortassis etiam

quòd

quòd immunda quum esset Christi vestimenta tetigisset. ob hæc timebat ne obiurgaretur à Christo, aut etiam ne iratus ille beneficium repeteret suum. SCIENS QVOD FACTVM ESSET IN SE. sciens id quod; conscia eius quod, in se factum fuerat, itaque intelligens se peti, nec audens vltrà latere, ne tandem suo malo ab ipso Domino proderetur. VENIT. ἦλθε. ET PROCIDIT ANTE EVM. καὶ προσέπεσεν αὐτῷ & accidit ei s. ad pedes. OMNEM VERITATEM. rem totam ita vt gesta erat, rem omnem ita vt se habebat.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ· θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· ὕπαγε εἰς εἰρήνην, καὶ ἴσθι ὑγιὴς ἀπὸ τῆς μάστιγός σου. 34 Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua.

Matth. 9. v. 22. Luc. 8. v. 48.

FIDES. Tanta fuit huic mulieri fides, quanta non facilè alij, vt, quæ nullum remedium, nullum medicum, ipsi opem ferre posse, iam longo experimento cognouerat, crediderit per Christi meritum, nullo adhibito naturali remedio, nulla medica arte, sed solo vestimentorum eius tactu, id quod naturale esse non potest, repente sanari omninoque restitui se posse. Solent qui multa experti frustrà sunt, minùs credere, quàm qui nondum quidquam sunt experti: ideò maior huius feminæ fides, quàm si nondum periculum factum fuisset medicæ efficacitatis. Porrò, dicit potiùs *fides tua*, quàm *virtus mea*, ad commendationem fidei, per quam efficimur participes virtutis ipsius. id quod hîc doctum voluit signanter archisynagogum præsentem. SALVAM FECIT. quam ars medica non potuit. VADE IN PACE. ὕπαγε εἰς εἰρήνην, pro ἐν εἰρήνῃ, id est, σὺν εἰρήνῃ abi cum pace, cum prosperitate, incolumitate, salute, tranquillitate (hæc enim omnia pacis nomine Hebræis significantur) abi feliciter læto tranquilloque animo. Bene precantium est abeuntibus. vt 1. Reg. 1. v. 17. ESTO SANA. volo hoc beneficium meum tibi esse perpetuum. His verbis corroborat sanatæ mulieris conscientiam, declaratque se ratam habere quam illa acceperat sanitatem. A PLAGA TVA. ἀπὸ τῆς μάστιγός σου ex flagello tuo. Reliqua lege Matth. 9. v. 22.

ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἔρχονται ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου, λέγοντες· ὅτι ἡ θυγάτηρ σου ἀπέθανε, τί ἔτι σκύλλεις τὸν διδάσκαλον; 35 Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes: Quia filia tua mortua est: quid vltrà vexas magistrum?

Luc. 8. v. 49.

LOQVENTE mulieri hæc. VENIVNT. s. quidam siue nuntij. id est, venitur. AB ARCHISYNAGOGO, id est, à domo archisynagogi, vti explicat Syrus. nam archisynagogus ipse apud Iesum erat. Sic Terentius etiam in Phormione loquitur: *Quæ hæc est anus exanimata, a fratre quæ egressa est meo*, quod est, à domo fratris, vt Donatus explicat. QVIA. superest. VEXAS. defatigas, molestia afficis, frustrà. Siquidem nihil aliud illi credebant esse Iesum, quàm veluti medicum insignem, qui viuæ quidem salutem dare posset, mortuæ autem vitã reddere non posset: & ideò superuacaneum esse iudicabant, ad exanimem iam accersere.

ὁ δὲ ἰησοῦς εὐθέως ἀκούσας τὸν λόγον λαλούμενον, λέγει τῷ ἀρχισυναγώγῳ· μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε. 36 Iesus autem, audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere, tantummodo crede.

Luc. 8. v. 50.

AVDITO. εὐθέως ἀκούσας statim vt audiit. VERBO QVOD DICEBATVR. τὸν λόγον λαλούμενον hunc sermonem qui dicebatur, id quod dicebatur (transcendens enim hoc loco esse videtur τὸ λόγος siue *verbum*) & præsertim hac orationis parte *Quid vltra vexas magistrum*, qua fides archisynagogo dissuaderi videbatur. AIT. *Statim* vt audiit ait (id enim additur græcè, quamquam vt non latinè, ita nec syriacè) vt ne, vti iubebant nuntij desperare, spem quoque omnem mox abiiceret archisynagogus, & tamquam re planè desperata Saluatorem relinqueret, non ampliùs eius requirens auxilium, denique ne luctu subitò animum eius occupante, non posset illi animus addi. idcircò *statim* consolatus est, addiditque animum ei. NOLI TIMERE. μὴ φοβοῦ ne metue. s. vt te queam iuuare, ne desperes, etiamsi mortua sit. TANTVMMODO CREDE me subuenire tibi posse. exigit fidem per fiduciam operantem. Vidisti mox mulierem ab incurabili morbo fidei interuentu sanatam (eò enim videtur respexisse Saluator; & idcircò voluisse miraculum illud sanatę mulieris manifestari, quò archisynagogus, vbi hic nuncius adferretur, faciliùs persuaderetur) tu similiter, crede duntaxat in mea id esse potestate quidquid est, & consequêris. In te situm est vt valeat filia: non refert quantum sit malum; sit mors ipsa; sed quàm firma sit fides tua. Hac enim voce *tantummodo crede*, significat, non defore sibi virtutem, modò eam Iaïrus credens admittat: & simul hortatur vt securè animum suum dilatet, quia timendum non sit ne fides eius latiùs pateat, quàm immensa Filij Dei virtus. Vetat igitur incredulitate & diffidentia præcludere aditum gratiæ, cui mors obstaculo futura non sit.

καὶ οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα αὐτῷ συνακολουθῆσαι, εἰ μὴ πέτρον καὶ ἰάκωβον καὶ ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν ἰακώβου. 37 Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum & Iacobum & Iohannem fratrem Iacobi.

Luc. 8. v. 51.

ADMISIT. ἀφῆκεν permisit. iam ingressurus archisynagogi domum. SE SEQVI. in domum. NISI PETRVM ET IACOBVM Zebedæi filium, & huius fratrem IOHANNEM. Cur autem hos præceteris vide Matth. 17. v. 1.

Matth. 9. v. 23. Luc. 8. v. 52.

Et veniunt in domum archisynagogi, & videt tumultum, & flentes & eiulantes multùm. 38 καὶ ἔρχεται εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἀρχισυναγώγου, καὶ θεωρεῖ θόρυβον, κλαίοντας καὶ ἀλαλάζοντας πολλά.

ET VENIVNT. Tunc itaque intrant s. Iesus & tres isti discipuli. Ita est latinè & syriacè, plurali numero: porrò græcè est singulari, καὶ ἔρχεται tunc venit. VIDET. θεωρεῖ spectat. ET FLENTES. Græcè non est &, tamquam si sensus sit, tumultum flentium & eiulantium multùm. EIVLANTES. ἀλαλάζοντας. *Tibicines & histriones luctuosum cantum edebant, qui hic dicitur eiulatus: quamquam propriè ἀλαλάζειν est perpetuo sonitu strepere ac tinnire, sono sonum excipiente, quemadmodum fit in lebetibus*. ita habemus apud Euthymium. Hæc omnia testabantur puellæ iam conclamatæ obitum. Sed animaduertendum hoc exemplo est, quid mortui mortuis suis præstare possint. Reliqua quære Matth. 9. v. 23.

Matth. 9. v. 24. Luc. 8. v. 52.

Et ingressus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. 39 καὶ εἰσελθὼν λέγει αὐτοῖς· τί θορυβεῖσθε καὶ κλαίετε; τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει.

INGRESSVS domum. QVID TVRBAMINI. τί θορυβεῖσθε quid tumultuamini. verbum est à proximo nomine θόρυβος tumultus. Reliqua pete ex Matth. 9. v. 24.

Matth. 9. v. 24. 25. Luc. 8. v. 53.

Et irridebant eũ. Ipse verò, eiectis omnibus, assumit patrẽ & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur vbi puella erat iacens. 40 καὶ κατεγέλων αὐτοῦ. ὁ δὲ ἐκβαλὼν ἅπαντας, παραλαμβάνει τὸν πατέρα τοῦ παιδίου καὶ τὴν μητέρα, καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ, καὶ εἰσπορεύεται ὅπου ἦν τὸ παιδίον ἀνακείμενον.

EIECTIS OMNIBVS. iussis & coactis omnibus exire. ἐκβαλὼν postquam eiecisset. Porrò non poterat istud nisi accedẽte auctoritate præsentis patrisfamilias: manifestum est igitur fuisse Iairo patrifamilias fidem, qui Christum agere siuerit. PATREM ET MATREM. quorum maximè intererat. ET QVI SECVM ERANT. tres discipulos illos mox nominatos, quos secum introduxerat. τοὺς μετ' αὐτοῦ. est igitur αὐτοῦ pro ἑαυτοῦ. Cur paucos adeò testes suscitationi huius puellæ voluerit adesse Dominus, vna causa fuit, quam ad Matthæum annotauimus, ad vitandam ostentationis notam; altera, ad æmulorum inuidiam declinandam; tertia, vt ne nimium sibi conciliaret populi fauorem. *nondum enim venerat hora eius*, vt vel ab illis pateretur, vel ab his glorificaretur. Nam futurum erat istud præ cæteris insolens factum, quale numquam hactenus Saluator ediderat, quo se mortis Dominum esse monstraturus erat, præcipuum quod de ipso sciri poterat: quod factum quamquam sciret breuî euulgandum, aliud tamen erat vidisse morti imperantem, vt maximè permouet visus. Noluit autem mox ab initio totus innotescere: sed ordine quodam, quem ipse sciebat congruum & à Patre definitum, se, etiam discipulis reuelauit. Quare nec discipulos suos omnes huc adhibet, sed paucos quosdam & eos selectos, qui opportuno tempore idonei essent conspecti miraculi testes. VBI. eò vbi. ERAT IACENS. id est, iacebat. ἦν ἀνακείμενον. compositum pro simplici κείμενον, quo verbo proprius situs mortui græcè & latinè indicatur. Reliqua huius versiculi lege Matth. 9. v. 24. 25.

Matth. 9. v. 25. Luc. 8. v. 54.

Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi; quod est interpretatum: Puella (tibi dico) surge. 41 καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς τοῦ παιδίου, λέγει αὐτῇ· ταλιθὰ κοῦμι, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον· τὸ κοράσιον, σοὶ λέγω, ἔγειραι.

ET TENENS. καὶ κρατήσας cùm cepisset igitur. AIT ILLI. Mortuam & sensibus omnino carentem puellam, perinde atque sensibus integris & dormientem alloquitur, quò ostendat verum id esse quod dixerat, non eam mortuam esse, sed dormire, ipsi vtique. TALITHA CVMI. Verba syriaca sunt ambo, non tantùm prius, sed & posterius: quare & syrica editio ad eum planè modum habet ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ *Talitho cumi*. Syris & Chaldæis טלי *tali* puerum significat, puellam טליתא *talitha*. Erat autem lingua syra chaldaicæ affinis admodum, tunc vernacula Hebræis (vnde etiam hebraica dicebatur) qua proinde & Saluator vulgò vtebatur, ad populum præsertim verba faciens. Gaudet porrò peculiariter Marcus, verba Domini quibus miraculi aliquid operatus est, eadem lingua qua pronunciata sunt, referre, lectorem quasi in rem præsentem adducens, non quòd vis aliqua, aut efficacitas verbis ea lingua insit, sed contrà potiùs, quò vim efficacitatemque omnem Saluatori adscribendam constaret, quippe qui vsus sit vulgaribus verbis, è medio vulgi sermone petitis, ad differentiam ab incantatoribus, qui susurris, murmure, verbis, carminibusque obscuris, hoc est, inuocationibus dæmonum, quædam aliquando admiranda faciunt. Propria itaque hoc loco & certa Iesu etiam ad mortuos excitandos virtus declaratur, cui tam ea esset in promtu, quàm alicui nostrûm excitare dormiẽtem: nam huiusmodi actione & oratione excitare solemus dormientes corpore sanos, apprehẽsa manu & voce addita: Petre surge. Porrò ܩܘܡ *cum*, Syris, ita est surgere, vt stes, qui situs viuentium & valentium est, oppositus illi iacendi superiùs annotato. INTERPRETATVM. si interpreteris. Syrica editio non habet hanc interpretationem, eò quòd voces illæ eius sint linguæ qua ipsa scripta est. TIBI DICO. iubeo, impero tibi, quamquam naturæ sis mortua. Voculæ istæ *tibi dico*, non significantur propriè superioribus illis syriacis *talitha cumi*, quæ nihil aliud sunt ex propria significatione quàm PVELLA SVRGE, sed consignificantur, quomodo loquuntur Dialectici. Nam quòd B. Hieronymus ait,

thus ait, libro de optimo genere interpretandi, *vt ἐμφατικώτερον faceret Marcus, & sensum vocantis atque imperantis exprimeret, addidit tibi dico*. Non enim, vt Elias & Elisæus prophetæ (3. Reg. 17. v. 20. 4. Reg. 4. v. 33.) precibus à Deo impetrauit mortuæ resuscitationem, sed vt Deus ipse & mortis dominus imperauit mortuæ resurrectionem. Reliqua quære Matth. 9. v. 25.

καὶ εὐθέως ἀνέστη τὸ κοράσιον, καὶ περιεπάτει. ἦν γὰρ ἐτῶν δώδεκα. καὶ ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ. 42

Et confestim surrexit puella, & ambulabat (erat autem annorum duodecim) & obstupuerunt stupore magno.

Matth. 9. v. 25. Luc. 8. v. 55. 56.

ET CONFESTIM. Qui profundo somno premuntur, nonnumquam expergefieri non possunt, etiamsi semel atque iterum inclames ac vellices: nec statim euigilant excitati, sed diu semisomnes, oscitantes, distendunt brachia, nutant capite, nonnumquam & mento pulsant pectus, & nisi instes relabuntur in somnum. Hæc mortua, confestim, ad vocem vocantis & excitantis Iesu, surrexit: faciliùs reuixit ad vocem appellantis, quàm quis expergiscatur ad vocem excitantis. Agnouit enim animula, quæ pulsa morbo corpus reliquerat, vocem conditoris sui, & nihil cunctata reuersa est in domicilium vnde demigrarat. ET AMBVLABAT. vt non modò viuere, sed etiam bene valere ostéderetur, & omnibus vitæ muniis rectè vti. Non enim solùm vitam ei subitò Saluator reddidit, sed & sanitatem & vires atque alacritatem. Geminum itaque hîc rursus miraculum virtute Iesu editum est, quòd, & anima in corpus sit reuocata, & corpus sanitati restitutum quod ex ægritudine fuerat mortuum. potuisset enim anima etiam in ægrotum aut languidum corpus reuocari: sed vtrumque præstitit, qui vtrumque fuerat rogatus, nec voluit negare minus qui dedit maius. ERAT AVTEM. ἦν γὰρ erat enim. vt scias fuisse eius ætatis qua posset ambulare. Syriacum impressum habet *enim*, manuscriptum *autem*. ANNORVM DVODECIM. Quò mors fuerat flebilior ob florescentem virginis ætatem, hoc vberius erat gaudium de resuscitata. OBSTVPVERVNT parentes virginis & ij qui aderant Christi discipuli, tantæ virtutis, nec nisi diuinæ, tam efficacis, tamque præsentis, spectaculo.

καὶ διεστείλατο αὐτοῖς πολλά, ἵνα μηδεὶς γνῷ τοῦτο, καὶ εἶπε δοθῆναι αὐτῇ φαγεῖν. 43

Et præcepit illis vehementer vt nemo id sciret; & dixit dari illi manducare.

Luc. 8. v. 55. 56.

VEHEMENTER. πολλὰ multùm. nec enim credidissent seriò id præcipere, quia factum erat tam gloriosum, nisi cum obtestatione præcepisset: & difficile futurum erat tacere, parentibus præsertim, rem ipsis tam gratam & lætam. VT NEMO ID SCIRET. nequis id resciret ex ipsis. Sciebat enim non iri celatum, immo longè lateque sparsum iri, id quod ita factum Matthæus narrat (& quî poterat celari, quod puella ipsa, quam constiterat mortuam, eo ipso quo viuere cõspiceretur, proderet?) sed præcepit ex causa duplici, vna vt vitaret ipse suspicionem affectatæ gloriæ, id quod potissimùm apud synagogæ primores agendum erat, qui nihil non faciebant ad laudem humanam emerendam; altera, vt illi vel tantisper tacerent dum ipse inde discessisset. Non enim gaudebat applausu populi, qui erat illic rei euentum exspectans magna turba. DIXIT. iussit. MANDVCARE. vt daretur illi quod ederet. Hoc præcepit, vt certiorem redderet excitationis veritatem, ne videretur phantasma esse: vnde & dare noluit, sed iussit vt parentes ipsi hoc facerent. Porrò non de vita tantùm, sed & de prospera valetudine puellæ, voluit hoc modo constare, declarans ipsam esurire, quod pueri grandiores à somno excitati solent cùm valent: statim namque cibum petunt, quem si non valent, recusant.

CAPVT SEXTVM.

Καὶ ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθοῦσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. 1

Et egressus inde abiit in patriam suam, & sequebantur eum discipuli sui.

Matth. 13. v. 53. 54. Luc. 4. v. 16.

INDE. è Capharnaum, vbi, & filiam Archisynagogi à morte resuscitarat, quod superiori capite describitur; & parabolas finierat, quas Matthæus narrat capite 13. quamquam non eodem tempore. PATRIAM SVAM Nazareth. ET SEQVEBANTVR EVM DISCIPVLI SVI. comitatus discipulis suis, iam affectatoribus perpetuis. Reliqua lege Matth. 13. v. 54.

καὶ γενομένου σαββάτου ἤρξατο ἐν τῇ συναγωγῇ διδάσκειν· καὶ πολλοὶ ἀκούοντες ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες· πόθεν τούτῳ ταῦτα; καὶ τίς ἡ σοφία ἡ δοθεῖσα αὐτῷ, καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται; 2

Et facto sabbato cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quę per manus eius efficiuntur?

Matth. 13. v. 54. Luc. 4. v. 16. 22.

FACTO SABBATO. ita ad verbum Interpres ex *γενομένου σαββάτου*, quod est, vel quum aduenisset, vel

quum

quum adesset, sabbatum. Die sabbati quo conueniebat populus ex more ad synagogam. SYNAGOGA illius oppidi. ADMIRABANTVR. ἐξεπλήσσοντο percellebantur, obstupefiebant. IN DOCTRINA EIVS, id est, doctrinam eius, quamquam istud nec syriacè legitur nec græcè. HAEC OMNIA. ταῦτα ista: non legitur siue græcè siue syriacè *omnia*: fortè ex Matthæo cap. 13. v. 56. huc adiectum reperit latinus Interpres. QVAE EST. vnde est. SAPIENTIA. ἡ σοφία hæc sapientia. exprimendus enim videtur articulus. ILLI qui literas numquam didicit. ET VIRTVTES. miracula. s. quęnam sunt, vndenam sunt. QVAE non additur græcè: Interpres subaudiuit, verisimile est: Euthymius subaudit *Vnde*. Multi græci libri præponunt huic pericopę ὅτι, ὅτι καὶ δυνάμεις *quòd etiam virtutes tales per manus illius fiunt*. s. vnde huic? Syrus legisse videtur hoc idem ὅτι (vel certè ἵνα, quod est in duobus libris) omisso tamen καὶ, sed ita vt iungat hanc partem proximè præcedenti interrogationi, vt non noua interrogatio sit, sed appendix augens admirationem: *Vt virtutes tales per manus eius fiant.* PER MANVS EIVS. per ipsum, opera ipsius. phrasis est hebraica. Reliqua lege Matth. 13. v. 54.

Matth. 13. 55. 56. Luc. 4. v. 22.

Nónne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? nónne & sorores eius hîc nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo.	3	οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς μαρίας, ἀδελφὸς δὲ ἰακώβου, καὶ ἰωσῆ, καὶ ἰούδα, καὶ σίμωνος; καὶ οὐκ εἰσὶν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ ὧδε πρὸς ἡμᾶς; καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ.

FABER. ὁ τέκτων faber ille. Nullum hactenus ciuibus suis Iesus ediderat suæ auctoritatis argumentum: sed eandem artem exercuerat, quam Ioseph pater suus putatiuus, domestica, inquam, arte occupatus cibum sibi suisque parauerat, *vsque ad ostensionem suam ad Israel*; partim ne otiositatis exemplum alicui præberet, partim ne curiosis artibus in adolescentia clàm deditus fuisse dici posset. Sic enim habuit Dei consilium, vt eo tempore in vita priuata se Dei Filius contineret, & quidem eiusmodi qua literas non disceret, ne in diuino negotio humanæ quidquam industriæ attribueretur. Porrò, rectè fabrilem artem cum patre putatiuo exercet, qui mundi est cum naturali Patre fabricator. Per fabrum conditum est genus humanum, per fabrum decuit & restitui. MARIAE viduæ illius tenuissimæ fortunæ, ciuis nostræ. FRATER. ἀδελφὸς δὲ frater autem IOSEPH. ἰωσῆ Iose. ET SIMONIS hominum idiotarum & mechanicorum. NOBISCVM. πρὸς ἡμᾶς apud nos. Reliqua lege Matth. 13. v. 55. 56.

Matth. 13. v. 57. Luc. 4. v. 24.

Et dicebat illis Iesus: Quia non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua.	4	ἔλεγε δὲ αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· ὅτι οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς συγγενέσι, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ.

ET DICEBAT. ἔλεγε δὲ dicebat autem. QVIA. ὅτι quòd, vel certè superest, vt iam sæpè notauimus. ET IN COGNATIONE SVA. καὶ ἐν τοῖς συγγενέσι & in cognatis, id est, inter cognatos. Interpres abstractum nomen dedit, vt conueniat reliquis membris. Syrus interpretatur: *Et in ædibus cognatorum suorum.* Antiqui libri latini quos nos vidimus, præponunt cognationem domui, conformiter græco ac syro: qua in enumeratione seruatur ordo à natura institutus in Rep. communissima enim est patria, media cognatio, proxima domus siue familia. Reliqua lege Matth. 13. v. 57.

Matth. 13. v. 58.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere (nisi paucos infirmos impositis manibus curauit)	5	καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι (εἰ μὴ ὀλίγοις ἀῤῥώστοις ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας, ἐθεράπευσε)

NON POTERAT. quia Dei iustitia; quia ratio non permittebat, vt sanctum canibus daretur, detrimentum potiùs inde percepturis quàm emolumentum. Poterat igitur potentia absoluta: non poterat autem, id est, nolebat, quia non conueniebat. Amplificat hoc Nazarenorum culpam: significatur enim hoc loquendi modo, quòd incapaces seipsos indignosque reddiderint diuinis beneficiis, & propensioni animi Christi beneficæ impedimentum obiecerint. Nam increduli, quantum in se est, Dei manum sua contumacia constringunt, quasi vinciunt Deo manus, ne ipsis opem ferat: non quòd Deus vt inferior vincatur; sed quia illorum malitia non permittat, vt diuinæ virtutis riuus se in ipsos effundat. NISI. s. quòd. vel *nisi* pro tantùm. PAVCOS INFIRMOS. Certauit Christi bonitas, cum ciuium suorum malitia, vt supra obstacula ab illis data emergeret. Vbi aliquam quantumuis exiguam inuênit fidem; quod in paucis quibusdam malè habentibus accidit; illic non omisit quin virtutem exsereret suam, paratam ad omnes sanandos, si illorum permisisset perfidia. *Quia enim*, inquit victor Antiochenus in hunc locum, *ad impetrandam sanitatem, vtrumque coire debet, nimirum, eorum qui cura egent fides, & illius rursus qui curaturus est virtus, si alterum horum defuerit, non temere sanitatis beneficium obueniet.* IMPOSITIS MANIBVS. vide Luc. 4. v. 40.

Matth. 13. v. 58.

& mirabatur, propter incredulitatem eorum: & circuibat castella in circuitu, docens.	6	καὶ ἐθαύμαζε, διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν· καὶ περιῆγε τὰς κώμας κύκλῳ, διδάσκων.

MIRABATVR tantam incredulitatis pertinaciam, quantam in ciuibus suis contra omnem rationem experiebatur:

riebatur: quam etsi præsciuerit antequam ad eos veniret, non tamen experientia cognouerat priusquam rem ipsam præsens videret. hinc enim Christi admiratio. PROPTER INCREDVLITATEM EORVM. Causa ista refertur ad vtrumque quod præcessit, *non poterat* & *mirabatur*. CASTELLA. τὰς κώμας vicos, pagos. vide Matth 9. v. 35. IN CIRCVITV. κύκλῳ. Siue referas ad *circuibat* siue ad *castella*, significatur Iesus, relicta Nazareth, perlustrasse pagos circumiacentes, & simpliciores homines in circuitu quæsisse, si quo modo ad æmulandum prouocaret suos. Reliqua lege Matth. 13. v. 58.

καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα, καὶ ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστέλλειν δύο δύο, καὶ ἐδίδου αὐτοῖς ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων τῶν ἀκαθάρτων.	7	Et vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum.	Matth. 10. v. 1. Luc. 9. v. 1.

ET VOCAVIT. καὶ προσκαλεῖται tunc aduocat. DVODECIM. quos ad hoc munus elegerat. COEPIT. hactenus enim non eos emiserat. MITTERE. ἀποστέλλειν emittere cum mandatis, vtique euangelium in Iudæa spargendi. BINOS. δύο, δύο. Eleganter expressit Interpres *binos*, quod ad verbum est, *duos, duos* (Hæbræi enim distributiuis carent) hoc est, per paria siue per iuga: vt intelligas omnes duodecim fuisse missos, sed sena iuga, siue paria, designata, veluti præfectis quibusdam, cuique pari suâ prouinciâ. Binos autem mittere voluit, in commendationem fraternæ charitatis, sine qua nullus est euangelij fructus; adhæc, vt collata opera sese mutuò iuuarent; denique, vt euangelij testimonium bini confirmarent ac publicum magis redderent. nam quod à duobus palàm geritur, publicum omnino confirmatumque censetur. SPIRITVVM. id est, in spiritus. vti Matth. 10. v. 1. vt eos ex iis quæ occupauerant hominum corporibus eiicere quirent. Vt ne leuis esset piscatorum & idiotarum auctoritas, addidit illis potestatem suam, quod solent reges legatis suis; sed potestatem, qualem nulli reges suis legatis. Reliqua quære Matth. 10. v. 1.

καὶ παρήγγειλεν αὐτοῖς ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον· μὴ πήραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν·	8	Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm; non peram, non panem, neque in zona æs;	Matth. 10. v. 9. 10. Luc. 9. v. 3.

NE QVID. ἵνα μηδὲν vt nihil. TOLLERENT secum. IN VIA. εἰς ὁδὸν in viam, ad iter. NISI VIRGAM TANTVM. In virga discrepare videntur Euangelistæ: nam quæ apud Marcum permittitur, apud Matthæum & Lucam negatur. Verùm variè acceperunt Euangelistæ virgam; Matthæus & Lucas, armorum loco; Marcus, scipionis siue baculi, qui viatores sustinet ac leuat, itinerisque laborem alleuiat, vtilis etiam est ad traiicienda flumina quæ vadari possunt, & ad lamas atque alia difficilia loca saltu superanda. Non enim voluit Christus profectionem Apostolis esse onerosiorem, quin expeditiorem. Ad iter verò faciendum, gestandi baculi morem fuisse antiquitùs, constat: vnde meminit scriptura virgæ Mosis, Exod. 4. v. 2. & baculi Elizæi, 4. Reg. 4. v. 29. & Gen. 32. v. 10. Iacob ait: *In baculo meo transiui Iordanem istum*. quibus verbis fatetur se vacuum nullisque cum diuitiis venisse in Syriam: est enim virga viatorū pauperum ac nudorum signum, quum alij eques curru ve incedere soleant, aut pedes arma gestare. NON PERAM reponendo commeatui, ac ne PANEM quidem, qui vel sine pera circumferri possit, neque ÆS, pecuniam, qua emi in itinere panis queat. Fidis pastoribus, ne de rebus quidem alioqui ad hanc vitam necessariis, cogitandum, si vel tantillum eos remorentur. Cætera Matth. 10. v. 9. 10.

ἀλλ᾽ ὑποδεδεμένους σανδάλια· καὶ μὴ ἐνδύσησθε δύο χιτῶνας.	9	sed calceatos sandaliis, & ne inducerentur duabus tunicis.	Matth. 16. v. 10. Luc. 9. v. 3.

SED CALCEATOS SANDALIIS f. esse præcepit. ὑποδεδεμένους σανδάλια. Apud Matthæum prohibuit ipsis ocreas, perones cæterosq; calceos integrè obtegentes pedem, vti diximus: hîc permittit sandalia (quę tamen propriè sunt ὑποδήματα, quæ apud Matthæum dicuntur, ita vt hîc addatur eis verbum illud vnde ὑποδήματα deriuantur, ὑποδεδεμένους) genus calceorum simplicissimum, ad vitanda tantùm nocumenta saxorum & spinarum, quod soleis constabat, quas corrigiæ circa pedem & cruris extremam partem ligatæ continebant. Huiusmodi cùm solerent vti Apostoli, verisimile est, & Saluator ipse, quando quidem, pro itinerum quæ frequèns faciebant asperitate, calceati incedebant: non vult hîc vt assumant aliud genus, quod & reddat iter minùs expeditum, & æquo maiorem testetur carnis curam. ET NE INDVERENTVR. f. in hoc itinere, præcepit. ἐνδύσησθε *induamini*, sed fortè legendum ἐνδύσησθαι *indui*. vide Notas. DVABVS TVNICIS. tunicis vestibusque mutatoriis, vicissim vna, vicissim altera. Reliqua quære Matth. 10. v. 10.

καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· ὅπου ἐὰν εἰσέλθητε εἰς οἰκίαν, ἐκεῖ μένετε, ἕως ἂν ἐξέλθητε ἐκεῖθεν·	10	Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde:	Matth. 10. v. 11. Luc. 9. v. 4. 10. v. 7.

DICEBAT inter alia etiam hoc. QVOCVMQVE. ὅπου vbicumque, quocumque loco consistentes ingressi fueritis DOMVM aliquam f. hospitij causâ. ILLIC. in ea domo, quantumuis sit tenuis & humilis. MANETE. hospitamini, ne mutetis hospitium. INDE. ex ea ciuitate aut vico. Reliqua lege Matth. 10. v. 11.

Et

Matth. 10. v. 14. 15. Luc. 9. v. 5. 10. v. 10. 11. 12.

Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos; exeuntes inde, excutite puluerem de pedibus vestris, in testimonium illis. [11] Καὶ ὅσοι ἐὰν μὴ δέξωνται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσωσιν ὑμῶν, ἐκπορευόμενοι ἐκεῖθεν, ἐκτινάξατε τὸν χοῦν τὸν ὑποκάτω τῶν ποδῶν ὑμῶν εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόρροις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.

ET QVICVMQVE. Et si qui. INDE. id est, ex ea ciuitate aut domo, quod Matthæus exprimit. DE PEDIBVS VESTRIS. τὸν ὑποκάτω τῶν ποδῶν ὑμῶν qui est sub pedibus vestris, qui adhæret pedibus vestris. IN TESTIMONIVM ILLIS. quò testemini illis nihil rerum ipsorum à vobis quæri aut desiderari, adeoque nihil vos velle vobis commune esse cum ipsis, quippe maledictioni proximis. *Iam enim securis* &c. Matth. 3. v. 10. Quod sequitur in græcis & syricis libris, suffragantibus Theophylacto & Euthymio enarratoribus græcis: *Amen dico vobis, tolerabilius erit Sodomis aut Gomorrhis in die iudicij quam illi ciuitati*, latinè non legitur. Existimant quidam verisimiliter, Marco ex Matthæo fuisse adiectum. Illius explicationem & cæterorum huius versus quære Matth. 10. v. 14. 15.

Luc. 9. v. 6.

Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent. [12] Καὶ ἐξελθόντες ἐκήρυσσον ἵνα μετανοήσωσι.

ET EXEVNTES. Illi itaque abeuntes. ἐξελθόντες egressi s. ex eo loco quo erant cum Iesu quando hæc mandabat. PRÆDICABANT vbique, per castella seu vicos singulos, quod ait Lucas; iuxta quod Iesus ipsis mandauerat. VT POENITENTIAM AGERENT omnes quibus prædicabant. Prædicabant pœnitentiam, &, pœnitentiæ finem, regnum cælorum. Alij Euangelistæ solius regni meminerunt (Matth. 10. v. 7. Luc. 9. v. 2.). Marcus solius pœnitentiæ: vtrumuis ex altero intelligendum venit. nam & Christi prædicationis exordium vtrumque complexum fuit, sup. 1. v. 15. Porrò Matthæus silentio transit quid egerint Apostoli acceptis huiusmodi à Christo mandatis: Marcus autem & Lucas referunt iniunctam sibi prouinciam promtè obiisse, quinetiam ea peracta ad Christum esse reuersos. infrà v. 30. Luc. 9. v. 10.

Et dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant. [13] καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλλον, καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀρρώστους, καὶ ἐθεράπευον.

ET conciliantes prædicationi suæ auctoritatem ac fidem. MVLTA. omnia quæ offerebantur. EIICIEBANT in nomine Iesu, appellato nomine Iesu (Luc. 10. v. 17.) idque potestate ipsis abs Iesu data supra v. 7. & 3. v. 15. Ex multis quæ apostoli ediderunt miraculis, quædam recenset Marcus: nam & leprosos mundandi donum acceperant, & patrandi cætera Matth. 10. v. 8. memorata. VNGEBANT OLEO. prout fuerant iussi doctique à Domino Iesu: nihil enim proprio ausu attentarunt discipuli à præceptore emissi, præsertim vbi potuisset eorum temeritatem non sequutus effectus arguere. Certè Marcus hîc narrat, quomodo in hac sua legatione, ea fecerint Apostoli, quæ iussi fuerant à Domino Iesu. Porrò non iusserat Dominus Iesus oleum adhiberi, tamquam naturale remedium: nam præterquam quòd non omnibus morborum generibus vnum olei remedium possit conuenire, nihil minùs consentaneum est, quàm naturale remedium præscriptum esse, quò cæteris Christi miraculis tenebræ facilè offundi potuissent, ne miracula fuisse viderentur. Non sunt Apostoli à Domino Iesu arte peritiaque medendi, sed potestate edendi ad euangelij confirmationem miracula instructi: nec medicinam illi, sed euangelium professi sunt. Quod ergo oleum eos iussit adhibere, non pharmacum, sed sacramentum fuit; significationis gratia iussit, vt hoc symbolo testarentur, se Apostolos Messiæ seu Christi esse, & virtute ab illo accepta, quem vnxerat Deus oleo lætitiæ præ consortibus omnibus (Psal. 44. v. 8.) corporis animæque sanitatem ægrotis adferre. Non enim ad sananda solùm corpora, sed ad sanandos potissimùm sacramento animos, præscriptus fuit à Domino vsus olei, quo, familiare est sacris literis, vt significetur inuisibilis Spiritus sancti gratia & Dei misericordia: qua quidem ægrotis pœnitentibus sanitas & mentis & corporis reparabatur, ac dimissis peccatis illi tum corpore tum anima alleuabantur. *Oleum inter alia* (ait Victor Antiochenus scribens in hunc locum) *& laborum molestias mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur quod in sacra vnctione adhibetur, & Dei misericordiam, & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat.* similia habent Theophylactus & Euthymius. MVLTOS ÆGROS. omnes quidem ægrotos qui ipsis offerebantur, sanabant, prout acceperant eius rei potestatem: sed non omnes oleo vngebant, verisimile est. videmus enim in Actis, quàm frequentes ægrotos Apostoli absque oleo curarint, nunc solo sermone, nunc sola veste, nunc vmbra. Nihil igitur vetat, quin intelligatur, iussos hîc à Domino fuisse, illos solos ægrotos oleo vngere, qui iam in ipsum crediderant & fuerant baptizati, quales multi hoc tempore vbique, tum in Galilæa, tum in Iudæa erant (Ioh. 4. v. 1. 2 3.) vt qui mysteriorum Christi iam cœpissent esse participes, & idonei essent ad mysticam olei significationem intelligendam & amplectendam. ET SANABANT hoc modo eos. Hunc ritum sanandi adhibita olei vnctione infirmos, hæretici temporarium dumtaxat fuisse, & ad gratiam curationum pertinuisse docent: *vt quamdiu*, inquit Caluinus, *duraret in ecclesia curationis donum, eius symbolum & comes esset.* Atqui constat, partim ex literarum monumentis, partim ex euidenti ecclesiæ vsu, ritum quemdam huiusmodi, ad hæc vsque tempora mansisse continuum: quem quidem sacramentum esse nouæ legis, à Christo Domino institutum, & perpetuo vsu frequentandum, Ecclesia in conciliis Florentino & Tridentino congregata, aduersus hæreticos tenendum & creden-

credendum esse, statuit docuitque; & de illo loqui Iacobum Apostolum epistolæ suæ capite 5.v.14: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.* Porrò hic Marci locus, an de illo sacramento agat, non perinde clarè Ecclesia definiuit: huc tamen spectare videntur verba illa Concilij Tridentini sess. 14., vbi ait, sacramentum hoc, *apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum* fuisse. Quid enim aliud ex illa Marci & Iacobi inter se collatione intelligas, quàm, Iacobum quidem hoc sacramentum fidelibus promulgasse ac commendasse, Marcum autem insinuasse, promulgandum scilicet & commendandum, quandoquidem Apostolos eo vsos narrauerit? Et certè cùm constet catholicis, vnctionis infirmorum Sacramentum à Christo Domino aliquando fuisse institutum: cur negetur ab eis nunc fuisse institutum, quando Dominus Apostolis iussit olei vnctione infirmos sanare, cùm hoc quidem Euangelij loco clara, nulla verò, alio quouis euangelij loco, vnctionis infirmorum præceptæ mentio sit? Nam quod dicitur, hanc vnctionem ad corporis sanitatem præcipue valuisse, non magis ostenditur, ex eo quòd sanitas tunc temporis indubitanter sequeretur: quàm ostendi possit, impositionem manuum Apostolicarum, præcipuè ad donum linguarum, & visibilem Spiritus sancti largitionem valuisse, ac proinde sacramentum non fuisse, ex eo quòd exteriora illa tunc temporis consequerentur. (Act. 8. v. 17. 18.) Quocirca intelligo ego, post V. Bedam, Nicolaum Lyranum, Dionysium Richelium, & alios non paucos catholicos, Apostolos, quamquam ad sacrificium eucharistiæ offerendum nondum creatos sacerdotes, instituta à Domino Iesu infirmorum vnctione, vt Ecclesiæ suæ sacramento, hic primùm vsos fuisse.

καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς ἡρώδης· φανερὸν γὰρ ἐγένετο τὸ ὄνομα αὐτοῦ· καὶ ἔλεγεν, ὅτι ἰωάννης ὁ βαπτίζων ἐκ νεκρῶν ἠγέρθη, καὶ διὰ τοῦτο ἐνεργοῦσιν αἱ δυνάμεις ἐν αὐτῷ. [14]

Et audiuit rex Herodes, (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat: Quia Iohannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. *Matth. 14. v. 1. 2. Luc. 9. v. 7.*

ET AVDIVIT. Audiuit igitur s. res eas quæ à Iesu, per se maximè, tum etiam per discipulos, gerebantur. Syrus addit *de Iesu*. REX. vide Matth. 14. v. 1. 9. MANIFESTVM. celebre. FACTVM EST. ἐγένετο factum erat, vel erat. NOMEN. fama. DICEBAT. ita etiam est græcè ac syriacè: sed rectiùs legunt V. Beda & D. Thomas numero plurali *dicebant* (qua de re lege Notas, s. aliqui, id est, dicebatur ab aliquibus, quorum, vt & aliorum, opiniones ad Herodem referebantur. QVIA. superest. Reliqua lege Matth. 14. v. 1. 2.

ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι ἠλίας ἐστίν· ἄλλοι δὲ ἔλεγον, ὅτι προφήτης ἐστίν, ὡς εἷς τῶν προφητῶν. [15]

Alij autem dicebant: Quia Elias est: alij verò dicebant: Quia propheta est, quasi vnus ex prophetis. *Matth. 16. v. 14. Luc. 9. v. 8.*

QVASI VNVS. id est, non vulgaris aliquis propheta, sed quasi vnus EX PROPHETIS τῶν προφητῶν illorum prophetarum. s. antiquorum surrexisset, ex Luca c. 9. v. 8. Reliqua huius versiculi quære Matth. 16. v. 14.

ἀκούσας δὲ ὁ ἡρώδης εἶπεν· ὅτι ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα ἰωάννην, οὗτός ἐστιν· αὐτὸς ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν. [16]

Quo audito Herodes ait: Quem ego decollaui Iohannem, hic à mortuis resurrexit. *Matth. 14. v. 2.*

QVO AVDITO. quibus vulgi de Iesu opinionibus variis auditis. AIT pueris suis, quod Matthæus addit. illis enim aperit quam ex illis vulgi opinionibus habeat verisimiliorem. HIC. græcè est οὗτός ἐστιν αὐτὸς hic est, ipse.

αὐτὸς γὰρ ὁ ἡρώδης ἀποστείλας ἐκράτησε τὸν ἰωάννην, καὶ ἔδησεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ, διὰ ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, ὅτι αὐτὴν ἐγάμησεν. [17]

Ipse enim Herodes misit ac tenuit Iohãnem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. *Matth. 14. v. 3. Luc. 3. v. 19. 20.*

MISIT AC. ἀποστείλας quum misisset s. satellites, missis satellitibus. TENVIT. ἐκράτησε tenuerat, ceperat. VINXIT. vinxerat. *alligauit* vertit in Matthæi. PHILIPPI. Iosephus ait vxorem fuisse Herodis alterius, filij eiusdem patris Herodis magni, ex Mariamne Simonis pontificis filia; sed fallitur proculdubio. Nam & Euangelistarum tempore, non modò recens erat sceleris huius memoria, verumetiam ante omnium oculos versabatur. DVXERAT EAM vxorem à fratre superstite abstractam. Reliqua petenda sunt ex Matth. 14. v. 3.

ἔλεγε γὰρ ὁ ἰωάννης τῷ ἡρώδῃ· ὅτι οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου. [18]

Dicebat enim Iohannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. *Matth. 14. v. 4. Luc. 3. v. 19.*

Versiculus iste tractatus fuit Matth. 14. v. 4.

Hero-

Herodias autem insidiabatur illi, [19] & volebat occidere eũ, nec poterat.

ἡ δὲ ἡρωδιὰς ἐνεῖχεν αὐτῷ, καὶ ἤθελεν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, καὶ οὐκ ἠδύνατο.

INSIDIABATVR. omnes captabat occasiones perdendi Iohannis.

Herodes enim metuebat Iohannem, [20] sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

ὁ γὰρ ἡρώδης ἐφοβεῖτο τὸν ἰωάννην, εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον, καὶ συνετήρει αὐτὸν, καὶ ἀκούσας αὐτοῦ πολλὰ ἐποίει, καὶ ἡδέως αὐτοῦ ἤκουε.

METVEBAT. reuerebatur, colebat; metuebat, non formidine inuita, sed voluntaria obseruantia. Principiò vt carceri Iohannes erat mancipatus, voluit & Herodes illum occidere (Matth. 14. v. 5.) sed reuocatus est timore populi. Postea verò, dum occasione vicini carceris frequentiùs Iohannem audiuit, & ex ministris suis familiaribus, iis quorum custodiæ vitum commiserat, didicit vitæ illius austeritatem, integritatem, & sanctitatem, reueritus est illum, coluit, & obseruauit. SCIENS EVM s. esse, ipsa iam experientia, quod priùs fama publica intellexerat. CVSTODIEBAT. συνετήρει conseruabat, tuebatur ab insidiis Herodiadis. Non dimittebat liberum, vt hoc modo vxoris iram paulatim leniret, aut saltem facinus impediret: namque illa quocumque modo volebat eũ occidere, siue ex carcere dimissum, siue carcere detentum. Quia tamen consilium quod ceperat illum custodiendi, ex humano iudicio & nõ ex æquitate profectum est, idem ipsi fuit occasio augendi sceleris. Nihil enim ab homine cogitatur adeò constanti ratione, quod non euerti possit alterius hominis cogitatione dolosa. Quamobrem nusquam à veritate & æquitate vel tantillum est discedendum. MVLTA. non omnia. multis in rebus consiliis ipsius obtemperabat. Non est cur sibi placeant qui multis sanis consiliis obediunt, donec se in solidum Deo addicere & subiicere didicerint. LIBENTER. ἡδέως cum voluptate, suauiter ait Syrus. AVDIEBAT concionantem de odio peccatorum, emendatione vitæ, propinquo regno cælorum, & aliis huiusmodi, ad Dei cultum & audientium salutem spectantibus. Similis est Herodes illi de quo suprà 4. v. 16, qui cum gaudio excipit verbum, sed in saxosa loca ita vt radices non agat. Ea est vis veritatis, vt qui eam pessimè oderunt, tamen reuereantur, qui quidem non prorsus sunt deplorati, qualis nondum erat hic Herodes.

Matth. 14. v. 6.

Et cùm dies opportunus accidisset, [21] Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ:

καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, ὅτε ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ, καὶ τοῖς χιλιάρχοις, καὶ τοῖς πρώτοις τῆς γαλιλαίας·

ET CVM. Cùm autem. OPPORTVNVS Herodiadi, quo exitium, quod diu machinata fuerat, tandem Iohanni adferret. Nouerat illa ingenium Herodis; nouerat diem illum fastu, luxu, effreni lætitia, animorumque dissolutione, exuberaturum; nouerat Herodi vino incalescẽti gratissimum fore cernere filiam suam dextrè saltantem, nec id eum irremuneratũ relicturum, quin præmij alicuius optionem filiæ daturus esset. Hunc itaque diem sperauit plurimum occasionis perficiendi propositi daturum, qua pro voto abuti posset. Syrus vertit *dies notabilis*. ACCIDISSET. γενομένης adesset siue esset. HERODES. ὅτε ἡρώδης quando Herodes, ita & Syrum. NATALIS SVI. τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ in natalibus suis. Syrus *in domo natiuitatis sue*. FECIT. ἐποίει faciebat, parauerat. PRINCIPIBVS. τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ magnatibus siue proceribus suis, id est, regni sui. TRIBVNIS militum. τοῖς χιλιάρχοις (qua voce & Syrus vtitur) præfectis mille. Reliqua quære Matth. 14. v. 6.

Matth. 14. v. 6. 7.

cumque introisset filia ipsius Herodiadis, [22] & saltasset, & placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi.

καὶ εἰσελθούσης τῆς θυγατρὸς αὐτῆς τῆς ἡρωδιάδος, καὶ ὀρχησαμένης, καὶ ἀρεσάσης τῷ ἡρώδῃ καὶ τοῖς συνανακειμένοις, εἶπεν ὁ βασιλεὺς τῷ κορασίῳ· αἴτησόν με ὃ ἐὰν θέλῃς, καὶ δώσω σοί.

SIMVLQVE RECVMBENTIBVS. καὶ τοῖς συνανακειμένοις & iis qui mensæ simul accumbebant; & conuiuis. REX AIT. Ab initio versus 21, ad hæc vsque verba, in græco pendet oratio. QVOD VIS. ὃ ἐὰν θέλῃς quodcumque volueris. Reliqua Matth. 14. v. 6. 7.

Matth. 14. v. 7.

Et iurauit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidiũ regni mei. [23]

καὶ ὤμοσεν αὐτῇ, ὅτι ὃ ἐὰν αἰτήσῃς, δώσω σοί, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου.

QVIA superest sensui. LICET DIMIDIVM. Pudendum regis temulenti exemplum, nullum statuentis prodigalitati suæ modum, nec pluris facientis dimidiam regni sui partem quàm præmium saltatriculæ. Reliqua lege Matth. 14. v. 7.

ἡ δὲ

ἡ δὲ ἐξελθοῦσα εἶπε τῇ μητρὶ αὐτῆς· [24] τί αἰτήσομαι; ἡ δὲ εἶπε· τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ.

Quæ cùm exiſſet dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Iohannis Baptiſtæ. *Matth.14. v.8.*

EXISSET cœnaculo. Non accumbebat igitur menſæ mater, ſolicitudinem fortè gerens negotij huius ad optatum finem perducendi. Vel certè, ſurrexit à menſa mater, ſimulque exierunt mater & filia, conſilij inter ſe capiendi cauſa. QVID PETAM in tam expoſita regis liberalitate? AT ILLA abſque omni cunctatione, animo iam diu apud ſe definito. CAPVT. tamquam diceret: Hoc munus dimidio regni ſit tibi charius, ſi matrem amas.

καὶ εἰσελθοῦσα εὐθέως μετὰ σπουδῆς πρὸς [25] τὸν βασιλέα, ἠτήσατο λέγουσα· θέλω ἵνα μοι δῷς ἐξαυτῆς ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ.

Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in diſco caput Iohannis Baptiſtæ. *Matth.14. v.8.*

INTROISSET filia. STATIM. Noluit oblatam occaſionem perdere, ſed mox regij pectoris libidine abuti. CVM FESTINATIONE. μετὰ σπουδῆς ad verbum cum ſtudio, quod eſt, ſtudioſè. Syrus *cum cupiditate.* σπουδὴ ſiue ſtudium, eſt aſſidua ac vehemens voluntatis ad rem aliquam applicatio. Interpres retulit ad ſtudium feſtinationis: poſſit referri ad ſtudium cupiditatis, quòd ſummopere hoc idem deſiderarit & expetierit quod mater. VOLO. θέλω cupio. nam imperioſius aliquid latinis ſonat *volo.* PROTINVS. ἐξαυτῆς. ſ. ὥρας, ad verbum, ex hac ſ. hora, id eſt, iam nunc. Syrus *in hac hora.* Reliqua lege Matth. 14. v.8.

καὶ περίλυπος γενόμενος ὁ βασι- [26] λεὺς, διὰ τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς συνανακειμένους οὐκ ἠθέλησεν αὐτὴν ἀθετῆσαι·

Et contriſtatus eſt rex. propter iuſiurandum & propter ſimul recumbentes noluit eam contriſtare: *Matth.14. v.9.*

CONTRISTATVS. περίλυπος γενόμενος valde triſtis factus: hæc enim eſt vis præpoſitionis περὶ, quam & Syrus exprimit. EST non legitur græcè, ſed vno ſenſu cohæret pars iſta cum ſequenti: *Et contriſtatus rex, propter iuſiurandum & propter ſimul recumbentes noluit eam contriſtare.* PROPTER IVSIVRANDVM. Non præcedentibus hoc iungendum eſt, ſed ſequentibus. Quare græcè poſt ὁ βασιλεὺς comma pingendum; latinè poſt *rex* colon aut certè punctum. Quod vt clarius faceret Syrus, addidit دين *den* autem: *Propter autem iuſiurandum.* CONTRISTARE. ἀθετῆσαι ad verbum *deponere*, id eſt, reiicere, contemnere. Interpres ex Syro transfert, *noluit ei denegare.* Cætera tractata ſunt Matth. 14 v.9.

καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα [27] ἐπέταξεν ἐνεχθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.

ſed miſſo ſpiculatore præcepit afferri caput eius in diſco. *Matth 14. v.10.*

SED. καὶ &, quod rectè exponitur *ſed*: quomodo & Syrus vertit. MISSO. additur græcè & ſyriacè εὐθέως *ſtatim.* Per omnia ſatisfecit puellæ votis, rex promiſſi ſcilicet tenax. SPICVLATORE. carnifice. σπεκουλάτωρ vox eſt latina, græcè quàm latinè integrior. Non enim à ſpiculis *ſpiculatores*, ſed à ſpeculando *ſpeculatores* dicebantur, qui gladio in reos animaduertebāt, quòd ad hoc primùm inſtituti fuiſſent, vt hoſtilia ſilentio ſpecularentur. Erant hi principum ſatellites, quorum officium, cuſtodiæ cauſa adeſſe principibus, explorare quid hoſtes agerent, denique in damnatos lege agere. Conſule Iacobum Gretſerum libri primi de ſancta Cruce capite 24. IN DISCO. id ſuperfluit Græcis & Syris.

ὁ δὲ ἀπελθὼν ἀπεκεφάλισεν αὐτὸν ἐν τῇ [28] φυλακῇ, καὶ ἤνεγκε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν τῷ κορασίῳ, καὶ τὸ κοράσιον ἔδωκεν αὐτὴν τῇ μητρὶ αὐτῆς.

Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. *Matth.14. v.10.11.*

ET DECOLLAVIT. ſ. ſpiculator. Græcè eſt ὁ δὲ ἀπελθὼν ἀπεκεφάλισεν *Qui cùm abiiſſet decollauit.* quo modo habent & Syra. Reliqua pete ex Matthæo.

καὶ ἀκούσαντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἦλθον, [29] καὶ ἦραν τὸ πτῶμα αὐτοῦ, καὶ ἔθηκαν αὐτὸ ἐν τῷ μνημείῳ.

Quo audito diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento. *Matth.14. v.12.*

CORPVS. πτῶμα cadauer. vtraque vox à cadendo dicta. IN MONVMENTO. Syrus *in domo ſepulchri.* Reliqua quære Matth. 14. v. 12.

καὶ συνάγονται οἱ ἀπόστολοι πρὸς τὸν [30]

Et conuenientes Apoſtoli ad *Luc.9. v.10.*

Iesum, renunciauerunt ei omnia quę egerant & docuerant. | ἰησοῦ, καὶ ἀπήγγειλαν αὐτῷ πάντα, καὶ ὅσα ἐποίησαν, καὶ ὅσα ἐδίδαξαν.

CONVENIENTES. συνάγονται congregantur s. reduces ex legatione de qua suprà v. 7. Non mox vt occisus & sepultus fuerat Iohannes (hæc enim historia cædis Iohannis, ex sola occasione mentionis opinionis Herodis de Iesu, huc adducta fuit, præter seriem rerum gestarum, sed aliquo tempore postquam fuerant Apostoli, quod suprà v. 12. narratur, ad euangelium prædicandum egressi. Mandatis à Christo acceptis dissesserant concorditer alij in alias Iudææ partes, vt in vnius nomine pariter agerent quidquid agerent: ad eundem concorditer redeunt, magna alacritate cōmemorantes quàm res ex animi successisset sentētia, cupientes approbari quod gestum erat. RENVNCIAVERVNT. καὶ ἀπήγγειλαν & annunciauerunt, retulerunt vt gnesij discipuli præceptori, fideles legati domino, hilares & gloriabundi, non dubium. QVÆ EGERANT ET DOCVERANT. καὶ ὅσα ἐποίησαν καὶ ὅσα ἐδίδαξαν & quæ fecerant & quæ docuerant; vt scirent an ea probaret Iesus, & an satisfecissent ipsi officio ad quod fuerant ab ipso emissi. Horum exemplo & nobis semper ad Christum est recurrendum, eique nos & omnia nostra probanda deferre oportet: nam qui vel docent vel agunt quæ Christo non probantur, cæci illi sunt & duces cæcorum. Laus denique omnis & gloria, illi ipsi, agenti bona & præclara per nos, tribuenda est.

Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum: erant enim qui veniebant & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant. 31 | καὶ εἶπεν αὐτοῖς· δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν εἰς ἔρημον τόπον, καὶ ἀναπαύεσθε ὀλίγον· ἦσαν γὰρ οἱ ἐρχόμενοι καὶ οἱ ὑπάγοντες πολλοί, καὶ οὐδὲ φαγεῖν ηὐκαίρουν.

VENITE. additur græcè ὑμεῖς αὐτοὶ vosipsi, id est, vos soli, relictis turbis. REQVIESCITE. Humanitas Christi gerentis curam imbecillitatis suorum, &, post irreuersorum, ex prædicatione, sanatione, itinereque, laborum molestiam, dantis spatium & locum quiescēdi, vt, quiete interposita, & animus & corpus ad nouos labores vegetiora redderentur. VENIEBANT ad Iesum eiusque Apostolos, consilij & opis impetrandæ gratia in malis suis; qui nec reuersis ex eo opere lassisque parcebant Apostolis. REDIBANT ad sua. οἱ ὑπάγοντες qui abibant ope impetrata, gratias ac vale dicentes. ET NEC. καὶ οὐδὲ & ne quidem. SPATIVM. ηὐκαίρουν opportunum tempus habebant s. Christus eiusque discipuli.

Matth. 14. v. 13. Luc 9. v. 10. Iohan. 6. v. 1.

Et ascendentes in nauim abierunt in desertum locum seorsum. 32 | καὶ ἀπῆλθον εἰς ἔρημον τόπον τῷ πλοίῳ κατ' ἰδίαν.

ASCENDENTES IN NAVIM. Horum loco græcè & syriacè non aliud est quàm τῷ πλοίῳ nauigio. Reliqua Matth. 14. v. 13.

Matth. 14. v. 13. Luc. 9. v. 11. Iohan. 6. v. 2.

Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi: & pedestres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. 33 | καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν πολλοί, καὶ πεζῇ ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων συνέδραμον ἐκεῖ, καὶ προῆλθον αὐτοὺς, καὶ ἦλθον πρὸς αὐτόν.

VIDERVNT s. multi, ex proximo. COGNOVERVNT. intellexerunt, peruenit mox fama ad multos, quà versus Iesus cum discipulis pararet abitum. Græcè additur, ab his αὐτὸν quod ad Iesum, ab aliis αὐτοὺς quod ad Iesum & Apostolos referunt: *Agnouerunt eum siue eos*. Rectiùs noster Interpres neutrum legisse videtur. ET PRÆVENERVNT EOS. adfuerunt citiùs opinione Apostolorum. Græcè est καὶ προῆλθον αὐτοὺς καὶ ἦλθον πρὸς αὐτὸν *& præuenerunt eos & conuenerunt ad eum*. Lege Notas. Reliqua quære Matth. 14. v. 13.

Matth. 9. v. 36. 14. v. 14. Luc. 9. v. 11.

Et exiens vidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem: & cœpit illos docere multa. 34 | καὶ ἐξελθὼν εἶδεν ὁ ἰησοῦς πολὺν ὄχλον, καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοῖς, ὅτι ἦσαν ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα· καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτοὺς πολλά.

NON HABENTES PASTOREM. id est, miseri admodū. Egit igitur ipse pastoris officium erga eos, pauit animos eorū doctrina, corpora cibo, sanauit morbos eorū, & curam ipsis omnem adhibuit quò ad se alliceret, ad hoc vt se pastorem agnoscerent, nec essent ampliùs oues erraticæ ipsi pastori adhærentes. Sed quàm parùm profecerit docuit successus, quem describit Euangelium secundùm Iohannem cap 6. MVLTA ad salutem ipsorum pertinentia, diu concionatus est vt solidum aliquem profectum ex eis referret. Sanationis meminit Matthæus, doctrinæ Marcus: vtraque iunxit Saluator. Reliqua lege Matth. 9. v. 36. & 14. v. 14.

Matth. 14. v. 15. Luc. 9. v. 12.

Et cùm iam hora multa fieret, 35 | καὶ ἤδη ὥρας πολλῆς γενομένης, πρὸς-

προσελθόντες αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ λέγουσιν· ὅτι ἔρημός ἐστιν ὁ τόπος, καὶ ἤδη ὥρα πολλή·

accesserunt discipuli eius dicentes: Desertus est locus hic, & iam hora præteriuit;

MVLTA. sera, multus dies, quum diei multum præteriisset, cùm maior pars diei acta esset, sub vesperam. FIERET. γινομένης facta esset. PRÆTERIVIT. Loco vocis huius est græcè & syriacè πολλή multa, vt mox: quod latinè dicitur: Et iam dies multus est. Reliqua lege Matth. 14. v. 15.

ἀπόλυσον αὐτοὺς, ἵνα ἀπελθόντες εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς καὶ κώμας, ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους· τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσιν.

36 dimitte illos, vt euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos quos manducent.

Matth. 14. v. 15. Luc. 9. v. 12.

EVNTES. ἀπελθόντες abeuntes. IN PROXIMAS VILLAS. εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγρούς *in circumiacentes agros*, quomodo est & syriacè. Sed quia non sunt venales cibi in agris, rectè vertit *villas*, quæ sunt domus in agro. CIBOS. rectè ita vertit Interpres: nam, quod est græcè & syriacè ἄρτους *panes*, species est pro genere. QVOS MANDVCENT τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσι nam quod comedant non habent. ita est græcè & syriacè. Reliqua Matth. 14. v. 15.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. καὶ λέγουσιν αὐτῷ· ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν διακοσίων δηναρίων ἄρτους, καὶ δῶμεν αὐτοῖς φαγεῖν.

37 Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

Matth. 14. v. 16. Luc. 9. v. 13.

EVNTES EMAMVS. Ironia est. q. d. Præcipis quod nobis est impossibile. facilè ducentis denariis opus sit vt vel solo pane hos pascamus, tantam verò pecuniæ summam nosti nobis minime suppetere. Porrò hanc Apostolorum quorundam æstimationem, corrigit secundùm Iohannem Philippus, & dicit nec sufficere posse eam pecuniæ summam. Ioh. 6. v. 7. Fecerunt hæc autem ad instantis miraculi illustrationem. DENARIIS. De maiore denario si loquantur Apostoli, id quod credibilius est (lege quæ de duplici denario scripsimus Matth. 18. v. 28.) facile est numerare, quã nostratis hodie pecuniæ summam cõficere queant ducenti denarij, postquam vncia argenti, quali pharmacopæi vtuntur (vide Matth. 18. v. 24.) cuius quarta pars est denarius, hodie quadraginta duobus solidis turonicis fiat, quos patardos seu stuferos aliàs vocamus. Sic enim denarius hodie valeat decem solidis siue patardis cum dimidio: & fiat summa centum quinque florenorum ex ducentis denariis. Quamquam alij ex Budæo, denarium drachmá, hoc est, octaua vnciæ parte, æstimantes, non nisi dimidium eius summæ colligant. Sed obseruandum, quod sunt hodie decem patardi & dimidius, id olim vix fuisse sex patardos aut quinque, tam si argenti quàm si rerum venalium pretia consideres. vide Ioh. 6. v. 7. DABIMVS. vt demus. δῶμεν demus. idem vnũ est. Reliqua quære Matth. 14. v. 16.

ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς· πόσους ἄρτους ἔχετε; ὑπάγετε καὶ ἴδετε. καὶ γνόντες λέγουσι· πέντε, καὶ δύο ἰχθύας.

38 Et dicit eis: Quot panes habetis? ite & videte. & cùm cognouissent dicunt: Quinque, & duos pisces.

Matth. 14. v. 17. Luc. 9. v. 13. Iohan. 6. v. 9.

QVOT PANES. Non latebat hoc Dominum, sed voluit ipsis exploratam esse, tum panum paucitatem, tum hominum multitudinem, adeoque humanum omne subsidium deesse. Cætera petenda sunt ex Matth. 14. v. 17. & Iohan. 6. v. 9.

καὶ ἐπέταξεν αὐτοῖς ἀνακλῖναι πάντας, συμπόσια συμπόσια, ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ.

39 Et præcepit illis vt accumbere facerent omnes, secundùm contubernia, super viride fœnum.

Matth. 14. v. 19. Luc. 9. v. 14. Iohan. 6. v. 10.

ET pro tunc. ACCVMBERE FACERENT. ita rectè vertit Interpres, ex ἀνακλῖναι verbo neutro, transitiuè accepto, tamquam sit coniugationis Hiphil. SECVNDVM CONTVBERNIA. per contubernia, per sodalitia, discretis locis, certo capitum numero. Græcè συμπόσια συμπόσια *conuiuia conuiuia*: qui Hebraismus est, pro, per singula seu diuersa conuiuia, interuallo scilicet distincta. Hebræi enim pro distributiuis quibus carent, vtuntur vocabulis geminatis. quo modo & Syrus hoc loco dicit, *ordines ordines*. Simile suprà v. 7. & 4. Reg. 3. v. 16. Sensus est igitur, vt discumbere facerent, non promiscuè simul omnes, sed distinctos per conuiuia & contubernia, id est, tot simul quot vnum conuiuium seu conuiuantium contubernium, vna mensa, capere posse solet. Id iussit Christus, eo consilio, vt, ordinibus sic dispositis, ordinatiùs omnia fierent, magisque conspicuum esset miraculum, dum numerari homines cõmodiùs possent, & alij alios respicientes sibi inuicem testes essent cælestis huius gratiæ. FOENVM. χόρτῳ gramen. Reliqua quære Matth. 14. v. 19.

καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαὶ, ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα.

40 Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

Luc. 9. v. 15. Iohan. 6. v. 10.

ET. igitur. IN PARTES. per partes seu contubernia varia, per ordines distinctos, nam & Syrus iterum vertit

vertit *ordines ordines*. Cæterùm græcè est πρασιαὶ πρασιαὶ, quod est ad verbum, *areolæ areolæ*, id est, aleolatim, in morem areolarum, tamquam per varias areolas. *per singula viridaria* vertit Origenis Interpres. sunt enim πρασιαὶ hortorum areolæ. Significatur turbis ita per conuiuia super viridi gramine distributis, videri potuisse prata illa in totidem areolas fuisse distincta. PER CENTENOS. ita vt in quibusdam partibus seu ordinibus vel areolis centeni considerent cœnarentque. ET QVINQVAGENOS καὶ ἀνὰ πεντήκοντα *& per quinquagenos* quo modo est & in bonis latinis manuscriptis. quod est, in alijs quinquageni. Vt ne enim intelligas singulas conuiuarum cateruas complexas fuisse centum quinquaginta, repetitur ἀνὰ *per* præpositio. Syrus ad verbum habet: *Qui centum centum, & qui quinquaginta quinquaginta*. Obserua vnicuique duodecim Apostolorum, ministrandum fuisse pluribus mensis seu contubernijs, facilè sex aut septem.

Matth.14. v.19. Luc.9. v.16. Iohan.6. v.11.

41 Et acceptis quinque panibus & duobus piscibus, intuens in cælum, benedixit: & fregit panes, & dedit discipulis suis, vt ponerēt ante eos: & duos pisces diuisit omnibus.

καὶ λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησε, καὶ κατέκλασε τοὺς ἄρτους, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα παραθῶσιν αὐτοῖς· καὶ τοὺς δύο ἰχθύας ἐμέρισε πᾶσι.

QVINQVE PANIBVS ET DVOBVS. vrgendus est græcè articulus τούς, illis quinque panibus & illis duobus piscibus. INTVENS. ἀναβλέψας suspiciens. BENEDIXIT. s. illis. PANES. τοὺς ἄρτους illos panes. VT PONERENT ANTE EOS. ἵνα παραθῶσιν αὐτοῖς vt apponerent illis. Significatur maxima copia. ET DVOS. καὶ τοὺς δύο & illos duos. DIVISIT OMNIBVS. ἐμέρισε πᾶσι partitus est omnibus. s. conuiuis, ministerio discipulorum, in quos prior ipse diuisit pisces, ab ipsis deinde diuidēdos ac partiendos conuiuis. Syriacè est numero plurīu. *partiti sunt omnibus*. s. Iesus eiusque discipuli. Cętera tractata sunt Matth. 14. v. 19.

Matth.14. v.20. Luc.9. v.17. Iohan.6. v.11.

42 Et manducauerunt omnes, & saturati sunt.

καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν.

Matth.14. v.20. Luc.9. v.17. Iohan.6. v.13.

43 Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos; & de piscibus.

καὶ ἦραν κλασμάτων δώδεκα κοφίνους πλήρεις, καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων.

RELIQVIAS. Non legitur vox ista siue græcè siue syriacè. FRAGMENTORVM. s. de pane. Potest vox ista & ad cophinos referri & ad plenos. ET DE PISCIBVS. s. fragmentorum, id est, quæ quidem fragmenta, tam erant piscium reliquiæ quàm panum. Hoc addit, vt ne putes pisces aliquibus defuisse aut parciùs suppetisse quàm pro liberali obsonio. Reliqua horū duorum versuum petenda sunt ex Matth. 14 v. 20.

Matth.14. v.21. Luc.9. v.14. Iohan.6. v.10.

44 Erant autem qui manducauerunt, quinque milia virorum.

καὶ ἦσαν οἱ φαγόντες τοὺς ἄρτους, πεντακισχίλιοι ἄνδρες.

QVI MANDVCAVERVNT. οἱ φαγόντες qui comederant. Additur græcè & syriacè τοὺς ἄρτους panes illos s. & pisces. Reliqua Matth. 14. v. 21.

Matth.14. v.22. Iohan.6. v.16.

45 Et statim coëgit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

καὶ εὐθέως ἠνάγκασε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς βηθσαϊδὰν, ἕως αὐτὸς ἀπολύσῃ τὸν ὄχλον.

VT PRÆCEDERENT EVM. καὶ προάγειν & præcedere. AD BETHSAIDAM. versus vrbem Bethsaidam, quæ non longè aberat (q.d. breui vobis adero) & prætereunda erat proficiscentibus ex hoc deserto Capharnaum. vide Luc. 9. v. 10 Cætera lege Matth. 14. v. 22.

Matth.14. v.23. Iohan.6. v.15.

46 Et cùm dimisisset eos, abiit in montem orare.

καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, ἀπῆλθεν εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι.

CVM DIMISISSET. ἀποταξάμενος non simplicem dimissionem significat, sed benignam illam & cum beneuolentiæ testimonio coniunctam, qua amicis à nobis discedentibus valedicimus & bene precamur. Sic enim vsurpatur hoc verbum Luc. 9. v. 61. Act. 18. v. 21. 2. Cor. 2. v. 13. Notatur itaque hic Iesu comitas, benigno vultu, vt moris est, conuiuas suos à se dimittentis. EOS. populum. Hoc enim idem est cum eo quod Matthæus habet v. 23: *Et dimissa turba*. vbi leges reliqua.

Matth.14. v.23.

47 Et cùm serò esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra.

καὶ ὀψίας γενομένης, ἦν τὸ πλοῖον ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης, καὶ αὐτὸς μόνος ἐπὶ τῆς γῆς.

ET CVM. Cùm autem. SERÒ. ὀψίας serum diei, vespera, noctis initium, *tenebræ* quod ait Iohannes,

vespere

vespere facto vertit secundùm Matthæum 14. vers. 23. IN MEDIO. in profundo. IN TERRA. in monte videlicet.

48 καὶ εἶδεν αὐτοὺς βασανιζομένους ἐν τῷ ἐλαύνειν (ἦν γὰρ ὁ ἄνεμος ἐναντίος αὐτοῖς) καὶ περὶ τετάρτην φυλακὴν τῆς νυκτὸς ἔρχεται πρὸς αὐτοὺς, περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς.	Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, & volebat præterire eos.	Matth. 14. v. 24. 25. Iohan. 6. v. 18.

VIDENS. εἶδεν vidit, postquam vidisset. tam corporis oculis (id enim fieri potuisse, putant quidam, ex monte) quàm animi. Significatur ea quam Saluator gerebat de discipulis cura, & affectus quo tangebatur auxilij ferendi afflictis. LABORANTES. βασανιζομένους vexatos. Vox ista secundùm Matthæum naui tribuitur, vertitur que *iactabatur*. IN REMIGANDO. ἐν τῷ ἐλαύνειν in prouehendo, s. nauim remis. Syrus *dum nauigarent*. Vox græca est significationis magis generalis quàm latina *remigare*: sed Interpres sensum sequutus est, maximè verò cum Iohannes *remigandi* voce vtatur. ET. tunc. VENIT. ἔρχεται. præsentis est temporis. SVPRA pro *super*, quod etiam est in aliis libris: calcabat enim mare quasi terram. VOLEBAT PRÆTERIRE EOS. præseferebat quasi vellet eos præterire, dissimulans se esse. Tentabat amplius illorum fidem huiusmodi actione. Reliqua petenda sunt ex Matth. 14. v. 24. 25.

49 οἱ δὲ ἰδόντες αὐτὸν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης, ἔδοξαν φάντασμα εἶναι, καὶ ἀνέκραξαν.	At illi vt viderunt eum ambulantem supra mare, putauerunt phantasma esse, & exclamauerunt.	Matth. 14. v. 26. Iohan. 6. v. 19.
50 πάντες γὰρ αὐτὸν εἶδον, καὶ ἐταράχθησαν· καὶ εὐθέως ἐλάλησε μετ' αὐτῶν, καὶ λέγει αὐτοῖς· θαρσεῖτε, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε.	Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt: & statim locutus est cum eis, & dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere.	Matth. 14. v. 27. Iohan. 6. v. 20.

OMNES ENIM. Hinc maior turbatio, cùm sibi mutuò omnes terrorem addunt. ET CONTVRBATI SVNT omnes. CONFIDITE. θαρσεῖτε, *habete fiduciam* vertit secundùm Matthæum. Reliqua horum duorum versuum quære in Matthæo.

51 καὶ ἀνέβη πρὸς αὐτοὺς εἰς τὸ πλοῖον, καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος. καὶ λίαν ἐκ περισσοῦ ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο, καὶ ἐθαύμαζον·	Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. & plus magis intra se stupebant:	Matth 14. v. 32.

ET. Tunc, vt se esse præsens ostenderet. PLVS MAGIS. λίαν ἐκ περισσοῦ valde ex abundanti, multò magis, multò ampliùs q. d. Tantum abfuit, vt, cùm præsente iam Iesu, cognouissent spectrum non esse, desierint obstupescere, vt etiam multò magis quàm antea sint perculsi, ex eo quòd iam suis oculis viderēt Iesum fuisse, qui per calcatum pedibus mare iter fecisset, qui & Petro hoc indulsisset, denique cuius imperio venti acquieuissent, quæ longè sunt supra consuetum naturæ ordinem & humanis maiora. STVPEBANT. καὶ ἐθαύμαζον & *mirabantur* (additur græcè ac syriacè, quamquam præcedat syriacè, & hoc rectiùs) ita vt venirent & adorantes dicerent: *Verè Filius Dei es*, quod Matthæus narrat. Cætera huius versiculi quære Matth 14. v. 32.

52 οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, ἦν γὰρ ἡ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη.	non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum.

NON ENIM. Occurrit Euangelista tacitæ obiectioni. INTELLEXERVNT siue vt est in aliis libris *intellexerant*, perceperant, considerarant. DE PANIBVS. miraculum illud panum recèns editum. ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, *in illis panibus* vertunt quidam, & subaudiunt *quod factum fuerat*. q. d. Euangelista, quod si intellexissent, non adeò vehementer iam obstupuissent. Illud namque quod his longè maius erat, considerantes, minùs ista admirati fuissent (facilè enim intellexissent, Iesu diuina virtute prædito, nihil esse impossibile quod modò velit) ac proinde ob illud potiùs miraculum quàm ob ista exclamassent: *Verè Filius Dei es*. Significatur igitur, quadam tarditatis suæ culpa ita iam attonitos fuisse discipulos, quia non ritè, vt decebat, ex prioribus miraculis profecerant, præcipuè quòd tam recentis spectaculi memoria eis effluxerat, vel potiùs quòd mentem non applicuerant ad considerandam Christi virtutem, quæ panibus multiplicatis ostensa fuerat longè diuinior atque augustior, quàm marina inambulatione ac tempestatis sedatione. Quòd porrò discipuli hoc miraculo magis capti fuerint, quàm illo panum αὐτομάτων, sponte prouenientium, quos vocat Nonnus poëta; factum ex eo est, quòd soleamus homines, propria magis considerare quàm aliena, & aduersis citiùs erudiri quàm prosperis. Hìc, remigandi laborem cum periculo à mari, subierant discipuli non paruum: auxerat afflictionem spectri apparitio. Miraculosam sui ab his malis liberationem, longè attentioribus animis reuoluerunt, quàm quod turbæ innumeræ nutritæ fuerant paucis panibus, & reliquiæ superfuerant maiores

quàm summa. COR. intellectus. OBCAECATVM. πεπωρωμένη potiùs est *obduratum*, occalluerat, nam πεπηρωμένη sit *obcæcatum*. Verùm hæc Interpres pro eisdem habuit, vt diximus suprà 3.v.5. Quin & Syrus vtitur verbo à nomine *nubu* deducto, vnde Iaunus ipsius Interpres vertit *nube offusum*. *Obcæcatum* igitur, id est, tenebris offusum, callo obductum (hoc enim idem vtrum est) vnde fiebat, vt in manifestis Dei operibus cęcutirent, eaque quæ videbant Christi miracula non intelligerent nec expenderent ita vt dignum erat. Nondum erat intellectus eorum diuino lumine illustratus, quo possent visa miracula dignè expendere, & ex illis intelligere eam quam loquebantur virtutem, maiestatem, & gloriam Christi. Admonemur hîc de humanæ mentis vitio, quò fit, vt non sufficiat spectare oculis corporis magnalia Dei, ad hoc vt intelligas aut credas, nisi mens supernè fuerit illuminata. Quòd porrò tardiùs Deus Apostolorum corda illuminarit, hoc consilio fecit, vt eo solidiùs omnia apud animos nostros constarent.

Matth.14. v.34.

Et cùm transfretassent, venerunt in terrā Genesareth, & applicuerunt.

53 καὶ διαπεράσαντες ἦλθον ἐπὶ τὴν γῆν γεννησαρὲτ, καὶ προσωρμίσθησαν.

GENESARETH. Syrus etiam hîc *Genesar* legit, vt quod idem vnum sit nomen. APPLICVERVNT. προσωρμίσθησαν appulerunt, ex freto πρὸς ὅρμον ad littus peruenerunt. Syrus hanc particulam omittit, vt quæ ex præcedentibus & consequentibus satis intelligatur. Reliqua lege Matth.14.v.34.

Matth.14. v.35.

Cumque egressi essent de naui, continuò cognouerunt eum:

54 καὶ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ τοῦ πλοίου, εὐθέως ἐπιγνόντες αὐτὸν,

ESSENT Iesus eiusque Apostoli. EVM. Iesum. s. eius loci *homines*, quod addit Matthæus, & quidam etiam hoc loco. Vide Notas.

Matth.14. v.35.

& percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre, vbi audiebant eum esse.

55 περιδραμόντες ὅλην τὴν περίχωρον ἐκείνην, ἤρξαντο ἐπὶ τοῖς κραββάτοις τοὺς κακῶς ἔχοντας περιφέρειν, ὅπου ἤκουον ὅτι ἐκεῖ ἐστι.

ET. Latinus Interpres vnà cum Syro addidit coniunctionem *&*, quæ non est græcè. PERCVRRENTES. περιδραμόντες quum percurrissent. s. missis nuntiis. Syrus percurrerũt, addita mox copula *&* *cœperunt*. REGIONEM circumiacentem, est enim τὴν περίχωρον, vt in Matthæi. COEPERVNT tum illi tum alij certiores ab illis facti de præsentia Iesu Saluatoris. Videri possit participium περιδραμόντες absolutè positum, verbumque *cœperunt* impersonaliter, more hebraico, hoc sensu: Quumque illi percurrissent circumiacentem regionem, cœptum est certatim ab omnibus *&c.* GRABATIS. vide suprà 2.v.4. SE superfluit. CIRCVMFERRE. huc illuc ferre, vbi intelligebant EVM ESSE, Iesum, qui regiones illas peragrabat. Græcè est ὅτι ἐκεῖ ἐστι, ad verbum, *quòd illic est*: vbi ἐκεῖ *illic* ex idiotismo Hebræorum redundat, ita vt Interpres sensum optimè expresserit. Reliqua quære Matth.14.v.35.

Matth.14. v.35.36.

Et quocumque introibat in vicos, vel in villas aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. & quotquot tangebāt eum, salui fiebant.

56 καὶ ὅπου ἂν εἰσεπορεύετο εἰς κώμας, ἢ πόλεις, ἢ ἀγροὺς, ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθουν τοὺς ἀσθενοῦντας, καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται. καὶ ὅσοι ἂν ἥπτοντο αὐτοῦ, ἐσώζοντο.

ET QVOCVMQVE. Pluribus explicat Euangelista, quod paucis dixerat superiori versiculo. VEL IN VILLAS AVT CIVITATES. ἢ πόλεις ἢ ἀγροὺς aut ciuitates aut agros. Eodem illo die quo appulerat, ingressus est ciuitatem Capharnaum, Iohanne teste. IN PLATEIS. ἐν ταῖς ἀγοραῖς *in foris*, ita est ad verbum: sed *plateas* intelligit Euangelista, id est, vias latiores, quæ fori loco seruire consueuerunt. TANGEBANT EVM. αὐτοῦ ambiguum est ad *Iesum*, & ad κρασπέδου *fimbriam*. Et quamquam res eòdem redeat: nam de ea quæ fimbriam tetigerat, interrogat Christus: *Quis est qui me tetigit?* Luc. 8.v.45 (non enim fimbria ab his propter se, sed propter Iesum tangebatur) ego tamen malim cum Interprete ad Iesum referre, vt sit, *aliquid eius*, quidquid illud esset, etiam minimum, vt fimbria seu extremum vestis. Reliqua lege Matth.14.v.35.36.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

Καὶ συνάγονται πρὸς αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι, καί τινες τῶν γραμματέων ἐλθόντες ἀπὸ ἱεροσολύμων.

1 Et conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis venientes ab Ierosolymis.

Matth. 15. vi.

ET. tunc. vt Matthæus habet. CONVENIVNT consilio studioque collato aggrediuntur eum. PHARISÆI eius loci vbi hæc gesta sunt. VENIENTES. ἐλθόντες qui venerant. Reliqua huius versiculi quære Matth. 15. v. 1. enarrata.

καὶ ἰδόντες τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, κοιναῖς χερσί, τοῦτ' ἔστιν, ἀνίπτοις, ἐσθίοντας ἄρτους, ἐμέμψαντο.

2 Et cùm vidissent quosdam ex discipulis eius, cōmunibus manibus, id est, non lotis, māducare panes, vituperauerunt.

COMMVNIBVS. immundis. Iudæi Christi tempore, commune vocabant (nec enim nisi in nouo Testamento hæc loquendi forma exstat) id quod immundum erat ex legis aut certè traditionis præscripto; hac nominis ratione, quod cæteris omnibus quidem orbis terrarum populis commune id esset nec à quoquam illorum vitaretur, sibi verò vnis, vt parti Dei, propria & peculiari lege declaratum esset immundum & sub pollutionis reatu vitandum, prout vitaretur. Propriam itaque & peculiarem sibi esse censebant munditiem veram; immunditiem autem gentibus inter se esse communem: idcircò, immundum omne, commune vocabant. Alij putant metaphoram fuisse sumtam à rebus, quæ, quòd communes sint & à multis tractentur, facilè sordes contrahant. Syrus omisit hæc verba *communibus, id est*. NON LOTIS. ἀνίπτοις illotis. Explicat Euangelista ipse quid sit *communibus* seu immundis. MANDVCARE PANES. cibum sumere. VITVPERAVERVNT. reprehenderunt, & eos & eorum præceptorem Iesum, tamquam auctorem illius exempli, si non consilio, at dissimulatione vel negligentia sua.

Οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων·

3 Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum:

CREBRÒ. πυγμῇ. Quidam vertunt *certatim*, quasi dicas pugilatim, vt translatione à pugilibus sumta summum lauandi studium ac veluti certamē significetur: deriuantes πυγμῇ aduerbiū à πυγμὴ nomine, quod inter cætera *pugilationem* seu pugilum certamen declarat. Syrus nón absimiliter vertit ܒܛܝܠܐܝܬ *Betilaith* curiosè, sedulò: nam ܒܛܠ *Betal* pro curæ esse à Syris accipitur. Interpres noster qui *crebrò* vertit, putatur græcè legisse πυκνῇ vel πυκνά: cuius versionem non ita necesse est intelligere, vt vno eodemque prandio aut cæna sæpius Iudæi lauerint inter edendum manus (quamuis ita quidam intelligant, vt ad singula fercula lotionē iterarint, sed quòd sępiùs & quauis occasione, si vel minimùm dubitarent de contracta immunditia ex cuiuslibet rei contrectatione, mox abluerent manus, non exspectato prandij aut cænæ tempore, quo potuissent vna instar omnium ablutione esse contenti. Videri possit traditio habuisse, vt ante cibum quidem omnino, verùm non tantùm, sed & quoties macula quæuis obrepsisset, mox lauarentur. Ita cautiones istæ nullum habebant finem vel modum: vixque digitum mouere poterant, quin, pollutionis metu anxij, ad lauacra recurrerent. TENENTES. κρατοῦντες studiosè ac pro viribus obseruantes. TRADITIONEM SENIORVM. vide Matth. 15. v. 2.

καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι· καὶ ἄλλα πολλά ἐστιν, ἃ παρέλαβον κρατεῖν, βαπτισμοὺς ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν.

4 & à foro, nisi baptizentur, non comedunt. & alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.

A FORO. s. reuersi. Forum rerum venalium, iuxta istorū definitionem, locus est communis seu immundus, vt quò adferantur res omnis generis, mundæ atque immundæ, & conueniant omnis generis homines, puri atque impuri, atque adeò gentiles ipsi. BAPTIZENTVR. βαπτίσωνται loti fuerint. Seruauit vocem græcam Interpres βαπτίζειν, quæ plus est quàm χερνίπτειν, quòd, hæc de manibus dumtaxat, illa de corpore vniuerso intelligenda videtur: nam βαπτίζειν propriè, non lauare, sed tingendi causa immergere, notat. NON COMEDVNT religione ducti, ne immundi fortasse, cibum suum immundum contactu suo, ac seipsos proinde longè immundiores reddant. huiusmodi laqueos conscientiis iniecerant eruditi Scribæ & religiosi Pharisæi. TRADITA SVNT ILLIS. παρέλαβον acceperunt: sed quia παραλαμβάνειν est ab alio traditum accipere, idcirco explicatiùs sententiam extulit Interpres. SERVARE. obseruanda. s. antequam cibum sumant. BAPTISMATA. lotiones. s. videlicet. CALICVM. ποτηρίων poculorum; ex quibus bibitur.

bitur. ne fortè contaminata illa quouis modò, contaminarent & ipsos bibentes. VRCEORVM. ξεστῶν sextariorum, quod Romanis erat vas duarum heminarum capax: est enim ξέστης vox Romana corrupta: quam videtur seruasse & Syrus dum reddit ܩܣܛܐ *keste*, quamquam & alibi hoc nomine vtatur, signanter Heb. 9. v. 4., vbi græcè est στάμνος, latinè *vrna*. Interpres Syri hoc loco vertit *amphororum*: absque dubio enim significantur hic vasa ea quibus adferuntur funduntúrque siue vina siue aquæ, & sub vno genere comprehenduntur cætera maiora minoráque, quotidianis huiusmodi vsibus destinata. AERAMENTORVM. vasorum æneorum. quibus cibi vel coquebantur vel in mensam inferebantur. LECTORVM discubitoriorum. qui quidem sponda constabant cui insidebatur, & mensa ad quam sedebatur. Significantur habuisse pro more, vt ante cibum etiam mensam ipsam lauarent mensǽque scamna: adeò studiosè sibi ab omni contaminatione, quæ vel inscientibus obrepere poterat, cauebant.

Matth. 15. v. 2.

Et interrogabant eum Pharisæi & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum: sed communibus manibus manducant panem? [5]

ἔπειτα ἐπερωτῶσιν αὐτὸν οἱ φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς· διατί οἱ μαθηταί σου οὐ περιπατοῦσι κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, ἀλλὰ ἀνίπτοις χερσὶν ἐσθίουσι τὸν ἄρτον;

ET INTERROGABANT. ἔπειτα ἐπερωτῶσι deinde interrogant. NON AMBVLANT. non instituunt vitam. Grauior est accusatio quàm prima frõte videatur. Non enim accusant discipulos de violatione semel aut iterum repetita, sed de consuetudine violandi: nam ambulare ex sacræ Scripturæ vsu est vitam instituere, consueto ac familiari vitæ genere vti (Psal. 118. v. 1. 127. v. 1. & frequenter alibi,) quòd suum vitæ genus quisque tamquam viam sequatur. Viderant quosdam discipulorum semel aut iterum neglexisse illam lauandarum ante cibum manuum ceremoniam (suprà v. 2.) accusant verò omnes, non vt transgressores tantùm, sed vt contemtores, & qui omnino non seruent curéntve traditionem maiorum. ita rem exaggerant, & pondere accusationi addito, adoriuntur Iesum, non leuiter nugis armati suis. COMMVNIBVS. ἀνίπτοις illotis. Reliqua quære Matth. 15. v. 2.

Matth. 15. v. 7. 8. Isaia 29. v. 13.

At ille respondens dixit eis: Bene prophetauit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. [6]

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ὅτι καλῶς προεφήτευσεν ἠσαΐας περὶ ὑμῶν τῶν ὑποκριτῶν, ὡς γέγραπται· οὗτος ὁ λαὸς τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόῤῥω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ.

BENE PROPHETAVIT. Marcus præponit, quam Matthæus postponit, doctrinæ de Corban, prophetiam Isaiæ. Concordia Iansenij sequitur ordinem Marci, ita tamen vt quæstioni Scribarum subiungat quæstionem dumtaxat Saluatoris: *Quare & vos transgredimini mand. Dei prop. trad. vestram. Bene prophetauit.* ISAIAS DE VOBIS HYPOCRITIS. Syrus mutat ordinem verborum, ita vt nomen *hypocritæ* legat vocandi casu: *De vobis Isaias propheta acceptores vultus.* sic enim vocat hypocritas, cuius rationem nuper dedimus. Reliqua huius versiculi quære Matth. 15. v. 7. 8.

Matth. 15. v. 9. Isaia 29. v. 13.

In vanum autẽ me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominũ. [7]

μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων.

IN VANVM. μάτην. frustra. in Matthæi vertit *sine causa*. cap. 15. v. 9. vbi quære reliqua.

Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditionem hominum, baptismata vrceorum & calicum: & alia similia his facitis multa. [8]

ἀφέντες γὰρ τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, βαπτισμοὺς ξεστῶν καὶ ποτηρίων· καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε.

RELINQVENTES. omittentes, negligentes. ἀφέντες omissa. MANDATVM. mandata. Singulare pro plurali. TENETIS mordicus, & studiosè obseruatis. TRADITIONEM. traditiones, doctrinas & constitutiones. HOMINVM. profectas ab hominibus ita vt non à Deo, friuolas inquam, & ad rem, id est, ad cor in Deum excitandum ad veram animi pietatem, nil facientes. BAPTISMATA. vide suprà v. 4. SIMILIA παρόμοια assimilia. HIS. f. baptismatis. In plerisque græcis libris est τοιαῦτα huiusmodi; at in quibusdam τούτοις, conformiter editioni nostræ latinæ. FACITIS. tenetis, obseruatis. Non legitur syriacè vox ista.

Matth. 15. v. 3.

Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis. [9]

καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· καλῶς ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε.

ET DICEBAT. Dicebat etiam hoc; quò redargueret eos euidentiùs & validiùs repelleret: nec friuola tantùm

tùm obseruatis, qualia sunt baptismata illa calicum & vrceorum, verumetiam eiusmodi quæ aduersentur præceptis Dei. BENE. sanè bene, egregiè verò, honia est. Ingeniosè amouistis pulcherrimè collocatum præceptum Dei, vt illius loco statutam traditionem vestram seruetis. IRRITVM FACITIS. ἀθετεῖτε deponitis, reiicitis. idem est ἀθετεῖν quod ἀκυροῦν Matth. 15. v. 6., idcircò & Interpres ad eundum modum vtrumque vertit. SERVETIS. Syrus statuatis. Reliqua Matth 15. v. 3.

μωσῆς γὰρ εἶπε· τίμα τὸν πατέρα [10] σου καὶ τὴν μητέρα σου· καὶ, ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω.

Moyses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam; & : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

Matth. 15. v. 4. Exod. 20. v. 12. Exod. 21. v. 16.

MOYSES ENIM. Apertè confirmat Christus legem Moysi à Deo dictatam esse, dum præceptum Dei proferre volens Moysen adducit loquentem. DIXIT legem ferens. Reliqua quære Matth. 15. v. 4.

ὑμεῖς δὲ λέγετε· ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος [11] τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρί, κορβᾶν, ὅ ἐστι, δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς.

Vos autē dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Corban (quod est, Donum) quodcumque ex me, tibi profuerit.

Matth. 15. v. 5.

CORBAN. Syrus *Corbani*, addito pronomine primæ personæ. Vox dicta à קרב *karab* verbo, quod appropinquare significat & offerre. Hebræam vocem ideò retinuisse Euangelista videtur, quòd vulgariter ea vti Iudæi consueuissent pro forma siue voti siue iuramenti. cæteroqui enim, vt quid solam primam huius orationis vocem hebraicè expressisset? Certè Iosephus lib. 4. Antiquitatum cap. 4. dicit, quosdam eorum qui se Dei ministerio sponte deuouerant, solere nominare seipsos *Corban*, hoc est, donum Dei: & post medium lib. 1. contra Appionem, docet iusiurandum quod *Corban* appellatur, inter alia iuramenta à Theophrasto enumeratum, apud nullas gentes inueniri, nisi apud solos Iudæos, quod interpretatur ex hebraica lingua *donum Dei*. QVOD EST, DONVM. Hæc verba non sunt syriacè. TIBI PROFVERIT. ὠφεληθῇς. eadem græcè sunt verba quæ apud Matthæum. At syriacè pro *tibi profuerit* hîc ܬܬܪ *Tetar* abundabis: *Donum meum id quo ex me abundabis*, id est, abundare seu frui cupis. Reliqua Matth. 15. v. 5.

καὶ οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι [12] τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ,

Et vltrà non dimittitis eum quidquam facere patri aut matri,

Matth. 15. v. 6.

ET VLTRA NON DIMITTITIS. καὶ οὐκέτι ἀφίετε & non ampliùs permittitis. docentes, scilicet, periurum aut votifragum fore, si, post editum votum iuramentúmve huiusmodi, parentibus benefaciat. QVIDQVAM FACERE. quidquam boni facere, aliqua re prodesse. Reliqua Matth. 15. v. 6.

ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τῇ παρα- [13] δόσει ὑμῶν ᾗ παρεδώκατε. καὶ παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε.

rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis. & similia huiusmodi multa facitis.

Matth. 15. v. 6.

RESCINDENTES. ἀκυροῦντες irritum reddentes. vox ea est quæ Matth. 15. v. 6. vbi quære reliqua non hîc propria. VERBVM. sermonem, præceptum. PER TRADITIONEM VESTRAM. τῇ παραδόσει ὑμῶν traditione vestra, doctrina vestra ex traditione accepta. Hic locus interpretatur διὰ illud græcum, & latinum syricumque *propter*, quod hactenus habuimus hac in historia, hîc & secundùm Matthæum, quamquam & hoc loco retineat Syrus ܡܛܠ *metul* propter. QVAM TRADIDISTIS ipsi: quam à præceptoribus vestris acceptam, discipulos vicissim vestros docetis. SIMILIA. παρόμοια assimilia, quę aduersantur præceptis Dei. Non hæc sola est, inquit, ex traditionibus vestris quæ repugnat verbo Dei: sed illam nunc attulisse sufficiat. FACITIS ipsi, & alios facienda docetis, traditionibus mordicùs adhærentes.

καὶ προσκαλεσάμενος πάντα τὸν [14] ὄχλον, ἔλεγεν αὐτοῖς· ἀκούετέ μου πάντες καὶ συνίετε.

Et aduocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes & intelligite.

Matth. 15. v. 10.

ADVOCANS ITERVM. reuocans turbam nonnihil dilapsam. Interpres legit πάλιν, pro eo quod alij cum Syro πάντα omnem seu totam. ME. doctrinam meam, à Scribarum & Pharisæorum doctrina discrepantem. OMNES. Syrus *vos omnes*. vtilis enim adeoque necessaria est vobis omnibus, parùm rectè hac in parte doctis. huiusmodi emphasis est in his voculis. Reliqua quære Matth. 15. v. 10.

οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου εἰσπο- [15] ρευόμενον εἰς αὐτόν, ὃ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι· ἀλλὰ τὰ ἐκπορευόμενα

Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare: sed quæ de homine procedunt,

Matth. 15. v. 11.

dunt, illa ſunt quæ communicant hominem. | ἀπ' αὐτοῦ, ἐκεῖνά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον.

NIHIL EST. Marcus ſententiam Saluatoris explicatiùs effert quàm Matthæus: nam & vtitur negatione vniuerſali, & addit EXTRA HOMINEM, & ſynecdochen explicat. INTROIENS IN EVM, QVOD, ſi introeat in eum, POSSIT &c. SED QVÆ DE HOMINE PROCEDVNT. ἀλλὰ τὰ ἐκπορευόμενα ἀπ' αὐτοῦ ſed quæ exeunt ab homine. ita vertendum erat, quo modo infrà v. 20. vertit, vt intelligeretur antitheſis & paronomaſia verborum εἰσπορευόμενον & ἐκπορευόμενα. COMMVNICANT. ſeu potiùs vt eſt in aliis libris *coinquinant*. Reliqua quære Matth. 15. v. 11.

Si quis habet aures audiendi, audiat. [16] εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

AVDIENDI. quæ digna auditu ſunt & ſalutaria. AVDIAT, & expendat ſecum, ſatagatque intelligere. vide Matth. 11. v. 15. & 13. v. 9. Maluit Ieſus relinquere problema ſuum expendendum apud animum vniuſcuiuſque, quàm clariùs illud interpretari, tum ad vitandas verborum contentiones quas mouiſſent aduerſarij, tum ad excitandum intelligendi, inueſtigandi, &, ſi opus foret, interrogandi ſtudium, in beneuolis auditoribus.

Matth. 15. v. 15. Et cùm introiſſet in domum à [17] turba, interrogabant eum diſcipuli eius parabolam. | καὶ ὅτε εἰσῆλθεν εἰς οἶκον ἀπὸ τοῦ ὄχλου, ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ τῆς παραβολῆς.

A TVRBA. relicta turba, vel ſemotus à turba. Quidam *præ turba*. PARABOLAM. parabolæ illius ſenſum. περὶ τῆς παραβολῆς de illa parabola. vocabant enim ipſi parabolam, ſermonem, cuius, propriè abſque figura accepti, veritatem non intelligebant. Reliqua quære Matth. 15. v. 15.

Matth. 15. v. 16. Et ait illis: Sic & vos imprudentes [18] eſtis? Non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare: | καὶ λέγει αὐτοῖς· οὕτω καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε; οὐ νοεῖτε, ὅτι πᾶν τὸ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον εἰς τὸν ἄνθρωπον, οὐ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι·

SIC. Siccine. IMPRVDENTES ἀσύνετοι. *ſine intellectu* vertit iuxta Matthæum. COMMVNICARE. κοινῶσαι. illud idem verbum eſt quod ſuprà v. 15. vertit *coinquinare*: quod κατὰ πόδα quidem ſonat *communicare*, vt in Matthæi annotauimus. Reliqua lege Matth. 15. v. 16.

Matth. 15. v. 17. quia non intrat in cor eius, ſed [19] in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas? | ὅτι οὐκ εἰσπορεύεται αὐτοῦ εἰς τὴν καρδίαν, ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν, καὶ εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται, καθαρίζον πάντα τὰ βρώματα;

IN COR. in animam ſeu animum. SED IN VENTREM VADIT Alij boni libri, omiſſo *vadit*, conſentaneè græco ac ſyro, ſubaudiunt è proximo *intrat*. PVRGANS exitu ſuo, id eſt, puras relinquens. Dicitur id quod in latrinam exit, expurgare omnes cibos, quia ipſum eſt cibi fex & purgamentum. OMNES ESCAS. ea parte qua natura in corpore eas retinet ad nutritionem. Reliqua Matth. 15. v. 17.

Matth. 15. v. 18. Dicebat autẽ: Quoniã quæ de homine exeunt, illa cõmunicant hominem. [20] ἔλεγε δὲ, ὅτι τὸ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενον, ἐκεῖνο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

DICEBAT AVTEM doctrinam obſeruatu dignam. Hoc ſyriacè non exſtat, quamquam addat pondus doctrinæ. QVONIAM QVÆ DE HOMINE EXEVNT ILLA COMMVNICANT. ὅτι τὸ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενον, ἐκεῖνο κοινοῖ quòd id quod ex homine exit, illud polluit. Interpres plurali eſt vſus, ſenſu clariore. Syrus: *Id autem quod exit ex homine*, &c. Reliqua quære Matth. 15. v. 18.

Matth. 15. v. 19. Abintus enim, de corde hominum, [21] malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, | ἔσωθεν γὰρ, ἐκ τῆς καρδίας τῶν ἀνθρώπων, οἱ διαλογισμοὶ οἱ κακοὶ ἐκπορεύονται, μοιχεῖαι, πορνεῖαι, φόνοι,

ABINTVS. Latinè dicas *intus*, pro ex corde, vt mox explicatur. Plautus: *Dic me orare vt aliquis intus prodeat*. PROCEDVNT. ἐκπορεύονται exeunt ſeu egrediuntur. Reliqua Matth. 15. v. 19.

Matth. 15. v. 19. furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, [22] impudicitiæ, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. | κλοπαὶ, πλεονεξίαι, πονηρίαι, δόλος, ἀσέλγεια, ὀφθαλμὸς πονηρὸς, βλασφημία, ὑπερηφανία, ἀφροσύνη.

NEQVITIÆ. πονηρίαι malitiæ πονηρὸν Græci vocant hominem ad malè agendum exercitatum: itaque πονηρίαι inue-

inueteratam malitiam declarat, omnium scelerum matrem. IMPVDICITIÆ. ἀσέλγειαι proteruiæ, lasciuiæ. Alij legunt numero singulari ἀσέλγεια proteruia, impudicitia. OCVLVS MALVS. Hebraica inuidiæ periphrasis. vide Matth. 20. v. 15. STVLTITIA. ἀφροσύνη amentia, cùm quis ea agit quæ à ratione aliena sunt. Reliqua Matth. 15. v. 19.

πάντα ταῦτα τὰ πονηρὰ ἔσωθεν [23] ἐκπορεύεται, καὶ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. | Omnia hæc mala abintus procedunt, & communicant hominem. Matth. 15. v. 20.

MALA. τὰ πονηρὰ scelera. ABINTVS PROCEDVNT. intus exeunt, vt mox. Reliqua quære Matth. 15. v. 20.

καὶ ἐκεῖθεν ἀναστὰς ἀπῆλθεν εἰς τὰ μεθόρια τύρου καὶ σιδῶνος· καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν, οὐδένα ἤθελε γνῶναι, καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν. | [24] Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Matth. 15. v. 21.

SVRGENS. profectus. FINES. τὰ μεθόρια confinia. Cæterùm in eundem sensum mox vtitur Euangelista voce simplici ὁρίων, infrà v. 31, ita vt rectè etiam hìc verterit Interpres *fines*. DOMVM quandam (quod addit Syrus) hospitium quoddam eius loci, cibi fortè sumendi gratia. VOLVIT. indicauit se velle ne quis sciret, ideoque prohibuit hospiti & reliquis præsentibus ne quem de aduentu suo certiorem facerent. Voluit porrò voluntate naturæ suæ humanæ propria, non ea tamen absoluta, sed eiusmodi quæ diuinæ se subiiceret. Matth. 26. v. 39. Voluit absque omni fictione, sed consideratione quadam, ob causam, & quidem hanc, quòd quiescere illic nonnihil vellet ab Euangelio prædicando & miraculis edendis, vt quod nec erat illic sui muneris, quod secundùm Matthæum præfatur. SCIRE aduentum seu præsentiam suam. ET pro sed. NON POTVIT quantumuis vellet, quantumuis prohiberet, quantumuis se occuleret; per ea omnia quæ egit ad hoc vt latere posset, *non adhuc potuit latere*. Potentia diuina absolutaque multi suppetebant ipsi latendi modi: sed quia imminebat, vt gentes reiectum à Iudæis reciperent, noluit ipsum Pater vel tum gentibus omnino abscondi.

ἀκούσασα γὰρ γυνὴ περὶ αὐτοῦ, ἧς εἶχε [25] τὸ θυγάτριον πνεῦμα ἀκάθαρτον, ἐλθοῦσα προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ. | Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit & procidit ad pedes eius. Matth. 15. v. 22.

STATIM. Statim diuulgatus est aduentus eius apud gentes illas, ita vt fama mox peruenerit & ad mulierem domi intentam curandæ filiolæ dæmoniacæ. DE EO. Syrus *profectionem eius*. FILIA. τὸ θυγάτριον filiola. INTRAVIT. ἐλθοῦσα cùm venisset. Syrus ܐܬܬ *vetath* & venit. Nec ex græco igitur nec ex Syro intelligitur mulierem introisse in domum (vt certè Matthæus extra domum historiam hanc contigisse clarè satis loquitur) potuit exspectasse mulier domo proditurum, aut certè tum demum aduenisse cùm Iesus egressus esset domo. Sed quia domus hìc facta erat mentio, intellexit latinus Interpres, *venisse* positum esse pro *intrasse*. Quod si verum est, intellige, mulierem ingressam domum, supplicasse pro filia, Iesumque cum discipulis egressum domo nullo dato responso subsequutam, ingeminatis clamoribus, & cætera deinde quæ Matthæus & Marcus narrant. ET. additum est ab Interprete, qui participium mutarat cum verbo. PROCIDIT. προσέπεσε accidit.

(ἦν δὲ ἡ γυνὴ ἑλληνὶς, συροφοινίκισσα τῷ γένει) καὶ ἠρώτα αὐτὸν ἵνα τὸ δαιμόνιον ἐκβάλλῃ ἐκ τῆς θυγατρὸς αὐτῆς. | [26] (Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere) & rogabat eum vt dæmonium eiiceret de filia eius. Matth. 15. v. 22.

ENIM. δὲ *autem*, quo modo & latinè legi, ac quidem rectiùs, nostro iudicio, docemus in Notis. GENTILIS religione. ἑλληνὶς græca. Mos loquendi Iudæorũ fuit, ex eo fortè tempore quo Græci rerum fuere potiti, vt omnes cuiuscumque nationis, diuersæ religionis à Mosaica, Græcos vocarent. Hinc antithesis illa inter *Iudæos* & *Græcos* frequentissimè obuia in epistolis Pauli. Rom. 1. v. 16. 2. v. 9. 10. 3. v. 9. 10. v. 12. 1. Cor. 1. v. 22. Gal. 3. v. 28. Quare rectè Interpres vertit *gentilis*, quod est, ethnica, religione prophana. SIROPHOENISSA. Phœnicia est regio illa Asiæ ac Syriæ in qua Tyrus & Sidon sitæ sunt: Tyrij enim & Sidonij auctoribus omnibus Phœnices vocantur: de quibus est illud Lucani: *Phœnices primi (fama si creditur) ausi Mansuram rudibus vocem signare figuris*. Ab his cùm in alias orbis regiones ductæ coloniæ simile nomen sortitæ sint (hinc enim Pœni & Punica regna & Libyophœnices in Africa) vocantur ipsi distinctionis causa *Syrophœnices*, eò quòd in Syria sita sit ipsorum regio. Nam Syriæ nomine, quod annotauimus Matth. 4. v. 24, omnes illæ Asiæ regiones comprehenduntur, quæ inter mare mediterraneum ab occasu & Euphraten fluuium ob ortu iacent. Quare syricum Euangelium, pro *Syrophœnissa*, legit ܡܢ ܦܘܢܝܩܐ ܕܣܘܪܝܐ *Men Pouniki desouroio*, quod est, ex Punicia Syriæ. Græcorũ igitur loquendi morem sequutus Marcus, *Syrophœnissam* dixit; Matthæus sequutus veterem Hebræorum, *Chananæam*, quod idem vnum est. DE. *in* ex. EIVS. ipsius.

Qui

Matth.15. v.26.

Qui dixit illi: Sine priùs saturari [27] filios: non est enim bonũ sumere panem filiorũ & mittere canibus.

ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ· ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα· οὐ γὰρ καλόν ἐστι λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις.

SINE PRIVS. Reiicit mulierem tamquam præposterè & quasi arrogantiùs agentem, quæ media velut cæna in mensam inuolet, cùm exspectandum sit catellis dum saturi sint liberi. Sine, inquit, vt Iudæis Dei filiis priùs per me satisfiat doctrina ac miraculis: vbi illis satisfactum fuerit, tunc accurre, vt canes solent dum ciborum quibus pasti sunt liberi auferuntur reliquiæ. Durum responsum, quo tamen spes nonnihil huic mulieri ac gentibus omnibus dabatur, cibum vitæ & ipsis (sed saturatis aut certè fastidientibus Israëlitis) donandum, hoc est, fore vt & ipsi aliquando euangelium regni audirent, & Christo eiusque beneficiis fruerentur. Cæterùm intelligere non oportet, virtutem Christi imparem fuisse alendis simul Iudæis & Gentibus, sed vtendum fuisse ordine à Deo decreto. Intelligendum itaque hîc datur, licuisse Iudæis cibo vitæ vesci ad saturitatem vsque, Christo, & largissimè ipsis proponente, &, ne quid quererentur, aliis etiam cupidè appetentibus negante, nisi maluissent ipsi fastidire ac respuere, dignè vltione diuina. SVMERE, nondum saturatis filiis. Reliqua huius versus conueniunt cum Matth. 15. v. 26.

Matth.15. v. 27.

At illa respõdit & dixit ei: Vtique [28] Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

ἡ δὲ ἀπεκρίθη καὶ λέγει αὐτῷ· ναὶ κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ὑποκάτω τῆς τραπέζης ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν παιδίων.

VTIQVE. ναὶ etiam vertit secundùm Matthæum. NAM ET. καὶ γὰρ etenim, vt secundùm Matthæum. PVERORVM. τῶν παιδίων liberorum. Reliqua lege Matth. 15. v. 27.

Matth.15. v.28.

Et ait illi: Propter hunc ser- [29] monem, vade, exiit dæmonium à filia tua.

καὶ εἶπεν αὐτῇ· διὰ τοῦτον τὸν λόγον, ὕπαγε, ἐξελήλυθε τὸ δαιμόνιον ἐκ τῆς θυγατρός σου.

HVNC SERMONEM quo magnam adeò fidem declarasti. *Efficax sermo ex efficaci fide prodibat*, ait Victor Antiochenus. VADE, abi domum, inuenies filiam sanam. EXIIT. Non exierat priusquam Christus istud diceret, sed exiit simul ac istud dixisset: voluit enim dæmonium his verbis eiicere, vsus enũciatione operatiua, quæ tum demum vera est cùm fuerit integrè prolata. A. ἐκ ex. Reliqua quære Matth. 15. v. 28.

Matth.15. v.28.

Et cùm abiisset domum suam, [30] inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

καὶ ἀπελθοῦσα εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, εὗρε τὸ δαιμόνιον ἐξεληλυθὸς, καὶ τὴν θυγατέρα βεβλημένην ἐπὶ τῆς κλίνης.

ABIISSET. s. illa. PVELLAM. τὴν θυγατέρα filiam. Syriacè legitur eo ordine quo latinè; græcè autem inuerso ordine: *inuenit dæmonium exiisse, & puellam iacentem super lectum.* IACENTEM. quietis gratia. βεβλημένην ad verbum proiectam. Puella, quæ quamdiu à dæmonio agebatur inquieta erat, mox vt liberata est iecit se in lectum, & ad quietem composuit, defatigationis, cuius dæmon auctor fuerat, leuandæ causa. EXIISSE. ἐξεληλυθὸς ad verbum *egressum*. s. iuxta sermonem Iesu.

Matth.15. v.29.

Et iterũ exiens de finibus Tyri, [31] vênit per Sidonẽ ad mare Galileę, inter medios fines Decapoleos.

καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων τύρου καὶ σιδῶνος ἦλθε πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων δεκαπόλεως.

ET. id est, tunc. ITERVM EXIENS, id est, regressus. non enim hîc iteratio egressus significatur, sed egressus ad redeundum eò vnde venerat, ex finibus Tyri in terram Israel. Sensus est, protinus eum rediisse ex finibus Gentium in regionem ouium Israelitidum, quibus missus erat Apostolus. DE. ἐκ ex.

VENIT PER SIDONEM. καὶ σιδῶνος ἦλθε *& Sidonis venit.* ita est græcè, ita & syriacè, suffragantibus Theophylacto & Euthymio græcis enarratoribus: quæ lectio perspicua est, consona euangelio secundùm Matthæum cap. 15. v. 29: *Et cùm transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ.* Latina lectio difficultates habet non minimas: quomodo Sidonem Gentium ciuitatem Saluator ingressus sit, vbi latere minimè potuisset, quin se manifestũ gentibus exhiberet, id quod refugiebat, qui ne in finibus quidem latere potuit quin ab illis sit agnitus? deinde quomodo egressus ex finibus Tyri per Sidonem iter fecerit ad mare Galilææ, à quo Sidonem longiùs multò abesse constat, quàm Tyrum? An igitur græcè ita legerit Interpres, an verò editio ipsius olim vitiata fuerit, incerta res est: constant certè sibi mutuò latini codices. INTER MEDIOS FINES ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων per, aut, in medium finium s. vênit. DECAPOLEOS, significatur Christum, vel transisse medios fines Decapoleos vt veniret ad eum locum mari Galilææ vicinum quem statuerat, vel peruenisse hæsisseque in mediis finibus Decapoleos, mari Galilææ vicinis. Est enim Decapolis, regiuncula mari Galilææ vicina, à decem vrbibus sic vocata, *quas intercursant*, quod ait Plinius, *& cingunt Tetrarchiæ*; videlicet Galilæa citra mare, Trachonitis vltra. vide Matth. 4. v. 25. & sup. 5. v. 20. Reliqua circa hunc versum quære Matth. 15. v. 29.

καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν μογιλάλον, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα. 32 Et adducunt ei surdum & mutum: & deprecabantur eum vt imponat illi manum.

Matth. 15. v. 30.

Et. illuc, nimirum circa mare Galilææ, cùm eò veniret. Adducunt. φέρουσι ferunt, pro composito προσφέρουσι offerunt. s. quidam. id est, offertur. Surdum. κωφόν. vox illa surdum hoc loco significat; Matth. 12. v. 22. & 15. v. 31. Mutum. μογιλάλον difficulter loquentem, impeditæ linguæ, balbum. nam mutus propriè ἄλαλος dicitur. Non prorsus igitur mutus erat, vt ij qui natura sunt surdi, sed impeditè admodum loquebatur: id quod etiam clarius fit ex v. 35 subsequente. Ex innumera miraculorum multitudine, quæ Matthæus generatim recenset cap. 15. v. 30, Marcus vnum insigne sibi describendum delegit, in quo singularibus Iesus visus est agendi modis: cuiusque fama fortassis occasio fuit, vt alij illi multi corpore vitiosi, de quibus Matthæus, integritatis recuperandę causa adducerentur. Scimus enim Euangelistas curiosè non referre quidquid à Christo gestum est: in miraculis vero sic esse parcos, vt pauca dumtaxat in exemplum attingant. Deprecabantur. παρεκάλουν deprecantur, rogant. nec enim facilè poterat pro se ipse rogare. Syrus præterito imperfecto vtitur vt Latinus. Imponat. Frequenter hunc ritum vsurpauit Christus, ita vt nihil rogent isti homines, nisi quod sciebant ei hactenus in vsu fuisse. vide Luc. 4. v. 40. Profitentur autem se credere, impositione manus Christi, liberari miserum hunc facilè posse à duobus quibus obnoxius erat malis, cæteroqui incurabilibus.

καὶ ἐπιλαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου κατ' ἰδίαν, ἔβαλε τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα αὐτοῦ, καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώσσης αὐτοῦ, 33 Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & exspuens tetigit linguam eius,

Apprehendens. ἐπιλαβόμενος accipiens, postquam accepisset. In plerisque libris est ἀπολαβόμενος abducens, postquam ab illorum manibus acceptum abduxisset. De turba. ex turba, extra turbam populi, non tamen extra discipulorum suorum & eorum à quibus hic offerebatur consortium. Seorsum. ne quid videretur ostentabundus agere coram turba, & popularem laudem affectare. *Seorsum accipit, quantùmque res sinit à turba seiungit*, ait Victor, *tum ne ad ostentationem diuina signa perficere videatur, tum maxime quo nos huiusmodi facto admoneat, vti animi candorem laudatamque ab omni fastu vacuitatem studiosè semper consectemur.* Misit. immisit, ingessit. Digitos svos in avricvlas eivs: haud dubium, indicem dexteræ manus suæ in aurem illius sinistram, indicem verò sinistræ in aurem illius dexteram, quasi terebrans vtrumque siue perforans & aperiens eius aures: videntur enim surdorum aures obstructæ re aliqua. Exspvens. πτύσας spuens, postquam spuisset s. in digitum suum, siue indicem siue salutarem. Tetigit digito saliua tincto lingvam eivs. Quia balborum lingua præ oris siccitate palato faucibúsve adhærescere, eamque ob causam difficulter, quod vult eloqui videtur humectat saliua sua Iesus huius linguam: per saliuam enim lingua mobilis ac volubilis redditur. Porrò his agendi modis, quibus membra affecta Iesus attingit (quos constat naturâ suâ nihil ad rem facere tametsi similitudinem aliquam referant causarum naturalium, quod ostendimus, significat id quod verè à se agitur, se inquam huius aures aperire & linguam soluere, idque virtute ex se exeunte, & quidem ex carne sua, vt instrumento diuinæ naturæ suæ (carnem enim suam esse viuificatricem & sua omnia salutifera esse quo consilio aliàs toto corpore laborantibus solet manus imponere. Luc. 4. v. 40. *Insert digitos in aures eius*, inquit Victor, *cum solo verbo miraculum patrare valuerit, quo corpus, modo qui verbis exprimi non queat, ipsi vnitum, animaque intelligenti ac rationali informatum, diuinæ virtutis vim & energiam obtinere commonstret.* Potuisset haud dubium, vnica manus impositione, quam fuerat rogatus, immo ne moto quidem digito, solo hunc sermone nutúve sanare, quemadmodum aliàs sæpe multos sanauerat: sed visum est illi, has illásve aliquando ceremonias adhibere, quatum vsum iudicabat vtilem esse præsentibus, ac præsertim discipulis, qui suo tempore intellecturi & aliis expositurі essent, quid mysterij huiusmodi actionibus voluisset significatum. Nam quòd amplius quid hîc significarit, quàm se esse illum, cuius proprium sit loquendi facultatem in mutos, audiendi in surdos transfundere, docuit Ecclesia catholica, dum à Spiritu sancto docta intellexit, Christi mentem fuisse, vt hos ritus ad baptismum adhiberet: quibus admoneremur, nobis natis surdis ac mutis, priusquam renati, à Christo redemtore fuerimus reformati (surdis inquam ad audienda & amplectenda Dei verba & ea quæ salutis nostræ sunt, mutis ad confessionem nostræ turpitudinis & veritatis misericordiæque diuinæ) rectum ac salutarem linguæ & aurium vsum, à Domino Iesu per baptismum exspectandum esse, offerentibus nos ipsi & deprecantibus pro nobis amicis sponsoribus. Ipse est enim qui labia nostra aperit, ita vt annuncient laudem Dei (Psalm. 50. v. 17.) qui erigit, aperitque nobis aurem, vt audiamus quasi magistrum (Isa. 50. v. 4. 5. denique tunc nobis est salus, vbi ipse donis Spiritus sui, qui digitus est Dei, aures mentis nostræ; & saliua cælestis sapientiæ, quæ ipse est ex ore Altissimi prodiens, linguam animi nostri, dignatur contingere.

καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐστέναξε, καὶ λέγει αὐτῷ, ἐφφαθά, ὅ ἐστι, διανοίχθητι. 34 & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi, Ephphetha, quod est, adaperire.

Svspiciens. ἀναβλέψας postquam suspexisset. In cælvm ad Patrem, vt doceret inde nostri instaurationem & medelam omnem esse petendam. Ingemvit miseratus miserias huius & cæterorum omnium

 nium

nium hominum, peccata in primis, tum cæteras in quas inciderant ob peccata. Non ergo ingemuit ob difficultatem quam pateretur patrandi aut à Patre impetrandi huius miraculi, sed quòd hominum miseriis condoleret, *quod humana natura causam dolore & commiseratione prosequeretur*, quod ait Victor. *Expendebat enim*, inquit, *in quantam calamitatem & miseriam, omnis bona honestaq. actionis hostis diabolus, primorumque parentum incuria & lapsus, illum deiecisset*. Quòd igitur suspexit in cælum & suspirauit, vtrumque orantis fuit, & quidem vehementissimo affectu orantis, gemitu inquam adhibito, ac singularem erga homines amorem declarantis: ita enim solet aliquando, miraculis orationem præmittere, vt significet, se, virtute à Deo Patre, à quo missus fuerat, accepta, operari. id quod ipse ita declarat Ioh. 11. v. 41. 42. ILLI surdo ac muto. EPHPHETHA. Vox syriaca siue syrochaldaica est, deducta à radice cõmuni Hebręis, Syris, & Chaldęis, פתח *patah* siue *petah*. Est autē imperatiuus passiuus Syris & Chaldæis, qui integrè scribatur ܐܬܦܬܚ *Ethpethah* siue *Ethpathah*, quo modo syriaca editio hoc loco scribit: sed potest omitti litera ܬ *thau* seruilis, duplicata litera radicali ܦ *phe*: id quod sequutus Euangelista scripsit ἐφφαθὰ seu *Ephphetha*: veteres enim literam hebraicam פ pronunciabant, non vt *p*, sed vt φ gręcum, *ph*, teste D. Hieronymo in fine commentarij capitis vndecimi Danielis prophetæ: adspiratio autem literæ vltimæ, vt græcè nequit, ita latinè haud consueuit, exprimi. Porrò quod syriacum vocabulum, quo Saluator est vsus ad patrandum hoc miraculum, Euangelista retinuit, fecit, non ideò quòd illi vocabulo ea lingua maior vis insit, quàm si alia fuisset lingua expressum (quamuis enim sermo Christi maximæ sit efficacitatis, quatenus instrumentum est voluntatis Christi omnipotentis: tamen efficacitas illa, non in sono literarum hebraicarum vel syriacarum sita est, at in significatione, quæ interpres est voluntatis Christi. sed, vt alibi diximus, quòd voluerit lectorem tamquam in rem præsentem adducere, quasi audiret Iesum ipsum loquentem, & sua verba sonantem: id quod vt historiæ plus fidei, ita verbis auctoritatis amplius conciliare valet: quemadmodum nobis vsitatum est, Platonis aliorumque sapientum sententias, ea lingua citare qua editæ sunt, quòd ea plus gratiæ, ponderis, maiestatisque præ se ferre videantur. Plura hac de re quære supra 5. v. 41. QVOD EST ADAPERIRE. Hanc interpretationem syriaca editio non addit, quia vox *Ephphetha*, ipsa syriaca est, vt diximus. ADAPERIRE. adaperitor, apertus esto. est enim imperatiuus passiuus, qualis ille sup. 1. v. 41. leproso dictus *Mundare*. Quum mox suspexerit in cælum, tamquam homo patrem orans, iam tamquam Deus imperat vt fiat, declarans se à Patre habere, non solùm facultatem, sed & auctoritatem, vnaque cum Patre operari omnia. *Vbi vtraque*, inquit Beda, *vnius eiusdemq. mediatoris Dei & hominum natura manifeste distincta est. Suspiciens enim in cælum, quasi homo Deum precaturus ingemuit: sed mox vno sermone, quasi diuina potens maiestate curauit*. Alloquitur autem non tam hominem, quàm hominis naturam, nec tamen quidquam iubet quod vel in hominis vel in naturæ hominis potestate sit, sed iubet iubendoque efficit ac donat, vt sit hic homo qualis non erat, vt restituatur natura huius in statum integrum &, vt Paulus loquitur, *vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt* (Rom. 4 v. 17.) denique sicut in exordio mundi verbo *fiat* omnia creauerat, ita verbo *fiat* hominem hunc vitiatum restaurat. *Adaperire* inquit, summum penes se imperium esse demonstrās vt quidlibet faciat, nominatim vt huius hominis natura aperiatur, idque tam quod ad linguam quàm quod ad aures (laborabat enim vtroque membro) nam & lingua aperiri dicitur (Luc. 1. v. 64.) & פתח *patah* non solùm aperire, sed & soluere significat, vt certè aperitur omne quod soluitur. q. d. Liberas aures linguamque habeto.

Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.	35	καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαί, καὶ ἐλύθη ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει ὀρθῶς.

ET STATIM. Statim itaque. Iussum verbi res ilicò sequuta est. *Hæc dixit*, inquit Victor, *vnáque cum verbo miraculum in opus abiit*. APERTÆ SVNT. διηνοίχθησαν adapertæ sunt, vt mox vertit. Metaphoricus sermo est: videbantur clausæ, quòd officio non magis fungerentur, quàm si de industria clausæ fuissent, eò quòd vel obstructæ essent clauis carneis aut prauis humoribus, vel certè læsæ: apertas igitur dicit, quia naturali vsui restitutæ & ad audiendum aptæ redditæ sunt. VINCVLVM. impedimentum. Videtur balborum lingua vinculis retenta, palato faucibúsve adhærescere, ne liberè voluatur loquatúrve. ET. ita vt loqueretur RECTE. perfectè, promtè, expeditè, citra balbutiem omnem (Syrus facillimè) &, quod relinquitur subaudiendum, clarè audiret. *Quomodo enim*, inquit Victor, *non rectè loqueretur recteque audiret, cùm naturæ opifex id expleret, quod naturæ deerat*: Non enim curabat Iesus medicorum more, qui & longum tempus requirunt, & plerumque reliquias veteris vitij relinquunt. Porrò vt ex hoc loco intelligitur, quòd hic homo non fuerit planè mutus, id est, ἄλαλος, sed μογιλάλος: ita intelligitur quòd non fuerit surdus à natiuitate. nam huiusmodi nihil queat loqui, etiam omni linguæ impedimento sublato: non enim loquitur homo, quod non didicerit. Duplex igitur miraculum hîc fuit, vnum restituti auditus, alterum ablatæ balbutiei.

Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant,	36	καὶ διεστείλατο αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν. ὅσον δὲ αὐτὸς αὐτοῖς διεστέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον,

PRÆCEPIT. vide supra 5. v. 43. ILLIS qui sanatus fuerat & qui eum adduxerant. NE CVI DICERENT. quòd huius cum balbutie surditatem sanasset. QVANTO AVTEM s. magis ὅσον δὲ quantumcumque vel quidquid autem. EIS. αὐτὸς αὐτοῖς ipse eis. PRÆCIPIEBAT. s. ne cui dicerent, vt celarent rem. TANTO MAGIS PLVS. Exaggerandi causa additur *plus*, cæteroqui superfluum. μᾶλλον περισσότερον magis amplius, id est, multo amplius s. quàm si ille non prohibuisset. PRÆDICABANT. publicabant omnibus. tanto ampliùs prouocabantur ad prædicandum. sicut leprosus ille mundatus sup. 1. v. 45. & cæci illi illuminati Matth. 9. v. 31. *Docemur hoc loco*, inquit Theophylactus, *quòd quando benefacturi*

duri sumus, ne plausus vel celebritates ex beneficiis quæramus: quum autem beneficia acceperimus, vt benefactores, licet ipsi recusent, laudemus & prædicemus. Vt enim illud est hominis verè benefici, ita hoc grati.

καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες· καλῶς πάντα πεποίηκε· καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν. 37

& eo ampliùs admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

ET EO AMPLIVS. καὶ ὑπερπερισσῶς & superabundanter, id est, supra modum. ADMIRABANTVR. ἐξεπλήσσοντο percellebantur, obstupefiebant, omnes scilicet, non soli illi qui hunc adduxerant: sed & turba vniuersa, quæ ex his intellexit quid factum esset, & suis etiam oculis vidit. omnes attoniti ac perculsi, hoc vehementiùs suspiciebant magnitudinem Iesu, quòd cùm talia posset & præstaret, non solùm nihil exigeret præmij, sed ne gloria quidem tam insignium operum cuperet frui. BENE. Subest antithesis, qua significat turba, impios esse & malignos, quicumque eius factis obtrectant: quandoquidem summam laudem omnia mereantur, & beneficia in crimen atque inuidiam iniquè trahantur. Est enim applausus atque acclamatio, approbantium ea omnia quæ abs Iesu gerebantur. q. d. Nihil ab eo agitur quod reprehensionem, qualem Pharisæi fingunt, mereatur: nihil enim facit, quod bonum non sit, & non in maximam hominum redundet vtilitatem: omnia ipsius miracula, nostra sunt beneficia. FECIT. id est, facit. præteritum pro præsenti. FECIT AVDIRE. ποιεῖ ἀκούειν facit audire, facit, vt & surdi audiant, & muti loquantur, quoties opus est: nullum est hominum malum, quod vel non possit, vel non velit auferre. MVTOS LOQVI. τοὺς ἀλάλους λαλεῖν non loquentes loqui, infantes fari, seruata gratia paronomasiæ. Balbum inter mutos numerant, paruum est enim discrimen, videturque hic insigniter balbutiisse: & pluraliter loquuntur, quia mens illorum est, non ea tantùm commemorare quæ nunc, sed & ea quæ aliàs acciderant: quamquam sufficerent quæ nunc acciderant, quando Iesus, non hunc solum surdobalbum, sed & plures alios, mutos, surdos, cæcos, similesque sanauerat, quod testatur Matthæus cap. 15. v. 30.

CAPVT OCTAVVM.

Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, παμπόλλου ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων τί φάγωσι, προσκαλεσάμενος ὁ Ἰησοῦς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγει αὐτοῖς· 1

In diebus illis, iterum cùm turba multa esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis:

Matth. 15. v. 32.

IN DIEBVS ILLIS. tertio die ab eo quo dictus est suprà 7. v. 31. venisse ad mare Galilææ. id quod intelligitur ex Matthæi præsertim narratione, cap. 15. ITERVM. Respicit miraculum panum suprà cap. 6. descriptum, simile ei quod iam narrare aggreditur: quamquam non est syriacè neque ferè græcè *τὸ iterum.* MVLTA. παμπόλλου multa omnino, admodum multa. facit id ad miraculi amplificationem. NEC HABERENT. s. turba. CONVOCATIS. προσκαλεσάμενος cùm aduocasset. Græcè additur ὁ Ἰησοῦς, quod latinè & syriacè non exstat. Reliqua quære Matth. 15. v. 32.

σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον, ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι, καὶ οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι· 2

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent:

Matth. 15. v. 32.

ECCE rem miram & difficilem. quamquam non additur *ἰδοὺ ecce* græcè: syriacè legitur, sed loco *ἤδη iam.* SVSTINENT ME. *perseuerant mecum* vertit secundùm Matthæum. Reliqua lege Matth. 15. v. 32.

καὶ ἐὰν ἀπολύσω αὐτοὺς νήστεις εἰς οἶκον αὐτῶν, ἐκλυθήσονται ἐν τῇ ὁδῷ. τινὲς γὰρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκασι. 3

& si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. quidam enim ex eis de longè venerunt.

Matth. 15. v. 32.

DOMVM SVAM. domos suas. singulare, hebraico more collectiuè acceptum, pro plurali. QVIDAM ENIM EX EIS. illi præsertim qui DE LONGE. Longi itineris conficiendi vt domum redirent, adeoque omnium eos ceperat obliuio, præ eo quo in Iesum ferebantur ardore. Reliqua vide Matth. 15. v. 32.

καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· πόθεν τούτους δυνήσεταί τις ὧδε χορτάσαι ἄρτων ἐπ' ἐρημίας; 4

Et responderunt ei discipuli sui: Vnde illos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine?

Matth. 15. v. 33.

VNDE. quomodo, qua ratione, vel quo ex loco, quum scilicet in solitudine versemur. ILLOS τούτους hos. Hîc. vt alibi possit. PANIBVS. vel panibus, vt de obsonio taceamus. Reliqua quære Matth. 15. v. 33. & suprà 6. v. 37.

Matth. 15. v. 34. Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. | 5 καὶ ἐπηρώτα αὐτούς, πόσους ἔχετε ἄρτους; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά.

Matth. 15. v. 35. 36. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram: & accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent: & appoſuerunt turbæ. | 6 καὶ παρήγγειλε τῷ ὄχλῳ ἀναπεσεῖν ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους, εὐχαριστήσας ἔκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἵνα παραθῶσι· καὶ παρέθηκαν τῷ ὄχλῳ.

ET tunc. PRÆCEPIT. παρήγγειλε denunciauit. ſignificauit per diſcipulos. GRATIAS AGENS. Syrus benedixit. Reliqua horum duorum verſuum pete ex Matthæo.

Et habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit & iuſſit apponi. | 7 καὶ εἶχον ἰχθύδια ὀλίγα, καὶ εὐλογήσας εἶπε παραθεῖναι καὶ αὐτά.

ET HABEBANT. Habebant præterea diſcipuli ſeu familiares ipſius. ET IPSOS BENEDIXIT. καὶ εὐλογήσας. ſ. αὐτά, quod quidam etiam legunt, id eſt, cùm benedixiſſet. ſ. illos. Syrus: *Et etiam ſuper illos benedixit.* Hinc intelligere licet, quòd & panibus mox benedixerit, licet id disertis verbis non ſit dictum (non enim circa piſces aliud egit quàm circa panes) quodque verum ſit id quod Matth. 15. v. 36. & 26. v. 26. & Iohan. 6. v. 11. annotauimus, gratiarum actione benedictionem comprehendi. ET IVSSIT. εἶπε dixit. APPONI. παραθεῖναι apponere. ſ. turbæ. Additur græcè καὶ αὐτά & ipſos. Interpres locum iuxta ſenſum vertit. Reliqua quære Matth. 15. v. 35. & 36.

Matth. 15. v. 37. Et manducauerunt & ſaturati ſunt: & ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas. | 8 ἔφαγον δὲ καὶ ἐχορτάσθησαν· καὶ ἦραν περισσεύματα κλασμάτων, ἑπτὰ σπυρίδας.

ET MANDVCAVERVNT. ἔφαγον δὲ comederunt autem. ſ. turbæ. SVSTVLERVNT diſcipuli. QVOD SVPERAVERAT DE FRAGMENTIS. περισσεύματα κλασμάτων quæ ſuperfuerant fragmentorum. Reliqua vide Matth. 15. v. 37.

Matth. 15. v. 38. 39. Erant autem qui manducauerunt quaſi quatuor millia: & dimiſit eos. | 9 ἦσαν δὲ οἱ φαγόντες ὡς τετρακισχίλιοι· καὶ ἀπέλυσεν αὐτούς.

QVASI. circiter, plus minus. Matthæus ſimpliciter ait quater mille: quod enim parùm diſtat, nihil diſtare videtur, præter hoc quod fieri potuit vt excelſerint eum numerum. Reliqua quære Matth. 15. v. 38. 39.

Matth. 15. v. 39. Et ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis, vênit in partes Dalmanutha. | 10 καὶ εὐθέως ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά.

ASCENDENS. ἐμβὰς εἰς inſcendens in. PARTES. agros locaque vicina, quæ Matthæus *fines* vocat. DALMANVTHA oppidi. Matthæus *Magedan*. Veriſimilior aliis eſt ea ſententia, quæ habet, Magedan & Dalmanutha oppida duo fuiſſe ſibi mutuò vicina, eaque ex vicinitate factum eſſe, vt eædem partes iidemque fines & vnius habeantur & alterius, quemadmodum accidit in Tyro & Sidone. Reliqua leges Matth. 15. v. 39.

Matth. 16. v. 1. Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo ſignum de cælo, tentantes eum. | 11 καὶ ἐξῆλθον οἱ Φαρισαῖοι, καὶ ἤρξαντο συζητεῖν αὐτῷ, ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ σημεῖον ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, πειράζοντες αὐτόν.

ET tunc. EXIERVNT. ſ. ad eum. Phraſis eſt hebraica, pro venerunt ad eum: qua ſignificantur eo conſilio locis ſuis egreſſi, vt venirent ad Ieſum eumque aggrederentur; aut certè ex antecedente datur intelligendum conſequens. CONQVIRERE, ita ſonat κατὰ λέξιν: quod græcè eſt συζητεῖν, pro altercari, diſputare, id eſt fingere vana argumenta, quibus miracula auctoritatemque ipſius oppugnare, vel apud vulgus eleuare conabantur. QVÆRENTES. Quum victi rationibus eſſent, intelligere licet extremum hoc illis fuiſſe ſuffugium: vt obſtinati homines, quoties redacti ſunt ad extrema, ne tamen veritati ſubſcribere cogantur, aliquid extra cauſam ſolent obtendere. Reliqua huius verſus vide Matth. 12. v. 38. & 16. v. 1.

Matth. 16. v. 4. Et ingemiſcens ſpiritu ait: Quid generatio iſta ſignum quærit? | 12 καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ λέγει· τί ἡ γενεὰ αὕτη σημεῖον ἐπιζητεῖ;

ἀμὴν

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον.

Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.

Et. ipse autem. Ingemiscens. ἀναστενάξας quum ingemuisset. Spiritu. ex intimo corde ipsisque animi sui penetralibus. nam græcè & syriacè additur αὐτοῦ suo. Alta duxit suspiria & ex animo tristatus est, ob eam quam agnoscebat peruersitatem ipsorum incurabilem, quum videret ingratos homines Deo præfractè resistere, & quidquid haberent ingenij eò conferre, vt verbi & operum Dei fulgorem suis nebulis obscurarent. Qvid. cur, quam ob causam. q. d. nulla est, tot signis suppetentibus. Tota huius orationis indoles intelligitur ex pronunciatione. Neque enim simpliciter interrogat Dominus, sed expostulat potiùs summo cum dolore de tanta pervicacia. Amen dico. verè affirmo ac iuro. Si. Solet hæc particula ab Hæbræis adhiberi in iureiurando imprecatiuo, quando is qui iurat Deum simul aduocat vltorem si peieret. Et quidem, quum plenam sententiam cõcipiunt, imprecatio ipsa disertè ponitur: vt 2. Reg. 3. v. 35. ait Dauid: *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, si ante occasum solis gustauero panem*: pro quo Latini dicunt: *Emoriar, vel dispeream*. Aliàs verò relinquitur subaudienda imprecatio huiusmodi, vt Psalm. 131. v. 3: *Si introiero in tabernaculum domus meæ*. Porrò Deo iurante, vt Psal. 88. v. 36: *Si Dauid mentiar*; rursus Psal. 94. v. 11: *Si introibunt in requiem meam*, subaudiendum est aliquid Deo congruum, Non sim Deus, aut aliquid simile. Sic hoc loco: *Si dabitur generationi isti signum*. s. non sim is qui haberi volo, Christus Filius Dei viui, aut aliud simile. Aposiopesi enim vtitur, figura quæ conuenit grauiter commotis, graui ipse dolore commotus Dominus Iesus. Signvm pro suo arbitratu. Nouum illi signum petebant ipsorum arbitrio edendum, non ex iis quę exspectanda & obseruanda indicabantur in sacris libris: atqui diuini consilij rationis pro huiusmodi hominum arbitrio & libidine mutandæ non erant. Matthæus addit *Nisi signum Ionæ*: verùm illud non erat tale signum quale illi petebant. vide Matth. 12. v. 39. & 16. v. 4.

καὶ ἀφεὶς αὐτοὺς, ἐμβὰς πάλιν εἰς πλοῖον, ἀπῆλθεν εἰς τὸ πέραν.

13 Et dimittens eos, ascendit iterum nauim, & abiit trans fretum. Matth. 16. v. 4.

Dimittens. ἀφεὶς. relictis melius congruisset, vt secundùm Matthæum, quamquam illic est καταλιπών. nam ex ἀπολύειν vertere solet dimittere. Abiit. rediit. Trans fretvm. εἰς τὸ πέραν in vlteriorem. s. ripam, è qua venerat. vide Matth. 16. v. 4.

καὶ ἐπελάθοντο λαβεῖν ἄρτους, καὶ εἰ μὴ ἕνα ἄρτον οὐκ εἶχον μεθ᾽ ἑαυτῶν ἐν τῷ πλοίῳ.

14 Et obliti sunt panes sumere: & nisi vnum panem non habebant secum in naui. Matth. 16. v. 5.

Obliti svnt discipuli eius. Vnvm qui non poterat reficiendæ eo die familiæ sufficere. Reliqua Matth. 16. v. 5.

καὶ διεστέλλετο αὐτοῖς λέγων· ὁρᾶτε, βλέπετε, ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν φαρισαίων καὶ τῆς ζύμης ἡρώδου.

15 Et præcipiebat eis dicens: Videte, & cauete, à fermento Pharisæorum & fermento Herodis. Matth. 16. v. 5.

Videte et, ab aliis libris omittitur &, iuxta græca & syra. Cavete. βλέπετε cernite, id est, προσέχετε cauete, quod habet Matthæus. Nam βλέπειν cùm de oculis propriè dicatur, hoc loco ad animum transfertur. Porrò, reduplicatio illa, *videte, cauete*, præcepti exaggerationem demonstrat. Herodis, id est, Sadducæorum. Cùm Matthæus disertè doceat, illorum fermento interdictum discipulis à Saluatore fuisse, cũ quibus ipsi proximè fuerat negotium, Pharisæorum & Sadducæorum; verisimile fit, Herodem à Marco nominatum pro Sadducæis, quòd exemplũ vitæ Sadducaicæ id temporis clarissimè reluceret in Herode, qui idcirco illorũ fautorem ageret, quòd doctrina illorum suo viuendi generi optimè congrueret, ita instituto, quasi nulla foret, post mortalem istam, siue corporis siue animæ vita, quæ Sadducæorum est opinio. Nam quod suprà 6. v. 16. Herodes de Iohannis resurrectione philosophatur, à metu non à fide extorta cõfessio fuit, homini pessimè sibi conscio. Cæteroqui enim mundana prorsus fuit tam fides ipsius quàm vita, naturæ viribus humanæque prudentiæ rationibus nixa, adulterio, homicidio, cęterisque criminibus infamis, religionis res tantum curans, quantum ad regni & politicæ, quod aiunt, vitæ administrationem facere intelligebantur. huc enim ducebat Sadducæorum hæresis. Quò facit id quod Iosephus scribit lib. 18. Antiq. Iud. cap. 2. paucos fuisse sectæ Sadducæorum, sed ferè dignitate præcipuos. Reliqua huius versiculi quære Matth. 16. v. 6.

καὶ διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους λέγοντες· ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχομεν.

16 Et cogitabant, ad alterutrum dicentes: Quia panes non habemus. Matth. 16. v. 7.

Ad alterutrum. Interpres retulit ad *dicentes*, qui secundùm Matthæum *inter se* retulit ad verbũ *cogitabant*, res eòdem recidit. Alij qui ex διελογίζοντο vertunt discertabant, aut disputabant, huic iungunt πρὸς ἀλλήλους, & interpretantur alij aduersus alios, quemadmodum & Syrus, *vnus cum alio*. Reliqua Matth. 16. v. 7.

καὶ γνοὺς ὁ ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς· τί διαλογίζεσθε ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχετε;

17 Quo cognito ait illis Iesus: Quid cogitatis quia panes non habetis? Matth. 16. v. 8.

nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? | οὔπω νοεῖτε οὐδὲ συνίετε; ἔτι πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν;

QVO COGNITO. καὶ γνοὺς & cùm id nosset. COGNOSCITIS. νοεῖτε consideratis, animum aduertitis, ad ea quæ à me & fiunt & dicuntur? Minus aliquid νοεῖν, quàm id quod sequitur συνιέναι intelligere: nec enim quidquid consideramus, statim intelligimus. Reprehendit Dominus discipulorum incogitantiam, qui non satis attentum animum haberent ad ea consideranda quæ ab ipso siue fiebant siue dicebantur: ex quo consequebatur, vt ea etiam non intelligerent, loquentia virtutem, prouidentiam, sapientiamque ipsius: vt hoc loco non intellexerunt miracula multiplicatorum panum, & figuratum de fermento sermonem. Reliqua quære Matth. 16. v. 8. 9. CAECATVM. tenebris offusum. Syrus durum. πεπωρωμένην. vide suprà 6. v. 52.

[18] oculos habentes nõ videtis, & aures habẽtes nõ auditis, nec recordamini? | ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπετε, καὶ ὦτα ἔχοντες οὐκ ἀκούετε, καὶ οὐ μνημονεύετε;

NON VIDETIS opera mea. NON AVDITIS doctrinam meam, ita vt animum applicetis ad intelligendum & memoria retinendum? id enim sequitur NEC RECORDAMINI? Similes ne estis reprobis Iudæis, qui ex Dei maledictione, videntes vident & non vident, & audientes audiunt & non intelligunt? (suprà 4. v. 12.) An non sunt vobis aures audiendi quas toties requiro? Acribus illos increpat verbis.

Suprà 6. v. 43. Matth. 16. v. 9.

[19] Quando quinque panes fregi in quinque milia, quot cophinos, fragmentorum plenos, sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. | ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους, πόσους κοφίνους κλασμάτων πλήρεις, ἤρατε; λέγουσιν αὐτῷ, δώδεκα.

QVINQVE PANES. τοὺς πέντε ἄρτους illos quinque panes. Articulus in tota hac historia vim emphaseos habet. FREGI IN QVINQVE MILIA. distribui illis quinque milibus hominum. FRAGMENTORVM, saturis restantium. Reliqua Matth. 16. v. 9.

Suprà v. 8. Matth. 16. v. 10.

[20] Quando & septem panes in quatuor milia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: Septem. | ὅτε δὲ τοὺς ἑπτὰ εἰς τοὺς τετρακισχιλίους, πόσων σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων ἤρατε; οἱ δὲ εἶπον, ἑπτά.

SEPTEM PANES (s. fregi. τοὺς ἑπτὰ illos septem (sic & Syrus) s. panes, quod expressit Interpres latinus. QVOT SPORTAS FRAGMENTORVM. πόσων σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων. ad verbum: *Quot sportarum plenitudines fragmentorum*: id quod Syrus & recentiores quidam ita interpretantur, ac si scriptum esset vt versu superiori, πόσας σπυρίδας κλασμάτων πλήρεις *quot sportas fragmentorum plenas*. Alius: *Quot sportas ex reliquiis fragmentorum*. Reliqua Matth. 16. v. 10.

Matth. 16. v. 11.

[21] Et dicebat eis: Quomodo nõdũ intelligitis? | καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· πῶς οὐ συνίετε;

QVOMODO igitur. Non tã est interrogantis, quã admirantis simul & expostulantis. NONDVM INTELLIGITIS. procul adeò aberratis ab intellectu sermonis mei? Reliqua huius versiculi quære Matth. 16. v. 11.

[22] Et veniunt Bethsaidam: & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt illum tangeret. | καὶ ἔρχεται εἰς Βηθσαϊδάν· καὶ φέρουσιν αὐτῷ τυφλὸν, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν ἵνα αὐτοῦ ἅψηται.

ET VENIVNT. Inter hæc *veniunt* Iesus eiusque discipuli. Græcè & syriacè est singulare *venit* s. Iesus, cum discipulis videlicet, nauigio appellens eò. BETHSAIDAM, siue Bethsaida ἄκλιτον. Adiacebat hæc ciuitatula mari Galilææ, in ipsa Galilæa, contra partes Dalmanutha: descripta ea est à nobis Matth. 11 v. 21. ET ADDVCVNT, eò cùm aduenisset, adducitur. neque enim cæcus nisi ductus accedere poterat, & captabatur omnis occasio præsentiæ Iesu, ad impetrandam sanationem eorum qui laborabant. EI. Iesu. ROGABANT. παρακαλοῦσιν rogant. TANGERET. ἅψηται tangat, manibus, nihil dubitantes quin visum cæcus esset recepturus, si vel tantillum Iesu placeret operæ adhibere: *scientes*, inquit Beda, *quia tactus Domini, sicut leprosum mundare, ita etiam cæcum illuminare valeret*. sic enim aliàs viderant plurimos abs Iesu sanari.

[23] Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & exspuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. | καὶ ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς τοῦ τυφλοῦ, ἐξήγαγεν αὐτὸν ἔξω τῆς κώμης· καὶ πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ, ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ, ἐπηρώτα αὐτὸν εἴ τι βλέπει.

ET. Ipse autem Iesus. APPREHENSA. *Apprehendit manum eius, quasi cæci, ipse via & ductor*, inquit Auctor ille apud Chrysostomum. EDVXIT EVM, sequentibus haud dubium discipulis, & iis qui illum adduxerant. VICVM. τῆς κώμης pagum, castellum vertit aliàs, nominatim hoc ipso capite infra v. 27.

v. 27. Bethsaidam intelligi, quæ quidem Ioh. 1. v. 44. vocatur ciuitas, sed quia exigua erat, nec mœnibus cincta, instar vici, hîc vocatur vicus. Eduxit autem eum Iesus extra Bethsaidam, ne videretur, referendæ inanis gloriæ causa, coram populi multitudine, miracula patrare. vide simile suprà 7. v. 33. ET SPVENS. πτύσας spuens, postquam spuisset. Quidam notat, sputum humanum, nocere magis oculis quàm prodesse, ob excrementosam atque viscosam vim, ac proinde hîc fuisse miraculum in miraculo: alius notat, sputum prodesse mundandis oculis lippis & caligantibus: sed ille credo, de sputo phlegmatico, ex gutture extracto, hic de saliua in ore nata loquitur. Non est autem dubium, prout etiam Interpretes ferè intelligunt, quin puram saliuam Dominus Iesus adhibuerit: quæ & si lippis oculis prodesse queat, præsertim matutina ac ieiuna, ad cæcos tamen oculos illuminandos, nihil valet vt saliua: sed vt *Christi saliua, medicina fuit*, quod ait Auctor ille apud Chrysostomum, eaque visus est Dominus, vt ostenderet virtutem ex se exeuntem ad cæci istius illuminationem, adeóque nihil in se esse saluti repugnans, vt vel excrementa sui corporis salutem queant adferre, quod notauerat Euthymius suprà 7. v. 33. loco simili. IMPOSITIS MANIBVS. ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας & postquam imposuisset manus. SVIS. αὐτῷ ipsi, id est, eius oculis. sic enim interpretari oportere, docet versus 25. subsequens, vbi dicitur Iesus iterum imposuisse manus supra oculos cæci. Interpretes Latinus & Syrus, subaudito huiusmodi pronomine tertij casus, legerunt pronomen secundi casus αὐτοῦ suis. Adhibuit & manuum impositionem, vt omnino ipsum esse, non vim aliquam sputi naturalem, qui visum restitueret huic cæco, intelligeretur. Iesus qui nutu sanare poterat quemlibet cæcum, non statim restituit hominem, vt discipulis formam exhiberet, quantopere laborandum sit, priusquam ad veri cognitionem queant adduci, qui in errore iam inueterauerunt, laborandum inquam & verbo & opere: quo modo Græci hoc loco interpretantur, *sputum*, sermonem (*vtrumque enim ab ore egreditur*, inquit Euthymius) *manum*, operationem. INTERROGAVIT. non ignorans, sed vt adstantes intelligerent quid esset ei. SI. an QVID VIDERET. quibus verbis declarat, notum sibi esse, quòd nondum perfectè videat (quod annotat etiam commentarius ille Chrysostomo adscriptus) idque suæ non impotentiæ, sed voluntatis esse, eò quòd ipse illi id necdum dare voluisset.

καὶ ἀναβλέψας ἔλεγε· βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὡς δένδρα, περιπατοῦντας.	24	Et aspiciens ait: Video homines velut arbores, ambulantes.

ET ASPICIENS. καὶ ἀναβλέψας quum autem ille aspexisset siue respexisset, id est, oculos sustulisset, vt interpretatur commentarius ille apud Chrysostomum. significatur gestus habitúsque attollentis oculos ac palpebras, & explorantis num quid videat. VELVT ARBORES. id est, similes arboribus. *propter visus obscuritatem*, inquit Euthymius. AMBVLANTES. ad *homines* refertur, ad *arbores* non potest, quæ græcè neutro genere δένδρα vocantur. Ait igitur cæcus: Video homines ambulantes, sed nisi ambulatio faceret, discernere nequirem hominésne essent an arbores. Quibus verbis, fatetur se videre quidem aliquantulum, sed obscurè & imperfectè; se videre quidem corpora staturæ rectę, sed homines esse, non arbores, magis coniectura assequi, ex motu progressiuo, quàm visu. Tenuem admodumque imperfectam videndi facultatem receperat, qua corpora eorumque motum percipere posset, sed formam distinguere nequiret: videbat corporum molem, sed partes corporum integrales, caput, manus, pedes, à trunco corporum, atque à se mutuò, visu distinguere non valebat, denique inter hominem & arborem aliam differentiam non percipiebat, quàm ambulationem: *Formam quidem corporum inter vmbras aspiciens*, inquit V. Beda, *sed nulla membrorum lineamenta visu adhuc caligante discernere valens: quales condensæ arbores, a longe spectantibus, vel certe in luce nocturna, solent apparere, ita vt non facilè arbor an homo sit possit dignosci.* Proculdubio viderat cæcus iste aliquando, qui nouerat quæ esset inter homines & arbores similitudo, quæ dissimilitudo: cui quòd non statim perfectum visum Dominus restituerit, sed obscurum priùs confusúmque instillarit, deinde altera demum manuum impositione, integram aciem reddiderit, fuit hîc quid singulare, propter quod Marcus studiosè miraculum hoc commemorandum censuit. Consueuerat enim Iesus, non paulatim, sed momento temporis, ægros integræ restituere sanitati: at in hunc hominẽ quasi guttatim defluxit, quæ in alios omnes semel effusa fuerat, eius virtus. Voluit enim Iesus in hoc homine statuere documentum liberæ suæ dispensationis; ostendere, in se situm esse, operari prout vellet, siue integrè, siue ex parte, siue sensim, siue derepente, nec se adstringi ad certam normam, aut ad vnum sanandi modum, vt perfectam mox sanitatem conferret iis omnibus quos vellet iuuare (quamquam id plerumque idcirco fecit, ne locus dubitandi de promta ipsius virtute relinqueretur) sed pro suo libitu, nunc hoc nunc illo modo, virtutem suã proferre, & miracula edere, tamquam Dei Filius, non minister. Porrò quòd hunc cæcum potiùs quàm alium quemuis hac ratione paulatim sanauerit, verisimile est fuisse, quòd fides huius cæci fuerit admodum imperfecta, & eiusmodi quæ non nisi imperfectam sanationem admitteret, vt certè ipse nihil rogasse Iesum, sed alij pro eo leguntur. suprà v. 22. Noluisse enim Iesum, perfectè credentem mox perfectè sanare, tam à benignitate, quàm à consuetudine Iesu, alienum est. Potentiam igitur suam Iesus fide illius moderabatur, *tantumq; non hac oratione cæcum affabatur: Fiat tibi secundum fidem tuam*, quod ait Victor Antiochenus. Cæterùm sentiens cæcus iste operantem in se virtutem Iesu, visu quantumuis obscuriore recuperato, cœpit animo concipere perfectam fidem, qua perfectam impetrauit illuminationem. *Primò cæcum hunc imperfectè curauit*, inquit Euthymius, *vtpote imperfectè credentem, vt qui parum adhuc respiciebat, per modicum aspectum crederet perfectius, ac sanaretur perfectius: sapiens enim erat medicus.* similia habet Victor Antiochenus. Mysticè significatum voluit Iesus, homines tenebris ignorantiæ excæcatos, non subitò sed paulatim clara cognitione mysteriorum euangelicorum illustrari. *Ideò cæcum hunc Dominus paulatim*, ait Beda, *& non statim repentè curat, quem vno mox verbo, si vellet, poterat curare, vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostenderet, quæ quasi pedetentim, & per quosdam profectuum gradus, ad lucem diuinæ visionis* id est, ad scientiam rerum diuinarum) *solet peruenire. Scientiæ enim profectus sunt*, vt est apud Chrysostomum, *nec potest aliquis vna hora perfectam sapere sapientiam. Non nisi multo tempore ad perfectam scientiam potest quis peruenire.*

Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre: & restitutus est, ita vt clarè videret omnia. [25] εἶτα πάλιν ἐπέθηκε τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι· καὶ ἀποκατεστάθη, καὶ ἀνέβλεψε τηλαυγῶς ἅπαντας.

ITERVM. Iterat manuum impositionem, quia prior impositio perfectè non fuerat operata, non quia non valuerat, sed quia Ipse non voluerat, ob causas iam declaratas. Non vna doctoris aut prædicatoris institutione assequitur fidelis claram cognitionem mysteriorum regni Dei, sed opus est sæpius repetita adeoque continua. ET COEPIT. quod postquam fecisset Iesus, & manus ab oculis remouisset, cœpit homo ille VIDERE. ἀναβλέψαι adspicere, vt vertit versu superiori, id est, apertis oculis tentare an clarè videre posset. Hæc pericope, syriacè quidem omittitur, græcè autem paulò aliter legitur quàm latinè. καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι & fecit eum videre, id est, iussit illi vt respiceret, vt rursus exploraret re ipsa an perspicuè non cerneret. ET RESTITVTVS EST pristino visui, experientiâ didicit perfectum visum à se esse recuperatum. ITA VT VIDERET. καὶ ἀνέβλεψε & vidit. Hîc ἀναβλέπειν, non gestum conantis videre, sed actum videndi significat, & compositum pro simplici βλέπειν positum est, prout Interpres ipse intellexit.
CLARE. τηλαυγῶς componitur ex τῆλε eminus & αὐγὴ quod lucem ac splendorem significat: quare vim vocis vt exprimant quidam, duobus latinis verbis adhibitis interpretantur *eminus & dilucidè.* OMNIA. ἅπαντας omnes s. homines præsentes: sed rectiùs legitur latinè & syriacè neutro genere *omnia*, scilicet quæ aderant: vidit distinctè & clarè omnia, homines, arbores, tellurem &c. *Augmentum fidei, augmentum promeruit sanitatis*, inquit Euthymius; & Victor: *Ipsum visionis incrementum & accessio*, ait, *fidei incrementum & accessionem confirmat.*

Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, &, si in vicum introieris, nemini dixeris. [26] καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, λέγων· μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ.

ET. id est, tunc. MISIT. abire iussit. IN DOMVM SVAM. idque ne miraculi diuulgationem affectare videretur, illo in vicum introeunte aut huc illuc vagante: deinde vt domum ille sine duce abiens, experiretur quid beneficij esset consequutus: denique vt quietus ille domi operi suo intenderet, & labore manuum victum sibi compararet, nec ampliùs foris vagus stipem mendicaret, vt solent cæci. VADE IN DOMVM TVAM. hæc verba, quamquam nec græcè nec syriacè legantur, non sunt tamen latinè omittenda, immo quadrant optimè cum iis quæ latinè sequuntur. ET SI, vt domum vadas, IN HVNC VICVM, Bethsaidam inquam, INTROIERIS, quia illac sit iter tuum domum, NEMINI DIXERIS. s. illic, in vico, te mea opera à cæcitate esse liberatũ. Græcè & syriacè legitur: *Dicens: Neque in vicum ingrediaris, neque dixeris cuiquam in vico.* quod est, neque dixeris cuiquam eorum qui sunt, qui habitant in hoc vico, seu cuiquam qui sit ex hoc vico. Prohibet ne diuulget miraculum, idque ex causa iam sępius exposita. *Quod verò eum*, inquit Beda, *sicut & multos quos sanauerat alios, sanationem suam silentio tegere iubet, exemplum suis tribuit, ne de his quæ faciunt mirandũ, fauorem vulgi requirant, sed diuinis tantùm aspectibus, vbi & merces operum restat, sint placere contenti.* Præsertim verò in Bethsaida, quæ proxima erat, miraculum prohibet diuulgari, fortè ne ægrorum, qui mox adferendi essent, multitudine opprimeretur, & eo loci detineretur, quamuis statuisset proficisci in partes Cæsareæ Philippi: tum etiam ne gloriam ab illis venari videretur per miracula sua, coram quibus plurima iam ediderat, paruo cum euangelij salutisque ipsorum fructu, quem solum quærebat. vnde fit vt Matth. 11. v. 21. væ illis interminetur: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida*, &c. & Victor Antiochenus cum reliquis græcis annotent hoc loco, *Bethsaidæ incolas fuisse indignos, qui admirabile illud opus viderent vel audirent.* Cæterùm an tacuerit iste, an verò licet prohibitus diuulgarit miraculum, vt plerique alij, incertum est: certum est autem, non fuisse mentem Domini Iesu, vt semper lateret, quinpotiùs vt suo tempore, vnà cum euangelio, per vniuersum terrarum orbem, ipso ad dexteram Patris sedente, promulgaretur.

Matth. 16. v. 13. Luc. 9. v. 18.

Et egressus est Iesus & discipuli eius in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? [27] καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὰς κώμας Καισαρείας τῆς Φιλίππου· καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐπηρώτα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγων αὐτοῖς· τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι;

ET. Post hæc. EGRESSVS EST è Galilæa. IN CASTELLA. εἰς τὰς κώμας in vicos, prout Interpres ipse vertit superioribus versibus. Matthæus *in partes.* IN VIA. in eo itinere, non inter eundum, sed in statione aliqua, in qua & orauerat Patrem. Luc. 9. v. 18. Reliqua lege Matth. 16. v. 13.

Matth. 16. v. 14. Luc. 9. v. 19.

Qui responderunt illi dicentes: Iohannem Baptistam, alij Eliam, alij verò quasi vnum de prophetis. [28] οἱ δὲ ἀπεκρίθησαν· Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν, καὶ ἄλλοι Ἠλίαν, ἄλλοι δὲ ἕνα τῶν προφητῶν.

QVI RESPONDERVNT ILLI DICENTES. Græcè est οἱ δὲ ἀπεκρίθησαν Illi autem responderunt; syriacè: illi autem

tem dixerunt. Latinè vtrumque iunctum est. IOHANNEM. s. quidam te esse dicunt. QVASI VNVM. s. te esse dicunt, ita de te loquuntur quasi esses vnus. *Quasi* non legitur siue græcè siue syriacè: quo omisso clarior est sententia. DE PROPHETIS. τῶν προφητῶν prophetarū s. rediuiuum. Reliqua Matth. 16. v. 14.

καὶ αὐτὸς λέγει αὐτοῖς, ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; ἀποκριθεὶς δὲ ὁ πέτρος λέγει αὐτῷ, σὺ εἶ ὁ χριστός.	29 Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei: Tu es Christus.	Matth. 16. v. 15. 16. Luc. 9. v. 20.

TVNC. καὶ αὐτὸς & ipse. Obserua coniunctionem καὶ & hoc loco ab Interprete redditam per aduerbium *tunc*. CHRISTVS. ὁ χριστὸς ille Christus. Quòd addit Matthæus *Filius Dei viui*, Christi nomine hactenus comprehenditur, quòd promissio haberet Christum fore Deum & Filium Dei. Isa. 9. v. 6. *Hunc locum* ait Victor Antiochenus, *Matthæus præsentis Euangelista accuratius exponit. Marcus namque, ne quid in Petri magistri sui gratiam dicere videatur, cōpendio contentus, exactiorem historiæ explanationem prætermisit*. Reliqua Matth. 16. v. 15. 16.

καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ λέγωσι περὶ αὐτοῦ.	30 Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo.	Matth. 16. v. 20. Luc. 9. v. 21.

COMMINATVS EST. ἐπετίμησεν interminatus est, acrioribus verbis tamquam minis adhibitis præcepit. vide Matth. 8. v. 26. & 12. v. 16. NE CVI. ἵνα μηδενὶ vt nulli. DICERENT s. illud, nempe quòd ipse sit Christus. illud enim Matthæus & Lucas exprimūt. DE ILLO. de ipso, de se. Reliqua quære Matth. 16. v. 20.

καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτοὺς, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι.	31 Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus & à summis sacerdotibus & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere.	

DOCERE EOS. propiùs mysterium redemtionis humanæ. FILIVM HOMINIS, qui idem est Christus Filius Dei, id est, se, quod habet Matthæus. REPROBARI vt inutilem immo perniciosum, vt lapidem structuræ ineptum atque incommodum ab ædificantibus. alludit enim ad illud Psalm. 117. v. 22: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes*, &c. quod disertè etiam citat ipse infrà 12. v. 10. POST TRES DIES, id est, tertio die, vt Matthæus habet. s. ab occisione. Sententiæ hîc nulla est ambiguitas, pluribus enim aliis locis se ipse Saluator explicat. sed putant quidam, id quod græcè est μετὰ τρεῖς ἡμέρας, vertendū latinè, non *post tres dies*, sed *in tribus diebus*, intra tres dies, aut tertio pòst die, quo modo aiunt μετὰ nonnumquam Græcis accipi. ita vt res, non post tempus exactum, sed intra ipsum geri dicatur. Atqui ita in vsu esse & Latinis *post* vt non consequens tempus, sed interiectum declaret, &, quod amplius est, non incertè quoduis interiectum, sed illius extremam partem, significetque *post tres dies*, non tantùm intra tres dies, verumetiam post tertium diem exortum seu ante tertium diem finitum. ita vt sit idem vnum *post tres dies* quod tertio die, si non prophanorum, certè sacrorum auctorum vsus testatum facit, non solùm hoc loco, sed & Gen. 40. v. 13 19. 20. Deut. 31. v. 10. Matth. 27. v. 63. 64. Iohan. 20. v. 26. Cui loquendi formulæ adstipulatur oppositum dicendi genus classicis auctoribus extra controuersiam vsurpatum. tertio seu quarto Kalendas aut Nonas: vbi cùm *ante* præpositio subaudiatur, non tamen excluditur dies ipse Kalendarum Nonarūmve, sed includitur. Huc accedit Syricus Interpres, qui, etsi hoc Marci loco, pro illo μετὰ det literam ܠ *lomad*, quæ vocabulis præposita idem valet Hebræis & Syris quod Latinis *in*, aliis tamen locis transfert ܒܬܪ *Bothar*, id quod idem vnum est quod hebraicè אחר *Ahar* & latinè *post* (Matth. 27. v. 63. Iohan. 20. v. 26.) ita vt μετὰ Græcè his aliisque similibus locis *post* significare, & eodem modo, quo diximus latinè *post*, accipi videatur. Reliqua huius versus quære Matth. 16. v. 21.

καὶ παρρησίᾳ τὸν λόγον ἐλάλει. καὶ προσλαβόμενος αὐτὸν ὁ πέτρος ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ.	32 Et palàm verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus cœpit increpare eum.	Matth. 16. v. 22.

PALAM, id est, apertè (quo modo Syrus vertit) sine inuolucris. Nam & aliàs hæc eadem dixerat, sed obscurè ac parabolicè. Iohan. 2. v. 19. 3. v. 14. Græcè est παρρησίᾳ quod vt propriè significat liberè atque intrepidè, ita ea significatione puto huic loco aptissimè congruere, quòd non trepidè dolenterque ista prædiceret, sed intrepido constantique animo, nullo aut timore aut dolore correpto, ita vt habitu ipso declararet non timere se mortem aut abhorrere, sed desiderare, sponteque se illi offerre. cui interpretationi conuenit optimè subsequens Petri obiurgatio. VERBVM. τὸν λόγον istud verbum, id est, rem istam. ET. quapropter. INCREPARE. corripere, reprehendere, quòd mortem desiderare & se vltrò morti ignominiisque exponere velle videretur. Reliqua lege Matth. 16. v. 22.

ὁ δὲ ἐπιστραφεὶς καὶ ἰδὼν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπετίμησε τῷ πέτρῳ,	33 Qui conuersus & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens:	Matth. 16. v. 23.

dicens: Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

λέγων· ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων.

VIDENS. ἰδὼν intuitus, etiam. DISCIPVLOS SVOS reliquos, vt scirent increpationem istam & ad se pertinere, si eiusdem essent animi quem Petrus declarauerat, prout non dubium erat Iesu illos esse. Et in cæterorum itaque documentum, Petrum Iesus duriùs excipit. COMMINATVS EST. ἐπετίμησε increpauit, obiurgauit. Variè hanc vocem frequenter occurentem vertit Interpres. Reliqua quære Matth. 16. v. 23.

Matth. 16. v. 24. Luc. 9. v. 23.

34 Et cōuocata turba cū discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsū, & tollat crucem suā, & sequatur me.

καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι.

CONVOCATA. προσκαλεσάμενος aduocata. mox enim sequuta fuerat secedentem in partes Cæsareæ Philippi, reuerita tamen, non ausa fuerat propiùs accedere & interpellare secretiùs agentem cum discipulis. Nam hactenus secretò colloquutus fuerat discipulis suis, docueratque illos ea quorum turba nondum capax erat. Iam quo efficaciùs eximeret illorum ac Petri signanter animis passionis suæ horrorem, adiungit illis turbam, necessariū esse prorsus omnibus docens, mortis aduersitatumq; pro iustitia contemtum. SI QVIS VVLT ME SEQVI. ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν quisquis vult post me sequi, vel, vt est in aliis libris ἐλθεῖν venire, quo modo habet & Syrus. DENEGET. abneget vertit iuxta Matthæū. Reliqua lege Matth. 16. v. 24.

Matth. 16. v. 25. Luc. 9. v. 24.

35 Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & euangelium, saluam faciet eam.

ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου, οὗτος σώσει αὐτήν.

EVANGELIVM. doctrinam meam promittentem optima quæque, vitam inquam salutemque æternam. Hoc additur iuxta Marcum expositionis causa, vt scias quid sit perdere seipsum propter Iesum, vide infrà 10. v. 29. SALVAM FACIET. οὗτος σώσει iste saluabit, seruabit. Emphaticum est pronomen οὗτος. q. d. iste, non prior ille. Pro *saluam faciet*, Matthæus dicit *inueniet* cap. 10. v. 39. & 16. v. 25. vbi leges reliqua huc pertinentia.

Matth. 16. v. 26. Luc. 9. v. 25.

36 Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat?

τί γὰρ ὠφελήσει ἄνθρωπον, ἐὰν κερδήσῃ τὸν κόσμον ὅλον, καὶ ζημιωθῇ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ;

37 Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ.

Vide hæc enarrata Matth. 16. v. 26.

Matth. 16. v. 27. Luc. 9. v. 26.

38 Qui enim me confusus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & Filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.

ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ μοιχαλίδι καὶ ἁμαρτωλῷ, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτὸν, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων.

QVI ENIM. ὅς γὰρ ἂν quicumque enim. Probat id quod dixerat v. 35: *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam.* ME CONFVSVS FVERIT. Barbarè dixit Interpres, pro eo quod secundùm Lucam ait: *Me erubuerit*, seu quem mei puduerit. Me erubuerit, ita scilicet, vt aut me Christum Filium Dei agnoscere, aut agnitum confiteri vereatur: siue ipsum pudeat vilitatis meæ, siue pudeat persecutionum, quas etiam pro nominis mei confessione subire probrosum iudicet. ET. vel. VERBA MEA. τοὺς ἐμοὺς λόγους meos sermones; euangelium meum (id enim mox nominauerat) doctrinam meam. IN GENERATIONE ISTA. apud homines huius generationis, huius ætatis. Cæterùm non Iudæos tantùm, sed & Ethnicos, à quibus vtrisque imminebat aduersus Christianos persecutio, intelligit; & sub hominibus illius generationis, quarumuis generationum. ADVLTERA. ita vocat, quòd à Deo vero patre descivissent, degeneres filij; siue per idololatriam, siue per improbam vitam: cùm enim patrem non agnoscant, aut saltem nō referant, spurij censentur & ex adulterio geniti. Ea ferè ratione & Apostolus adulteros vocat eos qui extra disciplinam patris sunt (Heb. 12. v. 8.) tamquam quos pater non agnoscat pro filiis suis. ET PECCATRICE. malitiæ, peccatis omnis generis, præ aliis generationibus, dedita, ac proinde aduersaria mihi & euangelio meo, ita vt, &

vt,& ignominiosum habeat fidem in me,& persequatur atrociter discipulos meos. *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* 1.Cor.1.v.23. ET FILIVS HOMINIS cuius ipsos pudet, fortasse quia filius hominis erat, propter infirmitatem scilicet susceptæ carnis. Mutat personam modestiæ causa. CONFVNDETVR EVM. erubescet eum, pudebit & Filium hominis illius,id est,non cognoscet illum Filius hominis pro suo. CVM VENERIT. cùm rursus adueniet,ad iudicandum terrarum orbem, non vt filius hominis, humilis & contemtus,sicut nunc,sed vt Filius Dei IN GLORIA PATRIS SVI. Gloriam secundi sui aduentus opponit humilitati primi,propter quam quosdam hîc ipsius pudet. CVM ANGELIS præstò futuris vt in caminum ignis proiiciant quos ille non agnouerit pro suis. Antitheton generationi adulteræ ac peccatrici. SANCTIS. τῶν ἁγίων illis sanctis. Videtur enim articulum repetiisse Euangelista, vt maiestatis illius amplitudinem oculis nostris subiiceret. Angeli autem sancti vocantur, distinctionis causa à spiritibus immundis, quòd mũditiei omnisque virtutis studiosi cultores sint, procul ab omni peccatorum immunditia, qua se oblectant dæmones. Iam intelligendum hîc relinquit Euangelista à contrario: *Qui autem me confessus fuerit*,&c. *& Filius hominis confitebitur eum*,&c.ad probationem alterius partis versus 35: *Qui autem perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam.* Quem integrum versum Matthæus vna generali sententia confirmat: *Reddet vnicuique secundum opus eius.* Nam Marcus particulatim monstrat,quomodo eis quos pudet ipsius, reddet secundùm opus ipsorum, quòd scilicet & ipsum pudebit illorum. Reliqua ad hunc pertinentia versiculum, lege secundùm Matthæum partim 10. v.32.33. partim 16.v.27.

καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει.

39 Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hîc stãtibus, qui nõ gustabunt mortẽ, donec videant regnum Dei veniens in virtute. *Matth.16. v.28. Luc.9. v.27.*

ILLIS s.etiam hoc,addebat dictis & hoc. QVIA. quòd. VIDEANT. ἴδωσι viderint. REGNVM DEI,id est,gloriam regni Dei, quæ à Patre mihi seruatur,in qua mundo iudex exoriar. VENIENS. apparentem. ἐληλυθυῖαν venisse,id est,adesse,apparere. IN VIRTVTE. cum virtute,efficaciter,reipsa,clarè,se exhibentem ac monstrantem, non ænigmate aliquo aut obscura sui similitudine oculis obiecta, sed semetipsa, qualis est illo in regno. id quod absque singulari Dei operantis virtute fieri non potest, vt mortalium oculis ipsa regni cælestis gloria cernenda exhibeatur. Reliqua lege Matth.16.v.28.

CAPVT NONVM.

Καὶ μεθ' ἡμέρας ἓξ παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ τὸν Ἰάκωβον καὶ τὸν Ἰωάννην, καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλὸν κατ' ἰδίαν μόνους.

1 Et post dies sex assumit Iesus Petrum & Iacobum & Iohannem, & ducit illos in montem excelsum seorsum solos. *Matth.17. v.1. Luc.9. v.28.*

καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν ὡς χιών, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι.

2 Et transfiguratus est coram ipsis: & vestimẽta eius facta sunt splẽdentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terrã candida facere. *Matth.17. v.2. Luc.9. v.29.*

TRANSFIGVRATVS EST: id est,mutata est species vultus eius, quod ait Lucas, facta fulgida instar solis,quod Matthæus. CORAM IPSIS. Syrus ante oculos ipsorum. SPLENDENTIA. malunt alij *coruscantia* vertere ex στίλβοντα, vt quod plus aliquid significet. CANDIDA. λευκὰ alba, vt secundùm Matthæum. NIMIS. λίαν valde. Candor ex insigni splendore ortus significatur. FVLLO NON POTEST SVPER TERRAM, nullus prorsus fullo potest. Huiusmodi enim loquendi forma omnes semel fullones excipiuntur, quomodo & gallicè dicas: *Il ny a foullon au monde.* Porrò si non est artifex fullo in terra qui vestimenta queat in eum nitorem expurgare, multo minùs est alius homo. Quare Syrus, *homines* vertit loco *fullonum.* CANDIDA FACERE. λευκᾶναι dealbare. Nihil eorum quæ sunt in terra, cælestium excellentiæ comparari potest. Reliqua horum versuum quære Matth.17.v.1.2.

καὶ ὤφθη αὐτοῖς Ἠλίας σὺν Μωσεῖ, καὶ ἦσαν συλλαλοῦντες τῷ Ἰησοῦ.

3 Et apparuit illis Elias cum Mose, & erant loquentes cum Iesu. *Matth.17. v.3. Luc.9. v.30.*

APPARVIT ὤφθη visus est. Syrus legit vt secundùm Matthæum: *& visi sunt illis Moses & Elias.* Reliqua vide Matth.17.v.3.

Et

Matth. 17. v. 4. Luc. 9. v. 33.

Et respondens Petrus ait Iesu: Rabbi, bonum est nos hîc esse; &, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Mosi vnum, & Eliæ vnum.

4 καὶ ἀποκριθεὶς ὁ πέτρος λέγει τῷ ἰησοῦ· ῥαββί, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι· καὶ, ποιήσωμεν σκηνὰς τρεῖς, σοὶ μίαν, καὶ μωσεῖ μίαν, καὶ ἠλίᾳ μίαν.

ET RESPONDENS. Respondens autem. RABBI. magister mi. *præceptor* explicat Lucas. ET s. iterum ait. FACIAMVS. s. *hic*, ex Matthæo. Reliqua lege Matth. 17. v. 4.

Luc. 9. v. 33.

Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.

5 οὐ γὰρ ᾔδει τί λαλήσῃ, ἦσαν γὰρ ἔμφοβοι.

NON ENIM. q. d. quòd tam absona auditis à Iesu loquutus sit Petrus, fuit quòd non satis cōsideraret quid diceret. cæteroqui enim non tā stupidus erat vt ita loqueretur. QVID DICERET. τί λαλήσῃ quid loqueretur. ERANT ENIM & Petrus & reliqui duo discipuli. Quòd autem, inquit, non satis consideraret quid diceret, faciebat timor. TIMORE EXTERRITI. perculsi. ἔμφοβοι exterriti, timore perculsi. q. d. præ timore apud se non erant. ὑπὸ φόβου ἐξέστησαν. id enim valet præpositio ἐκ. In aliis libris vt in Regio est ἔμφοβοι timore occupati: qua ratione & Syrus vertit, *erant enim in timore*. Atqui non sunt illa timentis verba, sed cōtrà amantis ardenterque desiderantis: *Bonum est nos hic esse*; & *Faciamus tria* &c. Intelligere ergo oportet, spectaculi insolentiam incussisse timorem primùm, cum obstupefactione ingenti; timorem deinde desiisse in amorem, obstupefactione permanente; itaque dici timore exterritos fuisse, quia obstupefacti apud se non erant, id quod primus timor effecerat; Petrum igitur obstupefactum & extra se raptum inconsideratè instar hominis attoniti loquutum fuisse. Non enim vltrà tunc Apostolos proficere voluit Deus, quàm vt Filij sui Deitatem quasi in speculo ad momentum cernerent, postea successu temporis fructum illis ostensurus.

Matth. 17. v. 5. Luc. 9. v. 34. 35.

Et facta est nubes obumbrans eos: & vênit vox de nube dicens: Hic est Filius meus charissimus, audite illum.

6 καὶ ἐγένετο νεφέλη ἐπισκιάζουσα αὐτοῖς, καὶ ἦλθε φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης λέγουσα· οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, αὐτοῦ ἀκούετε.

ET FACTA EST. Adhuc autem eo loquente, cælo delapsa est. DE. ἐκ ex. CHARISSIMVS. ἀγαπητός. secundùm Matthæum vertit *Dilectus*. Hoc præstat *charissimus*, quòd nomen sit quemadmodum ἀγαπητός non participium. Reliqua lege Matth. 17. v. 5.

Matth. 17. v. 8. Luc. 9. v. 36.

Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantùm secum.

7 καὶ ἐξάπινα περιβλεψάμενοι, οὐκέτι οὐδένα εἶδον, εἰ μὴ τὸν ἰησοῦν μόνον μεθ' ἑαυτῶν.

STATIM. ἐξάπινα repentè, e vestigio s. audita voce, hortante Iesu vt surgerent qui in terram proni corruerant, quod Matthæus narrat. Reliqua lege Matth. 17. v. 8.

Matth. 17. v. 9. Luc. 9. v. 36.

Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent, nisi cùm Filius hominis à mortuis resurrexerit.

8 καταβαινόντων δὲ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους, διεστείλατο αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ διηγήσωνται ἃ εἶδον, εἰ μὴ ὅταν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ.

ET. verò. DESCENDENTIBVS ILLIS s. Iesu & discipulis. PRÆCEPIT Iesus. RESVRREXERIT. resurrexisset. Reliqua lege Matth. 17. v. 9.

Luc. 9. v. 36.

Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset Cùm à mortuis resurrexerit.

9 καὶ τὸν λόγον ἐκράτησαν πρὸς ἑαυτούς, συζητοῦντες τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι.

ET. autem, potiùs enim est continuationis quàm copulationis hoc loco nota: ipsi autem continuerunt &c. VERBVM. τὸν λόγον hoc verbum, id est, hanc rem, historiam nimirum transfigurationis Iesu. CONTINVERVNT. ἐκράτησαν tenuerunt, nec condiscipulis quidem suis aperuerunt. Si græci vocabuli etymologiam spectemus, intelligi possit, discipulos istos non sine vi quadam ac labore hoc arcanum tam diu tacuisse, cùm res esset relatu dignissima. Nam vt cæteri discipuli multùm his molesti fuerint, non est admodum probabile, cùm res nocte gesta paruum reliquerit suspicioni locum: existimatur est enim Iesus sub noctem ad orationem cum his tribus secessisse. CONQVIRENTES. συζητοῦντες. inter se mutuò quærentes disceptantesque. QVID ESSET CVM A MORTVIS RESVRREXERIT. τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. quid illud esset à mortuis resurrexisse. quid esset hoc quod dixerat cùm à mortuis resurrexerit.

rit. Intelligebant Saluatorem de seipso loquutum, nec dubitabant quin futura aliquando esset resurrectio mortuorum: sed non intelligebant quid Iesus dicere vellet de sua peculiari resurrectione tanquam breuî futura ipsis viuentibus, quando & quomodo illa accidere deberet, ac notanter mors quàm necesse esset præcedere, & quis tunc foret rerum status quo posset arcanum hoc aperiri, an tunc initurus esset Iesus regnum, & cætera huiusmodi, vt obscura sunt futura omnia quæ prædicuntur donec euenerint, & præsertim rudibus adhuc discipulis, quorum animis quo maior ingenerabatur de Iesu opinio, eo difficiliùs imprimebatur Iesu mors.

καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν λέγοντες· [10] ὅτι λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, ὅτι ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον;	Et interrogabant eum dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm?	Matth. 17. v. 10.

INTERROGABANT. Non ausi interrogare de ipsius à mortuis resurrectione, licet inter se de ea disputarent, veriti, siue obiurgationem ob incredulitatem aut tarditatem, siue declarationem manifestiorem mortis ipsius à qua abhorrebant; aliud interrogant, cuius occasionem visio præbuerat. QVID. ὅτι. accipitur pro διὰ τί quare, quo modo & Interpres reddit infrà v. 28. ERGO. syriacè legitur vt latinè, græcè non exstat. PHARISÆI ET SCRIBÆ. οἱ γραμματεῖς Scribæ. Non est græcè & syriacè mentio Pharisæorum, quemadmodum nec secundùm Matthæum: vt non erat illorum docere, sed Scribarum, nisi qui iidem essent, & Scribæ docendi officio, & Pharisæi viuendi instituto: quales non dubium est Scribas plerosque fuisse. Reliqua Matth. 17. v. 10.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· ἠλίας [11] μὲν ἐλθὼν πρῶτον, ἀποκαθιστᾷ πάντα· καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξουδενωθῇ.	Qui respondens ait illis: Elias cùm venerit primò, restituet omnia: & quomodo scriptum est in Filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur.	Matth. 17. v. 11.

ELIAS CVM VENERIT. ἠλίας μὲν ἐλθὼν Elias quidem cùm venerit. PRIMÒ. priùs, antè s. quàm Christus ad iudicium. Iungendum est *primo* cum verbo *venerit*. RESTITVET. ἀποκαθιστᾷ restituit, præsens pro futuro. QVOMODO SCRIPTVM EST. in diuinis libris, Psal. 21. Isa. 53. & alibi. IN FILIVM HOMINIS super Filium hominis, seu de Filio hominis, ipso omnibus vilissimo. MVLTA. multas contumelias mortemque. CONTEMNATVR. ἐξουδενωθῇ nihili fiat. Supple, eodem modo & Eliæ accidet: cùm multo labore restaurauerit omnia pro eo vt honoretur & beneficiis afficiatur, secundùm merita sua; multa patietur & ipse ab impiis mala, reprobabitur, & occidetur. Apoc. 11. v. 7. 8. Quia difficulter credebant discipuli imminentem Christi mortem, nec libenter audiebant de ea sermonem haberi, vt à qua abhorrebant; quauis occasione Christus illius ingerit mentionem, vt quam necessarium esset credere & futuram non ignorare: & primò quidem diuinarum auctoritate literarum illius prædictionem constare docet, vt ne rei nouitate turbentur: deinde & ab eo quod Eliæ euenturum prophetat, verisimilem facit; tandem & ab eo quod iam euenerat Iohanni Baptistæ: vt viderent discipuli, non aliam ab impiis retributionem manere pios omnes, feruentesque vitiorum insectatores. Reliqua Matth. 17. v. 11.

ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, ὅτι καὶ ἠλίας ἐλήλυθε, [12] καὶ ἐποίησαν αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν, καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν.	Sed dico vobis, quia & Elias vênit, & fecerunt illi quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.	Matth. 17. v. 13.

ET. καὶ syriacè ܐܦ *aph* etiam. Notandum est istud *&* siue *etiam*, ex quo intelligitur de duobus Eliis Saluatori esse sermonem. Veniet quidem Elias, ait, sed & vênit. Non venerat in persona propria; sed nec quisquam dicit venturum in persona aliena. Veniet igitur in propria persona, vênit in aliena, Iohannis scilicet, suo spiritu & virtute; veniet ante meum ad iudicium aduentum. VENIT ante hunc meum aduentum. SICVT SCRIPTVM EST. sicut dixi scriptum esse DE EO. ἐπ' αὐτόν de ipso s. Filio hominis. Et iste Elias hac parte similis factus est Filio hominis. Alii subaudiunt *de eo* Elia, id est, Iohanne, & referunt particulam hanc ad verbum *venit*, inclusis parenthesi verbis mediis (*& fecerunt illi quæcumque voluerunt*), quòd aduentum quidem Iohannis Scripturæ disertè prædixerint; passionem mortémve non item. Reliqua lege Matth. 17. v. 12. 13.

καὶ ἐλθὼν πρὸς τοὺς μαθητὰς, εἶδεν [13] ὄχλον πολὺν περὶ αὐτοὺς, καὶ γραμματεῖς συζητοῦντας αὐτοῖς.	Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

ET. autem. VENIENS. ἐλθὼν cùm venisset. SVOS reliquos, quos reliquerat ascendens cum tribus in montem. MAGNAM. πολὺν multam, quæ confluxerat eò Iesu causa, exspectabatque illius ad discipulos reditum. CIRCA EOS. partim spectandi euentus causa eius quod tentarent discipuli circa sanationem pueri lunatici, partim audiendi discipulorum cum Scribis concertationes. SCRIBAS, legisdoctores quosdam. CONQVIRENTES. ita vertit ad verbum Interpres ex συζητοῦντας, quod est, altercantes, disputantes. CVM ILLIS. discipulis suis. Scribæ, doctum hominum genus, cum Præceptore non ausi congredi, nacti discipulos solos, diuexare rudes altercationibus non verentur, quò vel spe-

ciem victoriæ apud imperitam plebem obtineant: nec dubium est quin suo strepitu effecerint, vt vel aliquorum è præsentibus ludibrio paterent discipuli.

Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est & expauerunt: & accurrentes salutabant eum.	14	καὶ εὐθέως πᾶς ὁ ὄχλος ἰδὼν αὐτὸν ἐξεθαμβήθη, καὶ προστρέχοντες ἠσπάζοντο αὐτόν.

Popvlvs. ὁ ὄχλος illa turba. Videns. ἰδὼν vt vidit. Stvpefactvs est et expavervnt. Græcè & syriacè non est aliud quàm ἐξεθαμβήθη, quod vertere licet *stupefactus est*, licet & *expauit*. An Interpres vnam vocem duabus expresserit, an verò altera ex alia versione adiecta sit, incertum est. *Expauit* autem populus, quòd tam inopinatò adesset Iesus quàm opportunè, ad vindicandum discipulos nomenque suum ab opprobrio, vt quidam aiunt: ego verò existimo hic significari, partem aliquam illius cælestis splendoris, qui in vultu Iesu transfigurati nituerat, adhuc durasse & emicuisse, gratiamque à transfiguratione contractam etiamnum adhæsisse, ita vt non minùs admirabilis appareret populo tunc Iesus, quàm olim Moses è colloquio diuino reuersus (Exo. 34. v. 29.) eo tamē gloriæ discrimine, vt ille terribilis (Exo. 34. v. 30.) hic amabilis videretur: nam ideò subiungitur: Et accvrrentes salvtabant evm. quod non facilè alibi fecisse leguntur: inuitabantur enim & attrahebantur ad Iesum, insolenti pulchritudine suauitateque faciei illius. Salvtabant. pacem, vt loquitur Syrus, id est, salutem ei precabantur, testabantur suam erga eum beneuolentiam atque obseruantiam, & animi sui gaudium ob ipsius aduentum; contrario prorsus modo affecti ac Scribæ, quos liuor edebat.

Et interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis?	15	καὶ ἐπηρώτησε τοὺς γραμματεῖς· τί συζητεῖτε πρὸς ἑαυτούς;

Et. tunc. Eos. scribas. nam græcè & syriacè pro *eos* legitur γραμματεῖς *scribas*. Itaque quod hoc versu narratur referendum est ad v. 14., tamquam per parenthesin lectus sit versus intermedius 15. Scribas alloquitur, subindicans se indignè ferre, quòd discipulos illiteratos aggrederentur illi; se verò eum esse qui pro ipsis respondeat. Qvid. quare & qua de re. Non ignorat, sed quærit occasionem satisfaciendi negotio, quo discipuli ipsius torquebantur. Inter vos mutuò. Pro πρὸς ἑαυτούς, quidam legunt πρὸς αὐτούς, quod idem vnum est, quidam πρὸς αὐτοὺς spiritu leni, quod sit ad illos seu aduersus illos s. discipulos meos: in quem sensum Syrus vertit ܥܡܗܘܢ *bammeboun* cū eis. Conqviritis. disputatis, altercamini, vt mox.

Matth. 17. v. 15. Luc. 9. v. 38.	Et respondens vnus de turba dixit: Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum:	16	καὶ ἀποκριθεὶς εἷς ἐκ τοῦ ὄχλου εἶπε· διδάσκαλε ἤνεγκα τὸν υἱόν μου πρός σε ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον·

Et. autem. Respondens Scribæ præ metu (compescuit enim Iesu præsentia insolentiam illorum) discipuli præ verecundia, nil respondebant: homo iste, qui altercationi occasionem dederat, pro omnibus respondet, negotium suum Iesu explicans simul & commendans. De. ἐκ ex. Ad te. quem hîc adesse putabam. Habentem spiritvm. vexatum malo spiritu. Mvtvm. qui ipsum reddit mutum (ab effectu enim mutus spiritus vocatur) s. vt illum eiiceres.

Matth. 17. v. 16. Luc. 9. v. 39. 40.	qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis vt eiicerēt illū, & nō potuerunt.	17	καὶ ὅπου ἂν αὐτὸν καταλάβῃ, ῥήσσει αὐτὸν, καὶ ἀφρίζει, καὶ τρίζει τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ, καὶ ξηραίνεται· καὶ εἶπον τοῖς μαθηταῖς σου ἵνα αὐτὸ ἐκβάλωσι, καὶ οὐκ ἴσχυσαν.

Qvi. καὶ &. Vbicvmqve. quocumque loco, quantumuis periculoso, igni, aquis, aut præcipitio proximo. Apprehenderit. inualerit, corripuerit. non enim continuè eum vexabat, sed per interualla. Allidit. deiicit. ῥήσσει. Alij vertunt *Lacerat*, quod est, conuellit, diducit, distorquet membra: nec id tamen fit absque deiectione. Syrus vtitur voce ܒܥܛ *babat* quæ & excutere significat & in terram prosternere. Et spvmat puer. Spuma argumentum est vehementer feruentis intus mali; stridor dentium, intolerabilitatis. Dentibvs. αὐτοῦ suis additur græcè & syriacè. Arescit. impos tam sensuum quàm membrorum fit, planeque frequenti huiusmodi vexatione tabescit. Descriptio est ista *lunatici*, qualis hic puer Matthæo referente vocatur. Dixi. rogaui. Tvis. cùm te abesse viderem. Non potvervnt. οὐκ ἴσχυσαν non valuerunt. Hinc itaque argumentum contentionis Scribarum cum discipulis. Quum enim in medium absente Iesu productus esset puer dæmone agente lunaticus, rogatique discipuli vt expellerent dæmonem, tentassent irrito conatu; plausibilis insectationis occasio Scribis visa est, ac cupidè ab illis arrepta. Insultant itaque quasi victores, nec modò subsannant discipulos, sed proteruiunt etiam aduersus Iesum, quasi vana esset potestas ea quam gloriarentur discipuli se abs Iesu accepisse, & omnis quoque illa virtus qua Iesus ipse se præditum simularet; id enim patére ipso absente. nam præsens si quid faceret, dæmonis opera facere aut malis artibus vti; nulla verò virtute diuina præditum esse, sed seductorem, omniaque illius dolo ac fraude esse plena. Hæc aut his similia Scribarum cum discipulis contentio habebat, omnia contra Iesu gloriam directa. Sed Iesus, qui suos confundi nonnihil passus fuerat, in tempore ipsis adfuit, ne per Scribas in speciem victi, ignominiâ & illi & ipse ipsiusque euangelium afficerentur. Reliqua lege Matth. 17. v. 15. 16.

ὁ δὲ

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ, εἶπεν· ὦ γενεὰ ἄπιστος, ἕως πότε πρὸς ὑμᾶς ἔσομαι; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; φέρετε αὐτὸν πρός με.

18 Qui respondens, eis dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.

Matth. 17. v. 17. Luc. 9. v. 41.

Qvi respondens. additur græcè & syriacè *ei*: Ipse autem respondens illius hominis orationi. Eis dixit. s. præsentibus, homini illi aliisq;, signanter Scribis contentiosis. omnium enim, scribarum præsertim a Iesu interrogatorum, nomine, causam ille altercationis exposuerat. Non est græcè & syriacè *eis*; tantùm *ei*, quod diximus. Incredvla. *& peruersa* additur secundùm Matthæum & Lucam: erat enim plus quàm scelesta impietas cum pari ingratitudine coniuncta, tot miracula quibus didicerant diuinam Iesu virtutem, maluisse, vno discipulorum errato, supprimere velle. Qvamdiv. ἕως πότε quamdiu tandem. Reliqua lege Matth. 17. v. 17.

καὶ ἤνεγκαν αὐτὸν πρὸς αὐτόν. καὶ ἰδὼν αὐτὸν, εὐθέως τὸ πνεῦμα ἐσπάραξεν αὐτὸν, καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς ἐκυλίετο ἀφρίζων.

19 Et attulerunt eum. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum: & elisus in terram volutabatur spumans.

Luc. 9. v. 42.

Attvlervnt evm s. quidam, pater cum aliis, id est allatus est. additur græcè & syriacè *ad eum* s. Iesum. Et cvm vidisset. cùm autem vidisset s. Iesus puerum (simulatq. Iesus puerum in conspectum suum adductum adspexisset vel puer Iesum, id est, spiritus per puerum percepisset præsentiam Iesu (cùm masculini generis sit ἰδὼν, non potest ad πνεῦμα quod neutrum est referri, quamquam Syrus sic intellexerit.) Spiritvs τὸ πνεῦμα spiritus ille. malus. Contvrbavit. ἐσπάραξεν. Alij vertunt *discerpsit*, *lacerauit* (quomodo & ipse Interpres noster infrà v. 26.) id est, conuulsit corpus illius totum: Syrus vertit [illegible] *lisit*, idem verbum quod mox ex ῥήσσει transtulerat, habens hæc pro eisdem, vt & alij. In vetere codice G scriptum erat ἐτάραξεν, quod est, *turbauit*; verisimile est vt latinę editioni consentiret. cæterùm ea mutatione opus non erat, cùm & *turbandi* significatio τῷ σπαράττειν à doctis tribuatur. Discerpsit itaque & conturbauit spiritus puerum, testimonio manifesto quòd antea non exierat, quodque timeret Iesum, & abhorreret à præsentia eius, cuius mox sentiret inimicam virtutem efficacitatemque, de qua Scribæ & discipuli disputarant. Et elisvs. deiectus. πεσὼν cùm cecidisset puer. Volvtabatvr spvmans. Quo propinquior est salus à Iesu afferenda, eo diabolus furit sæuitque magis: tametsi enim videat se nō esse parem Deo, hoc tamen agit vt illi quantum potest resistat. Atqui quo magis cupiebat ipse obsistere gloriæ nominis Iesu, eo illam illustriorem reddebat, patefaciens populo mali in puero latentis grauitatem.

καὶ ἐπηρώτησε τὸν πατέρα αὐτοῦ· πόσος χρόνος ἐστὶν ὡς τοῦτο γέγονεν αὐτῷ; ὁ δὲ εἶπε, παιδιόθεν·

20 Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait, Ab infantia:

Et. tunc. Interrogavit Iesus, vt non tantùm quàm graue, sed & quàm inueteratum esset malum, omnibus redderetur manifestum. Ex qvo. ὡς quòd. Accidit? quòd cœpit huic malo esse obnoxius? Ab infantia. παιδιόθεν ab infante. Quidam vertunt *a puero*, alij *a pueritia*, quod est παιδόθεν: atque παῖς *puer* iam erat ille (Matth. 17. v. 18.) παιδίον *infans* fuerat. Ab infantia autem si cœpit hic morbus, certum est non fuisse pœnam ob peccatum à puero admissum inflictam, sed diaboli, cui volupe est hominibus malefacere, diuexationem, occulto Dei iudicio permissam, fortè in gloriam ipsius Dei, quo fine Iohan 9. v. 3. quidam dicitur cæcus natus. Cæterùm, si nullo prorsus vmquam peccato infans iste fuisset infectus, permittere non potuisset iustitia Dei, vt naturà insons & origine iustus affligeretur (nam, quod D. Augustinus alibi ait; *Si miseria peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio vniuersitatis*) intelligitur itaque peccato originis vitiatus in mundum produisse, quo factum sit vt his aliis huiusmodi miseriis fuerit obnoxius. Et quamquam originis peccatum ipsi non dubium remissum fuerit per circumcisionis sacramentum, nec remanserit in eo quidquam punitione dignum: remansit tamen effectus illius peccati, naturæ corruptio, qua passibilis fuit, mortalis, omnisque generis miseriis expositus, non iam vt pœna peccati, sed vt conditio naturæ, nascens ex ipsis naturæ principiis, qua ratione destituta est originali iustitia, tum demum auferenda, quando natura restituetur, in resurrectione iustorum. nam hactenus non reparatur nisi persona. Quocirca cùm infantem Deus circumcisione baptismóve renouatum subiicit vexationibus malorum spirituum aut singularibus aliis miseriis (vt eas taceam quæ sunt omnium communes, mortem inquam & similes) ad promouendam, siue gloriam suam, siue infantis salutem, siue finem aliam nobis absconditam; legitimè cum illo agit, non puniens aut vlciscens quodcumque peccatum illius, sed illo vtens ad finem rectum, pro conditione naturæ ipsius mortalis, passibilis, &c. Idem dicendum est de pœnis martyrum similiumque iustorum.

καὶ πολλάκις αὐτὸν καὶ εἰς τὸ πῦρ ἔβαλε καὶ εἰς τὸ ὕδωρ, ἵνα ἀπολέσῃ αὐτόν.

21 & frequenter eum in ignem & in aquas misit, vt eum perderet.

Matth. 17. v. 15.

sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. | ἀλλ' εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν, σπλαγχνισθεὶς ἐφ' ἡμᾶς.

MISIT. ἔβαλε proiecit. Ad cumulum mali accedit frequens vitæ periculum. PERDERET. interficeret. SI QVID POTES ad huius mali curationem. Pater ille naturæ & consuetudinis rationibus malum definiebat, quod ex natura grauissimum, vtpote ferum spiritum, ex consuetudine difficillimum, nimirum ab infantia insitum, existimabat. Virtutem verò Iesu, magnam ille quidem credebat, sed naturalibus tantùm modis metiebatur, ex humana ratione, non ex fide Dei. Habebat eú vt hominem sanctum, virtute finita præditum: dubitat itaque an par esse possit graui adeò & inueterato malo auferendo. longè alium honorem attribuebat Iesu leprosus ille Matth. 8. v. 2; qui, non vt iste, *si potes, velis*; sed, *si vis*, inquit, *potes*. Nos. me & filiú. illius enim malú meum duco. NOSTRI. miserè adeò afflictorum. Reliqua vide Matth. 17. v. 15.

Iesus autem ait illi: Si potes credere, [22] omnia possibilia sunt credenti. | ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τὸ, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι.

AIT. Virtutem suam infinitam esse docet; efficientiam verò, iuxta fidei modum, apud eos qui indigent spectari. SI POTES CREDERE. Græcè præponitur τὸ: Hoc si potes credere. quod tamen syriacè non magis exstat quàm latinè, & facilè intelligitur etiam omissum, nec sine maiori gratia omittitur. Victoris Antiocheni & Euthymij græcorum enarratorum Interpretes, exactissimi illi, non monstrant à se lectum fuisse. SI POTES CREDERE. i quòd ego te possum adiuuare, fide scilicet viua, per fiduciam operante. vide Matth. 9. v. 28. Perinde valet hæc exceptio ac si dixisset: Noli dubitare quid ego possim efficere, sed vide num tu possis credere, hoc à me effici posse. Non expostulat apertè, sed obliquè in hominem retorquens id quod perperam dixerat, culpæ eum coarguit & de quærendo fidei remedio admonet. Desideras filij tui sanitatem; non tam requiritur mea potentia quàm tua: mea enim in promtu est, tua imparata: tuum est credere; illud si tu feceris, non erit mora in me. Cæterùm vt non docet hominem posse à seipso solo credere, ita docet non absque seipso credere, culpamque in eum reijciendam esse, quoties Dei virtuti sua incredulitate obstaculum ponit. OMNIA. f. scito quòd omnia POSSIBILIA SVNT CREDENTI. Ita est græcè ad verbum. id quod alij, inter quos Syrus, intelligunt omnia fieri possunt credenti s. à me, alij, omnia potest credens s. à me accipere seu impetrare, est capax omnium, omnium inquam quæ crediderit à me fieri posse & recta fides expetenda docet. Relinquit autem hæc intelligenda Saluator, non exprimit clarè, sed sententia vtitur generali, & tamquam reponit potentiam omnem in fide postulantis, hinc quidem de seipso modestè sapiens ac loquens, illinc verò hominem illum ad fidem dirigens, qua optatæ gratiæ capax & compos fiat. Duo itaque hîc non obscurè docet Iesus, vnum, à Patre sibi bonorum omnium plenitudinem datam esse, nec secus sperandum à se vno esse quoduis auxilij genus quàm ex ipsa Dei manu: alterum, numquã se nobis defuturum, si fide capaces nos præstiterimus gratiæ ipsius. Esse nos enim velut vasa vacua, infidelitate os obstrui ita vt nihil possit infundi, fide aperiri ita vt possimus excipere gratiam ipsius; aperiri autem largamque bonorum vbertatem ab ipso ad nos profluere, pro amplitudine modoque fidei. angustiis enim fidei nostræ imputandum esse, si guttatim tantùm distillet.

Et continuò exclamans pater pueri [23] cum lachrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. | καὶ εὐθέως κράξας ὁ πατὴρ τοῦ παιδίου μετὰ δακρύων ἔλεγε· πιστεύω κύριε, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ.

CONTINVÒ vt intellexit à sua fide pendere optatam filij sanationem. EXCLAMANS & ad genua illi accidens, quod Matthæus habet. Clamor supplicis & lachrymæ testantur animi angustiam, hinc desiderantis vt fiat voti compos, hinc conantis quidem, sed metuentis vt queat, satisfacere exactæ cõditioni credendi.

PVERI. τοῦ παιδίου. Abutitur Marcus hoc loco voce παιδίον pro παῖς: nam præterquam quòd Matthæo & Lucæ παῖς vocetur; ipse Marcus suprà v. 21., innuit, hunc παιδίον, iam non esse, sed fuisse. CREDO te posse. Nihil cunctatus fidem amplectitur, eamque cum magno clamore coram omnibus profitetur. ADIVVA INCREDVLITATEM MEAM. supple id quod deest fidei meæ admodum imperfectæ, quæ metuo vt fidei nomen mereatur idcircò enim *incredulitatem* vocat. Clamat se credere, & tamen se fatetur incredulum: nam vbi non est perfecta fides, sequitur aliquid esse incredulitatis. Cupit perfici fidem suam à Domino, quemadmodum Apostoli Luc. 17. v. 5., etiam animorum illum curatorem agnoscens: aut si nondum eò profecerat, certè petit respici gratamque esse Domino fidem suam quantumuis imperfectam, & si non sufficiat ad impetrandum id quod orat, aliunde suppleri Domini benignitate id quod desit. Excellens precatio, omnibus vtilis, ne dicam necessaria: paucissimi enim sunt qui excellenti fide polleant; plerique exigua mensura sunt præditi. Nostrum igitur est, sedulò luctari cum infidelitatis reliquiis quæ in nobis hærent, vt illas excutiamus: inque hac pugna petere à Domino vt nos adiuuet.

Matth. 17. v. 18. Luc. 9. v. 42.

Et cùm videret Iesus concurrentem [24] turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. | ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος, ἐπετίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, λέγων αὐτῷ· τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ, καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτόν.

ET CVM. Cùm autem. CONCVRRENTEM. ὅτι ἐπισυντρέχει quòd simul accurreret. Aderat turba, sed

ba, sed clamore patris excitati omnes, vt propiùs exactiusque rem omnem spectarent, magno impetu se mutuo presserunt ac propulerunt. Id videns Iesus non sine oppressionis periculo fieri, iam accepta fide peritoris, imponit finem negotio, docetque turbam quantum possit vna fides impetrare. COMMINATVS EST. seuerè præcepit. vide Matth. 17. v. 18. DICENS ILLI, id est, in hæc verba. SVRDE ET MVTE. sic vocat spiritum ab effectu. quòd puerum surdum redderet & mutum, iam nunc & quandocumque aliàs illum corripiebat. Exprobrat itaque illi malitiam, qua opera Dei vitiet, puero & auditum adimens & sermonem. Vtitur autem his potiùs epithetis quàm aliis, vt significet illum cogi audire & obedire præcepto suo, siue sit verè siue fingat se surdum & mutum. SPIRITVS. τὸ πνεῦμα. tu spiritus. EGO cuius imperium efficax est etiam in ea quæ sensibus carent. cum emphasi dictum & magna auctoritate, vt agnoscat mandatum, non serui alicuius, sed ipsius domini sui atque omnium. TIBI qui discipulorum meorum iussum contempsisti. ABEO. ἐξ αὐτοῦ ex eo. ET AMPLIVS NE INTROEAS καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς & ne ampliùs ingrediaris. Hoc addit, quia per interualla puerum corripiens exire & redire videbatur. Stabilit itaque beficium suum, vt non temporarium sit sed perpetuum, præsertim cùm norit Satanæ ingenium, quàm libenter eò reuertatur vnde fuerit expulsus.

καὶ κράξαν καὶ πολλὰ σπαράξαν αὐτὸν, ἐξῆλθε· καὶ ἐγένετο ὡσεὶ νεκρὸς, ὥστε πολλοὺς λέγειν ὅτι ἀπέθανεν.	25	Et exclamans & multū discerpens eū, exiit ab eo: & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerēt, Quia mortuus est.

ET. tunc. EXCLAMANS siue vt in aliis libris est *clamans*. κράξαν cùm clamasset. sonum edens vocis inarticulatæ (erat enim mutus) rugitum quendam mugitumque terribilem. DISCERPENS. σπαράξαν discerpsisset, dilaniasset, conuulsisset. Quo propior est Christi gratia & efficaciùs agit, eo impotentius furit Satan, & mouet quoscumq; potest tumultus, declarans quàm ægrè homines concedat Christo. AB EO non legitur siue græcè siue syriacè. Tantam vim spiritus immundi, sola iussionis suæ virtute expellit Iesus, & à possessione pueri perpetuò arcet, inuitam quamuis & detrectantem. ET FACTVS EST puer. SICVT. quasi.
QVIA superest sensui. Permisit hoc Iesus, vt vis malitiaque dæmonis manifestaretur, qui coactus exire, noceat adhuc quantum potest.

ὁ δὲ ἰησοῦς κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτοῦ ἤγειρεν αὐτὸν, καὶ ἀνέστη.	26	Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.	Matth. 17. v. 18. Luc. 9. v. 42.

TENENS MANVM. κρατήσας τῆς χειρὸς apprehensa manu. ET ille SVRREXIT (neque enim malignus spiritus, vita præsente, ægrum in mortem deiicere poterat) sanus atque incolumis, non aliter quàm si numquam mali quid passus fuisset. Dominus ex furioso Satanæ impetu accendit facem ad illustrandam gratiam suam. Nam, cùm horribili illo spectaculo desperati pueri, attoniti fuissent homines: perspectior illis facta est Iesu virtus, quando is, diabolica illa omnia nocumenta, vno manus suæ attactu dispulit, Scribarum proteruia egregiè victa.

καὶ εἰσελθόντα αὐτὸν εἰς οἶκον, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπηρώτων αὐτὸν κατ' ἰδίαν· ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό;	27	Et cùm introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eiicere eum?	Matth. 17. v. 19.

CVM INTOISSET Iesus. εἰσελθόντα αὐτὸν ingressum ipsum. IN DOMVM quandam in partibus illis, refectionis aut hospitij causa. SECRETÒ. κατ' ἰδίαν priuatim, seorsum. EVM. αὐτὸν superest græcè.
QVARE. ὅτι, id est, διὰ τί quare. EVM s. spiritum. αὐτὸ s. πνεῦμα. Reliqua lege Matth. 17. v. 19.

καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τοῦτο τὸ γένος ἐν οὐδενὶ δύναται ἐξελθεῖν, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.	28	Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione & ieiunio.	Matth. 17. v. 21.

IN NVLLO. nulla re, nulla alia ratione. Matthæi euangelium duas adfert causas non eiecti dæmonij, Marci alteram solam. vide reliqua Matthæi 17. v. 21.

καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπορεύοντο διὰ τῆς γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τὶς γνῷ.	29	Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire.

INDE. ex hoc loco quo dæmonium istud eiecerat, sito ad radices montis in quo fuerat transfiguratus, siue ex illis partibus, Cæsaræ Philippi scilicet, quarum proximè facta est mentio, suprà 8. v. 27. PROFECTI. ἐξελθόντες egressi. PRÆTERGREDIEBANTVR. cursim transibant, festinatò iter faciebant s. Iesus eiusque discipuli. παρεπορεύοντο. illud alij vertunt *ad latus*, alij *clàm* siue *celeriter*, alij *vnà iter faciebant*. GALILÆAM. διὰ τῆς γαλιλαίας per Galilæam. Celerem & quasi clandestinam fuisse hanc profectionem satis intelligitur, ita tamen vt in ciuitate Capharnaum nonnihil morati sint, propter quod Matthæus vtitur voce conuersandi. Iesus agens in partibus Cæsaræ Philippi, dixerat eundum sibi Ierosolyma, mortemque illic

subeundam (Matt. 16. v. 21.) itaque postquam illic peregisset negotia regni cælorum quæ visum fuerat, quò satisfaceret decreto Patris, cœpit iter arripere ex illis partibus per Galilæam in Iudæam, cursim pertransiens Galilæam, nec vsquam se aperiens aut moram trahens, nisi, quod intelligitur infrà v. 33, pauculo tempore in Capharnaum. NEC VOLEBAT Iesus QVEMQVAM SCIRE. quo in loco Galilææ esset, & quòd cursim festinatoque transiret per Galilæam, animo relinquendi illam & in Iudæam migrandi. Caussa fuit, ne impediretur aut retardaretur à populis Galilææ, à quibus ob signa diligebatur, ipsius in Iudæam profectio. Omnia siquidem voluntati Patris posthabuit.

Matth. 17. v. 22. 23. Luc. 9. v. 44.

30 Docebat autem discipulos suos & dicebat illis, quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.

ἐδίδασκε γὰρ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν, καὶ ἀποκτανθεὶς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

DOCEBAT. non parergῶs aut obiter significabat, sed ex professo, claris disertisque verbis declarabat & inculcabat, fortassis etiam explicabat quid in morte sua mysterij foret. AVTEM. γὰρ enim, quomodo est & syriacè. Ex hac caussali coniunctione manifestum fit, id quod præcessit *nec volebat quemquam scire*, intelligendum, quòd eò properaret vnde non esset reuersurus, quippe morte illic afficiendus. QVONIAM. quòd. TRADETVR. παραδίδοται traditur. eò proficiscitur vbi breui tradetur. Præsenti tempore vtens significat rem breui esse futuram. ET quòd. Reliqua quære Matth. 17. v. 22. 23.

Luc. 9. v. 45.

31 At illi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum.

οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα, καὶ ἐφοβοῦντο αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

IGNORABANT. non intelligebant. VERBVM. τὸ ῥῆμα hoc verbum, hoc dictum, hunc sermonem, quamquam semel atque iterum auditum; non ex tarditate ingenij, sed ex amore potiùs præceptoris. Facilè enim assequebantur significationem verborum, quæ clara apertaque erant (hinc enim, Matthæo referente, contristati fuère) sed ignorabant quomodo & quam ob caussam, quo merito, quo fine, illud quod significabatur fieri posset aut deberet, quomodo constaret illud cum miraculis Iesu, cumque ea qua iam imbuti erant fide de Iesu, quòd esset Christus Filius Dei viui, regnũ Israël gloriosè initurus, idque breui; quod suprà v. 1. dixerat; vir sanctissimus, quod experientia nossent, cui præter omnia facilè esset mortem euitare & hostes quoque ipsos disperdere: toti enim erãt in consideratione mortis, nec magnifaciebant resurrectionem quam cædes Domini præcedere haberet. Non tamen fidem detrahebant verbis eius, sed vt obscura simul & tristia non demittebant in pectora: fortè etiam imaginabantur ea parabolicῶs dici, alio sensu quàm primùm præ se ferrent. Relinquebantur adhuc à Deo hoc in negotio sibimetipsis, nec illustrabatur illorum mens ad mysteria mortis & resurrectionis Christi, quibus salus humana parienda erat, intelligenda: tamquam pueri enim nondum erant capaces. TIMEBANT, veriti increpationem, veriti & mœroris, quo constricti erant, Matthæo narrante, augmentum, si dilucidiùs res explicaretur. Non fuit laudabilis hic timor, qui, & perplexam dubitationem, & vitiosam tristitiam aluit: nec enim immodicè cõtristati fuissent, si rem intellexissent.

32 Et venerunt Capharnaum. Qui cùm domi essent interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

καὶ ἦλθεν εἰς καπερναούμ. καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος ἐπηρώτα αὐτούς· τί ἐν τῇ ὁδῷ πρὸς ἑαυτοὺς διελογίζεσθε;

ET. igitur. eo in itinere quo Galilæam cursim transibant. VENERVNT. ita est & syriacè. Legerunt itaque Interpretes Syrus & Latinus ἦλθον græcè, pro eo quod nunc legitur ἦλθεν *venit* numero singulari: quamquam ad sensum parui referat vtro modo legas, postquam semper intelligendus venit Iesus cum discipulis suis. CAPHARNAVM. vide Matth. 17. v. 24. QVI CVM DOMI ESSENT. καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος & domi factus. Iterum est singularis græcè, cùm latinè & syriacè sit numerus plurium: quamquam sunt quidam etiam latini libri qui legant *esset* singulari, sed quod minùs aptè cohæreat cum eo quod præcedit plurali *venerunt*. DOMI suæ in quam soliti erant diuertere. vide Matth. 13. v. 1. & suprà 3. v. 20. INTERROGABAT Iesus. TRACTABATIS. διελογίζεσθε disceptabatis, *disputabatis* vertit proximo versu. additur græcè & syriacè πρὸς ἑαυτοὺς *inter vos*. Rogat, non vt sciat, qui nouerat cogitationes eorum, quod ait Lucas, sed vt corripiat & corrigat. Inquirens Iesus de furtiuo colloquio, docet ab omni quantumuis occulta æmulatione cauendum esse.

Luc. 9. v. 46.

33 At illi tacebant: siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.

οἱ δὲ ἐσιώπων· πρὸς ἀλλήλους γὰρ διελέχθησαν ἐν τῇ ὁδῷ, τίς μείζων.

TACEBANT. non ausi, præ pudore & reprehensionis timore, magistro modestissimo veritatem indicare, facilè suspicantes fore vt hunc ambitionis affectum improbaret. QVIS EORVM ESSET MAIOR τίς μείζων quis maior. Reliqua addidit Interpres explicationis ergo. *Maior* autem comparatiuus est loco superlatiui *maximus*. Quis ipsorum esset maximus, primus, ordine, loco, honore, auctoritate. Habuerat illos diu Iesus tamquam æquales: obseruarant autem breui quædam quæ ipsos torquebant, quibus velle videbatur quosdam ipsorum aliis præferre, iam regno instante. Atqui singuli sibi digni videbantur aliis præferri,

ferri atque operæ pretium esse iudicabant pro ea re nunc certare, rati eo se loco futuros in instanti Christi regno, quem nunc ab e[illegible] fuissent. Reliqua lege Matth. 18. v. 1.

καὶ καθίσας ἐφώνησε τοὺς δώδεκα, καὶ λέγει αὐτοῖς· εἴ τις θέλει πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος καὶ πάντων διάκονος. 34

Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus & omnium minister.

Matth. 18. v. 4. Luc. 9. v. 48.

Et. ipse autem. RESIDENS. καθίσας cùm sedisset. Sedit, vt auctoritate vsurus sua, & serij aliquid traditurus. DVODECIM. omnes duodecim, neminem Apostolorum abesse voluit. Quamuis enim illorum quidam fortasse hic non peccarant, ab omnibus tamē audiri voluit admonitionem omnibus vtilem, præter hoc quòd consultius iudicaret illos qui præ cæteris hoc morbo laborabant communi admonitione castigari quam propria. Porrò vbi vocatos simul omnes se à magistro viderent, veriti, ne, quod res erat, ambitio illorum proderetur, non sine obiurgatione acri, putarunt sibi silentium abrumpendum, proposuerunt que quæstionem quam Matthæus refert: Q[illegible] maior est in regno cælorum? Qua existimabant occulere se posse peccatum suum, tamquam qui non tam de præsenti rerum statu, quàm de futuro regni Christi, nec de se solis, sed de omnibus disputassent. Obseruandum hoc est, ne videatur Matthæo Marcus contrarius, quando ille Apostolos interrogasse, hic siluisse narrat. vide Matth. 18. v. 1. PRIMVS tam virtutis merito quàm honore & auctoritate, tam apud Deum quàm apud homines, tam in futuro quàm in præsenti seculo. ERIT. id est, sit. frequens est Hebræis futuri vsus loco imperatiui. Sit inquam, nam si non est, nec primus erit; aut si quo modo erit hoc in seculo, loco indignus erit nec permanebit in altero seculo. NOVISSIMVS. vltimus, non se putet primo loco dignum, sed habeat se pro omnium vltimo, pro eo cui alij omnes meritò præferri debeant; nec id animo solo, verumetiam reipsa, instar vltimi ministrum omnium se exhibens vbi se offert occasio, nihil quamuis vile detrectans quod modò faciat ad cuiusuis vtilitatem, nusquam quę sua sunt quærens, sed quæ aliorum. Illud est quod sequitur ET OMNIVM MINISTER. vide Matth. 20. v. 26. Hoc qui vestrûm præstiterit omnium perfectissimè, primus erit, dignus loco primo: quem si hoc in seculo inter homines non assequatur, assequetur proculdubio æternum in altero.

καὶ λαβὼν παιδίον, ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ, εἶπεν αὐτοῖς· 35

Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cùm complexus esset, ait illis:

Matth. 18. v. 2. Luc. 9. v. 47.

ACCIPIENS. λαβὼν quum accepisset. PVERVM. παιδίον puerulum. vnum seu quendam addit Syrus. CVM COMPLEXVS ESSET. s. vlnis seu brachiis, est enim græcè ἀγκάλη vlna. Syrus, *cum accepisset eum super brachia sua*. Felix puerulus quem in brachia accipere amplectique dignatus est Iesus: nihil dubium quin copiosam illi benedictionem inspirarit. Testatus est porrò hac actione, gratissimam Deo Patri sibique esse, simplicitatem, modestiam, & innocentiam, infantum naturæ persimilem. AIT. illud inprimis quod Matthæus habet cap. 18. v. 3. deinde & illud quod hîc sequitur. Reliqua lege Matth. 18. v. 2.

ὃς ἐὰν ἓν τῶν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποστείλαντά με. 36

Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

Matth. 18. v. 5. Luc. 9. v. 48.

PVERIS. παιδίων puerulis, ætate, sed præsertim moribus. Reliqua lege Matth. 18. v. 5. SVSCEPERIT. receperit. non mutatur vox. NON ME SVSCIPIT, SED. id est, non tam me recipit quàm. Non enim est negatiua oratio, sed correctio, quam Græci ἐπανόρθωσιν dicunt, cùm minùs dixisse videmur quàm res habet, idq; addimus quod deest ad integritatem rei. Aliter dicas, *Non solum me recipit, verumetiam*. Sunt aliæ similis huiusmodi phrases Iohan. 6. v. 38. 7. v. 16. Cæterùm loquitur hoc modo Iesus ex discipulorum suorum opinione, qua Deû Patrem illi, Iesu maiorem habebant hactenus. EVM QVI MISIT ME. vide sup. 10. v. 40.

ἀπεκρίθη δὲ αὐτῷ ὁ ἰωάννης, λέγων· διδάσκαλε, εἴδομέν τινα τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια, ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν. 37

Respondit illi Iohannes dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum.

Luc. 9. v. 49.

RESPONDIT. id est, occasione ex verbis Domini Iesu accepta, subiecit ac proposuit. ILLI. Iesu. IOHANNES Apostolus. Quia dixerat Iesus, gratissimum sibi & Deo Patri esse, si quis paruulum aut humilem quemuis in ipsius nomine recipiat, foueat, iuuet, iamque sæpius didicerat Iohannes, à Magistro, gratissima ipsi & ipsius Patri esse, quæcumque fierent in nomine ipsius: venit Iohanni in mentem, quòd prohibuisset aliquando cuidam, ne in Iesu nomine eiiceret dæmonia. Veritus ergo ne minùs rectè fecisset, eò quòd impediuisset opus charitatis, quod paruulis miserisque exhibebatur in nomine Iesu: proponit Magistro rem,

abrumpens licet propositum magistri, ambitioni eradicandæ humilitatique commendandæ intenti, & tacitè interrogat, benè fecisset an malè: simulque ostendens, quòd & bono animo id fecisset, & paratus esset corrigi, si minùs rectè fecisset. VIDIMVS ego & quidam alij ex nostris, nuper cùm tuo iussu Iudæam peragraremus prædicandi euangelij causa. QVEMDAM. ignotum. IN NOMINE TVO. (præpositio ἐν græcè subauditur) id est, per nomen tuum, appellato nomine tuo. Hinc discimus, Apostolos, cùm dæmonia eiicerent, vsos fuisse appellatione nominis Iesu, quamuis adhuc mortalem inter homines vitam agentis, præcepisseque dæmonibus in nomine Iesu, vt exirent: nam illos iste est imitatus. Videns enim Apostolos in nomine Iesu eiicere dæmonia, tentauit an non & ipse id posset, nomine Iesu adhibito: præsertim cum virtus omnis à Iesu nomine proficisci videretur. Simile legitur Act. 19. v. 14. de filiis Sceuæ principis sacerdotum. EIICIENTEM DÆMONIA. Pluralis numerus *dæmonia*, intelligendum dat, quòd iam quædam dæmonia eiecerat ille reipsa: vt certè non ea fuisset ratio prohibendi, si iste tentasset quidem eiicere, sed frustra: ipse enim per se conatus frustratus, ipsi id prohibuisset. Cùm ergo vidisset Iohannes illum, iam quidem eiecisse dæmonia quædam, pergere autem id ampliùs tentare, prohibuit eum. QVI NON SEQVITVR NOS. qui non est societatis nostræ, qui non sequitur te nobiscum. His verbis insinuat Iohannes, causam quare prohibuerit eum, eò quòd non esset de numero apostolorum, vel eorum discipulorum qui corpore Iesum quocumque sequerentur, qui soli nimirum acceperant à Iesu potestatem auctoritatemque dæmonia eiiciendi. *Quia tradiderat Saluator*, inquit Cyrillus in Cathenam ad Lucam adductus, *potestatem Apostolis, vt spiritus immundos eycerent, putauerunt nulli aliorum quam sibi solis licere concessam gerere dignitatem*. Hic ergo cùm Iesum non sequeretur, idque *propter asperum viuendi modum*, quod ait Euthymius, ac proinde non accepisset à Iesu id facultatis aut mandati, videbatur præter ordinem à Iesu constitutum agere nonnihilque iniuriæ Iesu irrogare, quòd iniussus, Iesu nomine, ad eiiciendos dæmones vteretur. Non inuidia aut studio ambitionis ducti id prohibuerant discipuli, quasi *laborarent de asserendo honoris sui priuilegio, & soli hoc iure potiri vellent*, quæ Caluini sententia est (nam si ita fuisset, non consuluissent Iesum an rectè fecissent, malè sibi conscij) sed *amore*, quod ait Ambrosius, & zelo ducti, licet minùs prudenti; quòd consulere vellent auctoritati Iesu, eiusque conseruare disciplinam, ne quis, cui ipse eam potestatem nō fecisset, ipsius nomine vteretur vel potiùs abuteretur, ne vilesceret ipsius nomen & potestas ista, si omnes hoc tentarent. Notant hoc enarratores græci, abfuisse à discipulis inuidiam, non inuidisse eos homini huic potestatem eiiciendi dæmones, sed iudicasse, non permittendum iis quibus Iesus id nō mandauerat, vt in Iesu nomine dæmonia eiicerēt; Theophylactus, Victor, Titus. quo ferè modo Iosue, arbitrabatur non permittendos prophetare, qui spiritum à Mose non accepissent, veritus ne Mosis maiestas periclitaretur. Num. 11. v. 28. Porrò non dicit Iohannes *qui non credit in te*, aut *qui malè viuit*, non enim nouerat hominem: & quamuis etiam à malis, adeoque ab incredulis, edi possint miracula in nomine Iesu, quemadmodum discere licet ex Matth. 7. v. 23. & Act. 19. v. 15: verisimile est tamen, hunc, si non credidisse, certè alienum non fuisse à fide in Iesum, & pœnitentia quam Iesu prædicante didicerat (id quod responsio Iesu subsequens satis dat intelligendum) quamquam à sequela Iesu, propter vitæ asperitatem, quod dictum est, fortassis abhorreret. Admiratus enim virtutem nominis Iesu, putauit etiam se, eo adhibito, posse dæmonia expellere: & profectò, credibile non est, Iesum, in illis initiis, id concessisse homini, ab ipsius doctrina & moribus prorsus alieno. Cæterùm quamuis bono animo hic videatur Apostolos imitatus, non sine temeritate tamē id aggressus est, de quo nullam promissionem, nullum mandatum acceperat, quodam, quod Theophylactus & Euthymius aiunt, *vanæ gloriæ amore captus*. Sed successu audacia non caruit, quia, quamuis eam facultatem præsens vnà cum reliquis discipulis à Iesu non accepisset, acceperat tamen absens, ab eo qui nullam sibi ipse legem præscripserat, quin tam secretè quàm publicè, tam absentibus quàm præsentibus, dona sua suo pro libitu posset distribuere. Nam & hoc modo placuit ei nominis atque euangelij sui gloriam propagari: vt & ij qui huiusmodi miracula in ipsius nomine operari tentarent, & ij qui ea miracula viderent aut audirent, admirandam ipsius, per absentes adeoque ignotos operantis, virtutem ipsa experientia agnoscentes, faciliùs ad perfectam euangelij fidem adducerentur. ET PROHIBVIMVS EVM, ne id faceret. Sequitur græcè ac syriacè, *ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν quia non sequitur nos*. id enim, græcè quidem repetitur, syriacè autem hoc solùm loco legitur, vt latinè tantùm superiore. Rogat ergo Iohannes, rectène, ô Præceptor, fecimus, an secus?

Luc. 9. v. 50.

Iesus autem ait: Nolite prohibere [38] eum: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me.	ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπε· μὴ κωλύετε αὐτόν· οὐδεὶς γάρ ἐστιν ὃς ποιήσει δύναμιν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, καὶ δυνήσεται ταχὺ κακολογῆσαί με.

NOLITE PROHIBERE. *μὴ κωλύετε* ne prohibeatis s. in posterum, si similis rursus se offerat occasio, vt non debueratis hunc prohibuisse. Plures alloquitur Iesus, Iohannes enim narrauerat à se aliisque discipulis illum prohibitum fuisse. Porrò non reprehendit discipulos Iesus, quia animo bono, adeoque amore, quod ait Ambrosius, id fecerant, sed mansuetè docet atque instruit. Non debetis, inquit, huiusmodi prohibere, tametsi non sequatur vos. Ratio subditur: NEMO EST ENIM QVI cùm FACIAT VIRTVTEM miraculum, siue expulsionis dæmonium, siue quoduis aliud, appellato NOMINE MEO, ac proinde virtute nominis mei, POSSIT CITÒ, id est, facilè MALE LOQVI DE ME. *κακολογῆσαί με* maledicere mihi, blasphemare aut calumniari me, de auctoritate vel honore meo detrahere, sicut faciūt aduersarij mei. Nam si id faceret, res ipsa redargueret eum, diceretúrque ei: Qua fronte obtrectas ei, cuius nomen in edendis per te ipsum miraculis expertus es potens adeò atque efficax? Sed non facilè tantam impudentiā admittat alicuius conscientia: expertus enim quanta sit potestas mea, cuius solo nomine inuocato ipse miracula patrarit, non potest vel malè loqui vel malè sentire de me meoque nomine, immo cogitur admirari, amare, laudare & extollere me nomenque meum & si non credat, proximum est vt credat in me, tantum per me honorem assequutus, ac proinde tanto mihi beneficio obligatus. *per nomen enim meum ipse glorificatur*, quod ait Euthymius, &, quod Theophylactus,

phylactus, *nomen meum in occasionem vanæ gloriæ prætexit*; aut vt Victor dicit, *de virtutibus, quas in nomine meo fecit, gloriari sequè iactare solitus est.* Dum virtutes in nomine meo operatur, ipse & honorat nomen meum, & honoratur vicissim à nomine meo. Plus ergo insinuat Iesus quàm verbis exprimat, quòd nemo facilè miracula in nomine ipsius operetur, qui non agnoscat ipsius potentiam, ipsúmque Christum esse confiteatur: sed intelligi vult, non esse huiusmodi prohibendum, ideò quòd vel hoc vnum boni subsit, quòd non possit citò malè loqui de ipso, Domino ac magistro ipsorum, *cuius nomen in dæmoniorum expulsione commendabat*, vt loquitur Augustinus lib. 4. de cons. Euang cap. 5. Admittit Iesus quòd ille non fuerit ex discipulis sequacibus ipsius, quódque non acceperat ab ipso cum reliquis potestatem mandatúmque dæmonia eiiciendi: his tamen non obstantibus, docet eum non debuisse prohiberi, quia etsi non esset ex manifestis ipsius discipulis, vt minimùm tamen ita esset ipsi deuinctus, vt non facilè posset ipsi aduersari, eo ipso quo nomine ipsius vteretur ad patrandum miracula: subindicans miraculorum patrandorum facultatem, à se infundi posse, etiam absentibus & procul distantibus, nec se eam alligasse iis qui ipsum corpore sequerentur. Cæterùm non probat Iesus omni ex parte factum huius exorcistæ, tamquam ab omni vitio temeritatis & vanæ gloriæ alienum: sed, huiusmodi occultis Dei iudicio relictis, non vult à discipulis suis prohiberi, externum opus, officio bonum quod obesse quidem non potest, potest autem prodesse suo modo, ad illustrandum Iesu nomen, ad euangelij fidem propagandam, denique ad promouendam salutem, tam eorum qui huiusmodi miracula operantur, quàm aliorum qui ea viderint intellexerintve. ferendum enim esse & gaudendum si per quoscumque & quacumque occasione glorificetur Deus. Quocirca scribit in hunc locum Victor Antiochenus græcus Auctor: *Ne prohibeatis enim, vel hac ratione ad virtutum incrementum animique perfectionem contendere.* & clariùs Beda inter latinos: *Docetur, neminem a bono quod ex parte habet arcendum, sed ad hoc potius quod nondum habet esse prouocandum. Hac doctus sententia dicit Apostolus: Sed siue occasione, siue veritate, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Sed licet ille gaudeat etiam de his qui Christum annunciant non sincerè, & tales aliquando in nomine Christi signa facientes, ob aliorum salutem censeantur non esse prohibendi: non tamen ipsis per talia signa, secura sua conscientia redditur, qui potius in illa die, cum dixerint, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? responsum accipient, quia numquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* hactenus Beda. Porrò quod addit Iesus *cito* siue facilè, est, quia quamuis rarum sit & pænè impossibile, fieri tamen potest, vt quis ita sit impudens, vt detrahat nomini Iesu, cuius virtute antea ediderat miracula: qualis fuit Iudas Iscariotes, qui prodidit Iesum, à quo *miraculorum gratia ornatus* fuerat, qud ait hoc loco Victor.

ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ [39] ὑμῶν ἐστιν.	Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.

Luc. 9. v. 50.

Qvi enim. Coniunctione *enim* datur intelligendum, eam quæ hoc versu adfertur rationem, cur exorcista ille non fuerit à discipulis prohibendus, non tam aliam esse rationem, quàm confirmationem esse eius quæ data est versu superiori. Occurrit enim hic obiectioni, quam insinuauerat aduerbio illo *cito*. q. d. Nam quamuis fieri possit, vt de me malè loquatur, mihique sit aduersarius, etiam is qui mei nominis virtute signa edat: quia tamen hoc non citò fit, sed rarum est, non debetis id opinari, nisi manifestè mihi vobísque aduersetur. *Qui enim*, quod habet vulgaris sententia, non est adversum seu contra vos, pro vobis est. qui nihil agit quod vobis aduersetur, quod obsit instituto atque officio vestro, prædicandi nomen meum, & multos homines euangelio ac regno meo lucrifaciendi, eum pro vobis esse, vobiscum facere, vestróque instituto fauere, credendum vobis est. Nemo enim præsumi debet malus, nisi contrarium doceatur, vti humanæ etiam leges definiunt. Iam verò quòd eiiciat quis dæmonia in nomine meo, etiamsi ille corpore me vobiscum non sequatur, nihil obest vobis vestróve instituto, aut nomini meo, immo verò prodesse id potest ad propagationem nominis & euangelij mei. Quocirca non venit ille à vobis prohibendus hoc nomine, vt non est mouendum bellum ei qui vos non lacessit: sed quod agit, in meliorem partem interpretemini oportet, ipséque æquissima hac regula examinandus, & religiosa interpretatione à vobis excipiendus est: *Qui non est aduersum nos, pro nobis est*. de singulis enim optimè sentiendum est, donec aliud appareat: nec in deteriorem partem accipiendũ, quod rectè licet interpretari. Qui ergo non resistit euangelio, nec oppugnat aut persequitur veritatem, ille saltem mente fauere & animi studio propugnare veritatem, hoc est, aut in me credere, aut eò propendere existimandus est, idque eo magis, si certa etiam actione veritatem promoueat, etiamsi vitam non ducat in externa congregatione vestra. Iam hæc sententia non est contraria illi Matth. 12. v. 30: *Qui non est mecum, contra me est*: illic enim præcipuè de animo, hîc de opere; hîc de discipulis præsertim, illic de seipso Christus loquitur. Illic, ait, aduersarium suum esse, quisquis non integro ac sincero animo se ipsi iungit, medium enim esse non licere: hîc discipulos suos docet, vt pro fautoribus habeant omnes, qui non declarant se aduersarios, præsertim eos qui quid agunt, quod promouere institutum ipsorum possit. nihil enim in deteriorem partem interpretandum, quod rectè liceat interpretari.

ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον [40] ὕδατος ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι Χριστοῦ ἐστε· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.	Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Matth. 10. v. 42.

Qvisqvis enim. Nam si quis pro suis facultatibus vel minimum aliquod momentum ad euangelici negotij profectum attulerit, Pater meus & ego id sumus recognituri. In nomine meo. propter me, mea causa. sequitur explicatio: Qvia Christi estis. quia mei estis, quia Christiani estis, discipuli mei, credentes in me & negotium agentes meum. Non perdet, non frustrabitur, non est cariturus mercede.

mercede. Longè tamen minùs iste fecerit, longeque minùs me honorauerit & euangelicum negotium promouerit, quàm qui assumto nomine meo dæmonia eiecerit, qui proinde etiam longè minus carebit mercede sua. Argumentum est à minore ad maius. MERCEDEM. merces hoc loco non videtur propriè accipi, cùm sermonis occasio ex eo sit, qui licet Christianis faueret, nondum tamen ipse Christianus erat (qualis vtique mereri non potest) sed pro præmio siue remuneratione, quæ ferè hominibus eiusmodi à Deo redditur hæc, vt Christiani fiant. Legatur Augustinus lib. 4. cap. 6. de consens. Euangel. Cætera verò petantur ex Matth. 10. v. 42.

Matth. 18. v. 6. Luc. 17. v. 2.

Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo eius & in mare mitteretur. 41

Καὶ ὃς ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον εἰ περίκειται λίθος μυλικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ βέβληται εἰς τὴν θάλασσαν.

ET QVISQVIS. Quisquis autem. Opponit hoc ei quod dixerat suprà v. 37: *Quisquis receperit, &c.* & ei quod mox: *Quisquis potum dederit, &c.* Redit enim ad sermonem de humilibus à se institutum, quem Iohannes interruperat. EX HIS PVSILLIS. τῶν μικρῶν paruorum. IN ME Christum. BONVM EST EI MAGIS. melius est ei. Hebræi carent comparatiuo. CIRCVMDARETVR. circumponeretur. MOLA ASINARIA. Syrus mola asini; Græcus λίθος μυλικὸς lapis molaris. COLLO. περὶ τὸν τράχηλον circa collum. MITTERETVR. proiiceretur. Reliqua quære Matth. 18. v. 6.

Matth. 5. v. 31. 18. v. 8.

Et si scandalizauerit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, 42

καὶ ἐὰν σκανδαλίζῃ σε ἡ χείρ σου, ἀπόκοψον αὐτήν· καλόν σοι ἐστι κυλλὸν εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ τὰς δύο χεῖρας ἔχοντα ἀπελθεῖν εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον,

ET SI. Quòd si. Nam scandalum res est adeò noxia, non tantùm procuranti, verumetiam patienti, vt si scandalum tibi ex temetipso nascatur, verbi gratia ex manu tua. Hoc modo iungendum illud videtur superioribus, quod secundùm Matthæum clariùs iungitur, vbi præcedit amplior de scandalo tractatio. DEBILEM. κυλλὸν mancum. IRE. ἀπελθεῖν abire. IN IGNEM INEXTINGVIBILEM. exponit quid sit in gehennam ire. vide Matth. 3. v. 12. Syriacè particula ista non legitur, nec hoc versu nec proximo 45. vt certè subsequentibus 44. & 46. disertè exprimitur. Reliqua huius versiculi lege Matth. 18. v. 8.

Isaiæ 66. v. 24.

vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 43

ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

VBI. in qua gehenna s. quod ait Isaias propheta. VERMIS EORVM. vermis qui arrodet illos qui eò fuerint damnati, præuaricatorum inquam (quod apud prophetam præcedit, quales sunt ij omnes qui scandala fouent. Quia cadauera appellauerat propheta corpora reproborum, dicens: *Et egredientur & videbunt,* electi scilicet, *cadauera virorum qui præuaricati sunt in me* (non quòd animata non erunt à resurrectione, sed quòd non vitæ æternæ splendorisque perpetui, sed pœnę æternæ caliginisque perpetuę causa excitanda sint) consequenter dum subiicit *vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur,* etiam vermes illis attribuit, qui ex corruptione cadauerum nasci & cadauera exedere consueuerunt; habita tamen magis ratione viuorum corporum quæ sentiunt, quàm mortuorum quæ sunt expertia sensus. pro pœna enim & cruciatu vermem ponit. NON MORITVR. numquam moritur siue morietur (est enim præsens pro futuro) immortalis est, non in semetipso tantùm, sed etiam illis in quos agit, id est, perpetuò illos arrodit arrodetq;, indesinenter æternumque cruciabit. *Fæcunda pœnis viscera corrodent,* ait poëta prophetæ Interpres. NON EXTINGVITVR, numquam extinguetur, absque cessatione in æternum illos aduret atque affliget. viuunt enim illi tantùm in pœnam. *Vermem & ignem* quidam vtraque ad animum referunt, pro mœrore animum rodente atque vrente, non secus ac si vermis hominis cuiuspiam corrodat & ignis corpus comburat. Alij *ignem* corporis, *vermem* intelligunt esse animæ pœnam, quæ peccatricem animam, inutilis pœnitentiæ aculeis, instar edacis vermis, continuò pungit ac rodit, quam malefici suæ ipsorum conscientiæ dant, *quos diri conscia facti Mens habet attonitos & surdo verbere cædit, Occultum quatiente animo tortore flagellum. Quod etsi credibilius dicitur,* ait Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei cap. 9., *quia vtique absurdum est ibi dolorem aut corporis aut animæ defuturum: ego tamen faciliùs assumo, vt ad corpus dicam vtrumque pertinere quàm neutrum, & ideò tacitum in illis diuinæ scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequēs esse intelligitur etiamsi non dicatur, vt in corpore sic dolente animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Eligat ergo quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, illud propriè, hoc tropicè; aut vtrumque propriè corpori.* Hæc ille. His itaque Saluator, ex auctoritate Isaiæ prophetæ, grauitatem describit tormentorum gehennæ, quæ inter alios maneant eos qui scandala foueant aut patiantur, vt suos doceat quiduis potiùs quàm scandalum pati.

Matth. 18. v. 8.

Et si pes tuus te scandalizat, 44

καὶ ἐὰν ὁ πούς σου σκανδαλίζῃ σε, ἀπό-

ἀπόκοψον αὐτόν· καλόν ἐςί σοι εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν, ἢ τοὺς δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεςον,

amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis,

ÆTERNAM non additur ſiue græcè ſiue ſyriacè. MITTI. *proiici.* IGNIS INEXTINGVIBILIS. id eſt, cuius ignis eſt inextinguibilis. Græcè eſt hîc vt verſu 43. ſuperiori, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεςον *in ignem inextinguibilem*: quamuis ſyriacè, quod diximus, neutrum legatur. Reliqua lege ſuprà v. 43.

ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ [45] πῦρ οὐ σβέννυται.

vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Verſus iſte expoſitus eſt mox ſuprà v. 44.

καὶ ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζῃ σε, [46] ἔκβαλε αὐτόν· καλόν σοί ἐςι μονόφθαλμον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός,

Quòd ſi oculus tuus ſcandalizat te, eiice eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis,

Matth. 5. v. 30. 18. v. 9.

LVSCVM μονόφθαλμον vnoculum. REGNVM DEI dicit pro eo quod ſuperioribus verſibus dixit *vitam*: itaque accipitur hic regnum Dei pro cælis ſimul & pro bonis quæ illic parata ſunt iis qui mortificant membra ſua ſuper terram, pro abſoluta inquam beatitudine. vide Matth. 5. v. 2. GEHENNAM IGNIS. Hoc modo legunt hîc vnanimiter Latina, Græca, & Syra. Quid ſit gehenna ignis vide Matth. 5. v. 23. Reliqua ad hunc pertinentia verſiculum lege Matth. 5. v. 30. & 18. v. 9.

ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, [47] καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Tertiò verba iſta repetit, quò magis exaggeret grauitatem pœnæ inferorum. *Quem non terreat*, inquit Auguſtinus loco mox allato, *iſta repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens ore diuino?*

πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα [48] θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.

Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.

OMNIS ENIM ſ. huiuſmodi, qui in gehennam mittendus eſt. Datur ratio eius quod proximè præcedit, *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*; cur vocauerit ignem eorum, & cur non extinguendus ille ſit.

IGNE SALIETVR. igne quaſi ſalietur (eſt enim impropria loquutio) id eſt, igne vretur ſeu cruciabitur, ſimul & ſeruabitur incorruptus: ignis erit ei tamquam ſal, tamquam ſi ſale perfrictus perpetuis eius cruciatibus torqueatur. Sal duplici qualitate eſt præditum, vrendi & conſeruandi: cruciat aduſtione, ſeruat à corruptione. Eaſdem qualitates tribuit Chriſtus igni gehennæ, quòd ſic aduret & cruciabit reprobos, vt non conſumat, ſed relinquat integros & perpetuæ aduſtioni aptos, ipſe numquam aut extinguendus aut extincturus. Metaphorica ergo locutio eſt, igne ſaliri; quemadmodum illa, igne baptizari, Matth. 3. v. 11. ET. pro *ſicut*, vt Prouerb. 25. v. 23: *Ventus aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem*: pro, ſic facies triſtis, & alibi ſæpe. OMNIS VICTIMA. omne ſacrificium. SALE SALIETVR. ſale ſaliri conſueuit, ex legis præſcripto, quæ iuſſit Leuit. 2. v. 13: *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies*. Sic illi igne ſalientur, inquit, quemadmodum omnis victima ſale ſaliri eſt ſolita. Nam & illi victima quædam Domini futuri ſunt, quamquam planè miſera victima. Vt ignem gehennæ ſali, ita damnatos victimæ comparat, alludens ad prophetarum, & præſertim Iſaiæ, quem proximè citauerat, loquendi modum, quo conſueuerunt victimam Domini vocare, eos quos furor Domini iniuriam ſuam vlciſcentis occidiſſet, idque eò quòd cædes eorum ad Dei gloriam faceret, eò quòd tamquam ligatæ victimæ, quæ ſacrificanti reſiſtere nequiſſent, à Deo, ad iuſtitiam & gloriam ipſius illuſtrandam, trucidati mactatique eſſent. Sic loquitur Iſaias cap. 34. v. 6. Sic Ieremias cap. 46. v. 10 ſic Ezechiel cap. 39. v. 17. 19. Nam & reproborum mors ſiue ſupplicium æternum, Dei iuſtitiam commendabit, æternamque augebit gloriam.

καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας [49] ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.

Bonum eſt ſal: quòd ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habéte inter vos.

Matth. 5. v. 13. Luc. 14. v. 34.

BONVM. id eſt, bona res, res admodum vtilis: efficax eſt enim & neceſſaria ad humanos cibos tum condiendos tum conſeruandos. Quia ſalis meminerat, præſertim verò ſacrificia ſolere ſale condiri, addit admoni-

monitionem salutarem à sale sumtam, quæ latenter indicat, quare sacrificiis Deus addi iusserit sal, quia scilicet nihil Deo placeat, quod sapientiæ sale non sit conditum. QVÒD SI. ἐὰν δὲ si autem, sed si. SAL INSVLSVM. Reddidit ... Interpres ex ἅλας ἄναλον. q.d. salsine sale. FVERIT vel factum fuerit ex γένηται. si semel sal ille defierit, id est, corrumpatur & natiuum illum vigorem efficacitatemque amittat. IN QVO. per quid, quanam re. CONDIETIS? condiri poterit, ita vt salis natura virtusque deperdita ei restituatur? q.d. impossibile est illud condiri, impossibile est vigorem semel amissum sali restitui: sed quàm fuerat antea res vtilis, tam fit inutilis ac nociua. id enim secundùm alios Euangelistas exprimitur. HABETE ergo, id est, seruate, omni studio conseruate, vos quós ego ad hoc elegi vt sitis sal terræ. IN VOBIS ipsis. SAL. id est, salem. masculinum enim potiùs genus in vsu est, quando metaphoricῶς vsurpatur hæc vox. *Sal* autem sapientiæ, siue prudentiæ, quæ pars est sapientiæ (sapientia enim symbolicῶς sale significatur) non prudentiæ huius mundi, sed prudentiæ filiorum Dei, cum simplicitate coniunctæ; quæ ita & sapienter & sinceriter vos geratis iuxta præscriptum doctrinæ meæ, doctrinæ inquam euangelicæ, quam estis prædicaturi, vt nullo humanarum rerum vel detrimento vel lucro proposito, cedatis iis rebus quæ hunc salem in vobis vitiare queant. Hic enim sal, quamdiu à vobis in vobis, integer atque incorruptus fuerit conseruatus, eritis & Deo & hominibus sapidi, id est, grati ita vt Deus quidem vos sua benedictione & æterna tandem salute augeat, homines verò, relictis insulsis moribus, doctrinam vestram ac vitam doctrinæ consentaneam, vt bene sibi sapientem, sequantur, & vobiscum Deo grati ac tandem salui fiant. Si verò hunc salem permiseritis in vobis euanescere ac corrumpi, & ita vos geratis, vt vita doctrinæ non respondeat, quinpotiùs quæ vestra sunt quæratis singuli, non quæ Dei, non resistentes scandalis intus forisve occurrentibus, itaque insulsi, & Deo simul ac hominibus ingrati atque insipidi reddamini; non tantùm non proderitis aliis ad salutem æternam, sed nec ratio erit reparandi vos aut restituendi saluti, desperatum de vobis erit. ET nominatim PACEM concordiam HABETE seruate INTER vos mutuò, nec sit inter vos contentio de primatu: eò enim respicit Dominus, vnde exordium huius sermonis sumtum fuerat, suprà v. 34. Quum ad hoc vt salem in semetipsis seruent discipuli Iesu, opus eis sit omnis generis virtutibus, tum maximè opus est concordia & pace inter ipsos. Nihil enim ita infatuat & insipidos reddit populo, eos quorum professio est docere & lucrifacere homines Christo, ac si humanis affectibus indulgentes, contendant inter se mutuò, de honore, lucro, aut aliis huius vitæ commodis. Contrà, nihil ita commendat eos populo, ac istud, si videant eos, procul abiecto omni ambitionis vitio, & posthabitis humanis omnibus affectibus, inter se consentientes, in hoc vnum incumbere, vt quæ Dei & proximorum salutis sunt quærant. Reliqua huc facientia petenda sunt ex Matth. 5. v. 13.

CAPVT DECIMVM.

Matth. 19. v. 1. 2.

1 Et inde exsurgens venit in fines Iudææ vltra Iordanem; & conueniunt iterum turbæ ad eum, & sicut consueuerat iterum docebat illos.

Κἀκεῖθεν ἀναστὰς ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου· καὶ συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι πρὸς αὐτόν, καὶ ὡς εἰώθει πάλιν ἐδίδασκεν αὐτούς.

INDE. è Capharnao. EXSVRGENS. ἀναστὰς cùm exsurrexisset, id est, profectus seu digressus fuisset. Nam, Hebræorum idiomate, sedere pro habitare seu manere in loco, surgere pro abire seu proficisci accipitur. VENIT. ἔρχεται: præsens est. VLTRA IORDANEM. Ambigua est hæc interpretatio: intelligenda est autem ex fonte græco διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου *per vltra Iordanem*, id est, per regionem eam quæ est vltra Iordanem, Peræam inquam. TVRBÆ sequutæ ipsum, quod habet Matthæus. SICVT CONSVEVERAT. Nullam consueuerat prætermittere occasionem docendæ & iuuandæ plebis. DOCEBAT & sanabat (quod habet Matthæus) geminam conferens sanitatem, corporis vnam, animæ alteram; hanc per doctrinam, illam per virtutem diuinam. Reliqua lege Matth. 19. v. 1. 2.

Matth. 19. v. 3.

2 Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere? tentantes eum.

Καὶ προσελθόντες οἱ Φαρισαῖοι ἐπηρώτων αὐτόν, εἰ ἔξεστιν ἀνδρὶ γυναῖκα ἀπολῦσαι; πειράζοντες αὐτόν.

ACCEDENTES προσελθόντες quum accessissent. DIMITTERE s. pro libitu, *quacumque ex causa*, quod addit Matthæus. TENTANTES EVM. Hæc Syrus præponit ipsi quæstioni. Reliqua lege Matth. 19. v. 3.

3 At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moses?

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· τί ὑμῖν ἐνετείλατο Μωσῆς;

QVID. Prudenti interrogatione de legis decreto, illorum sententiam primò explorat, non ignarus vtique, sed vt prolatam ab ipsis Mosis constitutionem, qua diuortij consuetudo nitebatur, opportunè ex alia Dei constitutione ab eodem Mose descripta explicet. PRÆCEPIT hac de re MOSES; cuius præceptum sequendum est vtique, vbi de re quapiam iudicandum est licitane sit an illicita, ita vt illud licitum habendum

dum sit quod ille præcepit, illicitum quod prohibuit. Sapientissima interrogatio, qua tentatio eluditur. Nam si illi præceptum aliquod Mosis proferrent, nullus relinqueretur calumniæ locus aduersus eum qui ex præcepto ipsis responderet. Si autem aliud quàm præceptum adferrent, locus fieret docendi quod res esset.

οἱ δὲ εἶπον· μωσῆς ἐπέτρεψε βιβλίον ἀποστασίου γράψαι καὶ ἀπολῦσαι. 4 Qui dixerunt: Moses permisit libellũ repudij scribere & dimittere. *Deut.24. v.1. Matth.19. v.7.*

PERMISIT viro liberum, si non inuenerit vxor gratiam ante oculos ipsius, propter aliquam fœditatem. Quòd non vtantur hîc Pharisæi verbo permittendi ea ratione qua opponitur præcepto, manifestum est, tum ex responsione Iesu qui præceptum vocat quod illi permissionem dixerant, tum ex Matthæo, vbi dilertè Pharisæi vtuntur mandandi verbo, Iesus autem respondens permittendi. Nam quòd Matthæus, loco interrogationis istius Iesu & responsionis Pharisæorum quam Marcus narrat, nihil aliud habet quàm quòd Pharisæi audita Iesu responsione obiecerunt legem Mosis de libello repudij; verisimile est vtrumque accidisse, & priùs Pharisæos ad interrogationem Iesu protulisse legem libelli repudij, & posteà iterum, audita sententia Iesu de quæstione ab ipsis proposita, obiecisse eandem legem, iuxta eum ordinem quem habet Concordia D. Iansenij. Reliqua lege Matth. 19. v. 7.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἔγραψεν ὑμῖν τὴν ἐντολὴν ταύτην· 5 Quibus respondens Iesus ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud: *Matth.19. v.8.*

SCRIPSIT Moses. PRÆCEPTVM ISTVD de dando vxoribus quas dimittere velletis libello repudij, permittens scilicet, hoc præcepto seruato, dimittere. Dare libellum repudij vxori dimittendæ præceptum erat; permissio, dimittere: quo modo notanter loquitur Iesus Matth. 19. v. 8. vbi leges reliqua ad hunc versiculum pertinentia.

ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ θεός· καὶ εἶπεν, 6 ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus. *Matth.19. v.4.*

CREATVRÆ conditæ. κτίσεως creationis s. mundi, quando Deus rebus indidit naturam vnà cum lege perpetua, quando vidit cuncta quæ fecerat & erant valde bona, benedixitque rebus omnibus à se factis. Omittit hanc voculam *creaturæ* Syrus. DEVS. opponitur Mosi. Deus iam inde ab initio, ab ipsa primæua coniugij generisque nostri institutione, diuortia illicita declarauit. Quod addit in fine huius versus græcè codex Regius ex Complutensi, καὶ εἶπεν alij græci libri omittunt, vt latini. Cætera quærenda sunt Matth. 19. v. 4. 8.

ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, 7 Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit ad vxorem suam, *Matth.19. v.5.*

PROPTER HOC. Si non legendum, certè subaudiendum est ex Matthæo: *Et dixit: Propter hoc &c.* Cætera quære Matth. 19. v. 5.

καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ μία σάρξ. 8 & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. *Matth.19. v.5.6.*

ὃ οὖν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. 9 Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. *Matth.19. v.6.*

Lege horum versiculorum expositionem Matth. 19. v. 5. 6.

καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ πάλιν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπηρώτησαν αὐτόν. 10 Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum.

ET IN DOMO. Cùm autem essent domi, in hospitio suo, Iesus eiusque discipuli. DE EODEM. de eadem re, de coniugij indissolubilitate. Erat discipulis doctrina Iesu noua, quippe alia ab ea quæ vulgò hactenus recepta fuerat. vide Matth. 19. v. 10. Itaque rogant domi sibi à præceptore repeti lectionem publicè auditam boni discipuli, vt meliùs tum intelligant tum memoriæ mandent.

καὶ λέγει αὐτοῖς· ὃς ἐὰν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν. 11 Et ait illis: Quicumque dimiserit vxorem suã & aliam duxerit, adulterium committit super eam. *Matth.5. v.32. 19.v.9. Luc.16. v.18.*

VXOREM SVAM. Repetit domi discipulis doctrinam, quam foris, occasione quæstionis Pharisæorum, secundùm Matthæum tradiderat: sed foris quidem addiderat *nisi ob fornicationem*; domi non addit, quia

quia nimirum ea est mens sententiaque ipsius, omnem eum qui repudiata vxore sua aliam ducit, adulterum esse, etiamsi fornicationis rea sit ea quā repudiarit. Nam quòd foris docens addidit *nisi ob fornicationem*, idcirco fuit, vt, vel grauissimum adulterij genus inprimis damnaret, vel doceret quam ob causam dimittere vxorem liceat ita tamen vt aliam non ducas. *Vxor vt dimittatur*, inquit Augustinus, *vna carnalis causa est, fornicatio* (Matth. 5. v. 33.) *vna spiritualis, timor Domini* (Matth. 19. v. 29. Luc. 14. v. 26.), *vt viua ea alia ducatur, nulla causa in lege Dei est.* ADVLTERIVM COMMITTIT. μοιχᾶται *mœchatur* vertit aliàs: SVPER EAM. ἐπ' αὐτήν in illam, aduersus illam, in iniuriam illius s. vxoris suæ quam dimiserit, illius loco rem habens cum alia. Theophylactus intelligit, *adulter est eius*, scilicet secundæ. Hanc particulam Syrus non agnoscit. Reliqua lege Matth. 5. v. 33. & 19. v. 9.

Et si vxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mœchatur.	12	καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται.

DIMISERIT dimissa prior, vel certè vltrò. *Dimiserit* autem, quamcumque ob causam, etiam ob adulterium. Non erat quidem liberum vxoribus Iudaicis sponte dimittere aut repudiare maritos: fiebat id tamen nonnumquam, & quidem iustè ob adulterium. Quocirca iuxta euangelij legem, vir & vxor pares sunt, quod ad pudicitiam coniugalem, fidem thori, cæteraque coniugij iura. MOECHATVR. adulterium committit. Hanc legem sequuta Fabiola nobilis matrona, publicam Romæ pœnitentiam egit, quòd dimisso viro adultero, alteri erroneè nupsisset. refert B. Hieronymus epistola 30.

Matth. 19. v. 13. Luc. 18. v. 15.	Et offerebant illi paruulos vt tangeret illos: discipuli autem comminabantur offerentibus.	13	καὶ προσέφερον αὐτῷ παιδία, ἵνα ἅψηται αὐτῶν· οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπετίμων τοῖς προσφέρουσιν.

ET OFFEREBANT. tunc offerebantur seu oblati sunt, Matthæo interprete. Secundùm Lucam Interpres vertit *afferebant* ex προσέφερον. PARVVLOS. παιδία puerulos. VT TANGERET ILLOS. vt imponeret illis manus & oraret, ex Matthæo. COMMINABANTVR. ἐπετίμων *increpabant* vertit secundùm Matthæum. Reliqua lege Matth. 19. v. 13.

Matth. 19. v. 14. Luc. 18. v. 16.	Quos cùm videret Iesus indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibeatis eos: talium enim est regnum Dei.	14	ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ἠγανάκτησε, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

QVOS discipulos CVM VIDERET id facientes. ἰδὼν δὲ *videns autem* s. illud, quòd discipuli scilicet prohiberent ne offerrentur ipsi puerul. INDIGNE TVLIT. ἠγανάκτησε indignatus est. non quòd ignoraret illud à discipulis officiosa quadam sedulitate agi, sed quòd officium cum fastuoso quodam nec prudenti zelo coniunctum esset. Indignatur eis Iesus qui impediunt paruulos & quoscumque tandem ne ad ipsum veniant vt seruentur. Reliqua legantur Matth. 19. v. 14.

Luc. 18. v. 17.	Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud.	15	ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν.

AMEN. Explicat rationem quàre dixerit talium esse regnum Dei, potiùs quàm istorum, quòd ita certò puerulorum sit regnum cælorum, vt nullius sit qui non sit ipsis similis. RECEPERIT. susceperit. REGNVM DEI sibi prædicatum. Regnum Dei recipit, qui euangelio promittenti regnum cælorum fidem adhibet seque ipsum subiicit. Cæterùm non de prima sola euangelij receptione intelligendus est locus, sed de continua, ita vt sensus sit: Quisquis non adhæserit & subiectus permanserit euangelio regni. hoc itaque loco euangelium, id est infallibilis regni Dei promissio, nomen habet regni Dei, metonymicῶς. VELVT PARVVLVS. ὡς παιδίον quasi puerulus, tamquam si esset ipse puerulus, vel ad puerilem simplicitatem reuersus, non sensu, sed malitia, id est, deposita omni malitia, vacuus superbia, pertinacia, auaritia, simulatione, ira, vindicta, inuidia, detractione, luxuria, cæterisque vitiorum generibus, quibus consueuit adulta ætas præ tenera esse obnoxia, *sicut modò geniti infans rationabile sine dolo lac concupiscens.* sic explicat Petrus 1. epist. 2. v. 1. 2.

NON INTRABIT post huius vitæ finem. οὐ μὴ εἰσέλθῃ. Côduplicata negatio vim addit futuri, aut certè modi potentialis. vide Matth. 5. v. 21. IN ILLVD. s. regnum Dei, id est, vitam æternam beatamque, euangelio promissam. Grauissima Iesus sententia & verissima, te conueniês (quamquam plura fortasse complexa) cum illa Matth. 18. v. 3: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

Matth. 19. v. 15.	Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.	16	καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτά, τιθεὶς τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτά, ηὐλόγει αὐτά.

COMPLEXANS. ἐναγκαλισάμενος cùm in vlnas cepisset; Syrus super brachia (*erant enim infantes*, quod Lucas ait) vide suprà 9. v. 36. Id fecit, vt affirmaret actione ipsa, simplicitatem illam sibi Patrique gratissimam, quæ mundo despectui est. BENEDICEBAT EOS. benè precabatur eis, simul & benefaciebat vtique, cuius

cuius dicere est facere. Sic à Iesu benedicentur & ij qui se se propter regnum Dei paruis similes præstiterint. Reliqua lege Matth. 19. v. 15.

Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν, προσδραμὼν τις καὶ γονυπετήσας αὐτὸν, ἐπηρώτα αὐτὸν· διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ποιήσω ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

17 Et cùm egressus esset in viam, procurrēs quidam, genu flexo ante eum rogabat eū: Magister bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam?

Matth. 19. v. 16. Luc. 18. v. 18.

ET. autem. CVM EGRESSVS ESSET IN VIAM. ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν egrediente eo in viam, id est, cùm iam domo egressus iter faceret. PROCVRRENS. προσδραμὼν accurrens, cùm accurrisset. Syrus cùm cucurrisset. Nota discendi feruorem. GENV FLEXO ANTE EVM. καὶ γονυπετήσας αὐτὸν & ad genua ei accidisset. Nota discipuli erga præceptorem obseruantiam. Vēnit enim, non insidiosè, vt Scribis mos erat, sed discendi animo: quare, tam genuflexione quàm verbis, Christum se vt fidum doctorem reuereri testatur. ROGABAT. ἐπηρώτα interrogabat. PERCIPIAM. κληρονομήσω hereditate possideam. Interpres alibi vertit *possideam*. vide Matth. 5. v. 4. Reliqua huius versiculi lege Matth. 19. v. 16.

ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός.

18 Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus, Deus.

Matth. 19. v. 17. Luc. 18. v. 19.

QVID. cur. ME DICIS BONVM? Matthæus ait: *Me interrogas de bono?* Duo enim dixerat Adolescens, Matthæo referente, vocauerat Iesum magistrum bonum, & interrogauerat eum de bono: propter hoc respondit Iesus *Quid me interrogas de bono?* propter illud *Quid me dicis bonum*: vnum Marcus, alterum Matthæus disertè narrat, Iesus vtrumque dixit, B. Augustino etiam interprete lib. 2. de consensu Euang. cap. 63. DEVS. nempe Deus. Reliqua lege Matth. 19. v. 17.

τὰς ἐντολὰς οἶδας, μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, μὴ ἀποστερήσῃς, τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα.

19 Præcepta nosti, Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem.

Matth. 19. v. 17. 18. 19. Luc. 18. v. 20.

PRÆCEPTA NOSTI. præcepta quæ nosti tu & alius quiuis Israëlitarum, decalogi inquam, ea obseruanda tibi sunt. NE FRAVDEM FECERIS. μὴ ἀποστερήσῃς ne priuaueris s. quemquam re sua. ne damno affeceris aliquem. Videtur hoc respondere illi præcepto decalogi: *Non concupisces rem proximi tui*. Reliqua legantur Matth. 19. v. 17. 18. 19.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ· διδάσκαλε ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου.

20 At ille respondens ait illi: Magister hæc omnia obseruaui à iuuentute mea.

Matth. 19. v. 20. Luc. 18. v. 21.

ὁ δὲ ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτὸν, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἕν σοι ὑστερεῖ, ὕπαγε, ὅσα ἔχεις πώλησον, καὶ δὸς τοῖς πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ, καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι, ἄρας τὸν σταυρόν.

21 Iesus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest, vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus (& habebis thesaurum in cælo) & veni, sequere me.

Matth. 19. v. 21. Luc. 18. v. 22.

INTVITVS EVM benignè. DILEXIT EVM. dilectionis ac beneuolentiæ signa ostendit ei, tamquam probo adolescenti indolisque optimæ. Intellexit Iesus, sincero, candido, ac proficiendi cupido animo loquutum, dixisse, præcepta illa omnia à se hactenus fuisse obseruata: quod tametsi non omni fortassis ex parte verum esset, pro eo tamen modo quo præcepta tunc exponebantur à Legisperitis, quod ad externum dico vitæ institutum, obseruarat omnia, & irreprehensibilem se gesserat. Hoc, vnà cum desiderio æternæ vitæ quo declarabat adolescens se teneri, significabat Iesus sibi gratum esse; simul & parabat animum illius ad excipiendam doctrinam quam erat ipsi propositurus, ne subitò absterreretur difficultate. VNVM TIBI DEEST. Quæsierat ille secundùm Matthæum *quid adhuc mihi deest?* Iesus respondit: *Vnum tibi deest si vis perfectus esse*. perfectum enim est id cui nihil deest, quodque omnibus suis partibus absolutum est. Non quasi iuueni huic nihil aliud deesse potuerit quàm hæc vitæ perfectio: sed quòd, posito eo quod dixerat, Mandata Dei omnia à se obseruata, nihil aliud ipsi deesset. *Vnum* autem dicit, tria requirens, quia tria illa ad vnam voluntariæ paupertatis perfectionem referuntur. Signanter autem *vnum* idcircò dicit, vt peculiarem huius adolescentis perstringat morbum, & quasi digito attingat illius vlcus. diuitiarum inquam amorem.

ET VENI, SEQVERE ME. Græcè additur ἄρας τὸν σταυρὸν sublata cruce, scilicet in humeros, id est, paratus labores quoscumque & genus omne tribulationis ac mortis sufferre. Syriacè est: *Et accipe crucem tuam & veni post me*. Latinus Interpres non legit illud (videri possit adiectitium esse) expositum autem est nobis Matth. 10. v. 38. & 16. v. 24. Reliqua ad hos versiculos pertinentia legantur Matth. 19. v. 20. 21.

Matth. 19. v. 22. Luc. 18. v. 23.

Qui contristatus in verbo, abiit 22 mœrens: erat enim habens multas possessiones.

ὁ δὲ συγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ, ἀπῆλθε λυπούμενος· ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά.

QVI CONTRISTATVS. ὁ δὲ συγνάσας ille verò mœstus factus. IN VERBO. ἐπὶ τῷ λόγῳ propter hoc verbum, propter hunc sermonem. nam ἐπὶ ponitur loco διὰ & articulus exprimi desiderat quod & Syrus fecit. MOERENS. λυπούμενος tristis vertit secundùm Matthæum c. 19. v. 22. vbi leges reliqua.

Matth. 19. v. 23. Luc. 18. v. 24.

Et circumspiciens Iesus ait di- 23 scipulis suis: Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei introibunt?

καὶ περιβλεψάμενος ὁ ἰησοῦς λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελεύσονται;

CIRCVMSPICIENS. περιβλεψάμενος quum circumspexisset, quum oculos circumtulisset. Hac actione & gestu significauit, rem se dicturum quæ digna esset obseruatione omnibus, itaque attentos reddidit discipulos, tamquam magni quid audituros. QVAM DIFFICILE. verè valde difficulter. Admiratio addit vehementiam. PECVNIAS. τὰ χρήματα facultates, opes. Pecuniæ appellatione, etiam quum latissimè patet, bona non nisi mouentia intelliguntur: græcum autem vocabulum ea omnia complectitur quorum pretium numis æstimatur: sic enim appellantur παρὰ τὸ χρήσιμα εἶναι quòd vtilia sint. Syrus vtitur voce ܢܟܣܐ *Nechse*, quæ diuitias sonat, quam eandem mox reddidit ex κτήματα. Denique pro *qui pecunias habent* Matthæus *diuites* ponit, apud quem cætera sunt quærenda.

Disscipuli autem obstupescebant 24 in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire?

οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. ὁ δὲ ἰησοῦς πάλιν ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστι, τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν;

IN VERBIS EIVS. ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ ad hos sermones ipsius, collatos cum præsenti exemplo, quòd etiam adolescens, qui benè alioqui vixerat, ob solas diuitias seruatas, difficulter obtineat regnum cælorum. RVRSVS referendum est ad verbum *ait*, non ad participium *respondens*: quod ipsum tamen impropriè accipitur, vt sæpè aliàs. FILIOLI. τέκνα filij. Syrus filij mei. Blanda appellatione, qua maiores vti solent erga creditos sibi, fidem sibi conciliat, vt qui pater nolit filiis suis obtrudere mendacium. CONFIDENTES IN PECVNIIS. τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν eos qui confidunt in facultatibus, in opibus (*suis* addit Syrus) s. qui vulgaris est diuitum morbus. Repetit id quod dixerat, ita vt confirmet simul & rationem illius explicet. Non enim restringit sententiam suam ad eos qui in diuitiis suis fiduciam locant (sic namq; haud assequatur scopum suum) sed exponit rationem quare difficilem adeò diuitibus faciat ingressum in regnum cælorum, quia commune diuitibus prorsus omnibus, qui quidem diuitias retineant, sit, suis diuitiis opibusque confidere, multùm parúmve, *cum Dominus spes inopis sit*. Psal. 13. v. 6. vide Matth. 19. v. 21. & 23. Pro eisdem itaque habet, *diuites & confidentes in diuitiis*: quare & mox v. 25. rursus vtitur voce *diuitis*. Est autem confidere in diuitiis, à diuitiis corde pendere, promittere sibi à diuitiis malorum auersionem & rerum successum prosperum, ab his exspectare auxilium in aduersis & in secundis fauorem, in his collocare felicitatem suam, id est, omnium expetibilium rerum commoditatem & opportunitatem, denique his nixum securiùs viuere. *Confidentes* autem potiùs dicit quàm *amantes*, tum quia confidendi verbo exprimitur ingenium diuitum, tum quia hoc illo amplius est. Amamus enim frequenter in quibus fiduciam non collocamus: sed non collocamus fiduciam in iis quæ non amemus vnicè. Iam verò difficile esse dicit, fisos opibus suis in regnum intrare, tum quia plerique excluduntur, tum quia reliqui, quorum fiducia sic fuit in diuitiis vt tamen magis in Deo, donec ab hoc vitio purgati sint, à regno impediuntur.

Matth. 19. v. 24. Luc. 18. v. 25.

Facilius est camelum per foramen 25 acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν.

FACILIVS EST. q. d. immo non difficile tantùm, sed & impossibile est. TRANSIRE. εἰσελθεῖν intrare. QVAM DIVITEM. Rursus vtitur voce *diuitis* & non *confidentis*, vt doceat, ex eo ipso quòd homo diues sit (id est, ex diuitiis ipsis, relictis arbitrio hominis, cuius mens naturaque corrupta est) nasci vitium, oriri salutis difficultatem adeoque impossibilitatem. Reliqua petenda sunt ex Matthæi 19. v. 24.

Matth. 19. v. 25. Luc. 18. v. 26.

Qui magis admirabãtur, dicẽtes ad 26 semetipsos: Et quis potest saluus fieri?

οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες πρὸς ἑαυτούς· καὶ τίς δύναται σωθῆναι;

QVI MAGIS. οἱ δὲ περισσῶς illi autem supra modum seu ampliùs. s. etiam quàm priùs. ADMIRABANTVR.

.TVR. ἐξεπλήσσοντο percellebantur. AD SEMETIPSOS. πρὸς ἑαυτοὺς ad seipsos, id est, ad se mutuò, quomodo intellexit Syrus, vel apud se, quomodo alij. ET QVIS. Quis igitur. Coniunctio καί, in huiusmodi interrogatiuè loquendi formis, non est coniunctiua, sed illatiua, vt Matth. 3. v. 14. Reliqua lege Matth. 19. v. 25.

ἐμβλέψας δὲ αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς λέγει· [27] παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τῷ θεῷ. πάντα γὰρ δυνατά ἐστι παρὰ τῷ θεῷ.

Et intuens illos Iesus ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. omnia enim possibilia sunt apud Deum.

Matth. 19. v. 26. Luc. 18. v. 27.

ET INTVENS. ἐμβλέψας δὲ intuitus autem. Est hoc. Reliqua Matth. 19. v. 26.

ἤρξατο δὲ ὁ πέτρος λέγειν αὐτῷ· ἰδοὺ [28] ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι.

Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia & sequuti sumus te.

Matth. 19. v. 27. Luc. 18. v. 28.

ET TVNC. COEPIT. Quod numquam aliàs rogare ausus fuerat, iam sumta ex verbis Domini occasione simul & fiducia cœpit rogare. DIMISIMVS ἀφήκαμεν reliquimus vertit secundùm Matthæum. TE. supple: Quid ergo erit nobis? ex Matthæo cap. 19. v. 27. vbi leges cætera huc pertinentia.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν· ἀμὴν [29] λέγω ὑμῖν, οὐδείς ἐστιν ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα, ἢ μητέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς, ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ ἕνεκεν τοῦ εὐαγγελίου,

Respondens Iesus ait: Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me & propter euangelium,

Matth. 19. v. 29. Luc. 18. v. 29.

NEMO EST QVI. Non vos solùm non fraudabimini vestro præmio, sed nemo futurus est qui. AVT MATREM. sequitur græcè & syriacè ἢ γυναῖκα aut vxorem, vt secundùm Matthæum & Lucam: id quod Interpres Latinus non legit. ET PROPTER EVANGELIVM quod à me prædicatur, quia euangelio credit & adhæret, euangelium confitetur, docet, prædicat, propugnat, ex illius præscripto viuit, illius ministros fouet. Non est aliud propter euangelium quàm propter me, vnum alterius est expositio. vide suprà 8. v. 35. Reliqua lege Matth. 19. v. 29.

ἐὰν μὴ λάβῃ ἑκατονταπλασίονα νῦν [30] ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, οἰκίας, καὶ ἀδελφοὺς, καὶ ἀδελφὰς, καὶ μητέρας, καὶ τέκνα, καὶ ἀγροὺς, μετὰ διωγμῶν, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.

qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam.

Matth. 19. v. 29. Luc. 18. v. 30.

QVI NON ACCIPIAT. ἐὰν μὴ λάβῃ quin accipiat. CENTIES TANTVM. ἑκατονταπλασίονα centuplum vertit secundùm Matthæum. NVNC IN TEMPORE HOC. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. 1. Tim. 4. v. 8. ET MATRES. Mirum est, si in hac enumeratione promissorum bonorum, præterierit siue Saluator siue Euangelista mentionem patrum, & quidem omnia prius nominata bona repetierit, hoc solo excepto quod præcipuum est patres. Vide Notas. Quòd si omnino præterierit non dubium quin subaudiri saltem voluerit, vt & alia corporata hominis bona. ET AGROS. vel si quando non rebus ijs corporatis, certè spiritualibus, quæ tantum solatij animo adferant, quantum centum agri pro vno relicto, centum filij pro vno &c. CVM PERSECVTIONIBVS. in medijs persecutionibus, quamuis sæuiant persecutionum procellæ. Non promittit prospera omnia hoc in seculo, sed promittit non defore solamen mali in persecutionibus. Solent diuitiæ & opes, non tam ad secunda & tranquilla tempora, quàm ad aduersa & turbata, vel vitanda vel superanda, expeti pararique: his enim rebus pericula vel vitari vel redimi posse putantur. Et secundis quidem temporibus, curam magis & laborem ac molestiam addunt quàm minuunt. Qui verò res humanas propter euangelium relinquit, earum curam tranquillis temporibus nullam habet, turbatis verò vsum cumulatissimum percipit. FVTVRO. ἐρχομένῳ venturo, ad verbum. Reliqua petantur ex Matth. 19. v. 29.

πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ [31] οἱ ἔσχατοι πρῶτοι.

Multi autem erunt primi, nouissimi; & nouissimi, primi.

Matth. 19. v. 30. Luc. 13. v. 30.

Huius versiculi enarrationem lege Matth. 19. v. 30.

ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς [32] ἱεροσόλυμα, καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ

Erant autem in via ascendentes Ierosolymam: & præcedebat illos

Matth. 20. v. 17. Luc. 18. v. 31.

sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. | ἀλλ᾽ εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν, σπλαγχνισθεὶς ἐφ᾽ ἡμᾶς.

MISIT. ἔβαλε proiecit. Ad cumulum mali accedit frequens vitæ periculum. PERDERET. interficeret. SI QVID POTES ad huius mali curationem. Pater ille naturæ & consuetudinis rationibus malum definiebat, quod ex natura grauissimum, vtpote ferum spiritum, ex consuetudine difficillimum, nimirum ab infantia insitum, existimabat. Virtutem verò Iesu, magnam ille quidem credebat, sed naturalibus tantùm modis metiebatur, ex humana ratione, non ex fide Dei. Habebat eú vt hominem sanctum, virtute finita prædıtum: dubitat itaque an par esse possit graui adeò & inueterato malo auferendo. longè alium honorem attribuebat Iesu leprosus ille Matth. 8. v. 2. qui, non vt iste, *si potes, velis*; sed, *si vis*, inquit, *potes*. NOS. me & filiú. illius enim malú meum duco. NOSTRI. miserè adeò afflictorum. Reliqua vide Matth. 17. v. 15.

Iesus autem ait illi: Si potes credere, [22] omnia possibilia sunt credenti. | ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τὸ, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι.

AIT. Virtutem suam infinitam esse docet; efficientiam verò, iuxta fidei modum, apud eos qui indigent spectari. SI POTES CREDERE. Græcè præponitur τό: Hoc si potes credere. quod tamen syriacè non magis extat quàm latinè, & facilè intelligitur etiam omissum, nec sine maiori gratia omittitur. Victoris Antiocheni & Euthymij græcorum enarratorum Interpretes, exactissimi illi, non monstrant à se lectum fuisse. SI POTES CREDERE. ſ. quòd ego te possum adiuuare, fide scilicet viua, per fiduciam operante. vide Matth. 9. v. 28. Perinde valet hæc exceptio ac si dixisset: Noli dubitare quid ego possim efficere, sed vide num tu possis credere, hoc à me effici posse. Non expostulat apertè, sed obliquè in hominem retorquens id quod perperam dixerat, culpæ eum coarguit & de quærendo fidei remedio admonet. Desideras filij tui sanitatem; non tam requiritur mea potentia quàm tua: mea enim in promtu est, tua imparata: tuum est credere; illud si tu feceris, non erit mora in me. Cæterùm vt non docet hominem posse à seipso solo credere, ita docet non absque seipso credere, culpamque in eum reijciendam esse, quoties Dei virtuti sua incredulitate obstaculum ponit. OMNIA. ſ. scito quòd omnia POSSIBILIA SVNT CREDENTI. Ita est græcè ad verbum. id quod alij, inter quos Syrus, intelligunt omnia fieri possunt credenti ſ. à me, alij, omnia potest credens ſ. à me accipere seu impetrare, est capax omnium, omnium inquam quæ crediderit à me fieri posse & recta fides expetenda docet. Relinquit autem hæc intelligenda Saluator, non exprimit clarè, sed sententia vtitur generali, & tamquam reponit potentiam omnem in fide postulantis, hinc quidem de seipso modestè sapiens ac loquens, illinc verò hominem illum ad fidem dirigens, qua optatæ gratiæ capax & compos fiat. Duo itaque hîc non obscurè docet Iesus, vnum, à Patre sibi bonorum omnium plenitudinem datam esse, nec secus sperandum à se vno esse quoduis auxilij genus quàm ex ipsa Dei manu: alterum, numquá se nobis defuturum, si fide capaces nos præstiterimus gratiæ ipsius. Esse nos enim velut vasa vacua, infidelitate os obstrui ita vt nihil possit infundi, fide aperiri ita vt possimus excipere gratiam ipsius; aperiri autem largamque bonorum vbertatem ab ipso ad nos profluere, pro amplitudine modoque fidei. angustius enim fidei nostræ imputandum esse, si guttatim tantùm distillet.

Et continuò exclamans pater pueri [23] cum lachrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. | καὶ εὐθέως κράξας ὁ πατὴρ τοῦ παιδίου μετὰ δακρύων ἔλεγε· πιστεύω κύριε, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ.

CONTINVÒ vt intellexit à sua fide pendere optatam filij sanationem. EXCLAMANS & ad genua illi accidens, quod Matthæus habet. Clamor supplicis & lachrymæ testantur animi angustiam, hinc desiderantis vt fiat voti compos, hinc conantis quidem, sed metuentis vt queat, satisfacere exactæ cōditioni credendi. PVERI. τοῦ παιδίου. Abutitur Marcus hoc loco voce παιδίον pro παῖς: nam præterquam quòd Matthæo & Lucæ παῖς vocetur; ipse Marcus suprà v. 21., innuit, hunc παιδίον, iam non esse, sed fuisse. CREDO te posse. Nihil cunctatus fidem amplectitur, eamque cum magno clamore coram omnibus profitetur. ADIVVA INCREDVLITATEM MEAM. supple id quod deest fidei meæ admodum imperfectæ, quæ metuo vt fidei nomen mereatur idcircò enim *incredulitatem* vocat. Clamat se credere, & tamen se fatetur incredulum: nam vbi non est perfecta fides, sequitur aliquid esse incredulitatis. Cupit perfici fidem suam à Domino, quemadmodum Apostoli Luc. 17. v. 5., etiam animorum illum curatorem agnoscens: aut si nondum eò profecerat, certè petit respici gratamque esse Domino fidem suam quantumuis imperfectam, & si non sufficiat ad impetrandum id quod orat, aliunde suppleri Domini benignitate id quod desit. Excellens precatio, omnibus vtilis, ne dicam necessaria: paucissimi enim sunt qui excellenti fide polleant; plerique exigua mensura sunt prædıti. Nostrum igitur est, sedulò luctari cum infidelitatis reliquiis quæ in nobis hærent, vt illas excutiamus: inque hac pugna petere à Domino vt nos adiuuet.

Matth. 17. v. 18. Luc. 9. v. 42.

Et cùm videret Iesus concurrentem turbam, [24] comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. | ἰδὼν δὲ ὁ ἰησοῦς ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος, ἐπετίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, λέγων αὐτῷ· τὸ πνεῦμα τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν, ἐγώ σοι ἐπιτάσσω, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ, καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτόν.

ET CVM. Cùm autem. CONCVRRENTEM. ὅτι ἐπισυντρέχει quòd simul accurreret. Aderat turba, sed

ba, sed clamore patris excitati omnes, vt propiùs exactiusque rem omnem spectarent, magno impetu se mutuo presserunt ac propulerunt. Id videns Iesus non sine oppressionis periculo fieri, iam accepta fide peritoris, imponit finem negotio, docetque turbam quantum possit viua fides impetrare. COMMINATVS EST. seuerè præcepit. vide Matth. 17. v. 18. DICENS ILLI, id est, in hæc verba. SVRDE ET MVTE. sic vocat spiritum ab effectu, quòd puerum surdum redderet & mutum, iam nunc & quandocumque alias illum corripiebat. Exprobrat itaque illi malitiam, qua opera Dei vitiet, puero & auditum adimens & sermonem. Vtitur autem his potiùs epithetis quàm aliis, vt significet illum cogi audire & obedire præcepto suo, siue sit verè siue fingat se surdum & mutum. SPIRITVS. τὸ πνεῦμα. tu spiritus. EGO cuius imperium efficax est etiam in ea quæ sensibus carent. cum emphasi dictum & magna auctoritate, vt agnoscat mandatum, non serui alicuius, sed ipsius domini sui atque omnium. TIBI qui discipulorum meorum iussum contempsisti. ABEO. ἐξ αὐτοῦ ex eo. ET AMPLIVS NE INTROEAS καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς & ne ampliùs ingrediaris. Hoc addit, quia per interualla puerum corripiens exire & redire videbatur. Stabilit itaque beficium suum, vt non temporarium sit sed perpetuum, præsertim cùm norit Satanæ ingenium, quàm libenter eò reuertatur vnde fuerit expulsus.

καὶ κράξαν καὶ πολλὰ σπαράξαν [25] αὐτὸν, ἐξῆλθε· καὶ ἐγένετο ὡσεὶ νεκρὸς, ὥστε πολλοὺς λέγειν ὅτι ἀπέθανεν.	Et exclamans & multũ discerpens eũ, exiit ab eo: & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerẽt, Quia mortuus est.

ET. tunc. EXCLAMANS siue vt in aliis libris est *clamans*. κράξαν cùm clamasset. sonum edens vocis inarticulatæ (erat enim mutus) rugitum quendam mugitumque terribilem. DISCERPENS. σπαράξαν discerpsisset, dilaniasset, conuulsisset. Quo propior est Christi gratia & efficaciùs agit, eo impotentiùs furit Satan, & mouet quoscumque potest tumultus, declarans quàm ægrè homines concedat Christo. AB EO non legitur siue græcè siue syriacè. Tantam vim spiritus immundi, sola iussionis suæ virtute expellit Iesus, & à possessione pueri perpetuò arcet, inuitam quamuis & detrectantem. ET FACTVS EST puer. SICVT. quasi.
QVIA superest sensui. Permisit hoc Iesus, vt vis malitiaque dæmonis manifestaretur, qui coactus exire, noceat adhuc quantum potest.

ὁ δὲ Ἰησοῦς κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτοῦ [26] ἤγειρεν αὐτὸν, καὶ ἀνέστη.	Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.	Matth. 17. v. 18. Luc. 9. v. 42.

TENENS MANVM. κρατήσας τῆς χειρὸς apprehensa manu. ET ille SVRREXIT (neque enim malignus spiritus, vita præsente, ægrum in mortem deiicere poterat) sanus atque incolumis, non aliter quàm si numquam mali quid passus fuisset. Dominus ex furioso Satanæ impetu accendit facem ad illustrandam gratiam suam. Nam, cùm horribili illo spectaculo desperati pueri, attoniti fuissent homines: perspectior illis facta est Iesu virtus, quando is, diabolica illa omnia nocumenta, vno manus suæ attactu dispulit, Scribarum proteruia egregiè victa.

καὶ εἰσελθόντα αὐτὸν εἰς οἶκον, οἱ [27] μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπηρώτων αὐτὸν κατ' ἰδίαν· ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό;	Et cùm introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eiicere eum?	Matth. 17. v. 19.

CVM INTROISSET Iesus. εἰσελθόντα αὐτὸν ingressum ipsum. IN DOMVM quandam in partibus illis, refectionis aut hospitij causa. SECRETÒ. κατ' ἰδίαν priuatim, seorsum. EVM. αὐτὸν superest græcè.
QVARE. ὅτι, id est, διὰ τί quare. EVM s. spiritum. αὐτὸ s. πνεῦμα. Reliqua lege Matth. 17. v. 19.

καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τοῦτο τὸ γένος ἐν οὐ- [28] δενὶ δύναται ἐξελθεῖν, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ.	Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione & ieiunio.	Matth. 17. v. 21.

IN NVLLO. nulla re, nulla alia ratione. Matthæi euangelium duas adfert causas non eiecti dæmonij, Marci alteram solam. vide reliqua Matthæi 17. v. 21.

καὶ ἐκεῖθεν ἐξελθόντες παρεπορεύον- [29] το διὰ τῆς γαλιλαίας, καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τὶς γνῷ.	Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire.

INDE. ex hoc loco quo dæmonium istud eiecerat, sito ad radices montis in quo fuerat transfiguratus, siue ex illis partibus, Cæsaræ Philippi scilicet, quarum proximè facta est mentio, suprà 8. v. 27. PROFECTI. ἐξελθόντες egressi. PRÆTERGREDIEBANTVR. cursim transibant, festinatò iter faciebant s. Iesus eiusque discipuli. παρεπορεύοντο. illud alij vertunt *ad latus*, alij *clàm* siue *celeriter*, alij *vnà iter faciebant*. GALILÆAM. διὰ τῆς γαλιλαίας per Galilæam. Celerem & quasi clandestinam fuisse hanc profectionem satis intelligitur, ita tamen vt in ciuitate Capharnaum nonnihil morati sint, propter quod Matthæus vtitur voce conuersandi. Iesus agens in partibus Cæsaræ Philippi, dixerat eundum sibi Ierosolyma, mortemque illic

 subeun-

subeundam (Matt. 16.v.21.) itaque postquam illic peregisset negotia regni cælorum quæ visum fuerat, quò satisfaceret decreto Patris, cœpit iter arripere ex illis partibus per Galilæam in Iudæam, cursim pertransiens Galilæam, nec vsquam se aperiens aut moram trahens, nisi, quod intelligitur infrà v.33. pauculo tempore in Capharnaum. NEC VOLEBAT Iesus QVEMQVAM SCIRE. quo in loco Galilææ esset, & quòd cursim festinatoque transiret per Galilæam, animo relinquendi illam & in Iudæam migrandi. Causa fuit, ne impediretur aut retardaretur à populis Galilææ, à quibus ob signa diligebatur, ipsius in Iudæam profectio. Omnia siquidem voluntati Patris posthabuit.

Matth.17. v.22.23. Luc.9. v.44.

Docebat autem discipulos suos 30 & dicebat illis, quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.

ἐδίδασκε γὰρ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν, καὶ ἀποκτανθεὶς τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

DOCEBAT. non parergōs aut obiter significabat, sed ex professo, claris disertisque verbis declarabat & inculcabat, fortassis etiam explicabat quid in morte sua mysterij foret. AVTEM. γὰρ *enim*, quomodo est & syriacè. Ex hac causali coniunctione manifestum fit, id quod præcessit *nec volebat quemquam scire*, intelligendum, quòd eò properaret vnde non esset reuersurus, quippe morte illic afficiendus. QVONIAM. quòd. TRADITVR. παραδίδοται traditur. eò proficiscitur vbi breui tradetur. Præsenti tempore vtens significat rem breuì esse futuram. ET quòd. Reliqua quære Matth. 17.v.22.23.

Luc.9. v.45.

At illi ignorabant verbum, & time- 31 bant interrogare eum.

οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα, καὶ ἐφοβοῦντο αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

IGNORABANT. non intelligebant. VERBVM. τὸ ῥῆμα hoc verbum, hoc dictum, hunc sermonem, quamquam semel atque iterum auditum; non ex tarditate ingenij, sed ex amore potiùs præceptoris. Facilè enim assequebantur significationem verborum, quæ clara apertaque erant (hinc enim, Matthæo referente, contristati fuêre) sed ignorabant quomodo & quam ob causam, quo merito, quo fine, illud quod significabatur fieri posset aut deberet, quomodo constaret illud cum miraculis Iesu, cumque ea qua iam imbuti erant fide de Iesu, quòd esset Christus Filius Dei viui, regnū Israël gloriosè initurus, idque breuì, quod suprà v.1. dixerat; vir sanctissimus, quod experientia nossent, cui præter omnia facilè esset mortem euitare & hostes quoque ipsos disperdere toti enim erāt in consideratione mortis, nec magnifaciebant resurrectionem quam cædes Domini præcedere haberet. Non tamen fidem detrahebant verbis eius, sed vt obscura simul & tristia non demittebant in pectora: fortè etiam imaginabantur ea parabolicōs dici, alio sensu quàm primùm præ se ferrent. Relinquebantur adhuc à Deo hoc in negotio sibimetipsis, nec illustrabatur illorum mens ad mysteria mortis & resurrectionis Christi, quibus salus humana parienda erat, intelligenda: tamquam pueri enim nondum erant capaces. TIMEBANT, veriti increpationem, veriti & mœroris, quo constricti erant, Matthæo narrante, augmentum, si dilucidiùs res explicaretur Non fuit laudabilis hic timor, qui, & perplexam dubitationem, & vitiosam tristitiam alebat: nec enim immodicè cōtristati fuissent, si rem intellexissent.

Et venerunt Capharnaum. Qui 32 cùm domi essent interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

καὶ ἦλθεν εἰς καπερναούμ. καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος ἐπηρώτα αὐτούς· τί ἐν τῇ ὁδῷ πρὸς ἑαυτοὺς διελογίζεσθε;

ET. igitur. eo in itinere quo Galilæam cursim transibant. VENERVNT. ita est & syriacè. Legerunt itaque Interpretes Syrus & Latinus ἦλθον græcè, pro eo quod nunc legitur ἦλθεν *venit* numero singulari: quamquam ad sensum parui referat vtro modo legas, postquam semper intelligendus venit Iesus cum discipulis suis. CAPHARNAVM. vide Matth. 17.v.24. QVI CVM DOMI ESSENT. καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος & domi factus. Iterum est singularis græcè, cùm latinè & syriacè sit numerus plurium: quamquam sunt quidam etiam latini libri qui legant *esset* singulari, sed quod minùs aptè cohæreat cum eo quod præcedit plurali *venerunt*. DOMI suæ in quam soliti erant diuertere. vide Matth. 13.v.1. & suprà 3. v.20. INTERROGABAT Iesus. TRACTABATIS. διελογίζεσθε disceptabatis, *disputabatis* vertit proximo versu. additur græcè & syriacè πρὸς ἑαυτοὺς *inter vos*. Rogat, non vt sciat, qui nouerat cogitationes eorum, quod ait Lucas, sed vt corripiat & corrigat. Inquirens Iesus de furtiuo colloquio, docet ab omni quantumuis occulta æmulatione cauendum esse.

Luc.9. v.46.

At illi tacebant: siquidem in via inter 33 se disputauerant, quis eorum maior esset.

οἱ δὲ ἐσιώπων· πρὸς ἀλλήλους γὰρ διελέχθησαν ἐν τῇ ὁδῷ, τίς μείζων.

TACEBANT. non ausi, præ pudore & reprehensionis timore, magistro modestissimo veritatem indicare, facilè suspicantes fore vt hunc ambitionis affectum improbaret. QVIS EORVM ESSET MAIOR. τίς μείζων quis maior. Reliqua addidit Interpres explicationis ergo. *Maior* autem comparatiuus est loco superlatiui *maximus*. Quis ipsorum esset maximus, primus, ordine, loco, honore, auctoritate. Habuerat illos diu Iesus tamquam æquales: obseruarant autem breuì quædam quæ ipsos torquebant, quibus velle videbatur quosdam ipsorum aliis præferre, iam regno instante. Atqui singuli sibi digni videbantur aliis præferri,

ferri atque operæ pretium esse iudicabant pro ea re nunc certare, rati eo se loco futuros in instanti Christi regno, quem nunc assequuti fuissent. Reliqua lege Matth. 18. v. 1.

καὶ καθίσας ἐφώνησε τοὺς δώδεκα, καὶ λέγει αὐτοῖς· εἴ τις θέλει πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος καὶ πάντων διάκονος.

34 Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus & omnium minister.

Matth. 18. v. 4. Luc. 9. v. 48.

ET. ipse autem. RESIDENS. καθίσας cùm sedisset. Sedit, vt auctoritate vsurus sua, & serij aliquid traditurus. DVODECIM. omnes duodecim, neminem Apostolorum abesse voluit. Quamuis enim illorum quidam fortasse hic non peccarant, ab omnibus tamẽ audiri voluit admonitionem omnibus vtilem, præter hoc quòd consultius iudicaret illos qui præ cæteris hoc morbo laborabant communi admonitione castigari quàm propria. Porrò vbi vocatos simul omnes se à magistro viderent, veriti, ne, quod res erat, ambitio illorum proderetur, non sine obiurgatione acri, putarunt sibi silentium abrumpendum, proposueruntque quæstionem quam Matthæus refert: *Quis [illegible] maior est in regno cælorum?* Qua existimabant occulere se posse peccatum suum, tamquam qui non tam de præsenti rerum statu, quàm de futuro regni Christi, nec de se solis, sed de omnibus disputassent. Obseruandum hoc est, ne videatur Matthæo Marcus contrarius, quando ille Apostolos interrogasse, hic siluisse narrat. vide Matth. 18. v. 1. PRIMVS tam virtutis merito quàm honore & auctoritate, tam apud Deum quàm apud homines, tam in futuro quàm in præsenti seculo. ERIT. id est, sit. frequens est Hebræis futuri vsus loco imperatiui. Sit inquam, nam si non est, nec primus erit; aut si quo modo erit hoc in seculo, loco indignus erit nec permanebit in altero seculo. NOVISSIMVS. vltimus, non se putet primo loco dignum, sed habeat se pro omnium vltimo, pro eo cui alij omnes meritò præferri debeant; nec id animo solo, verumetiam reipsa, instar vltimi ministrum omnium se exhibens vbi se offert occasio, nihil quamuis vile detrectans quod modò faciat ad cuiusuis vtilitatem, nusquam quę sua sunt quærens, sed quæ aliorum. Illud est quod sequitur ET OMNIVM MINISTER. vide Matth. 20. v. 26. Hoc qui vestrûm præstiterit omnium perfectissimè, primus erit, dignus loco primo: quem si hoc in seculo inter homines non assequatur, assequetur proculdubio æternum in altero.

καὶ λαβὼν παιδίον, ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτό, εἶπεν αὐτοῖς·

35 Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cùm complexus esset, ait illis:

Matth. 18. v. 2. Luc. 9. v. 47.

ACCIPIENS. λαβὼν quum accepisset. PVERVM. παιδίον puerulum. vnum seu quendam addit Syrus. CVM COMPLEXVS ESSET s. vlnis seu brachiis, est enim græcè ἀγκάλη vlna. Syrus, *cum accepisset eum super brachia sua*. Felix puerulus quem in brachia accipere amplectique dignatus est Iesus: nihil dubium quin copiosam illi benedictionem inspirarit. Testatus est porrò hac actione, gratissimam Deo Patri sibique esse, simplicitatem, modestiam, & innocentiam, infantum naturæ persimilem. AIT. illud inprimis quod Matthæus habet cap. 18. v. 3. deinde & illud quod hic sequitur. Reliqua lege Matth. 18. v. 2.

ὃς ἐὰν ἓν τῶν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποστείλαντά με.

36 Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

Matth. 18. v. 5. Luc. 9. v. 48.

PVERIS. παιδίων puerulis, ætate, sed præsertim moribus. Reliqua lege Matth. 18. v. 5. SVSCEPERIT. receperit. non mutatur vox. NON ME SVSCIPIT, SED. id est, non tam me recipit quàm. Non enim est negatiua oratio, sed correctio, quam Græci ἐπανόρθωσιν dicunt, cùm minùs dixisse videmur quàm res habet, idq; addimus quod deest ad integritatem rei. Aliter dicas, *Non solum me recipit, verumetiam*. Sunt aliæ similis huiusmodi phrases Iohan. 6. v. 38. 7. v. 16. Cæterùm loquitur hoc modo Iesus ex discipulorum suorum opinione, qua Deũ Patrem illi, Iesu maiorem habebant hactenus. EVM QVI MISIT ME. vide sup. 10. v. 40.

ἀπεκρίθη δὲ αὐτῷ ὁ Ἰωάννης, λέγων· διδάσκαλε, εἴδομέν τινα τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια, ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτόν, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν.

37 Respondit illi Iohannes dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum.

Luc. 9. v. 49.

RESPONDIT. id est, occasione ex verbis Domini Iesu accepta, subiecit ac proposuit. ILLI. Iesu. IOHANNES Apostolus. Quia dixerat Iesus, gratissimum sibi & Deo Patri esse, si quis paruulum aut humilem quemuis in ipsius nomine recipiat, foueat, iuuet, iamque sæpius didicerat Iohannes, à Magistro, gratissima ipsi & ipsius Patri esse, quæcumque fierent in nomine ipsius: venit Iohanni in mentem, quòd prohibuisset aliquando cuidam, ne in Iesu nomine eiiceret dæmonia. Veritus ergo ne minùs rectè fecisset, eò quòd impediuisset opus charitatis, quod paruulis miserisque exhibebatur in nomine Iesu: proponit Magistro rem,

abrum-

abrumpens licet propositum magistri, ambitioni eradicandæ humilitatíque commendandæ intenti, & tacitè interrogat, benè fecisset an malè: simulque ostendens, quòd & bono animo id fecisset, & paratus esset corrigi, si minùs rectè fecisset. VIDIMVS ego & quidam alij ex nostris, nuper cùm tuo iussu Iudæam peragraremus prædicandi euangelij causa. QVEMDAM. ignotum. IN NOMINE TVO. (præpositio ἐν græcè subauditur) id est, per nomen tuum, appellato nomine tuo. Hinc discimus, Apostolos, cùm dæmonia eiicerent, vsos fuisse appellatione nominis Iesu, quamuis adhuc mortalem inter homines vitam agentis, præcepisseque dæmonibus in nomine Iesu, vt exirent: nam illos iste est imitatus. Videns enim Apostolos in nomine Iesu eiicere dæmonia, tentauit an non & ipse id posset, nomine Iesu adhibito: præsertim cùm virtus omnis à Iesu nomine proficisci videretur. Simile legitur Act. 19. v. 14. de filiis Sceuæ principis sacerdotum. EIICIENTEM DÆMONIA. Pluralis numerus *dæmonia*, intelligendum dat, quòd iam quædam dæmonia eiecerat ille reipsa: vt certè non ea fuisset ratio prohibendi, si iste tentasset quidem eiicere, sed frustra: ipse enim per se conatus frustratus, ipsi id prohibuisset. Cùm ergo vidisset Iohannes illum, iam quidem eiecisse dæmonia quædam, pergere autem id ampliùs tentare, prohibuit eum. QVI NON SEQVITVR NOS. qui non est societatis nostræ, qui non sequitur te nobiscum. His verbis insinuat Iohannes, causam quare prohibuerit eum, eò quòd non esset de numero apostolorum, vel eorum discipulorum qui corpore Iesum quocumque sequerentur, qui soli nimirum acceperant à Iesu potestatem auctoritatemque dæmonia eiiciendi. *Quia tradiderat Saluator*, inquit Cyrillus in Cathenam ad Lucam adductus, *potestatem Apostolis, vt spiritus immundos eyicerent, putauerunt nulli aliorum quam sibi solis licere concessam gerere dignitatem*. Hic ergo cùm Iesum non sequeretur, idque *propter asperum viuendi modum*, quod ait Euthymius, ac proinde non accepisset à Iesu id facultatis aut mandati, videbatur præter ordinem à Iesu constitutum agere nonnihilque iniuriæ Iesu irrogare, quòd iniussus, Iesu nomine, ad eiiciendos dæmones vteretur. Non inuidia aut studio ambitionis ducti id prohibuerant discipuli, quasi *laborarent de asserendo honoris sui priuilegio, & soli hoc iure potiri vellent*, quæ Caluini sententia est (nam si ita fuisset, non consuluissent Iesum an rectè fecissent, malè sibi conscij) sed *amore*, quod ait Ambrosius, & zelo ducti, licet minùs prudenti; quòd consulere vellent auctoritati Iesu, eiusque conseruare disciplinam, ne quis, cui ipse eam potestatem nō fecisset, ipsius nomine vteretur vel potiùs abuteretur, ne vilesceret ipsius nomen & potestas ista, si omnes hoc tentarent. Notant hoc enarratores græci, abfuisse à discipulis inuidiam, non inuidisse eos homini huic potestatem eiiciendi dæmones, sed iudicasse, non permittendum iis quibus Iesus id nō mandauerat, vt in Iesu nomine dæmonia eiicerēt; Theophylactus, Victor, Titus. quo ferè modo Iosue, arbitrabatur non permittendos prophetare, qui spiritum à Mose non accepissent, veritus ne Mosis maiestas periclitaretur. Num. 11. v. 28. Porrò non dicit Iohannes *qui non credit in te*, aut *qui male viuit*, non enim nouerat hominem: & quamuis etiam à malis, adeoque ab incredulis, edi possint miracula in nomine Iesu, quemadmodum discere licet ex Matth. 7. v. 23. & Act. 19. v. 15: verisimile est tamen, hunc, si non credidisse, certè alienum non fuisse à fide in Iesum, & pœnitentia quam Iesu prædicante didicerat (id quod responsio Iesu subsequens satis dat intelligendum) quamquam à sequela Iesu, propter vitæ asperitatem, quod dictum est, fortassis abhorreret. Admiratus enim virtutem nominis Iesu, putauit etiam se, eo adhibito, posse dæmonia expellere: & profectò, credibile non est, Iesum, in illis initiis, id concessisse homini, ab ipsius doctrina & moribus prorsus alieno. Cæterùm quamuis bono animo hic videatur Apostolos imitatus, non sine temeritate tamē id aggressus est de quo nullam promissionem, nullum mandatum acceperat, quodam, quod Theophylactus & Euthymius aiunt, *vanæ gloriæ amore captus*. Sed successu audacia non caruit, quia, quamuis eam facultatem præsens vnà cum reliquis discipulis à Iesu non accepisset, acceperat tamen absens, ab eo qui nullam sibi ipse legem præscripserat, quin tam secretè quàm publicè, tam absentibus quàm præsentibus, dona sua suo pro libitu posset distribuere. Nam & hoc modo placuit ei nominis atque euangelij sui gloriam propagari: vt & ij qui huiusmodi miracula in ipsius nomine operari tentarent, & ij qui ea miracula viderent aut audirent, admirandam ipsius, per absentes adeoque ignotos operantis, virtutem ipsa experientia agnoscentes, faciliùs ad perfectam euangelij fidem adducerentur. ET PROHIBVIMVS EVM, ne id faceret. Sequitur græcè ac syriacè, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν *quia non sequitur nos*. id enim, græcè quidem repetitur, syriacè autem hoc solùm loco legitur, vt latinè tantùm superiore. Rogat ergo Iohannes, rectène, ô Præceptor, fecimus, an secus?

Luc. 9. v. 50.

Iesus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. [38]	ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπε· μὴ κωλύετε αὐτόν· οὐδεὶς γάρ ἐστιν ὃς ποιήσει δύναμιν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, καὶ δυνήσεται ταχὺ κακολογῆσαί με.

NOLITE PROHIBERE. μὴ κωλύετε ne prohibeatis s. in posterum, si similis rursus se offerat occasio, vt non debueratis hunc prohibuisse. Plures alloquitur Iesus, Iohannes enim narrauerat à se aliisque discipulis illum prohibitum fuisse. Porrò non reprehendit discipulos Iesus, quia animo bono, adeoque amore, quod ait Ambrosius, id fecerant, sed mansuetè docet atque instruit. Non debetis, inquit, huiusmodi prohibere, tametsi non sequatur vos. Ratio subditur: NEMO EST ENIM QVI cùm FACIAT VIRTVTEM miraculum, siue expulsionis dæmonium, siue quoduis aliud, appellato NOMINE MEO, ac proinde virtute nominis mei, POSSIT CITÒ, id est, facilè MALE LOQVI DE ME. κακολογῆσαί με maledicere mihi, blasphemare aut calumniari me, de auctoritate vel honore meo detrahere, sicut faciūt aduersarij mei. Nam si id faceret, res ipsa redargueret eum, diceretúrque ei: Qua fronte obtrectas ei, cuius nomen in edendis per te ipsum miraculis expertus es potens adeò atque efficax? Sed non facilè tantam impudentiā admittat alicuius conscientia: expertus enim quanta sit potestas mea, cuius solo nomine inuocato ipse miracula patrarit, non potest vel malè loqui vel malè sentire de me meoque nomine, immo cogitur admirari, amare, laudare & extollere me nomenque meum & si non credat, proximum est vt credat in me, tantum per me honorem assequutus, ac proinde tanto mihi beneficio obligatus. *per nomen enim meum ipse glorificatur*, quod ait Euthymius, &, quod Theophylactus,

phylactus, *nomen meum in occasionem vanæ gloriæ prætexit*, aut vt Victor dicit, *de virtutibus, quas in nomine meo facit, gloriari sequestrare solitus est*. Dum virtutes in nomine meo operatur, ipse & honorat nomen meum, & honoratur vicissim à nomine meo. Plus ergo insinuat Iesus quàm verbis exprimat, quòd nemo facilè miracula in nomine ipsius operetur, qui non agnoscat ipsius potentiam, ipsumque Christum esse confiteatur: sed intelligi vult, non esse huiusmodi prohibendum, ideò quòd vel hoc vnum boni subsit, quòd non possit citò malè loqui de ipso, Domino ac magistro ipsorum, *cuius nomen in dæmoniorum expulsione commendabat*, vt loquitur Augustinus lib. 4. de cons. Euang. cap. 5. Admittit Iesus quòd ille non fuerit ex discipulis sequacibus ipsius, quodque non acceperat ab ipso cum reliquis potestatem mandatumque dæmonia eiiciendi: his tamen non obstantibus, docet eum non debuisse prohiberi, quia etsi non esset ex manifestis ipsius discipulis, vt minimùm tamen ita esset ipsi deuinctus, vt non facilè posset ipsi aduersari, eo ipso quo nomine ipsius vteretur ad patrandum miracula: subindicans miraculorum patrandorum facultatem, à se infundi posse, etiam absentibus & procul distantibus, nec se eam alligasse iis qui ipsum corpore sequerentur. Cæterùm non probat Iesus omni ex parte factum huius exorcistæ, tamquam ab omni vitio temeritatis & vanæ gloriæ alienum: sed, huiusmodi occultis Dei iudicio relictis, non vult à discipulis suis prohiberi, externum opus, officio bonum quod obesse quidem non potest, potest autem prodesse suo modo, ad illustrandum Iesu nomen, ad euangelij fidem propagandam, denique ad promouendam salutem, tam eorum qui huiusmodi miracula operantur, quàm aliorum qui ea viderint intellexerintve. ferendum enim esse & gaudendum si per quoscumque & quacumque occasione glorificetur Deus. Quocirca scribit in hunc locum Victor Antiochenus græcus Auctor: *Ne prohibeatis enim, vel hac ratione ad virtutum incrementum animique perfectionem contendere*. & clariùs Beda inter latinos: *Docetur, neminem a bono quod ex parte habet arcendum, sed ad hoc potius quod nondum habet esse prouocandum. Hac doctus sententia dicit Apostolus: Sed siue occasione, siue veritate, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Sed licet ille gaudeat etiam de his qui Christum annunciant non sincerè, & tales aliquando in nomine Christi signa facientes, ob aliorum salutem censeantur non esse prohibendi: non tamen ipsis per talia signa, secura sua conscientia redditur, quin potius in illa die, cum dixerint, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? responsum accipient, quia numquam noui vos. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem*. hactenus Beda. Porrò quod addit Iesus *cito* siue facilè, est, quia quamuis rarum sit & pænè impossibile, fieri tamen potest, vt quis ita sit impudens, vt derrahat nomini Iesu, cuius virtute antea ediderat miracula: qualis fuit Iudas Iscariotes, qui prodidit Iesum, à quo *miraculorum gratiâ ornatus* fuerat, quod ait hoc loco Victor.

ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ᾽ ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστιν.	39 Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.

Luc. 9. v. 50.

QVI ENIM. Coniunctione *enim* datur intelligendum, eam quæ hoc versu adfertur rationem, cur exorcista ille non fuerit à discipulis prohibendus, non tam aliam esse rationem, quàm confirmationem esse eius quæ data est versu superiori. Occurrit enim hîc obiectioni, quam insinuauerat aduerbio illo *cito*. q. d. Nam quamuis fieri possit, vt de me malè loquatur, mihique sit aduersarius, etiam is qui mei nominis virtute signa edat: quia tamen hoc non citò fit, sed rarum est, non debetis id opinari, nisi manifestè mihi vobisque aduersetur. *Qui enim*, quod habet vulgaris sententia, NON EST ADVERSVM seu contra VOS, PRO VOBIS EST. qui nihil agit quod vobis aduersetur, quod obsit instituto atque officio vestro, prædicandi nomen meum, & multos homines euangelio ac regno meo lucrifaciendi, eum pro vobis esse, vobiscum facere, vestroque instituto fauere, credendum vobis est. Nemo enim præsumi debet malus, nisi contrarium doceatur, vti humanæ etiam leges definiunt. Iam verò quòd eiiciat quis dæmonia in nomine meo, etiamsi ille corpore me vobiscum non sequatur, nihil obest vobis vestróve instituto, aut nomini meo, immo verò prodesse id potest ad propagationem nominis & euangelij mei. Quocirca non venit ille à vobis prohibendus hoc nomine, vt non est mouendum bellum ei qui vos non lacessit: sed quod agit, in meliorem partem interpretemini oportet, ipseque æquissima hac regula examinandus, & religiosa interpretatione à vobis excipiendus est: *Qui non est aduersum nos, pro nobis est*. de singulis enim optimè sentiendum est, donec aliud appareat: nec in deteriorem partem accipiendũ, quod rectè licet interpretari. Qui ergo non resistit euangelio, nec oppugnat aut persequitur veritatem, ille saltem mente fauere & animi studio propugnare veritatem, hoc est, aut in me credere, aut eò propendere existimandus est, idque eo magis, si certa etiam actione veritatem promoueat, etiamsi vitam non ducat in externa congregatione vestra. Iam hæc sententia non est contraria illi Matth. 12. v. 30: *Qui non est mecum, contra me est*: illic enim præcipuè de animo, hîc de opere; hîc de discipulis præsertim, illic de seipso Christus loquitur. Illic, ait, aduersarium suum esse, quisquis non integro ac sincero animo se ipsi iungit, medium enim esse non licere: hîc discipulos suos docet, vt pro fautoribus habeant omnes, qui non declarant se aduersarios. præsertim eos qui quid agunt, quod promouere institutum ipsorum possit. nihil enim in deteriorem partem interpretandum, quod rectè liceat interpretari.

ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι Χριστοῦ ἐστέ· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ.	40 Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Matth. 10. v. 42.

QVISQVIS ENIM. Nam si quis pro suis facultatibus vel minimum aliquod momentum ad euangelici negotij profectum attulerit, Pater meus & ego id sumus recognituri. IN NOMINE MEO. propter me, mea causa. sequitur explicatio: QVIA CHRISTI ESTIS. quia mei estis, quia Christiani estis, discipuli mei, credentes in me & negotium agentes meum. NON PERDET, non frustrabitur, non est cariturus mercede.

mercede. Longè tamen minùs iste fecerit, longeque minùs me honorauerit & euangelicum negotium promouerit, quàm qui assumto nomine meo dæmonia eiecerit, qui proinde etiam longè minus carebit mercede sua. Argumentum est à minore ad maius. MERCEDEM. merces hoc loco non videtur propriè accipi, cùm sermonis occasio ex eo sit, qui licet Christianis faueret, nondum tamen ipse Christianus erat (qualis vtique mereri non potest) sed pro præmio siue remuneratione, quæ ferè hominibus eiusmodi à Deo redditur hæc, vt Christiani fiant. Legatur Augustinus lib. 4. cap. 6. de consens. Euangel. Cætera verò petantur ex Matth. 10. v. 42.

Matth. 18. v. 6. Luc. 17. v. 2.

Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo eius & in mare mitteretur. 41

καὶ ὃς ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον εἰ περίκειται λίθος μυλικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ βέβληται εἰς τὴν θάλασσαν.

ET QVISQVIS. Quisquis autem. Opponit hoc ei quod dixerat suprà v. 37: *Quisquis receperit, &c.* & ei quod mox: *Quisquis potum dederit, &c.* Redit enim ad sermonem de humilibus à se institutum, quem Iohannes interruperat. EX HIS PVSILLIS. τῶν μικρῶν paruorum. IN ME Christum. BONVM EST EI MAGIS. melius est ei. Hebræi carent comparatiuo. CIRCVMDARETVR. circumponeretur. MOLA ASINARIA. Syrus mola asini; Græcus λίθος μυλικὸς lapis molaris. COLLO. περὶ τὸν τράχηλον circa collum. MITTERETVR. proiiceretur. Reliqua quære Matth. 18. v. 6.

Matth. 5. v. 31. 18. v. 8.

Et si scandalizauerit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, 42

καὶ ἐὰν σκανδαλίζῃ σε ἡ χείρ σου, ἀπόκοψον αὐτήν· καλόν σοί ἐστι κυλλὸν εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ τὰς δύο χεῖρας ἔχοντα ἀπελθεῖν εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον,

ET SI. Quòd si. Nam scandalum res est adeò noxia, non tantùm procuranti, verumetiam patienti, vt si scandalum tibi ex temetipso nascatur, verbi gratia ex manu tua. Hoc modo iungendum illud videtur superioribus, quod secundùm Matthæum clariùs iungitur, vbi præcedit amplior de scandalo tractatio. DEBILEM. κυλλὸν mancum. IRE. ἀπελθεῖν abire. IN IGNEM INEXTINGVIBILEM. exponit quid sit in gehennam ire. vide Matth. 3. v. 12. Syriacè particula ista non legitur, nec hoc versu nec proximo 45. vt certè subsequentibus 44. & 46. disertè exprimitur. Reliqua huius versiculi lege Matth. 18. v. 8.

Isaiæ 66. v. 24.

vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. 43

ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

VBI. in qua gehenna s. quod ait Isaias propheta. VERMIS EORVM. vermis qui arrodet illos qui eò fuerint damnati, præuaricatorum inquam (quod apud prophetam præcedit, quales sunt ij omnes qui scandala fouent. Quia cadauera appellauerat propheta corpora reproborum, dicens: *Et egredientur & videbunt,* electi scilicet, *cadauera virorum qui præuaricati sunt in me* (non quòd animata non erunt à resurrectione, sed quòd non vitæ æternæ splendorisque perpetui, sed pœnę æternæ caliginisque perpetuę causa excitanda sint) consequenter dum subiicit *vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur,* etiam vermes illis attribuit, qui ex corruptione cadauerum nasci & cadauera exedere consueuerunt; habita tamen magis ratione viuorum corporum quæ sentiunt, quàm mortuorum quæ sunt expertia sensus. pro pœna enim & cruciatu vermem ponit. NON MORITVR. numquam moritur siue morietur (est enim præsens pro futuro) immortalis est, non in semetipso tantùm, sed etiam illis in quos agit, id est, perpetuò illos arrodit arrodetq́;, indesinenter æternumque cruciabit. *Facunda pœnis viscera corrodens*, ait poëta prophetæ Interpres. NON EXTINGVITVR, numquam extinguetur, absque cessatione in æternum illos aduret atque affliget. viuunt enim illi tantùm in pœnam. *Vermem & ignem* quidam vtraque ad animum referunt, pro mœrore animum rodente atque vrente, non secus ac si vermis hominis cuiuspiam corrodat & ignis corpus comburat. Alij *ignem* corporis, *vermem* intelligunt esse animæ pœnam, quæ peccatricem animam, inutilis pœnitentiæ aculeis, instar edacis vermis, continuò pungit ac rodit, quam malefici suæ ipsorum conscientiæ dant, *quos diri conscia facti Mens habet attonitos & surdo verbere cædit, Occultum quatiente animo tortore flagellum. Quod etsi credibilius dicitur*, ait Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei cap. 9., *quia vtique absurdum est ibi dolorem aut corporis aut animæ defuturum: ego tamen faciliùs assero, vt ad corpus dicam vtrumque pertinere quàm neutrum, & ideo tacitum in illis diuinæ scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequēs esse intelligitur etiamsi non dicatur, vt in corpore sic dolente animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Eligat ergo quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, illud propriè, hoc tropicè; aut vtrumque propriè corpori.* Hæc ille. His itaque Saluator, ex auctoritate Isaiæ prophetæ, grauitatem describit tormentorum gehennæ, quæ inter alios maneant eos qui scandala foueant aut patiantur, vt suos doceat quiduis potiùs quàm scandalum pati.

Matth. 18. v. 8.

Et si pes tuus te scandalizat, 44

καὶ ἐὰν ὁ πούς σου σκανδαλίζῃ σε, ἀπό-

ἀπόκοψον αὐτόν· καλόν ἐστί σοι εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν, ἢ τοὺς δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον,

amputa illum: bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis,

Æternam non additur siue græcè siue syriacè. Mitti. *proiici.* Ignis inextingvibilis, id est, cuius ignis est inextinguibilis. Græcè est hîc vt versu 43. superiori, *εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον in ignem inextinguibilem:* quamuis syriacè, quod diximus, neutrum legatur. Reliqua lege suprà v. 43.

ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ 45 πῦρ οὐ σβέννυται.

vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Versus iste expositus est mox suprà v. 44.

Κἂν ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζῃ σε, 46 ἔκβαλε αὐτόν· καλόν σοί ἐστι μονόφθαλμον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός,

Quòd si oculus tuus scandalizat te, eiice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis,

Matth. 5. v. 30. 18. v. 9.

Lvscvm *μονόφθαλμον* vnoculum. Regnvm Dei dicit pro eo quod superioribus versibus dixit *vitam*: itaque accipitur hic regnum Dei pro cælis simul & pro bonis quæ illic parata sunt iis qui mortificant membra sua super terram, pro absoluta inquam beatitudine. vide Matth. 5. v. 2. Gehennam ignis. Hoc modo legunt hîc vnanimiter Latina, Græca, & Syra. Quid sit gehenna ignis vide Matth. 5. v. 23. Reliqua ad hunc pertinentia versiculum lege Matth. 5. v. 30. & 18. v. 9.

ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, 47 καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.

vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Tertiò verba ista repetit, quò magis exaggeret grauitatem pœnæ inferorum. *Quem non terreat*, inquit Augustinus loco mox allato, *ista repetitio, & illius pœnæ commmunatio tam vehemens ore diuino?*

πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα 48 θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.

Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.

Omnis enim s. huiusmodi, qui in gehennam mittendus est. Datur ratio eius quod proximè præcedit, *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*; cur vocauerit ignem eorum, & cur non extinguendus illis sit.

Igne salietvr. igne quasi salietur (est enim impropria loquutio) id est, igne vretur seu cruciabitur, simul & seruabitur incorruptus: ignis erit ei tamquam sal, tamquam si sale perfrictus perpetuis eius cruciatibus torqueatur. Sal duplici qualitate est præditum, vrendi & conseruandi: cruciat adustione, seruat à corruptione. Easdem qualitates tribuit Christus igni gehennæ, quòd sic aduret & cruciabit reprobos, vt non consumat, sed relinquat integros & perpetuæ adustioni aptos, ipse numquam aut extinguendus aut extincturus. Metaphorica ergo locutio est, igne saliri; quemadmodum illa, igne baptizari, Matth. 3. v. 11. Et. pro *sicut*, vt Prouerb 25. v. 23: *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem* (pro, sic facies tristis, & alibi sæpe. Omnis victima. omne sacrificium. Sale salietvr. sale saliri consueuit, ex legis præscripto, quæ iussit Leuit. 2. v. 13: *Quidquid obtuleris sacrificij, sale condies.* Sic illi igne salientur, inquit, quemadmodum omnis victima sale saliri est solita. Nam & illi victima quædam Domini futuri sunt, quamquam planè misera victima. Vt ignem gehennæ sali, ita damnatos victimæ comparat, alludens ad prophetarum, & præsertim Isaiæ, quem proximè citauerat, loquendi modum, quo consueuerunt victimam Domini vocare, eos quos furor Domini iniuriam suam vlciscentis occidisset, idque eò quòd cædes eorum ad Dei gloriam faceret, eò quòd tamquam ligatæ victimæ, quæ sacrificanti resistere nequissent, à Deo, ad iustitiam & gloriam ipsius illustrandam, trucidati mactatique essent. Sic loquitur Isaias cap. 34. v. 6. Sic Ieremias cap. 46. v. 10 sic Ezechiel cap. 39. v. 17. 19. Nam & reproborum mors siue supplicium æternum, Dei iustitiam commendabit, æternamque augebit gloriam.

καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας 49 ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.

Bonum est sal: quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

Matth. 5. v. 13. Luc. 14. v. 34.

Bonvm. id est, bona res, res admodum vtilis: efficax est enim & necessaria ad humanos cibos tum condiendos tum conseruandos. Quia salis meminerat, præsertim verò sacrificia solere sale condiri, addit admoni-

monitionem salutarem à sale sumtam, qua latenter indicat, quare sacrificiis Deus addi iusserit sal, quia scilicet nihil Deo placeat, quod sapientiæ sale non sit conditum. QVÒD SI. ἐὰν δὲ si autem, sed si. SAL INSVLSVM. Reddidit περιφραστικῶς Interpres ex ἅλας ἄναλον. q.d. sal sine sale. FVERIT vel factum fuerit ex γένηται. si semel sal esse desierit, id est, corrumpatur & natiuum illum vigorem efficacitatemque amittat. IN QVO. per quid, quanam re. CONDIETIS? condiri poterit, ita vt salis natura virtusque deperdita ei restituatur? q.d. impossibile est illud condiri, impossibile est vigorem semel amissum sali restitui: sed quàm fuerat antea res vtilis, tam fit inutilis ac nociua. id enim secundùm alios Euangelistas exprimitur. HABETE ergo, id est, seruate, omni studio conseruate, vos quos ego ad hoc elegi vt sitis sal terræ. IN VOBIS ipsis. SAL. id est, salem: masculinum enim potiùs genus in vsu est, quando metaphoricōs vsurpatur hæc vox. Sal autem sapientiæ, siue prudentiæ, quæ pars est sapientiæ (sapientia enim symbolicōs sale significatur) non prudentiæ huius mundi, sed prudentiæ filiorum Dei, cum simplicitate coniunctæ; quia ita & sapienter & sinceriter vos geratis iuxta præscriptum doctrinæ meæ, doctrinæ inquam euangelicæ, quam estis prædicaturi, vt nullo humanarum rerum vel detrimento vel lucro proposito, cedatis iis rebus quæ hunc salem in vobis vitiare queant. Hic enim sal, quamdiu à vobis in vobis, integer atque incorruptus fuerit conseruatus, eritis & Deo & hominibus sapidi, id est, grati. ita vt Deus quidem vos sua benedictione & æterna tandem salute augeat, homines verò, relictis insulsis moribus, doctrinam vestram ac vitam doctrinæ consentaneam, vt bene sibi sapientem, sequantur, & vobiscum Deo grati ac tandem salui fiant. Si verò hunc salem permiseritis in vobis euanescere ac corrumpi, & ita vos geratis, vt vita doctrinæ non respondeat, quinpotiùs quæ vestra sunt quæratis singuli, non quæ Dei, non resistentes scandalis intus forisve occurrentibus, itaque insulsi, & Deo simul ac hominibus ingrati atque insipidi reddamini; non tantùm non proderitis aliis ad salutem æternam, sed nec ratio erit reparandi vos aut restituendi saluti, desperatum de vobis erit. ET nominatim PACEM concordiam HABETE seruate INTER vos mutuò, nec sit inter vos contentio de primatu: eò enim respicit Dominus, vnde exordium huius sermonis sumtum fuerat, suprà v. 34. Quum ad hoc vt salem in semetipsis seruent discipuli Iesu, opus eis sit omnis generis virtutibus, tum maximè opus est concordia & pace inter ipsos. Nihil enim ita infatuat & insipidos reddit populo, eos quorum professio est docere & lucrifacere homines Christo, ac si humanis affectibus indulgentes, contendant inter se mutuò, de honore, lucro, aut aliis huius vitæ commodis. Contrà, nihil ita commendat eos populo, ac illud, si videant eos, procul abiecto omni ambitionis vitio, & posthabitis humanis omnibus affectibus, inter se consentientes, in hoc vnum incumbere, vt quæ Dei & proximorum salutis sunt quærant. Reliqua huc facientia petenda sunt ex Matth. 5. v. 13.

CAPVT DECIMVM.

Matth. 19. v. 1. 2.

1 Et inde exsurgens venit in fines Iudææ vltra Iordanem; & conueniunt iterum turbæ ad eum, & sicut consueuerat iterum docebat illos.	Κἀκεῖθεν ἀναστὰς ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς ἰουδαίας διὰ τοῦ πέραν τοῦ ἰορδάνου· καὶ συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι πρὸς αὐτὸν, καὶ ὡς εἰώθει πάλιν ἐδίδασκεν αὐτούς.

INDE. è Capharnao. EXSVRGENS. ἀναστὰς cùm exsurrexisset, id est, profectus seu digressus fuisset. Nam, Hebræorum idiomate, sedere pro habitare seu manere in loco surgere pro abire seu proficisci accipitur. VENIT. ἔρχεται: præsens est. VLTRA IORDANEM: Ambigua est hæc interpretatio: intelligenda est autem ex fonte græco. διὰ τοῦ πέραν τοῦ ἰορδάνου per vlteriora Iordanem, id est, per regionem eam quæ est vltra Iordanem, Peræam inquam. TVRBÆ sequutæ ipsum, quod habet Matthæus. SICVT CONSVEVERAT. Nullam consueuerat prætermittere occasionem docendæ & iuuandæ plebis. DOCEBAT & sanabat (quod habet Matthæus) geminam conferens sanitatem, corporis vnam, animæ alteram; hanc per doctrinam, illam per virtutem diuinam. Reliqua lege Matth. 19. v. 1. 2.

Matth. 19. v. 3.

2 Et accedentes Pharisæi interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere? tentantes eum.	Καὶ προσελθόντες οἱ φαρισαῖοι ἐπηρώτων αὐτὸν, εἰ ἔξεστιν ἀνδρὶ γυναῖκα ἀπολῦσαι; πειράζοντες αὐτόν.

ACCEDENTES προσελθόντες quum accessissent. DIMITTERE. s. pro libitu, *quacumque ex causa*, quod addit Matthæus. TENTANTES EVM. Hæc Syrus præponit ipsi quæstioni. Reliqua lege Matth. 19. v. 3.

3 At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moses?	ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· τί ὑμῖν ἐνετείλατο μωσῆς;

QVID. Prudenti interrogatione de legis decreto, illorum sententiam primò explorat, non ignarus vtique, sed vt prolatam ab ipsis Mosis constitutionem, qua diuortij consuetudo nitebatur, opportunè ex alia Dei constitutione ab eodem Mose descripta explicet. PRÆCEPIT hac de re. MOSES. cuius præceptum sequendum est vtique, vbi de re quapiam iudicandum est licitáne sit an illicita, ita vt illud licitum habendum

dum sit quod ille præcepit, illicitum quod prohibuit. Sapientissima interrogatio, qua tentatio eluditur. Nam si illi præceptum aliquod Mosis proferrent, nullus relinqueretur calumniæ locus aduersus eum qui ex præcepto ipsis responderet. Si autem aliud quàm præceptum adferrent, locus fieret docendi quod res esset.

οἱ δὲ εἶπον· μωσῆς ἐπέτρεψε βιβλίον ἀποστασίου γράψαι καὶ ἀπολῦσαι.	4	Qui dixerunt: Moses permisit libellū repudij scribere & dimittere.	Deut. 24. v. 1. Matth. 19. v. 7.

PERMISIT viro liberum, si non inuenerit vxor gratiam ante oculos ipsius, propter aliquam fœditatem. Quòd non vtantur hîc Pharisæi verbo permittendi ea ratione qua opponitur præcepto, manifestum est, tum ex responsione Iesu qui præceptum vocat quod illi permissionem dixerant, tum ex Matthæo, vbi disertè Pharisæi vtuntur mandandi verbo, Iesus autem respondens permittendi. Nam quòd Matthæus, loco interrogationis istius Iesu & responsionis Pharisæorum quam Marcus narrat, nihil aliud habet quàm quòd Pharisæi audita Iesu responsione obiecerunt legem Mosis de libello repudij; verisimile est vtrumque accidisse, & prius Pharisæos ad interrogationem Iesu protulisse legem libelli repudij, & posteà iterum, audita sententia Iesu de quæstione ab ipsis proposita, obiecisse eandem legem, iuxta eum ordinem quem habet Concordia D. Iansenij. Reliqua lege Matth. 19. v. 7.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἔγραψεν ὑμῖν τὴν ἐντολὴν ταύτην·	5	Quibus respondens Iesus ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud:	Matth. 19. v. 8.

SCRIPSIT Moses. PRÆCEPTVM ISTVD de dando vxoribus quas dimittere velletis libello repudij, permittens scilicet, hoc præcepto seruato, dimittere. Dare libellum repudij vxori dimittendæ præceptum erat; permissio, dimittere: quo modo notanter loquitur Iesus Matth. 19. v. 8. vbi leges reliqua ad hunc versiculum pertinentia.

ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ θεός· καὶ εἶπεν,	6	ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus.	Matth. 19. v. 4.

CREATVRÆ conditæ. κτίσεως creationis s. mundi, quando Deus rebus indidit naturam vnà cum lege perpetua, quando vidit cuncta quæ fecerat & erant valde bona. benedixitque rebus omnibus à se factis. Omittit hanc voculam *creaturæ* Syrus. DEVS. opponitur Mosi. Deus iam inde ab initio, ab ipsa primæua coniugij generisque nostri institutione, diuortia illicita declarauit. Quod addit in fine huius versus græcè codex Regius ex Complutensi, καὶ εἶπεν alij græci libri omittunt, vt latini. Cætera quærenda sunt Matth. 19. v. 4. 8.

ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ,	7	Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit ad vxorem suam,	Matth. 19. v. 5.

PROPTER HOC. Si non legendum, certè subaudiendum est ex Matthæo: *Et dixit: Propter hoc &c.* Cætera quære Matth. 19. v. 5.

καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ μία σάρξ.	8	& erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.	Matth. 19. v. 5. 6.
ὃ οὖν ὁ θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.	9	Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.	Matth. 19. v. 6.

Lege horum versiculorum expositionem Matth. 19. v. 5. 6.

καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ πάλιν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ περὶ τοῦ αὐτοῦ ἐπηρώτησαν αὐτόν.	10	Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerunt eum.	

ET IN DOMO. Cùm autem essent domi, in hospitio suo, Iesus eiusque discipuli. DE EODEM. de eadem re, de coniugij indissolubilitate. Erat discipulis doctrina Iesu noua, quippe alia ab ea quæ vulgò hactenus recepta fuerat. vide Matth. 19. v. 10. Itaque rogant domi sibi à præceptore repeti lectionem publicè auditam boni discipuli, vt meliùs tum intelligant tum memoriæ mandent.

καὶ λέγει αὐτοῖς· ὃς ἐὰν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν.	11	Et ait illis: Quicumque dimiserit vxorem suā & aliam duxerit, adulterium committit super eam.	Matth. 5. v. 32. 19. v. 9. Luc. 16. v. 18.

VXOREM SVAM. Repetit domi discipulis doctrinam, quam foris, occasione quæstionis Pharisæorum, secundùm Matthæum tradiderat: sed foris quidem addiderat *nisi aut non ob fornicationem*; domi non addit, quia

quia nimirum ea est mens sententiaque ipsius, omnem eum qui repudiata vxore sua aliam ducit, adulterum esse, etiamsi fornicationis rea sit ea quã repudiarit. Nam quòd foris docens addidit *nisi ob fornicationem*, idcirco fuit, vt, vel grauissimum adulterij genus inprimis damnaret, vel doceret quam ob causam dimittere vxorem liceat ita tamen vt aliam non ducas. *Vxor vt dimittatur*, inquit Augustinus, *vna carnalis causa est, fornicatio* (Matth. 5. v. 33.) *vna spiritualis, timor Domini* (Matth. 19. v. 29. Luc. 14. v. 26.) *vt vius ea alia ducatur, nulla causa in lege Dei est.* ADVLTERIVM COMMITTIT. μοιχᾶται *mœchatur* vertit alias. SVPER EAM. ἐπ' αὐτὴν in illam, aduersus illam, in iniuriam illius s. vxoris suæ quam dimiserit, illius loco rem habens cum alia. Theophylactus intelligit, *adulter est eius*, scilicet secundæ. Hanc particulam Syrus non agnoscit. Reliqua lege Matth. 5. v. 33. & 19. v. 9.

Et si vxor dimiserit virum suum & alij nupserit, mœchatur. [12] καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται.

DIMISERIT dimissa prior, vel certè vltrò. *Dimiserit* autem, quamcumque ob causam, etiam ob adulterium. Non erat quidem liberum vxoribus Iudaicis sponte dimittere aut repudiare maritos: fiebat id tamen nonnumquam, & quidem iustè ob adulterium. Quocirca iuxta euangelij legem, vir & vxor pares sunt, quod ad pudicitiam coniugalem, fidem thori, cæteraque coniugij iura. MOECHATVR. adulterium committit. Hanc legem sequuta Fabiola nobilis matrona, publicam Romæ pœnitentiam egit, quòd dimisso viro adultero, alteri erroneè nupsisset. refert B. Hieronymus epistola 30.

Matth. 19. v. 13. Luc. 18. v. 15.

Et offerebant illi paruulos vt tangeret illos: discipuli autem comminabantur offerentibus. [13] καὶ προσέφερον αὐτῷ παιδία, ἵνα ἅψηται αὐτῶν· οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπετίμων τοῖς προσφέρουσιν.

ET OFFEREBANT. tunc offerebantur seu oblati sunt, Matthæo interprete. Secundùm Lucam Interpres vertit *afferebant* ex προσέφερον. PARVVLOS. παιδία puerulos. VT TANGERET ILLOS. vt imponeret illis manus & oraret, ex Matthæo. COMMINABANTVR. ἐπετίμων *increpabant* vertit secundùm Matthæum. Reliqua lege Matth. 19. v. 13.

Matth. 19. v. 14. Luc. 18. v. 16.

Quos cùm videret Iesus indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibeatis eos: talium enim est regnum Dei. [14] ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ἠγανάκτησε, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

QVOS discipulos CVM VIDERET id facientes. ἰδὼν δὲ *videns autem* (illud, quòd discipuli scilicet prohiberent ne offerrentur ipsi puerulí. INDIGNE TVLIT. ἠγανάκτησε indignatus est. non quòd ignoraret illud à discipulis officiosa quadam sedulitate agi, sed quòd officium cum fastuoso quodam nec prudenti zelo coniunctum esset.) Indignatur eis Iesus qui impediunt paruulos & quoscumque tandem ne ad ipsum veniant vt seruentur. Reliqua legantur Matth. 19. v. 14.

Luc. 18. v. 17.

Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. [15] ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν.

AMEN. Explicat rationem quàre dixerit talium esse regnum Dei, potiùs quàm istorum, quòd ita certò puerulorum sit regnum cælorum, vt nullius sit qui non sit ipsis similis. RECEPERIT. susceperit. REGNVM DEI sibi prædicatum. Regnum Dei recipit, qui euangelio promittenti regnum cælorum fidem adhibet seque ipsum subiicit. Cæterùm non de prima sola euangelij receptione intelligendus est locus, sed de continua, ita vt sensus sit: Quisquis non adhæserit & subiectus permanserit euangelio regni. hoc itaque loco euangelium, id est infallibilis regni Dei promissio, nomen habet regni Dei, metonymicῶς. VELVT PARVVLVS. ὡς παιδίον quasi puerulus, tamquam si esset ipse puerulus, vel ad puerilem simplicitatem reuersus, non sensu, sed malitia, id est, deposita omni malitia, vacuus superbia, pertinacia, auaritia, simulatione, ira, vindicta, inuidia, detractione, luxuria, cæterisque vitiorum generibus, quibus consueuit adulta ætas præ tenera esse obnoxia, *sicut modò geniti infans rationabile sine dolo lac concupiscens.* sic explicat Petrus 1. epist. 2. v. 1. 2.

NON INTRABIT post huius vitæ finem. οὐ μὴ εἰσέλθῃ Cõduplicata negatio vim addit futuri, aut certè modi potentialis. vide Matth. 5. v. 21. IN ILLVD. s. regnum Dei, id est, vitam æternam beatamque, euangelio promissam. Grauissima Iesus sententia & verissima, re conueniẽs (quamquam plura fortasse complexa) cum illa Matth. 18. v. 3: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

Matth. 19. v. 15.

Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos. [16] καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτά, τιθεὶς τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτά, ηὐλόγει αὐτά.

COMPLEXANS. ἐναγκαλισάμενος cùm in vlnas cepisset; Syrus super brachia (*erant enim infantes*, quod Lucas ait) vide suprà 9. v. 36. Id fecit, vt affirmaret actione ipsa, simplicitatem illam sibi Patrique gratissimam, quæ mundo despectui est. BENEDICEBAT EOS. benè precabatur eis, simul & benefaciebat vtique, cuius

cuius dicere est facere. Sic à Iesu benedicentur & ij qui sese propter regnum Dei paruis similes præstiterint. Reliqua lege Matth. 19. v. 15.

17 Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν, προσδραμὼν τις καὶ γονυπετήσας αὐτὸν, ἐπηρώτα αὐτὸν· διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ποιήσω ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

Et cùm egressus esset in viam, procurrẽs quidam, genu flexo ante eum rogabat eũ: Magister bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam?

Matth. 19. v. 16. Luc. 18. v. 18.

Et. autem. Cvm egressvs esset in viam. ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν egrediente eo in viam, id est, cùm iam domo egressus iter faceret. Procvrrens. προσδραμὼν accurrens, cùm accurrisset. Syrus cùm cucurrisset. Nota discendi feruorem. Genv flexo ante evm. καὶ γονυπετήσας αὐτὸν & ad genua ei accidisset. Nota discipuli erga præceptorem obseruantiam. Vênit enim, non insidiosè, vt Scribis mos erat, sed discendi animo: quare tam genuflexione quàm verbis, Christum se vt fidum doctorem reuereri testatur. Rogabat. ἐπηρώτα interrogabat. Percipiam. κληρονομήσω hereditate possideam. Interpres alibi vertit *possideam*. vide Matth. 5. v. 4. Reliqua huius versiculi lege Matth. 19. v. 16.

18 Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός.

Iesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi vnus, Deus.

Matth. 19. v. 17. Luc. 18. v. 19.

Qvid. cur. Me dicis bonvm? Matthæus ait: *Me interrogas de bono?* Duo enim dixerat Adolescens, Matthæo referente, vocauerat Iesum magistrum bonum, & interrogauerat eum de bono: propter hoc respondit Iesus *Quid me interrogas de bono?* propter illud *Quid me dicis bonum*: vnum Marcus, alterum Matthæus disertè narrat, Iesus vtrumque dixit, B. Augustino etiam interprete lib. 2. de consensu Euang. cap. 63. Devs. nempe Deus. Reliqua lege Matth. 19. v. 17.

19 Τὰς ἐντολὰς οἶδας, μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, μὴ ἀποστερήσῃς, τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα.

Præcepta nosti, Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem.

Matth. 19. v. 17. 18. 19. Luc. 18. v. 20.

Præcepta nosti. præcepta quæ nosti tu & alius quiuis Israëlitarum, decalogi inquam, ea obseruanda tibi sunt. Ne fravdem feceris. μὴ ἀποστερήσῃς ne priuaueris s. quemquam re sua. ne damno afficeris aliquem. Videtur hoc respondere illi præcepto decalogi: *Non concupisces rem proximi tui*. Reliqua legantur Matth. 19. v. 17. 18. 19.

20 Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ· διδάσκαλε ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου.

At ille respondens ait illi: Magister hæc omnia obseruaui à iuuentute mea.

Matth. 19. v. 20. Luc. 18. v. 21.

21 Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτὸν, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἕν σοι ὑστερεῖ, ὕπαγε, ὅσα ἔχεις πώλησον, καὶ δὸς τοῖς πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ, καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι, ἄρας τὸν σταυρόν.

Iesus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest, vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus (& habebis thesaurum in cælo) & veni, sequere me.

Matth. 19. v. 21. Luc. 18. v. 22.

Intvitvs evm benignè. Dilexit evm. dilectionis ac beneuolentiæ signa ostendit ei, tamquam probo adolescenti indolisque optimæ. Intellexit Iesus, sincero, candido, ac proficiendi cupido animo loquutum, dixisse, præcepta illa omnia à se hactenus fuisse obseruata: quod tametsi non omni fortassis ex parte verum esset, pro eo tamen modo quo præcepta tunc exponebantur à Legisperitis, quod ad externum dico vitæ institutum, obseruarat omnia, & irreprehensibilem se gesserat. Hoc, vnà cum desiderio æternæ vitæ quo declarabat adolescens se teneri, significabat Iesus sibi gratum esse; simul & parabat animum illius ad excipiendam doctrinam quam erat ipsi propositurus, ne subitò absterreretur difficultate. Vnvm tibi deest. Quæsierat ille secundùm Matthæum *quid adhuc mihi deest?* Iesus respondit: *Vnum tibi deest si vis perfectus esse*. perfectum enim est id cui nihil deest, quodque omnibus suis partibus absolutum est. Non quasi iuueni huic nihil aliud deesse potuerit quàm hæc vitæ perfectio: sed quòd, posito eo quod dixerat, Mandata Dei omnia à se obseruata, nihil aliud ipsi deesset. *Vnum* autem dicit, tria requirens, quia tria illa ad vnam voluntariæ paupertatis perfectionem referuntur. Signanter autem *vnum* idcircò dicit, vt peculiarem huius adolescentis perstringat morbum, & quasi digito attingat illius vlcus. diuitiarum inquam amorem.

Et veni, seqvere me. Græcè additur ἄρας τὸν σταυρόν sublata cruce, scilicet in humeros, id est, paratus labores quoscumque & genus omne tribulationis ac mortis sufferre. Syriacè est: *Et accipe crucem tuam & veni post me*. Latinus Interpres non legit illud (videri possit adiectitium esse) expositum autem est nobis Matth. 10. v. 38. & 16. v. 24. Reliqua ad hos versiculos pertinentia legantur Matth. 19. v. 20. 21.

Matth.19. v.22. Luc.18. v.23.

Qui contristatus in verbo, abiit [22] mœrens: erat enim habens multas possessiones.

ὁ δὲ συγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ, ἀπῆλθε λυπούμενος· ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά.

QVI CONTRISTATVS. ὁ δὲ στυγνάσας ille verò mœstus factus. IN VERBO ἐπὶ τῷ λόγῳ propter hoc verbum, propter hunc sermonem. nam ἐπὶ ponitur loco διὰ & articulus exprimi desiderat quod & Syrus fecit. MOERENS. λυπούμενος tristis vertit secundùm Matthæum c.19. v.22. vbi leges reliqua.

Matth.19. v.23. Luc.18. v.24.

Et circumspiciens Iesus ait di- [23] scipulis suis: Quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei introibunt?

καὶ περιβλεψάμενος ὁ Ἰησοῦς λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελεύσονται;

CIRCVMSPICIENS. περιβλεψάμενος quum circumspexisset, quum oculos circumtulisset. Hac actione & gestu significauit, rem se dicturum quæ digna esset obseruatione omnibus, itaque attentos reddidit discipulos, tamquam magni quid audituros. QVAM DIFFICILE. verè valde difficulter. Admiratio addit vehementiam. PECVNIAS. τὰ χρήματα facultates, opes. Pecuniæ appellatione, etiam quum latissimè patet, bona non nisi mouentia intelliguntur: græcum autem vocabulum ea omnia complectitur quorum prætium numis æstimatur: sic enim appellantur παρὰ τὸ χρήσιμα εἶναι quòd vtilia sint. Syrus vtitur voce ܢܟܣܐ *Nechse*, quæ diuitias sonat, quam eandem mox reddidit ex κτήματα. Denique pro *qui pecunias habent* Matthæus *diuites* ponit, apud quem cætera sunt quærenda.

Discipuli autem obstupescebant [24] in verbis eius. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire?

οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστι, τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν, εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν;

IN VERBIS EIVS. ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ ad hos sermones ipsius. collatos cum præsenti exemplo, quòd etiam adolescens, qui benè alioqui vixerat, ob solas diuitias seruatas, difficulter obtineat regnum cælorum. RVRSVS referendum est ad verbum *ait*, non ad participium *respondens*: quod ipsum tamen impropriè accipitur, vt sæpè aliàs. FILIOLI. τέκνα filij. Syrus filij mei. Blanda appellatione, qua maiores vti solent erga creditos sibi, fidem sibi conciliat, vt qui pater nolit filiis suis obtrudere mendacium. CONFIDENTES IN PECVNIIS. τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν eos qui confidunt in facultatibus, in opibus (*suis* addit Syrus) s. qui vulgaris est diuitum morbus. Repetit id quod dixerat, ita vt confirmet simul & rationem illius explicet. Non enim restringit sententiam suam ad eos qui in diuitiis suis fiduciam locant (sic namq; haud assequatur scopum suum) sed exponit rationem quare difficilem adeò diuitibus faciat ingressum in regnum cælorum, quia commune diuitibus prorsus omnibus, qui quidem diuitias retineant, sit, suis diuitiis opibusque confidere, multùm parúmve, *cum Dominus spes inopis sit*. Psal. 13. v.6. vide Matth.19. v.21. & 23. Pro eisdem itaque habet, *diuites* & *confidentes in diuitiis*: quare & mox v.25. rursus vtitur voce *diuitis*. Est autem confidere in diuitiis, à diuitiis corde pendere, promittere sibi à diuitiis malorum auersionem & rerum successum prosperum, ab his exspectare auxilium in aduersis & in secundis fauorem, in his collocare felicitatem suam, id est, omnium expetibilium rerum commoditatem & opportunitatem, denique his nixum securiùs viuere. *Confidentes* autem potiùs dicit quàm *amantes*, tum quia confidendi verbo exprimitur ingenium diuitum, tum quia hoc illo amplius est. Amamus enim frequenter in quibus fiduciam non collocamus: sed non collocamus fiduciam in iis quæ non amemus vnicè. Iam verò difficile esse dicit, fisos opibus suis in regnum intrare, tum quia plerique excluduntur, tum quia reliqui, quorum fiducia sic fuit in diuitiis vt tamen magis in Deo, donec ab hoc vitio purgati sint, à regno impediuntur.

Matth.19. v.24. Luc.18. v.25.

Facilius est camelum per foramen [25] acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν.

FACILIVS EST. q.d. immo non difficile tantùm, sed & impossibile est. TRANSIRE. εἰσελθεῖν intrare. QVAM DIVITEM. Rursus vtitur voce *diuitis* & non *confidentis*, vt doceat, ex eo ipso quòd homo diues sit (id est, ex diuitiis ipsis, relictis arbitrio hominis, cuius mens naturaque corrupta est) nasci vitium, oriri salutis difficultatem adeoque impossibilitatem. Reliqua petenda sunt ex Matthæi 19. v.24.

Matth.19. v.25. Luc.18. v.26.

Qui magis admirabãtur, dicẽtes ad [26] semetipsos: Et quis potest saluus fieri?

οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες πρὸς ἑαυτούς· καὶ τίς δύναται σωθῆναι;

QVI MAGIS. οἱ δὲ περισσῶς illi autem supra modum seu ampliùs. s. etiam quàm priùs. ADMIRABANTVR.

.τυρ. ἐξεπλήσσοντο percellebantur. AD SEMETIPSOS. πρὸς ἑαυτοὺς ad seipsos, id est, ad se mutuò, quomodo intellexit Syrus, vel apud se, quomodo alij. ET QVIS. Quis igitur. Coniunctio & , in huiusmodi interrogatiuè loquendi formis, non est coniunctiua, sed illatiua, vt Matth. 3. v. 14. Reliqua lege Matth. 19. v. 25.

ἐμβλέψας δὲ αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς λέγει· [27] παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον, ἀλλ' οὐ παρὰ τῷ θεῷ. πάντα γὰρ δυνατά ἐστι παρὰ τῷ θεῷ.

Et intuens illos Iesus ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum. omnia enim possibilia sunt apud Deum.

Matth. 19. v. 26. Luc. 18. v. 27.

ET INTVENS. ἐμβλέψας δὲ intuitus autem. EST hoc. Reliqua Matth. 19. v. 26.

ἤρξατο δὲ ὁ πέτρος λέγειν αὐτῷ· ἰδοὺ [28] ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήκαμέν σοι.

Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia & sequuti sumus te.

Matth. 19. v. 27. Luc. 18. v. 28.

ET Tunc. COEPIT. Quod numquam aliàs rogare ausus fuerat, iam sumta ex verbis Domini occasione simul & fiducia cœpit rogare. DIMISIMVS ἀφήκαμεν reliquimus vertit secundùm Matthæum. TE. supple: *Quid ergo erit nobis?* ex Matthæo cap. 19. v. 27. vbi leges cætera huc pertinentia.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν· ἀμὴν [29] λέγω ὑμῖν, οὐδείς ἐστιν ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα, ἢ μητέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς, ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ ἕνεκεν τοῦ εὐαγγελίου,

Respondens Iesus ait: Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me & propter euangelium,

Matth. 19. v. 29. Luc. 18. v. 29.

NEMO EST QVI. Non vos solùm non fraudabimini vestro præmio, sed nemo futurus est qui. AVT MATREM. sequitur græcè & syriacè *ἢ γυναῖκα aut vxorem*, vt secundùm Matthæum & Lucam: id quod Interpres Latinus non legit. ET PROPTER EVANGELIVM quod à me prædicatur, quia euangelio credit & adhæret, euangelium confitetur, docet, prædicat, propugnat, ex illius præscripto viuit. illius ministros fouet. Non est aliud *propter euangelium* quàm *propter me*, vnum alterius est expositio. vide suprà 8. v. 35. Reliqua lege Matth. 19. v. 29.

ἐὰν μὴ λάβῃ ἑκατονταπλασίονα νῦν [30] ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, οἰκίας, καὶ ἀδελφοὺς, καὶ ἀδελφὰς, καὶ μητέρας, καὶ τέκνα, καὶ ἀγροὺς, μετὰ διωγμῶν, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.

qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam.

Matth. 19. v. 29. Luc. 18. v. 30.

QVI NON ACCIPIAT. ἐὰν μὴ λάβῃ quin accipiat. CENTIES TANTVM. ἑκατονταπλασίονα *centuplum* vertit secundùm Matthæum. NVNC IN TEMPORE HOC. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.* 1. Tim. 4. v. 8. ET MATRES. Mirum est, si in hac enumeratione promissorum bonorum, prætermiserit siue Saluator siue Euangelista mentionem *patrum*, & quidem omnia priùs nominata bona repetierit, hoc solo excepto quod præcipuum est *patres*. Vide Notas. Quòd si omnino præterierit non dubium quin subaudiri saltem voluerit, vt & alia corporata hominis bona. ET AGROS. vel si quando non rebus ijs corporatis, certè spiritualibus, quæ tantum solatij animo adferant, quantum centum agri pro vno relicto, centum filij pro vno &c. CVM PERSECVTIONIBVS. in medijs persecutionibus, quamuis sæuiant persecutionum procellæ. Non promittit prospera omnia hoc in seculo, sed promittit non defore solamen mali in persecutionibus. Solent diuitiæ & opes, non tam ad secunda & tranquilla tempora, quàm ad aduersa & turbata, vel vitanda vel superanda, experti parariique: his enim rebus pericula vel vitari vel redimi posse putantur. Et secundis quidem temporibus, curam magis & laborem ac molestiam addunt quàm minuunt. Qui verò res humanas propter euangelium relinquit, earum curam tranquillis temporibus nullam habet, turbatis verò vsum cumulatissimum percipit. FVTVRO. ἐρχομένῳ *venturo*, ad verbum. Reliqua petantur ex Matth. 19. v. 29.

πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ [31] οἱ ἔσχατοι πρῶτοι.

Multi autem erunt primi, nouissimi; & nouissimi, primi.

Matth. 19. v. 30. Luc. 13. v. 30.

Huius versiculi enarrationem lege Matth. 19. v. 30.

ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς [32] ἱεροσόλυμα, καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ

Erant autem in via ascendentes Ierosolymam: & præcedebat illos

Matth. 20. v. 17. Luc. 18. v. 31.

Iesus,

Iesus, & stupebant, & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei euentura.

ἰησοῦς, καὶ ἐθαμβοῦντο, καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο. καὶ παραλαβὼν πάλιν τοὺς δώδεκα, ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν τὰ μέλλοντα αὐτῷ συμβαίνειν.

In via. in itinere. sensus est: faciebant autem iter Ierosolymam versus s. Iesus eiusque discipuli. Praecedebat illos discipulos suos omnes. Cùm aliàs ferè solerent vel præmitti vel præcedere discipulorum aliqui; hoc in itinere præcedebat omnes Iesus, non in exordio tantùm itineris, cùm adhuc agerent vltra Ierichuntem & procul abessent Ierosolyma, sed (tametsi non semper. Luc. 18. v. 35.) sæpius hoc itinere, etiam cùm Ierichuntem superassent & rectà tenderent Ierosolymam. Luc. 19. v. 28. Abhorrebant ab hoc itinere discipuli, quòd scirent Iesum à primatibus ad mortem Ierosolymis quæri, adeòque supremi concilij decreto statutum esse vt interficeretur. Iohan. 11. v. 53. Iesus autem, reipsa ostendere volens se mortem non timere, immo vltrò expetere; quodque hactenus nonnihil latuisset, non timoris fuisse, sed iudicij, quia *nondum venerat hora eius*; simul vt animum addat timidis discipulis, præbet se alacrem viæ ducem, habitu, gestu, & gressu, magno itineris istius conficiendi studio se teneri demonstrans. Et stvpebant, id est, vehementer admirabantur discipuli consilium ipsius, in manifestum vitæ periculum, deliberato animo, se conijcientis. Et seqventes timebant. Et sequebantur eum quidem, quòd adhuc nollent deserere præceptorem; quod dilectionis & obseruantiæ fuit: sed timebant sibi, ne vt socij vnà cum ipso in discrimen vitæ venirent; quod humanæ imperfectionis. Maluissent Dominum in recessu aliquo extra telorum iactum quiescere, quàm vltrò se obijcere tam infestis hostibus: sed iam non audebant eum dehortari verbis, & conari ab itinere hoc reuocare, quomodo à superiori itinere, narrante Iohanne cap. 11. v. 8. 12. 16. eò quòd rem definitam ipsi esse videret. Fuisset longè melius alacriter & sine tristitia ac metu properare quocumque duceret Filius Dei: sed tamen laude digna est reuerentia, quòd vim sibi facere malunt quàm eum deserere aut etiam interpellare. Assvmens seorsum. Itervm. Respicit locum suprà 9. v. 30. & 31. vbi etiam seorsum Apostolis suis prædixerat passionem mortemque suam. Dicere. explicare sigillatim.

Eventvra, seu vt legitur in aliis libris *ventura*, quod est, euentura. Ierosolymis scilicet; vt verbis ageret hoc idem, quod voluerat suo isto animoso ducatu. Reliqua lege Matth. 20. v. 17.

Matth. 20. v. 18. 19. Luc. 18. v. 31. 32.

33 Quia ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis & senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus:

ὅτι ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς ἱεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς γραμματεῦσι, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ, καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσι·

Qvia. ὅτι. Habet hoc loco ὅτι id officij, vt significet subsequi sententiam eam quæ recitatur, idem valens quòd si latinè diceres, *His verbis*, vel *hoc scilicet capite eis dicere*: Ecce ascendimvs, &c. Et senioribvs non legitur hoc loco neque græcè neque syriacè. Reliqua quære Matth. 20. v. 18. 19.

Matth. 20. v. 19. Luc. 18. v. 32. 33.

34 & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die resurget.

καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ, καὶ μαστιγώσουσιν αὐτὸν, καὶ ἐμπτύσουσιν αὐτῷ, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτὸν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

Et illvdent ei. s. gentes, vel principes ipsi Iudæorum, ministerio gentium. Conspvent evm. ἐμπτύσουσιν αὐτῷ inspuent in eum. Syrus spuent in faciem eius. vide Matth. 26. v. 67. Fecerunt id Romani infrà 15. v. 19. fecerant antea & Iudæi, infrà 14. v. 65. Græcè & syriacè conspuitionis mentio hîc sequitur flagellationem. Et interficient evm cruce id enim expressè hoc loco à Saluatore prædictum fuisse testatur Matthæus cap. 20. v. 19. vbi leges reliqua huc pertinentia.

Matth. 20. v. 20.

35 Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus vt quodcumque petierimus facias nobis.

καὶ προσπορεύονται αὐτῷ ἰάκωβος καὶ ἰωάννης οἱ υἱοὶ ζεβεδαίου λέγοντες· διδάσκαλε, θέλομεν ἵνα ὃ ἐὰν αἰτήσωμεν, ποιήσῃς ἡμῖν.

Et. tunc, interprete Matthæo. Dicentes ore interpositæ matris, quod ex Matthæo intelligitur. Volvmvs. cupimus, optamus. est enim rogandi, non imperandi significatione, positum verbum *volumus*. Facias. potes enim, & debes quoque aliquid nobis vt comitibus & ministris tuis. Reliqua lege Matth. 20. v. 20.

Matth. 20. v. 21.

36 At ille dixit eis: Quid vultis vt faciam vobis?

ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· τί θέλετε ποιῆσαί με ὑμῖν;

Dixit eis, matrem alloquens ab ipsis subornatam. Cætera lege Matth. 20. v. 21.

ὁ δὲ

οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ· δὸς ἡμῖν ἵνα εἷς ἐκ δεξιῶν σου καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων σου καθίσωμεν ἐν τῇ δόξῃ σου. 37 Et dixerunt: Da nobis vt vnus ad dexteram tuam & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Matth.20. v.21.

DIXERVNT per matrem ab ipsis instructam. DA. pollicere. ALIVS. alter. IN GLORIA TVA, in dignitate ac maiestate regni tui, vbi sederis in sede maiestatis tuæ, in throno gloriæ regni tui. Mundanũ, terrenumq;, ac humano more maiestate illustre regnũ, somniabant isti. Reliqua lege secundùm Matthæum.

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· οὐκ οἴδατε τί αἰτεῖσθε. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ πίνω, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι; 38 Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis. potestis bibere calicem quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Matth.20. v.22.

AIT EIS. Hîc demum matre relicta filios alloquitur, quod Matthæus dat intelligendum. BIBO. iamiam bibam. præsens pro futuro certò proximeque instante. AVT. καὶ &. Interpres disiunctiuam dedit, vt indicaret vtraque loquendi formula idem vnum significari. BAPTISMO. τὸ βάπτισμα illo baptismo seu illa tinctura tribulationum. Græcam vocem retinuit Interpres, qua non lotio propriè, sed immersio tinctioque significatur. vide suprà 7. v. 4. Tropus est Dauidi familiaris, aquarum nomine tribulationes; & immersionis abundantium tribulationum perpessionem declarare. exempli loco esto exordium Psalmi 69. Hunc imitatus Iesus tum hîc tum Luc. 12. v. 50, *baptismum* nominat passionem suam, qua factum est vt totum adeò ipsum occuparint afflixerintque omnis generis tribulationes, quemadmodum hominem aquis immersum aut perfusum vndique occupant aquæ. QVO EGO BAPTIZOR; quo ego certò breuíque baptizandus seu tingendus sum. Non absimili loquendi figura vernaculè dicimus, eodem iure perfundi, eos in quos similis cadit vindicta. Reliqua Matth. 20. v. 22.

οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ· δυνάμεθα. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· τὸ μὲν ποτήριον ὃ ἐγὼ πίνω πίεσθε, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε· 39 At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait eis: Calicem quidem quem ego bibo bibetis, & baptismo quo ego baptizor baptizabimini: Matth.20. v.22.23.

τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται. 40 sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

VEL AD. καὶ ἐξ & ad. quomodo etiam syriacè legitur. VOBIS omittitur à quibusdam libris, consentanéè græco & syro. SED QVIBVS PARATVM EST. nisi quorum meritis olim præparatum est, à me scilicet & Patre, sed non exprimit à quo, aut certè solum exprimit Patrem secundùm Matthæum, vt secretum manere debere insinuet quinam illi sint. Ad hanc sententiam elucidandam plurimum facit exemplum Agonothetæ à Chrysostomo eiusque schola ad Matthæum allatum. Reliqua lege Matth. 20. v. 22. & 23.

καὶ ἀκούσαντες οἱ δέκα ἤρξαντο ἀγανακτεῖν περὶ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου. 41 Et audientes decem cœperunt indignari de Iacobo & Iohanne. Matth.20. v.24.

ET AVDIENTES. quod quum audissent. COEPERVNT. Initiis commotionum occurrit Iesus, non eas permittens prorumpere in flammam. Reliqua lege Matth. 20. v. 24.

ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτοὺς λέγει αὐτοῖς· οἴδατε ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν; 42 Iesus autem vocans eos ait illis: Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: & principes eorum, potestatem habent ipsorum? Matth.20. v.25.

VOCANS. προσκαλεσάμενος cùm aduocasset. HI QVI VIDENTVR sibi, qui in eo sibi placent. οἱ δοκοῦντες quibus placet, vel quibus constitutum est ac decretum. Nulli enim crudelius aut imperiosius dominantur, quàm ij faciant qui imperio delectantur, vel quibus semel decretum est imperio non cedere. PRINCIPARI. ἄρχειν imperare, præesse. DOMINANTVR EIS. κατακυριεύουσιν αὐτῶν dominantur in eas. PRINCIPES. οἱ μεγάλοι magni, magnates, qui magni sunt inter eas. POTESTATEM HABENT IPSORVM, pro ipsarum, id est, *potestatem exercent in eas*, vt vertit secundùm Matthæum cap. 20. v. 25., vbi leges reliqua.

οὐχ οὕτω δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν· ἀλλ' ὃς ἐὰν 43 Non ita est autem in vobis: sed qui- Matth.20. v.26.

cumque voluerit fieri maior, erit vester minister:

θέλῃ γενέσθαι μέγας ἐν ὑμῖν, ἔσαι ὑμῶν διάκονος·

NON ITA EST. non ita esse debet: non est eadem ratio vestri. οὐχ οὕτω δὲ ἔσαι rerum non ita erit. Interpres pro futuro ἔσαι legit præsens ἐσί. IN VOBIS inter vos. MAIOR. μέγας magnus s. ἐν ὑμῖν in vobis seu inter vos, quod additur græcè & syriacè. Reliqua Matth. 20. v. 26.

Matth. 20. v. 27.

& quicumque voluerit in vobis [44] primus esse, erit omnium seruus.

καὶ ὃς ἂν θέλῃ ὑμῶν γενέσθαι πρῶτος, ἔσαι πάντων δοῦλος.

OMNIVM vestrûm, quin & aliorum quos adlaborare debet vt vobis adgreget. Reliqua Matth. 20. v. 27.

Matth. 20. v. 28.

Nam & Filius hominis non vênit vt [45] ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.

καὶ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

Explicationem lege Matth. 20. v. 28.

Matth. 20. v. 29. 30. Luc. 18. v. 35.

Et veniunt Iericho: & proficiscente [46] eo de Iericho, & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta viam mendicans.

Καὶ ἔρχονται εἰς ἱεριχώ· καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ ἀπὸ ἱεριχὼ, καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ ὄχλου ἱκανοῦ, υἱὸς τιμαίου βαρτίμαιος ὁ τυφλὸς ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν προσαιτῶν.

ET VENIVNT. Inter hos autem aliosque huiusmodi sermones veniunt Iesus eiusque discipuli cũ comitibus IERICHO, vbi à Zachæo publicano exceptus hospitio est Iesus. Luc. 19. v. 6. PROFICISCENTE. ἐκπορευομένου egrediente. FILIVS TIMÆI ciuis Ierichuntini, vernacula lingua à patris nomine BARTIMÆVS vocatus. simile nomen suprà 3. v. 18. Bartholomæus. Syrus, omissa voce filius, hoc solum legit: Timai Bar Timai, Timęus filius Timæi; tamquam cæcus ipse non minùs quàm pater Timęus vocatus sit, qui nobis Bartimęus.

CÆCVS. ὁ τυφλὸς ille cæcus, nulli non notus eo tempore ciuium Ierichuntinorum siue ob publicam mali diuturnitatem, siue ob parentum celebritatem, non, quidem à diuitiis aut generis claritate, cùm mendicus esset filius exq infima plebe (nisi fortè ex magna aliqua felicitate deiecti fuerint, sed aliunde, vt à probitate aut industria singulari, profectam Matthæus duos cæcos memorat, Marcus vnicum, è duobus celebriorem illum, quem poterat & proprio & patris nomine describere, cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparauit, quàm eius erat nota calamitas. simile suprà 5. v. 2. Quin & coniectura probabilis est, quum initiò hic cæcus vnus Christi gratiam imploraret, eius exemplo commotum fuisse alterum, atque hac occasione visum duobus esse redditum; Et quidem de eo qui erat velut accessio, Marcum duxisse tacendum, vt qui non omnia narrare instituerat; Matthæum autem oculatum testem, nec illum quamuis obscurum prætermittere hîc voluisse. MENDICANS eleemosynam à facientibus illac iter, etiam hac ratione notissimus, non solùm ciuibus, sed cunctis Ierichuntem vrbem, ad cuius portas mendicabat, frequentantibus. Cùm nequeant cæci, quò victum lucrificiant manibus laborare, quippe tenebris inuoluti; necesse est vt aliorum implorent ad viuendum opem Reliqua lege Matth. 20. v. 29. 30.

Matth. 20. v. 30. Luc. 18. v. 37. 38.

Qui cùm audisset quia Iesus Na- [47] zarenus est, cœpit clamare & dicere: Iesu Fili Dauid miserere mei.

καὶ ἀκούσας ὅτι ἰησοῦς ὁ ναζωραῖός ἐστιν, ἤρξατο κράζειν καὶ λέγειν· ὁ υἱὸς δαβὶδ ἰησοῦ ἐλέησόν με.

NAZARENVS. Pro patria vulgò tribuebatur Iesu Nazareth, quia in Nazareth fuerat educatus. FILI. υἱός. Rectus pro vocandi casu. DAVID. Nazarenum dixerat turba; ipse filium Dauid, id est, Messiam, agnoscit. Reliqua quære Matth. 20. v. 30.

Matth. 20. v. 31. Luc. 18. v. 39.

Et comminabantur ei multi vt ta- [48] ceret. At ille multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei.

καὶ ἐπετίμων αὐτῷ πολλοὶ ἵνα σιωπήσῃ· ὁ δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν· υἱὲ δαβὶδ ἐλέησόν με.

COMMINABANTVR. ἐπετίμων obiurgabant. increpabant (quomodo vertit secundùm Matthæum cap. 20. v. 31. vbi leges reliqua) non citra comminationem silentium ipsi mandabant.

Matth. 20. v. 32. Luc. 18. v. 40.

Et stans Iesus præcepit illum vocari. [49]

καὶ στὰς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτὸν φωνηθῆναι.

καὶ

καὶ φωνοῦσι τὸν τυφλὸν, λέγοντες αὐτῷ· θάρσει, ἔγειραι, φωνεῖ σε.

Et vocant cæcum, dicentes ei: Animæquior esto, surge, vocat te.

ET STANS. Tunc cùm substitisset. PRÆCEPIT. ita rectè vertit Interpres ex εἶπεν quod ad verbum est *dixit*, hebraico idiotismo explicato. VOCARI ad se. ET VOCANT. Vocant igitur si quidam, Apostoli fortasse, qui adeò non obstrepunt cæco quemadmodum turba, vt bene sperandi etiam addant fiduciam. ANIMÆQVIOR ESTO θάρσει *confide* (quomodo vertit Matth 9.v.2.& 22.) bono animo esto (angebatur enim malo suo,) spes optima est te fore voti compotem. SVRGE. diceris à nobis. VOCAT TE Iesus cuius tu magno adeò clamore auxilium imploras: *vocat te*, qui tot tui similibus miseris opitulatus est. Reliqua Matth.20. v.32.

ὁ δὲ ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, ἀνα-[50] στὰς ἦλθε πρὸς τὸν ἰησοῦν.

Qui proiecto vestimento suo exsiliens venit ad eum.

PROIECTO. ἀποβαλὼν abiecto. VESTIMENTO. τὸ ἱμάτιον pallio (sic vertit Interpres Matth.5.v.40.) summa veste qua defendebatur aduersus aëris iniurias. Excussit humeris pallium, tamquam impedimentum, quò agiliùs iret ad Iesum, fiducia lætitiaque tanta ex eo concepta quòd vocatus esset, quanta non sineret vt quidquam cæterarum curaret rerum, rapido cursu Iesum petiturus si per cæcitatem licuisset. EXSILIENS. ἀναστὰς quum surrexisset, magna scilicet alacritate. Neutiquam hæsitandum est vbi à Christo vocamur, sed reiicienda mox omnia quæ nos possent remorari, rectaque ad Christum pergendum. Abiectè mendicus est, qui pro vili commodo corporis supplex est huic mundo.

καὶ ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ ὁ ἰησοῦς·[51] τί θέλεις ποιήσω σοι; ὁ δὲ τυφλὸς εἶπεν αὐτῷ· ῥαββουνὶ ἵνα ἀναβλέψω.

Et respondens Iesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni vt videam.

Matth.20. v.32.33. Luc.18. v.41.

RESPONDENS. alloquens eum. RABBONI idem quod Rabbi, quod est hîc in Syro, id est, Domine mi vel Magister mi: vt *Rabbon* addito nun paragogico idem est quod *Rab.* vide Matth.23.v.7. Hebræi pronuntiant *Ribboni*, Syri *Rabboni*: frequens est enim Syris vsurpare *a* loco hebraici *i*, vt *Mariam* dicere pro Hebræo *Miriam*, *Magdal* pro *Migdal*. Quidam annotant, *Rabbon* sapientibus domus Dauid tamquam proprium attribui solere. VT VIDEAM. volo seu rogo facias vt videam, vt videndi quam amisi facultatem recipiam. ἵνα ἀναβλέψω vt visum recipiam. Reliqua Matth.20.v.32.33.

ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ὕπαγε, ἡ πίστις[52] σου σέσωκέ σε. καὶ εὐθέως ἀνέβλεψε, καὶ ἠκολούθησε τῷ ἰησοῦ ἐν τῇ ὁδῷ.

Iesus autem ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

Matth.20. v.34. Luc.18. v.42.43.

VADE. Non est ablegantis à se, sed annuentis postulatis votique compotem reddentis: nam abeundi facultas censetur dari iis quibus conceditur id ad quod petendum venerant, quamquam gratitudo requirat nonnumquam vt remaneant. FIDES TVA. qua non tantùm visus recuperationem à me sperasti, sed & Messiam me esse diuinitùs promissum credidisti. Fidei, vt aliàs, sanitatem attribuit, tum vt se ab arrogantia alienum declaret, tum ad fidei commendationem. Non opponit autem fidem operibus, sed fidem laudat vt cæterorum operum bonorum radicem, fiduciæ, orationis, constantiæ, alacritatis, quæ omnia in hoc cæco eminuerunt. vide suprà 9.v.23.& Matth.9. v.2.& 22. SALVVM FECIT. σέσωκε saluauit, corpore & animo. Incredulis, vsus donorum Dei, quæ & ad ipsos quandoque penetrant, adeo salutaris non est, vt magis noxius sit. ET CONFESTIM. Confestim igitur. VIDIT. ἀνέβλεψε visum recepit. ET recepto visu. EVM. græcè est τῷ ἰησοῦ *Iesum*. Syrus nec habet *eum*. nec *Iesum*, sed tantùm *& ambulabat* seu *ibat*, pro *& sequebatur*. IN VIA. in hoc itinere. Reliqua lege Matth.20.v.34.

C A-

CAPVT VNDECIMVM.

Matth.21. v.1. Luc.19. v.29.

Et cùm appropinquarent Ierosolymæ & Bethaniæ, ad montem oliuarũ, mittit duos ex discipulis suis,

1 Καὶ ὅτε ἐγγίζουσιν εἰς ἱερουσαλὴμ, εἰς βηθφαγὴ καὶ βηθανίαν, πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, ἀποστέλλει δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ,

APPROPINQVARENT. Syrus numero singulari *appropinquaret*. ET BETHANIÆ. Græcè & syriacè additur: *Bethphaga & Bethania*. est autem sensus: Cùm non procul abessent his tribus locis, Ierosolyma, Bethphage, & Bethania. Bethania distabat à Ierosolyma circiter quindecim stadiis (Ioh. 11. v. 18.) media erat Bethphage, octo circiter stadiis distans. Syrus habet: *Quumque appropinquaret Ierosolymæ per decliue Bethphagæ & Bethaniæ ad montem oliuarum*, quod est, Quum appropinquaret Ierosolymæ Iesus, profectus est per decliue Bethphagæ & Bethaniæ ad montem oliuarum. Hæc enim erat via Ierosolymam, è Bethania & Bethphage in valle sitis per montem oliuarum. Cæterùm ordo locorum præposterus est, quòd Bethphage Bethaniæ præponatur: nam proficiscentibus Ierichunte Ierosolymam, prior occurrit Bethania, posterior Bethphage: nisi quòd idcirco videri possit Bethphage fuisse etiam à Luca præposita, quòd propinquior iam esset Iesus Bethphagæ quàm Bethaniæ. AD MONTEM. vt qui venerant ad montem. Reliqua lege Matth. 21. v. 1.

Matth.21. v.2. Luc.19. v.30.

& ait illis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim introeuntes illuc inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: soluite illum & adducite.

2 καὶ λέγει αὐτοῖς· ὑπάγετε εἰς τὴν κώμην τὴν κατέναντι ὑμῶν, καὶ εὐθέως εἰσπορευόμενοι εἰς αὐτὴν, εὑρήσετε πῶλον δεδεμένον, ἐφ᾽ ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε· λύσαντες αὐτὸν ἀγάγετε.

STATIM INTROEVNTES. mox vt ingressi fueritis. PVLLVM asininum. NEMO ADHVC HOMINVM. nondum quisquam. οὐδεὶς ἀνθρώπων nullus hominum, id est, nullus prorsus. Syrus *nullus ex filiis hominum*. SEDIT. Syrus *equitauit*. id est, rudem illum sessori, & præ ætatis teneritudine matri etiamnum adhærētem. Indomitus erat hic pullus nec sessorem hactenus passus, nondum doctus aut assuetus sessorem ferre & freno obedire: vt hac etiam parte miraculum esset, quod veritatem vaticinio consonam indicaret, pullo indomito viam composito gressu conficiente, sessoremque prima vice vehente sine recalcitratione. Sensit pullus virtutem Iesu suo modo agnoscendi, meliùs quàm agnouerit Iudaicus populus. *Tu verò*, scribit in Matthæum Chrysostomus, *subitam pulli domationem admirare, quomodo, dum esset indomitus & freni omnino expers, non resiliit nec reluctatus est, sed quiete quasi assuetus ferebatur. Gentium enim obedientia hinc significatur, & repentina in meliorem vitam mutatio: qua tot animorum ferocitates*, quod habet Hilarius, *vecto Deo fractæ sunt*. Matrem vnà cum pullo adduci iussam narrat Matthæus: solius autem pulli meminerunt Marcus & subsequentes Euangelistæ, quòd eo præcipuè vectus fuerit Iesus, atque adeò illi insidens Ierosolymam ingressus sit. Reliqua Matth. 21. v. 2.

Matth.21. v.3. Luc.19. v.31.

Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite quia Domino necessarius est, & continuò illum dimittet huc.

3 καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, τί ποιεῖτε τοῦτο; εἴπατε, ὅτι ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει, καὶ εὐθέως αὐτὸν ἀποστελεῖ ὧδε.

QVID FACITIS? τί ποιεῖτε τοῦτο cur facitis hoc? quare soluitis pullum? quid vultis facere cum pullo? quò putatis pullum abducere qui non est vester? DOMINO NECESSARIVS EST. Secundùm Matthæum vertit: *Dominus his opus habet*. HVC. vt huc ad me adducatur. Reliqua Matth. 21. v. 3.

Matth.21. v.6. Luc. 19. v.32.

Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, & soluunt eum.

4 ἀπῆλθον δὲ καὶ εὗρον τὸν πῶλον δεδεμένον πρὸς τὴν θύραν ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου, καὶ λύουσιν αὐτόν.

ET ABEVNTES. ἀπῆλθον δὲ καὶ Abierunt autem &. ANTE. πρὸς ad. IANVAM domus dominorum pulli. FORIS IN BIVIO. Significatur quàm certò ac facilè inuenerint id quod Iesus abiens prædixerat, nec enim non poterant mox inuenire animal foris domo stans, & quidem in biuio, vbi videri & longè & vndique poterat. ET SOLVVNT EVM. Intrepidè exequuntur id quod Dominus iusserat. Syrus: *Quumque soluerent eum, quidam*, &c. Reliqua lege Matth. 21. v. 6.

Luc.19. v.33.

Et quidam de illic stantibus dicebãt illis: Quid facitis soluentes pullum?

5 καί τινες τῶν ἐκεῖ ἑστηκότων ἔλεγον αὐτοῖς· τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον;

DE ILLIC STANTIBVS. eorum qui illic stabant. SOLVENTES. vos qui soluitis. q. d. facitis quod non est vestrum, facitis quod vobis non licet, alienum pullum soluere abducendum.

οἱ δὲ

οἱ δὲ εἶπον αὐτοῖς καθὼς ἐνετείλατο ὁ ἰησοῦς, καὶ ἀφῆκαν αὐτούς. 6 Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Iesus, & dimiserunt eis. Luc.19. v.34.

QVI. οἱ δὲ illi autem. IESVS. nempe *Domino necessarius est.* ET mox illi qui interrogauerant DIMISERVNT EIS s. pullum. In aliis libris est *eos*, quarto casu, prout etiam græcè: quod est, siuerunt illos abire cum pullo: statim ad mentionem Domini dimissa iumenta sunt, cùm nec Dominus adesset, nec discipuli quidquam auctoritatis præ se ferrent. Non nouerant quidem, sed tamen senserunt Dominum omnium hoc iubere.

καὶ ἤγαγον τὸν πῶλον πρὸς τὸν ἰησοῦν, καὶ ἐπέβαλον αὐτῷ τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐκάθισεν ἐπ᾽ αὐτῷ. 7 Et duxerunt pullum ad Iesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Matth.21. v.7. Luc.19. v.35.

ET DVXERVNT. duxerunt igitur. IMPONVNT. ἐπέβαλον iniecerunt. ILLI pullo adducto. SEDIT Iesus. Reliqua lege Matth.21. v.7.

πολλοὶ δὲ τὰ ἱμάτια αὐτῶν ἔστρωσαν εἰς τὴν ὁδόν· ἄλλοι δὲ στοιβάδας ἔκοπτον ἐκ τῶν δένδρων, καὶ ἐστρώννυον εἰς τὴν ὁδόν. 8 Multi autē vestimenta sua strauerunt in via: alij autem frondes cædebant de arboribus, & sternebāt in via. Matth.21. v.8. Luc.19. v.36. Iohan.12. v.13.

FRONDES. στοιβάδας. Est στοιβὰς ramorum congeries. quod notat Euthymius. IN VIA. εἰς τὴν ὁδὸν in viam. Reliqua lege Matth. 21. v. 8.

καὶ οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες ἔκραζον, λέγοντες· ὡσαννά. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου. 9 Et qui præibant & qui sequebātur clamabant, dicentes: Hosanna. Benedictus qui venit in nomine Domini. Matth.21. v.9. Luc.19. v.37.38. Iohan.12. v.13.

HOSANNA s. Iesu filio Dauid. Reliqua quære Matth.21. v.9.

εὐλογημένη ἡ ἐρχομένη βασιλεία ἐν ὀνόματι κυρίου τοῦ πατρὸς ἡμῶν δαβίδ· ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. 10 Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid: Hosanna in excelsis. Matth.21. v.9.

BENEDICTVM sit à Deo, Dei benedictione felix, faustum, auctum maximè cumulatumque, firmum ac stabile sit. QVOD VENIT. quod redit, quod promissum locupletius & diu exspectatum iam adest in foribus, auctore & restauratore Iesu. REGNVM PATRIS NOSTRI DAVID, id est, regnum Israël, integritati, libertati, decori, ac perfectioni suæ restitutum, quale fuit immo amplius quàm fuit sub patre nostro Dauid. Regnum Israel regnante & satagēte Dauide in flore fuit, quale moriens reliquit Salomoni filio: nulla enim defuit tribus, nullo pressum est hoste, adeoque amplissimum, pacatissimum, & felicissimum fuit. 3. Reg.4. v.20.21.24.25. Illud æternum fore promiserat Dauidi Deus. 2.Reg.7.v.16. Psal.88.v.4.5. Atqui, Salomone peccante, labefactari cœpit, mox eo mortuo scissum est, tandemque miris modis fractum. Prophetæ potiò interpretati sunt, illud per Christum suæ integritati semel restituendum, æternum fore. Isa.9. v.7. Amos 9. v.11.12. Turbæ igitur sacras literas doctæ, restaurationem restitutionemque illam iam fieri aut futuram proximè per Iesum, tamquam verum illum Messiam Dauidis filium & heredem promissum, arbitratæ, lætantur, gratulantur, & successum felicem precantur. Qua in re minimè falsæ sunt: nam & Angelus Luc.1. v.32. 33. promiserat: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius* &c. & Iesus ipse *prædicabat appropinquasse regnum cælorum*, de quo lege Matth.3. v.2.21. v. 5.) nisi quòd verisimile sit sperasse mundanum & terrenum regnum à Iesu excitandum, quale fuerat illud Dauidis. Quòd verò Dauid appellant patrem suum, non id faciunt quomodo alibi Abraham vocant patrem suum, tamquam ex eo oriundi: sed quòd Dauid, regem ipsorum omnium, vniuersi inquam Israëlis, egisset paterno affectu, s. s. e. *Et pauit eos in innocentia cordis sui* &c. Psalm.77. v.72. Huic imprecationi similes fuerunt illæ seruorum Salomonis 3.Reg.1. v.47. De eo quòd græcè additur ἐν ὀνόματι κυρίου lege Notas: de *Hosanna in excelsis* autem vide Matth.21.v.9.

καὶ εἰσῆλθεν εἰς ἱεροσόλυμα ὁ ἰησοῦς, καὶ εἰς τὸ ἱερόν· καὶ περιβλεψάμενος πάντα, ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας, ἐξῆλθεν εἰς βηθανίαν μετὰ τῶν δώδεκα. 11 Et introiuit Ierosolymam in templum: & circumspectis omnibus, cùm iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. Matth.21. v.10.12. 17.

IN TEMPLVM. rectà petens templum. Græcè & syriacè præponitur *Iesus.* ET in templo. CIRCVMSPECTIS. perlustratis, tamquam à Domino ædis, OMNIBVS, si quid gereretur loco indignum, aut quid adesset quod ipsius correctione opus haberet. Nam quum antè frequenter solitus esset templum inuisere, structuræ ornatúsue templi spectaculo commotus non fuit: sed vt si quid vitiosum esset corrigeret, eò tendebat intuitus iste tam diligens. Hunc itaque sequuta est eiectio negotiantium è templo, quam hic Euangelista

lista non suo loco infrà v. 15. narrat: sequuta est & sanatio claudorum ac cæcorum, quam solus Matthæus describit 21. v. 14: denique & verbi Dei ad vesperam vsque prædicatio. HORA græco more pro tempore, cùm hora siue tempus iam vespera esset, id est, cùm iam esset tempus vespertinum. Considera qui Saluator toto die docuerit & laborauerit ieiunus in vesperam vsque. CVM DVODECIM. Neminem familiarium suorum reliquit in vrbe, ne, ad ciuium animos mouendos aut aliquid ambitiosè agendum, relictus videretur: nec ciuibus onerosus esse voluit, quippe qui non terrena sibi, sed cælestia populo suo quæreret. Reliqua lege Matth. 21. v. 10. 12. 17.

Matth. 21. v. 18.

12 Et alia die, cùm exiret à Bethania, esuriit. — καὶ τῇ ἐπαύριον ἐξελθόντων αὐτῶν ἀπὸ βηθανίας, ἐπείνασε.

ALIA DIE. τῇ ἐπαύριον in crastino ad verbum, phrasi hebraica, pro altera vel postera die. CVM EXIRET. ita est & syriacè. Sed græcè pluralis est numerus, ἐξελθόντων αὐτῶν cum exirent. Reliqua lege Matth. 21. v. 18.

Matth. 21. v. 19.

13 Cumque vidisset à longè ficum habentem folia, vênit si quid fortè inueniret in ea: & cùm venisset ad eam, nihil inuênit præter folia. non enim erat tempus ficorum. — καὶ ἰδὼν συκῆν μακρόθεν, ἔχουσαν φύλλα, ἦλθεν εἰ ἄρα εὑρήσει τι ἐν αὐτῇ· καὶ ἐλθὼν ἐπ᾽ αὐτὴν, οὐδὲν εὗρεν εἰ μὴ φύλλα. οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων.

A LONGE in via sitam. HABENTEM FOLIA. luxuriē viroreque foliorum vel ante tempus præcocem fructum promittentem. VENIT s. visurus. SI QVID fructus. FORTE ἄρα coniunctionem expletiuam vertit Interpres in *forte*, suo more: quæ intelligi possit superfluere quod ad sententiam. INVENIRET IN EA. id est, habuit se eo modo ac si venisset visum an nihil fortè in ea fructus esset quo famem suam posset sedare: cæteroqui nouerat ipse certò, nihil fructus illic inueniendum. Atqui aduentus ipsius in carnem, omnino eum habuit finem, vt fructum fidei iustitiæque ex Iudæis perciperet. FICORVM, pro ficuum, tempus quo huiusmodi arbores ficus ferant. erat enim Martius mensis, ineptus maturandis ficubus. Addit hoc Euangelista, tum vt intelligas, Iesum non elusum vana spe de arbore concepta (qui vel ex tempore nosse poterat quid esset rei) tum vt scias, sententiam maledictionis in versiculo sequenti, non arboris causa latam esse, sed significationis. Nam vt arbor illa ficus ferret, tempus opportunum nondum aduenerat: sed vt Iudæi, variis hactenus modis & curationibus, etiam ab ipso demum Christo, culti, fidei veræque pietatis fructus ederent, iam diu tempus exigebat: adeoque iam quartus agebatur annus, & is misericorditer impetratus, quo Iesus, colonus huius mysticæ ficus à Patre constitutus, fodiebat circa illam & stercorabat, id est, extremam adhibebat curam diligentiamque, quò ad Deum ac Christum attraheret, nec quidquam proficiebat. Luc. 13. v. 8. Reliqua lege Matth. 21. v. 19.

Matth. 21. v. 19.

14 Et respondens dixit ei: Iam non ampliùs in æternū ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius. — καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῇ· μηκέτι ἐκ σοῦ εἰς τὸν αἰῶνα μηδεὶς καρπὸν φάγοι. καὶ ἤκουον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

ET. id est, igitur. RESPONDENS, id est, hac occasione loquutus. de hoc hebraismo vide Matth. 11. v. 25. Additur græcè *Iesus*, sed vt non latinè, ita nec syriacè, vbi & omittitur τὸ *respondens*. MANDVCET. Plus intelligitur quàm dicatur videlicet, nullus posthac ex te fructus nascatur, quo modo Matthæus explicat, quamquam nec hoc satis sit. AVDIEBANT, Iesu ita loquente vt audire & intelligere possent: volebat enim eos conscios esse miraculi mox consequuturi. Hoc igitur addit Euangelista, vt doceat qua occasione acciderint ea quæ narrat posteà v. 20. 21. Reliqua Matth. 21. v. 19.

Matth. 21. v. 12. Luc. 19. v. 45. Iohan. 2. v. 14. 15.

15 Et veniunt Ierosolymā. Et cùm introisset in templū, cœpit eiicere vendentes & ementes in tēplo, & mensas nummulariorū & cathedras vendentiū columbas euertit: — καὶ ἔρχονται εἰς ἱεροσόλυμα. καὶ εἰσελθὼν ὁ ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν καὶ τὰς καθέδρας τῶν πωλούντων τὰς περιστερὰς κατέστρεψε,

ET VENIVNT. Inter hæc igitur veniunt. CVM INTROISSET. εἰσελθὼν ingressus. Græcus & Syrus addunt *Iesus*. *Cùm introisset* s. pridie, sicut hodie. Intelligere oportet etiam hoc die Iesum ingressum in templum, non tamen eiecisse vendentes & ementes: nam ipso die solennis in Ierusalem ingressus, eiectionem negotiatorum è templo, accidisse, ex Matthæo clarum est. Redit igitur hic Euangelista, vsus recapitulatione, ad expositionem eorum quæ pridie acta fuerant, de quibus breuiter scripserat suprà v. 11: *Et circumspectis omnibus*. Reliqua lege enarrata Matth. 21. v. 12.

16 & non sinebat vt quisquam transferret vas per templum. — καὶ οὐκ ἤφιεν ἵνα τις διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ.

NON SINEBAT. non permittebat, reipsa impediebat. VAS. id est, instrumentum seu supellectilem quam-

quamcumque (more hebraico) profanis scilicet vsibus seruientem (nam de sacra supellectili non hîc agitur) cophinos verbi gratia, lagenas, sarcinas, & alia huiusmodi, cuiusmodi plurima illac transferri credibile est, quibus templum cœperat esse pro foro. Tanta docuit religione colendum Dei templum, vt ne transeundum quidem illac sit occupato negotiis terrenis pro compendio itineris, nec quidquam à sacris alienum illic spectandum.

καὶ ἐδίδασκε λέγων αὐτοῖς· οὐ γέγραπται, ὅτι ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν; ὑμεῖς δὲ ἐποιήσατε αὐτὸν σπήλαιον λῃστῶν. 17	Et docebat dicens eis: Nónne scriptum est, Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autẽ fecistis eam speluncam latronum.	Matth.21. v.13. Luc.19. v.46. Iohan.2. v.16.

Eis qui templum his modis profanabant. NONNE. Marcus interrogatiuè, Matthæus & Lucas affirmatiuè hoc dictum recitant: vtrouis modo dictum fuerit, eadem sententia est. QVIA. superfluit ex græca phrasi. OMNIBVS GENTIBVS. vt Israëlitis, ita & gentibus cuiuslibet nationis, quæ adorandi causa huc vndique confluent. Nam & suo modo hoc impletum est in secundo templo, quod gentiles, quin & Reges eorum, non pauci, sacrificiis & orationibus sanctificarunt, quemadmodum legimus 2. Mach. 3. v. 2. & 3. Ioh. 12. v. 20. Act. 8. v. 27: quamquam perfectè impletum illud est in Christi ecclesia ex omnibus gentibus collecta, sed quæ etiam cœperit ex illo templo, vnde personuit euangelij doctrina, qua totus orbis in fidei consensum coaluit. *De Sion enim exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Isa. 2. v. 3. Matthæus duas has prophetiæ voculas omisit, vt non necessarias ad rem propositam. Reliqua quære Matth. 21. v. 13.

καὶ ἤκουσαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ἐζήτουν πῶς αὐτὸν ἀπολέσουσιν· ἐφοβοῦντο γὰρ αὐτόν, ὅτι πᾶς ὁ ὄχλος ἐξεπλήσσετο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. 18	Quo audito principes sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.	Luc.19. v.47.48.

QVO AVDITO. qua audita acerba increpatione, coniuncta cum indigna, quòd ipsis videbatur, eiectione negotiatorum à se admissorum, in se proinde redundante. PRINCIPES SACERDOTVM. qui sibi solis omnem in templum auctoritatem arrogabant, quorumque hac ratione quæstui multum foret detrahendum. ET SCRIBÆ. seu legisperiti, à quibus, licita fuerat iudicata eo loco, in atrio inquam templi extimo, illa negotiatio, quippe pertinens ad sacrificia Domini. Alterius partis auctoritas cum commoditate; alterius gloria ex eruditione comparata, agebatur in discrimen. QVÆREBANT. His rebus quibus oportebat illos ad pœnitentiam adduci, commoti, consultabant inter se. QVOMODO opportunissimè. Non de re inibant consilium (iam diu enim decreuerant è medio tollendum esse) sed de modo & opportunitate, quibus possent optimè exsequi quod statuerant absque rebellione ac tumultu populi. Non defuit voluntas perdendi continuò Christi, sed defuit rei peragendæ commoditas. PERDERENT. è medio tollerent, interficerent. TIMEBANT ENIM. Ratio datur cur de modo tam soliciti inter se disquirerent ij penes quos erat rei conficiendæ auctoritas, nempe, quòd timerent, ne, si quemuis modum tentarent, plebs quæ tenebatur admiratione excellentię doctrinæ Iesu, impediret in ipsum manus inijci, &, potiùs quàm permitteret interfici, in ipsosmet insurgeret. Quęrunt itaque modum, quo, aut plebe inscia, aut certè cum plebis gratia, rem conficiant. EVM. vt tentare quid aduersus eum. TVRBA. populus. Atqui reuera non turba fecit eis Christum formidabilem, sed Dei voluntas ipsiusque Christi, cuius nondum venerat hora. Ita sæpè vano metu detinentur impij, ne bonos, quod cupiunt, lædant. Tam impio igitur facinore concepto, non metuunt Deum vltorem cui nihil occultum, nec Christi sæpiùs expertam virtutem: & vulgus formidant imbelle, varium, & inconstans. ADMIRABATVR. ἐξεπλήσσετο obstupescebat. SVPER DOCTRINA EIVS (vt miracula seponam) nequaquam patente Scribarum reprehensioni. vide Matth. 7. v. 28. 29.

καὶ ὅτε ὀψὲ ἐγένετο, ἐξεπορεύετο ἔξω τῆς πόλεως. 19	Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate.

ET CVM. cùm autem. DE CIVITATE. ἔξω τῆς πόλεως extra ciuitatem. in montem oliuarum, verisimile fit ex Lucæ 21. v. 37. Vt primo die solennis ingressus sui, ita hoc secundo & sequentibus deinde diebus, mane ciuitatem docendi causa ingressus, vesperi reliquit, eis consiliis & causis quas diximus Matth. 21. v. 17.

καὶ πρωῒ παραπορευόμενοι, εἶδον τὴν συκῆν ἐξηραμμένην ἐκ ῥιζῶν. 20	Et cùm mane transirent, viderũt ficum aridam factam à radicibus.	Matth.21. v.19.20.

MANE postero. TRANSIRENT seu præterirent, eadem via quam iam continuis aliquot diebus frequentarant. Quidam ex παραπορευόμενοι vertit *adambularent*, id est, iuxta ipsam ficum iter facerent. Syrus *transirent* vt noster. VIDERVNT. obseruarunt, discipuli. Non statim viderunt atque Iesus fuerat imprecatus, prosequuti sunt enim iter suum: nec vesperi viderunt, cùm illac redirent, quòd tenebræ non sinerent discernere arborem aridam à viridi: sed mane reuersi eadem via, tum demum viderunt ficum aruisse. A RADICIBVS. id est, radicitùs. Vbi enim tempore verno folia defluxere, & rami nudi, aridi, fragilesque propendent, manifestum indicium est arboris radicitùs mortuæ. Reliqua Matth. 21. v. 20.

Matth.21. v.20.

Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. [21] καὶ ἀναμνησθεὶς ὁ πέτρος λέγει αὐτῷ· ῥαββί, ἴδε ἡ συκῆ, ἣν κατηράσω, ἐξήρανται.

ET pro tunc. RECORDATVS sermonis quem audierat à Iesu suprà v.14. PETRVS. Ille peculiariter Iesum alloquutus est: cæteri discipuli similia inter se Iesu audiente dixerunt, quod Matthæus refert: quare & sequitur versu proximo, Iesum respondisse, non *illi* Petro, sed *illis* discipulis. ECCE. rem admirandam. MALEDIXISTI κατηράσω imprecatus es. Maledicere Dei malefacere est, vt benedicere benefacere. ARVIT tam breui temporis spacio. Miratur quî ita subitò emortua sit, agnoscit tamen maledictione Iesu id effectum. Reliqua Matth.21.v.20.

Matth.21. v.21.

Et respondens Iesus ait illis: Habete fidem Dei. [22] καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς· ἔχετε πίστιν θεοῦ.

ILLIS. discipulis rem admirantibus. HABETE. curate habere seu obtinere, conatu & precibus. FIDEM DEI. fidem in Deum perfectam, similem grano sinapis. Reliqua Matth.21.v.21.

Matth.17. v.20. 21.v.21. Luc.17. v.6.

Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. [23] ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ, ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ μὴ διακριθῇ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ πιστεύσῃ ὅτι ἃ λέγει γίνεται, ἔσται αὐτῷ ὃ ἐὰν εἴπῃ.

AMEN. Additur græcè γὰρ *enim*, quod vt non latinè, ita nec syriacè exstat. Datur ratio quare modis omnibus laborandum sit pro fide acquirenda, quia maxima adeoque omnia potest. QVIA pro quòd. QVICVMQVE. non vos soli. MITTERE. βλήθητι *iactare* vertit secundùm Matthæum. CREDIDERIT. firmissima fiducia ex constantissima fide proficiscente sibi persuaserit. QVIA iterum pro quòd. QVODCVMQVE DIXERIT. ἃ λέγει quæ dicit, id est, fieri iubet aut vult. recta ratione fideque dictante. FIET EI. fiet iuxta verbum seu desiderium eius, id est, auferetur mons è terra in mare, tametsi illud videatur admodum impossibile. Græcè & syriacè repetitur ὃ ἐὰν εἴπῃ quidquid dixerit. Reliqua lege secundùm Matthæum.

Matth.21. v.22.

Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. [24] διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, πάντα ὅσα ἂν προσευχόμενοι αἰτεῖσθε, πιστεύετε ὅτι λαμβάνετε, καὶ ἔσται ὑμῖν.

PROPTEREA. quia tanta est fidei virtus, idcircò moneo vt ad orationem illam adhibeatis: faciet enim ne quid frustrà à Deo petatis. CREDITE QVIA. confidite quòd. si credideritis, si confisi fueritis quòd accipietis, euenient. Non docet Saluator vt indubiè statuas Deū tibi esse propitium aut remissa tibi esse peccata, vt credas te impetrare quidquid à Deo petis, quemadmodum credis Deum esse omnipotentem & bonum (quę est nouitia fides nostri temporis hæreticorum) non enim hic loquitur de fide vt à spe distinguitur, sed vt spem complectitur, adeoque maior hîc ad spem siue fiduciam quàm ad fidem respectus est (vide Matth.9.v.2.) & vtrique quidem est sua certitudo & fidei & spei, sed alia atque alia. Fidei certitudo quę circa solam versatur Dei veritatem, absoluta est: spes verò, vt, qua parte nititur promissis Dei, non confundit, ita qua parte requirit aliquid nostrum, frustrari potest. Quò fit vt nos moneat Apostolus *cum metu & tremore salutem nostram operari* (Philip. 2. v. 12.) nam de salute sua nemo hac in vita absolutè certus est (quod & de se ipse fatetur Apostolus 1.Cor.4.v.4.) nisi quem Dei reuelatio fecerit certiorem. ACCIPIETIS. λαμβάνετε accipitis. præsens pro futuro, huiusmodi tamen cum emphasi, vt loquatur de re futura tamquam de præsenti, vt ad maiorem confidentiam adhortetur. EVENIENT. ἔσται erunt, contingent, dabuntur à Deo, & quidem eo certiùs, quo credideritis seu confisi fueritis perfectiùs (tanti apud Deum ponderis est fides quod scilicet est ex ipsa fide, nisi aliud ad orationem requisitum vobis desit, vt dilectio proximi, de qua versiculo proximo. Reliqua Matth.21.v.22.

Matth.6. v.14.

Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem: vt & Pater vester qui in cælis est dimittat vobis peccata vestra. [25] καὶ ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, ἀφίετε εἴ τι ἔχετε κατά τινος, ἵνα καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἀφῇ ὑμῖν τὰ παραπτώματα ὑμῶν.

ET CVM. Quia orationis mentionem fecerat, eamque à fide plurimum iuuari docuerat, ne putent discipuli sufficere fidem Dei, addit necessariam esse & charitatem proximi. STABITIS. στήκητε steteritis, vos applicueritis. Situs quo plerumque orabatur à fidelibus in templo veteri, erat stare, quod ex pluribus Scripturæ locis manifestum euadit. AD ORANDVM. προσευχόμενοι orantes, orationi intenti. DIMITTITE. omnem iram, vindictæ cupiditatem, rancorem, atque amaritudinem, ex cordibus vestris euellite. Non tam hîc agitur de exteriori dimissione, quæ non nisi rogantibus debetur, quàm de interiori. SI QVID

HABE-

HABETIS instar querelæ. ADVERSVS ALIQVEM. si quis vos læsit aut offendit. Rectè oraturo Deum, nihil malæ mentis, nihil odij aduersus aliquem conseruãdum est, sed omnibus oportet vt dimittat offensas, condonet, benè velit, etiam infestissimis sibi. Nihil enim æquè à nobis requirit Deus ac mutuam dilectionem, id est, vt ipsius erga nos bonitatis imago inter nos mutuò eluceat. Huic nihil æquè obsistunt atque offensæ, quibus animi alienantur & à bonitate reuocantur. Ideò vbicumque nos orare docet, docet offensarum in nos admissarum remissionem necessariam esse vt cum fructu oremus, vt qui nolit exaudire nisi similes sui redditos, redintegrata ea quæ læsa fuerat bonitate seu dilectione. PECCATA VESTRA sine quibus non viuitis, si non grauibus, certè quotidianis: quorum ante alia omnia remissio impetranda vobis est, si preces vestras Deo gratas esse velitis. Reliqua lege Matth. 6. v. 12. 14.

εἰ δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀφίετε, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν [26] ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν.

Quòd si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. *Matth. 6. v. 15.*

QVÒD SI. εἰ δὲ si autem, nam δὲ, vt sæpe, pro γὰρ accipiatur. NON DIMISERITIS. si non omnem vindictæ cupiditatem, omnemque amaritudinem animis excluseritis, etiam erga eos qui veniam non petunt offensarum suarum, adeoque perseuerant malefacere. PECCATA VESTRA. nec gratæ proinde erunt ei preces vestræ, nec facilè obtinebitis id quod ipsum rogatis. Obserua, si, is qui læsus ab alio non indulget, in cassum orat; quomodo is qui alios non cessat lædere, exorabit? Reliqua Matth. 6. v. 12. 15.

Καὶ ἔρχονται πάλιν εἰς Ἱεροσόλυμα. Καὶ [27] ἐν τῷ ἱερῷ περιπατοῦντος αὐτοῦ, ἔρχονται πρὸς αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι,

Et veniunt rursus Ierosolymam. Et cùm ambularet in templo, accesserunt ad eum summi sacerdotes, & Scribæ, & seniores, *Matth. 21. v. 23. Luc. 20. v. 1.*

ET VENIVNT. Inter hæc veniunt. RVRSVS vt duobus diebus superioribus. CVM AMBVLARET, non otiosus, sed docens. nam eum docuisse cæteri Euangelistæ testantur. Quia templum, vnicum cùm esset inter Iudæos, amplum erat supra modum, & quæ eò vndique conueniebat multitudo immensa (præsertim verò sub festum Paschæ, vt nunc, ita vt vnius Doctoris vno loco hærentis vox nequaquam posset sufficere omnibus; Videtur Doctoribus huiusmodi suggestus paratus fuisse, in quo esset ipsis libertas ambulandi inter docendum, quò ab omnibus possent intelligi. Vel certè, quia non erat vt apud nos signum, quo in concionem populus conuocaretur, horis præsertim & diebus non statutis, qualis erat iste tertius ante diem passionis Christi, Mos fuit, vt qui huiusmodi horis aut diebus docere populum vellet, docens inter populum ambularet, multis hac illac dispersis satisfaciens, donec illi sermone docentis excitati, in vnum omnes confluerent, & vno loco docentem retinerent vel in suggestum cogerent. Ambulandi inter docendum mos fuit philosophorum Peripateticorum. ACCESSERVNT. Interea dum perdere, quod quærebant (suprà v. 18.) nondum esset integrum, aggrediuntur illum subdolis quæstionibus, & inprimis exigunt ab ipso facultatis seu auctoritatis suæ rationem. Reliqua lege Matth. 21. v. 23.

καὶ λέγουσιν αὐτῷ· ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ [28] ταῦτα ποιεῖς; καὶ τίς σοι τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἔδωκεν ἵνα ταῦτα ποιῇς;

& dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem vt ista facias? *Matth. 21. v. 23. Luc. 20. v. 2.*

Lege hunc versiculum enarratum secundùm Matthæum.

ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· [29] ἐπερωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ ἕνα λόγον, καὶ ἀποκρίθητέ μοι, καὶ ἐρῶ ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ.

Iesus autem respondens ait illis: Interrogabo vos & ego vnum verbum, & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam. *Matth. 21. v. 24. Luc. 20. v. 3.*

VERBVM. λόγον *sermonem* vertit secundùm Matthæum. ET RESPONDETE MIHI, ET DICAM VOBIS. ad quod si responderitis mihi sincerè, dicam vicissim & ego vobis clarè. Reliqua pete ex Matthæo.

τὸ βάπτισμα Ἰωάννου, ἐξ οὐρανοῦ ἦν, [30] ἢ ἐξ ἀνθρώπων; ἀποκρίθητέ μοι.

Baptismus Iohannis, de cælo erat, an ex hominibus? respondete mihi. *Matth. 21. v. 25. Luc. 20. v. 4.*

DE CÆLO. ἐξ οὐρανοῦ ex cælo. RESPONDETE MIHI. nec enim ignorare illud potestis, quod non dubium est discussistis. vos populi duces, quando populus nuper Iohannis baptismum diu constanterque frequentauit. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

καὶ ἐλογίζοντο πρὸς ἑαυτούς, λέγοντες· [31]

At illi cogitabant secum, dicentes: *Matth. 21. v. 25. 26. Luc. 20. v. 5.*

Si dixerimus, De cælo; dicet, Quare ergo non credidistis ei?

ἐὰν εἴπωμεν, ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ, διατί οὖν οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ;

COGITABANT SECVM. ἐλογίζοντο πρὸς ἑαυτοὺς disceptabant seu ratiocinabantur inter se. Reliqua secundùm Matthæum.

Matth.21. v.26. Luc.20. v.6.

32 Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum. omnes enim habebant Iohannem, quia verè propheta esset.

ἀλλ᾽ εἴπωμεν, ἐξ ἀνθρώπων· ἐφοβοῦντο τὸν λαόν. ἅπαντες γὰρ εἶχον τὸν ἰωάννην, ὅτι ὄντως προφήτης ἦν.

SI DIXERIMVS. ἀλλ᾽ εἴπωμεν sed dicamus s. quod nobis sit maximè opportunum. TIMEMVS. ἐφοβοῦντο *timebant*, quo modo legitur in aliis latinis exemplaribus. Subita personæ mutatio, Hebræis non infrequens, qua videri possit Marcus id voluisse intelligendum dare, quòd libenter isti respondissent, Iohannis baptismum fuisse ex hominibus, adeoque quòd ad hoc respondendum se mutuò fuissent adhortati, vt quo possent, quàm maximè eleuare auctoritatem Iesu, sed quòd retracti fuerint solo timore populi, quamuis id vix sibi mutuò ausi fuerint declarare, ne fortè euulgaretur. HABEBANT IOHANNEM. sentiebant de Iohanne. QVIA. quòd. ESSET. ἦν erat, seu fuisset. nam de nuper interfecto sermo est. Cætera quære secundùm Matthæum.

Matth.21. v.27. Luc.20. v.7.8.

33 Et respondentes dicunt Iesu: Nescimus. Et respondens Iesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

καὶ ἀποκριθέντες λέγουσι τῷ ἰησοῦ· οὐκ οἴδαμεν. καὶ ὁ ἰησοῦς ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ.

Lege huius versiculi enarrationem in Matthæi.

CAPVT DVODECIMVM.

Matth.21. v.33. Luc.20. v.9.

1 Et cœpit illis in parabolis loqui: Vineam pastinauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Καὶ ἤρξατο αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λέγειν· ἀμπελῶνα ἐφύτευσεν ἄνθρωπος, καὶ περιέθηκε φραγμόν, καὶ ὤρυξεν ὑπολήνιον, καὶ ᾠκοδόμησε πύργον, καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπεδήμησε.

IN PARABOLIS. quæ veri cognoscendi studiosos & candidos instruerent, dolosos autem & captiosos eluderent. Vnam solam, sed eam grauissimam, parabolam hîc narrat Marcus, plures Matthæus: quanquam τὸ *in parabolis* accipi possit pro *parabolicè*, quomodo etiam legitur in manuscripto quodam Leodiensi. LOQVI. λέγειν dicere. PASTINAVIT. ἐφύτευσε *plantauit*, quomodo vertit secundùm Matthæum. *Pastinare* est agrum fodere: dicuntur autem vites repastinari, quando sterilescentes refodiuntur. CIRCVMDEDIT. περιέθηκε circumposuit. LACVM ὑπολήνιον quasi dicas subtorculare (nam ληνὸν vertit *torcular* Matth. 21. v.33.) eò quòd in illud deflueret mustum prælo expressum. Latini vocant *lacum*. Intelligitur autem *torcular*, à parte totum. Reliqua lege Matth.21.v.33.

Matth.21. v.34. Luc.20. v.10.

2 Et misit ad agricolas in tempore seruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

καὶ ἀπέστειλε πρὸς τοὺς γεωργοὺς τῷ καιρῷ δοῦλον, ἵνα παρὰ τῶν γεωργῶν λάβῃ ἀπὸ τοῦ καρποῦ τοῦ ἀμπελῶνος.

IN TEMPORE. opportuno tempore, *tempore fructuum* vt loquitur Matthæus. SERVVM. Non de vno aliquo certo propheta mens Saluatoris est loqui, sed significat, initiò quidem rariores, tandem verò plures simul à Deo fuisse missos prophetas. Reliqua lege secundùm Matthæum.

Matth.21. v.35. Luc.20. v.10.

3 Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum.

οἱ δὲ λαβόντες αὐτὸν ἔδειραν, καὶ ἀπέστειλαν κενόν·

DIMISERVNT. remiserunt. VACVVM fructu sed iniuriis onustum. lege Matthæum.

Matth.21. v.35. Luc.20. v.11.

4 Et iterum misit ad illos alium

καὶ πάλιν ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς ἄλλον δοῦλον·

δοῦλον· κἀκεῖνον λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν, καὶ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον.

seruum: & illum in capite vulnerauerunt, & contumeliis affecerunt.

IN CAPITE VVLNERAVERVNT. λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν lapidatum seu lapidibus petitum capite vulnerarunt. Syrus lapidarunt & vulnerarunt. ET CONTVMELIIS AFFECERVNT. καὶ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον & remiserunt ignominia affectum. quomodo legit & Syrus. Latinus Interpres non ampliùs legit quàm καὶ ἠτίμωσαν.

5 καὶ πάλιν ἄλλον ἀπέστειλε, κἀκεῖνον ἀπέκτειναν· καὶ πολλοὺς ἄλλους, τοὺς μὲν δέροντες, τοὺς δὲ ἀποκτείνοντες.

Et rursum alium misit, & illum occiderunt; & plures alios, quosdam cædentes, alios verò occidentes.

Matth.21. v.36.

OCCIDERVNT. Cùm benignitate Domini creuit villicorum malitia. ET PLVRES ALIOS s. misit. QVOSDAM CÆDENTES. quorum quosdam illi ceciderunt, alios verò occiderunt. Lege Matthæum.

6 ἔτι οὖν ἕνα υἱὸν ἔχων ἀγαπητὸν αὐτοῦ, ἀπέστειλε καὶ αὐτὸν πρὸς αὐτοὺς ἔσχατον, λέγων· ὅτι ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου.

Adhuc ergo vnum habens filium charissimum, & illum misit ad eos nouissimum, dicens: Quia reuerebuntur filium meum.

Matth.21. v.37. Luc.20. v.13.

ADHVC ERGO VNVM. Non quòd defuerint Deo Patri plures prophetę sed quòd omnes illos misisset quos ab æterno statuerat mittere, nec spes esset per alios similes, etiamsi mitterentur, quidquam proficiendi. CHARISSIMVM. ἀγαπητὸν αὐτοῦ dilectum suum. QVIA. superest. Reliqua quære Matth.21.v.37.

7 ἐκεῖνοι δὲ οἱ γεωργοὶ εἶπον πρὸς αὐτούς· ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, δεῦτε ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, καὶ ἡμῶν ἔσται ἡ κληρονομία.

Coloni autem dixerunt ad inuicem: Hic est heres, venite, occidamus eũ, & nostra erit hereditas.

Matth.21. v.38. Luc.20. v.14.

COLONI AVTEM. ἐκεῖνοι δὲ οἱ γεωργοὶ illi autem agricolæ. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

8 καὶ λαβόντες αὐτὸν ἀπέκτειναν καὶ ἐξέβαλον ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος.

Et apprehendentes eum occiderunt, & eiecerunt extra vineam.

Matth.21. v.39. Luc.20. v.15.

ET EIECERVNT. Hysteron proteron. postponitur quod præponendum erat. Reliqua Matth.21.v.39.

9 τί οὖν ποιήσει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος; ἐλεύσεται καὶ ἀπολέσει τοὺς γεωργοὺς, καὶ δώσει τὸν ἀμπελῶνα ἄλλοις.

Quid ergo faciet Dominus vineæ? veniet & perdet colonos, & dabit vineam aliis.

Matth.21. v.40.41. Luc.20. v.15 16.

VINEÆ. τοῦ ἀμπελῶνος huius vineæ. VENIET ipsemet adductis exercitibus suis. Sententia est in agricolas lata. Secundùm Matthæum ferunt hanc sententiam alij; secundùm Marcum ipse Iesus. Postquam enim respondissent auditorum quidam, id quod rerum consequentia respondere cogebat: Iesus, quo ratius faceret responsum, & facinoris indignitatem, quam illi exemplo illo contineri intelligebant, grauiorem in principibus esse, collatis exempli & rei significatæ partibus ac circumstantiis, intelligendum daret, repetiit illud. COLONOS. τοὺς γεωργοὺς hos agricolas. DABIT. id est, locabit, quod ait Matthæus, ex quo petenda sunt reliqua.

10 οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε· λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας.

Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobauerunt ædificãtes, hic factus est in caput anguli.

Psal.117. v.22. Matth.21. v.42. Luc.20. v.17.

NEC SCRIPTVRAM HANC loquentem in eandem sententiam, quòd scilicet coloni occisuri sint filium, heredem vineæ. Reliqua lege Matth.21.v.42.

11 παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν;

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?

Psal. 117. v.23. Matth.21. v.42.

Expositionem pete ex Matthæo.

12 καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· ἔγνωσαν γὰρ ὅτι

Et quęrebant eũ tenere, & timuerunt turbam: cognouerunt enim quoniam

Matth.21. v.45.46. Luc.20. v.19.

ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπε. καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον.

ET TIMVERVNT. sed timuerunt. COGNOVERVNT. intellexerunt. ENIM. Non pertinet hæc ratio ad id quod proximum est *timuerunt*, sed ad id quod præcedit: quemadmodum postremum *relicto eo abierunt* pertinet ad remotius *timuerunt*. Vt itaque confusio ista explicetur, hunc in modum ordinare licebit versiculi istius verba: Quærebant eum tenere, cognouerunt enim quòd aduersus ipsos parabolam hanc dixerit: sed timuerunt turbam. itaque relicto eo abierunt. AD EOS. πρὸς αὐτοὺς aduersus ipsos. ET pro itaque.

RELICTO EO breui pòst. nam & aliam præterea parabolam ingessit illis antequam abirent (Matth. 22. v. 15.) quam refert Matthæus initio capitis 22. Reliqua lege Matth. 21. v. 45. 46.

Matth. 22. v. 15. 16. Luc. 20. v. 20.

Et mittunt ad eum quosdam ex [13] Pharisæis & Herodianis, vt eum caperent in verbo.

καὶ ἀποστέλλουσι πρὸς αὐτόν τινας τῶν φαρισαίων καὶ τῶν ἡρωδιανῶν, ἵνα αὐτὸν ἀγρεύσωσι λόγῳ.

ET, id est, *tunc* Interprete Matthæo, paulò postquam abiissent. MITTVNT. s. ex præcedentibus, summi sacerdotes, scribæ, & seniores, qui suprà 11. v. 27. narrati fuerunt ad Iesum in templum accessisse. QVOSDAM. quos putabant Iesu ignotos. EX PHARISÆIS. τῶν φαρισαίων Pharisæorum, *discipulos Pharisæorum* quod ait Matthæus. Syrus habet *quosdam è scribis*. CAPERENT. ἀγρεύσωσι venarentur, venatu assequerentur. IN VERBO. λόγῳ *sermone* vertit secundùm Matthæum. Latine & syriacè exprimitur *in* præpositio quæ græcè subauditur. Reliqua lege Matth. 22. v. 15. 16.

Matth. 22. v. 16. 17. Luc. 20. v. 21. 22.

Qui venientes dicunt ei: Magister, [14] scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?

οἱ δὲ ἐλθόντες λέγουσιν αὐτῷ· διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ διδάσκεις. ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ; δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν;

QVI VENIENTES. οἱ δὲ ἐλθόντες Illi autem cùm venissent. IN FACIEM. Idem significatur siue dicas *in personam* siue *in faciem* hominum respicere: significatur enim consideratio qualitatis externæ, eius quod est extra causam & rem, in iudicando vel docendo. DARI. δοῦναι *dare*, vt est etiam in quibusdam latinis libris. TRIBVTVM. κῆνσον censum. AN NON DABIMVS? an consulis nobis vt non demus? Græcè & syriacè est, *Licet censum Cæsari dare, an non? demus, an non demus?* Ponitur autem δῶμεν *demus* modo potentiali, pro debemus dare an non debemus dare? q.d. Non de iure tantummodo te rogamus an liceat, sed consulimus etiam an suadeas dandum annon dandum? Itaque non solùm sententiæ, sed consilij etiam auctorem ipsum esse volebant, vt in grauius crimen detruderent: vrgebantque hac iteratione responsum, tamquam omnino sequuturi id quod determinasset Iesus & consuluisset. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

Matth. 22. v. 18. 19. Luc. 20. v. 23. 24.

Qui sciens versutiam illorum, ait il- [15] lis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium vt videam.

ὁ δὲ εἰδὼς αὐτῶν τὴν ὑπόκρισιν, εἶπεν αὐτοῖς· τί με πειράζετε; φέρετέ μοι δηνάριον ἵνα ἴδω.

VERSVTIAM. τὴν ὑπόκρισιν hypocrisin; Syrus *fraudem*. AFFERTE VT VIDEAM, id est, ostendite. DENARIVM. numisma census quod est denarius. Petiit sibi ostendi *numisma census*, Matthæo teste, non declarando quod genus numi illud esset: sed quia *denarius* fuit numisma census, quod nec Iesum ipsum latuit, quamquam dissimularit, hinc Marcus dicit quòd ostendi sibi petierit denarium. Reliqua petenda sunt ex Matth. 22. v. 18. 19.

Matth. 22. v. 19. 20. 21 Luc. 20. v. 24.

At illi attulerunt ei. Et ait illis: [16] Cuius est imago hæc & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris.

οἱ δὲ ἤνεγκαν. καὶ λέγει αὐτοῖς· τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ· καίσαρος.

INSCRIPTIO. ἐπιγραφὴ *superscriptio* transfert secundùm Matthæum, vbi reliqua dicta sunt.

Matth. 22. v. 21. 21. Luc. 20. v. 25. 26.

Respondens autem Iesus dixit illis: [17] Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et mirabantur super eo.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· ἀπόδοτε τὰ καίσαρος καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. καὶ ἐθαύμαζον ἐπ' αὐτῷ.

REDDITE. Dicens *reddite*, vtrique quæstioni respondet, scilicet & licere & debere dari. IGITVR hîc

non legitur græcè aut syriacè. MIRABANTVR. ἐθαύμασαν mirati sunt. SVPER EO s. Iesu, aut responso Iesu. Reliqua quære secundùm Matthæum.

καὶ ἔρχονται Σαδδουκαῖοι πρὸς αὐτὸν, οἵτινες λέγουσιν ἀνάστασιν μὴ εἶναι, καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν λέγοντες·

18 Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, & interrogabant eum dicentes:

Matth. 22. v. 23. Luc. 20. v. 27.

ET VENERVNT. καὶ ἔρχονται & veniunt s. eodem illo tempore. vel, tunc veniunt. INTERROGABANT. ἐπηρώτησαν interrogauerunt. Reliqua lege Matth. 22. v. 23.

διδάσκαλε, Μωσῆς ἔγραψεν ἡμῖν, ὅτι ἐάν τινος ἀδελφὸς ἀποθάνῃ, καὶ καταλίπῃ γυναῖκα, καὶ τέκνα μὴ ἀφῇ, ἵνα λάβῃ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἐξαναστήσῃ σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ.

19 Magister, Moses nobis scripsit, vt, si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit vxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater eius vxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo.

Deut. 25. v. 5. Matth. 22. v. 24. Luc. 20. v. 28.

DIMISERIT. reliquerit VXOREM superstitem. FILIOS. τέκνα propriè est liberos, sed rectè Interpres cum Syro *Filios*, nisi quòd non numeri sed speciei habenda est ratio, sufficiebat enim vnicum filium reliquisse. RESVSCITET. ἐξαναστήσῃ exsuscitet. Reliqua pete ex Matthæo.

ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν, καὶ ὁ πρῶτος ἔλαβε γυναῖκα, καὶ ἀποθνήσκων οὐκ ἀφῆκε σπέρμα.

20 Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus est non relicto semine.

Matth. 22. v. 25. Luc. 20. v. 29.

ERGO addidit Interpres, vt narrationis exordium declararetur. ET MORTVVS EST NON RELICTO SEMINE. καὶ ἀποθνήσκων οὐκ ἀφῆκε σπέρμα & moriens non reliquit semen. filium scilicet. Reliqua secundù Matth.

καὶ ὁ δεύτερος ἔλαβεν αὐτὴν, καὶ ἀπέθανε, καὶ οὐδὲ αὐτὸς ἀφῆκε σπέρμα· καὶ ὁ τρίτος ὡσαύτως.

21 Et secundus accepit eam, & mortuus est, & nec iste reliquit semen: & tertius similiter.

Matth. 22. v. 26. Luc. 20. v. 30. 31.

EAM in vxorem. ISTE. ipse.

καὶ ἔλαβον αὐτὴν οἱ ἑπτὰ, καὶ οὐκ ἀφῆκαν σπέρμα. ἐσχάτη πάντων ἀπέθανε καὶ ἡ γυνή.

22 Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Nouissima omnium defuncta est & mulier.

Matth. 22. v. 26. 27. Luc. 20. v. 31. 32.

SIMILITER. æqualiter. hoc addit Interpres claritatis gratia, quod nec græcè nec syriacè additur. SEPTEM. οἱ ἑπτὰ illi septem. NOVISSIMA. ἐσχάτη vltima.

ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι, τίνος αὐτῶν ἔσται γυνή; οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα.

23 In resurrectione ergo, cùm resurrexerint, cuius de his erit vxor? septem enim habuerunt eam vxorem.

Matth. 22. v. 28. Luc. 20. v. 33.

CVM RESVRREXERINT septem illi viri fratres & mulier ista. DE HIS. αὐτῶν horum, ex his septem viris ERIT ista vna mulier VXOR? SEPTEM. οἱ ἑπτὰ ipsi septem, omnes septem. Reliqua petenda sunt ex Matth. 22. v. 28.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ;

24 Et respondens Iesus ait illis: Nónne ideo erratis, non scientes scripturas neque virtutem Dei?

Matth. 22. v. 29.

NÓNNE IDEO. Interrogatio vim habens vehementissimæ affirmationis, ex idiomate sermonis hebraici. NON SCIENTES. eò quòd non sciatis, eò quòd non intelligatis aut cognoscatis. Reliqua lege Matth. 22. v. 29.

ὅταν γὰρ ἐκ νεκρῶν ἀναστῶσιν, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίσκονται, ἀλλ' εἰσὶν ὡς ἄγγελοι οἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

25 Cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælis.

Matth. 22. v. 30. Luc. 20. v. 35. 36.

RESVRREXERINT s. homines. NVBENT. γαμοῦσιν vxores ducunt. NVBENTVR. ἐκγαμίσκονται nuptum dantur. IN CÆLIS. οἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς qui in cælis sunt. Cætera enarrata sunt Matth. 22. v. 30.

Matth.22. v.31.32. Luc.20. v.37.

De mortuis autem quòd resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? 26 περὶ δὲ τῶν νεκρῶν ὅτι ἐγείρονται, οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῇ βίβλῳ μωσέως, ἐπὶ τῆς βάτου ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ θεὸς, λέγων· ἐγὼ ὁ θεὸς ἀβραὰμ, καὶ ὁ θεὸς ἰσαὰκ, καὶ ὁ θεὸς ἰακώβ;

DE MORTVIS AVTEM QVÒD RESVRGANT. id est, Quòd autem mortui resurrecturi sint. ἐγείρονται suscitantur, suscitandi sint. NON LEGISTIS. q.d. ex eo monstratur quod legitur IN LIBRO MOYSI, Exodo videlicet. vide Matth. 23. v.2. vnde deriuetur genitiuus *Moysi*. SVPER RVBVM. vel in rubo (ἐπὶ τῆς βάτου) s. apparens. Est per traiectionem construenda pericope ista, quod fecit Syrus, vertens: *Quomodo e rubo dixerit illi Deus*. Quasi digito notat locum Mosis. SVM. non exprimitur græcè, sed relinquitur subaudiendum vt hebraicè. Reliqua pete ex Matth.22.v.32.

Matth.22. v.32. Luc.20. v.38.

Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Vos ergo multùm erratis. 27 οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ θεὸς ζώντων. ὑμεῖς οὖν πολὺ πλανᾶσθε.

MVLTVM ERRATIS à veritate, quòd nec resurrectionem futuram credatis, nec resurrecturis aliam vitam esse posse, quàm eam quæ est huius mortalis seculi, arbitremini.

Matth.22. v.35.36.

Et accessit vnus de Scribis qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam benè illis responderit, interrogauit eum quod esset primum omnium mandatum. 28 καὶ προσελθὼν εἷς τῶν γραμματέων, ἀκούσας αὐτῶν συζητούντων, εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη, ἐπηρώτησεν αὐτὸν, ποία ἐστὶ πρώτη πασῶν ἐντολή.

ET ACCESSIT. καὶ προσελθὼν & quum accessisset. VNVS. quidam. DE SCRIBIS. τῶν γραμματέων Scribarum, id est, legis doctorum. ILLOS. Iesum & Sadducæos. CONQVIRENTES. συζητούντων simul disputantes. vide sup. 8.v.11. ET VIDENS. εἰδὼς sciens, quum sciuisset, propterea quòd audierat. Syriacè est ܚܙܐ *bazo videns*, vt latinè. quod positum est pro animaduertens seu obseruans. Interpres legit ἰδών. QVONIAM BENE. quòd sapienter, quòd doctè, solidè, & clarè, demonstrans, & scripturas optimè à se intelligi, & rerum cognitione atque iudicio plurimùm se posse. ILLIS Sadducæis Iesus. Hac præcipuè causa motus ad interrogandum fuit hic Scriba, quòd speraret referre doctam solidamque definitionem quæstionis qua angebatur, quemadmodum audierat Sadducæis sapientissimè satisfactum fuisse: quamquam simularet se rem agere collegarum, vt caperet Iesum in sermone. PRIMVM. maximum & præcipuum OMNIVM. inprimis acceptum Deo & præ cæteris requisitum. Reliqua lege Matth.22.v.34.35.36.

Iesus autem respondit ei: Quia primum omniũ mandatũ est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. 29 ὁ δὲ ἰησοῦς ἀπεκρίθη αὐτῷ· ὅτι πρώτη πασῶν τῶν ἐντολῶν, ἄκουε ἰσραὴλ, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστι.

QVIA superfluit. AVDI ISRAEL. Moses inculcaturus præcipuum mandatum quod est de diligendo Deo, adeoque summam totius legis suæ, parat attentionem. Deinde præfatur quis sit Deus, partim vt auctoritatem legi suæ conciliet, partim vt cognoscatur is quem solum super omnia diligendum præcipit. impossibile est enim diligere nisi cognoscas. Qui errant in statuendo Deo, aut putant cum Domino alios multos aut alium aliquem esse Deum, non possunt illi diligere Dominum Deum. DOMINVS. Nomen Dei proprium. vide Matth.1.v.20. Proœmium primi præcepti, quod ait Euthymius. DEVS TVVS, seu potiùs vt est in aliis libris, *noster* (lege Notas, qui nos in populum peculiarem adoptauit, & quem nos vicissim vt solum verum Deum colendum suscepimus. DEVS. In aliis rursus libris, græco ac syro cõsentaneis, est *Dominus*, vt hebraicè repetitur hîc nomen Dei proprium, pro appellatiuo *Deus*. VNVS EST. Dij gentium multi sunt: Deus noster *vnus est*, quia & solus, & simplex, nec plures nec in plura diuisibilis. Solus nec plures, quia non est alius Deus præter eum: simplex, quia primum ens, prima causa, actus purus, & ipsum esse. Non componitur ex corpore & anima aut ex materia & forma, non distinguitur à sua essentia ac ne quidem à suo esse, non est in genere aliquo sed generis omnis principium, non subiacet accidentibus, nullam patitur diuisionem, nec venit denique in compositionem aliorum, sed est ipsum simplicissimum ac maximè vnum ens. Hunc articulum Iudæi secundum faciunt in symbolo fidei quod celebrant tredecim articulis constans: & inter 613. præcepta, quibus legem Mosis constare asserunt, decimum numerant: *Scriptum, Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est, discatur memoriaque teneatur*. Quare & Deut.6. v.4. tertiam & postremam huius sententiæ literas scribunt maiusculas. Vnitas porrò, naturarum pluralitatem excludit, non personarum. *Quando in scriptura siue veteri siue noua* (ait Chrysostomus hom.72. in Matthæum) *dicitur vnum esse Deum, & præter eum alium non esse, non ad distinctionem Filij, sed ad exclusionem dictum est idolorum.*

Matth.22. v.37.38.

Et diliges Dominũ Deum tuum ex 30 καὶ ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης

ὅλης τ̃ καρδίας σε, ϗ ἐξ ὅλης τ̃ ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τ̃ διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σε. αὕτη πρώτη ἐντολή.

toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mēte tua, & ex tota virtute tua. hoc est primum mandatum.

Luc. 10. v. 27. Deut. 6. v. 5.

ET DILIGES. Itaque diliges. DEVM TVVM. Deum vnum. VIRTVTE. ἰσχύος fortitudine (nam *virtus* latinè ambigua vox est) LXX similiter δυνάμεως, hebraicè מאוד *meod* nimietate seu vehementia, id est, pro virili, quantum possibile est tibi hoc quartum explicat tria superiora. Marcus enim quatuor membris vrget contentionem amoris hominis erga Deum, facta *mentis* mentione ex Matthæo, & *virtutis* ex Mose. Reliqua lege Math. 22. v. 37. 38.

ϗ δευτέρα ὁμοία, αὕτη· ἀγαπήσεις τ̀ν πλησίον σε ὡς σεαυτόν· μείζων τούτων ἄλλη ἐντολὴ οὐκ ἔστι. 31

Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquā teipsum. Maius horum aliud mandatū non est.

Matth. 22. v. 39. Luc. 10. v. 27. Leuit. 19. v. 18.

ILLI. Græci libri plerique legunt αὕτη *istud*, videlicet istud. Latinis syriaci suffragantur, à quibus lectus fuisse videtur datiuus αὐτῇ. MAIVS HORVM. phrasis græca pro *maius his* s. duobus. Prius maius est isto: sed vtrumque cæteris omnibus est maius, siue nobilitatem, siue necessitatem, siue amplitudinem consideres. Reliqua pete ex Matthæo.

ϗ εἶπεν αὐτῷ ὁ γραμματεύς· καλῶς διδάσκαλε ἐπ' ἀληθείας εἶπας, ὅτι εἷς ἐστι θεός, ϗ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ. 32

Et ait illi Scriba: Benè Magister, in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.

IN VERITATE DIXISTI. benè & verè respondisti. s. hoc esse primum omnium maximumque mandatum, vt Dominus Deus qui vnus est, diligatur &c. Quamuis animo non perinde sincero quæstionem proposuisset, simulans se gratificari velle collegis inimicis Iesu: tamen audiens responsum solidum ac sapiens, suæ etiam sententiæ in quam propenderet consentaneum, non potuit non erumpere in laudem Iesu etsi id ægerrimè laturos sciret collegas suos præsentes. QVIA pro quòd. DEVS. Syrus relinquit hoc subaudiendum. ALIVS Deus.

καὶ τ̀ ἀγαπᾶν αὐτ̀ν ἐξ ὅλης τ̃ καρδίας, καὶ ἐξ ὅλης τ̃ συνέσεως, καὶ ἐξ ὅλης τ̃ ψυχῆς, καὶ ἐξ ὅλης τ̃ ἰσχύος, καὶ τ̀ ἀγαπᾶν τ̀ν πλησίον ὡς ἑαυτ̀ν, πλεῖόν ἐστι πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν. 33

Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tamquam seipsum, maius est omnibus holocautomatibus & sacrificiis.

ET s. benè in veritate dixisti, quia siue quòd VT DILIGATVR. Clariùs est grecè: Et *quòd* diligere eū ex &c. INTELLECTV. quod mox dictum est διανοίας mente, hìc dicitur συνέσεως intelligentia. MAIVS EST. Deo acceptius est. πλεῖόν ἐστι plus est, pluris fit à Deo. OMNIBVS HOLOCAVTOMATIBVS ET SACRIFICIIS. quàm omnia holocautomata & sacrificia. Holocautomata seu holocausta interpretantur Græci, id sacrificiorum genus, in quo tota victima Deo adolebatur, vt ipsa verbi notatio declarat. Hebræi vocant עולות *holoth* ab ascendendo, quòd integra ascenderent altare & consumerentur, quòd super altare integra concremarentur. θυσίαι autem vocantur ea sacrificia quæ Hebræi dicunt זבחים *zebahim*, in quibus scilicet pars aliqua altari offerebatur, pars sacerdotibus & conuiuio decidebatur. lege Hieronymum in Isa. 56 v. 7. Significatur autem his duobus, omne genus sacrificiorū veteris illius legis: quod & fit pluribus aliis Scripturæ locis, Psal. 50. v. 18. Isa. 56. v. 7. Osee 6. v. 6. Porrò ex his huius Scribæ verbis manifestum fit, aliquos eius temporis Scribas (fortè auaritiæ affectu ductos, quòd sacerdotes essent) pro re Deo maximè omnium grata, sacrificia habuisse, & summam pietatis posuisse in colendo Deo sacrificiis: aduersus istos enim hic præfert dilectionem Dei & proximi omnibus sacrificiorum generibus, subscribens sententiæ Christi. Nam etsi Christus non meminerat sacrificiorum, sic tamen repetit Scriba verba Christi, tamquam si dixisset, charitatem erga Deum & proximum omni sacrificiorum cultui præstare, quia implicitè hoc dixerat; immo clarè colligendum dederat ex his verbis suis: *Maius horum aliud mandatum non est*. Atque hoc docetur etiam multis Scripturæ locis, nominatim illo Hosee 6. v. 6: *Misericordiam volo & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta*. quem Pharisæis Christus non semel obiecit in hanc sententiam (Matth. 9. v. 13. & 12. v. 7.) Cuius ratio est, quia Deus, spiritus cùm sit, spiritu præcipuè colitur (Ioh. 4. v. 24.) spiritum autem sacrificia per se non afficiunt, sed dilectio & charitas. Quare absque sacrificiis multi placuerunt Deo; absque charitate nemo: nam nec sacrificia absque charitate Deo grata fuere.

ϗ ὁ ἰησοῦς ἰδὼν αὐτ̀ν ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη, εἶπεν αὐτῷ· οὐ μακρ̀ν εἶ ἀπὸ 34

Iesus autem videns quòd sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno

Matth. 22. v. 46. Luc. 20. v. 40.

regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.

τ̃ βασιλείας τ̃ θεοῦ. καὶ οὐδεὶς οὐκέτι ἐτόλμα αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

IESVS AVTEM. καὶ ὁ Ἰησοῦς Et Iesus, Tunc Iesus. VIDENS. αὐτὸν eum quod additur græcè superfluit. SAPIENTER. νουνεχῶς cordatè, à νοῦν ἔχειν mentem seu cor habere, quod Græci dicunt pro sapere. RESPONDISSET. responsum ipsius repetitum probasset, reiectis sententiis aduersariorum.
NON ES LONGE A REGNO DEI quod prædico, parùm abest quin regnet in te Deus, quin idoneus sis qui numereris inter ciues regni Dei, siue adscribaris ecclesiæ Christi. Quoties mentio est regni Dei, toties recurrendum est ad illam definitionem, quam dedimus Matth. 3. v. 2. Porrò non aberat hic longè à regno Dei, quia nouerat quid faciendum esset ad obtinendum vitam æternam (nam de his duobus præceptis charitatis respondet Christus: *Hoc fac & viues*. Luc. 10. v. 28. nec abhorrebat animus à faciendo, vt & incipiebat fauere Iesu: sed adhuc deerat ei, credere Iesum esse Christum Domini, adhuc deerat ex fides in Christum. Qui credit in Christum & pollicetur instituere vitam iuxta duo illa præcepta charitatis, agnoscens illa mandata esse omnium maxima, continentia veræ religionis & euangelicæ perfectionis summam, ille aptus est qui adscribatur regno Dei, quod est Ecclesia: ad quod admissus, ea quæ priùs maxima mandata esse intellexerat, opere compleat diuina Spiritus sancti gratia per Christum adiutus, tandemque vitam æternam assequatur. Tacitè itaque Iesus inuitat hunc Scribam ad fidem. Nam dicens haud longè abes, *distantem adhuc illum ostendit*, quò ad vlteriora niteretur, *& quæ ipsi adhuc deerant studiosè inquireret*, ait Victor Antiochenus.
ET NEMO. Hoc quoque Scriba superato, ita vt etiam palmam Iesu proprio ore tribueret publicè, *nemo iam*, id est, ampliùs AVDEBAT EVM INTERROGARE dolosè tentando, ne plus dedecoris referrent teste populo. Reliqua huius versiculi quære Matth. 22. v. 46.

Matth. 22. v. 41. 43. Luc. 20. v. 41.

Et respondens Iesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse Dauid?

35 Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἔλεγε διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς ὅτι ὁ χριστὸς υἱός ἐστι δαβίδ;

ET pro autem. RESPONDENS. id est, occasione propositarum sibi plurium ab aduersariis quæstionum, proponens & ipse. Seruari tamen potest propria huius verbi significatio. Nam vt scribit Matthæus, dum docens in templo de hac re interrogasset Pharisæos, tulissetque responsum Christum esse filium Dauid, ipse hoc modo excepit argumentum: *Quomodo dicunt* &c. DOCENS. inter docendum eo tempore.
QVOMODO DICVNT SCRIBÆ, & vos Pharisæi præsentes ex Scribarum sententia. Nam, vt Matthæus latiùs historiam hanc narrat, responderant Pharisæi ipsi à Iesu interrogati, Christum Dauidis esse filium; responderant autem, ex sententia haud dubium Scribarum siue legisperitorum, quos etiam nominasse potuerunt, qui sic docebant publicitus, adeò vt eo tempore vulgus ipsum Messiam describeret periphrasi *filij Dauid*. vide Matth. 1. v. 1. & 22. v. 42.

Matth. 22. v. 43. 44. Luc. 20. v. 42. 43. Psal. 109. v. 1.

Ipse enim Dauid dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

36 αὐτὸς γὰρ δαβὶδ εἶπεν ἐν πνεύματι ἁγίῳ· λέγει ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

IPSE ENIM. Cùm ipse Dauid dicat seu dixerit, est enim græcè præteritum. DIXIT DOMINVS. λέγει ὁ κύριος dicit Dominus. *Hebraica dictio* נאם *neum ambigua est ad vtrumque tempus*, quod ait Euthymius, & indifferenter hîc accipi potest, vt prophetæ indifferenter vtuntur temporibus. Reliqua lege Matth. 22. v. 43. 44.

Matth. 22. v. 45. Luc. 20. v. 44.

Ipse ergo Dauid dicit eum Dominum, & vnde est filius eius? & multa turba eum libenter audiuit.

37 αὐτὸς οὖν δαβὶδ λέγει αὐτὸν κύριον, καὶ πόθεν υἱὸς αὐτοῦ ἐστι; καὶ ὁ πολὺς ὄχλος ἤκουεν αὐτοῦ ἡδέως.

ET VNDE. vnde igitur. ex qua parte igitur. Quomodo idem & filius & Dominus Dauidis est? quòd si Dominus est, vt ex ipsius Dauidis assertione patet, ex qua parte est filius eius? Argumento hoc manifestè significatum est, duas esse naturas in Christo. Sed non refert Euangelista qui soluerint hunc nodum siue auditores siue Iesus ipse, intelligendum dans propositum à Iesu fuisse eo fine vt vnusquisque apud animum suum eum premeret, & prophetiam cum rebus præsentibus conferret. MVLTA. Syrus *omnis*. Alij *pleraque* vertunt. LIBENTER. ἡδέως iucundè, cum voluptate. ob eam qua res diuinissimas atque vtilissimas explicabat perspicuitatem & facilitatem cum sermonis suauitate coniunctam. AVDIVIT. ἤκουεν *audiebat*, quo modo est & in quibusdam latinis libris. EVM docentem & disputantem. Reliqua petenda sunt ex Matth. 22. v. 45. 46.

Matth. 23. v. 7. Luc. 11. v. 43. & 20. v. 46.

Et dicebat eis in doctrina sua: Cauete à Scribis, qui volũt

38 καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ· βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων

ἐν

ἐν στολαῖς περιπατεῖν, καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, | in stolis ambulare, & salutari in foro,

Et pro *tunc*, interprete Matthæo cap. 23. v. 1. Eis. turbæ. In doctrina sva. id est, inter docendum, vel suo more docendi, maxima scilicet cum grauitate, auctoritate, libertateq; nemini adulante. vide sup. 4. v. 2. Cavete. sic rectè exposuit Interpres id quod est græcè βλέπετε *videte*. A Scribis ne vos corrumpant exemplo suo, cauete, non à doctrina, sed ab exemplo consuetudinis ac vitæ Scribarum, ne imitemini mores eorum: facilè enim seducit mala vita doctorum. Ne miseram plebeculam secum in eandem ruinam traherent, qui perseuerare in peccatis suis & pertinacia Christi reiiciendi constituerant, taxat vitia eorum, quæ præcipua fuerunt, amor inanis gloriæ & amor lucri, monetque vt caueantur. Qvi volvnt. τῶν θελόντων. Articulus hic ponitur αἰτιολογικῶς, perinde ac si diceret Euangelista, volunt enim. *Volunt* autem, id est, amant, vt loquitur Matthæus, gaudent, affectant, expetunt. In stolis, id est, stolati seu stolis induti, ambvlare, in publicum prodire, publicè incedere. Stolæ vox, qua latina pariter & græca & syriaca vtuntur, pro veste oblonga & ad talos vsque demissa, splendidiore, cultiore, & pomposiore, accipitur. Videtur autem fuisse exterior illa vestis fimbriata, cuius fit mētio Deut. 22. v. 12., seu, Euthymio auctore, palliū magnificis fimbriis ornatum, cuius meminit Mattheus cap. 23. v. 5. huiusmodi enim vestis, quia reuerentiam conciliabat populi succinctè viliterque vestiti, placebat Scribis ambitiosis. *Nolite*, ait Victor Antiochenus, *eos æmulari, neque oculis in externam illorum speciem coniectis felices fortunatosue illos prædicetis. Sunt hæc omnia idonea superbæ cuiusdam ostentationis instrumenta, humanaq; laudis aucupia, quo inutilis honoris præmium apud homines ferunt.* Et salvtari. Rectè Interpres mutauit nomen ἀσπασμοὺς *salutationes* cum verbo, quia dura est transitio à verbo ad nomen. Cæteroqui græcè subaudire oportet *volunt* pro *amant*, quo verbo vtuntur Matthæus & Lucas, quod etiā hîc expressit Syrus. Reliqua huius versiculi lege Matth. 23. v. 7.

39 καὶ πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις· | & in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cænis:

Matth. 23. v. 6. Luc. 11. v. 43. & 20. v. 46.

In primis cathedris sedere. πρωτοκαθεδρίας præsidentias. Et primos discvbitvs. Vt sibi constaret Interpres vertere debuerat, & primi accumbere. Reliqua lege Matth. 23. v. 6.

40 οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· οὗτοι λήψονται περισσότερον κρίμα. | qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius iudicium.

Luc. 20. v. 47.

Qvi devorant. οἱ κατεσθίοντες penitus comedentes, qui penitus comedunt (sic enim exponas vim præpositionis κατὰ quod est, qui deuorant, abliguriunt. Græcè solœcismum oportet agnoscere participiorum primi casus pro participiis secundi (dependet enim hic versus adhuc à 38. superiori) nisi hebraico more subaudias verbum substantiuum εἰσί. Porrò quidam gulam, alij verisimiliùs insatiabilem auaritiam hîc notari volunt. Domos. facultates, substantiam vniuersam, eas planè ad inopiam redigentes. Vidvarvm. quibus debuerant auxilio esse. Nominat viduas, quò peccatum eorum magis exaggeret, quòd eas deciperent ac spoliarent, quæ omnium maximè erant ipsorum subsidio & patrocinio iuuandæ: intelligit autem *viduarum* nomine bonos ac simplices & ad rapinam expositos homines, quibus patroni desunt, præcipuè tamen viduas, quæ & sui iuris sunt vt facultates suas aliis dilargiantur, & procliues ad pietatem sed incautæ ac maritorum patrocinio destitutæ faciliùs decipiuntur sanctimoniæ specie. Hinc enim has emungere, hypocritis semper solemne fuit. Reprehendit itaque Christus, quòd viduæ similesque personæ doli expertes quæ, ne in inopiam inciderent ab aliquibus circumuentæ, fuerant consilio opibusque iuuandæ, præsertim à Legis doctoribus (viduarum enim inprimis & pupillorum defensionem omnibus commendat Lex) ab eis fuerint miserè exesæ. Svb obtentv prolixæ orationis. καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι & obtentu prolixè orantes, & ad obtentum prolixè orant. Interpretes Syrus & Latinus coniunctionem καὶ intellexerunt interpretatiuè, pro idque, quomodo à quibusdam vertitur. Obtentus porrò, species, seu occasio, quod est græcè πρόφασις, opponitur veritati, vt etiam Philip. 1. v. 18.: *sub obtentu* itaque, id est, obtendentes auaritiæ suæ vsque adeò crudeli, *prolixam orationem*, feruens studium orandi Deum. Sensus est, Stant in oratione, publicè, in templo, synagogis, & angulis platearum, idque diu, prolixè, & frequenter, non quòd religione moueantur, aut Dei orandi sint studiosi, sed vt tales habeantur, eaque ratione captent fauorem & prouocent homines simplices, signanter verò viduas, ad offerendum ipsis frequentia munera, per quæ fit vt comedant atque exhauriant ipsarum viduarum facultates, quæ ita demum orationibus ipsorum iuuari sperant, si suas opes in ipsos effundant. Fingunt longas preces & multum se temporis consumere in commendandis viduis Deo, à quibus proinde munera non exigua accipiunt, ita vt quæ plus donauerit longiorem orationem mereatur & maius præmium reportet. In longis precibus signum exstat raræ pietatis: nam quo quisque sanctior est, eo precandi studio magis deditus est. Istis autem precandi assiduitas, turpis lucri fuit aucupium. Non itaque precabantur, sed venabantur: non orabant prolixè, sed prolixas orationes simulabant, obtentum seu speciem exhibebant citra veritatem: nihil enim aliud spectabat animus, quàm prædam à mulierculis, credentibus eos cum Deo colloqui, quorum cor, non in cælo versabatur, sed in loculo; non in ara, sed in arca; in patina, non in parsimonia: qui, vt araneus muscas longis telis, ita ipsi diuitias longis orationibus sectabantur. *Quum* itaque, quod ait V. Beda, *porrecta manus pauperi, preces iuuare soleat: hi, vt nummum pauperi tollant, in precibus pernoctant.* Non ergo reprehenduntur longæ preces, quasi in illis sit vitium (immo verò ecclesiæ doctores ac pastores singulariter intentos precando esse oportet) sed hæc corruptela damnatur, quòd res per se laudabilis in prauum finem conuerteretur. Hi s. Scribæ, ob hæc ambitionis & cru-

& crudelis hypocriſeos ſcelera, his tribus iam verſibus deſcripta. ACCIPIENT. recipient, referent PROLIXIVS. περισσότερον amplius, abundantius, maius, grauius. non tantùm non effugient iudicium Dei, vt etiam grauius ſubituri ſint. IVDICIVM. condemnationem, id eſt, in iſtos feretur ſententia grauior, hi grauius punientur ſ. à Deo ſummo iudice, quàm vulgares alij peccatores. Quo magis à populo honorantur, ambitumque honorem in finem deteriorem referunt, eo grauiùs condemnabuntur: *potentes enim potenter tormenta patientur* (Sap. 6. v. 7.) præſertim verò ſi ſanctitatis profeſſione ad peccandũ abuſi fuerint, ſi virtutem fecerint peccati prætextũ, malitiam fuco ſanctimoniæ obnubilarint, & Dei armis induti, diabolo militarint: *quo modo & ſtrauaritiam religionis colore depinxerant*, quod ait auctor operis in Matthæum imperfecti. *Omnes enim*, inquit Chryſoſtomus homilia 74. in Matthæum, *qui perperam agunt, ſupplicio digni ſunt: qui vero ſimulatione bonitatis ad improbitatem tendit, multo grauiori pœna omnino afficiendus. Simulata ſanctitas, duplex iniquitas*, ait ille.

Luc. 21. v. 1.

41 Et ſedens Ieſus contra gazophylacium, adſpiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa.

καὶ καθίσας ὁ Ἰησοῦς κατένωπι τοῦ γαζοφυλακίου, ἐθεώρει πῶς ὁ ὄχλος βάλλει χαλκὸν εἰς τὸ γαζοφυλάκιον, καὶ πολλοὶ πλούσιοι ἔβαλλον πολλά.

ET SEDENS. Cùm ſediſſet autem. Obiurgatis Scribis & Phariſæis hypocritis, quieti nonnihil ſe dans Dominus Ieſus, à concione fatigatus, ſedit. CONTRA GAZOPHYLACIVM. è regione, ex aduerſo gazophylacij ſ. templi. De nomine gazophylacium ſcribit V. Beda in hæc verba: *Quia ſermone græco φυλάττειν ſeruare dicitur, & gaza lingua Perſica diuitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari ſolet, quo diuitiæ ſeruantur.* Syrus vocat ܒܝܬ ܓܙܐ *beth gazo* domum gazæ, ſeruato ſimiliter nomine gazæ. Multis veteris teſtamenti locis mentio eſt gazophylacij templi, ſed non omnibus idem locus ſignificatur. Quibuſdam enim locis, *gazophylacium* intelligitur locus amplior, cænaculi ſeu cubiculi inſtar, multarum rerum capax, vbi ſeruabantur opes templi, ad templi miniſterium, ornatum, inſtaurationem, aut miniſtrorum templi pauperumque ſuſtentationem, comparatæ: erantque huiuſmodi plura loca, quas cameras voces, iunctæ porticibus atriorum templi, in quorum aliis pecunia, aliis ſupellex templi aurea atque argentea, aliis veſtes ſacerdotum pretioſæ, aliis alia huiuſmodi cuſtodiebantur. Hæc hebraicè לִשְׁכּת *liſcoth*, græcis Interpretibus nunc *gazophylacia* nunc *paſtophoria*, latino *exedra* & *gazophylacia* dicuntur. Vnde 1. Paral. 28. v. 12. legimus, de conſtruendis exedris *in theſauros domus Domini & in theſauros ſanctorum*. Ierem. 35. v. 2. legis *in vnam exedram theſaurorum*: quæ exedra mox v. 4. vocatur *gazophylacium, & quidem filiorum Hanan*, quòd illi cuſtodes eſſent: diciturque fuiſſe *iuxta gazophylacium principum*, quo nimirum præclariora templo à principibus viris oblata munera ſeruabantur; huiuſmodi de quibus legis 4. Reg. 12. v. 18. *quod tulerit Ioas omnia ſanctificata, quæ conſecrauerant Ioſaphat & Ioram & Ochoſias patres eius reges Iuda, & quæ ipſe obtulerat, & miſerit ea Hazaeli regi Syriæ, vt recederet à Ieruſalem*. Videntur etiam decimæ frumenti vini atque olei, ac primitiæ ſacerdotales, in gazophylaciis ſeu exedris templi aliquando ſeruatæ fuiſſe, præſertim cùm primùm populus è captiuitate Babylonica reuerſus eſſet. Sic enim promittit populus 2. Ezræ 10. v. 37: *Et primitias ciborum noſtrorum & libaminum noſtrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei, afferemus ſacerdotibus ad gazophylacium Dei noſtri, & decimam partem terræ noſtræ Leuitis.* Et cap. 13. v. 5. legitur: *Fecit ergo* (Eliaſib ſacerdos) *ſibi*, id eſt, ei. ſ. Tobiæ, affini ſuo) *gazophylacium* (ſeu cubiculum) *grande: & ibi erant ante eum* (id eſt, antequam Eliaſib Tobiæ cubiculum illic conſtruxiſſet) *reponentes munera, & thus, & vaſa, & decimam frumenti vini & olei, partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias ſacerdotales*. Quinetiam omnes exedræ ſiue cameræ, quæ erant in circuitu atriorum templi, vocantur à latino Interprete, apud Ezechielem præſertim, *gazophylacia* (Ezech. 40. v. 17. & deinceps) etiamſi non ſeruandis templi opibus, ſed aliis vſibus ſeruirent, nimirum habitationi ſacerdotum templo miniſtrantium, comedendis carnibus ſanctis, &c. Aliis veteris ſcripturæ locis, gazophylacium ſignificat locum arctiorem, qui hebraicè ארון *Aron*, latinè *arca* dicitur, qua adſeruabatur pecunia templo à populo oblata, ſiue debita, ſiue ſpontanea, nonnunquam etiam depoſita, vt 2. Machab. 3. v. 10. 11. Et erant quidem in ipſis etiam exedris huiuſmodi arcæ, quibus tum ſacra tum à piis depoſita pecunia includebatur, de quibus Ioſephus lib. 7. de bello cap. 11: *Quinetiam arculas, quæ gazophylacia vocantur, incendunt, in quibus magna vis erat pecuniæ, ac plurimum veſtium aliáque bona, &, vt breuiter dicam, omnes Iudæorum congeſtæ diuitiæ*: ſed ſcriptura ferè loquitur de arca forinſecus collocata, in quam ea quæ offerebatur votiua pecunia immittebatur per foramen exiſtens in ſummo operculo: qualem arcam primus confici iuſſit rex Ioas vnà cum pontifice Ioiada (quod legitur 4. Reg. 12. v. 9. & 2. Paralip. 24. v. 8.) & quales viſuntur etiamnum hodie in templis noſtris. De huiuſmodi gazophylacio, arca inquam, ſermo eſt hoc euangelij loco, quam Matthæus cap. 27. v. 6. alio nomine *corbanam* vocat. Sed illa quidem Ioiadæ arca, poſita fuiſſe videtur, vt loco tutiore, in ſummo atrij Iſraëlis, ad latus aquilonare portæ per quam ingreſſus erat ex atrio Iſraelis in atrium ſacerdotum, non longè ab altari holocauſtorum: quò cùm non facilè acceſſus eſſet vniuerſo populo, ſacerdotes ianitores acceptam à populo pecuniam in arcam mox inferebant (4. Reg. 12. v. 9. & 22. v. 4.) poſterioribus autem temporibus, & quidem Chriſti Domini, collocata fuit in extremo atriorum Iſraelis ac fœminarum, ad portam orientalem, qua egreſſus erat ex atrio fœminarum in atrium profanum, idque vt populus ipſe ſua manu, ſiue ingrediens ſiue egrediens, pecuniaria ſua dona immittere in gazophylacium poſſet. Huiuſmodi arcas ſiue gazophylacia, duo fuiſſe exiſtimant quidam, ad ſingulum portæ latus, vnum: credibile eſt ad ſingulas templi portas, vnum vt minimùm fuiſſe, ne cui eorum qui templum frequẽtarent, templo benefaciendi deeſſet occaſio. Atqui celeberrimum gazophylacium illud fuiſſe videtur, quod, vt diximus, ſitum erat ad portam orientalem, vt illac celeberrimus erat in templum ſiue ingreſſus ſiue egreſſus: ex aduerſo cuius iam ſedit Dominus Ieſus. ADSPICIEBAT. ἐθεώρει ſpectabat, obſeruabat, non curioſitatis ſed captandæ doctrinæ ſalutaris cauſa. Benignis oculis adſpicit Dominus eos, qui in tẽplis vacant operibus pietatis. TVRBA. populus, ſinguli, inquam, è populo, in templum ingrediente, vel templo exeunte. IACTARET. βάλλει iacit,

iacit, iaceret seu immitteret Æs. id est, pecuniam, ex quacumque tandem materia, ære, argento, auro. Nam quia prima pecunia à Romanis cusa, ærea fuerat, omnis generis pecunia pòst æris nomen retinuit. IN GAZOPHYLACIVM seu ærarium templi, ad sustinendum Dei cultum, sacerdotum vitam, & templi fabricam. ET MVLTI. & quomodo multi DIVITES IACTABANT, iniiciebant MVLTA, multam pecuniæ summam, singuli plures aureos. Quàm enim erga templum suum liberales fuerint Iudæi, intelligere licet, partim ex locis illis Regum ac Paralipomenon, partim ex Iosepho, lib. 14. Antiq. cap. 12. (nam & ob hanc causam non rarò Principes expilando templi gazophylacio inhiarunt, prout legitur etiam 2. Machab. 3. v. 6.) iam verò, cùm ob pascha imminens, immensus vndique ex vniuerso mundo conuenisset populus, immensa haud dubium in gazophylacium pecunia certatim iniecta est.

καὶ ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ, ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. 42 Cùm venisset autē vidua vna pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. *Luc. 21. v. 2.*

CVM VENISSET AVTEM. καὶ ἐλθοῦσα. & obseruabat, quòd, quomodo cùm venisset. MISIT in gazophylacium. ἔβαλε iactauit, vt mox vertit: sed iactandi verbo iactantiam ostentationemque diuitum; mittendi, modestiam pauperis viduæ, ab omni ostentatione alienam, intelligendam dare voluit Interpres. DVO MINVTA. duos nummulos æreos, minutissimi pretij, quales sunt, quos, à latina minuti voce, Flandri *mitas*, Galli corruptiùs *pitas* vocāt. Videtur & Syrus hîc imitatus latinā vocem, dum scribit ܡܢܝܢ *menin.* neque enim licet hîc *minas* intelligere. QVOD EST QVADRANS. vel, quæ sunt quadrans, quæ duo minuta simul conficiebant quadrantem: quadrantem autem hoc esse quod teruncium, docuimus Matth. 5. v. 26. V. Beda, qui coniicit quadrātem fuisse quinque obulos, id est, quartam sicli partem, fallitur haud dubiè: nec enim quarta sicli pars, pro duobus minutis hábēda est, quę drachmę æquiualet. Syrus pro *quod est quadrās* vertit *quæ sunt octaua* (vt etiam Matth. 5. v. 26. *octauam* vertit ex *quadrante*) intelligens singulū minutum fuisse octauam siue quadrantem. Nam quamquam latinus Syri Interpres reddat *quod est octaua pars*: ipsæ tamen voces syriacę plurales sunt ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܫܡܘܢܐ *dithihun semoune*, non tantùm propter apices additos, verumetiam ob pronomen ܗܘܢ *hun*: vt prętercam, quòd ex minuto octauam det Syrus Luc. 12. v. 59., & duas octauas ex duobus minutis Luc. 21. v. 2. Non vulgaris fuit viduæ huius pietas, quæ quamuis suæ sibi conscia inopiæ, & gnara quàm parum emolumenti templo accedere posset ex suo munere, tamen potius quàm vacua appareret in conspectu Domini, & non aliquid pro suo modulo in pios templi vsus Deique cultum conferret, maluit substantiola sua carere, adeoque victu proprio se priuare, denique sui oblita testari voluit se suaque omnia Dei esse, non hominum gloria mota, quæ nulla ipsi erat expectanda, *sed Deo voluntatem suam secretò probasse contenta*, quod habet Victor Antiochenus. Duo minuta, siue mendicitate, quod Theophylactus, siue sudore, quod Titus ait, parta, obtulit, *suam voluntatem declarans opibus abundantiorem*, nihilque dubitans quin fideli procuratori & se & sua omnia crederet.

καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἡ χήρα αὕτη ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων βέβληκε τῶν βαλόντων εἰς τὸ γαζοφυλάκιον. 43 Et conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium. *Luc. 21. v. 3.*

ET pro tunc. CONVOCANS προσκαλεσάμενος cùm aduocasset Iesus, propiùs scilicet ad se: disiuncti enim erant, & aberant paulò longiùs, præceptore non docente. DISCIPVLOS SVOS. capaces huius doctrinæ. QVONIAM pro quòd. VIDVA HAC. Non est verisimile quòd viduam monstrauerit Iesus, quę iniecto in gazophylacium munusculo suo mox abierat: sed Euangelista paucis verbis narrat, quod pluribus dixerat Iesus. Dixerat haud dubium, & præfatus fuerat, quòd inter multos diuites, qui plures magni pretij numos in gazophylacium iniecerant, obseruasset iam modò viduam quamdam pauperem, quæ sola duo minuta iniecerat: deinde subiecit, loqui pergens de iis quorum iam fecerat mentionem: Amen vereque id affirmo, quòd VIDVA HÆC PAVPER MISIT in gazophylacium PLVS diuitibus illis & reliquis OMNIBVS QVI IN GAZOPHYLACIVM hodie quid MISERVNT. affirmo inquam id vobis pro vero ac certo, quamuis aliud sit hominum iudicium, qui reliquis omnibus minus eam contulisse censerent, adeoque tantùm contemnerent huius donum ac nihili facerent, quantùm aliorum dona extollerent ac facerent magni, præsertim verò sacerdotes, quibus hæc pecunia cedit. Hominum iudicio minimum contulisse videatur: sed Dei iudicio plus dedit reliquis omnibus, qui & sibi de sua munificentia egregiè placent, & aliis copiosissimè cōtulisse videntur. Non reprehendit diuites, quòd magna munera in gazophylaciū misissent, quamquam munera illa, ex parte maiori cederent Scribis & Pharisæis, inimicis suis, in quos iam inuectus fuerat, quorumque auaritiam signanter taxauerat (plerique enim horum sacerdotes erant) immo verò commendat offerentium pietatem, & laudat eos, quòd ad sustinendum illum Dei cultum, quem Deus sic præscripserat, vt in meliorem nondum mutasset, liberaliter contribuissent: sed affirmat ac docet, viduam pauperculam, plus contulisse illisque liberaliorem extitisse. Et quamquam fieri potuerit, vt sacer ille thesaurus minùs rectè à sacerdotibus fuerit dispensatus: non ideò tamen dehortatur homines ab offerendis donis, quia sacerdotum abusus piorum dona non poterat vitiare. Docemur itaque hic, non ingratum Deo ac Christo esse, eam quæ templis fit oblationem.

πάντες γὰρ ἐκ τοῦ περισσεύοντος 44 Omnes enim ex eo quod abundabat *Luc. 21. v. 4.*

illis miserunt: hæc verò, de penuria sua, omnia quæ habuit misit, totum victum suum.

αὐτοῖς ἔβαλον· αὕτη δὲ, ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς, πάντα ὅσα εἶχεν ἔβαλεν, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς.

OMNES ENIM reliqui. Dat rationem dicti sui, à communi hominum iudicio alieni. EX EO QVOD ABVNDABAT ILLIS. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ex eo quod supererat ipsis s. aliquid, aliquid eius quo ipsi abundabant. Multum dederunt, sed longè amplius domi sibi reseruarunt. MISERVNT in gazophylacium.

DE PENVRIA SVA. ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς è penuria sua, ex eo quod ipsi, non deerat quidem, sed parcissimè suppetebat ad vitæ necessitatem. Penuriam vocat, non id quod non habebat, vt nomen propriè significat, verùm id, quod habebat quidem, sed ita vt ne ad sustentandam quidem vitam satis esset. QVÆ HABVIT. ὅσα εἶχε quæcumque habuit, quidquid in bonis habuit, nihil sibi reseruans: id quod clariùs etiam exponens & vrgens addit. TOTVM VICTVM SVVM. ὅλον τὸν βίον αὐτῆς totam substantiam suam. βίος & vitam significat, & victum, & substantiam, ad vitam scilicet necessariam. totam substantiam qua viuere poterat, & quidem simpliciter totam, ita vt nihil sibi retinuerit pecuniæ. Annotat quidam ex Hebræorũ libris, quadrantem illo tempore satis fuisse, ad victum diurnum pauperrimi hominis. Opponit Saluator, penuriam abundantiæ, & totum parti, monstratque duplici ratione, quòd vidua reliquis plus dederit: vnâ, quia illis partem dantibus, ipsa dedit totum; alterâ, quia ipsa dedit totum quod sibi ad viuendum erat necessarium, illi dederunt partem, eius quod ipsis ad viuendum minimè necessarium erat. Est autem in confesso, plus eum dare, qui totum quod habet dat, eis qui dumtaxat dant partem, ac præsertim si ille dat totum illud quo ad vitam sustinendam opus habet, hi partem dumtaxat eius quod ipsis superest: quinimmo liquet horum munera vix digna quæ cum illius munere conferantur. Nam quamuis muneribus ipsis inter se mutuò comparatis, horum munera longè ampliora sint munere illius: si tamen munera singulorum conferantur cum substantia seu possessione singulorum, comperietur munus illius, viduæ scilicet, infinitis partibus amplius esse muneribus horum. Existimassemus, quod Dominus dixerat, viduam pauperem plus omnibus diuitibus dedisse, intelligendum esse, quod ad animum & affectum, non secundùm rem: atqui Dominus his rationibus declarat, quòd dederit plus, & quidem multo plus, secundùm rem, non absolutè tamen, sed secundùm proportionem, habita ratione ad facultates singulorum; eò quòd viduæ, multo plus fuerit, vnum quadrantem æreum dedisse, quàm aliis dedisse multos aureos. Cæterùm non excludit Iesus viduæ animum aut affectum, sed cum re ipsa coniunctum vult intelligi, vt in omnibus nostris, non solùm externos actus, verumetiam internos considerat, & ex his iudicat de dignitate illorum. Non tantùm enim mens eius est dicere, quòd vidua re ipsa contulerit plus aliis, verumetiam quòd aliis liberalior ac munificentior fuerit, ipsiusque munus Deo gratius atque acceptius. Non accusat diuites quòd auari fuerint aut illiberales, nec censet quòd eorum munera Deo ingrata fuerint: sed ponens eos liberalia Deoque accepta munera obtulisse, docet hos à vidua longè superatos, non solùm doni amplitudine, sed & liberalitate ac diuinæ beneuolentiæ conciliatione. Liberalitatis autem ac munificẽtiæ præcipuus auctor, animus est: qui nisi generosus admodum fuisset in hac vidua, & supra modum studiosus colendi Dei, non erogasset in Dei dona necessarium victum, plura ac maiora erogatura vtique, si suppetiissent. Pleriq; homines hoc ingenio, cõsilio, & studio sunt, vt primùm sibi consultum esse velint, & quidem plenè; deinde verò, si quid supersit, pietati & communi vtilitati, idque ægrè. Non enim omne id quo abundant erogant, sed eius partem dumtaxat. Hæc verò, quamuis pauperem se sentiret, tamen priuato commodo posthabito, primam pietatis rationem habendam sibi duxit. *Ea enim magnanimitate ac deuotione duos obulos, hoc est, omnia quæ habebat obtulit*, inquit Titus in Lucam scribens, *ac si vitam propriam pro nihilo duceret*. Certè alio animi affectu in amicum fertur, is qui in amicum confert vniuersas facultates suas, alio is qui in eum id solum confert, quod sibi superfluum est, nec id totum. Excelluit igitur ista, animi & liberalitate & pietate ac charitate, Deum eiusque cultum necessitati suæ vitæ præponens, nec tantùm, verumetiam iacta in Deum fiducia eminuit, qui non est minimus honor Dei. Nisi enim plena fide prouidentiæ diuinæ se commendasset, non expendisset totum victum suum. Et reuera qui in Deum non confidunt, sed sua ipsorum prouidentia nituntur, pauca in pios vsus erogant, quia plurima ipsis sunt necessaria (nam quibus Dei omnia implens prouidentia non sufficit, quid sufficiat?) contrà verò, qui de Dei prouidentia pendere nouerunt, quantum cõfidunt, tantum largiuntur, persuasi nihil sibi posse deesse necessariorum ad vitam, Deo curam gerente. Hinc legis libri quæstionum veteris & noui testamenti quæstione 124. inter opera D. Augustini: *Diuites, securi de diuitiis suis largiuntur, pauper autem securus de Domino*. Huiusmodi ergo viduæ animus cùm fuerit, nihil mirum, quòd Deo acceptius fuerit, amplissimum illud, pro modo facultatum, duorum minutorum munus, ab hoc animo profectum, omnium diuitum muneribus. Duo enim in muneribus cùm respiciat Deus, facultates scilicet & affectum dantis: vtraque ex parte, pauper vidua, diuites insigniter superauit, & consequenter munus ipsius illorum muneribus Deo gratius fuit. Non enim de munerum sibi oblatorum amplitudine & gratia iudicat Deus ex magnitudine emolumenti seu compendij, quod ex illis accedit ipsi, id est, templo aut ministris ipsius, quemadmodum hominibus donum illud gratius est, quod plus ipsis adfert vtilitatis: id est, non æstimat dona ex pretio externo, nec considerat munera in seipsis, sed comparata dantis tum facultatibus tum animo: & quidem animum ampliùs etiam respicit quàm facultates: quia vel animus acceptus est, si facultates prorsus desint; neque ex facultatibus animum, sed ex animo facultatum rationem metitur. *Si voluntas prompta est*, inquit Apostolus 2. Corint. 8. v. 12., *secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet*. Et Victor Antiochenus in hunc scribens locum: *Neque enim Deus, ait, tam munerum magnitudinem considerat, quàm animi alacritatem & magnitudinem ponderat*. Ad hæc Beda: *Non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat: nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur*. Denique Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 30., recitato huius loci exemplo infert: *Affectus igitur diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit: non enim auarus Dominus est, vt plurimum quærat*. Non est allectus Dominus pretiosis splendidisque diuitum donis, vt eos laudaret, sed fructifera viduæ pauperies laudem eius obtinuit. Cæterùm non reprehendit, quod diximus, Iesus diuites,

è super-

è ſuperfluo ſuo largos, ſed præfert illis pauperes, ex neceſſario ſuo liberales: nec præcipit, vt totum ſemper Deo detur, quod ad vitam ſuſtinendam eſt neceſſarium, ſed laudat, ſi quando id fiat tempore ac loco. Laudatur vidua quæ ſponte id fecit: quòd ſi Scribæ id extorſiſſent, crudelitatis notam haud effugiſſent. Porrò voluit Dominus Ieſus doctrinam hanc ſalutarem Eccleſiæ ſuæ tradere, tum ad inſtruendos diuites, tum ad pauperes animandos: ne, vel diuites efferrentur, & præ ſe deſpicerent pauperes; vel pauperes, animo quòd parum poſſideant abiecto, negligerent benefacere, ſi opinio teneret, munera ex auri argentiue quantitate à Deo æſtimari. Pauperculos, qui benefaciendi facultate deſtitui videntur, animat, vt non dubitent, vel tenuibus officiis, pro modo rerum ſuarum, alacriter ſtudium ſuum teſtari: tantam enim eſſe Dei humanitatem, vt nemo iuſtè excuſare ſe poſſit, quòd defuerit operibus pietatis: quinimmo pauperibus in manu eſſe, vt etiam ditiſſimos quoſque beneficentiæ ſtudio ſuperent. Ex altera verò parte monet diuites, ne deſpectui habeant munuſcula pauperum, quando quidquid ipſi ex ſuperfluo ſuo offerunt, minus eſſe poſſit quadrante pauperis. Nec ideò tamen eos retrahit ab offerẽdis ſuperfluis ſuis, ſed docet, ſi paris eſſe cum pauperibus meriti, paremque apud Deum laudem mereri deſiderent, nõ ſufficere, vt rerum oblatarum quantitate pauperes ſuperent, ſed oportere etiam pari animi erga Deum eiuſque ſacra affectu præditos eſſe, quandoquidem non ex modo rerum, ſed ex animi potiſſimùm affectu, donaria æſtimet Deus. Sed quid ſi diuites, nec quantitate donorum ſuperent pauperes, contentique ſint non minùs quàm pauperes, vnum aut duo minuta obtuliſſe, quemadmodum hodie fit? horũ credo munera, nullius æſtimaſſet Saluator, vtpote nec facultatibus reſpondentia, nec ex animo diuini cultus ſtudium teſtante profecta. Porrò cùm doctrinam hanc eccleſiæ ſuæ Saluator reliquerit, quod diximus (neque enim templum illud breuì periturum, potiſſimùm ipſi curæ erat) quod dictum eſt hactenus de donis, quæ ad vſum veteris illius templi eiuſque miniſtrorum offerebantur, extendi debet ad ea dona, quæ ad vſum templorum ſacerdotumque Chriſtianorum, & ad eleemoſynas quæ ad vſum Chriſtianorum pauperum offeruntur: cùm enim eadem vbique ratio militaret, Ieſus ſuam eccleſiam inſtruebat ſub perſona illius, vt aliàs non rarò.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ ἐκ τοῦ ἱεροῦ, λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ· διδάσκαλε, ἴδε ποταποὶ λίθοι καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί.	1	Et cùm egrederetur de templo, ait illi vnus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, adſpice quales lapides & quales ſtructuræ.	Matth. 24. v. 1. Luc. 21. v. 5.

DE. ἐκ ex. VNVS. quidam plures inter ſe colloquuti, acceſſerunt ad Ieſum vt oſtenderent ei ædificationes templi, quod ex Matthæo & Luca clarum eſt: ſed vnus præcipuè omnium nomine loquutus eſt, quod hîc Marcus ait. QVALES. ποταποὶ cuiuſmodi. vim habet interrogationis cum admiratione coniunctæ. LAPIDES. ex quibus ædificatum eſt hoc templum. De lapidibus ex quibus ædificauerat templum illud Herodes, ita ſignanter ſcribit Ioſephus libri 15. Antiq. cap. 14: *Conſtabat autem ſtructura è lapidibus candidis, firmiſſimis, magnitudine xxv. cubitorum in longum, octo in altum, latitudine verò cubitorum duodecim.* & lib. 6. de bello cap. 6: Nonnullorũ, inquit, *ſaxorum eius longitudo xlv. cubitorum erat, altitudo quinque, & latitudo ſex.* Rurſus priore loco de columnis porticuum, ait: *In eius porticibus ſtabant paribus interuallis quatuor columnarum ordines. Craſſitudo cuiuſque columnæ, quantam poſſent tres homines conſertis inter ſe complecti brachiis, longitudo vigintiſeptem pedum, ſubiecta ſpira duplici. Numerus vniuerſarum fuit centum ſexaginta duæ, capitellis ſculptis opere Corinthio, pulchris vſque ad miraculum.* Hactenus Ioſephus: ſed quem hominum peccata ad iram prouocabant, ſaxa placare nõ poterant.

QVALES. quàm pulchræ & firmæ & amplæ. STRVCTVRÆ. οἰκοδομαὶ ſecundùm Matthæum vertit *ædificationes*. ſ. quibus conſtat hoc templum, pluribus enim ſtructuris conſtabat. Vtraque res, lapides inquam ac ſtructuræ, & ad pulchritudinem operis valere credebatur, & ad diuturnitatem, quaſi nulla poſſet vetuſtate collabi. Reliqua lege Matth. 24. v. 1.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ.	2	Et reſpondens Ieſus ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.	Matth. 24. v. 2. Luc. 21. v. 6.

ET RESPONDENS. Reſpondens autem. VIDES. Eum qui loquutus fuerat præcipuè alloquitur Ieſus, ſed omnibus vult hoc idem dictum: quamobrem Matthæus vtitur numero plurali. OMNES. non legitur græcè aut ſyriacè. ÆDIFICATIONES. οἰκοδομὰς *ſtructuras* vertit verſu ſuperiore. NON RELINQVETVR. ſ. hîc ex Matthæo. DESTRVATVR. καταλυθῇ diſſoluatur. Cætera lege Matth. 24. v. 2.

καὶ καθημένου αὐτοῦ εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν κατέναντι τοῦ ἱεροῦ, ἐπηρώτων	3	Et cùm ſederet in monte oliuarum contra templum, interrogabant	Matth. 24. v. 3. Luc. 21. v. 7.

Si dixerimus, De cælo; dicet, Quare ergo non credidiſtis ei?

ἐὰν εἴπωμεν, ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ, διατί οὖν οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ;

COGITABANT SECVM. διελογίζοντο πρὸς ἑαυτοὺς diſceptabant ſeu ratiocinabantur inter ſe. Reliqua ſecundùm Matthæum.

Matth.21. v.26. Luc.20. v.6.

32 Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum. omnes enim habebant Iohannem, quia verè propheta eſſet.

ἀλλ' εἴπωμεν, ἐξ ἀνθρώπων· ἐφοβοῦντο τὸν λαόν. ἅπαντες γὰρ εἶχον τὸν ἰωάννην, ὅτι ὄντως προφήτης ἦν.

SI DIXERIMVS. ἀλλ' εἴπωμεν ſed dicamus ſ. quod nobis ſit maximè opportunum. TIMEMVS. ἐφοβοῦντο timebant, quo modo legitur in aliis latinis exemplaribus. Subita perſonæ mutatio, Hebræis non infrequens, qua videri poſſit Marcus id voluiſſe intelligendum dare, quòd libenter iſti reſpondiſſent, Iohannis baptiſmum fuiſſe ex hominibus, adeoque quòd ad hoc reſpondendum ſe mutuò fuiſſent adhortati, vt quo poſſent, quàm maximè eleuare auctoritatem Ieſu, ſed quòd retracti fuerint ſolo timore populi, quamuis id vix ſibi mutuò auſi fuerint declarare, ne fortè euulgaretur. HABEBANT IOHANNEM. ſentiebant de Iohanne. QVIA. quòd. ESSET. ἦν erat, ſeu fuiſſet. nam de nuper interfecto ſermo eſt. Cætera quære ſecundùm Matthæum.

Matth.21. v.27. Luc.20. v.7.8.

33 Et reſpondentes dicunt Ieſu: Neſcimus. Et reſpondens Ieſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc faciam.

καὶ ἀποκριθέντες λέγουσι τῷ ἰησοῦ· οὐκ οἴδαμεν. καὶ ὁ ἰησοῦς ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ.

Lege huius verſiculi enarrationem in Matthæi.

CAPVT DVODECIMVM.

Matth.21. v.33. Luc.20. v.9.

1 Et cœpit illis in parabolis loqui: Vineam paſtinauit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.

Καὶ ἤρξατο αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λέγειν· ἀμπελῶνα ἐφύτευσεν ἄνθρωπος, καὶ περιέθηκε φραγμὸν, καὶ ὤρυξεν ὑπολήνιον, καὶ ᾠκοδόμησε πύργον, καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπεδήμησε.

IN PARABOLIS. quæ veri cognoſcendi ſtudioſos & candidos inſtruerent, doloſos autem & captioſos eluderent. Vnam ſolam, ſed eam grauiſſimam, parabolam hîc narrat Marcus, plures Matthæus: quamquam τὸ in parabolis accipi poſſet pro parabolicè, quomodo etiam legitur in manuſcripto quodam Leodienſi. LOQVI. λέγειν dicere. PASTINAVIT. ἐφύτευσεν plantauit, quomodo vertit ſecundùm Matthæum. Paſtinare eſt agrum fodere: dicuntur autem vites repaſtinari, quando ſterileſcentes refodiuntur. CIRCVMDEDIT. περιέθηκε circumpoſuit. LACVM. ὑπολήνιον quaſi dicas ſubtorculare (nam ληνὸν vertit torcular Matth. 21. v.33.) eò quòd in illud deflueret muſtum prælo expreſſum. Latini vocant lacum. Intelligitur autem torcular, à parte totum. Reliqua lege Matth.21.v.33.

Matth.21. v.34. Luc.20. v.10.

2 Et miſit ad agricolas in tempore ſeruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ.

καὶ ἀπέστειλε πρὸς τοὺς γεωργοὺς τῷ καιρῷ δοῦλον, ἵνα παρὰ τῶν γεωργῶν λάβῃ ἀπὸ τοῦ καρποῦ τοῦ ἀμπελῶνος.

IN TEMPORE. opportuno tempore, tempore fructuum vt loquitur Matthæus. SERVVM. Non de vno aliquo certo propheta mens Saluatoris eſt loqui, ſed ſignificat, initiò quidem rariores, tandem verò plures ſimul à Deo fuiſſe miſſos prophetas. Reliqua lege ſecundùm Matthæum.

Matth.21. v.35. Luc.20. v.10.

3 Qui apprehenſum eum ceciderunt, & dimiſerunt vacuum.

οἱ δὲ λαβόντες αὐτὸν ἔδειραν, καὶ ἀπέστειλαν κενόν.

DIMISERVNT. remiſerunt. VACVVM fructu ſed iniuriis onuſtum. lege Matthæum.

Matth.21. v.35. Luc.20. v.11.

4 Et iterum miſit ad illos alium

καὶ πάλιν ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς ἄλλον δοῦλον·

δοῦλον· κἀκεῖνον λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν, καὶ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον.

seruum: & illum in capite vulnerauerunt, & contumeliis affecerunt.

IN CAPITE VVLNERAVERVNT. λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν lapidatum seu lapidibus petitum capite vulnerarunt. Syrus lapidarunt & vulnerarunt. ET CONTVMELIIS AFFECERVNT. καὶ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον & remiserunt ignominia affectum. quomodo legit & Syrus. Latinus Interpres non ampliùs legit quam καὶ ἠτίμωσαν.

5 καὶ πάλιν ἄλλον ἀπέστειλε, κἀκεῖνον ἀπέκτειναν· καὶ πολλοὺς ἄλλους, τοὺς μὲν δέροντες, τοὺς δὲ ἀποκτείνοντες.

Et rursum alium misit, & illum occiderunt; & plures alios, quosdam cædentes, alios verò occidentes.

Matth.21. v.36.

OCCIDERVNT. Cùm benignitate Domini creuit villicorum malitia. ET PLVRES ALIOS s. misit. QVOSDAM CÆDENTES. quorum quosdam illi ceciderunt, alios verò occiderunt. Lege Matthæum.

6 ἔτι οὖν ἕνα υἱὸν ἔχων ἀγαπητὸν αὐτοῦ, ἀπέστειλε καὶ αὐτὸν πρὸς αὐτοὺς ἔσχατον, λέγων· ὅτι ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου.

Adhuc ergo vnum habens filium charissimum, & illum misit ad eos nouissimum, dicens: Quia reuerebuntur filium meum.

Matth.21. v.37. Luc.20. v.13.

ADHVC ERGO VNVM. Non quòd defuerint Deo Patri plures prophetę sed quòd omnes illos misisset quos ab æterno statuerat mittere, nec spes esset per alios similes, etiamsi mitterentur, quidquam proficiendi. CHARISSIMVM. ἀγαπητὸν αὐτοῦ dilectum suum. QVIA. superest. Reliqua quære Matth.21.v.37.

7 ἐκεῖνοι δὲ οἱ γεωργοὶ εἶπον πρὸς ἑαυτούς· ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, δεῦτε ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, καὶ ἡμῶν ἔσται ἡ κληρονομία.

Coloni autem dixerunt ad inuicem: Hic est heres, venite, occidamus eũ, & nostra erit hereditas.

Matth.21. v.38. Luc.20. v.14.

COLONI AVTEM. ἐκεῖνοι δὲ γεωργοὶ illi autem agricolæ. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

8 καὶ λαβόντες αὐτὸν ἀπέκτειναν καὶ ἐξέβαλον ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος.

Et apprehendentes eum occiderunt, & eiecerunt extra vineam.

Matth.21. v.39. Luc.20. v.15.

ET EIECERVNT. Hysteron proteron. postponitur quod præponendum erat. Reliqua Matth.21.v.39.

9 τί οὖν ποιήσει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος; ἐλεύσεται καὶ ἀπολέσει τοὺς γεωργοὺς, καὶ δώσει τὸν ἀμπελῶνα ἄλλοις.

Quid ergo faciet Dominus vineæ? veniet & perdet colonos, & dabit vineam aliis.

Matth.21. v.40.41. Luc.20. v.15 16.

VINEÆ. τοῦ ἀμπελῶνος huius vineæ. VENIET ipsemet adductis exercitibus suis. Sententia est in agricolas lata. Secundùm Matthæum ferunt hanc sententiàm alij; secundùm Marcum ipse Iesus. Postquam enim respondissent auditorum quidam, id quod rerum consequentia respondere cogebat: Iesus, quo ratius faceret responsum, & facinoris indignitatem, quam illi exemplo illo contineri intelligebant, grauiorem in principibus esse, collatis exempli & rei significatæ partibus ac circumstantiis, intelligendum daret, repetiit illud. COLONOS. τοὺς γεωργοὺς hos agricolas. DABIT. id est, locabit, quod ait Matthæus, ex quo petenda sunt reliqua.

10 οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε· λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας.

Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobauerunt ædificãtes, hic factus est in caput anguli.

Psal.117. v.22. Matth.21. v.42. Luc.20. v.17.

NEC SCRIPTVRAM HANC loquentem in eandem sententiam, quòd scilicet coloni occisuri sint filium, heredem vineæ. Reliqua lege Matth.21.v.42.

11 παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν;

A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?

Psal. 117. v.23. Matth.21. v.42.

Expositionem pete ex Matthæo.

12 καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· ἔγνωσαν γὰρ ὅτι

Et quærebant eũ tenere, & timuerunt turbam: cognouerunt enim quoniam

Matth.21. v.45.46. Luc.20. v.19.

ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. | πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπε. καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον.

ET TIMVERVNT. sed timuerunt. COGNOVERVNT. intellexerunt. ENIM. Non pertinet hæc ratio ad id quod proximum est *timuerunt*, sed ad id quod præcedit: quemadmodum postremum *relicto eo abierunt* pertinet ad remotius *timuerunt*. Vt itaque confusio ista explicetur, hunc in modum ordinare licebit versiculi istius verba: Quærebant eum tenere, cognouerunt enim quòd aduersus ipsos parabolam hanc dixerit: sed timuerunt turbam. itaque relicto eo abierunt. AD EOS. πρὸς αὐτοὺς aduersus ipsos. ET pro itaque.

RELICTO EO breui pòst. nam & aliam præterea parabolam ingessit illis antequam abirent (Matth. 22. v. 15.) quam refert Matthæus initio capitis 22. Reliqua lege Matth. 21. v. 45. 46.

Matth. 22. v. 15. 16. Luc. 20. v. 20.

[13] Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis & Herodianis, vt eum caperent in verbo. | καὶ ἀποστέλλουσι πρὸς αὐτόν τινας τῶν φαρισαίων καὶ τῶν ἡρωδιανῶν, ἵνα αὐτὸν ἀγρεύσωσι λόγῳ.

ET, id est, *tunc* Interprete Matthæo, paulò postquam abiissent. MITTVNT. s. ex præcedentibus, summi sacerdotes, scribæ, & seniores, qui suprà 11. v. 27. narrati fuerunt ad Iesum in templum accessisse. QVOSDAM. quos putabant Iesu ignotos. EX PHARISÆIS. τῶν φαρισαίων Pharisæorum, *discipulos Pharisæorum* quod ait Matthæus. Syrus habet *quosdam è scribis*. CAPERENT. ἀγρεύσωσι venarentur, venatu assequerentur. IN VERBO. λόγῳ *sermone* vertit secundùm Matthæum. Latinè & syriacè exprimitur *in* præpositio quæ græcè subauditur. Reliqua lege Matth. 22. v. 15. 16.

Matth. 22. v. 16. 17. Luc. 20. v. 21. 22.

[14] Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus? | οἱ δὲ ἐλθόντες λέγουσιν αὐτῷ· διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ διδάσκεις. ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ; δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν;

QVI VENIENTES. οἱ δὲ ἐλθόντες Illi autem cùm venissent. IN FACIEM. Idem significatur siue dicas *in personam* siue *in faciem* hominum respicere: significatur enim consideratio qualitatis externæ, eius quod est extra causam & rem, in iudicando vel docendo. DARI. δοῦναι *dare*, vt est etiam in quibusdam latinis libris. TRIBVTVM. κῆνσον censum. AN NON DABIMVS? an consulis nobis vt non demus? Græcè & syriacè est, *Licet censum Cæsari dare, an non? demus, an non demus?* Ponitur autem δῶμεν *demus* modo potentiali, pro debemus dare an non debemus dare? q.d. Non de iure tantummodo te rogamus an liceat, sed consulimus etiam an suadeas dandum annon dandum? Itaque non solùm sententiæ, sed consilij etiam auctorem ipsum esse volebant, vt in grauius crimen detruderent: vrgebantque hac iteratione responsum, tamquam omnino sequuturi id quod determinasset Iesus & consuluisset. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

Matth. 22. v. 18. 19. Luc. 20. v. 23. 24.

[15] Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium vt videam. | ὁ δὲ εἰδὼς αὐτῶν τὴν ὑπόκρισιν, εἶπεν αὐτοῖς· τί με πειράζετε; φέρετέ μοι δηνάριον ἵνα ἴδω.

VERSVTIAM. τὴν ὑπόκρισιν hypocrisin; Syrus *fraudem*. AFFERTE VT VIDEAM, id est, ostendite. DENARIVM. numisma census quod est denarius. Petiit sibi ostendi *numisma census*, Matthæo teste, non declarando quod genus numi illud esset: sed quia *denarius* fuit numisma census, quod nec Iesum ipsum latuit, quamquam dissimularit, hinc Marcus dicit quòd ostendi sibi petierit denarium. Reliqua petenda sunt ex Matth. 22. v. 18. 19.

Matth. 22. v. 19. 20. 21 Luc. 20. v. 24.

[16] At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cuius est imago hæc & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. | οἱ δὲ ἤνεγκαν. καὶ λέγει αὐτοῖς· τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ· καίσαρος.

INSCRIPTIO. ἐπιγραφὴ *superscriptio* transfert secundùm Matthæum, vbi reliqua dicta sunt.

Matth. 22. v. 21. 22. Luc. 20. v. 25. 26.

[17] Respondens autem Iesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Et mirabantur super eo. | καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· ἀπόδοτε τὰ καίσαρος καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ. καὶ ἐθαύμαζον ἐπ' αὐτῷ.

REDDITE. Dicens *reddite*, vtrique quæstioni respondet, scilicet & licere & debere dari. IGITVR hic non

non legitur græcè aut syriacè. MIRABANTVR. ἐθαύμασαν mirati sunt. SVPER EO s. Iesu, aut responso Iesu. Reliqua quære secundùm Matthæum.

καὶ ἔρχονται σαδδουκαῖοι πρὸς αὐτὸν, οἵτινες λέγουσιν ἀνάστασιν μὴ εἶναι, καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν λέγοντες·

18 Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, & interrogabant eum dicentes:

Matth. 22. v. 23. Luc. 20. v. 27.

ET VENERVNT. καὶ ἔρχονται & veniunt s. eodem illo tempore. vel, tunc veniunt. INTERROGABANT. ἐπηρώτησαν interrogauerunt. Reliqua lege Matth. 22. v. 23.

διδάσκαλε, μωσῆς ἔγραψεν ἡμῖν, ὅτι ἐάν τινος ἀδελφὸς ἀποθάνῃ, καὶ καταλίπῃ γυναῖκα, καὶ τέκνα μὴ ἀφῇ, ἵνα λάβῃ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ ἐξαναστήσῃ σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ.

19 Magister, Moses nobis scripsit, vt, si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit vxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater eius vxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo.

Deut. 25. v. 5. Matth. 22. v. 24. Luc. 20. v. 28.

DIMISERIT. reliquerit VXOREM superstitem. FILIOS. τέκνα propriè est liberos, sed rectè Interpres cum Syro *Filios*, nisi quòd non numeri sed speciei habenda est ratio, (sufficiebat enim vnicum filium reliquisse. RESVSCITET. ἐξαναστήσῃ exsuscitet. Reliqua pete ex Matthæo.

ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν, καὶ ὁ πρῶτος ἔλαβε γυναῖκα, καὶ ἀποθνήσκων οὐκ ἀφῆκε σπέρμα.

20 Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus est non relicto semine.

Matth. 22. v. 25. Luc. 20. v. 29.

ERGO addidit Interpres, vt narrationis exordium declararetur. ET MORTVVS EST NON RELICTO SEMINE. καὶ ἀποθνήσκων οὐκ ἀφῆκε σπέρμα & moriens non reliquit semen. filium scilicet. Reliqua secundù Matth.

καὶ ὁ δεύτερος ἔλαβεν αὐτὴν, καὶ ἀπέθανε, καὶ οὐδὲ αὐτὸς ἀφῆκε σπέρμα· καὶ ὁ τρίτος ὡσαύτως.

21 Et secundus accepit eam, & mortuus est, & nec iste reliquit semen: & tertius similiter.

Matth. 22. v. 26. Luc. 20. v. 30. 31.

EAM in vxorem. ISTE. ipse.

καὶ ἔλαβον αὐτὴν οἱ ἑπτὰ, καὶ οὐκ ἀφῆκαν σπέρμα. ἐσχάτη πάντων ἀπέθανε καὶ ἡ γυνή.

22 Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Nouissima omnium defuncta est & mulier.

Matth. 22. v. 26. 27. Luc. 20. v. 31. 32.

SIMILITER. æqualiter. hoc addit Interpres claritatis gratia, quod nec græcè nec syriacè additur. SEPTEM. οἱ ἑπτὰ illi septem. NOVISSIMA. ἐσχάτη vltima.

ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι, τίνος αὐτῶν ἔσται γυνή; οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα.

23 In resurrectione ergo, cùm resurrexerint, cuius de his erit vxor? septem enim habuerunt eam vxorem.

Matth. 22. v. 28. Luc. 20. v. 33.

CVM RESVRREXERINT septem illi viri fratres & mulier ista. DE HIS. αὐτῶν horum, ex his septem viris ERIT ista vna mulier VXOR? SEPTEM. οἱ ἑπτὰ ipsi septem, omnes septem. Reliqua petenda sunt ex Matth. 22. v. 28.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ;

24 Et respondens Iesus ait illis: Nónne ideo erratis, non scientes scripturas neque virtutem Dei?

Matth. 22. v. 29.

NÓNNE IDEO. Interrogatio vim habens vehementissimæ affirmationis, ex idiomate sermonis hebraici. NON SCIENTES. eò quòd non sciatis, eò quòd non intelligatis aut cognoscatis. Reliqua lege Matth. 22. v. 29.

ὅταν γὰρ ἐκ νεκρῶν ἀναστῶσιν, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίσκονται, ἀλλ' εἰσὶν ὡς ἄγγελοι οἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

25 Cùm enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælis.

Matth. 22. v. 30. Luc. 20. v. 35. 36.

RESVRREXERINT s. homines. NVBENT. γαμοῦσιν vxores ducunt. NVBENTVR. ἐκγαμίσκονται nuptum dantur. IN CÆLIS. οἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς qui in cælis sunt. Cætera enarrata sunt Matth. 22. v. 30.

Matth.22. v.31.32. Luc.20. v.37.

De mortuis autem quòd resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? 26

περὶ δὲ τῶν νεκρῶν ὅτι ἐγείρονται, οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῇ βίβλῳ μωσέως, ἐπὶ τῆς βάτου ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ θεός, λέγων· ἐγὼ ὁ θεὸς ἀβραάμ, καὶ ὁ θεὸς ἰσαάκ, καὶ ὁ θεὸς ἰακώβ;

DE MORTVIS AVTEM QVÒD RESVRGANT. id est, Quòd autem mortui resurrecturi sint. ἐγείρονται suscitantur, suscitandi sint. NON LEGISTIS. q.d. ex eo monstratur quod legitur IN LIBRO MOYSI, Exodo videlicet. vide Matth. 23. v.2. vnde deriuetur genitiuus *Moysi*. SVPER RVBVM. vel in rubo (ἐπὶ τῆς βάτου) s. apparens. Est per traiectionem construenda pericope ista, quod fecit Syrus, vertens: *Quomodo e rubo dixerit illi Deus*. Quasi digito notat locum Mosis. SVM. non exprimitur græcè, sed relinquitur subaudiendum vt hebraicè. Reliqua pete ex Matth. 22. v. 32.

Matth.22. v.32. Luc.20. v.38.

Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Vos ergo multùm erratis. 27

οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ θεὸς ζώντων. ὑμεῖς οὖν πολὺ πλανᾶσθε.

MVLTVM ERRATIS à veritate, quòd nec resurrectionem futuram credatis, nec resurrecturis aliam vitam esse posse, quàm eam quæ est huius mortalis seculi, arbitremini.

Matth.22. v.35.36.

Et accessit vnus de Scribis qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam benè illis responderit, interrogauit eum quod esset primum omnium mandatum. 28

καὶ προσελθὼν εἷς τῶν γραμματέων, ἀκούσας αὐτῶν συζητούντων, εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη, ἐπηρώτησεν αὐτόν, ποία ἐστὶ πρώτη πασῶν ἐντολή.

ET ACCESSIT. καὶ προσελθὼν & quum accessisset. VNVS. quidam. DE SCRIBIS. τῶν γραμματέων Scribarum, id est, legis doctorum. ILLOS. Iesum & Sadducæos. CONQVIRENTES. συζητούντων simul disputantes. vide sup. 8. v. 11. ET VIDENS. εἰδὼς sciens, quum sciuisset, propterea quòd audierat. Syriacè est ܚܙܐ *hazo videns*, vt latinè. quod positum est pro animaduertens seu obseruans. Interpres legit ἰδών. QVONIAM BENE. quòd sapienter, quòd doctè, solidè, & clarè, demonstrans, & scripturas optimè à se intelligi, & rerum cognitione atque iudicio plurimùm se posse. ILLIS Sadducæis Iesus. Hac præcipuè causa motus ad interrogandum fuit hic Scriba, quòd speraret referre doctam solidamque definitionem quæstionis qua angebatur, quemadmodum audierat Sadducæis sapientissimè satisfactum fuisse: quamquam simularet se rem agere collegarum, vt caperet Iesum in sermone. PRIMVM. maximum & præcipuum OMNIVM. inprimis acceptum Deo & præ cæteris requisitum. Reliqua lege Matth. 22. v. 34. 35. 36.

Iesus autem respondit ei: Quia primum omniũ mandatũ est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. 29

ὁ δὲ ἰησοῦς ἀπεκρίθη αὐτῷ· ὅτι πρώτη πασῶν τῶν ἐντολῶν, ἄκουε ἰσραήλ, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος εἷς ἐστι.

QVIA superfluit. AVDI ISRAEL. Moses inculcaturus præcipuum mandatum quod est de diligendo Deo, adeoque summam totius legis suæ, parat attentionem. Deinde præfatur quis sit Deus, partim vt auctoritatem legi suæ concilier, partim vt cognoscatur is quem solum super omnia diligendum præcipit. impossibile est enim diligere nisi cognoscas. Qui errant in statuendo Deo, aut putant cum Domino alios multos aut alium aliquem esse Deum, non possunt illi diligere Dominum Deum. DOMINVS. Nomen Dei proprium. vide Matth. 1. v. 20. Proœmium primi præcepti, quod ait Euthymius. DEVS TVVS, seu potiùs vt est in aliis libris, *noster* (lege Notas, qui nos in populum peculiarem adoptauit, & quem nos vicissim vt solum verum Deum colendum suscepimus. DEVS. In aliis rursus libris, græco ac syro cõsentaneis, est *Dominus*, vt hebraicè repetitur hîc nomen Dei proprium, pro appellatiuo *Deus*. VNVS EST. Dij gentium multi sunt: Deus noster *vnus est*, quia & solus, & simplex, nec plures nec in plura diuisibilis. Solus nec plures, quia non est alius Deus præter eum: simplex, quia primum ens, prima causa, actus purus, & ipsum esse. Non componitur ex corpore & anima aut ex materia & forma, non distinguitur à sua essentia ac ne quidem à suo esse, non est in genere aliquo sed generis omnis principium, non subiacet accidentibus, nullam patitur diuisionem, nec venit denique in compositionem aliorum, sed est ipsum simplicissimum ac maximè vnum ens. Hunc articulum Iudæi secundum faciunt in symbolo fidei quod celebrant tredecim articulis constans: & inter 613. præcepta, quibus legem Mosis constare asserunt, decimum numerant: *Scriptum, Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est, discatur memoriaque teneatur*. Quare & Deut. 6. v. 4. tertiam & postremam huius sententiæ literas scribunt maiusculas. Vnitas porrò, naturarum pluralitatem excludit, non personarum. *Quando in scriptura siue veteri siue noua* (ait Chrysostomus hom. 72. in Matthæum) *dicitur vnum esse Deum, & præter eum alium non esse, non ad distinctionem Filij, sed ad exclusionem dictum est idolorum.*

Matth.22. v.37.38.

Et diliges Dominũ Deum tuum ex 30

καὶ ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐξ

ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου. αὕτη πρώτη ἐντολή.

toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mēte tua, & ex tota virtute tua. hoc est primum mandatum.

Luc. 10. v. 27. Deut. 6. v. 5.

Et diliges. Itaque diliges. Devm tvvm. Deum vnum. Virtvte. ἰσχύος fortitudine (nam *virtus* latinè ambigua vox est; LXX similiter *δυνάμεως*, hebraicè מאוד *meod* nimietate seu vehementia, id est, pro virili, quantum possibile est tibi hoc quartum explicat tria superiora. Marcus enim quatuor membris vrget contentionem amoris hominis erga Deum, facta *mentis* mentione ex Matthæo, & *virtutis* ex Mose. Reliqua lege Matth. 22. v. 37. 38.

καὶ δευτέρα ὁμοία, αὕτη· ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. μείζων τούτων ἄλλη ἐντολὴ οὐκ ἔστι. 31

Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquā teipsum. Maius horum aliud mandatū non est.

Matth. 22. v. 39. Luc. 10. v. 27. Leuit. 19. v. 18.

Illi. Græci libri plerique legunt *αὕτη istud*, videlicet istud. Latinis syriaci suffragantur, à quibus lectus fuisse videtur datiuus *αὐτῇ*. Maivs horvm. phrasis græca pro *maius his* s. duobus. Prius maius est isto: sed vtrumque cæteris omnibus est maius, siue nobilitatem, siue necessitatem, siue amplitudinem considetes. Reliqua pete ex Matthæo.

καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ γραμματεύς· καλῶς διδάσκαλε ἐπ' ἀληθείας εἶπας, ὅτι εἷς ἐστι θεός, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ. 32

Et ait illi Scriba: Benè Magister, in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.

In veritate dixisti. benè & verè respondisti. s. hoc esse primum omnium maximumque mandatum, vt Dominus Deus qui vnus est, diligatur &c. Quamuis animo non perinde sincero quæstionem proposuisset, simulans se gratificari velle collegis inimicis Iesu: tamen audiens responsum solidum ac sapiens, suæ etiam sententiæ in quam propenderet consentaneum, non potuit non erumpere in laudem Iesu etsi id ægerrimè laturos sciret collegas suos præsentes. Qvia pro quòd. Devs. Syrus relinquit hoc subaudiendum. Alivs Deus.

καὶ τὸ ἀγαπᾶν αὐτὸν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, καὶ ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος, καὶ τὸ ἀγαπᾶν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν, πλεῖόν ἐστι πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν. 33

Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tamquam seipsum, maius est omnibus holocautomatibus & sacrificiis.

Et s. benè in veritate dixisti, quia siue quòd vt diligatvr. Clariùs est grecè: Et *quòd* diligere eū ex &c. Intellectv. quod mox dictum est *διανοίας* mente, hîc dicitur *συνέσεως* intelligentia. Maivs est. Deo acceptius est. *πλεῖόν ἐστι* plus est, pluris fit à Deo. Omnibvs holocavtomatibvs et sacrificiis. quàm omnia holocautomata & sacrificia. Holocautomata seu holocausta interpretantur Græci, id sacrificiorum genus, in quo tota victima Deo adolebatur, vt ipsa verbi notatio declarat. Hebræi vocant עולות *boloth* ab ascendendo, quòd integra ascenderent altare & consumerentur, quòd super altare integra concremarentur. *θυσίαι* autem vocantur ea sacrificia quæ Hebræi dicunt זבחים *zebahim*, in quibus scilicet pars aliqua altari offerebatur, pars sacerdotibus & conuiuio decidebatur. lege Hieronymum in Isa. 56 v. 7. Significatur autem his duobus, omne genus sacrificiorū veteris illius legis: quod & fit pluribus aliis Scripturæ locis. Psal. 50. v. 18. Isa. 56. v. 7. Osee 6. v. 6. Porrò ex his huius Scribæ verbis manifestum fit, aliquos eius temporis Scribas (fortè auaritiæ affectu ductos, quòd sacerdotes essent) pro re Deo maximè omnium grata, sacrificia habuisse, & summam pietatis posuisse in colendo Deo sacrificiis: aduersus istos enim hic præfert dilectionem Dei & proximi omnibus sacrificiorum generibus, subscribens sententiæ Christi. Nam etsi Christus non meminerat sacrificiorum, sic tamen repetit Scriba verba Christi, tamquam si dixisset, charitatem erga Deum & proximum omni sacrificiorum cultui præstare, quia implicitè hoc dixerat; immo clarè colligendum dederat ex his verbis suis: *Maius horum aliud mandatum non est*. Atque hoc docetur etiam multis Scripturæ locis, nominatim illo Hosee 6. v. 6: *Misericordiam volo & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta.* quem Pharisæis Christus non semel obiecit in hanc sententiam (Matth. 9. v. 13. & 12. v. 7.) Cuius ratio est, quia Deus spiritus cùm sit, spiritu præcipuè colitur (Ioh. 4. v. 24.) spiritum autem sacrificia per se non afficiunt, sed dilectio & charitas. Quare absque sacrificiis multi placuerunt Deo; absque charitate nemo: nam nec sacrificia absque charitate Deo grata fuere.

καὶ ὁ Ἰησοῦς ἰδὼν αὐτὸν ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη, εἶπεν αὐτῷ· οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ 34

Iesus autem videns quòd sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à

Matth. 22. v. 46. Luc. 20. v. 40.

regno

regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare. | τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. καὶ οὐδεὶς οὐκέτι ἐτόλμα αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

IESVS AVTEM. καὶ ὁ ἰησοῦς Et Iesus, Tunc Iesus. VIDENS. αὐτὸν eum quod additur græcè superfluit. SAPIENTER. νουνεχῶς cordatè, à νοῦν ἔχειν mentem seu cor habere, quod Græci dicunt pro sapere. RESPONDISSET. responsum ipsius repetitum probasset, reiectis sententiis aduersariorum. NON ES LONGE A REGNO DEI quod prædico, parùm abest quin regnet inte Deus, quin idoneus sis qui numereris inter ciues regni Dei, siue adscribaris ecclesiæ Christi. Quoties mentio est regni Dei, toties recurrendum est ad illam definitionem, quam dedimus Matth. 3. v. 2. Porrò non aberat hic longè à regno Dei, quia nouerat quid faciendum esset ad obtinendum vitam æternam (nam de his duobus præceptis charitatis respondet Christus: *Hoc fac & viues*. Luc. 10. v. 28.) nec abhorrebat animus à faciendo, vt & incipiebat fauere Iesu: sed adhuc deerat ei, credere Iesum esse Christum Domini, adhuc deerat ei fides in Christum. Qui credit in Christum & pollicetur instituere vitam iuxta duo illa præcepta charitatis, agnoscens illa mandata esse omnium maxima, continentia veræ religionis & euangelicæ perfectionis summam, ille aptus est qui adscribatur regno Dei, quod est Ecclesia: ad quod admissus, ea quæ priùs maxima mandata esse intellexerat, opere compleat diuina Spiritus sancti gratia per Christum adiutus, tandemque vitam æternam assequatur. Tacitè itaque Iesus inuitat hunc Scribam ad fidem. Nam dicens haud longè abes, *distantem adhuc illum ostendit*, quò ad vlteriora niteretur, *& quæ ipsi adhuc deerant studiosè inquireret*, ait Victor Antiochenus. ET NEMO. Hoc quoque Scriba superato, ita vt etiam palmam Iesu proprio ore tribueret publicè, *nemo iam*, id est, ampliùs AVDEBAT EVM INTERROGARE dolosè tentando, ne plus dedecoris referrent teste populo. Reliqua huius versiculi quære Matth. 22. v. 46.

Matth. 22. v. 41. 43. Luc. 20. v. 41.

35 Et respondens Iesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse Dauid? | Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς ἔλεγε διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς ὅτι ὁ χριστὸς υἱός ἐστι δαβίδ;

ET pro autem. RESPONDENS. id est, occasione propositarum sibi plurium ab aduersariis quæstionum, proponens & ipse. Seruari tamen potest propria huius verbi significatio. Nam vt scribit Matthæus, dum docens in templo de hac re interrogasset Pharisæos, tulissetque responsum Christum esse filium Dauid, ipse hoc modo excepit argumentum: *Quomodo dicunt* &c. DOCENS. inter docendum eo tempore.

QVOMODO DICVNT SCRIBÆ, & vos Pharisæi præsentes ex Scribarum sententia. Nam, vt Matthæus latiùs historiam hanc narrat, responderant Pharisæi ipsi à Iesu interrogati, Christum Dauidis esse filium; responderant autem, ex sententia haud dubium Scribarum siue legisperitorum, quos etiam nominasse potuerunt, qui sic docebant publicitus, adeò vt eo tempore vulgus ipsum Messiam describeret periphrasi *filij Dauid*. vide Matth. 1. v. 1. & 22. v. 42.

Matth. 22. v. 43. 44. Luc. 20. v. 42. 43. Psal. 109. v. 1.

36 Ipse enim Dauid dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. | αὐτὸς γὰρ δαβὶδ εἶπεν ἐν πνεύματι ἁγίῳ· λέγει ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου.

IPSE ENIM. Cùm ipse Dauid dicat seu dixerit, est enim græcè præteritum. DIXIT DOMINVS. λέγει ὁ κύριος dicit Dominus. *Hebraica dictio* נאם *neum ambigua est ad vtrumque tempus*, quod ait Euthymius, & indifferenter hîc accipi potest, vt prophetæ indifferenter vtuntur temporibus. Reliqua lege Matth. 22. v. 43. 44.

Matth. 22. v. 45. Luc. 20. v. 44.

37 Ipse ergo Dauid dicit eum Dominum, & vnde est filius eius? & multa turba eum libenter audiuit. | αὐτὸς οὖν δαβὶδ λέγει αὐτὸν κύριον, καὶ πόθεν υἱὸς αὐτοῦ ἐστι; καὶ ὁ πολὺς ὄχλος ἤκουεν αὐτοῦ ἡδέως.

ET VNDE. vnde igitur. ex qua parte igitur. Quomodo idem & filius & Dominus Dauidis est? quòd si Dominus est, vt ex ipsius Dauidis assertione patet, ex qua parte est filius eius? Argumento hoc manifestè significatum est, duas esse naturas in Christo. Sed non refert Euangelista qui soluerint hunc nodum siue auditores siue Iesus ipse, intelligendum dans propositum à Iesu fuisse eo fine vt vnusquisque apud animum suum eum premeret, & prophetiam cum rebus præsentibus conferret. MVLTA. Syrus *omnis*. Alij *pleraque* vertunt. LIBENTER. ἡδέως iucundè, cum voluptate. ob eam qua res diuinissimas atque vtilissimas explicabat perspicuitatem & facilitatem cum sermonis suauitate coniunctam. AVDIVIT. ἤκουεν *audiebat*, quo modo est & in quibusdam latinis libris. EVM docentem & disputantem. Reliqua petenda sunt ex Matth. 22. v. 45. 46.

Matth. 23. v. 7. Luc. 11. v. 43. & 20. v. 46.

38 Et dicebat eis in doctrina sua: Cauete à Scribis, qui volũt | καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ· βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων

ἐν

ἐν στολαῖς περιπατεῖν, καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, — in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro,

Et pro *tunc*, interprete Matthæo cap. 23. v. 1. Eis. turbæ. In doctrina sva. id eſt, inter docendum, vel ſuo more docendi, maxima ſcilicet cum grauitate, auctoritate, libertateq; nemini adulante. vide ſup. 4. v. 2. Cavete. ſic rectè expoſuit Interpres id quod eſt græcè βλέπετε *videte*. A Scribis ne vos corrumpant exemplo ſuo. cauete, non à doctrina, ſed ab exemplo conſuetudinis ac vitæ Scribarum, ne imitemini mores eorum: facilè enim ſeducit mala vita doctorum. Ne miſeram plebeculam ſecum in eandem ruinam traherent, qui perſeuerare in peccatis ſuis & pertinacia Chriſti reiiciendi conſtituerant, taxat vitia eorum, quæ præcipua fuerunt, amor inanis gloriæ & amor lucri, monetque vt caueantur. Qvi volvnt. τῶν θελόντων. Articulus hîc ponitur αἰτιολογικῶς, perinde ac ſi diceret Euangeliſta, volunt enim. *Volunt* autem, id eſt, amant, vt loquitur Matthæus, gaudent, affectant, expetunt. In stolis, id eſt, ſtolati ſeu ſtolis induti, ambvlare, in publicum prodire, publicè incedere. Stolæ vox, qua latina pariter & græca & ſyriaca vtuntur, pro veſte oblonga & ad talos vſque demiſſa, ſplendidiore, cultiore, & pompoſiore, accipitur. Videtur autem fuiſſe exterior illa veſtis fimbriata, cuius fit mẽtio Deut. 22. v. 12., ſeu, Euthymio auctore, palliũ magnificis fimbriis ornatum, cuius meminit Matthæus cap. 23. v. 5. huiuſmodi enim veſtis, quia reuerentiam conciliabat populi ſuccinctè viliterque veſtiti, placebat Scribis ambitioſis. *Nolite*, ait Victor Antiochenus, *eos æmulari, neque oculis in externam illorum ſpeciem coniectis felices fortunatoſue illos prædicetis. Sunt hæc omnia idcirca ſuperbiæ cuiuſdam oſtentationis inſtrumenta, humanæq; laudis aucupia, quo inutilis honoris præmium apud homines ferant.* Et salvtari. Rectè Interpres mutauit nomen ἀσπασμοὺς *ſalutationes* cum verbo, quia dura eſt tranſitio à verbo ad nomen. Cæteroqui græcè ſubaudire oportet *volunt* pro *amant*, quo verbo vtuntur Matthæus & Lucas, quod etiã hîc expreſſit Syrus. Reliqua huius verſiculi lege Matth. 23. v. 7.

39 καὶ πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις· — & in primis cathedris ſedere in ſynagogis, & primos diſcubitus in cænis:

Matth. 23. v. 6. Luc. 11. v. 43. & 20. v. 46.

In primis cathedris sedere. πρωτοκαθεδρίας præſidentias. Et primos discvbitvs. Vt ſibi conſtaret Interpres vertere debuerat, & primi accumbere. Reliqua lege Matth. 23. v. 6.

40 Οἱ κατεσθίοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· οὗτοι λήψονται περισσότερον κρίμα. — qui deuorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius iudicium.

Luc. 20. v. 47.

Qui devorant. οἱ κατεσθίοντες penitus comedentes, qui penitus comedunt (ſic enim exponas vim præpoſitionis κατὰ quod eſt, qui deuorant, abliguriunt. Græcè ſolœciſmum oportet agnoſcere participiorum primi caſus pro participiis ſecundi (dependet enim hic verſus adhuc à 38. ſuperiori) niſi hebraico more ſubaudias verbum ſubſtantiuum εἰσίν. Porrò quidam gulam, alij veriſimiliùs inſatiabilem auaritiam hîc notari volunt. Domos. facultates, ſubſtantiam vniuerſam, eas planè ad inopiam redigentes. Vidvarvm. quibus debuerant auxilio eſſe. Nominat viduas, quò peccatum eorum magis exaggeret, quòd eas deciperent ac ſpoliarent, quæ omnium maximè erant ipſorum ſubſidio & patrocinio iuuandæ: intelligit autem *viduarum* nomine bonos ac ſimplices & ad rapinam expoſitos homines, quibus patroni deſunt, præcipuè tamen viduas, quæ & ſui iuris ſunt vt facultates ſuas aliis dilargiantur, & procliues ad pietatem ſed incautæ ac maritorum patrocinio deſtitutæ faciliùs decipiuntur ſanctimoniæ ſpecie. Hinc enim has emungere, hypocritis ſemper ſolemne fuit. Reprehendit itaque Chriſtus, quòd viduæ ſimileſque perſonæ doli expertes quæ, ne in inopiam inciderent ab aliquibus circumuentæ, fuerant conſilio opibuſque iuuandæ, præſertim à Legis doctoribus (viduarum enim inprimis & pupillorum defenſionem omnibus commendat Lex) ab eis fuerint miſerè exeſæ. Svb obtentv prolixæ orationis. καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι & obtentu prolixè orantes, & ad obtentum prolixè orant. Interpretes Syrus & Latinus coniunctionem καὶ intellexerunt interpretatiuè, pro idque, quomodo à quibuſdam vertitur. Obtentus porrò, ſpecies, ſeu occaſio, quod eſt græcè πρόφασις, opponitur veritati, vt etiam Philip. 1. v. 18.: *ſub obtentu* itaque, id eſt, obtendentes auaritiæ ſuæ vſque adeò crudeli, *prolixam orationem*, feruens ſtudium orandi Deum. Senſus eſt, Stant in oratione, publicè, in templo, ſynagogis, & angulis platearum, idque diu, prolixè, & frequenter, non quòd religione moueantur, aut Dei orandi ſint ſtudioſi, ſed vt tales habeantur, eaque ratione captent fauorem & prouocent homines ſimplices, ſignanter verò viduas, ad offerendum ipſis frequentia munera, per quæ fit vt comedant atque exhauriant ipſarum viduarum facultates, quæ ita demum orationibus ipſorum iuuari ſperant, ſi ſuas opes in ipſos effundant. Fingunt longas preces & multum ſe temporis conſumere in commendandis viduis Deo, à quibus proinde munera non exigua accipiunt, ita vt quæ plus donauerit longiorem orationem mereatur & maius præmium reportet. In longis precibus ſignum exſtat raræ pietatis: nam quo quiſque ſanctior eſt, eo precandi ſtudio magis deditus eſt. Iſtis autem precandi aſſiduitas, turpis lucri fuit aucupium. Non itaque precabantur, ſed venabantur: non orabant prolixè, ſed prolixas orationes ſimulabant, obtentum ſeu ſpeciem exhibebant citra veritatem: nihil enim aliud ſpectabat animus, quàm prædam à mulierculis, credentibus eos cum Deo colloqui, quorum cor, non in cælo verſabatur, ſed in loculo; non in ara, ſed in arca: in patina, non in parſimonia: qui, vt araneus muſcas longis telis, ita ipſi diuitias longis orationibus ſectabantur. *Quum itaque*, quod ait V. Beda, *porrecta manus pauperi, preces iuuare ſoleat: hi, vt nummum pauperi tollant, in precibus pernoctant.* Non ergo reprehenduntur longæ preces, quaſi in illis ſit vitium (immo verò eccleſiæ doctores ac paſtores ſingulariter intentos precando eſſe oportet) ſed hæc corruptela damnatur, quòd res per ſe laudabilis in prauum finem conuerteretur. Hi ſ. Scribæ, ob hæc ambitionis & cru-

& crudelis hypocriseos scelera, his tribus iam versibus descripta. ACCIPIENT. recipient, referent PROLIXIVS. περισσότερον amplius, abundantius, maius, grauius. non tantùm non effugient iudicium Dei, vt etiam grauius subituri sint. IVDICIVM. condemnationem, id est, in istos feretur sententia grauior, hi grauius punientur s. à Deo summo iudice, quàm vulgares alij peccatores. Quo magis à populo honorantur, ambitumque honorem in finem deteriorem referunt, eo grauiùs condemnabuntur: *potentes enim potenter tormenta patientur* (Sap. 6. v. 7.) presertim verò si sanctitatis professione ad peccandũ abusi fuerint, si virtutem fecerint peccati pretextũ, malitiam fuco sanctimoniæ obnubilarint, & Dei armis induti, diabolo militarint: *quo modo isti auaritiam religionis colore depinxerant*, quod ait auctor operis in Matthæum imperfecti. *Omnes enim*, inquit Chrysostomus homilia 74. in Matthæum, *qui perperam agunt, supplicio digni sunt: qui vero simulatione bonitatis ad improbitatem tendit, multo grauiori pœna omnino afficiendus. Simulata sanctitas, duplex iniquitas*, ait ille.

Luc. 21. v. 1.

41 Et sedens Iesus contra gazophylacium, adspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa.

καὶ καθίσας ὁ ἰησοῦς κατέναντι τοῦ γαζοφυλακίου, ἐθεώρει πῶς ὁ ὄχλος βάλλει χαλκὸν εἰς τὸ γαζοφυλάκιον, καὶ πολλοὶ πλούσιοι ἔβαλλον πολλά.

ET SEDENS. Cùm sedisset autem. Obiurgatis Scribis & Pharisæis hypocritis, quieti nonnihil se dans Dominus Iesus, à concione fatigatus, sedit CONTRA GAZOPHYLACIVM. è regione, ex aduerso gazophylacij s. templi. De nomine gazophylacium scribit V. Beda in hæc verba: *Qua sermone græco φυλάττειν seruare dicitur, & gaza lingua Persica diuitiæ vocantur, gazophylacium locus appellari solet, quo diuitiæ seruantur.* Syrus vocat ܒܝܬ ܓܙܐ *beth gazo* domum gazæ, seruato similiter nomine gazæ. Multis veteris testamenti locis mentio est gazophylacij templi, sed non omnibus idem locus significatur. Quibusdam enim locis, *gazophylacium* intelligitur locus amplior, cænaculi seu cubiculi instar, multarum rerum capax, vbi seruabantur opes templi, ad templi ministerium, ornatum, instaurationem, aut ministrorum templi pauperumque sustentationem, comparatæ: erantque huiusmodi plura loca, quas cameras voces, iunctæ porticibus atriorum templi, in quorum alijs pecunia, alijs supellex templi aurea atque argentea, aliis vestes sacerdotum pretiosæ, alijs alia huiusmodi custodiebantur. Hæc hebraicè לשכות *lischoth*, græcis Interpretibus nunc *gazophylacia* nunc *pastophoria*, latino *exedra* & *gazophylacia* dicuntur. Vnde 1. Paral. 28. v. 12. legimus, de construendis exedris *in thesauros domus Domini & in thesauros sanctorum.* Ierem. 35. v. 2. legis *In vnam exedram thesaurorum:* quæ exedra mox v. 4. vocatur *gazophylacium, & quidem filiorum Hanan*, quòd illi custodes essent: diciturque fuisse *iuxta gazophylacium principum*, quo nimirum præclariora templo à principibus viris oblata munera seruabantur; huiusmodi de quibus legis 4. Reg. 12. v. 18. *quod tulerit Ioas omnia sanctificata, quæ consecrauerant Iosaphat & Ioram & Ochozias patres eius reges Iuda, & quæ ipse obtulerat, & miserit ea Hazaeli regi Syriæ, vt recederet à Ierusalem.* Videntur etiam decimæ frumenti vini atque olei, ac primitiæ sacerdotales, in gazophylaciis seu exedris templi aliquando seruatæ fuisse, præsertim cùm primùm populus è captiuitate Babylonica reuersus esset. Sic enim promittit populus 2. Ezræ 10. v. 37: *Et primitias ciborum nostrorum & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei, afferemus sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Leuitis.* Et cap. 13. v. 5. legitur: *Fecit ergo* (Eliasib sacerdos) *sibi*, id est, ei. s. Tobiæ, affini suo) *gazophylacium* (seu cubiculum) *grande: & ibi erant ante eum* (id est, antequam Eliasib Tobiæ cubiculum illic construxisset) *reponentes munera, & thus, & vasa, & decimam frumenti vini & olei, partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & primitias sacerdotales.* Quinetiam omnes exedræ siue cameræ, quæ erant in circuitu atriorum templi, vocantur à latino Interprete, apud Ezechielem præsertim, *gazophylacia* (Ezech. 40. v. 17. & deinceps) etiamsi non seruandis templi opibus, sed alijs vsibus seruirent, nimirum habitationi sacerdotum templo ministrantium, comedendis carnibus sanctis, &c. Alijs veteris scripturæ locis, gazophylacium significat locum arctiorem, qui hebraicè ארון *Aron*, latinè *arca* dicitur, qua adseruabatur pecunia templo à populo oblata, siue debita, siue spontanea, nonnumquam etiam deposita, vt 2. Machab. 3. v. 10. 11. Et erant quidem in ipsis etiam exedris huiusmodi arcæ, quibus tum sacra tum à piis deposita pecunia includebatur, de quibus Iosephus lib. 7. de bello cap. 11: *Quinetiam arculas, quæ gazophylacia vocantur, incendunt, in quibus magna vis erat pecuniæ, ac plurimum vestium aliáque bona, &, vt breuiter dicam, omnes Iudæorum congestæ diuitiæ:* sed scriptura ferè loquitur de arca forinsecus collocata, in quam ea quæ offerebatur votiua pecunia immittebatur per foramen existens in summo operculo: qualem arcam primus confici iussit rex Ioas vnà cum pontifice Ioiada (quod legitur 4. Reg. 12. v. 9. & 2. Paralip. 24. v. 8.) & quales visuntur etiamnum hodie in templis nostris. De huiusmodi gazophylacio, arca inquam, sermo est hoc euangelij loco, quam Matthæus cap. 27. v. 6. alio nomine *corbanam* vocat. Sed illa quidem Ioiadæ arca, posita fuisse videtur, vt loco tutiore, in summo atrij Israëlis, ad latus aquilonare portæ per quam ingressus erat ex atrio Israelis in atrium sacerdotum, non longè ab altari holocaustorum: quò cùm non facilè accessus esset vniuerso populo, sacerdotes ianitores acceptam à populo pecuniam in arcam mox inferebant (4. Reg. 12. v. 9. & 22. v 4.) posterioribus autem temporibus, & quidem Christi Domini, collocata fuit in extremo atriorum Israelis ac fœminarum, ad portam orientalem, qua egressus erat ex atrio fœminarum in atrium profanum, idque vt populus ipse sua manu, siue ingrediens siue egrediens, pecuniaria sua dona immittere in gazophylacium posset. Huiusmodi arcas siue gazophylacia, duo fuisse existimant quidam, ad singulum portæ latus, vnum: credibile est ad singulas templi portas, vnum vt minimùm fuisse, ne cui eorum qui templum frequẽtarent, templo benefaciendi deesset occasio. Atqui celeberrimum gazophylacium illud fuisse videtur, quod, vt diximus, situm erat ad portam orientalem, vt illac celeberrimus erat in templum siue ingressus siue egressus: ex aduerso cuius iam sedit Dominus Iesus. ADSPICIEBAT. ἐθεώρει spectabat, obseruabat, non curiositatis sed captandæ doctrinæ salutaris causa. Benignis oculis adspicit Dominus eos, qui in tẽplis vacant operibus pietatis. TVRBA. populus, singuli, inquam, è populo, in templum ingrediente, vel templo exeunte. IACTARET. βάλλει iacit,

iacit, iaceret seu immitteret Æs. id est, pecuniam, ex quacumque tandem materia, ære, argento, auro. Nam quia prima pecunia à Romanis cusa, ærea fuerat, omnis generis pecunia pòst æris nomen retinuit.

IN GAZOPHYLACIVM seu ærarium templi, ad sustinendum Dei cultum, sacerdotum vitam, & templi fabricam. ET MVLTI. & quomodo multi DIVITES IACTABANT, iniiciebant MVLTA, multam pecuniæ summam, singuli plures aureos. Quàm enim erga templum suum liberales fuerint Iudæi, intelligere licet, partim ex locis illis Regum ac Paralipomenon, partim ex Iosepho, lib. 14. Antiq. cap. 12. (nam & ob hanc causam non rarò Principes expilando templi gazophylacio inhiarunt, prout legitur etiam 2. Machab. 3. v. 6.) iam verò, cùm ob pascha imminens, immensus vndique ex vniuerso mundo conuenisset populus, immensa haud dubium in gazophylacium pecunia certatim iniecta est.

καὶ ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ, 42 ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης. | Cùm venisset autẽ vidua vna pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. *Luc. 21. v. 2.*

CVM VENISSET AVTEM. καὶ ἐλθοῦσα. & obseruabat, quòd, quomodo cùm venisset. MISIT in gazophylacium. ἔβαλε iactauit, vt mox vertit: sed iactandi verbo iactantiam ostentationemque diuitum; mittendi, modestiam pauperis viduæ, ab omni ostentatione alienam, intelligendam dare voluit Interpres. DVO MINVTA. duos nummulos æreos, minutissimi pretij, quales sunt, quos, à latina minuti voce, Flandri *mitas*, Galli corruptiùs *pitas* vocãt. Videtur & Syrus hîc imitatus latinã vocem, dum scribit ܡܢܝܢ *menin*. neque enim licet hîc *minas* intelligere. QVOD EST QVADRANS. vel, quæ sunt quadrans, quæ duo minuta simul conficiebant quadrantem: quadrantem autem hoc esse quod teruncium, docuimus Matth. 5. v. 26. V. Beda, qui conijcit quadrãtem fuisse quinque obulos, id est, quartam sicli partem, fallitur haud dubiè: nec enim quarta sicli pars, pro duobus minutis habẽda est, quę drachmę æquiualet. Syrus pro *quod est quadrãs* vertit *quæ sunt octaua* (vt etiam Matth. 5. v. 26. *octauam* vertit ex *quadrante*) intelligens singulũ minutum fuisse octauam siue quadrantem. Nam quamquam latinus Syri Interpres reddat *quod est octaua pars*: ipsæ tamen voces syriacę plurales sunt ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܫܡܘܢܐ *ditihun semoune*, non tantùm propter apices additos, verumetiam ob pronomen ܗܘܢ *hun*: vt prętercam, quòd ex minuto octauam det Syrus Luc. 12. v. 59., & duas octauas ex duobus minutis Luc. 21. v. 2. Non vulgaris fuit viduæ huius pietas, quæ quamuis suæ sibi conscia inopiæ, & gnara quàm parum emolumenti templo accedere posset ex suo munere, tamen potiùs quàm vacua appareret in conspectu Domini, & non aliquid pro suo modulo in pios templi vsus Deique cultum conferret, maluit substantiola sua carere, adeoque victu proprio se priuare, denique sui oblita testari voluit se suaque omnia Dei esse, non hominum gloria mota, quæ nulla ipsi erat expectanda, *sed Deo voluntatem suam secretò probasse contenta*, quod habet Victor Antiochenus. Duo minuta, siue mendicitate, quod Theophylactus, siue sudore, quod Titus ait, parta, obtulit, *suam voluntatem declarans opibus abundantiorem*, nihilque dubitans quin fideli procuratori & se & sua omnia crederet.

καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς μαθη- 43 τὰς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἡ χήρα αὕτη ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων βέβληκε τῶν βαλόντων εἰς τὸ γαζοφυλάκιον. | Et conuocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium. *Luc. 21. v. 3.*

ET pro tunc. CONVOCANS προσκαλεσάμενος cùm aduocasset Iesus, propiùs scilicet ad se: disiuncti enim erant, & aberant paulò longiùs, præceptore non docente. DISCIPVLOS SVOS, capaces huius doctrinæ. QVONIAM pro quòd. VIDVA HÆC. Non est verisimile quòd viduam monstrauerit Iesus, quę iniecto in gazophylacium munusculo suo mox abierat: sed Euangelista paucis verbis narrat, quod pluribus dixerat Iesus. Dixerat haud dubium, & præfatus fuerat, quòd inter multos diuites, qui plures magni pretij numos in gazophylacium iniecerant, obseruasset iam modò viduam quamdam pauperem, quæ sola duo minuta iniecerat: deinde subiecit, loqui pergens de iis quorum iam fecerat mentionem: Amen vereque id affirmo, quòd VIDVA HÆC PAVPER MISIT in gazophylacium PLVS diuitibus illis & reliquis OMNIBVS QVI IN GAZOPHYLACIVM hodie quid MISERVNT. affirmo inquam id vobis pro vero ac certo, quamuis aliud sit hominum iudicium, qui reliquis omnibus minus eam contulisse censerent, adeoque tantùm contemnerent huius donum ac nihili facerent, quantùm aliorum dona extollerent ac facerent magni, præsertim verò sacerdotes, quibus hæc pecunia cedit. Hominum iudicio minimum contulisse videatur: sed Dei iudicio plus dedit reliquis omnibus, qui & sibi de sua munificentia egregiè placent, & aliis copiosissimè cõtulisse videntur. Non reprehendit diuites, quòd magna munera in gazophylaciũ misissent, quamquam munera illa, ex parte maiori cederent Scribis & Pharisæis, inimicis suis, in quos iam inuectus fuerat, quorumque auaritiam signanter taxauerat (plerique enim horum sacerdotes erant, immo verò commendat offerentium pietatem, & laudat eos, quòd ad sustinendum illum Dei cultum, quem Deus sic præscripserat, vt in meliorem nondum mutasset, liberaliter contribuissent: sed affirmat ac docet, viduam pauperculam, plus contulisse illisque liberaliorem extitisse. Et quamquam fieri potuerit, vt sacer ille thesaurus minùs rectè à sacerdotibus fuerit dispensatus: non ideò tamen dehortatur homines ab offerendis donis, quia sacerdotum abusus piorum dona non poterat vitiare. Docemur itaque hic, non ingratum Deo ac Christo esse, eam quæ templis fit oblationem.

πάντες γὰρ ἐκ τοῦ περισσεύοντος 44 | Omnes enim ex eo quod abundabat illis *Luc. 21. v. 4.*

illis miserunt: hæc verò, de penuria sua, omnia quæ habuit misit, totum victum suum.

αὐτοῖς ἔβαλον· αὕτη δὲ, ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς, πάντα ὅσα εἶχεν ἔβαλεν, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς.

OMNES ENIM reliqui. Dat rationem dicti sui, à communi hominum iudicio alieni. EX EO QVOD ABVNDABAT ILLIS. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ex eo quod supererat ipsis s. aliquid, aliquid eius quo ipsi abundabant. Multum dederunt, sed longè amplius domi sibi reseruarunt. MISERVNT in gazophylacium. DE PENVRIA SVA. ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς è penuria sua, ex eo quod ipsi, non deerat quidem, sed parcissimè suppetebat ad vitæ necessitatem. Penuriam vocat, non id quod non habebat, vt nomen propriè significat, verùm id, quod habebat quidem, sed ita vt ne ad sustentandam quidem vitam satis esset. QVÆ HABVIT. ὅσα εἶχε quæcumque habuit, quidquid in bonis habuit, nihil sibi reseruans: id quod clariùs etiam exponens & vrgens addit. TOTVM VICTVM SVVM. ὅλον τὸν βίον αὐτῆς totam substantiam suam. βίος & vitam significat, & victum, & substantiam, ad vitam scilicet necessariam. totam substantiam qua viuere poterat, & quidem simpliciter totam, ita vt nihil sibi retinuerit pecuniæ. Annotat quidam ex Hebræorú libris, quadrantem illo tempore satis fuisse, ad victum diurnum pauperrimi hominis. Opponit Saluator, penuriam abundantiæ, & totum parti, monstratque duplici ratione, quòd vidua reliquis plus dederit: vnâ, quia illis partem dantibus, ipsa dedit totum; alterâ, quia ipsa dedit totum quod sibi ad viuendum erat necessarium, illi dederunt partem, eius quod ipsis ad viuendum minimè necessarium erat. Est autem in confesso, plus eum dare, qui totum quod habet dat, eis qui dumtaxat dant partem, ac præsertim si ille det totum illud quo ad vitam sustinendam opus habet, hi partem dumtaxat eius quod ipsis superest: quinimmo liquet horum munera vix digna quæ cum illius munere conferantur. Nam quamuis muneribus ipsis inter se mutuò comparatis, horum munera longè ampliora sint munere illius: si tamen munera singulorum conferantur cum substantia seu possessione singulorum, comperietur munus illius, viduæ scilicet, infinitis partibus amplius esse muneribus horum. Existimassemus, quod Dominus dixerat, viduam pauperem plus omnibus diuitibus dedisse, intelligendum esse, quod ad animum & affectum, non secundùm rem: atqui Dominus his rationibus declarat, quòd dederit plus, & quidem multo plus, secundùm rem, non absolutè tamen, sed secundùm proportionem, habita ratione ad facultates singulorum; eò quòd viduæ, multo plus fuerit, vnum quadrantem æreum dedisse, quàm aliis dedisse multos aureos. Cæterùm non excludit Iesus viduæ animum aut affectum, sed cum re ipsa coniunctum vult intelligi, vt in omnibus nostris, non solùm externos actus, verumetiam internos considerat, & ex his iudicat de dignitate illorum. Non tantùm enim mens eius est dicere, quòd vidua re ipsa contulerit plus aliis, verumetiam quòd aliis liberalior ac munificentior fuerit, ipsiusque munus Deo gratius atque acceptius. Non accusat diuites quòd auari fuerint aut illiberales, nec censet quòd eorum munera Deo ingrata fuerint: sed ponens eos liberalia Deoque accepta munera obtulisse, docet hos à vidua longè superatos, non solùm doni amplitudine, sed & liberalitate ac diuinæ beneuolentiæ conciliatione. Liberalitatis autem ac munificétiæ præcipuus auctor, animus est: qui nisi generosus admodum fuisset in hac vidua, & supra modum studiosus colendi Dei, non erogasset in Dei dona necessarium victum, plura ac maiora erogatura vtique, si suppetiissent. Pleriq; homines hoc ingenio, cõsilio, & studio sunt, vt primùm sibi consultum esse velint, & quidem plenè; deinde verò, si quid superfit, pietati & communi vtilitati, idque ægrè. Non enim omne id quo abundant erogant, sed eius partem dumtaxat. Hæc verò, quamuis pauperem se sentiret, tamen priuato commodo posthabito, primam pietatis rationem habendam sibi duxit. *Ea enim magnanimitate ac deuotione duos obulos, hoc est, omnia quæ habebat obtulit*, inquit Titus in Lucam scribens, *ac si vitam propriam pro nihilo duceret*. Certè alio animi affectu in amicum fertur, is qui in amicum confert vniuersas facultates suas, alio is qui in eum id solum confert, quod sibi superfluum est, nec id totum. Excelluit igitur ista animi & liberalitate & pietate ac charitate, Deum eiusque cultum necessitati suæ vitæ præponens, nec tantùm, verumetiam iacta in Deum fiducia eminuit, qui non est minimus honor Dei. Nisi enim plena fide prouidentiæ diuinæ se commendasset, non expendisset totum victum suum. Et reuera qui in Deum non confidunt, sed sua ipsorum prouidentia nituntur, pauca in pios vsus erogant, quia plurima ipsis sunt necessaria (nam quibus Dei omnia implens prouidentia non sufficit, quid sufficiat!) contrà verò, qui de Dei prouidentia pendere nouerunt, quantum cõfidunt, tantum largiuntur, persuasi nihil sibi posse deesse necessariorum ad vitam, Deo curam gerente. Hinc legis libri quæstionum veteris & noui testamenti quæstione 124. inter opera D. Augustini: *Diuites, securi de diuitiis suis largiuntur, pauper autem securus de Domino.* Huiusmodi ergo viduæ animus cùm fuerit, nihil mirum, quòd Deo acceptius fuerit, amplissimum illud, pro modo facultatum, duorum minutorum munus, ab hoc animo profectum, omnium diuitum muneribus. Duo enim in muneribus cùm respiciat Deus, facultates scilicet & affectum dantis: vtraque ex parte, pauper vidua, diuites insigniter superauit, & consequenter munus ipsius illorum muneribus Deo gratius fuit. Non enim de munerum sibi oblatorum amplitudine & gratia iudicat Deus ex magnitudine emolumenti seu compendij, quod ex illis accedit ipsi, id est, templo aut ministris ipsius, quemadmodum hominibus donum illud gratius est, quod plus ipsis adfert vtilitatis: id est, non æstimat dona ex pretio externo, nec considerat munera in seipsis, sed comparata dantis tum facultatibus tum animo: & quidem animum ampliùs priùs respicit quàm facultates: quia vel animus acceptus est, si facultates prorsus desint; neque ex facultatibus animum, sed ex animo facultatum rationem metitur. *Si voluntas prompta est*, inquit Apostolus 2. Corint. 8. v. 12., *secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet*. Et Victor Antiochenus in hunc scribens locum: *Neque enim Deus*, ait, *tam munerum magnitudinem considerat, quàm animi alacritatem & magnitudinem ponderat.* Ad hæc Beda: *Non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat: nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur.* Denique Ambrosius lib. 1. officiorum cap. 30., recitato huius loci exemplo, infert: *Affectus igitur diuitem collationem aut pauperem facit, & pretium rebus imponit: non enim auarus Dominus est, vt plurimum quærat.* Non est allectus Dominus pretiosis splendidisque diuitum donis, vt eos laudaret, sed fructifera viduæ pauperies laudem eius obtinuit. Cæterùm non reprehendit, quod diximus, Iesus diuites, è super-

è ſuperfluo ſuo largos, ſed præfert illis pauperes, ex neceſſario ſuo liberales: nec præcipit, vt totum ſemper Deo detur, quod ad vitam ſuſtinendam eſt neceſſarium, ſed laudat, ſi quando id fiat tempore ac loco. Laudatur vidua quæ ſponte id fecit: quòd ſi Scribæ id extorſiſſent, crudelitatis notam haud effugiſſent. Porrò voluit Dominus Ieſus doctrinam hanc ſalutarem Eccleſiæ ſuæ tradere, tum ad inſtruendos diuites, tum ad pauperes animandos: ne, vel diuites efferrentur, & præ ſe deſpicerent pauperes; vel pauperes, animo quòd parum poſſideant abiecto, negligerent benefacere, ſi opinio teneret, munera ex auri argentiue quantitate à Deo æſtimari. Pauperculos, qui benefaciendi facultate deſtitui videntur, animat, vt non dubitent, vel tenuibus officiis, pro modo rerum ſuarum, alacriter ſtudium ſuum teſtari: tantam enim eſſe Dei humanitatem, vt nemo iuſtè excuſare ſe poſſit, quòd defuerit operibus pietatis: quinimmo pauperibus in manu eſſe, vt etiam ditiſſimos quoſque beneficentiæ ſtudio ſuperent. Ex altera verò parte monet diuites, ne deſpectui habeant munuſcula pauperum, quando quidquid ipſi ex ſuperfluo ſuo offerunt, minus eſſe poſſit quadrante pauperis. Nec ideò tamen eos retrahit ab offerẽdis ſuperfluis ſuis, ſed docet, ſi paris eſſe cum pauperibus meriti, paremque apud Deum laudem mereri deſiderent, nõ ſufficere, vt rerum oblatarum quantitate pauperes ſuperent, ſed oportere etiam pari animi erga Deum eiuſque ſacra affectu præditos eſſe, quandoquidem non ex modo rerum, ſed ex animi potiſſimùm affectu, donaria æſtimet Deus. Sed quid ſi diuites, nec quantitate donorum ſuperent pauperes, contentique ſint non minùs quàm pauperes, vnum aut duo minuta obtuliſſe, quemadmodum hodie fit? horũ credo munera, nullius æſtimaſſet Saluator, vtpote nec facultatibus reſpondentia, nec ex animo diuini cultus ſtudium teſtante profecta. Porrò cùm doctrinam hanc eccleſiæ ſuæ Saluator reliquerit, quod diximus (neque enim templum illud breui periturum, potiſſimùm ipſi curæ erat) quod dictum eſt hactenus de donis, quæ ad vſum veteris illius templi eiuſque miniſtrorum offerebantur, extendi debet ad ea dona, quæ ad vſum templorum ſacerdotumque Chriſtianorum, & ad eleemoſynas quæ ad vſum Chriſtianorum pauperum offeruntur: cùm enim eadem vbique ratio militaret, Ieſus ſuam eccleſiam inſtruebat ſub perſona illius, vt aliàs non rarò.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ ἐκ τοῦ ἱεροῦ, λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ· διδάσκαλε, ἴδε ποταποὶ λίθοι καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί.	1 Et cùm egrederetur de templo, ait illi vnus ex diſcipulis ſuis: Magiſter, adſpice quales lapides & quales ſtructuræ.	Matth. 24. v. 1. Luc. 21. v. 5.

DE. ἐκ ex. VNVS. quidam plures inter ſe colloquuti, acceſſerunt ad Ieſum vt oſtenderent ei ædificationes templi, quod ex Matthæo & Luca clarum eſt: ſed vnus præcipuè omnium nomine loquutus eſt, quod hîc Marcus ait. QVALES. ποταποὶ cuiuſmodi. vim habet interrogationis cum admiratione coniunctæ. LAPIDES. ex quibus ædificatum eſt hoc templum. De lapidibus ex quibus ædificauerat templum illud Herodes, ita ſignanter ſcribit Ioſephus libri 15. Antiq. cap. 14: *Conſtabat autem ſtructura è lapidibus candidis, firmiſſimis, magnitudine xxv. cubitorum in longum, octo in altum, latitudine verò cubitorum duodecim.* & lib. 6. de bello cap. 6: *Nonnullorũ*, inquit, *ſaxorum eius longitudo xlv. cubitorum erat, altitudo quinque, & latitudo ſex.* Rurſus priore loco de columnis porticuum, ait: *In eius porticibus ſtabant paribus interuallis quatuor columnarum ordines. Craſſitudo cuiuſque columnæ, quantam poſſent tres homines conſertis inter ſe complecti brachiis, longitudo vigintiſeptem pedum, ſubiecta ſpira duplici. Numerus vniuerſarum fuit centum ſexaginta dua, capitellis ſculptis opere Corinthio, pulchris vſque ad miraculum.* Hactenus Ioſephus: ſed quem hominum peccata ad iram prouocabant, ſaxa placare nõ poterant.

QVALES. quàm pulchræ & firmæ & amplæ. STRVCTVRÆ. οἰκοδομαὶ ſecundùm Matthæum vertit *ædificationes*. ſ. quibus conſtat hoc templum, pluribus enim ſtructuris conſtabat. Vtraque res, lapides inquam ac ſtructuræ, & ad pulchritudinem operis valere credebatur, & ad diuturnitatem, quaſi nulla poſſet vetuſtate collabi. Reliqua lege Matth. 24. v. 1.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ.	2 Et reſpondens Ieſus ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur.	Matth. 24. v. 2. Luc. 21. v. 6.

ET RESPONDENS. Reſpondens autem. VIDES. Eum qui loquutus fuerat præcipuè alloquitur Ieſus, ſed omnibus vult hoc idem dictum: quamobrem Matthæus vtitur numero plurali. OMNES. non legitur græcè aut ſyriacè. ÆDIFICATIONES. οἰκοδομὰς *ſtructuras* vertit verſu ſuperiore. NON RELINQVETVR. ſ. hîc ex Matthæo. DESTRVATVR. καταλυθῇ diſſoluatur. Cætera lege Matth. 24. v. 2.

καὶ καθημένου αὐτοῦ εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν κατέναντι τοῦ ἱεροῦ, ἐπηρώτων	3 Et cùm ſederet in monte oliuarum contra templum, interrogabant	Matth. 24. v. 3. Luc. 21. v. 7.

eum separatim, Petrus & Iacobus & Iohannes & Andreas: | αὐτὸν κατ' ἰδίαν πέτρος καὶ ἰάκωβος καὶ ἰωάννης καὶ ἀνδρέας·

CONTRA TEMPLVM. ex aduerso seu è regione templi, versa facie ad templum. Etiamsi vespera aut etiam nox fuerit, habuit tamen Iesus in monte oliuarū sedens templum in conspectu, propter ignem perpetuum altaris holocaustorum, qui templum immo & montem ipsum oliuarum noctu illustrabat, tametsi distantia esset circiter sex stadiorum. vide Matth. 21 v. 1. Hinc enim quidam montem oliuarum agnominarunt montem trium luminum, quòd nocte à latere occidentali exciperet lumen templi, primo mane à latere orientali lumen solis, denique quòd olei ferax esset, quod est luminis fomentum. Conspectus itaque templi reuocauit discipulis in memoriam, ruinam illius, quam paulò antè Iesus templo egressus prædixerat, eaque occasione proposuerunt quæstionem proximam. SEPARATIM. sic meliùs vertit ex κατ' ἰδίαν, quam *secretò*, quod vertit secundùm Matthæum. IOHANNES. Quomodo hos tres Iesus familiariùs adhibuerit ad secretiora mysteria, declarauimus Matth. 17. v. 1. Hinc igitur fiduciam hanc præ aliis acceperunt separatim interrogandi Iesum id quod hic sequitur. ANDREAS. & hic erat Iesu familiatior, præsertim propter Petrum fratrem suum. Reliqua petenda sunt ex Matth. 24. v. 3.

Matth. 24. v. 3. Luc. 21. v. 7.

4 Dic nobis quando ista fient, & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? | εἰπὲ ἡμῖν πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα πάντα συντελεῖσθαι;

FIENT. ἔσται *erunt* ad verbum, quemadmodum secundùm Matthæum. ERIT suppleuit Interpres. QVANDO. huius rei, *quando* scilicet &c. vel, quo intelligi possit, *quando* &c. HÆC OMNIA s. templum, ciuitas, & seculum seu mundus: hæc enim tria arbitrabantur vno eodemque tempore peritura. INCIPIENT CONSVMMARI. μέλλῃ συντελεῖσθαι futura sunt consummari, id est, consummabuntur, finientur, finem accipient. Syrus, appropinquantia ad consummationem. Latinus Interpres impropriè dixit *incipient* pro *futura sunt*, vt aliàs aliquando. Cætera lege Matth. 24. v. 3.

Matth. 24. v. 4. Luc. 21. v. 8.

5 Et respondens Iesus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos seducat: | ὁ δὲ ἰησοῦς ἀποκριθεὶς αὐτοῖς, ἤρξατο λέγειν· βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ·

COEPIT DICERE. id est, graui prolixoque sermone admonuit. ILLIS. Latinus & Syrus iungunt cum *dicere*; Græcus cum *respondens*. Reliqua dicta sunt secundùm Matthæum, quo loco is idem refert, qui quidem pro more ad marginem est annotatus.

Matth. 24. v. 5. Luc. 21. v. 8.

6 multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum, & multos seducent. | πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ πολλοὺς πλανήσουσιν.

QVIA, vel accipitur pro *quòd*, & est sensus, quòd sint id quod EGO SVM: vel potiùs superest sensui, vt sæpe aliàs: *Dicentes Ego sum* s. Christus ex Matthæo, apud quem reliqua declarata sunt.

Matth. 24. v. 6. Luc. 21. v. 9.

7 Cùm audieritis autem bella & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri, sed nondum finis. | ὅταν δὲ ἀκούσητε πολέμους, καὶ ἀκοὰς πολέμων, μὴ θροεῖσθε· δεῖ γὰρ γενέσθαι, ἀλλ' οὔπω τὸ τέλος.

NE TIMVERITIS. μὴ θροεῖσθε magis propriè vertit secundùm Matthæum *ne turbemini*. FINIS s. erit. Cætera Matth. 24. v. 6.

Matth. 24. v. 7. 8. Luc. 21. v. 10. 11.

8 Exsurget enim gens contra gentem, & regnum super regnum: & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum, hæc. | ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπ' ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· καὶ ἔσονται σεισμοὶ κατὰ τόπους, καὶ ἔσονται λιμοί, καὶ ταραχαί. ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα.

EXSVRGET. ἐγερθήσεται surget. CONTRA GENTEM. vel, vt est in quibusdam antiquis manuscriptis *super gentem*, quemadmodum sequitur *super regnum*, quamquam *super* pro *contra* siue *aduersus* vtrobique positum sit. ET FAMES. καὶ ἔσονται λιμοὶ & erunt fames. Sequitur græcè & syriacè, quod Latinus Interpres non legit, καὶ ταραχαὶ *& perturbationes*: quod Origenis Interpres, tractatu 28. in Matthæum, vertit *turbelas*. Perturbationes retulerim, vel ad grassantem *pestilentiam*, quam hic nominat Matthæus; vel ad *terrores de cælo*, quos nominat Lucas. INITIVM. ἀρχαὶ initia. HÆC. s. erunt. Cætera Matth. 24. v. 7. 8.

Matth. 10. v. 17. 18. Luc. 21. v. 12. 13.

9 Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, & in syna- | βλέπετε δὲ ὑμεῖς ἑαυτούς. παραδώσουσι γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ εἰς συναγωγὰς

γωγὰς δαρήσεσθε, καὶ ἐπὶ ἡγεμόνων καὶ βασιλέων ϛαθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς.

gogis vapulabitis, & ante præsides & reges stabitis propter me, in testimonium illis.

VIDETE VOSMETIPSOS. ita est ad verbum, sed sensus est: Cauete vobisipsis, custodite vosipsos. Quo tempore hæc gerentur, scitote vos eodem tempore maximis laboribus exercendos, quos prædictos vobis volo, vt vobis ipsi caueatis, ne metu aut dolo seducamini, néve quid incautos aut inopinantes obruat. IN CONCILIIS. εἰς συνέδρια in concilia. IN SYNAGOGIS. εἰς pro ἐν. ANTE. coram. sic accipi videtur præpositio ἐπὶ & 1. Timoth. 6. v. 13. STABITIS. ϛαθήσεσθε sistemini. ILLIS. qui vos tradent. Reliqua quære Matth. 10. v. 17. 18.

10 καὶ εἰς πάντα τὰ ἔθνη δεῖ πρῶτον κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον.

Et in omnes gentes primùm oportet prædicari euangelium.

Matth. 24. v. 14.

ET. pro Nam. Quia dixerat *ante præsides & reges*, variarum s. prouinciarum ac regionum, *stabitis*; declarans qua ratione hoc fiet: *Nam in omnes gentes*, inquit, &c. IN OMNES. apud omnes GENTES totius mundi. PRIMVM. antequam adsit consummatio seu finis. OPORTET. necesse est, quia Deus hoc vult & futurum statuit. PRÆDICARI per vos aliosque discipulos meos EVANGELIVM hoc meum, quod ego primus Iudæis prædicaui. Reliqua lege Matth. 24. v. 14.

11 ὅταν δὲ ἀγάγωσιν ὑμᾶς παραδιδόντες, μὴ προμεριμνᾶτε τί λαλήσητε, μηδὲ μελετᾶτε, ἀλλ' ὃ ἐὰν δοθῇ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τοῦτο λαλεῖτε. οὐ γάρ ἐστε ὑμεῖς οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

Matth. 10. v. 19. 20. Luc. 12. v. 11. 12. & 21. v. 14. 15.

ET CVM. ὅταν δὲ cùm autem TRADENTES. vt tradant vos conciliis, præsidibus &c. NOLITE PRÆCOGITARE. μὴ προμεριμνᾶτε ne antè soliciti siue anxij sitis. Ne auxia cum solicitudine præcogitetis. QVID LOQVAMINI. Sequitur græcè & syriacè μηδὲ μελετᾶτε *neque meditemini*, quidnam artificiosa illa scilicet dicendi ratione dicturi sitis. Vult suos Christus in cælum respicere, vt Dei fide & causæ bonitate freti; aliunde quàm ab humana eloquentia præsidium exspectent. IN ILLA HORA. Varius modus prædicandi necessarius est, pro ratione loci, temporis, ac personarum: quæ ab hominibus prospici ac præcaueri satis commodè non possunt. Vobis igitur pro re nata sermo suppeditabitur sapientia plenus: & quocumque modo excipiemini, iuxta eundem vobis suggeretur & loquendi prudentia. ESTIS LOQVENTES. eritis ij qui loquentur. SED SPIRITVS SANCTVS per vos, ille sermonis auctor erit; vos organa dumtaxat. Reliqua pete ex Matth. 10. v. 19. 20.

12 παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον· καὶ ἐπαναϛήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς, καὶ θανατώσουσιν αὐτούς·

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos:

Matth. 10. v. 21. Luc. 21. v. 16.

13 καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.

& eritis odio omnibus propter nomen meum. qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.

Matth. 10. v. 22. Luc. 21. v. 17. 19.

SVSTINVERIT. ὑπομείνας *perseuerauerit* vertit secundùm Matthæum, apud quem isti duo versiculi enarrati sunt.

14 ὅταν δὲ ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑϛὸς ὅπου οὐ δεῖ· ὁ ἀναγινώσκων νοείτω· τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη·

Cùm autem videritis abominationem desolationis, stâtem vbi non debet (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes:

Matth. 24. v. 15. 16. Luc. 21. v. 20. 21.

STANTEM VBI NON DEBET. ἑϛὸς ὅπου οὐ δεῖ stantem seu existentem vbi non oportet, hoc est in loco sancto, interprete Matthæo: abominatio enim non decet locum sanctum. Græci syriacíque libri præmittunt τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου *quæ dicta est a Daniele propheta*: quod Latini nisi secundùm Matthæum non agnoscunt. Lege Notas in græcas varietates. QVI LEGIT INTELLIGAT. Marcus si non addidit mentionem Danielis prophetæ, intelligendus est ex persona sua hortari lectorem, vt intelligere laboret verba hæc Christi Saluatoris, ita obscura, vt interim maximi momenti, quippe quibus signum daretur instantis euersionis Iudææ Ierosolymæque. Reliqua ad huius versus explicationem facietia, petenda sunt ex Matth. 24. v. 15. 16.

Matth. 24. v. 17.

15 & qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat vt tollat quid de domo sua:

ὁ δὲ ἐπὶ τοῦ δώματος, μὴ καταβάτω εἰς τὴν οἰκίαν, μηδὲ εἰσελθέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ·

NE DESCENDAT IN DOMVM vt in ea maneat, vel moram in ea trahat, sed tantùm vt rectâ fugiat. Non enim iubetur manere in tecto, in quo instantia pericula non minùs eum comprehensura essent, quàm in ipsa domo. NEC INTROEAT. μηδὲ εἰσελθέτω neque ingrediatur s. in domum. Reliqua lege Matth. 24. v. 17.

Matth. 24. v. 18.

16 & qui in agro erit, non reuertatur retrò tollere vestimentum suum.

καὶ ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὢν, μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω ἆραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ.

RETRO, id est, in ciuitatem aut locum vnde egressus fuerit. Reliqua ex Matthæo petantur.

Matth. 24. v. 19. Luc. 21. v. 23.

17 Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.

Matth. 24. v. 20.

18 Orate verò vt hieme non fiant.

προσεύχεσθε δὲ ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος.

NON FIANT. aut fiat s. dies illi, quibus incumbet vobis fugiendi necessitas. Græcè & syriacè est, *Ne fiat fuga vestra hieme.* D. Augustinus epistola 80. & lib. 2. de consensu Euang. cap. 77. legit vt nos. Marcus *sabbati* non meminit, cuius Matthæus, ex quo reliqua petenda sunt ad horum duorum versiculorum enarrationem necessaria.

Matth. 24. v. 21. Luc. 21. v. 23.

19 Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus, vsque nunc, neque fient.

ἔσονται γὰρ αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι θλῖψις, οἵα οὐ γέγονε τοιαύτη ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, ἧς ἔκτισεν ὁ θεὸς, ἕως τοῦ νῦν, καὶ οὐ μὴ γένηται.

TRIBVLATIONES TALES. græcè θλῖψις οἵα tribulatio talis, & cætera quæ consequuntur numero singulari, quomodo est & syriacè. Porrò Syrus explicans locum vertit: *Erit enim in diebus illis tribulatio:* sed maior quædam emphasis est in hebraica illa phrasi, qua dies ipsi dicuntur tribulationes, quasi dies ipsi nihil aliud forent quàm meræ tribulationes, quòd toto illo tempore tribulatio tribulationem exceptura esset, perinde ac si tempus ipsum nihil aliud quàm ipsissima miseria foret. Simili phrasi Amos cap. 5. v. 20. dies Domini vocatur *tenebræ & non lux:* quomodo & latinè aliquando sceleratissimum hominem appellamus scelus. CREATVRÆ QVAM CONDIDIT DEVS. κτίσεως ἧς ἔκτισεν ὁ θεὸς creaturæ quam creauit Deus, vel rerum conditarum quas condidit (repetitur enim græcè eadem vox) id est, *ab initio mundi,* quod habet Matthæus. Significat κτίσις aliquando ipsam creationem, vt sup. 10. v. 6., aliquando res creatas, vt hoc loco & Rom. 8. v. 21. Reliqua lege Matth. 24. v. 21.

Matth. 24. v. 22.

20 Et nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.

καὶ εἰ μὴ κύριος ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, οὓς ἐξελέξατο, ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας.

DIES. τὰς ἡμέρας illos dies. NON FVISSET. non esset aut fieret, quomodo vertit secundùm Matthæum. sermo est enim de futuro. QVOS ELEGIT. ac proinde citra omne dubium ad æternam salutem est adducturus. Hoc pleonasmo significatur, constare Deo consilium suum, in saluandis iis quos elegit, vt non sinat vmquam eorum aliquem perire, iuxta illud Apostoli 2. Timoth. 2. v. 19: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius.* BREVIAVIT. s. Dominus æterno decreto, id est, statuit breuiores fore. DIES illos. Reliqua Matth. 24. v. 22.

Matth. 24. v. 23. Luc. 17. v. 23.

21 Et tunc si quis vobis dixerit, Ecce hîc est Christus, ecce illic, ne credideritis.

καὶ τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, ἰδοὺ ὧδε ὁ χριστὸς, ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ, μὴ πιστεύσητε.

ET TVNC. Tunc igitur. Omnino declarat se loqui pergere de eodem tempore, nec ad aliud transire. Reliqua lege Matth. 24. v. 23.

Matth. 24. v. 24.

22 Exsurgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa &

ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα καὶ τέρατα,

τέρατα, πρὸς τὸ ἀποπλανᾷν, εἰ δυνατόν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς.

portenta, ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

PORTENTA. τέρατα *prodigia* vertit secundùm Matthæum. AD SEDVCENDOS. huiusmodi quibus seducantur, aut quibus seducant. Reliqua petantur ex Matthæo.

23 ὑμεῖς δὲ βλέπετε, ἰδοὺ προείρηκα ὑμῖν πάντα.

Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. *Matth.24. v.25.*

ERGO. δὲ autem. Interpres rectè mutauit *autem* cum *ergo*, iuxta sensum. VIDETE. cauete vobis. PRÆDIXI. ob id vt vobis caueretis. OMNIA hæc. Cætera secundùm Matthæum.

24 ἀλλ' ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, μετὰ τὴν θλίψιν ἐκείνην, ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς·

Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum: *Matth.24. v.29. Luc.21. v.25.*

SED pro *autem*, quomodo Syrus vertit. POST TRIBVLATIONEM ILLAM. id est, diebus sequentibus tribulationem illam Iudaicam. Quàm citò aut quàm tardè sequentibus, non dicit. CONTENEBRABITVR. σκοτισθήσεται *obscurabitur* vertit secundùm Matthæum. SPLENDOREM. τὸ φέγγος *lumen* secundùm Matthæum, ex quo petenda sunt reliqua.

25 καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔσονται ἐκπίπτοντες, καὶ αἱ δυνάμεις αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς σαλευθήσονται.

& stellæ cæli erunt decidentes, & virtutes quæ in cælis sunt mouebuntur. *Matth.24. v.29. Luc.21. v.25.26.*

ERVNT DECIDENTES. id est, decident, excident s. ex cælo. Syrus scribit *& stellæ cadent è cælo*, quemadmodum secundùm Matthæum. VIRTVTES. δυνάμεις potestates. MOVEBVNTVR. σαλευθήσονται agitabuntur. Reliqua lege Matth. 24. v. 29.

26 καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλαις μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης.

Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. *Matth.24. v.30. Luc.21. v.27.*

VIRTVTE. δυνάμεως potestate. ET GLORIA s. multa. Reliqua ad hunc versiculum facientia quære Matth.24. v.30.

27 καὶ τότε ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ ἐπισυνάξει τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ.

Et tunc mittet angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summum cæli. *Matth.24. v.31.*

ET CONGREGABIT. vt congreget ministerio angelorum. A SVMMO. ab extremo TERRÆ, VSQVE AD SVMMVM vsque ad extremum CÆLI, quàm longè & latè patet mundus. Forma loquendi sumta ab eo, quòd locus ille in quo quis stat, extremum terræ; is verò quem oculis longissimè prospicere potest vndequaque se vertens, extremum cæli esse videatur, vbi cælum terræ coniungi & insidere videtur, terra non perinde apparente. Matthæus eodem sensu dixit, *a summis calorum vsque ad summa eorum*, ex quo petantur reliqua huc pertinentia.

28 ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολήν· ὅταν ἤδη ὁ κλάδος αὐτῆς ἁπαλὸς γένηται, καὶ ἐκφύῃ τὰ φύλλα, γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν·

A ficu autem discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas: *Matth.24. v.32. Luc.21. v.29.30.*

CVM IAM. ὅταν δὴ cùm sanè. Plerique alij libri habent ἤδη *iam*, vt latini. QVIA IN PROXIMO. ὅτι ἐγγὺς quòd propè. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

29 οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ταῦτα ἴδητε γινόμενα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν, ἐπὶ θύραις.

sic & vos cũ videritis hęc fieri, scitote quòd in proximo sit, in ostiis. *Matth.24. v.33. Luc.21. v.31.*

IN PROXIMO. ἐγγὺς *propè* vertit secundùm Matthæum, apud quem & hic versus explanatus est.

Matth.24. v.34. Luc.21. v.32.

Amen dico vobis, quoniam non 30 transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, μέχρις οὗ πάντα ταῦτα γένηται.

QVONIAM pro quòd. DONEC. μέχρις οὗ vsquequo. Reliqua conueniunt cum Matth. 24. v. 34.

Matth.24. v.35. Luc.21. v.33.

Cælum & terra transibunt, ver- 31 ba autem mea non transibunt.

ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι.

Hic versus Matth. 24. v. 35. expositus est.

Matth.24. v.36.

De die autem illo vel hora nemo 32 scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.

περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἢ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ, οὐδὲ ὁ υἱός, εἰ μὴ ὁ πατήρ.

VEL. Siue legas *&* siue *vel*, in idem recidit, neque diem neque horam ab aliquo sciri. IN CÆLO. *οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ* qui in cælo, id est, cælestes. NEQVE FILIVS s. hominis. Nam quâ parte dixit *Ego & Pater vnum sumus*, eâ dicere non potest se nescire quod Pater scit. Restat igitur vt ea parte dicat se nescire quod scit Pater, qua dixit *Pater maior me est*, qua parte scilicet est homo, vt non aliter cõsueuit secundũ tres primos Euangelistas se vocare filium, quàm Filium hominis. Porrò Filium hominis, id est, se quatenus est homo, nescire dicit diem illum, non simpliciter, sed suo modo, quia non ex eo quod Filius hominis est diem illum nouit, sed ex eo quod simul est Filius Dei, quia inquam ex sola vnione verbi fit vt anima Filij hominis intellectiua nouerit diem illum. Nulli creaturæ diem illum reuelat Deus, quem naturali intellectu impossibile est assequi: sed anima Christi, quæ creatura est vtique, eum videt in natura Dei cui vnita est. Quia igitur hoc singulare est, nullique creaturæ comune, quòd Christus Filius hominis sit etiam Filius Dei, & ex eo solo hoc nouit Filius hominis quod vnitus est Filio Dei, ignoraturus alioqui cum cęteris creaturis, etiam subtilissimis, perfectissimis, Deoq; gratissimis, vt angelis; idcirco profitetur se Filiũ hominis nescire diem illum. In quem sensum D. Gregorius libri octaui epistola 42., dicit, Christum nosse quidem hunc diem in natura humanitatis, sed non ex natura humanitatis; *quod in ipsa nouit, ex ipsa non nosse*: quomodo & B. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 12. interpretatur, quòd Filius dicit se nõ iudicare, quia nõ ex potestate humana iudicat. Negat igitur Christus se scire diem illum, eo titulo quòd homo sit, simul etiam fortè eo titulo quòd legatus sit, eò quòd non sic à Patre didicerat diem illum, vt cuiquam hominum, ad quos legatus nunciusq; salutis missus fuerat, aperire deberet; ac proinde sibi sciret, non alijs. Non verentur nostræ ætatis hæretici, nominatim Caluinus & Bucerus, asserere, Christo quatenus homini ignotum prorsus fuisse diem illum, & vt cæteras infirmitates, ita & ignorantiam, ipsi nobiscum fuisse communem; postremò à resurrectione demum, quando ipsi data fuit potestas omnis in cælo & in terra, & diei istius notitiam datam fuisse. Quasi verò non longè ante resurrectionem Christus de se dixerit Iohan. 5. v. 22. 27: *Pater omne iudicium dedit Filio, & potestatem dedit ei & iudicium facere, quia Filius hominis est*. Pater ab initio potestatem dedit Filio hominis iudicium facere, & non dedit cognitionem diei quo iudicium facere deberet? *necessitatem habet adueniendi, & scientiam aduentus sui adeptus nõ est?* inquit Hilarius lib. 9. de Trinitate post medium. Docent verissimè scolastici Doctores, Christum, ex defectibus humanis, non accepisse, peccatum, concupiscentiam, & ignorantiam; non quia ignorantia pœna est peccati (ea enim ratione illos moueri mentitur Caluinus, vt materiam sibi fingat, vnde illos tamquam insulsos iactanter traducat, criminator impudentissimus) sed quia non decuit Christum mediatorem; quia prodesse non poterat, sed magis obesse, ad homines redimendos. Videri volunt nostri hæretici longè abesse ab errore Arianorum: sed reuera eò tendunt, & quemadmodum Arianismus in Mahumetismum, ita ipsi in Atheismum aut potiùs Turcismum desinent. quamquam enim multi singulares, gens tamen nulla facilè fit athea, quòd natura hominis abhorreat à negando Deo. Sed quare Christus sensu huiusmodi improprio negauit se scire nouissimum mundi diem? eo profectò consilio, vt discipulorum nostræque curiositati, auentium scire diem illum, efficaciùs mederetur, nec solùm discendi cupiditatem, verumetiam sciscitandi occasionem omnem vlteriorem, suauiter amputaret. Ne enim molestè ferrent discipuli, & dicerent neglectos se atque reiectos, quos huius rei cognitione haud dignaretur, si fateretur, nouisse se quidem, sed aperire nolle vel certè non posse, propterea, improprio quidem, sed vero & non inusitato sensu, negauit se scire. Magnæ namque curæ Christo fuit honorare discipulos suos (quod anotant Chrysostomus & Titus in Matthæum scribentes) & cauere ne contristaret infirmos. Nam à resurrectione, cùm hoc idem quærerent, quia firmiores iam erant, non ampliùs dixit se nescire, sed apertè eos repressit huiusmodi verbis *Non est vestrum nosse* (Act. 1. v. 7.) *ostendens quod ipse quidem sciat, sed non expediat illis nosse*, ait D. Hieronymus in Matthæum. Reliqua huius versiculi exposita sunt Matth. 24. v. 36.

Matth.24. v.42.

Videte, vigilate, & orate: nescitis 33 enim quando tempus sit.

βλέπετε, ἀγρυπνεῖτε, καὶ προσεύχεσθε· οὐκ οἴδατε γὰρ πότε ὁ καιρός ἐστιν.

VIDETE igitur. Infertur ex proximo, eiusque causa finalis esse significatur: ideò enim diem illum & horam neminem vult scire Pater, vt omnes omni die & hora vigilent ac caueant sibi. *Videte*. prouidete, prospicite, cauete, omni tempore, ne scilicet dormiatis, ne peccetis, aut eiusmodi rebus vacetis quæ peccati somnum inducant. VIGILATE. virtutum studio incumbite, itaque paratos vos semper tenete. ORATE sine intermissione, vt detur vobis cauendi & vigilandi, atque in vtroque perseuerandi, virtus: Dei enim dona sunt, quam-

quamquam vestram etiam requirentia diligentiam. Tria hæc præcipiuntur, non vno aliquo, sed omni ac continuo huius vitæ tempore: cuius ratio subditur. NESCITIS ENIM QVANDO TEMPVS. ὁ καιρὸς illud tempus, illa dies & hora, sicut mox dixit, mortis scilicet & nouissimi iudicij. SIT. pro erit. Quia nescitis quando illud tempus erit, idcircò omni tempore cauere vobis, vigilare, & orare debetis, ne illud tempus repentè occupet vos imparatos. Reliqua lege Matth. 24. v. 42.

ὡς ἄνθρωπος ἀπόδημος ἀφεὶς τὴν 34 οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν, καὶ ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ, καὶ τῷ θυρωρῷ ἐνετείλατο ἵνα γρηγορῇ.	Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit vt vigilet.

SICVT HOMO. Supplenda est sententia hoc vel simili modo: Nam sic agetur in regno Dei, *sicut cùm homo peregre profectus, reliquit* &c. vel: Nam Filius hominis ita est, *sicut homo qui* &c. *Defectus est*, inquit Euthymius: *dicit ergo quod est sicut homo qui peregre agit, hominem quidem seipsum innuens* &c. Non dissimilis, vt parabola, ita eclipsis est, Matth. 25. v. 14., vbi tamen coniunctio causalis exprimitur, quam & hoc loco exprimit Syrus: ea enim significatur, parabolam, ad illud idem quod præcedit docendum adferri, nempe, vigilandum semper esse, quia tempus illud incertum sit &c. PEREGRE PROFECTVS. ἀπόδημος peregrè agens. ET DEDIT. ita tamen vt dederit, priusquam foras proficisceretur. POTESTATEM. τὴν ἐξουσίαν auctoritatem, CVIVSQVE omnis, cuiuscumque, OPERIS exercendi, vt exercerent omne opus in familia necessarium; non omnes quodcumque vellent, sed officiis distributis, vnus vnum, alius aliud, simul omnes omne. Interpres legisse videtur τὴν ἐξουσίαν ἑκάστου ἔργου, pro eo quod nos græcè & syriacè clariùs legimus τὴν ἐξουσίαν καὶ ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ *potestatem & vnicuique suum opus*. Dedit seruis suis potestatem seu auctoritatem suam, domus suæ administrandæ ac gubernandæ, & dedit vnicuique suum opus, assignauit vnicuique officium suum. Commisit seruis suis omnium rerum in familia sua gerendarum curam ac potestatem, sed sua cuique assignata functione & talentis traditis. Filius hominis, *Christus, post resurrectionem ad Patrem in cælum victor ascendens*, inquit Beda, *ecclesiam suam corporaliter reliquit, quam tamen numquam præsidio diuinæ præsentiæ destituit*. Illius autem gubernandæ, & omnium quæ in ea gerenda essent auctoritatem potestatem que dedit seruis fidelibus suis, partitus singulis officium opusque suum. *Dedit enim, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores*, quod Apostolus ait Ephes. 4. v. 11. Nec quisquam seruorum Domini in ecclesia ita paruus & vilis est, cui non aliquid commiserit Dominus dispensandum fratribus, qui non habeat vocationem suam, & proprium opus, vel in ædificando, seipsum quidem exercitio virtutum, proximum autem exemplo. Plura in hanc sententiam petere licet ex Matth. 25. v. 14. ET signanter IANITORI PRÆCEPIT homo ille, paterfamilias, VT VIGILET, vt vigilanter custodiat totam domum, & omnium seruorum curam gerat, ne vel qui seruorum aufugiant è domo, aut operi suo remissiùs intendant, vel intrent in domum qui seruorum opera turbent, vel denique, irrumpentes noctu in domum fures, substantiam vasaque Domini diripiant. Consueuerant veteres, quibus magna erat seruorum multitudo, atrienses seruos & inprimis ianitorem habere, quibus incumbebat cura de reliquis. Iesus ex hoc mundo discedens, datis Petro tamquam vicario suo clauibus regni seu domus suæ (huc enim respicere videtur Marcus, Petri discipulus) præcepit ipsi inprimis, deinde & cæteris collegis ipsius, ad ianuam cum ipso & in dignitatis atrio constitutis, id est, Apostolis & Episcopis, vt tam pro reliquis fidelibus & tota ecclesia, quàm pro seipsis vigilent, soliciti vt singuli fidelium muneri sibi commisso gnauiter incumbant, ne qui collectionem deserant, ne lupi hæretici in ouile irrepant ouesque deglutiant, ne fures noctu parietem perfodiant, vasaque Domini fideles diripiant. *Attendite vobis*, inquit Paulus Act. 20. v. 28., *& vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt*, &c. *Propter quod vigilate* &c. Denique omnibus quidem præceptum est vigilare, sed ianitor ita iussus est vigilare, vt seruos omnes in officio contineat, & secum cogat vigilare. Porrò ad parabolæ huius integritatem, subaudiri voluit Dominus Iesus (id quod ex versu proximè sequenti manifestum est) quòd ille paterfamilias, discedens præmonuerit seruos suos reditus sui, certò quidem futuri, sed incerto tempore, vtpote cuius certum tempus nollet indicare, vt semper reditum Domini exspectantes, numquam somno aut otio se darent, timore pœnæ à Domino insperatò redeunte infligendæ; quinpotiùs contrà constantem diligentiam in suis singuli muneribus præstarent, spe præmij à Domino, quandocumque tandem redeunte, referendi.

γρηγορεῖτε οὖν, οὐκ οἴδατε γὰρ πότε 35 ὁ κύριος τῆς οἰκίας ἔρχεται, ὀψὲ, ἢ μεσονυκτίου, ἢ ἀλεκτοροφωνίας, ἢ πρωΐ·	Vigilate ergo, nescitis enim quādo Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane:

VIGILATE ERGO. Sic ergo vos discipuli mei gerite vos, quemadmodum se gererent serui huiuscemodi patrisfamilias, si frugi essent, fideles, ac prudentes. Quemadmodum enim illi, in officio semper perstarent, ne si aliter agerent, ex inopinato reuersus Dominus, deprehenderet eos infideles, inutiles, aut ignauos, ac proinde puniret pro merito. Ita & vos semper vigilate, semper virtuti incumbite, & officia vobis commissa obite. NESCITIS ENIM non minùs quàm serui illi. DOMINVS DOMVS. ego, ecclesiæ meæ, sanguine meo mihi acquisitæ, Dominus. VENIAT. id est, veniet, redibit domum, quando ego reuersus (abiturus enim breui sum ad Patrem) visitabo vos, iudicandi causa, & reddendi singulis pro merito. SERÒ. id est, vesperi. MEDIA NOCTE. μεσονυκτίου. q. d. medinoctio. GALLI CANTV ἀλεκτοροφωνίας gallicinio. MANE. diluculò, id est, qua parte noctis: sunt enim hæ quatuor partes noctis. Noctis autem partes

commu-

commemorauit potiùs quàm dici, perseuerans in metaphora vigilandi & dormiendi: nocte enim, quæ ad somnum inuitat, monemur vigilare: nam, ponitur, homines vigilare interdiu. Per quatuor illas noctis partes, rectè intelliguntur quatuor hominis ætates, per vesperam senectus, per mediam noctem ætas media ac florentissima, per gallicinium adolescentia, cùm iam sapere homo incipit, ratione tamquam gallo excitante à somno & stuporem pellente; denique per mane pueritia, prout intelligunt tractatores Græci Euthymius & Theophylactus: verùm non ætates tantùm & vniuersas temporis differentias, sed singulas etiam ætatum partes, singulaque temporis momenta intelligere oportet. Nescimus enim, qua vel ætate nostra, vel ætatis parte, vel temporis momento, Dominus venturus ad nos sit, vt nos visitet, siue per mortem, siue per resurrectionem, & iudicet. Nec viribus, nec ætati fidendum: omnibus ex æquo semper incertus est mortis ac iudicij dies.

ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes.	36	μὴ ἐλθὼν ἐξαίφνης, εὕρῃ ὑμᾶς καθεύδοντας.

NE CVM. vigilate inquam, ne cùm VENERIT REPENTE, subitò, præter opinionem & exspectationem vestram. DORMIENTES. vacantes otio, luxui, iniquitati, officio intermisso, ac proinde imparatos puniat. Contrà verò inueniat vigilantes, vacantes inquam virtutis munerumque vestrorum studio, ac proinde paratos coronet. Dormire & vigilare opponuntur. vide Matth. 24. v. 42. 44.

Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.	37	ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω, γρηγορεῖτε.

QVOD. ἃ quæ. sed rectiùs videtur latinè legi numerus singularis *quod*. VOBIS discipulis meis hîc præsentibus. OMNIBVS aliis hominibus, qui vel iam sunt quidem, sed non hîc præsentes, vel pòst futuri sunt vsque ad finem seculi. Euthymius: *Omnibus Christianis qui futuri sunt vsque ad mundi consummationem.* sic & Augustinus epistola 80. DICO. dictum volo per vos aliosque, verbo, scripto, modisque omnibus. *Hoc fine concludit sermonem*, inquit Auctor scholiorum apud Hieronymum, *vt commune omnium præceptum, nouissimi per primos audiant*. Ne quis enim nihil ad se pertinere putaret, quòd audiret aut legeret Apostolis dictum, subiecit hoc Dominus, velut epiphonema quoddam, quo in vniuersum omnes homines intelligerent, se, voce Iudicis, in Apostolis fuisse & admonitos & præmonitos. Sicut in diebus Noe, non tantùm familiæ Noe, sed & omni orbi, & vniuerso hominum generi, futura Dei vltoris dies, ipsa arcæ fabricatione denunciabatur. VIGILATE. Meritò semper insonare debet auribus nostris vox ista Domini *Vigilate*: dictat enim nobis quid tota vita & cogitandum & præstandum; cogitandum, diuini iudicij tempus; præstandum officium. vide Matth. 24. v. 42. 44. *Vigilate*. s. ex præcedentibus, *ne cùm venerit repentè Dominus, inueniat vos dormientes*. Sed numquid omnes inuenturus est dies ille aduentus Domini in hac vita? Cur itaque *omnibus* dicit *vigilate*, quod ad eos solos pertinere videri possit, qui supererunt in nouissimo Domini aduentu? quærit Augustinus epistola 80., & respondet: *Tunc vnicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inueniat eum Domini aduentus. Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit suæ vitæ huius vltimus dies.* hæc Augustinus.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Matth. 26. v. 2. 3. 4. Luc. 22. v. 1. 2.

Erat autem Pascha & Azyma post biduum: & quærebant summi sacerdotes & Scribæ, quomodo eum dolo tenerent & occiderent.	1	Ἦν δὲ τὸ πάσχα καὶ τὰ ἄζυμα μετὰ δύο ἡμέρας· καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς, πῶς αὐτὸν ἐν δόλῳ κρατήσαντες ἀποκτείνωσιν.

ERAT AVTEM. cùm Christus enarrasset ea quæ superiori capite descripta sunt. PASCHA ET AZYMA. id est, dies festus Paschæ & Azymorum: coniunctim enim hæc legenda sunt. Syrus omissa coniunctione & scribit *Pascha Azymorum*. Idem dies festus, ab immolatione agni, Pascha; ab esu panum infermentatorum, vocabatur Azyma: sed agnus quidem semel idque vesperi, initio primi diei, edebatur, quando seruati fuerant ab exterminatione Aegyptiaca; azymorum verò vsus perdurabat continuos septem dies: quare dies illi septem, frequentiori nomine *Azyma* vocantur in sacris litteris quàm *Pascha*, & quasi magis proprio nomine. Leuit. 23. v. 5. 6. vide Matth. 26. v. 2. 17. ET eodem tempore. QVÆREBANT. inuestigabant, scrutabantur. QVOMODO. qua ratione. DOLO. ἐν δόλῳ in dolo. id est, per dolum, phrasi hebræa. TENERENT ET OCCIDERENT. κρατήσαντες ἀποκτείνωσιν comprehensum occiderent. Reliqua lege Matth. 26. v. 2. 3. 4.

Matth. 26. v. 5. Luc. 22. v. 2.

Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.	2	ἔλεγον δὲ· μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, μήποτε θόρυβος ἔσται τοῦ λαοῦ.

AVTEM. Ν. Hoc respondet Matthæo. *Enim* si legas, quod plerique latini libri, intelligas oportet, quòd

non

non inuestigarint tantùm quomodo Iesum dolo tenerent, verumetiam quomodo seu quo die occiderent. Cuius inuestigationis ratio iam subiicitur: DICEBANT AVTEM: NON IN DIE FESTO, &c. NE FORTE TVMVLTVS FIERET. μήποτε ϑόρυβος ἔσαι nequando tumultus sit. IN POPVLO. τοῦ λαοῦ populi, quomodo est etiam in quibusdam latinis libris. Reliqua lege Matth. 26. v. 5.

καὶ ὄντος αὐτοῦ ἐν Βηθανίᾳ, ἐν τῇ οἰκίᾳ σίμωνος τοῦ λεπροῦ, κατακειμένου αὐτοῦ, ἦλθε γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου, νάρδου πιστικῆς, πολυτελοῦς· καὶ συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον, κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς.

3 Et cùm esset Bethaniæ, in domo Simonis leprosi, & recumberet, venit mulier habens alabastrum vnguenti, nardi spicati, pretiosi: & fracto alabastro, effudit super caput eius.

Matth. 26. v. 6. 7. Iohan. 12. v. 1. 2. 3.

ET CVM ESSET. Cùm autem esset s. Iesus. RECVMBERET. accumberet mensæ. MVLIER. Maria Magdalene. vide infrà v. 8. NARDI. Nardus fœminino genere seu Nardum neutro, describitur à Plinio lib. 12. cap. 12. his verbis: *De folio nardi plura dici par est, vt principali in vnguentis. Frutex est, graui & crassa radice, sed breui ac nigra fragiliq́ue, quamuis pingui, situm redolente vt cyperi, aspero sapore, folio paruo densoq́ue. cacumina in aristas se spargunt: ideò gemina dote nardi spicas ac folia celebrant*. Hæc Plinius, qui inter varia genera nostri orbis, Syriacum præfert reliquis. Retinet hæc herba etiam hodie nomen suum in officinis: cui non dissimilis est ea, quæ nobis *lauendula* vocatur, quam pseudonardum appellare videtur Plinius, cùm paulò post subiungit: *Adulteratur pseudonardo, herba, qua vbique nascitur, crassiore atque latiore folio, & colore languido in candidum vergente*. Cæterùm nardus hîc, non pro ipsa herba accipitur, sed pro vnguento seu liquore ex ea herba educto, quemadmodum & accipitur Cant. cant. 1. v. 12: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*; qui quidem versiculus etiam corporaliter locum hîc habuit. Sic accipit & Horatius, vbi ait, *Nardi paruus onyx*; rursus Tibullus lib. 2. Elegiarum: *Illius puro distillent tempora nardo*. Ex nardo enim pretiosissimum vnguentum fieri solere, vt suprà Plinius, ita Clemens Alexandrinus libro 2. pædagogi cap. 8. testatur. Consueuerant autem quidam alij odores admisceri, quos rursus Plinius enumerat libro 13. cap. 1: *Nardinum*, inquit, *siue foliatum, constat omphacio, balanino, iunco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo*. SPICATI. alabastrum plenum vnguento nardi spicati, vnguento quod fuit nardum spicatum, seu vnguentum nardinum spicatum. Duplex est vnguentum nardinum, vnum dicitur spicatum, quòd fiat ex spica nardi, alterum foliatum, quòd ex folio: vnde Plinius superiùs, *gemina*, inquit, *dote nardi spicas & folia concelebrant*; & Cælius lib. 27. antiquarum lectionum cap. 26: *Spicata*, inquit, *vnguenta & foliata, inter Romanorum delicias appellatione latina dici, therapeutices octauo Galenus scribit*. Ex radice nardi non perinde sincerum erat vnguentum: *adulterabatur enim*, Plinio teste, *sua ipsius radice, permista ponderis causa*. Græcè pro *spicati* legitur πιστικῆς *pistice*: quæ vox, vel deducta à πίστις *fides*, posita est pro fidelis, germanæ, puræ, minimeque vitiatæ (quomodo post D. Hieronymum in Matthæum interpretantur Theophylactus & Euthymius, quamquam apud probatæ linguæ auctores non legatur in ea significatione) facilè enim adulterari nardum, sæpe monet Plinius, nominatim vbi ait, post descriptum nardinum vnguentum: *In hoc genere conuenict meminisse, herbarum quæ nardum Indicum imitentur, species nouem à nobis esse dictas: tanta adulterandi materia est*. Vel est latina vox *spicata*, corrupta vt græcè scribitur, πιστικῆς pro σπικάτης (sicut quædam aliæ in hoc ipso euangelio, sup. 5. v. 9. 6. v. 27. 7. v. 4.) quam proinde latinus Interpres vel retinuit vel restituit. Latinas enim has voces φουλιάτον & σπικάτον, à Galeno & Ægineta græcè vsurpari in vnguentis nardinis, annotant docti quidam: præter hoc quòd ναρδόσταχυς *spica nardi*, græcis latinisque celebris est. Sunt qui πιστικῆς positum dicant pro liquida, παρὰ τὸ πιεῖν. quasi potabilem dicas, vt significetur vnguentum fuisse, non spissum, sed liquidum, quale conuiuiis maximè congruit: sed minùs probabilis hæc deriuatio est. Syrus dixit ܢܪܕܝܢ ܪܝܫܝܐ *nardin risoio*, quod à capite deductum, quidam interpretantur *nardum capitatam*, quod faciat pro *spicata*; alij *nardum capitalem* siue præstantem. PRETIOSI. vtrumque vnguentum nardi pretiosissimum fuit & spicatum & foliatum, excellentius tamen fuisse videtur spicatum. FRACTO. συντρίψασα comminuto; Syrus aperto. Plus quàm aperuisse minus quàm comminuisse aut contriuisse, videtur significari: nam supra caput comminuere, non poterat absque periculo læsionis; seorsum autem, non absque iactura vnguenti. Fregit igitur, vt vertit Interpres, quemadmodum frangas ouum medium, & quidem supra caput, vt, cùm ore angustiore esset vasculum (quod notat Euthymius) totum quod inerat simul semelque effunderet, nec quidquam sibi retineret. Hinc arbitrantur quidam, vasculum, non ex alabastrite lapide confectum fuisse, tametsi alabastrum vocetur, sed ex alia fragiliori materia, sicut vitro. EFFVDIT vnguentum hoc. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 6. 7.

ἦσαν δέ τινες ἀγανακτοῦντες πρὸς ἑαυτοὺς, καὶ λέγοντες· εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη τοῦ μύρου γέγονεν;

4 Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: Vt quid perditio ista vnguenti facta est?

Matth. 26. v. 8. Iohan. 12. v. 4.

QVIDAM. ex discipulis addit Syrus. INDIGNE FERENTES. s. hoc. ἀγανακτοῦντες qui indignabantur s. ob hoc. INTRA SEMETIPSOS. πρὸς ἑαυτοὺς apud seipsos. Syrus *in animabus suis*. Præceptorem præsentem, qui id permiserat, reueriti, non omnino palàm audebant animum prodere: non tamen se continebant, quin mulieri declararent rem sibi displicere. VT QVID. εἰς τί ad quid. Reliqua quære Matth. 26. v. 8.

ἠδύνατο γὰρ τοῦτο πραθῆναι

5 Poterat enim vnguentum istud venundari plus

Matth. 26. v. 9. Ioan. 12. v. 5.

plus quàm trecētis denariis, & dari pauperibus. & fremebant in eam. | ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων, καὶ δοθῆναι τοῖς πτωχοῖς. καὶ ἐνεβριμῶντο αὐτῇ.

VNGVENTVM suppleuit Interpres. PLVS. ἐπάνω suprà, ampliùs. Ex odore quem vnguentum effusum reddidit (Iohan. 12. v. 3.) iudicarunt de vnguenti & specie & pretio. TRECENTIS DENARIIS. Si denarium minorem intelligas, cuius vsum in communi sermone frequentiorem fuisse probabile est, denarij trecenti hodie sunt septuaginta octo floreni seu libræ turonicæ cum solidis seu patardis quindecim. vide Matth. 18. v. 28. & 20. v. 2. Magnum pretium vnguenti semel in vnum conuiuam effusi, adeoque excedentis eum valorem. Vnde licet duo quædam intelligere; vnum mulierem hanc fuisse diuitem, vt cui suppeterit tanti pretij vnguentum; alterum, magna fide charitateq́; erga Christum fuisse præditam. Quare Victor Antiochenus: *Cum discipuli, inquit, vnguentum illud plus trecentis denariis diuendi potuisse asserunt, quãtum mulier illa in vnguentum illud insumserat, quantámque ex consequenti animi alacritatem & pietatem erga Christum declararit, nobis diiudicandum relinquunt.* ET DARI medio hoc suo pretio PAVPERIBVS. FREMEBANT IN EAM. suam erga illam indignationem murmure ac voce ipsi ostendebant. Non audebant in Iesum fremere, qui id permiserat, vt quém reuererentur: sed aduersus mulierem Fremunt, licet piè prodigam: nihil enim minùs perit, quàm quod impenditur gloriæ Christi. Reliqua Matth. 26. v. 9.

Matth. 26. v. 10. Iohan. 12. v. 7.

Iesus autem dixit: Sinite eam: quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. | 6 | ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν· ἄφετε αὐτήν· τί αὐτῇ κόπους παρέχετε; καλὸν ἔργον εἰργάσατο ἐν ἐμοί.

SINITE EAM quietam, desinite redarguere. sensus sequitur: QVID ILLI MOLESTI ESTIS? nolite illi molesti esse. Non enim prohibuerunt discipuli mulierem ne vnguentum effunderet, quod illa omnibus inconsultis subitò breuíque sua sponte peregerat: sed postquam effudisset, non siuerunt eam esse quietam, molesti ipsi fuerunt, redarguerunt tamquam quæ peccasset. Iesus itaque reprimit illorum, non prohibitionem, sed indignationem. Reliqua Matth. 26. v. 10.

Matth. 26. v. 11. Iohan. 12. v. 8.

Semper enim pauperes habetis vobiscum, &, cũ volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. | 7 | πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, καὶ ὅταν θέλητε δύνασθε αὐτοὺς εὖ ποιῆσαι· ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε.

ET semper CVM VOLVERITIS, POTESTIS ac poteritis ILLIS BENEFACERE, corporeis ipsorum necessitatibus subuenire. HABETIS præsens pro futuro *habebitis*, ita vt possitis corpori huic meo mortali benefacere alendo aut fouendo illud. Reliqua petenda sunt ex Matth. 26. v. 11.

Matth. 26. v. 12. Iohan. 12. v. 7.

Quod habuit hæc, fecit: præuenit vngere corpus meũ in sepulturam. | 8 | ὃ ἔσχεν αὕτη, ἐποίησε· προέλαβε μυρίσαι μου τὸ σῶμα εἰς τὸν ἐνταφιασμόν.

QVOD HABVIT. id est, quod potuit, quod ipsi licuit. sic Euthymius & alij plerique omnes. q. d. non poterit cùm volet. Non poterit postea vngere corpus meum mortuum ad sepulturam, tametsi id admodum desiderabit atque conabitur: PRÆVENIT itaque VNGERE, id est, vt vngeret. Græcè non est χρῖσαι, quod est quocumque illitu vngere, sed μυρίσαι, quod propriè est vnguentis & odoramentis vngere. CORPVS MEVM adhuc viuum sed breuì moriturum, IN SEPVLTVRAM quam propediem subibit, atque hac ratione fecit quod potuit. Syrus habet *tamquam ad sepulturam*. Non consueuerat quidem vulgò tam pretiosum vnguentum ad sepulturam adhiberi quàm est nardinum (certè Ioseph & Nicodemus, nihil aliud quàm mixturam myrrhæ & aloës, sepeliendo Iesu corpori mortuo adhibuisse leguntur. Ioh. 19. v. 39.) sed Maria Iesum credidit omnibus aliis digniorem, etiam Regibus, quorum sepulturæ pretiosissima quæque adhiberi solita non est dubium. Porrò ex hoc quod Euangelista iste clarissimè refert, mulierem istam non valituram cùm volet sepulturæ officium Iesu corpori exhibere, ideoque nactam opportunitatem præuenisse, habetur probabile argumentum, hanc eam esse mulierem, quæ in historia resurrectionis Maria Magdalene vocatur, & ad vngendum Dominum omnium maximè sedula, sed cultu sabbati simul & celeritate resurrectionis Domini impedita fuisse narratur. Reliqua ex Matthæo petantur.

Matth. 26. v. 13.

Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius. | 9 | ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅπου ἂν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο εἰς ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη λαληθήσεται εἰς μνημόσυνον αὐτῆς.

ET QVOD FECIT HÆC. etiam hoc quòd hæc fecit. NARRABITVR. λαληθήσεται *dicetur* vertit secundùm Matthæum, vbi reliqua exposita sunt.

Matth. 26. v. 14. 15. Luc. 22. v. 3. 4.

Et Iudas Iscariotes, vnus de duo- | 10 | καὶ ὁ ἰούδας ὁ ἰσκαριώτης, εἷς τῶν δώδεκα,

δεκα, ἀπῆλθε πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς, ἵνα παραδῷ αὐτὸν αὐτοῖς.

decim, abiit ad summos sacerdotes, vt proderet eum illis.

IT. Huius autem rei gestæ occasione, paulò pòst, IVDAS sciens summos sacerdotes quærere, quomodo Iesum dolo tenerent & occiderent, quod mox diximus v. 1. ABIIT &c. Reliqua pete ex Matthæo, locis pro more ad marginem annotatis.

οἱ δὲ ἀκούσαντες ἐχάρησαν, καὶ ¹¹ ἐπηγγείλαντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι. καὶ ἐζήτει πῶς εὐκαίρως αὐτὸν παραδῷ.

Qui audiētes gauisi sunt, & promiserūt ei pecuniā se daturos. Et quærebat quomodo illū opportunè traderet.

Matth. 26. v. 15. 16. Luc. 22. v. 5. 6.

QVI AVDIENTES. οἱ δὲ ἀκούσαντες illi autem quum audissent s. hoc, quod Iudas ipsis proponebat. GAVISI SVNT valde, quòd cùm soliciti essent de modo, quo Iesum possent dolo tenere (suprà v. 1.) tam opportunus ipsis offerretur modus, quàm erat iste, domestici familiarisque discipuli proditionem meditantis, quam is commodè, sine tumultu ac strepitu, videbatur perficere posse. *Gauisi* itaque *sunt*, quòd præter exspectationem inuenissent tam idoneum sceleri perficiendo. *Gauisi sunt autem*, inquit Euthymius, *non solùm quia ipsum sine tumultu comprehensuri erant, opportunè à Iuda traditum, verumetiam quia à suis discipulis odio haberi inciperet*. Vt enim ipsorum votis commoda, ita Iesu infamis fore videbatur hæc ratio, vt à quo desciſceret quemque proderet proprius discipulus, quod non sine iusta causa fieri, vulgo facilè persuasum foret. PECVNIAM. ἀργύριον ad verbum *argentum*. *Pecuniam*, non quantulamcumque vellent, sed pactam, de qua inter ipsos conuenerat. nullius enim faciebant quantamcumque pecuniæ summam, modò voti compotes Iesum in manibus habere possent. ET QVÆREBAT. Quærebat proinde Iudas. Reliqua ex Matthæo petantur.

καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε ¹² τὸ πάσχα ἔθυον, λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· ποῦ θέλεις ἀπελθόντες ἑτοιμάσωμεν ἵνα φάγῃς τὸ πάσχα;

Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces pascha?

Matth. 26. v. 17. Luc. 22. v. 7. 9.

ET PRIMO. Primo autem. QVANDO. id est, quo die, abiecto fermento PASCHA. agnum paschalem, agnum in memoriam paschæ, id est, saltus siue transitus Domini. vide Matth. 26. v. 2. IMMOLABANT. sacrificabant. Syrus addit *Iudæi*, hoc enim subaudiendum est; *immolabant* Iudæi omnes, seu *immolabatur* (quomodo vertit Origenis Interpres in Matthæum scribentis, à Iudæis omnibus, id est, immolari consueuerat. *Nam cum alias, plebeij homines victimas adducerent ad altare, mactandas à sacerdotibus, hoc tempore iubente lege tota gens sacrificabat, & vnusquisque se pro sacerdote gerebat, pro se quisque mactans bestiam suis manibus*. verba sunt Philonis Iudæi libro tertio de vita Mosis, post medium. Manifestè porrò hîc significat Euangelista, Iesum eodem cum reliquis Iudæis die celebrasse pascha. QVO VIS EAMVS, ET PAREMVS. ποῦ θέλεις ἀπελθόντες ἑτοιμάσωμεν vbi vis vt abeuntes paremus. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 17.

καὶ ἀποστέλλει δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ¹³ καὶ λέγει αὐτοῖς· ὑπάγετε εἰς τὴν πόλιν, καὶ ἀπαντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων· ἀκολουθήσατε αὐτῷ,

Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo, lagenam aquæ baiulans: sequimini eum,

Matth. 26. v. 18. Luc. 22. v. 8. 10.

MITTIT. Paulò antè miserat discipulos hos duos sine loci expressione: testatur Lucas c. 22. v. 8. Iam de loco ab ipsis rogatus, iterum mittit, loco declarato & præscripto. DVOS EX DISCIPVLIS SVIS, Petrum & Iohannem (interprete Luca) eosdem illos qui de loco quæsierant. Luc. 22. v. 9. Duos autem, significatione charitatis & auxilij atque consilij mutui, vt testes etiam actionum mutuarum. HOMO. id est, quidam. LAGENAM. κεράμιον vas testaceum seu figulinum, quale est *lagena*, quale rursus *amphora* quam vertit secundùm Lucam. AQVÆ. aqua plenam. Seruus is erat eius patrisfamilias, quod notat Origenes, ad quem discipulos Iesus mittebat; ferens domum aquam fontis, ad vina miscenda, ad purificationes Iudaicas, aliasq; necessitates. BAIVLANS. βαστάζων. de grauioribus oneribus propriè dici videtur. Dat hîc intelligendam diuinitatem suam Iesus, indicans hominem indiciis, quæ non possunt reserari, nisi ab eo qui futura & abdita æquè videt, ac præsentia & aperta: prædicit enim rem futuram, quæ planè contingens & fortuita est. Quare D. Ambrosius in Lucam: *Maiestatem diuinitatis aduerte: cum discipulis loquitur, & tamen nouit quid alibi sit futurum*. ostendit itaque, totum hoc negotium, non casu aut necessitate, sed Dei consilio prudentiaque geri. Reliqua petantur ex Matth. 26. v. 18.

καὶ ὅπου ἐὰν εἰσέλθῃ, εἴπατε τῷ ¹⁴ οἰκοδεσπότῃ, ὅτι ὁ διδάσκαλος λέγει, ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα, ὅπου τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου φάγω;

& quocumque introierit, dicite domino domus, quia magister dicit, Vbi est refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis manducem?

Matth. 26. v. 18. Luc. 22. v. 10. 11.

DOMINO DOMVS. patrifamilias. Quamuis posset Iesus hominem suo nomine exprimere, miraculo tamen

men discipulos suos dirigere ad eum maluit, vt quum crucifixum paulò pòst viderent, & hoc documento suffulta ipsorum fides staret. Neque enim hęc leuis erat confirmatio, quòd paucis antè horis quàm ad mortem raperetur, Deum se manifestis indiciis testatus fuerat: vt scirent, non necessitate ipsum cogi, sed sponte cedere. Quamquam autem in ipso perturbationis momento parùm aut nihil fortè hoc eis profuit, memoria tamen postea fuit vtilis. Sicut hodie quoque ad superandum crucis scandalum, hoc scire nostra refert, simul cum infirmitate carnis, in Christo deitatis gloriam apparuisse, sub ipsum mortis tempus. QVIA. ὅτι quòd. habet eam vim quam sæpe diximus. Syrus omittit. REFECTIO MEA. *κατάλυμα diuersorium.* Syrus *domus habitationis*. nam neque græcè, neque syriacè, additur pronomen. Interpres *diuersorium* vertit secundùm Lucam: quinetiam hic *refectionem* accipit pro loco refectionis, quemadmodum cœnationem dicimus locum cœnæ; pro loco inquam, in quo cibo potuque vires corporis reficiuntur, id est, pro hospitio seu domicilio. *Vbi est refectio mea.* id est, assigna ac præbe mihi refectorium (vt sic loquamur cum sanctis monachis) VBI PASCHA agnum seu cœnam paschalem. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 18.

Luc. 22. v. 12.

Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum: & illic parate nobis. [15]	καὶ αὐτὸς ὑμῖν δείξει ἀνώγαιον μέγα ἐστρωμένον, ἕτοιμον· ἐκεῖ ἑτοιμάσατε ἡμῖν.

IPSE. mox obtemperans iussis meis, & quidem singulari studio. DEMONSTRABIT. ostendet simul & concedet ad vsum meum. Præsciuit Iesus, quòd paterfamilias ille pariturus esset præcepto ipsius, præsciuit etiam quem locum esset præbiturus: Ipse enim Iesus, diuina virtute sua, commouere animum illius, vt poterat, ita decreuerat, in obsequium & obedientiam. Qui licèt priùs non ausus fuerat Iesum confiteri & hospitio accipere: ad ipsius tamen iussum, metu deposito, confidenter & studiosè illum excepit, ita vt perspicuum fieri Apostolis posset, Iesu in manu esse quidquid vellet facere. Quare D. Chrysostomus in Matthæum: *Ego vero, inquit, non id solum admiror, quod ignotus erat: sed illud multo magis stupeo, quod bellum acerrimum & inimicitias primatum hac ex re incumbere sibi videns, omnibus his neglectis libenter obtemperauit.* CÆNACVLVM. ἀνώγαιον seu ἀνώγεον. Interpres Origenis in Matthæum scribentis vertit *locum in superioribus*: declarat enim vox, contignationem ædium superiorem, cuicumque tandem vsui destinata sit, sic dictam, quòd supra terram eleuata sit. Sed quia moris erat in ea domus parte cœnare, ideò *cœnaculum* dici cœpit. Similis vox est syriacè ܥܠܝܬܐ *belitho* ab ascensu dicta. GRANDE. hinc intelligitur amplam fuisse huius patrisfamilias domum. Voluit autem magnum cœnaculum Iesus, tum quia magna erat ipsi familia, virorum tredecim, tum quia secretus agere voluit cum suis, neque mox cuiuis publicari quæ suis erat commissurus. STRATVM. instructum mensis & lectis siue sedilibus, aliisque necessariis, vestitum tapetibus & aulæis, ornatum floribus ac frondibus, omninoque paratum ad solemnem paschæ cœnam celebrandam: fortassis etiam stratum lapidibus aut tegulis, quoad pauimentum, refrigerij præstandi causa. Richelius in Lucam: *Stratum, id est, dispositum & paratum seu aptũ ad esum agni.* Significatur locus, non nudus, sed opportuna supellectili & ornatu instructus, ita vt nihil deesset, nisi vt agnus reliquusq. cibus appararetur. Græcè & syriacè additur *ἕτοιμον paratum*: quod etiam Origenes & Hieronymus, hunc locum ad Matthæũ citantes, legunt, nisi quòd Hieronymus pro *paratum* scribat *mundatum*, si non est error notarij. Existimatur autem à plerisque, *τὸ paratum*, expositio esse eius quod præcedit *stratum*. Neque verò mirum videri debet, quòd vir iste (qui intelligitur non vulgaris, sed diues ac magnificus fuisse) cœnaculum huiusmodi, quo carere ipse poterat, habuerit, ita apprimè instructum, vt nihil deesset siue ad vsum siue ad ornatum, celebraturis pascha: cùm enim ad pascha celebrandum Ierosolymam conuenirent omnes, totius, non tantùm Iudææ, verumetiam orbis terrarum, per quem innumeri dispersi erant, Iudæi, fiebat, vt farta hominibus ciuitas, quomodo Iosephus alicubi loquitur, non caperet omnes eos qui aliunde aduenerant diuersoriis publicis, sed necesse esset, vt ciues Ierosolymitani suis ędibus exciperent singuli quos possent. Itaque cùm singuli hospites aliquos suis ædibus excipiendos exspectarent, instruebant primùm ædes suas, & præsertim superiorem fortassis ædium partem (ea enim locari solet inquilinis, retenta à dominis parte inferiore, vt commodiore) supellectili aliisque rebus necessariis, deinde etiam exornabant eas pro facultatibus, non tantùm in hospitum gratiam, verumetiam ad condecorandum, sacratissimum & solemnissimum, sacrificium, conuiuium, & diem, paschæ. Non mirum igitur quòd vir iste habuerit cœnaculum ita aptè opportuneque instructum: sed illud mirum, quòd cœnaculum istud Iesu penè vltima hora petenti reseruatum fuerit. Prouiderat nimirum ipse, occulta prouidentiæ suæ virtute, ne cui alij illud concederetur: in quo ipse statuerat, vetus quidem pascha vltimum agere, nouum verò primum instituere, alia denique complura mysteria tradere: id quod noluit in loco abiecto aut vili. Hoc cœnaculum deinceps effectum est Apostolorum cæterorumque discipulorum ecclesia. Nam post accepta illic vltimæ Domini cœnæ mysteria, perrexerunt eò conuenire (Act. 1. v. 13.) ita vt ibi adspectu Domini Iesu rediuiui frui sint, & die Pentecostes Spiritum sanctum è cælis missum acceperint. ET ILLIC. *&* non legitur græcè aut syriacè. PARATE NOBIS pascha.

Matth. 26. v. 19. Luc. 22. v. 13.

Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha. [16]	καὶ ἐξῆλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἦλθον εἰς τὴν πόλιν, καὶ εὗρον καθὼς εἶπεν αὐτοῖς, καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα.

ET ABIERVNT. Abierunt igitur. Interpres legit *ἀπῆλθον abierunt*, pro eo quod nobis græcè & syriacè legitur *ἐξῆλθον exierunt*, vel certè hoc pro illo positum intellexit. ET INVENERVNT omnia SICVT DIXERAT prædixerat ILLIS Iesus, videlicet, occurrentem sibi virum, baiulantem aqualem fictilem aqua plenum, & introeuntem in domum, cuius paterfamilias, ad relata sibi Iesu verba, mox ostenderit ipsis, & concesserit Iesu, ad celebrandum cum discipulis suis pascha, sublime cœnaculum, magnum, abundè instructum,

ctum, & egregiè ornatum; vt argumentum esse posset, magni cuiusdam consilij, ex diuina prouidentia parati & cœpti. Iesu præstituro atque expedituro. Hæc domus eiusque cænaculum, creduntur, in superiore ciuitate, id est, in monte Sion, sita fuisse. Reliqua dicta sunt Matth. 26. v. 19.

17 Καὶ ὀψίας γενομένης ἔρχεται μετὰ τῶν δώδεκα.

Vespere autem facto, venit cum duodecim.

Matth. 26. v. 20. Luc. 22. v. 14.

VENIT. ἔρχεται accedit s. Iesus ad hospitium illud sibi concessum. CVM DVODECIM Apostolis. Verisimile est, Petrum & Iohannem postquam necessaria omnia parassent, agno ad ignem torrendi causa reiecto, nunciasse præceptori, successisse omnia prout ipse prædixerat, iamque pascha, cænam, & necessaria omnia esse parata in cænaculo illo quod ipse petiuerat, itaque cum præceptore & reliquis decem collegis rediisse eo vbi parauerant omnia. Cætera Matth. 26. v. 20.

18 Καὶ ἀνακειμένων αὐτῶν καὶ ἐσθιόντων, εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με, ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ.

Et discumbentibus eis & manducantibus, ait Iesus: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat meum.

Matth. 26. v. 21. Luc. 22. v. 21. Iohan. 13. v. 21.

QVI MANDVCAT MECVM. ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ manducans mecum, vnus manducans mecum, vnus eorum qui manducant mecum. Syrus hoc ordine scribit: *Vnus ex vobis comedens mecum, ipse prodet me*. Explicat emphasin contentam pronomine *vobis*, non omnem quidem, sed eam quæ oritur ex beneficio præsenti. Quò enim perfidiam Iudæ reddat magis detestabilem, hac circumstantia indignitatem auget, quòd sacræ simul accumbens mensæ proditionem moliatur. Nam si quis extraneus hoc fecisset, mitiùs ferri poterat: nunc verò, vnum ex intimis hoc agitare, immo etiam, post initum nefarium pactum, in sacrum conuiuium amicitiæ prætextu se ingerere, incredibile portentum erat. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 21.

19 Οἱ δὲ ἤρξαντο λυπεῖσθαι, καὶ λέγειν αὐτῷ εἷς καθ' εἷς, μήτι ἐγώ; καὶ ἄλλος, μήτι ἐγώ;

At illi cœperunt contristari, & dicere ei singillatim: Numquid ego?

Matth. 26. v. 22.

NVMQVID EGO te tradam? Reliqua Matth. 26. v. 22. Nam quod græcè sequitur καὶ ἄλλος μήτι ἐγώ *& alius Numquid ego*, videtur redundare, prout docemus in Notis.

20 Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· εἷς ἐκ τῶν δώδεκα ὁ ἐμβαπτόμενος μετ' ἐμοῦ εἰς τὸ τρυβλίον.

Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

Matth. 26. v. 23. Luc. 22. v. 21.

QVI AIT. sic legit & Syrus. Græca addunt *Qui respondens ait*. VNVS EX vobis DVODECIM me tradet, QVI. cui permitto ego in eandem mecum patinam intingere, eadem mecum mensa & cibis eisdem vti. MANVM. Interpres hoc potuit addidisse, nam græcè & syriacè non legitur. IN CATINO. εἰς τὸ τρυβλίον *in paropside*, vertit secundùm Matthæum. Cùm priùs dixisset *ex vobis*, nunc dicit quod magis pungit *ex duodecim*: & pro eo quod priùs dixerat, *qui manducat mecum*, nunc dicit quod magis exaggeratiuum est *qui intingit m. m. in catino*, id est, qui non solùm mensam, verumetiam lancem cibumque prorsus omnem mecum habet communem, quod est arctissimæ familiaritatis. Repetit quod summæ impudentissimæque ingratitudinis argumentum erat. Reliqua quære Matth. 26. v. 23.

21 Ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει, καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ· οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται. καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος.

Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: vę autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

Matth. 26. v. 24. Luc. 22. v. 22.

ET FILIVS. Græcè non additur *&*. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

22 Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν, λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον, καὶ εὐλογήσας ἔκλασε, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ εἶπε· λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum.

Matth. 26. v. 26. Luc. 22. v. 19.

BENEDICENS. εὐλογήσας postquam benedixisset. EIS. duodecim. SVMITE. λάβετε *accipite* vertit secundùm Matthæum. Sequitur græcè φάγετε *comedite*, quod latinè & syriacè non legitur. EST. Syrus hîc exprimit suo modo substantiuum hoc verbum (ܐܝܬܘܗܝ *ithauhi est ipsum*) quod secundùm Matthæum subaudierat. Reliqua huius versus exposita sunt Matth. 26. v. 26.

Matth.26. v.27. Luc.22. v.20.

Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. [23] καὶ λαβὼν τὸ ποτήριον, εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες.

GRATIAS AGENS. εὐχαριστήσας postquam gratias egisset. Syrus *gratias egit & benedixit*. vide Matth.26.v.26. ET BIBERVNT prout iussi fuerant. Ebrietas felix, satietas salutaris: quæ quanto copiosiùs sumitur, tanto maiorem sobrietatem mentibus largitur. *Hac ebrietas*, inquit Auctor libri de card.oper. *non accendit, sed exstinguit peccatum: in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad lusum post hunc potum lasciuia*. Quippe panis est electorum, & vinum germinans virgines. Reliqua petantur ex Matth.26.v.27.

Matth.26. v.28. Luc.22. v.20.

Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. [24] καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.

ET AIT ILLIS, non postquam ex calice bibissent omnes, sed antequam ex ea biberent: id quod constat ex Matthæo, apud quem etiam causalis coniunctio additur, qua verba ista certa ratione cum ipsa calicis propinatione iungantur: *Hic est enim* &c. Marcus igitur anticipatione vsus dixit *& biberunt ex eo omnes*, loco eius quod Matthæus dixerat *bibite ex eo omnes*, vt significaret factum fuisse quod Dominus iusserat. EFFVNDETVR. ἐκχυνόμενον effunditur, quomodo est & syriacè. Reliqua petantur ex Matthæo.

Matth.26. v.29. Luc.22. v.18.

Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam nouum in regno Dei. [25] ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ πίω ἐκ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.

AMEN. certum habete, quod VOBIS DICO. IAM NON BIBAM. οὐκέτι οὐ μὴ πίω nequaquam ampliùs bibam. DE HOC GENIMINE. Alij libri & quidem vetusti, pronomen demonstratiuum, quod legitur secundùm Matthæum, omittunt, quo sensus esse sciatur, nullum vinum post hac, iuxta præsentis vitæ consuetudinem, à Iesu esse gustandum. BIBAM s. vobiscum. DEI Patris mei. Reliqua dicta sunt ad Matthæum.

Matth.26. v.30. Luc.22. v.39.

Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum. [26] καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν.

IN. ad. Reliqua huius versus exposita fuere Matth.26.v.30.

Matth.26. v.31. Zach.13. v.7.

Et ait eis Iesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista, quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues. [27] καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· ὅτι πάντες σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, ὅτι γέγραπται, πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα.

OMNES. ὅτι πάντες quòd omnes. Superest ὅτι. QVIA SCRIPTVM EST. quia futurum est hac nocte id quod scriptum est. OVES. Syrus *oues ipsius* s. pastoris. Totus hic versiculus expositus est Matth.26.v.31.

Matth.26. v.32.

Sed posteaquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. [28] ἀλλὰ μετὰ τὸ ἐγερθῆναί με, προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν.

Matth.26. v.33.

Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed nō ego. [29] ὁ δὲ πέτρος ἔφη αὐτῷ· καὶ εἰ πάντες σκανδαλισθήσονται ἐν σοί, ἀλλ᾽ οὐκ ἐγώ.

SED NON EGO. ego tamen non scandalizabor. Reliqua pro horum duorum versuum expositione, petenda sunt ex Matthæo.

Matth.26. v.34. Luc.22. v.34. Iohan.13. v.38.

Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. [30] καὶ λέγει αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι σὺ σήμερον ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρίς ἀπαρνήσῃ με.

TV. qui te ita iactas, vt reliquis omnibus te præferas. HODIE hoc die festo: is enim cœperat superiori vespera. IN NOCTE HAC. & quidem hac ipsa nocte. PRIVSQVAM GALLVS. idque diu ante finem huius noctis. VOCEM DEDERIT. φωνῆσαι *cantauerit*, quomodo vertit secundùm Matthæum. BIS. Constat gallum variis horis frequentiùs canere, & cantu suo diuersa distinguere noctis spacia. Solet autem bis maximè nocte canere, semel à media nocte, quod tempus, noctis inclinatio vocatur; semel ante diluculum: semel

semel circa medium tertiæ, semel circa initium quartæ vigiliæ. Duplicem hunc cantum distinguens Marcus, *bis* inquit cùm alij Euangelistæ de vno solo eoque posteriore loquantur. Nam, ante posteriorem quidem, ter negauit Petrus, ante priorem verò semel, bis iterum ante posteriorem: quod Marcus distinctius recenset à Petro præceptore admonitus. Sermo enim Christo Domino fuisse videtur de certo aliquo gallo gallinacio, quem Petrus esset auditurus, semel à media nocte postquam primùm negasset, rursus vna plus minus hora post, postquam tertiò negasset. TER ME NEGABIS. Non dubium est, quin Iesus vsus fuerit his verbis quæ Marcus recitat, in quibus præterquam quòd singulæ voces emphaticæ sunt, obseruanda est antitheseos gratia, qua numerus numero opponitur: *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* quasi diceret, Tu diligentior eris in me negando, quàm gallus in cantando, quod tamen ille alacriter adeò & strennuè solet agere. Sententia est: Negabis me, non semel, neque repentino motu aliquo, qui turbare solet aliquando constantes homines, qui homines tantùm sunt, sed ter, & spacio interiecto, & admonitus etiam semel priori galli cantu, vt manifestius arguatur magnus metus in te, qui nunc constantiam præter cæteros iactas. Reliqua Matth. 26. v. 34.

ὁ δὲ ἐκ περισσοῦ ἔλεγε μᾶλλον· ἐάν με δέῃ συναποθανεῖν σοι, οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι. ὡσαύτως δὲ καὶ πάντες ἔλεγον. [31]

At ille ampliùs loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant. *Matth. 26. v. 35.*

AMPLIVS. vehementiùs & asseuerantiùs ἐκ περισσοῦ μᾶλλον ad verbum, *magis ex abundanti*, id est, multo amplius. conduplicatio vehementissimam Petri asseuerationem exprimit. LOQVEBATVR. ἔλεγε dicebat. SIMVL non additur græcè. NON. οὐ μὴ nequaquam. Adeò non fuit coërcita Christi oratione Petri confidentia, vt eo etiam fortiùs ac magnificentiùs de se polliceretur, quinimmo vultu, gestu, & verbis, augeret constantiæ iactationem. NEGABO. *Domine mi*, addit Syrus, q. d. salua pace tua. OMNES reliqui Apostoli præsentes. Reliqua lege Matth. 26. v. 35.

καὶ ἔρχονται εἰς χωρίον, οὗ τὸ ὄνομα γεθσημανῆ, καὶ λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· καθίσατε ὧδε, ἕως προσεύξωμαι. [32]

Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani: & ait discipulis suis: Sedete hîc, donec orem. *Matth. 26. v. 36. Luc. 22. v. 40.*

ET pro *tunc*, quod habet Matthæus. PRÆDIVM. χωρίον *villam* vertit secundùm Matthæum. OREM. προσεύξωμαι orauero. Reliqua pete ex Matthæo.

καὶ παραλαμβάνει τὸν πέτρον καὶ ἰάκωβον καὶ ἰωάννην μεθ' ἑαυτοῦ, καὶ ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. [33]

Et assumit Petrum & Iacobum & Iohannem secum, & cœpit pauere & tædere. *Matth. 26. v. 37.*

PAVERE. ἐκθαμβεῖσθαι expauescere. id est, timere, quod ait Euthymius. permisit enim naturæ, pati quod suum erat. TÆDERE. ἀδημονεῖν angi. *mæstus esse* vertit Matth. 26. v. 37. vnde reliqua pro huius versiculi explicatione petenda sunt.

καὶ λέγει αὐτοῖς· περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου· μείνατε ὧδε καὶ γρηγορεῖτε μετ' ἐμοῦ. [34]

Et ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hîc & vigilate. *Matth. 26. v. 38.*

καὶ προελθὼν μικρὸν, ἔπεσεν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ προσηύχετο, ἵνα, εἰ δυνατόν ἐστι, παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ ἡ ὥρα, [35]

Et cùm processisset paululum, procidit super terram, & orabat, vt, si fieri posset, transiret ab eo hora, *Matth. 26. v. 39. Luc. 22. v. 41. 42.*

CVM PROCESSISSET PAVLVLVM. προελθὼν μικρὸν *progressus pusillum* vertit secundùm Matthæum. SVPER TERRAM. pronus, *in faciem suam*, inquit Matthæus. SI FIERI POSSET. id est, si volūtas foret Patris, si Deus Pater eò posset adduci. Non dixit *si facere posset*, sed *si fieri posset*: fieri enim potest quod ille voluerit. Sic itaque dictum est *si fieri posset*, ac si diceretur, si vellet: sequitur enim: *Omnia tibi possibilia sunt*. Ita ferè Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 4. TRANSIRET AB EO. præteriret ita vt ipsum non comprehenderet. HORA. ἡ ὥρα illa hora, id est, hora passionis, quam calicis nomine mox significat (ita D. Augustinus eodem illo loco) durissimum illud tempus quod imminebat mortis & suppliciorum. Hora pro tempore ponitur, & tempus pro eo quod in tempore gerendum erat, synecdochicῶs, vt cùm dies dicuntur mali. Reliqua horum duorum versiculorum quære Matth. 26. v. 38. & 39.

καὶ ἔλεγεν· ἀββᾶ ὁ πατὴρ, πάντα δυνατά σοι, παρένεγκε τὸ ποτήριον [36]

& dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc *Matth. 26. v. 39. Luc. 22. v. 41.*

à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. | ἀπ' ἐμοῦ τοῦτο· ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ.

DIXIT. ἔλεγεν dicebat, orabat his verbis. ABBA. Nomen chaldaicum & syriacum, formatum ab hebræo אב ab, adiectione literæ aleph & duplicatione literæ mediæ. ܐܒܐ אבא. PATER. ὁ πατήρ. Pater idem est græcè & latinè, quod hebraicè *Ab*, & chaldaicè ac syriacè *Abba*: sed an additum sit ab Euangelista gratia explicandi nominis *Abba*, an verò significandi, quòd Christus præ vehementia affectus repetierit nomen patris (quomodo Syrus hîc scribit ܐܒܐ ܐܒܝ *Abba Abbi* pater pater mi) & quidem hebraicè seu syriacè semel, semel græcè siue latinè, vt tunc erant linguæ istæ permistæ, incertum est: sed non est dissimilis veræ posterior opinio, nam & Apostolus hac orandi forma vtitur *Abba pater*. Rom. 8. v. 15. & Gal. 4. v. 6. Huius sententiæ est D. Augustinus lib. 3. de consensu Euang. cap. 4., vbi ait, *credendum est Dominum dixisse Abba pater, ad intimandum sacramentum ecclesiæ suæ ex Iudæis & gentibus colligendæ*. In quam sententiam & Auctor commentarij D. Hieronymo adscripti ait: *Hebraicè & græcè loquitur, quia non est distinctio Iudæi & Græci.*

OMNIA TIBI POSSIBILIA SVNT. A laude Dei exorditur legitima oratio, præsertim verò à prædicatione bonitatis & omnipotentię Dei. vide sup. 6. v. 9. exordiũ orationis quotidianæ *Pater noster qui es in cælis*. *Omnia tibi possibilia sunt*, etiam hoc ipsum vt transferas calicem hunc à me, licet sciam aliud abs te decretum: nam si redimendum est humanum genus, multi alij modi tibi suppetunt illius redimendi, quàm per passionem hanc meam. Optabat Christus salutem humani generis, voluntate etiam naturali, sed non per passionem hanc mortemque suam. Porrò quamuis, posito quòd Deus decreuerit Christum nunc pati ac mori, & statuerit vti hac ratione redimendi humanum genus, non possit non ea vti, & Christus pati: absolutè tamen potest Christus non pati ac mori, & Deus non ea sed alia ratione vti: illa enim necessitas, non est consequentis, sed dumtaxat consequentiæ, quomodo dialectici loquuntur. vt non imponit rebus necessitatem prouidentia Dei. TRANSFER. aufer. QVOD EGO VOLO. τί ἐγὼ θέλω quid ego velim. SED QVOD TV vis s. facias. Reliqua dicta sunt Matth. 26. v. 39.

Matth. 26. v. 40.

37 Et venit & inuenit eos dormientes, & ait Petro: Simon dormis? non potuisti vna hora vigilare? | καὶ ἔρχεται καὶ εὑρίσκει αὐτοὺς καθεύδοντας, καὶ λέγει τῷ πέτρῳ· σίμων καθεύδεις; οὐκ ἴσχυσας μίαν ὥραν γρηγορῆσαι;

SIMON. Appellat Simonem nomine proprio, non Petrum, quia non præstabat se Petrum, id est, petræ instar firmum ac constantem. NON POTVISTI. Alloquitur Petrum vt ducem cæterorum, quique præ cæteris, fidem pollicitus fuerat: verùm in illo notat & cæteros, quam ob causam Matthæus vsus est numero plurali *potuistis*, quemadmodum & hîc sequitur plurali numero *vigilate* &c. Reliqua vt Matth. 26. v. 40.

Matth. 26. v. 41.

38 Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem: spiritus quidem promtus est, caro verò infirma. | γρηγορεῖτε, καὶ προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν· τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής.

PROMTVS. Hoc verbum duobus hîc explicat Syrus, *voluntarius & promtus*. Reliqua dicta sunt secundùm Matthæum.

Matth. 26. v. 42.

39 Et iterum abiens orauit, eumdem sermonem dicens. | καὶ πάλιν ἀπελθὼν προσηύξατο, τὸν αὐτὸν λόγον εἰπών.

ABIENS. ἀπελθὼν digressus. EVMDEM SERMONEM. eamdem rem. vide Matth. 26. v. 44. Reliqua Matth. 26. v. 42.

Matth. 26. v. 43.

40 Et reuersus, denuò inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid responderent ei. | καὶ ὑποστρέψας εὗρεν αὐτοὺς πάλιν καθεύδοντας, ἦσαν γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν βεβαρημένοι, καὶ οὐκ ᾔδεισαν τί αὐτῷ ἀποκριθῶσι.

DENNÒ. πάλιν iterum. referendum est ad præteritum *inuenit*, non ad *reuersus*. QVID RESPONDERENT EI. quomodo se excusarent. An loquutus ipsis iam fuerit, incertum est: excitauit tamen eos à somno, si non voce, at præsentia sua: illi verò excitari nescierunt quomodo se à somnolentia vsque adeò importuna excusarent, iam sæpius admoniti. Reliqua dicta sunt Matth. 26. v. 43.

Matth. 26. v. 45.

41 Et venit tertiò, & ait illis: Dormite iam & requiescite: sufficit: venit hora, ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. | καὶ ἔρχεται τὸ τρίτον, καὶ λέγει αὐτοῖς· καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε, ἀπέχει, ἦλθεν ἡ ὥρα, ἰδοὺ παραδίδοται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου εἰς τὰς χεῖρας τῶν ἁμαρτωλῶν.

VENIT, AIT, præsentia sunt. TERTIÒ s. postquam tertiò orasset, quod Matthæus exprimit cap. 26.

cap.26.v.44. SVFFICIT. Explicatio est ironiæ, sufficit hactenus dormitasse. Græcè est ἀπέχει, quod verbum magnam mouet difficultatem peritis græcè: non enim videtur significare *sufficit* (quamquam nihil æquè conueniat loco, nisi legas ἀπέχει. Euthymius duplici modo interpretatur, semel *accepit s. diabolus in me potestatem*, semel *abscedunt* pro *finem habent* s. τὰ περὶ ἐμοῦ *ea quæ de me*; in eum sensum, quo Lucas cap.22. v.37 refert, à Christo Domino, priusquam ad hortum veniretur, discipulis dictum fuisse: *Ea quæ sunt de me finem habent*. In hanc sententiam græci quidam libri addere perhibentur ἀπέχει τὸ τέλος, abest finis, quod sit solus restat finis eorum quæ sunt de me. Certè vocem *finis* seu τὸ τέλος, id est, ܫܘܠܡܐ *shulto* addit Syrus, pro ἀπέχει scribens ܡܛܬ *metoth aduenit*, hoc modo: *Aduenit finis venitque hora*. VENIT præteritum est ex ἦλθεν, pro adest. ECCE. qua ecce. Reliqua Matth.26.v.45.

ἐγείρεσθε, ἄγωμεν, ἰδοὺ ὁ παραδιδούς με ἤγγικε. [42]

Surgite, eamus: ecce qui me tradet propè est.

Matth.26. v.46.

PROPE EST. propè adest. Reliqua ex Matthæo petantur.

καὶ εὐθέως ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, παραγίνεται ἰούδας, εἷς ὢν τῶν δώδεκα, καὶ μετ' αὐτοῦ ὄχλος πολὺς, μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων, παρὰ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν γραμματέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων. [43]

Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes, vnus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladiis & lignis, à summis sacerdotibus & Scribis & senioribus.

Matth.26. v.47. Luc.22. v.47. Iohan.18. v.3.

ET ADHVC. καὶ εὐθέως ἔτι & statim adhuc. Additur græcè *statim*, quod omittunt latina & syra. VENIT. παραγίνεται adest. ISCARIOTES. hoc abest à libris græcis, sed legitur à syricis vt à latinis. A SVMMIS SACERDOTIBVS. refertur ad *venit*. ET SCRIBIS. Hic tertius erat ordo eorum qui præerant Reip., doctorum inquam, quem hic omisit Matthæus, quia facilè intelligi poterat sub reliquis duobus ordinibus. Reliqua exposita sunt Matth.26.v.47.

δεδώκει δὲ ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν σύσσημον αὐτοῖς, λέγων· ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι, κρατήσατε αὐτὸν, καὶ ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς. [44]

Dederat autem traditor eius signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè.

Matth.26. v.48.

TRADITOR EIVS. ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν qui tradebat eum. SIGNVM. σύσσημον q.d. consignum, id est, commune signum; commune, quia vnum omnibus dederat. Huiusmodi signa inter milites symbola vocantur, quorum alia vocalia sunt, alia muta. Hic mutum symbolum militibus suis dux Iudas dederat. Syrus pro commune signum habet *signum proditionis*, vt nobis est versus: sed manuscriptum syriacum omittit vocem illam quæ versa est *proditionis*. DVCITE. ἀπαγάγετε abducite. CAVTE. circumspectè, prouidè, ne elabatur manibus vestris. ἀσφαλῶς diligenter, tutò, certò, id est, ita diligenter & tanto cum præsidio tamque exacta custodia, vt nec effugere nec eripi manibus vestris queat. *Maligne & cum significatione* (inquit Origenes in Matthæum) *hoc dixisse Iudas videtur, tamquam si dicat, Nisi diligenter eum tenentes abduxeritis, cum voluerit effugiet vos.* Hoc autem ideò præcipuè fecit, quia memoria tenebat quàm multis argumentis probasset aliàs Iesus diuinam suam virtutem, signanter elapsus non semel è manibus eorum qui ipsum apprehendere aut occidere voluerant. Luc.4 v.30. Ioh.8 v.59. & 10.v.39. Nam à fauore populi, timere quidem poterat, minùs tamen hac hora istoque adiutus exercitu. Tenet igitur solicitudo Iudam, ne etiam traditus & apprehensus Iesus, euadat proprio marte, aut certè adiutus à populo, antequam principibus, cum quibus pactus fuerat ipse Iudas, repræsentetur, ac proinde frustretur ipse promissa pecunia, & tam pecunia quàm magistri iacturam faciat. Mira proditoris cæcitas, immensæ Filij Dei potentiæ opponere hominum industriam. Porrò Syrus τὸ *cautè* iungit cum *tenete*: sic tamen vt possit ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeti ad vocem *ducite*: Capite eum cautè, & abducite eum s. cautè. Reliqua huius versus tractata sunt Matth.26.v.48.

καὶ ἐλθὼν, εὐθέως προσελθὼν αὐτῷ, λέγει· χαῖρε ῥαββί, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. [45]

Et cùm venisset, statim accedens ad eum, ait: Aue Rabbi; & osculatus est eum.

Matth.26. v.49. Luc.22. v.47.

ET CVM VENISSET, STATIM ACCEDENS. Simulatque igitur venisset ad locum, accedens ad Iesum, ait. AVE. χαῖρε. A multis vetustis libris, & latinis & græcis, omittitur, quamquam etiam omissum subaudiendum est. RABBI. Secundùm syriaca & græca pleraque exemplaria, Iudas, omissa voce χαῖρε, repetit vocem *Rabbi*, tamquam ex vehementissima affectione salutem magistro optans, &, quasi trepidus ex subito illius periculo, insignem commiserationis affectum simulans. Reliqua ex Matthæo petantur.

οἱ δὲ ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας αὐτῶν, καὶ ἐκράτησαν αὐτόν. [46]

At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum.

Matth.26. v.50. Luc.22. v.54. Iohan.18. v.12.

AT ILLI. οἱ δὲ illi autem s. ex ea turba. Reliqua enarrata sunt Matth.26.v.50.

Matth. 26. v. 51. Luc. 22. v. 50. Iohan. 18. v. 10.

Vnus autem quidam de circumstantibus, educens gladium, percussit seruum summi sacerdotis, & amputauit illi auriculam. 47

εἷς δέ τις τῶν παρεστηκότων, σπασάμενος τὴν μάχαιραν, ἔπαισε τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον.

VNVS AVTEM QVIDAM. Traiectio est vocum, pro *Quidam autem, vnus* scilicet DE CIRCVMSTANTIBVS. τῶν παρεστηκότων adstantium. Petrus is erat, quod aperit Iohannes: qua de re Theophylactus: *Obticet*, inquit, *nomen Petri Marcus, vt ne videatur laudare praeceptorem, vtum Petrum maiora pro Christo* [illegible]. EDVCENS. σπασάμενος cùm extraxisset. SVMMI SACERDOTIS. τοῦ ἀρχιερέως *principis sacerdotis* vertit secundùm Matthæum. ILLI AVRICVLAM. αὐτοῦ τὸ ὠτίον illius auriculam. Reliqua ex Matthæo petantur.

Matth. 26. v. 55. Luc. 22. v. 52.

Et respondens Iesus ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis & lignis comprehendere me. 48

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξήλθετε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων συλλαβεῖν με.

RESPONDENS. subiiciens. AIT ILLIS qui se comparabant vt apprehenderent ipsum. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 55.

Matth. 26. v. 55. 56. Luc. 22. v. 53.

Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis: sed vt impleantur Scripturæ. 49

καθ' ἡμέραν ἤμην πρὸς ὑμᾶς ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων, καὶ οὐκ ἐκρατήσατέ με. ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί.

ERAM. agebam. SED VT IMPLEANTVR SCRIPTVRÆ. Aposiopesis, supplenda ex Luca his verbis: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*, quod est, hoc iam vobis permittitur à Deo Patre, quod alioqui numquam valuissetis. Syrus supplet *hoc factum est*. Non hoc autem præcipuè vult significatum Iesus, iam permitti à Deo Patre vt ipse comprehenderetur, potiùs quàm permissum fuerit in templo, eo fine vt impleantur Scripturæ (quamquam & hoc Scripturis esset consonum, quod docuimus ad Matthæum) sed quòd iam tandem permitterentur eum capere, ad hoc vt implerentur Scripturæ, quæ ipsum capiendum atque occidendum prædixerant, quod antea cùm in templo doceret, ipsis, quamuis maximè cupientibus, permissum non fuerat. Dicit igitur, quòd caperetur, non esse virtutis illorum, sed voluntatis diuinæ, Scripturis declaratæ. Cætera huius versiculi exposita sunt Matth. 26. v. 55. & 56.

Matth. 26. v. 56.

Tunc discipuli eius, relinquentes eum, omnes fugerunt. 50

καὶ ἀφέντες αὐτὸν πάντες ἔφυγον.

TVNC. καὶ &, quod rectè Interpretes Latinus & Syrus vertunt *tunc*, vt variè admodum Hebræis seruit. DISCIPVLI EIVS. Hoc legit cum Latino Syrus, quod Græcus subaudit, sermone haud parum dubio, num de iis sit sermo quos Iesus versu superiore alloquebatur. RELINQVENTES EVM. ἀφέντες αὐτὸν *relicto eo* vertit Matth. 26. v. 56. vnde reliqua petenda sunt.

Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. 51

καὶ εἷς τις νεανίσκος ἠκολούθησεν αὐτῷ, περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ· καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι.

ADOLESCENS AVTEM QVIDAM. καὶ εἷς τις νεανίσκος & vnus quidam adolescentulus. Et per *autem* rectè vertit Interpres: opponitur enim adolescentulus iste discipulis Iesu, quòd illis fugientibus iste sequutus sit. Porrò adolescentuli nomine, ætas longè inferior virili significata videtur: qua etiam ex re, iste ex numero duodecim discipulorum haud fuisse intelligitur, adolescentiam enim excesserant Apostoli, iamdudum emissi ad prædicandum. *Verisimile est*, inquit Theophylactus, *quod hic adolescentulus erat quidam e domo in qua comederant pascha*. Hoc idem annotant Euthymius & Victor. Magis verisimile est, quòd fuerit aliquis ex villa Gethsemani, fortè filius eius in cuius horto versabatur Iesus: qui experrectus tumultu strepituque ministrorum ac militum, aduentantium ad comprehendendum, aut certè comprehendentium Iesum, è lecto exsilierit, & ne vestiendo se moram faceret, iniecta in nudum corpus ea qua inuolutus dormierat sindone, festinarit procurrere in publicum, & videre quid rei agеretur, ne deesset officio pietatis, si quid fortè auxilij adferre Iesu posset. facilè enim suspicabatur, hostes moliri aliquid aduersus Iesum. SEQVEBATVR EVM. ἠκολούθησεν αὐτῷ sequutus est eum s. Iesum, cùm iam abduceretur ab iis qui manibus iniectis tenuerant eum, idque vt videret quò abducerent Iesum, vel quid cum eo agerent, aut quo eum modo tractarent. nec enim spes erat illius adiuuandi, aut ex hostium manibus eripiendi. Videtur studiosus fuisse Iesu, vtpote cuius inter alia sanctitatem fuerat expertus, consueti eo in horto noctes cum discipulis transigere orando (Luc. 21. v. 37.) sed partim quia non erat ex manifestis eius discipulis, partim quia ætate iunior, audactiùs sequutus est, nihil sibi timens, persuasus non suppetere causam ob quam mali aliquid sibi inferri posset.
AMICTVS. περιβεβλημένος circumamictus, vel potiùs circumiecta SINDONE, id est, linteamine, panno lineo, quo nudum dormientis corpus fuerat inuolutum. SVPER NVDO corpore. Beda: *Quod ait super nudo*, *suban-*

subauditur corpore, quia non aliud indumenti quam solum habebat sindonem. Vt enim festinauerat visere quid esset rei, noluerat vestes induere, quod longioris moræ fuisset, sed iniecta in humeros sindone lecti sui, ita excurrerat domo, quod diximus. Quocirca non est verisimile, hunc longè venisse, vtpote ex ciuitate: multoque minùs Iohannem Euangelistam fuisse, qui sindone hac vsus pro veste cœnatoria, præ mœroris magnitudine oblitus fuerit eam mutare cum veste quotidiana. Quasi verò credibile sit, Apostolis fuisse vestes cœnatorias, alias à quotidianis, aut eos cœnasse amictos sindone super nudo, vt nihil ampliùs dicam. Vno tegere linteo nudum corpus, non est communis vestiendi se modus, sed proprius iis quos subitò è strato exsilire necessitas cogit. ET TENVERVNT. apprehenderunt EVM. tenere conati sunt, iniectis in eum manibus. Illi qui tenuerant Iesum, id est, aliqui ex numero illorum qui venerant apprehendendi Iesu causa. In plerisque græcis libris suppositum exprimitur, *οἱ νεανίσκοι adolescentuli*: quasi adolescentuli adolescentulum tenere tentarint, & æquales in æqualem sæuire: vt huiusmodi virorum exercitum, solent adolescentuli comitari, vel ad præferendas dominis suis, quorum sunt assectæ, laternas & faces, vel alterius ministerij, vel denique petulantiæ & iuuenilis curiositatis gratia. Cæterùm syriacè non magis quàm latinè legitur illud *οἱ νεανίσκοι*. Videbatur hostibus Iesu, ex sequela, quòd adolescens iste faueret Iesu, quòd esset ex amicis Iesu: idcircò manus & in ipsum iniiciebant, vt simul cum Iesu captiuum abducerent ac punirent.

ὁ δὲ καταλιπὼν τὴν σινδόνα, γυμνὸς ἔφυγεν ἀπ' αὐτῶν. 52 At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis.

REIECTA ex humeris. *καταλιπὼν* relicta. Sindonem reiecit ac reliquit, aut quia sindone ab hostibus cùm teneretur, fugere nisi ea in manibus eorum relicta non poterat: aut quia cùm conarentur illi eum apprehendere, sindonem oblongam, quò expeditior fugeret, abiecerit. Hinc intelligitur, sindonem non fuisse genus vestis aptatæ corpori, nisi pallium lineum fuisse dicas: cæteroqui enim non ita facile fuisset, eâ, siue in manibus hostium relicta, siue abiecta, effugere. PROFVGIT. ἔφυγε fugit, in pernicitate pedum salutis præsidium collocans. *Sicut & Ioseph*, inquit Auctor ille apud Hieronymum, *relicto pallio, nudus de manibus impudicæ dominæ effugit.* Gen. 39. v. 12. AB EIS. ex eorum manibus, malens sindonis iacturam nuditatisque verecundiam, quàm crudeles eorum manus, pati. Charitatis fuerat, quòd Iesum fuerat sequutus: infirmitatis est, quòd fugiens deserat. Fugit autem domum suam, quæ vicina erat, & nudus ad stratum suum magno cum metu recurrit, reliquum noctis absque sindone in strato anxius agēs. Narrat hanc de adolescente historiam Marcus, vt doceat, quanti periculi fuerit eâ nocte Christum sequi, quamque ingens fuerit hostium Christi furor, quanta licentia & sæuitia, quàm immanis violentia, tumultuosè absque pudore & modestia grassantium, qui adolescentulum miserum ac seminudum, è lecto ad strepitum accurrentem, incognitum sibi, eò solùm quòd Iesu fauere videretur, ita comprehenderint, vt vix eorum manus nudus effugerit. Qua re monstrarunt apertè, quàm minimè pepercissent Apostolis, Iesu iam comprehenso, nisi Iesu imperio prohibiti fuissent. Iohan. 18. v. 8.

Καὶ ἀπήγαγον τὸν Ἰησοῦν πρὸς τὸν ἀρχιερέα, καὶ συνέρχονται αὐτῷ πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ γραμματεῖς. 53 Et adduxerunt Iesum ad summū sacerdotem: & conuenerūt omnes sacerdotes & Scribæ & seniores.

Matth. 26. v. 57. Luc. 22. v. 54.

ADDVXERVNT. *ἀπήγαγον* abduxerunt. AD SVMMVM SACERDOTEM Caipham, quod addit Syrus. CONVENERVNT, seu, vt est in aliis libris, *conueniunt*. *συνέρχονται αὐτῷ* conueniunt cum ipso i. summo sacerdote. Syrus, *congregati sunt apud eum*. Simulatque Iesus adductus esset domum Caiphæ, conuenerunt cum Caipha, qui illic opperiebantur reditum Iudæ & aliorum emissorum ad capiendum Iesum. OMNES SACERDOTES. *πάντες οἱ ἀρχιερεῖς* omnes summi sacerdotes (eadem enim vox repetitur) id est, reliqui inferiores principes sacerdotum. vide Matth. 26. v. 3. Reliqua quære Matth. 26. v. 57.

Καὶ ὁ Πέτρος ἀπὸ μακρόθεν ἠκολούθησεν αὐτῷ, ἕως ἔσω εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἦν συγκαθήμενος μετὰ τῶν ὑπηρετῶν καὶ θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς. 54 Petrus autem à longè secutus est eum, vsque intrò in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se.

Matth. 26. v. 58. Luc. 22. v. 54. 55. Iohan. 18. v. 15. 16. 18. 25.

EVM Iesum. IN ATRIVM ipsum. SEDEBAT. *ἦν συγκαθήμενος* erat considens. ET CALEFACIEBAT SE. *καὶ θερμαινόμενος* & calefaciens se. AD IGNEM. Hoc vt græci, ita & vetusti latini libri, legunt vltimum huius versiculi. Rectè autem Interpres *ad ignem* vertit ex *πρὸς τὸ φῶς*: non solùm enim lumen declarat *τὸ φῶς*, verumetiam ignem aliquando, vt causam necessariam luminis: neque enim ignis esse potest absque lumine. *Non est verisimile* (inquit Cyrillus lib. 11. in Iohannem cap. 42.) *in tanta mæstitia, Petrum frigoris sensedium quæsiuisse, qui multo maiores ita Christo vincto voluptates reiiceret. Quasi vero nihil ad mœrorem ipsum impelleret, nocumenta frigoris igni cum ministris repellit, vt quum vnus de domesticis pontificis esse videretur, a nemine interrogaretur quis esset.* hæc Cyrillus. Reliqua dicta sunt Matth. 26. v. 58.

Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ ὅλον τὸ συνέδριον ἐζήτουν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ μαρτυρίαν εἰς τὸ θανατῶσαι αὐτόν, καὶ οὐχ εὕρισκον. 55 Sūmi verò sacerdotes & omne conciliū quærebant aduersus Iesum testimonium vt eum morti traderent, nec inueniebant.

Matth. 26. v. 59. 60.

SVMMI VERÒ SACERDOTES. *οἱ δὲ ἀρχιερεῖς principes autem sacerdotum* vertit secundùm Matthæum; alibi *pontifices autem.* Reliqua pete ex Matthæo.

Multi

Matth. 26. v. 60.

Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum: & conuenientia testimonia non erant. 56 πολλοὶ γὰρ ἐψευδομαρτύρουν κατ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν.

TESTIMONIVM FALSVM DICEBANT. sic est etiam græcè: sed Syrus nihil aliud habet quàm *testimonium dicebant*. Ferebant enim testimonium, quod verum quidem videri volebant, sed reuera falsum erat. ET pro *sed*. CONVENIENTIA. ἴσαι æqualia, paria, idonea, sufficientia, id est, *conuenientia*, vt exponit Interpres, supple, vt eum morti traderent, siue quòd testes inter se non conuenirent, siue quòd apertè falsum testimoniú ferrent, siue quòd res de qua testarétur, morte digna haud esset. Reliqua pete ex Matth. 26. v. 60.

Matth. 26. v. 60.

Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: 57 καί τινες ἀναστάντες ἐψευδομαρτύρουν κατ᾽ αὐτοῦ, λέγοντες·

ET. pro tandem, postremò, ex Matthæo. QVIDAM. duo quod ait Matthæus. SVRGENTES. in medium prodeuntes. TESTIMONIVM FEREBANT, composito inter se testimonio & sermone præmeditato. Syrus: *Quidam autem insurrexerunt aduersus eum testes falsi, & dixerunt.*

Matth. 26. v. 61.

Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego dissoluam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. 58 ὅτι ἡμεῖς ἠκούσαμεν αὐτοῦ λέγοντος, ὅτι ἐγὼ καταλύσω τὸν ναὸν τοῦτον τὸν χειροποίητον, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλον ἀχειροποίητον οἰκοδομήσω.

QVONIAM. ὅτι. superest ex idiomate linguæ græcæ. NOS AVDIVIMVS hisce auribus. EGO. ὅτι ἐγώ. hic rectè omisit Interpres ὅτι. DISSOLVAM. Videtur Marcus ipsissima testium verba recitare, excerpta ex Petri ore, qui ea præsens audierat. Accusarunt itaque isti Iesum impietatis, qua voluerit, quod in se esset, destruere diuinissimum Dei templum: cæteroqui minus aliquid refert Matthæus, dicens *possum destruere*, sed quod in maiori illo contineatur, & eodem tendat. MANVFACTVM. lapideum, operis manuarij. Ne quis defensor Iesu, verba Iesu parabolicè dicta fuisse interpretaretur (vt multa Iesus consueuerat in parabolis loqui) de templo, non Iudaico, sed alio aliquo ænigmatico; falsò addiderunt verbis Iesu τὸ *manufactum*, vt ne possent ad aliud quàm ad religiosissimum illud gentis Iudaicæ templum trahi, quod ipsi sibi persuadebant mundo coæuum fore. *Quò testimonium quod adferunt*, inquit Victor Antiochenus, *ponderosius coramque senatu speciosius videatur, per apertam calumniam τὸ manufactum, & non manufactum Christi verbis adiiciunt*. PER TRIDVVM. διὰ τριῶν ἡμερῶν *post triduum* vertit secundùm Matthæum. NON MANVFACTVM. ἀχειροποίητον sine manibus factum, opificij non manuarij. Reliqua petantur ex Matthæo.

Et non erat conueniens testimonium illorum. 59 καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν.

ET NON. καὶ οὐδὲ οὕτως & neque sic, sed ne sic quidem, quamuis vnanimiter affirmarent id se suis auribus audiuisse. CONVENIENS. ἴση par, sufficiens, vt suprà v. 56. Videbant enim nihil ponderis habiturum apud Pilatum, quò mortis sententiam exposcerent, quòd verba illa nullú arguerent crimen morte dignum, neque aliud quàm inanem quandam iactantiam præ se ferrent, citra iniuriam templo aut alij illatam: nam præterquam quòd templum non destruxerat, si etiam à se destructum triduò restaurasset in melius, nullam templo iniuriam intulisset.

Matth. 26. v. 62.

Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogauit Iesum dicens: Non respondes quidquam ad ea quæ tibi obiiciuntur ab his? 60 καὶ ἀναστὰς ὁ ἀρχιερεὺς εἰς τὸ μέσον, ἐπηρώτησε τὸν Ἰησοῦν λέγων· οὐκ ἀποκρίνῃ οὐδέν; τί οὗτοί σου καταμαρτυροῦσιν;

ET pro tunc. IN MEDIVM coram concilio vniuerso. NON RESPONDES QVIDQVAM. Hæc græcè per se vna est interrogatio, sequiturque altera, eo prorsus modo quo secundùm Matthæum. TIBI OBIICIVNTVR AB HIS. οὗτοί σου καταμαρτυροῦσιν *isti aduersum te testificantur*, vertit secundùm Matthæum, ex quo reliqua petenda sunt.

Matth. 26. v. 62. 63.

Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? 61 ὁ δὲ ἐσιώπα, καὶ οὐδὲν ἀπεκρίνατο. πάλιν ὁ ἀρχιερεὺς ἐπηρώτα αὐτόν, καὶ λέγει αὐτῷ· σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ εὐλογητοῦ;

DEI. Videtur hæc vox superfluere, nec esse ab Interprete data. lege Notas. BENEDICTI. τοῦ εὐλογητοῦ illius benedicti, illius omni laude dignissimi (est enim nomen, non participium) *id est, Dei*, inquit Euthymius. Quem-

Quemadmodum *altissimus*, sic *benedictus*, κατ' ἐξοχὴν Deo appropiatur: qua reuerentiæ simulatione pontifex Iesum grauare conabatur. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 62. & 63.

62 ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν· ἐγώ εἰμι, καὶ ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, καὶ ἐρχόμενον μετὰ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ.

Iesus autem dixit illi: Ego sum, & videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli.

Matth. 26. v. 64. Luc. 22. v. 69.

Ego svm. Potiùs vsus est verbis à Matthæo recitatis *Tu dixisti*: tam clarè tamen respondit quàm si dixisset *Ego sum*. *Ne hoc illis reliquum fiat*, inquit Victor Antiochenus, *vt iure quandoque dicere queant, Seruatorem nostrum, sc. Christum Dei Filium esse, nusquam disertè affirmasse, ob id Marcus planis verbis id illum pronunciasse commemorat.* Et in huius rei duplex argumentum videbitis. Dei. A multis bonis libris omittitur conformiter græco ac syro. Cvm nvbibvs. sic habet ad verbum etiam Daniel, sed Matthæus interpretatur *in nubibus*, inter nubes, super nubes. Reliqua dicta sunt Matth. 26. v. 64.

63 ὁ δὲ ἀρχιερεὺς διαρρήξας τοὺς χιτῶνας αὐτοῦ λέγει· τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων;

Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua ait: Quid adhuc desideramus testes?

Matth. 26. v. 65.

Scindens vestimenta. διαῤῥήξας τοὺς χιτῶνας diruptis tunicis vel vestibus. significat enim ὁ χιτὼν & tunicam & vestimentum (vide sup. 5. v. 40.) estque plurale loco singularis. Desideramvs. requirimus. χρείαν ἔχομεν opus habemus, *egemus* vertit secundùm Matthæum, ex quo reliqua petenda sunt.

64 ἠκούσατε τῆς βλασφημίας· τί ὑμῖν φαίνεται; οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν ἔνοχον εἶναι θανάτου.

Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis.

Matth. 26. v. 65. 66.

Blasphemiam manifestam. Syrus: *En ex ore eius audistis blasphemiam.* asserendo enim hoc legendum est: quin & interrogatio, quam quidam hic legunt, assertionis vim habere intelligenda est: *Audistis ne blasphemiam?* Omnes summi sacerdotes & concilium vniuersum. Condemnavervnt. κατέκριναν iudicarunt, simplex pro composito, vt Syrus intellexit. Reliqua dicta sunt secundùm Matthæum, locis ad marginem pro more annotatis.

65 καὶ ἤρξαντό τινες ἐμπτύειν αὐτῷ, καὶ περικαλύπτειν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ κολαφίζειν αὐτὸν, καὶ λέγειν αὐτῷ προφήτευσον· καὶ οἱ ὑπηρέται ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔβαλλον.

Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant.

Matth. 26. v. 67. 68. Luc. 22. v. 63. 64.

Et pro *tunc* ex Matthæo. Coepervnt. mox vt fuerat condemnatus: continuarunt autem ad ipsum vsque mane, quod diximus secundùm Matthæum. Qvidam etiam principum Evm, id est, faciem eius, ex Matthæo, tamquam blasphemum & detestabilem. Et velare. posteà etiam velare. περικαλύπτειν obtegere. Faciem eivs oculos eius, faciei eius & præsertim oculis imponentes velamen aliquod vile atque immundum. Fecerunt id eâ proximâ ex causâ, vt irridentes præberent ipsi occasionem agendi prophetam, qui obtectis oculis diceret à quo fuisset percussus; vt diuinationem percussoris ab ipso exigerent. Interim verò habuerunt eum vt luce indignum, vt indignum vitâ, conspectu, & consortio hominum, qui, aut ipsos videret, aut videretur ab ipsis, *quasi infamem & nullius rei hominem*, ait Chrysostomus hom. 86. in Matthæum. Sed neque mirum, si vel inuiti reueriti diuinam faciem (erat quippe Deus & homo, & speciosus formâ præ filiis hominum) cooperuerint eam, ne ad misericordiam mouerentur, vt maiori cum licentia illuderent, vt audaciùs & inuerecundiùs omnes iniuriarum species ipsi inferrent: nam & præ malitię petulantia, nihil omiserunt ignominiarum quas vel excogitare poterant. Velauerunt ergo faciem illam, quâ omnes prophetę & iusti desiderarant videre, pro quâ nominatim Rex Dauid ter eodem Psalmo 79. orarat: *Ostende faciem tuam & salui erimus.* Obtexerunt oculos illos, de quibus scriptum est Ecclesiastici 23. v. 28: *Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Hac igitur ratione meruerunt velamen super cor suum, quo fiat vt Christum non agnoscant, quippe *qui à seipsis faciem & gratiam cognitionis eius absconderint*, vt ait Glossa: *quod velamen, vsque in hodiernum diem, positum esse super cor eorum, & manere nō reuelatum*, discimus ex Apostolo 2. Corin. 3. v. 14. 15. Porrò nos oportet orare & precari: *Ne auertas faciem tuam à me, faciem tuam Domine requiram* (Psal. 26. v. 8. 9.) *Faciem tuam illumina super seruum tuum* (Psalm. 118. v. 135.) quò, merito velaminis illius contumeliosi quod passus est, auferat velamen omne à cordibus nostris, cæcaque corda nostra illuminet. Prophetiza. supple ex Matthæo & Luca *quis te percusserit*, quis hunc, quis illum colaphum tibi impegerit. Et ministri. Ministri quoque, præterea ministri. οἱ ὑπηρέται apparitores, ministri iudicij (vide Ioh. 18. v. 18.) ij præsertim *qui eum tenebant*, quod ait Lucas. Hi cùm eum continuè tenerent, non facilè aliud poterant, quàm alapas manu altera infligere. Vel fortassis intelligendum hîc dat Euangelista, quòd superiora contumeliarum

rum genera promiscuè à ministris & dominis, qui quidem fuere summi sacerdotes, Scribæ, ac seniores, Iesu irrogata fuerint, postquam ille professus fuisset quis esset: alaparum autẽ inflictio, ministris fuerit peculiaris, vt qui permanserint apud Iesum, quod non perinde domini, vsque ad mane, vt eum custodirent, ac proinde faciliùs plura intulerint probrorum genera quàm domini. ALAPIS EVM CÆDEBANT. ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔβαλλον. Interpretis versioni suffragatur syriaca: *Percutiebant eum super maxillas ipsius*. Facit hoc pro iis quæ diximus secundùm Matthæum de verbo ῥαπίζειν, vnde est verbale ῥάπισμα: nam τὸ βάλλειν pro παίειν accipitur, etiam quando cominus infligitur ictus. Cædebant autem alapis, ingerentes & hoc *Prophetiza* &c. Reliqua exposita sunt apud Matthæum.

Matth.26. v.69. Luc.22. v.56. Iohan.18. v.17.

Et cùm esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi sacerdotis: [66] καὶ ὄντος τοῦ πέτρου ἐν τῇ αὐλῇ κάτω, ἔρχεται μία τῶν παιδισκῶν τοῦ ἀρχιερέως,

ET CVM. Cùm autem. IN ATRIO. ἐν τῇ αὐλῇ in aula. DEORSVM. κάτω inferiùs. quod s. atrium inferiùs erat, respectu scilicet loci in quo Iesus erat, siue Iesus fuerit in contignatione superiore, Petrus in inferiore; siue potiùs, locus in quo Iesus erat & Pötifex sedebat cum suis, contiguus, eminuerit dumtaxat gradibus aliquot altiùs quàm atrium: cui sententiæ fauere videtur Matthæus, dum ait, Petrum foris, Iesum intus fuisse. VENIT præsens est ex ἔρχεται. SVMMI SACERDOTIS Caiphæ. Reliqua quære Matth.26.v.69.

Matth.26. v.69. Luc.22. v.56. Iohan.18. v.17.

& cùm vidisset Petrum calefacientem se, adspiciens illum ait: Et tu cum Iesu Nazareno eras. [67] καὶ ἰδοῦσα τὸν πέτρον θερμαινόμενον, ἐμβλέψασα αὐτῷ, λέγει· καὶ σὺ μετὰ τοῦ ναζαρηνοῦ ἰησοῦ ἦσθα.

ET CVM. quæ cùm. CALEFACIENTEM SE, vt dictum est suprà v.54. ADSPICIENS. ἐμβλέψασα inspiciens, cùm aspexisset eum diligentiùs curiosiusque. IESV NAZARENO. τοῦ ναζαρηνοῦ ἰησοῦ Nazareno Iesu. Reliqua lege Matth.26.v.69.71.

Matth.26. v.70.71. Luc.22. v.57. Ioan.18. v.17.

At ille negauit dicens: Neque scio neque noui quid dicas. Et exiit foras ante atrium, & gallus cantauit. [68] ὁ δὲ ἠρνήσατο λέγων· οὐκ οἶδα οὔτε ἐπίσταμαι τί σὺ λέγεις. καὶ ἐξῆλθεν ἔξω εἰς τὸ προαύλιον, καὶ ἀλέκτωρ ἐφώνησε.

NEQVE SCIO NEQVE NOVI. οὐκ οἶδα οὔτε ἐπίσταμαι neque noui neque scio seu intelligo. QVID DICAS. τί σὺ λέγεις quid tu dicas. ET EXIIT. quo dicto exiit FORAS. ἔξω extra. ANTE ATRIVM. εἰς τὸ προαύλιον q.d. in proatrium, in eum locum qui ante atrium erat, in vestibulum atrij. Hoc addit Euangelista, ne quis existimet Petrum domo iam exiisse, quod demum fecit post tertiam negationem: προαύλιον enim vocat, locum intra domum, portæ proximum, & ipsi aulæ siue atrio oppositum; eam atrij partem quæ sub dio erat, quam nos cortem, vestibulum, & aream dicimus. Huc quare exiuerit Petrus diximus Matth.26.v.71.& 72. ET GALLVS CANTAVIT. vbi cùm esset gallum audiuit cantantem, iuxta prædictionem Domini Iesu suprà v.30, cuius tamen non est recordatus, nec priore hoc gallicinio commotus ad pœnitentiam. tantus habebat eum pauor. *Significat Marcus* (ait Chrysostomus in Matthæũ) *quia nec voce quidem galli in memoriam adductus est, nec se à negatione retinuit*. vbi & addit Chrysostomus. *Hoc solus Marcus scripsit, ita exquisite explicans, & piam magistri ad discipulum curam, & imbecillitatem Petri. Vnde maxime ipsum admirari debemus, quia non solum magistri delictum non occultauit, sed exquisitiùs etiam quàm cæteri, hoc ipso quia discipulus erat, conscripsit*. Reliqua dicta sunt Matth.26.v.70.71.

Matth.26. v.71. Luc.22. v.58. Iohan.18. v.25.

Rursus autem cùm vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. [69] καὶ ἡ παιδίσκη ἰδοῦσα αὐτὸν πάλιν, ἤρξατο λέγειν τοῖς παρεστηκόσιν, ὅτι οὗτος ἐξ αὐτῶν ἐστιν.

RVRSVS AVTEM CVM VIDISSET ILLVM ANCILLA, COEPIT. καὶ ἡ παιδίσκη ἰδοῦσα αὐτὸν πάλιν ἤρξατο & ancilla cùm vidisset illum rursus cœpit. *Rursus* græcè, eo loco legitur, vt referri possit, & ad *vidisset*, & ad *cœpit*. Latinè & syriacè non potest iungi nisi cum verbo *vidisset*. res eòdem ferè recidit. ANCILLA s. alia quædam, quod Matthæus habet: atque ita Marcum vt Matthæo consonantem interpretatur D. Augustinus lib. 3. de cons. cap. 6., quòd altera quædam ancilla viderit Petrum exeuntem foras ante atrium. Atqui Syrus addit hic *ancilla illa*, ita vt de eadem intelligatur, de qua sermo fuit in prima negatione: id quod etiam sermo Marci potiùs exigere videtur, sic interpretante Theophylacto, quamquam Victor Antiochenus & alteram interpretationem admittat. Id ergo si ita est, oportet dicere, aliam quidẽ ancillam, dixisse cùm Petrus egrederetur, *Et hic erat cum Iesu Nazareno*, quod narrat Matthæus: eandem verò quæ primò illum aggressa fuerat, dixisse cùm reuersus ex vestibulo esset Petrus, id quod hîc habet Marcus *Quia hic ex illis est*. Nam *illum*, subaudies, ex vestibulo reuersum: id quod etiam verisimilius est. CIRCVMSTANTIBVS. παρεστηκόσιν adstantibus. QVIA superest. EX ILLIS de quibus vobis est sermo, ex discipulis hominis istius, ex illis quorum ducem cepimus. Reliqua pete ex Matth.26.v.71.72.

Matth.26. v.72.73.

At ille iterum negauit. Et post [70] ὁ δὲ πάλιν ἠρνεῖτο. καὶ μετὰ μικρὸν

μικρὸν πάλιν οἱ παρεστῶτες ἔλεγον τῷ πέτρῳ· ἀληθῶς ἐξ αὐτῶν εἶ, καὶ γὰρ γαλιλαῖος εἶ, καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει.

pusillum rursus qui adstabant dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es.

Luc. 22. v. 58. 59. Iohan 18. v. 25. 26.

NEGAVIT adhibito iureiurando, quod docet Matthæus. NAM ET GALILÆVS ES s. quod loquela tua indicat: id enim voluisse illos, ex Matthæo intelligitur: quamquam & secundùm hunc Euangelistam sequatur græcè ac syriacè *καὶ ἡ λαλιά σου ὁμοιάζει & locutio tua similis est* seu *conuenit*, quod est, Galilæus es, quia locutio tua similis est locutioni Galilæorum, lingua tua refert Galilæum, & Galilæum te esse loquitur. Galilæus autem Galilæum comitatus es, nam & ille est Galilæus. Cæterùm Interpres Latinus pericopen illam non legit, vt certè adiecta videri possit, ex Matthæo fortasse. Reliqua ex Matthæo petenda sunt.

ὁ δὲ ἤρξατο ἀναθεματίζειν καὶ [71] ὀμνύειν, ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον τοῦτον ὃν λέγετε.

Ille autem cœpit anathematizare & iurare, Quia nescio hominem istum quem dicitis.

Matth. 26. v. 74. Luc. 22. v. 60. Iohan. 18. v. 27.

ANATHEMATIZARE seipsum. Secundùm Matthæum vertit *detestari*, Act. 23. v. 14. *deuouere*, Origenis Interpres *deuotare*. QVIA. id est, dicens. NESCIO. οὐκ οἶδα non noui. QVEM DICITIS. de quo loquimini. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 74.

καὶ ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησε. [72] καὶ ἀνεμνήσθη ὁ πέτρος τοῦ ῥήματος, οὗ εἶπεν αὐτῷ ὁ ἰησοῦς, ὅτι πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι δὶς, ἀπαρνήσῃ με τρίς. καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε.

Et statim gallus iterum cantauit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. & cœpit flere.

Matth. 26. v. 74. 75. Luc. 22. v. 60. 61. Iohan 18. v. 27.

STATIM græcè non legitur, sed tamen syriacè. ITERVM. ἐκ δευτέρου secunda vice. ET pro tunc. PRIVSQVAM. vide suprà v. 30. COEPIT FLERE. ἐπιβαλὼν ἔκλαιε *adiiciens fleuit*, id est, *incipiens*, vt exponit Euthymius: in quem sensum Interpretes Latinus & Syrus verterunt *Cœpit flere*. Eodem facit altera interpretatio Theophylacti, *magnâ vehementiâ cœpit flere*; Rursus & illa alterius: *Exorsus fleuit*. Alius vertit: *Animum adiiciens fleuit*; animum adiiciens, meditando scilicet illi verbo Iesu. Alius, *Prorupit in fletum*, quò significetur vehemens ac subita Petri mutatio. *Cœpit autem flere*, non coram illis apud quos negauerat, sed domo summi sacerdotis egressus, quod addit Matthæus, ex quo reliqua sunt petenda.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωῒ, συμβούλιον [1] ποιήσαντες, οἱ ἀρχιερεῖς μετὰ τῶν πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, δήσαντες τὸν ἰησοῦν ἀπήνεγκαν καὶ παρέδωκαν τῷ πιλάτῳ.

Et confestim manè, consilium facientes, summi sacerdotes cum senioribus & scribis & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt & tradiderunt Pilato.

Matth. 27. v. 1. 2. Luc. 22. v. 66. & 23. v. 1. Iohan. 18. v. 28.

CONFESTIM MANE. εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωῒ statim ad ipsum mane, simul atque fuit mane, summo mane, primo diluculo. FACIENTES. ποιήσαντες postquam fecissent, iniissent. ET VNIVERSO CONCILIO. sic scribit etiam Syrus, repetit enim præpositionem ܥܡ *bam cùm*: sed græcè est καὶ ὅλον τὸ συνέδριον *& vniuersum concilium*, totum synedrium siue consessus; Syrus congregatio. Præcipua capita synedrij ea sunt quæ hic prænominantur, summi sacerdotes, seniores, & scribæ: potuerunt tamen & alij quidã eò pertinuisse, vt *magistratus templi*, quos Lucas nominat cap. 22. v. 4. & 52. Nullum igitur, eorũ qui ex concilio esse potuerint, abfuisse, Euangelista signanter notat. VINCIENTES. δήσαντες & postquam vinxissent. DVXERVNT ἀπήνεγκαν abduxerunt. PILATO præsidi addit Syrus; prout scilicet faciendũ, concilio illo suo statuerãt. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 1. & 2.

καὶ ἐπηρώτησεν αὐτὸν ὁ πιλάτος· σὺ [2] εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ· σὺ λέγεις.

Et interrogauit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait illi: Tu dicis.

Matth. 27. v. 11. Luc. 23. v. 3. Iohan. 18. v. 33. 37.

καὶ κατηγόρουν αὐτοῦ οἱ ἀρχιερεῖς πολλά· αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο. [3]

Et accusabant eum summi sacerdotes in multis.

Matth. 27. v. 12.

IN MVLTIS. de multis. πολλὰ multùm. Tametsi ne vnum quidem aliquid haberent, de quo ipsum meritò

accuſare poſſent: multa tamen protulerunt, vt ſi non ſingula, ſimul omnia, aut certè ex multis vel vnum aliquid, iudicis animū mouerent ad condemnandum. Multa illa Lucas ex parte recenſet cap. 23. v. 2. & 5., quòd perverteret populum Iudæorum, quòd prohiberet tributa dari Cæſari, quòd diceret ſe Christum Regem, quòd commoueret nouâ doctrinâ vniuerſam Iudæam. Iohannes cap. 19. v. 7. addit, quòd Filium Dei ſe feciſſet. Quod ſequitur græcè in Regiis Bibliis, *αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο ipſe vero nihil reſpondit*, vt à latinis & ſyricis, ita etiam à pleriſque omnibus græcis exemplaribus omittitur. lege Notas. Reliqua horum duorum verſuum petenda ſunt ex Matthæo.

Matth. 27. v. 13.

Pilatus autem rurſum interrogauit eum dicens: Non reſpondes quidquam? vide in quantis te accuſant. 4 ὁ δὲ πιλάτος πάλιν ἐπηρώτησεν αὐτὸν λέγων· οὐκ ἀποκρίνῃ οὐδέν; ἴδε πόσα σου καταμαρτυροῦσιν.

RVRSVM. ſed coram accuſatoribus, cùm priùs eum ſeorſum interrogaſſet. INTERROGAVIT EVM ſ. cùm conſtanter taceret nec quidquam reſponderet ad obiecta. IN QVANTIS TE ACCVSANT. πόσα σου καταμαρτυροῦσι quàm multa aduerſum te teſtificantur. Reliqua lege Matth. 27. v. 13.

Matth. 27. v. 14.

Ieſus autem ampliùs nihil reſpondit, ita vt miraretur Pilatus. 5 ὁ δὲ ἰησοῦς οὐκ ἔτι οὐδὲν ἀπεκρίθη, ὥστε θαυμάζειν τὸν πιλάτον.

AMPLIVS. Interrogatus à Pilato an eſſet Rex Iudæorum, reſponderat *tu dicis*, & quæ eò pertinebant à Iohanne deſcripta: AMPLIVS NIHIL RESPONDIT, ſiue præſidi, ſiue accuſatoribus, ad obiecta aut quæſita. Nam quod Iohan. 19. v. 11. refertur, non tam fuit reſponſio ad quæſita, quàm ratio ſilentij. Reliqua expoſita ſunt Matth. 27. v. 14.

Matth. 27. v. 15. Luc. 23. v. 17. Iohan. 18. v. 39.

Per diem autem feſtum, ſolebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcumque petiſſent. 6 κατὰ δὲ ἑορτὴν, ἀπέλυεν αὐτοῖς ἕνα δέσμιον, ὅνπερ ᾐτοῦντο.

SOLEBAT DIMITTERE. ita rectè Interpres ex ἀπέλυεν, quod ad verbum ampliùs non eſt quàm *dimittebat* ſeu abſoluebat. VNVM EX VINCTIS. ἕνα δέσμιον vnum captiuum. Reliqua lege Matth. 27. v. 15.

Matth. 27. v. 16. Luc. 23. v. 18. 19. Iohan. 18. v. 40.

Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium. 7 ἦν δὲ ὁ λεγόμενος βαραββᾶς, μετὰ τῶν συστασιαστῶν δεδεμένος, οἵτινες ἐν τῇ στάσει φόνον πεποιήκεισαν.

ERAT AVTEM ſ. quidam. QVI CVM SEDITIOSIS. μετὰ τῶν συστασιαστῶν cum conſeditioſis, cum ſeditionis ſociis, quamquam nec ſyriacè ampliùs eſt quàm *cum ſeditioſis*. ERAT VINCTVS. δεδεμένος ligatus, incarceratus. Græcè hactenus pendet ſententia: Erat autem qui dicebatur Barabbas, cum conſeditioſis vinctus ſeu captus. FECERAT. πεποιήκεισαν ſiue ἐπεποιήκεισαν *fecerant* numero plurali, quomodo legitur & ſyriacè. Interpres legit numero ſingulari ὅστις ἐπεποιήκει. Seditionis, & eius quæ per eam acciderat cædis, plures fuerant auctores, ſed princeps atque anteſignanus Barabbas: erat enim reliquis captiuis inſignior, quod Matthæus ait, ex quo petenda ſunt cætera.

Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. 8 καὶ ἀναβοήσας ὁ ὄχλος, ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοῖς.

CVM ASCENDISSET. propiùs ad Lithoſtroton, vbi ſedebat Pilatus pro tribunali, Matthæo teſte cap. 27. v. 19., principibus cedentibus locum populo, cuius hoc proprium erat ex more, vt peteret dimiſſionem vnius captiui. Græcè & ſyriacè eſt ἀναβοήσας *cùm exclamaſſet*. Interpres igitur legit ἀναβοήσας aut ἀναβὰς, quod, vt vulgatæ græcorum lectioni reſpondeat, interpretari poſſis *cum aſcendiſſet*, clamore ſcilicet, cùm vocem eleuaſſet. ROGARE. αἰτεῖσθαι petere. SICVT SEMPER FACIEBAT ILLIS, ſupple cum Euthymio, *vt etiam nunc faceret*: quod tamen non eſt neceſſe ſupplere, ſi ἐποίει *faciebat*, cum Syro accipias pro *faceret*: *Cœpit rogare faceret ipſis ſicut ſemper*, quod eſt, ſicut conſueuerat, *ſicut mos erat*, quod habet Syrus, id eſt, vt vnum captiuum dimitteret. Prior Pilatus conſuetudinis illius meminerat, rogaueratque populum virùm dimitti mallet, Barabbam an Ieſum, quod habet Matthæus cap. 27. v. 17. Populus conſilio accepto redit ad Pilatum, & paratum ſe offerens ad eligendum, inſtat vt agat iuxta morem. Non mox clamat vt dimittatur Barabbas, ne Barabbam, qui dimiſſione indigniſſimus erat, per ſe expetere videretur: ſed audire priùs voluit, an Pilatus perſiſteret in proponendis duobus illis ſolis, Ieſu & Barabba. Populum igitur conſuetudinem vrgentem, rogat Pilatus, an velit dimitti regem Iudæorum, vt ſequitur verſu proximo.

Matth. 27. v. 17. Iohan. 18. v. 39.

Pilatus autem reſpondit eis & dixit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? 9 ὁ δὲ πιλάτος ἀπεκρίθη αὐτοῖς λέγων· θέλετε ἀπολύσω ὑμῖν τὸν βασιλέα τῶν ἰουδαίων;

REGEM IVDÆORVM? regem veſtrum (repetitur enim antecedens loco pronominis, more hebraico) Ieſum

qui

qui à plerisque vestrûm non temerè hactenus dictus est Messias seu Christus, quod est, Rex Iudæorum. Persuasus Pilatus quod à Iesu audierat, Iudæis non esse promissum regem terrenum (Iohan 18. v. 36.) non difficulter nec leuiter credidit, Iesum esse regem illum Iudæis promissum: cuius regnum cùm intelligeret non esse contrarium regno Cæsaris; quippe quod non esset ex hoc mundo) non veretur eum appellare Regem Iudæorum, regem illum intelligens, quem hactenus Iudæi exspectassent, quasi diceret disertè Iudæis, non esse ipsis alium regem exspectandum, quàm hunc inermem & imbellem, quodam modo exprobrans, quòd frustrà alium exspectarent, qui Cæsaris in morem dominaretur vniuersæ terræ. Quare non Iesum voluit deridere, insigniens eum nomine regis Iudæorum persuasus est enim, quod diximus, eum verè esse regem illum Iudæis promissum) sed Iudæos potiùs, qui alium exspectarent Romano Cæsari similem. Seriò itaque appellatus est Iesus, à gentili prætore, Rex Iudæorum, nullam existimante Romani imperij offensionem in illo regno esse: ac proinde etiam excusatus ab eo est apud Iudæos, accusantes eum de crimine læsæ maiestatis Cæsareæ. Ita testimonium habuit Iesus dignitatis ac muneris sui, à publico ministro ethnico, apud Iudæos, à quibus tamen receptus non est. Consultò autem Pilatus Iesum hîc vocat Regem Iudæorum, vt vel nomen ipsum regis sanctum ac venerabile, ipsisque faustum & amandum, persuaderet sapientem delectum. *Vultu dimittam vobis regem Iudæorum?* q. d. libenter hoc faciam: nam & quem potiùs eligatis? qui salutari doctrinâ & beneficis miraculis suis, non vanum se vobis regem præstitit, nec vana esse promissa à patribus vestris diuinitus accepta monstrauit, id quod ipsi publicè hactenus fassi estis ac celebrastis. Præstat igitur vt hic, si quid fortè commisit, sentiat solemnitatis vestræ gratiam.

ἐγίνωσκε γὰρ ὅτι διὰ φθόνον παραδεδώκεισαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς. [10]	Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes.	Matth. 27. v. 18.

SCIEBAT ENIM. Causa redditur cur populum vrgeret Pilatus ad eligendum Iesum. SVMMI SACERDOTES. non soli quidem sed præcipui. Reliqua ex Matthæo petantur.

οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, [11] ἵνα μᾶλλον τὸν βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς.	Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis.	Matth. 27. v. 20.

PONTIFICES. ἀρχιερεῖς *summi sacerdotes* vertit versu proximè præcedenti. CONCITAVERVNT ἀνέσεισαν concitat erant. MAGIS potiùs. DIMITTERET EIS. id est, peteret sibi dimitti. supple, prout etiam petiuit. Reliqua Matth. 27. v. 20.

ὁ δὲ πιλάτος ἀποκριθεὶς πάλιν εἶπεν [12] αὐτοῖς· τί οὖν θέλετε ποιήσω ὃν λέγετε βασιλέα τῶν ἰουδαίων;	Pilatus autem iterum respondens ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Iudæorum?	Matth. 27. v. 22. Luc. 23. v. 20.

ITERVM. non legitur syriacè: porrò latinè iungitur cum *respondens*: græcè autem cùm collocetur post *respondens*, potest tam ad verbum *ait*, quàm ad participium *respondens* referri. Clarum est si iungatur cum verbo *ait*, simile enim dixerat Pilatus suprà v. 9: *Vultu dimittam vobis regem Iudæorum?* sed quia & hoc responderat, vt ibi dicitur, eòdem respicitur, *iterum* coniunctò cum *respondens*. REGI IVDÆORVM. ὃν λέγετε βασιλέα τῶν ἰουδαίων ei quem dicitis seu vocatis regem Iudæorum. sic est etiam syriacè. Conuenit hoc cum eo quod hîc habet Matthæus *qui vocatur Christus*: eadem sunt enim Christus & Rex Iudæorum. lege illic cætera.

οἱ δὲ πάλιν ἔκραξαν, σταύρωσον [13] αὐτόν.	At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum.	Matth. 27. v. 22. Luc 23. v. 21.

ITERVM. Non clamauerant antehac CRVCIFIGE, sed aliud clamauerunt, nempe vt pro more dimitteretur vnus ex vinctis (suprà v. 8.) rursus vt Barabba dimisso hic tolleretur. Luc. 23. v. 18. Iohan. 18. v. 40. Reliqua dicta sunt Matth. 23. v. 22.

ὁ δὲ πιλάτος ἔλεγεν αὐτοῖς· τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; [14] οἱ δὲ περισσοτέρως ἔκραξαν· σταύρωσον αὐτόν.	Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum.	Matth. 27. v. 23. Luc. 23. v. 22. 23.

MAGIS. περισσοτέρως ampliùs, vehementiùs. Reliqua ex Matthæo petantur.

ὁ δὲ πιλάτος βουλόμενος τῷ ὄχλῳ τὸ [15] ἱκανὸν ποιῆσαι, ἀπέλυσεν αὐτοῖς τὸν βαραββᾶν, καὶ παρέδωκε τὸν ἰησοῦν, φραγελλώσας, ἵνα σταυρωθῇ.	Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, & tradidit Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur.	Matth. 27. v. 26. Luc. 23. v. 24. 25. Iohan. 19. v. 1. 16.

POPVLO. ὄχλῳ turbæ. *Populo*, non sibi neque iuri. SATISFACERE. Syrus, *voluit facere voluntatem turbæ*. Reliqua exposita sunt secundùm Matthæum.

Matth.27. v.27.

Milites autem duxerunt eum in [16] atrium prætorij, & conuocant totam cohortem:

οἱ δὲ στρατιῶται ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον, καὶ συγκαλοῦσιν ὅλην τὴν σπεῖραν·

MILITES AVTEM. cùm flagellis cædendus esset Iesus. DVXERVNT. ἀπήγαγον abduxerunt, ex Lithostroto. IN ATRIVM. ἔσω τῆς αὐλῆς intra aulam siue atrium. Syrus in atrium interius. Ad similem modum antiqui nostri latini codices legunt *intrò in atrium*. PRÆTORII. ὅ ἐστι πραιτώριον quod est prætorium, vel, id est, prætorium. Quia Marcus prætorij siue palatij præsidis hactenus non meminerat; postquam dixisset *in atrium*, explicuit, *Id est, in prætorium*, seu domum prætoris; nimirum *in atrium prætorij*, prout Latinus Interpres clariùs etiam transtulit. sic de atrio domus Caïphæ frequens præcessit mentio, sup. 14. v. 54. 66. Reliqua exposita sunt Matth. 27. v. 27.

Matth.27. v.28.29. Iohan.19. v.2.

& induunt eum purpurâ, & [17] imponunt ei, plectentes, spineam coronam.

καὶ ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν, καὶ περιτιθέασιν αὐτῷ, πλέξαντες, ἀκάνθινον στέφανον.

PVRPVRA. veste purpureâ. Purpura piscis est ex concharum genere, in faucibus habens liquorem, tingendis lanis maximè expetitum, concreti sanguinis & nigrantis rosę colore sublucentem: quo nomine etiam vocatur liquor ipse, & vestis quoque eo liquore tincta, prout hoc loco. Huiusmodi autem vestis, purpurea inquam, olim Regibus propria erat, & iis qui Regibus proximi. Vnde legimus Dan. 5. v. 29., *Danielem iubente rege Balthasare inautum fuisse purpurâ*, & 1. Machab. 10. v. 20. *Ionathæ à rege Alexandro missam fuisse purpuram ac coronam auream*, denique & Senatum Romanum, quos reges salutasset, eos togâ purpureâ, quæ & picta diceretur, donare consueuisse. Purpura igitur cùm esset Regum insigne, milites, vt Iesum luderent habentem se pro Rege Iudæorum, induerunt eum purpuream chlamydem; non tamen verè purpuream, sed quæ colore accederet ad purpuream, *coccineam* quod habet Matthæus. *Purpuram vocat*, inquit Euthymius, *vtpote purpuræ similem, neque enim vera erat purpura.* IMPONVNT. περιτιθέασιν circumponunt. EI. id est, capiti eius. PLECTENTES. πλέξαντες postquam plexuissent seu contexuissent. Reliqua lege Matth. 27. v. 28. 29.

Matth.27. v.29. Iohan 19. v.3.

Et cœperunt salutare eum: Aue [18] Rex Iudæorum.

καὶ ἤρξαντο ἀσπάζεσθαι αὐτὸν, καὶ λέγειν· χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων.

SALVTARE tamquam nouum regem. EVM sic instructum. AVE. s. dicentes, vel, huiusmodi verbis: id quod quidam græci libri exprimunt. Cætera inuenies secundùm Matthæum.

Matth.27. v.29.30.

Et percutiebant caput eius arundine, & conspuebant eum: & ponentes genua adorabant eum. [19]

καὶ ἔτυπτον αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν καλάμῳ, καὶ ἐνέπτυον αὐτῷ, καὶ τιθέντες τὰ γόνατα προσεκύνουν αὐτῷ.

ARVNDINE ipsi acceptâ è manu. PONENTES GENVA. id est, positis seu summissis genibus. ADORABANT EVM, sicut moris est reges adorare. Hic enim est gestus adorantium regem, genu flectere seu incuruare se. Addebant & verba quæ præcesserunt *Aue rex Iudæorum*: hic enim Euangelista, non videtur seruare hoc loco, rei gestæ ordinem, quemadmodum Matthæus, ex quo reliqua petenda sunt.

Matth.27. v.31. Iohan.19. v.16.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpurâ, & induerunt eum vestimentis suis, & educunt illum vt crucifigerent eum. [20]

καὶ ὅτε ἐνέπαιξαν αὐτῷ, ἐξέδυσαν αὐτὸν τὴν πορφύραν, καὶ ἐνέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια τὰ ἴδια, καὶ ἐξάγουσιν αὐτὸν, ἵνα σταυρώσωσιν αὐτόν.

PVRPVRA. veste purpureâ, coccineâ chlamyde. SVIS. τὰ ἴδια propriis. EVM superest. Reliqua dicta sunt Matth. 26. v. 31.

Matth.27. v.32. Luc.23. v.26.

Et angariauerunt prætereuntem [21] quempiam Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi; vt tolleret crucem eius.

καὶ ἀγγαρεύουσι παράγοντά τινα σίμωνα κυρηναῖον, ἐρχόμενον ἀπ᾽ ἀγροῦ, τὸν πατέρα ἀλεξάνδρου καὶ ῥούφου, ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ.

ANGARIAVERVNT. ἀγγαρεύουσιν angariant s. in itinere milites. PRÆTEREVNTEM. factus enim obuius prætcribat, tendebatque ciuitatem versus. QVEMPIAM pro quemdam. DE VILLA. ἀπ᾽ ἀγροῦ ex agro, rure. erat agricola, verisimile est. ALEXANDRI ET RVFI. Dum pater describitur à filiis, nudo nomine expressis, significatur, filios, eo tempore quo hæc scribebantur, celebres fuisse inter fideles in Ecclesia Christiana, quod annotant, inter latinos Beda & Auctor scholiorum in Marcum apud Hieronymum, inter græcos Euthymius. Nimirum, hoc promeruerat pater portando crucem Christi, vt ipse filiique per crucem

cem seruarentur, vocati ad fidem & gratiam Dei. Hi filij magnæ gloriæ loco ducebant, quòd pater ipsorum crucem Domini portasset (quamuis infidelium iudicio fuisset ignominiosum) testesque erant eorum quæ patrem his de rebus narrantem audiuerant. Mentio est Alexandri cuiusdam Act. 19.v.33., & alterius Rufi Rom. 16.v.13. sed incertum est an hi sint. Reliqua petantur ex Matthæo.

καὶ φέρουσιν αὐτὸν ἐπὶ γολγοθᾶ [22] τόπον, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, κρανίου τόπος.

Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum, Caluariæ locus.

Matth. 27. v. 33. Luc. 23. v. 33. Iohan. 19. v. 17.

PERDVCVNT. φέρουσι ducunt s. milites. ILLVM s. Iesum. INTERPRETATVM. si interpreteris. LOCVS. hanc voculam Syrus non repetit, cuius hæc est versio: *In Gogultho, locum qui exponitur caluaria.* Reliqua dicta sunt Matth. 27. v. 33.

καὶ ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον [23] οἶνον, ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε.

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.

MYRRHATVM. Myrrha conditum aut myrrham redolens. Duplex genus myrrhati vini seu myrrhinæ priscis in vsu fuisse legimus; Vnum, quod merum quidem erat vinum, sed calidum infusum in pocula myrrhea contrahebat ex eis odorem saporemque mirè iucundum, ita vt præ cæteris vinis gratissimum suauissimumque ad potum redderetur; Alterum, quod erat vinum conditum myrrha calamo aliisque aromatibus, aut certè mistum aqua huiusmodi cum aromatibus cocta. Vtrumque optimum ac pretiosissimum, neutrum amarum erat: posterius enim dulcedinem, etsi non ex myrrha, ex aliis tamen admixtis aromatibus contrahebat: quod neque alienationis à mente aut soporis erat conciliatiuum, vt quidam volunt, quinpotiùs surgentes vapores digerebat ac dissipabat. Hæc enim ex veterum auctorum monimentis latiùs docet Cardinalis Baronius, quamquam à D. Hieronymo scriptū legam in Matth. 27. v. 48: *Dant ei vinum myrrhatum, vt eum consopiant & mala eorum non videat.* Vt igitur Iudæi, Iesu odio flagrantes, curauerant adferri acidum vinum felle mixtum, de quo Matthæus cap. 27. v. 34., quod lasso propinaretur: ita alij amantes Iesu, attulerant vinum præstantissimum, myrrhatum, de quo hîc Marcus; Maria fortè Magdalene, aut eius soror Martha, vel alia ex illis quæ Iesu ministrabant. Sic Theophylactus: *Verisimile est*, inquit, *alium quidem vinum protulisse, alium vero acetum cum felle*; & Euthymius: *Vtrumque obtulerunt ei, ludentes & tamquam animo deficientem refocillantes.* ET NON ACCEPIT. ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε ille verò non sumsit, noluit vel gustare. Prius propinatum sibi vinum felle mixtum gustauit, quod Matthæus ait; sed myrrhinam ne gustauit quidem, quòd nullam vellet admittere consolationem inter afflictiones, vt eò copiosiùs pro nobis satisfaceret. Non incongruè enim recusauit posteriorem potum etiamsi optimum, quandoquidem priore fuerat illusus. Pleriq; sentiunt de eodem vno potu Matthæo & Marco esse sermonem: quod si verum est, potuerit vinum myrrhatum à piis suggestum, quod diximus, ab impiis felle infectum fuisse; & gustatum à Domino, non fuisse acceptum, id est, bibitum. Atqui hoc modo, nulla ratio habetur illius græcæ lectionis, quæ pro vino acetum scribit secundùm Matthæum.

Καὶ σταυρώσαντες αὐτὸν, διεμέριζον τὰ [24] ἱμάτια αὐτοῦ, βάλλοντες κλῆρον ἐπ' αὐτὰ, τίς τί ἄρῃ.

Et crucifigentes eum, diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis; quis quid tolleret.

Matth. 27. v. 35. Luc. 23. v. 33. 34. Iohan. 19. v. 23.

ET CRVCIFIGENTES. καὶ σταυρώσαντες cùm autem crucifixissent EVM s. milites ex præcedentibus. DIVISERVNT. διεμέριζον diuidebant, dispertiebant, discindebant in partes. VESTIMENTA EIVS. vestimentum eius. vide Ioh. 19. v. 23. QVIS QVID. vt forte scilicet dirimerent, *quis quid*, id est, quis quam partem, TOLLERET, auferret, haberet sibi. Cùm partes non possent esse ita æquales, vt nullum esset discrimen, forte diremerunt omnem controuersiam. De tunica quæ mansit indiuisa Iohanne narrante, non videtur Marcus loqui. Reliqua petenda sunt ex Matthæo & Iohanne.

ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν [25] αὐτόν.

Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.

ET CRVCIFIXERVNT. id est, quando crucifixerunt (s. milites) prout etiam Syrus exponit. Cæterùm quomodo hoc verum sit, fuisse horâ tertiâ crucifixum Dominum difficile est exponere: nam si intelligatur hora, ab ortu solis, æquinoctij tempore, tertia, quomodo fieri possit, vt trium horarum æquinoctialium, id est, mediocrium siue vulgarium, spacio, omnia ista acciderint. posterior condemnatio Iesu facta à Iudæis, abductio Iesu ad Pilatum, accusatio, examinatio, absolutio Iesu apud Pilatum, ablegatio eius ad Herodem, relegatio ad Pilatum, nuntium vxoris Pilati, optio Barabbæ, flagellatio, illusio, & productio Iesu, accusatio noua & subsequuta examinatio atque absolutio, traditio ad crucem praeuia protestatione, traditio latronum aliàs fortè condemnatorum, abductio Iesu ad locum Caluariæ vnà cum latronibus illis, eaque lenta, vt homo tantopere fatigatus progredi poterat, ipsa denique crucifixio? Nam & Iohannes cap. 19. v. 14. ait, quasi sextam fuisse horam, quādo traditus fuit Iesus crucifigendus. Quòd si prope fuit sexta quando est traditus, multo propius fuit sexta quando est crucifixus. Pro explicatione huius difficultatis, reuocandum est in memoriam, quod diximus Matth. 20. v. 3., ex duodecim diei horis, quatuor, primam, tertiam, sextam, & nonam, æquali à se mutuò spatio distātes, seruisse Iudæis loco quatuor principalium partium diei. Vt enim nox in vigilias quatuor (vide Matth. 14. v. 25.) ita dies in quatuor stationes seu quadrantes diuidebatur, quod

probat Baronius auctoritate Censorini libri de die Natali capite 20. His quadrantibus diurna negotia, nec tantùm mercenariorum operæ cæteraque secularia, verumetiam sacra diuini cultus templique exercitia, apud Iudæos distinguebantur, accipientibus stationibus seu quadrantibus illis nomina, à quatuor illis quas diximus horis, singulisque tres horas continentibus. Manifestum illud est, cùm ex parabola illa patrisfamilias egredientis his quatuor diei temporibus ad conducendos vinitores, tum ex Actis Apostolorum, vbi mentio est horæ orationis nonæ (Act. 3. v. 1.) & sextæ (Act. 10. v. 9.) Quamquam verò & aliarum aliquando horarum occurrat mentio, vt horæ decimæ Ioh. 1. v. 39., horæ septimæ Ioh. 4. v. 52., horæ vndecimæ Matth. 20. v. 9.: plerumque tamen non nisi quatuor istæ nominantur, prima, tertia, sexta, nona; & signanter in historia dominicæ passionis, à quatuor Euangelistis descripta, nulla alia nominatur. Erant igitur quatuor illæ nominatiores, vtpote capita cæterarum, quibus cæteræ comprehenderentur. Franciscus Toletus scribens in v. 14. cap. 19. Iohannis, ex Actis Apostolorum distinguit inter horas orationis & horas diei; & has quidem duodecim, solas verò illas vult fuisse quatuor; ac propterea Euangelistas, passionem Domini, rem sacram & diuinissimi mysterij describentes, horas templi & orationis fuisse sequutos, eo magis, quòd illæ horæ etiam à Christianis ad preces iam essent receptæ, cùm hæc scriberent. Atqui, non in sacris tantùm, verumetiam in profanis negotiis, fuisse vsum diuisionis illius, diei in horas seu portiones horarum quatuor, abundè satis constat ex iis quæ diximus. Porrò incipiebant horæ illæ tres, quæ continebantur singulis illarum quatuor, differenter, quod etiam docuimus Matth. 20. Nam primæ quidem tres horæ diei incipiebant ab initio horæ primæ, & finiebantur hora tertia transacta: quæ prima hora vocabantur, quia prima portio horarum diei; vel potiùs manè. Reliquæ verò horæ diei, quarta, quinta, sexta, incipiebant à fine tertiæ, & vocabantur hora tertia: septima, octaua, nona à fine sextæ, & vocabantur hora sexta; decima, vndecima, duodecima, à fine nonæ, & vocabantur hora nona, quamquam sub finem perderetur nomen nonæ & acciperetur vesperæ. Nam & hodie vsus obtinuit, vt tertia hora esse dicatur, non quando agitur tertia, sed quando transacta est, & eius signum auditum, idque quamdiu non est auditum signum horæ proximæ. Nec vero dissimile est, fuisse Iudæis Christi tempore sua heliotropia & horologia, quale erat illud Achazi, de quo 4. Reg. 20. v. 11.) præsertim verò in templo illo augustissimo, vbi nihil deerat quod faceret ad ornatum, ne dicam ad directionem diuini cultus, quem in horas has quatuor fuisse distributum, facilè ex Apostolicis Actis intelligitur. Credibile est autem vt quibusdam horologiis duodecim, ita quibusdam solas has quatuor horas fuisse expressas, quæ non tantùm solis vmbrâ indicatæ, verumetiam signo aliquo publicè dato fuerint promulgatæ, vt tubæ aut cornu, quod non ita difficile fuit die quater edere, sicut fuisset die duodecies. Consuesse enim sacerdotes clangore tubarum sabbata feriasque indicere, & populum ad sacrificia templumque conuocare, ex Numeris capite 10. & Iosepho lib. 5. de bello cap. 9. intelligitur. Illa igitur hora quæ tertia dicebatur vulgari vsu loquendi illius temporis, incipiebat à signo transactæ tertiæ horę diei publicè dato, & finiebatur demù signo transactæ sextæ horæ dato, ita vt totum illud spacium temporis medium inter tertiam & sextam horas auditas, quia nulla alia media audiebatur, tertia diceretur. Sed obseruandum, quòd quemadmodum aliquando hora septima, aliquando hora decima aut alia intermedia nominatur, quia id temporis iustè agebatur: ita quando tertia aut sexta nominatur, non semper intelligi trium illud horarum tempus, verùm aliquando illud æquè tempus quod vox propriè significat: id quod ex locorum circumstantiis intelligitur: vt Act. 2. v. 14. vbi Petrus Iudæis loquens ait: *Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia.* Vt igitur ad loci nostri explicationem veniamus, vbi Marcus narrat horâ tertiâ Dominum fuisse crucifixum, hora tertia intelligenda est complecti, totum tempus medium, inter signum tertiæ & signum sextæ transactæ auditum aut visum. Id enim quod eo tempore factum esset, hora tertia factum esse dicebatur vulgari modo loquendi, propterea quòd sexta nondum aduenerat, id est, nondum erat signum eius auditum. Atque hoc intelligi possit ex ipso Marco, qui infrà v. 33. cùm dicit *Et facta hora sexta*, siue, quod est græcè, *facta autem hora sexta*, horam sextam illi horæ qua Christus crucifixus fuerat opponens, significat hora tertia idcircò fuisse crucifixum, quia sexta nondum facta erat. Qua ratione & Iohannes Euangelista, dum ait, non *erat sexta*, sed *erat quasi sexta*, significat adhuc fuisse tertiam: ad quem modum paraphrasticos explicatur à Nonno poëta, simul alludente ad Marcum, his verbis: *Eratque processa tertia mortifera hora*. vide Notas nostras ad græcam illius loci lectionem. *Erat ergo hora tertia* quàdo crucifixus est Iesus, sed longiùs progressa: potuit autem fuisse propriè quinta exacta, multoque magis, quàm quando cruci adiudicatus est. *quasi sexta*, quod Iohannes dicit, intelligens vt minimùm sesquihoram elapsam ab audito tertiæ signo. A traditione igitur Iesu vsque ad crucifixionem, potuit intercessisse spacium vnius circiter horæ, quo ipse & latrones sint militibus traditi, moxque in Caluariæ locum abducti ac crucifixi. Cùm enim esset supplicium illud Romanis frequens, habebant parata omnia, & cruces & instrumenta adfigendi, & cauernas aptas in quibus cruces erigerent, adeoque præcipua & penè sola mora fuit in itinere, ad quod minus quàm horæ spacium potuit sufficere, ita vt Christus Dominus, quadrante aut eo amplius horæ, ante datum signum sextæ, potuerit affixus de cruce pependisse.

Matth. 27. v. 37. Luc. 23. v. 38. Iohan. 19. v. 19.	Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum.	26	καὶ ἦν ἡ ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας αὐτοῦ ἐπιγεγραμμένη· ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων.

TITVLUS. ἐπιγραφὴ inscriptio. INSCRIPTVS. ἐπιγεγραμμένη inscripta vel superscripta s. hoc modo. REX. ὁ βασιλεὺς ille rex. IVDÆORVM s. iste est. Reliqua ex Matthæo petantur.

Matth. 27. v. 38. Luc. 23. v. 33. Iohan. 19. v. 18.	Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris eius.	27	καὶ σὺν αὐτῷ σταυροῦσι δύο λῃστάς, ἕνα ἐκ δεξιῶν, καὶ ἕνα ἐξ εὐωνύμων αὐτοῦ.

ET. Insuper. CRVCIFIGVNT s. milites ex v. 16. Reliqua exposita sunt secundùm Matthæum.

καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα· [28] καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη.	Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.

Luc. 22. v. 37. Isa. 53. v. 12.

ET hac ratione IMPLETA EST perfecta est, factum est quod prædixerat. SCRIPTVRA Isaiæ. Victor Antiochenus: *Erat sane res isthæc, inquit, quod quidem ad Iudæorum studium & scopum attinebat, aliud nihil, quam mera indignaque quædam contumelia: reipsa autem, prophetia illius Et cum iniquis reputatus est, fida expletio, & in mentem reductio erat.* Hæc Victor. Hanc eandem scripturam ipse de se Iesus interpretatur Luc. 22. v. 3; : *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est.* ET coniunctionem retinuit Euangelista, vt significaret etiam ea quæ præcedunt apud prophetam, ad Iesum spectare. INIQVIS ἀνόμων exlegibus, legis transgressoribus. Hebraicè est פשעים *poschim* præuaricatoribus, rebellibus, sceleratis. *Cum iniquis*. inter iniquos, qui iniquus non erat, sed iustus ipse aliosq; ac iustificans. REPVTATVS computatus seu numeratus est: nam & hanc interpretationé admittunt voces syriaca & græca, vt eam requirit vox hebraica נמנה *nimna*, quæ est à מנה *mana* numerare: ad quem modum Pagninus aliique prophetæ Interpretes vertunt *numeratus est*. Nam vt intelligas, *reputatus* pro habitus est tamquam iniquus seu iniquorum vnus, minus illud est quàm propheta & euangelista intelligant: qui non solùm dicere volunt, quòd reputatus est Christus tamquam iniquorum vnus, verumetiam quòd inter iniquos coràm & præsens conspectus ac numeratus est, & non solus, sed cum duobus latronibus tamquam tertius latro crucifixus. Computatus est igitur cum iniquis, id est, conspectus est in consortio iniquorum tractari, affligi, ac puniri tamquam vnus eorum; iniustissimè scilicet. Porrò ipse reputatus cum iniquis, meruit, iniquos in se credentes ab iniquitate liberare.

Καὶ οἱ παραπορευόμενοι ἐβλασφήμουν [29] αὐτόν, κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ λέγοντες· οὐὰ ὁ καταλύων τὸν ναὸν, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομῶν.	Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas.

Matth. 27. v. 39. 40.

ET PRÆTEREVNTES. καὶ οἱ παραπορευόμενοι & qui præteribant. DESTRVIS. Notamus in Notis legendum videri: *Vah qui destruit templum, & in tribus diebus ædificat*, id est, restaurat stillud. Reliqua dicta sunt Matth. 27. v. 39. & 40.

σῶσον σεαυτὸν, καὶ κατάβα ἀπὸ τοῦ [30] σταυροῦ.	Saluum fac temetipsum descendens de cruce.

Matth. 27. v. 40.

DESCENDENS. καὶ κατάβα & descende, quomodo est etiam syriacè. Latinus sensum dedit, *descendens* seu descendendo. Reliqua pete ex Matthæo.

ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἀρχιερεῖς ἐμπαίζοντες, [31] πρὸς ἀλλήλους μετὰ τῶν γραμματέων ἔλεγον· ἄλλους ἔσωσεν, ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι.	Similiter & summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.

Matth. 27. v. 41. 42. Luc. 23. v. 35.

ILLVDENTES quo modo etiam græcè scribitur ἐμπαίζοντες, vt subaudias *Iesu*. Atqui, cùm, vt in Notis ostendimus, vetustissimi quique latini codices legant *ludentes*, videtur Interpres græcè quoque legisse simplex παίζοντες: vt certè etiam Syrus vertit hoc loco [Syriac] *gohacin*, quod est, *ridentes*, aliud verbum quàm quod Matth 27. v. 41. verterat ex ἐμπαίζοντες *illudentes*. *Ludentes* ergo, id est, iocantes, ridentes. AD ALTERVTRVM. πρὸς ἀλλήλους ad inuicem, inter se mutuò. Iungendum est cum verbo *ludentes*, prout Syrus quoque iungit: sed si legas *illudentes*, referendum videtur ad verbum *dicebant*. CVM SCRIBIS. Syrus: *Et Scribæ*, cuius hæc est integra interpretatio hoc loco: *Et sic quoque principes sacerdotum ridebant vnus cum alio, & Scribæ, & dicebant*. Reliqua petantur ex Matthæo.

ὁ χριστὸς ὁ βασιλεὺς τοῦ ἰσραὴλ καταβάτω [32] νῦν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμεν. καὶ οἱ συνεσταυρωμένοι αὐτῷ ὠνείδιζον αὐτόν.	Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei.

Matth. 27. v. 42. 44. Luc. 23. v. 35. 39.

REX ISRAEL s. si est, ex Matthæo. VT coràm VIDEAMVS oculis nostris potentiam eius. miracula enim multa se fecisse iactauit, sed quæ non vidimus. Ita detrahunt obliquè miraculis Domini, tamquam incertis. ET CREDAMVS ipsum Christum regem Israel esse. profectò enim credemus. ET QVI CVM EO. Illi quoque qui cum eo. CONVITIABANTVR. ὠνείδιζον improperabant vertit secundùm Matthæum, probris & conuitiis afficiebant. Reliqua exposita sunt Matth. 27. v. 42. 44.

γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης, σκότος [33]	Et facta hora sexta, tenebræ

Matth. 27. v. 45.

Luc. 23. v. 44.

factæ ſunt per totam terram, vſque in horam nonam.

ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐννάτης.

FACTA. γενομένης poſtquam eſſet aut facta eſſet, mox aut breui pôſt quàm adueniſſet. Nam Matthæus dicit, *ſexta hora*. PER TOTAM. ἐφ' ὅλην ſuper totam. IN pro ad. Reliqua expoſita ſunt Matth. 27. v. 45.

Matth. 27. v. 46. Pſal. 22. v. 2.

Et hora nona exclamauit Ieſus, voce magna dicens: Eloï, eloï, lama ſabacthani? quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?

34 καὶ τῇ ὥρᾳ τῇ ἐννάτῃ ἐβόησεν ὁ ἰησοῦς, φωνῇ μεγάλῃ λέγων· ἐλωΐ, ἐλωΐ, λαμὰ σαβαχθανί; ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, εἰς τί με ἐγκατέλιπες;

ELOI. Hebraicè אלוה *eloah* Deus, cum pronomine affixo formet אלוהי *elohi*, ſicut *el eli*: ſed rarò in vſu eſt numerus ſingularis, præſertim cum affixo: plurali autem numero, ab אלהים *elohim*, dicas אלהי *elohai*, quemadmodum *adonai*. Chaldaicè ſiue ſyriacè magis vſitatum eſt ſingulare אלהא *elaha*, ſeu *eloho*, & quod inde formes אלהי *elahi* ſeu *elohi*. Matthæus loco *Elohi* recitauit *Eli*. Vtrùm Chriſtus dixerit, parui refert: non fuit Euangeliſtarum mens ſyllabas aucupari, ſed dumtaxat indicare, quî ex Chriſti ſermone occaſio accepta ſit, putandi Eliam ab ipſo in auxilium aduocatum fuiſſe: quæ occaſio ex vtrauis dictione accipi potuit, quamquam *Eli*, præter hoc quod in Pſalmo legitur, ſono propiùs reſpondeat *elia* nomini quàm *elohi*. INTERPRETATVM. ſi interpreteris. Syriacè quoque additur hîc interpretatio, quæ non fuerat addita ſecundùm Matthæum; credo, quia Matthæus hebraicè ſcripſerat, non Marcus, ac proinde Marcus addiderat interpretationem hebraicarum vocum, Matthæus nequaquam. Sic igitur ſyriacè legitur ſecundùm Marcum: *Il Il lemana ſebactani, quod eſt, Elohi Elohi lemana ſebactani*. Priora verba eadem ſunt cum iis quæ ſyriacè leguntur ſecundùm Matthæum: poſteriora verò quæ interpretationis loco adduntur, à prioribus non aliter differunt, quàm quod *Il* exponant per *Elohi*, quaſi *Il* eſſet *Deus meus*, quod ego non capio, nam ܐܝܠ *Il* ſyriacum, reſpondet hebraico אל *el*. Reliqua huius verſus ediſſerta ſunt Matth. 27. v. 46.

Matth. 27. v. 47.

Et quidam de circumſtantibus audientes dicebant: Ecce Eliam vocat.

35 καί τινες τῶν παρεστηκότων ἀκούσαντες ἔλεγον· ἰδοὺ ἠλίαν φωνεῖ.

DE CIRCVMSTANTIBVS. τῶν παρεστηκότων adſtantium, præſentium. ECCE mirabile quid. Reliqua ex Matthæo petantur.

Matth. 27. v. 48. 49. Luc. 23. v. 36. Iohan. 19. v. 29.

Currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus, ſi veniat Elias ad deponendum eum.

36 δραμὼν δὲ εἷς, καὶ γεμίσας σπόγγον ὄξους, περιθείς τε καλάμῳ, ἐπότιζεν αὐτόν, λέγων· ἄφετε, ἴδωμεν εἰ ἔρχεται ἠλίας καθελεῖν αὐτόν.

VNVS ſ. eorum, quod Matthæus addit. DICENS. Syriacè legitur numero plurali: *Et dixerunt*, quod eſt, dixerunt autem ſ. alij. Atque hæc lectio, vt conformis eſt narrationi Matthæi, ita & veriſimilior eſt: cuius in græcis quoque & latinis libris extant quædam veſtigia, prout in Notis ad varias lectiones annotauimus. Cæteroqui intelligendum eſt, quòd is qui acetum offerebat, idem illud reſponderit, quod ipſi acclamabatur à ſociis Matth. 27. v. 49: quemadmodum certè intelligunt, inter latinos D. Auguſtinus lib. 3. de conſ. cap. 17., inter græcos Euthymius enarrans cap. 27. Matthæi. Cùm enim ſocij, prohibere hunc volentes, ne potum offerret Ieſu, dicerent: *Sine* ſiue SINITE, VIDEAMVS; iſte eiſdem verbis reſponderit *Sinite videamus*. Quod ſi verum eſt, intelligere oportet, hunc dicere voluiſſe: Sinite me hoc adhuc modo illudere miſero, acetum ſitienti propinando: ita faciliùs videbimus an veniat Elias: quo enim magis hic vexatur, eo citiùs ille adueniet, ſiquidem velit ei ſuccurrere. q. d. nihil obſtat id quod facio, quin veniat Elias, immo potiùs accelerabit eius aduentum. AD DEPONENDVM. καθελεῖν ad detrahendum ſ. e. de cruce. Reliqua petenda ſunt ex Matthæo 27. v. 48. & 49.

Matth. 27. v. 50. Luc. 23. v. 46. Iohan. 19. v. 30.

Ieſus autem, emiſſa voce magna, exſpirauit.

37 ὁ δὲ ἰησοῦς, ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην, ἐξέπνευσε.

EMISSA. ἀφεὶς poſtquam emiſiſſet. VOCE MAGNA in hæc verba *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*. EXSPIRAVIT. *emiſit ſpiritum*, vt Matthæus ait, ex quo reliqua petenda ſunt.

Matth. 27. v. 51. Luc. 23. v. 45.

Et velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo vſque deorſum.

38 καὶ τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω.

ET pro *tunc*. VELVM. quod ea quæ Iudæi habebant ſacratiſſima, id eſt, ſancta ſanctorum, à conſpectu, non ſolùm multitudinis, ſed & ſacerdotum arcebat. IN DVO. *in duas partes* explicat ſecundùm Matthæum, ex quo petæ reliqua huc pertinentia.

ἰδὼν

ἰδὼν δὲ ὁ κεντυρίων, ὁ παρεστηκὼς ἐξ ἐναντίας αὐτοῦ, ὅτι οὕτω κράξας, ἐξέπνευσεν, εἶπεν· ἀληθῶς ὁ ἄνθρωπος οὗτος υἱὸς ἦν θεοῦ. 39

Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans exſpiraſſet, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.

Matth.27. v.54 Luc.23. v.47.

VIDENS. conſiderans. CENTVRIO. Hac ipſa latina voce vtuntur & græca & ſyra. QVI EX ADVERSO STABAT. ὁ παρεστηκὼς ἐξ ἐναντίας αὐτοῦ qui adſtabat ex aduerſo eius ſ. Ieſu, medius inter milites ſuos, ac proinde facillimè poterat rem obſeruare. CLAMANS κράξας vociferatus mox à valido clamore emiſſo, quaſi omnem vim vitæ adhuc retineret. Hoc vt excedebat humanas vires, eratque ſupra omne aliorum hominum exemplum, maximè à Centurione vigebatur, quo nixus pronunciaret Ieſum eſſe Filium Dei, agnoſceret diuinam in Ieſu virtutem, interque ipſum exſpirantem & Deum optimè conuenire, denique intelligeret rem non caſu ſed diuino conſilio geri. Quidam interpretantur, non clamoris vehementiam à Centurione conſideratam, ſed clamoris ſignificationem, quòd mox vt inuocaſſet Deum exſpiraſſet. Huius ſententiæ Auctor Origenes eſt tractatu 35. in Matthæum, vbi ſcribit, quod nuſquam alibi lego, conſuetudinis fuiſſe Romanorum, vt crucifixi percuterentur ſub alas, ad hoc vt citiùs morerentur: ſed Pilatum, quò Iudæis gratificaretur, noluiſſe id fieri Ieſu, vt diutiùs viueret plurimo cum cruciatu. *Ieſus ergo*, inquit, *cùm non fuiſſet percuſſus, & ſperaretur diu pendens in cruce maiora pati tormenta: orauit Patrem & exauditus eſt, & ſtatim vt clamauit ad Patrem receptus eſt, aut ſicut qui poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, poſuit eam quando voluit ipſe. Quod prodigium ſtupuit Centurio factum, & dixit: Verè hic homo Filius erat Dei. Miraculum enim erat, quoniam poſt tres horas receptus eſt, qui fortè biduum victurus erat in cruce, ſecundùm conſuetudinem eorum, qui ſuſpenduntur quidem, non autem percutiuntur: vt videretur beneficiũ Dei fuiſſe quod exſpirauit, & meritum orationis eius, magis quàm violentia crucis.* Hęc Origenes: ſed quia Marcus non meminit orationis Ieſu morientis, quã ſolus Lucas expreſſit, veriſimilius eſt, quòd Marcus velit, Centurionem, in Ieſu moribundo clamoris intenſionem maximè fuiſſe admiratum. Aliis militibus terræ motus, quem nominauit Matthæus, videtur honorificam hanc confeſſionem expreſſiſſe; aliis aliud; ſed Centurioni reliquorum duci clamor ille: quamquam omnes mouerunt omnia oſtenta, quæ Ieſum morientem cohoneſtarunt. HIC HOMO. vir iſte (ſic enim accipitur vocabulum *homo* frequenter, vt nihil ampliùs ſignificet, quàm pronomen demonſtratiuum) ſiue ſenſerit Centurio, Ieſum eſſe Deum hominibus ſimilem, quæ ſententia fuit Lycaonum de Paulo & Barnaba Act. 14. v. 10; ſiue eſſe ſemideum, id eſt, hominem ex Diis natum, quales erant Heröes gentilibus; ſiue, quod habebat veritas, Deum ſimul eſſe & hominem. Quamquam, quod ad Matthæum diximus, non hæc diſcuſſit Centurio, ſed ſimpliciter, quòd Ieſus de ſe ipſe dixerat, *Filius Dei ſum*, probauit, & vt ab homine verace ac iuſto profectum verum eſſe iudicauit. Qui etſi non ſic iam mutatus fuerit, vt mox ſe Deo & Ieſu in reliquum vitæ tempus addixerit: hac tamen ratione præparatus, opportuno tempore fidem Ieſu amplexus eſt, & pro ea mortem quoque obiit, quod ex Chryſoſtomo & aliis oſtendimus ſecundùm Matthæum, vnde & cætera, ad huius verſiculi expoſitionem pertinentia, petenda ſunt.

ἦσαν δὲ καὶ γυναῖκες ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι, ἐν αἷς ἦν μαρία ἡ μαγδαληνὴ, καὶ μαρία ἡ τοῦ ἰακώβου τοῦ μικροῦ καὶ ἰωσῆ μήτηρ, καὶ σαλώμη· 40

Erant autem & mulieres de lõgè adſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater, & Salome:

Matth.27. v.55.56. Luc.23. v.49.

ERANT AVTEM ſ. ibi ex Matthæo. ET MVLIERES. etiam mulieres, inter multos viros. ADSPICIENTES. θεωροῦσαι ſpectantes, Ieſu ſcilicet paſſionem. MINORIS. τοῦ μικροῦ parui. Quidam putant cognomen fuiſſe: Interpres, poſitiuo, pro comparatiuo, quo Hebræi carent, accepto, intellexit hunc minorem fuiſſe vocatum, cauſa differentiæ à Iacobo Zebedæi, qui maior fuerit dictus: id quod D. Hieronymus probat libri aduerſus Heluidium cap. 6. & 7. Maior autem dictus fuerit Iacobus Zebedæi, vel ob ætatem, vel ob ſtaturam. IOSEPH. ἰωσῆ Ioſe. Hieronymus libri aduerſus Heluidium capite 6. legit *Ioſetis*. SALOME. Nomen fœminæ deriuatum à virili *Salomon*, quod proprium fuit ei quæ periphraſi a Matthæo deſcribitur *Mater filiorum Zebedæi* Reliqua expoſita ſunt Matth. 27. v. 55. 56.

αἳ καὶ ὅτε ἦν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ, ἠκολούθουν αὐτῷ, καὶ διηκόνουν αὐτῷ, καὶ ἄλλαι πολλαὶ αἱ συναναβᾶσαι αὐτῷ εἰς ἱεροσόλυμα. 41

& cùm eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei: & aliæ multæ quæ ſimul cum eo aſcenderant Ieroſolymam.

Matth.27. v.55.

ET CVM ESSET. Subaudiendum eſt relatiuum *quæ*, quod exprimitur græcè: *Quæ & cùm eſſet* Ieſus IN GALILÆA. *quæ* ſ. Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome, etiam cùm Ieſus eſſet adhuc in Galilæa. ET ALIÆ MVLTÆ ſ. erant inter illas. CVM EO Ieſu. ASCENDERANT IEROSOLYMAM ſuperioribus ante hoc paſcha diebus. Reliqua quære Matth. 27. v. 55.

καὶ ἤδη ὀψίας γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον, 42

Et cùm iam ſerò eſſet factũ (quia erat paraſceue, quod eſt ante ſabbatum)

Matth.27. v.57.

IAM SERÒ ESSET FACTVM. iam dies inclinaret. Nam cùm adhuc eſſet paraſceue, quod ſequitur, nondum eſſe

esse poterat propriè dicta vespera. quæ finis fuisset parasceues & sabbati initium. QVIA ERAT PARASCEVE. dies parasceues, breuî scilicet finienda, ac proinde festinandum iis esset qui vellent operis aliquid facere, quod nollent differre in diem tertium. Syrus pro his omnibus *Et cùm iam sero esset factum, quia erat parasceue*, hoc solum vertit: *Et cum esset vespera parasceues*, quod clarum est. Sed coniunctione *quia*, significat Euangelista, causam à se dari, quare Ioseph tantopere festinarit ab obtinendam facultatem sepeliendi Iesu, qui non ita diu fuisset mortuus: quia nimirum dies parasceues erat, & quidem serum eius diei, ac proinde, ob sabbatum instans, sepultura, aut non potuisset honorificè pro more gentis celebrari, aut certè differenda fuisset in diem tertium (quod nec honestum mortuo, nec viuis amicis fuisset commodum) nisi festinasset, facultate impetrata, breuî pòst iusta peragere. Quamuis enim parasceue ista, esset dies festus paschæ & primus azymorum: tamen eo die lege permittebatur sepultura, quæ non permittebatur die sabbati subsequente: nam, quod ad cessationem ab operibus, longè strictiùs obligabat Iudæos septimus illi sabbati dies, quàm quiuis alius festus, etiam paschæ, quod alibi docuimus. Quid autem sit parasceue, explicat hîc ipse Euangelista adiungens QVOD EST ANTE SABBATVM, quod significat antesabbatum, id est, diem qui antegreditur sabbatum. Vnica vox est *antesabbatum*, formata ab Interprete similiter vt ea quæ est græcè προσάββατον. Prosabbatum, præsabbatum, seu antesabbatum, est dies ille qui proximè præcedit diem sabbati, qui veluti exspectat sabbatum aduentans & se accingens: quem nos gentilium more diem Veneris, Christianorum more feriam sextam vocamus. Hunc Iudæis parasceuen dici, interpretatur Euangelista: nominis autem rationem relinquit aliis exponendam: quam nos quidem exposuimus Matth. 27. v. 62.

Matth. 27. v. 57. 58. Luc. 23. v. 50. 51. 52. Iohan. 19. v. 38.

vênit Ioseph ab Arimathæa, [43] nobilis decurio, qui & ipse erat exspectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.	ἦλθεν ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ ἀριμαθαίας, εὐσχήμων βουλευτής, ὃς καὶ αὐτὸς ἦν προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ τολμήσας εἰσῆλθε πρὸς πιλάτον, καὶ ᾐτήσατο τὸ σῶμα τοῦ ἰησοῦ.

AB ARIMATHÆA. ὁ ἀπὸ ἀριμαθαίας qui ab Arimathæa, id est, Arimathæus. NOBILIS. εὐσχήμων honestus, moribus scilicet & vita, plenus grauitatis & dignitatis. DECVRIO. βουλευτὴς, qua græca voce vtitur & Syrus, propriè consiliarium significat, quomodo interpretatur Hieronymus scribens in Matthæum. In quem sensum & Chrysostomus hom. 89. in Matthæum: *Non ignobilis quisquam aut ignotus erat*, inquit, *sed ex consilio vnus atque insignis. Vnde fortitudo eius maxima admiranda est, cum propter amorem Iesu periculum mortis susceperit, & vniuersorum se odio tradiderit*. *Decurio* igitur, quod Interpres hîc dedit, nomen est, non officij militaris, sed dignitatis vrbanæ, significans consultorem aut senatorem: in municipiis enim Decurio dicebatur, qui Romæ Senator. Credibile est fuisse vnum ex senioribus, id est, senatoribus populi (vide Matth. 16. v. 21.) & quidem ex concilio Sanhedrin (Luc. 23. v. 51.) Quare Euthymius: *Honestum quidem scripsit, vtpote grauem & modestum: senatorem vero, nempe vnum senatorum ciuitatis: erant autem senatores, decuriones, consiliarij ac officiales curiæ*. Adscripsit ergo ordinis dignitatem Euãgelista, vt hac quoque parte reluceret diuina prouidentia & virtus, quia non ex obscura plebe suppositus est, qui raptim & clanculum Christi corpus defoderet, sed homo inter suos nobilis atque eximiæ dignitatis, ex alto honoris gradu excitatus est, qui probrum crucis sepulchri honore tegere inciperet. ET IPSE cum aliis non paucis Iesu discipulis. Nam quamuis eorum multi vacillarent, propter dierum istorum turbationem ac difficultatem, non tamen spem omnino abiecerant. ERAT EXSPECTANS. non tantùm credebat, verumetiam exspectabat participem fieri regni Dei, nec ea spe exciderat, licet doctor promissórque regni ignominiosè occisus esset.

REGNVM DEI siue cælorum, ab Iesu prædicatum, ad hoc se parans fide & pœnitentia, suprà 1. v. 15. Et quamuis non perfectè adhuc intelligeret, quale foret illud regnum Dei, satis tamen intelligebat, non fore terrenum sed cæleste, quamquam in terra inchoandum. Hac itaque nota, commendatur pietas Ioseph, quòd in statu quasi perdito spem redemtionis aluerit quæ à Deo promissa erat, nec, quamuis eo tempore actum videretur esse de Iesu, deturbatus fuerit ab exspectatione, vt alij quidẽ Luc. 24. v. 21: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redemturus Israel. Talem* ergo, inquit Beda, *existere decebat, eum qui corpus Domini sepeliret, qui & per iustitiam meritorum tali ministerio dignus esset, & per nobilitatem potentiæ secularis facultatem posset obtinere ministrandi*. AVDACTER. τολμήσας ausus, id est, sumta audacia, magnanimus. Audacia non semper in vitio ponitur, opposita consilio, sed sæpe ad periculum refertur, q. d. contemto omni periculo. Sciebat enim Ioseph, non sine periculo amittendarum facultatum, fortassis etiam vitæ, se tentare id quod aggrediebatur; periculo inquam, quod immineret, tum à Pilato, tum à principibus Iudæorum collegis suis. Nam eo ipso quo petebat corpus Iesu mortui, tamquam sepultura digni, & cuius memoriæ hoc deberetur honoris, palàm prædicabat, illum virum fuisse bonum, innocentem, & charum Deo, oppressum inuidia virtutis; condemnabat autem iniustissimæ cædis, eos omnes, qui ipsum tamquam impijssimum, & tam diuinæ quàm humanæ maiestatis reum, crudelissimè interfici curauerant. Quamquam verisimile est, quòd non tam Pilatum timuerit, à quo nouerat vi quodammodo extortam fuisse Iesu cædem, quàm collegas suos principes Iudæorum qui extorserant. Quum igitur totius gentis Iudaicæ inuidiæ & odio, ac proinde ingentibus periculis, se exponeret, non dubium est quin arcano Spiritus sancti instinctu tantum audaciæ sumserit. INTROIVIT ipse per se, nihil veritus contaminari ingressu prætorij, facto impetrandæ rei sanctæ gratia, quod præposterè veriti fuerant collegæ ipsius, rem iniquissimam postulantes. Ioh. 18. v. 28. Reliqua exposita sunt Matth. 27. v. 57. 58.

Pilatus autem mirabatur si iam [44]	ὁ δὲ πιλάτος ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκε·

τέθνηκε· καὶ προσκαλεσάμενος τὸν κεντυρίωνα, ἐπηρώτησεν αὐτὸν εἰ πάλαι ἀπέθανε.

obiisset: & accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset.

MIRABATVR. ἐθαύμαζεν miratus fuit. SI IAM OBIISSET. an iam mortuus esset. Miratus fuit quòd Ioseph diceret eum esse mortuum, nec satis credere potuit. Meminerat quidem, iam concessum à se Iudæis, vt crucifixorum crura, ad accelerandam eorum mortem, frangerentur: sed nouerat id nondum esse factum, vel ex eo quod plusculum diei restaret, nec priùs essent Iudæi, tormenta, Iesu præcipuè, abrupturi, quàm necesse esset. Miratus est igitur, quòd diceretur mortuus, non solùm quia crucifixi diu solerent eo in supplicio viuere, & præsertim florenti ætate viri, verumetiam quia Iesum, vt diuinum hominem, qui etiam mortuos suscitasset, putauerat non facilè moriturú, fortassis etiam se liberaturum à cruce. *Sperabat*, inquit Euthymius, *eum tardè moriturum, tamquam diuinum quemdam hominem, qui cæteros excederet: ipse verò lege naturæ mortuus est, tamquam verus homo*. Neque nouerat Pilatus omnia quæ passus fuerat Iesus, neque ea quæ nouerat satis perspecta habebat, præsertim cùm eum lateret tenerior nobiliorque sacri corporis constitutio: ignorabat quòd sponte certoque consilio in mortem se ipse tradidisset, à qua se nollet liberare tametsi facilè posset: denique latebat eum mysterium eius quod præceptum fuerat, agnum paschalem festinanter edendum. Exod. 12. v. 11. ACCERSITO. aduocato ad se, ex vicina arce Antonia, verisimile est. CENTVRIONE illo qui cruci adstiterat cum suis, custodiæ causa, suprà v. 39. Centurio, mortuo Iesu, ob quem maximè adhibita fuerat custodia, redierat domum, relictis aliquot è militibus suis, ad custodiam corporis, donec Præses de eo statuisset. SI IAM. εἰ πάλαι si iamdudum. An verè & quamdiu esset quòd mortuus esset. Videtur fraudem timuisse Pilatus, ne fortè Ioseph discipulus Iesu, Iesu adhuc viuentis corpus tamquam mortui peteret, vt prætextu exhibendæ sepulturæ, & à cruce eum & à morte liberaret, curatis arte medica vulneribus. Quamuis enim inuitus tradiderat eum crucifigendum, tamen postquam tradiderat voluit rem perfici, aut certè noluit se non conscio mutari.

καὶ γνοὺς ἀπὸ τοῦ κεντυρίωνος, ἐδωρήσατο τὸ σῶμα τῷ ἰωσήφ. 45

Et cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph.

Matth. 27. v. 58. Iohan. 19. v. 38.

CVM COGNOVISSET. cùm intellexisset ex CENTVRIONE s. quòd mortuus esset. Ita voluit diuina prouidentia constare omnibus de morte Iesu, vt eo indubitatior esset resurrectio. DONAVIT muneris loco. IOSEPH. τῷ ἰωσὴφ ipsi Ioseph. Reliqua ex Matthæo petantur.

καὶ ἀγοράσας σινδόνα, καὶ καθελὼν αὐτὸν, ἐνείλησε τῇ σινδόνι, καὶ κατέθηκεν αὐτὸν ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας, καὶ προσεκύλισε λίθον ἐπὶ τὴν θύραν τοῦ μνημείου. 46

Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum, inuoluit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti.

Matth. 27. v. 59. 60. Luc. 23. v. 53. Iohan. 19. v. 38. 40. 41. 42.

MERCATVS ἀγοράσας postquam emisset. SINDONEM nouam, nullis antea vsibus accommodatam. Hoc enim decebat Iesum. ET DEPONENS. καὶ καθελὼν & postquam detraxisset, id est, deposuisset s. de cruce. EVM s. Iesum, id est, corpus Iesu. Non erubuit deponere ipse de cruce præceptoris optimi corpus, quod vt maledictum ne attingere quidem hominum plerique voluissent adiutus à ministris suis, &, qui illic etiamnum adesse poterant, notis Iesu, Iohanne Zebedæi filio aliisque. Fecit id autem, vel scalis ad erectam crucem applicatis (quod videtur sentire Nonnus poëta à nobis citatus Ioh. 19. v. 38.) vel cruce è foramine in quo stabat extracta, & humi posita, id quod, & facilius fuit, & in latronibus obseruatum fuisse, crurifragium loqui videtur. Vt enim non facilè poterant crura eorum frangi, nisi iacerent supini, ita commodissimè poterant, si permanerent affixi cruci. Accedit, quòd frustrà sumtus fuisset labor ille, ex cruce erecta demittédi corpus, quandoquidem & crux eodem tempore esset auferenda: tum ne conspecta publicè, sabbati imminentis sanctitati derogaret, tum quòd consueuerant instrumenta supplicij, iuxta cadauera sontium, vel certè non procul inde, terra obrui, quod multi annotant. Extractis ergo clauis manuum pedumque, liberum corpus Ioseph INVOLVIT SINDONE. DE PETRA. ἐκ πέτρας ex petra. Reliqua exposita sunt Matthæi 27. v. 59. 60.

ἡ δὲ μαρία ἡ μαγδαληνὴ, καὶ μαρία ἰωσῆ, ἐθεώρουν ποῦ τίθεται. 47

Maria autē Magdalene, & Maria Ioseph, adspiciebant vbi poneretur.

Matth. 27. v. 61. Luc. 23. v. 55.

IOSEPH. ἰωσῆ Iosetis. vide Matth. 27. v. 56. ADSPICIEBANT. obseruabant, notabant. VBI PONERETVR. vbi sepeliretur Iesus, quo loco quóve situ & apparatu corpus collocaretur, vt reuersæ possent agnoscere, & ipsæ quoque suo modo vngere. Reliqua quære Matth. 27. v. 61.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Luc. 23. v. 56.

Et cùm transisset sabbatum, [1] Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.

Καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου, μαρία ἡ μαγδαληνὴ, καὶ μαρία ἰακώβου, καὶ σαλώμη, ἠγόρασαν ἀρώματα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν τὸν ἰησοῦν.

CVM TRANSISSET. simulatque transisset; transierat autem vnà cum occasu solis, quemadmodum cœperat vnà cum occasu solis, mox vt Dominus sepultus fuerat: quamquam, præter occasum solis, qui ab incolis ciuitatum non perinde exactè potest obseruari, dabatur Ierosolymis è templo signum & incipientis & finientis sabbati, quemadmodum docuimus suprà 15. v. 25. Vesperi ergo, simulatque transisset sabbatum, id est, simulatque licebat operari & negotiari. MARIA IACOBI. eadem quæ *Maria Ioseph* suprà 15. v. 47. nam & præcedenti v. 40. vocatur *Maria Iacobi & Ioseph*. ET SALOME. cum aliis, vide suprà 15. v. 40. EMERVNT à pharmacopolis. AROMATA. vi exsiccandi & fragrantiam addendi prædita. VENIENTES pro euntes siue redeuntes s. ad monumentum, postridie benè manè. Euangelista seipsum quasi apud monumentum constituit. VNGERENT IESVM mortuum, id est, corpus Iesu mortui. Quamuis naturale sit homini, non sine horrore videre mortuum, etiamsi matri offeratur filij cadauer conspiciendum: tamen istæ quærunt iam triduo mortuum contrectare & vngere, & etiam in tenebris ad ipsam ingredi mortem per sepulchri ianuam. Fecit hoc feruentissimus amor erga Iesum, quem vt viuum summè & dilexerant & coluerant, ita mortuum dignissimum censent supremo hoc sepulturæ honore, & officio animi grati ac pij, quippe Christum Filium Dei, de resurrectione interim nihil cogitantes, *nihilque dignum deitate Iesu*, quod Theophylactus ait, *facientes*. Neque verò ignorabant, corpus Iesu à Iosepho & Nicodemo non parcè vnctum fuisse, centum inquam libris myrrhæ & aloës, quæ præsentes adfuerant cùm vngeretur, quamquam fortè suis oculis non viderant: sed habebat consuetudo, vt charissima capita, & quæ plurimi fierent cadauera, non semel tantùm vngerentur, sed sæpius, pluribusque continuis diebus, donec exsiccato, &, vt Theophylactus ait, absorpto, vi aromatum, omni reliquo humore, immo tabefacta carne, arida & quasi ænea reddita, diu seruari possent integra, & immunia à putrefactione. Vnde Genes. 50. v. 2. 3. legimus, corpus patriarchæ Iacob, aromatibus conditum fuisse, quadraginta continuis diebus, pro more Ægyptiorum: à quibus ad Iudæos transisse morem condiendorum corporum, vt est verisimile, ita affirmant historiographi.

Matth. 28. v. 1. Luc. 24. v. 1. Iohan. 20. v. 1.

Et valde manè vnâ sabbatorum, [2] veniunt ad monumentum, orto iam sole.

καὶ λίαν πρωῒ τῆς μιᾶς σαββάτων, ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.

ET VALDE MANE. Itaque postridie, *valde mane*, summo mane. VNA SABBATORVM. τῆς μιᾶς σαββάτων vnius sabbatorum, primi diei hebdomadæ, diei dominici. VENIVNT. adsunt, cum iis quæ pridie vesperi parauerant aromatis. ORTO IAM SOLE. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου exorto sole, quum exortus esset sol, vt habet Syrus. D. Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 24. legit *oriente iam sole*, & interpretatur, ortu suo iam illuminare incipiente aërem, *cum cælum ab orientis parte iam albesceret: quod non fit vtique, nisi solis orientis vicinitate: eius enim est ille fulgor, qui nomine auroræ appellari solet*. Legit fortassis D. Augustinus ἀνατέλλοντος: quamquam neque nos qui præteritum legimus, græcè ἀνατείλαντος, latinè *orto*, aliter possumus intelligere, quàm *orto sole*, iam ad solis ortum albescente cælo, prima solis luce orientem & aduersa montium cacumina albefaciente. id quod fit facilè sesquihora, ante ascensum solis supra horizontem. In quem sensum Euthymius scribit: *Verum si valde manè erat, quomodo dixit, orto sole? quia tunc propriè sol oritur, etsi nobis nondum appareat, demoratus adhuc circa profundissimas extremásque orientis partes, & paulatim exsurgens*. Cæteroqui enim, si intelligas, *orto iam sole*, iam solis astro supra horizontem emerso, & solari corpore apparente mortalibus, non potuit fuisse valde manè, quod hîc dicitur, nec profundum diluculum quod Lucas ait, denique nec tenebræ, quod Iohannes. Nisi fortè Euangelista, mysticè loquendi modo, taxare occultè voluerit, frustraneum mulierum laborem, quòd properarint ad vngendum solem illum, mundi lucem (Iohan. 8. v. 12.) tamquam occiduum, qui iam surrexisset ab occasu, suoque ortu solus planetæ ortum anteuenisset. hunc sensum subindicat Scholiastes Hieronymianus. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

Et dicebant ad inuicem: Quis [3] reuoluet nobis lapidem ob ostio monumenti?

καὶ ἔλεγον πρὸς ἑαυτάς· τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου;

ET DICEBANT. dicebant autem s. in itinere AD INVICEM. πρὸς ἑαυτὰς ad se mutuò, inter sese. LAPIDEM. saxum illud ingens, quod nudiustertius nobis præsentibus aduolutum est OSTIO MONVMENTI, quod non est cuiusuis reuoluere? An fortè nos, quia plures numero, id poterimus, quod alioqui non est muliebrium virium? an verò hoc tempore intempestiuo, ante diem, reperiri illic poterit vir, qui nobis auxilio sit? Hac de re soliciti erant. Sed quomodo non magis solicitæ erant, quomodo

ingressuræ essent hortum? sciebant enim non esse hortum publicum, & importunum esse, vt hortulanum, si quis illic noctu ageret, excitarent. nam quòd à militibus occuparetur hortus, & lapis publico sigillo obsignatus, adhibitaque ad sepulchrum custodia esset, hoc omnino ignorabant. Verisimile est, quòd, cùm sepultus esset Dominus, & illæ, antequam Iosephus saxum aduolueret, adspicerent vbi ac quomodo collocatus esset Iesus: indicarint Iosepho, mentem suam esse, vt à sabbato redirent, & Iesum rursus vngerent; itaque veniam ab eo ingrediendi in hortum ipsius, & fortasse etiam claues horti, impetrarint: quamquam; præter opinionem, horti ostium apertum inuenerint.

καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα.

4 Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. erat quippe magnus valde.

Matth. 28. v. 2. Luc. 24. v. 2. Ioan. 20. v. 1.

Et respicientes. καὶ ἀναβλέψασαι & quum respexissent, sed quum sepulchrũ versus oculos conuertissent. est enim & pro sed positũ. Viderunt. θεωροῦσιν vident revolutum esse lapidem. Cęterũ non respexerunt & viderunt lapidem esse reuolutũ, mox vt hoc dixerant *Quis reuoluet* (illud enim in itinere dixerant) sed, simul atque ingressæ fuerant locũ monumenti, quod dicitur versu proximo. Euangelista enim, anticipatione vsus, vt semel absolueret quod de lapide dicendum erat, priùs dixit eas vidisse lapidem reuolutũ, quàm dixerit ingressas esse locum. Vt ergo clarior sit oratio, possint hæc verba parentheseos notis includi; *& respicientes viderunt reuolutum lapidem*; hac sententia: Quamquam mox vt propè fuerunt & potuerunt adspicere, viderint lapidem esse reuolutum. Fauet huic sententiæ quod sequitur Erat qvippe, quo datur ratio, non eius quod immediatè præcedit, quòd lapidem reuolutum viderint, sed eius quod mediatè, cur dixerint *Quis reuoluet*, cur solicitæ adeò fuerint de lapidis reuolutione. Magnvs valde, adeoque maior quàm vt fœmineis viribus posset amoueri. Porrò Angelus Domini cælo delapsus, opportunè reuoluerat lapidem, priusquam mulieres aduenissent, quod didicimus secundùm Matthæum, ex quo reliqua petenda sunt.

καὶ εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον, εἶδον νεανίσκον καθήμενον ἐν τοῖς δεξιοῖς, περιβεβλημένον στολὴν λευκήν, καὶ ἐξεθαμβήθησαν.

5 Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt.

Matth. 28. v. 2. 3.

Introevntes. εἰσελθοῦσαι ingressæ. In monvmentvm. in locum monumento proximum, in septum quod erat circa sepulchrum. Monumentum siue sepulchrum, propriè, erat loculus ille siue lectica lapidea, quæ corpus mortuum suo sinu complectebatur: dicebatur autem monumentum etiam spelunca siue domuncula petrina, in cuius latere aquilonari loculus seu lectica illa sita erat, iuxta ea quæ de dominici sepulchri forma diximus Matth. 27. v. 60. Denique dicebatur & monumentum siue sepulchrum, locus domunculæ seu speluncæ illi vicinus, locus in quo sepulchralis & lectica & spelunca esse censebatur (idque metonymia vulgari) siue hortus ipse in quo monumentum erat (Iohan. 19. v. 41.) siue potiùs locus, maceriâ aut sepe à reliquo horto seclusus, qui monumenti vestibulum dici potuisset, qualem illic fuisse verisimile est. Nam cùm hortus sit locus voluptatis, monumentum autem luctus atque mœroris, probabile fit, ædiculam seu speluncam monumenti, à reliquo horto maceriâ aut sepe aliqua fuisse distinctum. Ac fortassis hoc fuit vestibulum illud sepulchri, quod ante petram quidem ab initio fuisse, sed posteà maioris ornatus gratia destructum fuisse, testatur Cyrillus Ierosolymitanus catechesi decima quarta. Quocirca placet D. Augustini sententia, docentis lib. 3. de cons. Euang. cap. 24., sic accipiendum quod hîc dicitur, mulieres ingressas esse *in monumentum*, vt non speluncã seu domunculam illam petrinam ingressæ sint, sed *in aliquod spacium*, vt ait, *quod erat aliqua maceria communitum, vt intrari posset ante illũ saxeum sepulchri locum.* Ivvenem. νεανίσκον adolescentulum, angelum iuuenili forma. Nam quia naturâ semper vigent ac florent angeli, nec vmquam senescũt aut marcescũt, idcircò iuuenili specie apparent. Scholiastes Hieronymianus: *Viderunt iuuenem*, inquit, *non senem, non infantem, sed iucundum ætate. Hic iuuenis formam resurrectionis timẽtibus mortem ostendit.* Sedentem super lapidem à se reuolutum, quod Matthæus dixit. In dextris. ad dexteram, scilicet ostij monumenti, seu eorum qui vellent ostium monumenti ingredi. Amotum ab ostio, quod orientem respiciebat, lapidem, Angelus ad dexteram, Aquilonem versus, detruserat, sedensque super eum, agebat quasi ianitorem monumenti. Ad dexteram sedebat, *quia resurrectio nil recipit sinistrum*, ait Seuerianus in Cathena citatus. Coopertvm. amictum. Stola. veste oblonga vsque ad pedes. Candida, sicut nix, quod addit Matthæus. *Stola ista*, inquit Seuerianus, *non ex mortali vellere, sed ex virtute vitali, splendens cælesti lumine, non colore terreno, dicente propheta: Amictus lumine sicut vestimento.* Verùm non proprietatem solùm Angeli, sed & gaudio dignam resurrectionem, stola candida declarauit. *Stola candida coopertus apparuit* (ait Gregorius homil. 21. in Euang.) *quia festiuitatis nostræ gaudia nunciauit: candor etenim vestis, splendorem nostræ denunciat solemnitatis.* Erant enim Christi morte ac resurrectione, nigra omnia ablata. Obstvpvervnt. expauerunt. Ad hoc spectaculum, quamuis lætum faustique ominis, perculsæ sunt tamen, quia subitum & inexspectatum, denique quia non valet humana fragilitas cælitum splendorem absque stupore excipere.

ὁ δὲ λέγει αὐταῖς· μὴ ἐκθαμβεῖσθε. ἰησοῦν ζητεῖτε τὸν ναζαρηνόν, τὸν ἐσταυρωμένον· ἠγέρθη, οὐκ ἔστιν ὧδε· ἴδε ὁ τόπος ὅπου ἔθηκαν αὐτόν.

6 Qui dicit illis: Nolite expauescere. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hîc: ecce locus vbi posuerunt eum.

Matth. 28. v. 5. 6.

Nolite expavescere. μὴ ἐκθαμβεῖσθε ne expauescatis, *obstupescere* reddidit mox versu superiore.

NAZARENVM. Hoc fuerat cognomen Iesu, à patria sumtum. CRVCIFIXVM. τὸν ἐσταυρωμένον illum qui paulò antè crucifixus fuit. ECCE LOCVS vacuus. POSVERVNT. ἔθηκαν posuerant, sepelierant. Reliqua quære Matth. 28. v. 5. 6.

Matth. 28. v. 7.

Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

7 ἀλλ' ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, καὶ τῷ πέτρῳ, ὅτι προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν γαλιλαίαν· ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε, καθὼς εἶπεν ὑμῖν.

SED pro Itaque. ET PETRO. nominatim Petro. Petrum nominatim exprimit, ne ille existimaret se ex discipulis non haberi, qui præceptorem negasset: ne putaret se loco excidisse, qui turpiter adeò offendisset: sciret contrà, se, ob pœnitentiam, quæ & Deo placuerit & angelis, in gratiam ac pristinum inter discipulos locum receptum esse, sibique proinde vt capiti, cæteros in Galilæam esse ducendos. Hac porrò ratione factum est, quemadmodum notat Druthmarus, *vt quem fœmina fecerat negare, fœmina faceret confiteri.* IN GALILÆAM. Marcus tametsi hoc referat ab Angelo dictum, apparitionis tamen Iesu in Galilæa non meminit, quia id fecerat Matthæus cap. 28. v. 16. SICVT DIXIT. sicut promisit VOBIS passioni proximus. suprà 14. v. 28. Reliqua exposita sunt Matth. 28. v. 7.

Matth. 28. v. 8. Luc. 24. v. 9. Iohan. 20. v. 2.

At illæ exeuntes fugerunt de monumento (inuaserat enim eas tremor & pauor) & nemini quidquam dixerunt, timebant enim.

8 καὶ ἐξελθοῦσαι ἔφυγον ἀπὸ τοῦ μνημείου (εἶχε δὲ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις) καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον, ἐφοβοῦντο γάρ.

AT ILLÆ. Syrus Quod quum audissent illæ. EXEVNTES. ἐξελθοῦσαι egressæ s. spelunca monumenti. loco vbi positus fuerat Dominus, FVGERVNT DE. ἀπὸ à MONVMENTO, id est, septo monumenti. INVASERAT. εἶχε habebat, occupabat. ENIM. δὲ autem. sed accipitur pro *enim*, vt rectè obseruarunt Interpretes Latinus & Syrus: datur namque ratio fugæ. TREMOR corporis, quem peperit, quod notat Euthymius, timor, eiusmodi tamen qui mixtus gaudio fuit, Matthæo teste. PAVOR animi. ἔκστασις ecstasis, *hoc est, stupor*, ait Theophylactus, *& in spectaculo angeli, & in horrore resurrectionis.* verè enim attonitæ erant, tantarum rerum magnitudine. NEMINI eorum qui in itinere potuerunt ipsis occurrisse: sed & inter se mutuò tamquam elingues se gerebant. *Nulli hominum*, inquit Euthymius, *qui ipsis per viam occurrerunt. nam Apostolis vniuersa retulerunt.* QVIDQVAM ex eis quæ viderant & audierant. TIMEBANT ENIM plurimùm, nec solùm ob ea quæ viderant admiranda, verumetiam *propter Iudæos*, ait Euthymius, *ne conspectæ viderentur ipsa furati Iesum: ne ipsas occiderent, audito quòd Christi prædicarent resurrectionem.* Reliqua ex Matthæo petenda sunt.

Iohan. 20. v. 14. 16.

Surgens autē mane, prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia.

9 ἀναστὰς δὲ ὁ ἰησοῦς πρωΐ, πρώτῃ σαββάτου, ἐφάνη πρῶτον μαρίᾳ τῇ μαγδαληνῇ, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια.

SVRGENS ἀναστὰς cùm surrexisset s. Iesus, quod quidam libri tam latini quàm græci addunt. MANE summo. PRIMA die SABBATI seu hebdomadæ. Quod suprà v. 2. dixit *vna sabbatorum*, hîc dicit *prima sabbati*. Post D. Hieronymum quæstione tertia epistolæ 150. ad Hedibiam, Theophylactus & Euthymius monent, hoc *mane prima sabbati* iungendum esse cum subsequenti verbo *apparuit*, non cum præcedenti participio ἀναστὰς *surgens*, persuasi, resurrectionis Iesu tempus incertum esse: sed vt est dura illa constructio, ita verisimile esse, cum aurora surrexisse Dominum, docuimus Matth. 28. v. 1. Facilitate suauitateque constructionis adductus Syrus, putauit ordinem verborum à se posse mutari, vt ambiguitas tolleretur, vertitque: *Diluculo autem prima sabbati resurrexit, & apparuit primò Mariæ*, &c. PRIMÒ. nec enim aliis priùs eo fine quo Magdalenæ. Probabile est priùs apparuisse Matri suæ benedictæ: sed quia matri apparuit honoris & consolationis ergò dumtaxat, non vt ei resurrectionis suæ veritatem, quam illa credebat etiam non visam, persuaderet, aut vt illa resurrectionis ipsius esset testis, ideò illius apparitionis non meminerunt Euāgelistæ, quippe minùs idoneæ ad faciendum fidem. Prima ergo huiusmodi apparitio hæc fuit, qua Magdalenæ apparuit, quę, ardenti perseuerantique desiderio, quo quæsiuit mortuū, meruit vt prima videret ex morte rediuiuum. Ita factum est, vt sexus fœmineus, prior viderit vitam, qui prior incurrerat mortem. MARIÆ MAGDALENÆ sepulchro adhærescenti, prout describit Iohannes cap. 20. v. 11. & seqq. *Hæc apparitio Domini, quomodo & vbi sit facta, Iohannes plenissimè docet*, inquit Beda. SEPTEM DÆMONIA. plura dæmonum peccatorumque monstra, à quibus illa fuerat obsessa. vide Luc. 8. v. 2. Hoc addit Euangelista, non distinctionis causa (iam enim sæpius illius meminerat) sed obseruationis, vt animaduertas, quòd peccatrix illa, ad hunc honorem euecta sit amādo, vt prima frueretur adspectu Iesu rediuiui, ne ob tua crimina Dei gratiam amicitiamq; desperes, si illis pœnitentia ablutis, in Deo amādo te exerceas. huiusmodi quid hîc annotat V. Beda.

Iohan. 20. v. 18.

Illa vadens nunciauit his qui cū eo fuerant, lugentibus & flentibus.

10 ἐκείνη πορευθεῖσα ἀπήγγειλε τοῖς μετ' αὐτοῦ γενομένοις, πενθοῦσι καὶ κλαίουσι.

VADENS. πορευθεῖσα profecta, prout Iesus iusserat (Iohan. 20. v. 17.) in itinere assumsit secum socias suas, quarum

quarum gratia Iesus iterum apparuit, vt possent simul omnes certissimum nuncium discipulis ferre. vide Matth. 28. v. 9. CVM EO IESV FVERANT. consueuerant versari, Apostolis cæterisque familiaribus. ET FLENTIBVS ob mortem Domini Iesu, ad hoc vt flere desinerent mortuum, quem suis ipsa oculis viderat viuum.

κἀκεῖνοι ἀκούσαντες, ὅτι ζῇ καὶ ἐθεάθη ὑπ' αὐτῆς, ἠπίστησαν. [11] Et illi audientes, quia viueret & visus esset ab ea, non crediderunt.

ET ILLI. Sed illi. QVIA pro quòd. NON CREDIDERVNT id verum esse, existimauerunt illam spectro aliquo fuisse delusam, sicut anteà non crediderant, angelos ab ea visos (Luc. 24. v. 11. 23.) Mirum est non fuisse memores prædictionis, ante mortem toties à Iesu repetitæ, cui consentanea erat narratio hæc mulierum: sed vt prædictionem illam non satis intellexerant, ita nec animis impresserant, & præsertim turbatis iam morte Iesu ac mœstis animis minùs occurrit.

μετὰ δὲ ταῦτα δυσὶν ἐξ αὐτῶν περιπατοῦσιν ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, πορευομένοις εἰς ἀγρόν. [12] Posthæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.

Luc. 24. v. 13. 15. 16.

POSTHÆC. eodem illo die, postquam Magdalenæ apparuerat. DVOBVS. Lucas expressit nomen vnius, quod fuit *Cleophas* (cap. 24. v. 18.) alterius nomen, Deo volente, remansit ignotum, quamuis Theophylactus in hunc locum scribens, *Lucam*; Epiphanius hæresi 23. Saturnili, *Nathanaelem*; Ambrosius capita 12. & 24. Lucæ enarrans, *Ammaonem*, vocent. EX HIS s. qui fuerant cum eo, Iesu; non ex eis quibus Magdalena nunciauerat Iesum à se visum: videntur enim hi duo foràs profecti, postquam audierant ex Magdalene, sepulchrum vacuum esse corpore Iesu, & angelos testari ipsum viuere, priusquam illa reuersa nunciaret, ipsum etiam Iesum sibi visum. Hoc enim intelligitur ex iis quæ duo isti referunt Luc. 24. v. 22. 23: *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos* &c. Siue autem fuerint hi duo ex 70. discipulis, quod Euthymius ait (nam Apostolos non fuisse, clarum est Luc. 24. v. 33.) siue ex aliis, familiares Iesu fuisse, vel ex hoc loco constat: quo docemur, quòd nō Apostolorum tantùm, sed & inferiorum discipulorū, magnam curam Dominus gesserit. AMBVLANTIBVS. inter ambulandum. ambulatio enim erat, cùm non procul abesset locus quò ibant, quod ex Luca constat. OSTENSVS EST. ἐφανερώθη manifestatus est, manifestauit, ostendit seipsum. IN ALIA, præditus alia; non reuera, sed prout ipsis videbatur. EFFIGIE. μορφῇ forma. *Hoc Lucas dicit, quòd eorum oculi tenebantur, ne eum agnoscerent*, ait Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 25 Non ergo effigiem formamque mutauit, aut varios induit vultus: sed similis sui manens, seruata ea effigie qua ante mortem præditus fuerat (quamuis, ex immortali & gloriosa corporis natura, illustrior illa reddita sit & pulchrior, vt in transfiguratione. vide Matth. 17. v. 2.) non permisit vt effigies illa sua integrè ferretur ad eorum oculos. Colores, lineamenta, gestus, ceteræque proprietates faciei reliquique corporis Iesu, ipso volente, secundùm aliquid immutarunt visum discipulorum istorum, secundùm aliquid non immutarunt: itaque alia apparuit eorum oculis effigies, quippe non repræsentata omni ex parte qualis erat. Mox enim alia apparet hominis effigies, si non omnia ab oculis videntis percipiantur: quemadmodum manifestè accidit, si longiùs absimus ab eo quem videmus. Eadem ratio est de voce & auribus. Lege quæ hac de re diximus Iohan. 20. v. 14. 15. vbi idem contigit Mariæ Magdalenæ. Ergo adfuit quidem his Iesus in propriâ effigie, sed eam non statim ostendit. IN VILLAM. εἰς ἀγρὸν in agrum. Quòd in villam, id est, domum rusticam, abierint, manifestum est; quia, quod Lucas narrat, Iesum coëgerunt in domū ingredi (cap. 24. v. 29.) quam Cleophæ ipsius domum fuisse, D. Hieronymus epistolæ 27. quæ est epitaphium Pauli, capite tertio docet. Certè quòd ad hospitium inuitarunt adeoque coëgerunt, non leue argumentum est eos domi fuisse. *Et agri nomine, non castella tantùm, verumetiam municipia & coloniæ solent vocari, extra ciuitatem, quæ caput & quasi mater est cæterarum*, ait Augustinus: quamuis, quòd in agrum iuisse Euangelista dicit, planiùs interpreteris rus abiisse. Loci quò hi tendebant nomen expressit Lucas, *Emmaus*: sed quia pagus hic erat, non procul distans à ciuitatate Ierosolymorum, Marcus dicit eos ambulasse rus: non obscurè & hoc significans, quòd non relinquendi sodalitij Apostolorum causa, quasi prorsus desperatis rebus, sed animi gratiâ aut alicuius negotij, nonnihil egressi sint ciuitate.

κἀκεῖνοι ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς· οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν. [13] Et illi euntes nunciauerunt cæteris: nec illis crediderunt.

Luc. 24. v. 33. 35.

ET ILLI quoque. Relinquit intelligendum Marcus, quòd licet primùm his se obtulerit Iesus alienâ effigie, posteà tamen se præbuerit eis videndum propriâ effigie: quod qua ratione acciderit, à Luca descriptum est, annotante hoc etiam D. Augustino, eo quem mox citauimus loco. EVNTES. ἀπελθόντες abeuntes. CÆTERIS. qui cum Iesu fuerant, congregatis & lugentibus ac flentibus. NEC ILLIS. sed nec illis. CREDIDERVNT multi eorum: nam alios credidisse, manifestum ex Luca est cap. 24. v. 34. 35. prout hoc etiam Augustinus annotat, eodem illo loco de consensu. Porrò quòd non crediderint multi, fuit, non quòd Domini resurrectionem haud desiderarent, sed quòd timerent vt verum esset quod maximè cupiebant. Monstratur itaque hîc, quòd discipuli Iesu, non leues & faciles fuerint ad credendum Iesu resurrectionem: vt nos eam ex illorum testimonio securiùs amplectamur. Quocirca hoc, vt D. Gregorius rectè ait initio homiliæ 29. in Euangelia, *non tam illorum infirmitas, quàm nostra futura firmitas fuit*, dum illis diu dubitantibus, resurrectio per multa argumenta monstrata est. Ergo, quamuis hi duo testes, initiò non perinde promouerint, postea tamen, aliis adminiculis testimonium eorum adiutum, iustum obtinuit fidei pondus.

Luc. 24. v. 36. Iohan. 20. v. 19.

Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.

14 ὕστερον ἀνακειμένοις αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα ἐφανερώθη, καὶ ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν, ὅτι τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον οὐκ ἐπίστευσαν.

NOVISSIME. ὕστερον tandem, denique. Comparatiuus græcè loco superlatiui positus est, ita vt rectè Interpres verterit *nouissime*, quod est, postremò. Postquam dixerat Euangelista, Iesum primò Magdalenæ apparuisse, posteà duobus discipulis: subiūxit, eum tandem, denique, siue postremò, apparuisse ipsis vndecim: vbi nihil aliud significatur, quàm ordo temporis inter ea quæ hactenus sunt commemorata. Non significatur hanc fuisse omnium postremam Domini apparitionem ante ascensionem, sed hanc post eas quæ hactenus narratæ sunt accidisse, & fortè etiam postremam fuisse eius diei, nempe primæ sabbati, quæ versu nono fuerat nominata: vt certè fuit postrema eius diei, quippe quę acciderit vesperi, initio noctis, postquam aduenerant duo illi, de quibus superiori versu actum est. vide Luc. 24. v. 36. & Iohan. 20. v. 19. Nam quinquies Dominum primo hoc die apparuisse, ex collatis Euangeliis fit manifestum; Primò Magdalenæ soli, secundò eidem cum reliquis mulieribus, tertiò Petro, quartò duobus illis discipulis Emmauntinis, quintò denique, & quidem serâ vesperâ, ipsi cœtui Apostolorum, quod hîc narratur. Quamuis enim his nunciari iussisset, vt videndi ipsius causa abirent in Galilæam: voluit tamen eo ipso quoque die eis, quorum maximè intererat resurrectionis veritatem nouisse (vt qui eius futuri essent per vniuersum terrarum orbem prædicatores) apparere non minùs quàm aliis: sed ideò aliis priùs, vt his maiori cum fructu appareret, quippe audito aliorum testimonio præparatis ad fidem, & excitatis ad similem Domini visionem, siquidem verè aliis acciderat, desiderandum atque exspectandum. Ergo hîc significatum est ab Euangelista, non, quòd hanc apparitionem alia non sit sequuta, sed quòd hæc sequuta sit alias hactenus narratas, & quidē vltima fuerit eius diei quo Dominus resurrexerat. Hæc interpretatio Euthymij est, quam & B. Augustinus priorem adfert lib. 3. de cons. Euang. cap. 25. RECVMBENTIBVS. ἀνακειμένοις accumbentibus, mensæ scilicet, id est, cænantibus, contigit enim hoc vesperi, initio noctis, quod diximus. Quidam præter propriam vocabuli significationem vertunt *sedentibus* aut *vna sedentibus*, eò quòd existiment tempus fuisse, non cænæ, sed profundæ noctis, quando Dominus his apparuit, idque ex aduentu discipulorum Emmauntinorum: quod quidem nos satis refellimus Luc. 24. v. 33. Eo igitur tempore his apparuit Dominus, quo, quia cænabant, omnes simul erant, & paratum habebant cibum cuius comestione Dominus veritatem suæ resurrectionis clariùs monstrare posset, prout fecisse intelligitur ex Luca: ex quo illud etiam colligi videtur, quòd Dominus, quamuis illis mensæ adhuc accumbentibus, tamen in fine cænæ apparuerit, iam non tam comedentibus, quàm confabulantibus cum duobus illis qui Emmaunte redierant. ILLIS VNDECIM. Non sunt hi ablatiui absolutè positi, vt loquuntur grammatici, sed datiui recti à verbo *apparuit*, id quod ex græco textu fit manifestum. αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα ipsis illis vndecim, id est, Apostolis, qui iam vndecim numero erant, Iuda perdito, ac proinde vocantur vndecim, quemadmodum anteà duodecim. Et quamquam iam abesset vnus, Thomas, quod constat ex Iohan. 20. v. 24., tamen vndecim illis apparuisse Iesus dicitur, quia apparuit collegio quod viris vndecim cōstabat, siue, vt Augustinus ait, *quia Apostolica societas hoc numero nuncupabatur, antequam Matthias in locum Iudæ subrogaretur.* Syrus *duodecim* scribit, quia duodecim numero fuerant, tametsi duo abessent: nam & 1. Cor. 15. v. 5. pleraq; græca exemplaria scribunt *Et quia visus est Cephæ, & post hoc duodecim,* pro eo quod nos legimus *vndecim.* Neque verò solis vndecim, id est, solis Apostolis, iam apparuit Iesus: aderant enim discipuli Emmauntini aliique vtriusque sexus, quod constat ex Luc. 24. v. 33. 36. Sed Apostoli soli à Marco exprimuntur, quòd propter ipsos præcipuè appareret Iesus, qui futuri erant cæterorum doctores, & quibus primis datur mandatum illud quod subiungitur v. 15: *Euntes in mundum* &c. APPARVIT. ἐφανερώθη manifestatus est, idque variis modis: non tantùm enim videndum se præbuit, sed & palpandum ac contrectandum, denique & comedit cum eis ac bibit. Luc. 24. v. 39. & seqq. ET postquam modis omnibus se eis reddidisset manifestum, manifestè inquam viuum. EXPROBRAVIT EIS. increpauit, quemadmodum illos Luc. 24. v. 25: *O stulti & tardi corde ad credendum* &c. idque ea causa, vt resurrectionis fides mentibus eorum firmiùs infigeretur. INCREDVLITATEM. Syrus exiguam fidem. DVRITIAM CORDIS. σκληροκαρδίαν duricordiam dicas, si vsus permitteret, quemadmodum misericordiam. Euthymius interpretatur impersuasibilitatem. Non damnatur voluntaria peruicacia aut obstinatio, sed tarditas nata ex stupore, quòd attoniti fidem resurrectionis Domini animis suis insculpi hactenus non permisissent. Nequaquam enim propositum illis fuerat, Magistri gloriam exstinguere, aut eum vanitatis arguere, sed adduci non poterant vt crederent, quod alioqui maximè desiderassent. EIS QVI VIDERANT. τοῖς θεασαμένοις eis qui spectarant, conspexerant. quod plus aliquid esse videtur. EVM RESVRREXISSE. αὐτὸν ἐγηγερμένον eum suscitatum, rediuiuum, postquam resurrexerat. nam & qui viderant eum viuum, cùm scirent anteà fuisse mortuum, viderant vtique eum resurrexisse. NON CREDIDERVNT. non credidissent, quamuis non vnus solus, sed plures numero fuissent, Maria Magdalene, cæteræque mulieres, Petrus, Cleophas vnà cum socio, & fortè etiam alij quos Scriptura tacuit. Quòd tot oculatis testibus non credidissent, toties etiā in vita huius resurrectionis præmoniti, meritò redarguuntur duræ incredulitatis; eo fine, vt duritia illa excussa, molli corde hauriant veritatem, scitu adeò necessariam. Cæterùm non tale incredulitatis crimen reprehenditur in illis, quale iam reprehenderetur in nobis, si Christi resurrectionem negaremus: longè enim alterius est culpæ, veritatem iam promulgatam & stabilitam atque receptam deserere, quàm cùm illa primùm promulgatur anteà inaudita, tardiorem esse in ea recipienda. Quocirca, quamuis mererentur reprehensionem, tamen non graue peccatum discipulorum fuisse crediderim; ideò potiùs non credentium, quòd rem ardentissimè

tissimè optarent, quàm quòd putarent impossibilem: certè, vt iam aliquoties diximus, nobis profuit illorum tarditas, ad hoc vt eorum prædicationem securiùs amplecteremur.

15 καὶ εἶπεν αὐτοῖς· πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει.	Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Matth. 28. v. 19.

ET DIXIT EIS eo tempore, à resurrectione sua. Non necessariò enim, continuũ cum iis quæ proximè antecedunt actum, significat: nam videtur illud in Galilęa dixisse, si consideres locum Matth. 28. v. 19., quod annotat Euthymius: quamquam Lucas narrare videatur, primo resurrectionis die, à Christo Domino Apostolis hoc indicatum, cap. 24. v. 47. Potuit Iesus, præcipuum hoc munus, sæpius Apostolis repetiuisse & inculcasse, primo die insinuasse, in monte Galilææ mandasse, die vltimo antequam ascenderet repetiuisse. EVNTES. πορευθέντες profecti. IN MVNDVM VNIVERSVM, quàm longè lateque patet, alius in vnam, alius in aliam regionem. Fieri non potuit vt Apostoli vniuersum absolutè orbem obirent: sed ita Apostolis loquitur, vt & adiutoribus ac successoribus eorum, quemadmodum diximus ad Matthæum. EVANGELIVM illud idem quod ego prædicaui, euangelium regni cælorum, cuius summam ex me audistis: *Impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini & credite euangelio*. suprà 1. v. 15. OMNI CREATVRÆ. omni homini quem Deus creauit, nullo discrimine, cuiuscumque nationis, generis, sexus, aut conditionis sit, Iudæus an Græcus, Romanus an Schyta, germanus an nothus, masculus an fœmina, seruus an liber, diues an pauper, bonus an malus, nemo excludatur, quem modò Deus crearit. Hactenus Deus Pater, vnam Iudæorum gentem hoc beneficio dignatus est, quasi non etiã reliquas gentes condidisset: iam decretum est ei, vt non Iudæis solis, sed omnibus prorsus hominibus, salutis nuncium promulgetur atque offeratur, vt sicut est omnium creator, ita & omnium se præstet saluatorem per me. Hæc est emphasis illius vocis *creaturæ*: quam explicat Paulus Galat. 3. v. 28. his verbis: *Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina*; & Petrus Act. 10. v. 34. 35. *In veritate comperi* &c. Reliqua huius versus exposita sunt Matth. 28. v. 19.

16 ὁ πιστεύσας καὶ ὁ βαπτισθεὶς σωθήσεται· ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται.	Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

QVI. id est, quicumque. CREDIDERIT s. euangelio à vobis prædicato, paratus scilicet illi obedire, ductusque pœnitentia vitæ anteactæ. Fides enim hîc intelligitur, non nuda, sed cum pœnitentiâ coniuncta, cum abrenunciatione inquam sathanæ & operum eius, qualis exigitur à baptizandis, & prædicari iubetur suprà 1. v. 15. ET BAPTIZATVS FVERIT eo baptismo quem ego institui; & fidem suam testatam fecerit accepto à vobis baptismo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Nam vt docere omnes gentes, ita & baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, iubentur Apostoli Matth. 28. v. 19. SALVVS ERIT. σωθήσεται, saluabitur, consequetur salutem. Hanc promissionem, inter cætera ad euangelium pertinentia, iubentur Apostoli prædicare, eaque allicere homines ad christianam fidem & sacramentum fidei baptismum, promissione inquam salutis. Prædicari vult Dominus Iesus, salutem hac ratione, fide inquam & baptismo, cuius licere consequi, nec aliam esse rationem eius consequendæ, ac proinde à salute alienos esse & perituros, quicumque hæc media non fuerint amplexi. Salutem autem intelligit, eam quam adfert regnum cælorum, quod alibi in hoc genere argumenti nominat: quæ quidem hac in mortali vita incipit, à remissione peccatorum, mentis renouatione, & virtutibus animi, perficitur autem in vita futura, Dei visione & animæ simul ac corporis omnimoda beatitudine: quemadmodum intelligere licet ex descriptione regni cælorum Matth. 3. v. 2. Hæc sola enim vera est hominis salus, nec est alia quæ salus dici mereatur: ad quam consequendam, duo requirit Dominus, quod diximus, fidem & baptismum. Fides necessaria est, quia & intellectum oportet illustrari cognitione saluatoris eorumque quæ ad salutem pertinent, & voluntatem à peccatis omnibusque sathanæ operibus quæ saluti aduersantur, conuerti ad Deum & Christum saluatorem: intelligitur enim fides cum pœnitentia coniuncta, quod mox dicebamus. Baptismus autem necessarius est, non tantùm quia præceptus, tamquam professio fidei ac testimonium gratiæ Dei (id quod impiè Caluinus docet) verumetiam vt causa & instrumentum, quo Saluator salutem operatur. Fides se habet ex parte nostra, tamquam præparatio nostri ad salutem: baptismus ex parte Saluatoris, efficientis salutem nostram. ita vtrumque salutis est causa, fides causa præparans, baptismus instrumentum causæ primæ, Christi & Dei: quomodo, hanc Saluatoris sententiam per se satis claram, catholica Ecclesia semper intellexit, suffragantibus aliis pluribus Scripturæ locis. Quare Euthymius græcus enarrator: *Non dixit, ait, qui solum crediderit, neque qui baptizatus fuerit tantum, sed vtrumque coniunxit, alterum enim sine altero non saluum facit hominem.* Et ante hunc Theophylactus: *Qui crediderit, & non sufficit hoc, sed & baptizatus fuerit: nam qui crediderit, baptizatus autem non fuerit, sed adhuc est catechumenus, non iam saluatus est*. Cui fides deest, salutem ille consequi non potest neque baptizari debet, quia qui, aut ignorat ea quæ necessaria sunt ad salutem consequendam, aut animo aduersus est à Saluatore, non est ille salutis capax: cui verò baptismus deest, & si fide cum pœnitentia coniuncta sit præditus & salutis capax, salutem tamen eiúsve arram nondum accepit. At cui vtrumque adest, ille proculdubio iam salutis initium accepit, remissionem inquam peccatorum, renouationem animi, & adoptionem in filium atque heredem Dei, accepturus eius perfectionem in altera vita. Sed hæc ita intelligenda sunt, vt vites triplicem errorem; Vnum Anabaptistarum, qui docent, pueros, qui præditi non sunt vsu rationis, non esse baptizandos, quòd careant fide: nam quòd his, vt non alio quàm alieno peccato infecti sunt, aliena fides succurrere possit, patrinorum videlicet ad baptismum eos offerentium, semper ab ipso initio

 Christi

Christi ecclesia intellexit. Credunt itaque & illi, quia fidem & pœnitentiam per verba gestantium profitentur, quod ait Augustinus lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 19: quamquam, hoc loco de adultis sermonem esse Saluatori, qui prædicationem euangelij intelligere possint, clarum esse videatur. Alter error est, ne ita necessarium putes esse baptismum, vt adultum qui fide sit præditus & baptismum desideret, neges posse saluari, *si sacramentum baptismi articulus necessitatis excludat*, vt loquitur Augustinus lib. 4. cōtra Donat. cap. 22. Non enim alligauit sacramentis gratiam aut potentiam suam Deus, qui sacramentis vtitur vt instrumentis, non necessariis, sed sponte consultoque electis, seruata facultate salutem hominum absque illis operandi, quando ipsi visum fuerit: quod tamen quia raro facit, & quidem numquam, si saltem desiderium sacramenti homini non adfuerit, idcircò generali regula vtrumque requirit & fidem & baptismum. Tertius error hîc cauendus est, ne quis existimet, eum qui fidem Christianam semel amplexus baptizatus fuerit, qualemcumque tandem à baptismo vitam ducat, saluum fore: nam quod hîc dicitur *saluus erit*, commodè intelligendum est, quantum scilicet est ex ea fide & baptismo; fides illa & baptismus valebunt illum saluare, nisi ipse aliunde impedimentum obiiciat, vt si, aut fidem ipsam, aut pœnitentiam quæ illi coniuncta fuerat, derelinquat, & rursus adhæreat sathanæ cui baptizandus abrenunciauerat. Quare Euthymius: *Saluus erit*, inquit, *modo fidem ac baptismum impolluta conseruauerit, aut post contractas sordes emundauerit ac purificauerit.* Solus enim ille *qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* QVI. quicumque. NON CREDIDERIT s. euangelio à vobis prædicato, aut si crediderit, non fuerit paratus illi obedire & vitæ anteactæ pœnitere. CONDEMNABITVR. non est quòd aliis rebus fidat, iudicabitur reus æternæ mortis atque extremorum suppliciorum, & quidem à Deo, ac proinde etiam eis afficietur. *Qui incredulus est Filio*, inquit Baptista, *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Iohan. 3. v. 36. Non solùm non erit saluus & peribit, vt cæteri hominum, qui euangelium numquam audierint, id est, non solùm non liberabitur à peccatis suis & animi vetustate hac in vita, & excidet Dei visione eritque miser tum anima tum corpore in altera: verumetiam, vt peccata sua hac in vita auxerit, vel eo ingratitudinis crimine, quòd oblatum sibi euangelium, per quod saluus fieri poterat, repulerit, ita in altera grauioribus addicetur tam corporis quàm animi suppliciis. Hic igitur significat Christus, rebelles, dum oblatam salutis gratiam respuunt grauiorem sibi damnationem accersere, nec iam communi tantùm humani generis interitu esse implicitos, sed etiam propriæ ingratitudinis pœnam manere eos, vt nihil ampliùs designarint, vt inquam euangelium eiusque prædicatores non fuerint persequuti. Igitur vt mox Christus salutis promissione homines iusserat ad fidem allici: ita hîc, ad terrēdos incredulos, grauis exitij denunciationem adiungit. Porrò quòd non repetat hîc *Qui verò non crediderit vel baptizatus non fuerit, condemnabitur*, facit vel quia vno expresso alterum relinquit intelligendum, ex priori sententiæ membro, vbi vtrumque coniunxerat: vel quia baptismus, non tam absolutæ necessitatis est quàm fides. Nam absque fide homo non est salutis capax: absque baptismo verò, potens est Deus salutem homini dare, & dat reipsa occurrente necessitatis articulo. Minimè verò ea est omissæ repetitionis ratio, quam hæreticus adfert, quòd baptismus, non salutis causa, sed testimonium tantummodo sit, ac proinde omissus non condemnet hominem.

Signa autē eos qui crediderint hęc [17] sequētur: in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis,	σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι ταῦτα παρακολουθήσει· ἐν τῷ ὀνόματί μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσι, γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς,

SIGNA id est miracula, quæ ita vocantur, non quòd signa sint certa fidei aut sanctimoniæ inhærentis ei per quem eduntur, sed quòd à Deo tamquam sigilla ac testimonia adhibeantur, ad signandam confirmandamque veritatem eam quam hominibus vult persuasam, quæ naturali ratione persuaderi non possit. Ne desperarent Apostoli, satisfieri à se posse iussis Domini, euangelium inquam, parùm per se probabile, cuius promissiones, vel non essent præsentes, vtpote futuræ vitæ, vel inuisibiles essent hominum oculis, qua parte præsentes essent, quippe animum tangentes, à se indoctis, pauperculis, & inermibus, omni creaturæ prædicari, & ex vniuerso mundo fideles colligi posse; promittit varia edenda miracula, quibus euangelium diuinitus approbatum & confirmatum multis persuadeatur, multique ad fidem illi adhibendam attrahantur. Quemadmodum ergo ipse in terra agens, prædicationem suam miraculis sancierat, ita nunc eandem virtutem in futurum tempus propagat, ne esset cur minorem fidem mundus Apostolis prædicantibus adhiberet, quàm ipsi Christo, possetq; intelligi, Christum à morte rediuiuum, in suis etiam superesse discipulis. Valet itaque hæc miraculorum promissio, partim ad excitandum studium Apostolorum, partim ad propagandum faciliùs euangelium: quasi dicat Apostolis Dominus: Ne vestra prædicatio apud mundum fide careat, adiungam signa ac miracula, quæ & prædicationem vestram confirment, & fidem atque auctoritatem toto in mundo vobis concilient: animosè itaque prædicando euangelio incumbite. EOS QVI CREDIDERINT euangelio à vobis prædicato, & baptizati scilicet fuerint: nam & hîc repetendum hoc relinquitur. Non enim catechumenis promittitur gratia signorum, illis præsertim qui baptismi susceptionem frustrà differant. Et quamquam non tam baptismi quàm confirmationis sacramento, quo dabatur Spiritus sanctus, gratia signorum sit adscribenda: tamen quia cum baptismo adultis confirmationem simul administrandam, quippe baptismi perfectionem, mens erat Saluatoris, idcircò sub baptismo etiam confirmatio venit intelligenda. Porrò quòd futuris discipulis suis, sub nomine credentium siue fidelium, promittit Christus signorum gratiam, est, quòd per fidem illi signa operaturi essent, quòd per fidem signa fiant, & secundùm rationem *mensuramq; fidei* à Deo diuidantur, sicut Apostolus loquitur Rom. 12. v. 3. Quare ipse Christus Matth. 17. v. 19: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Cæterùm non ad omnes & singulos fideles hæc promissio trahenda est, quasi hinc agnoscendi essent fideles, quòd pollerent gratia miraculorum (absit) verùm iis solis è numero fidelium pollicetur Christus hoc donum, quibus ipse hoc donum per spiritum suum gratis esset daturus, affirmans se semper aliquibus esse daturum, nunc pluribus, nunc paucioribus, prout ipsi visum foret. Sed quia totius ecclesiæ

foret,

foret, quod aliquibus dandum erat, quippe ad communem omnium vtilitatem dandum (*vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*. 1. Cor. 12. v. 7.) & quæ ab his miracula edenda erant, ad omniũ consolationem erant valitura, vtpote seruientia ad confirmationem euangelij, quod omnes essent amplexi, idcircò Christus meritò credentes indefinitè nominat. Vt porrò non omnibus iis qui credituri erant, dandum erat miraculorum donum, ita nec solis: nam illi qui ipsius Christi prædicationi iam antè crediderant, die pentecostes vnà cum Spiritu sancto acceperunt donum linguarũ. & inprimis Apostoli ipsi miraculorum potestate præ cęteris omnibus ornati fuerunt: sed illos hîc non nominat Christus, partim quia iam anteà illis dederat potestatem curandi infirmitates & eiiciendi dæmonia (quod, quod ad Apostolos quidem, constat suprà 3. v. 15., quod verò ad LXXII discipulos, Luc. 10. v. 9. 17. 19.) partim quia promittens miraculorum donum credituris, multo magis iis promittit qui iam crediderant, & quidem primi, quique cæterorum ad fidem futuri erant duces ac magistri. Certè facultate edendi miracula, nulli alij fideles fuerunt Apostolis comparandi. HÆC. aliaque huiusmodi: non enim omnia hîc enumerat. SEQVENTVR. παρακολουθήσει subsequentur. Non dicit *facient* aut *operabuntur* illi qui crediderint, sed *sequentur*, dans intelligendum, miracula non fore ipsorum qui crediderint, sed Dei ea operaturi, ad hoc vt alios doceat, illos esse veritatem amplexos: fore enim huiusmodi, quæ manifestè non ab alio quàm à Deo fiant. Est itaque sententia Christi, fideles, eiusdem virtutis, quæ priùs admirabilis in ipso fuerat fore ministros, vt, ipso licet absente, certa constet euangelij obsignatio. Nam & ante mortem suam sic promiserat Iohan. 14. v. 12: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado*. Cæterùm, vt diximus, non omnibus fidelibus promissam esse signorum gratiam, ita nec promissum est, signa eos semper & vbique sequutura, quandocumque ipsis visum fuerit, sed dumtaxat, cùm opus fuerit, quando res aut profectus euangelij exposcet signum, quando & vbi miracula necessaria erunt ad publicam propagandæ aut stabiliendæ fidei vtilitatem. tunc enim promittit, semper in ecclesia inter fideles fore, qui valebũt opportuna miracula edere. Quocirca, initio nascẽtis Ecclesiæ, sub Apostolis, cùm ageretur de promulgando orbi euangelio numquam anteà audito, & plurimi fidelium dono miraculorum à Domino aucti fuere, inprimis verò Apostoli, & innumera miracula eos sequuti sunt. Post Apostolos, Martyrum tempore, cùm palàm certaretur cum mundi principibus, de euangelio in mundum introducendo, non multò pauciores fuere, qui variis signis edendis valerent: hinc enim factum, vt pleraque omnia martyrum certamina miraculis plena fuerint. Post Martyres, euangelio iam regnante, radicato, ac florente, quippe prostratis plerisque omnibus eius aduersariis, rariores qui hac gratia pollerent, & rariora fuere miracula, quòd iam minùs opus esset miraculis, ad euangelium stabiliendum, quod vbique terrarum obtinuerat. Rectè enim D. Gregorius homilia edita in hunc euangelij locum: *Signa hæc necessaria in exordio ecclesiæ fuerunt: vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos cùm arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit*. Nam quid opus nouorum signorum multitudine, cùm priora signa suum consequuta essent effectum, toto orbe resplendentem, magisque quàm ipsa signa admirandum, mundi inquam subiugationem sub euangelicam fidem ac legem? Certè quod de linguis Apostolus dicit 1. Corint. 14. v. 22, de omnibus æquè miraculis dici potest: *Miracula in signum sunt, non fidelibus sed infidelibus*. Vbi nulli aut pauci infideles, vel iis qui esse possunt, satisfactum est si nollent obstinatè agere, miraculis non perinde est opus. Hæc causa est, ob quam, post martyres, quod dicebam, rariora fuerint miracula: rariora inquam, nulli enim sæculo sua defuerunt, secundùm diuinæ sapientiæ ordinatissimam moderationem, & Ecclesiæ siue necessitatem siue vtilitatem. Quare nec hodie miracula desunt, non solùm in regionibus illis nouis, ad quas euangelium transfertur, sed etiam in his nostris, à quibus, ob defectum fructus & frequentes hæreses, paulatim aufertur, proh dolor. Nam & nostro seculo locum habet, quod de suo scribit Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8: *Etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per sacramenta eius, siue per orationes vel memorias sanctorum eius: sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbique recitari, & memoria cunctorum inhærere populorum: hæc autem, vbicumque fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate, vel quocumque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit ciuitas: & quando alibi aliisq; narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, vt sine difficultate vel dubitatione credant, quamuis christianis fidelibus à fidelibus indicentur*. Huiusmodi suæ ætatis suæque prouinciæ plura miracula recitat eo loco Augustinus: alij aliarum ætatum regionumque collegerunt: ita vt ipsis oculis videre liceat, non soli primitiuæ, sed vniuersæ Ecclesiæ quamdiu staret, promissum hîc à Christo fuisse donum miraculorum, magis tamen minúsue, prout ad euangelij veræque doctrinæ confirmationem, magis minúsve necessarium, ipsius promissoris Christi iudicio, foret. Nec enim nos miracula, à verbo Dei, cuius illa sigilla ac testimonia sunt, separamus, quod Caluinus obiicit: sed, quandocumque miraculum à Deo editur, agnoscimus ad verbi confirmationem edi, nimirum, vt vel ethnici fidem christianam amplectantur, vel hæretici ad eam reducantur, vel christiani magis magisque in ea roborentur, certiusque constet, eam quam hæretici iam oppugnant fidem, conuenire cum ea quam Christus atque Apostoli tradiderunt, & similibus miraculis obsignatum: quamquam non sint cuiquam curiosè iam appetenda miracula, ad hoc vt sciat quænam germana sit fides, postquam sacræ Scripturæ diuinitus inspiratæ, & Ecclesiæ à Spiritu sancto gubernatæ, legitima omniumque seculorum vsu inueterata & corroborata auctoritas, ad hoc docendum præsto est. Caluinus contrà ac nos, probabile esse ait, non fuisse Christi hoc loco mẽtem, vt donum istud miraculorum, perpetuò in Ecclesia resideret, sed vt temporale dumtaxat esset donum; itaque non nisi ad tempus promitti miracula, quæ nouum & adhuc obscurum euangelium illustrarent. Quocirca, pleraque omnia post Apostolos facta miracula reiicit, vt signa regni Antichristi mendacia, & ab hominibus vel cupiditate vel ambitione ducti confiсta, ad hoc, vt signorum prætextu simplices à recta fide abducerent: nimirum, quia ipsius doctrina miraculis omnibus destituitur, quibus tamen longè maximè opus habebat, eò quòd noua esset, & à doctrina, superioribus omnibus seculis publicè in Christi Ecclesia recepta, prorsus dissentanea. Sed nihil mirum quòd miraculis illa destituatur, nec enim fieri potest, vt Deus approbet falsitatem, aut veritas mendacio adstipuletur. Signorum gratia dos est peculiaris, Ecclesiæ à Christo promissa, qua illa ab hæreticorum & infide-

infidelium omnium conuentibus distingui & internosci valet. IN NOMINE MEO. inuocato nomine meo, & virtute potestateque mea. vide Matth.7.v.22. DÆMONIA EIICIENT. Hoc miraculum Christo Domino familiare idcircò fuit, quòd ipse in hunc mundum eo fine venisset, vt diabolum debellaret, & expelleret hominum animis. NOVIS. id est, alienis, aliorum populorum, quas anteà neque nouerant neque didicerant vnquam; Dei dono acceptis, sine præceptore & exercitatione. Euthymius, *peregrinis, idiomatis aliarum gentium.* Lucas Act.2.v.4. *variis.* Hoc miraculum initio nascentis Ecclesiæ & frequens & necessarium fuit, ad hoc vt ab Apostolis cæterisque discipulis Iudæis, quibus vna vernacula Syrorum lingua per se cognita erat, euangelium per vniuersum terrarum vrbem ferretur & promulgaretur.

serpentes tollent, & si mortiferum[18] quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent & benè habebunt.

ὄφεις ἀροῦσι, κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει, ἐπὶ ἀρρώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι καὶ καλῶς ἕξουσι.

SERPENTES. id est, venenata noxiaq; animalia TOLLENT, auferent, ex iis locis quibus illa infesta erunt. Euthymius, *delebunt, occident, aut etiam in manibus absque periculo tenebunt,* quomodo Paulus Actor. 28. v.3.4.5. MORTIFERVM QVID. toxicum, cicutam. BIBERINT. non ad ostentationem, sed coacti ab euangelij persecutoribus. Narrat hoc ex Papia Eusebius lib.3.eccles.hist.cap.39. de Barsaba, qui cognominatus est Iustus. *Multi & venenum bibentes,* inquit Theophylactus, *per signaculum crucis illæsi conseruati sunt.* MANVS IMPONENT. Hac ceremonia, manuum inquam impositione, plerumque vsus est Christus, in sanandis ægrotis (vide Luc.4.v.40.) nec tamen hanc præscribit vt necessariam: nam sicut ipse frequenter solo iussu morbos fugauit, ita & eius discipuli in nomine ipsius. & quid dico iussu? etiam vmbra præsentiæ suæ, & absentes sudariis suis (Act.5.v.15.19.v.12.) vt Christus fimbria vestis suæ. Matt.9.v.20.14.v.36. Nec enim Christi mens est, omnem hîc modum exprimere quo miracula edenda sint, vt nec omnia miracula enumerare, & ne maxima quidem (vbi enim mortuorũ suscitatio, cuius exemplum exstat Act.9.v.40?) sed quædam magis crebra futura recensere ex multis. *Per dicta signa,* inquit Euthymius, *etiam ea innuit quæ prætermissa sunt: dixit enim in præcedentibus, quòd omnia possibilia sunt credenti.* Nimirum, vt liberalis ac magnificus promissor, plus præstitit Iesus quàm promiserat. Verùm non armauit suos facultate edendi terrifica miracula, quibus mundo terrorem incuterent, sed vtilia dumtaxat & benefica, qualia ipse prior ediderat, ita vt, non seueritate, sed beneficentia, mundum sibi conciliarent, & vtilibus miraculis testarentur salutem quam euangelium humano generi adferret. Quod postremum est, non promitit hîc Christus, singulis fidelibus quibus danda est gratia signorum, donandum vt omnia iam recensita signa queant edere, sed quòd vnum fidelium hoc signorum genus, alium aliud esset sequuturum: quamquam Apostolis datum fuisse videatur vt omnia possent. Testatur Paulus, diuisiones esse gratiarum, & alij quidem per Spiritum sanctum dari gratiam sanitatum, alij verò operationem virtutum, alij prophetiam, alij genera linguarum; nec omnes gratiam habere curationum, aut prophetare, aut linguis loqui. *Hæc enim omnia,* inquit, *operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* 1.Cor.12.v.4.9.11.29.30. Cæterùm ipsi corpori christianæ Ecclesiæ omnia promittuntur, sed ita vt per vnum membrorum suorum hoc possit, per aliud aliud.

Luc.24. v.51. Act.1. v.9.

Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumtus est in cælum, & sedet à dextris Dei.[19]

ὁ μὲν οὖν κύριος, μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ.

ET QVIDEM. ὁ μὲν οὖν Igitur. Aliud caput religionis nostræ attingit hîc Marcus, continens felicem clausulam totius itinerarij Filij Dei (quomodo loquitur D.Bernardus serm. de ascens. Do.) quò tandem, absolutis rebus omnibus in terra, peruenerit Dominus Iesus. DOMINVS. qui multis iam modis Deum ac dominum se esse declarauerat. POSTQVAM LOCVTVS EST EIS. s. vndecim ex versu 14. id est, postquam cum eis est collocutus, postquam eis dixisset quæ dicta voluerat & oportuerat à resurrectione. *Non enim ait, postquam hæc locutus est eis* (quod notat Augustinus lib.3.de cons. Euang.cap.25.) sed absolutè *postquam locutus est eis,* vt intelligatur, non tantùm de eis quę mox sunt ab isto euangelista recitata, sed & de cæteris omnibus quæ Iesus dixisse potuit à resurrectione, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei,* quod ait Lucas Act.1.v.3. Hæc expositio etiam Euthymij est. *Postquam ergo locutus est eis,* & perfecerat scilicet omnia in terra, quæ Pater ipsi iniunxerat, ad redimendum humanum genus. ASSVMTVS EST die à resurrectione quadragesimo, illis videntibus; *assumtus est* autem à Deo Patre vocante, & honoris causa angelos ei obuiam mittente. Quemadmodum suscitatus dicitur à Patre (Act.2.v.24.Rom.8.v.11.) tametsi se ipse sua virtute à morte suscitarit: sic assumtus dicitur à Patre, tametsi sua virtute ascenderit; virtute inquam diuinæ suæ naturæ, quæ vna est ei cum Patre. Nam quia hæc summæ potentiæ sunt, resurgere à morte & ascendere in cælum, idcircò Patri attribuuntur: præter hoc quòd familiare fuerit Iesu, Patri sua omnia adscribere, à quo acceperat ipsam etiam diuinam naturam. Cæterùm, secundùm humanam naturam ascendit atque assumtus est Iesus, non secundùm diuinam: diuina enim, quæ cælum & terram implet, moueri sursum deorsumve, ex vno loco in alium, non potest. Porrò sic virtute diuinæ suæ naturæ Iesus in cælum ascendit, vt etiam humanæ, cuius anima beata, per se valebat gloriosum corpus, dono agilitatis iam præditum, in cælum eleuare. Quòd ergo hîc *assumtus* dicitur, & Act.1.v.9. *eleuatus,* non ideò dicitur, quòd angelorum ministerio aut alterius opera indiguerit, ad hoc vt in cælum ascenderet (nam Act.1.v.11. dicitur iuisse in cælum) quemadmodum Elias curru igneo & equis igneis (4.Reg.2.v.11.) quamquam D.Augustinus (sermone 176. de tempore) agnoscat hîc insinuatum *militiæ cælestis obsequium,* quòd Iesus ascenderit comitatus turba, non solùm sanctorum patrum, quos è limbo eduxerat, verumetiam sanctorum angelorum cælestiumque potestatum:

ſtatum: non quòd illis opus habuerit, ſed quòd illi iuſſi à Deo Patre, condecorarint Domini aſcenſionem, & triumphum auxerint. IN CÆLVM. non aërium tantùm, vt Elias, ſed æthereum, quod ait Gregorius homilia 29., adeoque ſupremum, quod empyreum dicimus. *Elias quaſi in cælum* (inquit Theophylactus) *at ſaluator in cælum ipſum, præcurſor omnium aſcendit*. Symbolum Apoſtolorum dicit aſcendiſſe *ad cælos*, quia nimirum penetrauit omnes cęlos, ad eminentiſſimũ vſque, ſicut diximus. *Qui deſcendit*, inquit Apoſtolus Epheſ. 4. v. 10., *ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia*. Deſcenderat de cælis, vt homo fieret: eò igitur rediit vnde venerat, immo vnde non diſceſſerat. Porrò aſſumtus eſt ſiue aſcendit in cælum, tum ſua, tum fidelium ſuorum cauſa. Sua cauſa, quia vt corpori ipſius iam immortali & glorioſo, nòn congruebat locus iſte terrenæ atque obſcuræ habitationis, miſeriis, morti, corruptionique obnoxius, malorum denique bonis permixtorum peccatis contaminatus: ita ipſum perfunctum maximo cum labore, partibus ſaluatoris hominum, peracto iam curriculo myſticæ illius œconomiæ, decebat locus quietis, honoris, ac beatitudinis, ſplendidiſſimum inquam cælum: nec ſufficiebat vt à paucis quibuſdam, à quibus videretur, coleretur in terra, ſed vt aſſumtus in cælum, coleretur ab omni hominum natione quæ ſub cælo eſt. Aſcendit ergo in cælum, vt ſederet à dextris Dei, quod mox ſequitur: *vt vna cum adiuncta ſibi carne Patri aſſideret*, inquit Titus in fine commentarij in Lucam, *ſimulque regnum cum illo adminiſtraret*: vt præſentiore virtute cælum ac terram regeret, & efficaciam ſuam per omnes cæli & terræ fines faciliùs diffunderet: vt denique reipſa oſtenderet quod verbis affirmarat, cùm regnum ſuum non eſſe de hoc mundo (Iohan. 18. v. 36.) tum omnem ſibi poteſtatem datam in cælo & in terra (Matth. 28. v. 18.) Iam fideliũ cauſa aſcendit in cælum (quemadmodum enim hominum cauſa deſcenderat è cælo in terram, ita illorum quoque cauſa aſcendit è terra in cælum) vt corda eorum ſurſum ad ſe in cælum eleuaret, fidemque exerceret ſimul ac perficeret: vt ſpem illis adderet perueniendi in cælum, quò caput præceſſerat: vt obſeſſam à principibus tenebrarum viam cæli aperiret, & ianuam propter peccatum clauſam patefaceret: vt cæli ipſius poſſeſſionem hominum nomine reipſa acciperet, illata eò humana natura: vt Spiritum ſanctum è cælo mitteret ſuis (Iohan. 16. v. 7.) pignus cæleſtis hereditatis (Epheſ. 1. v. 14.) vt locum eis manſionemque in cælo pararet (Iohan. 14. v. 2. 3.) vt appareret vultui Dei & interpellaret pro nobis (Rom. 8. v. 34. Heb. 7. v. 25. & 9. v. 24.) vt denique, non paucis prodeſſet à quibus oculis conſpici poſſet in terra, ſed omnibus fidelibus, ex toto terrarum orbe colligendis, ex alto facilè ſubueniret, omnibus æquè propinquus & paratus. SEDET. ἐκάθισεν ſedit, quo modo & optima noſtra manuſcripta latina legunt, quod in Notis diximus. & ibi ſedit ſedetque. Vbi peruênit in cælum Dominus Ieſus, nõ eſt illic vltimo loco habitus, ſed eleuatus ſuper omnes angelorũ choros, in illo beatæ immortalitatis domicilio ſupremum locũ obtinuit, *& ſedet*, Deo Patre ipſum collocante, ac dicente: Sede à dextris meis.

A DEXTRIS DEI PATRIS, quo non eſt alius locus in cælo aut ſublimior aut honoratior. *Ad quẽ enim angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis* &c? *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus* &c? Heb. 1. v. 13. 15. & clariùs etiã Epheſ. 1. v. 20: *Suſcitans*, inquit, *illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem principatũ, & poteſtatem, & virtutẽ, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam*. Nec minùs clarè Philip. 2. v. 9: *Exaltauit illum, & donauit illi nomen*, &c. Quid ſit Chriſtum ſedere ad dexteram Dei, docuimus Matth. 22. v. 44. & 26. v. 64: ſed quæ iam produximus Apoſtoli loca, ſola ſatis id explicant, nempe, Deo Patri æqualem, naturâ, potentiâ, gloriâ, honore, imperio, dominari creaturis omnibus tam inuiſibilibus quàm viſibilibus, eaſque vnà cum Patre regere & gubernare. Licet enim obſeruare, quî Apoſtolus, illo ad Hebræos loco, ipſi *ſedere a dextris*, opponat τὸ *miniſtrare*, vt ſedere intelligas dominari, & Chriſto, vt Domino, Patri aſſidenti, angelos miniſtros adſtare: prout etiam 1. Cor. 15. v. 25. *ſedere a dextris Dei* exponit *regnare*. Nam quòd Stephanus Act. 7. v. 55. Chriſtum vidit *ſtantem a dextris Dei*, rectè D. Gregorius homilia 29. de aſcenſione interpretatus eſt, quòd Chriſtus Stephano videndum ſe exhibuit, vt paratum ad adiuuãdum & vnà cum ipſo pugnandum contra aduerſarios præſentes. *Quum dixit ſtare Filium*, inquit Euthymius, *non dixit ſedere Patrem, ne ex hoc intelligamus differentiam dignitatis: reſtat igitur vt & conſedere Patri dicatur, & ſimul cum eo ſtare*. Quamquam, ſi de corporeo ſitu agatur, ſtare potiùs Chriſtus corpore in cælo dicendus eſt, qui eſt naturalis hominis habitus, quàm ſedere, quod eſt infirmi, languidi, laſſi; vt contrà, ſtare, fortis, validi, & perfecti. Sed non eſt hîc ſermo de ſitu corporeo: Pater enim, incorporeus cùm ſit, non ſedet propriè, vt nec ſedes eſt quæ immenſum capere queat: & tamen filius ei aſſidere dicitur, & quidem ad dexteram, etſi ſimiliter nec dexteram habeat Pater nec ſiniſtram, qui totus ex omni parte eſt. Metaphorico igitur ſermone, ſedere Chriſtus dicitur, partim propter quietem, quòd poſt paſſionem, & longum mortalis vitæ laborem, redimendi hominum generis cauſâ exantlatum, quietè fruatur regno Patris, vt rex alta in throno ſuo fruens pace (ſic enim Heb. 12. v. 2. paſſioni ſeſſio iſthæc opponitur) partim propter dominium auctoritatemque iudicandi, regendi, ac gubernandi: regibus enim & iudicibus attribuitur ſeſſio, ſicut & Deo apparenti vt ſupremo Domino. Iſa. 6. v. 1. *Quod autem additur a dextris Dei, familiaritatem denotat, ac æqualem cum Patre honorem*, ait Euthymius. Metaphora ab eo ſumta eſt, quòd locus maximè honorificus ſit, ſedere à dextris regis, eius nimirum, qui regi & acceptiſſimus & familiariſſimus & proximus eſt, cum quo rex de rebus ſuis omnibus communicat, ex cuius conſilio regnum adminiſtrat, & cui regendi imperandique vices plerumque demandat. Et quidem licet in humanis, non continuò regi æqualis ſit, qui regi aſſideat à dextris: in diuinis tamen, nemo Deo aſſidere poteſt, qui Deus ipſe non ſit, nemo conſiliarius eſſe, aut ſenſum nouiſſe. Rom. 11. v. 34. Iſa. 40. v. 13. 14. Ieſum ergo ſedere à dextris Dei, eſt, euectum ſupra omnes creaturas, Patrique æqualem, beatè regnare ac dominari, & Patris regnum adminiſtrare, Patrem per eius manum mundum gubernare, & præſertim eccleſiam, ipſius ſanguine acquiſitam, ita vt coram eo, non minùs quàm coram Patre, flecti debeat omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Conſultò ergo addidit Marcus, Ieſum ſediſſe à dextris Dei, vt ſciamus, non receptum eſſe in cælum, ad hoc vt beatam quietem ſeorſum per ſe colat, nulla tactus rerum humanarum cura, ſed ad hoc, vt ita quieſcat, vt tamen vnà cum Deo Patre mundo præſideat in ſalutem omnium piorum, vt omnes tum cæleſtes tum terrenæ creaturæ manu eius regantur, nutum intueantur, virtuti ſubiiciantur, & ſuſpiciant eius non minùs quàm Patris maieſtatem. Porrò cùm præterito tempore Euangeliſta dicit, Dominum Ieſum ſediſſe à dextris Dei, mox vt aſſumtus erat in cælum, videtur quoque dicere,

dicere, cum anteà non sedisse à dextris Dei; non quòd anteà non fuerit Deo Patri æqualis, aut non gubernarit mundum vnà cum Patre, sed, partim quòd effectus huius sessionis nô anteà se diffuderit in humanam naturam (ante ascensionem enim, nihil aliud in terris ostendens, quàm eam quam acceperat formam serui, non gerebat se vt Patri æqualem) partim quòd non anteà prædicatum & orbi reuelatum fuerit, siue hoc, Deo esse Filium qui ei assideat à dextris, siue hoc, Iesum Christum Filium Dei Deo assidere à dextris. vide Matth. 22. v. 44. Iam vt Euangelista hoc præteriti temporis verbo *sedit*, non omnino excludit tempus præcedens, ita multo minùs excludit tempus futurum, sed significare vult, Iesum, simulatque assumtus fuisset in cælum, sine cunctatione, in suprema Dei Patris sede, vt sibi debita, fuisse collocatum (id enim reipsa probauit Iesus, misso paulò pòst è cælis Spiritu sancto in discipulos) relinquit autem intelligendum, permanere in ea quam acceperit sede (quis enim deturbaret è sede, quam Deo Patre dante obtinuisset?) præsertim cùm Psalmus 109., ad quem respicit, id pronunciet his verbis: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* quem interpretans Apostolus Heb. 10. v. 12; *In sempiternum*, inquit, *sedet in dextera Dei, de catero exspectans donec ponãtur inimici eius scabellum pedum eius.* Postremò operæpretium est hîc obseruare, quàm paucis Euangelista describat gloriam Iesu, vno verbo ascensionem eius absoluens, sicut & Lucas; qui ea quæ ad ignominiam & passionem Iesu pertinuerant, latè minutatimque descripserant: non quòd gloria minor fuerit quàm ignominia (multis enim gradibus illa maior hac est) sed vt sciamus, quòd hac in mortali vita, nos, in consideratione ignominiæ, & malorum tolerantia, magis exercere debeamus, quàm in appetitione gloriæ.

Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. 20

ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ, τοῦ κυρίου συνεργοῦντος, καὶ τὸν λόγον βεβαιοῦντος διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων. ἀμήν.

ILLI s. vndecim ex v. 14; adiuuantibus reliquis discipulis. *Illi* simulatque Spiritu sancto, à sedente in dextra Dei misso, baptizati, confirmati, & corroborati essent. PROFECTI post assumtionem Domini in cælum; in mundum vniuersum, vnus huc, alius aliò, prout iussi fuerant suprà v. 15. ἐξελθόντες *egressi* (quo modo est etiam syriacè) s. ædibus in quibus trepidè latuerant, id est, progressi audacter in publicũ, nixi hoc Domini iussu. Vel *egressi* s. Ierosolymis. Prędixerat enim Isaias cap. 2. v. 3: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*: prout iusserat etiam ipse Dominus, vt ab Ierosolymis inciperent. Luc. 24. v. 47. Act. 1. v. 8. PRÆDICAVERVNT s. euangelium ex v. 15., & quidem magno cum fructu *prædicauerunt*, plurimis adeoque innumeris ad fidem euangelij adductis. VBIQVE terrarum, non in Iudæa tantùm, sed vbiuis gentium, citra exceptionem, vbi potuerunt, nullo loci aut nationis discrimine; *ita vt in omnem terram exierit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, Paulo teste Rom. 10. v. 18. Et quamquam cùm Marcus hoc euangelium scriberet, anno circiter decimo ab ascensione Domini, nondũ Apostoli adeò latè propagarant euangelium: nihil tamen vetat, Marcum, prophetarum more hîc loqui, de re certò futura, tamquam præterita. vide Matth. 24. v. 14. DOMINO Iesu è cælis per Spiritum sanctum COOPERANTE συνεργοῦντος simul operante s. cum eis euangelium prædicantibus, idque tam in ipsis qui prædicabant, quàm in iis quibus prædicabant. ipsi & Dominus simul vbique operabantur: nam *sine me nihil potestis facere*, dixerat Ioh. 15. v. 5. vt certè frustrà arduum hoc opus fuissent aggressi, si Dominus non fuisset cooperatus. Ipsi prædicabant, Dominus suggerebat eis sermonem rectum (Ephes. 6. v. 19. Esther. 14. v. 13.) ipsi laborabant, Domini gratia cum illis (1. Cor. 15. v. 10:) ipsi huc illuc discursabant, Dominus per illos efficiebat vt euangelio omnia replerent (Rom. 15. v. 18. 19.) ipsi hostes euangelij debellabant, Dominus dabat eis os & sapientiam, cui non poterant aduersarij resistere (Luc. 21. v. 15.) ipsi auribus auditorum verbũ salutis foris annunciabant, Dominus intus corda aperiebat vt auditores intenderent eis quæ dicebantur (Act. 16. v. 14.) ipsi fidem Christi verbis suadebant, Dominus interiori inspiratione persuadebat & donabat (Ephes. 2. v. 8. 9.) ipsi plantabant & rigabant, Dominus incrementum dabat (1. Cor. 3. v. 6.) ipsi nulli non nationi verbum vitæ offerebant, Dominus ostium fidei gentibus aperiebat (Act. 14. v. 26.) ipsi denique persecutiones varias euangelij causa patiebantur, Dominus eos confortabat vt per eos prædicatio impleretur (2. Timoth. 4. v. 17.) Ita simul vbique operabantur, Dominus Iesus & Apostoli, hoc, vt euangelij prædicatio fructificaret: nihil Apostoli seorsum sine Iesu, nihil Iesus seorsum sine Apostolis; sed Iesus, vt pręcipuus auctor boni istius & heroici operis, Apostoli vt auctores minùs præcipui, iique sponte à Domino Iesu asciti; non, quod hæretici aiunt, vt organa seu instrumenta, quæ non alio motu aut mouentur aut mouent, quàm eo qui ipsis à causa principali impressus est: sed vt causæ minùs efficaces (nec enim insuetum est, vnius effectus plures esse causas) cum efficacissima causa concurrentes vnaque operantes: quemadmodum vbi duo equi, vnus fortior, alter infirmior, vnum simul currum trahunt. Sicut enim hîc, vterque equus currum trahit, etsi alter altero minùs efficaciter: ita licet Dominus potiùs, ambo tamen, Dominus & Apostolus Petrus, verbi gratia, operati sunt & effecerunt verbi prædicationem & conuersionem auditorum: non enim fuisset Dominus Petro cooperatus, si Petrus ex se nihil fuisset operatus, quia non dicitur artifex instrumento cooperari. Et obserua, non dici, Apostolos Domino cooperatos, sed, quod amplius est, Dominum ipsis cooperatum: non quod ipti priores aliquid sint operati, sed quòd ipsorum opus, quippe externum, priùs se manifestarit. SERMONEM. τὸν λόγον verbum, prædicationem eorum. CONFIRMANTE. verum & à Deo profectum esse ostendente. SEQVENTIBVS SIGNIS. διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων per subsequentia signa; subsequentia inquam sermonem illorum & aliorum fidem: per miracula, quæ tum ad illorum prædicationem, tum ad aliorum conuersionem, adiunxit, prout promiserat suprà v. 17. Intrinsecus cooperatus est Dominus, & cum Apostolis prædicantibus, & cum hominibus credẽtibus: hoc autem extrinsecus addidit, vt miracula coniungeret, quibus per Apostolos aliosque fideles editis, testatam omnibus faceret euangelij veritatem. *Sermo meus & prædicatio*

[illegible] *mea,*

mea, inquit Paulus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: contestante Deo, signis & portentis & variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem*. 1. Cor. 2. v. 4. Heb. 2. v. 4. His tribus, Apostolorum prædicatione, Dei inspiratione, & miraculis, duobus exterioribus, vno interiore, mundus ad Christi fidem conuersus est. Sufficere quidem poterant, Apostolorum prædicatio & inspiratio diuina, vt per hæc duo, absque miraculis, multi conuersi fuere: sed ad hoc iuuerunt pleroſque miracula, & hoc effecerunt, vt liberum illorum arbitriũ, Apostolorum prędicationi & Dei inspirationi faciliùs præberet assensum. Quum enim euangelium naturali intellectus lumine nequeat comprehendi, adeoque superet humanæ mentis captum: adhibitis miraculis, declarata est illius veritas, miraculis, id est, huiusmodi operibus, quæ ita subiecta & exposita essent hominũ oculis sensibusque, vt certò quoque constaret, non aliâ quàm diuina virtute edi fierique posse. nam cùm sit primum principium, nulli non per se notum, de quo nemo nisi amens dubitat, Deum esse veracem, nec mentiri posse: sequitur, eam doctrinam, quæ huiusmodi operibus, soli Deo possibilibus, confirmatur, à Deo proficisci, ac proinde veram esse, nec magis posse esse falsam, quàm Deus possit esse testis mendacij aut falsitatis. Miracula ergo adiunxit Dominus Iesus, vt confirmaret & veram esse monstraret Apostolorum doctrinam; vt ex miraculis de Apostolicæ doctrinæ veritate homines iudicarent. Atqui contrà Caluinus & Beza, ex doctrina iudicandum docét de miraculis. Operæpretium sit audire insulsam Bezæ annotationem in hunc locum. *Ex significatione*, inquit, *huius vocabuli (subsequentia) obseruandum est, oportere cum signis semper coniungere doctrinam, & ita quidem, vt huic priores partes tribuamus, cui scilicet confirmandæ illa adhibeantur: vt si falsa est doctrina, idem quoque de signis & prodigiis ipsis statuamus*. Cum signis semper oportere actu coniunctam esse doctrinam, falsum est: nec hoc habet significatio vocis *sequentibus*, aut locus iste. Suprà v. 17. Christus ait, signa sequutura, non prædicantes, sed eos qui prædicationi crediderint: & quænam ista consecutio est, Apostolorum prædicatio confirmata est sequentibus signis, ergo necessum est vt signa prædicationi semper coniuncta sint, ita vt vera signa non sint, si seorsum edantur à verbi prædicatione? huc enim respiciunt, vt sugillent signa, quæ olim hodieque ad memorias sanctorum fiunt. Apostoli signa ediderunt, non semper eo momento quo euangelium prædicabant, sed eo quo opportunitas se offerebat: sic prophetæ quoque passim, sic Iesus ipse Dominus. Et quis est qui Deo statuat modum, vt signa in hunc solum finem edat, vt euangelicam doctrinam confirmet, nec possit in alios fines, vt vel glorificet aliquos, vel his benefaciat, vel alios terreat: quorum exempla nõ difficile foret ex Scripturis proferre. Cæterùm, esto, referantur signa omnia ad doctrinam, vt finem vltimum, prout illud declarauimus suprà v. 17: sed vnà cum doctrina semper esse coniuncta, non est admittendum. Iam, priores partes doctrinæ tribuendas esse, extra controuersiam est (signa enim propter doctrinam eduntur, non doctrina propter signa profertur) sed eas partes obtinere doctrinam, vt ex doctrina de signis statuendum sit, euangelio, & huic nominatim euangelij loco, repugnat. Vt confirmaret, id est, à Deo profectam esse monstraret, Apostolorum doctrinam, adiunxit Dominus Iesus signa siue miracula: habuit enim signa tamquam clariora, & eiusmodi de quibus clariùs certiusque constaret quòd à Deo essent profecta, quàm constaret de doctrina (vti reuera constat, nihil enim confirmatur, nisi per id quod notius est) isti verò contrariâ prorsus ratione, tamquam doctrina clarior sit miraculis, ex doctrina statui volunt de miraculis. Ita inuertunt & peruertunt diuina omnia: & vt tenebras hominibus offundant, contemtis à Deo datis indiciis, reuocant omnia ad principia obscuriora, vbi ipsi tutiùs mentiri & fallere possint. Nam quia caret ipsorum doctrina miraculis, eò quòd, falsa cùm sit, nullam queat à Deo impetrare confirmationem: ne hac parte videantur catholicis inferiores, quorum doctrinam frequentibus Deus miraculis confirmat, docent, ex doctrina de miraculis statuendum, vt hac ratione, quæuis miracula, quantumuis euidentia, audaciùs reiiciant. Atqui nos, iuxta euangelium, ex miraculis statuimus de doctrina: vt, sanctos cum Christo regnantes rectè à fidelibus inuocari & honorari, docemus ex miraculis, hanc doctrinam actionemque tum olim tum hodie frequentissimè subsecutis. Et tam firmum est hoc argumentum, quàm initio nascentis ecclesiæ firmum erat, rectè facere qui in Christum crederent, ob subsequentia miracula: nisi docere queant, hæc quidem miracula, id est, à Deo profecta fuisse; illa verò, non miracula, sed aut præstigias esse dæmonum, aut fraudulentorum hominum dolos. id quod certè non persuadebunt, iis qui miraculorum illorum vtilitatem & sinceritatem experientiâ non minùs perceperunt, quàm illi de quibus narrat historia euangelica. Postremùm quod ad hoc euangelium anotandum est, suggerit V. Beda, Marcum, qui à prædicatione Iohannis Baptistæ præcursoris Domini Iesu, euangelicam historiam exorsus fuerat, finire in prædicatione Apostolorum Domini Iesu: horum enim & illius prædicatio eadem de re fuit, de Christo, pœnitentia, & regno cælorum. Coronidis loco græcè additur ἀμήν, quemadmodum ad Matthæum: sed quod hîc, tam syriacè quàm latinè, omittitur.

FINIS EVANGELII SECVNDVM MARCVM.

FRANCISCI LVCAE BRVGENSIS DECANI AVDOMAROPOLITANI IN SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM COMMENTARIVS,

Iis præsertim locis, quæ sunt huic cum cæteris Euangelistis communia.

Euangelium secundùm Lucam. Εὐαγγέλιον κατὰ λουκᾶν.

EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM. id est, historia euangelica, prout à Luca descripta est. vide Matth. 1. v. 1. Lucas natione Syrus, oriundus Antiochia, Syriæ metropoli, quæ in veteris testamenti libris *Reblatha* (4. Regum 25. v. 6. 21.) & *Emath magna* (Amos 6. v. 2.) appellatur, *græci sermonis non ignarus*) (quod ait Hieronymus in catalogo scriptorum eccles.) medicus arte fuit. Is inter multos alios Antiochenos lucrifactus Christo (illic enim discipuli, cùm in maximum numerum excreuissent, primùm nominati fuêre Christiani, vt legitur Act. 11. v. 26.) discipulus Pauli Apostoli euasit, & comes magna ex parte peregrinationis eius. Euangelium hoc scripsit Græcis græcè, anno circiter 15. à Domini ascensione, dum ageret vnà cum Paulo in Achaiæ & Bœotiæ partibus, quod præfatione in Euangelium Matthæi notat Hieronymus; consilio haud dubium & hortatu Pauli, occasione autem pseudapostolorum illorum, quorum meminit Paulus in epistolis suis, præsertim posteriore ad Corinthios, qui in illis Græciæ regionibus, multas de Christo fabulas, genealogias, & quæstiones stultas (Tit. 1. v. 10. 11. 14. & 3. v. 9.) à se confictas, disseminauerant, non verbo solùm, verumetiam scripto, quod ipsa Lucæ præfatio dat intelligendum. Ipse igitur Lucas, assequutus omnia à principio diligenter, ab iis qui ipsi viderant & ministri fuerant sermonis, verissimum hoc & diuinissimum euangelium edidit, Paulo approbante.

CAPVT PRIMVM.

Quoniam quidem multi conati [1] sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum,

ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν, περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων,

QVONIAM QVIDEM. ἐπειδήπερ quandoquidem. non tam causa quàm occasio significatur. *Cæteri Euangelistæ*, ait Titus Bostrorum Episcopus, *ab ipsis statim rebus initium faciunt: Lucas verò breue præmittit exordium.* MVLTI. Loquitur Lucas de iis qui ante se scripserant historiam euangelicam: non tamen intelligit Matthæum & Marcum, (quos haud dubium est priùs Luca scripsisse, quamuis nouus Beza reclamet) quia Matthæus quidem, non vt tradiderant qui viderant, sed vt ipsemet viderat, scripserat, idque Hebræis hebraicè: Marcus verò longè positus Romæ, Latinis latinè scripserat (vt multorum opinio est) neutrius verò adhuc exstabant in Græcia exemplaria, præsertim græcè translata. Illos igitur, vt adhuc ignotos Græcis, apud quos ipse versabatur, præterit: eos verò intelligit, qui his in partibus græcè iam scripserant, nempe pseudapostolos, hoc est, eos à quibus scripta euangelia, neutiquam probata Christi Ecclesiæ fuerunt. Feruntur huiusmodi multa euangelia, quæ veteres memorant; secundùm Thomam, Matthiam, duodecim; secundùm Hebræos, Nazaræos, Ægyptios; secundùm Nicodemum, Basilidem, Apellem, Cerinthum, Merinthum. Sed vt Basilides, Apelles, Cerinthus, & Merinthus, Luca posteriores fuerunt: ita quænam aliorum ante Lucæ euangelium scripta fuerint, manet incertum; certum verò, nonnulla scripta fuisse, & quidem plura vno, de quorum auctoribus Lucas hîc loquitur, vt est concors Veterum sententia. Liceret coniicere, illa fuisse, quæ Apostolorum nomina falsò præ se ferebant, Thomæ, Matthiæ, duodecim, quod diximus: ita vt hâc etiam ob causam, auctores illorum, pseudapostoli sint dicti Paulo. CONATI SVNT. ἐπεχείρησαν in manus sumserunt, quod latinè, metaphora à pedibus sumta, dicitur *aggressi sunt*; nec malè Interpres *conati sunt*. Syrus *voluerunt*.

Non

Non dicit Euangelista, quòd temerè aggressi sint, aut conati, quod non præstiterint (nec ea est vis verborum, quæ in laude non minùs quàm in vitio ponuntur) rectè tamen id intelligunt Patres & græci & latini, ex circumstantiis. ORDINARE. ordine digerere. ἀνατάξασθαι pro συντάξασθαι componere, conficere, contexere. Syrus *scribere*. NARRATIONEM. historiam. QUÆ. earum quæ. IN NOBIS Christianis. inter seu apud nos Christianos. COMPLETÆ SUNT. certò creditæ firmiterque receptæ sunt. πεπληροφορημένων quæ prorsus certificatæ seu (vt ita dicam) certioratæ sunt, quarum plena fides facta est, quæ plenissimæ certissimæque sunt fidei. *Nam vno verbo latinus sermo non explicat*, quod annotat Interpres Origenis homilia prima in Lucam. πληροφορεῖσθαι ad personam relatum, est ita certiorem de re aliqua fieri, vt nulla restet dubitatio ad rem relatum, significat, ita certis testimoniis esse comprobatam, vt de ea ambigi non possit, nec vllis amplius probationibus sit opus. Ad personam refertur Rom. 4. v. 21. πληροφορηθεὶς, quod Interpres vertit *plenissime sciens*, id est, certissimè persuasus & credens: hîc πεπληροφορημένων ad res relatum, transfert *completa sunt*, quod interpretari oportet vt diximus, certò creditæ firmiterque receptæ sunt, quas plenè scimus, sumusque persuasi. Hanc interpretationem indicat Ambrosius, dum ait in hunc locum scribens: *Fundatus in petra, & qui omnem fidei sumserit plenitudinem, firmamentumq; constantiæ, rectè dicit, quæ in nobis completa sunt rerum*. Interpres Latinus ex Syro vertit *in quibus nos contenti acquiescimus*: syriaca enim radix ܦܝܣ *paies*, contentum reddere & persuadere significat: hinc verbale nomen ܦܝܣܐ *peiaso*, certitudinem declarat, & persuasionem certam, cui omnino acquiescit mens fidelis. RERUM. Quæ sint illæ res, certissimæ inter Christianos fidei, non exprimit Lucas; tametsi hoc libri sui sit argumentum; quòd Theophilus & quiuis alius Christianus lector, facilè intellecturus esset, esse mysteria redemtionis humanæ à Iesu Christo peractæ, capita factorum & dictorum Iesu Christi. Hæc cùm docti essent Christiani omnes, conati sunt multi, contextis historiis, distinctè particularimque narrare.

καθὼς παρέδωσαν ἡμῖν, οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου· [2]

sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis:

SICUT TRADIDERUNT. Versiculum hunc quidam ad sequentem referunt, sed meliùs alij iungunt præcedenti, relatum, vel ad *ordinare narrationem*, vel ad *completa sunt*, vel potiùs ad vtrumque, ita vt priùs quidem significetur, quas res illi conati fuerint describere, eas nimirum quas tradiderant Apostoli; deinde verò insinuetur, quare res illæ Christianis completæ, id est, persuasissimæ certissimæque sint, quia nimirum ab iis qui viderant & ministri fuerant sermonis traditæ. *Sicut tradiderunt*. Multi conati sunt texere historiam rerum fidei nostræ, sicut traditæ sunt ab Apostolis &c. Nam quamquam non ita narrassent eas, vt Apostoli tradiderant: hoc tamen polliciti & professi fuerant, scribi à se historiam euangelicam, prout eam ab Apostolis aliisque qui viderant acceperant. TRADIDERUNT viua voce, partim prædicando, partim catechizando. Nota, traditionem euangelij, scripturâ euangelij priorem esse, Euangelista doctore; & res euangelicas, antequam scripto committerentur, non minoris certitudinis fuisse, quàm pòst. Vnde sequitur, non ideò fuisse scripto traditas, vt fidem mererentur certiorem, sed vt certitudo earum voce accepta, in scripto recognosceretur, quemadmodum mox ait Euangelista v. 4. Ecclesia, hoc est, Ecclesiæ præpositi, *ministri sermonis* (vt hîc loquitur Lucas) *pastores & doctores* (vt loquitur Paulus Ephes. 4. v. 11.) seruat euangelium verbumque Dei inuiolatum, quod in Scriptura sacra agnoscitur. NOBIS. Lucas omnesque eius æquales Christiani, didicerant euangelium ab Apostolis & discipulis qui Iesu Christo inter mortales agenti adhæserant. AB INITIO s. ostensionis Christi ad Israel (Luc. 1. v. 80.) *incipientis à baptismate Iohannis vsque in diem qua assumtus est*. Act. 1. v. 22. IPSI VIDERUNT. græcè vox vna legitur, eaque nomen, αὐτόπται spectatores, subaudito ex sequentibus verbo *fuerunt*. Significanter autem interpres reddidit *ipsi viderunt*, tamquam suis oculis, quos testes oculatos vocamus. *Viderunt* autem, res illas completas, siue plenissimè creditas; seu spectatores fuerunt τῶν πραγμάτων illarum rerum (quomodo Titus Bostrenus explicat) quamquam situs græcarum vocum potiùs exigat, vt vnus genitiuus λόγου *sermonis* qui sequitur æqualiter regatur à duobus nominatiuis αὐτόπται & ὑπηρέται *spectatores* & *ministri*, latineque ad verbum *viderunt*, ex eo quod sequitur subaudiatur *sermonem*. Quod si ita est, cùm genitiuus ille λόγου *sermonis* seu *verbi*, verisimillima interpretatione accipiatur pro verbo Dei siue doctrina euangelica (sic enim frequenter Lucas in Actis, vocabulo *verbum* absolutè posito, vtitur pro verbo Dei siue Euangelij, κατ' ἐξοχὴν Act. 10. v. 44. 11. v. 19. 17. v. 11. 18. v. 5. &c.) intelligendum, eosdem diuersis modis diuersisque temporibus, fuisse, & spectatores verbi, & ministros verbi. Spectatores quidem, quòd adfuissent Christo docenti, prædicanti, & ea omnia agenti, quæ verbum Dei siue doctrina euangelica annunciat mortalibus, & ad fidem pertinent christianam: eaque omnia suis & oculis & auribus hausissent (sub visu enim cæteri sensus comprehenduntur) quo modo præfatur gloriaturque Iohannes Apostolus 1. epistolæ 1. v. 1.: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt de verbo vitæ; quod, inquam, vidimus & audiuimus, annunciamus vobis*. Ministri verò *sermonis* siue *verbi* fuerunt, quia diuinitus eis data fuit cura ministrandi prædicandique verbum Dei; idque etiam *ab initio*, quia à Christo ipso in terris agente, ad ministrandum ac promulgandum Dei verbum, siue euangelicam doctrinam, instituti, nominati, destinati, & emissi sunt. In hunc sensum Titus, ministros verbi dici posse docet, quia *doctrinæ quam Saluator prædeminauerat, subseruierunt*. Quò facit, quòd Paulus Lucæ præceptor, consueuerit prædicatores euangelij vocare ministros euangelij (Ephes. 3. v. 7. Coloss. 1. v. 23. 1. Thess. 3. v. 2.) vt ipse Lucas prædicationem euangelij appellat ministerium verbi. Act. 6. v. 4. quamquam his locis vox διάκονος potiùs legatur quàm ὑπηρέτης, sed parua aut nulla est inter vtramque differentia. Fuerunt igitur spectatores verbi, qui non fuerunt ministri verbi, vt mulieres complures, & inter alias Deipara virgo: sed vtroque munere clari fuerunt Apostoli XII & LXXII discipuli, quibus annumerandi sunt alij nonnulli, quos, mox vt Spiritum sanctum acceperant, Apostoli ad officium euangelij prædicandi ordinarunt, sumtos ex numero eorum qui cum Apostolis *congregati fuerant in omni tempore, quo intrauerat & exiuerat inter eos Dominus*

tem in exsilium missus est,& ad gubernādam ditionem ipsius in prouinciam iam redactam,Coponius quidam,eques Romanus,est amandatus. cui Romam reuerso successit M. Ambiuius, huic Annius Rufus, quo præside Augustus mortuus est. Tiberius successor, in locum Annij Rufi mox surrogauit Valerium Gratum: cui,cùm annis vndecim eum Iudææ magistratum gessisset,suffecit Pontium Pilatum,qui eadē in functione permansit annis decem,& quarto anno vidit prędicantes Iohannem & Iesum. Hæc intelliguntur ex Iosephi Antiquitatibus,lib. 18.cap.1.3.& Eusebij historia ecclesiastica lib. 1. cap. 11. TETRARCHA existente. τετραρχοῦντος tetrarcham agente. De Tetrarchę nomine & principatu vide Matth. 14.v.1.& 9. HERODE Antipa, altero filio Herodis magni. hic enim testamento patris & Cæsaris dono fuit tetrarcha Galilææ & Perææ. PHILIPPO tertio filio magni Herodis. FRATRE EIVS non tamen germano: Herodes enim matre Samaritide, Philippus Ierosolymitana natus est. Iosephus Antiq. lib. 17. cap. 1. ITVRÆÆ. Ituræa, Regio est, à Iethur filio Ismaëlis accepto nomine(Gen. 25.v.15. 1.Paral. 5. v.19.)montosa ac nemorosa, iuxta radices montis Libani in longum porrecta Occidentem versus ad montes vsque Sidoniorum & Tyriorum, initio sumto à finibus Paneadis siue Cæsaræa, quæ & ipsa huius Philippi fuit. Ituræam Iudææ regno olim adiecerat Rex Aristobulus. Ioseph. lib. 13. Antiq. cap. 19. TRACHONITIDIS. Ituræa citra, Trachonitis sita fuit vltra Iordanem, quę incipiens à monte Libano vsque ad Tiberiadi proximum lacum panditur. Ioseph. l. 3. de bello. cap. 2. Appellata est autem Trachonitis, quòd saxosa & aspera sit: τραχὼν enim græcis locum saxosum significat. Hanc, cum vicinis, Auranitide, Paneade, & Ituræa ab occasu, & Batanæa ab ortu, Cæsar Augustus Herodis regno adiecerat, postquam Cæsaræam Palestinæ ille in Cæsaris honorem ædificasset, teste Iosepho lib. 15. Antiq. cap. 13. Quare Philippo Herodis filio, hereditatis loco assignata est ea portio, qua auctum fuerat patris regnum: non solius enim Trachonitidis & Ituræ tetrarcham fuisse, sed & Batanææ & Auranitidis & Paneadis, quam ipse à se excultam appellauit Cæsaream Philippi (vide Matth. 16. v. 13.) Iosephi testimonio constat. lib. 17. Antiq. cap. 10. 13. LYSANIA. Non hic Herodis filius fuit, sed nescio quis alius ex genere Dynastarum Chalcidis, cuius meminit Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 13., vbi ait, *Lysaniæ ditionem à Zenodoro conductam fuisse.* ABILINÆ regionis, sic dicta ab Abila ciuitate, sita inter Libanum & Antilibanum, Ptolomæo dicta *Lysanium*: de qua Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 8., loquens de Caio, successore Tiberij, honorante Agrippam: *Tetrarchia*, inquit, *quæ fuerat Philippi, regem constituit, adiecta Lysaniæ quoque tetrarchia*; & lib. 19. cap. 4. de Claudio Caij successore: *Abilam*, ait, *& finitimam eius ditionem in Libano, quæ Lysaniæ fuerat,* (Agrippæ) *adiunxit de suo.* Notat itaque Euangelista nomina eorum per quos in illa Syriæ prouincia illo tempore publicæ res gerebantur, vt quos præconij eius quod mox exponetur oporteat minimè inscios fuisse. In tanta autem Iudaici regni scissura, quanta hic describitur, dominantibus vbique alienigenis, opportunus erat Christi natiui Regis aduentus.

sub principibus sacerdotum Anna & [2] Caipha; factum est verbum Domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto.	ἐπ' ἀρχιερέων ἄννα καὶ καιάφα, ἐγένετο ῥῆμα θεοῦ ἐπὶ ἰωάννην τὸν τοῦ ζαχαρίου υἱὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ.

SVB PRINCIPIBVS SACERDOTVM. ἐπ' ἀρχιερέων sub pontificibus ANNA ET CAIPHA. *Anna* filio Sethi, & Iosepho cognominato *Caipha*. A prima Dei institutione hoc semper habuit Iudæorum consuetudo, vt vnus ipsis esset summus pontifex: & quamquam, vbi sub potestatem externorū Regum sunt redacti Iudæi, viuentibus pontificibus alij aliis frequenter sunt subrogati, quod contra Dei institutionem erat (lege Iosephum lib. 15. Antiq. cap. 3.) numquam tamen pontifices bini simul rem sacram administrarunt: id quod, cùm ex aliis, tum ex Iosepho est manifestum: ex quo etiam illud discimus, vnū solum Iosephum Caipham, hoc anno & pluribus subsequentibus, pontificatu functum, dono Valerij Grati Iudææ præsidis. lib. 18. Antiq. cap. 3. Pilatus enim pontificem, quem inuenit, non mutauit. Quòd ergo Euangelista cum Caipha etiam Annam nominat, non ita intelligendum est, quasi Annas & Caiphas simul pontificatum gesserint: sed facit illud primùm, quòd Annas, pontifex aliquando cùm fuisset, pontificis retinuerit nomen, quemadmodum apud nos Episcopi reseruat nomen qui Episcopatum dimiserit. lege Iosephi vigesimum de Antiquitatibus & quartum de bello, & videbis passim ab eo vocari pontifices, eos qui pontifices, non quidem iam erant, sed aliquando fuerant, & nominatim Annam siue Ananum; vt certè ea dignitas, ex prima origine, debuerat, ei qui semel electus esset, mansisse perpetua vsque ad mortem. Deinde quòd Caiphas Annæ deferret plurimum, quippe socero (Ioh. 18. v. 13.) & in honore præcessori; ac proinde, absque illius consilio nihil gerens, videretur non tam solus quàm vnà cum Anna præesse. Demum quòd Annas, cùm pluribus ipse annis pontificatum gessisset, paulò pòst filium suum Eleazarum, nunc etiam generum Caipham, successores sortitus, cùm ob hæc, tum ob virtutem, consilium, & eloquentiam, quæ in eo Iosephus mirè laudat lib. 4. de bello cap. vltimo, maximo in pretio apud Iudæos fuerit, ita vt pluris etiam fieret quàm ipse pontifex: qua de causa, & ante pontificem ipsum ab Euangelista nominatur, cùm hîc tum Act. 4. v. 6. Immo & quatuor alios filios suos ille posteà summos pontifices vidit. Fuerat ipse primus, summus pontifex designatus à Quirino Syriæ proconsule (Antiq. lib. 18. c. 3.) posteà amotus à Valerio Grato Iudææ præside, successorem habuit, intercedente Ismaële Fabi filio, Eleazarum filium suum (Antiq. ibidem) deinde, alio quodam intercedente, Caipham generum suum (Antiq. ibidem) annis sedentem pluribus, saltem quamdiu Pilatus præfuit. Caiphæ Annæ genero, successit tandem Ionathas Annæ filius, & mox Theophilus alius eiusdem filius; paulò pòst, intermedio Simone Boëthi filio, Matthias, quartus filius; denique aliis quinque mediis, Annas patri homonymus, interfector Iacobi fratris Domini, de quo sic Iosephi Antiquitates lib. 20. cap. 8: *Rex* (Agrippa) *Iosepho* (Cabo) *iusso vitam priuatam agere, sacerdotium eius dedit Anani filio, & ipsi vocato Anano, eodē quo pater nomine. Seniorem istum Ananum aiunt fuisse omnium felicissimum, vt qui filios habuerit quinque, omnes potitos summo Dei pontificio, cùm prius ipse ad satietatem hac dignitate esset perfunctus: quod ad eam ætatem nulli antè summorum pontificum contigerat.* Hæc Iosephus. Hinc igitur luce meridiana clarius fit, cur Caiphæ pontifici adiungatur Annas tamquam alter pontifex, adeoque præponatur. FACTVM EST VERBVM DOMINI. loquutus est Dominus. Phrasis prophetis

phetis familiaris, qua significãt se missos à Deo: quam imitatus Euangelista, docet, non sponte sua prosiliisse Iohannem, sed iussum missumque à Deo. Loquutus est autem Dominus, non tam externa voce, quàm interna inspiratione, verisimile est. Loquutus verò est, ea quæ ab eo agi, doceri, nunciari, ac monstrari vellet, ea nimirum quæ sequuntur, & alia eòdem pertinentia ab aliis Euangelistis narrata. SVPER pro *ad*, ex phrasi hebraica, qua significatur verbum Domini cælitùs delapsum Iohannis menti insedisse, quemadmodum imber graminibus. IOHANNEM iam agentem annum ætatis tricesimum primum. IN DESERTO. in siluestribus montosisque deserti, procul à contagioso hominum pollutorum consórtio, agentem cælestem potiùs quàm terrestrem vitam, ac proinde apprimè idoneum quicum loqueretur & negotium reparandæ salutis humani generis tractaret Deus.

καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος·

3 Et vênit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ:

Matth. 3. v. 1. Marc. 1. v. 4. 5.

ET VENIT. Iuxta quod verbum Domini *vênit* seu prodiit ex locis illis desertis in quibus hactenus latuerat (suprà 1. v. 80.) describit Euangelista, quomodo, Iohannis prædicatione ac baptismo, Saluator hominibus declaratus fuerit. IN OMNEM. in totam. REGIONEM IORDANIS seu circa Iordanem. τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου regionem circumiacentem Iordani, circumcirca adiacentem, seu circumuicinam Iordani fluuio, qua parte ille deserto ac Ierichunti vicinus est. Fluuius enim capitalis Iordanis qui Iudæã disterminat, brachium suum ad Ierichuntem vsque extendens, indeque circulatim reducens in proprium alueum, circumcingit bonam Iudææ regionem; ita vt non opus sit intelligere Iohannem vltra Iordanem exiuisse, extra Iudæam, in Peræam etiam abiisse: Regionem enim Iordanis seu circa Iordanem Lucas vocat eam, quam Marcus cap. 1. v. 4. desertum, Matthæus cap. 3. v. 1. desertum Iudææ, liber secundus Regum campestria deserti. *Venit* igitur Iohannes *in omnem regionem Iordanis*, id est, obiit seu circumiit campos illos vastissimos prope Ierichuntem, quos Iordanis excurrens circumlustrat. Non itaque hîc accipit Lucas *omnem regionem circa Iordanem*, quemadmodum Matthæus cap. 3. v. 5; vbi dicit, *omnem regionem circa Iordanem ad Iohannem egressam*: non enim Iudæam, Peræam, & Galilæam peragrauit Iohannes, quemadmodum Iesus; sed contentus Iohannes obire campestria deserti Iudææ, circumuicina Iordani, vbi parata erat aquæ copia, ad obeundum sibi diuinitùs iniunctum baptizandi officium; reliquit Iudæam, Peræam, Galilæam, & cæteras regiones Iordani affines ad se egredi. PRÆDICANS, simul & administrans. POENITENTIÆ hominibus ineundæ & exercendæ, iis qui peccata sibi per Christum remitti cuperent.

SICVT SCRIPTVM EST, iuxta quod scriptum & prædictum inuenitur. Marcus præponit prophetiam rei; Lucas rem prophetiæ, aut potiùs interponit Lucas rem mediam inter prophetias seu oracula duo, vnum præsens Iohanni, alterum vetus Isaiæ editum, quò res omni ex parte diuina esse cognoscatur. SERMONVM. verborum, vaticiniorum, prophetiarum. in libro continente prophetias, quas postquam populo Isaias nunciasset ore, scripto posteris prodidit. PROPHETÆ. λέγοντος *dicentis* addunt Græca & Syra. Reliqua ad huius versiculi explicationem necessaria, legantur Matth. 3. v. 1. & præsertim Mar. 1. v. 4.

φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.

4 Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

Isa. 40. v. 3. Matth. 3. v. 3. Marc. 1. v. 3. Iohan. 1. v. 23.

Hic versiculus expositus fuit Matth. 3. v. 3.

πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται· καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας.

5 Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

Isa. 40. v. 4.

OMNIS VALLIS. Explicans vox clamantis quî paranda & recta reddenda sit via aduentanti Christo Domino, perseuerat in similitudine, accepta ab ea consuetudine, qua Regi vrbem aliquam suam primùm ingressuro paratur à ciuibus via: quod quidem fit vallibus collibusq; reliquo solo æquatis, & via recta ac facili reddita. IMPLEBITVR. impleatur. futurum pro imperatiuo, quod Hebræis est familiare. *Impleatur* s. terra; ita vt fiat reliquæ viæ æqualis. Nam vallibus repletis & collibus montibusque recisis via ad æquabilitatem reducitur. Sensus est, Peccatorum pondere depressi ac pusillanimes omnes accipiant animum, erecti fiducia releuationis accipiendæ. HVMILIABITVR. humilietur, deprimatur, ita vt non excedat reliquam viam altitudine. Superbi ac tumidi, sapientiæ, iustitiæ, aut potentiæ opinione, ponant animos, demittant ceruicem, nec se præferant cæteris, agnoscentes variis se peccatis obnoxios, ad quæ auferenda opus habeant non minùs quàm cæteri Redemtore. ET ERVNT, id est, sint seu fiant. PRAVA, distorta. τὰ σκολιὰ obliqua, curua s. viarum. IN DIRECTA. εἰς εὐθεῖαν in rectam s. viam, id est, fiant via recta. Hebraïsmus, qualis ille *Erunt duo in carne vna*. Matth. 19. v. 5. Viuendi mores praui, mutentur in bonos & rectæ rationi legique Dei consentaneos. ET ASPERA. καὶ αἱ τραχεῖαι & asperæ s. viæ, id est, senticosæ aut petricosæ.

PLANAS. fiant viæ planæ, leues, faciles. Iracundi cæterique incommodis hactenus prædici moribus, fiant

Christi ecclesia intellexit. Credunt itaque & illi, quia fidem & pœnitentiam per verba gestantium profitentur, quod ait Augustinus lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 19: quamquam, hoc loco de adultis sermonem esse Saluatori, qui prædicationem euangelij intelligere possint, clarum esse videatur. Alter error est, ne ita necessarium putes esse baptismum, vt adultum qui fide sit præditus & baptismum desideret, neges posse saluari, *si sacramentum baptismi articulus necessitatis excludat*, vt loquitur Augustinus lib. 4. cõtra Donat. cap. 22. Non enim alligauit sacramentis gratiam aut potentiam suam Deus, qui sacramentis vtitur vt instrumentis, non necessariis, sed sponte consultoque electis, seruata facultate salutem hominum absque illis operandi, quando ipsi visum fuerit: quod tamen quia rarò facit, & quidem numquam, si saltem desiderium sacramenti homini non adfuerit, idcircò generali regula vtrumque requirit & fidem & baptismum. Tertius error hîc cauendus est, ne quis existimet, eum qui fidem Christianam semel amplexus baptizatus fuerit, qualemcumque tandem à baptismo vitam ducat, saluum fore: nam quod hîc dicitur *saluus erit*, commodè intelligendum est, quantum scilicet est ex ea fide & baptismo; fides illa & baptismus valebunt illum saluare, nisi ipse aliunde impedimentum obiiciat, vt si, aut fidem ipsam, aut pœnitentiam quæ illi coniuncta fuerat, derelinquat, & rursus adhæreat sathanæ cui baptizandus abrenunciauerat. Quare Euthymius: *Saluus erit*, inquit, *modo fidem ac baptismum impolluta conseruauerit, aut post contractas sordes emundauerit ac purificauerit*. Solus enim ille *qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit*. QVI. quicumque. NON CREDIDERIT s. euangelio à vobis prædicato, aut si crediderit, non fuerit paratus illi obedire & vitæ anteactæ pœnitere. CONDEMNABITVR. non est quòd aliis rebus fidat, iudicabitur reus æternæ mortis atque extremorum suppliciorum, & quidem à Deo, ac proinde etiam eis afficietur. *Qui incredulus est Filio*, inquit Baptista, *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Iohan. 3. v. 36. Non solùm non erit saluus & peribit, vt cæteri hominum, qui euangelium numquam audierint, id est, non solùm non liberabitur à peccatis suis & animi vetustate hac in vita, & excidet Dei visione eritque miser tum anima tum corpore in altera: verumetiam, vt peccata sua hac in vita auxerit, vel eo ingratitudinis crimine, quòd oblatum sibi euangelium, per quod saluus fieri poterat, repulerit, ita in altera grauioribus addicetur tam corporis quàm animi suppliciis. Hic igitur significat Christus, rebelles, dum oblatam salutis gratiam respuunt grauiorem sibi damnationem accersere, nec iam communi tantùm humani generis interitu esse implicitos, sed etiam propriæ ingratitudinis pœnam manere eos, vt nihil ampliùs designarint, vt inquam euangelium eiusque prædicatores non fuerint persequuti. Igitur vt mox Christus salutis promissione homines iusserat ad fidem allici: ita hîc, ad terrẽdos incredulos, grauis exitij denunciationem adiungit. Porrò quòd non repetat hîc *Qui verò non crediderit vel baptizatus non fuerit, condemnabitur*, facit vel quia vno expresso alterum relinquit intelligendum, ex priori sententiæ membro, vbi vtrumque coniunxerat: vel quia baptismus, non tam absolutæ necessitatis est quàm fides. Nam absque fide homo non est salutis capax: absque baptismo verò, potens est Deus salutem homini dare, & dat reipsa occurrente necessitatis articulo. Minimè verò ea est omissæ repetitionis ratio, quam hæreticus adfert, quòd baptismus, non salutis causa, sed testimonium tantummodo sit, ac proinde omissus non condemnet hominem.

Signa autẽ eos qui crediderint hęc [17] sequẽtur: in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis,	σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι ταῦτα παρακολουθήσει· ἐν τῷ ὀνόματί μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσι, γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς,

SIGNA. id est miracula, quæ ita vocantur, non quòd signa sint certa fidei aut sanctimoniæ inhærentis ei per quem eduntur, sed quòd à Deo tamquam sigilla ac testimonia adhibeantur, ad signandam confirmandamque veritatem eam quam hominibus vult persuasam, quæ naturali ratione persuaderi non possit. Ne desperarent Apostoli, satisfieri à se posse iussis Domini, euangelium inquam, parùm per se probabile, cuius promissiones, vel non essent præsentes, vtpote futuræ vitæ, vel inuisibiles essent hominum oculis, qua parte præsentes essent, quippe animum tangentes, à se indoctis, pauperculis, & inermibus, omni creaturæ prædicari, & ex vniuerso mundo fideles colligi posse; promittit varia edenda miracula, quibus euangelium diuinitus approbatum & confirmatum multis persuadeatur, multique ad fidem illi adhibendam attrahantur. Quemadmodum ergo ipse in terra agens, prædicationem suam miraculis sancierat, ita nunc eandem virtutem in futurum tempus propagat, ne esset cur minorem fidem mundus Apostolis prædicantibus adhiberet, quàm ipsi Christo, possetq; intelligi, Christum à morte rediuiuum, in suis etiam superesse discipulis. Valet itaque hæc miraculorum promissio, partim ad excitandum studium Apostolorum, partim ad propagandum faciliùs euangelium: quasi dicat Apostolis Dominus: Ne vestra prædicatio apud mundum fide careat, adiungam signa ac miracula, quæ & prædicationem vestram confirment, & fidem atque auctoritatem toto in mundo vobis concilient: animosè itaque prædicando euangelio incumbite. EOS QVI CREDIDERINT euangelio à vobis prædicato, & baptizati scilicet fuerint: nam & hîc repetendum hoc relinquitur. Non enim catechumenis promittitur gratia signorum, illis præsertim qui baptismi susceptionem frustrà differant. Et quamquam non tam baptismi quàm confirmationis sacramento, quo dabatur Spiritus sanctus, gratia signorum sit adscribenda: tamen quia cum baptismo adultis confirmationem simul administrandam, quippe baptismi perfectionem, mens erat Saluatoris, idcircò sub baptismo etiam confirmatio venit intelligenda. Porrò quòd futuris discipulis suis, sub nomine credentium siue fidelium, promittit Christus signorum gratiam, est, quòd per fidem illi signa operaturi essent, quòd per fidem signa fiant, & secundùm rationem *mensuramq; fidei* à Deo diuidantur, sicut Apostolus loquitur Rom. 12. v. 3. Quare ipse Christus Matth. 17. v. 19: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis*. Cæterùm non ad omnes & singulos fideles hæc promissio trahenda est, quasi hinc agnoscendi essent fideles, quòd pollerent gratia miraculorum (absit) verùm iis solis è numero fidelium pollicetur Christus hoc donum, quibus ipse hoc donum per spiritum suum gratis esset daturus, affirmans se semper aliquibus esse daturum, nunc pluribus, nunc paucioribus, prout ipsi visum foret. Sed quia totius ecclesiæ

foret,

foret, quod aliquibus dandum erat, quippe ad communem omnium vtilitatem dandum (*vnicuique enim datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*. 1. Cor. 12. v. 7.) & quæ ab his miracula edenda erant, ad omniũ consolationem erant valitura, vtpote seruientia ad confirmationem euangelij. quod omnes essent amplexi, idcircò Christus meritò credentes indefinitè nominat. Vt porrò non omnibus iis qui credituri erant, dandum erat miraculorum donum, ita nec solis: nam illi qui ipsius Christi prædicationi iam antè crediderant, die pentecostes vnà cum Spiritu sancto acceperunt donum linguarũ. & inprimis Apostoli ipsi miraculorum potestate præ cęteris omnibus ornati fuerunt: sed illos hic non nominat Christus, partim quia iam anteà illis dederat potestatem curandi infirmitates & eiiciendi dæmonia (quod, quod ad Apostolos quidem, constat suprà 3. v. 15., quod verò ad LXXII discipulos, Luc. 10. v. 9. 17. 19.) partim quia promittens miraculorum donum crediturus, multo magis iis promittit qui iam crediderant, & quidem primi, quique cæterorum ad fidem futuri erant duces ac magistri. Certè facultate edendi miracula, nulli alij fideles fuerunt Apostolis comparandi. HÆC. aliaque huiusmodi: non enim omnia hîc enumerat. SEQVENTVR. παρακολουθήσει subsequentur. Non dicit *facient* aut *operabuntur* illi qui crediderint, sed *sequentur*, dans intelligendum, miracula non fore ipsorum qui crediderint, sed Dei ea operaturi, ad hoc vt alios doceat, illos esse veritatem amplexos: fore enim huiusmodi, quæ manifestè non ab alio quàm à Deo fiant. Est itaque sententia Christi, fideles, eiusdem virtutis, quæ priùs admirabilis in ipso fuerat, fore ministros, vt, ipso licet absente, certa constet euangelij obsignatio. Nam & ante mortem suam sic promiserat Iohan. 14. v. 12: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado*. Cæterùm, vt diximus, non omnibus fidelibus promissam esse signorum gratiam, ita nec promissum est, signa eos semper & vbique sequutura, quandocumque ipsis visum fuerit, sed dumtaxat, cùm opus fuerit, quando res aut profectus euangelij exposcet signum, quando & vbi miracula necessaria erunt ad publicam propagandæ aut stabiliendæ fidei vtilitatem. tunc enim promittit, semper in ecclesia inter fideles fore, qui valebũt opportuna miracula edere. Quocirca, initio nascẽtis Ecclesiæ, sub Apostolis, cùm ageretur de promulgando orbi euangelio numquam anteà audito, & plurimi fidelium dono miraculorum à Domino aucti fuere, inprimis verò Apostoli, & innumera miracula eos sequuti sunt. Post Apostolos, Martyrum tempore, cùm palàm certaretur cum mundi principibus, de euangelio in mundum introducendo, non multò pauciores fuere, qui variis signis edendis valerent: hinc enim factum, vt pleraque omnia martyrum certamina miraculis plena fuerint. Post Martyres, euangelio iam regnante, radicato, ac florente, quippe prostratis plerisque omnibus eius aduersariis, rariores qui hac gratia pollerent, & rariora fuere miracula, quòd iam minùs opus esset miraculis, ad euangelium stabiliendum, quod vbique terrarum obtinuerat. Rectè enim D. Gregorius homilia edita in hunc euangelij locum: *Signa hæc necessaria in exordio ecclesiæ fuerunt: vt enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos cùm arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluisse videamus: at si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit*. Nam quid opus nouorum signorum multitudine, cùm priora signa suum consequuta essent effectum, toto orbe resplendentem, magisque quàm ipsa signa admirandum, mundi inquam subiugationem sub euangelicam fidem ac legem? Certè quod de linguis Apostolus dicit 1. Corint. 14. v. 22, de omnibus æquè miraculis dici potest: *Miracula in signum sunt, non fidelibus sed infidelibus*. Vbi nulli aut pauci infideles, vel iis qui esse possunt, satisfactum est si nollent obstinatè agere, miraculis non perinde est opus. Hæc causa est, ob quam, post martyres, quod dicebam, rariora fuerint miracula: rariora inquam, nulli enim sæculo sua defuerunt, secundùm diuinæ sapientiæ ordinatissimam moderationem, & Ecclesiæ siue necessitatem siue vtilitatem. Quare nec hodie miracula desunt, non solùm in regionibus illis nouis, ad quas euangelium transfertur, sed etiam in his nostris, à quibus, ob defectum fructus & frequentes hæreses, paulatim aufertur, proh dolor. Nam & nostro seculo locum habet, quod de suo scribit Augustinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 8: *Etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per sacramenta eius, siue per orationes vel memorias sanctorum eius: sed non eâdem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbique recitari, & memoria cunctorum inhærere populorum: hæc autem, vbicumque fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate, vel quocumque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit ciuitas: & quando alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, vt sine difficultate vel dubitatione credant, quamuis christianis fidelibus à fidelibus indicentur*. Huiusmodi suæ ætatis suæque prouinciæ plura miracula recitat eo loco Augustinus: alij aliarum ætatum regionumque collegerunt: ita vt ipsis oculis videre liceat, non soli primitiuæ, sed vniuersæ Ecclesiæ quamdiu staret, promissum hîc à Christo fuisse donum miraculorum, magis tamen minúsue, prout ad euangelij veræque doctrinæ confirmationem, magis minúsve necessarium, ipsius promissoris Christi iudicio, foret. Nec enim nos miracula, à verbo Dei, cuius illa sigilla ac testimonia sunt, separamus, quod Caluinus obiicit: sed, quandocumque miraculum à Deo editur, agnoscimus ad verbi confirmationem edi, nimirum, vt vel ethnici fidem christianam amplectantur, vel hæretici ad eam reducantur, vel christiani magis magisque in ea roborentur, certiusque constet, eam quam hæretici iam oppugnant fidem, conuenire cum ea quam Christus atque Apostoli tradiderunt, & similibus miraculis obsignarunt: quamquam non sint cuiquam curiosè iam appetenda miracula, ad hoc vt sciat quænam germana sit fides, postquam sacræ Scripturæ diuinitus inspiratæ, & Ecclesiæ à Spiritu sancto gubernatæ, legitima omniumque seculorum vsu inueterata & corroborata auctoritas, ad hoc docendum præsto est. Caluinus contrà ac nos, probabile esse ait, non fuisse Christi hoc loco mẽtem, vt donum istud miraculorum, perpetuò in Ecclesia resideret, sed vt temporale dumtaxat esset donum; itaque non nisi ad tempus promitti miracula, quæ nouum & adhuc obscurum euangelium illustrarent. Quocirca, pleraque omnia post Apostolos facta miracula reiicit, vt signa regni Antichristi mendacia, & ab hominibus vel cupiditate vel ambitione ductis conficta, ad hoc, vt signorum prætextu simplices à recta fide abducerent: nimirum, quia ipsius doctrina miraculis omnibus destituitur, quibus tamen longè maximè opus habebat, eò quòd noua esset, & à doctrina, superioribus omnibus seculis publicè in Christi Ecclesia recepta, prorsus dissentanea. Sed nihil mirum quòd miraculis illa destituatur, nec enim fieri potest, vt Deus approbet falsitatem, aut veritas mendacio adstipuletur. Signorum gratia dos est peculiaris, Ecclesiæ à Christo promissa, qua illa ab hæreticorum &

infidelium omnium conuentibus distingui & internosci valet. IN NOMINE MEO. inuocato nomine meo, & virtute potestateque mea. vide Matth.7.v.22. DÆMONIA EIICIENT. Hoc miraculum Christo Domino familiare idcircò fuit, quòd ipse in hunc mundum eo fine venisset, vt diabolum debellaret, & expelleret hominum animis. NOVIS. id est, alienis, aliorum populorum, quas anteà neque nouerant neque didicerant vnquam; Dei dono acceptis, sine præceptore & exercitatione. Euthymius, *peregrinis, idiomatis aliarum gentium*. Lucas Act. 2.v.4. *variis*. Hoc miraculum initio nascentis Ecclesiæ & frequens & necessarium fuit, ad hoc vt ab Apostolis cæterisque discipulis Iudæis, quibus vna vernacula Syrorum lingua per se cognita erat, euangelium per vniuersum terrarum orbem ferretur & promulgaretur.

serpentes tollent, & si mortiferum[18] quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent & benè habebunt.

ὄφεις ἀροῦσι, κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει, ἐπὶ ἀῤῥώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι καὶ καλῶς ἕξουσι.

SERPENTES. id est, venenata noxiaq; animalia TOLLENT, auferent, ex iis locis quibus illa infesta erunt. Euthymius, *delebunt, occident, aut etiam in manibus absque periculo tenebunt*, quomodo Paulus Actor. 28. v.3.4.5. MORTIFERVM QVID. toxicum, cicutam. BIBERINT. non ad ostentationem, sed coacti ab euangelij persecutoribus. Narrat hoc ex Papia Eusebius lib.3.eccles.hist.cap.39. de Barsaba, qui cognominatus est Iustus. *Multi & venenum bibentes*, inquit Theophylactus, *per signaculum crucis illæsi conseruati sunt*. MANVS IMPONENT. Hac ceremonia, manuum inquam impositione, plerumque vsus est Christus, in sanandis ægrotis (vide Luc.4.v.40.) nec tamen hanc præscribit vt necessariam: nam sicut ipse frequenter solo iussu morbos fugauit, ita & eius discipuli in nomine ipsius. & quid dico iussu? etiam vmbra præsentiæ suæ, & absentes sudariis suis (Act.5.v.15.19.v.12.) vt Christus fimbria vestis suæ. Matt.9.v.20.14.v.36. Nec enim Christi mens est, omnem hîc modum exprimere quo miracula edenda sint, vt nec omnia miracula enumerare, & ne maxima quidem (vbi enim mortuorũ suscitatio, cuius exemplum exstat Act.9.v.40?) sed quædam magis crebra futura recensere ex multis. *Per dicta signa*, inquit Euthymius, *etiam ea innuit quæ prætermissa sunt: dixit enim in præcedentibus, quòd omnia possibilia sunt credenti*. Nimirum, vt liberalis ac magnificus promissor, plus præstitit Iesus quàm promiserat. Verùm non armauit suos facultate edendi terrifica miracula, quibus mundo terrorem incuterent, sed vtilia dumtaxat & benefica, qualia ipse prior ediderat, ita vt, non seueritate, sed beneficentia, mundum sibi conciliarent, & vtilibus miraculis testarentur salutem quam euangelium humano generi adferret. Quod postremum est, non promitit hîc Christus, singulis fidelibus quibus danda est gratia signorum, donandum vt omnia iam recensita signa queant edere, sed quòd vnum fidelium hoc signorum genus, alium aliud esset sequuturum: quamquam Apostolis datum fuisse videatur vt omnia possent. Testatur Paulus, diuisiones esse gratiarum, & alij quidem per Spiritum sanctum dari gratiam sanitatum, alij verò operationem virtutum, alij prophetiam, alij genera linguarum; nec omnes gratiam habere curationum, aut prophetare, aut linguis loqui. *Hæc enim omnia*, inquit, *operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult*. 1.Cor.12.v.4.9.11.29.30. Cæterùm ipsi corpori christianæ Ecclesiæ omnia promittuntur, sed ita vt per vnum membrorum suorum hoc possit, per aliud aliud.

Luc.24. v.51. Act.1. v.9.

Et Dominus quidem Iesus, post-[19] quam locutus est eis, assumtus est in cælum, & sedet à dextris Dei.

ὁ μὲν οὖν κύριος, μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ.

ET QVIDEM. ὁ μὲν οὖν Igitur. Aliud caput religionis nostræ attingit hîc Marcus, continens felicem clausulam totius itinerarij Filij Dei (quomodo loquitur D. Bernardus serm. de ascens. Do.) quò tandem, absolutis rebus omnibus in terra, peruenerit Dominus Iesus. DOMINVS. qui multis iam modis Deum ac dominum se esse declarauerat. POSTQVAM LOCVTVS EST EIS. s. vndecim ex versu 14. id est, postquam cum eis est collocutus, postquam eis dixisset quæ dicta voluerat & oportuerat à resurrectione. *Non enim ait, postquam hæc locutus est eis* (quod notat Augustinus lib.3.de cons. Euang. cap.25.) sed absolutè *postquam locutus est eis*, vt intelligatur, non tantùm de eis quę mox sunt ab isto euangelista recitata, sed & de cæteris omnibus quæ Iesus dixisse potuit à resurrectione, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, quod ait Lucas Act.1.v.3. Hæc expositio etiam Euthymij est. *Postquam ergo locutus est eis*, & perfecerat scilicet omnia in terra, quæ Pater ipsi iniunxerat, ad redimendum humanum genus. ASSVMTVS EST die à resurrectione quadragesimo, illis videntibus; *assumtus est* autem à Deo Patre vocante, & honoris causa angelos ei obuiam mittente. Quemadmodum suscitatus dicitur à Patre (Act.2.v.24. Rom.8.v.11.) tametsi se ipse sua virtute à morte suscitarit: sic assumtus dicitur à Patre, tametsi sua virtute ascenderit; virtute inquam diuinæ suæ naturæ, quæ vna est ei cum Patre. Nam quia hæc summæ potentiæ sunt, resurgere à morte & ascendere in cælum, idcircò Patri attribuuntur: præter hoc quòd familiare fuerit Iesu, Patri sua omnia adscribere, à quo acceperat ipsam etiam diuinam naturam. Cæterùm, secundùm humanam naturam ascendit atque assumtus est Iesus, non secundùm diuinam: diuina enim, quæ cælum & terram implet, moueri sursum deorsumve, ex vno loco in alium, non potest. Porrò sic virtute diuinæ suæ naturæ Iesus in cælum ascendit, vt etiam humanæ, cuius anima beata, per se valebat gloriosum corpus, dono agilitatis iam præditum, in cælum eleuare. Quòd ergo hîc *assumtus* dicitur, & Act.1.v.9. *eleuatus*, non ideò dicitur, quòd angelorum ministerio aut alterius opera indiguerit, ad hoc vt in cælum ascenderet (nam Act.1.v.11. dicitur iuisse in cælum) quemadmodum Elias curru igneo & equis igneis (4.Reg.2.v.11.:) quamquam D. Augustinus (sermone 176. de tempore) agnoscat hîc insinuatum *militiæ cælestis obsequium*, quòd Iesus ascenderit comitatus turba, non solùm sanctorum patrum, quos è limbo eduxerat, verumetiam sanctorum angelorum cælestiumque potestatum:

ſtatum: non quòd illis opus habuerit, ſed quòd illi iuſſi à Deo Patre, condecorarint Domini aſcenſionem, & triumphum auxerint. IN CAELVM. non aërium tantùm, vt Elias, ſed æthereum, quod ait Gregorius homilia 29., adeoque ſupremum, quod empyreum dicimus. *Elias quaſi in cælum* (inquit Theophylactus) *at ſaluator in cælum ipſum, præcurſor omnium aſcendit*. Symbolum Apoſtolorum dicit aſcendiſſe *ad cælos*, quia nimirum penetrauit omnes cęlos, ad eminentiſſimũ vſque, ſicut diximus. *Qui deſcendit*, inquit Apoſtolus Epheſ.4. v.10., *ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia*. Deſcenderat de cælis, vt homo fieret: eò igitur rediit vnde venerat, immo vnde non diſceſſerat. Porrò aſſumtus eſt ſiue aſcendit in cælum, tum ſua, tum fidelium ſuorum cauſa. Sua cauſa, quia vt corpori ipſius iam immortali & glorioſo, nòn congruebat locus iſte terrenæ atque obſcuræ habitationis, miſeriis, morti, corruptionique obnoxius, malorum denique bonis permixtorum peccatis contaminatus: ita ipſum perfunctum maximo cum labore, partibus ſaluatoris hominum, peracto iam curriculo myſticæ illius œconomiæ, decebat locus quietis, honoris, ac beatitudinis, ſplendidiſſimum inquam cælum: nec ſufficiebat vt à paucis quibuſdam, à quibus videretur, coleretur in terra, ſed vt aſſumtus in cælum, coleretur ab omni hominum natione quæ ſub cælo eſt. Aſcendit ergo in cælum, vt ſederet à dextris Dei, quod mox ſequitur: *vt vna cum adiuncta ſibi carne Patri aſſideret*, inquit Titus in fine commentarij in Lucam, *ſimulque regnum cum illo adminiſtraret*: vt præſentiore virtute cælum ac terram regeret, & efficaciam ſuam per omnes cæli & terræ fines faciliùs diffunderet: vt denique reipſa oſtenderet quod verbis affirmarat, cùm regnum ſuum non eſſe de hoc mundo (Iohan.18.v.36.) tum omnem ſibi poteſtatem datam in cælo & in terra (Matth.28.v.18.) Iam fideliũ cauſa aſcendit in cælum (quemadmodum enim hominum cauſa deſcenderat è cælo in terram, ita illorum quoque cauſa aſcendit è terra in cælum) vt corda eorum ſurſum ad ſe in cælum eleuaret, fidemque exerceret ſimul ac perficeret: vt ſpem illis adderet perueniendi in cælum, quò caput præceſſerat: vt obſeſſam à principibus tenebrarum viam cæli aperiret, & ianuam propter peccatum clauſam patefaceret: vt cæli ipſius poſſeſſionem hominum nomine reipſa acciperet, illata eò humana natura: vt Spiritum ſanctum è cælo mitteret ſuis (Iohan.16.v.7.) pignus cæleſtis hereditatis (Ephel.1.v.14.) vt locum eis manſionemque in cælo pararet (Iohan.14.v.2.3.) vt appareret vultui Dei & interpellaret pro nobis (Rom 8.v.34. Heb.7.v.25.& 9.v.24.) vt denique, non paucis prodeſſet à quibus oculis conſpici poſſet in terra, ſed omnibus fidelibus, ex toto terrarum orbe colligendis, ex alto facilè ſubueniret, omnibus æquè propinquus & paratus. SEDET. ἐκάθισεν ſedit, quo modo & optima noſtra manuſcripta latina legunt, quod in Notis diximus. & ibi ſedit ſedetque. Vbi peruênit in cælum Dominus Ieſus, nõ eſt illic vltimo loco habitus, ſed eleuatus ſuper omnes angelorũ choros, in illo beatæ immortalitatis domicilio ſupremum locũ obtinuit, *& ſedet*, Deo Patre ipſum collocante, ac dicente: Sede à dextris meis.

A DEXTRIS DEI PATRIS, quo non eſt alius locus in cælo aut ſublimior aut honoratior. *Ad quẽ enim angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis* &c? *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus* &c? Heb.1.v.13.15.& clariùs etiã Epheſ.1.v.20: *Suſcitans*, inquit, *illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem principatũ, & poteſtatem, & virtutẽ, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam*. Nec minùs clarè Philip.2.v.9: *Exaltauit illum, & donauit illi nomen*, &c. Quid ſit Chriſtum ſedere ad dexteram Dei, docuimus Matth. 22.v.44. & 26.v.64: ſed quæ iam produximus Apoſtoli loca, ſola ſatis id explicant, nempe, Deo Patri æqualem, naturâ, potentiâ, gloriâ, honore, imperio, dominari creaturis omnibus tam inuiſibilibus quàm viſibilibus, eaſque vnà cum Patre regere & gubernare. Licet enim obſeruare, quî Apoſtolus, illo ad Hebræos loco, ipſi *ſedere a dextris*, opponat τὸ *miniſtrare*, vt ſedere intelligas dominari, & Chriſto, vt Domino, Patri aſſidenti, angelos miniſtros adſtare: prout etiam 1.Cor. 15.v.25. *ſedere a dextris Dei* exponit *regnare*. Nam quòd Stephanus Act.7. v. 55. Chriſtum vidit *ſtantem a dextris Dei*, rectè D.Gregorius homilia 29. de aſcenſione interpretatus eſt, quòd Chriſtus Stephano videndum ſe exhibuit, vt paratum ad adiuuãdum & vnà cum ipſo pugnandum contra aduerſarios præſentes. *Quum dixit ſtare Filium*, inquit Euthymius, *non dixit ſedere Patrem, ne ex hoc intelligamus differentiam dignitatis: reſtat igitur vt & conſedere Patri dicatur, & ſimul cum eo ſtare*. Quamquam, ſi de corporeo ſitu agatur, ſtare potiùs Chriſtus corpore in cælo dicendus eſt, qui eſt naturalis hominis habitus, quàm ſedere, quod eſt infirmi, languidi, laſſi; vt contrà, ſtare, fortis, validi, & perfecti. Sed non eſt hîc ſermo de ſitu corporeo: Pater enim, incorporeus cùm ſit, non ſedet propriè; vt nec ſedes eſt quæ immenſum capere queat: & tamen filius ei aſſidere dicitur, & quidem ad dexteram, etſi ſimiliter nec dexteram habeat Pater nec ſiniſtram, qui totus ex omni parte eſt. Metaphorico igitur ſermone, ſedere Chriſtus dicitur, partim propter quietem, quòd poſt paſſionem, & longum mortalis vitæ laborem, redimendi hominum generis cauſâ exantlatum, quietè fruatur regno Patris, vt rex alta in throno ſuo fruens pace (ſic enim Heb.12. v.2. paſſioni ſeſſio iſthæc opponitur) partim propter dominium auctoritátemque iudicandi, regendi, ac gubernandi: regibus enim & iudicibus attribuitur ſeſſio, ſicut & Deo apparenti vt ſupremo Domino. Iſa.6. v.1. *Quod autem additur a dextris Dei, familiaritatem denotat, ac æqualem cum Patre honorem*, ait Euthymius. Metaphora ab eo ſumta eſt, quòd locus maximè honorificus ſit, ſedere à dextris regis, eius nimirum, qui regi & acceptiſſimus & familiariſſimus & proximus eſt, cum quo rex de rebus ſuis omnibus communicat, ex cuius conſilio regnum adminiſtrat, & cui regendi imperandique vices plerumque demandat. Et quidem licet in humanis, non continuò regi æqualis ſit, qui regi aſſideat à dextris: in diuinis tamen, nemo Deo aſſidere poteſt, qui Deus ipſe non ſit, nemo conſiliarius eſſe, aut ſenſum nouiſſe. Rom.11.v.34. Iſa.40. v.13.14. Ieſum ergo ſedere à dextris Dei, eſt, euectum ſupra omnes creaturas, Patrique æqualem, beatè regnare ac dominari, & Patris regnum adminiſtrare, Patrem per eius manum mundum gubernare, & præſertim eccleſiam, ipſius ſanguine acquiſitam, ita vt coram eo, non minùs quàm coram Patre, flecti debeat omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Conſultò ergo addidit Marcus, Ieſum ſediſſe à dextris Dei, vt ſciamus, non receptum eſſe in cælum, ad hoc vt beatam quietem ſeorſum per ſe colat, nulla tactus rerum humanarum cura, ſed ad hoc, vt ita quieſcat, vt tamen vnà cum Deo Patre mundo præſideat in ſalutem omnium piorum, vt omnes tum cæleſtes tum terrenæ creaturæ manu eius regantur, nutum intueantur, virtuti ſubiiciantur, & ſuſpiciant eius non minùs quàm Patris maieſtatem. Porrò cùm præterito tempore Euangeliſta dicit, Dominum Ieſum ſediſſe à dextris Dei, mox vt aſſumtus erat in cælum, videtur quoque

dicere,

dicere, cum anteà non sedisse à dextris Dei; non quòd anteà non fuerit Deo Patri æqualis, aut non gubernarit mundum vnà cum Patre, sed, partim quòd effectus huius sessionis nō anteà se diffuderit in humanam naturam (ante ascensionem enim, nihil aliud in terris ostendens, quàm eam quam acceperat formam serui, non gerebat se vt Patri æqualem) partim quòd non anteà prædicatum & orbi reuelatum fuerit, siue hoc, Deo esse Filium qui ei assideat à dextris, siue hoc, Iesum Christum Filium Dei Deo assidere à dextris. vide Matth. 22. v. 44. Iam vt Euangelista hoc præteriti temporis verbo *sedit*, non omnino excludit tempus præcedens, ita multo minùs excludit tempus futurum, sed significare vult, Iesum, simulatque assumtus fuisset in cælum, sine cunctatione, in suprema Dei Patris sede, vt sibi debita, fuisse collocatum (id enim reipsa probauit Iesus, misso paulò pòst è cælis Spiritu sancto in discipulos) relinquit autem intelligendum, permanere in ea quam acceperit sede (quis enim deturbaret è sede, quam Deo Patre dante obtinuisset?) præsertim cùm Psalmus 109., ad quem respicit, id pronunciet his verbis: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* quem interpretans Apostolus Heb. 10. v. 12: *In sempiternum*, inquit, *sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponātur inimici eius scabellum pedum eius.* Postremò operæpretium est hìc obseruare, quàm paucis Euangelista describat gloriam Iesu, vno verbo ascensionem eius absoluens, sicut & Lucas; qui ea quæ ad ignominiam & passionem Iesu pertinuerant, latè minutatimque descripserant: non quòd gloria minor fuerit quàm ignominia (multis enim gradibus illa maior hac est) sed vt sciamus, quòd hac in mortali vita, nos, in consideratione ignominiæ, & malorum tolerantia, magis exercere debeamus, quàm in appetitione gloriæ.

Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. [20] ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ, τοῦ κυρίου συνεργοῦντος, καὶ τὸν λόγον βεβαιοῦντος διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων. ἀμήν.

ILLI s. vndecim ex v. 14; adiuuantibus reliquis discipulis. *Illi* simulatque Spiritu sancto, à sedente in dextra Dei misso, baptizati, confirmati, & corroborati essent. PROFECTI post assumtionem Domini in cælum; in mundum vniuersum, vnus huc, alius aliò, prout iussi fuerant suprà v. 15. ἐξελθόντες *egressi* (quo modo est etiam syriacè) s. ædibus in quibus trepidè latuerant, id est, progressi audacter in publicū, nixi hoc Domini iussu. Vel *egressi* s. Ierosolymis. Prędixerat enim Isaias cap. 2. v. 3: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*: prout iusserat etiam ipse Dominus, vt ab Ierosolymis inciperent. Luc. 24. v. 47. Act. 1. v. 8. PRÆDICAVERVNT s. euangelium ex v. 15., & quidem magno cum fructu *prædicauerunt*, plurimis adeoque innumeris ad fidem euangelij adductis. VBIQVE terrarum, non in Iudæa tantùm, sed vbiuis gentium, citra exceptionem, vbi potuerunt, nullo loci aut nationis discrimine; *ita vt in omnem terram exierit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, Paulo teste Rom. 10. v. 18. Et quamquam cùm Marcus hoc euangelium scriberet, anno circiter decimo ab ascensione Domini, nondū Apostoli adeò latè propagarant euangelium: nihil tamen vetat, Marcum, prophetarum more hìc loqui, de re certò futura, tamquam præterita. vide Matth. 24. v. 14. DOMINO Iesu è cælis per Spiritum sanctum COOPERANTE συνεργοῦντος simul operante s. cum eis euangelium prædicantibus, idque tam in ipsis qui prædicabant, quàm in iis quibus prædicabant. ipsi & Dominus simul vbique operabantur: nam *sine me nihil potestis facere*, dixerat Ioh. 15. v. 5. vt certè frustrà arduum hoc opus fuissent aggressi, si Dominus non fuisset cooperatus. Ipsi prædicabant, Dominus suggerebat eis sermonem rectum (Ephes. 6. v. 19. Esther. 14. v. 13.) ipsi laborabant, Domini gratia cum illis (1. Cor. 15. v. 10:) ipsi huc illuc discursabant, Dominus per illos efficiebat vt euangelio omnia replerent (Rom. 15. v. 18. 19.) ipsi hostes euangelij debellabant, Dominus dabat eis os & sapientiam, cui non poterant aduersarij resistere (Luc. 21. v. 15.) ipsi auribus auditorum verbū salutis foris annunciabant, Dominus intus corda aperiebat vt auditores intenderent eis quæ dicebantur (Act. 16. v. 14.) ipsi fidem Christi verbis suadebant, Dominus interiori inspiratione persuadebat & donabat (Ephes. 2. v. 8. 9.) ipsi plantabant & rigabant, Dominus incrementum dabat (1. Cor. 3. v. 6.) ipsi nulli non nationi verbum vitæ offerebant, Dominus ostium fidei gentibus aperiebat (Act. 14. v. 26.) ipsi denique persecutiones varias euangelij causa patiebantur, Dominus eos confortabat vt per eos prædicatio impleretur (2. Timoth. 4. v. 17.) Ita simul vbique operabantur, Dominus Iesus & Apostoli, hoc, vt euangelij prædicatio fructificaret: nihil Apostoli seorsum sine Iesu, nihil Iesus seorsum sine Apostolis; sed Iesus, vt pręcipuus auctor boni illius & heroici operis, Apostoli vt auctores minùs præcipui, iique sponte à Domino Iesu asciti; non, quod hæretici aiunt, vt organa seu instrumenta, quæ non alio motu aut mouentur aut mouent, quàm eo qui ipsis à causa principali impressus est: sed vt causæ minùs efficaces (nec enim insuetum est, vnius effectus plures esse causas) cum efficacissima causa concurrentes vnaque operantes: quemadmodum vbi duo equi, vnus fortior, alter infirmior, vnum simul currum trahunt. Sicut enim hìc, vterque equus currum trahit, etsi alter altero minùs efficaciter: ita licet Dominus potiùs, ambo tamen, Dominus & Apostolus Petrus, verbi gratia, operati sunt & effecerunt verbi prædicationem & conuersionem auditorum: non enim fuisset Dominus Petro cooperatus, si Petrus ex se nihil fuisset operatus, quia non dicitur artifex instrumento cooperari. Et obserua, non dici, Apostolos Domino cooperatos, sed, quod amplius est, Dominum ipsis cooperatum: non quod ipsi priores aliquid sint operati, sed quòd ipsorum opus, quippe externum, priùs se manifestarit. SERMONEM. τὸν λόγον verbum, prædicationem eorum. CONFIRMANTE. verum & à Deo profectum esse ostendente. SEQVENTIBVS SIGNIS. διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων per subsequentia signa; subsequentia inquam sermonem illorum & aliorum fidem: per miracula, quæ tum ad illorum prædicationem, tum ad aliorum conuersionem, adiunxit, prout promiserat suprà v. 17. Intrinsecus cooperatus est Dominus, & cum Apostolis prædicantibus, & cum hominibus credētibus: hoc autem extrinsecus addidit, vt miracula coniungeret, quibus per Apostolos aliosque fideles editis, testatam omnibus faceret euangelij veritatem. *Sermo meus & prædicatio*

mea,

mea, inquit Paulus, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: contestante Deo, signis & portentis & variis virtutibus & Spiritus sancti distributionibus, secundùm suam voluntatem.* 1.Cor.2.v.4. Heb. 2.v.4. His tribus, Apostolorum prædicatione, Dei inspiratione, & miraculis, duobus exterioribus, vno interiore, mundus ad Christi fidem conuersus est. Sufficere quidem poterant, Apostolorum prædicatio & inspiratio diuina, vt per hæc duo, absque miraculis, multi conuersi fuere: sed ad hoc iuuerunt plerosque miracula, & hoc effecerunt, vt liberum illorum arbitriū, Apostolorum prędicationi & Dei inspirationi faciliùs præberet assensum. Quum enim euangelium naturali intellectus lumine nequeat comprehendi, adeoque superet humanæ mentis captum: adhibitis miraculis, declarata est illius veritas, miraculis, id est, huiusmodi operibus, quæ ita subiecta & exposita essent hominū oculis sensibusque, vt certò quoque constaret, non aliâ quàm diuina virtute edi fierique posse. nam cùm sit primum principium, nulli non per se notum, de quo nemo nisi amens dubitat, Deum esse veracem, nec mentiri posse: sequitur, eam doctrinam, quæ huiusmodi operibus, soli Deo possibilibus, confirmatur, à Deo proficisci, ac proinde veram esse, nec magis posse esse falsam, quàm Deus possit esse testis mendacij aut falsitatis. Miracula ergo adiunxit Dominus Iesus, vt confirmaret & veram esse monstraret Apostolorum doctrinam; vt ex miraculis de Apostolicæ doctrinæ veritate homines iudicarent. Atqui contrà Caluinus & Beza, ex doctrina iudicandum docēt de miraculis. Operæpretium sit audire insulsam Bezæ annotationem in hunc locum. *Ex significatione*, inquit, *huius vocabuli (subsequentia) obseruandum est, oportere cum signis semper coniungere doctrinam, & ita quidem, vt huic priores partes tribuamus, cui scilicet confirmandæ illa adhibeantur: vt si falsa est doctrina, idem quoque de signis & prodigiis ipsis statuamus.* Cum signis semper oportere actu coniunctam esse doctrinam, falsum est: nec hoc habet significatio vocis *sequentibus*, aut locus iste. Suprà v.17. Christus ait, signa sequutura, non prædicantes, sed eos qui prædicationi crediderint: & quænam ista consecutio est, Apostolorum prædicatio confirmata est sequentibus signis, ergo necessum est vt signa prædicationi semper coniuncta sint, ita vt vera signa non sint, si seorsum edantur à verbi prædicatione? huc enim respiciunt, vt sugillent signa, quæ olim hodieque ad memorias sanctorum fiunt. Apostoli signa ediderunt, non semper eo momento quo euangelium prædicabant, sed eo quo opportunitas se offerebat: sic prophetæ quoque passim, sic Iesus ipse Dominus. Et quis est qui Deo statuat modum, vt signa in hunc solum finem edat, vt euangelicam doctrinam confirmet, nec possit in alios fines, vt vel glorificet aliquos, vel his benefaciat, vel alios terreat: quorum exempla nō difficile foret ex Scripturis proferre. Cæterùm, esto, referantur signa omnia ad doctrinam, vt finem vltimum, prout illud declarauimus suprà v.17: sed vnà cum doctrina semper esse coniuncta, non est admittendum. Iam, priores partes doctrinæ tribuendas esse, extra controuersiam est (signa enim propter doctrinam eduntur, non doctrina propter signa profertur) sed eas partes obtinere doctrinam, vt ex doctrina de signis statuendum sit, euangelio, & huic nominatim euangelij loco, repugnat. Vt confirmaret, id est, à Deo profectam esse monstraret, Apostolorum doctrinam, adiunxit Dominus Iesus signa siue miracula: habuit enim signa tamquam clariora, & eiusmodi de quibus clariùs certiusque constaret quòd à Deo essent profecta, quàm constaret de doctrina (vti reuera constat, nihil enim confirmatur, nisi per id quod notius est) isti verò contrariâ prorsus ratione, tamquam doctrina clarior sit miraculis, ex doctrina statui volunt de miraculis. Ita inuertunt & peruertunt diuina omnia: & vt tenebras hominibus offundant, contemtis à Deo datis indiciis, reuocant omnia ad principia obscuriora, vbi ipsi tutiùs mentiri & fallere possint. Nam quia caret ipsorum doctrina miraculis, eò quòd, falsa cùm sit, nullam queat à Deo impetrare confirmationem: ne hac parte videantur catholicis inferiores, quorum doctrinam frequentibus Deus miraculis confirmat, docent, ex doctrina de miraculis statuendum, vt hac ratione, quæuis miracula, quantumuis euidentia, audactiùs reiiciant. Atqui nos, iuxta euangelium, ex miraculis statuimus de doctrina: vt, sanctos cum Christo regnantes rectè à fidelibus inuocari & honorari, docemus ex miraculis, hanc doctrinam actionemque tum olim tum hodie frequentissimè subsecutis. Et tam firmum est hoc argumentum, quàm initio nascentis ecclesiæ firmum erat, rectè facere qui in Christum crederent, ob subsequentia miracula: nisi docere queant, hæc quidem miracula, id est, à Deo profecta fuisse: illa verò, non miracula, sed aut præstigias esse dæmonum, aut fraudulentorum hominum dolos. id quod certè non persuadebunt, iis qui miraculorum illorum vtilitatem & sinceritatem experientiâ non minùs perceperunt, quàm illi de quibus narrat historia euangelica. Postremùm quod ad hoc euangelium anotandum est, suggerit V. Beda, Marcum, qui à prædicatione Iohannis Baptistæ præcursoris Domini Iesu, euangelicam historiam exorsus fuerat, finire in prædicatione Apostolorum Domini Iesu: horum enim & illius prædicatio eadem de re fuit, de Christo, pœnitentia, & regno cælorum. Coronidis loco græcè additur ἀμὴν, quemadmodum ad Matthæum: sed quod hic, tam syriacè quàm latinè, omittitur.

FINIS EVANGELII
SECVNDVM MARCVM.

FRANCISCI LVCAE BRVGENSIS
DECANI AVDOMAROPOLITANI
IN SANCTVM
IESV CHRISTI EVANGELIVM
SECVNDVM LVCAM
COMMENTARIVS,

Iis præsertim locis, quæ sunt huic cum cæteris Euangelistis communia.

Euangelium secundùm Lucam. Εὐαγγέλιον κατὰ λουκᾶν.

EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM. id est, historia euangelica, prout à Luca descripta est. vide Matth. 1. v. 1. Lucas natione Syrus, oriundus Antiochia, Syriæ metropoli, quæ in veteris testamenti libris *Reblatha* (4. Regum 25. v. 6. 21.) & *Emath magna* (Amos 6. v. 2.) appellatur, *græci sermonis non ignarus*) (quod ait Hieronymus in catalogo scriptorum ecclef.) medicus arte fuit. Is inter multos alios Antiochenos lucrifactus Christo (illic enim discipuli, cùm in maximum numerum excreuissent, primùm nominati fuêre Christiani, vt legitur Act. 11. v. 26.) discipulus Pauli Apostoli euasit, & comes magna ex parte peregrinationis eius. Euangelium hoc scripsit Græcis græcè, anno circiter 15. à Domini ascensione, dum ageret vnà cum Paulo in Achaiæ & Bœotiæ partibus, quod præfatione in Euangelium Matthæi notat Hieronymus; consilio haud dubium & hortatu Pauli, occasione autem pseudapostolorum illorum, quorum meminit Paulus in epistolis suis, præsertim posteriore ad Corinthios, qui in illis Græciæ regionibus, multas de Christo fabulas, genealogias, & quæstiones stultas (Tit. 1. v. 10. 11. 14. & 3. v. 9.) à se confictas, disseminauerant, non verbo solùm, verumetiam scripto, quod ipsa Lucæ præfatio dat intelligendum. Ipse igitur Lucas, assequutus omnia à principio diligenter, ab iis qui ipsi viderant & ministri fuerant sermonis, verissimum hoc & diuinissimum euangelium edidit, Paulo approbante.

CAPVT PRIMVM.

Quoniam quidem multi conati [1] sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum,	ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν, περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων,

QVONIAM QVIDEM. ἐπειδήπερ quandoquidem. non tam causa quàm occasio significatur. *Cæteri Euangelistæ*, ait Titus Bostrorum Episcopus, *ab ipsis statim rebus initium faciunt: Lucas verò breue præmittit exordium.* MVLTI. Loquitur Lucas de iis qui ante se scripserant historiam euangelicam: non tamen intelligit Matthæum & Marcum, (quos haud dubium est priùs Luca scripsisse, quamuis nouus Beza reclamet) quia Matthæus quidem, non vt tradiderant qui viderant, sed vt ipsemet viderat, scripserat, idque Hebræis hebraicè: Marcus verò longè positus Romæ, Latinis latinè scripserat (vt multorum opinio est) neutrius verò adhuc exstabant in Græcia exemplaria, præsertim græcè translata. Illos igitur, vt adhuc ignotos Græcis, apud quos ipse versabatur, præterit: eos verò intelligit, qui his in partibus græcè iam scripserant, nempe pseudapostolos, hoc est, eos à quibus scripta euangelia, neutiquam probata Christi Ecclesiæ fuerunt. Feruntur huiusmodi multa euangelia, quæ veteres memorant; secundùm Thomam, Matthiam, duodecim; secundùm Hebræos, Nazaræos, Ægyptios; secundùm Nicodemum, Basilidem, Apellem, Cerinthum, Merinthum. Sed vt Basilides, Apelles, Cerinthus, & Merinthus, Luca posteriores fuerunt: ita quænam aliorum ante Lucæ euangelium scripta fuerint, manet incertum; certum verò, nonnulla scripta fuisse, & quidem plura vno, de quorum auctoribus Lucas hîc loquitur, vt est concors Veterum sententia. Liceret coniicere, illa fuisse, quæ Apostolorum nomina falsò præ se ferebant, Thomæ, Matthiæ, duodecim, quod diximus: ita vt hâc etiam ob causam, auctores illorum, pseudapostoli sint dicti Paulo. CONATI SVNT. ἐπεχείρησαν in manus sumserunt, quod latinè, metaphora à pedibus sumta, dicitur *aggressi sunt*; nec malè Interpres *conati sunt*. Syrus *voluerunt*.

Non

Non dicit Euangelista, quòd temerè aggressi sint, aut conati, quod non præstiterint (nec ea est vis verborum, quæ in laude non minùs quàm in vitio ponuntur) rectè tamen id intelligunt Patres & græci & latini, ex circumstantiis. ORDINARE. ordine digerere. ἀνατάξασθαι pro συντάξαι componere, conficere, contexere. Syrus *scribere*. NARRATIONEM. historiam. QVÆ. earum quæ. IN NOBIS Christianis. inter seu apud nos Christianos. COMPLETÆ SVNT. certò creditæ firmiterque receptæ sunt. πεπληροφορημένων quæ prorsus certificatæ seu (vt ita dicam) certioratæ sunt, quarum plena fides facta est, quæ plenissimæ certissimæque sunt fidei. *Nam vno verbo latinus sermo non explicat*, quod annotat Interpres Origenis homilia prima in Lucam. πληροφορεῖσθαι ad personam relatum, est ita certiorem de re aliqua fieri, vt nulla restet dubitatio ad rem relatum, significat, ita certis testimoniis esse comprobatam, vt de ea ambigi non possit, nec vllis amplius probationibus sit opus. Ad personam refertur Rom. 4. v. 21. πληροφορηθεὶς, quod Interpres vertit *plenissime sciens*, id est, certissimè persuasus & credens: hîc πεπληροφορημένων ad res relatum, transfert *completa sunt*, quod interpretari oportet vt diximus, certò creditæ firmiterque receptæ sunt, quas plenè scimus, sumusque persuasi. Hanc interpretationem indicat Ambrosius, dum ait in hunc locum scribens: *Fundatus in petra, & qui omnem fidei sumserit plenitudinem, firmamentumq; constantiæ, rectè dicit, quæ in nobis completa sunt rerum.* Interpres Latinus ex Syro vertit *in quibus nos contenti acquiescimus*: syriaca enim radix ܦܝܣ *paies*, contentum reddere & persuadere significat: hinc verbale nomen ܦܝܣܐ *petaso*, certitudinem declarat & persuasionem certam, cui omnino acquiescit mens fidelis. RERVM. Quæ sint illæ res, certissimæ inter Christianos fidei, non exprimit Lucas; tametsi hoc libri sui sit argumentum; quòd Theophilus & quiuis alius Christianus lector, facilè intellecturus esset, esse mysteria redemtionis humanæ à Iesu Christo peractæ, capita factorum & dictorum Iesu Christi. Hæc cùm docti essent Christiani omnes, conati sunt multi, contextis historiis, distinctè particulatimque narrare.

καθὼς παρέδωσαν ἡμῖν, οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου·	sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis:

SICVT TRADIDERVNT. Versiculum hunc quidam ad sequentem referunt, sed meliùs alij iungunt præcedenti, relatum, vel ad *ordinare narrationem*, vel ad *completa sunt*, vel potiùs ad vtrumque, ita vt priùs quidem significetur, quas res illi conati fuerint describere, eas nimirum quas tradiderant Apostoli; deinde verò insinuetur, quare res illæ Christianis completæ, id est, persuasissimæ certissimæque sint, quia nimirum ab iis qui viderant & ministri fuerant sermonis traditæ. *Sicut tradiderunt*. Multi conati sunt texere historiam rerum fidei nostræ, sicut traditæ sunt ab Apostolis &c. Nam quamquam non ita narrassent eas, vt Apostoli tradiderant: hoc tamen polliciti & professi fuerant, scribi à se historiam euangelicam, prout eam ab Apostolis aliisque qui viderant acceperant. TRADIDERVNT viua voce, partim prædicando, partim catechizando. Nota, traditionem euangelij, scripturâ euangelij priorem esse, Euangelista doctore; & res euangelicas, antequam scripto committerentur, non minoris certitudinis fuisse, quàm pòst. Vnde sequitur, non ideò fuisse scripto traditas, vt fidem mererentur certiorem, sed vt certitudo earum voce accepta, in scripto recognosceretur, quemadmodum mox ait Euangelista v. 4. Ecclesia, hoc est, Ecclesiæ præpositi, *ministri sermonis* (vt hîc loquitur Lucas) *pastores & doctores* (vt loquitur Paulus Ephes. 4. v. 11.) seruat euangelium verbumque Dei inuiolatum, quod in Scriptura sacra agnoscitur. NOBIS. Lucas omnesque eius æquales Christiani, didicerant euangelium ab Apostolis & discipulis qui Iesu Christo inter mortales agenti adhæserant. AB INITIO s. ostensionis Christi ad Israel (Luc. 1. v. 80.) *incipientis à baptismate Iohannis vsque in diem qua assumtus est*. Act. 1. v. 22. IPSI VIDERVNT. græcè vox vna legitur, eaque nomen, αὐτόπται spectatores, subaudito ex sequentibus verbo *fuerunt*. Significanter autem interpres reddidit *ipsi viderunt*, tamquam suis oculis, quos testes oculatos vocamus. *Viderunt* autem, res illas completas, siue plenissimè creditas; seu spectatores fuerunt τῶν πραγμάτων illarum rerum (quomodo Titus Bostrenus explicat) quamquam situs græcarum vocum potiùs exigat, vt vnus genitiuus λόγου *sermonis* qui sequitur æqualiter regatur à duobus nominatiuis αὐτόπται & ὑπηρέται *spectatores* & *ministri*, latineque ad verbum *viderunt*, ex eo quod sequitur subaudiatur *sermonem*. Quod si ita est, cùm genitiuus ille λόγου *sermonis* seu *verbi*, verisimillima interpretatione accipiatur pro verbo Dei siue doctrina euangelica (sic enim frequéter Lucas in Actis, vocabulo *verbum* absolutè positò, vtitur pro verbo Dei siue Euangelij, κατ' ἐξοχὴν Act. 10. v. 44. 11. v. 19. 17. v. 11. 18. v. 5. &c.) intelligendum, eosdem diuersis modis diuersisque temporibus, fuisse, & spectatores verbi, & ministros verbi. Spectatores quidem, quòd adfuissent Christo docenti, prædicanti, & ea omnia agenti, quæ verbum Dei siue doctrina euangelica annunciat mortalibus, & ad fidem pertinent christianam: eaque omnia suis & oculis & auribus hausissent (sub visu enim cæteri sensus comprehenduntur) quo modo præfatur gloriaturque Iohannes Apostolus 1. epistolæ 1. v. 1. :: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ; quod*, inquam, *vidimus & audiuimus, annunciamus vobis*. Ministri verò *sermonis* siue *verbi* fuerunt, quia diuinitus eis data fuit cura ministrandi prædicandique verbum Dei; idque etiam *ab initio*, quia à Christo ipso in terris agente, ad ministrandum ac promulgandum Dei verbum, siue euangelicam doctrinam, instituti, nominati, destinati, & emissi sunt. In hunc sensum Titus, ministros verbi dici posse docet, quia *doctrinæ quam Saluator promulgauerat, subseruierunt*. Quò facit, quòd Paulus Lucæ præceptor, consueuerit prædicatores euangelij vocare ministros euangelij (Ephes. 3. v. 7. Coloss. 1. v. 23. 1. Thess. 3. v. 2.) vt ipse Lucas prædicationem euangelij appellat ministerium verbi. Act. 6. v. 4. quamquam his locis vox διάκονος potiùs legatur quàm ὑπηρέτης, sed parua aut nulla est inter vtramque differentia. Fuerunt igitur spectatores verbi, qui non fuerunt ministri verbi, vt mulieres complures, & inter alias Deipara virgo: sed vtroque munere clari fuerunt Apostoli XII & LXXII discipuli, quibus annumerandi sunt alij nonnulli, quos, mox vt Spiritum sanctum acceperant, Apostoli ad officium euangelij prædicandi ordinarunt, sumtos ex numero eorum qui cum Apostolis *congregati fuerant in omni tempore, quo intrauerat & exierat inter eos Dominus*

Iesus. Act.1.v.21. Huiusmodi si non fuit, proximè accessit Paulus, cui Act.26. v.16. dicitur à Domino Iesu: *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti & eorum quibus apparebo tibi.* Ab his igitur, qui & spectatores fuerant ab initio, & deinde etiam ordinati ministri sermonis, dicit Lucas, res euangelicas, antequam scripto committerêtur, traditas fuisse, cùm sibi, tum cæteris suæ ætatis christianis: duplicem insinuans illarum rerum certitudinem, minimeque vulgarem traditionem, quod traditæ essent ab iis qui, & suis eas oculis fuerant contemplati, & ad promulgandum diuinitus ordinati, vt meritò dixerit, sibi cæterisque christianis ingenitam esse earum πληροφορίαν, id est, plenam perfectamque fidem.

visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile,

3 ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, καθεξῆς σοι γράψαι, κράτιστε θεόφιλε,

VISVM EST, Spiritu sancto inspirante. *Non quasi à se sibi visum*, ait Beda, *sed Spiritu sancto instigante, sibi quoque visum significat, iuxta quod in epistola sua dicunt Apostoli: Visum est Spiritui sancto & nobis.* Act.15. v.28. *Non enim voluntate humana*, habet Ambrosius, *visum est, sed sicut placuit ei, qui in me, inquit, loquitur Christus: qui vt id quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur.* ET MIHI. etiam mihi. visum est illis, visum est etiam mihi, illorum scilicet exemplo, quamquam alio spiritu mihi quàm illis. Auctores boni prouocantur frequenter exemplo reproborum ad scribendum, vt scilicet benè scribant, quod illi malè scripserint. Multi viri catholici, exemplo Caluini, excitati sunt ad scribendum de SS. Eucharistia, vt corrigerent scribendo, quod ille scribendo peruertere conatus fuerat. ASSECVTO. consecuto. Significat quidem vox græca assectari, sed intelligit Lucas, se ita esse assectatum, se ita inuestigasse & quęsiuisse, vt etiam fuerit consecutus, id est, perdidicerit & intellexerit: cæteroqui enim non omnia assequimur quæ assectamur. *Assecutio, hoc loco*, inquit Euthymius, *pro cognitione sumenda est.* *Assecuto* autem, vtpote qui inuestigauerim ex iis qui viderant & ministri fuerant sermonis, ex iis etiam qui viderant tantùm, (è quorum numero fuit haud dubium B. Maria mater Christi, denique vndecumque fieri potuit. OMNIA. πᾶσι quidam transferunt masculino genere *omnes* (est enim anceps πᾶσι) & ad spectatores ac ministros, quorum mentio præcedit, referunt, quasi dicat Lucas, quòd illos omnes fuerit assectatus vt rem totam perfectè intelligeret: quibus fauens Syrus vertit: *Propterea quòd solicitè proximus fuerim illis omnibus.* Sed præferenda est translatio neutrius generis *omnia*: *omnia* autem dicit, quæ scilicet ad res illas fide in nobis completas, pertinent, non solùm capita illarum, quorum cognitio singulis christianorum sufficit, sed particulatim omnia, vt decet historicum; nec tamen absolutè omnia, sed pleraque omnia, saltem nullo eorum prætermisso quæ scitu necessaria videbantur & opportunè occurrebant. A PRINCIPIO vsque ad finem. ἄνωθεν sursum, altè, id est, à primis principiis ipsaque origine, à summo ad imum vsque. Hoc declarat, quando historiam suam orditur, à Iohannis Baptistæ conceptione, quæ quasi primus radius apparuit surgentis auroræ: quàm altè nullus alius historiam euangelicam est auspicatus. DILIGENTER. ἀκριβῶς penitus & ad intima vsque, exquisita nimirum perfectaque diligentia ac scrutinio adhibito. Et hoc aduerbium, præcedenti verbo iungendum est, non sequenti. Commendat studium diligentiamque suam, quam in quærendis, vestigandis, explorandisque iis rebus adhibuerit, de quibus scribere statuerat, seque sic assecutum omnia quæ scripturus sit, vt quamuis multa scripturus sit, nihil tamen quod non penitus cognitum habeat atque perspectum. Hac igitur parte *assecuto omnia à principio diligenter*, occurrit obiectioni quæ fieri possit, quare, postquam multi alij conati essent scribere, visum sit etiam ipsi conari, distinguitque se ab aliis illis, quòd ipse ab ipso rerum exordio intimè inuestigauerit & assecutus sit omnia, subindicans illos non adhibuisse quam debuerant diligentiam in inuestigando, nec fidem in scribendo, ac proinde pleraque non assecutos, aut certè non intimè & medullitus. fabulas illi nugasque complures dederant, & veris falsa frequenter admiscuerant: nunc commenta sua, nunc populari dumtaxat rumore cognita, pro certis & compertis prodiderant. Non arguit illos disertis verbis huius vitij, siue fraudis aut negligentię, nec acriter in eos inuehitur, (fortè quòd nondum publicè ab Ecclesia damnati essent) sed diligentiam rerumque certitudinem sibi vendicans, modestè illis abrogat fidem.

EX ORDINE. καθεξῆς cohærenter ad verbum, id est, distinctè & distributè, seruato ordine congruo; non semper temporis & rerum gestarum quoad singula quæque, sed tamen quoad capita totumque historiæ complexum. Exorsus enim à conceptione Iohannis & Iesu, pergit ad eorumdem natiuitatem, deinde ad functiones singulorum, Iohannis primùm, posteà Iesu, tandem ad passionem Iesu & resurrectionem. SCRIBERE de his, non omnia, sed *eligendo de omnibus*, inquit Augustinus, *vnde faceret sermonem, quæ indicauit apta & congrua sufficere officio dispensationis suæ.* Lib.4. de cons. Euang. cap. 8. *Assecuto omnia*, habet Ambrosius, *visum est scribere, non omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed assecutus est omnia, quia quæ fecit, inquit, Iesus, si scribantur omnia, nec ipsum capere mundum arbitror.* Hæc Ambrosius. OPTIME. κράτιστε præstantissime. non enim à moribus, sed à robore aut excellentia, ducuntur nomina græcum & syriacum. Itaque vertas fortissime, strenuissime, sed simpliciùs excellentissime, aut certè optime, si ad optimatis significationem respicias. Epitheton consuetum attribui, ab hoc Euangelista, viris principibus magnæque auctoritatis, præsidibus Iudææ Festo & Felici, Act.23. v.26. 24. v.3. 26. v.25. THEOPHILE. Theophilum interpreteris amicum Dei vel amantem Dei: sed hîc esse nomen proprium, vel epitheton additum declarat. Quis autem fuerit iste Theophilus & cuias, incertum est: hoc tantùm liquet, fuisse primarium virum, aut etiam principem, christiana fide nobilem, beati Lucæ non tam discipulum quàm familiarem, vtpote cui vtrumque librum suum, & Euangelij & Actorum Apostolicorum (Act.1.v.1.) dedicauerit: non quòd illi soli eos scripserit, sed eo consilio, verisimile est, vt eius nomine & auctoritate commendati, à multis legerentur, minusque inuidiæ ac periculi subirent. Nam neque Apostolus Paulus, illis solis scripsit epistolas suas, quibus inscripsit, sed omnibus.

ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λό-
γων τὴν ἀσφάλειαν.

4 Vt cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

VT. Hic finis Lucæ euangelium ſcribenti propoſitus fuit. COGNOSCAS ἐπιγνῷς agnoſcas, recognoſcas. *Attende*, inquit Theophylactus, *quod dixit ἐπιγνῷς agnoſcas, non γνῷς cognoſcas aut ſcias, hoc eſt, ſecundò maiorem accipias ſcientiam*. Recognoſcas tu aliique tecum, in ſcripto meo tamquam in ſpeculo. Veriſimile eſt, Theophilum, in iis in quibus agebat partibus, nullum ante hoc Lucæ legiſſe aut vidiſſe euangelium ſcriptum quo niti poſſet, niſi fortè pſeudapoſtolorum, quibus fides à probis Chriſtianis non adhibebatur. EORVM VERBORVM, id eſt, earum rerum. Quod enim mox dixit πραγμάτων verſu primo, hic dicit λόγων, phraſi hebraica, quaſi infrà 2. v. 15: *Et videamus hoc verbum quod factum eſt.* DE QVIBVS ERVDITVS ES. περὶ ὧν κατηχήθης de quibus catechizatus es, id eſt, quæ hactenus viua voce doctus es, ſiue ante ſiue poſt baptiſmum, κατηχεῖν apud Paulum & Lucam ſignificat, Chriſtianæ religionis elementa myſteriaque viua voce docere (Gal. 6. v. 6.) vnde dicti κατηχούμενοι *catechumeni* in primitiua eccleſia, candidati baptiſmatis, quòd ante baptiſmum docerentur viua præceptorum voce prima fidei Chriſtianæ principia. Opponit autem hîc Lucas τὸ κατηχῆσθαι, ei quod præcedit γράψαι ſcribere. VERITATEM. ἀσφάλειαν certitudinem, ſecuritatem, ſoliditatem, non labaſcentem firmitatem. vt ea verba veriſſima ac ſecuriſſima, quæ ante hac viua voce doctus es, ſcripto tradita agnoſcas æquè verè ac ſecurè. Subſtantiuum *veritatem*, loco adiectiui eſt ſimul & aduerbij. Non enim vult euangeliſta, rebus illis per ſe veriſſimis ac ſolidiſſimis (quas mox vocauerat pleniſſimæ perfectiſſimæque fidei res, quippe traditas ab iis qui ipſi viderant & miniſtri fuerant ſermonis) certitudinis ſecuritatiſve aliquid ſcribendo addere: ſed vult vt Theophilus, veriſſimas illas ac ſolidiſſimas res, quas verbo ſiue ſermone hactenus cognouerat, iam ſcripto recognoſcat, libro inſcriptas legat, quas ſolo auditu didicerat: & quamquam latiùs ſcriptas, & ad hiſtoriæ rationem ordine longè lateque expoſitas, veriſſimè tamen & ſecuriſſimè ſcriptas, alieniſſimè ab omni lapſus mendacij errorisque periculo, quale in aliorum quorumdam libris id temporis ſuberat. Hæc igitur fuit Lucæ cauſa euangelium literis mandandi, vt Theophilus cæterique eius temporis Chriſtiani, qui res euangelicas ad id vſque temporis ex præceptorum ore acceperant, tandem fideli ſcripto digeſtas eas legẽtes, tamquam in ſpeculo ſibi repræſentatas agnoſcerent, *& agnoſcentes*, quod ait Euthymius, *vehementius ſermonum fides certitudine raperentur*. Non parùm enim & vtile & volupe eſt, res magni momenti quas ex aliorum ore didiceris, tandem ſcripto traditas legere & recognoſcere poſſe vbi volueris, & quidem ſecurè, quamquam latè hiſtoriceque narratas, quippe à diligenti & fide digno auctore ſcriptas, qui nihil falſi incertive admiſcuerit. Nam præterquam quòd memoria hac ratione iuuatur ac renouatur, accedit quædam ſententiæ prioris confirmatio, & creſcit animi voluptas, agnoſcentis in literis permanentibus, quæ priùs cognouerat in ſolis verbis pereuntibus.

* * * * * * * *

CAPVT TERTIVM.

Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμο-
νίας Τιβερίου καίσαρος, ἡγεμονεύοντος πον-
τίου πιλάτου τῆς ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος
τῆς γαλιλαίας ἡρώδου, φιλίππου δὲ τοῦ
ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς ἰτου-
ραίας καὶ τραχωνίτιδος χώρας, καὶ λυ-
σανίου τῆς ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος,

1 • Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha,

ANNO. quem vocat *placabilem & acceptabilem* Iſaias cap. 61. v. 2. Ab infantia Ieſu Saluatoris & Iohannis Præcurſoris ipſius, progrediens Lucas ad munus & prædicationem vtriuſque, quod in virili ætate aggreſſi ſunt, exactè deſcribit tempus, ad hiſtoriæ cùm certitudinem tum claritatem. QVINTO DECIMO. Imperauit in vniuerſum annis vigintiduobus & dimidio. Notat Romani Cæſaris annum, quòd illa ratio, omnibus apud omnes gentes chronicorum obſeruatoribus, communis certaque futura erat. IMPERII. ἡγεμονίας, id eſt, αὐτοκράτορος ἀρχῆς ſummi imperij. TIBERII Neronis, priuigni generi & ſucceſſoris Octauiani Auguſti, à quo fuerat adoptatus in filium & imperij heredem. CÆSARIS. monarchæ mundi, cui & Iudæa ſuberat eo tempore. vide Matth. 22. v. 17. PROCVRANTE. ἡγεμονεύοντος præſidem agente. Non fuit Euangeliſta ſolicitus, vt voce diſtingueret imperium Tiberij à Pilati præfectura. *Procurante* dixit Interpres, quia Cæſaris iuſſu ac nomine adminiſtrabat. PONTIO PILATO. Tiberius, anno imperij ſui duodecimo, reuocato Valerio Grato, miſit Pontium Pilatum, vt Iudææ præſidem ageret. Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 3. fuit autem *Pilatus* nomen eius, *Pontius* verò prænomen, Romanorum more, quaſi *Marcus Antonius*, *Publius Scipio*, & plerique alij nominabantur. IVDÆAM. eam Chananææ partem quæ fuerat olim tribuum Iudæ & Beniamini ſtrictè enim accipitur, ita vt diſtinguitur contra Galilæã, Peræam, &c. vide Matth. 2. v. 1. Archelaus Herodis magni filius, cùm Cæſaris Auguſti dono ethnarcham egiſſet Iudææ (vide Matth. 2. v. 22.) annis nouem, accuſantibus Iudæorum legatis, tyrãnidis damnatus, ab eodẽ Auguſto Viennam Galliæ ciuita-

tem in exsilium missus est, & ad gubernādam ditionem ipsius in prouinciam iam redactam, Coponius quidam, eques Romanus, est amandatus. cui Romam reuerso successit M. Ambiuius, huic Annius Rufus, quo præside Augustus mortuus est. Tiberius successor, in locum Annij Rufi mox surrogauit Valerium Gratum: cui, cùm annis vndecim eum Iudææ magistratum gessisset, suffecit Pontium Pilatum, qui eadē in functione permansit annis decem, & quarto anno vidit prędicantes Iohannem & Iesum. Hæc intelliguntur ex Iosephi Antiquitatibus, lib. 18. cap. 1. 3. & Eusebij historia ecclesiastica lib. 1. cap. 11. TETRARCHA existente. τετραρχοῦντος tetrarcham agente. De Tetrarchę nomine & principatu vide Matth. 14. v. 1. & 9. HERODE Antipa, altero filio Herodis magni. hic enim testamento patris & Cæsaris dono fuit tetrarcha Galilææ & Perææ. PHILIPPO tertio filio magni Herodis. FRATRE EIVS non tamen germano: Herodes enim matre Samaritide, Philippus Ierosolymitana natus est. Iosephus Antiq. lib. 17. cap. 1. ITVRÆÆ. Ituræa, Regio est, à Iethur filio Ismaëlis accepto nomine (Gen. 25. v. 15. 1. Paral. 5. v. 19.) montosa ac nemorosa, iuxta radices montis Libani in longum porrecta Occidentem versus ad montes vsque Sidoniorum & Tyriorum, initio sumto à finibus Paneadis siue Cæsarææ, quæ & ipsa huius Philippi fuit. Ituræam Iudææ regno olim adiecerat Rex Aristobulus. Ioseph. lib. 13. Antiq. cap. 19. TRACHONITIDIS. Ituræa citra, Trachonitis sita fuit vltra Iordanem, quę incipiens à monte Libano vsque ad Tiberiadi proximum lacum panditur. Ioseph. l. 3. de bello. cap. 2. Appellata est autem Trachonitis, quòd saxosa & aspera sit: τραχὼν enim græcis locum saxosum significat. Hanc, cum vicinis, Auranitide, Paneade, & Ituræa ab occasu, & Batanæa ab ortu, Cæsar Augustus Herodis regno adiecerat, postquam Cæsaræam Palestinæ ille in Cæsaris honorem ædificasset, teste Iosepho lib. 15. Antiq. cap. 13. Quare Philippo Herodis filio, hereditatis loco assignata est ea portio, qua auctum fuerat patris regnum: non solius enim Trachonitidis & Iturææ tetrarcham fuisse, sed & Batanææ & Auranitidis & Paneadis, quam ipse à se excultam appellauit Cæsaream Philippi (vide Matth. 16. v. 13.) Iosephi testimonio constat. lib. 17. Antiq. cap. 10. 13. LYSANIA. Non hic Herodis filius fuit, sed nescio quis alius ex genere Dynastarum Chalcidis, cuius meminit Iosephus lib. 15. Antiq. cap. 13., vbi ait, *Lysaniæ ditionem à Zenodoro conductam fuisse.* ABILINÆ regionis, sic dicta ab Abila ciuitate, sita inter Libanum & Antilibanum, Ptolomæo dicta *Lysanium*: de qua Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 8., loquens de Caio, successore Tiberij, honorante Agrippam: *Tetrarchia*, inquit, *quæ fuerat Philippi, regem constituit, adiecta Lysaniæ quoque tetrarchia*; & lib. 19. cap. 4. de Claudio Caij successore: *Abilam*, ait, *& finitimam eius ditionem in Libano, quæ Lysaniæ fuerat*, (Agrippæ) *adiunxit de suo.* Notat itaque Euangelista nomina eorum per quos in illa Syriæ prouincia illo tempore publicæ res gerebantur, vt quos præconij eius quod mox exponetur oporteat minimè inscios fuisse. In tanta autem Iudaici regni scissura, quanta hîc describitur, dominantibus vbique alienigenis, opportunus erat Christi natiui Regis aduentus.

sub principibus sacerdotum Anna & 2 Caipha; factum est verbum Domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto.	ἐπ' ἀρχιερέων ἄννα καὶ καιάφα, ἐγένετο ῥῆμα θεοῦ ἐπὶ ἰωάννην τὸν τοῦ ζαχαρίου υἱὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ.

SVB PRINCIPIBVS SACERDOTVM. ἐπ' ἀρχιερέων sub pontificibus ANNA ET CAIPHA. *Anna* filio Sethi, & Iosepho cognominato *Caipha*. A prima Dei institutione hoc semper habuit Iudæorum consuetudo, vt vnus ipsis esset summus pontifex: & quamquam, vbi sub potestatem externorū Regum sunt redacti Iudæi, viuentibus pontificibus alij aliis frequenter sunt subrogati, quod contra Dei institutionem erat (lege Iosephum lib. 15. Antiq. cap. 3.) numquam tamen pontifices bini simul rem sacram administrarunt: id quod, cùm ex aliis, tum ex Iosepho est manifestum: ex quo etiam illud discimus, vnū solum Iosephum Caipham, hoc anno & pluribus subsequentibus, pontificatu functum, dono Valerij Grati Iudææ præsidis. lib. 18. Antiq. cap. 3. Pilatus enim pontificem, quem inuenit, non mutauit. Quòd ergo Euangelista cum Caipha etiam Annam nominat, non ita intelligendum est, quasi Annas & Caiphas simul pontificatum gesserint: sed facit illud primùm, quòd Annas, pontifex aliquando cùm fuisset, pontificis retinuerit nomen, quemadmodum apud nos Episcopi reseruat nomen qui Episcopatum dimiserit. lege Iosephi vigesimum de Antiquitatibus & quartum de bello, & videbis passim ab eo vocari pontifices, eos qui pontifices, non quidem iam erant, sed aliquando fuerant, & nominatim Annam siue Ananum; vt certè ea dignitas, ex prima origine, debuerat, ei qui semel electus esset, mansisse perpetua vsque ad mortem. Deinde quòd Caiphas Annæ deferret plurimum, quippe socero (Ioh. 18. v. 13.) & in honore præcessori; ac proinde, absque illius consilio nihil gerens, videretur non tam solus quàm vnà cum Anna præesse. Demum quòd Annas, cùm pluribus ipse annis pontificatum gessisset, paulò pòst filium suum Eleazarum, nunc etiam generum Caipham. successores sortitus, cùm ob hæc, tum ob virtutem, consilium, & eloquentiam, quæ in eo Iosephus mirè laudat lib. 4. de bello cap. vltimo, maximo in pretio apud Iudæos fuerit, ita vt pluris etiam fieret quàm ipse pontifex: qua de causa, & ante pontificem ipsum ab Euangelista nominatur, cùm hîc tum Act. 4. v. 6. Immo & quatuor alios filios suos ille posteà summos pontifices vidit. Fuerat ipse primus, summus pontifex designatus à Quirino Syriæ proconsule (Antiq. lib. 18. c. 3.) postea amotus à Valerio Grato Iudææ præside, successorem habuit, intercedente Ismaële Fabi filio, Eleazarum filium suum (Antiq. ibidem) deinde, alio quodam intercedente, Caipham generum suum (Antiq. ibidem) annis sedentem pluribus, saltem quamdiu Pilatus præfuit. Caiphæ Annæ genero, successit tandem Ionathas Annæ filius, & mox Theophilus alius eiusdem filius; paulò pòst, intermedio Simone Boëthi filio, Matthias, quartus filius; denique aliis quinque mediis, Annas patri homonymus, interfector Iacobi fratris Domini, de quo sic Iosephi Antiquitates lib. 20. cap. 8: *Rex* (Agrippa) *Iosepho* (Cabo) *iusso vitam priuatam agere, sacerdotium eius dedit Anani filio, & ipsi vocato Anano, eodē quo pater nomine. Seniorem istum Ananum aiunt fuisse omnium felicißimum, vt qui filios habuerit quinque, omnes potitos summo Dei pontificio, cùm prius ipse ad satietatem hac dignitate esset perfunctus: quod ad eam ætatem nulli antè summorum pontificum contigerat.* Hæc Iosephus. Hinc igitur luce meridiana clarius fit, cur Caiphæ pontifici adiungatur Annas tamquam alter pontifex, adeoque præponatur. FACTVM EST VERBVM DOMINI. loquutus est Dominus. Phrasis propheetis

phetis familiaris, qua significat se missos à Deo: quam imitatus Euangelista, docet, non sponte sua prosiliisse Iohannem, sed iussum missumque à Deo. Loquutus est autem Dominus, non tam externa voce, quàm interna inspiratione, verisimile est. Loquutus verò est, ea quæ ab eo agi, doceri, nunciari, ac monstrari vellet, ea nimirum quæ sequuntur, & alia eodem pertinentia ab aliis Euangelistis narrata. SVPER pro *ad*, ex phrasi hebraica, qua significatur verbum Domini cælitùs delapsum Iohannis menti insedisse, quemadmodum imber graminibus. IOHANNEM iam agentem annum ætatis tricesimum primum.
IN DESERTO. in siluestribus montosisque deserti, procul à contagioso hominum pollutorum consórtio, agentem cælestem potiùs quàm terrestrem vitam, ac proinde apprimè idoneum quicum loqueretur & negotium reparandæ salutis humani generis tractaret Deus.

καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ ἰορδάνου, κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων ἠσαΐου τοῦ προφήτου λέγοντος·

3 Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ:

Matth. 3. v. 1. Marc. 1. v. 4. 2.

ET VENIT. Iuxta quod verbum Domini *venit* seu prodiit ex locis illis desertis in quibus hactenus latuerat (suprà 1. v. 80.) describit Euangelista, quomodo, Iohannis prædicatione ac baptismo, Saluator hominibus declaratus fuerit. IN OMNEM. in totam. REGIONEM IORDANIS seu circa Iordanem. τὴν περίχωρον τοῦ ἰορδάνου regionem circumiacentem Iordani, circumcirca adiacentem, seu circumuicinam Iordani fluuio, qua parte ille deserto ac Ierichunti vicinus est. Fluuius enim capitalis Iordanis qui Iudæã disterminat, brachium suum ad Ierichuntem vsque extendens, indeque circulatim reducens in proprium alueum, circumcingit bonam Iudææ regionem; ita vt non opus sit intelligere Iohannem vltra Iordanem extimum, extra Iudæam, in Pæream etiam abiisse: Regionem enim Iordanis seu circa Iordanem Lucas vocat eam, quam Marcus cap. 1. v. 4. desertum, Matthæus cap. 3. v. 1. desertum Iudææ, liber secundus Regum campestria deserti. *Venit* igitur Iohannes *in omnem regionem Iordanis*, id est, obiit seu circumiit campos illos vastissimos prope Ierichuntem, quos Iordanis excurrens circumlustrat. Non itaque hîc accipit Lucas *omnem regionem circa Iordanem*, quemadmodum Matthæus cap. 3. v. 5. vbi dicit, *omnem regionem circa Iordanem ad Iohannem egressam*: non enim Iudæam, Pæream, & Galilæam peragrauit Iohannes, quemadmodum Iesus; sed contentus Iohannes obire campestria deserti Iudææ, circumuicina Iordani, vbi parata erat aquæ copia, ad obeundum sibi diuinitùs iniunctum baptizandi officium; reliquit Iudæam, Pæream, Galilæam, & cæteras regiones Iordani affines ad se egredi. PRÆDICANS, simul & administrans. POENITENTIÆ hominibus ineundæ & exercendæ, iis qui peccata sibi per Christum remitti cuperent.
SICVT SCRIPTVM EST, iuxta quod scriptum & prædictum inuenitur. Marcus præponit prophetiam rei; Lucas rem prophetiæ, aut potiùs interponit Lucas rem mediam inter prophetias seu oracula duo, vnum præsens Iohanni, alterum vetus Isaiæ editum, quò res omni ex parte diuina esse cognoscatur. SERMONVM. verborum, vaticiniorum, prophetiarum, in libro continente prophetias, quas postquam populo Isaias nunciasset ore, scripto posteris prodidit. PROPHETÆ. λέγοντος *dicentis* addunt Græca & Syra. Reliqua ad huius versiculi explicationem necessaria, legantur Matth. 3. v. 1. & præsertim Mar. 1. v. 4.

φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ· ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ.

4 Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

Isa. 40. v. 3. Matth. 3. v. 3. Marc. 1. v. 3. Iohan. 1. v. 23.

Hic versiculus expositus fuit Matth. 3. v. 3.

πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται· καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας.

5 Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

Isa. 40. v. 4.

OMNIS VALLIS. Explicans vox clamantis quî paranda & recta reddenda sit via aduentanti Christo Domino, perseuerat in similitudine, accepta ab ea consuetudine, qua Regi vrbem aliquam suam primùm ingressuro paratur à ciuibus via: quod quidem fit vallibus collibusq; reliquo solo æquatis, & via recta ac facili reddita. IMPLEBITVR. impleatur. futurum pro imperatiuo, quod Hebræis est familiare. *Impleatur* s. terra; ita vt fiat reliquæ viæ æqualis. Nam vallibus repletis & collibus montibusque recisis via ad æquabilitatem reducitur. Sensus est, Peccatorum pondere depressi ac pusillanimes omnes accipiant animum, erecti fiducia releuationis accipiendæ. HVMILIABITVR. humilietur, deprimatur, ita vt non excedat reliquam viam altitudine. Superbi ac tumidi, sapientiæ, iustitiæ, aut potentiæ opinione, ponant animos, demittant ceruicem, nec se præferant cæteris, agnoscentes variis se peccatis obnoxios, ad quæ auferenda opus habeant non minùs quàm cæteri Redemtore. ET ERVNT, id est, sint seu fiant. PRAVA, distorta. τὰ σκολιὰ obliqua, curua s. viarum. IN DIRECTA. εἰς εὐθεῖαν in rectam s. viam, id est, fiant via recta. Hebraïsmus, qualis ille *Erunt duo in carne vna*. Matth. 19. v. 5. Viuendi mores praui, mutentur in bonos & rectæ rationi legique Dei consentaneos. ET ASPERA. καὶ αἱ τραχεῖαι & asperæ s. viæ, id est, senticosæ aut petricosæ.
PLANAS. fiant viæ planæ, leues, faciles. Iracundi cæterique incommodis hactenus præditi moribus,

fiant tractabiles, faciles, æqui, mansueti. Quemadmodum viæ propter res quatuor incommodæ sunt, propter, vel descensus, vel ascensus, vel obliquitates, vel asperitates: ita similem omnem vitiorum deformitatem auferendam, & contrarium virtutis studium amplectendum monet, quò, & expeditus sit Domini aduentus, & gratus acceptusque declaretur. Hoc autem totum comprehenditur illis verbis prædicantis Iohannis: *Pœnitentiam agite.*

Isa. 40. v. 5.

Et videbit omnis caro salutare Dei. [6] καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ.

ET pro enim. Nam his verbis continetur ratio, quare præparandæ sint his modis viæ. VIDEBIT mox. OMNIS CARO. omnis homo, ipsis suis oculis carneis. SALVTARE. τὸ σωτήριον salutem DEI, Christum à Deo missum salutis auctorem, saluatorem mũdi. quem scilicet quicumque cum fructu salutis videre volet, & dignè excipere, vt debet, necessum est vt eius viæ moresque sint hac ratione præparati. Huius loco propheta habet: *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est.* quod in eumdem sensum sic est intelligendum: Mox enim aderit omnium oculis conspicuus Christus Dei gloria & hominum salus, nec erit homo mortalis qui eum videre nequeat, eò quòd os Domini, quod mentiri ac fallere nescit, id promiserit. Hoc est illud quod Iohannes prædicat altera suæ concionis parte: *Appropinquauit enim regnum cælorum,* siue Christus rex auctorque regni cælorum.

Matth. 3. v. 7. 23. v. 33.

Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? [7] ἔλεγεν οὖν τοῖς ἐκπορευομένοις ὄχλοις βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτοῦ· γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς;

ERGO. continuatiuum orationis est. AD TVRBAS, notans præcipuè turbis permixtos Pharisæos & Sadducæos, quos Matthæus nominat. QVÆ EXIBANT. quæ è suis singulæ locis profectæ veniebant ad ipsum. GENIMINA. γεννήματα. alias vertit *progenies.* OSTENDIT. præteritum est ex ὑπέδειξεν, quod secundùm Matthæum vertit *demonstrauit.* VENTVRA. τῆς μελλούσης futura. Reliqua lege Matth. 3. v. 7.

Matth. 3. v. 8. 9.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ: & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. [8] ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας, καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς· πατέρα ἔχομεν τὸν ἀβραάμ· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ ἀβραάμ.

NE COEPERITIS iterum quemadmodum consueuistis, id est, definite. DICERE. ἐν ἑαυτοῖς apud vosipsos additur græcè & syriacè, quemadmodũ secundùm Matthæum. Reliqua enarrata sunt Matth. 3. v. 8. 9.

Matth. 3. v. 10. 7. v. 19.

Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. [9] ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται. πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλόν, ἐκκόπτεται καὶ εἰς πῦρ βάλλεται.

Huius versiculi expositionem pete ex euangelio secundùm Matthæum.

* * * * * * * *

Existimante autẽ populo, & cogitãtibus omnibus in cordibus suis de Iohanne, ne fortè ipse esset Christus: [15] προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ, καὶ διαλογιζομένων πάντων ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν περὶ τοῦ ἰωάννου, μήποτε αὐτὸς εἴη ὁ χριστός·

EXISTIMANTE. προσδοκῶντος exspectante, seu sperante (quomodo est & syriacè) rei scilicet euentum, velut ex euentu iudicaturus esset. Interpres legisse videtur δοκοῦντος. IN CORDIBVS SVIS. nondum id affirmabant, quòd nondum vidisse se existimarent indubitata argumenta: sed ex rebus præsentibus præsagiebat ipsis animus huiusmodi aliquid. Tandem verò ita creuit opinio hęc & in ore versata est omnium, vt primores populi putarint legatis missis percontandum sibi ex Iohanne esse, an Christum se ipse agnosceret. Iohan. 1. v. 19. NE FORTE. μήποτε num fortè. numnam. an vir ille virtutibus illis actionibusque insignis, ESSET CHRISTVS. ὁ χριστὸς Christus ille promissus. Huiusmodi opinione ducebatur populus, primùm ex eo, quòd omnes etiam legisperiti, ex plurium prophetiarum adimpletione, iudicarent adesse tempus promissi Messiæ, deinde ex admiranda ac celebri Iohannis natiuitate, insuper ex eius vita sancta à communi hominum vita aliena, denique ex eo quòd noua instituta proferret, nominatim quòd baptismum administraret. intellexerunt enim ex Ezech. 36. v. 25. baptismi vsum fore Messiæ tempore. Nam quòd Iohannes erat ex tribu Leui, cogitabant eam tribum tribui Iuda generique Dauid permixtam. Iesum autem, vel nondum nouerant, vel non tanti quanti Iohannem faciebant, vt cuius, & natiuitas haberetur communis, & patria

tria contemtibilis, & educatio vilis, & vita vulgaris, & baptiſmus ex Iohannis imitatione inſtitutus. Et in hac quidem cæcitate permanſerunt, ita vt id quod in Iohanne ſponte crediderunt, hoc nec tandem in Ieſu, tantis ſignis ac virtutibus adprobato, ipſo etiam Iohanne atteſtante, crederent.

ἀπεκρίνατο ὁ ἰωάννης ἅπασι λέγων· [16] ἐγὼ μὲν ὕδατι βαπτίζω ὑμᾶς, ἔρχεται δὲ ὁ ἰσχυρότερός μου, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ· αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.

reſpondit Iohannes dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: venit autem fortior me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni.

Matth. 3. v. 11. Marc. 1. v. 7. 8. Iohan. 1. v. 15. 26. 27. 30.

RESPONDIT. hac occaſione loquutus eſt. IOHANNES, certior factus opinionis iſtius popularis, vel à Spiritu ſancto, vel à diſcipulis ſuis: nec enim ſic corde rem verſabat populus, quin ore aliquando proderet quid cor præſagiret. Non eſt gloriatus Iohannes de ea quam homines de ipſo habebant opinione magnifica, nec appetiuit honorem ſibi non debitum. DICENS OMNIBVS. conſtanter apud omnes prædicans, liberè & ſuam humilitatem agnoſcens & Chriſti dignitatem profitens publicè. Abſoluta ſanctiſſimi viri modeſtia, qui adeò non ſibi vendicauit alienæ laudis vſuram, vt vltrò delatam fortiter reiecerit; in hoc proficiente errore multitudinis, vt Ieſu paucis adhuc noti dignitas graui publicoque teſtimonio comprobaretur, atque eò grauiori, quò oportuniùs ab illo redditum eſt, qui ipſe Chriſtus habebatur vel haberi poterat.

EGO QVIDEM. q. d. Non eſt quòd Chriſtum me eſſe exiſtimetis, ſiue ex quauis alia re, ſiue ex eo quòd baptiſmum vobis adminiſtrem: nam ego quidem aqua baptizo vos. Non refert quòd ego prior vos baptizem: nam ego non niſi aqua baptizo. Ne ex baptiſmi nouitate Chriſtus haberetur, vilem docet eſſe baptiſmum ſuum comparatum baptiſmo Chriſti. FORTIOR ME. ὁ ἰσχυρότερός μου qui fortior me eſt, qui licet tempore & ordine baptizandi me ſit poſterior, virtute, efficacitate, ac dignitate longè eſt prior. CVIVS. quanto ipſum magis populus extollebat Chriſtum credendo, tanto magis ſe ipſe deprimebat Chriſto collatum. Reliqua lege Matth. 3. v. 11. & Marc. 1. v. 7.

οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ δια- [17] καθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ, καὶ συνάξει τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην αὐτοῦ, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ.

Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam: & congregabit triticũ in horreum ſuum, paleas autem cõburet igni inexſtinguibili.

Matth. 3. v. 12.

PVRGABIT. διακαθαριεῖ perpurgabit ad verbum, ſeu *permundabit*, quomodo vertit ſecundùm Matthæum. SVVM ſ. vel iudicis vel tritici. Reliqua quære Matth. 3. v. 12.

πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα παρακαλῶν [18] εὐηγγελίζετο τὸν λαόν.

Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

ET ALIA præter ea quæ hactenus retuli. EXHORTANS. inter exhortandum ad pœnitentiam vitæ prioris & ad fidem in Ieſum. Act. 19. v. 4. EVANGELIZABAT. annunciabat euangelij myſteria. Quædam alia refert Iohannes euangeliſta cap. 1. & 3. Pleraque Chriſtiani euangelij myſteria cœpit Iohannes aperire, quæ Chriſtus ſubſequens perfectè enarrauit.

ὁ δὲ ἡρώδης ὁ τετράρχης ἐλεγχόμενος [19] ὑπ' αὐτοῦ περὶ ἡρωδιάδος τῆς γυναικὸς τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ φιλίππου, καὶ περὶ πάντων ὧν ἐποίησε πονηρῶν ὁ ἡρώδης·

Herodes autem tetrarcha cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes:

Matth. 14. v. 3. 4. Marc. 6. v. 17. 18.

TETRARCHA. vide ſuprà v. 1. FRATRIS SVI Philippi additur ſyriacè, & à quibuſdam libris etiam græcè. MALIS. ſceleribus, flagitiis. QVÆ FECIT aduerſus publicam iuſtitiam & priuatæ honeſtatis exemplum. Matthæus & Marcus non meminerunt, niſi de adulterio inceſtuoſo, Herodem à Iohanne correptum, vt cuius occaſione Iohanni Herodias machinata ſit mortem, quam illi narrare inſtituerant: Lucas verò & de aliis pluribus criminibus reprehenſum fuiſſe teſtatur: quæ etſi non perinde nota ſint; fuiſſe tamen Herodem hunc, vafrum impiumque tyrannum, tum ex verbis Saluatoris infrà 13. v. 32., tum ex eo quod à Caio Imperatore tetrarchia priuatus & perpetuo exſilio mulctatus ſit (vide Matth. 14. v. 11.) ſatis euadit manifeſtum. Porrò in Iohanne ad nullum Herodianorum vitiorum conniuente, refulget inſigne conſtantiæ exemplum, qua præditos eſſe conuenit doctores omnes, ne magnorum ac potentium vitia quæcumque aut palpent aut diſſimulent, immo ne vereantur, quoties ita neceſſitas tulerit, illorum in ſe prouocare ferociam. HERODES. Antecedens loco relatiui, hebraico dicendi genere. Reliqua quære Matth. 14. v. 3. 4. & Mar. 6. v. 17. 18.

προσέθηκε καὶ τοῦτο ἐπὶ πᾶσι, καὶ κα- [20] τέκλεισε τὸν ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ.

adiecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Iohannem in carcere.

Matth. 14. v. 3. Marc. 6. v. 17.

ADIECIT, ſatis ſuperque ſcelerum pondere prægrauatus, vt nefandum hoc facinus non adieciſſet. Et

pro quòd. INCLVSIT. Ita nimirum, præter iniuriam viro sancto illatam, impediuit cursum, quantum in se fuit, prædicationis illius, & ministerij omni populo vtilissimi: adhæc intercepit consilium & reprehensionem, quæ via ipsi esse poterat ad pœnitentiam. Significatur itaque, tunc desperatam esse malitiam & ad summum venisse cumulum, quum remediis irascitur peccator; nec tantùm correptionem repudiat, sed & de monitore quoque suo hostilem vindictam sumit. Reliqua secundùm Matthæum & Marcum.

Matth. 3. v. 16. Marc. 1. v. 10.

Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum: [21] ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, καὶ ἰησοῦ βαπτισθέντος καὶ προσευχομένου, ἀνεωχθῆναι τὸν οὐρανὸν,

FACTVM EST. Accidit opportuno tempore ante Iohannis carcerem. CVM BAPTIZARETVR à Iohanne. OMNIS POPVLVS. populus Iudaicus magno numero se offerens. ET IESV BAPTIZATO. & Iesus baptizatus esset & oraret, vt *apertum* fuerit *cælum*. sic poterat Interpres commutare infinitiuum & participia cum verbis finiti modi, sensu clariore, quemadmodum cœperat in versiculi initio. Syrus, pro *&* *Iesu baptizato*, reddit, orationem absoluens, *etiam Iesus baptizatus est*, inter reliquos, scilicet, offerens se tamquam vnum è plebe, inter peccatores, publicanos, meretrices, milites &c. nihil fastidiens commune cum hominum vulgo lauacrum. ET ORANTE. Syrus: *Et dum oraret apertum est cælum*. Baptizatus Iesus orauit in ripa fluminis Patrem, compositis genibus & sublatis in cælum oculis ac manibus, pro felici successu ardui illius negotij euangelici quod aggrediebatur. quod vt auspicatius foret, rogauit, verisimile est, vt fieret à Patre ea quæ hîc sequitur sui declaratio & commendatio. Quamuis enim sciret Patri statutum esse hanc edere, quia tamen agnoscebat sibi vt homini non esse debitam, sed gratiam esse, voluit eam & supplici oratione mereri, & humili reuerentia excipere: docens interim, baptizatis non otiosè viuendum, sed instandum esse orationi, quia etsi peccata sunt omnia baptismo laxata, nondum tamen est carnis fragilitas solidata.

APERTVM EST. ἀνεῳχθῆναι. ad verbum, *aperiri*. Reliqua lege Matth. 3. v. 16.

Matth. 3. v. 16. 17. Marc. 1. v. 10. 11. Inf. 9. v. 35.

& descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te cõplacui mihi. [22] καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ᾽ αὐτὸν, καὶ φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ γενέσθαι, λέγουσαν· σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν σοὶ εὐδόκησα.

ET DESCENDIT. καὶ καταβῆναι ad verbum, & descendere. & vt descenderit. CORPORALI siue corporea. vt inuisibilis in se, in corporea SPECIE, imagine, figura, humanis esset oculis conspicuus. SICVT. quasi, velut. IN IPSVM Iesum. ET VOX DE CÆLO FACTA EST. καὶ φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ γενέσθαι & vocem ex cælo fieri, & vox à cælo facta fuerit. TV. Pater dum à filio honoratur oratione, filium vicissim honorat responso è cælis dato. Reliqua petenda sunt ex Matthæo & Marco.

Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta: vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Eli, [23] καὶ αὐτὸς ἦν ὁ ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς ἰωσὴφ, τοῦ ἠλὶ,

ET. id est, tunc, eo tempore. ERAT INCIPIENS, id est, incipiebat esse. Syrus omittit τὸ *incipiens*. QVASI. circiter, plus minùs. ANNORVM TRIGINTA filius additur à Syro. *Christus* (inquit Titus episcopus in hunc locum) *triginta plus minùs annos natus accedit ad baptismum*. Iam dies xiij. erant quòd absoluerat annum ætatis tricesimum, quod habet sententia verisimilior, incipiebat itaque recenter xxxj: quare rectè Euangelista, incipiebat esse circiter seu plus minùs xxx. annorum, nam exactis triginta annis aut æquè aut paulò minùs aut paulò plus, tum demum verè incipiebat dici esse triginta annorum. Iesus quando primùm notus populo publico Iohannis testimonio, & commendatus Patris cælitùs delapsa voce, ad docendum prædicandumque euangelium & procurandam salutem nostram se accinxit, tunc absoluerat annum tricesimum: hæc est enim ætas virilis perfectissima, ad quæuis viro digna opera apta, nullum relinquens illi calumniæ locum, quæ adolescentiam facilè contemnat. Ante hanc ætatem nemini sacerdotis doctoris aut prophetæ officio fungi licebat, vt & Hebræi tradunt, & ex 1. Paral. 23. v. 3. colligitur. Quidam hoc modo distinguunt atque intelligunt hunc locum: *Et ipse Iesus erat quasi annorum triginta, incipiens* seu cùm inciperet munus ad quod à Patre missus fuerat. nam græcè postponitur vox *incipiens*. VT PVTABATVR FILIVS. ὢν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς *existens, vt putabatur, filius*. q.d. Existens naturâ filius viri nomine Ioseph, vulgi opinione & fama publica, sed non reuera, eò quòd matris virginis naturâ filius esset, quod paulò antè docuimus. Alij illud ὢν *existens* præcedentibus iungunt, ita vt positum sit pro εἶναι *esse*: Interpres autem noster non expressit illud. Quia generis vitium apud vulgus multum abrogat auctoritatis, curatum est vt Iesus tamdiu crederetur filius Ioseph, donec miraculis ac prædicatione satis inclaruisset euangelium: ne qua res interim imminueret auctoritatem prædicâtis, si probabiliter dictus fuisset ex adulterio aut fornicatione natus, vt cuius ignotus esset pater. QVI FVIT ELI. qui Ioseph fuit filius Eli, vxoris scilicet ratione. Neque enim existimandus est Euangelista, qui superioribus capitibus descripserat ortum Iesu ex Maria virgine, & genealogiam inchoaturus præfatus fuerat Iesum errore putatum fuisse Iosephi filium, iam Iosephi genealogiam condere, sed omnino Mariæ sub Iosephi mariti nomine. Quidam vir doctus sic distinguit & interpretatur, ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς τοῦ ἰωσὴφ) τοῦ ἠλὶ *existens* (*quamuis putaretur filius Ioseph*) *ipsius Eli* s. filius, matre scilicet media. Hunc Eli, opinantur multi, fuisse patrem Mariæ, aliàs Eliacim, aliàs Ioacim dictum: tria enim hæc, idem vnum esse nomen, vnius eiusdemque etymologiæ, nisi quòd postremi compositionem ingrediatur pars

nominis

nominis Dei tetragrammati; alterius verò nomen Dei vulgare *El*; primum autem à secundo compendij causa decisum sit, *Eli* inquam ab *Eliacim*. Ad quod probandum adferút exempla duo, vnum, quòd Pontifex maximus, qui Iudith 4. v.5. & 11. vocatur *Eliacim*, posteà cap. 15. v.9. dicatur *Ioacim*, iuxta latinam certè editionem (græcè enim vtrobique est *Ioacim*) alterum quòd antepenultimus rex Iuda, vtrumque nomen habuerit: cùm enim *Eliacim* vocaretur, Rex Ægypti vertit nomen eius *Ioacim*, quod legitur 4. Reg. 23. v.34. & 2. Paral. 36. v.4 Intelligunt igitur, Iosephum dici filium Eli, pro eo quod est generum, quia maritus erat Marię, quę vt naturâ filia, ita Ioseph affinitate seu lege coniugij filius fuerit Eli. nam more loquendi recepto soceri patres generorum, & generi filij dicuntur socerorum. Atqui propter ea, quæ magis solida esse iudi[illegible] Matt. 1. v.16. à me dicta, præcipuè verò, quòd promissiones Dauidi factas de gignendo ex se per Salomo[illegible] Christo, verisimile sit, impletas potiùs per lineam patris Marię, quá per lineam matris; ego malim intellig[illegible] hunc Eli auum fuisse B. Mariæ, patrem Annæ; & postquam ab Euangelista Matthæo descripta esset ge[illegible] logia Mariæ ex latere paterno, ex parte inquam patris Ioacim; Lucam à B. Virgine admonitum, descri[illegible] genealogiam ex materno latere, ex parte inquam matris, Annæ: sed cùm Hebræis in vsu non esset fœm[illegible] in ordine generationis recensere, ac proinde non magis Anna hîc nominanda esset quàm Maria, primùm nominatum fuisse Annæ patrem, *Eli*. Itaque Ioseph dicatur filius fuisse Eli, quia maritus Mariæ, quæ fuit neptis Eli. ac proinde ipse suo modo nepos Eli, affinitate scilicet. nec enim vel illud præter morem est, quòd nepotes dicantur filij & neptes filiæ auorum. Quòd ergo à Luca Iosephi pater dicitur fuisse Eli, cùm Matthæus dixerit fuisse Iacob, nulla repugnantia est: Iacob enim naturâ Iosephi pater fuit, Eli autem affinitate consuetudineque coniugij. Nam vt dicas quod plerique, Iacobum quidem fuisse patrem ipsius Iosephi naturâ; Eli autem fuisse eiusdem patrem, aut adoptione, aut lege ea, quòd Iacobus ex vidua genuerit Iosephum Eli fratri suo vterino absque liberis mortuo: quid contulerit Eli, si hoc verum est, præsertim verò maiores Eli, ad Mariæ Iesuque generationem, ita vt ex illis contexi potuerit genealogia, qua ostenderetur Iesus natus ex semine Dauid secundùm carnem? Lucas itaque describit Mariæ genealogiam ex latere materno, quam Matthæus descripserat ex latere paterno: atque vtraque ex Dauid ducitur, sed hæc quidem per filium Salomonem, illa per Nathan, ita vt duplici nomine Iesus Dauidis fuisse filius, & omni iure in regnum Dauidis successisse, ostendatur. Nathan enim, à Salomone proximus regno fuerat. Aptissimè igitur Euangelista, postquam Iesum, cælitus dato à Patre testimonio, verum Dei Filium esse docuit, eundem verum esse hominis filium, humanæ successionis ordine comprobat, incipiens à Ioseph, quem proximè nominauerat, ascendendo, quemadmodum Matthæus ab Abraham descendendo: vtroque enim modo, prout fert occasio, Hebræi genealogias recensent, quod vel ex capite quinto primi Paralipomenon manifestú fit.

τοῦ ματθὰτ, τοῦ λευὶ, τοῦ μελχὶ, 24 τοῦ ἰαννὰ, τοῦ ἰωσὴφ,

qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph,

QVI FVIT MATTHAT. qui Eli fuit Matthat s. filius, & sic deinceps vbique subaudienda est vox *filius* propriè accepta: nam circumstantiæ coëgerunt vt impropriè accipiatur, in eo quòd præcedit *qui fuit Eli*, quemadmodum etiam in vltimo *qui fuit Dei*. IANNE seu Ianna. Hic est Iannæus secundus Hircanus, si Annio eiusq́, Philoni credimus, postremus Iudæorum dux ex posteritate Dauidis, & progenie Assamonæorum seu Machabæorum, de quo Iosephus libri 12 cap.4. & 5. & Eusebius in chronico. IOSEPH. Ioseph iunior Arses vocatur Philoni Annij: qui ex fratris sui filia genuit Hircanum, & Ptolomæo Regi charus præfuit Syriæ, quod habet Iosephus libri 12. cap.4.

τοῦ ματταθίου, τοῦ ἀμὼς, τοῦ 25 ναοὺμ, τοῦ ἐσλὶ, τοῦ ναγγαὶ,

qui fuit Mattathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,

MATTATHIÆ. Iosephi patri fuisse Tobiæ nomen tradunt quidam, adstipulanti historiographo Iosepho initio capitis 4. libri 12. interq́ue Iosephum & Mattathiam interiiciunt generationes duas, Tobię & Iosephi alterius cuius respectu Arses dictus fuerit Iunior. Atqui Philo Annij, Iudæorum duces è Dauidis domo recensens, Iosepho Arseti præcessorem proximum fuisse tradit Mattathiam Siloam, vt hîc apud Euangelistam se mutuò sequuntur illi. Non est enim temerè dicendum, à B. Luca omissas generationes aliquas, sicut à B. Matthæo: vt non fuit eadem vtrique ratio. Præter hoc quòd non vt rem omnino certam statuere audeam, eos quos Euangelista hîc recenset, esse duces illos Iudæorum quorum Iosephus in Antiquitatibus & Eusebius in chronico meminerunt: præsertim cùm de fide Philonis Anniani non perinde constet.

AMOS. *Amos Syrach annis 14. præfuit*, ait Philo ille. NAVM. *Maslot Naum annis 7.* HESLI. ita scribitur & syriacè. At Philo: *Agai Hellij*, inquit, *annis 8.* nisi sit mendú libri. NAGGE. Philo, *Nagid Artaxat.*

τοῦ μαὰθ, τοῦ ματταθίου, τοῦ σε- 26 μεῒ, τοῦ ἰωσὴφ, τοῦ ἰούδα,

qui fuit Mahath, qui fuit Mattathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda,

MAHATH. Philo, *Asar Maath.* MATTATHIÆ. Philo, *Elith Matathias.* SEMEI. Philo, *Abner Semei.* sic omnibus bina dat nomina. IOSEPH. Philoni *Iosephus primus* dicitur; Aliis *Iosephus priscus.* IVDA. Philoni, *Iudas primus* cognomine *Hircanus.*

τοῦ ἰωαννᾶ, τοῦ ῥησὰ, τοῦ ζοροβάβελ, 27 τοῦ σαλαθιὴλ, τοῦ νηρὶ,

qui fuit Iohanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

IOHANNA. Philo, *Iohanna ben Resa.* RESA. Philo, *Resa Mysciollam.* vult dicere, Resam aliàs vocatum Mysciollam, seu (quod habet liber primus Paralip. cap.3. v.19.) *Mosollam*. Nam *Mosollam* illic recensetur vt filius primogenitus Zorobabelis. Atqui non texitur illic genealogia nepotum Dauid ex Nathan, quemadmodum

modum hîc ſecundùm Lucam, ſed ex Salomone, quemadmodum ſecundùm Matthæum: id quod locus ipſe conuincit, & ad Matthæum oſtendimus cap. 1. v. 8. Non eſt igitur hic *Reſa*, qui in Paralipomenis *Moſollam*: præter hoc quod Matth. 1. v. 13. ex Hebræorum ſententia tradidimus, *Moſollam* patri Zorobabeli ſucceſſiſſe in principatum, in Babylonia, non in Iudæa. Quare ij quos hactenus recenſuit cum Luca Euangeliſta Philo ille, à Iannæo Hircano vſque ad Reſam, aut certè aliqui eorum, Iudaici populi duces fuiſſe potuerunt, ſed alia occaſione neceſſarium eſt fuerint quàm vt poſteri Zorobabelis, Salathielis, & Iechoniæ, quos ex Paralipomenis Matthæus nominat. ZOROBABEL, QVI FVIT SALATHIEL. Annius, cùm, ſuum ſequutus Philonem, exiſtimet, Ochoſiæ ex ſtirpe Salomonis, mortuo, ſucceſſiſſe Ioam & reliquos deinde ex genere Na[tha]n, putat eos omnes qui à Matthæo enumerantur ab Ozia ad Ioſephum vſque virum Mariæ, ex genere [Nat]han ſimiliter eſſe, ac proinde Zorobabelem & Salathielem quos memorat Lucas, eoſdem eſſe quos [Ma]tthæus: ſed fallitur, ſequutus errorem, quem refellimus Matth. 1. v. 8: continuam enim abſque inter[rupti]one Salomonicæ ſtirpis ſeriem Matthæus ad Ioſephum vſque Mariæ virum perſequitur. Quod cùm [ita ſ]it, iam inde ab Eli patre Ioſephi vſque ad Nathan filium Dauidis, omnes à Luca enumeratos, alios eſſe oportet, ab enumeratis à Matthæo, à Iacobo vſque ad Salomonem, ac proinde nec eoſdem eſſe viros Zorobabelem & Salathielem quorum Matthæus, & eos quorum Lucas meminit: in quam ſententiam & D. Auguſtinus propendet libri quæſt. in Deut. cap. 46. Ille quorum Matthæus meminit, in Paralipomenis, Ezra, & prophetis, celebres ſunt, vt Salomonis ſtirps nobilior fuit quàm Nathanis: ſed non eſt à ratione alienum, Nathanis poſteros (præſertim vbi ad principatum fortè aſſumti fuerunt) mutuatos fuiſſe nomina eorum qui è Salomonis familia principatu clari fuerant, Salathielis & Zorobabelis, laudatorum, atque inſignium virorum. NERI. Hoc nomine, ait Philo ille, à populo vocatum fuiſſe *Ioachin*, quando Euilmerodach rex Babylonis, educto è carcere reſtituit honorem regium, 4. Reg. 25. v. 28; quaſi *lucerna mea*, (נר *ner* enim Hebræis lucerna eſt) quòd lucerna Dauid, quæ timebatur exſtincta, reluxiſſet. Quod verum ſit necne, certum illud eſt, ex eodem fundamento quo ſuperiora, non poſſe hunc Neri quem Lucas vocat, illum Ioachin ſeu Iechoniam poſteriorem ſecundùm Matthæum, eſſe.

qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſam, qui fuit Elmodam, qui fuit Her,	28	τοῦ μελχὶ, τοῦ ἀδδὶ, τοῦ κωσὰμ, τοῦ ἐλμωδὰμ, τοῦ ἤρ,
qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Matthat, qui fuit Leui,	29	τοῦ ἰωσὴ, τοῦ ἐλιέζερ, τοῦ ἰωρεὶμ, τοῦ ματθὰτ, τοῦ λευὶ,

IESV. græcè & ſyriacè eſt ἰωσὴ *Ioſe*.

qui fuit Symeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim,	30	τοῦ συμεὼν, τοῦ ἰούδα, τοῦ ἰωσὴφ, τοῦ ἰωνὰν, τοῦ ἐλιακεὶμ,

IONA. græcè & ſyriacè *Ionan*.

qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mattatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid,	31	τοῦ μελεᾶ, τοῦ μαϊνὰν, τοῦ ματταθὰ, τοῦ ναθὰν, τοῦ δαβὶδ,

2. Reg. 5. v. 14. 1. Paral. 3. v. 5.

MENNA. μαϊνὰν *Mainan* aut Mænan: ſyriacè *Mani*. MATTATHA ſeu *Mattath*. Hic natu minimus è filiis Nathan, 3. Reg. 4. v. 6. vocatur *Ahiſar*, quod interpreteris fratrem principis; *Mattatha* autem donatum. NATHAN. Hic fuit frater Salomonis, ex eodem patre Dauide & matre Bethſabee. Nam quatuor liberos Dauid Ieroſolymis ex Bethſabee vxore ſuſtulit, Salomonem natu minimum, proximum Nathan, tum Sobab, primogenitum Simmaa. 1. Paral. 3. v. 5. Porrò Nathan à Salomone regno proximũ fuiſſe, ſatis intelligitur ex honore in quo Salomon filios eius habuit, vnum præficiens duodecim præfectis qui præerant duodecim tribubus Iſrael; alio vtens vt ſocio familiari; tertium vocatum Ahiſar, fratrem principis, præponens domui Regiæ. 3. Reg. 4 v. 5. 6. QVI FVIT DAVID, natus Dauidi Ieroſolymis ex vxore Bethſabee. 2. Reg. 5. v. 14. 1. Paral. 3. v. 5. Non fuit igitur adoptiuus Dauidis filius, ſiue is qui prophetam egit apud Dauidem, ſiue filius aliquis Vriæ Hethæi: id enim impium ſit aſſeuerare, nam ſic decipiat Euangeliſta, vt qui non doceat, id quod præ ſe fert, ex ſemine Dauid ſecundùm carnem eſſe Dominum Ieſum, ſed omnino ex alieno ſemine. Dauid volens teſtatum facere mundo, charum gratumque ſibi eſſe correptorem atque animaduerſorem ſuum, Nathan inquam prophetam; vni ex filiis ſuis, nomen illius dedit.

qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon,	32	τοῦ ἰεσσαὶ, τοῦ ὠβὴδ, τοῦ βοὸζ, τοῦ σαλμὼν, τοῦ ναασσὼν,
qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ,	33	τοῦ ἀμιναδὰβ, τοῦ ἀρὰμ, τοῦ ἐσρὼμ, τοῦ φαρὲς, τοῦ ἰούδα,
qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,	34	τοῦ ἰακὼβ, τοῦ ἰσαὰκ, τοῦ ἀβραὰμ, τοῦ θαρὰ, τοῦ ναχὼρ,

Matth. 1. v. 4. 5. 6.

Matth. 1. v. 3. 4.

Matth. 1. v. 2. Gen. 11. v. 24. 26.

Ea quæ ad horum trium verſuum explicationem faciunt, petenda ſunt ex Matthæo.

τοῦ

τοῦ σαροὺχ, τοῦ ῥαγαῦ, τοῦ [35] φαλὲκ, τοῦ ἕβερ, τοῦ σαλὰ,

qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

Gen. 11. v. 14. 16. 18. 20. 22.

RAGAV. Hebraicè eſt רעו quod Latinus interpres cum Hebræis *Rehu*, LXX *Ragau* expreſſerunt.

τοῦ καϊνὰν, τοῦ ἀρφαξὰδ, τοῦ [36] σὴμ, τοῦ νῶε, τοῦ λάμεχ,

qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,

Gen. 11. v. 10. 12. Gen. 5. v. 28. 29.

CAINAN. Hic à Moſe omiſſus, à ſolis agnoſcitur Interpretibus LXXII. Moſes enim ait, ab Arphaxad genitum Sale; LXX verò ab Arphaxad genitú Caïnan, à Caïnan Sale. Gen. 11. v. 12. Viros LXX cùm ſequutus ſit Lucas Euangeliſta (quippe qui Græcis ſcripſit, quibus vna LXX duorú editio familiaris erat) nefas ſit eos mendacij aut erroris arguere: dicendum potiùs videtur, illos quidem, vel ex veterum Hebræorum hiſtoriis, vel ex Spiritus ſancti afflatu, cognitam Caïnæ generationem addidiſſe; Moſen verò, eodem Spiritu ſancto afflante, certis ex cauſis omiſiſſe, intellexiſſeque ab Arphaxad genitum Sale nepotem intercedente filio Caïna, ab Arphaxad genitum eum à quo genitus eſt Sale: qui modus loquẽdi occurrit Matth. 1. v. 8. Niſi oſtendere quis poſſit, generationem illam Caïnan ſuperfluam eſſe, temerè inquam additam ab aliquibus fuiſſe tam euangelio Lucæ quàm Interpretationi LXX duorum.

τοῦ μαθουσάλα, τοῦ ἐνὼχ, τοῦ ἰα- [37] ρὲδ, τοῦ μαλαλεὴλ, τοῦ καϊνὰν,

qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Caiñã,

Gen. 5. v. 12. 15. 18. 21. 25.

τοῦ ἐνὼς, τοῦ σὴθ, τοῦ ἀδὰμ, [38] τοῦ θεοῦ.

qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Gen. 5. v. 3. 6. 9.

ADAM. Lucas, cùm gentibus ſcriberet euangelium, genealogiam Chriſti protraxit ad Adam vſque protoplaſtum, & ab ipſa mundi origine, Chriſti originem magna diligentia fideque deduxit, vt intelligendum daret, Chriſtum, non Iudæorum tantùm ſaluatorem eſſe, ſed & omnium hominum ex primo Adam oriundorum, quia & ipſius Adæ, cui iam tum promiſſus etiam fuerat, vel illis Dei ad ſerpentem verbis: *Inimicitias ponam*, &c. Gen. 3. v. 15. A prima enim Adæ defectione, vt neceſſarius fuit omnibus Chriſtus, ita & toti mundo fuit deſtinatus. Cæterum Matthæus qui Hebræis ſcripſit, conſiderans Dei fœdus cum Abrahamo, quo illius ſemini, à reliquis gentibus quaſi interpoſita maceria diſtincto, peculiariter promiſſus fuerat redemtor, non vltra Abrahamum progreſſus, demonſtrare voluit, Ieſu exhibito, fœderi illi ſancto ſatisfactum fuiſſe. QVI FVIT DEI. ſ. filius, vt in præcedentibus omnibus: non quòd Adam ex Deo vel à Deo ſit genitus, quemadmodum præcedentes filij ex patribus, ſed quia à Deo factus eſt (nam & hac ratione quandoque Deus pater & creaturæ filij dicuntur. Iob 38. v. 7. 28. Ier. 3. v. 4.) & quidem modo ſupernaturali, nullius hominis opera adhibita, ex puluere terræ formatus & ſpiraculo vitæ auctus. Adami autem generationem dum Euangeliſta in Deum refert, refert & Ieſu, taciteque docet illud inprimis non mirum, ſi ſecundi Adami Ieſu generationem, ex virgine, abſque viri opera, Spiritus ſancti virtute, accidiſſe narrarit; cùm primi Adami generatio, excluſa omni prorſus viri mulieriſque opera, ſolum Deum habuerit auctorem. Deinde & illud, aduentum Chriſti non in cauſas naturales ſed in æternam Dei prædeſtinationem referendam; denique & illud, per Ieſum homines ſurſum reduci ad Deum, qui per Adam deorſum abducti fuerant à Deo.

CAPVT QVARTVM.

Ἰησοῦς δὲ πλήρης πνεύματος ἁγίου ὑπέ- [1] στρεψεν ἀπὸ τοῦ ἰορδάνου, καὶ ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον,

Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt ab Iordane, & agebatur à Spiritu in deſertum,

Matth. 4. v. 1. Marc. 1. v. 12.

PLENVS SPIRITV SANCTO. id eſt, iam ſe plenum Spiritu ſancto ad commiſſa ſibi miniſteria ac negotia peragenda oſtendens. Semper Ieſus plenus fuit Spiritu ſancto, ſed non fuit hoc ab ipſo reuelatum à puero vſque ad hoc tempus, quo deſcendit in ipſum iam baptizatum Spiritus ſanctus: quando plenum Spiritu ſancto ſe eſſe reipſa monſtrauit, & tamquam mutatum in virum alterum, exque homine plebeio conſecratum euangelio promulgando & Meſſiæ officio obeundo, ſe deinde geſſit, tanto ſpiritus feruore, quanto nihil aliud cogitaret ac ſpiraret, nihil aliud meditaretur ac conaretur, quàm Meſſiæ officium publicè præſtare & abſoluere. Fuit autem Ieſus plenus Spiritu ſancto ſecundùm quod homo (nam ſecundùm quod Deus, vnum ſunt Ieſus & Spiritus ſanctus) quia plenus Spiritus ſancti donis, quia nullum ſit donum, Spiritus ſancti largitioni appropriatum, quo non cumulatiſſimè excellentiſſimeque fuerit imbutus (Iſa. 11. v. 2. 3.) & nihil in ipſo fuerit, quod non impleuerit, occupauerit, ſuumque agnouerit Spiritus ſanctus. Habent autem hoc proprium dona Spiritus ſancti, vt reddant hominis animum facilè mobilem à Spiritu ſancto, vt Spiritus ſancti ſequatur inſtinctum in quouis genere rerum agendarum. Adeò verò plenus fuit Ieſus, *vt de plenitudine eius nos omnes acceperimus* (Iohan. 1. v. 16.) filio enim *non ad menſuram dedit Deus Spiritum*. Iohan. 3. v. 34. REGRESSVS EST. ὑπέστρεψεν reuerſus eſt. A IORDANE. reliquit Iordanem in quo fuerat baptizatus, mox vt cæleſtis illa viſio diſparuerat. AGEBATVR. Significatur efficacia Spiritus, non tantùm ducentis oſtendendo

dendo aut suadendo, sed & facientis vt faciant sancti, & inter cæteros Iesus vt homo, id quod ipse suggerit; non inuiti, sed hilares & alacres. A SPIRITV. ἐν τῷ πνεύματι in Spiritu, *in* id est *a*, vel vi Spiritus, eiusdem quo plenus erat. Reliqua quære Matth. 4. v. 1. & Marc. 1. v. 12.

Matth. 4. v. 2. Marc. 1. v. 13.

diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. & nihil manducauit in illis diebus: & consummatis illis esuriit.	2	ἡμέρας τεσσαράκοντα πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ διαβόλου. καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, καὶ συντελεσθεισῶν αὐτῶν ὕστερον ἐπείνασε.

DIEBVS QVADRAGINTA. Hoc Interpres præcedentibus iunxit, in hunc sensum: Agebatur in desertum Spiritu, vt illic esset diebus quadraginta: ad quem modum etiam Syrus vertit: *Et duxit eum Spiritus in desertum diebus quadraginta vt tentaretur*, &c. Græci libri, quibus nulla est coniunctio media, ferè iungunt illud sequentibus: *Dies quadraginta tentatus a diabolo*; vt est ea mollior constructio. ET TENTABATVR. πειραζόμενος. Cùm Interpreti simile participium non suppeteret, periphrasi vsus dixit *& tentabatur*, quemadmodum secundùm Marcum. NIHIL MANDVCAVIT aut bibit. IN ILLIS DIEBVS. per illos dies noctesque quadraginta. ET CONSVMMATIS. consummatis autem. συντελεσθεισῶν finitis, exactis. ESVRIIT. Græcè & syriacè præponitur ὕστερον postea: quod superfluum est, cùm sufficiat dixisse *consummatis illis*. Videri possit ex Matthæo huc esse adiectum. Reliqua petenda sunt ex Matthæo & Marco.

Matth. 4. v. 3.

Dixit autem illi diabolus: Si Filius Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat.	3	καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ διάβολος· εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, εἰπὲ τῷ λίθῳ τούτῳ ἵνα γένηται ἄρτος.

DIXIT AVTEM. ex fame, quam Iesum pati obseruauit, accepta tentandi occasione. DIC LAPIDI HVIC. dic vt lapis iste, quomodo Matthæus explicat: non enim lapidis est seipsum in panem conuertere. Matthæus vtitur numero plurali, Lucas singulari, tamquam si manibus diabolus lapidem vnum Iesu obtulisset. Fieri potest, vt & manibus tenuerit lapidem vnum, & alios lapides humi iacentes monstrauerit: cæteroqui, parùm refert, siue Matthæus plurali vsus fuerit loco singularis, siue Lucas singulari loco pluralis. Reliqua lege Matth. 4. v. 3.

Matth. 4. v. 4. Deut. 8. v. 3.

Et respondit ad illud Iesus: Scriptum est, Quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.	4	καὶ ἀπεκρίθη ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν λέγων· γέγραπται, ὅτι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι θεοῦ.

QVIA. pro quòd, vel superest sensui. VIVIT. ζήσεται viuet, futurum pro præsenti. IN OMNI VERBO DEI. quouis verbo seu quauis re & ratione (est enim *Verbum* Hebræis nomen transcendens) quæ placet Deo. Reliqua Matth. 4. v. 4.

Matth. 4. v. 8.

Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momẽto tẽporis.	5	καὶ ἀναγαγὼν αὐτὸν ὁ διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν, ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης ἐν στιγμῇ χρόνου.

DVXIT. ἀναγαγὼν quum subduxisset, quum sustulisset. vide Matth. 4. v. 1. IN MOMENTO seu puncto TEMPORIS, breuissimo temporis spatio. Hinc intelligo, diabolum, plus aliquid quàm paucis verbis descripsisse situm & gloriam regnorum singulorum (nec enim mirum, id fieri posse breuissimo tempore, vt opus fuerit annotare) nimirum, etiam oculis obiecisse, quemadmodum diximus Matth. 4. v. 8. vnde reliqua huc facientia sunt petenda. Sed considerandum est, illic ordine tertiam narrari tentationem, quæ hîc secunda est; & contrà, hîc tertiam esse quæ illic secunda narratur: qua in re nulla contrarietas est: sed si quæratur vter Euangelistarum seruauerit ordinem rei gestæ, clarè patet pressiùs consideranti verba vtriusque, Matthæum seruasse. Lucas enim simpliciter res narrat: Matthæus verò vtitur vocibus ordinis significatiuis. Narrata enim prima tentatione, subiicit: *Tunc assumsit eum diabolus in sanctam ciuitatem*, &c. Similiter narrata secunda, *Iterum*, inquit, *assumsit eum in montem*: præcedit enim quòd assumserat in sanctam ciuitatem. Deinde, ordine illo quem Matthæus habet, gradatim procedit diabolus ad deteriora; quem, vt eius malitiæ conuenientiorem, verisimile est fuisse seruatum. Postremò, cùm narrasset Matthæus dixisse Dominum *Vade Satanas*, subiungit: *Tunc reliquit eum diabolus*: & id quidem ratio ipsa vult, vt tum diabolus abscesserit, cùm Dominus imperasset. Matthæus itaque seruauit ordinem quo res gesta fuit.

Matth. 4. v. 9.

& ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa.	6	καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ διάβολος, σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν, ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, καὶ ᾧ ἐὰν θέλω δίδωμι αὐτήν.

AIT ILLI. ὁ διάβολος *diabolus* hîc reperitur græcè & syriacè. POTESTATEM HANC VNIVERSAM. id est, regna hæc vniuersa, seu ius & imperium in regna hæc vniuersa. ILLORVM regnorum. TRADITA SVNT vniuersi orbis terrarum regna. Græcè legitur *tradita est* s. potestas hæc vniuersa & gloria. Mentitur mendacij

mendacij pater, non enim ipsi traditum est imperium orbis terrarum, sed homini traditum fuit: ipse autem, homine iniusto bello victo, vsurpauit & etiamnum vsurpat illud, potestate non absoluta, sed definita à Deo: nihil enim ampliùs potest, quàm Deus hominum peccatis offensus ipsi permittit. CVI VOLO. sum enim princeps ac Deus huius mundi. Multum diabolus artibus suis potest in euehendis ad summum imperij fastigium his illisve quos vult; sed non ampliùs, etiam cùm per vniuersum orbem coleretur vt Deus, quàm decreuerit ipsi permittere Deus, cuius prouidentia constituit imperatores ac magistratus, non semper quales diabolus desiderat, sed quales ipsi placet. nunc bonos, cùm hominibus est propitius, nunc malos, quales diabolus studet promouere, cùm iratus; cuius proinde solius est dicere *Cui volo do illa*. Dan.4. v.22. Arrogat hìc itaque diabolus sibi quod Dei est: quare etiam exhiberi sibi postulat diuinum honorem. DO ILLA. Græcè est *δίδωμι αὐτήν* do illam s. potestatem & gloriam vniuersam. Latinus Interpres legit *αὐτά*: hinc duo hæc postrema versiculi membra vertit pluraliter. Reliqua quære Matth.4. v.9.

σὺ οὖν ἐὰν προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου, ἔσται σου πάντα. [7] Tu ergo si adoraueris coram me, erunt tua omnia. *Matth.4. v.9.*

TV ERGO. Si ergo hæc te delectant, si amas regnare, si cupis ditescere, facillimum tibi fuerit hæc omnia tui iuris facere. CORAM ME. id est, me. superest *coram* ex hebraica phrasi. simile 1.Reg.1.v.19. vox hebraica השתחוה *bistahaua*, quæ nobis vertitur adorare, ex vi vocis nihil ampliùs significat quàm incuruare siue prosternere se: vnde fit vt ferè addatur illi לפני *liphne* coram, vel littera ל lamed seruiens dandi casui. ERVNT TVA OMNIA. tu vnus obtinebis hæc omnia totius orbis terrarum regna. Monarcha eris totius mundi, & in terris pro Deo colêris, modò me tantæ felicitatis auctorem agnoueris. Græci libri meliores, pro *πάντα omnia*, quod habuit Interpres, legunt *πᾶσα omnis* vel *tota*: *Erit tua omnis* vel *tota*, hæc potestas & gloria. Reliqua Matth.4. v.9.

καὶ ἀποκριθεὶς αὐτῷ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, γέγραπται, προσκυνήσεις κύριον τὸν θεόν σου, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. [8] Et respondens Iesus dixit illi: Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Matth.4. v.10. Deut.6. v.13. 10.v.20.*

DIXIT ILLI. Quod græcè sequitur *ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ*, non esse huius loci docetur in Notis. Huius versiculi expositionem lege Matth.4.v.10.

καὶ ἤγαγεν αὐτὸν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἔστησεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ, καὶ εἶπεν αὐτῷ· εἰ ὁ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, βάλε σεαυτὸν ἐντεῦθεν κάτω. [9] Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum. *Matth.4. v.5.6.*

ET DVXIT. duxit etiam, per aëra transuectum, non renitentem. Quidam vertunt: Iam autem duxerat illum Ierosolymam statueratque &c. ita vt significetur non seruari hìc ordinem rerum gestarum. PINNAM. *τὸ πτερύγιον pinnaculum* vertit secundùm Matthæum. MITTE TE. *βάλε σεαυτὸν* iace teipsum. Reliqua quære Matth.4. v.5.6.

γέγραπται γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ ἐντελεῖται περὶ σοῦ τοῦ διαφυλάξαι σε, [10] Scriptum est enim, quòd angelis suis mandauit de te vt conseruent te: *Matth.4. v.6. Psal.90. v.11.*

CONSERVENT. custodiant. Reliqua Matth.4.v.6.

καὶ ὅτι ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου. [11] & quia in manibus tollēt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. *Matth.4. v.6. Psal.90. v.12.*

QVIA. quòd. Reliqua ex Matthæo petenda sunt.

καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ὅτι εἴρηται, οὐκ ἐκπειράσεις κύριον τὸν θεόν σου. [12] Et respōdens Iesus ait illi: Dictū est, Non tētabis Dominū Deum tuum. *Matth.4. v.7. Deut.6. v.16.*

DICTVM EST. præceptum est in lege. Hìc rectè omisit Interpres græcum *ὅτι* quod sequitur. Reliqua Matth.4. v.7.

καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ διάβολος ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ. [13] Et cōsummata omni tētatione diabolus recessit ab illo vsque ad tēpus. *Matth.4. v.11.*

CONSVMMATA. finita. *Συντελέσας* cùm consummasset, cùm finiuisset omnem tentationem DIABOLVS. OMNI TENTATIONE. omni ad peccatum solicitatione. Non dicit hac tentatione (hæc enim non fuit vltima, quod vidimus) sed omni, quam scilicet hoc tempore permissus est tum à Spiritu sancto tum à Iesu exercere. neque enim vltrò cessauit, quamquam semper victus. RECESSIT iussus, coactus, abactusque imperio

 Iesu,

Iesu,quod patet ex Matthæo. AB ILLO. in quo nulla inuenit antiqui seminis sui vestigia. VSQVE AD TEMPVS opportunum. id enim significat καιρός. Non ita recessit vt vellet Iesum reliquo vitæ suæ tempore quietum absque molestia relinquere, sed ad tempus dumtaxat, data opportunitate aliâve ea ptata occasione rediturus ad tentandum. Rediit autem sub passionem præsertim, quando dixit Iesus Iudæis à quibus apprehendebatur: *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*. infrà 22.v.53. Tunc enim diabolus, non dolis tentans, sed apertè oppugnans, & per seipsum, & per ministros suos, extremam adhibuit vim ad superandum & à Deo abstrahendum Iesum, vel certè perdendum & exstinguendum, quem nulla rerum obiecta specie corrumpere potuerat. Quamdiu hoc in mundo sumus, numquam tuti sumus à tentationibus satanæ: tametsi enim aliquando desistat, quia frequentiùs refugit triumphari, non ideò tamen à certamine recedit, vt malitiæ finem faciat, sed vt corda quæ per quietem secura reddiderit, repentè rediens faciliùs occupet inopinatò. Non deerit interim sua consolatione Deus totius consolationis: dabitque subinde, submotis dæmonibus, angelos qui nos erigant, quod ex Matthæo & Marco discimus.

Matth.4. v.12.24. Marc.1. v.14.

Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo. [14] καὶ ὑπέστρεψεν ὁ ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ πνεύματος εἰς τὴν γαλιλαίαν, καὶ φήμη ἐξῆλθε καθ᾽ ὅλης τῆς περιχώρου περὶ αὐτοῦ.

ET. Posthæc. REGRESSVS. reuersus EST. IN VIRTVTE SPIRITVS. virtute Spiritus (superest *in*.) Venerat ex Galilæa ad baptismum Iohannis in infirmitate carnis, tamquam quiuis alius homo peccator: sed regressus est *in virtute Spiritus*, agente manifestè Spiritu sancto quo plenus fuerat declaratus: nô humano aut terreno aliquo affectu ductus, quòd liberet versari aut mallet agere in ea regione in qua fuerat educatus, sed vi & consilio actus Spiritus sancti, quo se promente atque exserente, palàm magno animo illic prædicandi euangelij negotium aggressus est, & signa patrauit admiranda. Quò in omnibus dictis factisque Iesu quæ deinde referentur, semper nobis cælestis diuinaque virtus faciliùs occurrat, repetit Euangelista, Iesum sancti Spiritus virtute in Galilæam reuersum. vide Matth.4.v.1. IN GALILÆAM ex qua venerat ad baptismum Iohannis. Loquitur Lucas de secundo Iesu à baptismo in Galilæam reditu, vt Matthæus & Marcus; eo nimirum, quo diu manens in Galilæa, famam sibi celeberrimam comparauit. ET FAMA. ita vt fama quæ primo reditu de illo volitarat in Galilæa. EXIIT. diuulgata sparsaque fit. VNIVERSAM REGIONEM. ὅλης τῆς περιχώρου totam circumiacentem regionem; non tantùm Galilæam, sed & Samariam, Phœniciam, Syriam, & regiones trans amnem. Reliqua Matth.4.v.12.24.

Matth.4. v.23. Marc.1. v.21.22.

Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. [15] καὶ αὐτὸς ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων.

ET IPSE. Nam ipse. Redditur ratio, quî factum sit, vt eam famæ celebritatem acquisierit. DOCEBAT euangelium. IN SYNAGOGIS. vbi quidquid dicebatur aut gerebatur, non poterat esse clàm, quòd eò promiscua populi multitudo conflueret. EORVM. Galilæorum. ET MAGNIFICABATVR. δοξαζόμενος participium est passiuum præsens, quale cùm latinè non exstet, vsus est Interpres periphrasi huiusmodi *& magnificabatur*; alij clariore, *glorificantibus eum omnibus*. vide suprà v.2. Frequens est Interpreti vt dicat *magnificare* ex δοξάζειν, pro glorificare, laudare, gloriaque efficere. est enim gloria, clara cum laude notitia. Glorificabatur autem, cùm ob ea quæ docebat, cælestia planeque diuina, & ipsum docendi modum (vide Matth. 7.v.28.29.) tum ob miracula, quibus & doctrinam confirmabat & omnibus benefaciebat. AB OMNIBVS inuidiæ expertibus, nec infectis maligno contradicendi studio. A præsentibus laudabatur, per absentes fama vagabatur. Reliqua lege Matth.4.v.23.

Matth.13. v.54. Marc.6. v.1.2.

Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam, die sabbati, in synagogam, & surrexit legere. [16] καὶ ἦλθεν εἰς τὴν ναζαρέτ, οὗ ἦν τεθραμμένος, καὶ εἰσῆλθε κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, εἰς τὴν συναγωγὴν, καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι.

NAZARETH inter cætera Galilææ loca. NVTRITVS. educatus & antè conceptus. SECVNDVM CONSVETVDINEM SVAM. Sancta erat Iudæorum consuetudo, diebus sabbati in synagogam conuenire, ad audiendum Dei verbum, ad publicas preces, & ad reliqua pietatis exercitia. Potest igitur locus intelligi de consuetudine quam Christus à puero obseruauerat (nam, ante manifestationem sui, Nazarethi agens, religionis omnia exercuerat munia, quæ puerum, iuuenem, virumque modestum & optima indole moribusque præditum, priuatum tamen, decebant, inter quæ erat synagogæ frequentatio diebus sabbati) potest & de consuetudine quam à sui manifestatione cœperat obseruare, vt diebus sabbati synagogas frequentaret, gratia docêdi populum congregatum. vide Mar.1.v.21. Nec enim statim in initio historiam hanc accidisse, manifestum mox fit ex v.23. subsequente. Vtrouis modo intelligas, videmus Christum Dominum seruiisse consuetudini bonæ, exemplo & præsentia sua. DIE SABBATI. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων in die sabbatorum. vel refertur ad verbum *intrauit*, & est enallage numeri (pro, quodam die sabbati) prout intellexit Interpres ex Marco, qui habet, *& facto sabbato*, cap.6.v.2.; vel refertur ad illud *secundùm consuetudinem suam*, sumtum pro *diebus sabbatinis*. IN SYNAGOGAM eius oppidi. Eadem est hæc historia cum ea quæ narratur Matth.13.v.54.& Mar.6.v.1. SVRREXIT LEGERE. surrexit ad legendum. s. scripturam sacrã. id hactenus non consueuerat Iesus in Nazareth. In more positum erat & receptum, vt aliquæ Legis & Prophetarum partes per singula sabbata in synagogis legerentur, aut etiam exponerêtur. Act.13.v.15.15.v.21.

Id pro

Id pro arbitrio eius fiebat cui liber tradebatur, aut etiam pro ingenio: indocti legebant tantùm partes sibi decretas, docti exponebant etiam, siue eas quas ipsi, siue eas quas alij legerant. præcedebat enim lectio, vnde sumi posset docendi & exhortandi materia. Surrexit autem Iesus, vt offerens se ad legendum, & audientiam sibi dari postulans. Porrò stans legit scripturam sacram non solùm vt vox eius meliùs exaudiretur, sed multò magis in signum reuerentiæ erga Dei verba, quibus æquum est omnem humanam dignitatem assurgere, & Interpretes profiteri, se modestè & reuerenter ad eam tractandam accedere.

* * * * * * * *

καὶ πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ, καὶ ἐθαύμαζον ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ· καὶ ἔλεγον, οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Ἰωσήφ; [22]

Et omnes testimoniũ illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius: & dicebant, Nónne hic est filius Ioseph?

Matth. 13. v. 54. 55. Marc. 6. v. 2. 3.

ET OMNES præsentes, id est, plerique præsentium, *multi* interprete Marco cap. 6. v. 2. TESTIMONIVM ILLI DABANT. s. postquam audiissent enarrantem illum Isaiæ locum. Dabant autem illi testimonium, non quòd Messias esset, aut quòd propheta de ipso fuisset vaticinatus, sed *dabant illi testimonium* sapientiæ, eruditionis, & doctrinæ, agnoscebant eum præditum insigni eruditione, eruditè sapienterq; explicare Scripturas ac res diuinas. Hoc est enim quod Mar. 6. v. 2. dicitur: *Et multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia, & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur?* IN. ἐπὶ super, de VERBIS GRATIÆ, plenis gratia, gratiosis. Quidam per *verba gratiæ* intelligunt gratiam verborum, ita vt sit hypallage, eodem sensu. Gratia hìc significat, vim illam planè diuinam, quæ in Christi verbis totoque habitu inerat, qua fiebat, vt auditores, nisi data opera obsisterent, non possent non ipsum & quas docebat res amare atque amplecti. Mirabantur ergo verba plena gratia, quibus non sapienter tantùm differebat de rebus diuinis, verumetiam ita eloquenter, propriè, clarè, placidè, comiter, suauiter, atque efficaciter, vt non posset non auditoribus omnibus gratus esse, illorumque animis accendere, & in rerum cælestium quas tractabat amorem rapere. Exstat exemplum manifestum Ioh. 7. v. 46. in ministris illis, qui missi ad comprehendendum Iesum, retulerunt dominis suis: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* Rursus alterum infrà 24. v. 32. in duobus discipulis Emmauntinis, inter se mutuò colloquentibus: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* De Iesu enim futura facundia suauiloquentiaque fuerat multò antè scriptum Psal. 44. v. 3: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea* quod *benedixit te Deus in æternum,* quinetiam *plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat.* Colos. 2. v. 9. QVÆ PROCEDEBANT DE ORE IPSIVS. τοῖς ἐκπορευομένοις ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ quæ egrediebantur, quæ fluebant, ex ore eius. ET DICEBANT. & tamen dicebant, vel sed dicebant, sed in hoc *scandalizabantur*, vt aiunt priores Euangelistæ. Cùm agnoscere cogerentur eius sapientiam, & eloquentiam admirari, studiosè quærebant occasionem illius extenuandi, & præclaram opinionem de illo suis animis excludendi, contemtibili hac voce NÓNNE HIC FILIVS IOSEPH fabri, ciuis nostri pauperis? Vt alij Euangelistæ referunt, *fabri* nominant filium, non *Ioseph*, quòd Ioseph tunc temporis esset mortuus: sed Lucas sententiam verborum refert, quòd quia pridem nouerant tenuem conditionem vitæ eius, quem habuerant pro ipsius patre, & genus ipsius obscurum atque incultum, adhibito hoc specioso colore, contemserint eum, & inuidia adusti, cogitationem de manifesta ac patente in eo Dei gratia, data opera transtulerint ad considerandum plebeium ipsius ex parentibus statum. Reliqua petenda sunt ex Matthæo & Marco.

* * * * * * * *

εἶπε δέ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ. [24]

Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

Matth. 13. v. 57. Marc. 6. v. 4. Iohan. 4. v. 44.

NEMO. pro nullus. ACCEPTVS. gratus EST, in honore, in pretio est, magnifit, id est, contemnitur plerumque IN PATRIA SVA (plus enim intelligere oportet quàm dicatur) quomodo & ego contemnor à vobis, ac proinde non mirum, si prophetarum more, pauciora miracula edam apud vos ciues meos, quàm apud alios. Eorum culpa fieri exprobrat, quòd apud ipsos non ita exserat virtutem suam in edendis miraculis, vt apud alios. q. d. Vobis imputanda est causa, eò quòd me contemnatis, ac proinde nec mihi credatis prophetæ munus obeunti. Habetis ergo iustam contemtus & incredulitatis vestræ mercedem, quòd vobis præteritis alios potiùs miraculis honorem. Cùm propheta miracula edat in eum finem, vt dum prophetia seu docendi munus, quod à Deo accepit, honoratur ac magnifit ab hominibus, homines ipsi credãt, ac per eum Deo lucrifiant: cessat ratio edendorum miraculorum, vbi homines data opera scientes volentes contemnunt prophetam, & quamuis videant singularia dona quibus ille à Deo instructus est, illius tamen à Deo missionem præ inuidia recusant agnoscere. Nulla enim spes est, etiam miraculis editis, homines huiusmodi eò adducendi, vt prophetæ credant, & cum fructu ab eo doceantur. Et certè qui inuidia cæci, manifestam veritatis auctoritatem eleuare conantur, multis diuinis beneficiis meritò priuantur, quæ Deus in eos confert, qui semota acceptione personarum, de rebus ipsis simplicissimè iudicant, atque ex actione personam, non autem ex persona actionem metiuntur. Reliqua ad huius versus explicationem facientia, petantur ex Matthæo & Marco.

* * * * * * * *

Matth. 4. v. 13. Marc. 1. v. 21.

Et descendit in Capharnaum ciuitatem Galilææ: ibique docebat illos sabbatis. [31] καὶ κατῆλθεν εἰς καπερναοὺμ πόλιν τῆς γαλιλαίας, καὶ ἦν διδάσκων αὐτοὺς ἐν τοῖς σάββασι.

ET. Quare cùm præsciret quo loco habendus esset ipse à ciuibus suis (id quod posteà, exemplo iam narrato, res docuit.) DESCENDIT. seu descenderat, habitationis transferendæ gratia, in principio sui in Galilæam reditus de quo suprà v. 14. IN CAPHARNAVM. è Nazareth. q. d. Euangelista: Hinc intelligere licet cur ab initio è Nazareth Capharnaum transtulerit habitationem. Clarum est enim, hunc descensum è Nazareth in Capharnaum, non accidisse post ea quæ proximè antecedunt Nazarethi acta, cùm illic, v. 23., mentio sit frequentium miraculorum Capharnai editorum. Sed nec videtur idem ille ingressus esse qui Mar. 1. v. 21. describitur (quamquam eadem hîc quæ illic consequantur) hic enim descensus narratur è ciuitate ac via montosa atque alta, qualis erat Nazarethana; illic ingressus è locis maritimis humilitate æqualibus ipsi Capharnao eiusque agro. Sed quare præposuerit Euangelista id quod posteà contigit, intelligitur ex iam dictis. IBIQVE DOCEBAT. καὶ ἦν διδάσκων & erat docens. ILLOS. Capharnaitas.
SABBATIS maximè, idque in synagogis eorum. Non quòd continuè hæserit Capharnai, sed quòd frequentiùs eò recurrerit. Reliqua lege Matth. 4. v. 13. Mar. 1. v. 21.

Matth. 7. v. 28. 29. Marc. 1. v. 22.

Et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius. [32] καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ.

IN DOCTRINA. ἐπὶ τῇ διδαχῇ super doctrina vertit secundùm Matthæum & Marcum. IN cum POTESTATE. ἐξουσίᾳ auctoritate coniunctus, dignitate plenus, ERAT SERMO IPSIVS. dictis aderat auctoritas. Reliqua quære Matth. 7. v. 28. 29.

Marc. 1. v. 23.

Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna, [33] καὶ ἐν τῇ συναγωγῇ ἦν ἄνθρωπος ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου, καὶ ἀνέκραξε φωνῇ μεγάλῃ,

ET. Tunc temporis. IN SYNAGOGA Capharnai. HABENS in se, patiens. DÆMONIVM IMMVNDVM. πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου spiritum dæmonij immundi (quomodo etiam syriacè legitur, id est, spiritum qui erat dæmonium immundum. Interpres omisit vocem *spiritus*, vt quæ contineatur voce *dæmonij*, sensu rectè expresso. Euangelista sciens, vtpote græcè peritus, *dæmonium*, ex vi vocis, non esse nomen spiritus mali, addidit epitheton immundi, quamquam vsus malis spiritibus approprièt. vide Matth. 4. v. 24.
ET EXCLAMAVIT. quod exclamauit. Reliqua petenda sunt ex Mar. 1. v. 23.

Marc. 1. v. 24.

dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. [34] λέγων· ἔα, τί ἡμῖν καὶ σοί Ἰησοῦ ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ.

SINE. desine mihi molestus esse, cessa me affligere. clàm enim Iesus vrgebat eum vt exiret. Reliqua ad Marcum exposita sunt.

Marc. 1. v. 25. 26.

Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce & exi ab eo. Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilq; illum nocuit. [35] καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, λέγων· φιμώθητι καὶ ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ. καὶ ῥίψαν αὐτὸν τὸ δαιμόνιον εἰς μέσον, ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, μηδὲν βλάψαν αὐτόν.

ET CVM PROIECISSET. Itaque cùm deiecisset seu sudisset in terram hominem ILLVM, DÆMONIVM furens. Augustinus lib. 4. de cons. Euang. cap. 2. annotat in hæc verba: *Quod Marcus dixit conuexans seu discerpens eum, Lucas cum proiecisset eum in medium.* hoc idem annotat Euthymius græcus. IN MEDIVM. coram omnibus præsentibus. *vt virtus patefacta Saluatoris, plures ad fidem viamq; salutis inuitet*, inquit Beda.
NIHILQVE ILLVM NOCVIT. Et quamuis vi magna eum prostrasset in terram, & miserè iactasset atque afflixisset, adeoque discerpsisset, quod ait Marcus: nihil tamen illi nocuit, quippe ligatus expellentis potentia. Non quòd impetus ille, prorsus absque omni læsione & sensu doloris fuerit: sed quòd *ægrum hominem consauciari, aut grauiter ea iactatione lædi, non est passus Iesus*, quod ait Victor Antiochenus in Marcum scribens. *Illa iactatio membrorum atque vexatio*, inquit Augustinus, *non eum debilitauit, sicut solent exire dæmonia, etiam quibusdam membris amota vexatione elisis*, vel, quod addit Beda, *relicto morbo incurabili.* EXIIT, non absque afflictione hominis, sed absque membri mutilatione, partis alicuius vulneratione, aut relictis aliis suæ prauitatis vestigiis. id enim non permisit dæmonio Iesus, quamtumuis ille conaretur. *Et permisit Dominus vt hominem proiiceret*, inquit Euthymius, *quò demonstraretur proiicientis malitia: nocere autem non permisit, vt appareret expellentis potentia.* Ab egressu igitur dæmonis homo integer apparuit, & Iesu confortante sensibus ac viribus suis restitutus est. Reliqua pete ex Marc. 1. v. 25. 26.

καὶ

καὶ ἐγένετο θάμβος ἐπὶ πάντας, καὶ 36 συνελάλουν πρὸς ἀλλήλους, λέγοντες· τίς ὁ λόγος οὗτος, ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει ἐπιτάσσει τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασι, καὶ ἐξέρχονται;

Et factus est pauor in omnibus, & colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt? *Marc.1. v.27.*

PAVOR. stupor, pauor ex stupore natus cum eoque coniunctus. IN OMNIBVS. ἐπὶ πάντας super omnes s. præsentes, omnes inuasit pauidus stupor, ob rei nouitatem admiratione dignissimam. numquam enim huiusmodi quid viderant. QVOD EST HOC VERBVM. id est, quid hoc rei est, phrasi hebraica. Marcus latina phrasi *Quidnam est hoc?* q. d. nihil huiusmodi vmquam visum est à nobis aut patribus nostris. QVIA. id est, quòd. IN POTESTATE ET VIRTVTE. ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει in (id est, cum) auctoritate & potentia; auctoritate potenti, imperio efficaci. Euthymius: *Cum auctoritate quidem, eò quòd iuberet: cum potestate verò, eò quòd efficeret quod vellet.* IMPERAT. præcipit, egressum scilicet. ET EXEVNT. morem ipsi gerentes. Reliqua dicta sunt ad Marcum.

καὶ ἐξεπορεύετο ἦχος περὶ αὐτοῦ εἰς 37 πάντα τόπον τῆς περιχώρου.

Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. *Marc.1. v.28.*

DIVVLGABATVR. ἐξεπορεύετο egrediebatur, euulgabatur. FAMA. ἦχος rumor iste. DE ILLO Iesu. REGIONIS illius, nempe Galilææ. τῆς περιχώρου regionis circumiacentis, id est, Galilææ. accidit enim istud in vna ciuitatum Galilææ, nempe Capharnao, ex qua dimanauit rumor in omnem locum Galilææ. Reliqua quære secundùm Marcum.

ἀναστὰς δὲ ἐκ τῆς συναγωγῆς εἰσῆλθεν 38 εἰς τὴν οἰκίαν σίμωνος. ἡ πενθερὰ δὲ τοῦ σίμωνος ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ· καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς.

Surgens autem Iesus de synagoga introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. *Matth.8. v.14. Marc.1. v.29.30.*

DE. ἐκ ex. IN DOMVM SIMONIS. non in alicuius clarorum aut diuitum, quorum sibi facilè fauorem conciliare potuisset: plus namque amat pauperes, ægrotos, lugentes. MAGNIS FEBRIBVS. πυρετῷ μεγάλῳ febri magna. facit hoc ad miraculi amplificationem. ET ROGAVERVNT. itaque rogauerunt. s. discipuli aut affines. ἠρώτησαν, inquit Euthymius, *non est hic interrogauerunt, sed rogauerunt.* Pietas familiæ huius nobis imitanda proponitur, obseruantis socrum & annis & febribus grauem, illiusque malo indolescentis, ac rogantis Iesum pro illa vt eam sanet. Reliqua lege Matth.8.v.14.& Marc.1.v.29.30.

καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, ἐπετίμησε τῷ 39 πυρετῷ, καὶ ἀφῆκεν αὐτήν. παραχρῆμα δὲ ἀναστᾶσα διηκόνει αὐτοῖς.

Et stans super illam imperauit febri, & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis. *Matth.8. v.15. Marc.1. v.31.*

ET. pro Quocirca. STANS SVPER ILLAM. ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς adstans super illam, adstans illi atque imminens. Exprimitur gestus atque habitus Christi, ad lecti fulcrum inclinantis se, vt increparet febrem & febricitantem alleuaret. Primùm enim imminuit instititque mulieri, & iussit febrim discedere: iubens verò apprehendit manum illius & eleuauit eam: atque ita eleuata illa continuò surrexit, adeò sana & confirmata, vt ministrare valeret statim illis cibum. IMPERAVIT. ἐπετίμησεν increpauit, valida auctoritate præcepit celerem abitum. ἐπετίμησεν, inquit Euthymius, *non est hic propriè increpauit, sed præcepit.* vide Matth.8. v.26. FEBRI. Ex huiusce generis miraculis nata est fides Centurionis, iussui Christi morborum creaturarumque obsecundationem tribuentis: *Et dico huic Vade, & vadit, &c.* infrà 7. v.8. DIMISIT. reliquit febris ILLAM. ET CONTINVÒ. παραχρῆμα δὲ continuò autem. SVRGENS. ἀναστᾶσα cùm surrexisset. Tres simul Euangelistæ narrant istud miraculum, non quòd per se aliis sit nobilius, vel memoratu magis dignum, sed quia in eo Christus domesticum & interius gratiæ suæ specimen exhibuit discipulis: deinde, quòd vnius mulieris sanatio pluribus occasionem dederit, vt vndique ad ipsum confluerent opis petendæ caussa. Reliqua pete ex Matthæo.

δύνοντος δὲ τοῦ ἡλίου, πάντες ὅσοι εἶχον 40 ἀσθενοῦντας νόσοις ποικίλαις, ἤγαγον αὐτοὺς πρὸς αὐτόν. ὁ δὲ ἑνὶ ἑκάστῳ αὐτῶν τὰς χεῖρας ἐπιθεὶς, ἐθεράπευσεν αὐτούς.

Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebāt infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eū. At ille singulis manus imponens curabat eos. *Matth.8. v.16. Marc.1. v.32.34.*

CVM AVTEM SOL OCCIDISSET. δύνοντος δὲ τοῦ ἡλίου occidente autem sole. INFIRMOS. ἀσθενοῦντας ægrotantes. LANGVORIBVS. νόσοις morbis. MANVS IMPONENS. Manuum impositione istos sanauit, non tantùm vt se suæ voluntatis affectione virtuteque in se sita sanare ostenderit (id enim vel solo attactu manus ostendere poterat) verumetiam, id quod fit verisimile, alias ob causas. Manuum impositio videtur

ad duo seruire; Inprimis ad restitutionem in pristinum statum. sic apud gentiles olim seruo manus imponebat dominus, quem suæ restituebat libertati, & deinceps è manu potestateque sua emittebat atque absoluebat: vnde manumissio. Ea ratione manus imponuntur peccatoribus, cùm Dei nomine in gratiam recipiuntur, vt qui à peccatis suis absoluantur, & in statum filiorum restituantur. Ea ratione potuit & Christus his manus imposuisse, vt quos potentia auctoritateque sua à morbis quibus laborabant absolueret, & pristinæ restitueret sanitati. Secundò, seruit manuum impositio, ad commendationem traditionemque in alterius potestatem. Ita enim in lege veteri (Leuit. 1.3.4.) mactandæ victimæ offerens imponit manus, vt quam Deo tradat; testes manus imponunt super caput blasphemi (Leuit. 24. v.14.) vt quem sceleri suo & promeritæ per illud pœnæ tradant. Leuitis Deo sacrandis filij Israël manus imponunt (Num. 8. v.10.) vt quos Deo offerunt. Iosuæ Moses manus imponit (Num. 27. v.18. Deut. 34. v.9.) Deo eum commendans, vt sapientiæ spiritu repleatur. Sic fortassis & Apostoli (Act. 8. v.17.) ad confirmationis sacramentum, manuum impositione sunt vsi, tamquam commendantes fideles Deo vt replerentur Spiritu sancto. Ita fortè hoc loco & Christus, manuum impositione ægros sanat, tamquam Deo Patri suo eos commendans, non solùm vt à suis iam morbis liberarentur, sed & vt ad fidem animæque salutem adducerentur. Porrò hinc ortum habere videntur istæ manuum impositarum significationes, quia, quod restituimus, commendamus, aut tradimus alteri, id manu damus: & quod omnino volumus alterius potestati traditum, id ambabus manibus porrigimus. Reliqua huius versiculi Matth. 8. v.16. & Marc. 1. v.32.34.

Matth. 8. v.16. Marc. 1. v.34.

41 Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei. & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

ἐξήρχετο δὲ καὶ δαιμόνια ἀπὸ πολλῶν, κράζοντα καὶ λέγοντα· ὅτι σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. καὶ ἐπιτιμῶν οὐκ εἴα αὐτὰ λαλεῖν, ὅτι ᾔδεισαν τὸν χριστὸν αὐτὸν εἶναι.

EXIBANT AVTEM iussu atque imperio ipsius. DÆMONIA. græcè additur *καὶ* & siue *etiam dæmonia.* CLAMANTIA. vi tormentorum quæ ipsis adferebat præsentia Christi cogens exire. QVIA. *ὅτι.* redundat, vel certè est loco *τοῦ τί.* TV ES. græcè & syriacè additur *Christus.* FILIVS DEI. Non quòd veritatem prædicare aut Christum honorare gaudeant, ita clamant; sed vt desinat illis molestus esse. q.d. vt apud Matth. cap. 8. v.29: *Quid nobis & tibi*? quid tua nobiscum? tuus tibi honos manet: tu es Christus Filius Dei: nos te non oppugnamus, neque tibi molesti sumus. quid tu nos infestas? sine nos quietos agere vti hactenus. An & vnde id agnouerint dæmones, Iesum esse Christú Filium Dei, vide Matth. 8. v.29. INCREPANS. *ἐπιτιμῶν* obiurgans, durè alloquens. QVIA SCIEBANT. Sensus ambiguus est, vti Mar. 1. v.34. Nolebat vnctionis suæ testimonium dæmoniorum voce reddi, sed virtute potiùs sua, & oraculorum antiquorum obseruatione comparationeque cum rebus quæ à se gerebantur. Non egebat laude dæmonum, quos ipse victurus & domiturus erat, non præcones habiturus: nihil ipsi cum illis commune erat. Nullam auctoritatem dæmonibus apud Christianos esse oportere, docuit manifestè Christus. Reliqua lege Mar. 1. v.34.

Marc. 1. v.35.37.

42 Facta autem die egressus ibat in desertum locum: & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis.

γινομένης δὲ ἡμέρας ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἔρημον τόπον· καὶ οἱ ὄχλοι ἐζήτουν αὐτὸν, καὶ ἦλθον ἕως αὐτοῦ, καὶ κατεῖχον αὐτὸν, τοῦ μὴ πορεύεσθαι ἀπ' αὐτῶν.

FACTA DIE. primo crepusculo, prima luce aduentante (ea est enim diei principium) *sub diluculo diei* habet Syrus. nam *diluculo valde* ait Marcus. IN DESERTVM LOCVM. orandi causa; simul & fugiendi turbam. REQVIREBANT. *ἐζήτουν* quærebant. mox redierant manè ad ianuam domus Petri: vbi autem intellexerunt egressum domo, consequutæ sunt Apostolos, vt & ipsæ quærerent eum. Et Apostoli quidem priores inuenerunt, audieruntque responsi id quod Marcus narrat: posteà autem & turbæ eum inuenerunt, habueruntque responsi id quod hoc sequitur. DETINEBANT ILLVM. conabantur eum detinere, ne relinqueret ipsorum ciuitatem; propter priuatam ipsorum vtilitatem ex beneficiorum acceptorum exemplis. Iesus autem beneficia illa exhibebat in testimonium euangelij sui, quod omni Israëli erat communicandum. Reliqua quære Marc. 1. v.35.

Marc. 1. v.38.

43 Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò missus sum.

ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς· ὅτι καὶ ταῖς ἑτέραις πόλεσιν εὐαγγελίσασθαί με δεῖ τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ· ὅτι εἰς τοῦτο ἀπέσταλμαι.

QVIA. Iterum redundat, atque ita frequenter occurrit. EVANGELIZARE. annunciare, prædicare. vide Matth. 1. titulum. REGNVM DEI adpropinquans. vide Matth. 4. v.23. IDEÒ. vt omni Israëli euangelizem. non enim illud est officij caput mei, vt sanitates operer; sed, vt euangelizem Regnum Dei: porrò in confirmationem euangelij sanitates operor. MISSVS SVM. à Patre. Submissiùs de se apud turbas loquitur, quàm apud discipulos, quibus dixerat *veni* siue *egressus sum*, tamquam sua ipsius auctoritate: vt enim minùs Christo addictæ, ita minùs erant turbæ sublimioris doctrinæ capaces. Reliqua pete ex Mar. 1. v.38.

καὶ ἦν κηρύσσων ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῆς γαλιλαίας.

44 Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ.

Matth. 4. v. 23. Marc. 1. v. 39.

In synagogis. per omnes ſynagogas. Reliqua lege Matth. 4. v. 23. & Mar. 1. v. 39.

CAPVT QVINTVM.

Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ αὐτὸς ἦν ἑστὼς παρὰ τὴν λίμνην γεννησαρέτ.

1 Factum eſt autem cùm turbæ irruerent in eum vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth.

Factum est. ἐγένετο *factum eſt* ſiue fuerat, vt initio *cùm* prædicare cœpiſſet in Galilæa, *turba* aliquando *irruerent in eum*. Rem iam præteritam Lucas loco ſibi opportuno inſerit: nam accidit ſubſequens Apoſtolorum vocatio, cum miraculo captorum piſcium coniuncta, ante curationem dæmoniaci, ingreſſum in domũ Simonis, ſanationem ſocrus Simonis & aliorum, de quibus ſuperiori capite à v. 33. deinceps. Neque enim certa diſtinctaq; temporum ſerie annales componere propoſitum fuit Euangeliſtis: ſed neglecto dierum ordine, quæ in idem ferè tempus inciderunt liberè permiſcent, res Chriſti geſtas præcipuas ſummatim propoſuiſſe ſat habentes. Tvrbæ. τὸν ὄχλον turba. Irrverent. ἐπικεῖσθαι *incumberet*, ad verbũ, id eſt, immineret ei. Non ſatis erat Dominum ſui copiam facere in ſynagogis, in oppidis, in vicis, verùm quocumque ſe ſubduceret, eò ſimul accurrebat promiſcua multitudo virorum ac mulierum. Vt avdirent. præ ſtudio & auiditate audiendi. Verbvm Dei, quod non temerè credebant ab ipſo prædicari. Et ipse. ſupereſt & ex phraſi hebraica Lucæ familiari, vel accipitur pro *tum*, aut *vt*; *vt ipſe ſtaret*. Secvs stagnvm. iuxta, ad ſtagnum. Syrus *iuxta littus maris*. Genesareth. vide Matth. 4. v. 18. & 14. v. 34.

καὶ εἶδε δύο πλοῖα ἑστῶτα παρὰ τὴν λίμνην· οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀποβάντες ἀπ' αὐτῶν ἀπέπλυνον τὰ δίκτυα.

2 Et vidit duas naues ſtantes ſecus ſtagnum: piſcatores autem deſcenderant & lauabant retia.

Naves piſcatorias. Secvs stagnvm. iuxta ſiue ad ſtagnum, ad littus ſtagni interius. Syrus *ſuper crepidinem maris*. Descenderant ἀπ' αὐτῶν *ex eis* additur græcè & ſyriacè. Lavabant. abluebant retia à limo & cæteris ſordibus quas nocturno vſu contraxerant, vt mundata complicarent ac reponerent in aliud tempus, nulla iam cùm eſſet prædæ capiendæ ſpes.

ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, ὃ ἦν τοῦ σίμωνος, ἠρώτησεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον· καὶ καθίσας ἐδίδασκεν ἐκ τοῦ πλοίου τοὺς ὄχλους.

3 Aſcendens autem in vnam nauem quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum: & ſedens docebat de nauicula turbas.

Ascendens. ἐμβὰς ingreſſus, quum aſcendiſſet. Navem. τῶν πλοίων iſtarum nauium, ne à turba opprimeretur, aut etiam in lacum proturbaretur, vel certè docens quietus eſſe non ſineretur. Qvæ erat Simonis. Petri. Nõ minùs Andreæ nauis erat, veriſimile eſt, quàm Simonis: ſed Simoni adſcribitur, partim quòd actione exercitatior magiſque induſtrius cùm eſſet quàm Andreas, potiùs haberetur vulgò dominus ac gubernator nauis, quàm ſenior frater Andreas (ob quam cauſam & deinde Simonis potiùs eſt mentio quàm Andreæ, tametſi Andreas quoque adeſſet) partim ob myſterium, eò quòd ipſe præficiendus eſſet eccleſiæ Chriſti hac naui adumbratæ. Rogavit. non vi coëgit aut iuſſit imperiosè, verùm placidè rogauit. A terra. à littore in aquas. Redvcere pvsillvm. ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον prouehere, abducere paululum, vt commodiùs audiri poſſet concio à turba. Sedens. καθίσας cùm ſediſſet. Hoc poſtquam Simon libenter feciſſet, ſedit Ieſus & docuit. De navicvla. ἐκ τοῦ πλοίου ex naui. Tvrbas in littore ſtantes. vide Matth. 13. v. 2. Nullus Ieſu ineptus ad docendum locus, nulla importuna hora. Petri & ſociorum ad indiuiduam ſequelam à Ieſu vocationem accuratè deſcribens Lucas, omnem narrat ex ordine opportunitatem reique geſtæ ſeriem, quam Matthæus & Marcus breuiter expoſuerunt.

ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, εἶπε πρὸς τὸν σίμωνα· ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος, καὶ χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν.

4 Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.

Cessavit. Quid loquutus fuerit aut docuerit turbam, non explicat Euangeliſta: ſed prima Chriſti concio: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum* (Matth. 4. v. 17.) diligentiſſimè obſeruanda eſt. Hæc enim eſt compendium & ſumma omnium Chriſti concionum. Quare quum de doctrina Chriſti fit mentio, ad

tio, ad hanc concionem tamquam ad statum totius doctrinæ Christi respiciendum est. LOQVI verbum Dei. DVC. ἐπανάγαγε prouehe s. nauim. Syrus *Ducite* seu prouehite. IN ALTVM. in profundum maris, longiùs à terra. illic enim, non ad littus, manere consueuit piscium turba. LAXATE. expansa eiicite. χαλάσατε demittite, proiicite. s. tu & socij tui, Andreas scilicet frater tuus & famuli mercede conducti. IN CAPTVRAM. εἰς ἄγραν ad capturam, ad capiendum pisces, ad piscandum.

Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. 5

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ σίμων εἶπεν αὐτῷ· ἐπιστάτα, δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες οὐδὲν ἐλάβομεν· ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὸ δίκτυον.

PRÆCEPTOR. ἐπιστάτα. *Rabbi* habet Syrus. ἐπιστάτης propriè dicitur, qui rei cuipiam est præfectus. Quem igitur cæteri Euangelistæ hebraica voce seruata vocant Rabbi, Lucas interpretatur ἐπιστάτην (nam & רב *rab* Hebræis Chaldæisque principem siue præfectum rebus personisve generaliter significat) tamquam præfectum ad docendum, quod rectè Interpres vertit *Præceptor*. Sic enim Iesum nominat Petrus, quòd sciret eum solitum fungi doctoris officio. PER TOTAM NOCTEM quæ ad capturam opportunior est quàm dies.

LABORANTES. κοπιάσαντες fatigati, quum laborauerimus in piscando Hinc manifestum euadit, Petrum cum suis nōdum assiduum comitem aut ascitum fuisse in familiam Iesu (vt qui, ad victum lucrifaciendum, artem quam diu professus fuerat, separatus ab Iesu pro more exercuerit) nec proinde accidisse hanc historiam post eam quam narrant Matthæus & Marcus. NIHIL CEPIMVS. Tempestas licet piscationi & industriæ nostræ omnino aduersetur; & neque arte neque hora adiuuemur. IN VERBO AVTEM TVO. ex iussu tamen tuo, iuxta mandatum tuum. Hebraica phrasi *in* pro ex aut iuxta; & *verbum* pro iussu siue mandato. Tuo tantùm iussu fretus, quem scio plurimùm posse, nec frustrà reuereor. LAXABO. demittam, eiiciam expansum RETE, naui in profundius mare abducta. Insignis Simonis cùm fides tum obedientia nomini respondens: qua quantum Christo deferat ostendit, cùm inani labore fatigatus, quod frustrà tentauerat, de integro aggreditur.

Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. 6

καὶ τοῦτο ποιήσαντες συνέκλεισαν πλῆθος ἰχθύων πολύ· διερρήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον αὐτῶν.

CVM HOC. simulatque hoc fecissent quod Iesus iusserat. CONCLVSERVNT. inuoluerunt rete, id est, ceperunt. Benedictio laboris à Domino. COPIOSAM. πολὺ multam, id est, magnam, supra modum naturali ordine possibilem. RVMPEBATVR AVTEM. διερρήγνυτο δὲ dirumpebatur autem, ita vt disrumperetur RETE, nec tamen elaberentur pisces, quod alterum fuisse miraculum annotant quidam. Pisces qui ab hoc loco longè aberant (nulli enim hîc retibus per totam noctem fuerant comprehensi) imperio Iesu subitò adnatarunt & in rete coacti sunt, tanta copia, quanta retis spacium superaret, & impar ponderi rete rumperet, vltra omne exemplum piscatoribus anteà spectatum. Testimonium manifestum obedientiæ quam rerum natura Iesu exhiberet.

Et annuerunt sociis qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos: & venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. 7

καὶ κατένευσαν τοῖς μετόχοις τοῖς ἐν τῷ ἑτέρῳ πλοίῳ, τοῦ ἐλθόντας συλλαβέσθαι αὐτοῖς· καὶ ἦλθον καὶ ἔπλησαν ἀμφότερα τὰ πλοῖα, ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά.

ANNVERVNT. non aduocarunt voce (quia vocem interceperat stupor & timor) sed signis indicarunt. SOCIIS. collegis piscatoribus. qui fuerint isti exprimitur infrà v. 9. Nautæ nauis vnius libenter socios habent nautas alterius, vt, simul enauigantes, in periculis sibi mutuò succurrant. ALIA. ἑτέρῳ altera. ADIVVARENT EOS, id est, ipsos. συλλαβέσθαι αὐτοῖς opitularentur ipsis, manus cum ipsis reti extrahendo admouerent.

ET VENERVNT. qui venerunt seu adnauigarunt. Ita factum est, vt miraculum, plurium illius artis peritorum testimoniis, innotesceret, & Iesu virtus fieret testatissima. ET IMPLEVERVNT AMBAS NAVICVLAS. id est, & impletæ sunt piscibus, vnius retis prouentu, ambæ naues (non enim legitur græcè diminutiuum) extracto simul ab omnibus è mari reti. PENE MERGERENTVR. proximæ essent submersioni, in periculum venirent submersionis, parum abesset quin onere depressæ mergerentur. Significat tantam fuisse piscium copiam, quanta retia rumpendo & naues mergendo, animos spectantium in admirationem attolleret.

Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicēs: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. 8

ἰδὼν δὲ σίμων πέτρος προσέπεσε τοῖς γόνασι ἰησοῦ, λέγων· ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, κύριε.

QVOD CVM VIDISSET. ἰδὼν δὲ cùm autem vidisset s. rem istam, intelligens præceptum Iesu admirando modo esse operatum, remque non agi casu aut humanis viribus, sed virtute diuina, quod nulli perspectius esse potuit quàm ipsi piscatori exercitatissimo. SIMON PETRVS. Nondum aliter quàm Simon vocabatur,

batur, quare nec alio eum nomine hactenus Euangelista vocauit, sed hîc addit *Petrus*, vt obserues, eum ab ipso mox initio, virtutibus, respondere cœpisse imponendo sibi nomini Petri. PROCIDIT. προσέπεσε accidit. Iesu excellentiam, hinc perspectam, quòd natura ipsa inanimatorum & animantium ipsum veneretur atque obseruet, cum sua vilitate componens. AD GENVA. Gestus fidei & animi grati. EXI A ME. discede à me, quod tu facilè potes: nam ego mari impeditus non possum discedere à te. HOMO. ἀνὴρ vir. PECCATOR SVM. peccatis multis obnoxius, tu verò vir sanctus deoque acceptus, qualis non facilè alius. Confitetur se esse peccatorem, &c, ex argumento ab oppositis, Iesum esse sanctissimum. q.d. Iam primùm meam agnosco vilitatem, cùm tua se mihi manifestat celsitudo. Indignus proinde cùm sim consortio tuo teq; hospite: quemadmodū enim ille *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum*; sic Petrus: Domine non sum dignus vt maneas in naui mea) discede obsecro à me, ne, ob tuam præsentiam promior ad vlciscenda peccata mea, perire me iubeat Deus. Petrus sic reueretur Iesum in miraculo, vt maiestate eius exterritus fugere optet. Quamuis enim Dei præsentiam assiduis votis expetant homines, quòd eo absente miseros se esse sentire cogantur: necesse est tamen, simulatque apparet Deus, eos formidine percelli, immo exanimari metu & pauore, donec solatium adhibeat: quia tunc sentire incipiunt quàm nihil sint, quàm viles & peccatis à Deo alieni, ac metuere proinde, ne ipsius sanctitas præsens consumat prauitatem ipsorum. Sic Petrus, quamuis nondum apertè crederet Deum esse Iesum, Dei tamen præsentiam, & eam quæ Iesu cum Deo intercederet propinquitatem ex re gesta considerans, contremiscit, pauidusque abesse desiderat, veritus ne Deus, Iesu causa præsens, Iesum cum ipso conferens, & sese in sanctitatis Iesu contemplatione oblectans, ipsius e diuerso abominetur peccatis fœdatam vitam, subitoque disperdat. Ad hunc modum mulier Sareptana, verita ne mortuus esset filius suus, eò quòd ipsa hospitio excepisset Eliam, id est, peccatrix virum sanctum, clamabat 3. Reg. 17. v. 18. *Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ & interficeres filium meum?* vide Matth. 8. v. 34. DOMINE. Suprà v. 5. vocauerat præceptorem, iam maiore de ipso opinione cōcepta vocat Dominum. Magna Petri modestia atque humilitas, solam suam vilitatem considerantis, neque quidquam ex felici piscationis successu laudis sibi arrogantis, tametsi & nauis & rete & opera fuisset ipsius, sed prouentum omnem adscribentis ei qui iusserat.

θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν, καὶ πάντας τοὺς σὺν αὐτῷ, ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ᾗ συνέλαβον· ὁμοίως δὲ καὶ ἰάκωβον καὶ ἰωάννην, υἱοὺς ζεβεδαίου, οἳ ἦσαν κοινωνοὶ τῷ σίμωνι.	9 Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant; similiter autem Iacobum & Iohannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.	Matth. 4. v. 21. Marc. 1. v. 19.

STVPOR. pauor, terror. hæc enim omnia notat θάμβος. Fuit metus religiosus is quo correptus fuit Petrus, pertinens ad pietatem: non absimilis eorum, qui, cæcutienti & obtusa oculorum acie cùm sint, solem perfectissimè lucidum & splendentem formidant, agnoscentes sese impares tantæ virtuti spectandæ. CIRCVMDEDERAT. vndique occupauerat & quasi conclusum tenebat. QVI CVM ILLO ERANT. Andream fratrem scilicet, atque mercenarios. *Andream nō nominat* (inquit Augustinus lib. 2. de cons. cap. 17.) *qui tamen intelligitur in ea naui fuisse secundum Matthæi & Marci narrationem.* IN CAPTVRA. ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ super illa captura. ortus ex illa captura, ortus ex consideratione illius capturæ, aut potiùs potentiæ qua tam admirabilis piscium captura procurata erat. q. d. Non ita loquutus est Petrus, quòd Iesu præsentiam fastidiret, aut à Iesu vellet separari, quem diligebat vnicè, sed quòd contemplatio excellentiæ Iesu, illa piscium capturâ testatæ, perterrefaceret eum & pauidum stupidumque redderet. QVAM CEPERANT ᾗ συνέλαβον quam comprehenderant. IACOBVM καὶ ἰάκωβον &, seu, *etiam Iacobum* s. circumdederat stupor. Cunctorum qui aderant animos occupauerat incredibilis quædam huius facti admiratio, vt sensus hic ingenitus est omnibus, vt ad Dei præsentiam expauescant.

καὶ εἶπε πρὸς τὸν σίμωνα ὁ ἰησοῦς· μὴ φοβοῦ, ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν.	10 Et ait ad Simonē Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens.	Matth. 4. v. 19. Marc. 1. v. 17.

AD SIMONEM qui loquutus fuerat. NOLI TIMERE. μὴ φοβοῦ ne timeas. pone inanem hunc metum. s. ne quid mali tibi eueniat ex præsentia mea. Non enim vt te à me absterrerem, exserui virtutem meam, sed contrà, vt te ad me sequendum inuitarem, & quid posteà per te vbi mihi adhæseris præstandum sit significarem. EX HOC IAM. ἀπὸ τοῦ νῦν ab hoc nunc, ab hoc tempore, posthac. HOMINES. non pisces, opponuntur enim homines piscibus. Non igitur posthæc rediit ad piscandi opificium Petrus, nec proinde historia ista accidit ante eam quā narrant Matthæus & Marcus. ERIS CAPIENS. id est, capies, meo beneficio. q. d. Non est quòd attonitum adeò te reddat copia ista piscium à te meo iussui obsequente præter omne naturæ exemplum captorum; leue est pisces cepisse, posthac aliud, & quidem longè sublimius, erit opus tuum: non prorsus tamen aliud, homines enim deinde capies, qui pisces hactenus cepisti; & quidem, me duce, ea copia homines capies, qua iam cepisti pisces. sed hoc erit discrimen, vt ad vitam homines capias, qui pisces ad mortem capere solitus fueras. Hæc enim est arcana significatio verbi ζωγρεῖν, quo Euangelista vtitur: quam Syrus exprimens vertit: *Posthac piscaturus es homines ad vitam.* nam propriè declarat viuum capere, compositum ex ζῶ viuo, & ἀγρέω venor seu venatu capio. Cæterùm non dicit Saluator *Ex hoc iam homines eris capiens*, quod mox vt cum ipso abiisset id facturus esset Petrus, sed quod mox ab ipso formandus esset, vt idoneus redditus id præstaret: id quod certè præstitit triennio pòst, quando vno primoque iactu euangelici retis, die Pentecostes, piscatus est hominum tria milia (Act. 2. v. 41.) & quotidie deinde plures, videlicet agens piscatorem hominum. Reliqua huc facientia petenda sunt ex Matth. 4. v. 19. Ob plures autem causas cùm ediderit miraculum istud captorum piscium Iesus (vt, confirmandæ doctrinæ gratia, quam docuerat turbam,

turbam, quæ, intelligitur, ex littore fuisse spectatrix) ex verbis huius versiculi discitur, causas potissimùm fuisse duas; Priorem, vt quatuor istos viros, quos elegerat in primarios discipulos atque apostolos suos, declarata potentia sua, eiusmodi qua vniuersa creatura ipsius nutui subiacet, efficaciùs, relicto vitæ genere in quo à pueritia versabantur, attraheret ad sequendum se suumque vitæ genus, id est, ad vacandum secum vni Deo colendo, eiusque euangelio diuulgando, iactata in Deum cura alendi corporis. Quocirca tale edidit miraculum quale posset optimè intelligi ab huius generis hominibus, eosque mouere maximè (consueuit enim Deus singulos per cognata ac familiaria vocare; vt magos per stellam, ita modò piscatores per pisces) & docere quam non deberent ob curam victus amictúsve absterreri à sequendo se paupere, cui omne quod vellet in manu esset. Huc referendum est, quòd vocationem primorum ducum discipulorum suorum voluit Iesus hac ratione honorare, vt posteà aliis, quibus essent illi euangelium à Iesu acceptum prædicaturi, ostendere possent, quàm non temerè quondam, relicto suo vitæ instituto, Iesum ad sui sequelam vocantem fuissent sequuti. Posterior causa fuit, vt præmoneret hos viros, quid operis, quo profectu, facturi tandem essent, vbi se societati disciplinæque ipsius addixissent; ipsos, inquam, fore piscatores hominum, idque tam vbere prouentu, quàm mox fuerant piscium. Se iubente, iaciendum ab ipsis, & inprimis à Petro capite, in mare huius seculi, rete euangelij Dei: & se faciente, tanta multitudine, ad miraculum & stuporem vsque, homines, qui à Dei cultu priùs alienissimi fuerant, de profundo criminum & errorum pertrahendos ad auram liberiorem, è tenebris ad lucem, è sordido limo ad vitam puram, à vagis cupiditatibus ad innocentiæ perpetuæ constans studium, & in suam reducendos ecclesiam, quantam recipere ipsi non essent suffecturi, sed cogendi essent implorare aliorum auxilium, plures alios ad cooperandum aduocare; Nec Iudæos solos impetu irrupturos, sed & gentes, ita vt duæ futuræ essent ecclesiæ, tamquam duæ naues vna anchora firmæ. Sic tamen capiendos multos, vt eorum quidam futuri essent mali, hæresibus, quod in se esset, scissuri doctrinam euangelicam, malisque moribus suis in periculum vniuersam ecclesiam adducturi.

Matth.4. v.10 22. Marc.1. v.18.20.

Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.	11	καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα ἐπὶ τὴν γῆν, ἀφέντες ἅπαντα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

ET. Tunc. SVBDVCTIS ex alto: τὸ κατάγειν opponitur τῷ ἐπανάγειν quo vsus est suprà v. 4., vt κάτω deorsum τῷ ἄνω sursum. OMNIBVS. piscibus, retibus, nauibus, mercenariis qui cum ipsis erant, adeoque arte piscatoria. Pisces, verisimile est, turba diripuit, ad certiorem miraculi, tum famam celebrandam, tum memoriam seruandam. SECVTI SVNT ij quorum iam facta est nominatim mentio, Petrus, Iacobus, & Iohannes, nec non (id quod ex Matthæo & Marco intelligitur) qui cum Petro erat, Andreas frater. EVM, adhærentes deinceps ipsi inseparabiles. Hic fructus miraculi fuit. Reliqua lege Matth.4. v.20. Ex hoc versiculo rursus discitur, quòd non acciderit post hanc historiam, ea vocatorum Apostolorum historia, quam Matthæus & Marcus describunt: immo eandem esse, ex eo etiam clarius euadit, quod tametsi soli Petro Iesum loquutum Lucas retulisset, subiecerit tamen plurali numero ipsos esse sequutos. Intelligendum est itaque, quòd, postquam Petro Iesus dixisset *Ex hoc iam eris homines capiens*, reduxerint, Petrus cum suis, & filij Zebedæi cum suis, singuli nauiculam suam ad littus, in stationem consuetam, vbi soliti fuerant eam collocare. Cùm igitur Iesus vectus naui Petri & Andreæ rediisset cum ipsis ad littus, dixit ipsis duobus: *Venite post me* relicto hoc vitæ genere, tametsi maximum vobis queat emolumentum adferre (quod videtis à me præstari posse) *faciam* quod dixi, *vos fieri piscatores hominum*; quod vt sublimius opus, ita vtilius erit, tum vobis, tum humano generi. Illis sequentibus, cùm egressus nauigio Iesus peruenisset per oram maris ad stationem Iacobi & Iohannis propè distantem, inuenissetque eos intentos operi resarciendi retis, siue illius quod ruptum fuerat superiori piscatione (quamquam illud videatur fuisse Petri) siue cuiusuis alterius, vocauit ipsos, vt priores, ad sequelam sui, ipsique cum prioribus Petro & Andrea mox sunt ipsum sequuti. Tunc verum fuit quod hîc Lucas ait: *Relictis omnibus secuti sunt eum*. In quam sententiã Augustinus lib. 2. de cons. Euang. cap.17: *Potuit*, inquit, *priùs hoc Petro dici, cùm de capta ingenti multitudine piscium miraretur, quod Lucas insinuauit: & ambobus postea, quod alij duo commemorauerunt.*

Matth.8. v.2. Marc.1. v.40.

Et factum est, cùm esset in vna ciuitatum, & ecce vir plenus lepra: & videns Iesum, & procidens in faciem, rogauit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.	12	καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων, καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ πλήρης λέπρας, καὶ ἰδὼν τὸν ἰησοῦν, πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ἐδεήθη αὐτοῦ λέγων· κύριε, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

IN VNA CIVITATVM. in quadam ciuitate, Capharnaum scilicet, id enim Marcus significare velle videtur, quando mox post istud miraculum subdit cap.2. v.1: *Et iterum intrauit Capharnaum post dies*. Verùm quia Matthæus, eidem huic miraculo subiiciens cap.8. v. 5: *Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio*, significat leprosi sanationem non accidisse in ipsa ciuitate Capharnaum, vt paralytici; intelligendum erit quod Lucas dicit, in agro ciuitatis non longè ab ipsa ciuitate Capharnaum: quemadmodum Iosue 5. v.13., Iosue, priusquam cepisset Iericho, *in Iericho* fuisse dicitur, pro eo quod est, *in agro vrbis Iericho*, vti expressit Interpres. ET ECCE. tum ecce adfuit. PLENVS LEPRA. facit id ad miraculi exaggerationem. Reliqua petantur ex Matthæo cap. 8. v.2.

Matth.8. v.3. Marc.1. v.41.42.

Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. & confestim lepra discessit ab illo.	13	καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἥψατο αὐτοῦ, εἰπών· θέλω, καθαρίσθητι. καὶ εὐθέως ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ᾽ αὐτοῦ.

καὶ αὐτὸς παρήγγειλεν αὐτῷ μηδενὶ εἰπεῖν· ἀλλὰ ἀπελθὼν δεῖξον σεαυτὸν τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε, περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, καθὼς προσέταξε μωσῆς εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. 14 Et ipse præcepit illi vt nemini diceret: sed, Vade, ostende te sacerdoti, & offer, pro emundatione tua, sicut præcepit Moses in testimonium illis. Matth.8. v.4. Marc.1. v.43.44.

PRÆCEPIT. παρήγγειλεν denunciauit. SED, VADE. s. inquit, OSTENDE TE &c. Cætera petantur ex Matthæo & Marco.

διήρχετο δὲ μᾶλλον ὁ λόγος περὶ αὐτοῦ, καὶ συνήρχοντο ὄχλοι πολλοὶ ἀκούειν, καὶ θεραπεύεσθαι ὑπ' αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἀσθενειῶν αὐτῶν. 15 Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbæ multæ, vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Marc.1. v.45.

PERAMBVLABAT AVTEM MAGIS. Dimanabat tanto magis fama ipsius, quanto magis volebat nesciri. CONVENIEBANT ad eum. TVRBÆ MVLTÆ vndique. ET CVRARENTVR. ab eo, additur græcè.

αὐτὸς δὲ ἦν ὑποχωρῶν ἐν ταῖς ἐρήμοις, καὶ προσευχόμενος. 16 Ipse autem secedebat in desertum, & orabat. Marc.1. v.45.

SECEDEBAT. ἦν ὑποχωρῶν erat secedens & orans. Post gesta magna & admiranda, turbas vitabat, gloriam propriam declinans: &, obedientiam Patri exhibens, salutemque hominum studiosè postulans, orabat. IN DESERTVM. ἐν ταῖς ἐρήμοις in desertis.

καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἦν διδάσκων, καὶ ἦσαν καθήμενοι φαρισαῖοι, καὶ νομοδιδάσκαλοι, οἳ ἦσαν ἐληλυθότες ἐκ πάσης κώμης τῆς γαλιλαίας, καὶ ἰουδαίας, καὶ ἱερουσαλήμ, καὶ δύναμις κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς. 17 Et factum est in vna dierum, & ipse sedebat docens, & erant Pharisæi sedentes & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusalem, & virtus Domini erat ad sanandum eos.

ET FACTVM EST IN VNA DIERVM. accidit quodam die. eiusmodi enim est Hebræis, quin & Flandris nostris ac Gallis, loquendi modus, vt dicant, *vna die*, pro, quodam. ET IPSE. quum ipse. *Et*, pro tunc, ex Hebræorum idiotismo interdum vsurpari, frequenter iam diximus: hîc autem poni videtur pro *cùm*, id est ὅτε, vt respondeat initio versiculi decimi octaui; quemadmodum & alibi sæpe. SEDEBAT. ἦν erat. ET s. cùm ERANT illic, præter promiscuam multitudinem, PHARISÆI SEDENTES ET LEGIS Mosaïcæ DOCTORES, præcipuæ apud populum auctoritatis, quorum illi sanctimoniam, hi scripturarum peritiam iactabant. erat enim muneris istorum, legem Mosis & scripturas cæteras interpretari: quos mox *Scribas* Euangelista vocat proximo versu 21, quod erat proprium eorum nomen. vide Matth.2.v.4. QVI VENERANT. qui euocati fama rerum superioribus diebus ab Iesu gestarum huc profecti fuerant: quæ fama nunc etiam domi eum esse prodiderat. CASTELLO. κώμης vico. ex omnibus partibus. GALILÆÆ. in qua erat Capharnaum, vbi istud accidisse ex Marco constat. c.2.v.1. ET IVDÆÆ vicinæ. ET IERVSALEM. & ex Ierusalem: videtur enim subaudienda præpositio *ex*, etiam ex ipsa ciuitate Ierusalem, quæ sibi religionis totius ac sapientiæ fastigium arrogabat. ET s. cùm. VIRTVS δύναμις potentia. χαρίσματα ἰαμάτων *gratia sanitatum*, quam vocat Apostolus 1.Cor.12.v.9. DOMINI. Dei. ERAT illic. Hebraïsmus, pro, exserebat se eo tempore singulariter per Christum. vel, *erat*, id est, aderat Christo. EOS, Iudæos, quotquot aderant opis egentes. Post doctrinam demum miracula, quia propter doctrinam miracula, vt essent testimonia & sigilla doctrinæ à Deo profectæ; id quod mox clarè demonstratur v. 24.

καὶ ἰδοὺ ἄνδρες φέροντες ἐπὶ κλίνης ἄνθρωπον ὃς ἦν παραλελυμένος, καὶ ἐζήτουν αὐτὸν εἰσενεγκεῖν καὶ θεῖναι ἐνώπιον αὐτοῦ. 18 Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Matth.9. v.2. Marc.2. v.3.

ET ECCE. Tunc ecce adfuerunt. VIRI, id est quidam. vt enim superiori versu est ἐν μιᾷ vna pro τὶς quidam; ita hoc ἀνὴρ vir, & mox ἄνθρωπος homo. PORTANTES. φέροντες ferentes. INFERRE. intrò ferre, in domum. erat enim intus Iesus in domo; Marc.2.v.2. Reliqua pete ex Matthæo.

καὶ μὴ εὑρόντες ποίας εἰσενέγκωσιν 19 Et non inuenientes qua parte illum Marc.2. v.4.

illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſubmiſerunt eum cum lecto in medium ante Ieſum.

αὐτὸν διὰ τὸν ὄχλον, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα, διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν σὺν τῷ κλινιδίῳ εἰς τὸ μέσον ἔμπροσθεν τοῦ Ἰησοῦ.

ET NON INVENIENTES. καὶ μὴ εὑρόντες cùm autem non inueniſſent. PRÆ TVRBA. διὰ τὸν ὄχλον propter turbam, propter turbæ quæ conuenerat denſitatem. SVPRA TECTVM. ſiue, ſupra domum, vti alij vertunt: vtrumque enim patitur δῶμα. PER TEGVLAS. dimotis tegulis, detecto tecto quod Marcus habet. SVBMISERVNT. καθῆκαν demiſerunt. LECTO. τῷ κλινιδίῳ lectulo. IN MEDIVM conuentus. Reliqua dicta ſunt Marc. 2. v. 4.

Matth. 9. v. 2. Marc. 2. v. 5.

Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. [20]

καὶ ἰδὼν τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπεν αὐτῷ· ἄνθρωπε, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.

DIXIT. ſequitur græcè, αὐτῷ ei; ſyriacè, *paralytico illi*. HOMO. vir, quod eſt ſyriacè. ſic enim conſueuimus, generali nomine, ignotos vocare: quanquam magis ſuaui vocabulo & Christi benignitati magis congruo, Matthæus & Marcus recitent *fili*, ex quibus petenda ſunt reliqua ad huius verſiculi explicationem.

Matth. 9. v. 3. Marc. 2. v. 6. 7.

Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias? quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? [21]

καὶ ἤρξαντο διαλογίζεσθαι οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, λέγοντες· τίς ἐστιν οὗτος, ὃς λαλεῖ βλασφημίας; τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ μόνος ὁ θεός;

LOQVITVR. loqui audet. impius ſit oportet. Reliqua ſecundùm Matthæum & Marcum.

Matth. 9. v. 4. Marc. 2. v. 8.

Vt cognouit autem Ieſus cogitationes eorum, reſpondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris? [22]

ἐπιγνοὺς δὲ ὁ Ἰησοῦς τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν, ἀποκριθεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς· τί διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;

VT COGNOVIT. mox autem cognouit ſpiritu ſuo. QVID COGITATIS. quid verſatis animo quod non oporteat. Cætera lege Matth. 9. v. 4. & Marc. 2. v. 8.

Matth. 9. v. 5. Marc. 2. v. 9.

Quid eſt facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge & ambula? [23]

τί ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου· ἢ εἰπεῖν, ἔγειραι, καὶ περιπάτει;

Lege commentarium in Matthæum cap. 9. v. 5.

Matth. 9. v. 6. Marc. 2. v. 10. 11.

Vt autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittere peccata (ait paralytico) Tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. [24]

ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας (εἶπε τῷ παραλελυμένῳ) σοὶ λέγω, ἔγειραι, καὶ ἄρας τὸ κλινίδιόν σου πορεύου εἰς τὸν οἶκόν σου.

TOLLE LECTVM TVVM. καὶ ἄρας τὸ κλινίδιόν σου πορεύου & ſublato lectulo tuo vade. Reliqua Matth. 9. v. 6. & Marc. 2. v. 10. 11.

Matth. 9. v. 7. Marc. 2. v. 12.

Et confeſtim conſurgens coram illis tulit lectum, in quo iacebat: & abiit in domum ſuam magnificans Deum. [25]

καὶ παραχρῆμα ἀναστὰς ἐνώπιον αὐτῶν, ἄρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, δοξάζων τὸν θεόν.

TVLIT LECTVM IN QVO IACEBAT ET ABIIT. ἄρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο ἀπῆλθεν ſublato eo in quo iacuerat abiit. Non legitur græcè vox *lectum*, vt nec in multis bonis latinis libris. Periphraſis eſt lecti, *in quo iacebat*: qua videtur innui, viliorem fuiſſe lectum, vix dignum lecti nomine: quam ob cauſam à Marco *grabatus* vocatur.

MAGNIFICANS. δοξάζων glorificans; prædicans peccata ſibi eſſe dimiſſa, per Filium hominis virtute diuina omnino præditum: atque in huius rei teſtimonium ſanitatem ſibi reſtitutam referens. Reliqua ſecundùm Matthæum & Marcum expoſita ſunt.

Matth. 9. v. 8. Marc. 2. v. 12.

Et ſtupor apprehendit omnes, & [26]

καὶ ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, καὶ ἐδόξα-

ἐδόξαζον τὸν θεὸν, καὶ ἐπλήσθησαν φόβου, λέγοντες· ὅτι εἴδομεν παράδοξα σήμερον.

magnificabant Deum: & repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

STVPOR. ἔκστασις ecstasis, stupor, admiratio summa. APPREHENDIT. ἔλαβεν cepit. MAGNIFICABANT. ἐδόξαζον glorificabant. TIMORE. Vbi se exserit diuina virtus, timorem parit admiratio, timente sibi fragilitate humana à præsenti maiestatis Dei potentia. MIRABILIA. παράδοξα inopinata. Reliqua Matth. 9. v. 8. & Marc. 2. v. 12.

27 καὶ μετὰ ταῦτα ἐξῆλθε καὶ ἐθεάσατο τελώνην ὀνόματι λευϊν, καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἀκολούθει μοι.

Et posthæc exiit, & vidit publicanũ nomine Leui, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me.

Matth. 9. v. 9. Marc. 2. v. 13. 14.

EXIIT domo illa ad mare ciuitati proximum, & eo in itinere VIDIT. ἐθεάσατο, ad verbum, spectauit. plus est quàm vidit, quo non malè intelligatur efficacitas videntis & miserentis Christi; nec vidisse obiter, quem ad rem tantam vocarit. LEVI. λευϊν *Leuin* est græcè, à nominatiuo λευϊς *Leuis*, quo mox vtitur Euangelista v. 29. Existimarim ita flexum esse nomen ab Euangelista ad formam græcam; cæteroqui vulgare illud esse quo vnus ex duodecim Israëlitarum patriarchis vocatus fuit, *Leui*, quo modo semper scribit Syrus. Reliqua lege Matth. 9. v. 9. & Marc. 2. v. 13. 14.

28 καὶ καταλιπὼν ἅπαντα, ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ.

Et relictis omnibus, surgens sequutus est eum.

Matth. 9. v. 9. Marc. 2. v. 14.

ET. qui RELICTIS OMNIBVS pecuniariis rationibus ac negotiis in quibus totus erat, nec pecuniis, nec aliqua sibi reseruata re. Reliqua dicta sunt Matth. 9. v. 9.

29 καὶ ἐποίησε δοχὴν μεγάλην λευϊς αὐτῷ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ· καὶ ἦν ὄχλος τελωνῶν πολὺς καὶ ἄλλων, οἳ ἦσαν μετ' αὐτῶν κατακείμενοι.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua: & erat turba multa publicanorum & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.

Matth. 9. v. 10. Marc. 2. v. 15.

ET FECIT EI. Fecit autem ei. Rogauerat Christum vt conuiua ipsi esse dignaretur, valedicturo, quò eum sequeretur, amicis, negotiis, & rebus suis omnibus. Ita valedicebat suis conuiuio vno, & Eliseus ab Elia vocatus, 3. Reg 19. v. 20. & 21. CONVIVIVM. δοχὴν ad verbum, acceptionem, siue quòd passim omnes in eo accipiantur, siue quòd splendidè accipiantur inuitati. nam splendidum epulum δοχὴν Græci vocant. MAGNVM. tum quia copiosum, ita vt multis sufficeret conuiuis, tum quia magnificum & opiparum. Voluit splendido conuiuio Dominum excipere, quò eum honoraret, à quo quòd vocatus esset se censebat honoratum & magno affectum beneficio; quo etiam testatum faceret, quàm non tristi, sed libenti animo, ac cum gaudio, se addiceret Christi sequelæ. est enim conuiuium, gaudij signum ac symbolum. Isa. 65. v. 13. Luc. 22. v. 30. Quia ergo cupidissimè vocationem hanc amplexabatur, gaudium cordis sui isto modo testari volebat, quod epulum Christo parabat, idque magnum. LEVI. λευϊς *Leuis*. vide suprà v. 27. ET ALIORVM. peccatorum maximè. Cætera petenda sunt ex Matth. 9. v. 10.

30 καὶ ἐγόγγυζον οἱ γραμματεῖς αὐτῶν καὶ οἱ φαρισαῖοι, πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ λέγοντες· διατί μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίετε καὶ πίνετε;

Et murmurabant Pharisæi & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

Matth. 9. v. 11. Marc. 2. v. 16.

ET. Itaque. MVRMVRABANT. secretò maledicebant. PHARISÆI ET SCRIBÆ EORVM. οἱ γραμματεῖς αὐτῶν καὶ οἱ φαρισαῖοι Scribæ eorum & Pharisæi. *eorum*, id est, populi, cuius pars conuiuæ isti erant, vti Matth. 7. v. 29. & 2. v 4. Quidam interpretantur: *Qui ex eis erant Scribæ & Pharisæi*: volunt enim pronomen αὐτῶν *eorum* connectendum cum οἱ, non cũ γραμματεῖς. Atqui, hac in historia, nullorum fit mentio, ex quorum Scribæ ac Pharisæi numero fuerint: non enim fuerunt illi ex numero conuiuarũ, nisi fortè respiceret Euangelista, ad turbam hominũ, cuius meminit in proximè præcedenti historia, versu 26. capitis huius: istud enim accidisse videtur eadem in ciuitate Capharnaum, vbi verisimile est Matthæi domum fuisse. Quidam græci libri cum syricis non legunt αὐτῶν *eorum*. DICENTES AD DISCIPVLOS EIVS. πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ λέγοντες ad discipulos eius dicentes. Quidam vertunt aduersus discipulos eius, coniunguntque cum *murmurabant*: atqui rectiùs ad *dicentes* refertur, vti Syrus etiam facit, non enim tam aduersus discipulos, quàm aduersus præceptorem murmurabant illi: quocirca etiã de se respondet: *Non veni*, &c. Aug. lib. 2. de consen. Euang. cap. 27.

QVARE. quo modo audetis? non enim quærentium, sed redarguentium est. MANDVCATIS vos cum præceptore hoc vestro; vel, docente & ducente vos hoc præceptore vestro? Matthæus enim & Marcus habent *manducat*. volunt dicere, non esse præceptorem bonum, qui id & faciat ipse & discipulos doceat; non esse doctorem iustitiæ, qui cum iniustis versetur & versari iubeat. Reliqua dicta sunt Matth. 9. v. 11.

Matth. 9. v. 12. Marc. 2. v. 17.

31 Et respondens Iesus dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτούς· οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ὑγιαίνοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.

ET RESPONDENS. Respondens autem, vbi id audiuisset. Reliqua quære Matth. 9. v. 12.

Matth. 9. v. 13. Marc. 2. v. 17.

32 Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

οὐκ ἐλήλυθα καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν.

AD POENITENTIAM. Hoc addit Lucas: quo ex adiuncto, explicatur quid sit, id quod alij Euangelistæ solùm dixerunt, *vocare*, siue τὸ *ad pœnitentiam* ad *vocare* referas, Non veni vocare ad pœnitentiam iustos sed peccatores; siue construas, Non veni vocare iustos, sed peccatores, & id ad pœnitentiam: Continet autem *μετάνοια* siue pœnitentia, syriacè ܬܝܒܘܬܐ *teiobouthe* conuersio, præteritæ malæ consuetudinis agnitionem, confessionem ac detestationem, & vitæ morumque correctionem, secundùm præcepta atque instituta Deo probata: qua de re latiùs Matth. 3. v. 2. Significatur itaque non versari cum peccatoribus Saluator, quò peccata eorum foueat, sed quò id apud eos agat, vt peccata sua detestati emendent, commutatique meliora eligant. Reliqua ex Matthæo & Marco petenda sunt.

Matth. 9. v. 14. Marc. 2. v. 18.

33 At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Iohannis ieiunãt frequenter, & obsecrationes faciũt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt?

οἱ δὲ εἶπον πρὸς αὐτόν· διατί οἱ μαθηταὶ ἰωάννου νηστεύουσι πυκνά, καὶ δεήσεις ποιοῦνται, ὁμοίως καὶ οἱ τῶν φαρισαίων· οἱ δὲ σοὶ ἐσθίουσι καὶ πίνουσιν;

AT ILLI. οἱ δὲ illi autem s. Pharisæi & Scribæ, quorum mentio proximè antecessit. DIXERVNT. breui quodam tempore pòst. Etsi non mox istud superioribus subiecerint, ad refellendum tamen id quod in superioribus Dominus dixerat, se cum peccatoribus manducare, bibere, versari, vt medicum, attulerunt. vide Matth. 9. v. 14. Dixerunt autem per Iohannis discipulos, quibus suggessisse videntur, istud vt Christo obiicerent; videntur autem, ex Euangelistarum collatione. OBSECRATIONES FACIVNT. Deo orando vacant. Videntur Iohannes & Pharisæi exercuisse discipulos suos prolixis & adflictiuis precibus. Luc. 20. v. 47. Habes de Pharisæis: *Deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem*. Porrò δεήσεις, quæ vox hoc loco est, propriè sunt supplicationes oblatæ vt ab iis liberemur quæ nobis aduersa aut molesta sunt, quomodo definit Oecumenius in 1. Tim. 2. v. 1. δέομαι namque παρὰ τὸ δέος à timore oriri videtur. Timore autem suos Moses regebat; Christus suos amore. EDVNT ET BIBVNT. comessantur. notant eos intemperantiæ. Reliqua quære Matth. 9. v. 14. & Marc. 2. v. 18.

Matth. 9. v. 15. Marc. 2. v. 19.

34 Quibus ipse ait: Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?

ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς· μὴ δύνασθε τοὺς υἱοὺς τοῦ νυμφῶνος, ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστι, ποιῆσαι νηστεύειν;

FACERE IEIVNARE? q. d. non, absurda res sit etiam vestro ipsorum iudicio. Iam relinquit intelligendum, ita etiam absurdum sit, vt ad ieiunia cogatis eos qui mecum vt cum sponso versantur. quasi enim videbantur cogere velle, illa sua obmurmuratione. Reliqua lege Matth. 9. v. 15.

Matth. 9. v. 15. Marc. 2. v. 20.

35 Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι, καὶ ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.

CVM. καὶ ὅταν. & cùm. Redundat καὶ *&*, quod & Syrus omisit: apud alios Euangelistas commodiùs construitur cum τότε *tunc*. Reliqua dicta sunt Matth. 9. v. 15. & Mar. 2. v. 20.

Matth. 9. v. 16. Marc. 2. v. 21.

36 Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à nouo vestimento immittit in vestimentũ vetus: alioquin, & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo.

ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν πρὸς αὐτούς· ὅτι οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν· εἰ δὲ μήγε, καὶ τὸ καινὸν σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ.

SIMILITVDINEM. παραβολὴν parabolam, comparationem (id enim significat vox parabola propriè, dicta à παραβάλλω comparo) qua sententiam confirmaret. QVIA. ὅτι. superest latinè. COMMISSVRAM A NOVO VESTIMENTO. ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ commissuram noui vestimenti, pannum nouum ex noua veste resectum. Syrus: *Nemo abscindit frustum è vestimento nouo, & mittit* &c. NOVVM vestimentum. RVMPIT. σχίζει findit, lacerat vestem nouam vt veterem sarciat. Alij Euangelistæ, vt non proposuerunt commissuram ex vestimento nouo acceptam, sed in genere commissuram panni, ita non expresserunt incommodum istud, lacerari,

lacerari, violari, vestem nouam. ET VETERI. vestimento. NON CONVENIT. οὐ συμφωνεῖ non consonat, non consentit. COMMISSVRA A NOVO vestimento sumta. τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ id quod ex nouo s. vestimento acceptum fuerat. Huiusmodi enim commissura, noua cùm sit, valida est & fortis; illud quum sit tritum, debile atque infirmum: quare fit vt hæc illud mox iterum laceret, & deformiùs ac reparatu difficiliùs laceret quàm fuerit priùs. Reliqua quære Matth. 9. v. 16.

καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μήγε, ῥήξει ὁ νέος οἶνος τοὺς ἀσκούς, καὶ αὐτὸς ἐκχυθήσεται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται.

37 Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt. *Matth. 9. v. 17. Marc. 2. v. 22.*

RVMPET breuì. Reliqua pete ex Matth. 9. v. 17.

ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον, καὶ ἀμφότεροι συντηροῦνται.

38 sed vinum nouũ in vtres nouos mittendum est, & vtraque conseruantur. *Matth. 9. v. 17. Marc. 2. v. 22.*

Lege versiculum hunc tractatum Matth. 9. v. 17. & Marc. 2. v. 22.

καὶ οὐδεὶς πιὼν παλαιόν, εὐθέως θέλει νέον· λέγει γάρ, ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν.

39 Et nemo bibens vetus, statim vult nouum: dicit enim, Vetus melius est.

ET. rursus. BIBENS. πιὼν qui biberit, qui assuetus est bibere. VETVS. vinum. STATIM VVLT NOVVM. statim eò adducitur, vt, vetere relicto, amplectatur nouum. quantumuis nouum melius etiam sit. MELIVS. χρηστότερος blandius, vtilius, [Syriac] *basim* suauius. Sententia est ex consuetudine & affecto iam animo profecta: vsus enim & consuetudo gustum formant. Tertiam itaque hîc adhuc similitudinem Saluator addit, ad statuendum eam quam erga discipulos suos tenet rationem, nimirum, quòd alius assueuerint discipuli, non assueuerint frequentibus ieiuniis &c. Vix enim credi possit quàm difficile sit, consueta non consuetis etiam potioribus postponere, in omni genere rerum: tantùm retardare consuetudo potest. Cæterùm, dat intelligendum voce ista *statim*; quemadmodum is qui assueuit vino veteri, paulatim eò adducitur vt approbet nouum, immo vt tandem, assuefactus nonnihil, etiam præferat veteri: ita mihi cum discipulis meis est agendum, quos tandem etiam eò adducturum me scio, vt frequentia ieiunia, longas preces, aliaque luctuosa & grauia virtutum exercitia, præferant deliciis & voluptatibus mundi omnibus.

CAPVT SEXTVM.

Ἐγένετο δὲ ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ διαπορεύεσθαι αὐτὸν διὰ τῶν σπορίμων· καὶ ἔτιλλον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τοὺς στάχυας, καὶ ἤσθιον, ψώχοντες ταῖς χερσί.

1 Factum est autẽ in sabbato secundoprimo, cùm transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabant, confricantes manibus. *Matth. 12. v. 1. Marc. 2. v. 23.*

SABBATO SECVNDOPRIMO. id est, sabbato duplici siue bis primo aut bis solemni hoc est, die septimo hebdomadæ concurrente cum alio die festo, Pentecostes (verisimile est, tunc enim segetes triticeæ maturæ erant & messi proximæ) aut certè Neomeniæ. Simili modo Ioh. 19. v. 31., sabbatum concurrens cum secundo die Azymorum, vocatur magnus dies sabbati. Ex infinita de sabbato secundoprimo sententiarum varietate, ista hactenus probatur maximè. Syrus, quod mirum, nullam mentionem facit sabbati secundoprimi, sed simpliciter, *in sabbato* dicit. CONFRICANTES MANIBVS. confrictu manuum exclusa grana. Syrus hoc præponit manducationi, vt ordine prius est: *Et confricabant manibus suis & manducabant*. Reliqua huius versiculi quære Matth. 12. v. 1. enarrata.

τινὲς δὲ τῶν Φαρισαίων εἶπον αὐτοῖς· τί ποιεῖτε ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν τοῖς σάββασι;

2 Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis? *Matth. 12. v. 2. Marc. 2. v. 24.*

DICEBANT ILLIS. Discipulos alloquebantur, sed accusatio in magistrum ipsum ex illorum mente stringebatur: idcircò priores Euangelistæ ita rem narrant, vt Dominum alloquuti dicantur. Quamquam facilè potuerit fieri, vt, à discipulis initio facto, tandem ad Christum disceptatio peruenerit. QVID. Cur. QVOD NON LICET. Repetitur græcè & syriacè *ποιεῖν facere*. Reliqua petenda sunt ex Matth. 12. v. 2.

καὶ ἀποκριθεὶς, πρὸς αὐτοὺς εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· οὐδὲ τοῦτο ἀνέγνωτε ὃ ἐποίησε Δαβίδ,

3 Et respondens Iesus, ad eos dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, *Matth. 12. v. 3. Marc. 2. v. 25.*

cùm esuriret ipse & qui cum illo erant? | ὁπότε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ ὄντες;

RESPONDENS pro discipulis, non ignorans se præceptorem inprimis taxari. NEC HOC LEGISTIS. Ne hoc quidem legistis, non legistis vel hoc, quod tam est obuium, & solum poterat calumniam huiusmodi arcere? Reliqua Matth. 12. v. 3.

Matth. 12. v. 4. Marc. 2. v. 26.

4 Quomodo intrauit in domũ Dei, & panes propositionis sumsit, & mãducauit, & dedit his qui cũ ipso erãt, quos non licet manducare nisi tantũ sacerdotibus? | ὡς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔλαβε, καὶ ἔφαγε, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς μετ' αὐτοῦ, οὓς οὐκ ἔξεστι φαγεῖν εἰ μὴ μόνους τοὺς ἱερεῖς;

SVMSIT. accepit, dante summo sacerdote. Nec summus sacerdos igitur qui panes ipsos dedit, existimauit lege vetitum esse, homines fame oppressos sacris panibus pascere. Hoc robur exemplo addit, simul & Christum ipsum tuetur non arguentem discipulos suos sed sinentem agere. ET DEDIT HIS. Græcè additur καὶ etiam: *Et dedit etiam his*. Reliqua Matth. 12. v. 4. & Marc. 2. v. 26.

Matth. 12. v. 8. Marc. 2. v. 28.

5 Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati. | καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· ὅτι κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

ET DICEBAT ILLIS. Sermonem hac de re habitum conclusit hac generali sententia. QVIA. *In.* superest sensui vt frequenter aliàs. Reliqua Matth. 12. v. 8. & Marc. 2. v. 28.

Matth. 12. v. 9. 10. Marc. 3. v. 1.

6 Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextera erat arida. | ἐγένετο δὲ ἐν ἑτέρῳ σαββάτῳ εἰσελθεῖν αὐτὸν εἰς τὴν συναγωγὴν καὶ διδάσκειν. καὶ ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἡ δεξιὰ ἦν ξηρά.

ET MANVS EIVS. Hebraismus, pro Cuius manus. antecedens loco relatiui. DEXTERA. hoc ad miseriæ exaggerationem facit, quòd dextera mortua & inutilis esset: plus enim opus est homini manu dextera quàm sinistra, si altera carendum est. Reliqua Matth. 12. v. 9. 10.

Matth. 12. v. 10. Marc. 3. v. 2.

7 Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi si in sabbato curaret, vt inuenirent vnde accusarent eum. | παρετήρουν δὲ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι, εἰ ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύσει αὐτὸν, ἵνα εὕρωσι κατηγορίαν αὐτοῦ.

SCRIBÆ ET PHARISÆI. Hi enim conspirabant plerumque aduersus Dominũ & aduersus Christum eius. VT INVENIRENT. quærebant igitur: iam enim oderant Christum & perditum volebant, sed nondum deprehenderant in eo quidquam quod speciem suggereret iustè eum perdendi. VNDE ACCVSARENT EVM. græcè, κατηγορίαν αὐτοῦ, ad verbum, *accusationem eius*. Quidam libri legunt κατ' αὐτοῦ *aduersus eum*, quod etiam non lectum rectè subaudias. Reliqua Matth. 12. v. 10. & Mar. 3. v. 2.

Marc. 3. v. 3.

8 Ipse verò sciebat cogitatíones eorum: & ait homini qui habebat manum aridam: Surge & sta in medium. & surgens stetit. | αὐτὸς δὲ ᾔδει τοὺς διαλογισμοὺς αὐτῶν· καὶ εἶπε τῷ ἀνθρώπῳ τῷ ξηρὰν ἔχοντι τὴν χεῖρα· ἔγειραι καὶ στῆθι εἰς τὸ μέσον. ὁ δὲ ἀναστὰς ἔστη.

COGITATIONES EORVM, quo consilio tum interrogarent tum obseruarent eum; nimirum, vt & ex responso & ex actione ipsius, si possent, calumniam pararent. Hæ igitur Christo notæ fuerunt insidiæ, quantumuis apud animos illorum secretæ: studio enim religionis quam præ se ferebant, animi maleuolentiam velabant illi. ET AIT HOMINI id est, idcircò iubet illi QVI. vt enim eo efficaciùs illorum cogitationes studiaque insidiosa refelleret, iussit viro prodire in medium. Quare & Syrus vertit: *Ipse verò qui cognoscebat cogitationes eorum, dixit homini.* STA IN MEDIVM. Syrus: *Veni* seu prodi in medium *synagogæ* siue congregationis. ET SVRGENS. Obediuit bona concepta spe, eo paratior accipiendo beneficio Christi. Reliqua lege Marc. 3. v. 3.

Matth. 12. v. 12. Marc. 3. v. 4.

9 Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere an malè; animam saluam facere an perdere? | εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτούς· ἐπερωτήσω ὑμᾶς, τί ἔξεστι τοῖς σάββασιν, ἀγαθοποιῆσαι ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι ἢ ἀπολέσαι;

AIT AVTEM. εἶπεν οὖν ait igitur. Syrus: *Cúmque venisset & staret, ait.* INTERROGO VOS. ἐπερωτήσω ὑμᾶς inter-

interrogabo vos. futurum pro præsenti, quemadmodum vertit Interpres. Est autem hoc dicendi genus, à quo sæpe auspicamur, etiam in vernaculo sermone, interrogantem orationem: quò attentiores reddantur ij qui interrogantur, addito hac ratione verbis pondere. SI LICET. Pro *si* græcè & syriacè est τί, quod nonnulli quidem præcedentibus adiungunt, hoc sensu: *Interrogabo vos quiddam.* Alij per se legunt: *Quid?* Alij ad sequentia referűt: *Quid licet*, siue *vtrum licet.* Hunc postremum interpungendi modum sequutus est Interpres: sed pro τί habuit εἰ, quod est *Si* seu *An.* PERDERE. ἀποκτεῖναι occidere: sed in alijs est latino conformiter ἀπολέσαι. Reliqua huius versus petenda sunt ex Mar. 3. v. 4.

καὶ περιβλεψάμενος πάντας αὐτοὺς εἶπε τῷ ἀνθρώπῳ· ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου. ὁ δὲ ἐποίησεν οὕτω, καὶ ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη.	10 Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus eius.	Matth. 12. v. 13. Marc. 3. v. 5.

ET CIRCVMSPECTIS OMNIBVS. καὶ περιβλεψάμενος πάντας αὐτοὺς & cùm circumspexisset illos omnes s. nec esset qui responderet. Circumtulit oculos Saluator in aduersarios, semel vt videret an non esset inter eos qui responderet, quod Lucas; iterum vt monstraret non ignotam sibi peruersam ipsorum malitiam, qua agente tacerent, quod Marcus narrat. ET EXTENDIT. ita est latinè, syriacè, & in vno exemplari græco, signato litera C (καὶ ἐξέτεινε) quo modo apud Matthæum & Marcum constanter legitur. In alijs porrò græcis libris huius Euangelij secundùm Lucam, illius loco est ὁ δὲ ἐποίησεν οὕτω *ille autem ita fecit.*

ET RESTITVTA EST s. sanitati, quod etiam græcè additur. MANVS EIVS. Additur græcè & syriacè *vt altera.* Reliqua lege Matth. 12. v. 13. & Mar. 3. v. 5.

αὐτοὶ δὲ ἐπλήσθησαν ἀνοίας, καὶ διελάλουν πρὸς ἀλλήλους, τί ἂν ποιήσειαν τῷ Ἰησοῦ.	11 Ipsi autem repleti sunt insipientia: & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu.	Matth. 12. v. 14. Marc. 3. v. 6.

INSIPIENTIA. Vnde debuerant ad meliora adduci, fidem inquam in Christum, & rectam de sabbati cultu doctrinam, auditis rationibus, tam illustri miraculo suffultis; inde deteriores, sceleratioresque euaserunt, quę summa insipientia est. Verbum græcum ἀνοίας, amentiam propriè vertas. q. d. Versi sunt in furorem, in rabiem acti sunt, dű ferre non possent pondus illud rationum rerumq; quo opprimebantur & apud adstantes pudefiebant. Cuius furoris violentiam quum vltrà non possent intra se continere, mox egressi synagoga illum euomuerunt. hoc est enim id quod sequitur: ET COLLOQVEBANTVR AD INVICEM. mutuis sermonibus auditis inibant consilium, indagabant. IESV. τῷ Ἰησοῦ ipsi Iesu, quo ipsum è medio tollerent, quam rationem inire possent qua possent ipsum perdere. Reliqua quære Matth. 12. v. 14.

ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις, ἐξῆλθεν εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι, καὶ ἦν διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ θεοῦ.	12 Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.	Marc. 3. v. 13.

EXIIT ciuitate. IN MONTEM vicinum stagno Genesareth. ORARE. ad orandum. Secessum quietemque captauit, vt aliàs, quò liberiùs orationi vacaret, quem, nisi vellet, non poterant tumultus strepitúsve quicumque orantem turbare aut distrahere, nobis ergo in exemplum. PERNOCTANS. totam illic noctem perseuerauit orans Deum, noctem illam orando transegit. Non quotidiano more rogauit Patrem, sed totam noctem in precibus consumsit, declarãs quàm esset de ecclesia sua solicitus. Nam quia postera die electurus erat sibi collegas administrandi euangelij, futuros Ecclesię doctores & pastores, & concione expositurus euangelicæ perfectionis & prædicationis, doctrinæ suæ, summam, idcircò tam seriò à Patre postulauit, vt electioni concionique suæ præesset. Cæterùm, non tam sua causa precatus est, quàm vt legem nobis præscriberet, vt à precatione ordiamur, maximè quoties eligendi sunt Ecclesijs pastores. Prudentia enim destituimur & consilio: atque vt maximè simus perspicaces, nihil tamẽ faciliùs quàm in hac parte aut decipi aut affectuum violentia abripi. Adhæc, vt summa in electione viguerit dexteritas, infeliciter tamen cedent omnia, nisi Dominus regendos suscipiat qui fuerint electi, ac dotibus necessarijs instruat. IN ORATIONE DEI. Orationem Dei Euãgelista vocat eam, qua Christus orabat Deum. q. d. Tota nocte orabat Deű Patrem.

καὶ ὅτε ἐγένετο ἡμέρα, προσεφώνησε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ· καὶ ἐκλεξάμενος ἀπ' αὐτῶν δώδεκα, οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασε·	13 Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit,	Marc. 3. v. 14.

VOCAVIT. προσεφώνησε aduocauit. DISCIPVLOS SVOS, quos iam habebat perpetuos comites, aliquos eorum, *quos voluit ipse.* Mar. 3. v. 13. ET ELEGIT. καὶ ἐκλεξάμενος & postquam elegisset. coniungitur enim hic versiculus decimustertius cum decimoseptimo: *Et siue tunc descendens cum illis, stetit &c.*, ita vt tres interiecti versiculi, continentes nomina Apostolorű, includantur parenthesi. Interpres, qui participium hîc mutauit in verbum, sententiam reddidit clariorem. *Elegit* autem DVODECIM. ad Apostolatum: nam ad euangelij gratiam, hoc est, ad singulorum salutem, omnes discipuli electi erant. Duodecim itaque disci-

 puli

puli hîc segregantur, ad Apostolatus, quem gesturi suo tempore essent, tyrocinium. APOSTOLOS, vernacula lingua Syrorum ܫܠܝܚܐ *Schihe*. certè sic vocat passim syriaca editio, tamquam missos, à ܫܠܚ *selah*, quod est, mittere. Apostolus vocabulũ est græcum, ecclesiæ ac scholæ Christi, vt alia multa, familiare, quod latinè dicas legatum, nuntium qui ore negotium agit, deductum ab ἀποστέλλειν, quod est, amandare, emittere cum mandatis: qua voce etiam ferè vtuntur Euangelistæ, vbi de Apostolorum missione loquútur. Atque hunc in modum Apostoli nomen interpretatur Saluator ipse qui indidit, Ioh. 13. v. 16., vbi ait: *Neque Apostolus maior est eo qui misit illum*: apparetque libenter vocabulo isto Dominũ & Euangelistas vsos fuisse, quòd frequentissima sit mentio missionis & missorum apud prophetas. Ornauit itaque ipsos elogio isto, quod tamen officij est magis quàm dignitatis, vt scirent quorsum è vulgari numero sepositi, & in quem vsum destinati forent, nimirum, vt emitterentur aliquando, legatorum in morem, ad annunciandum hominibus ea quæ Dominus mandasset, quò in eum finem seriò se pararent. Apostoli ergo, missi & Legati sunt Domini, ipsius mandata referentes iis ad quos missi sunt. Quare Paulus, *Pro Christo*, ait, *legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo*. 2 Cor. 5. v. 20. Hîc itaque discipulorum ad Apostolatum electio describitur; missionis functionisque initium, infrà 9. v. 1. 2. 6.

Matth. 10. v. 2. 3. Marc. 3. v. 16. 17. 18.

14 Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, & Iacobum & Iohannem, Philippum & Bartholomæum,

σίμωνα ὃν καὶ ὠνόμασε πέτρον, καὶ ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἰάκωβον καὶ ἰωάννην, φίλιππον καὶ βαρθολομαῖον,

QVEM COGNOMINAVIT. ὃν καὶ ὠνόμασε quem & nominauit, siue quem eundem nominauit, vt intelligas binominem fuisse, quamquam aliàs cognomen vocetur. Reliqua pete ex Matthæo & Marco.

Matth. 10. v. 3. 4. Marc. 3. v. 18.

15 Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi & Simonem qui vocatur Zelotes,

ματθαῖον καὶ θωμᾶν, ἰάκωβον τὸν τοῦ ἀλφαίου καὶ σίμωνα τὸν καλούμενον ζηλωτὴν,

ZELOTES græcè, quod vernacula lingua dicebatur *Cananæus* aut *Cannæus*, latinè *zelator* siue æmulator. Vnde id nominis retulerit, an ex loco ex quo fuerit Cana Galilææ, an à proprietate aliqua sua, ob insignem in se zeli virtutem, an ex vtroque quod videri possit, aut aliunde, res non est omnino certa. Cætera lege Matth. 10. v. 3. 4.

Matth. 10. v. 3. 4. Marc. 3. v. 18. 19.

16 & Iudam Iacobi & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

ἰούδαν ἰακώβου καὶ ἰούδαν ἰσκαριώτην, ὃς καὶ ἐγένετο προδότης.

IACOBI s. fratrem (Iudæ 1. v. 1.) quamquam Syrus addat *filium Iacobi*. aliàs Thaddæus fuit & Lebbęus vocatus. QVI FVIT. ὃς καὶ ἐγένετο qui etiam fuit PRODITOR diuino prorsus consilio inter alios electus, quod vtique Christo non defuit post tam feruentes & longas preces. Reliqua lege Matth. 10. v. 3. 4.

Matth. 4. v. 25. Marc. 3. v. 7. 8.

17 Et descendens cum illis stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis, ab omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima & Tyri & Sidonis,

καὶ καταβὰς μετ' αὐτῶν ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ, καὶ ὄχλος μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ πλῆθος πολὺ τοῦ λαοῦ, ἀπὸ πάσης τῆς ἰουδαίας, καὶ ἱερουσαλὴμ, καὶ τῆς παραλίου τύρου καὶ σιδῶνος,

ET. Tunc. DESCENDENS. καταβὰς cùm descendisset s. ex cacumine montis, vel ex superiore monte; Mosis referens exemplum, qui legem populo è monte attulerat. Exo. 34. v. 29. CVM ILLIS duodecim, in Apostolos à se electis, summam legis euangelicæ & totius doctrinæ suæ vnà cum populo audituris. STETIT circumspectans eoque conuocans, exhibitione præsentiæ suæ, eam quæ confluxerat multitudinem. Nam postquam aduenerat ad se multitudo, & sanata fuerat à plagis suis, tunc docturus sedit, quod habet Matthæus cap. 5. v. 1. IN LOCO montis. CAMPESTRI. inferiori & æquabili. vide Matth. 5. v. 1. ET TVRBA reliqua à duodecim electis (multos enim sui sequaces habebat discipulos) s. stetit eo loco. COPIOSA πολὺ multa, id est, magna. AB. ex. OMNI IVDÆA. omni parte terræ Israeliticæ. Videtur hîc generaliter accipere Iudæam. vide Matth. 2. v. 1. ET IERVSALEM. etiam ex ipsa Ierusalem. ET MARITIMA regione ET TYRI ET SIDONIS. tum Tyri tum Sidonis, dicta Syrophœnicia. nam Tyrus & Sidon cùm maritimæ sint vrbes, est & regio illarum maritima. vide Matth. 11. v. 21. & Mar. 7. v. 26. Græcè & syriacè clariùs omittitur prius &.

Matth. 4. v. 24. Marc. 3. v. 10. 11.

18 qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur ab spiritibus immundis, curabantur.

οἳ ἦλθον ἀκοῦσαι αὐτοῦ, καὶ ἰαθῆναι ἀπὸ τῶν νόσων αὐτῶν, καὶ οἱ ὀχλούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων· καὶ ἐθεραπεύοντο.

EVM docentem. Syrus vertit *sermonem eius*. LANGVORIBVS. νόσων morbis. Quidam venerant

vt

vt audirent eum, quidam vt sanarentur, quidam propter vtrumque. QVI VEXABANTVR. οἱ ὀχλούμενοι qui turbabantur, qui molestabantur. IMMVNDIS. vide Matth. 10. v. 1. CVRABANTVR ἐθεραπεύοντο & curabantur seu sanabantur. A Græcis & Syris additur coniunctio *&*: quare non incipit illis noua periodus ab illis verbis *& qui vexabantur*, sed adhuc pendet sententia à superioris versiculi initio, & subaudiendum est hîc steterunt, vt in superioribus; quodque sequitur *& curabantur*, intelligendum est, omnes, & dæmoniaci, & alij qui aderant ægroti, qui sensus aptior est quàm sententia nostræ editionis, cuius Interpres vel non legit coniunctionem illam, vel accepit pro *etiam*. Sanauerat Iesus plerosque pridie antequam montem ascenderet, quod testatur Mar. cap. 3. v. 10. 11: nihilominus postridie quando descendit, alios rursus sanauit, quod hîc ait Lucas, vt semper accedebant & adducebantur alij atque alij, & hîc quidem opportunè, vt maior auctoritas adderetur & fides conciliaretur nouæ euangelij doctrinæ mox proferendæ.

καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἐζήτει ἅπτεσθαι αὐτοῦ, [19] ὅτι δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο, καὶ ἰᾶτο πάντας.	Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes.	Matth. 14. v. 36. Marc 6. v. 56.

OMNIS TVRBA. vnusquisque è turba, cui sua sanitas minùs constans esse videbatur. EVM TANGERE. occasionem tangendi eum, aut aliquid eius vel minimum. QVIA iam sæpius experti fuerant quòd VIRTVS. efficacitas & vis certa sanandi. DE ILLO. ex eo. Hac parte, virtus ipsi intrinseca, & non aliunde accepta, sed propria, vt Deo, fuisse docetur. EXIBAT quod ad actum sanandi, quod est exserebat se, vide Mar. 5. v. 30. ET SANABAT confestim, ex tempore adferebat integram solidamque sanitatem. Non enim virtus quæ in ipso erat, sed virtutis illius effectus, id est sanitas, exibat ex illo, quemadmodum exit à sole lumen, ab igne calor, ex fonte aqua. OMNES quotquot fide tangerent ipsum, quocumque detinerentur morbo, curabili vel incurabili, magno vel paruo, publico, vel secreto.

καὶ αὐτὸς ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς [20] τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἔλεγε· μακάριοι οἱ πτωχοί, ὅτι ὑμετέρα ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.	Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes, quia vestrũ est regnum Dei.	Matth. 5. v. 1. 2. 3.

ET. Posthæc, his peractis. IPSE sedens. Matth. 5. v. 1. OCVLIS αὐτοῦ *suis* additur græcè & syriacè. IN DISCIPVLOS SVOS sibi proximos, præsertim duodecim illos quos iã creauerat Apostolos, quos præ omnibus præsentibus docere, instruere, & animare voluit, futuros aliorum ipsiusque orbis doctores, quos & proinde præ omnibus voluit horum verborum esse memores, interpretes, & promulgatores. BEATI estis vos PAVPERES, qui, omnibus mea causa relictis, pauperem vitam degitis, nec vllas sectamini huius mundi diuitias, contenti iis quæ Dei prouidentia indies procurat, postquam feceritis quod vestri est muneris; & alij vobis similes. Istos beatitudinis gradus, quos Matthæus tertia persona generaliter extulit, Lucas secunda persona vt ad discipulos dictos refert. Verisimile est enim, Saluatorem, primùm quidem Apostolos alloquutum, beatos eos prędicasse; deinde verò, quod particulatim Apostolis dixerat, omnibus qui ipsos imitarentur promisisse. Nam haud existimandum est, tam breuibus verbis quàm ab Euangelistis describuntur, absque omni latiori declaratione, aut explicatione, hæc abs Iesu fuisse pro concione proposita. REGNVM DEI siue cælorum Reliqua lege Matth. 5. v. 1. 2. 3.

μακάριοι οἱ πεινῶντες νῦν, ὅτι χορτασθήσεσθε. μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν, ὅτι γελάσετε. [21]	Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.	Matth. 5. v. 6. 5.

NVNC. in hac temporaria vita, in deserto huius seculi: nam ad exitum ex Ægypto alludere hanc sententiam existimant quidam. ESVRITIS & sititis, famem sitimque frequenter æquanimiterque patimini (nunc præ cibi potusque inopia, nunc sponte, præ ardore ieiunandi, castigandi corpus, prædicandi verbi &c.) cumque opus est tenui victu sedatis, cõtenti vulgaribus, alieni à delicijs, comessionibus, ebrietatibus, & domo conuiuij. SATVRABIMINI in vita æterna, pane cælesti, cunctis veri generis bonis, quæ famem omnem sitimque æternùm excludent. FLETIS, id est, lugetis, quod dixit Matthæus. RIDEBITIS. solatio gaudioque perfundemini æterno. scripturæ more, risus nomine, mentis exsultatio & affectus lætior intelligendus est, mera & tristitiæ inpermixta alacritas. *Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putamur mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adiumento, euidentissimè pronunciatum est*, ait Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 4. Reliqua quære Matth. 5. v. 6. & 5.

μακάριοί ἐστε, ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς [22] οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσι, καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν, ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.	Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis.	Matth. 5. v. 10. 11.

ERITIS vel estis. nam ad vtrumque ambiguum est ἐστε. HOMINES impij, inimici doctrinæ meę quam vos profitemini. SEPARAVERINT. in carcerem aut exsilium trusferint. EXPROBRAVERINT. probris

affecerint. ὀνειδίσωσι maledixerint vertit secundùm Matthæum. EIECERINT NOMEN VESTRVM TAMQVAM MALVM. expunxerint nomen vestrum tamquam malorum & improborum ex albo suo, indignos vos iudicauerint qui inter ipsos numeremini, memoriam vestri vel abolere vel abominabilem posteris reddere studuerint. PROPTER FILIVM HOMINIS. nulla vestra culpa, sed propter me, mea causa cuius doctrinam & gloriam prædicabitis. hoc ad superiora singula repetendum est. Reliqua lege Matth. 5. v. 10. 11.

Matth. 5. v. 12.

Gaudete in illa die & exsultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo. secundùm hæc enim faciebant prophetis patres eorum. [23]

χάρητε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ σκιρτήσατε· ἰδοὺ γὰρ ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τῷ οὐρανῷ. κατὰ ταῦτα γὰρ ἐποίουν τοῖς προφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν.

EXSVLTATE. σκιρτήσατε gestite. σκιρτᾷν propriè dicuntur lasciuientes pecudes: translatitiè iis tribuitur, qui, præ gaudij abundantia, non possunt se continere quin varios gestus edant, hinc & inde subsilientes. ECCE. Quod promitto, tam certa res est, quàm admirabilis & mundi opinionem superans. *Solas quatuor beatitudines B. Lucas dominicas posuit, octo verò S. Matthæus*: Matthæus enim perfectè descripsit Iesu de beatitate doctrinam: Lucas verò contentus fuit *quatuor virtutes amplecti cardinales*; temperantiam, quæ superflua resecans sanctâ oblectatur paupertate; iustitiam, quæ vt reddat vnicuique quod suum est, quod Dei est Deo, quod hominum hominibus, quod suum sibi, non recusat famem & sitim pati; prudentiam, deplorantem huius seculi vanitates collatas cum solidis futuri seculi gaudiis; fortitudinem denique, quæ, ne à virtute deflectat, aduersissima & difficillima quæque æquanimiter tolerat. Nam, quod Sapiens testatur, Sap. 8. v. 7.) *Sobrietatem & prudentiam docet sapientia, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus.* SECVNDVM HÆC. id est, hæc eadem, eodem modo. *sic* vt loquitur Matthæus. PATRES. maiores seu præcessores. EORVM. à quibus vos malis afficiendi estis, Iudæorum. Reliqua lege Matth. 5. v. 12.

* * * * * * *

Matth. 5. v. 44.

Sed dico vobis qui auditis: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos. [27]

ἀλλὰ ὑμῖν λέγω τοῖς ἀκούουσιν· ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς.

SED miseris his perditisque relictis, quibus, terrena cùm sapiant, aures occlusæ sunt, ita vt nequaquam percipere queant ea quæ sunt spiritus Dei. QVI AVDITIS animo vera honestaque omnia cognoscendi & colendi. qui aures aperuistis ad audiendum, excipiendum, & amplectendum id omne quod Deo gratum est, quantumuis carni inimicum, quantumuis à vestra opinione fuerit alienum. INIMICOS. Non putetis sufficere vt amicos vestros diligatis: si legi Dei satisfacere vultis, diligite & inimicos vestros. Reliqua quære Matth. 5. v. 44.

Matth. 5. v. 44.

Benedicite maledicētibus vobis: & orate pro calumniantibus vos. [28]

εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμῖν, προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς.

BENEDICITE. benè precamini. MALEDICENTIBVS. τοὺς καταρωμένους qui imprecantur, qui deuouent. digni enim sunt lachrymis & fletibus, non maledictionibus. CALVMNIANTIBVS. τῶν ἐπηρεαζόντων infestantibus &c. vt Matth. 5. v. 44.

Matth. 5. v. 39. 40.

Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. [29]

τῷ τύπτοντί σε ἐπὶ τὴν σιαγόνα, πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην. καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντός σου τὸ ἱμάτιον, καὶ τὸν χιτῶνα μὴ κωλύσῃς.

ET non legitur græcè: syriacè tamen additur vt latinè. QVI. ei qui. TE. Subitò mutatus numerus facit ad inculcandum præceptum, quod vnusquisque sic audire debeat quasi sibi vni dicatur. IN MAXILLAM vnam. PRÆBE ET ALTERAM, potiùs quàm omittas, quàm non pergas eum diligere, potiùs quàm quid admittas alienum à dilectione, potiùs quàm vindictam de illo sumas aut malum malo retalies. tantum absitis ab iniuriæ retaliandæ cupiditate. VESTIMENTVM. extimum. ἱμάτιον pallium. TVNICAM. quamuis maximè tibi necessariam. NOLI PROHIBERE. μὴ κωλύσῃς ne prohibeas s. quin auferat, potiùs quàm te vlciscaris, aut quauis illum iniuria afficias, vel in iniuriæ venias contentionem. longè enim præstat vestibus charitas. Reliqua lege Matth. 5. v. 39. 40.

Matth. 5. v. 42.

Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. [30]

παντὶ δὲ τῷ αἰτοῦντί σε, δίδου· καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σά, μὴ ἀπαίτει.

OMNI. cuiuis, etiam inimico. PETENTI aliquid abs TE, TRIBVE. da id quod petit. Esto promptus ad donandum, si quis quid abs te petierit: sic conciliatur amor mutuus. ET QVI. καὶ ἀπὸ τοῦ & ab eo qui. QVÆ TVA SVNT. τὰ σὰ tua, res tuas. NE REPETAS. cum detrimento charitatis bonorumque potiorum. Reliqua lege secundùm Matthæum.

καθὼς θέλετε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄν-θρωποι, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς ὁμοίως.

31 Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

Matth. 7. v. 12.

Et. denique. Summa. hæc est ipsa æquissima naturæ lex, à Deo hominum cordibus insculpta. Omnis in proximos beneficentiæ, vnam certam regulam tradit: & monstrat inimicorum dilectionem, ipsi legi naturæ consentaneam. Vultis. velletis, re simili nata. Si tu te præberes alicui inimicum aut iniurium, probares plurimùm si se ille non vlcisceretur, sed conaretur, longanimi mansuetudine, & se à pari maleuolentia seruare, & tuam maleuolentiam superare. Reliqua petantur ex Matth. 7. v. 12.

καὶ εἰ ἀγαπᾶτε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τοὺς ἀγαπῶντας αὐτοὺς ἀγαπῶσι.

32 Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores, diligentes se diligunt.

Matth. 5. v. 46.

Et si. Si autem. Syrus *Si enim.* Altero argumento, partim à veris commodis à Deo non ab hominibus exspectandis, partim à discipulorum conditione sumto, commendat inimicorum dilectionem. Diligitis vos, populus sanctus, vocati vt sitis sancti quemadmodum sanctus est Dominus Deus vester. Eos tantùm. Quæ vobis est apud Deum gratia? q. d. parua aut nulla. Magnam ineunt à Deo gratiam, qui obseruant præcepta ipsius & diligunt proximos. At quid gratiæ hoc facto vestro possitis à Deo consequi, quid beneficij laudisve promereri, quo testetur Deus gratum sibi esse obsequium vestrum, quemadmodum testari & remunerare solet officia seruorum suorum fidelium? Non est iste cultus Deo gratus, non amare nisi redamantem. *Gratia* hîc non ita accipitur vt opponatur mercedi aut meritis (nam quod Lucas dicit *quæ vobis est gratia,* Matthæus effert *quam mercedem habebitis*) sed vt significet affectum animi, quo quis acceptum gratumque habet alterius officium, cum opportuna declaratione testificationeque: qui quidem gallicè *gré,* flandricè danck dicitur, vocibus minimè ambiguis. Versatur autem etiam circa ea opera quibus merces debetur: & declaratur eo ipso quo merces promtè hilariterque persoluitur. Humanus paterfamilias, operario à se conducto, postquam suo benè functus est officio, & mercedem soluit & gratiam habet: quanto magis filiis suis, obseruatoribus præceptorum suorum, cælestis Pater, cuius humanitati nulla hominum comparanda est? Quocirca Christus, quibus gratiam esse insinuat hîc, dilectoribus inquam inimicorum; mox versu 35. subdit mercedem fore multam. Nihil igitur obest gratia ista meritis aut mercedi. Hoc aduersus hæreticos. Peccatores quicumque, etiam publici, quos publicitus notum est contemnere præcepta Dei, ac proinde nihil gratiæ aut muneris, sed odia suppliciaque non minima à Deo manere, vtpote publicani & ethnici; quibus vos necessum est virtute præcellere. Diligentes se. eos qui diligunt ipsos diligunt, ipsa hoc dictante etiam corrupta natura, non ex eo fonte quòd diligat legem Dei, sed ex eo quòd diligat seipsam. Non est igitur huiusmodi dilectioni proximorum à Deo gratia, nec ea proinde est quam Deus præcipit. Reliqua lege Matth. 5. v. 46.

καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε τοὺς ἀγαθοποιοῦντας ὑμᾶς, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσι.

33 Et si benefeceritis his qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt.

Benefeceritis. Dilectio potissimùm est animi; beneficentia operis. Gratia. Istud non facere, turpe est; facere, non magnæ laudis: non enim tam beneficentia est, quàm permutatio beneficiorum. Hoc. τὸ αὐτὸ idem. Reliqua vt versu superiori.

καὶ ἐὰν δανείζητε παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἁμαρτωλοῖς δανείζουσιν, ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα.

34 Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nã & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.

Mutuum. Inter cætera beneficentiæ exercitia, vnum insigne est, argentum mutuum dare iis qui opus habent pro huius vitæ necessitatibus. Recipere. supple, non sortem (nisi enim spes esset sortis recipiendæ, donum potiùs esse quàm mutuum) sed vicem mutuam, vt & ipsi vobis vicissim dent mutuum, aut commodent, vel aliud præstent beneficium: nam vt subaudias fœnus, non perinde permittit illud quod sequitur *quæ gratia est vobis,* multoque minùs illud *vt recipiant æqualia.* Intelligitur porrò, si non vult Christus vt speremus vicissim accipere mutuum, multò minùs velle vt speremus fœnus aut vsuras. Fœnerantur. id est, dant mutuum. est enim eadem vox græca δανείζειν, quam mox vertit *mutuum dare:* quæ ambigua quidem est ad fœnerari & mutuum dare, sed huic loco congruit significatio mutui. Aequalia. paria. parem mutui vicem, vbi opus habuerint. Reliqua vt versibus superioribus.

πλὴν ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ ἀγαθοποιεῖτε καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες· καὶ ἔσται ὁ μισθὸς ὑμῶν πολύς,

35 Verũtamen diligite inimicos vestros: benefacite & mutuũ date nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eri-

Matth. 5. v. 44. 45.

& eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.	καὶ ἔσεσθε οἱ υἱοὶ ὑψίστου, ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς.

VERVMTAMEN. πλὴν verùm, sed. DILIGITE, non eos tantùm qui vos diligunt, sed & INIMICOS VESTROS, qui oderunt & persequuntur vos, nec spes est vt vos vicissim diligant. BENEFACITE, non iis tantùm qui vobis benefecerint, ET MVTVVM DATE, non solis illis qui referre vicem poterunt, sed quibuslibet, NIHIL INDE SPERANTES. Syrus addit *Benefacite eis* s. inimicis vestris. NIHIL. nullum par aut simile beneficium. INDE. ex beneficio præstito aut mutuo dato. SPERANTES hoc in mundo, siue, quod Syrus addit, *ab hominibus*. Nullo commodi vestri respectu ad iuuandos proximos vestros ducamini: tantùm cuiusque inopiam & Dei iussum spectate. Spes mutui beneficij, aufert ipsi beneficentiæ gratiam Dei. ET ITA ERIT MERCES VESTRA MVLTA, magna, copiosa, & præstans in cælo (vide Matth. 5. v. 12.) quandoquidem mercedem non quæsieritis in terra. Magna vobis à Deo erit gratia, ac proinde & ampla reddetur merces, qui, in diligendis & beneficiis afficiendis proximis, nō corruptum vestri sensus iudicium, quod plerique, sed Dei legem ac voluntatem sequuti fueritis. Quoniam studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt, non omnem excludit spem retributionis, sed, mercedem prçstantem à Deo, & sperari posse, & indubie reddendum esse, docet. ET ERITIS. eritis quoque, id est, esse declarabimini, genuini FILII ALTISSIMI Dei, quo non est altius, vel potentia, vel gloria, excellsior. Tertium argumentum sumtum ab exemplo paterno, quo ad dilectionem inimicorum, id est, omnium hominum Dei causa, hortatur. QVIA similes ipsi eritis, qui BENIGNVS, id est, beneficus EST, SVPER erga INGRATOS, etiam ingratos aduersus beneficia sua, & transgressores sanctæ legis suæ, id est, MALOS. *Ipse enim solem suum oriri facit*, &c. vt est in Matthæo.

Matth. 5. v. 48.

Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. [36]	γίνεσθε οὖν οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί.

MISERICORDES, id est, benigni, benefici, commodi, humani, ad gratificandum faciles s. erga omnes, amicos & inimicos, bonos & malos, diuites & inopes. Euangelista imitatus LXX Interpretes, hebræum חסיד *hasid* misericordem, & חסד *hesed* misericordiam vertit, quod propriè beneficum significat & beneficentiam seu beneficium. Vnde illud frequens in veteribus scripturis: *Fecit mecum misericordiam suam*, pro, affecit me singulari beneficio. MISERICORS. benignus, quod antecedit, seu beneficus. s. erga omnes. Reliqua lege Matth. 5. v. 48.

Matth. 7. v. 1.

Nolite iudicare, & nō iudicabimini: [37] nolite condemnare, & non condemnabimini: dimittite, & dimittemini:	καὶ μὴ κρίνετε, καὶ οὐ μὴ κριθῆτε· μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε· ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε·

NOLITE CONDEMNARE. μὴ καταδικάζετε ne condemnetis s. quemquam. Explicatio est eius quod præcedit *nolite iudicare*: iudicis enim est condemnare. Prohibet Saluator ea, quæ benignitati erga proximos, cuius exemplum vult nos à Patre cælesti accipere, aduersantur, hortaturque ad ea quæ conueniunt, additis & pœnis & præmiis. DIMITTITE aliorum in vos peccata. ἀπολύετε *absoluite* ad verbum. ET DIMITTEMINI. καὶ ἀπολυθήσεσθε *& absoluemini* s. à Patre vestro, & dimittentur vobis à Deo peccata vestra. Hoc est illud quod Matth. 6. v. 14. ait: *Si enim dimiseritis hominibus*, &c. Reliqua quære Matth. 7. v. 1.

Matth. 7. v. 2. Marc. 4. v. 24.

date & dabitur vobis. Mensuram bo- [38] nam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.	δίδοτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν. μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον, καὶ σεσαλευμένον, καὶ ὑπερεκχυνόμενον, δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν.

DATE proximis ea quibus opus habent. ET DABITVR vicissim VOBIS à Deo Patre, quod prodesse vobis queat & beatos vos reddere. redibit ad vos multo cum fœnore beneficium vestrum. MENSVRAM. Parcè autem dabitur, si parcè ipsi dederitis: nam, si liberales ipsi fueritis, copiosissimè opulentissimeque restituet vobis cælestis Pater. *Mensuram* enim solidarum opum, non tantùm non parcam, sed & BONAM, adeoq; CONFERTAM πεπιεσμένον pressam, ET COAGITATAM, ET SVPEREFFLVENTEM seu exuberantem, id est, cumulatissimam liberalissimamque. Sumta sunt epitheta hæc omnia (in quibus obseruanda gradatio est) ab eorum cōsuetudine, qui res aridas, vt frumentū seu aliquid aliud eiusmodi, liberaliter absque parsimonia metiri dū volunt. id ipsum quod admetiuntur, quo sit confertius, cōprimunt manibus, deinde vas ipsum medium quatiunt quò amplius capiat, denique etiam superaddunt quod vltra mensuram redundet. Liberalibus itaque liberalissima reddetur mensura (2. Cor. 9. v. 6.) mensura tamen: nam quamquam immensa erit, si conferatur cum iis quę hac in vita fuerint erogata, habebitur tamē ratio gradus virtutis vniuscuiusque: nec enim ęqualis erit omnium merces. DABVNT. effundent s. quibus illud curæ à Patre mandabitur. phrasis hebraica, pro impersonali *dabitur*. IN SINVM VESTRVM, id est, vobis ipsis, firmiter æternumque à vobis ipsis possidendam. nam, quod in sinum nobis datum fuerit, nostrum prorsus est, nec facilè nobis petit, quippe quod ita teneamus, vt facile sit nobis in locum tutum transferre. EADEM QVIPPE. Hoc prouerbium referen-

referendum est ad ea omnia quæ præcedunt, tam ad iudicia, condemnationes, & dimissiones, quàm ad dationes. Explicatum est autem Matth. 7. v. 2.

εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς · μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται;	39 Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere: nónne ambo in foueam cadunt?	Matth. 15. v. 14.

ET SIMILITVDINEM seu parabolam. Addebat autem etiam prouerbium ab exemplo vulgari petitum, causa illustrandæ doctrinæ illius suæ de non iudicando seu condemnando proximo. Græcè & syriacè non legitur &. DVCERE. ὁδηγεῖν dux viæ esse. NONNE si id fiat, facilè fit vt AMBO IN FOVEAM CADANT? q.d. res est omnibus explorata. Ita verò & vos, dum fratres vestros iudicare aut reprehendere arroganter præsumitis, ipsi eisdem aut non minoribus vitiis obnoxij; facitis quod cæcus dum cæcum ducere tentat, exponitis vosipsos simul & fratres perditionis periculo. Nā vt vel maximè audire te velit frater, & sequi ducem itineris virtutis, certè, imitatus exemplum tuum, non relinquet vitium quod & in te viderit locum habere, vel ex alio in aliud, ex suo in tuum vitium incurret, & quo se tutiùs putabit ambulare duce te, eo certiùs peribit. Vide prouerbium istud latiùs expositum Matth. 15. v. 14.

οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτοῦ· κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ.	40 Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.	Matth. 10. v. 24.

NON EST. Confirmat quod dicit altero prouerbio accumulato. Libenter enim vsus est vulgaribus sermonibus, quò faciliùs pietatem rudibus animis instillaret. SVPER MAGISTRVM. magistro præstantior seu perfectior. Hoc plerumque semper ita accidit. OMNIS s. discipulus: possis etiam vertere *totus*, nam ad vtrumque ambiguum est πᾶς. ERIT. esse solet. SI SIT. Has duas voculas, quæ græcè & syriacè non leguntur, addidit Interpres explicationis ergô: quamquam illis non additis, clara est sententia, si interpungas ante πᾶς ἔσται: *Perfectus autem omnis, erit sicut magister eius*. quam sic liceat per hypallagen exponere: Qui fuerit sicut magister ipsius, is omnis est perfectus discipulus. Loci sensus est: perfectus esse & haberi solet omnis ille discipulus, qui assequutus est perfectionem magistri: maiorem in discipulo quàm sit in magistro perfectionem nemo exspectat. Quare si tu, qui te præceptorem præbes fratri, cæcus & vitiosus es, non minùs quàm ille, tametsi alio fortè vitij genere: non meliorem formabis discipulum quàm tu ipse sis; non perfectior euadet frater qui se tibi discipulum adiungit, quàm tu magister, id est, talis reddetur qualis es tu: vel non relinquet vitium, quod tu in illo notabas, contemplans tua; vel sequetur tua non minùs grauia, ac proinde tecum abibit in perditionem, ambo peribitis. Ineptus itaque esse docetur alienorum vitiorum censor, qui suorum est negligens; purusque esse debere ab omni crimine, qui velit alteri tutò fructuoséque præire. Hoc prouerbium tractatum etiam fuit Matth. 10. v. 24.

τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ δοκὸν τὴν ἐν τῷ ἰδίῳ ὀφθαλμῷ οὐ κατανοεῖς;	41 Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras?	Matth. 7. v. 3.

QVID AVTEM. fieri autem potest, inquit, vt maiori & grauiori etiam vitio labores, quàm frater quem tibi iudicandum sumis. *Quid* igitur VIDES &c. TVO. ἰδίῳ proprio. Reliqua lege Matth. 7. v. 3.

ἢ πῶς δύνασαι λέγειν τῷ ἀδελφῷ σου· ἀδελφέ, ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου, αὐτὸς τὴν ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου δοκὸν οὐ βλέπων; ὑποκριτά, ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου.	42 Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciā festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.	Matth. 7. v. 4. 5.

Quære hæc exposita Matth. 7. v. 4. & 5.

οὐ γάρ ἐστι δένδρον καλόν, ποιοῦν καρπὸν σαπρόν· οὐδὲ δένδρον σαπρόν, ποιοῦν καρπὸν καλόν.	43 Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.	Matth. 7. v. 18.

NON EST ENIM. Coniunctionem *enim* non intelligo hoc loco esse causalem, sed potiùs superfluere, vt aliquando: quam Syrus certè hîc omisit. Itaque interpretandus est Euangelista, qui breuiter carptimque descripsit hunc Domini sermonem, sententiam istam non ita retulisse, vt ad eorum quæ mox præcedunt confirmationem à Christo allatam (nam quamuis ipsa quadret, non perinde tamen ex quæ consequentur

tur cohærent) sed simpliciter vt à Christo in medium tunc temporis productam, occasione quam ipse non narrat, sed Matthæus, aduersus scilicet pseudoprophetas (Matth. 7. v. 15. 16.) quamquam & alibi aduersus calumniatores (Matth. 12. v. 33.) vt variis propositis prouerbia huiusmodi possunt accommodari: nam & in hypocritis quadrat, quos diximus, qui ipsi mali, inepti sunt qui fratres reddant bonos. Reliqua lege secundùm Matthæum.

Matth. 7. v. 16. & 12. v. 33

Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur: neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam.

44 ἕκαστον γὰρ δένδρον ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ γινώσκεται· οὐ γὰρ ἐξ ἀκανθῶν συλλέγουσι σῦκα, οὐδὲ ἐκ βάτου τρυγῶσι σταφυλήν.

DE FRVCTV SVO. ἐκ τοῦ ἰδίου καρποῦ ex proprio fructu. COGNOSCITVR bonáne sit an mala. Nam si fructus est bonus, bona est arbor; si malus, mala. FICVS. Matthæus *vuas*: sed sententia est eadem vna, licet verba nonnihil discrepent. RVBO. quamuis pulchriùs vite floreat, & lenta sit, foliaque diuturniora habeat. Reliqua lege Matth. 7. 4. 16.

Matth. 12. v. 34. 35.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. ex abundantia enim cordis, os loquitur.

45 ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ ἀγαθόν· καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας αὐτοῦ προφέρει τὸ πονηρόν. ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας λαλεῖ τὸ στόμα αὐτοῦ.

BONVS HOMO. Doctrina non absimilis superiori (hoc enim ferè est thesaurus cordis, quod radix arboris; & quod profertur è thesauro cordis, fructus arboris) alia tamen: quam & ipsam aduersus calumniatores producit Saluator Matth. 12. v. 34. & 35. CORDIS SVI. reposito in corde suo. BONVM. sermonem bonum. de verbis est sermo. MALO THESAVRO. Græca & Syra repetunt *cordis sui*. OS LOQVITVR. Græcè, loquitur os eius, id est, hominis vniuscuiusque: maioris tamen gratiæ sententia est latinè & syriacè, absque ralatiuo. Reliqua pete ex Matthæo.

Matth. 7. v. 21.

Quid autem vocatis me, Domine, Domine: & non facitis quæ dico?

46 τί δέ με καλεῖτε, κύριε, κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω;

QVID AVTEM. q. d. frustrà vocatis me, nihil proderit vobis ad promerendum regnum cælorum, si NON FACITIS QVÆ DICO, præcipio. Condemnabit potiùs vos, quòd, quem Dominum vestrum verbis profitemini, eum factis negetis, eius voluntatem non faciatis. inf. 12. v. 47. Obseruatio præceptorum arguit fidelem seruum, non compellatio honorifica. Cætera ex Matth. 7. v. 21. petenda sunt.

Matth. 7. v. 24.

Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos; ostendam vobis cui similis sit.

47 πᾶς ὁ ἐρχόμενος πρός με, καὶ ἀκούων μου τῶν λόγων, καὶ ποιῶν αὐτούς, ὑποδείξω ὑμῖν τίνι ἐστὶν ὅμοιος.

VENIT AD ME vt doceatur quod rectum est. ET AVDIT sincero animo. SERMONES MEOS, doctrinam, præcepta mea. ET cùm res exigit FACIT. rebus ipsis præstat. OSTENDAM. Præfatio rethorica attentionem parans. Reliqua secundùm Matthæum.

Matth. 7. v. 24. 25.

Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat super petram.

48 ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδομοῦντι οἰκίαν, ὃς ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, καὶ ἔθηκε θεμέλιον ἐπὶ τὴν πέτραν· πλημμύρας δὲ γενομένης, προσέρρηξεν ὁ ποταμὸς τῇ οἰκίᾳ ἐκείνῃ, καὶ οὐκ ἴσχυσε σαλεῦσαι αὐτήν· τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν.

HOMINI ÆDIFICANTI DOMVM. ædificatori domus. FODIT IN ALTVM. ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε fodit & excauauit seu profundauit. Crescit oratio: plus est enim profundum facere quàm fodere. Sensum expressit Interpres *fodit in altum* seu profundum; ita altè fodit, vt in petra, quam in profundis terræ visceribus vel inuénit vel posuit, fundamentum collocarit. FVNDAMENTVM siue, vt est in aliis libris, *fundamenta*, id est, omnes fundamenti partes. MOVERE. σαλεῦσαι concutere, labefactare, mouendo agitandoque subuertere. Reliqua pete ex Matth. 7. v. 24. 25.

ὁ δὲ ἀκούσας καὶ μὴ ποιήσας, ὅμοιός [49] ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδομήσαντι οἰκίαν ἐπὶ τὴν γῆν χωρὶς θεμελίου· ᾗ προσέρρηξεν ὁ ποταμός, καὶ εὐθέως ἔπεσε, καὶ ἐγένετο τὸ ῥῆγμα τῆς οἰκίας ἐκείνης μέγα.	Qui autem audit & non facit, similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundaméto: in quam illisus est fluuius, & continuò cecidit, & facta est ruina domus illius magna.	Matth.7. v.26.27.

AVDIT ET NON FACIT. ἀκούσας καὶ μὴ ποιήσας audierit & non fecerit. ÆDIFICANTI. οἰκοδομήσαντι qui ædificauit. SVAM non est græcè, sed syriacè. IN QVAM domum. CECIDIT domus. RVINA. ῥῆγμα ruptura. Cætera ex Matthæo petenda sunt.

CAPVT SEPTIMVM.

ἐπεὶ δὲ ἐπλήρωσε πάντα τὰ ῥήματα αὐτοῦ [1] εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ, εἰσῆλθεν εἰς καπερναούμ.	Cùm autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum.	Matth.8. v.5.

IMPLESSET. ita Interpres ad verbum ex ἐπλήρωσε, quod est hoc loco ἐτέλεσε finisset, absoluisset, quod habet Syrus. OMNIA hæc VERBA SVA, quibus doctrinæ suæ summam exposuerat. IN AVRES PLEBIS, id est, apertè, publicè, & palàm, docendi ac proficiendi studio magno audiente & sedulò auscultante plebe. Phrasis est hebræa, frequens sacris literis, vt Gen. 20. v. 8: *Et locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum*, id est, ita vt clarè & ipse loqueretur & illi audirent. Exo. 10. v. 2: *Et narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum*; multisque aliis locis. Similis illa est phrasis quæ nonnumquã occurrit, *in oculis tuis* (2. Reg. 12. v. 11.) pro eo quod est, manifeste, vidente te; *in oculis solis huius*, vidente sole hoc: sed hanc quidem Latini etiam agnoscunt; illam verò minimè. CAPHARNAVM ciuitatem, sanato in agro ciuitatis leproso illo de quo suprà 5. v. 12.

ἑκατοντάρχου δέ τινος δοῦλος κα- [2] κῶς ἔχων ἔμελλε τελευτᾶν, ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος.	Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus.	Matth.8. v.5.6.

ERAT MORITVRVS. ἔμελλε τελευτᾶν futurus erat mori, moribundus erat, agebat animam. *proximus erat ad moriendum* vertit Syrus. PRETIOSVS. ἔντιμος quem in pretio habebat, quem plurimi faciebat. Quidam *charum* mauult interpretari, quia, inquit, pretiosus de re dicitur, de homine non item nisi per metaphoram: atqui constat mancipia in bonis numerari. Significat ergo Lucas non vulgare sordidumque mancipium, sed fidelem, vtilem, & raris ornatum dotibus seruum fuisse, qui eximia gratia apud dominum polleret. Hinc tanta vitæ illius cura, & tam studiosa commendatio.

ἀκούσας δὲ περὶ τοῦ ἰησοῦ, ἀπέστειλε πρὸς [3] αὐτὸν πρεσβυτέρους τῶν ἰουδαίων, ἐρωτῶν αὐτὸν ὅπως ἐλθὼν διασώσῃ τὸν δοῦλον αὐτοῦ.	Et cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorũ, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius.	Matth.8. v.6.

ET CVM. Hic Centurio cùm. DE IESV. de aduentu Iesu in Capharnaũ. SENIORES IVDÆORVM. eos qui illic in populo Iudæorum tum ætate tum auctoritate maximè venerabiles erant. sic ea gens, senatores & magistratus vrbis vocabat; *seniores populi*. vide Matth. 16. v. 21. Misit istos, quia, vt mox per amicos exponi iubet, seipsum non est arbitratus dignum qui veniret ad Iesum, se ethnicum ducens impuriorem quàm qui deberet cum tam eximio Iudæorum propheta verba communicare, aut quidquam ab ipso impetrare. ROGANS. ἐρωτῶν. vide sup. 4. v. 38. VT VENIRET. Iudæorum petitionem Lucas Centurioni tribuit, quia illam illi eius nomine instituebant: cæteroqui enim videntur Iudæi suo tantùm consilio rogasse Iesum, vt veniret domum Centurionis, non Centurionis ipsius hortatu, qui nihil eis aliud in mandatis dedisse videtur, quàm vt dicerent ipsius nomine id quod Matthæus refert: *Domine puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur.* SALVARET. διασώσῃ seruaret, scilicet morti proximum. *Viuificaret* habet Syrus. Interpres Latinus iuxta sensum vertit, si dixit *sanaret*, vt habent alij libri.

οἱ δὲ παραγενόμενοι πρὸς τὸν ἰησοῦν, [4] παρεκάλουν αὐτὸν σπουδαίως, λέγοντες ὅτι ἄξιός ἐστιν ᾧ παρέξει τοῦτο.	At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè, dicentes ei: Quia dignus est vt hoc illi præstes.

AT ILLI. οἱ δὲ Illi verò. SOLICITE. σπουδαίως studiosè, sedulò. QVIA superest iuxta modum vertendi Interpretis hoc loco. DIGNVS EST. Semper merita Iudæus iactat. PRÆSTES. παρέξει præstet. quòd dignus est cui præstaret hoc: est enim obliqua oratio, per tertiam personam futuri.

Latinus & Syrus Interpretes (nam & Syrus vertit secunda persona) videntur παρέξῃ legisse, secunda persona futuri medij, aut certè Atticorum more accepisse παρέξει pro παρέξῃ.

5 diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificauit nobis.

ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν.

DILIGIT ENIM. Interpretes Latinus & Syrus prosequuntur rectam orationem: græcè autẽ, iuxta id quod iam annotatum est, transitio est duriuscula ab obliqua oratione ad rectam, quæ, addita voce *aiebant*, emolliri possit: *Diligit enim*, aiebant, GENTEM NOSTRAM communẽ. Iesum enim sibi connumerant, quippe qui Iudęus ex Iudæis erat. Non erat igitur Centurio ipse ex gente Iudęorum. Signũ hoc erat fidei Centurionis erga verbũ Dei, quod apud illam gentem seruabatur; erga veram religionem, quæ tunc in professione Iudæorum erat: non enim gentem illam amabat, nisi quia amplexus diligebat vnius Dei cultum. SYNAGOGAM. Syrus *domũ congregationis*. vide Matt. 4. v. 23. Mira pietas viri militaris, qui tam erat studiosus cultus Dei Israel, cũ armata manu ipse mare traiecisset, vt Israëlitas assuefaceret ad ferendũ tyrannidis Romanæ iugum.

Matth. 8. v. 7. 8.

6 Iesus autem ibat cum illis. Et cùm iam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: non enim sum dignus vt sub tectum meum intres,

ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐπορεύετο σὺν αὐτοῖς. ἤδη δὲ αὐτοῦ οὐ μακρὰν ἀπέχοντος ἀπὸ τῆς οἰκίας, ἔπεμψε πρὸς αὐτὸν ὁ ἑκατόνταρχος φίλους, λέγων αὐτῷ· κύριε μὴ σκύλλου, οὐ γάρ εἰμι ἱκανὸς ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς·

IESVS AVTEM. Hoc loco *autem* δὲ pro οὖν *ergo* accipi commodè (ni fallor) potest, sicut rursus in sequenti membro videtur pro ἀλλὰ *sed* vsurpari: *Sed cum iam non longe* &c. ita enim meliùs cohæret tota oratio. AMICOS. familiares. præ constantissima humilitate noluit ipse venire. DICENS. græcè additur ei. id est, qui ei ipsius nomine hæc dicerent. Solent enim Hebræi, vt alibi etiam annotauimus, dialogis potiùs quàm obliquis sermonibus res gestas explicare. Est autem hæc loquendi consuetudo notanda hoc loco, qua dicere dicitur, id quod per alios suo nomine dici iubet, vt Matthæus cum Luca concilietur in huius historiæ narrationem. NOLI VEXARI. μὴ σκύλλου ne vexeris, ne distraharis, ne molesteris, ne eam subeas molestiam. Syrus ܠܐ ܬܬܥܡܠ *lo tetemal*, ne labores, ne fatigeris. Reliqua lege Matth. 8. v. 7. 8.

Matth. 8. v. 8.

7 (propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus vt venirem ad te) sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

διὸ οὐδὲ ἐμαυτὸν ἠξίωσα πρός σε ἐλθεῖν· ἀλλὰ εἰπὲ λόγῳ, καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.

PROPTER QVOD ET MEIPSVM. Propter quod etiam, meipsum &c. διὸ οὐδὲ ideò neque arbitratus sum me dignum, qui ipse venirem ad te. nam & eam ob causam ipse non veni ad te, quia dignum me colloquio tuo non agnoui. SED DIC VERBO. solo verbo iube vt ita fiat. Reliqua Matth. 8. v. 8.

Matth. 8. v. 9.

8 Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit.

καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, πορεύθητι, καὶ πορεύεται, καὶ ἄλλῳ, ἔρχου, καὶ ἔρχεται, καὶ τῷ δούλῳ μου, ποίησον τοῦτο, καὶ ποιεῖ.

Matth. 8. v. 10.

9 Quo audito Iesus miratus est: & conuersus, sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.

ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἰησοῦς, ἐθαύμασεν αὐτόν· καὶ στραφεὶς, τῷ ἀκολουθοῦντι αὐτῷ ὄχλῳ εἶπε· λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον.

MIRATVS EST eum, additur græcè & syriacè. SEQVENTIBVS SE TVRBIS, sequenti se turbæ, est græcè & syriacè. AMEN. legitur vox ista, vt latinè, ita & syriacè in exemplari manuscripto; sed non græcè neque syriacè in impressis codicibus. Reliqua duorum istorum versuum petenda sunt ex Matthæo.

Matth. 8. v. 13.

10 Et reuersi, qui missi fuerant, domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.

καὶ ὑποστρέψαντες, οἱ πεμφθέντες, εἰς τὸν οἶκον, εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα.

DOMVM Centurionis. QVI LANGVERAT. τὸν ἀσθενοῦντα qui ægrotauerat. SANVM. nimirum, dixerat Christus verbo, & factum fuerat.

* * * * * * *

καὶ ἀπήγγειλαν ἰωάννῃ οἱ μαθηταὶ [18] αὐτοῦ περὶ πάντων τούτων.

Et nuntiauerunt Iohanni discipuli eius de omnibus his.

IOHANNI Baptistæ, tunc in carcerem coniecto. Matth. 11. v. 2. DE OMNIBVS HIS. de resuscitato adolescente mortuo, aliisque miraculis à Iesu perpetratis, denique laude ac titulis Iesu à populo tributis, quorum fama & ad ipsos inter alios peruenerat. NVNTIAVERVNT autem, non vt Iesum Iohanni commendarent, sed potiùs vt Iohannem in Iesum concitarent, eò quòd subinuiderent tanto successui rerum quæ gerebantur ab Iesu, ac nomini ipsius indies magis ac magis inclarescenti, Iohannisque præceptoris sui, quem ipsi reputabant virum omnium sanctissimum ac Iesu longè præferendum, gloriam obscuranti. Admonitum itaque volunt præceptorem vt rebus suis prospiciat, ne quid ipsius gloriæ decedat.

καὶ προσκαλεσάμενος δύο τινὰς τῶν [19] μαθητῶν αὐτοῦ ὁ ἰωάννης, ἔπεμψε πρὸς τὸν ἰησοῦν, λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν;

Et conuocauit duos de discipulis suis Iohannes, & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

Matth. 11. v. 2. 3.

ET pro Tunc. CONVOCAVIT. προσκαλεσάμενος aduocauit, vt huic suorum affectui mederetur. DVOS DE DISCIPVLIS SVIS δύο τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ duos quosdam discipulorum suorum. DICENS. qui dicerent ipsius iussu, qui rogarent Iesum ex ipso. Reliqua lege Matth. 11. v. 2. 3.

παραγενόμενοι δὲ πρὸς αὐτὸν οἱ ἄνδρες [20] εἶπον· ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς ἀπέσταλκεν ἡμᾶς πρὸς σε λέγων· σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν;

Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Iohannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?

VIRI. οἱ ἄνδρες viri illi, discipuli à Iohanne missi. DICENS per nos, interrogans te per nos. TV ES. Præscriptis à Præceptore verbis vtuntur ne quid aberrent.

ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ὥρᾳ ἐθεράπευσε πολλοὺς [21] ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων καὶ πνευμάτων πονηρῶν, καὶ τυφλοῖς πολλοῖς ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν.

In ipsa autem hora multos curauit à languoribus & plagis & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.

IN IPSA HORA. eodem illo tempore, quo scilicet venerant discipuli Iohannis ad Iesum; interea, verisimile est, dum exspectarent illi opportunitatem alloquendi Iesum. Hora hoc loco non accipitur, pro duodecima diei parte, sed species est pro genere; hora pro tempore. CVRAVIT. ἐθεράπευσε sanauit vel sanauerat Iesus. A LANGVORIBVS. ἀπὸ νόσων à morbis. PLAGIS. μαστίγων flagellis. vide Mar. 3. v. 10: DONAVIT vel donauerat ex aoristo ἐχαρίσατο.

καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· [22] πορευθέντες ἀπαγγείλατε ἰωάννῃ ἃ εἴδετε καὶ ἠκούσατε· ὅτι τυφλοὶ ἀναβλέπουσι, χωλοὶ περιπατοῦσι, λεπροὶ καθαρίζονται, κωφοὶ ἀκούουσι, νεκροὶ ἐγείρονται, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται·

Et respondens dixit illis: Euntes renunciate Iohanni quæ audistis, & vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur:

Matth. 11. v. 4. 5.

ET RESPONDENS. Itaque opportunè respondit illis Iesus. nomen enim Iesu additur græcè & syriacè. QVÆ AVDISTIS ET VIDISTIS. ἃ εἴδετε καὶ ἠκούσατε *quæ vidistis & audistis*, qui ordo est & in aliis latinis libris. VIDISTIS mox. Hîc omnes præteritum legunt tempus. QVIA. quòd. Reliqua petenda sunt ex Matth. 11. v. 4. 5.

καὶ μακάριός ἐστιν ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. [23]

& beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

Matth. 11. v. 6.

Huius versiculi explicatio exstat Matth. 11. v. 6.

ἀπελθόντων δὲ τῶν ἀγγέλων ἰωάννου, [24] ἤρξατο λέγειν τοῖς ὄχλοις περὶ ἰωάννου·

Et cùm discessissent nuntij Iohannis, cœpit de Iohāne dicere ad turbas:

Matth. 11. v. 7.

Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?

τί ἐξεληλύθατε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;

NVNTII iidemque diſcipuli. AGITATAM. vel potiùs vt eſt in aliis libris, *moueri*. nam *agitatam* vertit ſecundùm Matthæum cap. 11. v. 7. vbi leges reliqua huius verſiculi.

Matth. 11. v. 8.

Sed quid exiſtis videre? hominem [25] mollibus veſtimentis indutum? ecce qui in veſte pretioſa ſunt & deliciis, in domibus regum ſunt.

ἀλλὰ τί ἐξεληλύθατε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδοὺ οἱ ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ καὶ τρυφῇ ὑπάρχοντες, ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσίν.

IN VESTE PRETIOSA. ἐν ἱματισμῷ ἐνδόξῳ in veſtitu honorifico; quo vtuntur viri nobiles & ſuis opibus illuſtres. IN DOMIBVS REGVM. ἐν τοῖς βασιλείοις in palatiis regum. Reliqua petenda ſunt ex Matth. 11. v. 8.

Matth. 11. v. 9.

Sed quid exiſtis videre? prophetam? [26] vtique dico vobis, & plus quàm prophetam.

ἀλλὰ τί ἐξεληλύθατε ἰδεῖν; προφήτην; ναὶ λέγω ὑμῖν, καὶ περισσότερον προφήτου.

Matth. 11. v. 10. Mal. 3. v. 1.

Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce [27] mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

οὗτός ἐστι περὶ οὗ γέγραπται· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου ἔμπροσθέν σου.

Matth. 11. v. 11.

Dico enim vobis, maior inter natos [28] mulierum propheta, Iohanne Baptiſta nemo eſt: qui autem minor eſt, in regno Dei maior eſt illo.

λέγω γὰρ ὑμῖν, μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν προφήτης ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ οὐδείς ἐστιν· ὁ δὲ μικρότερος, ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ μείζων αὐτοῦ ἐστι.

Hi tres verſus tractati ſunt ſecundùm Matthæum, locis ad marginem pro more citatis.

Et omnis populus audiens & publi- [29] cani, iuſtificauerunt Deum, baptizati baptiſmo Iohannis.

καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν θεόν, βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα ἰωάννου.

POPVLVS. promiſcuum vulgus. Ab initio *quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus* &c. 1. Cor. 1. v. 27. AVDIENS. ἀκούσας his auditis, vbi hæc audiſſet quæ in Iohannis laudem Saluator dixerat. IVSTIFICAVERVNT DEVM. Acquieſcentes iis quæ Saluator dixerat, prædicarunt Dei bonitatem, laudauerunt & glorificauerunt Deum, quòd virum illum ſanctum Iohannem, diu per prophetas promiſſum, ipſis miſiſſet. Iuſtificandi verbum generaliter hîc ad totam Dei laudem extenditur, ita vt ſit idem quod confiteri, glorificare, laudare, quæ verba alibi frequenter occurrunt. nam & ita frequenter iuſtitia generaliter accipitur, pro omni virtute (vide Matth. 5. v. 10.) & Hebræis צדקה *Sedaka*, non iuſtitiam tantùm, ſed & miſericordiam ac benignitatem declarat. BAPTIZATI ſ. cùm eſſent. ea fuit occaſio glorificandi Dei. Nam cùm tantopere Iohannes commendaretur & extolleretur à Ieſu, conſequenter & illi commendabantur qui crediderant atque obtemperauerant prędicationi illius, ſuſceperantque baptiſmum pœnitentiæ ad quem fuerat hortatus. Intelligentes itaque rectè ſe feciſſe, laudant Deum qui huiuſmodi doctore ipſos donauerit.

Phariſæi autem & legiſperiti conſi- [30] lium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo.

οἱ δὲ φαρισαῖοι καὶ οἱ νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς, μὴ βαπτισθέντες ὑπ᾽ αὐτοῦ.

CONSILIVM DEI. conſilium quo Iohannem à Deo miſſum fuiſſe Ieſus declarauerat. *Conſilium Dei*, honoris cauſa, impio Scribarum faſtui opponit. Nam in conſilij nomine ſubeſt dignitas, quæ Dei opus ab omni contemtu vindicat. SPREVERVNT. reiecerunt, reprobarunt, non acquieſcentes eis quæ Ieſus dixerat: Sicuti enim fides Deum iuſtificat, probat, & ſua gloria ornat: ita blaſphema eſt in eum incredulitas, & contumelioſè illum ſua laude ſpoliat. vnde Ioh. 3. v. 33: *Qui accepit* &c. & 1. Ioh. 5. v. 10: *Qui credit in Filium Dei* &c. IN SEMETIPSOS. εἰς ἑαυτοὺς in ſeipſos. Quidam intelligunt aduerſus ſemetipſos, in ſuam ipſorum perniciem, ſuo maximo damno: neque enim Deum ſed ſeipſos lædunt, qui Dei gloriam aſpernantur. Alij, quia præpoſitio εἰς pro ἐν ſubinde capitur, intelligunt in ſeipſis, ſiue intra ſeipſos (ad quem modum Syrus vertit *in animis ſuis*) ac ſi diceret, quamuis palàm & diſertè non reclamarent, vt tamen occulto faſtu intus turgebant, apud ſeipſos ſpreuiſſe, non audentes palàm damnare quod impensè placeret populo,

vt

vt traditur Matth. 21.v.26. NON BAPTIZATI AB EO. quippe qui dedignati fuerant Iohannis suscipere baptismum. ita superbia sua sibi fidei ianuam præcluserant. Ergo si cupimus ad solidam perfectionem conscendere, cauendum est ne vel minimum quid spernamus eorum quæ Deus probat, & per Ecclesiam obseruandum proponit.

εἶπε δὲ ὁ κύριος· τίνι οὖν ὁμοιώσω τοὺς ἀνθρώπους τῆς γενεᾶς ταύτης; καὶ τίνι εἰσὶν ὅμοιοι; 31

Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt? *Matth.11. v.16.*

AIT AVTEM DOMINVS. εἶπε δὲ ὁ κύριος. Videtur hoc potiùs omittendum iuxta alios libros tam græcè quàm latinè: quod si fiat, Euangelista superiores duos versus tamquam parenthesi vult inclusos. CVI SIMILES SVNT ... ET CVI SIMILES SVNT. Repetitio ad expressionem serij affectus valet. Reliqua lege Matth.11.v.16.

ὅμοιοί εἰσι παιδίοις τοῖς ἐν ἀγορᾷ καθημένοις, καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις καὶ λέγουσιν· ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκλαύσατε. 32

Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem & dicentibus: Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. *Matth.11. v.16.17.*

ET LOQVENTIBVS AD INVICEM. καὶ προσφωνοῦσιν ἀλλήλοις & acclamantibus sibi mutuò. Videntur igitur pueri, alternos agentes choros, vicissim sibi mutuò hunc in modum acclamasse. TIBIIS. Hîc expressit Interpres quod secundùm Matthæum omisit, cùm vtrobique eadem sit græcis vox, latinam hanc comprehendens. Reliqua quære Matth.11.v.16.17.

ἐλήλυθε γὰρ Ἰωάννης ὁ βαπτιστής, μήτε ἄρτον ἐσθίων, μήτε οἶνον πίνων, καὶ λέγετε· δαιμόνιον ἔχει. 33

Venit enim Iohannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum: & dicitis, Dæmonium habet. *Matth.11. v.18.*

PANEM, NEQVE BIBENS VINVM. adeò austerè viuens, vt vitam non sustineret iis quibus homines etiam ex naturæ institutione consueuerunt. Cætera Matth.11.v.18.

ἐλήλυθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐσθίων καὶ πίνων, καὶ λέγετε· ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, φίλος τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν. 34

Venit Filius hominis manducans & bibens: & dicitis, Ecce homo deuorator & bibens vinum, amicus publicanorum & peccatorum. *Matth.11. v.19.*

DEVORATOR. φάγος edax. BIBENS VINVM. οἰνοπότης vinipotor. Reliqua Matth.11.v.19.

καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων. 35

Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis. *Matth.11. v.19.*

OMNIBVS qui veri sunt sapientiæ filij, qui verè sapiant. Reliqua Matth.11.v.19.

* * * * * * * *

CAPVT OCTAVVM.

καὶ ἐγένετο ἐν τῷ καθεξῆς, καὶ αὐτὸς διώδευε κατὰ πόλιν καὶ κώμην, κηρύσσων καὶ εὐαγγελιζόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ· καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ, 1

Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo, . *Matth.4. v.23. & 9.v.35.*

ET IPSE. Redundat *&*, vt etiam alibi. PER CIVITATES ET CASTELLA, vel, vt est in aliis libris, conformiter græco, *per ciuitatem & castellum*, quod est, per singulas ciuitates & castella siue vicos. Peragrabat ciuitates omnes & vicos Galilææ: nam de Galilæa hîc potissimùm sermonem esse arbitror. PRÆDICANS ET EVANGELIZANS REGNVM DEI. prædicans vbique & annuntians regnum Dei; prædicans vbique euangelium regni Dei, faustum instantis regni Dei nuntium, Regni, quo in hominibus Deus regnaturus sit, & in Deo homines, de quo Matth.3.v.2. ET DVODECIM. καὶ οἱ δώδεκα & duodecim illi, nimirum Apostoli

 quos

quos elegerat. ita enim vocantur κατ' ἀντονομασίαν, οἱ δώδεκα duodecim. CVM ILLO f. erant. nam quò formaret illos, & suo doceret exemplo, quî se ipsi in prædicationis negotio, quod breuî ipsis committendum erat (infrà 9.v.2.) gerere deberent, secum illos quocumque pergebat, duxit. Reliqua huius versiculi pete ex Matthæo.

Marc. 16. v. 9.

& mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus; Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant,

2 καὶ γυναῖκές τινες αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν καὶ ἀσθενειῶν· μαρία ἡ καλουμένη μαγδαληνή, ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει,

ET MVLIERES ALIQVÆ f. cum illo erant, quæ & ipsæ sequebantur peragrantem Galilææ oppida & castella singula, ipsum, posthabitis negotiis domesticis, cum inuidia multisque incommodis, per diuersa incertaque hospitia, sequi malentes, quàm delicata quiete in propriis ædibus frui. ET INFIRMITATIBVS. quas, vel liberauerat à spiritibus malis, vel à morbis sanarat; locupletes proinde testes virtutis Iesu. QVÆ VOCATVR MAGDALENE vulgari & celebri cognomine. Id addit, quò ab aliis distinguatur Mariæ nomine appellatis: vnicam igitur agnoscit Lucas Mariam cognominatam Magdalenen seu Magdalenam. Ea creditur è Iudæa oriunda fuisse, vnà cum Lazaro fratre & Martha sorore, ex castello seu vico Bethaniæ (Iohan. 11. v. 1.) sed nupsisse viro in Galilæa, in castello Magdalum nomine, haud procul à mari Tiberiadis sito, vbi ipsa habitauerit Domino in Galilæa prædicante, vndeque nomen sumserit Magdalenæ; vidua autem facta, sequuta tandem fuisse Dominum. nam viduam eam appellat Auctor commentarij in Marcum D. Hieronymo adscripti, enarrans Marc. 15. v. 40. Potuit & aliis quàm matrimonij occasionibus in Galilæam è Iudæa migrasse, siue liberiùs viuendi, siue Christi videndi & sanitatis à dæmonum obsessu impetrandæ. DE QVA. è qua. quam vnam septem dæmones occuparant, quos Iesus Saluator exegerat. Fuerat à Deo dæmonibus tradita, ob sua, verisimile est, crimina: quos vbi ex ea profligasset Dominus, reliquit vitia, admissorum obtinuit veniam (sup. 7. v. 47.) virtutem amplexa est, facta est Christi discipula, denique & contubernio ipsius honorata. SEPTEM. Cùm mox in genere dixisset *quæ erant curatæ a spiritibus malignis*, hîc numerum exprimit malignorum spirituum qui miseram hanc occuparant, vti etiam Marcus cap. 16. v. 9. Nec enim mirum esse debet septem vnam inuasisse, cùm mox sequatur de quodam quem legio possederit. infrà v. 30. Quamquam septenarium numerum Scriptura nonnumquam pro multitudine accipiat, vt Ierem. 15. v. 9: *Infirmata est quæ peperit septem*, quod annotat Theophylactus scribens in Marcum.

Et Iohanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

3 καὶ ἰωάννα γυνὴ χουζᾶ ἐπιτρόπου ἡρώδου, καὶ σουσάννα, καὶ ἕτεραι πολλαί, αἵτινες διηκόνουν αὐτῷ ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς.

VXOR CHVZÆ. Fuit igitur, non ipse tantùm, verumetiam maritus eius, animo Christo deuoto: nec enim absque mariti consensu siuisset eam Christus esse in comitatu suo. PROCVRATORIS. ἐπιτρόπου administratoris, nimirum rei familiaris. Syrus ܪܒܝܬܗ *Rabbaitho* præfecti domus, œconomi. HERODIS, tetrarchæ tunc Galilææ. ita vt in aula quoque regia, virtutis ac doctrinæ Christi fama celebrari posset, atque omnibus in locis ab omnibus hominum ordinibus cognosci. ET ALIÆ MVLTÆ. omnes Christi discipulæ, & notæ fœminæ, quamquam præ cæteris tres illæ nominatim recensitæ, quarum conditio, & vitæ genus ac valetudinis, insignia fuerant anteà, & præsens status, quantum ab illo differret priori, cognosci poterat. MINISTRABANT. Cùm diuites essent, curabant & suppeditabant vitæ necessaria pauperibus Christo atque Apostolis eius, vrbes & rura peragrantibus, spargendæ euangelicæ sementis gratia. Idcircò ergo permisit eas Christus in suo comitatu esse, ne quid deesset rerum necessariarum assiduè vagis & vni negotio intentis: maluit enim ab his iam fidei domesticis sumtum accipere, quàm oneri esse, ipse tanto comitatus discipulorum numero, eis ad quos accedebat extraneis, quin potiùs vt prorsus gratis illis, & euangelium annunciaret, & beneficia conferret. Porrò istæ, quum vltrò se (non dubiū est) ad hanc rem obtulissent, perlibenter id faciebant à Saluatore admissæ. inprimis quò animi gratitudinem declararet suam, erga eum à quo beneficia, & spiritalia, & corporalia, ingentia acceperant; tum quò frui possent concionibus ipsius diuinissimis & suauissima præsentia; deniq; quò ipsarum præsentia magis celebraretur Christi gloria. Nam vt erant ipsæ celebres, & celebre vnde Christi beneficio liberatæ essent, non dubium est quin digito passim monstratæ fuerint, ac Christi præsentia instar theatri fuerit ad eas spectandas. Cæterùm pudorem suum palàm exstare non recusarunt, ne suppressa Christi gratia lateret: quinpotiùs vt illustre esset huius spectaculum, libenter humiliari sustinuerunt, liberatorem suum, contemta mundi ignominia, sequentes. EI. Christo. sub quo intelligitur comitatus ipsius: quamquam latini quidam codices, cum syricis & multis græcis, legant αὐτοῖς eis, nempe Christo & duodecim. Cùm enim diuites essent & multæ, facilè suppeditabant sumtum frugalissimo magistro & ipsius comitibus. De his mulieribus diximus & Matth. 27. v. 55. 56.

Matth. 13. v. 2. Marc. 4. v. 1.

Cùm autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem.

4 συνιόντος δὲ ὄχλου πολλοῦ, καὶ τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτόν, εἶπε διὰ παραβολῆς.

CONVENIRENT. In aliis libris est singulare *conueniret*, græco conformiter. DE CIVITATIBVS omnibus.

τῶν κατὰ

τῶν κατὰ πόλιν qui oppidatim, id est, qui ex aut in singulis ciuitatibus erant. Syrus *ex omnibus ciuitatibus.* PROPERARENT s. turba plurima, vel positum est pro properaretur. ἐπιπορευομένων proficiscerentur; Syrus *venirent*. frequens hominum conuentus Saluatori occasionem dedit sequentis parabolæ depromendæ. PER SIMILITVDINEM. διὰ παραβολῆς per parabolam.

ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον ἑαυτοῦ· καὶ ἐν τῷ σπείρειν αὐτὸν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδόν: καὶ κατεπατήθη, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατέφαγεν αὐτό.

5 Exiit qui seminat seminare semē suum: & dū seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud.

Matth.13. v.3.4. Marc.4. v.3.4.

CONCVLCATVM EST. Præter hoc quod nudum iaceret à terra, duo alia incommoda passum est, protritum itinerantium pedibus, & ab auiculis deuoratum, ita vt omnis ex eo fructus esset desperatus. CÆLI. aëris. Cætera dicta sunt Matth.13. v.3.4.

καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν πέτραν, καὶ φυὲν ἐξηράνθη, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἰκμάδα.

6 Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

Matth.13. v.5.6. Marc.4. v.5.6.

SVPRA PETRAM. super petram, in terram petrosam. Reliqua quære Matth. 13.v.5.6.

καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, καὶ συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι ἀπέπνιξαν αὐτό.

7 Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud.

Matth.13. v.7. Marc. 4. v.7.

INTER SPINAS. inter spinarum semina, in terram spinarum feracem. SIMVL EXORTÆ. συμφυεῖσαι simul enatæ s. è terra, sed quæ celeriùs assurgerent. Reliqua Matth.13.v.7.

καὶ ἕτερον ἔπεσεν ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν, καὶ φυὲν ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα. ταῦτα λέγων ἐφώνει· ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

8 Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum. Hęc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Matth.13. v.8.9. Marc.4. v.8.9.

ORTVM. φυὲν enatum. CENTVPLVM. copiosum. DICENS. cùm dixisset. CLAMABAT. Vocem extollebat, vt tam clamore ipso, quàm verbis hisce proximis, excitaret auditorum animos ad parabolæ cumprimis salutaris considerationem. Reliqua lege Matth.13.v.8.9.

ἐπηρώτων δὲ αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη.

9 Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola.

Marc.4. v.10.

QVÆ ESSET. quid sibi vellet. λέγοντες *dicentes*, quod græcè præcedit, videtur superfluere. lege Notas. Reliqua lege Marc.4.v.10.

ὁ δὲ εἶπεν· ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν.

10 Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Matth.13. v.11.13. Marc.4. v.11.12.

MYSTERIVM. plurale est Græcis, vt in Matthæo. CÆTERIS AVTEM s. non est datum nosse nisi IN PARABOLIS, sub velamine parabolarum. Syrus habet: *Cæteris autem illud per parabolas dictum est.* Reliqua lege Matth.13.v. 11.13. Marc.4. v.11.12.

ἔστι δὲ αὕτη ἡ παραβολή· ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.

11 Est autem hæc parabola. Semen est verbum Dei.

Matth.13. v.19. Marc.4. v.15.

HÆC PARABOLA. hæc parabolæ expositio. SEMEN EST. per semen significatur. VERBVM DEI. sermo à Deo profectus, quem Deus vult hominibus ad ipsorum salutem beatitatemque prædicatum. Reliqua quære Matth.13.v.19.

οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν, εἰσὶν οἱ ἀκούοντες, εἶτα ἔρχεται ὁ διάβολος, καὶ αἴρει

12 Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiūt, deinde venit diabolus, & tollit

Matth.13. v.19. Marc.4. v.15.

verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. | τὸν λόγον ἀπὸ τῆς καρδίας αὐτῶν, ἵνα μὴ πιστεύσαντες σωθῶσιν.

SECVS VIAM s. seminati sunt. QVI AVDIVNT. verbum Dei. TOLLIT VERBVM, supple ex parabola, *conculcatum*, id est, contemtum & neglectum, callo obducto in vulgaris vitæ consuetudine & admittendis omnis generis vitiosarum cogitationum turbis. DE CORDE EORVM inculto & duro cui superiacet. NE CREDENTES tandem verbo Dei. πιστεύσαντες cùm crediderint. Metus diaboli est, ne, si diutiùs sinatur verbũ Dei duro cordi superiacere, tandem suo pondere perfringat duritiem, illoq; intra cor suscepto SALVI FIANT ad pœnitentiam, iustitiam, Dei regnum, denique & salutem æternam, adducantur. Fidei tribuitur salus, vt cæterarum omnium virtutum radici. Cætera leguntur Matth. 13. v. 19.

Matth. 13. v. 20. 21. Marc. 4. v. 16. 17.

13 Nam qui supra petram; qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. | οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, οἳ ὅταν ἀκούσωσι, μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν λόγον, καὶ οὗτοι ῥίζαν οὐκ ἔχουσιν, οἳ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι, καὶ ἐν καιρῷ πειρασμοῦ ἀφίστανται.

NAM QVI SVPRA PETRAM. οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, ad verbum: Qui autem super petram s. seminati sunt, hi sunt. AD TEMPVS aliquod, rebus prosperè succedentibus. CREDVNT. vera euangelij fide præditi sunt, & præditos se esse factis quibusdam probant (quamquam huiusmodi fides non sit, quæ solidum collegerit robur) quemadmodum verum est germen, & verum germinis indicium herba, quæ ex semine in petrosa iacto nascuntur, tenella licet sint. TENTATIONIS. persecutionis seu tribulationis propter verbi obseruationem exortæ: quæ idcircò *tentatio* dicitur, quòd ab hominibus quidem excitetur vt ad peccatum adducant, abstrahant à verbi obseruatione; à Deo autem permittatur, ad examinationem & periculum faciendum de iis qui verbi professionem amplexi sunt, an solidis fidei & charitatis fundamentis innitantur. vide Matth. 6. v. 13. RECEDVNT à fide aut fidei professione, atque adeò ab exercitationibus & documentis iis quæ ex verbi præscripto iniri & præstari debent. Tentatio manifestum facit quàm fuerint isti tenella fide præditi: vt enim solis æstus segetes radicatas perficit, non radicatas exurit: ita tentatio firmos roborat magis, infirmos deiicit. Reliqua petenda sunt ex Matth. 13. v. 20. 21.

Matth. 13. v. 22. Marc. 4. v. 18. 19.

14 Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierũt, & à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, nõ referunt fructum. | τὸ δὲ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσόν, οὗτοί εἰσιν, οἱ ἀκούσαντες, καὶ ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου, πορευόμενοι, συμπνίγονται, καὶ οὐ τελεσφοροῦσι.

QVOD AVTEM. Illud autem semen quod in terram spinarum feracem cecidit, significat eos qui &c. ET DIVITIIS. præsertim diuitiarum. VITÆ huius. Referendum id est ad omnia tria præcedentia. EVNTES, conuersantes, vt exponit Euthymius: id est, dum in quotidiana vitę conuersatione animum his plus æquo applicant. SVFFOCANTVR, quia verbum suffocatur, quod & ipsum animo ab eis conceptum assurgebat in spicam, & vitam illis salutemque proximè pollicebatur. Suffocatur autem tamquam à spinis oppressum: non enim solicitudines solùm, sed & voluptates mundi huius, veræ spinæ sunt, inutiles, infructuosæ, damnosæ; si non aliter, aculeo quem infixum relinquunt, animum mordentes ac lacerantes: quæ si tempori non resecentur, vsque adeò inualescunt, vt omne semen vitæ obruant. REFERVNT FRVCTVM. τελεσφοροῦσι fructum perferunt, verbum compositum à τέλος quod est perfectus & φέρω, declarans fructum perfectum & absolutum ferre, id est, eousque vt maturuerit. Non parùm profecerat in his Dei verbum, sed impeditum est à maturitate, à fructuũ consummatione. Reliqua petenda sunt ex prioribus Euangelistis.

Matth. 13. v. 23. Marc. 4. v. 20.

15 Quod autem in bonam terram; hi sunt, qui, in corde bono & optimo audientes verbum, retinent, & fructum adferunt in patientia. | τὸ δὲ ἐν τῇ καλῇ γῇ, οὗτοί εἰσιν, οἵτινες, ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ ἀκούσαντες τὸν λόγον, κατέχουσι, καὶ καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ.

TERRAM s. cecidit. IN CORDE. superest latinè præpositio *in*. BONO ET OPTIMO. bono immo optimo, id est valde seu egregiè bono. Græcè est καλῇ καὶ ἀγαθῇ, quod κατὰ λέξιν vertas pulchro & bono, siue honesto & bono: illud autem est, quod non modò videri bonum, verùm etiam reipsa esse studeat (vt καλὸς ad externam vitæ speciem, ἀγαθὸς ad animi virtutes referatur) quod prorsus desideret proficere, & se re ipsa, proximos exemplo ædificare. Nam cùm alia sint externa, fortunæ scilicet (vt vocant) & corporis, alia verò animi bona, hominem vtrisque ornatum Græci καλὸν κἀγαθὸν dicunt: quamuis τὸ καλὸν interdum latiùs pateat. Hoc itaque epitheto distinguitur quartum istud auditorum genus à tribus superioribus, quorum primum nec externa curat nec interna, secundum & tertium externam quamdam speciem fructus præ se ferunt initiò, sed ad bonam frugem non perueniunt: de quibus etiam exstat prouerbium, inutilem esse pulchritudinem absque bonitate. AVDIENTES. ἀκούσαντες cùm audierint. RETINENT intellectum ac susceptum, quibus verbis priores Euangelistæ vtuntur. Manifestum est igitur ex euangeliis ipsis, tria

tria ista iungenda, intelligere, suscipere, & retinere. *Retinent* autem, id est, cordi infixum seruant: mentem ac sensum verbi Dei, id quod docetur verbo Dei, sic cordi infixum tenent, vt per gratiam Dei abeat quodammodo in ipsam naturam, iactis viuis radicibus ita vt nulla tentatione queat euelli. Nam & hoc indicatur retinendi voce, non absque lucta & certamine bonum istud semen adseruari, carne scilicet & diabolo agentibus vt ex animo euellant illud & à fructu impediant. IN CUM PATIENTIA. suffulti patientia siue constanti malorum tolerantia cum exspectatione meliorum: id enim est ὑπομονὴ. vide infrà 21. v. 19. Terra excepto semine grauida, priusquam fructum producat, multa patiatur necesse est tam hiemis quàm æstatis incommoda: ita auditor verbi, qui quidem fructum edit, multa constans tolerat à visibilibus & inuisibilibus inimicis, verbi eiusque fructus osoribus (*omnes enim qui pie volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. v. 12.) animum accipiens ex consideratione exspectationeque instantis messis, quando, fructibus in manipulos collectis, diues virtutum operumque sanctorum, intrabit in gaudium Domini sui. Reliqua pete ex Matth. 13. v. 23.

16 οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, καλύπτει αὐτὸν σκεύει, ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν· ἀλλ' ἐπὶ λυχνίας ἐπιτίθησιν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι βλέπωσι τὸ φῶς.

Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. *Marc. 4. v. 21.*

NEMO AVTEM. q. d. Sed ne quod dixi, vobis datum esse, nosse mysteria regni Dei, cæteris autem non nisi in parabolis, vt videntes nō videant, & audientes non intelligant, ita interpretemini, quasi velim, parabolas meas & regni Dei mysteria, populo numquam explicari, semperque manere occulta: scitis quid sibi velit vulgare illud dictum *Nemo accendens lucernam* &c. quod vt est rationi maximè consonum, ita hac quoque in re, in doctrina inquam mea, locum habere, existimare debetis. ACCENDENS. ἅψας postquam accenderit s. vesperi aut noctu. SVBTVS aduerbium positum pro præpositione *subter*. SVPRA pro *super*. VT INTRANTES. vt ij qui intrant siue domum siue cubiculum, vbi candela imposita candelabro constituta est, VIDEANT LVMEN, eoque illustrati iuuentur ad agenda ea quæ ipsis incumbunt. Reliqua pete ex Marco.

17 οὐ γάρ ἐστι κρυπτὸν, ὃ οὐ φανερὸν γενήσεται· οὐδὲ ἀπόκρυφον, ὃ οὐ γνωσθήσεται, καὶ εἰς φανερὸν ἔλθῃ.

Non est enim occultum, quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat. *Marc. 4. v. 22.*

NON EST. nullum est. QVOD NON MANIFESTETVR. ὃ οὐ φανερὸν γενήσεται quod non manifestum futurum sit. COGNOSCATVR. γνωσθήσεται cognoscetur. IN PALAM. εἰς φανερὸν in apertum, in propatulum. VENIAT. ἔλθῃ venturum sit. Reliqua ad Marcum dicta sunt.

18 βλέπετε οὖν πῶς ἀκούετε. ὃς γὰρ ἐὰν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς ἐὰν μὴ ἔχῃ, καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. *Marc. 4. v. 24. 25.*

ERGO. Quia *ergo* vos ij esse debetis, per quos doctrina mea omnis mundo publicetur (ad hoc enim vos elegi) *videte quomodo audiatis* doctrinam meam, animum aduertite & satagite vt eam intelligatis, & intellectam memoria retineatis, denique ex retenta fructum vobis aliisque procreetis, cùm huius seculi tum futuri. QVI ENIM. ὃς γὰρ ἐὰν quicumque enim. HABET. doctrinæ meæ cognitionem & lucrum ex ea in se aliisque, tum huius vitæ tum futuræ. DABITVR ILLI etiam ampliùs, & inter alia auctior etiam beatitudinis gradus quàm promeritus fuerat. QVOD PVTAT SE HABERE. ὃ δοκεῖ ἔχειν *quod videtur habere*, quomodo vertit Interpres Matth. 25. v. 29., & quidem rectiùs: *putat* enim vnicum sensum admittit, *videtur* autem plures. *videtur*, siue sibi, siue aliis, siue vtrisque. Reliqua quære Marc. 4. v. 24. 25. & aliis locis illic annotatis.

19 παρεγένοντο δὲ πρὸς αὐτὸν ἡ μήτηρ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἠδύναντο συντυχεῖν αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον.

Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant adire eum præ turba. *Matth. 12. v. 46. Marc. 3. v. 31.*

AD ILLVM concionantem quodam tempore domi suæ seu in hospitio suo in Capharnaum. ADIRE. συντυχεῖν conuenire; Syrus *loqui cum eo*, id est, agere cum eo. PRÆ TVRBA. διὰ τὸν ὄχλον propter turbam, tum propter densitatem, tum propter præsentiam turbæ. Reliqua quære Matth. 12. v. 46. & Marc. 3. v. 31.

20 καὶ ἀπηγγέλη αὐτῷ, λεγόντων· ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἑστήκασιν ἔξω, ἰδεῖν σε θέλοντες.

Et nuntiatum est illi: Mater tua & fratres tui stant foris, volentes te videre. *Matth. 12. v. 47. Marc. 3. v. 32.*

ET NVNTIATVM EST ILLI. sequitur græcè λεγόντων dicentibus s. nonnullis. VOLENTES TE VIDERE. inuisentes te & expetentes copiam tui. aduenerant ex Nazareth.

Qui

Matth.12. v.50. Marc.3. v.35.

Qui respondẽs dixit ad eos: Mater mea & fratres mei, hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt. [21]

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς· μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν, οἱ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ ἀκούοντες καὶ ποιοῦντες αὐτόν.

HI. οὗτοι isti. discipuli mei & alij his similes. extendebat enim manum in discipulos, Matthæo teste. QVI seu quia. AVDIVNT vt sciant. Commendat auditum, sine quo, Dei verbum, à plerisque, vel non cognoscitur, vel non recolitur memoria, vel non amatur ita vt FACIANT, id est, obseruent & opere impleãt. Reliqua Matth. 12. v. 50. & Marc. 3. v. 35.

Matth.8. v.18.23. Marc.4. v.35.36.

Factum est autem in vna dierum, & ipse ascẽdit in nauiculam, & discipuli eius: & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. & ascenderunt. [22]

καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, καὶ αὐτὸς ἐνέβη εἰς πλοῖον, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης. καὶ ἀνήχθησαν.

IN VNA DIERVM. quodam die. ET IPSE. Cùm ipse, vel quòd ipse. ET AIT. καὶ εἶπε & dixit. TRANSFRETEMVS TRANS STAGNVM. διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης transeamus in vlteriora stagni, in vlteriorem ripam lacus Genezareth. ET ASCENDERVNT. καὶ ἀνήχθησαν & prouecti sunt s. in altum. Reliqua Matth. 8. v. 18. 23.

Matth.8. v.24. Marc.4. v.37.38.

Nauigantibus autem illis obdormiuit: & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur. [23]

πλεόντων δὲ αὐτῶν ἀφύπνωσε, καὶ κατέβη λαῖλαψ ἀνέμου εἰς τὴν λίμνην, καὶ συνεπληροῦντο, καὶ ἐκινδύνευον.

OBDORMIVIT. Non hoc est cœpit dormire (videtur enim, ex Marco, dormiuisse priusquam proueherent) sed ἀφύπνωσε, quod amplius quiddam significat quàm τὸ καθεύδειν dormire, altum nimirum profundumque soporem dormiuit. DESCENDIT. aquæ enim, & terrâ proximâ, & aëre, quo in venti nascuntur, humiliores sunt. STAGNVM vocat, quod Matthæus & Marcus *mare*. COMPLEBANTVR. s. fluctibus. catachresis. Non enim discipuli, sed nauis complebatur. Reliqua lege Matth. 8. v. 24: & Mar. 4. v. 37. 38.

Matth.8. v.25.26. Marc. 4. v.38.39.

Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ: & cessauit, & facta est tranquillitas. [24]

προσελθόντες δὲ διήγειραν αὐτόν, λέγοντες. ἐπιστάτα, ἀπολλύμεθα. ὁ δὲ ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος· καὶ ἐπαύσαντο, καὶ ἐγένετο γαλήνη.

PRÆCEPTOR. ἐπιστάτα. vide suprà 5. v. 5. Multi porrò græci codices cum syricis, geminant hoc loco ἐπιστάτα, quo, altus Christi somnus, & confusa discipulorum trepidatio, significatur. SVRGENS. ἐγερθεὶς. INCREPAVIT. ἐπετίμησε. eadem est vox quæ apud priores Euangelistas. TEMPESTATEM. τῷ κλύδωνι fluctuationem. CESSAVIT. ἐπαύσαντο cessauerunt, quieuerunt s. ventus & tempestas aquæ. distinctè enim Marcus refert Saluatorem compescuisse ventum, & mare deinde. Porrò in duobus græcis exemplaribus, est ita vt in latina editione, ἐπαύσατο *cessauit*, eodem sensu. Reliqua Matthæi 8. vers. 25. 26. & Marc. 4. v. 38. 39.

Matth.8. v.26.27. Marc.4. v.40.41.

Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt, ad inuicem dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei? [25]

εἶπε δὲ αὐτοῖς· ποῦ ἐστιν ἡ πίστις ὑμῶν; φοβηθέντες δὲ ἐθαύμαζον, λέγοντες πρὸς ἀλλήλους· τίς ἄρα οὗτός ἐστιν, ὅτι καὶ τοῖς ἀνέμοις ἐπιτάσσει καὶ τῷ ὕδατι, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ;

FIDES VESTRA in me. Sub fide fiducia intelligitur, quæ nascitur ex fide q d. Annon oporteret vos credere, vos à me etiam dormiente seruari posse; itaque confidere in me, neque ita animis consternari? Expedit interdum, nos, veluti à Christo neglectos, in extrema discrimina venire, vt, & ipsius potentiæ, & nostrę imbecillitatis, eo certius experimentum habeamus. ADINVICEM. Postponitur istud græcè & syriacè participio DICENTES (λέγοντες πρὸς ἀλλήλους) certò igitur ad illud referendum est, non ad verbum *mirati sunt*. IMPERAT. ἐπιτάσσει. Interpretatio eius quod priùs dictum est ἐπετίμησε *increpauit*. Reliqua pete ex Matthæo & Marco.

Matth.8. v.28. Marc.5. v.1.

Et nauigauerunt ad regionem [26]

καὶ κατέπλευσαν εἰς τὴν χώραν τῶν γαδα-

γαδαρηνῶν, ἥτις ἐςὶν ἀντιπέραν τῆς γαλιλαίας.

Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

ET NAVIGAVERVNT, vel potiùs, vt est in optimis manuscriptis, *enauigauerunt autem*. quod est, secundo vento deuecti sunt, appulerunt: hoc est enim κατέπλευσαν, quod Syrus reddidit duobus verbis: *Nauigauerunt & venerunt*. AD siue in. εἰς. GERASENORVM. τῶν γαδαρηνῶν Gadarenorum. CONTRA GALILÆAM. ἀντιπέραν τῆς γαλιλαίας opposita Galilææ, ad ripam lacus oppositam ripæ cui adiacet Galilæa. Reliqua Matth. 8. vers. 28.

27 ἐξελθόντι δὲ αὐτῷ ἐπὶ τὴν γῆν, ὑπήντησεν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τῆς πόλεως, ὃς εἶχε δαιμόνια ἐκ χρόνων ἱκανῶν, καὶ ἱμάτιον οὐκ ἐνεδιδύσκετο, καὶ ἐν οἰκίᾳ οὐκ ἔμενεν, ἀλλ' ἐν τοῖς μνήμασιν.

Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

Matth. 8. v. 28. Marc. 5. v. 2. 3.

ET CVM EGRESSVS ESSET AD TERRAM. ἐξελθόντι δὲ αὐτῷ ἐπὶ τὴν γῆν egresso autē ipsi in terram s. è naui. VIR QVIDAM. sequitur in græco & syro, ἐκ τῆς πόλεως ex vrbe, vel ex ea vrbe s. vicina, ad quā pergebat Christus, siue Gadara, siue Gerasa, siue alia regionis Gadarenorum aut Gerasenorum. Cæterùm nō ex vrbe venit, quem Matthæus & Marcus narrant ex monumentis occurrisse, & Lucas toto contextu significat in solitudine vixisse; sed intelligendum ex ea vrbe oriundum fuisse, vel, priusquam Christus propiùs ad vrbem accederet, ex parte vrbis illum se medium obtulisse. DÆMONIVM. δαιμόνια dæmonia. ita est in exemplaribus græcis: collectiuè itaque accipias *dæmonium* numero singulari. MVLTIS. ἱκανῶν ad verbum sufficientibus. q. d. iam satis diu. MANEBAT. habitabat. Reliqua petenda sunt ex Matthæo & Marco.

28 ἰδὼν δὲ τὸν ἰησοῦν καὶ ἀνακράξας προσέπεσεν αὐτῷ, καὶ φωνῇ μεγάλῃ εἶπε· τί ἐμοὶ καὶ σοὶ ἰησοῦ υἱὲ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου; δέομαί σου μή με βασανίσῃς.

Is vt vidit Iesum, procidit ante illum: & exclamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi est Iesu Fili Dei altissimi? obsecro te ne me torqueas.

Matth. 8. v. 29. Marc. 5. v. 6. 7.

PROCIDIT ANTE ILLVM. accidit illi ad pedes. ET EXCLAMANS. In græco & syro huiusmodi est verborum series: *Is autem cum vidisset Iesum & exclamasset, accidit ei, & voce magna dixit. Exclamauit* autem dæmon per hominem, eò quòd torqueri se censeret. Reliqua quære Matth. 8. v. 29. & Mar. 5. v. 6. 7.

29 παρήγγειλε γὰρ τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ ἐξελθεῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου. πολλοῖς γὰρ χρόνοις συνηρπάκει αὐτόν, καὶ ἐδεσμεῖτο ἁλύσεσι καὶ πέδαις, φυλασσόμενος, καὶ διαρρήσσων τὰ δεσμὰ, ἠλαύνετο ὑπὸ τοῦ δαίμονος εἰς τὰς ἐρήμους.

Præcipiebat enim spiritui immūdo, vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum: & vinciebatur catenis & compedibus, custoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.

Marc. 5. v. 3. 4. 5. 8.

MVLTIS ENIM TEMPORIBVS. ita est ad verbum, quod est, à multo tempore: *iam pridem* quidam vertunt, quidam *frequenter*. Datur ratio cur ægrè adeò dæmonia ista cederent, cur etiam Iesus ampliùs vellet ea cedere. ARRIPIEBAT. συνηρπάκει corripuerat. Syrus captiuum detinebat. ET VINCIEBATVR C. ET C. CVSTODITVS. Sensus est, participio cum verbo & verbo cum participio commutatis: Et, vinctus catenis & compedibus, custodiebatur. ET RVPTIS. καὶ διαρρήσσων sed dirumpens. & pro *sed*, quod non est infrequens apud Hebræos. AGEBATVR. ἠλαύνετο agitabatur, cum impetu impellebatur, vt eques calcaribus equum agitat. Reliqua ex Marco petenda sunt.

30 ἐπηρώτησε δὲ αὐτὸν ὁ ἰησοῦς λέγων· τί σοί ἐστιν ὄνομα; ὁ δὲ εἶπε· λεγεών. ὅτι δαιμόνια πολλὰ εἰσῆλθεν εἰς αὐτόν.

Interrogauit autem illum Iesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio, quia intrauerant dæmonia multa in eum.

Matth. 5. v. 9.

Huius versiculi explicationem lege Marc. 5. v. 9.

31 καὶ παρεκάλει αὐτὸν ἵνα μὴ ἐπιτάξῃ αὐτοῖς εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν.

Et rogabant illum ne imperaret illis vt in abyssum irent.

Marc. 5. v. 10.

NE IMPERARET ILLIS. ne cogeret illos. Victos se & deditos apertè indicant. IN ABYSSVM. εἰς τὴν ἄβυσσον.

ἄβυσσον. Significat abyssus, hebraicè תהום *tehom*, syriacè ܬܗܘܡܐ *tehoumo* dicta, immensæ profunditatis voraginem, immensæ altitudinis aquam, quasi absque fundo, nam βύσσα fundus dicitur. Accipitur autem pro eo ipso loco quem idem Lucas infrà 16.v.23. ᾅδην vocat, Petrus 2.epist.2.v.4. τάρταρον *tartarum*, nos latinè *infernum*, id est, loco puniendis in æternum reprobis destinato, quòd in profundissimo terræ loco situs, reprobos ita penitus absorbeat, vt emergere numquam possint. Eo in loco iam nunc quidam dæmonum agunt (Apoc.20.v.3.) cum animabus eorum qui in impietate decesserunt, id quod ne prophani quidem scriptores ignorarunt: sed non plus illi pœnarum luere videntur, quàm ij qui hoc in inferiori aëre sunt, in quo plerique sunt, Apostolo inprimis doctore (Ephes.2.v.2.& 6.v.12.) Extremo porrò Christi iudicio (Apoc.20.v.10. & hi in abyssum detrudendi sunt. Quod ergo abyssum deprecantur, eò spectat, quòd ipsis volupe sit inter homines versari, quò illos seducant, & ad se plures semper pertrahát: id quod in abysso non possunt, vbi nulli sunt quos seducant, sed seducti dumtaxat, quibus, secum puniendis, præsint.
IRENT. ἀπελθεῖν abirent. Reliqua huius versiculi lege Mar.5.v.10.

Matth.8. v.30.31.32. Marc.5. v.11.12.13.

32 Erat autem ibi grex porcorũ multorum pascentium in monte: & rogabant eum vt permitteret eis in illos ingredi. & permisit illis.

ἦν δὲ ἐκεῖ ἀγέλη χοίρων ἱκανῶν βοσκομένων ἐν τῷ ὄρει· καὶ παρεκάλουν αὐτὸν ἵνα ἐπιτρέψῃ αὐτοῖς εἰς ἐκείνους εἰσελθεῖν. καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς.

IN MONTE. Vt erat magnus grex, ita facilè fieri potuit, vt pars in monte fuerit, quod Lucas habet, pars apud montem, quod Marcus: aut fuisse potuerunt in inferiori montis planitie, vbi mons in campos diffundi cœperat, sub asperiora montis & sublimiora. Reliqua pete ex locis ad marginem annotatis.

Matth.8. v.32. Marc.5. v.13.

33 Exierunt ergo dęmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.

ἐξελθόντα δὲ τὰ δαιμόνια ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, εἰσῆλθεν εἰς τοὺς χοίρους· καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν λίμνην, καὶ ἀπεπνίγη.

IN STAGNVM Genezareth, quod superiores Euangelistæ *mare* vocant, & hoc etiam loco Syrus. Reliqua lege Matth.8.v.32.

Matth.8. v.33. Marc.5. v.14.

34 Quod vt viderunt factum qui pascebant, fugerunt: & nuntiauerunt in ciuitatem & in villas.

ἰδόντες δὲ οἱ βόσκοντες τὸ γενόμενον, ἔφυγον· καὶ ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν εἰς τὴν πόλιν καὶ εἰς τοὺς ἀγρούς.

VILLAS. τοὺς ἀγροὺς agros, vti apud Marcum: cæterùm villæ pagiq́ue intelligi aut comprehendi videntur. Reliqua lege Matth.8.v.33.& Marc.5.v.14.

Matth.8. v.34. Marc.5. v.14.15.

35 Exierunt autem videre quod factum est: & venerunt ad Iesum, & inuenerunt hominem sedentem à quo dæmonia exierant, vestitum ac sana mente, ad pedes eius; & timuerunt.

ἐξῆλθον δὲ ἰδεῖν τὸ γεγονός, καὶ ἦλθον πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ εὗρον καθήμενον τὸν ἄνθρωπον ἀφ᾽ οὗ τὰ δαιμόνια ἐξεληλύθει, ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα, παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ· καὶ ἐφοβήθησαν.

A QVO DÆMONIA EXIERANT. qui ita efferus fuerat dæmoniis agitantibus. AD PEDES EIVS, docentis ipsum eosque qui aderant verbum salutis. Reliqua lege Marc.5.v.15.

Marc.5. v.16.

36 Nuntiauerunt autẽ illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione.

ἀπήγγειλαν δὲ αὐτοῖς καὶ οἱ ἰδόντες, πῶς ἐσώθη ὁ δαιμονισθείς.

ET QVI VIDERANT. καὶ οἱ ἰδόντες etiam ij qui viderant. SANVS FACTVS ESSET A LEGIONE. ἐσώθη ὁ δαιμονισθεὶς liberatus esset is qui fuerat dæmoniacus. ita est græcè & syriacè: Interpres sensum dedit.

Matth.8. v.34. Marc.5. v.17. Matth.9. v.1.

37 Et rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim, reuersus est.

καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν ἅπαν τὸ πλῆθος τῆς περιχώρου τῶν γαδαρηνῶν ἀπελθεῖν ἀπ᾽ αὐτῶν, ὅτι φόβῳ μεγάλῳ συνείχοντο. αὐτὸς δὲ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον ὑπέστρεψεν.

OMNIS MVLTITVDO. vniuersa multitudo præsens. REGIONIS. τῆς περιχώρου circumiacentis regionis, &

nis,& ciues nimirum & agricolæ,omnes vnanimiter. Hîc enim ciues ipsi Geraseni siue Gadarêni comprehenduntur, quos Matthæus disertè expressit cap. 8. v. 34. GERASENORVM. τῶν γαδαρηνῶν Gadarenorum. REVERSVS EST in Galilæam. Vix enim ingressus fuerat regionem hanc; hærebat adhuc apud stagnum: nam mox vt egressus naui pedem posuerat in terram,occurrerat ei dæmoniacus. vide suprà v.27. & Matth.8.v.32. Reliqua lege Matth. 8.v.34.&.9.v.1.& Marc.5.v.17.

ἐδέετο δὲ αὐτοῦ ὁ ἀνὴρ ἀφ' οὗ τὰ δαιμόνια ἐξεληλύθει, εἶναι σὺν αὐτῷ. ἀπέλυσε δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς λέγων·

38 Et rogabat illum vir à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus dicens: *Marc.5. v.18.19.*

ET ROGABAT. ἐδέετο δὲ rogabat autem. tunc rogabat. VIR. ὁ ἀνὴρ ille vir. VT CVM EO ESSET, vt liceret ipsi esse apud eum,siue,cũ ipso versari. DIMISIT. ἀπέλυσε ablegauit. Reliqua lege secundùm Marcum.

ὑπόστρεφε εἰς τὸν οἶκόν σου, καὶ διηγοῦ ὅσα ἐποίησέ σοι ὁ θεός. καὶ ἀπῆλθε καθ' ὅλην τὴν πόλιν κηρύσσων ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς.

39 Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per vniuersam ciuitatem, prędicans quanta illi fecisset Iesus. *Marc.5. v.19.20.*

CIVITATEM illam ad quã Christus visus fuerat ire voluisse,in qua domus ipsius erat, è qua & ipse oriundus erat (nam & Marcus addit: *Vade in domum tuam ad tuos*) neque per illam tantùm ciuitatem, quod etiam Marcus insinuat,sed & per vniuersam Decapolin. Reliqua lege Marc.5. v.19.20.

ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ὑποστρέψαι τὸν Ἰησοῦν, ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος· ἦσαν γὰρ πάντες προσδοκῶντες αὐτόν.

40 Factum est autem, cùm rediisset Iesus, excepit illum turba: erant enim omnes exspectantes eum.

REDIISSET à Gerasenis, traiecto rursus freto, in Galilæam. EXCEPIT. gratulati sunt ei reditum: reditus eius gratus acceptusque fuit multitudini. EXSPECTANTES magno desiderio EVM. reditum eius à Gerasenis, votis omnino contrariis ac Geraseni.

καὶ ἰδοὺ ἦλθεν ἀνήρ, ᾧ ὄνομα Ἰάειρος, καὶ αὐτὸς ἄρχων τῆς συναγωγῆς ὑπῆρχε, καὶ πεσὼν παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ παρεκάλει αὐτὸν εἰσελθεῖν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ,

41 Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eius, *Matth.9. v.18. Marc.5. v.22.23.*

ET ECCE quodam die, non ita diu post reditum hunc. Intercesserunt ea quæ Lucas suprà narrauit, cap.5. v.18.& deinceps ad finem vsque capitis. ET IPSE. pro, qui. ET CECIDIT. καὶ πεσὼν cumque accidisset. ROGANS. παρεκάλει rogabat. EIVS. αὐτοῦ ipsius. rogantis. Reliqua lege Matth.9. v.18. & Marc.5. v.22.

ὅτι θυγάτηρ μονογενὴς ἦν αὐτῷ ὡς ἐτῶν δώδεκα, καὶ αὕτη ἀπέθνησκεν. ἐν δὲ τῷ ὑπάγειν αὐτόν, οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν.

42 quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, à turbis comprimebatur. *Matth.9. v.18.19. Marc.5. v.23.24.*

VNICA. μονογενὴς vnigenita. ANNORVM DVODECIM. ideò charior, quia proles vnica, & iam grandior ac florescens ætate. ET HÆC. id est, quæ. MORIEBATVR. agebat animam; Syrus, propè erat vt moreretur. ET CONTIGIT DVM IRET. ἐν δὲ τῷ ὑπάγειν αὐτὸν inter eundum autem. A TVRBIS COMPRIMEBATVR. οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτὸν turbæ coarctabant eum. Reliqua pete ex Matthæo & Marco.

καὶ γυνὴ οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος ἀπὸ ἐτῶν δώδεκα, ἥτις ἰατροῖς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον, οὐκ ἴσχυσεν ὑπ' οὐδενὸς θεραπευθῆναι·

43 Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnẽ substantiam suam, nec ab vllo potuit curari: *Matth.9. v.20. Marc.5. v.25.26.*

ET. pro Tunc. QVÆDAM ERAT. οὖσα quæ erat. atque hanc, verisimile fit, Interpretis esse scripturam. EROGAVERAT. προσαναλώσασα insumserat, impenderat. OMNEM SVBSTANTIAM. ὅλον τὸν βίον totum victum, id est, id omne ex quo antè viuebat. Nam apud profanos etiam auctores βίος pro οὐσία ponitur. NEC. οὐκ non. subaudiri videtur καὶ &, quod expressit Syrus: *& non*. quare rectè Latinus *nec*, pendet enim adhuc sententia. CVRARI. θεραπευθῆναι. propriè redditum est hîc curari, cùm agatur de remediis quibus ad curandos morbos vtuntur medici. vide Matth. 4.v.23. Reliqua quære Matth.9.v.22.& Mar.5.v.25.26.

Matth.9. v.20. Marc.5. v.27.29.

44 accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius.

προσελθοῦσα ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, καὶ παραχρῆμα ἔστη ἡ ῥύσις τοῦ αἵματος αὐτῆς.

ACCESSIT. hæc accessit, supple, si legas *quædam* in versiculo superiori. Reliqua petenda sunt ex Matth.9. v.20. & Marc.5. v.27.29.

Marc.5. v.30.31.

45 Et ait Iesus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· τίς ὁ ἁψάμενός μου; ἀρνουμένων δὲ πάντων, εἶπεν ὁ Πέτρος καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ· ἐπιστάτα, οἱ ὄχλοι συνέχουσί σε καὶ ἀποθλίβουσι, καὶ λέγεις· τίς ὁ ἁψάμενός μου;

NEGANTIBVS OMNIBVS quòd ex proposito eum tetigissent: nam ex impulsu multi tangebant. ET QVI CVM ILLO ERANT. & collegæ eius, discipuli. COMPRIMVNT ET AFFLIGVNT. συνέχουσί σε καὶ ἀποθλίβουσι coarctant te & opprimunt. Reliqua tractata sunt Marc.5. v.30.31.

Marc.5. 30.

46 Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis: nam ego noui virtutem de me exiisse.

ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν· ἥψατό μου τίς· ἐγὼ γὰρ ἔγνων δύναμιν ἐξελθοῦσαν ἀπ' ἐμοῦ.

TETIGIT ME ALIQVIS ex proposito, idque non vulgari modo. NOVI. facilè nouisse poterat, quum exire virtus non posset, nisi ipse sciens ac prudens eam emitteret. Duobus autem modis accipi hîc virtus potest, vti Marc.5. v.30. dicit porrò istud Saluator, quò doceat virtutem in se esse seruandi, & non tantùm Deum sua virtute per ipsum, sed & ipsum per se propria virtute salutem conferre. Sermonem autem accommodat ad turbæ captum, tamquam in ipsius corpore sita sit corporalis sanandi virtus, quam eliciat fides: vti verè erat corpus eius saluificum; sed ex diuinitate coniuncta. DE ME. à me, ex me. EXIISSE. Si virtutem accipias pro virtutis effectu, propriè accipe *exiisse*, tamquam effectum ex causa. Si virtutem propriè accipias, exire accipe pro eo quod est extra operari, in alium se exserere; vti in Marco.

Marc.5. v.33.

47 Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit.

ἰδοῦσα δὲ ἡ γυνὴ ὅτι οὐκ ἔλαθε, τρέμουσα ἦλθε, καὶ προσπεσοῦσα αὐτῷ, δι' ἣν αἰτίαν ἥψατο αὐτοῦ ἀπήγγειλεν αὐτῷ ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ, καὶ ὡς ἰάθη παραχρῆμα.

QVIA NON LATVIT. se non latuisse, vel, rem non latuisse. vti desiderabat, tametsi furtim fecisset. OB QVAM CAVSAM. sanitatis causa, quam sperabat assequi vestis tactu, non audens morbum palàm aperire. INDICAVIT. ἀπήγγειλεν αὐτῷ declarauit ei. CORAM OMNI POPVLO. audiente vniuerso populo, metu pudorem excutiente. ET QVEMADMODVM. καὶ ὡς & quomodo SANATA fuisset ilicò, à morbo fœdo, quo duodecim annos laborauerat, frustrà sudantibus medicis. Reliqua lege Marc.5. v.33.

Matth.9. v.22. Marc.5. v.34.

48 At ipse dixit ei: Filia, fides tua saluam te fecit: vade in pace.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ· θάρσει θύγατερ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· πορεύου εἰς εἰρήνην.

AT IPSE. ὁ δὲ ipse autem. FILIA θάρσει θύγατερ confide filia. ita est & syriacè. Noli metuere, sis secura & bono animo. metuebat enim. Cætera partim ex Matthæo, partim ex Marco petenda sunt, locis ad marginem pro more citatis.

Marc.5. v.35.

49 Adhuc illo loquēte, venit quidam ad principē synagogę, dicēs ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illū.

ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος, ἔρχεταί τις παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου, λέγων αὐτῷ· ὅτι τέθνηκεν ἡ θυγάτηρ σου, μὴ σκύλλε τὸν διδάσκαλον.

AD PRINCIPEM SYNAGOGÆ. παρὰ τοῦ ἀρχισυναγώγου *à principe synagogæ*, quo modo videtur & latinè legendum, quemadmodum secundùm Marcum *ab archisynagogo*. id quod Syrus explicat ab ædibus principis synagogæ, vti in Marco. VEXARE. frustrà molestus esse. ILLVM. τὸν διδάσκαλον magistrum, quo modo est etiam syriacè, nisi quod ex Marco videri queat acceptum. Hic appellandi modus honorificentior, ille contemtibilior. Reliqua lege Marc.5. v.35.

Marc.5. v.36.

50 Iesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & salua erit.

ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀκούσας, ἀπεκρίθη αὐτῷ λέγων· μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε, καὶ σωθήσεται.

AVDITO. ἀκούσας cū audisset. HOC VERBO. id est, hoc. Græcè syriacèque non leguntur hæ duæ voculæ

hoc

hoc verbo: & fortè ex Marco latinè sunt additæ. RESPONDIT PATRI PVELLÆ. ita est & syriacè: *Dixit patri puellæ*. Porrò græcè est ἀπεκρίθη αὐτῷ λέγων respondit ei dicens: id quod intelligendum videtur, respondit huic nuntio siue verbo dicens Archisynagogo seu patri puellæ; ita vt αὐτῷ ei iungatur cum λέγων dicens. SALVA ERIT. fides patris proderat filiæ vt impetrans filiæ resuscitationem; sed non minùs ipsi patri, cui grauis aduersitas mors filiæ erat. vide Matth. 9. v. 2. Cætera quære Marc. 5. v. 36.

εἰσελθὼν δὲ εἰς τὴν οἰκίαν, οὐκ ἀφῆκεν εἰσελθεῖν οὐδένα, εἰ μὴ πέτρον καὶ ἰωάννην καὶ ἰάκωβον, καὶ τὸν πατέρα τῆς παιδὸς καὶ τὴν μητέρα.

51 Et cùm venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum & Iacobum & Iohannem, & patrem & matrem puellæ.

Marc. 5. v. 37.

ET CVM VENISSET. εἰσελθὼν δὲ ingressus autem. DOMVM principis synagogæ. INTRARE in cubiculum vbi puellæ iacebat funus. SECVM addidit explicationis gratia Interpres. ET IACOBVM ET IOHANNEM. In Regio & quibusdam aliis libris græcè præponitur Iohannes, quippe dignior: verùm Iacobus vt senior etiam à Marco præpositus est. Reliqua lege Marc. 5. v. 37.

ἔκλαιον δὲ πάντες καὶ ἐκόπτοντο αὐτήν. ὁ δὲ εἶπε· μὴ κλαίετε, οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει.

52 Flebant autem omnes & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.

Matth. 9. v. 23. 24. Marc. 5. v. 38. 39.

FLEBANT AVTEM. Cùm autem flerent eam omnes & plangerent, vt verè mortuam omnibusque conclamatam, dixit ipse &c. PLANGEBANT. ἐκόπτοντο. κόπτεσθαι siue plangere propriè est cædere & ferire: translatum est ad mores funera lugentium, quòd illic tales esse soleant gestus, ferientium semetipsos. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

καὶ κατεγέλων αὐτοῦ, εἰδότες ὅτι ἀπέθανεν.

53 Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset.

Matth. 9. v. 24. Marc. 5. v. 40.

SCIENTES. quòd scirent esse mortuam. Cætera quære Matth. 9. v. 24.

αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς, ἐφώνησε λέγων· ἡ παῖς ἐγείρου.

54 Ipse autem tenens manum eius, clamauit dicens: Puella surge.

Matth. 9. v. 25. Marc. 5. v. 41.

IPSE AVTEM TENENS. αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν ἔξω πάντας καὶ κρατήσας Ipse autem cùm eiecisset omnes foras & apprehendisset. omnes scilicet præter mox nominatos, discipulos suos tres & parentes virginis. ita est & syriacè. Porrò latinè non leguntur hæc verba ἐκβαλὼν ἔξω πάντας καὶ, viderique possint ex Matthæo & Marco huc adiecta, nam Lucas satis istud intelligendum dedit superiori versu 51. CLAMAVIT, tamquam alto somno pressam excitans. clamore enim isto, & animæ absentiam, & mortis potentiam, sed vi vocis suæ inferiorem, significauit. Nam tametsi naturaliter clamor hic ad excitandos mortuæ sensus nihil proderat, vim tamen suæ vocis magnificè ostendere voluit, quò magis homines assuefaceret ad doctrinam suam audiendam, reque ipsa monstraret quod alibi dixerat: *Venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent*. Ioh. 5. v. 25. Inde igitur apparet quàm efficax sit vox Christi, quæ ad mortuos vsque penetrat, ita vt sit in ipsa morte viuifica. Cætera in hunc versiculum petenda sunt ex Matthæo & Marco.

καὶ ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, καὶ ἀνέστη παραχρῆμα· καὶ διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν.

55 Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuò: & iussit illi dari manducare.

Matth. 9. v. 25. Marc. 5. v. 42. 43.

ET. Tunc. SPIRITVS EIVS. idem ille quo antè vixerat (manifestè enim hîc adstruitur animæ immortalitas) qui iam longè aberat à corpore, audiuit tamen vocem Iesu reuocantis, eiusque imperio accitus mox præsto fuit, adeoque celeriter reuersus, in corpus totum denuò sese insinuauit, ita vt puella continuò surgeret è lecto, non modò rediuiua, sed etiam ab omni morbo liberata. SVRREXIT. ἀνέστη resurrexit. Reliqua lege Matth. 9. v. 25. & Mar. 5. v. 42. & 43.

καὶ ἐξέστησαν οἱ γονεῖς αὐτῆς· ὁ δὲ παρήγγειλεν αὐτοῖς μηδενὶ εἰπεῖν τὸ γεγονός.

56 Et stupuerunt parentes eius: quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

Marc. 5. v. 42. 43.

QVIBVS PRÆCEPIT. ὁ δὲ παρήγγειλεν ipse verò præcepit eis. Reliqua quære Marc. 5. v. 42. 43.

CAPVT NONVM.

Matth.10. v.1. Marc.3. v.15. & 6.v.7.

1 Conuocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent.

Συγκαλεσάμενος δὲ τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν ἐπὶ πάντα τὰ δαιμόνια, καὶ νόσους θεραπεύειν.

APOSTOLIS. μαθητὰς discipulis, & addunt græca pleraque exemplaria αὐτοῦ suis. Syrus tantùm habet *duodecim suis*. VIRTVTEM ET POTESTATEM δύναμιν καὶ ἐξουσίαν potestatem & auctoritatem siue imperium. SVPER. ἐπὶ in. OMNIA. omne genus dæmoniorum. Non tamen absolutam potestatem accipiunt, vt illis quiduis cum dæmonibus agere liceat pro arbitrio. sed, quod Matthæus addit, *vt expellerent eos*. ET VT LANGVORES. νόσους morbos CVRARENT s. dedit potestatem. Reliqua quære Matth. 10.v.1. & Mar.6.v.7.

Matth.10. v.1.7.

2 Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

καὶ ἀπέστειλεν αὐτοὺς κηρύσσειν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ ἰᾶσθαι τοὺς ἀσθενοῦντας.

REGNVM DEI. Hoc illud idem est regnum, quod Matthæus dicit *regnum cælorum*. nempe, vt scirent Iudæi, primùm, se diuinitus restitui, non hominum beneficio; deinde, felicem fore ipsorum sub Deo rege statum; tertiò, non terrenam ac caducam felicitatem ipsis promitti, sed cælestem & numquam finiendam. vide Matth.3.v.2. INFIRMOS. τοὺς ἀσθενοῦντας ægrotos. Reliqua Matth.10.v.1.

Matth.10. v.9.10. Marc.6. v.8.9.

3 Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδὸν, μήτε ῥάβδους, μήτε πήραν, μήτε ἄρτον, μήτε ἀργύριον, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν.

IN VIA. Sextus casus pro quarto. εἰς ὁδὸν in viam, ad iter. nihil vobiscum ad iter assumatis. NEQVE VIRGAM. μήτε ῥάβδους neque virgas: quod si verum est, ad omnes est Apostolos referendum; Interpres legit ῥάβδον, quod ad singulos. DVAS. ἀνὰ δύο binas singuli. nam particula ἀνὰ distributionem declarat hoc loco; deerat autem in octauo codice. *Duo* siue binas, nempe, vnam indutam, alteram in sarcinis; vnam necessariam, alteram superfluam. HABEATIS. ἔχειν habere, id est, ἔχετε enallage Græcis familiari: quamuis sanè dura sit hoc loco, quum præcedat αἴρετε, & μήτε subsequatur. Itaque in quodam codice scriptum erat ἔχετε; in alio verò simpliciter μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας, ita scilicet vt αἴρετε repetatur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Reliqua petenda sunt ex Matth.10.v.9.10. & Marc.6.v.8.9.

Matth.10. v.11. Marc.6. v.10. Inf.10. v.7.

4 Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

καὶ εἰς ἣν ἂν οἰκίαν εἰσέλθητε, ἐκεῖ μένετε, καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε.

INTRAVERITIS s. diuertendi seu hospitandi causa. NE EXEATIS. Græcè & syriacè omittitur negatio: quæ hebraica dicendi est forma, quasi dicas, illic manete quando domi manendum fuerit, & inde exite quando domo exeundum fuerit, quamdiu scilicet in eo oppido hærendum putaueritis. Cæterùm intelligi possit eadem esse sententia siue addatur siue omittatur negatio. Nam, omissa negatione, iubet vt oppidum aut vicum relicturi, ex ea domo exeant in quam primùm diuerterint; quod priores Euangelistæ dicunt: *Ibi manete donec exeatis*: addita verò negatione, vetat ne ex ea domo quam hospitij loco semel elegerint exeant ad quærendum aliud hospitium. In summa, prohibet ne hospitium mutent. Infrà 10.v.7. clariùs dicit discipulis LXX quos similiter emittit: *Nolite transire de domo in domum*. Reliqua petenda sunt ex Matth.10. v.11.

Matth.10. v.14. Marc.6. v.11. Inf.10. v.10.11.

5 Et quicumque non receperint vos; exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum vestrorum excutite, in testimonium supra illos.

καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται ὑμᾶς, ἐξερχόμενοι ἀπὸ τῆς πόλεως ἐκείνης, καὶ τὸν κονιορτὸν ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν ἀποτινάξατε εἰς μαρτύριον ἐπ' αὐτούς.

ETIAM PVLVEREM. adeò nihil seruetis rerum illorum, vt etiam vilissimum puluerem PEDVM VESTRORVM. ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν à pedibus vestris *excutiatis*. SVPRA. ἐπὶ aduersus. Reliqua quære Matth. 10. v.14. & Marc.6. v.11.

Marc.6. v.12.

6 Egressi autem circuibant per castella, euangelizantes & curantes vbique.

ἐξερχόμενοι δὲ διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας, εὐαγγελιζόμενοι καὶ θεραπεύοντες πανταχοῦ.

CIRCVIBANT. διήρχοντο peragrabant, obibant. PER CASTELLA. singula castella seu vicos s. terræ Israël.

Matth.10.v.6. EVANGELIZANTES. prædicantes pœnitentiam regnumque cælorum. CVRANTES. ſanantes. euangelium ſanitatum miraculis adſtruentes. VBIQVE. in caſtellis omnibus ad quæ diuertebant. Reliqua lege Marc.6.v.12.

ἤκουσε δὲ ἡρώδης ὁ τετράρχης τὰ γινόμενα ὑπ' αὐτοῦ πάντα, καὶ διηπόρει, διὰ τὸ λέγεσθαι ὑπό τινων, ὅτι ἰωάννης ἐγήγερται ἀπὸ τῶν νεκρῶν·

7 Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: & hæſitabat, eò quòd diceretur à quibuſdam, quia Iohannes ſurrexit à mortuis;

Matth.14. v.1.2. Marc.6. v.14.

TETRARCHA Galilææ, de quo ſuprà 3.v.1. AB EO Ieſu, per ſe maximè, tum etiam per diſcipulos. Syrus, *in manu eius*, id eſt, operâ eius. HÆSITABAT. διηπόρει. pendebat animi dubius, perplexus atque ancipitis conſilij. Syrus *mirabatur*. Reliqua pete ex Matth.14.v.1.2.& Marc.6.v.14.

ὑπό τινων δὲ, ὅτι ἡλίας ἐφάνη· ἄλλων δὲ, ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη.

8 à quibuſdam verò, quia Elias apparuit; ab aliis autem, quia propheta vnus de antiquis ſurrexit.

Matth.16. v.14. Marc.6. v.15.

ELIAS. olim tranſlatus. VNVS. aliquis. DE ANTIQVIS. τῶν ἀρχαίων antiquorum. SVRREXIT. à morte rediit in vitam. Reliqua quære Matth.16.v.14.

καὶ εἶπεν ἡρώδης· ἰωάννην ἐγὼ ἀπεκεφάλισα, τίς δέ ἐστιν οὗτος, περὶ οὗ ἐγὼ ἀκούω τοιαῦτα; καὶ ἐζήτει ἰδεῖν αὐτόν.

9 Et ait Herodes: Iohannem ego decollaui: quis eſt autẽ iſte de quo ego talia audio? & quærebat videre eum.

ET ait variis populi opinionibus auditis. AVDIO. q.d. Iohannes eſſe non poteſt, licet ea ſit quorumdam opinio. Ita loquutus eſt Herodes apud alios quos noluit conſcios eſſe timoris ſui, ne fortè cum Iohanne aduerſus ipſum conſpirarent: pueris verò ſuis, id eſt, miniſtris familiaribus, aperuit ſentẽtiam eam in quam propendebat, rebus exactiùs apud ſe diſcuſſis timoreque impellente, quam Matth.c.14.v.2.& Marc.c.6.v.16. narrant. Sic Schola Græcorum. QVÆREBAT. cupiebat. Neglexit tandem, nec vidit niſi Ieroſolymis ſub mortem Ieſu. infrà 23.v.8. VIDERE. nam Iohannem viſu probè nouerat, ea forma qua nuper vixerat.

καὶ ὑποστρέψαντες οἱ ἀπόστολοι διηγήσαντο αὐτῷ ὅσα ἐποίησαν· καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς, ὑπεχώρησε κατ' ἰδίαν εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης βηθσαϊδά.

10 Et reuerſi Apoſtoli, narrauerũt illi quæcumq; fecerunt: & aſſumtis illis ſeceſſit ſeorſum in locum deſertum, qui eſt Bethſaidæ.

Marc.6. v.30.31. 32. Matth.14. v.13.

ET REVERSI. Reuerſi autem. ex itinere, quod à Chriſto miſſi iniiſſe leguntur ſuprà v.6. QVÆCVMQVE FECERVNT. Narrauerunt & quas audierant Herodis vulgique de ipſo opiniones. vide Matth.14.v.13. ET pro tunc. SECESSIT. vt quietem illis præſtaret à laboribus. Marc.6.v.31. QVI EST BETHSAIDÆ. πόλεως καλουμένης βηθσαϊδά vrbis quæ vocatur Bethſaida. Syriacè eſt vt latinè. *Bethſaida deſertum* dicitur, quòd ſitum eſſet in agro ſiue territorio vrbis Bethſaidæ; & quidem vltra eam vrbem venientibus Capharnao, inter Bethſaidam videlicet & Tiberiadem. Reliqua lege Marc.6.v.30.31.& Matth.14.v.13.

οἱ δὲ ὄχλοι γνόντες, ἠκολούθησαν αὐτῷ· καὶ δεξάμενος αὐτοὺς, ἐλάλει αὐτοῖς περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, καὶ τοὺς χρείαν ἔχοντας θεραπείας ἰᾶτο.

11 Quod cùm cognouiſſent turbę, ſecutæ ſunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos qui cura indigebant ſanabat.

Matth.14. v.13.14. Marc.6. v.33.34. Iohan.6. v.2.

QVOD CVM. οἱ δὲ ſed cùm hoc. ET. ipſe autem. EXCEPIT eos benigno vultu, quòd cerneret eorum feruorem, feſſus licet quiete opus haberet. DE REGNO DEI. amplectendo, & quæ eò pertinent myſteria. SANABAT. Matthæus ſolius ſanationis, Marcus ſolius doctrinæ, Lucas vtriuſque meminit, vt quas ſemper iunxerit Chriſtus.

ἡ δὲ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν· προσελθόντες δὲ οἱ δώδεκα εἶπον αὐτῷ· ἀπόλυσον τὸν ὄχλον, ἵνα ἀπελθόντες, εἰς τὰς κύκλῳ κώμας καὶ τοὺς ἀγροὺς καταλύσωσι,

12 Dies autem cœperat declinare: & accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, vt, euntes, in caſtella villaſque quæ circa ſunt diuertant,

Matth.14. v.15. Marc.6. v.35.36.

& inueniant escas, quia hîc in loco desserto sumus. | καὶ εὕρωσιν ἐπισιτισμόν, ὅτι ὧδε ἐν ἐρήμῳ τόπῳ ἐσμέν.

EVNTES. ἀπελθόντες digressi. IN CASTELLA VILLASQVE QVÆ CIRCA SVNT. εἰς τὰς κύκλῳ κώμας καὶ τοὺς ἀγρούς in circumiacentes vicos & agros. DIVERTANT. Syrus addit in eis. ESCAS. ἐπισιτισμὸν frumentationem, cibaria. DESERTO, vbi nihil ciborum est inuenire. Reliqua lege Matth. 13. v. 15. & Marc. 6. v. 35. 36.

Matth. 14. v. 16. 17. Marc 6. v. 37. 38. Ioan. 6. v. 9.

13 Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerũt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes & duo pisces: nisi fortè nos eamus & emamus in omnẽ hanc turbam escas. | εἶπε δὲ πρὸς αὐτούς· δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. οἱ δὲ εἶπον· οὐκ εἰσὶν ἡμῖν πλεῖον ἢ πέντε ἄρτοι καὶ ἰχθύες δύο, εἰ μήτι πορευθέντες ἡμεῖς ἀγοράσωμεν εἰς πάντα τὸν λαὸν τοῦτον βρώματα.

ET DVO PISCES. itaque non est nobis facultas pascendi illos. NISI FORTE. Modus loquendi, quoties absurdum quidpiam aut ἀδύνατον significatur. TVRBAM. τὸν λαὸν populum, qui toti huic populo sufficiat. ESCAS. quod nosti nobis esse impossibile, vt quibus desit tantum nummorum. Reliqua petenda sunt ex Matthæo & Marco.

Matth. 14. v. 19. 21. Marc. 6. v. 39. 44. Iohan. 6. v. 10.

14 Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. | ἦσαν γὰρ ὡσεὶ ἄνδρες πεντακισχίλιοι. εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ· κατακλίνατε αὐτοὺς κλισίας ἀνὰ πεντήκοντα.

ERANT AVTEM. ἦσαν γὰρ aderant enim. ita est & syriacè. Reddit causam Euangelista, ob quam discipuli illud tam absurdum iudicarint. PER CONVIVIA. κλισίας discubitus, per singulos & varios discubitus. κλισίας discubitus vocat Lucas, quod Marcus συμπόσια conuiuia. QVINQVAGENOS ἀνὰ πεντήκοντα per quinquaginta, id est, in singulo quoque discubitu seu conuiuio quinquagenos. Syrus: *Quinquaginta homines in ordine* seu discubitu s. vno. Ita statuit discipulis suis Christus: porrò illi, intellecta Præceptoris mente, prout ferebat locorum opportunitas, in quibusdam ordinibus centenos collocarunt, quod Marcus habet cap. 6. v. 40., ex quo simul & Matthæo petenda sunt reliqua.

Marc. 6. v. 40. Iohan. 6. v. 10.

15 Et ita fecerunt, & discumbere fecerunt omnes. | καὶ ἐποίησαν οὕτω, καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντας.

ET ITA. Ita igitur. OMNES illos; vel *discubuerunt omnes* illi: est enim varietas tum latinè tum græcè. vide Notas.

Matth. 14. v. 19. Marc. 6. v. 41. Iohan. 6. v. 11.

16 Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas. | λαβὼν δὲ τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, εὐλόγησεν αὐτούς, καὶ κατέκλασε, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς παραθεῖναι τῷ ὄχλῳ.

RESPEXIT. ἀναβλέψας suspiciens. VT PONERENT ANTE TVRBAS. παραθεῖναι τῷ ὄχλῳ vt apponerent turbæ. Reliqua Matth. 14. v. 19. & 15. v. 36. & Marc. 6. v. 41.

Matth. 14. v. 20. Marc. 6. v. 42. 43. Iohan. 6. v. 12. 13.

17 Et manducauerunt omnes, & saturati sunt: & sublatũ est quod superfuit illis fragmẽtorum, cophini duodecim. | καὶ ἔφαγον καὶ ἐχορτάσθησαν πάντες· καὶ ἤρθη τὸ περισσεῦσαν αὐτοῖς κλασμάτων, κόφινοι δώδεκα.

ET MANDVCAVERVNT. & pro igitur. OMNES illi. FRAGMENTORVM. ad *quod superfuit* referendum est potiùs quàm ad *cophini*. Reliqua lege Matth. 14. v. 20. & Marc. 6. v. 43.

Matth. 16. v. 13. Marc. 8. v. 27.

18 Et factum est cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogauit illos dicens: Quem me dicunt esse turbæ? | καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν προσευχόμενον καταμόνας, συνῆσαν αὐτῷ οἱ μαθηταί, καὶ ἐπηρώτησεν αὐτοὺς λέγων· τίνα με λέγουσιν οἱ ὄχλοι εἶναι;

ET FACTVM EST post tot generum miracula edita. SOLVS. seorsum à turba. ORANS Patrem pro

pro discipulorum illuminatione, vt Patei reuelaret eis cognitionem ipsius (est enim illa donum Patris, quod ipse docet Matth. 15. v. 17.) id quod & obtinuit in Petro. ET DISCIPVLI. discipuli tamen. Græce & syriacè rectiùs omittitur ἐγ. ET INTERROGAVIT. postquam orationem absoluisset. TVRBÆ. *Turbæ* dicit Lucas, pro eo quod alij Euangelistæ *homines*. Cætera lege Matth. 16. v. 13. & Marc. 8. v. 27.

οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπον· ἰωάννην τὸν βαπτιστὴν, ἄλλοι δὲ ἠλίαν, ἄλλοι δὲ ὅτι προφήτης τὶς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη. 19 At illi responderunt & dixerunt: Iohannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò quia vnus propheta de prioribus surrexit. *Matth. 16. v. 14. Marc. 8. v. 28.*

ALII VERÒ QVIA. alij quòd s. dicunt. VNVS PROPHETA. προφήτης τὶς propheta aliquis. DE PRIORIBVS. τῶν ἀρχαίων antiquorum. vt suprà v. 8. Reliqua quære Matth. 16. v. 14.

εἶπε δὲ αὐτοῖς· ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; ἀποκριθεὶς δὲ ὁ πέτρος εἶπε, τὸν χριστὸν τοῦ θεοῦ. 20 Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei. *Matth. 16. v. 15. 16. Marc. 8. v. 29.*

SIMON PETRVS. Græcè non est aliud quàm *Petrus*, syriacè non aliud quàm *Simon*. CHRISTVM DEI. τὸν χριστὸν τοῦ θεοῦ Christum illum Dei, illũ vnctum Dei, illũ à Deo immediatè, nullo hominum adhibito ministerio, præque consortibus omnibus, vnctum, Regem, Sacerdotem, Prophetam. Quia diuina planè erat redemtio, quam per Filium suum exhibere Deus statuerat, idcircò oportuit illum, absque hominum opera, Dei vnctione prę alijs omnibus insignem, à cęlo prodire. Reliqua quære Matth. 16. v. 15. 16. & Marc. 8. v. 29.

ὁ δὲ ἐπιτιμήσας αὐτοῖς παρήγγειλε μηδενὶ εἰπεῖν τοῦτο, 21 At ille increpans illos præcepit ne cui dicerent hoc, *Matth. 16. v. 20. Marc. 8. v. 30.*

AT ILLE. ὁ δὲ ille autem. INCREPANS ILLOS. ἐπιτιμήσας αὐτοῖς interminatus, seu, vt secundùm Marcum vertit, *comminatus* eis, id est, seuerè eis præcepit. Reliqua lege Matth. 16. v. 20. & Marc. 8. v. 30.

εἰπὼν· ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ ἀρχιερέων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι. 22 dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum & scribis, & occidi, & tertia die resurgere. *Matth. 16. v. 21. Marc. 8. v. 31. 32.*

DICENS, addens silentij præcepti causam. QVIA OPORTET. quòd oporteat, vel certè omittendum erat *quia*. Supple, priusquam illud palàm de eo prædicetur. RESVRGERET. ἐγερθῆναι suscitari. Reliqua quære Matth. 16. v. 21. & Marc. 8. v. 31.

ἔλεγε δὲ πρὸς πάντας· εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καθ' ἡμέραν, καὶ ἀκολουθείτω μοι. 23 Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. *Matth. 16. v. 24. Marc. 8. v. 34.*

AD OMNES. Superiora solis discipulis loquutus fuerat; hæc omnibus. QVOTIDIE. quandocumq; à Deo imponitur, etiam quotidie, quod plerumque vsu venit pijs. Rom. 8. v. 36. 1. Cor. 15. v. 31. Magnum subest huic dictiunculę pondus: qua significat Christus, fore, vt sicut dies diem consequitur, ita crux crucé excipiat; nullum denique aduersitatum finem fore, donec è mundo hoc exiuerimus: vt ne quis existimet se defunctum cruce ferenda, si vnam æquo animo tulerit. pluribus enim toleratis, ad nouas ferẽdas parent se singuli oportet, nec vmquam fatigentur, etiamsi quotidiana sit crux, sed perseuerent ad finem vsque donec cursum consummauerint. Matth. 10. v. 22. Reliqua huius versus quære Matth. 16. v. 24. & Marc. 8. v. 34.

ὃς γὰρ ἐὰν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώσει αὐτήν. 24 Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. *Matth. 16. v. 25. Marc. 8. v. 35.*

NAM QVI. ὃς δ' ἂν quicumque autem. SALVAM FACIET. οὗτος iste præponitur græcè. Reliqua lege Matth. 16. v. 25. & 10. v. 39. & Mar. 8. v. 35.

τί γὰρ ὠφελεῖται ἄνθρωπος, κερδή- 25 Quid enim proficit homo, si lucretur *Matth. 16. v. 26. Marc. 8. v. 36.*

tur vniuersum mundum, seipsum autem perdat & detrimentum sui faciat?

σας τὸν κόσμον ὅλον, ἑαυτὸν δὲ ἀπολέσας ἢ ζημιωθείς;

PROFICIT. ὠφελεῖται iuuatur. SEIPSVM. Explicat Euangelista quid intelligatur modo illo loquendi syriaco *Animam suam*. Nam & hunc ipsum locum, eodem modo, cùm alio non posset, vertit Interpres syriacus: *Animam autem suam perdat* aut damnet. ET. ἢ aut. ita est & syriacè, sed disiunctiua est loco copulatiuæ. DETRIMENTVM SVI FACIAT. ζημιωθεὶς vnicum est græcè verbum, quin & syriacè, veluti si dicas: *Seipsum autem perdat* aut *damnet*: sed quod vnico similiter latino non facile est reddere, eò quòd non damnare significet sed damnum pati. Reliqua vide Matth. 16. v. 26.

Matth. 16. v. 27. Marc. 8. v. 38.

26 Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum angelorum.

ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους, τοῦτον ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων.

IN MAIESTATE. ἐν τῇ δόξῃ in gloria. SVA ET PATRIS. Eadem est Patris quæ Filij gloria, & è contrà, nempe, quòd & Pater & Filius Deus sit: nisi fortè suam intelligat, quòd iudex futurus sit mundi vniuersi, viuorum & mortuorum; Patris autem, quòd agnoscendus sit Deus quemadmodum Pater, & diuina ipsius gloria toti orbi clarè manifestanda. ET SANCTORVM ANGELORVM. quam angeli sancti ipsi adferent præsentia atque obsequio suo: qui vt nunc solium Dei cingunt, ita tunc præsto futuri sunt ad ornandam Filij Dei maiestatem. Syrus habet: *In gloria Patris sui cum angelis suis sanctis*, vti in Marco. Reliqua huius versiculi petenda sunt ex Marc. 8. v. 38. Matth. 10. v. 32. 33. 16. v. 27.

Matth. 16. v. 28. Marc. 9. v. 1.

27 Dico autem vobis verè, sunt aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.

λέγω δὲ ὑμῖν ἀληθῶς, εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστώτων, οἳ οὐ μὴ γεύσονται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

STANTES. præsentes. Reliqua lege Matth. 16. v. 28. & Marc. 9. v. 1.

Matth. 17. v. 1. Marc. 9. v. 2.

28 Factum est autem, post hæc verba ferè dies octo, & assumsit Petrum & Iacobum & Iohannem, & ascendit in montem vt oraret.

ἐγένετο δὲ μετὰ τοὺς λόγους τούτους ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, καὶ παραλαβὼν τὸν πέτρον καὶ ἰωάννην καὶ ἰάκωβον, ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι.

POST HÆC VERBA. post hanc promissionem: *Sunt aliqui hic stantes* &c. cæteroqui enim liceat ex hebraico idiotismo accipere *Post hæc verba* pro *post hæc*. FERE DIES OCTO. s. intercesserunt. Matthæus & Marcus dicunt *post dies sex assumit*: non enim numerant illum diem quo promissio illa facta fuerat. Lucas eum annumerans, *ferè* inquit *dies octo*, quia sub finem diei septimi, quando instabat octauus dies, quo demum & perfecta fuit historia subsequens. Sub vesperam diei septimi, ascendit Saluator cum tribus è discipulis suis montem: ipsa nocte, cuius medium fuit initium diei octaui, transfiguratus est (habes enim discipulos fuisse somno grauatos, infrà v. 32.) denique tota illa nocte mansit in monte, nam postridie demum ad reliquos discipulos descendit. infrà v. 37. ET ASSVMSIT. καὶ παραλαβὼν. & cùm assumsisset. s. secum.
ET IACOBVM ET IOHANNEM. Quidam præponunt Iohannem vt celebriorem; alij Iacobum vt seniorem.
ET ASCENDIT. non est græcè &. IN MONTEM quemdam. VT ORARET. Postquam interdiu populo seruiit, sub vesperam secedit vt Deo seruiat, pernoctetque in oratione Dei, quod alibi dicitur, exemplo nobis relicto. Reliqua lege Matth. 17. v. 1.

Matth. 17. v. 2. Marc. 9. v. 3.

29 Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus eius albus & refulgens.

καὶ ἐγένετο, ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτὸν, τὸ εἶδος τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἕτερον, καὶ ὁ ἱματισμὸς αὐτοῦ λευκὸς ἐξαστράπτων.

DVM ORARET. dum ipsius mens tota Deo se immergeret. Orabat haud dubiè id quod hîc reipsa obtinuit, vt discipulis diuinitatis ac gloriæ suæ visibile spectaculum exhiberetur: non quòd vel precariò id aliunde petere opus haberet, vel dubia esset Patris voluntas; sed quia toto humilitatis suæ cursu semper ad Patrem retulit quidquid diuinitus egit. Quòd autem inter orandum transformatus fuit, id ostendit, & nos orantes quodammodo in Deum transformari: quò certè cupidiùs cum Deo colloqui, id est, orare deberemus.

ALTERA. alia, planè diuersa, cœpit splendescere admirabili pulchritudine. ALBVS ET REFVLGENS. albus simul & refulgens. Pro *refulgens*, ἐξαστράπτων græcè, est quasi dicas *effulgurans*, id est, emicans. Reliqua lege Matth. 17. v. 2.

Matth. 17. v. 3 Marc. 9. v. 4.

30 Et ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moses & Elias,

καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο συνελάλουν αὐτῷ, οἵτινες ἦσαν μωσῆς καὶ ἠλίας,

ERANT AVTEM. οἵτινες ἦσαν qui erant. Reliqua lege Matth. 17. v. 3.

οἱ

οἱ ὀφθέντες ἐν δόξῃ ἔλεγον τὴν [31] ἔξοδον αὐτοῦ, ἣν ἔμελλε πληροῦν ἐν ἱερουσαλήμ.

visi in maiestate: & dicebant excessum eius quem completurus erat in Ierusalem.

VISI. οἱ ὀφθέντες qui visi .s. discipulis. Per anticipationem narrat istud Lucas: nam præcessit id quod sequitur proximo versu 32. IN MAIESTATE. ἐν δόξῃ in gloria, id est, cum gloria siue maiestate. Magnam auctoritatem præ se ferebant in hoc spectaculo, ita vt planè agnosceretur, alter legislator à Deo constitutus magna cum dignitate, alter legis Interpres & prophetico spiritu plenus, ad docendū instructus magna animi constantia. Cæterùm vterque apertè declarabat se non esse summum illum & perfectissimum Dei legatum, sed indicem & prædictorem ac prædicatorem Iesu qui præsens aderat. Quocirca, quemadmodū sequitur, *dicebant excessum eius* &c. Docti sunt hîc discipuli, nō solùm Iesum gloria coronandum, sed & fideles ministros ipsius, gloriæ ipsius fore consortes. ET DICEBANT. Græcè absque *&* coniunctione iungitur istud sequentibus: Qui visi in maiestate dicebant. *Dicebant* autem, id est, prædicebant, siue loquebantur de excessu &c.

EXCESSVM EIVS. τὴν ἔξοδον αὐτοῦ exodum ipsius, id est, expeditionem atque exitum. Allusio est ad expeditionem siue exodum, quam Moses olim gesserat, educto Israel ex Ægypto. Fuit & exodus Eliæ ex hoc mundo, non obscura figura exodi Iesu in cælum, quamquam exodi nomine minimè celebrata. QVEM COMPLETVRVS ERAT. ἣν ἔμελλε πληροῦν quem futurum erat vt impleret, vt perficeret, veritate reque ipsa sua morte allata, quam Moses olim cœperat in figura & vmbra. Complendi vox ad figuras prophetiasque & veritatem Dei pertinet. IN IERVSALEM metropoli Israëlitarum. loquebantur cum Iesu de expeditione illa quam breui in Ierusalem perfecturus erat, redemto eductoque humano genere è seruitute dæmonis & peccati in libertatem & hereditatem filiorum Dei, morte resurrectioneque sua, quemadmodum olim Moses in huius rei figuram eduxerat populum Israël ex Pharaonis atque Ægypti seruitute per mare rubrum in libertatem hereditatemque populi Dei. *Decebat*, ait Apostolus, *Deum, vt multos filios in gloriam adduceret, auctorem salutis eorum per passiones consummare: qui vnam offerens pro peccatis hostiam, corpus inquam suum, consummauit in sempiternum sanctificatos, æterna redemtione inuenta.* Heb. 2. v. 9. 10. v. 12. Iesum cū Mose, redemtionem nostri per mortem Iesu cum egressu Israel ex Ægypto per mare, requiem vitamque æternam cum requie siue terra promissa, variis locis confert Apostolus, vt veritatem cum figura. Heb. 3. 4. 1. Cor. 10. Potuit itaque Moses, Elia suffragante, Iesum alloquutus fuisse hunc in modum: Quod ego seruus, Dei iussu operaque in figura olim in Ægypto gessi: id tu filius, Patre adspirante, re ipsa proximè in Ierusalem præstiturus es, mortem patiens primùm, mox rediuiuus mortem calcās; vt scilicet eductum humanum genus è delictis suis asseras libertati iustitiæ vitæq; æternæ, quemadmodum ego eductū Israël è domo seruitutis corporalis asserui in libertatem corporalem & promtum introitum in terram promissam. Age igitur, exhibe reipsa id quod Deo agente prænunciauimus nos prophetæ tui, tum hac aliisque similibus figuris, tum variis oraculis: omnes enim id exspectamus & summis votis desideramus. Nam donec tu pro hominum peccatis teipsum Deo Patri sacrificium in odorem suauitatis obtuleris, & deuictis hostibus nostris resumtoque corpore penetratos cælos nobis aperueris, manemus omnes in tenebris, exsules regni lucis, in quo Dei facies; nostra beatitudo; videri à nobis queat. At si tu semel mediatoris partes, teipsum pro nobis tradens, obieris, non solùm nos tecum ex inferno in cælum euehes, verumetiam innumerabilem multitudinem electorum Dei, quam mox tua mors colliget è peccatis in iustitiam, & è mundi miseriis rectà in cælestis regni beatitudinem educes, certa etiam resurrectionis spe tam illis quàm nobis relicta.

ὁ δὲ πέτρος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, ἦσαν βε- [32] βαρημένοι ὕπνῳ· διαγρηγορήσαντες δὲ εἶδον τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ τοὺς δύο ἄνδρας τοὺς συνεστῶτας αὐτῷ.

Petrus verò & qui cum illo erant, grauati erant somno: & euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros qui stabant cum illo.

PETRVS VERÒ. interea dum Moses & Elias adueniunt. ET QVI CVM ILLO ERANT. id est, & socij ipsius Iohannes & Iacobus. SOMNO ita vt dormirent. Hinc verisimile fit nocte contigisse transfigurationem Iesu. Iesu ad orationem se componēti iunxerunt seipsos Apostoli: dum simul orarent Deum, obseruarunt Apostoli vultum vestimentaq; Iesu splendescere (nam, & cæteri Euangelistæ aiunt, Iesum *transfiguratum coram eis*; & hîc, interea dum oraret, speciem vultus eius mutatam fuisse) sed Iesu orationem in multum tempus extendente, discipuli, vt nox erat, & somnus premebat oculos fessorum laboribus diurnis, inciderunt in somnum. Interea accesserunt Moses & Elias: quos discipuli viderunt experrecti, & audierunt colloquentes cum Iesu de excessu seu exodo ipsius. Obserua, hinc Apostolorum infirmitatem, somno seruientium dum vacaret Iesus orationi; hinc Iesu benignitatem, non abiicientis sed tolerantis fouentisque infirmos, donec paulatim eos refingat vt perfectiores euadant. ET EVIGILANTES. διαγρηγορήσαντες δὲ quum euigilassent autem. Syrus addit *vix* seu *difficulter*. MAIESTATEM. τὴν δόξαν gloriam, decus immensum. Viderant anteà splendescere faciem vestimentaque orantis: iam viderunt, absoluta, immensa, atque ineffabili quadam gloria, solis instar (quod Matthęus ait) fulgentem. *Regem in decore suo viderunt.* Isa. 33. v. 17. ET DVOS VIROS. καὶ τοὺς δύο ἄνδρας & duos illos viros, Mosen inquam & Eliam, quos antè non viderant.

QVI STABANT CVM ILLO & colloquebantur (surrexerat enim Iesus ab oratione vt cum illis colloqueretur. id quod mox dictum est. Viderunt autem illos & simul gloriam magnificam qua ornati erant, de qua similiter dictum est: sed nihil illorum gloria ad illam qua Iesus perfusus erat, vt nihil stellæ claritas ad solis claritatem: ideò non repetit hic quidquam Euangelista de illorum gloria. Nec viderunt tantùm illos, sed & audierunt cum Iesu colloquentes de excessu seu exodo ipsius: non enim aliò pertinebat colloquium Iesu cum illis, quàm ad discipulorum eruditionem. Reliqua vide Matth. 17. v. 2.

Et

Matth.17. v.4. Marc.9. v.5.6.

Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hîc esse; &, faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Mosi, & vnum Eliæ; nesciens quid diceret.

33 καὶ ἐγένετο ἐν τῷ διαχωρίζεσθαι αὐτοὺς ἀπ' αὐτοῦ, εἶπεν ὁ πέτρος πρὸς τὸν ἰησοῦν· ἐπιστάτα, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι· καὶ, ποιήσωμεν σκηνὰς τρεῖς, μίαν σοι, καὶ μίαν μωσεῖ, καὶ μίαν ἠλίᾳ, μὴ εἰδὼς ὃ λέγει.

CVM DISCEDERENT illi additur græcè s. duo viri, Christo Deoque iubente. Syrus *cùm cœpissent discedere*, id est, cùm pararent abitum; valedicentes haud dubiè, omnemque ipsi auctoritatem cedentes, precati vt ea vsus redemtoris breuî munus strenuè impleret. AB ILLO Iesu. AIT PETRVS veritus ne illis discedentibus intercideret suaue illud beatumque spectaculū. Reliqua lege Matth. 17. v. 4. Marc. 9. v. 5. 6.

Matth.17. v.5.6. Marc.9. v.7.

Hæc autem illo loquente facta est nubes, & obūbrauit eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem.

34 ταῦτα δὲ αὐτοῦ λέγοντος ἐγένετο νεφέλη, καὶ ἐπεσκίασεν αὐτούς· ἐφοβήθησαν δὲ ἐν τῷ ἐκείνους εἰσελθεῖν εἰς τὴν νεφέλην.

FACTA EST. cælo delapsa est. TIMVERVNT discipuli. INTRANTIBVS ILLIS. dum ingrederentur illi. s. præsentes omnes, Iesus, Moses, Elias, & ipsi discipuli. IN NVBEM. Significatur nubes suauiter incidisse in illos omnes, illosque complexu cinxisse suo; ac Mosen quidem atque Eliam, qui iam valedixerant Iesu, abstulisse ex oculis. cui expositioni Euthymius suffragatur. Præsagiebant discipulorum animi, ex argumento inumbrantis nubis, nouū aliquid, insolitum, & diuinū: videbant nubem circa Mosen & Eliam densiorem auferre illos ex oculis (nam id Syrus quoque sentiens, paraphrasten hoc loco agit, & pro eo quod legimus *intrantibus illis in nubem*, vertit: *Quum viderent Mosen & Eliam qui ingrediebantur nubem*) mox audiebant vocem è nube loquentis Dei: hæc omnia timorem illis incusserunt. Reliqua lege Matth. 17. v. 5. 6.

Matth.17. v.5. Matth.9. v.7.

Et vox facta est de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.

35 καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῆς νεφέλης λέγουσα, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, αὐτοῦ ἀκούετε.

Matth.17. v.8.9. Marc.9. v.8. 9.10.

Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus, quidquam ex his quæ viderant.

36 καὶ ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν, εὑρέθη ὁ ἰησοῦς μόνος. καὶ αὐτοὶ ἐσίγησαν, καὶ οὐδενὶ ἀπήγγειλαν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐδὲν ὧν ἑωράκασιν.

DVM FIERET VOX. ἐν τῷ γενέσθαι τὴν φωνὴν dum facta fuisset illa vox. id quod iungitur cum verbo proximo *inuentus est*. Latinè *Dum fieret vox* iungendum est cum nomine *solus*: Inuentus est tum solus adfuisse dum fieret vox. INVENTVS EST s. statim à discipulis (qui, vt sonabat vox, mox proni in terram corruerunt) subleuantibus oculos & dispicientibus an fortè adhuc adessent Moses & Elias. ET IPSI. Ipsi autem. TACVERVNT iuxta præceptum Iesu. IN ILLIS DIEBVS. per id tempus (hebraismus est) ante resurrectionem Iesu. EX HIS. ὧν eorum. Reliqua ad versiculos hos duos spectantia lege Matth. 17. v. 5. 8. 9. & Mar. 9. v. 7. 8. 9. 10.

Marc.9. v.14.15.

Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

37 ἐγένετο δὲ ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ, κατελθόντων αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ὄρους, συνήντησεν αὐτῷ ὄχλος πολύς.

IN SEQVENTI DIE. Hinc intelligitur Iesum cum tribus illis discipulis tota nocte in monte mansisse. DESCENDENTIBVS ILLIS. κατελθόντων αὐτῶν cùm descendissent illi s. Iesus tresque illi discipuli. OCCVRRIT ILLIS vel vt est in aliis libris & græcè *illi* s. Iesu. salutandi gratia & gratulandi aduentum. Reliqua lege Marc. 9. v. 14. 15.

Matth.17. v.15. Marc.9. v.17.

Et ecce vir de turba exclamauit dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meū, quia vnicus est mihi:

38 καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ἀπὸ τοῦ ὄχλου ἀνεβόησε λέγων· διδάσκαλε, δέομαί σου, ἐπίβλεψαι ἐπὶ τὸν υἱόν μου, ὅτι μονογενής ἐστί μοι·

VIR DE TVRBA. quidam è turba. EXCLAMAVIT. ea occasione quam Marcus narrat v. 24. nam Lucas compendio vtitur quemadmodum Matthæus. RESPICE IN FILIVM MEVM siue ad filium meum, id est, miserere, adiuua filium meum. solemus enim respicere quos volumus adiuuare; auertere autem faciem, ab eis quos derelinquere. VNICVS. μονογενὴς vnigenitus. Augebat hoc paterni cordis dolorem.

καὶ ἰδοὺ πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, καὶ [39] ἐξαίφνης κράζει, καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετ' ἀφροῦ, καὶ μόγις ἀποχωρεῖ ἀπ' αὐτοῦ συντρίβον αὐτόν.

Et ecce spiritus apprehendit eum, & subitò clamat, & elidit & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum.

Matth. 17. v. 15. Marc. 9. v. 18.

Et s. quia. subaudiendum est hîc repetitum *quia*: Quia vnicus est mihi & quia ecce spiritus &c. q. d. Quia, cùm sit vnicus mihi, ecce spiritus eum miserè vexat. SPIRITVS malus. APPREHENDIT. λαμβάνει capit, corripit, inuadit, sæpe. vsus temporis præsentis frequentiam consuetudinemque significat. ET SVBITÒ CLAMAT, ita vt derepente vociferetur puer, clamorem edens doloris argumentum. ET ELIDIT. in terram abiicit. s. spiritus puerum. Cæterùm particula ista nec græcè nec syriacè exstat. ET DISSIPAT EVM. καὶ σπαράσσει αὐτὸν & discerpit seu lacerat eum, conuellit ei totius corporis membra. Secundùm Marcum vertit Interpres *conturbat eum* v. 20., *discerpit* v. 26. CVM SPVMA. spuma ex ore ebulliente. quo horribilius est malum. VIX DISCEDIT. ἀπ' αὐτοῦ *ab eo* additur græcè & syriacè. Vix tandem discedit ab eo, ægrè discedit. Significat malum esse diuturnum. DILANIANS. συντρίβον conterens. caput cæteraque membra terræ illidens totumque atterens. sic in morbo comitiali accidere solet.

καὶ ἐδεήθην τῶν μαθητῶν σου ἵνα ἐκβάλλωσιν αὐτὸ, καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν. [40]

Et rogaui discipulos tuos vt eiicerent illum, & non potuerunt.

Matth. 17. v. 16. Marc. 9. v. 18.

ET ROGAVI. Rogaui autem. Reliqua lege Matth. 17. v. 16.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· ὦ γενεὰ [41] ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, ἕως πότε ἔσομαι πρὸς ὑμᾶς καὶ ἀνέξομαι ὑμῶν; προσάγαγε ὧδε τὸν υἱόν σου.

Respondens autem Iesus dixit: O generatio infidelis & peruersa, vsquequo ero apud vos & patiar vos? Adduc huc filium tuum.

Matth. 17. v. 17. Marc. 9. v. 19.

VSQVEQVO. ἕως πότε quousque tandem. Reliqua quære Matth. 17. v. 17.

ἔτι δὲ προσερχομένου αὐτοῦ, ἔρρηξεν [42] αὐτὸν τὸ δαιμόνιον καὶ συνεσπάραξεν. ἐπετίμησε δὲ ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, καὶ ἰάσατο τὸν παῖδα, καὶ ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ.

Et cùm accederet, elisit illum dæmonium & dissipauit. & increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius.

Matth. 17. v. 18. Marc. 9. v. 20. 25. 27

ET CVM ACCEDERET. ἔτι δὲ προσερχομένου αὐτοῦ adhuc autem accedente eo; in ipso adhuc itinere, cùm adduceretur filius, mox sentiens dæmonium præsentem Filij Dei virtutem. *Adhuc*, additur græcè, quod tamen Syrus non magis agnoscit quàm Latinus. ELISIT. abiecit in terram. in quem sensum & Syrus hoc loco vertit ܫܕܝܗ *i. mo* proiecit, prostrauit. Græcè est ἔρρηξεν, quod alij vertunt *lacerauit*, vt dictum est Marc. 9. v. 18. DISSIPAVIT. συνεσπάραξεν discerpsit, vt mox v. 39. ET INCREPAVIT. ἐπετίμησε δὲ sed increpauit, obiurgauit. SANAVIT, eiecto immundo illo spiritu, vnaque profligatis malis omnibus quæ ille procurabat. EIVS suo. eleuans manu sua humi iacentem instar mortui, quod Marcus narrat. Reliqua lege Matth. 17. v. 18. Marc. 9. v. 20.

ἐξεπλήσσοντο δὲ πάντες ἐπὶ τῇ μεγαλειότητι τοῦ θεοῦ· πάντων δὲ θαυμαζόντων ἐπὶ πᾶσιν οἷς ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, εἶπε πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ· [43]

Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus quę faciebat, dixit ad discipulos suos:

IN. super. MAGNITVDINE. τῇ μεγαλειότητι magnificentia, magnifica virtute. Nam vt solent mirifica illa facta vocari μεγαλεῖα (*magnalia* dicit Interpres noster Act. 2. v. 11.) ita virtus cælestis, istorũ operum effectrix, μεγαλειότης dicitur. Quo miserabilius fuerat mali spectaculum, hoc magis admirati sunt, dæmonium tam pertinax sola increpatione esse expulsum, & puerum multis modis læsum subitò restitutum sanitati. Erat illa non quæuis, sed magnificentissima certè virtus. DEI. manifestum enim erat non alia virtute quàm diuina hæc geri: cæterùm non credebant Iesum propria virtute agere. MIRANTIBVS. laudantibus atque applaudentibus. IN OMNIBVS. de omnibus, super omnibus. DIXIT ipse seorsum. AD DISCIPVLOS. Ne putarent discipuli ipsum animo efferri ob hominum laudes, monstrat se meminisse odiorum quibus breui deprimendus ab illis sit. Rursus ne discipulos, eo grauiùs deiiceret imminẽs præceptoris passio, quo altiùs extulisset gloria, si, absque omni memoria aduersorum, liberum gloriæ cursum permisisset; prædicit passionem suam, & præsentem gloriæ voluptatem prudenter temperat ignominiæ prophetia.

Ponite

Matth.17. v.22. Marc.9. v.31.

Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurũ est vt tradatur in manus hominum. 44

θέσθε ὑμεῖς εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους· ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου μέλλει παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων.

PONITE. reponite. vos. emphaticum est. q.d. Sinite homines mirari & celebrare ea quæ à me gerũtur; vos autem ne existimetis me illorum patùm gloria solida delectari, neque vos efferat præceptoris laus, sed attẽto animo considerate potiùs ea quæ iam instant, scitu necessaria non minùs quàm magnifica illa facta mea.
IN CORDIBVS. εἰς τὰ ὦτα in auribus. quo modo est & syriacè, re eódem redeunte. Attentè auditos conseruate animoque reuoluite. Attentos studuit reddere discipulos ad id à quo maximè abhorrebant. SERMONES ISTOS quos vobis dicam, multùm alienos ab hominum laude. Non auocat discipulos à consideratione rerum magnificè à se gestarum, sed à consideratione vanæ inconstantisque hominum laudis, ad ignominiæ quam breuî ab hominibus passurus esset. FVTVRVM EST VT TRADATVR. μέλλει παραδίδοσθαι futurus est tradi s. ad necem. Cunctis signa admirantibus ipse prænunciat passionem, non enim signa saluant sed crux beneficia præstat. Reliqua lege Matth. 17. v. 22. 23. Marc. 9. v. 31.

Marc.9. v.32.

At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo. 45

οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ ἦν παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν, ἵνα μὴ αἴσθωνται αὐτό· καὶ ἐφοβοῦντο ἐρωτῆσαι αὐτὸν περὶ τοῦ ῥήματος τούτου.

VELATVM ANTE EOS. παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν absconditum ab eis, id est, occultum illis. est enim hebraica phrasis, qualis Psal. 68. v. 6: *Et delicta mea à te non sunt abscondita.* VT NON SENTIRENT. ita vt non intelligerent nec saperent illud. Reliqua quære Marc. 9. v. 32.

Marc. 9. v.34.

Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. 46

εἰσῆλθε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, τὸ, τίς ἂν εἴη μείζων αὐτῶν.

INTRAVIT. εἰσῆλθε ingressa est, subiit. COGITATIO, quam & verbis inter se declararunt, & ambitiosa disceptatione tractarunt, quod ex prioribus Euangelistis constat. QVIS. τὸ, τίς ἂν de hoc, quisnam. omisit Interpres articulum τὸ. MAIOR. maximus. Reliqua huc facientia lege Matth. 18. v. 1.

Matth.18. v.2. Marc.9. v.36.

At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum & statuit illum secus se, 47

ὁ δὲ Ἰησοῦς ἰδὼν τὸν διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν, ἐπιλαβόμενος παιδίου, ἔστησεν αὐτὸ παρ' ἑαυτῷ,

VIDENS. ἰδὼν quum vidisset. quod oculorum est ad animum transfertur. COGITATIONES. τὸν διαλογισμὸν hanc cogitationem. CORDIS ILLORVM. nam quamuis verbis inter se prodidissent cogitationem hanc suam, non tamen cognouerat eam Iesus, absens quum fuisset, nisi diuinitatis suæ, cordium secreta rimantis, virtute (vide Matth. 9. v. 4.) quæstione enim illa quam secundùm Matthæum proposuerũt, abscondere studuerunt contentionem suam. PVERVM. παιδίον puerulum. SECVS SE. iuxta se, apud se, ante se. Hoc est quod alij Euangelistæ dicunt *in medio eorum.* nam & ipse Iesus sedebat in medio eorum. Reliqua lege Matth. 18. v. 2.

Matth.18. v.5. Marc.9. v.37.

& ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est. 48

καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ὃς ἐὰν δέξηται τοῦτο τὸ παιδίον ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται· καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, δέχεται τὸν ἀποστείλαντά με. ὁ γὰρ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἔσται μέγας.

PVERVM ISTVM. τοῦτο τὸ παιδίον puerulum istum s. vel alium huic similem ætate aut moribus. Syrus vertit ܛܠܝܐ ܐܝܟ ܗܢܐ *Talio aich hono* puerum tamquã istum, id est, similem huic puero, moribus intelligit. Reliqua lege Matth. 10. v. 40. & 18. v. 5. NAM. Reddit causam quare Deũ Patrem Filiumq; recipiat qui puerulũ istum vel illi similem recipit, quia magnus sit, quia magni admodũ fiat à Deo, puerulus huiusmodi; non tamen illud exprimit, verùm illud quod consequitur maius, & quo definit præsentem Apostolorum de primatu controuersiam. QVI MINOR EST INTER VOS OMNES. qui minimus est omniũ vestrùm, id est, simillimus huic puerulo, quod est, humillimus; quod Matthæus ait: *Qui humiliauerit se sicut paruulus iste.* Qui se minimum omnium & iudicauerit & gesserit, simplicitatem atque innocentiam, puerili ætati simillimam, vita ac moribus quàm proximè expresserit. HIC MAIOR EST. hic est omnium maximus, hic omnibus præfertur, hic omnium maximi fit à me & Patre meo, adeò vt qui illum suscipiat, alterum me, alterum Patrem suscipiat. Contendite igitur omnium esse humillimi, modestissimi, obedientissimi Deo, & officiosissimi erga proximos, si omnium velitis esse maximi. Huiusmodi enim contentio tam sit apta regno cælorum,

quàm

quàm altera illa aliena est. Græcè & syriacè pro *est maior* legitur ἔσαι μέγας *erit magnus*, futuro tempore: quod & ipsum quidem verum est, videtur tamen magis propria latina lectio. nam positiuum nihil dubium est superlatiui esse loco.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἰωάννης εἶπεν· ἐπιστάτα, εἴδομέν τινα, ἐπὶ τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα τὰ δαιμόνια, καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν.

49 Respondens autem Iohannes dixit: Præceptor, vidimus quemdam, in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. *Marc.9. v.38.*

QVIA NON SEQVITVR NOBISCVM s.te, id quod exprimitur à Syro. Reliqua exposita sunt Mar.9.v.38.

καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν ὁ ἰησοῦς· μὴ κωλύετε· ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστιν.

50 Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersus vos, pro vobis est. *Marc.9. v.39.40.*

ADVERSVM VOS, PRO VOBIS EST. ita est & syriacè. Græcè leguntur primæ personæ pronomina, quamquam Titus, necnon Cyrillus in cathena citatus, græci enarratores (si modò non est Cyrillus, idem qui Titus) secundam exponant personam. At siue primæ siue secundæ personæ pronomina legantur, sententia eódem recidit, cum qui nihil agat, quod Christi Apostolorumque instituto, euangelio inquam propagando, aduersetur, pro Christi ac discipulorum, ipsiusque euangelij fautore, habendum esse, ac proinde non prohibendum, idque à discipulis præsertim (aliud enim de Christo, qui cognoscit arcana cordis, esse potest) quemadmodum intelligere licet ex Marc.9.v.39.40., vbi reliqua huius versiculi sunt enarrata.

* * * * * * *

ἐγένετο δὲ πορευομένων αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ, εἶπέ τις πρὸς αὐτόν· ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἂν ἀπέρχῃ, κύριε.

57 Factum est autem, ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris. *Matth.8. v.19.*

FACTVM EST. accidit, quodam tempore. AMBVLANTIBVS. πορευομένων euntibus. ILLIS. Iesu & discipulis. IN VIA. per viam. pergente Domino cum discipulis ad lacum Genesareth quo eum traiiceret; id quod ex Matthæo perspicuum est, cap. 8. v.18. & 19. Aug. l.2. de consens. Euang. cap. 23. Possit τὸ *in via* sequentibus iungi: In via dixit quidam ad illum. Reliqua lege Matth.8. v.19.

καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνώσεις, ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.

58 Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. *Matth.8. v.20.*

Huius versus expositionem pete ex Matthæo.

εἶπε δὲ πρὸς ἕτερον· ἀκολούθει μοι. ὁ δὲ εἶπε· κύριε, ἐπίτρεψόν μοι ἀπελθόντι πρῶτον θάψαι τὸν πατέρα μου.

59 Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autẽ dixit: Domine, permitte mihi primùm ire & sepelire patrem meum. *Matth.8. v.21.*

IRE ET SEPELIRE. ἀπελθόντι θάψαι abeunti, seu (vt tempus exprimatur) digresso sepelire. Reliqua lege Matth.8. v.21.

εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς· σὺ δὲ ἀπελθὼν διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

60 Dixitque ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei. *Matth.8. v.22.*

VADE. ἀπελθὼν profectus, vbi abiueris. ANNVNCIA. id est, abiectis impedimentis omnibus ad hoc te da, vt annuncies, prædices, euangelizes aliis. REGNVM DEI. æternam vitam, ad quam iam ipse vocatus, viuere cœpisti: nolique, vt morti ministres, vitæ ministerium intermittere. Vocat discipulum vt sit minister ac præco verbi Dei: & egregiè opponit, officio sepeliendi mortuos, munus prædicandi vitam æternam. Reliqua Matth.8. v.22.

* * * * * * * *

CAPVT DECIMVM.

* * * * * * * *

Matth.9. v.37.38.

Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

2 ἔλεγεν οὖν πρὸς αὐτούς· ὁ μὲν θερισμὸς πολύς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι. δεήθητε οὖν τοῦ κυρίου τοῦ θερισμοῦ, ὅπως ἐκβάλλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ.

ET DICEBAT. Dicebat autem illis septuaginta duobus, priusquam eos mitteret; Iam missurus dicebat illis ea quæ sequuntur, eadem propemodum quæ nuper dixerat Apostolis in idem opus emittendis. Nam, quod Augustinus ait lib. 2. de cons. Euang. cap. 30., *alijs atque alijs sermonum suorum locis, multa Dominus iterauit, quæ alibi iam dixerat.* PAVCI. Subindicat, non sufficere duodecim Apostolos, quos nuper ordinauerat, sed opus esse auxilio aliorum: ac proinde dat intelligendum, quare iam augeat numerum prædicatorum Euangelij. ROGATE ERGO. Mittendi rogare iubentur, tam pro seipsis operarius, quàm pro messe populi. Reliqua exposita sunt Matth 9. v. 37. & 38.

Matth.10. v.16.

Ite: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

3 ὑπάγετε· ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς ἄρνας ἐν μέσῳ λύκων.

ITE. Tamquam rogatus emittere operarios, legat istos. ECCE. sed, quod nosse debetis, EGO MITTO VOS. SICVT AGNOS. vt similes agnis, inermes, innoxij, mansueti, ac simplices, studeatis omnibus prodesse, idque vestro etiam periculo, hoc est, *inter lupos*. Annotat Euthymius, secundùm Matthæum, Apostolis tamquam perfectioribus, id est, patribus, ducibus, ac magistris, dici *sicut oues*; his autem *sicut agnos*, tamquam tenerioribus, id est, filiis & inferioris generis discipulis: quamquam Syrus eadem vtrobique voce vtatur. INTER LVPOS. quibus multi occurrent lupi, id est, inimici, feroces, cupidique vestri sanguinis, sed mea potentia coërcendi. *Solicitudo enim pastoris boni efficit*, inquit Ambrosius, *vt lupi in agnos audere nil possint.* Reliqua petantur ex Matth. 10. v. 16.

Matth.10. v.9.10.

Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam salutaueritis.

4 μὴ βαστάζετε βαλάντιον, μὴ πήραν, μηδὲ ὑποδήματα, καὶ μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε.

NOLITE PORTARE. μὴ βαστάζετε ne portetis; vobiscum, ad iter huius vestræ legationis. *Hoc interdicto*, inquit Euthymius, *iubet, vt de necessarijs corporis spem in illum habeant qui ipsos emittit.* *Tanta enim prædicatoris debet esse in Deo fiducia* (inquit Gregorius in cathenam adductus) *vt præsentis vitæ sumtibus quamuis non prouideat, tamen sibi hos non deesse certissimè sciat: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus prouideat æterna.* SACCVLVM. βαλάντιον marsupium, crumenam. continens pro contento, id est, aurum, argentum, aut pecuniam, vt dicit secundùm Matthæum. NEQVE PERAM. neque cibum pera reconditum. Non enim agnorum aut ouium hoc est, sed pastoris: ouium est vt de pastoris cura ac solicitudine totæ pendeant, sicut ouis illa quæ canebat: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Psal. 22. NEQVE CALCEAMENTA. Iubet esse accinctos, vt sine mora celeriter negotium obeant. ET NEMINEM eorum qui vobis occurrent PER VIAM SALVTAVERITIS. Non vetat signa honoris aut beneuolentiæ, quæ occurrentibus inter transeundum, siue verbo siue facto exhiberi consueuerunt: sed prohibet salutationem descendentem in confabulationes amicas, ac proinde cogentem hærere in via, &, vt Ambrosius ait, *impedientem ministerium, quod per moram sæpe trahit offensam.* Mandat igitur ne in via hæreant, addicentes se ac distrahentes rebus haud necessariis: sed iter suum quàm celerrimè & diligentissimè conficiant, vt quàm citissimè eò se appellant, vbi commissum munus obeant, in quo vult eos esse totos. Ne diuertamini, inquit, ad priuatas amicitias & salutationes colendas: nam tempus breue est, & opus magnum, cui diligenter sine vlla cunctatione vacare debetis. Quando diuina mandantur, paulisper sequestranda humana. Alludit autem Dominus ad mandatum Giezi ab Eliseo datum 4. Reg. 4. v. 29. *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam, non respondeas illi*; datum inquam eo fine, *ne*, vt Ambrosius ait, *confabulatione alicuius obuij, mandato reflecteretur à munere.* Reliqua Matth. 10. v. 9. & 10. sunt declarata.

Matth.10. v.12.

In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui.

5 εἰς ἣν δ᾽ ἂν οἰκίαν εἰσέρχησθε, πρῶτον λέγετε, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ.

IN QVAMCVMQVE. εἰς ἣν δ᾽ ἂν in quamcumque autem. INTRAVERITIS, hospitij causa. PRIMVM. ante omnia. DICITE: PAX HVIC DOMVI. id est, salutate eam, vt dicitur secundùm Matthæũ. Familiaris est enim salutãdi formula Hebræis, Pax tibi aut vobis; *qua significãt quòd pacifici & amici aduenerint*, quod ait Euthymius. *Pax huic domui*. id est, his qui huius domus sunt, sit. Reliqua ex Matthæo petantur.

καὶ

καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἐκεῖ υἱὸς εἰρήνης, ἐπαναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν ἡ εἰρήνη ὑμῶν· εἰ δὲ μήγε, ἐφ' ὑμᾶς ἀνακάμψει.

6 Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos reuertetur.

Matth. 10. v. 13.

ET SI IBI FVERIT. καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἐκεῖ & si quidem sit illic, quòd si in ea domo *fuerit* aliquis, FILIVS PACIS, id est, dignus pace, quemadmodum 2. Reg. 12. v. 5. *filius mortis*, dignus morte. Dignus autem pace siue salute, salute inquam euangelica, non tam suis meritis, quàm Dei electione & prædestinatione: quem scilicet constituerit Deus Pater vocare & salute dignum reddere. Sic enim D. Augustinus exponit libri de correptione & gratia capite 15., filium pacis hîc dici, qui Dei prædestinatione sit huiusmodi, nondum reipsa. REQVIESCET. *veniet* ait Matthæus; diffusa nimirum ex ore vestro, vobis interim nequaquam amittentibus. *Non ore solum dicunt* (inquit Augustinus serm. 42. de sanctis) *quo pleni sunt fundunt: prædicant pacem, & habent pacem.: non sunt tales de quibus dictum est: Pax pax & non est pax.* SVPER ILLVM. s. filium pacis, ita vt in domum vos recipiat aut recipi curet. In aliis latinis libris iisque antiquis, est pronomen fœmininum *illam*, vt subaudias *domum*: nam quod græcè est ἐπ' αὐτὸν, potest & ad υἱὸν *filium* referri, & ad οἶκον *domum*: vtrumque enim, vt præcedit, ita masculini generis est. V. Bedam in proprio commentario, & D. Gregorium homilia 17. in Euangelia, legisse pronomen fœmininum, docet cõmentarius ipsorum, quo dicunt, pacem requiescere in domo si in ea fuerit filius pacis, intelligentes pacem requiescere super domum propter filium pacis, eò quòd in ea sit quispiam filius pacis: quod quidem satis consonat Matthæo, referenti in hunc modum: *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna. digna*, inhabitante scilicet eam filio aliquo pacis; *non digna*, nullo eam inhabitante filio pacis. Nam & hîc & secundùm Matthæum, de domo magis agitur quàm de singulis è domo: eratque consequens, postquam moniti essent discipuli pacem precari domui, vt audirent an pax domui contingeret nécne: vt certè propter vnum filium pacis inhabitantem, fit vt omnes inhabitantes domum fiant pacis salutisq; participes, accepto in hospitium pacis prædicatore: multoque magis, si vel plures vel omnes sint filij pacis, qui domum inhabitant. SIN AVTEM. εἰ δὲ μήγε sin autem minùs. quòd si nullus eam inhabitet filius pacis, sed omnes reprobi sint & Deo pacique ac suæ saluti rebelles. AD VOS REVERTETVR, quæ non discesserat à vobis, & vos aliò deducet, vbi grati sitis. Reliqua quære Matth. 10. v. 13.

ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ μένετε, ἐσθίοντες καὶ πίνοντες τὰ παρ' αὐτῶν· ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ ἐστι. μὴ μεταβαίνετε ἐξ οἰκίας εἰς οἰκίαν.

7 In eadem autẽ domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

Matth. 10. v. 10. 11.

IN EADEM AVTEM DOMO. ἐν αὐτῇ δὲ τῇ οἰκίᾳ in illa ipsa autem domo s. in quam semel recepti fueritis. MANETE, diuersamini, hospitamini s. *donec exeatis*, quod addit Matthæus, ciuitate scilicet aut loco illo. Syrus *manete* accepit pro μένετε. EDENTES ET BIBENTES liberè & absque pudore, etiamsi nihil habeatis vnde soluatis: nihil verecundati quasi oneri existentes illi domui. QVÆ APVD ILLOS SVNT. τὰ παρ' αὐτῶν quæ ab illis s. offeruntur aut proponuntur. Interpres legit τὰ παρ' αὐτοῖς *quæ apud illos*, addidítque verbum substantiuum *sunt*. Sententia eadem vna est, qua iubentur contenti esse cibo familiari ac simplici, qui fuerit oblatus, mensa vulgari ac tenui, necessitati corporis sufficiente, non affectatis vitæ deliciis: quamquam hoc præcipuè hîc agat Saluator, vt permittat eis vesci alieno, & liberum eis esse declaret, alieno sumtu viuere, posseque bona conscientia hospitum bonis vti, quamdiu hac legatione funguntur. *Qui peram & sacculum portari prohibuit* (inquit Gregorius hom. 17. *sumtus & alimenta ex prædicatione concedit: dignum est enim vt ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patriæ cœlestis sint præmia offerimus.* DIGNVS EST ENIM. Nihil accipitis ab eis præter debitum: æquum est vt cibum vobis ministrent, in quorum gratiam laboratis. *Vnde satis ostendit*, inquit Augustinus lib. 2. de cons. Euang. cap. 30., *cur eos hæc possidere ac ferre noluerit: non quod necessaria non sint sustentationi huius vitæ, sed quia sic eos mittebat, vt eis hæc deberi demonstraret, ab illis ipsis quibus euangelium credentibus annuntiarent.* MERCEDE SVA, neque ea minori quàm cibo familiari, vt explicatur secundùm Matthæum. Non dicit Saluator, mercedem laboris eorum qui euangelium prædicant, esse cibum, quasi vel prædicandum aliquibus sit euangelium propter cibũ, vel cibi pretium respondeat merito dignitatique operis vsqueadeò sancti (absit) vilis enim merces redderetur labori pretiosissimo: *quid enim dant*, rogat Augustinus conc. tertia in Psalmum 103., *quid accipiunt? dant spiritalia, accipiunt carnalia: dant aurũ, accipiunt fœnum &c.* Sed dicit Saluator, prædicatoribus euangelij, cibum, non gratis dari ab auditoribus, at deberi, debitum esse, non gratuitum, nihilque minus retribuere eos posse: id quod ostendit ex communi hominum sententia, similitudine ab operariis sumta. Nam si hominum iudicio, inquit, non est operarius ita vilis, qui, modò operarium se reipsa præstet ad vtilitatem conducentis, non mereatur vt minimum cibum suum mercedis loco: multò magis vos, si in prædicando euangelio operarios vos præstetis, ad vtilitatem salutemque æternam audientium, cibum vestrum promerebimini, ac proinde pudere vos non debebit, si ab hac illàue domo dies aliquot alamini. Simile est D. Pauli argumentum 1. Cor. 9. v. 11: *Si nos vobis spiritualia seminauimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus?* NOLITE TRANSIRE DE. μὴ μεταβαίνετε ἐξ ne transeatis è DOMO IN DOMVM, mutandi hospitij causa, facilè scilicet & absque graui causa. Hæc est interpretatio eius quod obiter præmiserat, *In eadem domo manete.* Non necesse, inquit, habetis hospitium mutare, quasi plus æquo grauantes eos apud quos continuò manetis, quamdiu in euangelio prædicando ipsis seruitis. Nam & præter decorum foret hospitij mutatio. *Vagorum est*, inquit Titus, *mercedemq́ ambientium, & certe nihilominus calumniæ exposita*, quasi, fastidito priori hospitio, lautius & instructius quæreretur; tamquam mensæ lautioris, & commodioris

modioris apparatus, essetis sectatores, *contristantes eos à quibus primùm suscepti fueratis*, quod addit Theophylactus. Quare D. Ambrosius monet, *seruandam esse etiam in hospitali amore constantiam*. Reliqua dicta sunt Matth.10.v.10.11.

Et in quamcumque ciuitatem intraueritis & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis:

8 καὶ εἰς ἣν δ᾽ ἂν πόλιν εἰσέρχησθε, καὶ δέχωνται ὑμᾶς, ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν,

ET IN QVAMCVMQVE. καὶ εἰς ἣν δ᾽ ἂν & in quamcumque autem. Interpretes Latinus & Syrus omiserunt *autem*, vt superfluum censui, nec aliam habens vim, quàm ipsum quod præcedit *&*, continuandi inquam, sicut *igitur* aut *itaque*. Repetit enim Dominus nonnulla eorum quæ iam dixerat, eo fine vt alia commodè adiiciat. SVSCEPERINT VOS vestramque prædicationem. QVÆ APPONVNTVR VOBIS ab hospitibus vestris, contenti illis, ita vt nec superflua nec lautiora requiratis, sed vestram commoditatem negligentes, aliorum vtilitatem diligenter pertractandam suscipiatis. Repetit Dominus ex professo, quod obiter dixerat versu superiori, his verbis *quæ apud illos sunt*.

Matth.10. v.7.8.

& curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

9 καὶ θεραπεύετε τοὺς ἐν αὐτῇ ἀσθενεῖς, καὶ λέγετε αὐτοῖς, ἤγγικεν ἐφ᾽ ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

CVRATE. sanate. INFIRMOS. ἀσθενεῖς ægrotos. IN ILLA ciuitate, idque in argumentum veritatis euangelij quod à vobis prædicatur. ET illo signo apostolatus vestri edito, DICITE ILLIS; non infirmis solis, sed omnibus eius ciuitatis, exponite euangelij summam, quæ hæc est: APPROPINQVAVIT IN VOS. ἐφ᾽ ὑμᾶς *ad* seu *super vos*, propinquum vobis factum est, aduentat ad vos ac propinquum est vobis. REGNVM DEI siue cælorum, adeoque rex ipse cælorum Messias nos subsequens, idque magno bono vestro, si modò pœnitentiam agere & regi ipsi credere ac nomina dare velitis. Reliqua ex Matthæo petantur.

Matth.10. v.14.

In quamcumque autem ciuitatem intraueritis & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite:

10 εἰς ἣν δ᾽ ἂν πόλιν εἰσέρχησθε, καὶ μὴ δέχωνται ὑμᾶς, ἐξελθόντες εἰς τὰς πλατείας αὐτῆς, εἴπατε·

VOS. neque prædicationem vestram. EXEVNTES. ἐξελθόντες egressi. IN PLATEAS. in publicas vias, DICITE. publicè palamque coram omnibus.

Matth.10. v.14. Marc.6. v.11. Sup. 9. v.5.

Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquauit regnum Dei.

11 καὶ τὸν κονιορτὸν, τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν, ἀπομασσόμεθα ὑμῖν· πλὴν τοῦτο γινώσκετε, ὅτι ἤγγικεν ἐφ᾽ ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

NOBIS. vestibus pedibusue nostris EXTERGIMVS. ἀπομασσόμεθα abstergimus. IN VOS. ὑμῖν vobis, vt scilicet eum vobis habeatis, abstergendo reddimus vobis. Salutis vestræ, non vtilitatis nostræ causa, huc missi veneramus: sed tantum abest vt à vobis commodi aliquid expetamus, vt etiam puluerem qui ex ciuitate vestra nobis adhæsit, vobis restituamus, nullaque re vobiscum communicare velimus. TAMEN. nihilominus HOC SCITOTE, siue credere volueritis, siue non, quòd appropinquauerit ἐφ᾽ ὑμᾶς in vos (nam & hoc repetitur græcè ac syriacè) REGNVM DEI eiusque Rex Messias: id quod breuiter denunciare vobis volumus, quamuis à vobis contemnatur, vt officio nostro functi satisfaciamus. Magno enim vestro malo aduentat, ad condemnationem vestri, vt ad recipientium salutem. Plura dicta sunt ad Matthæum facientia pro huius versus explicatione.

Matth.10. v.15.

Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissiùs erit, quàm illi ciuitati.

12 λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι Σοδόμοις ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀνεκτότερον ἔσται, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ.

SODOMIS. id est, ciuitati Sodomorum. IN DIE ILLA, nouissima scilicet. REMISSIVS. ἀνεκτότερον tolerabilius vertit Matth. 10. & 15. vnde reliqua petenda sunt.

Matth.11. v.21.

Væ tibi Chorozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.

13 οὐαί σοι Χοραζὶν, οὐαί σοι Βηθσαϊδά· ὅτι εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις αἱ γενόμεναι ἐν ὑμῖν, πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ καθήμεναι μετενόησαν.

SEDENTES. siue humi prostrati: nam sedere vel humi prostratum iacere, proprius est lugentium situs. POENITERENT. μετενόησαν pœnitentiam egissent. Reliqua petenda sunt ex Matth.11. v.21.

πλὴν

πλὴν τύρῳ καὶ σιδῶνι ἀνεκτότερον ἔσται ἐν τῇ κρίσει, ἢ ὑμῖν. [14]

Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quàm vobis. *Matth.11. v.22.*

καὶ σὺ καπερναοὺμ, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ. [15]

Et tu Capharnaũ, vsque ad cælum exaltata, vsque ad infernũ demergêris. *Matth.11 v.23.*

VSQVE AD CÆLVM EXALTATA. Exaggerandi causa hoc dictum, notat Augustinus sermonis 42. de sanctis capite 7., pro eo ac si dictum fuisset: *Nimium tibi felix videris, nimium potens, nimium superba es.* DEMERGERIS. καταβιβασθήσῃ depriméris, vt secundùm Matthæum. Interpres hîc videri possit legisse καταβυθίζῃ. Subaudi, quia neque tu pœnitentiam egeris. Reliqua horum duorum versiculorum lege secundùm Matthæum.

* * * * * * * *

ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι ὁ ἰησοῦς, καὶ εἶπεν· ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. ναὶ ὁ πατὴρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. [21]

In ipsa hora exsultauit Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te. *Matth.11. v.25.26.*

IN IPSA HORA. ea ipsa hora siue momento. EXSVLTAVIT. s. Iesus, quod additur græcè & syriacè. SPIRITV SANCTO, quo secundùm humanitatem plenus erat, mouente, & exsultationem hanc simul & laudem ipsam suggerente. In plerisque libris græcis non est aliud quàm spiritu, quod est, animo. discusso dolore, quem expressiore consideratione perditionis plerorumque suæ gentis, quorum ingratitudini sua beneficia exprobrauerat, hauserat, effert se in lætam contemplationem iudiciorum patris iustissimorum, per quæ, aliis reiectis, alios eligit, Apostolos inquam ipsius & discipulos, aliosq; ignobiles quos illi ad fidem & pœnitentiam sua prædicatione adduxisse poterant, consilio longè dissimili humano. PARVVLIS. Reuelatio magnarum rerum, non studio nec merito suo discipulis concessa fuit, sed Dei dono. Illud intelligendum illis dabat, ne magnum quid de se crederent, atque inflarentur, quia dæmonia eis obtemperarent. Reliqua petenda sunt ex Matth.11.v.25.26.

πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου. καὶ οὐδεὶς γινώσκει τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατήρ· καὶ τίς ἐστιν ὁ πατὴρ, εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι. [22]

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. *Matth.11. v.27.*

QVIS SIT FILIVS. quis sim ego, me esse Dei Filium, Deo Patri æqualem, & quæ hinc consequuntur. ET QVIS SIT PATER. Deum esse Patrem, genuisse Filiũ sibi æqualem. Reliqua tractata sunt Matth.11.v.27.

καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς, κατ' ἰδίαν εἶπε· μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ, οἱ βλέποντες ἃ βλέπετε. [23]

Et conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. *Matth.13. v.16.*

DIXIT. Græcè & syriacè additur κατ' ἰδίαν seorsum: quod quidem, & ad *conuersus* referri potest, vt refert Syrus, & ad *dixit*: estque id quod Marcus ait c.4. v.10. *cùm esset singularis*. facilè verò intelligitur, etiamsi latina editione non exprimatur. Quocirca non existimandum est, hoc, continuo post præcedentia sermone dictum esse, præsertim cùm Matthæus narrare videatur opportunissimam occasionem qua dictum sit. QVI VIDENT corporis simul & animi sensu, ita vt suspiciant & amplectantur. Beati vos aliique huius ætatis vobis similes, quibus contigit hoc bonum, vt præsentem videant & recipiant Christum. Reliqua lege Matth.13.v.16.

λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ προφῆται καὶ βασιλεῖς ἠθέλησαν ἰδεῖν ἃ ὑμεῖς βλέπετε, καὶ οὐκ εἶδον· καὶ ἀκοῦσαι ἃ ἀκούετε, καὶ οὐκ ἤκουσαν. [24]

Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quę auditis, & nõ audierunt. *Matth.13. v.17.*

ET REGES. & inter iustos plurimos, quidam etiam regno clari, Dauid in primis, quod Psalmi loquuntur. Cætera petenda sunt ex Matth.13.v.17.

Et ecce quidam legisperitus surrexit [25] tentans illum & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?

Καὶ ἰδοὺ νομικός τις ἀνέστη ἐκπειράζων αὐτὸν καὶ λέγων· διδάσκαλε, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

ET ECCE. Ecce autem quodam tẽpore. Non est intelligenda continua series huius historiæ cum præcedentibus. LEGISPERITVS, id est, scriba. profitens scientiam legis, & verba quidem legis tenens, sed vim legis ignorans. SVRREXIT. postquam sedens audisset ipse aliquamdiu docentem in synagoga Iesum, surrexit tandem vt aliquid interrogaret. TENTANS EVM. experiri volens an non esset aliquid à lege alienum responsurus (id enim ex Domini responsione manifestum fit) vt quasi apostatam & impiæ defectionis auctorem exagitaret. ET DICENS. id est, huiusmodi verbis, proposita huiusmodi quæstione. QVID FACIENDO. per quæ tandem opera. Eadem est quæstio huius scribæ, quæ principis adolescentis, de quo infrà 18. v. 18. (quamquam alio atque alio animo proposita) quam lege expositam Matth. 19. v. 16. & Mar. 10. v. 17. Quid faciendum mihi doces, vt eam quam semper prædicas & promittis æternam vitam obtineam?

At ille dixit ad eum: In lege quid [26] scriptum est? quomodo legis?

ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτόν· ἐν τῷ νόμῳ τί γέγραπται; πῶς ἀναγινώσκεις;

DIXIT ostendens cognitam sibi dolosam versutiam ipsius. IN LEGE Mosis QVID SCRIPTVM EST, vt primum & maximum omniũ mandatum? quid præcipuè faciendum præcipit lex Mosis? quomodo legis illic in summa præceptum? q. d. Non existimes me dicturum aliquid contrarium legi. Ex lege petendam doceo huius solutionem quæstionis. Tu igitur qui legis scientiam profiteris, ipse responde quid lex præcipuè requirat ab hominibus. hoc enim ego dixero tibi faciendum, vt acquiras vitam æternam. Non quærit quid in lege scriptum sit, aut quid in ea legat, de vita æterna, de qua nihil expressè scriptum est aut legitur in lege: sed quid potissimùm lex exigat, quid præcipuè requirat, quid in summa faciendum præcipiat. Reipsa igitur rogat hîc Iesus, id quod ipse posteà rogatus fuit: *Quod est mandatum magnum in lege?* Matth. 22. v. 36. Quare etiam Lucas omittit illam Matthæi & Marci historiam.

Matth. 22. v. 37. 39. Marc. 12. v. 30. 31. Deut. 6. v. 5. Leu. 19. v. 18.

Ille respondens dixit: Diliges Do- [27] minum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mẽte tua; & proximum tuum sicut teipsum.

ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου, ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

ILLE RESPONDENS. Ille gaudens sibi occasionem dari, ostentandæ non vulgaris suæ in lege peritiæ, illicò respondit. DILIGES. q.d. hoc in lege scriptum est, vt primum & maximum omnium mandatum: hoc præcipuè faciendum præcipit lex, hoc caput & summa est eorum omnium quæ in lege præcipiuntur, in hoc enim cætera omnia legis præcepta continentur. Hinc intelligitur, non prorsus ignotum fuisse Scribis, quod esset maximum inter legis mandata (quam quæstionem proposuerunt Iesu Matth. 22. v. 36.) sed controuersum fuisse inter illos, aliis opinantibus esse hoc præceptum dilectionis (ex quibus fuit iste) aliis præceptum sacrificiorum. OMNIBVS VIRIBVS. ὅλης τῆς ἰσχύος *tota virtute* seu *fortitudine*, vertit alibi. OMNI MENTE. ὅλης τῆς διανοίας tota mente. omni modo & quantum possibile est tibi. Reliqua lege Matth. 22. v. 37. 39. & Marc. 12. v. 30.

Dixitque illi: Rectè respondisti: [28] hoc fac, & viues.

εἶπε δὲ αὐτῷ· ὀρθῶς ἀπεκρίθης· τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ.

DIXITQVE Iesus addit syriaca editio. RECTE. Nam *in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ.* Matth. 22. v. 40. HOC FAC. Quæris *quid faciendo* vitam æternam possidebis? *Hoc fac* quod duobus istis quæ recitasti mandatis præcipitur; hoc opere præsta, non enim sufficit scire. ET VIVES vita æterna. id est, hoc faciendo vitam æternam possidebis. Vitæ æternæ initium in hoc seculo, & perfectionem in altero, adducit charitas, qualis illis duobus præceptis exigitur. Vt eadem est quæstio, quod diximus, huius Scribæ & adolescentis diuitis: ita eadem est responsio Iesu. Nam *hoc fac & viues*, tantundem est, quantum illud *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. 19. v. 17. vnde petes reliqua huc pertinentia.

* * * * * * * *

CAPVT VNDECIMVM.

Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν τόπῳ τινὶ προσευχόμενον, ὡς ἐπαύσατο, εἶπέ τις τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς αὐτόν· κύριε, δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, καθὼς καὶ ἰωάννης ἐδίδαξε τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ.

1 Et factum eſt cùm eſſet in quodam loco orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum: Domine doce nos orare, ſicut docuit & Iohannes diſcipulos ſuos.

ESSET ORANS. latinè *oraret*. Frequens eſt Chriſto oratio, tum vt humanam naturam ſuam in omni virtutum genere exerceat, tum vt nobis exemplum det frequenter cum Deo colloquendi, mentemque in cælum ſubuehendi, diſcuſſis rerum terrenarum curis & phantaſmatis omnibus: quo nihil vtilius eſt ad ſeruandam vitæ ſanctæ integritatem. Orauit autem Deum, ſi quidem pro ſe orauit, perſeuerantiam (plenus enim ceteroqui erat donis Spiritus ſancti) & corporis à morte gloriã, non vt dubius aut incertus, ſed vt qui agnoſceret Dei in ſe gratiam: nam potiſſimùm pro nobis orauit, quorum ſalutem in ſe receperat procurandam: quamquam non ſolam petitionem, ſed & meditationem, laudem, gratiarumque actionem, oratio complectatur. vide Matth. 14. v. 23. IN QVODAM LOCO, in quem ſeceſſerat hunc in finem. VT CESSAVIT. Syrus vt finiuit. VNVS. τὶς quidam. Putant aliqui fuiſſe ex LXX diſcipulis vnum. DOCE NOS. Frequenter nobis commendas orationem & verbo & exemplo: *doce nos* igitur, qui diuinarum rerum doctor es abſolutiſſimus, orandi formam, & doctrinæ tuæ & profeſſioni noſtræ congruam, quæ Deo gratiſſima ſit: quò, vt par eſt, ex tuo præſcripto fiant à nobis diſcipulis tuis omnia. IOHANNES. in cuius tu locum ſucceſſiſti. DOCVIT. dum viueret. Iohannes quemadmodum ieiunia præſcripſerat diſcipulis ſuis (ſuprà 5. v. 33. ita & compoſuerat, ex præceptis ſuæ de pœnitentia inſtanteque regno cælorum doctrinæ, opportunas precationes, quibus excitaret ſuorum animos in ſpem redemtionis per Chriſtum promiſſæ, & præpararet ad excipiendam.

εἶπε δὲ αὐτοῖς· ὅταν προσεύχησθε, λέγετε, πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου· γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς.

2 Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum.

Matth. 6. v. 9. 10.

ET AIT ILLIS. εἶπε δὲ αὐτοῖς dixit autem illis ſ. reſpondens. Omnes alloquitur, rogauerat enim diſcipulus, non ſe ſolùm, ſed omnes doceri. CVM ORATIS. cùm vultis orare. DICITE. hac vtimini formula, quæ ex ſacris Scripturis petita, omnium expetendorum ſummam continet. Eamdem orandi formam hîc tradit, quam ſexto capite euangelij ſecundùm Matthæum. An igitur repetiuerit Chriſtus quam ſemel docuerat? nihil video ſequi incongruum ſi hoc dicatur. Sed vtrùm priùs diſcipulos ſeorſum, quod hîc dicitur, docuerit, poſteà verò in monte cum diſcipulis turbas, quod Matthęi ſexto; an contrà, priùs in monte omnes docuerit, poſteà ſeorſum inculcarit diſcipulis, res manet incerta. Fieri potuit vt diſcipulus iſte rogator, vel non audierit ſermonem in monte, vel orandi formam, inter plurima alia ſalutis documenta auditam, oblitus fuerit. Quidquid ſit, nihil mirum, ſi Chriſtus, non bis ſed ſæpiùs, hanc exactiſſimam orandi formam repetierit, cuius voluit inter ſuos vſum eſſe quotidianum. PATER. Græcè & ſyriacè additur *noſter qui es in cælis*; quemadmodum etiam mox: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*. Latinus Interpres qui hæc græcè non legit, videtur verioribus codicibus vſus: cui ſuffragatur D. Auguſtinus enchiridij capite 116., dum declarat, Lucam Euangeliſtam, in oratione Dominica, petitiones, non ſeptem, vt Matthæus, ſed quinque complexum eſſe. Fit enim veriſimile, à notariis aliquibus fuiſſe hæc Lucæ adiecta, ne oratio dominica à Luca ſcripta, manca appareret, dum non per omnia reſpondet, ſiue ei quæ à Matthæo ſcribitur, ſiue ei quæ à fidelibus viua voce accepta quotidie recitatur. Atqui non curauit Chriſtus, dum hanc orandi formam repetiuit, eadem ſemper verba numerare: non enim tam verbis ſuos adſtringere voluit, quàm docere, quid, qua ratione, & quibus affectibus, orandum eſſet. Et quamquam formulam explicatiſſimam exactiſſimamque tunc dictauit, quando ſecundùm Matthæum diſcipulos ſimul & populos in monte docuit (quam proinde etiam meritò ſequitur fidelium vſus) non tamen neceſſariò opus fuit omnibus ac ſingulis articulis tunc additis, cùm quidam in quibuſdam poſſent contineri, & alij ex aliis intelligi. In primis enim quod ad voculam *noſter*, illa ſatis intelligitur, cùm in progreſſu vbique vſus eſt ſimilis pronominis: *Panem noſtrum* &c. Porrò *qui es in cælis*, non poteſt non occurrere oraturo, qui modò cogitet qui cum loqui parat. Iam verò *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, tam facilè intelligi poteſt ex præcedentibus, quam abundè illic contineri: nec enim ſanctificatur à nobis nomen Patris, niſi fiat à nobis voluntas eius: neque deſiderat regnare Patrem in cælo & in terra, qui non ardentiſſimè deſiderat eius fieri voluntatem in cęlo & in terra. Quare vt diſceremus, in oratione, non tam de verbis eſſe ſoliciti quàm de rebus; nec tam de voce, quàm de ſpiritu ac mente, non eiſdem ſemper verbis Saluator tradidit orandi formam, etiam eam quam voluit nobis eſſe quotidianam. Reliqua ad hunc verſiculum facientia petenda ſunt ex Matth. 6. v. 9. 10.

Matth.6. v.11.

Panem nostrum quotidianum 3 da nobis hodie. | τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ' ἡμέραν.

QVOTIDIANVM. τὸν ἐπιούσιον *supersubstantialem* vertit secundùm Matthæum, id est, qui substantiæ siue naturæ nostræ alendę sufficiat, minimè scilicet exquisitum, sed *quotidianum*, qualis vulgo hominum quotidie in vsu est, vel qualis quotidie necessarius est nobis nutriendis. HODIE. Græcè est τὸ καθ' ἡμέραν, id quod verti potest, vel *in diem* (panem quanto in hunc diem opus est) quomodo volucres, ad quarum exemplum nos reuocat Christus, præsentis tantùm cibi memores, dicuntur viuere in diem; vel *in singulos dies*, quod est, *quotidie*, quo modo syricus Interpres vertit. Latinę interpretationis exemplaria variant, aliis *hodie*, aliis *quotidie* hîc legentibus. Matthæus habet σήμερον *hodie*, cum quo concordat illud *in diem*, multoque magis quod est in latinis multis codicibus *hodie*; sed nec discordat τὸ *quotidie*, si modò intelligatur, ita vt debet, non peti annonæ aut opum vnam semel copiam tantam, quanta quotidie seu in omnes vitæ nostræ dies corporibus nostris alendis sufficiat; sed tantum panem in dies singulos, quantus diebus singulis necessarius est. Et quidem hac ratione extenditur cura orationis nostræ vltra diem eum quo funditur, quod non fit dum dicitur *hodie*: sed quamuis hoc perfectioris fortè sit mentis, non tamen vitiosè de crastino solicitus est, qui crastini necessitates ita Deo commendat, vt non recuset aut fastidiat cras orationem iterare, præsertim cùm animo sit diurno pane contento, quotidieque cibum suum à Deo exspectare volente, nec desiderante quæ reponat in annos plurimos. Reliqua lege Matth. 6. v. 11.

Matth.6. v.12.13.

Et dimitte nobis peccata nostra, 4 siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. | καὶ ἄφες ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ.

SIQVIDEM ET IPSI. καὶ γὰρ αὐτοὶ etenim ipsi, nam & ipsi. DEBENTI NOBIS. qui peccauit in nos. Debere & peccare, debitum & peccatum, Lucas habet pro eisdem. IN TENTATIONEM. Addunt Græci & syrici codices *Sed libera nos à malo*, quemadmodum reliqua superiora addiderunt, ne quid hîc deesset orationi dominicæ eorum quæ recitat consuetudo orantium. Latina editio, non magis istud quàm superiora agnoscens, videtur sanior: cùm enim in proximè præcedenti articulo *Et ne nos inducas in tentationem*, iste includatur, saltem ex parte eaque potiori, omisit illum hac vice Christus. Nam qui in tentationem non inducitur, is proculdubio à malo liberatur: & qui orat vt à peccato, quod & summum malorum, & omnis alterius mali origo est, præseruetur, is reipsa precatur aut certè meretur vt ab omni malo liberetur. Reliqua quære Matth. 6. v. 12. 13.

* * * * * * *

Matth.7. v.7.

Et ego dico vobis: Petite & dabitur 9 vobis: quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. | κἀγὼ ὑμῖν λέγω· αἰτεῖτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν, ζητεῖτε καὶ εὑρήσετε, κρούετε καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν.

ET EGO cui de Patris erga vos beneuolentia certissimè constat. Sua auctoritate nos vrget ad solicitandum precibus Patrem. DICO. suadeo, moneo, & promitto. PETITE à Patre vestro cælesti, simili cum perseuerantia, quouis tempore, ea quibus opus est vobis. Accommodat parabolam proposito. ET DABITVR ab ipso VOBIS, quidquid illud fuerit, modò consentaneum illi quam mox docui orandi formulæ; multo magis quàm ab amico illo dormitabundo. Argumentum est à minori: Si amicus ille, & si à dãdo alienissimus propter nocturnum tempus, victus tamen est perseuerantia orantis; quanto magis orandi perseuerantia vincetur Pater vester cælestis, qui numquam neque dormit neque dormitat (Psal. 120. v. 4.) sed semper vigil paratus est vos & audire & exaudire? cui nullæ preces importunæ aut molestæ esse possunt, cui numquam ingrata est orantis improbitas, delectatur potiùs ea, & idcircò nonnumquam differt dare quod petitur, vt probet perseuerantiam vestram, vt accenso assiduæ orationis ardore, & ipse id quod petitis donet vberiùs, & vos illud charius habeatis quod improbis precibus impetraueritis. QVÆRITE. id est, sedulò intenteque petite. PVLSATE. id est, petite ardenter & perseueranter, vt qui extorquere velitis tamquam ab inuito, violentia quasi adhibita. Hæc omnia orãdi ardorem & perseuerantiam nobis præscribunt, & tria ipsa vnum hoc declarant. Orate perseuerantissimè, certoque certiùs impetrabitis. Hæc est enim improbitas, qua veluti vinceretur & expugnaretur Deus, si etiam difficilis foret. Tanta autem perseuerantia adhiberi debet pro re quaque, quanta res est ipsa quæ petitur. Reliqua huius versiculi quære Matth. 7. v. 7.

Matth.7. v.8.

Omnis enim qui petit accipit: & qui 10 quærit inuenit: & pulsanti aperietur. | πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται.

Hic versus expositus est Matth. 7. v. 8.

Matth.7. v.9.10.

Quis autem ex vobis patrem petit 11 panem, numquid lapidem dabit illi? | τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον, μὴ λίθον δώσει αὐτῷ;

εἰ καὶ

εἰ καὶ ἰχθὺν, μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; | aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi?

QVIS AVTEM EX VOBIS PATREM PETIT PANEM. Græcè ad verbum est: *Quem autem vestrûm patrem petet filius panem*; Similiter syriacè: *Quis enim ex vobis pater, quem petit eum filius eius panem*. His accedit D. Augustini lectio sermone de verbis Domini 29. *Quis est vestrûm à quo petit filius suus panem?* sed quocumque horum modorum legas, durè incommodeq; sequitur: NVMQVID LAPIDEM DABIT ILLI? Cæterùm sensus non prorsus obscurus est: sed hoc reliquis incommodior versio vulgata, quòd legat *quis* pro *quem*, & omittat vocem *filius*. Interpres videtur græcè legisse τίς δὲ ὑμῶν, ac proinde de industria omisisse vocem *filius*, vt quæ satis intelligatur ex voce *patrem*. Porrò vt sensus elucescat, subaudiri oportet coniunctionem *si*, quæ in proximis membris exprimitur, & nomen *pater*: *Si quis autem ex vobis, patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi pater?* AVT PISCEM. εἰ καὶ ἰχθὺν si & piscem, si etiam piscem. Syrus: Et si piscem rogauerit eum. Reliqua quære Matth. 7. v. 9. & 10.

ἢ καὶ ἐὰν αἰτήσῃ ᾠὸν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον; [12] | Aut si petierit ouum, numquid porriget illi scorpionem?

SCORPIONEM. quo ictus interficeat? Solent nonnumquam scorpij, vacuo oui putamini inclusi, insidiosè iis dari quorum mors quæritur.

εἰ οὖν ὑμεῖς πονηροὶ ὑπάρχοντες, οἴδατε ἀγαθὰ δόματα διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν· πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ, ὁ ἐξ οὐρανοῦ, δώσει πνεῦμα ἅγιον τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν; [13] | Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester, de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? *Matth. 7. v. 11.*

DATA. δόματα. q. d. dationes, id est, dona. DE CÆLO. ὁ ἐξ οὐρανοῦ qui ex cælo, id est, cælestis. Cæterùm, cùm non propriè Deus Pater ex cælo, sed in cælo esse dicatur: verisimile est, adiectitium esse articulum ὁ (certè Interpretes Latinus & Syrus eum non reddiderût) & ἐξ οὐρανοῦ *de* seu *ex cælo*, iungendum esse cum verbo *dabit*. BONVM. ἅγιον sanctum, quomodo etiam syriacè legitur. Per spiritum autem bonum siue sanctum, intelliguntur dona Spiritus sancti, non solùm septem illa celebria, verumetiam quæuis dona Dei, etiam corporalia, ad spiritum modò vt ad finem relata, quæ omnia Spiritui sancto, propter peculiare bonitatis epitheton, solent attribui, nec possunt non esse bona salutiferaque. Spiritus bonus, est id omne quod oratione rectè petitur à Deo, quod quidem omne superiori oratione Dominica comprehensum fuit. PETENTIBVS SE. iis qui petierint ab ipso spiritum bonum. Reliqua lege Matth. 7. v. 11.

καὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον, καὶ αὐτὸ ἦν κωφόν· ἐγένετο δὲ, τοῦ δαιμονίου ἐξελθόντος, ἐλάλησεν ὁ κωφὸς, καὶ ἐθαύμασαν οἱ ὄχλοι. [14] | Et erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cùm eiecisset dæmonium, loquutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. *Matth. 12. v. 22. 23.*

ET ERAT EIICIENS. Quodam autem tempore dabat se, expellendo dæmonio ex quodam. MVTVM. quia mutum reddebat eum quem occupabat. CVM EIECISSET. Græcè & syriacè est ἐξελθόντος *cum exijsset*: fierique possit vt Interpres ita verterit. MVTVS. is qui dæmonio agente mutus fuerat. ADMIRATÆ SVNT tantam potentiam. Reliqua lege Matth. 12. v. 22. & 23.

τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν εἶπον· ἐν Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. [15] | Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Matth. 12. v. 24. Marc. 3. v. 22.*

EX EIS. ex numero turbarum. Scribas & Pharisæos Lucas sub turbis comprehendit, quos alij distinguunt aduersus turbas, solum vulgus hominum turbarum nomine intelligentes. Reliqua lege Matth. 9. v. 34. 10. v. 25. & 12. v. 24.

ἕτεροι δὲ πειράζοντες, σημεῖον παρ' αὐτοῦ ἐζήτουν ἐξ οὐρανοῦ. [16] | Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. *Matth. 12. v. 38. 16. v. 1.*

ET ALII. Alij cùm nollent eum in modum maledicere, tamen ac si non fatisfacerent eis miracula ista sanitatum, quibus dæmonum terram incolentium præstigiæ se queant miscere, TENTANTES, hoc est, non eo fine vt crederent in Iesum; sed vt turbarent aut irritarent eum, & viderent quid esset facturus dicturúsve. Nam si fateretur se non posse dare, persuaderent illi rudi populo ipsum nihil habere auctoritatis à cælo. SIGNVM. miraculum aliquod insigne. DE CÆLO. ἐξ οὐρανοῦ ex cælo proficiscens, vbi Deus habitat, & vnde diabolus pulsus est, quo manifestè declararet se à Deo missum: QVÆREBAT. petebat. Reliqua huius versiculi vide Matth. 12. v. 38. & 16. v. 1.

Ipse

Matth.12. v.25 Marc.3. v.24.25.

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur; & domus supra domum cadet.

17 αὐτὸς δὲ εἰδὼς τὰ διανοήματα αὐτῶν, εἶπεν αὐτοῖς· πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα ἐρημοῦται, καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει.

VT VIDIT. *εἰδὼς* sciens. *desolabitur*, vel *desolatur*, vt est in aliis libris, sicut & græcè. ET DOMVS SVPRA DOMVM. ita est ad verbum, *domus super* (seu aduersus) *domum*; obscurè, tum ex eo quòd hebraico more repetitur antecedens loco relatiui, pro eo quod dicas: Domus aduersus semetipsam: tum ex eo quòd subaudiendum relinquatur participium *diuisa*: Domus aduersus semetipsam diuisa seu partita. ille itaque genuinus est sensus, quem expressit etiam Syrus. CADET. vel vt est in aliis libris græco conformiter, *cadit*. mox necesse est cadat, non potest subsistere. Reliqua Matth. 12. v. 25.

Matth.12. v.26. Marc.3. v.26.

Si autem & satanas in seipsum diuisus est: quomodo stabit regnum eius; quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia?

18 εἰ δὲ καὶ ὁ σατανᾶς ἐφ' ἑαυτὸν διεμερίσθη, πῶς σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ, ὅτι λέγετε, ἐν βεελζεβοὺλ ἐκβάλλειν με τὰ δαιμόνια;

SATANAS. corpus dæmonum. IN SEIPSVM aduersus seipsum. vide Mar. 3. v. 26. IN BEELZEBVB principe dæmoniorum. Reliqua Matth. 12. v. 26.

Matth. 12. v.27.

Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt.

19 εἰ δὲ ἐγὼ ἐν βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι; διὰ τοῦτο κριταὶ ὑμῶν αὐτοὶ ἔσονται.

Lege hunc versiculum enarratum Matth. 12. v. 27.

Matth.12. v.28.

Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruénit in vos regnum Dei.

20 εἰ δὲ ἐν δακτύλῳ θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

IN DIGITO DEI. Deo operante. superest *in*. Operatur autem Deus & virtutem suam exserit per spiritum suum: ideò quem spiritum Dei Matthæus dixit, Lucas metaphoricè digitum Dei vocat: quo alludit Saluator ad illud Exodi 8. v. 19: *Digitus Dei est hoc*; vbi digitus Dei, aduersarius esse perhibetur præstigiis dæmonum ac magorum. Simul & remittit nos ad historiam illam Exodi, significans, se regni Dei legatum, ducem, ac ministrum, non minoribus sed maioribus confirmatum signis, quàm patribus illorum Moses fuerit agnitus, captiuitatis ac tyrannidis Ægyptiacæ vindex, & regni ac populi terreni minister. Explicuimus autem aliàs plures rationes ex veterum libris depromtas, ob quas spiritus Dei vocetur digitus Dei, quia consubstantialis ex Patre & Filio procedat, quia eo Deus operetur vt homo digitis, quia diuersitas partitioque donorum per eũ detur, quia Deus illo inungat ea quæ sanctificat, quia monstret viam rectam & veritatem doceat, quia scribat legem in fidelium cordibus, &c. Reliqua huius versiculi petẽda sunt ex Matth. 12. v. 28.

Matth. 12. v.29. Marc.3. v.27.

Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

21 ὅταν ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος φυλάσσῃ τὴν ἑαυτοῦ αὐλήν, ἐν εἰρήνῃ ἐστὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ.

CVM FORTIS. aliquis. ARMATVS. omnis generis armis egregiè instructus. ATRIVM. *τὴν αὐλὴν* aulam, palatium, domum, nemine scilicet ipsum aggredi aut turbare audente. Atrium siue aula propriè est apertus & vacuus locus, ante potentium ædes expolitus: sed accipitur *συνεκδοχικῶς* pro palatio ipso, vt etiam hoc loco, nam alij Euangelistæ domum vocant. IN PACE SVNT EA QVÆ POSSIDET. tranquillè ac beatè frui potest iis quæ possidet, hoc est, bonis suis. Nam est græcè *τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ*, quod est ad verbum, suppetentia sibi, ea quæ habet ipse, bona ac facultates ipsius.

Matth. 12. v.29. Marc.3. v.27.

Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.

22 ἐπὰν δὲ ὁ ἰσχυρότερος αὐτοῦ ἐπελθὼν νικήσῃ αὐτόν, τὴν πανοπλίαν αὐτοῦ αἴρει ἐφ' ᾗ ἐπεποίθει, καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσιν.

SVPERVENIENS. ex improuiso adueniens. Quidam vertunt *aggressus* ex *ἐπελθών*. VNIVERSA ARMA. *τὴν πανοπλίαν* vna vox est, qua Græci declarant quidquid ad iustum apparatum armati viri pertinet. AVFERET. *αἴρει* aufert. SPOLIA EIVS, siue quæ fortis ille ab aliis, siue quæ fortior ab hoc, abstulerit. DISTRIBVET, vel, vt in aliis est libris, græco conformiter, præsenti tempore, *Distribuit* s. seruis atque amicis

cis suis. Ita scilicet agitur in præsenti negotio. Ab initio mundi vsque ad temporis plenitudinem, Satanas regnum suum, validis munitum præsidiis, seruauit incolume, & tranquillè hominum dominatus est, quos sibi mancipatos, compedibus variis ita ferè constrinxerat, vt seruitutem cui addicti erant, fouerent potiùs, quàm ad libertatem vllo modo adspirarent. Denique nihil obfuit, quò minùs sine controuersia in mundo dominaretur: non quòd opifice inuito quidquam posset, sed quòd iusta Dei vindicta, homines propter peccatum, ipsius tyrannidi subiecti essent. Nec enim erat in terra qui illum expugnaret, aut qui viribus armisue cum illo contendere auderet, quandoquidem hominibus nulla ad se iuuandos suppetebat facultas. Adueni igitur ego, promissus è cælo Redētor, Satanæ inexspectatus, qui fortior, quippe Dei Filius, Satanam vinco, & armata illi manu extorqueo humanum genus, quod numquam nisi coactus dimittit. Arma illi aufero, in quibus illi spes omnis erat, ne pro libitu aut tueatur aut propaget imperium: hominesque, quos iniustè ille, tyrannicè, ac præter naturam, sibi vendicarat, Deo creatori assigno, & sanctis angelis diligendos ac custodiendos partior. Videtis me hæc ita feliciter adoriri, ex quotidiana dæmonum eiectione, peccatorum conuersione, & cætera, plura visuri suo tempore. Vt fortior itaque dæmonia eiicio, non vt indigus opis illorum. Discamus hic, quòd obnoxij sumus omnes Satanæ, donec forti ac victrice Christi manu, ab infausta tristique tyranni seruitute liberemur. Cætera lege Matth. 12. v. 29.

ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι. καὶ [23] ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει.

Qui non est mecū, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. *Matth. 12. v. 30.*

NON COLLIGIT. *non congregat* vertit secundùm Matthæum, (eadem enim vtrobique sunt prouerbij istius græca verba) non iungit se mihi. Reliqua lege Matth. 12. v. 30.

ὅταν τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα ἐξέλθῃ [24] ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων, ζητοῦν ἀνάπαυσιν· καὶ μὴ εὑρίσκον λέγει· ὑποστρέψω εἰς τὸν οἶκόν μου ὅθεν ἐξῆλθον.

Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem; & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. *Matth. 12. v. 43. 44.*

DE. ἀπὸ ab HOMINE. ET NON INVENIENS. non inueniens autem. Matth. 12. v. 43. 44.

καὶ ἐλθὸν εὑρίσκει σεσαρωμένον καὶ [25] κεκοσμημένον.

Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam & ornatam. *Matth. 12. v. 44.*

ET ORNATAM. Quidam latini libri hoc omittunt, quamquam etiam græcè & syriacè legatur, vt proprium euangelio secundùm Matthæum, ex quo petenda sunt cætera.

τότε πορεύεται καὶ παραλαμβάνει ἑπτὰ [26] ἕτερα πνεύματα πονηρότερα ἑαυτοῦ, καὶ εἰσελθόντα κατοικεῖ ἐκεῖ· καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων.

Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. *Matth. 12. v. 45.*

TVNC igitur. FIVNT, vel vt in aliis libris est, *sunt*. PEIORA PRIORIBVS. Subaudiendum est hîc ex euangelio secundùm Matthæum: *Sic erit & generationi huic pessimæ*: qua ex pericope, proprius parabolæ sensus colligendus est. Interim verò, quod ad propositam controuersiam faciat, dat intelligendum Saluator, tantum abesse, vt ipse ope dæmonis dæmonem expellat, vt ingenio prorsus contrario, nihil æquè desideret dæmon, atque homines occupare, vsque adeò vt si ex quo eiectus sit, modis omnibus redire studeat, & septē potiùs alios secum ingerat, quàm vt iterum in expulsionis periculo versetur, aut vnus solus de eo se vlciscatur quem semel relinquere coactus fuit. Cætera Matth. 12. v. 45.

* * * * * * * *

τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων ἤρξατο [29] λέγειν· ἡ γενεὰ αὕτη, πονηρά ἐστι· σημεῖον ἐπιζητεῖ, καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου.

Turbis autē concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est: signū quærit; & signū non dabitur ei, nisi signū Ionæ prophetæ. *Matth. 12. v. 39. 16. v. 4.*

CONCVRRENTIBVS ἐπαθροιζομένων. Alius vertit *Condensantibus se*: alius *Quum congregarentur apud eum*. Concurrit, verisimile est, & condensauit se turba, vt quisque quàm proximus Saluatori fieret, quando Pharisæos petentes audiuit miraculum è cælo, vt videret propiùs quid faceret Iesus, aut audiret quid responderet. Nam quòd iste Euangelista per anticipationem narrauit suprà v. 16., hoc loco accidisse Matthæus docere videtur c. 12. v. 38. NEQVAM. πονηρὰ *mala* vertit Matth. 12. v. 39. vbi leges reliqua.

Nam

Matth.12. v.40. Nam sicut fuit Ionas signum 30 Niniuitis; ita erit & Filius hominis generationi isti.

καθὼς γὰρ ἐγένετο ἰωνᾶς σημεῖον τοῖς νινευΐταις, οὕτως ἔσται καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τῇ γενεᾷ ταύτῃ.

IONAS, ex visceribus cœti, in quibus tres dies egerat, euomitus in terram. SIGNVM. miraculum, non enim intelligitur hîc signum quod portendit aliquid, sed quod remotum est à consueto naturæ ordine. Miraculum itaque fuit NINIVITIS quibus prædicauit, quo, vel ad fidem prædicationi adhibendam & ad pœnitentiam commouerentur, vel obdurati & inexcusabiles subuerterentur. FILIVS HOMINIS ex sepulchro ac morte rediuiuus, miraculum viuum, certissimum atque omnium maximum, quo, vel ad fidem & pœnitentiam adducatur, vel obdurata & inexcusabilis exscindatur. GENERATIONI ISTI nationi isti, cui maxima cum spiritus efficacitate per Apostolos suos prædicabit, id quod per se Ionas Niniuitis: *Adhuc quadraginta dies & Niniue peribit*. Reliqua Matth. 12. v. 40.

Matth.12. v.42. Regina austri surget in iudicio cū 31 viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hîc.

βασίλισσα νότου ἐγερθήσεται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῶν ἀνδρῶν τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινεῖ αὐτούς· ὅτι ἦλθεν ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν σολομῶνος, καὶ ἰδοὺ πλεῖον σολομῶνος ὧδε.

CVM VIRIS. cum hominibus, cum Iudæis, HVIVS GENERATIONIS. huius ætatis. Reliqua petenda sunt ex Matth. 12. v.42.

Matth.12. v.41. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum 32 generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hîc.

ἄνδρες νινευῒ ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, καὶ κατακρινοῦσιν αὐτήν· ὅτι μετενόησαν εἰς τὸ κήρυγμα ἰωνᾶ, καὶ ἰδοὺ πλεῖον ἰωνᾶ ὧδε.

PLVS. Si de sapientia quæritur, plus quàm Salomon; si de signis, plus quā Ionas. Reliqua Matth. 12. v.41.

Sup.8. v.16. Matth.5. v.15. Nemo lucernam accendit, & in 33 abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant.

οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, εἰς κρυπτὴν τίθησιν, οὐδὲ ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι τὸ φέγγος βλέπωσιν.

NEMO. οὐδεὶς δὲ nemo autem. ACCENDIT, ET. ἅψας postquam accenderit, accensam. IN ABSCONDITO. εἰς κρυπτὸν in occulto, in loco domus qui non aut vix acceditur, qui à nemine frequentatur. Regius codex alijque legunt εἰς κρυπτὴν in crypta: est enim crypta locus abditus sub terra, quam vulgo vocamus *vne caue*. INGREDIVNTVR domum. LVMEN. τὸ φέγγος splendorem VIDEANT, id est, eius splendore seu lumine collustrati videant quò vadant & quid agant. Quamuis autem, ait, plerique generationis istius, obdurati, vt sunt, nihil sapientia & prædicatione mea moueantur; non idcircò tamen debeo ego sine fructu occulere sapientiam meam, & ociosus à prædicatione cessare: non enim eum in finem frustrà me misit Pater, quin potiùs vt in mundum veniens, illuminem omnem hominem, vt publicè omnibus euangelij doctrinam offeram & ostentem, quò suscipiant illam, & beneficio splendoris eius fruantur, inque eius lumine ambulent, si non omnes, certè qui velint, nulla tenebrarum excusatione relicta osoribus lucis. Hoc modo videtur prouerbium istud hîc aptasse proposito suo Iesus: quem non est imaginandum tam breuibus & concisis sententiis vsum fuisse, quàm Euangelistæ scribunt, ita vt nec declararit qui suo seruirent instituto. Reliqua ad huius versiculi explicationem facientia petenda sunt ex Matth. 5. v. 15.

Marc.6. v.22.23. Lucerna corporis tui est oculus tuus. 34 Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit.

ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός. ὅταν οὖν ὁ ὀφθαλμός σου ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σου φωτεινόν ἐστιν· ἐπὰν δὲ πονηρὸς ᾖ, καὶ τὸ σῶμά σου σκοτεινόν.

TVI EST OCVLVS TVVS. ita est & syriacè: sed græcè catholica enunciatio est, absque pronominibus, qualis secundùm Matthæum: *Lucerna corporis est oculus*. SI OCVLVS. ὅταν οὖν ὁ ὀφθαλμός quum igitur oculus. ERIT. ἐστιν est. SI AVTEM. ἐπὰν δὲ quum autem. *Erit* seu est relinquitur græcè subaudiendum. Nihil verò mirum, addit Saluator, quòd plerique generationis istius, cæci in tenebris permaneant, nec recipiant,

cipiant, aut videant euangelicæ veritatis lumen, quod palàm ipsis ostento & propè ingero; cùm oculus mentis vitiatus ipsis sit, adeoque excæcatus, prauis affectionibus, ambitionis, inuidiæ, odij, cæterorumque malorum. Quemadmodũ enim, vt videas oculis corporis, non sufficit lucerna domus candelabro imposita, sed necessaria etiam est lucerna corporis, oculus, vsque adeò vt si oculus tibi fuerit cæcus aut non sanus, nihil videas, etiamsi ante oculos proposita sit lucerna domus ardens & lucens; sic vt videas oculo animi, non sufficit oblatum lumen veritatis, si ille animi oculus malitia excæcatus est. Quod cùm locum habeat in huius ætatis hominibus, præsertim verò Scribis & Pharisæis, hinc fit, vt non tantùm non recipiant doctrinam meam, verumetiam oppugnent, & manifesta quibus stabilitur signa satanæ adscribant, cæcorum instar iudicantes lucem tenebras. Reliqua quære Matth. 6. v. 22. 23.

σκόπει οὖν μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος ἐστίν. 35	Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. *Matth. 6. v. 23.*

VIDE. caue, adhibe curam. NE LVMEN QVOD IN TE EST. ne id quod in te ipso est loco luminis, ne cor tuum oculus animæ tuæ. TENEBRÆ SINT. prauis affectionibus excæcatum sit. sic enim totum corpus tuum tenebræ fuerint, omnes affectus tui tenebris inuoluantur peccatorum, & agant indigna luce. Alij vertunt: Considera ergo, num lumen quod in te est, tenebræ sunt. i. quòd si ita repereris, emenda, remedium adhibe, ne totum corpus tibi in tenebras vertatur. Reliqua lege Matth. 6. v. 23.

εἰ οὖν τὸ σῶμά σου ὅλον φωτεινὸν, 36 μὴ ἔχον τὶ μέρος σκοτεινὸν, ἔσαι φωτεινὸν ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε.	Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

CORPVS TVVM TOTVM. affectiones tuæ omnes. LVCIDVM FVERIT, oculo scilicet existente simplici. id est, illustrentur ac regantur ab oculo siue corde simplici seu puro, id est, prauarum cupiditatum dominio libero. Reliquis enim animi affectionibus præest cor, hoc est, superior animæ portio. vide Matth. 6. v. 22.

TENEBRARVM. σκοτεινὸν tenebrosum, cui dominentur tenebræ cupiditatum carnis. ERIT LVCIDVM TOTVM. erit bis lucidum, simplici scilicet oculo tuo, suscipiente lucem euangelicæ veritatis, quam ego offero. luce & extrinsecus & intrinsecus affulgente perfundetur. LVCERNA FVLGORIS. lucerna fulgida siue splendida. ILLVMINABIT te. in luce constituet te, sicut si lucerna fulgida, oculo tibi existente sano, illustret te. Grecè est ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε vt quum lucerna fulgore illuminet te; sic erit lucidum totum, vt si lucerna fulgore suo illuminet te, oculo sano præditum. Quare coniectura D. Iansenij est, latinè, pro *& sicut*, legendum esse *vt si cùm*. Loci sententia est: Si igitur cor vobis fuerit à prauarum cupiditatum dominio liberum, facilè probabitur vobis doctrina mea; itaque, quæ à corde vobis procedent omnia, affectiones, verba, opera, humana simul & diuina luce, & rationis & gratiæ lumine, clara illustriaque esse conspicientur.

* * * * * * * *

εἶπε δὲ ὁ κύριος πρὸς αὐτὸν· νῦν ὑμεῖς 39 οἱ φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε· τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας.	Et ait Dominus ad illũ: Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis & catini mundatis: quod autẽ intus est vestrũ, plenũ est rapina & iniquitate. *Matth. 23. v. 24.*

AIT. respondet. DOMINVS intelligens quid animo volueret. *Qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit.* Pro. 24 v. 12. NVNC. Hîc vt alibi aliquando, eam vim habet *nunc*, vt non aliud quàm efferendi præsentis sermonis opportunitatem notet. q. d. Iam opportunum est vt vos huius rei admoneamini, huius inquam præposteræ vanęque religionis. VOS PHARISÆI. Alloquitur non tantùm præsentes, sed & vniuersum ordinem Pharisæorum. CATINI. patinæ, paropsidis. QVOD AVTEM INTVS EST VESTRVM. illud autem vestrum quod intus est, quod est in calice & catino, id est, potus & cibus vester. PLENVM EST. infectum scatet RAPINA ET INIQVITATE. πονηρίας malitia. In quem sensum clariùs quidam vertunt ex græco, pronomine ὑμῶν ad subsequentia per traiectionem relato: *Quod autem intus est, vestra plenum est rapina & iniquitate.* Hoc modo expositus hic Lucæ locus, conuenit etiam verbis cum illo Matth. 23. v. 24: cęteroqui intelligendus est hic sermo Domini secundùm Lucam esse imperfectus, supplendus in hunc modum ex Matthæo: *Quod deforis est calicis & catini mundatis*, intus autem pleni sunt rapina & iniquitate: sic & quidquid deforis est vestrum mundatis, id est, exteriora vestra omnia, manus, corpora, vtensilia; *quod autem intus est vestrum*, id est, interiora vestra, animi vestri, *plenum est rapina & iniquitate*, integrior ac potior vestri pars illota scatet sordibus Deo abominandis, rapinæ amatæ, siue cupiditatis rerum alienarum per fas & nefas acquirendarum, & omnis malitiæ. Posterior hic sensus receptior est: vterque sua habet incommoda. Cæterùm vterque eòdem redit, postquam extra controuersiam est, parabolicum esse sermonem, quo generaliter exteriorum mundandorum curiositas, interiorum autem neglectus, reprehenditur, quemadmodum docuimus Matth. 23. v. 24. 25. vnde reliqua huc pertinentia petenda sunt. Illud porro hîc proprium restat, quòd Iesus hîc sermonis occasionem sumat à calicibus & catinis præsentibus ac mensæ cui assidebatur appositis: intelligens tamen, quod diximus, exteriora omnia ipsorum, non supellectilia tantùm, verumetiam corpora. Cæteroqui enim non satisfaceret admiranti Pharisæo, quòd ipse pro-

pheta & ſanctus vir habitus, menſæ accubuiſſet illorus. Maluit enim Dominus obliquè & conſequenter reuelare ac refutare Phariſæi cogitationem, quàm directè: quòd conſultum non iudicaret, domi, in menſa, vſque adeò admirandum ſe præbere, vt ipſiſſimas aliorum cogitationes in medium produceret. Reſpondet igitur ad cogitationem hoſpitis ſui in hanc ſententiam: Vos quidem Phariſæi, curioſi eſtis exterioris munditiei, vt, antequam comedatis, lauetis calices, catinos, corpora, manus, & omnia vt enſilia: interioris autem munditiei, vt animi veſtri purgentur ab auaritia, inuidia, cæteriſque vitiis, eſtis negligentes. Dicat aliquis, Inciuilem conuiuam videri Dominum & ingratum, qui loco actionis gratiarum perſtringat vitia eius à quo menſa excipitur. Atqui, non poterat Dominus, memor ſe doctorem eſſe veritatis, & medicum animorum, conniuere ad hæc vitia eorum à quibus fuerat inuitatus, ne ventris negotium ageret potiùs quàm euangelij: nec poterat maiores referre gratias, quàm vt ſanaret hoſpitem ſuum malè habentem animo: qui quomodo curandus eſſet, dulcibúſne an amaris, ipſe optimè nouerat, qui *ſciebat quid eſſet in homine, nec opus erat ei vt quis teſtimonium perhiberet de homine.* Iohan. 2. v. 25. Quare Auguſtinus ſermone 30. de verbis Domini: *Quomodo,* inquit, *pepercit ei à quo fuerat inuitatus? magis obiurgando pepercit, vt correcto in iudicio parceret.*

* * * * * * *

Matth. 23. v. 23.

Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentham & rutam & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. 42

ἀλλ' οὐαὶ ὑμῖν τοῖς φαρισαίοις, ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ πήγανον καὶ πᾶν λάχανον, καὶ παρέρχεσθε τὴν κρίσιν καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι.

SED VÆ VOBIS. Obiurgationes quæ ſequuntur, an in conuiuio iſto proſequutus ſit Dominus, an verò alio loco & tempore adduxerit, incertum eſt. Cæterùm quòd alio tempore quæ hîc Lucas, alio quæ capite 23. Matthæus refert, tametſi eadem dicta fuerint, docere videntur verſus 53. & 54. proximi, & verſus 46. capitis 22. ſecundùm Matthæum, ſecum mutuò collati: niſi dicas à Matthæo ſeruatum non fuiſſe ordinem temporis, quod ad omnia quæ refert capite 23. *Sed* ne gloriemini in decimis quas exactiſſimè perſoluitis, tamquam in eleemoſynis, nihil illæ vobis prodeſſe poſſunt, vt nec vllæ aliæ eleemoſynæ, abſque iudicio & charitate Dei. OMNE OLVS. omne genus oleris. ſic Auguſtinus enchirid. ij capite 103. Exactiſſimè decimatis omnia quæ poſſidetis, vſque ad viliſſima olera. ET pro *ſed.* PRÆTERITIS. omittitis, negligitis, contemnitis, contra mentem Dei. IVDICIVM ſiue iuſtitiam. id quod iuſtum & æquum eſt. Tantum hic intelligitur ſolo iudicij vocabulo, quantum ſecundùm Matthæum iudicij & miſericordiæ: nam & miſericordia ſiue beneficientia iudicij eſt, præcipitur lege Dei vt iuſta & rationi ac æquitati conſentanea. CHARITATEM DEI. charitatem erga Deum, amorem qui debetur Deo. Secundùm Matthæum nominatur fides, hîc charitas; illa vt radix, hæc vt perfectio, virtutum quibus Deus colitur, ſeu obſeruationis præceptorum primæ tabulæ. Itaque iudicium ſecundæ, charitas primæ tabulæ decalogi præcepta complectitur. *Dicendo enim iudicium, indicat dilectionem erga proximum,* ait Theophylactus, erga homines quibuſcum viuimus: *dicendo verò charitatem Dei, omnino ſignificat* dilectionem & *generalem affectionem erga Deum.* Hæc vult Saluator dicere, iudicium & charitas Dei, præcipua ſunt legis (nam huc maximè tendit lex, vt Deum ametis, erga proximos verò æqui ſitis) quæ cùm ſecurè negligatis, nihil vobis prodeſſe poteſt quòd obſeruetis minora. Reliqua petenda ſunt ex Matth. 23. v. 23.

Matth. 23. v. 6. 7. Marc. 12. v. 38. 39. Inf. 20. v. 46.

Væ vobis Phariſæis, quia diligitis primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro. 43

οὐαὶ ὑμῖν τοῖς φαρισαίοις, ὅτι ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς.

DILIGITIS. amatis, optatis, ambitis vanum huiuſmodi honorem, tamquam præcipuum aliquod bonum, & eo oblectamini, ad eumque ſtudia veſtra refertis. Reliqua lege Matth. 23. v. 6. 7.

Matth. 23. v. 27.

Væ vobis, quia eſtis vt monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes ſuprà, neſciunt. 44

οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα τὰ ἄδηλα, καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ περιπατοῦντες ἐπάνω οὐκ οἴδασιν.

VÆ VOBIS. Græcè & ſyriacè additur *Scribæ & Phariſæi hypocritæ,* quod nullam habet veriſimilitudinem, & haud dubium ſuppoſititium eſt. Nam quòd Scribas hactenus non alloquatur Dominus, ſignificat Scriba verſu proximo, obiiciens: *Magiſter hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis*: vt præteream, quod pro Scribarum nomine ferè Lucas vti conſueuerit Legiſperitorum. Rectiùs itaque Latinè neutrum legitur, vt ſubaudias ſolos Phariſæos, quos ſolos hactenus alloquitur. MONVMENTA. ſepulchra. QVÆ NON APPARENT. τὰ ἄδηλα. latentia, occulta, quod ad partem ſcilicet interiorem, id eſt, minimè aperta. ET HOMINES AMBVLANTES SVPRA. Hebraiſmus, pro, quę ij qui ambulant ſuper ea. Exponit quod dixerat τὰ ἄδηλα. NESCIVNT ea, non nouerunt ea ſ. ex Matthæo, quomodo intus ſe habeant, quàm fœda ſint & immunda, plena oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia. *Neſciunt* autem, quia foris apparent ſpecioſa, *ſpecie fallunt viſúque decipiunt,* ait Ambroſius. Relinquitur hîc ſubaudiendum, quod ſecundùm Matthæum exprimitur:

tur: sic & vos, quia latet animus vester, foris quidem apparetis hominibus quibuscum conuersamini iusti, sed nesciunt quàm intus pleni sitis hypocrisi & iniquitate. Reliqua quære Matth. 23. v. 26. 27.

* * * * * * *

ὁ δὲ εἶπε· καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαί, ὅτι φορτίζετε τοὺς ἀνθρώπους φορτία δυσβάστακτα, καὶ αὐτοὶ ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν οὐ προσψαύετε τοῖς φορτίοις. 46

At ille ait: Et vobis legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. *Matth. 23. v. 4.*

AIT. respondit. Data huiusmodi occasione deprimit & Scribarum supercilium. ET VOBIS. q. d. Ne gloriemini aut putetis vos carere criminibus, quæ similem reprehensionem publicè institutam mereantur. Nam non Pharisæis solùm, sed & vobis exitium imminet, *quia* cùm oneretis &c. *ipsi vno* &c. QVÆ PORTARE NON POSSVNT. δυσβάστακτα difficilibus portatu. VNO DIGITO VESTRO. ἑνὶ τῶν δακτύλων ὑμῶν vno digitorum vestrorum. NON TANGITIS. οὐ προσψαύετε non attingitis. SARCINAS. τοῖς φορτίοις illa onera. repetitur enim eadem dictio etiam syriacè. Reliqua quære Matth. 23. v. 4.

οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς. 47

Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. *Matth. 23. v. 28. 29.*

VÆ VOBIS. Hoc in omnes Iudæorum principes dicit, non in solos Legisperitos. QVI. ὅτι quia. ÆDIFICATIS. id, vel est conficitis, vel confecta ædificiis seu structuris additis ornatis: vtrumque enim est ædificare sepulchra. PATRES AVTEM VESTRI OCCIDERVNT EOS. Hebraismus, pro, quos patres vestri occiderunt. Reliqua pete ex Matthæo.

ἄρα μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν· ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτούς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα. 48

Profectò testificamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorũ sepulchra.

PROFECTÒ. ἄρα nempe. Explicat quare dicat ejs væ. TESTIFICAMINI. μαρτυρεῖτε testamini s. re ipsa. QVÒD CONSENTITIS. καὶ συνευδοκεῖτε ad verbum *& consentitis*, id est, quòd consentiatis & comprobetis. OPERIBVS. sceleribus, parricidiis. ÆDIFICATIS EORVM SEPVLCHRA. Videri possit Saluator hoc accepisse, pro cõficitis eorũ sepulchra, eò quòd is qui veteri sepulchro nouas structuras addit, sepulchrum ædificare, impropriè licet dicatur. Sepulchrum autem conficitur homini sepeliendo: est igitur ac si diceret: Sepelitis eos; vel, vt sepeliantur cooperamini. Consummatur autem mors sepultura, habenturque socij criminis qui occidunt & qui sepeliunt, vt auferentes, illi vitam, isti memoriam: sic enim solent latronum socij, à latronibus occisos, alio homicidij genere, ne reperiantur, sepelire. Ex eo igitur quòd sepeliant seu sepulchra conficiant, colligit eos approbare cædem. Alij putant Saluatorem accipere *ædificare* pro ornare, quemadmodum Matth. 23. v. 28., & interpretari, ornatum sepulchrorum fieri, nõ ad gloriam eorum qui occisi sunt, sed ad laudem eorum qui occiderunt, quemadmodum trophæa statuuntur victoribus eo loco quo hostes peremerunt. sic Chrysostomus & Euthymius in Matthæum scribentes. Vtrauis porrò interpretatio, est in partem peiorem: nam ex natura operis, licebat in bonam partem interpretari, opus enim est ex suo genere religiosum, eò quòd & ex humanitate scelus detestãte, sæpenumerò sepeliantur qui ab aliis fuerint occisi, & sepulchra non rarò ornentur, ad celebrandum quidem innocentiam eorum qui occisi sunt, exsecrandum autem impietatem eorum qui occiderunt. Sed quòd in peiorem partem interpretetur, quodque merebantur vt ipsorum opera hoc modo in ipsos retorquerentur, monstrat Saluator per ea quæ subiicit: *Mittam ad illos prophetas & apostolos* &c. Tamquam igitur dicit: Vos ædificando atque ornando sepulchra prophetarum, videri vultis prophetas colere, & damnare vestros patres, qui ipsos occiderunt: atqui ego dico, vos crudelitatem patrum vestrorum approbare, & tamquam sepulchra parare sepeliendis prophetis, quos gaudeatis à patribus vestris interemtos, aut certè monumenta exstruere ac trophæa erigere patrum vestrorum fortitudinis aduersus prophetas, quos iure è medio abstulerint, alentes memoriam criminum paternorum, quæ fuerant tegenda nisi approbarentur. Id enim quiuis dicat qui vos penitiùs introspiciat, & ex animo vos æstimet, quem declaratis erga huius temporis prophetas, Christum eiusq; discipulos, quos ad necem quæritis, vt patres vestri antiquos prophetas: in quos & deteriora molimini quàm illi olim patrarint in prophetas. Per opera igitur, quibus similes estis patribus vestris, fit, vt perinde agere iudicemini, ac si patribus vestris cooperaremini, aut in gloriam eorum ædificaretis: *Videremini siquidem*, ait Euthymius, *in honorem eorum qui occisi sunt ornare monimenta, & ad accusationem patrum vestrorum prædicta facere, nisi homicidium eorum imitaremini.*

διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ θεοῦ εἶπεν· ἀποστελῶ εἰς αὐτοὺς προφήτας καὶ ἀπο- 49

Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas & apostolos, *Matth. 23. v. 33.*

stolos, & ex illis occident & persequentur:

σόλυς, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενοῦσι, καὶ ἐκδιώξουσιν·

PROPTEREA. quia consentiebant illi operibus patrum suorum, quia approbabant tam re ipsa quàm affectu cædes prophetarum à patribus suis perpetratas, vtque hoc declararet. ET. etiam. SAPIENTIA DEI, id est, Iesus DIXIT prædixit, inter cæteras comminationes & hanc addidit, dum Scribis & Pharisæis sua vitia intrepidè constanterque aperiret. Prima hæc verba sunt Euangelistæ, quibus Iesum vocat sapientiam Dei, vt mentes lectorum attollat ad considerationem dignitatis Iesu, omnium futurorum præscij & sapientissimi dispositoris, ne has exprobrationes & comminationes temerè in Scribas & Pharisæos hostes suos effutiuisse putaretur à quoquam. Est autem Iesus sapientia Dei, secundùm diuinam quidem naturam, quia verbum Dei est (Iohan. 1. v. 1.) verbum autem sapiētia est: verbum seu sapientia est, ex Deo procedens, vt verbum seu cogitatio hominis ex mente: secundùm humanam verò naturam, quia in ipso omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, quod docet Apostolus Coloss. 2. v. 3. AD ILLOS Legisperitos & Pharisæos cæterosque Iudæos. Mutatio personæ quam Euangelista fecit: nam sapientia ipsa dixit *ad vos*, quod ex Matthæo clarum est, nisi fortè bis istud dixerit. PROPHETAS. Congruit prophetæ nomen generaliùs hîc accipere quàm secundùm Matthæum, ita vt & Scribas complectatur; scilicet, nō pro iis tantùm qui futura prædicunt, sed & pro iis omnibus qui voluntatis diuinæ sunt interpretes vide Matth. 7. v. 15. 22. APOSTOLOS. imbutos cognitione mysteriorum Christi. ET EX ILLIS. sed ex illis OCCIDENT s. alios, alios PERSEQVENTVR. PERSEQVENTVR. Interpres legit διώξουσι. At ἐκδιώξουσι, quod est in plerisque libris, multo ἐμφατικώτερον est, q. d. ita insectabuntur vt tandem expellant iniuriis suis. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

Matth. 23. v. 34.

50 vt inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi, à generatione ista,

ἵνα ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα πάντων τῶν προφητῶν, τὸ ἐκχυνόμενον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης,

VT INQVIRATVR. ἵνα ἐκζητηθῇ vt exquiratur aut requiratur (quo modo vertit versu proximo) ita vt requirendus sit SANGVIS, ita vt ratio reposcenda & pœnæ exigendæ sint sanguinis. Similis phrasis exstat Psal. 9. v. 13. & Ezech. 3. v. 18. OMNIVM PROPHETARVM qui Dei nomine populum ad pœnitentiam inuitauerunt. Generaliter hîc accipiendum esse prophetæ nomen, docent versus proximè præcedens & sequens. A CONSTITVTIONE. à creatione. vide Matth. 13. v. 35. A GENERATIONE ISTA. ab hominibus huius generationis siue ætatis. Referenda est hæc particula ad verbum *inquiratur*, non ad *effusus est*. Reliqua lege secundùm Matthæum.

Matth. 23. v. 34. 35.

51 à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

ἀπὸ τοῦ αἵματος ἄβελ, ἕως τοῦ αἵματος ζαχαρίου τοῦ ἀπολομένου μεταξὺ τοῦ θυσιαστηρίου καὶ τοῦ οἴκου. ναὶ λέγω ὑμῖν, ἐκζητηθήσεται ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης.

ABEL. Fuit Abel propheta, qui clariore rerum diuinarum, ac præsertim venturi Saluatoris, cognitione à Deo & patre Adamo accepta, sacrificio quod obtulit mortem Christi præfigurauit, & sermonibus suis cum vitæ innocentia coniunctis, familiam patris sui ad Deum colendum & amandum prouocauit. ZACHARIÆ patris Iohannis Baptistæ, qui & ipse propheta fuit, edito vaticinio, quod sup. 1. v. 67. & deinceps recitatur. QVI non ita pridem PERIIT. è vita sublatus est, interfectus est. ÆDEM. τοῦ οἴκου domum. Solum templum interius, complectens sanctum & sanctum sanctorum, domus formam præ se ferebat, vtpote solum tecto coopertum. ITA. ναὶ profectò, certè, pro quo Matthæus *amen*. vehementer affirmantis est. REQVIRETVR omnis ille sanguis. Cætera quære Matth. 23. v. 34. 35.

Matth. 23. v. 13.

52 Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.

οὐαὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς, ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως· αὐτοὶ οὐκ εἰσήλθετε, καὶ τοὺς εἰσερχομένους ἐκωλύσατε.

VÆ VOBIS. s. dixit & hoc, inter cætera huiusmodi, Sapientia Dei. TVLISTIS. ἤρατε. Hoc Græci interpretantur sustulistis, abscondistis, obscurastis, ita vt claui è medio quasi sublata, maneat clausa ianua. sic Euthymius, Theophylactus, & Cyrillus in cathena citatus. CLAVEM SCIENTIÆ. clauem quæ præbet scientiam seu cognitionem s. rerum ad salutem scitu necessariarum, quæ quidem solæ dignæ sunt quæ sciantur. Hæc clauis est Scriptura sacra, docens quæ credenda sint vt saluus fias: est autem clauis regni cælorum, docens enim quæ credenda de Christo cæterisque diuinis mysteriis sint, aperit regnum cælorum, ita vt fide concepta liceat introire. Hanc clauem Legisperiti, aduersus professionem suam (ipsorum enim erat Scripturam sacram populo enarrare) sustulerant, ita vt vix vllus maneret illius vsus. Vel enim omnino non explicabant populo Scripturam sacram, sed in doctrinis mandatisque hominum, in traditionibus & constitutionibus maiorū, parùm aut nihil ad veram pietatem facientibus, explicandis, toti erant: vel in illis sacræ Scripturæ rebus immorabantur, quæ minùs necessariæ erant, vt in obseruatione nudarum ceremoniarum, sine explicatione significationum, nec alios quidquam præter hæc solidum scire permittebant. Nam quæ de Christo, de eius virtute & efficientia, de fide & pœnitentia, & cæteris quæ ducunt ad regnum cælorum, in Scri-

Scripturis exstant, quæ vt maxima inprimis tractari doceriique oportebat, prætèribant omnia: & ne prouocati quidem sæpius à Christo ad harum rerum tractationem & Scripturarum de se perscrutationem, his attendebant, neque alios de his instruebant vel instrui patiebantur à Christo aut quouis alio, non permittentes vt quisquam de Scripturis ageret aut diceret quidquam, nisi se consultis & ex suarum interpretationum præscripto: quinimmo peruersa interpretatione corrumpebant manifestas de aduētu Christi iam præsentis prophetias. His itaque modis sustulerant illi fraudulenterq; suppresserant doctam illam clauem, à Spiritu sancto donatam Israeli ad aperiendum regnum cælorum. Hanc Christus restituere conabatur, eaque aperire Israelitis regnum cælorum: verùm quantū Christus aperiebat, tantum illi, simul & Pharisæi, claudebant regnum cælorum ante homines, modis omnibus prohibentes & agentes, ne quis Christo crederet, id quod ipsis vlteriùs exprobratur Matth. 23. v. 13. Hic enim reprehenduntur, quòd sublata claui non aperirent aut sinerent aperiri regnum cælorum: illic, quòd etiam apertum iam regnum cælorum, claui à Christo restituta, clauderent in ora hominum. IPSI NON INTROISTIS nec introitis s. in regnum cælorum, quippe qui claui, quæ vobis ad manum est, vti non vultis. nam Scripturas non scrutamini, neque Mosi magis quàm mihi creditis. Et, quod peius prorsusque contrarium vestræ professioni est, EOS QVI INTROIBANT vel introeunt (τοὺς εἰσερχομένους introeuntes, qui parati sunt introire, aperto à me regno cælorum ea quam restitui claui, qui parati sunt in me credere & ecclesiæ meæ inseri, persuasi prædicatione mea, & propositis à me Scripturis sacris. PROHIBVISTIS ac prohibetis s. introire, in me credere & ecclesiæ meæ adiungi; prohibetis inquam, peruersis Scripturæ sacræ interpretationibus, blasphemiis doctrinæ operumque meorum, minis intentatis, & aliis omnibus quibus potestis modis. vide Matth. 23. v. 13.

* * * * * * * *

CAPVT DVODECIMVM.

Ἐν οἷς ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, ὥστε καταπατεῖν ἀλλήλους, ἤρξατο λέγειν πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ πρῶτον· προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων, ἥτις ἐστὶν ὑπόκρισις.

1 Multis autem turbis circumstantibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

Matth. 16. v. 6.

MVLTIS AVTEM TVRBIS. Loco coniunctionis *autem*, syriacè legitur *&*; græcè ἐν οἷς, quod est, *in quibus*, inter quæ, inter ea, breui posteà, paulò post discessum à Pharisæis, recenti adhuc memoria disputationis cum illis habitæ Capite superiori. Rursus pro *multis turbis* græcè legitur τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου *myriadibus turbæ*, quod est, infinita, immensa, permulta turba. positus est enim definitus numerus pro infinito. CIRCVMSTANTIBVS. ἐπισυναχθεισῶν simul aggregatis, coactis. ITA VT SE INVICEM CONCVLCARENT. studio Iesum videndi & audiendi, propiusque accedendi: namque hic mos turbarum est. Conabantur Pharisæi turbas abarcere à Iesu: at contrà magis turbæ eum adeunt, adeoque in innumeras turbas colliguntur, quod notat Theophylactus. AD DISCIPVLOS SVOS. sequitur græcè & syriacè πρῶτον *primum*: quod si præcedentibus iungatur, est, *maximè*; ad omnes quidem, sed ad discipulos suos maximè, vultu ad eos verso; si sequentibus, est, *inprimis*, ante omnia, *attendite* &c. ATTENDITE. προσέχετε ἑαυτοῖς cauete vobisipsis. A FERMENTO PHARISÆORVM. à fermento quo Pharisæi infecti sunt, ne vel inficiamini simili fermento, vel certè incauti decipiamini eorum fermento. Quod Matth. 16. v. 6. priuatim discipulos monuerat, id palàm publicèque hîc facit. QVOD EST HYPOCRISIS. Hypocrisis est simulatio virtutis; quando quis non vera sinceràque virtute, quæ ab animo præcipuè pendet, conatur esse præditus, sed externa virtutis imagine specieque contentus est. Hæc fermento comparatur, quia fermenti modo viriat quidquid in homine esse potest boni, inficit hominem non iustificat, non implet sanctitate, sed inflat inani specie, fallens hominum oculos, coram Deo nihil continet solidi. Hæc quomodo occupauerit & doctrinam & mores Pharisæorum, exposuimus loco illo Matth. 16. v. 6. Et poterat quidem Iesus hîc discipulos admonere vt hypocrisin fugerent, etiamsi Pharisæos non nominaret: sed quia frequentissimus iam aderat populus, qui Pharisæos, virtutis iustitiæque respectu plurimi faciebat, quamquam illi contrà non tantùm non essent animo virtute prædito, verumetiam omnis generis vitiis intus scaterent, & præter hæc palàm & ex professo aduersarentur ipsi Christo Domini, ab eoque recipiendo omnes auocare pertinacissimè niterentur, reprehensionibus hactenus non emendati, sed deteriores redditi: idcircò illos nominat, eorumque insignem hypocrisin retegit, ac nominatim traducit, non contentionis causa (absit) sed, ne illi, sicut modis omnibus conabantur, populum à fide in Christum auocare valerent, id est, vt populus de fucata illorum hypocrisi factus certior, desineret eos admirari ac venerari sanctitatis nomine, itaque emergeret è periculo illos imitandi & Christum reiiciendi. Sic ergo alloquitur hîc Dominus discipulos suos, monetque fugere vitium hypocrisis (quo non facilè aliud detestabilius) vt simul obliquè quasique aliud agens, moneat præsentem multitudinem, cauere, ne Pharisæorum hypocrisi, id est, auctoritate ornata inani specie virtutum, decipiatur, & à Christo recipiendo abducatur; eo fine, vt si seduci se sinat, prout tandem accidit, non possit sæpiùs præmonita excusationem adferre, qualem potuisset, si hypocrisis illorum tutò latens, pro vera sinceràque sanctimonia permissa fuisset haberi. Erat itaque admonitio hæc, tum populo tum discipulis, multis modis necessaria.

Matth.10. v.26. Marc.4. v.22. Sup 8. v.17.

Nihil autem opertum est, quod non reueletur: neque absconditum, quod non sciatur. 2 οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστὶν, ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· καὶ κρυπτὸν, ὃ οὐ γνωσθήσεται.

NIHIL AVTEM. Plures sunt huiusmodi γνῶμαι siue sententiæ generales, familiares Domino Iesu, quæ ad varios vsus ab ipso accommodantur. Ista hoc loco seruire videtur, ad coarguendum hypocrisin, vitium quod studiosè occultatur, atque ita, vt eo cætera quoque vitia occultari posse putentur. Atqui pronunciat Dominus, nihil esse in hac vita occultum, quod non sit, vel in ipsa, vel vt minimùm in futura, reuelandum. Vult hypocrita, malus quidem esse, bonus autem videri: frustrabitur sua spe, dum, Deo iusto iudice faciente, malitia ipsius toti mundo innotescet, magno ipsius probro, quemadmodum euidenter accidit Pharisæis. Quare rectè scribit in hunc locum V. Beda: *Est ergo sensus: Attendite ne æmulemini simulatores: quia veniet profectò tempus, in quo & vestra virtus omnibus, & eorum reueletur hypocrisis.* Reliqua ad huius versus expositionem facientia, petenda sunt præsertim ex Matth.10. v. 26.

Matth.10. v.27.

Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicetur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. 3 ἀνθ' ὧν ὅσα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἴπατε, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται· καὶ ὃ πρὸς τὸ οὖς ἐλαλήσατε ἐν τοῖς ταμείοις, κηρυχθήσεται ἐπὶ τῶν δωμάτων.

QVONIAM. ἀνθ' ὧν. Confirmatio est sententiæ superioris, in quem sensum & Syrus vertit *nam*. Potest etiam reddi *propterea*, tamquam hæc sententia ex illa inferatur. QVÆ. quæcumque. DIXISTIS. dixeritis, vos aliiue quicumque. DICENTVR. ἀκουσθήσεται audientur. s. ab omnibus. LOCVTI ESTIS. locuti fueritis. IN CVBICVLIS. ἐν τοῖς ταμείοις in conclauibus, in intimis ædium penetralibus, id est, secretissimè. Exaggeratio est enim secreti, *in aurem* & præterea *in cubiculo*. PRÆDICABITVR. Obseruandæ antitheses, tenebrarum & luminis, locutionis in aurem & prædicationis, denique cubiculorum & tectorum: prędicare enim est rem palàm omnibus aperire atque annuntiare, quod docuimus Matth.3.v.1. IN TECTIS. ex tectis. ἐπὶ τῶν δωμάτων *super tecta*, vertit secundùm Matthæum. Tecta, quæ suprema pars est domus, patens & exposita omnium oculis, opponuntur cubiculis, quæ est pars domus secretior. *Ergo prædicabitur in tectis*, inquit Beda, *cunctis audientibus palam dicetur*. Cauete itaque, vult dicere Saluator, ne quid dicatis faciatisue aut cogitetis, etiam soli, quod nolitis aliquando ab omnibus sciri: quin potiùs vita vestra omni careat fuco. Nam & Pharisæorum simulatio, suo tempore manifesta reddetur, notumque fiet omnibus quanta scelera texerint, eâ quam obiiciunt hominum oculis imagine sanctitatis, præsertim verò odium iniustissimum mei, missi ad ipsos vniuersumque Israel saluandos. Reliqua supplenda sunt ex Matth.10. v.27.

Matth.10. v.28.

Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. 4 λέγω δὲ ὑμῖν τοῖς φίλοις μου, μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, καὶ μετὰ ταῦτα μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι.

AMICIS MEIS quos fallere nolim. NE TERREAMINI. μὴ φοβηθῆτε ne timeatis s. vobis. AB HIS. Pharisæis aut aliis quibuscumque persecutoribus AMPLIVS QVID FACIANT. nihil maius possunt, nec quidquam amplius. Subindicat aliquid amplius, atque id maius, fieri posse (id quod versu proximo explicat) quamquam non ab homine, ac proinde non esse corporis mortem, prout multi persuasi sunt, summum atque vltimum malorum: vilem & contemnendam reddens impiorum sæuitiam, quæ etsi ad summum euaserit, nihil tamen pio adferre nocumenti potest, quod ad veram & perpetuam salutem attinet. Reliqua pete ex Matth.10. v.28.

Matth.10. v.28.

Ostendam autẽ vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatẽ mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete. 5 ὑποδείξω δὲ ὑμῖν τίνα φοβηθῆτε· φοβήθητε τὸν μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι ἐξουσίαν ἔχοντα ἐμβαλεῖν εἰς τὴν γέενναν. ναὶ λέγω ὑμῖν, τοῦτον φοβήθητε.

OSTENDAM. vide sup.6. v.47. ὑποδείξω præmonstrabo. De impendentibus periculis monet: quia scilicet improuisa, quod aiunt, vehementiùs feriunt. id notare videtur verbi præpositio. QVEM TIMEATIS. quem timere meritò debeatis. OCCIDERIT hominem, quod ad corpus. MITTERE. mittendi, iniciendi, scilicet hominem, & corpore & anima. IN GEHENNAM. in ignem suppliciumque æternum. cuius subiacet arbitrio & temporaria hæc hominis vita & æterna. ITA. ναὶ etiam. Magna cum emphasi confirmat repetitio ista sententiam. q.d. Si timorem placet adhibere in consilium, certè hic vnus meritò timendus est. Reliqua petantur ex Matth.10. v.28.

Matth.10. v.29.

Nónne quinque passeres veneunt 6 οὐχὶ πέντε στρουθία πωλεῖται ἀσσα-

ἀσσαρίων δύο; καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον ἐνώπιον τοῦ θεοῦ;

dipondio: & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo?

DIPONDIO. ἀσσαρίων δύο assariis duobus. Videtur Interpres intellexisse asses, quales primùm cusi fuere, pondere vnius libræ; ideoque vertisse dipondium. Prostabant passerculi duo, assario vno, vt Matthæus dicit; quinque, assariis duobus, vt Lucas, id est, vno asse semunciali. ita enim solent mercatores, quo plus mercium accipis, eo minoris singulas dare. Verisimile est, variis opportunitatibus ac temporibus hæc eadem à Saluatore Apostolis repetita, quò in animos illorum infigerentur. NON EST IN OBLIVIONE. Non datur à Deo obliuioni, vt ipso aut inscio aut non permittente, occidatur, lædatur, vel capiatur. Reliqua quære Matth. 10. v. 29.

7 ἀλλὰ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, πᾶσαι ἠρίθμηνται. μὴ οὖν φοβεῖσθε, πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς.

Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos.

Matth. 10. v. 30. 31. Inf. 21. v. 18.

Hic versus tractatus est Matth. 10. v. 30. 31.

8 λέγω δὲ ὑμῖν, πᾶς ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁμολογήσει ἐν αὐτῷ ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ.

Dico autem vobis: Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei.

Matth. 10. v. 32.

DICO AVTEM VOBIS. Exprimit præmium, quod illos manet, qui constanter in persecutionibus se gesserint, pœnam quoque quæ luenda sit si defecerint. ET FILIVS HOMINIS. id est, ego, quem fuerit confessus, licet Filius hominis, vilis hîc habitus & abiectus. Eleuat discipulorum mentem, à conditione humanæ naturæ, cui pro sua dignatione subiectus erat, ad considerandam maiestatem Filij Dei venturi iudicis: vt ne quidquam illos humanæ naturæ infirmitas à confessione remoretur. CORAM ANGELIS DEI. qui iudicantis maiestatem cingent atque ornabunt, presto vt afficiant gloria & in cælorum regnum recipiant, quos ille suos declarauerit. Angeli Dei vocantur, quia nuncij sunt ac ministri Dei, Deo seruientes, & inhærentes: opponuntur *angelis diaboli* Matth. 25. v. 41. Reliqua lege Matth. 10. v. 32.

9 ὁ δὲ ἀρνησάμενός με ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων, ἀπαρνηθήσεται ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ.

Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.

Matth. 10. v. 33. Marc. 8. v. 38. Sup. 9. v. 26.

NEGABITVR. ἀπαρνηθήσεται abnegabitur, seu, vt est in quibusdam latinis libris *denegabitur*. CORAM ANGELIS DEI, præsto futuris, vt in tenebras exteriores eiiciant, quos iudex Christus abnegauerit. Reliqua Matth. 10. v. 33.

10 καὶ πᾶς ὃς ἐρεῖ λόγον εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἀφεθήσεται αὐτῷ· τῷ δὲ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα βλασφημήσαντι, οὐκ ἀφεθήσεται.

Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.

Matth. 12. v. 31. 32. Marc. 3. v. 28. 29.

BLASPHEMAVERIT, quemadmodum is qui me fide cognitum negat, deserit, & subdit se alteri. Reliqua lege Matth. 12. v. 31. 32.

11 ὅταν δὲ προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς συναγωγάς, καὶ τὰς ἀρχάς, καὶ τὰς ἐξουσίας, μὴ μεριμνᾶτε πῶς ἢ τί ἀπολογήσησθε, ἢ τί εἴπητε·

Cùm autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus & potestates, nolite soliciti esse qualiter aut quid respõdeatis, aut quid dicatis:

Matth. 10. v. 17. 18. 19. Marc. 13. v. 11.

INDVCENT. προσφέρωσιν adduxerint, stiterint s. homines, id est, cùm sistemini seu adducemini, scilicet propter prædicationem aut confessionem mei. Prædicit discipulis id quod euenturum erat, & futuri paulò pòst temporis imaginem ob oculos ponit. IN SYNAGOGAS. ἐπὶ τὰς συναγωγὰς ad synagogas, Iudæorum concilia; aut ad tribunalia gentilium, quæ per MAGISTRATVS AC POTESTATES significantur. RESPONDEATIS. ἀπολογήσησθε pro defensione vestri adferatis. Reliqua pete ex Matthæo.

12 τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα διδάξει ὑμᾶς ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἃ δεῖ εἰπεῖν.

Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.

Matth. 10. v. 19. 20. Marc. 13. v. 11.

DOCEBIT. suggeret. IN IPSA HORA. ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ea ipsa hora, seu eo ipso momento. etiamsi ex impro-

improuiso capti, nihil meditati sitis. QVID OPORTEAT VOS DICERE. vel potiùs, vt est in aliis libris, græco consentaneè, *quæ oporteat dicere*. multoque magis qua ratione. Reliqua quære Matth. 10. v. 19. 20. & Marc. 13. v. 11.

* * * * * * * *

Matth. 6. v. 25.

Dixitque ad discipulos suos: Ideò dico vobis, nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. 22 εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ· διὰ τοῦτο ὑμῖν λέγω, μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν, τί φάγητε· μηδὲ τῷ σώματι, τί ἐνδύσησθε.

DIXITQVE. εἶπε δὲ dixit autem. Promiscuam multitudinem ab auaritia dehortatus, ad discipulos se conuertit, tradendæ ipsis, tamquam capacioribus, prouectioris sublimiorisque doctrinæ causa, omnibus quidem necessariæ, sed ipsis inprimis, quos deinde voluit in euangelio mox per orbem terrarum promulgando totos esse, neglecta aliarum omnium rerum cura. IDEÒ. quia res est Deo tam detestabilis, auaritia fiduciaque in diuitiis, & in victus vestitusque copia vita minimè sita est. NOLITE SOLICITI ESSE. μὴ μεριμνᾶτε ne soliciti sitis. quia solicitudo huiusmodi, radix philargyriæ est, rectaque ad auaritiam via. Reliqua petenda sunt ex Matth. 6. v. 25.

Matth. 6. v. 25.

Anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum. 23 ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος.

ANIMA. Syrus addit *enim*. Reliqua ad huius versiculi expositionem lege Matth. 6. v. 25. non enim alia diuersitas est, quàm quòd illic interrogatio sit, æquiualens huic affirmationi.

Matth. 6. v. 26.

Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos: quanto magis vos pluris estis illis? 24 κατανοήσατε τοὺς κόρακας, ὅτι οὐ σπείρουσιν οὐδὲ θερίζουσιν, οἷς οὐκ ἔστι ταμεῖον οὐδὲ ἀποθήκη, καὶ ὁ θεὸς τρέφει αὐτούς· πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν;

CORVOS. volucres cæli, & nominatim coruos, ad quos frequenter Scriptura remittit. Iob 38. v. 41. Psal. 146. v. 9. QVIA. ὅτι quòd. ex Syro liceat vertere *qui*. Quòd etsi voracissimi sint & plurimo egentes cibo, NON tamen SEMINANT NEQVE METVNT: & quamuis longæui sint diutissimeque viuant, nullum tamen CELLARIVM habent, in quo varios cibos ad breue; NEQVE HORREVM, in quo seruatu faciliores, ad longum tempus reponant. ET DEVS PASCIT ILLOS. Neque ideò commodo, opportuno, vario, atque ipsis grato cibo, deficiuntur, nec diu etiam viuere desinunt. nam Deus cibum ipsis prouidet. ILLIS coruis cæterisque volucribus. Græcè & syriacè, pro *illis*, est τῶν πετεινῶν volucribus. Reliqua lege Matth. 6. v. 26.

Matth. 6. v. 27.

Quis autem vestrûm cogitando potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? 25 τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν, δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα;

COGITANDO. μεριμνῶν *cogitans* dicit secundùm Matthæum, vnde reliqua petenda sunt.

Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris soliciti estis? 26 εἰ οὖν οὔτε ἐλάχιστον δύνασθε, τί περὶ τῶν λοιπῶν μεριμνᾶτε;

QVOD MINIMVM EST. Augere nonnihil proprij corporis staturam, res minima est, collata cum eo quod est corpus animamque in vita seruare, quò tendit humana solicitudo. POTESTIS, quantauis adhibita cura, nisi Deo id facere placeat. DE CÆTERIS maioribus, ipsis scilicet anima & corpore. SOLICITI ESTIS anxiè, vt ea seruetis, tamquam solicitudine vestra id fieri debeat, & non potiùs à Deo sit exspectandum? vide Matth. 6. v. 27.

Matth. 6. v. 28. 29.

Considerate lilia, quomodo crescunt: non laborant, non nent. dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. 27 κατανοήσατε τὰ κρίνα, πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ, οὐδὲ νήθει. λέγω δὲ ὑμῖν, οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων.

CONSIDERATE AVTEM quod ad vestitum attinet. VESTIEBATVR. περιεβάλετο *coopertus est*, vertit secundùm Matthæum, apud quem leges reliqua cap. 6. v. 28. 29.

εἰ δὲ τὸν χόρτον, ἐν τῷ ἀγρῷ σήμερον [28] ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ θεὸς οὕτως ἀμφιέννυσι, πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι;

Si autem fœnum quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos, pusillæ fidei?

Matth.6. v.30.

PVSILLÆ FIDEI. ὀλιγόπιστοι minimæ fidei, vertit Matth.6. v.30. vbi leges reliqua.

καὶ ὑμεῖς μὴ ζητεῖτε τί φάγητε [29] ἢ τί πίητε, καὶ μὴ μετεωρίζεσθε·

Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli:

Matth.6. v.31.

ET VOS. vos igitur. Infert ex præcedentibus, vt secundùm Matthæum. NOLITE QVÆRERE. μὴ ζητεῖτε ne quæratis, ne anxiè prouideatis. BIBATIS s. aut quid induamini vestium loco. ET, si hæc suppetunt aliquo modo, NOLITE IN SVBLIME TOLLI. μὴ μετεωρίζεσθε ne in sublime tollamini, vt scilicet procul ventura prospiciatis, vt in longum tempus futuris necessitatibus corporis consulatis ac prouideatis. In sublime ascendimus, vt longè prospiciamus: metaphoricῶs igitur Saluator illum dicit in sublimi se statuere, qui in longè pòst futurum tempus distendit solicitudinem de victu & cultu, non contentus præsentibus. Quocirca hoc est *Nolite in sublime tolli*, quod Matth.6., vbi hæc eadem omnis doctrina traditur: *Nolite soliciti esse in crastinum.* v.34.

ταῦτα γὰρ πάντα τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου [30] ἐπιζητεῖ· ὑμῶν δὲ ὁ πατὴρ οἶδεν ὅτι χρήζετε τούτων.

hæc enim omnia gentes mundi quærunt: Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

Matth.6. v.32.

OMNIA. cibum, potum, cæteraque huic vitæ sustinendæ necessaria, vt abundè in longum tempus suppetant. MVNDI. quæ alium mundum aliámue vitam haud nouerunt, multoque minùs exspectant, quàm præsentem. QVÆRVNT. ἐπιζητεῖ inquirunt, cura anxia adhibita, tamquam pro bonis præcipuis, sua ipsorum industria comparandis. QVONIAM. quòd. Reliqua quære Matth.6. v.32.

πλὴν ζητεῖτε τὴν βασιλείαν τοῦ [31] θεοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.

Verumtamen quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.

Matth.6. v.33.

VERVMTAMEN. πλὴν quin potiùs. QVÆRITE PRIMVM Ab aliis libris omittitur *primùm*, sicut etiam quod sequitur ET IVSTITIAM EIVS, græco consentaneè. vide Notas. Reliqua pete ex Matth.6. v.33.

μὴ φοβοῦ, τὸ μικρὸν ποίμνιον, ὅτι εὐ- [32] δόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν.

Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

NOLITE TIMERE. μὴ φοβοῦ ne timeas s. vt hæc omnia adiiciantur vobis, ne vitæ istius necessaria aliquando vobis desint, si vos solicitudinem exuatis. Conatur eximere suis, omnis immodicæ solicitudinis radicem, timorem quo plerique anguntur, ne inediam inopiámve aliquando patiantur. PVSILLVS. τὸ μικρὸν ô pusille, ô parue GREX, s. meus seu discipulorum meorum. id est, quantumuis paruus sis, cùm numero tum opibus & viribus, tenuis, simplex, rerumque humanarum parùm studiosus, ac proinde contemtus mundo, qui non facilè vos euehet ad splendidas vitæ conditiones (quas neque ambitis) nec vitæ necessaria vobis subministrare curabit. Quamuis sis grex paruus, non ideò vos paruì æstimat Deus. Numquam non numero paruus fuit, grex huiusmodi discipulorum Iesu. Grex porrò cùm sit Iesu, intelligitur Iesus illius pastor esse, qui de seipso ait: *Ego sum pastor bonus.* Iohan.10. v.11.14. COMPLACVIT. complacitum est s. *a mundi constitutione.* Matth.25. v.34. *Disposuit vobis regnum,* infrà 22. v.29. Si placet illi, quis beneplacitum eius inuertere queat? Quod Caluinus studiosè notat, verbo εὐδοκεῖν significari, *ex gratuitæ misericordiæ fonte nobis fluere vitam æternam, vt plusquam manifestum sit,* quod ait, *nullo operum merito acquiri*; refellitur loco suprà 3. v.22. nec enim ita εὐδοκεῖ seu complacet sibi pater in filio, vt meritum excludatur. PATRI. qui non potest non benè velle, & quoquo modo possit benefacere atque exaltare filios. VESTRO. Non enim patriarcharum tantùm & prophetarum, sed & vester pater est. DARE hereditate possidendum in seculo futuro, hac vita finita; præsertim verò in iudicio extremo, quando per me dicturus est: *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnũ à constitutione mundi.* Matth.25. v.34. VOBIS quærentibus ante omnia regnum Dei, & doctrinæ meæ obtemperantibus, abiecti licet sitis & inferioris notæ inter homines. REGNVM Dei cæleste & æternum, bona prorsus omnia in se comprehendẽs, quod solum meretur regni nomen: cætera enim, terrena illa & caduca vix dici merẽtur vmbræ illius (vide Matth.3. v.2.) Nulla igitur vobis est causa timendi. Nam si statuit vobis in altero seculo regnum dare sempiternum, quomodo vos negligat hoc in seculo, vt vilem & caducum cibum vestitúmve neget aut omittat suggerere, iis quos adoptauit in sui regni heredes? Argumentum est, iuxta dialecticos, à minore ad maius, longè efficacissimum: quo in summam erigimur in Deum fiduciam. simili vsus est Paulus Rom.8. v.32. Cæterùm non reuelat hîc Christus discipulis suis, quòd

sint

ſint à Deo prædeſtinati in regnum cæleſte (fuit enim reprobatus Iudas) ſed aperit Dei ordinationem, qua ſtatuerit ipſos regno beare, ſi, quemadmodum cœperant, perrexerint auſcultare & obedire doctrinæ ipſius.

Inf. 18. v. 22. Matth. 6. v. 20.

Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. [33]

πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν, καὶ δότε ἐλεημοσύνην. ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλάντια μὴ παλαιούμενα, θησαυρὸν ἀνέκλειπτον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅπου κλέπτης οὐκ ἐγγίζει, οὐδὲ σὴς διαφθείρει.

VENDITE. certi ergo vos Patri ſingulariter eſſe curæ, vendite etiam QVÆ POSSIDETIS. τὰ ὑπάρχοντα ea quæ ſuppetunt vobis, bona veſtra omnia. ET DATE. & diſtribuite ea pauperibus in ELEEMOSYNAM, quò, liberi ab his, aſſueſiatis pendere à benefica Patris prouidentia, & in ipſo ſolo, non in diuitiis veſtris fidere. Delecti à Deo Patre ad tantam dignitatem, quanta eſt regni cæleſtis, non ſolùm ponite timorem vanum, anxiamque de victu & amictu ſolicitudinem, verumetiam ſi quæ vobis ſint poſſeſſiones aut bona vendite, & pecuniam inde collectam ſemel erogate in ſubleuandam pauperum inopiam, vt eò aptiores digniores que reddamini iis quibus deſtinati eſtis perennibus bonis, quò magis contemnitis minuſque confiditis in his periturís: quæ cùm ad fiduciam ac amorem ſui animum poſſidentis trahere conſueuerint, fit, vt, qui his caret, faciliùs, occurrẽtibus neceſſitatibus, ad munificum Patrem Deum confugiat, ab ipſius prouidentia curaque totus pendeat, & quod parauit cæleſte regnum ardentiùs exoptet. Hæc eſt loci ſententia. Cęterùm non pręcipit Saluator, ſed hortatur, omnia vendere & pauperibus erogare, in eum finem vt faciliùs aſſequamur id quod præceptum eſt, animum inquam ita habere affectum, vt in facultatibus nõ confidamus, nec eas tamquam ſolida bona amemus. De his latiùs agitur Matth. 19. v. 21. & ſequentibus. FACITE. Ita verò facietis. Ne exiſtimetis perituras vobis hoc modo facultates veſtras: Non poſſunt magis in tuto collocari, nec maiore certioreque cum fœnore deponi. SACCVLOS. βαλάντια marſupia. Solent in ſacculis ſiue marſupiis pecuniæ aſſeruari & circumferri. Prou. 7. v. 20. QVI NON VETERASCVNT. è quibus pecunia perdi nequit. Nam, iis quibus pecunia circumfertur ſacculis, detritis tandem ac ruptis vetuſtate, pecunia perit & fructus omnis illius. At qui eam pauperibus erogat, tamquam condit in ſacculis imputribilibus, è quibus perdi nequeat, eò quòd æternum ex ea recepturus ſit fructum in altero ſeculo. THESAVRVM ſ. facite, parate ſeu reponite vobis. id eſt, hoc modo facietis ſeu parabitis. vide Matth. 19. v. 21.

NON DEFICIENTEM. ἀνέκλειπτον qui numquam deficiat, perpetuum & inexhauſtum. Vſu minuitur ac facilè deficit theſaurus terrenus: at eleemoſynarum merces eſt multa nimis adeoque infinita. IN CÆLIS. in regno cælorum, quò peruenire cupitis, & vbi vobis cooptatis perpetuò manendum erit. ibi negotiamini, eoque omnem veſtram curam ac ſtudium transferte, vt dignum eſt. NON APPROPIAT. appropinquare non poteſt. NEQVE. & vbi. CORRVMPIT. corrumpere non poteſt. qui nullo vobis modo perire poteſt, quin æternùm eo læti fruamini. Reliqua lege Matth. 6. v. 20.

Matth. 6. v. 21.

Vbi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. [34]

ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ καὶ ἡ καρδία ὑμῶν ἔσται.

VBI ENIM. Innectit aliam rationem, quare cõſulat nobis, diuenditis & in pauperes erogatis facultatibus, colligere theſaurum in cælo, vt corde ſcilicet in cælo verſemur, quò deſtinamur; non talparum inſtar in terra. Nam vt cor veſtrum inquit, ſit in cælo, oportet & theſaurum veſtrum in cælo eſſe: vt ſpes omnis veſtra ac fiducia ſit in Patre cæleſti, amorque veſter ſit cæleſtium bonorum, neceſſe eſt theſaurum, diuitias, facultates, quas habetis, penes patrem deponatis in cælis; quod quidem fit per elargitionem illarum in eleemoſynam: nam ſi illas vobis hîc reconditis aut ſeruatis in terra, in terra erit fiducia veſtra, à terra pendebit ſpes veſtra, terrenorum amans in terraq; defoſſus erit animus veſter, quo nihil eſſe queat homine indignius. *Vbi enim theſaurus*, quod dici ſolet, *ibi cor*. Reliqua quære Matth. 6. v. 21.

* * * * * * * *

Matth. 24. v. 43.

Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. [39]

τοῦτο δὲ γινώσκετε, ὅτι εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης ποίᾳ ὥρᾳ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἄν, καὶ οὐκ ἂν ἀφῆκε διορυγῆναι τὸν οἶκον αὐτοῦ.

HOC AVTEM SCITOTE. Nam & hoc ſcitote. QVIA SI SCIRET. ὅτι εἰ ᾔδει quòd ſi ſciuiſſet. HORA. ſic etiam eſt græcè: ſyriacè autem eſt *vigilia*. Reliqua petenda ſunt ex Matth. 24. v. 43.

Matth. 24. v. 44.

Et vos eſtote parati, quia, qua hora nõ putatis, Filius hominis veniet. [40]

καὶ ὑμεῖς οὖν γίνεσθε ἕτοιμοι, ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται.

ET VOS. *Igitur* additur græcè & ſyriacè. Cætera vt Matth. 24. v. 44.

Ait autem ei Petrus: Domine, ad [41]

εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Πέτρος· κύριε, πρὸς ἡμᾶς

ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις, ἢ καὶ πρὸς πάντας;

nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

AD NOS. Apostolos tuos solos, quos doctrina tua singulariter instruis, discipulosque tuos & aliorum doctores esse vis. HANC PARABOLAM. Hanc similitudinem, & cæteras similes præcedentes, quibus ad vigilandum hortaris. AN ET. an etiam AD OMNES, tum huius tum futuri temporis homines? Dubitabat Petrus, an ad omnes pertinerent istæ admonitiones, vt quædam aliquando Christus Apostolis suis propria prædicabat & commendabat: videbatur enim similitudo de seruis vigilantibus, ad Apostolorum ordinem præcipuè spectare.

εἶπε δὲ ὁ κύριος· τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς 42 οἰκονόμος καὶ φρόνιμος, ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον;

Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem cõstituit Dominus supra familiã suam, vt det illis in tempore tritici mẽsuram?

Matth.24. v.45.

DIXIT. respondit. Non clarè respondet ad quæstionẽ, sed ita temperat responsum, vt non neget quidem pertinere ad omnes qui salui fieri volunt; significet autem, ad Petrum & collegas ipsius, quos Ecclesiæ suæ præfecturus erat, præcipuè pertinere. Nam qui aliis præpositus est, multò maiori vigilia curaq; opus habet, ne videlicet non tantùm ipsum se, verùm & sibi commissos perdat. DISPENSATOR. οἰκονόμος œconomus. Matthæus simpliciter dicit *seruus*: Apostolus vtrumque iungit 1. Cor.4. v.1: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* CONSTITVIT καταστήσει constituet. Itaque præsenti tempore accipiendum secundùm Lucam videtur, quod est latinè *constituit*, non præterito. ILLIS. addit Interpres claritatis causa, quod græcè & syriacè non legitur. TRITICI. id est, frumenti (species pro genere) MENSVRAM. σιτομέτριον. Vox composita ex σῖτος, quod nunc frumentum, nunc quemlibet cibum, & μέτρον quod mensuram significat. Dabatur enim seruis olim cibus certa mensura, nominatim verò frumentum, cuius quaternos modios apud Latinos accipiebant in mensem, quod quidem *demensum* dicebatur, siue à mense, siue à mensura. Matthæus τὴν τροφὴν, id est, cibum seu alimentum vocat. Quare verisimile est, & Lucam intelligendum, non tantùm de frumenti, sed & de cuiusuis cibi mensura: nec enim solo frumento serui alebantur, præsertim ab humanis patribusfamilias, qualem hìc ponit Iesus, cui magna fuerit cura de seruis. Est & spiritalis animæ cibus, ecclesiastico œconomo, mensurâ dispensandus, prout vel necessitas vel capacitas requirit, eorum quibus præfectus est. Reliqua Matth.24. v.45.

μακάριος ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν ἐλθὼν 43 ὁ κύριος αὐτοῦ εὑρήσει ποιοῦντα οὕτως.

Beatus ille seruus, quẽ, cùm venerit Dominus, inuenerit ita facientem.

Matth.24. v.46.

DOMINVS. αὐτοῦ *eius*, additur græcè & syriacè, quemadmodum secundùm Matthæum, ex quo reliqua petenda sunt.

ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐπὶ πᾶσι τοῖς 44 ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν.

Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet constituet illum.

Matth.24. v.47.

VERE. quod Matthæus dixit *amen*, Lucas interpretatur *verè*, certò. QVÆ POSSIDET. τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ *bona sua* vertit secundum Matthæum, vbi reliqua huius loci exposita sunt.

ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος ἐν τῇ 45 καρδίᾳ αὐτοῦ, χρονίζει ὁ κύριός μου ἔρχεσθαι, καὶ ἄρξηται τύπτειν τοὺς παῖδας καὶ τὰς παιδίσκας, ἐσθίειν τε καὶ πίνειν καὶ μεθύσκεσθαι·

Quòd si dixerit seruus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:

Matth.24. v.48.49.

SERVOS. τοὺς παῖδας *pueros*, quo modo etiam latinè legitur in vetustis libris, sed pro *seruos* positum. ET ANCILLAS. Matthæus non meminit ancillarum, sed intelligendum relinquit, in famulitio amplo non defuisse ancillas, si non alias, certè vxores seruorum. EDERE ET BIBERE. comessari & potare. ET INEBRIARI. quemadmodum ebriosi, quorum consortio se adiunxerit. Reliqua vt Matth.24. v.48.49.

ἥξει ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου, ἐν ἡμέρᾳ ᾗ οὐ προσδοκᾷ, καὶ ἐν ὥρᾳ ᾗ οὐ γινώσκει, καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀπίστων θήσει. 46

veniet dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.

Matth.24. v.50.51.

CVM INFIDELIBVS. id est, cum infidis seruis reliquis, ipsius similibus, qui domino suo fidelis non fuit. Vel certè, digreditur hac vocula Dominus à parabola ad rem significatam, ita vt *cum infidelibus*, idem sit quod

cum iis qui non crediderint in Christum, quorum certum iudicium damnatioque est. Iohan. 3. v. 18: *Qui non credit, iam iudicatus est*. Ille qui Christi fidelibus præfuerat, infidelium erit socius & coheres in pœna. Reliqua Matth. 24. v. 50. 51.

* * * * * * *

Matth. 10. v. 34.

Putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem.	51	δοκεῖτε ὅτι εἰρήνην παρεγενόμην δοῦναι ἐν τῇ γῇ; οὐχί, λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἢ διαμερισμόν.

QVIA PACEM VENI. quòd aduenerim vt dem pacem in terra? NON ad id me venisse DICO. affirmo VOBIS. Respondet sibi ipsi: idemque valet Matthæi affirmatio, quod Lucæ cum responsione interrogatio. SED SEPARATIONEM. ἀλλ' ἢ διαμερισμόν immo dissidium s. vt dem veni. διαμερισμὸς significat diuisionem in partes, quasi dicas disparationem: ita autem dissidium vocat Lucas, dum gladij similitudinem respicit, quem Matthæus ad hanc rem adfert, qui coniuncta separat ac diuellit. Reliqua lege Matth. 10. v. 34.

Matth. 10. v. 35. 36.

Erunt enim ex hoc, quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres:	52	ἔσονται γὰρ ἀπὸ τοῦ νῦν, πέντε ἐν οἴκῳ ἑνὶ διαμεμερισμένοι, τρεῖς ἐπὶ δυσί, καὶ δύο ἐπὶ τρισί.

EX HOC s. tempere. ἀπὸ τοῦ νῦν ex nunc, ad verbum, id est, breuî, post hac, quando euangelium publicè annunciabitur. QVINQVE. pater, filius, mater, filia, & nurus. Nam socrus eadem est quæ mater. IN DOMO in qua prius erat mala pax, nascetur salutare dissidium. DIVISI. διαμεμερισμένοι disparati, dissidentes. TRES IN aduersus DVOS. Siue tres intelligas in Christum credentes euangelioque adhærentes, & duos infideles, siue è conuerso, idem vnum est. ET DVO IN aduersus TRES. Nam vt infideles aduersus fideles, ita & fideles aduersus infideles dissident, sententiis scilicet contrariis, quamquam non hi inimicis atque iniuriis actis, iuxta ea quæ in Matthæo dicta sunt, ex quo reliqua sunt petenda.

diuidentur, pater in filium, & filius in patrem suum; mater in filiam, & filia in matrem; socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.	53	διαμερισθήσεται πατὴρ ἐφ' υἱῷ, καὶ υἱὸς ἐπὶ πατρί· μήτηρ ἐπὶ θυγατρί, καὶ θυγάτηρ ἐπὶ μητρί· πενθερὰ ἐπὶ τὴν νύμφην αὐτῆς, καὶ νύμφη ἐπὶ τὴν πενθερὰν αὐτῆς.

DIVIDENTVR. διαμερισθήσεται diuidetur, disparabitur, dissidebit. IN NVRVM. ἐπὶ τὴν νύμφην aduersus nurum. Mutat casum Euangelista: cùm in duobus prioribus paribus, dedisset præpositioni ἐπὶ tertium casum; in tertio pari dat quartum casum, expositionis gratia. Nam tertius casus loco quarti positus fuerat, vti aliquando. Vehementiùs vrgeant oportet spiritus quàm carnis vincula. Reliqua lege Matth. 10. v. 35.

Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, Nimbus venit: & ita fit.	54	ἔλεγε δὲ καὶ τοῖς ὄχλοις· ὅταν ἴδητε τὴν νεφέλην ἀνατέλλουσαν ἀπὸ δυσμῶν, εὐθέως λέγετε, ὄμβρος ἔρχεται, καὶ γίνεται οὕτω.

ET AD TVRBAS. καὶ τοῖς ὄχλοις etiam turbis. Superiora dixerat, quædam discipulis, quædam turbis, quædam vtrisque: id quod sequitur propriè turbis (nam discipuli hac in parte non deerant officio) quibus tamen intelligendum est comprehendi Scribas & Pharisæos præsentes. ORIENTEM. surgentem. DICITIS. iudicatis, prædicitis. NIMBVS. ὄμβρος imber, pluuia. VENIT. præsens est, pro futuro proximè imminenti, breuî veniet, mox pluet. Sic dixit & Elias 3. Reg. 18. v. 44. ET ITA FIT vt plurimum. Nubes enim surgens Iudæis ab occasu, demonstrat, vapores aqueos, è mari, solis virtute ita sursum attractos, vt non desiccatos (neque enim facilè id valet sol in occasu) ventoque occiduo propulsos, breuî in aquam resolutos, Iudaicam regionem, quam mare alluit ab occasu, pluuia irrigaturos: quamquam ex longa rerum obseruatione, magis quàm ex causa physica, turbæ id consueuerant prædicere.

Et cùm austrum flantem, dicitis, Quia æstus erit: & fit.	55	καὶ ὅταν νότον πνέοντα, λέγετε, ὅτι καύσων ἔσται· καὶ γίνεται.

AVSTRVM. νότον Notum, ex meridie FLANTEM s. videritis aut senseritis. QVIA. id est, quòd. ET FIT. æstus. Meridies enim, naturam referens aëris, vt occidens aquæ, profert ventum calidum simul & humidum, quod docent physici; quamquam sunt qui meridianum ventum Iudæis, tam siccum fuisse doceant quàm calidum, eò quòd per regiones siccas simul & calidas in Iudæam inuolaret, cùm in Europam vt veniat, mediterraneum ipsi mare transuolandum sit.

ὑπο-

ὑποκριταὶ, τὸ πρόσωπον τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς οἴδατε δοκιμάζειν· τὸν δὲ καιρὸν τοῦτον πῶς οὐ δοκιμάζετε; 56 Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? *Matth.16. v.4.*

HYPOCRITÆ. Sermonem hunc improperij in Scribas potissimùm & Pharisæos eorumque discipulos & asseclas, quos non pauco numero adfuisse credibile est, turbis permixtos, stringit: quamquam & turbis congruerit hactenus, quòd cùm prudentes & sagaces haberi vellent ex rebus huiusmodi minimi momenti, plus quàm stupidos se præbuerint in obseruandis rebus iis, quarum obseruatio maximè salutis ipsorum intererat. FACIEM. dispositionem. CÆLI. ex præsenti facie cæli futuram. ET TERRÆ. mutata enim facie cæli, mutatur & terræ. PROBARE. δοκιμάζειν explorare, iudicare, discernere, ita vt intelligatis qualem tempestatem portendat facies cæli, qualemque terra consequenter passura sit. HOC AVTEM TEMPVS regni Dei propinqui vobis facti, hoc tempus visitationis vestri per me Messiam à Deo promissum, à quo salus omnis vestra pendet, quod vobis, vel salutem adferet æternam, si fuerit obseruatum, vel exitium æternum, si fuerit neglectum. QVOMODO NON PROBATIS, exploratis, diiudicatis, agnoscitis adesse præsens? q.d. mirum est vos non agnoscere, cùm plurima suppetăt eius argumenta, eaque longè & clariora & certiora, quàm illa tempestatum aëris. Taxat itaque illorum stupiditatem cæcitatemque in negotio salutis eorum, maxima cum ingratitudine coniunctam. Reliqua huius versiculi exposita sunt Matth. 16. v. 4.

τί δὲ καὶ ἀφ᾽ ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; 57 Quid autem & à vobisipsis non iudicatis quod iustum est?

QVID AVTEM. cur autem. ET A VOBISIPSIS. vel ex vobisipsis, vel ex animis & conscientiis vestris. NON IVDICATIS. non discernitis, non intelligitis. QVOD IVSTVM EST vos iudicare, quod meritò oportet vos intelligere? Occurrit obiectioni turbæ ac vulgi, quòd ipsi, cùm Scripturarum rerumque sacrarum sint imperiti, signa temporis aduentus Messiæ ex prophetis annotare haud possint: & relegat eos ad proprios ipsorum animos ac conscientias, affirmans, quod si vel secum ipsi, separato omni prauo affectu, expenderent coram Deo, ea quæ suis oculis quotidie vident, posse eos absque aliis externis testimoniis, ex conscientiæ suæ dictamine, venire in cognitionem temporis præsentis, quo Messias diu exspectatus adest: sed ita esse Dei gloriæ & suæ salutis incuriosos arguit, vt ne tantillum quidem operæ in re summi momenti ponerent. Hîc itaque mali fontem aperit Dominus, quòd in suas conscientias non descendant, neque illic coram Deo secum inquirant, quid rectum sit: si enim id faceretis, certè, inquit, testaretur vobis ipsa vestra conscientia, quod res est. Huic huius loci expositioni fauet V. Beda.

ὡς γὰρ ὑπάγεις μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου ἐπ᾽ ἄρχοντα, ἐν τῇ ὁδῷ δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ᾽ αὐτοῦ· μήποτε κατασύρῃ σε πρὸς τὸν κριτὴν, καὶ ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ πράκτορι, καὶ ὁ πράκτωρ βάλῃ σε εἰς φυλακήν. 58 Cùm autem vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. *Matth.5. v.25.*

CVM AVTEM. ὡς γὰρ cùm enim. Interpres accepit *enim* pro *autem* continuatiuo, vt accipitur nonnumquam. Non enim videtur hæc parabola præcedentibus cohærere, sed per se dicta esse, eo aut simili sensu, quo exposita est Matth. 5. v. 25., vt quàm citissimè reconciliemur proximis quos offenderimus, aut etiam Deo ipsi, cui lis est aduersum nos instituta, nisi ipsi reddiderimus id quod ipsi debemus, fidem & pœnitentiă; nisi cum ipso in gratiam redire sategerimus, interea dum gratiam suam vltrò nobis offert: nam iudicium ipsius non sine æterna nostra pernicie sumus experturi. Quare hîc subaudiendum videtur tale quid, quale expressum est suprà v. 54., & frequenter repetitur à Marco, *Dicebat autem & hoc: Cùm vadis*, &c. Alloquitur debitorem malæ fidei. CVM ADVERSARIO TVO. cum creditore tuo, qui tibi bona fide pecuniam credidit. *vadis* inquam, coactus citatusque ab illo. AD PRINCIPEM. ad iudicem. ἐπ᾽ ἄρχοντα *ad magistratum* vertunt alij, quomodo & legit D. Ambrosius. IN VIA. interea dum adhuc es in via, antequam perueneris ad principem. Sequentibus hoc iungendum est. DA OPERAM LIBERARI, vt libereris, AB ILLO, composita cum eo controuersia: satisfacias illi qua optimè potes ratione. Theophylactus, *festina & labora, omnésque modos cogita, quomodo ab eo libereris.* NE FORTE. μήποτε ne TRAHAT. κατασύρῃ pertrahat, adducat. f. aduersarius. D. Ambrosius legit *condemnet*, quod est, reum peragat, fortè ex græco κατακρίνῃ. AD IVDICEM, id est, principem seu magistratum, quem mox dixit: is enim fungitur loco iudicis. Ambrosius *apud iudicem.* ET IVDEX. Ne postquam aduersarius pertraxerit te ad iudicem, iudex condemnatum TE TRADAT EXACTORI. πράκτορι, sic dicto à πράττω, quod non tantùm facere significat, verumetiam exigere: quòd exigat cogatque soluere ea quæ iudex soluenda definiuit; præter pecuniam creditam, & litis expensas, frequenter etiam multam constitutam in temerè litigantes. Is est quem Matthæus vocat, ὑπηρέτην *ministrum:* ex quo reliqua petenda sunt.

λέγω σοι, οὐ μὴ ἐξέλθῃς ἐκεῖθεν, ἕως οὗ καὶ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς. 59 Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas. *Matth.5. v.26.*

DICO TIBI. Quod si fiat, hoc tibi certò affirmo, quòd NON EXIES, &c. MINVTVM. Matthæus qua-

quadrantem, qui duo minuta complectebatur: mens enim Domini fuit, minimi precij numulum dicere, qui soluendus restat. vide Marc. 12. v. 42. Reliqua ex illo loco Matthæi haurias, qui ad marginem pro more est annotatus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

* * * * * * * *

Marc. 4. v. 30.

Dicebat ergo: Cui simile est regnũ [18] Dei: & cui simile æstimabo illud?

ἔλεγε δέ· τίνι ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, καὶ τίνι ὁμοιώσω αὐτήν;

ERGO. Græcè & syriacè est δέ *autem*. Interpres intellexisse videtur, superioribus à Saluatore hæc subiuncta fuisse: quod si ita est, repetiuit hîc Saluator eadem quæ aliàs dixerat Matth. 13. v. 31. Marc. 4. 30. CVI. rei. SIMILE ÆSTIMABO. ὁμοιώσω assimilabo. Reliqua lege Marc. 4. v. 30.

Matth. 13. v. 31. 32. Marc. 4. v. 31. 32.

Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam, & volucres cæli requieuerunt in ramis eius. [19]

ὁμοία ἐστὶ κόκκῳ σινάπεως, ὃν λαβὼν ἄνθρωπος ἔβαλεν εἰς κῆπον ἑαυτοῦ, καὶ ηὔξησε, καὶ ἐγένετο εἰς δένδρον μέγα, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατεσκήνωσεν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ.

GRANO. simile quid ei accidit, vt cùm ex grano sinapi, minimo illo, oritur arbor maxima, amplissima omnis generis auium habitatio. MISIT. ἔβαλεν iecit, seminauit. REQVIEVERVNT. κατεσκήνωσεν habitarunt. Cætera enarrata sunt secundùm Matthæum cap. 13. v. 31. 32.

Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei? [20]

καὶ πάλιν εἶπε· τίνι ὁμοιώσω τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ;

SIMILE ÆSTIMABO. ὁμοιώσω assimilabo, vt mox v. 18.

Matth. 13. v. 33.

Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. [21]

ὁμοία ἐστὶ ζύμῃ, ἣν λαβοῦσα γυνὴ ἔκρυψεν εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον.

Lege huius enarrationem Matth. 13. v. 33.

Et ibat per ciuitates & castella, docẽs & iter faciẽs in Ierusalem. [22]

καὶ διεπορεύετο κατὰ πόλεις καὶ κώμας, διδάσκων καὶ πορείαν ποιούμενος εἰς Ἱερουσαλήμ.

ET IBAT. Ibat itaque. PER omnes obuias CIVITATES, ET CASTELLA. καὶ κώμας & vicos siue pagos, quò præmiserat electos à se discipulos septuagintaduos. sup. 10. v. 1. Videtur hîc sermo esse de oppidis & pagis, non Galilææ, ex qua iam migrauerat Iesus (quod ita videtur, si considerentur loca, suprà 9. v. 52. & Matth. 19. v. 1.) sed Peræ & Iudææ. Certè Peræam non omittendam, intelligendũ dat versus 31. subsequens, qui insinuat hæc aut saltem quædam horum gesta in ditione Herodis. Herodis autem ditionem, Galilæa & Peræa definitam fuisse, iam sæpe annotauimus. Porrò *non ita* Dominus Iesus, quod notat Theophylactus, *in parua venit oppida & pagos, vt magnas ciuitates negligeret, id quod faciunt qui volunt simpliciores decipere: neque ita venit in ciuitates, vt pagos præteriret, tamquam ostentator & gloriosus: sed vt communis Dominus, immo vt pater qui omnium curam gerit, vbique circuit*: & tam rusticos quàm vrbanos, tam pauperculos quàm diuites, omnes citra personarum acceptionem visitat atque erudit. Vtinam Domini Iesu exemplum sequuti Episcopi, visitarent subinde diœceses suas pagatim & ecclesiatim. ET ITER FACIENS. paulatim accedens propiùs IERVSALEM metropolim (nec sapientes nec potentes Iudæorum reformidans) vbi statuerat doctrinam simul & vitam mortalem finire.

Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: [23]

εἶπε δέ τις αὐτῷ· κύριε, εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι; ὁ δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς·

AIT. interrogauit eum in eo itinere quidam. SI PAVCI. num pauci s. *sunt*. *Quidam autem interpretantur* εἰ *per sanè*, inquit Euthymius, *vt sit, sanè pauci sunt qui saluantur*; sed minùs verisimiliter. Audierat iste frequẽter, credibile est, Dominum concionantem de regno cælorum, de obseruandis ad consequendam salutem regni cælorum, iisque non parùm difficilibus obseruatu, denique redarguentem mores plerorumque, tamquam alienos à via salutis. Hac occasione quærit an pauci sint saluandi? q. d. si salutis & vitæ æternæ res ita habet vt doces,

doces, videtur paucos homines esse saluandos. Quantum autem ex Domini responsis percipere licet, curiosius magis quærit quàm suæ salutis studiosus. AD ILLOS. non ad illum tantùm, sed & ad præsentes omnes, quia communis omnium doctrina erat.

ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν διὰ τῆς στενῆς πύλης· ὅτι πολλοί, λέγω ὑμῖν, ζητήσουσιν εἰσελθεῖν, καὶ οὐκ ἰσχύσουσιν.

24 Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

CONTENDITE. enitimini, conamini, adlaborate, omnibus viribus. Hoc enim verbo significat, opus esse labore & conatu, quia non sine magna & ardua difficultate queat quis angustam portam transmittere. *Nisi enim mentis contentio ferueat*, ait ex Gregorio Beda, & vim sibi ipse insigniter homo faciat, facilè gradum reuocat, haud valens portæ angustias pertransire, præ ea quam patitur effrenium carnis concupiscentiarum effusione: vt prætercam tentationes persecutionesque, quas dæmon & mundus iis mouent, qui portam hanc traiicere conantur. INTRARE in regnum cælorum, ad salutem. PER ANGVSTAM PORTAM. per arctam illam, quæ secundùm virtutem est, viuendi rationem, quæ sola ad salutem regni cælorum ducit. Hanc latiùs explicuimus Matth. 7. v. 13. 14. Vt lata est porta quæ ducit ad perditionem, quia multi modi malè viuendi expositi sunt hominis electioni, iique consentanei inclinationi naturæ corruptæ illius: ita angusta est via quæ ducit ad salutem, quia vnica est benè viuendi ratio, eaque contraria inclinationi naturæ corruptæ hominis. Laborandum igitur est & conandum. Nullo modo capit hæc porta onustos diuitiis, cumulatos honoribus, dilectos luxu, graues auaritia, turgidos & elatos fastu: sed, quod ait V. Beda, *per labores necesse est & ieiunia, seculi fallentis illecebra vincatur*. Cæterùm, quod Chrysostomus in cathenam adductus notat, *si via salutis angusta est in introitu, per eam tamen peruenitur ad latitudinem* cæli. QVÆRENT. cupient, optabunt, desiderabunt summopere. INTRARE in regnum cælorum vt salui sint. ET NON POTERVNT intrare, quia angustam portam non transierint, quia relicta angusta, putarint se per latam facilemque portam eò peruenire ac duci posse; miserè decepti. Ad propositam itaque quæstionem, non curiosè respondet Dominus, qui aut quot sint saluandi: sed quod vtile ac necessarium maximè est, conamini, inquit, vt vos sitis de numero saluandorum: nolite quærere abstrusa & occulta, sed exserite vires omnes vestras, vt vos ipsi salutem assequamini: vtque ad id exstimulet interrogantem cæterosque auditores, non obscurè intelligendum dat, paucos esse saluandos, & nominatim Iudæorum, idque quia non laborant per angustam portam ingredi, sed per latam plateam ambulant, vagantur, ac diffluunt. id quod clariùs dixerat Matth. 7. v. 13. 14. *Lata porta & spatiosa via est* &c.

ἀφ' οὗ ἂν ἐγερθῇ ὁ οἰκοδεσπότης, καὶ ἀποκλείσῃ τὴν θύραν, καὶ ἄρξησθε ἔξω ἑστάναι, καὶ κρούειν τὴν θύραν, λέγοντες, κύριε, κύριε, ἄνοιξον ἡμῖν· καὶ ἀποκριθεὶς ἐρεῖ ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ.

25 Cùm autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis.

CVM AVTEM. ἀφ' οὗ ex quo, postquam. Syrus ex qua hora. Declarat id quod præcedit, *multi quærent intrare & non poterunt*. INTRAVERIT in domum suam, in possessionem regni sui, secum introductis, iis qui per angustam portam aduenerant, inuitatis hospitibus. Interpres legit εἰσέλθῃ, pro eo quod nos græcè ac syriacè legimus ἐγερθῇ *surrexerit*. *Effingit*, inquit Euthymius, *patremfamilias sedentem suosque amicos recipientem, deinde surgentem* &c. satis nimirum exspectatis iis quos domum suam inuitauerat: vt Iesus modò sedet à dextris Dei, exspectans eos qui ad se venire contendunt per portam angustam, quemadmodû ipsum oportuerat pati plurima, & ita intrare in gloriam suam (infrà 24. v. 26. quos vbi exceperit omnes, surget ad iudicium vniuersale, & claudet ostium &c. PATERFAMILIAS. Seipsum comparat patrifamilias (quod versu proximo dat intelligendum) vtpote regem cælorum; & regnum suum, regnum inquam cælorum (quod quibus intrare datur, soli saluantur) beatæ domui. ET CLAVSERIT OSTIVM domus suæ, decreuerit neminem ampliùs admittere in regnum suum. Id fiet, quod ad omnes in nouissimo iudicij die; quod ad singulos, statim à morte. Quamdiu mortalis hæc vita durat, quasi patente ostio nos Dominus exspectat: ea autem finita, siue singulis, siue omnibus, mox vel intrare datur in beatam domum illam, ipso iure, si non statim actu, si quidem angustam portam tenuerimus; vel clauditur ostium, id est, aufertur omnis spes intrandi, si quidem venerimus alia via. INCIPIETIS. καὶ ἄρξησθε & inceperitis. Græcè adhuc pendet sententia, id quod Latinus Interpres claritatis causa mutauit, omissa coniunctione & indicatiuo dato loco subiunctiui.

INCIPIETIS autem vos Israelitæ, id est, plurimi vestrûm, qui iam putatis regnum Dei, iure vobis debitum. FORIS STARE. id est, cognoscere intrandi facultatem vobis ademtam esse. ET PVLSARE OSTIVM precibus cum inutili pœnitẽtia coniunctis. *Foris stantes ostium pulsare*, inquit Beda, *est, à beatorum sorte secretos, misericordiam quam neglexerant, à Deo frustrà flagitare*. DICENTES. non oportet intelligere ista tunc dicenda, sicut hic referuntur, sed sic euentura ac si dicerentur. DOMINE. κύριε κύριε, domine domine. Græcè & syriacè exprimitur desiderij vehementia repetitione, simul & confidentia nimia in externa fidei cultusque diuini professione. APERI NOBIS. id est, quæretis intrare, summopere desiderabitis admitti. vide simile expositum Matth. 25. v. 10. 11. ET RESPONDENS DICET f paterfamilias. Græcè superfluit coniunctio &, quod ad sensum (quamquam quidam ita vertant, vt sensus non absoluatur hoc versu, sed demum proximo) latinè coniungit futurum præcedens *incipietis*, cum sequenti *dicet*, accepta pro *sed*. NESCIO VOS. vide Matth. 25. v. 12. VNDE aut qui SITIS. Audio nomen Domini, sed ego vos non agnosco famulos, vos mihi non seruiuistis, alia porta ac via venistis quàm quæ à me munita fuerat, denique non estis scripti in libro meo, libro vitæ.

	Latin		Greek
	Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti.	26	τότε ἄρξεσθε λέγειν, ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου, καὶ ἐπίομεν, καὶ ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας.

TVNC INCIPIETIS DICERE. apud vos ipsos, in cordibus vestris, id est, vobiscum admirabimini, quomodo non agnoscam vos, quandoquidem ita familiariter fuerim vobiscum conuersatus in vita. MANDVCAVIMVS CORAM TE, id est, tecum vel te præsente, in eadem domo, in eodem loco, tecum viximus, edimus, bibimus, apud nos natus es & familiariter nobiscum conuersatus. *Hoc simpliciter ad Israelitas dicitur*, inquit Theophylactus, *etenim Dominus ex ipsis natus est secundùm carnem, & cum iis comedit ac bibit*. IN PLATEIS NOSTRIS. non procul ab ædibus nostris. Docebat Iesus, aliquando in synagogis, aliquando in plateis, aliquando in agris, aliquando in desertis, prout erat opportunitas. DOCVISTI NOS verbum Dei. audiuimus te docentem, fuimus tui discipuli, id quod monstrare possumus recitando, si placet, memoriâ retentam doctrinam tuam, denique & sacra & profana fuerunt nobis tecum communia: quomodo ergo dicis quòd non noueris nos? Similia adferent qui ex gentibus excludentur: Communicauimus tuo corpori & sanguini, euangelium tuum etiam alios docendo publicè professi fuimus &c.

	Latin		Greek
Matth. 7. v. 23. Psalm. 6. v. 9.	Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis.	27	καὶ ἐρεῖ· λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ· ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας.

ET. pro sed. DICET respondebit constanter. VOBIS. legitur syriacè vt latinè, sed non græcè. NESCIO VOS VNDE SITIS. nescio vnde vos sitis, nihil moror vnde aut qui sitis, an vicini & familiares mihi in seculo fueritis an non, non noui vos meos, cùm operarij sitis iniquitatis. Carnis cognatio & consuetudo vitæ cum ipso Iesu, aut quæuis alia in hoc seculo dignatio erga nos Dei, nihil proderit in die nouissimo, si in hoc seculo mens fuerit addicta iniquitati. DISCEDITE. ἀπόστητε abscedite OMNES quicumque & quotquot numero. OPERARII INIQVITATIS. οἱ ἐργάται ἀδικίας operarij iniustitiæ, id est, iniusti seu iniqui, qui in vita operati iniquitatem, neglexistis per angustam portam huc venire. Reliqua quære Matth. 7. v. 23.

	Latin		Greek
Matth. 8. v. 11. 12.	Ibi erit fletus & stridor dentium, cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.	28	ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, ὅταν ὄψησθε ἀβραὰμ, καὶ ἰσαὰκ, καὶ ἰακὼβ, καὶ πάντας τοὺς προφήτας, ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ, ὑμᾶς δὲ ἐκβαλλομένους ἔξω.

IBI ERIT FLETVS vobis, tunc flebitis ac eiulabimini, & præ timore suppliciorum imminentium stridebitis dentibus, nec (cùm æternò mansura sit eadem causa, & supplicia ipsa perpetua mox successura) deinde aliquando cessabitis à fletu & dentium stridore. CVM VIDERITIS coràm in iudicio præsentes, progenitores vestros ABRAHAM &c. ET OMNES PROPHETAS. καὶ πάντας τοὺς προφήτας & omnes illos prophetas sanctos, gentiles vestros, IN REGNO DEI. admissos in regnum Dei, frui beatitudine regni Dei. Audient enim vocem Iudicis: *Venite benedicti* &c. & videbunt exsequutioni mandari. VOS AVTEM ab ipsis prognatos, semen ipsorum, cui promissiones erant cum ipsis communes; spe omni exspectationeque frustratos, EXPELLI illo regno, non admitti in regnum illud, vt incognitos, alienos, degeneres. FORAS. in tenebras exteriores; idque quia confisi generis & cognationis prærogatiuæ, neglexeritis sequi patrum per arctam virtutis viam vestigia; quod cùm facilè in seculo potuissetis, serò iam volentibus & desiderantibus non licere. Hæc simul omnia causa erunt eiulatus & fletus. Præmonet eos rei futuræ, vt tempori resipiscant. Reliqua lege Matth. 8. v. 11. 12.

	Latin		Greek
Matth. 8. v. 11.	Et venient ab Oriente & Occidente & Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei.	29	καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν καὶ βορρᾶ καὶ νότου, καὶ ἀνακλιθήσονται ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.

ET VENIENT immo venient, quod amplius est, venient, id est, erunt s. multi. Amplificatio est, ex eo sumta, quòd Iudæis repulsis (qui se putabant solos fore heredes Dei) gentes sint subrogandæ, vt regnum promissum Abrahæ & semini eius obtineant. AQVILONE. βορρᾶ Borea, ex omni gentium natione. ET ACCVMBENT. qui accumbēt, cum sanctis illis patribus & prophetis, propterea quòd vitam illorum sanctam fuerint imitati, IN REGNO DEI, quorum etiam cùm videritis felicitatem, maiori quoque torquebimini inuidia. Reliqua petenda sunt ex Matth. 8. v. 11.

	Latin		Greek
Matth. 19. v. 30. Marc. 10. v. 31.	Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt nouissimi.	30	καὶ ἰδοὺ εἰσὶν ἔσχατοι οἳ ἔσονται πρῶτοι, καὶ εἰσὶ πρῶτοι οἳ ἔσονται ἔσχατοι.

ET ECCE mirabilem rerum inuersionem, contra exspectationem vestram. Hac enim ratione fit, vt sint nouissimi

nissimi &c. SVNT NOVISSIMI. εἰσὶν ἔσχατοι sunt vltimi s. modò, tam rei veritate quàm vestro iudicio, gentiles inquam illi qui venient ab oriente &c. *sunt nouissimi* seu vltimi, id est, à regno Dei alienissimi, cuius nulla vmquam ipsis facta promissio est, immo qui ne Deum quidem ipsum hactenus nouerunt. QVI ERVNT in seculo futuro. PRIMI inter primos. aucti beatitudine regni Dei, quod quibus continget, omnes magni ac præcipui erunt. ET SVNT PRIMI modò, Dei cognitione, patrum genere, promissionum iure, & regni cælorum exspectatione gloriantes, vos inquam Iudæi, qui me reiicitis Saluatorem. QVI ERVNT NOVISSIMI seu vltimi (s. in altero seculo, id est, nulli, exclusi regno Dei, damnatique ad pœnas æternas. Gentes illis opponit, vt sancta zelotypia exstimulet eos ad sectanda patrum vestigia. lege Matth. 19. v. 30.

* * * * * * * *

34 ἱερουσαλὴμ, ἱερουσαλὴμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν, ποσάκις ἠθέλησα ἐπισυνάξαι τὰ τέκνα σου, ὃν τρόπον ὄρνις ἐπισυνάγει τὴν ἑαυτῆς νοσσιὰν ὑπὸ τὰς πτέρυγας, καὶ οὐκ ἠθελήσατε;

Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittũtur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti?

Matth. 23. v. 36.

IERVSALEM. verisimile fit, Iesum, non hoc loco vsum hac exclamatione inuectiua aduersus Ierusalem, sed eo quo narrat Matthæus; Lucam autem præoccupatione vsum hîc adscripsisse, eò quòd apprimè conueniat cum præcedentibus Iesu verbis: *Non capit prophetam perire extra Ierusalem.* Iam enim aliquoties vidimus, minimè ipsi esse infrequens, dicta Christi variis temporibus prolata simul colligere. QVI MITTVNTVR. ἀπεσταλμένους qui missi fuerint. AVIS. ὄρνις. rectiùs secundùm Matthæum vertit *gallinam*. NIDVM SVVM. τὴν ἑαυτῆς νοσσιὰν pullitiem suam ad verbum, id est, *pullorum multitudinem*, interprete Euthymio, pullos suos. SVB PENNIS. ὑπὸ τὰς πτέρυγας sub alas, quemadmodum vertit secundùm Matthæum. NOLVISTI. οὐκ ἠθελήσατε noluistis. Reliqua quære Matth. 23. v. 36.

35 ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐ μή με ἴδητε, ἕως ἂν ἥξῃ ὅτε εἴπητε, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cũ dicetis, Benedictus qui venit in nomine Domini.

Matth. 23. v. 37. 38.

RELINQVETVR. ἀφίεται relinquitur. DESERTA ab aliis libris non legitur, siue græcè siue latinè. Euthymius subaudit ex Matthæo. Ergo *Relinquetur vobis*, id est, deseretur à me. *Domini auxilio nudata, sua ditioni relinquitur*, inquit Beda; *non vltrà domus Domini, sed domus illorum*, quod annotat Theophylactus, addens: *Ostendit autem quòd ante hoc ipse eos conseruarit, & ab inimicis liberarit, quos iam sibi relinquit.* AVTEM pro enim ex Matthæo, quomodo etiam vertit hoc loco Syrus. NON VIDEBITIS ME ampliùs, breuî. DONEC VENIAT s. tempus. Cùm. ὅτι quando. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

* * * * * * * *

25 συνεπορεύοντο δὲ αὐτῷ ὄχλοι πολλοὶ, καὶ στραφεὶς εἶπε πρὸς αὐτούς·

Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos:

IBANT. Circa id tempus, cùm multitudo populi copiosa sequeretur ipsum, pergentem in suo Ierusalem versus itinere (cuius suprà 13. v. 22. mentio fuit) tamquam præceptorem discipuli.

26 εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα, καὶ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς ἀδελφὰς, ἔτι δὲ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής.

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autẽ & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Matth. 10. v. 37.

SI QVIS. id est, qui seu quicumque, vt exponit Syrus. VENIT AD ME. vt se meæ subiiciat disciplinæ, quemadmodum vos facere velle videmini. ET NON ODIT. Non satis est vt me iter facientem sequatur aut comitetur, sed oportet vt oderit. *Odit* autem, non absolutè, sed comparatiuè, scilicet præ me; *Non odit*, id est, *amat plusquam me* (vt exponit ipse magister Matth. 10. v. 37.) aut æquè ac me, ac proinde non odit, abnegat,

negat, reiicit, exsecratur (summa enim auersatio significatur odij verbo, quod notat ex Chrysostomo Theophylactus, scribens in Iohan. 12. v. 25.) si quid doceant, iubeant, suadeant, quod mihi siue doctrinæ aut præceptis meis aduersetur, quod à præceptis meis aut sequela mei auocet. PATREM. Sub charissimis quæ nominat capitibus, intelligit personas omnes charas, quod habet Euthymius; nec personas tantùm, verumetiam res, prout manifestum est ex versu 33. Porrò cùm natura nos doceat, vt parentes cæterosque hîc nominatos amemus, gratia autem naturam non destruat sed perficiat: non absolutè, quod dicebamus, intelligendum est, quòd præcipimur hos odisse, sed *quando*, quod ait Theophylactus, *ad pietatem nobis obstaculo sunt, & necessitudinis occasione a bonis operibus prohibent.* ADHVC AVTEM ET. immo etiam. ANIMAM SVAM. id est, semetipsum. vide Matth. 10. v. 39. Neque nosmetipsos amare possumus plusquam Iesum, aut æquè ac Iesum, sed odisse debemus nosipsos præ Iesu, id est, vt dicitur Matth. 16. v. 24. abnegare ac detestari nosipsos, sensum nostrum, iudicium, voluntatem, appetitum, vitam, sanitatem, honorem, commoditatem, possessiones, si quando illa repugnent Domino Iesu, aut consistere vel conseruari nequeant vnà cum præceptis eius. NON POTEST ESSE. non debet fieri. Quòd si fiat, nomenque mihi det, subsannationi, contemtui, & exitio se exponit, vt mox declaratur. Nam quod defieri potiùs loquatur quàm deesse, docent exempla subsequentia. Quamquam non tam necesse est, vt quis oderit omnia præ Iesu, antequam fiat eius discipulus, quàm vt ita sit animo comparatus, vt odisse velit, & statuat omnes carnis affectus exuere, persuasus id à se fieri posse, Deo adiuuante. Quòd si factus Iesu discipulus id negligat reipsa; præter hoc quòd nihil ei prodetit factum esse discipulum Iesu, certè etiam perditioni fit obnoxius, eò quòd non præstet se Iesu discipulum. MEVS DISCIPVLVS. Non est me dignus, vt loquitur secundùm Matthæum, præceptore scilicet, remuneratore, rege. Hoc igitur examen est discipulorum à Domino Iesu probandorum. Reliqua ex illo Matthæi loco petantur, cap. 10. v. 37.

Matth. 10. v. 38.

Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.	27	καὶ ὅστις οὐ βαστάζει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἔρχεται ὀπίσω μου, οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής.

ET QVI. καὶ ὅστις & quicumque. BAIVLAT. βαστάζει portat, portare paratus est. Hoc pertinet ad odium animæ. ET VENIT. Matthæus *& sequitur.* POST ME. qui quotidie crucem meam fero, iamque ad crucem etiam humeris ferendam pergo. ESSE. fieri, vt nec est me dignus, si factus discipulus meus, id obseruare omittat. Proinde quisquis se disciplinæ meæ addicere vult, non est quod sibi polliceatur felicitatem aut commoda huius vitæ; sed animum præparet oportet ad dura omnia, quæ facilè continget occurrere, æquanimiter ferenda. Reliqua exposita sunt Matth. 10. v. 38.

* * * * * * *

Matth. 5. v. 13. Marc. 9. v. 50.

Bonum est sal: si autem sal euanuerit, in quo condietur?	34	καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀρτυθήσεται;

BONVM EST SAL. Fuit hæc sententia frequens in ore Iesu, ad varia argumenta eiusdem rationis. Matth. 5. v. 13. & Marc. 9. v. 50., vbi verba exposita sunt, dicta est apostolis peculiariter: hîc generaliter eam ad omnes Iesus extendit (loquitur enim turbis, quod suprà versu 25. legitur) qui semel se professi sint ipsius discipulos, ac proinde sic conditos Dei verbo, vt & sibi & aliis sapiant. *Ad superiora respicit*, inquit Beda, *vbi turrem virtutum, non solum incohoandam, sed etiam præceperat esse consummandam.* Est igitur huius loci sententia: Sicut res bona atque vtilis est sal, sed si semel fatuum, euanidum, & inefficax factum fuerit, non est ratio illius reparandi ac pristinæ naturæ restituendi: sic res præclara, vtilis, ac salutifera est, esse discipulum meum, & ipsi possessori, & aliis: sed si, qui semel se professus fuerat discipulum meum, amore rerum terrenarum quibus renunciauerat captus, perdat saporem quo per Dei gratiam fuerat imbutus, & euanescente sapientia illa, diuina, qua omnibus mea causa valedixerat, seipsum infatuet, non facilè suppetet ratio qua restituatur pristino statui, sed salis insipidi instar deploratus, nullius vltrà vsus erit. Videat ergo quid agat, qui se vult addicere meæ disciplinæ, an poterit constans perseuerare, & hunc virtutum saporem perpetuò retinere.

Matth. 5. v. 13.

Neque in terram, neque in sterquilinium, vtile est: sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.	35	οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν, εὔθετόν ἐστιν· ἔξω βάλλουσιν αὐτό. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

NEQVE IN TERRAM siue agrum, missum siue proiectum sal. reddit enim terram sterilem: vnde *legimus in Scripturis, vrbes quasdam ita victorum sale seminatas, vt nullum in ipsis germen oriretur*, quod annotat Hieronymus scribens in Matth. 5. v. 13. Locus autem Scripturę ad quem respicit, est Iudicum 9. v. 45. vbi Abimelech scribitur Sichimam destruxisse, *ita vt sal in ea dispergeret.* NEQVE IN STERQVILINIVM, quò tamen proiectæ res omnes aliæ corruptæ, vtiles sunt. Nullius vltra vtilitatis est sal insulsum, neque ad condiendum alia, neque vt loco terræ habeatur, in qua aliquid seratur, neque vt vicem fimi obtineat, quo terra reddatur lætior. *Neque in terram vtile est*, inquit Beda, *cuius iniectu illa germinare prohibetur; neque in sterquilinium agriculturæ profuturum, quòd viuacibus licet glebis immixtum, non fœtare semina frugum, sed exstinguere soleat.* VTILE. εὔθετον appositum EST, immo & terram & sterquilinium vitiat. plus enim significat Dominus quàm dicat. Reliquæ, inquit, res omnes, corruptæ licet, valent tamen ad aliquid, aliquem de se vsum præbent: sed sal, magnæ quidem rei, at vni natum, si semel factum fuerit insipidum, nulli ampliùs hominum vsui accommodum est, quinimmo vitiat omnia quibus iniectum fuerit. SED FORAS MITTETVR. ἔξω βάλλουσιν αὐτό foras proiiciunt ipsum. ita est græcè & syriacè: vbi videri possit deesse coniunctio ἀλλὰ *sed*, quæ vt latinè, ita

& in

& in manuſcripto ſyriaco legitur: *Sed foras proiiciunt* homines *ipſum*, quod eſt, foras mittitur ſiue proiicitur, proiici conſueuit extra domum, in plateam ſeu viam publicam, *vt conculcetur ab hominibus*, quod Matthæus addit. Sic qui, poſtquam factus fuerit diſcipulus meus, inſulſus redditus redierit ad ea quæ mea cauſa reliquerat, & ſibi & aliis planè inutilis erit, adeoque nociuus & deſperatus, ac proinde foras extra eccleſiam meam proiectus in gehennæ tenebras exteriores, viliùs duriuſque tractabitur, quàm ſi numquam ſequelam mei profeſſus fuiſſet. *Sic*, ait Beda, *omnis qui poſt agnitionem veritatis retro redit, neque ipſe boni operis fructum ferre, neque alios excolere valet, ſed foras mittendus, hoc eſt, ab eccleſiæ eſt vnitate ſecernendus, vt iuxta præmiſſam parabolam, irridentes eum inimici dicant, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare. Inſinuatur per terram*, inquit Theophylactus, *quòd vtilitatem capiat; per ſterquilinium autem, quod proſit. Ideò reiicitur & reiiciendus eſt, tamquam qui nec proſit, nec vtilitatem percipiat.* Cæterùm non de vno ſolo actu peccati hîc loquitur Ieſus, ſed de ſtudio ac quaſi profeſſione redeundi ad ea quæ ſeculi ſunt: & neque hîc quidem omnem pœnitentiam excludit, ſed rarum eſſe ſignificat, vt huiuſmodi pœnitentiam ineant, ac proinde fieri plerumque vt deſperati abiiciantur à Deo in gehennam; præſertim verò illi qui inter diſcipulos Ieſu doctorum acceperant locum, quos maximè oportuerat ſal eſſe aliorum ſuæ fidei creditorum. AVDIENDI. ad audiendum ſ. ea quæ auditu digna ac neceſſaria ſunt. AVDIAT hæc quæ hactenus dixi, expendat & intelligat. ſunt enim obſeruatu, vt digniſſima, ita maximè neceſſaria, nec ſine preſſa conſideratione poſſunt intelligi. non tam propter obſcuritatem, quàm propter rem à vulgi captu & affectibus alienam, quæ dura & grauis pleriſque videbitur. *Audiat* denique *obediendo & faciendo quæ audiuit*, ait Beda. Quò grauiùs percellat omnium mentes, graui hoc epiphonemate ferit omnium aures, tamquam ſi dicat, qui hæc non audit, declarat ſe aures ad audiendum non habere. Hoc epiphonema tractatum eſt etiam Matth. 11. v. 15. & 13. v. 11.

* * * * * * *

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

* * * * * * * *

οὐδεὶς οἰκέτης δύναται δυσὶ κυρίοις δου- 13
λεύειν. ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτε-
ρον ἀγαπήσει· ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται, καὶ τοῦ
ἑτέρου καταφρονήσει. οὐ δύνασθε θεῷ
δουλεύειν καὶ μαμωνᾷ.

Nemo ſeruus poteſt duobus domi-
nis ſeruire. aut enim vnum odiet, &
alterum diliget: aut vni adhærebit,
& alterum contemnet. Non poteſtis
Deo ſeruire & mammonæ.

Matth. 6. v. 24.

NEMO. nullus SERVVS. ADHÆREBIT. Syrus *honorabit*, vt ſecundùm Matthæum, ex quo petenda ſunt reliqua.

* * * * * * *

ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννου· 16
ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ εὐαγγελί-
ζεται, καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται.

Lex & prophetæ vſque ad Iohan-
nem: ex eo regnum Dei euangeliza-
tur, & omnis in illud vim facit.

Matth. 11. v. 12. 13.

LEX ET PROPHETÆ. Si ſuperioribus continuè ſubiecta à Saluatore eſt hæc ſententia, hanc habet ſequelæ rationem. Phariſæi cùm eſſent auari, deridebant, quod mox dictum eſt, Dominum ad diuitiarum contemtum, & in pauperes dilargitionem, adhortantem; prætexentes, veriſimile eſt, legem & prophetas, à quibus, & probentur vt Deo grati plurimi qui diuites fuerint, & diuitiæ ipſæ rerumque omnium copia promittantur fidis Dei cultoribus, mandatorumque eius obſeruatoribus. Abraham inprimis, iuſtus adeoque amicus Dei appellatus, deſcribitur diues fuiſſe valde in poſſeſſione auri & argenti, Gen. 13. v. 2. Dauidem regno & opibus clarû teſtantur prophetæ fuiſſe virum ſecundùm cor Dei. 1. Reg. 13. v. 14. Deuteronomium cap. 28. cuſtodientibus mandata Domini promittit omnigenas huius vitæ benedictiones; tranſgredientibus maledictiones: in quam ſententiam & prophetæ: *Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis.* Iſa. 1. v. 19. Huiuſmodi igitur obiectioni ſatisfaciat Saluator his verbis: *Lex & prophetæ.* Quid per legem & prophetas intelligatur vide Matth. 5. v. 17. VSQVE AD IOHANNEM ſ. ſuo functi ſunt munere; *prophetauerunt*, quod exprimit Matthæus, & docuerunt populum Dei modo ſuo. EX EO tempore. *à diebus Iohannis*, ait Matthæus. REGNVM DEI ſiue cælorû, quod ſub lege & prophetis incognitum fuit, non niſi obſcurè ab ipſis promiſſum.

EVANGELIZATVR. palàm feliciterque annunciatur appropinquaſſe, prædicatur iam adeſſe: quod, cùm Dei & cælorum, id eſt, diuinum ac cæleſte ſit regnum, vult præ ſe contemni humana ac terrena omnia. Non itaque mirum, ſi, vt alia res prædicatur euangelio quàm lege & prophetis, ita & præceptiones ac forma docendi ſint aliæ euangelij quàm legis & prophetarum; aliæ inquam ac diuerſæ, non aduerſæ, hæ imperfectiores, illæ perfectiores ac ſublimiores. Lex cum prophetis veterem populum, veluti puerum, in Dei cultu continuit ſpe bonorum terrenorum; euangelium, nouum populum, tamquam virum, ſeruire Deo docet ſpe regni cælorum, ſpe bonorum ſpiritualium, cæleſtium, atque æternorum: quæ eiuſmodi cùm ſint, vt amari facilè non ſuſtineant vnà cum caducis huius mundi bonis, hinc fit, vt à me & Iohanne euangelium prædicantibus, doceatur diuitiarum ac mundi contemtus; quorum quidem amorem numquam docuerunt lex & prophetæ, ſed tantùm vſum promiſerunt ac permiſerunt ſuo pro tempore. ET OMNIS. Quod Dei re-

gnum si vos nolitis ingredi, euangelio recepto, si vobis non placet spem regni Dei tanto emere pretio, contemtu inquam bonorum huius mundi eorumque in pauperes dilargitione; nolite putare neminem fore qui euangelium istud volet amplecti, itaque in Dei regnum ingredi; *omnis*, id est, quiuis alius, infinita alia hominum multitudo, vobis perniciosè torpentibus, omnis alia hominum conditio, cùm non adeatur à filiis regni, non tantùm volet intrare, sed & *vi* conabitur *in illud* perrumpere, abnegatis possessionibus, voluptatibus, parentibus, denique semetipsis & anima sua, atque adeò iam nunc incipit. Reliqua huius versiculi quære Matth. 11. v. 12. 13.

Matth. 5. v. 18.

Facilius est autem cęlum & terram [17] præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.

εὐκοπώτερον δέ ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν.

FACILIVS EST AVTEM. Quod autem dico legem & prophetas vsque ad Iohannem & euangelium fuisse, non in eam sententiam accipiendum est, quasi doceam, legem, post Iohannem, regnante euangelio, abrogatam, euanidam, aut otiosam esse, vel prophetas antiquatos. *Facilius est* enim, PRÆTERIRE. corrumpi, esse desinere, venire in nihilum; siue absolutè, quod numquam, siue quod ad præsentem statum, quod aliquando fiet. DE LEGE. τοῦ νόμου legis. Sub lege prophetas intellige. VNVM. vel vnum. APICEM. vel minimum quid. maxima mundi elementa, quàm minima legis puncta. CADERE. deficere, falsum, irritum, aut frustraneum reddi. Constantior est legis sanctitas, quàm cæli ac terræ duratio. *Cælum enim & terra aliquando transibunt* seu *mutabuntur* (Matth. 24. v. 35.) at legis ne minimum quidem vnquam: &, si æternùm etiam durabit cæli terræque substantia, prout durabit; facilius tamen sit, hunc naturæ nexum atque ordinem solui, quàm falli aut fallere veritatem Dei, quæ legem edidit. Quidquid igitur lex, aut præcipit vt fiat, aut promittit prædicitve fore, etiam post Iohannem, tempore manifestati regni cælorum siue euangelij; id omne eueniet, exacteque obseruandum erit, adeò vt ne minimus quidem apiculus, aut impunè prætermittendus ab iis qui euangelij regnique Dei compotes fuerint, aut frustrà futurus sit. Reliqua lege Matth. 5. v. 18. 19.

Matth. 5. v. 33. 19. v. 9. Marc. 10. v. 11.

Omnis qui dimittit vxorem suam [18] & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

πᾶς ὁ ἀπολύων τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμῶν ἑτέραν, μοιχεύει· καὶ πᾶς ὁ ἀπολελυμένην ἀπὸ ἀνδρὸς γαμῶν, μοιχεύει.

OMNIS. Doctrinam hanc vnam, Saluator, aut certè Euangelista, huc adfert, exempli loco, quò ostendat, Euangelium tam non esse contrarium legi & prophetis, vt minimos etiam apiculos legis, qui oculos mentesque legentium fugiunt, exigat. Lex repudia vxorum nouaque coniugia, certis modò conditionibus adhibitis, permittebat. Scribæ licita proinde illa esse, & à lege probata, intelligebant, qualia prima fronte iudicentur. Euangeliū permissa fuisse docet pro duritia cordis populi illius, non approbata; ac proinde, ex mente legis, cauenda, repudia quidem illa, vt illicita contrariaque primææ Dei institutioni, subsequentia verò coniugia vt adulteria. *Omnis* inquit, generali sententia, nullum excipiens, nec eum quidem cuius vxor adulterij conuicta sit. A VIRO. Hoc Syrus non magis legit hîc, quàm secundùm Matthæum. Reliqua lege Matth. 5. v. 33. 19. v. 9. & Marc. 10. v. 11.

* * * * * * * * *

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Matth. 18. v. 7.

Et ait ad discipulos suos: Impossibile est vt non veniant scandala: væ autem illi per quem veniunt.

[1] εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητάς· ἀνένδεκτόν ἐστι τοῦ μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, οὐαὶ δὲ δι' οὗ ἔρχεται.

ET AIT. εἶπε δὲ Ait autem, quodam scilicet tempore, cùm solus cum discipulis domi esset, in oppido Capharnaum, pararetque migrationem in Iudæam; quæ ex Matthæo intelliguntur. IMPOSSIBILE EST VT NON. fieri non potest quin. Contingere aliter non potest quin; siue *necesse est vt*, quomodo loquitur secundùm Matthæum. Ineuitabilis est euentus scandalorum. SCANDALA. impedimenta bonæ Deoque placitæ vitæ. Reliqua lege Matth. 18. v. 7.

Matth. 18. v. 6. Marc. 9. v. 42.

Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnū de pusillis istis. Attendite vobis.

[2] λυσιτελεῖ αὐτῷ εἰ μύλος ὀνικὸς περίκειται περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ ἔρριπται εἰς τὴν θάλασσαν, ἢ ἵνα σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων. προσέχετε ἑαυτοῖς.

VTILIVS EST. λυσιτελεῖ expedit, id est, expediat, vtilius sit. LAPIS MOLARIS. μύλος ὀνικὸς mola asinaria, quomodo est & syriacè, quamquam varient græca exemplaria. IMPONATVR. περίκειται circumponatur. DE PVSILLIS ISTIS. τῶν μικρῶν τούτων paruorum istorum. ATTENDITE. προσέχετε cauete à scan-

sed à scandalis (vt à re maximè noxia) ne vel aliis illa obiiciatis, vel obiectis ab aliis lædamini. Vtrisque enim nocent summopere, & eis à quibus procurantur, & eis quos offendunt. His verbis nos munit aduersus scandala, docens, licet sit necesse illa euenire, non tamen necesse esse nos illis perire, si modò nobis cauerimus. Hoc idem agit apud Matthæum verbis istis *væ mundo à scandalis*. Cap. 18. vers. 6. 7. vbi vide reliqua huc pertinentia.

ἐὰν δὲ ἁμάρτῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, ἐπιτίμησον αὐτῷ· καὶ ἐὰν μετανοήσῃ, ἄφες αὐτῷ·

3 Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi:

Matth. 18. v. 15.

SI. ἐὰν δὲ Si autem, quamquam nec syriacè sit *autem*. Alia doctrina. Quia nouerat eam esse carnis fragilitatem, vt fieri non posset, quin & christiani scandalo nonnumquam essent alij aliis; monet eum cui scandalum fit, quomodo se gerere debeat erga eum qui dederit, nolens fratrum scandala negligi, quemadmodum extraneorum. PECCAVERIT te conscio. ἁμάρτῃ. Additur græcè εἰς σὲ *in te*: quod hic intelligendum est, vt Matth. 18. v. 15. cæteroqui rectiùs omittunt Latina pleraque & Syra, ita vt disertè generalis doctrina sit de quibusuis etiam in Deum admissis peccatis. INCREPA. obiurga, *corripe* ait secundùm Matthæum, id est, mone duce charitate, & doce quàm malè egerit, quàm longè à Dei aut proximi charitate recesserit: ita enim peccat, qui peccantem videns tacet, sicut, qui pœnitenti non indulget. Modus increpandi præscribitur secundùm Matthæum. POENITENTIAM EGERIT. μετανοήσῃ resipuerit, pœnitentia motus fuerit, pœnitentiæ signa dederit. vide Matth. 3. v. 2. Hoc porrò est, quod apud Matthæum dicitur: *Si te audierit*.

DIMITTE ILLI. condona illi peccatum quatenus te læsit aut offendit. recipe illum in gratiam, nulla expetita vindicta, aut ira reseruata: animi erga eum suauitatem, quam seruasse te oportuit, declares verbis & factis. Sermo hîc est, non de sacramentali remissione, sed de fraterna: sacerdos enim, dum sacramento operâte peccata remittit, non remittit vt fratri, sed vt subdito, vice Dei; nec tamquam in se admissa, sed tamquam in Deum. Est autem fraterna remissio, qua frater fratri remittit peccatum quodcumque, quatenus ipse eo læsus offensúsve fuerit: & hæc duplex est, vna interior solius animi, altera exterior oris simul & animi. Interior necessaria est affecto iniuria, exterior ei qui affecit. Interior semper nobis præsto sit oportet, etiam erga eos qui nos hostiliter persequuntur: exterior non nisi rogantibus debetur, & de hac quidem Saluator hoc loco agit. Vide Matth. 6. v. 12. *Cautè intuendum*, ait V. Beda, *quòd non passim peccanti dimittere, sed pœnitentiam agenti iubemur, & primò quidem peccantem misericorditer increpare, vt sit cui postmodum possimus iustè dimittere, ne vel difficilis venia, vel remissa sit indulgentia*. hæc ille. Sponte enim verbis condonare peccatum, ei qui peccatum non agnoscit, fortè etiam amat pergitque perpetrare, quamquam nonnumquam eximiæ sit perfectionis, non tamen est necessarium, & plerumque non expedit: non enim ille remissionis est capax, neque sua opinione, vt qui se peccare neget, aut certè sciens volensque peccare gaudeat, neque rei veritate. Atqui peccatum agnitum sibi postulat ignosci, vt ille capacem se reddit dimissionis peccati, cuius ipsum pœnitet, ita præcipit Saluator, ipsi, vt animo, ita & beneuolo ore gestuque, dimitti. Reliqua lege Matth. 18. v. 15.

καὶ ἐὰν ἑπτάκις τῆς ἡμέρας ἁμάρτῃ εἰς σε, καὶ ἑπτάκις τῆς ἡμέρας ἐπιστρέψῃ ἐπί σε, λέγων μετανοῶ, ἀφήσεις αὐτῷ.

4 & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens pœnitet me; dimitte illi.

Matth. 18. v. 21. 22.

SEPTIES IN DIE, sæpiùs vno die (numerus finitus pro infinito) quotiescumque tandem, absque numero. Septenarius numerus, pro infinito, ob perfectionem; loco congruit, ob familiarem remissionis significationem. Secundùm Matthæum ait, *non septies, sed septuagies septies*: atqui ad frequentiæ emphasin notandam, eandem ferè vim habent *sexuagies septies* & *die septies*: immo verò septenarius numerus ad summam rei notandam per se sufficere fortasse potuisset, nisi Petrus illum propriè acceptum vsisset, tamquam terminum, quem veniæ facilitas attingere, aut certè superare, non debeat. Matth. 18. v. 21. IN TE. etiam directò in te. CONVERSVS FVERIT AD TE. pœnitudine ductus veniam te rogarit. A quibusdam græcis libris omittitur ἐπὶ σὲ *ad te*. Hinc intelligitur, eadem esse, μετανοεῖν *pœnitentiam agere*, cuius superiori versu est vsus, & ἐπιστρέφειν *conuerti*, cuius hoc loco. Nam & Syrus, quamquam duabus hîc vocibus, vtraque tamen conuersionem significante, vtitur. vide Matth. 3. v. 2. POENITET ME. Non temerè adhibenda est mox fides verbis, quibus testatur quis pœnitentiam, præsertim iam frequenter iterata offensa, idque in grauioribus rebus (nam quotidiana delicta, quorũ, in tanta carnis infirmitate, frequens est occasio, faciliores nos requirunt) meritò namque vtendũ est iudicio, meritò oportet vti maturo examine, seque prębere difficilem, ne stultè ad vnum verbum creduli habeamur. Sed vult Saluator, æquos nos esse & humanos, vt pœnitentibus porrigamus manum, si modò appareat, ipsis ex animo displicere peccatum in nos admissum: vult promtos nos agilesque esse ad dandam veniam peccati cuiuscumque quo offensi fuerimus, quoties probabile conuersionis signum dederit peccator: quamquam vbi leuitate & inconstantia suspectum se reddidit, possimus veniam petenti ita ignoscere, vt pœnas nobis det, ne tolerantiam mansuetudinemque nostram, quæ ex Spiritu Christi est, ludibrio habeat suo malo. Iam cùm longè maior sit Dei clementia, omni ea quæ ab homine exigi possit: hinc sequitur, argumento à minori ducto, nec sacerdotem Dei nomine peccata remittentem, pœnitenti veniam negare vmquam posse, quantumcumque frequens relabatur, licet asperioris satisfactionis cautelam adhibere possit. Reliqua lege Matth. 18. v. 21. 22.

καὶ εἶπον οἱ ἀπόστολοι τῷ κυρίῳ· πρόσθες ἡμῖν πίστιν.

5 Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

ET DIXERVNT. eo tempore quo declarauerat ipsis Dominus, causam non eiecti dæmonij, de quo suprà 9. v. 40.

v.40., esse incredulitatem ipsorum, referente Matthæo, cap. 17. v. 20. APOSTOLI, imitati patrem dæmoniaci illius, qui cùm audisset *Omnia possibilia credenti*, exclamauerat: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam* (Mar. 9. v. 24.) longè tamen illo superiores. DOMINO. Iesu tamquam Domino, tamquam largitori bonorum omnium etiam animi. Huiusmodi emphasis est huius nominis, declarans quàm insigni cum fide Apostoli petierint à Iesu augmentum fidei. ADAVGE. πρόσθες appone, adiice, comple, perfice. Fatemur, aiunt, fidem nobis esse exiguam admodumque imperfectam, id quod in nobis sæpiùs culpasti, nec mirum esse quòd non adspirartis, non faueris conatibus nostris, ad eiiciendum dæmonium hoc: sed qui sanare atque ornare potes animos non minùs quàm corpora, perfice obsecro fidem nostram. FIDEM, qua & gratiores simus Patri ac tibi, & nihil frustrà tētemus quod fieri expediat ad gloriam Dei hominumque salutem. Necessaria admodum etiam nobis est ista precatio, frequenter iteranda: vt enim initium fidei in nobis, ita & incrementum, Dei ac Christi donum est.

Matth. 17. v. 20.

Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem sicut granū sinapis, diceretis huic arbori moro: Eradicare & transplantare in mare; & obediet vobis.	6	εἶπε δὲ ὁ κύριος· εἰ εἴχετε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐλέγετε ἂν τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, ἐκριζώθητι καὶ φυτεύθητι ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ ὑπήκουσεν ἂν ὑμῖν.

SI HABVERITIS, vel, vt est in aliis libris *haberetis*, FIDEM. Non dixit: Ego vobis adaugeo fidem, sed commendans fidei efficacitatem, accēdit ampliùs in eis desiderium perfectionis fidei, quò magis idonei fierent, vt illam suo tempore copiosè obtinerent. quod certè factum est die Pentecostes proxima, quando accepto Spiritu sancto, tali fide prædici fuere, quali possent quiduis ad gloriam Iesu, solo iussu oris, immo sola corporis vmbra morbos incurabiles sanare &c. DICETIS, vel potiùs, vt in aliis est libris, *diceretis*. dicere seu iubere possetis. HVIC prægrandi ARBORI MORO, radicibus longè lateque iactis firmissimæ. Græcè est τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ *huic Sycamino*. quam Syrus ܬܘܬܐ *Touto* vocat. Morus est Latinis, quemadmodum Interpres vertit Matthæus habet *huic monti*, sed nihil repugnat, quin duobus exemplis vsus sit Iesus, semel vicinam morum, semel montem monstrans. TRANSPLANTARE IN MARE. φυτεύθητι ἐν τῇ θαλάσσῃ plantator in mari, transferto te in mare, illicque erigitor non secùs ac si plantata illic fores. ET OBEDIET vel *obediret*. Res est à naturę ratione alienissima, arborem insigniter radicatam, ad hominis iussum spōte exsilire humo; longè autem alienior etiam, in fluido profundoque mari erectam consistere tam firmiter, quàm si illic plantata foret: & tamen hæc fides viua feruidaque possit, quando Dei honor requirat. Reliqua lege Matth. 17. v. 20.

* * * * * * * *

Matth. 24. v. 23. Marc. 13. v. 21.

Et dicent vobis, Ecce hîc, & ecce illic: nolite ire, neque sectemini.	23	καὶ ἐροῦσιν ὑμῖν, ἰδοὺ ὧδε, ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ· μὴ ἀπέλθητε, μηδὲ διώξητε.

ET DICENT. Tunc tamen *dicent*, id est, dicetur scilicet à pseudoprophetis, aut aliis tamquam volentibus satisfacere desiderio vestro. Syrus: *Etsi dicent* seu *dixerint*. VOBIS. discipulis seu fidelibus meis. ECCE HIC est Filius hominis siue Christus. ET ECCE ILLIC. ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ aut ecce illic. Non deerunt tamen, qui blandientes vobis, conabuntur vobis ostendere Christum. NOLITE IRE. μὴ ἀπέλθητε ne abieritis, sed ne abieritis visendi causa, an Christus sit hîc aut illic. SECTEMINI. διώξητε prosequamini, id est, nihil in eo operæ ponatis, vt inquiratis an ita sit. Habete hoc pro re vana & certò falsa. Cætera petantur ex Matth. 24. v. 23. 26. vbi cùm loquatur Iesus de tempore belli Iudaici, hîc de omni tempore videtur loqui.

Matth. 24. v. 27.

Nam sicut fulgur, coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget: ita erit Filius hominis in die sua.	24	ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ, ἡ ἀστράπτουσα ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν, εἰς τὴν ὑπ' οὐρανὸν λάμπει· οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ.

NAM. Iam enim veni ego verus Christus: nec est alius Christus aut Christi aduentus exspectandus, nisi meus ad iudicium, publicus totique orbi terrarum per se manifestus aduentus. DE SVB CÆLO, IN EA QVÆ SVB CÆLO SVNT FVLGET. ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν, εἰς τὴν ὑπ' οὐρανὸν λάμπει ex ea quæ sub cælo, in eam quæ sub cælo splēdet, id est, promicans ex vna regione quæ sub cęlo est, in alteram vsque regionem quæ sub cælo est lucet, ex vna cæli plaga in alteram; verbi gratia, *ab oriente vsque in occidentem*, quod Matthæus exprimit cap. 24. v. 27. Similis est loquutio Deut. 4. v. 32: *A summo cæli vsque ad summum eius*, id est, ab vno cæli termino vsque ad alterum. Matthæus pro *fulget* clariùs dixit *paret* seu apparet. Interpres latinus hîc secundùm Lucam legisse videtur neutrum τὰ pro fœminino τὴν, hoc sensu, coruscans è regione nubium quæ sub cælo est, in inferiora omnia quæ sub cælo sunt refulget, illa collustrans: cui sensui fauens Syrus vertit: *Sicut enim fulgur fulgurat e cælo, & omnia quæ sub cælo sunt illuminat.* ITA ERIT FILIVS HOMINIS. Christus. IN DIE SVA. in die nouissimo, in die quo egressus à dextera Patris, è cælo gloriosè venerit ad iudicandum viuos & mortuos; *erit* inquam, ex vna cæli regione prodiens, & in oppositam vsque fulgens, omniaque inferiora quæ sub cælo sunt illuminans, ita vt nemini non futurus sit per se manifestus, nec opus futurū sit vt alius alium admoneat *ecce hic aut ecce illic*. non enim latebit in angulis, sed omnibus conspicuum se prębebit in nubibus, amictum lumine & gloria, sicut vestimento. Vocat diem illum diem suum, more humano, tamquā exspectatum

tum valde & desideratum: quia eo die gloria ipsius toti mundo erit manifesta, quòd scilicet ipsius sit *omnis potestas in cælo & in terra*: non quòd post eum diem non erit, sed quòd ante eum non ita fuerit. Antè enim, dum inter homines habitaret, ignotus ferè latuit & inglorius, illoque ex hominibus assumto, discipuli ipsius per fidem ambulant, non per speciem: sed eo die rediens, omnibus qui vmquam vixerint hominibus conspicietur ipse summa claritate & gloria coronatus, reddensque vnicuique secundùm opera eius, palàm inibit regnum æternum, electis secum assùmtis in gloriam, reprobis inter supplicia redactis in scabellum pedum suorum.

* * * * * * *

καὶ καθὼς ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

26 Et sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. *Matth.24. v.37.*

Erit. fiet. Et in diebvs. & instante die. Mox v.24. vocauerat diem numero singulari, iam vocat dies plurali; incertum relinquens plures ne dies an vnicum occupabit iudicium mundique consummatio. Reliqua lege Math.24.v.37.

ἤσθιον, ἔπινον, ἐγάμουν, ἐξεγαμίζοντο, ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰσῆλθε νῶε εἰς τὴν κιβωτὸν, καὶ ἦλθεν ὁ κατακλυσμὸς, καὶ ἀπώλεσεν ἅπαντας.

27 Edebant & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias, vsque in diem qua intrauit Noë in arcam, & vênit diluuium, & perdidit omnes. *Matth.24. v.38.39.*

Et bibebant. Græcè tota oratio ἀσύνδετος est: *Edebant, bibebant, vxores ducebant, dabantur nuptum.* Et qui venit dilvvivm. eadem enim die venit diluuium, qua Noë intrauit in arcam. Gen.7.v.13. Perdidit. interfecit, submersit. Reliqua lege secundùm Matthæum.

* * * * * * * *

κατὰ ταῦτα ἔσται, ᾗ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται.

30 Secundùm hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur. *Matth.24. v.39.*

Secvndvm hæc erit. Sic futurum est, similiter accidet, nempe, edent Filij huius seculi, bibent, vendent, ement &c., toti intenti erunt rebus terrenis, nihil minùs quàm de mundi fine & districto iudicio cogitantes. Qva die. ea die qua, id est, circa eam diem, proximè ante eam diem, seu, vt suprà v. 27. dicitur, vsque ad eam diem. Dies autem pro tempore ponitur. Revelabitvr. ἀποκαλύπτεται reuelatur (præsens pro futuro) manifestabitur, adueniet summa cum gloria conspicuus omnibus, ad iudicandum & consummandum mundum. Dies illa seu tempus illud incipiet ab extremis illis horrendisque signis in sole, luna, & stellis, de quibus infrà 21. v. 25. 26., quæ non desinent, quin ipse Filius hominis priùs appareat, etsi non mox ab initio illorum appareat. Reliqua pete ex Matth. 24. v. 39.

ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ὃς ἔσται ἐπὶ τοῦ δώματος, καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἐν τῇ οἰκίᾳ, μὴ καταβάτω ἆραι αὐτά· καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁμοίως μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω.

31 In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retrò. *Matth.24. v.17.18. Marc.13. v.15.16.*

Hora. τῇ ἡμέρᾳ die, quo modo est & syriacè, id est, tempore: sed quia minimum temporis supererit, rectiùs vocatur hora quàm dies. *hora* autem siue die, qua scilicet Filius hominis reuelabitur: non tamen illum ipsum temporis articulum intelligit, quo Filius hominis reuelabitur (nam Filio hominis iam apparente, nulla erunt tecta, nullæ domus, nullæ res hominum manibus factæ, neque tunc locum habebit vlla monitio, serum erit attendere sanis monitis) sed initium eius diei siue horæ qua reuelabitur, quam versu superiori descripsimus tempus, scilicet vicinissimum & propinquissimum reuelationi Christi, tamquam intra horam futuræ, cùm extrema illa signa in sole, luna, stellis, ac reliquis mundi partibus apparere, & totus mundus commoueri cœperit: quo modo hunc locum explicat & V. Beda. Vel tunc enim adhuc prodesse poterit salutaris monitio: sed nulla, si quis obedire velit, interponēda erit mora, propter temporis angustiam simul & incertitudinem. In tecto. ἐπὶ τοῦ δώματος super tectum s. domus suæ. vide Matth.24.v.17. Vasa. id est, supellex, vtpote pecunia, vestes, arma, cæteræque res quibus opus habere quis solet ad vitæ huius necessitates. In domo. inferiùs in ipsa domo fuerint. Tollere illa. vt tollat illa, & seruet. Non sit solicitus de supellectile, abiiciat omnem curam rerum terrenarum mox periturarum; tantùm autem cogitet de salute sua, & hoc solùm dispiciat quomodo stare poterit ante Filium hominis, & venienti dignè occurrere. Tunc curandum non erit de minimis quæ mox sunt peritura, cùm instabit maximum & incomparabile illud negotium discriminis infiniti, quod nos sibi totos meritò vendicabit. Familiare hominibus est, si ingruere videant mala, mox animum conuertere ad res opesque suas, per quas sperant posse euadere, aut benè sibi esse posse: hoc prohibet Christus, atque eo præsertim tempore, quo perituræ sunt res omnes terrenæ; & eam solam curam vult omnium animis sedere, vt parent se ad excipiendum Dei iudicium. Retro. εἰς τὰ ὀπίσω. hoc, vel simpliciter accipitur pro *retro* (quomodo Interpres accepit) vel transfertur, *ad ea quæ retro s. reliquerit.*

reliquerit. Posteriori vertendi modo, idem significatur quod mox, non redeundum tunc cuiquam in ciuitatem aut locum vnde fuerit egressus, vt res suas seruet aut curet: priori verò significatur, nec vt se seruet, cuiquam redeundum domum. Non enim minus periculi fore domi, quàm foris, nec quidquam agendum tunc domi, quod non æquè fieri possit foris; idcircò autem foris potiùs quàm domi, si hora illa ipsum foris comprehenderit, ne interea dum domum fugit, iudex adsit, ipséque tempore excludatur: nihil enim tunc aliud agendum, quàm vt vnusquisque se paret ad subeundum iudicium Christi. Nemo ergo tunc fugiat domum, præsentius enim erit periculum quàm vt vllam moram patiatur: sed quocumque loco repertus fuerit, illic exspectet sui immutationem, & conuersus toto corde ad Dominum, contemnat terrena omnia bona, festinetque ad meliora, denique tum humiliter tum auidè desideret venienti occurrere Iudici. Hac eadem parabola, secundùm Matthæum & Marcum, Iesus hortatus est suos ad celeritatem fugæ, vbi vidissent quod prædixerat signum instantis excidij Iudææ: hîc verò hortatur, non vt fugiant, sed vt cæteris omnibus rebus relictis de salute animæ cogitent, mox vt viderint signa, quæ prædixerit instantis nouissimi iudicij: eò quòd nulla tunc erit opportunitas animum applicandi ad temporalia, aut differendi curam salutis æternæ, sed extrema necessitas extremumque temporis punctum, quo quis seruare animam suam possit. Mox enim præsente iudice, nihil proderit, quidquid ampliùs facere voles. Quamquam ergo minimum tunc suppetet temporis, vt quis se paret ad accipiendum mite iudicium: præmonet tamen benignus Iudex, quantulumcumque iuuare posse (si non negligatur cura superuacanea terrenorum) paratos, vt ampliùs se parent; imparatos, vt subitò paratos se reddant, non tam operibus bonis, quæ temporis angustia non admittet, quàm piis desideriis, & integra ac sincera animi ad Deum conuersione. Hæc porrò admonitio à Domino Iesu data iis qui victuri sunt ipso ad iudicium veniente, & nobis seruit, quando morbi graues cæterique mortis prænuncij, concutiunt minorem hunc mundum, nos inquam ipsos, ne vel illud tempus negligamus: quàm enim mors, tam est nobis iudex propinquus. vide Matth. 24. v. 29.

* * * * * * *

Matth. 10. v. 39. & 16. v. 25. Iohan. 12. v. 25.

Quicumque quæsierit animã suam [33] saluam facere, perdet illã: & quicumque perdiderit illam, viuificabit eam.	ὃς ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· καὶ ὃς ἐὰν ἀπολέσῃ αὐτήν, ζωογονήσει αὐτήν.

QVICVMQVE in illa hora. QVÆSIERIT. studuerit, conatus fuerit, reuertendo aut respiciendo retrò, sua auferendo &c. ANIMAM SVAM semetipsum. SALVAM FACERE. imminentibus periculis eximere, ita vt seruet vitam hanc suam mortalem, & quæ illius possederit bona. PERDET ILLAM. non saluum faciet, sed perdet semetipsum: nec tantùm non effugiet mortem hanc, verumetiam mortem exitiumque incurret æternum. Aduenie ns enim mox Iudex, imparatum, & quæ huius mortalis sunt vitæ, non quæ salutis æternæ, curantem, addicet gehennæ ignis. Nam perdere hîc, non significat amittere aut facere rei charæ iacturam, sed exitio tradere. ET QVICVMQVE. sed contrà quicumque. PERDIDERIT ILLAM. perdiderit semetipsum, id est, non fuerit tunc solicitus de seipso periculis mortalis vitæ eripiendo cuius finis omnibus in vniuersum instabit, nec de seruãdis temporariis suis bonis: sed his neglectis, in hoc vnum intentus fuerit, vt aduenienti iudici dignè occurrat. VIVIFICABIT EAM. non perdet, sed *viuificabit* semetipsum. ζωογονήσει in vitam generabit: etiamsi mortem corporis obeat, tamen vitam sibi parabit, veram scilicet ac solidam, qualis altera non fuerat, id est, immortalem & æternam, quam mox adueniens iudex ipsi largietur. Reliqua huc facientia petenda sunt ex locis ad marginem annotatis.

Dico vobis, in illa nocte, erunt [34] duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur.	λέγω ὑμῖν, ταύτῃ τῇ νυκτὶ ἔσονται δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς, ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται.

DICO affirmo VOBIS, terribile fore tempus illud. IN ILLA NOCTE aduentus Filij hominis. Mox v. 24. 26. 30. vocauerat diem, iam vocat noctem: dies enim erit gloriosa Filio hominis; hominibus autem, præsertim reprobis, horribilis nox, tristissima rerum facie circumfusa, incipiens ab obscuratione solis, lunæ, & stellarum; media nocte, vt volunt quidam, maximè Græci; crepusculo autem matutino, vt alij. ERVNT dormientes, id est, tunc fiet, vt duorum simul cubantium, vnus assumatur &c. DVO maritus scilicet & vxor, vel viri duo aut fœminæ duæ familiares. Scortator & meretrix intelligi non possunt, quia neuter eorum assumetur, sed ambo relinquentur. IN LECTO VNO. Lecti loco Matthæus agrum dixit, quod annotant Auctor imperfecti, Titus, & Euthymius, in Matthæum scribentes: ac potuit Christus tria exempla proposuisse, etsi Euangelistæ singuli non nisi duo recitent, & intellexisse, per eos quidem qui in lecto, diuites, tamquam in requie otioque viuentes, vt interpretantur Chrysostomus & Titus in Matthæum; per molentes verò pauperes, qui summis laboribus pauperem vitam sustinent, per eos autem qui in agro siue agricolas, mediocres, omnem scilicet communem hominum conditionem: est enim agricultura, omnibus artificiis & vitæ communi tamquam prima viuendi ratio. Cæterùm quia non præcipuè propositum fuit Christo, omnes hominum conditiones enumerare, suffecit Euangelistis aliquas descripsisse: sic enim propositum fuit Christo varias hominũ conditiones proponere, vt simul proponeret socios, & huiusmodi in re socios, quæ declararet eos eo die non exspectauisse aduentum Filij hominis, siue reprobi essent, siue electi. Nam quemadmodũ eo die nemo in agro aut in pistrino laboraret, si esset præcognitus; ita nemo in lecto quiesceret, sed non minùs iustus quàm peccator humi supplex iudicem exspectaret: *esse enim in lecto*, quod Theophylactus notat, *præsentu solicitudinis carentiam significat*. VNVS ASSVMETVR. qui scilicet antequam somno se daret se parauerat in illud tempus, incertum licet. ALTER RELINQVETVR. Clarum huius rei exemplum exstat in parabola illa decem virginũ, Matth. 25. v. 1. Reliqua petantur ex Matth. 24. v. 40. & 41.

δύο

δύο ἔσονται ἀλήθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ, μία [35] παραληφθήσεται, καὶ ἡ ἑτέρα ἀφεθήσεται· δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται.

Duæ erunt molentes in vnum, vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur. *Matth.24. v.41.*

IN VNVM ἐπὶ τὸ αὐτὸ in idem, id est simul. DVO IN AGRO. Hoc ab aliis omittitur, tamquam ex Matthæo huc transcriptum. lege Notas. Cætera exposita sunt Matth.24.v.41.

καὶ ἀποκριθέντες λέγουσιν αὐτῷ· [36] ποῦ κύριε;

Respondentes dicunt illi: Vbi Domine?

RESPONDENTES. auditis subiicientes s. discipuli ex v.22. ILLI Iesu. VBI pro quò s. assumentur. quod subaudiunt Theophylactus & Euthymius. ποῦ ambiguè significat motum in loco & motum ad locum, itaque verti potest & *vbi* & *quo*. huic loco congruit *quo*, quod significat motum ad locum: non enim quærunt discipuli, vbi relinquendi sint qui relinquentur (non dubium erat, quin illi relinquendi essent, vbi inuenti, in terra scilicet, sed quærunt, quò assumentur ij quos Iesus dixerat assumendos.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· ὅπου τὸ σῶμα, [37] ἐκεῖ συναχθήσονται καὶ οἱ ἀετοί.

Qui dixit illis: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. *Matth.24. v.28.*

CORPVS. σῶμα pro πτῶμα *cadauer*, Interprete Matthæo. Sensus est, in aëra, ad me venientem in nubibus cæli, assumentur; *rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra, vt semper cum Domino sint* (1.Thess.4.v.17.) nec assumentur aut rapientur inuiti, sed tali auiditate ad me conuolabunt, quali aquilæ ad cadauer, quippe qui ipsis futurus sim, quod aquilis cadauer, delicię inquam atque æternæ felicitatis pabulum, beatitudo ęterna & summum bonum. Itaque & aduolaturi dicuntur electi ad Christum, & assumendi; aduolaturi, quia agilitate prædita erunt corpora eorum gloriosa; assumendi, quia Dei donum erit illa agilitas, quamquam nec deerit angelorum ministerium, non quidem necessitatis, sed honoris causa. Reliqua pete ex Matth.24.v.28.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

* * * * * * * *

προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη, [15] ἵνα αὐτῶν ἅπτηται· ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτοῖς.

Afferebant autem ad illum & infantes, vt tangeret eos: quod cùm viderent discipuli, increpabant illos. *Matth.19. v.13. Marc.10. v.13.*

AFFEREBANT. Afferebantur, siue quòd brachiis gestarentur (quemadmodum Iesus in vlnas eos secundùm Marcum accepit) siue quòd manuducerētur. Secundùm Marcum vertit *afferebant* ex προσέφερον. AVTEM. alteram doctrinam humilitatis subiungit Euangelista. ET INFANTES. Cùm sæpè experti essent homines illi, adultis hominibus Iesu oblatis varia contigisse non parui momenti beneficia: tandem obtulerunt ipsi etiam infantes, spe concepta, nec illos Dei donis vacuos abituros, si manus illis imponeret. Syrus omittit *&*. ILLOS s. afferentes, ex Marco. Reliqua lege Matth.19.v.13.& Marc.10.v.13.

ὁ δὲ Ἰησοῦς προσκαλεσάμενος αὐτὰ [16] εἶπεν· ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με, καὶ μὴ κωλύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.

Iesus autem conuocans illos dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei. *Matth.19. v.14. Marc.10. v.14.*

CONVOCANS simul omnes. προσκαλεσάμενος postquam aduocasset. Syrus *vocauit*. ILLOS. infantes. est enim græcè neutro genere αὐτά, quod non aliò referri potest, quàm ad τὰ βρέφη infantes. Et quamquam verisimile sit, adfuisse & infantes ab vberibus adhuc pendentes, qui aduocationis minimè essent capaces: ex communi tamen loquendi consuetudine, infantes aduocare dicitur, qui gerulos aut ductores illorum aduocat, vt infantes adferant, hic pręsertim vbi geruli nec aderant nec aduocabantur nisi infantum causa. Intelligendum itaque est, eos à quibus afferebantur infantes, quos discipuli abigebant, iussos à Iesu fuisse propiùs accedere vnà cum infantibus quos gestabant aut manuducebant, vt scilicet tangeret illos, seu impositis manibus benediceret, quod rogabatur. DIXIT discipulis prohibentibus. NOLITE VETARE. μὴ κωλύετε *ne prohibeatis* vertit secundùm Marcum. Reliqua lege Matth.19.v.14. Marc.10.v.14.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν μὴ δέξηται [17] τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν.

Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. *Marc.10. v.15.*

ACCEPERIT siue *receperit*, vt secundùm Marcum vertit. SICVT PVER existens, puero similis redditus. Intelligenda est personæ, non acceptionis imitatio. Reliqua lege Marc.10.v.15.

Matth.19. v.16. Marc.10. v.17.

Et interrogauit eum quidam princeps dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? [18] καὶ ἐπηρώτησέ τις αὐτὸν ἄρχων λέγων· διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω;

ET. Tunc. PRINCEPS. primariæ auctoritatis vir, tum ob diuitias, tum ob probitatem, fortè etiam ob generis claritatem & primatum aliquem. FACIENS. ποιήσας cùm fecero. Reliqua lege Matth. 19. v.16. Marc.10.v.17.

Matth.19. v.17. Marc.10. v.18.

Dixit autē ei Iesus: Quid me dicis bonū? nemo bonus nisi solus Deus. [19] εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός.

SOLVS. εἷς. Quod secundùm Marcum reddit ad verbum *vnus*, hîc iuxta sensum vertit *solus*. Reliqua lege Matth. 19. v.17. Marc. 10. v.18.

Matth.19. v.17.18. 19. Marc.10. v.19.

Mandata nosti, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem. [20] τὰς ἐντολὰς οἶδας, μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου.

Matth.19. v.20. Marc.10. v.20.

Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea. [21] ὁ δὲ εἶπε· ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου.

Matth.19. v.21. Marc. 10. v.21.

Quo audito Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus (& habebis thesaurum in cælo) & veni sequere me. [22] ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ἔτι ἕν σοι λείπει· πάντα ὅσα ἔχεις πώλησον, καὶ διάδος πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ, καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι.

QVO AVDITO. ἀκούσας δὲ ταῦτα hæc autem cùm audisset. Significatur hoc loquendi modo, quòd Iesus declararit, nonnullius à se fieri id quod dixerat adolescens. DA. διάδος distribue. *Habet*, inquit Theophylactus, *distribuendi verbum emphasin quamdam, vt cum diiudicatione & non fortuitò dispergantur bona*. Reliqua ad horum trium versiculorum enarrationem pertinentia legantur secundùm Matthæum & Marcum.

Matth.19. v.22. Marc.10. v.22.

His ille auditis contristatus est: quia diues erat valde. [23] ὁ δὲ ἀκούσας ταῦτα, περίλυπος ἐγένετο· ἦν γὰρ πλούσιος σφόδρα.

CONTRISTATVS EST. περίλυπος ἐγένετο pertristis factus est. Reliqua lege Matth.19.v.22.

Matth.19. v.23. Marc.10. v.23.

Videns autem Iesus illum tristem factum dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt? [24] ἰδὼν δὲ αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς περίλυπον γενόμενον, εἶπε· πῶς δυσκόλως, οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες, εἰσελεύσονται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ;

TRISTEM. περίλυπον pertristem. FACTVM, & abeuntem, quod addunt alij Euangelistæ. DIXIT discipulis suis. Reliqua quære Matth.19.v.23.& Marc.10.v.23.

Matth.19. v.24. Marc.10. v.25.

Facilius est enim, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. [25] εὐκοπώτερον γάρ ἐστι, κάμηλον διὰ τρυμαλιᾶς ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν.

ENIM. Rectè difficile esse ostenditur, quod docetur esse impossibile. Syrus non legit *enim*. Reliqua quære Matth. 19. v.24.

Matth.19. v.25. Marc.10. v.26.

Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest saluus fieri? [26] εἶπον δὲ οἱ ἀκούσαντες· καὶ τίς δύναται σωθῆναι;

ET DIXERVNT QVI AVDIEBANT. εἶπον δὲ οἱ ἀκούσαντες dixerunt autem qui audierant s.hoc. Cætera lege secundùm Matthæum & Marcum.

27 ὁ δὲ εἶπε· τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις, δυνατά ἐστι παρὰ τῷ θεῷ.

Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Matth. 19. v. 26. Marc. 10. v. 27.

QVÆ IMPOSSIBILIA. q. d. Non debetis ideò de diuitum salute desperare, quòd impossibile ipsis dixerim intrare in regnum Dei: nam quod homines non possunt, Deus potest, quod non possunt diuites per se, possunt per Deum. Reliqua legantur Matth. 19. v. 26.

28 εἶπε δὲ ὁ Πέτρος· ἰδοὺ ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι.

Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

Matth. 19. v. 27. Marc. 10. v. 28.

29 ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδείς ἐστιν ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ γονεῖς, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἕνεκεν τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ,

Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei,

Matth. 19. v. 29. Marc. 10. v. 29.

PROPTER REGNVM DEI quod à me prædicatur, aut iustitiam eius, propter regnum cælorum propagandum aut assequendum, ne quid admittat aduersus præscripta, aut vt viuat iuxta præscripta, doctrinæ meæ euangelicæ, qua promittitur regnum cælorum. Cætera lege secundùm Matthæum & Marcum.

30 ὃς οὐ μὴ ἀπολάβῃ πολλαπλασίονα ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.

& non recipiat multò plura in hoc tempore, & in seculo venturo vitam æternam.

Matth. 19. v. 29. Marc. 10. v. 30.

ET NON. ὃς οὐ μὴ qui non. MVLTO PLVRA. πολλαπλασίονα multiplicia, eadem variè multiplicata. Syrus duplicia. VENTVRO. τῷ ἐρχομένῳ *futuro* vertit secundùm Marcum. Reliqua legantur Matth. 19. v. 29. & Mar. 10. v. 30.

31 παραλαβὼν δὲ τοὺς δώδεκα, εἶπε πρὸς αὐτούς· ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν, τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου.

Assumsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

Matth. 20. v. 17. 18. Marc. 10. v. 32. 33.

CONSVMMABVNTVR. perficientur (illic. OMNIA. Multa hactenus impleta sunt: iam instat tempus quo reliqua omnia, eaque præcipua, perficiantur, passio, mors, resurrectio, exaltatio. DE FILIO HOMINIS. de Filio Dei facto misello homuncione. *De* præpositionem suppleuit Interpres Latinus, quemadmodum & Syrus: cæteroqui græcè nō additur, ita vt quidam iungant τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου *Filio hominis*, non cum verbo *scripta sunt*, sed cum verbo *consummabuntur* seu perficientur. Significat hic inprimis Iesus, *prophetarum præsagia non alio ferè, quam ad suæ dispensationis, quam pro nobis temporariè susceperat, intendisse mysterium, adeò vt consummatio sit prophetiæ, suæ passionis & posteriorum gloriæ celebrata perfectio*, ait V. Beda. Quod dum facit, dat intelligendum Apostolis, nihil hic fortuitum fieri, sed omnia certa & præordinata esse à Deo: quod quidem, vincendę tentationi, consolandisque mœstis animis, optimũ fuit remediũ. Reliqua lege Matth. 20. v. 17. 18.

32 παραδοθήσεται γὰρ τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐμπαιχθήσεται, καὶ ὑβρισθήσεται, καὶ ἐμπτυσθήσεται·

tradetur enim gētibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur:

Matth. 20. v. 19. Marc. 10. v. 33. 34.

TRADETVR à principibus sacerdotum & scribis. ILLVDETVR à gentibus. FLAGELLABITVR. ὑβρισθήσεται contumelia afficietur. quod non ad flagellationem tantùm pertinet, sed & ad hoc quòd arundine & colaphis cæsus est: quin & flagellationis nominatim meminit proximo versiculo. Quare etiam Interpres Syrus vtrumque dedit, *flagellabitur & contumeliis afficietur*, mutato tamen verborum ordine. Reliqua lege Matth. 20. v. 19. & Mar. 10. v. 34.

33 καὶ μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν αὐτόν, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

& postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget.

Matth. 20. v. 19. Marc. 10. v. 34.

OCCIDENT EVM cruce. Reliqua lege Matth. 20. v. 19. & Mar. 10. v. 34.

34 καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν, καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.

Et ipsi nihil horũ intellexerunt: & erat verbum istud absconditũ ab eis, & non intelligebāt quæ dicebantur.

ET IPSI. Ipsi verò discipuli. NIHIL HORVM, nec quod de contumeliis, nec quod de morte, nec quod

de resurrectione dictum fuerat. Non quòd verborum significationem non intellexerint, quæ vt primùm Petrus audierat, increpans Iesum dixerat: *Absit a te Domine: non erit tibi hoc* (Matth. 16. v. 22.) sed non intellexerunt quomodo & quam ob causam &c. vt Marc. 9. v. 32. VERBVM ISTVD. negotium istud. ABSCONDITVM. occultum, obscurum. AB EIS. Redundat præpositio, ex phrasi hebraica. vide sup. 9. v. 45. ET NON. Pleonasmis iteratis, quàm fuerint Apostoli alieni à concipienda animo morte Christi, docetur. INTELLIGEBANT. ἐγίνωσκον cognoscebant.

Matth. 20. v. 29. 30. Marc. 10. v. 46.

Factum est autem cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. 35 ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχὼ, τυφλός τις ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδὸν, προσαιτῶν.

CVM APPROPINQVARET IERICHO. Matthæus & Marcus *Egrediente eo è Iericho*: quam ob causam plerique aliam esse putant historiam quam hîc Lucas, aliam quam illic Matthæus & Marcus narrant. Sed cùm id persuadere mihi nequeam, consideranti narrationum similitudinem, probabilis fit ea Richelij ad Matthæum coniectura, qua dici posse docet, cæcum húc iuxta eam viam sedisse & clamasse qua Iesus Ierichuntem pergebat: quum antè, illic præ turbæ strepitu, Iesuque dissimulante, non esset auditus, die altero viam similiter obsedisse in vrbis egressu, & tunc demum à Iesu vocatum sanatumque fuisse. Verisimile est enim, vt sæpe Christus, fidem hominum probare volens, eos aliquantisper distulit, eodem examine in hoc cæco fuisse vsum. Itaque Lucas à vero principio exorsus, ea occasione persequitur totam narrationem illuminati cæci, quasi continuo tempore gestam; quasi, vt cæcus, Iesu nondum ingresso Ierichuntem, fuit obuius, ita & sanatus fuisset, cùm intermedium fuerit, id quod subiungit, Iesu in vrbe hospitium. Anticipatione ergo vsus, non seruat rerum gestarum ordinem: alij autem duo Euangelistæ, nulla facta mentione principij, Iesu vrbem ingrediente, solum tempus egressus Iesu ex vrbe, quod propius miraculo fuit, memorant. CÆCVS QVIDAM, nomine Bartimeus, quod Marcus exprimit. Celebrioris enim illius sanationem Lucas cum Marco describere videtur. Reliqua lege secundùm Matthæum & Marcum.

Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. 36 ἀκούσας δὲ ὄχλου διαπορευομένου, ἐπυνθάνετο τί εἴη τοῦτο.

ET CVM AVDIRET. ἀκούσας δὲ cùm audisset autem s. ex strepitu pedum & murmure ac tumultu. TVRBAM. Syrus *vocem turbæ*. QVID HOC ESSET. quid sibi vellet in vnum coacta tanta hominum turba. Curiosum est cæcorum genus, vt intelligant ex aliis, quod videre ipsi non possunt.

Matth. 20. v. 30. Marc. 10. v. 47.

Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. 37 ἀπήγγειλαν δὲ αὐτῷ, ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος παρέρχεται.

DIXERVNT. ἀπήγγειλαν renunciarunt s. aliqui ex turba. TRANSIRET. παρέρχεται præteriret, honoratus tam frequenti hominum comitatu.

Matth. 20. v. 30. Marc. 10. v. 47.

Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. 38 καὶ ἐβόησε λέγων· Ἰησοῦ υἱὲ Δαβὶδ ἐλέησόν με.

ET CLAMAVIT mox, vel saltem postridie Iesu resumente iter. Si clamauit hic cæcus, Iesu appropinquante ciuitati, illud quod hic legimus; dicendum est tunc minimè exauditum fuisse, Iesu vel non audiente, vel dissimulante clamorem, postridie autem Iesu egrediente ciuitate. hoc idem simili cum clamore repetentem, nec quidquã curantem populi increpationes, voti compotem factum. Si non clamauit intrante Ierichuntem Iesu, intelligendũ est, postquam intellexisset quis illac iter faceret, quàm diuinus propheta, quantæ virtutis vir, quàm multis cæcis miserisque opem efficacibus miraculis attulisset, certior etiam factus esset ipsum proficisci Ierosolymam, quod erat publicum, curasse vt postridie ad oppositam ciuitatis portam sederet, qua Iesu egrediendum erat, vt Ierosolymam pergeret (nec enim, si fortè exspectatione frustraretur, minùs quæstuosa mendico erat hæc via, quàm altera, præsertim cùm tanta hominum frequentia pararet illac iter cum Iesu) quò cùm turbam aduentantem audiret, suspicatum, quod res erat, comitatum esse Iesu, tunc demum acclamasse ipsi Iesu, & obsistere conante turba ingeminasse clamores, & cætera quæ sequuntur. Hîc autem, verisimile est, alterum cæcum se ipsi iunxisse socium: vnde fit vt Matthæus narret duos cæcos sanatos fuisse. Reliqua quære secundùm Matthæum.

Matth. 20. v. 31. Marc. 10. v. 48.

Et qui præibant, increpabant eum vt taceret: ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. 39 καὶ οἱ προάγοντες ἐπετίμων αὐτῷ ἵνα σιωπήσῃ· αὐτὸς δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν· υἱὲ Δαβὶδ ἐλέησόν με.

QVI PRÆIBANT. qui ibant ante Iesum, habet Syrus. qui præcedebant Iesum è turba. Obserua vigilantiam huius, quòd simulatq; audiuerit aduentantem turbam, sine mora clamauerit, ne fortè elaberetur Iesus citiùs opinione; atque nõ statim adesset Iesus, sæpiùs valideque clamauerit. Reliqua lege Matth. 20. v. 31.

Matth. 20. v. 32. Marc. 10. v. 49.

Stans autem Iesus iussit illum 40 σταθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐκέλευσεν αὐτὸν ἀχθῆναι

ἀχθῆναι πρὸς αὐτόν. ἐγγίσαντος δὲ αὐτοῦ, ἐπηρώτησεν αὐτὸν,

adduci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogauit illum,

STANS. σταθεὶς quum substitisset. APPROPINQVASSET. præsens esset. Reliqua Matth. 20. v. 32.

λέγων· τί σοι θέλεις ποιήσω; ὁ δὲ εἶπε· 41 κύριε, ἵνα ἀναβλέψω.

dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam.

Matth. 20. v. 32. 33. Marc. 10. v. 51.

DOMINE. Syrus ܡܪܝ *Mari* Domine mi. VIDEAM. ἀναβλέψω visum recipiam. Reliqua secundùm Matthæum & Marcum.

καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ἀνάβλεψον· 42 ἡ πίστις σου σέσωκέ σε.

Et Iesus dixit illi: Respice: fides tua te saluum fecit.

Marc. 10. v. 52.

RESPICE. vide. ἀνάβλεψον recipito visum. Eodem repetito verbo, Saluator magnificè concedit visum, quo cæcus petiuerat simile Matth. 8. v. 3. Secundùm Matthæum tetigit oculos, secundùm Lucam iussit sermone, Marcus neutrum narrat: vtrumque fecisse intelligendus est Iesus. Reliqua quære secundùm Marcum.

καὶ παραχρῆμα ἀνέβλεψε, καὶ ἠκο- 43 λούθει αὐτῷ δοξάζων τὸν θεόν· καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἰδὼν, ἔδωκεν αἶνον τῷ θεῷ.

Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum: & omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Matth. 20. v. 34. Marc. 10. v. 52.

VIDIT. ἀνέβλεψε visum recepit. Vox, oculis lumine cassis, statim lux effecta est: erat enim veri illius luminis verbum. ILLVM in hoc itinere. MAGNIFICANS. δοξάζων glorificans, laudans, lætus gratias agens ob receptum Iesu opera visum, eum, quo duce, expeditè iam pergebat iterque faciebat cum aliis, quod priùs cæcitate retentus minimè poterat. DEVM. Non fidem suam quam commendauerat Iesus, sed Deum, à cuius gratia, impetrante Iesu, tantum beneficium profectum agnouit, qui beneficium huiusmodi inæstimabile, naturæ vires exsuperans, per Iesum filium Dauid in ipsum contulerat. OMNIS PLEBS. totus populus, magno numero præsens, quod alij Euangelistæ testantur. VT VIDIT miraculum istud, cæcitatis solo contactu ac sermone profligatæ. DEDIT LAVDEM DEO. laudauit similiter Deum, à quo Christum, vel certè prophetam huiusmodi, accepisset, tanta præditum potestate: per quem sibi totique genti suæ, similia beneficia aliaque maiora, diuina prorsus, pollicebatur. Pertinet hoc inter cætera ad probandam miraculi certitudinem. Reliqua huius versiculi lege Matth. 20. v. 34.

CAPVT DECIMVMNONVM.

* * * * * * * *

ἐφοβούμην γάρ σε, ὅτι ἄνθρωπος 21 αὐστηρὸς εἶ, αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας, καὶ θερίζεις ὃ οὐκ ἔσπειρας.

timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.

Matth. 25. v. 24. 25.

TIMVI ENIM TE ac proinde non fui ausus expendere eam, ne fortè offenderem te. AVSTERVS. seuerus, rigidus, *durus* ait Matthæus in simili parabola. TOLLIS. aufers tamquam tuum, quod à te non est profectum. hoc est quod Matthæus dicit *congregas vbi non sparsisti*: ex quo reliqua huc pertinentia petenda sunt, cap. 25. v. 24. 25.

λέγει δὲ αὐτῷ· ἐκ τοῦ στόματός σου κρι- 22 νῶ σε, πονηρὲ δοῦλε. ᾔδεις ὅτι ἐγὼ ἄνθρωπος αὐστηρός εἰμι, αἴρων ὃ οὐκ ἔθηκα, καὶ θερίζων ὃ οὐκ ἔσπειρα·

Dicit ei: De ore tuo te iudico, serue nequam. sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui:

Matth. 25. v. 26.

DICIT. respondet EI Dominus. DE ἐκ ex ORE TVO. ex verbis tuis ipsius. IVDICO. condemno. In tuum ipsius caput protulisti sententiam. Excusationem serui vertit Dominus in accusationem. NEQVAM. πονηρὲ *male* vertit secundùm Matthæum, ex quo reliqua petantur.

καὶ διατί οὐκ ἔδωκας τὸ ἀργύριόν μου 23 τοῖς τραπεζίταις, καὶ ἐλθὼν ἐγὼ σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα αὐτό;

& quare non dedisti pecuniã meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?

Matth. 25. v. 27.

ET QVARE. Quare igitur. AD MENSAM. τοῖς τραπεζίταις, id est, mensariis, fœneratoribus. sic

enim Regia Biblia post Complutensia explicant, id quod in aliis codicibus est ἐπὶ τὴν τράπεζαν *ad mensam*.
VT EGO VENIENS. vt ego reuersus repetere illam possem cum fœnore. EXEGISSEM. id est, repetiissem, secundùm Euthymium. Cætera apud Matthæum exposita sunt.

Matth.25. v.28.

Et adstantibus dixit: Auferte ab [24] illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.

καὶ τοῖς παρεστῶσιν εἶπεν· ἄρατε ἀπ' αὐτοῦ τὴν μνᾶν, καὶ δότε τῷ τὰς δέκα μνᾶς ἔχοντι.

ADSTANTIBVS ministris, videlicet angelis, inquit Euthymius: quamquam non tam rei gerendæ, quàm parabolæ causâ ita loquitur: non enim opus fore videtur angelico ministerio ad auferenda à reprobis Dei dona, spiritalia vtique, sed ad Christi iussum per se ipsa auferentur. Reliqua interpretati sumus Matth.25.v.28.

Et dixerunt ei: Domine, habet de-[25] cem mnas.

καὶ εἶπον αὐτῷ· κύριε, ἔχει δέκα μνᾶς.

DIXERVNT. responderunt adstantes. HABET DECEM. quid opus est ipsi addere? satis diues, honoratus, & beatus est. Non significat, angelos in iudicio hoc dicturos; sed, ita multis & variis dotibus, augendos eos qui hîc benè vsi fuerant donis Dei, vt si res hîc ageretur, mira admodum hominibus videri posset, effusa huiusmodi Dei erga illos liberalitas.

Matth.25. v.29. Sup.8. v.18.

Dico autem vobis, quia omni habenti [26] dabitur & abundabit: ab eo autem qui nõ habet, & quod habet auferetur ab eo.

λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι παντὶ τῷ ἔχοντι δοθήσεται, ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

DICO AVTEM. λέγω γὰρ dico enim. Nam dico. Syrus absque omni coniunctione solum *dico* legit. Subaudiendum est: *Ille subiecit*. Reddit rationem facti sui, cur dari iubeat mnam otiosi, ei qui alias decem possidet. Dico ego iustus iudex. ET ABVNDABIT non esse huius loci, docetur in Notis. ET QVOD HABET. *habens enim non habet*, quod ait D. Augustinus hunc locum explicans libro secundo quæstionum euangelicarum. Reliqua quære Matth.25.v.29.

* * * * * * * *

Marc.10. v.32.

Et his dictis præcedebat ascen-[28] dens Ierosolymam.

καὶ εἰπὼν ταῦτα ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, ἀναβαίνων εἰς Ἱεροσόλυμα.

PRÆCEDEBAT discipulos suos, abhorrentes ab hoc itinere. ASCENDENS intrepidè. IEROSOLYMAM, vbi mortem ignominiosam, quam præ oculis habebat, iamque aliquoties discipulis prædixerat, passurus erat, perque eam abiturus in regionem longinquam accipere sibi regnum. Reliqua lege Marc.10.v.32.

Matth.21. v.1. Marc.11. v.1.

Et factum est, cùm appropinquas-[29] set ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur olиueti, misit duos discipulos suos,

Καὶ ἐγένετο, ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, πρὸς τὸ ὄρος τὸ καλούμενον ἐλαιῶν, ἀπέστειλε δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ,

CVM APPROPINQVASSET. ὡς ἤγγισεν vt appropinquauit. AD BETHPHAGE ET BETHANIAM, id est, Bethphagæ & Bethaniæ, cùm non procul abesset à Bethphage & Bethania. OLIVETI. ἐλαιῶν oliuarum. Si mutes accentum, ἐλαιών, est oliuetum: quomodo Syrus legisse videtur, qui reddidit *Domus oliuarum*: hoc est enim oliuetum, quod latinè dicimus. Reliqua lege secundùm Matthæum & Marcum.

Matth.21. v.2. Marc.11. v.2.

dicens: Ite in castellum quod contra [30] est: in quod introeuntes, inuenietis pullum asinæ, alligatum, cui nemo vmquam hominum sedit: soluite illum & adducite.

εἰπών· ὑπάγετε εἰς τὴν κατέναντι κώμην, ἐν ᾗ εἰσπορευόμενοι εὑρήσετε πῶλον δεδεμένον, ἐφ' ὃν οὐδεὶς πώποτε ἀνθρώπων ἐκάθισε· λύσαντες αὐτὸν ἀγάγετε.

CONTRA. ex aduerso è regione. PVLLVM. Interpres addit ASINÆ, ne alium pullum intelligas quàm asininum. ALLIGATVM. δεδεμένον ligatum vertit secundùm Marcum. CVI. ἐφ' ὃν in quo. Reliqua Matth.21.v.2. Marc.11.v.2.

Matth.21. v.3. Marc.11. v.3.

Et si quis vos interrogauerit: Quare [31]

καὶ ἐάν τις ὑμᾶς ἐρωτᾷ, διατί λύετε

λύετε; οὕτως ἐρεῖτε αὐτῷ, ὅτι ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει. | solutis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam eius desiderat.

QVARE SOLVITIS s. pullum. OPERAM EIVS DESIDERAT. Eadem verba græca, secundùm tres Euangelistas, Interpres aliter & aliter transfert, vno sensu. Eximiam præ se ferunt hæc Iesu verba auctoritatem. Reliqua lege secundùm Matthæum & Marcum.

ἀπελθόντες δὲ οἱ ἀπεσταλμένοι, εὗρον καθὼς εἶπεν αὐτοῖς. [32] | Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis, stantem pullum.

Matth. 21. v. 6. Marc. 11. v. 4.

DIXIT. εἶπεν dixerat. STANTEM PVLLVM. Illud nec græcè nec syriacè additur: videri possit alicuius ex po irio fuisse, quæ in textum irrepserit. Absolutior est sermo si non addatur, vt intelligas, illos compertisse quidquid prædixerat Dominus. Reliqua quære Matth. 21. v. 6.

λυόντων δὲ αὐτῶν τὸν πῶλον, εἶπον οἱ κύριοι αὐτοῦ πρὸς αὐτούς, τί λύετε τὸν πῶλον; [33] | Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum?

Marc. 11. v. 5.

DOMINI EIVS s. pulli, ij quorum erat pullus ille. Non igitur erat asina pullúsve communis, quod quidam fingunt. QVID. quare. Reliqua Marc. 11. v. 5.

οἱ δὲ εἶπον· ὁ κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει. [34] | At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.

Marc. 11. v. 6.

DOMINVS EVM NECESSARIVM HABET, seu, *Dominus operam eius desiderat*, vti mox vertit sup. v. 31., vtrobique enim eadem græcè sunt verba, vt videas, discipulos ne tantillum recessisse à præscriptis à Iesu verbis. Subauditur quod Marcus exprimit, dominos pulli, vbi hoc audiuissent, reliquisse pullum discipulorum voluntati.

καὶ ἤγαγον αὐτὸν πρὸς τὸν Ἰησοῦν. καὶ ἐπιρρίψαντες ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια ἐπὶ τὸν πῶλον, ἐπεβίβασαν τὸν Ἰησοῦν. [35] | Et duxerunt illum ad Iesum. & iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum.

Matth. 21. v. 7. Marc. 11. v. 7.

ET DVXERVNT. Duxerunt igitur. IACTANTES VESTIMENTA SVA. ἐπιρρίψαντες τὰ ἑαυτῶν ἱμάτια iniectis pallijs suis. Reliqua lege Matth. 21. v. 7.

πορευομένου δὲ αὐτοῦ ὑπεστρώννυον τὰ ἱμάτια αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ. [36] | Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

Matth. 21. v. 8. Marc. 11. v. 8.

EVNTE. equitante, eques progrediente. ILLO Iesu. SVBSTERNEBANT plurimi è turba. Reliqua Matth. 21. v. 8.

ἐγγίζοντος δὲ αὐτοῦ ἤδη πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν, ἤρξαντο ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, χαίροντες αἰνεῖν τὸν θεὸν φωνῇ μεγάλῃ, περὶ πασῶν ὧν εἶδον δυνάμεων, [37] | Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis oliueti, cœperunt omnes turbæ discipulorũ, gaudentes laudare Deum, voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus,

AD DESCENSVM MONTIS. eò vbi descendendum erat è monte, nimirum vbi se oculis manifestam subijciebat regia Ierosolymorum vrbs, in quam Rex Iesus properabat. OLIVETI. τῶν ἐλαιῶν oliuarum. OMNES TVRBÆ. ἅπαν τὸ πλῆθος vniuersa multitudo. DISCIPVLORVM, id est, eorum qui sequebantur Iesum, siue doctrinæ siue miraculorum causa. hos omnes discipulos vocat. MAGNA. eleuata. QVAS VIDERANT à Iesu editas. VIRTVTIBVS miraculis, signanterque recenti illo resuscitati Lazari, quod exprimit Iohannes cap. 12. v. 17. 18.

λέγοντες· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι κυρίου· εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. [38] | dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini: pax in cælo, & gloria in excelsis.

Matth. 21. v. 9. Marc. 11. v. 9. Iohan. 12. v. 13.

REX Israel, Messias. Hoc quia sibi acclamari permisit Iesus, accusatus posteà fuit læsæ maiestatis. inf. 23. v. 2. *At qui non rex Israel Christus ad exigendum tributum* (inquit D. Augustinus in eumdum hunc locum secundùm Iohannem) *vel exercitum ferro armandum, hostesq́ue visibiliter debellandos: sed rex Israel, quòd mentes regat, quòd in aeternum consulat, quòd in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesq́ue deducat.* vide Matth. 21. v. 5. sub finem

finem. PAX. ſalus, proſperitas IN pro EX CÆLO ſit Regi noſtro Chriſto, ET GLORIA regni firma atque perpetua contingat ei IN pro ex EXCELSIS cælis, id eſt, à Deo. vide Matth. 21. ſub finem v. 9. Iam hoc illud eſt. quod reliqui Euangeliſtæ ſcribunt fuiſſe Ieſu acclamatum, *Hoſanna filio Dauid, Hoſanna in altiſsimis*. Lucas igitur cæterorum agit interpretem. Reliqua quære Matth. 21. v. 9.

39 Et quidam Phariſæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magiſter, increpa diſcipulos tuos.

καί τινες τῶν Φαρισαίων ἀπὸ τοῦ ὄχλου, εἶπον πρὸς αὐτόν· διδάσκαλε, ἐπιτίμησον τοῖς μαθηταῖς σου.

ET QVIDAM. Tunc quidam inuidentes Ieſu gloriam hanc, quòd Chriſtus agnoſceretur & celebraretur à populo. DE TVRBIS. ἀπὸ τοῦ ὄχλου è turba, qui permixti erant turbæ. Syrus *e media turba*. MAGISTER. Rabbi. Abhorrere dicas Lucam à nominibus barbaris, vt mox ab *Hoſanna*. INCREPA. obiurga, cõpeſce DISCIPVLOS TVOS adulantes tibi, ne videaris inſipiẽs adulationibus vaniſq; illorum laudibus capi. q. d. Huiuſmodi falſum adulantium applauſum, non debes ferre: auctoritas enim tibi in ipſos eſt, cùm diſcipuli tui ſint. Diſcipulis attribuunt, quod populo magna multitudine co nitanti commune erat, vt laudem Ieſu, tamquam ex aſſentationis, potiùs quàm veritatis ſtudio, ex immodico inquam erga præceptorem fauore, profectam ſuggillent.

40 Quibus ipſe ait: Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.

καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς· λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν οὗτοι σιωπήσωσιν, οἱ λίθοι κεκράξονται.

AIT. ἀποκριθεὶς *reſpondens* additur græcè, quod tamen non magis ſyriacè quàm latinè exſtat. DICO. affirmo. QVIA quòd. TACVERINT, gloriam Dei & laudem meam, cuiuſmodi decantant & celebrant. LAPIDES hac in via ſparſi. CLAMABVNT eamdem illam. κεκράξονται *mox clamabunt*, ſic exprimenda quibuſdam videtur vis temporis paulò pòſt futuri. q. d. Non adulandi animo, aut alio quouis humano affectu, vt mihi gratificentur, quod vos calumniamini; ſed diuino inſtinctu impulſi, acclamant iſti mihi: ſic enim à Deo decretum eſt, vt hodie excipiatur Chriſtus eius, vſqueadeò vt lapides in huiuſmodi laudis voces potiùs erupturi ſint, quàm illi Dei decreto non ſatisfiat. Hæc propoſitio per ſe vera eſt: quiduis enim potiùs fiat neceſſe eſt, quàm non fiat id quod Deus decreuit. Allata itaque in medium Dei voluntate, & diſcipulos acclamantes, & ſe permittentem, exſoluit culpa, & Phariſæos perſtringit vt Dei aduerſarios.

* * * * * * * *

Matth. 21. v. 12. Marc. 11. v. 15.

45 Et ingreſſus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo & emẽtes,

καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας ἐν αὐτῷ καὶ ἀγοράζοντας,

Matth. 21. v. 13. Marc. 11. v. 17.

46 dicens illis: Scriptum eſt, Quia domus mea, domus orationis eſt: vos autem feciſtis illã ſpeluncam latronum.

λέγων αὐτοῖς· γέγραπται, ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς ἐστιν· ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ἐποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

Horum verſiculorum expoſitionem, quære ſecundùm Matthæum & Marcum.

Marc. 11. v. 18.

47 Et erat docens quotidie in templo. Principes autem ſacerdotum & ſcribæ & principes plebis, quærebant illum perdere.

καὶ ἦν διδάσκων τὸ καθ' ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς ἐζήτουν αὐτὸν ἀπολέσαι, καὶ οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ.

ET. Igitur velut in Regia ſua verſans, palàm contempta principum inſanabili malitia. ERAT DOCENS, id eſt docebat, niſi quòd perſeuerantiam in docendo periphraſis connotare videatur. vide Matth. 7. v. 29. QVOTIDIE. ab hoc die ſolemnis ingreſſus ſui vſque ad diem paſſionis, & quidem à mane in veſperam (quod ex Matthæo & Marco intelligitur) veſperi egrediens ciuitate, ſummo mane reuertens. IN TEMPLO. Munus Euangeliſtæ, quod iam conſummabatur, diligenter abſoluebat in templo, oſtendens quid illic potiſſimùm fieri deceat. ET PRINCIPES PLEBIS. καὶ οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ & primi ſeu primores plebis. Syrus hoc legit eo loco quo Latinus: nam Græcus poſtponit. Omnes igitur magiſtratuum ordines conſpirabant in mortem Chriſti. QVÆREBANT. ſtudebant, omnem operam dabant. Reliqua lege Marc. 11. v. 18.

Marc. 11. v. 18.

48 Et non inueniebant quid facerent illi. omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum.

καὶ οὐχ εὕρισκον τὸ, τί ποιήσωσιν. ὁ λαὸς γὰρ ἅπας ἐξεκρέματο, αὐτοῦ ἀκούων.

QVID FACERENT ILLI. non quam mortem pœnámve inferrent illi, ſed quem modum tentarent vt poſſent illo fieri ſuperiores, habereque eum in manibus. Clarior eſt hic ſenſus græcè, vbi deeſt pronomen *illi* (*quid facerent*, vt poſſent voti compotes fieri) quamquam illud & à Syro addatur. OMNIS ENIM POPVLVS. obſtabat enim populus, qui SVSPENSVS ERAT. ἐξεκρέματο pendebat ab ore eius, tamquam extra ſe raptus præ attentione atque auiditate, AVDIENS ILLVM, dum audiret illũ docentem. tanta erat, docentis

res

res planè diuinas, quæque humanam mentem satiarent, & vis & gratia. Hoc alij Euangelistæ dicunt ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. vide Marc. 11.v. 18. & Matth.7.v.28. 29. Metuebant igitur, vt populus, à quo tanti ille fiebat, permitteret, si conarentur vt ipsum aggredi, aut quid mali ipsi inferre. Reliqua lege Marc. 11. v. 18.

CAPVT VIGESIMVM.

Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, διδάσκοντος αὐτοῦ τὸν λαὸν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ εὐαγγελιζομένου, ἐπέστησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς σὺν τοῖς πρεσβυτέροις·

1 Et factū est in vna dierum, docēte illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotum & scribæ cū senioribus:

Matth.21. v.23. Marc.11. v.27.

IN VNA DIERVM. ἐκείνων illarum, quodam ex illis diebus, qui fluxerunt inter honorificum Iesu ingressum & ignominiosam mortem, die inquam Martis, quod constat ex Marco. DOCENTE ET EVANGELIZANTE, id est, docente euangelium. CONVENERVNT. ἐπέστησαν superuenerunt. Syrus *surrexerunt in eum*. interea dum perdere nondum esset opportunum. Reliqua lege Matth.21.v.23. & Marc.11.v.27.

καὶ εἶπον πρὸς αὐτὸν λέγοντες· εἰπὲ ἡμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς, ἢ τίς ἐστιν ὁ δούς σοι τὴν ἐξουσίαν ταύτην;

2 & aiunt dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate hæc facis, aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem?

Matth.21. v.23. Marc.11. v.28.

AIVNT DICENTES AD ILLVM. εἶπον πρὸς αὐτὸν λέγοντες aiunt ad illum dicentes. DIC NOBIS. nostra enim interest hoc ex te scire. Imperant pro ea quam habere in ipsum putant auctoritate. Cætera Matth.21.v.23.

ἀποκριθεὶς δὲ εἶπε πρὸς αὐτούς· ἐρωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ ἕνα λόγον, καὶ εἴπατέ μοι.

3 Respondens autem Iesus dixit ad illos: Interrogabo vos & ego vnum verbum: respondete mihi.

Matth.21. v.24. Marc.11. v.29.

RESPONDETE. καὶ εἴπατε dicite itaque. Reliqua secundùm Matthæum & Marcum.

τὸ βάπτισμα ἰωάννου, ἐξ οὐρανοῦ ἦν, ἢ ἐξ ἀνθρώπων;

4 Baptismus Iohannis, de cælo erat, an ex hominibus?

Matth.21. v.25. Marc.11. v.30.

DE CÆLO. ἐξ οὐρανοῦ ex cælo. Reliqua Matth.21.v.25.

οἱ δὲ συνελογίσαντο πρὸς ἑαυτοὺς, λέγοντες· ὅτι ἐὰν εἴπωμεν, ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ, διατί οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ;

5 At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De cælo, dicet: Quare ergo non credidisti illi?

Matth.21. v.25.26. Marc.11. v.31.

COGITABANT. συνελογίσαντο simul ratiocinati sunt. INTRA, vel potiùs, vt est in aliis libris, *inter se* mutuò. QVIA. Quòd. Reliqua quære secundùm Matthæum.

ἐὰν δὲ εἴπωμεν, ἐξ ἀνθρώπων, πᾶς ὁ λαὸς καταλιθάσει ἡμᾶς· πεπεισμένος γάρ ἐστιν ἰωάννην προφήτην εἶναι.

6 Si autem dixerimus, Ex hominibus; plebs vniuersa lapidabit nos: certi sunt enim Iohannē prophetam esse.

Matth.21. v.26. Marc. 11. v.32.

PLEBS VNIVERSA. non erit ex plebe qui non. LAPIDABIT NOS vt blasphemos. CERTI SVNT. πεπεισμένος ἐστι persuasa est. ESSE, seu fuisse, id est, habendum esse. nuper enim ab Herode interfectus fuerat. PROPHETAM proximè à Deo missum. Reliqua pete ex Matthæo.

καὶ ἀπεκρίθησαν μὴ εἰδέναι πόθεν.

7 Et responderūt se nescire vnde esset.

καὶ ὁ ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ.

8 Et Iesus ait illis: Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.

Matth.21. v.27. Marc.11. v.33.

Hi duo versiculi explicantur Matth.21. v.27.

ἤρξατο δὲ πρὸς τὸν λαὸν λέγειν τὴν παραβολὴν ταύτην· ἄνθρωπος ἐφύτευσεν

9 Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantauit vineam,

Matth.21. v.33. Marc.12. v.1.

vineam, & locauit eam colonis, & ipse peregre fuit multis temporibus.

ἀμπελῶνα, καὶ ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπεδήμησε χρόνους ἱκανούς.

Ad plebem. facie conuersus ad plebem, principes interim notans. Homo. id est, quidam. Colonis γεωργοῖς agricolis vertit secundùm Matthæum: secundùm Marcum variat. Mvltis temporibvs. χρόνους ἱκανούς multa tempora seu multum tempus. Longum tempus fuit ab introitu Israel in terram promissionis, vsque ad excidium Israel per Titum & Vespasianum. Reliqua lege Matth. 21. v. 33.

Matth. 21. v. 34. 35. Marc. 12. v. 2. 3.

Et in tempore misit ad cultores [10] seruum, vt de fructu vineæ darent illi: qui cæsum dimiserunt eum inanem.

καὶ ἐν καιρῷ ἀπέστειλε πρὸς τοὺς γεωργοὺς δοῦλον, ἵνα ἀπὸ τοῦ καρποῦ τοῦ ἀμπελῶνος δῶσιν αὐτῷ· οἱ δὲ γεωργοὶ δείραντες αὐτὸν ἐξαπέστειλαν κενόν.

In tempore opportuno. Cvltores. τοὺς γεωργοὺς illos colonos, vt mox vertit. De frvctv. non fructus omnes (*quis enim colit vineam, & de fructu vineæ non edit?* 1. Cor. 9. v. 7.) sed pactos. Illi siue seruo siue per seruum domino. Reliqua pete ex Matthæo & Marco locis ad marginem scriptis.

Matth. 21. v. 35. Marc. 12. v. 4.

Et addidit alterum seruum mittere: [11] illi autem hunc quoque cędentes & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.

καὶ προσέθετο πέμψαι ἕτερον δοῦλον· οἱ δὲ κἀκεῖνον δείραντες καὶ ἀτιμάσαντες, ἐξαπέστειλαν κενόν.

Addidit. perrexit. Cædentes et afficientes contvmelia. δείραντες καὶ ἀτιμάσαντες cæsum & ignominia affectum.

Matth. 21. v. 36. Marc. 12. v. 5.

Et addidit tertium mittere: qui [12] & illum vulnerantes eiecerunt.

καὶ προσέθετο πέμψαι τρίτον· οἱ δὲ καὶ τοῦτον τραυματίσαντες ἐξέβαλον.

Tertivm. Numerus certus pro incerto, ternarius pro eo seruorum numero qui potuit suffecisse. q. d. tot misit, alios post alios, quot poterant exspectari à maximè longanimi domino. Reliqui Euangelistæ etiam ampliùs dicunt, quòd scilicet tandem miserit plures simul. Vvlnerantes. τραυματίσαντες vulneratum. Eiecervnt è vinea.

Matth. 21. v. 37. Marc. 12. v. 6.

Dixit autem Dominus vineæ: Quid [13] faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cùm hunc viderint, verebuntur.

εἶπε δὲ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος· τί ποιήσω; πέμψω τὸν υἱόν μου τὸν ἀγαπητόν· ἴσως τοῦτον ἰδόντες ἐντραπήσονται.

Qvid faciam ampliùs, vt impios colonos reducam ad mentem meliorem, quorum culpâ iam olim mihi perit fructus vineæ meæ. Habet se more deliberantis, quò declaret suum erga homines amorem, non permittentem vt quiescat ab inuitandis ipsis ad pœnitentiam, donec extrema tentauerit. Forsitan. non dubius de euentu fuit Deus, aut ignorans quod peiùs etiam tractaturi essent filium, quàm tractauerant seruos: sed inducitur loquens more hominis longanimis, qui non possit non sperare meliora de aliis, quamuis multæ rationes militent in contrarium, significans interim liberam esse hominibus voluntatem. Verebvntvr eum seu reuerebuntur. Reliqua quære Matth. 21. v. 37.

Matth. 21. v. 38. Marc. 12. v. 7.

Quem cùm vidissent coloni, [14] cogitauerunt intra se, dicentes: Hic est heres, occidamus illum, vt nostra fiat hereditas.

ἰδόντες δὲ αὐτὸν οἱ γεωργοί, διελογίζοντο πρὸς ἑαυτούς, λέγοντες· οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, δεῦτε, ἀποκτείνωμεν αὐτόν, ἵνα ἡμῶν γένηται ἡ κληρονομία.

Cogitavervnt. διελογίζοντο reputabant, disceptabant, ratiocinabantur. Intra, seu vt est in aliis libris, *inter se* mutuò. Occidamvs. præponitur græcè & syriacè *venite*, vt secundùm priora Euangelia. Fiat siue *fit* ex γένηται. Reliqua quære Matth. 21. v. 38.

Matth. 21. v. 39. 40. Marc. 12. v. 8. 9.

Et eiectum illum extra vineam [15] occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

καὶ ἐκβαλόντες αὐτὸν ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος, ἀπέκτειναν. τί οὖν ποιήσει αὐτοῖς ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος;

Lege hunc versiculum enarratum Matth. 21. v. 39. 40.

Matth. 21. v. 41. Marc. 12. v. 9.

Veniet & perdet colonos istos, [16]

ἐλεύσεται καὶ ἀπολέσει τοὺς γεωργοὺς τούτους,

καὶ

καὶ δώσει τὸν ἀμπελῶνα ἄλλοις. ἀκούσαντες δὲ εἶπον· μὴ γένοιτο.

& dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit.

ILLI s. principes sacerdotum & populi cum scribis. ABSIT vt ita fiat. Syrus *Non erit hoc* s. vt nos occidamus Christum Filium Dei & malè pereamus. auertat Deus, id non fiet neque dici debet, neque fidem vllam te auctore mereri. Ex verbis & gestibus Iesu, repetentis approbantisque sententiam quam tulerant sui auditores, intellexerunt principes se parabola illa notari, quòd imitati maiores suos, occisores prophetarum, ipsi Christum essent occisuri, ac proinde malè perituri (hæc est enim sententia parabolæ) id quod ipsis etiam paulò pòst disertis verbis dixit: *Implete mensuram patrum vestrorum*. Matth. 23. v. 32. Quocirca deprecantur illud dicentes *Absit*. Non enim negant, iustum esse vt malè pereant huiusmodi coloni, sed se cum eiusmodi colonis vitio congruere, quamuis animo meditarentur necem Iesu. nam Iesum agnoscere nolebant pro Christo, tametsi conscientia id ipsis dictaret. Reliqua petenda sunt ex Matth. 21. v. 41. & Marc. 12. v. 9.

17 ὁ δὲ ἐμβλέψας αὐτοῖς εἶπε· τί οὖν ἐστι τὸ γεγραμμένον τοῦτο, λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας;

Ille autem adspiciés eos ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?

Psal. 117. v. 22. Matth. 21. v. 42. Marc. 12. v. 10.

ADSPICIENS EOS, quò indubitatiùs refelleret responsum ipsorum, à se procul reiicientium immane adeò scelus. QVID EST ERGO, si non est hoc quod dico, vos proceres populi, quorum est præ aliis recipere Christum, Christum occisuros? quorsum spectat, si non huc spectat? Si mihi & doctrinæ parabolæque à me pronunciatæ, non est adhibenda fides: an non est adhibenda Scripturæ sacræ, quæ idem quod ego interpretatus nunc sum, præmonuit? SCRIPTVM EST. vide Matth. 4. v. 4. Reliqua quære Matth. 21. v. 42.

18 πᾶς ὁ πεσὼν ἐπ' ἐκεῖνον τὸν λίθον, συνθλασθήσεται· ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ, λικμήσει αὐτόν.

Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

Matth. 21. v. 44.

ILLVM LAPIDEM, ab ædificantibus quidem reprobatum, sed caput anguli Deo faciente effectum. COMMINVET. λικμήσει *conteret* vertit secundùm Matthæum, ex quo reliqua sunt petenda cap. 21. v. 44.

19 καὶ ἐζήτησαν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς ἐπιβαλεῖν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, καὶ ἐφοβήθησαν. ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην εἶπε.

Et quærebant principes sacerdotum & scribæ mittere in illum manus illa hora, & timuerunt populum. cognouerunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

Matth. 21. v. 45. 46. Marc. 12. v. 12.

QVÆREBANT. ἐζήτησαν quæsiuerunt. MITTERE. ἐπιβαλεῖν iniicere. ILLA HORA. illo momento. ET TIMVERVNT. sed timuerunt. POPVLVM. quidam libri græci subaudiunt hanc vocem, non legunt. ENIM. ideò cupiebant iniicere illi manus, seu apprehendere eum. AD IPSOS. πρὸς αὐτοὺς aduersus ipsos. SIMILITVDINEM de vinea & colonis, cum iis quæ subsequuntur. Reliqua pete ex Matthæo & Marco.

20 καὶ παρατηρήσαντες ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους, ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι, ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου, εἰς τὸ παραδοῦναι αὐτὸν τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος.

Et obseruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, vt traderent illum principatui & potestati Præsidis.

Matth. 22. v. 15. 16. Marc. 12. v. 13.

ET OBSERVANTES. καὶ παρατηρήσαντες itaque quum obseruassent s. opportunitatem, obseruata opportunitate, eodem illo die. MISERVNT ad ipsum s. ex versu præcedenti, principes sacerdotum & scribæ. INSIDIATORES fraudulenter à se subornatos. quosdam scilicet ex discipulis Pharisæorum & Herodianis. QVI SE IVSTOS SIMVLARENT. ὑποκρινομένους ἑαυτοὺς δικαίους εἶναι simulantes se iustos esse, id est, qui simularent se accedere & interrogare Iesum motos religione, vt discerent ex ipso quid iustum esset & voluntati Dei consentaneum, idque sequerentur. VT CAPERENT EVM IN SERMONE. ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου vt caperent seu carperent eius sermonem, vt arrepta ex ipsius sermone occasione calumniam ipsi struerent. Interpretes Latinus & Syrus videntur legisse tertio casu λόγῳ, vt secundùm Matthæum & Marcum. VT TRADERENT ILLVM. εἰς τὸ παραδοῦναι αὐτὸν ad hoc vt traderent eum. PRINCIPATVI ET POTESTATI PRÆSIDIS. Præsidi Pilato penes quem erat principatus & summa potestas ex delegatione Cæsaris. s. si quid pronunciaret, vti sperabant, quod aduersaretur Cæsaris auctoritati aut imperio. Idcircò enim adduxerant Herodianos, vt illi quidem mox iacerét in eum manus, ipsi verò vnanimiter omnes comprehensum

prehensum traderẽt Præsidi. Nam quamuis simultas esset inter Herodem & Præsidem (infrà 23.v.12.) non tamen eiusmodi, quin ambo profiterentur se subesse Cæsari, & tueri iura imperij Romani. Quum itaque alia omnia frustrà tentassent, hoc postremò putarunt optimum esse eius perdendi compendium, si Præsidi tamquam seditiosum & res nouas molientem tradere possent.

Matth.22.v.16. Marc.12.v.14.

Et interrogauerunt eum dicentes: Magister, scimus quia rectè dicis & doces, & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces. [21] καὶ ἐπηρώτησαν αὐτὸν λέγοντες· διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ὀρθῶς λέγεις καὶ διδάσκεις, καὶ οὐ λαμβάνεις πρόσωπον, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ διδάσκεις.

ET. Qui insidiatorẽs. DICENTES præmissa præfatiuncula adulatoria. QVIA. quòd. RECTE consentaneè legi ac voluntati Dei. DICIS ET DOCES, quidquid dicis & doces. PERSONAM vel faciem. vtrumque enim permittit vox πρόσωπον. Et quamquam Hebræi & Syri, à quibus phrasis ista profecta est, semper dicant accipere facies, Latinis tamen Interpretibus consuetudo est vtendi hîc voce personæ, de qua vide Matth.22.v.16. vbi quod dicitur *respicere personam* siue *faciem hominum*, idem vnum est cum eo quod hîc dicitur *accipere personam* siue *faciem*, quod est, ad iudicandum hunc aut illum in modum moueri persona, facie aut specie, id est, externa quacumque qualitate seu apparentia, nihil pertinente ad merita causæ. Hinc προσωποληψία personarum acceptio, vitium à sacris literis passim damnatum. Reliqua petenda sunt ex Matth.22.v.16.

Matth.22.v.17. Marc.12.v.14.

Licet nobis tributum dare Cæsari, an non? [22] ἔξεστιν ἡμῖν καίσαρι φόρον δοῦναι, ἢ οὔ;

NOBIS. populo Dei sancto. Reliqua lege Matth.22.v.17.

Matth.22.v.18. Marc.12.v.15.

Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? [23] κατανοήσας δὲ αὐτῶν τὴν πανουργίαν, εἶπε πρὸς αὐτούς· τί με πειράζετε;

CONSIDERANS. κατανοήσας quum considerasset. DOLVM. τὴν πανουργίαν calliditatem, versutiam, vafriciem. Significat πανουργία quamdam ad malè agendum solertiam, longo scilicet vsu & tractandis rebus plurimis quæsitam, à πᾶν & ἔργον composita. Cætera quære Matth.22.v.18.

Matth.22.v.19.20.21. Marc.12.v.15.16.

Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei, Cæsaris. [24] ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον. τίνος ἔχει εἰκόνα καὶ ἐπιγραφήν; ἀποκριθέντες δὲ εἶπον, καίσαρος.

CVIVS HABET. Subauditur, illos ostendisse denarium, & Iesum eo viso subiecisse: *Cuius habet* &c. Reliqua lege secundùm Matthæum & Marcum, locis ad marginem pro more annotatis.

Matth.22.v.21. Marc.12.v.17.

Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cęsari, & quę sunt Dei Deo. [25] ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· ἀπόδοτε τοίνυν τὰ καίσαρος καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ θεοῦ τῷ θεῷ.

ET. Tunc. Reliqua petenda sunt ex Matth.22.v.21.

Matth.22.v.21. Marc.12.v.17.

Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius tacuerunt. [26] καὶ οὐκ ἴσχυσαν ἐπιλαβέσθαι αὐτοῦ ῥήματος ἐναντίον τοῦ λαοῦ· καὶ θαυμάσαντες ἐπὶ τῇ ἀποκρίσει αὐτοῦ ἐσίγησαν.

ET pro Itaque. VERBVM. dictum. CORAM PLEBE. ἐναντίον τοῦ λαοῦ ante seu apud populum. Scopus illorum præcipuus hic erat, vt Iesum populo inuidiosum redderent ex responso, quocumque modo respõderet, quo iure quàve iniuria. Si diceret non licere, seditiosum clamarent, & qui populum vellet in extrema adducere discrimina, rebellantem Romanis, vt pridem alter ille Galilæus: si diceret licere, susurrarent adulatorem esse Cæsareum, qui populum Dei in Cæsaris seruitutem redigere conaretur; itaque inuisum populo absque tumultu capere possent & occidere. Cæterùm hoc ampliùs animo intendebant, si diceret non licere; ipsum scilicet mox comprehensum operâ Herodianorum, tradere Romano Præsidi. ET pro *sed* seu potiùs *immo*. IN. ἐπὶ super. TACVERVNT. Non tantùm nihil reddiderunt Iesu, verùm nec ad populum retulerunt, quid responsi accepissent, veriti ne responsum, maiorem ipsius laudem fauoremque prouocaret. Reliqua Matth.22.v.22.

Matth.22.v.23. Marc.12.v.18.

Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, [27] προσελθόντες δέ τινες τῶν σαδδουκαίων, οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, ἐπηρώτησαν αὐτόν,

ACCESSERVNT AVTEM tunc temporis etiam. QVI NEGANT. eorũ qui negãt. Reliqua Matth.22.v.23.

λέγον-

λέγοντες· διδάσκαλε, μωσῆς ἔγραψεν ἡμῖν, ἐάν τινος ἀδελφὸς ἀποθάνῃ ἔχων γυναῖκα, καὶ οὗτος ἄτεκνος ἀποθάνῃ, ἵνα λάβῃ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα, καὶ ἐξαναστήσῃ σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ.

28 dicentes: Magister, Moses scripsit nobis, si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem, & hic sine liberis fuerit, vt accipiat eā frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo.

Deut. 25. v. 5. Matth. 22. v. 24. Marc. 12. v. 19.

SCRIPSIT. lege scripta mandauit. SINE LIBERIS FVERIT. ἄτεκνος ἀποθάνῃ sine liberis mortuus fuerit. Syrus loco istorum verborum *& hic sine liberis fuerit*, clariùs, nihil habet aliud, quàm *sine filiis*. VT ACCIPIAT EAM FRATER EIVS VXOREM. ἵνα λάβῃ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα vt accipiat frater eius vxorem s. eius, id est, vxorem ab eo relictam. SVSCITET. ἐξαναστήσῃ exsuscitet. Reliqua pete ex Matthæo.

ἑπτὰ οὖν ἀδελφοὶ ἦσαν, καὶ ὁ πρῶτος λαβὼν γυναῖκα ἀπέθανεν ἄτεκνος.

29 Septem ergo fratres erāt, & primus accepit vxorē, & mortuus est sine filiis.

Matth. 22. v. 25. Marc. 12. v. 20.

ACCEPIT VXOREM. λαβὼν γυναῖκα accepta vxore MORTVVS EST. SINE FILIIS. ἄτεκνος *sine liberis* transfert versu superiori. Reliqua secundùm Matthæum.

καὶ ἔλαβεν ὁ δεύτερος τὴν γυναῖκα, καὶ οὗτος ἀπέθανεν ἄτεκνος.

30 Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio.

Matth. 22. v. 26. Marc. 12. v. 21.

ET pro igitur. SEQVENS. ὁ δεύτερος secundus. ILLAM. τὴν γυναῖκα illam vxorem. ET IPSE. qui & ipse. SINE FILIO ἄτεκνος versu 28. vertit *sine liberis*, versu 29. *sine filiis*, hoc versu *sine filio*. non enim numeri habetur ratio, sed speciei.

καὶ ὁ τρίτος ἔλαβεν αὐτήν, ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἑπτά, οὐ κατέλιπον τέκνα, καὶ ἀπέθανον.

31 Et tertius accepit illam, similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.

Matth. 22. v. 26. Marc. 12. v. 21. 22.

SIMILITER ET. ὡσαύτως δὲ καὶ similiter autem &. OMNES SEPTEM. οἱ ἑπτὰ illi septem s. acceperunt eam. ET NON RELIQVERVNT SEMEN, ET. & non relicto semine MORTVI SVNT. Prius *&* siue καὶ græcè subauditur. SEMEN. τέκνα liberos, filios. ET MORTVI SVNT. Syrus clariùs transponit verba: *Et mortui sunt, neque reliquerunt filios.*

ὕστερον δὲ πάντων ἀπέθανε καὶ ἡ γυνή.

32 Nouissimè omnium mortua est & mulier.

Matth. 22. v. 27. Marc. 12. v. 22.

NOVISSIME. ὕστερον δὲ postremò autem, post omnes autem.

ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, τίνος αὐτῶν γίνεται γυνή; οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα.

33 In resurrectione ergo, cuius eorum erit vxor? siquidem septem habuerunt eam vxorem.

Matth. 22. v. 28. Marc. 12. v. 23.

EORVM. illorum. SEPTEM. οἱ ἑπτὰ ipsi septem. Reliqua lege secundùm Matthæum.

καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου γαμοῦσι καὶ ἐκγαμίσκονται·

34 Et ait illis Iesus: Filij huius seculi nubunt & traduntur ad nuptias:

ET AIT. καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν & respondens ait. Syriacè tamen non ampliùs est quàm latinè. FILII HVIVS SECVLI. Hebraismus est, pro homines qui in præsenti seculo viuunt. Non opponuntur hîc filij huius seculi filiis lucis, vt suprà 16. v. 8.: sed quicumque in hoc mortali seculo agunt, filij huius seculi hîc vocantur. Non enim à matrimonio excluduntur filij lucis seu Dei, quod impius Beza falsò affingit Syricio Papæ: quamquam qui matrimonio hîc non vtuntur filij Dei, vitam ducant vitæ alterius quàm huius seculi similiorem, quod ipse iste Scripturæ locus ostendit. Legantur decreta Syricij Papæ tomo primo Conciliorum. *Filij* ergo *huius seculi*, in quo vicissitudo nascentium ac morientium est. q. d. Non est par ratio præsentis seculi & futuri. Vtitur igitur distinctione temporum præsentis & futuri ad soluendum quæstionem. NVBVNT. γαμοῦσι ducunt vxores, solent ducere vxores & nuptum dari. Illud ad viros, hoc ad mulieres refertur.

οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν καὶ τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται.

35 illi verò, qui digni habebuntur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubent neque ducent vxores.

Matth. 22. v. 30. Marc. 12. v. 25.

QVI DIGNI HABEBVNTVR. οἱ καταξιωθέντες qui digni habiti fuerint, id est, qui ita in hoc seculo vixerint vt meriti fuerint. Locus pro meritis operum bonorum. SECVLO ILLO futuro. τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν seculum

culum illud consequi, id est, felicitatem seculi illius. ET RESVRRECTIONE gloriosa. Loquitur de iustis, quibus solis in seculo futuro continget resurrectio ad vitam & gloriam æternam: nam impiorum erit quidem etiam illo in seculo resurrectio, sed ad contumeliam & mortem æternam. nec enim vita dici meretur, vita tam infelix: ac proinde nec resurrectio dici meretur, resurrectio tam infelix. Vt ergo solorum iustorum vita æterna, vitæ nomine digna censetur; ita & solorum iustorum resurrectio, nomine resurrectionis. Porrò si iustorum in futuro seculo nullæ erunt nuptiæ, facilè intelligitur minùs fore impiorum. NEQVE NVBENT NEQVE DVCENT VXORES. οὔτε γαμοῦσιν οὔτε ἐκγαμίσκονται vel ἐκγαμίζονται neque ducunt vel ducent vxores, neque dantur vel dabuntur nuptum, seu, vt mox vertebat, *tradentur ad nuptias*. Præsentia quibus leguntur, pro futuris leguntur. Reliqua lege Matth. 22. v. 30.

Matth. 22. v. 30. Marc. 12. v. 25.

neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.

36 οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται· ἰσάγγελοι γάρ εἰσι, καὶ υἱοί εἰσι τοῦ θεοῦ, τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες.

VLTRA, ἔτι ampliùs. POTERVNT. δύνανται possunt. præsens pro futuro. Ratio datur cur nuptiæ locum habituræ non sint in iis qui resurrexerint, quòd, qui semel resurrexerint, ampliùs mori non poterunt; immortales erunt: in immortalibus autem locum non habet generatio, quæ finis est nuptiarum. Mortales, quia mortales sunt, ineunt nuptias, vt qui perpetuò viuere non possunt in seipsis, viuant in liberis ex nuptiali coniunctione genitis. Quocirca vbi omnes immortales erunt, & perpetuò viuēt in semetipsis, nec vmquam deficient, non erit ratio procreandorum liberorum, ac proinde nec locus nuptiis. *In hoc seculo* (ait Auctor operis in Matthæum imperfecti) *vxores ducimus, vt quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur. Tolle moriendi necessitatem, & nascendi vtilitas superflua inuenitur: tolle nascendi vtilitatem, & nubendi causa soluta est*. Obiicias, nuptias institutas fuisse in paradiso, antequam homini necesse esset mori. Ita quidem, sed necesse tunc erat hominem propagari & multiplicari, quem vnum solum creauerat Deus, futurum seminarium reliquorum: in resurrectione verò, vt non erit opus humanæ speciei conseruatione per nuptias, quia omnes erunt immortales; ita nec multiplicatione siue propagatione, quia resurgent omnes qui vmquam vixerant, numero vtique sufficienti, & omnino qualem humano generi præfiniuit Deus. Itaque dum inter immortales locum nuptiæ nō habere dicuntur, intelligitur de iis immortalibus qui iam sufficienti numero existunt, quales fuerunt ab initio angeli, & futuri sunt homines tempore resurrectionis. ÆQVALES. pares angelis immortalitate, castitate, & numero pleno. SVNT. pro erunt. Quemadmodum angeli, quia immortales sunt, absque nuptiis sunt: sic erunt & homines ex morte rediuiui, immortales, cælibes, casti, denique immunes prorsus ab omni concumbendi & necessitate & voluptate & voluntate. ET FILII SVNT DEI. immo filij Dei erunt, non filij hominum, non filij huius seculi, renati, etiam secundùm corpus, *non ex semine corruptibili* (1. Pet. 1. v. 23.) *non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo* (Iohan. 1. v. 13.) solius Dei virtute, absque humana opera, in hanc vitam immortalem & spiritualem editi. CVM SINT futuri FILII RESVRRECTIONIS. id est, quia nascentur ex resurrectione; quia non coitu maris, & fœminæ, non hominum generatione aut opera, sed resurrectione, cuius sola Dei omnipotentia auctor erit, nascentur edenturq; in vitam illā immortalem (ita disertè Theophylactus) non mirum igitur si illo in seculo aliter victuri & acturi sint, quàm in pręsenti. Deus non eget vlla alia re à se ad æternam suam beatitudinem & perfectionem. Idem seipsum communicans & præbens in resurrectione suis, omnem inopiam & caussam, ob quam matrimonium institutum fuerat, aufert: æternos reddit eos, perfectos, diuinos, nullius externarum rerum egentes ad beatitudinem.

Matth. 22. v. 31. 32. Marc. 12. v. 26.

Quia verò resurgant mortui, & Moses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob.

37 ὅτι δὲ ἐγείρονται οἱ νεκροί, καὶ Μωσῆς ἐμήνυσεν ἐπὶ τῆς βάτου, ὡς λέγει κύριον, τὸν θεὸν Ἀβραάμ, καὶ τὸν θεὸν Ἰσαάκ, καὶ τὸν θεὸν Ἰακώβ.

QVIA. quòd. SECVS apud RVBVM. Præcedentibus quàm sequentibus, hoc aptiùs iungitur, hoc sensu: Narrans historiam Dei apparentis apud rubum. SICVT. prout seu quum eo loci vocat DOMINVM, DEVM ABRAHAM, &c. Verti etiam possit: Nam dicit Dominum &c. Reliqua petenda sunt ex Matthæo, versibus ad marginem annotatis.

Matth. 22. v. 32. Marc. 12. v. 27.

Deus autem non est mortuorum, sed viuorum: omnes enim viuunt ei.

38 θεὸς δὲ οὐκ ἔστι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων· πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν.

DEVS AVTEM NON EST s. Dominus. Dominus autem non est Deus MORTVORVM. OMNES ENIM s. etiam mortui, & tam impij quàm iusti. VIVVNT EI s. Domino, viuunt eius respectu, cui facultas voluntasque est ipsos à morte excitandi, cuique futura omnia sunt præsentia. Occupatio est, potuisset enim obiicere quis: Quomodo non est Deus mortuorum, cùm iam pluribus seculis Abraham, Isaac, & Iacob mortui sint? respondet, ipsos mortuos quidem esse huic mundo siue hominibus, sed minimè Domino; Domino enim, & ipsos & cæteros omnes huic mundo mortuos, viuere, Domino nullos esse mortuos, qui potens & paratus est omninoque decreuit tempore opportuno omnes ad vitam reuocare. Quod ad ipsum igitur attinet, nulli habendi sunt mortui, sed mortui nobis, dormiunt ipsi, & viuunt, non secundùm animam tantùm, verumetiam secundùm corpus, ea vita qua hoc in mundo vixerunt, hoc est, constante corpore & anima vnitis, euigilaturi tandem ipso excitante. Atque hoc verum est de omnibus etiam impiis: non tamen impio-

impiorum est Deus, peculiari ea ratione qua iustorum, quia quamuis necessarium sit, non tamen sufficit, vt viuant, ij quorum Dominus Deum se glorietur. Cæterùm si de solis iustis dictum esse existimes quòd viuant ei, intellige vitam cum beatitudine coniunctam, vt suprà v.35. resurrectionem. Reliqua huius versus lege secundùm Matthæum.

ἀποκριθέντες δέ τινες τῶν γραμματέων εἶπον· διδάσκαλε καλῶς εἶπας. 39 Respondentes autem quidam Scribarũ dixerunt ei: Magister benè dixisti.

RESPONDENTES his auditis subiicientes. SCRIBARVM. legisperitorum. Ex horum numero verisimile est illum fuisse, qui post hanc refutationem Sadducæorum, proposuit quæstionem de maximo mandato. Marc. 12. v. 28. BENE DIXISTI. egregiè refutasti Sadducæos, & ex sacris Scripturis adstruxisti corporum resurrectionem. Tale quid accidit hìc, quale Act. 23. v. 7. in nobili illa concertatione inter Pharisæos & Sadducæos, quam Paulus excitarat. Tam manifestam Iesus sapientiam declarauit, vt extorserit ab inuidis laudem.

οὐκ ἔτι δὲ ἐτόλμων ἐπερωτᾷν αὐτὸν οὐδέν. 40 Et ampliùs non audebant eum quidquam interrogare.

Matth. 22. v. 46. Marc. 12. v. 34.

ET AMPLIVS. His & aliis aliquot similibus quæstionibus ab ipsis propositis & à Iesu dexterrimè solutis, *amplius* NON AVDEBANT siue Pharisæi siue Sadducæi. Reliqua quære Matth. 22. v. 46.

εἶπε δὲ πρὸς αὐτούς· πῶς λέγουσι, τὸν χριστὸν υἱὸν δαβὶδ εἶναι· 41 Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt, Christum filium esse Dauid:

Matth. 22. v. 42. 43. Marc. 12. v. 35.

DIXIT AVTEM. sed ipse dixit, interrogauit ILLOS s. aduersarios suos, & signanter Pharisæos, quod ex Matthæo intelligitur, id est: Sed proposuit ipse illis vicissim quæstionem. DICVNT. s. *Scribæ*, quod addit Syrus; vel *homines*, quod fit pro impersonali *dicitur*. Reliqua pete ex Matthæo & Marco.

καὶ αὐτὸς δαβὶδ λέγει ἐν βίβλῳ ψαλμῶν· εἶπεν ὁ κύριος τῷ κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, 42 & ipse Dauid dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis,

Matth. 22. v. 43. 44. Marc. 12. v. 36. Psal. 109. v. 1.

ET IPSE. cùm ipse DAVID dicat. IN LIBRO illo sacro PSALMORVM à Spiritu sancto dictatorum. Vnus est liber Psalmorum, sed in quinque volumina apud Hebræos diuisus est, quod notat Hieronymus Epistola 137. Reliqua ex Matthæo petenda sunt.

ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου; 43 donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?

Matth. 22. v. 44. Marc. 12. v. 36. Psal. 109. v. 1.

TVORVM? Hìc demum finitur interrogatio.

δαβὶδ οὖν κύριον αὐτὸν καλεῖ, καὶ πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστιν; 44 Dauid ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius eius est?

Matth. 22. v. 45. Marc. 12. v. 37.

ET QVOMODO. quomodo igitur cum eo consistit quòd FILIVS EIVS EST? Reliqua lege secundũ Euangelistas superiores.

ἀκούοντος δὲ παντὸς τοῦ λαοῦ, εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· 45 Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis:

Matth. 23. v. 1.

OMNI vel toto. qui præsens aderat magno numero. POPVLO. Populum vnà cum discipulis suis volebat admonitum, sed ad discipulos se conuertit, vt quorum gerebat curam singularem.

προσέχετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς, καὶ φιλούντων ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις· 46 Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuiis:

Matth. 23. v. 6. 7. Marc. 12. v. 38. 39. Sup. 11. v. 43.

ATTENDITE. προσέχετε cauete. DISCVBITVS. accubitus. IN CONVIVIIS. ἐν τοῖς δείπνοις in cœnis. Reliqua lege secundùm Matthæum & Marcum.

οἳ κατεσθίουσι τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσεύ- 47 qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem.

Marc. 12. v. 40.

tionem. Hi acccipient damnationem maiorem.

χονται. οὗτοι λήψονται περισσότερον κρίμα.

SIMVLANTES LONGAM ORATIONEM. καὶ προφάσει μακρὰ (sic enim legendum est accentu graui, non circumflexo μακρᾶ) προσεύχονται, ad verbum: Et specie longum (seu longo tempore) orant: cuius sensum rectè expressit Interpres, omissa coniunctione, quemadmodum secundùm Marcum. DAMNATIONEM MAIOREM. περισσότερον κρίμα, *prolixius iudicium* verterat obscuriùs Marc. 12. v. 40. vnde petes reliqua istius loci.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

Marc. 12. v. 41.

1 Respiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites.

ἀναβλέψας δὲ εἶδε τοὺς βάλλοντας τὰ δῶρα αὐτῶν εἰς τὸ γαζοφυλάκιον πλουσίους.

RESPICIENS, id est, adspiciens (studiosè scilicet) quomodo & vox græca ἀναβλέψας non rarò accipitur (vide suprà 8. v. 25.) ita vt non necesse sit interpretari *suspiciens*, sublatis scilicet oculis: quamquam ea interpretatio non sit reiicienda, non quòd gazophylacium tam edito loco situm fuerit, vt opus fuerit sustollere oculos, sed quòd Iesus, qui oculos priùs in terram deflexerat, sancti aliquid apud se meditans, iam sustulerit, vt adspiceret eos qui sua munera in gazophylacium immittebant; vel, quòd antea suos intuitus, pòst tollat oculos in eos qui longiùs absunt. Syrus omissa hac voce ἀναβλέψας, reliqua huius versiculi claritatis causa vertit hoc ordine: *Vidit autem Iesus diuites illos, qui proiiciebant in domum gazæ oblationes suas.* DIVITES. qui diuites erant plerique omnes, id testantes amplitudine munerum suorum. Reliqua exposita sunt Marc. 12. v. 41.

Marc. 12. v. 42.

2 Vidit autem & quamdã viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo.

εἶδε δέ τινα καὶ χήραν πενιχρὰν, βάλλουσαν ἐκεῖ δύο λεπτά.

ET QVAMDAM VIDVAM. τινὰ καὶ χήραν quamdam etiam viduam. MITTENTEM. ἐκεῖ illuc, additur græcè: quod vt facilè subauditur, ita syriacè non magis legitur quàm latinè. ÆRA. Hoc de suo adiecit Interpres, nam græcè nihil amplius est quàm sit secundùm Marcum δύο λεπτὰ *duo minuta*: sed adiecit explicationis causa, quia minuta fuisse oportuit ex ære, infimi pretij metallo, ex quo pecunia cuditur. MINVTA DVO. Syrus vertit *octauas* siue *quadrantes duos*. Reliqua ex Marco petenda sunt.

Marc. 12. v. 43.

3 Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit.

καὶ εἶπεν· ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι ἡ χήρα αὕτη ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων ἔβαλεν.

ET DIXIT. Tunc dixit discipulis suis aduocatis. QVIA. quòd. OMNES diuites. MISIT in gazophylacium. Reliqua Marc. 12. v. 43. tractata sunt.

Marc. 12. v. 44.

4 Nam omnes hi, ex abundanti sibi, miserunt in munera Dei: hæc autem, ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

ἅπαντες γὰρ οὗτοι, ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς, ἔβαλον εἰς τὰ δῶρα τοῦ θεοῦ· αὕτη δὲ, ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς, ἅπαντα τὸν βίον ὃν εἶχεν ἔβαλε.

OMNES HI. diuites. EX ABVNDANTI SIBI. ex eo quod abundabat ipsis. IN MVNERA DEI. id est, inter munera Deo oblata, seu in gazophylacium continens munera Deo oblata, quo excipiuntur adseruanturque pecuniaria munera Deo temploque oblata. Nam & gazophylacium vocatur Matth. 27. v. 6. *corban*, quod est, munus siue oblatio, eò quòd templi munera oblationesque contineret. Quare Syrus hoc loco, pro *in munera Dei*, vertit *in domum oblationum Dei*, quæ est periphrasis gazophylacij. EX EO QVOD DEEST ILLI. ἐκ τοῦ ὑστερήματος αὐτῆς ex defectu suo; *è penuria sua*, vertit, & quidem rectiùs, secundùm Marcum. Nam ex eo quod deest sibi, propriè, quid potest quis dare? MISIT in munera Dei. Reliqua secundùm Marcum enarrata sunt.

Matth. 24. v. 1. Marc. 13. v. 1.

5 Et quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit:

καί τινων λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται, εἶπε·

ET. cùm egressus esset ex templo. QVIBVSDAM discipulorum. BONIS. καλοῖς pulchris. DONIS. ἀναθήμασι donariis. Syrus ܩܘܪܒܢܐ *Corbane* oblationibus. ἀνάθημα siue ἀνάθεμα græcè, in bonam partem acceptum, significat id quod Deo consecratum est ac deuotum, à verbo ἀνατίθεσθαι, quod & suspendere

dere declarat & separare, vel quò i de parietibus & columnis templorum suspendi huiusmodi solebant, vel potiùs quòd à vulgari vsu separata, nefas esset ea in vsum hominum conuertere. De huiusmodi templi donis videtur scribere Iosephus lib. 15. Antiq. cap. vltimo, vbi ait: *Circum templum affixa erant spolia barbarica, quæ omnia Herodes denuò dedicauit, additis etiam recentibus Arabicis.* Theophylactus coniicit, anathemata hîc dici, sculpta & tornata, quasi dicant discipuli, lapidibus pulchris & eleganter incisis magnaque arte politis ac sculptis: id quod eo verisimilius fieri possit, quòd de sola templi structura hîc agi videri possit. Reliqua pete ex Matthæo & Marco.

ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι ἐν αἷς οὐκ ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ καταλυθήσεται.

6 Hæc quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

Matth. 24. v. 2. Marc. 13. v. 2.

HAEC QVAE VIDETIS. Orationem aliter quàm cœperat absoluit Iesus, id quod etiam alibi occurrit, & nascitur ex animi vehementia. Itaque ad explicandum sermonis incommodum, subaudienda est præpositio *in* (in his *quæ videtis*, & tamquam immortalitate digna admiramini) quam volens exprimere Syrus, quod nobis sequitur *ἐν αἷς in quibus* s. diebus, ipse vertit ܕܒܗܘܢ *dabbehoun* quòd in eis s. quæ videtis. Hanc incommoditatem volentes vitare alij, legunt interrogando: *Hæc quæ videtis* s. sunt? Hæccine sunt quæ spectatis & admiramini? nam & Matthæus ac Marcus huiusmodi interrogationem habent. Reliqua pete ex Matthæo cap. 24. v. 2.

ἐπηρώτησαν δὲ αὐτὸν λέγοντες· διδάσκαλε, πότε οὖν ταῦτα ἔσται; καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι;

7 Interrogauerunt autem illum dicentes: Præceptor, quādo hæc erunt, & quod signum cùm fieri incipient?

Matth. 13. v. 3. Marc. 13. v. 4.

QVANDO. πότε οὖν quando igitur. Quæstio illata ex superiori responsione. CVM FIERI INCIPIENT? ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι; quando hæc futura sunt fieri? quando futurum est vt hæc fiant? quo signo poterimus cognoscere tempus illud quo hæc fient. Intelligenda est quæstio, tam de orbis & ciuitatis, quàm de templi euersione, licet orbis & ciuitatis nulla præcesserit mentio, quia Apostoli hæc eodem futura tempore credebant. sic intelligit Chrysostomus Matthæum enarrans: vt etiam subsequitur responsio Iesu tam de orbe quàm de templo. Reliqua ex prioribus Euangelistis petenda sunt locis ad marginem annotatis.

ὁ δὲ εἶπε· βλέπετε μὴ πλανηθῆτε· πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ ὁ καιρὸς ἤγγικε. μὴ οὖν πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν.

8 Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum, & tempus appropinquauit. nolite ergo ire post eos.

Matth. 24. v. 4. 5. Marc. 13. v. 5. 6.

DICENTES QVIA EGO SVM. id est, dicentes ego sum s. Christus. ET TEMPVS. s. *& dicentes, tempus*. ὁ καιρὸς illud tempus, libertatis ac salutis, olim à prophetis promissum & hactenus exspectatum. APPROPINQVAVIT. propinquum factum est, proximè per nos exhibendum est. Sic dicent, imitaturi me verum Christum, cuius prima prædicatio fuit: *Impletum est tempus, & appropinquauit regnum cælorum.* Marc. 1. v. 15. Matth. 4. v. 17. NOLITE ERGO IRE POST EOS. μὴ οὖν πορευθῆτε ne ergo eatis. *Ergo* non est hîc illatiuum, sed continuatiuum, quia semel dixerat *Videte ne seducamini.* POST EOS. ne sequamini eos, ne credatis aut adhæreatis eis. Reliqua exposita sunt secundùm Matthæum & Marcum.

ὅταν δὲ ἀκούσητε πολέμους καὶ ἀκαταστασίας, μὴ πτοηθῆτε· δεῖ γὰρ ταῦτα γενέσθαι πρῶτον, ἀλλ' οὐκ εὐθέως τὸ τέλος.

9 Cùm autē audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet primū hæc fieri, sed nondum statim finis.

Matth. 24. v. 6. Marc. 13. v. 7.

SEDITIONES. Postquam Iudæi Barabbam Iesu, seditiosum pacifico, prætulerunt, variis continuisque seditionibus iactati fuere. Auctore enim pacis peremto, & seditioso è contrà seruato, meritò seditiones & bella inter eos locum acceperunt. NOLITE TERRERI. μὴ πτοηθῆτε ne terreamini, ita scilicet vt quod vestri muneris est, aut quod rectum est, omittatis. OPORTET. enim additur græcè & syriacè. PRIMVM. ante finem tum templi tum mundi. FINIS subsequetur. Reliqua dicta sunt Matth. 24. v. 6.

τότε ἔλεγεν αὐτοῖς· ἐγερθήσεται ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν.

10 Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnū aduersus regnum.

Matth. 24. v. 7. Marc. 13. v. 8.

DICEBAT. præcedentibus hæc addebat, morula fortassis interposita; vt doceret non statim rerum finem ad fore à tumultibus & seditionibus, sed alia plura eaque grauiora mala præcessura. Reliqua declarata sunt Matth. 24. v. 7.

σεισμοί τε μεγάλοι κατὰ τόπους, καὶ λιμοὶ καὶ λοιμοὶ ἔσονται, φόβητρά τε καὶ σημεῖα ἀπ' οὐρανοῦ μεγάλα ἔσται.

11 Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt.

Matth. 24. v. 7. Marc. 13. v. 8.

ET PESTILENTIAE ET FAMES. Græcè & syriacè etiam hîc legitur, ordine inuerso, *& fames & pestilentia.*

TERRORES. φόβητρά terriculamenta, quæ hominibus terrorem incutiant. Syrus vertit duabus vocibus *timores & trepidationes.* SIGNA iræ Dei s. de cælo. nam græcè syriaceque legitur hoc ordine, *terroresque & signa de calo.* Et cælum ipsum prodigia dabit, iram Dei testantia. MAGNA. mirabilia, præter naturæ cursum accidentia. ERVNT. edentur, apparebunt, quomodo Syrus transtulit. Spectra signaque cælestia complura, quę ante Ierosolymorum euersionem apparuerint, ex professo recēset Iosephus cap. 12. libri 7. de bello: de quibus Victor Antiochenus in Marcum: *Non nuda, ait, bella, sed multis signis & prodigiis comitata, ventura prædixit, vt hinc intelligas, ipsum cladis quæ Iudæos oppressit præcipuum auctorem exstitisse.* Ante mundi verò consummationem quàm multa hactenus variis temporibus & locis terricula cælitus edita fuerint, partim auriti, partim oculati testes omnes sumus: quo autem propiùs consummatio, eo maiora exspectantur. Reliqua huius versiculi lege Matth. 24. v. 7. exposita.

Matth. 10. v. 17. 18. Marc. 13. v. 9.

Sed ante hæc omnia, iniicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum. [12] πρὸ δὲ τούτων ἁπάντων, ἐπιβαλοῦσιν ἐφ' ὑμᾶς τὰς χεῖρας αὐτῶν, καὶ διώξουσι, παραδιδόντες εἰς συναγωγὰς καὶ φυλακάς, ἀγομένους ἐπὶ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνας, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου.

ANTE HÆC OMNIA. Antequā mala ista eueniant, Iudæi pręsertim in vos MANVS INIICIENT, ET VOS PERSEQVENTVR, atque hac etiā insigni peruersitate Dei bonitatem ad iram magis prouocabunt. Ante hæc publica mala, Iudæi Apostolos ac fideles sunt persequuti, quomodo hoc versu prædicitur (testatur totus liber Actorum Apostolorum) nec tamen cessarunt, quando publica illa mala aduenerunt, immo tunc magis etiam in eos sæuierunt tum Iudæi tum Gentes, imputantes ipsis mala illa. vide Matth. 24. v. 9. IN SYNAGOGAS. examinandos ac puniendos. CVSTODIAS. ita carceres græcè vocantur miti vocabulo. vide Matth. 14. v. 3. TRAHENTES. s. & trahentes. ad quem modum Syrus vertit: *Et sistent vos*; participiis, isto & præcedenti, in verba conuersis. Videntur enim Latinus & Syrus interpretes, legisse ἄγοντες vel ἄγοντας, pro eo quod nos legimus græcè ἀγομένους adductos. PROPTER NOMEN MEVM. propter me à vobis cultum & prædicatum. Reliqua Matth. 10. v. 17. 18.

Matth. 10. v. 18. Marc. 13. v. 9.

Contingent autem vobis, in testimonium. [13] ἀποβήσεται δὲ ὑμῖν, εἰς μαρτύριον.

CONTINGET istud. vel ἀποβήσεται s. ταῦτα contingent hæc, siue, vt alij vertere malunt, *Cedent hæc vobis.* IN TESTIMONIVM. s. aduersus illos. seruient ista vobis, loco publicorum testimoniorum, perfidiæ ac crudelitatis ipsorum aduersus vos, per quæ manifestum erit, iustè illos hîc puniri atque exstirpari, & in regeneratione à me & à vobis vnà mecum iudicantibus (Matth. 19. v. 28.) eiici in tenebras exteriores. Matth. 8. v. 12. Reliqua lege Matth. 10. v. 18.

Matth. 10. v. 19. Marc. 13. v. 11. Sup. 12. v. 11.

Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis: [14] θέσθε οὖν εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν, μὴ προμελετᾷν ἀπολογηθῆναι·

IN CORDIBVS VESTRIS. εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν in corda vestra, habete id fixum in cordibus vestris. NON PRÆMEDITARI. non esse vobis præmeditandum. QVEMADMODVM RESPONDEATIS. ἀπολογηθῆναι ad defendendum & reddendam rationem. non esse vobis anxiè præmeditandam defensionem vestri, coram iudicibus, ad quos rapti fueritis. Reliqua petantur ex Matthæo præsertim.

Matth. 10. v. 19. Marc. 13. v. 11.

ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. [15] ἐγὼ γὰρ δώσω ὑμῖν στόμα καὶ σοφίαν, ᾗ οὐ δυνήσονται ἀντειπεῖν οὐδὲ ἀντιστῆναι πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν.

EGO. Dei verbum & sapientia, omnis sapientiæ fons. DABO per spiritum Patris ac meum. Matth. 10. v. 20: *Sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Alibi Christus,* ait Ambrosius, *alibi Pater, alibi spiritus loquitur Patris: non discordant ista, sed congruunt. Quod vnus loquitur, tres loquuntur, quia vox est vna Trinitatis.* VOBIS. q d. secundùm Gregorium homilia in hunc locum: *Nolite terreri, vos enim ad certamen acceditis, sed ego prælior: vos verba editis, sed ego sum qui loquor.* OS ET SAPIENTIAM. id est, os sapiens, sermonem sapientem; nisi fortè per *os*, facultas animosè ac constanter eloquendi; per *sapientiam*, appositè ac prudenter loquendi, notetur. timor enim claudit os, quod animositas à Christo data aperit: nam censetur os non haberi, quod ad loquendum, vbi opus est, non aut vix aperitur. RESISTERE ET CONTRADICERE. græcè est ordine contrario, eoque magis congruo, *contradicere neque resistere*: nam generalius est resistere. Nec contradicere nec resistere poterunt, id est, tam sapienter, euidenter atque efficaciter refellentur, vt nihil habeant quod meritò queant opponere, falsique conuictos se iudicent in cordibus suis, licet verba profundent, aut ad verbera variasque vestri afflictationes confugient, ne victi videantur. Dicit Saluator, sapiētiam quam suis infusurus est, contra omnes hostes fore victricem: non tamē quòd veritati semper cedet hostium impudentia, sed quòd de phrenetica ipsorum audacia, quam erit promtum aliis intelligere, triumphabit veritas illa, quam frustrà oppugnabunt. huius exempla habes Act. 4. v. 8. & seqq. 6. v. 10. 26. v. 25. OMNES quicumque, quantumuis diserti & eruditi humana sapientia: vel nulli poterunt, sicut *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,* id est, nullus. ADVERSARII VESTRI. οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν aduersantes vobis, qui se opponent vobis.

παρα-

16 παραδοθήσεσθε δὲ καὶ ὑπὸ γονέων, καὶ συγγενῶν, καὶ φίλων, καὶ ἀδελφῶν, καὶ θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν.

Trademini autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis; & morte afficient ex vobis.

Matth. 10. v. 21. Marc. 13. v. 12.

TRADEMINI aduersariis in mortem. A PARENTIBVS. καὶ ὑπὸ γονέων etiam à parentibus. q. d. hæc patiemini, non solùm ab ignotis & alienis, verumetiam ab his qui vobis propinqua cognatione arctisque necessitudinis vinculis iuncti sunt. ET FRATRIBVS. Hoc loco & multi græci libri collocant καὶ ἀδελφῶν, idque ordine aptiori: à parentibus enim proximi sunt fratres, deinde cognati, postremò amici. AFFICIENT s. parentes &c. EX VOBIS s. quosdam. Reliqua quære Matth. 10. v. 21.

17 καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου.

Et eritis odio omnibus propter nomen meum.

Matth. 10. v. 22. Marc. 13. v. 13.

Hic versiculus expositus est Matth. 10. v. 22.

18 καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται.

Et capillus de capite vestro non peribit.

Matth. 10. v. 30. Sup. 12. v. 7.

ET pro sed. q. d. Nolite concidere animo: ego singularissimam vestri curam geram, adeò vt non sim admissurus vel minimum vobis perire, ne pilum quidem vnum capitis, quod non sit ad vtilitatem vestram, & quàm certissimè atque vbertimè vobis restituatur. Nam & pilos ipsos capitis resurrectio restituet, qui quidem ad decorem faciunt. Cætera lege Matth. 10. v. 30.

19 ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν.

In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Matth. 10. v. 22. Marc. 13. v. 13.

IN PATIENTIA VESTRA. id est, per patientiam seu perseuerantiam vestram; constanti malorum tolerantia. nam ὑπομονὴ est perseuerantia in re quapiam cum molestia cum exspectatione tamen: id quod Paulus significat Rom. 5. v. 3. 4. Non negatione mei, mala declinando aut euadendo, neque vos vlciscendo aut mala referendo, sed fortiter, patienter, cõstanter, & perseueranter, mea causa mala ferendo. POSSIDEBITIS. κτήσασθε possidete. præceptum est: Curate vt possideatis. Interpres videtur legisse κτήσεσθε, quod est, *possidebitis*, id quod eòdem redit. si constanter patientes fueritis, possidebitis. *possidebitis* autem, id est, seruabitis, saluas facietis, obtinebitis salutem animarum vestrarum, æternam consequemini salutem. Hoc enim idem vnum cum eo est, quod apud Matthæum & Marcum legitur: *Qui perseuerauerit siue sustinuerit vsque in finem, hic saluus erit.* ANIMAS VESTRAS. id est vosmetipsos (vide Matth. 10. v. 39.) nam si animas, omnino & corpora.

20 ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν ἱερουσαλὴμ, τότε γνῶτε ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς.

Cùm autem videritis circũdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius.

Matth. 24. v. 15. Marc. 13. v. 14.

CVM primùm AVTEM. Nam secundò cùm videritis, non appropinquabit, sed præsens aderit desolatio, seraque erit fuga tum ex Iudæa tum ex Ierusalem. CIRCVMDARI. κυκλουμένην circumdatam, circumcinctam. AB EXERCITV abominando, nihil nisi desolationem portendente. Romano foris, Iudaico intus. Huic sensui fauet quod græcè legitur numero plurali ὑπὸ στρατοπέδων ab exercitibus. SCITOTE. γνῶτε agnoscite. Ne quis sibi blandiretur, spe auxilij à Deo dandi, quale datum est tempore Sennacherib, quando angelus Domini vna nocte occidit in castris Assyriorum obsidentium Ierusalem centum octuaginta quinque milia virorum (4. Reg. 19. v. 35.) aut quale Antiochi tempore, quando, templo ab hoste contaminato, constantia ac virtus Machabæorum cuncta reparauit; *omnem spem mutationis in melius abstulit* Saluator, inquit Chrysostomus hom. 77. in Matthæum. q. d. Non liberabitur ab excidio, vt sæpiùs olim, sed scitote actum fore de illa, quia prorsus nudata sit Dei auxilio, & exitio deuota, quod nihilo magis effugere poterit, quàm cæleste decretum rescindere. QVIA APPROPINQVAVIT. quòd propinqua facta sit, quòd instet. DESOLATIO. vastatio, euersio EIVS. Quadriennio circiter pòst, Ierusalem à Romanis quinquemestri obsidione expugnata, incẽdio periit ac subuersa est, postquam toto antè biennio semetipsam seditionibus confecisset. Reliqua lege Matth. 24. v. 15.

21 τότε οἱ ἐν τῇ ἰουδαίᾳ, φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη· καὶ οἱ ἐν μέσῳ αὐτῆς, ἐκχωρείτωσαν· καὶ οἱ ἐν ταῖς χώραις, μὴ εἰσερχέσθωσαν εἰς αὐτήν.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.

Matth. 24. v. 16. Marc. 13. v. 14.

TVNC. cùm primùm videritis circumdari ab exercitu Ierusalem. QVI IN IVDÆA SVNT. non solùm qui in Ierusalem, sed & qui in omni reliqua Iudæa fuerint, quia non solius Ierusalem propinqua erit desolatio, sed vt metropolis, ita & reliquæ Iudææ, adeoque prior vastabitur reliqua Iudæa. IN MEDIO EIVS. s. Iudææ sunt. hoc idem est cum eo quod præcedit *in Iudæa*. Dicit igitur, Tunc qui in Iudæa fuerint,

fugiant ad montes, ad loca proxima Romanis confœderata; aut potiùs longè discedant ex ea in alias regiones. IN REGIONIBVS exteris, qui peregrè agent. IN EAM. Iudæam. Contrarium quia fecerunt plurimi Iudæorum, qui cùm in exteris regionibus habitarent, eo anno in Ierusalem concesserunt, quo à Tito obsessa fuit, omnes perierunt. *Ab omnibus enim regionibus, ad azymorum diem festum congregati, bello subito circumsepti sunt*, ait Iosephus lib.7. de bello cap.17.& paulò pòst: *Tunc*, inquit, *velut in carcerem tota gens fato conclusa, & farta hominibus ciuitas, bello obsidebatur*. Reliqua ad huius versiculi explicationem facientia lege Matth.24. v.16.

quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt.	22	ὅτι ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι, τοῦ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα.

DIES VLTIONIS. dies quibus atrox à Deo vltio seu pœna sumetur, de Ierusalem & vniuersa Iudæa, eiusque populo, tot seculis Deo rebelli, & hoc tandem postremo seculo, interfectore ac pertinacissimo repudiatore Messiæ Saluatoris sui. HI SVNT. qui sequentur paulò post primam illam Ierosolymorum obsidionem. VT IMPLEANTVR. τοῦ πληρωθῆναι ad hoc vt impleantur, diuinitus ordinati vt in ipsis impleantur & sortiantur effectum. QVÆ SCRIPTA ac prædicta SVNT per prophetas, de templi & Ierosolymorum subuersione, de Iudææ vastatione, denique de Iudæorum exstirpatione, ac reprobatione. De his enim multa scripta sunt in libris prophetarum, Isaiæ, Ieremiæ, Oseæ, Psalmis, aliisque: sed clarissimè scriptum est Dan. 9. v. 26: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cū duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio, &c. & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio*. Ad hunc locum præcipuè respicit hic Euangelista, quem alij Euangelistæ disertè citant. Nihil igitur his diebus fiet fortuitis hominum tumultibus: sed fient ea quę Deus vltionum Dominus ab æterno decreuit, & posteà per prophetas suos prædixit, atque ad posteritatis memoriam scribi mandauit. Nihil enim frustrà scriptum aut prædictum est à prophetis, implebuntur tandem omnia, quamuis vindictam differat Deus, vt det locum hominum pœnitentiæ. Rom. 2. v.9.

Matth.24. v.19. Marc.13. v.17.	Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic:	23	οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις, καὶ ταῖς θηλαζούσαις, ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ·

VÆ AVTEM. Prior ista huius versus pars exposita est Matth. 24. v.19. PRESSVRA. ἀνάγκη necessitas, tribulatio. Interpres legit συνοχὴ, vt mox v.25., quod est, coarctatio, anxietas, angustia. *Pressura* seu angustia, quam scilicet prægnantes & lactantes effugere non poterunt. MAGNA. huiusmodi, qua etiam matres, infantes suos sint deuoraturæ: quod accidisse in obsidione Ierosolymitana testatur Iosephus lib.7. cap.8. SVPER TERRAM. ἐπὶ τῆς γῆς super hanc terram siue regionem Iudaicam. ET IRA. calamitas, scilicet, ab irato Deo immissa s. magna erit; & quidem maior quàm aut fuerit à condito mundo aut futura sit, quod habent priores Euangelistæ. Pressuram & iram coniungit, eò quòd Deus iratus immittat pressuras seu anxietates. POPVLO HVIC. ἐν τῷ λαῷ τούτῳ in populo hoc s. Iudaico. Syrus *super populum hunc*. In quam sententiam Iosephus lib.6. de bello cap.15: *Deus*, inquit, *qui damnauerat populum, omnem viam salutis ad interitum eis verterat*.

& cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.	24	καὶ πεσοῦνται στόματι μαχαίρας, καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη· καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν, ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν.

CADENT s. populus hic. IN ORE. στόματι ore, id est, acie, GLADII. lethaliter morsi à gladio. Acies gladij, tam Hebræis quàm Græcis, *os* vocatur, quòd acie tamquam ore gladius mordeat & occidat omnem carnem obuiam. Interficientur, inquit, gladio s. tum aliorum, tum maximè Romanorum. Quot milia Iudæorum à Romanis fuerint interfecta, à soluta per Cestium Ierosolymorum obsidione vsque ad expugnationem Ierosolymorum per Titum, dictu impossibile est: aliquo tamē modo ex Iosepho intelligitur. Mox enim à soluta illa obsidione, cùm elati animis Iudæi, vellent Ascalonem expugnare, à præsidio *Romano* interemti sunt ex eis plures quàm XVIII. milia (lib.3. de bello cap.1.) Posteà Placidus tribunus, à Vespasiano in Galilæam præmissus, maximam multitudinem imbellioris turbæ Galilæorum interfecit (cap.4.) deinde Vespasianus ipse, Gadarâ expugnatâ, cunctos puberes perēmit (cap.6.) in Iaphæ debellatione, occidit XV. milia (cap.11.) in Iotapatæ excidio, XL. milia (cap.13.) in Ioppe submersa sunt quatuor milia ducenti (cap.15.) in Tarichæis perierunt septem milia septingenti (cap.19.) in Gamala nouem milia (lib.4. cap.3.) Giscalensium duo milia (cap.4.) eorum qui ex Gadara fugerant aliorumque, tredecim milia (lib.5. cap.3.) Gerasenorum mille (cap.6.) Idumæi recepti in ciuitatem Ierosolymorum, occiderunt ciuium octo milia quingentos (lib.4. cap. vltimo) rursus Zelotæ cum Idumæis, duodecim milia nobilium (lib. 5. cap. 1.) denique mortuorum, tempore obsidionis Ierosolymorum à Tito, numerus fuit, vndecies centum milia (lib.7. cap.17.)

CAPTIVI DVCENTVR qui reliqui fuerint. *Captiuorum* (inquit Iosephus lib.7. de bello cap. 17.) *omnium qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem milium est numerus*. quod quidem de eo bello quod aduersus Ierusalem gestum est intelligo: nam priore bello aduersus Galilæam reliquamque Iudæam gesto,

recen-

recensuit idem Auctor, captiuorum ex Iapha ciuitate numerum, duo milia centum & triginta, ex Iotapata mille ducentos, ex Tarichæis sex milia electorum iuuenum, Neroni ad Isthmum fodiendum missa, aliaque triginta milia cum quadringentis vendita, denique ex Gadara captos bis mille ducentos. IN OMNES GENTES. dispergendi proinde in omnes mundi partes. Captiuorum enim, alij ad opera damnati, missi sunt in Ægyptum, alij qui formosiori essent corpore, triumpho Romæ celebrando seruati sunt, plurimos robustos viribus elegit Titus, per prouincias pugnaturos in theatris cum bestiis. Qui verò infra decimum & septimum ætatis annum essent, simul cum fœminis venditi sunt, sed vilissimo pretio, eò quòd non reperirentur emtores, & qua alerentur deesset annona. Hæc omnia ex Iosepho intelliguntur. Ita porrò prædicit Christus, illos captiuos ducendos in omnes gentes, & dispergendos in omnes mundi partes, vt numquam reuocandi aut colligendi sint & patriæ restituendi, sed perpetuo damnandi exsilio, idque vt hinc illorum in Christum perfidia, hinc iusta Dei in illos vltio, versentur semper ob oculos omnium totius mundi gentium.

ET. Itaque. IERVSALEM destituta natis suis, partim peremtis, partim in exsilium abductis. CALCABITVR. id est, inhabitabitur: sed calcandi verbo hoc ampliùs subindicat Christus, quòd tamquam vulgare oppidum habitabitur, numquam ampliùs splendori pristino restituendum. A GENTIBVS, Iudæis exclusis. Redierunt quidem Iudæorum aliqui Ierosolymam, conniuentibus aliquot, post Vespasianum, Imperatoribus, ita vt tandem multiplicati, rursus Romanis rebellarint, sexaginta circiter annis post illam Vespasianorum expugnationem, imperatore Ælio Adriano: sed *Rufus Iudææ præsidens, armata manu sibi ab Imperatore Adriano decreta*, funditus eos deleuit. Quo ex tempore, *Iudaica natio, non solum à Ierosolymis, sed & ab omni finitima Ierosolymorum regione, repulsa est, cùm sanctione diuina legis, tum constitutionibus & decretis ipsius Adriani, ita vt ne de excelsiore quidem prospectu, eminus eis saltem, paternum solum, prophanis obtutibus liceret inspicere: ipsique ciuitati magna ex parte* etiam structura *mutata*, Æliæ nomen datum est, *vt in Romanorum ius conuersa, simul mutaret & situm & ritum & nomen*. Hæc ferè Eusebius lib. 4. histor. ecclesi. cap. 6. IMPLEANTVR; consummentur, finiantur. TEMPORA NATIONVM. καιροὶ ἐθνῶν tempora gentium, tempora diuinitus præstituta gentibus, donec expleta fuerint tempora, quibus Deus passurus est Israelitas opprimi à gentibus: quæ quidem videntur fore æqualia temporibus mundi. quasi dicat igitur, *ad huius vsque mundi finem*, Euthymio interprete. Numquam enim Iudæis Ierusalem restituenda est (vt ad hodiernum vsque diem non est restituta) sed, quod prædixit Daniel, *vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio*. Dan. 9. v. 27. Lucas clariùs loquitur de futura Ierosolymorum subuersione, quàm reliqui Euangelistæ: vnde intelligere licet, Christum non ita obscurè loquutum fuisse Apostolis, quin clariùs sua & Danielis verba sit interpretatus; Euangelistarum, aliis obscuriora, aliis clariora, verba referentibus: & Matthæum ac Marcum quidem, scribentes cùm longiùs adhuc abesset desolatio, conueniebat obscuriora scribere; Lucam, cùm propiùs abesset, clariora. Iohannes post subuersam Ierusalem scribens, horum mentionem non fecit, ne prophetiam, ex rebus iam gestis textam & fictam, Christo attribuisse crederetur, quod rectè obseruauit Chrysostomus cum suis, in Matthæum scribens: qui & hoc sapienter animaduertit, diuina prouidentia factum fuisse, vt, non Christianus aliquis, sed Iosephus Iudæus, Christianis parùm æquus, scripserit historiam belli Iudaici, & prædicta omnia à Christo Saluatore nostro, verè euenisse, quamquam præter opinionem suam, clarè testatus fuerit.

καὶ ἔσαι σημεῖα ἐν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ [25] καὶ ἄστροις, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ, ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου,	Et erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gẽtium, præ confusione sonitus maris & fluctuum,

Matth. 24. v. 29. Marc. 13. v. 24. 25.

ET post hæc, postquam impleta fuerint tempora nationum. Transit ab excidio Ierosolymorum ad vniuersale excidium mundi. ERVNT. & apparebunt mortalibus. SIGNA. id est, prodigia admiranda, præter ordinem naturæ familiarem, eaque non tantùm non vulgaria, verumetiam multò maiora, illis quę in his creaturis aliquando conspecta fuerant, memoriam omniũ immo cogitationem mortalium superantia.

IN SOLE ET LVNA ET STELLIS. & in maioribus & in minoribus mundi luminibus. Nam, quod superiores Euangelistæ clariùs explicant, *sol obscurabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cadent de cælo*. ET IN TERRIS erit PRESSVRA. συνοχὴ angustia, anxietas GENTIVM omnium, non tantùm aliquorum hominum, sed omnium populorum. In maxima animi anxietate versabuntur omnes qui tunc viuent in orbe terrarum. PRÆ CONFVSIONE seu perturbatione *sonitus maris & fluctuum*, id est, ex pauore quem concipient propter fragores horribiles & impetuosas commotiones ac sonitus aquarum maris. Pars ista huius versiculi variè distinguitur & vertitur. Plerique hoc modo vertunt & distinguunt: *& in terris pressura gentium præ perplexitate, resonante mari & salo. Præ perplexitate.* ἐν ἀπορίᾳ, in inopia consilij, in desperatione, simili illi qua qui nauigant afficiuntur, cùm mare æstuans & fremens minatur naufragium. Hæc versio præcedentibus iungit ἐν ἀπορίᾳ, quod nostra sequentibus, & id quod sequitur legit absolutè. Syrus interpretatur: *Et in terra angustia gentium & complosio manuum* (Nam præ maximorum malorum subitò exorientium timore, complodere solent homines manus, væ sibimetipsis ominantes) *præ stupore sonitus maris*. deinde subdit proximo versu: ET. *commotio* (id quod respondet ei, quod nos legimus, καὶ σάλου *& fluctuum*) *erit, quæ euciet animas hominum præ timore* &c. Significatur hoc versu, mare verè insanum ac rabidum, miros mugitus vlulatusque editurum, & miris agitandum procellis, tamquam deplorans interitum suum (turbatis enim superioribus, cælestibus inquam, mirum non erit inferiora turbari) atque hinc simul & ex cælestium luminarium exstinctione, anxios fore mortales omnes, etiam procul à mari degentes.

ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου [26] καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων ἐν	arescẽtibus hominibus præ timore & exspectatione quæ superuenient

Matth. 24. v. 29. Marc. 13. v. 25.

vni-

vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur.

τῇ οἰκουμένῃ. αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται.

ARESCENTIBVS. ἀποψυχόντων exanimatis, ita vt exanimes reddantur homines & extabescant. PRÆ TIMORE ET EXSPECTATIONE. præ timore quem gignet exspectatio. QVÆ SVPERVENIENT. τῶν ἐπερχομένων eorum quæ superueniunt, malorum ingruentium. VNIVERSO ORBI. τῇ οἰκουμένῃ (ab aliis enim rectiùs omittitur præpositio ἐν) orbi terrarum. Facilè enim animaduertẽt, ex defectione solis, lunæ, & stellarum, quorum occulta virtute inferiora hæc conseruari solent, simul & ex insolentibus maris vlulatibus, cæterisque his conformibus, toti mundo, ac proinde etiam sibi, imminere interitum. NAM VIRTVTES. nam & virtutes. Superioribus hoc etiam accedet, quòd virtutes cælorum miro modo agitandæ sint. Cùm timoris & exanimationis hominum causa, inter cætera, fore prædicatur commotio virtutum cælestium, non fit verisimile, virtutum nomine Angelos intelligendos, sed potiùs cælos ipsos & eorum facultates, quemadmodum docuimus secundùm Matthæum. Nisi fortè Angelos intelligas commouendos in effectis ipsorum, quia omnia ipsi commouebunt: vt enim ipsis credita est administratio vniuersi, ita ipsi auctores erunt totius commotionis vniuersi.

Matth. 24. v. 30. Marc. 13. v. 26.

Et tunc videbunt Filium hominis [27] venientem in nube, cum potestate magna & maiestate.

καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλῃ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς.

ET TVNC. breuì postquam hæc cœperint. VIDEBVNT s. homines. IN NVBE vel nubibus. vna enim nubes, multis nubibus constare videtur. MAGNA ET MAIESTATE. καὶ δόξης πολλῆς & gloria multa. Reliqua lege secundùm Matthæum.

His autem fieri incipientibus, re- [28] spicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestra.

ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, διότι ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν.

HIS. signis seu prodigiis, in sole, luna, stellis, mari, cælo. INCIPIENTIBVS. his enim desinentibus seu factis, non appropinquabit redemtio, sed succedens aderit. RESPICITE ET LEVATE. ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε suspicite & attollite s. vos, *capita vestra* in cælũ, quæ ob varias tribulationes anteà demiseritis. hoc est, *bono animo estote*, quod Syrus vertit pro *respicite*. Solent enim caput attollere & sursum aspicere, qui bono ac læto sunt animo, & quibus spes affulget emergendi è malis; vt demittere caput & terram aspicere, qui tristi afflictoque sunt animo, & sine spe euadẽdi mala. In Apostolis alloquitur iustos & electos id temporis victuros, quibus conscientia bonum testimonium, Deus robur spei, dabit: quos opponens reliquis hominibus, animat & consolatur, monens vt ad imminentia æterna bona erigant & cogitationes & affectus, nec proinde accidentibus superioribus malis plus æquo tristentur aut metuant. q. d. Si non eritis tunc omnino à timore alieni, atqui non erit vestrum, animis angi & concidere, timore arescere aut exanimari, quin potiùs contrà, tristitia omni excussa metuque deposito, hilarem præ vobis animum ferre, idque quo tristioribus ac maioribus anteà huius mundi malis subiacueritis. Ratio sequitur. QVONIAM hæc rerum mutatio, non in exitium vobis cedet, sed in salutem. APPROPINQVAT, adfutura reipsa, his breui cessantibus. REDEMTIO VESTRA omnibus partibus absoluta, quam & tota creatura exspectat. Rom. 8. v. 23. *Suspicite*, inquit Theophylactus, *qui grauati estis corruptione, quasi libertate donandi. Nam* ἀπολύτρωσις, *hoc est, redemtio vestra adest; hoc est, consummatio vtriusque libertatis, animæ inquam & corporis. Præpositio enim* ἀπὸ *insinuare videtur, perfectam à corruptione libertatem, quam & corpus tunc accipiet, gratia Domini extremum inimicum abolentis mortem.* Hæc ille. Redemtio nostra in eo consistit, vt anima nostra à peccato, corpus à morte ac corruptione, anima & corpus ab huius & futuri seculi miseriis ac malis, omnibusq; peccati effectibus, liberentur. Hanc redemtionem nobis promeruit Christus, morte sua oblata Patri, tamquam pretio, hoc est λύτρον: nos autem huius participes reddimur, solùm propemodũ quod ad libertatem à peccato, in hac mortali vita: porrò in nouissimo iudicij die, plenè perfecteq; reddemur participes, & anima & corpore, liberi non tantũ à peccato, verumetiam ab omnibus peccati effectibus, adeoque perfecta iustitia & ea dignis dotibus donati. Itaque Christo prædicationem auspicante, appropinquauerat etiam tunc redemtio nostra, tum quia mors Christi appropinquauerat, totius nostræ redemtionis fons, tum quia appropinquauerat ecclesiæ ex hominibus collectio, quam Christus mox redditurus esset participem quod ad animam promeritæ à se redemtionis: sed instante die nouissimo, appropinquabit omnium electorum perfecta redemtio, qualem mox descripsimus: quæ quidem magnam solatij materiam præbebit, iis qui tunc viuent electis, id considerantibus inter pereuntis mundi calamitates & tumultus.

Matth. 24. v. 32. Marc. 13. v. 28.

Et dixit illis similitudinem: Videte [29] ficulneam & omnes arbores:

καὶ εἶπε παραβολὴν αὐτοῖς· ἴδετε τὴν συκῆν καὶ πάντα τὰ δένδρα·

DIXIT. dedit, proposuit. ILLIS discipulis suis. SIMILITVDINEM, qua intelligere possent, quomodo propinqua foret ipsorũ redemtio, quum hæc fieri inciperent; nempe, quemadmodum propinqua est æstas, quando arbores incipiunt germinare. VIDETE. considerate. Alij vertunt *videtis*: anceps est enim ἴδετε. FICVLNEAM seu ficum. ET OMNES ARBORES. aut aliam quamcumque arborem. Reliqua Matth. 24. v. 32.

ὅταν

ὅταν προβάλωσιν ἤδη, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε, ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν. 30 cũ producunt iam ex se fructũ, scitis quoniam propè est æstas. Matth. 24. v. 32. Marc. 13. v. 28.

CVM PRODVCVNT. ὅταν προβάλωσι cùm emiserint, protruserint, germinauerint. FRVCTVM, id est, gemmas & folia. Græcum verbum προβάλλειν Lucas hoc loco absolutè vsurpat pro φύειν seu βλαστεῖν: supplere autem illud volens Interpres tamquam transitiuè positum, addidit *fructum*, cùm potiùs debuisset *gemmas aut folia*, ex Matthæo & Marco, quæ tamen per *fructum* intellexisse credendus est, prout Richelius explicat, nisi *producunt* pro *promittunt* posuerit, vt alius quidam exponit: non enim propinqua, sed præsens & perfecta est æstas, quando arbores fructus ferunt. Porrò Nicolaus Zegerus, non parùm probabili coniectura existimat, latinæ editioni, cùm aliquid deesse videretur, à studioso quopiam adiectum fuisse τὸ *fructum*.

SCITIS QVONIAM PROPE EST ÆSTAS. βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε, ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν, videntes ex vobis ipsis cognoscitis, quòd iam propè sit æstas. id est, vos id videntes, ex reipsa intelligitis, etiamsi nemo admoneat, æstatem appropinquare. Interpres noster non legit τὸ βλέποντες *videntes*: τὸ verò ἀφ' ἑαυτῶν iunxit cum *producunt*, vertitque *ex se*. Syriaca, hoc quidem ἀφ' ἑαυτῶν iungunt cum verbo *scitis*, vt græca: sed illud βλέποντες non magis legunt quàm latina. Nihil enim aliud habent hoc versu Syra, quàm: *Quæ cùm germinant, statim ex ipsis intelligitis quod propè sit æstas*. Quare & altera hoc loco Nicolai Zegeri coniectura admodum probabilis redditur, qua coniicit, vt mox latinæ *fructum*, ita hîc græcæ editioni, expositionis causa, adiectum ab aliquo fuisse τὸ βλέποντες. hoc enim sublato, & sensus persistit incolumis, & editiones inter se conueniunt: siquidem illud ἑαυτῶν anceps est ad *seipsis* & *vobisipsis*. Reliqua huius versiculi petenda sunt ex Matth. 24. v. 32.

οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. 31 Ita & vos cũ videritis hæc fieri, scitote quoniã propè est regnũ Dei. Matth. 24. v. 33. Marc. 13. v. 29.

HÆC signa in sole, luna, &c. QVONIAM PROPE. quòd propè & præ foribus. REGNVM DEI, seu, quod mox v. 28. dixit, *redemtio vestra*. redemtio enim nostra erit regnum Dei, quod facile est intelligere ex descriptione regni Dei Matth. 3. v. 2. Quo loco cùm Iohannes, & paulò pòst Christus, prædicationem auspicãtes, prædicent regnum Dei appropinquasse, quæstio nascitur, quomodo hîc dicatur appropinquaturum regnum Dei, quando instabit nouissimus iudicij dies? Respondendum est autem, illic sermonem esse de regni Dei exordio seu inchoatione, hîc verò de perfectione, quando non aliqui, sed ad vnum omnes electi, non vltrà per mysteria aut per spem, sed per archetypa & rem ipsam, non in via sed in patria, tam corpore quàm anima beati, æternùm fruentur Deo: de quo regno etiam oratione dominica precamur: *Adueniat regnum tuum*. Reliqua huius versus declarata sunt Matth. 24. v. 33.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται. 32 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Matth. 24. v. 34. Marc. 13. v. 30.

OMNIA s. hæc, quod addit Syrus. Reliqua quære Matth. 24. v. 34.

ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. 33 Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Matth. 24. v. 35. Marc. 13. v. 31.

NON TRANSIBVNT. οὐ μὴ παρέλθωσι nequaquam transierint aut præterierint. Reliqua pete ex Matthæo.

* * * * * * * *

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

Ἤγγιζε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη πάσχα· 1 Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha: Matth. 26. v. 2. Marc. 14. v. 1.

APPROPINQVABAT. dum superiora à Iesu docerentur & gererentur. DIES FESTVS. ἡ ἑορτὴ festum, quod quidem constabat diebus septem, sed primo solemnissimo ac celeberrimo, qui *appropinquabat*, quia non aberat nisi biduo, quod constat ex prioribus Euangelistis. AZYMORVM. in quo non licebat vesci nisi azymo pane. QVI DICITVR. qui celebri nomine vocatur PASCHA. Tota hebdomada *Pascha* vocabatur; vocabatur & *Azyma*: sed prima vespera propriè *Pascha*, dies subsequentes *Azyma*. vide Marc. 14. v. 1. Reliqua lege Matth. 26. v. 2.

καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς τὸ, πῶς ἀνέλωσιν αὐτόν· ἐφοβοῦντο γὰρ τὸν λαόν. 2 & quærebant principes sacerdotum & scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant verò plebem. Matth. 26. v. 3. 4. 5. Marc. 14. v. 1. 2.

QVÆREBANT. dispiciebant, consultabant inter se. QVOMODO. dolóne, an vi manifesta, comprehenderent;

derent; & si dolo, qua doli ratione: deinde, die festo proximo, an aliàs neci darent. INTERFICERENT. ἀνέλωσιν è medio tollerent. Relinquit Euangelista subaudiendum *tenerent* seu *comprehenderent*, tamquam necessariò præuium interfectioni. TIMEBANT VERÒ. γὰρ enim, quomodo est & syriacè. Causa anxiè quærendi modi, erat, quòd timerent PLEBEM, ne illa Iesum eriperet ex manibus ipsorum & à morte liberaret, si vel publicè comprehenderent, vel die festo interficerent eum. Reliqua quære Matth. 26. v. 3. 4. 5.

Matth. 26. v. 14. Marc. 14. v. 10.

Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim: [3] εἰσῆλθε δὲ σατανᾶς εἰς ἰούδαν, τὸν ἐπικαλούμενον ἰσκαριώτην, ὄντα ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δώδεκα·

INTRAVIT AVTEM q.d. Euangelista: Hoc modo assequuti sunt principes quod volebant. *Intrauit*. Non Intrauit in corpus Iudæ, ita vt eum insanire faceret, aut agitaret sicut dæmoniacos solet, quòd notat Euthymius: multò minùs illapsus est in animam Iudæ, *quasi autum cordis eius introiens*, quod est solius Dei trinitatis, doctore Didymo sub finem libri tertij de Spiritu sancto: nec vi violentiaque occupauit inuitum, impellens & cogens ad scelus perpetrandum, quod negat Titus in Cathena citatus. sed intrasse in Iudam dicitur, quia prauis suggestionibus animum illius solicitans, & quasi ostium cordis eius pulsans, illo sponte aperiente, locumq; in se dante Ephes. 4. v. 27.) obtinuit animum, voluntatem, siue consensum eius, ad scelus perpetrandum quod suggerebat. *Quomodo enim intrat in cor* (inquit Augustinus libri tertij de consensu Euangelistarum capite primo) *nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum*? hoc primum significatur hac phrasi: consequenter verò hoc ampliùs significatur, quòd quemadmodum vbi in domum tuam admiseris hostem, dominatur ille tibi, agitque tecum & cum rebus tuis sicut visum ipsi fuerit; ita satanas vbi obtinuerit animum alicuius, *captiuum eum teneat pro sua voluntate*. (2. Timot. 2. v. 26.) & tamquam seruo vtatur (2. Pet. 2 v. 19) *operans in filio diffidentia* (Ephes. 2. v. 2.) non quidem adhuc cogens inuitum, sed voluntatem eius retinens sibi addictam, ita vt, nisi Deo illum domo cordis exigente, tyrannidem illius effugere impossibile sit. Satanas itaque, obseruans ex plurium operationum signis, *ad qua potißimum Iudas eo* [illegible] *procliue*, quod ait Didymus, *deprehendit eum patere insidiis* [illegible], itaque *misit in* [illegible] (vt loquitur Iohannes cap. 13 v. 2.) vt proderet præceptorem suum, proposita spe lucri maximi, quod ab illius hostibus conse[qui] posset, illius loco cuius iacturam fecerat in prodiga illa vnguenti pretiosissimi per Magdalenam profusione (Matth. 26. v. 9.) Ad hanc rem, vt verè erat auarissimus Iudas, facilè obtinuit satanas consensum eius ita vt is victus argenti cupiditate fœdissima, satanicum reciperet consilium, &, euerso Dei metu pudoreque excusso, apud se statueret, Iesum hostibus prodere denique satanæ potestatem sui faceret, paratus agere quidquid ille agendum dictaret, ad hoc facinus consummandum hoc est satanam intrasse in Iudam.

SATANAS. hominum aduersarius. vide sup. 4. v. 10. Tanta fuit huius sceleris impietas, quantam, nisi satana suggerente, non videatur Iudas admissurus fuisse. sed Deus, pro sua admirabili prudentia bonitateque, malitiam aduersarij hominum, vertit in ministerium salutis hominum. Quod verò iam satanam in Iudam intrasse refertur, non significat, quòd Dei spiritus Iudam hactenus rexerit: quia nisi anteà etiam mancipium fuisset satanæ, furtis addictus non fuisset, quod Iohannes de ipso narrat cap. 12. v. 6., nec longè antè dixisset de ipso Iesus, Iohan. 6. v. 70: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Sed iam intrasse in ipsum dicitur, quia nouum & quidem cæteris omnibus immanius scelus iam ipsi persuasit. Quemadmodum enim toties quis repleri dicitur Spiritu sancto, quoties gratiâ Spiritus sancti agitur ad nouum, ac præsertim insigne aliquod exercitium virtutis, ita toties in quempiam intrare eumve occupare dicitur satanas, quoties ad nouum peccatũ, ac præsertim insigne aliquod scelus, perpetrandũ obtinet illius consensum.

VNVM DE. ὄντα ἐκ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν existentem ex numero illorum DVODECIM. Reliqua lege Matth. 26. v. 14.

Matth. 26. v. 15. Marc. 14. v. 10.

& abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. [4] καὶ ἀπελθὼν συνελάλησε τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς στρατηγοῖς, τὸ, πῶς αὐτὸν παραδῷ αὐτοῖς.

ET ABIIT. qui abiit proinde, sequutus satanicum consilium. MAGISTRATIBVS. τοῖς στρατηγοῖς ducibus, præfectis templi. Hoc enim additur infrà v. 52, vbi etiam hi distinguuntur manifestè, à principibus sacerdotum, & à senioribus, id est, magistratu populi. Quidam existimant hos fuisse duces militum ad templi custodiam ex sacerdotibus populoque Iudaico electorum, quibus fauere videtur Syrus vertens, *Magistris militia* (vel *exercitus*) [illegible]: sed Romani nullam videntur militiam, hoc quidem tempore, Iudæis permisisse: nam pro ipsius templi foribus, ad sedandos si qui orirentur tumultus, suos ipsorum milites collocabant (Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 4) præter perpetua, quæ in arce Antonia habebant, præsidia, de quibus Iosephus lib 6. de bello cap. 6. in hæc verba: *Semper in ea Romani milites residebant, & cum armis appositi custodes, ne quid populus festis diebus noui committeret, obseruabant. Castrum enim erat impositum, oppido quidem templum, templo verò Antonia.* Fieri quidem potest, vt etiam sacerdotibus incubuerit templi custodiendi cura: sed non, ne quis oriretur populi tumultus, verùm ne templum ab aliquo pollueretur, quemadmodum illud Samaritani aliquando nocte paschæ apertum contaminauerant, clàm sparsis huc illuc ossibus mortuorum, quod narrat Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 6. Verùm, vt credibile est, sacerdotes vicissim id muneris obiisse: ita non est credibile, quod obirent, peculiari alicui magistratui cui non reliqui sacerdotes subfuisse, nisi fortè quamdiu id muneris templi inquam aduersus iniurias custodiendi, obirent. Iosephus enim lib. 7. de bello cap. 12. refert: à custodibus mox nunciatum magistratui, dum valuæ templi nocte subitò sponteque fuissent apertæ. Verisimilior igitur Theophylacti sententia, qui *magistratus* hoc loco intelligit, præfectos ædificiis templi, tales scilicet, quales Romani ædiles & æditnos, nos vulgò vocamus magistros fabricæ. Vt enim erat vastum templum, & innumeris ædificiis instructum: ita semper erat quod illic ædificaretur, siue ad restaurandum &

ampli-

amplificanda vetera ædificia, siue ad noua construenda, adeò vt Iosephus, lib. 20. Antiq. cap. 8. testetur, octodecim opificum milia solita in templo ex operarum mercedibus victum quærere. Isti itaque operibus operisque præerant, locabant atque exigebant sartatecta templi, & ædem sacram procurabant ac tuebantur. Quoniam autem magna hæc erat dignitas, præcipuorum tum ex sacerdotibus tum ex populo, probabile est (Ioas enim rex, cùm in restaurandis sartistectis templi negligentiores essent sacerdotes, transtulerat id officij in alios, aut certè alios delectis à se sacerdotibus adiunxerat. 4. Regum 12. v. 8. 10.) idcircò & hi in concilium aduocati fuerunt, vbi agebatur de perdendo Iesu, tamquam templi legisque aduersario. Syrus his addit Scribas, hoc modo: *Et loquutus est cum principibus sacerdotum, & scribis, & magistris exercitus templi.*

QVEMADMODVM. Illi de modo erant soliciti quo Iesum dolo capere possent: Iudas explicuit illis modum, quo id facilè facturi essent se duce. Cætera petenda sunt ex Matth. 26. v. 15.

καὶ ἐχάρησαν, καὶ συνέθεντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι.	5	Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare.	Matth. 26. v. 15. Marc. 14. v. 11.

PACTI SVNT. conuentione inita promiserunt. PECVNIAM certam. DARE. se daturos. Reliqua petantur ex Matthæo & Marco.

καὶ ἐξωμολόγησε, καὶ ἐζήτει εὐκαιρίαν τοῦ παραδοῦναι αὐτὸν αὐτοῖς ἄτερ ὄχλου.	6	Et spopondit: & quærebat opportunitatem, vt traderet illũ sine turbis.	Matth. 26. v. 16. Marc. 14. v. 11.

ET SPOPONDIT. Ille verò spopondit, promisit, obligauit se, ἐξωμολόγησε. ὁμολογεῖν ad verbum declarat, paribus verbis loqui, vt ij solent qui petentibus assentiuntur. Itaque licet τὸ ἐξομολογεῖσθαι alibi declaret palàm profiteri, hîc ad mutuam stipulationem refertur, in qua principes rogarunt: Spondes te hoc pretio traditurum eum nobis? Iudas respondit: Spondeo. vide Matth. 14. v. 7. Euthymius, *Spopondit*, inquit, *siue firmiter pactum fecit, è corde promittendo se facturum quod statutum erat: ita enim capitur* ἐξωμολόγησε. Non absimiliter Theophylactus.

ET QVÆREBAT. Quærebat itaque. VT TRADERET seu proderet ILLVM eis SINE TVRBIS. ἄτερ ὄχλου sine turba, id est, vel clam populo, vel sine tumultu: nam vtrumque significat, & ὄχλος græcè, & latinè *turba*, multitudinem & tumultum. Sensus vtrumque desiderat intelligi, cùm abesset populus qui tumultum excitare posset. hoc præfati fuerant principes. Quamobrem obseruauit Iudas nocturnum tempus, quo Iesum solum cũ discipulis in horto, & quidē extra ciuitatem, nouerat esse. Reliqua lege Matth. 26. v. 16.

ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα.	7	Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi paschã.	Matth. 26. v. 17. Marc. 14. v. 12.

VENIT. ἦλθε aoristus pro præterito plusquam perfecto *aduenerat*. DIES primus AZYMORVM, id est, dies decimusquartus primi mensis, à cuius vespera incipiebant azyma. IN QVA die NECESSE ERAT. ἔδει oportebat, scilicet ex præscripto legis & consuetudine populi Iudaici. OCCIDI. θύεσθαι mactari, sacrificari, *immolari* vertit secundùm Marcum, apud quem & Matthæum reliqua ad hunc versiculum pertinentia leguntur, locis ad marginem annotatis.

καὶ ἀπέστειλε πέτρον καὶ ἰωάννην, εἰπών· πορευθέντες ἑτοιμάσατε ἡμῖν τὸ πάσχα, ἵνα φάγωμεν.	8	Et misit Petrum & Iohannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus.	Marc. 14. v. 13.

ET MISIT Iesus additur à Syro. misit eo die manè aut circa meridiem. vide Matth. 26. v. 17. Vt bonus paterfamilias, curam gerit eorum quæ in familia ex legis præscripto agenda erant. PETRVM ET IOHANNEM. Discipulos maximè familiares & præ cæteris omnibus præceptoris amantes; non Iudam, tametsi esset œconomus, ne insidias strueret, si nosset cænæ locum: iam enim ille alia meditabatur, parare Domino non conuiuium sed exitium. EVNTES in ciuitatem. Hæc verba quia omiserunt Matthæus & Marcus, ideò obscuritatis nonnihil habent: Lucas clarior est. VT MANDVCEMVS illud. Quî fuerit parandum pascha, exposuimus Matth. 26. v. 17.

οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ· ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμεν;	9	At illi dixerunt: Vbi vis paremus?	Matth. 26. v. 17. Marc. 14. v. 12.

VBI. in qua domo. Hic Euangelista rem clarè narrat, eo ordine quo gesta est. huius versiculi explicationem lege Matth. 26. v. 27.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· ἰδοὺ εἰσελθόντων ὑμῶν εἰς τὴν πόλιν, συναντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων· ἀκολουθήσατε αὐτῷ εἰς τὴν οἰκίαν οὗ εἰσπορεύεται,	10	Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat,	Marc. 14. v. 13.

ECCE. Parat attentionem ad rem nouam & admirabilem quam dicturus & iussurus est. INTROEVNTIBVS.

EVNTIBVS. εἰσελθόντων ingressis. AMPHORAM. κεράμιον lagenam vertit secundùm Marcum, sed rectiùs videtur hîc *amphoram* vertisse: nam quamquam & lagena & amphora fictiles essent, ex vsu tamen loquendi, lagena magis vino seruit quàm aquæ, amphora aquam admittit non minùs quàm vinum, nisi pro mensura capace sextariorum 48. accipiatur, quod non est huius loci: non enim aliud hîc intelligitur quàm vas figlinum, capax quantitatis aquæ non paruæ. PORTANS. βαστάζων *baiulans* secundùm Marcum. IN DOMVM IN QVAM INTRAT. Hoc Syrus sequentibus iungit hoc pacto: *Et quo loci ingreditur, dicite* &c., consentaneè euangelio Marci, vnde petenda sunt huius versiculi reliqua.

Matth. 26. v. 18. Marc. 14. v. 14.

& dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister, vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem? 11 καὶ ἐρεῖτε τῷ οἰκοδεσπότῃ τῆς οἰκίας· λέγει σοι ὁ διδάσκαλος, ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα, ὅπου τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου φάγω;

DICETIS. futurum pro imperatiuo *dicite*. Reliqua pete ex Matthæo & Marco.

Marc. 14. v. 15.

Et ipse ostendet vobis cænaculum magnum stratum, & ibi parate. 12 κἀκεῖνος ὑμῖν δείξει ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον, ἐκεῖ ἑτοιμάσατε.

ET IBI. Istud *&* non legitur græcè & syriacè. Reliqua edisserta sunt Marc. 14. v. 15.

Matth. 26. v. 19. Marc. 14. v. 16.

Euntes autem inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt pascha. 13 ἀπελθόντες δὲ εὗρον καθὼς εἴρηκεν αὐτοῖς, καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα.

EVNTES. ἀπελθόντες abeuntes. DIXIT. dixerat Iesus. ET in cænaculo illo PARAVERVNT. Cætera quære secundùm Matthæum & Marcum.

Matth. 26. v. 20. Marc. 14. v. 17.

Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. 14 καὶ ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα, ἀνέπεσε, καὶ οἱ δώδεκα ἀπόστολοι σὺν αὐτῷ.

ET CVM. Quum igitur. FACTA ESSET. ἐγένετο esset, adesset. HORA. tempus constitutum esui agni, quod quidem fuit crepusculum vespertinū, occurrens eo die, qui fuit nonus Kalendas Aprilis, inter sextam & septimam horas vespertinas, nostro more numerandi. *horam manducandi pascha designat*, inquit Beda. DISCVBVIT. cœnatus est. Reliqua lege Matth. 26. v. 20.

Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 15 καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς· ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ᾽ ὑμῶν, πρὸ τοῦ με παθεῖν.

ET pro Tunc, postquam scilicet agnus paschalis comestus esset. id enim ita apparet ex sequentibus. DESIDERIO DESIDERAVI, id est, summopere desideraui. Phrasis est hebraica, frequenter occurrens in veteri testamento. HOC PASCHA. hunc agnum paschalem, agnum paschalem huius anni & diei, id est, conuiuium seu cænam hanc paschæ. ANTEQVAM PATIAR supplicia & mortem mihi imminentia; ante mortem meam. Scio quòd à cæna hac paschali immineat mihi mors, nec quæuis mors, sed variis coniuncta cum suppliciis: verùm eam nihil moratus, desideraui admodū hactenus hoc pascha vobiscum edere. Alius quispiam desiderio desiderasset pascha hoc numquam adesse, ne simul ipsi instaret mors: Christus mortem sitiens pro hominum salute, nihil ea deterritus fuit, quin summo desiderio longè antè desiderarit paschale hoc conuiuium cum discipulis celebrare. Ratio sequitur versu proximo.

Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 16 λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.

QVIA EX HOC. quòd ex hoc tempore, quòd posthac. NON MANDVCABO. οὐκέτι οὐ μὴ φάγω non ampliùs edam. ILLVD pascha. ἐξ αὐτοῦ ex eo s. paschate. Pascha intelligit cum suis appendicibus, id est, cænam in qua primùm à stantibus pascha, deinde ab accumbentibus alij cibi comedebantur. Non solùm enim dicere vult, se agnum paschalem ampliùs non comesturum, sed nec alios huiusmodi cibos corporales: nam significat vltimum hoc esse suum cum discipulis, non tantùm pascha, verumetiam conuiuium. Verisimile est autem, post esum agni paschalis, quando hæc verba dicta fuisse videntur, Dominum Iesum de aliis adhuc cibis gustasse: quis enim discipulorum cibum ausus fuisset attingere, præceptore abstinente, &, ob propinquam mortem, iam toties significatam, mœrente? *Illud* igitur dicens, intelligit paschalem cænam, & sub ea omne aliud huius vitæ conuiuium: quasi dicat, ait Theophylactus, *hæc vltima mihi cæna vobiscum est*. Affirmo vobis, quòd iam vobiscum comedi vltimum pascha, & conuiuium hoc vltimum esse ex quo hac in mortali vita comesturus sim, nec aliud à me aliquando siue pascha siue edulium gustandum. Hæc igitur causa est, cur tantopere desiderauerit hoc pascha cum discipulis suis edere, quia vltimum foret, non tantùm pascha, verumetiam conuiuium. Solent ij quibus discedendum est, desiderare conuiuium vltimum quo amicis

amicis sunt valedicturi, non propter conuiuium ipsum, sed propter argumēta amoris plurima, quæ statuunt eo in conuiuio amicis exhibere. Eodem modo Christus Dominus, desiderauit hoc pascha seu hanc cænam paschalem, quam nouerat fore vltimum suum conuiuium, cum Apostolis celebrare, non propter pascha ipsum aut conuiuium, sed quòd statuisset in hac vltima cæna insignem erga suos amorem plurimis modis declarare & testatum relinquere. id quod fecit, colloquiis illis suis diuinissimis, & præsertim sacramenti corporis ac sanguinis sui institutione. Hoc pacto igitur voluit attentos reddere discipulos ad ea quæ hac cæna facturus esset: facilè enim intelligere potuerunt, magna aliqua subsequutura. DONEC. Non significat se iterum aliquando comesturum agnum paschalem aut alium aliquem corporalem cibum: sed se interea non comesturum, tunc verò multo minùs, quando suppetet pascha beatius cibusque cælestis in regno Dei. vide Matth. 1. v. 25. & 26. v. 29. IMPLEATVR. perficiatur pascha illud IN REGNO DEI Patris mei, in regno cælorum, in vita æterna futuri seculi. Sic, ad futurum inquam seculum, referunt hoc, Origenes tractatu 35. in Matthæum, Euthymius in Matth. 26. v. 29., & Theophylactus in hunc locum altera quam tradit expositione. Cæna agni paschalis læta in primis erat & iucunda, quippe instituta ob memoriam transitus Domini, quòd Dominus interficiens primogenita Ægyptiorum, transilierit & seruauerit primogenita Israelitarum, itaque liberauerit Israelitas ex Ægypto, & adduxerit in terram promissam. vide Matth 26. v. 1. Sed perficitur hæc cæna in regno cælorum, vbi longè felicior & iucundior nec vmquam finienda agitur cæna, ob seruatos electos, quorum caput est Christus, permixtos tanto numero reproborum & assertos ex omnibus huius mundi miseriis in regnum Dei, *e seruitute* inquam *corruptionis* & mortis *in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Rom. 8. v. 21. Hoc igitur modo impletur pascha in regno Dei: quod quando futurum est, vult dicere Christus, manducabo ego illud impletum vobiscum in eodem illo Dei regno. Nam sic perficiendam sententiam hanc, clarum est ex simili sententia Matth. 26. v. 29., ex qua pleraque petenda sunt pro huius expositione. Vt ne enim plus æquo tristarentur Apostoli, audientes hanc vltimam esse cænam & conuiuium præceptoris cum ipsis, addidit, huic paschali cænæ, aliam perfectiorem & feliciorem, sibi in propinquo regno Dei successuram: cuius consortium ipsis promittit, hic quidem tectè, paulò pòst autem v. 29. 30. disertis verbis.

καὶ δεξάμενος ποτήριον, εὐχαριστήσας [17] εἶπε· λάβετε τοῦτο, καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς·

Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos:

ET ACCEPTO. Tunc accepto etiam CALICE. *ποτήριον* poculo, pleno vini aqua mixti. *Et hic calix* (ait V. Beda) *ad vetus illud pascha, cui finem desiderabat imponere, pertinet*. Scribunt Hebræi, fuisse morem, vt, comesto agno paschali, paterfamilias acceptum calicem vini aqua mixti, prægustaret, ac deinde in orbem mēsæ ire iuberet, ita vt omnes ex eo biberent; & hoc fuisse quasi libamen sacrificij agni paschalis: solet enim cum sacrificiis ferè cōiungi libamen vini. Alius itaque est hic calix ab eo de quo paulo pòst v. 20. vt cum V. Beda sentiunt, B. Hieronymus inter latinos, scribens in Matth. 26. v. 26., & Theophylactus inter græcos, hunc locum enarrans. Non quòd non potuerit idem numero fuisse vasculum, sed quòd res contentæ diuersæ fuerint. hic enim nihil nisi vinum continetur, propinatum cum esu agni veteris testamenti: illic sub speciebus vini sanguis Christi continetur, propinatus cum esu agni noui testamenti. GRATIAS EGIT Deo vt homo, de hoc fructu vitis sibi suisque concesso in sacrificium simul & potum (sic enim consueuerat gratias agere ante omnem cibum & potum, atque eum præsertim quo sacrificium perficiebatur) vsus fortassis his verbis, quæ Hebræi tradunt in hoc negotio fuisse solemnia: *Benedictus sis tu Domine rex mundi, qui das nobis fructum vitis*. Nam & ad ea alludere mox putatur, quando ait, *De genimine* seu *generatione vitis*. Beda gratias egisse existimat, quia vetera transitura & ventura fuerant omnia noua. ACCIPITE. *τοῦτο hoc* additur græcè & syriacè s. poculum à me prægustatum. DIVIDITE INTER VOS ita vt omnes sitis participes.

λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ γεννήματος [18] τῆς ἀμπέλου, ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἔλθῃ.

dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

Matth. 26. v. 29. Marc. 14. v. 25.

ENIM. Reddit causam cur bibere ex hoc calice omnes debeant, non tantùm quia comesti sacrificij libamen est, verumetiam quia valedictionis est poculum. NON BIBAM ampliùs vobiscum, multoque minùs cum aliis. q. d. Hic vltimus est vini haustus, quem me præbibente bibetis in hoc seculo. Non habet igitur Iesus, calicem illum quem posteà dat, pro haustu vini, sed pro haustu sanguinis sui: nec pertinere vult panem illum & calicem benedictum, ad cibum & potum corporalem, sed potiùs ea vult esse pignus nouæ illius & cælestis mensæ in regno Dei, quam hic promiserat. GENERATIONE. fructu, *genimine* vertit secundùm Matthæum & Marcum. DONEC. vide sup. v. 16. Sed ne despondeatis animum, aderit breuì regnum Dei, de quo orare vos docui *Veniat regnum tuum* (Matth. 6. v. 10.) illic ego & vos mecum bibemus aliud longè nobilius vinum, cuius vis, non ex vitis virtute, sed ex Dei fruitione proficiscatur. &c. Reliqua quære Matth. 26. v. 29. & Marc. 14. v. 25.

καὶ λαβὼν ἄρτον, εὐχαριστήσας ἔκλασε, [19] καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicēs: Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam cōmemorationem.

Matth. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22.

ET, id est, posteà, cùm scilicet cænatum esset: nam & hic intelligendum est, quod exprimitur versu proximo *postquam cænauit*. non enim temporis distantia interruptum fuit mysterium vnum idemque, sed conti-

nuo tenore Iesus, postquam corpus suum distribuerat, addidit & calicem sanguinis sui. Impletis enim veteribus, nouum iam agnum instituit, & nouum calicem propinat. GRATIAS EGIT ET. *εὐχαριστήσας* postquam gratias egisset. Aliam fuisse hanc gratiarum actionem, quàm eam de qua mox v. 17., docent circumstantiæ: nam pro varietate donorum Dei, varia est gratiarum actio. HOC EST CORPVS MEVM. Hactenus hæc tractata sunt Matth. 26. v. 26. QVOD corpus meum PRO VOBIS. pro vestra salute. Non dicit *vobis*, nec enim intelligit in cibum dari, quod antè dixerat his verbis *Accipite & comedite*, quę Paulus quoque cū aliis Euangelistis exprimit. Sacrificium est, quod non hominibus, sed pro hominibus datur. DATVR. i. offertur. offertur Deo Patri à me, mox propria specie in cruce, iam nunc sub specie panis, per me ipsum & deinde continuè per vos, idque *in remissionem peccatorum*, quod addit Matthæus ad sanguinem. Quod non loquatur Iesus solùm de morte sua imminente, sed de præsenti potiùs cæna, quòd inquam significet se iam in hac cæna offerre Deo corpus suum, non tantùm se mox oblaturum per mortem crucis, tribus argumentis fit clarum; Vno sumto ex Apostolo Paulo 1. Cor. 11. v. 24., qui loco huius verbi *datur* græcè scribit *frangitur*: quod quamquam ad crucem quoque referri possit, vbi corpus Domini fractum fuit, quòd ad cutem, neruos, venas, & similia, aut certè vbi immolatum fuit (frangi enim est immolari) propriè tamen respicit sacramentum. Solet enim Scriptura hac voce præcipuè vti de pane, nec tamen de nudo pane hic loquitur (frangitur enim nudus panis, nobis, non pro nobis, sed de corpore Christi, quod pro nobis frangitur, quando pro nobis sub specie panis datur & immolatur Deo: de quo paulò antè Apostolus dixerat: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* 1. Cor. 10. v. 16. In cruce non ita propriè frangitur corpus Christi, præsertim cùm de ea scriptum sit *Os non comminuetis ex eo*. Iohan. 19. v. 36. Quare D. Chrysostomus in illum locum 1. Cor. 10. v. 16.: *Cur autē*, inquit, *addidit quem frangimus? hoc enim licet videre fieri in eucharistia, in cruce autem non itidem, sed vtique ei contrarium. Os enim*, inquit, *eius non conteretur. Sed quod non est passus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te, & patitur frangi vt omnes impleat*. Hæc Chrysostomus. Alterum argumentum sumitur ex verbis benedictionis calicis, quæ omnes Euangelistæ & Paulus quoque sic recitant græcè, vt præsenti tempore dicatur *qui effunditur*. Tertium suggerit peculiariter hic Euangelista, non de sanguine, sed de calice dictum referens, *qui pro vobis effunditur*. Nam in cruce, sanguis non calix effusus est: in cæna autem & calix & sanguis. Hinc igitur intelligitur, quòd in hac cæna Christus, corpus & sanguinem suum, sub specie panis & vini, Deo Patri obtulerit, id quod latiùs docuimus Matth. 26. v. 28. Intelligitur etiā consequenter, quòd non figuram corporis & sanguinis sui, sed verissimum suum corpus & sanguinem dederit: nihil enim aliud pro nobis Deo Patri obtulisse dici potest. Nam sicut addidit pronomem *meum*, vt distingueret corpus suum à corporibus non suis: ita adiciens *quod pro vobis datur*, distinxit corpus suum verum & naturale, à quouis alio quod dici possit corpus ipsius, quale est corpus ipsius mysticum, quod est, Ecclesia (Coloss. 1. v. 24.) quamquam nō tam distinguendi quàm docendi gratia hoc adiecerit. Neque verò interpretari licet: Hoc est signum corporis mei, quod pro vobis datur: nam præterquā quòd eucharistia tam signū sit corporis Christi mystici quàm naturalis, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10. v. 17: *Vnus panis, vnum corpus, multi sumus, omnes qui de vno pane participamus*: manifestum est, non cum obliquo sed cum recto casu iungendam hanc additionem *quod pro vobis datur*: quæ idcircò à Matthæo & Marco videtur non esse necessaria, quòd persuasi essent, sufficere si id exprimerent de sanguine, in quo maximè relucet propria sacrificij ratio. HOC FACITE. *Quid porrò* (ait Chrysostomus hom. 83. in Matthæum) *vetus quoque illud, inquies, facere oportet? minimè: ideo enim hoc facite dixit, vt ab illo abduceret. Hoc igitur* s. quod ego iam postremùm facio siue feci, & vos *facite*. Ego acceptum panem actis gratiis fregi, corpus meum consecraui Deo Patri pro vobis obtuli, primus gustaui, vobis denique comedendum dedi: hoc idem & vos facite, acceptum panem actis Deo gratiis frangite, corpus meum consecrate, Deo Patri pro vobis aliisque offerte, primi ipsi comedite, aliis deinde edendum distribuite. Quasi dicat: Id quod iam facio siue feci, non est mens mea vt iam solùm à me semel fiat: immo verò volo vos Apostolos meos, quos ad hoc ordino, hoc idem facere, atque hoc sacramentum perpetuò fieri ac celebrari in Ecclesia mea. His itaque verbis ordinauit Iesus Apostolos suos sacerdotes, data eis facultate consecrādi atq; offerendi sacramentum corporis & sanguinis sui: nam quod de corpore hic dicitur, idem mox intelligitur de sanguine. Quamuis autem dicat *hoc facite*: non tamen simpliciter omnia semper voluit obseruari quæ ipse fecerat (nec enim cænatis dari voluit sacramentum) quæ autem necessariò semper sint obseruanda, quæ non semper necessariò, non potest certiùs iudicare, quàm ecclesia sponsa Christi, à Spiritu sponsi sui docta: ex cuius doctrina, ad sacrificij huius celebrationē, semper necessarium est, dominicis verbis confici à sacerdote sacramentum, consecrari, inquam, panem & vinum, & ea à consecrante sumi (his enim duobus perficitur propria ratio sacrificij) reliqua non sunt absolutè necessaria, quædam etiam omitti licitè possunt, vt distributio sacramenti sub vtraque specie, immo etiam omnimoda distributio, quando ita res fert.

IN MEAM COMMEMORATIONEM. *εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν* in mei memoriam siue recordationem. *Vides*, inquit Chrysostomus hom. 83. in Matthæum, *quomodo ab Iudaicis abducit & auocat moribus? Nam sicut illud, in rememorationem miraculorum quæ in Aegypto patres vestri viderunt, faciebatis: sic & hoc facite in meam commemorationem. Et quemadmodum Moses, hoc æternum vobis erit memoriale, dicebat: sic & ipse ait, in meam commemorationem. Hoc igitur facite*, inquit, non semel atque iterum, sed quoties volueritis meminisse mei: quod quidem frequenter voletis, ac proinde etiam frequenter facietis, si me amaueritis. libenter enim & frequenter meminimus eorum quos amamus. Quid sit autem facere in Christi Domini memoriam, explicans Paulus ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*. 1. Corint. 11. v. 26. Nam quamuis Paulus non tam sacerdotes hìc alloquatur quàm populum: explicat nihilominus hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Si enim his verbis sacerdotibus præceptum est distribuere sacramentum in commemorationem Domini, consequenter & populo præceptum est accipere in commemorationem Domini. Quod ergo Christus dicit *in meam commemorationem*, id est, Apostolo interprete, in memoriam mortis meæ, vt grato animo memineritis mortis quam pro vobis redimendis & saluandis obierim. Mortem enim Domini, mysteria isthæc, etiam ipsa sua exteriori figura, repræsentāt; species panis, corpus mortuum & exsangue, species vini, effusum è corpore sanguinem. Quamuis autem præcipuè ad mortis Christi recordationem facienda sint hæc mysteria: non tamen sic vt reliqua excludantur, quæ vel præcesserunt,

runt, vt incarnatio, natiuitas, vel sequuta sunt mortem, vt resurrectio, ascensio: immo verò ita vt includantur, quippe simul omnia cum morte Domini perfectam nostri redemtionem operata. Quare Ecclesia in canone missæ, his verbis. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*; subiicit: *Vnde & memores Domine nos* (&c.) *tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ ascensionis* &c. Quinimmo miraculorum, doctrinæ, & quouis alio modo Christi Domini, qui meminerit, mysteria hæc peragens, non aberrabit à scopo: sed mors præcipuè in memoriam reuocari iubetur, in qua præcipuè eluxit Domini erga nos charitas. Mors, inquit, mea non iterabitur: sufficit enim vnica pro peccatis omnium seculorum. Sed vos vobis huius meæ erga vos charitatis memoriam frequenter renouate, facientes quod nunc à me videtis fieri. Erit hoc sacrosanctum signum fœderis inter nos initi, & noui testamenti mea morte stabiliti efficax sacramentum. Memoriam autem seu *commemorationem* sui, non nudam simplicemque intelligit, sed eiusmodi, qua animus gratitudine commotus redamet Saluatorem; nec eam temporariam, sed perpetuam, *donec veniat*, vt inquit Apostolus, id est, donec redeat ad iudicandum viuos & mortuos. q.d. Frequentabitis hæc mysteria, vt memineritis mei, quamdiu præsentiam meam visibilem vobis subtraxero: nam vbi rediero & videndum me iterum vobis feliciter præbuero, cessabunt. Intelligitur hinc ergo, quòd Christus Dominus, non solis Apostolis suis in cæna præsentibus hoc dixerit, verumetiam omnibus eorum legitimis in sacerdotium successoribus vsque ad nouissimum iudicij diem: ac proinde etiam Apostolis hîc, non tantùm dederit facultatem, vt tamquam sacerdotes consecrare possent & offerre sacramentum corporis & sanguinis sui, verumetiam vt tamquam Episcopi communicare hanc faculatem cum aliis possent, ita vt perpetua hæc actio huiusque sacramenti vsus in Ecclesia permaneret. Aperuit postremò Christus Dominus his verbis, in quem finem instituerit hoc sacramentum sacrificiumque, vt esset nimirum perpetua eaque viua ipsius memoria: nec tamen sua ipsius causa instituit, sed fidelium suorum, quibus ita esset hoc sacramento refricanda memoria mortis eius, vt mens quoque ornanda omnis generis gratia, ex morte ipsius & huius sacramenti vsu emanatura.

ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων· τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.

20 Similiter & calicem postquam cænauit, dicens: Hic est calix, nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Matth. 26. v. 27. 28. Marc. 14. v. 23. 24.

SIMILITER vt panem. ET. etiam. CALICEM. supple ex versu præcedente, accepit & gratiis actis dedit eis. Syrus: *Similiter etiam de calice s. egit.* POSTQVAM CÆNAVIT. μετὰ τὸ δειπνῆσαι post cænasse, id est, post cænam. Id cùm sit ambiguum ad vtrumq; numerum, Latinus Interpres vertit numero singulari; Syrus plurali, *postquam cænassent*: quamquam res eòdem redeat; simul enim inceptam, simul absoluerunt, Iesus & Apostoli cænam. Addit autem hoc Lucas *postquam cænauit*, vt intelligamus sacramentum hoc non pertinuisse ad vulgarem cænam, quæ pascendo corpori subseruierat: & addit ita, vt iunctum etiam velit cum aduerbio *similiter*. Neque enim dicere vult, calicem quidem sacrum post cænam, panem verò ante cænam peractam, præbitum fuisse; sed similiter calicem vt panem, post cænam. Quare igitur hîc ad calicem potiùs addit *postquam cænauit*, quàm addiderit ad panem? vt distinguat hunc calicem à priore, quem Christus statim post esum agni porrexerat, & sciamus res fuisse diuersas, illum ex antiquo ritu inter cænandum (de quo sup. v. 17.) hunc post cænam, causa instituendi noui sacramenti, porrectum. Sed quomodo, Lucas quidem & Paulus *post cænam*, Matthæus autem & Marcus *manducantibus* seu *cænantibus illis*, institutum fuisse hoc sacramentum narrent, explicuimus Matth. 26. v. 26. HIC EST CALIX. τοῦτο τὸ ποτήριον hoc poculum, hic calix. Subauditur græcè *est*, vt & syriacè. Interpres expressum posuit ante vocem *calix*, tamquam *calix* sit prædicatum huius propositionis *Hic est calix*; alij postponunt, tamquam *calix* pertineat ad subiectũ huius propositionis *Hic calix est nouum testamentum*. His fauet Apostolus 1. Cor. 11. v. 25., collocans *est* post *nouum testamentum*, hoc modo: *Hic calix nouum testamentum est*. Vtrouis loco colloces, res in eandem redit sententiam. Porrò his verbis Lucæ & Pauli gloriantur hæretici, nominatim Caluinus & Beza: nam quia obscuriora sunt, ac proinde faciliùs pati possint interpretationem qualem ipsi fingere velint (vt nihil tutius improbis, quàm piscari in aqua turbida) volunt ex eis interpretari verba Matthæi & Marci *Hic est sanguis meus noui testamenti*, quinetiam illa omnium verba *Hoc est corpus meum*. Atqui reipsa declarant, se non sincerè sed malignè agere: obscuriora enim Scripturæ loca ex clarioribus interpretari oportere, non clariora ex obscurioribus, ratio ipsa dictat, etiamsi D. Augustinus non doceret lib. 2. de doctrina Christ. cap. 9. clarissima sunt hæc Christi verba, similiter à tribus Euangelistis & quarto Paulo Apostolo recitata *Hoc est corpus meum*: eiusdem tum claritatis tum formæ sunt hæc à Matthæo & Marco recitata *Hic est sanguis meus noui testamenti*: ex quibus constat de mente Christi, quòd his verbis, corpus suum in cibum, & sanguinem in potum, suis dare voluerit, hoc solùm addito, quòd sanguinem illum suum quem præbet, testetur ad nouum testamentum pertinere, sanciendum scilicet & confirmandum. Ex his igitur clarissimis verbis, à tot testibus repetitis, explicare oportet ista Lucæ & Pauli de sanguine, paulò obscuriora: *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo*: quæ certè vix aliter differunt ab his Matthæi & Marci *Hic est sanguis meus noui testamenti*, quàm quòd cùm hæc præponant sanguinis mentionem mentioni noui testamenti, illa contrà postponant. HIC CALIX, hoc poculũ, quod manibus teneo & vobis præbeo (nulla est hîc intelligẽda figura, ne continentis quidẽ pro contento) EST NOVVM TESTAMENTVM, id est, instrumentum siue signaculũ noui testamenti, IN SANGVINE MEO, per sanguinem meũ, ratione sanguinis mei, quem scilicet continet. q.d. hic calix continet sanguinem meum, qui est signum seu signaculũ noui testamenti: quod quidem vnũ cum eo est quod Matthæus & Marcus habent *Hic est sanguis meus noui testamenti*. Nam siue dicat Christus, acceptó calice in manus, hic est sanguis meus; siue hic calix continet sanguinem meum, res eadem significatur. Rursus siue dicat, sanguinem suum aut calicem sanguinis ratione, esse signaculum noui testamenti; siue, sanguinem

suum esse sanguinem noui testamenti, id est, ad obsignandum nouum testamentum pertinere, quid discriminis est? Testamentum enim duo quædam æquè propriè significat, voluntatem testatoris, & instrumétum quo voluntas testatoris declarata, probata, ac sancita est, per quod monstrare quis possit ius quod habet ad legata. Priori significatione vsi Matthæus & Marcus, vocarunt sanguinem noui testamenti: secundùm posteriorem verò, Lucas & Paulus, vocarunt ipsum sanguinem & calicem sanguinis ratione, nouum testamentum; quia signum siue signaculum est, quo voluntas testatoris Dei & Christi obsignata, sancita, & testata est. Simili modo circumcisio, Gen. 17. v. 13. & Eccles. 44. v. 21. vocatur pactum siue fœdus & testamentum, quia signum fœderis (vt ibidem vocatur Gen. 17. v. 11.) inter Deum & Abraham initi. Sic igitur sanguis Christi in calice sub specie vini nec minùs corpus sub specie panis, id est, sacramentum Eucharistiæ, appellatur nouum testamentum, sicut authenticum exemplar testamenti alicuius vocatur testamentum, quia per illud manifestum fit ius nostrum ad legata noui testamenti, quodque erat quodammodo totius humani generis, singulis nobis accommodatur, vt modò quidem cætera, posteà verò etiam hereditatem cælestem participemus. Quod igitur facit iterata descriptio alicuius testamenti, vt nimirum plurium heredum ius testatum reddat, id facit repetitio huius sacramenti. sed hæc latiùs ad Matthæum. Iam verò, si calix ille, ratione sanguinis quem continet, est nouum testamentum, liquidò sequitur, non figuram, sed verum Christi sanguinem eo contineri: neque enim nisi ipso vero Christi sanguine nouum testamentum obsignatum & confirmatum est. Verba euangelij syriaci ambigua sunt, ita vt vertere liceat, & *Hic calix est testamentum nouum*, & *Hic est calix testamenti noui, in sanguine meo.* QVI s. calix. Latinè tam subaudiri possit *sanguis* quàm *calix*: sed græca non patiuntur aliud subaudiri quàm *calix*. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον iungi potest cum τὸ ποτήριον, nullo modo cũ τῷ αἵματί μου. Quare Euthymius: *Quod pro vobis effunditur, ad poculũ*, inquit, *referendum est*. Malè id habet Bezam: doletq; non inueniri codices qui hoc omittant, aut certè legant τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, vt ad sanguinem referri possit: audacter tamen ita vertit contra librorum omnium fidem: *hoc poculum est nouum illud testamentum per sanguinem meum qui pro vobis effunditur*; malens solœcismum Lucę, græci sermonis minimè imperito, adscribere, quàm vertere quod verba exigunt, quòd illa videret hæresi suæ obesse, & catholicæ fidei fauere plurimum. Nam si calix, in cæna propinatus, pro hominibus effusus fuit: clarè sequitur, in primis, quòd calix ille non aliud quàm ipsissimum Christi sanguinem continuerit (neque enim vinum sanguinis figura pro hominum salute effundi potuit) deinde quòd in cæna Christus calicem illum effuderit pro hominibus, *in remissionem* vtique *peccatorum* (quod addit Matthæus) ac proinde obtulerit eum Deo Patri & sacrificauerit. Perspicua enim euadit, ex eo quod Christus hîc dicit, calicem pro nobis fundi, & veritas præsentiæ sanguinis Domini in calice, & eiusdem oblatio Deo facta in cæna: denique palàm fit, verbum præsentis temporis *effunditur*, quo etiam cæteri Euangelistæ vtuntur, non tantùm de cruce, sed de cæna præcipuè intelligendum esse. Nam quamquam verisimile sit, Christum Dominum potiùs vsum verbis quę recitant Matthæus & Marcus de sanguine, quàm iis quæ recitat Lucas; (illa enim clariùs exprimunt id quod Christus agebat) certum tamen est, Lucam iis verbis scripsisse, quæ non recesserint à Christi Domini sententia. PRO VOBIS Apostolis meis, id est, pro plerisque vestrûm: excipitur enim Iudas, qui non est consequutus huius effusionis fructum. Matthæus & Marcus habent *pro multis*; vtrumque dixit Iesus *Qui pro vobis & pro multis*, interprete Ecclesia in canone missæ. Quamuis autem non pro solis Iesus in cæna obtulerit Apostolis, illi tamen præcipuum consequuti sunt fructum, pro quibus ita oblatio facta est, vt ipsi etiam dignè sumserint oblata. FVNDETVR iamiam, vobis & præsertim me bibentibus. græcè & syriacè clariùs est præsens ἐκχυνόμενον effunditur. Supple autem *in remissionem peccatorum* ex Matthæo, ex quo reliqua, ad huius versus enarrationem facientia, petenda sunt: præter hoc, quòd ex ipso Luca hîc subaudiendum & animo repetendum sit, id quod suprà expressit: *Hoc facite in meam commemorationem*: nam quod de panis, id etiam de calicis benedictione, dixit aut dictum voluit Dominus, Paulo disertis verbis suffragante 1. Corint. 11. v. 25.

Matth. 26. v. 23. Marc. 14. v. 18. 20.

Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.	21	πλὴν ἰδοὺ ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με, μετ᾽ ἐμοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης.

VERVMTAMEN. Coniunctio ista declarat, hæc iis quæ proximè præcedunt subiuncta à Christo fuisse, & collata præsentia beneficia cum præsenti scelere, occulto licet; quasi dixerit: Verùm quamuis hæc summi amoris erga vos mei symbola vobis largiar & relinquam, tamen ECCE rem nefandam. MANVS. Manu fit traditio, manu traditur quis hostibus, manu rursus ex mensa accipitur comedendus cibus. Est igitur tamquam dicat: Qua manu iam infert in os suum cibum mensæ meæ, eadem mox hostibus meis me tradet. O ingratam & impiam manum. TRADENTIS ME. proditoris traditorisque mei: quamquam præsens tempus hoc præterea significare videatur, quòd iamiam prodet, & in mensa ipsa proditionem meditetur. EST suppleuit Interpres. Reliqua ex superioribus Euangelistis petenda sunt.

Matth. 26. v. 24. Marc. 14. v. 21.

Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: verumtamẽ væ homini illi per quem tradetur.	22	καὶ ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου πορεύεται κατὰ τὸ ὡρισμένον· πλὴν, οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι᾽ οὗ παραδίδοται.

DEFINITVM ordinatum, constitutum diuino consilio, à Deo Patre, iam inde ab æterno, & sacris Scripturis deinde declaratum. Definierat olim Deus Pater, vt Christus vaderet, id est, abiret, moreretur, & quidem à Iuda discipulo proditus: sed non definierat seu constituerat vt Iudas Christum proderet, nec sic loquuntur Scripturæ, quidquid dicat Beza in hunc locum. Nam quemadmodum hîc, non dicitur, definitum à Deo esse, vt Iudas traderet seu proderet, sed vt Filius hominis vaderet: ita Act. 4. v. 27. non dicitur, *conuenerunt facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt vt facerent, sed decreuerunt fieri.* Præuiderat Deus tantam Iudę malitiam, quanta Christum proditurus esset, si Deus ipse permitteret: eam volens Deus permittere, simul

& con-

& conuertere ad publicam hominum salutem, decreuerat vt Christus toleraret, quod Iudas impia sponte sua facturus erat; decreuerat inquam vt Christus proditionem pateretur, non vt Iudas proditionem operaretur. Hinc scribit Euthymius in Matthæum: *Dicunt autem quidam, culpa carere eum, qui quod præfinitum erat peregit: quibus nos dicimus, quod non quia prædefinitum erat tradidit, sed quia tradidit ideò prædefinitum erat, Deo prauidente quidquid euenturum erat: talis enim euasurus erat, non à natura, sed ex voluntate.* Hæc ille: quibus etiam ampliùs aliquid dici potest, nimirum, quòd prouidentia, definitio, & decretum Dei, de peccatis hominum sint; verùm vt ea Deus, permittat inprimis, deinde & ordinet, id est, dirigat ad bonum, sed nullo modo vt homines ea faciant, nisi actionem distinguas à vitio siue peccato quod prodendi, adulterandi, aliisque similibus vocibus, præcipuè significatur. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 24.

καὶ αὐτοὶ ἤρξαντο συζητεῖν πρὸς ἑαυτοὺς 23 τὸ, τίς ἄρα εἴη ἐξ αὐτῶν ὁ τοῦτο μέλλων πράσσειν.

Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.

ET. Tunc. QVÆRERE. συζητεῖν conquirere. INTER SE mutuò. Græcè additur τὸ hoc, videlicet. QVIS. τίς ἄρα quisnam EX EIS. ex ipsis. Quæsiuerunt ex ipso Iesu, quod dicunt superiores Euangelistæ: quæsiuerunt & ex se inuicem, aspicientes sese mutuò (quod Iohannes habet cap. 13. v. 22.) & rogantes quis ipsorum id facturus esset, an quis ipsorum ea de re aliquid sciret, aut aliquod eius rei argumentum haberet, denique testantes singuli innocentiam suam.

ἐγένετο δὲ καὶ φιλονεικία ἐν αὐτοῖς, 24 τὸ, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων.

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.

Marc. 9. v. 33. Sup. 9. v. 46.

ET. id est, etiam: qua vocula duo quædam intelligenda dantur; Vnum, historiam hanc suo loco narrari; Alterum, occasionem huic contentioni dedisse, id quod præcedit, quòd scilicet acriùs disquirerent, quisnam ipsorum foret infaustus ille proditor. Non arbitror quòd se mutuò notarint, dixerintque, tu eris proditor, immo tu aut tu: quod quidam putant, nominatim Theophylactus; sed quòd dubiam notam à seipsis propulsare dum modis omnibus conarentur, attulerint singuli quæ pro se facere viderentur, per quæ alieni videri possent ab hac perfidia. Inter cætera autem, hoc vnum erat quod quidam pro se adferre poterant, quòd Dominus eos aliis anteponendo prætulisset, & quidem Petrus, quòd Dominus promisisset, ipsum petram fore ecclesiæ, & accepturum claues regni cælorum. Hac itaque ratione, inter tristia, in ambitiosam hanc de primatu contentionem delapsi sunt. QVIS. τὸ, τίς de hoc, quis. VIDERETVR. quantum intelligi posset ex dictis actisque Iesu erga singulos ipsorum. MAIOR. cæteris, id est maximus, primus, quem Iesus plurimi faceret, quique primum tandem habiturus locum, & cæteris omnibus sub Christo præficiendus esset, ac proinde alienissimus esset ab hac proditoris nota. Vnusquisque autem sibi videbatur esse & futurus maximus, ex variis honoris & amicitiæ argumentis, à Christo Domino erga se declaratis. Non ita impudentes fuerunt, vt coram Christo disputarint, quis ipsorum in locum proditi interfectique Christi successurus esset, quæ Euthymij opinio est: sed seposita tantisper consideratione proditionis mortisque Christi, altercati sunt de obtinendo primatu in regno Christi, cuius promissionem longè altiùs infixerant animis, quàm prædictionem mortis; nec spem abiecerant, quidquid de sua morte Christus prædicaret. Reliqua petantur ex locis ad marginem citatis.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· οἱ βασιλεῖς τῶν 25 ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, εὐεργέται καλοῦνται.

Dixit autem eis: Reges gentiũ dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

Matth. 20. v. 25. Marc. 10. v. 42.

REGES. siue principes. EORVM. masculinum genus pro fœminino *earum*: s. gentium; & casus genitiuus loco datiui, ex genitiuo. Includit autem dominatio coactionem contemtumque inferiorum. QVI POTESTATEM HABENT SVPER EOS siue *eas*, scilicet gentes, quibus est auctoritas in eas, primores, magnates earum. BENEFICI VOCANTVR. à munificentia beneficentiaque, à clementia, serenitate, aliisque virtutibus, nomen accipiunt: vocantur נדיבים *nedibim* Hebræis, à spontanea liberalitate, εὐεργέται euergetæ Græcis (vt quidam Ægyptiorum reges nominatim à beneficentia) & aliis huiusmodi magnificis titulis ornantur. Subaudi atque in hoc sibi placent, quòd aliis dominentur, & gloriosis nominibus celebrentur: dumque reges aut primores esse nituntur, hunc præcipuè finem sibi propositum habent, vt dominentur & præsint aliis, & clementes ac benefici, non tam sint, quàm nominentur. Reliqua petantur ex locis ad marginem citatis.

ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὁ μείζων ἐν 26 ὑμῖν, γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος· καὶ ὁ ἡγούμενος, ὡς ὁ διακονῶν.

Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.

Matth. 20. v. 26. 27. Marc. 10. v. 43. 44.

VOS AVTEM NON SIC agere debetis, si contingat vos præfectura fungi, vt certè fungemini, in regno meo, Ecclesia inquam, à qua breuì in terra incipiet regnum meum; non debetis dominos agere in eos quibus præeritis, nec ex vsu potestatis auctoritatisque vobis datæ, venari titulos gloriosos, vana gloria plenos. MAIOR auctoritate, honoratior. EST. erit. IN VOBIS. inter vos, aliósve regni mei filios. FIAT. fieri debebit, debebit se gerere, quod ad modestiam animique submissionem MINOR. minimus,

mus, minimæ auctoritatis. ὁ νεώτερος iunior (quomodo & legitur in latinis libris nō paucis) id est, contemptior, abiectior, submissior: nam qui ætate iunior est, ne præsit reiici solet. *Iuniorem dicit postremum*, ait Euthymius. Quo maior, hoc minus sibi vindicabit siue dominij, siue gloriæ. PRÆCESSOR. ἡγούμενος dux, dominus, rector. SICVT MINISTRATOR. ὡς ὁ διακονῶν sicut ministrans, sicut qui ministrat. i. fiat. ministri est subsequi, ducis siue domini præcedere. Gerat se oportebit, sicut si non dominus, sed minister esset: id est, liberū esse oportebit ab omni fastu, nec suæ præcipuè vtilitati commodisque intendere, sed eorum quibus præerit, idque absque vlla quam ab eis aucupetur gloria, quam totam Deo debebit transcribere. Hoc si intelligeretis, non contenderetis pro primatu: nam quod reges gentium aliiq; homines seculi eò adspirent, est, quia in alios agere dominos, & quiduis licitum sibi fore, denique gloriam cæterasque huius vitę vtilitates ac cōmoda, abundè sibi posse suppetere, putant, si eum adipiscantur. Porrò vobis sectari hæc minimè licebit, quibus lex præscribitur, non parùm ardua ac præstitu difficilis, vt dominus qui sit, tamquam ministrum, animi demissione, imperandi modestia, & cura alienorum commodorum, se gerat: ita vt manifestum sit, inferioris siue subditi inter vos conditionem, longè & tutiorem & commodiorem & feliciorem fore, propiusque assequentem id quod ex primatu quæri solet. Reliqua petenda sunt ex Matth. 20. v. 26. 27.

Matth. 20. v. 28. Marc. 10. v. 45.

Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.	27	τίς γὰρ μείζων, ὁ ἀνακείμενος, ἢ ὁ διακονῶν; οὐχὶ ὁ ἀνακείμενος; ἐγὼ δέ εἰμι ἐν μέσῳ ὑμῶν ὡς ὁ διακονῶν.

QVIS MAIOR. vter maior, dignior, potior conditione est. QVI RECVMBIT. qui mensæ accumbit, AN QVI MINISTRAT mensæ. Subaudiendum relinquit, Is proculdubio qui mensæ accumbit. EGO AVTEM, caput licet sim mensæ societatisque vestræ, qui meo iure possim à vobis ministerium exigere. IN MEDIO VESTRI. inter vos SVM. gero me. SICVT QVI MINISTRAT mensæ; vos similes estis iis qui accumbunt. Iam lauerat eorum pedes, panem eis fregerat, cibum potumque distribuerat, prout iamdiu consueuerat: denique à prima hora ostensionis sui ad Israel, vnus pro omnibus solicitus, Apostolorum ouiumque quæ perierant domus Israel, adeoque hominum omnium, vtilitati ac saluti, magno cum labore fatigationeque, minister seruiuerat, perseueraturus in eo ministerio ad vitæ vsque expositionem & sanguinis effusionem. Nam sub ministerio mensæ, omne aliud ministerium, & quidquid in carne Deus gessit, intelligitur, V. Beda interprete. Itaque, vult dicere, cùm videatis me facere id quod præcipio, vt qui dignitate inter vos sum maior & conditione dominus, habeam me tamquam minor & seruus sim; nosse debetis hoc idem vobis præstandum esse, si quando aliis præfecti fueritis: quod præstare, cùm difficile & arduum minimeque iucundum sit, intelligere potestis nullo modo ambiendum vobis esse primatum, contendendum verò potiùs de retinenda subiectione, vt qua faciliùs assequi liceat, id quod homines seculi ex primatu quærunt, quietem propriaque commoda, &c. Reliqua pete ex Matth. 20. v. 28.

Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.	28	ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου.

PERMANSISTIS. perseuerastis MECVM. constanter mihi adhæsistis; non deseruistis; vt illi Iohan. 6. v. 67: *Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant*; neque erubuistis confiteri, vt illi Iohan. 12. v. 42: *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eiicerentur.* IN TENTATIONIBVS MEIS. in persecutionibus & tribulationibus quas passus sum: quibus factum est, vt & homines aduersarij mei tentarint atque explorarint, & Deus Pater tentatam, exploratam, manifestamque reddiderit (idcircò enim tentationes dicuntur) constantiam meam in obeundo illo ministerio pro vestra cæterorumque electorum salute. Hoc alibi dicit Saluator, *vos qui secuti estis me*. Matth. 19. v. 28.

Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum,	29	κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου, βασιλείαν·

ET ideo, EGO, cui Pater dedit omnia in manus, DISPONO, constituo, decerno, promitto non tantùm, verumetiam ordino, cuius ordinationi obediunt omnia. SICVT similitudinem significat, non æqualitatem. ipse enim regni caput & princeps constitutus erat, illi autem socij dumtaxat. DISPOSVIT. constituit, ordinauit MIHI vt homini, PATER MEVS cælestis, REGNVM in altero seculo, æterna hereditate possidendum, vt possideatis in altero seculo paratum vobis regnum à cōstitutione mundi, quod non est aliud, quàm illud idem felix ac beatum regnum, quod Pater mihi præparauit in altero seculo possidendum. Vide Matth. 25. v. 34. Quibus igitur paratum est regnum in futuro seculo, non debent illi contendere pro vili inanique honoris titulo obtinendo in hoc misero seculo. Reliquerat haud dubium Iudas societatem, cùm Christus hæc diceret.

Matth. 19. v. 28.

vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.	30	ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου, καὶ καθίσησθε ἐπὶ θρόνων, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ ἰσραήλ.

VT EDATIS ET BIBATIS. dispono vobis regnum, non qualecumque, sed huiusmodi, vt aliquando IN

REGNO

REGNO MEO cęlesti & æterno, EDATIS ET BIBATIS, id est, veris omnis generis deliciis ac voluptatibus fruamini & saturemini, SVPER MENSAM MEAM, id est, inter primos, vt primi regni principes, mecũ rege mensę meę omnium delicatissimæ accũbentes. Hæc ferè interpretatio Græcorum est, Euthymij, Theophylacti, denique Titi Bostrorum Episcopi, cuius verba sunt: *Hoc ea de causa non asserit, quasi vllus istbic denuò mensæ aut esculentis locus futurus sit, sed quod res spi itales, rebus apud nos vsitatis, exprimere voluerit. Tum rursum vt ostendat, quemadmodum ij qui primas apud terrenos reges obtinent, eadem cum illis domo & mensa vtuntur: ita sanctos celeberrimosq́, Apostolos quoque, primis honoribus apud immortalem regem potituros.* ET SEDEATIS καὶ καθίσησθε & sedebitis, quamquam in alijs exemplaribus est καθίσησθε sedeatis, vt latinè. Duo summa bona Apostolis eo in regno promittuntur, summæ delitiæ, quales ipsi Regi apponi solent, & summus honor, quo reliquos omnes regni subditos, non solùm præcedant, verumetiam vnà cum Rege iudicent ac regant. neque enim sessio ista finienda vnà cum iudicio est, sed perpetua futura quod ad gubernationem. Pollicetur itaque eis summum beatitudinis gradum, vultque dicere, si hæc vos manent, quid contenditis de misero primatu in hoc seculo obtinendo? Reliqua ad huius versiculi explicationem necessaria, petenda sunt ex Matth. 19. v. 28.

εἶπε δὲ ὁ κύριος· σίμων, σίμων, ἰδοὺ ὁ [31] σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον·	Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum:

AIT. addidit, subiunxit. Prædixerat læta, vt animos illis erigeret: subnectit tristia, vt ne vltra modum efferrentur. SIMON, SIMON. Alloquitur eum nomine proprio, vt seipsum consideret, quid ex se sit: conduplicat autem nomen, vt attentionem excitet, affectum declarans seriò loquentis. ECCE. quod non arbitraris. SATANAS. aduersarius humanæ salutis. EXPETIVIT. depoposcit, postulauit ad afflictionem, tamquam accusator fratrum & hostis. Sic expetiuerat Iob, cap. 1. v. 11. & 2. v. 5. *Expetiuit* autem à Deo Patre meo, sine cuius permissu nemini potest nocere siue corpore siue anima. hoc enim hic intelligendum datur, annotantibus id Veteribus. VOS. Apostolos meos. VT CRIBRARET. concuteret, agitaret, afflictionibus, ita vt fidem in me vobis excuteret. SICVT TRITICVM cribratur & agitatur in cribro aut vanno. Id sperauerat satan facere se posse, dum curaret Iesum à Iudæis comprehendi & occidi: & aliquo modo tunc est assequutus.

ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. [32]	ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

EGO AVTEM Dei Filius, sed qua parte hominis filius. Opponit se satanæ. ROGAVI. oraui Deum Patrem, tamquam mediator & amicus. Vt se satanæ, ita orationem suam opponit orationi satanæ, datque intelligendum, se, infinities plus oratione posse apud Deum, quàm satanam. PRO TE. pro omnibus quidem vobis, sed singulariter pro te, per quem, constitutum à me caput cæterorum omniumque in me credentium, decreui reliquos ad salutem adducere. Insinuat, Petrum à se constitutum loco & ordine primum, pro parte regni sui in hoc seculo fluctuante. VT NON. ne vmquam. DEFICIAT. intermoriatur, exstinguatur; *finaliter* addit Lyranus. FIDES TVA, fides qua tu credis in me Christum Filium Dei viui, doctorem veritatis in vniuersa quæ à me profecta sit doctrina; tu inquam credis, & credent successores tui in hoc munere regendæ ecclesiæ meæ omnes. Neque enim ad modicum dumtaxat tempus prospexit Christus ecclesiæ suæ, sed vsque ad consummationem seculi. Non orauit, ne Petrus cribraretur à satana (id enim permissum satanæ fuit paulò pòst. infrà v. 56. & seqq.) sed ne fides eius deficeret. Dat igitur intelligendum Iesus, permissum satanæ postulanti esse, vt cribret Petrum, sed ita permissum vt fidem ei non excutiat: quemadmodum Iob permissus fuerat arbitrio satanæ affligendus, ita tamen vt eius animam seruaret. Iob 2. v. 6. Satana enim impetrante à Deo vt cribrare & agitare posset Petrum; se impetrasse, ne ita cribraretur seu agitaretur, vt fides eius deficeret, quod maximè volebat & spectabat satan. Defectus quidem fuit Petrus fide, quando animo vacillante deseruit primùm, deinde etiam negauit, cõprehensum Iesum (lege Matth. 26. v. 31.) sed quia defectio illa fidei non absoluta fuit, sed imperfectior, ex animi vacillatione, minimè ex pertinacia, obstinatione, aut assensu contrario orta, nec durauit nisi ad modicum tempus, adeò vt mox renata fides viuidiùs reuixerit, censetur non defecisse, id est, non esse euulsa funditus, aut radicitus exstirpata, immo turbata potiùs quàm vel ad tempus mortua. Vt præteream, quòd promissio non defecturæ fidei, respiciat potiùs conditionem capitis ecclesiæ doctorisque fidei in Petro, quàm priuatæ personæ eius. Nam & sic aliqui successorum eius, vt priuatæ personæ, potuerunt animo vacillasse circa fidem: sed vt ecclesiæ, tamquam capita eius primique doctores, proponerent aliquid credendum, quod christianæ fidei foret contrarium, minimè accidit, hac Christi oratione prohibente. ET TV. Tu igitur ALIQVANDO CONVERSVS. postquam fueris conuersus, à peccato derelictionis & negationis mei, quod breuî commissurus es. CONFIRMA in fide, in fide christiana & orthodoxa, & reliquis ad salutem ducentibus quæ fides docet. FRATRES TVOS. non Apostolos meos tantùm (quod legitur fecisse Petrus post Domini ascensionem Act. 1. v. 15. & 15. v. 7.) verumetiam reliquos omnes in me credentes, exagitatos persecutionibus variis, tyrannorum, hæreticorum, carnis, satanæ. Sub officio confirmandi in fide, intelligit omnis generis confirmationem pertinentem ad salutem, cuius fundamentum est fides. Mandat officium, non dominandi, sed confirmandi in bono fidei, spei, & charitatis. Porrò hoc idem vult Iesus dictum successoribus Petri, vt citò conuersi à peccatis, si in quæ fortè inciderint, confirment cæteros Christianos, in fide, pœnitentia &c. Idcircò enim aliquando permittit Deus, vt ij quos ordinauit rectores aliorum, offendant & labantur: vt eo, & submissiùs de se sentiant, & benigniùs peccatores tractent. Cæterùm, non vult Christus dicere, quòd nisi conuersi sint, alios

alios confirmandi non habeant auctoritatem: sed insinuat, quòd nisi conuersi sint, minùs idoneos se præstent ad alios confirmandos, & præsertim si fidem eos negasse contigerit, quemadmodum Petrum.

Matth. 26. v. 35. Marc. 14. v. 31.

33 Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire.

ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ· κύριε, μετὰ σοῦ ἕτοιμός εἰμι, καὶ εἰς φυλακὴν καὶ εἰς θάνατον πορεύεσθαι.

QVI. Simon Petrus intelligens se à satana oppugnandum & agitandum, & tantùm non fide in Christum defecturum, arbitratus hoc indignum se, & meliora præsumens, promittit temerè plura quàm vires ferant. IRE s. potiùs quàm te quauis ratione deseram aut offendam. Reliqua petenda sunt ex Matth. 26. v. 35.

Matth. 26. v. 34. Marc. 14. v. 30. Iohan. 13. v. 38.

34 At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.

ὁ δὲ εἶπε· λέγω σοι πέτρε, οὐ μὴ φωνήσει σήμερον ἀλέκτωρ, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι με.

AT ILLE. ὁ δὲ Is autem s. Iesus, quod addit Syrus. DICO TIBI expressis verbis, quod modò dixi tacitis. PETRE. Syrus *Simon*. NON CANTABIT GALLVS. non erit gallicinium. HODIE, id est, hac nocte. DONEC. πρὶν ἢ priusquam. ABNEGES. compositum ponitur pro simplici *neges*. NOSSE ME. quòd noueris me, & consequenter quòd discipulus meus sis. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 34.

Sup. 9. v. 3. Matth. 10. v. 9. 10. Marc. 6. v. 8. 9.

35 Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil.

καὶ εἶπεν αὐτοῖς· ὅτε ἀπέστειλα ὑμᾶς ἄτερ βαλαντίου καὶ πήρας καὶ ὑποδημάτων, μή τινος ὑστερήσατε; οἱ δὲ εἶπον· οὐδενός.

ET DIXIT EIS. Subiunxit Christus, sermone ad omnes discipulos verso, volens clariùs explicare conditionem instantis temporis, quo illi sic à satana agitandi essent, vt Petrus eum negaturus. QVANDO MISI vos prædicatum euangelium regni cælorum per Iudæam vniuersam Non dicit, *quamdiu mecum fuistis, numquid aliquid defuit vobis?* confert enim absentiam discipulorum à se ante passionem, cum ea quæ cœpit à passione. SINE SACCVLO. ἄτερ βαλαντίου sine marsupio, id est, sine pecunia. ET PERA. & sine cibo siue viatico. ET CALCEAMENTIS. quibus pedes toti muniti forent aduersus offendicula. ALIQVID rerum ad viuendum necessariarum. NIHIL. licet, nulla re ad iter faciendum commoda instructi, essetis emissi, tamen nihil defuit. Quare? quia suppeditabatur quidquid esset necessarium ab iis quibus euangelium prædicabatis, fauentibus mihi, & gaudentibus in vniuersis quæ gloriosè fiebant à me. suprà 13. v. 17.

36 Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.

εἶπεν οὖν αὐτοῖς· ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω, ὁμοίως καὶ πήραν· καὶ ὁ μὴ ἔχων, πωλήσει τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγοράσει μάχαιραν.

SED NVNC. verùm hoc tempore. Significat enim tempus proximè instans, iuxta id quod mox dixerat Petro v. 34. se hodie ab ipso negandum. QVI vestrûm. non enim de omnibus loquitur, sed de discipulis suis dumtaxat. SACCVLVM. marsupium pecunia refertum. TOLLAT. secum ferat eò quò abire cogetur. ET PERAM instructam cibo. s. qui habet, tollat. ET QVI NON HABET s. gladium. Relinquitur enim hîc subaudiendum ex proximè sequentibus: quod quidem Syrus clariùs repetit. VENDAT. πωλήσει vendet. verùm alij codices græci legunt πωλησάτω imperatiuum *vendat*. TVNICAM. τὸ ἱμάτιον significat & pallium. EMAT. ἀγοράσει emet. in aliis meliùs est ἀγορασάτω emat. Neque præcipit neque consulit Christus discipulis suis, vt iam aliter se gerant quàm aliàs ipsos instruxerat; vt iam de marsupio pleno pecunia & pera cibo referta soliciti sint sibique prospiciant (quod certè Iudas impiè fecerat) neque vt gladios sibi comparent, quibus hostes aut inuadant aut arceant. Docet hoc Euthymius his verbis: *Quod sequitur vendat tunicam suam & emat gladium, per emphasim dixit, solum ostendens esse tempus vltionis, venientibus, quantum numquam aliàs, persecutionibus: non quòd gladiis vim propelli vellet: nam Petrum ita vlcisci volentem posteà prohibuit.* His igitur verbis describit dumtaxat & explicat Christus, instantis iam temporis conditionem, prorsus contrariam conditioni temporis præteriti. Nimirum, commodissimæ illi viuendi rationi, qua anteà discipuli vsi fuerant, licet corpore absentes à Domino, opponit acerbissimam persecutionem, quæ hac ipsa nocte inchoanda erat, ipso mortis supplicium adeunte, duratura ad vitam Apostolorum & ampliùs: qua non solùm non essent homines ipsis suppeditaturi vitæ necessaria, verumetiam cònaturi vitam auferre, ita vt humano iudicio arma quàm maximè forent ipsis necessaria. Iam, inquit, instat alia temporis conditio, eiusmodi, vt qui discipulorum meorum, humanis præsidiis niti, & hominum more sibi prouidere velit, non moret locum, nisi sufficiẽti apparatu cibi pecuniarumq; instructus, nec eat aut moretur alicubi nisi gladio armisque munitus, etiam vestis venditione comparandis, si aliunde non possit. Huiusmodi loquendi genus, frequens est apud prophetas, quo prædicunt imminentes calamitates, iubendo fieri id quod homines facere assolent in huiusmodi calamitatibus. Ier. 9. v. 17. 18. Ezech. 4. v. 2. Nec aliter hunc locum intellexerunt Apostoli accepto Spiritu sancto: quouis enim inter euangelij hostes proficiscentes, non fuerunt soliciti de pera aut crumena replenda, multoque minùs de assumendo gladio.

λέγω

λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι ἔτι τοῦτο τὸ γεγραμμένον δεῖ τελεσθῆναι ἐν ἐμοί, τό, καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη. καὶ γὰρ τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει. 37 Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: Et cũ iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent.

Isa. 53. v. 12. Marc. 15. v. 28.

DICO. affirmo, quantumuis vobis incredibile. ENIM. dat causam mutati temporis, tranquilli in turbulentum, fauentis discipulis suis in hostile. ADHVC. emphasim habet indignitatis rei. præter cætera prophetarum vaticinia, iam in me impleta, illud quod est omniũ caput, superest. Significat, nondũ se omnibus officij sui numeris defunctum esse, donec iniquis & sceleratis annumeratus fuerit, tamquam vnus ex eorum ordine. QVOD SCRIPTVM EST per Isaiam prophetam. Scriptum si est, non tam fiet hostium potẽtia, quàm voluntate diuina: vt non tolerabitur malum ab inuito, qui vt prædicere potuit, ita potuisset & cauere. IN ME de quo scriptum est. CVM INIQVIS. inter iniquos siue sceleratos qui iniquus non erat. DEPVTATVS. computatus EST, tractatus more iniquorum, vt tractari solent & merentur iniqui, legumque transgressores, nimirum publicè comprehensus, damnatus, variis contumeliis affectus & modis punitus, tandem etiam in medio latronum crucifixus. Reliqua ad huius prophetiæ explicationem facientia, dicta sunt Marc. 15. v. 28. Iam vult hîc dicere Saluator: Hoc autem non implebitur in me, nisi mutatis erga me populi animis: qui cùm mihi, etiam principibus ægrè ferentibus fauere consueuerit, iam è contrario, cum principibus suis conspirans, me tamquam sceleratum postulabit ad pœnas omnes ac mortem, & tam viuum quàm mortuum prosequetur odio plusquam hostili. Quemadmodum ergo cùm mihi vellent, benè quoque volebant faciebantque vobis discipulis meis: ita iam odientes me, odio habebunt aueṡaturique sunt & vos discipulos meos, nec tantùm non benefacient, verumetiam modis omnibus persequentur, & quærent non minus quàm me ad necem. Hoc rerum statu, discipuli proculdubio, & gladiis se armassent, &c, nihil ab aliis adiumenti exspectantes, de necessariis vitæ in longum tempus solicitè sibi ipsi prospexissent, si humana consilia sequuti fuissent: sed meliùs sapientes, Deoque confisi, inermes & pauperes, perrexerunt, inter hostes, euangelij prædicandi officium implere: nisi quod triduo proximo plus æquo turbati, neque adhuc Spiritu sancto confirmati, ad humana, verisimile est, præsidia non minimè respexerint. ETENIM. Nihil mirum illud Isaiæ in me implendum, quandoquidem omnia EA QVÆ SVNT DE ME scripta & prædicta per legem & prophetas. FINEM HABENT. finem accipiunt, iam finiuntur, *iam perficiuntur*, ait Euthymius, & consummantur. Hinc clamat postridie Iesus è cruce *Consummatum est*. Iohan. 19. v. 30.

Οἱ δὲ εἶπον· κύριε, ἰδοὺ μάχαιραι ὧδε δύο. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς· ἱκανόν ἐστι. 38 At illi dixerunt: Domine ecce duo gladij hîc. At ille dixit eis: Satis est.

AT ILLI. signanter Petrus, auctore Ambrosio. DVO GLADII. vnde gladij in familia Saluatoris, diximus Matth. 26. v. 51. Apostoli intelligentes Iesu præceptoris verba propriè, responderunt, prẹsto sibi esse duos gladios, vt intelligerent an iudicaret illos sufficere ad resistendum præsenti periculo, nécne. SATIS EST. Non subaudit, satis est, quòd adsint duo gladij, ad repellendos videlicet hostes exspectatos, quasi velit vt gladios illos secum ferant: sed *satis est*, verborum hac de re. Sic enim consueuimus abrumpere sermonem eorum qui non intelligunt quæ à nobis dicũtur, *satis est*, benè habet. ita rectè Theophylactus. Atqui, si non intelligebant Apostoli quid sibi vellet Dominus, cur non explicuit eis Dominus: præsertim cùm Petrus potuerit occasionem hinc accepisse liberiùs exserendi gladij aduersus inuasores Domini? Non iudicabat Dominus verba sua tunc temporis clariùs exponenda esse, sed relinquebat suo tempore intelligenda per illustrationem Spiritus sancti. Siue verò Petrus occasionem hinc acciperet vtendi gladio, siue non, decreuerat diuino consilio Iesus permittere vt gladio feriret, iustas ob causas.

Καὶ ἐξελθὼν ἐπορεύθη κατὰ τὸ ἔθος εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν· ἠκολούθησαν δὲ αὐτῷ καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. 39 Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem oliuarum: secuti sunt autem illum & discipuli.

Matth. 26. v. 30. Marc. 14. v. 26.

EGRESSVS domo in qua cænam hanc celebrauerat. IBAT. ἐπορεύθη profectus est. SECVNDVM CONSVETVDINEM suam. vide sup. 21. v. 37. *Tradendus, ait V. Beda, à discipulo Dominus, consueti secessus locum, quo facillimè reperiri possit, adit. Vbi sunt ergo, qui eum mortem timuisse, inuitumq; contendunt esse crucifixum?* IN MONTEM. in hortum villæ quæ dicitur Gethsemani, sitæ ad radicem montis OLIVARVM. Syrus *domus oliuarum*, id est, olìueti. DISCIPVLI. Apostoli vndecim. Reliqua dicta sunt Matth. 26. v. 30. & 36.

Γενόμενος δὲ ἐπὶ τοῦ τόπου εἶπεν αὐτοῖς· προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν εἰς πειρασμόν. 40 Et cùm peruenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.

Matth. 26. v. 36. 41. Marc. 14. v. 32. 38.

AD LOCVM montis oliuarum consuetum, in quo orare noctu consueuerat, vocatum Gethsemani. NE INTRETIS. μὴ εἰσελθεῖν non intrare, id est, orate hoc, ne intretis. Reliqua quære Matth. 26. v. 41.

Et

Matth.26. v.36.39. Marc.14. v.32.35.

Et ipse auulsus est ab eis quantum [41] iactus est lapidis, & positis genibus orabat,

καὶ αὐτὸς ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν ὡσεὶ λίθου βολὴν, καὶ θεὶς τὰ γόνατα προσηύχετο,

Et ipse. Tunc ipse. Avvlsvs est tamquam vi, natura enim solatium quærebat ex societate charissimorum discipulorum, sed ratio impellebat vt sequestratus tristitiæ magnitudini mederetur per orationem. Ab eis discipulis suis, plerisque omnibus, octo videlicet. Nam tres propiùs secum assumsit, quod narrant priores Euangelistæ. Qvantvm iactvs est lapidis. ὡσεὶ λίθου βολὴν quasi ad lapidis iactum. *Lapidis* leuis subaudit Richelius. id est, quinquaginta aut sexaginta passibus, nam huiusmodi spacium proiici queat lapis funda aut manu. Non dereliquit eos alio prorsus loco, iam cùm persecutionis tempestas ingrueret, cuius ipsos fecerat etiam certiores, ne conciderent animis, & derelictos tempestas nullo negotio absorberet: sed tanto se ab eis separauit spacio, quanto & ipse solus tristari atque orare, & illi sic orantem, vt non perinde tristem, conspicere possent, denique facilè ad se mutuò possent vltro citroque redire. vide Matth.26.v.36. Positis. flexis humi. Non est hoc contrarium ei quod priores Euangelistæ dicunt, procidisse in faciem seu terram: nam & sic cadere quis potest in faciem & terram vt flectat genua, præter hoc quòd credibile sit, Dominum primùm flexisse humi genua erecto corpore, tandem deficientibus præ teneritudine tristitiaque corporis viribus, & orationis feruore crescente, etiam corpus in terram deiecisse, vt fieri solet in secretis & valde seriis orationibus.

Matth.26. v.39. Marc.14. v.36.

dicens: Pater, si vis, transfer cali- [42] cem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

λέγων· πάτερ, εἰ βούλει παρενεγκεῖν τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ· πλὴν μὴ τὸ θέλημά μου, ἀλλὰ τὸ σὸν γινέσθω.

Si vis. si placet. Ita declarat affectum suæ naturæ, vt non omittat significationem reuerentiæ & obedientiæ debitæ. Transfer. παρενεγκεῖν transferre. infinitiuus loco imperatiui: vel defectiua oratio est, quod inquit Euthymius, deficit enim *transfer*, aut potiùs *potes*. Non mea volvntas naturalis. Sed tva diuina, quæ eadem est mea secundùm diuinitatem tecum mihi communem: quinetiam secundùm rationem mihi homini propriam, ego eidem assentior. Fiat. Clariùs hanc partem Lucas extulit, quàm cæteri Euangelistæ. Fiat quod tua sancta voluntas decreuit, non quod humanæ huius meæ naturæ suadet imbecillitas. Reliqua lege Matth.26. v.39.

Apparuit autem illi angelus de cæ- [43] lo, confortans eum.

ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ, ἐνισχύων αὐτόν.

Apparvit visibilis humana specie: erat enim humana Christi natura confortanda. Avtem. oratione tertiò repetita. Angelvs. Michaël, quod quidam aiunt; nimirum, summus angelorum summo Dei Filio, sed modicò quàm Angeli minorato (Heb.2. v.9.) quod ad hominem mortalem. *Nam posquam mortem resurgendo calcauit, etiam humanitatem suam maiestatibus angelorum superposuit*, ait V. Beda. De cælo. id est, cælestis, vel *de cælo* delapsus, & à Deo Patre missus. Confortans. confirmans evm. addens ei animum, & responsum ab orato Patre adferens. Infirmus iam erat & laborabat, extremis pressus angustiis, quod ad humanam naturam: & poterat quidem se ipse confirmare, id est, diuina natura humanam, immo etiam humana natura seipsam, siquidem ipse voluisset, sed nunc quidem noluit, relinquens non solùm humanam naturam sibi, verumetiam sponte defigens humanæ naturæ mentem in solam malorum impendentium considerationem, nec alicunde admittens eorum contemplationem quæ solamen adferre possent. Causas explicuimus Matth.26. v.38. Cæterùm sine omni consolatione diu esse noluit, sed voluit eam extrinsecus aduenire finita oratione, adeoque laboranti sibi succurri ab angelo misso à Patre, ne frustrà orasse & ad Patrem recurrisse in tribulatione videretur discipulis, spectantibus hęc aut certè legentibus: doceretur è contrà, perseuerantis orationis assiduique recursus ad Deum in tribulatione, fructum esse, diuinam consolationem confirmationemque, etiamsi non semper tribulatio ipsa auferatur. Confortauit porrò Angelus Christum verbis, *videlicet dicens et tamquam homini, vt confortaretur ac roboraretur*, ait Euthymius. *Credi autem potest, quòd non citra illustrem laudem pronámque adorationem*, quod habet Titus, *Angelus eum huiusmodi oratione affatus est.* O Christe Fili Dei viui, audita est oratio tua à Deo Patre tuo, eaq; ipsi gratissima est & acceptissima, quippe qua, quamuis patiatur natura humana tua horrorem summum & tristitiam morte non inferiorem, ob imminentem calicem passionis ac mortis, tamen submittis eam paternæ voluntati, & paratam offers ad ferendum quæcumque Pater decreuerit. Aufer igitur horrorem hunc ac mœrorem, quem sponte tibi ipse accersiuisti, vt ab eo inchoares paterni consilij perfectionem. Satisfactum hac parte est, resume animum, quo fortiter aggrediaris & viriliter perficias reliqua, ob oculos mentis ponens, & gloriam quam tibi hac ratione paries, & salutem quam adferes humano generi. Proposito tibi gaudio, crucem sustine, futurus auctor & consummator fidei plurimorum (Heb.12.v.2.) Scio quidem te id facturum, etiam non monente me, neque opus tibi esse Domino meo confirmatione mea, qui à te ipso confirmor vt sim & viuam: sed vt gratum tibi sit hoc ministerium meum, quod Deo Patre tuo iubente dispensatiuè exhibeo, etiam atque etiam oro.

Matth.26. v.37. Marc.14. v.33.

Et factus in agonia, prolixiùs [44]

καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέστερον προσ-

προσηύχετο· ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ, ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν.

orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Et positum pro *Nam*. non enim postquam confortator Angelus apparuisset, tunc factus est in agonia, & sudauit sanguinem, prolixiusque orauit: immo verò tunc, cōfortatus angelicis verbis, ab oratione cessasse, & surrexisse, ac præmonitis discipulis proditori obuiam iuisse, intelligendus est, tamquam responsum à Patre & orationis suæ fructum consecutus. Sed causa apparentis Angeli, agonia fuit, & orationis contentio, comitata sudore sanguineo. Est igitur hysteronproteron obseruandum in hac Lucæ narratione. FACTVS. constitutus. AGONIA. angore, angustia, anxietate animi. Significat græcis *agonia*, illum horrorem & angorem, quo corripi solent homines, iam instante atque vrgente graui discrimine: atque omnino, illud quod priores Euangelistæ pluribus verbis expresserunt, contristari, pauere, mœrere seu tædere, tristemque animam vsque ad mortem, id Lucas vno agoniæ verbo extulit, nullum intelligens aut certamen aut conflictum in Christo fuisse, qui sponte angorem hunc in se admisit. PROLIXIVS. ἐκτενέστερον extensius ad verbum. *Intensius* vertunt quidam. Euthymius, vt noster interpres, *protendebat orationem* inquit. Vtrumque locum habuit, nam & extensè seu prolixè orauit, quia tertiò ad orationem rediit, quod disertè narrarunt Matthæus & Marcus; & intensè, quia profundo & toto corde, vt solent ij qui in magnis versantur angustiis. Cæterùm nemo vnquam intentiùs Christo orauit, quandocumque orauit, cuius animum nulla res occurrens distrahere poterat. Discimus hinc, quo magis angimur, eo magis nobis insistendum esse orationi. ET FACTVS EST. ἐγένετο δὲ factus est autem præ vehementia agoniæ anxietatisque & orationis ardore. SVDOR EIVS. sudor è corpore eius emanans. SICVT GVTTÆ. ὡσεὶ θρόμβοι quasi grumi. Grumi sunt guttæ ampliores siue crassiores. SANGVINIS. id est, sanguineæ. Porrò *quasi* aut *sicut* addit Euangelista, non quòd non fuerint veræ guttæ immo grumi, neque quòd non fuerit verus sanguis, sed quòd non fuerint verè guttæ sanguinis, poterant autem esse videri, quia erant tinctæ sanguine. Guttæ aqueæ erant, sed mistæ sanguine. Magnâ copiâ aqua erūpebat è Iesu corpore, cumque eâ etiam tenuis sanguis, ita vt sudaret aquam simul & sanguinem, sudorem inquam constantem aqua & sanguine, quamquam copiosiore aqua quàm sanguine. Naturale est homini, in extremo metu & summis animi angustiis ob mortem aut alia mala impendentia constituto, sudare aquam: metus, angustia, anxietasque, animo Iesu, ob oculos sibi ponenti proximos crudelissimę mortis cruciatus, huiusmodi fuit, vt sudarit etiam sanguinem, naturâ tantam intus patiente violentiam, quanta per poros carnis cutisque eiecerit vnà cum aqua sanguinem. Multi illud tribuunt miraculo: sed nihil prohibet quin natura id possit (quamquam rarum sit) in hominibus delicatissimæ optimæq; constitutionis, quibus corpus rarum & sanguis subtilis est (qualis haud dubium Iesus erat, conceptus de Spiritu sancto à virgine) prodeunte nimirum è venis sanguine simul cum aqua. Nihil enim aliud est sudor, quàm pars sanguinis aquosa, expressa è venis. Porrò non incongruum Iesu fuisse huiusmodi mortis metum, docuimus Matth. 26. v. 38. contra blasphemos nostræ ætatis hæreticos. Iam quare Iesus sudare voluerit etiam sanguinem, quid melius dicas, quàm vt copiosissimè nos redimeret, & largissimè pro nostris peccatis satisfaceret? Considerare enim licet, quàm feruidus amoris ignis occuparit cor Iesu, qui viuum sanguinem per corporis poros distillare coëgerit, quemadmodum vehementia ignis facere solet, vt aqua è rosis emanet: nimirum volebat, sacrificio, Patri pro nobis mox offerendo, addere hunc odorem suauitatis; hunc inquam sudorem sanguineum, cum lachrymis & prece valida coniunctum. DECVRRENTIS abunde. καταβαίνοντες decurrentes, descendentes, habent plerique græcorum codicum, ita vt ad *guttæ* referatur, non ad *sanguinis*: quamquam eódem redeat sensus. IN TERRAM. è facie manibus pedibusque orantis & humi prostrati; cùm scilicet positis genibus patrem supplex oraret.

45 καὶ ἀναστὰς ἀπὸ τῆς προσευχῆς, ἐλθὼν πρὸς τοὺς μαθητὰς, εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους ἀπὸ τῆς λύπης.

Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia.

Matth. 26. v. 40. 43. Marc. 14. v. 37. 40.

ET CVM. Cùm autem. ET VENISSET. coniunctionem & addit Latinus cum Syro. Quemadmodum trinam Domini orationem, sigillatim à prioribus Euangelistis recensitam, Lucas habuit pro vna, quia ter eundem sermonem dixit, id est, idem vnum orauit: ita trinam discipulorum visitationem admonitionemque pro vna habuit. PRÆ TRISTITIA. Non ex crapula, non ex fluxa carnis hilaritate, non ex stupore crasso, non denique ex contemtu, profecta fuit hæc discipulorum somnolentia, sed ex tristitia immodica: somnus fuit, non tam torporis, quàm mœroris. Prædixerat illis Dominus multa tristia, sibi ipsisque euentura, quæ tristes admodum ipsos reddiderant: nam & ipse dixerat eis Iohan. 16. v. 6: *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Habet autem hoc tristitia, vt cor contrahens inque angustiam redigens, ac proinde prohibens ne vitales spiritus in sensuum meatus eiaculetur, faciat, vt meatus illos occupent atque obstruant humores grossiores, quales somni sunt causa. Reliqua petenda sunt ex Matthæo.

46 καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τί καθεύδετε; ἀναστάντες προσεύχεσθε, ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν.

Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.

Matth. 26. v. 40. 41. Marc. 14. v. 37. 38.

QVID DORMITIS iam, cùm dormiendi minimè opportunum est tempus? SVRGITE expergiscimini. ORATE. Hæc dixit Christus in prima maximè discipulorum visitatione, quod intelligitur ex Matthæo & Marco: sed Lucas, quod diximus, visitationē triplicem confundit in vnam. Reliqua ex Matthæo petantur.

Matth. 26. v. 47. 49. Marc. 14. v. 43. 45. Iohan. 18. v. 3.

Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropiauit Iesu vt oscularetur eum.

47 ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος, ἰδοὺ ὄχλος, καὶ ὁ λεγόμενος ἰούδας, εἷς τῶν δώδεκα, προήρχετο αὐτοὺς, καὶ ἤγγισε τῷ ἰησοῦ φιλῆσαι αὐτόν. τοῦτο γὰρ σημεῖον δεδώκει αὐτοῖς, ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστιν.

ADHVC. ἔτι δὲ adhuc autem. EO LOQVENTE cum discipulis; non verba proximè præcedentia *Surgite, orate ne intretis in tentationem*, sed alia in eandem sententiam, quibus somnolentiam discipulis excutiebat, præsentis periculi commemoratione, à prioribus Euangelistis descripta: *Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet.* QVI VOCABATVR. ita loquitur Euangelista, quasi proditoris nomen exosum habeat. ANTECEDEBAT. tamquam ductor, inquit Euthymius. Nam & sic vocatur à Petro Act. 1. v. 16: *Qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum.* APPROPIAVIT. appropinquauit. VT OSCVLARETVR EVM. vt primi teli loco osculum in hostem iaceret. Syrus habet *& osculatus est eum*: apud quem etiam sequitur, vt & in græcis quibusdam libris: *Hoc enim signum dederat eis, Quem osculatus fuero, ipse est.* Quod quidem subaudiendum hîc est, sed priorum Euangelistarum, non huius, scripturam esse crediderim. Vnde V. Beda: *Quare osculetur, inquit, alij Euangelistæ manifestant, vt hoc indicio dignoscere possint ipsum esse quem traderet.* Reliqua enarrata sunt Matth. 26. v. 47. & 49.

Matth. 26. v. 50.

Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo Filium hominis tradis?

48 ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ· ἰούδα, φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως;

IVDA. amice, discipule, œconome, apostole mi. Non dedignatur eum nomine proprio, quod est blandè deplorantis simul & reuocantis. OSCVLO beneuolentiæ signo. FILIVM HOMINIS mitem, humilem, *lenem, modestum, propter te factum hominem cum Deus sit* (ita rectè Theophylactus) qui tibi nihil nocuit, immo vtilissimus tibi fuit optiméque de te meritus. TRADIS maleuolis hostibus? Singula verba emphatica sunt plenaque doloris, quibus non aliud Iesus quàm pungit proditoris conscientiam, ostendens se non latere quo animo ille osculum præberet, vt vel tanta lenitate motus resipisceret. D. Ambrosius ea *per interrogationem pronuntianda* annotat, *qui si*, inquit, *amantis affectu corripiat proditorem, Iuda, osculo filium hominis tradis? hoc est, amoris pignore vulnus infligis, & charitatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento mortem irrogas? seruus Dominum, discipulus prodis magistrum, electus auctorem? Hoc est illud: Vtiliora vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici.* Hæc Ambrosius. Similiter Theophylactus: *Non erubescis hoc proditionis genus? misces amico amplexui inimici opus proditionem?* intelligebat Iudas se non latere, nouerat innocentiam Domini, toties mansuetudine inaudita prouocabatur ad mutanda consilia, omni tamen permansit fera crudelior, satana pectus illius per auaritiam prorsus occupante.

Videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio?

49 ἰδόντες δὲ οἱ περὶ αὐτὸν τὸ ἐσόμενον, εἶπον αὐτῷ· κύριε, εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ;

QVI CIRCA IPSVM. Syrus *qui cum ipso*; erant. qui Iesu adstant. QVOD FVTVRVM ERAT, id est futurum vt Iesus caperetur captiuusque abduceretur ab hostibus. accurrebat enim hostium turba vt irrueret in Iesum vimque illi adferret, paulò postquam Iudas osculo ipsum indicasset. DIXERVNT EI. rogarunt eum, zelo defensionis concitati, amoreque suppeditante audaciam. SI PERCVTIMVS. εἰ πατάξομεν si percutiemus, percutiemúsne, placétne percutiamus. s. turbam hanc irruentem in te vt vim tibi adferat. Syrus addit *eos*. IN superest latinè. GLADIO, vt te defendamus? Meminerant abs Iesu dictum in cæna: *Sed nunc qui habet, &c. vendat tunicam suam & emat gladium* (suprà v. 36.) sed quia non tam clara ipsis ea verba videbantur quàm desiderarent, præsertim cùm nossent vitam simul & doctrinam Iesu ab omni vsu gladij ac vindicta alienissimam, rogant quid sibi faciendum sit irruentibus iam hostibus, testantes se ad pugnandum & ad vim hostium arcendam paratos. Nam quamuis se ad resistendum agnoscant impares, tamen partim confidunt, animati recenti hostium prostratione quam viderant, illos à se superari posse, modò Dominus annueret, partim corpora sua pro Domino opponere & ad certam mortem obiicere non dubitant, malentes perire cum ipso, quàm se viuis ac videntibus eum opprimi, tum quia nouerant manifestam ipsi iniuriam fieri, quem constabat vitâ & doctrinâ irreprehensibilem esse, tum quia paulò antè sponte promiserant optimo præceptori se potiùs morituros cum ipso quàm essent ipsum deserturi (Mar. 14. v. 31.) Quod ergo tunc polliciti fuerant, nunc præstare velle videntur pugnaturi proculdubio animosissimè duobus gladiis quos habebant (sup. v. 38.) & aliis armis quæ furor ministrasset, si Iesus permisisset. Atqui nolebat Iesus vt iam pugnando, sed vt aliquando tolerando, pro ipso morerentur.

Matth. 26. v. 51. Marc. 14. v. 47. Iohan. 18. v. 10.

Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram.

50 καὶ ἐπάταξεν εἷς τις ἐξ αὐτῶν τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ οὖς τὸ δεξιόν.

VNVS. εἷς τις vnus quidam, non exspectato scilicet responso Iesu. Commotus enim zelo propulsandæ à Domino iniuriæ præsentis, sui impos, moram non patitur. DEXTERAM. Hoc exprimit hic Euangelista ob hi-

ob historiæ certitudinem. *Nec simpliciter dexteram auriculam dicit* (inquit Chrysostomus in Iohannem) *sed mihi videtur Apostoli impetum velle ostendere, quod se è in ipsum caput irruit*. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 51.

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· ἐᾶτε ἕως τούτου. καὶ ἁψάμενος τοῦ ὠτίου αὐτοῦ, ἰάσατο αὐτόν.	51 Respondens autem Iesus ait: Sinite vsque huc. & cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum.

RESPONDENS iis qui ipsum interrogauerant *Domine si percutimus in gladio?* VSQVE HVC. ἕως τούτου vsque ad hoc, hucusque id est, non vos moueat id quod futurum est, ita vt me gladio defendere conemini, sed permittite vt hucusque progrediantur isti mei inimici, vt hucusque in me sæuiant quousque eis concessum est, id est, vt me apprehendant. Nam & plura mihi ab ipsis patienda sunt, vt impleantur quæ de me scripta sunt. Neque enim ita intelligendum est *Sinite vsque huc*, quasi placuerit Domino Petri factum vsque huc, sed ampliùs fieri noluerit: cùm ex verbis quæ Matthæus posuit, intelligatur, potiùs totum factum, quo vsus est gladio Petrus, Domino displicuisse. Hæc interpretatio, inter veteres, est D. Augustini lib. 3. de cons. Euang. cap. 5. Porrò vt Petrus percussit interea dum Dominus hoc responderet discipulis: ita Dominus his verbis ad omnes dictis, mox subiunxit, ad Petrum conuersus, ea quę Matthæus refert Petro dicta fuisse: *Conuerte gladium tuum* &c. vt Augustinus eodem loco docet. ET CVM TETIGISSET. Et vt reipsa monstraret Iesus, se nolle armis defendi à discipulis, resarciuit etiam damnum ab vno discipulorum illatum, Petrique errorem emendauit, nequaquam oblitus siue potentiæ siue misericordiæ suæ. Tactu sanauit, vt ostenderet, nec in passione ipsa infirma, deesse sibi virtutem illam viuificam, quâ tam multos sæpe ægrotos hactenus sanauerat. AVRICVLAM EIVS s. qui læsus fuerat, id quod Syrus etiam exprimit. Videtur quòd ita amputata fuerit auricula, vt non quidem in terram ceciderit, sed de extremo filo penderit.

SANAVIT EVM, auriculâ suo loco repositâ, sic vt nullum vulneris vestigium appareret. Vulnus erat, infame magis quàm periculosum, sed tamen insanabile, quòd cartilago semel desecta non coëat rursus. *Comprehende*, inquit Ambrosius, *si potes, quomodo ad dextera Saluatoris attactum fugiat dolor, & vulnera non medicamento adspersa, sed tactu obducta, sanentur. Operatorem suum limus agnoscit, & operatricem suam Domini manum sequitur caro: quomodo enim vult, opus suum creator instaurat. Iubere potuit, sed operari maluit, vt cognoscamus ipsum esse, qui è limo terræ, corporis membra nostri, variis apta formauit officiis, & infuso vigore mentis animauit*. hactenus Ambrosius. Sanare porrò Iesus hunc voluit, vt ostenderet se nolle defendi armis, quemadmodum diximus. *Noluit persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare*, inquit Ambrosius lib. 3. offic. cap. 4. Cauit deinde Iesus, ne hinc calumnia ipsi strueretur, & criminis loco obiiceretur, quòd magistratui legitimo restitisset, adeoque vnum è ministris iustitiæ, discipulorum operâ, grauiter læsisset cum manifesto cædis conamine. Potuisset enim hoc colorem omnibus calumniis dare, quibus eum hostes falsò grauabant, & infamiam ipsi eiusque doctrinæ inurere, quasi ad res nouandas seditiosis conatibus vsus esset. Præterea, hunc sanando monstrauit, quòd non inuitus caperetur, sed sponte se ipse traderet. Hoc enim miraculum tanto magis est obseruandum, quanto imbecillior nunc esse videtur Christus. Erat quasi aduersariorum captiuus, corpore, at non maiestate. Etsi enim non vtitur maiestate suâ ad opprimendos illos, declarat tamen hac sanatione eam sibi adesse, vt iterum testetur, se, non humanis viribus, sed sua ipsius voluntate captiuum fieri. Nam qui poterat rem difficiliorem, aurem amputatam restituere, facile erat intelligere, posse si vellet, rem faciliorem, euadere ex hostium imminentium manibus. Insuper hoc miraculo Iesus, perfectæ modisque omnibus absolutæ mansuetudinis, & erga inimicos charitatis, exemplum omnibus reliquit. *Illi iusto mortem inferebant*, inquit Ambrosius, *persecutorum vulnera iste sanabat*. *Erudiens nos* (ait Chrysostomus in Iohannem) *quòd in persecutores nostros, beneficos nos esse oporteat*. Postremò Malchi aurem sanauit Iesus, vt resipiscendi occasionem aduersariis præberet, quâ à concepto scelere possent reuocari, *& ab insania*, inquit Theophylactus, *absistere*. Cæterùm horribilis ac prodigiosus stupor tenuit illos, quos nihil mouit tanti miraculi conspectus, *quique venerati non sunt tam clementem pietatis affectum, quod etiam hostes suos Iesus non passus est vulnerari*, ait Ambrosius. Minùs tamen mirum est, in alienâ personâ Christi virtutem non esse intuitos, quum voce eius prostrati furere non destiterint. Atqui erant illi animis efferatis *sensuque reprobo, venundati vt facerent malum, captiui denique satanæ ad ipsius voluntatem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente*. Verùm in seruo ipso qui sanatus fuit, intolerandum exstat ingratitudinis exemplum, si nec diuina Christi virtute subactus est, vt à duritie resipisceret, nec beneficio victus vt ex hoste discipulus fieret.

εἶπε δὲ ὁ Ἰησοῦς πρὸς τοὺς παραγενομένους πρὸς αὐτὸν, ἀρχιερεῖς καὶ στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ καὶ πρεσβυτέρους· ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξεληλύθατε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων.	52 Dixit autem Iesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum & magistratus templi & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus.	Matth. 26. v. 55. Marc. 14. v. 48.

AD SE comprehendendum. PRINCIPES SACERDOTVM. s. præcipuè. Non aderat Caïphas, qui summus omnium tunc erat sacerdotum princeps: sed aderant aliqui ex 24. principibus sacerdotalium familiarum. vide Matth. 2. v. 4. & 26. v. 3. MAGISTRATVS TEMPLI. ædiles. vide suprà versu 4. ET SENIORES. & magistratus populi. vide Matth. 26. v. 3. Aderant cum turba militum ministrorumq; opificum fortè etiam, quibus præerant magistratus templi, & principum aliqui, domini cum ministris (interprete Euthymio inter alios) & quidem ex omni ordine (tanti negotium visum fuit) ob causas complures; Inprimis ne Iudas falleret; si falleret, mox iuberent illi ipsummet comprehendi; Deinde vt audacior esset ad aggrediendum facinus, tradendumque præceptorem, præsentia ipsorum nixus; Tertiò vt milites ministrosque

que animarent, adeoque cogerent, si opus esset, ad comprehendendum Iesum, ne fortè finerent se verborum dulcedine aut quouis alio modo vinci aut reuocari, quo minùs eum caperent, quemadmodum ministri illi aliquando, qui postquam ab ipsis emissi fuerant ad eum comprehendendum, reuersi & rogati cur non adduxissent, responderant: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo*(Iohan.7.v.45.46.) Postremò, vt si qui ex populo Iesum defendere vellent, auctoritate præsentiæ ipsorum compescerentur. Hos igitur, cùm propiùs accessissent, tamquam duces dominique cæterorum, hìc præcipuè alloquutus est Iesus, quippe quorum auctoritate res gerebatur: quamquam & omnes præsentes conuenerit, quemadmodum dicunt priores Euangelistæ. Reliqua huius versus exposita sunt Matth. 26. v.55.

Matth. 26. v.55.56. Marc.14. v.49.

53 Cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

καθ' ἡμέραν ὄντος μου μεθ' ὑμῶν ἐν τῷ ἱερῷ, οὐκ ἐξετείνατε τὰς χεῖρας ἐπ' ἐμέ. ἀλλ' αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα, καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους.

Fverim. ὄντος essem. Non extendistis manvs in me. id est, *non me tenuistis*, vt dicunt alij Euangelistæ. conati enim fuerant, sed *nondum venerat hora eius*. Iohan.7.v.30. Sed hæc est hora vestra. id est, hora qua vobis permittitur agere quod libet, quodque diu optastis, scilicet, vt extédatis manus in me, & omnem malitiæ vestræ libidinem in me expleatis. Aduersatiua coniunctio tantumdem valet, quantum si dixisset: Tunc cùm in templo docerem, non erat hora vestra, tunc vobis id non permittebatur, ac proinde nec valuistis, licet voluntas haud deesset. Horam ipsorum intelligit, non quæ fato aut siderum necessitate adducta cogat ipsos vt hoc iam mali perpetrent (absit) sed quâ à Deo, qui tempora omnia disponit, cæterarum horarum more adductâ, permittatur ipsis agere quod diu desiderarint nec quiuerint. q.d. hæc est opportunitas tamdiu vobis quæsita iamque tandem concessa. Simili loquendi modo vulgò vtimur, si quis diu prohibitus fuerit facere quod admodũ desiderarit, tandem vbi permittitur, *hæc est*, dicitur, *hora ipsius*. Concedi autem siue permitti ipsis hac hora agere quod velint, intelligit Iesus, à Deo Patre & seipso: respicit enim ad permissionem diuinam, à Scripturis olim prædictam, nam addit secundùm Marcum: *Sed vt impleantur Scripturæ hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Horam verò potiùs dicit quàm tempus, vt significet, hanc afflictionem ad horam, id est, ad breue tempus dumtaxat, duraturam: atque *hanc horam* vrgens, respicit ad pręsens noctis tempus, quo illi venerant, tamquam diceret, hæc noctis hora seu nocturnum hoc tempus, vestrum est, quippe peruersitati vestræ congruum. Denique quam dicit horam ipsorum, tacitè opponit horæ suæ, non illi tantùm quâ ipse hactenus liberè inuitis ipsis egerat quæ sui fuerant muneris, quantùm illi quâ ipse aliquando iudicaturus est orbem terrarum, & vltionem retributionis adducturus hostibus suis. q.d. hæc est hora vestra, erit vicissim aliquando mea, quâ ego me de hac vestra erga me impietate iustè vlciscar. Quocirca rectè hunc locum interpretatur Euthymius: *Hæc est hora vestra, in qua à Deo potestatem in me accepistis.*

Et potestas tenebrarvm. & hæc est potestas tenebrarum. Explicatio est eius quod præcedit *hæc est hora vestra*. nam id est, hæc est potestas concessa tenebris, vobis impiis scilicet, qui tenebras amatis, & in tenebris agitis quod vestrum est, iniquitatem. *Reuera noctiũ attentatis opera*, inquit Theophylactus, *& potestas vestra tenebrarum est: atque idcircò hanc horam obseruatis, quæ conuenit vobis & operi quo me inuaditis.* Impios tenebras vocat etiam Apostolus Ephes.5.v.8: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: & cap.6.v.12. cùm dæmones vocasset *rectores mundi*, interpretatur, *rectores tenebrarum harum*, seu, vt est græcè, *tenebrarum seculi huius*, id est, impiorum. Vocantur autem impij tenebræ, tum quia *tenebris obscuratum habent intellectum*, quod ait idem Apostolus Ephes.4.v.18. (*errant enim qui operantur malum.* Prou.14.v.22.) tum quia iniquitas cui student, gaudet tenebris, fugit lucem nec videri vult, vnde & eius opera vocantur *opera tenebrarum*. Rom. 13.v.12. Ephes.5.v.11. Quare & alibi Saluator: *Dilexerunt* (inquit) *homines magis tenebras quàm lucẽ: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & nõ venit ad lucẽ, vt non arguantur opera eius.* Ioh.3.v.19.20. *Hæc est* igitur, ait Iesus, *potestas tenebrarum*: id est, quòd vos me iam comprehendatis occidendũ, potestas est à Deo & me ipso vobis tenebris, hoc est, impiis, concessa aduersus me lucem: quare & hæc noctis hora cõcessa est, nã vt tenebræ nocte dominantur, ita vobis iam permittitur, vt lucem, quod in vobis est, ad tempus opprimatis, neque permissum fuit vt interdiu id faceretis, quamquam maximè volueritis, quod non nisi nocti & tenebris congruit. *Ideò*, inquit Beda, *aduersum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra, qua contra lucem mundi armamini, in tenebris est.* Porrò hoc verbo euertit Christus omnem aduersariorum suorum gloriam: nam vtcumque se efferant ob comprehensionem inimici sui, nihil aliud esse docet quàm impios tenebriones. Subdidit autem seipse Dominus ad tempus potestati tenebrarum, vt nos æternùm *eriperet de potestate tenebrarum*: quod factum prædicat Paulus Coloss. 1.v.13. Reliqua huius versus petantur ex Matth. 26.v.55.

Matth.26. v.57.58. Marc.14. v.53.54. Iohan. 18. v.15.

54 Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum: Petrus verò sequebatur à longè.

συλλαβόντες δὲ αὐτὸν ἤγαγον, καὶ εἰσήγαγον εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἀρχιερέως· ὁ δὲ πέτρος ἠκολούθει μακρόθεν.

Comprehendentes. συλλαβόντες qui comprehenderunt. Superioribus verbis *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum*, dederat Iesus hostibus suis facultatem se comprehendendi, nec priùs fuit ab illis detentus captiuus. Simulatque autem ea facultas ipsis data fuit, efferi, nec beneficio auris Malcho restitutæ deliniti, nec verbis adeò consentaneis rationi flexi, vt erant obdurati, violentas crudelesque manus iniecerunt in eum. Dvxervnt. ἤγαγον καὶ εἰσήγαγον duxerunt & introduxerunt. ita est græcè. Latinus Interpres non legit nisi alterum horum verborum. vt neque Syrus: ac certè videri facilè possit alterum græcè superfluere.

Ad domvm. εἰς τὸν οἶκον in domum. Principis sacerdotvm s. Caiphæ ex Matthæo. Reliqua petantur ex Matthæo.

ἀφαίρ-

ἁψάντων δὲ πῦρ ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς, καὶ 55 συγκαθισάντων αὐτῶν, ἐκάθητο ὁ πέτρος ἐν μέσῳ αὐτῶν.

Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

Matth.26. v.58. Marc.14. v.54. Iohan.18. v.18.25.

ACCENSO. ἁψάντων postquam accendissent s. qui comprehenderant eum. IGNE. *erat enim frigus*, quod Iohannes ait. IN MEDIO ATRII. Atrium intelligit quà parte tectum est, nam sub dio non struitur ignis, nec iubentur morari ministri, noctu præsertim. vide Matth.26.v.3. Focus autem erat in medio atrij, vbi se possent hyeme ministri, interea dum dominos suos opperirentur, calefacere, vel immobilis, vel absportabilis. CIRCVMSEDENTIBVS. συγκαθισάντων cùm vnà consedissent. Syrus *sedebant circa eum*. ERAT. ἐκάθητο sedebat. IN MEDIO EORVM. id est, inter eos. Reliqua lege Matth.26.v.58.

ἰδοῦσα δὲ αὐτὸν παιδίσκη τις καθήμενον πρὸς τὸ φῶς, καὶ ἀτενίσασα αὐτῷ, εἶπε· καὶ οὗτος σὺν αὐτῷ ἦν. 56

Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat.

Matth.26. v.69. Marc.14. v.66.67. Iohan.18. v.17.

SEDENTEM AD LVMEN, *quod resplendebat ab igne* (inquit Euthymius) aut certè à lucernâ aliquâ (erant enim in atrio illo, non ignis tantùm, sed & lucernę complures, credibile est) ita sedentem vt facies eius esset obnoxia lumini. Resplendens enim lumen in faciem Petri, causa fuit vt videri posset & agnosci. INTVITA diligentiùs, fixis in eum oculis: plus enim quiddam est ἀτενίζειν, quàm ἰδεῖν, nempe immotis oculis obtueri. DIXIT de eo adstantibus. CVM ILLO homine ERAT, ex comitibus hominis illius vilissimi erat. Ita illa primùm dixit adstantibus: deinde ad Petrum ipsum conuersa, inquit: *Et tu cum Iesu Galilæo eras*, quod habent Matthæus & Marcus. Reliqua lege secundùm Matthæum.

ὁ δὲ ἠρνήσατο αὐτὸν λέγων· γύναι 57 οὐκ οἶδα αὐτόν.

At ille negauit eum dicens: Mulier non noui illum.

Matth.26. v.70. Marc.14. v.68. Iohan.18. v.17.

NON NOVI ILLVM; *neque scio quid dicas*, quod addidit secundùm Matthæum, ex quo reliqua petenda sunt.

καὶ μετὰ βραχὺ ἕτερος ἰδὼν αὐτὸν ἔφη· 58 καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ. ὁ δὲ πέτρος εἶπεν· ἄνθρωπε, οὐκ εἰμί.

Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo non sum.

Matth.26. v.71.72. Marc.14. v.69.70. Iohan.18. v.25.

POST PVSILLVM. paulò pòst, quadrante fortassis horæ pòst. ALIVS quidam. VIDENS EVM reuersum ex vestibulo atrij. DE ILLIS. ἐξ αὐτῶν ex illis s. discipulis hominis istius. Petro egrediente ex atrio, dixit ancilla quædam *Et hic erat cum Iesu Nazareno*, quod habet Matthæus, illo paulò pòst reuertente, prior ancilla, ostiaria inquam, dixit quod Marcus habet *hic ex illis est*. Huic suffragatus vnus ministrorum, obiecit Petro in faciem, *pertinacius insistens*, vt ait Augustinus, ET TV DE ILLIS ES, quod hîc habet Lucas. Primâ vice, vna sola ancilla ostiaria Petrum tentauit: posterioribus autem vicibus, vt à pluribus impetitus fuisse significetur, hinc fit, vt posteriores Euangelistæ alios nominent quàm priores. Pressus itaque secunda vice à pluribus Petrus, simplici negationi addidit iuramentum, quod habet Matthæus. O HOMO. Hoc omittit Syrus. NON SVM ex illis, neque noui hominem, Deo ipso teste. id enim addendum est ex Matthæo.

καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, ἄλλος 59 τις διϊσχυρίζετο λέγων· ἐπ' ἀληθείας καὶ οὗτος μετ' αὐτοῦ ἦν, καὶ γὰρ γαλιλαῖός ἐστιν.

Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est.

Matth.26. v.73. Marc.14. v.70. Iohan.18. v.26.

INTERVALLO FACTO QVASI HORÆ VNIVS. διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς interpositâ quasi horâ vnâ. Syrus *post horam vnam*. ALIVS QVIDAM AFFIRMABAT sociis suis. VERE ET HIC CVM ILLO ERAT, NAM ET GALILÆVS EST: vnde factum est vt plures simul accesserint Petrum, eique dixerint: *Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit*, quod scribunt Matthæus & Marcus. Denique his se adiunxit cognatus Malchi, exclamans: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* quod refert Iohannes. Hi enim omnes, certatim, & tamquam vno consensu, exprobrasse videntur Petro, quòd ex comitibus esset Iesu, & quasi conclamasse vt opprimerent. CVM ILLO Iesu Galilæo. Reliqua quære Matth.26.v.73. & Marc.14.v.70.

εἶπε δὲ ὁ πέτρος· ἄνθρωπε, οὐκ οἶδα 60 ὃ λέγεις. καὶ παραχρῆμα, ἔτι λαλοῦντος αὐτοῦ, ἐφώνησεν ἀλέκτωρ.

Et ait Petrus: Homo nescio quid dicis. Et continuò, adhuc illo loquente, cantauit gallus.

Matth.26. v.74. Marc.14. v.71.72. Iohan.18. v.27.

HOMO NESCIO QVID DICIS. nõ intelligo quid velis dicere, dispeream si nouerim hominem istum quem dicitis, quod est Matthæi & Marci. Respondit enim Petrus, & homini illi cuius sermonem ad socios audierat, & iis qui illum sequuti istud ipsi simul obiectabant: præterquam quòd in hoc negotio, quod vni à

Petro respondebatur, omnibus responderi intelligi poterat. erat enim vnanime maximè malorum consortium. ADHVC ILLO LOQVENTE. vix verba finierat. Hoc factum est, in maiorem confirmationem veridicæ prædictionis Iesu. CANTAVIT GALLVS, ita vt ille audiret. Reliqua Matth.26. v.74.

Matth.26. v.75. Marc.14. v.72.

Et conuersus Dominus respexit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat, Quia priusquã gallus cantet, ter me negabis. [61]

καὶ στραφεὶς ὁ κύριος ἐνέβλεψε τῷ πέτρῳ· καὶ ὑπεμνήσθη ὁ πέτρος τοῦ λόγου τοῦ κυρίου, ὡς εἶπεν αὐτῷ, ὅτι πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, ἀπαρνήσῃ με τρίς.

DOMINVS. Syrus pro *Dominus* scribit *Iesus*: quamquam D. Augustinus lib.3. de cons. cap.6. vrgeat vocem *Dominus*, vt probatius reddat, conuersionem respectionemque, cuius hîc est mentio, non humanis oculis, sed diuinis factam. RESPEXIT PETRVM. Multi hunc locum intelligunt de corporali conuersione & respectu Domini Iesu, sed minùs verisimiliter. Cùm enim Dominus Iesus fuerit intus, Petrus autem foris in atrio (quod ex Matth.26.v.69. notat etiam D. Augustinus) duo illa loca, etsi non vnus supra alium (quod tamen putat Augustinus) sed contigua sibi mutuò aut certè vicina fuerint, altero dumtaxat aliquot gradibus eminente (Marc.14. v.66.) necesse est dicere, fuisse à se mutuò separata, pariete vt minimum, ne vel consilia actionesque principum temere cuiuis è vulgo paterent, vel tumultus insolentium atque irrequietorum ministrorum obesset principibus seriis negotiis occupatis. Nam *in exteriore atrio fuit Petrus*, inquit Augustinus, *inter seruos qui simul se ad ignem calefaciebant: non est autem credibile, quod ibi audiebatur Dominus à Iudæis*. Id ergo cùm ita fuerit, non potuit Dominus Petrum oculis corporis adspicere, nisi dicatur, vel ostium tunc temporis ita patuisse, vt id factum sit, vel Petrum tunc ingressum fuisse in conclaue, vel denique Iesum foras abductum in atrium: quorum nihil est verisimile, nam ante sui condemnationem Iesus eductus non fuit è conclaui, ac ne quidem statim pòst: in conclaui autem, vbi principes sua tractabãt negotia, non potuit accidisse altercatio illa ministrorum & Petri: Denique constituto in conclaui, non facilis potuit fuisse respectus in amplum atrium, patente ostio angusto. Accedit, quod obesse potuisset Petro respectus Iesu corporalis, vtpote quo facilè fuisset proditus: prodesse autem non potuisset per se solus absque respectu spiritali: nam & Iudã respexerat Iesus, qui tamen nihilo melior inde redditus fuerat. Quare præstat sequi sententiam D. Augustini loco paulò antè laudato, & interpretari hunc locũ de spiritali conuersione ac respectu Domini Iesu. Auersus fuerat Dominus à Petro, cui merito arrogantiæ suæ negauerat gratiam qua tentationibus resisteret (id enim, eandẽ ob causam, sibi accidisse, Dauid conqueritur Psal.29.v.8: *Ego dixi in abundantia mea* &c. *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*, annotante Ambrosio) remisso autem rigore illo iustitię conuersus respexit Petrum misericordiæ & clementiæ oculis, mentem eius gratiæ suæ radiis illustrans simul & commouens, ita vt ipsi veniret in mentem, quid Dominus ipsi prædixisset, & quoties Dominum iam ipse negasset, vtque peccato agnito salubriter pœniteret neque diu in peccato maneret. Sic orat psalmographus Psalm. 6. v.5: *Conuertere Domine & eripe animam meam*. & Psal.24. v.16: *Respice in me & miserere mei*. *Respicit enim Dominus, quem ex periculo aliquo vel labore, diuinâ misericordiâ liberat*. sic ferè D. Augustinus hunc locum explicat. Commendatur igitur hîc & diuinitas & benignitas Domini Iesu, quòd absens, quòd negatus, quòd captus & ligatus non obliuiscitur discipuli, sed intuitu pietatis ac gratiæ respicit lapsumq; erigit. *O bonitatem* (exclamat Theophylactus) *etiam cum negaretur, non neglexit discipuli salutem*: Et *ligatus* (addit scribens in Iohannem) *adspexit atque adspectu opprobrauit ei infirmitatem, & ad pœnitentiam ac lachrymas excitauit*. Hausit hoc autem ex Chrysostomo præceptore, qui & ipse in Iohannem his verbis scribit: *Tu autem admirare magistri curam & diligentiam, quòd captus & ligatus discipulo consulit, intuitu suo iacentem excitans & ad lachrymas mouens. nec enim fieri poterat*, inquit Hieronymus Matthæum enarrans, *vt in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi*.

ET RECORDATVS EST. atque ita recordatus est, VERBI DOMINI, *& egressus foras fleuit amarè*, quod sequitur proximo versu, respectus nimirũ à Domino conuerso. *Lapsum enim suum*, inquit Chrysostomus in Matthæũ, *non antè sensit, quàm in eum Christus respexisset, cuius inspectio vox illi facta est*. *Respectus Domini, quasi vox quædam Domini corripientis, auribus Petri insonuit*, ait D. Leo serm.3. de passione Domini. Non est enim pœnitentiæ initium, nisi à Domini respectu: *quia non solum cum agitur, verumetiam vt agatur pœnitentia, Dei misericordia necessaria est*, ait D. Augustinus Enchiridij cap. 82. Ad quem D. Augustini locum hîc alludens Beda: *Respiciente Domino*, inquit, *Petrus ad cor reuersus, maculam negationis pœnitentiæ lachrymis terget: quia non solùm cùm agitur pœnitentia, verumetiam vt agatur, Dei misericordia necessaria est. Respicere namque eius, misereri est*. hæc ille. In quam sententiam & D. Ambrosius hoc loco. *Quos Iesus respicit, plorant delictum*; & alibi: *Iesu labentes respice, & nos videndo corrige: si respicis lapsi stabunt, fletuq; culpa soluitur*. SICVT DIXERAT. ὡς εἶπεν αὐτῷ quomodo dixisset sibi, quomodo præmonitus ab ipso fuisset. QVIA. superest. PRIVSQVAM. vide suprà v. 34. Reliqua exposita sunt Matth.26. v.75.

Matth.26. v.75. Marc.14. v.72.

Et egressus foras Petrus fleuit amarè. [62]

καὶ ἐξελθὼν ἔξω ὁ πέτρος ἔκλαυσε πικρῶς.

Versiculus iste expositus est secundùm Matthæum.

Matth.26. v.67. Marc.14. v.65.

Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. [63]

καὶ οἱ ἄνδρες οἱ συνέχοντες τὸν ἰησοῦν, ἐνέπαιζον αὐτῷ, δέροντες.

ET VIRI. Illi autem. QVI TENEBANT. οἱ συνέχοντες qui simul tenebant, quibus commissum erat vt tenerent, qui tenendo illo & obseruando & custodiendo eâ nocte erant delegati: non enim sufficiebat vinctum & funibus ligatum esse, nisi multorum præterea ministrorum, partim manibus teneretur, partim præ-

sentiã

sentiâ obseruaretur & custodiretur. ILLVM. τὸν ἰησοῦν Iesum est græcè & syriacè clariùs. ILLVDEBANT EI. sputis ludibriisque iactis in eum. CÆDENTES s. eum pugnis & palmis, conuitiis addentes verbera. Syrus omittit hanc vocem *cædentes*. Reliqua ex Matthæo petantur.

καὶ περικαλύψαντες αὐτὸν, ἔτυπτον[64] αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν λέγοντες· προφήτευσον, τίς ἐστιν ὁ παίσας σε;

Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum dicentes: Propheti
za, quis est qui te percussit?

Matth. 26. v. 67. 68. Marc. 14. v. 65.

ET VELAVERVNT EVM, ET. καὶ περικαλύψαντες αὐτὸν & postquàm obuelassent eum, id est, oculos eius. PERCVTIEBANT. alapis. Reliqua exposita sunt apud Matthæum & Marcum.

καὶ ἕτερα πολλὰ βλασφημοῦντες[65] ἔλεγον εἰς αὐτόν.

Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

ALIA MVLTA. prout malitia singulis suggerebat, pro varietate affectuum varias singuli blasphemias euomebant. Vnus fortè quòd esset comessator & vinipotor, amicus publicanorum & peccatorum (suprà 7. v. 34.) alter quòd in principe dæmoniorum eiecisset dæmonia (suprà 11. v. 15.) nec tamen se ipse iam posset eripere è manibus; Alius quòd cùm pro Christo ac propheta se gessisset, & principibus ac Pharisæis restitisset, non prænosset se capiendum & interficiendum ab eis: quòd ipsius stultitia iam pateret, & fallaciæ quibus populum seducere conatus fuerat, &c. Nox illa tota insomnis ducebatur, & nulla requie data transigebatur conuitiis & iniuriis in Dominum, quæ facilè coniicere licet, tum ex hora & potestate tenebrarum, tum ex odio eorum à quibus damnatus, tum ex insolentia eorum inter quos erat, satellitum, ministrorum, & cæterorum: ipse verò omnia audiebat & ferebat, tacens, patiens, *saturatus opprobriis*. BLASPHEMANTES. id est, contumeliosè in diuinam maiestatem eius. vide Matth. 27. v. 39. IN EVM. aduersus eum.

καὶ ὡς ἐγένετο ἡμέρα, συνήχθη τὸ[66] πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, ἀρχιερεῖς τε, καὶ γραμματεῖς, καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν,

Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis & principes sacerdotum & scribæ, & duxerunt illum in concilium suum,

Matth. 27. v. 1. Marc. 15. v. 1.

VT FACTVS EST. ὡς ἐγένετο vt fuit, vt ortus est DIES, simulatque illuxit. Vsque ad exortum diei, donec iterum repræsentatus est cōcilio, intelligitur ludificatus fuisse Dominus, quod notat Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 6. CONVENERVNT SENIORES PLEBIS. συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ conuenit senatus populi. Syrus omittit *populi*, & pro *senatus* vertit *seniores*, vt plerique omnes Interpretes. ET SCRIBÆ. iam legitimi concilij formam exhibituri. Matthæus & Marcus duplicis conuentus meminerunt, nocturni & matutini; Lucas solius matutini, vt qui celebrior fuerit. DVXERVNT. ἀπήγαγον, vel potiùs, vt est in aliis libris, ἀνήγαγον. compositum pro simplici ἤγαγον duxerunt. ILLVM solutum vinculis, quod Matth. 26. v. 2. annotauimus. CONCILIVM. συνέδριον synedrion, consessum, conuentum. Syrus *domum congregationis suæ*. Quamquam nocte ductus fuerat in concilium, & auditus, fuerat condemnatus blasphemiæ, atque adiudicatus morti: tamen concilio huic matutino, vt celebriori magisque legitimo, iterum eum sisti iubent. Reliqua quære Matth. 26. v. 1.

λέγοντες· εἰ σὺ εἶ ὁ χριστός, εἰπὲ[67] ἡμῖν. εἶπε δὲ αὐτοῖς· ἐὰν ὑμῖν εἴπω, οὐ μὴ πιστεύσητε·

dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:

DICENTES. Non dubium est, quin & in hoc concilio, vnus omnium nomine loquutus sit, & is quoque Caiphas, vt summus pontifex, ac proinde Concilij præses & caput, cui etiam præ cæteris cordi erat hoc negotium. CHRISTVS. ὁ χριστὸς Christus ille, olim à Deo patribus promissus atque hactenus exspectatus, Rex Israel, quemadmodum ex doctrina tua discipuli tui credunt. DIC apertè NOBIS principibus & iudicibus Israel, quorum id maximè interest. Rogant tamquam dubij & qui discere velint, quò faciliùs eliciant responsum, cùm nulla ratione aut credere aut discere vellent, sed interrogarent dumtaxat hypocritæ, expiscandi gratiâ id quod audire vellent, quodque sufficere ipsis videretur ad ipsum morte mulctandum: id quod etiam ipsis mox respondet. Rogarant hoc idem nocte, & adhibita adiuratione vrserant responsum, quod & retulerant, propter quod etiam damnauerant eum: sed quia illud nocte gestum fuerat, ac proinde minùs legitima iudicij specie, reuocant eum in concilium hoc, quod præterquam quòd esset diurnum, etiam celebrius erat, à quo nullus principum vel eorum qui ad concilium pertinebant aberat, vt si hoc idem confiteatur quod nocte confessus fuerat, atque idem rursus sibi nomē vsurpet, iterum mortis reus sententiâ non refutabili pronuncietur, & tamquam pertinax, confidentiùs Pilato occidendus tradatur; si neget, conuincatur confessione nocturna & multorum testimoniis. Nec tamen iam adhibent adiurationem, vt nocte, quia nocte satis facilem experti fuerant vt in hoc negotio responderet. Nec rogant vt nocte, *Si tu es Christus Filius Dei*: licet enim pluris facerent, & maiorem blasphemiam iudicarent, quòd se diceret Filium Dei, quàm quòd Christum: tamen quia nouerant, Pilatum pluris facturum, quòd se diceret Christum, quod interpretabantur esse blasphemiam in Cæsarem, id est, crimen læsæ maiestatis Cæsareæ (erat enim Iudæo-

rum omnium opinio, Christum regem fore,& populum à tyrannide omni liberaturum) quàm quòd se diceret Filium Dei, vtpote qui Deos multos,& patres & filios, adeoque ex hominibus assumtos heroas, crederet, prius illud Iesu proponunt: An se habeat pro Christo Rege; non neglecturi posteà etiam alterum.

ET AIT ILLIS. Cur ad hanc quæstionem non putauerit Dominus Iesus sibi esse tacendú, diximus Matth. 26. v.64. SI VOBIS DIXERO me esse Christum, NON CREDETIS MIHI, quemadmodum hac iam nocte & aliàs sæpe expertus sum. Verisimile est, quòd Dominus Iesus meminerit responsi sui nocte superiore dati: sed quia Lucas nocturnum conuentum omisit, recitat Domini responsionem absolutè, absque significatione relationis ad responsionem nocte datam. *Mihi* non additur quidem græcè, sed tamen latinè ac syriacè. *Non credetis verbis meis, qui operibus longè ad persuadendum efficacioribus, non credidistis.* ita Theophylactus. Perstringit malitiam eorum, quòd non cognoscendi sed condemnandi studio inquirant. Quamuis enim complura miracula conspexissent, quæ etiam Iesu tacente cælestem ac diuinam eius potentiam assererent, adeoque clamarent Redemtorem esse olim promissum, tamen tantum aberat vt crederent, vt etiam modis omnibus persequerentur.

si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.	68	ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω, οὐ μὴ ἀποκριθῆτέ μοι, ἢ ἀπολύσητε.

SI AVTEM ET. quòd si etiam, vel si INTERROGAVERO vos, vnde conuincere vos possim, & docere me Christum esse: si de hoc negotio vobiscum disserere voluerim, & allatis sacris Scripturis rationibusque veritatem vobis demonstrare. NON RESPONDEBITIS MIHI, verbum, addit Syrus, id est, non venietis mecum in disputationem ea de re, vt nec aliàs frequenter; sup. 20. v.7. cùm rogarem *de Iohannis baptismate è cælo esset an ex hominibus*; ibidem v. 17. *cùm quærerem de lapide ab ædificantibus reprobato*; ibidem v.44. cùm proponerem vobis Psalmum *Dixit Dominus Domino meo.* NEQVE DIMITTETIS. Syrus addit *me.* ἢ ἀπολύσητε neque absoluetis s. à vinculis ac morte, etiamsi conuicti innocentem agnoscere me cogamini, sed quauis ratione interficietis. ea est obstinatio vestra, quam noui, præscius quomodo acturi mecum sitis. Quum igitur, inquit, non hoc agatis, quod in legitimis iudiciis fieri solet, vt cognita veritate aut condemnetis nocentem aut dimittatis innoxium, sed hoc solùm, vt mortem, quam mihi inferre decreuistis, iustitiæ titulo inferre videamini, indigni estis quibus respondeam: hoc tamen habete, *quod ex hoc erit Filius hominis*, &c.

Matth. 26. v.64. Marc. 14. v.62.	Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.	69	ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καθήμενος ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ.

EX HOC s. tempore, post hoc tempus. ἀπὸ τοῦ νῦν ab hoc nunc, id est *amodò*, quod habet Matthæus, *posthac.* AVTEM non additur græcè neque syriacè, rectè tamen suppleuit Interpres: subaudiendum est enim tale quid, quale additur secundùm Matthæum: *Verumtamen dico vobis.* Hoc habete & scitote, quòd verum esse reipsa comperietis: *Ex hoc erit* &c. Non respondet disertis verbis se Christum esse, sed dat intelligendum, signo ex sacris Scripturis allato, quod ipsorum animos meritò perterrefacere debeat, vt quo asserat, iudicij tempus deinceps fore, quo ipsi condemnentur, non sermonum aut doctrinæ quo doceantur quis ipse sit; expositore Theophylacto. VIRTVTIS seu potentiæ DEI, id est, omnipotentis Dei, constitutus ea in dignitate, quæ deceat Christum Filium Dei omnipotentis, idque vobis spectantibus, cùm à resurrectione mea, tum maximè in reditu meo ad iudicium, & vestro malo seriùs agnoscentibus. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v.64.

Matth. 26. v.63.64. Marc. 14. 61.62.	Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis quia ego sum.	70	εἶπον δὲ πάντες· σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ; ὁ δὲ πρὸς αὐτοὺς ἔφη· ὑμεῖς λέγετε ὅτι ἐγώ εἰμι.

OMNES in turbâ, confusè & importunè, nullo ordine seruato, non valentes se continere præ lætitia, quòd audisse sibi viderentur, vnde eum possent morte multare. TV magnam habet contemtus emphasim: Tu fabri filius, amicus publicanorum, sabbati præuaricator &c. Et dixerat quidem ipse, non *ego*, sed *Filius hominis*: at nouerant illi quòd ea periphrasi intelligeret seipsum. TV ergo, non tantùm ES dignitate Christus, verumetiam naturâ FILIVS DEI? Hoc inferunt ex eo, quòd sedere à dextra omnipotentis Dei, non alij conuenire posse videatur, quàm ipsi Filio Dei: atque eo magis id inferunt, quòd decretum ipsis erat, postquam respondisset an esset Christus, & hoc rogare An esset Filius Dei, etiamsi huiusmodi occasionem Iesus suis verbis non dedisset, quemadmodum superiori nocte fecerant Matth. 26. v.63., vt & de hoc, quod ipsi quidem grauius iudicabant, apud Pilatum accusarent, si opus foret, & si quid Pilatum mouere posset. Non repetunt autem *Tu ergo es Christus Filius Dei*: sed intelligentes ipsum concedere quod minus est, se inquam Christum esse, qui sibi arrogaret quod maius est, se Filium esse Dei, illud solum rogant quod maius est. Dei Filium aliquem aut esse aut aliquando fore, non credebant, eò quòd Deus vnus esset: atque adeò ne Christum quidem naturâ Dei Filium fore credebant, negligentes scrutari quid sibi illud vellet, quod Iesus ipsis aliquando proposuerat, *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* sup. 20. v.42. QVIA, id est, quòd EGO SVM; me esse. ciuiliter assentientis est, prout diximus Matth. 26. v.64. Vos dicitis id quod res habet, & ex argumento iam à me pronunciato, à vobisque obseruando, tandem reipsa cognoscetis ita esse. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v.63.64.

Matth. 26. v.65. Marc. 14. v.63.64.	At illi dixerunt: Quid adhuc deside-	71	οἱ δὲ εἶπον· τί ἔτι χρείαν ἔχομεν

μεν μαρτυρίας; αὐτοὶ γὰρ ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ.	ramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.

DESIDERAMVS TESTIMONIVM. *χρείαν ἔχομεν μαρτυρίας* opus habemus testimonio. Superiori enim nocte solicitè quæsierāt testes, qui aliquid morte dignum testarentur aduersus eum: *nec inuenerant, etiam postquam multi falsi testes accessissent*, quod narrant, Matthæus c.26.v.59.60.& Marcus cap.14.v.55. Syrus: *Quid amplius requiruntur nobis testes?* Dixerat nocte hoc Caiphas: iam omnes totius concilij, etiam illi qui nocte abfuerant, hoc idem dicunt. IPSI iudices AVDIVIMVS nostris auribus DE ex ORE EIVS s. id quod condemnat eum, & morte dignum clamat, blasphemiæ inquam crimen in Deum, in Christum, in Cæsarem, quo nihil capitalius. blasphemauit coram nobis ipsis iudicibus, & Dei Filium & Christum se dicens, ac proinde proprio se ore damnauit, id quod etiam omnes apud Pilatum testari possumus, si est opus. Hęc eadem, nocte à Caipha dicta, latiùs exposita sunt Matth.26.v.65. His igitur auditis, conclusit denuò Caiphas ex omnium sententiâ, iudicauitque Iesum morte dignum esse.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Καὶ ἀναστὰν ἅπαν τὸ πλῆθος αὐτῶν, ἤγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸν Πιλάτον.	1	Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.	*Matth.27. v.2. Marc.15. v.1. Iohan.18. v.28.*

ET pro Tunc. Cùm probabili iudicio viderentur eum condemnasse ex confessione propriâ, quale posset etiam Pilatum mouere. SVRGENS soluto concilio OMNIS MVLTITVDO. tota turba. EORVM qui concilio interfuerant, pontificum, seniorum, scribarum, nullus enim voluit abesse. Quia causâ iustâ deficiuntur, multitudine se armant. DVXERVNT. ἤγαγε duxit. Interpres legit ἤγαγον. AD PILATVM vt ille eum crucifixum occideret. Reliqua petantur ex Matthæo & Marco.

ἤρξαντο δὲ κατηγορεῖν αὐτοῦ, λέγοντες· τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, καὶ κωλύοντα καίσαρι φόρους διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν χριστὸν βασιλέα εἶναι.	2	Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cęsari, & dicentem se Christum regem esse.	*Matth.27. v.12. Marc.15. v.3.*

COEPERVNT. s. postquam Pilatus recusasset condemnare Iesum ex solo ipsorum præiudicio, quod constat ex Iohan.18.v.30.31. HVNC. præ contemtu haud nominant. INVENIMVS. est præteritum ex *εὕρομεν* inuenimus, deprehendimus, non odio aut inuidia in eum concitati fingimus, sed rei per nosipsos compertæ veritatem testamur. SVBVERTENTEM. *διαστρέφοντα* peruertentem, seducentem propositis doctrinis nouis, abstrahentem ab obseruatione legis diuinitus nobis datæ. GENTEM NOSTRAM. populum Iudaicum. TRIBVTA DARE siue *dari*. ne tributa darentur à gente nostra. ET DICENTEM. Græcè non additur *&*, quasi innuatur, ex eo accusari quòd tributa neget soluenda Cęsari, quòd dicat, se, non Cæsarem, esse Regem Iudæorum. CHRISTVM REGEM. s. Iudæorum. Addunt *Regem*, quamquam hoc includeretur nomini Christi, vt Pilatus meliùs intelligat crimen defectionis & affectatę tyrannidis, crimen maiestatis cæsareæ læsæ, de qua accusant. Molitus est, principatum Iudææ Cæsari ereptum, cum regni gloriâ in se transferre, quibus ferè verbis hoc Cyrillus exponit lib.12. in Iohannem cap.7. Malignè arripuerunt nomen Regis, quo summam inuidiam apud Pilatum Iesu conflarent: sciebant enim grauissimum haberi crimen apud Romanos Præsides, si quis citra Cæsaris auctoritatem Regem se diceret in Imperio Romano. Accusant itaque hìc Iesum, vt transgressorem legum tum diuinarum tum humanarum: & quidem tria obiiciunt, gradatim sese mutuò grauitate excedentia, vbi Pilati, Romanorum iura tuentis, foret requirendum iudicium; sed ea falsissima omnia & mendacia impudentissima. Nam quod ad primum attinet, quòd non peruerterat Iudaicum populum, manifestum ex eo erat, quod summa prædicationis ipsius fuerat, pœnitentiam agentibus paratum esse propinquum regnum cælorum. quòd plurimos à peccatis quibus diu fuerant immersi ad Deum conuertisset, plurimos diaboli tyrannide & animâ & corpore oppressos liberasset, plurimorum ægritudines sanasset, omnibus benefecisset, denique non tantùm non abstraxisset à legis obseruatione, vt contrà exactiùs longè legem obseruandam docuisset, quàm nullus alius Rabbinorum ante ipsum, prout testantur capita 5. 6. & 7. Euangelij secundùm Matthæum. Quòd non vetuisset tributa dari Cæsari, in confesso erat, eò quòd superioribus diebus hac de re subdolè rogatus, prudentissimè respondisset *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* sup.20.v.25. Denique quòd non arrogasset sibi regnum aliquod Cæsari aduersarium, præter hoc, quod fugerat aliquando, cùm multitudo impensiùs ipsi fauēs vellet ipsum Regem in deserto creare (Iohan.6.v.15.) res ipsa loquebatur, eò quòd nullas opes coaceruaret, nullos adscisceret sibi milites, denique contrario prorsus modo se gereret quàm Reges aut ij qui regna huius mundi ambiunt. Nam quòd Christum Regem se dixerit, non tam dixerat quàm operibus ipsis se declarauerat eiusmodi, Christum inquam, & eum Regem, sed non huius mundi: nec enim terrenum, sed cælestem se esse Regem, paulò antè confessus fuerat, ab ipsis adiuratus, cùm prædiceret ipsos visuros *filium hominis sedentem a dextris virtutis & venientem in nubibus cæli.* sup.22.v.69. Matth.26.v.64. Porrò cùm exspectarent

rent ipsi, & quidem auidè, Christum Regem, iuxta diuina promissa, non debebant Iesu criminis loco obiicere quòd dixisset se eum esse, nisi priùs scrutati Scripturas comperissent, ea quæ de Christo prophetæ prædixerant, minimè in ipsum competere. Sed Scripturas ipsi non scrutabantur, præsumta autem opinione falsi, persuadebant sibi, Christum fore Regem huius mundi, & quidem maximum, opibusque & armis & regno cæterisque mundi bonis florentissimum: qualem cùm viderent Iesum haud esse, reiiciebant eum & despiciebant, & inuidia crepantes, quòd vir pauper & humilis, non absque diuinis miraculorum testimoniis, pro Christo se gereret, non tantùm eum Christum agnoscere nolebant, verumetiam de eo accusabant, quòd pro Christo Rege se haberet, tamquam hoc ipso esset morte dignus, malentes Cæsaris idololatræ iugo æternùm se addicere, quàm hunc pro Rege sibi diuinitus promisso recipere. Porrò his malitiosis criminationibus suis hoc meruerunt, vt verè iam gens eorum peruersa & subuersa sit, & exsul vbique sub tributo degat, denique Christo semel ab se reiecto orbata, frustrà vaneque alium tot iam lapsis seculis exspectet.

Matth. 27. v. 11. Marc. 15. v. 2. Iohan. 18. v. 33. 37.

3 Pilatus autem interrogauit eum dicens: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait: Tu dicis.

ὁ δὲ πιλάτος ἐπηρώτησεν αὐτὸν λέγων· σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ ἔφη· σὺ λέγεις.

TV ES REX IVDÆORVM Tú ne es Rex ille Iudæorum, quem Christum seu Messiam ipsi vocant? Pilatus de primo accusationis institutæ articulo nihil interrogat, non tantùm quia curæ ipsi non sunt ea quæ Iudaicæ sunt legis, verumetiam quia nouit falsum esse. Nemini dubium esse potest, quin Pilatus, vir in rebus agendis acerrimus, suos vbique habuerit, qui certiorem ipsum quotidie facerent de rebus publicis, quæ Ierosolymis & in Iudæa ac Samaria vniuersa, quibus ipse præerat, quinetiam in Galilæa vicina, gerebantur. Id satis monstrat historia Galilæorum, quorum sanguinem miscuit cum sacrificio. sup. 13. v. 1. Intellexerat igitur iamdiu, quid hominis esset Iesus, & cuiusmodi esset doctrina eius: intellexerat inquam, hominem esse sanctum & iustum, & doctrinam eius diuinam ac salutarem, qua beneficis miraculis fulta populum à vitiis ad pœnitentiam & ad Deum attraheret: ac proinde nullam fidem adhibuit huic principum Iudaicorum accusationi, quibus, quòd eorum vitia non vereretur redarguere, æquè nouerat Iesum olim esse inuisum. Nec de secundo accusationis articulo quidquam mouet, quamquam maximè ipsius intererat, non quòd tertio articulo includatur (facilè enim potuisset Iesus dicere, se Regem Iudæorum, nec tamen mox prohibere tributa dari Cæsari, id est, Cæsaris palàm se profiteri aduersarium) sed quòd narratum ipsi fuisset, ab iis qui præsentes adfuerant, quid Iesus hac de re, à paucis diebus interrogatus, respondisset: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* adfuerant enim Herodiani, aliique qui tradidissent eum principatui & potestati præsidis, si quid in Cæsaris præiudicium pronunciasset. suprà 20. v. 20. Matth. 22. v. 16. De tertio autem articulo Iesum examinat, non quòd eum haberet perduellionis suspectum, quem nouerat inermem & pauperem agere, & mundi eiusque gloriæ esse contemtorem, sed quòd hîc poterat verisimilitudo aliqua subesse, quòd haberet se pro Rege illo Iudæis olim promisso, præsertim cùm à paucis diebus, vrbem solemniter multisque comitantibus ingressus, permisisset sibi illud acclamari; quod quamuis Pilatum minimè latuerat, non tamen offenderat, postquam omnia considerasset. quid enim intererat ipsius, si Iudæi pro Rege diuinitus sibi promisso haberent virum inopem, qui aduersus Romanum imperium nihil moliretur aut posset? Reliqua huius articuli exposita sunt Matth. 26. v. 11.

Iohan. 18. v. 38.

4 Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine.

ὁ δὲ πιλάτος εἶπε πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ τοὺς ὄχλους· οὐδὲν εὑρίσκω αἴτιον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ.

AIT AVTEM. Postquam Iesum intus in prætorio examinasset, PILATVS egressus vnà cum Iesu, ait AD PRINCIPES SACERDOTVM, foris ante prætorium exspectantes responsum, ET AD TVRBAS, ad populum, qui magno numero confluxerat, omnique momento accrescebat etiam. NIHIL CAVSÆ ob quam condemnandus sit mihi vt morte dignus. οὐδὲν αἴτιον nullam noxam, nullum crimen (nam αἴτιον & causam & noxam vtrumque significat) nullum argumentum criminis aut iudicij vt de capite eius agatur, quod genus ad meum forum pertinet. IN HOC HOMINE. in viro isto quem vos mihi offertis morte afficiendum. Diligenti adhibito examine, nihil in accusationibus vestris solidi inuenio, ob quod morte iste plectendus sit: neque ego quid vmquam intellexi de ipso sinistri. Publicè accusatum publicè excusat, quia nemo erat qui illius causam ageret.

5 At illi inualescebant dicentes: Commouet populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.

οἱ δὲ ἐπίσχυον λέγοντες· ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν, διδάσκων καθ' ὅλης τῆς ἰουδαίας, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς γαλιλαίας ἕως ὧδε.

INVALESCEBANT clamoribus. Syrus *clamabant*. vt vel clamoribus extorquerent, quod rationibus non poterant. Sic enim solent, quos veritas destituit, conscij sibi quòd argumentis vincere nequeant, clamores intendere, & varia vndique collecta, crimina criminibus, mendacia mendaciis accumulare. COMMOVET. perturbat, excitat in seditionem, nihilque aliud facit à multo iam tempore hactenus. DOCENS. docendo, doctrinis & prodigiis falsis. PER VNIVERSAM IVDÆAM. non vnius tantùm, sed omnium prouinciarum Iudaicarum (quod testari poterunt qui ex singulis præsentes adsunt) populum doctrinis seditiosis turbat. omnis regio & omnis populus ab eo perturbatur. Quòd enim Iudæam generaliter hîc acci-

accipiant, ostendunt eo quod subiungunt: INCIPIENS A GALILÆA. Auspicatus fuerat Iesus euangelij prædicationem in Galilæa, quod vidimus suprà 4.v.15.& Matth.4.v.15.17. Quare inquiunt: Ille incepit ab extrema regione nostra [illegible] nihil adhuc intellexisti mali, ideò est, quia nō ante multos dies, hic vbi sedes tu [illegible], commouere cœpit gentem: alioquin si inquirere velis, intelliges in Galilæa & in omni Iudæa per [illegible]. Galilææ meminerunt, partim quia extrema Iudææ prouincia est ad aquilonem, partim vt sed [illegible] suspicionem Pilato ingerant, reuocatis ei in memoriam Galilæis illis, quorum non ita [illegible] sanguinem [illegible] fuerat, Iuda item Galilæo, aliisque similibus seditiosis qui ex Galilæa [illegible]. [illegible] Theophylactus. VSQVE HVC. ad hanc vsque ciuitatem, Iudaici regni metropolim, [illegible] cœpit commouere, signanter sexto ab hoc die. Quomodo tu innoxium declarare potes, eum qui vniuersa Iudæa, a Dan vsque ad Bersabee, patitur iam annos aliquot publicæ quietis perturbatorem? Quin potiùs memineris plures huiusmodi homines factiosos ex Galilæa prodiisse, maximo Reip. malo, [illegible] ex è medio sublati fuissent, periculum erat ne seditio præualuisset. In eodem Remp. iam [illegible] per hunc hominem, doctrinam nouam, quaquà versus spargentem, ne dubites. Cæterùm nec hanc accusationem Pilatus alicuius fecit, certior rerum omnium, prout gestæ fuerant. Rectè igitur in hunc locum scribit V. Beda: *Hic accusantium sermo, magis, & eum qui accusatur innoxium, & eos qui accusant [illegible]. Docuisse enim populum, & a pristini torporis ignauia docendo commouisse, talique actu a Galilæa vsque ad Iudæam, hoc est, totam a fine vsque ad finem terram repromissionis pertransisse, non criminis, sed maximum constat esse virtutis. Potuit namque aliquis amator Domini, sicut etiam fecit, eandem sententiam laudis loco ponere, dicendo auditoribus: Vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enim à Galilæa, post baptismum quod prædicauit Ioannes, Iesum a Nazareth,* &c. (Act.10.v.37.) *Denique Pilatus nec rogandum de hoc ratus saluatorem, se magis ipsum natâ occasione cupit ab eo induando liberum reddere.* Hactenus Beda.

πιλάτ☉ ἢ ἀκούσας γαλιλαίαν, ἐπηρώτησεν εἰ ὁ ἄνθρωπ☉ γαλιλαῖός ἐστι.	6	Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset.

GALILÆAM mentionem Galilææ. Syrus nomen Galilææ. SI HOMO GALILÆVS. id est, an Galilæus. ita vt *homo* superfluat. Quidam, an hic homo, an vir ille, ES SIT Galilæus.

καὶ ἐπιγνοὺς ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας ἡρώδου ἐστὶν, ἀνέπεμψεν αὐτὸν πρὸς ἡρώδην, ὄντα καὶ αὐτὸν ἐν ἱεροσολύμοις ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις.	7	Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.

QVÒD DE HERODIS POTESTATE ESSET. quòd Galilæus esset, ac proinde de ditione iurisdictioneque Herodis, Herodis subditus. qui erat tetrarcha Galilææ. nam Pilatus Iudææ præses erat, non Galilææ. vide suprà 3.v.1. Galilæus erat Iesus, educatione & cō[illegible] in Nazareth oppido Galilææ habitatione, *vsque ad ostensionem sui in Israel*; quamquam natus in Bethlehem, oppido Iudææ, quod non perinde innotuerat. REMISIT. misit, à se ablegauit. captabat enim [illegible] occasionem se extricandi iudicio Iesu, gnarus quòd *per inuidiam* à pontificibus postularetur ad mortem. Matth.27.v.18. AD HERODEM. tamquam Herodis subditum, ac proinde ab ipso iudicandum, potiùs quàm à se. Herodes iste, Antipas cognomine est dictus, estque idem ille interfector Iohannis Baptistæ. de quo Euangelista suprà cap.3.v.19.20. filius Herodis infanticidæ, de quo Matthæus cap.2. *Romanorum lex cauet*, inquit Theophylactus, *vt vnusquisque à principe sua regionis iudicetur: ideo tamquam Galilæum, Iesum mittit principi Galilææ*: quamuis hac lege nō omnino teneretur, cùm de iudicio Galilæi in Iudæa apprehensi accusatiq; ageretur. Idcircò bis hîc peccauit Pilatus, semel quòd innocentem non absolueret, semel quòd insontis iudicium permitteret tyranno, incestuoso adulterio infami. Cæterùm hoc quoque gestum est dispensatione diuini consilij, vt ab omnibus tribunalibus Dominus Iesus referret innocentiæ testimonium, palàm traductis pontificum principumque Iudaicorum criminationibus.

ILLIS DIEBVS. vtpote paschalibus: nam Ierosolymam, vbi templum erat, ad celebrandam paschæ solemnitatem, omnes vndique Iudæi conuenire debebant, iuxta legem Exod.23.v.17. Erat autem Herodes hîc natus Iudæus, patre proselyto.

ὁ ἢ ἡρώδης ἰδὼν τὸν ἰησοῦν, ἐχάρη λίαν. ἦν γὰρ θέλων ἐξ ἱκανοῦ ἰδεῖν αὐτὸν, διὰ τὸ ἀκούειν πολλὰ περὶ αὐτοῦ· καὶ ἤλπιζέ τι σημεῖον ἰδεῖν ὑπ᾽ αὐτοῦ γινόμενον.	8	Herodes autem, viso Iesu, gauisus est valde. erat enim cupiens ex multo tempore videre eū, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

VISO IESV. Numquam viderat, quamquam in ipsius ditione hactenus conuersatum: non enim operæpretium duxerat domo egredi, vt prophetam videret, nisi fortè (vt Iohannem) captiuum teneret. id quod videri possit molitus suprà 13.v.32. Inter cæteras, hanc pœnam pro nobis subiit Iesus, quòd, fatigatus licet, à Pilati palatio, constrictus vinculis ductus sit ad Herodis, itinere nongentorum quinquagintaquinque pedum (seu, vt Adrichomus loquitur, trecentorum quinquaginta gressuum) & variis iudicibus exhibitus iudicandus. GAVISVS EST VALDE. tum ob honorem sibi exhibitum, vt erat ambitiosus, tum EÒ QVÒD AVDIERAT. διὰ τὸ ἀκούειν eò quòd audiret, quomodo legitur & in multis libris latinis. AVDIRET, hactenus scilicet. MVLTA. non vituperio, iudicio, aut condemnatione, sed laude & admira-

mirationé digna. ET SPERABAT. ac proinde speraret. SIGNVM miraculum ALIQVOD, qualia plurima audierat ab eo edita, tum in Galilæa, tum in Iudæa, cùm Iohannes, quem ipse familiariter nouerat & occiderat, nullum vnquam edidisset. VIDERE. quod ipsius oculos delectaret ac pasceret; curiositate ductus, non pietate. AB EO. honoraturo regiam maiestatem, vel eâ causâ vt liberari posset ex manibus inimicorum.

Interrogabat autem eum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondebat. 9 ἐπηρώτα δὲ αὐτὸν ἐν λόγοις ἱκανοῖς· αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο αὐτῷ.

AVTEM. igitur. MVLTIS SERMONIBVS. multis verbis, ad curiositatem vanitatemque compositis, verbi gratia, quisnam esset, an Iohannes ex morte rediuiuus, an ex veteribus prophetis aliquis, vndenam haberet potestatem edendi miracula illa quæ de ipso narrabantur, an non vellet in ipsius gratiam aliquod huiusmodi miraculum edere, quæ esset doctrina illa noua quā spargeret, & cætera. NIHIL RESPONDEBAT. non tantùm nullum edebat miraculum (ad quod faciendum sermonibus suis eum prouocare, Herodis mens erat) verùm neque multis verbis verbum vnum reddebat, quòd, vt crudelitas tyranni, ita verba, responso indigna essent, quæ non ad suam aliorúmve salutem dirigeret, sed ad curiositatem, vt eliceret vnde suos oculos auresque pascere posset. *Sed neque decebat*, inquit Titus, *vt cælestia signa coram illo ederet, qui præstigiis spectandis, quam diuina vi factis miraculis cognoscendis, addictior erat.* Dat Euangelista intelligendum, quòd Herodes facilè absoluisset liberasséque Iesum, si miraculum aliquod in eius conspectu patrare, & interrogatis eius satisfacere voluisset; sed institutum fuisse Iesu, miraculis & sermonibus, vt non ad auditorum curiositatem aut propriam iactantiam, ita nec ad suam ipsius à morte corporis liberationem, vti, quam decreuerat pro hominum salute obire.

Stabant autē principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. 10 εἱστήκεισαν δὲ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς εὐτόνως κατηγοροῦντες αὐτοῦ.

STABANT AVTEM. quamuis etiam starent ex aduerso Iesu, coram Herode tamquam iudice. Nam & ipsi ad Herodem, cum Iesu à satellitibus ducto, perrexerant, nolentes à se damnatum relinquere, donec è medio sublatus esset. CONSTANTER. continuè & pertinaciter, acriter & intento clamore, miserè metuentes ne quà elaberetur. Ægrè ferebant quòd Herodes interrogaret quæ ad rem ipsorum non facerēt, ad mortem inquam inferendam, adeoque timebant, ne, si Iesus Herodi sapienter comiterque responderet, inque eius gratiam signum aliquod quod non difficile ipsi esse nouerant, faceret, liber ab Herode dimitteretur. Vrgent itaque & repetunt pertinaciter ea quæ facere posse putant ad eius condemnationem, qualia suprà v. 2. coram Pilato produxerant. Atque eo magis admirandum fuit Iesu silentium, quòd nec tanti principis auctoritas, nec aduersariorum tam pertinaces criminationes, ad loquendum impulerint.

Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. 11 ἐξουθενήσας δὲ αὐτὸν ὁ ἡρώδης σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ, καὶ ἐμπαίξας, περιβαλὼν αὐτὸν ἐσθῆτα λαμπρὰν, ἀνέπεμψεν αὐτὸν τῷ πιλάτῳ.

SPREVIT AVTEM. spreuit ergo. Nihil commotus est criminationibus principum, ita vt condemnaret accusatum molitionis rerum nouarum, sed satis habuit contemnere à quo videbatur contemni, tamquam semifatuum, ignarum & expertem rerum, qui cùm magna de se dici vellet, nihil vbi res postularet præstare posset. CVM EXERCITV SVO. σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ cum copiis suis, cum militibus suis, cum armato satellitio quo cingebatur. Intelligit comitatum Herodis, constantem, nobilibus, militibus, famulis; nobilibus, qui honoris causa vel seruiebant vel aderant; militibus, lateronibus, qui erant à custodia corporis; famulis denique & seruis omnis generis. Solet Aula mores sui principis imitari. ET ILLVSIT INDVTVM ET REMISIT. καὶ ἐμπαίξας, περιβαλὼν αὐτὸν ἀνέπεμψεν & postquam illusisset, indutum remisit. Nostra versio significare videtur, illusionem sitam fuisse in eo quòd induerit Iesum veste alba: græca & syra significant, variis aliis modis illusum fuisse; conuitiis, verisimile est, scommatis ac sannis: nec dubium quin certatim Aulici, contemtum principis sui vlcisci studuerint. Non est boni iudicis, illudere reo, etiam conuicto criminis. VESTE. pallio siue chlamyde. ALBA. λαμπρὰν præclara, splendida, magnifica, illustri. *candida* vertit Interpres Iac. 2. v. 2. *præclara* v. 3. Vox græca splendoris & elegantiæ potiùs significatiua est quàm coloris: Interpres Latinus elegantiam in colore albo sitam fuisse putauit, vt signo innocentiæ, vel certè ambiti magistratus; Syrus in coccineo siue purpureo colore vt regum proprio: vertit enim ex λαμπρὰν ܙܚܘܪܝܬܐ *zehouritho*, vocem non absimilem gallicæ *escarlat*, eandem quam Matth. 27. v. 28. ex κοκκίνην. Quòd si coccinea fuerit, potuit eadem illa fuisse, quæ Iesu à flagellatione circumiecta fuit, quod narrant alij Euangelistæ, qui Herodis non meminerunt. Sed siue alba siue coccinea colore fuerit, non est intelligendum, nouam, tersam, vereque magnificam aut elegantem fuisse; sed veterem, vilem & abiectam, ex ædium scrutis extractam, quæ referret duntaxat veteris elegantiæ vestigia. Adhibebatur enim ab Herode eiusque ministris, non ornandi aut commendandi, sed illudendi subsannandique Iesu causa, tamquam fatui, qui fatua quadam simplicitate, potiùs quàm superba audacia, regium nomen sibi vindicasset. Dei sapientia vt fatua, & Rex regum vt vanus rex, irridetur: sed quod ex mente Herodis fatuitatis siue stultitiæ signum fuit, id ex parte Dei signum fuit diuini splendoris, puritatis, atque innocentiæ. Solent mortis rei, atra veste indui: Iesus moriturus candidatus iubetur incedere, tamquam innocentissimus. Cæterùm, etsi

iamm

totum quod Herodes hîc fecit, irrisionis tantùm causa fecerit, inquit Titus, attamen idipsum quod fecit non fecisset, si quid iusta ira dignum in eo deprehendisset: fatuum enim iudicauit, non facinorosum, & irridendam potiùs insinuauit regij nominis vsurpationem, quàm seuerè vindicandam. Quam illius fuisse sententiam, Pilatus quoque publicè testatur infrà v. 15. REMISIT. vinctum vt acceperat, nec ipse absoluens innocentem, contra officium iusti iudicis, idque ne Iudæorum indignationem incurreret. Facilè passus est vt Pilatus eum iudicaret, contentus honore quem Pilatus detulerat. Reductus autem putatur Iesus ad Pilatum aliâ viâ, eaque longiore, quàm venerat, vt pluribus innotesceret eius captiuitas, ac proinde plures accenderentur, qui vnà cum principibus accurrerent, vrgerentque & extorquerent eius mortem.

ἐγένοντο δὲ φίλοι ὅ,τε πιλάτος καὶ ἡρώδης [12] ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ μετ' ἀλλήλων· προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες πρὸς ἑαυτούς.	Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam anteà inimici erant ad inuicem.

ET. Hac occasione, quòd Pilatus Herodi, Herodes vicissim Pilato, iudicium Iesu detulisset: quòd testatus esset Pilatus, se nolle sibi vendicare iurisdictionem Herodis. FACTI SVNT AMICI. Amicitiam conciliat, honore inuicem præuenire: sed infaustus honor & amicitia maledicta, quæ in Christo persequendo coalescit. Impia pax, quam conglutinat Dei iniuria. IN IPSA DIE. illa ipsa die. Additur græcè & syriacè μετ' ἀλλήλων secum mutuo, inter se. INIMICI ERANT. Fortè ex eo quòd Pilatus vsurpasset iurisdictionem Herodi debitam, vt quod suprà 13. v. 1. miscuisset sanguinem quorumdam Galilæorum cum sacrificiis eorum. AD. aduersus INVICEM. Præludebatur hîc, Iesum fore pacem nostram, qui facturus esset vtraque vnum, reconcilians Iudæos & Gentiles ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Ephes. 2. v. 14. 16. Quem finem acceperit Herodes iste, Iohannis interfector & regiæ Christi dignitatis irrisor, diximus Matth. 14. v. 11.

πιλάτος δὲ συγκαλεσάμενος τοὺς [13] ἀρχιερεῖς, καὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ τὸν λαὸν,	Pilatus autē, conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe,

PILATVS AVTEM postquam reductus ad ipsum est Iesus CONVOCATIS. συγκαλεσάμενος postquam conuocasset, simul propiùs ad se accedere iussisset. PRINCIPIBVS SACERDOTVM. τοὺς ἀρχιερεῖς summos sacerdotes. ET MAGISTRATIBVS. καὶ τοὺς ἄρχοντας & principes. Eos intelligit quos sup. 22. v. 66. vocauit seniores plebis. Syricum testamentum Regiæ editionis scribit & principes populi, seu & magistratus plebis, omittens id quod sequitur ET PLEBE: sed manuscriptum syriacum conforme est latino & græco. Omnes conuocat Pilatus, si fortè vel populus, vel ex omnibus aliquis, patrocinetur innocentiæ & veritati.

εἶπε πρὸς αὐτούς· προσηνέγκατέ [14] μοι τὸν ἄνθρωπον τοῦτον, ὡς ἀποστρέφοντα τὸν λαόν, καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἐνώπιον ὑμῶν ἀνακρίνας, οὐδὲν εὗρον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ αἴτιον, ὧν κατηγορεῖτε κατ' αὐτοῦ·	Dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertētem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto, ex his in quibus eum accusatis:

OBTVLISTIS. Cùm alij Euangelistæ innocentiam Domini diligenter exponant, Lucas eam illustrat luculentissimè. Huc enim narratio totius actionis Pilati, & toties tentatæ liberationis pertinet, vt intelligamus & perspicuè videamus, Iesum fuisse innocentem, & nullo crimine mortem commeruisse, quin potiùs semetipsum pro aliis obtulisse. AVERTENTEM. abducentem ab obedientia Cæsaris & legis vestræ. CORAM VOBIS. ne fortè existimaretis veritatem à me celari, illo clàm à me conuicto. Postquam Pilatus accusationes audisset, examinauerat Iesum solum intus, quod testatur Iohannes cap. 18. v. 33: sed deinde, cùm aduersus productum Iesum & iudicis sententiâ absolutum, repetiuissent principes accusationes, examinauerat Iesum iterum, idque coram eis, vrgens nimirum vt accusatoribus responderet Iesus, quod habent Matthæus cap. 27. v. 12. 13. & Marcus cap. 15. v. 3. 4. INTERROGANS. ἀνακρίνας cùm interrogauerim, examinauerim. NVLLAM CAVSAM. οὐδὲν αἴτιον nullum crimen, nullam noxam, morte scilicet quam vos exposcitis dignam. INVENI. Iesus enim non responderat ad obiecta, vt falsa & nihil ad se pertinentia, Matth. 27. v. 14. Marc. 15. v. 5. (sic enim interpretatus est Pilatus silentium Iesu, tamquam negasset obiecta) ipsi verò ea testibus solidisque argumentis non probauerant. EX HIS. ex eis. Syrus ex omnibus. IN QVIBVS. de quibus. Non reperio eum vlli eorum criminum obnoxium, de quibus eum accusatis.

ἀλλ' οὐδὲ ἡρώδης. ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς [15] πρὸς αὐτόν, καὶ ἰδοὺ, οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ.	sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum: & ecce, nihil dignum morte actum est ei.

SED NEQVE HERODES. s. inuênit vllam causam, seu crimen morte dignum in eo. NAM REMISI VOS cum Iesu AD ILLVM, ex cuius ditione Iesum oriundum, & sub ea præcipuè conuersatum, atque adeò ab ea doctrinam auspicatum, ipsi mihi dixeratis, vt potuerit proinde Herodes, res Iesu meliùs nouisse, & cùm ipse quoque Iudæus sit, de legis vestræ controuersiis me certiùs iudicare. Nam his de causis reieci cognitionem ad illius tribunal. ET ECCE. vt mirum sit vos pergere vrgere viri mortem. NIHIL DIGNVM morte. nihil quod vel verbis vel rebus ipsis significasset esse dignum morte. Indutus veste alba, tamquam

illusione dignus: sed non est sententia mortis aduersus eum pronunciata, nec crux humeris eius imposita, aut lapides ceruici appensi, vel laqueus collo iniectus, aut aliquid aliud tale ACTVM EST EI s. Iesu ab Herode, quo is testaretur eum mortem meruisse: quod vtique non omisisset, si dignum morte deprehendisset. Ex hoc loco egregiè liquet, quomodo humanum consilium pudefiat, & promoueat tamen consilium Dei. Consilium Dei erat tueri Christi innocentiam; hominum, illum mille sceleribus obnoxium ostendere: quod vt fiat, hinc & inde, ab vno iudice ad alium, gaudent illum ducere, vt ab omnibus dignus morte iudicetur. Sed quo longiùs circumducunt, eo manifestior & testatior fit innocentia eius.

Emendatum ergo illum dimittam. 16 παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω.

EMENDATVM. παιδεύσας castigatum, correptum (quomodo vertit infrà v.22. postquam castigauero, iussero castigari per lictores meos. Si quod leue delictum admissum erat absque crimine capitali, eum, qui deliquerat solebant Romani Præsides virgis aut flagellis cædere: atque hoc pœnæ genus dictum fuit coërtio. Quandoquidem tam Herode quàm me iudice, inquit Pilatus, nihil commisit morte dignum, non possum eum interficere, sed dimittere cogor: quia tamen vos offendit, verbis fortasse, iubebo eum verberibus cædi, vt vobis satisfaciam, ne temerè videatur à vobis accusatus: huiusmodi enim delicto puniendo, si quod sit, sufficere debet flagellatio. Hîc exorbitare Pilatus incipit, dum consentit in castigationem innocentis. Hoc quidem agit, vt illata innocenti minore pœna, itaque placatis Iudæorum animis, abstinere possit ab inferenda maiore: vult mitigare Iudæorum furorem, & crudelitatem saturare innocentis flagris, ne cogatur afficere morte (furore enim iraque, cùm sit appetitus vindictæ, mitescere & quiescere solet, si egregiè punitus est is in quem fertur) nam seditionis metu non audet innocentem dimittere impunem. Sed humanum est hoc consilium, ex duobus malis minus elegentis, quod Domino non probatur. Nam *si mala facienda non sunt vt veniant bona* (Rom.3.v.8.) multò minus facienda sunt vt vitentur mala. Nam neque ita vitantur: postquam enim deflectere cœperat Pilatus à iustitiâ, & tentauerat quod non debuerat minus malum, maius quod voluit non effugit: nam postquam flagellasset innoxium, tandem etiam crucifixit. Quare à principio ne tantillum quidem recedere debuit à iustitia ob gratiam metúmve quorumuis, sed innocentem constanter defendere debuit & dimittere illæsum, nec permittere, quod in se esset, vt quisquam posthac ei esset molestus, malis quæ timerentur, Dei prouidentiæ commendatis.

Matth.27. v.15. Marc.15. v.6. Iohan.18. v.39.

Necesse autem habebat dimittere eis 17 ἀνάγκην δὲ εἶχεν ἀπολύειν αὐ-
per diem festum vnum. τοῖς κατὰ ἑορτὴν ἕνα.

NECESSE AVTEM HABEBAT s. ex consuetudine, Cæsaris decreto firmatâ. Syrus scripsit: *Mos enim erat.* Vbi notandum, quòd pro coniunctione *autem* legat *enim*, quasi sententia Pilati fuisset: Castigatum dimittam eum, necesse est enim vt vnum vobis hoc festo dimittam. Atqui aliam fuisse Pilati mentem, satis constat ex aliis Euangelistis, nempe, vt Iudæi Iesum, non flagellatum aut cæsum, sed illæsum nihilque passum, festo donarent. Quare rectiùs græcè & latinè legitur coniunctio *autem*, vt intelligas, Pilato, postquam dixerat *Emendatum ergo eum dimittam*, venisse in mentem, consuetudinem diei festi, & satius visum fuisse, Iesum illæsum festo donari, quàm innocentem vel citra mortem affligi. PER DIEM FESTVM. in die festo. VNVM captiuum. Supple ex aliis Euangelistis: Rogauit igitur eos, vtrùm mallent dimitti ob gratiam diei festi, Iesum innocentem, an Barabbam sceleratissimum. Reliqua lege Matth.27.v.15.

Matth.27. v.21. Iohan.18. v.40.

Exclamauit autem simul vniuersa 18 ἀνέκραξαν δὲ παμπληθεὶ λέγον-
turba, dicens: Tolle hunc, & dimit- τες· αἶρε τοῦτον, ἀπόλυσον δὲ ἡμῖν τὸν
te nobis Barabbam: βαραββᾶν·

EXCLAMAVIT AVTEM SIMVL VNIVERSA TVRBA instar leonis rugiens. ἀνέκραξαν δὲ παμπληθεὶ ad verbum, *exclamarunt autem per vniuersam multitudinem*, & principes scilicet, & plebs à principibus persuasa. TOLLE. aufer è medio, interfice. *Gens sancta*, inquit Theophylactus, *rabie in cædem furit: & gentilis Pilatus cædem auersatur.* HVNC. præ contemtu haud nominant. ET DIMITTE. ἀπόλυσον δὲ dimitte autem. Reliqua dicta sunt Matth.27.v.20.& 21.

Matth.27. v.16. Marc.15. v.7. Iohan.18. v.40.

qui erat, propter seditionem quam- 19 ὅστις ἦν, διὰ στάσιν τινὰ γενομένην
dam factam in ciuitate & homicidium, ἐν τῇ πόλει καὶ φόνον, βεβλημένος
missus in carcerem. εἰς φυλακήν.

QVI ERAT. qui quidem erat: nam verba sunt Euangelistæ. FACTAM. excitatam ipso auctore. IN CIVITATE Ierosolymorum. ET HOMICIDIVM. & simul ob homicidium ea in seditione perpetratum. MISSVS. coniectus IN CARCEREM, vt opportuno tempore post diem festum occideretur, quauis morte dignissimus. Hunc prætulerunt Iesu in concedendo vitæ beneficio: tanta fuit eorum peruersitas.

Matth.27. v.22. Marc.15. v.12.

Iterum autem Pilatus locutus est 20 πάλιν οὖν ὁ πιλάτος προσεφώνησε,
ad eos, volens dimittere Iesum. θέλων ἀπολῦσαι τὸν ἰησοῦν.

AVTEM. sic est & syriacè: nam græcè legitur οὖν *ergo*. LOCVTVS EST AD EOS. προσεφώνησε alloquutus est s. eos, vsus huiusmodi verbis: *Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus?* quæ à Matthæo & Marco referuntur. AD EOS autem s. principes sacerdotum & magistratus & plebem, quos suprà v.14. conuocauerat Pilatus. VOLENS, id est, ea mente, eo fine vt *dimitteret*.

οἱ δὲ

οἱ δὲ ἐπεφώνουν, λέγοντες· σταύρωσον, σταύρωσον αὐτόν. [21] At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

Matth. 27. v. 22. Marc. 15. v. 13.

SVCCLAMABANT. ἐπεφώνουν inclamabant. CRVCIFIGE. Ingeminant crucifige, propter desiderij vehementiam. Reliqua lege Matth. 27. v. 22.

ὁ δὲ τρίτον εἶπε πρὸς αὐτούς· τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν οὗτος; οὐδὲν αἴτιον θανάτου εὗρον ἐν αὐτῷ. παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω. [22] Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. corripiam ergo illum & dimittam.

Matth. 27. v. 23. Marc. 15. v. 14.

TERTIÒ DIXIT s. volens dimittere Iesum: *tertiò* autem, ex quo ab Herode reductus fuerat Iesus. primò enim egit vt festo donaretur. suprà à v. 14. vsque ad v. 19.: secundò satagit vt vnà cum Barabba dimitteretur (suprà v. 20.) tertiò hîc conatur castigatum absoluere. Sæpiùs etiam, antequam ad Herodem misisset, tentauerat eum liberare. Non frustrà circumstantias istas tam sedulò narrarunt & inculcarunt Euangelistæ, quia nostra magnopere interest scire, Iesum non priùs damnatum esse à Pilato, quàm tertiò & sæpiùs absolutus esset eiusdem ore, vt intelligamus, non suo ipsum nomine fuisse damnatum, sed pro nostris peccatis. inde etiam colligere licet, quàm voluntarius ad subeundam mortem fuerit Iesus, qui vti neglexit propenso illo in se Iudicis affectu. QVID ENIM. quidnam, enimuerò quid. MALI. *Peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* 2. Pet. 2. v. 22. ex Isa. 53. v. 9. CAVSAM. αἴτιον crimen vt sup. v. 4. MORTIS. morte dignam (quomodo Syrus explicat) multo minùs cruce. INVENIO. εὗρον inueni; facta exquisitione diligentissima. CORRIPIAM ERGO ILLVM ET DIMITTAM. παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω postquam igitur castigauero eum dimittam. Quandoquidem nihil morte dignum commisit, & tamẽ vos offendit, castigabo eum per lictores meos, & castigatum dimittam. Hîc intelligendus est Pilatus fecisse, quod suprà v. 16. proposuerat, & alio consilio in mentem incidente distulerat, quemadmodum dictum est v. 17. Conscientiâ enim discruciante, ad varia confugit liberandi præsidia. Hîc igitur contigit, quamquam id Lucas non exprimat, quod Iohannes ait cap. 19. v. 1: *Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.* Nimirum, quod Lucas omiserat, suppleuit Iohannes, declarans quæ fuerit ea correptio de qua apud Lucam, flagellatio scilicet. Reliqua huius versiculi exposita sunt suprà v. 16. 17. & Matth. 27. v. 23.

οἱ δὲ ἐπέκειντο φωναῖς μεγάλαις αἰτούμενοι αὐτὸν σταυρωθῆναι, καὶ κατίσχυον αἱ φωναὶ αὐτῶν καὶ τῶν ἀρχιερέων. [23] At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum.

Matth. 27. v. 23. Marc. 15. v. 14. Iohan. 19. v. 6.

AT ILLI non contenti correptione seu castigatione Iesu, flagellatione inquam dirissima. Permiserunt vt Pilatus flagellaret Iesum (gratum enim eis hoc fuit, & omen præludiumque subsecuturæ crucis) sed postquam flagellatus est, nequaquam permiserunt vt Pilatus dimitteret eum, verùm institerunt postulantes magnis clamoribus vt crucifigeret. VOCIBVS MAGNIS. Videtur hoc potiùs iungendum cum *postulantes*, quàm, quod Syrus facit, cum *instabant*. POSTVLANTES. Quandoquidem præses negabat eum legibus posse damnari, quippe innoxium, curatum actumque est per principes sacerdotum & seniores, vt Iesus publicè postularetur, & publicæ postulationis vi extorqueretur mors eius. INVALESCEBANT. increscebant, ita vt tumultus proximè sequuturus videretur. VOCES insanæ EORVM. magistratuum & plebis, signanterque principum sacerdotum tamquam ducum (additur enim græcè atque syriacè Euthymio suffragante, *eorum & principum sacerdotum*) quos id minimè decebat. Notauit hoc etiam Iohannes cap. 19. v. 6: *Cum ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes:* Crucifige, &c. Interpres noster græcè non legit illud τῶν ἀρχιερέων.

ὁ δὲ Πιλάτος ἐπέκρινε γενέσθαι τὸ αἴτημα αὐτῶν. [24] Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.

Marc. 15. v. 15.

ET PILATVS. ὁ δὲ Πιλάτος Pilatus autem, Pilatus igitur, vel tunc Pilatus, metuens tumultum ac seditionem. PETITIONEM. τὸ αἴτημα postulationem seu postulatum; vt fieret quod illi postulabant & efflagitabant; non iustitia, sed postulatum ipsorum. Non iudicauit Pilatus Iesum ex suo animo, sed ex arbitrio Iudæorum, nec iudicauit esse cruce dignum, sed, vt præfectus ciuitatis, publicique tumultus auersor, iudicauit illum potiùs concedendum esse postulantibus, quàm vt seditionem in ciuitate oriri pateretur.

ἀπέλυσε δὲ αὐτοῖς τὸν διὰ στάσιν καὶ φόνον βεβλημένον εἰς τὴν φυλακήν, ὃν ᾐτοῦντο· τὸν δὲ Ἰησοῦν παρέδωκε τῷ θελήματι αὐτῶν. [25] Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Iesum verò tradidit voluntati eorum.

Matth. 27. v. 26. Marc. 15. v. 15. Iohan. 19. v. 16.

DIMISIT AVTEM. Itaque dimisit. EVM QVI PROPTER HO. ET SE. MI. FV. IN CARCEREM. Mauult Euangelista circumloquutione describere quàm nominare Barabbam, vt rei indignitatem ob oculos ponat. QVEM PETEBANT. ὃν ᾐτοῦντο quem postulabant s. dimitti seu absolui. VOLVNTATI. manibus militum,

voluntati autem EORVM, id eſt, vt fieret de eo quod illi volebant, vt lictores exſequerentur in illum quod Iudæi volebant. *Voluntas autem eorum erat vt crucifigeretur*, ait Euthymius. Reliqua dicta ſunt Matth. 27. v. 26.

Matth. 27. v. 32. Marc. 15. v. 21.

Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenenſem, venientem de villa, & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum. [26]

καὶ ὡς ἀπήγαγον αὐτὸν, ἐπιλαβόμενοι σίμωνός τινος κυρηναίου, ἐρχομένου ἀπ' ἀγροῦ, ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν φέρειν ὄπισθεν τοῦ ἰησοῦ.

DVCERENT. ἀπήγαγον abducerent, id eſt, cùm abduceretur ſ. ad locum ſupplicij. APPREHENDERVNT ſ. illi qui ducebant eum, milites ſcilicet. CYRENENSEM, κυρηναίου Cyrenæum, quomodo vertit ſecundùm alios Euangeliſtas. DE VILLA. ἀπ' ἀγροῦ ex agro, rure. POST IESVM. ὄπισθεν τοῦ ἰησοῦ retro, à tergo Ieſu. ὄπισθεν aduerbium eſt, non præpoſitio. *Non præcedit Ieſum*, ait Ambroſius, *ſed ſequitur, iuxta quod ſcriptum eſt: Tolle crucem tuam & ſequere me.* Reliqua pete ex prioribus Euangeliſtis.

Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. [27]

ἠκολούθει δὲ αὐτῷ πολὺ πλῆθος τοῦ λαοῦ καὶ γυναικῶν, αἳ καὶ ἐκόπτοντο καὶ ἐθρήνουν αὐτόν.

ILLVM Ieſum. MVLTA. innumera haud dubium, vt erat referta hominibus ciuitas eo die, vtpote paſchæ. TVRBA. πλῆθος multitudo. POPVLI. vulgi, præter primates: vt ſolet ad ſpectacula huiuſmodi concurrere vulgus, eoque magis quo perſona mortis ſupplicio afficienda ſingularior & celebrior eſt. ET MVLIERVM. inter quas, non dubium, erat & Maria mater Ieſu, cum cæteris mulieribus diſcipulis, de quibus infrà v. 49. ſed turba erat mulierum Ieroſolymitanarum præcipuè, quod datur intelligendum verſu proximo. QVÆ. mulieres. Nota quòd mulieres planxiſſe dicantur, non viri: vel enim viri ipſi damnauerant & ad crucem poſtulauerant Ieſum, ac proinde ſequebantur *vt morientem læti adſpicerent*, quod ait V. Beda: vel vt non perinde ad planctum procliues ſunt ac mulieres, nec carebat periculo viris palàm ſe monſtrare amicos Ieſu non auſi ſunt animi dolorem prodere. Veriſimile eſt enim, quoſdam in ea turba, memores doctrinæ ac miraculorum Ieſu fuiſſe ſtudioſos, & in miſera illa defectione exiguas ſibi reliquias ſeruaſſe Deum. PLANGEBANT. καὶ ἐκόπτοντο & plangebant ET LAMENTABANTVR. Lamentari eſt oris & oculorum; plangere manuum. Deflebant, deplorabant modis omnibus eius vicem, non humano ſolùm (nec enim latrones lamentatæ dicuntur) verumetiam grato ac pio affectu, virum innocentem & iuſtum, deque omnibus optimè meritum, ad crudeliſſimum crucis ſupplicium rapi. Valuit harum planctus ad damnandam impiam nefandamque virorum crudelitatem: nec enim aliud poterat imbellis ſexus, aduerſus coniuratam, magnatum præſertim, impietatem.

Conuerſus autem ad illas Ieſus dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros. [28]

στραφεὶς δὲ πρὸς αὐτὰς ὁ ἰησοῦς εἶπε· θυγατέρες ἱερουσαλὴμ, μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ, πλὴν ἐφ' ἑαυτὰς κλαίετε, καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν.

CONVERSVS. facie verſa, erant enim aut à tergo aut à latere. AD ILLAS. mulieres lamentantes. DIXIT. magnanimi conſtantia. FILIÆ IERVSALEM. Mulieres Ieroſolymitanæ phraſi hebraica dicuntur *filiæ Ieruſalem*, tamquam matris, genitricis inquam, nutricis, & protectricis. NOLITE FLERE. μὴ κλαίετε ne fleatis. SVPER ME. ne defleatis me, propter ſupplicium mortis ad quod abducor; *me* inquam ſolùm aut præcipuè. Non abſolutè prohibet ne defleant mortem ſuam, quam ipſemet paulò antè horruerat, & luxerat, & fuerat deprecatus (ſuprà 22. v. 42. 43. Matt. 26. v. 37. 38. 39.) ſed ne illàm ita defleant tamquam quæ ipſi vel ſoli vel præcipuè ſit nocitura. SED magis deflete VOSIPSAS ET FILIOS VESTROS. vobis enim & filiis ſiue liberis ac ciuibus veſtris, quorum clamor ille fuit *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros* (Matt. 27. v. 25.) plus nocebit ſupplicium hoc mortis quod ſubeo, quàm mihi. Nam malum quidem quod mihi adferet, momentaneum erit, bonum verò æternum; æterna vita ac gloria mea, æterna ſalus eorum qui credent in me.

Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. [29]

ὅτι ἰδοὺ ἔρχονται ἡμέραι, ἐν αἷς ἐροῦσι, μακάριαι αἱ στεῖραι, καὶ κοιλίαι αἳ οὐκ ἐγέννησαν, καὶ μαστοὶ οἳ οὐκ ἐθήλασαν.

QVONIAM. Dat rationem quare ſeipſas & liberos ciueſque ſuos potiùs deflere debeant, denuncians inſtare cladem non vulgarem, ſed diram & priùs inauditam, in qua palàm cernatur diuina vltio. ECCE rem inexſpectatam principibus & ciuibus veſtris, nunc proſperè agentibus, & exſultantibus, arbitrantibuſque optimè ſecum agi quòd eis detur me in crucem agere. VENIENT breui. ἔρχονται *veniunt* etiam verti poteſt præſenti tempore: ſignificat enim, huiuſcemodi dies appropinquare, & feſtinare, vt comprehendant eas quas alloquitur mulieres & liberos earum. DICENT ſ. homines, id eſt, dicetur ab omnibus, etiam ab ipſis

ab ipsis mulieribus: est enim ferè muliebris hæc lamentatio. BEATÆ sunt STERILES mulieres, ET VENTRES s. beati, QVI NON GENVERVNT, non pepererunt, ET VBERA s. beata, QVÆ NON LACTAVERVNT. His tribus idem vnum significatur, beatas esse mulieres steriles. sed repetitio facta variis phrasibus, ad epitasin & exaggerationem facit; modis omnibus prędicandas esse beatas, quibus nulli sint liberi: cùm è contrario, maledictæ & infelices haberi soleant huiusmodi; beatæ verò & benedictę, quibus numerosa est proles. Ex effectu causam dat intelligendam, tempus summæ tribulationis instare, à qua nullus futurus sit liber; eiusmodi, quo matres, quarum beatitudo ex copia liberorum æstimari consueuit, ipsæ optaturæ sint nullos sibi esse liberos, & aliorum omnium iudicio à copia liberorum infelices censebuntur, ob malorum, quæ non solû ipsæ, verumetiam liberi earum patientur, magnitudinem. Steriles enim sola propria mala tolerabunt: matres verò & propria & filiorum mala ferre cogentur (naturâ enim, non minùs, ne dicam magis, tanguntur filiorum, quàm propriis malis) vt nullus ab illorum dierum tribulatione immunis erit. Comparatione igitur matrum, steriles beatæ erunt, quia carû calamitas non augebitur calamitate filiorum.

τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς· καὶ τοῖς βουνοῖς, καλύψατε ἡμᾶς.	30	Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos. *Osee 10. v. 8.*

TVNC cùm venerint dies illi vltionis diuinæ. INCIPIENT DICERE. id est, dicent s. homines, vos nimirum & filij ciuesque vestri, MONTIBVS vicinis, vel illis in quorum fugerint speluncas à facie tribulationis. OPERITE. tegite NOS, suffocate, interficite nos. Assumtis verbis Oseæ prophetæ quæ sunt vox hominum, extrema partim patientium partim metuentium mala, adhuc amplificat Iesus rem, tribulationem adeò grauem fore, & multiplici ingentium malorum congerie ac timore constantem, vt homines, potiùs quàm illam perferant, optaturi sint, vel miserabili morte præsentibus malis eripi; iudicantes satius esse, montium ruinis opprimi, vel absorberi terræ chasmate, quàm inter sæuos diuturni exitij cruciatus tabescere. His igitur declarat Dominus, quòd seipsas potiùs & liberos suos deplorare debeât mulierculæ istæ, vtpote quibus longè grauiora mala sint exspectanda quàm sibi, idque propter hâc iniustam sui interfectionem, quod tacitè intelligendum dat. Mens igitur eius est vt intelligant, quod cœperamus dicere versu 28., supplicium mortis, ad quod abripitur, plus nociturum ipsis & filiis ciuibusque earum, quàm sibi; vtpote quibus breui pariturum sit ingens malum, non momentaneum, sed diuturnum, adeoque æternum, excidium inquam ciuitatis ac ciuium Ierosolymorum gentisque Iudaicæ, ex hoc seculo primùm, tum & ex altero. Impleta est enim hæc Christi prophetia, partim in vltione illa à Vespasiano & Tito de Iudæis sumta, quæ viuentibus plerisque harum mulierum, & præsertim liberorum earum, accidit quadragesimo circiter pòst anno, partim in vltione à morte secuta, cùm ex hoc mundo ad summas & quæ numquam deficient inferorum ærumnas, gens illa perfida est condemnata. Hęc vltio quàm sit grauis, verbis exprimi non potest: de illa verò Iesus discipulis suis prædixerat Matth. 24. v. 21: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet.* & suprà 21. v. 23. *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus: erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.* Sed nascitur hîc difficultas, quare dira adeò comminetur Dominus mulierculis istis, quæ non tantùm non erant causa mortis dominicæ, verumetiam ægrè ferebant, innocentem ac iustum virum ad mortem abripi, fletu planctuque id testantes? Respondeo, quòd Dominus, occasione quidem ex earum fletu accepta, hæc prædixerit, sed non tam illis, quàm earum liberis, sit comminatus; nec tam earum liberis, quàm ciuibus Iudæisque omnibus, quos in earum & liberorum earum personis perstrinxit. Nam quod ad has ipsas & earum liberos attinet, potuit fletus iste earum, occultum fuisse semen ligni non prorsus aridi, quod posteà germen fidei in Christum produxerit. Ergo significat Christus, non sic se expositum impiorum libidini, quin Deo curæ sit, & in deformi illo ac sordido habitu se à Deo respici; impios verò Iudæos, qui nunc quasi victores superbè triumphant, non diu insanæ lætitiæ fore compotes, quia paulò pòst secutura sit incredibilis conuersio, ex horribili, quod impendet, Dei iudicio.

ὅτι εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γένηται;	31	Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

QVIA. Confirmat, rationi esse consentaneum id quod prædicit, nec diu stare posse Iudæos, quorum matura iam sit iniquitas, quin iræ diuinæ ignis illos incendio correptos deuoret. IN VIRIDI. ἐν τῷ ὑγρῷ in humido, succulento. LIGNO. arbore. HÆC sæua ac crudelia. FACIVNT. s. homines, id est, fiunt, hebraica phrasi) Deo scilicet permittente. IN ARIDO ligno seu arbore. QVID FIET? s. ab hominibus, quid facient homines, id est, æquum est longè maiora & grauiora fieri. Metaphoricè alludit ad excisionem combustionemque arborum: seipsum verò comparat arbori virenti, plenæ succo optimo, & optimorum fructuum feraci, ac proinde minimè dignæ igne, excisione, aut morte, tum propter iustitiam & innocentiam, quam ipse etiam iudex Pilatus mox fuerat palàm testatus, tum propter beneficia plurima in Iudæos collata, doctrinæ, sanitatis, & cætera, de quibus publicitùs constabat. Verè lignum vitæ, quod non solum ipsum in se viuit, nulla peccatorum aut cupiditatum carie vitiatum, sed omni virtutum genere perpetuò florens, verumetiam aliis vitam conferre ac producere valet, donatum filiis Adæ in locum illius veteris, vt de plenitudine eius omnes accipiant. Has autem mulieres, & præsertim liberos earum ac gentem Iudæorum, confert arbori aridæ, siccæ, ac sterili, quòd diuina gratia destituti omnisque viuificæ iustitiæ expertes, virtute carentes vitiisque scatentes, intus Deo mortui, infideles atque impij, nullos proferrent fidei aut bonorum operum fructus, immo plurimos malorum operum, inter cæteros hoc omnium teterrimum parricidium sui Saluatoris, aptissimi proinde excisioni, combustioni, morti. Dicit ergo, vsus argumento à minori ad maius: Si arbori viridi & feraci non parcitur, quin igne comburatur: multò minùs tandem parcetur

aridæ, ad nihil aliud quàm vt sit ignis pabulum vtili. Si ego iustus, innocens, & omnibus vtilis, diræ morti trador ac permittor: quanto magis id continget vobis & filiis ciuibusque vestris, impiis, iniustis, nocentibus, & consummata præditis malitia. Sic Apostolus Petrus 1.epist.4.v.18: *Si iustus vix*, id est, non sine tribulatione, *saluabitur: impius & peccator vbi parebunt?* & Ieremias cap. 49. v.12: *Hæc dicit Dominus: Ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinqueris? non eris innocens, sed bibens bibes.* Summa est, præposterè lamentari mulieres, nisi simul exspectent ac metuant horribile, quod sceleratis ciuibus suis impendet, Dei iudicium.

Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. 32 ἤγοντο δὲ καὶ ἕτεροι δύο κακοῦργοι σὺν αὐτῷ ἀναιρεθῆναι.

ALII DVO NEQVAM. alij duo, non innocentes, qualis Iesus, sed NEQVAM. κακοῦργοι malefici, facinorosi. CVM EO. Itaque non solùm in crucifixione, quod Marcus annotauit cap.15.v.28., sed & in eductione ipsa, impletum est id quod Iesus ipse suprà 22.v.37. de se futurum prædixerat ex Isaia: *Et cum iniquis deputatus est.* VT INTERFICERENTVR, prout fuerant meriti. Reliqua pete ex Matth.27.v.38.

Matth.27. v.33.35. 38. Marc.15. v.22.24. 27. Iohan.19. v.17.18.

Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum; & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. 33 Καὶ ὅτε ἀπῆλθον ἐπὶ τὸν τόπον τὸν καλούμενον κρανίον, ἐκεῖ ἐσταύρωσαν αὐτόν, καὶ τοὺς κακούργους, ὃν μὲν ἐκ δεξιῶν, ὃν δὲ ἐξ ἀριστερῶν.

CALVARIÆ s. locus. Græcè & syriacè est nominatiuus *Caluaria*: sic enim locus vocabatur *Golgoltha, Caluaria.* LATRONES illos. τοὺς κακούργους illos maleficos seu *nequam*, vt vertit superiore versu. Reliqua petenda sunt ex prioribus Euangelistis.

Matth.27. v.35. Marc.15. v.24. Iohan.19. v.23.

Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes verò vestimenta eius, miserunt sortem. 34 ὁ δὲ Ἰησοῦς ἔλεγε· πάτερ, ἄφες αὐτοῖς· οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσι. διαμεριζόμενοι δὲ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, ἔβαλον κλῆρον.

IESVS AVTEM intereà dum crucifigeretur, aut potiùs crucifixione peracta, cùm statueretur sublimis. DIMITTE hanc iniuriam, quam & in te & in me admittunt, qua non solùm me sed & te offendunt grauissimè. Significat, displicere Deo Patri indignam hanc sui tractationem, eumque paratum pro merito vlcisci; tamen non se desiderare vt vindicet, sed vt contrà ignoscat, se enim sua ex parte ignoscere. Hac ratione confirmat doctrinam suam Matth.5.v.44. datam, *Orate pro persequentibus vos*: dum non solùm vindictam remittit iis à quibus iniustissimè simul & crudelissimè tractatur, verumetiam, de illorum salute magis quàm de suis cruciatibus solicitus, medetur illis à quibus vulneratur, & vitam procurat iis à quibus occiditur, salutem eorum commendans Patri. Non tamen ait disertis verbis se dimittere illis, quia actu perpetrantibus necdumque agnoscentibus crimen, non est offerenda venia, quippe contemturis & adhuc incapacibus remissionis ac veniæ. Quare & quod Patrem orat vt dimittat, ita intelligit, vt oret eos adduci, priùs quidem ad peccati agnitionem ac detestationem, deinde verò ad abolitionem & iustæ vindictæ condonationem. ILLIS qui me crucifigunt. Non loquitur nisi de iis à quibus in crucem adigitur: sed loquitur, & de gentilibus quorum iussu manibusque, & de Iudæis quorum procuratione ac consensu, affigitur cruci. NON ENIM SCIVNT. Addit rationem, qua adduci Pater queat ad ignoscendum, ignorantiam: sed an eiusmodi ignorantiam intelligat quæ extenuet peccatum, an eiusmodi quæ aggrauet, disputatur: ego, pro varietate personarum pro quibus orat, variam intelligere credo ignorantiam, nunc extenuantem, dum gẽtiles respicit & quosdam è rudi vulgo Iudæorum; nunc aggrauantem, dum principes maioresque Iudæorum, qui ex pluribus argumentis, præsertim verò operibus Iesum cognoscere potuissent, esse Christum Filium Dei viui, nisi sic *excæcasset eos malitia eorum* (quod ait de illis Sapientia cap.2.v.21.) vt non tantùm non se offendere Deum, verumetiam rectè agere putarent, pro tuitione loci & gentis suæ, dum interficerent Iesum. Iohan.11.v.48.50. Fuit hæc ignorantia crassa non solùm ac supina, verumetiam affectata, procurata nimirum voluntariis inuidiæ odiique actionibus: ignorantia tamen fuit, quod testantur Petrus Act.3.v.17.& Paulus 1.Cor.2.v.8.& eiusmodi ignorantia, quæ adducere posset Patrem ad ignoscendum, quia prorsus desperatum erat de horum salute, nisi singularis eius misericordia subueniret, qui desperatis rebus libenter succurrit. Incipit igitur hîc Iesus in cruce sacerdotem agere; ante omnia, pro eorum à quibus iniuriam patiebatur ignorantia, orans & hostiam seipsum offerens, absolutissimum patientiæ charitatisq; exemplar: cuius & exauditam esse orationem tum euasit manifestum, cùm à resurrectione ipsius, quidam militum illorum Romanorum, quod habent historiæ, aliquot Iudæorum milia, & multa turba sacerdotum quod habent Acta Apostolorum cap.4. v.4 & 6.v.7., in eum crediderunt, & quem sceleratè fuderant sanguinem, biberunt ad salutem. QVID FACIVNT. quid faciant. nesciunt se peccare, multoque minùs quantum admittant peccatum. nesciunt à se crucifigi Christum Filium Dei viui, regem gloriæ 1.Cor.2.v.8. DIVIDENTES. διαμεριζόμενοι dispertientes, diuidentes inter se. VESTIMENTA EIVS. tunicam exteriorem & interiorem. SORTES. κλῆρον sortem. Reliqua petantur ex cæteris Euangelistis.

Matth.27. v.41.42. Marc.15. v.31.32.

Et stabat populus spectans. Et deri- 35 καὶ εἱστήκει ὁ λαὸς θεωρῶν. ἐξεμυκτή-

μυκτήριζον δὲ καὶ οἱ ἄρχοντες σὺν αὐτοῖς, λέγοντες· ἄλλους ἔσωσε, σωσάτω ἑαυτὸν, εἰ οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς ὁ τοῦ θεοῦ ἐκλεκτός.

debant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.

POPVLVS magna multitudine. SPECTANS successum rei, sicut fieri solet, quando supplicium publice de aliquo sumitur. ET DERIDEBANT EVM PRINCIPES. ἐξεμυκτήριζον δὲ καὶ οἱ ἄρχοντες subsannabant autem etiam principes s. eum. μυκτηρίζειν, à μυκτὴρ nasus, est naso suspendere, idem fortasse quod mouere caput, vt loquuntur priores Euangelistæ ex phrasi hebræa, nam Lucas græcè peritior fuit. *Principes* autem intellige tam populi quàm sacerdotum. *Lucas enim* (inquit Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 15.) *quia principes dixit, nec addidit sacerdotũ, magis nomine generali omnes primates complexus est, vt ibi possint intelligi & scribæ & seniores*; quos scilicet alij Euangelistæ simul nominant. CVM EIS. cum populo. Hoc Syrus omittit, sed non omittit aduerbium *etiam*, vt Latinus. Non solùm igitur illi qui fortè fortuna illac præteribant, sed & qui spectandi gratia illic aderat populus, Iesum deridebant. DEI ELECTVS. Epitheton Messiæ, sumtum ex illo loco Isa. 42. v. 1: *Ecce seruum meum, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea*: quem exposuimus Matth. 12. v. 18. Reliqua huius versiculi petenda sunt ex Matth. 27. v. 41. 42.

ἐνέπαιζον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοι καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ,

36 Illudebant autẽ ei & milites, accedentes & acetũ offerentes ei,

Matth. 27. v. 48. Marc. 15. v. 36. Iohan. 19. v. 29.

ET MILITES. ne Iudæis essent dissimiles. ACCEDENTES propiùs ad eum. ACETVM. quasi ad sitim quam declarauerat restinguendam. Quæ crudelior possit esse illusio? nec enim ad sedandam sitim acetum valet, sed potiùs ad accendendam. OFFERENTES. Vnus solus obtulit, quod dicunt Matthæus & Marcus, sed Lucas pluralem numerum posuit pro singulari, sodalitio adscribens, quod fecerat vnus è sodalitio. Notat hoc D. Augustinus lib. 3. de cons. cap. 17. Reliqua dicta sunt Matth. 27. v. 48. & Iohan. 19. v. 29.

καὶ λέγοντες· εἰ σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, σῶσον σεαυτόν.

37 & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac.

SI TV ES ILLE REX IVDÆORVM, à Iudæis exspectatus, qui tamquam rex potens Iudæos esses seruaturus. Milites sub nomine regis insultant Iesu, exprobrantes ei vanam vsurpationẽ regij nominis; non sub nomine Christi aut Filij Dei, quem non nouerant. SALVVM TE FAC. serua teipsum: non inuoces Eliam, sed tu ipse expedi potentiam tuam, & eripe te ex hoc mortis periculo. Regis est regnare & vincere, non vinci & turpiter in cruce perire. q. d. Nõ euades manus nostras miser Rex, nec magis Elias te seruabit quàm tu teipsum. *Lucas semel complecti voluit*, ait Augustinus loco mox citato, *quod à militibus factum & dictum est.*

ἦν δὲ καὶ ἡ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ἐπ' αὐτῷ, γράμμασιν ἑλληνικοῖς καὶ ῥωμαϊκοῖς καὶ ἑβραϊκοῖς· οὗτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων.

38 Erat autem & superscriptio scripta super eum, literis græcis & latinis & hebraicis: Hic est rex Iudæorum.

Matth. 27. v. 37. Marc. 15. v. 26. Iohan. 19. v. 19.

ET pro etiam, quod scilicet maiorem militibus præbuit irridendi occasionem. SVPERSCRIPTIO. ἐπιγραφὴ inscriptio, titulus, mortis causa. SVPER EVM. supra eum, collocata supra caput eius, in superiori crucis parte. LITERIS, & linguis scilicet. GRÆCIS ET LATINIS. tres istæ linguæ vel hoc nomine Christianis omnibus sunt commendatæ, etiam in sacris mysterijs, quòd solæ pro omnibus in cruce Domini fuerint dedicatæ, à qua, præter naturalem, alium singularem traxere ornatum. HEBRAICIS. Syrus per aduerbia vertit: *Scripta super eum græcè & latinè & hebraicè*. Tametsi porrò literæ, quibus Hebræi eo tempore vulgò vtebantur, figura non differrent ab antiquis illis, quibus scripti exstant plerique omnes veteris testamenti sacri libri (nam quę hodie exstat syriacarum literarum diuersitas, primis è Syria Christianis tribuitur vt auctoribus) lingua tamen diuersa erat, quam alij Syram Ierosolymitanam, alij cum Nonno poëta Ioh. 19. v. 20. simpliciter Syriacam vocant. Vt enim Hebræi exsulantes Babylone, degenerarant à veteri lingua hebraica, ita reuersi in patriam vsi sunt hebraica lingua mixta chaldaicæ, quam tandem etiam miscuerunt græcæ, cùm subessent Græcis, denique & latinæ, cùm Romanis. Huiusmodi igitur erat Christi Domini tempore lingua Hebraica, veteri illi literis quidem respondens, sed non perinde vocibus: qua proinde Pilatus hîc vsus est, vtpote vulgo nota, nam veterem soli docti callebant. His porrò tribus linguis, græca, latina, & hebraica, præcipuis totius orbis terrarum (Oriens enim hebraica, Meridies græca, Occidens latina ferè vtebatur) scribi iussit Pilatus in crucis fronte causam mortis Iesu, quia aderant eo tempore Ierosolymis, ex omnibus orbis partibus, omnis linguæ homines; inprimis Romani equites militesque non pauci numero, qui in præsidio illic agebant, deinde *qui ascenderant vt adorarent in die festo* (vt Iohannes loquitur cap. 12. v. 20.) gentiles proselyti omnis nationis, denique Iudæi ex dispersione omnium gentium, qui tametsi Iudæi, non omnes iudaicè loqui & legere nouerant, sed singuli lingua in qua nati fuerant vtebantur, Act. 2. v. 8. Ne quis ergo vel indigena vel peregrinus causam mortis Iesu ignoraret, cautum à præside est, ea varijs linguis euulgata. An autem eisdem linguis latronum causam euulgarit, incertum est quidem (sunt qui putent eam consuetudinem magnificentiæ & magnanimitatis fuisse Romanæ, qua ita declararent se dominos mundi, vt, si quem morte afficerent, mundum nollent celari causam) certum est tamen, quòd titulum Iesu ad Iudæorum ignominiam & irritationem varijs linguis publicarit, vt omnibus nationibus essent risui, quorum

Rex turpiter crucifigeretur, idque ipsissmet agentibus. Porrò vt in dictando titulo diuinitus actus fuerat Pilatus, quod ad Matthæum docuimus: ita quoque in eo triplici lingua euulgando, idque iis linguis quæ essent omnium & perfectissimæ & frequentissimæ, ac ceterarum veluti matres, quibus proinde cæterę facilè possent intelligi, arcano Dei impulsu actus fuit. Præsagium enim hoc fuit, quòd Iesus crucifixus prædicandus esset rex Iudæorum, id est, Christus, per vniuersum mundum, quodque omnis lingua, non Iudæorum tantùm, verumetiam gentium, hoc esset cognitura & confessura, denique quòd omnium linguarum populis per crucem esset regnaturus, ita vt meritò omnium linguis scriptum fuerit, quod omnium intererat scire, Iesum, ideò quòd esset Christus, Iudęis quidem promissus, sed exspectatio gentium, crucem pati pro omnium salute. Qua de re Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 30: *Titulus iste*, inquit, *per præcipuas linguas, omnium linguarum Iesum futurum principem prædicabat, & impietatis crimine Iudæos arguebat, magna eorum voce qui legebant conclamans, quod Dominum regemque suum crucifixerint.* Et Ambrosius: *Solet etiam titulus subiugatarum gentium numerum designare, &c.*

Matth. 27. v. 44. Marc. 15. v. 32.

Vnus autem de his qui pendebant [39] latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos.

εἷς δὲ τῶν κρεμασθέντων κακούργων ἐβλασφήμει αὐτὸν, λέγων· εἰ σὺ εἶ ὁ χριστὸς, σῶσον σεαυτὸν καὶ ἡμᾶς;

VNVS. creditur is fuisse qui à sinistra Iesu pendebat. DE HIS QVI PENDEBANT. τῶν κρεμασθέντων eorum qui suspensi erant. Syrus addit *cum eo*. LATRONIBVS. κακούργων maleficorum. sic est etiam syriacè. BLASPHEMABAT. vide Matth. 27. v. 39. SI TV ES CHRISTVS, vt videri vis. Dat intelligendum se Iudæum esse, vtens Christi nomine. SALVVM FAC. libera à cruce ac morte. ET NOS tecum crucifixos. Loquitur suo & socij nomine. Vult dicere, non vales teipsum liberare, multò minùs nos, quantumlibet id optarimus, pseudochriste. Furiosæ obstinationis exemplum in hoc perdito homine describitur, qui neque inter medios cruciatus blasphemias cum ferocia spumare desinit. Ita solent desperati homines, quæ effugere nequeunt tormenta, per contumaciam vlcisci. Reliqua enodata sunt Matth. 27. v. 44.

Respondens autem alter increpabat [40] eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?

ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἕτερος ἐπετίμα αὐτῷ, λέγων· οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν θεὸν, ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ;

RESPONDENS. respondendi partes accipiens, loco Iesu ad conuicia tacentis *sicut homo surdus non audiens, & sicut mutus non aperiens os suum, nec habens in ore suo redargutiones*, quemadmodum de ipso prædictum fuerat Psal. 37. v. 14. 15. ALTER. latronum, à dextro Iesu latere suspensus, quæ verisimilis est plerorumque opinio. INCREPABAT. obiurgabat. EVM, verso ad eum capite, quod vnum mouere poterat. DICENS. id est, huiusmodi verbis. NEQVE TV TIMES DEVM. οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν θεὸν neque times tu Deum. Syrus ad verbum: *Etiam non à Deo timens tu?* Manifesta hîc subest emphasis: eam constituunt quidam in nomine *Deum*, ita vt Deus hominibus opponatur, q. d. Ne Deum quidem times, si non homines; quidã in verbo *times*. q. d. ne times quidem Deum, si non amas: alij rectiùs in pronomine secundę personę *tu*, opposito principibus, populo, & militibus; quorum mentio præcedit. Increpat socium suum vt impium & nequaquã timentem Deum, quòd maledica conuicia in Iesum euomat. Causas subiicit. QVÒD. ὅτι quia, eò quòd, cùm. IN EADEM, qua iste, DAMNATIONE. κρίματι iudicio, supplicio. ES constitutus. cùm simili pœnæ subiaceas, mortem mox allaturæ tam tibi quàm ipsi. q. d. Si principes populusque Iudæorum & Romani milites, præsentes, non timent Deum, ac proinde non verentur hunc suppliciis à se affectum ac moribundum etiã conuiciis proscindere, nulla pœnarum eius commiseratione moti, minùs mirum est, quia nihil pœnæ, nihil aduersi patiuntur, prosperè agunt, viuunt: valent, & diu adhuc victuros se sperãt, itaque parum aut nihil de Deo, vt fit, cogitant. Sed quòd tu, qui damnatus ad mortem, morte afficeris, mox moriturus & Dei iudicio præsentandus, non reuoceris timore Domini à maledicentia, eaque in sociũ pœnæ ac mortis, perquam duri atque obstinati animi argumentum est. Docet timor Domini omnes, compati & condolere afflictis, iisque qui morte afficiuntur, etiam iusta de causa: quòd hoc non præstet, sed contrà maledicat, qui ipse similiter afflictus est, & morti proximus meritò cogitare debet de Deo iudice, ad cuius tribunal à morte sistendus est, nimis à ratione alienum est: cùm vel ipsa pœnæ communio, naturâ suâ ad excitandam condolescentiam sufficiat. Significat latro iste pœnitens, se sibi cauere ab imitando exemplo maledicorum pręsentium, concepto timore Domini, prohibentis ne afflicto addatur afflictio, & comminantis à morte, cui se vicinum nouit, grauissimas easque æternas pœnas, iis qui mandata eius transgressi fuerint. Obseruanda est hîc igitur in hoc latrone, primùm quidem fides in Deum, iudicem & in vita futura remuneratorem; deinde timor Dei, initium iustificationis (Ecclesiastici 1. v. 28.) denique gemina charitas, erga Deum quidem, quia mouetur zelo compescendæ iniuriæ quæ Deo & Christo inferebatur, erga proximum verò, quem seuera castigatione satagit emendare & reuocare à mala mente.

Et nos quidem iustè: nam digna [41] factis recipimus. hic verò nihil mali gessit.

καὶ ἡμεῖς μὲν δικαίως· ἄξια γὰρ ὧν ἐπράξαμεν ἀπολαμβάνομεν. οὗτος δὲ οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε.

ET NOS QVIDEM. Ne eo quod dixerat *in eadem damnatione es*, putaretur credere, Iesum, vt supplicij, ita & peccati, socium esse, occurrit, Iesum omni culpæ communione eximens, & à sua ac socij causa secernens.

Non

Non ait autem *& tu quidem iuste*, quemadmodū dixerat *neque tu times Deum*: quia licet Dei timore iam se ipse contineret à maledicētia in Iesum, tamen non se præfert socio suo, memor præteritorum scelerum suorum, quibus ei fuerat æqualis. Confitetur itaque peccata sua, quod initium est conuersionis ad Deum: & prudenter se alteri annumerat quamuis pœnitentem, vt correptio, quo modestior, eo sit efficacior. IVSTE si in hac damnatione sumus, meritò hac crucis damnatione afficimur. FACTIS. ὧν ἐπράξαμεν iis quæ fecimus, sceleribus nostris, latrocinns inquam usque quæ sunt consecuta. RECIPIMVS pro meritis nostris, mercedem factis dignam. Agnoscit se iustè affici morte crucis, ac proinde æquo animo tolerat eam, & accipit de manu Pilati iudicis tamquam de manu Dei: & quare non dicas quòd offerat eam Deo in satisfactionem pro peccatis suis, cùm aliam exhibere non posset, quamquam Caluinus id nolit? Hic VERÒ quem tu blasphemas. MALI. ἄτοπον absonum, indecens, nihil præter officium, nihil quod virum bonum non deceat, nihil vmquam fecit quod reprehensionem mereretur, multoque minùs hanc mortem crucis; non solùm nullo scelere, sed nec vllo vel leuissimo peccato contaminatus. Innocens est, & iniustè in hac damnatione constitutus, iniustè hoc crucis supplicio damnatus, quippe hostium crudelitate, non proprio crimine eò raptus: ac proinde etiam hac ratione minimè expetendus conuiciis. Bis enim inhumanum est, & moribūdo maledicere & innocenti. Opponit Iesum sibi ac socio, vt iustum iniustis, innocentem nocentibus: itaque eludit illorum consilium, qui Iesum idcircò medium inter latrones suspenderant, vt eorum similis haberetur quibus erat adiunctus, dum manifestū testimonium innocentiæ Iesu fert ipse latro, atque eo efficacius, quo prudentius, latam à iudicibus sententiam, aduersus se quidem probat, aduersus Iesum autem reprobat, ne putetur sui similem laudare. Qua in re notāda est, huius latronis, inter alia, constantia in confessione Iesu, dum non veretur & principes Iudæorum & Pilatum iudices palàm damnare, præsentibus & audientibus eorum ministris, vt Iesum defendat. Sed vnde nouerat iste, Iesum nihil mali gessisse? celeberrima fama beneficentiæ Iesu erga omnes iamdiu ad aures eius peruenerat: accessit verò nunc singularis illustratio mentis, à Spiritu sancto profecta, de qua plura versu proximo.

Καὶ ἔλεγε τῷ Ἰησοῦ· μνήσθητί μου κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου.	42	Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei, cùm veneris in regnū tuū.

ET DICEBAT AD IESVM. postquam insigni illa defensione viam parasset ad conciliandam sibi eius gratiam. DOMINE. Iesu bone, quem ego iudico non blasphemus esse appetendum, sed colendum vt omnium Dominum, quippe Christum regem, qui & possis & velis saluare. MEMENTO MEI vnà tecum aliquando crucifixi, & abominandi quidem peccatoris, sed peccata vitæ anteactæ ex animo detestati, ita vt mihi, pro regali munificentia tua, benefacias aliqua ratione, quaqua tandem visum tibi fuerit, non habita ratione peccatorum meorum. Non audet dicere *Fac me participem regni tui*, conscius ipse sibi scelerum vilitatisque suæ: sed qua est modestia, sufficit ipsi, si vel minimum aliquid boni à morte impetret. Non dicit vt alter dixerat *Saluum fac temetipsum & nos* ab hac cruce quam patimur: vt enim credebat, possibile quidem facileque esse Iesu, semetipsum sociosque à cruce liberare si vellet, sed diuinæ esse dispensationis, quòd cruce moreretur: ita non desiderabat ipse à cruce liberari, quam pro sceleribus suis libenter tolerabat, vt satisfaceret diuinæ iustitiæ: nec in eo constituebat salutem suam, vt ab illa liberaretur, sed in eo potiùs, si Iesus memor ipsius à morte foret ipsique benefaceret. CVM VENERIS ex hac miseria IN REGNVM TVVM, quod futurum credo, superata hac morte crucis. ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, in regno tuo. Interpres rectè accepit ἐν pro εἰς, *in regno tuo* pro *in regnum tuum*. in regnum cælorum quod prædicasti, quod Dei promissione tuum est. Tu enim verè es Christus Rex (quod rident impij isti) regnum accepturus & initurus, non de cruce descendendo, sed crucem constanter perferendo. Rara, nobilis, supraque modum excellens fides, huius latronis, credere, Iesum à Iudicibus vt malefactorem condemnatum, à tortoribus crucifixum, à præsentibus omnibus irrisum, miserè moribundum, adeoque à Deo ipso derelictum, in hoc deformi habitu constitutum, esse iustum Dei, Christum regem & Dominum, regnum à morte tolerata initurum, potentem & se & alios in seculo futuro saluare. Quibus enim vel notis vel insignibus ornatum videbat Christum vt mentem ad eius regnum attolleret? Huc vsque Apostoli ipsi hactenus non profecerant: qui & hoc ipsum quod profecerant, penè deseruerant, quando in latrone fides ista repentè inualuit: nominatim Petrus Apostolus negauit, quo tempore latro confessus est: & contradicentibus quodammodo supplicus latro credidit, quod miraculis attestantibus atque acclamantibus discipuli non didicerunt. Neque solùm fidem declarat latro iste, verumetiam insignem fidei coniunctam fiduciam, qua sperat se, quāuis immanem peccatorem, misericordiæ ipsius posse fieri participem. Si quæras, vnde hanc fidem huiusmodi cum fiducia coniunctam hauserit, responderi potest, quòd, vt erat Iudæus, audierat frequenter antehac famam Iesu, qua illius miracula, humanis viribus maiora, doctrina cælestis, nominatim de regno cælorum, & vita immaculata, summâ erga omnes philanthropiâ comitata, celebrabantur, nec tacebatur haberi eum à discipulis suis Christum Filium Dei. Hæc coniungens latro iste, cum ea quam coràm cernebat inaudita Iesu mansuetudine ac patientia, excitatus est ad præcipiendam animo insignem cum fide spem: quamquam præcipuum quod eum mouit, fuerit Spiritus sancti gratia, micantibus, è dextro Christi, hominum salutem operātis, latere, diuinæ virtutis radiis, immissa in eius animum, quem singulariter purgauit, illuminauit, erexit, atque accendit. Singulare enim in hoc misero homine, inopinatæ atque incredibilis Dei gratiæ, exemplum propositum est editum, & ad huius salutem, & ad Christi gloriam, tum vt ne omni Christus honore inter ignominias destitueretur, tum vt efficacitas passionis eius iam tum se exserentis monstraretur. nec enim nisi merito passionis Christi, fides cæteraque Spiritus sancti dona cuiquam contingunt.

Καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἀμὴν λέγω σοι, σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ.	43	Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso.

DIXIT. qui ad conuicia surdum se præbebat ac mutum, orationi postulationique credentis incunctanter respondet:

respondet: & memor officij sui vt sacerdos, pœnitentem absoluit ac consolatur. AMEN. asseuerat firmissimè, quò perseueret latro, ad mortem vsque constanter, in ea quam conceperat fide, spe, pœnitentia. HODIE. Non aliquando dumtaxat, vt petis, verùm hoc ipso die, statim à morte tua, cui proximus es. MECVM ERIS. Non solùm ero tui memor, verumetiam *mecum eris*, vbi & ego hodie ero, mihi socius, numquam deinde à me separandus: vbi ego ero, illic & tu minister meus eris, iuxta id quod aliàs promisi. Iohan. 12. v. 26. *Vberior est gratia quam precatio*, inquit Ambrosius: *semper enim plus Dominus tribuit quam rogatur*. IN PARADISO. in æterna futuri seculi vita, in quieto felicique iustorum à morte loco, mihi socius in paradiso & gaudio, vt es socius in cruce ac pœna. Non dicit *in regno meo*, ne arrogantiùs admittere videatur oblatum sibi à latrone honorem regni: sed *in paradiso*, qui communis habebatur iustorum omnium à morte locus: volens tamen intelligi, illud esse regnum suum, seque mox à morte sua in illo suo regno fore. Cœtus enim iustorum, mortali vita defunctorum, præcipua pars regni Christi est: qui quamquam non semper fruitus fuerit cælorum habitatione &, ea in qua maximè beatitudo sita est, Dei visione (quę à Christi demum morte & ascensione concessa fuere) numquam tamen malo loco, immo semper bono fuit, quieto, lucido suo modo, iucundo, bonisq; omnis generis abundante, nihilo inferiore, immò verò longè feliciore, horto illo primo, in quo Deus protoplastos collocarat, qui paradisus vulgò appellatur. Paradisus nomen est latino græcoq; more formatum, ab hebræo, aut, quod alij malunt, Persico nomine פרדס *pardes*, significans propriè locum fructiferis arboribus consitum, id est, pomarium, quomodo vertitur Ecclesiastæ 2. v. 5. vnde & Cant. 4. v. 13. legis *paradisum malorum punicorum*. Nehem. 2. v. 8. vetus Interpres transfert *saltum*, alij *pomarium*. Alijs Scripturæ locis non legitur hæc vox hebraicè: sed quia LXX hoc nomine vsi sunt in initio Genesis, capitibus 2. & 3. (quamuis hebraicè legatur nomen generale גן *gan* hortus, non speciale פרדס *pardes*) auctores fuerunt, vt hortus ille deliciosus, in quo Deus collocauerat primos homines, κατ' ἐξοχὴν vocaretur paradisus: & ab hoc ducta translatione, amœnissimus quisque & ad oblectandos hominum animos iucundissimus locus, eodem nomine appellaretur. Vnde & factum est, ab ortu sectarum pharisaicæ & saducaïcæ, vt quemadmodum inferi, locus spirituum impiorum à corporibus separatorum, vbi miserrimè tractantur illi, nominabantur gehenna, à loco quodam fœdissimo & abominatissimo iuxta ciuitatem Ierosolymorum (quod docuimus Matth. 5. v. 22.) ita locus spirituum iustorum, in quo illi quietè, iucundè, secureque agerent, appellaretur paradisus, ab illo primorùm hominum felicissimo paradiso, quòd ab omni animi corporisque molestia liberi, non minùs feliciter illic agerent, quàm protoplasti ante lapsum in paradiso. Huic igitur vulgari loquendi modo cùm assueuisset latro, est Iesus eo vsus, vt clarè intelligeret latro, vitam beatitudinemque æternam, & locum inter iustos, sibi à morte promitti. In hanc sententiam scribit Chrysostomus in cathena citatus: *Sed dicunt, nomine paradisi regnum cælorum nominauit, vsitato nomine vtens dum alloqueretur latronem, qui nihil audierat de arduis documentis*. Promittit ergo Iesus latroni, mox à peracto supplicio, requiem felicemque refocillationem; promittit quod amplius est, vitam beatitudinemque æternam eo die inchoandam in paradiso, id est, eo in loco in quo iusti omnes à morte requiescunt, quem alio nomine Iudæi vocabant sinum Abrahæ (Luc. 16. v. 22.) ab Abraham parente & capite iustorum omnium: qui locus quamuis esset inferus mortalium respectu, superus erat tamen respectu loci reproborum, magno chão inter vtrumque firmato. Porrò quod promisit Iesus latroni, hoc & præstitit: postquam enim prior ipse eo die mortuus, descendisset ad inferos, in sinum inquam Abrahæ & limbum patrum; latronis posteriùs eodem die mortui animam, iussam eò per Angelos deportari, excepit: qui locus eo tempore paradisi nomē tanto iustiùs merebatur, quanto magis præsentiâ Iesu illustrabatur, ornabatur, exhilarabatur, beatificabatur: quamquam breui Iesus inferum eum locum, mutaturus esset latroni cæterisque omnibus iustis secum, in superum, adeoque in supremum cælum, perpetuo Dei conspectu beatum, quem iustiùs etiam paradisum vocant hodie Christiani cum Apostolo Paulo 2. Corint. 12. v. 4. Huic interpretationi paradisi fauet Iustinus martyr, qui respondens quæstioni 76., paradisum latroni promissum, exponit cœtum beatorum: fauet inter alios D. Augustinus, lib. 12 de Genesi ad literam cap. 34. vbi ait: *Quanto magis ergo post hanc vitam, etiam sinus ille Abrahæ, paradisus dici potest, vbi iam nulla tentatio, vbi tanta requies post omnes dolores vitæ? Neque enim & lux ibi non est, propria quadam & sui generis, & profectò magna, quam diues ille de tormentis & tenebris inferorum, tam vtique de longinquo, cùm magnum chaos esset in medio, sic tamen vidit, vt ibi illum quondam contemptum pauperem agnosceret*. & paulò pòst: *Quapropter anima illius latronis, cui dixit Hodie mecum eris in paradiso, nō vtique inferos præstituit, vbi pœnæ sunt peccatorum, sed aut illam requiem sinus Abrahæ* &c. Videmus igitur latronem non frustrà orasse, immo exauditum, longè ampliùs accepisse, quàm rogarat: rogarat vt sui esset aliquando memoria, promittit præstatq; ei Iesus hodie paradisum, & vitam æternam beatam. Quod enim addit *hodie*, non est quòd cras diesque consequentes excludat: sed intelligendum relinquit, si hodie ingrediatur paradisum, numquam eiiciendum esse paradiso, quocumque tandem locorum ille transferatur (breui enim pòst in cælum translatus est) sed perpetuò illic secum & cum omnibus iustis beatum fore: ex eo quòd nemo illinc intromittatur, nisi qui Dei iudicio iustus sit declaratus: qui autem semel à morte iustus est declaratus, numquam excidere potest, aut statu iustitiæ, aut cœtu iustorum, aut præmiis æternæ beatæque vitæ. Quare & hoc tacitè Iesus latroni dat intelligendum, quòd, condonatis peccatis omnibus, reddat eum iustum, & dignum paradiso cætuque iustorum à morte. Non promittit ei leuamen præsentis miseriæ, antequam finiat mortalem hanc vitam: plerumque enim Deus affligi sinit hoc in seculo, eos quos diligit, efficiens vt omnia eis cooperentur in bonum salutemque æternam. Rom. 8. v. 28. Breuem igitur facilemque in paradisum ingressum inuenit latro: sed cauendum, ne quis hoc exemplo abusus, præsumat, vel dilata emendatione in extremum vitæ, se recipiendum nihilominus in gratiam, vt temerarij (quamquam incertum sit, an latronem hunc non pœnituerit anteactæ vitæ, priusquam crucifigeretur) vel admittendum se mox à morte in paradisum, absque satisfactionibus & purgatoriis vllis pœnis, vt hæretici: rarum est enim Dei donum, pœnitentia in extremis; multoq; rarius, talis pœnitentia tali cum fide coniuncta, qualem obseruare licet in hoc latrone, cui non exstat æqualis.

Matth. 27. v. 45. Marc. 15. v. 33.

Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ 44 | Ἦν δὲ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, καὶ σκότος ἐγένετο

ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐννάτης. | factæ ſunt in vniuerſam terram, vſque in horam nonam.

FERE. ὡσεὶ quaſi, circiter, plus minus. Adiecit *ferè*, vt ſolemus, cùm tempus deſcribimus, nec magni refert præcisè punctum temporis notare. Sextam horam fuiſſe declarat Marcus: paulò poſt ſextam igitur. ET ſ.tunc TENEBRÆ. id eſt: Cùm autem eſſet hora circiter ſexta, tenebræ FACTÆ SVNT. IN VNIVERSAM. ἐφ' ὅλην ſuper totam. VSQVE IN. vſque ad. Reliqua pete ex prioribus Euangeliſtis.

καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος, καὶ ἐσχίσθη τὸ [45] καταπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον. | Et obſcuratus eſt ſol: & velum templi ſciſſum eſt medium. *Matth.27. v.51.*

OBSCVRATVS EST. Obſcurus factus eſt; non quòd lux eſſe in ſole deſierit, aut caligo in ſole extiterit, ſed quia ſol lucem ſuam non fudit in terrã. Nam & in quauis eclipſi, ſol ipſe in ſe lucidus manet, nõ minùs quàm extra eclipſim: ſed lux eius terræ ſubtrahitur, itaque ſuccedunt tenebræ. Dat ergo hic Euangeliſta intelligendum, quomodo tenebræ factæ ſint, obſcurato nimirum ſole (id quod D. Auguſtinus etiam annotat lib. 3. de conſ. cap. 17.) partim ſcilicet per interpoſitionem lunæ inter ſolem & terram, partim per retentionem radiorum ſolis, quemadmodum diximus Matt. 27. v. 45. Quando vita in fonte vitę abſcondebatur, & fons vitæ reddebatur veluti ſine vita: tunc lux in fonte lucis abſcondita eſt, & fons lucis factus eſt veluti ſine luce, idque donec fons vitæ in locum mortis deſcendiſſet, vt abſorpta morte in anguſtiorem prorumperet vitam, quemadmodum lux obſcurata in maiorem tandem erupit lucem. MEDIVM. in duo ſeu duas partes, vt Matthæus ait. *Lucas volens miraculum miraculo adiungere* (ait Auguſtinus lib 3. de conſ. Euang. cap. 19.) *cum dixiſſet Sol obſcuratus eſt, continuò ſubiungendum exiſtimauit Et velum templi ſciſſum eſt medium, præoccupans videlicet, quod exſpirante Domino factum eſt.* Reliqua lege Matth. 27. v. 51.

καὶ φωνήσας φωνῇ μεγάλῃ ὁ Ἰησοῦς εἶπε· [46] πάτερ, εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. καὶ ταῦτα εἰπὼν ἐξέπνευσε. | Et clamans voce magna Ieſus ait: Pater, in manus tuas commẽdo ſpiritum meum. & hæc dicens exſpirauit. *Matth.27. v.50. Marc.15. v.37. Iohan.19. v.30. Pſalm.30. v.6.*

MAGNA. Fuit planè maxima hæc vox, profecta ex maxima Chriſti virtute, maximo vehementiſſimoque orandi affectu, maxima denique certitudine ſui ergo Patrem commendationis. Confidentiſſimè enim mortem aduocat, & ipſas ingreditur tenebras mortis, eam intra ipſiuſmet penetralia debellaturus.

PATER. Pium & Dei ad finem vſque vitæ ſtudioſum ſe eſſe declarat, minimè verò vt facinoroſum aut Dei aduerſarium mori. Deum adhæc patrem ſuum eſſe, affirmare, in extremo etiam vitæ ſpiritu conſtitutus pergit, mortem oppetens in cõfeſſione eius quod Dei Filium ſe dixerat. Denique quanta feratur erga Deum fiducia, & quàm minimè exciderit ſpe, animam ſuam ſaluam à morte & incolumem fore, Patrem inuocans teſtatum facit. Euthymius Matthæum tractans: *Clamauit*, inquit, *voce magna, vt omnes audirent omneſq; ſcirent, quod ad extremum vſque ſpiritum Patrem Deum appellaret, & vniuerſa in eo reponeret, nec eſſet ei contrarius.*

IN MANVS TVAS. in manus prouidentiæ, potentiæ, bonitatiſque tuæ, id eſt tibi (*per manus Dei intelligimus Deum ipſum*, inquit Euthymius) cuſtodiæ, tutelæ, curæque tuæ. Verſiculus iſte ex Pſalmo 30. mutuatus, à Domino ad ſuum vſum orationis loco aptatus eſt. His verbis Dauid vitam ſuam, cui hoſtes inſidiabantur, Deo commendauerat, vt eius tutela protectus, & viuens & moriens tutò feliciterque ageret: eiſdem verbis Chriſtus, animam ſuam è corpore egredientem inexpugnabili Dei præſidio committit. Nec veriſimile eſt quod quidam coniiciunt, nominatim Dionyſius Richelius, Chriſtum, præcedentia omnia illius Pſalmi, ſubmiſſiori voce apud ſe recitaſſe: mox enim vt dixerat *Conſummatum eſt*, ſubiecit *In manus, & inclinato capite emiſit ſpiritum*, quod ex Iohanne intelligitur. q. d. quandoquidem Pater omnia iam conſummata ſunt, quod vnum reſtat, in manus tuas commendo ſpiritum meum & morior. COMMENDO. Syrus *pono*. Græcè ferè eſt παραθήσομαι *commendabo*, deponam. In Pſalmo quoque tam græcè quàm hebraicè futurum eſt παραθήσομαι אפקיד *apkid*: quæ duæ voces, hebraica & græca, eiuſdem ſunt ſignificationis: ſignificant commendare ſimpliciter, aliquid ſcilicet curæ alicuius committere: ſignificant quoque ita commendare, vt commendatur depoſitum, bona fide ſeruandum ac ſuo reddendum tempore. Tria igitur quædam Ieſus hoc verbo dat intelligenda. Primum, quòd ſpiritum, quem à Patre acceperat, Patri reddat: omnia enim ſua Patri attribuit, à quo acceperat & naturam diuinam. Secundum, quòd humanus ſpiritus è corpore egreſſus, regionem ignotam ingrediatur, ac proinde periculis poſſit eſſe obnoxius, ne erret aut incurrat mala, cuſtodem autem & ſeruatorem Deo meliorem nequeat habere. illi itaque ſpiritum ſuum commendat excipiendum, ſeruandum, & ducendum in viam rectam, ita vt feliciter obeat ea quæ à corpore ſeparatus obeunda habebit. Quamuis enim ipſe ſpiritui ſuo è corpore egreſſo non timeret ab vllis periculis, quæ à malis ſpiritibus aut vndecumque accidere poſſent, præſertim cùm diuina ipſius natura nequaquam ſeparanda eſſet à ſpiritu ipſius: tamen vt gratiæ eſſe doceret, quòd ſpiritus ſeu anima ipſius ab omnibus periculis eſſet immunis, & perpetua Dei præſentia, cuſtodia, adeoque vnione frueretur, orat vt egreſſum è corpore excipiat & ſeruet Pater, id eſt, cum gratiarum actione ac laude ſecurè eum Patri committit: eò magis quòd nos inſtruere velit, vt morituri hoc modo oremus, quorum ſpiritus egreſſi corporibus, niſi à Dei miſericordia excipiantur & ſeruentur, errent neceſſe eſt in regionibus vmbræ mortis, & à malis qui illic regnant ſpiritibus abripiantur in tartara. Tertiò ac poſtremò ſignificat hoc verbo Ieſus, quòd breuî repetiturus ſit ſpiritum ſuum à Deo Patre, quippe quem deponat in paternas manus, & depoſiti inſtar commendet ſuo tempore reſtituendi. Quam ad rem optimè conuenit manuum metaphora: nam cui aliquid commendamus ſeruandum nobiſque reddendum, illud ei in manus aſſignamus & tradimus. *Inſinuat*, inquit Theophylactus ſcribens in Matthæum, *ſe illum iterum repetiturum: depoſitum enim & commendatum iterum aſſumitur*, & in

& in hunc locum: *Depositum, ait, mortem nominauit, tamquam iterum recepturus animam*. Ambrosius quoque in hunc locum: *Bene commendatur spiritus, qui seruatur: quod enim commendatur, vtique non amittitur. bonum ergo pignus est spiritus, bonum depositum*. Committit itaque Patri seruandum spiritum, interea dum triduum proximum agetur, orans vt à triduo ipsi restituat eum Pater, & corpori iterum iungat. Qua oratione effectum est, quod præcinuerat Psalm. 15. v. 10. vt *non derelinqueret* Pater *animam* Filij sui *in inferno, nec permitteret sanctum suum videre corruptionem*. Dat ergo inter cætera Iesus hîc intelligendum, quòd sæpè aliàs disertè declarauerat, se breuî resurrecturum: quemadmodum etiam prædicit, quòd non est alterius alicuius hominis, se spiritum mox exhalaturum. Nam siue præsenti tempore legas *commendo*, siue futuro *commendabo*, idem vnum significatur, quòd iamiam exhalandum spiritum, priusquam egrediatur, Patri commendet: quæ interpretatio, non tam ex vi verborum accipitur, quàm ex eo quòd res ipsa mox subsequatur, quòd hoc dicto statim exspiret. Erat in hac commendatione aliquid præsens, supplicatio inquam & prædictio; erat aliquid futurum, sed mox, spiritus depositio seu traditio. SPIRITVM MEVM. animam meā, quam è corpore meo emitto. Augustinus libri de trinitate & vnitate cap. 7. *Humanum*, inquit, *spiritum intelligimus Filium commendasse Patri, quod est anima*. Secundùm carnem, ait Christus, nihil in te Pater auxilij iam sentio: non tamen id obstabit, quò minùs animam meam, quæ carnem relinquit, in manus tuas deponam, & securè recumbam in abscondita custodia bonitatis tuæ, qua futurum sit, vt anima & carne rursus coniunctis, breuî feliciter beatéque resurgam. Porrò voluit Dominus Iesus piè moriendi exemplum hîc nobis relinquere, ne vt bestiæ aut vt homines athei moriamur: sed persuasi animam nobis esse immortalem, quæ victura sit etiam mortuo corpore, commendemus eam Dei benignitati, vt seruetur, cùm à malis spiritibus, tum à supplicijs futuri seculi, & tandem aliquando corpori beatè restituatur. Neque exemplum tantùm Dominus hîc nobis relinquit, verumetiam, cum sua anima seu spiritu, eorum omnium spiritus Patris manibus commendat, pro quibus mortem oppetit: omniū fidelium animas, quas vt spolia ex hostibus accepta ducit suas, vno quasi fasciculo complexus, paternæ committit curæ, vt simul cum sua seruentur, & egressæ corporibus rectà ascendant in manus Patris, ad beatam visionem Dei, quas anteà consueuerat infernus retinere. *Tradidit animam suam manibus genitoris*, inquit Cyrillus lib. 11. in Iohannem cap. 36., *vt ab illa & per illam facto initio, certam huius rei spem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros*. Sic & Victor Antiochenus Marcum tractans: *Hæc quoque Christi commendatio, in animarum nostrarum commodum cedebat, quippe quas ille à corpore quod inhabitauerant absolutas, quasi quoddam depositum, in Dei viuentis manus ea oratione tradebat*. Postremò Euthymius in hunc locum: *Et hoc nobis effecit Dominus*, ait, *ne deinceps iustorum animæ descenderent in infernum, sed magis ad Deum ascenderent*. ET HÆC DICENS. καὶ ταῦτα εἰπὼν & hæc loquutus, mox vt hoc dixerat Syrus: *Hoc dixit & finiuit* f. vitam. EXSPIRAVIT. Fecit quod dixerat, deposuit spiritum in manus Patris. Ita apparuit certissimo argumento, ipsum esse Filium Patris inuocati, & spiritum ipsius à Patre fuisse susceptum, quòd res iuxta orationis sententiam eueniret. *Quum enim dixisset* (quod habet Euthymius Matthæum enarrans) *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, tunc demum morti permisit vt ad se accederet*. Reliqua huc pertinentia dicta sunt Matth. 27. v. 50.

Matth. 27. v. 54. Marc. 15. v. 39.

47 Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat.	ἰδὼν δὲ ὁ ἑκατόνταρχος τὸ γενόμενον, ἐδόξασε τὸν θεὸν, λέγων· ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν.

VIDENS. considerans. QVOD FACTVM FVERAT. singulare loco pluralis, *quæ facta fuerant*, sicut exponitur versu proximo. Quare & Augustinus lib. 3. de cons. cap. 20. dicit, Lucam his verbis *quod factū fuerat*, includere omnia quæ in illa hora mirabiliter facta fuerant; signanter, haud dubium, ea quæ ipse commemorauerat, solem obscuratum, & clamorem orationemque morientis Iesu, *quod cum libertate*, vt inquit Euthymius, *Deum Patrem vocasset, & in manus eius spiritum suum commendare se testatus esset, ac paulò post exspirasset*. GLORIFICAVIT DEVM. agnouit & confessus est veritatem, dixit quod res erat. nam veritatis confessio, Dei gloria est, qui est prima veritas. Sic Ios. 7. v. 19 & Iohan. 9. v. 24: *Da gloriam Deo*, id est, fatere veritatem. IVSTVS. id est, innocens, ERAT, præter meritum interfectus est. Iudæi eum occisum voluerunt, tamquam impostorem, quia Filium Dei se dixit; sed iniustè, nam veracem & iustum fuisse virum Deus ipse testatus est. Lucas narrat, Iesum à Centurione declaratum esse innocentem: priores Euangelistæ referunt causam ob quam dixerit esse innocentem, quia verè Filius Dei fuerit, tametsi eam ob causam, quia id dixerat, Iudæi eum interfici curassent. Vtrumque ergo Centurio dixit, & quòd iustus esset Iesus, & quòd Filius Dei (quæ prior expositio est D. Augustini lib. 3. de cons. Euang. cap. 20.) adeoque hoc ex illo ratiocinando intulit. Reliqua huius versiculi exposita sunt Matth. 27. v. 54.

48 Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.	καὶ πάντες οἱ συμπαραγενόμενοι ὄχλοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην, θεωροῦντες τὰ γενόμενα, τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη ὑπέστρεφον.

ET OMNIS TVRBA EORVM QVI SIMVL ADERANT. καὶ πάντες οἱ συμπαραγενόμενοι ὄχλοι & omnes quæ simul adfuerant turbæ. Omnes qui ex more venerant ad supplicij spectaculum: quos solito plures fuisse constat, partim ex eo quòd fuerit dies paschæ, quo omnes vndequaque Iudæi conuenerant Ierosolymam, partim ex celebritate nominis Iesu: alios enim odium, alios studium Iesu, alios claritas nominis eius attraxit. AD SPECTACVLVM ISTVD Iesu crucem patientis. nam & Iesus *spectaculum factus fuit mundo & angelis & hominibus*. 1. Cor. 4. v. 9. ET VIDEBANT QVÆ FIEBANT. θεωροῦντες τὰ γενόμενα spectantes quæ facta

facta fuerant, scilicet deliquium solis, terræ motum &c. PERCVTIENTES PECTORA SVA in signum pœnitentiæ, quòd pœniteret eos, in cædem Iesu consensisse, idque metu vindictæ diuinæ, quam instare ominabantur ex ostentis conspectis. *Tundere pectus quid est*, inquit Augustinus, *nisi arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum?* Ergo turbæ, pectora tundendo, & peccatum, iniusta innocentis cæde, à se suisque principibus, publicè contractum esse agnouerunt, & vindictam sibi suæque Reip. ob peccatum illud impendentem deprecati sunt. Sed qui non vltrà progressi sunt, nihil illis profuit hic planctus: nam plerisque initium seu præparatio fuit, melioris pœnitentiæ, quæ perfecta est die Pentecostes proximè subsequuto, quando audita Petri concione *compuncti sunt corde, & dixerunt: Quid faciemus viri fratres?* Act. 2. v. 37. Ecce igitur alter fructus orationis mortisque Iesu in vulgo Iudæorum: nam primates petris ipsis duriores permanserunt. REVERTEBANTVR in ciuitatem & hospitia sua. *Notanda est distantia gentis & gentis*, inquit Beda. *Gentiles quippe, moriente Christo, Deum, timentes, aperta confessionis voce glorificant: Iudæi percutientes solum pectora, silentes domum redeunt.*

εἱστήκεισαν δὲ πάντες οἱ γνωστοὶ αὐτοῦ 49 μακρόθεν, καὶ γυναῖκες αἱ συνακολουθήσασαι αὐτῷ ἀπὸ τῆς γαλιλαίας, ὁρῶσαι ταῦτα.

Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ sequutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

Matth. 27. v. 55. Marc. 15. v. 40. 41.

OMNES qui aderant. nec enim omnes aderant. NOTI familiares EIVS Iesu, discipuli, consanguinei, amici; nominatim, Maria mater eius & Iohannes Apostolus, quod constat ex Iohan. 19. v. 25. Hoc ideò est additum, vt sciamus, licet huc illuc fuga dilapsi essent Apostoli, quosdam tamen ex eorum cæterorumq; discipulorum cœtu, retentos à Domino fuisse, vt essent testes oculati eorum quæ gererentur, nec solas adfuisse mulieres, quamquam illæ fuerint maiori numero, & viris constantiores. ET MVLIERES. præsertim verò mulieres, nam & illæ erant ex notis. Harum tres nominantur à prioribus Euangelistis. HÆC VIDENTES. dum hæc spectarent. Hoc tam ad notos referendum est iuxta sensum, quàm ad mulieres, tametsi græcè efferatur genere fœminino. Reliqua Matth. 27. v. 55.

καὶ ἰδοὺ ἀνὴρ ὀνόματι ἰωσὴφ, βουλευ- 50 τὴς ὑπάρχων, ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ δίκαιος·

Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus:

Matth. 27. v. 57. Marc. 15. v. 43. Iohan. 19. v. 38.

ET. Tunc, simulatque Iesus exspirasset. ECCE præter omnium exspectationem. DECVRIO. βουλευτὴς consiliarius, senator. BONVS. pius erga Deum, ET IVSTVS erga proximos, quod congruit senatori. Reliqua pete ex prioribus Euangelistis.

οὗτος οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος τῇ βουλῇ 51 καὶ τῇ πράξει αὐτῶν, ἀπὸ ἀριμαθαίας πόλεως τῶν ἰουδαίων, ὃς προσεδέχετο καὶ αὐτὸς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui exspectabat & ipse regnum Dei.

Matth. 27. v. 57. Marc. 15. v. 43. Iohan. 19. v. 38.

NON CONSENSERAT. οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος non fuerat suffragatus; nec tamen rebus ipsis se opposuerat, quia viderat frustrà se id tentaturum: vt neque Deus voluerat Christi mortem impediri. CONSILIO quo decreuerant Iesum perdere. ET ACTIBVS. καὶ τῇ πράξει & facto, id est, actis quibus procurauerant Iesu cædem. EORVM. principum Iudæorum, licet fuisset ipse ex eorum numero & concilio. Ex hoc enim loco facilè intelligitur, Iosephum vnum fuisse ex senioribus populi & concilio Sanhedrin, & illi etiam concilio interfuisse, quo principes Iudæorum de capiendo ac crucifigendo Iesu deliberauerant; & non iuisse quidem in sententiam eorum qui Iesum oderant, non tamen palàm ausum fuisse profiteri studium animi sui, ob multitudinem & potentiam aduersariorum. AB ARIMATHÆA s. oriundus. Hoc Syrus habet versu superiori post ea verba *Qui erat decurio*. IVDÆÆ. τῶν ἰουδαίων Iudæorum. Rectiùs latina & syriaca editiones *Iudææ*; *Iudæa* autem strictæ acceptæ, prout distinguitur à Galilæa & Samaria. Reliqua petantur ex Matthæo & Marco.

οὗτος προσελθὼν τῷ πιλάτῳ, ᾐτήσατο 52 τὸ σῶμα τοῦ ἰησοῦ·

Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu:

Matth. 27. v. 58. Marc. 15. v. 43. Iohan. 19. v. 38.

ET PETIIT atque obtinuit. Cætera exposita sunt Matth. 27. v. 58.

καὶ καθελὼν αὐτὸ ἐνετύλιξεν αὐτὸ σιν- 53 δόνι, καὶ ἔθηκεν αὐτὸ ἐν μνήματι λαξευτῷ, οὗ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος.

& depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondũ quisquam positus fuerat.

Matth. 27. v. 59. Marc. 15. v. 46. Iohan. 19. v. 40. 41. 42.

EVM. s. Iesum. græcè est αὐτὸ illud scilicet corpus. EXCISO. s. è lapide, vt intelligas, hoc monumentum, solidum fuisse saxum, non compactile aut structile, sed excauatum suo loco natiuo. IN QVO. οὗ vbi NONDVM QVISQVAM POSITVS FVERAT. nullius hactenus corpus sepultum fuerat. *Sicut in Mariæ virginis vtero*, inquit Augustinus Iohannem enarrans, *nemo ante illum, nemo post illum conceptus est: ita in hoc monumento, nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.* Reliqua dicta sunt Matth. 27. v. 59.

Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat. [54] καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευή, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε.

ET DIES ERAT. Erat autem dies PARASCEVES. ὅτε αὐτή parasceue s. cùm hæc fieret. ET SABBATVM. id est, festus sabbati dies. ILLVCESCEBAT. id est, incipiebat, proximum erat vt inciperet. Quia dies à solis luce incipere consueuit, & id quidem naturæ ordine, atque ideò diem illucescere dicimus cùm incipit: hinc sumta metaphora, diem festum sabbati illucescere dicit Euangelista cùm incipit, quamquam à vespera, id est, à tenebris non à luce inciperet, ordine à lege præscripto. Sunt qui putent Euangelistam respexisse, vel ad stellarum exortum, vel ad lumen lucernarum quæ ea hora solerent accendi, vnde & Latini id temporis vocant primam facem. Addidit hoc autem Euangelista, vt significaret, diei parasceues extremum finem imminuisse, cùm Dominus sepeliretur, neque plus temporis fuisse ad sepulturæ officium quàm necesse esset: ita vt mulieres, quæ & ipsæ libenter officium præstitissent, tempore exclusæ fuerint, finiente nimirum parasceue, & sabbato, quo operari non licebat, succedente atque incipiente.

Matth. 27. v. 61. Marc. 15. v. 47.

Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius. [55] κατακολουθήσασαι δὲ γυναῖκες, αἵτινες ἦσαν συνεληλυθυῖαι αὐτῷ ἐκ τῆς γαλιλαίας, ἐθεάσαντο τὸ μνημεῖον, καὶ ὡς ἐτέθη τὸ σῶμα αὐτοῦ.

SVBSECVTÆ funus. MVLIERES. nominatim Maria Magdalene & Maria Iacobi, quas priores Euangelistæ exprimunt. VIDERVNT. ἐθεάσαντο spectarunt MONVMENTVM. monumenti situm & formam tam intus quàm foris. ET QVEMADMODVM POSITVM ERAT. & quomodo positum seu collocatum in eo esset CORPVS EIVS Iesu. Postquam enim Ioseph, sepulturâ perfectâ monumento egressus esset cum suis, concessit mulierum pietati, vt & ipsæ ingrederentur, viderentque vbi ac quo modo sepultus esset Iesus, & distulit tantisper aduoluere saxum ostio monumẽti. Mens autem mulierum erat, vt & ipsæ exacto sabbato vngerent Iesum. *Quia religiosa*, inquit Ambrosius, *locum diligenter obseruant, vt vnguenta adferant & superfundant*. Et Beda: *Notis Iesu, post depositum eius corpus ad sua remeantibus, solæ mulieres quæ arctius amabant, funus subsecutæ, quomodo poneretur inspicere curabant, vt ei tempore congruo munus possent deuotionis offerre.* Reliqua exposita sunt ad Matthæum.

Marc. 16. v. 1.

Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum. [56] ὑποστρέψασαι δὲ ἡτοίμασαν ἀρώματα καὶ μύρα· καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν.

REVERTENTES. ὑποστρέψασαι reuersæ s. domum. PARAVERVNT. emerunt, inquit Marcus. AROMATA siccè contusa, quibus adspergerent corpus aduersus fœtorem. VNGVENTA. aromata qualia myrrha, aloë, balsamum, in liquores contusa, quibus oblinerent aut perfunderent corpus contra putrefactionem. vide Matth. 26. v. 7. ET pro *sed*. SABBATO. quod iam illuxerat, priusquam essent domum reuersæ. SILVERVNT. ἡσύχασαν quieuerunt, nihil egerunt quod ad aromatum & vnguentorum apparatum. SECVNDVM MANDATVM legis, sicut præceptum erat lege, quæ vetabat omne opus in sabbato. Exo. 20. v. 10. Parauerunt aromata, non tamen sabbato, sed scilicet simulatque transisset sabbatum & mandatum cessaret, id est, vespere diei subsequentis: quod intelligendum dat etiam Marcus.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

Matth. 28. v. 1. Marc. 16. v. 1. 2. Iohan. 20. v. 1.

Vna autem sabbati, valdè diluculò, venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerãt aromata: [1] Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, ὄρθρου βαθέος, ἦλθον ἐπὶ τὸ μνῆμα, φέρουσαι ἃ ἡτοίμασαν ἀρώματα, καί τινες σὺν αὐταῖς·

VNA SABBATI. τῶν σαββάτων sabbatorum, id est, prima die à sabbatis, siue sabbato. VALDE DILVCVLÒ. ὄρθρου βαθέος diluculo profundo, id est, aurora adhuc obscura, vt Syrus exponit. Tempus matutinum in plures partes diuiditur: eius prima pars diluculum est, quo rarescit nox, quod tunc profundum vocatur, cùm primùm incipit & multum adhuc diluculi superest, priusquam discussis tenebris succedat mane, & orto sole dies: quamquam diluculum initium est ortus solis. Quare Dionysius Alexandrinus epistola ad Basilidem: *Per τὸ valdè diluculò, matutinum splendorem, in primam sabbati promicantem, hoc est, primæ sabbati auroram vixdum satis apparentem, vt probabile sit, adumbrat.* VENERVNT. peruenerunt s. mulieres quæ Iesum sequutæ fuerant ex Galilæa. supra 23. v. 55. AROMATA. ad vngendum Domini corpus, quod non dubitabant esse in monumento. Sequitur græcè καί τινες σὺν αὐταῖς *& quædam cum eis*: quod & Syrus legit in hunc modum: *& erant cum eis mulieres aliæ*. Quo significari videtur, quòd mulieribus quæ Iesum sequutæ fuerant à Galilæa, adfuerint quædam aliæ, qualis Martha, aut aliæ Ierosolymitanæ. Nam quamquam græcum τινὲς commune sit vtrique sexui, nullos tamen viros his mulieribus adfuisse, constat ex euangeliis: cæteroqui enim non dixissent

dixissent Marc. 16. v. 3: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* vt alia omittam. Verùm, vt latina editio non agnoscit hæc verba καί τινες σὺν αὐταῖς, ita notat quidam abesse ab vno vetere exemplari græco: ac certè suspecta sunt superfluitatis. Ad alia euangelia possint quadrare; sed ad hoc, quod nullam fœminarum nominatim hîc exprimit, quàm aptè quadrat *Et quædam cum eis*? Videri sanè possit acceptum, ex eo quod infrà v. 10., nominatis quibusdam earum quæ Iesum sequutæ fuerant à Galilæa, subiecerit Lucas καὶ αἱ λοιπαὶ σὺν αὐταῖς *& cæteræ cum eis*: sed quod non est necesse de aliis intelligere, quàm de sociis quæ vnà Iesum sequutæ fuerant ex Galilæa, vt, Salome, matre filiorum Zebedæi, quæ pluribus locis, & Susanna, quæ Luc. 8. v. 3. nominatur. Reliqua huius versus ex prioribus euangeliis petantur.

εὗρον δὲ τὸν λίθον ἀποκεκυλισμένον ἀπὸ τοῦ μνημείου. 2 & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento.

Matth. 28. v. 2. Marc. 16. v. 4. Iohan. 20. v. 1.

ET INVENERVNT. εὗρον δὲ inuenerunt autem s. præter spem. REVOLVTVM. de quo reuoluendo fuerant maximè solicitæ. vide Marc. 16. v. 3. A MONVMENTO. ab ostio monumenti, id est, inuenerunt monumentum apertum. Reliqua lege secundùm Matthæum & Marcum.

καὶ εἰσελθοῦσαι οὐχ εὗρον τὸ σῶμα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ. 3 Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu.

Iohan. 20. v. 6.

ET INGRESSÆ. Itaque ingressæ in monumentum apertum, monente ducenteque Angelo Domini, quem inuenerant insidentem lapidi reuoluto, quod habet Matthæus. NON INVENERVNT. viderunt locum vacuum esse.

καὶ ἐγένετο ἐν τῷ διαπορεῖσθαι αὐτὰς περὶ τούτου, καὶ ἰδοὺ ἄνδρες δύο ἐπέστησαν αὐταῖς ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις. 4 Et factum est dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.

ET FACTVM EST. simulatque exissent monumento. nam quamdiu erant in monumento, stupor quo tenebantur ob præsentiam Angeli, non perinde permittebat vt se colligerent. DVM MENTE CONSTERNATÆ hæsitarent, perplexæ ESSENT animique incerti. DE ISTO. hac de re, de lapide reuoluto, & non inuento Iesu corpore, quid actum esse posset de corpore Iesu; simul & de visione Angeli in monumēto relicti, & eis quæ ex eo audiuerant, narratis à prioribus Euangelistis. *Nondum enim*, inquit Euthymius, *credere poterant quòd resurrexisset*. Perplexæ de eo quòd corpus Iesu non inuenissent, cogitabant quónam posset esse ablatum: nec persuadere facilè sibi poterant, quod ab eo qui apparuerat Angelo audierant, Iesum resurrexisse, quamquam id nuncij eas nonnihil exhilararet. ECCE. καὶ ἰδοὺ & ecce, tunc ecce. DVO VIRI. duo Angeli virorum specie. Cùm primùm aduenissent, inuenerant Angelum sedentem ad ostium monumenti super lapidem reuolutum, quod narrarunt Matthæus & Marcus: illo Angelo duce ingressæ sunt in monumentum, & viderunt locum vacuum corpore Iesu. Porrò illo Angelo in monumento relicto, egressæ vt fuerunt, cùm hæsitarent, vt faciliùs crederent, ablatum esse Iesu corpus, quàm quod audierant resuscitatum, adfuerunt alij duo Angeli, qui suis monitis eximerent eis metum illum de rapto Iesu corpore. Fuit enim monumentum illud, quod Dominus sua tum morte tum vita consecrarat, honoris Domini causa, plenum Angelis, vt non sit mirum plures apparuisse; & posteà quidem rursus duos Magdalenæ soli, *sedentes vnum ad caput & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu*. Iohan. 20. v. 12. STETERVNT SECVS ILLAS. ἐπέστησαν αὐταῖς adstiterunt eis, quidam vertit *superuenerunt ipsis*. IN VESTE FVLGENTI. ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις in vestibus fulgurantibus, induti vestibus instar fulguris relucentibus: tum vt intelligerētur esse cælestes Angeli, tum vt sua specie resurrectionis triumphum præ se ferrent.

ἐμφόβων δὲ γενομένων αὐτῶν, καὶ κλινουσῶν τὸ πρόσωπον εἰς τὴν γῆν, εἶπον πρὸς αὐτάς· τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; 5 Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis?

TIMERENT. ἐμφόβων γενομένων αὐτῶν pauidæ factæ, vel exterritæ essent illæ. DECLINARENT. deflecterent VVLTVM. τὸ πρόσωπον faciem, partim ex timore, partim ex verecundia, quia virili forma apparebant, partim denique quod ferre non possent vestiū facierumq; fulgorem. *Quum nouo adspectu*, inquit Euthymius, *conterritæ essent, nec possent ob vestium coruscationem in eos respicere*. Non dubium quin eodem modo se gesserint mulieres istæ erga primum Angelum, quamuis alij Euangelistæ id non expresserint. DIXERVNT. vnus haud dubium communi nomine. *Dixerunt, non iam mansuetè*, inquit Euthymius, *vt priùs, sed obiurgandi modo, propter ipsarum incredulitatem*. QVID QVÆRITIS. quid perseueratis in eo, vt quærendum vobis puteris CVM MORTVIS. inter mortuos, *tamquam mortuum*, ait Euthymius, eum quem viuere iam audistis ex fratre nostro? Paulò duriùs loquuntur & amicè obiurgant, quòd non crederent primo Angelo, sed adhuc hæsitarent & raptum corpus arbitrarentur.

οὐκ ἔστιν ὧδε, ἀλλ' ἠγέρθη. μνήσθη- 6 Non est hîc, sed surrexit. Recordamini

mini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, | τε ὡς ἐλάλησεν ὑμῖν, ἔτι ὢν ἐν τῇ γαλιλαίᾳ,

NON EST HIC. Hîc quidem conditus fuit nudiustertius vobis spectantibus, cùm esset mortuus: sed nunc non est hîc, non est in hoc monumento, prout ipsæ vestris oculis vidistis: nec aliò translatus est mortuus. SED SVRREXIT. reuixit, & abiit hinc, relicto loco mortuorum, viuusque inter viuos ambulat, prout iam ex Angelo fratre nostro audistis. Euangelista hæc non addit, sed absolutè refert verba Angelorum suorum, quia primi Angeli non meminit. RECORDAMINI. μνήσθητε mementote. QVALITER. ὡς vt, quomodo, quòd. mementote eorum quæ dixit vobis. Reuocant eis in memoriam ea quæ Iesus ipsis prædixerat, vt eo credibiliorem monstrent ipsius resurrectionem. VOBIS cæterisque discipulis suis. nam & fœminæ istæ inter discipulos Iesu censebantur, nec facilè quid eas celabat Iesus eorum quæ docebat. Redeat vobis, inquit Angelus, in memoriam, quomodo nihil eorum quæ gesta sunt non prædixerit vobis. CVM ADHVC. diu ante hoc tempus & mortem suam, priusquam è Galilæa in Iudæam migraret. ea migratio describitur suprà 18. v. 31.

Sup. 9. v. 44. Matth. 17. v. 21. 22.

dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. 7 | λέγων· ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδοθῆναι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων ἁμαρτωλῶν, καὶ σταυρωθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστῆναι.

QVIA. aut omittendum est, aut mutandum cum quòd. Hic versus expositus fuit Matth. 16. v. 21. & suprà 9. v. 22. Cæterùm respicitur ad loca Matth. 17. v. 21. 22. & suprà 9. v. 44. quæ continent acta prædictaq; in Galilæa. Porrò non tantùm resurrectionem, vt primus Angelus, sed & passionem ipsumque mortis genus, à Iesu prædicta Angeli isti in memoriam reuocant: vt istæ, considerantes euenisse tristia illa quæ Iesus prædixerat, fidem ipsis adhiberent affirmantibus & resurrectionem iam factam.

Et recordatæ sunt verborum eius. 8 | καὶ ἐμνήσθησαν τῶν ῥημάτων αὐτοῦ.

ET. Itaque suggerentibus Angelis, RECORDATÆ SVNT mulieres, huiusmodi VERBORVM à se auditorum ex ore Iesu dum adhuc esset in Galilæa, quorum alioqui non recordabantur, præ mœrore & animi perturbatione. Non addit Euangelista, quòd proinde crediderint Angelis Iesu resurrectionem nunciantibus; dans intelligendum, quòd his rationibus præparati quidem fuerint istarum animi ad fidem, sed nondum omnino persuasi Iesum resurrexisse: non quòd falsò quid à Iesu prædictum arbitrarentur, sed quòd resurrectio, res esset noua nimium & insueta, adeoque læta, vt frustrationis metu credere non auderent, præsertim cùm Iesus ipsis non appareret. cogitabant enim, si reuixit, vbi est, & cur non adest nobis quibus hactenus conuixit. Nam vt non intelligebant verba Iesu cùm dicerentur (sup. 9. v. 45. & 18. v. 34.) ita neque adhuc modò: obscura est enim omnis prophetia donec conspiciatur impleta.

Matth. 28. v. 8. Marc. 16. v. 8. Iohan. 20. v. 2.

Et regressæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. 9 | καὶ ὑποστρέψασαι ἀπὸ τοῦ μνημείου, ἀπήγγειλαν ταῦτα πάντα τοῖς ἕνδεκα καὶ πᾶσι τοῖς λοιποῖς.

REGRESSÆ. ὑποστρέψασαι reuersæ s. domum *vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum*. Ioh. 20. v. 19. A MONVMENTO. à loco monumenti. HÆC OMNIA quæ viderant & audierant. ILLIS VNDECIM. τοῖς ἕνδεκα ipsis vndecim s. Apostolis. ET CÆTERIS OMNIBVS discipulis; vt Cleophæ & eius socio (infrà v. 22.) non quibuscumque occurrentibus. Nam extraneorum qui ipsis in itinere occurrerant, nemini quidquam declarauerant, quemadmodum legimus Marc. 16. v. 8. *Ne perpetuus reatus*, inquit Ambrosius, *apud viros opprobrium mulier sustineret, quæ culpam viro transfuderat, transfudit & gratiam, veterisque lapsus compensat ærumnam resurrectionis indicio. Per os mulieris mors ante processerat, per os mulieris vita reparatur*. Qua de re plura Matth. 28. v. 7.

Erat autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. 10 | ἦσαν δὲ ἡ μαγδαληνὴ μαρία καὶ ἰωάννα καὶ μαρία ἰακώβου, καὶ αἱ λοιπαὶ σὺν αὐταῖς, αἳ ἔλεγον πρὸς τοὺς ἀποστόλους ταῦτα.

ERAT. ἦσαν erant, numero plurali, quomodo etiam Syrus vertit. MARIA MAGDALENÆ. μαγδαληνὴ μαρία Magdalene Maria. IOHANNA. vxor Chusæ procuratoris Herodis. IACOBI mater. ET CÆTERÆ QVÆ CVM EIS ERANT. καὶ αἱ λοιπαὶ σὺν αὐταῖς & cæteræ cum eis, & reliquæ quæ cum eis esse consueuerant, sociæ earum, Iesum simul sequutæ è Galilæa & solitæ comitari, prout intelligitur ex locis suprà 8. v. 2. 3. & 23. v. 55. DICEBANT. referebant Apostolis HÆC omnia à se visa & audita.

Et visa sunt ante illos sicut deliramētū verba ista, & non crediderunt illis. 11 | καὶ ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν, καὶ ἠπίστουν αὐταῖς.

ANTE ILLOS, id est, illis, phrasi hebraica, s. Apostolis & cæteris. SICVT DELIRAMENTVM. similia delira-

deliramento, habita sunt ab eis pro muliebri delirio fabula, somnio. ISTA αὐτῶν earum. Existimarunt illusum fuisse mulieribus, vel à spectris apparentibus, vel à propriis phantasmatis, vt nonnumquam is sexus, qua est phantasiæ inconstantia ob mentis imbecillitatem, videre sibi videtur, quæ non videt sed imaginatur dumtaxat. Cæterùm etsi non profuit hoc mulierum nuncium ad extorquendam protinus fidem: profuit tamen ad animos eò præparandos.

* * * * * * * *

καὶ ἰδοὺ δύο ἐξ αὐτῶν, ἦσαν πορευόμενοι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ εἰς κώμην, ἀπέχουσαν σταδίους ἑξήκοντα ἀπὸ ἱερουσαλήμ, ᾗ ὄνομα ἐμμαούς.	13 Et ecce duo ex illis, ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus.

Marc. 16. v. 12.

ET ECCE. Nondum narrauit Lucas Iesum alicui hominum visum: iam itaque narrat, quî visus sit duobus discipulis, rem admirandam: & Iesu resurrectionem his duobus oculatis testibus probat. EX ILLIS s. vndecim & cæteris, quorum meminerat suprà v. 9., id est, ex numero discipulorum. IPSA DIE. illa ipsa die, vna sabbati. CASTELLVM. κώμην vicum, pagum. vide Matth. 9. v. 35. QVOD ERAT IN SPATIO STADIORVM. quod aberat spatio stadiorum. ἀπέχουσαν σταδίους distantem stadiis. Vox *stadij*, & latinè, & græcè, & syriacè denique, eadem est. *Stadium*, inquit Beda, *quo Græci, auctore, vt dicunt, Hercule, viarum spatia mensurant, octaua est pars milliarij: & ideo sexaginta stadia, septem milia passuum & quingentos significant.* SEXAGINTA. Cùm octo stadia conficiant vnum miliare, Italicum scilicet; sexaginta stadia sunt septem & dimidium miliaria Italica, id est, iter trium circiter horarum. Tria enim miliaria Italica, non multo amplius sunt, quàm iter vnius horæ quod diximus Matth. 4. v. 18. AB IERVSALEM. versus mare. EMMAVS. trisyllabum est quod flectas *Emmauntis*, vt, Trapesus, Trapesuntis. Addit nomen Euangelista, non tam ob loci celebritatem, quàm ob historiæ certitudinem. Fuit enim tempore Christi Domini vicus, quod hîc disertè scribitur: qui quidem, paulò ante id tempus, mortuo Herode primo, iussu Vari Syriæ Præsidis, crematus fuerat, in vindictam cæsorum ibi Romanorum militum, quod ait Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 12: posteà verò excreuit in celebrem ciuitatem, Nicopolim dictam à Romanis, de qua Hieronymus libello de locis hebraicis: *Emmaus, de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas meminit Euangelista: hæc est nunc Nicopolis, insignis ciuitas Palestinæ.* Hieronymum imitatus Beda scribit hoc loco: *Emmaus ipsa est Nicopolis, ciuitas insignis Palestinæ: quæ, post expugnationem Iudææ, sub Marco Aurelio Antonino principe, restaurata, cum statu mutauit & nomen.* Porrò quia dicit Hieronymus, Cleopham alterum horum duorum discipulorum, fuisse ex hoc loco, intelligere licet, eum negotij alicuius familiaris causâ, vicinam patriam petiuisse.

καὶ αὐτοὶ ὡμίλουν πρὸς ἀλλήλους, περὶ πάντων τῶν συμβεβηκότων τούτων.	14 Et ipsi loquebantur ad inuicem, de his omnibus quæ acciderant.

ET IPSI in itinere. LOQVEBANTVR. ὡμίλουν colloquebantur familiariter. AD INVICEM. inter se. QVÆ ACCIDERANT his proximis diebus circa Iesum, de eius proditione, captiuitate, accusatione, condemnatione crucifixione, morte, sepultura, miraculis quæ intercesserant inter hæc, denique de nuncio mane huius diei allato, quòd corpus eius à sepulchro abesset. Hæc enim animos eorum ita occupauerant, vt aliis de rebus loqui non liberet. Deplorabant vicem sanctissimi viri, & indignitatem in eum admissam: dolebant amissum præceptorem optimum, nec sperabant se eo ampliùs frui posse, nisi quòd mulierculæ quædam, visione intellexisse se dicerent, eum viuere, non inuento corpore eius in sepulchro. Atqui spes illa magnifica restituendi per eum Israelis, quam olim conceperant, iam animo exciderat.

καὶ ἐγένετο, ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτοὺς καὶ συζητεῖν, καὶ αὐτὸς ὁ ἰησοῦς ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς.	15 Et factum est, dum fabularentur & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.

ET FACTVM EST præter opinionem eorum. DVM FABVLARENTVR. ἐν τῷ ὁμιλεῖν dum colloquerentur. hoc idem enim est verbum, quod mox vertit loqui. SECVM QVÆRERENT. συζητεῖν simul quærerent, & commentarentur. *conquirerent* vertit Marc. 1. v. 27., id est, se mutuò rogitarent, quæ scilicet alter altero meliùs nouerat aut meminerat. ET IPSE. tunc ipse IESVS, de quo loquebantur. APPROPINQVANS eis, tamquam viator illos à tergo assequutus IBAT CVM ILLIS, quasi viæ comes, quasi peregrinus eadem via proficiscens qua illi. Qui promiserat sese futurum in medio, vbicumque duo vel tres congregati essent in nomine ipsius: etiam iuxta corporis præsentiam nunc exhibuit, quod iuxta spiritum numquam facere desinit. Felix sodalitium, quoties duo nihil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt, quàm de Iesu: his enim Iesus socium se adiungit. Horum exemplo & nos, dum iter agimus, fabulemur de Iesu, vt sit Iesus itineris nostri comes adeoque dux.

οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκρατοῦντο, τοῦ μὴ ἐπιγνῶναι αὐτόν.	16 Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

Marc. 16. v. 12.

OCVLI AVTEM. Sed oculi. TENEBANTVR. retinebantur, impediebantur, tenebantur certo impedimento, tamquam si clausi fuissent, Domino ita faciente. Aderat Dominus propria formâ & effigie, sed tenebantur discipulorum oculi, NE EVM AGNOSCERENT: quia impedimentum obiiciebatur, prohibens, ne Domini effigies qualis erat, tota ferretur ad illorum oculos. Ergo vt nulla erat mutatio in effigie Iesu, ita nec in oculis

oculis discipulorum; sed, vel in aëre medio, caligine in eo procurata, vel potiùs effigies Iesu miraculo prohibita est, emittere omnes species, necessarias ad hoc, vt certò dignosci posset. vide Iohan. 20. v. 14. & Marc. 16. v. 12. Sed quòd dicantur oculi retenti fuisse, est, quia prohibiti fuere ne officio suo fungerentur, non secus ac si velamen ipsis fuisset oppositum. Quidam, Richelio referente, dicunt, quòd percussi fuerint cæcitate, quali Sodomitæ Gen. 19. v. 11., & Syri 4. Reg. 6. v. 18. quæ Augustini sententia esse videtur lib. 22. de ciuit. Dei cap. 19., vbi dicit, illam non fuisse propriè dictam cæcitatem, sed *ἀορασίας*, quæ græcè dicitur, *cùm aliquid non videtur quamuis adsit, ab iis a quibus alia quæ pariter adsunt videntur*. Porrò vt oculi discipulorum retenti fuere, ne Iesu effigiem agnoscerent; ita & aures, ne propriam eius vocem ac loquelam familiarem perciperent. vide Iohan. 20. v. 15. Cæterùm nō fallendi causâ Iesus hæc procurauit, sed plures ob causas consentaneas rationi. Vna fuit, quòd hoc mereretur status rerum discipulorū, vt, quod Gregorius ait, *de se loquentibus quidem exhiberet præsentiam suam, sed de se dubitantibus cognitionis suæ speciem absconderet.* homilia 23. in Euangelia. *Pro merito quippe mentis eorum, adhuc ignorantis quod oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, & aliud quàm res est opinantibus.* sic Augustinus lib. 3. de cons. cap. 25. Altera fuit, ne subitò apparens obstupefaceret discipulorum mentes, ac proinde turbatiores illi minùs recognoscerent carnis resurrectionem. Certissimè simul & suauissimè se manifestauit, postquam diu ambulasset & colloquutus cum eis fuisset: tunc enim experti, non potuerunt de rediuiui corporis veritate dubitare. Postrema fuit, *vt hulcus suum discipuli detegerent*, quod ait Theophylactus, *ac pharmacum susciperent*. Nam si seipsum statim cognoscendum præbuisset Iesus: non ausi fuissent illi aperire sententiam animi sui, fluctuantis & tantùm non abiicientis spem redēptionis, olim ex Iesu promissione & doctrina conceptæ: quem cùm non difficulter declararent ei quem habebant pro peregrino, vicissim medicinam ab eo porrectam & eruditionem dulcissimè in animum transmiserunt.

* * * * * * * *

Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum.	31	αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ, καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν· καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν.

ET APERTI SVNT græcè est, Aperti sunt autem; dum scilicet acceptum panem ille benediceret, frangeret, ac porrigeret. Syrus addit *statim*. Aperti sunt, *vtique ad eius cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebātur ne eum agnoscerent*, quod ait Augustinus lib. 3. de cons. cap. 25. fuerant hactenus oculi eorum tamquam clausi, quod ad cognitionem Iesu: iam aperti sunt. ET COGNOVERVNT EVM, id est, ita vt cognouerint eū visu, propria ipsius effigie tota se præbente conspiciendam. Porrò quòd nunc eum cognouerint potiùs quàm anteà, factum quidē pro Domini voluntate, qui agnitus est quando voluit, quando voluit non est agnitus: factum est tamē dum benedictum panem daret, *certi mysterij causa*, quod ait Augustinus de consensu Euangelistarum scribens, potissimùm vt nobis eucharistiæ sacramentum cōmendaret, quo oculi tam animi quàm corporis, omni remoto impedimento, aperiri queunt, ita vt Dominus agnoscatur. lege Augustinum & serm. 140. de tempore. *Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini*, inquit Theophylactus. Benedictum ergo panem cùm discipuli accepissent, incitati fuerunt, vt fixis oculis attentiùs Dominum intuerentur: quod dum facerent, præbuit ipse eis natiuum vultum manifestè conspiciendum, omni impedimento sublato; quemadmodum Mariæ Magdalenæ, simulatque proprio nomine eam appellasset, Iohan 20. v. 16. ET IPSE. sed ipse. EVANVIT. *ἄφαντος ἐγένετο* non apparens factus est, inconspicuus, inuisibilis redditus est. Interpres expressit vim nominis *ἄφαντος*; sed *euanuit*, non in auram, more spectri, at verum eius corpus disparuit repentè. EX OCVLIS EORVM. *ἀπ' αὐτῶν* ab eis. Quod *ab eis* dicit potiùs quàm *eis*, videtur indicare, non tantùm inuisibilem redditum Iesum, verumetiam locum mutasse. In quem sensum Syrus vertit *Ablatus est ab eis*; Alij, *ablatus est extra conspectum eorum*. Simulatque cognoscebatur, repentè & quasi imperceptibiliter disparebat: donoque agilitatis vna ex dotibus corporis gloriosi, aliò se transferebat. Ruituri erant in eius amplexum, simulatque cognouerant eum: sed ipse transtulit se aliò extra conspectum eorū. Quare? quia non apparuerat eo fine, vt familiariter conuersaretur cum eis, sicut ante passionem: sed dumtaxat vt monstraret se verè resurrexisse. Id postquam abundè monstrauit, pedes profectus, diu colloquutus, vna aut altera hora conuersatus cum eis, postremò resurrectione cæterisq; quæ de Christo erant Scripturæ auctoritate probatis, mox vt est agnitus, subduxit se vt intelligerent, eum, non ad mortalem, sed ad immortalem ac cælestem vitam resurrexisse, vt paulatim assuescerent carere adspectu corporis quod breuî erat auferendum, discerent denique amare Iesum iuxta spiritum. *Abscessit ab eis corpore, dum teneretur fide*, inquit Augustinus serm. 140. de tempore. Tantum enim abest, vt discessus iste fidem discipulorum labefactarit, vt contrà plurimum auxerit, certissimosque reliquerit de Iesu rediuiuo, prout etiam maius sui desiderium Iesus disparens reliquit, quàm si diutiùs sui copiam fecisset. Adhæc ideò mox extra conspectum se abstulit Iesus, vt discipulos istos duos incitaret ad hoc, vt mox Ierosolymam recurrerent, & visum à se Dominum Apostolis cæterisque discipulis congregatis nunciarent: eo fine, vt illorum animi eo essent promtiores ad suscipiendam resurrectionis fidem, vbi ipsis esset apparíturus (quod hac eadem vespera facere decreuerat) quo plurium ocularis testimoniis essent præparati. Euthymius: *Et ipse euanuit à conspectu eorum, ne ampliùs tardarent, sed citiùs ad discipulos reuerterentur: volebat namque eodem die omnibus simul apparere.*

Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardēs erat in nobis, dum	32	καὶ εἶπον πρὸς ἀλλήλους· οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν, ὡς ἐλάλει

ἐλάλει ἡμῖν ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ ὡς διήνοιγεν ἡμῖν τὰς γραφάς; | loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

DIXERVNT. simulatque ille disparuerat · NONNE. q. d. maximè. Reliquit Dominus discipulos, non tristes, quales antè fuerant, sed gaudio ac solatio plenos: sic enim consueuit, quoties se nobis manifestare dignatus fuerit. ARDENS ERAT. ardebat. Euthymius, *incendebatur, saliebat, mouebatur, ac vibrabat.* DVM LOQVERETVR. nobis, additur græcè & syriacè, quod latinè intelligendũ relinquitur è proximo. APERIRET. exponeret. SCRIPTVRAS sacras, loca sacræ Scripturæ de passione ipsius & posteriori gloria loquentia? Dant isti intelligendũ, quòd Iesus docens, consuesset ipsorum cæterorumque auditorum animos accendere amore spiritualium ac cælestium rerum. *Erat enim docens sicut potestatem habens, & non sicut scribæ & Pharisæi*, quod Matthæus ait cap. 7. v. 29. Nec mirũ, *Ignitum eloquium tuum vehementer*, ait Psalm. 118. v. 140. *Omnis sermo Domini ignitus*, inquit Sapiẽs. Prou. 30. v. 5. Denique ipse Dominus Iesus sup. 12. v. 49: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Inest igneus vigor dominicis verbis, illustrans mentem fide, & amore inflammans cordis intima. Huius vigoris efficacitatem experti fuerant isti, dum Christo disserente illuminati sunt fide, & accensi amore eorum quæ de Christo sunt mysteriorum, spe denique ac fiducia erecti satiari haud potuerunt colloquij dulcedine: nec tamen obseruarant vnde ardor ille diuinus in eorum cordibus nasceretur. Permouebantur, & ex manifesta illa Scripturarũ verbiq; diuini interpretatione, gaudio simul & amore afficiebantur, videbanturq; Iesum præsentem velle agnoscere: sed tunc demũ, postquam eum oculis conspexerant, clarè cognouerunt, ipsum ardoris illius intimi fuisse auctorem. Arserant nimirum, nec causam sciuerant, quia soli adfuerant, neque nouerant. Quem igitur iam visu & experientia cognouerant, confirmant verè esse Iesum, etiam hoc argumento: de sua interim querentes tarditate, quòd eius præsentiam non antè percepisset eorum animus hoc signo adductus. Est igitur sententia illorũ: Nonne cor nostrum ita rapiebatur & inflammabatur amore diuinarum rerum, quas ille nobis exponebat, sicut aliàs ante mortem ipsius inflammari consueuerat, cùm ipse nos doceret? Quare ergo non priùs vel hoc argumento eum cognouimus? quis torpor, quis somnus, inuaserat animos nostros, vt non vel ex hoc effectu eius præsentiam perciperemus? q. d. certè debueramus vel ex hoc solo eum agnouisse, & adorasse, & incredulitatis nostræ veniam rogasse, ipsum denique nobiscum retinuisse. Insignis laus Domini Iesu, quòd sermo ipsius efficax fuerit, ad inflammandas mentes: quòd dum ore loqueretur, intus quoque spiritus sui ardore corda accenderet.

καὶ ἀναστάντες αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλήμ· καὶ εὗρον συνηθροισμένους τοὺς ἕνδεκα καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς, | 33 Et surgentes eadẽ hora, regressi sunt in Ierusalẽ: & inuenerunt cõgregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, | Marc. 16. v. 13. Iohan. 20. v. 19.

ET. Quum igitur alter alteri fassus esset parem animi affectionem, nec iam dubitarent de conspecto à se Domino ex morte rediuiuo. SVRGENTES à mensa, relicta mensa. Credibile est, initio mensæ, & à Domino panem benedictum fractum ac porrectum fuisse, & à discipulis Dominum fuisse agnitum, nimirum quàm citò gustauerant buccellam sibi porrectam. Famelici ergo licet essent (nam vt impransis mensa posita fuerat, mox vt hospitium fuerant ingressi) tamen surrexerunt à mensa, EADEM HORA, id est, eodem momento (vide Matth. 8. v. 13.) *& regressi sunt in Ierusalem*, vt tanti gaudij Apostolos reliquosque condiscipulos participes facerent, quos nouerant maxima solicitudine teneri, vt scirent an Iesus resurrexisset. Nec debuerunt nec voluerunt apud se cõtinere lætissimum nuncium, immo nec in alterum diem differre sustinuerunt, quamquam *aduesperasceret & inclinata iam esset dies*, quod mox dixerant (suprà v. 29.) sed statim Ierosolymam recurrerunt. sic enim fides illuminando, sic feruor, sic amor mouendo, sic gaudium quo erant perfusi, animando, cogebant eos ad viam capessendam, vt aliorum omnium obliuiscerentur, famis mensæque positæ, vesperæ instantis, itineris longioris, negotiorum denique ob quæ Emmauntem venerant. Tanto flagrabant studio desideratissimum nuncium cum condiscipulis communicandi, tantique momenti hoc esse iudicabant, vt eius comparatione omnia nihili facienda crederent: & certè festinatio ipsa, testimonio ipsorum maius fidei pondus conciliauit. REGRESSI SVNT. ὑπέστρεψαν reuersi sunt, magna cum celeritate, pleni lætitia & gaudio. IN IERVSALEM. Potuerunt eò peruenisse cum prima face, die nimirum finiente: nec enim intelligendum est, seram vesperam fuisse, cùm suprà v. 29. dicerent *Aduesperascit*: nam id interpretantes addebant *& inclinata est iam dies*, quod hora diei nona dici poterat, præsertim hîc, vbi desiderabant discipuli retinere comitem suauissimum, & in lege doctissimum. Circa horam diei decimam Emmaunte egressi, finiente duodecima potuerunt Ierosolymis esse, itinere trium circiter horarum æquinoctialium, confecto duabus plus minus, lætitia pedibus alas addente. Nam, quod Iohannes narrat, hac eadem vespera Iesus apparuit ipsis vndecim & qui cũ eis erant (Iohan. 20. v. 19. idque cænantibus, quod Marcus testatur cap. 16. v. 14. CONGREGATOS domi. erat enim noctis principium. Dispersi fuerant Apostoli die parasceues, Domino à Iudæis apprehenso: sed paulatim iterum conuenerant sub vesperam parasceues, aut certè sabbato subsequente, cumque eis reliqui vtriusque sexus discipuli qui fuerant familiares Iesu; & quidem eam in domum in qua pascha Apostoli cum Iesu celebrauerant. Ex quo enim Iesus elegerat hanc domum pro paschali sua eaque vltima cæna, Apostoli cæterique discipuli, eam pro sua retinuerunt, non tantùm donec transissent paschales dies, quibus durantibus haud facilè fuisset aliam inuenire, verumetiam vsque ad pentecosten & acceptum Spiritum sanctum. nec enim erat alia aptior, instructa cùm esset cænaculo grandi &c. sup. 22. v. 12. VNDECIM. id est, Apostolos. Verisimile est Thomam abfuisse, si ea considerentur quæ hîc sequuntur v. 36., & quæ Iohan. 20. v. 19. 24. leguntur: vndecim tamen congregati fuisse dicuntur synecdochicὼs, quia collegium quod constabat vndecim viris conuenerat, tametsi vnus ex numero vndecim abesset. vide Mar. 16. v. 14. ET EOS QVI CVM ILLIS ERANT, qui illis adhærebant (qui vnà cum eis familiares Iesu fuerant) inferiores discipulos vtriusque sexus, qui arctiore fidei vinculo Apostolis coniuncti

erant. Quòd simul conuenerant, fidei vel certè pij erga Iesum affectus signum fuit: nam si deseruissent animo Iesum, dilapsi fuissent huc illuc, nec alius alium voluisset agnoscere aut ausus fuisset adspicere. Cæterùm, non sine diuina prouidentia contigit, omnes simul esse, vt eo celebrior esset manifestatio Iesu.

1 Cor. 15. v. 5.

dicentes, quòd surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. 34 λέγοντας· ὅτι ἠγέρθη ὁ κύριος ὄντως, καὶ ὤφθη σίμωνι.

DICENTES. Quarti casus est ex λέγοντας: erant enim ipsi vndecim & qui cum eis erant, id est, multi ex ipsis vndecim & iis qui cum eis erant, qui simulatque viderent duos istos intrantes domum, non exspectata eorum narratione, vltrò gaudio gestientes, continuò eruperunt in hanc læti nuncij vocem *Surrexit Dominus vere*, &c. Putabant isti duo se boni noui aliquid allaturos, Dominum resurrexisse: atqui priusquam os aperire queant, hoc ipsum ab aliis audiunt. Ergo qui lætum visionis sibi factæ nuncium condiscipulis adferunt ad confirmandos eorum animos, vicissim de altera visione docentur: ita mutuæ confirmationis mercedem à Deo retulit eorum sedulitas. VERE indubitanter. significant, se, post incertam spem quam mulieres primæ omnium fecerant, ita certos factos de Domini ex mortuis resurrectione, vt dubitare iam non ampliùs oporteat: omnem enim dubitandi ansam sibi præcidunt hac particula *verè*. ET pro quia. APPARVIT. ὤφθη visus est. SIMONI Petro. Quòd Petro Dominus à resurrectione apparuerit, legitur hîc & 1. Cor. 15. v. 5. vbi autem & qua ratione ipsi apparuerit, nusquam legitur. Quando apparuerit, locus iste clarè dat intelligendum, quòd prima sabbati: Marcus non minùs clarè docet, quòd postquam apparuerat Magdalenæ (Marc. 16. v. 9.) Creditur ergo Iesus Petro apparuisse, pòst quidem quàm apparuerat Magdalenæ, priùs verò quàm his duobus discipulis; nimirum Petro primò apparuisse inter viros, cùm à sepulchro reuersus, solicitus apud se æstuaret, quid factum esset de corpore Domini. Nam priusquam Dominus simul omnibus se manifestaret ostendit se quibusdam seorsum, vt cæteri horum testimoniis instructi, faciliùs reciperent resurrectionis fidem, quando ipse omnibus esset apparituruś. Inter viros autem primò Petro apparuit, plures ob causas; Vnam, vt cōsolaretur, lugentem tam lapsum suum quàm mortem Domini; Alteram, vt constitutum à se Ecclesiæ caput, & amore præ cæteris flagrantem, præ cæteris honoraret. Tertiam, vt Apostoli & discipuli, qui mulieribus, nunciantibus, Dominum rediuiuum à se visum, non crediderant, Petro, viro graui & auctoritate pollenti, adeoque primas inter ipsos tenenti, fidem adhiberent. id quod ita accidisse docet hic versiculus, vbi discipuli mulierum ne mentionem quidem faciūt. Cæterùm non ita intelligendus est hic locus, quasi omnes vndecim & omnes qui cum eis erant, Petri testimonio adducti, crediderint Iesum resurrexisse, sed quòd bona pars eorum. Nam quòd bona itidem pars, corde durior, nec Petri auctoritate persuasa sit, manifestè docet Marcus cap. 16. v. 13., vbi narrat, quòd neque duobus istis discipulis Emmauntinis creditum ab his fuerit, tantum abest vt Petro, qui ante hos duos, eam quæ sibi contigerat visionem declarauerat. Nam *probabiliter creditur*, quod ait Augustinus lib. 3. de cons. cap. 25., *posteaquam Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus*. Nisi enim vtrimque stetisset bona pars, non poterat collegio aut societati adscribi opinio vnius aut alterius, reliquis apertè refragantibus.

Marc. 16. v. 13.

Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. 35 καὶ αὐτοὶ ἐξηγοῦντο τὰ ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ ὡς ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου.

ET IPSI. Ipsi autem duo vicissim NARRABANT. QVÆ GESTA ERANT IN VIA. τὰ ἐν τῇ ὁδῷ quæ in via, i. gesta erant; quæ acciderant in itinere quo ipsi ambulauerant Emmauntem. COGNOVERVNT. agnouissent. EVM Dominum. IN FRACTIONE PANIS. in mensa, cùm frangeret ille panem, & non anteà, id est, cùm acceptum panem ille benediceret ac frāgeret, ipsique porrectum sibi gustassent. Consueuit enim Lucas, synecdochicōs, fractionis nomine, reliqua intelligere, tamquam à parte totum. Act. 2. v. 42. & 46. quibus certè locis, fractione panis, vsum sacrosanctæ eucharistiæ significat, quomodo & Paulus 1. Cor. 10. v. 16: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Conferunt inter se discipuli testimonia resurrectionis Iesu; & credentibus quidem duplicatur gaudium, non credentes autem paulatim ad fidem præparantur.

Marc. 16. v. 14. Iohan. 20. v. 19.

Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. 36 ταῦτα δὲ αὐτῶν λαλούντων, καὶ αὐτὸς ὁ ἰησοῦς ἔστη ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ λέγει αὐτοῖς· εἰρήνη ὑμῖν.

DVM AVTEM HÆC LOQVVNTVR. ταῦτα δὲ αὐτῶν λαλούντων hæc autem illis loquentibus, interea dum illi duo adhuc narrarent quæ sibi acciderant, antequam narrationem finiuissent. IESVS. καὶ αὐτὸς ὁ ἰησοῦς. Rectè omisit Interpres voculas illas καὶ αὐτός. Iesus fidem faciens dictis eorum. STETIT. id est, subitò atque inopinatò visus est, non aduenire, sed stare, quasi non aliunde aduenisset, sed anteà præsens modo inuisibili, derepentè se visibilem exhiberet. Cæterùm quòd aliunde aduenerit, Iohannes testatur, cùm dicit, Iesum venisse & stetisse: vsus igitur dote agilitatis, propria corpori glorioso, aduénit, sed inuisibilis, prorsusque ita vt aduentus eius nullo sensu perciperetur, priùs visibilem se præbens & constans in medio discipulorum, quàm vllum obseruatum esset aduenientis vestigium. Ad eum igitur modum præsens factus est, quo solent apparere angeli, declarans se ad spiritualem ac cælestem vitam resurrexisse. *Stetit* autem potiùs quàm sedit, vt se viuere ac valere ostenderet: honestissimus enim humani corporis situs est stare. *Stetit* denique, non aliena sed propria effigie conspicuus, *oculis eorum ab omni nube iam liberis*, quod ait Titus. IN MEDIO EORVM. id est, inter eos, phrasi hebraica; prout consueuerat ante mortem; *vt omnibus esset conspicuus*, quod ait Euthy-

Euthymius, vt faciliùs videretur & audiretur ab omnibus. Non enim in angulo apparuit, vt ſolent ſpectra. *In medio eorum ſletit*, tamquam paſtor in medio ouium diſſipatarum. Ezech. 34. v. 12. EORVM vndecim & eorum qui cum eis, de quibus v. 33. DICIT. voce blanda & familiariter eis nota. PAX VOBIS. Quid in hac ſalutandi formula, pacis nomine Hebræi intellexerint, quid item Ieſus, diximus Matth. 10. v. 12. & 28. v. 9. Quòd autem hac vſus ſit Ieſus etiam hoc loco, triplex ferè cauſa fuit. Vna, vt conſuetis vtens, faciliùs agnoſceretur. Sub mortem pacem diſcipulis nominatim & dederat & reliquerat (Iohan. 14. v. 27.) mox à morte rediens pacem eis precatur (quod notat ex Chryſoſtomo in Iohannem ſcribente Euthymius) vt ſcirent eum eſſe qui pacem ipſis perpetuò & optarat & commendarat. Altera cauſa, vt mederetur timori, quo nouerat diſcipulos corripiendos ſimulatque ab eis conſpiceretur, eò præſertim quòd ſubitò & profunda iam veſpera appareret. *Simul & voce* (inquit Chryſoſtomus hom. 85. in Iohannem) *fluctuantem animum confirmauit, ſic quiens Pax vobis, hoc eſt, nolite perturbari*. Non adſum vt pœnas à vobis exigam, puniámve incredulitatem veſtram, aut noceam vobis, ſed pacem vobis & opto & adfero, fauſta inquam & proſpera omnia, vt quos mors mea turbauerat, reſurrectio lætificet. vt conſoler, confortem, inſtruam vos veni, non vt mali aliquid vobis inferam; abſit: bono animo eſtote. Sic Iudicum 6. v. 23. Angelus Gedeoni: *Pax tecum, ne timeas, non morieris*. Tertia cauſa, voluit Ieſus diſcipulis ſuis fructum mortis reſurrectioniſque ſuæ ſignificatum, deuictis inquam humani generis inimicis, à ſe procuratum, vt pax cum Deo & à Deo hominibus parata ſit, pax inquam & ſalus vera. vide Matth. 28. v. 9. *Moleſtias omnes diſſoluens*, inquit Chryſoſtomus, *crucis merita colligit, quæ ſuit pax: quoniam omnia ſublata ſunt impedimenta, & tropæum clariſſimum ſtatuit, & omnia meliora facta ſunt*. Quare Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 54: *Decet*, inquit, *largitorem pacis iſta ſalutatio: ipſe namque pax omnium eſt, ſecundum Scripturas*. EGO quem noſtis, quem vt ex forma, ita & ex voce cognoſcitis, SVM is quem coràm videtis. Loquitur tamquam ex voce notus, ſicut loqui ſolemus familiaribus, qui nos aut non vident aut dubitant an videant. *Ego ipſe ſum* quem noſtis, Ieſus Nazarenus, qui hactenus vobiſcum conuerſatus, & nudiuſtertius per mortem crucis vobis ablatus, iam reſurrexi, & in hoc vobis appareo, vt de morte mea triſtes reſurrectione conſoler. NOLITE TIMERE. prout noſtis non eſſe vobis timendum à me, mali aliquid metuendum à me, patre, præceptore, & ſeruatore veſtro. Eadem verba *Ego ſum nolite timere*, expoſita ſunt Matth. 14. v. 27. quæ quamquam hoc loco græcè non legantur, vbi nihil aliud exſtat quàm *Pax vobis*. vt Iohan. 20. v. 19.: tamen ſicut latinè, ita & ſyriacè reperias *Pax vobiſcum, ego ſum, ne timeatis*, vt dubitandum non ſit quin latinus Interpres ea græcè legerit.

πτοηθέντες δὲ καὶ ἔμφοβοι γενόμενοι, ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν.	37 Conturbati verò & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre.

CONTVRBATI nihilominus illi, obſtupefacti, & perterriti, ſubitanea illa apparitione Ieſu. Non ſuffecit blanda ſalutantis vox ad eximendum timorem: ex quo factum eſſe, indicat Euangeliſta, vt Ieſum non agnouerint. impedit enim cognitionem timor, &, loco rei, ſpiritum, monſtra, aliaque terriculamenta ſibi fingit.

SPIRITVM, vel ipſius Ieſu, vel certè angeli aut dæmonij alicuius, aſſumpta effigie corporis Ieſu apparentem; minimè Ieſum, vnitis à morte anima & corpore rediuiuum. Videbant effigiem Ieſu propriam, audiebant vocem, exiſtimabant tamen ſpiritum eſſe, non Ieſum, ſicut homines conſueuerunt, ſi quando illi appareant, qui fuerint mortui (id quod aliquando à Deo permittitur) ad quorum conſpectum expaueſcere, etiamſi ſuauiſſimi fuerint amici. & omnes defunctorum apparitiones horrere, fragilitatis humanæ eſt: nam & ſæpe fit. vt non amici ſint qui apparent, ſed dæmones amicorum formam mentientes, ad hoc vt fallant ac noceant. Sed quòd hæc fuerit eorum diſcipulorum opinio, qui hactenus increduli fidem abrogarant omnibus qui reſurrectionis Ieſu teſtes ſe præbuerant, nihil mirum: verùm quod Petrus & duo illi Emmauntini diſcipuli, cæterique qui illis fidem adhibuerant (de quibus actum eſt ſuprà v. 34.) ſpiritum non Ieſum apparere exiſtimarint, videtur à ratione alienum. Paulò antè ſtatuerant reſurrexiſſe Dominum, & tamquam de re ſibi probè nota aſſeueranter loquuti fuerant *Surrexit Dominus verè*: nunc dum eum conſpiciunt ſuis oculis, non ipſum ſed ſpiritum eſſe, ſibi perſuadebunt? Atqui id fecit timor, quod paulò antè dicebamus, natus, non ex eo ſolùm quòd appareret qui fuerat mortuus, verùm ex eo magis, quòd Ieſus ianuis clauſis (quod Iohannes ait cap. 20. v. 19.) ingreſſus fuerit, quòd nullo ingreſſu patente, priùs conſtiterit in medio eorum, ſubitò atque improuisò, quàm aut aduentum illius vllo ſenſu percepiſſent, aut veſtigium vllum quâ ingreſſus eſſet vidiſſent, non apertas fores, non ſtrepitum aduentantis, non vmbram ſaltem appropinquãtis. Hinc factum eſt, vt admiratio ac terror & ſtupor omnes inuaſerit, ſenſúmque eis excuſſerit ſpectaculi nouitas, ita vt credere ſuis oculis non auderent, ſed contrà imaginarentur ſpiritum apparere, eò quòd ſpiritus eſſet, non corporis, clauſa penetrare. Quare Ambroſius in fine commentariorum in Lucam: *Etſi Petrus de reſurrectione crediderat*, inquit, *turbari tamen potuit, cum videret quòd ſe Dominus cum corpore, in ea quæ veſtibulis obſeratis & obſtructis erant ſepta parietibus, improuiſus infunderet*. Atqui meminiſſe debuerant, Ieſum, non hominis tantùm, ſed & Dei Filium eſſe, idque plurimis in vita docuiſſe miraculis, præter naturæ ordinem editis. Denique hoc modo docuit illos Ieſus, poſtquam oſtendit ſe ſpiritum non eſſe, corpus ſuum rediuiuum, etſi eiuſdem cuius priùs naturæ, alterius tamen eſſe conditionis & gloriæ.

καὶ εἶπεν αὐτοῖς· τί τεταραγμένοι ἐστέ, καὶ διατί διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν;	38 Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?

ET DIXIT. Dixit igitur, vt immodicum eorum timorem reprehendendo ſedaret. TVRBATI ESTIS. quibus gaudendum eſt, & congratulandum tam vobis ipſis quàm mihi. COGITATIONES variæ, à re præſenti alienæ. cogitationes diſceptationeſque dubiæ atque anxiæ, an ego appaream quem noſtis & iam reſurrexiſſe intellexiſtis, an verò ſpiritus aliquis. ASCENDVNT. oriuntur, ſubeunt, indulgentibus vobis.

In

IN CORDA VESTRA. ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν in cordibus vestris. Hebraismus, pro, & varias cogitationes voluitis animis vestris, quibus scilicet dum laxatis habenas, vosipsi impeditis à notitia mei. D. Augustinus, sacræ phraseos verba vrgens, serm. 69. de diuersis: *Cogitationes istæ terrena sunt*, inquit, *si enim cælestes essent, descenderent in cor, non ascenderent*: & Beda, cùm eas ex corde non integro ascendere dicit, sicut herba mala oritur ex terra mala. Iubet igitur Iesus, vt discipuli, compositis ac sedatis animis, expendant rem præsentem, & veritatis notitiam concipiant: hac quoque ratione Iesum se esse monstrans, quod cogitationes eorum & videat & corrigat, quemadmodum non semel aliàs ante mortem fecerat, id quod ne spiritus quidem possit. *Ostendit*, inquit Euthymius, *se cordium cognitorem, &*, quod addit Titus, *se tanquam verum Deum (huic enim soli occulta cordium sensa patent) internam illorum conturbationem minime ignorare.*

Videte manus meas & pedes quia [39] ego ipse sum: palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.	ἴδετε τὰς χεῖράς μου καὶ τοὺς πόδας μου, ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι· ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε· ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα.

VIDETE, si non sufficit vobis faciem videre atque effigiem. MANVS MEAS ET PEDES, seruantes vestigia clauorum crucis, qua nudiustertius coram vobis fui interfectus. QVIA EGO IPSE. & cognoscite quòd ego ipse SVM; non spiritus aut aliquis alius. PALPATE. ψηλαφήσατέ με contrectate me. Quòd si nec sufficiat videre manus ac pedes, etiam palpate ac contrectate eos, adeoque totum corpus meum, vt consistentiam illius & soliditatem tactu experiamini. *Prebent sibi manus vestræ, si mentiuntur oculi vestri*, inquit Augustinus serm. 69. de diuersis. Satisfacite omnibus sensibus vestris. Naturâ ita comparatum est, vt minùs tactus quàm visus, in diiudicando corpore fallatur. Nam & cùm videre nobis aliquid videmur, quod an solidum sit corpus dubitamus, manum apponimus, vt tactu quasi certiore teste rem exploremus. Corporales igitur omnes sensus eorum testes adhibet, ne vmbram sibi putent pro corpore obiici. Quamuis enim iam Dei dono incorruptibile esset Iesu corpus, non tamen in spiritum mutatum erat, nec desierat eius esse naturæ cuius priùs, ac proinde palpari, id est, sensu tactus percipi poterat: tametsi, vt spiritui omnino subiectū erat, cùm nollet ille, palpari non poterat. Hoc est illud quod D. Gregorius docet lib. 14. Moralium in Iob cap. 31. aduersus Euticium Episcopum Constantinopolitanum, *corpus nostrum à resurrectione, non impalpabile fore, aut ventu aereq; subtilius, sed subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, palpabile autem per veritatem naturæ.* ET VIDETE. & certò cognoscite, quòd ego ipse sum, non spiritus aliquis. CARNEM ET OSSA. verum ac solidum corpus, corpus quod palpari possit. NON HABET, quippe incorporeus & simplex. Nam si formam corporis assumat, aërium est corpus, non humanum, tactuque dignosci potest: cedit enim apprehendere volentibus, nec magis palpari potest quàm aër. VIDETIS. & non visu solùm, sed & tactu experiri potestis. HABERE. ἔχοντα habentem s. carnem & ossa, verum solidumque corpus. Exposita corporei hominis à spiritu distinctione, probat se non esse spiritum: ex seruatis autem notis crucis, probat se eundem illum esse Iesum, qui tertio antè die fuerat crucifixus, reliquis corporis indiciis in hoc conspirantibus; Euidentiâ, non mathematicâ, sed morali atque humana, quæ fidem, ex altiori certiùs nascentem principio, non excludit.

Iohan. 20. v. 20.	Et cùm hoc dixisset, ostendit eis [40] manus & pedes.	καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐπέδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας.

OSTENDIT EIS & contrectandos præbuit. MANVS ET PEDES etiamnum perforatos, ex cruce superiori parasceue tolerata: *quia clauorum adhuc ferebant foramina*, inquit Euthymius. Ostendit eis in manibus ac pedibus manifesta clauorum vestigia, & in latere militaris lanceæ cicatricem (hoc enim Iohannes addit) apertis vulneribus iisq; recentibus, non sanguinolentis tamen aut vlcerosis, sed gemmarū instar lucentibus ac planè glorificatis; nec ostendit tantùm, sed & contrectanda obtulit. Non poterat aliud manifestius signum exhiberi, quòd ipse qui appareret, ille esset Iesus, qui fuerat cruce interemtus, resumto, non alio, sed eodem numero corpore, rediuiuus, reliquis omnibus corporis lineamentis, coloribus, loquela, statura, gestibus, indiciis, conspirantibus in effigiem & figuram Iesu consuetam. Vt porrò ipse obtulit, ita discipuli, haud dubium, contrectarunt ac palparunt, Domino præsertim iubente atque vrgente, vt dubitationem omnem animis expellerent. Hinc Iohannes Apostolus 1. epist. 1. v. 1: *Quod perspeximus*, inquit, *& manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Ex hoc igitur loco colligitur, seruasse Dominum Iesum, à resurrectione, in manibus suis, pedibus, ac latere, vulnera clauis crucis & lanceâ militis effecta: id quod manifestiùs etiam constat ex ipsius Iesu ad Thomam verbis (Iohan. 20. v. 27.) *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Quæ verba & hoc clarè intelligendum dant, quòd non citatrices tantùm siue vestigia, seruarit Iesus, sed quòd ipsa etiam foramina vulnerum, quamquam citra corruptionem ac deformitatem, quod diximus. Non enim relicta sunt, quòd ea Iesus curare non valeret, qui valuerat corpus suum mortuum resuscitare, sed vt, quod diximus, hoc argumento, discipulis suis, resurrectionis suæ veritatem faciliùs persuaderet. *Sic resurgere voluit*, inquit Augustinus serm. 158. de tempore, *vt quibusdam dubitantibus exhiberet in illa carne cicatrices vulneris, & sanaret vulnus incredulitatis.* Et Cyrillus lib. 12. in Iohannem cap. 58: *Præter illud quod rerum conditio requirit*, ait, *propter vtilitatem nostram, passionis notas retinuit, vt resurrectionis mysterium rectè intelligamus, non aliud corpus resurrexisse credentes, quàm quod cruciatu mortuum fuit.* Nec tamen persuasis iam & credentibus discipulis, ea vulnera Iesus aboleuit, quod Caluinus asserere temerè audet, vt suo more noui aliquid aduersus antiquitatem proferat: sed *cælo inferre maluit, vt Deo Patri nostræ pretia libertatis ostenderet*, quod ait Ambrosius, *& angelis quoque ipsis virtutibúsque superioribus monstraret*, quod Cyrillus, denique vt æternum victoriæ suæ circumferret triumphum. *Qui regna mortis destruxit, signa mortis obliterare noluit,*

luit, inquit V. Beda. Nam quid mirum, si, quemadmodum assumtæ pro hominibus carnis, ita toleratæ pro hominibus crucis, perpetuum velit gestare monimentum? & perpetuò ante electorum oculos obuersari pretium, quo redemti ad beatitudinem peruenerint, vt & in nouissimo iudicij die, reprobos, visis his stigmatis, pudefieri? quod ita fore imaginari, non esse stultum & inane delirium, quod Caluinus blaterat, docent, inter veteres Latinos, Augustinus lib. 2. de symbolo cap. 8., & inter Græcos, Auctor operis imperfect. in Matth. 24. v. 30. Neque enim vulnera ista, vel corruptio sunt in incorruptibili, vel vitium in pulchro atque integro Iesu corpore: sed honor, decus, atque perfectio corporis illius, maximo cum splendore ac gloria refulgentia, non iam vulnera, sed vulnerum vestigia, & victoriæ trophæa: de quibus sentiendum est, id quod de cicatricibus in gloriosis martyrum corporibus à resurrectione remansuris scribit B. Augustinus lib. 22. de ciuitat. Dei cap. 20: *Non deformitas in eis, sed dignitas erit: & quadam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Non sunt deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia.*

Ἔτι δὲ ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ τῆς χαρᾶς, 41 καὶ θαυμαζόντων, εἶπεν αὐτοῖς· ἔχετέ τι βρώσιμον ἐνθάδε;	Adhuc illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur?

ILLIS NON CREDENTIBVS ET MIRANTIBVS PRÆ GAVDIO. Græcè & syriacè hoc ordine legitur: *Illis non credentibus præ gaudio & mirantibus*: suntque ablatiui absolutè positi, quos resoluens Syrus vertit: *Quùmque adhuc non crederent præ gaudio suo & mirarentur.* ILLIS. arbitror non omnibus, sed tamen multis eorum. quid enim obstabat, quò minùs Petrus, Magdalena, discipuli Emmauntini, aliique quibus Dominus anteà apparuerat, iam crederent? NON CREDENTIBVS, Iesum apparere, non spiritum. ET MIRANTIBVS. sed mirantibus. PRÆ GAVDIO. Iungendum est cum *credentibus*, non cum *mirantibus*, quod ex græco & syro clarum est. Gaudium enim faciebat, non vt mirarentur, sed vt non crederent. Vt mirarentur, faciebat insoliti spectaculi nouitas: vt non crederent, faciebat gaudium coniunctum cum vehementissimo ipsius rei desiderio: quòd ita gauderent, vt tamen metu aliquo frustrationis, gaudium continerent, ne supra modum excresceret. Atqui gaudium non est nisi de bono cognito ac credito. Credere hoc loco accipit Euangelista, pro firma persuasione, qua quis certò credit aliquid, vt à Deo prima veritate profectum. Vix dubitabant discipuli, immo persuasi erant, Iesum sibi apparere rediuiuum, eaque ex causa gaudebant: nec tamen credebant, quia non ita certò persuasi erant, vt fide hoc apprehenderent. Quum enim considerarent spectaculi nouitatem, rapiebantur in admirationem, quæ necessariò secum adfert dubitationis seu obscuritatis aliquid: & quamquam id dubitationis libenter repulissent ab animis suis, gaudium tamen ipsiusque rei desiderium vehemens, non permittebat, ne fortè postquam certa fide id credidissent, ac proinde immodico gaudio fuissent elati, tandem falsos se inuenientes, gaudio illo suo miserè exciderent. Ita sæpe fit, vt quod maximè optamus verum esse, & cuius probabilis consecutio nos lætos reddit, timeamus certò credere, ne fortè nosipsos in falsum coniiciamus gaudium, quo, re tandem aliter comperta, simus spoliandi. Ita ergo scribit Euangelista, discipulos hîc non credidisse, vt indicet, non fuisse obstinatè consultoque incredulos, sicuti qui in animum inducunt non credere: sed cùm eos ad cupidè credendum ferret voluntas, iamque non mediocriter gauderent, quòd probabiliter sibi viderentur credere posse, retractos fuisse ne certò crederent, metu maioris gaudij, quod ad summũ vtique excreuisset, si certò credidissent, amittẽdi. Non ergo perfectè credebant, sed summa admiratione detinebantur, suspensi animis, & quasi secũ ipsi dicentes: Quænam est hæc rerum cõuersio, vt dulcissimum Dominum nostrum, ex morte viuum, ex cruce saluum, ex sepulchro incolumem recipiamus? quàm beata hæc hora, qua videre illud nobis datur? Sed quid si fallant sensus nostri, & quantum nunc gaudemus, tantum posteà decepti tristemur? mira certè res est & insolita, mortuum resurrexisse. QVOD MANDVCETVR. βρώσιμον edile, edulij aliquid. Probabile est Dominum, ne turbaret discipulorum cænam, in fine cænæ apparuisse; & quamuis illi adhuc accumberent, quod Marcus ait, surrexisse tamen eos à mensa, vel reuerentiæ causa, quando Dominum recognoscere cœperunt, ipseque ostendit eis manus ac pedes. Quare non mirum, quòd rogauerit Dominus, an haberent edulij quippiam: nam quamquam id sciret, immo videret fortasse quid restaret in mensa, voluit tamen illud, nõ ipse accipere, sed ab illis acceptum edere, vt eo forent certiores quid ipse comedisset, quo essent certiores quid comedendum ipsi dedissent. Petit ergo cibum, non quòd esuriret (nec enim magis iam egebat cibo aut potu, quàm Angeli) sed vt addito argumento à comestione sumendo, fidem gaudiumq; discipulorum perficeret, & quidquid dubitationis siue timoris reliquum erat, animis eorum eximeret. Nullum enim certius argumentum hominis viui, quàm cibum capere.

Οἱ δὲ ἐπέδωκαν αὐτῷ ἰχθύος ὀπτοῦ μέ- 42 ρος, καὶ ἀπὸ μελισσίου κηρίου.	At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.

PARTEM PISCIS quæ ex cæna supererat neque enim integri quid superfuerat: nam nihil ampliùs coxerat discipulorum frugalitas, quàm videretur esse necesse. Piscibus ferè vescebantur piscatores, quos, vel gratis ex propria captura, vel exiguo pretio ab aliis, acquirere poterant: & quidem ferè assabant pisces (Iohan. 6. v. 9. 21. v. 9.) quòd ille modus coquendi, & facillimus esset, & sanissimus. Cùm ergo partem piscis Domino obtulerint, comedit ille ex eodem illo cibo ex quo ipsi comederant, ita vt societas conuiuij fuerit, & secum mutuò etiam iam manducauerint Dominus ac discipuli, ita vt eo constantiùs possent illi dicere: *Nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis.* Act. 10. v. 41. ET FAVVM MELLIS. καὶ ἀπὸ μελισσίου κηρίου & ex apiario siue melleo fauo s. aliquid, id est, mellis aliquid ex fauo apiario collecti; vel, quod Interpres vertit, *fauum* melle plenum. nam in fauis apes mel & producunt & recondunt. Victus tenuis & pauper frugalium discipulorum: cui addiderunt proculdubio etiam panem & potum. Non vno solo cibi genere, sed omni eo quod inter Apostolos potuit reperiri, probauit Iesus suæ à morte vitæ veritatem.

Et

Et cùm manducasset coram eis, sumens 43 reliquias dedit eis. | καὶ λαβὼν, ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν.

ET CVM MANDVCASSET. Versiculus iste paulò aliter, & quidem breuior legitur græcè ac syriacè. in hunc modum: *Et sumens, coram eis manducauit.* SVMENS. λαβὼν cùm accepisset s. partem piscis & fauum mellis sibi oblata. Latinus Interpres subaudiuit *reliquias.* CORAM EIS iungendum est cum *manducauit.* In conspectu eorum, ipsis sed. nti circumstantibus, & manducantem attentè læteque spectantibus. *Manducauit.* comedit ea, b bit q1oque haud dubium. Non quòd esuriret aut sitiret, sed vt non spiritum, at verum ac viuum hominem, se esse ostenderet; non vt sedaret famem aut sitim, cui ampliùs obnoxius esse non poterat, sed vt comprobaret suæ vitæ veritatem, prout edere argumentum præcipuum est vitæ. *Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi, immortalibus corporibus aufertur*, inquit Augustinus lib. 13. de ciuit. Dei, cap. 22., & epist. 49. quæst. 1: *Futuræ resurrectionis corpus, imperfectæ potestatis erit, si cibos sumere non potuerit; imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit.* Denique serm. 158. de tempore: *Legitur quia manducauit Iesus, numquid legitur quia esuriuit? Quod manducauit, potestatis fuit, non egestatis. Si desideraret manducare, egeret: rursus si manducare non posset, minus valeret.* Toto vitæ suæ mortalis cursu, edendi ac bibendi necessitati se subiecerat: nunc ea necessitate exemptus, cibo in hunc solum finem vtitur, vt suam discipulos resurrectionem doceat. Ita videmus, vt Iesus, posthabito sui respectu, noster semper esse voluerit. Disputant hîc catholici quidam, An concoctus fuerit cibus hic corruptibilis, an aliquod inde alimentum traxerit immortale Christi corpus, denique quid actum sit de excrementis: & respondent, mansum ac comestum quidem verè fuisse, in stomachumque traiectum, sed nullum inde saginæ augmentum corpori accessisse (differre enim nutritionem à comestione) neque vlla excrementa producta, quòd simulatque traiectus esset in stomachum, diuina Iesu virtute absumptus & in nihilum redactus fuerit, instar aquæ in ignem iniectæ: quamquam Caluinus impudenter, illis quidem quæstionum curiositatem, sibi verò responsionem adscribat, quam ante hos omnes olim dedit inter græcos Theophylactus, dum in hunc locum scriberet his verbis: *Comedens, diuina quadam virtute consumens quod edebat*; & ante hunc, inter latinos, Augustinus epist. 49., vbi postquam dixerat, Christum post resurrectionem cibatum, & tamen in resurrectione ciborum indigentiam non futuram, subiunxit: *Aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius candens; illa indigentia, iste potentia.* RELIQVIAS DEDIT EIS. Hoc etsi græcè syriaceque non legatur, non est tamen verisimile Interpretem addidisse de suo: & facit, partim vt de comesti abs Iesu cibi veritate certiùs cōstet, cuius superfuerint reliquiæ, partim vt discipuli testari rursus possint, cibū cum Iesu rediuiuo sibi fuisse cōmunem. Iam hîc subaudiendum est, quòd, addito superioribus argumentis & signis etiam isto comestionis, Iesus modis omnibus satisfecerit discipulis suis, ita vt deinde citra omnem hæsitationem, ipsius resurrectionem læti crediderint firmissimè. Obiiciat aliquis, Angelos humana forma apparentes, etsi non homines essent, sed spiritus, comedisse ac bibisse. exempla sunt, Genes. 18. v. 9. apud Abraham Gen. 19. v. 3. apud Lot, Raphaëlis denique apud Tobiam. Sed, præterquam quòd comestio illa Angelorum non fuerit naturalis actio viuentium corporum, non dixerunt Angeli, homines se esse, nec in eum finem comederunt, vt hominibus dubitantibus, homines se esse non spiritus persuaderent, prout Iesus fecit: quem etsi non singula argumenta æquè perfectè, simul omnia tamen quàm perfectissimè, confirmarunt, verè à mortuis resurrexisse, effigies, loquela, vulnera, tactus, cibus, potus, progressus, conuersatio, affirmatio, prædictio, miracula, testimonia Angelorum, vaticinia denique prophetarum.

* * * * * * *

Eduxit autem eos foràs in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit eis. 50 | ἐξήγαγε δὲ αὐτοὺς ἔξω ἕως εἰς βηθανίαν· καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ εὐλόγησεν αὐτούς.

EDVXIT. V. Bedæ annotatio est: *Prætermissis omnibus quæ per quadraginta dies agi ab illo cum discipulis potuerunt, primo dies resurrectionis eius, coniungit tacitè nouissimum diem, quo ascendit in cælum.* hoc idem annotat græcus Auctor Euthymius. Hactenus enim non meminit Euangelista, nisi primi diei resurrectionis: quamquam verba quædam ab eo relata sint, quæ, verisimile est magis, hoc ascensionis die, quàm primo resurrectionis, à Christo dicta; superiori versu 49. Porrò ex vi huius vocis *eduxit*, colligere possis, quòd Dominus Iesus, suos sit comitatus, conspicuus quidem ipsis, sed aliis inuisibilis; comitatus inquam saltem aliquos (nec enim sine excitatione turbæ, potuissent omnes simul eademque via exire) loco cæteris indicto. EOS s. vndecim, & eos qui cum eis erant, ex v. 33. non tamen omnes, credibile est, sed quos idoneos iudicauit; citra dubium autem, ipsos vndecim, qui præcipui futuri erant testes, vt resurrectionis, ita etiam ascensionis. Sicut enim rediuiuus, non ab hominibus promiscuè cōspici voluit, sed dumtaxat à *testibus præordinatis à Deo*, teste Petro Act. 10. v. 41: ita non quoslibet sui ascensus in cælum spectatores admisit, quia hoc fidei mysteriū, euangelij præconio cognosci magis, quàm oculis cerni volebat. FORAS. extra Ierusalem. Ex cæteris Euangelistis cum isto collatis, intelligitur, istud, non primo resurrectionis Iesu die, sed quadragesimo accidisse, vt dictum est: & primo quidē die, Iesum Apostolis Ierosolymæ apparuisse sed inde profectis in Galilæam (prout Iesus ipse præscripserat) sæpiùs illic, dum fluerent dies quadraginta, visum: tandem verò è Galilæa reuersis Ierosolymam (illic enim volebat suos exspectare Spiritus sancti aduentum, & ordiri prædicationem euangelij) die quadragesimo præsentem se rursus Ierosolymæ exhibuisse: id quod hîc tacitè indicatur, dum dicitur *eduxisse illos foras.* Ascensurus in cælum, egreditur ciuitate Ierosolymorum, vt euitet turbam, à qua, nec suū ascensum, nec discipulorum ascendentem adspicientiū conuentum, videri voluit. IN BETHANIAM. ἕως εἰς βηθανίαν vsque ad Bethaniam, vt scilicet postremùm ante abitum inuiseret fidelissimos charissimosque discipulos & hospites, Mariam Mattham, Lazarum, aliosque suos, qui illic poterant iam agere. ET. è Bethania reuersus ad vicinū montem oliuarum. Bethania Ierosolymis distabat quindecim stadiis: medio itinere situs erat mons oliuarū (vide Matt. 21. v. 1. & Mar. 11. v. 1.) ex quo (quod Act. 1. v. 12. Lucas dat intelligendū) ac proinde non ex Be-

ex Bethania, Iesus ascendit in cęlū, vt vnde ad subeundam crucis ignominiam profectus fuerat, inde ascenderet ad cælestem gloriam, monte vtens quasi gradu ad ascendendum in cælū. Nam etsi potuit quocumque ex loco etiam humillimo ascendere: fecit tamen humano more, vt quantum terrâ gradiendo & cum discipulis colloquendo ascendere poterat, ascenderet, nec miraculo, quamdiu natura seruire poterat, vteretur.

ELEVATIS MANIBVS. Veterem fuisse morem, vt benedictio fieret manibus eleuatis, constat ex Leuit. 9. v. 22. *Eleuatu* autem, non in cælum, habitu precantis Deum, sed super eum qui esset benedicendus, habitu quasi impartientis & infundentis benedictionis gratiam: quemadmodum ex illo Leuitici loco fit manifestum: *Et extendens* (Aaron) *manus ad populum, benedixit ei*. Si tamen vnus solus benediceretur, sæpe hoc obseruabatur, vt manus, non eleuarentur tantùm super eum, verumetiā imponerentur capiti eius. Gen. 48. v. 14. Marc. 10. v. 16. Eadem ceremonia adhuc hodie in more est apud nos christianos, vt ad benedictionem manus eleuentur, sed addito signo crucis, quæ fons nobis est omnis benedictionis: id quod ita, ex vsu & traditione Apostolorum Domini, ad hæc vsque tempora manasse, certum est. Et ego quidem, post Dionysium Richelium & Didacum Stellam, non contemnendos auctores, haud grauatè crediderim, etiam ab ipso Christo manasse, & Apostolos ab ipso Christo didicisse, denique primùm Christum, crucis signo in aëre eleuata manu formato, Apostolis suis hic benedixisse: id quod inter recentiores etiam credit vir doctissimus Franciscus Zuares scribens in D. Thomæ p. 3. q. 58. a. 4. disp. 52. sect. 2. Quin & ipse D. Hieronymus opinioni huic fauet, dum exponens illud Isa. 66. v. 19. *Et ponam in eis signum*, siue iuxta LXX *& dimittam super eos signum*, postquam multa de signo dixisset, subiungit tandem: *Hoc nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, siue in nostris frontibus posuit, vt libere decantemus: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. hæc Hieronymus. Et quid mirum, crucis signum formasse, & suis commendasse Christum dum ascenderet, qui crucis notas in manibus pedibusque relictas cælo inferebat (id suprà v. 40. docuimus) quippe quæ omnis, & suæ gloriæ, & suorum fidelium benedictionis, vna esset scaturigo? Adhibuit porrò hanc eleuatarum manuum ceremoniam, vt benedictionis verba penitiùs discipulorum memoriæ imprimeret. BENEDIXIT EIS. Legimus, sub lege naturæ, patriarchas Isaac & Iacob, sub mortē benedixisse filiis suis (Gen. 27. & 49.) sub lege & naturæ & Mosis, sacerdotes populo benedixisse. Gen. 14. v. 19. Num. 6. v. 23.) Quocirca Christus auctor legis gratiæ, pater & sacerdos ecclesiæ, abiturus ex hoc mundo, benedixit suis, ostendens, benedicendi munus suum verè ac propriè esse; se enim eum esse, per quem Deus Pater hominibus benedicat. *Benedixit* autem *eis, benedictione spirituali*, quam vocat Apostolus Ephes. 1. v. 3., precatus est eis, in fide & vita Deo digna constantiam, atque in oratione perseuerantiam, qua fierent idonei accipiendo Spiritui sancto; nec precatus tantū, sed & largitus est, cuius vt dicere facere, ita benedicere benefacere est. *Benedicit discipulos*, inquit Theophylactus, *fortassis infundens eis vim, qua custodiret vsque in aduentum spiritus: fortassis etiam nos docens cùm peregre proficiscimur, vt commendemus nos* (credo legendum *nostros*) *supernis benedictionibus*.

καὶ ἐγένετο ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτοὺς, διέστη ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν.	51	Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.	Marc. 16. v. 19. Act. 1. v. 9.

ET FACTVM EST subitò, ipsis nihil tale exspectantibus, interea DVM BENEDICERET ILLIS, dum benedictionem nondum absoluisset. RECESSIT. διέστη disiunctus, separatus est corpore, AB EIS videntibus & admirantibus. Hinc intelligitur, benedictionem à Christo, loco valedictionis fuisse adhibitam. Nam anteà quidem prędixerat se ascensurum ad Patrem: sed nunc cùm ascendere vellet, noluit id aperire disertis verbis, priusquam re ipsa monstraret, ne fortè discipuli audientes iam abire Dominum, tristitia occupati in lachrymas soluerentur, & valedicere singuli desiderantes, in collum Domini procumbere, eumque osculari, aliaque huiusmodi eo rerum statu indigna admittere conarentur, quos nouerat nulla tristitia afficiendos, quando ipsum visuri essent ascendentem. ET. nempe enim. FEREBATVR. ἀνεφέρετο sustollebatur, sursum ferebatur, id est, sursum mouebatur. non enim ferebatur aliorum manibus, sed ascendebat, idque non volantis more, aut gradientis, at ita ac si aliorum manibus gestatus, & paulatim sursum portatus fuisset. non enim mox è conspectu discipulorum sublatus fuit. *Ferebatur* autem viâ rectâ, quamdiu quidem ab Apostolis videbatur; idque facie ad occidentem versa, quod ij qui loca sancta visitarunt, docent ex iis quæ etiamnum supersunt vltimis vestigiis pedum Domini, quæ ascendens, petroso monti, memoriæ causa impresserat, teste inter alios Auctore libri de locis Actorum Apostolicorum inter D. Hieronymi opera: quamquam (quod ex Apostolica traditione refert Damascenus lib. 4. de orthod. fide cap. 13.) ascenderit ad ortum, id est, ex monte oliueti in oriente sito. Reliqua petenda sunt ex Marc. 16. v. 19.

Καὶ αὐτοὶ προσκυνήσαντες αὐτὸν, ὑπέστρεψαν εἰς Ἱερουσαλὴμ μετὰ χαρᾶς μεγάλης.	52	Et ipsi adorantes, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.	Act. 1. v. 12.

ET IPSI. Ipsi autem. ADORANTES. προσκυνήσαντες αὐτὸν postquam adorassent eum, quomodo est etiam syriacè. Adspexerunt fixis oculis euntem in cælum quamdiu potuerunt, donec scilicet *nubes suscepit eum ab oculis eorum*, & Angeli admonuerunt, eum non ampliùs corporeis oculis requirendum, donec redeat ad homines iudicandos. Act. 1. v. 9. 10. 11. Quod vbi intellexerunt, & reipsa sic esse viderunt, adorauerunt, prostrati seu inclinati reuerentiæ causa in terram (id enim notat vox adorandi) iam remotum à suis oculis & in cælum assumtum, tamquam Dominum suum & Deum suum, tamquam eum qui iam modis omnibus probasset se Filium Dei viui. Tantum abest vt quidquam vltrà dubitarint de eius siue resurrectione siue maiestate, vt longè maiore reuerentia cœperint eum colere, quàm dum eius consuetudine in terra fruerentur; non iam vt præceptorem dumtaxat aut prophetam, aut Messiam dimidia ex parte cognitum, sed vt regem gloriæ mundique Dominum, cui data esset potestas omnis in cælo & in terra, vt reipsa iam probatum Filium Dei viui, quem antè sola fide confessi fuerant. *Adorauerunt*, inquit Beda, *di-*

scipuli in loco vbi steterunt nouissimè pedes eius, alludens ad Psal. 131. v. 7. REGRESSI SVNT, acti fiducia accipiendi promissum Patris. IN IERVSALEM. prout Dominus iusserat suprà v. 49. & quidem eandem in domum idemque cænaculum (Act. 1. v. 13.) nec enim fas erat eos distrahi, *donec induti essent vi tute ex alto.* CVM GAVDIO MAGNO. Licet Dominum ex oculis amisissent, tamen tantum abfuit vt tristitia ob id affecti fuerint, vt contrà maximo repleti fuerint gaudio, tū quòd congratularentur gloriæ domini sui, quem suis oculis conspexerant gloriosè ascendere in cælum, tum quòd certissima de Iesu fide essent aucti, postquam ea omnia quæ ille prædixerat vidissent feliciter impleta; nec minùs certa spe, fore, vt ea etiam quæ ipsis promiserat euenirent, & inter cætera, vt breuì quidem acciperent promissum Patris & induerentur virtute ex alto (sup. v. 49.) tandem verò assumerentur ad ipsum in cælum Ioh. 14. v. 3: *Et si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* Certa fides excutiebat omnem mœrorem: spes promissorum certa, addebat alacritatem: nimirum, vbi carne se subduxerat Dominus, spiritu cœpit eis adesse, ita vt solido gaudio afficerentur, & tunc demum sentirent, quàm verè prædixisset Dominus, expedire vt carne abiret. Iohan. 16. v. 7.

Et erant semper in tēplo, laudantes & benedicentes Deum. Amen. [53] καὶ ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ, αἰνοῦντες καὶ εὐλογοῦντες τὸν θεόν. ἀμήν.

ET ab eo tempore, interea dum exspectarent promissum Spiritum sanctum. Quia Lucæ propositum erat longiùs historiam producere, ideò breuiter solummodò dicit, quid egerint Apostoli, ab ascensione Domini vsque ad acceptum Spiritum sanctum. SEMPER. id est, quotidie, horis opportunis. Non quòd noctes diesque illic transegerint, sed quòd frequentarint omnes conuentus, statisque & solemnibus horis, *temporibus videlicet quibus congregari solent* (ait Euthymius) adfuerint ad gratiarum actionem Deo reddendam. Hæc porrò alacritas timori opponitur, qui priùs clausos & latentes domi detinuerat. IN TEMPLO, non ita vt priùs formidantes Iudæos. *Nondum spiritu*, inquit Theophylactus, *& spiritualiter viuunt: qui enim priùs inclusi erant, nunc inter medios pontifices viuunt.* Act. 1. v. 13. dicitur, *reuersos a monte oliueti in cænaculum ascendisse, & illic mansisse, & fuisse perseuerantes vnanimiter in oratione*: non quòd in cænaculo delituerint, nec ausi fuerint exire in templum, sed quòd illo in cœnaculo simul habitantes, donec aduenisset Spiritus sanctus, siue domi siue foris essent, totos se dederint laudando & orando Deo, vt digni fierent Spiritu sancto quem exspectabant: foràs cùm prodirent, non aliò quàm in templum exibant. LAVDANTES. priuatim singuli apud se, donec accepto Spiritu id palàm publiceque agerent. Nondum prædicandi tempus aduenerat, ad quod officij maiori cum miraculo erant extrudendi. BENEDICENTES. id est, gratias agentes, ob Christum scilicet iuxta promissiones patribus factas missum, & ipsis peculiariter reuelatum, cum communione summorum bonorum, qualia per Christum promissa fuerant: orantes perfici in se quod cœptum fuerat, & Spiritum sanctum in se infundi quo instructi abirent prædicatum in nomine Iesu pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, prout Iesus ipsis mandauerat. (suprà v. 47.) Dum ergo proximum exspectant Spiritum sanctum, veris exercitiis quæ pietatem decent toti operam impendunt. *Inter laudum deuotiones, promissum Spiritus sancti aduentum, promtis per omnia paratisque cordibus exspectant*, inquit V. Beda: qui & hoc hîc annotat, *Lucam, qui euangelium suum à ministerio templi per sacerdotium Zachariæ cœpit, pulcherrimè hoc in templi deuotione complere, cum Apostolos inibi, ministros videlicet noui sacerdotij futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei & benedictione conclusit.* AMEN. Vox est Euangelistæ, confirmantis obsignantisque ea omnia quæ hactenus scripserat, prout diximus ad Matthæum.

FINIS EVANGELII SECVNDVM LVCAM.

FRANCISCI LVCAE BRVGENSIS
DECANI AVDOMAROPOLITANI
IN SANCTVM
IESV CHRISTI EVANGELIVM
SECVNDVM IOHANNEM
COMMENTARIVS,

Iis præsertim locis, quæ sunt huic cum cæteris Euangelistis communia.

Ευαγγέλιον κατὰ ἰωάννην. Euangelium secundùm Iohannem.

EVANGELIVM SECVNDVM IOHANNEM, id est, historia euangelica à Iohanne scripta. vide Matth. 1. v. 1. Iohannes, filius Zebedæi, frater Iacobi maioris, è Bethsaida Galilææ oppido oriundus, Apostolus Iesu Christi, ab ipso tonitrui filius cognominatus, anno ab illius in cęlū ascensione circiter sexagesimosexto, reuersus ex Insula Pathmos, in qua Christi causa exsulauerat, rogatu Episcoporum Asiæ, græcè Euangelicam historiam scripsit, post Matthæum, Marcum, & Lucam, adductus duabus potissimùm rationibus; Vnâ eâque præcipuâ, vt Cerinthi, Ebionis, cæterorumque, nascentes aduersus Iesu Christi diuinitatem hæreses, refutaret; Altera, vt adderet, quæ obseruarat à prioribus Euangelistis prætermissa, facere posse ad illorum & totius Euangelicæ historiæ intelligentiam. Hæc ferè D. Hieronymus, partim in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, partim præfatione in commentarium Euangelij secundùm Matthæum, consentientibus reliquis Patribus. Hoc euangelium, ordine perfectionis obtinet primas, quia diuinam Christi naturam potissimùm declarat ac docet, cæteris circa humanam magis versantibus. Sed sicut tempore, ita & naturæ doctrinæque ordine postremum est, quo ab imperfectioribus ad perfectiora, & à facilioribus ad difficiliora cognitu, pergitur.

CAPVT PRIMVM.

Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος.	1	In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

IN PRINCIPIO. Euangelica aquila, eius quod describere parat euangelij, datura argumentum ac summam, è cælis sublimi felicique volatu penetratis edit tonitru, quale numquam terra audierat; quo, æternum Dei Filium, è sinu Patris in mundum per se conditum, carnis assumendæ & hominum in filios Dei adoptandorum gratiaque ac veritate imbuendorum causâ, descendisse, tametsi numquam abfuisset, mortalium auribus nunciat: non quò terreantur, sed quò excitentur ad recipiendum præsentem saluatorem. Hoc enim vult primis quatuordecim versibus, qui quotidie à Missæ sacrificio in Ecclesia catholica consueuerunt recitari, eôdem spectantibus quatuor consequentibus: demum versu decimonono ordiens historiam suam, his verbis: *Et hoc est testimonium Iohannis, quando*, &c. Quâ historiâ, continuum quasi tonat, id est, de cælestibus, æternis, ac tremendis loquitur mysteriis, Christi Domini diuinam præcipuè naturam explicans, postquam cęteri Euangelistæ quæ humanæ erant naturæ potissimùm descripsissent. Hoc autem initio Euangelij sui, imitatur initium Genesis à Mose scriptæ: & sic imitatur, vt det intelligendum, id quod docet, ex illâ Mosis scripturâ, si quis eam scrutetur, hauriri, atque intelligi posse. *In principio* igitur, id est, ἐν ἀρχῇ. quod hîc dicit, eodem modo intelligit, quo Moses suum בראשית *beresith.* quâ voce & Syrus in hoc euangelij initio vtitur: vt sunt pleræque omnes voces syriacæ, penè eædem cum hebraicis. *In principio* s. temporis, quo cælum, terra, mundus, tempusque ipsum, creata sunt; *in principio* quo mundus, qui anteà non fuerat, Deo creante cœpit esse. Nam & hoc temporis fuit principium, cùm non sit aliud tempus, quàm mensura durationis rerum creatarum. *per quem fecit & secula*, ait Apostolus Heb. 1. v. 2. Principium ergo vocat, quo esse incepit id quod factum est, & ante quod nihil factum est. *In principio* igitur mundi constituti, & seculorum omnium initio.

ERAT. subsistebat, iam tum erat veraciter, & inuariabiliter subsistebat. Verbum substantiuum, infinitæ Dei substantiæ & immutabili existentiæ significandæ maximè congruit, quod planè ex illis verbis Exod. 3. v. 14. *Ego sum qui sum*, intelligitur: immo verò Deo proprium est esse (à quo & nomen illud ineffabile sibi ipse

 imposuit

imposuit יהוה, quod docuimus Matth. 1. v. 20.) idque vt nulla certâ specie, ita nec vllo tempore definitum, quippe qui tempora omnia & comprehendat & superet. Cæterùm vt nequimus nisi humano more de Deo loqui, ita non possumus verbo hoc vti nisi cum temporis alicuius significatione. Et solet quidem præsens tempus aptissimum esse ad significandam immutabilem semperque præsentem æternitatem, vt in hac aliisque similibus propositionibus, *Antequam Abraham fieret ego sum* (Iohan. 8. v. 58.) sed consultò Euangelista hîc abstinuit à præsenti tempore, vt non diceret *In principio est verbum*, ne intelligeres verbum in principio cœpisse, nec ante principium fuisse: neque minùs cauit, ne diceret præterito perfecto *In principio fuit verbum*, ne intelligeres verbum esse desiisse, quemadmodum nostra, simulatque sonuerint, verba: sed studiosè vsus est præterito imperfecto, quod cùm sit medium inter præteritum & præsens, docet ita fuisse in principio verbum, vt ante principium fuerit, & post esse non desinat: quamquam posterius hoc, quod post principium esse non desinat, non tam clarè significetur vi vocis, quàm intelligatur ex priori quod fuerit ante principium: quod quidem prius, disertè hîc significatur, ipso *erat* quandam antecessionem notante, particula *iam* in se inclusa. Quod quidem verbum *erat*, opponit Euangelista verbo *creauit*, quo Moses vtitur. q. d. Principio illo temporis, quo creauit Deus cælum & terram, non creauit aut fecit verbum vnà cum cælo & terra siue mũdo, sed ipsum iam tunc erat cùm Deus creare inciperet mundum: ante mundum erat & res omnes creatas. Non enim principium assignat Euangelista verbo, sed ipso principio prius fuisse docet, & antecessisse res omnes conditas: parum enim fuisset, fuisse in principio, si ante principium & res creatas non fuisset. Ad hunc modum Sapientia ipsa Prou. 8. v. 22., quod dixerat *Dominus possedit* seu genuit *me in initio viarum suarum*, interpretatur subdens *antequam quidquam faceret a principio, antequam terra fieret* &c: id quod deinde pluribus consequentibus versibus latè declarat: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant: ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat & flumina, & cardines orbis terræ* &c. quo loco non potest alius esse clarior ad hoc euangelij initium explicandum: quamquam sunt alij plures similes. Psalm. 109. v. 3. *Ante luciferum genui te*. Infrà 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret ego sum*. & 17. v. 5: *Claritate quam habui, priusquam mundus esset*. Coloss. 1. v. 17: *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnia*. Eadem sentẽtia est Euangelistæ hoc loco, verbum cælo & terra rebusque omnibus creatis antiquius esse: id quod ex Mose relinquit intelligendum, narrante quî omnia verbo sint facta: prius enim omnibus quæ facta sunt esse oportuit, per quod facta sunt omnia. Hac porrò phrasi sacris literis familiari, qua verbum seu sapientia dicitur substitisse ante omnem creaturam, plus significatur quàm dicatur, nimirum, æternum esse verbum quod numquam cœperit, numquam non fuerit, numquam non futurum sit. *nihil aliud quam quod semper sit significat*, ait Chrysostomus. Nam quia non solet humanum ingenium, principium mundi temporisque transcendere, hominibus accommodatè loquens Scriptura, quod æternum esse vult, in principio, ab initio, ante cælum & terram, ante mundum, à constitutione mundi, ante tempora secularia, fuisse dicit. *Quod enim à principio est*, inquit Theophylactus, *eius nullum omnino tempus inuentum est quando non erat*. Docetur igitur hîc, verbum æternum esse, quod ita dederit rebus omnibus principium, vt ipsum careat principio; principio inquam temporis siue durationis, ita vt non sit locus dicendi quod dicebant Ariani, *erat aliquando quando non erat*: docetur hoc inquam, non hoc solo verbo *in principio*, nec hoc solo *erat*, sed his duobus simul *in principio erat*. Hilarius lib. 2. de Trinitate: *Quid est istud in principio erat? transeuntur tempora, transcenduntur secula, tolluntur ætates. Pone aliquod quod voles tua opinione principium, non tenes tempore: erat enim vnde tractatur, neque in tempore aliquo concluditur vt cœperit, quod erat potius in principio quam fiebat*. Cyrillus Alexandrinus hunc locum enarrans proprio commẽtario: *Non principium principij dabimus*, ait, *nec Filium in tempore à Patre genitum concedemus, sed æternaliter cum Patre ipsum esse confitebimur. Si enim in principio erat, quæ mens poterit vmquam vltra illud erat conuolare? Aut quando illud erat mente ita tenebimus, vt cogitationes nostras non antecedat?* Et posteà: *In profundissimam enim atque incomprehensibilem generationem, quæ cuncta superat tempora, erat istud cogitantis sententiam adducit. Erat enim indeterminatè prolatum, nullis vmquam terminis circumscribetur, cùm natum sit scrutantem semper intellectum præcedere: adeò vt quocumque arbitreris, quasi ad vltimum exitum & quietem ipsum erat iam peruenisse, inde superioris cursus initium statim factum esse videatur*. Similia habent, Basilius homilia in initium euangelij secundùm Iohannem, & Euthymius in proprio commentario. Hinc Nonnus poëta verbum vocat ἄχρονον, quod κατὰ πόδα reddas intemporeum, quòd nullo comprehensum sit tempore, nullo tempore cœptum ante omne tempus fuerit omniqúe tempore perseueret: qua ratione & alij ἄναρχον vocant, id est, carens principio. Ducit itaque nos Euangelista, vltra omnium rerum principium in ipsam æternitatem: non vt eam curiosè scrutemur (non potest enim mentis nostræ cogitatio eò penetrare) sed vt verbi æternitatem & credamus & adoremus. VERBVM. ὁ λόγος illud verbum. *Non simpliciter verbum appellauit*, ait Chrysostomus, *sed cum articuli adiectione, à reliquis ipsum hoc loco separans*. Dei haud dubium verbum intelligit: neque enim verbum potest non esse alicuius verbum. Et quidem quæuis prophetia, verbum Dei est: sed hîc mentio est de primo illo, diuino, & increato verbo, per quod creaturæ omnes dictæ & creatæ sunt, docente Mose. Syrus ܡܠܬܐ *melletho* vertit (vocem deriuatam à verbo ܡܠܠ *malil* loqui) ex ea quæ græcè est λόγος: vtraque autem significantior est quàm latina *verbum*: nam liceat etiam transferre sermo, oratio, ratio, definitio: atque hæc omnia etiam à veteribus Filio Dei adaptantur. Sed nihil æquè congruit latinè ac *verbum*, quo nec aliud nomen apud latinos patres celebrius est. Nostræ ætatis nouatores constanter omnes malunt sermonem vertere, quia græcè non ῥῆμα sed λόγος sit: quasi verò non passim confundantur hæ voces λόγος & ῥῆμα in noui testamenti libris, nominatim Matth. 26. v. 75. & 1. Cor. 14. v. 19. Addunt, perfectius aliquid sonare sermonem: sed non considerant, verbi vocabulum, cùm nihil minus significet, alienius esse à significatione compositionis, quæ longè abest ab ea locutione qua Deus apud se loquitur, quæ non constat pluribus verbis, necessariis illis obloquentium & audientium imperfectionem, sed simplicissima est. Nec enim hîc agitur de exteriori locutione, quâ, adhibito creaturarum ministerio, Deus nobis manifestauit se suaque: sed de interiori, quâ apud se loquitur verbum illud suum æternum, quòd paulò pòst v. 14. & 18. ipse Euangelista interpretatur vnigenitum Filium Dei. Nec metaphora sumitur ab exteriori hominis locutione aut verbo, sed ab interiori, quod animo producitur, in eoque manet, nec sermo dicitur, sed verbum interius, ad quod aliis manifestandum seruit vox, id est, verbum

exterius (lege D. Augustinum lib. 15. de Trin. cap. 11.) conceptio mentis est, cogitatio propriè dicta: sed abhorrent à cogitationis vocabulo Theologi, *ne aliquid volubile putetur in Deo*, quod ibidē ait Augustinus cap. 13. Fuerūt hæretici qui assererent, Filium Deo Patri istiusmodi esse verbum, cuiusmodi vox illa *Hic est Filius meus dilectus*: quos damnat Hilarius libro de Synodis, his verbis: *Si quis insitum vel prolatiuum verbum, Dei Filium dicat, anathema sit. Verbum est*, ait Augustinus, *quod & dicitur, & non transit*. Sunt catholici, qui doceant Filium Dei idcircò vocari verbum, quòd voluntatem & cætera quæ Dei Patris sunt mortalibus annunciarit: sed falluntur, saluâ pace, eò quòd Euangelistæ mens sit, verbi nomine quadamtenus nobis explicare naturam Filij Dei, qualis erat in principio, *in secreta diuinæ se natiuitatis immergens*, quod ait Hieronymus enarrans caput 56. Isaiæ. Paterna nobis manifestare, non naturæ est, sed effectus, nec tam verbi, quàm verbi caro facti, tamquam voce sonoque circumuestiti. Cæterùm non est existimandum, propriam Filij Dei essentiam, vt in se verè est, verbi appellatione exprimi; sed velut vmbrâ delineari, vt nos aliquo modo capiamus. Sicut enim interius hominis verbum seu cogitatio, se habet ad mentem, animam seu intellectum: sic Filius se habet, ad summam illā mentem quæ Deus est, ὁ λόγος ad τὸν νοῦν: nempe, sicut verbum illud ex humana anima menteque procedit, sic diuinum istud ex Deo. Humana anima se ipsam volens intelligere, producit in se verbum seu cogitationem, referentem omnimodam similitudinem ipsius, quatenus quidem ipsa seipsam potest intelligere: ita Deus seipsum intelligens, gignit paritque verbum sibi prorsus simile, & tam perfectè simile, quàm perfectè seipsum intelligit, quod quidem est, perfectissimè. Rursus, quemadmodum verbum è mente humana absque motu & passione, intellectualiter atque immaterialiter producitur, productumque in ipsa mente manet: sic multo magis diuinum, paritur ex mente diuina, partumque in ea immanet. *Cur verbum?* rogat Basilius scribens in principium huius euangelij. *quo ostendatur quod ex mente processit. Cur verbum? quia citra affectionem natus est. Cur verbum? quia imago est genitoris, totum in seipso genitorem ostendens*. Denique quemadmodum verbum, id est, conceptum seu cogitationem, oportet priorem esse omni opere quod ab homine fit: sic verbum Dei erat in principio, omnibus rebus à Deo creatis, prius atque antiquius: id quod notat & D. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 11. Sed ne existimes similitudinem omnibus numeris perfectam esse, ecce dissimilitudinem inter vtrumque verbum. Humanum verbum simile est humanæ menti, diuinum æquale diuinæ menti, absolutaque illius imago; illud accidens, hoc substantia (nullum enim in Deo simplicissimo est accidens) illud hominis affectio, istud Filius Dei (quippe viuens est à viuente procedens, secundùm rationem similitudinis eiusdem naturæ; illud temporarium, hoc æternum, illud mente humana posterius, istud diuinæ menti coæuum (diuina enim mens, semper est fuitque actu intelligens) denique humanum verbum multiplex est, diuinum est vnicum: vnico enim actu Deus semetipsum ac creaturas omnes ab initio intelligit atque ordinat. Nos sæpe loqui necesse est, etiam apud nosipsos, quia vnâ cogitatione non possumus omnia comprehendere: Deus, vna simplici locutione, iam inde ab æterno, dicit facitque omnia. Hoc est igitur æternum illud æternæ mentis verbum, de quo hic Euangelista, quo semper, velut arcana cogitatione, secum loquitur Pater, etiam ante mundum conditum, nulli notum nisi sibi vnis, & quibus voluerint à se conditis reuelare. Sed quare Euangelista dixit simpliciter *verbum*, & non potiùs *verbum Dei*? Respondent aliqui, vt non præceptū Dei aut sermo ad prophetas habitus intelligeretur, sed aliquid per se subsistens: solida responsio est, vocem *Dei* facilè suppleri atque intelligi potuisse, vt debuisse, ex eis quæ subiiciuntur. Quærunt Tractatores græci, cur Euangelista vsus sit, obscuro verbi nomine, potiùs quàm claro Filij, nec dixit apertè: *In principio erat Filius*? Respondent, *ne qua irrepat suspicio carnalis aut temporalis generationis*. sic enim Euthymius, secutus Chrysostomum & Theophylactum. D. Basilius scribens in hoc Iohannis principium: *Si dixisset*, inquit, *In principio erat Filius, vnà cum Filij appellatione simul subiisset animum tuum cogitatio de affectione: quoniam quæ apud nos generant, tempore generant, & affectuose generant*. Et rectè quidem hi Patres; verùm existimo & hoc Iohannem cauere voluisse, ne mox initio historiæ suæ, Iudæos offenderet, & à lectione reuocaret, qui Filij nomen in diuinis oderant, qui blasphemum & vnitati Dei contrarium iudicabant, agnoscere Deum Patrem & Deum Filium: quin potiùs ad fidem alliceret eos verbi nomine, quod sacris literis non tantùm non insolens, verumetiam consentaneum est. Initio Geneseos, tam clarè quàm quod clarissimè, docetur, quî Deus verbo suo crearit vniuersa: reliqui deinde veteris testamenti libri, passim vbique memorant דבר יהוה *dabar adonai* verbum Domini. Psalmo 32. v. 4. legis *Rectum est verbum Domini*. rursus v. 6: *Verbo Domini cæli firmati sunt*. Psal. 106. v. 20: *Misit verbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*. Psalm. 118. v. 89: *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo*. Psalm. 148. v. 5: *Ipse dixit & facta sunt*. Sacras igitur Scripturas imitatus hic Euangelista, Filium Dei nominauit verbum (quod quidem solus ipse, inter omnes noui testamenti Auctores) quò faciliùs Iudæos ad fidem inuitaret. Quidam arbitrantur imitatum esse etiam ipsam Iudæorum consuetudinem, quorum Rabbini seu doctores, frequenter solent nomen Dei tetragrammaton יהוה, reddere מימרא דיהוה *memra d'adonai* verbum Domini; nominatim Ionathan filius Vzielis, Chaldæus paraphrastes prophetarum posteriorum, qui Christi natiuitatem antecessit. Exempli gratia. Isaiæ 45. v. 7. quod legitur *Israel saluatus est in* יהוה *Domino salute æterna*, vertit chaldaicè: *Israel saluatus est in verbo Domini salute æterna*. Hosee 1. v. 7. quod habetur: *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in* יהוה *Domino Deo suo*; explicat: *Et saluabo eos in verbo Domini Dei ipsorum*. Quinetiam, pro eo quod prophetæ dicunt, oculus, facies, os, manus Domini, iste interpretatur verbum Domini. Ezech. 7. v. 4. Ier. 5. v. 22. Isa. 48. v. 3. & 13. prout latiùs hæc declarantur à Petro Galatino lib. 3. de arcanis cath. ver. cap. 3. 4. 5. Eumdem loquendi morem, vt ex ineffabili Dei nomine vertant frequenter verbum Domini, seruant reliqui paraphrastæ Chaldæi, Onkelos qui Pentateuchum, Iosephus cæcus qui hagiographa, Auctor ἀνώνυμος, qui historicos explicuit libros: id quod sanè mirum est, quandoquidem hi, Christo Domino posteriores, pluribus in diuinitate personis ex professo sint aduersati: nisi quòd videri possint, veterem Ionatham secuti, vel imprudentes ex Scripturis prodidisse mysterium, quod vt Scripturis contrarium reprobabant. Credibile est igitur verbum in Deo, Iudæis etiam ante hunc Euangelistam suo modo fuisse cognitum: quod & de Philosophis, Trismegisto, Zenone, Platone, aliisque, multi veterum sentiunt: ex quibus Lactantius lib. 4. de vera sapientia capite 9. *Hunc sermonem diuinum*, inquit, *ne Philosophi quidem ignorauerunt: siquidem Zenon, rerum naturæ dispositorem, atque opificem vniuersitatis, λόγον prædicat: quem & fatum, & necessitatem rerum, & Deum, & animum*

mum Iouis nuncupat (&c.) *Nam Trismegistus, qui veritatem penè vniuersam nescio quomodo inuestigauit, virtutem maiestatemq; verbi sæpe descripsit, sicut declarat superius illud exemplum* &c. Et quamquam philosophi illi, nomine λόγου, vix aliud intellexerint, quàm ideam seu formam mundi condendi in Deo existentem, longeque abfuerit, vt intellexerint quod Euangelista, alteram in vnâ diuinitate personam (excipe Sibyllas cæterosque vates, siue diuinos siue diabolicos) hoc tamen, Deo agente, procuratum est, vt exordiens hoc euangelium Iohannes, pro nomine filij Iudæis inuidioso, vti posset nec insolenter nec ingratè, verbi nomine, doctis & Iudæorum & Ethnicorum haud peregrino. Vt præteream, quòd, si naturali ratione agatur, longè similiora vero sint, axiomata huiusmodi *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; quàm huiusmodi *In principio erat Filius, & Filius erat apud Deum, & Deus erat Filius.* Nam Deum sine Filio, naturalis ratio facilè imaginetur; sed Deum sine verbo, id est, sine cogitatione aut conceptu, non magis quàm sine intellectu: vt non Iudæi soli, verumetiam philosophi probatissimi quique, Deum intellectu præditum, statuendum esse viderunt. Considerandum est autem, qui non probet allatis argumentis Euangelista quod dicit *In principio erat verbum*, &c. quippe quod rationem omnem superet: sed asserat vt historicus, & tamquam ab ipso verbo acceptum axioma; ponat fide excipiendum; non aliter quàm exorditur & Moses *In principio creauit Deus cælum & terram*; & contrario prorsus modo quàm philosophi, de quibus Chrysostomus homiliæ 1. in hoc Euangelium: *Quemadmodum hi qui in euripo sunt, huc illuc iactantur: iidem philosophi, numquam sibi constant, vtpote incerta & fragili sententia omnia loquentes. Verum hic piscator, omnia absque vlla dubitatione differens, tamquam petra innixus, nulla ex parte titubat*, &c. *nihil dubitat, nihil coniectatur, sed certa omnia assertione prologuitur.* hæc Chrysostomus. Quamquam verò nudè asserat sua, nec probet ratione, plus tamen fidei obtinuit, quàm vel philosophi vel hæretici, qui multis sua rationibus à naturâ petitis stabilire conati sunt. *Corpore enim habitans Asiam* (iterum Chrysostomus) *vbi antiquitus omnes philosophorum sectæ philosophatæ sunt, in medio tamen inimicorum clarus, & fugatâ caligine arcem eorum euertit quàm munitissimam* (&c.) *Ex quo enim & hic & reliqui piscatores fuerunt, & Pythagoræa & Platonica siluerunt disciplina, quæ superiori tempore tanti nominis & auctoritatis ferebantur.* Nec philosophorum tantúmodo doctrinas euertit, verumetiam hæreticorum dogmata, Ebionis ante omnia & Cerinthi, Theodoti deinde Byzantini & Pauli Samosateni, atque huius discipuli Photini, asserentium Christum minimè priorem Mariâ matre fuisse. Arij adhęc mentientis fuisse aliquando tempus, quando Filius Dei non erat; postremò Serueti, fingentis tunc demum exortum esse verbum, cùm in mundi creatione exercitum est. Et quidem primis his verbis *In principio erat verbum*, horum omnium euertit sententias: docet enim, Christum Filium Dei, ante omnem creaturam æternum esse. *Verum quonam pacto*, quærit Chrysostomus, *nulla habita Patris mentione, de Filio sermonem aggreditur? Quoniam*, respondet, *omnibus Patrem esse constabat, si non vt Patrem, saltem vt Deum, vnigenitus autem ignorabatur*: quem quidem vnigenitum, sumit pro subiecto suæ historiæ. *Præterea neque Patrem in Filij mentione subticuit* (verbum enim loquentem respicit, atque eo minùs, quod consequatur *Et verbum erat apud Deum.* ET VERBVM. Antecedens loco relatiui quod, non tantùm ex idiomate hebraico, verumetiam vt magis perspicua oratio, & axioma clarius sit. καὶ ὁ λόγος & illud verbum, illud idem verbum. ERAT. subsistebat. supple ex præcedenti axiomate *à principio* & intellige quemadmodum illic ab æterno. APVD DEVM. πρὸς τὸν θεόν. Theophylactus interpretatur σὺν τῷ θεῷ *cum Deo*. Atqui præpositio *apud*, qua vtitur Euangelista, æquè clara est: quâ quidem docet personæ distinctionem, id est, verbum à Deo personâ distingui. Quocirca abstinuit hîc à præpositione *in*, nec dixit *Et verbum erat in Deo, ne auferenda*, inquit Basilius scribens in hunc locum, *hypostaseos occasionem daret*: id est, ne verbum in Deo esse eo modo intelligeres, quo conceptio humani animi in humano animo est vt accidens scilicet in subiecto: *neque enim fefellerat rusticum* (sic agnominat Euangelistam Hilarius lib. 2. de Trinitate) *quid esset, inter esse, & inter inesse, & inter adesse, momenti. Id enim quod in principio erat, non in altero prædicatur esse, sed cum altero.* Nam vbi periculum non est confundendarum hypostaseon seu personarum, vtpote vbi filij aut vnigeniti nomine vtitur, non abhorret Euangelista à præpositione *in*. Infrà 14. v. 10: *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* rursus hoc ipso capite v. 18: *Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*. Quamquam non tantùm ob illam causam hîc abstinuit à præpositione *in*, verumetiam ob eam, quod verbum in Deo esse, significet, verbum eiusdem essentiæ ac naturæ cum Deo esse: quod non vult dicere his verbis, verùm hoc, verbum personam esse per se subsistentem, id est, subsistentiâ à Deo distinctam. Id significat præpositio *apud*: neque enim propriè apud seipsum esse quis dicitur, neque quod per se non subsistit, apud alium esse dicitur, sed in eo. *Quum apud Deum verbum esse prædicet*, inquit Cyrillus, *vnum quidem esse Filium subsistentemque in seipso, & vnum rursus Deum Patrem, apud quem verbũ est, apertissime ostendit. Quomodo enim, quod vnum numero est, ipsum apud seipsum esse intelligetur?* Et Theophylactus: *Nam quia verbum erat apud Deum, manifestum est quod duæ personæ introducantur, etiamsi vna natura sit in his duobus* (&c.) *& Sabellius negans personarum trinitatem, sed asserens vnitatem, reiicitur*. Quia igitur facilè rogare aut cogitare quis poterat, postquam audisset *In principio erat verbum*, vbinam erat illud verbum, quando nihil erat rerum creatarum, non cælum, non terra, non mundus, non tempus: addit Euangelista *erat apud Deum.* & certè alibi esse non poterat, postquam solus Deus erat. *Erat apud Deum*, celeberrimum illum in Iudæa, & maximum nomine in Israel. Articulus enim additus, τὸν θεόν. notat, primùm quidem, intelligendum esse Deum illum vnum, à patribus ac prophetis prædicatum, & ab Israële hactenus creditum, auctorem & gubernatorem vniuersi, non Deum aliquem in genere; adhæc, sensu arcaniore, personam illius Dei, non naturam: quamuis vulgus Israëlis hactenus discrimen personæ à natura ignoraret. Nam in eo quod sequitur axiomate, *Deus erat verbum*, vt naturã intelligi significet, non personam, studiosè omittit articulũ. *Erat* igitur *apud Deum*, sed quo modo? Erátne loco proximo, illi loco in quo Deus erat? minimè. Vt enim nullus exstabat locus, cùm nihildum esset conditum: ita neque Deus neque Dei verbum in loco erant, sicut nec esse possunt. *Non enim in loco*, inquit Basilius in hæc verba scribens, *quæ sunt incircumscripta, continentur.* Deum cùm sit infinitus, *nec cælum, nec cæli cælorum capere possunt*, quod ait Salomon 3. Reg 8. v. 27. Vbi ergo erat siue Deus siue eius verbum? *Ante omnia*, scribit Tertullianus libri aduersus Praxeam cap. 5., *Deus solus erat, ipse sibi & mundus & locus & omnia; Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum: cæterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam* (&c.) *hanc Græci λόγον* dicunt. Erat igitur verbum apud Deum cuius erat verbum, apud Deũ tamquam

apud

apud Patrem ex quo nascebatur & originem ducebat. Vt enim verbum solitarium intelligi nequit, quod non ab auctore aliquo, loquente, dicente, aut cogitante depromatur: ita cùm dicit Euangelista, verbum fuisse apud Deum, tunc cùm nihil præter Deum ipsum esset, intelligendum dat, fuisse verbum ipsius Dei, tamquam auctoris, quod est, Patris: & præter diuersitatem personarum, docet vnius personæ ex altera originem atque egressum; nimirum, verbum ita distinctum persona à Deo esse, vt ex Deo natum: quod tamen nascendo & egrediendo ex Deo, non separetur aut seiungatur à Deo, ne eo modo intelligas esse apud Deum, sicut Filius homo est apud matrem mox à partu, tamquam res adiacens: nam nec verbum intellectuale hominis, separatur ab intellectu cuius verbum est. Sed hominis quidem verbum accidens est, & res inhærens, non per se subsistens: verbum autem Dei per se subsistit, personâ distinctum à Deo ex quo gignitur & à quo non separatur, vt quod proximè ad Deum accedat, consors & socium, adeoque proles diuinæ mentis & Filius Dei. Hoc est, verbum esse apud Deum. Quâ denique formâ loquendi, potuit diuinus Euangelista voluisse significatum, & consensum vnius personæ cum altera, socialem & amicam coniunctionem verbi cum Deo Patre. Vt ne quis enim arbitraretur, plures in diuinitate personas doceri, quæ sibi mutuò fortasse fuerint aduersatæ, quemadmodum Gentiles fabulabantur, Saturnum à filiis suis regno expulsum fuisse, & deos alios aliis fuisse aduersatos, aut, iuxta quod hæretici quidam, nominatim Marcion, statuebant duo principia, bonum & malum; *apud Deum*, inquit, *erat*; tamquam altera quidem persona à Deo à quo prodibat, summè tamen consentiens ei, idem sapiens, idē volens ac nihil aliud quàm imago ipsius, quippe verbum ipsius. Huius loci paraphrasis à Nonno poëta datur huiusmodi πατρὸς ἦν ἄμερισ. ἀτέρμονι σύνθρονος ἕδρῃ *Indiuisus erat Patri, consessor in illo Cui nullus finis solio.* Quâ respicit ad illa Scripturæ loca, quibus Filius Dei à resurrectione dicitur esse & sedere à dextris Dei; tamquam idem sit, verbum esse apud Deum, quod, esse aut sedere ad dexteram Patris. Et quidem, vt illis Scripturæ locis non significatur, Christum Filium Dei altiùs eleuatum quàm à principio fuerat, ita verisimile est significari, eò redisse vnde venerat: sed quia præter respectum ad humanam naturam, declaratur illâ phrasi loquendi, sedere à dextris, æqualitas Filij & Patris, quam Iohannes non his verbis *Verbum erat apud Deum*, sed proximis *Deus erat verbum*, manifestè docet, idcircò videtur non prorsus idem esse Iohanni esse apud Deum, & sedere à dextris Dei. vide Matth. 22. v. 44. & Mar. 16. v. 19. ET DEVS ERAT VERBVM. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος & Deus erat illud verbū. Articulus græcè additus nomini λόγος, non nomini θεὸς, docet, *Deus* hac in propositione prædicati locum tenere, *verbum* subiecti, & construendum esse: *Verbum erat Deus.* Nam Euangelista, elegantiâ quadam hebraici sermonis ductus, gaudet thesin subsequentem inchoare ab eâ voce quæ fuerit postrema præcedentis: quemadmodum & in sequentibus: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ* &c. Semper ex proximo membro sumitur gradus sequentis. Cùm primo illo suo axiomate (siue thesin aut conclusionem malis appellare) *In principio erat verbum*, docuisset Euangelista, verbum subsistere, & quidem ab æterno; secundo illo *Et verbum erat apud Deum*, asseruisset ita subsistere, vt ex Deo quidem sit, & consentaneum Deo, differens tamen personâ: tertio isto axiomate *Et Deus erat verbum*, docet, eiusdem naturæ esse cum Deo ex quo est adeoque etiam Deum, idque *à principio* (nam & hîc repetendum hoc est ex primo axiomate) Quare non addit hîc articulum nomini *Deus*, quemadmodum mox *apud Deum*, significans, vocem *Deus*, non hîc accipi à se pro nomine personæ Patris, vt mox, sed pro nomine naturæ communis Patri & Filio. Itaque post manifestatas personas duas, ostendit deitatem & οὐσίαν vnam. *Verbum erat Deus*, non minùs scilicet quàm ille apud quem erat, & cuius verbum erat, id est, eiusdem cum illo naturæ: alius quidem personâ, sed non aliud, at vnum & idem naturâ, id est, vnus cum illo simplicissimus Deus. Erat Deus apud Deum, & Deus ex Deo, quippe verbum Dei. *Quasi ergo Arianos audiens*, ait Cyrillus, *Non modò, inquit, verbum erat apud Deum, verumetiam Deus erat. Sic, quoniam apud Patrem est, inquit, per seipsum subsistit: quoniam verò Deus est & ex Deo Patre, consubstantialis Patri & naturâ Deus esse intelligitur.* Vrgebant Ariani omissum articulum ad nomen *Deus*, quasi significaretur, Deum quidem esse, sed minorem Patre, summo Deo. Atqui, præterquam quòd iam declarauimus causam omissi articuli, Chrysostomus aliique, S. Scripturæ exemplis ostendunt, vt non semper addi articulum quando de Patre sermo est (infrà v. 6. Rom. 1. v. 7.) ita non semper omitti quando de Filio. Quocirca rectè Theophylactus in hæc verba concludit: *Confundatur Arius, qui creaturam dicit Filiū Dei & facturam.*

οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν θεόν. 2 Hoc erat in principio apud Deum.

Hoc s. verbum quod erat Deus. ERAT. *Quater dic vocem erat*, inquit Basilius, *& irritum facies Arianorum non erat.* Posuerat hactenus Euangelista tria de verbo Dei axiomata, quorum primo docuerat, verbum Dei ab æterno fuisse (prima enim quæstio de re qualibet est, an sit) secundo, personâ distinctum fuisse à Deo cuius verbum erat (poterat enim eâ de re dubitari quàm maximè, eò quòd non ita se res habeat in verbis creaturarum) tertio ex prioribus consequente, naturâ Deum fuisse. Tria hæc diuisim dicta ac pronunciata, iam coniungit & in vnum colligit, *breui mirandoque modo, theologiam quam de verbo exposuerat, in summam redigens*, quod aiunt Basilius & Euthymius, *& compendium diuinæ de eo cognitionis nobis præbens*; Eo consilio, ne quæ sigillatim dicta fuerant, separatim intelligeres, vel de alio atque alio verbo, vel de alio atque alio principio, vel de pluribus diis. Primum vrget Cyrillus, aduersus Eunomianos, statuentes duplex verbum, vnum interius atque insitum Deo, alterum insito illi simillimum, quod sit Filius Dei. Secundum vrget Chrysostomus aduersus Arianos, mentientes verbum Deo posterius esse: contrà enim, esse coæternum, & τὸ *in principio*, quod expressum fuerat in primo axiomate, ἀπὸ κοινοῦ supplendum esse ad duo reliqua, manifestè docet hac repetitione Euangelista: eo libentiùs fortè id inculcans, quòd aduersus suæ ætatis hæreticos faceret, negantes Christum matre virgine priorem. Tertium vrget Hilarius, idcircò hac repetitione vsum esse Euangelistam, ne Iudæi vel alij quicumque intelligerent, plures ab ipso contra Mosem doceri aut introduci Deos: quod quidem fit omnium verisimillimum. postquam enim dixisset *Deus erat verbum*, ne Deum aliquem nouum statuere crederetur, mox adiecit *Hoc erat in principio apud Deum*, quod est, hoc verbum Deus, erat in principio apud Deum cuius erat verbum, tamquam vnus scilicet cum eo Deus. Hilarij verba lib. 2. de trinitate hæc sunt: *Sed trepido in dicto, & me insolēs sermo commouet. Audio Et Deus erat verbum, cùm vnum Deum*

propheta nunciauerint. Sed ne quò vltrà trepidatio mea progredi possit, reddit sacramenti tanti piscator meus dispensationem: & refert ad vnum omnia, sine contumelia, sine abolitione, sine tempore: ait enim, Hoc erat in principio apud Deum. Cum hoc erat in principio, non tenetur in tempore: cùm Deus est, non refertur ad vocem: cùm est apud Deum, nihil nec confunditur nec confertur: nam nec aboletur in alterum, & apud vnum ingenitum Deum, ex quo ipse vnus vnigenitus est, Deus prædicatur. Hæc Hilarius, quibus ostendit, Iohannem his verbis, Mosi & prophetis se coniungere, ne plures Deos docere videatur: id quod certè ita facit Iohannes, vt illorum de vno Deo doctrinam perficiat, declarans Deum vnum in pluribus consistere personis.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine [3] ipso factum est nihil quod factum est.	πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν.

OMNIA. Docuit Euangelista quid fuerit & quomodo se habuerit verbum ab æterno erga Deum: nunc docet quomodo se habuerit in tempore erga creaturam, in ea creanda ac reparanda: & quod ab æterno occultum fuerat & inuisibile apud Deum, quomodo seipsum in mundi creatione & hominis redemtione manifestarit orbique insinuarit. *Omnia*. Sic autem erat in principio apud Deum, vt in principio omnia per ipsum facta sint. Notam vniuersalem *omnia* optimè explicat Paulus ad Coloss. 1. v. 16. vbi ait: *In ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia: siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt*. Adde ex eo ad Heb. 1. v. 2: *Per quem fecit & secula*. *Omnia* ergo, id est, omnis res naturalis, omnia quæcumque existunt in rerum natura, *ab angelo vsque ad vermiculum*, inquit Augustinus, immo à substantia vsque ad accidens. Denique *omnia* entia, quæ quidem extra Deum sunt. Nec enim Deus hìc comprehendi potest siue Spiritus sanctus siue Pater. Nam vt 1. Cor. 15. v. 27. Apostolus ait, *Cum autem dicat Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia*: ita hìc cùm dicit, Omnia per ipsum facta sunt; sine dubio præter eum qui per eũ & cum eo fecit omnia. Moses multis verbis descripserat creationem rerum, at visibilium tantùm: Iohannes, cui propositum est opus redemtionis describere non creationis, vno verbo multo plura complectitur, quod notat Chrysostomus. PER IPSVM. Syrus phrasi hebraica *per manum eius*. *Per ipsum* s. verbum. Si vertisset Interpres *per illud*, vitasset amphibologiam, ne posset referri ad Deum: quamquam eadem amphibologia est græcè. FACTA SVNT. creata sunt s. à Deo cuius erat verbum, idque ex nihilo, si nõ immediatè, certè materiâ mediante, quę ex nihilo producta fuerit. Porrò si omnia per verbum facta sunt: ipsum igitur non est factum. ita rectè argumẽtantur, Augustinus, Cyrillus, aliique veteres, contra Arianos: nec enim magis factum esse potest per seipsum, quàm seipso esse prius. Ponit Iohannes, omnia per verbum facta esse, vt notũ ex initio Mosaicæ geneseos, vbi ad singulorum dierum opera legitur: *Dixit Deus fiant & facta sunt*. Quibus verbis disertè testatur Moses, omnia esse condita verbo Dei. *Inter dicentem Deum & factam creaturam*, inquit Augustinus hoc loco, *quid est per quod factum est, nisi verbum, quo dixit Deus, fiat, & factum est*. Porrò illud verbum, Euangelista doctore, interpretari oportet, non sonoram aliquam vocem, quam ediderit Deus tunc cùm vellet facere omnia (cui enim seruiuisset sonus ille?) sed æternum, efficacissimum atque omnipotens verbum, quod erat in principio apud Deum, quod Salomon appellat sapientiam (in verbo enim sapientia sita est, nec tantùm in exteriori, verùm multo magis in interiori) Prou. 8. v. 12. vbi de se ipsam loquentem inducit, lateque explicantem quî cum Deo fecerit omnia: *Quando præparabat cælos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ: cum eo eram cuncta componens*. Et quamquam nec illic Moses nec hìc Salomon, disertis verbis loquantur nisi de visibilibus creaturis, idem tamen intelligendum relinquunt de inuisibilibus: quarum nulla ipsis diserta mentio est, ob ruditatem & ad idololatriam propẽsionem populi cui illa scribebant. Iam verò quomodo per verbum Dei æternum *Fiant*, omnia facta sint in tempore, explicat aliquo modo D. Augustinus libri primi de Genesi ad literam cap. 2. vbi ait: *Aeternum est quod dixit Deus Fiat lux, quia verbum Dei Deus apud Deum, Filius vnicus Dei, Patri coæternus est: quamuis Deo hoc in æterno verbo dicente, creatura temporalis facta sit. Cùm enim verba sint temporis, cùm dicimus quando & aliquando: æternum tamen est in verbo Dei, quando fieri debeat aliquid, & tunc fit quando fieri debuisse in illo verbo est*. Quod vt meliùs intelligatur, scire oportet, verbis illis *Dixit Deus fiant*, primùm & ante omnia significari, iussionem atque imperium Dei. q. d. Iussit Deus vt fiant; adiunctoq; illo *& facta sunt*, significari, quòd iussu atque imperio suo Deus creauerit vniuersa; &, quod consequitur, sine labore, molestia, difficultate, sine subsidiariâ alicuius operâ, creauerit; non quòd tunc demum iusserit Deus vt fierent res, cùm crearentur, sed quòd iam inde ab æterno iusserit eas tunc temporis fieri, quando creabantur: ita vt iussio æterna fuerit, quamquam effectus temporaneus. Hæc porrò æterna iussio, ab Euangelista, quinimmo etiam à Mose, adscribitur verbo Dei, non tantùm quia solent homines iussionem suam verbo declarare (vnde nata illa consuetudo sacrarum literarum, qua dicere pro iubere ponitur) verùm multo magis, quia imperium & iussio præcipuè pendet proceditque ab intellectus operatione (intellectus enim, inter animæ humanæ ad imaginẽ Dei creatę potentias, domina est ac regina) ac proinde verbo, quod per intellectus operationẽ ex Deo nascitur, estque intellectualis conceptio mentis Dei, summo iure adscribitur. Pendet quidem proceditque & à voluntate iussio, nec fit sine voluntatis cooperatione, ac proinde possit etiam attribui Spiritui sancto, qui per voluntatis operationem ex Patre Filioque procedit, & consequenter possit etiam dici, omnia per Spiritum sanctum Deique amorem facta esse: sed non ita propriè ac præcipuè imperium iussioque voluntatis sunt, quemadmodum intellectus, magisque propriè propter amorem sui à Deo omnia facta dicas quàm per amorem: quamquam non vt à Spiritu sancto distinguatur verbum, ideò per ipsum hìc omnia facta dicuntur, sed vt à Deo Patre. De Spiritu sancto nulla est hìc Euangelistæ mentio: solùm de Deo & eius verbo loquitur. Deum dicit omnia creasse per verbum. In confesso est, quòd creatio rerum communis sit tribus personis, vna & æqualis actio trium personarum (vt omnia SS. Trinitatis opera, quæ quidem extra Deum egrediuntur, indiuisa sunt) propriè quidem conueniens naturæ diuinæ, personis autem non nisi ratione naturæ: Pater creator est, quia Deus, æquè verbum creator quia Deus; similiter Spiritus sanctus: nec tamen tres creatores sunt, sed vnus creator. At quia Pater,

diuinam

diuinam naturam creandiq; potentiam ab alio non habet quàm à seipso, simpliciter dicitur creare: verbum autem, quia à Patre habet diuinam naturam, ac proinde etiam creandi potentiam, idcircò per ipsum Pater dicitur creare. Considerans ergo Euangelista id quod verbo proprium est, vt propriè de verbo loquatur, distinguatque à persona Patris, non dicit *fecit omnia*, aut *omnia ab ipso facta sunt*, sed *omnia per ipsum facta sunt*: non quòd dici non possit etiam de verbo *fecit omnia*, aut *omnia ab ipso facta sunt*, sed, vt propriè loquens, distinguat quod diximus, personam verbi à personâ Patris. Cæterọqui legis Psalm. 101. v. 26: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*. id quod Apostolus Heb. 1. v. 10. de Filio interpretatur, *numquam profectò id asserturus*, ait Chrysostomus, *nisi conditorem Filium non ministrum arbitraretur, ac Patri & Filio pares esse intelligeret dignitates*. Quare amentia Arianorum fuit, quòd vim præpositionis *per* vrgentes exponerent *per ipsum* tamquam per ministrum, organum, instrumentum, aut agens minus principale: nam & Patri frequenter ea præpositio attribuitur. Heb. 2. v. 10. *per quem omnia*, ait Apostolus de Patre: & 1. Cor. 1. v. 9: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filij eius*. plura alia huiusmodi loca à græcis patribus adferuntur: adeoque frequens est, præpositionum *per, ex, in, ad, propter*, permixtio, ita vt nunc vni personæ in diuinis, nunc alij attribuantur. Hoc euangelij loco, *per* non aliud quàm creandi potentiam à Patre datam significat: & Patrem per verbum creare, nihil aliud est, quàm Patrem vnà cum verbo creare, ita vt verbum creandi potentiam à Patre habeat. Hoc est id quod Chrysostomus scribit: *Per ipsum hoc in loco, nulla aliâ ponitur gratiâ, quàm ne ingenitum quisquam suspicaretur*. Quare si quod medium præpositione *per* significetur, illud non nisi secundùm originem accipiendum est, prout iam explicuimus: nam Pater & verbum, rerum omnium creatarum, causa vna principalis, æqualis, & immediata sunt. *Et sine ipso factum est nihil quod factum est*. Ne putares commodam distributionem significatam vocula *omnia*, nimirum plurima aut pleraque omnia; quod dixerat affirmando ac numero plurali, maioris confirmationis gratia repetit exponitque negando ac numero singulari: Nihil quod quidem factum sit, sine ipso factum est, Nihil eorum quæ facta sunt, sine ipso factum est, Nulla res facta est, quæ facta sit sine ipso seu, quæ non facta sit per ipsum. Nec infrequens est huiusmodi repetio Hebræis, quod videre licet 1. Reg. 3. v. 18. Isa. 39. v. 4. Ier. 42. v. 4. & alibi. *Ne putares*, scribit Chrysostomus, *quæcumque Moyses dixit, ea duntaxat Iohannem intelligere*, infert *Et sine ipso factum est nihil quod factum est, hoc est, eorùm quæ creata sunt, siue visui, siue intellectui tantùm subiecta, nihil sine Filij virtute productum est vel conditum*. Similiter Origenes: *Et ne fortè existimares, eorum quæ sunt, quædam quidem per ipsum Dei verbum facta esse, quædam verò extra ipsum facta esse, existentia per seipsa, ita vt non omnia quæ sunt ad vnum principium referantur, conclusione totius theologiæ subdit Et sine ipso factum est nihil, hoc est, nihil extra ipsum factum est*. Nihil ergo excipiendum docet Euangelista ex iis quæ facta sunt, quod non sit factum per verbum Dei, non potestates cælestes aliáve inuisibilia, non materiam primam, non visibilia viliotis conditionis: huiusmodi enim excepta fuere à veteribus, siue philosophis, siue hæreticis, nominatim Manichæis, statuentibus duo principia, vnum bonum, alterum malum, vnum spiritalium substantiarum, alterum corporatarum. *Sine exceptione sunt omnia*, inquit Hilarius lib. 2. de Trinitate, *& nihil quod extra sit derelinquitur*. SINE IPSO. Societatem significat *sine*. *Piscator* (ita alloquitur Euangelistam Hilarius) *reddidisti auctorem, cùm socium professus es*. est enim quasi diceret Euangelista: Et sine verbo nihil factum est à Deo. Vnde intelligi possit, *per* præcedens non esse significatiuum ministerij: coniunguntur enim Deus & verbum, qui fecit & per quam fecit, ita vt duæ personæ sociæ & æquales æqualis inquam potentiæ, declarentur. NIHIL. οὐδὲ ἕν neque vnum, idem est quod οὐδέν nullum aut nihil: sed propterea fortè libentiùs vsus est Euangelista duabus voculis, quia Hebræi sic loquantur, *non vnus* pro nullus: prout Syrus hoc loco, *etiam non vnum*. QVOD FACTVM EST. Hanc particulam, quidam veterũ iungunt iis quæ sequuntur, *Quod factum est, in ipso vita erat*; Augustinus, Cyrillus, &c: alij iis quæ præcedunt, *Et sine ipso factum est nihil quod factum est*; inter græcos Nonnus Chrysostomus, & huius discipuli, inter latinos Hieronymus enarrans Isaiæ 11. & 44. capita, fauente Ambrosio lib. 3. de fide cap. 3. Posteriorem hanc distinctionem sequimur, vt quæ sententiam & cohærentiam secum adferat magis planam & claram quàm prior. Addidit hoc autem Euangelista, non necessitatis sed claritatis causâ, quò minùs quis, vel Spiritum sanctum factum intelligeret, vt Macedoniani, vel Deum peccati auctorem statueret, vt Floriani: nam nec Spiritus sanctus nec peccatum est quid factum siue creatum. *Excluditur*, inquit Euthymius, *Spiritus sanctus: neque enim factus est, vt inter alia comprehendatur, sed infectus aut increatus, sicut & Pater & Filius*. Chrysostomus: *Huius particulæ sententia huiusmodi est: Si quid factum est, sine ipso factum non est. Vides quo pacto hac breui adiectione omnia corrigit inconuenientia? Ex ea enim particula Sine ipso factum est nihil, & adiectione quod factum est, intelligibilia comprehendit, spiritum subtrahit, spiritus enim haud factus est*.

ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων.

4 In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.

IN IPSO verbo, in eodem hoc verbo. Pergit describere diuini verbi proprietates. Vna fuit, quod per illud omnia à Deo facta sint: altera est, quod per idem illud, homo, cùm à recto illo in quo factus fuerat statu decidisset, restitutus sit. VITA æterna. ERAT ab antiquo, adeoque ab æterno. Quod dicit *in ipso*, non intelligit tamquam in subiecto accidens, aut forma in materia: potuisset enim dicere *Ipsum vita erat*, sed amplius voluit significatum hac loquendi ratione *in ipso*. *Ne compositum eum suspiceris* (monet ex Chrysostomo Euthymius) *sed vita fontem: nam protinus etiam totum ipsum vitam nominat, dicens Et vita erat lux hominum*. Vitam esse significat, non soli sibi, sed & aliis; in ipso vitam esse, quâ non solùm ipse viuat, verumetiam homines viuificet (nam ad homines hoc referendum, indicat pericope *subsequens Et vita erat lux hominum*) hoc est fontem esse vitæ, quod modò dicebat Euthymius, id quod alibi dicitur lignum seu arbor vitæ. Duo sunt, vitam esse & sibi & aliis: vtrumque hîc notatur, sed posterius magis; vult enim Euangelista verbum sic esse vitam in se, vt sit etiam vita hominum, merito susceptæ à se carnis. Atque hoc, verbo proprium est, nec commune cum Deo Patre: licet enim Deus Pater & ipse vita sit in se, suaque auctoritate ac donatione viuificet homines, non tamen viuificat homines suo merito, quod ipse compararit (nec enim mereri quidquam potest Deus manens Deus) sed eo merito quod verbum caro factum parauit. Verbum enim caro factum, promeruit homi-

hominibus vitam, qui seipsos breuî à creatione peccando occiderant. *Ego veni vt vitam habeant*, inquit inf. 10. v.10. Hinc seipsum vitam vocat infrà 11.v.25: *Ego sum resurrectio & vita*: 1.Iohan.1.v.1. appellatur *verbum vitæ*; Act.3.v.15. *auctor vitæ*; Coloss.3.v.4. *vita nostra*. *In ipso* itaque *vita erat*, vt *non est in alio aliquo salus*, teste & D. Petro Act.4.v.12.: *erat* autem, constituta quidem ab æterno, *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, quod ait Apostolus Ephes.1.v.4., cœpta autem communicari cum hominibus ab ipso mundi initio, breuî inquam à lapsu. Hæc indicantur præterito imperfecto *erat*, quo nequaquam excluditur præsens *est*. Non solùm enim merito verbi iam incarnati viuificantur homines: verumetiam merito verbi incarnandi, iam inde à mundi principio, multis restituta est vita. *Bibebant enim de spiritali, consequente eos petra*. (1.Cor.10.v.4.) Porrò *vita* hîc intelligitur æterna: nam & in seipso verbum vita æterna est, & hominibus est vita æterna. *In ipso vita æterna erat*, quâ non solum ipsum æternùm viueret, verumetiam hominibus auctor esset æternæ vitæ. In hunc modum exponit se ipse Euangelista, in prima epistola, vbi cap.1.v.2. ait: *Annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem & apparuit nobis*. ecce, verbum ipsum in se, nominat vitam æternam, quæ cùm ab æterno fuerit apud Patrem, tandem apparuerit nobis per incarnationem. Rursus vbi cap.5.v.11. *Vitam æternam*, inquit, *dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio eius est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet*. ecce, in verbo seu verbum, docet nobis esse vitam æternam. Id quod deinde plerisque huius euangelij locis inculcat. Infrà 3.v.16: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. 17.v.2: *Vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*. 10. v.28: *Et ego vitam æternam do eis* &c. Vita autem æterna, quatenus est ipsius verbi, non obscurum est in quo consistat: quatenus verò est hominum merito verbi, in eo sita est, vt homo, acceptâ peccatorum remissione, donetur iustitiâ, & sic viuat vitam hanc, vt Deo placeat, in eoque perseuerans, vitam temporariam miseramque commutet cum æternâ ac beatâ; donandâ, priùs quidem animæ, tandem etiam corpori. Incipit ergo vita æterna, cuius auctor hominibus est verbum, in hoc quidem seculo, per infusam animæ iustitiam, augetur in altero seculo per animæ gloriam, perficitur denique per carnis resurrectionem. Postquam igitur dixerat Euangelista, omnia à Deo per verbum creata, subiicit, hominem totius creaturæ caput, à Deo, per illud idem verbum esse reparatum: ponens vt rem confessam, hominem, ex recto, qualis creatus fuerat, prauâ voluntate, statim esse redditum iniquum, cæcum, miserum, esse lapsum ac fractum, adeoque mortuum. Hanc porrò reparationem, deinceps Euangelista pergit exponere, quî facta sit: vt omnia quæ sequuntur in toto hoc euangelio, eò spectant, ac nominatim quod proximè subdit ET VITA. καὶ ἡ ζωὴ & illa vita. verbum scilicet. Dixerat in verbo fuisse vitam, subdens vocat verbum ipsum vitam, dans intelligendum, se vtrumque significatum voluisse, vitam esse & sibi & aliis, quod diximus. ERAT. iam inde à mundi initio, post lapsum tamen. LVX HOMINVM. Non solùm vita erat & sibi & hominibus, verumetiam lux & sibi & hominibus, naturâ sibi, effectu hominibus. Dulcis res est vita, sed tristis absque luce: verbum & vita est in se & lux, lux viua vitaque lucida (*Deus enim lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*. 1. Ioan.1.v.5.) hominibus similiter vi suâ & vita est & lux, ac proinde lumen seu lux vitæ, quomodo seipsum vocat infrà 8. v.12. HOMINVM quorumuis, citra personarum acceptionem, venientium in mundum (infrà v.9.) *Ego sum lux mundi*, inquit infrà 8.v.12. & Pater de eo Isaiæ 49.v.6: *Ecce dedi te in lucem gentium*. *Erat lux hominum*, id est, valebat parataque erat homines omnes illuminare, prout quosdam etiam illuminabat, eisque sua incarnatione lucem cum vita coniunctam adferebat. Homines, qui in prima sui creatione, vnà cum vita ac iustitia originali, donati fuerant clarâ cognitione Dei rerumque diuinarum: paulò pòst, malitiâ suâ, se ipsi, vt occiderunt, ita etiam excæcarunt, sic vt deinde Deum eiusque verbum, & quæ ad salutem necessaria sunt, non aut vix cognouerint, procul misereque à Deo ac via salutis aberrantes. Merito incarnationis verbi, vt vita, id est, iustitia, multis eorum à Deo est reddita, adeoque omnibus parata & oblata, ita & lux cognitionis rerum diuinarum; id est, fides, quæ initium, fundamentum, ac radix iustitiæ est. Quem viuificat seu iustificat Deus, primùm omnium illuminat infusa fide: sine qua nec potest iustitia consistere, aut iustus viuere. *Iustus enim ex fide viuit*. Rom.1.v.17.

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.	5	καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν.

ET LVX. καὶ τὸ φῶς & illa lux, quæ & vita & verbum est. IN TENEBRIS. inter homines qui seipsos reddiderunt tenebras, eo quo superiori versu dictum est modo; ignorantiæ inquam & peccatorum tenebris obsitos. LVCET. vt rebus ipsis lucem hominum se præstet, *lucet* inquam, id est, inde à primo hominis lapsu hactenus, conatur tenebras dispellere, & in lucem mutare, offert cæcis hominibus fidem & cognitionem sui rerumque diuinarum, intercedente merito incarnationis suæ; Offert autem per inspirationem interiorem, per prophetiam, per patriarcharum, prophetarum, aliorumq; iustorum prædicationem, tandem per seipsam in carne apparentem, docentem, miraculaque edentem, denique per Apostolos eorumque successores hoc in negotio perseuerantem. Matth.4.v.16. ex Isa.9.v.2: *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucē magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*. ET TENEBRÆ. sed tenebrę, sed plerique hominum tenebricosorum. EAM lucem. NON COMPREHENDERVNT. non susceperunt, non admiserunt, adspicere vel neglexerunt vel contemserunt. Solent tenebræ mox credere luci: at tenebræ istæ, vt quæ pro arbitrio agant, non pro naturâ, nubem luci opponunt, claudunt oculos ita vt lucem non capiant, *rebelles lumini*, prout loquitur Iob cap.24.v.13. *quemadmodum solaribus radiis*, quod ait Chrysostomus, *nemo clausis oculis frui potest*. Hoc idem paulò aliis verbis repetit Euangelista infrà cap.3.v.19: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim mala eorum opera*. Certè namque *animalis homo, non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*, Paulo similia docente 1.Cor.2.v.14. *Non comprehenderunt* ergo, seu perceperunt lucem, ac proinde nec illuminati aut viuificati sunt, sed suâ culpâ remanserunt in tenebris ignorantiæ ac morte. Porrò intelligendum hoc esse, non de omnibus hominibus, sed de plerisque omnibus, clarum est ex subsequentibus versibus 11. & 12., vbi postquam dixisset Euangelista in eandem sententiam: *Et sui eum non receperunt*, subiecit, *Quotquot autem receperunt eum*, subindicans quosdam recepisse. Sic ergo etiam quidam comprehenderunt

runt lucem, quales illi quibus dicitur Ephes. 5. v. 8: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: verùm illi aliis collati, tam pauci sunt numero, vt absolutè dici possit: *Et tenebræ eam non comprehenderunt.*

ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ ἰωάννης. 6 Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes.

FVIT igitur. ἐγένετο factus est. sed accipitur, vt aliàs frequenter, pro fuit, annotante id etiam Chrysostomo. vbi ait: *Fuit hoc loco, non transitus ad esse, sed ipsius apostolatus est significatiuum. Fuit missus à Deo, inquit, pro missus est.* ἐγένετο ἀπεσταλμένος *pro* ἀπεστάλη. HOMO. id est, quidam, & quidem verè homo, at singularis ille & incomparabilis, quo inter natos mulierum non surrexit maior (Matth. 11. v. 11.) *Quia Christus sic erat homo, vt lateret in eo Deus*, ait Augustinus, *missus est ante eum magnus homo, per cuius testimonium inueniretur plus quàm homo.* MISSVS. ἀπεσταλμένος amandatus, missus cum mandatis. Ab hòc verbo deriuatur nomen apostolus. A DEO immediatè, qui ad hoc officij ipsum destinauerat & sanctificauerat *adhuc ex vtero matris suæ*. Luc. 1. v. 15. Missus autem à Deo, intelligitur instructus à Deo fuisse rebus omnibus ad fidem conciliandam necessariis, scientiâ, veritate, auctoritate, denique tantis tamque apertis signis illustratus, vt nemo dubitare posset illum à Deo missum: quæ quidem signa, ab admirando eius ortu, à vita solitaria, ab austeritate victus, contemtu mundi, conuersationis innocentia, prædicationis libertate, baptismi administratione, regni cælorum prædicatione, aliisque sumi potuerunt. *Fuit* autem *missus a Deo*, quãdo, vt Lucas narrat cap. 3. v. 1. 2. 3., *anno decimoquinto imperij Tiberij Cæsaris, factum est verbum Domini super eum in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis* &c. *Tu igitur cum a Deo missum intelligas, nihil iam humanum ab eo dici annunciariue existimes, sed diuina omnia. Non enim suum quidquam, sed mittentis arcana denunciat. Idcircò angelus appellatur, hoc est, nuncius: est enim nuncij officium, nihil ex se dicere.* Sic Chrysostomus & Theophylactus. Itaque hinc pondus auctoritatis & soliditas testimonij, quòd à Deo esset missus. CVI NOMEN ERAT. ὄνομα αὐτῷ, nomen ei (κατὰ λέξιν) & quidem diuinitus impositum (Luc. 1. v. 13.) Nomen exprimit, non tam quia id ad fidem pertinet scribentis historiam, quàm quia nomen ipsum commendabat testem, tùm quòd diuinitus per Angelum datum esset, tum quòd sono ipso ac significatione gratiosum ac faustum esset. IOHANNES. Non addit cognomen baptistæ, quia per se celeberrimum, & vniuerso Israëli in hoc argumento notissimum erat, vt proprium baptistæ. Ergo quia tenebræ lucem non comprehenderunt, lucentem licet per inspirationem interiorem, quod diximus, per prophetarum oracula, per iustorum prædicationem, adeoque per ipsam incarnationem iam recèns factam: missus à Deo est, vir quidam eximius, summaque auctoritate præditus, Iohannes Baptista, homo ad homines.

οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός, ἵνα πάντες πιστεύσωσι δι' αὐτοῦ. 7 Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.

VENIT. ἦλθε præteritum est. *vênit* Deo mittente. IN TESTIMONIVM. ad testandum, ad testimonium perhibendum, tamquam testis ac præco. VT TESTIMONIVM PERHIBERET. ἵνα μαρτυρήσῃ vt testaretur, & prædicaret atque annunciaret DE LVMINE. περὶ τοῦ φωτὸς de illa luce. Vnam græcam vocem φῶς, Interpres indifferenter vertit, nunc *lux*, nunc *lumen*. Vt prædicaret & testaretur præsentiam illius lucis, prædicaret inquam clariùs longè & apertiùs quàm vlli hactenus prophetæ aut iusti, præsentiam longè etiam propinquiorem & perceptibiliorem quàm vmquam hactenus, quamquam pro exspectatione Iudæorum non perinde gloriosam. Prædicauit enim priùs, posteà etiam digito monstrauit, lucem humana carne vestitam, quam non difficile hominibus esset comprehendere, si modò ad excipiendum parare se vellent. Ergóne, dicat aliquis, non valuit lux illa seipsam manifestare, sed vt perciperetur ac videretur alio opus habuit teste, præcone, indice? Quid absurdius, quàm lucernam adhibere, vt dies videatur? Lux illa in seipsa *inaccessibilis est, quam nullus hominum vidit sed nec videre potest* (1. Timot. 6. v. 16.) non solùm non corporis, sed nec animi mortalis oculis, quippe *splendor gloriæ & figura substantiæ Dei* (Heb. 1. v. 3.) cui capiendæ par haud est mortalis infirmitas. Quòd igitur luxit hominibus ab initio mundi, non in seipsa luxit hominibus, quos nudâ suâ luce diuinitateque apposita, perdidisset potiùs quàm illuminasset (quod notat Euthymius) sed per effecta certa, & inprimis per inspirationem interiorem, tandem etiam per carnis assumtionem. Hæc verò effecta, licet benè clara, quia hominum plerique, quâ sunt arbitrij libertate, non admiserunt, noluerunt in animos recipere: idcircò addidit illis Deus exteriorem doctrinam ac prædicationem, qua persuaderentur lucem agnoscere. Et ante incarnationem quidem, vt primos patriarchas ac prophetas interiore inspiratione illuminauit, ita reliquos quos illuminauit, adhibita horum doctrina, prophetia, prædicatione, illuminauit. Instante iam incarnationis ostensione, & Filio Dei in mundum quasi introducendo, Iohannem Baptistam solâ illuminatum inspiratione, quasi luciferum præuium exortui solis, excitauit ad prædicationem lucis exteriorem longè manifestiorem, ita vt tandem etiam præsentem monstraret, quamuis carnis fragilitate humilitateque velatam: cuius prædicatione contestationeque factum est, vt longè plures fuerint illuminati. Creuit deinde Dei erga homines philanthropia, & luci ipsi, vestitæ carne, se exhibenti præsentem, adiuncta sunt miracula ac signa (*ego enim habeo*, inquit, *testimonium maius Iohanne*. infrà 5. v. 36.) eaque semper clariora atque euidentiora, donec tandem lucis resurrectio & exaltatio, ac subsequenter mundi illuminatio & conuersio, perficerent, quidquid exterioris signi ad lucem percipiendam desiderari posset. Ergo quòd exteriore opus fuit testimonio, non lucis causâ fuit, quasi illa non satis in se clara sit: sed partim, quia non potest ab infirmis hominum mentibus, qualis in se ipsa est, capi, partim quia etiam oblata per effecta sua, inspirationem inquam & incarnationem, humanis mentibus non excipitur, non admittitur, reiicitur aut certè negligitur, quæ est plerarumque omnium mentium prauitas. Ne ergo reiiciatur, sed contrà excipiatur & admittatur, id est, comprehendatur: idcircò post prophetas missus est Iohannes, iterum iterumque testandi causâ, non tantùm lucem

lucem esse præsentem, verumetiam dignam quæ ab omnibus recipiatur, magnoque cum fructu recipi posse ac debere, nec sine certo æternæ damnationis periculo posse reiici, addito modo quo recipi possit, fide nimirum & pœnitentiâ. Hoc est id quod sequitur. VT OMNES qui cum essent audituri CREDERENT in lucem, comprehenderent ac susciperent lucem, Christum Dei verbum scilicet, ac proinde illuminarentur. Fides est, quâ lucem illam videmus, agnoscimus, comprehendimus, & amplectimur. PER ILLVM. *δι' αὐτοῦ.* anceps est ad masculinum genus & neutrum, ita vt vertere etiam liceat *per illud* s. lumen: sed dissentanea sit hæc interpretatio, formæ loquendi Euangelistæ, qui vbi Christum intelligit, verbo credendi addit præpositiones *εἰς, ἐπὶ*, aut *ἐν*, non *διὰ*. *Per illum* ergo, s. Iohannem, per illius ministerium, cõtestationem inquam ac prædicationem illius. Nonni paraphrasis est *vnius præconis voce*. Vt omnes illius auctoritate moti, testimonioque credentes, persuaderentur atque adducerentur ad admittendum lucem illam se offerentem præsentem. Quamuis autem multi, suâ ipsorum culpâ, non crediderint, hic tamen scopus ac finis præfixus à Deo mittente fuit Iohanni Baptistæ, vt omnes crederent, quantum in ipso foret, *quia Iesus est Christus Filius Dei*, lux illa æterna; *& vt credentes* (quæ fidem sequitur vtilitas) *vitam haberent in nomine eius.* infrà 20. v. 31.

Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.	8	οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός.

ILLE. quamuis esset vir magnus ac diuinus, summaque auctoritate præditus. NON ERAT. non tamen erat. LVX. *τὸ φῶς* illa lux, de qua nobis hîc sermo est, lux illa increata & immensa, verbum Dei, quæ nõ aliunde lucem accepit quàm à Patre per generationem, quippe lux de luce, cui proinde natura est lucem esse omnisque lucis fontem, & toti mundo lucem ad vitam adferre, incarnationis suæ merito. *Quoniam frequenter apud nos, qui testimonium perhibet, maior eo est de quo perhibetur, & maioris plerumq; auctoritatis apparet*, inquit Chrysostomus: *ne qua de Iohanne huiusmodi oriretur suspicio, ab ipso statim principio eam penitus tollit*. Non erat ille lux, verbo collatus (prout hîc confertur) sed *lucerna*, prout vocatur infrà 5. v. 35. Non erat sol, sed lucifer, solis anteambulo. *Lucerna erat ardens & lucens, sed* (quod lucernæ est) *non proprio igne ardebat accensus*, inquit Origenes, *non propria luce lucebat. Stella erat matutina, sed non à seipso proprium lumen accepit: gratia ipsius quem præcurrebat, in eo ardebat & splendebat. Non erat ille lux, sed particeps luminis: suum non erat quod in se & per se fulgebat.* Hæc Origenes. Discrimen ergo erat, quale inter ignem & lucernam, inter solem & lunam: sol & ignis ex seipsis, luna & lucerna non nisi ex sole aut igne lumen habent: verbum Dei naturâ suâ sibi aliisque lucebat, Iohannes beneficio verbi, à quo nisi esset inflammatus, nihil lucis aut sibi aut aliis haberet. Nec tantùm Iohannes non erat primigenia illa in se lux, sed nec suo merito lucem hominibus adferebat: ministerio suo hos illos illuminabat, sed vt nõ præcipuâ largitione aut actione, ita nec merito suo, quod proprium verbo est. Iudæi tantâ eius admiratione capti fuerant, vt dubitarent an esset ipse lux illa, *existimante populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis, ne fortè ipse esset Christus* (Luc. 3. v. 15.) Atqui non erat ille lux illa seu Christus. SED s. missus erat veneratque VT TESTIMONIVM PERHIBERET DE LVMINE quod dixi, sed de illa luce, Christo inquam: non erat lux, sed lucis testis ac præco: quod officij etiam fecit ac perfecit fideliter, nec ampliùs sibi arrogauit. *Confessus est enim & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus* (infrà v. 20.) *sed quia missus sum ante illum* (infrà 3. v. 28.) *qui post me venturus, ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti*. Infrà v. 27.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.	9	ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον.

ERAT. Quod lumen seu quæ lux, vel illud lumen seu illa lux, de qua scilicet Iohannes testatum missus erat, *erat lux vera*. Declarat quantum discriminis sit inter lucem illã & Iohannem. *Erat, etiam antequam incarnaretur*, ait Theophylactus; &, quod Euthymius, *semper erat* atque ab æterno. LVX VERA. *τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν* illa lux illa vera. prima illa ac summa lux, quæ sola verè ac propriè meretur lucis nomen, tum quòd natura luceat non participatione, fons omnis lucis alterius, tum quod lucidiùs, longè clariùs ac latiùs luceat, quàm quæuis alia. Iohannes, si quæ esse lux poterat, vt erat, huiusmodi lux non erat. Quàm autem latè luceat lux ista vera, declarat eo quod subdit. QVÆ tum naturâ sua tum incarnationis suæ merito. ILLVMINAT. quod ad mentem & intellectum, donans hominem fide, augens cognitione sui cęterarumque rerum scitu ad salutem necessariarum. *Illuminat* autem, id est, valet illuminare, & quidem sola, & ad hoc offert se omnibus parata. Huiusmodi in modum frequenter accipiuntur verba præsentis temporis, vt non tam effectum præsentem, quàm naturam promtamque efficiendi vim significent: vt cùm dicimus, sol omnes illuminat, ignis omnia consumit. Hoc est quod Chrysostomus dicit: *Illuminat profecto, quantum in ipso est. Siqui autem sponte suá, mentis oculis conniuentibus, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt.* Chrysostomum sequuntur Theophylactus & Euthymius. D. Augustinus Enchiridij cap. 102. & lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 25. sic intelligit *qui illuminat omnem hominem, quia nisi ab ipso nullus illuminatur*. Liceat vtramque interpretationem coniungere, potens parataque est illuminare, & quidem sola. Iohannes neminem potuit illuminare: nam si quid homines aut Angeli, tamquam doctores, cooperétur ad hominis illuminationem, ministerium est, non principalis actio: quæ actio principalis, communis est verbo cum Patre & Spiritu sancto: hoc tamen proprium est verbo, quòd hominibus meruerit hanc illuminationem: ita vt prorsus solius verbi sit, illuminare, quod hîc ponitur. OMNEM HOMINEM. Iohannes vt minister & instrumentum, sua prædicatione Iudæos aliquot illuminauit: lux ista vera, omnem hominem illuminat, vt agens principale, non solùm Iudæos quibus ipsa prædicauit Euangelium, verumetiam & Iudæos & Gentiles quibus Iohannes aliique, siue ante siue post incarnationem, prædicationem ministrarunt, & etiamnum ministrant. *Non Iudæum, non Græcum, non Barbarum*,

rum, non Scythiam, effugit aut dedignatur, inquit Chrysostomus: *omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore aduocat. Qui autem eius munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent.* Omnem denique hominem, etiam ipsum Iohannem *ipse enim illuminabat*, ait Augustinus, *eum à quo demonstrari volebat*.

VENIENTEM. ἐρχόμενον vox græca ambigua est ad primum & quartum casum: potest enim æquè referri ad τὸ φῶς *lux*, atque ad ἄνθρωπον *hominem*, ita vt vertere etiam liceat *veniens in hunc mundum*: id quod & ipse D. Augustinus olim annotauit lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 25. Et certè primus casus *veniens*, consentaneus est nonnullis aliis Scripturæ locis. Inf. 3. v. 19: *Lux venit in mundum*. 12. v. 46: *Ego lux in mundū veni*. Cæterùm cum vetere Interprete tractatores omnes tam græci quàm latini, etiam Nonnus poëta, quartum casum *venientem* intelligunt: præter hoc quòd lux illa, non tantùm veniens in mundum, quod fecit per incarnationem, verumetiam antequam veniret, haud paucos hominum illuminauerit, inde ab initio mundi. IN HVNC MVNDVM. εἰς τὸν κόσμον in mundum. neque enim vrgendus est aut græcus aut latinus articulus. *Venientem* autem *in mundum*, id est, nascentem in mundo. Sicut enim Hebræis, exire ex mundo est mori, ita venire in mundum est nasci: eò quòd is qui nascitur, appareat in mundo vbi priùs non fuerat. Non ergo restrictionis aut differentiæ causâ, addit Euangelista hanc particulam *venientem in hunc mundum*, sed expositionis, vt omnem prorsus hominem comprehendat, nec vllus excipiatur, quicumque tandem sit, cuiuscumque vel nationis vel ætatis vel conditionis. nec enim homo est, qui non sit natus, nisi conceptionem à natiuitate distinguas, quod argutum est nimis. Atqui maior pars hominum non illuminatur, quod proximè sequentibus duobus versibus subdit ipse Euangelista. Sic se res habet, proh dolor: verùm id non vitio huius lucis accidit, quæ valet parataque est omnes illuminare, quod diximus, sed vitio ipsorum hominum; & si quando non propria hominum voluntate, certè semper iusto Dei iudicio. Sed quare non comprehendit sanctos Angelos Euangelista, quos omnes citra exceptionem, non tantùm valet illuminare, verumetiam actu illuminat lux ista vera? Quia non de quibusuis hîc agit Euangelista, quos illuminat verbum Dei, sed de iis solis, quos illuminat aut valet illuminare merito carnis seu passionis suæ: quales sunt omnes & soli homines, non Angeli. Hominum enim non Angelorum causâ, verbum caro factum est.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. 10	ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω.

IN MVNDO. Pergit Euangelista declarare, quomodo verbum illuminet omnem hominem venientem in mundum, id est, quomodo paratum se exhibuerit ad omnes illuminandos, nonnullosque illuminauerit, sed quàm parùm profecerit apud plerosque. Obseruandum autem, quomodo plerumque gaudeat Euangelista, sententiam sequentem ordiri à voce postrema sententiæ præcedentis; mundum hîc intelligens, vniuersum rerum creatarum visibilem globum: in quo ERAT inquit, iam inde ab initio creationis, is scilicet quem dico lucem illam veram, nimirum ὁ λόγος verbum. *Erat* autem, *sicut Deus vbique præsens*, ait Theophylactus. *Non tamquam loco circumscriptus*, inquit Euthymius, *sed tamquam omnia replens*; replens autem, non per sui extensionem, sed ita totus existens in toto mundo, vt totus in singulis partibus; nec per comprehensionem, quasi extra mundum non sit, sed *propter prouidentiam & conseruatiuam vim* (rursus Theophylactus) vt conseruans & gubernans mundum, qui quasi *mundo infusus*, quomodo loquitur hîc D. Augustinus, singulis creaturis adest, facitq; vt sint, permaneant, & operentur. *Non enim longè est ab vnoquoque nostrum*, quod ait Apostolus Act. 17. v. 27. 28. *nam in ipso viuimus, & mouemur, & sumus*. Præsens itaque semper fuit hominibus ὁ λόγος verbū.

ET MVNDVS. prout etiā mundus totus PER IPSVM FACTVS EST seu fuit, aut potiùs fuerat, vt *omnia per ipsum facta sunt*, quod initio diximus (sup. v. 3.) Vniuersus mundi ornatus tanta rerum varietate, perfectione, ordine, consensione, atque harmonia instructus, per ipsum factus est, ipsum habet auctorē. ET pro sed; vel, *& tamen* MVNDVS. qua parte intellectu præditus est, præcipua inquam sui parte, cui reliquus mundus seruit, id est, homo, qui vt pars mundi nobilissima etiam μικρόκοσμος vocatur. Homo autem, id est, hominum multitudo, siue homines. EVM. Non refert lucem, quod proximè præcedit (obstat enim genus tam græcè quàm latinè) sed personam significatam, τὸν λόγον inquam, verbum, quemadmodum aliquoties iam insinuauimus. Nam quia minùs congruè dici videri poterat, mundum factum per lucem seu lumen, mutauit genus Euangelista, ad eū respiciens qui significabatur. NON COGNOVIT. non percepit mente, non intellexit, nec ex præsentia illius, nec ex origine suâ quā illi debebat acceptam. q. d. Consentaneū erat, vt eum cognoscerent homines rationales, per quem vt erant facti, ita etiam conseruabantur ac regebantur vnà cum mundo vniuerso: verùm ea fuit illorum, quod ad mentem ac rationem, cæcitas, vt ex his argumentis diuini verbi cognitionē assequi non potuerint, nec proinde illuminati hac ratione sint. Nō tam culpat Euangelista hanc hominum cæcitatem, quàm deplorat: corruptâ enim naturâ, non poterant ex sui mundique contemplatione eò pertingere, vt intelligerent verbum Dei, alteram in diuinitate personam: quam, si naturâ integrâ remansissent, haud difficilè hinc percepissent. Fuerunt pauci quidam hominum, qui verbum Dei ante incarnationem cognouerint, vt patriarchæ ac prophetæ sancti; verùm id non ex creatura mundi, sed ex reuelatione & singulari mentis illuminatione, merito futuræ incarnationis, de qua sequitur.

In propria venit, & sui eum non receperunt. 11	εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον.

IN PROPRIA. εἰς τὰ ἴδια in sua, in mundum à se factum & creatum (*Domini enim est terra, & plenitudo eius*. Psal. 23. v. 1.) & quidem in eam mundi partem, quam ad hoc negotij peculiariter delegerat, & frequentibus promissis signisque plurimis præparauerat, Iudæam, quam proinde terram ipsius vocat Psalmus 84. v. 1. VENIT. ἦλθε præteritum est. *Venit* autem per incarnationem, *venit* homo factus. In mundo erat per diuinitatem, in mundum venit per carnem. ita D. Augustinus. *Venit* enim, id est, cœpit apparere in

 mundo,

mundo,quomodo priùs non apparebat,nimirū indutus carne, videndum & palpandum se præbens. *Seipsum ostendit*, ait Chrysostomus, *cum nostrā carnem induere dignatus est: & hanc eius apparitionem, aduentum appellat. Venit* autem *non sua necessitatis gratia (sufficiens enim est per se diuinitas) sed ad suorum vtilitatem*, quod ibidem Chrysostomus; id est, vt eos illuminaret. Quia ergo mundus, Dei verbum, nec ex creatione, nec ex præsentia secreta, quantumuis efficacissimâ, cognouit, nec proinde illuminationem hac oratione suscepit; vt facilè cognosceret & illuminaretur, venit in plenitudine temporis verbum Dei in mundum, assumta carne visibile se præbens mundo, docensque & affirmās atque adhibitis euidentissimis signis monstrans se esse Dei verbum ac Filium, mundi saluatorem. In hunc sensum V. Beda: *Quia ergo*, inquit, *cum in mundo esset per diuinitatem, mundus eum non cognouit: dignatus est venire in mundum per humanitatem, vt vel sic eum mundus agnosceret.* ET pro sed; vel, & tamen. Insigne pathos, per querelam admirationi coniunctam. SVI. quos ita creauerat ac fecerat vnà cum vniuerso mundo, vt reliquum mundi ipsis donasset occupandum ac possidendum, vtendum ac fruendum, id est, homines, & nominatim Iudæi, quibus illam mundi portionem ac terram, quam aduentui suo consecrarat, dederat in possessionem hereditariam, quos ex omnibus mundi populis elegerat sibi in populum peculiarem, docuerat cultum sui, promiserat aduentum suum, ex quibus denique natus est secundùm carnem (Rom. 9. v. 4.) Hos singulariter suos vocare poterat verbum, id est, Filius Dei homo factus, tamquam contribules & cognatos secundùm carnem: quamquam omnes prorsus homines creatione conseruationeque suos agnosceret, & tamquam domesticos huius suæ amplæ domus, quæ mundus est, teneret. Quare veterum alij hunc locum de mundo & hominibus, vt Origenes, aut quisquis est auctor, alij vt Chrysostomus & Augustinus, speciatim de Iudæa & Iudæis intelligunt: Cyrillus vtriusque sententiæ meminit. Nos vtramque iungendam censemus, nec alteram sine altera sufficere. Magnam emphasin habet indignitatis rei, hoc vocabulum *sui*. *Sui*, qui omni iure cedere debebant venienti in sua, & cultum atque obsequium omne præstare. EVM. τὸν λόγον vt versu superiori. NON RECEPERVNT in propria siue sua, noluerunt agnoscere dominum suum suorumque, mundi creatorem ac redemtorem. *Non receperunt* igitur fide, non crediderunt in nomine eius, quomodo exponit versus proximè sequens, id est, reiecerunt, non admiserunt quam adferebat illuminationem, nec hac quidem ratione illuminati sunt, & fide aucti. Non dicit *non cognouerunt*, quomodo mox: non enim potuerunt non cognoscere oculis se exhibentē præsentem, & verbis factisque quis esset docentem: sed *non receperunt*, id est, noluerūt agnoscere, habere, & recipere; vt dominū suum, in sua propria venientem, simulantes affectantesq; ignorantiam. *non enim omnino vere de ipsis ignorantia dici potest*, inquit Cyrillus. Iudæis coràm visus est in carne, Gentibus efficaciter est prædicatus: neutri eum fide receperunt, suique illuminationem susceperunt, at contrà animos infidelitate obdurantes, tamquam impostorem & seductorem reiecerunt, & vt regnum in populum non suum iniustè affectantem occiderunt, & eiectum spoliarunt suis, quantum in ipsis fuit. Describit Iohannes certantes inter se mutuò, beneuolentissimam verbi φιλανθρωπίαν, & ingratissimam hominum ἀγνωμοσύνην: qui quòd auctorem suum inuisibilem non cognouerant, ignorantiæ fuerat, & ignosci potuerat: sed quòd visibilem præsentemque ob salutem illuminationemque eorum se exhibentem, reiecerunt, summæ fuit impietatis, nullam merentis veniam. Cæterùm non de omnibus simpliciter hominibus locum hunc intelligendū esse, docet versus proximus, his verbis: *Quotquot autem receperunt eum*: nam & ex Iudæis multi, & ex Gentibus plures, Filium Dei in propria venientem receperunt. Sed quia longè maxima & Iudæorum & Gentilium pars, intellecta incarnatione, suo creatori ac saluatori ingrata, remansit incredula, propterea hîc absolutè dicitur *Et sui eum non receperunt*, quemadmodum suprà v. 5: *Et tenebræ eam non comprehenderunt*. Illis comparati qui reiecerunt & in tenebris remanserunt, pauci admodum receperunt & illuminati sunt, qui tamen & ipsi suam habent vniuersitatem, & in se multi sunt: nec enim frustrà dictum est mox: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* suprà v. 9.

Quotquot autem receperunt eum, [12] dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius:	ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ.

QVOTQVOT AVTEM. q. d. Euangelista: Quamuis autem Filium Dei, carne in mundum à se creatum ingressum, homines & ipsi ab eo creati, mundoque ipsius beneficio vtentes, pro maiori parte non receperint: non tamen otiosus aut frustraneus fuit eius aduentus. à quibusdam enim ex hominibus receptus fuit. *Quotquot* autem numero & quicumque tandem illi fuerunt, cuiuscumque nationis, sexus, ætatis, aut conditionis. sic vrget Chrysostomus cum suis. *Non enim est personarum acceptor Deus* (Act. 10. v. 35.) *nec distinctio apud eum est Iudæi & Græci*. Rom. 10. v. 12. Gloriati fuerant antehac Iudæi, se filios Dei esse, & quidem solos ex omnibus mundi nationibus: *aduentu verbi, & in nationes hæc gratia effusa est*. Act. 10. v. 45. Alij possint arbitrari, solos vitæ conditione splendidos homines, honorari titulo filiorum Dei: at tanta gratiæ exuberantia est, vt etiam cerdonem, quem rex terrenus nolit agnoscere cognatum, rex cæli paratus sit adoptare in filium.
RECEPERVNT EVM. ἔλαβον acceperunt, admiserunt illius illuminationem; nimirum HIS QVI CREDVNT seu crediderunt IN NOMINE EIVS. sic enim explicat Euāgelista. τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ credentibus in nomen eius. Nam fide recipitur, quod diximus: recipere est credere *in* nomen siue *nomine eius* (indifferenter enim hîc vsurpantur hi casus) id est, in eum, phrasi hebraica. Nam *nomen eius*, ipsemet intelligitur, vt inter homines se cognoscendum & nominandum præbuit. vide Matth. 6. v. 9. & 7. v. 22. Cognoscendum autem & nominandum se præbuit, vt Christum Filium Dei: credit igitur in nomen eius, qui credit Iesum esse Christum Filium Dei viui, & vt huiusmodi, agnoscit, habet, ac recipit pro Domino suo. Sic explicat Euangelista ipse 1. Epist. 5. v. 1: *Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* DEDIT EIS. Ne quos moretur hoc obstaculum, quod plerique respuerint Filium Dei incarnatum declarat quanto suo bono receperint qui receperunt, quantoque suo detrimento alij reiecerint. *Nam quod maius supplicium esse possit, quàm si in eorum ponatur arbitrio*, ait Chrysostomus, *filios Dei fieri, & nolint, sed sponte suâ, tanta se nobilitate, tanto honore, indignos efficiant? præsertim cùm sequatur, vt in ignem etiam ob hoc damnentur perpetuum.* Dedit autem *eis*, non postquam rece-

receperunt eum, & crediderunt, sed eo ipso quo crediderunt & receperunt. Sed annon dedit etiam eis vt reciperent ac crederent? proculdubio, *Dei enim donum est* (Ephes. 2. v. 9.) *Datur potestas vt filij Dei fiant qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, vt credant in eum*; ait Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 3.

POTESTATEM. ἐξουσίαν facultatem. Caluinus & Beza, reiectâ voce *potestatem*, contendunt vertendum *dignitatem*, ridentque catholicos ex voce potestatis liberum arbitrium statuentes. Atqui non animaduerterunt, vocem ἐξουσίαν, compluribus Scripturæ locis, *potestatem*, id est, liberâ facultatem & potentiam aliquid agendi, liberam animi dispositionem significare (infrà 10. v. 18. & 19. v. 10. Act. 1. v. 7. & 5. v. 4. aliisque quæ recitat Stapletonus in Antidotis) atque eum admodum hoc loco interpretari doctores veteres, ac nominatim Græcos, Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium, eosdemque vim liberi arbitrij ex hac voce ostendere ac docere. Sed veteres non legunt illi, quorum mens est nouam doctrinam condere. Non dicit ergo Euangelista: *Quotquot autem receperunt illum credentes in nomine eius, fecit illos filios Dei*, sed *dedit illis potestatem fieri*. dedit illis hanc prærogatiuam, hoc priuilegium, vt possint fieri: nec enim fit quis filius Dei, simulatque recipit Christum & credit in illum, quia non sufficit fides, ad hoc vt quis fiat filius Dei: nec verum est quod hæretici illi hîc dicunt, fide nos fieri filios Dei, & simulatque actu credimus, actu quoque nos esse filios Dei: requiruntur enim præterea, pœnitentia siue conuersio ad Deum & baptismi sacramentum actu aut minimùm voto susceptum. Legimus non paucis olim catechumenis in more fuisse, Patribus reprehendentibus, vt baptismum ad finem vsque vitæ siue mortis periculum differrent: huiusmodi iamdiu receperant Christum, & crediderant in eum, nec tamen erant filij Dei priusquam baptismo renati, quos torpor cogebat baptismum differre: habebant autem potestatem vt filij Dei fierent, si vt fide ita & pœnitentia præparati baptismo vellent initiari, quo regeneramur in filios Dei. Baptismi petendi facultatem & ius, nemo habet nisi qui fide sit præditus, nec regenerari in filium Dei baptismi sacramento aut alio quouis modo quis potest, qui fidem non habet: ea cumprimis necessaria est, ad sacramentum cum hoc fructu accipiendum, quippe salutis ianua, semen nostræ regenerationis, fundamentum & radix nostræ iustificationis; sed sola non sufficiens: idcircò *potestatem* Euangelista habere dicit eum qui credit, vt fiat filius Dei, non actu esse filium. Potest enim baptismi sacramentum petere, cuius proprius effectus est regenerare in filios Dei (*secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti*. Tit. 3. v. 5.) estque præparatus ad hunc sacramenti effectum consequendum, quia fidem habet cumprimis necessariam, si coniuncta sit abrenunciatio satanæ & operum eius. Nec deest ei gratia vt velit baptismum petere & satanæ abrenunciare, quia *hanc dicimus potestatem*, inquit Augustinus, *vbi voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit*. libri de spiritu & litera cap. 31. Credenti igitur in Christum, cui data est potestas fieri filium Dei, illi quoque data est potestas ea velle & facere, quæ ad hoc vt filius Dei fiat necessaria sunt, manente nihilominus libertate eadem respuendi: opus est enim nostræ voluntatis cooperatione ad recipiendum oblatam Dei gratiam. *Dedit ergo eis potestatem filios Dei fieri* per baptismum: quæ interpretatio, non tantùm à Theophylacto recensetur, verumetiam à Chrysostomo probatur, si quis eum attentè legat, quamquam non tantùm hoc intelligat, potestatem datam vt filij Dei per baptismum fiant, verumetiam vt à baptismo filij Dei in finem vsque permaneant. Verba eius sunt: *Quemadmodum*, inquit, *ignis, si metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit: sic & longe magis, pro luteis aureos eos baptisma facit quos abluerit, cùm Spiritus sanctus tamquam ignis illa ipsa hora animos nostros ingrediatur, & terrena absumta similitudine, cælestem illam, nouam, & claram, tamquam ex fornace fulgentem, referat. Et cur non dixit, fecit eos filios Dei fieri? vt ostenderet, multâ nobis opus esse diligentiâ, vt adoptionis nobis per baptisma impressam imaginem, puram seruemus atque intactam. Præterea quod nemo hanc nobis potest auferre potestatem, nisi primum nobis ipsis abstulerimus.* & paulò pòst: *Simul autem declarare voluit, gratiam non temere neque sine labore nostro in nos infundi, sed cum ipsi volumus, cum eam inquirimus: in nostra enim potestate est filios Dei fieri. Quippe nisi primùm ad eam accipiendam promtum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus* (baptisma) *accedit, neque quidquam in nobis operatur. Vbique igitur, non violentum, non coactum, sed voluntarium penitus, & liberum nobis ostendit arbitrium*. Hactenus Chrysostomus.

FILIOS DEI FIERI. Non *filios Dei se facere* (hæc enim actio omnem creatam virtutem excedit) sed *fieri*, Spiritu sancto per baptismum operante. Dedit Filius Dei (*cui soli naturaliter hoc inest*, quod ait Cyrillus) filiis hominum, vt fierent filij Dei, quod non solùm non erant antè, verumetiam alieni à Deo, profani, immundi, Deo mortui adeoque inimici, indigni seruorum nomine. Idcircò *fieri* dixit, & *potestatem* præmisit, quia id priùs non erant, quod ipse ab æterno erat, quippe naturâ filius Dei. *Ascendamus*, inquit Cyrillus, *ad supernaturalem dignitatem per Christum: non tamen vt propriè, sicut ille, sed vt similitudine illius per gratiam, filij Dei simus. Alia est enim naturæ ratio, alia adoptionis*. Nobis dat fieri per gratiam, quod ipse est per naturam: abolitis peccatis nostris, quæ Deo nos reddũt aduersarios, exosos, ac mortuos, iustificat nos, reddit iustos & sanctos, ornat iustitiâ ac vitâ, quâ ipsi vnigenito similes & Deo Patri grati simus nouique homines efficiamur. Hæc est iustificatio nostra, quæ & viuificatio dicitur, sequens illuminationem, de qua suprà v. 4: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*: quam consequitur, vt renouati & Deo eiusque vnigenito similes effecti, adoptemur in filios Dei, heredes regni Dei: quamquam renouatio similitudoque non sit perfecta hac in vita, vbi iustus, *licet mente seruiat legi Dei, carne tamen seruit legi peccati* (Rom 7. v. 25.) perficienda est autem in altero seculo, vbi & hereditas perfectè præstabitur. Immensa philanthropia Filij Dei, dignantis viles homines admittere in filios Dei, fratres suos: meritò filios hominum delicias suas vocat Prou. 8. v. 31. Vt in humanis est, rarò fit, vt filius vnicus fratres habere optet, multoque minùs vt adoptiuos habere desideret, si non habet natiuos. Atqui verbum Dei, vnigenitus Filius Dei naturâ, tantâ charitate hominum flagrat, vt consentiente Deo Patre, hominibus det posse esse filios Dei, reque ipsâ filios Dei faciat, fratres & coheredes suos, sine inuidia hereditatem suam cum hominibus communicans, hereditatem inquam regni cælorum, quamuis communicando nihil minus retineat, nec, quod D. Augustinus ait, *hereditas eius angusta fiat, si multi eam possederint*. Non possit hac re maior aut honor aut dignitas hominibus accidere. Atque hunc finem sibi præstituit Filius Dei assumendi hominis, vt homines redderet filios Dei. Hoc cùm sit caput ac summa fructuum beneficiorumque omnium, ex incarnatione Filij Dei hominibus prouenientium, quo cætera omnia concludantur, solùm hoc loco Euangelista commemorauit. Verùm an non etiam ante incarnationem fuerunt quidam

HH 2 iusti,

iusti, ac proinde filij Dei, præsertim in populo hebraico? proculdubio, verùm & hoc ipsum profluebat ex merito incarnationis Filij Dei, quæ etiam antequam reipsa præstita esset, operabatur adoptionem filiorum Dei, in eis qui credebant futuram, & desiderabant videre ac recipere præsentem. Quamquam restat differentia quædam, inter illos filios Dei qui ante incarnationem vixerant, & illos qui post: nam qui post non solùm conditione sunt filij Dei, verumetiam publico ecclesiæ statu, accommodato filiis Dei: qui verò ante vixerunt, licet conditione fuerint filij Dei non tamen publico ecclesiæ statu. status enim illius temporis seruorum erat, accommodatus à Deo erat seruis, & filiis paruulis nihil à seruis adhuc differentibus, sub lege tamquam sub pædagogo constitutis (Gal.3. v.1.) quamquam quidam illorum, multis filiis noui testamenti conditione præstantiores & Deo gratiores fuerint. Iam quomodo homines fiant filij Dei, declarat Euangelista versu subsequente, nascendo nimirum ex Deo. *Nam si non nascuntur, filij quomodo esse possunt?* inquit Augustinus.

qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.	13	οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ θεοῦ ἐγεννήθησαν.

QVI. Relatiuum masculinum οἳ græcè, non potest referri ad τέκνα neutrum: refertur igitur ad id quod situ proximum est *iis qui credunt in nomine eius*. *Qui* igitur s. credentes in nomine eius, vt fierent filij Dei.
NON EX SANGVINIBVS maris & fœminæ, interprete Augustino; non ex commixtis corruptisque viri ac mulieris seminibus. nam ex purissimo sanguine concocto, sperma tam viri quàm mulieris generatur. Liceat intelligere enallagen esse numeri, *sanguinibus* pro *sanguine*, familiarem Hebræis: sed præstat intelligere, Iohannem propriè locutum, significare voluisse, humanam generationem, diuersis, quamquam secreto quodam naturæ artificio in mutuam harmoniam redactis, sanguinibus, constare. NEQVE EX VOLVNTATE. id est, concupiscentia CARNIS siue mulieris. Et huius expositionis auctor est Augustinus, quia per carnem mulier intelligitur, quòd carnosa, mollis, ac lubrica magis sit quàm osseus vir. Nam & mulier ad generationem, vt caro & materia, vir vt spiritus & forma, concurrit. Si diceret Euangelista *non ex sanguinibus neque ex carne*, intelligerem non ex carne neque ex sanguine, quomodo frequenter Scriptura loquitur, *Caro & sanguis non reuelauit tibi*, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt* &c: sed quia postquam dixerat *ex sanguinibus*, subiicit *voluntatem carnis & voluntatem viri*, videtur per sanguines intelligere materiam à viro & muliere suggestam, per voluntatem verò carnis, concupiscentiam mulieris, vt per voluntatem viri, concupiscentiam viri, id est, copulam vtriusque. Omnino autem sensus est, non carnali modo, siue humano more nati sunt, quomodo nascuntur homines corpore, & quomodo priùs ipsi nati fuerant, viro & muliere, mutuâ concupiscentiâ accensis, commiscentibus sanguines siue spermata. Hoc autem dicit vt remota à filiorum Dei generatione omnis immunditiæ opinione, ostendat quàm sancta ac diuina sit. Opponit humanam generationem diuinæ, vt appareat quantopere diuina humanæ præstet. *Vt vilitate*, inquit Chrysostomus, *& humilitate prioris partus ex sanguinibus & carnis voluntate, & magnitudine præstantiaque alterius qui per gratiam fit, cognita, magnum quiddam inde de Deo & genitoris nostri beneficio sentiamus, neque paruam deinceps curam adhibeamus.* Similia Euthymius & Theophylactus. Tanto enim hæc sublimior est illa, quanto sublimius est Dei esse Filium, quàm hominis. SED EX DEO. ex Dei voluntate sanctissima illa, NATI SVNT. ἐγεννήθησαν geniti sunt. Opponit Deum voluntati carnis ac viri, intemperatissimæ atque immundissimæ illi. Quemadmodum vt quis sit Filius hominis oportet vt nascatur ex homine, id est, viro & muliere instar vnius hominis commixtis: ita vt quis fiat filius Dei, oportet vt nascatur ex Deo. *Quod natum est ex carne, caro est: quod natũ est ex spiritu, spiritus est*, habemus infrà 3. v.6. Cæterùm nasci hominem ex Deo (quod renasci dicitur infrà 3. v.5. respectu prioris natiuitatis ex carne) non est propriè nasci, id est, ex Dei naturâ nasci aut gigni (id enim solius verbi est) sed impropriè, nimirum, Deo operante renouari mente seu spiritu mentis (nam corporis renouatio demum in sæculi consummatione exspectatur) prout loquitur Apostolus Ephes.4. v.23., & vno verbo est iustificari, id est, humanam animam, Dei transmutantis ac perficientis virtute atque efficacia, abolitis peccatis, ita renouari, vt Deo similis reddatur iustitiâ & sanctitate veritatis, quemadmodũ diximus versu superiore. Ex Dei naturâ non potest nasci nisi Deus: homo si ex Deo nasci dicatur, vi quadam diuinâ, Deo similis reddi significatur, iustus inquã, quò fiat, vt à Deo in filiũ, à filio Dei in fratrem, assumatur atque adoptetur. Fit autem hoc plerumque mediante baptismi sacramento, referente quamdam natiuitatis imaginem, Spiritus sancti gratiâ per baptismũ operante; quamquam & absque vllo medio sacramenti fieri possit.

Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.	14	καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.

ET. pro Nam. Orsus Euangelista à verbi descriptione, indeque dilapsus ad enarrandas quasdam verbi proprietates, præsertim quòd vita & lux hominum esset; lux illuminans omnem hominem venientem in mundum, vita regenerans illuminatos in filios Dei: ita redit hoc loco ad docendum id quod restat de verbo, vt simul causam explicet, quare verbo tamquam proprium attribuerit, esse lucem & vitam hominum, potiùs quàm Patri; nimirum, quia caro factum, quod non Pater, meruit hominibus illuminationem viuificationemque cælestem; vt Deus Pater, merito incarnationis Filij, largiretur hominibus fidem, iustitiam, & adoptionem. Vênit verbum in propria, quia caro factum est. & hominibus qui ipsum receperunt, dedit fieri filios Dei, quia ipsum factum est homo: idcirco enim verbum, existens Filius Dei, factum est filius hominis,

nis, vt homines redderet filios Dei: quod hic annotant, inter latinos patres Augustinus, inter græcos his verbis Chrysostomus: *Factus est enim filius hominis, dilectissimus Filius Dei, vt filios hominum faceret filios Dei.*

VERBVM. ὁ λόγος illud verbum, de quo scilicet hactenus locutus sum, & nominatim ab exordio huius sermonis: quod erat in principio Deus apud Deum. Non dicit *Filius Dei*, ne de alio putetur loqui quàm de quo hactenus; sed *verbum*, vt se redire significet ad sermonem de verbo cœptum. CARO. id est, homo. Synecdoche est, quâ à parte totum significatur; per carnem, homo: quod aduersus Arianos & Apollinaristas, aliosque fingentes carnem absque anima à verbo assumtam, annotant omnes orthodoxi Patres, monstrantes non infrequentem figuram istam esse literis sacris, ex locis, Isa. 40. v. 5: *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est*, seu vt est Luc. 3. v. 6. *salutare Dei*. Psal. 144. v. 21: *Benedicat omnis caro nomini sancto eius*. Rom. 3. v. 20: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*; aliisque pluribus: vt & è contrario anima, altera hominis pars, pro toto homine ponitur, Gen. 46. v. 27: *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum*. Rom. 13. v. 1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. 1 Pet. 3. v. 20: *In qua (arca) pauca, id est, octo animæ, saluæ factæ sunt per aquam*. Adeoque nihil est in veteri nouoque testamento hoc loquendi modo frequentius: quo vt non intelligitur homo carnis expers, quando anima vocatur, ita nec homo exanimis, quando caro dicitur (quod monet D. Augustinus epistolæ 120. cap. 4.) sed, quod diximus, homo integer, constans anima rationali & carne siue corpore: nam & altera hic latet synecdoche, carnis pro corpore. Sed quare Euangelista synecdoche vti voluit, & carnis potiùs quàm animæ nomine? Si animæ nomine fuisset vsus, nobilioris vtique portionis, existimatum fuisset, voluisse significare, quòd verbum carnem, vt viliorem & se indignam partem, dedignatum assumere, spiritum se spiritui humano coniunxisset: vbi è diuerso, ex carnis voce licuit intelligere & animam, quòd verbum non grauatum partem viliorem, assumserit & potiorem suæque naturæ viciniorem. ita ferè Theophylactus. Sed quare non clarè dixit *homo factum est*? Idcircò maximè, quòd ostendere volens, ad quàm vilem & abiectam conditionem, ex cælestis gloriæ celsitudine descenderit verbum, per extenuationem dixerit carnem factum. Consueuit enim tunc ferè Scriptura hominem carnis nomine appellare, quando de eo humiliter, modicè, contemtimque vult loqui: vt Psal. 55. v. 5: *Non timebo quid faciat mihi caro*. Psal. 77. v. 39: *Recordatus est quia caro sunt*. Qua voce, misera, fragilis, & propè euanida hominis natura, per contemtum notatur. Vt ergo significet Euangelista, verbum factum esse miserum hominem, nostri similem, mortalem, fragilem, & ærumnis plurimis miseriisque subiectum, vtitur carnis nomine: quia carnis præcipuè ratione, huiusmodi sumus. Opponit verbo carnem, summo infimum, beato miserum, obseruandam præbens coniunctionem duorum longissimè à se mutuò distantium, duorum inquam in naturâ intellectuali extremorum, spiritalis atque omnipotentis verbi, id est, beati Dei, & corporatæ atque infirmæ carnis, id est, miseri hominis: vt intelligatur, quantus Deus, quantulum factus sit, & quantum *exinanierit semetipsum*, ad quam inquam vilitatem nostra causa se abiecerit, *formam* hominis, id est *serui, accipiens*. Carnis igitur nomine homo hic intelligitur, non tamen persona humana (nec enim facta est persona verbi persona humana, quod est impossibile) neque etiam natura humana (nec enim verbi siue persona siue natura, facta est natura humana, quod non minus est impossibile) sed habens naturam humanam. Nam persona verbi facta est habens seu obtinens naturam humanam, quod est, homo, dum naturam humanam, eo ipso momento quo facta est, præueniens ne per se subsisteret personæ instar, sibi in vnitatem personæ coniunxit, id est, fecit vt in diuina ipsius persona subsisteret. FACTVM EST. Non ait Euangelista, verbum factum esse, quod docebant Ariani, sed carnem factum esse, quod contra Manichæum & Valentinum facere, *qui imaginationem quandam & figmentum esse dicebant, quæcumque de incarnatione feruntur*, notant Chrysostomus & Theophylactus. Nec ait verbum conuersum esse in carnem (quæ fuit hæresis Apollinaris, testante Augustino hæresi 55.) nec carnem in verbum mutatam esse (*longe enim ab immortali illa natura est transmutatio*, quod Chrysostomus ait) nec ex carne & verbo vnam tertiam naturam esse conflatam (quod volebat Eutyches in concilio Chalcedonensi damnatus) nec denique ait, verbum coniunctum est carni, aut assumsit carnem siue hominem, quasi caro aut homo altera fuerit à verbo persona, *quòd inuento homine virtutibus prædito, illi se adiunxerit verbum*, quod Theophylactus, cum vniuersa antiquitate, Nestorio adscribit: sed *verbum factum est caro* siue homo verbi persona habens naturam diuinam, facta est habens etiam naturam humanam, quod est, interprete Theophylacto post Patres, *verbum manens quod erat, factum est quod non erat*; verbum manens verbum, manens Deus, quod erat in principio, factum est caro siue homo, quod non erat in principio. *Vnitate namque & coniunctione vnum est Deus verbum & caro*, ait Chrysostomus, *non confusione aut interitu substantiarum, sed arcana quadam & inexplicabili vnitate*: quâ sic coniuncta est persona Filij Dei, humanæ non personæ sed naturæ, in vnitatem personæ, vt idem vnus Deus & homo sit, & verbum caro siue Deus homo, & caro verbum siue homo Deus, factus esse atque esse dici verè possit. Porrò id quod *factum est* in hoc mysterio, non est verbum (quod iam diximus) sed caro siue natura humana, illiusque vnio ad personam verbi: quæ vnio fuit actio illa quâ humana natura iuncta est personæ verbi, ita vt in illa subsisteret non minùs quàm diuina natura. actio enim illa suo tempore facta fuit. Facta autem fuit, non à solo verbo (quamquam solum verbum factum sit caro) sed à tota trinitate, tota eam trinitas est operata. *Solum enim verbum carnem, ipsa trinitas fecit*, ait D. Fulgentius libro de fide ad Petrum sub finem capitis secundi. ET caro factum HABITAVIT. ἐσκήνωσεν tabernaculum posuit, Nonnus *domum incoluit*, id est, *habitauit* visibile, & conuersatum est, IN NOBIS, inter nos homines, tamquam vnus ex nobis, vt quiuis alius homo mortalis. Hoc legitur apud Baruch prophetam longè antè prædictum, cap. 3. v. 38: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. *Habitauit* ergo inter homines, conuiuens, colloquens, conuescens ac conuersans, & videndum ac palpandum se præbens. Cæterùm vox græca σκηνοῦν, deducta à σκηνὴ tabernaculum, quod pastorum, militum, & peregrinantium temporaria habitatio est, significat, verbum Dei, carne inter homines, non fixâ habitatione, tamquam domi in patria, sed ad tempus dumtaxat tamquam hospitem & peregrinum, commoratum ac conuersatum fuisse (quod & præteriti temporis verbo *habitauit* declaratur) donec defunctum suo munere migraret in cæli regionem se dignam, eoque homines cæteros secum attraheret. *Exiui à Patre, & veni in mundum*, inquit Iohan. 16. v. 28., *iterum relinquo mundum & vado ad Patrem*. Quâ ratione & corpus nostrum mortale, tabernaculum vocatur 2. Pet. 1. v. 13. 14. quia

non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Heb.13.v.14. ET VIDIMVS. Quod dum fieret, dum inquam habitaret in nobis, omnes quidem homines viderunt obseruaruntque infirmitatem carnis eius. nos verò discipuli eius, qui familiariter cum eo, à tempore ostensionis eius ad Israel, conuersati sumus, indiuiduique eius fuimus comites, *vidimus* oculis nostris, testes oculati. ἐθεασάμεθα spectauimus, diligenter & fixè contemplati atque intuiti fuimus, ceu nouum & admirandum spectaculum. Significatur visus diligens, fixus, & attentus. GLORIAM. etiam gloriam EIVS. τὴν δόξαν maiestatem, mirificam dignitatem & excellentiam. Id est, certissima argumenta dignitatis maiestatisque eius, quibus referebatur, manifestabatur, ac declarabatur eminentia eius: quæ tametsi ab omnibus conspici potuerint, à maximâ tamen parte non sunt obseruata: pauci tantùm, quibus oculos Spiritus sanctus aperuit, ea sunt contemplati, è quorum numero nos in primis Apostoli eius fuimus. *Gloriam.* Nec qualemcumque gloriam, qualis sit serui, prophetæ, angeli, qualis etiam *gloria vultus* Mosis (2.Cor.3.v.7.) sed QVASI VNIGENITI. id est, talem qualis decet vnigenitum Dei Filium. Hîc explicat Euangelista quid *verbi* nomine hactenus intellexerit, nimirum vnigenitum, id est, naturalem ac germanum Dei Filium, qui quidem vnicus est. Nam vt distinguat ab iis de quibus mox dixerat *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, vnigeniti mauult dicere quàm *filij*: illi enim fiunt filij, hic *natus est*, illi adoptione, hic naturâ est filius, denique illi plures, hic vnicus. Quod autem addit *quasi*, quod est græcè *ὡς*, *vt, tamquam*, non est quòd velit dicere, non verè aut non propriè esse vnigenitum Dei, sed contrà, omnino esse vnigenitum Dei: quemadmodum cùm dicimus de aliquo, gerit se vt virum bonum, prorsus intelligimus esse virum bonum, & vt virũ bonum oportet se gerere. Sic Apostolus Ephes.5.v.8. monens *Vt filij lucis ambulate*, omnino vult vt filij lucis simus, vt filios lucis nos præstemus, & ambulemus sicut decet filios lucis. Quare luculentus hoc loco commentarius Chrysostomi est, in hæc verba scribens: *Verbum quasi hoc in loco, non similitudinis est, neque parabolæ, sed confirmationis & definitionis certissimæ, quasi dicat: Vidimus gloriam, qualem deceat, & credibile sit habere, vnigenitum & dilectissimum omnium regis Dei Filium.* Nec minùs luculentus Theophylacti discipuli: *Spectauimus gloriam, non talem qualem habebat Moyses, vel cum qua gloria Cherubim & Seraphim propheta apparuerunt, sed talem gloriam, qualem decuit esse vnigeniti à Patre, quæ illi naturaliter inest. Nam vel-ut hic, non similitudinis, sed confirmationis & determinationis indubitatæ verbum est.* Debeo & Euthymij verba addere, quia lucem adferunt: *Gloriam, non qualis est sanctorum, beatorum, vel angelorum, sed gloriam verè vnigeniti. Nam hic dictio ὡς tamquam, idem significat quod verè.* A PATRE Deo s. egressi, sic enim ipse vnigenitus infrà 16. v.28. Vel certè Euangelista, nomine μονογενὴς *vnigenitus*, vsus est tamquam participio passiuo, seu participij passiui vim habente, ac regente voculas istas *à Patre*, quasi eius qui vnus solusque esset à Deo Patre genitus. Talem eius gloriam spectauimus, qualis digna erat eo qui esset vnigenitus Dei Filius, qualis non nisi vnigeniti Filij Dei esse posset, ex quá facilè intelligi posset ipsum esse vnigenitum Dei Filium, eò quòd huiusmodi gloriam Deus in multos non partiatur, nec cum vlla pura creatura communicet (infrà 12.v.41.) Vidimus plurima clarissimaque argumenta, testantia maiestatem eius, talem qualis propria est vnigenito Filio Dei, Deo nato ex Deo, nec potest congruere in creaturam. Gloria siue maiestas eius est, quòd Dei verbum & vnigenitus Filius sit: vocantur & gloria, ea per quæ oculis corporeis patere potest, quòd huiusmodi sit. Vidimus ergo, inquit, gloriam eius, quòd nimirum Dei verbum & vnigenitus Filius sit, non in seipsa (nec enim verbum eiúsve essentia per se oculis corporeis videri potest) sed *per socium corpus*, vt Chrysostomus loquitur, quomodo nimirum illa videri ab homine potuit, id est, vidimus ea quæ loquuntur gloriam eius; vidimus certissima, diuinæ potentiæ, sapientiæ, bonitatisque, latentis sub carnis nube indicia. Sic legis infrà 2.v.11: *Hoc fecit initium signorum Iesus, & manifestauit gloriam suam*, edito miraculo aquæ in vinum mutatæ. Rursus cap.11.v.4. ob miraculum Lazari resuscitandi ait Iesus: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Non enim ita verbum caro factum est, vt eius gloria siue maiestas, vel diminueretur, vel penitus absconderetur: nec hoc consilio caro factum est, vt occultaret se esse Filium Dei: verùm sic humilitatis opera cum operibus maiestatis permiscuit, vt in humilitate maiestas ipsa emicaret, *& per carnem tamquam per velum*, quod Euthymius ait, *eluceret*. Sic humanam & seruilem viuẽdi rationem exhibuit, vt potẽter ac gloriosè declararit se esse Filium Dei. *Firma atque immutabilis supernaturalis illa natura est*, ait Cyrillus, *eodémque modo semper se habens, propriis semper dignitatibus æqualiter abundat. Quamuis ergo verbum caro factum sit, inquit, non tamen infirmitate carnis superatum est: nec de prisca maiestate atque omnipotentia decidit, quoniam homo factum est. Vidimus enim, inquit, gloriam Christi à Deo sublimiorem creaturarum gloria: vt mentis quisque compos, nulli alij quàm vnigenito Dei Filio conuenire illam fateretur.* Hactenus Cyrillus. His porrò verbis voluit Iohannes fidem testimonio suo cõciliare, qua ratione & 1.epist.1.v.1: *Quod audiuimus*, inquit, *quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ* &c. Similiter fecit Petrus Apostolus 2.epist. 1.v.16. vbi ait, *se speculatorem factum magnitudinis Iesu Christi, dum acciperet ille à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* Ergo tamquam rogaretur Euangelista, quî sciret Dei verbum hominem factum esse, & inter homines commoratum: respondet, quia vidimus ita conuersatum hominem inter homines, miserum mortalem inter miseros mortales, vt simul viderimus adeoque palàm spectauerimus, tantam eius excellentiam ac maiestatem, quantâ par esset decorari vnigenitum Dei Filium; vidimus eâ ornatum dignitate, Deo Patre eum glorificante (infrà 12. v.28.) quâ nullus queat hominum ornari, nisi qui simul sit Filius Dei; idque non semel, sed continuè, ex quo cœpimus illi adhærere, in miraculis, & in omni vita atque opere, signanter verò transfiguratione, resurrectione, atque ascensione. Nam & Rom.1.v.4., secundùm quorumdam versionem, dicitur *declaratus Filius Dei ex resurrectione mortuorum.* Hoc, quomodo inquam omni vitâ suâ Christus monstrauerit gloriam suam, latè declarat Chrysostomus: cuius orationem his breuibus verbis concludit Euthymius: *Quæ autem erat illa verbi gloria? Certè numquam anteà visa variaque miracula, perlucida ac supernaturalis transformatio, & tempore passionis solis præter naturam obscuratio, formidabilis veli scissio, horribilis terræmotus, petrarum scissiones, monumentorum apertiones, mortuorum suscitationes, quódque omnium caput est, mirabilior quam dici aut cogitari potest, Domini resurrectio, & post hanc quæcumque gloriosa Apostoli deinceps conspexerunt.* Summa est, Christum cùm in terris ageret, ita cognitum fuisse hominem, vt aliquid longè maius & excellentius in se conspiciendum præbuerit: & ita verbum carne velatum fuisse, vt fulgorem suum transmiserit, ex quo posset agnosci. PLENVM GRATIÆ ET

VERI-

VERITATIS. Incertum est cuius casus sit *plenum*, nominatiuíne an accusatiui. Plerique græci & libri & tractatores legunt nominatiuum πλήρης, qui referendus est ad nominatiuum ὁ λόγος *verbum*, inclusis parenthesi verbis proximè præcedentibus: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis*. Quidam græci libri habent accusatiuum πλήρη, suffragante Theophylacto: quem tamen non vt illa ad *gloriam*, sed ad *verbum* referre velim, hoc sensu: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, vidimus inquam *plenum gratiæ & veritatis*: vt his verbis *plenum gratiæ & veritatis*, declarari intelligatur, quâ ratione viderit Euangelista gloriam eius. Vtrouis casu accipiatur *plenum*, significatur verbum caro factum, fuisse inter homines conspectum *plenum gratiæ & veritatis*, ac proinde non magni refert vtro modo accipiatur. Fuisse enim dicitur ab Euangelista plenum gratiæ & veritatis, non tam vt verbum (nec enim eâ de re poterat dubitari) quàm vt caro factum, quatenus cum hominibus habitauit, & ab ipsis videri potuit, simul etiam obseruari esse plenum gratiæ & veritatis. Ex verbo in carnem omnis gratiæ veritatisque plenitudo manabat, *quia*, doctore Apostolo Coloss. 2. v. 9., *in ipso inhabitabat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Plenum vacuo opponitur: verbo incarnato, neque quidquam vacuum fuit gratiâ & veritate, neque quidquam defuit siue gratiæ siue veritatis. Et ne dicas paruæ gratiæ veritatisque capax fuisse, nihil fuit vmquam eo capacius. Tantâ plenum fuit gratiâ & veritate, quantæ nulla alia creatura sit capax, immo quæ omnium aliarum creaturarum gratiam veritatemque in vnum collectam superet, sicut aqua Oceani aquam omnium fluuiorum ac riuorum, propter perpetuum verbi infiniti in carnem influxum. Leguntur in sacris literis etiam alij gratiâ pleni (quamquam non perinde veritate) vt Act. 6. v. 8. *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine*: verùm alia est plenitudo fontis, alia vasculi; maris alia, alia putei. *Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi* (Ephe. 4. v. 7.) Christo autem *Filio non ad mensuram dedit Deus spiritum*, quod habemus infrà 3. v. 34. Immo quidquid aut gratiæ aut veritatis mente concipi queat, siue fuerit in aliâ creatura, siue non fuerit, exstabat in eo, & quidem summo gradu, cumulatissimè atque abundantissimè; nec solùm pro capacitatis ratione, verumetiam efficientiæ ac redundantiæ, ita vt non tantùm sibi sufficeret, sed & supereffluens, tamquam fons in riuos, caput in membra, gratiâ in reliquos homines deriuaret, de quo mox agemus ad v. 16. & 17. vbi legitur: *De plenitudine eius omnes accepimus* &c. nec enim nisi per ipsum, vlla omnino siue veritas siue gratia, in cæteris hominibus inuenitur. GRATIÆ. Gratia est donum naturæ à Deo superadditum, & distinguitur duplex à theologis, vna gratia gratis à Deo data, altera, non tantùm gratis à Deo data, sed & gratum Deo reddens. De hac si sermo sit, cumulatum erat verbum caro factum quàm locupletissimè, omni genere virtutum, & fructuum spiritus, quos Apostolus vocat, *charitate, gaudio, pace, patientia, benignitate, bonitate, longanimitate, mansuetudine, fide, modestia, continentia, castitate* (Gal. 5. v. 22.) *Requieuerat super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuerat eum spiritus timoris Domini* (Isa. 11. v. 2. 3.) Denique testatus est aliquoties è cælo Deus, *sibi in ipso complacuisse*, id est, ipsum præ cæteris omnibus filiis hominum sibi gratum (Matth. 3. v. 17. & 17. v. 5.) Si agatur de gratiâ gratis datâ, *vir propheta erat, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo* (Luc. 24. v. 19.) *mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius* (Luc. 4. v. 22.) *& omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo* (Luc. 13. v. 17.) Postremò *omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum descendens à Patre luminum* (Iac. 1. v. 17.) in eo exstabat, & optimo & perfectissimo gradu. VERITATIS. Veritas si opponatur figuris, præceptis, & promissionibus legis, plenum erat veritatis verbum incarnatum, quia *finis legis Christus* (Rom. 10. v. 4.) per quem declaratum, explicatum, perfectum, consummatum, & præstitum est, quidquid, aut præfigurauerat, aut præceperat, aut promiserat lex. Si opponatur falsitati, hypocrisi, aut errori, *non est inuentum mendacium dolúsve in ore eius* (1. Pet. 2. v. 22.) nec vllæ ignorantiæ tenebræ eum occuparunt, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* (Coloss. 2. v. 3.) ac proinde æternâ atque irrefragabili veritate plenus fuit. Et quid plenius veritate, eo qui est ipsa veritas: qui verissimè de seipso testatus est: *Ego sum via, & veritas, & vita?* Iohan. 14. v. 6. In summa, commendat Euangelista conuersationem verbi caro facti inter homines, à duobus, quibus ea refertissima esse obseruata fuerit, gratia & veritate.

ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγε λέγων· οὗτος ἦν ὃν εἶπον, ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν.	15 Iohannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.	Inf. v. 27. 30.

IOHANNES. q. d. Nec solùm nos discipuli eius, qui videri possimus ad gratiam loqui, verumetiam Iohannes, homo ille missus à Deo, *cuius nomen magnum ac celebre est apud omnes Iudæos*, quod ait Euthymius ex Chrysostomo, adeò vt Christus ipse esse existimatus fuerit. *Tam nomine quàm pietate similem sibi Baptistam citat*, inquit Cyrillus. TESTIMONIVM PERHIBET. μαρτυρεῖ testatur, præsens pro præterito testatus est, testimoniū perhibuit, ante nos scilicet, id agens ad quod à Deo missus fuerat (suprà v. 6. 7.) quamquam propterea videri possit Euangelista vsus præsenti tempore, vt continuum actū designaret, ac si vox Iohannis perpetuò hominum auribus insonaret, propter efficacitatem. DE IPSO. s. verbo facto caro, hoc idem quod nos, quomodo habitarit in nobis, & visum fuerit plenum gratia ac veritate, prout deceat vnigenitum Dei Filium.
ET CLAMAT. καὶ κέκραγε & clamauit, nimirum quando clamauit & palàm libereque prædicauit. Alludit ad prophetiam Isaiæ, quam memorat infrà v. 23. q. d. vt Cyrillus exponit, *quem non ipse solus audiui, sed latè per omnes sparsus est clamor eius*. Hoc enim verbo clamandi intelligendum datur, quòd, vt idem ait, *non in occulto, nec demissa balbutientiq; voce, sed tubâ sonantiùs*, &, quod Chrysostomus habet, *fidenter & liberè, omni abiecta formidine, Dei aduentum prædicarit*. vide Matth. 3. v. 3. Interpres latinus accepit præteritum græcum pro præsenti, vt verbo præcedenti respondeat: ac certè emphaticum est præsens, quod ostendimus. HIC ERAT siue est. nam infrà v. 30. vbi hoc idem repetitur, pro ἦν *erat* quod hîc legitur, habetur ἐστὶν *est*: præter hoc quòd Grammatici annotant, ἦν aliquando poni pro ἐστὶ, præteritum imperfectum pro præsenti. QVEM. de

quo sic explicat ipse Euangelista eodem illo v. 30. DIXI seu dicebam, ex ἔλεγον, quod est anceps ad præteritum imperfectum & aoristum secundum. Id quod sequitur, dixerat Iohannes, priusquam Iesus vmquam ipsi fuisset conspectus aut visus: nolens enim pro Christo haberi, ad quod sentiendum procliues erant plerique omnes (Luc. 3. v. 15.) prædixerat, post se venturum, qui se esset fortior, ac modis omnibus dignior. (Luc. 3. v. 16.) Postquam autem Iesus præsentem se exhibuerat baptismi occasione, repetiit hoc idem Iohannes, & digito monstrauit quis ille esset, de quo priùs locutus fuerat, testis sibi ipsi constantissimus. *Vt ne cuium videatur*, inquit Theophylactus, *gratificans personæ Iesu, de eo honestiora testari, ideò dicit de quo dicebam, hoc est, etiam priusquam viderem eum.* QVI POST ME VENTVRVS EST proximè, qui breui mihi successurus est in munere prædicandi, is ante quem ego missus sum. *Venturus, hoc est, prædicaturus, non futurus*, inquit Chrysostomus. Tunc enim censetur venisse Iesus, quando se mundo per prædicationem manifestauit. Latiùs hoc explicuimus Matth. 3. v. 11. ANTE ME. ἔμπροσθέν μου. Ordo loci significatur vocabulo ἔμπροσθεν, non temporis. *Quod ait ante me*, inquit Beda, *non ad ordinem temporis, sed ad distantiam pertinet dignitatis.* FACTVS EST. γέγονε. Non creatio significatur aut naturæ exordium, sed potiùs collocatio aut constitutio, sumta metaphora ab eo, quòd is qui dignitate præcellit & maioris fit, priori loco soleat collocari. *Non factus est antequam factus essem ego*, inquit Augustinus, *sed antepositus est mihi, hoc est ante me factus est.* Ante me constitutus est, mihi prælatus est. Chrysostomus & ex eo alij annotant, præteritum more prophetico pro futuro positum, mihi anteponetur & præferetur, clarior & honorabilior me erit, tempore post me apparebit, sed gloria & honore ante me erit, postquam mundo per prædicationem & miracula innotuerit: ego potiùs existimarim, futurum consecutiuè intelligendum, propriè autem præteritum præsenti mixtum, vt olim æterna prædestinatione, ita iam nunc prælatus à Deo est mihi, maiori in honoris dignitatisque gradu collocatus, Christi inquam, ac proinde etiam præferri mihi debet, & præferetur ab omnibus Deum colentibus. Hac ratione insinuatur hîc, id quod Paulus docet Heb. 5. v. 4., quòd Iesus non sumserit sibi honorem, nec seipsum clarificarit, sed Deus ipsum, *à quo constitutus est iudex viuorum & mortuorum*, vt loquitur Petrus Act. 10. v. 42., *& heres vniuersorum*, quod ait Paulus Heb. 1. v. 2. QVIA. Addit causam. PRIOR. πρῶτός superlatiuus loco comparatiui, nam de duobus est sermo: non tamen ad tempus propriè refertur, sed ad præstantiam. *Prior me*, id est, præstantior, potior, potentior, maior, & omnino, quod priores Euangelistæ dicunt, *fortior*, qui longè alia posset quàm ipse Iohannes aut quicumque alius. *Prior* ergo, præstantior ac melior, naturâ, quia ita homo, vt etiam Deus; nec diuinâ tantùm naturâ, verumetiam humanâ, vtpote plena gratiæ ac veritatis; prior efficacitate in alios, prior denique modis omnibus & *me* & omni creaturâ tam spiritali quàm corporata. ERAT. Potest imperfectum accipi præsentis loco, *erat* pro *est*, vt mox: potest etiam retineri, respiciendo non ad æternitatem tantùm diuinæ naturæ, verumetiam ad initium coniunctionis humanæ naturæ cum diuinâ. *Neque enim proficiendo ac superando*, quod ait Chrysostomus, *cum prior essem me reiecit, & ante me factus est: sed prior me erat, inquit*, hoc est, Cyrillo interprete, *semper me superior, semper gloriosior erat*, iam inde ab ipso primo incarnationis articulo, quemadmodum ab omni æternitate. His aliisque huiuscemodi verbis, quorum summa in versiculum hunc contracta est, reuocabat Baptista Iudæos, à maiore quàm par erat de se opinione, docebatque efficaciter, non se, sed Iesum esse Christũ à prophetis prædictum, ita hominem mortalem, vt etiam Filium ac verbum Dei, hominũ restauratorem, reipsa se infinitis partibus priorem ac potiorem cuius ipse, quantus quantus habebatur, dignus nõ esset corrigiam calceamenti soluere. Nam quòd prædicando præcederet, non honoris esse, sed ministerij, vt viam ipsi pararet: prout infrà Euangelista latiùs exponit hæc Baptistæ de Iesu testimonia, à versu 19. vsque ad 37. & cap. 3. à v. 27. deinceps.

Et de plenitudine eius, nos omnes accepimus, & gratiã pro gratia. [16]	καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος.

ET DE. Multi veterum sentiunt, & hæc, quæque sequuntur, Baptistæ esse verba: ego verò, cum Chrysostomo, Cyrillo, & Euthymio, credo esse Euangelistæ, qui versum superiorem, quo continetur summa testimoniorum à Baptista de Iesu redditorum, quæ paulò inferiùs statuerat latiùs exponere (prout exponit à versu 19. deinceps) obiter hîc inseruerit, suo discipulorumque Iesu testimonio, ne iaceret solitarium, socium iungens Baptistæ testimonium, siue per parenthesin, siue eo modo ac si obliquâ oratione illud extulisset, in hanc aut similem formam: De quo etiã Iohannes testatus est, & clamauit dicens, ipsum esse de quo dixisset, illum qui post se venturus esset, sibi esse antepositum, vt qui se prior ac potior esset. Familiare est enim Hebræis, rectam orationem pro obliquâ vsurpare, & ab vna ad alteram transire, ac signanter huic Euangelistæ: prout videre est infrà v. 19. 20. & cap. 10. v. 35. 36. &c. Prosequitur ergo Euangelista cœptum de verbo incarnato sermonem, & respiciens ad id quod dixerat *plenum gratiæ & veritatis*, declarans quàm plenum fuerit, in quorum persona dixerat *vidimus plenum gratiæ & veritatis*, in eorumdem personâ subiungit: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*, quasi dicat, ita conspectum fuisse plenum gratia ac veritate, vt non solùm sufficeret sibi, verumetiam cum multis aliis communicaret gratiam & veritatem, nihil ipse sibi minus reseruans.

DE PLENITVDINE EIVS s. verbi caro facti, qua scilicet ipsum plenum est gratia ac veritate. Non dicit *plenitudinem eius*: impossibile est enim, vt alia quæuis creatura obtineat talem gratiæ plenitudinem, qualem verbum caro factum; sed *de plenitudine eius*, significans nos accipere per partes & ad mensuram, quod in ipso plenissimè & perfectissimè subsistit: quemadmodum de fonte aut de calice bibimus, ex quo aliquid bibimus, sic tamen vt non totum exhauriamus: quamquam fieri non possit vt exhauriat Christi plenitudinem, quicumque vel auidissimè trahat. Præter Christũ nemo plenitudinem obtinet, omnes participant, vnus hoc donum, alius aliud (1. Cor. 12.) *Sancti*, inquit Beda, *non plenitudinem spiritus eius, sed de plenitudine eius, quantum ipse donat, accipiunt. De plenitudine namque Filij*, habet Cyrillus, *quasi iugi fonte, gratiarum donum scaturiens, in singulas animas quæ dignæ sunt defluit.* Est autem substantiuum adiectiui loco positum, *de plenitudine eius*, pro *ab ipso plenissimo. Ab ipso*, non à nobis ipsis (Ideò enim Euangelista, vnum se ex reliquis facit, non modestiæ tantùm causa, sed vt clariùs pateat, nemini quidquam bonorum à seipso suppetere) nec à quouis alio: *nec enim est in alio aliquo salus* (Act. 4. v. 12.) Sed numquid Deus trinitas excluditur? nónne Deus ipse est fons & auctor

iustitiæ

iustitiæ omnisque doni ac boni: cur igitur non dixit *de plenitudine Dei?* Citra controuersiam, non excluditur Deus trinitas, ipse fons primumque principium est omnis boni, & auctor omnis gratiæ ac veritatis, etiam eius plenitudinis quæ in verbo est, quatenus caro factum est: verùm Deus, cùm per peccatum hominibus redditus ipse esset inaccessibilis, verbum caro factum, impletum à se gratia ac veritate, constituit mediatorem inter se & homines, per quem omnem gratiam & benedictionem homines à se obtinere possint. Itaque *benedixit nos*, vt Apostolus loquitur, *in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo*, hoc est, per Christum vt mediatorem, ita vt plenitudo Dei primaria, Christi plenitudo meritoria causa sit nostræ benedictionis ac gratiæ: id quod mox ipse Euangelista declarat. Porrò quia *de plenitudine* & à plenissimo accipimus, docemur non esse timendum ne quidquam nobis desit, immo verò sensuros nos, quantumcumque hauriamus, verè inexhaustum esse fontem. NOS OMNES qui vidimus gloriam eius, vt vnigeniti Dei, qui credidimus in eum eique adhæsimus. Loquitur in persona eorum qui Christo inter mortales agenti fide charitateque adhæserant, in quos, Christo faciente, copiosè effusa fuerat Spiritus sancti gratia, præsertim à Christi in cælos ascensione: nec excludit eos, qui horum deinde operâ Christiani facti sunt, immo idem relinquit iudicium de his (nec enim est christianus, qui de Christi plenitudine nô acceperit) verùm opponit hos omnes Mosi & iis qui sub lege vixerunt, qui non sunt fruiti hoc beneficio, non quòd nulli eorum participarint de plenitudine Christi, sed quia rariùs comparati qui in temporis plenitudinem inciderunt, & quia minùs abundanter, denique si abundanter, occultiùs: illius enim temporis status, erat esse sub lege, non sub gratiâ. Hinc Euangelista infrà 7.v.39. ait: *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Ergo omnes, qui quidem gratiæ aliquid acceperunt, de Iesu plenitudine acceperunt: sed à glorificatione Iesu demum, palàm effusa est gratiæ copia. Hoc inter cætera hîc insinuatur, quemadmodum & illud, omnes nos spiritualium bonorum esse vacuos & inopes, nisi Christus egestatem nostram subleuet; in hoc enim ille abundat, vt defectui nostro succurrat, prout etiam omnibus citra discrimen expositus est, quicumque accipere desiderent. ACCEPIMVS. singuli *secundum mensuram donationis Christi*, quod ait Paulus Ephes.4.v.7. *Ipse enim fons est & radix bonorum omnium*, inquit Chrysostomus, *ipse vita, ipse lux, ipse veritas, non in seipso bonorum diuitias continens, sed in vniuersos effundens, quibus diffusis plenus permanet: neque ex eo quod aliis suppeditet, minuitur, sed diuitias suas elargitur semper vberius: cumque omnes his bonis impartiat, in eadem permanet perfectione. Accepimus* autem, non phantasticè, non imputatiuè vt volunt hæretici, sed verè ac reipsa, ita vt habeamus & possideamus. hoc enim demum accipere est. Si iam quæras ex Euangelista, quid illud sit quod de plenitudine eius accepimus? explicat *& gratiam*: quid enim de plenitudine gratiæ accipiatur, nisi gratia? Admonet rectè D. Augustinus, non esse omittendum *&*, quod videri possit superfluum, nisi ἐξηγητικὸν esset, exponens quid & quomodo de plenitudine eius accepimus, positum pro *videlicet*. De plenitudine igitur gratiæ accepimus gratiam, *gratiam* inprimis quæ nos Deo gratos faciat, fidem, remissionem peccatorum, cum Deo reconciliationem, iustitiam, adoptionem in filios Dei, varia virtutum genera, charitatem, humilitatem, castitatem, mansuetudinem, sapientiam, intellectum, & cætera quæcumque nos iustos ac Deo gratos constituunt. Hæc enim omnia de Christi plenitudine descendunt: neque ista solùm, verumetiam dona illa & ornamenta, quæ gratis à Deo data, non quidem per se reddunt possessores suos Deo gratos, referuntur tamen ad promouendam possessorum aut minimùm aliorum æternam salutem, qualia plura enumerat Apostolus 1.Cor.12. sermo sapientiæ, sermo scientiæ, gratia sanitatum operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, &c. Porrò sub gratia quam accepimus, intelligitur & veritas, quòd de tenebris vocati simus in admirabile lumen, & conscij facti mysteriorum à seculis absconditorum, quòd figuræ veteris legis nobis versæ sint in res, vmbra in corpus, promissiones denique finem effectumque se dignum in nobis sortitæ sunt. Gratiam igitur & veritatem accepimus, de plenitudine gratiæ & veritatis Christi; sed quomodo? Numquid eadem numerò gratia, quâ præditum est verbum incarnatum, ex ipso in nos fluit, quemadmodum ex fonte aqua in situlam? minimè, inquit Euangelista, sed accepimus GRATIAM PRO GRATIA. gratiam propriam pro gratiâ illius Græca præpositio ἀντὶ, respondens hebraicæ תחת *tahat*, latinæ *pro*, duas potissimùm habet significationes; Vnam propriam, qua significat loco aut vice; alteram impropriam quidem, non tamen infrequentem, quâ idem significat quod διὰ *propter*, ita tamen vt causam, non finalem, sed quę veluti origo est declaret, quando dicimus, causa aut ratione vnius, alterum dari aut fieri. Hæc posterior seruit huic loco. ita vt *pro gratiâ* sit propter gratiam. *Propter gratiam* verbi caro facti, quia plenum erat gratia, ac proinde gratissimum Deo, ita vt cælitus Pater testatus sit *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth.3.v.17.& 17.v.5.) nos gratiam accepimus, fidem, remissionem peccatorum, iustitiam &c. & facti sumus similiter Deo grati. Hæc interpretatio consentanea est illi loco Apostoli Rom.5.v.15: *Si vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratiâ vnius hominis Iesu Christi, in plures abundauit.* Gratia Dei abundauit in multos, in gratia vnius, id est, propter gratiam vnius multi gratiam abundanter consecuti sunt. Tam enim fuit Christus gratus Patri, vt suâ gratiâ nobis meruerit & consecutus sit omnem gratiam. Vnde illud Ephes.1.v 6: *Gratificauit nos in dilecto Filio suo:* quod est, gratos nos sibi reddidit per dilectum Filium suum, omnium sibi gratissimum. Quia enim Christus gratus fuit Patri, & plenus gratiâ ac veritate, potuit nos Deo gratificare, & varia nobis gratiarum dona promereri: & id quod potuit, etiam fecit: adeoque nullus est Deo gratus, nec vllus gratiam quamcumque à Deo accipit, nisi intuitu ac merito Christi. Hoc est igitur nos accipere gratiam & veritatem de plenitudine verbi caro facti, gratiâ & veritate plenissimi, hoc inquam est, fidem, remissionem peccatorum, iustitiam, & alia omnia dona gratiæ, nos accipere à Deo, merito verbi incarnati, quo nihil est aut gratiâ plenius aut Deo gratius: nempe plenitudo illius id meretur atque efficit, vt nos Deus suâ gratiâ dignetur. Quamquam igitur Deus trinitas auctor sit gratiæ: hoc tamen verbo incarnato proprium est, quod ipsius merito reconciliemur ac grati reddamur Deo, & varia gratiæ dona accipiamus: atque hac de re hîc agitur, de proprio inquam Christi opere, tamquam mediatoris.

ὅτι ὁ νόμος διὰ μωσέως ἐδόθη, 17 Quia lex per Moysen data est:

gratia & veritas per Iesum Christum facta est. | ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ ἰησοῦ χριστοῦ ἐγένετο.

QVIA. Reddit rationem cur dixerit *accepimus gratiam pro gratiâ*: & tamquam rogaret aliquis, Quid ergo? an antequã verbum caro factum est, gratia non erat? respondet, nondum fuisse exhibitam, nondum fontem eius reuelatum. Nam lex quidem data erat, verùm illa, nec erat gratia, nec valebat gratiã conferre: gratia demum per verbum incarnatum, id est, Iesum Christum, palàm allata est. LEX docens fidem vnius Dei, & illius cultum, partim per præceptorum obseruationem, partim per figuras & vmbras, additis promissionibus & comminationibus terrens. PER MOYSEN. Mose mediatore ac ministro. DATA. lata, præscripta EST à Deo, populo veteri, implendi & obseruandi causâ. GRATIA sed gratia, quæ iustificat & reddit hominem Deo gratum, quæ valet præcepta legis implere atque obseruare (nam de hac potissimùm hîc loquitur, non de gratiâ gratis datâ, quæ dicitur) ET VERITAS, per figuras, vmbras, & promissiones legis, delineata ac significata PER IESVM CHRISTVM. merito Iesu Christi Filij Dei, mediatoris Dei & hominum. Iam primùm nominat, quem hactenus Dei verbum, vnigenitum à Patre, carnem factum, & plenum gratiæ ac veritatis, obscuriùs dixerat, sensim ducens auditorem ad perfectam in Iesum fidem: estque omnino Iesus Christus, idem quod verbum caro factum, plenum gratiæ & veritatis, nimirum vnctus plenitudine gratiæ *præ consortibus suis* (Psalm. 44. v. 8.) FACTA EST. exhibita, præstita est, s. à Deo. Membra huius versiculi sibi mutuò opponuntur, & intelligendum est prius cum exclusione posterioris: atque omnino in eo quatuor antitheses licet obseruare. gratia opponitur legi, veritas iterum legi, Iesus Christus Mosi, facere τῷ dare siue iubere, annotante etiam Chrysostomo. Cùm enim legis, tres potissimùm partes sint, præcepta decalogi, promissiones, & ceremoniæ seu figuræ rerum futurarum; præceptis gratia, promissionibus & figuris veritas, opponitur: & quanta inter hæc omnia opposita differentia sit, considerandum relinquitur, in hunc ferè modum. Moses minister Dei, stans olim medius inter Deum & filios Israel, annunciauit ac promulgauit filiis Israel legem à Deo acceptam, per quam cognitio peccati, stricta peccati prohibitio, virtutisquè præceptio, addita comminatione maledictionis in eum omnem qui non permanserit in vniuersis sermonibus legis, eosque opere perfecerit (Deut. 27. v. 26.) atqui infirma & imbecillis erat hæc lex, adeoque *impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, vt iustificatio legis impleretur* (Rom. 8. v. 3.) quia mandabat, non iuuabat ad sui obseruationem, damnabat transgressores, nec emendabat: virtute enim illius nulli vmquam contigit, aut remissio peccatorum, aut obseruatio mandatorum, aut iustitia: ita vt ij quibus præter legem nihil vmquam aliud adiectum fuit, tantum abfuerit vt gratiam in oculis Dei inuenerint, vt transgressionis rei & maledicti iudicati sint. Vênit igitur Iesus Filius Dei, constitutus Dei & hominum omnium mediator, & legi huic iunxit gratiam, merito inquam suo obtinuit à Deo populo suo, suæ ecclesiæ, gratiam, quâ primùm quidem condonarentur peccata omnia contra legem admissa, deinde verò etiã lex ipsa obseruaretur atque adimpleretur, & iustè viueretur, Deoq; placeretur: neque hanc gratiam promisit solùm aliquando dandam, verumetiam in præsentiarum dedit & procurauit, dedit inquam Deus, ipso merente, copiosissimè quamplurimis, ita vt nos omnes, inquit Euangelista, gratiam de plenitudine eius iam acceperimus, quod iis qui ante nos fuerant, non perinde accidit. *Gratia per Christum facta est*, ait lib. 22. contra Faustum cap. 6. Augustinus, *vt datâ indulgentia peccatorum, quod in lege preceptum erat, ex Dei dono custodiretur*. Rursus, Moses legem dedit plenam figuris, vmbris, & promissionibus, quæ quidẽ sunt rerum futurarum aut minimum occultarum, non ipsæ res nudè præsentes: Christus suo merito veritatem attulit, id est, res ipsas nudè præsentes exhibuit, mysteria figuris vmbrisque legis velata, latentia aperuit, futura coràm præsentia exhibuit. Veritatem enim in lege absconditam profundissimorum mysteriorum, SS. Trinitatis, Christi passionis, resurrectionis mortuorum, regni cælorum, gehennæ &c., palàm omnibus reuelauit. Alia quæ lex sub variis figuris prædixerat aut etiã promiserat, impleuit & præsentia reddidit; verbi gratiâ, passus est mortem, quod immolatione pecudum fuerat significatum: introducit in regnum cælorum & vitam æternam, quod sub vmbrâ terræ promissionis promissum fuerat &c. *Veritas per Christum facta est*, inquit eodem illo loco contra Faustũ Augustinus, *vt ablatâ obseruatione vmbrarum, quod promissum erat, ex Dei fide præsentaretur*. Rursus in hunc scribens locum: *Quomodo exhibita est veritas? quia factum est quod promissum est*: & quia, quod addendum est ex Chrysostomo, *figuras suo Christus consummauit aduentu*. *Nihil ad perfectum* igitur *adduxit lex, propter infirmitatem eius & inutilitatem* (Heb. 7. v. 19.) ac proinde parum profuit Moses illius minister: plurimùm verò Iesus Christus Filius Dei, qui suo merito nobis omnibus attulit gratiam & veritatem, quibus homo perfici queat. His verbis Euangelista abstrahit lectorem à lege ac Mose, in quibus Iudæi supra modum confidebant, quosque perpetuò iactabant (quamquam nec illis crederent. infrà 5. v. 46.) & ad Iesum Christum auctorem gratiæ traducit, iam non Iohanni Baptistæ solùm, verumetiam Mosi, quo nullus apud illos maioris auctoritatis erat, Iesum præferens.

18 Deum nemo vidit vmquam: vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. | θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.

DEVM. Occurrit obiectioni: Mosemne igitur à veritate excludis: nónne & per Mosem veritas facta ac tradita est? Non, inquit, Mosem à veritate excludo, quasi falsi aliquid dixerit aut nihil verum docuerit: sed hoc volo, quòd veritatem summorum mysteriorum in Deo latentiũ, qualia superioribus sententiis meis memoraui, de diuini verbi natiuitate, proprietatibus, effectis, & incarnatione, de processione Spiritus sancti, de regno cęlorũ, & cętera, non ipse reuelauerit, sed Iesus Christus, ad hoc solus idoneus. Quid? an non Moses viderat Deũ, *collocutus cum eo facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum*, vt est Exo. 33. v. 11. quomodo ergo non idoneus ad omnem veritatem reuelandam? quid latere eum potuit, qui Deum vidit? Respondet Euangelista: *Deum*. essentiam Dei, vt in tribus existit personis, & in se est, NEMO mortalium. *Nemo corrupti-*

corruptibili adhuc & mortali carne circumdatus, incircumscriptam diuinitatis potest lucem intueri. Vnde manifestiùs dicit Apostolus, Quem nullus vidit hominum, sed nec videre potest. (1. Timot. 6. v. 16.) sic Beda. VIDIT. non tantùm non oculis corporis (quod impossibile est, quia *spiritus est Deus*. Inf. 4. v. 24.) sed neque mentis aut intellectus, quod mundis corde præmij loco in altero seculo promissum est (Matth. 5. v. 8.) VMQVAM. quicumque aut quocumque tandem tempore is vixerit, non Moses, non Elias, non Isaias. Quare eodem illo Exodi loco, paulò pòst (v. 20. Mosi vrgenti vt Deus se ipsi clariùs conspiciendum præbeat, nimirum vt in seipso & in gloria sua est, regerit Deus: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet*. Quod ergo alibi Moses aliique Deum vidisse dicuntur, intelligendum est, sensibus eorum interioribus, imaginationi inquam, vel etiam exterioribus, obiectas fuisse species siue similitudines rerum corporearum, Deum suo modo referentes. Quidam mortalium viderunt Deum in operibus suis, plures per fidem, aliqui per assumtam humanitatem: peculiare fuit quibusdam, vt viderent per speciem aut figuram corpoream: at nemo vidit in naturâ propriâ, diuinâ inquam. *Quamdiu hic mortaliter viuitur*, inquit Gregorius ad catenam citatus, *videri per quasdam imagines potest Deus, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest*. & Augustinus scribens in hunc locum: *omnia quæ corporaliter visa sunt, non erant illa substantia Dei*. Denique Chrysostomus: *Omnia condescensionis fuere, non ipsius puræ substantiæ. Nam si ipsam vidissent, nullâ ex parte differētem vidissent, quippe quæ simplex & pura est, nō composita nec descriptibilis*. Cùm igitur Deum vt in se est, nemo viderit vmquam, nec Moses, nec quiuis alius prophetarum, nihil mirum quòd mortalibus non reuelauerit veritatem summorum illorum mysteriorum: suffecit illis prædicasse, Deum esse, & vnum esse, quod est primum veritatis principium: cætera maiora ac sublimiora, atque adeò absolutam veritatem, reliquerunt Iesu Christo Filio Dei, vt soli ad illam reuelandam & enarrandam idoneo. *Deum* ergo *nemo vidit vmquam*, ita scilicet vt absolutam veritatem, notanter de iis quæ Deo sunt intima, de arcanis Dei, docere quiuerit; *nemo* inquam mortalium, præter Iesum Christum, qui etsi mortalis homo, quia tamen alterâ naturâ *vnigenitus Filius* immortalis Dei: nec enim genuit è suâ naturâ plures filios Deus, vt videri possit partitus esse scientiam suam, & vni vnum, alij aliud reuelasse. Syrus, pro *vnigenitus Filius*, dicit *vnigenitus Deus*. QVI EST IN SINV PATRIS. εἰς τὸν κόλπον pro ἐν τῷ κόλπῳ, ad sinum pro in sinu, prout explicat etiam Syrus. possit quoque verti *in gremio*: sinus superior est ad pectus, gremium inferius ad naturalia. Ad naturalia si respiciatur, in sinu esse significet coniunctionem naturæ, quòd sit eiusdem naturæ cum Patre, ex ipso natus & perpetuò nascens, nec minùs inhærens semper (ad quem modum Cyrillus, sinum esse vult, quem Psalmus 109. v. 3. vocat vterum) ad pectus si respiciatur, quod sedes est consilij & secretorum hominis, in sinu esse, notet communionem consiliorum & secretorum, quòd ab intimis secretis sit Patri, omnium consiliorū & arcanorum eius conscius, ex eius pectore thesauros sapientiæ ac scientiæ hauriens. Nec obstat quidquam, quin simul ad vtrumque respiciatur, Filium Patri esse proximè præsentem, intimum, & coniunctissimum, cùm naturâ atque essentiâ, tum cognitione comprehensioneque diuinæ naturæ, essentiæ, & omnis veritatis in Deo latentis, quòd ita naturâ propinquus & necessitudine familiaris sit Patri, vt Patrem & omnia quę Patris sunt exactissimè nouerit, omniaque Dei occulta ipsi sint intimè manifesta, quippe qui verbum & sapientia Dei sit. Atque hæc Chrysostomi est interpretatio, cuius verba operæpretium est adscribere: *Multi Deum cognoscimus, non tamen ipsam substantiam qualis est, nisi solus eius vnigenitus, qui certam notionem vtiumq; & comprehensionem habet, qualem Filium de Patre habere par est. Sicut enim cognoscit me Pater, inquit, & ego cognosco Patrem* (Iohan. 10. v. 15.) *Quare animaduerte, quantâ cum exuberantiâ loquatur Euangelista. Siquidem cùm dixisset, Deum nemo vidit vmquam: non prosecutus est, Filius qui vidit narrauit, sed aliud quiddam amplius quàm videre posuit, dicens qui in sinu est Patris. Qui enim tantùm videt, non certam habet rei visæ cognitionem: qui vero in sinu immoratur, omnia ei perspicua sunt & certa. Ne igitur audiendo, Nemo cognoscit Patrem nisi Filius* (Matth. 11. v. 27.) *diceres, quòd licet maiorem cæteris de Patre habeat cognitionem, non tamen qualis est nouit, ideò in sinu Patris eum esse inquit Euangelista: quo vno verbo, multam substantiæ cognationem, propinquitatem, parem Patri cognitionem, potestatem, ostendit*. Hæc Chrysostomus, appositè admodū. Sententia igitur Euangelistæ est: Sed vnigenitus Dei Filius, vt est eiusdem cum Patre essentiæ & naturæ, ac proinde diuinam essentiam siue naturam, videt non tantùm, verumetiam comprehendit (quod nulla valet mera creatura) & quæ Dei sunt omnia arcana, siue ad naturam siue ad consilium voluntatemque eius pertineant, intimè perfectissimeque nouit, *ipse enarrauit*. Roges, quare Euangelista vtatur præsenti tempore *est*, & non potiùs præterito *erat* vel *fuerat*, cùm loquatur de vnigenito Filio enarrante hominibus, ac proinde homine facto, & in terra habitante? Vt significet, quòd neque tunc, cùm homo factus per carnem se hominibus videndum præberet, eisque mysteria paternorum consiliorum enarraret, reliquerat sinum Patris, sed non minùs quàm anteà ab æterno, erat in sinu Patris, aderat Patri, nequaquam separatus aut diuisus à Patre, carne præsens in terra, diuinitate, vt Pater, cælum implens & terram. IPSE. vt solus ad hoc idoneus, & maximâ fide dignus, quippe qui non ex auditu aut aliorum relatu vel manifestatione, sed ex visu proprio & certa perfectaque scientia nosset.

ENARRAVIT. ἐξηγήσατο exposuit, planè ac dilucidè declarauit. nam ἐξηγητὴς de eo dicitur, qui res latentes & obscuras in lucem profert, & clarè expresseque intelligendas dat. *Vox* ἐξηγήσατο, inquit Chrysostomus, *expreßiorem certioremque doctrinam demonstrat*. & paulò pòst: *Enarratio hoc loco, doctrina euidentiam significat: quare & verbum & magni consilij angelus appellatur*. Potuerunt etiam Moses aliique prophetæ hæc suo modo nouisse (quamquam non nisi reuelante vnigenito) & scriptis suis inuoluisse, figuris atque vmbris occultata: at solus vnigenitus palàm illa explicuit, & retectis figuris atque vmbris apertè prædicauit ac veluti spectanda exhibuit. At quænam illa? quæ de Deo sunt, quæ ad Dei siue naturam siue personam siue consilium ac voluntatem pertinent. Sciebantur antè nonnulla, sed supplens quæ deerant, perfectam de Deo rebusque diuinis notitiam tradidit, & veritatem omnem manifestauit; exempli gratia, natiuitatem verbi, processionem Spiritus sancti, carnis resurrectionem, vitam æternam &c. de quibus Chrysostomus: *Quid amplius*, rogat, *à Filio didicimus, qui in sinu est Patris? longè ab eo expreßiorem & magis perspicuam doctrinam accepimus, videlicet, quòd spiritus Deus est, & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare: quòd Deum videre est impoßibile, quòd eum nemo nouit nisi Filius, quòd Pater est dilectißimi vnigeniti, & alia multa*. Latiùs Beda: *Ipse homo factus, quid de sanctæ trinitatis vnitate sentiendum, qualiter ad eius contemplationem properandum, quibus actibus ad hanc sit perueniendum, clara luce reuelauit: ipse sacramentis suæ incarnationis nos imbuens* &c. Sed quibusnam enarrauit? personâ propriâ discipulis suis,

per

per eos autem *in vniuersum mundum propagauit*, inquit Chrysostomus: ita vt ab eo, clara publicaque doctrina diuinissimorum mysteriorum sit, quam nec indocti nec pueri ipsi ignorent, quæ anteà summis rabbinis sophisque occulta erat, de sacrosancta Trinitate, animæ immortalitate, carnis resurrectione, &c. Inter discipulos autem, quibus vnigenitus ipse per se enarrauit, Euangelista seipsum intelligi vult, quòd scilicet sublimia illa quæ de Dei verbo eiusque effectis hactenus scripserit, non ex alio quàm ex ipso verbo didicerit, cuius doctrinam tanto certiorem teneat siue Iohannis siue Mosis testimonio, quanto oculatus testis aurito, & filius seruo, vbi de patris rebus agitur, fide dignior est: qui, vt versu superiore decimosexto potissimùm demonstrauerat, quomodo gratia per Iesum Christum facta sit, ita hoc versu 18. demonstrat, quomodo veritas per eundem facta sit, veritas inquam, quà doctrinam de rebus diuinis spectat. Atque hactenus Euangelista, in argumento euangelij à se scribẽdi versatus, deinceps historiam aggreditur, à Iohanne Baptista incipiens.

Et hoc est testimonium Iohannis, [19] quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es?

καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου, ὅτε ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ λευΐτας, ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν, σὺ τίς εἶ;

ET HOC EST. Hoc est autem, vel hoc est igitur. Cùm semel & iterum Euangelista obiter meminisset testimonij Iohannis de verbo, & Christo Dei (suprà v.7. & 15.) iam redit ad illud latiùs describendum, *quasi res agitur, minutim singula narrans*, quod ait Cyrillus. Non omne tamen Iohannis de Christo testimonium narrat: verùm relictis iis quæ ante Christi baptismum data fuerant, vt quæ cæteri Euangelistæ abundè narrauerant, ea potissimùm recitat, quæ post Christi baptismum reddita fuerunt, & signanter celeberrimum illud, quod non publicè tantùm, verumetiam legitimè formaque iudicij, interrogantibus literarum legisque peritissimis ac grauissimæ auctoritatis viris, ad eam rem missis delectisq; à summo magistratu, cuius præcipuè intererat hæc scire, datum fuit. TESTIMONIVM IOHANNIS, quod perhibuit de Christo, nimirum de verbo seu vnigenito Dei Filio facto caro. MISERVNT. legauerunt è suo conuentu electos. IVDÆI. Iudæorum magistratus, summus ille qui synedrion vocabatur, cui summus pontifex præsidebat: qui cùm gubernacula tenerent populi Dei, prouidere eos decebat, ne quis temerè se pro Christo aut propheta ingereret, ne quis emergeret nouæ doctrinæ aut sectæ auctor: prout etiam officij sui esse tenebant, de noua doctrina nouisque prophetis iudicare, quod docuimus Matth.5.v.21. AB IEROSOLYMIS. vbi magistratus ille residebat & conuenire solebat, quippe summus senatus, constans primariis viris, in primaria regiaque ciuitate. SACERDOTES. principes sacerdotum verisimile est. nam illi de synedrio erant. vide Matth.2.v.4. LEVITAS. viros aliquot Deo dicatos, quosdam templi ministerio, quosdam etiam sacerdotio ornatos. Hæc enim legatio ad religionem pertinebat, vtpote tractans de legis ac religionis capite Christo. Leuitæ vocabantur, qui ita erant ex tribu Leui Deo consecrati ad ministerium templi, vt non essent sacerdotes. Cæteroqui, & sacerdotes erant ex tribu Leui, quippe ex stirpe Aaron, sed sacerdotum tenebant nomen, vtpote sacrificiis offerendis dicati: reliqui ex tribu Leui, Leuitæ nominabantur, erantque ministri templi sacerdotibus inferiores: quamquam, sacerdotio licet inferiores, poterant aliis qualitatibus esse pares, vt scientiâ Scripturarum. nam & ipsorũ erat prælegere atque interpretari populo legem (2.Ezræ 8.v.7.8.9.) nec pauci ex eis scribæ erant. Hæc omnia Euangelista commemorat, vt significet, publicam grauissimamque legationem fuisse, ac proinde grauissimum Iohannis testimonium, quippe iis datum, qui non priuato consilio, sed missi à magno synedrio accesserant, ipsi etiam per se magni viri. EVM. Iohannem. Similiter accesserunt ad Iesum Matth.21.v.23. dicentes: *In qua potestate hæc facis* &c. TV QVIS ES? Frequens est huic Euangelistæ, vti oratione recta loco obliquæ; *tu quis es* pro quis esset. Hæc erat legationis summa, quis esset, de quo variabat multitudinis suspicio. Quis esset autem, non nomine, quod erat publicitus notum, nec genere, quod si non nouerant, facilè nouisse poterant, esse filium Zachariæ filij Barachiæ sacerdotis, ab annis circiter xxx interfecti ab Herode puericidium instituente, quòd noluisset filium hunc suum prodere, in desertum deportatum, vbi hactenus vixisset: sed quis esset munere & officio: quid muneris ipse à Deo accepisset, cuius ratione populum ad se attraheret & doceret & baptizaret, nulla ab ipsis accepta auctoritate, quibus propriè incumbebat populi doctrina & regimen. Occasio huius legationis fuisse videtur, quòd complures ex ipso senatu, vnà cum *populo, cogitarent in cordibus suis de Iohanne, ne fortè ipse esset Christus*(Luc.3.v.15.) aut si non Christus, certè præcursor aut comes Christi: eò quòd multis argumentis cognoscerent, promissum aduentus Christi tempus aut adesse aut imminere (quæ & vulgi tunc erat opinio, exemplo sit mulier Samaritana, infrà 4.v.25.) neque nescirent, baptismum Messiæ tempore populo administrandum in remissionem peccatorum, ex Ezech. 36.v.25. & Zach.13.v.1. Erectis igitur Messiæ exspectatione omnium animis, cùm Iohannes (quem circa illud tempus nõ sine prodigiis natum, quo Herodes famâ Messiæ nati acceptâ, Israeliticos infantes iusserat trucidari, & in deserto hactenus seorsum ab hominibus cælesti quodam viuendi genere conuersatum, nouisse poterant) repentè atque ex insperato prodiret, & sanctitatis opinione prædicationeque ac baptismo inclaresceret: cœperunt Iudæorum principes vnà cum populo subdubitare, an ipse esset, vel Christus, vel eorum aliquis, quos sacræ literæ promittunt socios Christo fore, itaque (ne in officio suo torpere viderentur) legatos ad ipsum mittere, vt ex ipsomet intelligerent, quid muneris à Deo accepisset. *Non enim mitterent*, inquit Augustinus, *nisi mouerentur excellentia auctoritatis eius, quia ausus est baptizare.* Nam etsi valde probabile est, aliquâ etiam in Iohannem inuidiâ motos fuisse huius legationis auctores, tantam eius claritatem iniquo animo ferentes: non malè tamen de illo sensisse videntur, immo magni eum fecisse ad tempus & eo prophetà, quali iamdiu caruerant, fuisse gloriati, quibus infrà 5.v.33. Iesus ait: *Vos misistis ad Iohannem, & testimonium perhibuit veritati.* & v.35: *Ille erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluistis ad horam exsultare in luce eius.* *Ad horam* dicit, quia postquam cœpit Iohannes palàm & apertè testari, Iesum, vbi se ipse manifestasset, esse Christum, factus est eis inuisus, quemadmodum ipse

Iesus.

Iesus. *Promtissimo animo ad eum venerunt*, inquit Chrysostomus, *licet postmodum mutati sint: quæ ambo Christus bis verbis significauit: Ille erat lucerna* &c.

καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο, [20] καὶ ὡμολόγησεν, ὅτι οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ χριστός.

Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus.

Et confessvs est. Reliquit Iohannes subaudiendum, quod loci circumstantia subaudiendum docet: eos qui missi fuerant, postquam ad Iohannem peruenissent, ante omnia interrogasse, An ipse esset Christus: siue quòd ita ferret data ipsis instructio, siue quòd ipsi ita iudicarent congruere, vt ad notitiam peruenirent illius, quis ipse esset. Hæc Nonni poëtæ sententia est, cuius paraphrasis habet: *Sacerdotes autem conuena, interrogabant celeri sermone, Quis es tu? Num Christus es?* Nam quod sponte Iohannes, interrogatus generaliter quis esset, responderit *Non sum ego Christus*, nō est simile vero. Tametsi enim sciret se à multis haberi pro Christo, debebat tamen id dissimulare, & se gerere vt qui nesciret, donec apertè interrogaretur; & præsertim coram istis viris doctrinâ & auctoritate pollentibus, magnique synedrij legatis: qui alioqui, vt erant animō satis acerbo, probabile est, nec facilè ferente, vt pro Christo aut prophetâ se gereret, qui ipsorum auctoritatem non agnosceret, regessissent in Iohannem: Quid te Christum non esse respondes, an putas illam nostram, aut magni senatus, à quo missi sumus, esse opinionem? certè monstras inflatum te esse, & tibi ipsi blandiri, ex ea quam vulgus de te habet suspicione. Dic quis sis, non quis non sis. Non enim ignorabat Iohannes horum hominum ingenium, quod patet Matth. 3. v. 7. Postquam igitur legati ad Iohannem peruenerant, alloquuti sunt eum in hunc aut similem modum: Venimus huc missi à supremo concilio, vt ex te sciamus quis sis, quidve dignitatis aut muneris à Deo acceperis: & in primis scire ex te desideramus an tu sis Christus, quod quidam de te suspicantur. Ponit hæc quæstio opinionem de Iohannis sinceritate sanctitateque non mediocrem, vt cuius fidatur testimonio de suâ propriâ dignitate interrogati. Multi sponte de seipsis hoc confinxerunt & euulgarunt, se Christos esse: quanto magis id arripuissent, si vltrò à legitimis iudicibus, fauentibus, aut certè non refragantibus, id fuissent rogati? quamquam incertum est, an isti mox credidissent Iohanni, si affirmasset se Christum esse. *Confessus est.* palàm & apertè disertisque verbis agnouit ac dixit.

Et non negavit. & non retractauit. Familiare Hebræis est, affirmando simul & negando rem eandem enunciare, maioris confirmationis gratiâ, quod annotauimus etiam suprà ad versum tertium. Et confessvs est. confessus est inquam, aut inquiens. Qvia. superest sermoni latino. Non svm ego Christvs. Rursus oratio recta pro obliquâ, quòd non esset ipse Christus: quamquam ipsa Baptistæ verba, sic velut ab ipso loquente recitata, emphasin adferre videantur, non tantùm fidei, verùm & perspicuitatis verborum quibus ille est vsus. Postremum hoc *Non sum ego Christus*, ad vtrumque *confessus est*, quod præcedit, refertur, doctore etiam B. Augustino. Porrò pleonasmus iste & repetitio verborum eò pertinet, vt significetur Iohannes constantissimè negasse se esse Christum, incunctanter, liberè, disertè, & sine ambiguitate, palàm confessus & testatus esse, se Christum non esse, nec id modestiæ causâ dumtaxat, sed omnino asserendæ veritatis, re eadem pluries & aliis atque aliis verbis repetitâ. quasi dixerit: Nequaquam ego Christus sum, falluntur plurimùm qui id putant, ac malè me habet aliquos eam concepisse de me opinionem, quia à veritate aliena est. Notatur Iohannis animus ab omni arrogantia & vano sui ipsius blandimento alienissimus, diligentiaque in remouendâ à se, præclarâ quidem, sed non verâ opinione, contemtâ fortissimo animo falsi nominis gloriâ: quam tamen de se opinionem, non tam interrogantium esse credebat, quàm sciebat esse populi. *Hoc fidelis serui officium est*, inquit Chrysostomus, *non solùm Domini sui gloriam non aucupari, sed & à multitudine tributam propulsare*; & prudentis, malle, quod D. Gregorius habet, *solide subsistere in se, quam humanâ opinione rapi inaniter super se.*

καὶ ἠρώτησαν αὐτόν, τί οὖν; ἠλίας εἶ [21] σύ; καὶ λέγει, οὐκ εἰμί. ὁ προφήτης εἶ σύ; καὶ ἀπεκρίθη, οὔ.

Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

Et. pro Itaque interrogavervnt evm rursus. Elias es tv? Non difficulter cedunt Iohanni, neganti se Christum esse (nec enim tam legatorum istorum, quàm vulgi contraria erat opinio, plurimis signis agnoscendi Christi à prophetis datis reclamantibus) vt nec affirmanti, adeò facilè credidissent arbitror: persuasi tamen Christi tempus aut adesse aut instare, quod dicebamus, hærent in eo: idcircò postquam negauerat se Christum esse, rogant an sit Elias, quia sententia Scribarum erat, *quod Eliam oporteat primum venire*, antequam veniat Christus, quod testantur Apostoli Petrus & filij Zebedæi Matth. 17. v. 10. Quam sententiam Scribæ hauserant ex propheta Malachia, quod de posteriori Christi aduentu ille prædixerat, ad priorem trahentes. Rogant igitur an sit Elias. Fortè Elias es tu, qui Christum proximè præcedere habet, iuxta vaticinium Malac. 4. v. 5: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Respondet Iohannes quòd non, & rectè. Non erat Elias Thesbites, ille qui è terrâ curru igneo sublatus, ad hoc seruatur, vt proximè præcedat, horribilem posterioris Messiæ aduentus diem, quod eo loco propheta promittit. Cæterùm Iohānes humilem prioris aduentus Messiæ diem *præcedebat in spiritu & virtute Eliæ*, prout angelus prædixerat Luc. 1. v. 17. & ob hanc causam, Messias ipse eū vocat Eliam Matth. 17. v. 12. Sed vt non erat Iohannis hoc de seipso prædicare, ita respondendum ipsi erat ad mentem interrogantium. Obseruandus autem fuerat Scribis & alter Messiæ præcursor, à Malachia paulò antè prædictus cap. 3. v. 1: *Ecce ego mitto angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam.* qui haud dubium Iohannes Baptista erat, vt alter capitis quarti subsequentis, Elias Thesbites. nam vtriusque Messiæ aduentus, & vtriusque præcursoris, prædictione, Malachias prophetarum vltimus, vaticinium suum conclusit. Propheta. ὁ προφήτης ille

 propheta.

propheta. Omnes tractatores, qui, vel græci sunt, vt Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, vel græcè peritiores, veteres & recentiores, monent, articulum vrgendum esse, & de certo prophetâ interrogationem institui, illo nimirum quem Moses promiserit Deut. 18. v. 15: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*. & paulò pòst v. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui*, &c. Nam quamquam propheta iste non alius intelligendus sit quàm Christus, interprete inter alios B. Stephano Act. 7. v. 37., Iudæorum tamen error erat, non Christum esse, sed Christi comitem. Existimabant enim, vt Eliam præcursorem, ita insignem aliquem prophetam, siue recenter excitatum, siue ex antiquis rediuiuum, Christo comitem fore; non enim decere Christum regem, prophetæ siue doctoris per se munus obire. Certè Petrus Galatinus inter Neotericos, refellit lib. 8. cap. 7. Iudæos, negantes Messiam prophetam fore. Hoc igitur errore imbuti, quæsiuerunt ex Iohanne, an ipse sit ille propheta, qui vnà cum Christo exspectetur: illeque verissimè respondit quòd NON, *quia percontantium animum inspexit*, ait Chrysostomus, *negans, non se prophetam esse, sed prophetam illum esse*. Non enim erat huiusmodi aliquis propheta exspectandus vnà cum Christo: qui vt ipsemet & regis & sacerdotis & prophetæ partes obiturus erat, ita nunc sub regis nunc sub sacerdotis nunc sub prophetæ nomine promittitur.

Dixerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? [22] εἶπον οὖν αὐτῷ, τίς εἶ, ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν τοῖς πέμψασιν ἡμᾶς; τί λέγεις περὶ σεαυτοῦ;

QVIS ES. Dic igitur ipse quis sis, quoque munere insignitus. nam præter hos tres, quorum tempus adesse putatur, alios magistros non exspectamus. DEMVS. referamus summo senatui, qui ad hoc MISERVNT NOS ad te, vt te confitente per nos intelligerent quis sis. Obiiciunt auctoritatem eorum à quibus missi erant, ne ad hos vacui & incerti absque responso redirent, quod minùs decorum foret, ipsi præsertim Iohanni.

QVID DICIS DE TEIPSO. postquam nihil illorum es quæ percontati sumus, quæque liceat de te suspicari?

Matth. 3. v. 3. Marc. 1. v. 3. Luc. 3. v. 4. Isa. 40. v. 3.

Ait: Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. [23] ἔφη· ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, εὐθύνατε τὴν ὁδὸν κυρίου, καθὼς εἶπεν ἡσαΐας ὁ προφήτης.

AIT tandem, pressus toties repetitis interrogationibus, vt ne seipsum prædicare alioqui videretur. Sic autem respondet, vt occultè insimulet eos ignorantiæ. q. d. Vos rogatis me an sim Christus, an sim Elias, an propheta ille, quia hos venturos ex Scriptura didicisse vobis videmini: at non consideratis præter hos & alium esse quem Scriptura promittat. Ego sum is de quo scriptum est. *Nisi enim adieceris de quo scriptum est, absurda quædam videtur sermonis constructio*, ait Theophylactus. VOX CLAMANTIS. Ego sum ille clamans, cuius vocem Isaias sibi videbatur audire è deserto dicentem: *Dirigite* &c. DIRIGITE. hoc scilicet clamantis, *dirigite*. εὐθύνατε. Hoc est idem illud quod alij Euangelistæ dicunt εὐθείας ποιεῖτε rectam facite, æquabilem, planam, honestam, flexibus, sordibus, incommodisque omnibus ablatis. Sententiam prophetæ adfert Baptista, non verba annumerat: præsertim vbi agit cum peritis Scripturarum. SICVT DIXIT. iuxta id quod prædixit PROPHETA ille celebris. Ne videretur, hoc ipsum quod se esse dicebat, humana auctoritate sibi arrogare, profert Isaiam, *auctoritate prophetica ministerium sibi cõmissum exponens*, quod ait Cyrillus. Porrò cùm dicere potuisset disertis verbis, se Christi prodromum esse, præconem, prænuncium, adeoq;, propositâ Malachiæ prophetiâ, angelum, mauult allatâ Isaiæ prophetiâ vocem clamantis se dicere, omnibus illis quos legati memorauerant honorificentissimis titulis, vt se ipse deprimeret, humilem hunc opponens: quo tamen ita satisfacit quæstioni quis sit, vt clarè significet, & se præcursorem ac præconem Christi esse, & Christum ipsum esse propinquum. *Seruus sum, inquit, & vias præparo Domino, corda vestra.* ita Theophylactus. *Venio, inquit, dicturus, in tanuis ipsum iam esse qui exspectatur, vt paratis situ proficisci, quocumque iubebit.* sic Cyrillus. Denique B. Augustinus: *Non vobis videtur præconis esse, dicere, exite, facite viam?* Sic autem eos docet præconem se esse Christi Domini proximi, vt obliquè moneat eos, præparare animos in illius aduentum, ita vt salutifer ipsis adueniat. Reliqua ad huius versiculi enarrationem facientia, lege Matth. 3. v. 3.

Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. [24] καὶ οἱ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν φαρισαίων.

ERANT EX PHARISÆIS, ex numero aut secta Pharisæorum. Sacerdotes & Leuitæ erant dignitate atque officio, quod dictum est; sectâ autem Pharisæi. Voluit hoc additum Euangelista, vt mitigaret arrogans illud quod sequitur responsum, temerè carpentium viri sancti gesta. q. d. Nihil mirum, Pharisæi fuerunt à quibus responsum illud profectum fuit, homines nimirum, legis peritiâ, vitæque sanctitate, quam præ se ferebant, nec non magistratu quem gerebant, inflati, cæterosque præ se contemnentes. Notat ergo Euangelista Pharisæorum arrogantiam, cum inuidiâ coniunctam, natam ex peritiâ legis, opinione sanctitatis, & auctoritate, quâ tunc temporis illi cæteris præcellebant: nam & Pharisæorum plurimi scribæ erant seu legisperiti, & magistratus Pharisæis maximè constabant: quę aliàs à nobis sunt ostensa. Horum igitur arrogantiam, quam vt ex euangeliis notissimam ponit, cum inuidiâ coniunctam, insinuat causam fuisse propositæ Iohanni eius quæ sequitur quæstionis, studio reprehendendi, *non cognoscendæ veritatis*, quod ait Beda: quasi non tam iussu concilij à quo missi fuerant, quàm propriâ sponte affectuque priuato, sic aggressi sint virum sanctum, rati ac læti se nactos carpendi deprimendique occasionem, cuius gloriæ inuidebant. Ita fit non rarò, vt legati, non tam dominorum suorum, quàm propriis affectibus ducti, res agant.

καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, καὶ εἶπον αὐτῷ· 25 τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ χριστὸς, οὔτε ἠλίας, οὔτε ὁ προφήτης;	Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu nō es Christus, neque Elias, neque propheta?

ET pro Itaque. DIXERVNT EI. *ex insita eis arrogantia*, quod ait Cyrillus. QVID. quâ auctoritate. BAPTIZAS populum ad te confluentem, tuâ ipsius prædicatione excitum, nouo illum sacramento imbuens, & hac noua ratione cum Deo aut potiùs tecum ipso iungens. *Quasi audacia videbatur esse baptizare*, ait Augustinus. *Quis es tu qui tale attentas opus, baptizans & purificans confitentes. quis tibi hanc dedit auctoritatem?* verba sunt Theophylacti. SI TV NON ES CHRISTVS ille, omnibus seculis desideratus, atque exspectatus hactenus; NEQVE ELIAS, eius prænuncius; NEQVE PROPHETA ille, eius comes. Baptismum enim, Christi tempore populo administrandum legimus Ezech. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* &c. Rursus Zachar. 13. v. 1: *In die illa erit fons patens domus Dauid & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Tu qui ad Christum non pertines, vt ipse cōfiteris, audacter nimis & temerè, præsumis populum publicè baptismo initiare, quod nulli hactenus licuit, aut vsitatum fuit prophetarum, quippe Christo aut eius comitibus reseruatum: præsertim cùm nullam à nobis legitimis populi Dei principibus acceperis ad hoc potestatem: quos si non Christus, eiusque anteambulo Elias & propheta socius, certè cæteri omnes, agnoscere debent superiores, nec quidquam publicè aggredi absque nostro scitu ac consensu. Prophetiam Isaiæ quam Iohannes attulerat prætereunt negliguntque, tamquam ad rem non pertinentem, temereque à Iohanne prolatam, ne nihil habere videretur, quod de suo munere interrogatus responderet: & ex eo Iohannem redarguunt, quòd, cùm nec Christus, nec ex eius comitibus à Scriptura prædictis sit, baptismum in vsum publicum vocet. Quare insignem produnt inscitiam, quòd Scripturam in medium allatam non intelligant: nam si intellexissent, cognouissent vtique quòd se ad Christum pertinere Iohannes diceret, eiusque se esse præcursorem atque apparitorem, vt cuius sit, clamore è deserto edito populum excitare, vt viam paret Domino aduentanti. Cum inscitiâ autem testantur arrogantiam suam, quod diximus, inscitiam inquam arrogantem, qua audent insulsè virum Dei arguere temeritatis (quod nec in mandatis fortasse habebant) quem reuereri, & à quo discere velle debuerant, rogareque clariùs exponeret quid sibi vellet illa Isaiæ prophetia, quam sibi aptauerat. Atqui contrà illi, se solos sapere credebant, atque in ea doctrinæ vitæque perfectione constitutos, cui, nisi fortè à Messia, nil addi posset. Quocirca, læti, quòd negasset Iohannes se esse Messiam, eiúsve comitem, tamquam suo ipsorum honore recuperato, quem illius gloria deprimeret, insultant auidè, &, quod Cyrillus ait, *aperte increpant, dicentes: Quid ergo baptizas? Cur tantam rem, cùm dignus non sis, aggredi ausus es? Consueuerant enim semper ex proteruitate Pharisæi, præsentes nimirum contemnere, & venturum simulato afficere honore, & vt ipsi magni apud Iudæos essent, & diuitias ingentes sibi accumularent, neminem præter se pati honorari.* Hæc Cyrillus.

ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ ἰωάννης λέγων· 26 ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι, μέσος δὲ ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.	Respondit eis Iohannes dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis.

Matth. 3. v. 11. Luc. 3. v. 16.

EGO BAPTIZO. Arrogātibus modestè simul & appositè respondet. Et cur non excipit obiurgatione, inanem ipsorum arrogantiam, vt digna erat: quemadmodum aliàs cùm diceret Matth. 3. v. 7: *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à venturâ irâ?* Quia non de personis eorum castigandis emendandisque iam agebatur, sed de asserendo munere diuinitus sibi cōmisso, eaque in re satisfaciendo magistratui legitimè inquirenti. Nā si aliter egisset, visus fuisset iactis conuiciis obtegere velle fraudulentiam suam, nullâ auctoritate vsurpantis officiū baptizandi. *Vide & mansuetudinem & veritatem sancti*, inquit Theophylactus; *mansuetudinem quidem, eò quòd nihil asperum ad eos loquitur, quamuis insolentes essent; Veritatem autem, quia liberrimus testis erat gloriæ Christi, neque Domini gloriam occultabat, vt sibi nobilitatem pararet.* IN AQVA. solâ meraque aquâ: ego nihil aliud quàm tingo corpora aquâ, *baptismo imperfecto*, quod ait Theophylactus. q. d. Rectè sentitis, baptismum non pertinere nisi ad tempus Christi: nec ego vsurpo aut mihi arrogo baptismum Christi: meum enim baptisma, quamuis à Deo mihi iniunctum, *exiguum est & vile, nec præter aquam quidquam habet* (Chrysostomi sunt verba) & confessionem peccatorum. MEDIVS AVTEM VESTRVM. id est, inter vos, huius loci temporisque Iudæos, tamquam vnus ex vobis. Alludit ad illa Mosis verba Deut. 18. v. 18. *de medio fratrum suorum.* & v. 15. *de gente tua*, quod est hebraicè *de medio tui*, vt mox. STETIT quidam. Steterat Iesus inter Iudæos haud dubiè, quando petiuerat inter alios à Iohanne baptismum: sed videtur præteritum hoc præsentis loco poni, & absolui à tempore, pro stat, est, conuersatur vobiscum, habitat inter vos, intrat & exit (vt aliàs Scriptura loquitur) agit vobiscum, iam ab annis pluribus. Certè apud veteres legitur præsens *stat*, Cyprianum lib. 2. contra Iudæos cap. 18: *In medio autem vestri stat*; Hieronymum in Ezechielis caput 34., Ambrosium in Psal. 47. vbi ait: *Medius vestrûm stat, quem vos nescitis, hoc est, in medio vestri est, & non videtur.* QVEM VOS NESCITIS. οὐκ οἴδατε non nouistis. quem ego quidem noui, & quantus sit scio: sed vos adhuc nescitis nondumque nouistis quis sit. Facie vidisse potuistis, vtpote inter vos agentem: sed nescitis cuius dignitatis & conditionis sit: gerit enim adhuc se vt plebeium atque humilem, nondumque ei visum est seipsum manifestare, & vim ac magnitudinem suam exserere. Locutus est hæc Iohannes, priusquam Iesus publico se dedisset, pridie nimirum eius diei, quo à ieiunio & tentationibus deseruit desertum. Nam postridie huius legationis, *vidit Iohannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei* &c. infrà v. 29. atque ex eo tempore demum, quo à Iohanne fuerat digito indicatus, cœpit seipsum manifestare Iesus, & pro Christo gerere. Dicit autem, quòd eum non nouerint, quamuis inter ipsos agentem, vt studium ipsis excitet ad cognoscendum, caueantque ne sibi ipsis desint ad ipsum agnoscendum, simulatque seipse manifestare cœperit.

Sup. v. 15. Inf. v. 30. Matth. 3. v. 11. Marc. 1. v. 7. Luc. 3. v. 16.

Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.

27 αὐτός ἐστιν ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος.

IPSE EST ille, quē iam ſæpè dixi poſt me venturum. nihil enim aliud Iohannes legatis reſpondet, quàm iam antè frequenter dixerat populo. VENTVRVS. ἐρχόμενος *veniens* vertit Cyprianus loco mox citato, quia agitur de re inſtante, de Chriſto *qui in ianuis iam, imme intra ianuas eſt*, vt ait Cyrillus: ne procul adhuc abeſſe putent, ac proinde negligant eius cognitionem: cōtrà verò arrectis ſint auribus & oculis, vt caput efferentem mox agnoſcant. *Venturus* autem, id eſt, baptizando ſucceſſurus: agitur enim hîc ſignanter de baptiſmo, de quo & Iohannes fuerat interrogatus, potiùs quàm de prædicatione, quæ liberiùs permittebatur. Poſt me baptizaturus eſt, non vt ego nudâ aquâ, ſed Spiritu ſancto, iubens non ſolùm peccata agnoſcere & confiteri, vt ego, verumetiam ea abluens & mundans. Hoc enim, vel expreſſit hoc loco Iohannes, quemadmodum anteà fecerat apud populum, ſecundùm priores Euangeliſtas, vel ſaltem intelligi voluit. Poſtquam enim ſuum extenuaſſet baptiſmum, addens hunc ſe maiorem poſt ſe baptizaturum, intelligi voluit, illius baptiſmum ſuo longè præſtantiorem fore. *Illud, post me venit, eius maxime oſtendit dignitatem*, inquit Chryſoſtomus: *nam ſi Iohannis baptiſma erat perfectum, nullus erat ſecundo locus: illud tamen huius præparatio quadam & præcepio eſt.* In quam ſententiam & Theophylactus: *Continue ponit hoc qui post me venturus eſt, oſtendens quòd neque perfectum ſuum ſit baptiſma, ſed tantum prauiū ad ſpiritale baptiſma.* Vult ergo dicere Iohānes, ſuum baptiſmum aqueum, non niſi præparationem quandam eſſe ad diuinum Chriſti baptiſmum: &, vt Cyrilli verbis, Iohannis ſententiam explicem: *Ego*, inquit, *præparando lauo aquâ inquinatos peccatis ad initium pœnitentiæ, & hoc pacto ab his minoribus ad ſublimiora vos præparo. Maiorum autem rerum & ſummæ perfectionis largitor, post me venturus eſt.*

QVI ANTE ME FACTVS EST. mihi antepoſitus eſt, vt ſuprà v. 15. latiùs expoſuimus. CVIVS EGO. qui vulgi iudicio videor magni aliquid eſſe. EIVS. ex ſuperfluo repetitum eſt, iuxta proprietatem ſermonis hebraici. CALCEAMENTI. Nec qualicumque modo antepoſitus eſt mihi, verùm vſque adeò, vt ego dignus non ſim ipſi eſſe à calceis. Ne exiguus putaretur eſſe exceſſus, maior eſt, inquit, quàm eſſe poſſit, inter ſummum dominum & viliſſimum ſeruum. *Ne ex comparatione ſimilitudinem intelligerent*, inquit Chryſoſtomus, *cum nullam vellet intelligi, ita ante ſe fuiſſe dicit, vt neque inter vltimos miniſtrorum adnumerari ſe dignum profiteatur. Soluere enim calceamenta, viliſſimi ſerui officium eſt.* Porrò hoc dicit Iohannes, reſpiciens ad Chriſti diuinitatē præſertim: quare Euthymius: *Neque inter poſtremos eius ſeruos numerari mereor, propter magnitudinem conſiderata in eo diuinitatis.* Sūma eſt, Ipſe eſt Chriſtus Filius Dei, ante quem ego ſum miſſus, vt præcurſor quidem, ad hoc vt tenui baptiſmo viam parem ſacroſancto ipſius baptiſmo, indignus tamen, non tantū qui præcurſoris officio coram eo fungar, verumetiam qui viliſſimi mancipij. Quantum ab aliis eleuabatur, dum Chriſtus eſſe putaretur: tantum ſe ipſe deprimit, & Chriſto poſtponit. Atque omnino egregiè abſoluit reſponſum ſuum. Legati ante omnia rogauerant an eſſet Chriſtus: ipſe concludit, *ego non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiā calceamenti.* Reliqua ad huius verſiculi enarrationē facientia, petenda ſunt ex prioribus Euangeliſtis.

Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanē, vbi erat Iohannes baptizās.

28 ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ ἐγένετο πέραν τοῦ ἰορδάνου, ὅπου ἦν ἰωάννης βαπτίζων.

HÆC. Hoc tam plenum tamque magnificum ac legitimum teſtimonium de Ieſu, quòd & Chriſtus ſit & Filius Dei, datum à Iohanne fuit IN BETHANIA. Latina & ſyriaca exemplaria legunt *Bethaniæ*; græcorum, alia *Bethania*, alia *Bethabara*. *Illa exemplaria veriora videntur*, notat Chryſoſtomus cum ſchola ſua, *in quibus Bethabara ſcriptum eſt: Bethania enim non trans Iordanem, neque in deſerto erat, ſed non longe ab Ieroſolymis.* Certè ſi *Bethania* legatur, non eſt intelligenda illa *Bethania* Mariæ & Marthæ ſororum Lazari, quæ infrà 11. v. 18. abeſſe Ieroſolymis dicitur *quaſi ſtadiis quindecim*, ſed alia ad Iordanem. Exiſtimant plerique fuiſſe hoc loco traiectum Iordanis, hinc *Bethabara* dictum, à בית *beth* quod domum, & עבר *habar*, quod tranſire ſignificat. Sed & in eamdem ſententiam Franciſcus Toletus interpretatur Bethaniam, ſcribens, nō mediâ literâ ע *ain*, prout ſcribi conſueuit, & Syrus etiam hoc loco ſcribit, ſed א *aleph*, deriuanſque ab אני *oni* ſeu אניה *onia*, quod nauim declarat, tamquam dicas domum nauis, quòd eo loci nauis iaceret, parata ad tranſmittendos homines in aduerſam ripam. TRANS. vltra IORDANEM in tribu Ruben, in regione Peræa. Reſpicit enim Euangeliſta, tum ad legatos Ieroſolymis emiſſos, tū ad ſeipſum Iudææ cultorem: nam & infrà cap. 11. v. 40. dicitur Ieſus, Ieroſolymis, *abiiſſe iterum trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Iohannes baptizans primum* (poſteà enim mutato loco, baptizauerat Iohannes *in Aenn0n iuxta Salim*. infrà 3. v. 23.) quo loco poſtquam aliquamdiu fuiſſet Ieſus, *dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum.* (cap. 11. v. 7.) tamquam illic exiſtens, in Iudæâ non fuiſſet. Quare & Adrichomius topographus, Bethabaram collocat in Peræa, in tribu Ruben. Sunt qui putent ſitam fuiſſe in Iudæa, in tribu Beniamin, & trans Iordanem fuiſſe venientibus ex tribu Ruben, Peræa, Batanæa, & cæteris regionibus tranſamnanis: atque hoc doceri poſſe videatur ex prioribus Euangeliſtis, ex quibus Marcus, Iohannem baptizaſſe in deſerto (cap. 1. v. 4.) Matthæus prædicaſſe in deſerto Iudææ (cap. 3. v. 1.) ſcribunt. Atqui credibile eſt, Iohannem, nunc in hac, nunc in aduersâ fluminis ripâ, ac proinde nunc in Peræa, nunc in Iudæa, baptizaſſe & prædicaſſe (ſolo enim Iordane fluuio medio, diſterminantur Iudæa & Peræa, tribus Beniamin & tribus Ruben) atque eò magis, quòd traiectus fluminis illic fuiſſe credatur. Nam & Lucas, *venit*, inquit, *in omnem regionem Iordanis* (cap. 3. v. 3.) & citra, videlicet, & vltra, proximam Iordani. Ac potuit, totus ille locus traiectus, partim citra, partim vltra Iordanem ſitus, eodem vno nomine ſiue Bethaniæ ſiue Bethabaræ, vocatus fuiſſe. VBI ERAT IOHANNES BAPTIZANS. tum quòd locus vicinus eſſet deſerto, in quo erat habitatio Iohannis, tum quòd frequens fuerit locus, con-

fluen tibus

fluentibus eò vndequaque populis, iter facientibus ex regionibus transamnanis in Iudæam, & rursus ex Iudæâ in regiones tranlamnanas. erat enim eò loci traiectus fluminis, quod dictum est. Porrò nominauit Euangelista locum, partim ob historiæ certitudinem (*solent enim*, inquit Cyrillus, *homines loca etiam singula, vbi res magnæ gestæ aut expositæ sunt, memoriâ diligentius commendare*) partim vt sicut à personis inquirentium commendauerat Baptistæ testimonium, ita commédaret & à loco, quòd loco celebri & frequenti datum fuerit, coram multitudine populi, qui magno numero illuc conuenerat, & ad baptismum petendum, & ad traiiciendum flumen. *Propterea etiam locum significat Euangelista* (habet Chrysostomus) *vt magnanimi præconis fiduciam ostenderet. Non enim domi, neque in angulo aliquo, se abdidit: sed apud Iordanem, in media omnium qui ab ipso baptizabantur multitudine, palam profitebatur supremum illud arcanum, & inenarrabilis doctrinæ plenum de Christo.* Iam relinquit Euangelista intelligendum, quod legati Ierosolymam reuersi, retulerint principibus summoque senatui Iudæorum, id omne quod à Iohanne acceperant responsi: vnde vult intelligi, nulla pòst excusatione dignos fuisse principes, quando Iesum reiecerunt, nec receperunt vt Christum Filium Dei. Quamuis enim Iohannes Iesum nondum nominasset: quia tamen in ianuis esse dixerat, & mox sibi baptizando successurum, tantundem fecerat ac si nominasset, præsertim cùm mox posteà sé manifestantem ac baptizantem, consimilibus constanter testimoniis & elogiis sit prosecutus.

τῇ ἐπαύριον βλέπει ὁ ἰωάννης τὸν ἰησοῦν ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει· ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου.

29 Altera die vidit Iohannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatũ mundi.

ALTERA DIE. postridie eius diei, quo legationi principum Iudæorum Iohannis responso satisfactum fuit. VIDIT. βλέπει videt. præsens pro præterito, quamquam præsens maiori cum emphasi rem ob oculos quasi præsentem ponat. VENIENTEM. Veniebat è monte illo, verisimile est, in quo à diabolo relictus, angelorum ministerio fuerat honoratus. Matth 4. v. 8. 11. *Narrat* enim hic Euangelista, *quæ post descensum montis secuta sunt, à Matthæo prætermissa*, quod notat Chrysostomus. *post descensum eius à deserto*, inquit Euthymius. AD SE. Veniebat ad Iohannem, tamquam cæterorum more, gratiâ audiendi conciones ipsius, à quo nuper fuerat baptizatus; reuera autem, vt occasionem Iohanni præberet, ipsum monstrandi. Nam cùm hactenus prædicasset Iohannes Messiam venire, in foribus esse, adeoque inter ipsos Iudæos versari: iam tempus erat vt ipsum monstraret, ne æquo diutiùs auditorum animos suspensos teneret, néve illi iamdiu ad videndum accensi, falsum quempiam per errorem pro vero acciperent. Ergo cùm sacerdotibus legatis testatus esset, adesse iam & versari in medio populi Christum, postridie eum se offerentem palàm ostendit. Hæc enim duo, continuâ temporis serie coniuncta, plurimum ad mouendos animos valuerunt. Obseruandum autem, Iesum non priùs monstrari voluisse, quàm principes Iudæorum certiores legitimè facti essent solidissimo Iohannis responso legatis dato, ipsum quidem Christum non esse, Christum tamen adesse, adeoque inter homines versari, & viam ei ab ipso parari. Quâ re intellectâ, cùm mox amplius audirent, Iohannem deinde etiam nominare & monstrare quis sit Christus, decentissimo ordine res abs Iohanne gradatim patefacta fidem meruit irrefragabilem; eoque maiorem, quòd Iesus statim subsequutus, variis modis datum de se à Iohanne testimonium confirmarit. ET admonitus à Spiritu quid esset agendum.

AIT discipulis cæterisque auditoribus suis præsentibus; non audiente Iesu, sed antequam ille propiùs accederet. ECCE. hic est. Nonnus: *Et cum ei exiisset digitum, commonstrabat testi populo propè venientem. Illud verbum ecce ponitur*, inquit Chrysostomus, *eò quòd multi iam ipsum inquirebant, ideò præsentem ostendit, dicens Ecce hic est de quo iam sermo habitus est. Breui admodum tempore*, ait Cyrillus, *propheta simul & Apostolus Baptista effectus est: quem enim venturum prædicabat, hunc iam monstrat præsentem.* AGNVS. ὁ ἀμνὸς ille agnus, verissimè innocens, immaculatus, mansuetus, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur* (1. Pet. 2. v. 22. 23.) sed obediens, mansuetus, & innocens, mactatus atque occisus est. Ob has proprietates Christus figuratè agnus vocatur, & quidem cum articulo ὁ ἀμνὸς, ob excellentiam illarum proprietatum: quamquam non excellentiæ tantùm emphasim articulus hic habeat, verumetiam relationis: *reuocat enim in memoriam*, quod ait Chrysostomus, *prophetiam Isaiæ, & vmbram à Mose repræsentatam. Non dixit agnus*, inquit Theophylactus, *sed dixit ille agnus: nam multi quidem agni, sicut & multi Christi, sed ille est verus agnus, qui à Mose figuratur, & ab Isaia prædicitur.* similia habent Cyrillus & Euthymius. Alludit enim Baptista, & ad Isaiæ prophetiam cap. 53. v. 7.: *Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*; & ad sacrificia legis, quibus agni frequenter, immo quotidie mane ac vesperi offerebantur (Exod. 29. v. 38.) adeoque præcipuum paschæ sacrificium erant agni, iique masculi, anniculi, immaculati (Exod. 12. v. 5.) Hi Christum adumbrabant, immolandum pro humani generis peccatis. Ipse est enim purissimus ille agnus, quem Deus sibi gratissimam victimam destinauerat ad expianda peccata totius mundi, omnium vitiorum genere inquinati. Idcircò addit DEI, quod est, qui destinatus est, vt Deo, instar agni, offeratur & immoletur. Nam *Agnus Dei dicitur Christus*, non tam *quòd Deus tradiderit illum pro nobis ad mortem*, quod potissimùm vrget Theophylactus (quamquam & illud verum sit) quàm quòd Deo per mortem esset offerẽdus, siue *quòd Deus acceperit mortem Christi pro nostra salute*, vt idem ille ait. Quare hoc elogio agni Dei, Baptista inter cætera prædicebat mortem adeoque interfectionem Christi: intelligit enim instar agni mactandum & offerendum Deo, mactandum quidem manibus impiorum, offerendum autem Deo ipsum à seipso, atque ad hoc à Deo ipso deuotum, *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8. v. 32.) Quod quamquam ab ipsius Baptistæ auditoribus tunc non intelligeretur, relinquebat ille tamen suo tempore intelligendum. ECCE. Non legitur græcè nec syriacè *ecce* repetitum, vt & ab optimis latinis libris omittitur.

QVI TOLLIT. vt actu peccati præterito, remanent duo quædam, macula deturpans animam & reatus pœnæ: ita peccatum alterius tollere dici potest, qui vel maculam eluet, vel pœnam debitam soluit: porrò qui vtrumque præstet, & deleat maculam, & suscipiat in se pœnam, perfectissimè ille tollere dicatur. Vtrumque

que

que fecit Iesus Christus, morte sua cumulatissimè satisfecit iustitiæ Dei pro peccatis mundi, ferens ac luens pœnas peccatis mundi debitas: insuper hoc promeruit, vt condonarentur, delerentur atque abolerentur peccata, nec ita tantùm, *vt non imputentur, ita vt iusti & puri censeamur*, quo modo in hunc locum Caluinus scribit (nec enim auferuntur, quæ quamuis non imputentur, remanent) verumetiam ita vt omnino non sint, omni prorsus maculâ deletâ atque ad nihilum redactâ. Quare iustissimè Baptista Christo honorem hunc tribuit, quòd tollat peccata mundi, respiciens rursus ad Isaiæ prophetiam cap. 53., vbi habet v. 6: *Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm*; rursus v. 11: *Et iniquitates eorum ipse portabit*; denique v. 12: *Et ipse peccata multorum tulit*. Porrò *tollit* dicit potiùs quàm *remittit*, quia de Christo loquitur vt hostia expiatiua: nam hoc agni titulus declarat, quòd *pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati* (1. Pet. 1. v. 19.) redimantur atque auferantur peccata mundi: hunc modum dat intelligendum tollendorum peccatorum, quòd Patrem hominibus propitium reddat pro hominibus immolatus. Quamuis autem mors immolatioque futura adhuc erat, non tamen ait Baptista futuro tempore *tollet*, sed præsenti *tollit*: vt indicet natiuam & perpetuam peccata tollendi vim huic agno inhærentem; naturâ suâ ἀναιρετικὸν esse hunc agnum: quemadmodum dicimus ignis calefacit, volentes dicere eam esse naturalem ac perpetuam virtutem ignis. Agnus enim hic, non tantùm postquam immolatus est, verumetiam antequam immolaretur, immo antequam secundùm carnem nasceretur, à principio mundi, peccata deleuit ac sustulit eorum qui in ipsum crediderunt venturum: quam ob causam *ab origine mundi occisus* dicitur Apoc. 13. v. 8. *Non dixit qui tollet aut tulit peccata mundi* (inquit Chrysostomus hom. 17.) *vt quotidie ea tollere intelligatur*. PECCATVM. numerus singularis hebraico more collectiuè acceptus pro plurali, quoduis peccatum, omnia & singula peccata, originale & actualia, mortalia & venialia, commissionis & omissionis, cuiuscumque generis, quàm grauia, quàm leuia sint. *Peccatum dicens, omnia peccata significauit*, ait Theophylactus; quidquid iniustitiæ est, quod Deum ab hominibus alienet. Hoc omne tollit hic agnus Deo oblatus, efficacissimum sacrificium siue pro peccato siue pro delicto. MVNDI totius, hominum omnium. *Vnus pro omnibus occiditur*, ait Cyrillus, *vt omne genus hominum Deo Patri lucrifaciat*. Opponit Baptista mundū Israeli, quod frequens est & huic Euangelistæ, vt infrà 3. v. 16: *Sic Deus dilexit mundum* &c. & 1. epist. 2. v. 2: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. *Mundi* totius, tam Gentium quàm Iudæorum, vt ne putent Iudæi se solos participes fore gratiæ Christi. Quot sint totius mundi per se immundissimi, peccata, impossibile est declarare, quia innumera sunt, non tantùm in toto mundo, verumetiam in singulis hominibus mundi, qui ad iustam ætatem peruenerint: & tamen aufert ea omnia hic agnus, tantâ est virtute. Quamquam verò multi in mundo & sint & fuerint, quorum peccata actu non auferat: tamen, vt multorum peccata aufert, ita valet auferre omnium: nec ex infirmitate ipsius est quòd multorum non auferat, sed ex illorum vitio, quòd non credant in agnum hunc, aut non diligant eum, quòd per sacramenta non se vniant illi eiusque virtutem ad se trahant: quemadmodum ignis valet omnes calefacere, sed ad se propiùs accedentes, pharmacum valet morbum curare sed acceptum: quòd si qui accedere ad ignem nolint, suâ culpâ remanēt frigidi: si pharmaco nolint vti, propriâ sponte pergunt ægrotare. Consequitur autem, agnum hunc, si auferat peccata mundi, mundi saluatorem esse: omnium enim bonorum fons, est ablatio peccatorum: peccatis ablatis succedit iustitia, pax, & salus animæ ac corporis: adeoque proprium ac præcipuum Christi & officium & beneficium breuibus his verbis Baptista dilucidè exponit, quòd scilicet mortis suæ sacrificio peccata tollens, mundum Deo reconciliatum seruet ac saluet. Atque hoc elogio distinguit hunc agnum, ab illis qui ex legis Mosaicæ præscripto offerebantur, qui & ipsi erant agni Dei, & nunc pro peccato nunc pro delicto offerebantur: quia illi ne Israëlis quidem siue peccata siue delicta tollere poterant, solummodo per hunc agnum tollenda præsignabant: hic verò agnus per se & Israelis & totius mundi tam peccata quàm delicta radicitus tollit. *Agnus qui sacrificabatur in lege*, ait Euthymius sequutus Chrysostomum & Theophylactum, *vnius Israelitici populi auferebat peccatum tamquam figura: agnus autem Dei immolatus, totius mundi aufert peccatum, & tamquam veritas eos qui in mundo sunt purificat*. Iam si hic agnus tollat peccatum mundi, necesse est vt ipse immunis à peccato sit. *Nam qui aliorum aufert peccata*, quod Euthymius ex Chrysostomo notat, *manifestum est quòd ipse non habeat peccata. Non habet*, inquit Augustinus, *iste agnus traducem de Adam: carnem tantùm sumsit de Adam, peccatum non assumsit. Qui non assumsit de nostra massa peccatum, ipse est qui tollit nostrum peccatum*. Atque hoc etiam voluit Baptista intelligi, Iesum ab omni peccato immunem esse (nam & idcircò ab innocentia agnum vocarat) eo magis, *ne quis suspicaretur, cùm nuper vnà cum cætera multitudine baptismum accepisset, eâdem quâ illi causâ accepisse, vt scilicet peccata confiteretur, & in pœnitentiam ablueretur in flumine*, quod obseruat Chrysostomus cum sua schola. *Qui enim tanta excellit puritate, vt aliorum peccata possit abluere atque auferre, sanè constat eum non ad confitendum peccata baptismum subiisse*. Hac igitur ratione Baptista Messiam monstrauit, vt simul declarauerit mundi esse saluatorem, ne cognosceretur tantùm quis esset, verumetiam amaretur, & ipsi potiùs quàm sibi adhæreretur, denique ad ipsum discipulos suos omnes transmitteret: qui adeò non sit obnoxius vlli peccato (vt cæteri omnes homines, etiam ipse Baptista) vt vnus idoneus sit vniuersa totius orbis auferre peccata: adeò sit charus Deo, vt solus illius iram possit vertere in misericordiam: adeò denique mansuetus & amans salutis humanæ sit, vt paratus sit pœnas peccatis hominum debitas ipse luere ac soluere, & in se recipere hominum mala, vt in eos conferat sua bona.

Sup. v. 15. 27.

Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat.	30 οὗτός ἐστι περὶ οὗ ἐγὼ εἶπον, ὀπίσω μου ἔρχεται ἀνὴρ, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν.

HIC quem coràm cernitis, quem vobis digito ostendo, vt loquitur Theophylactus (quantumuis abiectæ conditionis esse videatur) EST ille DE QVO hactenus loquutus sum, & in summa DIXI. *In memoriam reducit Baptista quæ dixerat*, ait Cyrillus, *& gloriæ Christi vltrò ac sponte cedit, nec ex charitate magis quàm ex veritate adeòque necessitate id facit*. VENIT. ἔρχεται verbum est præsentis temporis, pro quo suprà & alibi legitur partici-

participium præsentis temporis ἐρχόμενος, quamquam à Latino Interprete ferè redditum participio futuri temporis *venturus*. VIR. id est, quidam: sumitur enim indefinitè, quare etiam suprà v. 15. subaudiendum relinquitur, non additur. Hic versiculus continens summam eorum quæ Baptista hactenus de Christo aduen iente prædicauerat, hoc solum proprium habet, quòd monstratum iam à Baptista esse doceat, quis ille de quo illa prædicauerat, quis inquam Christus esset, *Iesus* videlicet: magno enim, haud dubium, desiderio illius cognoscendi, auditores Baptistæ omnes tenebantur, vt nec tutum erat diutiùs manere incognitum, quod diximus. Reliquum versiculi huius expositum fuit suprà v. 15.

κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν, ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τῷ ἰσραὴλ διὰ τοῦτο ἦλθον ἐγὼ ἐν τῷ ὕδατι βαπτίζων. 31 Et ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.

ET EGO quidem, in deserto constitutus, priusquam fieret super me manus Domini, & mitterer ad baptizandum ac præparandam Christo viam, NESCIEBAM. οὐκ ᾔδειν non noueram EVM s. Christũ siue Iesum, vllo pacto (fortè neque certò nouerat natum esse Christum: nam quòd infans exultauit in vtero ad ipsius præsentiam, miraculi fuit, non naturæ) immo etiam iam missus, & exercens ministerium mihi iniunctum baptizandi & prædicandi instantem Christi aduentum, non noueram *Iesum* aut nomine aut facie, neque sciebam determinatè quisnam Christus esset, antequam ille baptizandũ se offerret. Perdurauit hæc ignoratio vsque ad baptismum Christi: tunc demum nouisse eum cœpit, primùm reuelatione interiore, deinde etiam signo exteriore, vt paulò pòst dicemus. *Ego ignorabam eum*, inquit Euthymius, *antequam ad Iordanem veniret, vtpote semper in deserto versatus* (Luc. 1. v. 80.) Addit hoc autem Baptista, quòd eum non nouerat, & aliam Iesu notitiam se habere negat, quàm eam quę diuinitus obtigit, ne cognationi, familiaritati aut gratiæ dare aliquid videatur: nam & propterea disposuerat Deus, vt Baptista longè à Iesu, ageret vitam solitariam & ab omni hominum consuetudine remotam. *Aufert omnem testimonio suspicionem*, ait Chrysostomus, *cum non humana familiaritatis gratiâ, sed diuinâ reuelatione id se perhibere ostendat.* & posteà: *Ne videretur ad voluntatem loqui eius, cognationis gratiâ, inquit Nesciebam eum. & meritò sanè. Qui in deserto extra paternam domũ à puero versatus erat, quid mirum si Christum nesciebat:* Credo neque hoc sciuit, se cognatum eius esse. Ante eum diem quo Iesus Iohanni baptizandum se obtulit, nulla fuerat inter eos consuetudo, vt Iohannes Iesum posset vel ex vultu cognoscere: quemadmodum nec posteà videntur vnà fuisse diutiùs, nempe ita cõstituente Dei prouidentiâ, ne res ex composito inter ipsos geri videretur. SED VT. incognitus cùm esset & mihi & aliis. MANIFESTETVR ipse Iesus Christus, declaretur à me populo primùm instare aduentum eius, deinde mihi nominatim demonstretur, posteà adesse per me aliis denuncietur, denique præsens digito à me omnibus ostendatur. Non opus habuit Christus, à Iohanne aut quouis alio ostendi seu manifestari: sed rectus ordo id poscebat, Deo iudicante, vt priùs ab alio manifestaretur, quàm se ipse manifestaret. Nam manifestatus à Iohanne, deinde seipse congruo ordine manifestauit, longè etiam clariùs quàm Iohannes vmquam manifestauerat. Infrà 5. v. 36: *Ego habeo testimonium maius Iohanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater* &c. IN ISRAEL. τῷ ἰσραὴλ *Israel*, prout ferè legunt cum D. Augustino etiam latina manuscripta antiquiora: qui dandi casus est, positus pro *ipsi populo Israel*, vt explicat Augustinus, id est, Israelitis seu Iudæis. Nam quamquam maior pars incolarum terræ promissionis hoc tempore, ex tribu Iuda & Beniamin esset (illæ enim solæ tribus redierant ex captiuitate) erant tamen permixti cõplures etiam ex aliis tribubus Israel. *Manifestetur* itaque *Israel*, cui scilicet promissus est, & inter alios etiam mihi. Nonnus Paraphrastes: *Sed vt ipse habens incognitam faciem, manifestaretur omnibus Israelis filiis rectore carẽtibus, ego veni præcursor via non prædicata, baptizans indoctum, ignarum, erronem populum. Manifestetur* autẽ, ad hoc vt manifestatus recipiatur, ametur, & colatur ab Israel, tamquam promissus ille rex Israel: *vt omnes adducantur ad fidẽ in illum*, ait Theophylactus. PROPTEREA VENI EGO Deo mittente. IN AQVA BAPTIZANS. phrasis partim græca, partim hebraica, pro *baptizatum aqua*. Vt scilicet dum Israel excitatus hoc meo nouo baptizandi ritu, confertim ad audiendam prædicationem meam & subeundum quem conferrem baptismum conuolaret, ipse quoque Christus hac occasione adueniret, & inter cæteros se baptizandum offerret, atque hac opportunitate, & ego primus Christum cognoscerem, & Israeli deinde, quo dictum est modo, manifestarem. *Me enim baptizante*, habet Theophylactus, *concurrunt populi, & cùm congregantur, manifestatur eis Christus qui à me prædicatur, & præsens præsentibus ostenditur. Neque enim tanto studio omnes festinassent*, addit Chrysostomus, *si sine baptismate fuisset prædicatum*. Signanter autem adiungit Baptista *in aqua*, intelligendum dàns, suum baptismum tam vilem esse, si cum Christi baptismo conferatur, quàm vilis est aqua si conferatur cum Spiritu sancto, ac proinde non ad aliud ferè seruire, quàm vt, quod dicitur, Christus manifestetur, & via ipsi ipsiusque efficacissimo baptismo præparetur, vt præludium sit baptismi à Christo dandi.

καὶ ἐμαρτύρησεν ἰωάννης λέγων· ὅτι τεθέαμαι τὸ πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν. 32 Et testimonium perhibuit Iohannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum.

Matth. 3. v. 16. Marc. 1. v. 10. Luc. 3. v. 22.

ET TESTIMONIVM PERHIBVIT. καὶ ἐμαρτύρησεν & testatus est, tunc inquam testatus est, IOHANNES, dum prosequeretur sermonem suum. Hoc interiicit Euangelista, vt significet, Baptistam magno cum feruore prosecutum fuisse hunc suum sermonem, & tamquam singulariter graue ac serium & magni momenti aliquid subdidisse id quod sequitur: ad quem modum & Marcus aliquoties interponit sermonibus Iesu hæc verba *Et dicebat*. Mar. 4. v. 9. 21. 24. QVIA. superest. VIDI. τεθέαμαι spectaui, hisce

 oculis

oculis meis. Vulgaris opinio eſt, omnes præſentes hoc idem vidiſſe; quorumdam, quos memorant Chryſoſtomus & Theophylactus, *non omnes, ſed Iohannem tantum, & aliquos vita ac moribus probatiores*. Atqui ſi cum Iohanne vidiſſent alij, dixiſſet Iohannes, vidimus ego & præſentes omnes, vel certè quidam eorum: nam vbi agitur de teſtimonio à viſu ſumto, quo plures viderunt, eo ſolidius eſt teſtimonium. Sed ſuffecit diſpenſationi diuinæ, hoc à ſolo Ieſu & Iohanne viſum eſſe, tum ob alias cauſas ad Matthæum allatas, tum quia necdum erat tunc tempus aliis Ieſum pro Chriſto monſtrandi, vide infrà v. 34. *Vidi* autem, mox vt fuerat Ieſus à me baptizatus. SPIRITVM Dei, quod Matthæus addit cap. 3. v. 16. QVASI ſiue *ſicut* COLVMBAM. *corporali ſpecie ſicut columbam*, prout Lucas interpretatur cap. 3. v. 22. deſcendit enim, nō in ſe, qui replet orbem terrarum, ſed in ſigno declarante præſentiam ipſius. DE. ἐξ ex CÆLO aperto. ET MANSIT. qui manſit SVPER EVM. *deſcendentem & manentem ſuper eum*, (vt verſu proximo explicat) inſidentē vertici ipſius Nonnus: *Teſtimonium dixit, quod vidiſſet deſcendentem ex ætheriis ſinibus, Spiritum Dei, alarum prudenti plauſu & vibratione delatum, ad expreſſam imitationem columbæ, donec ſuper ipſum venit & ibi manebat*. Hoc factum fuit ſtatim à baptiſmo Ieſu, quod diximus, vt narrant Euangeliſtæ præcedentes, apud quos etiam hæc hiſtoria enarrata eſt. Iam quid ad rem præſentem hæc viſio faciat, exponit Baptiſta verbis ſubſequentibus.

33 Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.	κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτὸν, ἀλλ' ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν· ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

NESCIEBAM. non noueram EVM, quod dixi, *anteà* addit Nonnus. priuſquam ſcilicet ille ſe offerret mihi baptizandum. Vnde ergo nunc noſti eum? QVI MISIT ME Deus. Addit hoc, *ne ſponte ad teſtimonium præcurriſſe videatur, qui non voluntatis ſuæ, ſed diuinæ diſpenſationis ac voluntatis miniſter fuit*. ita Cyrillus lib. 2. in Iohannem cap. 2. & cap. 3: *Quum à Deo Patre didiciſſe ſe myſterium ait, refragari Deo vniuerſos oſtendit, qui magno conſilio Patris ſe opponentes, paruam prædicationi ſuæ fidem adhibeant*. BAPTIZARE IN AQVA. baptizatum aqua. Nonni paraphraſis eſt, *baptizare non igniti & ſpiritu carentibus lauacris*. ILLE MIHI DIXIT. ille mihi hoc ſignum dedit, quo certò nouiſſem illum. SVPER QVEM, mox vt fuerit abs te baptizatus. DESCENDENTEM ſ. quaſi columbam. MANENTEM firmiter addit Nonnus. HIC EST. hunc ſcito dicitoque eſſe eum. QVI BAPTIZAT. ὁ βαπτίζων ille baptizans. participium loco nominis *baptizator*, vel præſens pro futuro *baptizabit*. IN SPIRITV SANCTO. non aquâ merâ, vt tu, ſed Spiritu ſancto. hic ita plenus eſt Spiritu ſancto vt in ſuos quos aquâ baptizaturus eſt, effuſurus ſit Spiritū ſanctum, adeò copioſè, vt Spiritu ſancto tincti atque immerſi videri queant. vide Matt. 3. v. 11. Periphraſis Chriſti *qui baptizat in Spiritu ſancto*. eſt enim hoc proprium Chriſto, vt cauſæ meritoriæ: nam præcipua effectrix cauſa eſt SS. Trinitas. tantumdem igitur eſt ac ſi dicat: Hic eſt Filius meus, hic eſt Chriſtus Filius Dei: vt explicat Baptiſta ipſe verſu ſubſequente. Hoc ſignum certò cognoſcendi Chriſti, quiſnam ille inter multos homines ad me confluxuros eſſet, conſtituit mihi Dominus, vt diſtinctè, determinatè, ac certò, eum, & ipſe cognoſcere, & aliis monſtrare ac manifeſtare poſſem.

34 Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.	κἀγὼ ἑώρακα καὶ μεμαρτύρηκα, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ.

ET EGO. Ego itaque VIDI ſicut dixi ſ. Spiritum deſcendentem & manentem ſuper hunc, mox vt à me baptizatus fuerat. ET ſequutus hoc ſignum diuinitus mihi datum. TESTIMONIVM PERHIBVI. præteritum pro præſenti teſtimonium perhibeo, teſtor, verum ac certum affirmo. Ideò enim mihi datum fuit, vt meo teſtimonio vos quoque eum cognoſceretis. Chryſoſtomus eiuſque aſſeclæ, accipientes præteritum *teſtimonium perhibui* propriè, putant teſtimonium, cuius Baptiſta hîc meminit, ab Euangeliſtis prætermiſſum eſſe: & certè videri poſſit, tunc datum fuiſſe, cùm Baptiſta ſignum iſtud acciperet, moxque vt viderat Spiritum è cælis demiſſum inſidere capiti Ieſu recèns baptizati, exclamaſſe *Hic eſt Filius Dei*. Atqui non fit hoc probabile: nec enim fuit opportunum tempus, ſiue ſigni prodendi ſiue teſtimonij perhibendi, donec peracto ieiunio ex deſerto Chriſtus rediſſet. Nam ſi vt contingebat ſignum, Baptiſta declaraſſet, fuiſſet ſigni eleuata forſan auctoritas, quod à nemine aliorum præſentium videretur: præcipuè verò, poſtquam Chriſto decretum eſſet, mox à baptiſmo ſecedere, & diebus ac noctibus quadraginta in deſerto ſeorſum ab omni hominum conſortio, agere, inconſultè anteà declaratus ac monſtratus fuiſſet: abſentia enim quadraginta dierum effeciſſet, vt putaretur, vel euanuiſſe, vel falsò monſtratus pro Chriſto à Baptiſta fuiſſe, qui mox vt eſſet monſtratus ſe abſconderet, præ pudore fortaſſis ementiti tituli, nec vllo modo ſe Chriſtum præſtaret, itaque alium fortè Chriſtum Iudæi & quæſiuiſſent & accepiſſent; quemadmodum Exo. 32. alium Deum pro Deo Moſis, propter conſimilem Moſis abſentiam. Denique cùm oſtenſio eo fine fiat, vt noſcatur non ſolùm Chriſtus, verumetiam adeatur, eique adhæreatur, quemadmodum ab hoc deinde die cuius nunc acta exponimus, factum eſt, præpropera fuiſſet oſtenſio, ſi priùs facta fuiſſet, quàm vellet Chriſtus adiri & frequentari. Itaque meâ ſententiâ, ſilentio tunc preſſit apud ſe Iohannes ſignum cùm acciperet: quod ex eo poteſt etiam clariùs obſeruari, quòd cùm Iohannes ante baptiſmum Chriſti prædicaſſet eum venturum, adeoque venire; poſt baptiſmum eius, ante reditum ex deſerto, prædicet adeſſe. ſed adhuc incognitum (ſuprà v. 26.) denique poſt reditum eius, eum oſtendit, quod hîc narratur, & deinceps Chriſtus ipſe tamquam Chriſtum ſe præbet affabilem & familiarem. Quibus rationibus etiam illud firmatur, quod ſuprà v. 32. alibique docuimus, columbam ſoli Iohanni viſam fuiſſe. Præteritum itaque hîc intelligo poſitum pro præ-

ſenti

senti *testimonium perhibeo*: quo modo intellexit & Cyrillus Alexandrinus, cuius in hunc locum dilucidus commentarius est: *Verum est testimonium grauissimi testis, qui quod vidit id loquitur. Vidi enim, inquit, datum mihi signum, & intellexi ipsum esse qui significabatur, testimoniumque perhibeo quia hic est Filius Dei, qui legis Mosaicæ figuris describitur, qui prophetarum scriptis prædicatur. Filius autem Dei tutissimè adiectione articuli dicitur, vt ille solus secundum naturam, omnium genitoris bonorum hæres, ostendatur, ad quem nos per adoptionem conformamur, ad huiusmodi dignitatem per gratiam eius muniti.* Hæc Cyrillus. Testimonium itaque perhibeo, ait Iohannes: nam antehac non perhibuerat, nisi obscurè, cùm renuens officium baptistæ in Iesum, offerentem se coram omnibus baptizandum, diceret: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me* (Matth. 3. v. 14.) verùm illud neglectum ab auditoribus minimeque intellectum fuerat. Cæterùm illud quale quale testimonium nos docet, Iohanni ante descensum columbæ notum fuisse Christum, ac proinde obseruamus, non dicere eum hìc *agnoui*, sed *testimonium perhibui*: non enim tam ad agnoscendum, quàm ad manifestandum aliis, datum Iohanni signum columbæ fuit. Quomodo ergo mox dixit: *Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare* &c.? Respondet Chrysostomus: *Non multo antè tempore quam columba descenderet, eum notitiam habuit: nesciebat eum, antequam veniret ad baptismum, sed cùm baptizandus esset, tunc eum cognouit. Itaque cùm dicit nesciebam eum, superiora tempora respicit, non quæ circa baptisma fuerant.* ita Chrysostomus. Antequam se Iesus baptizandum offerret, licet prædicaret Iohannes breuì venturum & adfore Christum, non tamen nouerat determinatè, hunc, Iesum Nazarenum, esse Christum. Vbi verò Iesus Iohanni se stitit ad baptismum accipiendum, reuelans Dominus auriculam Iohannis, submonuit, eum qui accederet, Christum esse, illum cui viam ipse pararet, tamquam dicens Iohanni de Iesu, quod olim Samueli de Saule: *Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo* (1. Reg. 9. v. 15. 17.) aut quod eidem Samueli de Dauide: *Surge, vnge eum, ipse est enim* (1. Reg 16. v. 12.) Nouerat ergo eum Iohannes, antequam baptizaret eum, diuina reuelatione, ac proptereà dixerat: *Ego à te debeo baptizari* &c. (quamquam auditores non perinde intellexissent, quorsum hoc tenderet) non frustrà tamen, statim à baptismo accessit signum descendentis Spiritus sancti: illud enim seruiuit, tùm ad confirmandam reuelationem, vt ipse Iohannes certior etiam fieret quàm priùs, tum vt certius & testatius populo posset asseuerare, se non inspiratione tantùm Dei interna, verumetiam corporali signo à Deo præstituto ac tandem accepto, didicisse & scire, quòd hic Iesus sit Filius Dei. Quocirca ille, quo suum elogium certum esse persuaderet, memorat quàm euidenti & infallibili signo certior euaserit, tacens secretam reuelationem, vel tamquam ad signum illud pertinentem & cum illo vnam, vel quòd signum præcipuum dixisse contentus, non omnia semel dicere voluerit: quemadmodum Baptista, aut certè Euangelista, hìc etiam subticuit, quòd vnà cum columbæ specie audierit vocem è cælis: *Hic est Filius meus dilectus* &c. *Testimonium* ergo, inquit, *perhibeo* clarè ac dilucidè, palàm, liberè, atque intrepidè, prout iussus sum. QVIA. quòd. HIC Iesus à Nazareth, quem vobis monstro. EST FILIVS DEI. Nam & hoc cælestis vox, columbæ iuncta, disertè ferebat. ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ille Filius Dei. articulum enim vrget Cyrillus, quod vidimus, Filius Dei æternus iam factus homo, Christus *Filius Dei Patris semper viui*, vt Nonnus explicat, Messias Deus homo factus ad baptizandos Spiritu sancto & saluandos homines. Voluit enim hoc titulo Baptista, Iesum, & sibi & prophetis & aliis omnibus hominibus anteponere, ac docere, esse Christum, verbum & Filium Dei, de Deo Deum, in plenitudine temporis carnem factum, qui ipsi sit successurus in prædicando regno cælorum, quod & præstiturus sit tamquam ipse rex cælorum, & eum in finem baptizaturus in Spiritu sancto, quem omnes homines per fidem ac pœnitentiam recipere, tamquam vnicum saluatorem, debeant, experturi alioqui eum iudicem, addicentem reprobos igni inexstinguibili. Hæc enim omnia Baptista prædicauerat de Christo, priusquam ostenderet eum: signanter autem vt doceatur illud, quòd caput omnium est, Iesum esse verbum seu Filium Dei caro factum, totum hoc Baptistæ testimonium ab Euangelista accuratè adeò recitatur, prout ipse præfatus est suprà v. 15.

τῇ ἐπαύριον πάλιν εἱστήκει ὁ Ἰωάννης, καὶ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο.	35 Altera die iterum stabat Iohannes, & ex discipulis eius duo.

ALTERA DIE. postridie. Narrat Euangelista tria testimonia, tribus continuis diebus, à Iohanne Baptista de Iesu reddita, quorum primum fuit illud quod dedit coram legatis Iudæorum (suprà v. 19.) hoc tertium est, à quo sensim dilabitur Euangelista ad describenda ea quæ à Iesu sunt gesta, quando ipsi ipsa sua dicta & facta testimonium perhibuerunt. ITERVM STABAT loco consueto, in Bethania, baptizando & docendo populo dans operam. ET cum eo EX DISCIPVLIS EIVS. Habebat Iohannes auditores multos, aliquos verò etiam discipulos, qui ipsi cæteris tenaciùs inhærentes, tradiderant se ipsi docendos formandosq́;, quod ad doctrinam & mores, postquam obseruassent prophetam esse eximiè sanctum & diuinitus doctum. De his lege Matth. 9. v. 14. Luc. 5. v. 33. DVO signanter. Potuerunt plures adfuisse discipuli, multoque plures auditores: sed hos duos commemorat, quòd in his fructificarit testimonium subsequens, vt videre erit.

καὶ ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ περιπατοῦντι, λέγει· ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ.	36 Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce agnus Dei.

RESPICIENS. ἐμβλέψας inspiciens, intuitus vertit infrà v. 42. Significatur Baptista adspexisse Iesum intentiùs, fixis & amorem spirantibus oculis, nec visu facilè potuisse satiari, vt qui fide viua adhibita consideraret quis esset Iesus, & quid meditaretur. *etiam corporalibus oculis præ se tulisse gaudium*, ait Theophylactus. AMBVLANTEM domum seu hospitium suum versus, quod intelligitur ex consequentibus. Interfuerat eo die Iesus concionibus actionibusque Iohannis, permixtus turbæ cæterorum auditorum: cùm verò vespera instaret, exiuit è turba Iesus, tamquam hospitium ante ingruentem noctem repetiturus. Exeuntem illum è turba, obseruauit Iohannes, & monstrauit præsentibus: nam & idcircò potissimùm aduenerat Iesus, vt iterùm à

rum à Iohanne monstraretur, & pridianum testimonium confirmatum fructum adferret. DICIT iterùm, sicut pridie, sciens Iesum sitire salutem humani generis, ac in eum iam finem captare discipulos. ECCE AGNVS DEI. ecce agnus ille deuotus vt immoletur Deo pro salute mundi, ac proinde mediator Dei & hominum, & saluator mundi. hunc sequimini, non me. *Rursus hæc de ipso dicere cogitur*, inquit Euthymius, *mentémque eorum iteratis vocibus expergefacere, quasi dormientem. Ita eadem sæpiùs prædicans*, quod habet Cyrillus, *optimi doctoris officio fungitur: opus enim certè doctrinæ est, quod adhuc non rectè intellexerunt auditores, diligenter repetere*. Non intellexerant auditores Iohannis, quæ pridie ille dixerat de Iesu, quamuis clarissima, quia non sibi persuaserant se intelligere, attoniti rei tum nouitate, tum magnitudine. simile in discipulis Christi Luc. 18. v. 34. *Non est autem Iohannes longiori vsus oratione*, quod monet Chrysostomus, *quoniam vnum tantum curabat, vt Christo omnium animos coniungeret*. Etsi verò nihil ampliùs iam dixerit, quàm hoc *Ecce agnus Dei*, sufficit tamen, vt discipuli & auditores assidui intelligerent, Christum declarari, & in memoriam reuocarent quæ pridie latiùs eodem demonstrato, & anteà quoque toto decursu suæ prædicationis, dixerat. Hoc autem potiùs repetiuit & inculcauit Baptista, quàm *Ecce Messias, ecce Rex Israel*, aut aliud quiduis simile: vt doceret contestatè, Regi Christo mortem prius tolerandam esse, quàm regnum ineundum aut intrandum in gloriam: ac proinde non mouerentur auditores humili abiectoque Iesu habitu, quò minùs Christum crederent, & vt huiusmodi sequerentur.

Et audierunt eum duo discipuli [37] loquentem, & secuti sunt Iesum.	καὶ ἤκουσαν αὐτοῦ οἱ δύο μαθηταὶ λαλοῦντος, καὶ ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ.

AVDIERVNT auribus tam animi quàm corporis, sinentes Iohannis verba plenâ fide excepta in cor suum penetrare. iam enim aures animi illis aperiebantur. *Inter multos auditores hi soli audisse dicuntur*, ait Euthymius, *auribus videlicet animæ, cum alij vtique audissent auribus corporis*. Atqui audiuerant etiam isti hoc idem pridie: verùm tunc, vel non magis intellexerant, id est, auribus animæ audierant, quàm alij, quod diximus: vel attoniti primâ illâ demonstratione Christi, & reueriti eius dignitatem, non ausi fuerant accedere. DVO DISCIPVLI. οἱ δύο μαθηταὶ illi duo discipuli eius, quod addit Syrus. *Atqui & alij erant Iohannis discipuli*, obiicit Chrysostomus: *sed illi non modò non secuti sunt, sed æmulabantur*. ET moti, tam hoc quàm pridiano præceptoris sui testimonio. *Nullo hortatu (suspiciosum enim fuisset) sed solo auditu secuti sunt*, inquit Chrysostomus. IESVM iter agentem, intelligentes mentem esse præceptoris, vt illum potiùs sequerentur illique adhærerent, quàm sibi, quotidie prædicantis hunc post se venturum, sibique prædicando ac baptizando successurum, sic vt infinitis partibus ipsum sit superaturus, quippe Christus Filius Dei. *Magistri ergo vnius eum secuti sunt*, quod ait Beda, *& testimonium Iohannis fides est discipulorum*. *Non enim quod magistrum despicerent, secuti sunt*, iterùm Chrysostomus, *sed quòd certam fidem eius adhiberent testimonio. Norant enim, præceptoris verba, non modestia fuisse, sed veritatis*. Secuti sunt autem, non vt dehinc ipsi perpetuò adhærerent, sed vt primùm cognitionem aliquam eius acciperent, *cupientes eius habere notitiam*, ait Euthymius, & familiaritatem cum illo inire. *Vides*, inquit Cyrillus, *quàm citò à doctrina Baptistæ fructus secutus est? vides quàm magnum auditoribus emolumentum, iteratio sermonis attulit?* Hic enim erat Baptistæ concionanti propositus finis, vt Christo viam præpararet, & omnes ad eum adduceret: qui & omni concionatori propositus esse debet, vt scilicet auditores, non concionatorem ipsum studio vanitatis, sed Christum studio salutis sequantur.

Conuersus autem Iesus, & videns [38] eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum, Magister) vbi habitas?	στραφεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, καὶ θεασάμενος αὐτοὺς ἀκολουθοῦντας, λέγει αὐτοῖς· τί ζητεῖτε; οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ· ῥαββί, ὃ λέγεται ἑρμηνευόμενον, διδάσκαλε, ποῦ μένεις;

CONVERSVS, tamquam qui perciperet aliquos à tergo aduentare, reuera autem quòd sciret eos sequi, & vellet se ipsis humaniter offerre, quin etiam adspectu suo ampliùs eis benedicere, quosque iam suâ gratiâ præuenerat ita vt sequerentur, fouere pergeret ita vt adsequerentur: neque enim viribus nostris vmquam eum sequi, multoque minùs assequi possimus. ET VIDENS EOS SEQVENTES SE. hoc enim obseruare licebat ex incessu simul & vultu. DICIT EIS. postquam subsistens exspectasset propinquos. Alloquitur eos prior, vt animum addat secum ineundi sermonem, verecundis haud dubiè, tum quia se Iesu credebant ignotos, tum quia magnifica adeò de ipso ex præceptore audierant. QVID QVÆRITIS? quid me vultis, quid placet vobis ob quod me sequamini? *Interrogat quid quærerent*, inquit Cyrillus, *non quia ignoraret, qui vniuersa nouerat vt Deus, sed vt colloquendi principium interrogatio fieret*. Sic & Chrysostomus: *Qui humanorum cordium scrutator est*, ait, *is interrogat, non vt sciat (scit enim) sed vt rogando eos sibi conciliet, vt familiares reddat atque audentiores, seque suo eos dignari colloquio ostendat. Credibile enim erat, eos subuereri & formidare, cùm se rudes intelligerent, & tantum de illo magistri accepissent testimonium*. similia Theophylactus atque Euthymius. Ad hunc modum debet doctor omnibus semper esse expositus, & aliquando, non exspectatâ auditorem interpellatione, vltrò inuitare ac subleuare illorum verecundiam. RABBI. Nomen est dignitatis, ac magnificentius aliquid hebraicè sonat quàm græcè, idcircò retenta est vox hebraica. INTERPRETATVM. si interpreteris. MAGISTER. Euangelista consulens græcorum quibus scribebat opportunitati, interpretatur quid sit Hebræis *Rabbi*: negligit autem pronomen primæ personæ iod, vtpote parui momenti: quamquam non pronomen illud esse teneant quidam, sed paragogicam literam. vide Matth. 23. v. 7. Interpres syriacus scribit ܪܒܢ *Rabban* (quod est *magister noster*) nec addit interpretationem. Discipuli isti, & gratiam sibi honorifico titulo conciliant, & se discipulos eius esse velle profitentur. *Magistrum appellauerunt*, ait Cyrillus, *à quo discere*

discere cupiebant; & Chrysostomus: *Nec ex eo solùm quòd sequerentur, sed etiam ex interrogatione, eorum ostendit desiderium. Siquidem cùm nihil adhuc magnum neque vidissent neque audissent ab eo, magistrum appellant, se discipulos annumerant, & cur sequantur ostendunt, vt videlicet aliquid vtile decerperent.* Testimonio enim Iohannis, non solùm agnus Dei, sed & magister hominum ab ipsis cognitus est Christus: quemadmodum & Samaritis illa inf. 4. v. 25., Messiam exspectat doctorem: *Scio quia Messias venit; cùm ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.*

VBI HABITAS. ποῦ μένεις vbi moraris, vbi manes, quomodo transfert versu proximo. Interrogant vbi sit hospitium seu diuersorium eius: nam propriam domum in Iudæa aut Peræa præsertim, vbi hoc accidit, Iesus qui ex Galilæa erat, non habebat. Habebat tamen quò diuerteret, tamquam peregrinus, vt non erat ipsi difficile, beneuolentiam cuius vellet ad hoc sibi conciliare. Rogati quid quærant aut velint, respondent se scire velle vbi hospitetur: non quod hoc præcipuè vellent, sed quòd cùm serum diei esset eo tempore (*erat enim hora decima*, quod habet versus subsequens, ac proinde importunum fore iudicarent, si eâ horâ expeterent ipsius ignoti colloquium familiare, de rebus diuinis numquam anteà cum eo tractatis, vellent, si hospitium scirent, postridie ipsum inuisere opportuniùs, & familiaritatem cum eo inire ac colloqui, & discere ex eo quæ dignum esset à Messia seu Christo audire. Nolebant perfunctoriè & obiter indicare quid vellent, sed (vt oportet in re seria) seorsum & exactiùs, animo suo declarato, percipere verbum salutis. *Animaduerte verecundiam diligentiam*, inquit Chrysostomus; verecundiam, quòd caueant esse importuni, diligentiam, quòd aueant discere, *& in otio rogare atque audire ab eo de magnis & necessariis rebus*, in familiaritatem eius se insinuantes, ita vt domo cognitâ sæpiùs liceat ipsum doctrinæ causâ adire.

λέγει αὐτοῖς· ἔρχεσθε καὶ ἴδετε. ἦλθον καὶ εἶδον ποῦ μένει· καὶ παρ' αὐτῷ ἔμειναν τὴν ἡμέραν ἐκείνην. ὥρα δὲ ἦν ὡς δεκάτη. 39	Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.

VENITE ET VIDETE vbi habitem seu diuerser. Comiter eos blandeque ad hospitium suum, ac proinde ad domesticum colloquium, inuitat, ea ipsa hora, quam ipsi metuebant Iesu minùs esse opportunam. *Non indicat vbi maneat*, inquit Cyrillus, *quamuis nihil amplius ab eo iam peteretur, sed illicò suo ire ipsos hortatur, vt doceat nullam esse in quærendis bonis moram laudandam, cùm vtilitatis retardatio detrimentum afferat semper.* Mira Iesu facilitas, prior rogat quid velint, & vltrò inuitat in diuersorium suum, nihil moratus horam intempestiuam. VENERVNT. id est, iuerunt. VBI MANERET. id est, habitaret vt mox vertit, seu moraretur. Quàm fuerat Iesus promtus ad eos ducendos in suum hospitium, tam ipsi promti ad obsequendum diuinæ vocationi: ardebant enim desiderio cognoscendi Iesu, de quo magnifica adeò ac præclara audierant abs præceptore Iohanne: nec suâ causâ horæ importunitatem considerarant, sed ob reuerentiam Iesu. Quocirca non dicunt, veniemus cras, iam vespera est: sed oblatam Iesu humanitatem, eiusque cognoscendi occasionem, grato animo auideq; acceptant. ET APVD EVM. Nec solùm viderũt, verumetiam apud eum MANSERVNT DIE ILLO ac nocte, vsque ad lucem crastinam. sic disertè interpretantur Augustinus & Euthymius mox citandi. Nam vt intelligas vsque ad solis occasum, minimum mansissent apud Iesum: nec enim verisimile est, hospitium Iesu propè fuisse apud Bethaniam, quæ Iordani & deserto imminebat; & si etiam fuisset, paruum admodum temporis spatium, duarum inquam horarum, eis suppetisset, ad tractandam rem nouam adeò & arduam, simul & familiaritatem ineundam. Nam hora erat quasi decima, quod sequitur, quando relicto Iohanne hi secuti sunt Iesum. Manserunt ergo discipuli isti Iohannis apud Iesum, quod reliquum erat eius diei, & totam noctem subsequentem: *non enim conuenit*, ait Cyrillus, *vt citò satiati, à diuinâ doctrinâ recedamus. Quàm beatum diem duxerunt*, exclamat Augustinus, *quàm beatam noctem? Quis est qui nobis dicat quæ audierint illi à Domino.* Licet imaginari non absimiliter vero, ingressum in colloquium eis fuisse, quòd Iesu iterùm interrogante, quare ipsum accederent, illi responderint, quòd moti iis quæ Iohannes de ipso prædicabat, quòd Christus esset, quòd Filius Dei, & cætera plurima ac summa, voluerint ipsum accedere, vt ex ipso audirent quæ ad salutem ipsorum pertinerent, & simul in ipsius se gratiam insinuarent; Tunc Iesum explicuisse, quì Iohannes non alia testaretur & faceret, quàm quæ à Deo iussus esset, & deinde cœpisse doctrinæ suæ gustum eis præbere, denique ea declarare ex quibus ipsum Messiam agnouerint non solùm, verumetiam prædicauerint, quod ex consequentibus fit manifestum. Tam benè enim docti fuerunt, vt mox & alios docuerint, Iesum esse Messiam: & ita sacro Iesu colloquio sunt inflammati, vt non solùm ipsi sibi de inuento Messia sint gratulati, verumetiam alios ad huius felicitatis consortium inuitarint. *Quod instructi fuerint*, inquit Euthymius, *tamquam manifestum Euangelista relinquit intelligendum. Tantum enim vnâ nocte profecerunt, vt ad aliorum venationem sequenti die procederent.* HORA AVTEM, qua secuti fuerant Iesum à Iohanne abeuntem. *Autem* omittunt quædam græca exemplaria, contrà ac latina & syrica. QVASI. fermè, circiter. DECIMA s. ab ortu solis. *iam sol ad occasum properabat*, inquit Chrysostomus. Consueuerant Iudæi, quouis anni tempore, inter solis ortum & occasum numerare duodecim æquales horas (vide Matth. 20. v. 3.) significat ergo Euãgelista, abfuisse à solis occasu duabus circiter horis, eisque mediocribus (nam verno tempore, circa æquinoctium, istud accidit) quod quare addiderit, clarum est ex iam dictis. Hora enim nominata, non solùm facit ad fidem narrationis, verumetiam ad explicandam, hinc humanitatem Iesu, qui non est passus differri negotium in diem crastinum ob noctem imminẽtem; hinc auiditatem discipulorum, tantumque audiendi & propiùs cognoscendi Christi ardorem, vt de nocturno hospitio non essent soliciti. Notat hoc inter alios Euthymius.

Ἦν ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς σίμωνος 40	Erat autem Andreas frater Simonis Petri,

Petri, vnus ex duobus qui audierant à Iohanne & ſecuti fuerant eum.

πέτρου, εἷς ἐκ τῶν δύο τῶν ἀκουσάντων παρὰ ἰωάννου καὶ ἀκολουθησάντων αὐτῷ.

Avtem ſuppletur ab Interpretibus latino & ſyro, nam græcè omittitur. *Petri*. Nomine Petri hîc vtitur Euangeliſta per anticipationem (quamquam Syrus omittat) demum enim verſu 42. ſubſequente promittitur imponendum. *Vnvs ex dvobvs*. vnus illorum duorum. *Qvi avdierant a Iohanne* præconium illud Ieſu, *et secvti fverant evm* Ieſum, qui audito Iohannis de Ieſu elogio, ſecuti fuerant Ieſum. qui cùm eſſent diſcipuli Iohannis, ſubmonente ipſo Iohanne ſecuti fuerant præceptorem Ieſum. Interpres Syrus mutat verborum ordinem, quò ſententia ſit clarior, hunc in modum: *Vnus autem ex eis qui audierant à Iohanne & fuerant poſt Ieſum, erat Andreas frater Simonis.* Euangeliſta nominat Andream, propter hiſtoriam conſequentem de Simone fratre ab eo ad Ieſum adducto: *ſed quâ gratiâ alterius non meminit*, rogat Chryſoſtomus. *Sunt qui dicant, quoniam ipſe ſit Euangeliſta, alij quod obſcurus eſſet, nec vlla vtilitas nominis cognoſcendi.* prius videri poſſit veriſimilius.

Inuenit hic primùm fratrem ſuum [41] Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum, Chriſtus.)

εὑρίσκει οὗτος πρῶτος τὸν ἀδελφὸν τὸν ἴδιον σίμωνα, καὶ λέγει αὐτῷ· εὑρήκαμεν τὸν μεσσίαν· ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ὁ χριστός.

Invenit præſens eſt ex εὑρίσκει. Syrus ܚܙܐ *hazo* vidit. Pergit narrare Euangeliſta, quomodo paulatim Ieſu, à Iohanne iam manifeſtato, adducti fuerint diſcipuli, & alius alium ad eius cognitionem attraxerit. *Inuenit* poſtridie mane, poſtquam, quod eo tempore ſufficeret doctus, ex hoſpitio Ieſu diſceſſerat; *Inuenit* inquam, non caſu, ſed quærens amicum idoneum, ac præſertim fratrem ſuum, quicum inuentum theſaurum communicet, vt ſolent ij qui gaudio feruent, inuento eo quod diu exoptauerint bono, & ſignanter qui veritatis quam aſſecuti ſint amore accenſi ſunt. *Primvm* aduerbium eſt ex πρῶτον, quod legit Interpres noſter, Nonno ſuffragante. *Primum* autem, id eſt, ante omnes alios amicos & notos. Plerique græci codices ſcribunt πρῶτος, quod eſt nomen primus, poſitum pro comparatiuo *prior* (nam de duobus eſt ſermo) quaſi dicatur, quod Andreas priùs ſuum fratrem inuenerit, quàm alter ille diſcipulus eum inuenerit: quo intelligendum datur, quòd ambo Simonem quæſierint à ſe mutuò ſeparati, quódque & alter ille diſcipulus Ieſum Simoni prior annunciaſſet, ſi priori ipſi Simon occurriſſet, denique quòd non per alium, quàm per Andream fratrem ſuum, primum nuncium de Chriſto inuento, Simon acceperit, ita tamen vt alter diſcipulus, paulò pòſt fratres colloquentes inueniens, ſe ipſis iunxerit. Iniquè enim ſuſpicatur quidam, alteri illi diſcipulo abs Ieſu non ita ſatisfactum fuiſſe, quin ſiniſtri aliquid adhuc in diſcedentis animo hæſerit.

Fratrem svvm germanum, quo non erat alius ipſi aut notior aut charior, cui libentiùs gaudium ſuum explicaret & commune faceret. Nam & Simon eo tempore in Iudæa aderat, vt Iohannis diſcipulus aut certè auditor: & omnino videntur hi duo fratres coniunctè vixiſſe. *Et dicit ei* lætitiâ exſultans.

Invenimvs. præteritum eſt. *Inuenimus* tandem, ego & ſocius meus & tu quoque per nos, quem diu omnes exſpectauimus & cupidè quæſiuimus. Videtur enim hoc verbum cum emphaſi dictum, & notare, miro Chriſti deſiderio, tam Simonem quàm Andream, priùs flagraſſe. *Nemo enim inuenit*, inquit Beda inter latinos, *niſi qui quærit: iſte qui inueniſſe ſe dicit, oſtendit quia diu quæſierit*. Inter Græcos Euthymius: *Sermo eſt admodum lætantis*, ait, *Inuenimus quem quærebamus, quem venturum ſperabamus, quem Scripturæ annunciauerunt*. Et huius præceptor Chryſoſtomus: *Hoc verbum inuenimus, animæ eſt maximè eius præſentiam deſiderantis, & cœlitus aduentum exſpectantis: cuius aduentu exſultans, alios euangelij geſtiat fieri participes. Hoc fraterni animi, cognati amoris, ſinceri eſt affectus officium, vt in ſpiritualibus quam diligentiſſimam curam adhibeamus, inuicem opitulemur.*

Messiam. Retinuit hebraicum nomen Euangeliſta, tum ob reuerentiam Scripturæ ſacræ primigeniæ, quæ eo vtitur, tum ob Iudæos, qui hoc nomine electum Dei & intelligebant & exſpectabant, ne de alio aliquo quàm illo ſermo hîc eſſe putetur. *Audi autem*, ait Chryſoſtomus, *quàm aſſertiuè articuli adiectione dicat τὸν μεσσίαν Meßiam illum. Vnum enim quendam Chriſtum exſpectabant, nihil cum alijs communicantem: quamuis*, quod addit Theophylactus, *multi eſſent Chriſti, qui & Filij Dei appellabantur*. Illum Meſſiam quem Deus promiſit patribus noſtris, prophetæ deſcripſerunt, Iſrael vniuerſus exſpectat hactenus, & nos ipſi, tamquam qui aduenerit quidem, ſed adhuc lateat ignotus, anxiè quæſiuimus. Hunc inuenimus, mundi ſaluatorem & omnis boni fontem, ex indicio Iohannis præceptoris primùm, deinde autem multò magis ex domeſtico colloquio cum eo inito. Ita loquitur Andreas, non dubius, vt Samaritana illa ſuis verbis præ ſe ferre videtur (infrà 4. v. 29.) *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipſe eſt Chriſtus?* ſed vt certiſſimus, qui certiſſimè rem compererit: *Inuenimus Meßiam*. Iam antè diximus, omnium eo tempore animos erectos fuiſſe ad aduentum Meſſiæ, eò quòd ex pluribus argumẽtis colligeretur temporis plenitudo adeſſe; Hinc factum eſſe, vt populus ſubdubitarit an Iohannes Baptiſta eſſet Meſſias. Verùm cùm ille conſtanter aſſeueraret, minimè ſe eſſe Meſſiam, ſed tamen miſſum ſe eſſe ante illum, illumq; breuî adfore, parent ſe modò omnes ad illum excipiendum, tandem etiam adderet, in medio populi eũ verſari: Diſcipulorum Iohannis, illi qui dictis illius intendebant diligentiùs, & acriùs ea obſeruabant, nec tam magiſtri quàm veritatis amore ducebantur, ſupra modũ accenſi fuerunt deſiderio inueniendi ac videndi Meſſiæ; nec dubiũ quin quæſiuerint, & notare conati fuerint, ſi quis occurreret, in quẽ congruere poſſent ea quæ Iohannes præceptor prædicabat. Denique poſtquam Iohannes Ieſum monſtraſſet, & Meſſiã ipſum eſſe affirmaſſet, hi duo certè Ieſum ſecuti ſunt, ad hoc vt quærerent, inueſtigarent, & experirentur, an ipſe Meſſias foret: nõ quòd præceptori fidem non adhiberent, ſed quòd aliud ſit, credere alio affirmante, aliud credere poſtquam inito colloquio expertus fueris quid viri ſit. Hi igitur vnâ nocte experti quid eſſet de Ieſu, vſque adeò confirmati ſunt in eo quod abs Iohanne audierant,

dierant, adeoque noui magistri doctrinâ illustrati ac delectati, vt se continere non possent, quin amicos suos quærerent, quibus felicitatem suam declararent, & accepta bona cum eis communicare gestientes, exclamarent, *Inuenimus Messiam. Hoc sciens Iohannes fore, non longâ apud eos vsus fuerat oratione: norat enim, si hoc, Iesum esse Christum, semel reciperent, non amplius testimonio alicuius indigere*, ait Chrysostomus. Quare *non amplius ad Iohannem reuersi sunt*, inquit idem, *sed ita Christo affixi sunt, vt Iohannis ministerium susciperent, & ipsi Christum prædicarent*, alios secum ad Iesum, posteriorem magistrum ac longè maiorem, solicitè inuitantes; Non ampliùs inquam ad Iohannem reuersi sunt discendi causâ, inuento summo magistro: quanquam non dubium quin reuersi sint, vt gratias agerent de indicato Saluatore, & dicerent Iohanni, quod Samaritani meretrici: *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est verè Saluator mundi* (infrà 4. v. 42.) quem locum & Chrysostomus huc adfert. QVOD EST INTERPRETATVM CHRISTVS græcè, latinè *vnctus*. vide Matth. 1. v. 1. Euangelista hoc addit, vt sciretur, eumdem vnum esse, qui Iudæis Messias, gentibus Christus dicatur, vtrisque & Iudæis & Gentibus æquè communis, quacumque tandem linguâ efferatur. Interpres Syrus, vt qui hebraicè scriberet, omisit pericopen hanc interpretatiuam.

καὶ ἤγαγεν αὐτὸν πρὸς τὸν ἰησοῦν. 42 ἐμβλέψας δὲ αὐτῷ ὁ ἰησοῦς εἶπε· σὺ εἶ σίμων ὁ υἱὸς ἰωνᾶ· σὺ κληθήσῃ κηφᾶς. ὃ ἑρμηνεύεται πέτρος.	Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas. quod interpretatur Petrus.

ET ADDVXIT. Adduxit igitur Andreas EVM Simonem, desiderantem videre Iesum, prout Andreas ipse quoque inuitabat, AD IESVM, vt perfectè ab eo ad fidem instruendū. Non est existimandum, quòd Andreas vnum illud solum verbum *Inuenimus Messiam* fratri dixerit: non dubium quin narrauerit præterea, quomodo Iohanne monstrante primùm cognouerit Messiam esse, deinde quomodo superiori nocte apud eum diuersatus ac colloquio ipsius fruitus, ita accensus animo & extra se raptus fuerit, efficacitate auditæ diuinæ doctrinæ, vt mens ipsi clarè dictauerit, non posse non esse Messiam, prout Iohannes indicauerat: verùm Euangelista, ceteris silentio preteritis, effectū curauit describere. In hanc sententiam Chrysostomus: *Credibile est*, inquit, *Andream plura persuasioni accommodata narrasse, aderat quoque alter discipulus, qui ista adiuuabat: verùm Andreas, cùm suum non esset officium, neque ad tanti luminis narrationem sufficeret, ad fontem ipsum quem inuenerat fratrem adduxit*. Auditis enim huiusmodi, incensus fuit & ipse Simon desiderio vidēdi atque audiendi Iesu, *Considera*, ait iterùm Chrysostomus, *à principio obedientem & beneuolum Petri animum: cucurrit è vestigio, nil moratus: adduxit, inquit, eum ad Iesum. Sed nemo eius damnet nimiam in credendo facilitatem: non enim dicit statim persuasisse, sed tantùm adduxisse ad Iesum, vt inde totum disceret.* INTVITVS accedentem, antequam cum illo colloqueretur, non quod ad faciem tantùm, sed multò magis quod ad animum; *Intuitus* inquam, beneuolis oculis non solùm, verumetiam cor Simonis penetrantibus, & olim ab eo suæ gratiæ dono, gerenda prospicientibus. *Respicit vt Deum decet, qui corda & renes scrutatur*, inquit Cyrillus, *videtq; qui nihil ignorat ad quantam & fidem & virtutem discipulus peruenturus sit.* TV ES & vocaris. SIMON FILIVS siue bar IONA, nomine à parentibus imposito atque accepto. *Simon*, nomen erat proprium (vide Matth. 4. v. 18.) *filius Iona* cognominis loco. Verisimile est, *Iona* contractum fuisse ex *Iohanna* (quæ certè Nonni poëtæ opinio fuit, si non etiam lectio) quemadmodum Matth. 1. v. 21. ostendimus, *Iesuah*, nomen Saluatoris nostri, contractum fuisse ex *Iehosuah*. Lege Notas ad varietates tum latinas tum græcas, infrà 21. v. 15. 16. 17. & commentarium Matth. 16. v. 17. *Iohanna* autem terminatione syriaca, aliàs *Iohannan*, idem sit quod *Iohannes* terminatione latina, significans gratiosum: porò *Iona* per se, si non est contractum, columbam significat, quod omnes docent. Iesus Simonem ad se volens attrahere, quem anteà neque viderat vmquam neque nouerat humanitus, vocat eum & ex nomine & ex genere, indicat ei nomen tum suum tum patris sui, vt ex hac occultæ rei reuelatione, concipiat Simon de ipso opinionem, dignam iis quæ hactenus, & à fratre suo Andrea, & à præceptore suo Iohanne Baptista, audierat: simul etiam persuadeatur, non vanè prædici futurum id quod sequitur TV VOCABERIS CEPHAS. *Ex præsenti enim futurum credibile reddit*, quod ait Chrysostomus: *nec minùs prophetiæ mouent quàm signa. Antequam aliquid de eo quæsiuisset*, inquit Cyrillus, *tam ipsum quàm patrem eius nomine appellat, & hac re discipulum instruit, eum se esse, qui cuncta etiam antequam fiant nouit.* QVOD INTERPRETATVR exponitur PETRVS. Interpres Syrus nec hîc addit interpretationem vocis syriacæ *Cephas*, quia totius contextus ipsius voces omnes æquè syriacæ sunt. Porrò vt Euangelista, *Cephas* syriacum græcè interpretatur πέτρος, ita latinus Interpres *Petrus: qua interpretatio propterea non conuenit*, inquit Beza, *quia Petrus Latinis nomen est proprium duntaxat: Græcis verò πέτρος etiam appellatiuum est*: quam ob causam ipse interpretatur *lapis: Tu vocaberis lapis*; egregiè verò, quasi hîc non agatur de nomine proprio aliquando imponendo, quamquam accipiendo à re ipsa. Numquam Simon vocatus est latinè *petra*, multoque minùs *lapis*, sed *Petrus*, nomine, quamquam nihil aliud significante quàm petra, terminatione tamen accommodato nominibus propriis suæ linguæ: nec aliter Euangelista hîc vsus est nomine græco πέτρος, tametsi dubio, quia ipsi etiam vocabulo syriaco, dedit græcam terminationem nomini proprio congruentem, κηφᾶς *Cephas*, quod suâ propriâ linguâ non aliter finit quàm ܟܐܦܐ *cipho* seu *cepha*, siue pro proprio nomine vsurpetur, siue pro appellatiuo. Rectiùs igitur vetus Interpres hîc reddidit *Petrus*, quàm nouus Beza *lapis* aut *petra*: variant enim eius editiones. Lege quæ scripsimus Matth. 16. v. 18. Iam sententia Iesu est: Ab humilibus & obscuris parentibus, accepisti fortuitum & obscurum nomen Simonis filij Iona: atqui me Christo Filio Dei auctore, accipies nobilissimum nomē Petri, quod factis etiam ipsis exprimes. Non obstabit vetus genus nec prior conditio, quin & nomen & conditionem amplifices, & sis habearisque ac voceris Petrus. Sic enim promittit ei nomen nouum Petrus, vt simul prædicat longè alium fore quàm modò sit, nimirum virtute apud Deum, nomine apud homines, magnum fore & perillustrem, dignitateque præcipuum. Non enim promittit Simoni nomen, ex præterito aliquo euentu, aut ex eo quod iam apparebat, sed ex eo quod ipse cum Patre suo cælesti, in eius animo & personâ effecturus

aliquando erat, alienum prorsus à præsenti eius conditione & qualitate. Porrò quod hîc promittit Iesus, præstitit quod ad nomen, tunc quando Petrum creauit Apostolum (tunc enim, vt *imposuit Simoni nomen Petrus*, quod testatur Marcus cap. 3. v. 16., ita deinceps à condiscipulis vocatus est Petrus) quod ad rem, præstitit tunc, quando super eum ædificauit, & etiamnum ædificat, ecclesiam suam; quod cœpit præcipuè à misso Spiritu sancto. Hanc enim nominis à se impositi rationem dat ipse Iesus, vbi dicit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam* (Matth. 16. v. 18.) nimirum, quia ipse erat petra, super quam Iesus ædificaturus esset ecclesiam suam. Quod rectè obseruauit Cyrillus, hunc Iohannis locum tractans, dum ait: *Vocabulo ipso commodè significans, quòd in eo tamquam in petra lapideq́; firmißimo, suam esset ædificaturus ecclesiam.* Ergo cùm vix primos lapides ædificandæ à se ecclesiæ colligeret Iesus, iam tum de primario lapide, in fundamento collocando, cogitabat simul & ordinabat. Non est autem intelligendum, quòd prædixerit hîc Iesus, mutandum Simoni vnum nomen in aliud, & abolito veteri substituendum nouum, quemadmodum Deus nomen *Abram* mutauerat in Abraham (Gen. 17. v. 5.) non est ei mutatum nomen, sed amplificatum, vltra vetus *Simon*, datum est nouum *Petrus*. Quare passim in euangeliis & actis Apostolorum, nunc *Simon*, nunc *Petrus*, nunc coniunctè *Simon Petrus* vocatur: & Lucas cap. 6. v. 14., *Simonem*, inquit, *quem cognominauit Petrum*. Mansit ergo *Simon* nomen, cui additum est cognomen *Petrus*, quamquam & *Petrus* pro nomine obtinuerit. Sic & seipse vocat *Simon Petrus*, 2. epist. 1. v. 1. Ne enim nouâ dignitate elatus, oblitus videretur veteris originis, vtrumque retinuit, & alterum alteri iunxit, obedientiâ simul & constantiâ laudabilis. Iam relinquit Euangelista hîc intelligendum, quòd Simon hanc Iesu salutationem ac promissionem, cum occulta reuelatione coniunctam, quamuis nondum intelligeret, exceperit reuerenter (*nihil enim ad Christi verba respondit*, quod notat Chrysostomus, *sed primò didicit*) quodque permiserit deinde se à Iesu eo die amplè doceri, quemadmodum nocte superiori docti fuerant Andreas eiusque socius, denique quòd Petro, non minùs quàm illis, ita demum satisfactum fuerit abs Iesu, vt firmiter crediderit Iesum esse Messiam, eique adhærere statuerit vt Iohanne maiori.

In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me.	43	τῇ ἐπαύριον ἠθέλησεν ἐξελθεῖν εἰς τὴν γαλιλαίαν, καὶ εὑρίσκει φίλιππον, καὶ λέγει αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· ἀκολούθει μοι.

IN CRASTINVM. τῇ ἐπαύριον *altera die* vertit suprà v. 29. & 35. postridie eius diei quo Petrus fuerat ad Iesum adductus, quinto die à legatione Iudæorum. VOLVIT. decreuit s. Iesus, quod Syrus etiam addit. iam scilicet auctus tribus discipulis, iisque Galilæis. *Voluit* inquam, certo consilio adductus, non casu, non metu persecutionis &c. EXIRE s. è Iudæa (Beda annotante) in qua gesta sunt quæ hactenus sunt narrata, Iohannis testimonia, adductio discipulorum ad Iesum, & quæ sunt his priora, baptismus Iesu, ieiunium ac tentatio. Potuisset Iohannes in Galilæa, ea agere quæ egerat in Iudæa, & Christum Galilææ incolam, in Galilæa manifestare: verùm diuino consilio factum est, vt Iohannes ageret in Iudæa, & Iudæis Christum manifestaret atq; indicaret, maioris auctoritatis gratia, ne in Galilæa, contemtâ obscuraq; regione, & longiusculè à principe Iudæorum ciuitate Ierusalem dissita, Iohannes & Iesus conspirasse, atque ex composito res gessisse, dici possent. IN GALILÆAM. & redire in Galilæam, ex quâ venerat ante menses circiter duos, idque vt ordinatis vnà cum Matre rebus familiaribus, totum se deinde publico daret, plures illinc discipulos colligeret, regionem in quâ nutritus fuerat primis suæ dispensationis primordiis, miraculis inquam & doctrina, cohonestaret, ne statim ab initio ostensionis sui, maiora petere, & humilia despicere videretur, præsertim cùm diuinitus statutum esset, vt ei regioni, quæ sedebat in tenebris & vmbrâ mortis, abiectæ & contemtæ, prima lux euangelica oriretur. Matth 4. v. 15. INVENIT. præsens est. s. eo in itinere, vel certè in ipsa Galilæa, quod est verisimilius, quia ex Galilæa Philippus erat: quare & verisimilius est, quòd alio die subsequente eum inuenerit, quàm quòd eodem die quo ex Iudæa exierat: quia iter ex Iudæa in Galilæam, amplius est quàm vnius diei, siue per regionem transamnanam proficiscaris, siue per Samariam. *Inuenit* autem, non casu aut fortuitò, sed quæsitum: prænoscens enim vbi eum obuiam esset habiturus, tametsi humanitus ignotum (quamquam aliud Chrysostomus opinari videatur) illac iter instituit, vt eum ad se vocaret. Videbatur Philippus fortè obuius factus Iesu, sed res tota gerebatur diuinæ prouidentiæ ordinatione, cui ab æterno decretum fuerat, quos vellet ecclesiæ primores esse. IESVS. Syrus nomen Iesu clariùs hîc omittit, quàm Græca & Latina in versiculi initio. SEQVERE ME, vt præceptorem discipulus, adiungens te his ciuibus tuis Andreæ & Simoni. Vocatur Philippus abs Iesu vocatione exteriori, quâ non fuerant vocati Andreas & Simon, sponte enim accesserant: sed nulli horum defuit vocatio interior, & quidem Philippo eò minùs defuit, immo verò eò efficacior vrsit eum ac maior, quò minùs instructus fuit magisterio exteriori. Vocari autem Philippus videtur, non adhuc vt sit continuus sectator ac domesticus Iesu, eique inseparabiliter adhæreat, sed dumtaxat vt sit discipulus: nec enim Simon & Andreas aliter iam vocati fuerunt, qui ad propria interdum remeantes, Iohanne demum capto, ad opificium relinquendum & perpetuam sequelam vocati sunt (Matth. 4. v. 19.) nisi fortè ante omnes alios Philippum Iesus adsciuerit contubernalem: id quod certè D. Augustinus lib. 2. de consensu cap. 17. velle videtur his verbis: *Sicut enim iam Philippus sequebatur, quem sic vocauerat vt diceret ei: Sequere me.*

Erat autem Philippus à Bethsaïda, ciuitate Andreæ & Petri.	44	ἦν δὲ ὁ φίλιππος ἀπὸ βηθσαϊδά, ἐκ τῆς πόλεως ἀνδρέου καὶ πέτρου.

A BETHSAÏDA. oriundus ex Bethsaïda, oppido Galilææ, descripto à nobis Matth. 11. v. 21. vbi hoc addendum est, quod Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 3. scribit de Philippo tetrarcha: *Vico etiam Bethsaida, in ripa lacus Genezarethini, vrbis speciem addidit, frequentato incolis, & aucto opibus, quem Iulia Cæsaris filia cognominem esse voluit.* accidit hoc Iesu adhuc puero. Hoc porrò Bethsaïdæ nomine, quod domum piscatorum significat, videtur

videtur Euangelista significare voluisse, & quales isti in præsentiarum essent conditione vitæ, piscatores inquam, & quales aliquando, officio lucrifaciendi homines Deo, futuri essent. sic ferè Beda. CIVITATE. patriâ. erat his tribus vna eademque patria, Bethsaida. Historicè hoc addidisse potuit Euangelista: pertinet enim ad fidem diligentiam, atque ornamentum historiæ, vt insignium personarum patria, cæteræque circumstantiæ, describantur. Cæterùm Theophylactus existimat, Euangelistam hoc addito insinuare voluisse, Philippum, priusquam vocaretur, à Petro & Andrea de Christo didicisse: nec est hoc improbabile. Cùm enim essent eiusdem oppidi ciues, ac proinde sibi mutuò iamdiu noti, fortè etiam omnes genere vitæ piscatores, nec minùs Iohannis Baptistæ discipuli seu auditores, crediderim, Andream & Petrum hac occasione vsos, Philippo obuio declarasse, quomodo Iohanne monstrante, Messiam recognouerint, & cum eo collocuti, experti sint huiusmodi, de quo alia haberi opinio nequeat. Hac igitur ratione præparato, iussit Iesus Philippo vt se sequeretur; verùm non iussit tantùm, sed vnà cum voce diuinam quamdam in eius animum virtutem infudit. *Videtur enim primùm vox Domini* (inquit Theophylactus) *animam illius stimulo quodam charitatis tetigisse. Non enim simpliciter Saluatoris vox audiebatur, sed dignos statim flagrare faciebat in eum iectus ad amandum ipsum: sicut & Cleopas dicit: Nonne cor nostrum ardens erat, cum loqueretur nobis in via?* Præcipuè igitur virtute verbi sui Christus id effecit, vt Philippus, quem anteà non cognouerat, statim secutus sit (id quod Euangelista intelligendum reliquit) omnino enim ex vocante fuit, quòd Philippus secutus sit. Cæterùm iam sequentem, ac discipulum se prebentem, mox ita erudiuit, vt firmissimè ille crediderit, adeoque diuulgauerit, Iesum, verum illum Messiam esse, quem Moses & prophetæ promiserant: quemadmodum ex versu proximo intelligitur. Ponit pro indubitato Clemens Alexandrinus libro tertio stromatum (ante medium) Philippum eum esse discipulum, qui cùm respondisset: *Domine, permitte me primùm ire & sepelire patrem meum*, audierit: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* (Matth. 8. v. 22.) Animaduertendum denique, qui primi isti omnes discipuli Iesu, Petrus, Andreas, Philippus, Galilæi fuerint, & ex ignobili quidem Galilææ oppidulo oriundi, conditione piscatores: *Meminit enim patriæ Euangelista*, inquit Chrysostomus, *vt intelligas quòd infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia* (1. Cor. 1. v. 27.) pauperes & ignobiles Galilæos, vt pudefaceret opulentos, magnificos, & ex regia tribu oriundos Iudæos.

εὑρίσκει φίλιππος τὸν ναθαναὴλ, καὶ λέγει αὐτῷ· ὃν ἔγραψε μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται, εὑρήκαμεν, ἰησοῦν τὸν υἱὸν ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ ναζαρέτ.	45	Inuenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & prophetæ, inuenimus, Iesum filium Ioseph à Nazareth.

PHILIPPVS iam vocatus à Domino, quod supplet Augustinus, *postquam Christum sequutus erat*, quod Euthymius. INVENIT. & hoc præsens est ex εὑρίσκει. *Inuenit autem, non casu*, inquit Cyrillus, *sed multo quæsitum studio: studiosissimum rerum Scripturarum virum diligentissimumque cognouerat*; Inuenit inquam in Cana Galilææ, verisimile est, cùm eò venisset vnà cum Iesu ad nuptias, de quibus proximo capite agitur: erat enim Nathanaël ex Cana (infrà 21. v. 2.) NATHANAEL amicum suum, quem sciebat teneri incredibili Messiæ venturi desiderio, vt cuius aduentum, tam ex Baptistæ præconio, quàm ex indiciis à sacra Scriptura in qua versatus erat datis, omnino instare ille cognouerat. Omnes isti noui discipuli Iesu, tantum sibi videntur thesaurum in Iesu inuenisse atque acquisiuisse, quantum iudicent dignum, quem cum amicissimis suis mox communicent, & plures alios secum discipulos Iesu lucrifaciant. Nathanaël interpreteris datum à Deo, qui & ipse Galilæus erat, ex Cana, quod docuimus: eruditus tamen in Scripturis sacris, ex sententia omnium Interpretum. QVEM. de quo. MOYSES. Infrà 5. v. 46: *Si crederetis Moysi*, ait Iesus Iudæis, *crederetis forsitan* (pro vtique) *& mihi: de me enim ille scripsit.* IN LEGE. in pentateucho. ET PROPHETÆ. & quem scripserunt prophetæ omnes reliqui, singuli in libris suis, id est, *Eum qui ab omni Scriptura venturus prædicatur*, quod ait Cyrillus, eum quem promittit, & de quo agit vniuersa Scriptura sacra. Periphrasis est Messiæ: finis enim legis & totius corporis arcanarum literarum, Christus est: ad eum referuntur, & in eum respiciunt, omnia quæ illic, promittuntur, statuuntur, prædicuntur, narrantur: id quod ipsi Iudæorum Rabbini docent. Syrus pro *prophetæ* habet *in prophetis*, nescio quo sensu, nisi fortè sit error, qualis in quibusdam latinis libris. Licet autem ex his verbis intelligere, Iesum, Philippo cæterisque suis tyronibus, iam inde ab initio præstitisse, quod à resurrectione duobus discipulis proficiscentibus Emmauntem, vt *incipiens à Moyse & omnibus prophetis, interpretaretur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant* (Luc. 24. v. 27.) Id quod Philippus secutus, simul & eruditioni Nathanaëlis se accommodans, *Quem scripsit*, inquit, *Moyses in lege & prophetæ*. Maluit autem hac vti periphrasi, quàm simpliciter dicere *Messiam*, quò affirmatiùs ac solidiùs se loqui declararet: quo consilio & præposuit ea verba, quæ Nathanaëlem mox attentum reddere, & ad desiderandum, quem ipse iam se consecutum gaudebat, Messiam, incitare possent, licet clariùs locuturum se sciret, si ea postponeret. *Vides viri diligentiam*, inquit Chrysostomus, *vt Scripturæ meminerit? Per Moysen & prophetas, dignum fide sermonem suum facere, & auditori persuadere admititur, vtpote qui esset in perscrutanda veritate diligentissimus*. Ac sanè mirabilis apparet in Philippo charitatis feruor: ita totus verbo Christi & viuæ fidei ardore æstuat. Neque enim Nathanaëlem salutat, neque præfatione vtitur, sed statim vt in eum incidit, abruptè à legis & prophetarum medullà ac fine circumscripti Messiæ mentionem ipsi ingerit, & gratulans sibi ipse exclamat: INVENIMVS. præteritum est ex εὑρήκαμεν. *Inuenimus* ego & socij mei felices & ter quaterque beati: atque in te situm est, eiusdem nobiscum thesauri fieri participem. Obliquè enim & Nathanaëlem inuitat ad Christum. Verbo *inuenimus* subdendum est comma: idem vnum enim est hoc Philippi *eum quem scripsit M. in l. & prophetæ inuenimus*, atque illud Andreæ ad Petrum *Inuenimus Messiam* (suprà v. 41.) IESVM scilicet. Syrus *qui est Iesus.* nominat eum, quem credit esse Messiam, & ita eum describit, vt Nathanaël eum nouisse possit: non enim longè aberat Cana à Nazareth; itinere trium horarum, si tabulæ geographicæ Adrichomij fides habetur. FILIVM IOSEPH oriundi de domo Dauid (Luc. 1. v. 27.) quamobrem Ioseph *filius Dauid* vocatur

 Matth.

Matth 1.v.20., & eodem capite eius genealogia ex Dauide describitur. Iesus verè erat filius Ioseph, lege coniugij, vnde ipsa mater eius ad eum: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te* (Luc. 1.v.48.) sed verisimile est Philippum, existimasse, etiam naturâ esse filium Ioseph. Quocirca Chrysostomus: *Quòd filium Ioseph appellat, noli perturbari*, inquit, *eiusmodi adhuc erat opinio*. Loquitur ergo Philippus ex vulgi opinione, ignorans Iesum filium esse virginis: prout nondum id scire tenebatur, quod diuino consilio differebatur diuulgandum ob causas expositas Matth. 1. v. 16. neque enim erat illud vulgò Iudæis notum, Messiam nasciturum ex virgine, quamuis sacris literis contineretur. Quocirca insulsè Caluinus in hunc locum scribit de Philippo: *Iesum stultè dicit filium Ioseph, imperitè Nazarenum facit, & de Christo quatuor verba proferre nequit, quin duos crassos errores permisceat*. Familiare est huic hæresiarchæ, sugillare passim in euangeliis discipulos Iesu, eorumque imperfectiones amplificare, vt suam scilicet perfectionem iactet, non tam discipuli Iesu quàm magistri.

A NAZARETH. τὸν ἀπὸ ναζαρὲτ eum qui à Nazareth: Nazarenum. Nam ex græco clarum fit, ad Iesum hoc esse referendum, non ad Ioseph. Fuit & Nazareth oppidum Galilææ, cuius situs à nobis descriptus est Matth. 2. v. 23. in eo conceptus fuit Iesus, vtpote habitatione matris eius, & à reditu ex Ægypto educatus, vsque ad ostensionem ipsius ad Israel. Quocirca à Philippo fortassis, vt à vulgo, creditus est & natus illic fuisse: quamquam Bethlehemi natus fuerit in occasione (Luc. 2. v. 6. 7.) quod & ipsum non nisi paulatim innotuit mundo.

Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & vide. 46 Καὶ εἶπεν αὐτῷ ναθαναήλ· ἐκ ναζαρὲτ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; λέγει αὐτῷ φίλιππος· ἔρχου καὶ ἴδε.

A NAZARETH, exiguo illo & vili oppidulo nobisque vicino. POTEST. potéstne, possítne. est enim interrogantis more, non affirmantis, pronunciatum, quod Philippus suâ responsione docet, & Græci præsertim sequuntur. ALIQVID BONI ESSE prodire: & quidem tantum bonum, quantum sit Messias, quo non aliud maius bonum exspectamus. Ex hac regione nullum insignem prophetam ortum audiuimus aut oriturum intelleximus. Non proteruè reiicit Philippi nuncium, nec deridet Philippum vt egregiè falsum ac deceptum, aut dicit id verum esse non posse, sed miratur an ita esse queat, ob eas quibus hactenus imbutus fuerat opiniones, inprimis, quòd à *Galilæa propheta non surgat* (quod Pharisæi tenent infrà 7. v. 52.) nedum ex obscuro adeo Galilææ loco; deinde *quòd Scriptura dicat, Quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello vbi erat Dauid, venit Christus*: quæ vera erat etiam vulgi sententia, infrà eodem cap. 7. v. 42. *Non potest facile sentire Nathanaël*, inquit Cyrillus, *magnum quid atque præcipuum esse, quod a Nazareth ortum habeat*, tum ob loci ignobilitatem, tum ob oracula prophetarum, *qui à Bethlehem venturum Christum prædixerant*. *Non tamen quod non crederet, ita locutus est*, habet Chrysostomus, *sed quia prophetarum verba diligentius quàm Philippum considerare se arbitrabatur. Audierat enim ex Bethlehem & ex patria Dauid Christum venturum. Huius prophetiæ memor, audiens eum Nazarenum, perturbatur, & metuit, ne secundum prophetæ sermonem Philippus fallatur. Ostendit igitur, & Scripturarum cognitionem, & morum simplicitatem, denique vehemens aduentus Christi desiderium, cùm Philippi verba non contemnit. Norat enim Philippum in patriâ commemorandâ falli potuisse*. Hæc Chrysostomus, quem sui sequuntur, è quorum numero Euthymius hoc addit: *Est autem simile ac si diceret: Vtrùm fieri potest, vt à Nazareth adeo exiguâ & abiectâ sit quippiam boni? Nam Galilæa à Iudæis male audiebat*. VENI ad Iesum Nazarenum, quem dico Messiam, ET VIDE. experire quid viri sit, coràm veritatis experimentum cape. Syrus, *& videbis*. Cùm nodum Philippus dissoluere non posset, inuitat ad videndum, & ex Nathanaëlis dubitatione arripit occasionem adducendi eum ad Iesum, nihil dubitans, ob eam quam ipse iam expertus fuerat Iesu & humanitatem & sapientiam, quin facilè Nathanaël persuaderetur, & ad fidem in Iesum Messiam adduceretur, si modò in animum induceret eum accedere. *Veni & vide* virum ipsum, cuius virtus facilè tibi manifesta reddetur, vt non ex patriâ, sed ex virtute & veritate auctoritatem ipsius cognoscas. Qua in re enituit Philippi, hinc humilitas, hinc prudentia; humilitas, quòd non se ingesserit ad explicanda mysteria quæ non intelligebat; prudentia, quòd ad Christum inuitauerit, à quo difficultas explicari posset. Quare Chrysostomus: *Quomodo hic sit Christus, & quomodo prophetæ eum prædixerint, non dicit Philippus: sed ducit ad Iesum, sciens ipsum non absessurum, si illius verba & doctrinam gustaret. Si videris solummodo, dicit* (ex Cyrillo) *si sermonem cum eo conferas, facillime mihi assenties. Credere autem nos oportet, ineffabilem quandam gratiam in sermone ac verbis Christi fuisse, quibus auditorum animi magnâ iucunditate allicerentur. Scribitur enim, quia omnes admirabantur, de verbis gratiæ quæ exibant de ore eius*. ita Cyrillus. Porrò tantum valuit apud Nathanaëlem veritatis studium, vt illicò Philippum ad Iesum sequeretur (id enim subaudit Euangelista) quamuis cum Scripturâ pugnare videretur, quòd Philippus annunciauerat: vndè vicissim datum illi fuit, vt Dominum mox agnosceret.

Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. 47 εἶδεν ὁ ἰησοῦς τὸν ναθαναὴλ ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ· ἴδε ἀληθῶς ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι.

VENIENTEM AD SE. vnà cum Philippo. ET DICIT DE EO adstantibus, Andreæ fortassis & Simoni, cùm Nathanael & Philippus nondum quidem adessent & loquerentur, tam propè tamen aduenissent vt possent audire & intelligere. VERE ISRAELITA. Syrus *verè filius Israel*. id est, dignus nomine Israëlitæ, non solùm genere descendens, verumetiam vitâ moribusque referens Israëlem patrem; referens inquam, morum simplicitate animique candore, id enim sequitur: IN QVO DOLVS NON EST, mendacium, fraus, hypocrisis, simulatio, non est duplex corde, sed simplex, sincerus, integer, quod præ se fert, hoc vult, quod sentit, hoc loquitur, non calũniandi, non adulandi, sed discẽdi & veritatis inuestigandę studio: *nec ad gratiam nec ad odium quidquam loquutur*, ait Chrysostomus. Huiusmodi erat Israël siue Iacob, patriarcha omnium qui ab ipso

ab ipſo Iſraëlitæ ſunt dicti: de quo comparato cum Eſau fratre, ſcribitur Gen. 25. v. 27: *Iacob autem vir ſimplex, habitabat in tabernaculis.* Reſpicere videtur Ieſus ad illud quod Nathanaël Philippo dixerat, *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* (certè huius ſententiæ Chryſoſtomus eſt) & dicere velle, ſe id non ægrè ferre, quamquam videri poſſit derogare de ſua auctoritate, quia animo ſimplici, candido, & cognoſcendæ veritatis ſtudioſo, ſit dictum: ſubindicat proinde, Nathanaëlem maturum eſſe & idoneum qui ad Chriſtum cognoſcendum fidemque in eum amplectendam adducatur ac transferatur. Sed & hoc ſubindicat, multos eſſe carne ac nomine Iſraëlitas, qui verè non ſint, id eſt, animi morumque ſimilitudine, vtpote duplices animo, nec tam inueſtigatores veritatis, quàm calumniatores, quales illi ad Iohannem legati (ſup. v. 24. 25.) calumniandi ſtudio curioſi. *Non enim omnes qui ex Iſraël ſunt, hi ſunt Iſraëlitæ* (ait Apoſtolus Rom. 9. v. 6.) *neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij.* Porrò dixit hoc Ieſus accedente & audiente Nathanaële, & ad primum eius conſpectum, antequam verbum ille ſonaret, de interiore animi eius ſtatu iudicauit, vt occaſionem daret, Nathanaëli quidem admirandi ac loquendi, ſibi autem monſtrandi reipſa quis eſſet, Chriſtus inquam, occultorum reuelatione, itaque Nathanaëlem ad fidem in ſe attrahendi, prout accidit.

48 λέγει αὐτῷ ναθαναήλ· πόθεν με γινώσκεις; ἀπεκρίθη ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· πρὸ τοῦ σε φίλιππον φωνῆσαι, ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν, εἶδόν σε.

Dicit ei Nathanaël: Vnde me noſti? Reſpondit Ieſus & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, vidi te.

VNDE ME NOSTI tu, cui nihil vmquam commercij aut conuictus mecum fuit? Nathanaël vbique ſui ſimilis, & præſtans ſe talem qualem Ieſus laudauerat, non tantùm non delectatur & capitur laude abs Ieſu ſibi tributâ, & viciſſim in laudem Ieſu ſibi incogniti erumpit, verumetiam ſuboffenditur, non quòd rem in ſeipſo nō agnoſceret, ſed quòd laus importuna appareret, eo præſertim quòd efferretur ab eo cui ſe credebat ignotum, ac proinde vereretur adulandi animo temereque prolatam, vt blandimento laudis ipſum ad ſe attraheret, quâ fortè ratione & Philippum aliosque quoſdam ſibi iam conciliaſſet vt Chriſtum eſſe crederent: neque enim laudare quis poteſt, niſi eum quem nouerit: quòd ſi ignotum laudet, quid eſſe poteſt, niſi vel adulator, vel ſimulator? Sciebat quidem fieri poſſe, vt iam olim Ieſus viſu partim, partim aliorum relatu ipſum cognoſceret, præſertim cùm vicina oppidula eſſent Cana & Nazareth: ſed nolebat hoc ſibi perſuadere ne admittere cogeretur laudem, quæ importuna videbatur. Cæterùm non regerit petulanter ad morem peruicacium Iudæorum (Iohan. 8. v. 48.) Video te adulatorem ac ſeductorem eſſe, non opus habeo plura audire, vt ſciam num tu ſis Chriſtus, quando video te primo acceſſu blanditiis laudum velle me capere, quem non nouiſti: ſed conſtanter quidem nihilque laude captus, nullum laudis honoriſve titulum reddens, modeſtè tamen & quaſi rem inquirens & diſcere volens, interrogat: *Vnde me noſti*, cui nihil vmquam familiaritatis aut conſuetudinis vitæ mecum interceſſit? q. d. Si ſincero rectoque animo me laudas, debes me nouiſſe: ſed vnde quæſo nouiſſe me potes: neque enim ego te noui vmquam. Nil mirum, ſi vir diues, literatus & celebris, pauperem & obſcurum hactenus fabrum, non nouerat. *Animaduerte hominis conſtantiam*, inquit Chryſoſtomus, *non intumuit laudibus, neque his obuiam factus eſt, ſed perſcrutari pergit, vt de eo certi aliquid intelligat.* PRIVSQVAM TE PHILIPPVS VOCARET, ad hoc vt de me tibi loqueretur, & me eum eſſe perſuaderet, de quo Moſes & prophetæ ſcripſerant. CVM ESSES SVB FICV arbore, & tu me non videres. Egerat, veriſimile eſt, Nathanaël, in occulto loco, ſub arbore ficu, ſerium aliquid & ſingulare, quod nollet à quoquam videri, quodque à nemine viſum eſſe erat perſuaſus: fortaſſis orauerat feruentiùs Deum, aut meditatus fuerat res diuinas &c. Nam per indicationem loci, reuocat ei in memoriam quid eo loci egerit, vt facere ſolemus. Porrò intelligunt quidam, quòd Philippus Nathanaëlem vocauerit de ſub ficu: ſed veriſimilius eſt, quòd nec Philippus ſciuerit eum fuiſſe ſub ficu: ſignificant enim potiùs verba Ieſu, quòd Philippus eum inuenerit ac vocauerit, poſtquam reliquiſſet ficum, & illic perfeciſſet quæ voluerat.

VIDI TE. videbam te exiſtentem ſub ficu, & quæ illic ageres; audiebam etiam paulò pòſt cùm Philippus te vocaret, & colloquentes vos audiui, ac (*ſermoni veſtro præſens fui* quod ait Chryſoſtomus) longè licet abſens corpore. Nonni paraphraſis eſt: *Antequam Philippus te vocaſſet, vidi te ſub vmbroſa ficu, verſantem & meridiantem ſub altícomis ramis, oculis & mente videns non præſentem.* Reuelat Ieſus Nathanaëli, ea quæ certò quidem ipſi Nathanaëli erant cognita, ſed non minùs certò nouerat Nathanaël, ipſi Ieſu humanitus debere eſſe occulta, quippe qui longè abſens corpore fuerat, nec à quoquam potuerat intellexiſſe, & ſecretè & mox anteà geſta, partim ab ipſo Nathanaële ſolo, partim ab ipſo & Philippo, ſimul iam accedentibus Ieſum: ducebat enim Philippus Nathanaëlem rectà ad Ieſum. Reuelat autem ac manifeſtat duo quædam occulta, prius quòd vidiſſet Nathanaelem ſub ficu & quid illic egiſſet: poſterius quòd audiſſet Nathanaelem à Philippo vocari & quæ illi inter ſe contuliſſent. Hunc in modum interpretatur Euthymius locum, dum ait: *Priuſquam occurriſſet ei Philippus, fuerat ſub ficu, nullo præſente aut ipſum vidente. Dedit itaque ſignum, quod cognoſceret ac videret, quæ hominibus viſa non forent: ideóque & tempus dixit, & locum ac arborem. ſimul etiam indicauit, ſe omnino audiſſe quæ dixiſſet: A Nazareth poteſt* &c. Reſpondet itaque Ieſus Nathanaeli, & vnde eum nouerit docet, non tam verbis quàm factis. q. d. Inde te diu noui, humanitus ignotum, vnde te mox vidi & audiui longè abſentem. Si vidiſſe atque audiſſe potui abſens, quibus locis quæ mox anteà egeris, dixeris, ac tractaueris, non ex aliorum relatu, nec ex humanâ coniecturâ, cui nō eſt locus, ſed propriâ cognitione: potui & te iamdiu nouiſſe, etiamſi numquam tecum ſim conuerſatus: nec quiſquam mihi de te vmquam locutus. Hac ergo reuelatione rerum occultarum, Ieſus Nathanaeli ſe inſinuat, & tacitè in animum eius inſtillat fidem diuinæ omni ſcientiæ ſuæ, quâ cunctis adſtat non ſolùm & præſens omnia videt, ſed & corda ſcrutatur ac renes, & occulta omnia pernouit, etiam animorum ſecreta. Itaque, quâ ratione nouerat, quæ Nathanaël procul abſens egerat, eâdem, vult dicere, ſe iamdiu nouiſſe ipſum Nathanaëlem, quis qualiſque eſſet, intus & in cute, ita vt non temerè de ipſo pronunciauerit *Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt.* Colligenda hinc vtilis doctrina, tunc etiam cùm de Chriſto non cogitamus, nos à Chriſto conſpici, ne quid vſpiam agamus quod ipſi diſpliceat.

Respondit ei Nathanaël & ait: 49 Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel.

ἀπεκρίθη ναθαναὴλ καὶ λέγει αὐτῷ· ῥαββί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ ἰσραήλ.

NATHANAEL expendens quæ à Iesu dicebantur, & sciens non humano more abs Iesu se visum fuisse, colligere cœpit, non humanitus fuisse locutum Iesum cùm diceret: *Ecce verè Isr. in quo dolus non est.* Immo verò considerans, absentia nō minùs quàm præsentia, & occulta non minùs quā publica, Iesu esse manifesta, adeoque intimas hominum qualitates, ac proinde etiam cordium secreta, ipsi esse perspecta, id quod nouerat fieri non posse, nisi vel à Deo, vel, Dei munere singulari, ab homine Deo gratissimo, exclamat: *Rabbi* &c. agnoscit Iesum esse Christum, quod Philippus ipsi nunciauerat; non absimiliter mulieri illi Samaritanæ infrà 4.v.29: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus? Admiratus Nathanael,* inquit Chrysostomus, *vere Christum esse cognouit, à prophetiā scilicet, & prouidentiā, & à certissimā ipsius mentis perscrutatione: demonstrarat enim, animi eius cogitationes se planè intellexisse.* Nam *maximè potens est prophetia,* quod ait Theophylactus, *& efficacior miraculis ad alliciendum quosdam ad fidem.* RABBI. Vtitur titulo cumprimis honorifico, quo non fuerat vsus cùm rogaret *Vnde me nosti*, corrigens semetipsum: cùm enim Iesus se gereret vt præceptorem, ipse se illi mox subiecit discipulum. TV ES FILIVS DEI insignis ille, qui exspectatur venturus, cui non est alius similis in filiis Dei. TV ES ille REX ISRAEL à prophetis promissus, id est, tu es Christus, de quo Moses & prophetæ scripserunt: quem Philippus felici omine mihi annunciauit inuentum à se. *Tu es ille quem exspectamus, quem quærimus.* sic Chrysostomus & Euthymius. Sunt enim epitheta aut potiùs periphrases Christi, *Rex Israel, Filius Dei*: atque omnino docet vetus scriptura, Christum, & doctorem futurum, & Filium Dei & Regem Israel. Id vel vnus ille Psalmus secundo- primus adstruit, cuius hæc sunt verba: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (v.6.& 7.) Porrò quòd regem Israel dicat, non est quòd existimet, ita regem Israel esse, vt non etiam esse aut certè fore totius mundi: non poterat enim vir legis peritissimus ignorare, de rege illo qui Israëli propriè promissus fuerat, prædictum esse Psalm 71.v.8: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Verùm quòd Filium Dei vocat, non eo sensu dicit quo Petrus Matth.16. v.16: *Tu es Christus Filius Dei viui: quoniam etsi iisdem verbis* (inquit Chrysostomus eum suâ scholâ) *& Petrus & Nathanael vsi sint, non tamen idem ambo senserunt: sed Petrus Filium Dei tamquam verum Deum, Nathanael tamquam hominem tantùm confessus est: quod ex consequentibus constat, vbi tamquam nihil Christo dignum dixerit, maiorum spe trahitur;* &, quod Euthymius ait, *ad perfectiorem confessionem inducitur.* Confessus est ergo Nathanael, Iesum esse Filium Dei, eo modo quo Iudæi tunc temporis credebant Christum fore Filium Dei, id est, omnium hominum sanctissimum & Deo gratissimum atque acceptissimum, longè superantem reliquos omnes iustos, prærogatiuis gratiæ singularis, atque omni genere dotium animi & ornamentorum. Nondum enim diuulgatum erat mysterium SS. Trinitatis, ita vt crederent Iudæi expressè, Christum fore naturâ Filium Dei, Deum de Deo, vnius cum Deo Patre substantiæ, potentiæ, ac gloriæ. Hoc Iesus sibi reseruarat promulgandum, quemadmodum & se fecisse testatur infrà 17. v.6: *Pater manifestaui nomen tuum hominibus:* qui ne quidem discipulos suos mox ab initio illud disertè docuit, sed paulatim eos eò duxit, postquam variis doctrinis ac miraculis præparasset ac formasset. Nam quamuis Iesus Nathanaëli occulta non minima retexisset, non ex eo tamen clarè intelligere mox potuit Nathanael, esse Deum: Nam & Elisæus propheta cognouerat secreta Giezi famuli sui & regum Israel ac Syriæ, eaque suis declarauerat (4.Reg.5.v.26.& 6.v.9.10. 12.32.) Quomodo ergo tam facilè Nathanaël exclamauit, Iesum esse Messiam, & non contentus fuit prophetam prædicare? quia nouerat adesse temporis plenitudinem, quia audierat, credibile est, ex Philippo Iesum à Iohanne pro Messia monstratum: accessit plurium iam consensus, denique hæc propriorum suorum secretorum denudatio; simul omnia, intus afflante Dei gratiâ, faciebant, vt non dubitanter, immò conuictus rerum euidentiâ, in huiusmodi vocem erumperet: *Tu es ille Filius Dei, Messias rex Israel.*

Respondit Iesus & dixit ei: Quia 50 dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis.

ἀπεκρίθη ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ· ὅτι εἶπόν σοι, εἶδόν σε ὑποκάτω τῆς συκῆς, πιστεύεις· μείζω τούτων ὄψει.

QVIA DIXI. quia declaraui, mihi notum esse id quod tu mox secretò egisti procul à me dissitus, & quæ sunt consecuta, CREDIS me esse Messiam, Regem Israel. Alij interrogando, alij affirmando legunt τὸ *credis*: res eòdem recidit. MAIVS. μείζω maiora. HIS. id est, reuelationibus occultorum. Te adeò permouet, ait, quod ostendo tibi te à me absente visum & auditum fuisse, vt credas me Christum esse. Atqui modicū hoc est, si cum iis quæ sequentur conferatur. Reuelationem occultorum, quâ iam erga Simonem & te sum vsus, sequentur breuì longè augustiora & euidentiora miracula, quę ita te stabilient in eo quod de me iam credis, vt augeant tuam de me opinionem, & maiora etiā de me credas ac confitearis. Non reprehendit Nathanaelem quòd nimis credulus sit, sed contrà approbans eius fidem, maiora ipsi confirmationis argumenta promittit, eiusmodi quæ ita eum confirment, vt ad maiora etiam credenda euehant; non solùm regem Israel esse, sed & regem cælorum ac sanctorum angelorum; nec qualemcumq; Filium Dei, sed vnum cum Deo Patre Deum. Iaciebantur reuelandi Christi primordia: ea vt solent modicis administrari initiis, à reuelatione occultorum modestè orsus est Iesus. Breuì editurus erat multò præclariora, nubes inquam illas signorum, quas deinceps narrant Euangelistæ: horum spem iam facit. *Facit autem quod sæpe alias,* inquit Chrysostomus, *duo dicit, alterum iam præteritum indicat, alterum ex hoc confirmat futurum: qui enim eius virtutem iam viderat, faciliùs quæ futura audit, credit.*

Καὶ λέγει αὐτῷ· ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, 51 ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.

Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendẽtes & descendentes supra Filium hominis.

ET DICIT EI. Istorum verborum interpositio ac repetitio, habet emphasin grauitatis ac serij, quo sequentia prolata sunt. Sic autem *dicit ei*, id est, Nathanaëli, vt etiam omnibus præsentibus: quod manifestum ex est eâ quæ subsequitur numeri mutatione. AMEN AMEN. Repetitio facit ad maiorem confirmationem, vel certè loco superlatiui, quo carent Hebræi, vsurpatur. q.d. verissimè. Explicat quæ sint illa maiora quàm sit reuelatio occultorum, quæ Nathanaël visurus sit. VIDEBITIS. Græcè & syriacè præponitur *ἀπ' ἄρτι deinceps*, ex hoc tempore, posthac, quod Latinus interpres non videtur legisse, tametsi Regia editio addat *amodo*. *Videbitis* autem, non tu solus Nathanael, sed vos omnes qui adestis, qui in me creditis, & præsertim qui adhæsuri mihi estis. Priuatum erat quod Nathanaëli sua secreta reuelauerat, iam publicum & omnibus conspicuum ac commune promittit suæ dignitatis testimonium. CÆLVM APERTVM esse, ET ANGELOS DEI ex apertis cælis ASCENDENTES ET DESCENDENTES. SVPRA siue *super*. indifferenter enim his vtitur Interpres. Græcè est ἐπὶ, quod alij vertunt *ad*, Syrus ܠܘܬ *leuat*, quod significat *ad & apud*. fortassis est loco hebraici עַל *hal*, quod ita notat *super*, vt etiã *propter*. Sensus esse videtur, ad nutum meum, prout ego voluero aut opus habuero, sub imperio & potestate mea. FILIVM HOMINIS. Seipsum intelligit Dominus Iesus, suo more loquendi: & signãter hîc ea vtitur periphrasi, modestiæ causâ ne videretur subitò elatus confessione Nathanaëlis, quâ ille exclamauerat ipsum esse Filium Dei: quamquam sic se nominet Filium hominis, vt ex eo quod promittit breui conspiciendum, significet se, quantumuis sit filius hominis, id est, abiectæ conditionis homo, formâ serui indutus, esse plus quàm hominem, esse Filium Dei, longè etiam sublimiori ratione quàm Nathanael prædicauerit. Intelligunt autem plerique, per angelorum ex apertis cælis ascensum & descensum supra Filium hominis, metaphoricâ descriptione designari, ministerium angelorum circa Filium hominis, angelos cælestes velut sedulos ministros sursum ac deorsum obsequij studio commeaturos ad Filium hominis, vt mandatis eius pareant. sic Cyrillus, Chrysostomus, & Theophylactus, disertè interpretantur: & Nonnus paraphrastes, loco horum verborum *supra Filium hominis*, reddit *ministros Filij hominis*. Nam quia angelorum habitatio in cælis est, vt ministrarent Filio hominis in terra versanti, videbatur descendendum illis esse è cælis, & rebus peractis eòdem adscendendum; ac proinde cælum aperiendum, quia ascendi aut descendi non possit è cælis, nisi apertis. Cæterùm non videtur hîc loqui Iesus de particulari aliquo angelorum erga se ministerio, nec de visibili potissimùm illorum apparitione, quamquam illam non excludat, quæ quidem accidit in passione, resurrectione, adscensione, quas hîc memorat Chrysostomus, & accidet omnium euidentissimè in extremo iudicio; sed de tota dispensatione suæ legationis: id quod insinuari etiam videtur voculâ illâ *ἀπ' ἄρτι posthac*. Huius sententiæ dicas esse Cyrillum, scribentem in hæc verba: *Angelos sursum & deorsum ad Filium hominis venturos annunciat, mandatis videlicet suis ad salutem credentium ministrantes*. Intelligit ergo Iesus, ad iussum Filij hominis, cælum ex eo tempore à fidelibus visum iri apertum, vltrò citroque discurrentibus angelis: quia breui è cælis, iubente Filio hominis, eiusque iussui parentibus angelis, Dei dona, magnâ copiâ, omnibus cernentibus, adferenda erant in terram, infirmorum sanatio, leprosorum mundatio, cæcorum illuminatio, claudorum erectio, dæmonum expulsio, mortuorum suscitatio, impiorum iustificatio, Spiritus sancti effusio, variorum munerũ distributio, mundi conuersio &c. quæ omnia cùm sint manifesta Dei dona, non potuit non videri cælum apertum, & angelos sanctos, per quos cælestia ministrantur, Filio hominis ad nutum seruire, iis qui viderunt Filium hominis reddentem plurimos horum compotes. Loquitur ergo Christus de omnigenis miraculis & cælestibus donis, quæ statim à Nathanaëlis vocatione editurus erat, toto mortalis vitæ suæ tempore, immò etiam post ascensionem suam in cælum continua redditurus in gubernatione Ecclesiæ suæ, vsque ad extremum iudicium & consummationem seculi. Nam vt in cælo iam sedens ad dexteram Patris, Ecclesiam suam, adhibito angelorum ministerio gubernat: ita non dubito, quin in terra mortalis conuersans, pleraque miracula patrarit, angelis non apparenter tantùm, sed & verè ministrantibus: non enim custodem angelum habuit, vt nos, sed ministrum, aut plures potiùs angelos ministros: id quod consonũ est doctrinæ D. Thomę par. 1. quæst. 113. art. 4. ad 1m. Hæc igitur sunt maiora illa, quàm sit reuelatio occultorum, quæ Christus hîc Nathanaëli suisque promittit, copia inquam miraculorum quæ deinde edidit &c. quibus cõspectis, prædicit ita confirmandos in eâ quam iam professi erant fide, Iesum Messiam siue Christum esse, vt etiam amplius sint credituri, esse regem cælorum & *Dominum angelorum* (quod habet Chrysostomus) constitutum *supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen* (Ephes. 1. v. 21.) immo vnum cum Patre Deum, eiusdem cum Patre potentiæ, gloriæ, ac naturæ (*cui enim*, quod ait Theophylactus, *angeli ministrant, is vtique nõ fuerit purus homo, sed verus Deus*) denique eum esse per quem pax & consuetudo redierit inter ea quæ in cælis & quæ in terris sunt (Coloss. 1. v. 20.) itaque perficiendam hac ratione illorum de Iesu fidem: quemadmodum accidit. His ita abs Iesu ad Nathanaëlem dictis, relinquit Euangelista intelligendum, Nathanaëlem mansisse discipulum Iesu, eique deinceps semper adhæsisse: id quod etiam vltimo capite huius sui euangelij manifestè declarat (cap. 21. v. 2.) Cæterùm in Apostolum numquam abs Iesu electus Nathanaël fuit, quod cum D. Augustino in hunc locum scribente plerique omnes tenent (quamquam aliqui opinentur eum esse, quem alij Euangelistæ Bartholomæum nominant) cuius rei etsi certa ratio occulta est nobis, soli Domino Christo nota, ea tamen redditur à D. Augustino, *quia eruditus & peritus legis erat, volebat autem Dominus idiotas eligere, vnde confunderet mundum*.

1 Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : & erat mater Iesu ibi.

Καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγένετο ἐν κανᾶ τῆς γαλιλαίας· καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ ἰησοῦ ἐκεῖ.

ET DIE. Die autem TERTIA s. ex quâ Iesus voluerat exire & exiuerat è Iudæa, vt proficisceretur in Galilæam. Hoc enim vltimum est tempus ab Euangelista commemoratum suprà 1.v.43. Fuit autem quadragesimusseptimus circitérve dies, ex quo Iesus fuerat à Iohanne baptizatus. NVPTIÆ. Syrus *conuiuium*, nuptiale vtique. vide Matth. 22.v.2. Quorum fuerint nuptiæ, incognitum est; minimè certè huius Euangelistæ : illud tamen constat, fuisse cognatorum ac familiarium B. Mariæ & Iesu benedicti. FACTÆ SVNT. ἐγένετο fiebant, celebrabantur. IN CANA, ex qua erant Nathanael (quod diximus suprà 1.v.45.) & Simon Cananæus (Matth. 10.v.4.) *Cana* duarum vrbium nomen est: altera posita erat in Galilæa superiore siue gentium, non procul à Sidone, cognomento maior, de qua Ios. 19.v.28: altera, de qua hîc agitur, minor dicta, exstabat in Galilæa inferiore, tribu Zabulon, supra vallem Carmelon, quatuor circiter horarum itinere distans versus mare ab Ptolemaide, trium à Nazareth meridiem versus. D. Hieronymi libro de locis hebraicis locus est deprauatus: Syrus nescio quâ auctoritate pro *Cana* scribit ܩܛܢܐ *Cotne*. GALILÆÆ s. oppido, quod addit Syrus. sita erat in media Galilæa, cùm altera esset Sidoni vicina. MATER IESV. mater non quâ in principio erat verbum, sed quâ verbum caro factum erat. IBI. in nuptiis, quippe *vocata tamquam familiaris, ab his qui nuptias celebrabant*, quod ait Euthymius, & constat ex versu proximo. Non dedignata est mater virgo, pauperum cognatorum nuptias. Iosephi mariti nulla hîc mentio, quia iam obierat diem suum : id quod nos, post Epiphanium hæresi 78., docuimus Matth. 13. v. 55. erat igitur mater Iesu vidua hoc tempore.

2 Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad nuptias.

ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ ἰησοῦς, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἰς τὸν γάμον.

ET IESVS. etiam Iesus, non solùm mater eius; Iesus inquam iam recenter ex Iudæa reuersus. Vocauerant autē, *non tamquam magnam aliquem, sed vt popularem ac notum*, inquit Chrysostomus. ET DISCIPVLI EIVS Andreas eiusque socius, Petrus, Philippus, & Nathanael, quos superioribus diebus sibi adsciuerat. Animaduertentes affines isti Iesu, Iesum nequè iam facilè procedere absq; discipulis, quibuscum in commune ferè viueret; vt ipsi gratificentur, vocant & discipulos eius: prout facilior lōgè & magis ingenua est inuitatio hospitum inexspectatorum. inter pauperes, quorum simplex & frugalis est viuendi ratio, quàm inter diuites, qui mox verentur vt pro numero hospitum copiosa sit mensa. AD has NVPTIAS. Subaudi, quibus proinde etiam interfuit Iesus eiusque discipuli. *Vocatus, nuptiis adfuit*, inquit Chrysostomus, *in quibus non dignitati suæ, sed nostræ consuluit vtilitati*. Adfuit enim, primùm vt nos doceret humilitatem, ne despiceremus cognatos pauperes : deinde *vt confirmaret quod ipse fecit nuptias*, contra futuros hæreticos, quod monet D. Augustinus. *Siquidem qui nuptias condiderat, venit vt eas honoraret, suáque præsentiâ sanctificaret*, ait Euthymius. Postremò, quod Cyrillus annotat, *miraculi potiùs quod acturus erat, quàm conuiuij gratiâ, adfuit*, volens hîc edere primum miraculum, quo se hominibus manifestaret.

3 Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.

Καὶ ὑστερήσαντος οἴνου, λέγει ἡ μήτηρ τοῦ ἰησοῦ πρὸς αὐτόν· οἶνον οὐκ ἔχουσι.

DEFICIENTE. ὑστερήσαντος cùm defecisset. Vnde factum sit vt defecerit vinum, incertum est: certum non fuisse intemperantiam conuiuarum, vbi Iesus aderat temperantiæ exemplar ac magister. Intelligere licet, sponsum pauperem, non plus vini ad suas nuptias comparasse, quàm putaret esse necessarium; facilè igitur fieri potuisse, vt cùm superuenissent plures hospites inexspectati, nominatim Iesus eiusque discipuli, numero sex (nondum enim redierat Iesus in Galilæam, quando necessaria præparabantur) vinum ad secundam mensam defecerit. Fit etiam non rarò, vt culpâ ministrorum, dum vel parùm fideles, vel parùm sunt prouidi, bona vini pars pereat. Non postremo loco, diuina prouidentia, hanc vini inopiam, non ad inopiam procurauit, sed ad copiam, *vt glorificaretur Filius Dei per eam*, quemadmodum de morte Lazari dicitur inf. 11. v. 4. DICIT. Quidam putant matrem Iesu, non assedisse mensæ, sed solicitam vt rectè omnia se haberent pro honore cognatorum, cùm intelligeret deficere vinum, accessisse ad filium. Alij volunt mensæ accubuisse quidem, sed deserto loco quem inter mulieres tenebat, adiuisse filium. Sed quid vetat dicere, sedisse non longè à filio, ita vt facilè ex suo loco alloqui potuerit? Dicit autem in aurem vt nonnulli arbitrantur, at non est necesse hoc: verisimilius est, proximè assidentes audiuisse. VINVM quod pergant propinare seu fundere conuiuis. NON HABENT cognati nostri qui matrimonium contrahunt; vel conuiuæ quod bibant: quamquam, pro hebraicâ phrasi, verbum personale plurale, vsurpatur loco impersonalis singularis; non habetur, deest vinum. vinum deficit in medio cursu mensæ. Porrò non significat hoc Maria Iesu, quòd existimet eum id nescire (nam quem credidit posse, multò magis credidit scire omnia) sed indicatio, modesta petitio est, ab eo qui putatur diligere ac benè velle tam petenti quàm eis pro quibus petitur, nec facilè commissurus vt auxilio destituti laborent: qualis legitur infrà 11. v. 3: *Domine ecce quem amas infirmatur*. Petit ergo mater à filio, vt succurrat necessitati ac verecundiæ charissimorum cognatorum, vini penuriâ laborantium, ne ludibrio sint conuiuis, quos postquam inuitarint

rint ad nuptias, nequeant pro dignitate tractare, & dimittere cogantur semipransos; petit inquam vt procuret vini tantum, quantum necesse est pro honore nuptiarum: nec enim alius potus illi regioni ad tractandos conuiuas (in nuptiis præsertim, quas decet esse cumprimis lætas) familiaris erat, quàm vinum. Quo modo autem id procuret, non explicat, relinquit filij sui prudentiæ: cæterùm nouerat ipsum facere id aliter non posse, quàm miraculo, quàm exserendo diuinam potentiam, quâ credebat ipsum esse præditum. sciebat enim non suppetere ipsi eo loci, aut penu vino plenum, ex quo iuberet promi, aut crumenam auro plenam, quâ effusâ iuberet afferri. Cæterùm, non ambitione aut vanæ gloriæ appetitu mota id petit, vt ipsa vnà cum filio ab hospitibus magnifiat & extollatur (absit) sed solicitâ pietate & misericordi charitate, erga pauperes cognatos inprimis, ne pudefierent (*compassa est enim eorum verecundiæ*, quod ait D. Bernardus serm. 1. in hoc euangelium) erga conuiuas deinde, ne minùs honestè habiti discederent, *semiperfecta nuptiarum hilaritate*, vt loquitur Nonnus. Dicam amplius, spectauit ante omnia gloriam filij, non vanam aliquam, sed solidam, quæ adducere homines posset ad amplectendam fidem, qualem oportebat habere in illũ, omnes qui seruari vellent; non ignorans, tempus ostensionis filij sui, vel adesse, vel proximè instare. Quærit Chrysostomus: *Vnde in mentem matri venerit, magnum aliquid de filio coniectare: nullum enim adhuc signum fecerat.* Respondet tandem: *Manifestari iam cœperat & Iohannis testimonio, & ex his quæ discipulis prædixerat* (nihil enim dubium, quin hæc ad ipsam mox fuerint relata) *& ante hæc omnia, ipsa natiuitas & quæ eo tempore euenerant, maximam de puero opinionem conciitarant.* Rectè Chrysostomus hæc, quibus ego addam, ea quæ circa natiuitatem acciderãt, non opinionem tantùm, verumetiam fidem, animo Virginis ingenerasse, fidem inquam indubitatam, quâ credidit, Iesum quidem filium suum, esse filium etiam Altissimi, dispensatiuè hominem factum ex Spiritu sancto se verò matrem Domini esse, qui saluum facturus esset populum suum à peccatis eorum, eo modo quem ipse nouerat: quamquam secretum hoc apud se retinebat, quod Spiritus sanctus dictabat non nisi opportuno tempore reuelandum. Cæterùm, éstne credibile, Virginem matrem, postquam filius in ætatem adultam excreuisset, non aliquando cum illo familiariter collocutam fuisse de iis quæ circa natiuitatem ipsius acciderant, quomodo angelo annunciante absque viri operâ ex Spiritu sancto ipsum concepisset, quomodo sine dolore ac gemitu læta peperisset, quomodo promisisset angelus ipsum vocandum filium Altissimi, & regnaturum in domo Iacob ac throno Dauid absque fine, & cætera quæ tunc contigerant non memorasse; neque vicissim filium matri charissimæ declarasse, quomodo hæc perficienda essent, quomodo ipse manifestandus esset, primùm Iohannis baptismo & prædicatione, deinde propriâ prædicatione, variis miraculis comitatâ, post hęc passurus mortem, & per passionem denique intraturus in gloriam suam? Possitne fieri, in tanta opportunitate matris & filij vnâ domo habitantium, non aliquando huiusmodi colloquia intercessisse; & matrem, cui sub natiuitatem angelorum ministerio summa illa sacramẽta nudè reuelata sunt, à filio præsente & conniuente, ætate adultâ, totos quindecim annos, non aliquando confirmatam fotamque in fide, & erectam spe instantis euentus? Ego mihi hoc saltem certò persuadeo, priusquam ex maternâ domo in Iudæam ad Iohannis baptisma Iesus proficisceretur, matrem reddidisse consciam, quòd occasione baptismi à Iohanne manifestatus, seipsum deinde collectis discipulis manifestaturus esset, & varia editurus miracula, quibus se esse Christum Filium Dei viui mundo diuinitus esset probaturus: ita vt non mirum sit, matrem, cùm videret discipulis comitatum ex Iudæa reuersum, ac proinde intelligeret tempus manifestationis eius iam adesse, petiisse coram omnibus (quale numquam hactenus) vt miraculo auferret inopiam vini, tum ad euitandam cõsanguineorum ignominiam, tum maximè ad propagandam ipsius gloriam, quod diximus. Quocirca, inter græcos, Cyrillus Alexandrinus, accuratiùs hunc locum enarrat quàm Chrysostomus eiusque discipuli, scribens in hæc verba: *Vino autem deficiente, mater eius, quæ vniuersa illi possibilia esse non ignorabat, hortatur vt solitâ suâ bonitate atque misericordiâ vtatur.*

λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· τί ἐμοὶ καὶ σοί γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου.	4 Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

QVID MIHI ET TIBI EST. id est, quid tibi mecum est s. commune in hac parte, quid te immisces huiusmodi meo negotio edendi miraculi? q. d. nihil ad te hæc res, mea est illa, non tua: si faciam, non virtute abs te acceptâ, non vt filius tuus, nec vt obtemperem præcepto, precibus, aut humanis affectibus tuis, faciam. Hanc phrasin hebraicam latè explicuimus Matth. 8. v. 29. MVLIER. Non dicit *Mater*, quia in hoc negotio non vult agnoscere matrem, id est, nihil tribuere vult maternis affectibus, nihil carni aut sanguini, sed omnis carnalis affectus in faciendo miraculo suspicionem à se remouere: plus aliquid se esse oportere insinuat, eo quod ex matre acceperat, si faciat quod illa requirit, iam his verbis Dei Filium se incipiens declarare. Quamobrem, tamquam alienam, mulieris nomine compellat, quod generale est *nomen sexus, non corruptelæ*, doctore Ambrosio libri de institutione Virginis capite quinto, & suffragante D. Augustino tractatu decimo in Iohannem, vbi ait: *Dicta est mulier, secundum femineum sexum, non secundùm corruptionem integritatis. Non dixit mater, sed mulier, tamquam Deus*, inquit Euthymius. *Significat*, ait Beda, *se diuinitatem, quâ miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse de matre, sed per æternitatem semper habuisse de Patre.* Vt constabat Iesus duplici naturâ, diuinâ & humanâ, ita potens erat edere duplicis conditionis opera, alia propria naturæ diuinæ, alia communia cum reliquis hominibus: in his, cedebat precibus & affectibus hominum, quâ ratione, à cognatis vocatus ad nuptias, obediuit: in illis edendis, nullum admittebat respectum humanum, nõ imperium aut præceptum matris, nullum ius sanguinis, nullam consanguinitatis, amicitiæ, aut precum rationem, sed solam spectabat Dei Patris voluntatem, decretum, ac gloriam, à quo solo acceperat vt hæc operari posset. Docet igitur Iesus, non à matre se accepisse potestatem edendi miracula, nec in eo quod iam aggrediebatur euangelij asserendi negotio se regendum secundùm matrem, nullum hîc esse ius carnalium parentum, nec in gratiam amicorum à se faciẽda miracula (vt nec vllum vmquam patrauit ad curiosum alicuius rogatum) sed solam hîc à se recognoscendam Dei Patris voluntatem, in eam solam à se respiciendum, non in maternum affectum. Quocirca durioribus vtitur verbis, quod semper fecit, quando mater aut alij consanguinei secundùm carnem, visi sunt immiscere se velle negotio à Deo Patre ipsi commisso, euangelij prædicandi &

procu-

procurandæ hominum ſalutis: id quod fit manifeſtum conſideranti illud Luc. 2. v. 49: *Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* Rurſus illud Matth. 12. v. 48: *Quæ est mater mea, & qui ſunt fratres mei* &c. Nec matrem, nec patrem, nec fratrem agnoſcit, vbi agitur de eo quod Deus Pater mandauerat. Quamquam verò mens matris eius numquam fuerit, vel tantillum ſe præter rationem immiſcere euangelij prędicationi, aut ad ſatisfaciendum carnalibus humaniſve affectibus ſuis aut aliorum requirere miraculum (nam quâ potiſſimùm ratione hîc mota fuerit, ſuperiùs diximus. quia tamen id videri omnino poterat præſentibus, quibus ignota erat ſublimitas virtutum in diuiniſſimo matris eius animo latentium, idcircò ſic alloquitur eam, vt ſignificet audientibus, in negotio edendorũ miraculorum & prædicandi euangelij, nihil ſe acturum pro affectibus hominum (nam vt prædicaret excellentes ſuæ matris virtutes, non magis tempus erat, quàm vt virginitatem prædicaret;) ſed omnia ex decreto Dei; quem agnoſceret naturâ patrem, quique ſolus id ipſi dediſſet, vt miracula patrare poſſet, nequaquam mater. Non fuerunt igitur hæc verba contemtus, non obiurgationis, non reprehenſionis, ſed inſtructionis, datæ, non Matri, ſed circumſtantibus, vt intelligerent, quo ſpiritu geſturus eſſet negotium euangelij prædicandi ac miraculis ſtabiliendi, quod aggrediebatur, non humano inquam ſpiritu aut affectu, ſed diuino. Hanc interpretationem ſuggerit D. Bernardus ſerm. 2. in hoc euangelium, vbi ait: *Sed manifeſte iam video, quod non velut indignans aut confundere volens virginis matris teneram verecundiam, dixeris quid mihi & tibi, ſed propter nos, vt conuerſos ad Dominum iam non ſollicitet carnalium cura parentum.* VENIT. ἥκει præſens eſt, ſed pro præterito poſitum, immo pro præſenti *adeſt*: iam enim appropinquabat, proculdubio. HORA MEA. tempus meum, quo ego miracula edam, quo ego miraculis adhibitis meipſum mundo demonſtrem. *opportunum tempus nondum adeſt*, exponit Theophylactus. *Nulli temporum neceſſitati*, doctore Chryſoſtomo, *Chriſtus ſubiectus eſt, nec ob temporis obſeruationem nondum horam ſuam veniſſe dicebat. Anne temporum opifex & auctor ſeculorum, tempora obſeruaret? oſtendit autem ſe omnia debito tempore operari.* hæc ille. Dicit ergo Ieſus, non incogitantiæ aut negligentiæ eſſe, quòd hactenus ceſſet, ita vt admoneri debeat agendorum, ſed quòd tempus opportunum nondum aduenerit, quod matri quidem incognitum eſſe inſinuat, vt *non eſt hominum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate* (Act. 1. v. 7.) opportunum enim tempus intelligit, quod edendis miraculis Deus Pater præfiniuerat. Videtur igitur ex duplici capite matris petitionem redarguere Ieſus, & tamquam ex humano affectu profectam, & tamquam importunam atque intempeſtiuam. Atqui neutrum vel ſentiebat vel verum erat: ſed docebantur alij, ex ſolius Dei Patris præſcripto gerendum abs Ieſu euangelicum negotium, non ex matris, etſi aliquando fortè intercedentis. Nam quod ad horam edendorum miraculorum, quamuis ea præciſè ac certò incognita eſſet Mariæ matri, non leuibus tamen argumentis iudicabat illa, ſi non præſentem, at propinquam eſſe, poſtquam iam diſcipulos collegiſſet filius: vt reipſa etiam apparuit eſſe propinquam, quando paulò pòſt Ieſus fecit miraculum, quod à matre rogatus fuerat. Quare non fuit intempeſtiua petitio, immo potuerat Ieſus reſpondiſſe, adeſſe horam ſuam, ac proinde facturum ſe quod mater volebat, quia proximè inſtabat, aberatque modico interuallo; non minùs quàm reſpondit nondum adeſſe, quia momentum ipſum & articulus illius horæ nondum aderat: niſi voluiſſet auditores docere, non temerè ſe aggredi miraculorum operationem, ad preces matris aut cognatorum fauorem, ſed exſpectare momentum & horam à Deo Patre æternùm præfinitam. Hæc adfuit, quod diximus, paulò pòſt, nimirum quando vini defectus conuiuis omnibus innotuerat, D. Chryſoſtomo interprete (nam tempeſtiuè mater admonuerat defectus, antequam ſponſi verecundiam apud conuiuas ſubirent;) erat enim Patris voluntas & gloria, tum demum miracula adhiberi, cùm de neceſſitate maliſque hominum ita conſtaret, vt de omni humano auxilio eſſet deſperatum. nam priùs facta, pro miraculis habita non fuiſſent, ac proinde finem ſuum aſſequuta non fuiſſent, adducendi homines ad fidem in Filiũ Dei. Exſpectabat igitur Ieſus, vt vini inopia præſentibus omnibus eſſet perſpecta, priuſquam miraculo vinum ſuppeditaret: nec tamen credo quòd his verbis matri ſpem dederit huius rei, quamquam aliunde illa intellexerit id facturum. Sed vt vt hoc ſe habeat, certè manifeſtum fit, matrem, non tantùm non paſſam eſſe repulſam, verumetiam impetraſſe quod petierat. Id præterquam quod res ipſa loquatur, græci Tractatores vno omnes ore fatentur, Chryſoſtomus: *Et licet ita reſponderit, maternis tamẽ precibus obtemperauit*, ait; ac rurſus, *vt matri honorem exhiberet, & non contumax videretur matri, neve genitricem tam multis præſentibus pudore afficeret.* Cyrillus: *Quantus honor parentibus debeatur oſtendit, cùm ſtatim ad actum propter matrem accedit.* Euthymius: *Nam quod eam plurimum honoraret, & ex aliis multis manifeſtum eſt, & ex eo quod ipſius compleuit exhortationem.* Quomodo igitur negauit, in edendo miraculo reſpectum matris ſibi habendum? negauit certè, ſed reſpectum carnis, non reſpectum fidei & charitatis, præſertim cùm mater & ipſa reſpiceret in gloriam Dei. Potuiſſet Ieſus matri ſuæ meritò dicere, quod aliquando alteri cuidam mulieri: *O mulier magna eſt fides tua: fiat ſicut vis.* (Matth. 15. v. 28.) niſi laus matris ex ore filij ſorduiſſet. Habuit ergo diuinum decretum, vt in his nuptiis, ad flagrantem fide ac charitate interceſſionem Marię matris, poſtquam innotuiſſet præſentibus omnibus defectus vini, Chriſtus ordiretur ſignorum operationem, *quibus manifeſtaret gloriam ſuam*, aquâ in vinum conuerſâ.

Dicit mater eius miniſtris: Quodcumque dixerit vobis, facite.	5.	λέγει ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῖς διακόνοις· ὅ, τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, ποιήσατε.

MINISTRIS menſæ. Prudens mater, afflata ſpiritu filij ſui, facilè intellexit quid filius vellet. Tantum abfuit vt crederet ſe obiurgatam à filio & repulſam paſſam, ac proinde cõtriſtata fuerit, vt contrà prorſus perſuaſa fuerit facturum filiũ quod ipſa rogauerat, ſiue quòd ſpem concepiſſet ex his verbis *Nondum venit*, quaſi breuì ventura eſſet (quod quidam ſentiunt) ſiue potiùs ex interna reuelatione filij per Spiritum ſanctum: vt neque negandũ eſt, eam prophetico ſpiritu fuiſſe præditam. *Norat non eſſe imbecillitatis excuſationem, ſed ne faſtu quodam temerè id ſuſcipere videretur*, ait Chryſoſtomus: quem ſecutus Euthymius: *Cum verbi ſcopum*, inquit, *ac rationem intelligeret, quódque non impotẽtiæ excuſatio erat, ſed ne videretur ſe miraculis ingerere & ſpectaculo exponere, matris autem exhortationem non deſpiceret, menſæ miniſtros admonet.* Perſuaſa igitur ſatisfacturum filium voto ſuo,

suo, sed temporis ac rei gerendę arbitrium tacitè ipsi relinquens, perseuerat res ad futurum miraculum præparare: & ne fortè immorigeri ministri, contemnentes iussa quæ ad rem non facere viderentur, turbarent successum rei, disponit ac præmonet eos. Non accersit ministros, vt sibi adsint, & ipsi quoque cum ea deprecentur, vt à pluribus rogatus faciat (quæ improbabilis est Chrysostomi eiusque discipulorum sententia) sed, quod Cyrillus ait, *cùm magnam auctoritatem dignitatémque deferri sibi à Domino non ignoraret, persuasa, vt par erat, filio ministros præparat, hortatúrque vt omnia faciant quæ ipse imperabit.* QVODCVMQVE. etiam quod graue aut inutile videatur. DIXERIT. præceperit filius meus. Prænouerat etiam modum edendi miraculi, filium ad illud vsurum ministrorum operâ, siue ex eo quòd ministrorum esset vinum fundere, siue potiùs ex reuelatione Spiritus sancti. nam quòd Christus particulare hoc miraculum ante nuptias matri prædixerit ac descripserit, non credo. FACITE. incunctanter, non pœnitebit vos obedisse. Videntur audiuisse ministri, querelam Mariæ apud filium, quòd vinum deesset: quare ne vel ex eo fortè nō obediendi ansam caperent, quòd putarent noluisse audire huiusmodi querelam, tamquam ad se nihil pertinentem, ac proinde non diligere nouos nuptos, neque cordi esse ipsi honorem nuptiarum, præmonentur à matre, & tacitè spes ipsis suggeritur, quòd succurretur abs filio inopiæ vini. Præclarè hîc elucent virtutes Deiparæ, misericordia, charitas, mansuetudo, prudentia, fidei fiduciæque incomparabilis magnitudo ac constantia.

ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ κείμεναι, κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν ἰουδαίων, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς.	6 Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

IBI. in nuptiis, in triclinio, in loco conuiuij nuptialis. HYDRIÆ. aquales (sumto nomine ab ὕδωρ aqua) amphoræ ad vsum aquæ destinatæ. SEX. Quia multi erant conuiuæ, multæ eæque admodum capaces hydriæ. POSITÆ. ordine, *in opposito pariete*, quod addit Nonnus paraphrastes. *posita*. non circumferebantur (impediebat enim magnitudo, quæ ex capacitate intelligitur) sed vno loco manebant, aqua autem ex eis, minoribus vasculis promta, ferebatur ad eos qui opus haberent. SECVNDVM PVRIFICATIONEM. iuxta ritum moremque purificationis; vel, vt κατὰ ponatur pro εἰς, ad purificationem IVDÆORVM, purificandis Iudæis; *parata*, inquit Euthymius, *ad eorum purificationem, vt si qui fortè immundi redderentur, non longè eundum esset ad fontes. Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum; & à foro, nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum*, quod ait Marcus Euangelista, cap. 7. v. 3. 4. Positæ itaque erant hydriæ, non potus causa, sed lotionis, vt esset parata aquæ copia, lauandis ante mensam manibus, & quoties lotione purgare se quis vellet, quod Iudæis erat etiam inter edendum frequens. *Quare hæc particula secundùm purificationem Iudæorum*, inquit Chrysostomus, *numquam in his vinum fuisse ostendit ne quis suspicari posset, aliquo fortasse crassiore vino in eis insidente, deinde infusâ aquâ, limpidissimum vinum effectum*; effectum inquam vinum, aquæ superinfusæ, vini colorem ac saporem indidisse. METRETAS. metretes vel metreta, nomen græcum est, ἀπὸ τοῦ μετρῆσαι à metiendo deductum, mensuræ certæ, eius quæ hebraicè dicitur בת *bath* seu batus, quod ostendimus in Notationibus nostris 3. Reg. 7. v. 26. *Bath* autem continet sex *hin*, *Hin* duodecim *Log*, *Log* sex oua gallinacea communia, ac proinde *Bath* seu *Metreta* capiat 432 oua communia. Alij aliâ initâ numerandi ratione, pondus vini metretâ vnâ contentæ, octo & centum libris æstimant, singulis libris appendentibus duodecim vncias. Syrus vertit ܪܒܝܥܢ *Rebbin* ex metretas, quod à ܪܒܥ *Rebab* quatuor deductum, reddas quadrantalia. BINAS AVT TERNAS. δύο ἢ τρεῖς duas vel tres, quædam duas, quædam tres. Si ponas, hydriarum illarum tres, cepisse duas metretas, tres alias cepisse tres metretas, cōtinuerint in vniuersum quindecim metretas, id est, mille sexcentas viginti libras, siue 6480 oua cōmunia, quod est nostro modo loquēdi, duos vini modios plus minus, constante modio nonaginta sex lotis. Vasorum numerus & capacitas exposita, eò pertinēt, vt miraculi subsequentis veritas ac magnitudo cognoscatur. Non enim parum aliquid vini dedit Iesus, quod vel obliuione relictum, vel aliunde subuectum credi posset, verùm amplius multo quàm consumi potuisset illo conuiuio nuptiali, etiamsi ab initio conuiuij ex eo bibitum fuisset, vini copiâ, miraculi & commendante dignitatem & irrefragabilem probante veritatem. Non enim ad abusum largitus est tantam copiam magister frugalitatis, sed ad gloriam Dei.

λέγει αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς· γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος. καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω.	7 Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. & impleuerunt eas vsque ad summum.

DICIT. paulò pòst quàm mater locuta esset ministris, nimirum cùm iam aduenisset hora; vt & matris petitioni satisfaceret, & suam gloriam manifestaret. EIS ministris. IMPLETE. Nam vt conuiuium iam cœptum, immo longè protractum erat, maior aquæ quàm hydriæ continuerant pars, consumta erat in manuum ante cibum lotionem, & varias deinde purificationes. HYDRIAS. Non vasa vinaria, sed *hydrias*, id est, aquales, quibus vinum infundi non solet; & quidem τὰς ὑδρίας illas hydrias, quæ illic positæ sunt, non quas aliunde adferatis; nec vnam aut aliquas dumtaxat, sed omnes sex, quot sunt numero. Hæc omnia eò faciebant, vt magis perspicua testataque esset miraculi certitudo. *Sed cur ipse*, rogat Chrysostomus, *hydrias aquâ non implentu, deinde in vinum vertit, sed ministris implendas mandauit?* Respondet rectè, *vt miraculi ipsos testes haberet qui aquam hausissent, ne qua fraus, ne quod præstigium putaretur.* ET IMPLEVERVNT. Paruerunt, quod moniti fuerant v. 5: & quidem alacriter capessentes iussa, *impleuerunt eas* hydrias, VSQVE

AD

AD SVMMVM OS: quamquam nescirent, quorsum tanta aquæ copia, & quid sibi vellet aqua vbi vinũ deesset. Fecit Dei prouidentia, vt implerent vsque ad summum, ne quid aliud ab aquâ postea affusum fuisse credi posset.

Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino. & tulerunt. [8] καὶ λέγει αὐτοῖς· ἀντλήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ. καὶ ἤνεγκαν.

ET pro tunc; simulatque scilicet renunciauerant Iesu, impletas à se esse hydrias aquâ, prout iusserat. Statim iubet hauriri, vt quo breuioris temporis, eo euidentius sit miraculum, ne quis putare posset, aquam in vinum fuisse mutatam, vel morâ temporis, vel artificio, vel vi aliquâ occultâ naturæ. Natura paulatim, Deus momento vno operatur, quidquid vult. IESVS omittitur græcè ac syriacè. HAVRITE. promite ex his hydriis in cyathum. Iansenius, ex voce hauriendi, colligere vult, hydrias fuisse vasa aperta & ampla, lata nimirum & patula, ex quibus aqua hauriri posset plenis situlis. Atqui haurire etiam pro fundere vsurpatur: nec dubium quin fuerint, vasa, oris quidem angustioris, ventris autem capacis, &, vt Nonnus ait, lati sinus, quibus sua aquæ vis refrigerandi conseruari posset. NVNC. quandoquidem eas impleueritis aquâ. Non dicit autem haurite aquam, nec dicit haurite vinum, sed simpliciter haurite, liquorem scilicet qui in illis est. Hæc autem verba dicens, mutauit aquam omnem illarum sex hydriarum in vinum, occulto diuinæ suæ virtutis nutu, argumento certo ac pleno diuinæ suæ virtutis pariter & liberalitatis. *Subitò factum est miraculum*, inquit Nonnus, *& versicolor aqua mutauit flubre rubescente colorem niueum in liquorem vini nigri. Quid enim*, ait Cyrillus, *omnipotenti Deo difficile? aut quomodo, qui à nihilo ad esse res omnes prouocat, non multo faciliùs vinum ad aliud permutabit atque traducet? Sed quánam gratia*, quærit Chrysostomus, *antequam implerentur, ex nihilo non fecit miraculum, quod longè fuisset admirabilius? Hoc profectò mirabilius, non tamen ita credibile, & quod tam facilè potuisset multitudini persuaderi. Hac gratiâ, miraculorum magnitudinem nonnumquam consultò imminuit, vt faciliùs crederentur.*

FERTE. offerte bibendum. ARCHITRICLINO. Vetustas conuiuia in tricliniis ferè celebrabat, id est, in locis constantibus tribus lectis discubitoriis. Hinc factum, vt quoduis conclaue conuiuij, vocetur triclinium; & qui conuiuio sit præfectus, Architriclinus. In hanc sententiam scribit Euthymius: *Architriclinum dicit conuiuij præfectum, qui conuiuium procurat: triclinia enim vocabantur, aulæ conuiuiorum.* Architriclinus conuiuio præerat, non vt dominus, sed vt œconomus: eius erat disponere atque ordinare quæ ad conuiuium pertinerent, cibos mensæ apponere, prægustare, & suo tempore auferre, solicitum esse, ne quid deesset conuiuis, attendere ne quid præter ordinem in conuiuio contingeret aut committeretur. Hunc Græci aliàs συμποσίαρχον vocant, Latini magistrum conuiuij, id est, modiperatorem, vt Varro loquitur. Hebraicè Gen. 43. v. 16. per periphrasin dicitur אשר על ביה *aser hal baith* qui super domum, quemadmodum gallicè *maistre d'hostel*. Roget quis, vnde in hoc pauperum conuiuio Architriclinus, qui ad splendida diuitum cõuiuia consueuit adhiberi? Solent honorificæ appellationes, ex diuitum lautitiis ac splendore sumtæ, etiam ad nuptialia pauperum conuiuia transferri, vt ea decet esse quàm honestissima, quæ honorabilis per omnia coniugij gratiâ instituuntur. Vt prætercam quòd existiment quidam, in nuptiis Iudæorum morem fuisse, vt pro Architriclino daretur vir aliquis grauis, ex sacerdotali ordine, qui legitimam conuiuij disciplinam ita moderaretur, vt etiam curam gereret pudoris coniugalis. lege Cardinalem Baronium. Hic mensæ non accumbebat, sed conuiuium obibat, dispiciens quibus esset opus, & imperans ministris quæ necesse esset, ipse cibo abstinens & potu, interea dum conuiuæ genio indulgerent. Quocirca huic, *quia sobrius nihil adhuc gustauerat*, quod ait Chrysostomus, nec palatum vini copiâ aut ciborum varietate habebat infectum, ac proinde aptissimus erat qui de vini veritate nobilitateque iudicaret (vt etiam officium ipsius erat, vinum conuiuis propinandum prægustare) iussit Dominus ante omnes offerri vinum suum gustandum ac probandum. *Etenim nemo ignorat*, ait Chrysostomus, *huiusmodi munera in conuiuiis, maximè sobriis & temperantibus demandari, quorum solum officium est, vt debito ordine & apparatu omnia dispensentur. Ideirco sobrium virum in miraculi testimonium adduxit. Non enim dixit, vt recumbentibus miscerent, sed ferrent Architriclino; Vt ne suspicetur quis*, addit Theophylactus, *quòd ebriorum conuentus fuerit, quorum gustus corruptus fuerit, quique præ ebrietatis vitio existimarint aquam vinum.* ET. Illi autem obtemperantes, liquorem ex hydriis in cyathum effusum, TVLERVNT, obtulerunt gustandum Architriclino. Quòd tam placidè ministri obtemperant Iesu, intelligimus, multum in eo reuerentiæ ac dignitatis resplenduisse.

Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam (& non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam) vocat sponsum Architriclinus, [9] ὡς δὲ ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστίν, οἱ δὲ διάκονοι ᾔδεισαν οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ, φωνεῖ τὸν νυμφίον ὁ ἀρχιτρίκλινος,

GVSTAVIT pro suo officio. VINVM FACTAM. mutatam in vinum. ET NON SCIEBAT. Nesciebat autem VNDE ESSET allatum, vel vnde prouenisset hoc vinum (præsertim cùm nosset, fuisse mox defectum vini) sed MINISTRI SCIEBANT, id est, facilè scire poterant, prout mox sciuerunt, vnde esset, nimirum esse ex aqua factum, QVI HAVSERANT AQVAM. includitur ætiologia, quia, merâ aquâ haustâ ex fonte, hydrias impleuerant. Hæc verba parenthesi inclusa, reddant versum clariorem. Nesciebat Architriclinus vnde esset, distractus enim in plura negotia, nec vno loco consistens, nõ omnia animaduerterat, quæ in conuiuio facta dictáve fuerant, à ministris, à Iesu, à matre Iesu. Quia autem nesciebat, idcircò iudicium eius plus habuit ponderis: nec enim quidquam dixit in gratiam Iesu, sed verè ac simpliciter pronunciauit de vino quod res erat. Porrò ministri sciebant, id est, facilè scire poterant, prout mox sciuerunt, vnde esset hoc vinum. Tum enim cùm Architriclinus gustaret, necdum certò sciebant esse vinum, quamquam ex odore

odore & colore possent connicere (putatur enim aqua alba, in vinum rubrum conuersa fuisse, quam suprà audiuimus & Nonni esse sententiam) sed paulò pòst, auditis Architriclini cum sponso mistis sermonibus, & gustato quoque per se vino, certò scierunt, & esse vinum, & vnde esset, & interrogati rem omnem aperuerunt. Cæterùm antequam interrogarentur nihil dixerunt, vt nec Architriclinus gustato vino statim interrogauit eos vnde esset, sed sponsum priùs iussit aduocari: ita vt decentissimo ordine miraculum fuerit diuulgatum: nam & Iesus ipse, *lentè & pedetentim, miraculorum suorum virtutem cognosci voluit*, ait Chrysostomus. VOCAT. ad locum vbi vinum positum erat, de quo volebat cum illo colloqui. SPONSVM. & ipsum mensas obeuntem, recreandorum conuiuarum causa.

καὶ λέγει αὐτῷ· πᾶς ἄνθρωπος [10] πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι, καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω· σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.

& dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem seruasti bonũ vinum vsque adhuc.

OMNIS HOMO. omnes qui conuiuia celebrant. PRIMVM. priùs, initio mensæ. BONVM. melius. PONIT. apponit mensæ, offert conuiuis. ET CVM. posteà autem cùm INEBRIATI. exhilarati FVERINT conuiuæ. Neque enim semper in vitio ponitur verbum hebraicum שכר *facar*, quod propriè significat inebriari, sed interdum liberaliorem potum citra ebrietatem significat, quod notat Mercerus: nam etsi iam ebrij fuissent conuiuæ isti, non fuisset hîc defectus vini, sed hora surgendi, nec mater Iesu de vino procurando fuisset solicita, sed de dimittendis conuiuis. TVNC ID QVOD DETERIVS EST. Ratio est, quia initio mensæ, palato integro, optimè iudicatur de vini qualitate: posteà verò, palato vini copiâ & ciborum varietate infecto, non perinde iudicatur, ac proinde tale esse vinum conuiuæ plerique sibi persuadent, quale fuerit ab initio, etiamsi deterius subrogetur. Pulchrè, his Architriclini verbis, exprimitur huius seculi ingenium, quo primùm solent quæ potiora & gratiora sunt, inescandi gratiâ proponi, deinde quæ viliora sunt ac deteriora, deceptis obtrudi. TV AVTEM contrà, quod minori est tuæ mensæ honori. Interpretes Latinus & Syrus, suppleuerunt *autem*, quod non legitur græcè. BONVM. melius. nec enim prius non erat bonum, & quidem benè bonum, quod ad nuptias paratum fuerat. VSQVE ADHVC. ἕως ἄρτι vsque nunc, vsque ad hoc tempus, cùm iam magnâ ex parte exhilarati sunt conuiuæ, & palatum habentes imbutum sapore alterius vini variorumque ciborum, minùs dignoscere possunt, quàm præstans sit vinum quod nunc offers. Hæc verba Architriclini, errantis licet hactenus quòd putaret vinum hoc à sponso de industriâ seruatum fuisse, recenset Euangelista, vt constet, quid iudicarit ille de liquore à ministris sibi oblato, nimirum, non solùm non esse aquam, sed vinum, & quidem nobilissimum vinum, longè præstantius eo quod mensæ ab initio fuerat appositum. *Eiusmodi enim sunt Christi miracula*, ait Chrysostomus, *vt quàm quæ naturâ perfecta sunt, longè pulchriora melioráque reddantur: ita & in aliis, distortum membrum quàm sana validius reddebat.* Arbitratus igitur Architriclinus, quòd negligentiâ sponsi accidisset in conuiuio defectus vini, eò quòd ille vinum optimum à se sepositum tardiùs iussisset proferri, incusat eum, quod præter rationem seposuisset vinum optimum, quod primum omnium debuisset propinare. Quid ad hoc responderit sponsus, non exponit Euangelista, sed relinquit nobis cogitandum, nimirum, quòd negauerit vinum illud à se sepositum datum aut procuratum fuisse, aut se scire vnde veniat. Quare cùm Architriclinus rogaret ministros, vnde nam habuissent ipsi hoc vinum quod iam obtulerant ipsi, illi tunc declararunt quod res erat, se, postquam iussu Iesu implessent hydrias aquâ, liquorem hunc eiusdem iussu ex hydriis promptum, obtulisse Architriclino. Quocirca cùm & Architriclinus & sponsus & ministri ipsi obstupescerent, recurrerunt ad hydrias, & singulis gustatis, cùm omnes simili vino plenas esse comperirent, non se continentes præ stupore & gaudio, conuiuis declararunt, Iesu auctore, aquam in vinum conuersam esse, gustandum omnibus offerentes. Quare cùm omnes applauderent Iesu, ipse, qui causâ applausus popularis nihil faciebat, suo more discessit, admonens, vt vino à Deo dato secundùm Deum vterentur. Iesu digresso, per otium iterùm gustarunt vini illius & veritatem & nobilitatem: & conuiuio in Dei timore peracto, singuli aliquid ex illo vino facto ex aquâ, etiam secum in vasculis auferre contenderunt, quod vel darent etiam aliis gustandum, vel ad longam seruarent memoriam. Fuerat enim, quod ex versu sexto superiore constare potest, ita copiosè datum, vt sufficeret, non solùm conuiuis præsentibus, verumetiam aliis pluribus, adeoque inopiæ sponsi subleuandæ, si opus esset. Interea mater Iesu, cùm beata tali filio ab omnibus prædicaretur, modestissimè se continens, laudem omnem à se in Deum transtulit. Hunc fuisse totius rei successum, verisimiliter liceat imaginari. Hoc porrò miraculo, velut typo quodam, adumbrauit Iesus, id quod tunc aggrediebatur, quòd frigidam atque insipidam legis Mosaicæ aquam, mutaturus esset cum suauissimo, efficacissimo, generosissimoque euangelicæ legis vino.

ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων [11] ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

HOC FECIT INITIVM SIGNORVM. Construe, hoc initium signorum fecit, hoc primum signum suum fecit IN CANA GALILÆÆ. Inter innumera miracula quæ Iesus edidit in terris agens, hoc vini facti ex aqua, quod edidit in Cana Galilææ, fuit primum: ante illud nulla ediderat miracula. Nam prædictiones & reuelationes, quales capite superiore recensentur, mira licet sint, miracula tamen non habentur, quippe nullâ cum rerum mutatione coniuncta: quæ de pueritiâ & iuuentute Iesu circumferuntur miracula, inter quæ

 illud

illud est, quòd matri sibique inediam aliquādo patientibus cibum præter humanum morem procurauerit, fabulosa sunt: denique quæ circa natiuitatem acciderant, Deo operante facta fuerant, non Iesu, quod possent homines iudicare. Quare Euangelista miraculum hoc, absolutè primum omnium fuisse dicit, eorum quæ Iesus per se fecit; non tantùm eorum quæ in Cana Galilææ fecit. Cur enim non potiùs notet primum eorum quæ Capharnai & Ierosolymæ fecit, vbi longè plura fecit, quàm eorum quæ in Cana Galilææ, vbi pauca edidit? *Non solum scripto prodidit Euangelista hoc miraculum ab aliis prateritum*, inquit Euthymius, *sed etiam docuit principium hoc fuisse signorum: ne fides adhibeatur iis qua dicuntur pueri Christi miracula. Nam si puer mirabilia operatus fuisset, id statim omnibus innotuisset, neque Israelitis fuisset opus Iohanne vt eum manifestaret. Exspectauit decentem viros ætatem, ne phantasmata esse putarentur ea qua fierent.* Hæc Euthymius, Chrysostomum imitatus.

ET MANIFESTAVIT, eoque manifestauit, declarauit, cognoscendum dedit, quomodo numquam anteà. GLORIAM SVAM, gloriam quasi vnigeniti à Patre, quæ dicta est suprà 1. v. 14. declarauit se esse Deum ex Deo, vnigenitum Filium Dei, edens opus quod non nisi à Deo queat edi. Aquam enim in vinum mutare, vnam naturam in alteram, solius est Dei, *qui omni anno hoc facit in vitibus*, quod ait D. Augustinus. *Hoc miraculo manifeste ostendit*, habet Chrysostomus, *se eum esse qui in vitibus aquam transmutauit, & qui pluuiam per vitis radicem in vinum vertit, cùm quod in planta longiori temporis spatio efficitur, id repentè in nuptiis operatus est.* Quamquam verò non statim, viso hoc primo miraculo, intellexerint homines gloriam Iesu, quòd inquam esset æternus Dei Filius: *manifestauit tamen eam, quantum in ipso erat*, quod ait Chrysostomus, quia sufficiens erat miraculū hoc, vt ex ipso intelligeretur gloria Iesu: quare si nō hoc tempore manifestauit actu, at posteà, quando aperuit discipulis suis sensum; etsi non præsentibus, at pòst futuris, & miraculū hoc, cū cæteris consequutis, audituris, ac credituris in ipsum. innumeris enim tandem modis manifestauit gloriam suam. Quidam, καὶ pro ἵνα, & pro vt, accipiens, intelligit, *vt manifestaret gloriam suam*. Hic enim finis fuit primi huius & omnium miraculorum Iesu, nec ob aliam causam miracula edidit, quàm, quod etiam dicit infrà 11. v. 4., *pro gloriâ Dei, vt glorificetur Filius Dei per ea.* ET. quocirca etiam eo viso, CREDIDERVNT IN EVM longè firmiùs quàm anteà. DISCIPVLI EIVS, quinque illi, quos nominauimus suprà v. 2., qui his nuptiis interfuerunt. *Crediderunt* autem, non gloriam eius, quòd esset æternus Dei Filius (nondum enim eò profecerunt) sed quę superiori capite sunt exposita, quòd esset Messias à Mose & prophetis promissus, Rex Israel, & Filius Dei inter omnes primus. Atqui iam antè hæc crediderant rectè sed quòd iam credidisse dicuntur, *intellige, quòd fidem ampliorem & firmiorem acceperint*, ait Theophylactus, *quod fides eorum roborata sit*, vt Cyrillus loquitur. nam habet & fides gradus suos: vnde etiam diu posthæc, orarunt Apostoli Dominum: *Adauge nobis fidem.* (Luc. 17. v. 5.) Hic præsens fuit fructus, quem Iesus ex hoc primo miraculo suo retulit, tum cùm operaretur illud, quod ij qui iam recèns se addixerant disciplinæ eius, eo viso firmiùs longè & constantiùs crederent ipsum esse Messiam, ex Dei promissione hactenus ab Israelitica gente exspectatum, quàm anteà crediderant. Ille quidem manifestauerat hoc miraculo aliquid etiam lōgè amplius, gloriam inquam suam, quòd sic esset Messias, vt etiam vnigenitus Filius Dei: verùm hoc nondum assequuti sunt discipuli, quippe corde adhuc crassiori & obcæcatiori. Reliqui præsentes, conuiuæ inquam, & ministri, de quibus Euangelista nihil dicit, nec eousque profecerunt quo discipuli, vt Iesum crederent esse Messiam: non dubium tamen, quin magnificam primùm de Iesu imbiberint opinionem, quamquam eam breuî euanuisse appareat ex contemtu ciuis ac familiaris. Inimici denique. posteà, quando intellexerunt, miraculum in calumniam verterunt, dicentes: *Ecce homo vorax & potator vini* (Matth. 11. v. 19.) sugentes ex melle venenum.

Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus.	12	μετὰ τοῦτο κατέβη εἰς καπερναοὺμ αὐτὸς, καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· καὶ ἐκεῖ ἔμειναν οὐ πολλὰς ἡμέρας.

POST HOC. paulò post hoc miraculum perpetratum. DESCENDIT. profectus est, non quidem ex Canâ immediatè, sed ex Nazareth: celebratis enim nuptiis, rediit cum suis ex Canâ in Nazareth, vbi erat ipsorum habitatio. Porrò quia montosa erat regio Nazarethana, & decliue iter proficiscentibus Capharnaum, ciuitatem loco humiliore ad lacum Genesareth sitam, idcircò *descendit* ait: quemadmodum, quando ad superiora loca, ex inferioribus proficiscitur, ascendere dicitur. exemplum est vel versus proximus. IPSE. Iesus, qui cùm cœpisset seipsum iam manifestare, partim collectis discipulis aliquot, partim edito illo in nuptiis miraculo, volens cœptum prosequi, & pluribus innotescere ac prodesse, relictâ obscurâ Nazareth (in quâ nouerat se contemnendum, si quid tentaret) petiit celebrem frequentemq; ciuitatem Capharnaum: in quam & decreuerat habitationem transferre iterum reuersus ex Iudæa, id quod ex Matth. 4. v. 13. fit manifestum. Nam vt prophetæ, ita & Christus, in celebrioribus vrbibus ferè docuerunt, vt verbum Dei commodiùs latiusque spargeretur. ET MATER EIVS, quæ sciens filium iam vacaturum euangelicæ prædicationi, ægrè ab eo auellebatur, desiderans, & audire ex eo diuinissimum Dei verbum, & videre quæ ad illius confirmationem facturus erat miracula (quorum gustum iam in Canâ acceperat) quæ flagrantissimo desiderio, antiqui reges & prophetæ, videre atque audire optauerant. ET FRATRES EIVS patrueles aut consobrini, Iacobus, Ioseph, Simon & Iudas: his enim nominibus nominantur Matth. 13. v. 55. Et hi comitari voluerunt Iesum fratrem suum, partim amore illius, partim curiositate ducti: vt, quia obseruarent eum eò tendere, vt se mundo manifestaret, & doctorem exhiberet, viderent successum rei, cuius initium non contemnendū spectarant in nuptiis. Iesus autem indulsit hoc eis isto initio ad paucos dies, pręsertim cùm quosdam eorum eò adducturus esset, vt ex fratribus discipulos se redderent, nominatim Iacobū & Iudam. Non ergo habitandi causâ, mater & fratres, Capharnaum cum Iesu profecti sunt, sed comitandi ad tempus, & quasi deducendi, quem animaduertebant patriæ & agnatis valedicere. Constat enim ex Matth. 13. v. 55. 56., quòd redierint mater eius & fratres Nazarethum ad propria habitationemque familiarem. ET

DISCI-

DISCIPVLI EIVS. illi qui nuptiis interfuerant, quorum comitatum omnino cupiuit. NON MVLTIS. id est, paucis DIEBVS. Quid egerit illic Iesus paucis illis diebus, non exponit Euangelista: certum est tamen non fuisse otiosum, & omnino verisimile, vt cœptū, quod dicebamus, opus prosequeretur, plures illic collegisse discipulos, &, si non publicè atque ex professo, certè priuatim atque occasione, multos docuisse, & exhibito euangelij specimine innotuisse. Hoc reliquit Euangelista lectori per sese intelligere.

καὶ ἐγγὺς ἦν τὸ πάσχα τῶν ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς ἱεροσόλυμα ὁ ἰησοῦς.	13	Et propè erat pascha Iudæorum: & ascendit Iesus Ierosolymam.

ET pro Nam. Respondet enim istud *&* hebraico vau, ac proinde non semper copulatiuum est, verùm aliquando causale, discretiuum, illatiuum &c. pro varietate locorum. PROPE ERAT. datur ratio quare non diu manserit Iesus Capharnai, quia scilicet appropinquarit PASCHA: nec enim statuerat diutiùs Capharnaï manere, quàm dum aduenisset tempus proficiscēdi Ierosolymam ad solemnitatem paschæ. Hoc pascha primū fuit à baptismo Iesu, duobus plus minùs mēsibus pòst occurrēs. IVDÆORVM. Addidit hoc Euangelista, ne Gentiles hæc legentes errarent: nam quando scribebat hæc, Christiani aliud pascha celebrabant.

ET pro Itaque illatiuo. IEROSOLYMAM. prout consueuerat annis singulis, iuxta præscriptum Mosaïcæ legis (Exo. 23. v. 14. 17. Deut. 16. v. 16.) vt celebraret pascha; peculiarem nunc tamen ob causam, nimirum vt publicè illic iam auspicaretur legationem suam, prædicationem inquam euangelij miraculis stabiliendam. Eam enim cōgruebat Ierosolymis auspicari, metropoli Israëlitarum, ad quos legatus missus erat; & quidem in paschate, quando populi Israel omni ex parte confluentis conuentus celeberrimus esse consueuerat: quamquam breuî pòst, Iudæis tendentibus insidias Iesu, translata sit prædicatio in Galilæam. (Matth. 4. v. 12.) Porrò an mater & fratres Iesu, simul cum Iesu nunc ascenderint Ierosolymam, non dicit Euangelista: haud dubium est tamen, quia & ipsis hoc erat in more, quemadmodum omnibus religiosis, vt ascenderent quotannis ad solemnitatem Domini (Luc. 2. v. 41.) Verùm studiosè id tacuit Euangelista, vt significaret, Iesum aggredientem negotium suæ à Deo Patre legationis, non ampliùs rationem habuisse matris & fratrum aut cognatorum post se trahendorum, sed discipulorum dumtaxat.

καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας βόας καὶ πρόβατα καὶ περιστερὰς, καὶ τοὺς κερματιστὰς καθημένους.	14	Et inuenit in templo vendentes boues & oues & columbas, & nummularios sedentes.	Matth. 21. v. 12. Marc. 11. v. 15. Luc. 19. v. 45.

ET INVENIT IN TEMPLO. Ierosolymam cùm venisset, ante omnia inuisit templum. *Inuenit* autem *in templo*, non quòd anteà numquam inuenerat, sed quòd hoc primum esset ex quo docendi munus exercere statuerat. *In templo* inuenit, non templi, sed fori speciem. NVMVLARIOS. τοὺς κερματιστὰς. Quos mox proximo versu κολλυβιστὰς vocat cum cæteris Euangelistis, hîc appellat κερματιστὰς, ἀπὸ τοῦ κέρματος, quod numulos seu æs minutum significat, à κείρειν, quod est, in minuta frusta concidere. vide versu proximo. SEDENTES ad mensas. Reliqua lege Matth. 21. v. 12.

καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε.	15	Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de tēplo, oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit.	Matth. 21. v. 12. Marc. 11. v. 15. Luc. 19. v. 45.

QVASI non exstat græcè aut syriacè. FLAGELLVM. Vox ista latina græcè & syriacè vsurpatur, corruptè tamen ex vulgi consuetudine. φραγέλλιον [Syriac] pher.g.o. DE FVNICVLIS quos illic inuenit pecorum venditorum atque immolatorum. OMNES negotiatores illos, non vendentes tantùm, sed & ementes, quod ex aliis Euangelistis intelligitur. EIECIT flagello adhibito, tamquam canes nimirum, aut, quod Cyrillus ait, *iniquos seruos*, fustuario dignos, vt ostenderet dura hos manere flagella, ob profanationem templi Dei. OVES QVOQVE ET BOVES. ne propter substantiam suam redire tentarent. Alij vertunt *& oues & boues*, vt ad bestias istas referatur signum vniuersale *omnes*, illæque solæ intelligantur flagello eiectæ, quod sentit Euthymius: sed aliter, per accumulationem inquam, hoc dictum, intellexit Interpres noster, cum reliquis plerisque veteribus, quibus suffragatur Syrus, dum vertit: *Et omnes ipsos eiecit è templo, & oues, & boues, & numularios, & effudit numos eorum* &c. ÆS minutū. τὸ κέρμα numulos, æris minutias, quas paratas habebant ad commutationem pecuniæ maioris. *Sicut κόλλυβος obolus est qui pro permutatione datur*, ait Euthymius, *id est (vt vulgo dicitur) cambium: sic & κέρμα, congeries est obolorum aut minutorum numorum, quibus fit permutatio.* ET MENSAS SVBVERTIT. mensis subuersis: quod non sine confusione mutui ipsorum æris accidit. Bis legitur Iesus ad huius corruptelæ correctionem manus hoc modo admouisse, semel sub prædicationis finem instante passione, quando salutatus fuerat rex Israel, quod à reliquis Euangelistis describitur; semel initio prædicationis suæ & ostensionis ad Israel, quod hoc loco narratur; vtrumque instante pascha, quando nundinæ frequētiores & celebriores erant. Quamuis autem, cùm sæpiùs templū frequentaret, sæpiùs ipsi ante oculos abusus his versaretur: tamen quia templum illud, cum suis sacrificiis, excidio breuî addictum nouerat, satis habuit eius profanationem bis palàm coarguisse. Videtur porrò prædicationem suam Ierosolymis hinc auspicatus, ab hac inquam repurgatione reformationeque templi Dei, vt torpentes ac sopitas Iudæorum mentes, nouo & & insolito facinore expergefaceret, & ad doctrinam suam, tamquam non vulgarem futuram, attentos redderet, diuinæ suæ auctoritatis documento statuto. Non enim fuit hoc minimum, immo verò ex maximis vnum miraculum Iesu, hominem vnum, plebeium, obscurum, nullius-

LL 2 que

que hactenus auctoritatis, posse ex templo, vi ignominioseque, flagello exigere, multitudinem potentium negotiatorum, & quidem populi pietati seruientium, quod sibi persuadebant, quin se conatibus ipsius opponerent, ipsumquemet flagellis exceptum eiicerent, ne quid amplius dicam, aut saltem contumeliis onerarent, verbisque lacesserent, præsertim cùm nihil facerent, quod non permitterent principes ipsi, penes quos erat auctoritas rerumque summa in templo, quos & præsentes adfuisse ac rem spectasse, verisimile est. Egit hoc idem aliàs posteà, quod diximus; sed vt tunc sibi conciliauerat populi gratiam, qui immensâ multitudine præsens aderat, minus mirum videri poterat, si nemo ipsi auderet obstrepere. Atqui nunc, cùm nondum cognitus esset, fautoresque paucos aut nullos haberet, id egisse, res fuit omni admiratione maior. Nimirum tanta fuit grauitas maiestasque vultus Iesu ad iustam iracundiam compositi (quo non erat alioqui mansuetior alius) quanta terrorem omnibus incuteret, ita vt ne hiscere quidem auderent, tamquam Deo iratum illis vultum monstrante, minasque intentante, quod verè erat. Huiusmodi vultu Iesus, in nouissimo iudicij die, tremefaciet ac perterrebit impios, & præcipitabit in tenebras exteriores. Reliqua quære Matth. 21. v. 12.

Matth. 21. v. 13. Marc. 11. v. 17. Luc. 19. v. 46.

Et his qui columbas vendebāt dixit: [16] Auferte ista hinc: & nolite facere domum Patris mei, domū negotiationis.

καὶ τοῖς τὰς περιστερὰς πωλοῦσιν εἶπεν· ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν· μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, οἶκον ἐμπορίου.

Avferte. Columbæ cùm essent caueis inclusæ, non perinde poterant eiici, nisi caueis apertis sinerentur auolare, certo damno dominorum: idcircò his, *auferte* inquit indignabundus: id quod illi præ timore facilè exsequuti sunt. Ista. columbas & quæcumque alia venum exposita. Et. græcè non exstat, tametsi syriacè. Nolite facere. μὴ ποιεῖτε ne faciatis. *Sicut Dominus imperat*, ait Cyrillus, *& sicut doctor peccata illorum exponit, vt pudore victi, iure se e templo extrudi cognoscant.* Hoc porrò ad omnes negotiatores refert, quos templo exturbat, non ad solos columbarum venditores. q.d. vos facitis contra Dei institutum.

Domvm Patris mei. domum Patri meo, sacrificiis orationibusque colendo, dicatam. Peculiarem ac naturalem se Dei Filium esse declarat, & vt huiusmodi, meritò tangi solicitudine honoris paternę domus, & ius atque auctoritatem repurgandi templi sibi vendicare. Domvm negotiationis. cauponam seu tabernam. In domo orationis vetat fieri negotiationem, etiam earum rerum quæ destinabantur ad orationem: eò quòd negotiatio quarumcumque rerum, cùm absque auaritiæ studio, tam ementis quàm vendentis ex parte, vix vmquam contingat, foro congruat, non templo. Non enim culpat quòd hæc venderentur, sed quòd in templo venderentur: poterant enim suis locis extra templum vendi. Secundùm alios Euangelistas, *Speluncam latronum* ait, pro eo quod hîc *domum negotiationis*: nimirum, vt docet Chrysostomus, prima correptione remissiùs ac mitiùs hîc cum illis agit, simpliciter admonens ne templum Dei in alienos vsus vertendo profanent; illic verò seueriùs, vt qui mitiori hac castigatione nihil emendati, in suâ illâ arte cauponariâ & infami nundinatione obstinatè vsque perstarent. Reliqua lege Matth. 21. v. 13.

Psalm. 68. v. 10.

Recordati sunt verò discipuli eius, [17] quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

ἐμνήσθησαν δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστίν, ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου καταφάγεταί με.

Recordati svnt. Cùm viderent discipuli, Iesum placidum alioqui ac mitem, tantâ seueritate profligantem negotiatores istos ex templo, vênit eis in mentem, suggerente Spiritu sancto, Qvia pro quòd Scriptvm est à Dauide, ex persona Christi, dictante Spiritu sancto. Quidam enim eorum periti erant Scripturarum, nominatim Nathanaël: cæteri non ita rudes erāt, vt nihil ex Scripturis sacris, quæ omni sabbato in synagogis legebantur, didicissent aut retinuissent, & præsertim ex Psalmis, quorum frequens erat & decantatio & expositio. Quam ob rem Cyrillus in hunc locum scribit his verbis: *Indies vndique rebus singulis Scripturam discipuli conferentes, ad maius fidei robur progrediuntur*; & Theophylactus: *Paulatim incrementa boni sumentes, & Scripturarum recordantur, inde testimonia recipiendo, & firmiorem de Christo scientiam apud se constituendo.* Zelvs. *zelum dicit nunc iustam indignationem*, ait Euthymius; aut potiùs animi æstum ex iustâ indignatione, assumtâ ob ea quæ indignè fiunt aduersus Deum quem amamus. Zelus est vehemens studium procurandi ea quæ ad Dei honorem faciunt, & aduersantia propulsandi. Domvs tvæ templi tui, ô Deus Pater, zelus quo feror erga templum tuum vt vindicem illud asseramque ab omni iniuriâ, iusta indignatio concepta ex profanatione templi tui cultusque. Sub templi enim nomine, vniuersum Dei cultum per synecdochen designat. Comedit. præsens est, quamquam græcè futurum καταφάγεται *comedet*. Psalmus præteritum habet, tam græcè (κατέφαγε) quàm hebraicè אכלתני *acalathni* comēdit me, vt & quædam euangelij exemplaria. In prophetiis vix habetur temporum ratio, præteritum loco futuri accipitur, præsens consuetudinem denotat, q. d. consueuit comedere. Porrò non dicit propheta tenuit aut occupauit, commouit aut incitauit me, sed quod est longè & significantius & amplius, *comedit*, deuorauit, absorbuit *me*, totum me ita occupauit, & quasi ignis intra præcordia conclusus, accendit, inflammauit, vssit, torsit ac consumsit animum meum, vt non valerem sustinere domus tuæ neglectum atque inhonorationem, quin vlciscerer & castigarem, postposito timore & contemto periculo omni, quod ex ea re creari mihi poterat à sacerdotibus & principibus Iudæorum. Magnitudo enim zeli, in contemnendis pro tuendo Dei honore periculis, & metu omni postponendo, maximè elucet. Hic vnus affectus, asserendæ gloriæ tuæ, inquit, alios omnes animi mei affectus, timorem & cætera, absorbuit. *Quis comeditur zelo domus Dei?* rogat Augustinus: *qui omnia quæ fortè ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit*, & apud se dicit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* (Psalm. 118. v. 139.) Ergo cùm cæteri qui præsentes aderant admirarentur, adeoque offenderentur, & Iesu factum temeritati atque arro-

arrogantiæ attribuerent: Discipuli, Scripturâ in memoriâ reuocatâ instructi, intellexerunt rem adscribendam esse, ei quo flagrabat Iesus, zelo honoris Dei, nihilque aliud fieri ab eo, quàm quod prædixisset propheta.

ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ ἰουδαῖοι καὶ εἶπον αὐτῷ· τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς;

18 Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

RESPONDERVNT. occasione huius abs Iesu gestæ rei, intulerunt, subdiderunt. vide Matth. 11. v. 25. In summa, obiecerunt. IVDÆI siue negotiatores illi è templo eiecti, siue cum illis sacerdotes principesque Iudæorum qui adesse poterant. SIGNVM. miraculum. OSTENDIS. edis. QVIA. quòd. HÆC FACIS legitimè, quo miraculo abs te edito, monstras competere tibi auctoritatem ac ius hæc faciendi, negotiatores inquam tantâ confidentiâ ac seueritate templo exturbãdi, quos sacerdotes qui templo præsunt admiserunt, tuoque pro iudicio atque arbitrio templum expurgandi, & totam agendi in eo rationem turbandi? Si hæc facis auctoritate abs te ipso acceptâ, seditiosa temeritas est (nec enim cuiusuis est corrigere ea quæ publicè malè fiant) si diuinâ (neque enim à principibus sacerdotum, quorum hoc propriè munus est, accepisti) quod signum profers quo ostendas auctoritatem huiusmodi à Deo tibi datam? nam non sufficit te asserere, quod quiuis possit, sed euidentissimum eius rei argumentum exhibeas oportet. Simili modo à posteriori eiectione interrogarunt: *In qua potestate hæc facis?* (Matth. 21. v. 23.) verùm illic nullum signum postularunt, quia innumera tunc Iesus exhibuerat; hîc postulant, quia nullum hactenus Ierosolymis ediderat: nisi quòd illud ipsum fuerit clarum, & planè stupendum diuinæ potentiæ argumentum, prout iam diximus, quòd ipse vnus, inermis, turbam illam negotiatorum, nemine resistere audente, è templo ignominiosè adeò expulisset. verùm dissimulant illud ipsi, quasi sponte cessissent, aut certè, auaritiâ itaque excæcati, non animaduertunt. Dederat porrò Iesus intelligendum, quòd id faceret vt Filius Dei, quòd vt Filius Dei domo Dei sordes exturbaret: sed non perceperunt illi, quòd peculiari sensu vocaret se Filium Dei, tamquam naturâ filium (adhuc enim infrà 8. v. 27. testatur Euangelista, *non cognouisse eos, quod patrem suum diceret Deum*) id quod non nisi tandem intellexerunt (infrà 10. v. 30. 31.) Quòd si etiam nunc percepissent, non minor tamen ratio eis suppetiisset petendi signum: non contenti enim affirmatione Iesu, petunt signum quo probet suam auctoritatem, idque more suo, de quo Apostolus 1. Cor. 1. v. 22: *Iudæi signa petunt*. imitati patres suos, quibus, vt crederent Mosi, complura signa sunt data. (Exod. 4. v. 1. & seqq.) *Moses signa & prodigia de cælo ostendit*, ait Rupertus hoc loco ex eorum personâ, *tu si auctoritatem hanc habes, aut etiam Christus es, sicut Iohanne testificante cœpit vulgò iam dici, quod signum ostendis?* Igitur, cùm discipuli, factum illud Iesu, attribuerent zelo domus Dei, Iudæi attribuêre arrogantiæ ac temeritati, quòd citra auctoritatem id faceret. Non dicunt eum iniquè agere, iniustè ex profano templi atrio eiicere, eos qui venderent emerentque quæ in sacratissimo sacerdotum atrio & sanctissimis templi adytis erant offerenda: sed malè sibi conscij, facileque persuasi, nec in atrio gentium, quod profanum ipsi vocabant, id licere, defectum auctoritatis in ipso criminantur. *Scientes se condemnatos*, ait Euthymius, *ipsum quidem reprehendere ausi non sunt, sed dixerunt ei: Cùm hæc facias, siue cum dominium tibi vendices, quod signum ostendis nobis tuæ auctoritatis?* Porrò quòd signum postulant, non est, quòd signum abs Iesu edi videre desiderent, quod non credunt ab ipso posse præstari, sed solummodo, vt præsumtuosi animi adeoq; seditionis ipsum insimulent.

ἀπεκρίθη ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.

19 Respondit Iesus & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

SOLVITE. Petentibus signum, non exhibet in præsentiarum, quia non sincero animo petebant (nec enim aut videre voluissent signum aut viso credere) ne tamen auctoritate eum defici calumniarentur, promittit se daturum atque exhibiturum, modò ipsi materiam, quod facilè possent, suggererent. Et quia de auctoritate ipsius in templum controuersia erat, promittit signum circa templum, eiusmodi quo declaraturus esset se templi Dominum (vtpote qui illud dissolutum facillimo negotio erigeret) ac proinde summâ in templo auctoritate valere. Verùm cùm illi de templo illo manufacto, lapidibus lignisque constante, agerent, ipse de templo corporis sui loquebatur, de industria vsus amphibologicâ obscuritate, vt eos falleret, indignos quibus mysteria regni cælorum aperirentur. Amphibologiam enim pro suo sensu interpretati, acceperunt signum quo cognosci posset auctoritas Iesu in templum (nam qui potuisset templum depositum, erigere triduo, manifestè declarasset ille se templi dominum esse, cumque eo agere quod vellet, ac proinde etiam iure posse peccantes ex eo expellere) sed non crediderunt, Iesum tale signum edere posse (etsi verè posset) immo pro re impossibili, absurdâ, adeoque sacrilegâ, habuerunt. Verùm alienum erat à mente Iesu huiusmodi signum, cui propositum non erat, vana atque inutilia signa, ad ostentationem edere, aut templo illi lapideo honorem suum perpetuum seruare: sed sub metaphora templi, promittebat pro signo excitationem corporis sui à morte. Et quidem, cùm iam nullum vellet exhibere signum, petentibus maligno animo: potuisset ipsis promittere plurima clarissimaque signa, quæ paschate proximè instante edere decreuerat (prout constat edidisse, infrà v. 23. & 3. v. 2.) sed noluit aliud promittere, quàm suæ à morte resurrectionis, ænigmate obuolutum, quod ita foret vltimum signorum à se edendorum, vt materiam esse habiturum impietatem ipsorum (quam tacitè exprobrat) & ita declaraturum auctoritatem potestatemque ipsius in cælo & in terra, multo magis in lapideo illo templo (nullo enim alio miraculo, æquè Iesus declarauit se germanum Filium Dei ac resurrectione) vt eos illis esset obstructurum, & eos, vel funditus exstirpaturum, vel ad fidem in Christum coacturum. vide Matth. 12. v. 39. Quamquam verò noluit illud modò ab illis intelligi, ne ad procurandam studiosiùs cædem ipsius abuterentur intellecto: reliquit tamen cognoscẽdum suo tempore,

porè,& intelligendam ex eo, non solùm auctoritatem suam, verumetiam præscientiam diuinam, quòd ab ipso rerum initio futura omnia prænouisset. *Multa enim talia loquitur*, inquit Euthymius, *primùm quidem audientibus incerta, postmodù verò manifesta, vt ostendatur præuidisse quæ dicebat*. In summa tractat Dominus impios prout merentur, & simul ab omni contemtu se eximit: & quamquã obstinatos nondum esse constabat, satis tamen tenebat, quis esset affectus animis ipsorũ, quod Euangelista ipse inf. v.25. annotat. SOLVITE. Hoc signum ostendam vobis, vobis soluentibus ego excitabo. λύσατε soluitote, soluetis, idque per me licebit vobis, per me licebit vt soluatis, vt destruatis. Non est imperantis cædem, sed prædicentis simul & concedentis seu permittentis: quales sunt frequentes phrases apud prophetas. Lege Matth.13. v.14.15. *Soluite dixit*, ait Euthymius, *non adhortans eos ad sui interfectionem, sed quia cognouit quod facturi erant, figuratiuo sermone prædixit. Soluite ergo, siue in terram subuertite, ab anima separate, & coniunctionem quæ cum illa est dissoluite*. ita Euthymius.

TEMPLVM HOC. humanam hanc meam naturam. Eam iure vocat templum, vt *in qua*, Apostolo teste (Coloss.2. v.9.) *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis*, seu plena deitas, *corporaliter*, id est, essentialiter seu naturaliter; non solùm per gratiam, sed etiam per vnionem personalem. Si locus Dei cultui dicatus, vbi Deus adesse præsumitur peculiari exauditionis gratiâ, vocatur & est templum; quanto magis Iesu natura humana, cui Deus in vnitatem personæ coniunctus est? Hoc templum solutum fuit à Iudæis, quando illi separarunt, non diuinam naturam ab humana (quod numquam factum est) sed partes naturæ humanæ, animam inquam & corpus, à se inuicem, illatâ morte. Cæterùm licet Iesus dicens *templum hoc*, semetipsum corpusque suum, gestu suæ manus demonstraret: Iudæi tamen arbitrati, eum, ad modum oratoris inepti, manu solœcismum facere, intellexerũt de inanimi illo templo suo, in quo tota erat ipsorum & fiducia & gloria, cui non minùs conueniebat solui posse ac destrui, quàm huic animato. Et certè ampliùs longè abhorrebant ipsi, à soluendo illo inanimi, quàm hoc animato, quod res docuit: nam vt videri possent meritò animatum hoc soluere, attulerunt posteà in medium sermonem hunc Iesu, tamquam habitum, summo piaculo, de inanimi illo suo templo destruendo. Matth.26. v.61. ET ego. vos soluetis impiè prorsus, sed ego potenter, inuitis & præ ira crepantibus vobis. IN. superfluit hæc præpositio latinè & græcè. TRIBVS DIEBVS. Non significat se tribus diebus occupatum iri, vt illud excitet, sed vult dicere, infra seu intra triduum, &, quod alibi dicit, *post tres dies*, id est, tertio die. EXCITABO. ἐγερῶ suscitabo, erigam; *propriâ virtute vsus, nullaq; externâ indigens*, quod ait Cyrillus. Est autem & vox ista, anceps ad reædificandi sensum, & ad resuscitandi, ipso quidẽ Iesu intelligente, prædicente, ac promittente, humanæ suæ naturę à morte resuscitationem, Iudæis autem intelligentibus destructi lapidei illius tẽpli reædificationem. Idcircò enim subiiciunt:

Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?	20	εἶπον οὖν οἱ ἰουδαῖοι· τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν;

QVADRAGINTA SEX anni impensi fuerunt ædificando huic templo. Loquuntur de templo illo, in quo ipsi vnà cum Iesu erant & colloquebantur: quod primũ quidem à Salomone octẽnio ædificatum (3.Reg.6. v.38.) pòst verò, anno vicesimo & quadringentesimo à Chaldæis exustum ac destructum, tandem regnante Cyro reædificari cœptum, difficulter, partim ignauiâ populi (Agg.1. v.4.) partim propter obstacula à vicinis gentibus data (Ezræ 4. v.4.24.) multorum annorum spacio perfici potuit. Plerique omnes tractatores, & veteres & recentiores, nominatim Chrysostomus inter veteres græcos, & Beda inter latinos, Iudæorum de 46. annis affirmationem, intelligunt de templi sub Cyro cœptâ reædificatione: & quidem penè omnes veram esse tenent, modò comprehendantur anni quibus ab opere cessatum est: fluxisse enim annos quadraginta sex, ab anno secundo Cyri, quo opus cœpit, vsque ad nonum Darij Hystaspis, quo planè absolutum est. Hoc inter celebriores nostræ ætatis, fusè docet Benedictus Pererius libro vndecimo in Danielem. Quidam verò mendacij Iudæos insimulant, & siue de industriâ, ad maiorem concitandam Domino Iesu inuidiam, siue ex ignorantiâ, certè falsò, auxisse affirmant, annos reædificationis (qui non fuerint plures viginti tribus, comprehensis etiam annis impeditionis) vsque ad numerum quadraginta sex. Huius sententiæ est Franciscus Ribera lib.1. de templo veteri cap.26., & commentario in cap.1. Zachariæ numeris 45. 46. 47. Et certè non est anxiè laborandum, vt ostendatur iustus numerus annorum 46., cùm Iudæorum, non Euangelistæ, aut Scripturæ sacræ, ea assertio sit. Porrò alij, persuasi Iudæos non ita fuisse impudentes, vt auderent Domino Iesu palàm obiicere, quod manifestè falsum esset, quin potiùs fuisse apud eos rem testatam ac vulgatam, ex historiis & maiorum traditione, de annis 46., exponunt hunc locum, non de illo templo sub Dario perfecto, quod sentiunt non ampliùs exstasse, sed de illo quod Herodes non ita pridem nouum à fundamentis excitauerat. Et quamquam Iosephus lib.15. Antiq. cap.14. affirmet, templum illud ab Herode, octo annorum spacio restitutum fuisse: docent tamen eiusdem assertione (lib.20. Antiq. cap.8.) perseuerasse ipsam templi structuram vsque ad tempus Neronis, operantibus in eo circiter octodecim milibus opificum. Sentiunt igitur, ab eo tempore quo cœpit Herodes, vsque ad hunc annum primum prædicãtis Christi, fluxisse facilè 46. annos. Hæc tertia opinio Card. Baronij est, tomo primo Annalium. Cæterùm, cùm Herodes non ædificauerit templum destructum, vel certè non destruxerit ad hoc vt destrueret, sed deposuerit dumtaxat, idque partim (non enim integrè) ad hoc vt altius, augustius, atque ornatius erigeret, non fuit templum illud habendum aliud, ab illo cuius sub Cyro Rege iacta fuerant fundamenta: ac proinde potuerunt Iudæi ad vtramque ædificationem respicere, & ad eam quæ sub Cyro, & ad eam quę sub Herode est cœpta, siue tempora vtriusque coniunxerint, quod putat Arias Montanus scribens in hunc locum, siue separauerint. videtur enim vtraque ad multos durasse annos. Quamquam, quod diximus, non est anxiè hîc laborandum de dicti veritate: nam & locum habuisset hæc eadem Iudæorum obiectio, etiamsi non durasset reædificatio ampliùs annis tribus, dixissentque: Annis tribus ædificatum est templum hoc, & tu tribus diebus

bus excitabis illud? Habet autem illorum interrogatio vim negationis, voluntque dicere, impossibilem, vanam, & insanam esse pollicitationem, adeoque impiam, quod subindicarunt posteà sub mortem Iesu (Matth. 26. v. 61.) *Incredibile*, inquit Chrysostomus, *eis videbatur, & vt impossibile percontari neglexerunt.*

ἐκεῖνος δὲ ἔλεγε περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ. [21]

Ille autem dicebat de templo corporis sui.

ILLE. ipse AVTEM. Aduersatiua est, hunc adferens sensum: Iudæi intelligebant sermonem Iesu de lapideo illo ligneoque templo, ipse autem DICEBAT. loquebatur. CORPORIS SVI. quod erat corpus suum. Templum intelligebat corpus suum, id est, humanam naturam suam: est enim pars pro toto posita, corpus pro naturâ constante anima & corpore. Natura Iesu humana fuit templum Dei, ob causam suprà v. 19. expositam; & anima potiùs quàm corpus, quinimmo corpus ratione animæ, quæ naturâ propinquior est Deo quàm corpus, prout etiam verbum vnitum esse corpori animâ mediante, D. Thomas docet summæ parte tertiâ q. 6. a. 1. Sed quia corpus, qualitatibus suis, propiùs accedit ad ædificium templumque corporatum, idcircò corporis potiùs mentio est quàm animæ: quemadmodum & Apostolus fidelibus Corinthiis scribit (1. Cor. 6. v. 19.) *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti*: quamquam horum membra per gratiam dumtaxat sint templum Dei, Christi verò per vnionem personalem, quod diximus. Vult ergo Euangelista, quòd Iudæi falsi fuerint atque errauerint, cùm obiicerent Iesu de reædificatione templi ad 46. annos continuâ, eò quòd Iesus non esset locutus de templo illo manufacto, sed de proprio suo corpore: relinquens intelligendum, quòd similiter sub mortem, immeritò ac præter rem, obiecerint illi mentionem destruendi reædificandique templi. Sed quare Iesus ipse, se non est interpretatus? *quâ gratiâ*, rogat Chrysostomus, *dubitantibus non aperuit, se templum carnem suam appellare?* respondet, *quoniam ipsius verbis fidem non habuissent.* Non erant credituri, sed irrisuri (nam neque tunc credere voluerunt, quando exhibitum fuit) immo, quod suprà v. 19. dictum est, abusuri, ac proinde indigni interpretatione, meritoque in errore relicti, donec res se ipsam manifestaret.

ὅτε οὖν ἠγέρθη ἐκ τῶν νεκρῶν, ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὅτι τοῦτο ἔλεγεν αὐτοῖς· καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς. [22]

Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat: & crediderunt Scripturæ & sermoni quem dixit Iesus.

CVM ERGO. postquam ergo RESVRREXISSET A MORTVIS Iesus, & rediuiuum se discipulis suis probasset. RECORDATI SVNT. Tunc recordati sunt, viso resurrectionis euentu. QVIA HOC. quòd hoc, nimirum *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* DICEBAT. pro dixerat. ἔλεγε dixit, dixisset. est enim vox græca anceps ad præteritum imperfectû & aöristum. Additur græcè αὐτοῖς eis s. Iudæis: quamquàm alij codices omittant, cum interpretibus Latino & Syro. *Recordati sunt* autem, ita vt simul incideret in animos eorum genuinus illius sensus: Cùm audirent, nec ipsi intelligebant, & fortasse non minùs quàm Iudæi existimabant, Iesum de lapideo illo templo loqui (quamquam summâ cum reuerentiâ sermonem non intellectum exciperent, quod non Iudæi) nihildum enim de Iesu diuinitate resurrectioneque nouerant. At postquam de Iesu à morte resurrectione, per euidentissima argumenta certiores facti essent, tunc recordati huius sermonis, & Spiritus sancti lumine illustrati, senserunt, perceperunt, & intellexerunt, quid sibi voluisset, & quî Iesus, eo, ab initio prædicationis suæ, prædixisset, & sui à Iudæis interfectionem, & suam die tertio à morte resurrectionem. Hæsit sermo Iesu in animis auditorum, sed in aliis, alium fructum protulit. Iudæi recordati, eum velut crimen capitale obiecerunt Iesu: discipuli recordati & venerati, intellectum sunt assecuti.

ET hac ratione, considerantes euentum respondere prædictioni. Ex euentu viderunt, quàm infallibiliter verus fuerit sermo ille, longo adeò antè tempore ab Iesu habitus, cùm nulla exstarent adhuc argumenta, & ne specimina quidem futuri: itaque CREDIDERVNT. id est, roborati sunt fide, ita vt clariùs, firmiùs, & perfectiùs longè crederent, SCRIPTVRÆ sacræ, resurrectionem scilicet Christi tradenti. Sic omnes penè interpretes exponunt, nominatim Beda inter latinos, & Theophylactus inter græcos. Vnus huiusmodi Scripturæ locus exstat Psal. 15. v. 10: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis* &c.

ET SERMONI. tam Scripturæ, quàm huic sermoni, quem dixerat Iesus, cui priùs crediderant quidem, sed obscuriùs minusq; solidè. Significat Euangelista, discipulos doctos resurrectionem Iesu, fide profecisse, in credendo, non solùm sermoni Iesu, sed & Scripturę sacrę, & obseruando quàm infallibilis sint veritatis. Euthymij textus in hoc est singularis, quòd omittat, vocem *Scripturæ*, quæ certè lecta, vt ab aliis omnibus legitur, adfert loco obscuritatem, dum non satis claret, quâ rerum serie fiat hîc mentio Scripturæ, nisi fortè liceat interpretari, *crediderunt Scripturæ*, id est, *sermoni quem dixerat Iesus*, ita vt sermo Iesu vocetur Scriptura sacra, vel quia relatus aut referendus esset in Scripturam sacram, in hoc inquam Euangelium, vel quia non minùs verus sit quàm ipsa sacra Scriptura, vel vtraque ex causâ. Crediderunt discipuli sermoni Iesu, tamquam Scripturæ sacræ, habuerunt tali loco quali Scripturam sacram, quæ infallibilis veritatis à fidelibus omnibus habetur: vt hic fuerit profectus fidei in discipulis, quòd sermonem Iesu parem, nec minùs firmû tenuerint, ac propheticum. Videmus hîc, quî obscurè aliqua idcircò aliquando à Deo dicantur, vt posteà intellecta fructum fidei adferant & ampliorem & iucundiorem.

ὡς δὲ ἦν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ, πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ [23]

Cùm autē esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderūt in

nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. | ὄνομα αὐτοῦ, θεωροῦντες αὐτοῦ τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει.

CVM AVTEM. Cùm igitur. videtur enim respicere ad versum decimumtertium superiorem, vbi dixerat, Iesum ascendisse Ierosolymam ad proximum pascha. ESSET Iesus. quod Syrus addit. IN DIE FESTO. ἐν τῇ ἑορτῇ in festo. repetitur præpositio *in* ex hebraica phrasi, pro *in paschæ festo*, vel in die festo paschæ. Exturbatio negotiantium ex templo, contigerat paulò ante festum: Festum autem constabat diebus septem, qui dicebantur dies azymorum. Inchoaturus Christus publicam euangelij prædicationem, elegit & locum & tempus omnium celeberrima, quãdo frequentissima populi multitudo conueniebat, vt aduentus ipsius omnibus fieret manifestus, & prædicatio miraculis coniuncta prodesset plurimis. MVLTI Iudæorum. CREDIDERVNT IN NOMINE EIVS. εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ in nomen eius. Idem vnum significatur, siue efferas per quartum, siue per sextum casum, & omnino id quod Syrus dicit בה *be* in eum seu eo, quod nec est aliud, si propriam verborum vim premas, quàm id quod latinè dicatur *crediderunt ei*: est enim hebraica phrasis, qualis illa Exo. 14. v. 31: *Crediderunt in Domino & in Mose seruo eius*, quam Latinus Interpres rectè transtulit tertio casu, omissâ præpositione, vt & plures alias similes in veteri testamento. Cæterùm vox *nomen*, hoc amplius declarare videtur, quòd crediderint ei, quod ad illud quo nominabatur seu celebrabatur, quòd crediderint ei gerẽti se pro Christo, & vt huiusmodi prædicato famâ publica, & confirmato signis, Dei virtute dignissimis, id est, crediderint eum esse verum Messiam, & Christum promissum. vide sup. 1. v. 12. SIGNA miracula QVÆ patrabat, plurima maximaque, conuicti signis quæ edebat. Syrus omittit αὐτοῦ *eius*, vt superfluum sensui. Dat intelligendum Euangelista, quòd Iesus Iudæis petentibus præsens signum negauerit, non fuisse quòd deesset ei potestas, aut quòd negligeret eorum salutem (subsequentibus enim diebus abundè satis signorum edidit) sed quòd indigni essent quorũ votis satisfaceret, qui etiam tunc cùm satisfaceret, parum apud eos profecerit, quemadmodum hîc liquebit. Porrò quæ aut qualia fuerint ista miracula, Iohannes non dicit, multò minùs alij Euangelistæ, qui ne meminerunt quidem primi huius paschæ, quo suam Iesus prædicationem Ierosolymis incepit: sed intelligendum relinquit, fuisse talia, qualia illa quæ scripta sunt, nimirum, non terrori hominum aut curiositati seruientia, sed amori salutique, suauia ac benefica, restitutæ ex varijs morbis dæmonumque oppressionibus sanitatis. vide Matth. 4. v. 23. 24. Multi ergo illis diebus pascæ crediderunt, Iesum esse Christum, adducti, non tam doctrinâ, quod notat Chrysostomus, quàm signis huiusmodi, *quæ nemo posset facere, nisi esset Deus cum eo*, vt mox infrà 3. v. 2. vrget Nicodemus.

Ipse autẽ Iesus non credebat semetipsum eis: eò quòd ipse nosset omnes, [24] | αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς, διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας,

IPSE AVTEM. verùm ipse Iesus NON CREDEBAT. Iudæis credentibus Christo, opponit Euangelista, Iesum non credentem Iudæis, variata tamen nonnihil credendi significatione, pro, non committebat, non confidebat. SEMETIPSVM. nec arcana mysteria doctrinæ suæ, quod volunt Augustinus, Chrysostomus, & Theophylactus, nec animum suum, quod Nonnus, nec propriam suam personam: non vtebatur eis familiariter, nec securè cum eis conuersabatur, *non confidebat*, ait Euthymius, *tamquam discipulis legitimis, & constantibus fidelibus*. EIS qui in ipsius nomen crediderant. OMNES ac proinde etiam ipsos. Euthymius legit πάντα, & interpretatur, tam singulariter *omnem s. hominem, constans esset an incõstans*, quàm pluraliter *omnia s. quæ in omnibus sunt*. Nouerat Iesus, & omnes, & omnia in omnibus, idcircò nouerat etiam istos qui iam in ipsum crediderant, & quæcumque laterent in animis eorum: ac proinde non committebat se ipsum eis, eò quòd nosset esse huiusmodi, quibus non esset fidendum. Quamuis enim illi non fingerent aut simularent fidem, sed verè crederent in nomine Iesu (quod Euangelista ipse testatur, & interpretatur D. Augustinus) nec tantùm adhuc nullum odium, verumetiam bonum animi affectum erga Iesum hactenus declarassent: tamen quia nouerat eos intimè, sciebat huiusmodi esse, à quibus cauendum sibi esset, non eis fidendum: eò quòd fides eorum esset imperfecta admodum, parumque solidè fundata, quam facilè essent deserturi, &, mutatâ voluntate, coniuncturi se peruersis, scribis inquam & Pharisæis, qui signis nihil moti, inuidebant Iesu clarescenti, & odio illius, quem sentiebant suo quæstui moribusque contrarium, accendebantur, breui ipsum modis omnibus persecuturi, tandemque etiam interfecturi. Nondum quidem eruperat horum liuor ac maleuolentia: quia tamen corde premebatur, nouerat Iesus, qui omnes nouerat, & horum præsentem maleuolentiam, & illorum futuram inconstantiam.

& quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine. [25] | καὶ ὅτι οὐ χρείαν εἶχεν, ἵνα τις μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου. αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκε, τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.

ET QVIA. Amplificatio est certitudinis & causæ, cur se illis non crederet. EI NON ERAT. οὐκ εἶχε non habebat. QVIS. alius. TESTIMONIVM PERHIBERET. μαρτυρήσῃ testaretur DE HOMINE quocumque, ad hoc vt eum nouisset. IPSE ENIM ex semetipso ac per se. SCIEBAT. ἐγίνωσκε cognoscebat. QVID ESSET. quid lateret IN HOMINE. in vnoquoque hominum, & quidem in animis eorum, *vtpote cordium cognitor Deus*, quod ait Euthymius. Non solùm exteriora hominum nouerat, quæ sensibus subiiciuntur, verumetiã interiora omnia, quæ nemo nouit, *nisi spiritus hominis qui in ipso est* (1. Cor. 2. v. 11.) quæ & exactiùs nouerat quàm ipse spiritus hominis, nec præsentia tantùm, verumetiam futura, quæ non facilè ipse spiritus hominis. *Non curabat exteriora verba*, inquit Chrysostomus, *qui in ipsos animos ingreditur, qui in*

humanas cogitationes irrumpit, qui eorum feruorem mox infrigescere cognoscebat. Non opus erat Iesu testibus, ad eas quas formarat mentes cognoscendas. Plus nouerat artifex quid esset in opere suo, addit Augustinus, *quàm ipsum opus quid esset in semetipso. Creator hominis nouerat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non nouerat. Hæc enim dignitas*, doctore Cyrillo, *vero Deo solummodo, nec vlli creaturarum attribuitur*, esse *καρδιογνώστην*, nouisseque hominis animum, nullis exterioribus argumentis declaratum. Vnde Psalmista (Psalm. 32. v. 15.) *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui omnia opera eorum intelligit*. Ergo cùm talem tantamque omnium notitiam haberet, ac proinde intus & in cute nouisset hos qui iam in ipsum crediderant, etiam quod ad animos eorum, nec solùm quales in præsentiarum erant, verumetiam quales essent futuri, & quid tandem facturi, quomodo defecturi ab ipso, & fidem temporariam deserturi, adiuncturique se hostibus fidei, nihil motus, siue exterioribus siue præsentibus, non credebat, non committebat semetipsum eis, ita vt familiariter ipsis vteretur, ne ipsum hostibus proderent, & perderent ante horam: non quòd illi quidquam nocere Iesu possent inscio aut nolenti, quod notat Augustinus, sed quia vt homo voluit se gerere in vitandis periculis, hominum ex parte imminentibus, qui vt Deus prænouerat pericula omnia. Inculcat autem hoc Euangelista, quòd Iesus nosset omnes, vt mihi quidem videtur, duas ob causas; Vnam, vt indicet, quare Iesus non diu manserit Ierosolymis, sed breui subduxerit se, & eâ ciuitate relictâ abierit in regionem Iudææ campestrem, vt infrà 3. v. 22. narrat; Alteram, vt doceat, quare Iesus, per se mitissimus, duriùs semper tractauerit Iudæos, & primates & plebeios, idque ab ipso hoc initio, vbi mox eiecit è templo non præmonitos, & petentibus signum obiecit quam patraturi essent cædem &c. Ratio est, quia ipse nouerat quid esset in homine, ac proinde nouerat quâ ratione agendum cum vnoquoque esset, duréne an blandè, suauiter an seuerè.

* * * * * * * *

CAPVT QVARTVM.

* * * * * * * *

αὐτὸς γὰρ ὁ ἰησοῦς ἐμαρτύρησεν, ὅτι προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν οὐκ ἔχει. 44

Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet.

Matth. 13. v. 57. Marc. 6. v. 4. Luc. 4. v. 24.

Ipse enim. Reddit causam Euangelista, cur Iesus iam non sit profectus Nazareth patriam suam, sed *relicta Nazareth*, quod Matthæus ait cap. 4. v. 13., abierit in reliquam Galilæam. Testimonium perhibuit. id est, asseuerauit, idque vel hoc ipso tempore, reddens discipulis consilij sui rationem, vel certè posteà aliquando, quando inuisens Nazareth, ne prorsus eam contemnere videretur, parum honorificè ab ea exceptus est, ne dicam contumeliosè. Honorem debitum prophetiæ seu muneri ipsius, sine quo honore nihil fructus potest facere. Non habet. contemnitur nec creditur ei. Reliqua pete ex aliis Euangelistis.

* * * * * * *

CAPVT SEXTVM.

Μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης τῆς γαλιλαίας τῆς τιβεριάδος· 1

Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis:

Matth. 14. v. 13. Marc. 6. v. 32.

Post hæc quodam tempore; vno propemodum anno post gesta superioris capitis: illa enim in die festo Paschæ, hæc circa Pascha subsequens contigerunt. infrà v. 4. Abiit. secessit. Secessus huius causam describit Marcus cap. 6. v. 31. Hanc enim historiam, præter morem, habet Iohannes cum cæteris tribus Euangelistis communem, eo consilio, vt inde ad Christi concionem transeat diuinam illam ac sublimem, quam miraculi huius panum occasione postridie habuit in Capharnao ciuitate, de pane cælesti: quo miraculo, concionis illius sensus multum illustratur, vt quod contineat typum insignem rei illic prædicatæ: nam & particulatiùs illud narrat hic Euangelista, quàm reliqui. Trans. πέραν vltra, non in aduersum littus, sed ex vna terra medio mari in aliam, ex vno sinus anfractu in alium. Nam rectum iter nauigio conficiendum erat; terra circumeundum per littora flexuosa. vide Matth. 14. v. 13. 22. Mare Galilææ. vide Matth. 4. v. 18.

Qvod est Tiberiadis. quod vocatur etiam mare Tiberiadis. Is addit Euangelista, idcircò fortasse, vt intelligatur Christus in oram Tiberiadis se contulisse, in desertum inquam Bethsaidæ, situm inter Bethsaidam & Tiberiadem. vide Luc. 9. v. 10. Vocatur enim mare Tiberiadis, illic vbi adiacet ipsi Tiberiadi, quæ est ciuitas, quam Herodes tetrarcha à se conditam, receptus in gratiam Tiberij Cæsaris, ab illius nomine ita appellauit Iosephus lib. 18. Antiq. Iud. cap. 3.

καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολύς, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα, ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων. 2

& sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.

Matth. 14. v. 13. Marc. 6. v. 33. Luc. 9. v. 11.

Seqvebatvr itinere pedestri, terrâ. Signa. αὐτοῦ τὰ σημεῖα eius signa. Non tam Iesu aut verbi Dei, quàm

quàm signorum causa, sectabantur, partim curiositate, partim sanitatis desiderio adducti. Non reiicit tamen, immo beneficiis fouet Saluator, fidem qualem qualem.

Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. 3

ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος ὁ ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.

ERGO. δὲ *autem*; Syrus *&*; mox vt traiecerat mare. IN MONTEM in deserto Bethsaidæ situm, quod intelligitur ex Luca; vmbram & amicos quieti recessus exhibentem. SEDEBAT quietis capiendæ causa.

Erat autem proximum pascha, dies festus Iudæorum. 4

ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν ἰουδαίων.

PROXIMVM. ἐγγὺς propè, propinquum. PASCHA tertium à Christi baptismo, initium anni tertij prædicantis Christi. Annotat diligenter hic Euangelista tempora prædicationis Iesu, quæ alij ferè omiserunt. Idcircò autem fortassè hoc loco meminit Paschæ, quod quemadmodum sub hoc tertium Pascha multa hominum milia pauxillo panis pauit: ita sub proximum quartum Pascha, illum daturus esset panem incorruptibilem & æternum quo vno alturus esset ecclesiam suam, immensam illam & innumerabilem, vsque ad consummationem seculi. DIES FESTVS. ἑορτὴ festum.

Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? 5

ἐπάρας οὖν ὁ ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεασάμενος ὅτι πολὺς ὄχλος ἔρχεται πρὸς αὐτὸν, λέγει πρὸς τὸν φίλιππον· πόθεν ἀγοράσομεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι;

SVBLEVASSET ex diuinæ misericordiæ & pietatis iudicio. Significatur Iesus non fuisse vagis oculis, sed compositis & ad rem præsentem attentis. MVLTITVDO MAXIMA. πολὺς ὄχλος multa turba. VENIT. ἔρχεται præsens est tempus. AD EVM. πρὸς αὐτὸν ad se. DICIT AD PHILIPPVM. Non mox vt ex monte viderat turbam, locutus est Philippo de illa pascenda. Priùs enim descendit, &, quod Lucas ait, excepit eos. Deinde docuit eos, & sanauit ex eis qui malè valebant. Inter hæc cùm sol vergeret ad occasum discipuli solicititi submonuerunt Iesum de dimittenda turba, ad hoc vt sibi de cibo prospiceret. Porrò Iesu iubente vt ipsi turbam pascerent, illisque negantibus id sibi esse possibile, quod facilè opus foret ducentis denariis ad emendum vel nudum panem, proponit Iesus Philippo (vt qui maiori indigeret eruditione, quod annotant Patres; fortè quia intelligentior rerum mundi, plus esset de victu solicitus) VNDE EMEMVS &c. cuius sensus est: Nullam scis nobis rationem, qua cõparare possimus panem, ad pascendam hanc multitudinem?

Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. 6

τοῦτο δὲ ἔλεγε πειράζων αὐτὸν, αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἤμελλε ποιεῖν.

TENTANS EVM. experimentum sumens fidei ipsius, an, cùm sciret nulla suppetere naturæ media, adduci non posset, vt recursum haberet ad ipsius Iesu omnipotentiam, quam iam frequenter expertus fuerat. Non quòd ignoraret Iesus, quàm hac in parte debilis Philippus esset: sed vt ipsum sibi notum faceret, & corrigeret miraculo subsequente instructum. QVID ESSET FACTVRVS. Habet hæc particula diuinitatis notam, quæ nulli homini quantumuis sancto competere potest. Homines enim multa facimus per occasionem, quæ facturos nos esse priùs ignorabamus, & rursus multa facere proponimus, quæ tamen an facturi simus ignoramus, cùm non rarò, vel mutata sententia, vel contra animi sententiam, à proposito impediti non faciamus. At Christus consilio definito, certo & fixo, omnia peregit: vt nihil eorum quæ fecit antequam faceret ignorauit, ita nihil eorum non fecit, quæ facturum se proposuit. Porrò non tantùm hîc sciuit quid esset facturus, sed & quid Philippus esset responsurus: cæterùm hac interrogatione, illius ac cæterorum animos ad futuri miraculi admirationem præparare voluit, vt eorum inde fides augesceret & confirmaretur.

Respondit ei Philippus: Ducentorũ denariorũ panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. 7

ἀπεκρίθη αὐτῷ φίλιππος· διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, ἵνα ἕκαστος αὐτῶν βραχύ τι λάβῃ.

NON SVFFICIVNT, non possunt sufficere. Alij dixerant, ea facilè pecuniæ summa opus esse (Mar. 6. v. 37.) Philippus, considerata exactiùs multitudine, dicit non posse sufficere, VT VNVSQVISQVE (*eorum* additur græcè & syriacè) MODICVM QVID ACCIPIAT. q. d. nulla proinde nobis est ratio emendi panis quo hi alantur. Annotat Arias Montanus in Marcum, ex Iudæorum monumentis, vno denario argenteo, panem emi potuisse illis temporibus ac regionibus, qui satis esset decem hominibus pascendis. Ducentis itaque denariis, non potuissent saturari nisi bis mille homines: reliqua quatuor milia (millenario enim numero fœminas puerosque concludo) aut sinenda fuissent esurire, aut ipsorum sex milium terni singuli, contenti esse debuissent eo quod vni soli sufficere poterat. Ex quibus manifestum fit, quàm vera fuerit Philippi responsio, quæ etsi scopum fidei non attigit (respondit enim in aliam sententiam atque fuerat interrogatus) illustrauit tamen plurimùm mox edendum miraculum.

λέγει

λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἀνδρέας ἀδελφὸς σίμωνος πέτρου·

8 Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri:

ἔστι παιδάριον ἓν ὧδε, ὃ ἔχει πέντε ἄρτους κριθίνους, καὶ δύο ὀψάρια· ἀλλὰ, ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους;

9 Eſt puer vnus hîc, qui habet quinque panes ordeaceos & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?

Matth. 14. v. 17. Marc. 6. v. 38. Luc. 9. v. 13.

EST. Prior rogauerat Chriſtus: *Quot panes habetis, ite & videte*; quod narrat Marcus: Andreas inter alios cùm id vidiſſet & reſciſſet (addit enim Marcus: *Et cùm cognouiſſent*) omnium nomine vnaque cum reliquis reſpondit. PVER VNVS. παιδάριον ἓν puerulus vnus, adoleſcentulus quidam. Intelligere ex hoc loco licet, Apoſtolos, iuſſos à Domino viſere quot panes haberent, non tam viſiſſe quid haberent ipſi ciborum in cophinis ſuis repoſitum (ſciebant enim quid ſibi mox pranſis in montis receſſu (non tantùm enim vt quieſcerent, verumetiam vt cibum per otium caperent, eò adducti à Domino fuerunt. Marc. 6. v. 31.) manſiſſet reliqui, parum inquam aut nihil, vt parum, nec plus quàm opus eſſet pranſuris, commeatus ſecum attulerãt) quàm ſi quid in turba reperiri ciborum venalium poſſet. Quod ipſum etiam ad miraculi illuſtrationem fecit, non apud Chriſti familiam ſolùm, ſed nec apud turbam, inuentum fuiſſe cibum, quo turba illa paſci iam poſſet. HIC, ſequens multitudinem populi. QVI HABET venales, vt in turbarum concurſionibus ſolet. Apud alios Euangeliſtas, dicunt ſe ipſi habere, quia in manu ipſis erat à puero emere. Alienos maluit Dominus multiplicare panes, quàm domeſticos, vt tota virtus ipſius eſſe cognoſceretur, non latentis alicuius artificij ſiue humani ſiue diabolici. PISCES. ὀψάρια piſciculos ſ. quos facilè nobis ſit emere. ὀψάρια piſces vocat παρὰ τὸ ὀπτᾶν ab aſſando, etiam infrà 21. v. 9., quòd ſcilicet moris eſſet illos aſſare, & fortaſſis etiam aſſatos vendere: quos alij Euangeliſtæ proprio nomine ἰχθύας appellant. Vnde Nonnus hoc loco ὀψάρια exponit ἰχθύας ὀπταλέους *piſces aſſos*. Cæteroqui ὀψάριον, pro condimento, obſonio, ac omni cibo qui pani adijcitur, vſurpari ſolet, diminutiuum ab ὄψον. INTER TANTOS. εἰς τοσούτους inter tot, inter tam multos. Nec hic aliud quàm humana ſubſidia conſiderat.

εἶπε δὲ ὁ ἰησοῦς· ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν. ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. ἀνέπεσον οὖν οἱ ἄνδρες, τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ πεντακισχίλιοι.

10 Dixit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere (erat autem fœnũ multum in loco) diſcubuerunt ergo viri, numero quaſi quinque milia.

Matth. 14. v. 19. 21. Marc. 6. v. 39. 40. 44. Luc 9. v. 14. 15.

ERGO. δὲ *autem*, allatis ad ſe panibus illis ac piſcibus, quod intelligitur ex Matth. 14. v. 18. HOMINES omnes iſtos addit Syrus. Non increpat incredulam diſcipulorum puſillanimitatem: ſed rebus ipſis ad fidem eos inducit. FOENVM. χόρτος gramen. erant eo loco ampla prata ac virentia (ver enim erat) commodus proinde locus ad diſcumbendum. IN LOCO. ἐν τῷ τόπῳ in eo loco. QVASI Syrus omittit. Reliqua petenda ſunt ex cæteris Euangeliſtis, præſertim Matthæo, locis ad marginem citatis.

ἔλαβε δὲ τοὺς ἄρτους ὁ ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις· ὁμοίως καὶ ἐκ τῶν ὀψαρίων ὅσον ἤθελον.

11 Accepit ergo Ieſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus; ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant.

Matth. 14. v. 19. Marc. 6. v. 41. Luc. 9. v. 16.

ERGO. δὲ *autem*. PANES. τοὺς ἄρτους illos panes. CVM GRATIAS EGISSET Deo Patri. Hoc idem ſignificant reliqui Euangeliſtæ ſuſpectu in cælum. Porrò gratiarum actione Iohannes comprehendit & benedictionem: vnde Syrus hîc pro *gratias egit* vertit *benedixit*. vide Matth. 15. v. 36. & 26. v. 26. DISTRIBVIT DISCVMBENTIBVS ſ. miniſterio diſcipulorum. Græcè legitur διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις diſtribuit diſcipulis, diſcipuli autem diſcumbentibus: porrò ſyricus textus latino ſuffragatur. QVANTVM VOLEBANT. ad perfectam vſque refectionem, ita vt nihil amplius deſiderarent ſ. diſtribuit diſcumbentibus. Hoc addit, ne putes vel obſonium pani parcè additum fuiſſe. Cætera lege Matth. 14. v. 19.

ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται.

12 Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant.

Matth. 14. v. 20. Marc. 6. v. 42. Luc. 9. v. 17.

IMPLETI ſaturati. QVÆ SVPERAVERVNT. τὰ περισσεύσαντα quæ ſuperfuerunt. Præcepit hoc Ieſus, tum ad miraculi commendationem, quò eorum qui interfuerant ſenſibus tenaciùs infixum hæreret, tum quòd nolit Dominus aliquid bonorum ſuorum inutiliter perire. NE PEREANT. ἵνα μή τι ἀπόληται ne quid depereat.

συνήγαγον οὖν καὶ ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ

13 Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque

Matth. 14. v. 20. Marc. 6. v. 43. Luc. 9. v. 17.

quinque panibus ordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant.

τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσε τοῖς βεβρωκόσιν.

IMPLEVERVNT. Hinc intelligitur tot numero cophinos illic præsto fuisse, vt ne intelligas duodenas vnius cophini dimensiones. FRAGMENTORVM. fragmentis potest etiam verti. PANIBVS. τῶν ἄρτων illis panibus. Non aliunde, sed ex illis panibus restantium. ORDEACEIS. Qui sibi Christum cupiunt esse nutritium, discant, non appetere exquisitas lautitias, sed pane ordeaceo contenti esse. Subauditur autem ex Marco, *& duobus illis piscibus.* QVÆ fragmenta. Reliqua lege Matth. 14. v. 20.

Illi ergo homines cùm vidissent quod [14] Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum.

οἱ οὖν ἄνθρωποι ἰδόντες ὃ ἐποίησε σημεῖον ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγον· ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον.

SIGNVM. Conspectus ac sensus miraculi, animos illorum ad hoc permouit, vt dicerent. Nota vulgi ingenium, citiùs sentientis ventris beneficia quàm mentis. QVIA superfluit sensui. PROPHETA ὁ προφήτης ille propheta, Christus. Credebant omnem perfectionem in Christo fore, tam prophetæ & sacerdotis, quàm regis. QVI VENTVRVS EST siue erat. ὁ ἐρχόμενος ille venturus, qui venturus prædictus est, & à nobis hactenus exspectatur. vide Matth. 11. v. 3. Respiciunt ad locum Deut. 18. v. 15. qui absque dubio, propter publicam Mosis lectionem notissimus erat. Itaque videtur hìc aliquis esse miraculi profectus, quod auctorem fatentur Messiam esse: huc enim spectabat Iesus.

Matth. 14. v. 23. Marc. 6. v. 46.

Iesus ergo cùm cognouisset, quia [15] venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Ἰησοῦς οὖν γνοὺς ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, πάλιν ἀνεχώρησε εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

CVM COGNOVISSET vt Deus. QVIA VENTVRI ESSENT. quod hoc iam inter se statuissent, vt venirent. Non permisit eos ad se venire: nam si palàm fuisset tentatum, quod animis conceperant, sparsus mox fuisset rumor defectionis, nec posteà facilè fuisset, inustam semel maculam eluere: noluit igitur permittere, id quod calumniæ foret occasio. RAPERENT. ἁρπάζειν rapere, violento impetu, etiam inuitum. Ardorem popularis huius studij notat. ET FACERENT. ἵνα ποιήσωσιν vt facerent. REGEM suum, sibi constituerent regem. Leuissimi beneficij est, alere corpus: maius est sanare: maximum, sacra doctrina animum pascere. Pro doctrina proque sanatis morbis, nemo regnum obtulit Iesu: pro cibo offerre audent: eiusmodi est crassum vulgi ingenium. Exspectabant Messiam, prophetam & regem, eiusmodi, qui mundanum regnum sibi vẽdicaturus, qui prosperrimè acturus, & totum sibi orbem subacturus esset, prophetarum vaticiniis perperàm intellectis. Persuasi itaque hunc esse Messiam illũ promissum & exspectatum, cogitant beatos se fore, si primi omnium ipsum sibi in regem tollant, adducti spe assequẽdi primos in regno honores. persuasi felicissimè omnia atque ex animi sententia successura, annonæ denique copiam, corporis bonam valetudinem, cæteraque omnia vitæ necessaria, sibi polliciti, vt qui facilè omnia & abundè suppeditare posset. Ita quod habent de Christo notitiæ conceptum, mox in alienum finem perperàm conuertunt carnales homines, terrena sola sapientes, quæ autem verè Christi sunt, & quorum gratia in hunc mundum Christus venit, fastidientes. FVGIT. ἀνεχώρησε secessit, pro humanæ naturæ ratione. subduxit se clanculum ne ab illis inueniretur, sic tamen vt non sentiretur aufugisse, data illis priùs abeundi copia, quod Marcus habet. nolebat suscipi in regem mundanum, neque terrenarum rerum causa peti, qui venerat, vt doceret, gloriam, honorem, opes, voluptatesque mundi contemnere. Nolebat ab illis creari rex, qui à Patre olim constitutus (Psal. 2. v. 6.) & natus erat Rex Iudæorum (Matth. 2. v. 2.) vt regnaret ac in toto orbe dominaretur à mari vsque ad mare &c. (Psal. 71. v. 8) sed non pro mundi huius ratione, quale regnum administrant mundi huius principes, carnale inquam. Spiritualia enim futura erant regni ipsius primordia, mentibus hominum dominari per fidem, iustitiam, & charitatem donec subiectis inimicis omnibus sub pedes ipsius, numeris omnibus perficiatur ipsius regnum. Docuit hìc denique nos exemplo suo, periculosum esse, virtutis benefactorumque mercedem ab hominibus accipere. IN MONTEM. in recessus montis, ex quo descenderat ad illos excipiendos, docendos, sanandos, & pascendos. IPSE SOLVS. vbi orationi tempus illud noctis impendit, quod habent Matthæus & Marcus; inter alia haud dubium, illud à Patre postulans, vt populus, pulsis errorum tenebris, fide illustratus, verum Christi regnum agnosceret atque amplecteretur.

Matth. 14. v. 22. Marc. 6. v. 45.

Vt autem serò factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. [16]

ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο, κατέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπὶ τὴν θάλασσαν.

SERÒ. ὀψία vespera, serum diei, noctis crepusculum. DESCENDERVNT Iesu cogente, quod narrant Matthæus & Marcus, priùs enim illi nauim conscenderunt, quàm Iesus populo dimisso montem repetiit.

Et cùm ascendissent nauim, vene- [17] runt trans mare in Capharnaum:

καὶ ἐμβάντες εἰς τὸ πλοῖον, ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς καπερναούμ·

καὶ

καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει, καὶ οὐκ ἐληλύθει πρὸς αὐτοὺς ὁ ἰησοῦς. | & tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus.

ASCENDISSENT. ἐμβάντες ingressi essent. VENERVNT. ἤρχοντο veniebant (est enim præteritum imperfectum) quo modo vertit & Syrus, vsus participio vocis [illegible] etho cum verbo substantiuo, qua ratione solitus est reddere præteritum imperfectum. Clariùs porrò vertas *ibant*, *tendebant*, quod & vox ἤρχοντο admittit. Cæterùm *venerunt* quod Interpres dedit, ad eum modum intellige, iter instituerunt. TRANS MARE. traiiciebant mare. IN CAPHARNAVM. versus Capharnaum; *ciuitatem Capharnaum adeuntes*, reddit Nonnus poëta. Subaudi *iam præterita Bethsaida*. Id enim rectè subaudiri videtur, si conferas hunc locum cum illo Marci 6. v. 45. ET TENEBRÆ. nox autem densa. NON VENERAT. Nam quamquam non sperarent illius ad se aduentum, quòd nullam viderent adueniendi rationem, cùm in profundo agerent ipsi mari, quò nullus erat absque naui accessus: tamen cruciabat eos ipsius absentia, præsertim cùm iubens Bethsaidam præcedere, spem dedisset se breuî adfore.

ἥ τε θάλασσα, ἀνέμου μεγάλου πνέοντος, διηγείρετο. | 18 Mare autem, vento magno flante, exsurgebat. | Matth. 14. v. 24. Marc. 6. v. 48.

MARE AVTEM. ἥ τε θάλασσα ipsumque mare. VENTO contrario. EXSVRGEBAT. intumescebat. Syrus addit *aduersus eos*. Hoc afflictionem augebat.

ἐληλακότες οὖν ὡς σταδίους εἰκοσιπέντε ἢ τριάκοντα, θεωροῦσι τὸν ἰησοῦν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐγγὺς τοῦ πλοίου γινόμενον, καὶ ἐφοβήθησαν. | 19 Cùm remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque aut triginta, vidēt Iesum ambulantem supra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt. | Matth. 14. v. 26. Marc. 6. v. 49. 50.

REMIGASSENT. Remigatiõne opus erat, nam velis agi nihil poterat ob ventum contrarium. Matth. 14. v. 24. QVASI. circiter, plus minus. STADIA. Stadium nota est octauæ partis miliaris seu mille passuum, id est, cxxv. passuum. vide Luc. 24. v. 13. VIGINTIQVINQVE AVT. Humano more loqui Spiritus sanctus sacros scriptores finit, de rebus iis quas scire parum refert. TRIGINTA. Triginta stadia, sunt miliaria italica quatuor, quadrantem si demas vnius. vide Matth. 4. v. 18. Tam parum itineris confecerant à vespera vsque ad quartam noctis vigiliam. Matth. 14. v. 25. PROXIMVM NAVI FIERI. appropinquantem naui, & tamquam prætereuntem. Mar. 6. v. 48. Reliqua petenda sunt ex locis ad marginem citatis.

ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς· ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε. | 20 Ille autem dicit eis: ego sum, nolite timere. | Matth. 14. v. 27. Marc. 6. v. 50.

Hunc versiculum tractatum lege Matth. 14. v. 27.

ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ εὐθέως τὸ πλοῖον ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς εἰς ἣν ὑπῆγον. | 21 Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terram in quam ibant.

VOLVERVNT ERGO. Agnitum igitur, tum ex voce tum ex gestis cum Petro, non tantùm non auersati sunt ampliùs vt spectrum, verumetiam expetierunt cupidissimè accipere secum in nauim, vt cum ipso nauigantes, in reliquo itineris quod supererat, non modico, præsentiâ ipsius, cùm fruerentur, tum à malis seruarentur: quemadmodum & ille nauim ingressus est (Mar. 6. v. 51.) vt ipsorum desiderio satisfaceret. Sed tam paruo tempore nauigauit cum eis, quàm videri possit non nauigasse. Idcircò Euangelista hic *voluerunt* ait, & non, vt alij, *ascendit*, q. d. non opus fuisse vt ascenderet, quia *statim nauis*. ET STATIM. mox vt nauim ingressus est, *eo momento* vertit Syrus. FVIT AD TERRAM. ἐγένετο ἐπὶ τῆς γῆς facta est in terra illa, adfuit seu appulit regioni illi. Sedata est tempestas, & successit secundus ventus, tam opportunus & velox, vt vno quasi temporis momento, reliquum itineris quod restabat plurimum (non enim in latitudine, sed in longitudine eius maris. quæ ex Iosepho centum stadiorum erat, nauigabant) confecerint. Nam, quod Nonnus paraphrastes ait, *diuina agitatione nauis spontanea appellebat ad longinquum portum veluti mens alata*. Reliquis hîc miraculis & hoc adiecit Iesus. omnium se monstrans Dominum. IN QVAM IBANT. ad quam proficiscebantur, scilicet Genesar, non procul à Capharnao, ciuitate eius regiunculæ primaria.

τῇ ἐπαύριον ὁ ὄχλος ὁ ἑστηκὼς πέραν τῆς θαλάσσης, ἰδὼν ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν ἐκεῖ, εἰ μὴ ἓν ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ὅτι οὐ συνεισῆλθε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ | 22 Altera die turba quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna, & quia nõ introisset cum discipulis suis

Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent.	ὁ ἰησοῦς εἰς τὸ πλοιάριον, ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπῆλθον.

ALTERA DIE. τῇ ἐπαύριον postridie s. auctorum panum, eo mane quo Iesus cum discipulis appulit ad littus regionis Genesar. QVÆ STABAT. quæ erat, quæ adhuc manserat. TRANS MARE. eo loco quo conuiuium illud admirabile fuerat celebratum. VIDIT. ἰδὼν vt vidit. QVIA pro quòd ALIA NON. nulla.
NISI VNA. ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ *illa quam conscenderant discipuli ipsius* (s. pridie vesperi) additur illud græcè & syriacè, quod Interpres, vel non legit, vel quia satis intelligatur omisit. IN NAVIM illam. Retinet Euangelista hoc versu diminutiuum. τὸ πλοιάριον illam nauiculam. ABIISSENT. persuasa proinde Iesum illic adhuc esse, vt qui mari non abiisset, multoque minùs terra, quæ, præter prolixiores itineris circuitus, obsita semper fuerat hominibus illius cupidis, qui numquam permisissent ipsum abire, quin mox cæteris nunciassent, quæsiuit illic Iesum. Subaudiendum est hoc, manca est enim oratio.

Aliæ verò superuenerunt naues à Tiberiade, iuxta locũ vbi manducauerant panem, gratias agente Domino.	23	ἀλλὰ δὲ ἦλθε πλοιάρια ἐκ τιβεριάδος, ἐγγὺς τοῦ τόπου, ὅπου ἔφαγον τὸν ἄρτον, εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου.

SVPERVENERVNT. ἦλθε venerunt, eodem mane, illis quærentibus & exspectantibus Iesum. NAVES. πλοιάρια nauiculæ. A TIBERIADE ciuitate vlteriùs sita. IVXTA LOCVM ἐγγὺς τοῦ τόπου prope locum. Iungendum est hoc, verbo *superuenerunt*: erat enim præternauigandus hic locus, proficiscentibus nauigio Tiberiade Capharnaum. VBI MANDVCAVERANT. vbi & hærebant etiamnum plerique.
PANEM benedictum auctumque. GRATIAS AGENTE DOMINO. εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου postquam gratias egisset Dominus. Syrus, cùm benedixisset Iesus. vide suprà v. 11.

Cùm ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum quærentes Iesum.	24	ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος, ὅτι ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ἐκεῖ, οὐδὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἐνέβησαν αὐτοὶ εἰς τὰ πλοῖα, καὶ ἦλθον εἰς καπερναοὺμ ζητοῦντες τὸν ἰησοῦν.

ERGO. Non est particula illatiua, sed tantùm narrationis membra connectit. VIDISSET, omni adhibita quærendi diligentia, ac proinde experientia victa, quamuis modum non inueniret aut rationem, qua discedere potuisset. NEQVE DISCIPVLI EIVS, qui pridie abierant, eò reuersi essent. NAVICVLAS. τὰ πλοῖα illas naues, quæ Tiberiade aduenerant, ratæ eũ quouis modo abiisse, vel mari vel terra (magna enim poterat & insueta) vt qui non diu abforet à discipulis suis. CAPHARNAVM, quò versus discipuli pridie abierant, vbi & erat habitatio Iesu, & conuersatio omnium frequentissima.

Et cùm inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?	25	καὶ εὑρόντες αὐτὸν πέραν τῆς θαλάσσης, εἶπον αὐτῷ· ῥαββί, πότε ὧδε γέγονας;

TRANS MARE. in synagoga ciuitatis Capharnaum. infrà v. 59. vide suprà v. 1. *Trans mare* dicit pro illic, quòd eius rei admiratio eos teneret, quòd inuenirent eum trans mare. QVANDO, cùm semper te obseruauerimus, & quomodo. Confundunt enim aduerbia rudes, neque tam de tempore, quàm de modo admirantur: nam suspicantur quod res erat, eum traiecisse eò loci absque nauigij adminiculo. Rustica & inciuilis interrogatio, adulationem tamen præ se ferens. VENISTI. γέγονας adfuisti. quando & quomodo factum est vt huc veneris.

Respondit eis Iesus & dixit: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.	26	ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς καὶ εἶπεν· ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ζητεῖτέ με, οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων, καὶ ἐχορτάσθητε.

AMEN. Non respondet interrogationi eorum (nec enim decuisset) sed facto: nec abblanditur ipsis, ne capi videatur assentatiunculis ipsorum, studiisve quibus regem creare statuerant, sed obiurgat acriter detectam mentem ipsorum malè sanam. Asseueratione autem vtitur, quo validiùs perstringat conscientias ipsorum.
SIGNA à me edita in testimonium euangelij & muneris mei, salutisque vobis oblatæ. Non propter me, vt credatis in me obediatisque mihi, & adscribamini regno cælorum, me duce, de quo signa illa quæ vidistis testimonium perhibent, itaque salutem consequamini animarum vestrarum. SED QVIA. sed propter vos, propter vtilitatem vestram temporariam, propter commoda corporis quæ ex signis retulistis, sanitatis scilicet & nutritionis, quæ & velitis vobis esse continua. Facilè vobis placeret me tamquam regem a ut ducem semper sequi, si modo absque cura & labore vestro, quo modo heri, de victu vobis semper abundè prospicerem. Reprehenduntur quòd miraculis alienum in finem abuterentur, nec ex eis proficerent in fide regni cælorum.

* * * * * * * *

CAPVT DVODECIMVM.

Ὁ οὖν Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα ἦλθεν εἰς Βηθανίαν, ὅπου ἦν Λάζαρος ὁ τεθνηκώς, ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν.

1 Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus.

Matth. 26. v. 6. Marc. 14. v. 3.

IESVS ERGO. postquam aliquamdiu latuisset in Ephrem, quoniam iam proximum erat pascha. ANTE SEX DIES PASCHÆ. Impropria loquutio, pro, ante sex dies pascha præcedentes, sex diebus siue cùm adhuc superessent sex dies ante Pascha, ante diem festum *Pascha*; quo scilicet statuerat surrogare semetipsum nouum pascha veteri. vide Matth. 26. v. 2. In parasceue sabbati aduenit Bethaniam Iesus (sabbato enim non licebat maius iter agere, quale erat ex Ephrem in Bethaniam) Pascha incidit in parasceuem hebdomadæ proximæ, sex itaque dies fuerunt intermedij, Sabbatum, prima sabbati, secunda, tertia, quarta, quinta sabbati. VENIT BETHANIAM vicinam Ierosolymæ, vt inde die tertio progrederetur Ierosolymam, sponte accedens ad locum mortis, cùm iam instaret hora ipsius. neque enim quid futurum sit ignorat, sed voluntarius ad immolationem accurrit. VBI LAZARVS FVERAT MORTVVS. ὅπου ἦν Λάζαρος ὁ τεθνηκώς vbi erat Lazarus ille mortuus, vbi agebat Lazarus ille nuper mortuus. Syrus omittit vocem *mortuus*. QVEM SVSCITAVIT IESVS. ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν quem suscitauerat ex mortuis. Græcè non repetitur *Iesus*, Latinè omittitur *ex mortuis*: Syriacè vtrumque legitur, & quidem omnium clarissimè: *Vbi erat Lazarus ille, quem suscitarat a mortuis ipse Iesus.* Significatur hic, quare Iesus iam venerit Bethaniam, vt scilicet recentis miraculi memoria, per præsentiam ipsius renouata, excirentur vndique homines, quibus comitatus & cinctus die tertio solemniter ingrederetur Ierosolymam.

ἐποίησαν οὖν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ, καὶ ἡ Μάρθα διηκόνει, ὁ δὲ Λάζαρος εἷς ἦν τῶν ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ.

2 Fecerunt autem ei cænam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo.

FECERVNT. exhibuerunt s. discipuli & amici eius loci, Lazarus, Maria, Martha, Simon leprosus, & alij. EI Iesu. non alia causa quàm Iesu, gratitudinis ergo, ob accepta abs Iesu beneficia, nominatim recens illud resuscitati Lazari. CÆNAM splendidam, solemnem, & celebrem. IBI. in Bethania. Simulatque Iesus die parasceues appulisset Bethaniam, parata ipsi fuit cæna ab amicis, quæ postridie, sabbato inquam (remansit enim die sabbati Bethaniæ) exhibita ipsi fuit (nam illicitum erat quid vel ciborum die sabbati parare) idque in domo Simonis leprosi, quod testantur priores Euangelistæ, siue quod vna eademque fuerit domus Simonis Leprosi & Lazari eiusque sororum, siue quòd domus vicinæ fuerint, & Simonis quidem commodior, siue quòd hi omnes sanguine ad se mutuò attinuerint, siue, quod indubitatum est, familiares amici fuerint arctissimè conuincti sibi inuicem fide in Iesum Christum. ET MARTHA. In qua cæna Martha vna sororum Lazari MINISTRABAT. *satagebat circa frequens ministerium*, vt Lucas ait cap. 10. v. 40. sedula pro suo more, nec contenta famulis ministerium committere. Quamuis suo iure posset mensæ accumbere, vt quæ cœnam ipsam cum cæteris exhiberet: tamen honorandi Domini causa, mauult mensæ ministrare: etsi quidam dicant, ad huiusmodi cœnas, mulieres, pueros, & seruos, Iudaico more, non solere admitti accumbendi gratia sed solummodo ministrandi. EX DISCVMBENTIBVS. τῶν ἀνακειμένων accumbentium CVM EO Iesu. Nihil mirum quòd Lazarus inuitator Domini mensæ suæ ipsius accumberet: sed hoc ideò memorat Euangelista, vt probet veritatem resurrectionis Lazari, perseuerantiâ vitæ. Non enim vt reuixit, mox iterùm mortuus est, sed superfuit vixitque multis pòst diebus, edês, bibens, sermones miscens, & familiariter cum hominibus aliis conuersans, ita vt dubitari non posset quin viueret, quem mortuum fuisse constabat. Declarabatur igitur hac ratione, non esse phantasma aut spectrum loco Lazari, sed ipsum Lazarum è monumento verè productum, & humanæ vitæ restitutum, ita vt hostes vel inuiti fateri cogerentur miraculum.

ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν μύρου, νάρδου πιστικῆς, πολυτίμου, ἤλειψε τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἐξέμαξε ταῖς θριξὶν αὐτῆς τοὺς πόδας αὐτοῦ· ἡ δὲ οἰκία ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὀσμῆς τοῦ μύρου.

3 Maria ergo accepit libram vnguenti, nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti.

Matth. 26. v. 7. Marc. 14. v. 3.

MARIA ERGO. Martha ministrabat Iesu officij causa, Lazarus mensæ assidens seruiebat Iesu testimonij loco, & tamquam trophęi ex morte reportati: Maria ergo altera soror Lazari, ne suis in solemni illo conuiuio partibus deesset, intenta qua optimè ratione Dominum posset honorare, vt omnes superaret officio quos vincebat amore, ACCEPIT LIBRAM. λίτραν græcè, latina vox est, eadem quæ *libra*. Vt autem Romanis, ita non dubium Iudæis, quo tempore Romanis suberant, constat duplicem fuisse libram, mensuralem & ponderalem. Libra mensuralis, erat mensura cornea, qua oleum admetiebantur, intersecta lineis quibusdam,

diui-

diuidentibus ipsam in duodecim partes æquales, quæ vnciæ dicebantur. Nonnus pro libra vertit τρία μέτρα *tres mensuras*, metrum seu mensuram fortè intelligens tertiam libræ partem, id est, quatuor vncias. Syrus hîc eadem voce vtitur, qua secundùm Matthæum & Marcum, *alabastrum*. ACCEPIT ergo LIBRAM VNGVENTI, id est, vnguentum mensurâ libræ, alabastro vtique contentum. Vnguenti ad hoc opus copiam declarat Euangelista voce libræ. NARDI PISTICI. νάρδου πιστικῆς nardi pisticæ; vnguenti quod fuit nardum pisticum seu nardus pistica. Sic autem dicitur, voce *pisticum*, vel corrupta ex latina *spicatum*, vel posita pro fidele germanum, quemadmodum docuimus secundùm Marcum. ET VNXIT. quo vnxit. PEDES IESV. Matthæus & Marcus dicunt *caput*, Iohannes suppleuit *pedes*, vt totus Iesus in sepulturam proximam à Maria vnctus fuisse intelligatur. sic D. Augustinus lib. 2. de consensu Euang. cap. 79. Priùs enim, memor remissionis peccatorum olim ad pedes Iesu obtentæ, vnxit pedes: deinde verò fracto alabastro supra caput Iesu, effudit vniuersum vnguentum in caput & reliquum corpus eius. Res quidem erat inusitata, vt pedes vngerentur: vnde quasi de luxuriæ miraculo loquens Plinius lib. 13. cap. 3. ait: *Vidimus etiam vestigia pedum tingi* (vnguentis) *quod M. Othonem monstrasse Neroni principi ferebant: quæso vt qualiter sentiretur iuuaretq; ab ea parte corporis?* At certum est, non lasciuiæ, sed humilitatis, simul & gratitudinis causa, id factum à Maria: vt quibus officiis olim testata fuerat pœnitentiam, nunc gratitudinem testaretur. *In omnibus enim talibus, non vsus rerum, sed libido vtentis, in culpa est*, inquit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. ET EXTERSIT. postquam extersisset. Est enim hysteron proteron: nam priùs extersit, posteà vnxit, quem ordinem seruauit Lucas ca. 7. v. 38: si enim è diuerso, priùs vnxisset, posteà extersisset, potiùs vnxisset illa capillos suos, quos minimè vnctos esse volebat, minimeque dignos vnctione iudicabat, quàm pedes Iesu: vt etiam non erat vnguentum abstergendum. CAPILLIS SVIS. non solùm externa bona sua, sed etiam ipsa corporis sui membra, in obsequium Christi impendens. Capilli præcipuè ornamento sunt mulieribus, quibus solent proinde maximè gloriari, illosque curiosissimè seruare à sordibus: atqui hæc, capillos suos congruos æstimauit, auferendis sordibus pedum Iesu; suum caput quod pedibus, & ornatum suum qui sordibus Iesu, conferretur, indigna iudicans, reque ipsa implens quod verbis de se Iohannes Baptista dixerat Marc. 1. v. 7: *Cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamẽtorum eius.* Hinc Chrysostomus Hom. 81. in Matthæũ: *Quippe cum capillis abstergeret pedes eius, honorabilius in toto corpore membrũ, caput dico suum, pedibus Christi subiiciebat;* & in hunc locum: *Quæ non erant indicia*, inquit, *quod de Iesu quidquam suspicaretur vt multitudo.* PEDES EIVS. tamquam Domini sui, *tamquam Dei*, ait Euthymius. *pedes*, lutosos ac puluerulentos: incedebat enim Iesus nudipes, aut certè soleatus, pro more pauperum eius regionis (vide Marc. 6. v. 9.) cœnaturus autem exuerat soleas, quem Iudæorum tunc fuisse patrium morem, quidam annotant. DOMVS. non tantùm cænaculum. EX ODORE. odore VNGVENTI. tantæ fragrantiæ pretiositatisque fuit: nihil enim illa esse indicauit par dignitati Iesu. vnguenti commendatio ab effectu, ab odore inquam, qui perfido Iudæ mortem attulit. *Maria ergo*, inquit Chrysostomus, *non ministrabat, sed discipula hic etiam erat, & spiritalibus magis afficiebatur: neque enim ministrabat tamquam vocata, neque communi vacabat ministerio, sed soli Iesu honorem impendit, neque tamquam homini adest, sed tamquã Deo.* Reliqua huius versiculi exposita lege Matt. 26. v. 7. & Mar. 14. v. 3.

4 Dixit ergo vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus:

λέγει οὖν εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ἰούδας Σίμωνος Ἰσκαριώτης, ὁ μέλλων αὐτὸν παραδιδόναι·

ERGO hac occasione. EIVS Iesu. IVDAS. nempe Iudas. græcè additur *Simonis*, quod tamen syriacè non magis exstat quàm latinè. Priores Euangelistæ loquuntur de pluribus: verùm ex iis Iohannes nominat solum Iudam, duas ob causas; vnam, quòd fuerit auctor obmurmurationis aliorum, quia nemo ex aliis obstrepere vmquam ausus fuisset, nisi impia Iudæ obtrectatio instar facis eos accendisset, vt hypocritæ sunt flabella ad inflammandos alios; Alteram, quia reliqui, mente simplici, propter pauperum curam; Iudas, ficta ac subdola mente, non quia pauperum cura tangeretur, sed quia fur erat, obmurmurauerit. Vtramque causam intelligere licet ex D. Augustino lib. 2. de consensu Euang. cap. 79. Quare victor Antiochenus in Marcum scribens: *Dominus*, inquit, *qui omnium sensus & corda comperta habebat, tametsi generali oratione vtatur, solum Iudam tamquam auarum perstringit veriùs quam reliquos discipulos. Norat enim, ex quadam potiùs animi simplicitate, quam ex malitia aut inuidia, mulieris factum improbasse.* ISCARIOTES. vide Matth. 10. v. 4. TRADITVRVS. proditurus Iudæis hostibus, & quidem occasione ex hac vnguenti effusione accepta. Reliqua quære Matth. 26. v. 8.

Matth. 26. v. 9. Marc. 14. v. 5

5 Quare hoc vnguentum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis?

διατί τοῦτο τὸ μύρον οὐκ ἐπράθη τριακοσίων δηναρίων, καὶ ἐδόθη πτωχοῖς;

TRECENTIS DENARIIS. non minoris enim est pretij, vt ne dicam maioris. ET DATVM EST hoc vnguentum, medio hoc suo pretio. EGENIS. Exemplum horrendum animi auaritia excœcati, & tamen pietatem prætexentis. Reliqua petantur ex Matthæo & Marco.

6 Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat.

εἶπε δὲ τοῦτο, οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, ἀλλ' ὅτι κλέπτης ἦν, καὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχε, καὶ τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν.

DIXIT Iudas. Aperit Euangelista qua mente Iudas hoc dixerit, non alia scilicet, quàm vt auaritiæ suæ velamen

velamen & prætextum à pietate ac cura pauperum quæreret. NON QVIA DE EGENIS PERTINEBAT AD EVM. id eſt, non quòd egenorum cura tangeretur, non quòd pauperes ipſi curæ eſſent, quamuis commiſſa ipſi eſſet illorum cura. FVR. non qualiſcumque, ſed ſacrilegus, fur loculorum ſacrorum, loculorum dominicorum, *in ſuum vſum rapiens*, inquit Theophylactus, *quæ in diuinum dabantur*. ET pro nam. Nam *loculos habens*. hæc fuit illi furandi opportunitas. LOCVLOS. τὸ γλωσσόκομον, quâ voce vtitur & Syrus, id eſt, marſupium, dictum à γλῶσσα *lingua*, quod linguæ ſpeciem haberet. Marſupium autem ſeu *loculos* intelligit, Ieſu tamquam Domini & patrisfamilias; vel certè Ieſu ipſiuſque familiæ, commune enim erat Ieſu & Apoſtolis ipſius. HABENS. à Ieſu ſibi creditos. εἶχε καὶ *habebat*, &c. ſic etiam Syrus. EA QVÆ MITTEBANTVR ſ. intrò, ea quæ iniiciebantur in marſupium ſiue loculos ab iis qui credebant in Ieſum aut eius erant ſtudioſi. Pauperem vitam profitebatur Ieſus cum Apoſtolis ſuis, accipiebat itaque dona & eleemoſynas quas ſponte largiebantur ij qui ipſi fauebant, idque ad ſeipſum & familiam ſeu collegium ſuum ſuſtinendum: nec ſimulatque data eſſent, omnia expendebat, vel in familiæ ſuæ, vel in pauperum vſus, ſed reſeruabat etiam quædam aliquando in futuros vſus, quòd non, quocumque diuertebat cum ſuis, occurrerent, qui tot capita alere aut poſſent aut vellent. Porrò quòd ipſius Apoſtolorumque neceſſariis vſibus ſupererat, hoc dari iubebat pauperibus aliis. PORTABAT. ferebat. *Portabat*, quærit Auguſtinus, *an exportabat? ſed miniſterio portabat*, inquit, *furto exportabat*. portabat mala fide, vt ſæpè ſolent qui pecuniam ſeruant communem. Ipſe erat marſupij portator, ipſi credita fuerat abs Ieſu communis pecunia cuſtodienda, & expendenda pro iuſſu ipſius Ieſu domini ac magiſtri. Ille verò infidus, & doctrinæ pietatiſque Ieſu contemtor, iam tum meditans deſerere Ieſum, ſuffurabatur ex creditis ſibi numis, quantum lubebat, & ſibi ipſi clàm reponebat, paulatim hinc ſibi cenſum augens, & colligens peculium, quo viueret abs Ieſu conſortio ſeparatus, eo magis fortaſſe, quòd ſæpè audiret Ieſum de imminentibus ſibi & diſcipulis ſuis perſecutionibus ac morte ſermocinantem. Quamquam autem ſciret Ieſus ipſum eſſe huiuſmodi, non tamen amouit eum, immo quamquam præſciret ipſum fore huiuſmodi, ipſi tamen hoc officij commiſit, nec alium potiùs oeconomum conſtituit: vt doceret capita Eccleſiæ ſuæ, non quidem fures deligere, quibus committerent adminiſtrationem temporalium (nam id quod ipſe hac in re fecit, ad profundam diuinorum iudiciorum abyſſum referendum eſt) ſed infimos & minimos, qui ad ſpiritalia gerenda minùs eſſent idonei, præficere temporalibus, potiuſque fures pati, quàm vel ipſi vel alij ad regni Dei negotia apti (quales erant reliqui omnes Apoſtoli) his ſe vel præcipuè vel admodum occuparent. Quantum ab hoc Ieſu exemplo abſunt, ij Eccleſiæ Præſules, qui ſpiritalium rerum cura aliis relicta, ipſi temporaliũ & pecuniariæ rei diſpenſationem ſibi retinent, hanc quidem nemini, illam verò cuiuis facilè confidentes. Lege D. Bernardum lib. 4. de conſideratione cap. 6. Iudas igitur cùm fur eſſet, ægrè tulerat vnguentum illud pretioſum in corpus Ieſu effuſum fuiſſe, & non potiùs Ieſu dono datum: ſic enim ipſi commiſſum fuiſſet vendere illud, & pretium loculis excipere, deinde meliorem partem pauperibus diſtribuere (quòd tantum numorum numerum non conſueſſet Ieſus in loculis retineri iubere) ac proinde licuiſſet ipſi inde ſuffurari, & peculium ſuum bono numo augere. Ergo fecit Iudas quod impietas ſolet, aliud prætexebat, aliud in corde agitabat.

εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς· ἄφες αὐτὴν, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. 7	Dixit ergo Ieſus: Sinite illã, vt in diẽ ſepulturę meæ ſeruet illud.	Matth. 26. v. 12. Marc. 14. v. 8.

SINITE, ſeu potiùs, vt in aliis libris eſt, *Sine* ILLAM. Non prodit animum Iudæ furacem, aut hypocriſin ſimulantis pauperum curam, nec ſeuerè impoſtorem vt merebatur caſtigat (non enim mox aperienda, multoque minùs exprobranda ſunt occulta crimina) ſed hoc vnum agit, vt factum mulieris tueatur, prohibeatque ne ipſi moleſtia fiat. *Non illi ait*, inquit Auguſtinus, *propter furta tua dicis iſta: furem nouerat & prodere nolebat, ſed potius tolerabat, & ad perferendos malos in eccleſia nobis exemplum patientia demonſtrabat*. *Sine illam* facere quod facit, non ſis illi moleſtus ob id quod fecit. VT IN DIEM ſeu tempus SEPVLTVRÆ MEÆ, id eſt, vt ad ſepeliendum me honorificè. SERVET, non fruſtrà ſeruare ſeu ſeruaſſe probetur, ILLVD vnguentum q.d. Seruat illa hactenus vnguentum iſtud ad ſepeliẽdum me: prohibebitur autem illo me vngere mortuum: permitte igitur vt vngat, adhuc viuum quidem, ſed morti ac ſepulturæ proximum, vt non fruſtrà vnguentum ſuum ſeruare ſeu ſeruaſſe agnoſcatur. Clariùs legitur gręcè & ſyriacè: *Sine illam, in diem ſepulturæ meæ ſeruauit illud*. Sine illam facere quod facit: nam in diem ſeu tempus ſepulturæ meæ, id eſt, ad ſepeliendum me, pro ſepultura mea, hoc vnguentum ſeruauit. inſtat autem ſepultura mea, non moleſtè igitur feras quòd me iam vnxerit, velut iam dies eſſet ſepulturæ meæ, præſertim, cùm à morte mea illud facere non poterit. Seruauit autem, non tam ex mente propria, quàm ex inſtinctu ſpiritus ſancti, qui pietati eius hoc iudicauit indulgendum, vt breuî moriturum poſſet vngere hoc vnguento, quem non poſſet mortuum; & adhuc viuenti, ſed breuì ſepeliendo, officium ſepulturæ exhibere. Seruauit prætereà ipſo effectu ſeu euentu, tam commodè ſcilicet, ac ſi in diem ſepulturæ ſeruaſſet, vnxit enim eo, breuî ſepeliendum. Simile 3. Regum 17. v. 18: *Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum*. Clariùs hoc extulit Euangeliſta Matthæus: clariſſimè verò Marcus: nam omnium vna eademque ſententia eſt. vide Matth. 26. v. 12. & Marc. 14. v. 8.

τοὺς πτωχοὺς γὰρ πάντοτε ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε. 8	Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum: me autem nõ ſemper habetis.	Matth. 26. v. 11. Marc. 14. v. 7.

HABETIS. Mutans Euangeliſta hîc numerum, oſtendit, Iudam quidem fuiſſe caput murmuris, alios verò illi acceſſiſſe. Porrò verſus iſte expoſitus fuit ſecundùm Matthæum.

ἔγνω οὖν ὄχλος πολὺς ἐκ τῶν Ἰου- 9	Cognouit ergo turba multa ex Iu-

dæis, quia illic est: & venerunt, non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

δαίων, ὅτι ἐκεῖ ἐστι· καὶ ἦλθον, οὐ διὰ τὸν ἰησοῦν μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ τὸν λάζαρον ἴδωσιν, ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν.

ERGO. Quandoquidem Iesus Bethaniæ nonnihil hæsit. Non potuit Iesus latere Bethaniæ, loco, cùm vicino Ierosolymis, tum celebri iam propter Lazarum illic ab ipso ex morte excitatum. EX IVDÆIS, in vicinia Bethaniæ, & nominatim Ierosolymæ agentibus. QVIA ILLIC EST. quòd illic esset, scilicet Bethaniæ Iesus. ET VENERVNT s. turba multa seu multi, illic sabbato, & postridie sabbati, donec inde Ierosolymam recessit Iesus. SED VT. ἀλλ' ἵνα καὶ sed vt & LAZARVM VIDERENT. Lazarus ob diuitias & nobilitatem multis anteà notus, notior factus est propter recentis miraculi famam. Experiri igitur volebant, an verum esset quod fama narrabat, Lazarum à morte resuscitatum; volebant videre viuentem, audire loquentem, fortassis etiam rogare an verè fuisset mortuus, & intelligere aliquid de statu alterius seculi, vt est curiosum hominis ingenium. Cæterùm non intelligendum est, aduenisse eos Bethaniam in gratiam Lazari, quasi hoc honoris Lazaro seorsum detulerint, sed venisse vt in Lazaro conspicerent specimen virtutis Iesu. Hoc enim est quod sequitur QVEM SVSCITAVIT. ὃν ἤγειρεν quem suscitauerat s. Iesus non enim viuebat nisi in gloriam Iesu viuificatoris sui. Res erat insueta & admirabilis, videre eum viuere & agere aliorum hominum more, qui quatriduo fuerat mortuus: sed vt clarior, ita admirabilior reddebatur, ipso eius resuscitatore præsente: maiorem enim sibi mutuò & claritatem & admirationem conciliabant resuscitator & resuscitatus iuxta se inuicem constituti. Habuerant isti anteà, non dubium, tempus commodum Lazari spectandi (non enim verisimile est, quod Iesus secum abduxerit Lazarum, mox vt resuscitatus fuerat, è Bethania in Ephrem) fortassis etiam plerique eum iam viderant à resuscitatione, sed præsente Iesu, cùm plures, tum iidem rursus, excitari fuere ad accurrendum in Bethaniam vt simul vtrumque viderent, & mortuum rediuiuum, & tanti miraculi auctorem.

Cogitauerunt autem principes sacerdotum, vt & Lazarū interficerent: [10]

ἐβουλεύσαντο δὲ οἱ ἀρχιερεῖς ἵνα καὶ τὸν λάζαρον ἀποκτείνωσιν·

COGITAVERVNT. ἐβουλεύσαντο consultauerūt, consilio inito statuerunt. VT ET LAZARVM. non tantùm vt Iesum, sed & vt Lazarum; vt Lazarum simul cum Iesu. INTERFICERENT. *Vt aliquis dixerit* (addit Nonnus poëta) *Lazarus euasit mortem, nec tamen effugit pontifices. Multa signa fecerat Iesus*, inquit Chrysostomus, *sed nullum eos ita efferauit, vt istud; non paralitic us, non cæcus curati* &c. Hoc enim post alia omnia patratum, aliis omnibus natura mirabilius fuit, tam euidens quàm negare non possent, tam laudatum, quàm nihil in eo possent accusare, non opem dæmonum, non sabbati violationem, aut quid cæterorum. Itaque cùm aliud se non posse viderent, vt illius memoriam abolerent, statuerunt simul & Iesum resuscitatorem & Lazarum resuscitatum interficere. Plus quàm phreneticus certè furor, quòd exstinguere moliuntur, quem constabat diuinitus à morte fuisse excitatum: vnde intelligere licet, ipsos non stultitia aut errore inductos fuisse ad persequendum Christum, sed rabiosa malitia, ita vt ne Deo quidem bellum inferre horrerent. Cæterùm explere non potuerunt quod decreuerāt, vt & Lazarum interficerent: quem multis pòst annis viuere voluit Deus, ad propagandam gloriam Christi, tum per Iudæos tum per gentes, vt Massiliensium tandem Episcopus est mortuus, quod traditio habet.

quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. [11]

ὅτι πολλοὶ δι' αὐτὸν ὑπῆγον τῶν ἰουδαίων, καὶ ἐπίστευον εἰς τὸν ἰησοῦν.

PROPTER ILLVM. quòd viuentem & valentem ante oculos cernerēt, virum nobilem ac spectatum, quem constabat quatriduo fuisse mortuum, & multis spectantibus atque admirantibus à Iesu fuisse resuscitatum. ABIBANT. ὑπῆγον subducebant, subtrahebant se, deficiebant ab ipsis, relinquebant factionem ipsorum, conspirantium aduersus Iesum, commoti tam præsenti & euidenti miraculo. EX IVDÆIS. τῶν ἰουδαίων Iudæorum. Hoc iungendum est cum nomine *multi*, non cum verbo *abibant*. IN IESVM. tamquam in Messiam, tamquam in Christum Filium Dei viui.

In crastinum autem, turba multa quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia venit Iesus Ierosolymam, [12]

τῇ ἐπαύριον ὄχλος πολὺς ὁ ἐλθὼν εἰς τὴν ἑορτὴν, ἀκούσαντες ὅτι ἔρχεται ὁ ἰησοῦς εἰς ἱεροσόλυμα,

IN CRASTINVM. postridie, die altero à cæna illa, quinto ante pascha, quæ erat prima sabbati, & decima mensis Nisan. Annotat tempus Euangelista, vt obserues, quo die præceptum fuerat Israëli seligere sibi mactandum in Paschate agnum, decimo inquam mensis primi (Exo. 12. v. 3.) eo Iesum se Israëli obtulisse, tamquam verum agnum, Deo pro ipsorum salute proximo paschate immolandum, & illi typico agno finem impositurum. TVRBA, cui omnis sermo de Iesu erat. MVLTA. vide Matth. 21. v. 9. QVÆ VENERAT. Non Ierosolymitana, sed quæ aliunde aduenerat. AD DIEM FESTVM paschæ instantem, ad quem viri omnes Iudæi adesse debebant. Exo. 23. v. 17. Animaduerte Iudæorum religiositatem, diem festum pluribus diebus præuenientium, quò paratiores exactiùs illum colerent. CVM AVDISSENT, ex iis qui Iesum comitati in vrbem præcurrerant. QVIA VENIT. ἔρχεται quòd venit, quòd veniret, quòd in itinere esset, adeoque appropinquaret, vectus honorificè pullo asinæ. IEROSOLYMAM. Appropinquante hora passionis, appropinquare voluit loco, vt etiam per hoc clarescerет, quia non inuitus, sed sponte, pro humani generis salute, mortem pateretur.

ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, καὶ ἐξῆλθον εἰς ὑπάντησιν αὐτῷ, καὶ ἔκραζον· ὡσαννά. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου βασιλεὺς τοῦ ἰσραήλ. [13]

acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna. Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.

Matth. 21. v. 9. Marc. 11. v. 9. Luc. 19. v. 38.

RAMOS. τὰ βαΐα aiunt propriè esse palmarum ramos, ita vt addi φοινίκων non fuerit necesse. PALMARVM aliarumque arborum, in signum lætitiæ. Sic enim consueuerant Iudæi in publicis ac solemnibus gaudiis, palmarum signanter ramos manibus gestare. 1 Machab. 13. v. 51. & 2. Machab. 10. v. 7. Quinetiam, cùm diuino instinctu hæc à populo gesta constet (Luc. 19. v. 40.) non à ratione alienum est dicere, huiusmodi palmarum ramis victoriam adumbratam, quam breui Iesus de diabolo ac morte reportaturus erat: nam victoriæ palmam seruire, celebre est. Apoc. 7. v. 9. PROCESSERVNT. ἐξῆλθον egressi sunt. illius honorandi & vt regis excipiendi causa. REX ISRAEL. diu exspectatus ille rex Israel, Messias qui Israeli promissus, non illi soli regnaturus, sed & vniuersum orbem sibi subacturus est. Reliqua lege Matth. 21. v. 8. 9. Luc. 19. v. 38.

εὑρὼν δὲ ὁ ἰησοῦς ὀνάριον, ἐκάθισεν ἐπ' αὐτό, καθώς ἐστι γεγραμμένον· [14]

Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est:

Matth. 21. v. 7. Marc. 11. v. 7. Luc. 19. v. 35.

ET INVENIT. εὑρὼν δὲ cùm inuenisset autem, id est, cùm nactus esset, phrasi hebraica. Quomodo autem nactus sit, ex aliis Euangelistis petendum relinquit Iohannes, à quibus nouerat id latè descriptum esse: ex quibus & illud manifestum euadit, priùs Iesum iussisse adduci sibi asinum, quàm acclamatus ipsi fuerit Messiæ titulus. ASELLVM. pullum asininum, ab his quos emiserat discipulis adductum. SEDIT SVPER EVM, & sic vectus est Ierosolymam. q. d. Euangelista: Iesus quoque semper ante hac humilis, & omnis mundanæ gloriæ contemtor, solitus hactenus pedibus iter facere; iam nactus asinum insedit illi, & hac noua pompa intrauit Ierosolymam, reipsa declarans populi acclamationes & studium sibi probari. SICVT SCRIPTVM EST. sicut prædictum fuerat à Zacharia propheta, vbi scripsit. Reliqua quære secundùm Euangelistas priores.

μὴ φοβοῦ θύγατερ σιών· ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεται καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου. [15]

Noli timere filia Sion: ecce Rex tuus venit sedens super pullũ asinæ.

Zach. 9. v. 9. Matth. 21. v. 5.

NOLI TIMERE. μὴ φοβοῦ ne timeas. Propheta habet *Exsulta, iubila*, quod multo amplius est. Sed Iohannes qui sententiam recenset, non verba numerat, idcircò posuit *Ne timeas* (quod quidem includitur in his, *exsulta, iubila*) quia iam timere sibi cœperant Iudæorum principes, si Iesus agnosceretur Rex Messias. *Si dimittimus eum sic* (dixerant suprà 11. v. 48.) *omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent & nostrum locum & gentem*: præter hoc quod verebantur, ne secum inprimis malè ageretur, si is in Regem reciperetur, quem ipsi persequebantur. *Noli* itaque *timere*, ait, ab hostibus, Romanis aliísve, quia REX TVVS VENIT, qui liberet & defendat te. Noli etiam timere ab ipso Rege tuo, non enim iniustus, rapax, terribilis, durus, ferox, aut tyrannus est, vt plerique hactenus Regum vestrorum, qui vindictam sumere sitiat de peccatis tuis, aut tuas tibi auferre opes vel honores; sed *venit sedens super pullum asinæ*, contemtor opum mundi est, humilis, mitis, clemens, facilis, ac benignus erga suos, ad quos saluandos venit, non spoliandos aut iudicandos. Meritò itaque deponendus est timor omnis, & exultandum iubilandumque præ lætitia. Reliqua lege Matth. 21. v. 5.

ταῦτα δὲ οὐκ ἔγνωσαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τὸ πρῶτον, ἀλλ' ὅτε ἐδοξάσθη ὁ ἰησοῦς, τότε ἐμνήσθησαν ὅτι ταῦτα ἦν ἐπ' αὐτῷ γεγραμμένα, καὶ ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ. [16]

Hæc non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.

HÆC. à prophetis prædicta fuisse. PRIMVM. tum cùm fierent; quòd nondum esset eis apertus sensus ad intelligendum Scripturas. Non erubescit Euangelista confiteri ignorantiam suam. GLORIFICATVS EST resurrectione à mortuis ascensioneque in cælos. TVNC, mente Spiritu sancto illustrata, legentes scrutantesque Scripturas. RECORDATI SVNT, QVIA HÆC ERANT SCRIPTA DE EO, ET HÆC FECERVNT EI, id est, animaduerterunt inter alia multa, quòd hæc scripta seu prædicta fuerant de eo, recordati quòd hæc eadem facta fuerant seu contigerant ei, quæ scripta inueniebant. Recordatio fuit eorum quæ facta viderant, cognitio autem fuit prædictionis eorum quæ facta viderant. Itaque pluralis numerus verbi personalis *fecerunt*, absque supposito vsurpatus, hebraico more, vt aliàs frequenter, impersonaliter sumitur, *quod hæc scripta erant de eo, & quod hæc facta fuerant seu contigerant ei, vel in eo.* Conferebant tunc testimonia prophetarum cum iis quæ à Christo viderant fieri: & admirabilem dictorum propheticorum cum operibus Christi consensum compererunt. Tunc pugnæ Christi, victoriæ, prædæ, triumphi, regni denique administrandi, ratio omnis, cum illa humilitate & paupertate maximè conueniens, aperta illis fuit.

Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis.

[17] ἐμαρτύρει οὖν ὁ ὄχλος ὁ ὢν μετ' αὐτοῦ, ὅτε τὸν λάζαρον ἐφώνησεν ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν.

TESTIMONIVM publicum & certum rei verè gestæ, Lazari à Iesu resuscitati. ERGO. interea dum hic triumphus ageretur. *Ergo* non illatiuum est, sed continuatiuum, quo redit Euangelista, quamquam duriusculè, ad priùs dicta, vt declaret, quanam re excitata turba, tanto honore iam affecerit Iesum, tamque magnificis acclamationibus exceperit, nempe, quòd turba quę præsens adfuerat quando Lazarum à morte excitarat, huic turbæ permixta, constans illius rei testimonium ferret. TVRBA illa. nec enim pauci adfuerant. QVÆ ERAT. quæ fuerat. CVM EO præsens, fuerant testes oculati. QVANDO. Interpres legit, vt vulgò legitur, *ὅτε quando*: quæ lectio exponenda venit quomodo iam docuimus. Sed alij rectiùs legunt ὅτι, id est, *quod*: quæ lectio clariorem secum adfert sensum, nimirum turbam, id est, magnam populi multitudinem quæ iam comitabatur Iesum, testatam fuisse reliquis omnibus præsentibus, quòd Iesus Lazarum quatriduo mortuum solo vocis imperio excitarat ex morte, videntibus & spectantibus ipsis omnibus. VOCAVIT. id est, vocando *è monumento suscitauit à mortuis*.

Proptérea & obuiam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.

[18] διὰ τοῦτο καὶ ὑπήντησεν αὐτῷ ὁ ὄχλος, ὅτι ἤκουσε τοῦτο αὐτὸν πεποιηκέναι τὸ σημεῖον.

ET. etiam. huius miraculi commemoratione, vt excitatus est turbæ ardor ad honores quàm posset maximos Iesu exhibendos, ita fuerat & primùm excitata ad exeundum illi turmatim obuiam. VENIT. venerat. TVRBA. Turbam turbauerat turba. AVDIERVNT. audierant. HOC SIGNVM. quale non fuerat auditum ab orbe condito. Hæc fuit exterior causa mouens; interior, Spiritus sancti motio.

Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

[19] οἱ οὖν φαρισαῖοι εἶπον πρὸς ἑαυτούς· θεωρεῖτε ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; ἴδε ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν.

PHARISÆI persequutores Iesu. ERGO dùm hæc fierent. AD SEMETIPSOS. ad se mutuò, inter se. VIDETIS vel videte. vtrumque enim transferri potest ex θεωρεῖτε. Videtísne quod sole clarius est. QVIA quòd. PROFICIMVS. ὠφελεῖτε proficitis (quomodo est & syriacè) s. sapientia, oratione, vitæ sanctitate, auctoritate, contradictionibus, dissuasionibus, prohibitionibus, edictis, machinamentis, hactenus adhibitis. Interpres legisse videtur ὠφελοῦμεν, cui fauet Nonni carmen. Cæterùm, siue prima siue secunda persona, siue interrogando siue affirmando legas, sensus idem vnus est: Quamuis semper restiterimus huic homini, nosque ei aduersarios palam ac modis omnibus declarauerimus, tandemque decreuerimus vt synagoga expellatur quisquis ipsum esse dixerit Christum, his tamen nihil impedientibus, ECCE rem minimè ferendam. MVNDVS TOTVS. Hyperbole, longè maxima hominum multitudo, non solùm nostratium, sed & eorum qui vndequaque huc aduenerunt. vide Matth. 21. v. 9. POST EVM ABIIT. sequutus est eum, adhæret ei, credit in eum, confitetur eum Messiam, nobis spretis. q. d. seuerioribus sine mora opus remediis est, & in ipsummet inprimis, ita vt ocissimè è medio tollatur, quemadmodum nuper nobis decretum est, sup. 11. v. 53. Verba sunt indignè ferentium Christi gloriam & populi in Christum fidem, seque mutuò excitantium ad acuendum rabiem persecutionis, & adhibendum vrgentiora remedia, atque inprimis illud Pontificis consilium, quod omnium suffragiis fuerat approbatum, reipsa quantociùs exsequendum, vt interficeretur ipse Iesus, ne gens tota periret, postquam euidens fieret, prioribus consiliis nihil promoueri. Est enim quædam ignauiæ exprobratio: ac si dicerent, plebem ideò ad Iesum deficere, quia ipsi nimis tardi essent ac molles. Hic loquendi mos est desperatis hominibus, quum se ad extrema quæque tentanda parant.

* * * * * * * *

Matth. 10. v. 39. & 16. v. 25 Luc. 17. v. 33.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

[25] ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, ἀπολέσει αὐτήν· καὶ ὁ μισῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, εἰς ζωὴν αἰώνιον φυλάξει αὐτήν.

QVI AMAT. Hac sententia Iesus intelligendum dans quò tendat præcedens parabola, se ipse suosque animat atque exhortatur ad contemnendam fortiter mortem corporis. *Qui amat animam suam*. id est, semetipsum, immodicè & plusquam oporteat, in hoc scilicet mundo (id enim exprimitur posteriori sententiæ membro) id est, quod ad ea quæ huius sunt mundi, quæ ita sunt mundi huius vt non alterius, nimirum, vitam, sanitatem, voluptates, & cætera huius mundi caduca bona, implicitus immodico eorũ amore, quippe habens ea vel eorum aliqua pro præcipuis bonis, quibus beatus sit, & proinde carere nolit vlla ex causa, ne

vrgen-

vrgentibus quidem Dei iussis, ne inops reddatur aut miser, vel amaræ extremæque mortis gustator. PERDET EAM. s. in æternum, ex posteriori sententiæ membro. non amat seipsum, sed æternam sui perditionem: conijciet seipsum in supplicium exitiumque perpetuum. ET QVI. sed contrà qui. ODIT ANIMAM SVAM. odit semetipsum. vide Luc. 14. v. 26. quid sit odisse seipsum. significatur maxima auersatio sui ipsius, quod notat ex Chrysostomo Theophylactus. IN HOC MVNDO. quod ad ea quæ sunt huius mundi, non tantùm non ea amans tamquam finem suum aut præcipua bona, nec tantùm paratus ea relinquere eisque spoliari, verumetiam contemnens ea ac detestans, & magno animo semetipsum morti obijciens, vbi scilicet præceptum Dei aut gloria id requirat. Per hoc etiam quod addit *in hoc mundo*, declarat præceptum hoc esse temporale, quod annotat Theophylactus. *Nam quia videtur crudele & graue, mitigat illud, per hoc quod addit: in hoc mundo. Non enim inquit, in immensum tempus iubeo haberi odio animam, sed in hoc transitorio mundo auersari eam.* IN VITAM ÆTERNAM. beandum vita æterna. CVSTODIT. φυλάξει custodiet EAM, semetipsum. Ecce fructum ac lucrum immensum. Quare non odit hîc semetipsum quamuis homines id iudicent, sed amat summopere. Reliqua ad hunc versiculum pertinentia, petenda sunt potissimùm ex Matth. 10. v. 39.

* * * * * * *

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

* * * * * *

Ταῦτα εἰπὼν ὁ Ἰησοῦς ἐταράχθη τῷ πνεύματι, καὶ ἐμαρτύρησε, καὶ εἶπεν· ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με. [21]	Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. *Matth. 26. v. 21. Marc. 14. v. 18. Luc. 22. v. 21.*

TVRBATVS EST SPIRITV. id est, anima, quemadmodum dixit sup. 12. v. 27: *Nunc anima mea turbata est. Turbatus est* autem, non fictè, sed verè (non enim fuit hæc Christi passio simulata, sed penitus ita affectus animo fuit) nec inuitus aut ex improuiso, sed sponte & à seipso, potestate non infirmitate, *turbatus est*, &c. quemadmodum sup. 11. v. 33. dicitur, *turbauit seipsum*, ratione scilicet passionem imperante. Neque voluntariè modò affectum hunc induit, sed & naturaliter, considerato obiecto præsenti motus: non sic tamen motus, vt passio turbarit rationem, sedatis enim ac quietis reliquis animæ potentiis, solus appetitus sensitiuus, qui proprium est passionis subiectum, turbatus motusque fuit, sed passione in corpus redundante, vt fit: corpus enim animi turbationem testatum est, non indecoro tamen, sed modesto honestoque vultus habitu. Concurrerunt autem passiones plures, timoris, doloris, iræ. Timuit Iesus imminentem sui in manus hostium traditionem, & mox subsequuturam mortem, vt verum se hominem ostenderet: doluit casum & exitium Iudæ, iratus fuit impietati illius, inhumanæ, ingratæ, peruicaci. Aperturus igitur Apostolis suis rem nec opinatam, eamque horrore & exsecratione dignissimam, quæque propè adeò tangeret ipsum ac præsentes Apostolos, turbat se ipse, vt Apostoli quoque ipsi turbentur, & scelus exsecrentur, & intelligant consequuturam Domini sui mortem, Iudas denique vt resipiscat. Quòd si animo prorsus quieto hoc prænunciasset Iesus, non tanti rem æstimassent Apostoli, quanti fecerunt & opus fuit, nec Iudæ ea occasio data fuisset redeundi ad meliorem mentem: persuasissent enim sibi, vel euentum rei non fore huiusmodi, vel nihili fieri à Domino proditionem, qui pluribus modis seruare se posset. PROTESTATVS EST. ἐμαρτύρησε testatus est palam & apertè, serioque affirmauit futurum. Hactenus enim tectè hoc negotium inter suos notauerat. ET DIXIT. id est, dicens. AMEN AMEN. Repetitio vocis *Amen* facit ad certitudinem maiorem. Reliqua exposita sunt Matth. 26. v. 21.

ἔβλεπον οὖν εἰς ἀλλήλους οἱ μαθηταὶ, ἀπορούμενοι περὶ τίνος λέγει. [22]	Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

AD INVICEM. sese mutuò. DISCIPVLI. s. innocentes: quamquam & Iudas eodem se modo gereret. HÆSITANTES. dubij, suspensi, anxij. Syrus, quia non sciebant. DE QVO DICERET. quem notaret. *Nota quidem sibi erat*, inquit Augustinus, *cuiusque conscientia, verumtamen quia proximis erat ignota, ita sibi singulus quisque erat certus, vt incerti essent, & in cæteris singuli & in singulis cæteri.* Quamobrem se mutuò intuebantur, quod ait Euangelista, partim quòd ita stuperent, vt solent qui ad rem nouam & insperatam attoniti ferè consternantur, partim quòd sic obseruarent, si quod indicium malè conscij ex vultu possent colligere, si quis ipsorum vel voce vel erubescentia vel alio modo culpam hac in re cognosceret suam, aut conscientiam proderet. Cùm autem nihil eiusmodi assequi possent (vt erat perfrictæ frontis Iudas) conquisiuerunt inter se, de quo ex ipsis hoc dici possit, quod refert Lucas: & nec sic quidquam intelligentes, singuli rogarunt Dominum: *Numquid ego sum*, quod habent Matthæus & Marcus. Postremò Iohannes, rogatu Petri, à Iesu petiit quisnam is foret, id quod hîc sequitur.

* * * * * * *

ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· τὴν ψυχήν σου ὑπὲρ ἐμοῦ θήσεις; ἀμὴν ἀμὴν λέγω [38]	Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, *Matth. 26. v. 34. Marc. 14. v. 30. Luc. 22. v. 34.*

tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges. σοι, οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσῃ, ἕως οὗ ἀπαρνήσῃ με τρίς.

ANIMAM TVAM PRO ME PONES? vitam tuam impendes pro me? q. d. longè ab eo abes. interrogando enim legendum est, non affirmando. quod intelligitur ex eo quod sequitur. nam sensus est: tantum abest vt vitam tuam expositurus iis periculo ad hoc vt me sequaris, ad hoc vt mihi constanter adhæreas; vt, quod multo minus est, fateri me non sis præstiturus, sed intra breuissimum tempus, ante proximum scilicet huius noctis gallicinium non semel, sed ter, sis negaturus me tibi notum. NON CANTABIT GALLVS hac nocte, id est, non erit gallicinium. DONEC. ἕως οὗ vsquequo, quin NEGES. negaueris. *Qui mihi promittis mortem tuam, ter me negabis vitam tuam*, inquit Augustinus. Reliqua petenda sunt ex Matth. 26. v. 38.

* * * * * * *

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Hæc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. [1] Ταῦτα εἰπὼν ὁ ἰησοῦς, ἐξῆλθε σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν κέδρων, ὅπου ἦν κῆπος, εἰς ὃν εἰσῆλθεν αὐτὸς, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

HÆC CVM DIXISSET IESVS in itinere, antequam perueniret ad torrentem. EGRESSVS EST. id est, profectus est, transmisit torrentem. Non videtur vox *egressus* propriè accipienda, tamquam iam demum egressus sit domo aut ciuitate (nam suprà 14. v. 31. intelligendum datur, quòd domo egressus sit) sed impropriè, quod diximus, pro transgressus. Neque continuò vt dixerat superiora transgressus est torrentem, potuerunt enim alia quædã fuisse interposita, *quæ ab isto prætermissa, apud alios Euangelistas leguntur*, quod ait D. Augustinus. vide Matth. 26. v. 36. TORRENTEM. Torrens propriè fluuius est è pluuiis generatus, qui hyeme quidem fluat, æstate verò siccetur: qualis & hic fuisse dicitur. CEDRON. τῶν κέδρων cedrorum. Sed verisimile est, græcam hanc lectionem, etsi antiquam (vt quam disertè Nonnus sequutus sit) esse corruptam, vel addito articulo τῶν, vel mutato ex articulo singulari τοῦ: harũ enim altera fuit Interpretum Latini & Syri lectio, quæ, vel omiserit articulum, vel scripserit singularem τοῦ. Nusquam enim legitur torrens cedrorum, tamquam ab adnascentibus cedris sic dictus, quæ montibus magis gaudent quàm torrentibus aut vallibus: sed torrens Cedron frequens memoratur in veteri testamento, quod nomen hebraicum est, קדרון *Cedron* dictum, non à cedro, quę ea lingua ארז *erez* vocatur, sed à tenebris potiùs (interprete D. Hieronymo, vbi enarrat versum 40. capitis 31. Ieremiæ) nam קדר *cadar* hebraicè tenebrescere est: quamquam nomen est proprium, incertum vnde dictum, an ab vmbrositate loci, an ab aquarum nigredine, an à casu: quale illud *Cedar*, vnius ex nepotibus Abrahæ per filium Ismaëlem, (Gen. 25. v. 13.) & regionis quam ille coluit, quos à nigredine corporum volunt quidam sic nominatos. Est autem *Cedron*, nomen proprium torrentis illius, qui, inter ciuitatem Ierosolymorum & montem Oliuarum medius, intersecat *ge*, quod est vallem, *bennom*, quæ & vallis Iosaphat dicitur, & ab hoc ipso torrente vallis Cedron. 4. Reg. 23. v. 4. & lib. 6. de bello Iudaico cap. 3. Huius torrentis meminit Euãgelista, non solùm ob historiæ certitudinem, verumetiã ob mysterium, vt memineris, tum figuræ, quæ præcesserat in Dauide, qui in persecutione filij sui Absalom, egressus ciuitate Ierosolymorum, mœstus, transgressus est cum comitibus suis torrentem Cedron, quod scribitur 2. Reg. 15. v. 23., tum prophetię quæ legitur Psal. 109. v. 7: *De torrente in via bibet*. VBI. nimirum trans torrentem Cedron. HORTVS. arboribus consitus: pars prædij nuncupati Gethsemani, quod diximus Matth. 26. v. 36. IN QVEM INTROIVIT. Peccatum in horto primùm admissum, in horto cœpit expiari: *ad pristinum enim omnia recurrere oportebat*, quod ait Cyrillus. IPSE ET DISCIPVLI EIVS. nullâ turbâ quæ defendere posset comitatus. notat & hoc Cyrillus.

Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequẽter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. [2] ᾔδει δὲ καὶ ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, τὸν τόπον, ὅτι πολλάκις συνήχθη ὁ ἰησοῦς ἐκεῖ μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ.

SCIEBAT. ᾔδει nouerat. ET. etiam. IVDAS. Ne putes Iesum latebras quæritantem in hunc hortum fugisse, occupat Iohannes, non solùm non latebras quæsisse, verumetiam in eum se locum recepisse, quo optimè posset inueniri, vtpote familiarem sibi, ac proinde ad mortem vltrò properasse, postquam iam venerat hora eius. *Etenim in horto tamquam in carcere commoratur*, ait Chrysostomus: vt, quod Theophylactus addit, *laborem minuat Iudæis se quærentibus*. Nam vt erat nox intempesta, ita nisi consueto loco inueniri haud facilè potuisset. QVI TRADEBAT. prodebat EVM. qui prodendo eo iam erat occupatus. ὁ παραδιδοὺς participium loco nominis *proditor*. LOCVM. τὸν τόπον eum locum, ita vt dubitare non posset, quin Iesus eo loco esset, postquam domo Ierosolymitana exisset. Sciebat Iudas Iesum illic esse quærendum: sciebat & Iesus se illic à Iuda Iudæisque quærendum. FREQVENTER. certè quotidie, à solemni suo in Ierusalem ingressu. Luc. 21. v. 37: *Noctibus verò exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliueti*. CONVENERAT ILLVC noctu, orandi causâ: quâ causâ, *solitaria loca & silentij officinas quærere solebat*, quod ait Theophylactus. Lucas cap.

cap.22.v.39: *Et egressus ibat*, inquit, *secundùm consuetudinem in montem Oliuarum*; hunc hortum intelligens, ad montem Oliuatum situm. Impius & ingratus Iudas, qui Iesum eo loco quærit vt comprehendat, quo, & nouit eum orare, & didicit ab eo orare. Reliqua lege Matth. 26. v.36.

ὁ οὖν ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν, καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ φαρισαίων ὑπηρέτας, ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων καὶ ὅπλων.

3 Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à pontificibus & pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis.

Matth.26. v.47. Marc.14. v.43. Luc.22. v.47.

IVDAS ERGO. ὁ οὖν ἰούδας ille ergo Iudas. CVM ACCEPISSET s. à Præside concessam, rogatu, non quidem ipsius Iudæ, sed principú Iudæorum: rogarant enim principes interdiu à Præside auxilium cohortis, præmoniti à Iuda opportunitatis tradendi, quæ foret nocte proxima. Quamuis autem cohors, nec sine concessione Præsidis Pilati, nec sine proprio suo tribuno, militarem hanc expeditionem aggressa sit: Iudas tamen eam accepisse dicitur, eò quòd ipse susceperat ducendum exercitú quò oporteret, req; ipsa se ducem præstaret. COHORTEM prætoriam militum Romanorum. vide Matth.27. v.27. Hanc iudicarunt Iudas & Iudæorum principes assumendam, ne fortè populus Iesu fauens, qui plurimus hoc tempore Ierosolymis agebat, vel impediret ne Iesus caperetur, vel captum liberaret, absterritus partim multitudine capientium, partim auctoritate non tantùm principú suorum, verumetiam Cæsaris, cuius erant hi milites. Impetrarunt igitur principes à Præside cohortem, prætextu comprehendendi hominis alicuius seditiosi, promissa militibus pecunia, pro opera quam ad hoc essent nauaturi: *militaris enim ordo, auri mancipium est*, inquit Theophylactus, *militares viri mercede omnia audent*, Chrysostomus ait. Quæ deinde cohors, si non tota, maiore certè ex parte, egressa cú capite suo, tribuno (id enim manifestum est ex v.12.) à principibus data, & à Iuda accepta est, in subsidium comprehendendi Iesu. Pleraque omnia hæc annotata sunt à D. Augustino his verbis. *Cohors non Iudæorum, sed militum fuit: à Præside itaque intelligatur accepta, tamquam ad tenendum reum, seruato ordine legitimæ potestatis, vt nullus tenentibus auderet obsistere: quamquam & manus tanta fuerit congregata, & sic armata veniebat, vt vel terreret, vel etiam repugnaret, si quisquam Christum defendere auderet*. hæc Augustinus. ET A. καὶ ἐκ. ponitur ἐκ pro ἀπὸ seu παρὰ. PONTIFICIBVS. τῶν ἀρχιερέων *principibus sacerdotum* vertit secundùm alios Euangelistas. PHARISÆIS. Istos alij nominant scribas & seniores populi: hi enim vt ferè erant Pharisæi, ita & præcipui inter Pharisæos. MINISTROS, eos quorum illi vtebantur ministerio, tum in publicis tum in priuatis negotiis. Non solis militibus ethnicis confisi sunt Iudas & Iudæorum principes, sed suos etiam ministros principes adiunxerunt, vt quibus amplius foret cordi mandatum dominorum suorum, non ignorantibus quanto illi desiderio & cura cuperent comprehensum Iesum. VENIT præsens est ex ἔρχεται. ILLVC. in hortum.

CVM LATERNIS. cum lumine laternis incluso, ne à vento extingueretur. FACIBVS. lumine aperto, ex accensis fustibus funibusque, cera aut oleo inunctis. Græcè est λαμπάδων, qua voce vtitur & Syrus, quæ generalior cùm sit, luminum nomine verti possit. Quia nox erat, lumen attulit Iudas (Iudæ enim omnia tribuuntur, tamquam auctori & duci) nam etsi plenilunium erat, ita vt luna tota nocte splendere potuerit, tamen quo certiùs, commilitones, & euitarent viæ offendicula insidiasque, & viderent sese mutuò quid agerent, denique dignoscerent Iesum, &, si fortè in latebras fugeret, aut inter alios se occultaret, etiam quærerent, noluit lumen exercitui deesse. ARMIS. gladiis & lignis, siue fustibus, exponit Matthæus, ex quo reliqua petenda sunt.

ἰησοῦς οὖν εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν, ἐξελθὼν εἶπεν αὐτοῖς, τίνα ζητεῖτε;

4 Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis?

ITAQVE. οὖν igitur. Syrus ܕܝܢ *den* autem. SCIENS. quamuis non ignoraret, immo certò sciret. Consultò hoc addidit Euangelista, ne quis putaret Christum imprudentem in manus hostium incidisse. QVÆ VENTVRA ERANT. τὰ ἐρχόμενα *venientia* potest etiam verti præsenti tempore, agitur enim de malis iam aduentantibus & appropinquantibus. SVPER EVM. aduersus se. Sciebat Iudam vnà cum hostili exercitu appropinquare ad se comprehendendum, & omnia quæ dehinc consequutura essent certò prænouerat, quippe Dei filius, cuius oculis omnia nuda sunt & aperta (Heb.4.v.13.) tam futura quàm præsentia: quod quamuis ita esset, tamen PROCESSIT obuiam ET DIXIT. ἐξελθὼν εἶπεν egressus (s. horto) dixit EIS, turbæ scilicet, cóstanti cohorte militum & pontificum ac pharisæorum ministris Non exspectauit illorum aduentum, sed iuit eis obuiam, & vltrò percontatus est eos priorque alloquutus. QVEM HIC QVÆRITIS comphrehendendum, quandoquidem huc aduenеritis tantâ multitudine tantis armis ac telis instructâ? Rogat quod probè nouerat, vt occasionem habeat opportunam faciendi quæ decreuerat & prosternendi scilicet eos, & eis se deinde tradendi. Anteà Iudas obuium fuerat osculatus, dans exercitui condictum signum aduolandi & manus in Iesum iniiciendi (Matth.26.v.48.49.) verùm frustrans Iesus omnipotentiâ suâ signú à Iuda constitutum, effecit vt non magis accurreret exercitus, quàm si signum datum non fuisset, haud permittens fortasse vt signum videret exercitus, quantumuis propinquus. Ne enim ex inopinato capi videretur, noluit ad proditoris signum capi. Itaque cùm exercitus staret immotus, relicto Iuda adiit Iesus ipsum exercitum, & rogauit intrepidus quem quærerent, quod diximus, quasi lacessens eos: his omnibus intelligendum dans, se, præscium, scientem, volentem, spontaneum, promtissimo denique animo, ad mortem accedere.

ἀπεκρίθησαν αὐτῷ, ἰησοῦν τὸν ναζω-

5 Responderunt ei: Iesum Nazarenum.

renum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis.

ραῖον. λέγει αὐτοῖς ὁ ἰησοῦς, ἐγώ εἰμι. εἱστήκει δὲ καὶ ἰούδας, ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, μετ᾽ αὐτῶν.

IESVM NAZARENVM quærimus. ita vulgò vocabatur Dominus. Ex eo quod respondent *Iesum Nazarenum*, & non *te ipsum* quærimus, intelligitur, quòd Iesum præsentem & alloquentem, adeoque & facibus & lucernis & Iudæ osculo demõstratum, non nouerint, quamuis non ignotus & facie & loquela esset compluribus eorum, præsertim ministris pontificum & pharisæorum. percussit enim eos Dominus cæcitate, quali Sodomitas Gen. 19. v. 11. ita vt videntes alia ipsum Dominum non viderent. quam D. Augustinus ἀορασίαν vocat, de qua latiùs egimus Luc. 24. v. 16. *Vides vim insuperabilem*, inquit Chrysostomus, *quomodo in medio eorũ existens eos cæcauit*: & Cyrillus: *Potestas ergo diuina Christi enituit, qui quamuis se quærentibus offerret, minime tamen cognoscebatur.* EGO SVM Iesus Nazarenus. QVI TRADEBAT. prodebat EVM. proditor. Prodidit Iesum Iudas, potiùs quàm tradidit, quantumuis tradere conatus sit: tradidit autem propriè Iesus semetipse. CVM IPSIS ministris & cohorte. Sperauerat Iudas se posse tradere Iesum osculo, interea enim dum ipse osculum præberet, aduolaturos satellites, & ex ipsius quasi manibus accepturos Iesum, ipso interim clanculum in mediam turbam se subducente. Frustratus ea spe, dum vidit satellites suo loco manere immotos, anxius ob manifestatam citra effectum proditionis suæ perfidiam, non recurrit ad discipulos Iesu, à quibus defecerat, sed retrocedit ad hostes, quos eò duxerat, & à quibus defendendum se aduersus Iesum, si opus esset, confidebat. Stabat itaque cum ipsis: quod quidem addit Euangelista, vt intelligatur & ipse Iudas retroactus in terram cecidisse, quod de illis dicitur versu subsequenti.

6 Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderũt in terrã.

ὡς οὖν εἶπεν αὐτοῖς, ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαί.

ABIERVNT RETRORSVM. repulsi sunt in tergum. IN TERRAM. χαμαί humi. ceciderunt supini in terram, tamquam acti turbine ex aduerso Iesu ore flante. *Omnes illi bellatores clypeati*, inquit Nonnus poëta, *super se inuicem sponte cadentes, prosternebantur in puluerem præcipites; stimulati inermi turbine vocis.* Blandè respondet, se eum esse quem quærunt: nec secus ac violento turbinis impetu, immo ictu fulminis, prosternuntur in terram: eoque responso quo prouocari ad comprehendendum videbãtur, impediuntur & deiiciuntur, non ferentes dominicæ vocis vim, nec valentes coram agnito consistere, quin *auerterentur retrorsum & confunderentur, & fierent tamquam puluis ante faciem venti* (Psal. 34. v. 5. immò *sicut fluit cera à facie ignis, sic perirent a facie Dei* (Psal. 67. v. 3.) *Deus enim latebat in carne*, quod ait Augustinus hunc locum tractans. vbi & exclamat: *Vbi nunc militum cohors, & ministri principum ac pharisæorum? Vbi terror & munimen armorum? Nempe vna vox dicentis ego sum, tantam turbam odiis ferocem armisque terribilem, sine telo vllo percussit, repulit, strauit.* Contra faces, se exhibuit Iesus incognitum; contra arma vno omnes verbo prostauit, idque tantâ potentiâ, vt nec dorsum vertere hostes, siue ad fugam siue ad casum, valuerint, sed retrorsum abeuntes supini ciderint. Quod quidem ita voluit Iesus, vt clariùs intelligerent eam virtutem ab ipso profectam, scirent virtute Iesu fieri vt prosternerẽtur. Nam si antrorsum acti, proni cecidissent in terram; vt ex opposito Iesu, ita aliunde quàm à Iesu, videri potuisset ea vis egressa. Nunc verò casu ipso demonstratum est, quòd ante se stantem & colloquentem Dominum sustinere non potuerint, quòd ipse Iesus, verbo & spiritu oris sui, armatam ferocientemque cohortem deiecerit: quo quidem declarauit ipse, nõ solùm eos non posse resistere ipsius viribus, si eis vti vellet, sed ne sustinere quidem nomen ipsius, ac proinde nihil eos quantumuis multos aduersus se posse, nisi ipse permittat. Denique non tantùm docuit, suppetere sibi potestatem ad perdendos hostes: verumetiam nomen illud sacro sanctum, Mosi è rubo indicatum. *Ego sum qui sum* (Exo. 3. v. 14.) cum Deo sibi esse commune. Quòd ergo se ab hostibus capi tandem & comprehendi permisit, fuit prorsus non ideò quòd defuerit resistendi potestas, sed ideò solummodo quòd Patri obedire voluerit vsque ad mortem, mortem autem crucis (Phil. 2. v. 8.) *Imago autem*, ait Cyrillus, *casus ille fuit, omnium qui Christo aduersantur, quibus omnino terribilis casus imminet.*

7 Iterùm ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum.

πάλιν οὖν αὐτοὺς ἐπηρώτησε, τίνα ζητεῖτε; οἱ δὲ εἶπον, ἰησοῦν τὸν ναζωραῖον.

EOS. permissos surgere à casu. Credendum est tamdiu eos iacuisse, quàm opus erat, vt eius quem comprehendendum quærebant, potentiam valerent agnoscere: deinde verò, eâdem Christi virtute quâ ceciderant solutos metu, permissos surgere. QVEM QVÆRITIS. verisimile est, etiam à lapsu erectos, habuisse se quærentium more, adeoque ob ignominiam furentium. DIXERVNT. repetiuerunt obstinatè, vt erant obdurati, & nec eo quidem miraculo, quo experti fuerant, penes Iesum esse, vt vno ipsos omnes verbo perderet, ad resipiscentiam commoti. Clarum exemplum quo ostendatur, ad conuertendos impios, non sufficere etiam manifestissima miracula in ipsosmet edita, nisi concurrat interna Dei operatio & gratia.

IESVM NAZARENVM. Quamquam iam nossent Iesum ex propria confessione, necdum tamen respondent *te quærimus*, verùm vt anteà *Iesum Nazarenum*; quòd nollent superbi fateri se à Iesu fuisse prostratos, etsi dubitare non possent se ab interrogante prostratos fuisse.

8 Respondit Iesus: dixi vobis, quia

ἀπεκρίθη ἰησοῦς· εἶπον ὑμῖν, ὅτι ἐγώ

ἐγώ εἰμι· εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε, ἄφετε τούτους ὑπάγειν.

ego ſum : ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.

RESPONDIT IESVS conſtans & imperterritus. DIXI VOBIS. Iam dixi vobis, QVIA quòd EGO SVM Ieſus Nazarenus. Tacitam continet reſponſio hæc exprobrationem (Cyrillo etiam annotante) quòd non iam anteà inieciſſent in eum manus, confitentem ſe Ieſum eſſe Nazarenum: ſignificatque, id nunc fieri, non viribus ipſorum, aut imbecillitate ſua, ſed quia ipſe permittat, cui in manu ſit prohibere. SI ERGO ME QVÆRITIS comprehendendum. SINITE. permitto vt me comprehendatis, ſed ſolum; in me vnum facio vobis poteſtatem: præcipio autem vt ſinatis, hos apoſtolos meos, ABIRE. *Si nunquam ſe ab eis permitteret apprehendi*, inquit Auguſtinus, *non quidem illi facerent propter quod venerant, ſed nec ipſe faceret propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quærebant ſæuiendo, ſed quærebat & ipſe nos* redimendos *moriendo*. Se itaque permiſit capi, ſed minimè apoſtolos: hos non tantùm non permiſit capi, verumetiam diſertis verbis vetuit ne caperentur: præcepit inimicis vt ſinerent eos *abire* liberos & illæſos. Cùm maxima eſſent multitudine, facile eis fuiſſet & vndecim apoſtolos comprehēdere captiuoſque abducere: nec ab ea re alienos fuiſſe credibile eſt, præſertim cùm Petrus ſtrennuè rebellarit, adeoque vnum ex pontificis miniſtris vulnerarit: immo verò hæc Ieſu verba non obſcurè id dant intelligendum, ſicut etiam exemplum adoleſcentis illius Marc. 14. v. 51. Nam & ſolent, cum ducibus criminum, ſocij comprehendi: ita vt veriſimile ſit, mandatum eis fuiſſe, vt Ieſum quidem ante omnia, diſcipulorum tamen etiam ſi quos poſſent vnà comprehenderent. Sed prohibiti fuere, eodem illo imperio dominico, quo mox fuerant proſtrati. Præcepit eis, ſiue potiùs effecit (nulla enim hîc fuit laude digna obedientia) *vt ſinerent abire, quos nolebat perire*, ait Auguſtinus. Huius igitur imperij virtute factum eſt, vt nec Petrum poſteà in medio ſui deprehenſum, nec Iohannem iuxta crucem ſtantem, nec quemquam Apoſtolorum ceperint, ante aduentum Spiritus ſancti. Cauſa huius dominicæ diſpenſationis triplex ferè fuit. Vna, quòd noſſet Ieſus, ad ſe ſolum, certamen hoc opuſque ſalutis humanæ morte procurandæ, pertinere, tamquam *vnicum Dei & hominum mediatorem* (1. Tim. 2. v. 5.) *quem ſolum propoſuerit Deus propitiationem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ* (Rom. 3. v. 25.) Nam & prophetia, quæ ex Caïphæ ore ſonuerat, habebat: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo* (Iohan. 11. v. 50.) Hanc cauſam pluribus exponit Cyrillus, præſertim verò his verbis: *Semouit à periculo illo diſcipulos, non ignorans ad ſe ſolum certamen illud & opus ſalutis noſtræ pertinere: regnantis enim & non ſeruientis naturæ opus eſt*. Altera cauſa, quia hos elegerat, erudierat & formauerat hactenus, vt à morte ipſius, ferrent viuum teſtimonium virtutis & veritatis ipſius, & euangelium per orbem terrarum promulgarent. Non priùs ergo voluit illos vita defungi, quàm miniſterium illud obiiſſent & præſtitiſſent. Poſtrema cauſa, quòd Apoſtolos à periculo ſemouerit, nec cohorti poteſtatem fecerit capiendi illos ſecum, fuit, immenſus amor quo eos proſequebatur, quo factum eſt, vt nec in propria afflictione eos neglexerit, ſed, vt bonum paſtorem decet, nihil obſtantibus extremis periculis ſuis, curam ſalutis eorum, & quod ad corpus & quod ad animam, geſſerit. Duas poſteriores cauſas indicat Euangeliſta verſu ſubſequente.

ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὃν εἶπεν, ὅτι οὓς δέδωκάς μοι, οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα. 9

Vt impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam. *Sup. 17. v. 12.*

VT IMPLERETVR. Præcepit hoc Ieſus cohorti hoſtibuſque ſuis, ait Euangeliſta, *vt impleretur*, id eſt, ne fruſtraretur, ne irritus redderetur, ne falſi conuinceretur. Chriſti verba, prophetarum verbis, non minùs, ne dicam magis, certa ſunt. QVEM DIXIT. quem paulò antè in itinere, audientibus diſcipulis orans, dixerat ad patrem. Reſpicit enim Euangeliſta ad locum capitis præcedentis verſu 12. QVIA. ſupereſt ſenſui.

QVOS DEDISTI MIHI diſcipulos peculiares & familiares, Apoſtolos inquam, futuros præcones tuæ ac meæ gloriæ. NON PERDIDI. ſuprà 17. v. 12. ait: *Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis periit. Cuſtodiui*, inquit, quamdiu ſcilicet cum eis fui. Iam autem comprehendendus adhuc erat cum eis, quamquam diſceſſum proximè vrgeret. *Et nemo ex eis periit. Neminem ex eis perdidi*, quod hîc dicit, *tantumdem ſignificat ſicut Nemo ex ipſis periit* (inquit Euthymius) quod illic dixerat. Senſus eſt, quamdiu corpore ipſis adfui, tantam curam eorum geſſi, quantâ factum eſt vt nullus eorum perierit. Iam quæritur an de corporis, an verò de animæ perditione, locutus fuerit Ieſus: ego puto de vtriúſuis perditione locutum fuiſſe, velleque dicere, ſe, quamdiu inter mortales mortalis fuit, eos ſeruaſſe, ne perirent, ſiue anima, quia eos diligebat, ſiue corpore, quia miniſterio eorum à ſua morte opus habebat. Adferēs igitur Euangeliſta hunc Domini ſermonem, tamquam cauſam, cur non permiſerit Apoſtolos ſuos ſecum comprehendi, intelligendum dat, ſi Dominus id permiſiſſet, illos & corpore & anima fuiſſe perituros; corpore, quia interfecti fuiſſent; anima, quia eiuſmodi erat tunc temporis animi eorum conſtitutio atque imbecillitas, vt ad euadendum mortem, negaſſent Chriſtum vitam (quemadmodum paulò pòſt fecit Petrus) ac proinde feciſſent animæ iacturam, & quidem æternam atque irrecuperabilem, omni ſalutis ſpe, hoſte non parcente, per mortem excluſa. Quocirca etiam factum eſt, vt non priùs Ieſus permiſerit Apoſtolos ſuos periculis mortis exponi, quàm poſt mortem ipſius, accepto Spiritu ſancto, & teſtimonium perhibuiſſent apud mundum ipſi Ieſu Chriſto Filio Dei viui, ad quod dati fuerant ipſi à Patre, & redditi eſſent ita conſtantes, vt mortem Ieſu cauſâ obire non formidarent.

σίμων οὖν πέτρος ἔχων μάχαιραν, εἵλκυσεν αὐτὴν, καὶ ἔπαισε τὸν τοῦ ἀρχιε- 10

Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum: & percuſſit pontificis *Matth. 26. v. 51. Marc. 14. v. 47. Luc. 22. v. 50.*

tificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. erat autem nomen seruo Malchus. | ρέως δοῦλον, καὶ ἀπέκοψεν αὐτοῦ τὸ ὠτίον τὸ δεξιόν. ἦν δὲ ὄνομα τῷ δούλῳ μάλχος.

SIMON ERGO audiens quòd Iesus se ipse traderet hostibus accurrentibus, non contentus quòd sibi consultum abs Iesu esset, vt posset ipse cum condiscipulis abire incolumis, impedire voluit ne præceptor charissimus caperetur, *fretus his quæ facta sunt*, ait Chrysostomus, id est, superiori illa hostium prostratione opinioneque quam de Iesu potentia non frustrà conceperat animo. HABENS. cùm haberet, siue fortuitò, siue studiosè. PONTIFICIS. τῶ ἀρχιερέως *principis sacerdotum* secundùm Matthæum & Lucam, *summi sacerdotis* secundùm Marcum vertit Interpres. Pro vno eodemque igitur habenda sunt tria hæc. MALCHVS. Nomen exprimit, *vt legentes tunc*, inquit Chrysostomus, *possent diligentius inquirere an ita se res habuisset*. Rem enim certam & personarum notatione cùm opus fuerit docendam, nominis appellatio ostendit. Reliqua enarrata sunt secundùm alios Euangelistas, locis ad marginem pro more laudatis.

Matth. 26. v. 52.

Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuū in vaginam. calicem quē dedit mihi Pater non bibam illum? [11] | εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς τῷ πέτρῳ· βάλε τὴν μάχαιράν σου εἰς τὴν θήκην. τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, οὐ μὴ πίω αὐτό;

MITTE. pro immitte. CALICEM conditionem subeundæ passionis ac mortis. Quemadmodum paterfamilias cibum & potum filiis domesticisque suis distribuit: ita hoc iuris in nos habet Deus, vt singulos tractet prout visum est. Siue autem prosperis rebus nos exhilarat, siue aduersis humiliat, propinare dicitur suauem vel amarum potum. Christo hæc destinata erat potio vt mortem crucis pro mundi reconciliatione obiret. Dicit ergo bibendum sibi esse calicem, quem pater admensus iam porrigit. vide Matth. 20. v. 22.

DEDIT. olim decreuit assignauitque, & iam nunc propinat. PATER meus cælestis. NON BIBAM ILLVM? *Illum* superest ex idiomate hebraico. detrectabo ne illum bibere, aut tu impedies ne bibam? q.d. absit, immo verò maximè cupio bibere, & bibam illum, *tamquam eadem volens quæ pater*, ait Euthymius; Festino supplicia mortemque à Patre mihi decreta subire, præ eo quo flagro desiderio obediendi paternæ voluntati. Non enim attendo quid isti aduersum me agant & faciant, sed attendo voluntatem Patris, qui vult salutis humanæ calicem à me bibi, mihi quidem acerbum quod ad sensum, verùm gratissimum quod ad animum & voluntatem meam erga Patrem, & suauissimum omnibus aliis, cum quibus calicis huius à me ebibiti virtus communicata fuerit. Iam si ferro dimicetur aduersus hos qui in me furiosi sunt, voluntati Patris resistitur, qui mihi bibendum hunc calicem præbet. Scito igitur hoc esse ex diuino consilio ac decreto, vt malitia istorum & rabies permittatur in me sæuire ad tempus, propter publicam salutem. Quare ego, non tam considerans quid isti agant, quàm quid velit Pater, cùm hæc istis agere permittit, non me ipsis oppono, quod facilè possum, sed sponte me ipsis trado. Nec te igitur oportet armis agere, vt impediatur horum in me impetus, nisi velis Patris resistere voluntati, cui compertæ & agnitæ nemo potest absque graui offensa conari resistere. Petrus ergo considerabat Iudæos aduersarios, Iesus autem Patrem ita volentem: quare ille pugnabat, hic tolerabat: quæcumque enim passus est Iesus, non tamquam ab hominibus, sed tamquam à Patre inflicta, est passus: non quòd Pater voluerit vt Iudæi mortem inferrent Christo, sed quòd voluerit, vt Christus, mortem, quam Iudæi allaturi essent, æquanimiter ferret, & hac ratione redimeret humanum genus. Ostendit igitur, quòd caperetur, non hostium potentiæ aut suæ infirmitati adscribendum esse, *sed permissioni suæ*, quod ait Chrysostomus, & obedientiæ quam deberet patri, increpans Petrum, quòd zelo minùs prudenti diuinam ordinationem niteretur reddere irritam. Subiuncta porrò videntur verba hæc à Iohanne recensita *Calicem quem dedit* &c., iis quæ Matthæus recitat *Quomodo ergo implebuntur* &c. tamquam eodem pertinentia. Nam quòd Christo filio Deus Pater calicem hunc assignarat, iam anteà per Scripturas fuerat declaratum. Hic ordo probatur & D. Augustino lib. 3. de cons. Euang. cap. 5.

Matth. 26. v. 50. Marc. 14. v. 46. Luc. 22. v. 54.

Cohors ergo & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, [12] | ἡ οὖν σπεῖρα καὶ ὁ χιλίαρχος, καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν ἰουδαίων συνέλαβον τὸν ἰησοῦν, καὶ ἔδησαν αὐτὸν,

COHORS ERGO. postquam Iesus se ipse indicauerat & tradiderat, represso etiam Petro impedire conante. TRIBVNVS cohortis. ὁ χιλίαρχος præfectus mille, qua græca voce vtitur & Syrus. cohors enim mille pauloque plures milites complectebatur, vt alibi diximus. Cohortem, si non vniuersam, at maiori ex parte, hîc adfuisse, intelligere ex eo licet, quòd proprius cohortis dux adfuerit. Certè Chrysostomus Matth. 26. v. 53. à nobis citatus, mille viros hîc adfuisse intelligit. COMPREHENDERVNT sponte se præbentem.

LIGAVERVNT EVM. vinxerunt manus eius & corpus funibus, manibus post tergum retortis. Non satis habuerunt brachiis eum tenere, & satellitio vndique sepire, nisi etiam vincirent & vinculorum extrema suis manibus retinerent, partim vt cautè eum ducerent, sicut præmonuerat Iudas, partim vt maiore ipsum opprobrio afficerent, tamquam hominem sceleratum morteque dignum. Quàm crudeliter autem ligauerint, intelligere licet, primùm ex eo quòd haberent eum pro homine sceleratissimo & Reip. maximè pernicioso, quemadmodum à principibus persuasi fuerant, deinde quòd vlcisci haud dubium voluerint prostrationem quam passi fuerant, & moram quam pluribus modis Iesus ipsis iniecerat, denique quòd placere voluerint principibus præsentibus, quibus nouerant quàm grata foret exercita in Iesum crudelitas. Cæterùm minùs Iesus constringendus fuerat horum vinculis, quàm Samson funibus Dalilæ (Iud. 16. v. 5.) nisi ipse ita voluisset. Ipse dura funium vincula admisit, vt nostrorum infelicia solueret vincula peccatorum, permittens

vt ma-

vt manus illæ ligarentur,quibus tot genera ſoluerat morborum,ſingularis erga nos amoris argumēto etiam hoc dedecoris pati volens, vt pro peccatis noſtris cumulatiſſimè ſatisfaceret. vide Matth.27. v.2.

Καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς ἄνναν πρῶτον· ἦν γὰρ πενθερὸς τοῦ καϊάφα, ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου.	13	& adduxerunt eum ad Annam primùm:erat enim ſocer Caïphæ,qui erat pontifex anni illius.

ADDVXERVNT. ἀπήγαγον abduxerunt ſ. cohors,tribunus,& miniſtri. AD ANNAM Non ex profeſſo ad Annam duxerūt Ieſum, quaſi ille foret proprius per ſe iudex Ieſu,(à Caïpha enim,& ſynedrio domi Caïphæ congregato, amandati ; Matth. 26. v.47.57.; nouerant ad eoſdem ſibi redeundum eſſe,quamquam Annas totius ſynedrij poſt Caipham facilè princeps eſſet) ſed ex occaſione, quòd (vt veriſimile eſt, multis ex D. Auguſtino id annotantibus) domus Annæ occurreret in itinere quo pergebant domum Caïphæ (certè vtriuſque domus, in monte Sion , id eſt, in ſuperiori ciuitate, ſita fuiſſe creditur) itaque præterire nollent, præſertim principes qui aderant, & principum miniſtri (inter quos credibile eſt fuiſſe aliquos etiam ipſius Annæ miniſtros) quin honoris gratia oſtentarent Annæ Ieſum communem hoſtem captiuum , oculoſque illius optato ſpectaculo paſcerent, *quaſi triumphum ducentes*, quod ait Chryſoſtomus, *& præ voluptate hac de re glorıantes,tamquam de trophæo conſtituto*(quod habet Euthymius) laudem adhæc,congratulationem,& præmia ab Anna ſperantes, denique reipſa admonentes eum vt domum generi placeret redire , perficiendi , cum reliquo concilio illic congregato,negotij maximi huc vſque perducti cauſa. Quocirca, cùm ſingulare nihil domi Annæ geſtum ſit, cæteri quidem Euangeliſtæ , nulla Annæ mentione facta , perinde narrarunt, ac ſi Ieſus rectà ad Caipham pontificem pertractus fuiſſet: Iohannes verò,præ diligētiæ ſtudio,omittere noluit, Ieſum ad Annam priùs ductum fuiſſe,vt inter cæteras contumelias, quas æquanimiter pro nobis tulit,generoſus Domini noſtri animus, etiam hanc nobis proponeret contemplandam , quod apud varios magnates triumphatum de ipſo præſente ſit, vt de hoſte capto & ſubiugato . Cyrillus ſcribens in hunc locum,intelligit, ideò Ieſum ad Annam ductum fuiſſe, quòd ille Iudæ proditori pactam mercedem promiſiſſet : quam proinde iam quoque ſoluerit . fieri id poſſit,hac ipſa enim nocte ſoluta fuit, quam Iudas manè ſubſequente retulit (Matth. 27. v.3.) nec tamen in domo Caïphæ ſoluta fuit , nam ſi Iudas Ieſum in domum Caïphæ ſequutus fuiſſet, numquam auſus fuiſſet Petrus in atrium Caiphæ introire veritus ne à Iuda proderetur: vt nec poſteà cùm Petrus tentaretur, Iudas adfuit: nam ſi adfuiſſet ille,omnino prodidiſſet Petrum. PRIMVM. id eſt, priùs quàm ad Caïpham. ERAT ENIM SOCER CAIPHÆ. duxerat Caïphas filiam Annæ vxorem. Hanc cauſam addit Euangeliſta, cur Ieſum duxerint ad Annam primùm, quia ſocer erat Caïphæ, quem Caiphas plurimi faciebat , *& quaſi Patrem honorabat* , inquit Euthymius , *propter affinitatem* , ex eius conſilio gerens omnia, ac proinde nouerant id ipſi Caïphæ gratum fore. D. Auguſtinus amplius intelligit, hoc ipſum Caipham fieri voluiſſe; quod neque ipſum improbabile eſt,præmonuiſſe Caipham, vt ſiquidem Ieſum captiuum adducerent, non præterirent domum ſoceri, quin illum ipſi repræſentarent, & facto ipſo reuocarent eum ad concilium,ex quo ob noctis importunitatem diſceſſerat. PONTIFEX. ſummus omnium ſacerdos. ANNI ILLIVS . Non hoc dicit Euangeliſta eò quòd ſingulis annis ſummus pontifex mutaretur , aut eò quòd Annas & Caiphas alternis annis pontificatum gererent, prout multi intelligunt (iam enim pluribus annis continuis, & quidem iis omnibus quibus Chriſtus prædicarat Caiphas pontificatu functus fuerat) ſed quòd ſæpè mutaretur ſummus pontifex, aliquando in ſingulos annos, ita vt plures alij ſupereſſent qui ſummi pontifices & ipſi fuiſſent, nominatim Annas,& incertum eſſet an anno proximo Caiphas pontifex eſſet permanſurus : quamquam hoc habuerit Pilatus, præter morem aliorum, vt quamdiu ipſe præſes Iudææ fuit, Caipham pontificem quem inuenerat numquam mutauerit . vide Luc.3. v.2. Quaſi igitur dicit Euangeliſta : Fuerat quidem Ieſus primùm adducendus ad Caipham, qui erat Pontifex anni illius : ſed quia Annas , qui & ipſe aliquando pontifex fuerat (erat enim pontificatus quaſi annuum munus) erat ſocer Caiphæ, ac proinde pater eius, ætate, affinitate,dignitate, conſilio,qui non minori quàm Caiphas ipſe auctoritate inter Iudæos polleret,nouerant Caiphæ non ingratum fore,etiamſi Ieſus captiuus, illi priùs quàm ſibi,repræſentatus fuiſſet, vel vt hac ratione Annas ad ſynedrium reuocaretur.

Ἦν δὲ καϊάφας, ὁ συμβουλεύσας τοῖς ἰουδαίοις, ὅτι συμφέρει ἕνα ἄνθρωπον ἀπολέσθαι ὑπὲρ τοῦ λαοῦ.	14	Erat autem Caïphas, qui conſilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo.

Sup. 11. v. 49. Matth. 26. v. 57. Marc. 14. v. 53. Luc. 22. v. 54.

ERAT AVTEM CAIPHAS . ſupple , ad quem deinde tamquam pontificem mox miſit Annas Ieſum ſibi repræſentatum, promittens ſe breuî ſubſequuturum. Euangeliſta enim pergens hærenſque in deſcriptione Caïphæ , poſtquam obiter conciſeque Annæ mentionem feciſſet , dat intelligendum , Ieſum mox deinde ductum ab Anna ad Caïpham . Tacitam enim tranſitionem obſeruare hîc licet, præſertim cùm ea quæ ſequuntur omnia , non tantùm priores Euangeliſtæ , Matthæus in domo Caïphæ , Marcus & Lucas in domo pōtificis,nulla facta Annæ mentione,accidiſſe ſcribant,verumetiam Iohannes ipſe deinde omnia quæ ſubiungit attribuat pontifici,Caiphæ proculdubio,quem mox pontificem eſſe dixerat: Annam enim non pontificem, ſed pontificis ſocerum vocauerat : vt certè ſummus pontifex intelligi conſueuit, quoties ſingulari numero pontifex nominatur . vide Matth.26.v.3. QVI . ille qui. CONSILIVM DEDERAT. actus prophetico Spiritu. IVDÆIS. Iudæorum principibus reliquis, inter ſe conſultantibus quid faciendum eſſet de Ieſu. QVIA EXPEDIT.quòd expediret. VNVM HOMINEM Ieſum MORI PRO POPVLO toto,ne tota gens periret,id eſt,vt reliquus populus omnis ſeruaretur;vt vnius hominis morte,totius populi ſalus redimeretur. Repetit id & inculcat Euangeliſta, ſuprà 11. v.50. abundè narratum , non tantùm vt declaret Caïphę Iudicis odiū erga Ieſum,quo iamdiu antè definierat morte afficiendum eſſe,quantum vt nos,

quicumque legimus passionem Iesu, semper hoc præ oculis habeamus, quòd ipse non pro se, sed pro aliorum salute innocens passus sit, & supplicia mortemque nobis debita luerit, itaque tollatur à nobis crucis scandalum, inque eius locum succedat philanthropiæ Filij Dei admiratio ac redamatio. Quare Chrysostomus, *Ne vinculorum, inquit, mentione auditor perturbaretur, id meminit, quoniam salus orbis terrarum eius mors esset.* Chrysostomum Euthymius sequutus est.

Matth. 26. v. 58. Marc. 14. v. 54. Luc. 22. v. 54.

Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis:

15 ἠκολούθει δὲ τῷ Ἰησοῦ Σίμων Πέτρος, καὶ ὁ ἄλλος μαθητής. ὁ δὲ μαθητὴς ἐκεῖνος ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ, καὶ συνεισῆλθε τῷ Ἰησοῦ εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως.

IESVM. cùm duceretur domum Caiphæ pontificis. ET ALIVS quidam DISCIPVLVS Iesu. Syrus vertit: *Et vnus ex discipulis alius.* Omnes credentes in Iesum, discipuli vocati fuere, donec Antiochiæ cœpit appellatio Christiani. Act. 11. v. 26. ERAT NOTVS PONTIFICI Caiphæ, frequentans domum illius, nec ingratus: ET hac ratione INTROIVIT id est permissus est introire, vel, *&* hac notitia fretus, ausus est *introire*. Non fortitudinis id fuit aut constantiæ, quòd introiuit, quasi defendendi Iesu causâ introierit, sed quia *notus erat pontifici*, confisus est nihil mali sibi posse euenire. CVM IESV. vnà cum Iesu captiuo & turba ministrorum. IN ATRIVM. Iesus ex atrio breuì ductus est in conclaue, vt sisteretur principibus examinandus: discipulus non ausus in conclaue se ingerere, remansit in atrio. Quis iste discipulus fuerit, parum quidem refert scire, cùm Euangelista iudicauerit reticendum, sed non fuisse publicum aliquem & manifestum discipulum Iesu, quales erant Petrus & hic Euangelista Iohannes, clarum fieri videtur ex eo, quòd notus dicatur fuisse pontifici; *Notus* vtique, non facie dumtaxat, sed consuetudine & familiaritate, ac proinde gratus (ita vt apud pontificem eiusque domesticos valeret gratia, & facilè posset aliquid impetrare, quemadmodum hic locus ostendit. Quòd si palam se pro Iesu discipulo gessisset, haud quaquam admissus fuisset à pontifice ad familiaritatem, aut ea gratia valuisset, vt à pontifice vel eius domesticis quidquam posset obtinere, aut illi eius gratia aliquid fuissent facturi, qui Iesum habebant pro hoste capitali, ac proinde oderant etiam omnes ipsi adhærentes, quos & communione eiici iusserant, quod legimus suprà 9. v. 22. Ac minimè omnium iam, cùm Iesus non sine metu summi periculi comprehensus, recenter adductus esset, ageretur que de eo interficiendo, discipulus ipsius in domum ipsam in qua hæc tractabantur admissus fuisset: immo verò deprehensus, si vel occultè admissus, proculdubio vnà cum Iesu interfectus fuisset, vt insidiator, qui clancularia sui ipsius in pontificis aulam intrusione, machinatus fuisset seditiosam Iesu è principum & iudicum manibus ereptionem. hoc enim summopere veritus Petrus, constantissimè negauit se esse Iesu discipulum. Quare discipulus iste Iohannes ipse Euangelista esse non potuit, licet id existimet Chrysostomus cum schola sua: is enim iam triennio & eo ampliùs Iesum sequutus comes indiuiduus, publiceque habitus discipulus Iesu, non fuisset permissus frequentare pontificis domum, multoque minùs gratus, sed contrà exosus fuisset pontifici & eius familiæ, nequaquam verò iam intromissus fuisset, etiamsi notus gratusque aliquando fuisset, quod nec ipsum tamen fit verisimile. Solet Iohannes de se ipse loquens, discipulum se vocare, sed addere *quem diligebat Iesus*, quod in hac ipsa passionis historia videre licet infrà 19. v. 26. Non videtur igitur discipulus iste fuisse Iohannes, cui sententiæ fauet Syrus, vertens, pro eo quod nos habemus *& alius discipulus*, quemadmodum mox diximus, *& vnus ex discipulis aliis*. q. d. non ex duodecim. Nec videtur fuisse discipulus aliquis Iesu manifestus, sed occultus, quales plures tunc temporis erant. Quidam coniiciunt fuisse ciuem aliquem Ierosolymitanum honoratiorem: quid si ille fuerit, cuius domi Iesus cœnauerat? fuit enim ille diues ac magnificus, quod diximus Marc. 14. v. 15., & simul occultus Iesu discipulus, quod Matth. 26. v. 18. Verùm, vt D. Augustinus ait, non est temerè affirmandum quis discipulus iste fuerit, cùm taceatur. Reliqua huius versiculi, prima præsertim, exposita sunt Matth. 26. v. 58.

Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.

16 ὁ δὲ Πέτρος εἱστήκει πρὸς τῇ θύρᾳ ἔξω. ἐξῆλθεν οὖν ὁ μαθητὴς ὁ ἄλλος, ὃς ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ, καὶ εἶπε τῇ θυρωρῷ, καὶ εἰσήγαγε τὸν Πέτρον.

STABAT. remanserat, non ausus se ingerere intrò, vel certè exclusus tamquam ignotus. & tamen adhuc permanebat apud ostium mœstus, sperans se tandem intromittendum ab altero discipulo. Non sinebat amor, vt auelleretur à Domino: non permittebat siue verecundia siue timor, vt se ipse intruderet, in turba licet. EXIVIT ERGO. Cùm ergo obseruasset alius ille discipulus, quòd Petrus, qui secum sequutus fuerat Iesum ad ostium vsque, non introisset, cupidissimus licet cognoscendi exitus rerum, causam suspicatus, exiuit, ET DIXIT, id est, iussit aut persuasit OSTIARIÆ (vt notus & familiaris ea in domo) supple vt introduceret Petrum, ET INTRODVXIT illa PETRVM. Nos latinè diceremus: Rogauit ostiariam vt sineret intrare Petrum, illaque siuit. Solent magnatum ostia, ianitorem habere, qui ingredientes egredientesque obseruet: et quidem consueuerunt serui potiùs ostiis portisque præfici quàm ancillæ (Marc. 13. v. 34.) sed iam fortè serui omnes pontificis occupati fuerant comprehendendo & adducendo Iesu, ita vt in ostiarij locum pro tempore ancilla substituta fuerit. Cum igitur nō quiuis permitteretur domum pontificis ingredi (vt certè periculosum hoc fuisset, tum quia nox erat, tum quia magna turba aderat) discipulus ille sua gratia impetrauit ingressum Petro: sed parum boni præstitit Petro, etsi ei gratificari voluerit, vt sæpè parum salutaris, ne dicam nociua discipulis Iesu est, familiaritas magnatum. Porrò an discipulus ille redierit intrò cum Petro, an verò Petro intrante ipse exierit, incertum relinquitur (nam vt verbum *introduxit* ad discipulum

lum referatur, non ad ostiariam, haud perinde admittit phrasis hebraica) credibile est tamen rursus cum Petro intrasse, tum vt Petro animum adderet, tum vt ipse quoque videret finem. Rursus autem hîc argumentum suggeritur, quo intelligatur, quòd discipulus ille alius non fuerit manifestus discipulus Iesu, non fuerit habitus pro discipulo Iesu: quia si huiusmodi habitus fuisset, Petrus qui nolebat agnosci, eo ipso proditus fuisset, quo ille se amicum Petro monstrasset: certè famuli & ancillæ non omisissent, quin inter cætera indicia Petro hoc obiecissent. Reliqua lege Matth. 26. v. 58.

λέγει οὖν ἡ παιδίσκη ἡ θυρωρὸς τῷ Πέτρῳ· μὴ καὶ σὺ ἐκ τῶν μαθητῶν εἶ τοῦ ἀνθρώπου τούτου; λέγει ἐκεῖνος, οὐκ εἰμί.

17 Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum.

Matth. 26. v. 69. 70. Marc. 14. v. 66. 67. 68. Luc. 22. v. 56 57.

Ergo coniunctione, significat Euangelista, quòd ancilla Petrum recognouerit, hac occasione quòd intromiserit, sed non quòd ad portam ipsam recognouerit (nõ enim intromisisset, si cognouisset) recognouit enim paulò pòst sedentem ad ignem, quod scribunt alij Euangelistę Habebat illa, cui portæ custodia cõmissa erat, Petrum in oculis, eò quòd illum intromisisset rogatu alterius: diligentiùs itaque illum ad lumen intuita, obseruauit esse vnum ex discipulis Iesu, quem aliquando vidisset in comitatu Iesu. Ostiaria. ἡ θυρωρὸς illa ostiaria. Nvmqvid. μὴ nónne. sic enim interrogat, vt asserat. Et tv. sicut alij plures. Postquam illa Petrum recognouisset, dixit primùm adstantibus *Et hic cum illo erat*, quod legitur secundùm Lucam: deinde ad Petrum conuersa, *Numquid*, rogat, *& tu ex discipulis es hominis istius?* quod hîc legitur: denique disertè asseuerauit *Et tu cum Iesu Galilæo eras*, quod legitur secundùm Matthæum & Marcum: vt sunt mulieres loquaces, variisque loquendi formis idem repetunt, id præsertim quod ipsis est cordi. Non svm. non noui hominem istum, atque adeò nescio quid velis dicere. his omnibus verbis vsus est Petrus. Reliqua petenda sunt ex prioribus Euangelistis.

εἱστήκεισαν δὲ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ ὑπηρέται, ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, ὅτι ψῦχος ἦν, καὶ ἐθερμαίνοντο· ἦν δὲ μετ' αὐτῶν ὁ Πέτρος ἑστὼς καὶ θερμαινόμενος.

18 Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se.

Matth. 26. v. 58. Marc. 14. v. 54. Luc. 22. v. 55.

Stabant. Alij stabant, non dubium est, alij sedebant. Servi et ministri. Hoc interest inter seruos & ministros, quòd serui intelligantur esse, qui conditione sunt tales, ministri autem seu ὑπηρέται, qui sponte aut mercede seruiunt aliis, iudicibus præsertim, quales sunt apparitores, lictores, &c. Ad prvnas. ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, ad verbum, carbonum compositionem seu ignem ex carbonibus cùm fecissent. Huiusmodi ignis fit in atriis magnatum pro ministris, eò quòd carbones fumi minus habeant. Syrus vertit, *Et componebant ignem.* Qvia frigvs erat, quale solet nocte circa æquinoctium vernum. Obserua, Dominum Iesum, frigido noctis tempore, antè in horto orasse sub dio. Congruit porrò frigus noctis, cum extincto Petri mentis ardore. Calefaciebant se. Syrus mutat verborum ordinem, hoc modo: *Et componebant ignem vt calefierent, quia frigus erat.* Petrvs stans. Sermo hoc versiculo est, de tempore post primam Petri negationem. Nam in prima negatione sedebat Petrus, quod primi Euangelistæ habent: post eam egressus atrio & reuersus, stetit ad ignem, quod hîc dicitur, & secundò negauit vt posteà sequitur. Est enim versiculus hic velut parasceue ad alteram Petri negationem, de qua infrà v. 25. Reliqua petantur ex Matth. 26. v. 58. & Marc. 14. v. 54.

ὁ οὖν ἀρχιερεὺς ἠρώτησε τὸν Ἰησοῦν περὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ περὶ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ.

19 Põtifex ergo interrogauit Iesũ de discipulis suis, & de doctrina eius.

Ergo continuatiuum est: quò respicit Euangelista ad descriptionem Caïphæ, suprà v. 13. & 14. à se datam, de quo narrationem institutam interruperat, Petri occasione. Interea dum Petrus ageret in atrio inter ministros Pontifex anni illius Caiphas, qui totius huius negotij consultor erat & architectus, quod dicebamus. Interrogavit intus in conclaui, tamquam caput totius concilij illic congregati (Matth. 26. v. 57. 59.) Iesvm quem Annas socer ad ipsum & concilium apud ipsum coactum mox transmiserat, De discipvlis svis. ipsius. et de doctrina eivs. ipsius. Quamuis duæ res hîc nominentur, discipuli & doctrina: vnicum tamen videtur esse Pontificis obiectum, circa quod Iesum examinare velit: quia discipulorum & doctrinæ eadem vna est causa, ex qualitate doctrinæ pendet discipulorum qualitas. Quam ob causam fortè etiam factum est, vt Dominus Iesus nihil de discipulis nominatim responderit, quia defensio doctrinæ, defensio erat discipulorum. Porrò quantum colligere licet ex Iesu responsione, interrogauit Pontifex, quarenam adsciseeret sibi discipulos complures, & ex eorum numero duodecim in familiam suam cooptaret, quos domi, foris, vbique, apud se semper detineret? quidnam doceret eos, quam nouam doctrinam eis traderet, & paulatim in vulgus spargeret? *Hac interrogauit*, inquit Euthymius, *volẽs eum arguere, tamquã noua rei inuentorem ac seditiosum, quasi conciliabula quadam facientem, nouaque dogmata inferentem.* Habere se declarat doctrinam Iesu, pro nouâ, clancularíâ, suspectâ falsi, & seditiosâ, ac proinde etiã ipsum pro seductore & Reip. perturbatore: nisi explicet quænam illa sit doctrina sua, ita vt possit ipse Pontifex cum Concilio de ea iudicare. Interim expiscari conatur ex ore Iesu, quod possit criminari: iam enim demum comprehenso Iesu, quæritur crimen, ob quod damnari queat, contra omnem humanarum legum ordinem.

ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἐγὼ παρρησίᾳ

20 Respondit ei Iesus: Ego palàm

 locu-

locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil.

ἐλάλησα τῷ κόσμῳ· ἐγὼ πάντοτε ἐδίδαξα ἐν τῇ συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ, ὅπου πάντοτε οἱ ἰουδαῖοι συνέρχονται, καὶ ἐν κρυπτῷ ἐλάλησα οὐδέν.

EGO. Tu me interrogas taciteque accusas, quasi occultam, clanculariam, secretam, ac proinde suspectæ fidei, doctrinam tradiderim. Atqui ego PALAM. publicè. LOCVTVS SVM. professus sum doctrinam meam. MVNDO. id est, omnibus qui vellent audire. Syrus *ad populum. Manifestè*, inquit Euthymius, *omnem docui populum, non solum discipulos.* Quod clariùs etiã explicans subdit: EGO, ex quo docere cœpi, SEMPER. assiduè & quouis tempore opportuno. DOCVI IN SYNAGOGA, id est, in synagogis eorum locorum in quibus egi, ET Ierosolymis quidem etiã IN TEMPLO; locis publicis atque iis ad docendũ destinatis. Non quòd non aliquando docuerit, quando ita vsu venit in deserto, in maris litore, in priuatis ædibus, in familiâ propriâ: sed quòd omni tempore opportuno, quod dicebamus, docuerit in tẽplo & synagogis: tempus autem opportunum erant sabbata, quando Iudæi omnes eò conuenire solebant ad audiendum Dei verbum. Vnde legis Mar. 1. v. 21: *Et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos.* OMNES. πάντοτε semper. Quidam coniectat legendum πάντοθεν vndique. Interpretes Latinus & Syrus legerunt πάντες omnes. *omnes*, nullus enim his locis excluditur. CONVENIVNT. conuenire solent, vt *post lectionem legis & prophetarum audiant eos in quibus est sermo aliquis exhortationis ad plebem.* (Act. 13. v. 15.) ET IN OCCVLTO LOCVTVS SVM. docui discipulos meos, NIHIL, quod scilicet vetuerim proferri in publicum, quod non idem publicè docuerim, aut vt publicè doceatur permittam. Admonuerat aliquando discipulos suos (Matth. 10. v. 27.) *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Ergo & hoc ipsum*, inquit Augustinus, *quod ab ipso docebatur occultè, quodammodo non dicebatur in occulto, quia non ita dicebatur, vt ab eis quibus dictum fuerat taceretur, sed ita potiùs vt vsquequaque prædicaretur.* Potuit aliquando Domino Iesu diuersa fuisse docendi ratio, alia palàm quàm quæ clàm: sed substantia doctrinæ eadem vna semper fuit. certè priuatim, nihil alienum aut contrarium docuit, iis quæ palàm docebat, sed omnia ad eundem finem vnamque doctrinam tendebant: minimè verò quid docuit celandi studio, vt nec priuatum doctorem ex professo egit, sed publicum. Concludit ergo: Non idcircò igitur adsumsi mihi discipulos in contubernium, vt secretam aut clanculariam eis instillarem doctrinam; quos cum omnibus aliis publicè docui: non enim fuit professio mea, clanculum aut secretò docere, qui totum me dedi & applicui ad publicam prædicationem; prout publicitus notum est.

Quid me interrogas? interroga eos [21] qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

τί με ἐπερωτᾷς; ἐπερώτησον τοὺς ἀκηκοότας, τί ἐλάλησα αὐτοῖς· ἴδε οὗτοι οἴδασιν ἃ εἶπον ἐγώ.

QVID ergo ME INTERROGAS de doctrina mea, quænam fuerit, tamquam de furtiua & clanculariaʔ q. d. non debes me interrogare, cui fidem non es habiturus: nec enim hoc ratio aut æquitas iudicij postulat, cùm difficile non sit testes inuenire. Non dico, quòd ipse audire me docentem potueris: nam quamquam meritò id debuisses, non est tamen iudicis ex propria scientia iudicare. Potes interrogare & examinare alios qui me publicè docentem audierunt, qui quidem multi sunt & magno numero, nec vlla mihi familiaritate iuncti, plerique etiam inimici. ECCE. certè. HI. Non demonstrat præsentes, quamquam potuerint aliqui, quinetiam multi præsentium, frequenter fuisse auditores Iesu: sed *hi* s. qui audierunt, ex præcedentibus auditores mei. SCIVNT probè, aut certè scire possunt. QVÆ quæcumque DIXERIM & docuerim EGO. Sententia Iesu est: Si tibi constaret, priuatim me clanculumque docuisse, nec protulisse, aut proferri passum fuisse, in publicam doctrinam meam, haberes causam interrogãdi & exquirendi ex me de doctrina mea quænam esset & quidnam discipulos meos clàm docerem: quia non suppeterent tibi testes, per quos posses certior fieri de re hac, quam tui proculdubio muneris est perquirere & scire. Verùm nunc, cùm non cõsuetudo tantùm mea, verumetiam professio fuerit, publicè docere vniuersum populum, idque locis publicis & ad docendum destinatis, contra ordinem iuris agis, quòd, vt comprehensum condemnes, interroges me quid doceam. (*Frustra*, inquit Cyrillus, *quærebant crimina, postquam ligarunt, & ad defensionem prouocant captum, priusquam accusatum.*) Tuum erat, antequam iuberes me comprehendi, audisse & examinasse eos qui me audierunt docentem, & si quidem ex eis intellexisses, ea esse à me docta, quæ verbo Dei aut rectæ doctrinæ essent dissentanea, ea comprehenso mihi particulatim proponere, &c, audita confessione satisfactionéve mea, quod iustum foret iudicare. Nunc autem me interrogas, cui non es crediturus pro me ipso loquenti: rapturus autem in calumniam, quidquid tandem respondero. Liberam reddit acremque responsionem, non quòd pontificem contemnat, sed vt repellat calumniam callidè impositam, qua tenebricosæ & occultæ doctrinæ tacitè arguebatur. Quocirca, agnoscit quidem, pontificis esse de doctrina iudicare, sed à suo suorumque testimonio relegat eum ad testimonium publicum, & testimonium etiam inimicorum, quo nullum potest esse certius innocenti. Appellat ad auditores, eosque inimicos: huiusmodi conscientia rectæ doctrinæ, doctorem decet. *Non arroganter respondet*, inquit Chrysostomus, *sed fretus veritate: id enim veritatis maximum est argumentum, cùm quis inimicos in eorum quæ dicit testimonium adducit.* Auditis porrò testibus, paratum se insinuat, ad tuenda ea omnia quæ docuerit, si quid in his reprehensione dignum pontifici aliísve visum fuerit. Fortiter denique, fidenter, prudenterque respondet, ostendens, se, etsi ab omnibus desertum, captiuum, multis vallatum hostibus, & coram iudicibus iniquis, quippe inimicis, constitutum, non tamen animo frangi, vt meticulosum & suæ causæ malè fidentem, sed liberè loqui, vt benè sibi conscium.

Hæc autem cùm dixisset, vnus assi- [22]

ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος, εἷς τῶν ὑπηρετῶν παρε-

παρεστηκὼς ἔδωκε ῥάπισμα τῷ ἰησοῦ, εἰπὼν· οὕτως ἀποκρίνῃ τῷ ἀρχιερεῖ;

stens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici?

VNVS ASSISTENS MINISTRORVM. εἷς τῶν ὑπηρετῶν παρεστηκὼς vnus ministrorum seu apparitorum qui adstabat s. Iesu, & custodiebat fortè, aut etiam tenebat eum, quippe captiuum. DEDIT ALAPAM. Syrus in eumdem sensum *percussit maxillam*. vide Matth. 26. v. 67. explicationem vocis ῥάπισμα. SIC. itáne superbè ac contumaciter RESPONDES tu, hominum vilissime & morte digne, PONTIFICI. τῷ ἀρχιερεῖ summo sacerdoti? Oportet te reuerenter & demissè loqui, moxque agnitâ culpâ nolle agere rigore iuris, consideratâ, hinc tuâ vilitate, hinc pontificis maiestate. Quod vt facere discas, accipe hanc alapam admonitionis loco. An non aliter pontifici respondendum est, quàm si priuato cuipiam & plebeio loquare? Videbatur huic inciuilior esse Iesu responsio, & contumaciam pontificiæque dignitatis contemtum resipere, quòd non seruiliter, timidè, & abiectè responderet, sed cum reprehensione quadam & libero ore. Rem gratam igitur facturus pontifici adulator, velut pontificij honoris vindex, sciens quàm odiosus præsentibus omnibus esset Iesus, ac proinde quiduis sibi in eum impunè licere iudicans, ignominiosè percussit palma maxillam Iesu. *Quid hoc impudentius?* exclamat Chrysostomus. *Exhorrescat cælum, contremiscat terra, de Christi patientia & seruorum impudentia. Ipse vniuersam creaturam perhorruisse puto*, ait Cyrillus, *si sensum huius rei habuerit. Dominus enim gloriæ impia manu hominis cædebatur*. Credibile est, hunc, se notatum sensisse, quando Iesus ad auditores suos appellauit, eò quòd Iesum docentem non semel audisset, ac fortasse vnus fuisset ex eis apparitoribus, qui aliquando ad Iesum comprehendendum emissi, re infecta reuersi responderant: *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo* (suprà. 7. v. 46.) Voluit igitur se exemtum ab illâ notâ, incommodâ sibi futurâ apud Pontificem & concilium hoc: id autem assequi se posse putauit, iniuriosâ hac contumeliâ Iesu illatâ. Hoc notat inter alios Cyrillus Alexandrinus.

ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· εἰ κακῶς ἐλάλησα, μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ· εἰ δὲ καλῶς, τί με δέρεις; 23

Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?

RESPONDIT. Sustinuit illatam contumeliam, nec se de aduersario est vltus, quod facilè poterat: non tacuit tamen ad iniquitatem illius, asserens innocentiam suam. SI MALE respondi pontifici. TESTIMONIVM PERHIBE. μαρτύρησον testare, doce, idque coram pontifice & reliquis iudicibus his DE MALO. quid mali aut quid malè responderim. *Si mea verba reprehendere potes, ostende*, inquit Chrysostomus: quomodo & Euthymius: *Ostende quid sit male prolatum, argue eum qui sit male locutus*. Si peccaui, accusa, vt causa dicta pro modo delicti plectar: neque enim est hæc legitima agendi ratio. SI AVTEM BENE locutus sum ac respondi (alterum enim necesse est, vt aut bene aut malè locutus sim) vt reuera bene locutus sum, nec ostendere poteris qua in parte deliquerim. QVID. quare ME innocentem, in iudicio constitutum, CÆDIS tu, & quidem minister cùm sis iudicum, cum quibus innocentem tueri debueras aduersus omnem iniuriam? q. d. multis modis iniustè me cædis. Conqueritur, grauem sibi factam esse iniuriam, si nihil peccauerit: quòd si peccauerit, legitimè tamen, & non violento impetu, agendum fuisse. *Quid ista responsione verius, mansuetius, iustius?* rogat Augustinus. Etiam seposita consideratione personæ Christi Filij Dei, qua quiduis licebat Domino Iesu in pontificem, bene responderat ac locutus fuerat, quãuis liberè, quia facultas est reo, in iudicio liberè pro se loquendi; modò sine conuiciis; ac præsertim si videat iudicem præter ordinem iuris secum agere: quòd si videat iudicem etiam in calumniam rapere rectè facta aut dicta, vt pontificem hunc, in suspicionem falsi, tamquam clanculariam, vocare doctrinam publicam, nihil præter officium admittit reus, si etiã acerbius à se reiiciat examen ad testes. *Quid me interrogas? interroga* auditores meos. agebatur enim de re summa, ob quam Iesus à Patre missus fuerat; doctrinâ inquam; ac proinde acriore defensione opus erat. Iniustè igitur cecîdit hic minister Iesum, & eo iniustiùs, quòd in iudicio cõstitutum, vbi reo, etiam offendenti, nihil pœnæ inferri debet, ne à Iudice quidem, priusquam conuictus de malo, & latâ sententiâ damnatus sit. *Vides*, ait Chrysostomus, *iudicium tumultus & perturbationis & confusionis plenum?* Coactum est concilium, in quo summa vigeri debebat grauitas: ministro vni tantum licentiæ permittitur, vt in mediâ causæ actione, in conspectu iudicum, reum, qui nulla adhuc in re noxius repertus est, pro suo libitu cædat. Quare & Caïphæ cæterorumq; hîc iudicum iniquã dissimulationem insinuat Iesus, quòd in ministrum contra leges agentem non animaduerterent. Cæterùm quamuis posset Iesus vno verbo delere ac perdere nebulonem; quod paulò antè re ipsa declarauerat; nulla tamẽ, aut vindicta est vsus, aut comminatione, aut conuicio (quod annotauit B. Petrus 1. epist. 2. v. 23.) sed relictâ vindictâ iusto iudici, Patri, mansuetissimo sermone defendere contentus fuit responsum suum, pro doctrinæ suæ assertione datum. Nec enim conueniebat, vt acceptam alapam silentio præteriret ne agnoscere videretur, se malè respondisse pontifici, aut fateri doctrinam suam minùs rectè à se fuisse defensam. Sed nec congruebat alteram à se maxillam percussori offerri, quia nullius id vtilitatis fuisset. sufficit abundè, quòd non solùm *alteram maxillam iterùm percussuro, sed totum corpus figendum præparauit in ligno*, quod ait Augustinus. *Et hinc potius demonstrauit quod demonstrandum fuit, sua scilicet magna illa præcepta patientiæ, nõ ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda. Fieri enim potest, vt alteram maxillam visibiliter præbeat homo & iratus. Quanto ergo melius, & respondet vera placatus, & ad perferenda grauiora tranquillo animo fit paratus?* Hactenus Augustinus. Tantùm porrò abfuit, vt Caïphas & concilium istud in ministrum hunc animaduerterent, vt postquam ex ore Iesu nihil captare potuissent, ob quod eum condemnarent, *principes sacerdotum & omne concilium quæsierint falsum testimonium contra Iesum*, quod narrant priores Euangelistæ, nominatim Matthæus cap. 26. v. 59. Verùm Iesus, qui semel causam suam parcè tuitus, non vt morti se subduceret, sed vt se innocentem probaret, expertus fuerat iudicum iniquitatem, nihil amplius respondendum, sed tacendum iudicauit, donec Pontifex adiurato singularem illum articulum proponeret, an esset ipse Christus filius Dei: quæ à cæteris narrata, à Iohanne sunt prætermissa.

Et misit eum Annas ligatum ad [24] Caïpham pontificem.

ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ ἄννας δεδεμένον πρὸς καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα.

ET MISIT. Quidam libri, pro duabus vocibus *& misit*, scribunt vnam *emisit*, sicut est græcè ἀπέστειλε, qui aoristus verti potest *emisit*, verti potest *emiserat*: posterius loco congruit. Quare præteritum perfectum latinè, intelligendum est hîc positum pro plusquam perfecto, *misit* vel *emisit*, pro *miserat* vel *emiserat*, vt sæpe aliàs, nominatim infrà v. 26. *abscidit* pro *absciderat*, ex aoristo ἀπέκοψε. Porrò coniunctio *&* si hîc legatur, accipienda est pro *autem* vel *ergo*, quemadmodum sæpe accipitur ab Hæbræis: quòd si non legatur, certè subaudienda est, si non etiam addenda, vna illarum coniunctionum, *autem* quæ legitur syriacè, aut *ergo* quæ apud Cyrillum & quosdam recentiores: *Emiserat*, vel *miserat ergo eum Annas ligatum ad Caipham pontificem*. Nihil enim noui narrat hîc Euangelista, sed id quod suprà v. 14. insinuarat potiùs quàm dixerat, hîc clariùs repetendum duxit, ea occasione quòd quædam ex superioribus necessariò ipsi repetenda erant (quæ quidem proximo versu sequuntur) vt ad interruptam negationum Petri historiam redire posset. LIGATVM. nihil decernens aut agens circa Iesum, nisi vt ligatus ad Caïpham duceretur, sicut ad se adductus fuerat.

Matth. 26. v. 71. 72. Marc. 14. v. 69. 70. Luc. 22. v. 58.

Erat autem Simon Petrus stans & [25] calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum.

ἦν δὲ σίμων πέτρος ἑστὼς καὶ θερμαινόμενος. εἶπον οὖν αὐτῷ· μὴ καὶ σὺ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶ; ἠρνήσατο οὖν ἐκεῖνος, καὶ εἶπεν· οὐκ εἰμί.

ERAT AVTEM SIMON PETRVS STANS ET CALEFACIENS SE. Dixerat hoc Euangelista suprà v. 18: ex analepsi igitur redit ad superiora, quorum cursum abruperat, interiectis quibusdam quæ contemporanea fuerant. STANS. in prima negatione sedebat Petrus, quod habet Matthæus & Lucas; in secunda reuersus ex vestibulo, stabat ad ignem, quod hîc Iohannes, Augustino etiam annotante. DIXERVNT ERGO EI s. adstantes, nominatim vir quidam, cuius Lucas meminit, qui etsi fortasse solus Petrum alloquutus fuerit, quia tamen id fecit præsentibus & probantibus multis, rectè multi Petrum hîc accusasse referantur, quia vnus multorum aliorum nomine. Quinetiam ancillæ à Matthæo & Marco memoratæ hîc possint comprehendi, quia etsi iam nihil dixerint ipsi Petro, affirmarunt tamen coram illo: *tantumdem autem valuit*, inquit Augustinus de consensu, *quod de illo coram illo dicebatur, quantum si illi diceretur*. NVMQVID. μὴ nônne. q.d. maximè. Nam licet alij interrogando, alij affirmando pronunciarint, omnium tamen mens fuit affirmare. NON SVM per Deum. Reliqua petantur ex prioribus Euangelistis.

Matth. 26. v. 73. Marc. 14. v. 70. Luc. 22. v. 59.

Dicit ei vnus ex seruis pontificis, [26] cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo?

λέγει εἷς ἐκ τῶν δούλων τοῦ ἀρχιερέως, συγγενὴς ὢν οὗ ἀπέκοψε πέτρος τὸ ὠτίον· οὐκ ἐγώ σε εἶδον ἐν τῷ κήπῳ μετ' αὐτοῦ;

DICIT ei s. Petro. VNVS, id est, quidam. ABSCIDIT. ἀπέκοψε abssciderat. EGO hisce oculis meis. TE VIDI iam ab vna hora aut altera. IN HORTO in quo istum apprehendimus. CVM ILLO tamquam socium eius? Parum aberat quin adderet: Gladio eum defendentem, adeoque cognatum meum, iustitiæ ministrum, interficere conantem, amputata ei auricula? verùm non tunc viderat iste Petrum, cùm gladio vteretur (alioqui enim non tacuisset) sed vel antè vel pòst. Cæterùm Petrus, facti illius sibi conscius, summopere metuit ne & illud ipsi obiiceretur, quod videri poterat crimen capitale. Maximè itaque pressus tertia hac vice, dum iis quos memorant alij Euangelistæ, qui conuincere ipsum valebant ex propria loquela, accederet iste cognatus Malchi, cœpit non negare solùm & peierare, verumetiam anathematizare & exsecrari seipsum: cuius præcipuè rei causam vt indicaret Iohannes (quamquam ipse exsecrationis mentionem noluerit repetere) videtur Petri negationes post alios & ipse recensuisse. Vide Luc. 22. v. 59.

Matth. 26. v. 74. Marc. 14. v. 71. 72. Luc. 22. v. 60.

Iterum ergo negauit Petrus, & sta- [27] tim gallus cantauit.

πάλιν οὖν ἠρνήσατο ὁ πέτρος, καὶ εὐθέως ἀλέκτωρ ἐφώνησεν.

ITERVM. tertiò. falluntur enim, qui plus quàm ter, Petrum negasse contendunt. Nam quamquam potuit vsus fuisse variis negandi modis, cùm plures simul instarent ac premerent: quamdiu tamen non fuit nisi vnica series rei gestæ, tamdiu non fuit nisi vnica negatio. NEGAVIT adhibita sui ipsius exsecratione. *Neque hortus*, inquit Chrysostomus, *neque immensus amor quem Iesus illi ostenderat, verborum eius Petrũ admonuit, sed omnia formidine exciderant. Sed cur Euangelistæ omnes in hoc describendo concordarunt? non vt discipulum accusarent, sed vt nos erudirent, quanti mali sit non omnia Deo committere, sed sibi ipsi confidere*. Hæc Chrysostomus. GALLVS CANTAVIT iuxta id quod Iesus prædixerat suprà 13. v. 38. omnes quatuor Euangelistæ huius cantus meminerunt, vt veritatem prophetiæ dominicę omnes ostenderent. Nihil de pœnitentia Petri Iohannes, quia satis exposita fuerat ab aliis. Reliqua quære Matth. 26. v. 74.

Matth. 27. v. 2. Marc. 15. v. 1. Luc. 23. v. 1.

Adducũt ergo Iesum à Caïpha in [28] prætorium. Erat autem mane, & ipsi

ἄγουσιν οὖν τὸν ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον. ἦν δὲ πρωΐ, καὶ αὐτοὶ

οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα.

non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha.

ADDVCVNT. ἄγουσιν ducunt, pro ducitur, more hebraico: neque enim præcedit suppositum. ERGO IESVM à Caipha examinatum & malè tractatum, atque adeò condemnatum. Transit Euangelista, ad ea commemoranda, quæ apud præsidem Romanum acta sunt. A CAIPHA. ab ædibus Caiphæ; Nonnus paraphrastes, *Relinquentes ædes Caiphæ.* IN PRÆTORIVM. domum Prætoris, Pilati scilicet, vt ab ipso crucifigi iuberetur. De prætorio egimus Matth. 27. v. 27. Palatium erat præsidum Romanorum, adhærens arci Antoniæ, cæteris ciuitatis ædibus pulchrius, amplius, atque eminentius: ad quod vigintiocto vt minimùm marmoreis gradibus ascendebatur, auctore Adrichomo, in theatro terræ sanctæ quod scripsit. ERAT AVTEM MANE summum, primi scilicet diei paschæ & azymorum. ET IPSI. ideo ipsi, id est, *qui ducebant Iesum*, ait Augustinus, principes nimirum sacerdotum & populi principumque ministri (aderant enim primores omnes, & synedrium ipsum vniuersum, quod priores Euangelistæ disertè testantur) NON INTROIERVNT, plerique omnes foris manserunt. Verisimile est enim, quòd vnum vt minimùm aut alterum ex suo numero, vnà cum apparitoribus Iesum tenentibus, intrare iusserint in aulam seu atrium prætorij, atque illic exspectare Pilati ex interiori domo egressum, qui omnium principum totiusque concilij ad fores prætorij præsentium nomine, rogaret Pilatum, vt Iesum hunc facinorosum, abs se legitimè condemnatum, iuberet mox tolli è medio & vita priuari, eò quòd in mora esset periculum. VT NON CONTAMINARENTVR. ne contaminarentur, ne redderentur immundi, ingressu prætorij domus viri ethnici & incircumcisi. Habebant vt gentiles, ita gentilium ædes, immundas, vt in quibus non caueretur ab iis rebus quæ lege Mosaica declaratæ erant immundæ, siue cibi forent, siue alia: eum igitur qui ingrederetur, iudicabant fieri immundum iuxta legem Num. 19. v. 22. *Anima quæ horum* (immundorum) *quippiam tetigerit, immunda erit:* quamquam non tam lege prohibitum fuerit domum gentilis ingredi quàm patrum traditione. Non putabant se contaminari, si gentilem in publico alloquerentur, sed si ædes illius intrarent. SED VT MANDVCARENT mundi, quales scilicet se esse arbitrabantur. Obseruanda est præpostera horum religio, vitantium immunditiam quæ ex ingressu prætorij posset contrahi, nec horrentium eam quæ ex cæde innocentis. Immundos fore se putant, si tangant prætorij parietes: mundos autem manere se autumant, dum cælo & terra testibus innoxium ad mortem flagitant. *O impia & stulta cæcitas* (exclamat Augustinus) *habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio? Quænam quæso contaminatio* (rogat Chrysostomus) *ingredi prætorium, vbi iniusti pœnas dant? decimantes mentham & anethum, cum iniustè interficiunt, contaminari se non existimant.* Hoc est quod Matth. 23. v. 24. Dominus illis exprobrat, quòd in colando culice attenti, strenuè camelum deuorent. Duplex itaque hîc vitium fuit, & vtrumque nimis crassum, vnum quòd non considerarent se plus intus immunditiæ ferre quàm contrahere possent ex ingressu quamuis prophani loci: alterum, quòd in re externa atque minuta obseruanda seduli, impudenter quod præcipuum erat transgrederentur.

PASCHA. non agnum paschalem, quem vespera præcedente manducarant; nec panes azymos, à quibus immundi non arcebantur, cùm alio pane vti haud liceret; sed hostias paschales, quas celeberrimo illo paschæ die, sperabant, Iesu interfecto, se oblaturos adhuc & pro more manducaturos (quamquam non inuenerint Pilatum tam obsequentem sibi quàm sperauerant) à quibus, si immundi fuissent, abstinere debuissent nec enim poterant immundi participes fieri sacrificiorum, etiamsi sacerdotes essent, quod docetur Leuit. 22. Non solùm mactabatur & manducabatur ab omnibus Israëlitis, ac præsertim à summis sacerdotibus & principibus, agnus ille mysticus, vespere quo pascha incipiebat: sed & per omnes septem subsequentes paschæ atque azymorum dies, & præsertim postridie, primo die azymorum, omnium sanctissimo, offerebantur in templo innumeræ hostiæ, ouium, vitulorum, arietum, boum, &c. conformiter legi Num. 28. v. 19. 24., quæ, non minùs quàm agnus ille vespertinus, pascha vocabantur (nomine nimirum à tempore sumto, quod *Pascha* dicebatur. vide Matth. 26. v. 2.) id quod constat ex Deut. 16. v. 2. vbi dicitur: *Immolabisque phase Domino Deo tuo de ouibus & de bobus*; etiam Hebræis interpretibus. Adde quòd 2. Paral. 35. v. 8. & 9., paschales victimæ ex agnis, ouibus, & bobus, hebraicè plurali numero vocantur פסחים *pesahim* paschata. Nam pro eo quod latina versio habet: *Dederunt ad faciendum* seu *celebrandum phase, pecora*, &c. hebraicè ad verbum legitur: *Dederunt in pesahim* seu *paschata*. Quare id quod sequitur versu 11: *Et immolatum est phase* (eadem esse *phase* & *pascha* docuimus Matth. 26. v. 2.) Interpretes intelligunt de omnibus victimis paschalibus. Et hîc igitur Iohannes *pascha* intelligit victimas paschales: ad cuiusmodi interpretationem respicere videtur Chrysostomus, dum scribit in hunc locum: *Sed quid significat, vt manducarent pascha? Atqui Iesus iam id fecerat vna die Azymorum. Siue ergo pascha totam appellat solemnitatem, siue quod tunc faciebant, Christus autem pridie.* hæc Chrysostomus. Per totam solemnitatem, intelligit totius solemnitatis sacrificia; quemadmodum Chrysostomi abbreuiator Theophylactus, per *festum septem dierum*. Porrò dat intelligendum Euangelista, quod principes, nisi fuisset paschalis solemnitas, facilè intrassent prætorium, nec adeò magnifecissent huiusmodi immunditiæ contractum.

ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πιλάτος πρὸς αὐτοὺς, [29] καὶ εἶπε· τίνα κατηγορίαν φέρετε κατὰ τοῦ ἀνθρώπου τούτου;

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?

EXIVIT ERGO. Quandoquidem illi prætorium intrare nolebant. PILATVS, etsi illorum morem interpretari potuisset contemtum sui, illosque si quid ipsum vellent ad ingrediendum cogere: tamen, qua erat facilitate & humanitate vir, religioni qua illi se teneri credebāt, & præcipuæ illi quam agebant Paschæ festiuitati, non ægrè indulgens ac cedens, ipse egressus est prætorio, Iesu intus relicto. AD EOS. quorum

rum nomine Iesus ipsi fuerat traditus, principes sacerdotum & seniores populi. FORAS. Licet hoc græcè non legatur, extat tamen latinè & syriacè. *Foras* autem, non in plateam, sed in Lithostroton, quæ erat porticus supra plateam ædificata, instar pontis, è prætorio ducens in arcem Antoniam. vide infrà 19. v. 13. Principes facilè Pilatus in prætorium admisisset, si voluissent: cùm autem iam nollent, facilè quoque descendisset ad eos in plateam, & propiùs alloquutus fuisset, si quidem soli adfuissent. Sed cùm intelligeret, non solos ipsos adesse, verumetiam populum vniuersum, exiuit in Lithostroton, locum tutum, & ex eo est ipsos alloquutus. ET DIXIT quod boni Iudicis fuit, *absurdum ratus*, inquit Chrysostomus, *iudicium eos præsumere, supplicium sibi permitti.* QVAM ACCVSATIONEM ADFERTIS. quo de crimine accusatis hunc virum, ob quod mortem mereatur? non contentus quòd Iesus ipsi fuerat oblatus tamquam mortis reus, quippe vt huiusmodi ab illis condemnatus, nihil iam aliud à præside postulantibus, quàm vt iuberet eum morte affici, vult ipse scire quid causæ sit, ob quod ille mortem sit meritus, neque priùs inferre mortem, quàm constet ipsi de causa, prout ius & iustitia omnis postulabat, præsertim cùm non ignoraret inimicitias capitales ipsorum aduersus Iesum.

Responderunt & dixerunt ei: Si non [30] esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπον αὐτῷ· εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιός, οὐκ ἄν σοι παρεδώκαμεν αὐτόν.

SI NON ESSET HIC. q.d. mirum est quòd hoc petas. MALEFACTOR. κακοποιός maleficus, sceleratus, morte dignus, & hoc nobis constaret post rem diligentissimè examinatam. *Malefactorem*, inquit Cyrillus, *appellant eum, qui ad destructionem malorum in mundum venit. Interrogentur*, ait Augustinus, *atque respondeant, ab immundis spiritibus liberati, sanati languidi, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, & quod omnia superat, stulti sapientes, vtrum sit malefactor Iesus. Sed ista dicebant de quibus per prophetam tam ipse prædixerat: Retribuebant mihi mala pro bonis.* hæc Augustinus. NON. nequaquam TIBI TRADIDISSEMVS EVM morte afficiendum, nos religiosissimi sacerdotes, scribæ in lege doctissimi, seniores vitæ integritate spectatissimi, & synedrium vniuersum, iudices populi Israel incorruptissimi & probatissimi. q.d. Nos rem exactissimè inquisiuimus, & nisi deprehendissemus luce clariùs hunc mortem meruisse, procul absit à nobis vt innocétem tibi occidendum offerremus. Quare ne difficilem te præbeas rogamus, ex nostro iudicio hunc morte plectere: meritò enim sufficere tibi debet auctoritas nostra. Obliquè de Pilato queruntur, quòd non satis confidat eorum probitati, quasi fide digni non essent. Ergòne gens iusta, & populus innocens, nullum nisi malefactorem tradere aut occidere consueuistis? *Quem prophetarum non sunt persequuti patres vestri?* (Act. 7. v. 52.) *& vos impletis mensuram patrum vestrorum.* (Matth. 23. v. 32.) *Vides eos omnino declinare accusationes*, inquit Theophylactus (erant enim ipsi sibi conscij inualiditatis eorum de quibus vellent accusare) & Iesum ab ipsis Pilato traditum, non examinandum aut iudicandum, sed solummodo occidendũ, eò quòd reseruasset Cæsar prouinciæ Præsidi à se delegato pœnã mortis. *Illi*, inquit Euthymius, *tradiderunt eũ Pilato, ad interficiendum, non ad inquirendum. At ille non tulit, vt priusquam inquireret occideretur: ideo discere vult quæ sit accusatio.* ita Euthymius.

Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum [31] vos, & secundùm legem vestram iudicate eum: Dixerunt ergo ei Iudæi: nobis non licet interficere quemquam;

εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ πιλάτος· λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν. εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ ἰουδαῖοι· ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα·

ACCIPITE EVM VOS. Quandoquidem mihi declarare nolitis causas ob quas existimetis hunc esse morte plectendum, ego causâ incognitâ mortem inferre nec volo nec possum: id enim fit contra ius omne & æquitatem. Sed si vos scitis eius malefacta, quæ quidem commiserit aduersus legem vestram, Romanis alioqui legibus haud vetita, *accipite eum vos* ipsi, ET IVDICATE, id est, supplicio vel mortis vel minori afficite eũ (iam anteà enim iudicauerant, id est, condemnauerant eum) SECVNDVM LEGEM VESTRAM, prout meruit secundùm legem vestram, prout intelligitis, re, quod dicitis, exactissimè perquisita, legem vestram exigere, neque meam requiratis operam in causa necis grauissima, quam vel putatis à me non intelligi, vel aperire mihi recusatis. Habet hæc Pilati responsio aliquid iracundioris indignationis, habet & aliquid humanioris concessionis. Indignatur, quòd nolint causas explicare, ob quas velint Iesum ab ipso morte multari, ratus hoc se indignum: sed reprimens se ipse, tamquam hoc fortè sit quia aduersus ipsorum legem peccarit, quia causa mortis pendeat ex lege ipsorum, cuius ipse libenter se profitebatur ignarum, permittit, vt si lex ipsorum id exigat, morte ipsum plectant ex Legis præscripto. Credibile est, quòd aliàs non difficilem se præbere solitus fuerit Pilatus, vt supplicio extremo affici curaret, quos Iudæi morte dignos iudicassent ob legem suam violatam: sed quia Iesus vir erat, pauper quidem conditione, sed fama sapientiæ, iustitiæ, sanctitatis, rerumque gestarum, celeberrimus, cuius gesta admiratione dignissima quotidie ad Pilatum ipsum referebantur, maluit, si in eum animaduertendum esset, id fieri ab ipsis Iudæis quàm à se, quòd metueret mali aliquid ex eius cæde consequi posse, præsertim cùm non ignotæ ipsi essent inimicitiæ capitales, quas gererẽt aduersus Iesum, sacerdotes & primores Iudæorum, qui ipsum ad mortem postulabant. Concedit itaque eis vt ipsi eum interimant (*interfectionem eu permittit*, inquit Euthymius, sed *secundùm legem*, subindicans, si ex inuidia aut odio, aliter quàm ex legis præscripto, egerint cum illo, aut si ex alia causa quàm quæ legi ipsorum sit propria interfecerint, daturos sibi aut Cæsari, apud quem eos sit accusaturus, pœnas. Non dubium enim quin Pilatus, si hac ipsius concessione vsi Iudæi, Iesum interfecissent, diligentissimè examinaturus fuerit iuréne illi id fecissent & lege. Quidam hanc, non concessionem, sed irrisionem esse interpretantur: verùm sequens versiculus, cogit vt intelligamus, permissum fuisse Iudæis, vt Iesum interficerent, quibus alioqui neminem licebat interficere, quod ipsi hîc fatentur, & nos docuimus Matth. 27. v. 2. IVDÆI. Iudæorum primores.

Nouis

NOBIS NON LICET INTERFICERE QVEMQVAM. q.d. Iste meretur interfici, prout nos iustissimè secundùm legem nostram iudicauimus: nobis autem ablata est per vos Romanos omnis potestas mortis inferendæ: quare neque cupimus eam nobis abs te concedi in causa præsenti, sed vt ipse hunc interficias desideramus, producturi potiùs accusationes nostras aduersus eum coram te. *Cœperunt itaque illum accusare*, quod ait Lucas, *dicentes: Hunc inuenimus subuertentem*, &c. Luc. 23. v. 2. Non mirum quòd non facilè se Pilatus adduci passus sit, vt Iesum incognitâ causâ occideret, propter duas illas quas mox diximus causas, gloriam claritatemque nominis Iesu, & hostile odium primatum aduersus eum. *Sed quid est quod loquitur insana Iudæorum crudelitas?* (rogat Augustinus) *Annon interficiebant, quem interficiendum offerebant?*

ἵνα ὁ λόγος τοῦ ἰησοῦ πληρωθῇ, ὃν εἶπε, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. [32] Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

VT SERMO. Dixerunt hoc autem, vt sermo. Dixerunt Pilato Iudæi, *nobis non licet interficere quemquam, vt sermo* &c. Verba sunt Euangelistæ, quorum hic est sensus: Iudæi noluerunt ipsimet Iesum interficere, etiam Pilato potestatem ipsis faciente, sed voluerunt Pilatum id facere, vt non quauis morte periret Iesus, sed crucifigeretur, & consequenter impleretur quod Iesus de suæ mortis genere prædixerat. *Hoc dixerunt*, inquit Theophylactus, *scientes quod Romani ad crucem condemnarent rebelles*. Plures ob causas maluerunt Iudæi Iesum à Pilato interfici quàm à se, quas explicuimus Matth. 27. v. 2: Iohannes hic vnam è præcipuis declarat, eò quòd vellent Iesum omnium acerbissimâ & ignominiosissimâ crucis morte affici, quâ non nisi vilissimi iuxta ac facinorosissimi afficiebantur, scelesta mancipia, latrones, seditiosi, rei læsæ maiestatis, vt ignominiâ mortis abolerent claritatem nominis, gloriamque quam Iesus hactenus sibi compararat. Ipsi Iudæi id mortis genus Iesu inferre non potuissent: non quòd Crux esset ignota legi aut inusitata Iudæis. Mosi enim mandatur Num. 25. v. 4. vt suspendat quosdam in patibulis: quod & Iosue fecit Regi Hai, vesperi iubens cadauer de cruce deponi, quemadmodum scribitur Ios. 8. v. 29. Quinetiam Gabaonitæ, qui viuebant legibus Israelitarum, crucifixerunt, Dauid Rege consentiente & tradente, septem filios Saul, in terra Israel, in Gabaa Beniamin 2. Reg. 21. v. 6 9. Denique Apostolus Gal. 3. v. 13. Christo crucifixo attribuit illud Deut. 21. v. 23: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Non ergo quia Mosaicæ legi ignotum fuerit supplicium crucis, idcircò Iudæi Christum crucifigere haud potuerunt: sed quia non concedebatur eis, vt aliter eum occiderent, quàm *secundum legem* suam, id est, propter crimina sub certo mortis genere vetita peculiariter lege ipsorum. Non permittebat Pilatus, vt occiderent tamquam Cæsari rebellem, nam de illo crimine ipsius erat iudicare: sed si quid commisisset aduersus legem Mosaicam, quod ea lex morte plectendum decerneret, permittebat vt ei inferrent tale mortis genus, quale lex statuerat, aut quale inferri solebat pro more ipsorum. Iam verò crimen præcipuum aduersus legem, quod illi imponebant Iesu, erat blasphemia (Matth. 26. v. 65.) propter quam expressâ lege lapidandus fuisset Iesus. Leuit. 24. v. 16: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo*. Cùm igitur lapidatione Iesu nollent esse contenti, nec causa ipsis suppeteret ex lege ob quam possent eum infami ligno crucis interimere (quod etiam supplicium iam rarius erat apud ipsos, vsitatissimum autem & quasi proprium Romanis) maluerunt eum à Pilato occidi, vt penes quem potestas esset crucifigendi perduellem, læsæ maiestatis Cæsareæ reum. Itaque quòd recusarunt Iudæi ipsi per se interficere Iesum, vrserunt autem vt Romanus Præses id faceret, non fuit quòd ipsi horrerent sanguinem fundere, aut quòd vellent mitiùs Iesum tractari, sed contrà quòd vellent eum & crudeliùs & probrosiùs occidi quàm ipsi possent, crucifigi inquam. Dum autem voluerunt eum crucifigi, consequenter voluerunt impleri sermonem eius; voluerunt inquam in causâ, sed præter mentem, impleri sermonem QVEM sæpè DIXIT, SIGNIFICANS QVA MORTE. ποίῳ θανάτῳ quali morte, quo genere mortis, cruce inquam, ESSET MORITVRVS. Sæpè prædixerat Iesus se crucifigendum. Suprà 3. v. 14. *Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*. Rursus 12. v. 32. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*. vbi similiter addit hic Euangelista: *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus*. Ad hæc Matth. 20. v. 19: *Et tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum*. Denique Matth. 26. v. 2: *Scitis quia post biduum pascha fiet, & Filius hominis tradetur vt crucifigatur*. Probat igitur Euangelista ex euentu veritatem sermonis Iesu, & significat quòd Iesus non ignarus aut præter opinionem incurrerit crucem; sed neque inuitus eò adactus sit: potuisset enim qui prænouerat, præcauisse si voluisset: sponte autem se tradidit in illud mortis genus, quod ab inimicis sibi paratum, ipse elegit, vt redimendo humano generi maximè idoneum, ob causas quas diximus Matth. 27. v. 35.

εἰσῆλθεν οὖν εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν ὁ πιλάτος, καὶ ἐφώνησε τὸν ἰησοῦν, καὶ εἶπεν αὐτῷ· σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων; [33] Introiuit ergo iterùm in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum?

Matth. 27. v. 11. Marc. 15. v. 2. Luc. 23. v. 3.

INTROIVIT ERGO. Cùm ergo nollent Iudæi Iesum per se occidere, vrgerent autem vt Pilatus id faceret, iamque etiam accusationes in eam rem produxissent, *introiuit* ITERVM, egressus enim fuerat, vt peteret quam accusationem afferrent (suprà v. 29.) Introiuit autem, vt absque omni tumultu Iesum examinaret de criminibus obiectis, quod annotat Chrysostomus. ET VOCAVIT IESVM, ex atrio, credibile est, vbi vinctus tenebatur à ministris Iudæorum, in conclaue aliquod. Reliqua huius versiculi pete ex Matthæo.

Respondit Iesus: A temetipso hoc [34] dicis, an alij dixerunt tibi de me?

ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἰησοῦς· ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις, ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ;

A TEMETIPSO. ex temetipso, tamquam ipse habens opinionem quòd ego possim esse Rex Iudæorum. Hoc DICIS. rogas an sim rex Iudæorum? qui enim rogat, quamquam dubitet, videtur tamen argumenta habere in eam partem quam rogando proponit, si modò ex semetipso roget. DIXERVNT TIBI DE ME? suggesserunt tibi, aut causam alioqui præbuerunt vt me id roges? Ex tuáne ipsius, an ex aliorum sententia, id me putas rogandum? Absuerat Iesus, cùm primores Iudæorum accusarent ipsum, quòd dixerat se Christum Regem esse: dissimulans itaque se id scire, rogat Pilatũ, an propriâ sponte quærat *Tu es rex Iudæorum*, an ab alijs incitatus? Non quòd hoc ignoraret, sed quòd, cùm nollet primis statim verbis fateri se Regem Iudæorum, ne iactantiæ notaretur, voluerit interijcere sermonem aliquem aptum, post quem, iterùm pressus, cum gratia fateretur quod res erat,

Respondit Pilatus: Numquid ego [35] Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?

ἀπεκρίθη ὁ πιλάτος· μήτι ἐγὼ ἰουδαῖός εἰμι; τὸ ἔθνος τὸ σὸν καὶ οἱ ἀρχιερεῖς παρέδωκάν σε ἐμοί· τί ἐποίησας;

NVMQVID EGO IVDÆVS SVM (contemnentis est) ita scilicet vt ex memetipso te rogem an sis Messias Rex Iudæorum? q. d. haud quaquam ego Iudæus sum, nec legi prophetas eorum, nec scio proprietates Regis illius quem exspectât, ita vt dubitare apud me possim an tu ille sis, & ex memetipso te eâ de re rogare. Respondet igitur, quòd non ex semetipso id rogauerit, relinquit autem intelligendum, quòd ex aliorum instructu id rogauerit, satisque insinuat consequenter quòd ex instinctu Iudæorum: nec tamen hoc subdit, sed tamquam facilè ipse eat in eam sententiam, quòd ipse sit ille Rex, ita eum alloquitur, vt cautè eliciat quid Iesus de seipso sentiat. GENS. inquit, TVA ET PONTIFICES. populus & pontifices regni tui, id est, maiores & minores, quasique vniuersum regnum tuum. Principibus ducentibus Iesum domum Pilati, adiunxerat se in itinere magna populi multitudo. TRADIDERVNT TE regem suum MIHI interficiendum. QVID FECISTI? quâ te eos læsisti, vt sic rebellent tibi, & mortem machinentur? videris teneri aliquâ insigni culpâ. Non perseuerat in vrgenda priori quæstione An sit Rex Iudæorum, sed tamquam habens ipse eum pro Rege Iudęorum, rogat quid fecerit, quòd ab ipso populo regni sui ad mortem expetatur: metuens enim vt Iesus apertè responderet priori quæstioni, occultè per posteriorem rimatur, sentiátne de seipso quòd sit Rex Iudæorum. Nam si Iesus respondisset Ego nihil feci, nec ipsis aliquâ in re nocui, facilè ex eo intellexisset, quòd Iesus sentiret, se esse regem ipsorum, & illos populum suum.

Respondit Iesus: Regnum meum [36] non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc.

ἀπεκρίθη ὁ ἰησοῦς· ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου. εἰ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμή, οἱ ὑπηρέται ἂν οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο, ἵνα μὴ παραδοθῶ τοῖς ἰουδαίοις. νῦν δὲ ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν·

RESPONDIT IESVS, non ita vt videri possit incautè fateri, sed ita vt prudens sciensque agnoscere, se regem esse Iudęorum. Quare non respondet ad posteriorem quæstionem *quid fecisti*, sed ad priorem *tu es Rex Iudæorum*, quâ nouerat contineri Iudæorum de se accusationem, & ad quam à Pilato responsum desiderari non ignorabat. REGNVM MEVM, Implicitè quidé fatetur se regem illum esse, sic tamen vt facile sit intelligere: sed antequam disertioribus verbis id concedat, eneruat diluitque accusationem aduersariorum, & Pilatum solicitudine soluit. NON EST DE (ἐκ ex) HOC MVNDO. id est, non est, ex numero regnorum huius mundi, nec est tale, qualia sunt regna huius mundi. Regnum Christi, à Deo promissum, & à prophetis prædictum, quod meum est, non est eius generis, cuius est regnum Cæsaris, non est mundanum, terrenum, caducum. Quare immeritò apud te accusor reus læsæ maiestatis Cęsareæ, postquam regnum meum non aduersatur regno siue imperio Cæsaris, cũ quo nihil commune habet aut quærit in rebus huius mundi, quo vestram in hoc mundo dominationem nec impedio nec mihi arrogo. Sic respondet, non vt à Pilato absoluatur & dimittatur, sed ne condemnetur vt tyrannus, regni terreni, quod Cæsaris tunc erat, affectator. *Liberauit à formidine Pilatum*, habet Cyrillus, *qui dignitatem Cæsaris in Iudæa seruare debebat. Quod tunc Pilatus metuebat* (inquit Chrysostomus) *tollit, tyrannidis videlicet suspicionem*: quasi dicat: Rex sum, non tamen qualem arbitraris: *& ita* (addit Theophylactus) *ne timeas me tamquam tyrannum & seditiosum. Demonstrare adhuc ante omnia voluit, vanam de regno suo opinionem, siue gentiũ siue Iudæorũ*, quod annotat Augustinus. SI EX HOC MVNDO ESSET REGNVM MEVM. Probat quod dixerat, regnum suum non esse ex hoc mundo; probat autem, apud virum ethnicum, ratione, argumento inquam à communiter accidentibus petito, quod priùs apud Iudæos docuerat ex scripturis sacris. Matt. 26. v. 64. MINISTRI MEI. haberé milites, satellites, & ministros, qui CERTARENT pro me, armis, verbis, modisque omnibus, ad mortem vsque, ne TRADERER IVDÆIS hostibus meis, siue à Iuda proditore, siue à te, siue ab alio quocumque. Constant enim huius mundi regna, militum ministrorumque tum fortitudine tum multitudine: quorum primum officium est, Regem propugnare & ab hostibus defendere, nec solet Rex minus aliquid ex suo regno emolumenti accipere. Ab eo quod euidenter præsens est, sumit argumentum: poterat verò à pluribus aliis simililibus rebus sumere, vt, si regnum

gnum meum esset ex hoc mundo, dominarer subiectis mihi populis, abundarem diuitiis, purpurâ vestirer & bysso, suppeterent omnis generis delitiæ, quæ omnia sunt regnorum regumque huius mundi. Sed ex vno cætera intelligenda relinquit. erant enim æquè propemodum manifesta omnia. NVNC AVTEM. Non est hoc loco *nunc* aduerbium temporis, sed particula cuius vsus est in assumtionibus. *Nunc autem* REGNVM MEVM NON EST HINC, non est ex hoc mundo, non est regnum huius mundi, ac proinde, nullum, vt vides, habeo armatum satellitium, nullos ministros qui pro me certent, sed impunè nemineque resistēte, Iudæi me comprehenderunt prodente discipulo, vinxerunt, captiuū abduxerunt, condemnarunt, illuserunt, postremò tibi interficiendum tradiderunt, id quod etiam ad optatum finem perducent. Simili ratione fit vt in hoc mundo vilis sim & abiectus, pauper, inops, nudus, lugens, miser, minimè quęrens dominationem terrenam. Regnum enim meum cùm non sit ex hoc mundo, nec regem suum nec subditos suos reddit beatos secundùm hunc mundum, non eis adfert famulitium, robur, dominatum, gloriam, opes, delitias, voluptates, & cætera optabilia ad vsum præsentis vitæ: immo non alienum ab eo est, vt tam rex eius quàm subditi, hic in mundo nihili fiant, inopiam, nuditatem, cæteraśque miserias ferant, vexentur, tribulentur, persecutiones, mortem denique ab inimicis iniustè patiantur, sicut cernis mihi contingere. Quare non est regnum meum contrarium monarchiæ Cæsaris, nec enim affectat Cæsar aliis regnis imperare, quàm iis quæ sunt huius mundi, quę huius mundi more constant ciuitatibus, oppidis, castris, firmantur militibus, armis, opibusque, magnificentiâ & gloriâ splendent, abundant delitiis & voluptatibus carnis: quibus vitio vertatur, summoque dedecori sit, si Rex ipsorum ab hostibus capiatur & illusus trucidetur. Quocirca vana est accusatio eorum qui me insimularunt affectati regni cum iniuriâ Cæsaris, vt facilè perspicere potes. Porrò dicit Iesus & repetit, *regnum meum non est hinc*, non est huius mundi regnum, nec tamen dicit vnde aut quale sit: sufficit enim ipsi depellere calumniam, criminis obiecti suspicionem & inuidiam abs se amouere, suamque innocentiam probare: de cætero non se vult ostentare, vt nec Pilatus rogat, nec tempus idoneum, aut persona capax est, quæ vltrò de regno suo disserentem audiat. Alibi verò suos docet vnde regnum ipsius sit & quale, quòd sit regnum cælorum, cæleste & æternum, quod spirituali modo in hac mortali vitâ incipiat, perficiatur autem in æternâ vitâ omnibus veri nominis bonis, prout à nobis descriptum est ex ipsius magistri sententiâ Matth. 3. v. 2. Quare signanter non ait *Regnum meum non est hic*, sed *non est hinc*: est enim hîc, iuxta illud quod alibi dicit *Regnum Dei intra vos est* (Luc. 17. v. 21.) hîc enim, id est, in hoc mundo, colligitur & paratur, sed non est hinc, quia alia est eius conditio, quàm regnorum huius mundi: hic incipit & peregrinatur, in cælis demum, vtpote patriâ, perficitur. Regno quippe suo in hoc mundo, dicit: *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo*. Suprà 15. v. 19. Sic ferè D. Augustinus.

εἶπεν οὖν αὐτῷ ὁ πιλάτος· οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; ἀπεκρίθη ὁ ἰησοῦς· σὺ λέγεις ὅτι βασιλεύς εἰμι ἐγώ. εἰς τοῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, ἀκούει μου τῆς φωνῆς.	37 Dicit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.	*Matth. 27. v. 11. Marc. 15. v. 2. Luc. 23. v. 3.*

ERGO REX ES TV. ita est & syriacè. Possit hoc pressè legi, hoc sensu, Tu igitur regem te esse affirmas, ita enim loqui solent Iudices, vt eliciant ex reis veritatem: sed fortè potiùs interrogando legendum est, quia græcè additur οὐκ num. οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; *Num igitur Rex es tu?* Rectè hoc Pilatus infert, quia clara consecutio est, vt rex sit, qui habeat regnum; vt regem se fateri cogatur, qui asserat se regnum habere. Sed vndecumque & qualecumque sit regnum tuum, inquit, regémne igitur saltem te esse fateris, & quidem Christum siue Regem Iudæorum? Pilatus, more periti Iudicis, vrget Iesum reum, vt clarè respondeat illi articulo, quo accusabatur, quòd dixerat se Christum Regem esse, quamquam non tam quòd culpæ nunc adscribat, quàm vt de re ipsâ certior fiat. Quamuis autem iam non roget: Tu ne es rex Christus aut rex Iudæorum? quia tamen hoc primùm rogauerat (suprà v. 33.) & Iesus minimè illud reiiciens, volens autem modestè fateri, priùs regni sui conditionem descripserat, huiusmodi, qua nihil aduersaretur Imperio Romano, intelligere oportet quòd hoc idem iam repetat. TV DICIS QVIA REX SVM EGO. tu dicis me esse regem, Iudæorum scilicet. *Quia* intelligo pro *quòd* positum, ex prioribus Euāgelistis, qui nihil aliud referunt quàm *Tu dicis*. IN HOC. εἰς τοῦτο ad hoc (quemadmodum mox vertit, repetitur enim idem græcè ad hanc rem.
VENI IN MVNDVM hunc, per incarnationem scilicet & natiuitatem Deo Patre mittente. Subindicat se fuisse, antequam veniret aut appareret in mundo, & cùm non esset de mundo, factum esse de mundo, ac proinde se Deum esse hominem factum. VT TESTIMONIVM PERHIBEAM siue dem, tam opere quàm sermone, quinetiam morte, vt palàm & liberè prædicem atque adstruam VERITATI Dei, & inprimis hanc, me Christum regem esse, regnum que me habere non huius mundi. Potuisset Pilatus apud se cogitare (vt huiusmodi homines) Iesum alterius seculi regno ob delicta pulsum, detrusum in corpus & in mundum missum, vt mundum ac præsertim Iudęorum populum conturbaret. Huiusmodi cogitationi vanæ occurrens Iesus, explicat causam aduentus sui in mundum, vt, non seducat aut conturbet mundum, sed doceat veritatem: qua propositione etiam amouet à se omnem arrogantiæ opinionem, addens causam cur fateatur se Christum regem esse, quia ex officio ipsi incumbat prædicare veritatem, quâ proinde interrogatus, nec inficiari nec reticere possit: veritatem eā intelligēs, cuius cognitio hominibus necessaria est ad salutem, qualem istam esse inprimis vult, se Regem esse Iudæorum, siue, quod idem vnum est, se esse Christum Filium Dei viui, & habere regnum, non huius mundi, sed cælorum. Ideò enim Filius Dei in mundum vênit, vt diaboli tyrannidem retegat, & regnum Dei ac suum manifestet, prædicetque illud omnibus à Deo esse paratum, qui modò ipsi credere & pœnitentiam agere velint; vt à regno huius mūdi ad illud præstantissi-

mum homines cogitationes & studia sua traducant. Hoc enim mox ab initio Iesus docuit & prædicauit: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum*, fuitque hæc summa totius euangelij, in mundum ab ipso allati. Est igitur hæc propositio: *Ego in hoc natus sum* &c. *vt testimonium perhibeam veritati*, prioris illius dicti, quo dixerat se Christum regem esse, obsignatio, ne Pilatus putet esse figmentum: nec enim possibile est, eum aliud quàm verum tradere, cui munus asserendæ veritatis diuinitus attributum est, & studium naturâ ingenitum. OMNIS. Hoc addit Iesus, non tam alliciendi Pilati causa (quod nullo profectu facturum se esse sciebat) quàm vt doctrinam suam à contumelia vindicet, quia non omnium est fides. Ne enim cogitet apud se Pilatus: Nulli aut pauci tibi credunt, plerique omnes te reiiciunt, signanter sacerdotes & primores populi Iudaici, quod non est signum, veritatem à te prædicari; occurrit Iesus. QVI EST EX VERITATE. ita loquitur Pilato idololatræ: Iudæis autem ait *qui ex Deo est*. suprà 8. v. 47. *Ex veritate* igitur, id est, ex Deo, qui ex Deo est, non solùm per creationem, verumetiam per electionem; quem Deus prima veritas elegit & spiritu suo regit atque gubernat. *Gratiam commendauit, quæ secundum propositum vocat*, ait Augustinus. AVDIT. credit & obedit verbis meis, hîc comprobat Deum esse veracem. *Qui enim accepit eius testimonium* (ait Baptista de Christo Iohan. 3. v. 33.) *signauit quia Deus verax est*. VOCEM, doctrinam, prædicationem MEAM, qua veritati testimonium à me datur, atque inprimis illi veritati, quòd ego sim Rex Iudæorum, qui regnum cælorum possideam, & cum obedientibus mihi communicem, id est, me regem huiusmodi agnoscit & excipit, & vt huiusmodi obtemperat mihi, salutem vitæ æternæ & regni cælorum beatitudinem à me exspectans: & hic est qui ad regnum meum pertinet, cui ego regno. Iam à contrario sensu intelligendum relinquit, quod suprà 8. v. 47. verbis expresserat: Propterea plerique non audiunt, quia ex veritate non sunt, sed ex mendacio; propterea plerique non accipiunt testimonium meum, non credunt me Christum regem & saluatorem suum esse, quia ex Deo veritate non sunt, sed *ex patre diabolo, qui in veritate non stetit, quia non est veritas in eo*: quia à Deo electi non sunt, sed à diabolo aguntur, *qui mendax est & pater eius*, mendacij scilicet. suprà 8. v. 44. Perstringit Pilatum, sed Iudæos maximè, quibus solis ipse hactenus prędicauerat, quòd à diabolo mendacij auctore agantur, ac propterea, veritatem à se prædicatam, non tantùm non recipiant, verumetiam mendacia plurima contexant, vt innocentem morti addicant.

Luc. 23. v. 4.

Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterùm exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam.

38 λέγει αὐτῷ ὁ πιλάτος· τί ἐστιν ἀλήθεια; καὶ τοῦτο εἰπὼν, πάλιν ἐξῆλθε πρὸς τοὺς ἰουδαίους, καὶ λέγει αὐτοῖς· ἐγὼ οὐδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκω ἐν αὐτῷ.

QVID EST VERITAS? Quia Iesus generaliter loquutus fuerat de veritate (quamquam sermonem generalem præsenti materiæ accommodari voluerit) Pilatus non satis assequens sententiam verborum Iesu, rogat eum & ipse vicissim generaliter, quid sit veritas, petens definitionem veritatis ab eo tanquam philosopho. Existimauit enim eum philosophum agere, & de veritate, regno, cæterisque more philosophorum disserere. Sed quæstio fuit paruifacientis & fastidientis, non discere cupientis, persuasi hæc non sui fori aut professionis esse, nec ad se pertinere, proposita idcircò, ne nihil dicens ad ea quæ Iesus loquutus fuerat, videretur eius verbis plus tribuere quàm se deceret. Id manifestum ex eo fit, quòd simulatque hoc interrogasset, non exspectato responso exiuerit ad Iudæos, prout sequitur: eo ipso enim declarauit, se non interrogasse ad hoc vt disceret. Pilatus sermones hos conferens cum Iesu, non in hoc intentus fuit vt disceret aliquid ex Iesu, quod sibi foret vtile, sed in hoc solùm, vt inuestigaret, an Iesus innocens, an verò culpabilis esset, an meritò accusaretur læsæ maiestatis Cæsaris, an iniustè. Itaque cùm videretur sibi satis cognoscere, quòd innocens esset, quòd licet Regem se esse fateretur, intelligeret id tamen philosophorum more, docentium solum sapientem regnare (nam de cælesti regno, credo Pilatum, non tam nunc cogitasse, quàm posteà quando Iesus accusatus fuit, quòd Filium Dei se fecisset. infrà 19. v. 7.) nullo autem modo Cæsaris imperio aduersaretur vir pauper & humilis, vt philosophi solent de rebus omnibus liberè disputare, de regno, de veritate, de iustitia, fortitudine, sapientia, de pace & bello, de Rep., de magistratu &c., nec tamen principibus & rerum dominis sese opponere; cætera nihili fecit, indignatus est autem apud se, quòd Iudæi auctoritate ipsius abuti vellent in re quæ legibus nullum supplicium mereretur. Doctrinâ igitur Iesu postpositâ & neglectâ, festinauit ad Iudæos exire, vt declaratâ eis innocentiâ, Iesus quidem dimitti, ipse verò molestiâ liberari posset. ITERVM. nam & suprà v. 29. exiuerat. EXIVIT ducto secum Iesu. CAVSAM vel crimen, vtrumque enim verti potest ex *αἰτίαν*. Credidit regnum, si quod haberet Iesus, non esse aduersarium Cæsaris in Iudæos imperio: nisi enim hoc credidisset, damnasset proculdubio eum vt perduellem, vel ideò quòd regem se fecisset, etiamsi regem esse non credidisset: solent enim seuerissimè vindicari, etiam minima argumenta perduellionis. Euthymius in Matthæum scribens: *Pilatus*, inquit, *cum audisset à Christo de regno ipsius, quòd ex mundo hoc non esset, & cognito quòd non haberet apparatum aliquem tyrannicum siue insigne terreni regni, & cognoscens non esse probabilem accusationem, inculpatum eum declarauit*. hæc Euthymius. An autem Pilatus declarauerit Iudæis responsum Iesu, quòd nimirum dixisset regnum suum non esse ex hoc mundo, dubium est: ego non facilè adducor vt credam: sic enim Pilatus fouisset disceptationes, quarum molestiâ desiderabat expediri; præter hoc quòd non ex hac vnâ solâ, sed ex pluribus causis, Iesum absolueret, nominatim quòd nouisset odium capitale accusatorum aduersus reum. Reliqua lege Luc. 23. v. 4.

Matth. 27. v. 15. 17. Marc. 15. v. 6. 9. Luc. 23. v. 17.

Est autẽ consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in pascha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorum?

39 ἔστι δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ἕνα ὑμῖν ἀπολύσω ἐν τῷ πάσχα· βούλεσθε οὖν ὑμῖν ἀπολύσω τὸν βασιλέα τῶν ἰουδαίων;

EST AVTEM. Non est intelligendum, verba ista à Pilato præcedentibus continuè fuisse subiuncta: multa enim

enim intercesserunt, nominatim Iesu ad Herodem remissio, quam narrat Lucas. VOBIS Iudæis. Superioribus verbis Pilatus alloquutus fuit præcipuè principes; his populum præcipuè alloquitur, quod patet ex aliis Euangelistis. VNVM è captiuis. REGEM IVDÆORVM? regem vestrum? *Auelli*, inquit Augustinus, *ex eius corde non potuit, Iesum regem esse Iudæorum.* *Manifestè autem*, quod ait Theophylactus, *per hoc excusat Pilatus Iesum à peccato alienum. Numquam enim*, addit Cyrillus, *Romanus præfectus, cupiditate tyrannidis aduersus Romanos accusatum, si quidquam signi daretur, dimitteret.* Reliqua petenda sunt ex Matth. 27. v. 15. 17. & Marc. 15. v. 9.

ἐκραύγασαν οὖν πάλιν πάντες, λέγοντες· μὴ τοῦτον, ἀλλὰ τὸν βαραββᾶν. ἦν δὲ ὁ βαραββᾶς λῃστής.	40	Clamauerunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. erat autem Barabbas latro.

Matth. 27. v. 21. 26. Marc. 15. v. 7. Luc. 23. v. 18. 19.

CLAMAVERVNT. ἐκραύγασαν magnum & deformem clamorem ediderunt; *quasi leo in sylua*, quod ex Ier. 12. v. 8. Cyrillus huc adfert. RVRSVM. Clamauerant priùs, quod Lucas testatur cap. 23. v. 5: *At illi inualescebant dicentes: Commouet populum* &c., sed quia Iohannes alterius clamoris hactenus apertè non meminit, omittunt codices syriaci, nec non & quidam græci, τὸ *rursum*. OMNES. certatim turmatimque vociferati sunt, omnes & principes & populus. Non tamen absolutè omnes, sed plerique omnes, nec vllus est loquutus pro Iesu. SED BARABBAM. Augustinus lib. 3. de symbolo ad catechu. cap. 5: *Quid fuit hoc aliud dicere, quàm, occidatur Christus saluator, quia suscitauit mortuum: dimittatur latro, vt iterum perpetret homicidium?* ERAT AVTEM. Hoc adiecit Euangelista, vt iniustissimam Iudæorum impietatem ob oculos poneret, declarans quem prætulerint Iesu. LATRO. seditiosus homicida, quod docent Marcus & Lucas. Reliqua exposita sunt locis ad marginem pro more annotatis.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Τότε οὖν ἔλαβεν ὁ πιλάτος τὸν ἰησοῦν, καὶ ἐμαστίγωσε.	1	Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.

TVNC ERGO. cùm animaduerteret quòd nec diei festi gratiâ quiret ab Iudæis obtinere liberationem Iesu, quodque non posset omnino liberum dimittere cum gratiâ eorum. APPREHENDIT. ἔλαβεν accepit (id Syrus omittit) accipi seu apprehendi iussit, & in prætorium ductum flagellari. Matth. 27. v. 27. *Apprehendi* autem, postquàm dixisset Iudæis, quod Lucas habet cap. 23. v. 22: *Corripiam illum & dimittam.* FLAGELLAVIT. ἐμαστίγωσε loris cecidit. *Horribili*, inquit Nonnus, *Christi corpus rubescecit flagello.* Fecit hoc autem non per se aut per populum, quod quidam putant, sed per lictores milites suos, quod notat Hieronymus in Matthæum. Iniquus Pilatus, qui Iesum ab omni culpâ absoluens, quasi mediocris delicti conuictum punit. Cæterùm non hoc fecit, quòd iudicaret Iesum flagris dignum (ficta est enim illa sententia quam Adrichomus recitat, quâ Iesus à Pilato ad virgas damnatur, tamquam seditiosus & Mosaicæ legis contemtor) sed vt posset eum à morte eripere, decreuit pœnâ aliquâ mediâ afficere, quæ nec ipsum extingueret, & Iudæos placaret. Vt enim vitaret maius malum, insontis homicidium, minus intulit, sperans Iudæos huiusmodi castigatione contentos fore. vide quæ diximus Luc. 23. v. 16. 22. *Putauit*, inquit Cyrillus, *placari hoc modo posse populos Iudæorum, si qui nullam habebat causam, hæc non meritò pati oculis cerneretur.* Similiter Chrysostomus: *Vt ita sedato Iudæorum furore, inde eum dimitteret.* Denique Augustinus: *Hoc*, inquit, *Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi vt eius iniuriis Iudæi satiati, sufficere sibi existimarent, & vsque ad eius mortem sæuire desisterent.* Quoniam autem hoc fine Iesum flagellauit, æstimare licet, quàm non leuiter, sed dirissimè potiùs flagellarit, quod diximus ad Matthæum, tantâ nimirum cum crudelitate, quantam sperabat mitigare posse tam efferatos Iudæorum animos. In hac autem publicâ Filij Dei flagellatione, præter ignominiam & infamiam quam inurebat, tria quædam piis consideranda sunt; primum detractio vestium, de qua Matth. 27. v. 28., verecunda animo Filij Dei ingenuo, ob nuditatem. Secundum, indigna alligatio, quæ ad columnam facta creditur, atrium prætorij fulcientem, quæ posteà translata, Ecclesiæ porticum sustinuit, quod scribit Hieronymus epistola 27. quæ est epitaphium Paulæ, his verbis. *Ostendebatur illi columna Ecclesiæ, porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Tertium, verberatio ipsa & tenerrimi corporis laceratio, cuius atrocitate totum Domini corpus cruentatum & quasi purpuratum fuisse non dubium est. Horrendum spectaculum mundo & angelis & hominibus, cùm à seruis peccati, princeps & vindex libertatis, seruilibus modis conciditur. Nimirum hoc pati voluit pro nobis, multa Dei flagella promeritis, gerens se non secus ac pia mater, quæ patri irato occurrens pro filio se flagellis exponit. *Flagellatus iniuriâ fuit*, inquit Cyrillus, *vt à vulneribus, quæ iure peccatis nostris perpessi sumus, nos liberaret.* Reliqua lege Matth. 27. v. 26. & Luc. 23. v. 22.

Καὶ οἱ στρατιῶται πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, ἐπέθηκαν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ, καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτόν.	2	Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: & veste purpureâ circũdederunt eum.

Matth. 27. v. 28. 29. Marc. 15. v. 17.

ET MILITES. Milites autem. Milites tam flagellarunt Dominum quàm texuerunt ei coronam spineam: sed quia illud quidem fecerunt iussi, hoc autem iniussi, idcircò illud quidem Pilato, hoc autem ipsis adscri-

bitur. Cæterùm etsi non iusserit Pilatus, vt adhiberentur hæc illusionum genera, permisit tamen, vt eo faciliùs placaret Iudæos. PLECTENTES. πλέξαντες postquàm plexuissent, contexuissent. VESTE. ἱμάτιον pallio. vide Matth. 5. v. 40. Matthæus dixit *chlamyde*, quæ est pallium militare. Reliqua pete ex Matthæo & Marco locis pro more ad marginem adscriptis.

Matth 27. v. 29. Marc. 15. v. 18.

Et veniebant ad eum & dicebant: Aue Rex Iudæorũ: & dabant ei alapas. 3 καὶ ἔλεγον, χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, καὶ ἐδίδουν αὐτῷ ῥαπίσματα.

ET VENIEBANT AD EVM alij post alios, tamquam adorandi causa. ET DICEBANT genuflexi. EI tamquam non regi sed vili mancipio, contemtus gratia. ALAPAS seu *palmas*, vt quidam legunt & Interpres vertit Matth. 26. v. 67. ῥαπίσματα quidam interpretantur ictus virgæ, bacilli, aut fustis: id quod idem vnum cum eo sit quod Matthæus & Marcus aiunt *Et percutiebant caput eius arundine*: sed prius vero similius, vel ex eo est, quòd Iohannes, studiosè tacens quæ alij dixerant, noui aliquid addere voluisse videatur. Cum sputis igitur, munerum loco, alapas Domino in faciem dederunt: impletaque est prophetia Threnorum 3. v. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*. Reliqua ex Matthæo petenda sunt cap. 26. v. 67. & cap. 27. v. 29.

Exiuit ergo iterùm Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. 4 ἐξῆλθεν οὖν πάλιν ἔξω ὁ πιλάτος, καὶ λέγει αὐτοῖς· ἴδε ἄγω ὑμῖν αὐτὸν ἔξω, ἵνα γνῶτε ὅτι ἐν αὐτῷ οὐδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκω.

FORAS. è prætorio in Lithostroton, de quo infrà v. 13. Nam vt flagellaret Iesum, intrò in atrium prætorij se receperat. EIS Iudæis, foris ante prætorium adstantibus. VT, videntes quomodo eum permiserim castigari & puniri in vestram gratiam, quia vos offendit tegem se dicens Iudæorum, COGNOSCATIS, intelligatis, seu fidem verbis meis adhibeatis, credatis mihi. QVIA. quòd CAVSAM. αἰτίαν noxam, crimen, vt sup. 18. v. 38. *Nullam causam*, vel Romani imperij læsi, vel publicæ rei perturbatæ, vel sceleris admissi: immo huiusmodi regnum, quale ipsius esse intelligo, ipsi facilè admitto. *Nullam inuenio in eo causam*, nullam noxam, ob quam cruce aut morte sit dignus. Debetis hoc meritò credere: nam si, quamuis sæpiùs vobis declarauerim, eum esse iustum & innocentem, neque vllam meritum esse tractationem malam, tamen vt vobis satisfacerem, quia vos aliter iudicatis, iussi eum tam truculenter castigari quàm vestris oculis videtis: quid non facerem, si crimen morte dignum in eo inuenirem? Si nullo inuento crimine, præterque meritum, vt meum fert iudicium, permisi eum hac ratione tractari, vt vobis gratificarer: manifestum euadit, quòd multo magis vobis gratificari vellem eum in crucem agendo, nec parcerem ei, si aliquod eius crimen eâ morte dignum mihi innotuisset. *Non veretur Pilatus* (ait Cyrillus) *peccatum suum fateri* (*iniuriâ enim flagellatum à se Iesum prædicat*) *& foras eum educere, vt ita esse ipsi quoque cognoscant*. Fatetur ingenuè Pilatus, quod Iesum flagellasset & malè tractasset, non ideò fuisse quòd ille hoc meritus fuisset, sed quòd placare mitigareque conatus sit ipsorum animos: vt solet populi furor, si fuerit aliquousque sæuitum in eum in quem fertur, conquiescere, præsertim si ludibrium additum calamitati, pro inuidioso reddat miserabilem. Dicit hoc igitur Pilatus, vt tentet populi mentem, an contentus hac coërcione, desistat ab exigenda Iesu morte.

Exiit ergo Iesus, portans coronam spineam & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. 5 ἐξῆλθεν οὖν ἰησοῦς ἔξω, φορῶν τὸν ἀκάνθινον στέφανον καὶ τὸ πορφυροῦν ἱμάτιον· καὶ λέγει αὐτοῖς· ἴδε ὁ ἄνθρωπος.

EXIIT ERGO Pilati iussu, vt populo exhiberetur. IESVS à militibus ductus. ἔξω *foras* additur græcè & syriacè, id est, in Lithostroton, apud Pilatum præsidem. PORTANS capite CORONAM SPINEAM. capite lacerato & cruentato tumidoque, facie perfusa sanguine & sputis alapisque fœdata. VESTIMENTVM. ἱμάτιον pallium, (vt suprà v. 2.) apparentibus totius corporis vulneribus, liuoribus, ac plagis, ex flagellatione inflictis; in summâ, omnibus aspiciendus propositus est, sicut erat tractatus pessimè, *non clarus imperio*, inquit Augustinus, *sed plenus opprobrio*, ac supplicio, miseriæque ipsius spectaculum. Eduxit Pilatus Iesum, & populo spectandum exhibuit, quâ erat miserandâ formâ, vt suis ipsi oculis videntes, quàm dirè fuisset flagellatus, tortus, & illusus, placarentur & mitigarentur animis, compassioneque ducti desinerent eius cædem expetere, persuasi nullum in eo crimen morte dignum à Iudice inueniri. *Eduxit eum ludibrij stolâ vestitum*, inquit Euthymius, *vt hunc in tanto videntes opprobrio, satiarentur ac placarentur. Explere*, ait Cyrillus, *miserabili hoc visu animos illorum putauit*. Hac formâ vidit Iesum Isaias, cùm diceret cap. 53. v. 2: *Non est species ei neque decor, & vidimus eum & non erat adspectus, & desiderauimus eum, despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem*. In eandem Iesu formam & nos conicere oculos oportet in tribulatione constitutos, vt ne *fatigemur animis deficientes*, quod monet Apostolus Heb. 12. v. 3. ET DICIT s. Pilatus Iesum exhibens EIS. Iudæis. ECCE HOMO, cui vobiscum communis est humana natura: adspicite quàm sæuis flagris & quàm crudelibus iocis exceptus sit, eò quòd vos sermone nonnihil offenderit. Regem vestrum se dixit: at *iam parcite, quia deiectum videtis, flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conuitiis illusus est, alapis cæsus est*; (hactenus sunt verba D. Augustini) satis superque castigatus est: est quo contenti esse debeatis, ne mortem eius pergatis expetere: homo est enim vestri similis, non bestia. Conatur eos Pilatus ad humanam commiserationem flectere, admonens vt hominem miserè adeò tractatum oculis humanioribus adspiciant, & furorem ponant: vt hac hominis afflictione deiectioneque, quam subindicat

indicat meritis esse maiorem, placati, desistant vrgere eius cædem, & permittant deinde dimitti liberum. *Homo dixit*, inquit Euthymius, *præ compassione, vt & ipsi compassione mouerentur*. Non iam ait *Ecce Rex vester*, ne irritet eos magisque inflammet ad postulandam eius mortem: sed *Ecce homo* aduersus quem insurgitis: depressus egregiè est, si se nonnihil extulit: quid amplius vultis? si homines estis, hominis miseremini. Sub his porrò Pilati verbis latet magnum mysterium (ipse licet illud non sit assequutus) quo nos monemur semper mentis oculos in Dominum Iesum pro nobis passum conijcere, tamquam si audiamus *Ecce homo*, qui pro homine datus solus hominem seruat; & ipsi vicissim grato animo dicamus: *Ecce homo, in quo posuit Deus iniquitatem omnium nostrum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*: redamandus proinde nobis charitate perpetuâ.

ὅτε οὖν εἶδον αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ὑπηρέται, ἐκραύγασαν λέγοντες· σταύρωσον, σταύρωσον αὐτόν. λέγει αὐτοῖς ὁ πιλάτος· λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σταυρώσατε, ἐγὼ γὰρ οὐχ εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν.

6 Cùm ergo vidissent eum pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite, ego enim non inuenio in eo causam.

Luc. 23. v. 23.

CVM ERGO. frustratus est opinione Pilatus, quâ sperabat Iudæorum odium hac Iesu afflictione placandum: nesciebat pontifices, cæterorum duces, implacabiles esse & immisericordes, qualis rector eorum diabolus, & odium eorum insatiabile, donec extinctus esset quem persequerentur. VIDISSENT. *Grauis fuit eis etiam ad videndum*, quod prædixerat de ipsis Sapientia cap. 2. v. 15., adeoque instar ferarum, viso sanguine flagellati, ferocierunt magis. EVM. ita vt erat tractatum pessimè, & flagris & probris. PONTIFICES. primi illi clamarunt, vt populo se duces præberent: fortassis enim populus misericordiâ motus Iesum liberasset, & contentus illo supplicio præsidi acquieuisset: id veriti pontifices, mox exclamarunt crucifigendum esse, vt populum secum in sententiam clamoremque eundem abriperent. Nam quòd populus hoc idem egerit clamore suo, constat ex alijs Euangelistis (Matth. 27. v. 23. Marc. 15. v. 14. Luc. 23. v. 23.) sed quia pontifices sequutus est, ideò solos illos Iohannes nominat. *Cum multitudo*, inquit Cyrillus, *aliquo modo huius facti suberubesceret, recordata forsan miraculorum illius, ipsi primum exclamant & vulgus incendunt.* MINISTRI pontificum. hi enim imbuti eodem veneno quo domini, clamores dominorum suorum ita auxerunt, vt sufficerent secum abripiendo populo. CLAMABANT. ἐκραύγασαν clamauerunt, vociferati sunt deformiter. Non dicebant sed *clamabant*; clamore deformi & insano tumultu, non ratione agebant. CRVCIFIGE. Non sufficit hæc pœna impio: non corripiendus tantùm & flagellandus, sed interficiendus & in crucem agendus est. Quod ad leges ciuiles, iure nunc fuerat Iesus liberandus, quia Iudicis sententiæ satisfactum erat, nec nisi vnam pœnam vni causæ leges decernunt: sed nulla est ipsis ratio vel iuris vel æquitatis. Nequaquam contenti sunt dirissimis flagris & probris innocenti illatis, sibique ante oculos propositis (quasi non esset illi cum ipsis communis natura humana) neque quidquam mouentur iudicio Præsidis, censentis eum commiseratione dignum, & præter meritum castigatum, sed mortem exigunt, & quidem crucis, more canum rabidorum, quorum sitis, vbi gustarunt hominis sanguinem, non priùs exstinguitur, quàm vniuersum hauserint. CRVCIFIGE EVM. Repetitio animi furorem & ardorem significat. PILATVS. offensus crudeli pertinacia eorum, quòd innocentem morte crucis afficere velint, nec tantâ sint pœnâ, quanta iam inflicta fuerat, contenti; indignatus quòd nullâ ratione placarentur furibundi, quódque nec ex captatâ misericordiâ quidquam esset spei. VOS, *qui iniusti estis*, quod subaudit Euthymius. ET CRVCIFIGITE, si vobis videtur & audetis. Non est concedentis, sed horrentis crimen. *Verbum est indignantis*, inquit Chrysostomus *& monentis vt ipsi rem non permissam patrent*. Si æquum est, hominem perdere, nondum inuentâ & cognitâ causâ iustâ perditionis, vos ipsi hoc facite. EGO ENIM, penes quem est crucifigendi auctoritas, non crucifigo nisi quos constat esse facinorosos. CAVSAM. αἰτίαν noxam (vide sup. 18. v. 38.) s. cruce dignam, ac proinde numquam adducar vt crucifigam innoxium. Egregiè hunc locum enarrat Cyrillus, his verbis: *Stupet Pilatus, quomodo Iudæorum populus, & maximè principes, ita truculenti sint, vt cum nulla in Christum causa inueniatur, tam turpi morte occidere ipsum studeant. Hac de causa quasi contemtus indignatur ac dicit: Ministrum me impiæ cædis solum inuenistis? Ego præter Romanorum leges innocentem occidam? ego clamoribus vestris territus ad me facinus detrudam?* & paulò pòst: *Si lex est apud vos, quæ summo insontes supplicio cruciet, vos soli hoc facite, cædem hanc patrate, impietatis huius crimen in capita vestra vertite; sit Iudaica solum illa temeritas, ego id non consentiam.* Hæc Cyrillus.

ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ ἰουδαῖοι· ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν, ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν θεοῦ ἐποίησεν.

7 Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

NOS IVDÆI. LEGEM diuinitus nobis latam, quam & tu decreto Cæsaris nobis seruare debes inuiolatam. Permiserat enim Cæsar Iudæis, vt suis ritibus & legibus viuerent, mandaratque Præsidibus, ne in earum obseruatione eos turbarent aut turbari sinerent. ET SECVNDVM LEGEM ἡμῶν *nostram* additur græcè ac syriacè. Phrasis hebræa, qua antecedens repetitur loco relatiui: *Nos legem habemus* secundùm quam DEBET MORI. reus est mortis, quod habet Syrus, summa est in eo causa cur debeat interfici. q. d. Si tu iuxta Cæsareas Romanasque leges, nullam in eo inuenias causam mortis, quamquam fallaris summopere: nos iuxta diuinam legem inuenimus maximam, quam hactenus proferre noluimus, apud legis nostræ

ignarum; nunc autem cogimur, vt clarè videas, non odio nos aut libidine, sed iure legisque zelo motos, ad crucem hunc postulare. sentiebant enim se obliquè à Pilato perstrictos esse. QVIA FILIVM DEI SE FECIT. *Fecit*, id est, finxit, falsò dixit, asseruit, prædicauit, se esse filium Dei, vsurpauit sibi nomen filij Dei, & huiusmodi haberi ab omnibus voluit; non adoptione solùm aut gratiâ, quales sumus omnes qui iusti sumus, sed naturâ filius Dei, tamquã Deus natus ex Deo. Intelligendũ hoc dederat Iesus non rarò, se inquam esse filium Dei, in suis ad populum publicis concionibus: docuerat hoc discipulos suos: denique confessus id fuerat disertis verbis coram ipso Concilio Iudæorum, prout hæc à nobis declarata sunt Matth. 26. v. 63. & 64. Porrò hoc suæ legi repugnare, dicere volunt: quamuis enim nullum sit in lege caput, quo singulariter caueatur, ne quis se dicat filium Dei, callidâ tamen legis interpretatione, prohiberi hoc volunt, primis illis legis præceptis, Deuter. 6. v. 4: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*; & 5. v. 7. *Non habebis Deos alienos in conspectu meo*. Vnus est Deus, nullum agnoscens alium Deum secum: nullus igitur Deo est naturâ filius; nam si esset, Dij plures essent, pater scilicet & filius; non vnicus Deus: filium enim necesse esset, non minùs esse Deum quàm patrem. Quod si nullus est nec esse potest Deo filius: hic igitur qui se dicit Dei filium, facit, fingitque se Dei filium, & sibi falsò vsurpat quod Dei est: ac proinde meretur mortem, quam lex pseudoprophetis, qui annunciant Deos alienos, & blasphemis omnibus, decernit, Deut. 13. v. 5. 9. 10. Leuit. 24. v. 16. hoc enim argumentum ad caput de blasphemiâ retulerunt Matth. 26. v. 65. Hæc illorũ ratiocinatio fuit, quæ eâ ex parte nititur veritate, quâ statuit, Deum esse debere qui naturâ sit filius Dei; nec non eâ parte, quâ assumit, omnem qui naturâ filium Dei se facit ac fingit, ex lege reum esse mortis: sed fallit hac ex parte, quòd ponat, patrem & filium non posse vnum esse Deum; rursus eâ parte quòd subsumat, Iesum facere ac fingere se filium Dei. Nam cùm frequenter, in sacris veteris testamenti libris, Messias prædicetur Filius Dei, & quidem ex Dei vtero genitus (Psal. 2. v. 7. Psal. 109. v. 3.) immo etiam Deus (Psal. 44. v. 7. Isa. 9. v. 6.) nec minùs constanter, Deus vnus esse credendus proponatur, intelligere debebant, Messiam sic esse Filium Dei, vt vnus sit cum Deo Patre Deus. Porrò quod subsumebant, Iesum se facere Filium Dei, calumnia erat: nisi enim inuidiâ odioque excæcati fuissent, vidissent clarè, quomodo reipsâ probarit se Filium Dei, admirandis operibus ac diuinitatis virtutibus, testimoniis legis ac prophetarum, aliisque modis. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, ait Apostolus Rom. 1. v. 4. *Cumque in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Considera autem mihi, quomodo studiosè Iudæi reticeant, genus mortis à lege decretæ pseudoprophetis & blasphemis, lapidationem inquam: eò quòd præter legem vrgerent, mortem crucis Iesu inferendam. Considera & hoc, verba eorum paulò alio sensu accepta, quàm ab ipsis sunt, verissima fuisse, & quasi à Spiritu sancto profecta, vt suprà 11. v. 51. Caïphæ verba. Secundùm legem enim debebat mori, quia Filium Dei se fecerat, quia Messiam Filium Dei rebus ipsis esse se declarauerat. prædixerat enim lex, Messiam moriturum pro peccatis & salute multorum. Isa. 53. v. 12.

Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.	8	ὅτε οὖν ἤκουσεν ὁ Πιλάτος τοῦτον τὸν λόγον, μᾶλλον ἐφοβήθη.

ERGO. Syrus *autem*. HVNC SERMONEM De Filio Dei. MAGIS TIMVIT scilicet quàm anteà. Anteà timuerat, ne interficeret innocentem: iam timuit, ne in Deum aliquem aut heroëm, filium alicuius Deorum, sacrilegè manus iniiciens, longè magis Deorum aduersus se iram prouocaret. Hactenus Iesu innocentia, à ferenda damnationis sententia, eum retardarat: nunc religio absterret, ne impius sit in Deum, si maius aliquid homine Iesus sit. Nam vt erat ethnicus, & plurium Deorum cultor, imbutus opinionibus gentium: ita facilè credidit, Iesum, vel hominem esse posse ex Deo & homine natum, id est, heroëm aut semideum (*semideos enim*, ait Cyrillus, *& deorum filios gentilium fabulæ multos confingunt*) vel (quòd sentiebant Licaones de Paulo & Barnaba Act. 14. v. 10.) Deũ similem factum hominibus ad homines descendisse, Deum sub humana imagine in terris versari. Credidit autem, tum ob admiranda & humanis viribus maiora quæ Iesus ediderat miracula: tum ob eximias virtutes, quibus coràm obseruabat eum præditum esse, sapientiam, prudentiam, grauitatem, fortitudinem, animum imperturbatum, &c. Hinc metuere cœpit. ne verè in eum competeret, quod ei criminis loco obiiciebatur. Ac videntur omnino Iudæi, huiusmodi aliquid veriti, ne Pilatus, accusatione de Filio Dei instituendâ, magis moueretur ad absoluendum Iesum quàm ad damnandum; ac proinde, hanc accusationem postremam produxisse, nec priùs quàm necesse esse viderent.

Et ingressus est prætorium iterùm, & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.	9	καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν, καὶ λέγει τῷ Ἰησοῦ· πόθεν εἶ σύ; ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπόκρισιν οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ.

ET. Quam obcausam INGRESSVS EST PRÆTORIVM ITERVM, ducto secum Iesu; vt eum examinaret, & exploraret quid hac de re esse posset, remque planiùs intelligeret. VNDE ES TV. Non tam de patriâ rogat, quam persuasus erat Nazareth esse, oppidum Galilææ: quàm de parentibus. quo patre, qua matre, quibus maioribus, qua domo aut familia, ortus es tu? quæ est origo tua? Intelligere volebat, an ex eorum quos nouerat Deorum aliquo, cælestem originem duceret: præsertim cùm paulò antè dixisset, regnum suum de hoc mundo non esse, sed in mundum se venisse, vt testimonium perhiberet veritati. sup. 18. v. 36. 37. RESPONSVM NON DEDIT EI. Semel, quia responso indignus erat, qui innocentem crudeliter adeò tractarat satis superque notam ipsi fecerat innocentiam suam, nec tamen abstinuerat iniuriis. Iterùm, quia quantum satis erat responderat propositæ quæstioni, verbis illis sup. 18. v. 36. 37. datis, quibus insinuauerat se regem esse, non tamen huius mundi, venisse autem in hunc mundum testificandæ veritatis causa. *Quod discere quærit*, ait Euthymius, *iam didicerat, quando audierat Regnum meum non est de hoc mundo*. Plenioris responsi capax non erat: non enim poterat nosse Filium Dei, qui non nouerat Deum. Interrogabat non ex fide, sed ex timore vanorum Deorum, vt idololatra, plures credens Deos, qualis Iesus nolebat haberi, nec vt huiusmodi absolui:

quem-

quemadmodum nec à resurrectione voluit Tiberij opera inter Romanos Deos referri. Interrogabat Pilatus, non vt humilis discipulus, sed vt superbus iudex, de mysterio quod non nisi paruulis reuelatur: ac proinde irrisisset potiùs quàm credidisset, si Iesus, se in principio ante omnia secula, ex Deo patre genitum fuisse, & vnum cum Patre Deum esse, respondisset. Postremò, nouerat Iesus, Pilatum tandem, omnibus tentatis, cessurum obstinato Iudæorum furori, cùm *ignauus esset ac meticulosus*, quod ait Euthymius: vt nec desiderabat Iesus liberari à morte, in cuius periculo versabatur, & ne videri quidem volebat quærere liberationem, memor se coram Pilato stare, non ad agendum causam suam; vt rei solent qui absolui cupiunt; sed ad subeundum iudicium nostra causa. Meritò itaque iam responso abstinuit.

λέγει οὖν αὐτῷ ὁ πιλάτος· ἐμοὶ [10] οὐ λαλεῖς; οὐκ οἶδας ὅτι ἐξουσίαν ἔχω σταυρῶσαί σε, καὶ ἐξουσίαν ἔχω ἀπολῦσαί σε;

Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?

DICIT indignabundus. MIHI NON LOQVERIS. mihi non respondes? Vrget pronomen *mihi*; cuius emphasin explicans subdit: NESCIS QVIA &c. mihi non loqueris, qui *potestatem habeo* &c. An verò hoc ex eo est, quòd nescias, id quod omnes sciunt. Persuadet sibi, euidens hoc esse, nec cuiquã esse posse dubium, ac proinde miratur id nesciri abs Iesu, seu potiùs eius rei rationem ab ipso non haberi: Atqui Iesus versu proximo declarat, quàm ipse Pilatus fallatur, & quàm non verum sit, quod ille vt indubitatum ponit, æquo arrogantiùs. QVIA POTESTATEM auctoritatem & facultatem, imperium simul & vires (vtrumque enim intelligit) HABEO, CRVCIFIGERE. Phrasis græca, pro crucifigendi te s. prout inimici tui vrgent vt faciam. *Crucifigendi* dicit, potiùs quàm *occidendi*, vt Iesum magis terreat: erat enim crux, genus mortis, vt ignominiosissimæ, ita & crudelissimæ. DIMITTERE. ἀπολῦσαι absoluendi. q. d. Deberes interroganti mihi promtissimè respondere, & rem omnem aperire, eoque modo meam tibi conciliare gratiam, hinc adactus timore ne te crucifigam, id quod contentè postulant inimici tui; hinc allectus spe, vt te dimittam, quò me vides hactenus propensum. vtrumque enim æquè mihi in manu est, & pro meo libitu vtrumlibet possum: nec poterit quisquam contradicere mihi, siue crucifixero te, siue absoluero, vtpote Iudææ totius procuratori & Cæsaris vicario. Offensus silentio Iesu, tamquam paruifacientis aut certè ignorantis, vel non satis considerantis, quam ipse gereret personam, iactat auctoritatem, potentiam, viresque suas, & timore partim, partim spe, responsum ex ore Iesu elicere conatur. Variis agitatur affectionibus, modò timebat, nunc timoris oblitus prosilit in superbum Iesu præ se contemtum: modò terrebatur, iam terret; *irritatus enim*, inquit Euthymius, *quod sibi ne ipsum quidem fouenti respondeat, vibrat potestatem*. Sed dum potentiam suam effert, iustitiæ laude & fama se priuat: tyrannica enim iactantia est, vbi Iudex iactat se pro arbitrio suo posse innocentem vel seruare vel perdere. Iesum fatetur innoxium: parem ergo latroni se facit, dum gloriatur se posse eum crucifigere. Vt vt prudens hactenus videretur Pilatus: hac tamen voce apparuit impius. Bonus iudex, non existimat se posse, quod iure non potest: nec eum pudet Deo subiici, legibusque obnoxium esse. *Nihil ex arbitrio suo facit, & domestica propositio voluntatis* (ait Ambrosius sermone 20. in Psalmum 118.) *sed iuxta leges & iura pronunciat: scitis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Audite quid iudex iniquitatis loquatur: Potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te. Mala potestas, licere quod noceat: potestas ista tenebrarum est* &c.

ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς· οὐκ εἶχες ἐξου- [11] σίαν οὐδεμίαν κατ' ἐμοῦ, εἰ μὴ ἦν σοι δεδομένον ἄνωθεν. διὰ τοῦτο ὁ παραδιδούς με σοι, μείζονα ἁμαρτίαν ἔχει. ἐκ τούτου ἐζήτει ὁ πιλάτος ἀπολῦσαι αὐτόν.

Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.

RESPONDIT IESVS. coercere volens iactantiam illam Pilati, qua potestatem sibi vitæ & necis in Iesum, non minùs quàm in alios, esse, arrogantiùs iactauerat, ita vt pro arbitrio suo posset de illo quod vellet agere: *respondit* inquam, eò quòd iactantia illa, & eleuaret ipsius Iesu dignitatem (cuius mens non erat hic negare se esse Filium Dei, quin potiùs id Pilato intelligendum dare) & passionem redderet in gloriam, quasi ex mero Pilati arbitrio, vt inflictam, ita & subitam, ac non potiùs ex Dei consilio ad humani generis salutem sponte à Iesu toleratam. NON HABERES tu, quantumcumque sis præses, & præfectus loco Cæsaris aliis omnibus huius prouinciæ. POTESTATEM ADVERSVM ME VLLAM. in me vllam. Concedit aliquam Pilato in se potestatem, sed minimè omnem, & nequaquam præcipuam. Imperium enim, & ius siue auctoritatem, nullo modo concedit: immo, negat se Pilato subiectum, quod erant cæteri Iudæi, cùm enim esset Filius Dei, longè omni humana potestate superior erat, nec vlli suberat potestati, nisi quatenus seipse sponte subiiceret. Facultatem & vires nocendi ac crucifigendi se, cõcedit quidem, sed admodum limitatas. Neque enim à Cæsare, inquit, neque à teipso, neque à meritis meis, neque ab alio quouis, habes quòd mihi nocere possis & affligere, & paulò pòst etiam crucifigere. Si enim velim ego, facilè prohibeam. Verùm DATVM, id est, permissum hoc *tibi desuper*. *Hoc verbum datum*, inquit Chrysostomus, *in hoc loco permissiuum est. quasi diceret, permisit hæc fieri*. Nihil habes in me legitimæ potestatis: & ne quidem malitia tua ex se quidquam mihi nocere potest: hoc solùm habes, quòd permittatur tibi ad tempus malitiam tuam in me exserere. Hæc est *potestas tenebrarum*, permissa tenebrionibus impiis, qualem Iudæis comprehensoribus suis concessam dixerat Iesus Luc. 22. v. 53. Permissa est autem DESVPER. ἄνωθεν è superius, e cælo, inquam, vnde ego sum, à Deo

Patre meo. Quamobrem non reluctor ego, sed Deo Patri meo obediens fero. Intelligendum dat, vndenam sit ipse (id quod quæsierat Pilatus) è cælo nimirum; seque Dei esse Filium (quod habebat accusatio) Pilato nequaquam subiectum. Quocirca non hoc solùm dicit, permitti Pilato à Deo vt ipsi noceat, quemadmodum quæuis alia in mundo impiorum in sanctos nocumenta à Deo permittuntur: sed singularem permissionem intelligit, magno concilio summasque ob causas initam, qualem credibile est sequi ex amore Dei Patris in Filium, cui nihil æquè ac Filius curæ est. Nam vt in alios omnes ipsi permissum esset, potestatem suam pro arbitrio suo exercere; non tamen in Filium Dei, nisi accedente singulari Dei permissione, mysticaque dispensatione, ordinatione, dispositione, non ob crimen aliquod, quod non cadit in Filium Dei, sed ob grauissimam causam redimendi generis humani. *Significat*, ait Chrysostomus, *non simpliciter & vt res plurimùm solent, sed mystice euenisse*. Summa, significat se crucifigendum à Pilato, non quia ille potestatem habeat in ipsum, cùm verè Filius Dei sit, sed quia Deo decretum sit id permittere: *declarans, diuina quadam dispensatione se pati*, quod ait Euthymius. *Non enim ita simpliciter morior*, inquit Theophylactus, *sed mysticum aliquid perficio, & præfinitum est hoc superne in salutem hominum.* PROPTEREA. quia ego tuus non sum, nec tibi subditus: quia tu nihil iuris in me habes, nec vllam potestatem, ex officio Præsidis quo fungeris, sed tantummodo ex Dei consulto & permissione. QVI ME TRADIDIT TIBI populus Iudæorum, iuxta illud sup. 18. v. 35: *Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. Quis tradidit, aut quem premit maius delictum?* rogat Cyrillus. *Proditorem credo discipulum, deinde pontifices & sacerdotes, & postremò ipsum Iudæorum populum.* TRADIDIT autem, vt iudici, ad interficiendum, immo crucifigendum. MAIVS PECCATVM HABET. maiori tenetur peccato, grauiùs Deum offendit, ac proinde grauiorem diuinæ iustitiæ vindictam sentiet s. quàm tu, siue in eo quòd me hactenus afflixeris, siue in eo quòd paulò pòst etiam crucifixurus sis. Syrus addit *quam tuum* s. peccatum. Neque enim tu id ita teneris credere, me tua potestate exemptum esse, vt illi, quibus diuinæ legis peritis satis superque monstraui, me esse olim promissum Christum Filium Dei, Regem Israel, alienis Regibus non tantùm non subiectum, verumetiam superiorem. itaque facilè illi nosse me possent, si vellent; tu non æquè facilè. Variis aliis modis peccarunt & Iudæi & Pilatus, præsertim verò, quia innocentem occiderunt: & modis omnibus grauiùs peccarunt Iudæi, quia hi odio & inuidiâ acti occiderunt, ille coactus horum minis & importunitatibus: sed hîc agitur de eo peccato, quod nascitur ex defectu auctoritatis in eo qui iudicem agit aut iudex eligitur. Pilatus non pauca habebat argumenta, quibus crederet, Iesum maius aliquid homine esse, ac proinde non esse suæ iurisdictionis; præsertim verò postquam Iesus id illi declarauerat hoc loco, credere debebat, nec tradere crucifigendum: at Iudæis longè euidentiora suppetebant huius rei argumenta, ac proinde multo maius fuit etiam hac parte peccatum illorum, qui Pilatum elegerunt iudicem Iesu, Iesumque ei vt iudici tradiderunt, denique in Iesum agere iudicem crucisque sententiam ferre modis omnibus coëgerunt. Porrò, non amplificat Iesus Iudæorum crimen, vt Pilatum absoluat: sed, quod notat D. Augustinus, *ait maius peccatum habet, vt Pilatus etiam se habere intelligeret: neque enim propterea illud nullum est, quia hoc maius est*. Et, quamquam, verbis, directè Iesus Iudæos notat, Pilatum nonnisi obliquè & consecutiuè: mens tamen Iesu fuisse videtur, vt id quod consequebatur, primùm à Pilato vellet intelligi & ad se rapi. Nec enim aderant Iudæi, ita vt admonitionem hanc possent audire: seruiebat autem Pilato præsenti, vt sciret se non absque peccato iam nunc afflixisse, & mox etiam laturum crucis sententiam in filium Dei. confirmat enim Iesus tamquam iustum, timorem illum, quem ex noua hac de filio Dei accusatione conceperat: ac si apertis verbis dixisset: Propterea tu peccatum habes, exercens in me potestatem, quam falsò in me vt in cæteros te putas habere: quamquam maius sit peccatum Iudæorum, qui me tibi tradiderũt. Verùm id non apertis verbis facit, sed tamquam aliud agens, & quidem eiusmodi verbis, quibus excuset quodammodo Pilatum, minuens peccatum eius, alterius comparatione: ne si apertis verbis vsus fuisset, visus fuisset hoc agere, vt à cruce liberaretur, & inuitus ac non sponte esse mortuus, vt qui, terrendo iudicem & cætera, quæsiuisset omnem euadendi rationem. Interim suam in iudicando æquitatem Iesus declarauit, nequaquam deflectentem à recto, ita vt Pilati peccatum æquo plus aggrauet, ob iniuriam, quam ab eo partim fuerat recens passus, partim mox se passurum sciebat. ET EXINDE. ἐκ τούτου ex hoc s. tempore, vt plerique exponunt. Syrus *propter hoc*, ex hac causa. QVÆREBAT. volebat s. magis etiam quàm anteà. Ex quo tempore audiuit accusari Iesum, quòd se fecisset Filium Dei, nec negari à Iesu se esse Filium Dei, quin potius non obscurè concedi, constanter ad hæc reprimi à Iesu suam arrogantiam, quâ putabat sibi quiduis in Iesum non minùs quàm in alios licere, vt cuius res Deo curæ & subiectæ essent, non humanæ potestati, denique submoneri se peccati admittendi in Deum, si quid tentaret aduersus Iesum; ob has causas, in animum induxit, firmiùs etiam quàm anteà absoluere Iesum ab omni Iudæorum accusatione, & liberum dimittere. Quare egressus prætorio, declarauit palàm, decretum sibi prorsus esse, dimittere Iesum. Laudanda Pilati modestia, quòd reprehensus à reo, non succenseat, immo audito eo, magis ad liberandum inclinet: non perfecit id tamen, quamquam iactarat se potestatem habere dimittere eum, quia inconstans fuit & fragilis, nec fuit ei dono datum desuper: crucifixit econtra, quia hoc ei datum, id est, permissum fuit desuper. Similem vidimus iactantiam Petri Matth. 26. v. 33., similemque euentum.

Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.	12	Οἱ δὲ ἰουδαῖοι ἔκραζον λέγοντες· ἐὰν τοῦτον ἀπολύσῃς, οὐκ εἶ φίλος τοῦ καίσαρος. πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν, ἀντιλέγει τῷ καίσαρι.

IVDÆI, præsertim pontifices, cùm viderent decretum esse Pilato dimittere Iesum. NON ES AMICVS. non es fautor, non declaras te amicum & fautorem CÆSARIS, cuius locum tenes & cui fidem debes: non tueris iura Cæsaris & Imperij Romani, quæ tamen cura præcipuè commissa est tibi. Plus etiam significant quàm dicant, Es inimicus, declaras te inimicum, vt qui faueas & adhæreas inimicis ac rebellibus Cæsaris,

Cæſaris, nec in eos animaduertas pro merito: quâ de perfidiâ nos te apud Cæſarem accuſabimus, quòd nobis certantibus pro iure imperij Cæſarei,& interfici volentibus eum qui læſiſſet illud ac Cæſaream maieſtatem, tu contrà ſceleſtiſſimo faueris,adeoque dimiſeris impunitum. Cùm nihil apud Pilatum valerent ea omnia de quibus accuſauerant Ieſum, vſqueadeo vt non tantùm non condemnare, verùm è diuerſo abſoluere Ieſum decreuiſſet ille, redeunt ad id quod primò obiecerant Ieſu, crimen læſæ maieſtatis, quod ſe pro Rege Iudæorum geſſiſſet: neque iam tam Ieſum accuſant quàm Pilatum ipſum, minantes nomen ipſius de perfidia ad Cæſarem deferre, quòd rebelli & perduelli fauiſſet,atque impunem agere permiſiſſet,admonitus licet quàm acerrimè ab ipſis de puniendo ſcelerato & tuendo Cæſaris iure. Nihil magis odioſum obiicere poterant, & quod plus poſſet Pilato terroris incutere: quamquam non amore Cæſaris obiiciant, ſed odio Ieſu, vt prætextu offenſi Cæſaris libidinem ſuam in Ieſum exercere ipſis detur. OMNIS ENIM. Licet græcè non legatur *enim*, eſt tamen ſubaudiendum. QVI in regnis & prouinciis Cæſari ſubiectis, & ſignanter in Iudæa, à quâ in prouinciam nuper redactâ Cæſar abſtulit titulum regni. FACIT. vocat, iactat, gerit, propriâ ſcilicet auctoritate, non interueniente auctoritate Cæſaris. CONTRADICIT. aduerſatur, rebellat CAESARI. hoſtis eſt Cæſaris, facit id cum manifeſtâ iniuriâ Cæſaris, lædit Cæſaris maieſtatem & perduellionis incurrit crimen. Atqui Ieſus iſte ſe Chriſtum dicit & Regem Iudæorum, idque etiam in iudicio tam tuo quàm noſtro ſuſtinet. Aduerſarius igitur Cæſaris eſt, & perduellionis reus, vſurpans regium nomen cum iniuriâ Cæſaris: quem ſi tu abſoluis,& vt crimen huiuſmodi meretur punire recuſas, manifeſtè declaras te adhærere inimicis Cæſaris,& cōtrarias Cæſari partes tueri ac ſequi: faues Cæſaris hoſti in cauſâ omnium præcipuâ tituli regij neque de perduellione ac perfidiâ poteris te Cæſari purgare. Timorem Pilato grauem incutiunt, ne dum defendit Ieſum, Cæſarem offendat, in re omnium maximâ, ad ſummam imperij pertinente.

ὁ οὖν πιλάτος ἀκούσας τοῦτον τὸν [13] λόγον, ἤγαγεν ἔξω τὸν ἰησοῦν, καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος, εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον, ἑβραϊστὶ δὲ γαββαθᾶ.

Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, hebraicè autem Gabbatha.

HOS SERMONES. τοῦτον τὸν λόγον hunc ſermonem, quamquam & ſunt libri græci qui pluraliter legant. Pilatus his auditis, veritus eſt, ne, à principibus Iudæorum, apud Cæſarem, perduellionis & perfidiæ accuſaretur, ſi Ieſum abſolueret (vt non rarò illi præſides ſuos ad Cæſarem deferebant) tamquam qui fauiſſet ei qui maieſtatem læſerat,& regium titulum cum iniuriâ Cęſaris vſurparat. Nam quamuis eſſet perſuaſus regnum Ieſu non eſſe aduerſarium imperio Cæſaris: quia tamen neſciebat in quam partem Cæſar illud eſſet accepturus, quòd Ieſus ſe dixiſſet Regem Iudæorum, qui facilè poſſet illud ſuæ monarchiæ præiudicium interpretari (vt ſolent huiuſmodi, nulli alij rei cauere magis, quàm dominatui ſuo, apud quos, multos nouerat, quamuis falſi criminis inuidiâ, fuiſſe periclitatos) iudicauit præſtare, vt ipſe Ieſum, ſapientem quidem & innocentem, ſed humilem & tenuem, cui nemo patrocinaretur, quique ſibi ipſe deeſſet, crucifigeret, quod poſtulabant Iudæi concorditer omnes, & principes & populus, tamquam pro tuendo iure Cæſaris, quàm vt ipſe Cæſarem fortè offenderet, ſeque periculo capitis aut loci amittendi exponeret, præſertim cùm videretur ipſe ſibi feciſſe omne quod poſſet ad liberandum innocentem. Hîc itaque ſuccumbit Pilatus, & metu perculſus animo frangitur, qui antè concuſſus tantùm fuerat violentis clamoribus. Non priùs labefactata eſt eius conſtantia, quàm timor Cæſaris ipſi incuſſus eſt, quo victus, manus dat iniuſtitiæ, & impio iudicio conſentit, pluris faciens ſermonem quem audierat de Cæſare, quàm quem audierat de Filio Dei, id eſt, Cæſarem magis quàm Deum timens,& ambitione potiùs quàm iuſtitiæ ſtudio actus, ſimilis iis qui tamdiu pro iuſtitia certant, quamdiu nullum ſe offert vitæ honoris aut rerum amittendarum periculum. Timore igitur Cæſaris propoſito, impulit Pilatum Iudæorum improbitas eò, vt Ieſum crucifigeret: ſed non effugit Pilatus, Iudæis hac in parte obſequendo, quin triennio circiter pòſt, loco amiſſo in ordinem redactus, iuſſus ſit Romam proficiſci, reſponſurus apud Cæſarem ad varia ab ipſis Iudæis obiecta crimina, quod narrant Ioſephus lib. 18. Antiq. Iud. cap. 5. & Baronius anno Domini 38. Matthæus dicit, metu tumultus popularis huc adactum fuiſſe Pilatum (cap. 27. v. 24.) vtrumque verum eſt: vidit enim, hinc imminere periculum ab offenſo Cæſare, hinc à populo vnà cum principibus tumultuante; voluitque, apud hos quidem inire, illius verò retinere gratiam: quamquam Cæſaris offenſam magis timuit quàm tumultum Iudæorum. Cæterùm neutiâ cauſâ excuſatus eſt, vt citra culpam damnaret, quem toties pronunciarat innocentem, verùm *ipſe inconſtantis impietatis ſua* publicus *iniuſtus effectus* eſt, quod ait Cyrillus. ADDVXIT. iuſſit adduci è prætorio FORAS. Intus in prætorio examinarat Ieſum, de eo quòd eſſet Filius Dei (ſuprà v. 9.) quo facto, Ieſuque illic relicto, egreſſus ad Iudæos, declararat mentem ſuam eſſe, vt Ieſum tamquam iuſtum & innocentem dimitteret (ſuprà v. 12.) Iudæis autem obiicientibus & comminantibus offenſam Cæſaris, timens ſibi, iuſſit produci Ieſum foràs, vt finem faceret negotij,& publicè eum, vel abſolueret ſi poſſet, vel, quò res magis vergebant, condemnaret. SEDIT. habitu iudicis. Anteà fortaſſis ſteterat magis quàm ſederat, diſceptans cum Iudæis, & frequenter tum ingrediens prætorium tum reuertens foras: quamquam tunc etiam ſederet, cùm vxor ad eum mitteret (Matth. 27. v. 19.) Porrò nunc comparans ſe ad exercendum proprium officium Iudicis, ad ferendam ſententiam, ſedet. PRO TRIBVNALI. *Solitum aſcendit tribunal*, inquit Cyrillus, *vt truculentam in Ieſum ſententiam proferat.* IN LOCO. εἰς τόπον. hoc tam referendum eſt ad verbum *adduxit*, quàm ad verbum *ſedit*: non tantùm enim Pilatus ſedit eo loco, verumetiam Ieſum eo loci adduxit. QVI DICITVR. qui vocatur græco nomine: præſertim à Romanis, credibile eſt. LITHOSTROTOS. penultimâ longâ, id eſt lapidibus ſtratus, quòd illius pauimentum eſſet lapidibus ſtratum, compoſitum fortaſſis ex lapillis quadratis, opere teſſellato. Syrus præter morem non retinet hanc vocem græcam, ſed ſyriacis verbis vertit ܪܨܝܦܬܐ ܕܟܐܦܐ *Roſiphto decipbe* pauimentum lapidum. HEBRAICE.

id eſt,

id eſt, eâ linguâ quâ Hebræi ſiue Iudæi eo tempore vtebantur pro vernacula, quæ chaldaica erat mixta hebraicæ illi veteri; nos ſyriacam vocamus. vide Luc.23.v.35. GABBATHA. Hanc vocem plerique putant formatam, chaldaico ſeu ſyriaco more, ab hebræâ גבה *gaba* ſeu *gabag*, quæ altum ſignificat & excelſum, quod locus eſſet editus & eminens. Alij non abſimili ratione formant ab hebræâ voce גבע *gebah* ſeu *gabag*, quæ chaldaicè effertur גבעתא *gebahtha* ſeu *gavatha*, & collem ſignificat. Alij deducunt à themate גב *gab*, quod Syris idem eſt quod Hebræis סלל *ſalal* ſiue כפל *ſcfal*, viam ſcilicet ſternere, à quo vox מסלה *meſila*, via ſtrata ſeu eleuata lapidibus aliiſve rebus: ita vt, vel Romani illius temporis agentes Ieroſolymis, vel Euangeliſta ipſe, quod hebraicè dicebatur *Gabbatha*, propriâ ſignificatione tranſtulerint *Lithoſtrotos*, lapibus ſtratus. Syrus pro *Gabbatha* ſcribit ܓܦܝܦܬܐ *gephiphto* vel *gaphiphta*, tamquam *gaphphatha* vel *gaffatha* dicas, quod Interpres ipſius vertit peribolum ſeu peripheriam, intelligens ambitum, ſeptum ſeu coronam, quæ aliàs dicitur lorica: quòd locus ſeptus eſſet coronâ, è lapidibus ſectis & artificiosè compoſitis. Atqui Latini omnes & Græci libri, duplici β *Gabbatha*, non duplici φ aut ſ γαφφαθα aut *gaſſatha* legunt. Sed ſunt literæ iſtæ, ϐ & φ, b & f, affines, vtpote eiuſdem organi, labiorum ſcilicet, quod docent grammatici Hebræi; &, quod Græci, media vna, altera ei reſpondens adſpirata. Porrò locus iſte *gabbatha*, ſiue *gaſſatha*, græcè *Lithoſtrotos*, is eſſe videtur, quem Chriſtianus Adrichomus in theatro ſuo vocat Xyſtum, & deſcribit his verbis (quamuis ipſe diſtinguat inter Lithoſtrotum & Xyſtum) *Xyſtus porticus, in modum pontis lapideis frequentibus arcubus ſupra plateam publicam ampla latitudine exſtructa, ac ſubdialibus inambulationibus ornata: per quam a palatio Pilati in Antoniam arcem, & inde in templum tranſitus erat. Ex hoc loco, tuto nimirum, Præſides Romani populum alloqui ſolebant. In quo ſtans Pilatus, Ieſum dire flagellatum, conſputum, ſpineamq́ in capite geſtantem coronam, ac purpureo indutum pallio, Principibus populoq́ Iudaico videndum exhibuit, dicens: Ecce homo; vt ita afflicto commiſererentur. At illi inconditis vocibus clamabant: Crucifige, crucifige eum. Vbi adhuc viſitur, ac peregrinis oſtenditur, Arcus quidam lapideus, cum hac inſcriptione: Tolle, tolle, crucifig . . . . propter antiquitatem cætera legi nequeunt. Ex eodem Xyſto Agrippa rex perelegantem habuit orationem ad populū ſeditioſum, hortans eos ad obediendum Romanis. Frequentem huius Xyſti Ioſephus mentionem facit.* Hæc Adrichomus de Xyſto. Frequentem certè xyſti mentionem Ioſephus facit, ſed ſi penitiùs examinentur loca ea quibus xyſtum deſcribit, lib.2. de bello cap.16. & lib.7. cap.13., intelligere licebit, xyſtum de quo Ioſephus, ſitum fuiſſe ad occiduam templi partem, illum verò de quo Adrichomus, ad aquilonarem vergentem in orientem. Atqui potuerunt plures fuiſſe xyſti. id eſt, porticus aptæ ad Athletarum exercitationes aut ambulationes ſubdiales: nam & in palatio Herodis, quod longè hinc aberat, in ſecunda ciuitate ſitum, xyſtus erat. Cæterùm quâ ratione xyſtum ſuum, inter palatium Pilati & Antoniam arcem ſitum, Adrichomus diſtinguat à Lithoſtroto, non video. Fuit enim non dubium xyſtus ille lapidibus ſtratus, & quidem pauimento ſimul ac ſepto ex pretioſo marmore artificiosè ædificatis. Fuit editus atque eminens, & prætorio contiguus, quò Præſes intrare poſſet è domo ſua, & ſiue ſedens ſiue ſtans ab omnibus & videri & audiri: nec intelligo cur eo loco Pilatus flagellatum atque illuſum Ieſum populo monſtrarit, potiùs quàm crucifigendum tradiderit, præſertim cùm nunc clamarint *Tolle, tolle, crucifige eum* (infrà v.15.) qui anteà non aliud clamaſſe referuntur quàm *Crucifige, crucifige eum* (ſuprà v.6.) Nam quòd in Lithoſtroto Pilatus pro tribunali ſediſſe dicitur, nihil repugnat. Facilè enim potuit Præſes hoc loco tribunal habuiſſe, ſiue fixum ſiue abſportabile. Conſtat ex Ioſepho, quod Præſides, nunc domi ſuæ, nunc alio loco, prout erat opportunum, tribunal ſibi ſtatui iuſſerint. Narrat lib.18. Antiq. cap.4., quòd Pilatus aliquando ſederit pro tribunali in ſtadio, captata loci opportunitate, quod aptiſſimus eſſet inſidiis quas populo ſtruebat; & lib.2. de bello cap.14., quòd Florus ante Regiam tribunal aduerſus Iudæos ſibi exſtruxerit. Sic igitur nunc Pilatus tribunal ſibi conſtitui iuſſit in hoc xyſto ſiue Lithoſtroto: quod veriſimile eſt eum feciſſe, quoties domi iudicium ipſi exercendum eſſet, ad quod populus vniuerſus conueniret, & ſignanter quoties ſententiam mortis ferret in aliquos. vt enim erat locus hic tutus, ita ex eo Iudex & Reus ab omnibus vndique conſpici poterant. Lithoſtrotum ergo nos eodem modo definimus, quo Adrichomus Xyſtum, eo excepto, quòd Lithoſtrotus non videatur ille Xyſtus eſſe cuius meminit Ioſephus, & eo addito, quòd Ieſus hîc, non tantùm monſtratus Iudæis, verumetiam traditus fuerit Iudæorum voluntati; denique eo annotato, quòd quamquam Xyſtus fuerit, non tam Xyſtum tamen quàm Lithoſtrotum crediderim fuiſſe appellatum: prout hîc appellatur ab Euangeliſta, qui loci nomen addidit, non tantùm vt hiſtoriæ fidem conciliaret, verumetiam vt ſignificaret, Ieſu & abſolutionem & traditionem, ſolemnem fuiſſe ac publicam, factam à Iudice pro tribunali ſedente, eo loco quo iudicium exerceri, & malefactores damnari conſueuerant.

Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex veſter.	14	ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. καὶ λέγει τοῖς ἰουδαίοις· ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν.

ERAT AVTEM, quando ſcilicet Pilatus produxit Ieſum foras in Lithoſtrotum, vt crucis ſententiam in eum ferret. Vult Euangeliſta nobis indicatam diem & horam, quâ Dominus noſter fuit crucifixus: mox enim à latâ ſententiâ raptus eſt ad ſupplicium. PARASCEVE. dies ſexta à ſabbatho, quam nos feriam ſextam dicimus, vide Matth.27.v.62. Nonnus poëta, ſequutus Marcum Euangeliſtam cap.15.v.42., *προσάββατον* vocat, quaſi dicas *anteſabbathum*, vt vertit latinus Interpres eo loci, quòd eſſet dies proximè præcedens ſabbathum. PASCHÆ. id eſt, paraſceue incidens in paſcha, & quidem in diem primum Paſchæ ſiue azymorum. Infra hebdomadam paſchalem, vt ſemper neceſſe erat occurrere vnum ſabbatum, ita vnam paraſceuen: ea dicebatur *paraſceue paſchæ*, quam nunc quidem incidere contigit in ipſum ſolemniſſimum diem paſchæ. HORA. ὥρα δὲ hora autem ſ. erat. QVASI SEXTA. id eſt, circiter ſexta, inſtabat ſignum tranſactæ ſextæ, dies in meridiem vergebat: horæ enim ſextæ ſignum, meridiei quoque ſignum erat. Sed quia meridies facilè aberat adhuc vnâ horâ (vide ea quæ ſcripſimus Marc.15.v.25.) fieri poſſit, vt Iohannes ſextam hîc propriè accipiat, non eam quæ incipit à ſigno ſextæ, ſed eam quæ deſinit in ſignum ſextæ, ea enim prorſus inſtabat dum hæc agerentur. Et quamquam hic loquendi modus, alienus ab eo ſit quo

vtuntur

vtuntur alij Euangelistæ: videri tamen possit non alienus ab eo quo Iohannes vtitur, qui diem partiri consueuit non tam per quadrantes, vt illi, quàm per horas duodecim sigillatim nominatas. Sup. 1. v. 39: *Hora autem erat quasi decima*; cap. 4. v. 52: *Heri hora septima*, &c. A summo mane ad hoc vsque tempus meridiei, laborarant Iudæorum primores, vt impetrarent Iesu mortem. vide sup. 18. v. 28. ET DICIT. tunc dicit, eâ horâ & loco, pro tribunali sedens Pilatus, dicit. ECCE ἴδε pro ἰδοὺ, quòd notat Euthymius. REX VESTER. *Aut alludit populo*, inquit Cyrillus, *cui insontem sanguinem sitienti gratificatur: aut forsan opprobrio petit, quia tot tantisq. malis eum afficere student, quem ipsi Iudæorum Regem appellant*. Posterius pro verisimiliori tenens existimo, quòd Pilatus, contemtâ calumniâ quâ Iudæi ipsum impetiuerant, quòd non esset amicus Cæsaris, si Iesum Iudæorum regem agnosceret, affirmat esse Regem ipsorum, nec minùs tamen se consulere imperio Cæsaris, eò quòd non esset Rex huiusmodi qui Cæsari aduersaretur. Et partim quidem irridet eos, quòd alius non sit ipsis Rex olim promissus, quàm pauper hic, humilis, & afflictus homo, qui etiamsi vellet Cæsari rebellare nequiret, quem denique pudeat ipsos pro Rege agnoscere: partim conatur adhuc quoquo modo eos flectere vel misericordiâ vel verecundiâ, ne velint interemtum. q. d. Ecce eum qui est Rex vester, qui olim vobis à Deo vestro promissus, dudum à vobis est agnitus & salutatus, quantumuis ipsi iam aduersemini. Videte quò miseriarum deuenerit, vobis agentibus, vt accipiat sententiam mortis, rem indignam vobis. Cæsar sibi ab illo non timet, securos vos facio: vos tantùm si quiescere velitis, illius quidem miserti, vestro autem consulentes honori, benè habebunt omnia.

15 Οἱ δὲ ἐκραύγασαν, ἆρον, ἆρον, σταύρωσον αὐτόν. λέγει αὐτοῖς ὁ Πιλάτος· τὸν βασιλέα ὑμῶν σταυρώσω; ἀπεκρίθησαν οἱ ἀρχιερεῖς· οὐκ ἔχομεν βασιλέα, εἰ μὴ καίσαρα.	Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

Matth. 27. v. 23. Marc. 15. v. 14. Luc. 23. v. 23.

ILLI AVTEM in furore perstantes. CLAMABANT. ἐκραύγασαν clamauerunt, incredibili feritate & insaniâ, non ferentes eum vocari regem suum, nec ferentes Pilati moram. Quum enim tempus à Pilato extrahi viderent, & iam meridiem instare, vehementiùs clamarunt, ne totus dies ipsis efflueret. TOLLE è medio, ex conspectu nostro, ex vitâ. *Tolle de terra huiusmodi, non enim fas est eum viuere*, quomodo posteà clamauerunt aduersus Paulum Act. 22. v. 22. CRVCIFIGE EVM. morte turpissima pereat cruci affixus. Repetit hoc Syrus, quemadmodum *tolle*. Pertinax sitis sanguinis Christi. REGEM VESTRVM. eum quem pro rege vestro hactenus habuistis, neque id temerè. CRVCIFIGAM? petitisne vt crucifigam? q. d. absurda sit ea petitio, & aliena à ratione. non enim hoc sit ex honore vestro, hoc vobis summo dedecori foret, recideretque in vestram & totius gentis vestræ ignominiam, quæ regem suum ad crucem adegerit. *Regem vestrum*, inquit Cyrillus, *id est, hominem tantæ apud vos opinionis, crucifigam? Quid enim ei exæquari potest? immo vero quid in eo minus Filio Dei atque rege inuenitur? Adbuc timorem quem de Cæsare ingesserant*, ait Augustinus, *superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere, quos de ignominia Christi mitigare non potuit, sed timore mox vincitur*. Turpem & impiam eis exprobrat crudelitatem, quòd nulla honoris proprij habitâ ratione, crucifigi postulent regem suum, quem contrà, crucifigendum è manibus Iudicis deberent eripere. RESPONDERVNT omnium nomine PONTIFICES. *Vndique ostendit Euangelista*, quod ait Cyrillus, *ad præcipitia subditos à pontificibus quos sequebantur depulsos. Supra cap. 12. simpliciores cum infantibus Iesum publice diuinis laudibus excipiunt: nunc consilio & clamore pontificum resiliunt, regnúmque Dei excutiunt. Romanorum principatum amplexi*. Respondent hîc itaque *pontifices*, tamquam pontifices, id est, primi in populo. & sermonem Pilati redarguunt, huiusmodi quasi verbis: Vide quid dicas, ne nos implices respõsis tuis, quasi alium regem nouerimus quàm Cæsarem, nec tu hunc nobis obtrudas. Non est iste rex noster, nec quisquam alius. NON enim HABEMVS REGEM NISI CÆSAREM. Quare si iste crucifigatur, non rex noster crucifigetur, sed aduersarius Cæsaris, per duellis & facinorosus homo, qui contra Cæsarem, regem nostrum suâ auctoritate se facit. Nihil inde nobis ignominiæ, sed laudis plurimum accedet. Perge itaque tu, finem fac, & in crucem eum tolli iube. *Non habemus*. Duplex potest esse istorum verborum sensus, sed in vnum atque eumdem recidens. Non habemus neque agnoscimus pro Domino nostro supremo, Regem aliquem, sed solum Cæsarem; Vel, non habemus regem aliũ quàm Cæsarem. Vtroque sensu Pontifices apertè Mosi & prophetis omnibus renunciant, qui longè aliũ regem quàm Cæsarem promiserant, immo prædixerant alienigena regnante Messiam adfore (Gen. 49. v. 10.) Messiã ergo diuinitus promissum, in quo tota populi salus inclusa erat, à quo pendebant omnes promissiones, in quo fundata erat tota ipsorum religio, quem proinde ipsi inprimis prædicare debuerãt reiiciunt, & consequenter gratiã Dei ac bonis omnibus se populumq; abdicant. Nam vt Iesus non fuerit Messias seu Christus, nulla tamen eis excusatio est, quòd regem præter Cæsarem nullum agnoscunt. Sed quia videbãt à Pilato contra se vrgeri, tam diuinum promissum, quo freti ipsi hactenus exspectauerant Regem proprium, quàm opinionem plurimorum ex ipsis, qua Iesus sapientia & miraculis clarissimus non temerè creditus fuerat is esse, repudiant omnia, neque quidquam audire volũt de rege proprio, vt eo minùs Iesus is esse credatur. De his prædixerat Daniel cap. 9. v. 26. *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est*. Neque tantùm Messiam seu Christum eiusque regnum negant, verumetiam Cæsarem, cui inuiti alioqui suberant, immo quem oderant vt tyrannum, solum regem agnoscunt, & illi magis magisque se obstringunt, eiusque regnum ac Romani imperij tyrannidem quâ miserè premebantur, cuius iugum ab se per Christum auferendum hactenus sperauerant, Dei Christique regno præferunt; In summâ, Messiam suum publicè abnegant, & Cæsarem Dominum confitentur. Hæc autem omnia odio Iesu, odium Iesu extorsit seruitutis inuisæ publicam professionem, vt ipsius crucifixionem faciliùs à Pilato Cæsaris procuratore impetrarent: ea erat innocentis occidendi libido, vt pro eâ sese vltrò in æternam seruitutem addicerent. His ergo quid tandem accidere debuit, nisi quod optarant, quodque parabolâ Iesus prædi-

prædixerat Luc. 19. v. 27: *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc & interficite ante me.* Maior illorum pars, à Cæſare, quem elegerant, eſt deleta: qui verò remanſerunt, Regem proprium non habent, patriâ autem exſules, diſperſique per vniuerſum orbem terrarum, ſub Cæſare aliiſque Dominis extraneis hactenus precariò viuunt, neque vllum à Deo aut Chriſto auxilium inueniunt. Quam ob rem, Chryſoſtomus ſcribit in hunc locum: *Sponte ſe reos profeſſi ſunt, ideo & Deus tradidit eos, quando ipſi primi prouidentiâ & protectione ipſius ſe ſubtraxerunt.* Rurſus Cyrillus: *Reſiluit apertè ab amicitia Dei populus Iudæorum, calceque regnum Dei percuſſit, & ad principatum Cæſaris tranſfugit. Quare non iniuria manibus Cæſaris traditus, in innumerabiles bello calamitates incidit.* Poſtremò Euthymius *Quia Chriſti regnum repellentes, Cæſaris poteſtatem elegerunt, poſtmodum diuinâ viſitatione ac protectione nudati, traditi ſunt ad internecionem, idque rurſus ipſo Paſchæ die, quo clamauerant. Non habemus Regem niſi Cæſarem.*

Matth. 27. v. 26. 31. Marc. 15. v. 15. 20. Luc. 23. v. 24. 25.

16 Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt.	τότε οὖν παρέδωκεν αὐτὸν αὐτοῖς, ἵνα σταυρωθῇ. παρέλαβον δὲ τὸν ἰησοῦν, καὶ ἀπήγαγον.

TVNC ERGO. cùm conſtanter adeò illi Regem negarent ſuum, & firmiter obſtringerent ſe Cæſaris imperio, nullo relicto loco liberandi innocentis. TRADIDIT ILLVM. Non eſt auſus vltrà recuſare quod petebatur, ne videretur ipſe Cæſari minùs fauere quàm Iudæi. *Apertiſſimè quippe contra Cæſarem venire videretur*, ait Auguſtinus, *ſi regem ſe non habere niſi Cæſarem profitentibus, alium regem vellet ingerere, dimittendo impunitum, quem propter hos auſus et tradiderant occidendum. Tradidit autem*, vt damnatum poſtulatumque ab ipſis, non ſententiâ pronunciatâ vt in dignum morte crucis. permiſſio enim & traditio eſt inita, non propriè dicta condemnatio. *Tradidit* enim, ſed præfatus innocentiam ſuam, ob violentiam Iudæorũ, lotis manibus, cæteriſque dictis quæ narrat Matthæus cap. 27. v. 24. 25. EIS. pontificibus & reliquis Iudæis præſentibus; non manibus eorum, ſed voluntati. quod ait Lucas. VT CRVCIFIGERETVR. ab iis à quibus illud fieri conſueuerat, militibus, Romanis vtique, quos nominat infrà v. 23. Reliqua pete ex Matthæo & Luca. SVSCEPERVNT. παρέλαβον acceperunt. ET EDVXERVNT. ἀπήγαγον abduxerunt ſ. vel Iudæi vel ij quorum erat crucifigere, apparitores & lictores Pilati: nam vtrique poſſunt intelligi. Adhæſerunt enim & principes & populus Iudæorum, lictoribus Dominum Ieſum abducentibus, comitatique ſunt, nec abeſſe voluerunt, donec viderent eum iam cruci affixum & denique mortuum, ne quà fortè elaberetur. tanto eius extinguendi ardore flagrabant. Quare rectè etiam ipſi intelligi hîc poſſunt & ſuſcepiſſe & eduxiſſe, & v. 18. ſubſequente crucifixiſſe. *Ipſi enim fecerunt* inquit Auguſtinus, *quidquid vt fieret extorſerunt*; nec ſolùm, verumetiam quidquid vt fieret, præſentes vrſerunt, ſuaque auctoritate & violentiâ, quod in ſe erat, coëgerunt. EDVXERVNT autem reueſtitum propriis veſtibus, quod dixerunt priores Euangeliſtæ.

Matth. 27. v. 23. Marc. 15. v. 22. Luc. 23. v. 33.

17 Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha:	καὶ βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, ἐξῆλθεν εἰς τὸν λεγόμενον κρανίου τόπον, ὃς λέγεται ἑβραϊστὶ γολγοθᾶ·

ET BAIVLANS. qui baiulans ſuis humeris SIBI CRVCEM. τὸν σταυρὸν αὐτοῦ crucem ſuam, crucem ſibi impoſitam & deſtinatam. Hanc, vt Iudæis maledictam, & Gentibus infamem, nemo portare voluit: nam tamquam execrabilem omnes horrebant. Sicut & nos hodie videmus, quale dedecus putetur, ſi quiſquam extra lictores, quando plectendus eſt facinoroſus, operę aliquid impendat. *Condemnato* itaque *ac maledicto*, inquit Theophylactus, *maledictum lignum imponunt*: imponitur crux ſua Ieſu, quantumuis lacerato ac laſſo, & cæteris ignominiis ac pœnis etiam hæc adiicitur, ſummâ tam Iudæorum quàm militum crudelitate. Pœna enim fuit immenſa extremè fatigato, humeris portare crucem grauiſſimam, ſimul & longiſſimam trahere per plateas ſilicibus ſtratas: ignominia verò diriſſima. quòd ſuam ipſius crucem, cui ipſe mox adfigendus eſſet, videre, amplecti, ſibique ipſi interficiendo ferre & quaſi ſtatuere cogeretur. Nam quamquam hoc legatur in more fuiſſe Romanis, vt malefici ſuam ipſorum crucem vſque ad ſupplicij locum ferrent, prout ex Plutarcho & aliis docet Lipſius libri 2. de Cruce capite 5., ita vt dubitandum nõ ſit, quin & duo illi latrones, Ieſu ſocij, ſuas ſinguli cruces portarint; Ieſu tamen parcendum fuerat. Cùm enim non niſi robuſti latrones crucifigi ſolerent, pares erant tali oneri ferendo: Ieſu autem alia fuit ratio, ita vt ipſa tenerrimi corporis afflictio, palàm demonſtraret agnum immolari. Nec enim dubium eſt, quin flagellis mutilatus, plurimiſque aliis iniuriis duriter oppreſſus, crucis põderi ſuccubuerit. Veteres Patres, nominatim Chryſoſtomus homiliâ 84. in Iohannem. Chriſti ſuam crucem portaturi, imaginem fuiſſe obſeruarũt, Iſaacum, patris iuſſu ligna portantem ad montem à Deo oſtenſum, quibus ipſe conſumendus & in holocauſtum Deo offerendus eſſet, Gen. 22. v. 6. Ad quam rem, & prophetiam Iſaiæ citant ex cap. 9 v. 6: *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Principatus ille crux eſt, quia per crucem Ieſus diabolum vicit, & principatum omnium meruit, quod docet Auguſtinus ſermone 71. de tempore. cruce velut ſceptro & virgâ regiâ percuſſit deuicitque humani generis hoſtem. *Ferebat crucem in humeris*, inquit Euthymius, Chryſoſtomum & Theophylactum præceptores imitatus, *tamquam ſtrenuus miles lanceam, quâ deiecturus erat aduerſarium.* Nec diſſimile vero eſt, tortores milites, vt irridendi Ieſu occaſionem vndequaque captabant, cùm crucem eius humeris imponerent, ludibrioſè exprobraſſe: Accipe ſceptrum tuum, ô Rex Iudæorũ. Fuit autem verè ſceptrum, quod diximus, quo de hoſtibus ſuis victoriam retulit, & mundum ſubactum ad fidem in ſe ac ſalutem adduxit. Quamobrem libenter eam ſuis humeris excepit, quamquam noſtrâ potiùs quàm ſuâ cauſâ, duplicique modo nobis eam prætulit, miniſterio & exemplo; Miniſterio quidem, quia nobis debitam (noſtra enim erant crux & maledictio cùm ferendæ eſſemus impares, tulit pro nobis, eiuſque maledictionem nobis in benedictionem vertit. *Crucem portat Chriſtus*, inquit Cyrillus, lib. 12. cap. 28. in Iohannem) *non ſibi, ſed nobis transgreſſoribus per legem*

legem debitam. Exemplo autem, quia commendauit eam imitaturis, reipsa nos docens, quod aliàs docuerat verbis. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matth. 16. v. 24., & Luc. 14. v. 27: *Qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus*. Cæterùm non contradicit Iohannes prioribus Euangelistis, qui narrant Simoni Cyrenæo crucem Iesu fuisse impositam: verùm addit id quod illi expresse non dixerant, nempe, Iesum priùs solum suæ crucis pondus gestasse, per ciuitatem scilicet Ierosolymorum: nam posteà demum, egressus ex ciuitate, eo onere liberatus est, quippe in humeros Simonis translato. Hæc veterum tractatorum expositio est, Ambrosij in Lucam, Hieronymi & Euthymij in Matthæum, Augustini lib. 3. de cons. cap. 10., denique Victoris Antiocheni in Marcum, cuius hæc verba sunt: *Dominus noster intra & extra ciuitatem tantisper crucis suæ molem baiulauit, donec tandem obuiam venit Simon Cyrenæus, qui militum imperio adactus delassatum Iesum eo onere subleuauit.* EXIVIT. de prætorio, subaudit Hieronymus in Matthæum scribens: nam dum ciuitate exiret Iesus, eo onere leuatus fuit, quod diximus. Possit etiam compositum accipi pro simplici, *exiuit* pro *iuit*. IN EVM. versus eum. non enim ad hunc locum vsque baiulauit, prout dictum est. *In eum* QVI DICITVR CALVARIÆ LOCVM. Syrus: *Ad locum qui dicitur Karkaphto seu Caluaria*. HEBRAICE. ὃς λέγεται ἑβραϊστὶ qui dicitur hebraïcè. sic habet etiam Syrus. Latinus videtur non legisse repetitum illud ὃς λέγεται. aut certè omisisse. GOLGOTHA. Vox est syra, quod annotauit etiam Hieronymus libro de nominibus hebraicis, sed formata ab hebræa. Hebraïcam autem Iohannes vocat, eâ ratione quâ *Gabbatha* suprà v. 13. Reliqua petenda sunt ex Matth. 27. v. 33.

ὅπου αὐτὸν ἐσταύρωσαν, καὶ μετ' αὐτοῦ [18] ἄλλους δύο, ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, μέσον δὲ τὸν ἰησοῦν.	vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum.

Matth. 27. v. 35. 38. Marc. 15. v. 24. 27. Luc. 23. v. 33.

DVOS. latrones, quod addunt alij Euangelistæ. HINC ET HINC. Syrus ad verbum, *vnum hinc & vnum hinc, & Iesum in medio*. MEDIVM tamquam facinorosorum principem. Reliqua dicta sunt Matth. 27. v. 35. & 38.

ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ πιλάτος, καὶ [19] ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. ἦν δὲ γεγραμμένον· ἰησοῦς ὁ ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων.	Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.

Matth. 27. v. 37. Marc. 15. v. 26. Luc. 23. v. 38.

SCRIPSIT. scribi iussit. TITVLVM. τίτλον vox est latina, qua græcè vtitur Euangelista, quem græcus poëta paraphrasticῶς reddit: *Spectabilem literam, quam voce latina vocant titulum*. Lucas græcè dixit ἐπιγραφὴν, id est, inscriptionem: Titulus enim, inscriptio est libri aut statuæ, ex qua primo adspectu intelligere possis operis auctorem & argumentum. Matthæus αἰτίαν *causam* reddidit, quòd causa mortis Iesu eo publicaretur: vt & titulus latinè bonis auctoribus pro causâ in vsu est. Syrus vertit ܠܘܚܐ *lubo* tabulam. POSVIT. poni iussit. SVPER CRVCEM. in superiori crucis parte, id est, cruci affigi, μάρτυρι γόμφῳ, vt ait Nonnus, clauo certo teste. Nec enim necesse est intelligere, super crucem ita collocatum fuisse, vt nihil aliud crucis eminuerit è ligno transuerso, quàm iste titulus, quod quidam volunt. SCRIPTVM in eo titulo.

IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM.

Hæc erant ipsissima tituli verba Latinè; Græcè quoque vt suprà in textu:

Ἰησοῦς ὁ ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων;

Hebraicè ex editione Syriaca:

ישוע נצריא מלכא דיהודיא

Iesuah Naseraia malca dihoudaie:

ad quem modum, syriacâ quidem linguâ, sed Hebraïcis literis, scripta fuisse videntur, prout ad Lucam annotauimus. IESVS pro nomine proprio crucifixi positum fuit, NAZARENVS pro patria, quo tamquam cognomine celebris erat (sic enim vulgò vocabatur, *Iesus Nazarenus*. Matth. 21. v. 11.) & ab aliis Iesu similiter nomine vocatis distinguebatur; REX IVDÆORVM pro causa supplicij. Quorum verborum alij Euangelistæ sensum explicant additis voculis *hic est*. Non enim verisimile est has fuisse adscriptas, præsertim latinè & græcè (solent enim in titulis subaudiri) nam hebraïcè expressum fuisse potuit pronomen, vt Syriaca editio etiam in hoc Euangelio præponit הנא *hana* seu *hono*, quod est *hic*; sed verbum *est* nequaquam, quod ex more linguæ consueuit subaudiri. Reliqua petantur ex Matthæo.

τοῦτον οὖν τὸν τίτλον πολλοὶ ἀνέγνωσαν τῶν ἰουδαίων, ὅτι ἐγγὺς ἦν ὁ τόπος τῆς πόλεως, ὅπου ἐσταυρώθη ὁ ἰησοῦς. καὶ ἦν γεγραμμένον, ἑβραϊστί, ἑλληνιστί, ῥωμαϊστί. [20]	Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum, Hebraicè, Græcè, & Latinè.

Luc. 23. v. 38.

PROPE CIVITATEM. non multo ampliùs quàm duobus stadiis à ciuitate. Quia ciuitati vicinus erat locus,

multi Iudæorum ciuitate exierant, vt spectarent tragœdiam Iesu in crucem acti, ac proinde etiam multi eorum legerunt titulum crucis eius, haud quaquam probantes, sed reprobantes & ægrè ferentes. LOCVS. Golgotha. EX ERAT SCRIPTVM, id quod in eo scriptum fuisse diximus. HEBRAICE, GRÆCE, ET LATINE. his tribus linguis repetitum, ob quam causam à multo pluribus lectum atque intellectum est. Lucas græcam linguam sibi commendatissimam, primo; hebraicam vltimo loco ponit: sed verisimile est, neglectum ab eo Pilati ordinem, à Iohanne autem seruatum (nam & hoc testatur, qui titulum hunc Romæ asseruatum viderunt) vbi si numeratio fiat descendendo, hebraica prima est, si ascendendo, latina prima est, & proxima sacro capiti Iesu. Quem locum pro dignissimo haud dubiè habitum, Pilatus latinæ linguæ tribuit, ad suum se accommodans Imperatorem Tiberium, qui maiestatis latinæ linguæ adeò studiosus fuit, vt cùm aliquando in senatu vocabulum græcum *monopolium* nominaret, veniam postularit, quòd sibi verbo peregrino vtendum esset, quod refert Baronius Annalium ecclesiasticorum anno 16. Cæterùm rei veritate, hebraica quidem prima erat, ob veteris religionis sanctitatem; latina verò, ob proximum in fide christiana primatum. Reliqua dicta sunt Luc. 23. v. 38.

Dicebant ergo Pilato Pontifices [21] Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum.

ἔλεγον οὖν τῷ πιλάτῳ οἱ ἀρχιερεῖς τῶν ἰουδαίων· μὴ γράφε, ὁ βασιλεὺς τῶν ἰουδαίων, ἀλλ' ὅτι ἐκεῖνος εἶπε, βασιλεύς εἰμι τῶν ἰουδαίων.

ERGO. cùm titulum hunc cum aliis legissent. PONTIFICES. ἀρχιερεῖς principes sacerdotū (vt aliàs vertit) qui paulò antè clamauerant *Non habemus regem, nisi Cæsarem* (suprà v. 15.) maximeq; inuidebant gloriæ Iesu.
NOLI SCRIBERE. μὴ γράφε ne scribas, ita scilicet vt iam scripsisti, REX IVDÆORVM. SED QVIA IPSE DIXIT. sed scribe quòd ipse dixerit, tam falsò scilicet quàm ambitiosè, *Rex sum Iudæorum*. Titulum quem scripsisti *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, muta nonnihil cum huiusmodi titulo: *Iesus Nazarenus, qui dixit Rex sum Iudæorum*; vel *qui se dixit Regem esse Iudæorū*. Duabus voculis additis corrige quod scripsisti. *Numquā enim, inquiunt, rex iste fuit*, ait Cyrillus, *quem nos in regem numquam suscepimus. sed ipse huiusmodi verbis vsus est*; ipse sibi regnum regisque nomen mendaci voce vsurpauit. Agunt cum Pilato de mutando titulo, & *vt causam quam cruci affixerat resignat admonent*, ait Victor in Marcum, ne scriberetur Rex Iudæorum, sed quòd hoc nomen falsò vsurpasset. Mouit autem pontifices duplex causa; Vna, quòd Iesu *etiam iam crucifixo inuiderent*, quod ait Theophylactus. Quum enim omnia viderentur eis ignominiæ plena, solus hic titulus honorificentior iudicabatur, trophæi potiùs formam præ se ferens quàm tituli mortis, vtpote Iesum scribens Regem Iudæorum. A propriâ igitur conscientiâ agitati, metuebant, ne, præter cætera argumenta plurima, quæ extare & ob quæ plurimos credere nouerant, quòd Iesus esset Rex Iudæorum, id est, Christus, etiam titulus iste eò faceret, tamquam declarans legentibus, Romanum quoque Præsidem eius esse sententiæ. Conantur ergo Iesu, regni gloriam auferre, ne habeatur pro vero Messia, sed pro impostore, qui se falsò Messiam esse iactauerit. *Et quid dicunt*, ait Chrysostomus? *vt scriberet quia ipse dixit. Nam nunc quidem sententia est communis: si vero additum fuisset quia ipse dixit, eius fuisset temeritati & iactantia adscribendum*. Altera causa fuit, quòd sentirent se eo titulo odiosè perstringi, sibique & genti suæ inuri eam ignominiæ notam, quòd Rex ipsorum crucifigeretur, prout Pilati mens erat, quod diximus Matth. 27. v. 37. Veriti igitur, ne id deferretur ad omnes orbis partes, & fama ea per vniuersum mundū spargeretur, quòd ipsi regem suum, quem dudum exspectauerant, cùm iam aduenisset, crucifixissent, ita petunt mutari titulum, vt sine infamia gentis solum Iesum grauet. Si quæras, quando Pontifices hoc rogarint Pilatum; videtur mihi, quòd mox vt titulus appositus, ab ipsis & ab aliis lectus est. Præsentes enim pontifices ipsi spectaculo (Matth. 27. v. 41.) emiserunt, verisimile est è suis aliquos, vt Pilato qui in ciuitate remanserat, persuaderent, inscriptionem illam iuberet mutari, interea dum Iesus illic penderet: propè enim aberat ciuitas, quod dictum est. Quidam existimant, quòd non eo, sed consequentibus diebus, Pilatum id rogarint, arbitrati, crucem vnà cum titulo, pluribus diebus eodem loco remansisse erectam, postquam Iesus fuisset depositus: sed minùs probabile est hoc, potiùs iis credam, qui narrant, milites, postquam latronum fregissent crura, eorum cadauera & cruces, vnà cum cruce Domini, ob imminentem vesperam & diem sabbati, proiecisse in vicinam vallem, inter montem Caluariæ & mœnia ciuitatis sitam: quam, vallem cadauerum ex eo vocant, quòd cadauera eorum qui in hoc monte neci fuissent dati, illuc solerent præcipitari, loco sepulturæ. lege Christianum Adrichomium in descriptione Ierusalem.

Respondit Pilatus: Quod scripsi, [22] scripsi.

ἀπεκρίθη ὁ πιλάτος· ὃ γέγραφα, γέγραφα.

QVOD SCRIPSI, SCRIPSI, mutare nolo. Euthymius, *Quod scriptum est non immuto*. Habuerat suas causas ob quas ita scripserat Pilatus, quas declarauimus Matth. 27. v. 37: ob easdem perstitit nec mutare voluit quod scripserat: vt nec mutandi iam habebat potestatem. Nam, quod Apuleius sub finem primi libri Floridorum, ait, *proconsulis tabella, sententia est: quæ semel lecta, neque augeri litera vna, neque minui potest, sed vtcumque recitata, ita prouinciæ instrumento refertur*. Cæterùm nec à Deo permissus est mutare, sed quasi diuinâ manu retentus, quâ priùs actus fuerat vt titulum in hanc formam dictaret: nam aliàs pontificum voluntati in omnibus, ægrè quidem, sed tamen obsequutus fuerat. Quod ergo scriptum fuerat, id firmum & immutabile manere oportuit, non tam pro voluntate Pilati, quàm pro voluntate Dei patris, qui vniuerso orbi hunc verissimum & indelebilem titulum innotescere voluit. Non enim Iesus, quia falsò dixerat se Regem esse Iudæorum, crucifixus fuerat, sed quia verè erat. *Nec occidendo ergo efficere Iudæi potuerunt, vt Iesum regem non haberent*, quod ait Beda in Marcum: *qui rex simul & pontifex, Deo patri carnis suæ hostiam offerens, per crucem non perdidit, sed confirmauit imperium. Non vult Pilatus mutare titulum*, ait Cyrillus scribens in hoc locum, *quia non fuit*

fuit ei diuinitus permissum. Stabile namque ac supra calumniam Christi regnum est, etiamsi Iudæi nolint, etiamsi gloriam eius confiteri non patiantur. In quam sententiam & Hieronymus Matthæum enarrans: *Velitis nolitis Iudæi*, inquit, *omnis vobis gentium turba respondet, Iesus rex Iudæorum est, hoc est, imperator credentium & confitentium*. Iam tum ergo, etsi imprudens, præludebat Pilatus futurum, vt Christi confessio, ab Iudæis carne, ad gentes f[illegible] est, Iudæos spiritu, demigraret.

Οἱ οὖν στρατιῶται, ὅτε ἐσταύρωσαν [23] τὸν Ἰησοῦν, ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ (καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάστῳ στρατιώτῃ μέρος) καὶ τὸν χιτῶνα. ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄρραφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου.	Milites ergo, cùm crucifixi eum, acceperunt vestimenta eius* (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam. erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

Matth. 27. v. 35. Marc. 15. v. 24. Luc. 23. v. 34.

ERGO pro autem, continuatiuum est orationis. CVM CRVCIFIXISSENT EVM opere, quod mox diximus: nam Iudæi consilio & extorsione crucifixerant. VESTIMENTA EIVS. tunicam exteriorem. Nam pallium ad crucem non fuisse allatum, probabiliter docuimus ad Matthæum. Vel igitur pluralis numerus est loco singularis, *vestimenta* pro *vestimentum*; vel præter pallium & tunicas exteriorem atque interiorem, aliquod aliud fuit Iesu vestimentum, puta capitis aut tibiarum operimentum. FECERVNT EX EIS QVATVOR PARTES. sciderunt diuiseruntque ea in quatuor partes. *Siquidem*, ait Euthymius, *cum de inconsutili tunica dixerint, Non scindamus eam, significauerunt quod reliqua sciderant*. Sciderant certè, sed dissuendo, aut potiùs dissuerant scindendo. VNICVIQVE MILITI PARTEM. ita vt vnicuique militi sua esset pars. *Vnde apparet*, inquit Augustinus, *quatuor fuisse milites, qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt*. TVNICAM interiorem scilicet, s. acceperunt, quod monet subaudiendum etiam Augustinus. ὁ χιτὼν propriè dicitur intima vestis, Euthymio teste, quæ corpori in modum subuculæ adhæret: qua significatione & latini Auctores nonnunquam vtuntur voce tunicæ. Tunica ergo hìc intelligitur vestis omnium intima, quæ nudo Iesu corpori proxima esse consueuerat, sicut nobis est camisia, quam vocamus, seu indusium lineum. Non contenta crudelis militum rapacitas, exteriora vestimenta accepisse, acceperat & intimam subuculam, nec vel aliquod Domino reliquerat carnis operimentum, ita vt prorsus nudus in cruce penderet, expositus considerationi inspectionique impudicorum, quod queritur Psalmus 21. v. 18. Agnosce iam nudum prorsusque pauperem Iesum, cui nihil sit reliqui in terra. Reliqua dicta sunt Matth. 27. v. 35. INCONSVTILIS. insutilis, carens sutura, quæ non esset consuta ex pluribus partibus, ac proinde nec dissui posset. DESVPER. ἐκ τῶν ἄνωθεν ex summis, à summo siue summa parte, CONTEXTA vno continuo textu, PER TOTVM, ad imam vsque partem. Origenis Interpres tract. 35. in Matthæũ habet: *A sursum textilis per totum*. Contexta autem fuit acu, opere nimirum reticulato, *ad modum ciliciorum*, ait Lyranus, quod galli *lasches*, flandri [illegible] dicunt, idque ex filis laneis, vt creditur. Hanc Nonnus paraphrastes sic describit: *Quæ tota, & in superiore simul & inferiore parte gestatoris, inconsutilis erat contexta, à ceruice ad talos desinens*. Putatur hoc opus fuisse Deiparæ virginis, id quod Euthymius vt è patrum traditione acceptum refert, eoque magis probabile est, quod 3. Ezræ. 4. v. 17. de mulieribus legatur: *Ipsæ faciunt stolas omnium hominum*.

εἶπον οὖν πρὸς ἀλλήλους, μὴ σχίσω- [24] μεν αὐτόν, ἀλλὰ λάχωμεν περὶ αὐτοῦ, τίνος ἔσται· ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ ἡ λέγουσα, διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον. Οἱ μὲν οὖν στρατιῶται ταῦτα ἐποίησαν.	Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

Psalm. 21. v. 19.

DIXERVNT milites. ERGO. quia tunica inconsutilis erat & texta. NON SCINDAMVS EAM, vt cætera vestimenta scidimus, quia scindi in partes vtiliter non potest, vtpote texta & carens sutura: nam si scindatur, mox tota dissoluetur resoluetur que in fila ex quibus texta est, quæ scissa nulli vsui apta erunt. SORTIAMVR. *sorte contentionis experte videamus*, ait Nonnus. CVIVS SIT. τίνος ἔσται cuius erit, cuius futura sit integra: sit eius cui sors fauerit. sic enim vnus nostrûm commodum ex ea referre poterit, quæ si scindatur proderit nemini. *In quatuor partes cæteris diuisis*, ait Cyrillus, *vnam tunicam dilacerare visum non est: sortis ergo illam faciunt munus*. Iam subaudi: Id autem fecerunt, & iactâ forte, tunica inconsutilis integra vni militum remansit. VT SCRIPTVRA IMPLERETVR. ita vt scriptura impleretur. Non enim causa significatur, quæ nihil mouit impios milites, sed consecutio siue euentus: imprudentes enim illi, subseruierunt vaticinio prophetæ. DICENS. quæ dicit ex personâ Christi. PARTITI SVNT. διεμερίσαντο dispertiuerunt, diuiserunt in partes s. canes illi de quibus præcedit *Circumdederunt me canes multi*. SIBI. ἑαυτοῖς sibi ipsis. IN VESTEM MEAM. super vestem meam, pro vnâ vestium mearum quam diuidi non conueniebat. ἱματισμὸν quidam malunt *vestitum* interpretari, sed vox hebræa *vestem* notat. MISERVNT ἔβαλον iecerunt. Hebraicè sunt futura: *Diuident vestimenta mea sibi, & super vestem meam proiicient sortem*: sed LXX, quos Euangelista sequitur, ea reddiderunt per præterita, rem futuram describentes tamquam præteritam, ob certitudinem euentus. Prior huius scripturæ pars impleta fuit, dum vestimenta reliqua in partes quatuor

diuiderentur, posterior dum pro tunicâ inconsutili iaceretur sors. Non potuit clariùs exprimere propheta historiam post tot secula futuram. Idcircò ergo hic Euangelista, manifestiùs & distinctiùs quàm cæteri scripsit ea quæ circa Iesu vestes gesta sunt, vt indicaret quàm exactè hæc scriptura prædixerit, & disceremus nihil passum esse Iesum, quod non verè in redemtoris personam competere, Spiritus sancti oraculum olim pronunciarit, ne quod scandalum fortè, ex nuditate & ignominia quam patitur Iesus, concipiat carnis nostræ sensus. Immo verò magna Christi gloria fuit, quòd hæc etiam minuta Spiritus sanctus de eo per scripturas sacras duxerit prædicenda. Porrò ex eo quod propheta ait, *super vestem meam miserunt sortem*, non sequitur quòd sortem non miserint etiam super vestimenta, de quibus loquitur in priori versus articulo (nam & pro eis sortem missam fuisse, intelligitur ex prioribus Euangelistis, præsertim Marco) sed significat, tunicam ita fuisse sorte datam, vt non fuerit diuisa in partes; minimè negans, eas partes in quas reliquæ vestes diuisæ sunt, sorte fuisse distributas. Qua de re Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Diuiduntur*, inquit, *vestimenta, alij aliud sorte defertur*. De sorte plura diximus Matth. 27. v. 35. ET MILITES QVIDEM HÆC FECERVNT. Hac repetitione sternit sibi viam Euangelista, ad alia narranda quæ consequuntur: quamquam inculcari ideò quoque mereretur militum factum, quod, doctore Augustino, mysterium contineret huiusmodi, quòd Christi ecclesia, per quatuor mundi partes dispersa, vna futura esset fide & charitate; Dei gratiâ, quæ in sorte commendatur, hos illos in Ecclesiam colligente, non pro meritis singulorum, sed pro occulto iudicio vocantis.

Stabant autem iuxta crucem [25] Iesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.	εἱστήκεισαν δὲ παρὰ τῷ σταυρῷ τοῦ ἰησοῦ, ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς αὐτοῦ μαρία ἡ τοῦ κλωπᾶ, καὶ μαρία ἡ μαγδαληνή.

IVXTA CRVCEM IESV, tam propè quàm poterant, certè ita propè, vt non tantùm videre Iesum, sed & loquentem audire possent. MATER EIVS s. Iesu. Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Maria, vt matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante crucem stabat, & piis spectabat oculis filij vulnera, quia exspectabat, non pignoris mortem, sed mundi salutem*. Stetit ergo, non genas vellens, non capillos spargens, non humi cadens, aut vacillans corpore, vel animo deficiens; stetit, nō eiulans, clamans, aut querelas edens, ob indignam filij cædē; sed stetit taciturna, modesta, recta, & constans, prædita ardentissimo filij amore, pleno fide ac fortitudine. Quocirca non timuit ne Iudæi manus in se iniicerent, vt quæ mater eius, qui crucifixus erat, seditiosi impostoris, quem dicebant agnosceretur: parata enim fuit non tantùm, sed & optauit, vnà cum filio vitam fundere. Non curauit probra, quæ inimici tam multi, tamque feri, possent obiicere, vt filio ita matri præsenti: gauisa enim fuisset pro nomine filij contumelias pati. Et quis scit an non insultarint ei, & deriserint, vt seductoris illius, qui dignas meritis pœnas lueret, matrem? Certè Cyrillus existimat, milites cum risu atque triumpho, in matris præsentia, Iesu vestimenta partitos. Non puduit eam publicè adstare filio damnato ac de cruce suspenso, & coram omnibus pro matre ab eo agnosci: quia crucem filij, non ignominiæ sed gloriæ sibi duxit. fide enim illustrata, nouerat, eum, non sua, sed aliena luere peccata, & cruce *saluare populum suum à peccatis eorum*, quod Angelus ab initio prædixerat Matth. 1. v. 21. Denique non desperauit aut animum despondit, certa eum die tertia à morte resurrecturum. Stetit igitur magnanima & constans, quamquam modestè lachrymans, vt perfossa quod ad animam doloris gladio. Iam enim implebatur prophetia illa à Simeone quadragesimo à partu die prædicta: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Luc. 2. v. 35. *Gladium enim acutum, doloris magnitudinem appellauit*, inquit Cyrillus tractans hunc Iohannis locum. Nam, quod Damascenus audet asserere (libri quarti de fide orthodoxa cap. 15.) *quos in partu dolores effugerat beata, eos passionis tempore sustinuit, vt quæ pro materno suo affectu viscera sibi lacerari senserit, & dum eum quem Deum gignendo nouerat, vt sontem ac facinorosum morte affici conspiceret, intimis cogitationibus tamquam gladio discerperetur*. Sed, quod diximus, ob huiusmodi luctum nihil præter decorum egit: immo spiritu gauisa est de mundi salute, quæ morte filij sui parabatur, Deo patri vnà cum filio pro tanta miseratione gratias agens: ita consentiens diuinæ voluntati, vt parata esset, si Deus iussisset, ipsa filium cum Abraham offerre. Quòd autem steterit iuxta crucem, fuit, vt se filio probaret genuinam matrem, quòd maternæ pietatis viscera patefaciens, cùm aliud aut auxilij aut solatij filio ferre non posset, non desereret in summa ignominia & extremo vitæ constitutum, denique vt ex filio audiret, si non aliud, extremum vale huius mortalis vitæ, quam ipsa filio dederat, si quidem ipsi dicere placeret. SOROR MATRIS EIVS coniugij iure, soror Ioseph qui fuerat maritus matris eius, iam enim erat mortuus Ioseph. MARIA. cui sorori nomen fuit Maria. Syrus, tamquam alia esset Maria hæc, à sorore matris Iesu, interiicit coniunctionem copulatiuam: *Et soror matris eius & Maria Cleopha*. sed hac in re singularis est. CLEOPHÆ. ἡ τοῦ κλωπᾶ. quæ Clopæ. sic scribitur græcè, sed Syrum respondet scripturæ latinæ trissyllabum nomen danti. *Cleopha* autem, subaudire oportet, vel mater, vel filia, vel vxor. Verisimilius est autem fuisse vxorem Cleophæ, quemadmodum Simon siue Simeon vnus ex fratribus Iesu, qui Matth. 13. v. 55. nominantur, *Simon Cleophæ* vocatur tamquam filius: de quo Eusebius lib. 3. eccles. hist. cap. 11. *Consobrinus is secundum carnem Saluatoris fuisse dicebatur, quia Cleopam fratrem fuisse Ioseph, Egesippus contestatus est*. Rursus cap. 32: *Quòd autem Simeon vnus fuerit ex ipsis auditoribus Domini, vel longæuitas eius indicio est, vel euangeliorum fides, vbi etiam mater eius Maria, Cleophæ vxor refertur*. Sed si hoc verum est, sequitur, vel binominem fuisse Cleopham, aliàs dictum Alphæum, vel Mariam hanc bis nuptam fuisse, semel Alphæo, semel Cleophæ: eò quòd Iacobus, alius ex illis fratribus Iesu, vocetur Iacobus Alphæi Matth. 10. v. 3. Quum igitur Ioseph & Cleophas fuerint naturâ fratres, vxores eorum, Maria vxor Ioseph & Maria vxor Cleophæ, fuerunt affinitate sorores. Cæterùm nisi obstaret Egesippi auctoritas, clariùs fortassis esset, Mariam dicere naturâ sororem Ioseph, quàm Cleopham maritum eius dicere naturâ fratrem Ioseph. Porrò hæc *Maria Cleophæ*, illa est quæ à Matthæo & Marco vocatur *Maria Iacobi & Ioseph*: vt enim distinguatur ab aliis Mariæ

similiter

similiter nomine nuncupatis, præsertim verò à Maria matre Iesu sorore sua, additur eius nomini nūc filiorū nunc mariti nomen. Docet hoc inter alios D. Hieronymus libri contra Heluidium capite 7., quamquam dubius hæreat, an à matre, an à gentilitate familię, an quacumque alia ex causa, Iohannes ei imposuerit nomen Mariæ Cleophæ. MARIA MAGDALENE. Atqui Maria Magdalene, & Maria Iacobi, cum cæteris mulieribus Iesum à Galilæa sequutis, Matthæo & Marco testibus; &, quod Lucas scribit, omnes noti Iesu (inter quos haud dubium ante omnes numeranda est mater Iesu, cuius hoc versu, & Iohannes Apostolus, cuius mentio est versu proximo) non iuxta crucem, sed eminus steterunt & spectarunt omnia. Hanc difficultatem duobus modis soluit D. Augustinus lib. 3 de cōs. cap. 21. posteriorem ego probare malim, quòd nimirum illæ, postquam propiùs stetissent, abierint, *vt à acerbitate turbæ se exuerent, & longius intuerentur*. Incertum est, an virgo Maria mater Iesu, cum cæteris mulieribus, sequuta fuerit filium, quocumque, euangelij prædicandi causa euntem, ac tandem è Galilæa in Iudæam migrantem (quamquam Euthymius id sentire videatur scribens in Matth. 27. v. 55.) an vero his demum diebus, è domo sua Nazarethana ascenderit Ierosolymam ad diem festum Paschæ. Sed non est dubium, quin Iesus matrem suam passionis mortisque pro mundi salute à se breui obeundæ fecerit certiorem; quamquam non perinde forsitan temporis. Certum verò est, quòd ex eo tempore quo Iesus è Bethania concesserat Ierosolymā, manducandi agni paschalis gratiā, mater filium non fuerat alloquuta: nam cœnæ non interfuit, multo minùs orationi in monte Oliueti filiive apprehensioni. Ex quo autem mater eum apprehensum intellexerat, nulla fuerat opportunitas eum alloquendi, etiam captata, donec filius cruce sublatus, & multis vndequaque conspicuus, relictus est sibi. Id simulatque virgo mater, eminus stans cum cæteris notis interea dum fixio fieret, vidit, assumto Iohanne charissimo filij discipulo, loco ducis, & pro comitibus, Maria Cleophæ sorore sua, ac Maria Magdalene feruentissima discipula, accessit propiùs, & per confertas turbas vi pressurisque eousque penetrauit, vbi filij conspectui se obtulit, non vt eum alloqueretur, sed vt se filio genuinam matrem probaret, & ex eo audiret vel vale vltimum huius vitæ mortalis, vt suprà diximus. Vbi igitur audiuit à filio, quod ille matri dictum voluerat loco vale (infrà v. 26. 27.) quia diu eo loco ob turbæ pressuras consistere non poterat, cum duce & comitibus retrocessit ad reliquas mulieres discipulas & notos, cumque illis perrexit eminus contemplari omnia: donec filio mortuo & turbis dilapsis aut certè rarefactis, licuit redire propiùs ad crucem. id quod ita factum fuisse ex eo intelligitur, quòd infrà v. 35. Iohannes testatur, se adfuisse & vidisse, cùm ex perfosso Iesu latere emanarunt sanguis & aqua.

ἰησοῦς οὖν ἰδὼν τὴν μητέρα, καὶ τὸν [26] μαθητὴν παρεστῶτα ὃν ἠγάπα, λέγει τῇ μητρὶ αὐτοῦ· γύναι, ἰδοὺ ὁ υἱός σου.	Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suę: Mulier, ecce filius tuus.

ERGO quia propè erant. CVM VIDISSET IESVS. *ἰησοῦς ἰδὼν Iesus conspicatus*, ex cruce. Non pependit in cruce Iesus vagis oculis, speculari cupiens præsentes qui qualésve essent, & videre si quos eorum recognosceret: vt enim id non libeat crucifixo, ita totus erat Iesus in offerendo *semetipsum* suaque tormenta *pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis* (Ephes. 5. v. 2.) Sed cū sciret propè adesse in turba matrem suam, quantumuis doloribus oppressus, leuauit oculos vt eam videret & extremùm honoraret, *quasi parum de magnitudine doloris curaret*, quod ait Cyrillus. MATREM suam. Non addit *quam diligebat*, id enim nomen matris secum adfert. DISCIPVLVM. *τὸν μαθητὴν* illum discipulum. STANTEM. *παρεστῶτα* adstantem s. matri suæ. QVEM DILIGEBAT. Hac periphrasi solet Euangelista seipsum significare: *quā vt occultat proprium nomen modestiæ causa*, quod notat Theophylactus: ita clàm apud se gloriatur se dilectum Iesu. Et diligebat quidem Iesus omnes Apostolos suos: sed præ cæteris Iohannem dilexisse dicitur, non eâ dilectione animi, quæ æstimat suisque momentis ponderat merita virtutum, quasi Iohannes aliis omnibus Apostolis sanctior fuerit maiorisque meriti, sed partim quòd familiariùs eo vteretur Iesus, quod habet D. Augustinus, partim quòd exteriora beneuolentiæ argumenta exhiberet ipsi magis quàm aliis: idque quia cæteris ætate iunior erat, & virgo, quia virginitatem singulari verecundiâ morumque suauitate ornabat: denique quia Iesum ipse vicissim peculiari dilectione prosequebatur. id quod iam certè declarauit, quando cæteris præ timore pudoréve latitantibus, ipse nec timuit nec erubuit iuxta crucem vnà cum matre Iesu adstare, & ad vltimum vsque anhelitum morienti adesse. Nec tamen se vocat *discipulum qui diligebat Iesum*, sed *quem diligebat Iesus*, iactantiæ vitandæ causa. DICIT fixis in eam oculis. MVLIER. Non dicit *mater*, ne viscera eius æquo vehementiùs commoueret: sed *mulier*, quod *vocabulum est, non corruptelæ, sed sexus* (quod ait Ambrosius capite 5. libri de institutione Virginis) & viduæ conueniens ac desertæ: quo fortè eo libentiùs vtitur Iesus, vt significet se plus aliquid maiusque esse, eo quod ex matre acceperat. ECCE. Huius vocis significatio, capitis & oculorum nutu à Iesu explicabatur. FILIVS TVVS. id est, deinceps hic sit tibi meo loco, hic erit tibi loco filij. q. d. Ego filius tuus morior auferorque à te, nec potero proinde deinceps tibi adesse corpore, & tui curam gerere qualem hactenus, qualisque decet bonum filium, adhibito nimirum ministerio exteriori tesolari, iuuare, resque ad vitam mortalem necessarias tibi procurare: sed ne te cruciet illud, néve putes te deserendam, id meo nomine facturus Iohannes est, discipulus meus dilectus: is matris loco te colet, & filij officium tam libenter quàm fideliter erga te obibit. Durum admodum fuit, haud dubium, Deiparæ Matri, audire hanc commutationem, pro filio morte auferendo accipiendum esse extraneum (quamuis amicum) pro filio Dei filium hominis, pro Christo Apostolum, peccatorem pro iusto, infirmum pro omnipotente: non tamen ingratum fuit quod placebat filio, immo haud modicam attulit consolationem, quòd filius in summis tormentis extremoque vitę spiritu constitutus, non negligeret curam matris: quamuis eius rei consideratio cor Virginis instar gladij transuerberaret.

εἶτα λέγει τῷ μαθητῇ· ἰδοὺ ἡ μήτηρ [27]	Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

σου. καὶ ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας ἔλαβεν αὐτὴν ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος εἰς τὰ ἴδια.

DISCIPVLO. illi. ECCE MATER TVA. hæc sit tibi matris loco, in hac colenda & adiuuanda supplebis deinceps vices meas. *Ecce filius tuus*, inquit Euthymius, *hoc est, hic meo loco tibi erit. Ecce mater tua, siue, tu eris ei pro me, oportet te huius sicut matris habere curam*. Moriens Iesus commendat charissimo discipulo suo curam matris suæ: *quos amore atque charitate non minus coniungi voluit*, quod ait Cyrillus, *quam si natura maxima propinquitate coniuncti essent*. Commendat autem huic discipulo potiùs quàm aliis, non tam quòd hic iam solus adesset, quàm quòd hic aptissimus esset, virgo cui virgo committeretur, summè dilectus cui summè dilecta, quod notat Euthymius. *Nam puro pura commissa est*, ait Theophylactus. Quare Nonni paraphrasis est: *Dixit: Mulier amans virginitatis mater, ecce virginem filium: & vice versa dixit discipulo: Virginitatis studiose, ecce virgo, parens tua absque partu*. Et Ambrosius capite septimo libri de institutione virginis ait: *Sed cum quo virgo habitare debebat, quàm cum eo quem filij hæredem, integritatis sciret esse custodem?* Atque hac quidem re, Iesus, *quasi filius de matris pudore solicitus, maternæ virginitatis perseuerantiam voluit comprobatam*, quod scribit Ambrosius eiusdem libri capite sexto, *ne quis eam conuicio temeratæ integritatis adspergeret*. *Iam papæ*, exclamat Theophylactus, *quomodo honorat discipulum, fratrem suum illum faciens? Vsque adeò bonum est* iuxta crucem stare, & *manere apud patientem Christum*. Et Chrysostomus: *O honorem quem discipulo tribuit? cùm enim iam abiret, matris curam discipulo reliquit. Nam cùm par esset, vtpote matrem, dolere, & protectionem quærere, meritò dilecto commendat: cui etiam inquit: Ecce mater tua, vt dilectione deuincirentur*. Denique voluit hîc Christus docere, morituros suorum & maximè parentum curam habere debere, vt eis prospiciant, idque *ad extremum vsque spiritum*, quod dicunt Theophylactus & Euthymius. *Moralis enim hic insinuatur locus*, ait Augustinus, *exemplo suo suos instruxit præceptor bonus, vt à filiis piis, impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis*. Nam, quod addam ex Cyrillo, *oportebat ab ipso & per ipsum primùm nos discere, nec quando intolerabiles imminent ærumnæ, negligendos esse parentes. Admirare autem* cum Theophylacto, *quomodo in cruce omnia absque turbatione facit, matris curam agens, prophetias implens, latroni paradisum aperiens: ante crucem autem laborans, sudans, anxius: siquidem*, quod Euthymius ait, *ibi naturæ infirmitas, hic autem patientiæ vehementia apparet* & declarata est. ET pro igitur, seu itaque. EX ILLA HORA. ab illo ipso temporis articulo. Incunctanter, nulla interposita mora, præstitit quod mandauerat Iesus: dans intelligendum, de sua erga Dominum Iesum obseruantia nihil decessisse, quamuis contemptim crucifigeretur & reprobaretur ab omnibus. DISCIPVLVS. ἐκεῖνος ille, additur græcè & syriacè. IN SVA. εἰς τὰ ἴδια *in propria* vertit suprà 1. v. 11. Syrus transfert ܠܘܬܗ *leuathe* apud siue ad se: quomodo etiam alij vertunt, nominatim inter veteres Epiphanius hæresi 78, πρὸς ἑαυτὸν ad siue *apud se*. Quidam interpretantur *domum suam*. Nonni paraphrasis eiusmodi est: παρθένον εὔτοκον σύνευνον ἔχε μαθητὴς ἔνδον ἑοῖς μεγάροις: *Virginem partu felicem conuictricem habuit discipulus intra domum suam*. Sensus proximus est, quòd acceperit eam in domum seu habitationem suam; vlterior autem, quòd perfecerit fideliter id quod iussus fuerat; nimirum, suscepto erga matrem Iesu affectu filij, singularem eius curam quoad omnia gesserit. Nam quos in domum seu familiam nostram accipimus, eorum declaramus peculiarem protectionem & curam à nobis suscipi, vt nec possumus integriùs aliquem curare, quàm si in domum & familiam nostram eum accipiamus: quod officij, si cui ab aliquo præstandum est, certè matri viduæ præstandum à filio est. Cæterùm hinc non conficitur, quòd Iohannes propriam domum, proprios agros aut prædia à morte Domini obtinuerit, qui non minùs quàm Petrus relictis omnibus sequutus fuerat Dominum (Matth. 4. v. 22. 19. v. 27.) & ab accepto Spiritu sancto factus est inter primos eius consociationis hominum & communitatis, in qua *nemo aliquid suum esse dicebat eorum quæ possidebat, sed erant illis omnia communia* (Act. 4. v. 32.) quia etiamsi multitudini credentium tunc omnia essent communia, nec quisquam aliquid suum esse diceret, proprietatis siue dominij iure: poterant tamen singuli suo modo dicere esse suum, id quod ex bonis illis communibus ipsis distribuebatur aut assignabatur, siue domus esset aut habitatio, siue cibus aut vestis, siue quiduis aliud; suum inquam, concessione & vsu. Ad hunc ergo modum Iohannes, propria siue sua vocat, quorum ipsi concessus fuerat vsus; & signanter domum suam, quæ ipsi ad habitandam fuerat, vel alicuius munere concessa, vel ex bonis communibus assignata; significans hoc solum, suam habitationem, fuisse & Deiparæ virginis habitationem, eo loco eaque domo illam semper habitasse quâ ipse, nec vmquam domo à se separatam fuisse, ita vt perpetuam eius gesserit curam ad mortem vsque illius. Quamobrem fortasse non abiit in prouinciam sibi delegatam Iohannes, priusquam virgo mater diem obiisset: quamquam sunt qui Ephesi eam cum Iohanne habitasse tradant. Hac igitur ratione Iohannes obedientem se discipulum præstans, fidelissimè, quod iussus fuerat, præceptoris ac domini testamentum est exsequutus: *Testabatur enim de cruce Christus* (quod ait Ambrosius enarrans cap. 23. Lucæ) *& testamentum eius signabat Iohannes, dignus tanto testatore testis*. Ex hoc porrò Euangelij loco, claro clarius euadit, Iosephum virum Mariæ, in humanis non fuisse, Dominicæ passionis tempore: nam si ille adhuc vixisset, non alteri quàm ipsi Maria vxor commendata fuisset. *neque enim abrogaretur vxor marito*, inquit Ambrosius loco superiori: *sed quæ pro mysterio coniugium prætexuit, completis mysteriis iam coniugio non egebat*. Id annotauit & Epiphanius hæresi 78. vbi ait: *Dicit autem Euangelium: Et ab illa die accepit eam ad* (siue *apud*) *seipsum. Si verò habuisset virum, si habuisset domum, si habuisset filios, in sua secessisset, & non ad alienum*.

28 Postea, sciens Iesus quia omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dixit: Sitio.

Psalm. 68. v. 22.

μετὰ τοῦτο, εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται, ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει, διψῶ.

POSTEA. facilè tribus horis pòst. nam ante tenebras, paulò postquam crucifixus fuerat, commendauerat Dominus matrem discipulo: demum verò sub finem tenebrarum, instante morte, dixit *Sitio*. Adiungendum

gendum est autem aduerbium *postea*, non participio *sciens*, sed verbo, *dixit*. Significat Euangelista, perpetuum Iesu studium, ad perficienda ea omnia quæ pater decreuerat quantumuis ipsi molesta essent & dura. SCIENS. Nouerat quænam essent perfecta, nouerat quænam perficienda restarent, qui & illa nouerat cùm adhuc essent perficienda. Nihil itaque temerè, nihil præter opinionem, aut fecit aut passus est, quod ipse non prænouerit, & facere patique consultò paratus fuerit. OMNIA reliqua, quæ scripturæ prophetarum prædixerant, & pater priùs diuino consilio decreuerat, ipsi esse ante mortem toleranda, & agenda, *omnia* inquam, præter illud quod sequitur de aceti potu, vnum illud supererat. CONSVMMATA. τετέλεσται perfecta, absoluta, impleta sunt. VT CONSVMMARETVR. vt impleretur seu perficeretur, cuius implendæ tempus iam adesse iudicabat; non vt vino aut aqua refocillaretur, quam nouerat sibi non offerendam. SCRIPTVRA. ἡ γραφὴ illa scriptura, etiam illa scriptura reliqua, celebris illa scriptura de Messia aceto potando, Psalmi 68. v. 22: *In siti mea potauerunt me aceto*; cuius sensus est: Cùm sitire me intelligerent, acetum mihi pro potu propinarunt; vt etiam illud pateretur quod hæc scriptura prædixerat.

DIXIT: SITIO. declarauit sitim suam, ad cuius declarationem certò prænouerat sibi propinandum acetum. *Quis potest* (scribit Augustinus in hunc locum) *quæ fecit ita disponere, quomodo disposuit homo iste qui passus est* &c.) *Homo namque apparebat, qui Deus latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia, quæ oportebat vt fierent, antequam acciperet acetum & traderet spiritum: atque vt hoc etiam consummaretur, quod scriptura prædixerat, Et in siti mea potauerunt me aceto, Sitio inquit, tamquam diceret: Hoc minus fecistis, date quod estis.* Hæc Augustinus. Vera ac graui siti Dominus premebatur, tum propter effusum sanguinem, tum propter exhaustas diuturnis laboribus ac cruciatibus vires: vnde conqueritur Psal. 21. v. 16: *Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.* *Multum possunt dolores* (inquit Cyrillus tractans hunc locum) *ad commouendam sitim: innatum enim calorem exagitantes, vel quod in profunditate humidum est consumunt, & igneis ardoribus dolentis viscera vrunt.* Ac solet sitis defectos vrgere magis etiam quàm fames, calefactis atque exsiccatis faucibus: qui paucis nonnumquam vini aut aquæ guttulis refocillantur. Quare Iesus verè dixit *Sitio*, & desiderauit haud dubium appetitu naturali leuamen sitis: sed cùm sitim hanc, vt alia multo grauiora, dissimulare fortiter potuerit, non eo consilio eam indicauit, vt accepto congruo potu sedaretur, quem vt nouerat sibi non esse præbendum, ita non magis desiderauit voluntate rationali, quàm quoduis aliud cæterorum malorum suorum solamen (sitis salutis hominum erat, si quam desiderabat expleri) verùm hoc consilio aperuit, vt humanæ naturæ & supplicij non simulati veritatem in se manifestaret, proprium crucis laborumque effectum se sentire professus; maximè verò, quod Euangelista testatur, *vt consummaretur scriptura*, quæ prædixerat Christum in siti sua aceto potandum, id est, vt Patri obediret, qui per scripturam declararat, mentem suam esse, vt Christus inter cætera etiam hoc pateretur, vt in siti potaretur aceto. Quamuis ergo acerbissimos ferret dolores, qui nullis verbis exprimi possent: non tamen eximere se voluit vel hoc cruciatu reliquo, vt plenè Patri satisfaceret, & suis omnibus numeris passio constaret, nullo eorum quæ diuinitus decreta fuerant prætermisso; Hinc suo nos exemplo ad solidam obedientiam instituens, ne detrectemus ea quæ Deus nobis ferenda decreuit, etiamsi durissima & grauissima: hinc immensum suum erga nos amorem & inæstimabile salutis nostræ studium testatus. Cæterùm non potauerunt inimici Christum aceto, quia id scriptura prædixerat, aut quia Pater decreuerat: sed quia illi id, qua forent malitia, facturi erant, vt Christo declaranti sitim & desiderium naturæ potum requirentis, acetum offerrent, idcircò scriptura illud prædixerat, & vt Christus illud inter cętera ferret Pater decreuerat. Multo minùs potauerunt illi Christum aceto, quia Christus sitim indicauit suam: debuerant enim eo sitim indicante, congruum potum obtulisse. Sed quia nouerat Christus quid illi essent facturi, sitim manifestasse dicitur vt consummaretur scriptura, non vt illi hoc facerent, acetum inquam offerrent & peccarent, sed vt ipse etiam illud à scriptura prædictum pateretur, cuius faciendi, non causa ipsis fuit, sed occasionem præbuit, qualem Deus, largiens diuitias ei quem nouit illis abusurum.

σκεῦος οὖν ἔκειτο ὄξους μεστόν. Οἱ δὲ 29 πλήσαντες σπόγγον ὄξους, καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι.

Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.

Matth. 27. v. 48. Marc. 15. v. 36. Luc. 23. v. 36.

VAS ERGO. Coniunctione *ergo* insinuari videtur, vas istud de industria illic fuisse positum, vt crucifixis seruiret. D. Hilarius enarrans Psalmum 68. v. 22., pro *vas* legit *concha*: *Et erat concha posita aceto plena*; velut vasis genus exprimens. Non est autem vas illud ex quo ante crucifixionem Dominus potatus fuerat, narrante Matthæo cap. 27. v. 34., illud enim felle mixtum & Iesu proprium fuerat, hoc absque felle commune erat Iesu cum latronibus. POSITVM ERAT illic. *apud vicinum locum erat paratum*, inquit Nonnus; de more scilicet, quòd crucifixis acetum dari soleret. Loquitur enim tamquam de re vsitata. ACETO. Aderat paratum acetum pro crucifixis, non ideò vt illud eis potatum daretur (nec enim curæ iudicibus aut lictoribus erat, vt cruciariorum leuarent sitim, quorum procurabant mortem) multo minùs vt citiùs eo interficerentur, sed contrà vt diutiùs in tormentis viuerent, demumque sub vesperam, etiamnum viui de cruce depositi, crurifragium subirent (infrà v. 31. 32.) Duplici enim virtute, quæ ad prorogandam vitam faciat, acetum præditum est; Vnâ, quòd semianimes recreet appositum ori aut naribus; alterâ, quòd sistat sanguinem admotum vulneribus. Si ergo contingeret, reum crucis, metu mortis, deficere animo, interea dum crucifigeretur aut priusquam adesset mortis tempus, à Iudice decretum, vel in eo supplicij genere consuetum (erat enim crucis, vt lenta morte suos reos afficeret) admouebatur acetum naribus eius, vt ad se rediret & resumeret animum. Rursus, si è vulneribus clauorum, distractione aut concussione nimium dilatatis, copiosior efflueret sanguis, essetque proinde periculum ne minùs diu in tormentis viueret, quàm iustitia postularet, adhibebatur vulneribus acetum, vt fluxus sanguinis sisteretur. ILLI AVTEM, cùm audissent

ſent Ieſum ſitire. illi milites ſcilicet, id eſt, vnus illorum, quod conſtat ex Matthæo & Marco. Quod vnus fecit, adſcribitur ſocietati, vt diximus Luc. 23. v. 36. SPONGIAM. Et ſpongiis hanc ineſſe virtutem, vt ſanguinem ſiſtant, docet Plinius lib. 31. nat. hiſt. cap. 11., vbi inter cætera ait: *Sanguinis profluuium ſiſtunt ex aceto aut frigida.* PLENAM ACETO, HYSSOPO CIRCVMPONENTES. πλήσαντες ὄξους καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες implentes aceto & hyſſopo circumponentes. Locus ille, quia obſcurus eſt, variè exponitur: è ſex interpretationibus quas obſeruauimus, tres nobis veriſimiles videntur. Prima, vt quem Matthæus & Marcus vocarunt calamum ſeu arundinem, Iohannes hyſſopum nominet, tamquam diceret, calamum ſeu arundinem hyſſopi fuiſſe. Hanc interpretationem legere licet apud Theophylactum & Euthymium, quam multi recentiorum ſequuntur. Fauet ſyriaca verſio, quæ eiuſmodi eſt: *Impleuerunt aceto, & poſuerunt ſuper hyſſopum.* Certè vt Matthæus & Marcus dicunt περιθεὶς καλάμῳ, ita Iohannes ὑσσώπῳ περιθέντες: & facilè potuit in Iudæa hyſſopus excreſcere in maiorem magnitudinem quàm apud nos, apud quos in ſeſquipedalem longitudinem aliquando aſſurgit: vt nec adeo longa arundine opus erat, vt attingerentur crucifixorum ſiue ora ſiue vulnera, præſertim ſi propiùs accedere vellent tortores. Sed huic interpretationi obſtare putatur locus 3. Reg. 4. v. 33. vbi hyſſopus tamquam omnium plantarum minima memoratur. Præter hoc quòd dici poſſet, non quamuis hyſſopum illic memorari, ſed eam dumtaxat quæ parietinis innaſcebatur, quam non ſit mirum breuiorem fuiſſe ea quæ ex humo egrederetur; quidam putant, trichomanen aut adiantum, qui aliàs capillus veneris vocatur, hyſſopi nomine illic ſignificatum. Hæc igitur prima interpretatio eſt, in hyſſopi baculo defixam fuiſſe ſpongiam, vt poſſet ad os Chriſti admoueri. Secunda eſt, ſpongiam fuiſſe circumpoſitam herbæ hyſſopi, id eſt, arundinis, de qua alij Euangeliſtæ, extremum, fuiſſe circumdatum & conueſtitum, priùs hyſſopi herba, deinde ſpongia, ita vt ſpongia & hyſſopus coniunctæ fuerint, ſed ſpongia hyſſopum complexa. Hoc modo locum hunc intellexit D. Auguſtinus, ſi quis tractatum eius ſeriò expendat, quamquam myſticè exponat: nam hiſtoricè, hoc factum fuerit, tum ne ſpongia dilaberetur, tum vt acetum hyſſopi virtute condiretur. Eſt tertia interpretatio, quòd ſpongia, non tantùm aceto, verùm etiam hyſſopo, id eſt, hyſſopi ſucco, imbuta fuerit; nimirum, quòd acetum hyſſopi ſucco fuerit conditum. Poſteriores hæ duæ interpretationes ſibi mutuò ſimillimæ ſunt, quarum veſtigia apud veteres quoſdam tractatores exſtant, ſed huiuſmodi, vt non ſatis liqueat, vtram ſequuti fuerint, an de herba hyſſopi, an verò de ſucco loquantur. Hilarius ſcribens in Pſalmum 68. citat hunc Euangeliſtæ locum his verbis: *Spongiam igitur plenam aceto, hyſſopo admiſcentes, obtulerunt ori eius.* Chryſoſtomus in huius loci commentario: *Hi verò nil moti,* inquit, *magis efferantur & irrident, acetumque in ſpongia porrigunt, vt bibat tamquam reus: nam propter hoc hyſſopum additur* (ſeu *adieſt*) *quo guſtato mortuus eſt.* Chryſoſtomum more ſuo ſequitur Theophylactus his verbis: *Aceto eum potant, id quod condemnatis faciebant, & hyſſopum aderat vt lethale.* Denique, Theophylacto antiquior Nonnus poëta, hanc reliquit huius loci paraphraſin: *Vir autem quidam acutus cum audiſſet, ſpongiam ſubriguorum penetralium, germen maris, quum impleuiſſet acerrimo potu & ſiticuloſa muria, & quum affixiſſet ad extremam ſummitatem rectà procedentis arundinis, porrexit acetum exitij permixtum hyſſopo, compenſationem Regi, pro melliſluo imbre niuali panis diuini, per aerem alte protendens ſummum erectæ arundinis & ſpongiam vagam,* Hi auctores, an de ſucco, an de herba hyſſopi loquantur, ac proinde, an ſecundam, an tertiam ſequantur interpretationem, incertum eſt: quamquam veriſimilius fiat, quòd ſecundam amplexi, de hyſſopi herba loquantur. Tertia enim interpretatio, verbis Euangeliſtæ non facilè accommodari poteſt, niſi pro tertio caſu ὑσσώπῳ legas ſecundum ὑσσώπου, & interpungas hoc modo: οἱ δὲ πλήσαντες σπόγγον ὄξους καὶ ὑσσώπου, περιθέντες προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι *Illi autem implentes ſpongiam aceto & hyſſopo, poſtquam circumpoſuiſſent* ſeu *impoſuiſſent* (ſ. rei alicui, id eſt, arundini) *obtulerunt ori eius.* Hunc in modum ſcriptum dicas, in græco Eraſmi exemplari fuiſſe, cuius verſio eſt: *Illi verò impleuerunt ſpongiam aceto & hyſſopo, & impoſitam admouerunt ori eius.* Verùm hoc ego alibi non inuenio, niſi quòd Cardinalis Baronius, ex græco textu colligi ſcribat, *acetum illud hyſſopo fuiſſe permixtum atque conditum, ſicque ex aceto & hyſſopo ſpongiam fuiſſe imbutam, atque arundini affixam, ad potum Domino propinandum.* hæc enim eius ſunt verba. Sic verò ille probat hunc ſenſum, vt tamen exiſtimet, hyſſopũ non exitialem fuiſſe crucifixis, quod vidētur veteres illi ſenſiſſe, ſed potiùs vitalem, vt cui inſit à naturâ vis ſiſtendi ſanguinis, quemadmodum aceto & ſpongiæ. Docet hoc, Plinij loco, lib. 23. nat. hiſt. cap. 1., quamquam ego hoc ex eo Plinij loco non ſatis intelligam. Sentit igitur, cùm crucifigerentur aliqui, omnia potiora medicamenta, quæ ſanguinem ſiſtere poſſent, parata adfuiſſe, acetum, hyſſopum, ſpongiam, vt, ſi opus eſſet, ſpongia plena aceto, quod hyſſopo infectum eſſet, admoueretur vulneribus, ad prohibendum fluxum ſanguinis; aut (quod ego addo) naribus, ad roborandum exanimes. nam & hyſſopus odore ſuo prodeſt ei cuius animo malè ſit: quamquam, pro robuſtis, non erat opus his remediis, vt diu in cruce viuere cogerentur. Clariſſimus S. Theologiæ in Academia Duacena Profeſſor Guilielmus Eſtius, literis nuper ad me datis, hanc coniecturam ſuggerebat, ſi pro ὑσσώπῳ, detracta poſtrema ſyllaba, legeretur ὑσσῷ, quod latinè vertitur geſſum, & ſignificat pilum, haſtam, ſeu telum Romanum, locum clarum fore, hoc à Iohanne dici ὑσσόν, quod ab aliis κάλαμον. Certè clariſſimus foret locus, ſi huic coniecturæ libri ſuffragarentur: nam & erant Romani milites, qui acetum hoc Saluatori propinabant, quod teſtatur Lucas cap. 23. v. 36. OBTVLERVNT ORI EIVS. vt exſuctum acetum biberet ſitibundus. Non erat acetum cum hyſſopo & ſpongia ad hunc finem paratum, vt potandum offerretur crucifixis: quamquam etiam potatum, ſanguinem ſiſtat, quod docet Dioſcorides, cuius, lib. 5. cap. 17., verba ſunt: *Acetum, erumpentem vndecumque ſanguinem, potu inſeſſuue ſiſtit*; *potu*, id eſt, ſi potetur; *inſeſſu*, ſi inſideat ſiue extrinſecus admoueatur vulneri, aut parti illi è qua ſanguis erumpit. Sed milites, aceto illo ad vſus quos diximus parato, abuſi ſunt: nimirum, vt Domino illuderent, illud ſitienti potus loco propinarunt, quod ad ſitim accendendam, non extinguendam valet. *Illi adeo longè ab omni humanitate aberant,* inquit Cyrillus, *vt pro iuuante potu atque iucundo, nocentem & acerbum attulerint, & humanitatem qua moueri videbantur, in impietatem conuerterint: nam cùm petenti dabant, charitatis habitum ſuſcipere videbantur.* Reliqua huc ſpectantia dicta ſunt Matth. 27. v. 48.

Matth. 27. v. 50.

Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, 30 ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος ὁ Ἰησοῦς,

εἶπε

εἶπε τετέλεσται. καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν, παρέδωκε τὸ πνεῦμα.

dixit Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

Marc.15. v.37. Luc.23. v.46.

ACCEPISSET. bibisset. ACETVM è spongia exsuctum. nam hyssopum parua quantitate affusum fuerat, si quidem fuerat. Ante crucifixionem, vinū seu acetum felle mistū gustatum noluerat bibere: iam moribundus bibit acetum, vt etiam hac parte, lingua & faucibus aceto exacerbatis, satisfaceret pro crapula & ebrietate hominum. CONSVMMATVM EST. τετέλεσται perfectum, absolutum, confectum est s. quidquid scriptura prædixerat, & Pater decreuerat à me ante mortem in hac mortali vita tolerandum & agendum esse. *Consummatum est*, inquit Augustinus, *quid, nisi quod prophetia tanto antè tempore prædixerat? Deinde, quia nihil remanserat, quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret.* Sic etiam Theophylactus: *Hæc scilicet prophetia cum aliis impleta est, nihil superest, omnia consummata sunt.* Declarat quòd non præter exspectationem acetum accepisset, & vt conscius omnium quæ ipsi essent toleranda, ac quamdiu toleranda, postremam hanc esse passionis suæ periodum pronunciat, finemq; ac terminum adesse eorū quæ pro humano genere pati debuerat. *Consummatum est*, inquit, id est, peracta & perfecta sunt omnia, *ita vt nihil iam desit*, quod addit Euthymius. *Consummatum iam esse Saluator dixit*, habet Cyrillus, *quia sæuiendi Iudæorum potestas in ipsum, per mortem suam terminum habuit*; & Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Consummata sunt*, inquit, omnia, *eò quod assumtæ mortalitatis impletum esset omne mysterium.* Roget quis, quomodo consummata omnia Saluator pronunciet, cùm mors, præcipuum omnium obeunda restet; Respondeo, Dominum Iesum sic loqui de iis quæ ante mortem ferre debuerat, vt mortem ipsam iamiam imminentem complectatur, & quasi dicere: Consummatum impletumque est, quidquid pro hominum salute in hac mortali vita aut agendum mihi aut tolerandum fuerat, nihil restat nisi ipsa mors. Tempus est igitur vt animam ponam, & moriar, nihil opus est diutiùs viuere. Quocirca Pater in manus tuas commendo tradoque spiritum meum. Mors enim ipsa mox subsequuta, declarat Dominum hoc dicere voluisse: præter hoc quòd Lucas testetur, eum etiam verbis huiusmodi vsum. Dedit igitur nobis intelligendum, quando dixit *Consummatum est*, non tantùm diuinam, quæ ipsi inerat, cognitionem rerum suarum omnium, etiam antequam fierent, sed & summam erga Patrem obedientiam, qua æquanimiter ferret quidquid Patri visum esset, vsque ad mortem, mortem autem crucis, & ardentissimum salutis nostræ amorem, de qua iam procurata veluti triumphat. ET. pro itaque, igitur, quare. q.d. Euangelista: Itaque, aut quare, cùm sciret consummatum esse, quidquid in hac mortali vita ipsi agendum aut patiendum esset, mox inclinato capite tradidit spiritum. *Tamquam ad hoc exspectaret*, inquit August. lib. 3. de cons. cap. 18., *vt perfectum in illo esset, quod de illo prophetatum erat, qui vtique cum vellet moreretur.* Significatur ergo tum mortuus esse cùm voluit, quòd mori noluerit antequam omnia essent consummata, voluerit autem mox vt omnia essent consummata. simulatque enim dixerat nihil ampliùs sibi agendum restare, tradidit spiritum. *Vbique demonstrare admittitur*, habet Chysostomus, *nouam hanc mortem fuisse, siquidem in potestate morientis erat, ne priusquam ipse vellet & omnia impleta essent moreretur.* *Non priùs*, inquit Theophylactus *mors corpus eius inuasit, quàm ipse voluit, voluit autem cùm complesset omnia.* Non antè, non pòst, mori voluit, vt ostenderet, se, non tam naturæ lege, quàm sponte sua & officij causa mori, vt Patris voluntati decretoque satisfaceret; cui cùm anteà non satisfecisset, anteà mori noluerit; cùm iam à se satisfactum esset, etiamsi valeret naturam diutiùs in vita conseruare, tamen ne officio perfunctus frustra vel pauculas horas viueret, mori voluerit. *Tamquam ille*, inquit Augustinus, *qui potestatem habebat ponendi animam suam, & iterum sumendi eam, peractis omnibus, quæ vt peragerentur exspectabat, inclinato capite tradidit Spiritum. Quis ita dormit quando voluerit, sicut Iesus mortuus est quando voluit? Quanta speranda vel timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis?* Cæterùm, quod idem Augustinus annotat lib. 3. de cons. Euangelistarum cap. 18: *Inter illud quod ait Consummatum est, & illud quod ait Et inclinato capite emisit spiritum, emissa est illa vox magna, quam tacuit iste, cæteri autem tres cōmemorauerunt*, scilicet *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* INCLINATO CAPITE, quod hactenus vnà cum corde suo Deum Patrem versus erectum tenuerat, *inclinato* inquam in latus alterum, aut potiùs in pectus (vtpote quod solùm habebat liberum, solumque non erat affixum) contra morientium ac præsertim crucifixorum, id est, de manibus pendentium, morem. *Inclinato capite*, inquit Chrysostomus, *quod affixum non erat, tradidit spiritum, id est, exspirauit. Atqui non post inclinatū caput exspiratur, sed post exspirationem caput inclinatur: hic autem contrà accidit, per quod ostendit cum Euangelista, esse omnium dominum*, quod est, vt Theophylactus scribit, *quod ipse fuerit Dominus mortis, & omnia secundum potestatem fecerit.* Capite erecto aut certè nictabundo esse coguntur moribundi, præsertim si pendeant non de capite, idque vt trahant miserum spiritū: maximè verò cùm iam reipsa moriuntur, etiamsi anteà fuissent fortassis capite in pectus inclinato, mortis & spiritus egredientis vis caput violenter erigeret. nec enim in morte sed à morte demum, Spiritu emisso & vigore extincto, fiet, vt eius qui pendeat crucifixus, caput, suo pondere in pectus inclinet. Porrò Christus Dominus, cōtrario modo, capite, nec erecto nec subitò exsiliente, sed inclinato & incumbente pectori, exspirauit, vt modis omnibus intelligendum daret, se ponere animam, non tolli abs se, se non violenter, sed voluntariè mori, & leniter Spiritū reddere, non necessitate vt debilem, sed potestate vt fortem. Deinde congruebat hic gestus ei morti, quæ propter subsequentem resurrectionem nō tam mors quàm somnus dici merebatur, velut si dormiturıens caput lecto reclinet. Postremò, capitis inclinatio seu submissio, eximiam Iesu erga Deum Patrem obedientiam declarat, quòd *humiliet semetipsum, obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip. 2. v. 8. TRADIDIT in manus Dei Patris SPIRITVM suum è corpore emissum. *quo significatur mors corporis, anima exeunte*, inquit Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 16. Alludit Euangelista ad ea verba quæ Iesus moriens exclamauit *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. v. 46. *Mihi videtur*, inquit Cyrillus, *ideò tradidisse spiritū Euangelista dixisse, quia in manus Dei Patris animam commendauit, vt ipse dixit Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Bene autem tradidit*, ait Ambrosius lib. 10. in Lucam, *qui non inuitus amisit*; addere licet, sed sponte in manus Patris deposuit corpori breui restituendum. Omnes Euangelistæ dilucidè ac diligenter Christi mortem exprimunt, eò quòd sit salutis nobis partæ fons: hinc enim nobis vita, quòd mortem vice nostra Filius Dei obierit, & cum ea luctando superior euaserit.

31 Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.

Οἱ οὖν ἰουδαῖοι, ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ· ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν· ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου· ἠρώτησαν τὸν πιλάτον, ἵνα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη, καὶ ἀρθῶσιν.

ERGO. Syrus ܕܝܢ *den*, quod est, δὲ *autem*. Ergo igitur non illatiua coniunctio est hoc loco, sed continuatiua sermonis: ita tamen vt non significetur, hoc factum post traditum à Iesu spiritum, quod constat antè factum esse, saltem antequam scirent Iudæi traditum ab ipso spiritum. IVDÆI. Iudæorum primores. PARASCEVE. dies proximè præcedens diem sabbati (vide Matth. 27. v. 62.) & is vergens ad vesperum. Hæc verba *quoniam parasceue erat*, habet etiam Syrus hoc loco: quæ Græcè in medio versiculi duriusculè leguntur. IN CRVCE. enallage numeri, pro crucibus. CORPORA. crucifixorum, siue viua, siue mortua: incertum enim erat mortis tempus in cruce, aliis citiùs, aliis tardiùs morientibus. SABBATO proximè instanti. interea dum ageretur sabbatum, quod quidem vesperâ eius diei erat incepturum. Lege cautum erat Deut. 21. v. 22. *Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur*. Sequitur causa: *Quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam*. Non erat igitur in patibulo relinquendum cadauer vsque ad diem proximum: si non vsque ad diem proximum, quicumque is foret, multo minùs si foret sabbatum. Hæc erat ratiocinatio Iudæorum: qui cadauere suspensi, contaminari arbitrabantur, non tantùm terram, quod sequitur apud Mosem, verumetiam diem, & præsertim sanctum sabbati diem, à quo, vt ab omnibus sanctificando, procul abesse oportebat omnem immunditiam, qualis est cadauerum, & quidem damnatorum. Terra contaminata fuisset, cadauerum impiorum, quæ palàm sustinuisset, situ ac pondere; sabbatum, tristi publicoque maledictorum corporum adspectu (vt erat illorum opinio) itaque hac ratione celebritas dehonestanda, contemtui habenda & funestanda. Syrus, priorem hanc versiculi partem, effert oratione recta, quibusdam additis, in hunc modum: *Iudæi verò, quoniam parasceue erat, dicunt: Non pernoctabunt corpora ista in cruce, quia dies sabbati illucescit*, quod est, incipit proximè. ERAT ENIM. Augebat religionem, quòd dies proximus, non esset quodlibet sabbatum, sed MAGNVS esset DIES ILLE SABBATI, dies ille sabbati instantis magnus esset præ cæteris, siue (vt habent quidam græci codices, Syro adstipulante, ἐκείνου pro ἐκείνη) magnus esset dies illius sabbati; *Magnus*, id est, solemnis admodum ac celebris; idque, quia infra festa paschalia occurrebat; nimirum, vnà cum sabbato concurrebat dies azymorum secundus: itaque duplex celebritas erat. ROGAVERVNT per eos quos ad Pilatum miserunt delegatos à se. VT FRANGERENTVR EORVM s. crucifixorum, quod Syrus exprimit. CRVRA. vt fractis cruribus interficerentur cruciarij, Iesus eiusque socij latrones. Non dubium quin rogauerint, quod loci ipsorum consuetudo ferebat: nam vt ad nouum ac insolitum supplicij genus Iesu inferendum Pilatum adducere possent, multis de causis non erat probabile fieri posse, quem non sine maxima difficultate ad crucifigendum adduxerant. Rogarunt igitur Pilatum, vt fieret id quod apud ipsos moris erat fieri (quæ etiam Lactantij opinio est lib. 4. cap. 26.) cedentibus Romanis ipsorum consuetudini: nam Romani ipsi hunc morem non habebant, apud quos crurifragium distinctum prorsus erat supplicij genus à cruce, quod pluribus exemplis docet antiquitatis doctissimus Lipsius lib. 2. de Cruce cap. 14. Apud Iudæos mos hîc obtinuisse videtur, eò quòd ex lege corpora ante vesperam de cruce deponenda essent & sepelienda: quamquam non videtur hoc fuisse perpetuò obseruatum id temporis (vt nec Dauidis tempore, 2. Reg. 21. v. 9. 10., quo gentilium more, permissa sunt cadauera septem filiorum Saul, ad putrefactionem vsque manere in cruce) præsertim si dies sequens prophanus esset; sed pependisse de arbitrio Præsidis, ponderantis dierum aliarumque circumstantiarum proprietates: nec enim rogandum fuisset, si fuisset perpetuum. Erat ergo consuetudo Iudæorum, vt crucifixos, quos eadem die vellent auferri, si sub vesperam adhuc viuerent, crurifragio occiderent, ne fraus fieret sententiæ mortis aduersus eos latæ. Crus pars pedis inferior est, à genu ad imum vsque pedem: cuius anterius tibia, posterius sura vocatur. Crurifragij modus hic erat, vt crura incudi imposita, validis mallei aut vectis ferrei ictibus comminuerentur. Nonnus existimasse videtur, crura amputari solita serrâ aut gladio: eius enim paraphrasis est: *Vt ipsorum trium (Christi diuini & tarde morientium duorum virorum) pedes* τέμνοιντο σιδήρῳ πολυόδοντι *secarentur* aut amputarentur *ferro dentato*, seu multos dentes habente: quemadmodum & proximo versu, *dissecuerunt*, ait, *penetrabili ferro*; rursus, *gladio percusserunt*. Verumenimuero, cùm mors acceleranda esset crucifixis, quare non potiùs id factum est, pectoris confossione, quæ fieri potuisset lanceâ aut gladio vel alio facili modo, tot cùm essent ad manum? Videntur iudicasse, scelestissimos huiusmodi, qui cruce digni pronunciati fuerant, non debere mori facilem mortem: itaque cùm cruce non occiderentur tam citò quàm desiderabatur, addendum fuisse aliud supplicij genus proximè ad crucem accedens, vile ac sæuum iuxta crucem, quale certè est crurifragium. Quod vt est crudele admodum, ita lenè non subitò extinguit hominem: nec tamen sinit diu viuere (& eos præsertim, quibus in extremis cùm sint, hoc supplicium additur) *ob magnitudinem doloris*, quod Cyrillus ait, *ob sanguinis exundationem*, quod alij: denique quod alij, quia præciditur vitæ facultas, confractis genibus, quibus (quod docet Plinius lib. 11. cap. 45.) *inest vitalitas. Namque in ipsâ genu vtriusque commissurâ dextrâ leuaque, à priori parte, gemina quædam buccarum inanitas inest, quâ perfossâ, ceu iugulo spiritus fugit*. Hæc Plinius. ET TOLLERENTVR. auferrentur è conspectu. Syrus *& tollerent eos*. *Tollerentur* ergo, non crura sed corpora; *tollerentur*, inquam, ante vesperam: nam si vespera præoccupasset, non licuisset ea toto die sabbati, qui ab illa vespera incipiebat, auferre: maior enim religio fuisset eis, die sabbati deponere ac sepelire cadauera, quàm in cruce relin-

quere, nimirum censebant illo magis quàm hoc modo, sabbatum violandum. Vbique sui similes perstant hypocritæ isti, præposterè religiosi. Verentur ne dies sabbati violetur, si corpora remaneant: non sunt veriti, ne dies paschæ violaretur si crucifigerent. Innoxium, benemeritum, iustum, sceleratis odiis, impiis modis, adegerunt in crucem, nihil deterriti à tam immani facinore, diei festi religione: cæterùm de tollendis è cruce corporibus superstitiosè laborant. *Christum occidere non dubitarant*, inquit Cyrillus, *& sabbati honorem minima in re conseruare studebant. Maxima scelera temerariè suscipiebant, & de minimo erant curiosi* (de præcepto inquam ciuilitatis, potiùs quàm necessitatis) *Non itaque religione id factum ab eis est, sed quia, vt consueuerant, excolabant culicem, & camelum gluttiebant*. Matth. 23. v. 24. quem locum & Chrysostomus eiusque abbreuiatores adferunt. Quamquá credibile sit, non tam sabbati cultu, quàm metu & pudore, motos Iudæos hîc fuisse; metu populi, ne in ipsos insurgeret, qui prodigiis apparentibus cœperat conturbari, detestari admissum scelus, pectus tundere (quamquam id à morte Iesu præcipuè acciderit. Luc. 23. v. 48.) pudore, flagellante illos conscientiâ. Quocirca, quem antè volueraut, modis omnibus cruce exaltatum, cunctis ignominiosè esse conspicuum; iam studuerunt, vt quàm citissimè ex hominum oculis auferretur, vt simul cum eo auferretur & memoria mirabilium quæ acciderant, ne pergerent, aut populus his moueri ad diligendum Iesum, aut ipsi conscientiæ tormentum pati; studuerunt inquam, vt quàm citissimè submoueretur ex oculis, non priùs tamen quàm immanem vilemque crurifragij pœnam, vltra cætera omnia supplicia, subiisset.

ἦλθον οὖν οἱ στρατιῶται, καὶ τοῦ μὲν [32] πρώτου κατέαξαν τὰ σκέλη, καὶ τοῦ ἄλλου τοῦ συσταυρωθέντος αὐτῷ.	Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.

VENERVNT ERGO. Ponit Euangelista, Pilatum concessisse quod fuerat rogatus, vt Iesu latronumque crura frangerentur: videbantur enim æqua ratione niti Iudæi: & violari, remanentibus in cruce corporibus, diem festum, iudicabat fortè non minùs Romana quàm Iudaica superstitio. Ita postquam semel homo consensit sceleri, non difficulter perficit quod cœpit. MILITES carnifices, *quibus id a Pilato iussum erat*, quod ait Euthymius: iidem illi qui crucifixerant, verisimile est. *Venerunt* paulò pòst, vt Pilati iussa præstarent. *Iudæorum obsequentes voluntati*, quod addit Cyrillus. nam vt Pilatus concesserat rem, quo Iudæis postulantibus gratificaretur: ita Iudæi ipsi hoc in negotio milites regebant, & crura tunc frangi iubebant cùm vellent. ET PRIMI. id est, dextri è crucifixis (notat Euthymius) latronis nimirum iustificati Christi sanguine, adhuc trahentis animam. FREGERVNT CRVRA, validis ferri ictibus percussa. Solet incus supponi suræ, hîc crux ipsa incudis loco seruiebat. factum est id autem, cruce in terram, non proiectâ (ne deiectione potiùs quàm crurifragio interficeretur) sed depositâ. vide Marc. 15. v. 46. ET ALTERIVS. & postremi. QVI CRVCIFIXVS EST CVM EO. τοῦ συσταυρωθέντος αὐτῷ qui concrucifixus fuerat ei, qui supplicij & criminis fuerat ei socius. Id est, fregerunt crura extremorum, vtriusque latronis nimirum, qui erant à lateribus Iesu. Relinquitur intelligendum hîc ab Euangelista, quòd paulò post crura fracta, latroni corpora vnà cum crucibus proiecta fuerint in proximam vallem, quæ vallis cadauerum vocabatur, quam alibi descripsimus.

ἐπὶ δὲ τὸν Ἰησοῦν ἐλθόντες, ὡς εἶδον αὐτὸν ἤδη τεθνηκότα, οὐ κατέαξαν αὐτοῦ τὰ σκέλη· [33]	Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura:

AD IESVM postremum, disiectis vtrimque crucibus latronum. CVM VENISSENT extrahendæ crucis & frangendorum eius crurum gratiâ, statuentes fortè, quò gratificarentur Iudæis, crudeliùs eum etiam quàm latrones tractare, plures videlicet vtrimque positi, vectes in eius crura alius post alium impingere. cæteroqui enim, non erat cur Iesum qui medius fuerat, postremum aggrederentur. *Postremo ad eum venerunt*, inquit Euthymius, *maiore contumelia, in gratiam Iudæorum, ipsum afficere volentes*. VT VIDERVNT. Iam antè viderant fortasse (Centurio enim obseruarat, quòd clamans exspirasset. Marc. 15. v. 39.) nec milites tantùm, verumetiam Iudæi: sed viderunt nunc iterùm. IAM. dudum ante alios MORTVVM prorsus.

NON FREGERVNT. iudicantes id fore superfluum, quia causa frangendi erat vt mors acceleraretur. Sperauerant Iudæi, vltra omnem pœnarum cumulum, hac etiam postremâ afficere se posse Iesum: verùm id diuina prohibuit prouidentia (id quod paulò pòst v. 36. Euangelista, ex ipsâ Mosis lege ostendit) quæ ita res ordinauerat, vt Iesus priùs traderet spiritum, quàm milites se ad suffringenda crucifixorum crura accingerent. Itaque Iesu crura integra atque intacta permanserunt: noluit enim ea sibi frangi, qui statim voluit resurgere. *Sic integrum corpus* (ait Lactantius lib. 4. cap. 26.) *patibulo detractum est, & sepulchro diligenter inclusum, ne diminutum, ad resurgendum inhabile redderetur*. Nam quamquam facilè potuisset Iesus resurgens, fracta sua crura in integrum restituere: noluit tamen, cæteris difficultatibus reuocantibus infirmos homines à fide resurrectionis, hanc accedere.

ἀλλ' εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ [34] τὴν πλευρὰν ἔνυξε, καὶ εὐθέως ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ.	sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.

VNVS MILITVM illorum. Nequaquam iste Longinus est appellatus (quamquam ita eum appellet Auctor Manualis, quod exstat tom. 9. inter opera D. Aug. capite 23.) sed Centurio ille de quo Matth. 27. v. 54. nisi fortè & hic, à fidelibus Longinus fuerit appellatus, à λόγχη lancea qua vsus est. LANCEA. quam manu gerebat

gerebat armorum loco. Lancea telum oblongum eſt, inſtar arundinis, cuius extremum ferrea eaque latiuſcula cuſpide munitum eſt. LATVS. non pectus, vt quidam pingunt, ſed *latus*, idque ſiniſtrum (quamquam pictores dextrum notent) penetratis enim coſtis primùm, & pulmone deinde, ac tandem pericardio, transfodit cor, quod pericardio proximè, & pulmone conſequenter, obuelatum, tametſi in medio corporis, tamen ad ſiniſtram ſitum eſt magis quàm ad dexteram: prout etiam ictus, cùm fiat dextra manu, propensè petit partem ſiniſtram. EIVS ſ. Ieſu. *αὐτοῦ* anceps eſt, nam & verti poſſet *ſua*, ad lanceam relatum: collocatur enim græcè medium inter nomina *lancea* & *latus*. APERVIT. *ἔνυξε* pupugit, fodit, lacerauit. Syrus *percuſsit eum in latere eius*. Noſter interpres legit *ἤνοιξε*, quod eſt *aperuit*, & eodem tendit, ſignificans perforauit; nec minùs quàm diuiſit in duas partes, veriſimile eſt vtpote latâ lanceæ cuſpide. Fuerunt aliquando quidam, qui aoriſtum hunc præterito pluſquam perfecto voluerint exprimere, *aperuerat*, *transfoderat*, docentes, Ieſu adhuc viuo latus perfoſſum fuiſſe: verùm opinio illa, vt eſt huic euangelio contraria, teſtanti militum mentem fuiſſe, etiam Ieſu crura frangere, ſed quia inuentus eſt mortuus, loco crurifragij paſſum eſſe lateris confoſſionem: ita ab Eccleſia reiecta eſt, in concilio Viennenſi, Clementinâ primâ. vide Notas ad varias lectiones græcas Matth. 27. v. 49. Ambroſius enarrans caput 23. Lucæ. *Quæro*, inquit, *cur ante mortem non inueniamus eſſe percuſſum, poſt mortem inueniamus: niſi fortè vt voluntarius magis quam neceſſarius exitus eius fuiſſe doceatur.* Poſt mortem igitur lanceâ apertum fuit latus Ieſu, milite agente, partim petulanter, partim cautè; Petulanter, quia indignè ferens, Ieſum tam citò mortuum eripuiſſe ſe crurifragio & contumelijs, quibus ſperauerat ſe eum adhuc poſſe illudere, militari inſolentia lanceam ei adegit in latus. Nam, quod Chryſoſtomus ait, *ad Iudæorum gratiam conciliandam, latus eius aperuerunt, & mortuo adhuc inſultant. ô peſſimam voluntatem ac ſceleſtiſſimam!* Cautè verò egit, quia *ſubdubitans an mortuus eſſet* quod ait Cyrillus, ſuffragantibus commilitonibus explorare & periculum facere voluit, certóne mortuus eſſet. & ſi fortè non eſſet, hoc certè ictu finiret, quo transfoſſis coſtis ac pulmonibus cor ipſum petebatur. Curæ enim erat militibus carnificibus, vt iudicis ſententia ad ſuum perduceretur effectum, ne quâ ratione eluderetur aut fruſtraretur, morte non ſubſecutâ. Nec verò hac in re permittendâ defuit prouidentia diuina, quæ conſtare hac ratione voluit, vnâ ex parte, teſtatiſſimam Ieſu mortem, ne quis iactare vmquam poſſet, viuum ſepulchro illatum fuiſſe, ac proinde in dubium vocare eius reſurrectionem; alterâ ex parte, immenſum Ieſu erga nos amorem, qui nihil ſuum exceperit aut reſeruarit, quod nobis ſaluãdis non expoſuerit. Hactenus manſerat cor Ieſu illæſum, quod ad ſubſtantiam: ne itaque præcipuum ſui videretur non expendiſſe ad noſtri redemptionem, permiſit & illud ſauciari, quo declararet, quòd vt cor, ita totum ſe, quantus eſt, nobis dederit. Nam quamuis mortuus acceperit hoc cordis vulnus: quia tamen illud ſibi à morte inferendum viuus nouerat, & ad excipiendum paratum ſe præbuerat, idcircò etiam illo meruit & operatus eſt ſalutem noſtram. Porrò quò clariùs pateret, quòd cor ſuum totum nobis profuderit, fecit vt CONTINVO. mox retractâ lanceâ (nam quamdiu gladius vulnus occupat, nihil effluit) EXIVERIT ex eo vulnere, profluxerit: non ſtillauerit tantùm guttatim, ſed confertim ac copioſè exſilierit, tamquam ex plena ſcaturigine, ſubitò apertâ poſt diuturnam obturationem.

SANGVIS. fons enim ſanguinis eſt cor ipſum. ET AQVA. quæ viſu diſcerni potuerit ab ipſo ſanguine, cum quo ſimul effluebat; *aqua* inquam vera, id eſt, eiuſdem ſpeciei cum elementari, non liquor aquæ ſimilis dumtaxat, vt phlegma aut quiuis alius humani corporis humor: id enim reprobat Innocentius papa tertius lib. 3. decretalium tit. 41. de celebratione miſſarum cap. 8: *In quadam.* vbi tandem concludit in hunc modum: *Reſtat igitur, vt qualiſcumque fuit illa aqua, ſiue naturalis, ſiue miraculoſa, ſiue de nouo diuinâ virtute creata, ſiue de componentibus ex parte aliqua reſoluta, procuIdubio vera fuit: cum naturaliter poſsit, & compoſitum in componentia, & elementatum in elementa reſolui.* Porrò miraculoſam, diuinaque virtute creatam in mortuo Ieſu corpore, hanc aquam fuiſſe, longè veriſimilius eſt, quàm vel reſolutione natam (nec enim ſenſit Chriſti corpus corruptionem) vel corpori naturalem, nulla enim elementaris aqua, humano corpore bene affecto, niſi ſtatim à potu, continetur. Nam quod quidam, præſertim Caluinus eiuſque aſſeclæ, aſſerunt, membranâ præcordijs vicinâ, quę *περικάρδιον* græcè dicitur, aquam contineri, quâ effuſa neceſſe ſit omne animal protinus mori: minimè verum eſſe, expertiſſimi Medici affirmant. Liquor enim ille pericardij, nec colore, qui flauus eſt, nec ſapore, qui amarus eſt, aquam refert, ſed bilioſum potiùs humorem (id quod centies ſe viſu guſtuque percepiſſe, ſagaciſſimus Medicinæ Doctor Guilelmus Iolitus, familiaris meus, teſtatur) & in optimè conſtitutis corporibus, quibus eſt temperamentum ad pondus (vt loquuntur medici; id eſt, quatuor elementorum ad permixtionem concurrentium exactâ æqualitate definitum; quale haud dubium, ſi quod aliud, fuit corpus Chriſti) aut nullus aut parciſſimus eſt: vt prætercam, quòd ſanguineum pulmonem penetrare; quod neceſſe fuit; haud potuerit naturaliter, niſi ſanguineo colore infectus. Cæterùm vt fuerit aqua illa corpori Ieſu naturalis: negare tamen miraculum ſubfuiſſe, in eo quòd ex latere Chriſti lancea perfoſſo effluxerint ſanguis & aqua, quò Caluinus reſpicit (qui facilè concedat, non tam aquam quàm ſerum ſanguinis fuiſſe, contra Euangeliſtam, teſtantem, non tantùm ſanguinem, verùm etiam aquam exiuiſſe: *naturale eſt enim*, inquit, *dum coagulatur ſanguis, rubore amiſſo fieri aquæ ſimilem*) prorſus alienum à veritate eſt, nec ex mente Innocentij papæ. Omnes enim catholici tractatores, & veteres & recentiores, miraculum hîc agnoſcunt: vt certè plurima ſunt admiranda, & quod ad aquam & quod ad ſanguinem. Theophylactus in hunc ſcribens locum: *Etenim*, ait, *oſſa Ieſu non confringunt quidem, pungunt tamen eum, gratificantes Iudæis, & ſanguis & aqua egreditur. Et hoc quidem admirandum: nam illi quidem etiam mortuum corpus contumeliâ afficere conantur, at contumelia illis in miraculum vertitur. Et ſanguinem quidem ex mortuo corpore produiſſe admirabile eſt: verumtamen poſſet quis ſycophantarum dicere, quòd veriſimile ſit, vitalem quandam virtutem adhuc fuiſſe in corpore: aqua autem egreſſa, omnem controuerſiam miraculo tollit.* & paulò pòſt: *Confundantur Armenij, qui non admiſcent in myſterijs aquam vino. Non enim credunt (vt videtur) quòd aqua ex latere egreſſa ſit, quod admirabilius, ſed ſanguis tantùm. Et hoc loco deſtruunt magis miraculum. Itaque ſanguis, ſymbolum hominis crucifixi; aqua verò, quod is ſit ſuper hominem, hoc eſt, Deus.* Hæc Theophylactus græcus. Ambroſius verò latinus enarrans caput 23. Lucæ: *Poſt mortem*, inquit, *ſanguis in noſtris corporibus congelaſcit. ex illo autem incorrupto licet corpore, ſed defuncto, omnium vita manabat. Aqua enim & ſanguis exiuit, ille quæ diluat, iſte qui redimat.* Denique Euthymius græcus Auctor, in hunc euangelij locum: *Res ſupra naturam*, ſcribit, *ac manifeſtè docens, quòd maior quàm homo eſſet qui fuerat vulneratus: ſiquidem à mortuo homine, etiamſi millies*

quis

quis eum pupugerit, non exibit sanguis. Ratio est, quam mox audiuimus ex Ambrosio, quia mox à morte coagulatur sanguis, ac præsertim in cadauere exposito frigido aëri: supra naturam igitur fuit quòd fluxit. Quòd si dicas, sanguinem quidem venarum & arteriarum quæ inter costas sunt, coagulum mox passum esse: sed non tantum temporis intercessisse inter punctionem hanc & mortem Iesu, quanto sanguis contentus in corde, fonte suo & proprio conceptaculo, potuerit coagulari (quamquam contrarium sit verisimilius) respondeo, sanguinem è corde promanantem, qualem haud dubium est hunc fuisse, non potuisse *continuò* impetuque exire ex vulnere lateris, nisi miraculo eo fuerit coactus; non tantùm propter plurium membrorum, cordis inquam, pericardij, pulmonis, & lateris, vulnera, quorum labra facilè concidunt in se, verumetiam ob interuallum, quod est inter cor & latus: ob quod, naturâ in concauitatem pectoris mox decidisset sanguis ex corde, vt & aqua è pericardio, præsertim cadauere pendente recto. Est namque cauitas pectoris ampla satis, & ad huiusmodi humorem excipiendum capax ac prona. Quemadmodum &, si sub costis spuriis, ac consequenter sub pulmonibus, lancea penetrasset ad cor, rectâ ad imum ventrem eiusque cauitatem fluxisset sanguis, quippe diaphragmate perfosso, non foras. Obiicias iterùm, frequens esse, vt cadauer, homicidâ præsente, copiosum profundat sanguinem: & quis hoc miraculum non suspicit, adhuc controuersum inter doctos, à naturâ ne sit, an à solo Deo! Iam verò sanguis fluens, numquam visus est aliter fluere quàm vniformis: quòd si aqua aliúsve humor aut liquor adiunctus sit; prodit tamen tinctus sanguine, nec potest à sanguine discerni. Quale igitur fuit spectaculum, videre sanguinem & aquam, ex vno eodemque vulnere, simul & distinctè, absque commixtione & confusione mutua, scaturientes? Est quidem Nonni poëtæ opinio, quòd sanguis prior, aqua posterior effluxerit: nam habet eius paraphrasis: *Et geminis liquoribus, ex percusso latere, primum quidem sanguis effusus est, deinde verò diuina aqua*: sed recepta opinio habet, quod simul effluxerint, Nonnoque græco opponendus græcus Cyrillus est, cuius verba hæc sunt: *Illico sanguinem simul atque aquam emisit*. Obstupuit hoc spectaculo Euangelista, proque re penè incredibili admirabilem hunc fluxum habens, occupatione simul & asseueratione vtitur versu consequenti: quod etsi facile est cuiuis obseruare, præterquam cæcutienti Caluino, tamen disertè annotatur ab Euthymio.

καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε, καὶ ἀληθινὴ ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ, κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει, ἵνα ὑμεῖς πιστεύσητε.

35 Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius: & ille scit quia vera dicit, vt & vos credatis.

ET QVI VIDIT. Qui autem vidit. Quidam istud referunt ad omnia ea quæ hactenus in hoc euangelio sunt narrata, vt minimùm quæ de Iesu passione: at falli eos, nec sermonem esse nisi de eo quod proximè antecedit, vel illud conuincit, quòd Euangelista hoc interserat in media serie orationis, abrumpens sermonem suum, vt hoc quasi parenthesi inclusum addat: nam subsequentibus versibus ad eandem rem reuertitur. De toto Euangelio suo, ad similem modum quo hìc de vno articulo, loquitur infrà cap. 21. v. 24. Ergo *qui vidit* suis oculis istud, ex aperto Iesu latere emanantia sanguinem & aquam: quippe proximè adstās. vide suprà v. 25. q. d. *Non aliunde audiui, sed ipse adfui*, quod habet Chrysostomus. Ille TESTIMONIVM PERHIBVIT. præteritum pro præsenti *perhibet*, hoc scilicet scripto. ET ac proinde, modis omnibus VERVM EST & firmum minimeque fallax (tametsi fortè & Iudæi & hæretici contradicant) TESTIMONIVM EIVS siue meum (loquitur enim de seipso in tertia persona) quia & vidit rem geri, & Spiritu sancto agente testimonium hoc ea de re scripsit. Euthymius Chrysostomum & Theophylactum imitatus: *Et verum est testimonium eius. vt qui ea vidit de quibus testatur, & præsertim quæ de magistri sui contumeliâ. Nam contumelia erat lateris apertio, quamquam ad hanc secutum sit miraculum*. ET ILLE. Nam ille s. testimonium perhibens SCIT. *exactè nouit*, quod habet Euthymius; vel, certò sibi conscius est; tametsi priores Euangelistæ non meminerint, *quod vera dicat*, scribat. Quidam iuramentum esse intelligunt: *Et ille* s. Christus Deus hæc passus, *scit* hunc vera dicere. Sed probabilius est. Iohannem toto hoc versiculo loqui de seipso in tertia persona, quemadmodum infrà 21. v. 24. VT ET VOS CREDATIS. Dicit autem, scribit seu testimonium perhibet, *vt & vos*. vt sicut ipse credit, ita & vos, ô fideles Christiani *credatis*. Latinè ac syriacè additur *&* positum pro *etiam*: græcè omittitur, at potest subaudiri. Euthymius: *Sed vt vos credatis. Sed hæc scripsit, vt vos qui fideles estis, etiam de hoc credatis*. Theophylactus: *Sed propterea, inquit, hæc diligenter enarro, & ea quæ ignominiosa videntur in medium adfero, vt & vos credatis, tamquam omnino veris & non fictis*. D. Augustino distinguenti inter scire & credere, potiùs omittendum sit *&* quàm addendum. *Scit*, inquit *qui vidit, cuius credat testimonio qui non vidit: magis enim ad fidem credere pertinet, quàm videre*. Sed quid *credatis* nisi verū id esse, quod iste vidit ac testatur, ex perfosso Iesu latere loco fractorū crurum, promanasse sanguinem & aquam. Supplebunt alij, Iesum verè mortuum esse: & consequitur quidem ex hoc sanguinis & aquæ profluuio, plena fides mortis Iesu, ita vt non restet dubitandi locus traiecto nimirum corde. Atqui si illud primum Euangelista voluisset subaudiri, subiecisset hęc post illa verba versus 30. *Et inclinato capite tradidit spiritum*, vbi disertam mentionem fecerat mortis Iesu. Quare intelligendus est relinquere è proximo supplendam orationem suam, ac subaudire quod diximus, id nimirum de quo immediatè loquitur & antè & pòst. Igitur cùm tot alia eorum quæ in hoc euangelio præcedunt, Euangelista suis oculis viderit, peculiariter tamen, multisque modis, inculcet verum & fide dignum esse istud, de egressis ex Iesu latere aqua & sanguine dat intelligendum, rem fuisse admirandam, & naturæ vires exsuperantē, quæ fidem non mereretur, nisi ab eo affirmata, qui & suis oculis viderat, & Spiritu sancto calamum agente scripserat. Dicit Caluinus, aliò spectasse Euangelistam, eò nimirum vt insinuaret hìc latere mysterium: atqui vt insinuaret Euangelista latere hìc summa mysteria, idcircò tantopere inculcauit huius rei veritatem. Nam si res fuisset naturalis, non erat eius veritas inculcanda, sed mysterium explicandum, quod ex re naturali non necessariò intelligitur. At confitens atque adeò seriò vrgens, miraculum licet sit maximum, tamen esse verissimum: manifestè docet, eo mysterium aliquod magnum contineri. non enim so-

let Deus,quod omnibus in cõfeſſo eſt,miracula edere,niſi ob cauſas maximas, vt magni aliquid mortalibus ſignificet. Porrò myſterium illud magnum,quod hac re ſignificatum fuit,non explicuit Euangeliſta ipſe,ſed meditatione aſſequendũ reliquit fidelibus Eccleſiæ doctoribus, & populo deinde explicandum. Explicant autem nobis Eccleſię doctores,miraculoſo hoc effluxu aquę ac ſanguinis ex latere mortui Ieſu,illud maximè ſignificari,baptiſmum & euchariſtiam,ſacramenta à Domino Ieſu inſtituta, vim efficaciamque habere, ad noſtri regenerationem,expiationem,emundationem, & ſanctificationem,ex ſanguine Ieſu qui illis coniunctus eſt,id eſt, ex merito paſſionis mortiſque Ieſu,qua ille vt pretio, pro nobis è peccati ac ſatanæ tyrannide redimendis ſoluto, promeruit nobis neceſſaria omnia ad ſalutem, vocationem, iuſtificationé,ſanctificationem,bene viuendi gratiam ac perſeuerantiam. Aqua igitur baptiſmũ ſignificauit, ſanguis mortem Chriſti, qua baptiſmus efficax eſt ad regenerandum. Huc reſpexiſſe videtur hic Euangeliſta,epiſtolæ ſuæ cap. 5. vbi ait: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus; non in aqua ſolum,ſed in aqua & ſanguine*: quod nimirũ, vt mortuus è latere ſuo effuderat Ieſus aquam & ſanguinem, ita rediuiuus ſaluet Eccleſiam ſuam per baptiſmum,conſtantem non aqua ſolùm,ſed & ſanguine,id eſt, per baptiſmum aquæ efficacem ex ſanguinis ac mortis ſuæ merito. Rurſus aqua & ſanguis euchariſtiam ſignificant: ſanguine enim & carne nutritur Chriſti eccleſia, quod docet Chryſoſtomus: aqua autem ſalutare temperat poculum, quod habet Auguſtinus. Chryſoſtomi verba ſunt: *Adhæc & arcanum myſterium conſummatum eſt: exiuit enim ſanguis & aqua. Non caſu & ſimpliciter hi fontes ſcaturierunt,ſed quoniam ex ambobus eccleſia conſtituta eſt. Sciunt hoc initiati: per aquam enim regenerati,ſanguine & carne nutriti. Hinc myſteria ortum habent.* Auguſtini iſta: *Vigilãti verbo Euangeliſta vſus eſt aperuit, vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur,vnde ſacramenta Eccleſiæ manauerunt,ſine quibus ad vitam,quæ vera vita eſt, non intratur. Ille ſanguis in remiſsionem fuſus eſt peccatorum: aqua illa ſalutare temperat poculum. Hæc & lauacrum præſtat & potum.* Denique Cyrillus Alexandrinus in hunc locum ita ſcribit: *Eorum tamen vnus, ſubdubitans fortaßis an mortuus eſſet, lancea latus eius compungit: qui ilico ſanguinem ſimul & aquam emiſit, benedictionis myſticæ ac ſancti baptiſmatis originem quandam atque primitias. Chriſti enim & à Chriſto baptiſmus & benedictionis quoque myſticæ virtus, à ſancta eius profluit carne.* Porrò vt baptiſmus fundamentum ac ianua, euchariſtia conſummatio ac complementum eſt reliquorum ſacramentorum, ille maximè omnium neceſſarius, hæc omnium excellentiſſima: ita ſub his duobus,intelligunt Patres iſti, reliqua ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta, quæ omnia ex merito ſanguinis ac mortis Chriſti valent ad noſtram ſanctificationem,quibuſque meritum paſſionis ac mortis Chriſti nobis applicatur, & tanquam vaſculis ad nos perfertur. Quare rectè docent iidem illi aliique veteres Patres, ſacramenta Eccleſiæ ex Chriſti latere fluxiſſe originemque duxiſſe; Item, Eccleſiam ſponſam ac coniugem Chriſti,ex ſponſi mortui latere natam,vt olim Eua ex coniugis Adę dormientis latere fuerat creata (nominatim Auguſtinus hunc locum tractans) *quia*,vt Theophylactus Chryſoſtomum ſecutus ait,*eccleſia & fit & conſiſtit per ſacramenta*. baptiſmo naſcitur, confirmatione roboratur, euchariſtia nutritur ac perficitur,pœnitentia ſanatur,extrema vnctione munitur, ordine gubernatur, matrimonio denique multiplicatur. Poſtremò rectiſſimè monent, vt cùm Euchariſtiam ſumſeris, noueris te quaſi os Ieſu lateri admouere,vt inde omnis generis ſalutaria dona haurias. ita Chryſoſtomus cum ſua ſchola. Hæc igitur ſunt myſteria,quæ ſignificata Deus voluit,miraculo eductorum è mortui Ieſu latere aquæ & ſanguinis, propter quæ miraculum hoc Euangeliſta tantopere inculcat.

Exod 12. v.46.

Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.	36	ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

FACTA SVNT ENIM. Non enim ſolus ipſe id teſtatur,verumetiam ſcriptura ſacra conſonat. *Cùm ſuum attuliſſet teſtimonium*, ait Chryſoſtomus, *& non videretur fide dignum, adducit Moſem, quòd non temerè id factum eſt, ſed antiquitus prædictum, quod os eius non comminuetur. Et per ſe quoque propheta fidem facit. Hæc dixi, inquit, vt intelligatis conuenientiam inter figuram & veritatem. Facta ſunt enim hæc.* ſ. de transfoſſo, loco fractorum crurum, Ieſu latere,vnde ſanguis & aqua promanarunt. VT SCRIPTVRA IMPLERETVR. vt perficeretur id quod ſcriptura Moſis voluerat indicatum ac prædictum, cùm præſcribens formam manducandi agni Paſchalis, inter cætera ſtatueret ac prohiberet. OS NON. nullum oſſium. COMMINVETIS. συντριβήσεται conteretur, comminuetur. Hebraicè תשברו *tiſberou* frangetis. EX EO. ἀπ' αὐτοῦ ab eo בו *bo* in eo. Quidam libri omittunt præpoſitioné ἀπὸ, vt certè ſuperfluit quod ad ſenſum gręcè & latinè. Nullum oſſium eius cõminuetis. eius ſeu *ex eo* agno. ita mactabitur & manducabitur à vobis agnus phaſe,vt nullum ex eius oſſibus comminuatis aut conteratis. Ponit Iohannes pro indubitato,agnum illum paſchalem fuiſſe figuram Chriſti (vt proculdubio fuit, plurimis ſacræ ſcripturæ locis ſuffragantibus. *Etenim paſcha noſtrum, immolatus eſt Chriſtus*. 1.Cor.5.v.7.)& quæ de modo occidendi & comedendi agni Iudæis à Deo conſtituta fuere,ea ad Chriſtum reſpexiſſe. Hinc igitur docet,præcepto illo de non confringendis oſſibus agni,obſeruationeque Iudæorum conſecuta, qua cauebant ne agni oſſa frangerent,ſignificatum fuiſſe, Chriſtum ita à Iudæis impiis mactandum ac deuorandum, vt tamen nullum eius os eſſent confracturi. Oſtendit ergo Euangeliſta,quòd non temerè aut caſu hoc euenerit, ſed quòd diuino conſilio ac iudicio parricidæ Iudæi gentileſq; carnifices id prohibiti fuerint facere,licet opportuniſſimum eſſet in hac actione, maximeque ex voto ipſorum. Nihil obſtat,quòd quidam interpretantur, hac re ſignificatum fuiſſe,nihil ſolidi in Chriſto fractum eſſe, nimirum, inter tormenta & pœnas omnes quas paſſus eſt, diuinitatem ſemper manſiſſe integram, mentem iugiter in Deo fixam,voluntatem voluntati Dei fortiter conſtanterque vnitam: nihil enim nouum eſt, vnâ re ſignificatâ,aliam vlteriùs ſignificari.

Zach.12. v.10.

Et iterùm alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.	37	καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει· ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

ALIA SCRIPTVRA. alius ſcripturæ locus. qui & ipſe hîc ex parte impletus eſt. VIDEBVNT. והביטו *vehibbitou* adſpicient,coniicient oculos. IN QVEM. εἰς ὃν græcè & latinè,ſuperfluit quidem præpoſitio *in*, deeſt

deest autem pronomen *eum*: Videbunt eum quem transfixerunt. Hebraicè est אלי את אשר *elai eth aser* ad me quem. TRANSFIXERVNT. ἐξεκέντησαν compunxerunt, stimulauerunt. Hebraïcè דקרו *dakarou* (qua voce vtitur & Syrus) perfoderunt. significat, perfodere ad interiora vsque. Adspicient ad me, eum videlicet quem confixerunt seu transfoderunt. LXX verterunt ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο pro eo quod insultauerunt: transpositis enim literis sibi mutuò simillimis *daleth* & *res*, legerunt רקדו *rakadou*. Quare Euangelista, illis præteritis, expressit hebraïcam veritatem: quod notat aliquoties D. Hieronymus. Vnde fit, vt græci Interpretes huius euangelij, testentur se non inuenire, in iis qui exstant veteris testamenti libris, hunc locum. Porrò loquitur apud prophetam Deus, de seipso simul & de habitatoribus Ierusalem, id est, Iudæis: & prædicit, vnà quidem ex parte, se transfodiendum ab eis (est enim præteritum pro futuro, quod frequens apud prophetas) alterà verò ex parte, se videndum aut adspiciendum ab eis. Prius tenet Euangelista impletum esse, in hac perfossione lateris Iesu mortui: neque negat impletum quoque fuisse in viui crucifixione, quando manus & pedes clauis sunt perforati: immo vtrumque, credo, vult intelligi, tamquam pluribus modis transfixum ab ipsis: vt ad vnam pertinent passionem Iesu, quinque vulnera, duo manuum, totidem pedū, postremum lateris (quo passio consummata est) celeberrima illa & cultu obseruatissima omnibus Christianis. Quidquid enim à Romanis militibus in Iesum admissum est manu: id Iudæorum coactione, exhortatione, consensu, nomine, admissum fuit, ac proinde totum meritò ipsis adscribitur. Posterius, quidam docent implendum esse in extremo iudicij die: prout Iohannes, de aduentu Iesu ad iudicium loquens Apoc. 1. v. 7., alludit ad eumdem hunc prophetæ locum. Alij, quibus ego assentiar, impletum volunt die Pentecostes aliisque consequentibus, quando multa milia Iudæorum, auditis sermonibus Apostolorum, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: *Quid faciemus viri fratres?* postremò fideles effecti, baptizati sunt & appositi Domino. (Act. 2. 3. 4.) Tunc enim, effuso super eos spiritu gratiæ ac precum, commissi in Iesum sceleris summâ ducti pœnitentiâ, vt veniam & salutem consequerentur, oculos fidei in eum conuerterunt, quem multis indignisque modis transfixerant (tamquam ad serpentem in deserto exaltatum) & planxerunt eum planctu quasi super vnigenitum: denique, fonte patente omni domui Dauid, à peccatis sunt abluti. Act. 2. v. 41.

μετὰ ταῦτα ἠρώτησε τὸν πιλάτον ὁ ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ ἀριμαθαίας, ὢν μαθητὴς τοῦ ἰησοῦ, κεκρυμμένος δὲ διὰ τὸν φόβον τῶν ἰουδαίων, ἵνα ἄρῃ τὸ σῶμα τοῦ ἰησοῦ. καὶ ἐπέτρεψεν ὁ πιλάτος. ἦλθεν οὖν καὶ ἦρε τὸ σῶμα τοῦ ἰησοῦ.	38 Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eò quòd esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. & permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu.

Matth. 27. v. 57. 58. 59. Marc. 15. v. 43 45. Luc. 23. v. 51. 52.

POST HÆC. Non rogauit Pilatum Ioseph, post visum crurifragium latronum & transfossionem lateris Iesu (tunc enim demum Pilatum accedere, seriùs fuisset, quàm vt eo die licuisset iusta persoluere) sed post conspectam mortem Iesu, Iudæi, etiam ante mortem Iesu, rogauerant Pilatum, vt crucifixorum corpora fractis cruribus tollerentur, priusquam sabbatum cum vespera inciperet: Ioseph autem, non priùs quidem quàm vidit mortuum Iesum, Pilatum adiit & petiit corpus Iesu (persuasus non priùs se impetraturum, quàm constaret esse mortuum) sed tamen breui pòst adiit, vt priusquam sabbatum cum vespera inciperet, liceret eo quo deceret modo sepelire. Paulò pòst autem quàm Iudæi viderunt Iesum mortuum (fortasse circiter horam decimam) quia nihil ampliùs poterant in Iesum, iusserunt crura à militibus frangi & corpora tolli: quod dum facerent milites, præsertim verò cùm lanceâ latus Iesu, quia mortuus apparebat, perforarent, priusquam à cruce abstractum Iesu corpus abiicerent vt corpora latronum, aduénit Ioseph cum impetrata à Præside facultate sepeliendi corporis Iesu. Cùm ergo quædam eorum quæ hoc versu referuntur, acciderint ante crurifragium latronum & confossionem lateris Iesu, quædam post, quod initiò dicit Euangelista *post hæc*, intelligendum est *post mortem*. AB ARIMATHÆA. ὁ ἀπὸ ἀριμαθαίας ille ab Arimathæa. EO QVOD ESSET. ὢν existens, cùm esset. DISCIPVLVS. auditor IESV, adhærens doctrinæ Iesu, credens Iesum esse Christum Filium Dei qui in hunc mundum venisset (quod suprà Martha cap. 11. v. 27.) & exspectans regnum ab Iesu promissum ac prædicatum. OCCVLTVS AVTEM scil. hactenus. iam enim, non occultè, sed palàm, & Pilatum adiit, & impetratam ab eo facultatem declarauit, & denique de cruce deposuit ac sepeliuit Iesum, manifestum se præstans Iesu discipulum. Sic intelligit & Augustinus lib. 3. de cons. cap. 22. PROPTER METVM IVDÆORVM. quòd metuisset principum Iudæorum, collegarum suorum, odium subire, & synagoga ab ipsis eiici. conspirauerant enim, omnes Iesu discipulos, synagoga eiiciendos. sup. 9. v. 22. Sicut *& alij multi ex Principibus crediderant in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non eiicerentur*. sup. 12. v. 42. Fuerat igitur metus humanæ infirmitatis, quòd anteà Ioseph Iesum, non negasset quidem, sed non fuisset palàm confessus: nunc, tamquam mutatus in alium virum, metu illo excusso, cum periculo etiam bonorum ac vitæ, publicum se præbet Iesu propugnatorem. Atqui nunc longè maior se offerebat metuendi causa, dum in morte Christi spectaculum occurreret desperatione plenum, quod etiam viriles animos frangere posset. Vnde ergo illi repentè tam generosa animositas, vt, inter summos terrores nihil metuens, longiùs quàm rebus pacatis progredi non dubitet: nisi quòd Christi sanguine vires suas exserente, animumque viro addente, diuinitus per manum Ioseph sepultus sit Christus?
VT TOLLERET. vt permitteret ipsi tollere ad sepulturam. VENIT ERGO Ioseph ad locum crucis Iesu.

ET TVLIT. & depositum de cruce abstulit CORPVS IESV. Hanc postremam huius versus partem Nonnus poëta ita reddidit paraphrasticōs: *Et tacito pede venit Ioseph mortui transportator, & iuxta crucem cùm firmasset & fulsisset fixum fastigium, duplex ferrum soluit mucronatum acuto vinculo: & mortuum stantem deduxit vespertinus vir, leuans onus impositum humero Deum recipienti*. quibus verbis modum explicat, quem in deponendo de cruce Iesu corpore seruatum fuisse existimat, de quo vide quæ scripsimus Marc. 15. v. 57. & 58.

Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum.

39 ἦλθε δὲ καὶ νικόδημος, ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν ἰησοῦν νυκτὸς τὸ πρῶτον, φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης, ὡς λίτρας ἑκατόν.

VENIT AVTEM eò ad crucem, aut certè ad monumentum Iesu, *venit* inquam eadem mente eademque audacia, vt funeralis officij esset adiutor. ET NICODEMVS. alius è principibus Iudæorum, hactenus occultus Iesu discipulus. QVI VENERAT. ὁ ἐλθὼν ille qui veniat NOCTE PRIMVM. ille qui cùm veniret primùm ad Iesum, clàm nocteque venerat, quod anteà narrauimus. Respicit enim Iohannes id quod suprà 3.v.1.2. narrauit, & ab eo Nicodemum describit. *Hic ergo intelligendum est*, inquit Augustinus, *ad Iesum, non tunc solum, sed tunc primum venisse Nicodemum: venisse autem postea, vt fieret audiendo discipulus: quod certè modò, in reuelatione corporis beatissimi Stephani, ferè omnibus gentibus declaratur*. Obseruandum est hîc, quòd Iesus, quamuis aliquos è principibus Iudæorum haberet discipulos ac fautores, non tamen vsus fuerit opera illorum, ad hoc vt à morte liberaretur, vel intercedendo apud Præsidem, vel populum aduersus hostes commouendo, sed dumtaxat ad hoc vt honestè sepeliretur: mortem enim effugere noluerat, vt destrueret. Tantum ergo valuit odoris suauitas, quem spirauit mors Christi in istorum duorum animos, vt omnes carnis affectus facilè extinxerit, & quem viuum palàm conuenire metuerant, mortuo audacter impendant supremum sepulturæ honorem. FERENS per seruos suos. MIXTVRAM MYRRHÆ ET ALOES. id est, myrrham & aloën commixta, atque in vnguentum confusa. Myrrhæ lachryma, quæ aliàs stacte dicitur, & aloë herba, cùm sint amarissimi succi, vim habent resistendi vermibus ac putredini. Quare Chrysostomus: *Ea*, inquit, *ferunt aromata, quæ maximè corpora seruare solent*. Consueuerant Iudæi his condire corpora mortuorum, quamquam non tam vt diu seruarentur incorrupta (nam id fieri non poterat vna vnctione myrrhæ & aloës, nisi simul exenterarentur cadauera, quod rarum erat) quàm honoris causa, vt solemnis & magnifica esset sepultura, & tamdiu præseruarentur à putredine, quamdiu possent, relicta integra.

QVASI LIBRAS CENTVM. circiter aut plus minus libras centum s. ponderantem, vel mixturæ myrrhæ & aloës circiter libras centum; quantum corpori magnificè sepeliendo sufficeret. De libra diximus sup.12.v.3 Magnam vnguenti aromatici copiam attulit Nicodemus, declarans suum erga Iesum beneuolum gratumque animum: quæ an tota impensa fuerit vngendo dominico corpori, incertum est. immersum enim vnguento fuisse dominicum corpus, necesse sit dicere, si tantum vnguenti pondus adhibitum est. Ioseph aromata non parauerat, sed sindonem dumtaxat & reliqua lintea, eò quòd tempus non suppeteret emendi comparandique omnia. Deo igitur agente factum est, vt quæ Iosepho deerãt vnguenta, Nicodemus adferret, ne aliter Iesus sepeliretur, quàm consueuerant apud Iudæos sepeliri viri honore dignissimi.

Matth.27. v.59. Marc.15. v.46. Luc.23. v.53.

Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.

40 ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ἐν ὀθονίοις, μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν.

ACCEPERVNT ERGO Ioseph & Nicodemus, summa cum reuerentia, ipsimet, (quamquam id facere possent per seruos suos; qui adiuuabant, haud dubium) CORPVS IESV, & transtulerunt in hortum vicinum. neque enim loco publico, sub cruce, lauare, vngere, & sindoni inuoluere corpus aut voluerunt aut debuerunt vel verecundiæ causa. LIGAVERVNT. inuoluerunt & insuerunt LINTEIS. ἐν ὀθονίοις in linteis. truncum quidem corporis sindoni insuerunt, quod alij Euangelistæ testantur; caput verò sudario inuoluerunt, quod infrà 20. v.7. patet; pedes denique & manus colligarunt institis seu fasciis, quemadmodum Lazaro factum fuisse legimus suprà 11.v.44. CVM AROMATIBVS. id est, vnctum aromatibus, conditum priùs aromatibus, myrrha scilicet & aloë; sumtu non mediocri, vt crucis horror tolleretur odore sepulchri; &, quod inquit Euthymius, *vt sine corruptione & in bono odore permaneret*: quamuis huiusmodi præseruatione opus non haberet. SICVT MOS EST IVDÆIS SEPELIRE. s. viros primarios, viros honoratos, inuolutos scilicet linteis delicatissimis, & aromatibus pretiosissimis conditos; exemplo Iacob patriarchæ Gen.50.v.2. Non simpliciter sepelierunt Iesum præceptorem, sed honorificè, quemadmodum consueuerant spectatissimi quique viri sepeliri: ita enim iudicabant eum mereri, quamquam in morte ignominiosissimè fuisset habitus. *Non sepeliunt*, ait Theophylactus, *vt condemnatum, sed sumtuosè, vt mos est Iudæis; tamquam magnum aliquem & admirabilem*, ait Chrysostomus. Neque verò sumtuum modum excesserunt, cùm sequuti sint patriæ consuetudinem, in eo tractando quem nouerant longè maiora virtutis præmia mereri. Quod enim in humanis officiis fit secundùm patriæ consuetudinem, reprehensione caret. Quare Augustinus: *Non mihi videtur*, inquit, *Euangelista frustra dicere voluisse, sicut mos est Iudæis sepelire: ita quippe, nisi fallor, admonuit, in huiusmodi officiis quæ mortuis exhibentur, morem cuiusque gentis esse seruandum*: Nam, quod idem ait lib.3. de Doctr. Christ. cap.12: *In omnibus talibus, non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est*. vbi paulò pòst adiungit: *Quod in aliis personis plerumque flagitium est, in diuina vel prophetica persona magnæ cuiusdam rei signum est*. Sic enim hoc loco. myrrha atque aloë, propter amaritudinem, significant pœnitentiam, & copia myrrhæ atque aloës pœnitentiæ abundantiam vehementiamque, per quam fit vt Christum in nobis ipsis seruemus incorruptum: quod annotat D. Thomas p.3.q.51.a.2.ad 2m. Denique non ex incredulitate Ioseph & Nicodemus Iesum sepelierunt, quamquam de resurrectione vix cogitarent animi quibus tristis mors obuersabatur, sed id fecerunt quod tempus dictabat, mortuum inquam sepelierunt, & quidem vt merebatur honorificè, quemadmodum diximus ad Matthæum, ex quo reliqua petenda sunt.

ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ ὅπου ἐσταυρώθη, [41] κῆπος, καὶ ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον καινόν, ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη.

Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentũ nouum, in quo nondum quisquam positus erat.

Matth.27. v.60. Luc.23. v.53.

In loco. prope eum locum vbi crvcifixvs est. ἐσταυρώθη crucifixus fuerat Iesus. Hortvs. vt solent ciues opulentiores hortos possidere suburbanos, ambulandi & aëris captandi causâ. Hic hortus ad occidentem ciuitatis situs erat; alter in quo apprehensus fuerat Dominus, ad orientem. Distabat autem hic hortus à loco crucis, spacio octo & centum pedum, meridiem versus, quod notant ij qui loca sancta descripserunt. Et in horto. & in eo horto erat monvmentvm. Cùm enim Iudæorum nemo posset in ciuitate sepeliri, idque ad vitandum contagium (nam vt facilè cadauera vrbanum aërem potuissent inficere, ita lege immunda erant tam sepulchra quàm cadauera) opulentiores, sua sibi suæque familiæ sepulchra, exstruebant in hortis, villis, aut agris suis, quod & Abraham suo tempore obseruasse refert Genesis cap. 23. In qvo nondvm. Nonni paraphrasis est: *In lapideo autem illo sepulchro, nondum iacuerat mortuus sepulchralem terram assequutus: sed hortensis stirpium ac arborum aura perflabat locum sepulchri puri, quo labo sosus Iosephi Iesum portauit suo gestatum humero.* Erat pro *fuerat*, vt etiam in aliis libris est. Reliqua pete ex Matthæo & Luca.

ἐκεῖ οὖν, διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν [42] Ἰουδαίων, ὅτι ἐγγὺς ἦν τὸ μνημεῖον, ἔθηκαν τὸν Ἰησοῦν.

Ibi ergo, propter parasceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, posuerunt Iesum.

Matth.27. v.60. Luc.23. v.53.54.

Ibi ergo. in illo ergo eius horti monumento. In horto sepeliendus fuit Dominus, vt sicut ex horto mors exierat, ita ex horto vita prodiret. *Ea enim res*, inquit Cyrillus, *significat recursum nobis ad paradisum morte Christi esse præparatum*. Deinde congruum fuit, vt sicut in horto cœperat, ita & finiretur, dominica passio, per quam peccatum, quod in horto paradisi commissum fuerat, erat remittendum. Denique, vbi rectiùs quàm in horto sepeliatur & plantetur granum frumenti, quod mox progerminaturum seque ipsum resuscitaturum erat? vbi rectiùs collocetur Iesus, omnis viroris & vigoris auctor? Propter parasceven sinientem, quia exspirabat tempus quo liceret operari & longiùs transferre corpus. Syrus *quia sabbatum intrabat & quia prope* &c. *Cùm tempore*, inquit Chrysostomus, *vrgerentur (nona enim hora mortuus erat, & dum peteret eum à Pilato, & dum lauarent, iam vesper aduentarat, quo tempore nihil licebat operari) in proximum monumentum posuerunt.* Ivdæorvm. Loquitur Iohannes vt de re iam antiquata & abolita: scripsit enim post destructam Ierusalem, quando veteris legis ceremoniæ, euangelio coruscante, cessserant. Qvia ivxta. ὅτι ἐγγὺς quia propè, quia vicinum erat monvmentvm illud, & concedebat videlicet, immo offerebat, is cuius erat illud monumentum, qui erat Iosephus ipse Arimathæus, quod ex Matthæo intelligitur. Posvervnt. sepelierunt Iesvm. Iesu corpus: quamquam non solùm secundùm consuetudinem loquendi, verumetiam ob diuinam Filij Dei naturam, à corpore non separatam, fieri possit vt Euangelista *Iesum* potiùs dixerit quàm *Iesu corpus*. Dat autem intelligendum Euangelista, quòd si tempus permisisset, non eo sepelissent Iesum loco, qui vicinus adeò erat loco mortis ignominiosæ, qua affectus fuerat (necdum enim sciebant in cruce sibi gloriandum esse) & ciuitati, vbi agebant inimici Iesu, quorum iniuriis facilè obnoxium esse potuisset hîc sepultum corpus; fortassis etiam, vt verebantur, impeditum ne resurgeret: sed longiùs transtulissent, vbi citra iniuriæ periculum omnibus fuisset venerationi, & tutò potuisset resurgere; Bethaniam fortè, in monumentum, è quo Iesus ipse Lazarum excitarat, aut in Galilæam. Volebant, inquit Euthymius, *hunc in alio digniore monumento, quod longiùs à ciuitate distabat, collocare.* Verùm elegerat Iesus ipse hunc locum & hoc monumentum, ob plures causas, quas hactenus ad quatuor Euangelia explicuimus: noluitque longiùs distare sepulchrum suum, vel à loco mortis, vel à ciuitate Ierosolymorum, vt certior tum mors tum resurrectio ipsius constaret, nec calumniam, ex corpore longiùs absportato, tamquam non sepulto sed rapto, subiret. *Dispensatum est*, inquit Chrysostomus, *vt discipuli eò facilè se conferre possent, & quæ fierent in propinquo intuerentur: & vt sepulturæ testes, non ipsi tantum, sed & inimici essent. Signaculum enim & custodes sepulchro impositi, sepulturæ erant testimonio. Mortem non minùs quàm resurrectionem manifestari Christus voluit: nam mors si tunc dubia fuisset, resurrectionis ratio non constaret. Neque horum tantum gratiâ propè voluit sepeliri, sed ne falsò potuisset quispiam furtum insimulare.* Chrysostomum imitantur discipuli Theophylactus & Euthymius.

CAPVT VIGESIMVM.

Matth.28. v.1.2. Marc. 16. v.1.4. Luc. 24. v.1.2.

1 Vna autem sabbati, Maria Magdalene, venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidem sublatum à monumento.

Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, μαρία ἡ μαγδαληνή, ἔρχεται πρωΐ, σκοτίας ἔτι οὔσης, εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου.

MARIA MAGDALENE cum sociis, cæteris inquam mulieribus Iesum ex Galilæa sequutis: id enim constat ex Luc. 24.v.1.10. Cæterùm hanc solam nominat Iohannes, vt omnium nobilissimam, cæterarumque ducem, & in hoc negotio maximè operosam (propter quod etiam ab omnibus primo loco nominatur) præsertim verò quòd hic narrare statuerit, qua occasione Iesus primùm apparuerit ipsi Magdalenæ soli (cuius rei meminerat Marcus cap. 16.v.9.) id enim facit infrà v.10.11.& seqq. VENIT. adest. est enim præsens ex ἔρχεται. MANE, CVM ADHVC TENEBRÆ ESSENT. id est, *valde mane*, vt Marcus; *profundo diluculo*, vt Lucas loquitur. Tenebræ erant mixtæ primæ luci auroræ: in superioribus maximè partibus lux, in inferioribus tenebræ erant. Marcus solis lucem, Iohannes tenebras dicit, quia aurora media participat vtriusque extremi. AD MONVMENTVM, quærens mortuum profugum inungere, ait Nonnus. VIDIT. βλέπει videt. Reliqua ad alios Euangelistas exposita sunt.

Matth.28. v.8. Marc.16. v.8. Luc.24. v.9.10.

2 Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.

τρέχει οὖν, καὶ ἔρχεται πρὸς σίμωνα πέτρον, καὶ πρὸς τὸν ἄλλον μαθητὴν ὃν ἐφίλει ὁ ἰησοῦς, καὶ λέγει αὐτοῖς· ἦραν τὸν κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν.

CVCVRRIT ERGO. τρέχει οὖν currit ergo, præsenti tempore, sicut verba superioris versus, tamquam res geratur ob oculos. ERGO, quia vidit lapidem sublatum à monumento, &, quod mox consequutum est, monumentum esse vacuum corpore Iesu, Angelosque affirmantes eum viuere, *cucurrit*, festinauit. Non cucurrit priusquam vidisset monumentum vacuum (quomodo enim asseruisset *Tulerunt Dominum*, nisi vacuum vidisset monumentum? nam potuisset fuisse relictus in monumento aperto) nec priusquam Angelos vidisset & audisset (vide Matth.28.v.5.) denique nec sola cucurrit, cui multas socias adfuisse, tum ex aliis Euangelistis, tum ex Luca cap.24.v.9.10. manifestum est (quamquam potuerit sola præcurrisse) sed quia alij Euangelistæ hæc omnia amplè narrauerant, putauit Iohannes ea sibi omittenda, & id solum exprimendum quod eam maximè mouit, ad hoc vt diceret *Tulerunt Dominum* &c. nempe vidisse eam lapidem sublatum à monumento, & vacuum, quod inde facilè intelligere est, monumentum. VENIT. ἔρχεται. quod & ipsum præsentis est temporis. *Et ad alium* illum *discipulum, quem amabat Iesus*. Hac periphrasi seipsum notare consueuit hic Euangelista. Cæterùm non ad hos duos solùm venit, sed & ad omnes vndecim Apostolos reliquosque discipulos (Luc 24.v.9. 10.22.) sed hos duos solos nominauit hic Euangelista, vel quia Magdalene his priusquam reliquis loquuta est, dum fortè eos seorsum reperit, sermones inter se mutuò familiariter miscentes (vt amabant duo isti se mutuò impensiùs. infrà 21.v.20.21.) vel quia istis præ cæteris res annunciata cordi fuit, ita vt mox ad monumentum excurrerint, prout sequitur. *Tulerunt*. abstulerunt, nescio qui. phrasis hebraïca, pro ablatus est, & nescimus vbi positus. Deficiente spiritu præ festinatione, ex ardentissimo affectu, mox vt istos vidit, nulla præmissa salutatione, erupit in hanc vocem, dixitque quod corde voluebat. TVLERVNT, vel honoris vel contumeliæ maioris causa. *Error mulieris* (inquit Hieronymus quæst.5.epistolæ 150.ad Hedibiam) *cum pietate sociatus est: pietas in eo quòd desiderabat eum cuius nouerat maiestatem, error in eo quod dicebat Tulerunt.* DOMINVM. corpus Domini. DE pro ex. ἐκ. ET NESCIMVS. non magis sociæ meæ quàm ego. VBI, quo loco, decentíne an indecenti. Non dicit Euangelista, quòd ista hoc solum dixerit, nec negat quòd dixerit Angelos à se visos, qui affirmarent Dominum viuere: sed significat quòd hoc primum dixerit, sublatum ex sepulchro esse Domini corpus, tum quòd ipsi certo visu constaret, abesse à sepulchro dominicum corpus, tum quòd nondum integram Angelis fidem adhiberet, similis Saræ Gen.18.v.13. Permisit enim diuina prouidentia, vt ægrè crederet, quò veritas magis confirmaretur. Quòd si posteà addenti de apparitione Angelorum (quod cõstat ex Matt.28.v.8.& Luc.24. v.9.10.13.) non est creditum, sed delirare & vanis spectris delusa fuisse, ipsa, vnà cum sociis, iudicata est (Luc.24.v.11.) quanto minùs creditum ei fuisset, vt arrogantiùs iactanti se cum Angelis collocutam, si id mox ab initio retulisset. Denique quia Petrum & Iohannem; quos subdit Euangelista ad monumentum excurrisse; vt id facerent, non mouit narrata apparitio Angelorum, quam non crediderunt, sed hoc solum, quòd affirmaret, sepulchrum apertum & vacuum sibi conspectum esse, hoc quoque solum retulit hic Euangelista, eo magis quòd reliqua ab aliis Euangelistis narrata essent.

* * * * * * * * *

μαρία δὲ εἱστήκει πρὸς τὸ μνημεῖον κλαίουσα ἔξω. ὡς οὖν ἔκλαιε, παρέκυψεν εἰς τὸ μνημεῖον· [11]

Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe & proſpexit in monumentum:

MARIA AVTEM. Petrus quidem & Iohannes ſtatim reuerſi ſunt domum, antequam plena luce homines ędibus ſuis egrederētur, ne obſeruati, à Iudæis accuſarentur, vt circa monumentum aliquid machinari, quod notat Cyrillus: *Maria* autem Magdalene, quæ reuerſa fuerat ad monumentum, ſequuta Petrum & Iohannem (id enim Euangeliſta hîc intelligendum dat) illis digreſſis, nullum verita periculum, remanſit apud monumentum, nec ab eo auelli potuit præ eo quo flagrabat incredibili amore Domini. *Viris recedentibus*, inquit Auguſtinus, *infirmiorem ſexum in eodem loco fortior figebat affectus*. Cæteræ quidem mulieres longiùs à monumento receſſerant, quod diximus Matth 28. v. 9: Magdalene autē ſola STABAT quærentis in morem, FORIS apud oſtium monumenti (vide Matth. 27. v. 60.) cogitans apud ſe quónam ablatum eſſe poſſet corpus Domini. PLORANS ob amiſſum dominicum corpus. Faciliùs enim credidit ablatum eſſe, quæ fuerat etiam Petri & Iohannis opinio (ſuprà v. 8. 9) quàm, quod à viſis Angelis audierat, reſuſcitatum. *Procliue eſt*, inquit Chryſoſtomus, *& ad miſericordiam facile, muliebre genus: quod dico, ne admireris cur Maria tam amarè fleret ad ſepulchrum, non autem Petrus*. Plorabat igitur, *non quia mortuus eſſet ſolùm*, ait Cyrillus, *verùm etiam quia aliò à monumento tranſlatus videbatur*, idque fortè non ſine contumelia, quem ipſa venerari cupiebat, &, poſtquam viuente frui negatum eſſet, mortuum aromatibus conditum in locum tutiorem transferre ac ſeruare. Plorabat denique, *quia tanti magiſtri*, inquit Auguſtinus, *cuius ei vita ſubtracta fuerat, nec memoria remanebat*. Cæcæ, ſed piæ lachrymæ. INCLINAVIT SE ET PROSPEXIT. παρέκυψε incuruauit ſe. Interpres claritatis cauſa addidit *& proſpexit*. Vt proſpiceret in monumentum, neceſſe fuit vt inclinaret ſe, & caput obliquaret, quia oſtium humile erat, & lectus ſepulchralis introrſum ſitus ad latus ſpeluncæ dexterum. Proſpexit autem, vel *diuino inſtinctu* excitata, quod probat Auguſtinus, nimirum vt videret Angelos, vel prouocata ſplendore ſtrepitúve Angelorum, vel certè ſponte. Omnino enim proſpexit, vt videret an non illîc eſſet dominicum corpus. Nam quamuis iam anteà viderat abeſſe, & ex Petro quoque ac Iohanne idem didicerat, tamē, quod habet Auguſtinus, *nec ſuis nec illorum oculis facile putans eſſe credendum*, iterùm ſcrutatur locum, ſpem habens contra ſpem: ſicut vſu venire ſolet iis qui anxiè rem amatam perditam quærunt, vt ſæpiùs eundem locum viſant ac reuiſant, cum præſertim quo res repoſita fuerat, ſi quod vel veſtigium illius appareat, aut, ſi nulla eſt ſpes, certè conſpectus loci lachrymarum conſolationiſque materiam ſuggerat. *Amanti* (inquit Gregorius Homilia 25.) *ſemel adſpexiſſe non ſufficit, quia vis amoris intenſionem multiplicat inquiſitionis*.

καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους ἐν λευκοῖς, καθεζομένους, ἕνα πρὸς τῇ κεφαλῇ, καὶ ἕνα πρὸς τοῖς ποσὶν, ὅπου ἔκειτο τὸ σῶμα τοῦ ἰησοῦ. [12]

& vidit duos angelos in albis, ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitū fuerat corpus Ieſu.

VIDIT. θεωρεῖ videt. præſens pro præterito. DVOS ANGELOS iuuenum ſpecie, quos Apoſtoli non viderant, quod obſeruat Chryſoſtomus. nimirum viſionem hanc promeruit conſtanti illo deſiderio Ieſu. Viderat etiam anteà angelos, vnum cùm primùm adueniret, ſedentem ſuper lapidem reuolutum ad oſtium monumenti (Matth. 28. v. 2.) duos ſtantes cùm egrederetur ex monumento (Luc. 24. v. 4.) erat enim monumentum hoc factum angelorum domicilium, quod diximus ad illum Lucæ locum. Sed vt non perſuaſerat ſibi, apparuiſſe angelos, quin potius tenebat fuiſſe ſpectrorum deluſionem: ita iam quoque etſi videat, non tamen credit angelos eſſe. IN ALBIS. id eſt, indutos albis veſtibus, ſtolis candidis (ſicut ille de quo Marc. 16. v. 5.) *plenos ſplendoris & lætitiæ*, inquit Chryſoſtomus. Data eſt illis à Domino humana forma, vt conſpici & audiri poſſent: ornatu autem non vulgari ſed inuſitato ſunt præditi, qui eos ab hominum ordine diſcernens, diuinum aliquid & cæleſte oſtenderet. SEDENTES, non in ipſo lecto ſepulchrali, ſed in podio illius, id eſt, in ſcamno exſtante ante ſpondam lecti, ex eodem lapide quo lectus exciſo. AD CAPVT. qua parte caput iacuerat, nimirum occidentem verſus. AD PEDES. qua parte pedes, orientem verſus. VBI. eo loco, vbi. POSITVM FVERAT. ἔκειτο iacuerat, & iam ſcilicet iacere deſierat. Apparuerunt iam Magdalenæ hi duo angeli, vt ferrent teſtimonium de Domini Ieſu reſurrectione, non verbis (nec enim illa fidem adhibuerat primis angelis) ſed re ipſa, exhibentes ſe tamquam cæleſtes excubitores: vnde illa vel poſteà intelligere poſſet, tum quòd ablatum non fuiſſet dominicum corpus, è ſepulchro cuius angeli fuiſſent perpetui cuſtodes (quod obſeruant, Cyrillus hoc loco, & Hieronymus quæſt. 5. epiſtolæ 150. ad Hedibiam) tum quantæ maieſtatis eſſet Dominus Ieſus, ad cuius obſequium Angeli continuè præſto fuiſſent. Nam quòd Angeli ſepulchrum honorant, eo non tantùm aboletur crucis ignominia, ſed & cæleſtis Ieſu maieſtas effulget.

καὶ λέγουσιν αὐτῇ ἐκεῖνοι· γύναι, τί κλαίεις; λέγει αὐτοῖς· ὅτι ἦραν τὸν κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. [13]

Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum.

DICVNT. *cùm ipſa non auderet eos interrogare*, quod ait Euthymius, ſtupefacta, veriſimile eſt, ex inexſpectato eorum conſpectu. QVID PLORAS? *ac ſi dicerent*, ait Auguſtinus, *noli plorare. Non enim lachrymarum cauſam quærunt*, inquit Cyrillus, *quam certè non ignorabant, ſed, vt reipſa patet, ne lachrymetur admonent. Nam morte iam & interitu deſtructo, lachrymarum tempus, inquiunt, non eſt. Rerum exitus ad contrarium potiùs inuitat. Quid igitur*

ploras, qua lætari gaudereq́, modo debes? Si nobis crederes, non esset cur plorares, sed cur gauderes maximopere. Oratio est mixta obiurgatione simul & consolatione: obiurgant Angeli importunum & ex incredulitate profectum Mariæ fletum, simul tamen lætitiam miscent, dum flendi causam esse negant. DICIT EIS. *Illa putans eos interrogasse nescientes*, inquit Augustinus, *causas prodidit lachrymarum.* TVLERVNT. ἦρα abstulerunt s. aliqui, siue amici siue inimici. DOMINVM MEVM. corpus Domini mei. *Dominum suum vocat*, ait Augustinus, *corpus exanime Domini sui, à parte totum significans, sicut omnes confitemur, Iesum Christum Filium Dei viuum Dominum nostrum.* ET NESCIO VBI. Augustinus: *Hæc erat*, inquit, *causa maior doloris, quòd nesciret quo iret ad consolandum dolorem.* POSVERVNT EVM. Hebraismus, pro: Quia ablatus est Dominus meus, & nescio vbi positus. Hæc est causa ploratus mei, velim enim eum habere, & lachrymis vnguentisque honoratum tuto loco sepelire. Oratio abreptæ affectionum vehementiâ. Non expendit qui sint duo isti viri, in veste candida apparentes, inque vacuo sepulchro sedentes, hominésne an spiritus, & bonine an mali spiritus: parùm solicita qui essent, quamdiu non haberet quem quæreret, præsertim cùm anteà alios similes vidisset, qui dixissent quidem eũ viuere, sed non monstrassent. Rursus licet facilè considerare posset, ex vestium candore & fulgore facierum, non homines esse, sed spiritus: alloquitur tamen intrepidè tamquam homines sibi æquales, *quamquam muliebriter*, quod ait Hieronymus epistolæ 150. quæstione quinta ad Hedibiam. Adhæc, quamuis isti aut eorum socij anteà testificati essent, Iesum à morte resurrexisse: tamen opinionem suam prorsus contrariam non veretur eis aperire, si fortè per illos quomodocumque voti compos fieri possit. Denique Mortuum appellat Dominum suum, & *Dominum* vocat Domini corpus, *meúmque* addit, tamquam ipsius solius sit. Hæc omnia sunt ebriæ quodammodo amoris vehementiâ, &, vt Chrysostomus ait, *feruore quodam & amore percita.*

Marc. 16. v. 9.

Hæc cùm dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & non sciebat quia Iesus est.	14	Καὶ ταῦτα εἰποῦσα ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ θεωρεῖ τὸν Ἰησοῦν ἑστῶτα, καὶ οὐκ ᾔδει ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστι.

CONVERSA EST RETRORSVM. Interea dum cum Angelis colloqueretur capite per ostium monumenti protruso; percepit aliquem à tergo adstare vel certè accedere, siue quod strepitum præsentis audiret, siue quòd Angeli, *vultu, motu, & gestu, se Dominum videre significarent* (quod ait Chrysostomus) præsertim verò is qui sedebat ad caput sepulchri, ex opposito ostij. Quare illa, non exspectato Angelorum responso, subitò respexit retrorsum. VIDIT. θεωρεῖ videt. STANTEM. à tergo. ET pro sed. NON SCIEBAT quòd IESVS esset, non agnoscebat Iesum. exhibebat se quidem illi præsentem Iesus, sed non sic vt agnosci ab ea posset, qui vt in manu sua habebat se cùm vellet oculis hominum subtrahere, ita vt etiam præsens non videretur: sic & prout vellet oculis hominum insinuare. Nam si ea facultas attribuitur cuiuis corpori glorioso, multo magis id Iesu corpus potuit, *qui*, vt ait Cyrillus, *diuinus diuina se potestate cognosci non permitteret.* Ceterùm *non formam Iesus vultumq́, mutauit, vt pro voluntate diuersus ac varius videretur*, quod contra Manichæum annotat Hieronymus epistola ad Hedibiam; non alia vultus aut corporis forma præditus fuit, quàm ea qua ante mortem: sed non permisit, vt forma illa sua integrè ferretur ad oculos Magdalenæ. vide Mar. 16. v. 12. & Luc. 24. v. 16. Nam quod sæpe contingit, ex impedimento tenebrarum luci mixtarum, aut interualli longioris, id Dominus voluntatis suæ potestate fecit: quemadmodum lucidum licet esset, & claritate gloriosum corpus ipsius, & si corpus, non tamen claritatem corporis videri permisit. vide Matth. 28. v. 17. Cæterùm non decepit Magdalenem, sed ob causam noluit statim ab ea recognosci. Causa autem fuit duplex, vna quam adfert Chrysostomus, *ne primo eam adspectu perterreret*; *ne*, vt ait Euthymius, *repente consternaretur*, ac proinde turbatior minùs eum cognosceret: altera, quam D. Gregorius adfert homilia 23., loquẽs de discipulis Emmauntinis, vt hoc Dominus ageret foris in corpore, quod apud illam intus agebatur in corde. vide Luc. 24. v. 16. Nam quia feruet illa desiderio Iesu, apparet illi Iesus: sed quia non credit Iesum viuere, docta licet ab Angelis, nonnihil se ei abscondit. Hæc autem prima fuit Iesu à morte rediuiui apparitio, quod Marcus testatur: prima enim videre meruit, quæ omnium ardentissimè quæsiuit.

Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam.	15	Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· γύναι, τί κλαίεις; τίνα ζητεῖς; ἐκείνη δοκοῦσα ὅτι ὁ κηπουρός ἐστι, λέγει αὐτῷ· κύριε, εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, εἰπέ μοι ποῦ ἔθηκας αὐτὸν, κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ.

QVID PLORAS frustra? Captat occasionem se cum gratia insinuandi, & lachrymarum causam rogat, vt desiderium acuat. QVEM QVÆRIS? habebat enim se Maria quærentis in morem. q. d. non vides me adesse quem quæris? HORTVLANVS. eius horti cultor & custos. Non quòd appareret Iesus ligonem aut sarculum manu tenens, sed, quod Theophylactus & Euthymius aiunt, *à communi ac viliori habitu, & quia in horto erat, arbitrata est hortulanum esse* (nam de militum absconsorum præsentia, nihil sciuisse videtur) quodque sine pallio, verisimile est, appareret, quasi domi esset. Sciebat Iosephum Arimathæum horti dominum, illic non habitare: putauit igitur eum esse, cui colendi & custodiendi horti incumbebat cura. Nam vt Iesus faciei suæ figuram non permisit ab ea visu cognosci, ita nec sonum vocis suæ auditu. Et quidem, vt illic non mutauit faciem propriam, ita neque hîc vocem: sed quemadmodum de facie diximus, non permisit familiarem ac proprium vocis suæ sonum integrè ferri ad Mariæ aures. Nam & nobis sæpe ita accidit, vt vocem eorum qui nobis familiarissimè noti sunt, non continuò agnoscamus, aut quòd alius sonus interueniens

ueniens impediat, aut quòd longius sit interuallum, aut quod alia similis causa prohibeat. *Forsitan autem nec errando hæc mulier errauit, quæ Iesum hortulanum credidit*, inquit Gregorius homilia 25. *An non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in eius pectore, per amoris sui vim, semina virtutum virentia plantabat?* DOMINE. Pro more gentis vocabantur Domini, ignoti omnes, quorum nomina propria ignorabantur, præsertim si quis eos honorare vellet: facile autem honoramus eos à quibus beneficium postulamus, quod & Augustinus hîc notat. Quòd ergo hortulanum appellat Dominum, non animo turbato, sed amori ac desiderio inueniendi Iesu, tribuendum est. SVSTVLISTI. ἐβάστασας abstportasti EVM. Arbitratur eum facilè animaduertere, quæri à se eum qui eo loci fuisset sepultus, quo ipsa plorabat, nec ignorare hortulanum, Iesum nudiustertius in suo horto fuisse sepultum, sed simulare ignorantiam, dum quærit *Quid ploras; quem quæris?* VBI POSVISTI. Coniiciebat, hortulano fortè non placuisse, vt Iesus hoc loco iaceret sepultus, ac propterea transtulisse in alium locum. ET EGO EVM TOLLAM, sine tuo labore, conditurus eum alio loco, quo nequidquam tibi impedimento sit. *Tollam* inquit *eum*, vel adiutus opera aliorum, vel præ affectus vehementia præsumens de suis viribus amplius quàm ferre possent. Huic meæ petitioni si satisfeceris, compesces lachrymas meas. Hactenus perseuerat in ea opinione, quòd ablatum sit corpus Iesu: mensque eius est inuento corpore, amicos & amicas conuocare, & cum eis illud aliò translatum lachrymis atque vnguentis abundè condire, vt eis fieri solebat qui à charis amicis certos dies lugebantur. Nihil adhuc nisi terrestre sapit, à fide resurrectionis aliena: quare non mirum, si hic terrestris affectus, velum opponat eius oculis.

λέγει αὐτῇ ὁ ἰησοῦς· μαρία. στραφεῖσα ἐκείνη λέγει αὐτῷ· ῥαββουνί ὁ λέγεται, διδάσκαλε.

16 Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni (quod dicitur, Magister)

DICIT. Quamuis terrestri, tamen religioso, pio, ac constanti, desiderio mulieris, delectatus Iesus, putauit illi satisfaciendum, & quæ mortuum quærebat, viuum se ei exhibendum, itaque perficiendum quod deerat mulieris pietati. *tantum bonum est assiduitas ac perseuerantia*, inquit Theophylactus. MARIA. Voce familiari ac consueta, auribus eius insonare, & effigie propria in oculos integrè incurrere permissa (nec enim vocis tantùm, verùm & visus fuit cognitio denique expresso proprio nomine, præbet se ei cognoscendum: quasi dicat: Ecce ego quem quæris, iam non mortuus, sed viuus. Tu me hortulanum putas, & quis sim ignoras ego verò te clarè cognosco: *recognosce eum a quo recognosceris*; prout explicat Gregorius hom. 25. Non dicit ego sum quem quæris, cuius nomine tantopere ploras, sed compellat eam proprio nomine, quo eam vocare consueuerat, tamquam familiaris familiarem: quod & plus ad hoc faciebat, vt illa attenta certò atque indubitatò ipsum cognosceret, & plus familiaritatis ac suauitatis resipiebat. Priùs quidem alloquutus eam fuerat, sed ille fuerat quasi ignoti hominis sermo: nunc autem, vt bonus pastor, nominatim ouiculam vocat. Iohan. 10 v. 3. CONVERSA ILLA. Quum Iesus, quem hortulanum putabat, non statim responderet, vertit se iterùm, quod ait Chrysostomus, ad Angelos, vt illos diligentiùs adspiceret, & videret si quid responsi ab illis referret: nam colloquium abruperat hortulanus. Mox igitur vt illa se ab Iesu auerrit, vocauit eam Iesus nomine proprio, illaque agnoscens vocem Iesu, subito rapta gaudio, continuò ad Iesum se iterùm conuertit, & fixis in eum oculis erupit in hanc vocem *Rabboni*. Vox ergo pastoris penetrans in animum ouiculæ, oculos ei mox aperit, sensus omnes excitat atque afficit, quippe quæ senserit in ipso nominis sui sono vim occultam solitamque dulcedinem. *Statim adapertis oculis cognouit eum*, inquit Cyrillus, *& ab omni suspicione remota, magistri vocabulo vt consueuit ipsum honorat*. Reddidit nomini familiari nomen familiare, hoc enim nomine & honoris titulo, cùm solita esset Iesum ante mortem compellare, nunc declarauit eum certò à se cognosci) & vnam vocem vni. Plura verba proferre, repentina & vehemens, ob rem insperatam lætitia, vetabat: ingens gaudium & pondus amoris vox vna dabat intelligendum, inexplicabile esse quod intùs latebat declarans, & mox vt dilectus loquutus fuerat, animam illius fuisse liquefactam præ gaudio, quòd, cùm mortuum inuenire desideraret, viuentem acciperet. RABBONI, téne præsentem habeo viuum, & quæro mortuum? *Rabboni* vix aliud esse quàm *Rabbi*, docuimus Marc. 10. v. 51. Cæterùm ita familiare fuit nomen, Iesu à discipulis datum, vt maximè honorificum, & professionem continens obedientiæ. Testatur itaque hoc nomine Maria, non tantùm Iesum præsentem certò sibi cognitum esse (vt enim alij in fractione panis, ita ipsa in voce cognouit Dominum) verumetiam se eius esse discipulam, & ipsi tamquam magistro se addicit ac tradit. QVOD DICITVR græcè & latinè, quod interpretetis, MAGISTER. διδάσκαλε præceptor. Syriaca versio habet hoc modo: *Dixit ei hebraicè Rabbouni, quod dicitur* ܡܠܦܢܐ *Malpono*. Rabbouni origine hebraïcum est, quamquam syriacè vsurpatum: *Malpono* origine syriacum, ab ܐܠܦ *aleph* docere. Pronomen primæ personæ non transfert Euangelista, quia non perinde græcè addi consueuit, in communi sermone, vt hebraïcè ac syriacè, vbi coalescit in eandem dictionem.

λέγει αὐτῇ ὁ ἰησοῦς· μή μου ἅπτου. οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου. πορεύου δὲ πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, καὶ εἰπὲ αὐτοῖς. ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ θεόν μου καὶ θεὸν ὑμῶν.

17 Dicit ei Iesus: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.

NOLI ME TANGERE. μή μου ἅπτου ne me tangas, ne pergas me tangere, ne pergas tactui pedum meorum inhæ-

inhærere. Maria Magdalene simulatque agnouit Dominum sibi præsentem, & quidem rediuiuum, mox procidit in terram, & gratulationis causa amplexa est pedes eius. *In his enim verbis ostenditur* (inquit Gregorius hom. 25.) *quod Maria amplecti voluit eius vestigia quem recognoscebat.* Permisit id Iesus, vt de ipsius resurrectione eo fieret certior, quo certiori tactus argumento esset docta, quemadmodum & aliis posteà id eadem ex causa permisit, Matth. 28.v.9. Verùm illa mente recolens ea quæ recenter præterita erant, quàm indignè tractatus fuisset Dominus, quàm varia passus, quàm ignominiosè occisus, in quantis ipsa quoque fuisset angustiis ob Domini passionem, mortem, amissionem, cumque his conferens beneficium præsens, quo præter opinionem fruebatur: præ gaudij vehementia, quâ & Domino & sibi gratulabatur, non potuit auelli à pedibus eius, sed eos ardentissimo casti amoris affectu constringens, & osculis lachrymisque rigans, dicebat apud se, quod amica illa casta Cant. 3.v.4. *Inueni quem diligit anima mea, tenuit eum nec dimittam*, nec amittam ampliùs. Hoc autem prohibuit Iesus, noluit vt tactui pedum suorum inhęreret, aut hæreret in præsentia corporis sui, quamquam tam sinceriter quàm flagranter amaret: eò quòd non iam ipse præditus esset corpore mortali, quod à mortalibus pro ipsorum solatio aut libitu tangendum esset, sed immortali, quod à mortalium societate segregandum. Vt enim vidit Magdalene Dominum resurrexisse, non aliam animo concepit resurrectionem, quàm qualis fuerat fratris ipsius Lazari, ad vitam mortalem, quasi familiariter, vt ante mortem, inter homines esset versaturus, & omnibus se tangendum præbiturus: idcircò amplexa est eum more mortalium, quamuis humillima cum submissione; & retentione pedum eius lenire desiderauit dolorem animi sui, quemadmodum inhæreat amicus collo & amplexui amici, è summis periculis ad se cum salute redeuntis, non alium Iesu fruendi modum tenens, quàm si vnà cum eo in terris ageret. *Mihi videtur*, inquit Chrysostomus, *velle eam adhuc cum eo versari vt solebat, & ex lætitia nihil de eo magnum cogitasse*. Atqui Iesus Magdalenes animũ mox vult ad sublimiora trahere: statim vt resurrectionem credit, docet eam, corpus quod resurrexit esse immortale; & segregandum ab hominum mortalium consortio, se enim breuì ascensurum ad Patrem in cælos, ac proinde non iam se amandum, honorandum aut colendum, tactu corporis, verùm animi affectu in cælum sublato. NONDVM ENIM ASCENDI AD PATREM MEVM. perficienda est propositio (quod declarant etiam verba sequentia) Sed breuì sum ascensurus. q. d. Quamuis nondum ascenderim ad Patrem meum, tamen breuì sum ascensurus. Reddit rationem cur non debeat sic tangi à Magdalena, quo modo illa tangebat, solatij inquam ac gratulationis causa, quia breuì sit ascensurus ad Patrem quia resurrexerit corpore immortali ac impassibili, quod breuì in cælos sit subleuandum; docens interim, quòd tangi possit, ex eo fieri, quòd nondum ascenderit, quòd licet immortali ac impassibili cælisque digno, visibili tamen ac tangibili, eodemque naturâ quod priùs possederat, corpore resurrexerit, sed quod nondum consequutum sit locum suum in cælis. Est igitur sententia verborum Iesu: Non sic debes inhærere tactui pedum corporis mei, amoris & solatij causa: nam quòd tangere me possis, est, quia vero ac tangibili corpore, quali ante mortem constabam, resurrexi, necdumque ascendi ad Patrem meum in cælos, & id permitto ne quid dubites de veritate resurrectionis meæ. At scire te oportet, quòd resurrexerim, non remansurus hîc vobiscum, & conuersaturus more huius vitæ mortalis, sed breuì ascensurus in cælum ad Patrem, vbi immortalis & cælestis agitur vita, multùm diuersa à vita mortalium. Quemadmodum igitur vbi ascendero ad Patrem, & in cælis egero, non me tangere poteris, multo minùs excipere aut tractare terreno modo, longè à te, vt loco, ita conditione vitæ separatum: sic intelligere debes, nec iam decere, vt me mortalium more amplexeris, amoris aut solatij causa, quippe etsi nondum loco, conditione vitæ tamen iam à te longè alienum, qui eo statu resurrexi, quo breui sim ascensurus in cælum, id est, qui immortalis & cælestis resurrexi. Iam quare nondum ascenderit in cælum, non exprimit quidem, sed facilè poterat intelligi, vt aliquamdiu appareret suis, certioresque eos faceret suæ resurrectionis, priusquam ad Patrem ascenderet, non vt cum eis viueret & ageret quemadmodum ante mortem. Huic loci huius difficillimi verisimillimæ expositioni fauet, apud Iustinum Martyrem, Auctor quæstionum quæ Christianis positæ erant à gentibus, quæstione 48: *Illud Noli me tangere, Mariæ a conseruatore dictum est, hoc sensu, noli me sequi, ita vt mecum semper verseris, ea ratione qua antequam in crucem agerer. Volebat enim, sensim ac pedetentim, discipulos à consuetudine adspectus præsentiaq́; corporis sui abducere. Itaque nec semper visus est discipulis, iis diebus quibuscum eis in terra post resurrectionem versatus est, nec omnino inaspectabilem se eis præbuit, sed vtrumque interuallo spaciōque adhibito faciebat, vt & videretur ipsis & non videretur*. Eidem expositioni clariùs adstipulantur Euthymius & Theophylactus, sequuti Chrysostomum præceptorem: intelligunt enim doceri hic abs Iesu, se non ampliùs esse mortalem, mortalium more excipiendum, sed melioris conditionis (*vt deinceps cum discipulis non similiter conuersari videtur*) immortalem & longè reuerentiùs adeundum; quamquam verbis non perinde claris, iactantiæ vitandæ causa. Porrò quod dicit Chrysostomus, *reuerentius adeundum*, non intelligit, Magdalenem irriuerenter adiisse, aut irreuerenter quid egisse: nam si Iesus adhuc fuisset mortalis, vt illa putabat, nihil reprehensione aut prohibitione dignum agebat, quòd pedibus Domini, quem è morte præter opinionem recipiebat, tenaciùs amantiusque gratulantis more adhæreret. Quis enim Christianus, Dominum suum Iesum, præter opinionem, à morte resuscitatum ante se videns, non subitò perfusus gaudio in eius ruisset amplexum? Fuit autem muliebris modestiæ ac verecundiæ, non corpus amplexari sed pedes. Denique, quod Elizæus respondebat Giezi, amouere volenti mulierem Sunamitidem ab iis quos tenebat pedibus Elizæi, *anima eius in amaritudine erat* (4. Reg. 4.v.27.) quæ non tam citò expelli poterat quàm Iesus apparebat, quin aliquantula opus esset mora. Sed pro præsenti rerum statu, quem illa ignorabat, nimia erat in Domino tangendo, ita vt prohibitione opus fuerit: non quasi peccaret (nondum enim scire tenebatur, immortale corpus à Iesu fuisse resumtum) sed quòd esset docenda, & mente in cælum excitanda, ne permanens in errore, pergeret sic agere cum Iesu, & sic sentire de eo, quomodo minùs deceret præsentem ipsius statum. Docetur igitur à Iesu, quòd ipse ita resurrexerit, vt breuì ascensurus sit in cælos ad Patrem, ac proinde quòd resurrexerit, non mortalis, & cum mortalibus conuersaturus, sed immortalis & cælestis, &, quod demum consequitur, quòd non tactu corporis, vel mortali terrenóve more, excipiendus sit, sed spiritali cælestique modo colendus, animo in cælos eleuato. *Ostendit enim*, inquit Chrysostomus, *se ad Patrem maturare, & cum illuc abiturus nec amplius cum hominibus*

nibus conuersaturus esset, non erat eodem quo priùs animo adspiciendus. Mirè placet quibusdam ea huius loci expositio, quæ in Vatabli Bibliis legitur; quasi dicatur: *Nondum enim discedo, nam totos 40. dies apud vos futurus sum, quibus me per otium contingere & amplecti poteris*; verùm non tam solida, meo iudicio, quàm plausibilis.

VADE AVTEM citò. Constituitur Magdalene à Domino apostola ad apostolos: nam & sic decuit, vt sicut à muliere oblata fuerat viro mortis occasio, sic à muliere viris nunciaretur facta redemptio. vide Matth. 28. v. 7. AD FRATRES MEOS, discipulos, & Apostolos inprimis, ob mortem meam desolatos? quos cur iam fratres vocet, diximus Matth. 28. v. 10. DIC EIS meis verbis, nuncia eis ex me. ASCENDO. Ex Hebræorum idiotismo, rectam orationem vsurpat, loco obliquæ (*me ascendere*) & de re paulò pòst futura loquens, vtitur tempore præsenti (*ascendo*, pro ascendam breui) *vt amplius mentem eius in sublime erigat*, quod notat Euthymius ex Chrysostomo. *Ascendo* autem secundùm humanam naturam, corpore nimirum, & quidem adhibito motu locali, in cælum, AD PATREM MEVM. Sed quid opus ascensu in cælum, cùm Pater vbique sit, etiam in terra? quia in cælo Pater præbet se & gloriam suam conspiciendam cum omnimoda fruitione. *Ad Patrem* ergo *meum*, id est, ad dexteram Patris mei, quod aliàs dicit; in gloriam Patris mei, ad plenissimam possessionem regni Patris, quemadmodum ante mortem non semel prædixi. Cæterùm non est mens Iesu, vt Magdalene discipulis priùs nunciet ascensionem ipsius quàm resurrectionem: sed posito quòd resurrectionem citra dubium esset nunciatura, cuius iam erat facta certior, iubet vt sic nunciet resurrectionem iam factam, vt simul nunciet ascensionem eius breuì subsequuturam; idque eodem consilio, quo iam Magdalenæ declarauerat ascensionem suam instantem, vt eorum animos in cælum attolleret, ne, audientes Iesum viuere, existimarent eum resurrexisse eo modo eoque fine, vt eis sicut ante mortem conuiueret: scirent autem resurrexisse immortalem ac cælestem, qui his diebus, non continuè, prout anteà consueuerat, sed quandoque, eis esset apparitiurus, vt monstraret se rediuiuum, breuì autem relicta terra esset migraturus in cælum. Ita semper consueuit Iesus, mox vt vnum docuit ac persuasit, aliud non minùs necessarium, ad perficiendam discipulorum fidem, adiicere. Mox vt Magdalenæ ostendit resurrectionem suam, declarat ascensionem. Sic Matth. 16., mox vt Apostoli confessi fuerant ipsius diuinitatem, prædicit eis mortem suam. Sic in hoc euangelio, postquam eos docuerat Patrem & Filium, tandem docet vt credant & in Spiritum sanctum. Sic denique alibi similiter. *Ascendo* igitur, id est, nuncia eis me resurrexisse, non ad hoc vt continuè cum eis conuerser, sed vt dies aliquot eis conspectus, terras relinquam, & tam corpore quàm animo in cælum ascendam, perpetuò sessurus ad dexteram Patris, ac regnaturus in cælo & in terra. *Patrem meum*. τὸν πατέρα μου. semel hic expressus articulus, nec repetitus ad nomina subsequentia, significat, eumdem vnum esse, qui sit & Pater & Deus Iesu ac discipulorum.

ET PATREM VESTRVM. Ne discipuli tam tristes redderentur de annunciata Iesu ascensione & abitu, quàm læti de resurrectione, ait, se, non quouis abiturum, sed ad Patrem ipsorum; vt intelligerent, se non deserendos aut curâ destituendos, cùm ipse præsens adforet Patri suo cælesti, qui vt ex semetipso paternam beneuolentiam ac curam esset ipsis exhibiturus, ita non esset obliuioni daturus, vel præsentiâ vnigeniti filij, cuius ipsi iamdiu dilectionem experti essent, submonente. Quare non dicit *Ascendo ad Patrem nostrum*: vt intelligentes, aliter ipsius, aliter suum Patrem esse; ipsius, naturâ, suum, adoptione (quod hîc notant veteres omnes tractatores) considerent, plurimum momenti, ad promouendam salutem filiorum adoptiuorum, allaturam esse filij naturalis (quem, longa experientia constaret, fratres suos adoptiuos quàm impensissimè diligere) præsentiam apud Patrem; ita vt vtrinque, & à Patre & à Filio, præsentissimum fauorem sibi polliceri deberent, à Patre, quia & pater ipsorum esset, à Filio, quia frater & summus amicus; nec fauorem tantùm hac in præsenti vita, sed & spem à morte, eòdem perueniendi, vbi ipsorum & pater & frater agerent. Nam, quod suprà 14. v. 3. dixerat, abiturus erat vt præpararet eis locum. Quidquid igitur ex ipsius discessu tristitiæ aut anxietatis concipere poterant Apostoli, facilè discutit communi patris nomine; declarans interim, gratiam noui testamenti, merito suæ mortis obtentam, vt, per ipsum mediatorem, discipuli Deum habeant patrem, verè redditi fratres ipsius. DEVM MEVM ET DEVM VESTRVM. Deus, qui omnium hominum Deus est secundùm naturam, dicitur singulariter eorum Deus, à quibus singulariter amatur & honoratur, & quibus ipse vicissim singulariter adest, prouidet, & se suaque dona largitur. Hoc modo Deus erat, non tantùm Iesu, sed & Apostolorum; Deus Iesu & Apostolorum, tam gratiâ quàm naturâ humanâ. Nec tamen dicit *Deum nostrum*, quia ipsius humana natura longè arctiùs Deum attingeret quàm natura Apostolorum, *diuinitatis vnione*, quod ait Euthymius, *ac impeccabilitate*. Denique quia ipse inter Deum & Apostolos, vt cæteros homines, mediator esset, quod notat Augustinus. Vt ergo Patris nomine, testatus est beneuolentiam cælestis numinis erga ipsos, ita Dei nomine testatur potentiam, vt nihil dubitent, quin & poterit & volet Deus fauere ipsis, quando ipse in cælum apud Deum receptus fuerit.

ἔρχεται μαρία ἡ μαγδαληνὴ ἀπαγγέλλουσα τοῖς μαθηταῖς, ὅτι ἑώρακε τὸν κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ.	18	Venit Maria Magdalene annuncians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

Marc. 16. v. 10.

VENIT præsens est ex ἔρχεται. *Venit* autem est pro *abit*; Tunc abit, gaudio plena: sed describit Euangelista Magdalenem tamquam ad se venientem inter cæteros. ANNVNCIANS. Syrus, *& euangelizauit*. Tacuit hic Euangelista, quòd inter eundum iterùm viderit Iesum simul cum aliis mulieribus, vnaque cum illis annunciarit discipulis, Iesu resurrectionem, quod retulerat Matthæus cap. 28. v. 9. DISCIPVLIS. Apostolis cæterisque qui cum eis conuenerant discipulis; prout iussa fuerat versu superiori. QVIA superest latinè: nam græcè & syriacè, vbi, quæ sequuntur, leguntur non prima sed tertia persona, accipitur pro *quòd*: Quòd vidisset Dominum & hæc dixisset sibi: Interpres legisse videtur ἑώρακα τὸν κύριον καὶ ταῦτα εἶπέ μοι *vidi Dominum & hæc dixit mihi*: ἑώρακα pro ἑώρακε & μοὶ pro αὐτῇ. DOMINVM viuum.

ET HÆC quæ ſcilicet ſuperiori verſu ſunt recitata. Suprà v. 2. venerat etiam Magdalene ad Apoſtolos : bis igitur venit; Sed priùs quidem nunciauit, Domini corpus è ſepulchro ablatum eſſe: poſteriùs autem, Dominum ſibi & viſum & loquutum eſſe. Alij Euangeliſtæ abſoluunt hæc duo itinera tamquam vnicum. vide Matth. 28. v. 9.

Marc. 16. v. 14. Luc. 24. v. 33. 36.

19 Cùm ergo eſſet ſerò, die illo, vna ſabbatorum, & fores eſſent clauſę, vbi erant diſcipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit Ieſus & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

Οὔσης οὖν ὀψίας τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι, διὰ τὸν φόβον τῶν ἰουδαίων, ἦλθεν ὁ ἰησοῦς καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ λέγει αὐτοῖς· εἰρήνη ὑμῖν.

ERGO quia Ieſus apparuerat Magdalenæ, vt ſatisfaceret etiam diſcipulis ſuis, non credentibus Magdalenæ, quod Marcus dixit cap. 16. v. 11. Magnæ curæ fuit Domino Ieſu, vt adſtructâ reſurrectione ſuâ diſcipulos ſuos ſolaretur. SERO. id eſt, veſpera, ſerum diei. non enim aduerbium eſt græcè, ſed nomen ὀψία, quod veſperam ſignificat. Veſperi ergo accidit apparitio iſta, non media aut profunda nocte, quod quidam ſentiunt. vide Luc. 24. v. 33. *Et cur hac hora?* rogat Chryſoſtomus : *quoniam credibile eſt eos magis formidare*; eos maiori in metu verſari hac hora, ne à Iudæis inuenti ſubitò opprimerentur citra effugij ſpem in tenebris. & paulò pòſt addit: *Die autem non venit, vt omnes congregarentur*. Quamuis enim plerique omnes toto eo die domi delituiſſe videantur, quod ex iuſſu Angelorum ac Domini, & acceſſu redituque Magdalenes cæterarumque mulierum, intelligitur: veriſimile eſt tamen, aliquos eorum, præſertim qui minùs eſſent noti, quales inprimis mulieres, exiſſe interdiu ad negotia, qui veſperi ad ſodalitium redierint. DIE ILLO. eodem illo die, quo Magdalene nunciauerat ſuperiora. VNA SABBATORVM. mutat genus Interpres, pro, die illo vno ſabbatorum, id eſt, qui erat vnus ſabatorum, ſiue primus hebdomadis, prout dictum eſt ſuprà v. 1. Vide Matt. 28. v. 1. *Clauſæ.* Nōnus, *cùm immoti ac firmi vectes cōcluſiſſent fores*; vt ſolet veſperi fieri: nam interdiu, vel ſinuntur patere oſtia, vel minùs ſolicitè clauduntur. VBI ERANT. eius loci ſiue domus vbi erant. vide Luc. 24. v. 33. DISCIPVLI. Apoſtoli cæterique qui Domini Ieſu familiares fuerant. CONGREGATI clanculum. Latebras ſibi quæſierant fugiendi periculi cauſa : in hoc tamen animos collegerant, quòd ſimul manerent, nec ſeſe mutuò deſerent. vide rurſus locum illum Lvc. 24. v. 33. PROPTER METVM IVDÆORVM, eò quòd metuerent Iudæos, & principes & populum principum fautorem, ne illi, poſtquā Ieſum occiderant, & diſcipulos eius quærerent affligendi perſequendiq; gratia. Latebant ſcilicet & metuebant, nondum accepto Spiritu ſancto: quo accepto, mox foràs conſtanter prodierunt. Act. 2. Poſſit autem hoc *Propter metum Iudeorum.* referri ad proximum, quòd diſcipuli, non diſperſi fuerint per plures domos, vt ante Ieſu mortem (ſoli enim Apoſtoli hîc cum Ieſu paſcha celebrarant) necubi agniti deferrentur ad principes, aut certè conuitiis & opprobriis afficerentur, ſed in vnam hanc tutiſſimam domum omnes cōuenerint, cuius vt patremfamilias iam nouerant Ieſu ſuique ſtudioſiſſimum, ita & ſitum fortaſſe nouerant ad latendum commodiſſimum. Atqui potiùs ad id referendum videtur, quòd *fores eſſent clauſæ*, quòd nimirum omnes ianuæ, per quas ingreſſus in domum eſſe poterat, fuerint occluſæ, non qualitercumque, ſed exactiſſimè ſeris, peſſulis, vectibus, *propter metum Iudæorum*, ne facilis pateret cuiquam Iudæorū ingreſſus. qui vel noceret ipſis, vel viſos deferret ad principes, de eo quòd ſimul cōueniſſent. Solent quidem ianuæ veſperi claudi, ſed, qui nihil ſibi metuunt, non admodum ſunt ſoliciti, vt exactè claudant : hîc igitur, vbi diſcipuli maximè ſibi metuebant à Iudæis, in quorum medio agebant, datur intelligendum, ianuas maximâ curâ occluſas fuiſſe: vt ſcias, quòd Ieſus domum non ſit ingreſſus, ianuis fortè conniuentibus, aut ita leuiter clauſis, vt minimo pulſu, aut arte induſtriáve, potuerint aperiri, ſed ita clauſis, vt non fuerit hominum intrare, niſi, vel qui intus erant aperirent, vel qui foris vi perfringerent. Miraculo ergo adſcribit Euangeliſta & hîc & infrà v. 26. quòd Ieſus domum ingreſſus ſit ianuis clauſis: vt reuera magnum miraculum fuit, ſuperans omnem naturæ creatæ facultatem, vt ſolidum ianuæ corpus, penetraretur à ſolido Ieſu corpore, vtroque clauſo, integro, & illæſo permanente. Repugnauit hoc Ariſtotelicæ maximæ, Impoſſibilem eſſe penetrationem dimenſionum corporearum, quam clariùs efferas, Impoſſibile eſſe, duo corpora eodem ſimul eſſe loco: ſed non repugnauit omnipotentiæ filij Dei, quæ, doctore D. Auguſtino epiſt. 146., *valet de iſta viſibili atque tractabili natura corporum, quibuſdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates*, vt ab igne combuſtionem, à lapide ponderationem, à corpore, vt vel non occupet locum, vel aliud corpus eodem in loco ſecum admittat; idq; ſalua & illæſa permanente natura corporum. Caluinus, ne cogatur fateri, Ieſu corpus diuerſis eſſe poſſe in locis, præſertim ſub Euchariſtiæ ſacramento, ſi fateatur, aliquando fuiſſe vno in loco ſimul cum alio corpore, miraculum in hoc ponit, quòd aditus Chriſto non ſit patefactus manu hominis, ſed ſua ipſius virtute patefecerit fores, ſibíque iuſſerit cedere, poſtque illud obſequium rurſus coniungi. Atqui non hoc ſit intrare clauſis, ſed miraculo apertis ianuis : quomodo Petrus Act. 12. v. 10. non dicitur è carcere egreſſus porta clauſa, ſed *quæ vltrò aperta ſit ei.* Quare Patres, & Latini, & Græci (etſi illa Caluini reſponſio ipſis optimè ſeruiſſet aduerſus ſui temporis hæreticos, ex hoc loco negantes, alios, veritatem corporis Chriſti, alios, carnis reſurrectionem) miraculum penetrationis corporum hîc agnouerunt, & adſcripſerunt, vel corpori Ieſu glorioſo, vel omnipotentiæ filij Dei, cōfirmarunt denique exemplis, Ieſu nati ex clauſo virginis vtero, egreſſi ex clauſo ſepulchro, inambulantis mari &c. *Moli corporis*, inquit Auguſtinus ſcribens in hunc locum, *vbi diuinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inuiolata permanſit. Hic ſi ratio quæritur* (addit epiſtola tertia) *non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fatea-*

fateamur intelligere nō posse. In talibus rebus, tota ratio facti est potentia creatoris. Ambrosius Lucam enarrans: *Clausis omnibus per inuia septa corporibus, inoffensa compage corpus insertum est: & ideo mirum, quomodo se natura corporea, per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, visibili conspectu* (&c.) *Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem, imperuia visu, clausa penetrauit.* Hilarius paulò post medium lib. 3. de Trinitate. *Quæro ergo per quas clausæ domus partes sese corporeus intulerit &c. Sequantur oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & cum eo clausam domum intelligentia tua visus introeat. Integra sunt omnia & obserata, sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam vniuersa sunt peruia* &c. multis enim hac de re disputat aduersus Arianos; diceres & aduersus Caluinianos. Inter græcos, Auctor quæstionum à Gentibus positarum, inter opera Iustini Martyris, responsione ad quæst. 117. Vt *Dominus non corporis in spiritum mutatione in mari ambulauit, sed diuina sua vi, mare, quod ambulando tratici non potest, peruium fecit, non solum corpori suo, sed etiam Petri: sic diuina sua vi, & ex monumento exiit, cùm saxum in monumento positum esset, & ad discipulos ingressus est occlusis foribus.* & cætera plura. Epiphanius hæresi 64. Origenis, longè post medium: *Quemadmodum*, inquit, *Dominus noster resurrexit ex mortuis, non aliud corpus suscitans, sed ipsum quod erat: & non aliud ab eo quod erat, sed ipsum quod erat, in spiritualem subtilitatem transmutans, & spirituale totum coniens, ingressus est per fores conclusas: id quod fieri nequit hic in nostris corporibus, propter crassitudinem, & quòd nondum in spiritualem subtilitatem sint conuersa. Quod ergo* &c. Cyrillus enarrans hunc locum: *Clausis foribus, repente Dominus, omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus ad discipulos est* (&c.) *Nam cùm Deus verus sit, rerum naturæ non subiacet.* Porrò quòd clausis ianuis ingressus est Dominus, fecit, primùm ne turbaret discipulos. *Ianuas non pulsauit*, inquit Euthymius ex Chrysostomo, *ne turbarentur, sed clausis illis introiuit tamquam Deus.* Secundò, vt ostensurus se hominem esse, ostenderet quoque se Deum esse. Tertiò, vt rediuiui corporis sui gloriam declararet. Quartò, vt exemplo doceret, quomodo clauso exisset sepulchro. *Clausæ erant fores*, inquit Theophylactus, *vt ostendat, quod ita surrexit suprapposito lapide super sepulchrum.*

VENIT inuisibilis ad discipulos ET STETIT repentè visibilis, nullo dato siue ingressus siue aduentus sui indicio. *Stetit vt penna vel cogitatio*, inquit Nonnus. id est, ea celeritate qua mentis fertur cogitatio.

IN MEDIO eorum, hoc est, inter eos. Reliqua dicta sunt Luc. 24. v. 33. 36.

καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ. ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ ἰδόντες τὸν κύριον.	20	Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Luc. 24. v. 40. 41.

Hoc & quædam alia quæ Lucas recitat. OSTENDIT & contrectanda obtulit ET LATVS. *suum* suum additur græcè & syriacè. latus inquam, nudiustertius militaris lanceæ ictu perforatum, quod discipuli nouerant (adfuerat enim hic Euangelista. sup. 19. v. 35.) vt ipsissimus esse Iesus agnosceretur. Pedum loco quos expresserat Lucas, Iohannes posuit latus, quod Lucas tacuerat. *Clauis manus fixerant*, inquit Augustinus, *lancea latus eius aperuerat: vbi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia.* GAVISI SVNT quantum tristati hactenus fuerant ob occisum Dominum. VISO & indubitanter agnito Domino Iesu ex morte rediuiuo. Contemplati oculis manibusq; amplexi, propriam Domini Iesu effigiem, gestantem recentia manuum, pedum, ac lateris ex cruce vulnera, denique more solito cænantem, crediderunt eum resurrexisse: itaque mœrore posito exhilarati sunt gaudio magno, quod, vt fidei in Iesum rediuiuum signum fuit, ita & effectus. *Gauisi sunt* autem, præcipuè quidem, causa Domini Iesu, quem summè amabant, quòd viuum eum & incolumen recepissent ex suppliciis ac morte, deinde verò & sua causa, quod videre sibi iam viderentur se non esse frustratos spe sua, in eo quòd Dominum Iesum relictis omnibus fuissent sequuti. Reliqua petenda sunt ex Luc. 24. v. 40. & 41.

FINIS EVANGELII
SECVNDVM IOHANNEM.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

NOTARVM
AD
VARIAS LECTIONES IN QVATVOR EVANGELIIS OCCVRRENTES
LIBELLVS DVPLEX:

Quorum vno GRAECAE, altero LATINAE VARIETATES explicantur:

Auctore FRANCISCO LVCA *Brugensi, Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologo & Decano.*

ILL^{MO} ET R^{MO} IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, ROBERTO BELLARMINO, S. R. E. CARDINALI, ARCHIEPISCOPO CAPVANO,

Franciſcus Lucas.

C*VM, ſuperioribus annis,* ILLME AC R^{ME} CARDINALIS, *tractandis ſacris* EVANGELIIS *incumberem, & veterem vulgatamq; verſionem Latinam, vnà cum Græco fonte ob oculos propoſitam, explicandam mihi ſumerem: putaui mearum partium eſſe, vt & varias omnes lectiones, ſiue Græcè, ſiue Latinè occurrentes, annotarem, diſcuterem, examinarem; denique eam quæ genuina eſſet, ſiue fontis Græci, ſiue verſionis Latinæ, quoad eius à me fieri poſſet, indicarem, & à ſpuriis diſtinguerem. Et quamquam breuiter id & compendioſè, notiſq; potiùs quàm multis verbis, conarer præſtare: tamen ne* COMMENTARIVS, *quem ita fabricabar, vt vnum vbique ſimpliciſſimum ac veriſimillimum loci ſenſum ponere ac proſequi contentus eſſet, lectionum varietate oneraretur; ſtatui, libellis duobus ad calcem Commentarij additis, ſeorſum id agere, præſertim cùm* SVAE SANCTITATIS *mentem eſſe intelligerem, vt lectiones variæ ad marginem ipſius ſacri Textus minimè annotarentur; duobus inquam libellis, vno de Græcis, altero de Latinis varietatibus agente. Vidimus ſæpe libros, præſertim ſacros, ſtudio nec paruo, nec infelici, à Notariorum vitiis emendatos, dum frequenter excuduntur, breui in eadem vitia relapſos, inſcitiâ plerorumque, veritatem præ inolitis vitiis mox reiicientium. Id ergo ne ſimiliter contingeret ſacris Textibus, quos in Commentario mihi propoſueram explicandos, Græco Regiorum, & Latino Sixtinorum Bibliorum (quibus non facilè exſtant alij eiuſdem generis integriores) ne, inquam, hoc idem eis accideret, hoc eſt, dum frequenter recuduntur, in antiqua iámque ſemel ſublata vitia relaberentur, &, ſi quidem accideret (quod profectò fieri*

cœptum obseruauimus) facile esset restituere: visum est mihi consultum, breuibus indicare rationes emendationum quæ insunt Textibus istis; aut si non rationes, certè distinctiones genuinæ lectionis à spuria, quando res clara est: postremò sicubi dubitandi causa remanet, an illorum lectio sit genuina germanáque, siue fontis siue versionis vulgatæ scriptura, nihil quidem in illis mutare, sed annotare dumtaxat quid inueniam, relinquere autem SVAE SANC^TIS*, & eorum quibus illa hoc commiserit auctoritati, vt loca, si quando videbitur, mutent: nec enim cuiusuis esse debet mutare pro arbitrio. In his igitur duobus libellis, vno Græcas, altero Latinas Euangelicorum librorum varietates explicante, hæc mihi seruatur methodus, vt primùm proponam, in Græcis quidem, eam lectionem quæ est Regiorum; in Latinis autem, eam quæ est Sixtinorum Bibliorum: deinde adferam eam quæ ab illa variat, nec adferam tantùm, verumetiam quo distinguatur describam, quando differentia exigua est (vt sæpe est) ne vel in hoc ipsum correctorium irrepat error (quale exemplum in quibusdã manuscriptis correctoriis vidimus) postremò, si quidem nihil verisimilitudinis habeat, vno eam verbo reprobem; si quid verò habeat, id paucis exponam: Quamquam verò huiusmodi quid non ita pridem præstare conatus sim, edito libello de Romanis correctionibus, adhibitis in Latinis illis, Sixti Quinti iussu recognitis Bibliis: hîc tamen aliquid amplius, & illud idem pleniùs, præstare conor, in quatuor* EVANGELIIS, *non* LATINIS *solùm, verumetiam* GRÆCIS. *In hoc porrò negotio, etsi oculorum animi mei caliginem fateri meritò debeam: eo tamen maiorem mihi fidem spero adhibendam, quo diutiùs, à iuuentute inquam (quod tu* ILLME DOMINE *nosti) in eo versatus sum, & accuratiùs olim ac prolixiùs simile argumentum tractaui, Notationibus in varias Bibliorum lectiones editis. Quidquid autem illud est, quod hîc à me præstitum est, vt vehementer cupiui probatum esse iudicio R^mæ P^tis Tuæ: ita volui Ill^mæ D.T. nomini esse dedicatum, tres potissimùm ob causas; Vnam, vt exstaret mnemosynon animi mei erga te grati, quòd me olim humanitas tua, cùm Louanij Theologiæ professorem ageret, admittere dignata fuerit ad familiaritatem, & Romam quoque reuersa non minimis beneuolentiæ argumentis prosequi. Alteram, quòd celebritas doctrinæ tuæ, toto orbe terrarum fulgentis, quâ fit, vt Catholicæ quidem Ecclesiæ lumen, hæreticorum autem huius temporis malleus habearis & sis, tutum me reddere poterit, ne vel hæretici scriptis meis abuti, vel Catholici non visa damnare audeant (qua de re conquerendi materiam mihi præbet Chronologia Genebrardi anno* 1585 *edita) nemo enim te*

soli-

solidiùs potest iudicare, quàm non hæc ad Græcæ Latinæve editionis, sed ad librariorum, qui eas editiones negligentiùs descripserunt, errores auferendos & exterminandos colligantur: vt prætercam, quòd maior varietatum pars, in verbis potius consistat quàm in rebus, magisq; ad exactam quàm ad necessariam faciat corrigendi rationem. Postrema causa est, vt si prudentia tua iudicet, hoc scripto à me adferri, quod ad Græcum Latinúmve Euangeliorum Textum, exactiùs etiam quàm hactenus à Librariorum vitiis vindicandum, facere possit, ipsa, si dignum censeat, ad SVAM SANCTITATEM, *à cuius est consiliis, referat; vt illius auctoritate, quod minùs emendatum hactenus esse possit, perfectiori integritati ac nitori restituatur. Dignaberis igitur,* ILLME AC R^ME DOMINE, *hoc munusculum æqui boni consulere, & grati memorísque animi monimentum hilari vultu accipere: interea ego non omittam, quin Dominum Deum sacrificiis precibúsque solicitem, vt te diu nobis & Ecclesiæ Catholicæ seruet incolumem. Audomaropoli Arthesiorum, pridie Nonas Septembris, anno quinto à sexcentesimo & millesimo.*

AVCTOR

AVCTOR
LECTORI CANDIDO,

De exemplaribus quibus vsus est in describendis his Lectionum varietatibus.

QVAMVIS in concinnandis his VARIARVM LECTIONVM libellis, non fuerit nobis ad manum, multitudo illa exemplarium, tum manuscriptorum tum typis excusorum, quorum fuit nobis vsus Louanij ante annos triginta, cùm NOTATIONES IN VARIAS BIBLIORVM LECTIONES, alias seorsum, alias ad margines ipsorum Bibliorum, scriberemus: illa ipsa tamen Biblia, cum notis ac notationibus suis, illorum exemplarium loco nobis seruierunt. Porrò tria ex illis, quæ erant præstantissima inter omnia manuscripta, & vetustate & integritate, videlicet, Biblia Ecclesiæ Cathedralis D. Donatiani Brugensis, Biblia monasterij S. Petri Lobiensis, denique Biblia Abbatiæ S. Iacobi Leodiensis, hac ratione nobis præstò fuerunt, quòd habuerimus illa Biblia typis excusa, quæ, antequam Louanio discederemus, CHRISTOPHORVS PLANTINVS, præ eo quo semper ardebat, munifico rei literariæ promouendæ desiderio, suis expensis iusserat cum illis manuscriptis conferri, & additâ ad marginem illorum, sicubi variarent, lectione, augeri. Ad hæc Correctorium illud manuscriptum, à Doctore Augustino Hunnæo relictum Collegio Societatis IESV Louaniensi, quod sæpe in Notationibus illis nostris citamus, cuiusque incertum auctorem vocamus Epanorthotem siue Correctorem (quòd editionis Bibliorum Latinæ, ex antiquis libris, correctionem profiteatur) Louanio euocauimus. Prætereà, Ecclesia hæc Cathedralis S. Audomari, cui adscripti sumus, è sua Bibliotheca suppeditauit nobis, in primis insigne exemplar Latinorum Bibliorum manuscriptorum, & antiquitate & integritate venerandum, distinctum in quinque tomos, regio membranæ folio, signatum litera E.; deinde duos alios codices manuscriptos, qui Euangelia quatuor singuli continent, quorum vnus signatus est litera F., alter, præstantior ille, in loco Capitulari, quem vocamus, perpetuò præstò iacet, ad excipiendum iuramentum eorum qui ad beneficiorum Ecclesiæ possessionem admittuntur. Insuper Reuerendus in Christo Pater, Dominus Abbas Monasterij ordinis Cisterciensis, quod vulgò Clarum mariscum vocatur, situmq; est in suburbiis palustribus ciuitatis Audomarensis, inter agros erraticos, vagos inquam natantesque in aquis, commodatò nobis dedit, vetus & insigne manuscriptorum Bibliorum exemplar, & ipsum Regio membranæ folio, in duos tomos distinctum. Postremò, pro Græcis varietatibus, præter alia typis excusa exemplaria, illo vsi sumus, quod Parisienses anno 1550 ediderunt, collatum ad sedecim Græca antigrapha, signata Græcis literis numerisque α. β. γ. δ. ε. ς. ζ. η. θ. ι. ια. ιβ. ιγ. ιδ. ιε. ις. quorum primum, est illud Compluti olim impressum, ex quo fluxerunt Regia nostra, reliqua fuêre manuscripta, præsertim ex Regis Francorum Bibliotheca accepta.

NOTA-

NOTARVM AD VARIAS LECTIONES IN GRÆCA QVATVOR EVANGELIORVM EDITIONE OCCVRRENTES, LIBELLVS VNVS.

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS GRÆCÆ EVANGELII SECVNDVM MATTHÆVM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV vndecimo. *ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ*. Decimusquartus è ſedecim vetuſtis codicibus, cum quibus Pariſienſes olim contulerunt Græcam Noui Teſtamenti editionem, legit *ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν ἰωακείμ. ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ.* Vbi generationem vnam ſtudioſè ab aliquo adiectam non dubium eſt eſſe, ad euitandas difficultates illas, quas in Commentario tractauimus. Nam vt à cæteris Græcis libris non agnoſcitur illa generatio, ita neque à Syricis aut Latinis, neque ab vllis omnino tractatoribus, nominatim, inter veteres, Hieronymo atque Ambroſio Latinis, & Authore operis in Mathæum imperfecti atque Euthymio Græcis: vt præteream, Iechoniæ filij Ioakim, non plures, ſed vnicum fratrem reperiri in ſacris litteris, Sedechiam inquam, 1. Paralip. 3. v. 16. nec *ἰεχονίαν* dictum eſſe patrem, ſed *ἰωακείμ*. Quare temerarium eſt, ex vnius, eiuſque alieni, nec viſi fortaſſe, codicis, auctoritate, veterem & quidem conſtantem mutare ſacræ ſcripturæ lectionem: quod fecit Theodorus Beza, cuius tranſlatio eſt: *Ioſias autem genuit Iakim: Iakim autem genuit Iechoniam & fratres eius.*

Ver. 14. *ἐγέννησε τὸν ἀχείμ. ἀχεὶμ δὲ* Legitur & *ἀχεὶμ*, vt Latinè; quin & *ἀχεὶν*, vt Syriacè.

Ver. 22. *διὰ τοῦ προφήτου.* Secundus Pariſienſium codex, β., addit *ἡσαΐου*: cui, cum cæteris Græcis libris, refragantur Latini & Syrici. Non dubium eſt quin adiectum ſit *Iſaiæ* nomen, præpoſtera alicuius diligentia.

Ver. 23. *καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα.* Idem ille ſecundus codex ſcribit *καλέσεις, vocabis*, pro *καλέσουσι vocabunt*. Atqui *καλέσεις* eſſe Prophetæ, *καλέσουσι* verò Euangeliſtæ, præter Latinos & Syricos libros, etiam ea docent quę ad Prophetam olim notauimus.

CAPVT II.

Ver. 1. *εἰς ἱεροσόλυμα.* In quatuor exemplaribus, γ. ϛ. ι. ιϛ., eſt *εἰς ἱερουσαλήμ.*

Ver. 2. *προσκυνῆσαι αὐτῷ.* In quibuſdam libris eſt quartus caſus *αὐτὸν*, loco tertij *αὐτῷ*: vtrumque admittit illius verbi conſtructio.

Ver. 6. *καὶ σὺ βηθλεὲμ γῆ ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ.* Secundus codex legit *καὶ σὺ βηθλεὲμ τῆς ἰουδαίας, μὴ ἐλαχίστη εἶ*; *& tu Bethlehem Iudæa, númquid minima es?* quæ lectio ſpuria eſt, & de induſtria ficta contra omnium fidem.

Ibidem. *ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται.* Quidam libri addunt *μοὶ* (*ἐκ σοῦ γάρ μοι*) quod quamquam Propheta dixerit, Latini tamen & Syrici noui Teſtamenti codices, quin & meliores Græci, omittunt.

V. 11. *εἶδον τὸ παιδίον.* Sic legunt meliora exemplaria Græca, Regium ex Complutenſi, omnia Pariſienſium, Euthymij textus, denique Syra ipſa, *εἶδον viderunt*, pro eo quod in aliis eſt, Latino conſentaneè, *εὗρον inuenerunt.*

Ver. 16. *καὶ κατωτέρω.* Secundus Pariſienſium liber habet poſitiuum *κάτω infrà*, quo modo Latinus vertit, pro comparatiuo *κατωτέρω inferiùs.*

Ver. 17. τὸ ῥηθὲν ὑπὸ ἱερεμίου τοῦ προφήτου, λέγοντος. Rursus secundus ille codex, à reliquis varians, scribit, τὸ ῥηθὲν ὑπὸ κυρίου διὰ ἱερεμίου λέγοντος. *Quod dictum est à Domino per Ieremiam, dicentem.* quo in scribendi modo imitatus videtur superiora loca, 1. ver. 22. & 2. ver. 15.

CAPVT III.

Ver. 6. ἐν τῷ ἰορδάνῃ. Exemplaribus δ & ι additur ποταμῷ *flumio*, vt Syro: cætera omittunt cum Latino. Marcus c. 1. v. 5. illud constanter legit.

Ver. 8. καρπὸν ἄξιον. Hoc modo, singulari inquam numero, legunt optimi quique Græci libri, consentaneè Latinæ editioni. Nam qui in quibusdam libris est numerus pluralis καρποὺς ἀξίους, quamquam exstet & Syriacè, esse videtur Euangelij secundùm Lucam c. 3. v. 8.

V. 9. οὐκ δόξητε. Quartus codex præponit καὶ coniunctionem, quò clarius exprimatur emphasis.

V. 11. καὶ πυρί. Septem Parisiensium Græci codices α. γ. δ. ι. ι. ζ. ιβ. omittunt illud καὶ πυρί, adstipulantibus Græcis enarratoribus Theophylacto atque Euthymio; atque videri possit illud ex Luc. 3. ver. 16. huc adiectum fuisse. Ceterùm vetustiores tractatores iis codicibus suffragantur qui addunt, Chrysostomus, Auctor operis imperfecti, Hilarius, Hieronymus; quibus & Latini ac Syrici libri volunt. Coniiciunt quidam, erasum illud ab aliquibus fuisse, odio hæreticorum, qui ad Christi baptismum igni seu cauterio volebant vtendum.

V. 12. τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην. Sextus codex addit μὲν (τὸν μὲν σῖτον) Idem cum octauo & nono transfert pronomen αὐτοῦ è medio in finem, ita vt iungatur voci ἀποθήκην: quod tametsi Syro consonet, recepta lectio certior est.

V. 16. καταβαῖνον. Frustra addit secundus codex ἐκ τοῦ οὐρανοῦ *è calo.*

CAPVT IIII.

Ver. 10. ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. Sic legunt Regia Biblia cum aliis octo Parisiensium, ita tamen vt notent, ab aliis libris omitti, ὀπίσω μου, quod certè omittūt multi codices, quibus Syricum Euangelium, & Enarratores, Chrysostomus, manifestiusque Origenes tractatu in Matthæum primo, Hieronymus, & Euthymius, suffragantur. Similis varietas est in libris Latinis, sed omissio est, vt plerorumque, ita & optimorum. Credo ego, illud ὀπίσω μου, non huius esse loci, sed ex capite 16. v. 23. huc adiectum.

Ver. 17. ἀπὸ τότε. Non est præmittenda coniunctio καί.

V. 19. καὶ ποιήσω ὑμᾶς. Addunt deinde Græci codices secundus & nonus γενέσθαι, Syro Latinoq; consentaneè, quod tamen plerique non agnoscunt.

Ver. 20. οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες. Immeritò transfigitur verbum εὐθέως ab exemplaribus δ. ι. θ.

CAPVT V.

V. 3. ὅτι αὐτῶν ἐστί. Non est legendum ἔσται *erit*, quod est in β, pro ἐστὶν *est.*

V. 11. ἕνεκεν ἐμοῦ. Errore sumto ex versu proximè præcedenti scribit β. ἕνεκα δικαιοσύνης.

V. 18. ἀμὴν γὰρ λέγω. Quintum exemplar, loco coniunctionis γὰρ, repetit ἀμὴν, contra omnium fidem.

V. 22. ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ. D. Augustinus libri primi Retractationum c. 19. testatur à suis Græcis libris abesse εἰκῆ *sine causa*: quibus hodie consentit codex Græcus Bibliothecæ Vaticanæ, &c, ex B. Hieronymi emendatione, vulgata editio Latina. Cæteri Græci libri quos vidimus, suffragantibus tractatoribus Græcis, & Syricis exemplaribus, omnes illud legunt: nec facilè est illis auferendum, vt nullo modo Latinis addendum. qua de re aliàs egimus latiùs.

Ibidem. ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ μωρέ. Octauum antigraphum legit ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ μωρέ. Addidit scriptor, id quod ἀπὸ κοινοῦ ex superioribus subaudiendum esse, etiam Hieronymus monet.

V. 25. καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ. Eodem sensu legitur in 2. codice βληθῇς.

V. 27. ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις. Ab aliis codicibus non agnoscitur τοῖς ἀρχαίοις *antiquis*, Syricæ editioni conformiter.

V. 30. βληθῇ εἰς γέενναν. In vno exemplari, eoque secundo, est εἰς γέενναν ἀπέλθῃ, propiùs ad editionem Latinam, quæ habet, *eat in gehennam.*

V. 32. ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ. In manuscriptis γ. δ. ε. ς. κ. est ὅτι πᾶς ὁ ἀπολύων, eodem tamen sensu.

Ibidem. ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι. Secundus codex, pro μοιχᾶσθαι *mœchari*, habet passiuum μοιχευθῆναι *vitiari, stuprari*: quæ mutatio, consilio sapientioris quàm oportuit, accidit.

Ibid. καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται *& qui dimissam duxerit, adulterat.* D. Augustinus libri, De adulterinis coniugiis c. 10. annotat, pericopen hanc, in nonnullis codicibus Græcis ac Latinis non haberi: quasi ex capitis 19. v. 9. huc esse potuisset assumta: vel, quod ipse arbitratur, *quia explicatus hic sensus putari potuit in eo quod superiùs dictum est, facit eam mœchari: quomodo enim dimissa fit mœcha, nisi fiat qui eam duxerit mœchus?* Porrò nos illud hodie constanter legimus apud Latinos, Græcos, & Syros.

V. 33. πάλιν ἠκούσατε. In duodecimo exemplari, pro πάλιν *iterùm*, quod legitur etiam Latinis & Syris, est πλὴν *præterea.*

V. 36. λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. In octauo codice, sublata disiunctiua ἢ, est λευκὴν ποιῆσαι μέλαιναν; ita vt planus sensus sit, vnum album capillum reddere nigrum, aut è contrà. Atqui, non Græcè tantùm, sed & Latinè ac Syriacè, Disiunctiua legitur.

V. 41. μετ᾽ αὐτοῦ δύο. In β. est μετ᾽ αὐτοῦ ἔτι ἄλλα δύο *cum illo adhuc alia duo*: id quod non dubium est auctum esse ex Latino, cuius exemplaria quædam legunt: *Cum illo & alia duo.*

V. 44. καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς. In aliis legitur pro tertio quartus casus τοὺς μισοῦντας.

Ver. 45. ὅπως γένησθε υἱοί. Vnus Chrysostomus pro υἱοί *filij*, disertè legit ὅμοιοι *similes.*

V. 46. τίνα μισθὸν ἔχετε. Rursus β. pro præsenti ἔχετε habet futurum ἕξετε, adeò libenter consonat editioni Latinæ: tametsi Latinus interpres futurum dedisse potuit, non quòd Græcè legerit, sed quòd præsens futuri loco positum intellexerit.

V. 47. τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν. Ita cum Græcis quibusdam exemplaribus Latina & Syra legunt. In plurimis autem aliis Græcis, illius loco scribitur τοὺς φίλους ὑμῶν; id quod alibi non inuenio.

Ibid. οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι οὕτω ποιοῦσιν. Hæc vulgaris lectio, conformis Syro, iterùm publicanos huc adfert. Atqui vetusti codices, 2. & 4., adstipulante non solùm editione Latina, sed & enarratore Chrysostomo, habent οὐχὶ καὶ οἱ ἐθνικοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσιν.

V. 48. ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς Exemplaria 2. 3. 5. & 7. legunt οὐράνιος *calestis*, Latino conformiter, pro eo quod alia habent ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς *qui in calis est.*

CAPVT

CAPVT VI.

Ver. 1. προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν. Secundus codex pro τὴν ἐλεημοσύνην *eleemosynam*, legit τὴν δικαιοσύνην *iustitiam*, quo modo est Latinè: qua de re consule Commentarium.

V. 4. αὐτὸς ἀποδώσει σοι. Antigrapha 4. 6. & 8. omittunt αὐτὸς *ipse*, conformiter Latinæ editioni. Alia addunt cum Syriaco Euangelio: quando, vel redundat Hebraico more, vel Emphaseos gratia exprimitur, quo dilucidius Deus Pater opponatur hominibus, à quibus alij mercedem vanam referant.

Ibid. αὐτὸς ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. D. Augustinus circa initium libri secundi De sermone Domini in monte, testatur, ab iis quæ consuluit Græcis exemplaribus, omissum fuisse ἐν τῷ φανερῷ: quibus hodie consonat codex Græcus Bibliothecæ Vaticanæ, &, ex B. Hieronymi haud dubium correctione, vulgata editio Latina. Cæteri Græci libri quos vidimus, suffragantibus tractatoribus Græcis, & Syricis exemplaribus, omnes illud legunt: nec facilè est illis auferendum, vt neque Latinis addendum. qua de re latiùs egimus in Notationibus nostris in varias Bibliorum lectiones.

V. 6. ἐν τῷ φανερῷ. Eadem librorum, editionum, tractatorumque, varietas est hîc, quæ mox ver. 4.

V. 8. πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν. Quod huius loco legit 2. exemplar πρὸ τοῦ ὑμᾶς ἀνοῖξαι τὸ στόμα, *antequam vos aperueritis os*, commentarius est.

V. 13. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Vnus Parisiensium Græcus codex omittit hæc verba, secundus inquam ille: vnus eorumdem Latinus codex addit, S. Germani latus, quem vocant. Hunc ad Græca, illum ad Latina, castigatum, vehemens mihi suspicio est, cùm ex hoc loco (eò quòd cæteri omnes libri, Græci addant, Latini omittant) tum ex aliis pluribus. Porrò Græcis libris qui addunt, suffragantur enarratores Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, &, siue is Græcus siue Latinus fuerit, Auctor operis in Matthæum imperfecti; Denique Syricus Interpres. Latinis libris omittentibus adstipulantur Latini tractatores, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, libris quinto & sexto De sacramentis, Augustinus, & posteriores; Denique modus ipse recitandi orationem Dominicam in ecclesia Latina, iam inde ab Apostolorum, credo, temporibus continuus. Verisimile fit, à Græcis, ad Euangelij textum adscriptam fuisse hanc coronidem, ex liturgia, aut solemni alioqui consuetudine, ex quali Angelicæ salutationi adnectunt, ὅτι σωτῆρα ἔτεκες τῶν ψυχῶν ἡμῶν *quia saluatorem peperisti animarum nostrarum*; quæ similiter non sunt Euangelij verba.

V. 18. ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ. Omnes Parisiensium Græci codices, numero sedecim, qui quidem manuscripti sunt plerique, cum aliis non paucis, omittunt illud ἐν τῷ φανερῷ hoc loco, quod legerunt superioribus versibus quarto & sexto: quibus consona sunt Syra. Vaticanum exemplar & editio Latina, constantia sibi, vt non superioribus, ita nec hoc loco agnoscunt. Cæterùm, quod in Notationibus addidimus, Chrysostomus & Origenes videntur illud etiam hoc loco legisse, nisi fortè ex superioribus subaudierint.

V. 24. οὐδεὶς δύναται. Quod exemplaria primum & octauum interiiciunt οὐδεὶς οἰκέτης δύναται, additum est ex Luca 16. v. 13.

V. 34. μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς. Hæc vulgaris est lectio Græcorum codicum, cuius sensus est: *Curabit sua, solicitus erit de rebus suis.* Est porrò alia in codice Victoriano, cuius in Commentario meminimus, μεριμνήσει ἑαυτῇ *solicitus erit sibi ipsi*; quæ videtur veteris Interpretis fuisse, quin & veterum Patrum, Cypriani, cùm in orationem Dominicam, tum lib. 3. ad Quirinum c. 11. & Augustini lib. contra Adimantum capite 4. quorum versio habet: *Nam crastinus dies ipse cogitabit sibi.* Atqui sensus lectionis idem vnus est vtriusque.

CAPVT VII.

V. 1. ἵνα μὴ κριθῆτε. Sequitur in octauo codice μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε, id quod ex Luc. 6. v. 37. huc allatum adiectumque esse, quemadmodum etiam contigit Latinis libris, indubium est.

V. 6. μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί. Exemplaria quartum & nonum legunt τὰ ἅγια, numero plurali: quemadmodum, clarioris sententiæ ergò, locum mutatum fuisse arbitror.

V. 12. οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. Hæc recepta est lectio, Syro conformis. Chrysostomi interpres notat, in aliquibus exemplaribus, pro οὕτω, haberi ταῦτα: ego in duobus, & Theophylacto Romæ impresso, neutrum legi, nec οὕτω, nec ταῦτα, quo modo & veriora Latinæ editionis antigrapha scribunt: *Et vos facite illis.*

Ibidem. οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος. Quidam Græci codices, Iansenio teste, cum Euthymio enarratore, legunt οὕτως *sic*, pro οὗτος *hæc*: *Sic enim est lex*; quod sit, sic determinant, sic præscribunt Lex & Prophetæ. Verùm illud ita consultò ab aliquibus mutatú fuisse videtur, ad euitandas difficultates quæ ex germana mouentur lectione: quas mouet inter alios Beatus Augustinus, cùm in proprio loci commentario, tum libri de Trinitate octaui c. 7.

V. 13. οἱ εἰσερχόμενοι δι᾽ αὐτῆς. Hæc recepta est lectio, conformis Latinæ: *Qui intrant per eam*. Porrò exemplaria 6. 8. & 12. pro εἰσερχόμενοι *intrant*, legunt ἐρχόμενοι *incedunt*, quomodo & Syrus vertit *d'ozelin, qui vadunt*.

V. 14. τί στενὴ ἡ πύλη. Sic in melioribus est libris, Complutensi, Regio, & Parisiensium omnibus, suffragantibus Theophylacto atque Euthymio Græcis enarratoribus, adhæc Syriaca interpretatione, denique verioribus exemplaribus interpretationis Latinæ. Quare spurium est, quod in quibusdam legitur ὅτι pro τί, quemadmodum quod Latinè *quoniam* pro *quàm*.

V. 16. μήτι συλλέγουσι. Quidam codices legunt μήποτε, *numqui*, pro μήτι *numquid*, contra probatiorum, Latinorum item & Syricorum, denique, inter Græcos enarratores, Euthymij manifestè, fidem.

V. 18. οὐδὲ δένδρον σαπρόν. Octauum exemplar addit πάλιν· οὐδὲ πάλιν, *neque rursus*, vel *neque contrà*: id quod alibi non inuenimus.

V. 19. πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν. Sextum exemplar addit particulam οὖν (πᾶν οὖν δένδρον) sed, quod mihi videtur, loco non congruentem, vti ab aliis non legitur.

V. 23. οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. Exemplaria 6. & 8. præponunt πάντες: quod vt non legitur Syriacè, ita Euangelio adiectum videtur ex Psalmi 6. versu 9. tam Græcè à quibusdam, quàm Latinè ab aliis, vt est Psalmus ille frequens, primus eorum qui pœnitentibus seruiunt.

V. 24. ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρί. In quarto codice est ita vt in Latinis & Syricis, hic quemadmodum

proximo loco versus 26. ὁμοιωθήσεται *adsimilabitur*, vel *similis erit*. In aliis plerisque est ὁμοιώσω αὐτὸν *adsimilabo eum*, quomodo & apud D. Hilarium Latinè legitur, *similem æstimabo*. Varietatis meminit Græcus Enarrator Euthymius.

CAPVT VIII.

Ver. 5. εἰσελθόντι δὲ αὐτῷ. Ita legunt meliores libri, αὐτῷ pro τῷ Ἰησοῦ, Latinæ editioni conformiter.

V. 8. ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγῳ. Multi codices scribunt εἰπὲ λόγον *Dic verbum*, id est, effare sermonem, pronuntia sententiam. Octo autem Parisiensium, inter quos est Complutensis, habent, ita vt Latinus Interpres & Syrus legerunt, εἰπὲ λόγῳ *Dic verbo*; sed nullum in re discrimen est. Lucæ 7. v. 7. omnes posteriori hoc modo legunt.

V. 11. καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Horum loco Euthymius legit καὶ ἀνακλιθήσονται ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Ἀβραὰμ *& recumbent in sinibus Abrahæ*, Chrysostomo disertè adstipulante. *Recumbent autem*, id est, *requiescent*, inquit.

V. 13. τῷ ἑκατοντάρχῳ. In multis est τῷ ἑκατοντάρχῃ prima declinatione.

Ibidem. ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ. Posthæc in nonnullis exemplaribus, nominatim δ. ιδ. ιϛ. sequitur καὶ ὑποστρέψας ὁ ἑκατόνταρχος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. εὗρε τὸν παῖδα ὑγιαίνοντα *& reuersus Centurio in domum suam in illa ipsa hora, inuenit puerum sanum*. Id quod mihi videtur ab aliquo ex Luca huc esse additum, mutatis verbis ad modum narrandi quo hactenus vsus fuerat Matthæus. conferantur cum istis Lucæ verba cap. 7. versu 10.

V. 14. καὶ εἰσελθὼν ὁ Ἰησοῦς. In Regia & contemporaneis editionibus, εἰσελθὼν *ingressus* legitur, pro eo quod est in aliis, conformiter Latinæ & Syriacæ editionibus, ἐλθὼν *cùm venisset*.

V. 15. καὶ διηκόνει αὐτῷ. Sic legunt exemplaria primum, tertium, quintum, septimum, &, ex primo, quod est Complutense, Regium. In aliis pro singulari αὐτῷ est plurale αὐτοῖς. Eadem varietas est tam in Syricis, quàm in Latinis libris. Latini habent, alij *ei*, alij *eis*: Syriaci typis excusi ܠܗܘܢ *lehum* plurale, manuscriptus ܠܗ *leh* singulare. Crediderim ego, ex Marco & Luca, Matthæo, Græcè certè, mutatum fuisse singulare *ei* cum plurali *eis*; idque temerè, cùm illi quidem plurium antè meminerint, Matthæus autem solius Iesu.

V. 17. τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἀνέλαβε. In Regia & æqualibus editionibus est ἀνέλαβε, quasi dicat, in humeros accepit, pro eo quod est in aliis, Latino conformiter, ἔλαβε *accepit*.

V. 21. ἐπίτρεψόν μοι πρῶτον ἀπελθεῖν. Quartus codex omittit πρῶτον, contra aliorum omnium fidem.

CAPVT IX.

Ver. 1. καὶ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον. Non est addendum ὁ Ἰησοῦς.

V. 5. ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι. Ita est in Regia editione, & omnibus Parisiensium exemplaribus, σου *tua*, pro σοι *tibi*.

Ver. 8. ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι ἐθαύμασαν. In secundo Græcorum codicum est ἐφοβήθησαν, id quod suspicor esse ex Latino mutatum, quod habet, *timuerunt*. Verisimilius est Interpretem legisse ἐθαμβήθησαν, quod in commentario diximus.

V. 11. ἰδόντες. Addit codex ιϛ. καὶ εἶπον. id quod vti Latinè & Syriacè non legitur, ita D. Augustinus libro 2. de cons. Euang. cap. 27. annotat, à Marco positum, non à Matthæo.

V. 13. ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Parisiensium exemplaria β & ιβ tollunt εἰς μετάνοιαν: quibus Syra adstipulantur, & optimi quique libri Latini, denique D. Augustinus loco mox citato, vbi docet à solo Luca fuisse additum illud *ad pœnitentiam*. Porrò libris plerisque Græcis, quibus illud etiam hîc legitur, volunt Græci Enarratores, Chrysostomus, Theophylactus, atque Euthymius. Nihilominus tamen crediderim ego, illud iam olim Græcè Matthæo & Marco, ex Luca fuisse adiectum.

V. 17. καὶ ἀμφότεροι συντηροῦνται. Sic legit textus Regius ex vetustis exemplaribus; pro ἀμφότερα genere neutro, quod est in aliis, ἀμφότεροι genere masculino: nam & οἶνος & ἀσκὸς Græcis masculina sunt.

V. 18. ἰδοὺ ἄρχων εἷς. Ita legendum videtur, quo modo & Latinè ad verbum est & Syriacè. Quidam libri omittunt εἷς, quidam substituunt τὶς.

V. 19. ἠκολούθησεν αὐτῷ. *Sequutus est eum*. ita legunt Græci libri. Vnus β habet ἠκολούθει *sequebatur*, quomodo Latinè est.

V. 20. αἱμοῤῥοοῦσα δώδεκα ἔτη. Ita Græci, Syrici, & Latini libri. Vnus β Græcus addit δώδεκα ἔτη ἔχουσα ἐν τῇ ἀσθενείᾳ, *Duodecim annos habens in ea infirmitate*: id quod ideò adiectum videtur, quòd durè cohæreat δώδεκα ἔτη cum αἱμοῤῥοοῦσα.

V. 26. ἡ φήμη αὕτη. In β, rursus, pro αὕτη, est αὐτοῦ *eius*, quod sit, de eo; dissimiliter etiam Latinæ editioni.

V. 27. ἐλέησον ἡμᾶς. Omitte quod sequitur in quodam codice κύριε.

V. 30. αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί. Interiicit quartus codex παραχρῆμα *ilico*.

V. 33. οὐδέποτε ἐφάνη. Quidam libri præponunt ὅτι, quod optimi quique omittunt: quod nec Latinè expressum est, vti tamen plerumque aliàs quando Græcis legitur.

V. 35. καὶ πᾶσαν μαλακίαν. Sequitur in plerisque omnibus codicibus Græcis ἐν τῷ λαῷ *in populo*: id quod duo, α & ιβ, non legunt, conformiter Latino & Syro. Nam & verisimile est huc adiectum esse ex versu 23. capitis 4. superioris. Quod deinde adhuc sequitur in α. καὶ πολλοὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ *& multi sequuti sunt eum*, & ipsum adiectitium est.

V. 36. ὅτι ἦσαν ἐσκυλμένοι. Ita legunt sex Parisiensium exemplaria, & ex eorum primo, Complutensi inquam, Regium: quę lectio fuit & interpretum Latini ac Syri. Alij libri pro ἐσκυλμένοι habent ἐκλελυμένοι. vide Commentarium.

CAPVT X.

Ver. 1. ἐξουσίαν πνευμάτων. Quod quartum & octauum exemplaria addũt κατὰ πνευμάτων, subaudiendum est, non legendum. vide Commentarium.

Ibidem. καὶ πᾶσαν μαλακίαν. Non addas ἐν τῷ λαῷ, quod est in octauo codice: nec enim est huius loci, sed suprà. 4. v. 23.

V. 4. Σίμων ὁ Κανανίτης. In secundo & octauo codicibus est Κανανaῖος, ea forma qua Latinus & Syrus vtuntur. Maioris momenti est, quod in Commentario disputatur, legendúmne sit Κανανίτης aut Κανανaῖος.

V. 8. λεπροὺς καθαρίζετε, νεκροὺς ἐγείρετε. Illud νεκροὺς ἐγείρετε meritò fortassis posset omitti, prout ipsa Regia Biblia obeliscum præfigunt, idque ob eas causas quas aliàs dedimus intelligendas. Nouem Parisiensium exemplaria & Syrica Imperatoris editio præ-

tereunt suffragantibus Enarratoribus Euthymio & Theophylacto.

V. 10. μηδὲ ῥάβδους. Parisiensium exemplaria primum, 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 11. 12., & ex primo, quod est Complutense, Regium, legunt numero plurium μηδὲ ῥάβδους *neque virgas*. Porrò singulari numero μηδὲ ῥάβδον. qui est in aliis exemplaribus, præter Latinum Interpretem, fauere videntur Græci Tractatores.

Ibid. τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν. Pro τῆς τροφῆς in 14. exemplari legitur τοῦ μισθοῦ, ex Luc. 10. v. 7.

V. 12. ἀσπάσασθε αὐτήν. Nihil amplius esse legendum, nec addendum esse quod sequitur in Regio & aliis quibusdam libris λέγοντες, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ, puto in Notationibus à nobis monstratum esse.

V. 13. εἰσελθέτω ἡ εἰρήνη. Ita est in Regio opere & quarto Parisiensium codice, verbum compositum εἰσελθέτω *ingrediatur*, pro eo quod est in aliis, Latino conformiter, simplici ἐλθέτω.

V. 14. καὶ ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς μηδὲ ἀκούσῃ. Non est legendum ex octauo codice, numero plurium, καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται ὑμᾶς μηδὲ ἀκούσωσι.

Ibid. τῶν ποδῶν ὑμῶν. Quod additur in 14. exemplari ἐπ' αὐτῇ, sumtum est ex Luc. 9. v. 5.

V. 15. ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Noli addere ὅτι, quod est in ι. & ιδ.

V. 19. ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς. Exemplar 14. legit aoristum παραδώσωσιν.

V. 23. ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. Exemplar quartum habet ἐκ τῆς πόλεως ταύτης, contra omnium fidem.

Ibidem. φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην. Codex octauus pergens addit in hæc verba κἂν ἐκ ταύτης ἐκδιώξωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἑτέραν *Et si ex hac exegerint vos, fugite in aliam*. Secundus verò addit in ista ἐὰν δὲ ἐν τῇ ἄλλῃ διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην *Si autem in hac alia persequuntur vos, fugite in aliam*. Cæterùm addititia sunt ista, omninoque prætermittenda.

Ibid. ἕως ἂν ἔλθῃ. Quod in quarto exemplari est τελέσητε, illius expositio est.

V. 25. Βεελζεβούλ. Atqui βεελζεβούλ, quomodo habet exemplar secundum, litera vltima βῆτα, legendum esse, non λάμβδα, βεελζεβούλ, docet Commentarius: quod quidem vt manifestum, deinde semper sequimur.

V. 28. ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων. Hæc melior esse scriptura videtur, præsentis inquam temporis, ea quæ aoristum habet ἀποκτεινάντων.

V. 29. ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν. Quod sequitur in nono codice τοῦ ἐν οὐρανοῖς, aliunde huc adscitum est.

V. 42. ἕνα τῶν μικρῶν τούτων. Secundum exemplar pro τῶν μικρῶν scribit τῶν ἐλαχίστων, vt Latino respondeat.

Ibidem. Exemplaria secundum & quintum omittunt μόνον, quod à reliquis legitur, suffragantibus editionibus Latina & Syrica.

CAPVT XI.

V. 16. ὁμοία ἐστὶ παιδίοις. Sic lege ex melioribus libris potiùs quàm παιδαρίοις.

Ibidem. ἐν ἀγορᾷ. Sic legunt Regia Biblia & exemplaria Parisiensium, quintum, septimum, nonum, conformiter editioni Latinæ. In aliis est pluralis numerus ἐν ἀγοραῖς *in foris*.

V. 18. ἦλθε γὰρ Ἰωάννης. Non addas πρὸς ὑμᾶς *ad vos*, quod sextus codex.

V. 20. τότε ἤρξατο. Omitte ὁ Ἰησοῦς, quod est in tertio exemplari, tametsi Syriacè legatur.

V. 21. χοραζίν. In 2 exēplari est χοραζαΐμ. vide Commentarium.

Ibidem. βηθσαϊδά. Sic legendum est ex pluribus libris, non ex aliis βηθσαϊδάν, addita ad finem litera ν.

Ibidem. καὶ σποδῷ. Non est addendum καθήμεναι *sedentes* ex sexto codice.

V. 23. ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ. Vaticanus codex & Parisiensium Italicus, id est, secundus, interrogando legunt μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδου καταβήσῃ, id quod consonat Latinæ editioni. Syriaca editio receptæ Græcorum lectioni fauet: qua de re latiùs in Notationibus, quas sæpe diximus.

V. 24. ἢ σοί. Non est hoc mutandum cum ἢ ὑμῖν, ex secundo codice.

CAPVT XII.

V. 2. οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἰδόντες. Quod sequitur in secundo & 8. exemplaribus αὐτοὺς, subaudiendum est, non legendum.

Ibidem. ἐν σαββάτῳ. Ita legunt codices Græci, excepto quarto Parisiensium, qui habet plurali numero ἐν τοῖς σάββασιν. Latinè hic legitur *sabbatis*, Græcè *sabbato*: versu superiori Græcè *sabbatis*, Latinè *sabbato*: confunduntur enim hæc quod ad sensum.

V. 3. ὅτε ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ. Quinque Parisiensium antigrapha, conformiter Latino & Syro, omittunt pronomen αὐτὸς, quod alia clariùs addunt.

V. 6. τοῦ ἱεροῦ μεῖζόν ἐστιν ὧδε. Parisiensium omnia exemplaria legunt μεῖζον neutro genere: *Templo maius quid est hic*; subauditur enim τί. Quod quidem energiam videtur habere maiorem, & consonare ei quod infrà v. 41. & 42. dicitur: *Et ecce plus quàm Ionas, plus quàm Salomon, hic.*

V. 8. τοῦ σαββάτου. Regium & omnia Parisiensium exemplaria omittunt καὶ, Syrica editione adstipulante: id quod alia addunt (καὶ τοῦ σαββάτου) suffragante editione Latina, habetq; emphasim minimè negligendam. Apud alios Euangelistas constanter legitur.

V. 10. ἄνθρωπος ἦν. Sequitur in secundo, sexto, octauo, & decimoquarto ἐκεῖ *illic*, quod & Syriacè legitur. Latina porrò editio cum aliis Græcis libris subaudit illud.

V. 13. τότε λέγει τῷ ἀνθρώπῳ. Quod sequitur in nonnullis libris τὴν ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα, superfluum est, prout etiam Regius illud obelisco transfigit.

V. 14. συμβούλιον ἔλαβον. Exemplar octauum pro ἔλαβον legit ἐποίησαν, quo modo Latinè est *faciebant*.

V. 21. καὶ τῷ ὀνόματι. Sic legunt Regium & omnia Parisiensium. Alia addunt ἐν præpositionem καὶ ἐν τῷ quemadmodum Latini libri ac Syrici. vide Commentarium Mat. 7. v. 22.

V. 23. μήτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς Δαβίδ; Exemplar Regium ex Complutensi addit ὁ χριστὸς, quod non alibi reperio.

V. 25. εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς. Ita legendum est, non ἰδὼν quod est in 2. codice.

V. 32. οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. Sic legit Regium ex Complutensi cum aliis nouem Parisiensium exemplaribus, pro eo quod est in aliis οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι.

V. 35. ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ. Addunt libri quidam τῆς καρδίας, quod non est huius Euangelij, sed illius quod est secundùm Lucam c. 6. v. 45.

V. 36. πᾶν ῥῆμα ἀργόν. Minimè legendum est πονηρὸν pro ἀργόν.

Ver. 37. καὶ ἐκ τῶν λόγων σου. Exemplar secundum habet ἢ ἐκ τῶν. qui sensus est, non ipsa verba Euangelij.

V. 47. ζητοῦντές σοι λαλῆσαι. Quod in 6. exemplari est ζητοῦντές σε ἰδεῖν, Lucæ est c. 8. v. 20.

V. 50. αὐτός μου ἀδελφός. Sextum & 9. exemplaria addunt coniunctionem αὐτός μου καὶ ἀδελφός.

CAPVT XIII.

Ver. 4. καὶ ἦλθε τὰ πετεινά. Quod addunt tertius & sextus codex τοῦ οὐρανοῦ, ex Luca sumtum est, apud quem illud ab omnibus legitur, præterquam à Syro.

V. 11. ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται. Ita legendum est: nam quod quidam habent ἐκείνοις δὲ ἐν παραβολαῖς, rursus ex secundùm Lucam Euangelio acceptum est.

V. 13. ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ συνιοῦσι. 14. καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία. Horum loco legit codex sextus ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ ἀκούωσι, μηδὲ συνιῶσι. 14. καὶ τότε πληρωθήσεται αὐτοῖς ἡ προφητεία, manifestè accommodatus Lucæ Euangelio celeberrimo in templis.

Ibidem. καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς. Præter sextum illum, quinque alij Parisiensium codices, γ. ζ. η. θ. ιε., omittunt ἐπὶ præpositionem, quam alij præponunt voci αὐτοῖς.

Ibidem. ἀκοῇ ἀκούσετε (&c.) καὶ βλέποντες βλέψετε. Sic legitur & Latinè: *Auditu audietis* (&c.) *& videntes videbitis*. In 4. & 9. est ἀκούσητε & βλέψητε, quod crediderim aliunde huc esse translatum, eò quòd propiùs consonet cum verbis Hebraicis.

V. 19. καὶ ἁρπάζει τὸ ἐσπαρμένον. Euangelij secundùm Lucam est αἴρει, quod sextus codex legit loco ἁρπάζει.

V. 21. ἢ διωγμοῦ. Ita legit & Syrus. Quintus ex Græcis habet καὶ διωγμοῦ, vt Latinus.

V. 23. ὁ δὲ τριάκοντα. Quod sequitur in quinto & sexto codicibus ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, non est huius loci.

V. 24. ἀνθρώπῳ σπείραντι. Sic lego ex Regia editione & manuscriptis Parisiensium 3. & 14., conformiter editioni Latinæ, quæ habet: *homini qui seminauit*, ipsique sententiæ loci. Alij codices scribunt σπείροντι, tempus præsens, pro aoristo.

V. 32. μεῖζον πάντων τῶν λαχάνων ἐστί. Sic legunt boni libri, cum Euthymij enarratoris textu, & editionibus Latina ac Syriaca, aliis omittentibus πάντων.

Ibidem. ὥστε κατελθεῖν. Sic Regia editio ex Complutensi, legit compositum κατελθεῖν, eodem sensu quo alij libri simplex ἐλθεῖν.

V. 33. ἐλάλησεν αὐτοῖς. Quod octauum exemplar addit λέγων, intelligendum est, non legendum, cùm nec Syriacè addatur nec Latinè, nec denique Græcè nisi in illo vno.

Ibidem. ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου. In aliis est simplex ἔκρυψεν, eodem sensu.

V. 40. καὶ πυρὶ καίεται. Similiter est in aliis κατακαίεται.

Ibidem. τοῦ αἰῶνος. Rectiùs omittitur τούτου quàm addatur.

V. 43. τοῦ πατρὸς αὐτῶν. Noli huius loco legere τῶν οὐρανῶν, quod est in 14. codice.

V. 46. ὃς εὑρὼν ἕνα. In 2. & 14. exemplaribus est εὑρὼν δὲ ἕνα, vt Latinè & Syriacè.

V. 54. ἡ σοφία αὕτη. Superfluit quod additur in secundo codice πᾶσα ἡ σοφία αὕτη.

V. 55. Ἰάκωβος καὶ Ἰωσῆς. Codex Vaticanus pro Ἰωσῆς legit Ἰωσὴφ, quemadmodum Latini libri. vide Notationes Marci 15. v. 47.

CAPVT XIV.

V. 2. οὗτός ἐστιν Ἰωάννης. Exemplar secundum præponit μήτι οὗτος *numquid hic*: id quod adiectum est conciliandi Matthæi gratiâ cum Luca c. 9. v. 9.

Ibidem. Ἰωάννης ὁ βαπτιστής. Quidam libri subiungunt ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα. quod quidem certum est adtitium esse, ex Marc. 6. v. 16. huc assutum.

V. 5. ἐφοβήθη τὸν ὄχλον. In 4. & 5. exemplaribus legitur præterito imperfecto ἐφοβεῖτο.

V. 12. ἦραν τὸ σῶμα. Octauus codex habet πτῶμα, id quod est Marci c. 6. v. 29. Sequitur in 9. & 14. αὐτοῦ, quod, etsi addat etiam Syrus, nolim tamen idcircò Græcè addere.

V. 34. τὴν γῆν Γεννησαρέτ. Quidam libri scribunt Γεννησαρὲθ, quidam Γεννησαρά. res eadem vna est, imò & idem vnum nomen.

CAPVT XV.

Ver. 4. τὸν πατέρα. Hæc exemplaria addunt, illa demunt σου. res est parui momenti.

V. 14. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. In exemplaribus secundo & octauo, quæ libenter consonant editioni Latinæ, legitur hoc verborum ordine τυφλοί εἰσιν ὁδηγοὶ τυφλῶν: quo & Syriacè quidem legitur, sed non patitur eius linguæ ratio priorem ordinem.

Ibidem. εἰς βόθυνον. In secundo exemplari est εἰς βόθρον, eodem sensu.

V. 19. φόνοι, μοιχεῖαι. Quædam exemplaria pro φόνοι *cædes*, legunt φθόνοι *inuidiæ*: atqui & Latina & Syrica lectio facit pro priori φόνοι.

V. 22. γυνή τις Χαναναία. Regia Biblia ex Complutensibus legunt τις (*mulier quædam Chananæa*) quod alia omittunt.

Ibid. ἐκραύγασεν, αὐτῷ λέγουσα. In secundo exemplari est ἔκραξεν ὀπίσω αὐτοῦ λέγουσα *clamauit post eum dicens*, nemine alio adstipulante.

V. 27. καὶ γὰρ τὰ κυνάρια. In exemplari tertio est καὶ γὰρ καὶ τὰ κυνάρια, quod Latino respondet: *Nam & catelli*.

V. 30. καὶ ἐθεράπευσεν αὐτούς. Exemplar secundum addit πάντας *omnes*: quod alibi non legitur.

V. 31. καὶ ἐδόξασαν. In tribus Parisiensium codicibus est ἐδόξαζον *glorificabant*, præterito imperfecto, vt Latinè.

V. 33. πόθεν ἡμῖν. Secundum exemplar addit, quod est Latinè, οὖν *ergo*. πόθεν οὖν ἡμῖν.

V. 34. εἰς τὸ ὄρος. Perperàm scriptum fuit in quodam codice εἰς τὰ ὄρη *in montes*, cùm non tantùm reliqui libri Græci, sed & Latini omnes & Syrici reclament.

Ibidem, pro Μαγδαλά, est in exemplari secundo Μαγεδάν, quomodo Latinè legimus, & quidem verisimiliùs, quod in Commentario docuimus.

CAPVT XVI.

V. 3. οὐ δύνασθε. In exemplaribus 4. 5. 7. 9. est οὐ συνίετε, quam expositionem esse alicuius, probabile est: quemadmodum id quod est in octauo οὐ δοκιμάζετε, ex Luc. 12. v. 56. sumtum esse, non est dubium.

V. 8. οὐκ ἐλάβετε. Ita habet & Syrus. Secundum exemplar legit vt Latinus οὐκ ἔχετε.

V. 11. οὐ περὶ ἄρτου. In quarto & octauo est ἄρτων plurali numero.

Ibidem. οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν, προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης. Exemplaria tertium, quartum, quintum legunt οὐ περὶ ἄρτου (vel ἄρτων) εἶπον ὑμῖν προσέχειν, προσέχετε δὲ ἀπὸ τῆς ζύμης *Non de pane dixi vobis cauere, cauete autem à fermento*. s. εἶπον *dixi*. Huic legendi modo vult Syrus, qui habet: *Non de pane dixi vobis, sed vt caueretis à fermento*.

V. 15.

V. 15. λέγει αὐτοῖς. Exemplar quintum addit id quod Latinè additur ὁ ἰησοῦς Iesus.

V. 20. ὅτι αὐτός ἐστιν ἰησοῦς ὁ χριστός. Quidam Græci libri omittunt ἰησοῦς (ϛ. ζ. ια.) quibus vult Syriaca editio, & Origenis in Matthæum, Ambrosij in Lucam, Commentarius. vide Latinas varietates.

V. 26. τί γὰρ ὠφελεῖται. In 2. codice est ὠφεληθήσεται futuro tempore.

V. 27. μετὰ τῶν ἀγγέλων. Exemplar secundum, Syro adstipulante, addit ἁγίων.

Ibid. κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ. In 14. codice est τὰ ἔργα pro τὴν πρᾶξιν. vide Latinas varietates.

V. 28. ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Quod additur in 14. codice γὰρ, nusquam alibi inuenio.

Ibidem. ἐν τῇ βασιλείᾳ. Id quod nonus codex habet ἐν τῇ δόξῃ, expositio alicuius est.

CAPVT XVII.

V. 1. καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς. In 2. codice est καὶ ἀνάγει αὐτοὺς, quod propiùs accedit ad Latinũ *ducit*, nisi quòd φέρειν & ἄγειν sæpe permutentur.

V. 2. ὡς τὸ φῶς. In secundo iterum codice est ὡς χιὼν *sicut nix*, quemadmodum est Latinè: qua de varietate aliud dicere nequeo, quàm quod secundum illud exemplar, β, Latinæ editioni, contra alia omnia, sæpe consonet, & aliquando erroribus potiùs eius editionis insolitis, quàm germanæ lectioni. vide Latinas varietates.

V. 5. νεφέλη φωτεινή. In 4. exemplari est νεφέλη φωτὸς *nubes lucis*, Hebraico idiotismo.

V. 12. καὶ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτόν. In exemplari nono est καὶ οὐκ ἐπίστευσαν αὐτῷ *& non crediderunt ei.*

Ibid. ἐποίησαν ἐν αὐτῷ. Exemplaria 2. & 9. omittunt ἐν præpositionem (vt certè superfluit sensui) sed quæ Syriacè exprimitur, vt & Latinè, ex Syriaco siue Hebraico idiotismo.

V. 14. ἄνθρωπος γονυπετῶν αὐτόν. In duobus exemplaribus additur ἄνθρωπός τις *homo quidam*: in multis est αὐτῷ pro αὐτόν.

V. 16. καὶ προσήνεγκα αὐτόν. In 9. & 14. legitur plurali numero καὶ προσηνέγκαν αὐτὸν *& obtulerunt eũ*, quod sit, & oblatus est. Atqui, non Latinè tantùm, sed & Syriacè, singularis numerus constans legitur.

V. 22. ἀνθρώπων. Exemplar θ, addit ἁμαρτωλῶν *peccatorum.*

CAPVT XVIII.

V. 6. ἐπὶ τὸν τράχηλον. In aliis est εἰς τράχηλον.

V. 11. ἦλθε γάρ. Totum hunc versiculum vndecimum, quidam annotant omitti à nonnullis Græcis libris. Atqui Syriacè & Latinè constanter legitur, vt prætercam tractatores, etiam Græcos, qui eum disertè exponunt, Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium.

V. 19. πάλιν ἀμὴν λέγω. A quibusdam codicibus omittitur ἀμὴν, quemadmodum à Latina & Syrica editionibus. Atqui vt Regius, ita veteres omnes Parisiensium, legunt.

V. 26. ὁ δοῦλος. Exemplaria β. δ. η. addunt ἐκεῖνος, vt latinè est *ille*.

Ibid. προσεκύνει αὐτῷ *adorabat eum.* Ita legunt plerique codices Græci; quidam παρεκάλει *rogabat.*

V. 28. εἴ τι ὀφείλεις. Rectiùs legitur, ὅ, τι, *quod*, vt est in aliis libris, quàm εἴ τι *siquid.*

V. 29. εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Quidam libri Græci omittunt hæc verba, consentaneè Latinis, quemadmodum suprà ver. 26. à nemine leguntur, vbi eisdem verbis vtitur Euangelista, narrans serui erga dominum demissionem. Atqui Syriacè & in plerisque omnibus Græcis libris exstant.

Ibid. καὶ πάντα ἀποδώσω σοι. Sex Parisiensium codices, α. δ. ζ. θ. ιβ. ιδ., omittunt πάντα, quod tamen & Latinè legitur, & Syriacè.

V. 31. τὰ γενόμενα. Legendum potiùs est priori loco γινόμενα præsenti tempore, posteriori γενόμενα aoristo, Latino conformiter, vt est in aliis libris, quàm vtrobique γενόμενα aoristo.

V. 33. οὐκ ἔδει καὶ σε. Annotant Parisienses, à 2. codice addi οὖν. Annotat alius à suo manuscripto Latinè abesse *ergo*: *Nónne ergo oportuit & te.* Syriacè non legitur οὖν *ergo.*

V. 35. καὶ ὁ πατήρ μου. Non est legendum καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν, vt est in quarto exemplari

CAPVT. XIX.

V. 3. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν. Codex quintus pro αἰτίαν legit ἁμαρτίαν, quæ expositio non dubium alicuius fuit.

V. 9. μὴ ἐπὶ πορνείᾳ. Sic legunt omnes Parisiensium antiqui codices, cumque illis Regius ex Complutensi. Alij quidam præponunt εἰ coniunctionem, εἰ μὴ ἐπὶ, quæ fuit lectio Latini Interpretis, cuius editio constanter habet: *nisi ob fornicationem*. lege Commentarium.

V. 17. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. Hæc vt Regiorum Bibliorum, ita plerorumque omnium exemplarium, est lectio, adstipulantibus libris Syricis, & Enarratoribus Theophylacto atque Euthymio. Cæterùm, exemplaria, Vaticanum, & inter Parisiensia 2. atque 8., Latinis libris consonantia, scribunt, τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός. Origenes tractatu 8. in Matthæum, vtramque lectionem ponit & exponit: Augustinus lib. 2. de cons. Euang. cap. 63., Matthæi Euangelio tribuit, *Quid me interrogas de bono?* Marci & Lucæ, *Quid me dicis bonum?* id quod ego credo verum esse, ob rationes alias à nobis expositas.

V. 24. πάλιν δέ. Ita est & Syriacè. In quibusdam est καὶ πάλιν, similiter Latino.

Ibid. βασιλείαν διελθεῖν. In quinque vetustis codicibus est εἰσελθεῖν pro διελθεῖν.

V. 27. ἰδοὺ ἡμεῖς. Sextum exemplar præponit κύριε, qua in re singulare est.

V. 29. ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν. Singulari numero οἰκίαν quomodo est & Latinè, scribunt codices 2. & 7. cum Regio. In aliis est οἰκίας numero plurium.

CAPVT XX.

V. 4. & 7. εἰς τὸν ἀμπελῶνα. Non est addendum pronomen μου, quod in quibusdam libris inuenitur.

V. 13. συνεφώνησάς μοι; Octauum exemplar legit συνεφώνησα σοι; *conueni tecum?* quod illi singulare est.

V. 17. ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ εἶπεν. In 8. rursus est, quod nusquam alibi, transposita coniunctione, καὶ ἐν τῇ ὁδῷ εἶπεν.

V. 22. ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν. Exemplaria 4. 5. & 14. scribunt ὃ ἐγὼ πίνω: quod respondet quidem ei quod sequitur, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, sed videndum an non ex Marco vtrumque transscriptum sit.

Ibid. καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι, & v. 23. καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε. Leguntur hæc à Græcis libris Græcisque Interpretibus, Syro adstipulante, tam secundùm Matthæum quàm secundùm Marcum, nisi quòd secundũ & octauum

exemplaria omittant secundùm Matthæum, conformia Latinis libris Latinisque tractatoribus, Hilario, Ambrosio, Hieronymo, & posterioribus, qui illa in solo agnoscunt Marco.

V. 23. οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι. Codices 2. 3. & 14. addunt τοῦτο δοῦναι *hoc dare*.

V. 26. ἔστω ὑμῶν διάκονος. In codicibus, α. β. γ. ζ. ιβ. & ιδ., est futurum ἔσται, pro imperatiuo ἔστω. res eódem redit.

V. 29. καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν. Sextus codex habet numerum singularem καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ. cui Syrus suffragatur scribens: *Quumque exiret Iesus*. Atqui vt in reliquis Græcis, ita & in Latinis libris, est numerus pluralis.

V. 34. ἀνέβλεψαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί. Exemplaria 2. & 8. auferunt duo hæc verba αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί, credo vt Latinæ editioni respondeant. vide Commentar.

CAPVT XXI.

V. 1. καὶ ἦλθον εἰς Βηθφαγῆ. Parisiensium exemplaria manuscripta omnia legunt Βηθσφαγῆ præposito σ ante φ. Atqui prior scriptura, vt Latino, ita & Syro respondet.

V. 2. τὴν κατέναντι ὑμῶν. Alij ἀπέναντι, quod idem vnum est.

V. 3. καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι. Exemplar 2. addit ποιεῖτε: *Et si quis vobis dixerit, quid facitis*.

Ibid. εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτούς. Alij libri pro futuro tempore legunt præsens ἀποστέλλει. Cæterùm futurum Marci Euangelio consonat, tractatoribus Hilario & Auctore operis in Matth. imperfecti suffragantibus.

V. 7. καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν. In quibusdam libris est ἐπεκάθισεν, quod est *insedit* in quibusdam ἐκάθισεν *sedit* (ad quem modum Syriacè est *equitauit*) in aliis ἐπεκάθισαν *collocarunt* siue *sedere fecerunt*, consentaneè editioni Latinæ. Rursus pro ἐπάνω αὐτῶν *super eos*, siue vt est Latinè *desuper*, quidam typis excusi codices scribunt ἐπάνω αὐτῆς *super eam*, scilicet asinam; Syrus *super eum*, scilicet pullum; eadem, vt arbitror, ratione, quâ Latinè in verbis proximè præcedentibus, quidam scribunt *eum* pro *eos*.

V. 9. οἱ ἀκολουθοῦντες. In 2. codice additur αὐτῷ *eum*. quod Syriacè quidem similiter additur, sed vt non exstat Latinè, ita nec apud plerosque omnes Græcè.

Ibidem. ὡσαννά. Vox, etsi duplex, vna est tamen, nequaquam distrahenda in duas, vt fit à plerisque, ὡς ἀννά.

Ibid. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος. Quidam habent nomen εὐλογητὸς pro participio εὐλογημένος.

V. 16. ἀκούεις τί οὗτοι λέγουσιν. Exemplar 5. præponit οὐκ *non audis*.

V. 23. καὶ ἐλθόντι αὐτῷ. Exemplaria 2. & 8. legunt genitiuos absolutè positos καὶ ἐλθόντος αὐτοῦ eodé sensu.

V. 28. ἄνθρωπός τις εἶχε. Non omittas τις, vt quidam libri, quod etiam Latinè & Syriacè exstat.

V. 30. καὶ προσελθὼν τῷ δευτέρῳ. In quibusdam codicibus, pro δευτέρῳ *secundum*, est ἑτέρῳ *alterum*: qui, cùm Latinæ Syriacæq; editioni respondeant, videntur hac parte veriores.

Ibid. ἐγὼ κύριε. Quidam legunt ναὶ κύριε, quidam ὑπάγω κύριε. quidam ἐγὼ κύριε ἐγὼ ὑπάγω: quæ omnia verisimile est fuisse substituta, ab iis qui non intellexerint primam illam germanamque lectionem ἐγὼ κύριε *ego Domine*. quæ vt est plerorumque Græcorum codicum, ita est & Syricorum.

V. 45. οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι. Omnes constanter legunt οἱ φαρισαῖοι, non οἱ γραμματεῖς, quod est in 4. codice suppositum.

CAPVT XXII.

V. 4. πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους. Octauus codex legit præsens ἀποστέλλει.

V. 7. ὁ βασιλεὺς ἐκεῖνος. Cum Regio, omnia Parisiensium exemplaria notantur addere ἐκεῖνος.

V. 20. καὶ λέγει αὐτοῖς. Octauum exemplar addit ὁ ἰησοῦς, consentaneè Latino & Syro.

V. 44. ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. Pro ὑποπόδιον scribunt β. & κ. ὑποκάτω.

V. 45. εἰ δαυὶδ ἐν πνεύματι. Subiiciunt exemplaria β. γ. ε. ιβ. ἐν πνεύματι, quod vt Latina & Syra non agnoscunt, ita repetitum videtur à studioso ex ver. superiori 43.

CAPVT XXIII.

V. 8. εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ χριστός. In 5. exemplari pro καθηγητὴς legitur διδάσκαλος.

Ibidem. πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε. Illud idem antigraphum quintum, verba ista, ex hoc loco, quo ab omnibus aliis, etiam Latinis & Syricis, leguntur, transfert in versum proximum, proximè post verba ista εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Quo quidem loco videri possint meliùs conuenire: sed verendum ne de industria hîc mutatus sit liber, ad tollendam difficultatem quæ prima fronte se offert.

V. 18. μωροὶ καὶ τυφλοί. Sic legunt etiam Syriaca Sed Latina omittunt hîc μωροὶ καὶ, quemadmodum & exemplaria Græca 2. & 8.

V. 20. ἐν τῷ κατοικήσαντι αὐτόν. In aliis legitur præsens κατοικοῦντι, pro aoristo κατοικήσαντι.

V. 24. γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς. Meliùs legitur in manuscriptis ε. ς ζ ιδ. coniunctim ἐξαρπαγῆς, quàm in aliis diuisim ἐξ ἁρπαγῆς.

Ibid. καὶ ἀδικίας. Sic legitur vt in Complutensi & Regio, ita in manuscriptis 4. 5. 6. 7. 9. & 12. ἀδικίας *iniustitia*, Syro conformiter, pro eo quod in aliis ἀκρασίας *intemperantia*.

V. 25. καὶ τί ἐκτὸς αὐτῶν. Pro numero plurali αὐτῶν, qui exstat & Syriacè, exemplaria β. ϑ. ιϛ. scribunt singularem αὐτοῦ. Latinè neutrum exstat.

V. 34. οὐ ποιήσατε. In 5. codice legitur tertia persona ποιήσουσι.

V. 35. ὅτι ἥξει ταῦτα πάντα. Non videtur omittendum ὅτι quod in optimis quibusque libris legitur.

V. 37. ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν. Quatuor exemplaria δ. ε. θ. ιδ. omittunt pronomen ὑμῖν, contra fidem reliquorum, consonantium Latinæ & Syriacæ editioni.

CAPVT XXIV.

Ver. 1. ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ. Octauus codex legit eo ordine quo Latina Syricaque editio, ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐπορεύετο.

Ver. 2. ὁ δὲ ἰησοῦς εἶπεν. Secundum & octauum exemplaria scribunt cum Latinis ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν.

Ibidem. οὐ βλέπετε ταῦτα πάντα. Regia aliaque exemplaria præponunt negationem οὐ, cum Syrica editione, sed β. δ. ε. ς, & κ. rectiùs omittunt cum Latina.

Ver. 17. ἆραι τὰ ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Sic legunt plurimi boni libri. Alij cum Latino Interprete legunt numero singulari ἆραί τι.

Ver. 18. ἆραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. In Regiis aliisque est numero singulari τὸ ἱμάτιον, quemadmodum Latinè, in aliis est plurali τὰ ἱμάτια.

V. 20. μηδὲ ἐν σαββάτῳ. In aliis, omissa præpositione, est, quibusdam σαββάτῳ, quibusdam σαββάτου.

Ver. 30.

V. 30. ἐν τῷ οὐρανῷ. Exemplar 2. legit τοῦ ἐν οὐρανοῖς, id quod ad Filium hominis refertur, non ad signum.

V. 31. μετὰ σάλπιγγος καὶ φωνῆς μεγάλης. Sic legunt Regia Biblia post Complutensia, cum tribus aliis exemplaribus, quemadmodum & Latina editio. Alij libri omittunt coniunctionem καί.

V. 34. ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Exemplaria 4. & 8. addunt δὲ, ἀμὴν δέ.

V. 36. εἰ μὴ ὁ πατήρ μου μόνος. Iudico omittendum pronomen μου (εἰ μὴ ὁ πατὴρ μόνος) sequutus antigrapha γ.δ.ι.κ. θ. & editiones Syriacam ac Latinam.

V. 42. ἐν τῷ μύλωνι. Exemplaria 3.4.6. legunt, sed eodem sensu, μύλῳ pro μύλωνι.

Ibidem. secundum Parisiensium manuscriptum addit δύο ἔσονται ἐπὶ κλίνης μιᾶς. εἷς παραλαμβάνεται, καὶ εἷς ἀφίεται: sed incorrupta lectio, adscribit hoc Lucæ proprium, quemadmodum alibi ostendimus. Nam quòd veteres illud hic exponant, fit, quia simile est sententiis iis quæ hic leguntur: cæteroqui, Auctor imperfecti, Titus, & Euthymius, disertè testantur, duos in lecto à Luca, duos in agro à Matthæo, nominatos fuisse.

V. 49. τοὺς συνδούλους. Quamquam à plerisque omittitur pronomen αὐτοῦ, additur tamen à 6.8.9. & 14. exemplaribus, conformiter editionibus Latinæ ac Syricæ, & Græco Euthymij textui.

Ibidem. ἐσθίειν δὲ καὶ πίνειν. In antigraphis 2.6.8. & 14. legitur ἐσθίῃ δὲ καὶ πίνῃ, quomodo est & Latinè.

CAPVT XXV.

V. 9. μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ. In quibusdam legitur μήποτε οὐ μὴ ἀρκέσῃ, in quibusdam μήποτε οὐκ ἀρκέσει.

V. 13. οὐδὲ τὴν ὥραν. Quod sequitur in Regio & plerisque libris ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, vt Latinè non legitur, neque Syriacè, ita neque in exemplaribus Græcis ϛ.ζ η.

V. 16. καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε. Exemplaria 2. & 8. pro ἐποίησεν scribunt ἐκέρδησεν, expositionis haud dubium causa.

V. 18 ἀπελθὼν ὤρυξεν. secundum & quartum omittunt ἀπελθών, etiam contra Latina & Syra.

V. 20. Pro ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς secundus codex vnicam habet vocem ἐπεκέρδησα, Latino conformiter *superlucratus sum*. Quidam alij codices scribere dicuntur ἐν αὐτοῖς pro ἐπ' αὐτοῖς.

V. 29. καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν. ita legitur in 1.4. 8.9. 14. & Regiis exemplaribus, suffragante editione Latina: in aliis legitur καὶ ὃ ἔχει, adstipulante Syro.

V. 41. τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ. Exemplar 2. legit ὃ ἡτοίμασεν ὁ πατήρ μου τῷ διαβόλῳ. quo modo legunt veteres Latini, Irenæus lib. 3. c. 35., Cyprianus sermone De eleemosyna, Augustinus in Psalmum 85., Leo sermone De ieiunio decimi mensis, Auctor libri de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 1. c. 2: *Quem præparauit* aut *parauit, pater meus diabolo.*

CAPVT XXVI.

V. 3. καὶ οἱ γραμματεῖς. Exemplaria 2. & 4. hoc auferunt, conformiter Latinæ editioni; quod pleraque legunt conformiter Syriacæ.

V. 7. Pro βαρυτίμου; in quibusdam libris est πολυτίμου, nominatim in iis qui Latinæ editioni libenter respondent, 2. & 8.

V. 13. εἰς μνημόσυνον αὐτῆς. Non rectè scribit 4. exemplar εἰς μαρτύριον αὐτῆς.

V. 16. ἵνα αὐτὸν παραδῷ. Exemplar 2. addit αὐτοῖς eis, quod tamen nec Latinè aut Syriacè additur.

V. 19. ὡς συνέταξεν. In 6. & 9. legitur ὡς προσέταξεν.

V. 20. μετὰ τῶν δώδεκα. Exemplar 8. addit μαθητῶν, conformiter Latino & Syro.

V. 21. ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Sextus codex repetit ἀμήν, contra omnium fidem.

V. 23. ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτος. Secundum exemplar scribit ὁ ἐμβαπτόμενος τὴν χεῖρα μετ' ἐμοῦ, εἰς τὸ τρυβλίον, οὗτος, quæ potiùs secundùm Marcum est lectio.

V. 26. καὶ εὐλογήσας ἔκλασε Parisiensiũ exemplaria 3.6.7.8.9.12.14. pro εὐλογήσας scribũt εὐχαριστήσας, quibus suffragãtur Græci tractatores, Chrysostomus, Titus, Theophylactus, & Euthymius. Latini porrò & Syriaci libri volunt aliis exemplaribus, quæ legunt εὐλογήσας.

V. 28. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου. Quædam exemplaria omittunt coniunctionem γὰρ cum Syro: pleraq; addunt cum Latino.

V. 35. οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι. Codices α.ε.θ.ιϛ.ιη. scribunt subiunctiuo modo seu potiùs potentiali ἀπαρνήσωμαι *abnegauero*.

Ibidem. ὁμοίως δὲ καὶ πάντες. Sic legunt Regia Biblia post α.ι.ε.θ.ιδ. Alia omitunt δὲ *autem*, Latino conformiter.

V. 40. οὕτως οὐκ ἰσχύσατε. Exemplaria 3.6.7.12.14. post οὕτως ponunt interrogationis notam, οὕτως; οὐκ ἰσχύσατε: quo modo & Latina quędã exẽplaria scribũt.

V. 43. καὶ ἐλθὼν εὑρίσκει αὐτοὺς πάλιν καθεύδοντας. In exemplaribus 5. & 8. legitur καὶ ἐλθὼν πάλιν, εὗρεν αὐτοὺς καθεύδοντας: quo ordine etiam legunt Latina & Syra.

V. 45. εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν. Non est addendum ἀνθρώπων *hominũ*: ex codice 9. qui ea in re est singularis.

V. 48. ὁ δὲ παραδιδοὺς αὐτόν. In aliis libris est præsens ὁ δὲ παραδιδοὺς αὐτόν.

V. 50. ἐφ' ᾧ πάρει; Quidam annotat etiam legi ἐφ' ὃ πάρει; quarto, nam tertio casu.

V. 52. ἐν μαχαίρᾳ ἀποθανοῦνται. Huic lectioni, quæ est codicum Parisiensium 5.6. 9. ac 14. & Complutensis cum Regio, consonant Syra: alteri, quæ pro ἀποθανοῦνται *morientur*, scribit ἀπολοῦνται *peribunt*, adstipulatur editio Latina.

V. 60. καὶ οὐχ εὗρον, καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον. Sic legunt Græci libri plerique omnes; quo modo & apud Origenem, Theophylactum, & Euthymium Græcos, vt quidem Latinè nobis versi exstant, legitur. Parisienses notant, primo exemplari, id est, Complutensi, deesse posterius καὶ cum posteriori οὐχ εὗρον hoc modo, καὶ οὐχ εὗρον πολλῶν προσελθόντων ψευδομαρτύρων: quo modo legitur, non solùm Latinè, sed etiam Syriacè, eo excepto quod Syrus coniunctionem repetat, hoc sensu: *Et non inuenerunt, etiam multis falsis testibus productis.*

V. 63. ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Quartum exemplar addit τοῦ ζῶντος, sed non est sequendum.

V. 70. ἔμπροσθεν πάντων. Exemplaria 6.7. & 12. interiiciunt vocem αὐτῶν, quæ etsi Syriacè, non tamen Latinè legitur.

V. 71. ἐξελθόντα δὲ αὐτόν. Exemplar 8. omittit pronomen αὐτόν hoc loco, eò quòd mox repetatur.

Ibidem. καὶ λέγει τοῖς ἐκεῖ, καὶ οὗτος ἦν. Codices 5.7.9. sic legunt & distinguunt, καὶ λέγει αὐτοῖς, ἐκεῖ καὶ οὗτος ἦν: quæ etiam Syri, tum distinctio, tum lectio est, ita vt hallucinatus sit illius Interpres vertens: *Et ait illis qui illic aderant, erat & iste cum Iesu Nazareno*, pro eo quod vertere debuisset: *Et ait illis: Illic erat etiam iste cum Iesu Nazareno.* Cæterùm vulgaris lectio probatior est.

V. 72. ὅτι οὐκ οἶδα. Secundus codex pro ὅτι scribit λέγων, quod quamquam est clarius, nõ tamen verius.

V. 74. καταναθεματίζειν. In aliis est ἀναθεματίζειν.

CAPVT XXVII.

V. 33. ὅς ἐστι λεγόμενος. Exemplar 3. scribit ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, quod ex Marco acceptum est, cap. 15. v. 22.

V. 34. πιεῖν ὄξος. Sic legunt etiam Syra, suffragantibus enarratoribus Græcis, Chrysostomo, eiusque discipulis. Exemplar 2. consentaneè Latinæ editioni, scribit οἶνον *vinum*, pro ὄξος *acetum*. vide Commentarium.

V. 35. βάλλοντες κλῆρον. Quod sequitur in libris vulgaribus ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ προφήτου· διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον, à Regio codice obelisco prænotatur, ab omnibus Parisiensium exemplaribus, inter quæ est editio Complutensis, omittitur. Græci enarratores, Chrysostomus, Titus, & Theophylactus, non attingunt. Euthymius Commentario etiam suo haud obscurè docet sibi non lectum fuisse. Origenis textus non habet, quamquam commentarius videatur agnoscere, his verbis: *Et sunt vsque nunc, qui ipsum quidem non habentes; vestimenta autem, verba in scripturis posita, habent, nec ipsa ad plenum, sed ex parte, nihilominus hoc ipsum propheta dicere mysterium, quod nunc est impletum.* Multi Latini auctores annotãt abfuisse à suis exemplaribus Græcis. Non videntur igitur hæc Græcè addẽda, cùm præter hęc nec Syriacè legantur, nec Latinè legenda in Latinis varietatibus doceamus. Verisimile est, ad marginem hîc annotata ex Iohan. 19. v. 19. aut Psal. 21. v. 19., tandem in textum irrepsisse.

V. 40. ὁ καταλύων τὸν ναόν. Non præponas Græcè οὐὰ, quod est in 2. exemplari, tametsi Latinè addatur *Vah.*

V. 41. καὶ πρεσβυτέρων καὶ φαρισαίων. Videtur addendum καὶ φαρισαίων, quod omnia Parisiensium exemplaria, & post Complutense Regia addunt, suffragante Syro: quamuis Latina editio, cum quibusdam aliis Græcis codicibus, haud agnoscat.

V. 42. ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. A pluribus manuscriptis additur nota interrogationis.

Ibidem. καὶ πιστεύσομεν ἐπ' αὐτῷ. Omnia Parisiensium exemplaria addunt ἐπὶ, sicut Regia Plantini Biblia.

V. 46. λαμὰ σαβαχθανί. Notant Parisienses, pro λαμὰ, in quibusdam codicibus scribi λειμὰ, in quibusdam λιμὰ, in aliis λεμὰ Varietas nata est, partim ex ignoratione linguæ Hebraicæ, partim ex diuersarum apud Hebræos vocalium suppletione.

V. 49. ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλίας σώσων αὐτόν. His verbis exemplaria 4. & 8. subiiciunt ἄλλος δὲ λαβὼν λόγχην, ἔνυξεν αὐτοῦ τὴν πλευράν, καὶ ἐξῆλθεν ὕδωρ καὶ αἷμα. *Alius autem accepta lancea confodit ipsius latus, & exiit aqua & sanguis.* Quod quamquam & apud Chrysostomum legatur, non est tamen aut huius loci aut huius Euangelistæ, sed proprium est Iohanni c. 19. v. 34., narranti hoc post mortem Domini Iesu. Cæterùm videtur istud & in Latinis quibusdam exemplaribus Euangelij secundùm Matthæum lectum fuisse, circa tempora Clementis Papæ V. & Concilij Viennẽsis. Hinc enim nata fuit opinio quorundam, Iesu adhuc viui latus lancea apertum fuisse: quam damnauit cum Concilio illo Pontifex, docens, Iohannem tenuisse rectum factæ rei ordinem, narrando, Christo iam mortuo, quod vnus militum lanceâ latus eius aperuit. Lege Clementinam 1. & eius glossam.

V. 55. ἦσαν δὲ ἐκεῖ γυναῖκες. Exemplaria 6. & 8. interiiciunt coniunctionem καὶ γυναῖκες *& mulieres*, quæ videtur esse Euangelij secundùm Marcum cap. 15. v. 40.

V. 56. ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ. Pro Ἰωσῆ, quod legitur etiam Syriacè, quædam exemplaria Græca scribunt Ἰωσὴφ. quemadmodum Latina editio *Ioseph*. Origenes tractator Græcus etiam legit Ἰωσὴφ, quod Commẽtarius eius loquitur, nisi fuerit ab Interprete auctus. Alij Græci tractatores, vt plerique omnes Græci libri, Ἰωσῆς scribunt, Epiphanius in hæresim 78., Theophylactus, Euthymius, atque adeò Latinus Hieronymus libri aduersus Heluidium capitibus 6. & 7. non semel.

V. 64. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτός. Vocem νυκτός, alia exemplaria omittunt, cum Latina; alia addunt, cum Syriaca editione.

CAPVT XXVIII.

V. 2. ἀπὸ τῆς θύρας. Hoc, nec quid amplius, legunt Græci plerique omnes codices, Syro adstipulante. Sed exemplaria 5. 6. 8. & 9. addunt τοῦ μνημείου. Latinus nullum agnoscit horum omnium verborum.

V. 6. ἠγέρθη γὰρ, καθὼς εἶπε. Non addas ὑμῖν, quod est in 14. exemplari.

V. 8. ἔδραμον ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. Sequitur in Regio & plerisque omnibus codicibus ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ *Vt autem ibant nunciatum discipulis eius:* quod quamquam etiam apud Theophylactum & Euthymium legatur, non dubito tamen quin sit omittendum. Inprimis enim, Interpretes Latinus & Syrus id non legerunt, vt neque Latinè neque Syriacè additur. Deinde non tantùm Latini Patres omittunt, verumetiam Chrysostomus, cuius hic est Commentarius: *Cùm igitur exiuissent cum timore & gaudio, & ecce Iesus occurrit illis* &c. Ad hæc Parisienses ex 2. exemplari transfigunt illa verba ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, & fortè obeliscus quo transfigunt, errore delapsus est in hęc posteriora verba, cùm esset collocandus ante ὡς δὲ ἐπορεύοντο, ita vt omnia complecteretur. Præterea his sublatis manet integra sententia, additis autem durè cohærent sequentia καὶ ἰδοὺ ὁ Ἰησοῦς &c. quamquam similis loquendi modus inueniatur suprà 9. v. 10. & frequenter apud Lucam. Postremò, videntur addita hæc verba, ab iis qui intellexerunt, occursum Iesu, de quo loquitur, versus nonus subsequens, accidisse, cùm mulieres irent nuntiatum discipulis, ea de quibus hactenus hoc capite actum est: quod verum non esse, Commentarius noster ostendit.

V. 10. ἀπαγγείλατε τοῖς ἀδελφοῖς μου. Caue pro ἀδελφοῖς *fratribus* scribas μαθηταῖς *discipulis.*

V. 12. ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν τοῖς στρατιώταις. Pro pluralibus ἀργύρια ἱκανὰ, secundus codex scribit singularia ἀργύριον ἱκανὸν, quo modo videri possit & Latinus Interpres legisse.

V. 13. ἡμῶν κοιμωμένων. Non est legendum secundæ personæ pronomen ὑμῶν, quod est in quibusdam libris, pro primæ ἡμῶν, quod est in plerisque omnibus: quia etiam Latina primæ personæ pronomẽ seruant, & præsertim Syrus, apud quem non est tam facilis lapsus ex vno in aliud. quã apud Latinos & Græcos.

V. 19. μαθητεύσατε οὖν μαθητεύσατε. Manuscripta Parisiensium omittunt coniunctionem οὖν. Atqui alij libri, suffragantibus Interpretibus Latino & Syro, illam legunt.

NOTÆ

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIOINIS GRÆCÆ EVANGELII SECVNDVM MARCVM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV 2. ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις. Parisiensium codices, octauus, &, cui consonat noster ad Vaticanum collatus, secundus, pro ἐν τοῖς προφήταις, legunt ἐν ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. Sic quoque legunt Euangelium Latinum, exemplaribus mirè inter se concordibus, & editio Syriaca. Sic Latini tractatores omnes, cum recentioribus veteres, nominatim Hieronymus, & alij à nobis citati in Notationibus prolixioribus. Sic inter Græcos, Auctor homiliarum in Marcum, Chrysostomo adscriptarum. Denique, nisi sic Græcè legisset Porphyrius, rem in calumniam vertere non potuisset. Quare quod in plerisque hodie Græcis libris exstat ἐν τοῖς προφήταις *in prophetis*, & sequuntur enarratores Græci ætate posteriores Theophylactus & Euthymius, certum est de industria esse suppositum, ad vitandam difficultatem, quæ ex germana lectione ἐν ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ *in Isaia propheta*, oritur.

Vers. 5. καὶ οἱ ἱεροσολυμῖται, καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες. Exemplar octauum iungit πάντες *omnes* cum οἱ ἱεροσολυμῖται, quemadmodum Latina & Syra.

V. 7. τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ. Non est legendum, quod in 5. & 8. libris est, τοῦ ὑποδήματος numero singulari.

V. 8. ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα. sic lege, tametsi in secundo codice sit præsens βαπτίζω, quo non malè significetur, in media actione hæc à Iohanne esse dicta. In fine versus nõ addas καὶ πυρί, nec enim est huius Euãgelistę.

V. 10. σχιζομένους τοὺς οὐρανούς. In 2. exemplari, pro σχιζομένους, est ἀνεῳγμένους *apertos*, quo modo Latinè ad verbum.

V. 11. ἐν ᾧ εὐδόκησα Ex Parisiensium manuscriptis 3. 4. & 8. suffragantibus Euangelio Latino & editione Syriaca, legendum credo ἐν σοί, potiùs quàm quod est in aliis codicibus ἐν ᾧ, persona mutata.

V. 12. καὶ εὐθὺς τὸ πνεῦμα. Codex secundus addit τὸ ἅγιον explicationis ergô.

V. 13. καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ. Codex tertius aufert ἐν τῇ ἐρήμῳ, alius ἐκεῖ: videtur enim alterum superesse. Latinè non legitur ἐκεῖ *illic*: at Syriacè vtrumque exstat, vt in plerisque libris Græcè.

Ibidem. ἡμέρας τεσσαράκοντα. Octauus codex addit καὶ νύκτας τεσσαράκοντα cum textu Latino.

V. 16. περιπατῶν δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν. In exemplaribus secundo & tertio legitur καὶ παράγων παρά, quomodo Latinè *& præteriens secus*.

Ibidem. τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, τοῦ σίμωνος. Omnia Parisiensium exemplaria, & ex eorum vno, Complutensi inquam, Regia editio, sic legunt; addunt τοῦ σίμωνος, vitandæ amphibologiæ causa: id quod tamen, cum aliis Græcis libris, Latini & Syrici non agnoscunt.

Ibidem. βάλλοντας ἀμφίβληστρον. Exemplaria 2. 4. 8. pro βάλλοντας habent ἀμφιβάλλοντας, quasi dicas *circumponentes*, vel *circumiicientes*, Rursus 8. scribit plurali numero ἀμφίβληστρα, quemadmodum eo numero latinè legitur *retia*.

V. 19. καταρτίζοντας τὰ δίκτυα. Secundus codex & tertius addunt αὐτῶν cum Syro: quod alij codices cum Latino non agnoscunt.

V. 20. ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ. Huius loco idem ille secundus codex scribit, vt est latinè, ἠκολούθησαν αὐτῷ *secuti sunt eum*.

V. 22. καὶ ἐξεπλήσσοντο. Non addas πάντες, quod exemplar quintum.

V. 24. οἶδά σε τίς εἶ. Octauum exemplar, pro singulari οἶδα, scribit plurale οἴδαμεν, contra aliorum fidem.

V. 29. ἐξελθόντες ἦλθον. Sic legunt exemplaria pleraque omnia, consonantibus Latinis & Syris. Secundum & quintum, cum Euthymij textu, scribunt numero singulari ἐξελθὼν ἦλθεν *egressus venit*: quod quidem suppositum arbitror, quia proximè de solo Christo præcedat mentio. Atqui respicitur ad superiora v. 21: *Et ingrediuntur Capharnaum.*

V. 33. πρὸς τὴν θύραν. Quod additur in secundo codice, αὐτοῦ, nusquam alibi lego.

V. 34. ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν. Addunt codices 4. 5. 7. 8. χριστὸν εἶναι, quod nec Latinè nec Syriacè legitur, vt neque in emendatioribus Græcis. Puto ex Luca huc esse à quibusdam translatum. Luc. 4. v. 41.

V. 35. καὶ ἀπῆλθεν ὁ ἰησοῦς. nomen ἰησοῦς omittitur à Latinis & Syricis libris, græco Euthymij textu adstipulante.

V. 36. καὶ κατεδίωξαν. Ita legitur, numero plurali, in plerisque omnibus libris, suffragante Græco Euthymij textu, necnon Syrico. In quibusdam est κατεδίωξεν, numero singulari, Latino suffragante.

V. 38. εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις Ita Græcè legitur, Euthymio explicante. Porrò secundum exemplar habet εἰς τὰς ἐγγὺς κώμας καὶ εἰς τὰς πόλεις: sed iamdiu discimus, exemplar illud, pro audacis scribæ arbitrio, discrepare frequenter à cęteris, & ferè quidem ad Latinam editionem mutatum: quamquam si hoc voluit ille hoc loco, non tanta opus fuerat mutatione, sed vna solùm voce in duas distracta, εἰς τὰς ἐχομένας κώμας καὶ πόλεις (*in proximos*, habet Interpres *vicos & ciuitates*) quo modo & Syrus legisse videtur, qui eodem modo vertit quo Latinus.

Ibidem. εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα. Sic est in plerisque omnibus Græcis exemplaribus & Euthymij textu, quod est; *in hoc enim egressus sum.* Tertius codex habet ἐλήλυθα *veni*. quomodo verisimile est legisse interpretes Latinum & Syrum, qui vertunt: *Ad hoc enim veni.*

V. 40. ὅτι ἐὰν θέλῃς. Octauus codex pro ὅτι legit κύριε, quod Matthæi est.

V. 42. καὶ εἰπόντος αὐτοῦ. Sic plerique Græcorum codicum, cum Latina editione. Porrò β. & η. omittunt εἰπόντος αὐτοῦ cum textu Syrico.

V. 44. ὅρα μηδενὶ εἴπῃς. Multi Græci codices addunt alterū μηδὲν, atticismo à Latino idiomate alieno, quo duæ negationes magis negant. Verùm in Complutensi eisque quę ex ea sunt editionibus, & octauo Parisiensium exemplari, μηδὲν non est adscriptum.

CAPVT II.

V. 1. ὅτι εἰς οἶκόν ἐστι. Quod in 8. codice legitur ἐν οἴκῳ, expositio est veræ lectionis.

V. 4. καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ. Sic legit etiam Syrus: *Et cùm non possent appropinquare ei*. Porrò in 8. codice, pro προσεγγίσαι est προσενέγκαι *offerre*, quomodo legit Interpres Latinus.

V. 8. ὅτι οὕτως αὐτοὶ διαλογίζονται. Non est omittendum αὐτοί.

V. 9. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι. Ita est & Latinè. Porrò in quinque exemplaribus est σοῦ *tua* pro σοὶ *tibi*. Syriacè est vtrumque.

V. 14. εἶδε λευίν. Quidam codices scribunt λευΐ, alij λευί, optimi λευίν. Idem vnum est nomen, quod arbitror, ab his declinatum, illis ἄκλιτον.

V. 15. καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ. Octauus codex vtitur præterito imperfecto ἠκολούθουν, vt Latina editio.

V. 16. τί ὅτι μετὰ τῶν τελωνῶν. Secundus codex scribit διατί *quare*, vt Latinus, pro τί ὅτι *quid quòd*.

Ibidem. ἐσθίει καὶ πίνει. Addit octauus codex ὁ διδάσκαλος ὑμῶν, vt ferè Latini *magister vester*. vide Latinas varietates.

V. 17. οὐκ ἦλθον καλέσαι. Rursus in 8. codice est, vt Latinè, οὐ γὰρ ἦλθον.

Ibidem. ἀλλὰ ἁμαρτωλούς. Subdunt plerique libri εἰς μετάνοιαν, suffragantibus Theophylacto atque Euthymio: id quod 2. & 8. non legunt, vti nec Latinè aut Syriacè legitur, quod est argumentum, nec Interpretes Latinum & Syrum id olim Græcè legisse. vide Matthæum.

V. 21. καὶ οὐδεὶς ἐπίβλημα. A quinque exemplaribus, Latino ac Syro conformiter, omittitur coniunctio καὶ, quæ ab aliis præponitur minùs scitè.

V. 23. καὶ ἐγένετο παραπορεύεσθαι αὐτόν. Secundus codex, vt Latino rursus colonet, addit πάλιν *iterum*; quidam alij addunt ἐν τῷ παραπορεύεσθαι, quod quidem optimè congruit ei quod Latinus & Syrus dederunt *cùm ambularet*.

V. 24. ἴδε τί ποιοῦσιν. Iterum 2. exemplar cum Latinis addit οἱ μαθηταί σου, quamquam in Latinis varietas sit.

CAPVT III.

V. 4. ἢ ἀποκτεῖναι. Quidam annotat, in duobus exemplaribus legi ἢ ἀπολέσαι: quæ lectio Latino Syroque consentanea sit, & quidem melior, Commentarij nostri iudicio.

V. 7. καὶ πολὺ πλῆθος. Secundum exemplar πολὺς ὄχλος, vt Latinè.

Ibidem. ἠκολούθησαν αὐτῷ. Primum, 4. & 8. exemplaria habent numero singulari ἠκολούθησεν, vt Interpres Latinus, *sequuta est*.

V. 11. ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ. Quintus codex addit ἅγιος, quod est aliunde huc adscitum.

V. 16. καὶ ἐπέθηκε τῷ σίμωνι. Ante hæc verba habent nonnulli codices πρῶτον σίμωνα, probabiliter admodum, qua de re lege Commentarium.

V. 17. βοανεργές. Legendum fortè transpositis literis βοαργενὲς, de quo lege Notationes; vel potiùs, expuncta o litera βανεργὲς, de quo Commentarium.

V. 27 οὐ δύναται οὐδεὶς. Octauus codex præponit ἀλλά, id quod explicationis causa videtur adiectum, cùm alibi non legatur.

Ibidem. καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει. In quibusdam libris, pro futuro Indicatiui, est Coniunctiuus διαρπάσῃ, qui Græco sermoni aptiùs conuenit, quàm Hebraïco, quem Euangelista videtur imitatus.

V. 29. αἰωνίου κρίσεως. Sic legit etiam Syrus. Secundus codex, pro κρίσεως, habet ἁμαρτίας, vt Latinus.

V. 31. ἔρχονται οὖν. In quibusdam libris impressis est καὶ ἔρχονται, vt Latinè *& veniunt*.

Ibidem. οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ. Rursus est in quibusdam impressis codicibus, verso ordine, ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοί, vt Latinè & Syriacè.

V. 32. εἶπον δὲ αὐτῷ. In vno codice scriptum inuenitur καὶ λέγουσιν αὐτῷ Latino conformiter.

Ibidem. καὶ οἱ ἀδελφοί σου. Quinque Parisiensium codices, cum Regia editione, addunt καὶ αἱ ἀδελφαί σου: quod vt non Latinè, ita nec Syriacè legitur, nec addendum proinde est Græcè.

V. 33. ἢ οἱ ἀδελφοί μου. Quartum & 8. Parisiensium exemplaria, consonantia Latino & Syro, habent καὶ *&* pro ἢ *aut*.

V. 34. καὶ περιβλεψάμενος κύκλῳ τοὺς περὶ αὐτὸν καθημένους. Ita legunt Regius & meliores libri. Quidam habent καὶ περιβλεψάμενος τοὺς κύκλῳ περὶ αὐτὸν μαθητὰς καθημένους: quomodo legisse videntur Interpretes Latinus & Syrus (præposito inquam articulo τοὺς ad verbio κύκλῳ) nisi quòd μαθητὰς cum prioribus libris omiserint.

CAPVT IIII.

V. 4. καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. Non videtur addendum τοῦ οὐρανοῦ, quod vt quatuor Parisiensium libri non agnoscunt, ita nec Interpres Syrus. Latini libri similiter variāt, sed videtur illud Lucæ propriū esse.

V. 8. καὶ ἔφερεν. ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν. Manuscripta Parisiensium scribunt ἐν tertiò hîc repetitum, non aspero spiritu, ita vt significet *vnum*, quomodo vertit Latinus, sed leni, ita vt sit præpositio. vide Commentarium.

V. 9. καὶ ἔλεγεν. Non addas αὐτοῖς, quod quidam.

V. 15. ὅπου σπείρεται. Ita est & Latinè, *vbi seminatur*: quare loci sensus est, quod in ϛ. legitur, οἷς pro ὅπου.

V. 18. καὶ οὗτοί εἰσιν. In 8. codice est καὶ ἄλλοι εἰσὶν, vt Latinè. Quod autem mox repetitur οὗτοί εἰσιν, codices δ. ε. ζ. θ. omittunt, Latinè agnitum. vide Cōmentarium.

V. 21. μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται. Vt non est his verbis præponenda vox ἰδοὺ, ita pro ἔρχεται non est legendum ἅπτεται, quod est in 2. exemplari, nec καίεται, quod est in alio, nec denique ἔχεται. Sunt hæc, partim ex similibus locis, partim ex coniecturis accepta.

V. 22. ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ. Non legas εἰ μὴ ἵνα φανερωθῇ.

V. 24. 25. βλέπετε τί ἀκούετε. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ. καὶ ὃς οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Sic legunt Regius & optimi quique libri, cōspirantibus Latinis & Syricis, & fauentibus Theophylacti atque Euthymij enarrationibus. Porrò quidam libri inuertunt ordinem, & repetunt quædam hoc pacto, βλέπετε τί ἀκούετε, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. ὃς ἂν ἔχῃ γὰρ, δοθήσεται αὐτῷ. καὶ ὃς οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν haud rectè, meo iudicio.

V. 24. μετρηθήσεται ὑμῖν. In exemplaribus quinto & nono

& nono legitur ἀναπαρεδόντες, quod Matthæi est cap.7. v.2.

Ibidem. καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσι. Deerant hæc verba in 2. exemplari, vt desunt in quibusdam Latinis libris, nec à Theophylacti expositione attinguntur. Cæterùm in vt plerisque & Græcis & Latinis libris exstant, ita & in Syricis, Euthymij enarratione suffragante: nisi quòd participium illud τοῖς ἀκούουσιν, nec Latinè legatur, nec ab Euthymio tractetur.

V. 30. τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἢ ἐν ποίᾳ παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν; Exemplaria 6. & 8. pro τίνι, legunt πῶς. & pro ποίᾳ scribunt τίνι, quæ non sunt magni momenti. Pluris refert, quod pro coniunctiuis legantur futura indicatiui, in 4. exemplari ὁμοιώσομεν, in primo παραβαλοῦμεν, qua de re lege Commentarium.

V. 31. ὡς κόκκῳ σινάπεως. Sex Parisiensium exemplaria 1.2.5.6.7.8. legunt quarto casu ὡς κόκκον.

V. 34. ἐπέλυεν αὐτοῖς. Superfluit quod in 6. exemplari repetitur τὸν λόγον.

V. 36. καὶ ἄλλα δὲ πλοιάρια ἦν μετ' αὐτοῦ. Codices sextus & nonus legunt πλοῖα, quemadmodum Latinè est naues.

V. 37. ὥστε αὐτὸ ἤδη γεμίζεσθαι. In sexto codice est βυθίζεσθαι, quod est in profundū iret siue mergeretur.

V. 40. τί δειλοί ἐστε οὕτω; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; Ita legunt Græci & Syrici codices, Euthymio manifeste suffragante: quod est: *Quid timidi estis adeo? quomodo non habetis fidem?* Latinus, loco trium vocularum οὕτω πῶς οὐκ, vnicam habet οὔπω *nondum*, quo modo legitur in 2. & 8 Græcanicis exemplaribus.

CAPVT V.

V. 1. καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν. Ita est & Latinè, *venerunt.* Octauum porrò & nonum exemplaria legunt numero singulari ἦλθεν *venit*, conformiter Syro.

Ibidem. εἰς τὴν χώραν τῶν γαδαρηνῶν. Ita Græca pleraque omnia exemplaria, cum hîc apud Marcum, tum apud Lucam c. 8. v. 26. scribunt, γαδαρηνῶν *Gadarenorum:* quo modo Syrus secundùm tres ipsos Euangelistas vniformiter & constanter habet. In 8. & 9. Græcis exemplaribus, hîc secundùm Marcum, est γεργεσηνῶν *Gergesenorum*: quam lectionem hîc esse probatiorum librorum, annotant, Victor Antiochenus, Theophylactus, & is cuius scholia Euthymij scholiis admista sunt: nam secundùm Matthæum c.8. v.28. Græci libri constanter id legunt. Porrò secundus Græcorum codicum, hîc apud Marcum γερασηνῶν scribit: quo modo apud omnes Euangelistas in Latinis omnibus conformiter est, *Gerasenorum*: quamquam mutatum opiner Græcum istum ad Latinos, vti aliàs frequenter. Adducor autem vt credam, Matthæum γεργεσηνῶν *Gergesenorum* dixisse; Marcum & Lucam (qui in describendis historiis sibi mutuò ferè consonant) γαδαρηνῶν *Gadarenorum*; denique Latinum Interpretem vbique dedisse *Gerasenorum*. Quibus tribus nominibus eandem regionem significari existimo, sitam trans Iordanem, in tribu Manasse, antiquitus à Gergesæis habitatam, quam Strabo Gadaridem vocat. Lege nostrum in Matthæum Commentarium.

V. 2. καὶ ἐξελθόντι αὐτῷ. Hæc recepta est lectio, conformis Latinæ: *Et exeunti ei.* Codices 6. & 8. habent καὶ ἐξελθόντος αὐτοῦ *& egresso eo*, quibus fauet Syrus; 2. scribit καὶ ἐξελθόντων αὐτῶν *& egressis illis*, pluralem numerum alibi nisi in hoc vno non lego.

V. 3. ἐν τοῖς μνήμασι. Ita est in melioribus libris, pro eo quod in aliis μνημείοις, quamquam idem vnum sit.

Ibidem. καὶ οὔτε ἁλύσεσιν. Subdit exemplar 8. οὐκέτι: *Et neque catenis ampliùs.* id quod alibi non lego, nisi fortè respondeat ei quæ Latinè est voculæ *iam.*

V. 5. ἐν τοῖς μνήμασι καὶ ἐν τοῖς ὄρεσιν ἦν. Hoc ordine legunt Regia Biblia & qui ex illis sunt riuuli, quo etiam est Latinè & Syriacè: Nam alij Græci codices inuertunt ordinem, ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν.

V. 11. ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τῷ ὄρει. Sic legunt Complutensia & quæ ex illis sunt Biblia, sic omnia Parisiensium manuscripta, sic Euthymij textus, sic denique editiones Latina & Syriaca, πρὸς τῷ ὄρει *ad montem*, numero singulari: quamquam vox Syra addito vno apiculo fiat pluralis. Quare melius est illud quàm quod in aliis libris legitur plurali numero πρὸς τὰ ὄρη *ad montes*: tametsi erat tota hæc regio maxima ex parte aspera, intercursantibus montibus Galaad.

Ibidem. βοσκομένη. Ita est & Latinè, referturque ad ἀγέλη: βοσκομένων, quod est in 8. codice, ad χοίρων.

V. 12. καὶ παρεκάλεσαν αὐτόν. In tertio codice est præterito imperfecto παρεκάλουν, quomodo Latinè & Syriacè.

Ibidem. πάντες οἱ δαίμονες. Ex 3. 8. & 9. Parisiensium exemplaribus, conformibus editioni Latinæ & Syriacæ, videtur omittendum πάντες.

V. 13. ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι. In codice Regio & qui ex eo sunt, legitur ἦσαν δὲ, in aliis rectiùs ἦσαν δὲ. Verisimile est autem vtrumque adiectitium esse, vbi nec Latinus nec Syrus aliud legêre, quàm ὡς δισχίλιοι.

V. 14. οἱ δὲ βόσκοντες τοὺς χοίρους. Ita in omnibus penè legitur libris. In vno octauo, Latino & Syro conformiter, est αὐτοὺς *eos*, pro τοὺς χοίρους *porcos*, aptiùs; quod mihi quidem videtur.

V. 15. καὶ θεωροῦσι τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα. Secundum exemplar omittit hæc verba τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα, Latinæ editioni accommodatum, verisimile est.

V. 18. καὶ ἐμβάντος αὐτοῦ. Ex 3.6. & 8. exemplaribus, Latinæ editioni consonantibus, legendum potiùs videtur præsens ἐμβαίνοντος.

V. 33. ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς. Secundus codex præponit ἐλθὼ, malè imitatus textum Latinum: qua ratione & mox scribit ζήσῃ pro ζήσεται.

CAPVT VI.

V. 2. καὶ πολλοὶ ἀκούοντες ἐξεπλήσσοντο. Præsenti tempore ἀκούοντες legitur etiam Latinè. tria autem exemplaria aoristum ἀκούσαντες habent: qua ratione & Syrus præterito vtitur. Porrò secundum exemplar adiicit superioribus verbis ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, quò consonet editioni Latinæ, vbi similiter additur *in doctrina eius.*

Ibidem. καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται; Ita legit Regia editio, quo modo & legisse videtur Latinus Interpres. Alij libri præponunt ὅτι: tertius & septimus, præposito ἵνα scribunt subiunctiuo modo γίνωνται. vide Commentarium.

V. 3. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας. Quidam annotat in antiquis aliquot libris legi οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς καὶ Μαρίας; *Nonne hic est ille fabri filius & Mariæ?* id quod ego quidem nusquam inuenio, vt non Græcè, ita nec Latinè aut Syriacè, refragantibus & veteribus tractatoribus: & si quidem vsquam inueniatur, verisimile est emendationem esse imperiti Lectoris, persuasi artem fabrilem non potuisse decere Christi Maiestatem.

Ibidem. καὶ οὐκ εἰσὶν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ. Sequitur in 5. codice πᾶσαι, quod ex Matthæo huc esse assutū videtur.

V. 7. καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα. Non addas μαθητὰς αὐτοῦ. quod exemplar quintum.

V. 9. καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. Exemplaria sextum & octa-

& octauum legunt ἐνδύσασθε, quibus fauent Latina & Syra. Plerique verò libri, pro modo infinito, legunt imperatiuum ἐνδύσασθε *induamini*, qui duriùs hæret.

V. 11. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόῤῥοις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ. Hunc versiculum omittũt Græci codices 2. & 8. quorum testimonium, si non tam studiosè fauerent editioni Latinæ quàm faciunt, multum valere possit ad adstruendam sententiam illorum, qui putant hunc versiculum, Grecè Marco ex aliis Euangelistis adiectum esse.

V. 14. ὁ βασιλεὺς Ἡρώδης. Sequitur in 6. codice τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ, id quod Matthæi est cap. 14. v. 1.

Ibidem. Ἰωάννης ὁ βαπτίζων. Quartum exemplar legit ὁ βαπτιστὴς pro βαπτίζων: sed est participium nominis loco positum, more Hebræo, quod facilè intellexerunt Interpretes.

V. 15. ὡς εἷς τῶν προφητῶν. Alij libri præponunt coniunctionem ἢ *aut*, vt sit hæc sententia: Alios dixisse, Iesum esse prophetam nouum à Deo missum, vel certè vnum aliquem ex veteribus illis prophetis, qui resurrexerit. quasi cunctabundi prę admiratione non satis nossent vtrum pronuntiare de Iesu deberent, nouúsne esset propheta, an vnus ex antiquis rediuiuus. Latinè & Syriacè non legitur disiunctiua illa: quo modo Marci narratio, respondet ipsius Lucæ narrationi cap. 9. v. 8.

V. 20. καὶ ἀκούσας αὐτοῦ. Meliùs ἀκούσας *audito eo*, quàm id quod in septimo exemplari est ἀκούων *audiens eum*.

Ibidem. πολλὰ ἐποίει, quæ est recepta lectio, consonat Latino & Syro: nam singularis est illa, quæ est in 8. codice, πολλὰ ἠπόρει *multum hæsitabat*.

V. 22. τῆς θυγατρὸς αὐτῆς τῆς Ἡρωδιάδος. Nullo modo pro αὐτῆς legendum est αὐτοῦ, quod est in 8. codice: nec enim, aut Herodis fuit filia, aut Herodias appellata.

V. 25. ἵνα μοι δῷς ἐξαυτῆς. Non est omittendum, quod omittunt codices 2. & 4. ἐξαυτῆς, tum quia Latinè & Syriacè legitur, tum quia est eius loco quod Matthæus habet ὧδε, denique quia emphasin habet conformem menti saltatricis.

V. 26. γενόμενος ὁ βασιλεύς. Superfluit quod subditur in 2. exemplari ὡς ἤκουσε *vt audiuit*.

V. 31. δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν εἰς. Quod est in 2. exemplari δεῦτε ὑπάγωμεν εἰς, Syro consonat.

V. 33. καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας. Superfluit quod in codicibus quibusdam sequitur οἱ ὄχλοι *turbæ*.

Ibid. καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν πολλοί. Exemplaria 3. 6. 8. & 9. legunt αὐτοὺς *eos*, pro αὐτὸν *eum*, quibus Syricum Euangelium adstipulatur. vide Commentarium.

Ibid. καὶ προῆλθον αὐτοὺς, καὶ ἦλθον πρὸς αὐτόν. Varia est admodum pericopes istius lectio, atque adeò verisimile est totam adiectitiam esse. Latinus omnino non legit posteriorem partem: & quidem variant ij à quibus legitur. Nonnulli enim ἦλθον *venerunt*, alij συνῆλθον *conuenerunt*, quidam πρὸς αὐτὸν *ad eum*, quidam αὐτοῦ *eò* scribunt. Priorem partem omnino non habuit Thomas Caietanus Græcè. Neutram denique agnoscit Interpres Syrus, vt & Euthymius Græcanicus Scholiastes. Quocirca adducor vt credam, additum primò fuisse ab aliquo, Commentarij loco, καὶ προῆλθον αὐτοὺς, id quod tandem in textum irrepserit. Huius difficultatem cùm alij animaduerterent, mutasse cum ἦλθον seu συνῆλθον πρὸς αὐτόν. Postremò ab aliis vtrumque coniunctum fuisse: id quod tandem inualuerit.

V. 36. εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγρούς. In secundo exemplari est ἐγγιστα pro κύκλῳ: id quod Latinæ editioni respondet, legenti *proximas*.

Ibid. ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους. τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσιν. In 8. codice horum loco est ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς τί φάγωσι, proximè editioni Latinæ.

V. 37. ἀγοράσωμεν. δῶμεν. Euthymij textus habet ἀγοράσωμεν *emenius*, δώσομεν *dabimus*. Syrus quoque futuris vtitur, sed quæ vtroque modo verti possint.

V. 52. ἦν γὰρ ἡ καρδία. Exemplaria 8. 5. & 2 legunt ἀλλ' ἦν ἡ καρδία. Atqui priori lectioni Latina Syraque adstipulantur.

V. 53. Γεννησαρέτ. siue per vnicum ν siue per duplex scribas, licet.

V. 54. ἐπιγνόντες αὐτόν. Addit codex nonus οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου *eius loci viri*. & quidem Latini libri cum aliis Græcis non legunt, videriq; proinde possit ex Matthæo illud huc esse adiectum, nisi & Syrus hîc legeret, & eo addito mollior esset huius loci participiorum iunctura.

V. 56. ἐν ταῖς ἀγοραῖς. Secundum exemplar legit ἐν ταῖς πλατείαις, qua voce Latinus vtitur.

Ibidem. ὅσοι ἂν ἥπτοντο. In secundo & octauo codicibus est pro imperfecto aoristus ἥψαντο.

CAPVT VII.

V. 4. καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς. Addit exemplar secundum, ὅταν ἔλθωσι, sequutum errorem plerorumque Latinorum codicum. vide Latinas varietates.

V. 5. ἔπειτα ἐπερωτῶσιν. In secundo & octauo est καὶ ἐπερωτῶσι, quo modo & Latinè, necnon Syriacè.

Ibidem. ἀλλὰ ἀνίπτοις. Secundus codex habet ἀλλὰ κοιναῖς, vt est Latinè.

V. 14. πάντα τὸν ὄχλον. Exemplaria 2. & 8. pro πάντα legunt πάλιν, quo modo Latinus Interpres legisse videtur. Syrus πάντα.

Ibidem. ἀκούετέ μου πάντες. Non est omittendum πάντες, quod omittitur ab 1. & 2.

V. 18. 19. ὅτι πᾶν. Non est legendum ὅπου πᾶν, nec ver. proximo ἐκβάλλεται pro ἐκπορεύεται, quæ Matthæi sunt.

V. 22. ἀσέλγειαι. Ita legimus numero multitudinis ex 2. 5. 8. exemplaribus, quibus Græca Regis editio & textus Latinus consonant. In aliis est singulari numero ἀσέλγεια.

V. 24. εἰς τὰ μεθόρια. Non est legendum ὅρια, vt est in 8. codice, quamquam Latinè sit *fines*.

V. 25. ἀκούσασα γάρ. Octauus codex addit εὐθὺς (tametsi cum coniunctione ἀλλὰ, ἀλλ' εὐθὺς ἀκούσασα) quod conforme est tam Syro quàm Latino.

V. 26. σύρα φοινίκισσα. Ita est, vt in Regiis Bibliis, sic & apud Euthymium. In quibusdam est σύρα φοίνισσα. In multis vnica dictione συροφοίνισσα aut συροφοινίκισσα. Sed præferendum videtur συροφοίνισσα, quod etiam Latinus dedit, cùm Iustinus Martyr, Dialogo cum Tryphone habito, & Tertullianus libro aduersus Marcionem tertio, regionis Syrophœnices meminerint.

V. 31. ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, ἦλθε. Parisiensium codices 2. & 8. legunt ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου ἦλθε διὰ Σιδῶνος *ex finibus Tyri venit per Sidonem*, quemadmodũ est Latinè. Atqui multum vereor ne ex Latina editione mutati sint: libenter enim illi consonant contra alios omnes, id quod hactenus sæpe vidimus. lege Commentarium.

V. 33. καὶ ἐπιλαβόμενος αὐτόν. Sic legunt Regia Biblia ex Complutensibus, ἐπιλαβόμενος, quo modo legit & Latinus Interpres, dum vertit *apprehendens*. In plerisq; verò codicibus est ἀπολαβόμενος *abducens*.

CAPVT

CAPVT VIII.

V. 1. παμπόλλου ὄχλου. Exemplaria 2. & 8. ſcribunt πάλιν πολλοῦ *iterum multa*, rurſus vt editioni Latinæ reſpondeant. vide Commentar.

V. 3. εἰς οἶκον αὐτῶν. Quintum exemplar legit οἴκους numero plurali.

Ibidem. μακρόθεν ἥκασι. In ſeptem exemplaribus, pro primo aoriſto, eſt ſecundus ἥκουσι.

V. 6. εὐχαριστήσας. Exemplar quartum præponit καὶ coniunctionem.

V. 7. καὶ εὐλογήσας. Quintum, 8. & 9. Pariſienſium exemplaria addunt αὐτὰ, καὶ εὐλογήσας αὐτὰ: quod ſi non eſt legendum, eò quòd ſequatur εἶπε παραθεῖναι καὶ αὐτά, at ſubaudiendum venit, cùm & Latinè & Syriacè exprimatur.

V. 10. εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά. Exemplar 2. habet εἰς τὰ ὄρη μαγδαλά, ex Matthæi Euangelio, in quo tamen μαγδαλά legitur, quo modo alterum hic exemplar ſcribit μαγδαλά pro δαλμανουθά. Cæterùm δαλμανουθά germana Marci ſcriptura eſt. lege Latinas varietates.

V. 11. συζητεῖν αὐτῷ, ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ. Annotat quidam, in quibuſdam codicibus ſuis, ſcriptú fuiſſe συζητεῖν αὐτῷ καὶ ζητεῖν παρ' αὐτοῦ; in vno συζητοῦντες παρ' αὐτοῦ. Atqui prima ſcriptura, vt eſt celeberrima, ita Syriacæ Latinæque editioni reſpondet: niſi quod Syriacè ſit *Et petebant ab illo*, quod pro ſecunda faciat.

V. 12. εἰ δοθήσεται, *ſi dabitur*. In quarto exemplari pro εἰ eſt οὐ: ſic & in quodam Latino manuſcripto inuenimus *non* pro *ſi*. Sed gloſſa eſt hæc, non textus.

V. 14. καὶ ἐπελάθοντο. Exemplar 5. Pariſienſium addit οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, expoſitionis cauſa.

V. 15. καὶ τῆς ζύμης ἡρώδου. Quidam notat, in libris quibuſdam, pro ἡρώδου, haberi ἡρωδιανῶν: quod ego quidem nuſquam vidi, ſiue in exemplaribus, ſiue in tractatoribus Marci.

V. 21. πῶς οὐ συνίετε. In exemplaribus tertio & 6. eſt οὔπω *nondum*, quo modo eſt & Latinè ac Syriacè, pro οὐ *non*. In impreſſis quibuſdam libris eſt νοεῖτε pro συνίετε.

V. 24. βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας. Sic legunt exemplaria antiqua 5. & 6. & ex Complutenſibus Biblijs Regia, adſtipulantibus Latina & Syriaca editionibus, necnon commentario illo qui Chryſoſtomo adſcribitur. Pleraque exemplaria Græca addunt voculas duas ὅτι & ὁρῶ, hoc modo βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας *Video homines, quoniam velut arbores cerno ambulantes:* quæ ex commentario in textum irrepſiſſe poſſint, quamquam Euthymius non obſcurè declarare videatur à ſe lectas.

V. 25. καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι. Ita legitur in omnibus codicibus, ſuffragantibus Euthymij & Theophylacti textibus: niſi quod 2. codex habeat καὶ ἤρξατο ἀναβλέψαι, quo modo eſt Latinè, & in cõmentariis Victoris Antiocheni, illoque qui Chryſoſtomo adſcribitur. Syrus hanc pericopen omittit.

Ibidem. καὶ ἀποκατεστάθη καὶ ἐνέβλεψε. Sic legunt Regia Biblia ex Complutenſibus. Alia ſcribunt καὶ ἀνέβλεψε: quædam καὶ διέβλεψε: ſecundum, ὥστε ἀναβλέψαι, ad quem modum Latinus Interpres vertit *ita vt videret*, quod legitur & apud Victorem ac Chryſoſtomum vt Latinè ſunt verſi.

Ibidem. τηλαυγῶς ἅπαντας. Sic pleraque omnia exemplaria Græca legunt, maſculinum ἅπαντας *omnes*, conſonantibus Euthymij & Theophylacti textibus. Exemplar autem 2. legit neutrum πάντα *omnia*, ſuffragantibus editionibus Latina ac Syriaca, & commentario illo Chryſoſtomo adſcripto: atque hoc, neutrum inquam, congruentius videtur.

V. 26. λέγων· μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ. Hæc eſt vulgata lectio, cui adſtipulatur editio Syriaca. Quidam codices ſcribunt λέγων· ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς μηδὲ ἐν τῇ κώμῃ. Hoc propius accedit ad verſionem Latinam, cuius author vertit ac ſi legiſſet λέγων, ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου, καὶ ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς: eſt enim eius verſio: *dicens: Vade in domum tuam, & ſi in vicum introieris, nemini dixeris*. Porrò hæc omnium commodiſſima foret lectio Græca, ſi in Græcis libris exſtaret. Author homiliarum illarum apud Chryſoſtomum, disertè explicat illud *Vade in domum tuam*, ſed pro hoc *& ſi in vicum introieris nemini dixeris*, legit atque interpretatur hoc: *Et in vicum ne introieris, & nemini dixeris:* quo modo & Theophylacti, Victoris, atque Euthymij commentaria intelligunt, huic prohiberi, ne in vicum ingrediatur, quod eſt primò propoſitæ lectionis.

V. 29. λέγει αὐτοῖς. Non eſt mutandum cum ἐπηρώτα αὐτούς, ex octauo codice, cùm & Syra & Latina receptæ lectioni ſuffragentur.

Ibidem. σὺ εἶ ὁ χριστός. Octauus codex addit ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, quemadmodum & Syrica editio *Filius Dei viuentis*. Cæterùm veriſimile ſit hæc ex Matthæo huc eſſe adiecta, cap. 16. ver. 16.

V. 31. καὶ ἀποδοκιμασθῆναι. Quod ſequitur in quarto exemplari ὑπὸ τῶν γραμματέων τῶν ἀνθρώπων ſuperfluit.

V. 34. ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν. In 8. codice eſt εἴ τις *ſi quis*, quemadmodum Latinè, pro ὅστις *quiſquis*: Rurſus in primo & nono, quibus Regij codices conſonant, eſt ἀκολουθεῖν *ſequi*, etiam vt Latinè, pro ἐλθεῖν *venire*.

CAPVT IX.

V. 2. καὶ ἀναφέρει. In ſecundo eſt καὶ ἀνάγει, quemadmodum ſecundùm Matthæum.

V. 3. καὶ μετεμορφώθη. Non eſt addendum καὶ ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτοὺς μετεμορφώθη *& dum orant illi transfiguratus eſt*

V. 5. καὶ ποιήσωμεν. In quibuſdam libris eſt ποιήσομεν *faciemus*, futuro indicatiui: id quod Syrus quidem permittit, ſed non ſit hoc illo veriſimilius. Quidam in aliis legit, θέλεις ποιήσωμεν *vis faciamus*, quod Matthæi eſt.

V. 6. τί λαλήσῃ. Euthymius enarrator legit τί λαλήσει futuro indicatiui, id eſt, quid dicturus eſſet: & interpretatur, neſciſſe Petrum quid aliud melius loquuturus eſſet, vel loqui poſſet, quàm ſcilicet, cùm videret Moſem & Eliam parare abitum, optaret rogaretque ſpectaculi illius volũtatem eſſe perpetuam. Alius quidam annotat, in quibuſdam ſcribi τί λαλήσαι modo infinito, in eumdem ſenſum.

Ibidem. ἦσαν γὰρ ἔκφοβοι. In aliis eſt ἔμφοβοι.

V. 12. καὶ πῶς γέγραπται. In 3. exemplari pro καὶ πῶς eſt καθὼς *ſicut*.

V. 19. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ. Sic puto legendum eſſe, vt Syriacè, ita Græcè, quamuis in 8. codice numero pluriũ legatur αὐτοῖς, vt Latinè.

V. 21. ὡς τοῦτο γέγονεν. Iterum reſpondet Latino 8. codex, pro ὡς legens ἐξ οὗ *ex quo*.

V. 22. καὶ εἰς τὸ ὕδωρ. In aliis libris eſt καὶ εἰς ὕδατα.

V. 27. κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτοῦ. In aliis exemplaribus eſt κρατήσας αὐτὸν τῆς χειρὸς *prehendens eum manu*, eodem ſenſu.

V. 28. καὶ εἰσελθόντα αὐτόν. In octauo codice ſunt geni-

genitiui absolutè positi καὶ εἰσελθόντος αὐτοῦ *& ingresso eo.*

Ibidem. ὅτι ἡμεῖς In nono exemplari est τί ὅτι ἡμεῖς: *quid quod nos*; in 3. διὰ τί ἡμεῖς *quare nos*. sunt hæ explicationes lectionis germanæ.

V. 31 εἰς χεῖρας ἀνθρώπων. Exemplar quartum addit ἁμαρτωλῶν *peccatorum.*

Ibidem. τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ Codices β. & η. id est, 2. & 8., habent μετὰ τρεῖς ἡμέρας, quod est alterius loci. suprà 8. ver. 31.

V. 34. τίς μείζων. Rursus 2. codex, ex Latino, quod verisimile est, addit γένηται αὐτῶν.

V. 35. ἔσται πάντων ἔσχατος. In 4. codice, pro futuro indicatiui ἔσται *erit*, est imperatiuus ἔστω *sit*, qui sensus est loci.

V. 37. οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν. Hæc est germana lectio, Latino Syroq; conformis. Altera quæ est quorumdam librorum, οὐκ ἐμὲ δέχεται μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν, illius interpretatio est.

V. 40. ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστι. Non mutes secundæ personæ pronomina, cum pronominibus primæ, vt quidam libri. vide Latinas varietates.

CAPVT X.

V. 2. ἐπηρώτων αὐτὸν *interrogabant eum*, quo modo est Latinè. In aliis libris est ἐπηρώτησαν αὐτὸν *interrogauerunt eum.*

V. 6. ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ θεός. Subdit Regius codex ex Complutēsi καὶ εἶπε, qua de re vide Latinas varietates.

V. 14. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ. Quartus codex pro τοῦ θεοῦ habet τῶν οὐρανῶν, non dubito quin ex Matthæo c. 19. v. 14: nam & Syriacè & Latinè hîc *Dei* est.

V. 17. προσδραμὼν τις καὶ. In plerisque libris est εἷς pro τίς. In tertio exemplari legitur ἰδοὺ τις πλούσιος προσδραμὼν καὶ *ecce quidam diues procurrens &*. quę adiectitia esse videntur.

Ibidem. τί ποιήσω ἵνα ζωὴν. Quartus codex legit τί ποιήσας ζωὴν, quæ Lucæ scriptura est.

V. 20. ἐκ νεότητός μου. Tertius codex addit hîc, id quod Matthæi est, τί ἔτι ὑστερῶ;

V. 21. ἕν σοι ὑστερεῖ. Addunt 3. & 6. exemplaria εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, similiter ex Matthæo. Frequens est enim, euangelia ex se mutuò augeri à librariis, quando plura eandem historiam narrant.

Ibid. ἄρας τὸν σταυρόν. Secundus codex istud omittit, Latinæ editioni similiter. Reliqui legunt cum Syrica editione & interpretibus Theophylacto atque Euthymio. Sextus codex addit etiam σου *tuam.* vide Commentarium.

V. 25. εὐκοπώτερόν ἐστι. In vno codice additur γὰρ *enim*: quod vt ab aliis Gręcis, ita à Latinis & Syricis libris, non agnoscitur. est autē euangelij secundū Lucam.

Ibidem. τὴν βασιλείαν εἰσελθεῖν. In quibusdam est διελθεῖν: eadem varietas & secundùm Matthæum est. Vetus Interpres vtrobique διελθεῖν legisse videtur.

Ibidem. ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν. Annotat quidam hæc verba à duobus vetustis codicibus abesse, vt certè facile est illa ex præcedenti versiculo subaudire. Cæterùm etiam Latinè & Syriacè constanter à nobis leguntur.

V. 30. καὶ μητέρας. Huius loco in tribus exemplaribus (γ ϛ ς.) est καὶ πατέρα καὶ μητέρα: quæ lectio aptissima esset & desideratissima, si plurali numero exstaret καὶ πατέρας καὶ μητέρας. Porrò recepta lectio Latino consonat & Syro.

Ver. 34. καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται. Quod secundo & octauo libris est καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας, aliunde acceptum est.

V. 38. & 39. Octauus codex, vt Latino respondeat, legit vtrobique ἢ *aut*, pro eo quod etiam Syrus seruat καὶ *&*.

V. 43. ἔσται ὑμῶν διάκονος. Pro ἔσται non est legendus imperatiuus ἔστω, qui in vno exemplari legitur. Matthæi enim esse videtur: sicut & illud Matthæi est, quod codex 8. ver. proximo, pro ὑμῶν γενέσθαι, habet ἐν ὑμῖν εἶναι, vel certè Latinæ editionis secundùm Marcum.

V. 47. ὅτι ὁ Ἰησοῦς ὁ ναζωραῖός ἐστι. Quidam libri, loco ω vocalis vltimæ, quæ est in secunda syllaba vocis ναζωραῖος, scribunt vocalem primam α, ναζαραῖος, primigenia lingua vtrumque permittente.

Ibid. ὁ υἱὸς Δαβὶδ Ἰησοῦ. In duobus libris scribitur vocandi casu υἱέ; in vno non legitur Ἰησοῦ, quod neque Syriacè.

V. 49. εἶπεν αὐτὸν φωνηθῆναι. Duo exemplaria, præter fidem aliorum, habent εἶπε. φωνήσατε αὐτὸν *Dixit: Vocate eum* 6. & 8.

V. 51. ῥαββουνί. Vt Regium, ita omnia Parisiensium exemplaria, media dyphthongo scribunt ῥαββουνί, pro ῥαββονί.

V. 52. καὶ ἠκολούθει τῷ Ἰησοῦ. Codex septimus & primus, ex quo etiam Regius, habent aoristum ἠκολούθησε: sed præteritum imperfectum Latinæ Syriacæque editioni respondet.

CAPVT XI.

V. 1. καὶ ὅτε ἐγγίζουσιν. Exemplar 2. habet præteritum imperfectum singulare ἤγγιζε, quod non videtur verum esse.

Ibid. εἰς βηθφαγή. Tametsi Parisiensium omnia exemplaria & hîc legant βηθσφαγὴ, addito σ, quemadmodum in Matthæo, adulterinum tamen hoc esse videtur.

V. 2. ὑπάγετε εἰς τὴν κώμην. Non legas πόλιν *ciuitatem*, quod est in 3. exemplari, pro κώμην *vicum.*

Ibidem. ἐφ' ὃν οὐδεὶς. Exemplaria tertium & octauum addunt ἐφ' ὃν οὔπω οὐδεὶς, quod & Latinus Interpres legit.

V. 7. καὶ ἐκάθισεν ἐπ' αὐτῷ. In quibusdam libris exstat quarto casu ἐπ' αὐτὸν, eodem sensu *super eum*, scilicet pullum. In quibusdam numero plurali ἐπ' αὐτῶν *super ea*, scilicet vestimenta. In quibusdam genere fœminino ἐπ' αὐτὴν *super eam*, scilicet asinā, quod non est huius loci.

V. 8. πολλοὶ δὲ τὰ ἱμάτια αὐτῶν. In 4. codice, pro τὰ ἱμάτια, legitur τοὺς χιτῶνας *tunicas*, quod nullam habet verisimilitudinem.

Ibid. ἐκ τῶν δένδρων. In vno codice scriptum erat ἐκ τῶν ἀγρῶν *ex agris.*

V. 10. εὐλογημένη. Codex tertius præponit καὶ coniunctionem, conformiter Syro.

Sequitur. ἡ ἐρχομένη βασιλεία, ἐν ὀνόματι κυρίου, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ. Malim omittere ἐν ὀνόματι κυρίου, ex eo quem citat Auctor quidam vetusto codice Græco, cui adstipulantur editiones Latina & Syriaca. Plerique quidem interponunt illud ἐν ὀνόματι κυρίου *in nomine Domini*, quod referatur ad ἐρχομένη, sitque idem quod *Deo faciente*: sed vt sententiam turbat, ita sanè adiectum repetitumque videtur ex ver. superiori.

V. 15. καὶ ἔρχονται εἰς ἱεροσόλυμα. Non est addenda vox πάλιν, addita ab octauo codice.

V. 24. πιστεύετε ὅτι λαμβάνετε. In 8. exemplari pro λαμβάνετε est ἐλάβετε, in 2. λήψεσθε.

V. 26. εἰ δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀφίετε, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν, à multis exemplaribus omittitur, putaturque huc adscitus ex Mat. 6. ver. 15.

ver. 15. Cæterùm non omittitur ab antiquis exemplaribus Parisiensium, nec à Regiis post Complutense, nec à Syriaca editione, vt neque à Latina. Quare alij existimant, omissam fuisse incuriâ Scribarum, qui ferè soleant labi, quoties eadem dictio diuersas claudit sententias.

V. 27. καὶ ἤρχετο πάλιν. Vnum exemplar β., contra omnium fidem, legit ἦρχε numero singulari.

Ibid. καὶ οἱ πρεσβύτεροι, solum illud exemplar addit τοῦ λαοῦ *populi*.

V. 31. καὶ ἐλογίζοντο. Exemplaria β.γ.η., pro simplici legunt compositum verbum διελογίζοντο, quod est in Matthæo.

Ibid. ἐὰν εἴπωμεν. Rursus solum illud β., pro ἐὰν *si*, legit τί *quid*.

V. 32. ἀλλ' εἴπωμεν. Sic optima quæque Græca exemplaria, nec ἐὰν addunt nec τί, sed tantùm ἀλλ' εἴπωμεν legunt, Euthymio adstipulante.

Ibid. ἅπαντες γὰρ εἶχον. Et hic exemplar illud β., pro εἶχον *habebant*, scribit ᾔδεισαν *nouerant*.

Ibid. ὅτι ὄντως. Non omittas ὄντως, quod codices sextus & nonus.

CAPVT XII.

V. 4. κἀκεῖνον λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν, καὶ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον. Horum loco octauus codex legit, vt est Latinè, κἀκεῖνον ἐκεφαλαίωσαν καὶ ἠτίμησαν.

Ver. 6. ὅτι ἐντραπήσονται. Non est legendum ἴσως pro ὅτι.

V 7. ἐκεῖνοι δὲ οἱ γεωργοί. Subdit codex sextus θεασάμενοι αὐτὸν ἐρχόμενον πρὸς αὐτούς, qui commentarius est, non textus.

V. 9. καὶ ἀπολέσει τοὺς γεωργούς. Addit codex sextus τούτους.

V. 13. ἵνα αὐτὸν ἀγρεύσωσι. Secundum exemplar legit παγιδεύσωσι, vt secundùm Matthæum.

V. 14. ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι. Secundum & sextum exemplaria præponunt εἰπὲ οὖν *Dic igitur*, id quod nusquam alibi inuenio, nisi quòd videatur ex Matthæo irrepsisse.

V. 20. ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν. Exemplaria 2. & 8. addunt οὖν *ergo* quod Latinè quidem legitur, sed additum ab Interprete claritatis gratia.

V 22. ἐσχάτη πάντων. Ita est & Latinè. In tribus manuscriptis γ.ι.κ. est ἔσχατον, neutrum loco aduerbij.

V. 23. ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι. Ita legitur & Latinè. Atqui secundum & octauum exemplaria, Latino hic dissentientia, omittunt hæc verba ὅταν ἀναστῶσι *Cùm resurrexerint*, conformiter Syro: videri enim possint superflua.

V. 27. οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς θεὸς νεκρῶν. Sic quidam codices repetunt nomen θεός, quemadmodum Græcè Matthæus: alij non repetunt, vt nec Latina & Syra.

V. 28. εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη. Exemplaria 6. & 8., pro εἰδὼς *intelligens*, legunt ἰδὼν *videns*, conformiter Latino ac Syro.

V. 31. καὶ δευτέρα ὁμοία, αὕτη. codices quintus & 7., pro primo casu αὕτη, legunt 3. αὐτῇ, quo modo est etiam Syriacè ac Latinè.

V. 34. ἰδὼν αὐτόν. Exemplaria 6. & 8. omittunt pronomen αὐτόν, similiter editioni Latinæ, quod alia pleraque addunt similiter Syriacæ.

V. 40. καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι. Non est scribendum nomen μακρᾷ, loco aduerbij μακρά.

V. 44. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ἔβαλον. In 6. codice legitur ἐκ τοῦ περισσεύματος αὐτῶν ἔβαλον, id quod huic codici singulare est, quamquã congruentiùs fortasse, quia sequitur ἐκ τῆς ὑστερήσεως, non autem ἐκ τοῦ ὑστερήματος.

CAPVT XIII.

Ver. 2. βλέπεις ταύτας. Quidam annotat in aliis exemplaribus legi plurale βλέπετε, quod tamen est etiam contra Latina & Syra.

Ibidem. οὐ μὴ ἀφεθῇ. In exemplaribus 6. & 8. subiungitur ὧδε *hic*, quod etiam Syriacè additur: sed vt non legitur à plerisque codicibus Græcis, ita neque à Latinis, secundùm Marcum.

V. 8. ἀρχαὶ ὠδίνων. In exempluribus 2. 6. & 8. est numerus singularis ἀρχή, quemadmodum Latinè.

V. 11. μηδὲ μελετᾶτε. Vnus codex 8. scribit προμελετᾶτε *præmeditemini*.

V. 14. τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου. Legunt hoc plerique omnes Græci codices cum Syriacis, suffragantibus enarratoribus Græcis Theophylacto atque Euthymio. Omittunt verò tamquam Matthæo proprium, duo Parisiensium exemplaria, secundum (cui consentit nostra ad Vaticanum collatio) & octauum, cum Latina editione, cui adstipulatur D. Augustinus epistola 80 & lib 2. De consensu cap. 77.

V. 25 καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔσονται ἐκπίπτοντες. Sic habẽt pleraque omnia exemplaria. In duobus 3. & 6. legitur καὶ οἱ ἀστέρες ἔσονται ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πίπτοντες. Huic lectioni Syra, illi Latina volunt.

V. 26 μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης. Sic legunt etiam Latina & Syra. Quare minùs probabilis est lectio exemplarium 3. 5. 9. postponentium τὸ πολλῆς, voci δόξης.

V. 28. καὶ ἐκφύῃ τὰ φύλλα. Sic scribunt exemplaria 1. 3. 6., & Regia post primum, ἐκφύῃ pro ἐκφυῇ, verbum pro nomine.

V. 32. καὶ τῆς ὥρας. In sex Parisiensium manuscriptis pro καὶ legitur disiunctiua ἤ.

V. 34. καὶ δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν. Quidam annotat, in quibusdam codicibus, pro ἐξουσίαν *potestatem*, scribi οὐσίαν *substantiam*: quod certè Euthymij textus habet, quamquam commentarius non agnoscat. Cæteroqui & Græcè & Latinè & Syriacè est ἐξουσίαν potestatem.

CAPVT XIV.

V. 2. ἔλεγον δέ. Octauus codex pro δὲ legit γὰρ, vt Latina editio.

V. 6. εἰργάσατο ἐν ἐμοί. Ita legunt plerique omnes libri ἐν ἐμοί, pro eo quod alij εἰς ἐμέ; quemadmodum mox v. 8. ἔχει pro εἶχεν.

V. 14. ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα. Exemplaria 6. & 8. addunt pronomen μου cum editione Latina; alia pleraque omnia omittunt cum Syriaca.

V. 15. ἐστρωμένον, ἕτοιμον. Septimum Parisiensiũ exemplar omittit ἕτοιμον, conformiter Latino; Alia omnia addunt, consentaneè Syro. lege Commentarium.

V. 15. καὶ ἄρτον λαβὼν. Secundus codex pro ἄρτον legit ποτήριον, contra omnium fidem.

V. 19 καὶ ἄλλος, μήτι ἐγώ; Quidam annotat, hæc verba defuisse in duobus codicibus: vt sanè desunt Latinè ac Syriacè, & series ipsa contextus loquitur ea redundare.

V. 21. ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει. Exemplar 4. addit ὁ μὲν οὖν υἱός. 2. verò pro ὑπάγει scribit παραδίδοται: quibus in rebus sunt singularia.

V. 22. λάβετε, φάγετε. Exemplaria 2. & 8. omittunt φάγετε, conformiter editionibus Latinæ & Syriacæ.

V. 25. ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Tria exemplaria addunt coniunctionem δέ.

V. 27. τὰ πρόβατα. Non addas τῆς ποίμνης, quod ex Matthæo quidam huc adscripserunt.

V.29. καὶ εἰ πάντες σκανδαλισθήσονται ἐν σοί. Regia Biblia ex Complutensibus addunt ἐν σοὶ ἐν τε, quod alia omittunt.

V.30. ὅτι σὺ σήμερον. Plerique libri omittunt pronomen σὺ, quod tamen & Latinè & Syriacè additur, non parua cum Emphasi.

V.31. ὁ δὲ ἐκ περισσοῦ. Secundum exemplar pro ἐκ περισσοῦ scribit περισσῶς.

V.34. καὶ λέγει αὐτοῖς. Quædam exemplaria hoc iungunt versui præcedenti, lectum per infinitiuum καὶ λέγειν αὐτοῖς.

Ibidem. καὶ γρηγορεῖτε. Non addas μετ' ἐμοῦ, quod neque Latinè aut Syriacè legitur. Verisimile est acceptum ex simili loco Matth. 26. v.38.

V.35. ἔπεσεν ἐπὶ τῆς γῆς. Non interiicias ἐπὶ πρόσωπον, quod similiter acceptum est ex Matth. 26. v. 39. Nam Marcus eius loco ait ἐπὶ τῆς γῆς.

V.36. ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω. Non est omittendum verbum θέλω.

V.37. οὐκ ἴσχυσας. Quidam libri legunt numero plurali οὐκ ἰσχύσατε, sed malè, etiam contra Latina & Syra: Matthæi enim est ἰσχύσατε cap. 26. v.40.

V.40. βεβαρημένοι. Pro hac voce aliquot libri substituunt καταβαρυνόμενοι.

V.43. παραγίνεται Ἰούδας. Exemplar 3. addit ὁ Ἰσκαριώτης, conformiter Latino & Syro.

Ibidem. παρὰ τῶν ἀρχιερέων. Exemplar 6. præponit ἀπεσταλμένοι, quod subaudiri potest, addi non debet.

V.45. χαῖρε ῥαββί. Plerique omnes libri, omisso χαῖρε, congeminant ῥαββί, conformiter Syro. Quidam annotat, in duobus exemplaribus, tantùm scriptum fuisse ῥαββί, idque semel, quibus Latinæ editionis vetusta exemplaria suffragantur. Regij codices legunt, quod diximus, χαῖρε ῥαββί, quemadmodum legitur secundùm Matthæum cap. 26. v.49.

V.51. καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι. Regia, vt pleraque alia exemplaria, addunt οἱ νεανίσκοι, quod tamen omittunt manuscripta 2. & 8., Latina & Syriaca editionibus suffragantibus.

V.53. πρὸς τὸν ἀρχιερέα. Tertio codici, explicationis gratia, additum est καϊάφαν ex Matthæo, quamquam etiam Syriacè legatur.

V.59. καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν. Quidam legunt plurali numero καὶ οὐδὲ οὕτως ἴσαι ἦσαν αἱ μαρτυρίαι αὐτῶν. contra antiquorum codicum fidem.

V.62. μετὰ τῶν νεφελῶν. Exemplar sextum habet ἐπὶ τῶν νεφελῶν, quod est Matthæi cap. 26. v. 64.

V.64. ἠκούσατε τῆς βλασφημίας. Exemplar sextum interiicit πάντες omnino.

V.65. κολαφίζειν. In eodem exemplari sequitur τίς ἐστιν ὁ παίσας σε: verùm illud ex Matthæo aut Luca acceptum est.

CAPVT XV.

V.3. οἱ ἀρχιερεῖς πολλά. Sequitur in editione Complutensi, & quæ ex ea est Regia, αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο, sed quod Latinus textus & Syrus, cum plerisque omnibus Græcis exemplaribus, haud agnoscunt. Verisimile est additum ab aliquibus fuisse ex Matth. 27. v. 12.

V.4. Pro καταμαρτυροῦσιν, exemplar secundum scribit κατηγοροῦσιν, quod propiùs accedit ad versionem vulgatam *accusant*.

V.11. ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον. Quidam annotat à nonnullis legi ἀνέπεισαν *persuaserant*: verùm illud ex Matth. 27. v. 20. acceptum esse, verisimile est.

V.16. ἔσω τῆς αὐλῆς. Exemplar 2. legit εἰς τὴν αὐλήν.

V.18. ἀσπάζεσθαι αὐτόν. Non addas καὶ λέγειν, quod neque Latinè aut Syriacè legitur.

Ibidem. χαῖρε ὁ βασιλεύς. Ita optimi quique codices, ὁ βασιλεύς legunt primo casu, pro quinto βασιλεῦ; ponitur enim nonnumquam primus loco quinti.

V.22. καὶ φέρουσιν αὐτόν. Exemplar secundum legit ἄγουσι pro φέρουσι, explicationis gratia.

Ibidem. ἐπὶ γολγοθᾶ τόπον. Codices 3. 4. 7. scribunt γολγοθᾶν, Græco more inflexum.

V.24. διεμέριζον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Sex exemplaria, pro imperfecto διεμέριζον, habent præsens διαμερίζονται.

V.29. οὐὰ ὁ καταλύων τὸν ναόν. Non legas οὐαὶ væ, quod est malè precantis, pro οὐὰ vah, quod est irridentis.

V.30. σῶσον σεαυτόν. καὶ κατάβα. Exemplar octauum scribit σῶσον σεαυτὸν καταβάς, quemadmodum Latina editio.

V.31. ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. Omnia Parisiensium manuscripta addunt notam interrogationis.

V.32. πιστεύσωμεν. In sexto codice additur pronomen αὐτῷ ει, sicut etiam Syriacè.

V.34. ὁ θεός μου, ὁ θεός μου. Non est omittendum alterum μου.

V.36. λέγων ἄφετε, ἴδωμεν. Syrus habet pluraliter καὶ ἔλεγον, exemplaria 2. & 4. scribunt singulariter ἄφες. Videri igitur queat legendum καὶ ἔλεγον· ἄφες, ἴδωμεν, propter rationes in Latinis varietatibus declaratas.

V.43. καὶ τολμήσας. Non est omittenda coniunctio καὶ, quæ multis codicibus omittitur.

V.46. καὶ ἀγοράσας σινδόνα. in nono exemplari legitur ὁ δὲ Ἰωσὴφ ἀγοράσας σινδόνα, quemadmodum habent Latina & Syriaca editiones.

CAPVT XVI.

V.2. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. Exemplar tertium præponit ἔτι.

V.6. τὸν ἐσταυρωμένον. Quidam addunt notam interrogationis, sed minùs aptè, quod videtur: vaticinatur enim Angelus, quid illæ in animo habeant.

V.8. καὶ ἐξελθοῦσαι. Sequitur in quibusdam libris ταχὺ. quod meliores omittunt. verisimile est, acceptum ex Matth. 28. v. 8.

V.9. ἀναστὰς δὲ. D. Hieronymus epistolæ 150. ad Hedibiam quæstione tertia, testatur, hunc locum, ab his verbis vsque ad finem huius Euangelij, à plerisque Græciæ libris suo tempore abfuisse: & Euthymius hoc loco: *Quidam*, inquit, *interpretum asserunt, hoc loco completum esse Marci Euangelium*; vt certè Victor Antiochenus illud huc vsque nec vltrà enarrat. Atqui, vt omnes hodie, tam Græci quàm Latini & Syriaci libri, hoc capitulum legunt, suffragantibus veteribus Patribus & Græcis & Latinis, à quibus passim citatur, prout ab Irenæo libri tertij aduersus hæreses cap. 11., Athanasio in Synopsi diuinæ scripturę, Augustino lib. 3. de cons. Euang., & Theophylacto in proprio commentario, vniuersum citra hæsitationem vel exponitur vel agnoscitur: ita nihil dubitandum est de eius auctoritate, postquam à Catholica Ecclesia receptum est, nominatim à Concilio Tridentino sessione quarta. Occasionem autem huic varietati dederat, quòd hęretici quidam, Manichæi, verisimile est; huic capitulo, vbi dicitur versu 14., *quia iis qui viderant eum resurrexisse, nõ crediderunt*, adiecerant hæc verba: *Et illi satisfaciebant, dicentes: Seculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco iam nunc reuela iustitiam tuam*, D. Hieronymo teste lib. 2. aduersus Pelag.

lag. c. 6 Quæ cùm spuria ac proinde omittenda esse facilè deprehenderetur: factum est vt & cætera ab imperitis hac occasione omissa sint. Quia autem illis omissis mutilum censebatur hoc Euangelium (vt verè erat) eò quòd nõ aptè finiretur; hinc alij quidam, congrui finis loco, adiecerũt πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα, τοῖς περὶ τὸν πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα, καὶ αὐτὸς ὁ ἰησοῦς, ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως, ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας. quod est: *Omnia autem quæ ipsis fuerãt nunciata, continuò Petro & iis qui cum illo renunciarunt. Postea verò etiam ipse Iesus, ab oriente ad occidentem vsque, promulgauit per eos sacram illam & incorruptam prædicationem æternæ salutis*: quæ omnia adulterina sunt, & ab alio prorsus auctore quàm Marco profecta. Quare non est recedendum, ab ea quæ hodie vulgata est, Græcorum, Latinorum, Syriacorumque librorum editione, in qua nihil est, quod, vel cum cæterorum Euangelistarum narratione pugnet, vel diuersi à Marco auctoris stylum arguat.

Ibidem. ἀναστὰς δέ. Regium exemplar subiungit ὁ ἰησοῦς, sed pleraque illud omittunt cum Syro. Nam & Latina editio variat.

Ibidem. πρωΐ. πρώτῃ σαββάτου. Exemplaria tertium & sextum scribunt numero plurali σαββάτων.

V. 19. ὁ μὲν οὖν κύριος. Tertius codex subiungit ἰησοῦς, quod similiter Latinè & Syriacè additur.

V. 20. ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες. Pro ἐξελθόντες, in quinto exemplari scribitur ἀπιστήσαντες, nulla, quod nouerim, fide.

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS GRÆCÆ EVANGELII SECVNDVM LVCAM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV 22. καὶ διέμενε κωφός. In aliis libris, pro aöristo, qui Latinæ editioni consonat, est præteritum imperfectum διέμενεν.

V. 34. πῶς ἔσται τοῦτο; Exemplaria quartum, sextum, nonum, addunt μοὶ pronomen (πῶς ἔσται μοι τοῦτο) quod alia omittunt conformiter Latino & Syro.

V. 35. τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον. Non est omittendum ἐκ σοῦ, tametsi à multis omittatur, quod veteres Græci agnoscunt & vrgent, quemadmodum ostendimus ad varietates Latinas.

V. 37. παρὰ τῷ θεῷ Ex septimo codice non omittas παρὰ, quod etiam Latinè exstat.

V. 49. ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα. In octauo exemplari est μεγάλα.

V. 50. εἰς γενεὰς γενεῶν. Exemplaria 4. & 12. scribunt εἰς γενεὰν καὶ γενεάν: quomodo & exemplar quoddam Latinum legit. Octauum habet εἰς γενεὰς καὶ γενεάς, quomodo ferè manuscripta Latina *in progenies & progenies*.

V. 55. εἰς τὸν αἰῶνα. In quinto exemplari legitur ἕως αἰῶνος.

V. 64. καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ διηρθρώθη. A plerisque omnibus libris omittitur vox διηρθρώθη, conformiter Latino & Syro.

V. 66. καὶ χεὶρ κυρίου Octauum exemplar interiicit γὰρ (καὶ γὰρ χεὶρ) vt Latinæ consonet editioni.

V. 75. πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν. Codices secundus & octauus omittunt τῆς ζωῆς, conformiter Latino ac Syro.

CAPVT II.

V. 3. εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. Exemplar secundum pro πόλιν scribit πατρίδα, qua in re est singulare.

V. 5. τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικί Exemplaria secundum & octauum omittunt vocem γυναικί, conformiter Syro. Atqui vt pleraque Græca, ita omnia Latina exemplaria illud addunt: videturque de industria sublatum, ab iis qui existimarint, contraria esse μεμνηστευμένην & γυναικί.

V. 15. καὶ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες. Rursus exemplar octauum omittit καὶ οἱ ἄνθρωποι, idque conformiter Latino & Syro.

V. 21. τὸ περιτεμεῖν αὐτόν. Hoc modo vt in Regiis, ita in pluribus est libris, etiam secundo & octauo. Atqui aliis plerisque, qui pro relatiuo αὐτόν scribunt nomen τὸ παιδίον, adstipulantur Syra. Similis varietas inuenitur Latinè.

V. 22. τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς. Hoc modo legunt Regia Biblia ex Complutensibus, αὐτῆς fœmininum numeri singularis, consentiente editione Latina. Alij plerique Græci libri, pro singulari αὐτῆς, scribunt plurale αὐτῶν, consentiente Syriaca editione, & legentibus non solùm, verumetiam interpretantibus, Origene homil. 14. in Lucam, & Euthymio in proprio huius loci commentario.

V. 24. κατὰ τὸ εἰρημένον. Quintum exemplar habet γεγραμμένον.

V. 33. καὶ ἦν ἰωσήφ. Pro ἰωσὴφ octauus codex habet ὁ πατὴρ, sicut Latina editio: aliis codicibus retinentibus ἰωσήφ, suffragantur Syra.

V. 34. καὶ εὐλόγησεν αὐτούς. Non legas ex nono codice singulare αὐτόν, pro plurali αὐτούς, quod est in aliis omnibus, adstipulantibus editionibus Latina & Syrica, & Theophylacto disertè interpretante.

V. 37. χήρα ὡς ἐτῶν. Sic cum Regiis pleraque omnia exemplaria, conspirante Syro: in octauo & 14. pro ὡς est ἕως, quæ fuit lectio Latini Interpretis.

V. 38. λύτρωσιν ἐν ἱερουσαλήμ. Pro ἐν ἱερουσαλὴμ exem-

plar Vaticanum habet τῷ ἱερῷ ἦλ, exemplar quartum Parisiensium ἐν τῷ ἱερῷ ἦλ. Similis varietas exstat Latinè.

V 40. καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι. Secundus codex cum editione Latina omittit πνεύματι, quod & Titus enarrator omittit, subaudit enim *corpore*. Alij codices addunt cum editione Syriaca, quod etiam Theophylactus, & clariùs Euthymius, interpretātur. Suprà 1. v. 80. ab omnibus concorditer de Iohanne legitur.

V. 42. ἀναβάντων αὐτῶν. In Octauo codice est præsens ἀναβαινόντων, vt Latinè *ascendentibus.*

V. 43. καὶ οὐκ ἔγνω Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ. Rursus in octauo codice est καὶ οὐκ ἔγνωσαν οἱ γονεῖς αὐτοῦ, sicut Latinè *& non cognouerunt parentes eius.*

CAPVT III.

V. 1. ἡγεμονεύοντος Ποντίου. Secundum exemplar pro ἡγεμονεύοντος dicit ἐπιτροπεύοντος, quod est *procurante*, quomodo Latinè legitur.

V. 8. καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν. In octauo codice scriptum erat, vt secundùm Matthæum, δόξητε pro ἄρξησθε.

V. 10. τί οὖν ποιήσομεν; Non addas vel hîc vel infrà, v. 12., ex secundo codice ἵνα σωθῶμεν *vt saluemur*, quod nullus alius legit.

V. 12. βαπτισθῆναι. Codices tertius & quintus addunt ὑπ' αὐτοῦ, quod alibi non lego.

V. 18. εὐηγγελίζετο. Hanc vocem exponens secundus codex legit παραινῶν.

V. 19. τῆς γυναικὸς τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Φιλίππου. Parisiensium exemplaria 4. 6. 7. 8. 9., & Euthymij scholiastæ textus, omittunt nomen Φιλίππου: quod quæ legunt, alia habent ante, alia post τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. vide Latinas varietates.

Ibid. ὧν ἐποίησε. Secundum exemplar legit ὧν ἐποίει *quæ faciebat.*

V. 23. Pro ἀρχόμενος *incipiens*, Euthymius legit & exponit ἐρχόμενος *veniens* seu *incedens*, nulla verisimilitudine.

V. 26. τοῦ Σεμεῒ τοῦ Ἰωσήφ. Sic est in plerisque libris, suffragantibus Latinis & Syricis. In tribus Parisiensium pro Ἰωσὴφ est Ἰωσήχ.

V. 29. τοῦ Ἰησοῦ, τοῦ Ἐλιέζερ. In octauo codice, pro Ἰησοῦ, quomodo est & Syriacè, legitur Ἰωσῆ, quomodo Latinè: in alio est Ἰωσέ.

Ibidem. τοῦ Ἰωρείμ, τοῦ Ματθάτ. Non legas Ματθὰ pro Ματθάτ.

V. 36. τοῦ Καϊνάν, τοῦ Ἀρφαξάδ. Nihil moratus Theodorus Beza auctoritatem siue Euāgelistæ siue LXXII. Interpretum, manu temeraria, ne dicam sacrilega, expunxit omisitque τοῦ Καϊνάν, sequutus, quod ait, auctoritatem Mosis.

CAPVT IIII.

V. 5. τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης. Exemplaria secundum & quartum, pro τῆς οἰκουμένης, legunt τοῦ κόσμου, quod Matthæi est c. 4. v. 8.

V. 7. σὺ οὖν ἐὰν προσκυνήσῃς. Exemplar tertium ex Matthæo addit πεσών.

Ibidem. ἔσται σου πάντα. Sic legunt, Regium, Complutense, & omnia vetusta Parisiensium exemplaria. In aliis pro πάντα est πᾶσα, quo modo Latinè legitur.

V. 8. καὶ ἀποκριθεὶς αὐτῷ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. γέγραπται, προσκυνήσεις. Hæc verba ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. Græci codices, Vaticanus, & Parisiensium secundus, septimus, octauus, non agnoscunt, vt neque editiones Latina & Syriaca, nec Tractatores, Origenes, Ambrosius, Beda, & posteriores Latini. Probabile est huc ex Matthæo fuisse adscriptum, tametsi Euthymius legat. Similiter addiderunt quidam γὰρ coniunctionem post verbum γέγραπται, quam, præter nostra, octo Parisiensiū exemplaria omittūt, suffragātibus similiter Latina & Syrica editionibus.

V. 11. καὶ ὅτι ἐπὶ χειρῶν. Quidam transfodiunt coniunctionem ὅτι, vt non legitur in Psalmo, neque hic Syriacè. Cæterùm Interpres Latinus eam hoc loco legit.

V. 22. καὶ ἐθαύμαζον. Sextus codex addit οἱ ὄχλοι *turbæ*, superfluè.

V. 35. εἰς μέσον. Sequitur in secundo exemplari καὶ ἀνακεκράξας *& exclamasset*, quod ex Mar. 4. v. 26. acceptum videtur.

V. 36. τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασιν. Exemplar sextum pro πνεύμασι scribit δαίμοσι, qua in re est singulare.

V. 38. εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος. Secundum exemplar addit καὶ Ἀνδρέου, ex Marco, contra omnium fidem.

V. 41. ἐξήρχετο δὲ καὶ δαιμόνια. Malè addit quartus codex πολλὰ *multa.*

CAPVT V.

V. 5. ἐπιστάτα. Secundus codex scribit διδάσκαλε, quæ interpretatio est veræ lectionis.

Ibidem. χαλάσω τὸ δίκτυον. Exemplaria δ. η. legunt numero plurali τὰ δίκτυα *retia.*

V. 7. ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά. Secundus codex addit παρά τι *pene*, cū Syro & quibusdā Latinis codicibus.

V. 17. εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς. Ita est etiam tam Syriacè quàm Latinè, necnon apud enarratorem Euthymium manifestè. Annotat porrò quidam, se legisse in vno codice αὐτὸν pro αὐτούς, eamque putat germanam esse lectionem, vt αὐτὸν referat Ἰησοῦν, & à parte anteriori construatur, hoc sensu: Adfuisse illic virtutem Domini, vt ipse Iesus sanaret, eos nempe qui opus habebant.

V. 19. καὶ μὴ εὑρόντες ποίας. Meliores libri hoc modo legunt, omisso διὰ (διὰ ποίας) quod addunt alij.

V. 22. ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. Secundus codex addit πονηρά, sequutus errorem scribarum Latinorum, potiùs quàm Matthæi euangelium. vide Latinas varietates.

V. 24. εἶπε τῷ παραλελυμένῳ. In octauo codice est τῷ παραλυτικῷ

V. 25 ἄρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο. Secundi Exemplaris scriptor dedit ἄρας τὴν κλίνην, imitatus quorumdam Latinorum librorū lectionem. vide Latinas varietates.

V. 30. οἱ γραμματεῖς αὐτῶν. Quidam libri omittunt αὐτῶν, conformiter Syro: sed melioribus, qui id legunt cum Euthymij textu, Latina consonant.

V. 36. σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ. Ita est & Latinè: *Rumpit, & veteri non conuenit*. Porrò exemplaria 2. 4. & 8. legunt futuro tempore, σχίσει, συμφωνήσει, *rumpet, conueniet.*

CAPVT VI.

V. 5. καὶ τοῦ σαββάτου. Sequitur in exemplari Parisiensium secundo. τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ· ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ. εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου. quod est: *Eodem die cùm quemdam conspexisset operantem sabbato, dixit ei: Homo, siquidem nosti quid agis, beatus es: sin autē non nosti, execrabilis es & transgressor legis.* Verùm hæc ab Ecclesia nō agnoscuntur.

V. 6. ἐν ἑτέρῳ. Plerique libri præponunt καὶ, quod Latinè etiam legitur.

V. 7. παρετήρουν δέ. Additur in aliis Græcis libris αὐτόν: quod Syriacè exstat, Latinè non.

Ibidem.

Ibidem. ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύσει. Quidam addunt αὐτὸν, quod alij rectiùs omittunt.

Ibidem. ἵνα εὕρωσι κατηγορίας αὐτοῦ. Codices 3.5. & 8. addunt κτ' (κατ' αὐτοῦ) quod si non legendum, at subaudiendum videtur.

V. 9. ἐπερωτήσω ὑμᾶς. In 8. codice legitur præsenti tempore ἐπερωτῶ, vt ferè Latinè *interrogo*. Syriacè est futurum.

Ibidem. τί ἔξεστι. Sic est in plerisque omnibus Græcis & Syricis libris. Porrò idem ille octauus codex legit εἰ ἔξεστι, quemadmodum Latina. vide Commentarium.

Ibidem. ἢ ἀποκτεῖναι Non pauci libri, Latino Syroque adstipulante, legunt ἢ ἀπολέσαι.

V. 10. ὁ δὲ ἐποίησεν οὕτω. Secundum exemplar horum loco legit καὶ ἐξέτεινε. vide Commentarium.

Ibidem. ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιής. Rursus exemplar secundum omittit ὑγιὴς, quemadmodum Syrus: & quamquam adscriptum illud hìc esse opiner ex Matthæo, ex illius tamen vnius Græci exemplaris auctoritate, nolim Græcè omitti. vide varietates Latinas.

V. 26 οὐαὶ ὅταν καλῶς εἴπωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι. Quidam libri addunt ὑμῖν post οὐαί. & πάντες ante οἱ ἄνθρωποι, sed nulli ex antiquis Parisiensium. Syriacè legitur ὑμῖν, sed omittitur πάντες: Latinè contrà, πάντες ferè legitur, ferè autem omittitur ὑμῖν.

V. 28. προσεύχεσθε ὑπὲρ. Quidam libri præmittunt καὶ coniunctionem, quemadmodum Syrus.

V. 37. καὶ μὴ κρίνετε. Quintum & septimum Parisiensium exemplaria, conformia Latino & Syro, omittunt coniunctionem καί.

V. 39. εἶπε δὲ παραβολήν. Octauus codex addit καὶ παραβολὴν, quemadmodum est Latinè.

CAPVT VII.

V. 11. καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς. Octauus codex habet ἐν τῷ ἑξῆς, vt subaudias χρόνῳ. iuxta id quod Latinus Interpres vertit *Deinceps*. Receptæ lectioni fauet Syrica editio, exprimens vocem ἡμέρᾳ: *Et factum est die postero*.

Ibid. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοί. Secundus & octauus codices omittũt ἱκανοὶ, quemadmodũ Latini & Syriaci.

V. 16. τὸν λαὸν αὐτοῦ. Tertius & quintus codices addunt εἰς ἀγαθὸν. quod non est huius loci.

V. 18. περὶ πάντων τούτων. Sextus codex addit τῶν ἔργων αὐτοῦ, ex commentario aliquo.

V. 24. τῶν ἀγγέλων Ἰωάννου. Tres libri pro τῶν ἀγγέλων legunt μαθητῶν, 3.5 6. Huic lectioni Syrus, illi Latinus adstipulatur.

V. 27. οὗτός ἐστι περὶ οὗ. Exemplar sextum addit γὰρ ex Matthæo.

V. 28. μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν προφήτης. Exemplaria 3.5. & 8. omittunt vocem προφήτης, quã & Theophylactus omisisse videtur, vt nec legitur apud Euthymium. Atqui, cum plerisque omnibus Græcis libris, agnoscunt eam Latinus & Syrus veteres Interpretes, & inter veteres tractatores Ambrosius. Videri possit omissa fuisse, ab eis qui Iohannis laudem amplificare studuerint, præsertim cùm Matthæus, cuius scriptura celebrior esset, nihil huiusmodi restrictionis addiderit.

V. 31. τίνι οὖν ὁμοιώσω. Omnia Parisiensium Græca exemplaria, suffragantibus Syricis multisque Latinis, concorditer omittunt, id quod alia quædam his verbis præponunt εἶπε δὲ ὁ κύριος.

V. 41. δύο χρεωφειλέται. Secundum exemplar præmittit ὁ δὲ εἶπε quod non esse legendum, sed subaudiendum, cætera exemplaria Græca cum Latinis docent, tametsi Syrus expresserit: *Dixit ei Iesus*.

V. 45. αὕτη δὲ ἀφ' ἧς εἰσῆλθον. Legendum vt 6. & 14. codices, εἰσῆλθεν, tertia persona, pro eo quod in plerisque omnibus est libris εἰσῆλθον, prima. vide Latinas varietates.

CAPVT VIII.

V. 1. κατὰ πόλιν καὶ κώμην. Contra omnium fidem est in quarto codice χώραν pro κώμην.

Ibidem. καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ. Malè addit quintus codex ἀπόστολοι.

V. 2. αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι. Nihilo maioris momenti est quod sequitur in sexto antigrapho ἀπὸ νόσων καὶ μαστίγων καὶ: hæc enim in eo comprehenduntur quod mox sequitur καὶ ἀσθενειῶν.

V. 3. αἵτινες διηκόνουν αὐτῷ. Exemplaria 4.7.9.12.& 14., pro singulari αὐτῷ, legunt plurale αὐτοῖς, cum Syro. Latina editio & ipsa nonnihil variat.

V. 5. κατέπεσεν αὐτό. Euthymij textus præponit καὶ pro *etiam*, quod alibi non lego.

V. 9. λέγοντες τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη. Plerique libri præponunt λέγοντες, quod omittitur à 2. & 8. exemplaribus, adstipulantibus editionibus Latina & Syra: nec videtur loco conuenire, nisi pro εἴη legas ἐστί, ita vt sit recta oratio.

V. 18. δοθήσεται αὐτῷ. Exemplar secundum subiungit καὶ περισσευθήσεται, quod non est huius loci, sed Matthæi 13. v. 12.

V. 20. καὶ ἀπηγγέλη αὐτῷ λεγόντων. Vnus Græcus codex omittit λεγόντων cum Latino Interprete. Duo alij legunt αὐτῶν pro αὐτῷ, vt sit, *ipsis dicentibus*. Syrus horum loco aliud non habet quàm, *Et dixerunt illi*.

V. 24 ἐπιστάτα. Plerique Græci codices, suffragantibus Syricis, geminant nomen ἐπιστάτα, quemadmodum fieri solet ab iis qui in extremo periculo constituti citam alicuius opem implorãt. Porrò Græcus Regij operis textus, & alij quidam, vt Latina editio, semel scripsisse contenti sunt.

Ibidem. καὶ ἐπαύσαντο. Ita, numero inquam multitudinis, ferè legunt codices Græci, suffragantibus Syricis. Duo autem, tertius & quintus, ita vt Latinè est, ἐπαύσατο habent, numero singulari.

Ibidem. καὶ ἐγένετο γαλήνη. Non est addendum μεγάλη, quod in quibusdam hìc legitur, ex prioribus Euangelistis assumtum.

V. 26. εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν. In 8. exemplari est Γεργεσηνῶν, in secundo Γερασηνῶν. ex arbitraria, quod existimo, emendatione: tametsi 8. exemplar sibi constet infrà v. 37. & vtrumque Marc. 5. v. 1. vbi hac de varietate latiùs.

V. 31. εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. In sexto & nono est εἰσελθεῖν. erroneè, quod arbitror.

V. 32. ἀγέλη χοίρων ἱκανῶν βοσκομένων. Ita est & Latinè: *Grex porcorum multorum pascentium*. Porrò secundus, tertius & quintus codices habent βοσκομένη *pascens*, quo modo etiam Syrum scriptũ & versum est.

V. 34. τὸ γεγενημένον. In aliis est τὸ γεγονημένον.

V. 42. οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτόν. In octauo codice est συνέθλιβον.

V. 43. ἥτις ἰατροῖς προσαναλώσασα. Ita legitur in optimis quibusque libris, pro eo quod in aliis ἥτις εἰς ἰατρούς.

V. 51. οὐδένα εἰσελθεῖν. Octauus codex addit οὐδένα σὺν αὐτῷ *neminem secum*, conformiter Latino.

Ibidem. καὶ Ἰωάννην καὶ Ἰάκωβον. Ab aliis libris præponitur Iacobus: qui ordo Latinis & Syricis libris consonat.

Ibidem. καὶ τὸν πατέρα τῆς παιδός. In secundo exemplari est τὸν πατέρα.

V. 52. ἐκ ἀπέθανε. Sic legitur etiam Latinè. Octauum exẽplar habet οὐ γὰρ ἀπέθανεν, *non enim mortua est.*

V. 54. ἐκβαλὼν ἔξω πάντας καὶ. Secũdum & octauum exemplaria, omissis his verbis, legũt αὐτὸς δὲ κρατήσας, Latino cõsentaneè: qua de re latiùs in Cõmentario.

CAPVT IX.

V. 1. τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ. Octauus codex pro μαθητὰς habet ἀποστόλους, quemadmodum Latina editio. Syrus neutrum habet.

Ver. 3. μήτε ῥάβδους. Rursus 8. codex conformiter Latino legit ῥάβδον numerò singulari.

V. 4. καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. Quemadmodum est Latinè vnus codex qui omittat negationem: ita Græcè vnus (θ.) qui addat καὶ ἐκεῖθεν μὴ ἐξέρχεσθε.

V. 11. ἰᾶτο. In 6. & 8. codicibus est ἰάσατο.

V. 15. καὶ ἀνέκλιναν ἅπαντας. In aliis pro quarto casu est primus ἅπαντες. vide Latinas varietates.

V. 16. εὐλόγησεν αὐτούς. Reiiciendum est illud quod additur à 2. exemplari προσηύξατο καὶ εὐλόγησεν *orauit & benedixit:* nullius est enim auctoritatis.

V. 17. καὶ ἦρθη τὸ περισσεῦσαν. In 2. & 4. est τὸ περίσσευμα, quod idem vnum est.

V. 23. καθ' ἡμέραν. Græcorum librorum, alij legunt particulam hanc; alij, primus, 4. 7. 9. 12. 14., demunt. His suffragantur enarratores Theophylactus & Euthymius, cùm non attingunt: illis volunt veteres Interpretes Latinus & Syrus, qui expresserunt.

V. 31. τὴν ἔξοδον αὐτοῦ. D. Chrysostomus homilia in Matthæum 57. legit & exponit τὴν δόξαν αὐτοῦ Euthymius notat ita legi in quibusdam exemplaribus, exponens & ipse, quì crux gloria fuerit Christi. Atqui vetus hoc fuisse mendum, satis loquuntur consonantia hodie exemplaria Græca, conspirantibus Latina & Syrica editionibus.

V. 35. ὁ ἀγαπητός. Exemplaribus 6. & 8. additum est hîc ex Matthæo ἐν ᾧ εὐδόκησα.

V. 39. καὶ ἐξαίφνης κράζει. Subdit exemplar secundum καὶ ῥήσσει, vt Latinæ editioni respondeat, quæ similiter subiicit *& elidit.* Cæteroqui non est istud siue Græcè siue Syriacè, viderique possit Latinè huc esse adiectum ex ver. 42. subsequente.

Ibid. συντρίβον αὐτόν. Minùs probatur quod in quibusdam codicibus est συντρίβοντος αὐτόν.

V. 43. οἷς ἐποίησεν. Exemplar 8. scribit οἷς ἐποίει vt propiùs respondeat Latino, quasi aoristus non possit imperfecto reddi.

V. 47. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἰδών. In quibusdam codicibus est εἰδὼς *cùm cognouisset*, quo modo & Syrus vertit *idah.* Atqui vulgaris lectio Latino consonat.

V. 50. μὴ κωλύετε. Sequitur in codicibus sexto & 8. οὐ γάρ ἐστι καθ' ὑμῶν *Non enim est aduersum vos:* quod superfluum esse non dubium est.

Ver. 52. εἰς κώμην Σαμαρειτῶν. Ita est etiam Syriacè. Codex nonus pro κώμην legit πόλιν, quemadmodum est Latinè.

Ver. 59. ἐπίτρεψόν μοι ἀπελθόντι. Quod exemplaria tertium, quartum, quintum & nonum, pro ἀπελθόντι legunt ἀπελθεῖν, Euangelij secundùm Matthæum est.

V. 62. καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω. In tribus libris pro βλέπων, est στραφείς.

CAPVT X.

V. 1. καὶ ἑτέρους ἑβδομήκοντα. & ver. 17. ὑπέστρεψαν δὲ οἱ ἑβδομήκοντα. Hæc est constans lectio Græcorum librorum, nisi quòd vnus eorum quos inuenerimus, priori loco, alter posteriori, scribit ἑβδομήκοντα δύο, vt Latini libri. lege Notationes olim à nobis editas.

V. 11. ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν. Quod sequitur in exemplaribus, secundo, tertio, quinto, & octauo, εἰς τοὺς πόδας ὑμῶν, quamuis legatur apud Syrum, non videtur tamen huius esse loci, sed Matth. 10. v. 14. vel Marci 6. ver. 11.

V. 20. χαίρετε δέ. Non addas μᾶλλον.

V. 21. ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι. Exemplaria Græca 2. 3. & 8. addunt ἁγίῳ, vt Syriaca & integriora Latina. vide Latinas varietates.

V. 22. πάντα μοι παρεδόθη. Ante hæc verba legunt plerique Græci codices cum Syricis καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπε *Et conuersus ad discipulos dixit.* Cæterùm octauus Parisiensium codex & noster Regius, cum Latina editione, ea non agnoscunt. Ac videri possint in textum relata, ex alicuius ad marginem adnotatione, volentis docere, eadem hîc subaudienda, quæ mox versu 23. exprimuntur: cùm tamen potiùs, ex eo quòd illic sequantur, intelligere hîc oporteat, Saluatorem, non ad discipulos se conuertisse, sed mansisse vultu ad Patrẽ in cælos defixo.

Ver. 23. κατ' ἰδίαν εἶπε. Secundus codex omittit κατ' ἰδίαν vt Latini, & eius loco legit αὐτοῖς. vide Commentarium.

V. 39. παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, ἤκουε τὸν λόγον αὐτοῦ. Pro Ἰησοῦ in octauo codice est κυρίου, quemadmodum Latinè & Syriacè; Pro quarto casu τὸν λόγον, in α. ι. θ. ιϛ. est secundus pluralis τῶν λόγων.

V. 41. καὶ τυρβάζῃ. Octauus καὶ θορυβάζῃ.

CAPVT XI.

V. 2. γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Exemplar Bibliothecæ Vaticanæ omittit hanc partem, conformiter editioni Latinæ.

V. 4. καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν. Sunt qui addant alterum καὶ, hoc modo, καὶ γὰρ καὶ αὐτοί. *etenim & ipsi.*

V. 5. καὶ εἴπῃ αὐτῷ. Exemplaria 2. 3. 5. & 6. pro εἴπῃ scribunt futurum indicatiui ἐρεῖ, quod & Latinè legitur.

V. 8. ὅσων χρῄζει. Exemplaria Parisiensium omnia, pro genitiuo plurali ὅσων, scribunt accusatiuum singularem ὅσον: vtrique enim casui iungitur χρῄζω, sed cum illo vertendum potiùs *quotquot opus habet*, cum hoc *quotquot est.*

V. 10. καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται. Secundus codex, pro ἀνοιγήσεται, legit præsens ἀνοίγεται *aperitur.*

V. 11. τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα. In quibusdam codicibus legitur pro quarto primus casus, τίς δὲ ὑμῶν ὁ πατήρ, quemadmodum Latinè.

V. 13. ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ. Sextus codex addit pronomen secundæ personæ ὁ πατὴρ ὑμῶν, quod etiam Latinè & Syriacè legitur.

Ibidem. πνεῦμα ἅγιον. Exemplaria 6. & 8., pro ἅγιον *sanctum*, quod Græcè & Syriacè vulgò legitur, habent ἀγαθὸν *bonum*, cum Latina editione.

Versui 15. finienti in hæc verba ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, quatuor libri subiiciunt καὶ ἀποκριθεὶς εἶπε, πῶς δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν; quod non est huius loci, sed ex Marco acceptum cap. 3. v. 23.

V. 22. καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσι. Tertium exemplar pro τὰ σκῦλα *spolia*, scribit τὰ πάντα *vasa:* id quod est ex aliis Euangelistis huc adsumtum.

V. 29. ἡ γενεὰ αὕτη πονηρά ἐστι. Exemplaria 6. & 8., consentaneè editioni Latinæ, addunt alterum γενεὰ (ἡ γενεὰ αὕτη γενεὰ πονηρά ἐστι.) Alij Græci libri omittunt posterius γενεὰ cum textu Syrico.

V. 33.

V. 33. εἰς κρυπτὴν τίθησι. Omnia Parisiensium exemplaria antiqua, cum Regio, pro adiectiuo κρυπτὸν *occulto* seu *absconditο*, legunt substantiuum κρυπτὴν *cryptam*.

V. 34. φωτεινόν ἐστιν. Exemplar tertium, pro præsenti ἐστὶν *est*, habet futurum ἔσται *erit*, quomodo Latinè & Syriacè legimus. Illud idem cum quinto, in fine huius versiculi, post vocem σκοτεινὸν, addit ἔσται *erit*, sicut Latina & Syra: id quod alia exemplaria Græca relinquunt subaudiendum.

V. 38. ὁ δὲ φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη. Exemplar secundum habet ὁ δὲ φαρισαῖος ἤρξατο διακρινόμενος ἐν ἑαυτῷ λέγειν, διατί οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη, quæ fuit lectio veteris Interpretis.

V. 41. πλὴν τὰ ἐνόντα. Sequitur adiectum in tribus exemplaribus πάντα, quod cum aliis nec Latina aut Syra agnoscunt.

Ibid. καθαρὰ ὑμῖν ἐστι. Futurum ἔσται, quod legitur in 6. codice, explicatio est præsentis ἐστί.

V. 42. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι. Exemplaria 6. & 8. addunt coniunctionem δὲ *autem*, quemadmodum Latina & Syra editiones, quam alia exemplaria omittunt.

V. 44. οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα. Sic legitur, non tantùm Græcè, sed & Syriacè. Manuscriptum α., conformiter Latinæ editioni, omittit hæc verba γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, quæ verisimile est addititia esse, qua de re lege Commentarium.

V. 51. ἀπὸ τοῦ αἵματος ἄβελ. Sequitur τοῦ δικαίου in codicibus tertio, quarto, quinto, quod non est huius loci, sed Matth. 23. v. 35.

Ver. 52. ὅτι ἤρατε. In exemplari secundo pro ἤρατε est ἐκρύψατε *abscondistis*, qui est sensus germanæ lectionis.

V. 53. δεινῶς συνέχειν. Regius textus ex Complutensi, pro ἐνέχειν, quod in plerisque est, habet συνέχειν.

Ibidem. ἀποστοματίζειν. Quartus & octauus codices ἀποστηθίζειν: quidam, Euthymij Interprete annotante, ἐπιστομίζειν.

CAPVT XII.

V. 7. πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς. Tres codices, quintus, quartus, primus, & ex hoc Regius, addunt ὑμεῖς, quod videri possit huc adscriptum ex Matthæo 10. ver. 31.

V. 15. ἀπὸ τῆς πλεονεξίας. Exemplaria 2. & 8. pro articulo τῆς, scribunt nomen πάσης, conformiter editionibus Syriacæ & Latinæ.

Ibidem. ἡ ζωὴ αὐτοῦ. In 4. 7. 12. & 14., pro secundo casu αὐτοῦ, est tertius αὐτῷ.

V. 18. πάντα τὰ γενήματά μου. Octauus codex scribit πάντα τὸν σῖτον μου, qua in re est singulare.

V. 21. καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν. Sequitur in exemplaribus γ. δ. ε. ζ. & θ. ταῦτα λέγων ἐφώνει, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω: quod nec Latinè nec Syriacè exstat hoc loco.

V. 23. ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι. Exemplaria 5. & 6. præponunt οὐχὶ *nonne*, ex Matth. 6. v. 25. haud dubiè huc adscriptum.

V. 31. καὶ ταῦτα πάντα. Non videtur omittendum πάντα, tametsi à 6. 8. & 9. exemplaribus absit.

V. 56. πῶς οὐ δοκιμάζετε. Octauum exemplar habet πῶς οὐκ οἴδατε δοκιμάζειν;

V. 59. καὶ τὸ ἔσχατον λεπτόν. Ita est & in omnibus Parisiensium codicibus: in aliis est neutro genere τό.

CAPVT XIII.

V. 5. ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε. In quibusdam libris, pro præsenti, est aoristus μετανοήσητε, quemadmodum Latinè *pœnitentiam egeritis*.

V. 7. ἰδοὺ τρία ἔτη. subdit octauus codex ἀφ' οὗ, vt exprimat, id quod Latinè legitur *ex quo*: quemadmodum mox vbi sequitur ἔκκοψον αὐτήν, addit οὖν, quia Latinè est *ergo*.

Ibidem. ἱνατί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ; Quartum exemplar habet ἵνα μὴ καὶ τὴν γῆν καταργῇ *Ne etiam terram occupet*.

V. 8. καὶ βάλω κόπρια. Ita est & in omnibus Parisiensium: in aliis est generis fœminini numero singulari κοπρίαν.

V. 15. ὑποκριταί. In aliis libris legitur numero singulari ὑποκριτά, consentiente Syro: plurale autem ab Euthymio disertè explicatur.

V. 24. διὰ τῆς στενῆς πύλης. Secundus codex cum 8., pro πύλης legit θύρας, contra aliorum omnium fidem.

V. 25. ἀφ' οὗ ἂν ἐγερθῇ. Pro ἐγερθῇ est εἰσέλθῃ in secundo, vt Latinè *intrauerit*.

V. 34. τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτήν. Quidam in vno codice legit participium præsens ἀποστελλομένους, quo modo est Latinè.

V. 35. ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. Manuscripta 3. 4. 5. 6. 7. 8. omittunt vocem ἔρημος, adstipulantibus Euthymio & Theophylacto, tamquam huc adiectam ex simili loco Matthæi, cap. 23. v. 37. vide Latinas varietates.

CAPVT XIV.

V. 5. καὶ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε. Exemplaria 2. 3. 4. 8. omittunt ἀποκριθεὶς, conformiter Syro, quod alia legunt consentaneè Latino.

Ibid. τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς. Codices 4. 6. 7. 12. & 14., pro ὄνος *asinus*, legunt υἱὸς *filius*, suffragante Syro, & Enarratoribus Tito ac Theophylacto. Euthymius porrò alteri lectioni fauet; vt & Latina editio.

V. 15. ὃς φάγεται ἄριστον. Regium ex Complutensi & reliqua omnia Parisiensium exemplaria scribunt ἄριστον *prandium*, quomodo etiam legitur apud Euthymium & Theophylactum. Porrò alia exemplaria scribunt ἄρτον *panem*, consonantibus editionibus Latina & Syra.

V. 24. μου τοῦ δείπνου. Sequitur in 3. 6. 7. & 9. codicibus πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί; sed superfluè: non enim est huius loci.

CAPVT XV.

V. 10. χαρὰ γίνεται. Secundus pro γίνεται habet ἔσται, vt Latinè non solum, verùm etiam vt Græcè suprà v. 7. nam & Latinè vtrobique est futurum *erit*, Syro consentiente.

V. 17. ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι. Octauus interiicit ὧδε *hic*, suffragante Latino & Syro.

V. 19. καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος. Exemplaria γ. ε. ϛ. η. omittunt καὶ coniunctionem, quam Syriaca editio addit, nam Latina variat.

V. 21. καὶ οὐκέτι. Et hîc β. & ι. omittunt καὶ coniunctionem, idque conformiter editioni Latinæ, in qua nullam hoc loco varietatem inueni: nam Syriaca addit vt suprà.

V. 22. ἐξενέγκατε. Exemplaria 2. & 8. præponunt aduerbium ταχέως *citò*, vt editio Latina.

V. 26. ἕνα τῶν παίδων. Nec δούλων addendum est, nec αὐτοῦ, quæ neque vel à Latina vel à Syriaca editione agnoscuntur.

CAPVT XVI.

Ver. 6. ἑκατὸν βάτους ἐλαίου. Exemplaria 2. & 8. pro βάτους scribunt κάδους, vt est Latinè *cados*; Syrus *metretas*. Metreta nomen est Græcum, batus Hebraicum, cadus tribus linguis commune, vnius eiusdemque mensuræ.

V. ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου. Secundus codex his verbis præponit διὸ λέγω ὑμῖν *propterea dico vobis*, quod alibi non legitur.

V. 19. ἄνθρωπος δέ τις ἦν. Rursus secundus codex his verbis præmittit εἶπε δὲ καὶ ἑτέραν παραβολὴν, & consequenter omittit coniunctionem δέ: quæ profectò manifestè adulterina sunt.

CAPVT XVII.

Ver. 1. πρὸς τοὺς μαθητάς. Additur αὐτοῦ *suos*, quod Latinè quoque & Syriacè legitur, in tribus exemplaribus Græcis, vt quidam annotat.

V. 2. εἰ μύλος ὀνικός. In exemplaribus secundo, 6. & 8. est εἰ λίθος μυλικός. Huic lectioni Latina, illi Syra suffragantur.

V. 3. ἐὰν δὲ ἁμάρτῃ. Quintum exemplar omittit δὲ *autem*, adstipulantibus editionibus Syrica & Latina.

V. 4. ἐπιστρέψῃ ἐπί σε. Quidam libri omittunt ἐπί σε. quod in aliis legitur conformiter Latino ac Syro.

V. 7. εἰσελθόντι ἐκ τοῦ ἀγροῦ. Quartus codex pro εἰσελθόντι habet ἐλθόντι.

V. 23. ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ. Non est addendum ὁ χριστὸς post ἐκεῖ.

V. 36. δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται. Hoc Regia Biblia ex Complutensibus legunt, cum quatuor aliis Parisiensium codicibus γ. ε. ς. ζ., suffragante Syriaca editione. Complures autem Græci codices omittunt, suffragantibus enarratoribus, Euthymio, Theophylacto, & Auctore operis in Matthæum imperfecti. Et hi quidem, Auctor imperfecti atque Euthymius, in Matthæum scribentes, annotant Matthæum posuisse duos in agro, pro eo quod Lucas duos in lecto. Eadem varietas est in libris Latinis.

V. 37. ὅπου τὸ σῶμα. In aliis libris est πτῶμα: sed veram lectionem esse σῶμα, & hoc quidem Lucæ, illud Matthæi esse, testatur Euthymius.

Ibidem. καὶ οἱ ἀετοί. Alij libri omittunt καὶ. vide Latinas varietates.

CAPVT XVIII.

V. 8. καὶ λέγω ὑμῖν. Plerique libri omittunt καὶ, conformiter Latinis & Syricis.

V. 9. εἶπε δὲ πρός τινας. Alij libri interponunt καὶ cum Latinis, alij omittunt cum Syricis.

V. 13. εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ. Exemplaria 3. & 8. omittunt εἰς præpositionem.

V. 14. ἢ γὰρ ἐκεῖνος. A quibusdam omittitur γὰρ, à 2. & 8. legitur παρ' ἐκεῖνον.

V. 22. πάντα ὅσα ἔχεις. Non est præponendum ὅμως, quod in tertio codice legitur ex prioribus Euangeliis, quamquam etiam Syriacè apud Lucã exstet.

V. 31. τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου. Exemplar 2., imitatum editionem Latinam, scribit περὶ τοῦ υἱοῦ.

CAPVT XIX.

V. 21. καὶ θερίζεις ὃ οὐκ ἔσπειρας. Exemplar sextum addit καὶ συνάγεις ὅθεν οὐ διεσκόρπισας, quemadmodum & versu 22. proximo addit καὶ συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισα: verùm illud haud dubium ex Matthæo huc translatum est, qui hoc scripsit loco eius quod habet Lucas αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας, αἴρων ὃ οὐκ ἔθηκα.

V. 23. τῆς τραπέζης. Sic Regia Biblia ex Complutensibus. Alij libri huius loco legunt quod Latino Syroque conforme est, ἐπὶ τὴν τράπεζαν.

V. 26. δοθήσεται. Exemplar 9. addit καὶ περισσευθήσεται, quod non est huius Euangelij, sed illius quod secundùm Matthæum cap. 13. v. 12. & 25. v. 29.

V. 32. καθὼς εἶπεν αὐτοῖς. Sextus codex addit, quod Latinè additur, ἑστῶτα τὸν πῶλον *stantem pullum*.

Ver. 46. οἶκος προσευχῆς ἐστιν. In octauo codice, pro præsenti ἐστιν, quod Latino consonat & Syro, legitur futurum ἔσται.

CAPVT XX.

Ver. 1. τῶν ἡμερῶν ἐκείνων Non omittas ἐκείνων, tametsi exemplaria, secundum, quartum, & octauum, cum Latina editione, omittant.

Ibidem. οἱ ἀρχιερεῖς. Non mutes cum ἱερεῖς, tametsi nonnulli codices id faciant.

V. 2. λέγοντες. Non est omittendum ex fide vnius β., tametsi Syrica editio consentiat.

V. 19. καὶ ἐφοβήθησαν. Multi libri addunt vocem τὸν λαόν: quam sex Parisiensium exemplaria, & ex Complutensibus Regia, omittunt: quamquam & Latinus & Syrus Interpretes eam legerint.

V. 20. ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου In 2. codice est numero plurali τῶν λόγων.

V. 21. καὶ οὐ λαμβάνεις πρόσωπον. Rursus in secundo codice pro οὐ est οὐδενός: Latinè tamen & Syriacè nihil amplius est quàm οὐ *non*.

V. 24. ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον. Sequitur in 3. 4. 5. & 8. exemplaribus, οἱ δὲ ἔδειξαν. καὶ εἶπεν *Illi autem ostenderunt. Et ait.* quæ adiectitia esse, manifestum vel ex eo fit, quòd nec à Latinis & Syris agnoscantur.

V. 35. οὔτε ἐκγαμίζονται. Ita est in Regiis ἐκγαμίσονται futurum, à præsenti, siue ἐκγαμίζονται, siue ἐκγαμίσκονται, quod est in plerisque libris, Syro conformiter. Latina variant.

V. 47. καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχονται. Citra dubium scribendum est aduerbium μακρά, non, quod in Regiis & plerisque est libris, nomen μακρᾷ.

CAPVT XXI.

Versui quarto subiicitur à nono & 14. exemplaribus ταῦτα λέγων ἐφώνει, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. Verum id alius non legit hoc loco.

V. 16. καὶ ὑπὸ γονέων, καὶ συγγενῶν, καὶ φίλων, καὶ ἀδελφῶν. In aliis is est ordo, vt ἀδελφῶν ponatur proximè post γονέων, probatus etiam Latinis ac Syris.

Ver. 25. ἐν ἀπορίᾳ. Euthymius legisse videtur ἐν ἀπορροίᾳ, iungens sequentibus, hoc sensu: Per defluxum resonante mari ac fluctu. *Defluxum*, inquit, *dicit, tranquillitatem ventorum*: *Nam absque ventis resonabit præter naturam mare ac fluctus eius.*

V. 26 ἐν τῇ οἰκουμένῃ. Alij libri omittunt ἐν præpositionem, Latino consentaneè.

V. 34. καὶ αἰφνίδιος. Exemplaria 3. 5. 6. legunt aduerbium αἰφνιδίως.

V. 36. ἐκφυγεῖν πάντα. Alij libri addunt ταῦτα πάντα, prout etiam Latini.

CAPVT

CAPVT XXII.

V. 5. ἀργύριον δοῦναι. Exemplaria 3. 6. & 14., pro singulari ἀργύριον, legunt plurale ἀργύρια, id quod propè accedit ad Matthæum scribentem τριάκοντα ἀργύρια.

V. 30. ἐν τῇ βασιλείᾳ μου. Hoc omittunt quidam Græci libri, quinque Parisiensium, suffragantibus Euthymij & Theophylacti commentariis: sed plerisque qui addunt, adstipulantur editiones Syriaca & Latina.

Ibidem. καὶ καθίσησθε ἐπὶ θρόνων. Omnia Parisiensium exemplaria, & ex Complutensi Regium, scribunt futurum indicatiui καθίσεσθε: atqui coniunctiuus καθίσησθε, vt quadrare aptiùs videtur, ita respondet editioni Latinæ. Mox decimussextus codex, voci θρόνων præponit δώδεκα, sed quod alibi non inueniatur.

V. 34. πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ. In tribus codicibus, 3. 5. & 12., pro πρὶν ἢ *priusquam*, legitur ἕως οὗ *vsquequo*, quod est Euangelij secundùm Iohannem cap. 13. ver. 38.

V. 36. ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω. Secundum exemplar legit futurum indicatiui ἀρεῖ, contra alia omnia.

Ibidem. πωλήσει τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγοράσει μάχαιραν. Regium exemplar ex Complutensi, cum sex aliis Parisiensium, legit futura indicatiui, πωλήσει, ἀγοράσει: sed imperatiua πωλησάτω ac ἀγορασάτω, respondét, & Græcorum commentariis, & editioni Latinæ.

V. 41. εἰ βούλει παρενεγκεῖν. Exemplaria secundum & 5., pro infinitiuo, legunt imperatiuum παρένεγκε, similiter Latinæ editioni.

V. 47. φιλῆσαι αὐτόν. Quod sequitur in Bibliis Regiis τοῦτο γὰρ σημεῖον δεδώκει αὐτοῖς, ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι, quamquam Syriacè legatur, in plerisque tamen omnibus Græcis libris haud exstat, vt nec Latina editio agnoscit. Verisimile est, ex prioribus Euangelistis, huic, ad marginem, commentarij loco, adscriptum, in textum tandem relatum esse.

V. 61. ὅτι πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι. Non addas σήμερον *hodie*, quod quidam.

V. 64. καὶ περικαλύψαντες αὐτόν, ἔτυπτον αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐπηρώτων. Tertius codex non ampliùs habet quàm καὶ περικαλύψαντες αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, ἐπηρώτων: omittit voculas αὐτὸν & ἔτυπτον, sed malè (opinor) contra fidem Latinorum & reliquorum Græcorum codicum. Syrus similiter legit voculas illas, sed versu superiori omittit δέροντες *cædentes*. Certè videri possit alterum superfluere, vel versu 63. δέροντες, vel versu 64. αὐτὸν ἔτυπτον, quamquam non facilè id statuendum est.

V. 66. καὶ ἀπήγαγον αὐτόν. Rectiùs in aliis libris est ἀνήγαγον.

CAPVT XXIII.

Ver. 1. ἤγαγεν αὐτόν. In quibusdam libris scribitur plurale ἤγαγον, quod legit Latinus Interpres.

V. 2. διαστρέφοντα τὸ ἔθνος. Exemplaria 3. 5. & 8. addunt pronomen ἡμῶν, conformiter Latino & Syro, quod alia omittunt.

V. 15. ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτόν. Sic legunt plerique omnes libri cum Latinis & Syricis. Quidam Parisiensium γ. ι. ιδ. scribunt è conuerso ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς *remisit enim eum ad nos*.

V. 20. προσεφώνησε. Exemplaria secundum & octauum addunt αὐτοῖς, quemadmodum Latinè & Syriacè legitur *ad eos*.

V. 21. οἱ δὲ ἐπεφώνουν. In quibusdam libris est simplex ἐφώνουν.

V. 22. οὐδὲν αἴτιον θανάτου. Sic legitur etiam Latinè. Exemplaria 6. & 8., pro αἴτιον legunt ἄξιον. Syrus vtrumque iunxit, vt paraphrastem aliquando agit: *Nullam causam dignam morte*.

V. 23. καὶ τῶν ἀρχιερέων. Octauum exemplar omittit istud, quemadmodum Latina editio: Syriaca verò legit.

V. 25. ἀπέλυσε δὲ αὐτοῖς. Quidam codices omittunt αὐτοῖς, quod tamen etiam Latinè & Syriacè legitur.

V. 41. οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε. Secundus codex explicat ἄτοπον per πονηρόν.

V. 46. παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. Pro futuro παραθήσομαι, reperitur præsens παρατίθεμαι in exemplaribus secundo, tertio, quinto, παρατίθημι in sexto & 9.: ad quem modum Latinus & Syricus Interpretes dederunt præsentia.

V. 54. καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. Omnia Parisiensium exemplaria omittunt coniunctionem καὶ, nescio quo consilio.

CAPVT XXIV.

V. 18. σὺ μόνος παροικεῖς ἱερουσαλήμ. Sic Regius textus & sex alia Parisiensium exemplaria, omittunt præpositionem ἐν, quam alij addunt.

V. 28. καὶ αὐτὸς προσεποιεῖτο. In secundo & octauo est προσεποιήσατο.

V. 32. καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν. Exemplar 2. pro καιομένη *ardens*, legit κεκαλυμμένη *obtectum*.

NOTÆ

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS GRÆCÆ EVANGELII SECVNDVM IOHANNEM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV 3. καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Exemplar tertium distinguit hoc modo καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. De hac interpungẽdi diuersitate lege Latinas varietates: prior ferè Græcorum, posterior Latinorum Interpretum est, quamquam & Cyrillus posteriorem sequatur.

V. 14. πλήρης χάριτος. Manuscripta secundum & quartum, pro primo casu πλήρης, legũt quartum πλήρη; quem & Theophylactus legisse videtur, cùm referat ad δόξαν, non vt Nonnus & Euthymius ad λόγος.

V. 26. ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι. Codices 5. & 12. addunt ὑμᾶς: sed quod, vt non à plerisque Græcis, ita nec à Latinis ac Syriacis, agnoscatur.

V. 27. τοῦ ὑποδήματος. Sequitur in quinto exemplari αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί, quod non est huius loci, sed Matth. 3. v. 11.

V. 28. ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ ἐγένετο. Ita legunt, vt Regia Biblia, sic omnia Parisiensium Græca exemplaria, præter alia aliàs à nobis nominata, adstipulantibus editionibus Latina & Syriaca. Alij libri pro Βηθανίᾳ scribunt Βηθαβαρᾷ, quos emendatiora esse exemplaria Chrysostomus cum Theophylacto & Euthymio discipulis suis credit. Hac de varietate latiùs olim in Notationibus egimus.

V. 39. ὥρα ἦν. Sic Regius ex Complutensi & omnes Parisiensium codices, omittunt coniunctionem δὲ, quam alij addunt cum Latinis & Syricis.

V. 41. εὑρίσκει οὗτος πρῶτος. Antigrapha ζ. & ιδ. pro πρῶτος legunt πρῶτον, consentiente editione Latina, & adstipulante Græca Nonni paraphrasi.

V. 42. ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ. Pro Ἰωνᾶ, in octauo codice est Ἰωάννου quemadmodum Nonnus poëta ait Ἰωάννεω. vide infrà 21. v. 15.

CAPVT II.

V. 15. καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων. Octauus codex addit ὡς φραγέλλιον, conformiter Latino; cæteri omittunt ὡς, similiter Syro. Aliud exemplar pro plurali σχοινίων legit singulari σχοινίου, quo modo & Syra scribuntur.

V. 17. καταφάγεταί με. In aliis, pro futuro καταφάγεται, est aöristus κατέφαγε.

V. 22. ὅτι τοῦτο ἔλεγεν αὐτοῖς. Pronomen αὐτοῖς, vt aufertur ab omnibus Parisiensium Græcis exemplaribus, ita à Latina versione & Syriaca.

CAPVT III.

V. 25. ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου μετὰ Ἰουδαίων. Omnia Parisiensium exemplaria, præter Complutense, legunt numero singulari Ἰουδαίου, quo modo legit & Syriaca editio, addens *had, vno* (*cum Iudæo vno*) & exponunt enarratores, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Nonnus paraphrastes. Porrò Cyrillus Alexandrinus & Latina editio, Latinique tractatores, adstipulantur numero plurali Ἰουδαίων.

CAPVT IIII.

V. 1. ὡς οὖν ἔγνω ὁ Ἰησοῦς. Pro Ἰησοῦς, quod legitur etiam Latinè ac Syriacè, multi Græci libri habent κύριος.

V. 14. γενήσεται ἐν αὐτῷ. Exemplaria tertium & nonum omittunt præpositionem ἐν.

V. 25. οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται. Exemplaria quartum & octauum legunt plurale οἴδαμεν, pro singulari οἶδα, quod tamen est etiam Latinè ac Syriacè.

V. 27. καὶ ἐθαύμασαν. In tertio codice est præteritum imperfectum ἐθαύμαζον, vt Latinè.

V. 35. ὅτι τετράμηνός ἐστι. Multi libri addunt ἔτι *adhuc*, conformiter Latino. Rursus quidam pro masculino scribunt neutrum τετράμηνον.

V. 41. ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. Legitur εἰς αὐτὸν, etiam Syriacè: sed plerique libri omittunt. Latini similiter variant.

CAPVT V.

V. 2. ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα: Sic, cum Regio, plerique omnes libri, scribunt, prius nomen tertio, posterius primo casu. Quidam vtrumque scribunt tertio casu ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. Theophylacti Romæ excusi textus, commentario consentiente, omissis præpositione & articulo, vtrumque scribit primo casu προβατικὴ κολυμβήθρα. lege Latinas varietates, & Notationes nostras in varias Bibliorum lectiones.

Ibidem. ἑβραϊστὶ Βηθεσδά. Non temerè mutandũ Βηθεσδὰ cũ Βηθσαϊδά, docemus in varietatibus Latinis.

Ver. 3. ξηρῶν. Sequitur in secundo codice παραλυτικῶν, quod nullus alius legit.

V. 4. ἄγγελος γάρ Exemplaria tertium & nonum subiiciunt κυρίου, quemadmodum editio Latina.

Ibidem. καὶ ἐτάρασσε. In quatuor est ἐταράσσετο.

V. 5. ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. Sequitur αὐτοῦ in octauo & quarto, vt Latinè *sua*.

V. 10. οὐκ ἔξεστι. Non præponas coniunctionem καί.

V. 16. καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι. Hoc plerique omnes codices legunt, Syro consentiente: secundus & octauus omittunt, cum editione Latina, & Nonno Græco paraphraste, adstipulante quoque Cyrilli commentario.

V. 30. τοῦ πέμψαντός με πατρός. A secundo, tertio & octauo antigraphis omittitur πατρός, conformiter editionibus Syriacæ ac Latinæ.

V. 32. ὁ μαρτυρία. Non subiicias ex β. pronomē αὐτοῦ.

V. 41. δόξαν παρ' ἀνθρώπων. In quatuor est singulare ἀνθρώπου.

V. 44. δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες. Non mutes ἀλλήλων cum ἀνθρώπων, quod est in quarto & quinto.

CAPVT VI.

V. 11. διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις. Octauum exemplar non aliud habet quàm διέδωκε τοῖς ἀνακειμένοις, cui Interpretes Latinus & Syrus, necnon Nonnus poëta, suffragantur.

Ibidem. ὅσον ἤθελον. In quibusdam libris est ὅσον ἤθελεν numero singulari, *quantum volebat*, scilicet, Iesus: quod cùm non perinde inueniatur in bonis libris, minoris est auctoritatis. Nam & contradicunt Latini Syricique codices.

V. 15. πάλιν ἀνεχώρησεν εἰς τὸ ὄρος. Multi libri omittunt πάλιν, adstipulante Syro: multi addunt, adstipulante Latino.

V. 17. καὶ οὐκ ἐληλύθει. In 2. & 8. codicibus est οὔπω *nondum*, pro eo quod ex aliis exemplaribus Latino Syroque consonat, οὐκ *non*.

Ibidem. Ei quod sequitur πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, non est addendum εἰς τὸ πλοῖον, quod additur à tertio codice.

V. 22. ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Legunt hanc pericopen plerique omnes hodie Græci codices, suffragantibus Syricis. Vnus porrò Parisiensium octauus omittit, adstipulantibus Latinis: cui vult & Nonnus Græcus paraphrastes, dum illius loco addit ἀπλώτου *non nauigans* (εἰ μὴ μιᾶς μία μούνου ἀπλώτου *nisi vna solum nauis non nauigans*) in diuersum longè sensum. Porrò facilè potest pericope illa intelligi ex eo quod sequitur: *Et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent*. Syri eam legunt hoc pacto: *Nisi illa quam conscenderant discipuli*: quod autem postremum est versus, *sed soli discipuli eius abiissent*, quia eis quæ præcedunt satis sit significatum, omittunt. Similiter potuerit Interpres Latinus, hoc ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ si quidem legerit, prætermisisse, quia eis quæ sequuntur satis significetur.

V. 24. ἐνέβησαν αὐτοί. Quidam legunt καὶ αὐτοὶ *& ipsi*, quod non exstat siue Latinè siue Syriacè.

V. 25. πότε ὧδε γέγονας; Pro γέγονας in secundo exemplari est ἐλήλυθας *venisti*, quæ est expositio veræ lectionis.

V. 28. τί ποιοῦμεν. In aliis est modo coniunctiuo siue potentiali ποιῶμεν.

V. 38. τοῦ πέμψαντός με. Non addas ex 4. codice πατρός.

V. 40. τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα. Exemplaria 3. 4. & 8., cùm versu superiori legatur δὲ *autem*, hoc versu scribunt γὰρ *enim*, conformiter Syriacæ editioni & paraphasi Nonni. Latini libri similiter variant.

V. 42. οὐχ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς. Non est omittendum nomen *Iesus* cum quarto codice.

V. 45. πᾶς οὖν ὁ ἀκούων. In aliis, pro præsenti ἀκούων, est aoristus ἀκούσας, conformis Latino.

V. 55. ἀληθῶς ἐστι. In exemplaribus. γ. ε. θ., bis hoc versu, pro aduerbio, legitur nomen ἀληθής.

V. 56. κἀγὼ ἐν αὐτῷ. Quæ sequuntur in 2. codice καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. nullus alius hoc loco legit.

V. 57. καὶ ὁ τρώγων με. Rursus in 2. codice pro τρώγων est λαμβάνων.

V. 58. ὁ τρώγων τοῦτον τὸν ἄρτον. Nō addas pronomen μου.

V. 59. ἐν καπερναούμ. Quod sequitur in β. σαββάτῳ, verisimile est aliunde huc adscitum esse, tametsi legatur apud D. Augustinum in titulo tractatus 27.

V. 63. ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν. Tres codices, pro præsenti λαλῶ, scribunt præteritum λελάληκα, vt Latina editio.

V. 69. τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. Octauum exemplar, cum Nonni paraphrasi & Latina editione, omittit ζῶντος, quod legit Syriaca editio cum plerisque omnibus libris Græcis.

V. 70. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. Non est omittendum nomen ὁ Ἰησοῦς.

CAPVT VII.

V. 8. ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. Exemplaria 3. 5. & 8. omittunt ταύτην pronomem, quod tamen etiam Latinè ac Syriacè additur.

V. 9. ταῦτα δὲ εἰπὼν αὐτοῖς, ἔμεινεν. Exemplar 3. pro tertio casu αὐτοῖς, legit primum singularem αὐτός, hac distinguendi ratione, ταῦτα δὲ εἰπών, αὐτὸς ἔμεινε: cui suffragantur & Latina & Syra.

V. 12. ἐν τοῖς ὄχλοις. Secundus codex scribit ἐν τῷ ὄχλῳ, numero singulari, vt est Latinè.

V. 23. εἰ περιτομὴν λαμβάνει. Idem codex addit coniunctionem οὖν, quæ tamen nec Latinè legitur.

Ibidem. ἐμοὶ χολᾶτε. Et hîc addit ac præponit τοῖς, singulariter.

V. 26. μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστός; Plerique libri repetunt aduerbium ἀληθῶς post ἐστιν: sed Regius ex Complutensi, & Parisiensium ϛ. γ. η., Nonno paraphraste & editione Latina suffragantibus, rectiùs omittunt. Syrus posteriori hoc loco legit, sed non priori.

V. 31. πλείονα σημεῖα. Non videtur addendum τούτων, quod in quibusdam libris sequitur.

V. 32. ἤκουσαν οἱ φαρισαῖοι. Nonum exemplar interponit οὖν *igitur*.

V. 33. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς. Sic Regium ex Complutensi, & omnia Parisiensium exemplaria, omittunt pronomen αὐτοῖς, Euthymio adstipulante, quod alij libri addunt. Syrus non legit, Latini codices variant.

V. 39. οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. Non mutes præsens, cum aoristo πιστεύσαντες, ex octauo codice.

Ibidem. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. Sequitur in secundo exemplari ἐπ' αὐτούς. in Vaticano δεδομένον, quemadmodum in Latina editione & Syriaca, *datus*. Græci tractatores non legunt, sed subaudiunt eiusmodi quid. vide Latinas varietates.

V. 40. ἀκούσαντες τὸν λόγον. In tertio & octauo est τῶν λόγων τούτων, vt Latinè.

V. 52. ἐρεύνησον καὶ ἴδε. Sequitur in 2. codice τὰς γραφάς, quod quidā Latini libri subiiciunt voci ἐρεύνησον.

Ibidem. οὐκ ἐγήγερται. Rursus 2. codex, vt Latini, οὐκ ἐγείρεται.

CAPVT VIII.

Versum vltimum capitis superioris καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, & primum reliquosque huius octaui capitis, ad duodecimum vsque, complectentes historiam mulieris in adulterio deprehensæ, multi Græci codices olim, aut omiserunt, aut obelisco confoderunt, quod testatur Euthymius in hunc locum scribens, vbi & ait, nullum hæc esse interpretatum; vt certè, Chrysostomus, Nonnus, & Theophylactus Græci, quos nos vidimus, ea minimè attingunt, sicut & absunt ab Euangelio Syriaco. Cæterùm de canonica & sacrosancta horum veritate, quòd genuina ac legitima sint huius Euangelij pars, non est dubitandi relictus locus, postquam id Concilij Tridentini definitione declaratum est. Nam si multi olim Græci codices hæc omiserunt, multi è diuerso-

uerso legerũt. Chrysostomus enim, etsi proprio loco, homilia inquam 51. in hoc Euangelium, hæc minimè attingat: paulò pòst tamen, homilia inquam 60. (vbi in aliud, verisimile est, incidisset euãgelij exemplar) meminit historię de adultera: quam nec Athanasius præterit in Synopsi veteris ac noui testamenti, quamquã versui 20. huius capitis postponere videatur. Denique Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos cap. 6. *In Euangelio secundũ Iohannem*, inquit, *in multis & Græcis & Latinis codicibus inuenitur de adultera muliere.* Sed his verbis non adserit Hieronymus, hæc etiam in aliquibus Latinis codicibus defuisse: nullã enim fuisse in Latinis codicibus varietatem, vt nec hodie est, intelligere licet ex D. Ambrosio lib 7. epistola 58. ad Studium, B. Augustino, aliisque Latinis tractatoribus, qui absque vlla varietatis exemplarium mentione hæc enarrant: quæ, D. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 7., asserit, nonnullos veræ fidei inimicos, abstulisse de codicibus suis: græcis nimirum. Porrò quia Græci ferè persuasi fuêre hæc superfluere, idcircò illi licentiùs ea mutarunt & variarunt, quemadmodum liquet ex variis lectionibus subsequentibus, quæ reperiuntur in Græcis exemplaribus hodie exstantibus, minimeque omittentibus plerisque.

V. 2. ὄρθρου δὲ πάλιν. In 4. & 9. exemplaribus sequitur ὁ Ἰησοῦς: quod additur quidem & apud Euthymium, sed Latinè non exstat.

V. 3. πρὸς αὐτὸν γυναῖκα. Eadem exemplaria, tam editione Latina quàm Euthymij textu adstipulante, omittunt πρὸς αὐτόν.

V. 4. λέγουσιν αὐτῷ. Sequitur in quinto exemplari, consonante Euthymij textu, πειράζοντες, quod Latinè non additur.

Ibidem. ταύτην εὕρομεν ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένην. Sic legit Regius codex ex Complutensi, cum quatuor aliis Parisiensibus antigraphis & Euthymij textu. In quibusdam verò est αὕτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη, quemadmodum Latinè.

V. 5. ἐν δὲ τῷ νόμῳ ἡμῖν Μωσῆς ἐνετείλατο. Sic Biblia Regia cum antigraphis Parisiensium α. ε. ζ. θ. ιβ. Alij libri, loco secundi casus ἡμῶν præpositi, scribunt tertium ἡμῖν, postpositum voci Μωσῆς, quemadmodum cum Euthymio Interpres Latinus.

Ibidem. λιθοβολεῖσθαι. In 4. 6. 7. 9. & 14. est λιθάζειν, in quibusdam λιθάζεσθαι.

Ibid. σὺ οὖν τί λέγεις; Quartus, nonus, & 14. codices, addũt cũ Euthymio περὶ αὐτῆς, quod Latinè nõ legitur.

V. 6. ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ. Sic cum Regio α. δ. ζ. θ. ιβ. & textus Euthymij: alia verò exemplaria, cum editione Latina, ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτοῦ.

Ibidem. εἰς τὴν γῆν μὴ προσποιούμενος. Sic iterùm cum Regio scribunt α. γ. δ. ι. θ. Sed alij libri, cum Euthymio & editione Latina, omittunt illud μὴ προσποιούμενος *Dissimulans.*

V. 9. καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι *redarguente ipsos cõscientia.* Hoc præteritur à codicibus primo, octauo, aliisque, ab Euthymio, ab editione denique Latina.

Ibidem. ἕως τῶν ἐσχάτων *vsque ad postremos.* vt Latinè hoc non legitur, ita nec in Græcis exemplaribus γ. ι. Porrò Euthymij textus cum aliis addit.

Ibidem. ἐν μέσῳ οὖσα. Sic omnes Parisiensium libri cum Euthymio, οὖσα, pro eo quod est in aliis, Latino conformiter, ἑστῶσα.

V. 10. καὶ μηδένα θεασάμενος πλὴν τῆς γυναικὸς, εἶπεν αὐτῇ. Horum loco, exemplaria quædam & Euthymij textus, hoc solum scribunt εἶδεν αὐτὴν καὶ εἶπεν αὐτῇ. Latina editio nec hoc quidem habet εἶδεν αὐτὴν καὶ, sed solummodo, εἶπεν αὐτῇ.

Ibidem. ποῦ εἰσιν. Alij libri cum Euthymij textu & editione Latina præponunt γύναι aut ἡ γυνή.

V. 11. οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω. Exemplar 5. suffragante editione Latina, scribit futurum κατακρινῶ.

Ibidem. καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν μηκέτι. Alij libri omittunt ἀπὸ τοῦ νῦν.

V. 14. καὶ ποῦ ὑπάγω. Exemplaria α. γ. δ., pro coniunctiua καὶ, scribunt disiunctiuam ἢ, Latinæ editioni similiter.

V. 25. ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Quidam libri diuisim scribunt ὅ, τι, tamquam relatiuum, quo modo Nonnus paraphrastes illud accepit. Sed Chrysostomus cum Theophylacto & Euthymio exponunt coniunctim scriptum ὅτι, vt plerique libri scribunt, tamquam coniũctionem. vide Notationes nostras prolixiores.

V. 27. οὐκ ἔγνωσαν. Sequitur in sexto codice οὖν, coniunctio illatiua, cuius loco Latinè & Syriacè præponitur καὶ &.

Ibidem. ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν. Secundum exemplar legit ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῦ λέγει τὸν θεόν, vt plerique Latini codices. Genitiuum singularem αὐτοῦ, pro datiuo plurali αὐτοῖς, legunt & alij quidam Græci libri, sed non addunt τὸν θεόν. vide Latinas varietates.

V. 29. οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατήρ. Octauus codex, conformiter Syro, præponit καὶ, quæ & Latinè additur in plerisque exemplaribus, sed non sequente nomine patris.

V. 38. καὶ ὑμεῖς οὖν ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε. Exemplaria 3. 4. 8. scribunt καὶ ὑμεῖς οὖν ἃ ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς ὑμῶν, ποιεῖτε, quo modo legitur & apud Chrysostomum: sed Nonnus, Theophylactus, & Euthymius adstipulantur lectioni vulgari, prout etiam Latina & Syra.

V. 42. εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. Sic cum Regiis Bibliis codices 3. & 12. Syriacaque editio. Alij codices interiiciunt coniunctionem οὖν, sicut Latini.

V. 49. καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με. In octauo codice, pro præsenti, est aöristus ἠτιμάσατε, quemadmodum Latinè præteritum *inhonorastis.*

V. 51. ἐάν τις τὸν λόγον. Secundus pro ἐάν τις legit ὃς ἂν *quicumque*, vt Syrus.

V. 53. τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς. Tertius, quartus, & octauus, omittunt σύ.

CAPVT IX.

V. 1. τυφλὸν ἐκ γενετῆς. Non addas καθήμενον, quod secundus codex.

V. 8. ὅτι τυφλὸς ἦν. Codices secundus & octauus pro τυφλὸς habent προσαίτης, quemadmodum editiones Latina & Syriaca.

V. 9. ἄλλοι δὲ, ὅτι ὅμοιος. Exemplar octauum scribit ἄλλοι ἔλεγον, οὐχὶ, ἀλλ' ὅμοιος. quomodo Syriacè legitur, &, si omittas ἔλεγον, Latinè quoque.

Ibidem. ἐκεῖνος ἔλεγεν. Exemplar 4. interponit coniunctionem δὲ, vt Latina & Syra.

V. 17. λέγουσιν οὖν. Sic exemplar 8. cum Regiis Bibliis, addit οὖν, suffragante editione Latina, quod alij omittunt conformiter Syro.

V. 36. καὶ τίς ἐστι κύριε. Sic Regia Biblia ex Complutensibus, præponunt καὶ, quod alij libri omittunt cum Latino & Syro.

V. 41. ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει. Exemplar 2. scribit numero plurali αἱ οὖν ἁμαρτίαι ὑμῶν μένουσι.

CAPVT X.

V. 8. πάντες ὅσοι ἦλθον. Sic Regia Biblia ex Complutensibus, cum sex aliis Parisiensiũ exemplaribus, πρὸ ἐμοῦ, quod alij libri addunt, omittunt, suffragantibus

tibus editionibus Latina & Syriaca, necnon inter Græcos enarratores Euthymio manifestissimè.

Ibidem. κλέπται εἰσί. Quintum exemplar pro εἰσὶ scribit ἦσαν, malè.

V. 11. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησι. Exemplar 2. pro τίθησι habet δίδωσι, quo modo legunt plerique Latini libri *Dat:* Nam Syriaci seruant *ponit*.

V. 14. καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν. Sic scribit etiam Syrus. Porro 2. & 8. inter Græcos Parisiensium codices, habent, καὶ γινώσκουσί με τὰ ἐμά, quemadmodum editio Latina *& cognoscunt me mea*.

V. 21. μὴ δαιμόνιον. Non addas ἔχον. quod nonus codex.

V. 26. καθὼς εἶπον ὑμῖν. Hoc cum plerique codices iungunt eis quæ præcedunt, suffragantibus plerisque enarratoribus Græcis: duo, γ. & δ. cum Euthymio, connectunt subsequentibus.

V. 32. διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον. Exemplaria 4. & 7. legunt numero plurali ἔργων. Latina editio fauet numero singulari.

V. 34. ἐγὼ εἶπα. Codices α θ. ιδ. præponunt coniunctionem ὅτι, quemadmodum editiones Latina & Syriaca.

V. 38. κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε. Exemplar 2. κἂν ἐμοὶ μὴ θέλητε πιστεύειν, vt Latina.

CAPVT XI.

V. 19. πρὸς τὰς περὶ τὴν μάρθαν. Exemplaria secundum & octauum scribunt πρὸς τὴν μάρθαν, quæ explicatio est prioris lectionis.

V. 31. λέγοντες ὅτι ὑπάγει. Eadem hic pro λέγοντες scribunt δόξαντες *putantes*, conformiter Syro.

V. 41. οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος. Eadem exemplaria vnà cum 4. omittunt hæc verba, consentaneè editionibus Latinæ & Syriacæ, necnō paraphrasi Nonni: quamquam Euthymius ea disertè legat.

V. 54. εἰς τὴν χώραν. Addit secundus codex σαμφουρὶμ, qua in re est singularis, vt nec alibi legi mentionem regionis *Samphurim*.

Ibidem. εἰς ἐφραΐμ λεγομένην. Octauus codex pro ἐφραΐμ habet ἐφρὴμ, vt est etiam apud Nonnum: quinetiam Latinè legitur *Ephrem*, sed fortassis Interpres, vocales αι, non diuisim legit, at coniunctim, vt diphtongum, extulitque nō *Ephraim*, sed *Ephrem*, prout etiam Syra vtroque efferri possunt modo. D. Hieronymi libro de locis hebraicis exemplaria variant, *Ephraim*, *Ephram*, *&c*.

V. 57. καὶ οἱ ἀρχιερεῖς. Exemplaria 3. 4. 6. auferunt καὶ coniunctionem; minùs rectè, opinor, tametsi nec Latinè nec Syriacè addatur.

CAPVT XII.

V. 3. ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν. Octauus codex addit ὁ ἰησοῦς, conformiter Latino & Syro.

V. 7. εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. Idem octauus codex, vt libenter consonat editioni Latinæ, scribit ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό: cui suffragatur illa ad Vaticana collatio, quam in Notationibus prolixioribus citauimus; quinetiam Nonni poëtæ paraphrasis.

V. 17. ὅτε τὸν λάζαρον. Pro ὅτε *quando*, quod est in plerisque libris, Latina editione adstipulāte, codices 2. & 8. legunt ὅτι *quòd*, Syrico testamento & Græco Nonni carmine disertè suffragantibus.

V. 19. ἴδε ὁ κόσμος. Additur ὅλος à codicibus 6. & 8., à Latina & Syrica editionibus, denique à Nonno poëta. A plerisq; verò Græcis libris hodie omittitur.

V. 28. δόξασόν σου τὸ ὄνομα. Quartus codex habet pronomen primæ personæ μου, pro secundæ σου, quod est in plerisque omnibus, Latinis & Syris suffragantibus.

V. 31. τοῦ κόσμου. Multi libri addunt τούτου cum Syro, quod alij demunt cum Latino.

V. 32. πάντας ἑλκύσω. Ita legunt omnes penè libri Græci, cum Syricis, & tractatoribus Græcis. In vno β. est neutro genere πάντα, quemadmodum in Latinis & codicibus & tractatoribus.

V. 41. τὴν δόξαν αὐτοῦ Et hic β præponit τοῦ θεοῦ ipsi αὐτοῦ, quod nequeo probare.

V. 47. καὶ μὴ πιστεύσῃ. Tertiò hic ζ. pro πιστεύσῃ legit φυλάξῃ, vt Latina & Syra.

CAPVT XIII.

V. 2. καὶ δείπνου γενομένου. In 2. exemplari, pro aöristo γενομένου, est præsens γινομένου, *cum cæna fieret*, contra editionem Latinam, quæ habet *& cæna facta*.

V. 18. ἐγὼ οἶδα. Exemplaria 3. & quartum interiiciunt coniunctionem γὰρ, conformiter Syro, quæ ab aliis omittitur, quemadmodum Latinè.

V. 24. πυθέσθαι τίς ἂν εἴη. Horum loco est in octauo codice καὶ λέγει αὐτῷ, εἰπὲ τίς ἐστι. ferè vt Latinè. *Et dixit ei, Quis est.*

V. 27. τότε εἰσῆλθεν. Rursus octauus codex omittit τότε, quemadmodum quædam exemplaria Latina.

V. 30. ἦν δὲ νύξ. ὅτε ἐξῆλθε. λέγει. Idem codex hæc verba sic distinguit ac legit ἦν δὲ νύξ. ὅτε οὖν ἐξῆλθε, λέγει, eodem prorsus modo quo Latina editio: *Erat autem nox. Cùm ergo exisset, Dixit.*

V. 34. καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς. In tertio exemplari hoc ordine leguntur hæc verba ἵνα καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, καὶ ὑμεῖς.

CAPVT XIV.

V. 1. μὴ ταρασσέσθω. Exemplar 2. præponit καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, quemadmodum exemplaria Latina minùs emendata. vide Latinas varietates.

V. 3. καὶ ἐὰν πορευθῶ καὶ ἑτοιμάσω. Exemplar nonum legit καὶ ἐὰν πορευθῶ ἑτοιμάσαι, quemadmodum Syrum: nam Latina editio priori eique vulgatæ Græcorum lectioni consentit.

V. 13. καὶ ὅ, τι ἂν αἰτήσητε. Non videtur hic addendum pronomen με, quod est in 4. & 14. codicibus. vide Latinas varietates.

V. 22. καὶ τί γέγονεν. Noli omittere καί.

V. 23. τὸν λόγον μου τηρήσει. In nono est τὰς ἐντολάς μου τηρήσει *mandata mea seruabit*.

V. 26. ὑμᾶς διδάξει πάντα. Non mutes πάντα cum πᾶσιν, quod est in sexto codice.

V. 30. ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων. Quidam libri addunt τούτου, quemadmodum Latina editio.

Ibidem. καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. Codices tertius & quartus scribunt εὑρήσει *inueniet*, pro ἔχει *habet*, quod consonat Latino ac Syro.

CAPVT XV.

V. 1. ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. Quod sequitur in codicibus 4. & 8. ὑμεῖς δὲ τὰ κλήματα, non est huius versus, sed quinti.

V. 7. αἰτήσεσθε καὶ γενήσεται ὑμῖν. Tria exemplaria pro αἰτήσεσθε *petetis*, quod est etiam Latinè, legunt αἰτήσασθε *petite*, modo imperandi. Syrus legit modo infinito αἰτήσασθαι *petere*.

V. 11. ἐν ὑμῖν μείνῃ. Exemplaria 2. & 9. pro μείνῃ *maneat*, habent ᾖ *sit*, vt Latina & Syra.

CAPVT XVI.

V. 3. καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὑμῖν. Omnia Parisiensium exemplaria omittunt ὑμῖν, conformiter Syro, quod tamen Latinè legitur.

V. 14. ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Septem Parisiensium codices scribunt præsens λαμβάνει, pro futuro λήψεται. Atqui futurum consonat Latino, Syro, Græcorum commentariis, & versui denique proximo: quamquam Regius textus versu proximo λαμβάνει dicat, cùm hic scripserit λήψεται.

V. 16. καὶ οὐ θεωρεῖτέ με. In octauo codice, pro οὐ, est οὐκ-έτι, quemadmodum Latinè *iam non*.

V. 21. ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς. Secundus codex pro ὥρα habet ἡμέρα; Syrus *dies partus*.

CAPVT XVII.

V. 2. δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. Exemplar nonum mutat plurale αὐτοῖς, quod legitur etiam Latinè, cum singulari αὐτῷ.

V. 7. νῦν ἔγνωκαν ὅτι. Hæc vera est lectio, conformis editioni Latinæ. Porrò sextus Parisiensium codex, pro tertia plurali ἔγνωκαν scribit primam singularem ἔγνωκα, conformiter Syro: cuius scripturæ meminit Theophylactus, eamque, Chrysostomum præceptorem sequutus, meritò reprehendit.

V. 11. τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, οὓς δέδωκάς μοι. Pro accusatiuo plurali οὓς, quem legit etiam Latinus Interpres (*quos dedisti mihi*) omnia Parisiensium exemplaria, scribunt datiuum singularem ᾧ, relatum ad illud quod proximè præcedit nomen ὀνόματι (*quod dedisti mihi*) posito relatiuo eodem casu cum antecedente. Huic datiui casus lectioni fauent Syra non solùm, verumetiam enarrationes Euthymij & Theophylacti. Denique Cyrilli commentarius, vt Latinè versus exstat, quàm pertinaciter legit masculinum plurale *quos*, tam constanter explicat neutrum singulare *quod*, docens, quomodo pater filio, quod æternùm habuerat, nomen Deitatis, dederit vt homini.

V. 12. οὓς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα. Rursus octauus codex, pro οὓς, hìc legit ᾧ, præcedentibus iungens, & coniunctionem καὶ præponens verbo ἐφύλαξα; sed nemine fauente, nisi vno Cyrillo.

Ver. 20. ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιστευόντων. Sic Biblia Regia cum omnibus Parisiensium exemplaribus & Syrico textu. Alij porrò libri, pro participio præsentis temporis πιστευόντων, legunt futuri temporis πιστευσόντων, suffragante editione Latina. Quinetiam Græci enarratores, si non legerunt, certè intellexerunt futurum.

CAPVT. XVIII.

V. 14. ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας *Erat autem Caiphas qui consilium dederat*. His verbis præmittit textus, Cyrilli Alexandrini Græci tractatoris, prout Latinè versus exstat, commentario additus: *Miserunt autem eum ligatum ad Caipham pontificem*, quod sit, ἀπέστειλαν δὲ αὐτὸν δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα: id quod, Theodorus Beza, in Textum suæ versionis transtulit, mutato numero plurali in singularem, hoc modo: *Is verò* (Annas) *misit eum vinctum ad Caipham pontificem*: quod fecit etiam Franciscus Nansius ad Nonni paraphrasin; temerè vterque. Non enim his verbis Euangelista declarauit, Iesum ab Anna transmissum ad Caïpham: sed id fecit, tacita vsus transitione, quod Commentarius noster docet. Nusquam enim alibi exstant ea verba hoc versu, nec apud alium vllum veterem tractatorem siue Græcum siue Latinum inueniuntur: &, si etiam Cyrilli commentarius diligentiùs introspiciatur, magna dubitandi causa deprehenditur, num legerit ea verba Cyrillus. Subiicit enim illi textui Cyrillus huiusmodi commentarium: *Auctoritate atque consilio impietatis in Christum præsius Caiphas, & paulò pòst quasi fructum sui consilij vinctum Iesum suscipiet.* vbi non tantùm non explicat ea verba *Miserunt autem eum ligatum ad Caipham pontificem*, verumetiam significat non hìc, sed posteà, nimirum versu 24., ea à se lecta fuisse. Verum quidem est, quod in versum 24. hoc modo scribat: *Quasi currentem equum narrandi progressum Euangelista vtiliter reuocat, & ad priora rursus orationem reducit. Quare sic? quia negationem Petri tertiò factam exponere voluit.* Sed ego illud intelligerem de his maximè verbis: *Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se*, nisi sequeretur: *Repetit ergo breuiter. & missum ab Anna* IESVM *ad Caipham iterùm dicit. Petrumque interrogatum exponit*, &c. quis enim ausit dicere, suppositititum esse aduerbium *iterùm*? Quare, etsi non est res certa, magna tamen causa dubitandi est, an Cyrilli textui verba illa *Miserunt autem*, &c. non fuerint studiosè ab aliquo addita. Certè enim videri possit, Cyrilli locum alterum alteri ita conciliari posse, vt quando dicit *paulò pòst à Caipha suscipiendum esse Iesum vinctum*, loquatur de verbis disertis, quibus hoc posteà dicitur: & rursus cùm dicit, *missum ab Anna* IESVM *ad Caipham iterum dicit*, loquatur de eo, quo id priùs dictum fuerat, tacito insinuandi modo. Operæpretium foret Græcum Cyrilli exemplar consulere posse. Quidquid sit, neutiquam referenda in textum Euangelij versu 14. sed tacitè intelligenda sunt, ea verba *Miserunt* aut *misit autem eum ligatum ad Caipham pontificem*.

V. 24. ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα. Annotant quidam auctores, à nonnullis exemplaribus addi coniunctionem οὖν *ergo*. ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν, quæ & legitur apud Cyrillum, vt Syriacè additur δὲ *autem*. vide varietates Latinas, & Commentarium nostrum, hoc ipso loco.

V. 29. ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πιλάτος πρὸς αὐτούς. Exemplar octauum addit ἔξω *foras*, quod additur etiam Latinè & Syriacè.

V. 34. ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ; Exemplaria 3. & 4. scribunt numero singulari ἢ ἄλλος σοι εἶπε περὶ ἐμοῦ; contra omnium aliorum fidem.

V. 40. ἐκραύγασαν οὖν πάλιν. Quidam libri cum editione Syriaca omittunt πάλιν, quod tamen plerique omnes cum Latina editione addunt.

CAPVT XIX.

V. 3. καὶ ἔλεγον. His verbis manuscripta Parisiensium 3. 8. 9. præponunt καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν: id quod etiam Latinus Interpres legit, quod testatur his verbis: *Et veniebant ad eum & dicebant*. Cæterùm Syrus hoc non agnoscit.

V. 6. σταύρωσον αὐτόν. Alij libri omittunt αὐτὸν, alij addunt. Similis varietas est Latinè.

V. 13. ἀκούσας τοῦτον τὸν λόγον. In quibusdam libris legitur secundo casu numeri pluralis ἀκούσας τούτων τῶν λόγων.

V. 14. ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. Auctores aliquot notant, in vno codice, pro ἕκτη *sexta*, legi τρίτη *tertia*. Atqui videtur

detur mutatio illa de industria facta fuisse, ex opinione Theophylacti & aliorum quorumdam, ita conciliantium Marcum cap. 15. v. 25. cum Iohanne hoc loco, quòd hoc loco, errore notariorum, ἕκτη scriptum sit, cùm τρίτη scribendum fuisset, vt est apud Marcum. Scholiastes Nonni, pro certo habet, τρίτη secundùm Iohannem à Nonno lectum fuisse: atqui ego pro certo teneo ἕκτη eum legisse. Paraphrasis Nonni est: *Eratque protensa tertia mortifera hora.* Si tertia fuit protensa, quomodo fuerit ὡσεὶ τρίτη *circiter tertia?* Nonnus pro eisdem habens, horam fuisse circiter sextam, & horam tertiam fuisse protensam, hoc pro illo est vsus, eâdem operâ Marcum cum Iohanne concilians, hac ratione, quòd tertia fuerit protensa, id est, spatium illud medium, quod est inter signum tertiæ & signum sextæ horæ, longè fuerit progressum, ac proinde imminuerit sexta.

Ver. 16. καὶ ἀπήγαγον. Quinque manuscripta legunt simplex ἤγαγον, cui alij libri addunt εἰς τὸ σταυρῶσαι, alij εἰς τὸ πραιτώριον: verùm hæc superfluunt, addita à sciolis, tametsi εἰς τὸ πραιτώριον legatur apud Euthymium.

V. 28. εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς. Sic etiam est Latinè & Syriacè, εἰδὼς *sciens*. Cæterùm exemplaria Parisiensium 4. 5. 7. 12. & 14. pro εἰδὼς *sciens*, scribunt ἰδὼν *videns*. Ibidem. ἵνα τελειωθῇ, non addas ἐπ' αὐτῷ.

V. 36. ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Codicum alij omittunt, alij addunt præpositionem ἀπ': addentibus suffragantur editiones Latina & Syriaca; cum Nonni paraphrasi.

V. 40. ἐν ὀθονίοις. Et hîc omittitur ab aliis libris præpositio.

V. 11. πρὸς τὸ μνημεῖον. In quibusdam libris est datiuo casu πρὸς τῷ μνημείῳ.

V. 22. ἐνεφύσησε. sequitur in secundo codice αὐτοῖς, suffragante Syro. Atque plerisque libris, qui illud omittunt, Latina editio adstipulatur.

V. 29. ὅτι ἑώρακάς με. Quidam libri addunt Θωμᾶ: Regius cum aliis omittit, Syro suffragante.

V. 31. ζωὴν ἔχητε. Codices 2. & 8. interiiciunt αἰώνιον, conformiter Syro: quod plerique omnes omittunt, cum editione Latina, fauentibus Euthymio & Theophylacto.

CAPVT XXI.

V. 6. ἑλκύσαι ἴσχυσαν. Exemplaria 3. & 8., pro aöristo ἴσχυσαν, scribunt imperfectum ἴσχυον, vt editio Latina *valebant*.

V. 13. καὶ δίδωσιν αὐτοῖς. Exemplar secundum, coniunctioni καὶ subiicit participium εὐχαριστήσας, contra aliorum omnium fidem, Chrysostomo ipso eiusque discipulis annotantibus, quòd non egerit iam Iesus sicut anteà, non suspexerit in cælum, &c.

V. 15. 16. 17. Σίμων Ἰωνᾶ. Pro Ἰωνᾶ octauum exemplar vbique habet Ἰωάννα: cui fauet Nonnus poëta scribens Ἰωάννου (nec enim scripturæ vitium subesse, loquitur mensura carminum) denique Hieronymus, scribens in caput 16. Matthæi, quem citauimus ad varietates Latinas.

NOTARVM AD VARIAS LECTIONES IN LATINA QVATVOR EVANGELIORVM EDITIONE OCCVRRENTES, LIBELLVS ALTER.

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS LATINÆ EVANGELII SECVNDVM MATTHÆVM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV *secundo.* Abraham genuit Isaac: Isaac autem. *Malè à libris quibusdam additur* autem *post* Abraham, *& ab aliis tollitur post* Isaac.

Ver. 18. Mater eius Maria. *Legendum est* eius, *iuxta Sixtina Biblia non solùm, verùm & iuxta antiqua manuscripta, eaque respondentia Græco ac Syro; non* Iesu, *quod est in quibusdam libris ex consuetudine recitationis Ecclesiasticæ. Cum enim Euangelium Vigiliæ Natiuitatis Domini, incipiat ab his verbis, necessariò illic ponendum fuit* Iesu *pro* eius, *quod hic minimè necessarium est, cùm* eius *ad Christum referatur, cuius statim præcedit mentio: imò videri possit, de alio quopiam quàm de Christo Euangelista ordiri sermonem, si* Iesu *legas pro* eius: *id quod etiam obsit sensui.*

V. 23. Et vocabunt nomen eius. *Sic legendum est hoc loco ex Sixtinis cæterisque optimis libris,* vocabunt *numero plurali, non tantùm Græco & Syro, sed & Hieronymo in septimum Isaiæ caput suffragante. Quare spuria sunt quæ à nonnullis leguntur* vocabitur *&* vocabis. *lege Græcas varietates.*

CAPVT II.

Versibus 1. *&* 5. In Bethlehem Iudæ. *Sic legunt optimi libri ex B. Hieronymi castigatione,* Iudæ *siue* Iuda, *non* Iudææ, *quod est in quibusdam conformiter Græco: quamquam res eadem sit, de quo lege Commentarium.*

Ver. 6. Qui regat. *In aliis est futuro indicatiui* reget, *quomodo Græcè* ποιμανεῖ. *varietas scripturæ nil varians sensum.*

V. 14. Qui consurgens. *Sic meliores libri* consurgens, *pro simplici* surgens, *quo alij vtuntur.*

V. 23. Quod dictum est per Prophetas. *Quidam libri legunt* Prophetam *numero singulari: sed meliores, suffragantibus Græcis,* Prophetas *habent, numero plurium: quibus veteres Tralatores tam Latini quam Græci volunt. Syrica editio ita punctis affecta est, vt* Prophetam *numero singulari reddat: verùm mutatis situ duobus apiculis, pluralis est numerus.*

CAPVT III.

Ver. 2. Appropinquauit enim regnum cælorum. *Sic legunt Sixtina Biblia post vetera manuscripta, nominatim Brugense D. Donatiani,* appropinquauit *præterito tempore, non futuro* appropinquabit: *quibus Græca Syraque & B. Hilarius adstipulantur. Quare Epanorthotes ille noster annotat:* Appropinquauit enim, iuxta Græcum, antiquos & Hieronymum; moderni appropinquabit. *Quin & ratio ipsa futurum reiicit: Prophetarum enim fuit dicere* Appropinquabit regnum cælorum; *aliquando propinquum erit: Christus autem eiusque prodromus Iohannes, factum esse propinquum prædicarunt. Et quod quæso aliud hi tempus prædicarint, quo futurum esset regnum cælorum propinquum, quum iam propinquissimum, quinimò præ foribus esset? Unde non ita diu post Saluator*

Iudæis:

Iudæis: Peruenit, *inquiebat*, in vos regnum Dei.

V. 3. Hic est enim qui dictus est. *Sic legendum est iuxta exemplaria integriora, suffragantibus Græcis & Syris; non* de quo dictum est.

V. 7. Quis demonstrauit vobis. *Neutiquam legendum est futuro tempore* demonstrabit.

Ibidem. Fugere a ventura ira. *Inter alia, manuscripta Biblia Cathedralium Ecclesiarum Audomarensis & Brugensis, legunt* futura, *quomodo est Græcè* μελλούσης, *pro* ventura.

V. 9. Quoniam potens est Deus. *Sic legunt optimi quique libri,* potens est, *non* potest.

V. 10. Excidetur & in ignem mittetur. *Quatuor exemplaria notauit Iohannes Hentenius legere* Exciditur & in ignem mittitur, *præsenti tempore, non futuro: de quorum fide si constaret, præferenda haud dubium foret lectio ista priori: vt enim magnam adfert imminentis periculi emphasin, ita sibi fauentes habet libros Græcos & Syricos, atque inter veteres patres Cyprianum, vbi orationem Dominicam explanat, sub finem.*

V. 12. Triticum suum in horreum. *Hæc Bibliorum Sixtinorum lectio, vera est lectio antiquorum codicum, etiam Epanorthote teste. cui & libri Græci plerique omnes adstipulantur, quod ex Græcis varietatibus discere licet. Quare non est legendum* triticum in horreum, *omisso pronomine, vt quidam libri habent; neque* triticum in horreum suum, *pronomine iuncto posteriori nomini, vt alij.*

V. 15. Tunc dimisit eum. *Iniuria omittuntur à quibusdam libris hæc verba.*

V. 16. Baptizatus autem Iesus confestim ascendit. *Nomen* Iesus *& aduerbium* confestim *non sunt auferenda, vt à quibusdam libris auferuntur.*

Ibidem. Et venientem super se. *Interpres vertit* super se, *iuxta codices antiquos, non* super ipsum, *quod habent quidam noui. qua de re latiùs in Notationibus olim editis.*

CAPVT IV.

Ver. 4. Non in solo pane viuit homo. *Etsi libri nonnulli futuro tempore* viuet *legant, quemadmodum est Græcè: tamen plerique omnes, & quidem optimi quique, præsenti tempore seruant* viuit, *ita vt intelligere liceat, Latinum Interpretem, sensum non verbum reddidisse, quemadmodum fecit & Syrus.*

V. 6. Quia Angelis suis mandauit de te. *Non pauca nec contemnenda manuscripta, pro præterito tempore* mandauit, *scribunt futurum* mandabit, *adstipulantibus codicibus Græcis ac Syricis, necnon Hebræo & LXXII.*

V. 7. Rursum scriptum est. *Sic distinguunt præter alios, antiqui Epanorthotæ codices, vt* Rursum *sequentibus iungatur, non præcedentibus.*

V. 10. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana. *Non est omittendum aduerbium* tunc, *nec addendum est* retrò *aut* post me: *quod ex Matt. 16. v. 23. aut Mar. 8. v. 33., huc à quibusdam adiectum credo. lege Græcas varietates & Notationes nostras prolixiores.*

V. 13. In Capharnaum maritima. *Superfluit quod addũt codices quidam* ciuitatem maritimam *porro accusandi casu, quemadmodum Græcè est, scribunt vetusti quidam libri, pro auferendi casu* maritima.

V. 15. Via maris. *Latina Complutensis Regiaque editio legit, ita vt est Græcè,* viam maris, *quarto casu.*

Ibidem. Galilæa Gentium. *Sic legunt, cum Sixtinis Bibliis, Regia editio & alia quædam exemplaria, primo casu* Galilæa, *conformiter Græco. In multis aliis libris est* Galilææ *secundo casu, vbi subaudire oportet* terra *aut* regio.

Ibidem. Populus qui sedebat in tenebris. *Quod libri quidam, pro* sedebat, *legunt* ambulabat, *huc ex Prophetà adsumtum est. cum Matthæus aut eius Interpres, sententiam Prophetæ reddens, non verba adnumerans,* καθήμενος sedens *dixerit, vti est & Syriacè.*

V. 16. In regione vmbræ mortis. *Præter duos codices quos notauit Iohannes Hentenius, Biblia manuscripta, Ecclesiarum Cathedralium Audomarensis ac Brugensis, & Cœnobiorum Lobiensis ac Claromarisci, spectatissima illa, legunt* & vmbra mortis, *Græco Syroque conformiter. In aliis est* vmbræ mortis, *quo modo Interpres vertit Prophetam, qui coniunctionem non addit.*

V. 17. Appropinquauit enim. *In paucioribus Latinis libris est hoc loco error ille, qui suprà 3. versu 2., futuri* appropinquabit *scripti pro præterito* appropinquauit.

V. 18. Ambulans autem Iesus. *Sic est etiam Græcè. Porrò à quatuor illis quæ mox nominauimus Bibliis manuscriptis, omittitur vox* Iesus, *Syriaca editione adstipulante.*

V. 24. Et abiit opinio eius. *Quod duo codices legunt* fama *pro* opinio, *glossam esse suspicor, pro textu obscuriore substitutam.*

V. 25. Et de Ierosolymis. *Omittitur præpositio* de, *à quibusdam bonis libris.*

CAPVT V.

Ver. 1. Videns autem Iesus turbas. *Correctores Bibliorum Sixtinorum non iudicarunt omittendum nomen* Iesus *(quod legitur etiam Syriacè) quo clarior fit sententia, tametsi à veteribus plerisque manuscriptis Græco conformiter omittatur.*

V. 8. Beati mundo corde. *Græcè est* οἱ καθαροὶ mundi *primo casu, quem in Latinis libris nondum inuenimus, quamquam ad sensum parum referat.*

V. 9. Quoniam filij Dei. *Donatianica Biblia, inter alia, & antiqua Epanorthotæ, addunt pronomen* Quoniam ipsi, *quod etiam Græcè legitur.*

V. 11. Cùm maledixerint vobis & persec. *Non est addenda vox* homines, *quæ à melioribus libris abest, adstipulantibus Græcis & Syris. videtur ex Luc. 6. v. 22. huc translata.*

V. 20. Dico enim vobis. *Sic cum Sixtinis Bibliis manuscripta exemplaria emendatiora, sic Græca, sic Syra: quare non est mutandum* enim *cum* autem.

V. 22. Omnis qui irascitur fratri suo. *Non est addendum* sine causa, *quod iam olim ex hac editione Diuus Hieronymus sustulit. lege Græcas varietates & Notationes prolixiores.*

V. 24. Et vade priùs reconciliari fratri tuo. *Plerique libri legunt* reconciliari *modo infinito: sed imperandi modo* reconciliare, *scribunt, inter alios, Brugensis, Lobiensis, & antiqui Epanorthotæ, conformiter Græco ac Syro.*

Ibidem. Offeres munus tuum. *Brugense manuscriptum, pro futuro* offeres, *legit imperatiuum* offer, *iuxta Græca & Syra, necnon B. Augustinum, eo libro quo hunc Domini sermonem tractat.*

V. 30. Abscide eam. *Sic est in Sixtinis Bibliis ex veteribus manuscriptis, voce deducta à* cædo, *pro eo quod alia habent* abscinde *à* scindo. *Simile infrà 18. v. 8. Mar. 9. v. 43. & alibi.*

V. 32. Et qui dimissam duxerit, adulterat. *De ea quæ olim B. Augustino obseruata est huius sententiæ à quibusdam omissione, lege Græcas varietates.*

V. 37. Sit autem sermo vester. *Hoc verborum ordine legunt boni libri, pro* Sit sermo autem vester.

V. 38. Et dentem pro dente. *Non rectè à quibusdam exemplaribus omittitur coniunctio.*

V. 39. In dexteram maxillam. *Non esse omittendum* dexteram, *quod olim à quibusdam libris abfuit, documus in Notationibus in varias Bibliorum lectiones.*

V. 40. Et ei qui vult tecum iudicio contendere. *Sic legunt optima fidei exemplaria, omissa præpositione* in iudicio.

V. 41. Vade cum illo & alia duo. *Quidam libri tollunt vocem* alia, *quod Græcè non legatur, quodque nihil ampliùs intelligendum videatur, quàm duplum concedendum, simplum extorquenti, quemadmodum de maxilla & veste præcessit. Atqui, vt pleraque, ita cum Sixtinis optima quæque editionis nostræ exemplaria,* τὸ alia *legunt: quod etiam B. Augustinus & imperfecti operis Auctor, peruetusti tractatores, explicant. Existimarim itaque, veterem Interpretem dedisse illud, nec tam Græcè legisse (tametsi in secundo Parisiensium Græco codice inueniatur) quam de suo addidisse, ne, propterea quod conuerterat* unum *mille passus, ambigua esset oratio. Vidit enim, illo addito, in sententia nullam discrepantiam fieri; non enim ita vrgere Dominum alterum miliare, quasi non & tertium & quartum ferri velit, potiùs quam resistat quis malo. Porrò &* coniunctionem (& alia duo) *egregia exemplaria manuscripta omittunt.*

V. 46. Si enim diligitis. *Manuscriptum Brugense habet coniunctiuum* diligatis, *conformiter Græco* ἀγαπῆτε.

Ibidem. Quam mercedem habebitis? *In duobus codicibus à Iohanne Hentenio annotatis, est præsens* habetis: *quibus volunt Græca, Syra, & imperfecti operis Auctor.*

V. 48. Pater vester cælestis. *Non legas* qui in cælis est, *pro* cælestis; *sicut nec è diuerso Græcè* οὐράνιος, *pro* ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

CAPVT VI.

Ver. 4. Reddet tibi. *Vnus ille Parisiensium codex qui addit* in palàm, *vel Græco accommodatus est, vel seruat scripturam, quam olim emendauit Hieronymus, sublato illo* in palàm, *seu* palàm. *lege varietates Græcas, & nostras in Biblia Notationes.*

V. 6. Tu autem cùm oraueris. *In aliis bonis libris est futurum indicatiui* orabis, *pro coniunctiuo* oraueris.

Ibidem. Et clauso ostio. *Additur pronomen* tuo, *à multis bonis libris, conformiter Græco & Syro.*

V. 7. Sicut ethnici. *Non est addendum* faciunt; *quod cum Sixtinis Bibliis antiqua manuscripta omittunt, & tam Græca quàm Syra ignorant.*

V. 10. Adueniat regnum tuum. *In quibusdam libris legitur simplex verbum* veniat, *quemadmodum Græcè* ἐλθέτω.

V. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. *Quidam codices scribunt* quotidianum, *quomodo ante Hieronymum editio ista habuit: vnde adhuc consuetudo sic recitandæ Dominicæ orationis. Hieronymus mutauit* quotidianum *cum* supersubstantialem, *vt propiùs exprimeret Græcam vocem* ἐπιούσιον. *Quare Sixtina Biblia, & fide dignissima quæq; tum nostra tum Epanorthota manuscripta, legunt* supersubstantialem. *lege Notationes.*

V. 13. Sed libera nos à malo. *Sequitur in codice S. Germani lato, à Parisiensibus notato:* Quia tuum est regnum & potentia & gloria in sæcula sæculorum: *quod ex Græco additum esse, non dubium est. lege varietates Græcas.*

Ibidem. A malo. Amen. *Vetera manuscripta, Brugense, Claromariscense, Lobbiense, & tria Audomarensia, omittunt* Amen, *quibus Syriaci libri typis excusi suffragantur. At Syriacum manuscriptum, Græcique omnes libri quos vidi, iis adstipulantur Latinis exemplaribus quæ addunt* Amen. *Cyprianus & Augustinus non attingunt: Hieronymus cum Euthymio disertè explicat, vocatque signaculum Dominicæ orationis, vt est confirmãdi particula, quemadmodum docet idem duabus ad Marcellam epistolis, & Apostolus ipse* 1. *Corinth.* 14. *v.* 16.

V. 15. Si autem non dimiseritis hominibus. *Tria ex nostris manuscriptis addunt* peccata eorum, *conformiter Græco; alia demunt, similiter Syriaco, & emendationi Sixtinæ.*

Ibidem. Nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Quidam boni libri omittunt* vobis, *quod neque Græcè exstat.*

V. 16. Vt appareant hominibus. *In aliis libris, pro composito, legitur simplex verbum* pareant, *minùs congruè.*

Ibid. Quia receperunt mercedem suam. *Vt Sixtina Biblia, ita vetera manuscripta, non omittunt* quia, *adstipulantibus Græco & Syro: tametsi sensui superfluat, nec legatur superioribus versibus secundo & quinto.*

V. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Inter alia, Lobbiense manuscriptum, omittit pronomina* tui *&* tuus, *consentanee editionibus Græcæ & Syriacæ, citationique B. Hieronymi in Dialogo aduersus Luciferianos. Credi possint addita, siue ex Euangelio Lucæ (cap.* 11. *v.* 34.) *siue quod accommodando similitudinem subiungat Saluator:* Si oculus tuus fuerit simplex. *vbi, post Græca & Syra, Regij operis Latinus textus addit coniunctionem:* Si igitur oculus tuus.

V. 25. Quid manducetis. *Quod D. Hieronymus annotat, quibusdam codicibus addi,* neque quid bibatis, *iam nulli addunt, licet Græcè & Syriace legatur. lege Commentarium.*

V. 30. Quanto magis vos modicæ fidei? *Optima quæque manuscripta nostra legunt* minimæ *pro* modicæ, *ita vt* modicæ, *ex aliis locis celebrioribus, quibus id vertit Interpres (vt infrà* 8. *v.* 26., *&* 14. *v.* 31.) *huc transsumtum videri possit.*

V. 33. Quærite ergo primùm regnum Dei. *Antiqui codices Epanorthotæ, & ex nostris Brugensis ac Lobbiensis, pro* ergo *legunt* autem, *quod est Græcè ac Syriacè.*

V. 34. Sufficit diei. *Non est addendum* enim.

CAPVT VII.

V. 1. Vt non iudicemini. *Hoc Matthæi est; Lucæ cap.* 6. *v.* 37. Et non iudicabimini: *vnde etiam illud huc translatum est à quibusdam* Nolite condemnare vt non condemnemini, *quamquam, vt consimile esset ei quod præcedit, mutatum sit, &* non condemnabimini *cum* vt non condemnemini. *Non tantùm enim Græca & Syra, sed & fide dignissima quæque Latina manuscripta, cum Sixtinis Bibliis, illud hoc loco ignorant, fauentibus Tractatoribus veteribus, Hilario, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, & imperfecti operis Auctore, vt & à recentioribus plerisque omnibus præteritur.*

Ver. 4. Sine eiiciam. *Non est præponendum* frater, *quod vt non legitur in Græcis & Syricis, ita neque in*

que in emendatioribus Latinis codicibus. Lucæ similiter est cap. 6. v. 41.

Ibidem. Et ecce trabs est. *Antiqui nostri libri scribunt* trabes *pro* trabs. *Vtraque forma Latina nota est.*

V. 6. Et conuersi dirumpant vos. *Nec antiqui libri addunt* canes (& canes conuersi) *quod ex scholio in scripturæ seriem haud dubium est deuenisse: legunt autem quidam* dirrumpant *pro* dirumpant.

V. 11. Nostis bona data dare. *Quidam boni libri omittunt* data, *tametsi Græce Syriaceque legatur.*

V. 12. Vt faciant vobis homines. *Non est addendum* bona, *quod iam olim sublatum est a castigatore.*

Ibidem. Et vos facite illis. *Quidam libri præponunt* ita, (ita & vos) *adstipulantibus Græcis plerisque codicibus ac Syricis, & inter veteres Cypriano atque Augustino. Sed integerrima quæque huius editionis exemplaria, tum nostra tum Epanorthota, cum Sixtinis, omittunt, quibus & Græca quædam consentiunt, de quibus in varietatibus Græcis.*

V. 13. Quia lata porta & spatiosa via est. *Quidam boni libri omittunt verbum substantiuum* est.

V. 14. Quàm angusta porta & arcta via est. *Non est legendum* quoniam *vel* &, *pro* quàm. *vide Græcas varietates. A quibusdam autem libris abest* est.

V. 19. Excidetur & in ignem mittetur. *Quemadmodum Græcè & Syriacè est præsenti tempore* Exciditur & in ignem mittitur, *ita etiam Latinè scriptum esse in peruetustis exemplaribus, annotant quidam; sed qualia ego non viderim.*

V. 23. Discedite à me qui operamini *Rectè sustulit Sixtina correctio vocem* omnes, *vt quæ ab optimis quibusque Latinis libris omittatur, conformiter Syricis & Græcis plerisque omnibus. Et quamquam Psalmi 6. v. 9., ad quem hic alluditur, addatur: videri tamen possit hic in Euangelio non sine gratia omissa. vide Græcas varietates.*

V. 25. 27. Et descendit pluuia. *Non est omittenda coniunctio* &, *etiam Epanorthotæ iudicio, quæ Græcè quoque & Syriacè legitur.*

V. 29. Et non sicut Scribæ eorum. *Quidam antiqui libri omittunt* & *coniunctionem, quam alij, Græco Syroque similiter, præponunt: plerique verò addunt pronomen* eorum, *Syro consentaneè, quod aliqui rursus Græco conformiter auferunt.*

CAPVT VIII.

Ver. 1. Cùm autem descendisset. *Non est addendum nomen* Iesus, *quod ab antiquis libris, Græco & Syro consonantibus, abest.*

V. 9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. *Multi antiqui libri, consentaneè Græco ac Syro, omittunt vocem* constitutus, *quæ ex Luca 7. ver. 8. huc adscripta creditur.*

V. 10. Audiens autem Iesus. *Non addas pronomen* hæc.

V. 11. Cum Abraham & Isaac. *Non est omittenda* & *coniunctio.*

V. 13. In illa hora. *Legendum est* in, *non* ex.

V. 15. Et ministrabat eis. *Sic legunt cum Sixtino antiqui libri nostri,* eis *numero plurali, Brugens. Lob. Leod. Clarmar. & Audomarensia tria. alij libri habent* ei *numero singulari. Similis varietas est tam in Syricis quam in Græcis codicibus. lege varietates Græcas.*

V. 17. Et ægrotationes nostras portauit. *Quidam boni libri, Græco similiter, non repetunt, sed è proximo intelligendum relinquunt, pronomen* nostras. *Atqui etiam Syriacè repetitur, & apud Prophetam Hebraicè.*

V. 18. Iussit ire trans fretum. *Discipulos, quod interponunt quidam, antiqua exemplaria respuunt, conformiter Græco & Syro. Quare meritò correctores Sixtini textu expulerunt. Quidam* discipulos, *vt Hilarius; quidam* turbas, *vt Chrysostomus, subaudiunt: tametsi illud longè sit verisimilius.*

V. 20. Et dicit ei Iesus: Vulpes. *Brugense & Lobbiense manuscripta omittunt* & *coniunctionem, consentaneè Syro, quam alij libri præponunt similiter Græco.*

Ibidem. *Pro* nidos *manuscriptum Brugense legit* tabernacula.

Ibidem. Vbi caput reclinet. *Sic legunt optimi quique libri, omisso pronomine* suum, *consentaneè editioni Græcæ: nam Syrus pro more linguæ suæ adiecit.*

V. 25. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum. *Quidam vetusti libri omittunt* ad eum discipuli eius, *tametsi* discipuli eius *Græcè & Syriacè addatur.*

V. 26. Et dicit eis Iesus: Quid timidi. *Nomen* Iesus, *quamuis Syriacè legatur, omittitur à Græcis & multis Latinis libris.*

V. 28. Et cùm venisset. *Non hic ex quibusdam libris addas* Iesus, *etiamsi Syrus exprimat.* Venisset *autem numero singulari legendum est, non plurali* venissent, *qui error est in libris nonnullis.*

V. 29. Venisti huc. *Non est præponendum aduerbium* cur.

V. 31. Si eiicis nos hinc. *Plerique libri omittunt aduerbium* hinc, *cum Græcis ac Syricis.*

V. 32. Et ecce impetu abiit. *Vox* magno, *quam interserunt quidam, non hic, sed Marci 5. versu 13. ab Interprete data est.*

V. 33. Nuntiauerunt omnia. *Superfluit* hæc, *quod addunt quidam* (hæc omnia).

V. 34. Rogabant vt. *Similiter redundat hic* eum: Rogabant eum vt.

CAPVT IX.

Ver. 1. Et ascendens in nauiculam. *Omittendum est quod additur in quibusdam libris nomen* Iesus.

V. 5. Dimittuntur tibi peccata tua. *Sic cum Sixtinis Bibliis, manuscripta Brugense, Clarmariscense, & Lobbiense ex nostris, similiter editioni Syriacæ. Alia omittunt* tua, *vt Græcè alterum duntaxat legitur, aut* σοῦ, *aut* σοι. *vide Græcas Varietates.*

V. 13. Sed peccatores. *Quod in nonnullis codicibus sequitur* ad pœnitentiam, *vt à plerisque, ita ab omnibus bonis præteritur, suffragantibus Syricis: quippe quod huius loci non sit, sed Lucæ 5. ver. 32. lege Græcas varietates.*

V. 17. Et vinum effunditur. *Quidam libri omittunt* &, *quod tamen Græcè legitur.*

V. 18. Accessit & adorabat. *Sic legendum,* adorabat *imperfectum, potiùs quàm perfectum* adorauit.

Ibidem. Domine, filia mea modò defuncta est. *Quædam manuscripta, nominatim tria nostra & vnum Clarmariscensis Ecclesiæ, omittunt* Domine, *consentaneè Græco & Syro.*

Ibidem. Impone manum tuam super eam. *Multi boni libri auferunt pronomen* tuam, *quamquam Græcè ac Syriacè addatur.*

V. 24. Dicebat: Recedite. *In quodam codice, pro* dicebat, *est* dixit ad eos, *propiùs ad Græca, vbi est* λέγει αὐτοῖς dicit illis.

V. 25. Et tenuit manum eius. *Quod sequitur in multis libris:* Et dixit, Puella surge, *non huius loci est,*

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS GRÆCÆ EVANGELII SECVNDVM IOHANNEM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV 3. καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. Exemplar tertium distinguit hoc modo καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. De hac interpungẽdi diuersitate lege Latinas varietates: prior ferè Græcorum, posterior Latinorum Interpretum est, quamquam & Cyrillus posteriorem sequatur.

V.14. πλήρης χάριτος. Manuscripta secundum & quartum, pro primo casu πλήρης, legũt quartum πλήρη; quem & Theophylactus legisse videtur, cùm referat ad δόξαν, non vt Nonnus & Euthymius ad λόγος.

V.26. ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι. Codices 5. & 12. addunt ὑμᾶς: sed quod, vt non à plerisque Græcis, ita nec à Latinis ac Syriacis, agnoscatur.

V.27. τοῦ ὑποδήματος. Sequitur in quinto exemplari αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί, quod non est huius loci, sed Matth. 3. v. 11.

V.28. ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ ἐγένετο. Ita legunt, vt Regia Biblia, sic omnia Parisiensium Græca exemplaria, præter alia aliàs à nobis nominata, adstipulantibus editionibus Latina & Syriaca. Alij libri pro Βηθανίᾳ scribunt Βηθαβαρᾶ, quos emendatiora esse exemplaria Chrysostomus cum Theophylacto & Euthymio discipulis suis credit. Hac de varietate latiùs olim in Notationibus egimus.

V.39. ὥρα ἦν. Sic Regius ex Complutensi & omnes Parisiensium codices, omittunt coniunctionem δὲ, quam alij addunt cum Latinis & Syris.

V.41. εὑρίσκει οὗτος πρῶτος. Antigrapha 3. & 4. pro πρῶτος legunt πρῶτον, consentiente editione Latina, & adstipulante Græca Nonni paraphrasi.

V.42. ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ. Pro Ἰωνᾶ, in octauo codice est Ἰωάννου quemadmodum Nonnus poëta ait Ἰωάννοιο. vide infrà 21. v. 15.

CAPVT II.

V.15. καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων. Octauus codex addit ὡς φραγέλλιον, conformiter Latino; cæteri omittunt ὡς, similiter Syro. Aliud exemplar pro plurali σχοινίων legit singulari σχοινίου, quo modo & Syra scribuntur.

V.17. κατεφάγεταί με. In aliis, pro futuro καταφάγεται, est aöristus κατέφαγε.

V.22. ὅτι τοῦτο ἔλεγεν αὐτοῖς. Pronomen αὐτοῖς, vt aufertur ab omnibus Parisiensium Græcis exemplaribus, ita à Latina versione & Syriaca.

CAPVT III.

V.25. ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου μετὰ Ἰουδαίων. Omnia Parisiensium exemplaria, præter Complutense, legunt numero singulari Ἰουδαίου, quo modo legit & Syriaca editio, addens *had*, *vno* (*cum Iudeo vno*) & exponunt enarratores, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Nonnus paraphrastes. Porrò Cyrillus Alexandrinus & Latina editio, Latinique tractatores, adstipulantur numero plurali Ἰουδαίων.

CAPVT IIII.

V.1. ὡς οὖν ἔγνω ὁ ἰησοῦς. Pro ἰησοῦς, quod legitur etiam Latinè ac Syriacè, multi Græci libri habent κύριος.

V.14. γενήσεται ἐν αὐτῷ. Exemplaria tertium & nonum omittunt præpositionem ἐν.

V.25. οἶδα ὅτι μεσσίας ἔρχεται. Exemplaria quartum & octauum legunt plurale οἴδαμεν, pro singulari οἶδα, quod tamen est etiam Latinè ac Syriacè.

V.27. καὶ ἐθαύμασαν. In tertio codice est præteritum imperfectum ἐθαύμαζον, vt Latinè.

V.35. ἔτι τετράμηνός ἐστι. Multi libri addunt ἔτι *adhuc*, conformiter Latino. Rursus quidam pro masculino scribunt neutrum τετράμηνον.

V.41. ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. Legitur εἰς αὐτὸν, etiam Syriacè: sed plerique libri omittunt. Latini similiter variant.

CAPVT V.

V.2. ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα: Sic, cum Regio, plerique omnes libri, scribunt, prius nomen tertio, posterius primo casu. Quidam vtrumque scribunt tertio casu ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. Theophylacti Romæ excusi textus, commentario consentiente, omissis præpositione & articulo, vtrumque scribit primo casu προβατικὴ κολυμβήθρα. lege Latinas varietates, & Notationes nostras in varias Bibliorum lectiones.

Ibidem. λεγομένη Βηθεσδά. Non temerè mutandũ Βηθεσδὰ cũ Βηθσαϊδά, docemus in varietatibus Latinis.

Ver. 3. ξηρῶν. Sequitur in secundo codice παραλυτικῶν, quod nullus alius legit.

V.4. ἄγγελος γάρ Exemplaria tertium & nonum subiiciunt κυρίου, quemadmodum editio Latina.

Ibidem. καὶ ἐτάρασσε. In quatuor est ἐταράσσετο.

V.5. ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. Sequitur αὐτοῦ in octauo & quarto, vt Latinè *sua*.

V.10. οὐκ ἔξεστι. Non præponas coniunctionem καί.

V.16. καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι. Hoc plerique omnes codices legunt, Syro consentiente: secundus & octauus omittunt, cum editione Latina, & Nonno Græco paraphraste, adstipulante quoque Cyrilli commentario.

V.30. τοῦ πέμψαντός με πατρός. A secundo, tertio & octauo antigraphis omittitur πατρὸς, conformiter editionibus Syriacæ ac Latinæ.

V. 32. ὁ μαρτυρῶν. Non subiicias ex β. pronomē αὐτῷ.

V. 41. δόξαν παρ' ἀνθρώπων. In quatuor est singulare ἀνθρώπου.

V. 44. δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες. Non mutes ἀλλήλων cum ἀνθρώπων, quod est in quarto & quinto.

CAPVT VI.

V. 11. διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις. Octauum exemplar non aliud habet quàm διέδωκε τοῖς ἀνακειμένοις, cui Interpretes Latinus & Syrus, necnon Nonnus poëta, suffragantur.

Ibidem. ὅσον ἤθελον. In quibusdam libris est ὅσον ἤθελεν numero singulari, *quantum volebat*, scilicet, Iesus: quod cùm non perinde inueniatur in bonis libris, minoris est auctoritatis. Nam & contradicunt Latini Syricique codices.

V. 15. πάλιν ἀνεχώρησεν εἰς τὸ ὄρος. Multi libri omittunt πάλιν, adstipulante Syro: multi addunt, adstipulante Latino.

V. 17. καὶ οὐκ ἐληλύθει. In 2. & 8. codicibus est οὔπω *nondum*, pro eo quod ex aliis exemplaribus Latino Syroque consonat, οὐκ *non*.

Ibidem. Ei quod sequitur πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, non est addendum εἰς τὸ πλοῖον, quod additur à tertio codice.

V. 22. ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Legunt hanc pericopen plerique omnes hodie Græci codices, suffragantibus Syricis. Vnus porrò Parisiensium octauus omittit, adstipulantibus Latinis: cui vult & Nonnus Græcus paraphrastes, dum illius loco addit ἀπλώτοιο *non nauigans* (εἰ μὴ ἑνὸς μία μοῦνον ἀπλώτοιο *nisi vna solum nauis non nauigans*) in diuersum longè sensum. Porrò facilè potest pericope illa intelligi ex eo quod sequitur: *Et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent*. Syri eam legunt hoc pacto: *Nisi illa quam conscenderant discipuli*: quod autem postremum est versus, *sed soli discipuli eius abiissent*, quia eis quæ præcedunt satis sit significatum, omittunt. Similiter potuerit Interpres Latinus, hoc ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ si quidem legerit, prætermisisse, quia eis quæ sequuntur satis significetur.

V. 24. ἐνέβησαν αὐτοί. Quidam legunt καὶ αὐτοὶ *& ipsi*, quod non exstat siue Latinè siue Syriacè.

V. 25. πότε ὧδε γέγονας; Pro γέγονας in secundo exemplari est ἐλήλυθας *venisti*, quæ est expositio veræ lectionis.

V. 28. τί ποιοῦμεν. In aliis est modo coniunctiuo siue potentiali ποιῶμεν.

V. 38. τοῦ πέμψαντός με. Non addas ex 4. codice πατρός.

V. 40. τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα. Exemplaria 3. 4. & 8., cùm versu superiori legatur δὲ *autem*, hoc versu scribunt γὰρ *enim*, conformiter Syriacæ editioni & paraphasi Nonni. Latini libri similiter variant.

V. 42. οὐχ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς. Non est omittendum nomen *Iesus* cum quarto codice.

V. 45. πᾶς οὖν ὁ ἀκούων. In aliis, pro præsenti ἀκούων, est aoristus ἀκούσας, conformis Latino.

V. 55. ἀληθῶς ἐστι. In exemplaribus. γ. ε. θ., bis hoc versu, pro aduerbio, legitur nomen ἀληθής.

V. 56. κἀγὼ ἐν αὐτῷ. Quæ sequuntur in 2. codice καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. nullus alius hoc loco legit.

V. 57. καὶ ὁ τρώγων με. Rursus in 2. codice pro τρώγων est λαμβάνων.

V. 58. ὁ τρώγων τοῦτον τὸν ἄρτον. Nō addas pronomen μου.

V. 59. ἐν Καπερναούμ. Quod sequitur in β. σαββάτῳ, verisimile est aliunde huc adscitum esse, tametsi legatur apud D. Augustinum in titulo tractatus 27.

V. 63. ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν. Tres codices, pro præsenti λαλῶ, scribunt præteritum λελάληκα, vt Latina editio.

V. 69. τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. Octauum exemplar, cum Nonni paraphrasi & Latina editione, omittit ζῶντος, quod legit Syriaca editio cum plerisque omnibus libris Græcis.

V. 70. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. Non est omittendum nomen ὁ Ἰησοῦς.

CAPVT VII.

V. 8. ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. Exemplaria 3. 5. & 8. omittunt ταύτην pronomem, quod tamen etiam Latinè ac Syriacè additur.

V. 9. ταῦτα δὲ εἰπὼν αὐτοῖς, ἔμεινεν. Exemplar 3. pro tertio casu αὐτοῖς, legit primum singularem αὐτός, hac distinguendi ratione, ταῦτα δὲ εἰπὼν, αὐτὸς ἔμεινε: cui suffragantur & Latina & Syra.

V. 12. ἐν τοῖς ὄχλοις. Secundus codex scribit ἐν τῷ ὄχλῳ, numero singulari, vt est Latinè.

V. 23. εἰ περιτομὴν λαμβάνει. Idem codex addit coniunctionem οὖν, quæ tamen nec Latinè legitur.

Ibidem. ἐμοὶ χολᾶτε. Et hîc addit ac præponit πῶς, singulariter.

V. 26. μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες. ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ χριστός; Plerique libri repetunt aduerbium ἀληθῶς post ἐστιν: sed Regius ex Complutensi, & Parisiensium ϛ. ζ. η., Nonno paraphraste & editione Latina suffragantibus, rectiùs omittunt. Syrus posteriori hoc loco legit, sed non priori.

V. 31. πλείονα σημεῖα. Non videtur addendum τούτων, quod in quibusdam libris sequitur.

V. 32. ἤκουσαν οἱ Φαρισαῖοι. Nonum exemplar interponit οὖν *igitur*.

V. 33. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς. Sic Regium ex Complutensi, & omnia Parisiensium exemplaria, omittunt pronomen αὐτοῖς, Euthymio adstipulante, quod alij libri addunt. Syrus non legit, Latini codices variant.

V. 39. οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. Non mutes præsens, cum aoristo πιστεύσαντες, ex octauo codice.

Ibidem. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. Sequitur in secundo exemplari ἐπ' αὐτούς, in Vaticano δεδομένον, quemadmodum in Latina editione & Syriaca, *datus*. Græci tractatores non legunt, sed subaudiunt eiusmodi quid. vide Latinas varietates.

V. 40. ἀκούσαντες τὸν λόγον. In tertio & octauo est τῶν λόγων τούτων, vt Latinè.

V. 52. ἐρεύνησον καὶ ἴδε. Sequitur in 2. codice τὰς γραφάς, quod quidā Latini libri subiiciunt voci ἐρεύνησον.

Ibidem. οὐκ ἐγήγερται. Rursus 2. codex, vt Latini, οὐκ ἐγείρεται.

CAPVT VIII.

Versum vltimum capitis superioris καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, & primum reliquosque huius octaui capitis, ad duodecimum vsque, complectentes historiam mulieris in adulterio deprehensæ, multi Græci codices olim, aut omiserunt, aut obelisco confoderunt, quod testatur Euthymius in hunc locum scribens, vbi & ait, nullum hæc esse interpretatum; vt certè, Chrysostomus, Nonnus, & Theophylactus Græci, quos nos vidimus, ea minimè attingunt, sicut & absunt ab Euangelio Syriaco. Cæterùm de canonica & sacrosancta horum veritate, quòd genuina ac legitima sint huius Euangelij pars, non est dubitandi relictus locus, postquam id Concilij Tridentini definitione declaratum est. Nam si multi olim Græci codices hæc omiserunt, multi è diuerso

uerio legerūt. Chrysostomus enim, etsi proprio loco, homilia inquam 51. in hoc Euangelium, hæc minimè attingat: paulò pòst tamen, homilia inquam 60. (vbi in aliud, verisimile est, incidisset euāgelij exemplar) meminit historię de adultera: quam nec Athanasius præterit in Synopsi veteris ac noui testamenti, quamquā versui 20 huius capitis postponere videatur. Denique Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos cap. 6. *In Euangelio secundū Iohannem*, inquit, *in multis & Græcis & Latinis codicibus inuenitur de adultera muliere.* Sed his verbis non adserit Hieronymus, hæc etiam in aliquibus Latinis codicibus defuisse: nullā enim fuisse in Latinis codicibus varietatem, vt nec hodie est, intelligere licet ex D. Ambrosio lib 7. epistola 58. ad Studium, B. Augustino, aliisque Latinis tractatoribus, qui absque vlla varietatis exemplarium mentione hæc enarrant: quæ, D. Augustinus lib. 2. de adulterinis coniugiis cap. 7., asserit, nonnullos veræ fidei inimicos, abstulisse de codicibus suis: græcis nimirum. Porrò quia Græci ferè persuasi fuère hæc superfluere, idcircò illi licentiùs ea mutarunt & variarunt, quemadmodum liquet ex variis lectionibus subsequentibus, quæ reperiuntur in Græcis exemplaribus hodie exstantibus, minimeque omittentibus plerisque.

V. 2. ὄρθρου δὲ πάλιν. In 4. & 9. exemplaribus sequitur βαθέος: quod additur quidem & apud Euthymium, sed Latinè non exstat.

V. 3. πρὸς αὐτὸν γυναῖκα. Eadem exemplaria, tam editione Latina quàm Euthymij textu adstipulante, omittunt πρὸς αὐτόν.

V. 4. λέγουσιν αὐτῷ. Sequitur in quinto exemplari, consonante Euthymij textu, πειράζοντες, quod Latinè non additur.

Ibidem. ταύτην εὕρομεν ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένην. Sic legit Regius codex ex Complutensi, cum quatuor aliis Parisiensibus antigraphis & Euthymij textu. In quibusdam verò est αὕτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη, quemadmodum Latinè.

V. 5. ἐν δὲ τῷ νόμῳ ἡμῖν Μωσῆς ἐνετείλατο. Sic Biblia Regia cum antigraphis Parisiensium α.ε.ζ.θ.ιδ. Alij libri, loco secundi casus ἡμῶν præpositi, scribunt tertium ἡμῖν, postpositum voci Μωσῆς, quemadmodum cum Euthymio Interpres Latinus.

Ibidem. λιθοβολεῖσθαι. In 4.6.7.9. & 14. est λιθάζειν, in quibusdam λιθάζεσθαι.

Ibid. σὺ οὖν τί λέγεις; Quartus, nonus, & 14. codices, addūt cū Euthymio περὶ αὐτῆς, quod Latinè nō legitur.

V. 6. ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ. Sic cum Regio α.δ.ζ.θ.ιδ. & textus Euthymij: alia verò exemplaria, cum editione Latina, ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτοῦ.

Ibidem. εἰς τὴν γῆν μὴ προσποιούμενος. Sic iterùm cum Regio scribunt α.γ.δ.ε.θ. Sed alij libri, cum Euthymio & editione Latina, omittunt illud μὴ προσποιούμενος *Dissimulans.*

V. 9. καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι *redarguente ipsos cōscientia.* Hoc præteritur à codicibus primo, octauo, aliisque, ab Euthymio, ab editione denique Latina.

Ibidem. ἕως τῶν ἐσχάτων *vsque ad postremos.* vt Latinè hoc non legitur, ita nec in Græcis exemplaribus γ. ε. Porrò Euthymij textus cum aliis addit.

Ibidem. ἐν μέσῳ οὖσα Sic omnes Parisiensium libri cum Euthymio, οὖσα, pro eo quod est in aliis, Latino conformiter, ἑστῶσα.

V. 10. καὶ μηδένα θεασάμενος πλὴν τῆς γυναικὸς, εἶπεν αὐτῇ. Horum loco, exemplaria quædam & Euthymij textus, hoc solum scribunt εἶδεν αὐτὴν καὶ εἶπεν αὐτῇ. Latina editio nec hoc quidem habet εἶδεν αὐτὴν καὶ, sed solummodo, εἶπεν αὐτῇ.

Ibidem. ποῦ εἰσιν. Alij libri cum Euthymij textu & editione Latina præponunt γύναι aut ἡ γυνή.

V. 11. οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω. Exemplar 5. suffragante editione Latina, scribit futurum κατακρινῶ.

Ibidem. καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν μηκέτι. Alij libri omittunt ἀπὸ τοῦ νῦν.

V. 14. καὶ ποῦ ὑπάγω. Exemplaria α.γ.δ., pro coniunctiua καὶ, scribunt disiunctiuam ἢ, Latinæ editioni similiter.

V. 25. ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Quidam libri diuisim scribunt ὅ, τι, tamquam relatiuum, quo modo Nonnus paraphrastes illud accepit. Sed Chrysostomus cum Theophylacto & Euthymio exponunt coniunctim scriptum ὅτι, vt plerique libri scribunt, tamquam coniūctionem. vide Notationes nostras prolixiores.

V. 27. οὐκ ἔγνωσαν. Sequitur in sexto codice οὖν, coniunctio illatiua, cuius loco Latinè & Syriacè præponitur καὶ &.

Ibidem. ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν. Secundum exemplar legit ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῦ λέγει τὸν θεόν, vt plerique Latini codices. Genitiuum singularem αὐτοῦ, pro datiuo plurali αὐτοῖς, legunt & alij quidam Græci libri, sed non addunt τὸν θεόν. vide Latinas varietates.

V. 29. οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατήρ. Octauus codex, conformiter Syro, præponit καὶ, quæ & Latinè additur in plerisque exemplaribus, sed non sequente nomine patris.

V. 38. καὶ ὑμεῖς οὖν ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε. Exemplaria 3.4.8. scribunt καὶ ὑμεῖς οὖν ἃ ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς ὑμῶν, ποιεῖτε, quo modo legitur & apud Chrysostomum: sed Nonnus, Theophylactus, & Euthymius adstipulantur lectioni vulgari, prout etiam Latina & Syra.

V. 42. εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς. Sic cum Regiis Bibliis codices 3. & 12. Syriacaque editio. Alij codices interiiciunt coniunctionem οὖν, sicut Latini.

V. 49. καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με. In octauo codice, pro præsenti, est aöristus ἠτιμάσατε, quemadmodum Latinè præteritum *inhonorastis.*

V. 51. ἐάν τις τὸν λόγον. Secundus pro ἐάν τις legit ὃς ἂν *quicumque*, vt Syrus.

V. 53. τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς. Tertius, quartus, & octauus, omittunt σύ.

CAPVT IX.

V. 1. τυφλὸν ἐκ γενετῆς. Non addas καθήμενον, quod secundus codex.

V. 8. ὅτι τυφλὸς ἦν. Codices secundus & octauus pro τυφλὸς habent προσαίτης, quemadmodum editiones Latina & Syriaca.

V. 9. ἄλλοι δὲ, ὅτι ὅμοιος. Exemplar octauum scribit ἄλλοι ἔλεγον, οὐχὶ, ἀλλ' ὅμοιος. quomodo Syriacè legitur, &, si omittas ἔλεγον, Latinè quoque.

Ibidem. ἐκεῖνος ἔλεγεν. Exemplar 4. interponit coniunctionem δὲ, vt Latina & Syra.

V. 17. λέγουσιν οὖν. Sic exemplar 8. cum Regiis Bibliis, addit οὖν, suffragante editione Latina, quod alij omittunt conformiter Syro.

V. 36. καὶ τίς ἐστι κύριε. Sic Regia Biblia ex Complutensibus, præponunt καὶ, quod alij libri omittunt cum Latino & Syro.

V. 41. ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει. Exemplar 2. scribit numero plurali αἱ οὖν ἁμαρτίαι ὑμῶν μένουσι.

CAPVT X.

V. 8. πάντες ὅσοι ἦλθον. Sic Regia Biblia ex Complutensibus, cum sex aliis Parisiensiū exemplaribus, πρὸ ἐμοῦ, quod alij libri addunt, omittunt, suffragantibus

tibus editionibus Latina & Syriaca, necnon inter Græcos enarratores Euthymio manifestissimè.

Ibidem. κλέπται εἰσί. Quintum exemplar pro εἰσὶ scribit ἦσαν, malè.

V. 11. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησι. Exemplar 2. pro τίθησι habet δίδωσι, quo modo legunt plerique Latini libri *Dat:* Nam Syriaci seruant *ponit*.

V. 14. καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν. Sic scribit etiam Syrus. Porro 2. & 8. inter Græcos Parisiensium codices, habent, καὶ γινώσκουσί με τὰ ἐμά, quemadmodum editio Latina *& cognoscunt me mea.*

V. 21. μὴ δαιμόνιον. Non addas ἔχων quod nonus codex.

V. 26. καθὼς εἶπον ὑμῖν. Hoc cum plerique codices iungunt eis quæ præcedunt, suffragantibus plerisque enarratoribus Græcis: duo, γ. & δ. cum Euthymio, connectunt subsequentibus.

V. 32. διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον. Exemplaria 4. & 7. legunt numero plurali ἔργων. Latina editio fauet numero singulari.

V. 34. ἐγὼ εἶπα. Codices 2. 8. 10. præponunt coniunctionem ὅτι, quemadmodum editiones Latina & Syriaca.

V. 38. κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε. Exemplar 2. κἂν ἐμοὶ μὴ θέλητε πιστεύειν, vt Latina.

CAPVT XI.

V. 19. πρὸς τὰς περὶ τὴν Μάρθαν. Exemplaria secundum & octauum scribunt πρὸς τὴν Μάρθαν, quæ explicatio est prioris lectionis.

V. 31. λέγοντες ὅτι ὑπάγει. Eadem hîc pro λέγοντες scribunt δόξαντες *putantes*, conformiter Syro.

V. 41. οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος. Eadem exemplaria vnà cum 4. omittunt hæc verba, consentaneè editionibus Latinæ & Syriacæ, necnõ paraphrasi Nonni: quamquam Euthymius ea disertè legat.

V. 54. εἰς τὴν χώραν. Addit secundus codex σαμφουρίμ, qua in re est singularis, vt nec alibi legi mentionem regionis *Samphurim*.

Ibidem. εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην. Octauus codex pro Ἐφραὶμ, habet Ἐφρὲμ, vt est etiam apud Nonnum: quinetiam Latinè legitur *Ephrem*, sed fortassis Interpres, vocales αι, non diuisim legit, at coniunctim, vt diphtongum, extulitque nõ *Ephraim*, sed *Ephrem*, prout etiam Syra vtroque efferri possunt modo. D. Hieronymi libro de locis hebraicis exemplaria variant, *Ephraim, Ephram, &c.*

V. 57. καὶ οἱ ἀρχιερεῖς. Exemplaria 3. 4. 6. auferunt καὶ coniunctionem; minùs rectè, opinor, tametsi nec Latinè nec Syriacè addatur.

CAPVT XII.

V. 3. ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν. Octauus codex addit ὁ Ἰησοῦς, conformiter Latino & Syro.

V. 7. εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. Idem octauus codex, vt libenter consonat editioni Latinæ, scribit ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό: cui suffragatur illa ad Vaticana collatio, quam in Notationibus prolixioribus citauimus; quinetiam Nonni poëtæ paraphrasis.

V. 17. ὅτε τὸν Λάζαρον. Pro ὅτε *quando*, quod est in plerisque libris, Latina editione adstipulate, codices 2. & 8. legunt ὅτι *quòd*, Syrico testamento & Græco Nonni carmine disertè suffragantibus.

V. 19. ἴδε ὁ κόσμος. Additur ὅλος à codicibus 6. & 8., à Latina & Syrica editionibus, denique à Nonno poëta. A plerisq; verò Græcis libris hodie omittitur.

V. 28. δόξασόν σου τὸ ὄνομα. Quartus codex habet pronomen primæ personæ μου, pro secundæ σου, quod est in plerisque omnibus, Latinis & Syris suffragantibus.

V. 31. τοῦ κόσμου. Multi libri addunt τούτου cum Syro, quod alij demunt cum Latino.

V. 32. πάντας ἑλκύσω. Ita legunt omnes penè libri Græci, cum Syricis, & tractatoribus Græcis. In vno 6. est neutro genere πάντα, quemadmodum in Latinis & codicibus & tractatoribus.

V. 41. τὴν δόξαν αὐτοῦ. Et hîc 6 præponit τοῦ θεοῦ ipsi αὐτοῦ, quod nequeo probare.

V. 47. καὶ μὴ πιστεύσῃ. Tertiò hîc 6. pro πιστεύσῃ legit φυλάξῃ, vt Latina & Syra.

CAPVT XIII.

V. 2. καὶ δείπνου γενομένου. In 2. exemplari, pro aöristo γενομένου, est præsens γινομένου, *cum cœna fieret*, contra editionem Latinam, quæ habet *& cœna facta.*

V. 18. ἐγὼ οἶδα. Exemplaria 3. & quartum interiiciunt coniunctionem γὰρ, conformiter Syro, quæ ab aliis omittitur, quemadmodum Latinè.

V. 24. πυθέσθαι τίς ἂν εἴη. Horum loco est in octauo codice καὶ λέγει αὐτῷ, εἰπὲ τίς ἐστι. ferè vt Latinè. *Et dixit ei, Quis est.*

V. 27. τότε εἰσῆλθεν. Rursus octauus codex omittit τότε, quemadmodum quædam exemplaria Latina.

V. 30. ἦν δὲ νύξ. ὅτε ἐξῆλθε. λέγει. Idem codex hæc verba sic distinguit ac legit ἦν δὲ νύξ. ὅτε οὖν ἐξῆλθε, λέγει, eodem prorsus modo quo Latina editio: *Erat autem nox. Cum ergo exisset, Dixit.*

V. 34. καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς. In tertio exemplari hoc ordine leguntur hæc verba ἵνα καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, καὶ ὑμεῖς.

CAPVT XIV.

V. 1. μὴ ταρασσέσθω. Exemplar 2. præponit καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, quemadmodum exemplaria Latina minùs emendata. vide Latinas varietates.

V. 3. καὶ ἐὰν πορευθῶ καὶ ἑτοιμάσω. Exemplar nonum legit καὶ ἐὰν πορευθῶ ἑτοιμάσαι, quemadmodum Syrum: nam Latina editio priori eique vulgatæ Græcorum lectioni consentit.

V. 13. καὶ ὅ,τι ἂν αἰτήσητε. Non videtur hîc addendum pronomen με, quod est in 4. & 14. codicibus. vide Latinas varietates.

V. 22. καὶ τί γέγονεν. Noli omittere καί.

V. 23. τὸν λόγον μου τηρήσει. In nono est τὰς ἐντολάς μου τηρήσει *mandata mea seruabit.*

V. 26. ὑμᾶς διδάξει πάντα. Non mutes πάντα cum πάντως, quod est in sexto codice.

V. 30. ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων. Quidam libri addunt τούτου, quemadmodum Latina editio.

Ibidem. καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. Codices tertius & quartus scribunt εὑρήσει *inueniet*, pro ἔχει *habet*, quod consonat Latino ac Syro.

CAPVT XV.

V. 1. ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. Quod sequitur in codicibus 4. & 8. ὑμεῖς δὲ τὰ κλήματα, non est huius versus, sed quinti.

V. 7. αἰτήσεσθε καὶ γενήσεται ὑμῖν. Tria exemplaria pro αἰτήσεσθε *petetis*, quod est etiam Latinè, legunt αἰτήσασθε *petite*, modo imperandi. Syrus legit modo infinito αἰτήσασθαι *petere.*

V. 11. ἐν ὑμῖν μείνῃ. Exemplaria 2. & 9. pro μείνῃ *maneat*, habent ᾖ *sit*, vt Latina & Syra.

CAPVT XVI.

V. 3. καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὑμῖν. Omnia Parisiensium exemplaria omittunt ὑμῖν, conformiter Syro, quod tamen Latinè legitur.

V. 14. ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Septem Parisiensium codices scribunt præsens λαμβάνει, pro futuro λήψεται. Atqui futurum consonat Latino, Syro, Græcorum commentariis, & versui denique proximo: quamquam Regius textus versu proximo λαμβάνει dicat, cùm hic scripserit λήψεται.

V. 16. καὶ οὐ θεωρεῖτέ με. In octauo codice, pro οὐ, est οὐκ-ἔτι, quemadmodum Latinè *iam non*.

V. 21. ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς. Secundus codex pro ὥρα habet ἡμέρα; Syrus *dies partus*.

CAPVT XVII.

V. 2. δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. Exemplar nonum mutat plurale αὐτοῖς, quod legitur etiam Latinè, cum singulari αὐτῷ.

V. 7. νῦν ἔγνωκαν ὅτι. Hæc vera est lectio, conformis editioni Latinæ. Porrò sextus Parisiensium codex, pro tertia plurali ἔγνωκαν scribit primam singularem ἔγνωκα, conformiter Syro: cuius scripturæ meminit Theophylactus, eamque, Chrysostomum præceptorem sequutus, meritò reprehendit.

V. 11. τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, οὓς δέδωκάς μοι. Pro accusatiuo plurali οὓς, quem legit etiam Latinus Interpres (*quos dedisti mihi*) omnia Parisiensium exemplaria, scribunt datiuum singularem ᾧ, relatum ad illud quod proximè præcedit nomen ὀνόματι (*quod dedisti mihi*) posito relatiuo eodem casu cum antecedente. Huic datiui casus lectioni fauent Syra non solùm, verumetiam enarrationes Euthymij & Theophylacti. Denique Cyrilli commentarius, vt Latinè versus exstat, quàm pertinaciter legit masculinum plurale *quos*, tam constanter explicat neutrum singulare *quod*, docens, quomodo pater filio, quod æternùm habuerat, nomen Deitatis, dederit vt homini.

V. 12. οὓς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα. Rursus octauus codex, pro οὓς, hîc legit ᾧ, præcedentibus iungens, & coniunctionem καὶ præponens verbo ἐφύλαξα; sed nemine fauente, nisi vno Cyrillo.

Ver. 20. ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιστευόντων. Sic Biblia Regia cum omnibus Parisiensium exemplaribus & Syrico textu. Alij porrò libri, pro participio præsentis temporis πιστευόντων, legunt futuri temporis πιστευσόντων, suffragante editione Latina. Quinetiam Græci enarratores, si non legerunt, certè intellexerunt futurum.

CAPVT. XVIII.

V. 14. ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας *Erat autem Caiphas qui consilium dederat*. His verbis præmittit textus, Cyrilli Alexandrini Græci tractatoris, prout Latinè versus exstat, commentario additus: *Miserunt autem eum ligatum ad Caipham pontificem*, quod sit, ἀπέστειλαν δὲ αὐτὸν δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα: id quod, Theodorus Beza, in Textum suæ versionis transtulit, mutato numero plurali in singularem, hoc modo: *Is verò (Annas) misit eum vinctum ad Caipham pontificem*: quodfecit etiam Franciscus Nansius ad Nonni paraphrasin; temerè vterque. Non enim his verbis Euangelista declarauit, Iesum ab Anna transmissum ad Caïpham: sed id fecit, tacita vsus transitione, quod Commentarius noster docet. Nusquam enim alibi exstant ea verba hoc versu, nec apud alium vllum veterem tractatorem siue Græcum siue Latinum inueniuntur: &, si etiam Cyrilli commentarius diligentiùs introspiciatur, magna dubitandi causa deprehenditur, num legerit ea verba Cyrillus. Subiicit enim illi textui Cyrillus huiusmodi commentarium: *Auctoritate atque consilio impietatis in Christum præfuit Caiphas, & paulò pòst quasi fructum sui consilij vinctum Iesum suscipiet*. vbi non tantùm non explicat ea verba *Miserunt autem eum ligatum ad Caipham pontificem*, verumetiam significat non hîc, sed posteà, nimirum versu 24. ea à se lecta fuisse. Verum quidem est, quod in versum 24. hoc modo scribat: *Quasi currentem equum narrandi progressum Euangelista vtiliter reuocat, & ad priora rursus orationem reducit. Quare sic? quia negationem Petri tertiò factam exponere voluit*. Sed ego illud intelligerem de his maximè verbis: *Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se*, nisi sequeretur: *Repetit ergo breuiter, & missum ab Anna* IESVM *ad Caipham iterùm dicit. Petrumque interrogatum exponit*, &c. quis enim ausit dicere, suppositititium esse aduerbium *iterùm*? Quare, etsi non est res certa, magna tamen causa dubitandi est, an Cyrilli textui verba illa *Miserunt autem*, &c. non fuerint studiosè ab aliquo addita. Certè enim videri possit, Cyrilli locum alterum alteri ita conciliari posse, vt quando dicit *paulò pòst à Caipha suscipiendum esse Iesum vinctum*, loquatur de verbis disertis, quibus hoc posteà dicitur: & rursus cùm dicit, *missum ab Anna* IESVM *ad Caipham iterùm dicit*, loquatur de eo, quo id priùs dictum fuerat, tacito insinuandi modo. Operæpretium foret Græcum Cyrilli exemplar consulere posse. Quidquid sit, neutiquam referenda in textum Euangelij versu 14. sed tacitè intelligenda sunt, ea verba *Miserunt* aut *misit autem eum ligatum ad Caipham pontificem*.

V. 24. ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα. Annotant quidam auctores, à nonnullis exemplaribus addi coniunctionem οὖν *ergo*. ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν, quæ & legitur apud Cyrillum, vt Syriacè additur δὲ *autem*. vide varietates Latinas, & Commentarium nostrum, hoc ipso loco.

V. 29. ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πιλάτος πρὸς αὐτούς. Exemplar octauum addit ἔξω *foras*, quod additur etiam Latinè & Syriacè.

V. 34. ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ; Exemplaria 3. & 4. scribunt numero singulari ἢ ἄλλος σοι εἶπε περὶ ἐμοῦ; contra omnium aliorum fidem.

V. 40. ἐκραύγασαν οὖν πάλιν. Quidam libri cum editione Syriaca omittunt πάλιν, quod tamen plerique omnes cum Latina editione addunt.

CAPVT XIX.

V. 3. καὶ ἔλεγον. His verbis manuscripta Parisiensium 3. 8. 9. præponunt καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν: id quod etiam Latinus Interpres legit, quod testatur his verbis: *Et veniebant ad eum & dicebant*. Cæterùm Syrus hoc non agnoscit.

V. 6. σταύρωσον αὐτόν. Alij libri omittunt αὐτὸν, alij addunt. Similis varietas est Latinè.

V. 13. ἀκούσας τοῦτον τὸν λόγον. In quibusdam libris legitur secundo casu numeri pluralis ἀκούσας τούτων τῶν λόγων.

V. 14. ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. Auctores aliquot notant, in vno codice, pro ἕκτη *sexta*, legi τρίτη *tertia*. Atqui videtur

detur mutatio illa de industria facta fuisse, ex opinione Theophylacti & aliorum quorumdam, ita conciliantium Marcum cap. 15. v. 25. cum Iohanne hoc loco, quòd hoc loco, errore notariorum, ἕκτη scriptum sit, cùm τρίτη scribendum fuisset, vt est apud Marcum. Scholiastes Nonni, pro certo habet, τρίτη secundùm Iohannem à Nonno lectum fuisse: atqui ego pro certo teneo ἕκτη eum legisse. Paraphrasis Nonni est: *Eratque protensa tertia mortifera hora.* Si tertia fuit protensa, quomodo fuerit ὡσεὶ τρίτη *circiter tertia?* Nonnus pro eisdem habens, horam fuisse circiter sextam, & horam tertiam fuisse protensam, hoc pro illo est vsus, eâdem operâ Marcum cum Iohanne concilians, hac ratione, quòd tertia fuerit protensa, id est, spatium illud medium, quod est inter signum tertiæ & signum sextæ horæ, longè fuerit progressum, ac proinde imminuerit sexta.

Ver. 16. καὶ ἀπήγαγον. Quinque manuscripta legunt simplex ἤγαγον, cui alij libri addunt εἰς τὸ σταυρῶσαι, alij εἰς τὸ πραιτώριον: verùm hæc superfluunt, addita à sciolis, tametsi εἰς τὸ πραιτώριον legatur apud Euthymium.

V. 28. εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς. Sic etiam est Latinè & Syriacè, εἰδὼς *sciens*. Cæterùm exemplaria Parisiensium 4. 5. 7. 12. & 14., pro εἰδὼς *sciens*, scribunt ἰδὼν *videns*. Ibidem. ἤδη τετέλεσται. non addas πάντα.

V. 36. ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Codicum alij omittunt, alij addunt præpositionem ἀπ': addentibus suffragantur editiones Latina & Syriaca; cum Nonni paraphrasi.

V. 40. ἐν ὀθονίοις. Et hîc omittitur ab aliis libris præpositio.

V. 11. πρὸς τὸ μνημεῖον. In quibusdam libris est datiuo casu πρὸς τῷ μνημείῳ.

V. 22. ἐποίησεν. sequitur in secundo codice αὐτοῖς, suffragante Syro. Atque plerisque libris, qui illud omittunt, Latina editio adstipulatur.

V. 29. ἐπ' ἐσχάτῳ μου. Quidam libri addunt θυμᾶ: Regius cum aliis omittit, Syro suffragante.

V. 31. ζωὴν ἔχητε. Codices 2. & 8. interiiciunt αἰώνιον, conformiter Syro: quod plerique omnes omittunt, cum editione Latina, fauentibus Euthymio & Theophylacto.

CAPVT XXI.

V. 6. ἑλκύσαι ἴσχυσαν. Exemplaria 3. & 8., pro aöristo ἴσχυσαν, scribunt imperfectum ἴσχυον, vt editio Latina *valebant*.

V. 13. καὶ δίδωσιν αὐτοῖς. Exemplar secundum, coniunctioni καὶ subiicit participium εὐχαριστήσας, contra aliorum omnium fidem, Chrysostomo ipso eiusque discipulis annotantibus, quòd non egerit iam Iesus sicut anteà, non suspexerit in cælum, &c.

V. 15. 16. 17. Σίμων Ἰωνᾶ. Pro Ἰωνᾶ octauum exemplar vbique habet Ἰωάννα: cui fauet Nonnus poëta scribens Ἰωάννα (nec enim scripturæ vitium subesse, loquitur mensura carminum) denique Hieronymus, scribens in caput 16. Matthæi, quem citauimus ad varietates Latinas.

NOTARVM AD VARIAS LECTIONES IN LATINA QVATVOR EVANGELIORVM EDITIONE OCCVRRENTES, LIBELLVS ALTER.

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS LATINÆ EVANGELII SECVNDVM MATTHÆVM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV *secundo.* Abraham genuit Isaac: Isaac autem. *Malè à libris quibusdam additur* autem *post* Abraham, *& ab aliis tollitur post* Isaac.

Ver. 18. Mater eius Maria. *Legendum est* eius, *iuxta Sixtina Biblia non solùm, verùm & iuxta antiqua manuscripta, eaque respondentia Græco ac Syro; non* Iesu, *quod est in quibusdam libris ex consuetudine recitationis Ecclesiasticæ. Cùm enim Euangelium Vigiliæ Natiuitatis Domini, incipiat ab his verbis, necessariò illic ponendum fuit* Iesu *pro* eius, *quod hic minimè necessarium est, cùm* eius *ad Christum referatur, cuius statim præcedit mentio: imò videri possit, de alio quopiam quàm de Christo Euangelista ordiri sermonem, si* Iesu *legas pro* eius: *id quod etiam obsit sensui.*

V. 23. Et vocabunt nomen eius. *Sic legendum est hoc loco ex Sixtinis cæterisque optimis libris,* vocabunt *numero plurali, non tantùm Græco & Syro, sed & Hieronymo in septimum Isaiæ caput suffragante. Quare spuria sunt quæ à nonnullis leguntur* vocabitur *&* vocabis. *lege Græcas varietates.*

CAPVT II.

Versibus 1. *&* 5. In Bethlehem Iudæ. *Sic legunt optimi libri ex B. Hieronymi castigatione,* Iudæ *sine* Iuda, *non* Iudææ, *quod est in quibusdam conformiter Græco: quanquam res eadem sit, de quo lege Commentarium.*

Ver. 6. Qui regat. *In aliis est futuro indicatiui* reget, *quomodo Græcè* ποιμανεῖ. *varietas scripturæ nil varians sensum.*

V. 14. Qui consurgens. *Sic meliores libri* consurgens, *pro simplici* surgens, *quo alij vtuntur.*

V. 23. Quod dictum est per Prophetas. *Quidam libri legunt* Prophetam *numero singulari: sed meliores, suffragantibus Græcis,* Prophetas *habent, numero plurium: quibus veteres Tractatores tam Latini quàm Græci volunt. Syrica editio ita punctis affecta est, vt* Prophetam *numero singulari reddat: verùm mutatis situ duobus apiculis, pluralis est numerus.*

CAPVT III.

Ver. 2. Appropinquauit enim regnum cælorum. *Sic legunt Sixtina Biblia post vetera manuscripta, nominatim Brugense D. Donatiani,* appropinquauit *præterito tempore, non futuro* appropinquabit: *quibus Græca Syraque & B. Hilarius adstipulantur. Quare Epanorthotes ille noster annotat:* Appropinquauit enim, iuxta Græcum, antiquos & Hieronymum; moderni appropinquabit. *Quin & ratio ipsa futurum reiicit: Prophetarum enim fuit dicere* Appropinquabit regnum cælorum; *aliquando propinquum erit: Christus autem eiusque prodromus Iohannes, factum esse propinquum prædicarunt. Et quod quæso aliud hi tempus prædicarint, quo futurum esset regnum cælorum propinquum, quum iam propinquissimum, quinimò præ foribus esset? Vnde non ita diu post Saluator*

Iudæis:

Iudæis: Peruenit, *inquiebat*, in vos regnum Dei.

V. 3. Hic est enim qui dictus est. *Sic legendum est iuxta exemplaria integriora, suffragantibus Græcis & Syris; non* de quo dictum est.

V. 7. Quis demonstrauit vobis. *Neutiquam legendum est futuro tempore* demonstrabit.

Ibidem. Fugere a ventura ira. *Inter alia, manuscripta Biblia Cathedralium Ecclesiarum Audomarensis & Brugensis, legunt* futura, *quomodo est Græcè* μελλούσης, *pro* ventura.

V. 9. Quoniam potens est Deus. *Sic legunt optimi quique libri*, potens est, *non* potest.

V. 10. Excidetur & in ignem mittetur. *Quatuor exemplaria notauit Iohannes Hentenius legere* Exciditur & in ignem mittitur, *præsenti tempore, non futuro: de quorum fide si constaret, præferenda haud dubium foret lectio ista priori: vt enim magnam adfert imminentis periculi emphasin, ita sibi fauentes habet libros Græcos & Syricos, atque inter veteres patres Cyprianum, vbi orationem Dominicam explanat, sub finem*.

V. 12. Triticum suum in horreum. *Hæc Bibliorum Sixtinorum lectio, vera est lectio antiquorum codicum, etiam Epanorthote teste. cui & libri Græci plerique omnes adstipulantur, quod ex Græcis varietatibus discere licet. Quare non est legendum* triticum in horreum, *omisso pronomine, vt quidam libri habent; neque* triticum in horreum suum, *pronomine iuncto posteriori nomini, vt alij*.

V. 15. Tunc dimisit eum. *Iniuria omittuntur à quibusdam libris hæc verba*.

V. 16. Baptizatus autem Iesus confestim ascendit. *Nomen* Iesus *& aduerbium* confestim *non sunt auferenda, vt à quibusdam libris auferuntur*.

Ibidem. Et venientem super se. *Interpres vertit* super se, *iuxta codices antiquos, non* super ipsum, *quod habent quidam noui. qua de re latiùs in Notationibus olim editis*.

CAPVT IV.

Ver. 4. Non in solo pane viuit homo. *Etsi libri nonnulli futuro tempore* viuet *legant, quemadmodum est Græcè: tamen plerique omnes, & quidem optimi quique, præsenti tempore seruant* viuit, *ita vt intelligere liceat, Latinum Interpretem sensum non verbum reddidisse, quemadmodum fecit & Syrus*.

V. 6. Quia Angelis suis mandauit de te. *Non pauca nec contemnenda manuscripta, pro præterito tempore* mandauit, *scribunt futurum* mandabit, *adstipulantibus codicibus Græcis ac Syricis, necnon Hebræo & LXXII*.

V. 7. Rursum scriptum est. *Sic distinguunt præter alios, antiqui Epanorthotæ codices, vt* Rursum *sequentibus iungatur, non præcedentibus*.

V. 10. Tunc dicit ei Iesus: Vade satana. *Non est omittendum aduerbium* tunc, *nec addendum est* retrò *aut* post me: *quod ex Matt. 16. v. 23. aut Mar. 8. v. 33. huc à quibusdam adiectum credo. lege Græcas varietates & Notationes nostras prolixiores*.

V. 13. In Capharnaum maritima. *Superfluit quod addũt codices quidam* ciuitatem maritimam *porrò accusandi casu, quemadmodum Græcè est, scribunt vetusti quidam libri, pro auferendi casu* maritima.

V. 15. Via maris. *Latina Complutensis Regiaque editio legit, ita vt est Græcè*, viam maris, *quarto casu*.

Ibidem. Galilæa Gentium. *Sic legunt, cum Sixtinis Bibliis, Regia editio & alia quædam exemplaria, primo casu* Galilæa, *conformiter Græco. In multis aliis libris est* Galilææ *secundo casu, vbi subaudire oportet* terra *aut* regio.

Ibidem. Populus qui sedebat in tenebris. *Quod libri quidam, pro* sedebat, *legunt* ambulabat, *huc ex Propheta adsumtum est, cùm Matthæus aut eius Interpres, sententiam Prophetæ reddens, non verba adnumerans*, καθήμενος *sedens dixerit, vti est & Syriacè*.

V. 16. In regione vmbræ mortis. *Præter duos codices quos notauit Iohannes Hentenius, Biblia manuscripta, Ecclesiarum Cathedralium Audomarensis ac Brugensis, & Cœnobiorum Lobiensis ac Clarimarisci, spectatissima illa, legunt* & vmbra mortis, *Græco Syroque conformiter. In aliis est* vmbræ mortis, *quo modo Interpres vertit Prophetam, qui coniunctionem non addit*.

V. 17. Appropinquauit enim. *In paucioribus Latinis libris est hoc loco error ille, qui suprà 3. versu 2. futuri* appropinquabit *scripti pro præterito* appropinquauit.

V. 18. Ambulans autem Iesus. *Sic est etiam Græcè. Porrò à quatuor illis quæ mox nominauimus Bibliis manuscriptis, omittitur vox* Iesus, *Syriaca editione adstipulante*.

V. 24. Et abiit opinio eius. *Quod duo codices legunt* fama *pro* opinio, *glossam esse suspicor, pro textu obscuriore substitutam*.

V. 25. Et de Ierosolymis. *Omittitur præpositio* de, *à quibusdam bonis libris*.

CAPVT V.

Ver. 1. Videns autem Iesus turbas. *Correctores Bibliorum Sixtinorum non iudicarunt omittendum nomen* Iesus *(quod legitur etiam Syriacè) quo clarior fit sententia, tametsi à veteribus plerisque manuscriptis Græco conformiter omittatur*.

V. 8. Beati mundo corde. *Græcè est* οἱ καθαροὶ mundi *primo casu, quem in Latinis libris nondum inuenimus, quamquam ad sensum parum referat*.

V. 9. Quoniam filij Dei. *Donatianica Biblia, inter alia, & antiqua Epanorthotæ, addunt pronomen* Quoniam ipsi, *quod etiam Græcè legitur*.

V. 11. Cùm maledixerint vobis & persec. *Non est addenda vox* homines, *quæ à melioribus libris abest, adstipulantibus Græcis & Syris. videtur ex Luc. 6. v. 22. huc translata*.

V. 20. Dico enim vobis. *Sic cum Sixtinis Bibliis manuscripta exemplaria emendatiora, sic Græca, sic Syra: quare non est mutandum* enim *cum* autem.

V. 22. Omnis qui irascitur fratri suo. *Non est addendum* sine causa, *quod iam olim ex hac editione Diuus Hieronymus sustulit. lege Græcas varietates & Notationes prolixiores*.

V. 24. Et vade priùs reconciliari fratri tuo. *Plerique libri legunt* reconciliari *modo infinito: sed imperandi modo* reconciliare, *scribunt, inter alios, Brugensis, Lobiensis, & antiqui Epanorthotæ, conformiter Græco ac Syro*.

Ibidem. Offeres munus tuum. *Brugense manuscriptum, pro futuro* offeres, *legit imperatiuum* offer, *iuxta Græca & Syra, necnon B. Augustinum, eo libro quo hunc Domini sermonem tractat*.

V. 30. Abscide eam. *Sic est in Sixtinis Bibliis ex veteribus manuscriptis, voce deducta à* cædo, *pro eo quod alia habent* abscinde *à* scindo. *Simile infrà 18. v. 8. Mar. 9. v. 43. & alibi*.

V. 32. Et qui dimissam duxerit, adulterat. *De ea quæ olim B. Augustino obseruata est huius sententiæ à quibusdam omissione, lege Græcas varietates*.

V. 37. Sit autem sermo vester. *Hoc verborum ordine legunt boni libri, pro* Sit sermo autem vester.

V. 38. Et dentem pro dente. *Non rectè à quibusdam exemplaribus omittitur coniunctio.*

V. 39. In dexteram maxillam. *Non esse omittendum* dexteram, *quod olim à quibusdam libris abfuit, docuimus in Notationibus in varias Bibliorum lectiones.*

V. 40. Et ei qui vult tecum iudicio contendere. *Sic legunt optima fidei exemplaria, omissa præpositione* in iudicio.

V. 41. Vade cum illo & alia duo. *Quidam libri tollunt vocem* alia, *quòd Græcè non legatur, quodque nihil ampliùs intelligendum videatur, quàm duplum concedendum, simplum extorquenti, quemadmodum de maxilla & veste præcessit. Atqui, vt pleraque, ita cum Sixtinis optima quæque editionis nostræ exemplaria,* τὸ alia *legunt: quod etiam B. Augustinus & imperfecti operis Auctor, peruetusti tractatores, explicant. Existimarim itaque, veterem Interpretem dedisse illud, nec tam Græcè legisse (tametsi in secundo Parisiensium Græco codice inueniatur) quàm de suo addidisse, ne, proptereà quòd conuerterat μίλιον mille passus, ambigua esset oratio. Vides enim, illo addito, in sententia nullam discrepantiam fieri; non enim ita vrgere Dominum alterum miliare, quasi non & tertium & quartum ferri velit, potiùs quam resistat quis malo. Porro & coniunctionem (& alia duo) egregia exemplaria manuscripta omittunt.*

V. 46. Si enim diligitis. *Manuscriptum Brugense habet coniunctiuum* diligatis, *conformiter Græco* ἀγαπήσητε.

Ibidem. Quam mercedem habebitis? *In duobus codicibus à Iohanne Hentenio annotatis, est præsens* habetis: *quibus volunt Græca, Syra, & imperfecti operis Auctor.*

V. 48. Pater vester cælestis. *Non legas* qui in cælis est, *pro* cælestis; *sicut nec è diuerso Græcè* οὐράνιος, *pro* ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

CAPVT VI.

Ver. 4. Reddet tibi. *Vnus ille Parisiensium codex qui addit* in palàm, *vel Græco accommodatus est, vel seruat scripturam, quam olim emendauit Hieronymus, sublato illo* in palàm, *seu* palàm. *lege varietates Græcas, & nostras in Biblia Notationes.*

V. 6. Tu autem cùm oraueris. *In aliis bonis libris est futurum indicatiui* orabis, *pro coniunctiuo* oraueris.

Ibidem. Et clauso ostio. *Additur pronomen* tuo, *à multis bonis libris, conformiter Græco & Syro.*

V. 7. Sicut ethnici. *Non est addendum* faciunt; *quod cum Sixtinis Bibliis antiqua manuscripta omittunt, & tam Græca quàm Syra ignorant.*

V. 10. Adueniat regnum tuum. *In quibusdam libris legitur simplex verbum* veniat, *quemadmodum Græcè* ἐλθέτω.

V. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. *Quidam codices scribunt* quotidianum, *quomodo ante Hieronymum editio ista habuit: vnde adhuc consuetudo sic recitandæ Dominicæ orationis. Hieronymus mutauit* quotidianum *cum* supersubstantialem, *vt propiùs exprimeret Græcam vocem* ἐπιούσιον. *Quare Sixtina Biblia, & fide dignissima quæq; tum nostra tum Epanorthotæ manuscripta, legunt* supersubstantialem. *lege Notationes.*

V. 13. Sed libera nos à malo. *Sequitur in codice S. Germani lato, à Parisiensibus notato:* Quia tuum est regnum & potentia & gloria in sæcula sæculorum: *quod ex Græco additum esse, non dubium est. lege varietates Græcas.*

Ibidem. A malo. Amen. *Vetera manuscripta, Brugense, Clarmariscense, Lobbiense, & tria Audomarensia, omittunt* Amen, *quibus Syriaci libri typis excusi suffragantur. At Syriacum manuscriptum, Græcique omnes libri quos vidi, iis adstipulantur Latinis exemplaribus quæ addunt* Amen. *Cyprianus & Augustinus non attingunt: Hieronymus cum Euthymio disertè explicat, vocatque signaculum Dominicæ orationis, vt est confirmādi particula, quemadmodum docet idem duabus ad Marcellam epistolis, & Apostolus ipse 1. Corinth. 14. v. 16.*

V. 15. Si autem non dimiseritis hominibus. *Tria ex nostris manuscriptis addunt* peccata eorum, *conformiter Græco; alia demunt, similiter Syriaco, & emendationi Sixtinæ.*

Ibidem. Nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. *Quidam boni libri omittunt* vobis, *quod neque Græcè exstat.*

V. 16. Vt appareant hominibus. *In aliis libris, pro composito, legitur simplex verbum* pareant, *minus congruè.*

Ibid. Quia receperunt mercedem suam. *Vt Sixtina Biblia, ita vetera manuscripta, non omittunt* quia, *adstipulantibus Græco & Syro: tametsi sensui superfluat, nec legatur superioribus versibus secundo & quinto.*

V. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Inter alia, Lobbiense manuscriptum, omittit pronomina* tui *&* tuus, *consentaneè editionibus Græcæ & Syriacæ, citationique B. Hieronymi in Dialogo aduersus Luciferianos. Credi possint addita, siue ex Euangelio Lucæ (cap. 11. v. 34.) siue quod accommodando similitudinem subiungat Saluator:* Si oculus tuus fuerit simplex. *vbi, post Græca & Syra, Regij operis Latinus textus addit coniunctionem:* Si igitur oculus tuus.

V. 25. Quid manducetis. *Quod D. Hieronymus annotat, quibusdam codicibus addi,* neque quid bibatis, *iam nulli addunt, licet Græcè & Syriacè legatur. lege Commentarium.*

V. 30. Quanto magis vos modicæ fidei? *Optima quæque manuscripta nostra legunt* minimæ *pro* modicæ, *ita vt* modicæ, *ex aliis locis celebrioribus, quibus id vertit Interpres (vt infrà 8. v. 26., & 14. v. 31.) huc transsumtum videri possit.*

V. 33. Quærite ergo primùm regnum Dei. *Antiqui codices Epanorthotæ, & ex nostris Brugensis ac Lobbiensis, pro* ergo *legunt* autem, *quod est Græcè ac Syriacè.*

V. 34. Sufficit diei. *Non est addendum* enim.

CAPVT VII.

V. 1. Vt non iudicemini. *Hoc Matthæi est; Lucæ cap. 6. v. 37.* Et non iudicabimini: *vnde etiam illud huc translatum est à quibusdam* Nolite condemnare vt non condemnemini, *quamquam, vt consimile esset ei quod præcedit, mutatum sit,* & non condemnabimini *cum* vt non condemnemini. *Non tantùm enim Græca & Syra, sed & fide dignissima quæque Latina manuscripta, cum Sixtinis Bibliis, illud hoc loco ignorant, fauentibus Tractatoribus veteribus, Hilario, Hieronymo, Augustino, Chrysostomo, & imperfecti operis Auctore, vt & à recentioribus plerisque omnibus præteritur.*

Ver. 4. Sine eiiciam. *Non est præponendum* frater, *quod vt non legitur in Græcis & Syricis, ita neque in*

que in emendatioribus Latinis codicibus. Luca similiter est cap. 6. v. 42.

Ibidem. Et ecce trabs est. Antiqui nostri libri scribunt traces pro trabs. Vtraque forma Latinis nota est.

V. 6. Et conuersi dirumpant vos. Nec antiqui libri addunt canes (& canes conuersi) quod ex scholio in scripturæ seriem haud dubium est deuenisse: legunt autem quidam disrumpant pro dirumpant.

V. 11. Nostis bona data dare. Quidam boni libri omittunt data, tametsi Græce Syriaceque legatur.

V. 12. Vt faciant vobis homines. Non est addendum bona, quod iam olim sublatum est a castigatore.

Ibidem. Et vos facite illis. Quidam libri præponunt ita; ita & vos) adstipulantibus Græcis plerisque codicibus ac Syricis, & inter veteres Cypriano atque Augustino. Sed integerrima quæque huius editionis exemplaria, tum nostra tum Epanorthotæ, cum Sixtinis, omittunt, quibus & Græca quædam consentiunt, de quibus in varietatibus Græcis.

V. 13. Quia lata porta & spatiosa via est. Quidam boni libri omittunt verbum substantiuum est.

V. 14. Quàm angusta porta & arcta via est. Non est legendum quoniam vel &, pro quàm. vide Græcas varietates. A quibusdam autem libris abest est.

V. 19. Excidetur & in ignem mittetur. Quemadmodum Græce & Syriace est præsentis tempore Exciditur & in ignem mittitur, ita etiam Latine scriptum esse in peruetustis exemplaribus, annotant quidam; sed qualia ego non viderim.

V. 23. Discedite à me qui operamini. Rectè sustulit Sixtina correctio vocem omnes, vt quæ ab optimis quibusque Latinis libris omittatur, conformiter Syricis & Græcis plerisque omnibus. Et quamquam Psalmi 6. v. 9., ad quem hic alluditur, addatur: videri tamen possit hic in Euangelio non sine gratia omissa. vide Græcas varietates.

V. 25. 27. Et descendit pluuia. Non est omittenda coniunctio &, etiam Epanorthotæ iudicio, quæ Græcè quoque & Syriacè legitur.

V. 29. Et non sicut Scribæ eorum. Quidam antiqui libri omittunt & coniunctionem, quam alij, Græco Syroque similiter, præponunt: plerique verò addunt pronomen eorum, Syro consentaneè, quod aliqui rursus Græco conformiter auferunt.

CAPVT VIII.

Ver. 1. Cùm autem descendisset. Non est addendum nomen Iesus, quod ab antiquis libris, Græco & Syro consonantibus, abest.

V. 9. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus. Multi antiqui libri, consentaneè Græco ac Syro, omittunt vocem constitutus, quæ ex Lucæ 7. ver. 8. huc adscripta creditur.

V. 10. Audiens autem Iesus. Non addas pronomen hæc.

V. 11. Cum Abraham & Isaac. Non est omittenda & coniunctio.

V. 13. In illa hora. Legendum est in, non ex.

V. 15. Et ministrabat eis. Sic legunt cum Sixtino antiqui libri nostri, eis numero plurali, Brugens. Lob. Leod. Clarmar. & Audomarensia tria. alij libri habent ei numero singulari. Similis varietas est tam in Syricis quàm in Græcis codicibus. lege varietates Græcas.

V. 17. Et ægrotationes nostras portauit. Quidam boni libri, Græco similiter, non repetunt, sed è proximo intelligendum relinquunt, pronomen nostras. Atqui etiam Syriacè repetitur, & apud Prophetam Hebraicè.

V. 18. Iussit ire trans fretum. τοὺς discipulos, quod interponunt quidam, antiqua exemplaria respuunt, conformiter Græco & Syro. Quare meritò correctores Sixtini textu expulerunt. Quidam discipulos, vt Hilarius; quidam turbas, vt Chrysostomus, subaudiunt: tametsi illud longè sit verisimilius.

V. 20. Et dicit ei Iesus: Vulpes. Brugense & Lobbiense manuscripta omittunt & coniunctionem, consentaneè Syro, quam alij libri præponunt similiter Græco.

Ibidem. Pro nidos manuscriptum Brugense legit tabernacula.

Ibidem. Vbi caput reclinet. Sic legunt optimi quique libri, omisso pronomine suum, consentaneè editioni Græcæ: nam Syrus pro more linguæ suæ adiecit.

V. 25. Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum. Quidam vetusti libri omittunt ad eum discipuli eius, tametsi discipuli eius Græcè & Syriacè addatur.

V. 26. Et dicit eis Iesus: Quid timidi. Nomen Iesus, quamuis Syriacè legatur, omittitur à Græcis & multis Latinis libris.

V. 28. Et cùm venisset. Non hic ex quibusdam libris addas Iesus, etiamsi Syrus exprimat. Venisset autem numero singulari legendum est, non plurali venissent, qui error est in libris nonnullis.

V. 29. Venisti huc. Non est præponendum aduerbium cur.

V. 31. Si eiicis nos hinc. Plerique libri omittunt aduerbium hinc, cum Græcis ac Syricis.

V. 32. Et ecce impetu abiit. Vox magno, quam interiiciunt quidam, non hic, sed Marci 5. versu 13. ab Interprete data est.

V. 33. Nuntiauerunt omnia. Superfluit hæc, quod addunt quidam (hæc omnia).

V. 34. Rogabant vt. Similiter redundat hic eum: Rogabant eum vt.

CAPVT IX.

Ver. 1. Et ascendens in nauiculam. Omittendum est quod additur in quibusdam libris nomen Iesus.

V. 5. Dimittuntur tibi peccata tua. Sic cum Sixtinis Bibliis, manuscripta Brugense, Clarmarisceuse, & Lobbiense ex nostris, similiter editioni Syriacæ. Alia omittunt tua, vt Græcè alterum dumtaxat legitur, aut σοῦ, aut σοι. vide Græcas Varietates.

V. 13. Sed peccatores. Quod in nonnullis codicibus sequitur ad pœnitentiam, vt à plerisque, ita ab omnibus bonis præteritur, suffragantibus Syricis: quippe quod huius loci non sit, sed Lucæ 5. ver. 32. lege Græcas varietates.

V. 17. Et vinum effunditur. Quidam libri omittunt &, quod tamen Græcè legitur.

V. 18. Accessit & adorabat. Sic legendum, adorabat imperfectum, potiùs quàm perfectum adorauit.

Ibidem. Domine, filia mea modò defuncta est. Quædam manuscripta, nominatim tria nostra & vnum Clarmariscensis Ecclesiæ, omittunt Domine, consentaneè Græco & Syro.

Ibidem. Impone manum tuam super eam. Multi boni libri auferunt pronomen tuam, quamquam Græcè ac Syriacè addatur.

V. 24. Dicebat: Recedite. In quodam codice, pro dicebat, est dixit ad eos, propiùs ad Græca, vbi est λέγει αὐτοῖς dicit illis.

V. 25. Et tenuit manum eius. Quod sequitur in multis libris: Et dixit, Puella surge, non huius loci est,

sed Lucæ 8. v. 54. Nam hic, vt non à Sixtinis, ita nec ab antiquis libris, nec à Græcis codicibus aut Syricis, agnoscitur.

V. 38. Vt mittat operarios. *Notat Epanorthotes, antiquorum codicum hoc loco lectionem esse*, eiiciat *pro* emittat *aut* mittat*: id quod & nos ita fere inuenimus.* Lucæ decimo, *inquit ille*, est, mittat. *Luc.* c. *ver.* 2. *Vtraque versio bona est, ex eodem vno verbo ἐκβάλῃ, sed* eiiciat *singularis emphaseos.*

CAPVT X.

V. 2. Duodecim autem Apostolorum. *Non est legendum hoc loco* Discipulorum *pro* Apostolorum.

V. 3. Iacobus Alphæi. *Cum Sixtinis Bibliis Lobbiense manuscriptum, Græco consentaneum & reliquæ hoc loco enumerationi, omittit* & *coniunctionem: quam alij libri præponunt nomini* Iacobus, *cum obscuret coniugationis rationem ab Euangelista significatam.*

Ibidem. Et Thaddæus. *Regium opus ex Complutensi habet:* Et Lebbæus qui cognominatus est Thaddæus. *quod cum alibi non inueniam, adducor vt credam ex Græco adiectum esse.*

V. 4. Et Iudas Iscariotes. *Ita scribunt meliores libri hoc loco. Alij* Scariotes *habent, omissa* I *littera initiali. lege Commentarium.*

V. 5. Præcipiens eis, dicens. *Multi boni libri interponunt* & *coniunctionem* (& dicens) *tametsi Græcè illa non legatur.*

V. 7. Quia appropinquauit regnum cælorum. *Sic legunt etiam antiqui libri*, appropinquauit *præteritum, Epanorthote quoque teste quod Græco consonat & Syro. Nam futurum* appropinquabit, *nullius est auctoritatis.*

V. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate. *Manuscriptum, H littera signatum, B. Hieronymo suffragante, omittit τὸ* mortuos suscitate, *quod alij libri addunt, parua similitudine veri: quamquam iudico meritò relictum esse à Correctoribus Sixtinis, vt certè vetus est, & facile potuit ab Interprete fuisse datum. lege varietates Græcas, & Notationes prolixiores in varias Bibliorum lectiones, denique Commentarium.*

V. 10. Dignus est enim operarius cibo suo. *Annotat Epanorthotes, ex antiquis libris, legendum hic esse* cibo suo, *secundum Lucam autem cap.* 10. *ver.* 7. mercede sua.

V. 12. Salutate eam dicentes, Pax huic domui. *Hæc verba* dicentes Pax huic domui, *omittuntur à manuscriptis duobus Latinis, Syricis libris, & plerisque Græcis, denique ab Euthymio inter Græcos, & inter Latinos B. Hieronymo, non in textu solùm, verùm & in commentario; id quod in Notationibus, quas sæpe diximus, monstratum à nobis est. Videri possunt hic adiecta, ex Euangelio secundùm Lucam, cap.* 10. *v.* 5. *vbi habes* dicite pax huic domui, *loco eius quod hic dicitur* salutate eam: *quamquam hic & à D. Hilario exponantur.*

V. 13. Veniet pax vestra. Pax vestra reuertetur. *Sic legunt cùm plerique tum optimæ editionis nostræ codices, conformiter Syro. In quibusdam porrò pro futuris indicatiui sunt coniunctiua,* veniat, reuertatur, *suffragante Græco, & inter tractatores Hilario.*

V. 14. De domo vel ciuitate. *Manuscriptum quoddam à Iohanne Hentenio notatum addit* illa (vel ciuitate illa) *quod Græcè quoque legitur & Syriacè.*

V. 18. Et ad præsides & ad reges. *Hoc ordine legunt etiam Græci libri & Syrici: quem inuertentes Latini quidam habent:* Et ad reges & ad præsides.

V. 22. Et eritis odio omnibus propter. *Quidam boni libri tollunt, quidam addunt* hominibus. *Illis volunt Græca.*

V. 23. Fugite in aliam. *Vetus codex Ecclesiæ nostræ, continens quatuor Euangelia, signatus F, addit:* Et cùm in aliam persequentur vos, fugite in tertiam: *qualia & Græcè à quibusdam addita notauimus ad varietates Græcas.*

V. 26. Nihil enim est opertum, quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur. *Sic legunt cum Sixtinis Bibliis antiqui codices futura indicatiui, pro iis quæ in aliis sunt coniunctiuis,* reueletur, sciatur: *quæ quidem esse Lucæ, annotat Epanorthotes. Lucæ* 12. *versu* 2.

V. 28. Et animam & corpus. *Non est omittenda coniunctio* &, *vel priori loco.*

V. 30. Vestri autem capilli. *Plerique libri tam scripti quàm impressi interiiciunt* & (& capilli) *consentanee Græco ac Syro*

V. 39. Perdet illam. *Ita legendum est futuro indicatiui* perdet, *non imperatiuo* perdat, *quomodo legitur in manuscripto Brugensi.*

CAPVT XI.

V. 12. Rapiunt illud. *Alij codices antiqui habent,* Diripiunt illud.

V. 17. Cecinimus vobis. *Exemplar illud Ecclesiæ nostræ quod mox diximus signari littera F, legit* Cecinimus vobis tibiis*: addit vocem* tibiis, *quæ certè necessaria est ad exprimendam integram significationem Græci verbi ηὐλήσαμεν: sed ex Luca eam huc adiecisse crediderim. Luc.* 7. *ver.* 32.

V. 30. Et onus meum leue. *Antiqui libri, cùm Epanorthote, tum nostri, repetunt verbum* est: Leue est.

CAPVT XII.

V. 2. Quod non licet facere. *Sic legunt, vt Sixtina Biblia, ita quatuor codices ab Hentenio ad Bibliorum marginem notati, conformiter Græco & Syro. Alij libri addunt pronomen* eis (quod non licet eis) *minus rectè, vt quod nec legunt posteriores Euangelistæ: constat enim Pharisæorum fuisse sententiam, factum illud Discipulorum Christi, prohibitum fuisse generali sabbati mandato.*

V. 10. Et ecce homo. *Vnus Hentenij liber addit* erat, *ex Græco.*

V. 18. Ecce puer meus quem elegi. *Malè addunt quidam* electus quem elegi.

Ver. 20. Arundinem quassatam non confringet. Conteret *quod legunt quidam, ex Propheta sumptum est.*

V. 25. Omne regnum diuisum contra se, desolabitur. *Manuscriptum Brugense, legit præsenti tempore* desolatur, *quomodo est Græcè, pro futuro* desolabitur.

V. 30. Et qui non congregat mecum, spargit. Dispergit *quod est in quibusdam, non Matthæi est, sed Luc.* 11. *v.* 23.

V. 31. Spiritus autem blasphemia. *Sic legendum est iuxta emendationem Sixtinam: id quod quidam ita correxerunt, vt pro nominatiuo* blasphemia, *ponerent genitiuum* blasphemiæ, *& genitiuum* spiritus *acciperent pro nominatiuo; imperitè.*

V. 32. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum. *Quidam codices repetunt* verbum, *refragantibus melioribus, Græcis quoque & Syricis, qui è proximo illud subaudiendum relinquunt.*

V. 44. Inuenit eam vacantem. *Tria bona manuscripta, Græco conformiter, omittunt pronomen* eam.

V. 47.

V. 47. Foris ſtant quærentes te. *Nonnulli libri habent* quærentes loqui tecum, *nonnulli* quærentes te alloqui, *quæ ex Græco mutata ſunt.*

V. 50. Ipſe meus frater. *Egregia quædam manuſcripta præponunt coniunctionem* &, *etiam fratris nomini* (& frater) *quæ quidem magnam adfert orationi emphaſim.*

CAPVT XIII.

V. 3. Ecce exiit qui ſeminat ſeminare. *Malè in quibuſdam libris additur* ſemen ſuum: *ex Luca enim, cuius ſcriptura, quod in Eccleſia Euangelij loco legatur, familiarior eſt, Matthæo adiectum eſſe conſtat.*

V. 4. Et venerunt volucres cæli. *Multi boni libri omittunt vocem* cæli: *quibus Græci codices plerique omnes cum Syricis adſtipulantur. Veriſimile eſt ſimiliter ex Luca huc eſſe tranſlatum.*

V. 8. Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum. *Sic reddidit eleganter Interpres, iuxta ſenſum, numero ordinali. Nec enim probabilis eſt illius manuſcripti lectio, quod verba Græca κατὰ πόδα imitatum habet:* Aliud centum, aliud ſexaginta, aliud triginta.

V. 11. Noſſe myſteria. *Male alij libri numero ſingulari* myſterium *legunt, ex poſterioribus rurſus Euangeliſtis.*

V. 12. Et quod habet auferetur ab eo. *Infrà* 25. *v.* 29. *legitur* & quod videtur habere.

V. 14. Et adimpletur in eis. *Hæc melior eſt lectio, quàm illa quæ eſt aliorum librorum, vt adimpleatur vel* adimpleretur, *cùm Græco etiam illa conſonet ac Syro. Quidam porrò antiquus codex omittit* in *præpoſitionem ante* eis, *cui Græci aliquot ſuffragantur.*

Ibidem. Prophetia Iſaiæ dicentis. *Pro genitiuo* dicentis, *in aliis bonis eſt nominatiuus* dicens, *conſentanee prototypo Græco.*

V. 16. Quia vident (&c.) quia audiunt. *Sic legendum eſt, non* qui vident, quæ audiunt; *coniunctio inquam legenda eſt, non pronomen.*

Ver. 20. Qui autem ſuper petroſa. *Non legas* petram *pro* petroſa, *ſubſtantiuum pro adiectiuo.*

V. 28. Vis imus. *Latina Regis editio addit* igitur: Vis igitur imus: *quod quidem eſt Græcè, ſed non Syriacè; vt nec in vetuſtis Latinis manuſcriptis, magis quàm in Sixtinis Biblus.*

V. 33. In farinæ ſatis tribus. *Lucæ* 13. *verſu* 21. *eſt* ſata tria.

V. 36. Ediſſere nobis parabolam. *In quibuſdam eſt* diſſere, *ſed pro* ediſſere *accipiendum; in nonnullis* Enarra, *quod eſt alterius Interpretis.*

V. 43. Qui habet aures audiendi. *Quædam antiqua manuſcripta auferunt vocem* audiendi, *neſcio qua auctoritate.*

V. 47. Et ex omni genere piſcium congreganti. *Quidam libri omittunt* piſcium, *vt nec Græcè nec Syriacè agnoſcitur. ſed quia vetuſtiſsimi & optimi quiq; illud legunt, videtur ab Interprete additum.*

V. 48. Elegerunt bonos in vaſa. *Non addas* ſua, *quod quidam.*

V. 51. Dicunt ei: Etiam. *Tametſi Græcè & Syriacè addatur* Domine: *vetuſtiores tamen & fide digniores Latini libri, quos viderimus, cum Sixtina editione illud non legunt.*

V. 55. Et fratres eius, Iacobus & Ioſeph. *Pro* Iacobus *quidam boni libri habent* Iacob, *pro* Ioſeph *autem, Græci & Syriaci* Ioſes: *qua de re latè egimus in Notationibus ad locum Mar.* 15. *v.* 47.

CAPVT XIV.

V. 2. Hic eſt Iohannes Baptiſta. *Non addas* quem ego decollaui.

V. 3. Propter Herodiadem vxorem. *Subſequitur in quibuſdā libris impreſſis* Philippi: *quod Græcè quidem & Syriacè legitur, ſed cùm deſit pleriſque omnibus, atq; optimis quidem, Latinis codicibus, clarum fit non eſſe Latinè legendum, vt quod Interpres non dederit.*

V. 6. In medio. *Quidam addunt* triclinio, *quæ gloſſa eſt, non textus.*

V. 12. Tulerunt corpus eius. *Bonorum librorum, alij legunt, alij auferunt, pronomen* eius.

V. 14. Et miſertus eſt eis. Eis *legendum eſt, tertio caſu pluralis numeri, non* eius, *ſecundo ſingularis.*

Ver. 19. Diſcipuli autem turbis. *Superfluit quod quidam libri addunt* dederunt: *nam nec Græcè legitur, quamquam Syrus addat* appoſuerunt.

V. 22. Et ſtatim compulit. *Sic legunt Sixtina Biblia ex D. Hieronymi caſtigatione, non* iuſſit, *ſed* compulit, *quod Græca Syraque vocis vim exprimit. lege D. Hieronymi commentarium.*

V. 32. Et cùm aſcendiſſent. *Quidam numero ſingulari ſcribunt* aſcendiſſet; *male.*

CAPVT XV.

V. 2. Tranſgrediuntur traditionem. *Sic eſt, numero ſingulari, vt in Sixtinis, ita in multis aliis bonis libris, Græco ſimilibus: quibus & ſeries ipſa hiſtoriæ adſtipulatur. de vnica enim traditione eſt quæſtio, quæ & exprimitur. Minoris itaque facienda eſt altera lectio,* traditiones *numero plurali.*

V. 4. Honora patrem. *Antiquorum codicum, alij addunt, alij demunt,* tuum.

V. 5. Quodcumque eſt ex me. *Annotat quidam, abeſſe à nonnullis manuſcriptis verbum ſubſtantiuum* eſt: *quæ lectio nobis probata, adſtruitur Commentario.*

V. 9. Doctrinas & mandata hominum. *Abſque media coniunctione* & *legūt vetuſti quidā libri Latini, conformiter Græcis, quin & textui Prophetæ Hebraico. Syricum Euangelium in eandem ſententiam habet:* doctrinas quæ (*ſunt*) mandata hominum. *Alij vetuſti libri, cum quibus Sixtina Biblia addunt coniunctionem, reſpondent Græcæ editioni virorum LXXII: quam hac præcipue parte Saluator ſequutus eſt: erat enim ea, illo tempore, non minus, ne dicam magis, Iudæis in vſu, quàm fons hebraicus.*

V. 12. Audito verbo hoc. *Abeſt ab antiquis codicibus non paucis pronomen* hoc: *ſed quia non lectum, ſubaudiendum eſt, viſum fuit Correctoribus illud relinquendum, vt non pauca alia ſimilia.*

V. 14. Et duces cæcorum. *Coniunctio* & *ab optimis quibuſdam manuſcriptis ignoratur, vt à Græcis omnibus ac Syricis.*

V. 31. Mutos loquentes. *Sequitur in Regio opere ex Complutenſi:* Debiles ſanos: *id quod adiectum eſſe ex Græco, clarum facit Commentarius.*

V. 33. Panes tantos. *In quibuſdam manuſcriptis emendatum eſt manu poſteriore* panes tanti: *ſed placuit Interpreti vti Antiptoſi, quod etiam Epanorthotes annotat.*

V. 36. Et gratias agens. *Quidam libri, inter quos eſt Brugenſis ille D. Donatiani, omittunt* & *coniunctionem, ſuffragantibus codicibus Græcis.*

V. 38. Erant autem qui manducauerunt. *Quidam libri præterito pluſquā perfecto legunt* manducauerāt.

Ibidem. Quatuor milia hominum. *Brugenſe illud manuſcriptum, pro* hominum *legit,* virorum, *quemodo eſt & Græcè & Syriacè.*

CAPVT

CAPVT XVI.

*V.*2.3. Facto vespere dicitis. *& cætera vsque ad finem tertij versus* non potestis scire, *quomodo olim à quibusdam immeritò omissa fuerint, pluribus aliàs ostendimus. Cæterum meritò omitti à plerisque verbum* scire, *quod postremum addunt quidam* (non potestis scire) *pro quo etiam quidam habent* cognoscere, *nostra sententia est, nec aliud legendum quàm* non potestis, *vt non est aliud in plerisque libris Græcis quam* οὐ δύνασθε, *subaudito ex præcedentibus verbo* διακρίνειν diiudicare

*Ibidem. v.*3. Faciem ergo cæli. *Nonnulli libri præponunt* hypocritæ, *Græco Syroque conformiter: sed plerique omnes, & quidē optimi quique, cum Sixtinis, demunt, videríque poßit, cùm ex Græco textu, tum ex Luc.* 12 *v* 56., *huc esse ad sumtum. Nam & coniunctio* ergo *subsequens, non perinde admittit illud.*

*V.*4. Nisi signum Ionæ prophetæ. *Quidam libri addunt* prophetæ *adstipulantibus Græcis & Syricis, alij omittunt.*

*V.*7.8. Intra se, intra vos. *Alij legunt* inter *pro* intra.

*V.*8. Sciens autem Iesus dixit. *Quædam exemplaria, Græco & Syro conformiter, legunt; alia auferunt, pronomen* eis (dixit eis.)

*V.*9. Quinque panum in quinque milia. *Tria manuscripta ecclesiæ S. Audomari & vnum Clarmarisci, habent coniunctionem* & *loco præpositionis* in: Quinque panum & quinque milia. *Fons si consulatur, probabile fit, Interpretem vertisse* Quinque panum quinque milium, *absque media siue coniunctione siue præpositione, (vt à quibusdam legitur secundus casus* milium) *quod à sciolis mutatum sit.*

*V.*10. Septem panum in quatuor milia. *Eadem est huius loci ratio quæ proximi.*

*V.*13. Quem dicunt homines esse Filium hominis? *Regia editio ex Complutensi, cum alio vno atque altero exemplari, addit pronomen* me: Quem me dicunt *&c., suffragantibus libris Græcis, nec non Syricis, B. Hilario quoque tractatore. Atqui vt plerique omnes, ita optimi quique & fide dignissimi libri, cum Sixtinis, non agnoscunt* τὸ me, *vt nec B. Hieronymi commentarius. Nullo itaque modo legendum Latinis est, quod Græcis etiam obscuritatem adfert in re clara. Verisimile est, Interpreti illud non lectum Græcè, ac omnino explicationem esse illius* Filium hominis, *quæ in textum irrepserit.*

*V.*19. Erit ligatum & in cælis. Erit solutum & in cælis. *Exemplaria manuscripta multa & insignia, suffragantibus Græcis & Syricis libris, omittunt illud* & (& in cælis) *vtroque loco.*

*V.*20. Quia ipse esset Iesus Christus. *Hæc est lectio Latinorum codicum plerorumque, & quidem optimorum quorumque: quibus & Græca pleraque exemplaria suffragantur, & D. Hieronymi commētarius. Quidam Latini libri omittunt nomen* Iesus, *sex ab Hentenio adnotati; quidam etiam Græci, tres Parisiensium* ι.ζ.η. *His volunt, Syrica editio, & veteres tractatores Origenes atque Ambrosius. Crediderim ego, vocem illam* Iesus, *quæ sensui obest, additam olim à librario quopiam sciolo fuisse, non quidem Latinæ editioni (videtur enim illam Interpres dedisse) sed Græcæ.*

*V.*23. Vade post me satana. *Pro* post me *quidam boni libri habent* retro, *quod tamen ex Mar.* 8. *v.*33. *sumtum videri poßit.*

*V.*27. Secundùm opera eius. *Multa bona manuscripta, tum nostra, tum Epanorthota, pro plurali* opera, *legunt singulare* opus, *Græco textu suffragante, vbi est* κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, *quamquam in* 14. *Parisiensium exemplari sit* κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. *Verisimile est, & istud* τὰ ἔργα, *& illud quod Latinè legi solet* opera, *ex alio huic simili loco acceptum, vt illo Psal.* 61. *v.*13: Tu reddes vnicuique iuxta opera sua, *vel illo Rom.* 2. *v.*6: Qui reddet vnicuique secundùm opera eius: *quamquam, quod ad sensum, nihil referat vtro modo legatur.*

CAPVT XVII.

*V.*1. Assumit Iesus. *Antiqui codices Epanorthota cum quibusdam nostris ita legunt, vt Sixtina Biblia,* assumit *præsenti tempore. Alij codices legunt* assumsit *præterito tempore. Porrò illud eo magis probandum est, quòd sequatur præsenti tempore* ducit, *in omnibus quos vidérimus. Annotat Epanorthotes, in Ecclesia legi* assumsit, duxit, *tempore præterito.*

*V.*2. Facta sunt alba sicut nix. *Non dissimilis vero sit coniectura, Latinè nō minùs quàm Græcè & Syriacè, scriptum fuisse* sicut lux, *idque mutatum esse cum* sicut nix, *primùm ob summam vocularum* lux & nix *affinitatem, quæ non est siue Græcè siue Syriacè, deinde, quod Marcus nimis meminerit; denique quòd albedo niui magis propria sit quàm luci. Atqui, si reliquorum Euangelistarum, Marci inquam & Lucæ, verba consideres, videbis ab illis duo attribui vestimentis Christi, vnum quòd alba fuerint, alterum quòd lucida. Marcus:* Vestimenta, *inquit,* eius facta sunt splendentia, candida (alba) nimis velut nix. *Lucas:* Et vestitus eius albus refulgens. *Hoc igitur est & quod Matthæus vult, dum ait* alba sicut lux.

*V.*4. Tibi vnum, Moysi vnum. *Alij libri interiiciunt coniunctionem* (& Moysi vnum) *conformiter Græco ac Syro.*

*V.*7. Surgite & nolite. *A quibusdam bonis libris abest* &, *quod nec Syriacè exstat. In aliis legitur, Græco conformiter.*

*V.*9. Præcepit eis Iesus. *Manuscripta integerrimæ fidei, Brugense, Lobiense, Clarmariscense, & D. Audomari duo, demunt pronomen* eis: *quod quamquam Græcè addatur, Interpres tamen, pro decore orationis, videri poßit maluisse omittere, & verbo* præcepit *dare casus præcedentes* descendētibus illis, *qui alioqui Græcè absolutè ponuntur: etsi secundū Marcū hoc nō obseruarit.*

*V.*11. Elias quidem venturus est. *Subiiciunt quidam codices* primùm, *ex Græco, non dubium, emendati.*

*V.*16. Respondens autem Iesus. *Librorum, alij addunt, conformiter Græco; alij demunt, consentaneè Syro, coniunctionem* autem.

*V.*19. Et dixerunt. *Bonorum librorum, alij addunt* ei, *alij omittunt. Syriacè legitur, Græcè non.*

Ibidem. Eiicere illum. *Nicolaus Zegerus annotat, in codice Corsendoncensi legi* illud *neutro genere, quod in nostris non inuenio.*

*V.*20. Dixit illis Iesus. *Quidam boni libri addunt, cum Græcis & Syris, alij tollunt, nomen* Iesus.

Ibidem. Transi hinc illuc. *optimi quique nostri Latini libri, omittunt* illuc, *quod licet Græcè legatur, non tamen exstat Syriacè.*

*V.*24.25. Didrachma. *Ita legendum est neutro genere, numero plurali; non* didrachmam *numero singulari generis fœminini.*

CAPVT XVIII.

*V.*8. Abscide eum. *Vetera manuscripta cum Sixtinis Biblus constanter legunt* abscide *à* cædo, *pro* abscinde *à* scindo. *Pro* eum *porrò, Regius textus ex Complutensi legit* ea, *quemadmodum est Græcè.*

*V.*9.

V.9. Bonum est tibi cum vno oculo in vitam. *Ita legunt meliores libri, etiam Epanorthota*, cum vno oculo, *pro eo quod est in alius* vnum oculum habentem. *Quidam conciciunt legendum* vnoculum, *quomodo est Græce* μονόφθαλμον.

V.12. Nónne relinquit. *Hæc lectio meritò probatur, præ ea quæ futuro tempore scribit* relinquet.

Ibidem. In montibus. *Male in quibusdam libris habetur* in deserto: *id quod ex Luc. 15. v. 4. sumtum esse, etiam Epanorthotes annotauit.*

V.13. Quia gaudet super eam. *Ita legitur in multis libris, præsens tempus, Græco conformiter; in aliis est futurum* gaudebit.

V.14. Vt pereat vnus. *D. Donatiani codex legit neutro genere* vnum: *quo modo & quidam legit Græcè* ἕν, vt referat, *inquit*, παιδίον.

V.15. Lucratus eris. *Vnum manuscriptum, pro futuro* eris, *legit præsens* es, *quod quidem Græco similius est*, ἐκέρδησας.

V.16. Si autem te non audierit. *Quidam annotat abesse pronomen* te *ab vno codice manuscripto, quomodo abest ab editione Græca, etsi non Syriaca. Nos in tribus manuscriptis, & apud Epanorthoten, inuenimus transpositum*: Si autem non te.

Ibidem. Adhibe tecum adhuc vnum. *Codex D. Donatiani omittit* adhuc, *conformiter editioni Syriacæ, quod in aliis legitur similiter Græcè.*

V.17. Si autem Ecclesiam. *Manuscripta Brugense & Lobiense addunt* & (& ecclesiam) *quod Græce quoque & Syriace legitur.*

V.22. Dicit illi Iesus. *Ita legunt optimi quique libri, Græco consentaneè*, dicit *præsenti tempore, non præterito* dixit.

V.24. Qui debebat ei decem. *Omittitur ab aliis libris pronomen* ei.

CAPVT XIX.

V.4. Quia qui fecit hominem. *Optimi nostrorum librorum tollunt* hominem *&* homines, *Græco consentaneè. Ex commmentario (verisimile est) irrepsit in textum.*

V.5. Dimittet homo. *Quidam libri habent* relinquet homo, *ex Genesi aut Epistola ad Ephesios, quod notat Epanorthotes: meliores enim hic legunt* dimittet.

V.7. Dare libellum. *In aliis bonis libris est* dari *passiuè, pro actiuo* dare.

V.10. Causa hominis. *Nostra vetera manuscripta legunt tertio casu* homini, *pro secundo casu* hominis, *qui in plerisque libris exstat Græco consentaneè.*

V.12. Qui seipsos castrauerunt. *Antiqui libri Epanorthotæ, & ex nostris, Brugensis ille D. Donatiani, habent* Qui seipsos eunuchizauerunt; *vocem fictam ad imitationem Græci verbi* εὐνούχισαν.

V.14. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire. *Quidam manuscriptus codex transponit verba hūc in modum:* Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos. *Et quamquam hoc ordine etiam Syrus legat, tamen Marci & Lucæ eam existimo esse scripturam, non Matthæi.*

Ibidem. Talium est enim. *Non est omittenda coniunctio* enim, *quæ & Græcè & Syriacè exstat, quamquam omittatur à quibusdam antiquis libris.*

V.18. Dicit illi: Quæ? *Non est legendum nominatiuo casu* ille, *sed datiuo* illi.

V.19. Honora patrem tuum. *Quidam boni codices omittunt* tuum; *alij Græco & Syro consentaneè addunt.*

Ibidem. Et matrem tuam. *Quædam manuscripta auferunt pronomen* tuam: *quibus Græci libri adstipulantur, præter Regium ex Complutensi addentem* σου, τὴν μητέρα σου.

Ibidem. Et diliges proximum. *Coniunctio copulans additur, non tantum ex Græcis & Syris, quantùm ex optimis Latinis exemplaribus.*

V.20. Omnia hæc custodiui à iuuentute mea. *Illud* à iuuentute mea, *Epanorthotes sentit huc additum ex Marco & Luca. Nam quamquā Græca Syráq; illud, non minùs secundùm Matthæum, quàm secundùm Marcum & Lucam, legant: Latina tamen exemplaria antiqua docere intelligit, illud Græcè secundùm Matthæum Interpreti non lectum, nec Latinè proinde datum fuisse: vt certè etiam nostra antiqua manuscripta illud omittunt.*

V.21. Vade, vende quæ habes. *Noli legere*: Vade & vende omnia quę habes, *additis voculis* & *&* omnia.

CAPVT XX.

V.1. Simile est regnum. *Coniunctio* enim *quæ Græcè Syriaceque additur, nec Latinè videtur omittenda, postquam in duobus Ianseny & totidem nostris Latinis manuscriptis exstat.*

V.4 & 7. Ite & vos in vineam meam. *Quædam tum Latina tum Græca exemplaria, Syro consentaneè, vtroque loco ignorant pronomen* meam. *Porrò quod Nicolaus Zegerus legendum putat, posteriori loco vt priori*: Et quod iustum fuerit accipietis; *ego potiùs Græcis Syricisque exemplaribus superfluere existimem, quàm Latinis deesse. Hilarius & Hieronymus non videntur illud agnouisse lege Commentarium.*

V.15. Quod volo facere. In meis, *tametsi Græcè Syriaceque exstet, & à veteribus legatur, ego tamen non existimem, quod Zegerus, nostræ editioni adiiciendum.*

V.17. Duodecim discipulos. *Non addas pronomen* suos.

V.21. Et vnus ad sinistram. *Sic legendum est*, vnus, *non* alius, *quod Marci est.*

V.23. Ad dexteram meam vel sinistram. *In quibusdam libris est* & *coniunctiua, pro disiunctiua* vel, *Græco conformiter.*

V.25. Potestatem exercent in eos. *Non est legendum* inter eos, *vt quidam legunt malè, pro* in eos.

V.28. Animam suam redemtionem. *Non addas* in *præpositionem*, in redemtionem.

CAPVT XXI.

V.1. Et cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent. *Sic legunt omnes boni libri, numero plurali, conformiter Græco: Quod in aliis est singulari numero* appropinquasset, venisset, *tametsi Syrus sic legat, ex Ecclesiastico officio mutatum notat Epanorthotes.*

Ibidem. Misit duos discipulos. *Non addas* suos, *quod ex Luca quidam huc adscripserunt.*

V.3. Et confestim dimittet eos. *Sic legendum est, futuro tempore*, dimittet, *non præsenti* dimittit. *vide Græcas varietates.*

V.4. Hoc autem totum factum est. *Additur* totum *consentaneè Græco & Syro, quod tamen quidam boni libri omittunt.*

V.5. Sedens super asinam. *Alij libri præponunt* & *coniunctionem, conformiter Græco ac Syro.*

V.7. Et imposuerūt super eos. *Quidam, loco pluralis* eos, *quod ferè legitur Græcè vt Latinè: scribūt singulare* eum, *cuius loco Syrus dixit* pullum. *Sed hæc de industria mutata videri queant, ad euitandam difficultatem, quæ ex recepta lectione putatur emergere.*

V.9. Filio Dauid. *Caue legas quintum casum* ô fili, *vt quidam, pro tertio* filio.

V.16.

*V.*16.Iesus autem dixit eis. *Præsens* dicit, *pro præterito* dixit, *legunt libri nostri integriores, conformiter Græco.*

*V.*17.Ibique mansit. *Quod quædam manuscripta addunt* Et docebat eos de regno Dei, *Epanorthotes ex ecclesiastico officio acceptum notat.*

*V.*21.Tolle & iacta te in mare. *Ita vulgò legitur: quã lectionem esse depravatam, quamquam citra detrimentum sententiæ, legendumq́ imperatiuis passiuis* Tollere & iactare in mare, *non solùm Græca loquuntur, sed & similia loca Mar.*11.*v.*23 *& Luc.*17.*v.*6. *Quamuis ergo non suppetant exemplaria quæ scribant* tollere & iactare; *tamen res est adeò clara, indicio Epanorthotæ, hanc esse Interpretis scripturam, vt sine difficultate in textum recipiendam putet, annotans literam r. mutatam esse in t, vbi legitur* tolle te.

*V.*24. Respondens Iesus. *Non addas* autem, *tametsi Græcè legatur.*

*V.*25.Baptismus Iohannis vnde erat? *Antiqui libri constanter legunt* Baptismum, *non* baptismus. *Vsus est enim Interpres hac voce, non hîc tantùm, sed & secundùm Marcum & Lucam, tamquam si Latinè dicatur neutro genere* baptismum: *quod & facit D. Augustinus non semel, scribens in caput primum euangelij secundùm Iohannem, quin & illo posterior D. Gregorius homilia* 20.*in Euangelia.*

*V.*26. Omnes enim habebant Iohannem. *Alij Latini libri cum Græcis legunt præsens* habent, *pro imperfecto* habebant, *quod Marci esse putatur à nonnullis.*

*V.*27.Ait illis & ipse. *Non est omittendum medium illud* &, *quod etiam Græcè legitur.*

Ibidem. Nec ego dico vobis. *Non est legendum futurum* dicam, *sed præsens* dico.

*V.*28.Hodie operare in vinea mea. *Ita lege ex Bibliis Sixtinis, modum imperatiuum* operare, *& casum sextum* vinea mea, *conformiter Græco; potiùs quàm modum infinitum* operari, *aut casum quartum* vineam meam.

*V.*30. Eo Domine. *Quidam coniiciunt, pro verbo* eo, *legendum esse pronomen* ego, *quod est Græcè & Syriacè.*

*V.*31. Dicunt ei, Primus. *Quidam libri omittunt pronomen* ei, *quod tamen etiã Græcè legitur & Syriacè. Pro* primus *porrò, olim, D. Hieronymo teste, nonnulla exemplaria legêre* nouissimus: *quæ lectio fuit D. Hilarij, dicit enim Pharisæorum responsionem fuisse, voluntatis patris iuniorem obedisse, cum qui spondens fefellit; in qua deinde enucleanda mirè se torquet: sed adulterina fuit ea scriptura, exemplarium minimè verorum.*

Ibidem. Præcedent vos in regnum Dei. *Sic legendum est, cum Sixtinis Bibliis, quarto casu* regnum, *potiùs quàm sexto* regno. *Porrò pro futuro* præcedent, *in aliis libris est præsens* præcedunt, *consentaneè Græco & Syro.*

*V.*32. Venit enim ad vos. *Non legas* autem *pro* enim.

*V.*33. Et ædificauit turrim. *Non addas in medio* eius, *quod quidam ex Isa.*5.*v.*2.*huc adscripserunt.*

*V.*37. Verebuntur filium meum. *Omittendum est* forsitan, *quod ex Luc.* 20.*v.* 13. *huc adiectum à quibusdam fuit.*

*V.*41.Et vineam suam locabit. *Quidam boni libri, nominatim Ecclesia nostra, omittunt pronomen* suam, *consentaneè Græco & Syro.*

Ibidem. Qui reddant ei fructum. *Sic legunt cum Sixtinis Bibliis antiqui libri, coniunctiuum* reddant, *pro futuro indicatiui* reddent.

CAPVT XXII.

*V.*1.Eis dicens. *Non postponas eis:* Dicens eis.

*V.*3.Et misit seruos suos. *Non legas numero singulari* seruum suum, *quemodo, Hieronymo teste, olim quidam: ex Luca euangelio, vero simile est. Luc.*14.*v.*17.

*V.*5. Ad negotiationem suam. *Quidam boni libri omittunt pronomen* suam, *quod tamen etiam Græcè & Syriacè exstat.*

*V.*6.Et cõtumeliis affectos. *Libri Ecclesiæ nostræ & Clarmariscensis legunt numero singulari* contumelia.

*V.*13. Ligatis manibus & pedibus eius. *Hic ordo Græco & Syro consentaneus est: verùm manuscripta nostra præponunt pedes manibus:* Ligatis pedibus eius & manibus.

*V.*14.Multi enim sunt vocati. *Non est legendum* autem *pro* enim, *tametsi in multis antiquis libris sit* autem.

*V.*15. Vt caperent eum. *Legendum est pronomen* eum, *non autem nomen* Iesum, *quod ex officio ecclesiastico acceptum est.*

*V.*17. Licet censum dare Cæsari. *Non est mutandum actiuum* dare *cum passiuo* dari.

*V.*30. Sed erunt sicut. *In plerisque libris, pro futuro* erunt, *legitur præsens* sunt, *Græco conformiter.*

*V.*37. Ex toto corde tuo, & in tota anima tua. *Sic etiam libri antiqui, priori loco legunt* ex, *posteriori* in.

CAPVT XXIII.

*V.*13.Væ autem vobis. *Non est omittenda coniunctio* autem.

Ibidem. Quia clauditis. *Alij legunt pronomen* qui, *pro coniunctione* quia, *quæ Græcè exstat.*

*V.*14. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium. *Hũc versum plurimi boni Latini codices omittunt, etiã tres huius nostræ Audomarensis Ecclesiæ manuscripti: à quibus autem legitur, variis & loco & modo legitur: D. Hieronimus & alij quidam Tractatores non agnoscunt: Canones Euangeliorum solis Marco & Lucæ attribuunt: prout hæc latiùs à nobis declarata sunt in Notationibus nostris prolixioribus. Quare videri possit ex D. Hieronymi correctione iugulandus & prætermittendus versus iste: nisi propter auctoritatem veterum Tractatorum, Græcorum, & inter Latinos Hilarij, consultum haud esset illum prorsus expungere.*

*V.*15. Quicumque iurauerit per templum. *Non addas* Dei.

*V.*18. Cæci, quid enim maius est. *Regia Biblia, haud dubium ex Complutensibus, addunt:* Stulti & cæci quid, *quemadmodum est Græcè & Syriacè: Atqui reliqui Latini libri non agnoscunt τὸ* stulti *hoc loco.*

*V.*20. Et in eo qui habitat in ipso. *Non est legendum antecedens* templo *pro relatiuo* ipso.

*V.*24.& 25. Calicis & parapsidis. *Alij loco vocalis quartæ scribunt primam,* parapsidis: *vtroque enim modo vox effertur.*

*V.*24.Intus autem pleni estis rapina. *Meo indicio, saluo meliore, legenda est tertia persona* sunt, *pro secunda* estis: *sic enim scribũt vetera manuscripta nostra (D. Donatiani vnum, D. Audomari duo, & Clarimarisci vnum) cum antiquis Epanorthotæ, & septem ab Hentenio annotatis, & aliis. Cæterùm septem illa Hentenij signantur legere* plena sunt *neutro genere: nostra verò retinent masculinum* pleni. *Neutrum genus melius congruat sermoni Latino: sed masculinum certius est.*

est,& in eundem sensum accipiendum. Huic lectioni tertiæ personæ diserte suffragantur Græca & Syra.

V. 25. Vt fiat id quod deforis est mundum. *Videtur addendum* & (vt fiat & id) *quod vt legitur Græcè & Syriacè. ita à pluribus bonis libris.*

*V.*28. Qui ædificatis sepulchra. *Omnes boni libri quos vidimus hic legũt* qui, *tametsi Græcè sit coniunctio* ὅτι quia. *Syrum ambiguum est*

*V.*33. Ideò ecce ego mitto *Non est addendum* Ideò dico vobis, ecce ego mitto.

*V.*36. Sub alas. *Non addas pronomen* suas.

Ibidem. Et noluisti. *Quædam manuscripta, conformiter Græco & Syro, legunt numero plurali* noluistis.

CAPVT XXIV.

*V.*12. Et quoniam abundauit iniquitas. *In aliis libris est futurum* abundabit, *quod Græco consonat, pro præterito* abundauit.

*V.*20. In hyeme vel sabbato *Alij libri omittunt* in *præpositionem.*

V 23. Ecce hic est Christus aut illic. *A quibusdam libris omittitur* est *conformiter Græco: à quibusdam repetitur* ecce (aut ecce illic) *sed non eadem fide:*

*V.*28. Illic congregabuntur & aquilæ. Illuc *aduerbium motus ad locum legendum videtur ex antiquis libris, non* illic: *similiter omittenda coniunctio* & (& aquilæ) *quæ nec Græcè aut Syriacè additur.*

*V.*30. Cum virtute multa. *Annotat vetus Epanorthotes, secundùm Matthæum* multa, *secundùm Lucam* magna *legendum esse.*

*V.*33. Quia propè est in ianuis. *Non est interponenda coniunctio* est & in.

*V.*34. Donec omnia hæc fiant. *Non est omittendum pronomen* hæc.

*V.*36. Neque angeli cælorum. *Quod quidam libri addiderunt olim, addũtque hodie,* neque filius; *D. Hieronymus, sequutus meliora exemplaria, sustulit, nostram hanc corrigens editionem. Quare legendum hic non est secundùm Matthæum, etsi à veteribus tractatoribus non paucis hic explicetur, sed relinquendum est Marco proprium.*

V. 38. Et nuptui tradentes. *Alij legunt* nuptum *pro* nuptui.

*V.*41. Duabus molentibus. *Subiiciunt multi codices Latini:* Duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur. *Cæterùm non esse illud euangelij secundùm Matthæum, quamquam multi veterum Patrum illud hîc exponant, sed euangelij secundùm Lucam, clarè docuimus in Notationibus nostris prolixioribus, quibus Sixtina Biblia suffragantur.*

*V.*43. Qua hora fur venturus esset. *Boni libri legunt optatiuum* esset, *non indicatiuum* est.

V. 44. Quia qua nescitis hora. *In quibusdam libris est* quia qua hora nescitis, *conformiter Græco; In aliis* quia nescitis qua hora; *In aliis denique* quia qua hora non putatis, *quod postremum est Lucæ cap.* 12. *v.* 40.

*V.*47. Super omnia bona sua. *Quidam libri omissa voce* bona *legunt* super omnia sua.

CAPVT XXV.

*V.*11. Nouissimè verò veniunt. *Non est omittendum* verò, *quod etiam Græcè & Syriacè legitur.*

*V.*13. Vigilate itaque. *Quod quidam libri adiungunt* & orate, *non est huius loci.*

*V.*18. Fodit in terram. *In aliis bonis libris est* terrâ, *sexto casu, vt Græcè.*

*V.*22. Ecce alia duo lucratus sum. *Sic legendum est hoc loco: nam vicesimo versus est verbum, non simplex, sed compositum* superlucratus.

*V.*27. Oportuit ergo te. *Non addas* & te.

*V.*31. Et omnes angeli cum eo. *Non est addendum* eius: Angeli eius.

*V.*38. Et cooperuimus te. *Vnum Clarimarisci & tria Ecclesiæ nostræ Audomarensis manuscripta omittunt pronomen* te, *conformiter Græco.*

*V.*41. Tunc dicet & his. *Non est addenda vox* Rex: Tunc dicet Rex.

Ibidem. Qui paratus est diabolo. *Codex D. Donatiani, pro verbo simplici* paratus, *legit compositum* præparatus.

*V.*42. Et non dedistis mihi potum. *Hic legitur* potum, *suprà verò* bibere, *annotante Epanorthote.*

*V.*44. Aut sitientẽ. *Non est omittenda cõiunctio* aut.

CAPVT XXVI.

*V.*2. Vt crucifigatur. *Non est addenda interrogationis nota, quam addunt manuscripta multa: pronunciando enim dictum est, non interrogando.*

*V.*10. Quid molesti estis huic mulieri? *Alij boni libri omittunt pronomen* huic.

Ibidem. Opus enim bonum operata est in me. *Manuscriptorum exemplarium, alia omittunt coniunctionem* enim, *similiter editioni Syriacæ: alia addunt, conformiter Græcæ.*

*V.*11. Me autem non semper habetis. *Futurum* habebitis, *posteriori hac versus parte, legunt multi vetusti codices. alij autem, vt est Græcè, scribunt tempus præsens* habetis.

*V.*14. Qui dicebatur Iudas Iscariotes. *Quidam antiqui libri legunt præsens* dicitur, *pro imperfecto* dicebatur. *Sed &* Scarioth *habent pro* Iscariotes, *in quo miror eos variare à forma Græca.*

*V.*17. Prima autem die Azymorum. *Quædam manuscripta omittunt vocem* die, *conformiter Græco.*

*V.*23. At ipse respondens ait. *Legenda est aduersatiua* at, *non copulatiua* &.

Ibidem. In paropside. *Antiqui libri scribunt primam vocalem loco quartæ,* in parapside. *vide supra* 23. *v.* 24.

*V.*24. Per quem Filius hominis tradetur. *Pro futuro* tradetur, *est in quibusdam libris præsens* traditur, *consentaneè Græco & Syro.*

*V.*25. Qui tradidit eum, dixit. *Non est interponenda coniunctio* & dixit.

*V.*28. Hic est enim sanguis meus. *Etsi quædam Cypriani exemplaria, epistola* 63. *legant neutro genere* Hoc est enim, *& eum vertendi modũ patiantur etiam Græca: nulla tamen ratione* hic *masculinum cum neutro* hoc *mutandum est.*

Ibidem. Qui pro multis effundetur. *Malè quidam legunt* vobis *pro* multis. *nam* vobis *Lucæ est, cap.* 22. *v.* 20., multis *autem Matthæi & Marci. Porrò etsi Græcè & Syriacè sit præsens* effunditur: *Latinus tamen Interpres futurum* effundetur *dedit: nec simplex* fundetur, *sed compositum* effundetur, *quale est Græcè.*

*V.*39. Sed sicut tu. *Non est addendum verbum* vis.

*V.*40. Et venit ad discipulos suos, &. *Quædam exemplaria manuscripta omittunt pronomen* suos, *conformiter Græco.*

Ibidem. Sic non potuistis. *Quidam libri collocant interrogationis notam post aduerbium* sic: *nonnulli, pro plurali* potuistis, *habent singulare* potuisti; *sed hoc quidem malè.*

*V.*45. Ecce appropinquauit hora. *Licet antiqui*

libri legant futurum appropinquabit, *retinendum tamen est præteritum* appropinquauit, *quod tam sententia, quam Græca & Syra, requirunt.*

*V.*46. Ecce appropinquauit qui me tradet. *De hoc præterito* appropinquauit, *idem iudicium est quod de superiori. Porrò futurum* tradet, *quidam libri mutant cum præsenti* tradit, *quod quidem conforme est Græco ac Syro.*

*V.*50. Amice, ad quid venisti: *Multi antiqui libri, pro* quid *interrogatiuo, manifestè scribunt relatiuum* quod, *enunciando non interrogando legendum: Et quidem videri possit, error ex eo natus, quòd multi eam voculam contractè scribant, ita vt vtroque modo legi queat: sic tamen non legunt tantùm, verumetiam interpretantur, Remigius à D. Thoma ad Cathenam citatus, & ipse D. Thomas in proprio commentario:* Ad quod venisti, *supplent* hoc fac. *Quinetiam Euthymius sic intelligit Græca: Ad quod venisti s.* hoc citra simulationis velamen operare. *crediderim istos studiosè interrogationem vitasse, eò quòd iudicarent, non fuisse inquirendum Iesu propositum Iudæ, quod non ignoraret. vide Commentarium nostrum.*

*V.*53. Et exhibebit mihi modò. *Hæc est germana lectio editionis Latinæ, consonantis Syricæ: tametsi quidam Latini libri cum Græcis, τὸ* modò *reuciant in prius huius periodi membrum.*

*V.*59. Principes autem sacerdotum. *Optimi quique libri sic legunt,* principes *numero plurali, non* princeps *singulari, suffragantibus Græca & Syriaca editionibus.*

*V.*61. Reædificare illud. *Interpres dedit verbum compositum* reædificare, *tametsi Græcè & Syriacè sit simplex* ædificare.

*V.*63. Si tu es Christus Filius Dei. *Non addas* viui, *quod quidam codices, vt nec Græca & Syra illud agnoscunt. Est enim alterius loci, suprà 16. v. 16.*

*V.*64. Dicit illi Iesus. *Legendum est præsens* dicit, *non præteritum* dixit.

Ibidem. Sedentem à dextris virtutis Dei. *Multa exemplaria manuscripta, antiqua & fide digna, omittunt* Dei, *conformiter Græco & Syriaco: quod legitur Luc. 22. v. 69. loco prorsus simili.*

V.67. Alij autem palmas. *Interlinearis glossa notat, quod pro* palmas, *aliàs legatur* alapas: *id quod ex Marco fortassis est sumtum.*

Ibidem. In faciem eius dederunt. *Antiqua Ecclesiæ nostræ manuscripta vnanimiter legunt tertium casum* ei, *pro secundo* eius; *sicut & Clarimarisci exemplar.*

*V.*71. Vidit eum alia ancilla. *Quidam libri omittunt* ancilla, *quia neque Græcè Syriacève legitur: sed videtur vox illa ab Interprete suppleta.*

V. 72. Quia non noui hominem. *In quibusdam bonis libris est* Quia non nouisset hominem, *nisi hoc potiùs esset versus 74. subsequentis.*

*V.*73. Accesserunt qui stabant. *Non addas* ad eū.

Ibidem. Verè & tu ex illis es. *Non omittas* &.

*V.*75. Verbi Iesu quod dixerat. *Non est legendum* verbi quod dixerat ei Iesus, *quod est Euangelij secundùm Marcum.*

Ibid. Priusquā gallus cantet. *In quodā manuscripto præponitur* quia, *quemadmodum Græcè & Syriacè.*

CAPVT XXVII.

*V.*3. Et senioribus, dicens. *Non addas* populi: Et senioribus populi, *quod quidam.*

*V.*8. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis. *Vix dubium est, quin voculæ istæ tres* Haceldama, hoc est, *ex Act. 1. v. 19. additæ sint huic Euangelio, quia neque Græcè neque Syriacè hîc leguntur; tantùm:* Propter hoc vocatus est ager ille, ager sanguinis.

*V.*9. Quod dictum est per Ieremiam prophetam *Non dubito, saluo superiorum iudicio, quin sit omittendum nomen* Ieremiam, *iuxta fidem veteris illius euangelij manuscripti, quod citauimus in Notationibus nostris prolixioribus, adseruati in collegio societatis Iesu Louaniensi. Nā & Augustinus lib. 3. de cons. Euang. cap. 7. testatur, suo tempore à quibusdam Latinis codicibus abfuisse: quod etiam Lyranus annotat in antiquis libris haud legi. Huc accedit Syriacum Euangelium, quod nullum hîc prophetam nominat. Suffragatur denique mos Euangelistæ, qui ita consueuit plerumque scripturas laudare;* Quod dictum est per prophetam, *nullo propheta nominatim expresso sup. 1. v. 22. & 2. v. 6. 15. 23. & 13. v. 35. & 21. v. 4. Quare doctissimi quique viri hodie, sentiunt ita potiùs legendum esse, nullius propheta nomine addito, Iansenius, Maldonatus, Baronius Quidam, etiam Veterum, coniiciunt pro* Ieremiam *legendum esse* Zachariam (*locus enim præsens, ex Zacharia sumtus est, non ex Ieremia*) *sed nullos adferunt codices qui legant* Zachariam. *Nam quod* Ieremiæ *potius nomen additum fuerit quàm* Zachariæ, *ex eo profectū fuisse videtur, quòd apud Interpretes LXX., quorum editio olim erat in vulgari vsu, exstet Ieremiæ 32. clara historia de agro, quem Ieremias iussu Domini emerit à suo patruele: Zachariæ autem prophetia, vt apud illos legitur, plurimùm ab Euangelista testimonio distet.*

*V.*12. Et senioribus. *Non addas* populi.

*V.*15. Quem voluissent. *Sic legendum est numero plurali, non singulari* voluisset.

*V.*16. Tunc vinctum insignem. *Non addas* vnum, *quod quidam.*

V. 17. Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus? *Origenis commentario adscriptus textus sic legit.* Quem v.d. vobis, Iesum Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus? *Et ne putetur error esse notariorum, sic cōmentatur ipse Auctor:* In multis exemplaribus non continetur, quòd Barrabbas etiam Iesus dicebatur, & forsitan rectè, vt ne nomen Iesu conueniat alicui iniquorum. *& paulò pòst:* Et puto quòd in hæresibus tale aliquid superadditum est, vt habeant aliqua conuenientia dicere fabulis suis, de similitudine nominis Iesu & Barabbæ. *Hæc Origenes rectè. Erroris ansa ex eo accepta fuit, quod existimatum fuerit, distinctionis causa additum fuisse* qui dicitur Christus, *quod additum potiùs fuit commendationis causa.*

*Ver.*32. Exeuntes autem. *Ita legendum est, verbum compositum* exeuntes, *non simplex* euntes.

Ibidem. Hominem Cyrenæum. *Non addas* venientem obuiam sibi, *aut* venientem de villa; *quod quidam ex Marco & Luca huc transtulerunt.*

V. 33. Qui dicitur Golgotha. *Quarta vocali, non prima, legunt secundam syllabam vocis* Golgotha, *libri meliores, id quod Hebræo & Syro consentit.*

*V.*35. Sortem mittentes. *Quod sequitur in Sixtinis Bibliis & quibusdam antiquis manuscriptis:* Vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestē meam miserunt sortem; *ab aliis antiquis manuscriptis omittitur, nominatim duobus Ecclesiæ Cathedralis Audomaropolitanæ, vno Lobiensis, & vno Clarmariscensis. Hentenius annotauit tredecim manuscripta quæ omittant: Lyranus & Epanorthotes negant in antiquis libris suis exstare, adduntque Hieronymo non fuisse lectum. Certè Hieronymi commentarius loquitur lectum ab ipso non fuisse, licet textui, vt est nobis excusus, adscribatur.*

Hilarius

Hilarius ad hæc non attingit. Augustinus præterea, conferens inter se scripta Euangelistarum de vestium Christi partitione, tam tractatu 118. in Iohannem, quam lib. 3. de cons. Euang. cap. 12., hæc secundum Matthæum non agnoscit. Denique nec Christianus Druthmarus, vetus ante annos 500. enarrator Euāgelij secundum Matthæū, ea habet. Non videntur igitur hæc Latine hoc loco legenda (quæ etiam Nicolai Zegeri sententia est) cùm præter hæc omnia, nec Syriacè legantur (quamuis is qui SyraLatine interpretatus est, Latinē addiderit) nec Græcè legenda esse, in Græcis varietatibus doceamus: quamquam nec facile delenda sint prorsus. Verisimile est autē, ad marginem hic annotata, ex Euangelio secundum Iohannem, aut potius ex Psalmi 21. v. 19., tandem in textum irrepsisse.

V. 37. Hic est Iesus. *Non addas* Nazarenus, *hoc enim Iohannis proprium est cap. 19. v. 19.*

V. 40. Vah qui destruis. *Non est omittendum* vah, *quod plerique omnes Latini libri addunt, adstipulantibus, Græco vno, & altero Syriaco, manuscriptis. Hinc enim intelligitur, Latinus Interpres illud dedisse, licet Græci plerique omnes codices, cum Syriacis, qui typis excusi sunt, illud omittant.*

Ibid. Qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. *Tertia persona,* destruit, reædificat, *legunt optima nostra manuscripta Latina, nominatim tria huius Ecclesiæ Cathedralis & vnum Abbatiæ Clarimarisci: eaque genuina esse videtur lectio editionis vulgatæ addentis interiectionem* vah, *prout latius documus in Notationibus nostris prolixioribus: licet in multis libris, pro tertia persona, legatur secunda* destruis, reædificas, *eaque ex Græco rectè etiam vertatur.*

V. 42. Et credimus ei. *Quamuis Græcè & Syriacè, vt in quibusdam Latinis libris, legatur futuro tempore* credemus: *Interpres tamen vertit præsens* credimus, *quod emendatissima quæque manuscripta, Sixtinis Bibliis consonantia, testatum faciunt.*

V. 43. Liberet nunc si vult eum. *Nostri libri iungūt pronomen* eum *cum verbo* liberet: *Sixtina Biblia rectius adiungūt verbo* vult. *Græcè & Syriacè repetitum adiungitur vtrique verbo: sed si subaudiendum est ad alterum, facilius est illud ex communi sensu subaudire ad prius verbum* liberet *quàm ad posterius* vult.

V. 46 Eli, Eli. *Non legas, addita o vocali,* Eloi, Eloi: *hoc enim est Marci, illud Matthæi.*

Ibidem. Lama sabactani. *Variè scribuntur hæc verba hebraica, & hic & Marci 15. v. 34., vtpote peregrina Latinis. Biblia manuscripta huius Ecclesiæ Cathedralis, in Matthæo scribunt* lamazaptani, *in Marco* lema sabactani. *Codex quatuor Euangeliorum eiusdem Ecclesiæ manuscriptus, in Matthæo habet* lamazaptani, *in Marco* lama sabathani. *Alter sed minoris formæ, in Matthæo* lama sabacthani, *in Marco* lemazab-dani. *Biblia Clarimarisci, in Matthæo* lama zaptani *in Marco* lama sabathani. *Biblia Ecclesiæ Cathedralis Brugensis, in Marco habent* lamalaphthani. *Nicolaus Zegerus in suo Epanorthote ad Matthæum, testatur Caroli Magni codicem & D. Donatiani Brugensem habere* lamazaptani. *Gemblacensem verò* lema sabacthani. *Lyranus legit* lamazabtani, *monet enim legendum esse, duabus dictionibus,* lama azabtani, *posteriori dictioni præposita litera* ain, *quæ sonet a formatum in gutture. Hæc varietas possit nos in dubitationem adducere, vtrum Euangelista scripserit, & Saluator clamauerit, Syriacè siue chaldaicè* sabactani, *an Hebraicè* azabtani: *de* lama *enim, quin sit per se vna dictio, eaque legenda vocali prima vtraque syllaba, & vnico* m, *non est dubium, quamquam parum referat, si duplici* m, *aut alia vocali legatur. Nam qui libri habent* lamazaptani, lamazaphtani, *aut* lemazabdani, *insignes certè, omnino fauent hebræo* azabdani, *prout rectè monet Lyranus: facilè enim, dum ex duabus dictionibus vnam faciunt, absumunt alterū* a, *& pro media litera* b, *scribunt tenuem* p, *aut adspiratam* ph: *Nā & sunt hæ literæ eiusdem organi, labiorum scilicet, ac proinde facilè inter se permutabiles. Biblia impressa Lugduni anno Domini 1522. manifestè legunt* lama azabthani, *cum aliis nonnullis impressis. Sed plerique impressi codices, vt &, quos vidimus, omnes Græci libri impressi habent* λαμὰ σαβαχθανί: *nec Parisienses ex manuscriptis suis Græcis vllam notarunt lectionis varietatem. Hoc autem Chaldaicum siue Syriacum est, quamquam scribendum potius foret* σαβακτανί: *& Syriaca voce hic vsum Dominum, sententia Epiphanij est, sub finem vbi refutat hæresin 69. Ariomanitarum.*

V. 61. Erat autem ibi. *Omnes boni libri, scribunt* erat *numero singulari, quamquam Latinus sermo facile postularet numerum pluralem* erant. *Græcè est* ἦν, *quod ita est singulare, vt pluraliter aliquando accipiatur.*

CAPVT XXVIII.

V. 3. Et vestimentum eius sicut nix. *In aliis bonis libris est* vestimenta *numero plurali, quamquam singulari numero adstipulentur Græca. Quidam addunt* facta sunt alba, *quod non est huius loci, sed illius qui exstat suprà 17. v. 2.*

V. 6. Venite & videte locum. *Quidam antiqui codices omittunt* & *coniunctionem, conformiter Græco & Syro.*

V. 7. Et ecce præcedit vos. *Non est mutandum præsens* præcedit *cum futuro* præcedet.

Ibid. Ecce prædixi vobis. *In vno Ecclesiæ nostræ manuscripto legitur tertia persona* sicut dixit vobis, *quod spurium est, & ex Marc. 16. v. 7. acceptum. In tribus aliis, pro composito* prædixi, *est simplex* dixi, *quemadmodum est etiam Græcè & Syriacè.*

V. 15. Sicut erant edocti. *Tria nostra & vnū Clarmariscensis Ecclesiæ lectissima manuscripta, cum aliis quibusdam, habent simplex* docti, *quod & Græco conformius, & per se congruentius videtur, quàm compositum* edocti.

V. 17. Quidam autem dubitauerunt. *Non est addendum pronomen* eorum, *quod quidam Latini libri addunt, tametsi Syriacè addatur.*

V. 19. Euntes ergo docete. *Non mutes* ergo *cum* autem.

V. 20. Vsque ad consummationem seculi. *Manuscripta Biblia Ecclesiarum Audomarensis & Clarmariscensis addunt* Amen, *sicut additur Græcè & Syriacè.*

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS LATINÆ EVANGELII SECVNDVM MARCVM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV *secundo*. Viam tuam ante te. *Exemplaria manuscripta Ecclesiæ nostræ Audomaropolitanæ, tria numero, & vnum Cœnobij Clarmarisscensis, omittunt* ante te, *quibus Syriaca editio suffragatur. Legitur* ante te, *vt in Sixtinis & in plerisque alijs Latinis exemplaribus quæ vidimus, ita in omnibus Græcis. Propheta non scripsit illud nisi semel, hoc inquam loco: nam additum ab Euangelistis est illud quod in medio versiculi est* ante faciem tuam.

V. 5. In Iordanis flumine. *Antiqui codices nostri scribunt* Iordane *sexto casu, quomodo est & Græcè, pro* Iordanis *secundo*.

V. 6. Pilis cameli. *Legendum est numero singulari* cameli, *non plurali* camelorum.

V. 7. Venit fortior me. *Caue legas futurum* veniet *pro præsenti* venit.

V. 8. Ego baptizaui vos aqua. *Quidam antiqui libri addunt* in *præpositionem* (in aqua) *prout Græcè & Syriacè additur*.

V. 10. Et spiritum. *Non addas* sanctum, *quod frustrà quidam*.

V. 15. Appropinquauit regnum Dei. *Non est legendum futurum* appropinquabit, *sed præteritum, vt secundum Matthæum*.

V. 19. Et ipsos componentes retia in naui. *Integerrima huius Ecclesiæ & Abbatiæ Clarmariscensis Biblia, consentaneè Græco & Syro, legunt hoc ordine* Et ipsos in naui componentes retia: *quo loco esse legẽdum* τὸ in naui, *etiam Epanorthotes dat intelligendum*.

V. 24. Venisti perdere nos. *Non est addendum* ante tempus, *quod quidam hic adscripserunt ex Matthæi 8. v. 29.*

V. 27. Etiam spiritibus immundis. *Pro* etiam *quædam manuscripta legunt* &, *quod est æquiualens: quædam neutrum legunt, malè*.

V. 45. In desertis locis esset. *Quidam boni libri manuscripti, pro optatiuo* esset, *legunt infinitiuum* esse.

CAPVT II.

V. 1. Intrauit Capharnaum post dies. *Spurium est quod additur in quibusdam libris* octo: Post dies octo.

V. 2. Et conuenerunt multi. *Quidam codex ab Hentenio annotatus addit* confestim: Et confestim conuenerunt, *Græcis conformiter: quod alij cum Syris non agnoscunt*.

Ibidem. Ita vt non caperet. *Sic cum Sixtinis legere videntur meliores libri*, caperet *numero singulari: alij habent plurali numero* caperent. *lege Commentarium*.

V. 8. Spiritu suo. *Non legas* Spiritu sancto.

V. 14. Vidit Leui Alphæi. *Antiqui libri tum nostri tum Epanorthotæ habent* Leuin *declinatum quarto casu ad morem Græcorum: quod alij scribunt* Leui *tanquam indeclinabile*.

V. 15. Qui & sequebantur eum. *Plerique addunt* &, *quidam demunt:* Qui sequebantur eum. *Existimo ego vocularum istarum alteram esse omittendam, siue* & *siue* qui. Qui *Græcè & Syriacè non legitur:* & *non exstat in quibusdam Latinis libris. crediderim Interpretem mutasse* & *cum* qui.

V. 16. Manducat & bibit magister vester. *Sex codices ab Hentenio annotati tollunt* magister vester, *concinentes Græco ac Syro. Videri possit, ea verba, Marco ex Matthæo à librarijs fuisse adiecta, & Pharisæos Iesum lacerantes præ contemptu ne nominasse quidem: cæterùm B. Augustinus in Marco vt in Matthæo ea legisse videtur, si consideres caput 27. libri 2. de consensu Euangelistarum*.

V. 17. Non necesse habent sani medico. *Brugensis, Lobiensis, & antiqui Epanorthotæ*, medicum *legunt quarto casu*; moderni, *inquit Epanorthotes*, medico, *sexto casu*.

V. 21. Et nemo mittit vinum nouum. *Pro* nouum *iidem libri legunt* nouellum. *Epanorthotes, infrà* nouum *ait, in fine scilicet istius versus*.

Ibidem. Alioqui dirumpet vinum vtres. *Sic legendum ex optimis libris*, dirumpet *futuro, pro præsenti* dirumpit; *quemadmodum & mox* effundetur *pro præsenti* effunditur, *tametsi Græcè præsentis temporis sint verba*.

Ibidem. In vtres nouos mitti debet. *Quod sequitur in quibusdam libris* & ambo conseruantur, *non Euangelij secundum Marcum est, sed secundùm Matthæum*.

V. 23. Cùm Dominus sabbatis ambularet. *Alij libri omittunt* Dominus, *cum Græcis*.

Ibidem. Et discipuli eius cœperunt. *Manuscripta Lobiense & Leodiense, quemadmodum & Syrus, omittunt* &, *sensu clariore*.

Ibidem. Cœperunt progredi. *Brugense, Lobiense, Leodiense, Clarmariscense, & tria Audomarensia, fide dignissima manuscripta, cum aliquot Zegeri, legũt* prægredi, *quod est antecedere, non* progredi: *& quanquam hoc similius sit Græco, quod habet* ὁδὸν ποιεῖν *iter facere, illud tamen clariorem habet sensum, & ab Interprete videtur datum atque intellectum*.

V. 24. Ecce quid faciunt. *Quidam boni libri addunt* discipuli tui, *quod in alijs non exstat conformiter Græco ac Syro, quos sequuti correctores textu illud expulerunt. Et quidem citra dubium intelligendum venit: sed fieri potuerit, vt Pharisæi, ira tumentes, nullo illos dignati sint nomine*.

V. 26. Nisi sacerdotibus. *Quidam libri addunt* solis, *quod non est huius Euangelistæ*.

Ibidem.

Ibid. Et dedit eis qui. *Quidam libri addunt alterū* &: Et dedit eis & qui: *quod conforme foret Græco ac Syro; si modo* τὸ & *præponeretur* eis: Et dedit & eis qui. *Atqui interpres claritatis causâ omisit alterū illud* &.

CAPVT III.

V. 5. Cōtristatus super cæcitate. *Antiqui nostri libri legunt quartū casum* cœcitatem, *non sextum* cœcitate.

Ibid. Et restituta est manus illi *Brugense manuscriptum, pro* illi *legit* eius, *quomodo est Græcè & Syriacè.*

V. 6. Exeuntes autem Pharisæi statim. *Hoc ordine legunt meliores libri, cōsentaneè Græcæ editioni ac Syriacæ. In alijs præponitur aduerbiū* statim *nomini* Pharisæi.

Ibidem. Consilium faciebant aduersus eum. *Brugense & Lobiense exemplaria scribunt* Iesum *pro* eum.

V. 7. Iesus autem cùm. *In quibusdam antiquis est* Et Iesus cùm, *Græco Syroque similiter.*

V. 8. Et trans Iordanem. *Quibusdam libris explicationis ergò additum est* de (& de trans) *quod alij meliores omittunt.*

V. 9. Vt nauicula sibi deseruiret. *Malè legitur in quibusdam libris:* Vt in nauicula sibi deseruirent, *addita præpositione & mutato numero singulari cū plurali.*

V. 10. Quotquot habebant plagas. 11. Et spiritus immūdi. *Quædam vetera manuscripta addunt* autem (Quotquot autem) *quod Syro consonat. Eadem cum quibusdam alijs hoc modo interpungunt:* Quotquot habebant plagas, & spiritus immundi. *Ex ijs vnum Audomarense legit tertium casum* immundis, *alterum Clarmariscense inter lineas annotat quartum* immundos. *lege Commentarium.*

V. 14. Et fecit vt essent duodecim cum illo. *Sentio legendum hoc verborum ordine* Et fecit duodecim vt essent cum illo: *id enim non tantùm Græca & Syra loquuntur, verumetiam series ipsa contextus. Nam si legas vt vulgò* Et fecit vt essent duodecim cum illo, *non perinde cohæret id quod sequitur* & vt mitteret eos prædicare.

Ibidem. Et vt mitteret eos prædicare. *Non addas* euangelium, *quod quidam.*

V. 16. Nomen Petrus. *Vnum manuscriptū Ecclesiæ nostræ, cōformiter Græco legit* nomē Petrū, *quarto casu.*

V. 17. Boanerges. *Videtur efferendum* Banerges, *expunctâ vocali quarta* o, *quemadmodū in cōmentario; vel* Bonareges, *transpositis literis, quod in Notationibus, diximus. Ad posteriorem modum accedit idem illud Ecclesiæ nostræ manuscriptum, in quo est* Boanne reges.

V. 19. Et Iudam Iscarioten. *Antiqui libri* Scarioth *legunt pro* Iscarioten.

V. 21. Et cùm audissent sui. *Nequaquam addas* discipuli, *quod ineptè quidam.*

V. 26. Et nō poterit stare. *Quidā boni libri, Græco ac Syro similiter, habent præsens* potest, *pro futuro* poterit.

V. 27. Ingressus in domum. *Quidam liber addit* eius (in domum eius) *quod quidem Græco consonat, nec dissonat à Syro.*

V. 29. Non habebit remissionem in æternum, sed reus erit. *Quædam exemplaria, conformiter Græco, scribunt præsens tempus* habet, *pro futuro* habebit. *Vnde colligas proximè legendum similiter cum Græcis præsenti tempore:* Sed reus est, *quo modo scriptum inuenitur in codice Leodiensi.*

CAPVT IIII.

V. 1. Cœpit docere. *Quidam libri interiiciunt nomen* Iesus, *malè.*

Ibid. Ita vt nauim ascendens. *Addunt quidā boni libri* in *præpositionē, quæ etiā Græcè ac Syriacè legitur.*

V. 4. Et venerunt volucres cæli. *Antiqua nostra manuscripta omittunt* cæli, *quemadmodum etiam Syrus, & quidam Græci libri.*

V. 8. Vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum. *Hanc germanam lectionem Euangelij secundùm Marcum esse, emaculatissima manuscripta cum Sixtinis Biblijs disertè docent. Nam quia semel Interpres reddidit numerū ordinalem pro cardinali, Matt.* 13. *v.* 8. *idcircò etiam huc varietatem adduxit Scribarum temeritas, vt dicerent* Vnum trigesimum, vnum sexagesimum, & vnum centesimum.

V. 10. Duodecim, parabolam. *Sic legas* parabolam *numero singulari, pro eo quod quidam* parabolas: *nec addas* exponere, *quod alij.*

V. 19. Et sine fructu efficitur. *Non est legendum numero plurali* efficiuntur.

V. 20. Vnum triginta, vnum sexaginta, & vnum centum. *Eadem est ratio huius versus, quæ octaui superioris. Subsequitur autem hic in quodam manuscripto:* Qui habet aures audiendi, audiat; *superfluè.*

V. 22. Quod non manifestetur. *Non mutes* manifestetur *cum* reueletur.

Ibid. Sed vt in palàm veniat. *Hæc est germana lectio Euangelij secundùm Marcum, Græco consentanea. Ex Matthæo porrò & præsertim Luca, quidam correxerunt* quod non in palàm *&c.*

V. 24. Et adiicietur vobis. *Quidam libri ab Hentenio annotati omittunt hæc verba, sed nostri nequaquā.* *V. Beda explicat ea, & alij Latini post eum, Lyranus, Richelius &c. Denique Græcè & Syriacè addūtur, nisi quod Parisienses annotarint abesse à secūdo codice Græco. Alius liber ab Hentenio annotatus, non solùm legit verba illa, verumetiam adiicit* qui auditis, *scribens:* Et adiicietur vobis qui auditis. *sic enim habent Græca omnia & Syriaca exemplaria, secundo illo Parisiensium manuscripto excepto.*

V. 28. Deinde plenum frumentum in spica. *Pro* frumentum *non est scribendum* fructum.

V. 29. Et cùm produxerit fructus. *Ita legunt Sixtina Biblia: sed quia, vt nomen* fructus *Græcè est primi casus, ita manuscripta exemplaria omnia quæ vidimus, addunt pronomen* se (Et cùm se produxerit fructus) *omnino videtur Interpres dedisse pronomen illud* se: *cui seruato quidam præposuerunt præpositionem* ex (& cùm ex se) *eodem consilio quo alij illud abstulerunt, nimirum, vt clara esset sententia, nomine quidem* fructus *accepto quarto casu, nomine autem* terra *subaudito ex versu præcedente. lege Commentarium.*

V. 32. Et cùm seminatum fuerit, ascendit. *Malè legitur in quibusdam libris* natum *pro* seminatum: *nec minus malè additur* in arborem, *quod ex Matthæo aut potiùs Luca huc esse adscriptum, indubium est.*

V. 36. Assumunt eum ita vt erat in naui. *Quidam codices Latini legunt* erant, *numero plurium, sed malè.*

CAPVT V.

V. 5. Dixit: Quid mihi & tibi. *In Brugensi & Lobiensi manuscriptis est:* Dicit ei: Quid *&c.*

Ibidem. Iesu Fili Dei altissimi. *Antiqui libri tum Epanorthota tum nostri legunt* summi *pro* altissimi, *quod* altissimi *Epanorthotes notat esse Euangelij secundùm Lucam cap.* 8. *v.* 28.

V. 8. Dicebat enim illi. *Non est addendum* Iesus, *sed subaudiendum.*

V. 9. Et dicit ei: Legio. *Brugense manuscriptum, Syro conformè, omittit* & *coniunctionem. Lobiense & Leodiense scribunt præteritum* dixit *pro præsenti* dicit, *tolluntque pronomen, Græco suffragante, vbi legitur:* Et respondit dicens: Legio.

*V.*11. Grex porcorum magnus, pascens. *Quod subsequitur quibusdam in libris* in agris, *transponendum est: nam vt non Græcè neque Syriacè legitur, ita abest & ab antiquis codicibus Latinis.*

Ibid. In mare ad duo milia. *Nō est legendū:* in mare: erant autē quasi ad duo milia, *quomodo legitur in quodam libro, tametsi ita sit Græcè. vide varietates Græcas.*

*V.*15. Et veniunt ad Iesum. *Non est legendum præteritum* venerunt, *sed præsens* veniunt.

Ibidem Et sanæ mentis. *Subdit codex Corsendoncensis* eum qui habuerat legionem, *ex Græco, verisimile est. lege Commentarium.*

*V.*19 Et nō admisit eū. *Sic multi boni & quidē pleriq; libri, Syro suffragāte. Brugense & Lobiense, spectatissima exēplaria, legunt* Iesus autē non admisit eum, *suffragante Græco: quamquam in Lobiensi sit* permisit, *quod non videtur esse ab Interprete datū. Prius videri possit germanū; posterius, claritatis gratia substitutum.*

*V.*21. Et cùm transcendisset. *Non est legendum* Et cùm ascendisset.

*V.*23. Impone manum. *In aliis bonis libris est* manus *numero plurium, Græco consentaneè.*

Ibid. Vt salua sit & viuat. *Nicolaus Zegerus docet, Latinè, vt Græcè, legendū esse futurū* viuet: *sed nullum citat Latinū exemplar, vt neque nos vidimus aliquod.*

*V.*34. Ille autē dixit ei. *Nō est legendū* Iesus *pro* ille.

*V.*35. Veniunt ab archisynagogo. *Sic legendū est ex correctione Sixtina, iuxta exemplaria manuscripta non pauca, suffragantibus Græcis & Syricis: non est addendum* nuntij, *nec legendum quarto casu* ad archisynagogum, *qui error plerosque libros inuasit.*

*V.*40. Et ingreditur. *Plerique libri habēt plurale* ingrediuntur: *sed singulare, quod est Sixtinorum Bibliorum, respondet Græco ac Syro.*

*V.*41. Talitha cumi. *Multi libri erroneè* Tabitha *legunt, mutam pro liquida, sumta erroris occasione ex simili historia Act.9.v.40. vbi Petrus resuscitat discipulam quandam, cuius nomen proprium* Tabitha, quod interpretatum, *ait Lucas:* dicitur dorcas, *caprea. Porrò* Talitha *nomen est appellatiuum, quod interpretatum puellam significat.*

*V.*42. Et obstupuerunt. *Non est addendum* omnes.

*V.*43. Et dixit dari illi manducare. *Quidam libri pro* dixit *habent* iussit *quæ interpretatio est, sumta ex Luc.8.v.55. Porrò* date *quoque imperatiuus, non est substituendus pro infinito passiuo* dari.

CAPVT VI.

*V.*3. Nōnne hic est faber. *Non est legendus genitiuus* fabri, *pro nominatiuo* faber.

*V.*4. Nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. *Antiqui libri & nostri & Epanorthota legunt hoc ordine,* nisi in patria sua, & in cognatione sua, & in domo sua, *præponunt cognationem domui, concinentes Græcis & Syris. lege Commentarium.*

*V.*5. Virtutem vllam. *Hoc Marci est: id autem quod habent quidam* virtutes multas, *Matthæi est cap. 13.v.58.*

*V.*11. Et quicumque nō receperint vos, nec audierint vos. *Iniuriâ libri quidam omittunt hæc verba* vos nec audierint vos, *quæ ab optimis leguntur, adstipulantibus Græcis & Syricis.*

*V.*13. Et sanabant. *Sic legunt Sixtina Biblia ex antiquis manuscriptis exemplaribus, cōsentaneè Græco & Syro, actiuū plurale* sanabant. *Non est igitur legendum, aut passiuum* sanabantur, *aut singulare* sanabat.

*V.*14. Et dicebat: Quia Iohānes. *V. Beda & S. Thomas, in huius loci commentariis, clarissimè* dicebant *legunt, numero plurali. Hoc modo etiam D. Augustinus lib.2. de cons. Euang. cap.43. non semel nec ambiguè legit: lectio ista, & narrationi Lucæ, & ordini ipsius Marci, optimè conuenit, de qua Iansenius doctissimè disserit. Et quamquam codices Euangeliorum, Græci, Latini, Syrici, concorditer* dicebat *numero singulari habeant: non tamen dubito quin genuina Latinæ nostræ editionis lectio sit numerus pluralis, fretus auctoritate Bedæ & Thomæ, qui citra controuersiam nostræ editionis codicibus sunt vsi. Nam Augustinus, etsi magnum auctoritatis pondus huic lectioni addat, non tamen eandē prorsus habuit quā nos vtimur Latinam editionem.*

*V.*21. Herodes natalis sui cœnam fecit. *Ita legendū ex melioribus libris, pro eo quod alij habēt* in natali suo, *quamquam ex Græco ad verbum hac ratione vertas.*

*V.*25. Petiuit dicens. *Præteritum* petiuit *est, vt in Bibliis Sixtinis, ita in bonis manuscriptis Latinis, quemadmodum & in Græco: in aliis bonis est præsens* petit.

*V.*27. Sed misso spiculatore. *Quidam Latinus codex addit* confestim: *quod Græcè quidem & Syriacè legitur, sed videtur Latinus Interpres nō dedisse. Porrò pro* spiculatore, *S. Donatiani Biblia scribunt, vocali, non tertia, sed secunda,* speculatore, *id quod & Græco consentaneum est & probatur à Commentario nostro.*

*V.*28. Et decollauit eum in carcere: & attulit caput eius in disco. *Verba ista absunt à duobus manuscriptis Ecclesiæ nostræ, errore scribarum necne, equidem dubito. Exstant & Græcè & Syriacè, addito supposito* qui abiēs: *Latinè absq; expresso supposito obscura sunt.*

*V.*37. Date illis vos manducare. *Non est omittendum pronomen* vos, *singularis emphaseos illud.*

*V.*40. Per centenos & quinquagenos. *Fide dignissima manuscripta, repetunt præpositionem* per, *Græco conformiter.*

*V.*48. Et videns eos laborantes in remigando. *Quidam liber habet* vidit *præteritum tempus: sed alij, & quidem optimi, retinent* videns *participium.*

*V.*52. Non enim intellexerunt de panibus. *In vetustis quibusdam manuscriptis legitur præteritum plusquam perfectum* intellexerant, *pro perfecto* intellexerunt, *quod est in aliis.*

CAPVT VII.

*V.*3. Tenentes traditionem seniorum. *Melior est hæc scriptura, quippe Græcæ consentanea, eâ quæ plurali numero habet* traditiones.

*V.*4. Et à foro. *Additiuum est quod sequitur in quibusdam libris* venientes, *omissum vt à Sixtinis, ita ab omnibus bonis, adstipulantibus Beda tractatore & editionibus Græca ac Syriaca.*

*V.*5. Et Scribæ: Quare. *Non interponas participium* dicentes, *quod quidam.*

*V.*6. Longè est à me. *In quibusdam bonis codicibus, pro simplici verbo* est, *legitur compositum* abest, *quomodo & Græcè vsus est verbi compositi ἀπέχει. In aliis legitur verbo simplici, vt est secundùm Matthæum.*

*V.*7. Doctrinas & præcepta hominum. *Eadem est hic lectionis ratio quæ secūdùm Matthæum, quibusdam antiquorum codicum interponentibus, quibusdam negligentibus, copulatiuam:* Doctrinas præcepta. *Pro his sunt libri Græci & Syriaci Euangelistæ, sed & prototypon Prophetæ. Pro illis facere possit editio LXX. duorum senum.*

*V.*8. Tenetis traditionem hominum. *Ita legendum numero singulari, vt ex Sixtinis, ita ex melioribus manuscriptis, Græco respondentibus: pro eo quod alij habent numero plurali* traditiones, *quamquam hoc intelligendum putem.*

V. 9. Benè irritum facitis præceptum Dei. *Sic legendum est etiam ex antiquis libris, Græco & Syro conformibus, præsens* facitis, *non præteritum* fecistis.

V. 15. Illa sunt quæ communicant hominem. *Brugensis, Leodiensis, & antiquus Epanorthotæ libri, legunt,* coinquinant, *pro* communicant.

V. 19. Quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit. *Multi antiqui codices legunt præterito tempore* introiit *sine* introiuit; *quidam eorum mox etiam* exiit. *Sed* intrat & exit, *præsenti tempore, quod est in aliis, & Græco respondet, aptius congruere videtur. Porrò quod post ea verba* sed in ventrem *sequitur* vadit, *tria Ecclesiæ nostræ, vnum Clarimarisci, & vetusta Zegeri manuscripta omittunt, quod nec in Beda exstat: subaudiunt autem è propinquo* intrat. *Certè nec Græcè nec Syriacè vllum hic additur verbum. Videri itaq; possit, ex Matthæo huc esse adiectum,* τὸ vadit.

V. 26. Erat enim mulier gentilis. *Videtur legendum esse,* non enim, *sed* autem, *ex optimis manuscriptis, Græco & Syro respondentibus, Beda tractatoris textu consentiente.*

V. 28. At illa respondit & dixit ei. *Antiqua exemplaria nostra,* dicit *præsenti tempore, quomodo & Græca habent, pro præterito* dixit.

V. 29. A filia tua. *In aliis est* de filia tua.

V. 31. Ad mare Galilææ, inter. *Non addas* quæ *aut* quod est inter.

V. 37. Et surdos fecit audire. *Non est omittenda coniunctio* &.

CAPVT VIII.

V. 1. Cùm turba multa esset. *Non est addendum* cum Iesu, *licet officio Ecclesiastico sit additum, vbi historia ista recitatur Euangelij loco, Dominica sexta post Pentecosten.*

V. 8. Quod superauerat. *In vno scripto est* supererat.

V. 9. Erant autem qui manducauerant. *In aliis est præteritum perfectum* manducauerunt.

Ver. 10. In partes Dalmanutha. *Plerique codices D. D. Augustino & Hieronymo visi, vt in Matthæi, ita & hoc loco in Marci Euangelio, pro* Dalmanutha *legerunt* Magedan. *Sed qui nunc extant Latini libri, similiter & Syrici, quinetiam plerique omnes Græci, hic secundùm Marcum* Dalmanutha *scribunt: ea quæ latè a nobis in Notationibus olim dicta sunt. Hoc tam addendum, ex eo videri posse,* Dalmanutha *genuinam esse secundùm Marcum lectionem, quòd, cum nusquam alibi eius loci mentio fiat, ab ipso Marco quidem scriptus sit, ab aliis verò, qui arbitrati sunt Marci Euangelium à Matthæi dissidere, si vnum* Magedan, *alterum* Dalmanutha *dicat, hoc ex illo correctum sit.*

V. 12. Si dabitur generationi isti signum. *In quodam codice legimus pro* si, non, *expositionis causa substitutum.*

V. 13. Ascendit iterùm nauim & abiit. *In quibusdam antiquis libris, nominatim tribus Ecclesiæ nostræ, & vno Clarimarisci, Græco similiter, legitur:* Ascendens iterùm nauim abiit.

V. 15. Videte & cauete. *Quidam boni libri, duo Ecclesiæ Audomarensis, vnus Lobiensis, quartus Clarmariscensis, Græco Syroque similiter, omittunt mediam coniunctionem* &.

V. 19. Quot cophinos. *Alij libri præponunt coniunctionem* &, *sed quæ sensui obsit, vt nec exstat aut Græcè aut Syriacè.*

V. 20. Quando & septem panes. *Hic plures codices omittunt* & *coniunctionem, malè.*

V. 22. Et veniunt Bethsaidam. *Nostri antiqui libri non declinant nomen proprium, sed scribunt* Bethsaida, *pro* Bethsaidam, *vt alij cum Græcis.*

V. 28. Iohannem Baptistam. τὸ alij, *quod præponunt quidam superfluum est, ex Matthæo huc adscitum, quod etiam notat Epanorthotes.*

V. 32. Cœpit increpare eum. *Redundat quod subiiciunt quidam libri:* Dicens, Domine propitius esto tibi, nam hoc non erit tibi. *Matthæi enim illud proprium est.*

V. 37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? *Hæc secundùm Marcum germana scriptura est; secundùm Matthæum autem ista:* Aut quam da. ho. commutationem pro anima sua?

V. 38. Qui enim me confusus fuerit &c. & Filius hominis confundetur eum. *Ita prorsus legendum est omnium iudicio,* confusus, cōfundetur, *non* confessus, confitebitur. *Errori causam dedere, tam insolens Interpretis phrasis, quam loca Mat. 10. v. 32. & Lu. 12. v. 8.*

Ibid. Cum Angelis sanctis. *Spurium est* suis, *quod quidam adiciunt, quidam pro* sanctis *substituunt.*

CAPVT IX.

V. 1. Et post dies sex assumit. *Ab hoc versu exordiuntur Sixtina Biblia nonum caput, iungentia præcedentem proximè versiculum præcedenti capiti, quem alij plerique libri faciunt initiū noui capitis, minùs cōgruè.*

Ibid. Et post dies sex assumit. *Ita est, præsenti tempore, vt in Sixtinis, ita in quibusdam aliis bonis libris, Græco suffragante: in aliis est* assumsit *præterito tempore: sed præsens tempus probatur etiam eo quod subsequitur præsenti* ducit.

Ibidem. Seorsum solos. *Malè est in quibusdam codicibus primus casus* solus, *pro quarto* solos.

V. 2. Splendentia & candida nimis. *Coniunctio &, vt à Latinis quibusdam, ita à Græcis omnibus libris omittitur.*

V. 4. Et, faciamus tria. *Quidā omittunt* & *coniunctionē, malè: nam etiam Græcus & Syrus illam legunt.*

V. 14. Et confestim omnis populus vidēs Iesum. *In optimis nostris manuscriptis, Græco Syroq; consentaneè, legitur pronomen* eum, *pro nomine* Iesum.

Ibidem Et accurrentes. *Sic legendum est prima vocali, non quarta* occurrentes.

Ver. 18. Qui respondens, eis dixit. *Ita scribendum Latinè cum Sixtinis Bibliis, tametsi in quibusdam Latinis & plerisque Græcis sit* ei *numero singulari.*

V. 21. In ignem. *Repetunt coniunctionem* & *manuscripta Biblia Ecclesiarum Audomarensis, Lobiensis & Clarmariscensis, Græco respondentia:* Et in ignem.

Ibid. Et in aquas. *Ita legunt boni libri, non* aquam *numero singulari.*

V. 22. Omnia possibilia sunt credenti. *Ab aliis bonis codicibus non legitur verbum* sunt, *quemadmodum nec à Græcis.*

V. 25. Et exclamans. *In aliis bonis libris est simplex* clamans.

V. 32. Qui cum domi essent. *Ita legendum,* essent, *numero plurium, quod etiam Commentario docetur.*

V. 34. Erit omnium nouissimus. *Non est addendum:* Erit quasi omnium, &c.

V. 36. Non me suscipit. *Redundat solùm, quod quidam ex Cōmentario addunt annotāte etiā Epanorthote.*

V. 39. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. *Quidam Latini & quidam Græci libri habent primæ personæ pronomina,* aduersus nos, pro nobis est: *sed vt plerique tam Græci quàm Latini seruant secundam personam, ita & Syriaci.*

V. 40. Calicē aquæ. *Quod quidā subdunt* frigidæ, *est alterius loci, videlicet Mat. 10. v. 42. teste etiā Epan.*

Ver. 42. Abscide illam. *Sic est in veteribus manuscriptis a cædo, pro eo quod alia habent* abscinde *à* scindo.

V. 43.45.47. Non moritur, & ignis non extinguitur. *D. Donatiani codex legit futuro tempore* Non morietur, & ignis non extinguetur, *quo modo est apud Prophetam.*

Ver. 48. Omnis enim igne salietur. *Non est interponenda vox* homo.

CAPVT X.

V. 5. Scripsit vobis. *Non addas* Moses.

V. 6. Fecit eos Deus. *Quidam antiqui Latini codices subiungũt* & dixit; *sic & quidam Græci, nominatim Regius* καὶ εἶπεν. *Atqui, cum Syro, plerique tum Latini tum Græci libri, omittunt, viderique possit ex Matthæo huc esse adiectum, qui constanter illud legit capite* 19. *versu* 5.

V. 11. Adulterium commmittit super eam. Super eam *legendum, non, vt quidam,* super terram.

V. 15. Quisquis non receperit regnum Dei. *Malè legitur à quibusdam* verbum Dei.

V. 17. In viam. *Alij libri habent sextum casum* in via, *pro eo qui etiam Græcè est quarto* in viam.

Ibid. Rogabat eum. Magister. *Quidam boni libri addunt* dicens *cum Syro, plures omittunt cum Græco.*

V. 20. Magister hæc omnia. *Non est hic addendum* Magister bone.

Ver. 28. Et cœpit ei Petrus dicere. *Non est addendum* post hæc, *quod à nonnullis additur.*

Ver. 30. Qui non accipiat. *In quibusdam libris est coniunctiuus* accipiat, *qui consonat Græco* λάβῃ, *in quibusdam præsens indicatiui* accipit, *in aliis* accipiet *futurum indicatiui.*

V. 32. Et sequentes timebant. *Non legas* dicebãt *pro* timebant; *nec addas pronomen* eum.

Ibid. Quæ essent ei euentura. *Libri nostri antiqui, habent simplex* ventura, *pro composito* euentura.

V. 35. Quodcumque petierimus. *Non est addendum* à te.

V. 37. Et alius ad sinistram tuam. *Boni libri non omittunt pronomen* tuam.

V. 40. Non est meum dare vobis. *Omittitur* vobis *à manuscripto Constantiensi, quod quidam testatur, & à quibusdam aliis ab Hentenio annotatis: quæ Græcæ Syriacæq; editionibus sibi constantibus consentiunt.*

V. 46. Et veniunt Iericho. *Antiqui libri constanter legunt* Ierichum, *tamquam quartũ casum à primo* Ierichus, *non tantùm nostri, sed & Epanorthotæ. Sed quia insolens est illa declinandi forma, visum est etiam Epanorthotæ retinere* Iericho *indeclinatum.*

V. 47. Iesu fili Dauid. *In bonis quibusdam libris, quemadmodum & in exemplaribus Græcis, est hic verborum ordo:* Fili Dauid Iesu.

V. 49. Præcepit illum vocari. Iussit *quod habent quidam libri, Lucæ est;* præcepit *Marci.*

CAPVT XI.

Ver. 1. Et cùm appropinquarent. *Ita legendum est numero plurali* appropinquarent, *non singulari* appropinquaret, *tametsi ita habeat Syrus.*

Ibid. Mittit duos. *Non legas præteritum* misit.

V. 2. Pullum ligatum. *Quidam ex Euangelio Lucæ huic addunt* asinæ (Pullum asinæ ligatum) *id quod minimè sequendum est.*

V. 3. Et siquis vobis dixerit. *Superfluit* aliquid, *quod quidam addunt.*

V. 5. Dicebant illis. *Legendum est* dicebant *numero plurali, non* dicebat *singulari.*

V. 6. Et dimiserunt eis. *Quarto casu* eos *legunt antiqui codices Epanorthotæ, consentaneè Græco ac Syro. In aliis libris est tertius casus* eis, *vt subaudias* pullum.

V. 7. Et imponunt illi vestimenta sua. *Quidam codices Epanorthotæ, &, ex nostris, Brugẽsis inter alios, legunt* imponentes, *pro eo quod est in plerisque, Græco ac Syro consentaneè,* & imponunt.

Ibidem. Et sedit super eum. *In aliis legitur sexto casu* super eo.

V. 18. Timebant enim eum. *Non legas coniunctionem* verò *pro* enim.

V. 22. Habete fidem Dei. *Malè à quibusdam libris omittitur vox* Dei.

V. 23. Tollere & mittere. *Ita legunt plerique omnes libri, imperatiua passiua, conformiter Græco: perperam itaque in quibusdam sunt imperatiua actiua,* tolle & mitte.

V. 24. Et euenient vobis. *In antiquis quibusdam manusc. est* venient *pro* euenient; *in vno* fiet.

V. 30. Baptismus Iohannis de cælo erat. *Antiqui libri legunt constanter* baptismum *pro* baptismus, *quemadmodum secundùm Matthæum.*

V. 31. Dicet: Quare ergo non. *Non est addendum pronomen* nobis (dicet nobis) *quod nec Græcè legitur, tametsi Syrus addat.*

V. 32. Timemus populum. *Complura exemplaria ex melioribus legunt præteriti imperfecti personam tertiam* timebant, *Græco similiter, pro prima persona præsentis* timemus, *quæ videri possit esse Matthæi.*

V. 33. Dicunt Iesu. *Pro præsenti* dicunt, *non legas præteritum* dicebant *aut* dixerunt: *nec omittas* & *proximè, vbi dicitur:* Et respondens Iesus.

CAPVT XII.

V. 1. In parabolis loqui. *Manuscriptum quoddam legit* parabolicè loqui.

Ibid. Et circumdedit sepem. *Antiqui libri Epanorthotæ, & inter nostros Brugensis, legunt* sepe *sexto casu, pro quarto* sepem. *Minimè verò addendum hic est pronomen* ei.

V. 3. Et dimiserunt vacuum. *Nec hic addas pronomen* eum.

V. 4. Et illum in capite vulnerauerunt. *Manuscripta Biblia Audomarensia & Brugensia, omissa* in *præpositione, legunt:* Et illum capite.

V. 14. Nec enim vides in faciem hominum. *Non est omittenda præpositio* in, *nec mutandus facilè numerus pluralis* hominum *cum singulari* hominis.

Ibidem. Licet dari. *In plerisque bonis libris est passiuum* dari, *tametsi Græcè sit actiuum* δοῦναι, *idem quod in ceteris Euangeliis.*

V. 15. Qui sciens versutiam illorum. *Quidã libri, pro* versutiam *legunt* simulationem, *ex alia versione.*

V. 16. At illi attulerunt ei. *Hìc legitur* attulerunt, *secundùm Matthæum* obtulerunt.

Ibidem. Et inscriptio. *Secundùm Matthæum vertit* superscriptio, *hic* inscriptio.

V. 25. Sed sunt sicut Angeli in cælis. *Non est hic addenda vox* Dei, *quæ Mat. est cap.* 22. *v.* 30.

V. 27. Sed viuorum. *Hìc lege* viuorum; *secundùm Matthæum* viuentium.

V. 29. Dominus Deus tuus. *Ex nostris libris meliores, consentaneè Græco Euangelio & Syriaco, necnon legi ipsi Hebraicæ, scribunt* noster, *pronomen primæ personæ, non secundæ* vester *aut* tuus: Dominus Deus noster.

Ibid.

Ibid. Deus vnus est. *Quidam libri legunt* Dominus, *cum Græcis, Syriacis, & Hebraicis:* Dominus vnus est.

V. 32. Quia vnus est Deus. *Duo manuscripta Ecclesiæ nostræ, cum vno Leodiensi, & altero Clarmariscensi, omittunt vocem* Deus, *conformiter Syro, quam alia addunt similiter Græco.*

Ver. 34. Et nemo iam audebat eum interrogare. *Quædam antiqua exemplaria addũt* amplius, *id quod tamen ex altera interpretatione vocis* ἔτι *videtur additum, quam Interpres suo more vertit* iam.

V. 37. Eum libenter audiuit. *In nostris antiquis libris, consentaneè Græco, ferè est imperfectum* audiebat, *pro perfecto* audiuit.

CAPVT XIII.

V. 7. Oportet enim hæc fieri. *Antiqua nostra manuscripta omittunt pronomen* hæc, *conformiter Græco.*

Ver. 8. Gens contra gentem, & regnum super regnum. *Pro* contra *legendum esse* super, *priori huius sententiæ membro, vt posteriori, intelligere videmur ex antiquis nostris manuscriptis.*

V. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales. *Legendus est nominatiuus pluralis* tribulationes, *non genitiuus singularis* tribulationis.

V. 20. Breuiauit dies. *In quibusdam antiquis libris, pro præterito* breuiauit, *est futurum* breuiabit: *sed Græcè & Syriacè præteritum legitur.*

V. 22. Signa & portenta. *Hic* portenta, *secundùm Matthæum* prodigia, *legit Latina editio incorrupta.*

V. 26. In nubibus. *Non est addendum* cæli.

V. 28. Cognoscitis quia. *Non est legendus imperatiuus* cognoscite, *pro indicatiuo* cognoscitis, *tametsi ex ancipiti verbo Græco vterque possit verti.*

V. 32. De die autem illo vel hora. *Meliores libri legunt disiunctiuam* vel *pro copulatiua* &.

CAPVT XIV.

V. 2. Dicebant autem. *Sic legunt cum Sixtinis alij quidam Latini libri, conformiter Græco, quo modo legitur & apud V. Bedam, & secundùm Matthæum quoque. Alij plerique libri habent* enim *pro* autem.

Ibidem. Ne fortè tumultus fieret in populo. *Alia exemplaria pro* in populo *scribunt* populi: *& hoc quidem Marci esse, illud Matthæi, annotat Epanorthotes.*

V. 3. Et cùm esset Bethaniæ. *Non est addendum nomen* Iesus, *nec omittendum* Bethaniæ.

Ibidem. Nardi spicati. *Sic habent cum Sixtinis Bibliis omnes libri Latinæ editionis incorrupti, scripti & excusi, veteres & noui, ita vt dubium esse non possit, quin legendum sit* spicati, *pro eo quod quidam minoris fidei codices habẽt* pistici, *mutati, vel ex Græco Marci textu, vel ex Iohannis Euangelio, cap. 12. v. 3. Copiosiùs de hoc disputauimus in Notationibus olim editis.*

V. 4. Indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes. *Quidam boni libri omittunt* & *coniunctionem, iunguntque* τὸ intra semetipsos, *cum* dicentes; *sed contra fidem plerorumque, consentientium Græcis & Syricis.*

V. 7. Habetis vobiscum. *Et mox* Non semper habetis. *Meliores libri vtrobique scribunt præsens* habetis, *conformiter Græco; non futurum* habebitis.

V. 8. Quod habuit hæc, fecit. *Monet Epanorthotes legendum esse fœmininum* hæc, *nõ neutrum* hoc: *quemadmodum & mox, quarto casu* sepulturam *legendum est, non sexto* sepultura.

Ver. 10. Et Iudas Iscariotes. *Libri antiqui, etiam Epanorthotæ, legunt* Scariotes, *absq; litera* i *in initio.*

Ver. 14. Vbi est refectio mea. *A quibusdam libris additur* & diuersorium meum, *quod ex Luca huc transscripsit sciolus, ignorans eiusdem rei alteram esse interpretationem.*

V. 20. Qui intingit mecum manum in catino. *Variant hic libri vetusti, nostri certè & Zegeri: alij enim addunt, alij omittunt* manum. *Addentibus suffragantur antiqui codices Epanorthotæ; omittentibus Græca & Syra: videriq́ue possit huc additum ex Mat. 26. v. 23.*

V. 21. Per quem Filius hominis tradetur. *Vnus quidam liber legit præsenti tempore* traditur, *conformiter editioni Syriacæ & Græcæ.*

Ibid. Si non esset natus. *Sic lege secũdùm Marcum; secundùm Matth. autem* Si natus non fuisset.

V. 25. De hoc genimine. *Antiqui codices omittunt pronomen* hoc, *quod Matthæo esse proprium annotat Epanorthotes.*

V. 27. Omnes scandalizabimini in me. *Multa Latina exemplaria auferunt* in me, *quod tamen legunt alia cum Syriacis & Græcis.*

Ibid. Et dispergentur oues. *Non est addendum* gregis, *quod Matthæi est cap. 26. v. 31.*

V. 29. Etsi omnes scandalizati fuerint in te. *Regia Biblia ex Complutensibus, vt Græcè, ita etiam Latinè, addunt* in te: *quod Sixtina quoque Biblia sequuntur.*

V. 34. Et vigilate. *Non addas* mecum, *quod non est huius loci, sed Mat. 26. v. 38.*

Ver. 37. Vna hora vigilare? *Nec est huius loci* mecum, *sed Matth. 26. v. 40.*

V. 38. Spiritus quidem promtus est. *Duo manuscripta huius Ecclesiæ Cathedralis omittunt verbum* est, *conformiter editionibus Græcæ & Syriacæ.*

Ibidem. Caro verò infirma. *Matth. 26. ver. 41. pro* verò *legitur* autem.

Ver. 43. Iudas Iscariotes. *In antiquis libris est* Iudas Scarioth.

Ibid. A summis sacerdotibus. *Non est præponendum participium* missi.

V. 45. Aue Rabbi, *Multi boni libri omittunt* Aue, *vt Matth. proprium cap. 26. v. 49.*

V. 47. Vnus autem quidam de circumstantibus. *Notat Epanorthotes ab antiquis libris omitti* quidam: *quam lectionem ego facilè probarem, etiamsi Græcè addatur* quidam, *si quæ ego vidi antiqua exemplaria responderent.*

V. 49. Sed vt impleantur Scripturæ. *In aliis bonis libris legitur verbum decompositum* adimpleantur.

V. 52. At ille, reiecta sindone. *Pro* reiecta, *quidam libri habent* relicta: *quod quidem Græcè & Syriacè ita legitur, sed Interpres neglecto verbo rem dedit, si exemplarium constantiæ fides est adhibenda.*

V. 53. Et conuenerunt omnes. *Pro præterito* conuenerunt, *manuscripta Brugense & Lobiense legunt, conformiter Græco, præsens* conueniunt. *Nullo autem modo addendum est* in vnum, *quod addunt quidam codices non boni.*

V. 54. Et sedebat cum ministris ad ignem & calefaciebat se. *Alius est ordo verborum in optimis nostris manuscriptis, vt etiã in Græca & Syriaca editionibus: postponitur enim* τὸ ad ignem: Et sedebat cum ministris, & calefaciebat se ad ignem.

V. 55. Quærebant aduersus Iesum testimonium. *Non addas* falsum, *quod solius Mat. est cap. 26. v. 59.*

V. 58. Ego dissoluam templũ hoc. *Ita legitur etiam Græcè, futuro tempore* dissoluam: *in quibusdam tamen bonis libris scribitur præsens* dissoluo, *prout etiam Syrus vertit, sed is addit consequenter & præsens* ædifico,

fico, *quod Latinè non lego, vt nec Græcè.*

Ibid. Et per triduum. *Quidam legunt* & post triduum: *sed Matth. est* post *cap.* 26 *v.* 61., *Marci* per.

V. 61. Et dixit ei. *Pro præterito* dixit, *legitur ab optimis manuscriptis, Græco cōsonantib., præsens* dicit.

Ibid. Tu es Christus filius Dei benedicti? *Vox* Dei *omittitur ab antiquis Epanorthotæ manuscripis, à septem Henteuij, & à quatuor nostris, nominatim tribus huius Ecclesiæ Cathedralis S. Audomari, & celeberrimo illo Ecclesiæ D. Donatiani Brugensis, suffragantibus editionibus Græca & Syra.*

V. 62. A dextris virtutis Dei. *Nec hîc addenda videtur vox* Dei. *Quare Epanorthotes annotat, vocem* Dei, *non Matthæi aut Marci, sed Lucæ esse cap.* 22. *versu* 69.

V. 68. Et gallus cantauit. *Non est addenda vox* statim, *quæ est alterius loci.*

Ver. 69. Cùm vidisset illum ancilla. *Vox* alia, *quam hîc addunt quidam codices, ex Matthæo accepta est, cap.* 26. *v.* 70.

CAPVT XV.

V. 6. Vnum ex vinctis. *Hæc est lectio editionis nostræ secundùm Marcum: nam secundùm Matthæum est* vnum vinctum.

V. 7. Qui cum seditiosis erat vinctus. *In quodā manuscripto huius Ecclesiæ Cathedralis, signato litera F., expuncta erant* qui & erat, *nec aliud legebatur quàm* Cum seditiosis vinctus, *quæ lectio, vt consonat Græco, ita verisimiliter germana est nostræ editionis:* Erat autem qui dicebatur Barabbas, cum seditiosis vinctus. *Eam qui non intellexerunt, addiderunt superiora; verisimile est; quinetiam coniunctionem* & *præposuerunt ei quod sequitur:* Qui in seditione.

V. 8. Sicut semper faciebat illis. *Malè suppletur hic locus in quodam manuscripto* per diem solemnem, vt dimitteret vnum vinctum.

V. 15. Et tradidit Iesum. *Quidam libri antiqui addunt* eis Iesum: *sed verisimile est* eis *esse Euangeliorum, secundùm Matth. cap.* 27. *v.* 22. *& secundùm Iohannem cap.* 19. *v.* 16.

V. 16. Duxerunt eum in atrium. *Antiqui libri addunt aduerbium* intrò, *consentaneè Græco & Syro:* Duxerunt eum intrò in atrium.

V. 20. Vt crucifigerent eum. *Quidam libri omittunt pronomen* eum, *quippe superfluum, quod tamen Græcè etiam legitur.*

V. 25. Erat autem hora tertia. *D. Hieronymus tractans Psalmum* 77. *vel quisquis est illius commentarij auctor, errore scriptorum,* tertia *hîc legi putat, pro* sexta: *sed non est verisimile.*

V. 28. Et cum iniquis reputatus est. *Quidam antiqui libri legunt* deputatus *pro* reputatus; *mutant* d *pro liquida* r.

V. 29. Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas. *Epanorthotæ indicio, sequuti sua antiqua manuscripta, legendum est, tertiâ personâ,* destruit, ædificat, *non secundâ* destruis, ædificas; *Simplex verbum* ædificat, *non compositū* reædificat; Templum *absolutè, non addita voce* Dei; *hoc modo:* Vah qui destruit templum, & in tribus diebus ædificat: *cui suffragantur & nostra manuscripta. Denique subaudiendum est pronomen* illud, *non adscribendum* (Ædificat illud) *quod quidam.*

V. 31. Summi sacerdotes illudentes. *Antiqui codices Epanorthotæ, nostri quoque Brugens. Lob. Leod. Clarmarisc. & Audomarensis ille qui est signatus litera E., legunt verbum simplex* ludentes, *pro composito* illudentes. *vide Commentarium nostrum.*

Versu 34. Lama sabactani. *Lege ea quæ notauimus Matth.* 27. *versu* 46.

V. 36. Dicens: Sinite, videamus. *Annotauimus olim, videri locum hunc deprauatum, neque adhuc possumus mutare sententiam: quamquam vetus est error, si error est. Fortassè pro participio singulari* dicens, *legendum est verbum plurale* dicebant *aut* dixerunt, *prout habet Euangelium Syriacum:* Et dixerunt: Sinite, videamus; *aut potiùs numero singulari* Sine videamus. *Sunt quidam libri, tam Græci quàm Latini, quos aliàs nominauimus, qui singulare* sine *scribunt: quod indicium est, verbum dicendi ab aliquibus plurali numero lectum fuisse. Cùm enim hîc sermo sit de vno & pluribus, si verba, quæ prolata fuisse narrantur, ad vnum dirigantur, intelliguntur à pluribus prolata fuisse: quamquam finendi verbum, siue pluraliter siue singulariter legas, non multum refert.*

Ver. 38. A summo vsque deorsum. *Annotat Epanorthotes, secundùm Matthæum legendum esse* à summo, *secundùm Marcum* à sursum, *quod tamen nos in nostris codicibus non inuenimus.*

V. 40. Erant autem & mulieres. *Nec est addendum aduerbium* ibi (erant autem ibi & mulieres) *nec legendum est* ibi *pro* &.

V. 41. Et cùm esset in Galilæa. *Latinus textus Bibliorum Regiorum præponit relatiuum* quæ (quæ & cùm esset) *quod tam congruit sententiæ quàm Græcæ editioni.*

V. 42. Quod est antesabbatum. *Vt Græcè* προσάββατον, *ita Latinè* antesabbatum, *vnica dictio est, minimè distrahenda in duas.*

V. 44. Interrogauit eum. *Non est legendum præteritum imperfectum* interrogabat *pro perfecto.*

CAPVT XVI.

V. 7. Quia præcedit vos. *Non magis hîc quàm secundùm Matthæum, mutandum est præsens* præcedit, *cum futuro* præcedet.

Ibidem. Sicut dixit vobis. *Caue legas primam personam* dixi, *pro tertia* dixit, *tametsi Matthæus scribat* Ecce prædixi vobis.

V. 9. Surgens autem manè. *Sic legunt libri boni, cum Syro & plerisque omnibus exemplaribus Græcis. Alij boni libri addunt nomen* Iesus (surgens autem Iesus) *quibus suffragatur editio Græca Bibliorum Regiorum.*

V. 14. Illis vndecim apparuit. *Non addas nomen* Iesus; *vt nec paulò pòst* à mortuis, *vbi dicitur* qui viderant eum resurrexisse.

V. 19. Et sedet à dextris Dei. *Optima manuscripta nostra ferè legunt præteritum* sedit, *conformiter Græco ac Syro, pro præsenti* sedet.

NOTÆ

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS LATINÆ EVANGELII SECVNDVM LVCAM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV 8. Cùm sacerdotio fungeretur. *Manuscripta nostra addunt nomen* Zacharias, *quod alij libri omittunt consentanee Græco & Syro.*

V. 28. Aue gratia plena. *Non est interponendum nomen* Maria.

V. 29. Quæ cùm audisset. *Duo manuscripta ab Hentenio annotata, vnum ex nostris, Brugense, & quædam alia Zegeri, pro* audisset, *scribunt* vidisset, *concinentibus Græcis libris ac Syricis, & Diuo Ambrosio adstipulante qui habet:* Ipsa autem vt vidit eum mota est *&c.*

V. 30. Inuenisti enim gratiam apud Deum. *Non est omittenda coniunctio* enim, *nec mutandum* Deum *cum* Dominum.

V. 35. Quod nascetur ex te sanctum. *Manuscripta Biblia Ecclesiarum Cathedralium D. Donatiani & S. Audomari, cum aliis exemplaribus ab aliis annotatis omittunt illud*, ex te, *quibus Græci libri plerique adstipulantur. Atqui plerique Latini libri, consentientibus Syricis & nonnullis Græcis, nominatim Complutensi ac Regiis, illud seruant: quod quidem Titus Bostrorum Episcopus & legit & interpretatur clarissimè, Athanasius autem epistola ad Epictetum Corinthiorum Episcopum etiam vrget aduersus hæreticos illos, qui Christi corpus non ex virginis corpore formatum volebant. Verisimile est igitur, ab huius farinæ hominibus, erasum aliquando fuisse illud* ex te.

V. 45. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. *Plerique & quidem antiqui quidam libri sic legunt, secunda persona* credidisti, tibi. *Porrò alij, & quidem multi antiqui, Epanorthotæ aliorumque, scribunt tertiam personam* credidit, ei. *Græca ad vtramq; lectionem ambigua sunt, quod in Notationibus prolixioribus ostendimus.*

V. 50. A progenie in progenies. *Ita vsus Ecclesiasticus. Porrò antiqui libri euangeliorum, tum nostri tum Epanorthotæ & Zegeri, scribunt* In progenies & progenies. *Vnus* In generationem & generationem. *Similis est in Græcis varietas. Sententia eadem vna est.*

V. 54. Recordatus misericordiæ suæ. *Ita rursum Ecclesiasticus vsus, quem legendi modum, vtpote commodiorem, ex D. Hieronymi emendatione profectum, arbitratur Zegerus. Nam manuscriptorum antiquorum pleraque, pro* recordatus, *scribunt* memorari, *quo modo ad verbum vertas ex Græco.*

V. 66. Quis putas puer iste erit. *Rursus manuscripta, pro masculino* quis, *ferè legunt neutrum* quid, *ex Græco ambiguo.*

V. 68. Redemtionem plebis suæ. *Pro genitiuo* plebis, *in antiquis libris non paucis, est datiuus* plebi, *consentaneè Græco.*

CAPVT II.

V. 4. In ciuitatem Dauid. *Sic cum Sixtinis Bibliis Regia, consentiente Græco ac Syro: obscurum est enim, quod alij libri omittunt præpositionem* in.

Ibidem. Quia non erat eis locus. *Quidam libri habent pronomen numeri singularis* ei: *sed meliores seruant plurale* eis, *adstipulantibus editionibus Græca & Syrica.*

V. 11. Quia natus est vobis. *Nec omittendum est secundæ personæ pronomen* vobis, *nec mutandum cum primæ personæ* nobis.

V. 13. Multitudo militiæ cælestis. *Notat Epanorthotes, pro* militiæ, *quosdam legere ex antiphona* exercitus, *alios vtrumque iungere* militiæ cælestis exercitus: *neutrum probat.*

V. 14. Gloria in altissimis Deo. *Non mutes* altissimis *cum* excelsis.

Ibid. Hominibus bonæ voluntatis. *Quidam libri præmittunt præpositionem* in, *sicut textus Græcus:* in hominibus.

V. 15. Quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. *Hæc, vt est Bibliorum Sixtinorum, ita & antiquorum exemplarium lectio, conformis Græco ac Syro. Quare non mutanda cum hac aliorum:* Quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis.

V. 18. Mirati sunt & de his. *Vnus atque alter liber omittunt mediam coniunctionem* &, *quæ certè obscuritatem parit, nec legitur aut Græcè aut Syriacè. Ambrosius quoque:* A pastoribus, *inquit*, populus ad Dei reuerentiam congregatur: mirati enim sunt de iis quæ dicebantur à pastoribus ad ipsos.

V. 21. Vt circumcideretur puer. *Quædam antiqua manuscripta omittunt* puer, *nominatim Brugensia & Audomarensia Biblia, vt & quidam libri Græci. Alia addunt fauentibus plerisque Græcis, ad hæc Syriacis, & D. Ambrosij Commentario.*

Ver. 26. Nisi priùs videret. *Non omittas aduerbium* priùs.

V. 33. Et erat pater eius & mater mirantes. *Interpres vertit singulare* erat *ex Græco* ἦν, *quod tamen pluraliter aliquando accipitur contractum ex* ἦσαν. *Simile Matth. 27. ver. 61. Porrò quod subsequitur* pater eius & mater, *non est mutandum cum* Ioseph & mater eius, *quod quidam fecerunt, imitati Græcos codices.*

V. 37. Et hæc vidua vsque ad. *Non est addendum verbum substantiuum* erat.

V. 38. Qui exspectabant redemtionem Israel. *Pro fœminino* redemtionem *nullo modo legendum est masculinum* redemtorem, *quod legitur apud Bedam: sed pro*

pro Israel,*olim annotauimus,manuscripta antiqua scribere* Ierusalem : *quibus iam accedere obseruauimus tria huius Audomarensis, & vnum Clarmariscensis Ecclesiæ. Porrò τὸ* Ierusalem, *dicebamus debere,vel genitiuum esse quietis,si sequi placeat Græca pleraque omnia exemplaria, quæ addunt præpositionem* in; *vel positum intelligi pro* ipsius Ierusalem,*si sequaris Syra,quæ absque præpositione addunt notam genitiui.*

V.40. Et confortabatur. *Non addas* spiritu, *quod codex vnus aut alter. vide Græcas varietates.*

Ibidem. Et gratia Dei erat in illo. *Non substituas* cum *pro* in.

V. 42. Ascendentibus illis Ierosolymam. *Quidam antiqui libri addunt, quidam auferunt, præpositionem* in.

Ver. 46. Audientem illos & interrogantem eos. *Manuscriptorum quædam omittunt, alia addunt posterius* eos.

V. 50. Non intellexerunt verbum. *Non est omittendum τὸ* verbum.

Ver. 51. In corde suo. *Non præponas participium* conferens, *quod quidam, acceptum ex versu superiori* 19.

CAPVT III.

Ver. 9. Ad radicem arborum posita est. *Hæc, vt Bibliorum Sixtinorum, ita multorum codicum lectio, quæ vocem* radicem *numero singulari,*arborum *plurali scribit,consonat Græco. In aliis libris, quibusdam legitur* radices *pluraliter,quibusdam* arboris *singulariter: quorum hoc minime verisimile est.*

Ibidem. Excidetur & in ignem mittetur. *Hentenius vnum exemplar attulit, quod legat* exciditur & in ignem mittitur, *præsenti tempore, quo modo legitur Græcè & Syriacè: de quo tale esto iudicium quale Matthæi 3. ver*. 10.

V. 16. Veniet autem fortior me,cuius. *Manuscriptum D. Donatiani cum aliis Epanorthota, legit præsens tempus* venit, *pro futuro* veniet. *Quidam ad hæc libri, cum Syro typis excuso,addunt* post me (fortior me post me) *sed alij plerique cum Græco & Syro manuscripto omittunt. Marci est,c.*1. *v*. 7.

V. 19. Vxore fratris sui. *Quod quidam Latinus liber typis excusus & multi Græci addunt* Philippi, *quamquam Syriacè legatur, videtur huc esse adiectum ex Mar.6.ver.*17. *Certè variant Græci codices: porrò Latina omnia manuscripta cum Sixtinis Bibliis tollũt, ita vt, quidquid tandem sit de germana Græcorum lectione,Latinis constet non esse legendum, vt quod Interpres non dederit.*

V. 20. Et inclusit Iohannem in carcere. *Alij libri, pro sexto, scribunt quartum casum* carcerem.

V. 22. In te complacui mihi. *Ita legunt Sixtina Biblia, prima persona* complacui, *pro tertia* complacuit,*quæ est in aliis plerisque libris.*

V. 31. Qui fuit Melea. *Sic cum Sixtinis Bibliis legunt vnum Clarmariscensis & tria Ecclesiæ nostræ Audomaropolitanæ manuscripta* Melea, *vt est Græcè & Syriacè,non* Melpha,*media vocali* e,*mutata cum muta adspirata* ph,*quod est in plerisque aliis.*

CAPVT IIII.

Ver. 1. Regressus est ab Iordane. *Non est mutandum* regressus est, *quod est, reuertit, cum* egressus est.

Ibidem. A spiritu. *Alij libri habent* in *pro* à, *eodem sensu.*

Ibid. In desertum. *Sic legunt cum V. Beda optimi libri, quarto casu, adstipulantibus Græcis. In aliis est sexto casu* in deserto.

V. 2. Et consummatis illis esuriit. *Notat Hentenius in quodam codice addi* postea, *quod superfluere arbitror, licet Græcè legatur & Syriacè.*

V. 4. Quia non in solo pane viuit homo. *In aliis libris legitur futurum tempus* viuet, *similiter archetypo Græco, pro præsenti* viuit.

Ver. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi. *Antiquissimi & lectissimi codices, nominatim Brug. Lob. Leod. Clarmar. & tres Ecclesiæ S. Audomari, omittunt hæc verba* in montẽ excelsum: *quæ alij addunt,non absque varietate tamen, cum quidam* excelsum, *quidam* altissimum *scribant. Videri possint ea ex Euangelio secundum Matthæum huc fuisse adscripta, nec Interpreti fuisse Græcè lecta: quamquam nunc exstent & Græcè & Syriacè. Iam exemplar illud vetustum cœnobij D. Germani Pratensis, ad muros Parisienses siti, quod Iacobus Faber testatur seruare, eumdem tentationum Iesu à diabolo ordinem, in hoc Euangelio,quem habet Matthæi Euangelium, nihil moror, cum sit singulare. Nam quod D. Ambrosius in Lucam scribẽs, eo ordine explanat quo narrat Matthæus: non rarò Ambrosius, in Lucam licet scribat, Matthæi textum edisserit. lege Notationes nostras prolixiores.*

V. 7. Tu ergo si adoraueris. *Non addas* procidens, *quod ex Matthæo quidam.*

V. 9. Super pinnam templi. *Annotat Epanorthotes, secundum Lucam legendum esse* pinnam, *secundum Matthæum* pinnaculum.

V. 10. Mandauit de te. *Pro præterito* mandauit, *præstantissima manuscripta Brugense & Lobiense, adstipulantibus editionibus Græca & Syriaca, legunt futurum* mandabit.

V. 14. Et regressus est Iesus. *Ita legendum est,* regressus, *quod est reuersus, non* egressus *aut* ingressus. *simile suprà ver.*1.

V. 18. Sanare contritos corde. *Hæc verba, vt à Sixtino & plerisque aliis libris, ita & à Græcis ac Syriacis nostris, Euthymio exponente, leguntur. Verum manuscripta quædam Latina, nominatim D. Donatiani vnum, S. Bernardi ad Clarummariscum vnum, & D. Audomari tria, omittunt ea, quemadmodum omittuntur ab Origine, homilia* 32. *in Lucam, hunc locum enarrante, & ab Eusebio lib* 9. *demonstr. Euang. ca.* [illegible], *atque Augustino lib.* 2. *de cons. Euang. cap.*42. *locum citantibus. V. Beda, vt primum adducit huius loci textum, non legit ea: tamen an non explicet posteà, sit dubium. Explicat enim, sed ita vt pro eisdem habere videatur, cum iis verbis quæ sequuntur* Dimittere confractos in remissionem. *Fortassis existimauit, duplicem esse versionem rei eiusdem, ad quam sententiam accedit Forerius scribens in Isaiam. Editio LXX. Interpretum, quomodo recitatur à D. Hieronymo ad Prophetam, vtrumque habet, quemadmodum legitur hoc Euangelij loco: eadem vt seorsum Græcè exstat impressa, Eusebio iam laudato adstipulante, habet solum illud* sanare contritos corde,*omisso altero* dimittere fractos in libertatem : *quod quidem Hebræo fonti similius est. Theophylactus in hoc Euangelium scribens, prius enarrat, posterioris non meminit: Ambrosius neutrum attingit, etsi reliqua non prætereat.*

V. 23. Quanta audiuimus. *Non est præmittendum* Dixerunt Pharisæi ad Iesum.

V. 27. Et nemo eorũ mũdatus est. *Nõ addas* à lepra.

V. 28. Omnes in synagoga ira. *Non est omittendum illud* in synagoga.

V. 34.

Versu 34. Scio te quis sis, sanctus Dei. *Quidam libri scribunt coniunctionem* quia, *hoc sensu, Scio te quòd sis sanctus Dei: sed Interpres dedit pronomen* quis, *aut certe* qui, *positum pro* quis, *quomodo est Græcè.*

V. 36. Imperat immundis spiritibus. *Non est auferendum epitheton* immundis.

V. 38. Surgens autem Iesus. *Quædam manuscripta omittunt nomen* Iesus, *conformiter Græco: quod alia addunt, similiter Syro.*

CAPVT V.

Versu 3. Rogauit eum à terra reducere pusillum. *Alij boni libri habent*, Rogauit eum vt à terra reduceret pusillum. *Hanc probat Epanorthotes: illam attribuit modernis, vt loquitur.*

Ver. 7. Ita vt penè mergerentur. *Quidam libri addunt* penè, *similiter Syris: alij omittunt, similiter Græcis.*

V. 12. Et procidens in faciem. *Quidam libri Græco conformiter, omittunt* & *coniunctionem.*

V. 16. Secedebat in desertum. *In Brugensi & aliis quibusdam manuscriptis legitur* in deserto, *sexto casu, quemadmodum Græcè* ἐν ταῖς ἐρήμοις.

V. 17. Ad sanandum eos. *Malè quidam libri pro* eos *legunt* infirmos.

V. 20. Quorum fidem vt vidit. *Non addas nomen* Iesus, *tametsi Syriacè legatur.*

V. 22. Quid cogitatis in cordibus vestris? *Quidam libri addunt* mala, *malè: nam Matthæi illud, non Lucæ est.*

V. 25. Consurgens coram illis. *Antiqui libri nostri legunt verbum simplex* surgens, *pro composito* consurgens.

Ibidem. Tulit lectum in quo iacebat. *Rursus libri nostri antiqui tollunt vocem* lectum, *conformiter Græcis libris. Nam Syrus interpretans illud* in quo iacebat, *eius loco scribit* lectum suum. *Creditur explicationis gratiâ à quibusdam addita Latinè vox* lectum.

V. 26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. *Zegerus partem istam in dubium vocat, quòd in vno manuscripto non inuenerit eam, nisi ad marginem. Atqui fieri facile possit, vt scribam fugerit pars ista, quam posteà ad marginem statuerit, præsertim cùm non tantùm in cæteris Latinis libris manuscriptis impressisque, sed & in Græco ac Syro, similiter constanterque legatur. Nam quod ait, huic simile mox consequi, nihil refert: quodque ex Ambrosio colligere nititur, parùm mouet.*

V. 32. Non veni vocare iustos. *Bonorum librorum, quidam addunt coniunctionem* enim (non enim veni) *quidam Græco ac Syro conformiter tollunt.*

V. 35. Cùm ablatus fuerit. *Antiquorum manuscriptorum, alia præponunt* & *coniunctionem, Græco similiter; alia tollunt, consentaneè Syro.*

CAPVT VI.

V. 4. Quos non licet manducare. *Alij libri habent* licebat *imperfectum, pro præsenti* licet.

Ver. 6. Factum est autem & in alio. *Quidam libri omittunt* & *coniunctionem, quemadmodum Syra & quædam Græca.*

Ver. 9. Interrogo vos. *Tres codices ab Hentenio annotati legunt futuro tempore* interrogabo, *conformiter Græco & Syro.*

V. 10. Et restituta est manus eius. *Quidam libri addunt* sanitati, *quemadmodum Græcè ferè additur* ὑγιὴς *sana: alij, & quidem optimi, cum Sixtino, rectiùs omittunt, sicut Syrus. Non dubito quin ex Matthæo huc adscriptum sit, tam Græcum* ὑγιὴς, *quàm Latinum* sanitati.

V. 11. Quidnam facerent Iesu. *Ita legendum est, & non, vt quidam, addita præpositione,* de Iesu.

Ver. 15. Matthæum & Thomam. *Hoc ordine legunt etiam Græca & Syra. Quædam antiqua manuscripta præponunt* Thomam.

V. 16. Et Iudam Iacobi. *Plerique libri præponunt* & *coniunctionẽ, vt Syrum: tres Ecclesiæ nostræ, & vnus Clarmariscensis, manuscripti, omittunt, vt Græcum.*

Ibidem. Et Iudam Iscarioten. *Antiqui libri legunt* Scarioth *pro* Iscarioten.

V. 17. Et descendens cum illis. *Huius loco quidam legunt* Et descendens Iesus de monte, *quod ex officio Ecclesiastico acceptum esse clarum est.*

Ibidem. Et maritima & Tyri. *Latinus textus Regiorum Bibliorum, & quædam exemplaria Nicolai Zegeri, consonantia editionibus Græcæ & Syriacæ, omittunt* & *coniunctionem ante vocem* Tyri.

V. 24. Quia habetis consolationem vestram. *In multis bonis libris est relatiuum* qui: *sed coniunctio* quia *respondet Græco.*

Ver. 26. Væ cùm benedixerint vobis homines. *Quidam libri addunt alterum* vobis *post* væ; *malè: multi ante* homines *inserunt adiectiuum* omnes, *Syris & plerisque Græcis omissum.*

Ibidem. Secundùm hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. *Non omittas coniunctionem* enim, *nec mutes* pseudoprophetis *quinquesyllabũ cum* prophetis *trisyllabo, quod quidam ex loco simili suprà versu* 23.

V. 29. Præbe & alteram. *Non addas pronomen* ei.

Ver. 33. His qui vobis benefaciunt. *Sic legendum est, non vt quidam* his qui vos diligunt.

V. 37. Dimittite & dimittemini. *Brugense manuscriptum, pro* dimittemini, *legit* dimittetur vobis.

V. 38. Mensuram bonam & confertam. *Omittunt* & *coniunctionem plerique libri nostri antiqui, Græco consentanei.*

Ibid. Eadem quippe mensura. *Non legas* verò *pro* quippe.

Ver. 39. In foueam cadunt. *Sic cum Sixtino legunt plures boni libri,* cadunt *præsenti tempore: in quibusdam est futuro tempore* cadent, *conformiter Græco.*

V. 42. Trabem non videns. *Noli mutare participium* videns *cum verbo* vides.

Ver. 45. De malo thesauro. *Meliores libri ferè non hîc repetunt* cordis sui, *tametsi Græcè & Syriacè repetatur.*

Ver. 46. Quid autem vocatis me. *Non legas* enim *pro* autem.

Ver. 48. Fundamentum super petram. *Vetera manuscripta etiam Epanorthotæ, scribunt* fundamenta *numero plurali.*

Ibidem. Fundata enim erat super petram. *Non addas* firmam petram.

Ver. 49. Qui autem audit & non facit. *Exemplar Donatianicum legit:* Qui autem audiuit & non fecit, *Græco consentaneè.*

Ibidem. Et continuò cecidit. *Antiqui codices Epanorthotæ, & quidam nostri, habent* concidit: *aliàs* cecidit, *ait Epanorthotes.*

CAPVT VII.

Ver. 3. Et saluaret seruum eius. *Epanorthotes legendum docet* sanaret, *iuxta libros antiquos, quibus à*

nostris consentiunt Brug. Lobb. Leod. Sed Græcus, *inquit*, & moderni, habent saluaret.

Ver. 4. Dicentes ei. *Quædam exemplaria omittunt pronomen* ei, *conformiter Græco ac Syro.*

V. 11. Deinceps ibat in ciuitatem. *Non est addendum nomen* Iesus *ex officio Ecclesiastico.*

V. 22. Quæ audistis & vidistis. *Ordo verborum in vetustis codicibus, conformis Græco & Syro, est* Quæ vidistis & audistis.

V. 23. Quicumque non. *In aliis bonis est* qui non.

V. 24. Cœpit de Iohanne. *Non addas nomen* Iesus, *tametsi Syrus addat.*

Ibid. Arundinem vento agitatam? *Pro* agitatam, *pleraque antiqua manuscripta, tum nostra tum Epanorthota, legunt* moueri: *notatque Epanorthotes Matthæi esse* agitatam. *Matth.* 11. *v.* 7.

V. 27. Hic est de quo. *Non addas* enim, *quod quidam ex Matth.*

V. 28. In regno Dei. *Sic legendum est hoc loco; secundùm Matthæum autem* in regno cælorum.

V. 29. Baptizati baptismo. *Brugense & quædam alia manuscripta, pro sexto casu* baptismo, *legūt quartum* baptismum, *phrasi ea qua est Græcè.*

V. 31. Ait autem Dominus: Cui ergo. *Multi boni Latini, nec pauciores boni Græci libri, suffragantibus Syricis, omittunt illud* ait autem Dominus.

V. 32. Cantauimus vobis tibiis. *Non est hic omittenda vox* tibiis, *vt secundùm Matth.*

V. 33. Venit enim Iohannes. *In aliis libris est* autem, *sed* enim *respondet Græco ac Syro.*

V. 37. Quod accubuisset in domo. *Non est addenda vox* Iesus.

V. 39. Quæ & qualis est mulier. *In aliis libris pro* est *legitur* esset.

V. 40. Et alius quinquaginta. *A quibusdam libris abest* & *coniunctio, quemadmodum mox proximo versu pronomen* illis: Non habentibus illis.

V. 42. Quis ergo eum plus diligit? *In quibusdam libris est futurum* diliget, *quemadmodum Græcè.*

V. 43. Et capillis suis tersit. *Hoc modo legitur etiam Syricè. Annotat porrò Zegerus, quosdam Latinos codices, legere quemadmodum est Græcè:* Et capillis capitis sui tersit.

Ver. 45. Hæc autem ex quo intrauit. *Ita legendum est ex Sixtino & optimis libris, nominatim Brugensi, Lobbiensi, vnoque Audomarensi,* intrauit *tertia persona, pro prima* intraui, *adstipulantibus, Syrica editione, & quibusdam exemplaribus Græca, denique ipsa historia serie, qua docetur, mulierem hanc ingressam domum, dudum post ipsum Iesum. supra v.* 37.

CAPVT VIII.

Versu 1. Per ciuitates & castella. *Multi boni libri, singulari numero, conformiter Græco, scribunt* per ciuitatem & castellum. *Illa lectio, huius expositio est.*

Ver. 2. Vxor Chuzæ. *Brugense manuscriptum habet* Chuza.

V. 3. Quæ ministrabant ei. *Duo Ecclesiæ nostræ & vnum Clarmariscensis manuscripta habent numero plurali* eis, *adstipulante Syro. Græca magis variant quàm Latina.*

V. 4. Cùm autem turba plurima conuenirēt. *Alij libri legunt singulare* conueniret, *vt Græca.*

V. 12. Nam qui supra petram. *Non addas* hi sunt.

Ibid. Qui ad tempus credunt. *Quædam exemplaria legunt* qui *relatiuum, adstipulantibus libris Græcis; alia coniunctionem* quia.

V. 18. Videte ergo quomodo audiatis. *Quamquam coniunctiuus* audiatis *Latinior sit: indicatiuus tamen* auditis, *est in optimis quibusque manuscriptis, Græco conformiter. Porrò* quomodo *non est hîc mutandum cum* quid: *hoc enim Marci, illud Lucæ est.*

Ver. 19. Et non poterant adire eum. *Antiqui libri, repetita præpositione* ad, *ferè legunt* ad eum. *Sed procul absit vt pro* adire *legas* audire, *quod est* ἀκοῦσαι.

V. 23. Et nauigantibus illis. *Rursus antiqui libri, conspirantibus Græcis, habent* Nauigantibus autem illis.

Ibid. Et complebantur. *Spurium est quod quidam codices legunt* compellebantur *pro* complebantur, *quod est* implebantur.

V. 24. Increpauit ventum & tempestatem aquæ. *In quibusdam Ecclesiæ Audomarensis libris est* increpauit vento & tempestati aquæ.

V. 26. Et nauigauerunt ad. *Manuscripti codices optimi, tum nostri tum Epanorthotæ, Græco & Syro adstipulante, legunt* Enauigauerunt autem ad, *quod Commentario declaratur.*

V. 29. Agebatur à dæmonio in deserta. *Ita legendum est: Malè est enim in quibusdam sextus casus numeri singularis* deserto.

V. 39. Redi in domum tuam. *Quidam ex optimis libris omittunt* in *præpositionem.*

V. 40. Erant enim omnes. *Cum Sixtinis Bibliis tria nostra & vnum Clarmariscensis Ecclesiæ manuscripta, conformiter Græco & Syro, legunt* enim, *pro* autem, *quod alij.*

Ver. 41. Mulier quædam erat. *Verisimile est Interpretem scripsisse, ita vt est Græcè,* mulier quæ erat.

V. 46. Nam ego noui. *Multi boni libri addunt* & *coniunctionem* (nam & ego noui) *tametsi nec Græcè illa nec Syriacè addatur.*

Ver. 49. Venit quidam ad principem synagogæ. *Diu quæsita, inuenta est tandem, genuina huius loci lectio, in manuscripto Ecclesiæ nostræ continente quatuor Euangelia, F. litera insignito, quod habet non* ad principem *casu quarto, vt vulgò, sed* à principe *casu sexto; sic enim esse legendum, Græca & Syra clamant, mutatione facta ab iis qui non intellexerunt hanc loquendi formam: vti & secundùm Marcum cap.* 5. *ver.* 35. *mutauerant* ab archisynagogo *cum* ad archisynagogum, *quod illic notauimus.*

Ibidem. Noli vexare illum. *Sic legunt cum Sixtino libri antiqui,* illum: *notatque Epanorthotes* magistrum *esse Euangelij secundùm Marcum, quamquam & hic Græcè Syriacèque legatur.*

V. 52. Non est mortua puella sed dormit. *Duo Audomarensis & vnum Clarmariscensis Ecclesiæ manuscripta tollunt vocem* puella, *cum Græcis libris & Syricis. Notat Epanorthotes Matth.* 9. *v.* 24. *& Marci* 5. *v.* 39. *addi* puella.

V. 55. Et iussit illi dari manducare. *Sic legendum ex Sixtinis Bibliis & optimis manuscriptis,* dari *passiuum Græco similiter, pro* dare *actiuo.*

CAPVT IX.

Ver. 3. Nihil tuleritis in via. *Non est legendum* in viam *quarto casu, si meliores sequaris libros: sed intelligendus est sextus casus pro quarto positus, vt aliàs frequenter.*

Ver. 4. Et inde ne exeatis. *Vnus codex ab Hentenio annotatus omittit negationem, conformiter Græco & Syro:* Et inde exeatis.

V. 6. Cir-

Versu 6. Circuibant per castella. *Non est omittenda præpositio* per, *tametsi omittatur à codice Donatiano.*

Ver. 15. Et discumbere fecerunt omnes. *Huic lectioni recepta suffragatur Syrus, dum vtitur verbo coniugationis Hiphil. Quorumdam librorum lectio est* Et discubuerunt omnes, *quæ quidem non repetitur res eadem, vt priore illa. Græca similiter variant.*

V. 19. Et dixerunt: Iohannem Baptistam. *Non est interponenda vox* alij, *quæ Euangelij secundùm Matthæum est.*

V. 28. Petrum & Iacobum & Iohannem. *Manuscripta quædam antiqua præponunt Iohannem Iacobo, Græco conformiter. Alia, quæ Iacobum præponunt Iohanni, consonant Syra.*

Ver. 29. Et vestitus eius albus & refulgens. *Optima nostra manuscripta, absque media coniunctione* &, *legunt* albus refulgens, *similiter editioni Græcæ.*

V. 32. Petrus verò & qui cum illo erant. *Non addunt sed subaudiunt* erant, *manuscripta Ecclesiæ Audomaropolitanæ, cum Græcis libris & Syris.*

Ver. 37. Occurrit illis turba multa. *Manuscripta nostra meliora, Græco consentaneè, legunt singulare* illi. Illis *autem quod in aliis est plurali numero, consentit Syro.*

Ver. 47. Apprehendit puerum & statuit. *Optimi nostri libri, Græco similiter, legunt* apprehendens puerum statuit.

V. 49. Quia non sequitur nobiscum. *Non est addendum pronomen* te (non sequitur te) *quod optimi libri, cum Sixtino & Græcis, non agnoscunt, quamquam Syrus explicationis gratia addat.*

Ver. 50. Et ait ad illum Iesus. *Quædam exemplaria scribunt plurali numero* ad illos, *conformiter Syro: sed optima, numero singulari* ad illum, *consentaneè Græco.*

Ibidem. Nolite prohibere. *Non est præponendum* Sinite illos &, *id quod aliunde quidam huc adsciuerunt.*

Ibidem. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. *Sic legunt, vt Sixtinus, ita optimi libri Latini, suffragante Syro. Sex ab Hentenio annotati habent primâ personâ* aduersum nos, pro nobis est, *adstipulante Græco.*

V. 51. Vt iret in Ierusalem. *Antiqui codices omittunt* in *præpositionem, tametsi Græcè addatur.*

V. 53. Euntis in Ierusalem. *Eadem huius loci ratio est.*

Versu 54. Et consumat illos. *Quod sequitur in quibusdam Latinis libris* sicut & Elias fecit, *tametsi Græcè & Syriacè legatur, vt non est Sixtini, ita nec optimorum librorum, videturque Interpres non dedisse neque Græcè legisse. Tractatores, Ambrosius, Titus, Theophylactus, & Euthymius, annotant, Apostolos ad Eliam respexisse: ex huiusmodi fortassis annotatiuncula ad marginem scripta, potuerit illud in textum, etiam Græcum, irrepsisse.*

Ver. 56. Non venit animas perdere. *Non addas* hominum, *quod quidam* (animas hominum) *tametsi legatur Græcè: nec enim Latinus tantùm, sed & Syrus omittit.*

Ver. 57. Sequar te quocumque ieris. *Non subdas* Domine, *quod quidam, licet in Syricis & Græcis plerisque libris legatur: nam cum Sixtino antiqui veriùs codices Latini non agnoscunt.*

Ver. 58. Dixit illi Iesus. *Antiqui libri nostri præmittunt coniunctionem* & *cum Græcis, &* ait *legunt pro* dixit.

Ibidem. Vbi caput reclinet. *Quidam antiqui libri addunt* suum (caput suum) *cum Syro; plures omittunt, cum Græco.*

Ver. 59. Primùm ire & sepelire. *Quidam antiqui libri non addunt hic* & *coniunctionem* (& sepelire) *quemadmodum nec Græca editio. Matthæi itaque contextui propriam esse coniunctionem illam, cap.* 8. *v.* 21.

V. 60. Tu autem vade, & annuntia. *Alij libri omittunt* &, *quod nec legitur Græcè aut Syriacè.*

V. 61. His quæ domi sunt. *Alij libri masculino genere legunt* his qui domi sunt.

V. 62. Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò. *Antiqui libri nostri habent* in *pro* ad, *&* adspiciens *pro* respiciens.

CAPVT X.

V. 1. Et alios septuaginta duos. *& infrà versu* 17: Reuersi sunt autem septuaginta duo. *Hæc est constans lectio Latinorum librorum, nisi quòd in vno manuscripto inuenerimus, priori loco* viros *pro* duos, *posteriori* viri *pro* duo. *Non minùs constans est lectio Græcorum & Syriacorum librorum, omittentium* duos *&* duo, *nimirum* septuaginta *dumtaxat scribentium, nisi quod vnus codex Græcus priori loco, alter posteriori addat* δύο duo. *De hac varietate latè disseruimus in Notationibus nostris prolixioribus, allatis in medium iis quæ pro vtraque parte faciunt.*

V. 2. In messem suam. *Manuscripta optima nostra omittunt pronomen* suam, *tametsi Græcè & Syriacè legatur, tam hic quàm Mat.* 9. *v.* 38.

Ver. 4. Nolite portare. *Non est addenda coniunctio* ergo.

V. 6. Requiescet super illum. *Antiqua nostra manuscripta Brugens. Lobbiens. Leodiensia, Clarmarisc. & tria Audomarensia, pro masculino* illum, *legunt fœmininum* illam, *vt subaudias domum, adstipulante Beda, qui non solùm ita legit, sed & interpretatur, cùm ait:* Pax requiescit in domo, si in ea fuerit filius pacis. *quæ quidem verba, Beda ex D. Gregorio accepit, hom.* 17. *in Euangelia.*

Ver. 9. *&* 11. Appropinquauit. *Præteritum legendum est, quod cum Sixtinis Bibliis seruant manuscripta Audomarensia, & Clarmariscense, non futurum* appropinquabit, *licet hoc in quibusdam antiquis sit.*

V. 10. In quamcumque autem. *Non videtur omittendum* autem, *quod etiam Græcè & Syriacè legitur.*

Ver. 13. Væ tibi Corozain. *Manuscripti libri, cum Sixtinis Bibliis, non minùs hoc loco scribunt* Corozain *per* n *tertiam liquidam, quemadmodum Græca & Syra, quàm secundùm Matthæum, licet quidam per* m *secundam liquidam dicant* Corozaim.

V. 21. In ipsa hora exsultauit. *Vnum manuscriptum addit* Iesus, *Græco & Syro conformiter.*

Ibidem. Exsultauit Spiritu sancto. *Sic cum Sixtino legunt antiqui libri, suffragantibus Syricis & quibusdam Græcis, pro eo quod alij omittunt* sancto, *alij addunt* in *præpositionem.*

V. 22. Quis sit Filius, nisi pater; & quis sit Pater. *In antiquis plerisque libris, pro* quis, *vtrobique est* qui, *eodem sensu.*

Versu 30. Suscipiens autem Iesus. *Nullo modo pro* suscipiens, *quod est, accipiens partes respondendi, legendum est* suspiciens, *quod est, sursum adspiciens.*

CAPVT XI.

Ver. 1. Sicut docuit & Iohannes. *Antiqui libri, conformiter Græco ac Syro, legunt hoc ordine:* Sicut & Iohannes docuit.

V. 2. Pater, sanctificetur. *Exemplaria antiqua cum Sixtinis Bibliis non agnoscunt* noster qui es in cælis. *Quædam addunt, ex ea forma qua Dominicam orationem recitare consueuimus.*

Ibidem. Adueniat regnum tuum. *Non subiicias hîc* Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra, *quod quidam libri, tametsi Græcè & Syriacè legatur: qua de re latè egimus in Notationibus nostris in varias Bibliorum lectiones.*

V. 3. Da nobis hodie. *Alij codices scribunt* hodie, *alij* quotidie. *Hoc verisimilius fit esse editionis Latinæ secundum Lucam, nam illud Matthæi indubitatò est.*

V. 4. Et ne nos inducas in tentationem. *Nec hoc loco adiiciendum est ex quibusdam libris* Sed libera nos à malo: *quod tametsi Græca & Syra legant, non fit tamen verisimile esse huius Euangelij.*

V. 11. Aut piscem. *Quædam manuscripta, nominatim Brugense, addunt* si: Aut si piscem. *Græcè est* εἰ καὶ ἰχθὺν *si & piscem. Syriacè: Et si piscem rogauerit eum.*

V. 13. Pater vester de cælo. *Non est addenda vox* cælestis, *quam omnes boni libri omittunt.*

V. 17. Desolabitur, & domus supra domum cadet. *Plures boni libri legunt præsenti tempore* desolatur, cadit, *quemadmodum est etiam Græcè, pro futuris* desolabitur *&* cadet, *quæ leguntur ab aliis. Crediderim verò Interpretem dedisse* super, *quod sit aduersus, pro* supra *(vt facilis hîc est lapsus) neque enim sensus est, domum vnam casuram supra alteram.*

V. 20. Profectò peruenit in vos. *In duobus manuscrip. Ecclesiæ nostræ, pro* peruenit, *est* præuenit, *vtrumque admittente voce Græca* ἔφθασεν. præuenit in vos, *occupauit vos inexspectatum. vide Commentarium.*

V. 22. Auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. *Multi boni libri habent* aufert, distribuit, *præsenti tempore, Græco Syroque conformiter, pro futuris* auferet, distribuet.

V. 23. Qui non est mecum, contra me est. *Antiqui libri legunt* aduersum: contra *reseruāt Matthæo.*

V. 24. Ambulat per loca inaquosa. *In aliis libris est verbum compositum* perambulat: *caterùm* inaquosa *non est mutandum cum* arida, *quod Euangelij secundùm Matthæum est.*

V. 25. Inuenit eam scopis mundatam. *Alij libri omittunt pronomen* eam.

Ibid. Scopis mundatam & ornatam. *Manuscripta Ecclesiæ S. Audomari, & vnum Clarmariscense, cum V. Beda, omittunt duo hæc verba* & ornatam. *sicut & antiqua Epanorthota, qui notat ea esse Matthæi. Græcè tamen & Syriacè etiam hîc secundùm Lucam ea leguntur.*

V. 26. Septem alios spiritus secum. *Alij libri omittunt* secum, *conformiter Græco.*

V. 29. Nisi signum Ionæ Prophetæ. *Antiqui libri hîc non addunt* Prophetæ, *quod notat Epanorthotes Matthæi esse, cap. 12. v. 39. quamquam Græcè Syriacèque etiam hîc legatur.*

V. 31. Et ecce plusquam Salomon hîc. *Antiqui codices legunt* plus Salomone, *conformiter Græco, pro* plus quàm Salomon, *quod Epanorthotes Matthæo attribuit, cap. 12. v. 42.*

V. 23. Et ecce plus quàm Ionas hîc. *Eadem huius loci est ratio quæ proximi, antiquis legētibus* plus Iona.

V. 36. Si ergo corpus tuum totum. *Non est omittenda vox* totum.

V. 42. Sed væ vobis Pharisæis. *Non videtur mutandus datiuus* Pharisæis *cum nominatiuo* Pharisæi.

Ibidem. Quia decimatis. *Sic est etiam Græcè. Alij boni libri, pro coniunctione, legunt relatiuum* Qui decimatis. *Syrum est ambiguum.*

V. 44. Quæ non apparent. *Pro* apparent, *Glossa interlinearis annotat legendum, vel* parent, *vel* patent. *Vnus ex nostris libris, Lobbiensis, scribit* parent, *reliqui* apparent, *nullus* patent, *quamquam nec hæc lectio est à loco aliena.*

V. 46. Quia oneratis homines. *Quidam libri antiqui scribunt pronomen* qui: *sed alij cum Græcis habent coniunctionem* quia.

Ver. 51. A sanguine Abel. *Non addas* iusti, *quod Matth. est cap. 23. v. 35.*

V. 52. Quia tulistis. *Aliàs legitur* qui.

V. 53. Cùm autem hæc. *Multi antiqui libri omittunt coniunctionem* autem, *tametsi Græcè addatur.*

CAPVT XII.

Ver. 1. Turbis circumstantibus. *Non legas* concurrentibus.

V. 2. Nihil autem opertum est. *Sic legunt optimi quique libri cum Græco & Syro* autem *pro* enim.

V. 3. Et quod in aurem. *Potiùs quartus casus legendus videtur, quàm sextus* aure.

V. 4. Non habent amplius quid faciant. *In aliis libris est* quod *pro* quid.

V. 7. Multis passeribus pluris estis vos. *Omittitur ab optimis libris nostris* vos, *quemadmodum à plerisque Græcis. Matthæi videtur esse cap. 10. v. 31.*

V. 8. Confessus fuerit me *(&c.)* confitebitur illū. *Quidam libri legunt* in me, in illo, *qua de re olim egimus in Notationibus nostris.*

V. 9. Negabitur coram Angelis Dei. *Nostri antiqui libri habent compositum* denegabitur, *similiter Græco, pro eo quod alij habent simplici* negabitur.

V. 12. Quid oporteat vos dicere. *Antiqui libri, tum Epanorthota, tum nostri, scribunt* quæ *numero plurali, & tollunt pronomen* vos, *Græco consentaneè:* Quæ oporteat dicere.

V. 22. Animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid induamini. *Antiqui libri nostri non magis addunt pronomen*, animæ vestræ, *quàm* corpori vestro: *nec legunt* induamini, *sed* vestiamini. *Epanorthotes Matthæo adscribit alteram lectionem. Matth. 6. versu 25.*

V. 23. Et corpus plus quàm vestimentum. *Manuscripta Ecclesiæ nostræ inter alia, omittunt* plus, *consentanea editioni Græcæ.*

V. 27. Considerate lilia. *Non addas* agri, *quod quidam ex Matth. 6. v. 28.*

Ibidem. Nec Salomon. *Quidam libri præponunt* quia, *quod tamen nec Græcè exstat hoc loco.*

V. 30. Hæc enim omnia. *Non est legendum* autem *pro* enim.

Ibidem. Quoniam his indigetis. *Non interiicias vocem* omnibus.

V. 31. Verumtamen quærite primùm regnū Dei & iustitiam eius: & hæc omnia. *Vetera manuscripta constanter tollunt* primùm & iustitiam eius, *leguntque* Verumtamen quærite regnum Dei: & hæc omnia: *quibus Græca & typis excusa Syra suffragantur (nam manuscriptum Syriacum addit* & iustitiam eius) *denique post D. Ambrosium Beda enarrator adstipulatur:*

tur. Quare videri possint adiectitia illa esse primùm & iustitiam eius, ex Matth. 6. v. 33. huc adscripta.

V. 35. Et lucernæ ardẽtes in manibus vestris. Præter manuscripta complura, alias à nobis citata, tria huius Ecclesiæ Audomaropolitanæ, & vnum Clarmariscensis, omittunt in manibus vestris, quibus suffragantur Græca ac Syra, & adstipulatur V. Beda, tum hic, tum clarius infra ad versum 49. De reliquis tractatoribus & auctoribus, qui pro hac, qui pro illa lectione faciant, diximus in Notationibus ad varias Bibliorũ lectiones.

V. 41. Ait autem ei Petrus. Quædam manuscripta Latina omittunt pronomen ei, tametsi refragentur Græca & Syra.

V. 42. Quem constituit Dominus. Duo codices ab Hentenio annotati, pro constituit, legunt futurum constituet, conformiter Græco & Syro.

V. 43. Cùm venerit Dominus. Interpres non addidit pronomen eius, tametsi legatur Græcè & Syr.

V. 44. Verè dico vobis. Non est hic legendum Amen pro verè, sed secundum Matth.

Ver. 45. Percutere seruos & ancillas. Optima nostra Latina manuscripta legunt pueros, pro eo quod alij seruos.

V. 47. Et non præparauit. Non est addendum pronomen se, licet fortè subaudiendum.

Ver. 49. Nisi vt accendatur. Quidam vetusti libri omittunt vt, consonante textu V. Bedæ.

V. 51. Pacem veni dare in terram. Quidam libri, pro quarto casu, legũt sextum, terra, qui Græcè est. Porrò hic legendum est dare, Matth. 10. v. 34. mittere.

V. 53. Diuidentur pater in filium &c. Quidam coniiciunt, legendum esse numero singulari diuidetur, quo modo est Græcè & Syriacè: quod eo est verisimilius, quod Latini libri suum diuidentur ferè adiungant versui superiori: Et duo in tres diuidentur, quo scilicet aptiùs congruat.

V. 54. Dicebat autem & ad turbas. Non omittas medium & pro etiam positum.

Ibidem. Et ita fit. Quidam antiqui legunt futurum fiet pro præsenti fit.

Ver. 58. Ne fortè trahat te ad iudicem. Non hic legendum est tradat pro trahat, sed mox tradat te exactori.

CAPVT XIII.

Ver. 4. Sicut illi decem & octo. Codex D. Donatiani præponet coniunctionem & aduerbio sicut, Bedæ textus postponit. Græcè & Syriacè legitur coniunctio ἢ aut, loco aduerbij sicut.

V. 5. Sed si pœnitentiam non egeritis. Annotat etiam Epanorthotes, in antiquis libris, hic quidem esse egeritis, suprà autem v. 3. habueritis.

V. 6. Dicebat autem & hanc similitudinem. Alij libri omittunt &, consentaneè Græco ac Syro.

V. 12. Quam cùm videret Iesus. In quibusdam antiquis manuscriptis, pro videret est præteritũ vidisset.

Ibid. Vocauit eam ad se. Pronomen eam aufertur ab antiquis tum nostris tum Epanorthotæ, conformiter Bedæ textui & Græcæ editioni.

V. 15. Respondens autem ad illum Dominus dixit. In plerisque vetustis manuscriptis est Respondit autem ad illum Dominus, conformiter Græco & Syro, nisi quòd in Syro, pro Dominus, est Iesus, quemadmodum & in vno veteri manuscripto.

Ibid. Hypocritæ, vnusquisque vestrûm. Quidam libri cum Syro legunt singulare hypocrita: sed plurale, vt est in melioribus, ita etiam à Beda explicatur. Græca similiter variant.

Ver. 18. Et cui simile æstimabo illud? Videtur, ex bonis manuscriptis, addendum quidem esse (simile esse) sed non mutandum æstimabo cum existimabo.

V. 24. Quærent intrare. Non videtur mutandum futurum quærent, quod conforme est Græco & Syro ipsiq; sententiæ, cum præsenti quærunt, quod est in multis antiquis manuscriptis, & ipso Beda.

V. 25. Incipietis foris stare. Manuscripta nostra pleraque omnia cum Sixtinis Bibliis, omittunt & coniunctionem, ab aliis præpositam verbo incipietis: quam certè Interpres nõ videtur dedisse, tametsi legatur Græcè Syriaceque, ex eo quod mutatæ orationis seriè verterit incipietis, non inceperitis.

V. 27. Omnes operarij iniquitatis. Huius loco non est scribendum Maledicti in ignem æternum.

V. 30. Qui erunt primi: & sunt primi, qui erunt nouissimi. Sic emendarunt, post alios correctores, Sixtini, vt vtrobique legatur futuro tempore erunt, ex suis haud dubium codicibus, quibus V. Beda diserte suffragatur: nam & Græcè est ἔσονται, & Syriacè ܢܗܘܘܢ nehevoun, futuro tempore, denique præcedentibus hæc lectio aptissimè cohæret. Cæterum manuscripta nostra Latina omnia legunt vtrobique præteritum imperfectum erant: cuius etsi sensus eodem redeat, videri tamen possit acceptum ex imitatione similium locorum Matthæi & Marci.

V. 32. Ite & dicite. Quædam manuscripta tollunt & coniunctionem.

V. 33. Et sequenti die ambulare. Manuscripta antiqua tum nostra tum Epanorthotæ, omittunt die, V. Beda suffragante.

V. 34. Qui mittuntur ad te. In quibusdam libris, pro præsenti mittuntur, legitur præteritum missi sunt: etsi verò etiam Græca præteritum ferè legant, non dubito tamen quin ex Matth. hoc mutatum sit.

Ver. 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Plerique codices addunt deserta, quemadmodum etiam Syra: sed optima manuscripta, nominatim tria Ecclesiæ nostræ Audomarensis cum vno Clarmariscensis, omittunt, adstipulantibus, inter Græcos enarratores, Euthymio & Theophylacto, inter Latinos Beda. Nam etsi adscriptum sit deserta textibus Bedæ & Theophylacti: commentaria tamen eorum, si pressè considerentur, loquuntur non fuisse eis lectum. Quocirca non dubito, quin vox ista, huic loco Lucæ addita sit ex Matthæo, tam Græcè quàm Latinè: similis enim varietas est codicum Græcorum. Cæterùm pronomen vobis, neutiquam est omittendum.

CAPVT XIV.

V. 1. Cùm intraret Iesus. Nomen Iesus omittunt ex nostris manuscriptis meliora, cõformiter Græco & Syro.

V. 7. Dicens ad illos. Vnum manuscriptum omittit ad illos, quod tamen etiam Græcè & Syriacè legitur.

V. 12. Neque vicinos, diuites. Non est interuciendum alterum neque: Neque diuites.

Ibidem. Te & ipsi reinuitent. Codex Donatianicus habet simplex inuitent, cùm tamen etiam Græcè compositum sit.

Ver. 13. Claudos & cæcos. Manuscripta nostra Brug. Lobb. Clarm., & tria Audomarensia, omittunt mediam coniunctionem &, conformiter Græco ac Syro.

V. 14. In resurrectione iustorum. Non scribas retributione pro resurrectione.

Ver. 15. Beatus qui manducabit. Regius codex habet præsens manducat: atqui etiam Græcè & Syriacè legitur futurum.

Ver. 27. Et qui non baiulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quidam libri

libri omittunt hunc versiculum, tamquam aliunde huc adscriptum, sed nulla auctoritate fulcitum.

V. 28. Non priùs sedens. *Quidā libri habent* nónne, *& hic & infrà v.* 31., *sed non rectiùs videtur.*

V. 34. Si autem sal euanuerit. *Antiqui libri tum nostri tum Epanorthotæ addunt* quoque (sal quoque) *conformiter Syro, quod alij omittunt similiter Græco.*

CAPVT XV.

V. 8. Si perdiderit drachmam vnam. *Non est præmittenda* & *coniunctio.*

Ibidem. Nonne accendit lucernam. *Vnum manuscriptum pro* nónne *habet* non, *de quo in Notationibus in varias Bibliorum lectiones.*

Ibidem. Et euerrit domum. *Ita rectè emendarunt Romani correctores, pro* euertit *quod plerique omnes libri habent*, euerrit, *quod est verrit sine scopat, vt ait Epanorthotes noster manuscriptus. Omnes enim hactenus annotarunt ita esse legendum, quia sic clarè & Græca & Syra habeant: sed ferè defuerunt libri. Hentenius inuenit vnum, qui scribat* verrit: *nos in Regio textu, ex Complutensi expressio, & in Missali Romano Pij Quinti iussu edito, Dominica tertia post Pentecosten, quemadmodum iam in Sixtinis Bibliis, legimus* euerrit. *Zegerus indicat ita apud Chrysologum legi. D. Gregorius homil.* 34. *in Euangelia, etsi exponat* euertit, *quod est perturbat, notat tamen in aliis codicibus scribi* emundat, *quemodo certè habet Ambrosius initio epistolæ primæ* & mundans domum suam. *Fuit hæc altera versio, quam si Interpres sequutus fuisset, aut certè vertisset* & scopis mundat domum, *vt suprà* 11. *ver.* 25., *non fuisset relictus deprauationi locus.*

Ibidem. Donec inueniat. *Non est addendum pronomen* eam.

V. 14. Et postquam omnia consummasset. *Vetusti codices ferè habent* consummasset: *vnus notatur habere* consumsisset, *alter* dissipasset, *quo modo & Beda. Græca vox* δαπανᾶν *non ambiguè significat consumere ac dissipare.*

Ver. 17. Quanti mercenarij in domo patris mei. *Antiquorum codicum, alij omittunt* in domo, *alij addunt. Omittentibus volunt Græca, addentibus Syra. Ambrosij & Bedæ textus omittunt, commmentaria non perinde sunt clara.*

V. 19. Iam non sum dignus. *Plura antiqua manuscripta, vnà cum textu V. Bedæ, præponunt* & (& iam non sum) *sicut & Syra: nam Græca variant.*

V. 22. Et calceamenta in pedibus eius. *Pronomen* eius *omittitur ab omnibus nostris manuscriptis, conformiter editioni Græcæ & commentario Bedæ.*

Ver. 24. Et cœperunt epulari. *Non est addendum* omnes.

V. 26. Et interrogauit quid hæc essent. *Manuscripta nostra numero plurali habent* quæ hæc essent, *sicut & textus Bedæ.*

Ver. 28. Pater ergo illius. *Non mutes* ergo *cum* autem.

V. 31. At ipse dixit illi. *Non est legenda coniunctio copulatiua* &, *loco aduersatiuæ* at.

CAPVT XVI.

V. 1. Et ad discipulos. *Non omittas* & *pro* etiam *positum.*

V. 6. At ille dixit. *Non est mutandum præteritum* dixit, *cum præsenti* dicit.

V. 11. Quod verum est quis credet vobis. *Noli scribere* credat, *pro futuro* credet; *multoque minùs* vestrum *pro* verum, *quod hic opponitur iniquo, quemadmodum versu proximo* vestrum *alieno.*

V. 18. Omnis qui dimittit. *Quidam antiqui libri præponunt* & *coniunctionem, sed quæ nec Græcè legatur nec Syriacè, meliusque certè omitti videatur.*

V. 19. Qui induebatur. *Manuscripta nostra legunt* & *coniunctionem, conformiter Græco ac Syro, & Latino Bedæ textui, pro relatiuo* qui.

V. 21. Et nemo illi dabat. *Hæc verba à quibusdam antiquis libris leguntur, à pluribus ignorantur. His suffragantur, inprimis Beda, deinde Euangelium Græcum, denique Syriacum. Coniiciunt quidam adiecta huc esse ex historia filij prodigi, suprà* 15. *v.* 16.

Ibidem. Vlcera eius. *In quibusdam vetustis libris est* vulnera, *sed seruandum est* vlcera, *quod est* ἕλκη.

V. 23. Eleuans autem oculos. *Quædam manuscripta omittunt coniunctionem* autem, *nominatim duo huius Ecclesiæ: qua omissa, liceat Latinum textum ita distinguere:* In inferno eleuans oculos: *quemadmodum distinguuntur textus Græcus & Syricus, quamquam non sine addita coniunctione:* Et in inferno eleuans oculos.

Ver. 31. Resurrexerit, credent. *Non addas pronomen* ei, *vt quidam.*

CAPVT XVII.

V. 3. Si peccauerit in te frater tuus. *Complura manuscripta, & quidem nostra omnia, septem numero, omittunt* in te, *consentiente Syriaca editione & tractatore Beda. Porrò Græci libri illud addunt, suffragante D. Ambrosij commentario.*

V. 6. Si habueritis (*&c.*) dicetis huic (*&c.*) & obediet vobis. *Manuscripta optima ferè legunt:* Si haberetis (*&c.*) diceretis huic (*&c.*) & obediret vobis. *Altera lectio accepta videtur ex Mat.* 17. *v.* 20.

V. 7. Arantem aut pascentem. *In quibusdam vetustis libris, etiam Epanorthotæ, additur* boues (boues pascentem) *nominatim in Brugensi; in quibusdam* oues, *duobus huius Ecclesiæ, E. & F. Complures libri neutrum legunt, consonante Beda: neque Græcè est horum alterum, dumtaxat* ποιμαίνοντα: *sed si alterum horum addere oportet, fauent Græca iis potiùs qui* oues *addunt, quàm qui* boues, *quia* ποιμαίνειν *propriè de pastoribus ouium dicitur. Quocirca & D. Ambrosius* oues *aut legit aut intelligit: & Syrus agens Paraphrastem vertit:* Ducentem par boum aut pascentem oues. *bobus enim arabatur.*

Ibidem. Dicat illi: Statim transi. *Quidam libri, pro coniunctiuo* dicat, *habent indicatiuum* dicit, *tam hoc quàm proximo versu: quidam ita distinguunt, vt* statim *adiungatur iis quæ præcedunt:* Dicit illi statim: Transi.

V. 10. Respondens eis dixit. *Alij plerique libri habent* Respondit eis & dixit, *quomodo legitur etiam Græcè Syriaceque.*

V. 23. Ecce hîc & ecce illic. *Quidam libri antiqui legunt absque media coniunctione* &: *quamquam Græcè interiiciatur* aut, *Syriacè* &.

V. 28. Similiter sicut factum est. *Non est omittendum aduerbium* sicut.

V. 31. In illa hora. *Sic nobis legendum videtur Latinè, tametsi Græcè & Syriacè, & in quibusdam Latinis libris, pro* hora *legatur* die.

V. 35. Duo in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur. *Hoc plerique Latini libri legunt, suffragantibus quibusdam Græcis, editione Syriaca, & enarratoribus Ambrosio ac Beda. Porrò quidam Latini libri omittunt: præter eos quos citauimus in Notationibus nostris*

nostris in Biblia, vnus huius Ecclesiæ Audomarensis, signatus litera F. His fauent plerique Græci & libri & enarratores. vide Græcas varietates. Verisimile est, hūc versiculū, Lucæ ex Matthæo fuisse adscriptū, quemadmodū Matthæo ex Luca, similem versic. de duobus in lecto.

V. 37. Hinc congregabuntur & aquilæ. *Quidam antiqui libri, conformiter Syro, non interponunt* &. *Græca similiter variant.*

CAPVT XVIII.

V. 9. Parabolam istam. *Non subdas* dicens.

V. 10. Ascenderunt in templum. *Alij libri scribunt imperfectum* ascendebant.

V. 13. Mihi peccatori. *Minimè addendū est* Amē.

V. 15. Quod cùm viderent. *Non videtur mutandum neutrum* quod *cum masculino* quos.

V. 28. Ait autem Petrus. Et *pronomen quod addunt libri quidam cum Syro, alij plerique Græco consentaneè non legunt.*

V. 31. Iesus duodecim. *Non addas* discipulos suos, *quod quidam ex Matth.*

V. 35. Cùm appropinquaret Iericho. *Non est interuciendum nomen* Iesus.

CAPVT XIX.

Ver. 8. Dixit ad Dominum. *Non mutes* Dominum *cum* Iesum.

V. 9. Eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. *Non est omittendum* &.

Ver. 21. 22. Homo austērus. *Vetera manuscripta scribunt* austeris, *tamquam si tertia declinatione diceretur, quemadmodum contrarium* lenis.

V. 23. Vt ego veniens. *Alij libri pro* vt *legunt copulatiuam* & *conformiter Græco.*

Ibid. Exegissem illam. *In quibusdam libris pro fœminino legitur neutrum* illud, *s. argentum: nam quæ præcedit vox Græca* ἀργύριον, *neutro genere & pecuniam significat & argentum.*

V. 26. Quia omni habenti dabitur & abundabit. *Codices antiqui, nostri, Zegeri, Epanorthotæ, & aliorum, omittunt* & abundabit, *Syriis & plerisque omnibus Græcis consonantibus. Matth. esse proprium cap. 13. v. 12. & 25. v. 29. annotat etiam Epanorthotes.*

V. 29. Cùm appropinquasset. *Non addas nomen* Iesus.

V. 30. Quod contra est. *Non est addendum pronomen* vos (quod contra vos est) *quod ex prioribus Euangelistis quidam huc adscripserunt: nam cum Sixtinis Bibliis antiqui libri, Græco conformiter, illud omittunt.*

V. 37. Omnes turbæ discipulorum. *Sic legendum est,* discipulorum, *quomodo est in Sixtino & aliis quibusdam libris, aut certè, vt in nonnullis,* discentium, *Græco Syroque conformiter; non* descendentium, *quod est in plerisque, Beda suffragante.*

V. 46. Domus orationis est. *Hic legendum est* est; *at secundùm Matth. & Marcum* vocabitur.

CAPVT XX.

V. 3. Respondens autem Iesus. *Nomen* Iesus, *meliores libri nostri cum Græcis omittunt.*

Ibidem. Interrogabo vos. *Non legas præsens* interrogo, *loco futuri.*

V. 4. Baptismus Iohannis de cælo erat. *Antiqui libri legūt* baptismum *pro* baptismus, *hîc vt secundùm Matth. & Marcum.*

V. 5. Cogitabant intra se. Inter *non* intra *inuenio in melioribus libris nostris, quod & melius esse videtur.*

V. 9. Homo plantauit. *Boni libri omittunt* quidam, *quod nec Græcè legitur.*

V. 10. Et in tempore misit. *Quidam addunt* vindemiæ *aut* fructuum: *verùm hæc ex commentario in textum irrepserunt.*

V. 14. Cogitauerunt intra se. *Legendum videtur potiùs* inter *quam* intra; inter se *mutuo scil.; quamquam Syrus vertat* in animabus suis.

Ver. 20. Vt traderent eum. *In multis libris legitur* &, *quemadmodum etiam Syriacè: verùm* vt *propiùs accedit Græco.*

Ver. 21. Et non accipis personam. *Non est addenda vox* hominis.

V. 24. Respondentes dixerunt ei. *Quidam libri omittunt pronomen* ei, *sicut nec Græcè nec Syriacè illud legitur.*

V. 26. Et mirati in responso eius. *Non legas numero plurali* responsis.

V. 28. Et hic sine liberis fuerit. *In aliis libris pro* liberis *est* filius.

V. 30. Et ipse mortuus est sine filio. *Legendum est* filio *numero singulari, non plurali* filiis; *iuxta manuscripta veriora: quamquam proximis duobus versibus Interpres dederit plurale, non enim numeri hic ratio habetur, sed speciei.*

V. 32. Nouissimè omnium. *In quibusdam libris est nomen* nouissima: *aduerbium Græco consonat.*

V. 35. Neque nubent neque ducent vxores. *Ita est, vt in Sixtinis Bibliis, ita & in melioribus manuscriptis. In quibusdam bonis, pro futuris leguntur præsentia:* Neque nubunt neque ducunt vxores, *similiter Syro. Græca variant.*

V. 36. Neque enim vltrà. *Non est omittenda coniunctio* enim, *quæ etiam Græcè & Syriacè exstat.*

V. 39. Dixerunt ei: Magister. *Alij libri omittunt pronomen* ei, *conformiter Græco.*

CAPVT XXI.

Ver. 8. Et tempus appropinquauit. *Ita legendum est tempore præterito* appropinquauit, *non futuro* appropinquabit.

Ver. 9. Sed nondum statim finis. *In aliis libris est* non *pro* nondum, *Græco similiter.*

V. 11. Et signa magna erunt. *Sequitur in manuscripto codice Ecclesiæ nostræ Audomaropolitanæ, continente quatuor Euangelia, signato litera F.,* & tempestates: *quod & D. Gregorius homil. 35. in Euang. admonet à quibusdā libris addi. Gregorio antiquior Origenes Græcus, tractatu 28. in Matth., annotat à Luca adiici* & hyemes (*sic enim vertit eius Interpres, quod alij* tempestates) *denique Syriacum testamentum, postquam dixit* Et signa magna è cælo apparebunt, *subdit:* Et hyemes *seu* tempestates magnæ erunt.

V. 17. Et eritis odio omnibus. *Non addas* hominibus, *quod quidam.*

V. 20. Tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. *non est legendum numero singulari* scito, *nec futuro tempore* appropinquabit.

V. 21. Fugiant ad montes. *In aliis bonis libris legitur* in *pro* ad.

Ver. 36. Ista omnia quæ futura sunt. *Non legas* ventura *pro* futura.

V. 38. Et omnis populus manicabat ad eum. *Ita cum Sixtino legunt plerique omnes codices* manicabat. *sed quia insolens est ea vox, quidam eam mutarunt cum* manitabat, *quidam cum* mane ibat, *quidam cum* mane accelerabat, *quidam denique cum* diluculo veniebat, *quemadmodum ostendimus in Notationibus prolixioribus: his enim modis exponenda est ea vox.*

CAPVT XXII.

*V.*2. Quomodo Iesum interficerent. *Alij libri pro nomine* Iesum *legunt pronomen* eum,*conformiter Græco ac Syro.*

*V.*3. Qui cognominabatur Iscariotes. *Libri antiqui suo more* Scarioth *habent pro* Iscariotes.

V. 10. Occurret vobis homo quidam. *Optimi nostrorum librorum omittunt* quidam.

Ver. 13. Sicut dixit illis. *Non est addendum nomen* Iesus.

V. 19. Quod pro vobis datur. *Non est legendum* tradetur *pro* datur: *nam* tradetur *ex Apostolo* 1. *Corinth.* 11. *v.*24. *acceptum est.*

*V.*20. Hic est calix nouum testamentum. *Malè legunt quidam* Hic est calix noui testamenti.

*V.*22. Per quem tradetur. *Vnum manuscriptum habet præsens* traditur, *quemadmodum est Græcè ac Syr.*

V. 26. Fiat sicut minor. *Manuscripta nostra Brug. Lobb. Clarmar. Leod. & Audomarensia tria,cum textu V. Bedæ,pro* minor *scribunt* iunior, *quo modo ad verbum vertas ex Græca voce* νεώτερος.

*V.*31. Ait autem Dominus: Simon,Simon. *Non mutes priorem vocatiuum* Simon *cum datiuo* Simoni.

*V.*34. At ille dixit. *Non est mutanda coniunctio aduersatiua* at, *cum copulatiua* &.

*V.*36. Sed nunc qui habet sacculum,tollat. *Non mutes* tollat *cum futuro indicatiui* tollet.

*Ver.*37. Dico enim vobis. *Quidam pro* enim *scribunt* autem, *malè.*

V. 43. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum: & factus in agonia prolixiùs orabat. 44. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Hi duo versiculi, tametsi olim defuerint in quibusdam & Græcis & Latinis libris, testibus Hilario lib.*10.*de Trinitate, & Hieronymo lib.*2. *aduersus Pelagianos cap.* 6.: *hodie tamen à nullis libris absunt, nec Latinis, nec Græcis, nec Syriacis: vt certè iam palàm est,temerè aliquãdo fuisse à quibusdã omissos.*

*V.*55. In medio atrij. *Quidam libri antiqui, pro secundo casu* atrij, *consonante editioni Græcæ, scribunt sextum* atrio.

V. 63. Et viri qui tenebant illum. *Quidam libri pro* illum *legunt* Iesum, *vt est Græcè & Syriacè, sed non meliores.*

V. 64. Et percutiebant faciem eius. *Manuscriptum Ecclesiæ nostræ quod F. litera notauimus, pro* faciem *legit* caput(*quamquam vtramque annotes lectionem*) *quod nusquam alibi lego.*

Ibidem. Prophetiza,quis est. *Non hîc addas* nobis Christe, *quod Matth. est cap.* 26. *v.*68.

CAPVT XXIII.

*Ver.*2. Tributa dare Cæsari. *Alij libri legunt passiuum* dari, *pro actiuo* dare.

V. 5. Commouet populum. *Optimi quique codices habẽt præsens* commouet,*quo modo etiam legitur Græcè,non præteritum* commouit..

Ibidem. Incipiens à Galilæa. *Multi boni libri præponunt copulatiuam* &, *quam alij Græco conformiter omittunt.*

*V.*8. Eò quòd audierat multa de eo. *Alij libri pro* audierat *scribunt* audiret.

*V.*9. At ipse nihil illi respondebat. *Vt non est mutandum aduersatiuum* at *cum copulatiuo* &, *ita non omittendum pronomen* illi: *sed neque* autem *vertendum in* etiam, *aut* accusantes *in* accusabant, *vbi sequitur:* Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum.

*V.*12 In ipsa die. *Quidam libri habent* ex *pro* in.

*V.*15. Nam remisi vos ad illum. *Epanorthotes notat in hæc verba:* Nam remisi vos ad illum, Græcus, antiqui,habent; moderni Nam remisit illum ad vos, sed malè. *hæc ille. Vnde intelligere licet, etiam Latinos quosdam codices sic legere, quemadmodum Græci illi de quibus diximus ad varietates Græcas:* Nam remisit illum ad nos.

V. 16. Emendatum ergo. *Caue mutes coniunctionem* ergo *cum pronomine* ego.

V. 35. Et stabat populus spectans. *Quidam codices cum textu iuncto commentariis Bedæ & Sixtinis Bibliis,ita legunt,atque omnino sic legendum est, ex* θεωρῶν contemplans *Græco, & eiusdem significationis Syrico vocabulo*; spectans *inquam, simplex verbum, quod ab imperitis mutatum est cum verbo cõposito* exspectans, *quamuis hoc antiqui omnes, quos ego quidem habeo, codices retineant. Fortè* adspectans *scripserit Interpres, quod facilè degenerarit in* exspectans.

Ib. Si hic est Christus Dei electus. *Non legas verbum vnicũ* dilectus, *pro duobus* Dei electus, *vt quidã.*

*V.*36. Offerentes ei, & dicentes. *Quidam libri omittunt coniunctionem* &, *alij interponunt, idque conformiter Græco ac Syro.*

V. 38. Scripta super eum. *In quibusdam antiquis libris est compositum* inscripta, *pro simplici* scripta.

V. 40. Quòd in eadem damnatione es. *Quia obscuriùs dixerat Interpres* quòd *ex* ὅτι, *quidam mutarunt cum* quia, *alij cum* qui.

V. 41. Nam digna factis recipimus. *Non mutes præsens* recipimus, *cum præterito* recepimus.

V. 45. Et obscuratus est sol. *Origenes tractatu* 35. *in Matthæum annotat his verbis:* In quibusdam exemplaribus(*Lucæ*) nõ habetur Tenebræ factæ sunt, & obscuratus est sol, sed ita, Tenebræ factæ sunt super omnem terram sole deficiente. Et forsitan ausus est aliquis, quasi manifestius aliquid dicere volens, pro & obscuratus est, ponere deficiente sole, existimans quòd non aliter potuissent fieri tenebræ, nisi sole deficiente. Puto autem magis quòd insidiatores Ecclesiæ Christi mutauerunt hoc verbum, *&c.*

V. 54. Et dies erat Parasceues. *Manuscriptum D. Donatiani, pro genitiuo* parasceues, *legit nominatiuum* parasceue, *quemadmodum Græca.*

CAPVT XXIV.

Versu 11. Et non crediderunt illis. *Antiqui libri nostri,pro præterito perfecto* crediderunt,*legunt imperfectum* credebant, *conformiter Bedæ textui & Græco fonti.*

*V.*12. Linteamina sola posita. *Nõ est omittendũ* sola.

V. 28. Et appropinquauerunt. *In quibusdam libris est imperfectum* appropinquabant.

*V.*39. Et pedes. *Non additur* meos *in melioribus libris,tametsi Græcè legatur & Syriacè.*

*V.*49. Et ego mitto promissum. *Biblia Regia addũt* ecce (& ecce ego)*sicut Græca, quod alij libri omittunt vt Syra. Rursus pro præsenti* mitto,*quod consonat fonti Græco,in quibusdã est futurum* mittam,*similiter Syro.*

Ibi. Quousq; induamini virtute. *Quidam antiqui libri,pro sexto casu* virtute, *habent quartum* virtutem.

*V.*53. Amen. *In fine huius Euangelij, à Sixtino & aliis quibusdam bonis libris additur, conformiter Græcis & Syris: à quibusdam omittitur, vt nec Beda inter Latinos,& Euthym. inter Græcos tractatores,agnoscũt.*

NOTÆ AD VARIAS LECTIONES EDITIONIS LATINÆ EVANGELII SECVNDVM IOHANNEM.

CAPVT PRIMVM.

VERSV *tertio*. Et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat. *Consultò prudenterque vsi sunt correctores Sixtini, ambiguo hoc distinguendi modo, quo illud* quod factum est, *& præcedentibus iungi potest & subsequentibus: eò quod diuersi auctores diuersimodè distinguant atque intelligant, Chrysostomus priori modo, Augustinus posteriori.*

*V.*9. Venientem in hunc mundum. *Quidam antiqui libri omittunt pronomen* hunc, *plures addunt.*

*V.*15. Hic erat quem dixi. *Non mutes imperfectum* erat *cum præsenti* est.

*V.*18. Ipse enarrauit. *Non est mutandum verbum compositum cum simplici* narrauit.

V. 26. Quem vos nescitis. *Antiqui codices ferè scribunt* quem vos non scitis.

*V.*29. Altera die vidit. *In quibusdam legitur* Postera die videt, *sed minùs spectatus.*

Ibidem. Ecce qui tollit peccatum mundi. *Manuscripta Brug. Lobb. & Andomarensia tria, omittunt aduerbiũ* ecce, *cõformiter Græco ac Syro. Porrò singulare* peccatũ, *non est commutandum cum plurali* peccata.

*V.*31. Sed vt manifestetur in Israel. *Antiqui codices ferè omittunt præpositionem* in, *intelligentes, quod notat etiam Epanorthotes,* Israel *esse datiui casus (propter quod & exemplaria quædam scribunt* Israeli*) id quod conforme est Græco textui.*

*V.*42. Filius Iona. *Non scribas* Iohanna *aut* Iohannis, *pro* Iona, *hoc quidem loco, monente quoque Epanorthote. vide infrà* 21. *v.* 15.

*V.*45. Et prophetę. *Caue legas* & prophetis *sexto casu.*

Ver. 51. Videbitis cælum apertum. *Regius textus præponit* amodo, *conformiter Græco ac Syro.*

CAPVT II.

Ver. 2. Vocatus est autem & Iesus. *Non omittat medium* &.

V. 3. Dicit mater Iesu ad eum. *Non præteritum* dixit *legendum est, sed præsens* dicit. Similiter, *inquit Epanorthotes,* infrà dicit per totam seriem de nuptiis.

*Ver.*21. Et tu in tribus diebus. *Quidam antiqui libri omittunt præpositionẽ* in, *tametsi ea Græcè addatur.*

*V.*22. Quia hoc dicebat. *Nõ addas* de corpore suo.

CAPVT III.

*V.*2. Hic venit ad Iesum nocte. *Antiqui ferè legunt* eum, *pro* Iesum, *tametsi nomen* Iesum *etiam Græcè & Syriacè exstet.*

*V.*3. Nisi quis renatus fuerit denuò. *Antiqui libri nostri, pro composito* renatus, *scribunt hoc loco verbum simplex* natus, *conformiter Græco: nam & sequitur* denuò, *quod iterationem significat. infrà v.* 5. *constanter legitur* renatus.

*V.*4. Iteratò introire & renasci. *Pro* iteratò *quidam scribunt* iterùm, *quidam* rursus. *Pro* renasci *& hoc loco habent nostra manuscripta simplex* nasci, *Græco similiter:* iterùm *enim ad vtrumque referunt, & ad* introire, *& ad* nasci.

*V.*5. Ex aqua & Spiritu sancto. *Antiqui codices feri omittunt* sancto, *consentientibus D. Augustino in hunc locum & S. Ambrosio lib* 3. *de Spiritu sancto cap.* 11., *nec non editionibus Græca & Syriaca.*

*V.*8. Sed nescis vnde veniat aut quò vadat. *Rursus in antiquis nostris manuscriptis, pro* nescis *leguntur duæ voces* non scis, *& pro disiunctiua* aut *legitur coniunctio copulatiua* &, *Græco Syroque consentaneè: sed nihil variant sensum omnes ista verborum varietatula.*

V. 17. Filium suum in mundum. *Non omittas* in mundum.

*V.*18. Quia non credit in nomine. *Manuscripta Brug. Clarm. Lob. & Andomarensia duo, inter alia, legunt præteritum* credidit, *conformiter Græco ac Syro, pro præsenti* credit.

V. 20. Omnis enim qui malè agit. *In quibusdam libris, pro aduerbio* malè, *reperitur nomen* mala.

V. 21. In terram Iudæam. *Alij libri conuerso ordine legunt* in Iudæam terram. *Hæc lectio consinat Græco, illi fauet Syrum, quod habet* in terram Iudææ.

V. 25. Facta est autem quæstio. *Huius Ecclesiæ Manuscripta cum Clarmariscensi legunt* ergo, *similiter Græco: alia seruant* autem *cum Syro.*

*Ver.*31. Qui est de terra, de terra est. *Non est omittendum alterum* de terra est: *nec auferenda posteriori loco præpositio* de.

*V.*33. Qui accepit eius testimonium. *Quidam libri adiiciunt* autem, *quod Syriacè quidem additur, sed non Græcè. Quidam mutant præteritum* accepit, *cum præsenti* accipit: *Græcè præteritum exstat.*

*V.*36. Non videbit vitam. *Non addas* æternam.

CAPVT IIII.

*V.*4. Per Samariam. *Superfluit quod quidam libri addunt* mediam.

*V.*5. Quæ dicitur Sichar. *D. Hieronymus, epistola* 27. *capite* 6. *quæ est epitaphium Paulæ, obiter annotat, plerosque errantes, pro* Sichem, *legere* Sichar, *quamquam nec Græci aut Syrici libri hodie aliter legãt quàm* Sichar, *vbi canina litera* r *postrema legitur.*

*V.*6. Hora erat quasi sexta. *Sic est non tantùm in melioribus libris, verumetiam in autographo Græco, omissa coniunctione* autem.

*V.*18. Et nunc quem habes. *Malè quidam aduerbium* nunc *mutarunt cum pronomine* hunc.

V. 21. Quia venit hora. *In quibusdam bonis libris est futurũ* veniet, *pro præsenti* venit, *ex Græco* ἔρχεται.

Ver. 30. Exierunt ergo de ciuitate. *Non videtur omittendum* ergo, *quod Græcè etiam legitur: nam Syriacè eius loco est* &.

*V.*31. Rogabant eum discipuli *Quidam libri addunt* eius, *Græco ac Syro conformiter.*

*V.*32. Ille autem dicit eis. *In alijs libris, pro præsenti* dicit, *est præteritum* dixit.

*V.*33. Discipuli ad inuicem. *Huc non est adducendum pronomen* eius.

*V.*34. Voluntatem eius qui misit me. *Non est supponendum nomen* patris mei, *pro pronomine* eius.

*V.*36. Et congregat fructum. *Non est addendum relatiuum* qui.

*V.*37. In hoc enim est. *Nõ redũdat coniũctio* enim.

*V.*41. Et multo plures crediderunt in eum. *Latinorum librorum, quidam addunt, consentaneè editioni Syriacæ; quidam omittunt,* in eum. *Græcorum librorum similis est varietas.*

V. 48. Non creditis. *In quibusdam libris est futurum* credetis.

*V.*51. Et nũciauerũt dicẽtes. *Nõ addas pronomẽ* ei.

*V.*2. Et autem Ierosolymis probatica piscina. *Alij addunt præpositionem* super *vel* in probatica. *Prior, vt Bibliorum Sixtinorum, ita plerorumque Latinorum librorum, tam manu quam typis scriptorum, lectio est: cui adstipulantur Latini tractatores, præter recentiores, Beda & libro de locis Hebraicis Hieronymus; nec non inter Græcos Theophylactus, dum absque præpositione & legit & explicat piscina cur probatica dicta fuerit. Denique fauet huic lectioni Syriacum Euangelium, quod habet* Est autem illic in Ierusalem locus quidam ablutionis qui vocatur. *Altera lectio quæ addit præpositionem* super, *est non paucorum Latinorum librorum, tum manu tum typis scriptorum (nam qui habent* in *præpositionem, sunt illi solumodo typis excusi, & quidem minoris fidei) quibus volunt libri Græci, qui constanter addunt præpositionem* ἐπὶ, *ea tamẽ varietate, vt quidam scribant nomina probatica & piscina eodem casu, tertio inquã* ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ *(plerique; diuerso, prius tertio, posterius primo casu,* ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα: *vt & Latina scriptura* super probatica piscina, *ambigua est ad vtrumque, vt vtrumque nomen accipias, vel eodẽ casu, vel diuerso, prius sexto, posterius primo. Græcis libris consonant auctores Græci, Nonnus & Euthymius, quorum ille paraphrasi, hic enarratione sua, intelligit, ad probaticam seu in probatica, fuisse piscinam. Hæc aliàs à nobis latiùs tractata sunt in Notationibus.*

Ibidem. Quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida. *ita legunt meliores libri, præsens* cognominatur, *non imperfectum* cognominabatur. *Porrò pro* Bethsaida, *quidam librùm impressi scribunt* Bethesda, *vt etiam quidam Græci pro* Βηθσαϊδὰ *scribunt* Βηθεσδά: *sed vt Latinos illos ex Græcis consultò esse mutatos, dubium nõ est; ita Græcos hos ex Latinis, credibile est. Recepta Græcorum lectio est* Βηθεσδὰ Bethesda, *quod, prout scribitur à Syro, significat domum misericordiæ: Latinorum* Bethsaida, *quod interpretari licet domum piscationis. vtra verior, incertum. lege Notationes nostras prolixiores.*

*V.*9. Sanus factus est homo ille. *Quidam boni libri omittunt pronomen* ille: *nomen enim* homo *nullo modo omittendum est.*

*V.*10. Qui sanatus fuerat. *Participium* sanatus *non est commutandum cum nomine* sanus.

*V.*24. Et in iudicium non venit. *Non scribas futurum* veniet *pro præsenti* venit.

Ibidem. Sed transiit à morte in vitam. *Præteritum* transiit *respondet commentario Bedæ, & textui Græco: præsens* transit *ferè est in nostris manuscriptis: futurum* transiet *reijciendum est, & exploditur, vt à Beda, ita & à D. Augustini tractatu. Denique præpositio* in *à quibusdam mutatur cum* ad.

*V.*27. Et potestatem dedit ei iudicium facere. *Multi libri addunt* & *aut* etiam *ante* iudicium, *conformiter Græco ac Syro: verum nec Augustinus nec Beda illud agnoscunt.*

*V.*28. Audient vocem Filij Dei. *Antiqui libri tum nostri tum Epanorthotæ, consentaneè Græcis ac Syricis, pro* Filij Dei, *scribunt pronomen* eius. *Suprà v.*25 *legendum* vocem Filij Dei, *notat Epanorthotes.*

*V.*30. Non possum ego. *Pro* ego *malè à quibusdam substituitur coniunctio* ergo: *quinetiam malè mox præponitur coniunctio* sed, *ante* Sicut audio iudico, *quamquam Syrus addat: vt & in fine versus, superfluè additur nomẽ* patris, *tametsi sit & in quibusdã libris Græcis.*

*V.*32. Verum est testimonium. *Non subijcias pronomen* eius.

*V.*36. Quæ dedit mihi pater. *Non omittas pronomen* mihi.

*V.*43. Et non accipitis me. *In alijs libris est præteritum* accepistis: *sed præsens* accipitis *conforme est etiam Græco ac Syro.*

CAPVT VI.

*V.*3. Subiit ergo in montem. *Non est legendum* abiit *pro* subiit.

*V.*10. Dixit ergo Iesus: Facite. *Sic legunt antiqui libri cum Græcis & Syricis, præteritum* dixit, *non præsens* dicit.

Ibid. Erat autem fœnum. *Brugensis D. Donatiani codex, pro* autem *scribit* enim, *cõtra alios omnes tamen.*

*V.*13. Ex quinque panibus ordeaceis. *Non addas* & duobus piscibus, *quod quidam.*

*V.*19. ambulantem supra mare. *Alij libri habent* super.

*V.*21. Ad terram in quam ibant. *Quidam boni libri omittunt præpositionem* in, *alij addunt* in *vel* ad, *quomodo est Græcè* εἰς ἣν ὑπῆγον.

*V.*23. Gratias agente Domino. *Ita emẽdarunt Correctores Sixtini è suis aliorumque libris: absque dubio enim id Græca volunt,* εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου *(quamquam Nonnus intelligat genitiuos esse, non absolutè positos, sed rectos à præcedenti nomine* ἄρτον*) id & Syrica, quæ ad verbum habet:* Quum benedixisset Iesus. *Nostra manuscripta legunt* Domino, *sed æquè* agentes *primo casu. Res certa est, ab imperitis notarijs, ablatiuum* agente *mutatum cum nominatiuo* agentes, *& tandem etiam* Domino *cum* Deo, Gratias agentes Deo, *quæ est multorum codicum scriptura.*

*V.*28. Vt operemur opera Dei. *Non addas* bona.

*V.*33. Panis enim Dei est. *Non est mutanda vox* Dei *cum voce* verus.

*V.*36. Et vidistis me & non creditis. *Vt non est scribendum præsens* videtis *pro præterito* vidistis: *ita nec præteritum* credidistis *pro præsenti* creditis.

*V.*37. Ad me veniet. *Non legas præsens* venit *pro futuro* veniet.

*V.*39. Hæc est autem voluntas. *Coniunctio* autem *non est mutanda cum* enim, *hoc certe loco, sed facile infrà v.*40 *loco prorsus simili: priori enim loco* autẽ, *posteriori* enim, *legendum esse, videntur, non tantum optima manuscripta, cum libris Syriacis & quibusdam Græcis, verumetiam sententia ipsa exigere. Cæterùm vt in multis Latinis, ita in plerisque Græcis libris, vtrobique exstat* δὲ autem.

Ibidem. Non perdam ex eo. *Non addas* quidquam.

*V.*41. Ego sum panis viuus. *Vox* viuus *omittitur ab omnibus nostris manuscriptis, & plerisque aliorum, conformiter Græco ac Syro: videturque non huius esse loci, sed infrà v.*51.

*V.*43 Nolite murmurare in inuicem. *Non est omittenda præpositio, quæ etiam Græcè ac Syriacè exstat: nam* in inuicem *dixit Interpres pro* inter vos mutuò.

V. 45. Est scriptum in prophetis. *Non legas* in prouerbiis.

V. 61. Et quis potest eum audire. *Sex eaque optima manuscriptorum nostrorum, cum aliis, auferunt coniunctionem* &, *consentanee Græco ac Syro.*

V. 65. Qui essent non credentes. *Eadem manuscripta nostra, Brug. Lobb. Leod. Clarm. & Audomarensia duo, cum aliis Zegeri, auferunt ex his verbis negationem* non: *sed refragantur Græca ac Syra, cum aliis Latinis libris, quamuis Cyrilli commentario adiunctus textus similiter omittat.*

V. 69. Et nos credidimus. *Hæc Sixtinorum Bibliorum lectio, quæ pro præsenti* credimus, *quod vulgo legitur, scribitur præteritum* credidimus, *conformis est D. Augustini, non tantum textus, verum etiam tractationi, & autographo Græco.*

Ibidem. Christus Filius Dei. *Non addas* viui, *quod pauci quidam libri ex Græco.*

V. 70. Respondit eis Iesus. *Non addas* ergo, *neque* & dixit.

V. 71. Iudam Simonis Iscariotem. *Quidam antiqui libri scribunt* de Iuda Simonis Schariothis: *sed prior lectio, vt est in aliis antiquis libris, ita consonat Græco.*

CAPVT VII.

V. 1. Post hæc autem ambulabat. *Quidam boni libri omittunt* autem *conformiter Syro: Græcè tamen eius loco est* καὶ &.

Ibid. In Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare. *Pauci quidam libri, pro quarto casu scribunt sextum,* Galilæa, Iudæa, *similiter vt textus Græcus.*

V. 4. Manifesta teipsum. *Pro imperatiuo, caue legas præsens indicatiui* manifestas.

V. 6. Semper est paratum. *Quidam libri, pro simplici* est, *scribunt compositum* adest.

V. 8. Ego autem non ascendo. *Quidam libri omittunt* autem *conformiter Græco ac Syro, quidam mutant cum* enim. *Sunt pauci qui pro* non *scribant* nondum, *quemadmodum est Græcè ac Syriacè, sed contra D. Augustinũ aliosque tractatores Latinos, quinetiam Cyrillũ Græcum. Denique nonnulli habent futurum* ascendam, *pro præsenti* ascendo, *probato à Græcis & Syris.*

V. 12. Et murmur multum *Plerique libri incongruè habent masculino genere* multus.

V. 25. Quẽ quærunt interficere. *Non addas* Iudæi.

V. 26. Et ecce palàm loquitur *Non est omittendum* &, *nec mutandum cum* atqui. *sed ita exponendum.*

V. 29. Ego scio eum, quia ab ipso sum. *Sic legendum est, non autem vt multi codices:* Ego autem scio eum, & si dixero quia nescio eum ero similis vobis mendax; & ego scio eum quia ab ipso sum: *non enim sunt hæc huius loci, sed huc adiecta ex sequentis cap 8. v.* 55. *quod monet etiam Epanorthotes noster manuscriptus. Zegerus, qui putat hoc à Cyrillo hic & legi & exponi, fallitur, dum Iudocum Clichtoueum legit pro Cyrillo.*

V. 32. Et miserunt principes. *Quidam libri addunt* sacerdotum, *conformiter Græco ac Syro, sed vt non Sixtinus, ita nec meliores.*

Ibidem. Vt apprehenderent eum. *Non substituas nomen* Iesum, *pro pronomine* eum.

V. 33. Dixit ergo eis Iesus. *Manuscripta nostra ferè omittunt pronomen* eis, *quod neque à Syricis legitur libris, neque à melioribus Græcis.*

Ibidem. Et vado ad eum. *Non mutes pronomen* eum *cum nomine* Patrem.

V. 34. & 36. Quæretis me. *Non videtur scribendum præsens* quæritis *pro futuro* quæretis, *quod etiam Græcè ac Syriacè legitur.*

V. 39. Nondum enim erat spiritus datus. *Hæc est germana lectio editionis Latinæ; Syriacorũ & quorumdam etiam Græcorum codicum, denique non paucorum veterum, præsertim Latinorum, auctoritate probata. Pauci codices Latini, vel omittunt participiũ* datus, *vel mutant cũ nomine* sanctus, *vt plerique omnes codices Græci, Græcis tractatoribus ita suffragantibus, vt doceant,* datus *subaudiendum esse, nominatim Theophylactus. lege Notationes nostras prolixiores.*

V. 46. Sicut hic homo. *Non addas* loquitur, *tametsi Syrus addat, sed subaudias è proximo.*

V. 50. Dixit Nicodemus. *Pro præterito* dixit, *nostra manuscripta habent præsens* dicit, *conforme Græco.*

V. 52. Scrutare scripturas. *Multi boni libri omittunt vocem* scripturas, *consentientibus Græcis ac Syr.*

Ibidem. Propheta non surgit. *Vnus codex habet præteritum* surrexit, *quod est etiam Græcè, quidam futurum* surget: *sed* surgit *præsens, Latinæ editionis est, positum pro* non *soles surgere.*

CAPVT VIII.

V. 6. Hoc autem dicebant. *Manuscripta nostra numero plurali scribũt* hæc, *sed singulare est etiã Græcè.*

V. 7. Cùm ergo perseuerarent. *Rursus manuscripta nostra pleraque pro* ergo *scribunt* autem, *idque Græco similiter.*

V. 9. Audientes autẽ *Non subiicias pronomen* hæc.

Ibid. Et remansit solus Iesus. *Exemplaria Brug. Clarm. Lobb. & Audomarensia duo, omittunt nomen* Iesus. *quod tamen etiam Græcè additur.*

V. 11. Dixit autem Iesus. *Quidam libri interiiciunt pronomen* ei, *Græco conformiter.*

Ibidem. Et iam ampliùs. *Non omittas* iam.

V. 12. Non ambulat in tenebris. *Duo meliora huius Ecclesiæ manuscripta, vnum Clarmariscense & quinq; ab Hentenio annotata, pro præsenti* ambulat, *scribunt futurum* ambulabit, *suffragantibus D. Augustino & editionibus Græca ac Syra.*

V. 14. Vnde venio aut quò vado. *Brugense & Lobbiense manuscripta habent* vnde veniam aut quò vadam, *quod quidem Latinius est.*

V. 24. Moriemini in peccato vestro. *Bis hoc legitur isto versu, semel plurali numero* in peccatis vestris, *iterùm singulari* in peccato vestro. *Atqui vtrobique plurale legunt Græca & Syra, nec non pauci quidam Latini libri, sed non integriores illi.*

V. 25. Principium qui & loquor vobis. *Hæc est Latinorum plerorumque omnium codicum lectio,* qui *relatiuum generis masculini: pro quo vnum manuscriptum legit* quod, *duo* quia. *Græci libri ferè scribũt coniunctionẽm quæ declarat* quia, *adstipulantibus enarratoribus Chrysostomo eiusque discipulis, & inter Latinos Augustino: quidam tamen diuisim scribunt* ὅ,τι *pro relatiuo neutro* quod, *suffragante Nonno. Lege Notationes nostras in varias Bibliorum lectiones.*

V. 27. Quia patrem eius dicebat Deum. *Antiqui libri tum nostri tum aliorum, pro genitiuo singulare* eius, *legunt datiuum pluralem* eis, *quibus Augustinus suffragatur, & plerique Græci necnon & Syriaci codices, quinetiam tractatores Græci, Chrysostomus, Nonnus, & Euthymius. Est altera hoc loco varietas, quorumdam Latinorum librorum, omittentium vocem* Deum, *conformiter Græcis plerisque libris ac Syriacis, & enarratoribus, Græcis quidem, Chrysostomo, Nonno, Theophylacto, atque Euthymio, Latino autem Augustino. Ceterùm vt plerique, ita integerrimi quique, Latini libri, seruant* Deum, *quod potuit Interpres explicationis causa addidisse. De his latiùs in Notationibus prolixioribus.*

V. 29.

V.29. Et non reliquit me solú. *Manuscripta nostra Brug. Lobb. Clarmar. & Audomarensia tria omittunt* & *coniunctionem, sicut plerique omnes Græci codices, & sicut D. Augustinus. ex illis Brugense, Clarmariscense, & vnum Audomarensium, legunt etiam præsens* reliquit, *sed non eadem fide.*

V.31. Ad eos qui crediderút ei Iudæos. *Ita legendú est, monente etiam Epanorthote,* Iudæos, *non* ex Iudæis.

V.33. Responderunt ei. *Non addas* ergo.

V.35. Filius autem manet. *Coniunctio* autem, *à quibusdam similiter Syro additur; a plerisque Græco conformiter tollitur.*

V.38. Ego quod vidi apud Patrem meú. *Pronomen* meum *omittitur a plerisque Latinis libris, & quide optimis nostris: sed qui addunt consentiunt Græcis ac Syr.*

V.42. Ego enim ex Deo processi. *Non est mutandum nomen* Deo *cum pronomine* eo.

V.45. Ego autem si veritatem dico, non. *Pro* si, *in antiquis tum nostris tum Epanorthotæ pluribusque aliis legitur* quia, *conformiter Græco & Syro: quod certè sententia ipsa videtur exigere, prout ab Euthymio enarratore vrgetur. Monet autem Epanorthotes, non hic, sed versu proximo, legendum esse* si, *vbi dicitur:* Si veritatem dico vobis, quare &c.

V.46. Quis ex vobis arguet me. *Manuscripta Audomarensia duo, vnum Lobbiense, & quædam alia, pro futuro* arguet, *habent præsens* arguit, *conformiter Græco & Syro.*

V.49. Et vos inhonorastis me. *Quidam Latini libri habent præsens* inhonoratis, *quemadmodum Græci & Syrici.*

V.54 Quia Deus vester est. *Manuscripta* Brug. *Clarm. Lobb. & Audomarensia tria, scribunt primæ personæ pronomen* noster, *sicut Syri, pro secunda* vester, *quod est Græcè.*

V.56. Vidit & gauisus est. *Manuscripta nostra antiqua, & non pauci alij Latini libri, præponunt* & *coniunctionem, etiam ipsi vocabulo* vidit, *quemadmodum Græca & Syra.*

CAPVT IX.

V.1. Et præteriens Iesus. *Antiqui libri ferè omittunt nomen* Iesus, *conformiter Græco ac Syro.*

V.4. Venit nox. *Non mutes præsens* venit *cum futuro* veniet.

V.8. Itaque vicini & qui viderant eum priùs. *Voci* vicini *non est addendum pronomen* eius, *tametsi Syriacè legatur: sed plusquam perfectum* viderant, *multi boni libri, nominatim vnus D. Donatiani, vnus Clarmarisci, tres S. Audomari, mutant cum imperfecto* videbant *quod Græcæ lectioni propiùs respondet.*

V.11. Vade ad natatoria. *Plerique libri, pro neutro plurali* natatoria, *scribunt fœmininum singulare* natatoriam, *quale est Græcè.*

Ibid. Et abij, laui, & video. *Alij codices præponunt coniunctionem etiam verbo* laui (& laui) *necnon præsens* video *mutant cum præterito* vidi, *quod legitur Græcè.*

V.16. Alij autem dicebant. *Manuscripta nostra, Græco conformiter, omittunt coniunctionem* autem, *quam alij libri addunt cum Syro.*

V.30. In hoc enim mirabile est. *Non est omittenda coniunctio* enim.

V.40. Et audierunt quidam ex Pharisæis. *Exemplaria nostra manuscripta omittunt* quidam, *conformiter Græco ac Syro.*

CAPVT X.

V.8. Omnes quotquot venerunt. *Non est addendum* ante me, *quod quidam addiderunt ex quibusdam libris Græcis.*

*Ver.*9. Ego sum ostium. *Non addas* ouium, *quod non est huius versus, sed septimi superioris.*

V.11. Animam suam dat. *Manuscripta Brugense & Lobbiense cum antiquis Epanorthotæ, pro* dat, *legunt* ponit, *conformiter Græco & Syro. Epanorthotes recentioribus libris adscribit* dat.

Ibidem. Pro ouibus suis. *A quibusdam libris abest pronomen* suis, *vt etiam a Græcis.*

V.14. Et cognosco meas. *Non interiicias nomen* oues, *quod quidam.*

V.15. Pro ouibus meis. *Quidam libri ab Hentenio annotati omittunt pronomen* meis, *consentanee Græco & Syro.*

V.17. Vt iterùm sumam eã. *Nonnulla manuscripta pro* vt *scribunt copulatiuam* &: *verum* vt, *& ab Augustino legitur, & a Græcis ac Syris.*

V.18. Et potestatem habeo ponendi eam. *Manuscripta nostra antiqua, septem numero, omittunt istud* &, *Græcæ editioni similiter.*

V.26. Quia non estis ex ouibus meis. *Sequitur in textu Regio,* sicut dixi vobis, *quemadmodum etiam Græcè ac Syriacè: verum Latini libri manuscripti illud cum D. Augustino ignorant & prætereunt.*

V.29. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est. *Hæc est Latinorum & librorum & tractatorum scriptura. Nam quæ est in quibusdam impressis libris, neutro genere mutato cum masculino:* Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est, *Græcorum est tam auctorum quàm codicum. Syrum ad vtramque lectionem ambiguum est.*

Ibidem. Et nemo potest. *Non præponas coniunctionem* ideò.

V.31. Sustulerunt ergo lapides. *Sic Biblia Sixtina, cum antiquis Epanorthotæ libris, & Brugensi ex nostris, addunt* ergo, *consentaneè Græco & Syro. Porrò* iterùm, *quod præterea additur à quibusdam libris ex Hentenij recognitione annotatis, tametsi Græcè & Syriacè similiter legatur, non agnoscitur ab illis.*

V.36. Vos dicitis quia blasphemas. *Sic legendum est secunda persona* blasphemas.

CAPVT XI.

V.1. Mariæ & Marthæ sororis eius. *Ita Sixtina Biblia ex vetustis manuscriptis, scribunt singulare* sororis, *conformiter libris Græcis: qui cum pro* eius *habeant* αὐτῆς, *manifestum est τὸ* eius, *non ad Lazarum referendum, sed ad Mariam. Quidam antiqui libri scribunt plurale* sororum, *tamquam* eius *ad Lazarum referatur: quibus certè suffragatur Syrus, horum loco* A Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius, *scribens:* Ex Bethania castello, frater Mariæ & Marthæ.

V.8. Iudæi lapidare. *Non mutes* lapidare *cum* interficere

V.11. Et post hæc dicit eis. *Quidam libri habent singulare* hoc, *cum Græcis.*

V.13. De dormitione somni. *Non scribas duplici* j, somnij.

V.15. Et gaudeo propter vos. *Non est mutandum* & *copulatiuum, cum aduersatiuo* sed.

V.16. Vt moriamur cum eo. *Nec hic mutanda est* vt *causatiua, cum* & *copulatiua coniunctione.*

V.20. Martha ergo vt audiuit. *Rursus quidam libri commutant* ergo *cum* autem, *male.*

V.27. Filius Dei viui. *Multi antiqui codices omittunt* viui, *consentaneè Græco ac Syro, tanquam aliunde acceptum.*

Ibid. Qui in hunc mundum venisti. *Quidam libri ab Hentenio annotati auferunt pronomen* hunc, *quod tamen verisimile est ab Interprete esse datum.*

*V.*29. Surgit citò. *Quædam manuscripta, pro præsenti* surgit, *quod est etiam Græcè, habent præteritum* surrexit, *quod Syriacè.*

*V.*32. Non esset mortuus frater meus. *Suprà v.*21. *est hic verborũ ordo:* frater meus non fuisset mortuus.

*V.*37. Oculos cæci nati. *Manuscripta antiqua, Epanorthotæ, nostra, aliorumque, omittunt* nati, *quod neque Græcè aut Syriacè additur, nisi quod* τυφλοῦ *dicatur* illius cæci.

Ibidem. Vt hic non moreretur. *Manuscripta nostra interponunt* & *coniunctionem:* Vt & hic, *conformiter Græco ac Syro.*

*V.*44. Dixit eis Iesus. *Rursus manuscripta nostra antiqua, septem numero, pro præterito* dixit, *scribunt præsens* dicit, *prout textus Græcus.*

*V.*45. Ad Mariam & Martham. *Iam quartò manuscripta nostra omnia, vno excepto, nec non antiqui libri Epanorthotæ, cum D. Augustino, omittũt* & Martham, *conspirantibus Græcis & Syricis codicibus. Suprà v.*19. *vtraque nominata fuit.*

Ibidem. Quæ fecit Iesus. *Hoc denique loco auferunt manuscripta nostra nomen* Iesus, *quod tamen & Græcè & Syriacè additur.*

*V.*47. Concilium & dicebant. *Non interponas* aduersus Iesum.

Ibidem. Quid facimus? *Non est mutandum præsens* facimus, *cum futuro* faciemus.

*V.*48. Nostrum locum & gentem. *Antiqui libri Epanorthotæ, cum plerisque nostrûm, geminant coniunctionem* & locum & gentem, *conformiter Græco quam male quidam ab Hentenio annotati, præponunt pronomini* nostrum.

*V.*49. Caiphas nomine. *Manuscripta Hentenij, Epanorthotæ, nostra, aliorumque, ferè omittunt* nomine, *conformiter Græco, quod alij libri addunt consonante Syro.*

*V.*50. Quia expedit vobis. *Multi boni libri habent pronomen primæ personæ* nobis, *vt etiã Græca ac Syra.*

*V.*52. Sed vt Filios Dei. *Quidam libri Latini, cum Græcis & Syricis, interiiciunt coniunctionem:* Sed vt & Filios Dei.

CAPVT XII.

*V.*3. Nardi pistici. *Recentiores quidam libri, qui pro neutro* pistici, *legunt fœmininum* pisticæ, *ex Græco mutati sunt.*

Ibidem. Et extersit pedes eius capillis suis. *Alij libri hoc verborũ ordine legunt:* Et extersit capillis suis pedes eius, *Græco ac Syro conformiter.*

*V.*4. Dixit ergo vnus. *Quidam boni libri legunt præsens* dicit, *quemadmodum est Græcè, pro præterito* dixit.

Ibidem. Iudas Iscariotes. *Antiquiores libri legunt* Scariothes.

*V.*6. Ea quæ mittebantur portabat. *Malè quidam, simplex verbum* portabat, *mutarunt cum composito* exportabat, *non assequuti, vt oportebat, commentarium D. Augustini.*

*V.*7. Sinite illam. *Antiqua Epanorthotæ, Hentenij, & nostra, manuscripta, legunt, non plurale* sinite, *sed singulare* sine, *conformiter Græco ac Syro.*

Ibidem. Vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. *Hæc est germana lectio Latinæ editionis. Altera, quæ est recentiorum quorumdam codicum typis excusorum,* In diem sepulturæ meæ seruauit illud, *ex Græco mutata est. Porrò multi Latini libri, pro quarto casu* diem, *legunt sextum* die, *sed minùs verisimiliter.*

*V.*8. Me autem non semper habetis. *Pro præsenti* habetis, *quod respondet Græco, alij libri scribunt futurum* habebitis.

*V.*19. Post eum abiit. *Legendum est præterito tempore* abiit, *non præsenti* abit.

*V.*27. Pater saluifica me. *Donatianica Biblia habent* Pater saluum me fac, *quemadmodum Interpres solet vertere.*

*V.*28. Vox de cælo. *Non subdas* dicens.

*V.*40. Et non intelligant corde. *Manuscripta nostra, non legunt, sed è proximo subaudiendum relinquunt,* non, *conspirantibus D. Augustini tractatu & libris Græcis cum Syricis.*

*V.*42. Et ex principibus. *Non videtur omittendum* &, *quod licet non ab omnibus antiquis libris, tamen à Græcis etiam & Syriacis additur.*

*V.*47. Sed vt saluificem. *Donatianicum manuscriptum* sed vt saluam faciam, *vt suprà v.*27.

CAPVT XIII.

*V.*2. In cor. *Non addas* Iudæ.

Ibidem. Iudas Simonis Iscariotæ. *Quidam librorum typis excusorum ita legunt, genitiuum* Iscariotæ, *alij nominatiuum* Iscariotes. *Sic & quidam librorum manuscriptorũ habẽt* Scariothis, *alij* Scariothes. *Græcè est genitiuus* Ἰσκαριώτου, *Syra ambigua sunt* Scariouto.

*V.*5. Deinde mittit aquam. *Sic legunt cum Sixtinis Bibliis multi antiqui codices, conformiter Græco, præsens* mittit, *pro præterito* misit.

*V.*7. Scies autem posteà. *Non est omittenda coniunctio* autem.

*V.*8. Non habebis partem mecum. *Quatuor exemplaria ab Hentenio notata, pro futuro* habebis, *quod est in antiquis, legunt præsens* habes, *quod est Græcè.*

*V.*12. Et accepit vestimenta sua, cùm recubuisset. *Prima coniunctio* & *non est transferenda in medium sententiæ, ante* cum recubuisset.

*V.*18. Qui manducat mecum panem. *Caue legas* meum *pro* mecum.

Ibidem. Leuabit contra me. *Tria Hentenij exemplaria, & vnum nostrum, pro futuro* leuabit, *habent præteritum* leuauit, *conformiter Græco ac Syro.*

*V.*27. Introiuit in eum. *Manuscripta Nicolai Zegeri, nostra, aliaque, præponunt aduerbium* tunc, *conformiter Græco ac Syro.*

*V.*38. Pro me pones? *Nõ legas præsens* ponis, *pro futuro* pones; *nec affirmãdo, quod interrogãdo legendũ est.*

CAPVT XIV.

*V.*1. Non turbetur cor vestrum. *His verbis non est præponendum* Et ait discipulis suis, *quod optima quæque manuscripta, cum Græcis ac Syricis libris, prætereunt, adstipulantibus tractatoribus tam Græcis quàm Latinis. Vt autẽ hoc non est præponendum, ita nec istud, quod alij libri habent,* neque formidet, *postponendum: est enim nõ huius loci, sed versus* 27. *subsequentis.*

*V.*6. Et veritas. *Non omittas coniunctionem.*

*V.*7. Et amodo cognoscetis eum. *Duo manuscripta in margine Louaniensium Bibliorum annotata, pro futuro* cognoscetis, *legunt præsens* cognoscitis, *conformiter Græco ac Syro, nec non tractatui D. Augustini.*

*V.*9. Et non cognouistis me. *Vnum Hentenij manuscriptum legit numero singulari* cognouisti, *cui præter Græca ac Syra & Græcorum commentaria, fauet D. Augustini tractatio.*

Ibidem. Qui videt me, videt & Patrem. *In quibusdam libris legitur præterito tempore* Qui vidit me, vidit & Patrem, *quemadmodum Græcè.*

Ibid. Quomodo tu dicis. *Rursus quidã libri præponunt* & *coniunctionem, quemadmodum Græci & Syrici.*

*V.*10. Non creditis quia ego in Patre. *Pro plurali* creditis, *manuscripta nostra aliorumque legunt singulare* credis, *adstipulantibus, non solùm Græcis & Syriacis*

riacis libris atque auctoribus, verumetiam D. Augustino disertis verbis. Porro infrà v.11. citra controuersiam plurale legendum est.

V.13. Et quodcumque petieritis Patrem. Quinque manuscripta nostra, Brug. Lobb. Clarm. & Audomarensia duo, aliaque Henteny, Zegeri, & Epanorthota, omittunt Patrem, consentanee Graeco, ac Syro, ac fauentibus tractatoribus veteribus, Augustino, & Graecis, nisi quod Nonnus huiusmodi quid addat paraphrasten agẽs. Eo porrò modo, Latinis quibusdam codicibus, adiectum fuisse videtur hoc nomen, Patrem, quemadmodum quibusdam Graecis pronomen me, de quibus in varietatibus Graecis.

V.14. Si quid petieritis me. Manuscripta exemplaria complura, in ea quae hic repetitur sententia, omittunt me, quemadmodum mox Patrem, nixa eisdem fundamentis: ac videri quidem possit, vox Patrem congruentior quàm vox me, vt etiam exemplar vnum Patrem hic legebat loco me: sed vtriusque omissionem crediderim genuinam.

V.17. Quia non videt eum. Quidam antiqui libri scribunt praeteritum vidit, pro praesenti videt, quod est Graecè.

Ibidem. Vos autem cognoscetis eum. In aliis libris est praesens cognoscitis, consentaneè libris Graecis ac Syris, pro futuro cognoscetis, quod tamen Nonnus Graecus paraphrastes agnoscit.

Ibidẽ. Quia apud vos manebit. Quidam notat pro futuro manebit, quod explicat D. Augustinus, legi à quibusdã manuscriptis, praesens manet, quod est Graecè ac Syriacè, explicantibus Euthymio & Theophylacto. Sed facile est, Graecè pro μένει manet, mutato accentu legere μενεῖ manebit, quemadmodum fecit Nonnus, quod constat ex eius paraphrasi.

V.19. Vos autem videtis me. Sic cum Sixtinis Bibliis manuscripta optima quaeque, fauentibus codicibus Graecis. Quidam autem libri, praesens videtis mutant cum futuro videbitis: & quamquam illi minoris sint fidei, consentiunt tamen Syriacae editioni, & D. Augustini Graecorumque enarratorum expositionibus.

V.26. Et suggeret vobis omnia. Quoddam egregium manuscriptum omittit omnia.

CAPVT XV.

V.2. Tollet eum. Non mutes futurum tollet cum praesenti tollit, etiamsi ita sit in vno manuscripto ab Hentenio annotato, respondente Graeca & Syriaca editionibus: Interpres enim, praesentia huius versiculi verba, vt pro futuris posita accepit.

V.6. Et arescet. Quidam libri, pro futuro arescet, scribunt praesens arescit. Graecè est praeteritum exaruit, quod Interpres pro futuro haud dubium accepit, quemadmodum Euthymius manifestè.

Ibidem. Et colligent eum & in ignem mittent. Rursus quidam libri mutant futura haec cum praesentibus, colligunt, mittunt, vt Syriacè & Graecè legitur: sed iam diximus aliquoties, Interpretem accepisse tempus vnum pro alio. Maioris momenti est quod pro singulari eum, quidam codices habeant plurale eos, nominatim duo nostri, iique integriores huius Ecclesiae Audomarensis. Eum citra dubium refert palmitem, cuius praecessit mentio: cui lectioni fauent Interpres Syrus & Nonnus paraphrastes, qui Graecè legisse videntur αὐτὸ numero singulari. Porrò eos, refert palmites numero plurium, quorum tacita mentio includitur in verbo colligendi, quod non perinde consueuit de vno dici: atque hoc modo legimus nos Graecè αὐτὰ s. τὰ κλήματα, Euthymio desertè suffragante.

Ibid. Et ardet, id est, ita vt ardeat. Complura manuscripta legũt numero plurium & ardent, etiam quaedam eorum quibus praecessit singulare eum: quo magis videri possit Interpres dedisse pluralia eos & ardent. nam plurale ardent, congruere non potest praecedente singulari eum. Graecè est singulare καίεται, quod singulariter quidem vertendum est, si praecedat singulare αὐτὸ eum, vt fecerunt Syrus & Nonnus: pluraliter autem, si plurale αὐτὰ eos, vt fecit Euthymius. Caeterùm, vtrouis modo siue legas siue vertas, sententia est eadem.

V.15. Iam non dicam vos seruos. Non pauca nostra & Henteny manuscripta, pro futuro dicam, habẽt praesens dico, conformiter Graeco ac Syro.

V.21. Sed hæc omnia faciẽt. Non omittas omnia.

V.26. Spiritum veritatis. Interpres dedit quartum casum, id quod Graeca patiuntur, non primum spiritus.

V.27. Et vos testimonium perhibebitis. Pro futuro perhibebitis, in quibusdam legitur praesens perhibetis, nominatim in illo huius Ecclesiae qui in Capitulo adseruatur, idque consentaneè Graeco ac Syro: quamquam praesens est loco futuri.

CAPVT XVI.

V.5. Et nunc vado. Manuscripta nostra omnia, pro copulatiua &, legunt aduersatiuam at, conformiter Graeco ac Syro.

V.7. Vt ego vadam. Non est interponendum &; neque mox addendum ego, cùm sequitur si enim non abiero, tametsi Graecè & Syriacè legatur.

V.9. Quia non crediderunt in me. Quidam antiqui libri legunt crediderunt praeteritum, alij cum Graecis & Syricis praesens credunt.

V.11. Iam iudicatus est. Manuscripta nostra omnia, vno Leodiensi excepto, omittunt aduerbium iam, suffragantibus Graecis ac Syricis libris, necnon D. Augustini tam tractatione quam textu fauente: quamquam apud Theophylactum & Graecè & Latinè addatur ἤδη iam.

V.13. Docebit vos omnem veritatem. Annotat D. Augustinus, alios codices habere deducet vos in omni veritate: quae lectio, propiùs quidem exprimit Graecam scripturam, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, sed non exstat hodie in libris Latinis.

V.16. Modicum & iam non videbitis me. In vno manuscripto est praesens videtis, vt Graecè: sed Interpres intellexit praesens positum esse loco futuri, quomodo etiam Syrus.

V.19. Cognouit autem Iesus. Lobiensia Biblia habent ergo, quod est Graecè, pro autem, quod cum plerisque omnibus Latinis libris habent Syriaci.

Ibidem. Quia dixi. Non addas pronomen vobis.

V.22. Nemo tollet à vobis. Non est mutandũ futurum tollet, cũ praesenti tollit, tametsi Graecè sit praesens.

V.23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. In quibusdam antiquis libris est interrogabitis, in pluribus rogabitis. D. Augustinus legit rogabitis, monens, & hanc Latinam vocem rogare, & Graecam ἐρωτᾶν, ambiguam esse, ad petere & interrogare.

V.26. In illo die. Manuscripta nostra omittunt in praepositionem.

V.27. Quia vos me amastis. Antiquiora manuscripta legunt praesens amatis, consentaneè enarrationi D. Augustini. Caeterũ Graecè & Syriacè praeteritũ exstat.

V.32. Et non sum solus. Caue addas tamen.

CAPVT XVII.

V.1. Vt filius tuus. Lobiense manuscriptum interponit &, quemadmodum Graeca: alia omittunt, vt Syra.

V.3. Solum Deum verum. Multi antiqui libri legunt hoc verborum ordine solum verum Deum, quo etiam Augustinus & Graeca editio.

V.20. Non pro eis autem rogo tantùm. *Manuscripta nostra, pronomen relatiuum* eis, *mutant cum demonstratiuo* his, *suffragantibus D. Augustini lectione & Græca editione*, τούτων.

Ibidem. Sed & pro eis. *Non omittas* &.

V.21. Sicut tu pater in me. *Librorum antiquorum, alij addunt* & (sicut & tu) *alij cum Græcis & Syriacis omittunt*.

V.25. Mundus te non cognouit. *Exemplaria, Lobiense, Leodiense, & Audomarensia tria, cum textu D. Augustini, præponunt* & *coniunctionem* (& mundus) *consentaneè Græco ac Syro*.

CAPVT XVIII.

V.4. Super eum. *Sic cum Sixtinis Bibliis legunt antiqua manuscripta*, eum, *non* se.

V.11. Mitte gladium tuum in vaginam. *Quidam antiqui libri omittunt pronomen* tuum, *vt & Syrus, licet Græcè addatur*.

Ibid. Non bibam illum? *Transfodiendum est, quod quidam libri addunt* Non vis vt *bibam illum: tametsi additum sit etiam libris veterum*.

V.13. Erat enim socer Caiphæ. *Non legas* autem *pro* enim.

V.16 Discipulus alius. *Quædam exemplaria interponunt pronomen* ille, *quod magis congruat, si suffragarentur exemplaria emaculatiora*.

V.20. Locutus sum mundo. *Non addas* in *præpositionem*.

V.22. Vnus assistens ministrorum. *Non est mutandus nominatiuus* assistens *cum genitiuo* assistētium.

V. 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. *Vt obseruaui olim, in vno aut altero manuscripto*, emisit *vocem vnam, scriptam pro duabus* & misit: *ita id facilè probem, nam Græcè quoq; nihil aliud legitur quàm* ἀπέστειλεν *amandauit seu emisit. Cæterùm verisimile sit, deesse coniunctionem tum Græcè tum Latinè, & addendam, non tam* &, *quàm* autem, *quæ legitur Syriacè, aut* ergo *quæ apud Cyrillum, & apud Bezam annotantem se ex fide duorū codicum restituisse particulam* οὖν: *quam & Toletus Græcè legi affirmat. Nam & copulatiuam, adscriptam fuisse videri possit, ab iis qui intellexerunt*: Et *hoc gesto* misit eum Annas, *quasi post inflictam Iesu alapam miserit Annas Iesum ad Caipham: quod non est verum, tametsi multi, etiam veteres, eius sententiæ sint. Quidam, parenthesεος notis includi volunt hunc versiculum: alij suspicantur, non suo loco positum siue Latinè siue Græcè aut Syriacè, sed scriptum ab Euangelista fuisse proximè ante versum decimumquintum*: Sequebatur autem Iesum &c. *vbi quidem optimè congruat, sed nos in Commentario sequuti sumus, id quod probatius est*.

V. 26. Dicit ei vnus ex seruis pontificis. *Optimi nostri libri omittunt pronomen* ei, *conformiter Græco*.

V.28. A Caipha in prætorium. *Multi libri antiqui legunt* ad Caipham, *qui vetus est error, quo etiam D. Augustinus hunc locum tractans falsus fuit. Nam tam ex Græco quàm ex Syro, certum est legendum esse* à Caipha, *pro eo quod est, à domo Caiphæ: quomodo habent cum Sixtinis manuscripta Biblia Ecclesiarum Audomarensis & Clarmariscensis, vt etiam, quod Epanorthotes annotat, Biblia Caroli, haud dubium, Magni, quæ Aquisgrani exstant. Synecdoche est, qua res possessa indicatur nomine possessoris*.

V.39. Est autem consuetudo vobis. *Quidam insignes libri omittunt istud* vobis, *tametsi Græcè & Syriacè legatur*.

V.40. Clamauerunt ergo rursum omnes. *Quidam libri manuscripti cū Græcis addunt, alij omittunt* ergo.

CAPVT XIX.

V.3. Et dabant ei alapas. *Quidam pro* alapas *legunt* palmas, *quomodo vertit Interpres Matth.26.v.67*.

V.4. Exiuit ergo iterum Pilatus. *Addunt* ergo *Sixtina & Regia Biblia, consonantia Græco*.

V.5. Exiit ergo Iesus. *Vnum manuscriptum addit* foras, *prout additur Græcè & Syriacè*.

V.6. Crucifige, crucifige eum. *Quidam boni libri omittunt* eum: *similis varietas est Græcè*.

V.7. Et secundùm legem debet mori. *Vnus liber ab Hentenio annotatus, & Regia Biblia, addunt pronomen* nostram, *vt Græca ac Syra*.

V.12. Et exinde quærebat. *Antiquorum codicum, quidam legunt vt Syra, quidam demunt coniunctionem* &, *vt Græca*.

Ibidem. Omnis enim qui se regem facit. *Coniunctio* enim *additur in bonis manuscriptis, quemadmodum & Syriacè, licet Græcè non legatur*.

V.13. Pilatus autem. *Optima manuscripta, consentaneè Græco, legunt* ergo *pro* autē, *quod exstat Syriacè*.

Ibidem. Lithostrotos. *Caue legas* Lichostrotos, *tertia alphabeti litera*.

V.16. Et eduxerunt. *Non addas pronomen* eum, *quod quidam libri*.

V.25. Stabant autem iuxta crucem. *Non legas singulare* stabat *pro plurali* stabant.

V.26. Et discipulum stantem. *Non omittas participium* stantem; *sed neque mutes cum composito* adstantem, *quamquam ita sit Græcè*.

V.27. Accepit eam discipulus in sua. *Legendum esse neutrum plurale* sua, *prout Romani correctores scripserunt, non fœmininum singulare* suam, *olim fusè docuimus in Notationibus nostris prolixioribus*.

V.28. Quia omnia. *Plerique libri interponunt aduerbium* iam, *Græco consentaneè*.

V.30. Et inclinato capite tradidit spiritum. *Sequitur in vno vetere codice*: Cum autē exspirasset, velum templi scissum est à summo vsque deorsum: *id quod etiam Cyrillus, Græcus tractator, & legit & interpretatur hoc loco. Atqui certum est, ex prioribus Euangeliis huc à quibusdam adscriptum fuisse, ac propterea à Iohanne omissum fuisse, quia cæteri Euangelista dixerant*.

V.40. Et ligauerunt illud linteis. *Sic legitur etiam Græcè, quamquam optima quæque manuscripta, habeāt pronomen masculinum* eum, *quod ad* Iesum *referatur, pro neutro* illud, *quod ad* corpus *refertur, & congruit verbis textus*.

V.41. In quo nondum quisquam positus erat. *Plusquam perfectum* fuerat *est in optimis manuscriptis pro imperfecto* erat.

V.42. Posuerunt Iesum. *Legendum videtur* Iesum, *iuxta meliores libros conformes Græco & Syro, non eius loco pronomen* eum.

CAPVT XX.

V.1. Et vidit lapidem sublatum. *Pro* sublatum *non legas* reuolutum: *hoc enim est priorum Euangeliorum*.

V.2. Tulerunt Dominum. *Non addas pronomen* meum, *quod huic loco non quadrat, sicut quadrat infrà v.13*.

V.4. Et venit primus ad monumentum. *Brugense manuscriptum legit comparatiuum* prior, *in alio est aduerbium* priùs, *pro nomine superlatiuo* primus.

V. 9. Quia oportebat. *In quibusdam libris est* oporteret.

V.12. Et vidit duos angelos. *Vnum manuscriptum, pro præterito, legit præsens* videt, *vt Græca*.

V.19. Die illo, vna sabbatorum. *Quidam libri, pro masculi-*

masculino illo, *legunt fœmininum* illa: *id quod congruentius videri possit, ne statim mutetur genus sine causa, nisi plerique libri aliter scriberent.*

Ibidem. Et stetit in medio. *Non addas* discipulorũ.

V. 21. Dixit ergo eis iterùm. *Regius textus addit* Iesus, *conformiter Græco ac Syro.*

V. 22. Hæc cùm dixisset. *Manuscriptorum, alia sic legunt, plurale* hæc, *cum Syro: alia habent singulare* hoc *cum Græco.*

V. 25. Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum. *Pro* fixuram, *manuscripta quinque, nominata in Notationibus nostris prolixioribus, & duo huius Ecclesiæ, quæ iam a nobis obseruata adduntur, legunt* figuram, *vt Græcè est* τὸν τύπον *quod est, typum, figuram, vestigiũ: pro quo Syrus legit* τὸν τόπον *quod est, locum.*

V. 29. Quia vidisti me Thoma. *Manuscripta nostra & Zegeri omittunt* Thoma, *conformiter Syro: Græcorum librorum similis est varietas.*

V. 31. Quia Iesus est Christus Filius Dei. *Caue omittas nomen* Christus.

Ibidem. Vitam habeatis in nomine eius. *Non videtur addenda vox* æternam, *etiamsi sit in quibusdam veteribus manuscriptis.*

CAPVT XXI.

V. 1. Manifestauit se iterùm Iesus discipulis. *Ita, cum Sixtinis Biblijs, quatuor libri ab Hentenio annotati, & Regiorum Bibliorum textus, addunt vocem* discipulis, *prout etiam Græca ac Syra.*

V 4. Mane autem facto. *Manuscripta nostra aliique codices addunt* iam, *vt Græcè additur* ἤδη, *quod tamen Syrus omittit.*

Ibidem. Quia Iesus est. *Non mutes nomen* Iesus *cum pronomine* ipse.

V. 6. Mittite in dexteram. *Non addas.* ergo.

Ibidem. Miserunt ergo *Nec hic addas nomen* rete, *sed subaudias.*

V. 7. Tunica succinxit se. *Quædam vetera exemplaria legunt* tunicam *quarto casu.*

V. 8. Non enim longè erant à terra. *Non est mutandus numerus pluralis* erant *cum singulari* erat.

V. 12. Et nemo audebat discumbentium. *Vnum manuscriptum ab Hentenio annotatum, pro* discumbentium, *quod est, conuiuarum, legit* discentium, *quod est, discipulorum, quo modo Græcè & Syriacè est* τῶν μαθητῶν *discipulorum: nec infrequens est Latinis patribus voce* discentium *vti pro* discipulorum.

V. 13. Et accipit panem & dat eis. *Quidam libri præterita scribunt,* accepit, dabat, *pro præsentibus,* accipit, dat, *Græco textus consonantibus.*

V. 14. Manifestatus est Iesus discipulis suis. *Non omittas pronomen* suis.

V. 15. 16. 17. Simon Iohannis. *Duo manuscripta ab Hentenio annotata, pro* Iohannis *scribunt* Iona, *vt pleraque omnia exẽplaria Græca. Syrus habet* Bariona, *quem ad modum Matth 16. v. 17., nimirum exprimens* bar *fili, quod Græcè ac Latinè subauditur. Porrò Græca quædam exemplaria fauent lectioni Latinorum vulgatæ, de quibus in varietatibus Græcis: & omnino, D. Hieronymo auctore, legendum hoc loco esse* Iohannis, *manifestum ex eo est, quod scribit in illum Matthæi locum: vbi ponens hic legi* Iohannis, *recenset vt probabilem illorum sententiam, qui putant* Iona, *quod secundùm Matthæum legitur, scriptorum vitio deprauatum esse ex* Iohanna *(quod sit* Iohannis*) vna detracta syllaba. quamquam possit esse contractum* Iona *ex* Iohanna, *ac proinde idem vnum esse nomen. nam & suprà* 1. *v.* 42. Iona *legitur.*

V. 17. Tu omnia nosti. *Manuscripta nostra aliorumque legunt* scis *pro* nosti.

Ibid. Dixit ei: Pasce. *Vnum Hentenij manuscriptum interponit nomen* Iesus, *conformiter Græco ac Syro.*

V. 18. Extendes manus tuas. *Non mutes futurum indicatiui, cum præsenti coniunctiui,* extendas.

Ibid. Quò tu non vis. *Alij boni libri omittunt pronomen* tu.

V. 22. 23. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? *Fusè olim tractauimus in Notationibus nostris, triplicem huius loci lectionem; vnam per aduerbium similitudinis* sic, *alteram per coniunctionem conditionalem* si, *tertiam per vtrumque coniunctum* si sic; *& quidquid faceret pro vnaquaque, adferre conati fuimus. Plerique Latini libri cum Latinis tractatoribus primam seruant: quidam Latini libri, cum Syriis ac plerisque Græcis tum libris tam tractatoribus, secundam: tertia in quibusdam Latinis & quibusdã Græcis libris exstat. Hoc solum habemus quod iam addamus, secundam, quæ est per coniunctionem conditionalem* Si eum volo, *vtroque loco integrè ac manifestè, citraque omnem rasurã & corruptelæ suspicionem, exstare etiam in manuscripto codice quatuor Euangeliorum, vetusto illo & emaculato, qui in Capitulo Ecclesiæ huius Cathedralis S. Audomari adseruatur: eamque lectionem probari, ab iis quoque qui ab eo tempore in hoc Euangelium scripserunt, doctissimis viris, Francisco Toleto & Iohanne Maldonato.*

V. 23. Et non dixit ei Iesus: Non moritur. *Quidam libri addunt* quia *(*quia non moritur*) conformiter Græco, alij rectiùs omittunt.*

V. 25. Mundum capere posse eos. *Manuscripta antiqua, nostra & Nicolai Zegeri, omittunt* posse, *consentaneè Græco.*

FINIS.

Omnia, Catholicæ Ecclesiæ, eiusque in terra conspicui capitis, Romani Pontificis, iudicio, submissa sunto.

Franciscus Lucas.

Notas istas vtiliter imprimi posse censeo, tum quòd nihil Fidei orthodoxæ aut bonis moribus aduersarium contineant, tum quòd sacræ Scripturæ studiosis non paruam sint allaturæ vtilitatem. Andomaropoli, 24. Aprilis, 1602.

F. Iac. Episcopus Audomarensis.

In istis Notis ad varias lectiones quatuor Euangeliorum tam Græcæ quàm Latinæ editionis, nihil deprehendi quod sit Catholicæ fidei, bonis moribus, aut Principibus Christianis contrarium. Audomaropoli, 5. Kal. Sextiles, 1601.

Ricardus Hallus Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus & Censor librorum Audomarensis.

TRACTATVS DE CHALDAICA S. SCRIPTVRAE PARAPHRASI:

Quo, & oſtenditur quis PARAPHRASEOS illius vſus, & plurima S. SCRIPTVRAE loca enodantur:

Auctore FRANCISCO LVCA *Brugenſi, Eccleſiæ Cathedralis Audomaropolitanæ Theologo & Decano.*

ILLVSTRI DOMINO R^{MO} IN CHRISTO PATRI IACOBO BLASAEO EPISCOPO AVDOMAROPOLITANO,

Franciscus Lucas.

Cvm excuderetur meus in Euangelia Commentarius, ſuggeſſit doctiſſimus Schondonchus, communis noſter familiaris & ciuis, vt accuderetur, quem aliquando legerat, Tractatus olim à me ſcriptus de vſu Chaldaicæ Paraphraſeos. Id cùm aliis quoque & ipſi Typographo probaretur, cogitaui de illo R^{MÆ} P. V. dedicando: non enim in lucem edendum putaui, niſi patrono alicui commendarem, quia aduerſarium habuit aduerſus quem ſcriptus eſt. Aduerſario autem, viro celeberrimæ auctoritatis, non potui alium æquiùs opponere, quàm te, ANTISTES R^{ME}, auctoritatis non inferioris; qui cùm optimè noris, quantum lucis adferat ſacræ Scriptûræ, cognitio linguarum primigeniarum quibus illa ſcripta fuit, aliarúmque in quas deinde iam olim transfuſa, tanti facis (quod ſcio) Regia Biblia, & adiectam illis eſſe Chaldaicam Paraphraſin, quantum ille rem improbabat: ſic vt auctoritate tua facilè reprimendus ſit, ſi quis ad illius viri iam vitâ functi exemplum, auius ſuo ſenſu abduci vellet. Denique volui hoc opuſculum ita exſtare, vt eſſet argumentum qualecumque (interea dum dabitur occaſio maioris) obſeruantiæ & gratitudinis erga R^{MAM} P. V. meæ: quam vt Dominus Deus in multos annos, nobis & Eccleſiæ Audomaropolitanę ſeruet incolumem, obnixè oro. Breuis in epiſtola ſum, quia in libro minimè longus. Audomaropoli, Kal. Decemb. anno quinto à ſexcenteſimo & milleſimo.

AVCTOR CANDIDO LECTORI.

DVM *allatæ essent Viri cuiusdam Celebris (cuius nomen honoris causa tacere visum est) litteræ, quibus Regia Biblia nuper édita suggillabat, ac præsertim quòd Chaldaica Paraphrasis reliquis S. Scripturæ textibus adiecta esset reprehendebat, Doctores Theologi, qui Censores Regis auctoritate operi præfuerant, illis respondendi prouinciam mihi, quòd ea in re aliquid præstare posse putarent, commisere. suscepi, non contentionis amans, sed pro ea, quam tantis viris debui, obseruantia. Quæ autem eam in rem scripsi, ex illorum sententia, visum fuit publicæ luci, si quando opportunitas feret, permittere; non quòd controuersias fouere sit animus, absit: sed ob causas, quas vno tibi verbo Lector, exponam, duas. Vna est, vt sciat Paraphraseos Chaldaicæ lector, quomodo versari in ea debeat, & quo eam loco habere. Altera, quòd arbitror complura hîc à me S. Scripturæ tractata loca, editionibus inter se mutuò & cum Hebraico fonte collatis, quæ S. Scripturæ studiosis adiumentum adferre poßint. Vale. Louanij. Kal. Augusti.* CIↃ. IↃ. LXXVII.

TRA-

TRACTATVS DE CHALDAICA S. SCRIPTVRÆ PARAPHRASI,

Pars prior.

Qua respondetur prioribus cuiusdam N. litteris, & vtilitates PARAPHRASEOS *describuntur.*

EGREGIA disertissimi Oratoris sententia est, felices fore artes, si de illis soli artifices iudicarent: sed eam felicitatem vt numquam artes consequutæ sunt, ita neque hodie consequuntur. Sunt enim semper homines, qui non se suo metientes pede, sibique plus æquo tribuentes, vel reprehendere velint, quod non satis intelligunt, vel contemnere & contemptibile reddere quod non nouerunt; scilicet, vt vel excellere in eo videantur, in quo mediocriter sunt instituti, vel ne magni quid fiat, & admirationi sit apud homines, cuius ipsi sunt rudes atque imperiti. Scripsit superioribus diebus litteras vir quidã non minimæ auctoritatis, quibus Regia suggillat Biblia, linguis Hebræa, Græca, Chaldæa, & Syrica ante annos aliquot edita, & plurimorum ac quidem doctissimorum virorum suffragiis approbata: ipse, tametsi doctus, linguarum harum haud satis peritus. Nolim ego quidem de viri boni animo iudicium ferre: sed manifestum id est, quòd se in causa incognita iudicem faciat. Hoc autem negocium sic est aggressus: *Legi diebus istis vestra noua Biblia, quæ totius Vniuersitatis iudicio tam splendidè & magnificè orbi commendantur, sed vtinam tam vtilia, quàm sunt sumtuosa.* verè sumtuosa sunt Biblia, in quibus nullis laboribus, nullis parcitum est sumtibus, ita vt nihil vmquam ars Typographica maius, nihil ediderit magnificentius. Sed cur quæso, dubitas, num par sit sumtibus vtilitas? *Quis enim piè Christianus ferat, Chaldaicam illam Paraphrasim tam insulsam, ineptam, puerilem, Iudaicam impiam, sanctissimo Dei verbo, velut alterum textum quendam apponi, & Christianis commendari?* Multa audio in Chaldaicam Paraphrasim congesta cõuitia: sed nihil additum rationis, quo mõstretur meritò hæc in eam relata. *Insulsam, ineptam, puerilem* fortasse iudicas, ob natiuas, incomtas atq; inauditas Latinis auribus phrases; quales sunt: *Irruit spiritus ab ante Dominũ: Quam dedisti eis ab ante populũ tuum; Consummauerunt omnis populus transire. Cauebitis valde animabus vestris ad peramandum Dominum Deum vestrũ; In ædificando vos vobis altare;* & aliæ plurimæ: sed has nõ ridebit is, cui linguæ proprietas perspecta fuerit. Porrò quod impietatis accusatur, in progressu, Deo adspirante, discutiemus. Cæterùm non hoc admittimus, sanctissimo Dei verbo velut alterum textũ esse appositum. Non enim sacri textus, sed Paraphraseos, titulum habet; nec sacræ Paraphraseos, sed Paraphraseos Auctorum Onckelosij ferè aut Ionathæ, quamquam id Latinè expressum non sit. Quin & locus ipse Paraphraseos indicet, nõ eo in honore habitam, quo Hebræa, Latina, & Græca. Primum enim locum obtinet Hebræa veritas, vt origo & mater; proximum Latina versio, qua post Hieronymum Ecclesia vtitur; tertium Græca interpretatio, qua primitiua Ecclesia est vsa. Sub his autem Paraphrasis, tamquam sub dominarum pedibus ancilla, inferiori loco constituta est, quasi non illis comparanda; sed quæ ministerio suo efficere quandoque possit, vt illæ faciliùs intelligantur. Ad hoc enim inter alia seruit Chaldæa Paraphrasis, vt rariores Hebraici textus voces intelligantur, & obscuriores sententiæ, difficilioraque loca tam Latinæ & Græcæ versionum, quàm Hebraici fontis explicentur. Accipe vtriusque exemplum vnum e multis. Iob 33. capite, versu 25., Hebræam vocem רטפש *rutaphas*, quam varie varij exponunt, optime Paraphrastes אתקליש *Ithkelis*, quod est, attenuata est, vt Latinus Interpres *Consumta est.* Quod quarto Exodi capite legimus: *Sponsus sanguinum tu mihi es,* luculentissime explanat Paraphrasis: *Nisi sanguis circumcisionis huius* (fusus fuisset) *condem-*

Ad quid seruiat Chaldæa Paraphrasis.

Iob 33. v. 25.

Exod. 4. v. 25.

 natus

natus erat ſponſus ad mortem. Sed *Meliori, inquis, ratione Paraphraſes Eraſmi nouo Teſtamento iunxiſſent, quàm peruerſos aliquot Rabbinariorum cōmentarios, textui Scripturæ aſſuerint*. Peruerſos Rabinorum commentarios, hoc tibi placet nomine, Chaldæorum appellare Paraphraſes, quæ, tantùm abeſt, vt diuina Chriſtianæ religionis myſteria oppugnent, aut rideant, quemadmodum Neotericorum Rabbinorum commentarij, vt plurimis in locis comprobent. Quod ſi aliquando humiliùs nonnulla explicent loca, quàm Euangelica luce donatis conueniat Chriſtianis; concedendum id illis eſt, qui vel priùs ſcripſerint, quam in terram ſuum lux Euangelica fulgorem ſparſerit, vel in ipſa lucis aurora, lucem per velamen dumtaxat, quo tecti erant, vt per transſennam acceperint. Ionathan enim filius Vzielis, qui in Prophetas Paraphraſes ſcripſit, ſub veteri ſynagoga ante Chriſtum natum floruit. Onkelos, qui Pentateuchum Paraphraſi illuſtrauit, paulò poſt Chriſti Seruatoris paſſionem vixit: Ioſephus cæcus qui Hagiographa explicuit, Auctorque ἀνώνυμος, qui Hiſtoricos interpretatus eſt libros, etiam ipſi vetuſti ſunt. Quare horum Paraphraſes, antiquiſſimorum Hebraicorum exemplarium loco, vſui nobis eſſe poſſunt: vt cùm, vt fit, corruptelæ arguitur Hebraicus qui hodie eſt textus, quique ei conſonat vulgatæ editionis Latinus, ex Græcorum, qui aliter legiſſe conſpiciuntur interpretatione, his Paraphraſibus aduerſarij redarguantur. Quemadmodum 2. Reg. 7. v. 23. Græci legerunt אהלי *ehele* (nam σκηνώματα *tabernacula* verterunt) Hebraici & Latini codices, transpoſitis litteris legunt אלהי *elohe* Dij. Hi, cùm & antiqua Chaldaica Paraphraſis eis concinat, haud facilè poſſunt ex illis reprehendi. Eraſmus heri natus, in nouum Teſtamentum Paraphraſes ſcripſit, quæ aut doceant aut redoleant exulceratiſſimi ſæculi noſtri hæreſes: quas qui Chaldæorum Paraphraſibus iudicat præferendas, ac potius Scripturæ textibus iungendas, videat, quàm cum Eccleſiæ iudicio, ſuum conueniat. Eccleſia etenim Iudæis, ſynagogas ſuas, ceremonias, religionemque permittit; at Hæreticis nec templa ſua nec ritus, nec inſtituta concedit. Rabbinorum recentiorum commentarios, qui Chriſti odio rabidi, Scripturas ita explicare conantur, vt Chriſto non conueniant, haud prohibet fidelibus: at aliorum libros, quicumque vel ſapiunt hæreſim, continuò aufert: plus enim ab his quàm ab illis cenſet eſſe periculi. At quàm etiam diſcrepent à recentiorum Rabbinorum commentariis Chaldaicę Paraphraſes, clarum, vt ſpero, ex his quæ mox dicturi ſumus, euadet. Sequitur in epiſtola. *Dicuntur Chriſtianæ Reipubl. iuuandæ & illuſtrandæ editæ*. Multum profectò iuuat atque exornat Rempublicam Chriſtianam edita Chaldæorum Paraprafis, nedum integrum Bibliorum opus, cuius pars infima Paraphraſis eſt. Nam vt eſt vetuſta Paraprafis, iuuat Hebaicum & Latinum textus ne mendoſi videantur, cùm à Græco diſſident. valet inſuper ad intelligendas rariores Hebraici textus voces. vtilis præterea eſt ad explicandas obſcuriores ſententias, tam Latinæ editionis quam fontis Hebraici, quæ à nobis iam declarata ſunt. Seruit quoque compluribus in locis noſtræ editioni, vt eius verſio contra aliorum interpretationes ſtabiliatur. Ezechielis 39. v. 2. quod nos legimus, *& ſeducam te*, pro eo quod alij vertūt, *& ſextabo te*, alij *& deducam te*, roborat Chaldæa Paraprafis quæ habet ואטעינך *vathinach*, quod eſt, & ſeducam te, ſiue errare faciam te. & alia huiuſmodi occurrunt plurima. Annon igitur & iuuat & illuſtrat Rempubl. Chriſtianam Chaldæa Paraprafis, quæ tot ſecum adfert vtilitates? *Cæterùm*, ais, *ſi quis Iudæus fieri voluerit, & Ieſum Mariæ filium pro nobis crucifixum ac mortuum ſecundùm Scripturas, iiſdem Scripturis eximere, & conculcare cum impiis Rabbinis voluerit, is Paraphraſim hanc ſibi deligat, & Cenſorum Louanienſium auctoritate ſe tueatur*. Atrox in Louanienſes Cenſores criminatio, quaſi feneſtram ipſi aperuerint, per quam fideles ex Chriſti Eccleſia in Iudaicam deſiliant ſynagogam; quæ non in Louanienſes tantùm, verùm etiam in Complutenſes redundat. Hi enim vt olim ſuis Bibliis Chaldaicam in Pentateuchum Paraphraſim adiecerunt, ita nunc in reliquos Sacræ Scripturæ libros, cùm dignam prorſus cenſerent quæ ederetur, ſubminiſtrarunt. Ximenius namque Cardinalis, qui Complutenſi olim editioni præfuit, ſolam ediderat Chaldaicam Pentateuchum: reliquos verò libros, qui fabulis, quod ipſe ait, Thalmudiſtarum Chaldaicè conſperſi erant, expurgari, verſoſque Latinè in publica Complutenſis vniuerſitatis bibliotheca reponi iuſſerat. Fuit Chaldæa Paraphraſis, in Hiſtoricos præſertim libros, quibuſdam in locis corrupta, additis nempe nonnullis alterius auctoris adiectionibus, quod D D. Ximenius & Montanus teſtantur: ſed adiectiones illæ cùm Ximenij tum Montani operâ à reliquo textu ſunt ſeparatæ; & quædam quidem, Chaldaicè dumtaxat, abſque Latina interpretatione, in finem Regij operis reiectæ. Itaque expurgatum exemplar, atque à ſe examinatum, Louanienſes Cenſores approbarunt, non quòd ſemper optimum eum cenſuerint exponendi modum, quem habet Paraphraſis, aut etiam eum probarint ſemper (admittunt enim frequentes Cenſores libros, quorum ipſi nec explicationes omnes probent, nec opiniones laudent, quinimò aliter ſæpè explicandum ac ſentiendum velint) ſed quòd ad certas res, eaſque vtiles conferat, nempe ad Hebraicum & Latinum textus illuſtrandos. Sic enim habet ſubſcriptionis eorum forma: *Hanc Chaldaicæ Paraphraſis veteris Teſtamenti Latinam verſionem, nos infraſcripti Theologi &c. diligenter examinauimus,*

Qui Paraphraſeos auctores, & quibus ferè temporibus ſcripſerint.

2. Reg. 7. v. 23.

Seruit Paraphraſis adſtruendæ Latinæ veteris editionis interpretationi. Ezech. 39. v. 2.

Paraphraſes expurgata.

Paraphraſeon expurgatarum approbationis modus.

minauimus, examinatamq; approbauimus, & ad ipsum textum Hebraicum Latinumq; plurimis locis illustrandum vtilem iudicauimus. Ita se explicant approbasse, vt ad priores digniores'q; textus illustrandos vtilem iudicauerint. Interim verò haberi ipsam voluerunt, vt ab huiusmodi auctoribus scriptam, Iudæis scilicet, qui Religionis Christianæ mysteria sacris litteris significata, vel non omnino cognouerint, quòd Euangelicæ claritatis facem præcesserint, vel non omnia receperint. Minimè verò, *si quis Iudæus fieri velit, & Iesum Mariæ filium pro nobis crucifixum & mortuum, secundùm Scripturas, Scripturis conculcare voluerit, is Paraphrasim hanc sibi deligat:* cùm è contra Christiani, vt Iudæos confutent, & Iesum Mariæ filium pro nobis crucifixum & mortuum esse secundùm Scripturas, verumque esse Messiam, quem Scriptura promittit, Iudæorum testimoniis ostendant, hanc sibi Paraphrasin deligant, atque ex ea id conficiant. Id quod ignorare non potest, qui Porchetum, Galatinum, & similes Christianæ fidei aduersus Iudæos propugnatores, legerit. Sed audiamus, quomodo id, quod dicis, probes. *Vt enim omittam, quàm stulta, puerilis, Iudaica, & contorta sit in Cantica, quàm in Lamentationes Ieremiæ inepta, & planè Iudaizans, vbi Messiam cum magno Sacerdote Elia venturum dicit: quis ferat, clarissimas Psalmi & Prophetarum sententias, sic ab impiis istis Rabbinis inuerti; vt nihil ad Messiam pertinere videantur?* Audio Paraphrastas accusari, quòd clarissimas Psalmi & Prophetarum sententias peruerterint, ita vt ad Messiam nihil videantur pertinere: sed nullus in exemplum adfertur locus. Nos igitur in contrarium aliquot adferamus loca, quæ Paraphrastæ non tantùm non peruerterint, verum etiam ita vt Christiani de Messia clare exposuerint, vt argumentis & exemplis potior quàm verbis fides habeatur. Psalmum 71. quem Christiani omnes de Christo interpretantur, Chaldæa Paraphrasis ab ipso initio ad Christum ostendit pertinere: *Deus*, habet, *sententiam iudiciorum tuorum Regi Messiæ da, & iustitiam tuam filio Dauidis Regis*. Locum noni capitis Isaiæ, qui puerum promittit nasciturum, qui præter alia præclara nomina, Dei nomen sit habiturus, diserte ad Christum Paraphrasis refert, verbis huiusmodi: *Paruulus enim natus est nobis, filius datus est nobis, & suscepit legem super se vt seruaret eam, & vocabitur nomen eius ab admirabili consilio Deus, vir permanens in sæculum, Messias, in cuius diebus pax multa erit super nos*. Locum septimi capitis: *Ecce virgo concipiet*, non adulterauit Paraphrastes, quod Iudæi recentiores, sed ex עלמה *halma*, idem fideliter vertit nomen, ad Chaldaicam formam mutatum עולימתא *hullemta*. Quadragesimo quinto Isaiæ quod legitur: *Israel saluatus est in Domino salute æterna*; Ionathan, *Israel saluatus est in verbo Domini salute æterna*. Rursus quod Oseæ primo: *Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo*; explicat, *& saluabo eos in verbo Domini Dei ipsorum*; Messiam, Dei verbum, hominumque Seruatorem docens. Quinquagesimum secundum Isaię caput à versu 13. & 53. integrum, quæ de Christo omnes, præter posteriores refractarios Iudæos intelligunt, Chaldæus adeò disertè de Christo interpretatur, vt Christianum fuisse, ante manifestatum Christi Euãgelium, cogaris dicere. *Ecce*, inquit, *prosperabit seruus meus Messias, exaltabitur & eleuabitur, & confortabitur valde. Pro delictis nostris ipse deprecabitur, & iniquitates nostræ propter eum dimittentur. Omnes nos quasi oues dispersi sumus, vnusquisque versus viam suam migrauimus, & Domini beneplacitum fuit dimittere peccata omnium nostrûm propter eum. beneplacitum enim fuit, vt conflaret & mundaret residuum populi sui, vt purificaret à peccatis animas eorum. videbunt regnum Messiæ sui &c. Diuidet spolia, eo quòd tradidit in mortem animam suam, & transgressores subiecit legi; & ipse pro peccatis multorum deprecabitur, & transgressoribus dimittetur propter eum*. Galatinus totum 16. octaui libri caput, occupat his & aliis, quæ ex quinquagesimi tertij capitis Paraphrasi recitat, vt Iudæos, qui plurimum Ionathæ Paraphrastæ tribuunt, conuincat falsò hunc locum de alio quàm de Christo exponere. Et quid multis exemplis opus est, cùm auctores omnes, qui in Chaldaica Paraphrasi sunt versati, plurima eam Christianæ fidei mysteria significanter admodum indicare testentur? *Omitti* verò meritò poterat quod præmittitur, *stultam, puerilem, Iudaicam & contortam esse Paraphrasin in Canticum; ineptam & planè Iudaizantem in Lamentationes Ieremiæ*. Quemadmodum enim rectè exponunt Canticum Canticorum Christiani, ita vt Christi & Ecclesiæ sit colloquium, & ad redemptionis nostræ beneficium referatur; sic non malè Iudæi, vt Dei & cœtus Israelitici sit dialogus, deque beneficiis quæ in veteri lege à Deo acceperunt Israelitæ, intelligatur. Hic exponendi modus conuenit paruulis, sub tutoribus & actoribus à patre constitutis, subque elementis mundi seruientibus; ille adultis, à legis seruitute redemtis, & filiorum adoptione donatis. Lamentationes Ieremiæ pluribus verbis Paraphrasis explicat, sed non malè cum pluribus in locis iuxta literalem & historicum sensum, qui quærendus priùs statuendusque est, quàm mysticus detur. Audiamus vnum versum quartum primi capitis, cui sunt alij plerique similes: *Omni tempore, quo erat Ierusalem ædificata, noluerunt filij Israel ascendere in Ierusalem, vt apparerent coram Domino tribus vicibus in anno. Itaque propter peccata domus Israel, deserta est Ierusalem, & factæ sunt viæ Sion lugentes, eò quòd non sit, qui veniat in eam tempore festiuitatum. Omnes portæ eius destructæ & sacerdotes eius gementes, quòd cessauerint oblationes: virgines eius*

[Margin notes: *Vtilis est Paraphrasis ad Iudæorum perfidiam confutandam.* — Psal. 71. — Isa. 9. v. 6. — Isaiæ 7. v. 14. — Isaiæ 45. v. 17. — Ose. 1. v. 7. — Isa. 52. 53. — Canticum Canticorũ. — *Paraphrasis in Threnos.* — Thren. 1. v. 4.]

 plan-

plangentes, quòd desierint egredi decimaquinta die mensis Augusti, & in die Propitiationis, quæ erat decima die Septembris, ad ducendos choros; ipsa quoque est amara corde valde. Porrò quod additur, Paraphrasin in Lamentationes Ieremiæ dicere, *Messiam cum magno sacerdote Elia venturum*; hunc ad modum se res habet. In fine quarti capitis, loco eius quod nostra editio habet, *Completa est iniquitas tua filia Sion*; hæc leguntur Paraphraseos verba: *Et posteà complebitur*, seu, *finietur iniquitas tua cætus Sion, & liberaberis*, siue *saluaberis per manum Messiæ & Eliæ sacerdotis magni*. Quid hæc verba continent quod Christianæ Fidei aduersetur, immo quod non conueniat? Non dicunt Messiam venturum esse, non negant venisse: sed hoc aiunt: *Posteà complebitur* &c. Sub mundi finem complebitur iniquitas Iudæorum, quando, vt Apostolus ait, *ingressa gentium plenitudine, omnis Israel saluus fiet*. Id autem perficietur *per Manum Messiæ & Eliæ*, id est, per Messiam & Eliam, hunc subseruientem, illum operantem; hunc verbis, exemplis, ac miraculis prædicantem; illum intus corda mouentem, *vt conuertantur corda filiorum ad patres eorum*, & transferantur post paululum filij cum patribus suis in regnum cæleste, quo Messias ad iudicandum venturus electos omnes à miseria assertos beabit. Vt autem pateat clariùs, quàm planè non iudaizet scripta in Lamentationes Paraphrasis, operæpretium fuerit luculento id exemplo monstrare. Quarti igitur capitis versum vicesimum, qui hunc in modum legitur in nostra editione: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris*; Paraphrasis hoc pacto explanat: *Rex ... Messias, qui erat dilectus nobis sicut spiraculum spiritus vitæ, qui est naribus nostris, & erat vnctus oleo vnctionis Domini, captus est in rete occisionis sceleratorum*. Hoc si Iudaicum, nescio quid sit Christianum. Sequitur in epistola. *Audiui quondam Domino Latomo, cùm Collegium Trilingue fundaretur, hunc sanctum fuisse timorem, ne cum Græcis litteris, Græcorum resurgerent errores: sic metuo, ne cum Hebraicis, Chaldaicis & Syriacis, characteribus istis, superstitiones & errores surgant Iudæorum, & Syrorum hæreses renouentur*. Atqui quia videt Dominus non euenisse, quod Latomus timuit, non surrexisse cum Græcis literis Græcorum errores; nihil simile timere debet, ne cum Hebraicis, Chaldaicis & Syriacis characteribus, errores atque hæreses Iudæorum ac Syrorum resurgant; quin potiùs sperare, quòd, quemadmodum Græcæ literæ cùm ornamentum tum vtilitatem maximam Catholicæ Ecclesiæ attulerunt, ita & Hebraicæ, Chaldaicæ ac Syriacæ, sint allaturæ. Quod de Græcis quidem & Hebraicis agnoscis, subiungis enim: *Bonum est Theologo Græcè & Hebraicè nosse*; cui consultò adnectis, *sed qui non cum offendiculo bono malè vtatur*. Plurimi enim malè vtuntur linguarum peritiâ, ac præsertim hæretici; verùm ex vsu, non ex abusu res iudicanda est. Nam & optimis ac sanctissimis quibusque rebus malè hominum malitia vtitur. Sed non perinde de Chaldaicis illud & Syriacis agnoscis. *Cæterùm*, ais, *quid Chaldaicam & Syriacam obtrudunt, & curiosa fatigant ingenia, & optimas horas furantur?* Magis quidem Hebraicæ & Græcæ linguæ peritia pro sacræ Scripturæ intelligentiâ est necessaria; sed vtilis est non parùm Chaldaicæ & Syriacæ notitia, id quod ostensum iam puto. Ad eadem namque confert in nouo Testamento Syriaca interpretatio, ad quæ in veteri Chaldaica Paraphrasis. Et hoc quidem illa præstat, quòd a Christianis Scriptoribus edita, & primorum olim in Syria Christianorum vsu sit probata. Adde, quòd constanter Syri asserant, ipsum B. Marcum, & suum Euangelium, & cæteros omnes noui Testamenti libros, in Syriacam linguam transtulisse. Quamobrem non malè bonas horas Theologus collocat, cum mediocrem sibi harum etiam linguarum, Syriacæ, inquam, & Chaldaicæ, notitiam comparat: & quidem si Hebraicè norit, bimestri possit vtramque addiscere, quantum Theologo satis sit. Pergit epistola: *Quasi nouum Testamentum ab Apostolis Syriacè, & vetus Chaldaicè traditum sit. Apostoli Romæ & in Hispaniis cùm fundarent Ecclesiam, non Chaldaicè, non Hebraicè, sed Latinè nobis Scripturas tradiderunt: quemadmodum Syrus Interpres bene de euangelio Marci censet, Romanè ab ipso Romæ scriptum esse. Sed hæc nunc omitto*. In veteri Testamento, magnæ Ezræ & Danielis partes Chaldaicè sunt scriptæ; in nouo, B. Matthæi euangelium, & B. Pauli ad Hebræos epistola (quod in præfatione noui Testamenti Syriaci Albertus VVidmanstadius docet) Syriacè. Quid verò vnquam noui Testamenti ab Apostolis aut Euangelistis Latinè scriptum, Auctorum quisquam sensit, præter vnum Marci euangelium, quod Romæ ab eo Romanorum lingua scriptum Syri existimant? Tribus iam memoratis noui Testamenti libris exceptis, reliquos omnes Græcè primùm scriptos fuisse vno omnes ore fatentur. *Quare non Gallicè, Arabicè, Slauonicè, Indicè, vel aliis magis barbaris linguis, Scripturas ediderunt? Scio equidem aliquantulum interesse: sed quid est quod tantos labores & sumtus meruerit?* Cùm nec labores ipse tuleris, nec sumtus suppeditaueris, non est, obseruande Domine, quod queraris. Porrò aliquantulum illud quod nosti interesse, aliis tam magnum esse visum est, vt his laboribus & sumtibus dignum iudicauerint. Mihi verò multò etiam dignius, ac parùm pro dignitate præstitum esse videtur. Quo enim non digna honore est, sacrosancta ac θεόπνευστος Scriptura? ac in iis primùm linguis, quibus à Dei spiritu dictata; deinde in iis, in quas versa. Christianarum

Thren. 4. v. 22.

Rom. 11. v. 25. 26.

Thren. 4. v. 20.

Syriaca noui Testamenti editio.

Eccle-

Ecclesiarum vsu probata est? Sequitur: *Percurre, & si placet ipse diiudica, nam meo iudicio, pessimè de Christianismo meruerunt, qui Paraphrasim illam tantopere commendarunt*. Res ista, Domine mi, grauior est, quàm vt percurrendo diiudicari possit. Atque hinc minus æquum hac in parte à te profectum esse iudicium existimo, quòd percurreris dumtaxat, nec vsu didiceris, quantum ad solidam & facilem arcanarum literarum intelligentiam hæc conferre Biblia possint. At difficile omnino est, iis qui experti non sint, persuadere, quantum lucis, variorum textuum, ac fontium præcipue collatio, adferat. Paulò autem plus ipse quam percurri hæc Biblia; sed nusquam vidi Chaldaicam Paraphrasim tantopere commendatam, quantopere tua verba præ se ferunt. In epistola Ariæ Montani, quæ est in initio tomi secundi; in epistola Francisci Raphelengij, quæ est in tomo vltimo variis lectionibus Chaldaicæ Paraphraseos præfixa; denique in Louaniensium Censorum approbatione, obiter dumtaxat, & paucis verbis commendatur, quòd ad alios Scripturæ textus illustrandos conducat, & sæpenumero Christianæ religionis mysteriis significanter faueat. *Quamobrem rogo, vt Biblia illa non ponantur in Collegiis, vt iuuenes tempus suum in linguis illis & grammaticis discendis non perdant*. Hæc quàm sit recta ex præcedentibus illatio, & quàm iusta petitio, ex iis quæ dicta sunt, manifestum esse arbitror. Porrò sunt in Collegiis iuuenes, qui linguas has & grammaticas, quantum satis est calleant, nec debeant tempus perdere vt discant: verumenimuerò non perdant tempus, qui discant, sed id sibi comparent, quo sine in perfectos Theologos euadere nequeant. Non enim Iudaicos Theologos linguarum istarum cognitio efficiat, quod vis, dum subnectis: *Nam si non Christianos, sed Iudaicos Theologos cupitis, Biblia illa commendate*; Sed in Christiana ac vera Theologia absolutos, dummodo non ita linguis Scripturæ inhæreant, vt veterum patrum & scholasticorum Doctorum lectionem negligant. Is enim demum perfectus in Theologico puluere est artifex, qui & sacrarum linguarum cognitione instructus, & veterum patrum doctrina imbutus, & scholasticorum Doctorum profunditatem est assecutus. Qui verò sacrarum linguarum sunt imperiti, earum, inquam, quibus Scriptura est edita, mirum quàm sæpè hallucinentur, cùm Scripturam explanant, dum nunc vrgent Latinæ vocis proprietates, nunc fallũtur Latinæ orationis ambiguitate, nunc mysticos sensus proferunt in literali non fundatos. Si verò vnquam, hac potissimùm ætate, Theologo linguarum cognitio necessaria est: hac inquam ætate, qua ad prima sua principia reuocãtur omnia. Non sufficit hæreticis vulgata versio ab Ecclesia probata: non satisfacit sensus à veterum patrum aliquo datus; nisi fonti ipsi conformem ostendas, quem adfers versionis locum, aut veteris Patris sensum, nihil efficias. Immo hoc nos nomine apud suos traducunt, atque hac ratione incautos ad se pelliciunt, quasi indoctorum hominum versionibus fisi, qui lapsi sint sæpè, hallucinati frequenter, Scripturæ veritatem, ipsi originalium linguarum ignari, nec videre nec docere possimus. Quæ cùm animo seriò voluo meo, non possum mirari satis, quod subnexum est: *Imprudenter sanè suo honori consuluit tum Facultas tum Academia, quòd tantas nugas tanta cum grauitate mundo obtruserint. ridiculum murem tanto partu ediderunt.*

Antiquarũ linguarum cognitio.

Quid enim magis Facultati atque Academiæ honorificum esse potuit, quàm cùm tot hodie ab hæreticis prodeant variis linguis instructa atque hæreseos veneno conspersa Biblia, suæ auctoritatis testimonio, Catholicis, quæ tutò legant, ostendere, vt nihilo hæreticis inferiores, fidem quam adserimus, sic vulgatæ editioni monstremus esse consonam, vt à fonte non dissonet. Fuerunt in Facultate atque Academia prudentes viri, qui hæc considerarunt, nihilque se & totius Academiæ honore dignius censuerint, quàm vt hoc Bibliorum opus, sua auctoritate orbi traderent & commendarent: in quod vniuersa Academia consensit. Quòd si nostram fortassis Academiam parui facias, quòd aliquando eius membrum fueris, Parisiensis Academia in eandem iuit sententiam: & Complutum congregati ex omni Hispania duo & quadraginta Sacræ Theologiæ Doctores, vnanimiter omnes, operis huius rationem probarunt. Adde Pontificem Pium benedictionem transmisisse operi inchoato, & qui nunc præest, Gregorio supra modum placuisse perfectum. Adde ab Illustrissimis Cardinalibus & aliis plurimis doctis simul & magnis viris laudatum esse, atque etiamnum laudari. Quorum omnium iudicio, si tuum vnius præferas, abundè temetipsum refutas. *Nugas*, dicis, *Academiam mundo obtrusisse, & magno partu ridiculum murem edidisse* (quod quis studiosorum possit pati, qui zelo honoris matris suæ teneatur?) non aliunde profectò, pace tua dixerim, quàm quòd operis vsum non intelligas, nec vtilitatum eius sis capax: quemadmodum vt in fabulis est, gallus inuentam in sterquilinio gemmam repudiauit, atque hordei grano postposuit, quòd eius precium ignoraret. Ne, quæso, irascatur Dominus meus, quòd liberiùs loquar: sed iudicare dignetur, an non huiusmodi responsionem illæ exigant literæ. Non enim hæc ex dignitatis tuæ, quam venerari libet & colere, contemptu; absit; sed ex veritatis, quam veritate propugnare fuit animus, amore profecta sunt. Sequitur postremum epistolæ. *Consulerem Dominus qui præfuerunt, vt epistolam aliquam velut antidotum contra venenum Paraphrasis, Bibliis præfigerent, & lectorem imperitum, ne quid incautus erret, præmoneant*. Priùs cognitum sit venenum oportet & commonstratum, quàm paretur anti-

antidotum. Nam quæ antè in Paraphrasim dicta sunt, suam habent responsionem. Quòd si illud est venenum, quod non omnia omnino Scripturæ loca, eo, quo Christiani modo, explicet; habenda est, vti diximus, vt ab huiusmodi scripta auctoribus, Iudæis inquam, quibus Christiana fides haud perfectè fuerit reuelata. Edidit ante hac Nebiensis Episcopus Chaldaicum Psalterium: edidit Ximenius Cardinalis Chaldaicam Pentateuchum: sed neuter eorum eiusmodi præmisit epistolam, qua contra Paraphrasteos venenum lectorem præmuniret. Si id tamen ostendatur, Paraphrasim in errorem lectores inducere, aut periculum, id est, verisimiliter imminens esse malum: non recusabunt, vel qui operi præfuerunt, epistolam scribere, vel Typographus excudere, cùm non alio hæc relata esse voluerint, quàm ad Omnipotentis Dei gloriam, & Christianæ Catholicæque Fidei profectum.

Quo loco habenda Chaldæa Paraphrasis.

TRACTATVS DE CHALDAICA S. SCRIPTVRÆ PARAPHRASI,

Pars posterior.

Qua respondetur posterioribus eiusdem N. litteris, & plurima S. SCRIPTVRAE *loca explanantur.*

DVABVS ex causis, Amplissime Domine, fuerunt nobis literæ, quibus nostris *ἀνταποκρίσεις*, lectu periucundæ, quòd & explicent eruditionis tuæ de linguarum, quibus diuina eloquia scripta exstant, studio cognitioneque sententiam, & quæ in Chadaica Paraphrasi iudicium tuum offenderunt loca, adferant. Cœperant enim nuper, cùm priores illæ tuæ literæ in hominum ore versarentur, qui in hoc sibi placent, quòd linguarum sint imperiti, possintque sine linguarum scientia linguas prophetarum intelligere, aut verius, ne quid quod ad eruditionem faciat, deesse ipsis videatur, ignorantiæ suæ velamen quærunt; cœperant, inquam, hi mirum in modum exsultare, & de tua auctoritate, quasi quæ ipsorum imperitiæ suffragaretur gloriari: atque eorum quibusdam, qui in sacrarum linguarum studio mediocrem operam ponunt insultare, & quos ratione non poterant, tuis literis ad Magistros nostros scriptis, à felici cursu deterrere. Quocirca pergratum fuit, quod posterioribus his literis declararis, eius te esse sententiæ de linguarum notitia, cuius sunt omnes qui de re rectè iudicant, felicem Theologum, qui mediocriter immo perfectissimè Græcè & Hebraicè norit, & cæteras linguas quibus olim sacra Scriptura scripta traductave fuit, quantum satis est; nec tantùm te harum cognitionem non improbare, vt proprio exemplo discendas, etiam iam senex, vt Beatus olim Hieronymus, ostenderis. Porrò quod in Hebræis plerisque deplores, grammaticos eos potiùs, quàm Theologos esse, ferè ex Rabbinis non parum Iudaizare, Ecclesiam armis contra Iudæos exuere, supercilium contra viros non improbos assumere, rectè id ac sapienter facis. Sunt hæc multorum vitia, quæ nos vobiscum detestamur. Cæterùm ex his Hebraicæ linguæ studium damnare, imprudentium est hominum, qui ab abusu vsum nesciunt discernere, vel, si in cæteris rebus possint, in hac φιλαυτίᾳ cœcutire eligunt, ne in eo quod ad eruditionis perfectionem momentum magnum adfert, deficere existimentur: in quos congruit illud vulgaris dicti: *Ars non habet inimicum nisi ignorantem*. Non potest quidem vnus omnia; sed potest vnus in eo quod præcipuum est præcipuam operam ponere; in iis autem, quæ ad id quod præcipuum est assequendum, desiderantur, non maiorem quàm ad eum finem necesse sit.

Linguarũ cognitio.

Neque

Neque enim opus est Græcam Hebraicámve linguam perfectè Theologus calleat; nec id conetur, dum Theologiæ incumbendum est, consultum arbitrer, tametsi felix esset, si, dum pueri studia formarentur, perdidicisset. Hæc de linguarum cognitione, de qua tuam eruditionem vnius nobiscum esse sententiæ, gaudemus.

Chaldaica Paraphrasis.

Porrò de Chaldaica Paraphrasi non perinde inter nos conuenit, tametsi non adeò sit magnum, quo discrepemus. Admittit vestra prudentia, tolerabilem esse plerisque locis Chaldaicam Paraphrasim, in Pentateuchum, Psalmos, & Historicos libros; sed iniq; fert simul cum sacris cæterarum linguarum textibus excusam esse. Nos vtilem esse existimamus etiam in Prophetas, & reliqua Hagiographa, nec imprudenter sacris textibus subiectam. Magnam adfert diligentia tua locorum congeriem, quæ in Chaldaica Paraphrasi displiceant, alia quòd quæ de Christo Christiani interpretantur aliter exponant, alia quòd ab Hebræo prototypo recedant, alia quòd Iudaicas fabulas contineant, denique alia quòd nec præcedentibus nec sequentibus cohæreant. Nos, quædam esse, quæ haud sine causa displicere possint, fatemur, sed multa immeritò à vobis reprehensa esse arbitramur. His igitur tantumque dissidemus, disputatione, non dilectione; nam te ego & veneror, quod dixi, & colo. Sed hoc quidquid est dissidij, facilè componi possit.

Paraphraseos vtilitates

Vtilitatem Chaldaicæ Paraphraseos superiori scripto existimo à nobis cōmonstratam, quamquam breuiter pro epistolæ modo eiusque ad virum doctissimum scriptæ; quod iuuet Hebraicum Latinumque textus ne mendosi videantur, cum à Græco dissident: quod valeat ad intelligendas rariores Hebraici textus voces; quòd vtilis sit ad explicandas obscuriores sententias tam Latinæ editionis, quàm fontis Hebraici, quod seruiat compluribus in locis nostræ editioni, vt eius versio contra aliorum interpretationes stabiliatur; quòd sæpenumerò Christianæ religionis mysteriis significanter faueat.

Iob 33. v. 25.

Verùm enimuero, quod conaris, exemplorum à nobis allatorum quædam refutare, certè non efficis. Id quod ex libri Iob 33. capite protulimus, negas veteri & Ecclesiæ Interpreti, cui labor excudendæ Paraphraseos dicatus fuit, suffragari: quinimmo aduersari ais, quòd vox נער *Nohar*, *pueritia* sit versa, non vt ab Interprete *supplicium*. Allatum fuit hoc exemplū, vt ostenderetur, ad rariores Hebraici textus voces intelligendas Paraphrasim conducere, non eò primùm vt Latini Interpretis versio Chaldæi Paraphrasi probaretur: nam ad id aliud ex proposito exemplum dedimus. probatur hinc tamen, id quod submonueramus, manifestissimè. Nam vocem רטפש *Rutapas* (hanc enim eamque solam vrsimus) raram illam, & quæ non alio quàm hoc libri Iob loco occurrit, alij *Succulenta* seu *corpulenta erit*, alij *viridior facta est*, alij *germinata & aucta est*, LXX. ἁπαλυνεῖ *emolliet*; Latinus verò Interpres *Consumta est* reddit, atque ei concinens Chaldæus Paraphrastes אתקליש *Itkelis*, *attenuata est*. idem est enim attenuatam esse carnem, quod consumtam. Quidam autē Chaldaici codices, Venetus nominatim, איתחליש *Ithalis* habent, quod est, *debilitata est*: id quod tam est Latini Interpretis versioni conforme, quàm quòd esse possit maximè. Quid si verò vltimā huius sentētiæ vocem נער *Nohar*, non ita Chaldæus transferat vt Latinus? non necesse est vbique conueniant: nam nec LXX, quos nemo negauerit meritò prudenterque Bibliis additos, vbiq; Latinæ interpretationi consentiunt. Hoc certè loco τὸ נער *Nohar*, Chaldæo accedentes, νήπιον infantem conuerterunt. Conuenit autem sententiā, Chaldaica cum Latina versione, tametsi postremam vocem aliter reddat: Attenuata seu debilis facta est caro eius magis quàm sit caro pueri, à pœnis scilicet, quas pro peccatis vel incurrit, vel sponte assumsit: Miserere ô Deus, & redde ei vires, quas adolescens habuit. Porrò, quid opus est nouam fingere Latini Interpretis in Hebræo lectionem רטש *Ruttas*, cùm ea, quam constanter codices habent, interpretationi eius congruere, alterius peritissimi Hebraicæ linguæ Interpretis auctoritate monstretur? nisi fortè & hunc aliter legisse dicas.

Exod. 4. v. 25.

In exemplo, quod ex quarto Exodi capite dedimus, vt ostēderemus, ad obscuriores S. Scripturæ sentētias elucidandas valere Paraphrasim, dicis iuuare Paraphrastem, non vt interpretem, sed vt glossam Lyrani, quæ & plus lucis adferat. Officiū Paraphrastæ est, rem ab Auctore succinctiùs dictam, plusculis verbis dilucidam facere: iuuat itaque hoc loco Paraphrastes, & similibus aliis quàm plurimis, vt Paraphastes, ex proprio officio, tametsi frequenter idem adiumenti ex commentariis siue Lyrani, siue aliorum, haberi possit; immo hoc fit maioris auctoritatis interpretatio, quo plures in eandem conspirant. Quidam verò hæc Sephoræ verba *Sponsus sanguinum tu mihi es*, ad puerum referre malunt, quidam ad Moysen: vtrumq; textus admittit, nec video cur illud magis, quàm hoc, Hebræo siue Latino congruat. Lyranus textui magis congruere putat, si ad Moysen referantur, quia sequatur *& dimisit eum*. sed fallitur quòd existimet voci *dimisit* Sephoram subaudiri posse, cùm masculini sit generis Hebræis, ירף *Iereph*. B. Augustinus concedit locum ad vtrumque referri posse: magno autem sacramento dictum arbitratur: *Stetit sanguis*, non *cucurrit*, iuxta LXX: qui quia verterunt, *& procidit ad pedes eius*, pro eo quod habemus nos *Tetigitq́; pedes eius*, intellexisse videntur ad angelum id dictum esse *Stetit sanguis circum-*

circumcisionis filij mei, quasi diceret Sephora, Perfecta est circumcisio filij mei, ob cuius neglectum iratus fuisti.

Circa tertium, quod eleuare niteris, exemplum, & similia quæcumque, quæ non sunt pauca, fatemur, immo asserimus, maiorem adhibendam esse fidem ipsi sacro textui cum vulgata editione consentienti, quàm Chaldaicæ Paraphrasi: sed eò ea exempla faciunt; quod apertis verbis diximus; vt monstretur seruire Paraphrasim contra eos, qui Hebraicum textum & qui ei consentit Latinum, mendosum corruptumque ostendere volunt, ex LXX-duorum qui aliter legisse conspiciuntur, interpretatione. id enim viris quibusdam, qui Hebraicum textum deprauatum monstrare conantur familiarissimum est. Contra hos igitur id vtilitatis adfert Paraphrasis, vt Hebraici textus, & qui ei ferè consonat. Latini, lectio stabiliatur. Nam cùm antiqua sit, saltem antiqui Hebraici exemplaris est loco. Porrò vetustum illum codicem, quem aliquando vidisti legere ita vt LXX. habent *Gentem & domum eius*, suspicor fuisse Bibliothecæ Atrebatensis Collegij manuscriptum: nam & nos eum olim habere contra alios omnes obseruauimus: *Percutiens gentem & domum eius*, mixto cum textu commentario, mutatoque *Deum* in *domum*, occasione; quod verisimile est; Græcæ translationis. Manent igitur inconcussa, quæ de Chaldaicæ Paraphraseos vtilitatibus diximus, quæ eam etiam concernunt, quæ in Prophetas & Hagiographa exstat (ea quę in Prophetas exstat, nostro iudicio, aliis omnibus præferri meretur) nec credo te illa posse negare: quinimmò satis te indicas nolle. Cæterùm non pateris sacris textibus iunctam esse: vis humiliori loco sedeat, nec vt formosa ancilla sacro textui assideat. Formosa sit nécne ancilla, inspectoribus iudicium relinquitur. Ego, quantum post frequentem inspectionem iudicare possum, formosam censeo in genere ancillarum, quarum forma, nec præstantior esse solet dominarum forma, nec æqualis, sed inferior; vt tanto dominæ formosiores videantur, atque in illarum solarum admirationem amatores trahantur. Quo autem humiliori loco sedere possit, quàm eo quo sedet, sub pedibus dominarum? Atqui separatim placet inter Rabbinorum commentarios & Iudæorum quisquilias commoretur. Sed tum præstò non sit ancilla, vt cùm opus est, dominis seruiat. Voluerunt, qui magna hæc magnificaque Biblia magnifico Hispaniarum Regi ediderunt, Complutensem editionem imitandam sibi ac superandam proponere, & quatuor ea linguis, quibus præcipue nobiles sunt sacræ litteræ, vbicumque possent instruere, cùm ad operis ornamentum, tum ad legentium vtilitatem, vt in promtu esset, quatuor vbique antiquissimas celeberrimasque linguarum editiones inter se conferre. Quare præter Pentateuchum, quæ in Complutensi opere sola erat, dederunt & reliquos libros Chaldaicos, quos Ximenius Cardinalis, Complutensis excusionis præses, morte præuentus edere non potuerat, quemadmodum statuerat. Quis verò vnquam in Complutensi opere damnauit, immo quis non probauit, quòd Chaldaica ei in Pentateuchum Paraphrasis sit addita? aut quis Nebiensem Episcopum reprehendit, quòd cæteris Psalterij textibus Chaldaicum iunxerit? Neque verò propriâ auctoritate, aut sine aliorum doctorum virorum consilio, reliquos Chaldaicos libros Regio operi adiecerunt. Compluti congregati duo & quadraginta Doctores, omnem operis rationem probarunt. Quare & Complutẽsis Academia, Chaldaicam in Prophetas Paraphrasim è sua Bibliotheca, in qua à Ximenio illo deposita fuerat, & in Hagiographos libros, transmisit addendas. In Historicos verò libros, ab Andrea Masio Cliuiæ Ducis Consiliario acceperunt. Is enim hanc, vt à Ximenio expurgata fuerat, venalem fortè Romæ repererat. Episcopus Ruremundensis, cuius sententiæ plurimum hac in re tribuendum fuit, exercitationique deferendum, consuluit, vt qui Complutensi operi deerãt Chaldaici libri, Regio adderentur. Quamuis autem ab aliis emendatæ atque approbatæ Chaldaicæ hæ Paraphrases essent: non tamen sine delectorum Censorum examine sunt appositæ, sed priùs tum à Louaniensibus, tum ab Antuerpiensibus perlectæ, & quædam quæ displicebant, ex Hagiographis præsertim libris, quibus Ximenius Cardinalis limam non adhibuerat, ablata sunt, atque in finem Regij operis, absque Latina interpretatione, reiecta. Verum hoc iudicio tuo satisfacere non videtur: innumera enim ferè adfers loca, quibus & restare in Chaldaica Paraphrasi, quæ displicere atque à reliquo corpore separari meritò debeant, & in vniuersum, indignam esse Paraphrasim, quæ sacris textibus iuncta fuerit, monstrare adniteris. Age igitur expendamus ea loca, & iusti examinis trutinâ ponderata, quid valeant, quidve efficiant, videamus. Cæterùm, id profiteor, non fuisse me opus subiturum, præsertim cùm te haud cupere responderi iterum præmonueris, nisi Dominis Magistris nostris visum fuisset id mihi imponere: quorum vt iussui obsistere nequiui, ita ratione, qua moti sunt, reluctari haud potui; omnino discutienda esse tot tantaque quæ accusata sunt loca, non contentionis studio, sed vt quod verum est, clarum euadat, non hunc in modum obscuretur.

Quinquagesimum tertium Isaiæ caput non interpretatur Paraphrastes generatim de quouis iusto & gente sancta, sed de eo, qui κατ' ἀντονομασίαν iustus intelligitur, Christo, quem & disertè semel atque iterùm nominat, cuius opis indigam terram, replendam dicit gente sancta. Clarissimum

1. Reg. 7. v. 13.

Chaldæa Paraphrasis Biblijs addita.

Cur.

Quorum consilio.

Ysaias. Isaiæ 53.

mum id fit totum perlegenti caput,& præcedentis partem postremam. Nuper ad hoc multa nos verba recitauimus, plura Galatinus recitat, loco quem etiam tum indicauimus. Quòd verò interpretaris Paraphrastæ verba, quæ de Christi oratione,morte,& peccatorum per eum remissione,habet,quòd Dominus subinde propter iustos qui fideles ei sunt vsque ad mortem,peccata populi dimittat, sicut de Moyse legitur,minimè id exigunt verba: non minus enim quàm Hebraicus & Latinus textus, sanam Christianæ fidei interpretationem admittunt; sed eò lubet vobis trahere, quòd putetis, Paraphrasten hunc qui Prophetas exposuit,Iudæum Christo Christianisque inimicum fuisse,cùm ante Christi natiuitatem sub veteri synagoga floruerit, id quod testatur,prętet alios,Galatinus libri primi tertio capite,quo eum eiusque Paraphrasim describit, & à patefactis plurimis de Christo mysteriis commendat. Sed, *in contrarium*,ais, *torquet quæ palàm est ad Christi passionem pertinere. Robustos populorum qua*[?] *agnum ad victimam tradet, & sicut ouem, quæ coram tondente se tacet.* Aliò refert, quod nobis Euangelij luce donatis, Deo laus, palam est ad Christi passionem pertinere (quamquam Galatinus ita distinguat, & interpretetur eius Paraphrasim,vt à Passionis Christi mysterio nihil recedat: *exorauit & ipse exauditus est, donec non aperuit os suum suscepturos robustos gentium. Sicut aries occisioni tradetur, & sicut ouis coram tondentibus se mutefiet*)sed ignoscendum id ei est,qui priùs scripserit, quàm suum lux Euangelica in terram fulgorem sparserit. Quocirca cùm vel istam 53. capitis Isaiæ partem, vel alia aliqua loca (cuiusmodi sunt ea, quæ postea profertis, Isaiæ 61. versu. 1. Isaiæ 63. v. 1. 2. 3. Zachariæ 11. v. 12. 13. Zachariæ 12. v. 10. Malachiæ 1. v. 11.) aliter interpretatur, ac nos Christiana docuit fides, non Iudaicæ peruersitati aut malitiæ adscribendum id est, sed ignorantiæ illius temporis, quam paulò pòst ortus Iustitiæ veritatisque sol decussit. Alij Paraphraseos auctores (neque enim omnium librorum idem est auctor) Onkelos,qui Pentateuchum,Iosephus Cæcus,qui Hagiographa,Auctor ἀνώνυμος qui Historicos explicuit libros,post Christum vixere atque scripsere. Quare in his meritò reprehendatur, vti quòd in Christum credere noluerunt,sic quòd Scripturæ sacræ testimonia,quæ Christianam adstruunt fidem,aliò nõnumquam, seu prudentes,seu imprudentes, traxerint. qualia sunt ea quæ à te annotata sunt, Psalmi 2. v. 7. Psalm. 109. v. 1. & eiusdem v. 4. Sed ob alias vtilitates admissæ excusæque sunt eorum Paraphrases, quæ frequenter etiam Christianæ religionis doctrinam, siue ipsis à veritate coactis, siue sponte veritati fauentibus, siue diuinitus actis,confirmant. Sunt etiam quædam in horum Paraphrasibus, maximè Iosephi Cœci, quæ Iudaicam superstitionem, vel contineant, vel redoleant, vt id quod ex octaui Cantici Canticorum capitis quinto versu adfertis, scissum iri in Resurrectione montem oliuarum omnesque Israelitas mortuos ex eo egressuros, iustos etiam, qui in captiuitate sint mortui, venturos per viam spinarum sub terra, atque eodem ex monte prodituros,& redituros in Sion ac Ierusalem,quę rectè etiam in finem operis inter superuacanea reiici potuissent, nisi huiusmodi ferè essent quæ ad textus integritatem necessariò pertinerẽt,nec separari nisi mutilo mancoque relicto possent. Ad hæc talia sunt,quæ facilè lector, vel sensu pio Sacrisq; literis familiari intelligere,vel animaduertere, atque vt Iudæorum deliria contemnere possit, qui Iudæos harum Paraphraseon haud ignorat esse scriptores. Quare & cùm manifesta Scripturæ loca,aliter ab iis videt explanata,quàm Christianorum Religio explicet,nihil miratur, sed Iudæorum sensu paruulorum ignorantiam despicit. Non enim cùm à Censoribus approbata est Chaldæa Paraphrasis, omnes vbique explicationes eius & dicta probata sunt, sed ad res certas vtilis est iudicata,habenda interim, vt ab huiusmodi scripta auctoribus, Iudæis, qui Christianæ religionis mysteria Sacris literis significata, vel non omnia receperint, vel non omnia cognouerint. id quod abundè existimo superiori scripto à nobis declaratum. Cæterùm nec in receptis Ecclesiæ vsu editionibus, quidquid in vna significatur mysteriorũ, continuò & ex altera eodem loco intelligitur. Sunt quæ Græca editione certis locis significentur, non Latina: rursus sunt quæ Latina,non Græca. Primi Regum 21. capite quod legitur de Dauide iuxta Græcam editionem καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ *& ferebatur in manibus suis*, B. Augustinus Psalmum enarrans 33. significare intelligit Christum,qui seipsum ferebat manibus suis,quando commendans ipsum corpus suũ,ait: Hoc est corpus meum; rectè,id quod tamen Latina editio non significat: *Et collabebatur inter manus eorum.* Aggæi secũdo capite,Latina editio manifestè de Christo ait: *& veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria:* Græca verò habet, καὶ ἥξει τὰ ἐκλεκτὰ πάντων τῶν ἐθνῶν, καὶ πλήσω τὸν οἶκον τοῦτον δόξης. *Et venient electa omnium gentium,& implebo domum istam gloria.* id quod Iudæi interpretentur, de donis quæ Gentium reges Deo in posteriori templo obtulerunt, quibus illud priori præstitisse, quod nos Christi præsentiâ, docent. Huius generis sunt & alia non pauca. Multò igitur minùs in Chaldaicis Paraphrasibus mirandum id est. Addam & aliud, quò liqueat non propterea omittendas fuisse Paraphrases, quòd quædam subinde contineant, de quorum aut veritate dubitari possit, aut superstitione liceat suspicari. Sacris editionis nostræ Bibliis, plerumque adiungitur quartus Ezræ liber: nec temerè omittere quis audeat. qui non tantùm non est sacer textus, aut Scriptura ca-

Paraphrastes Prophetarum ante Christum vixit.

Isa. 61. v. 1. Isa. 63. v. 1. 2. 3. Zach. 11. v. 12. 13. Zach 12. v. 10. Malach. 1. v. 11.

Cæteri post Christum. Psalm. 2. v. 7. Psam. 109. v. 1. 4.

Cant. 8. v. 5.

Quo loco habenda Paraphrasis.

1. Reg. 21. v. 13.

Agg. 2. v. 8.

Quartus Ezræ lib. nonica, verumetiam quædam falsa complecti, & superstitiosa recensere videtur. Sexti capitis 55. versu, & sequentibus, distinguit Iudæos à reliquis gentibus ab Adamo natis: & propter Iudæos creatum dicit sæculum, reliquas autem gentes nil esse coram Deo, & saliuæ assimilatas, & quasi stillicidium de vase abundantiam eorum. Et noni capitis 21. & 22. versibus, quod eodem pertinere videtur, ait: *Et vidi & peperci ei* (sæculo) *valde: & seruaui mihi acinum de botro, & plantationem de tribu multa. Pereat ergo multitudo quæ sine causa nata est, & seruetur acinus meus & plantatio mea, quia cum multo labore perfeci.* Sexti capitis 49. & proximis versibus, referre videtur Iudæorum fabulam, de duobus immensæ magnitudinis animalibus, quæ Deus à mundi initio creata reseruet futuris Iudæorum deliciis. *Et tunc*, ait (quinto die, quo mare pisces procreauit) *conseruasti duas animas: nomen vni vocasti Henoch, & nomen secundæ vocasti Leuiathan: & separasti ea ab alterutro, non enim poterat septima pars, vbi erat aqua congregata, capere ea. & dedisti Henoch vnam partem, quæ siccata est tertio die, vt habitet in ea, vbi sunt montes mille. Leuiathan autem dedisti septimam partem humidam, & seruasti eam, vt fiat in deuorationem, quibus vis, & quando vis.* Tertiodecimo capite versu 39. & subsequentibus, longè latèque narrat, quod Iudæi sibi stultè persuadent, non absimile ei quod ex Paraphrasi Cantici Canticorum à vobis reprehensum mox commemorauimus, decem tribus Israel, inaccesso quodam terræ loco absconditas, seruire diuinæ legi, vnde in nouissimo tempore egressuræ sint, & occupaturæ vniuersum orbem, & cum Messia in Ierusalem redituræ. Adscribam libri verba: perfectè enim historiam narrat: *Et quoniam vidisti eum colligentem ad se aliam multitudinem pacificam* (explicatur somnium Ezræ) *hæ sunt decem tribus, quæ captiuæ factæ sunt de terra sua in diebus Oseæ Regis quem captiuum duxit Salmanasar rex Assyriorum, & transtulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam. Ipsi autem sibi dederunt consilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiscerentur in vlteriorem regionem, vbi numquam inhabitauit genus humanum, vel ibi obseruare legitima sua, quæ nō fuerant seruantes in regione sua. Per introitus autē angustos fluminis, Euphratem introierunt. Fecit enim eis tunc altissimus signa, & statuit venas fluminis vsque quò transirent. Per eam enim regionem erat via multa, itineris anni vnius & dimidij: nam regio illa vocatur Arsareth. Tunc inhabitauerunt ibi vsque in nouissimo tempore, & nunc iterùm cùm cœperint venire, iterū altissimus statuet venas fluminis, vt possint transire. propter hæc vidisti multitudinem cum pace.* Sed de his satis. Pergamus ad reliqua ordine, quæ ex Isaiæ Paraphrasi accusatis loca.

Isaiæ 6. v. 3. Sanctissimum trisagium Isaiæ 6. cur obscuret Paraphrasis, ita vt nihil de trinitate vnius Dei inde concipi queat, non video, nisi quòd ad singulas Sancti nominationes aliquid adiiciat. Sed cur non possit, *Sanctus in cælis excelsis domo maiestatis suæ*, Pater intelligi, de quo Psalmographus: *Dominus in templo sanctitatis suæ, Dominus in cælo sedes eius?* & *Sanctus super terram opus potentiæ eius*, cur Filius non possit intelligi, *brachium Domini, Dei virtus, qui in manu potenti operatus est salutem in medio terræ?* Denique *Sanctus in sæculum & in sæcula sæculorum*, cur non Spiritus sanctus, *Quoniam bonus, quoniam in sæculū misericordia eius: Quoniam in æternum misericordia eius?* Non absimilis est Ecclesiæ litania: *Pater de cælis Deus, miserere nobis. Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis. Spiritus sancte Deus, miserere nobis.* Porrò ij qui non aliud hîc intelligunt, quàm valde sanctum Deum celebrari, Sanctissimamque Trinitatem nolunt significari, non id ex Paraphraste, sed ex peruersa perfidorum Iudæorum interpretatione didicerunt.

Psal. 10. v. 4. Psal. 73. v. 12. Psal. 117. Psal. 135.

Isa. 45. v. 8. Isaiæ 45. v. 8. Chaldæus Hebraicè ישע *Iesah*, quod salutem significat, legit, vt punctis affecta Hebræorum Biblia: & ad resurrectionem referens, quòd præcedat, *Aperiatur terra*, paraphrasticōs reddidit *Reuiuiscant mortui*. Latinus Interpres ישע *Iosеah* saluatorem legit, vel salutem pro saluatione accepit, & ad Christi ortum, cum Christo donatâ Ecclesiâ referens, transtulit, *Germinet saluatorem*.

Isa. 61. v. 1. Isaiæ 61. v. 1. addidit Chaldæus, paraphrastica licentia, *dixit Propheta*, quòd Prophetam ex sua persona locutum fuisse intellexerit. Credo si prænouisset Messiam id de se interpretaturum, ad Prophetam non fuisse relaturum.

Isa. 7. v. 14. Isaiæ 7. v. 14. quod nos exemplū protulimus, vt monstraremus quàm differat Chaldæa Paraphrasis à posteriorum Rabbinorum commentariis, non sumus nixi eius, qui Chaldæa Latinè reddidit, versione; sed considerandum proposuimus, quomodo non adulterarit Paraphrastes locum peruersa interpretatione, quod Iudæi recentiores, sed ex עלמה *halma* fideliter idem verterit nomen ad Chaldaicam formam mutatum עלמתא *hullemta*. etenim vertere potuisset ריבא *Riba*, טלותא *Talutha*, aut simile, quod puellam, non virginem necessariò, significat. Quod additis, D. Ariæ Montano vocem siue Hebræam עלמה *halma* siue Chaldæam עלמתא *hullemta* (ambiguus enim est sermo vester) adolescentulam vel virginem significare, respicitis, opinor, ad dictionaria Bibliis Regiis iuncta, quorum Hebraicum, Pagnini epitome, habet עלמה *halma, adolescentula, puella, sed virgo* (puellam vox significat, virginem consignificat) Chaldaicum à M. Guidone Fabricio scriptum עלמתא *hullemta; adolescentula, virgo.* Vox Chaldaica fortassis, non tātùm virgini tribui potest, puto enim Ruth, post prioris mariti mortem, à Chaldæo

dæo Paraphraste עלמתא *hullemta* vocatam, sed inde non efficiatur, vel Hebręam *halma* de non virgine dici posse (mutantur enim frequenter nomina, ex alia ad aliam linguam sumta, præsertim connotatione) vel hoc Isaię loco non esse Chaldaice virginem significatam. Nam si hoc Interpres voluisset, voce Hebraicę dissimili vsus fuisset: nunc cum eadem est vsus, dumtaxat Chaldaico more inflexa, virginem intellexisse videtur. neque enim ex Christomachorum numero est, qui & Hebræa voce negant virginem intelligendam.

Isaię 9.v.6. Etsi Hebraica vox אלהים *Elohim*, & quę ei vicina est Chaldaica אלהא *Eloha*, quandoq; Angelos & iudices significet: tamen ex illo versu 44. Psalmi, *Sedes tua Deus in seculum seculi*, vbi non est Hebraice nisi אלהים *elohim*, recte probatur, Christum Deum: & ex hoc Isaiæ loco, recte confirmamus Christi diuinitatem, quamuis Hebraice sit similis vox אל *El*, quæ & ipsa quandoque Angelis & hominibus legitur attributa. nimirum ex locorum circumstantiis id intelligendum datur, si quandoque ad Angelos aut dignitate præstantes homines referantur. Cur igitur non possit & ex Chaldæa huius loci Paraphrasi, quæ voce אלהא *Eloha* vtitur, Christus Deus ostendi, cùm etiam quasi rei sublimi admirandæq; fidem cõciliatura, præmittat: *Vocabitur nomen eius ab admirabili consilio Deus*: neque enim מן קדם *min codam* ita necesse est intelligere: *Propter admirabile consilium*. His ita positis & stabilitis, non secluditur ex Chaldaica Isaiæ Paraphrasi Christus Iesus: quamuis non omnibus in locis à Paraphraste sit agnitus, in quibùs à nobis Euangelica luce gaudentibus agnoscitur.

Isa.9.v.6. Admirabilis consiliarius Deus. Psalm. 44. v. 7. Heb.1.v 8.

Ad Psalmos nunc vobiscum veniamus; quos quid mirum quòd ita Iesu Christi capitales hostes Iudæi interpretentur, vt eis ipsum excludant Psalmi 2.v.7. *dilectus sicut Filius Patri tu mihi*. non negatur Filius, sicut nec vnigenitus, cùm dicit Euangelista, *Gloriam quasi vnigeniti à Patre. Purus es ac si die ista creauissem te*. Aliena interpretatio, quæ tamen de Christi resurrectione non inepte possit accipi. Ceterùm, non ait, *creaui te*, sed *ac si die ista creauissem*. nec ignorat eruditio tua, creationem quandoque Dei Filio in S. litteris tribui pro generatione.

Psalmi. Psal.2.v.7. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Eccli 1. v. 4. 9. 24 v. 14.

Psalmi 21. Paraphrasim, miror ita à vobis notatam, quasi nihil contineat Christo proprium. Iterum enim & iterùm eam legens, ita Hebræo, Græco, Latinoque conformem inuenio, vt vix in vllo recedat, nec quidquam de Christi passione ex illis intelligatur, quod non æque ex hac, nisi forte nonum versum excipias, qui, cùm nobis Christo insultantium Iudæorum voces contineat, ex persona Christi versus est: *Laudes dixi apud Dominum, & eripuit me: eruit me, quoniam complacuit sibi in me. Deus meus*, incipit, *Deus meus, propter quid dereliquisti me, longè à salute mea verba clamoris mei? Deus meus, ego clamaui interdiu nec suscipitur oratio mea; & noctu, & non est silentium mihi*. & paucis interiectis: *At ego vermis debilis & non homo, portans vituperia hominũ, & despectio populorũ. Omnes qui vident me, derident me, protrudunt labia sua & mouent capita sua*. & posteà: *Circundederunt me populi similes bobus cornupetẽtibus multis, principes Bassan* (ταῦροι πίονες) *vallauerũt me. Aperuerunt super me os suũ, sicut leo rugiens & rapiens. velut aqua effusus sum, & dispersa sunt ossa mea fuit cor meum liquefactum vt cera, palpitans in medio viscerum meorum. Aruit velut testa humor meus, & lingua mea adhæsit palato meo, & in domum sepulchri conclusisti me. Quoniam vallauerunt me caterua peccatorum impiorum, qui similes sunt canibus multis: congregatio malignorum circumdederũt me, mordentes manus meas & pedes meos. Dinumerabo omnes liuores ossium meorum: ipsi aspiciunt & contemnunt me. diuidunt vestimenta mea sibi, & supra vestem meam mittent sortem*. &c. Quid his fidelius à Iudęo verti potuit? Quid horum Euãgelistarum citationibus dissonat, aut Christi passionem non clarissimè loquitur? Vis *mordentes manus meas & pedes meos* peruerse redditum, cùm vox Hebræa, sicut eam legerunt & intellexerunt LXX. fodere significet. Atqui, vt nihil de Hebraica lectione dicam, an non idem intelligendum datur, cum dicitur *Momorderunt manus meas & pedes meos*, & cùm *foderũt ma. me. & pedes meos*? vtique enim qui mordet manum, fodit: atque vt foderunt, ita & momorderunt Iudæi, manus & pedes Domini, clauis ferreis, vt leones canesque captam prædam dentibus. respicitur enim mordendi voce, ad eam quæ præcessit canum leonúmve metaphoram, qui acceptam prædam atque ante se in triumphum positam, obseruant cautissimè; & si pedes aut caput moueat vel minimùm, statim infigunt vngulas, aut imprimunt dentes, tandemque dilaniant. Non aliter cum Christo Iudæi egerunt: captũ enim, ante se gloriabundi prostrauerunt; & quamquã nec manus nec pedes ad fugam aut defensionem pararet, immaniter tamen eos momorderunt ac perforarunt clauis atrocissimis, quos dentibus non poterant, & longo enectum cruciatu occiderunt.

Psal.21.

Psalmum 71. quem in exemplum attuleramus, *rectè*, inquis, *de Christo à Paraphraste exponi, vt catera, quæ ad magnificentiam regni Messiæ spectant: sed quæ pertinent ad scandalum crucis, gloriam resurrectionis, & veram cum patre diuinitatem, hæc esse quæ conantur obscurare & pessundare Iudæi*. Quàm conetur obscurare Paraphrastes, quæ ad Christi passionem crucemque pertinent, luculẽtum 21. Psalmi paradigma iam docuit. Porrò quod de Christi diuinitate est in 71. Psalmi versu 17. *quis*, ais, *magis Iudaicè possit obscurare quàm vt hic: Ante solem præparatum erat nomen eius?* Verùm, cur id Iudaicè obscurauit? An quia non transtulit *filiabitur* quod vobis probatur?

Psal 71. Psal.71. v.17.

nec LXX. id transtulerunt : *Ante solem permanet nomen eius*. An quia Christi æternitatem non significauit? nec LXX. versione eam Christiani omnes significatam ex parte initij intellexerunt, nominatim Iansenius, cuius Paraphasis est: *In conspectu enim solis, & quamdiu durabit hic sol, permanebit celebritas nominis eius*. quomodo & eorum multi intelligunt, qui *filiabitur* ex Hebræo vertunt, aut κατὰ πόδα verti notant. Ceterùm nolo ego affirmare, non sic locum intelligendum esse, aut sic minus genuinè exponi, vt Christus æternus Dei Filius, & creaturis omnibus prior gnificetur, nec etiam eum ad modū Paraphrasim exponi haud posse : non enim cùm ait, *Antequā creatus esset sol* (nam hæc sunt verba eius) *præparatum erat nomen eius*, significatur necessariò præparatum tunc fuisse, necdum substitisse Christi nomen (quamquam id de nomine Iesu piè possit intelligi) sed potest rectissimè, tunc substitisse, oportuno tempore manifestandum, nomen Filij, de quo Seruator: *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. nomen* vtique Patris, me Filium prædicans. Quidam vertunt *Ante solem Iinnon nomen eius*, retento Hebraico nomine tamquam proprio Messiæ, quo & ab æterno ex Patre genitus, & aliquando mortuos omnes resuscitaturus, significetur.

Burgensis filiabitur, filius vocabitur.

Iohan. 17. v.6.

Psal. 109. v.1.

Psalmi 109. versu 1., non est quidem hic Paraphrastes Christi mysterium assecutus; sed alter, à quo Prophetas expositos habemus, Ionathan filius Vzielis, qui Christi ortum antecessit, perfectissimè : dixit enim, Galatino citante lib. 3. cap. 5. (neque enim exstat eius in Psalmos Paraphrasis) *dixit Dominus verbo suo, sede ad dextram meam*. אמר יי למימריה תב לימיני.

In finem titulus multorum Psalmorum.

Titulus multorum Psalmorum למנצח *Lamnaseah*, vox est admodum æquiuoca, ita vt mirum esse non debeat, à Chaldæo, non *in finem* aut *victori*, sed לשבחא *Lesabaha*, quòd quandoque ad *canendum*, quandoque *ad laudandum* vertitur, redditam esse. Non ideò tamen ad Christum Psalmos noluit referendos esse, qui multos disertè de Christo interpretetur : meminique apud Galatinum legere me, ex Iudæorum Talmude locum, qui cunctos Psalmos de Messia intelligendos esse doceat. Porrò qui *victori* reddunt, non omnes Christum intelligunt; multi, Iansenio probante, præfectum cantorum, quòd arte musica cæteros superaret : id quod ex Paralipomenon libris confirmant, vbi inter cætera, præpositi operum מנצחים *menasehim* vocantur. Et eò quòd LXX. reddiderunt *in finem*, nescio, salua B. Augustini auctoritate, an satis solidè Christus intelligatur, quòd finis sit legis Hebraica enim vox נצח *nesah*, non finem, hoc est, extremitatem complementum, perfectionem, aut finalem rei causam significat, sed perpetuitatem siue æternitatem aut seculum. vnde quidam verterunt *in seculum*. Quare videtur *finis* ad eum accipiendus modū, quo alibi aliquoties ab eisdem ipsis LXX., vt cùm dicitur, *Quoniam non in finem erit obliuio pauperis, Vsquequo Domine obliuisceris me in finem?* eadem est enim ibi Hebræa vox נצח. Quidam in hanc significationem per verbum transferunt, quod ad Christum manifeste pertineat, *Aeternitatem danti*. D. Hilarius, titulo *in finem* significari intelligit, Psalmum ex perfectis atque absolutis bonorum æternorum doctrinis & speciebus existere.

Psal. 9. v.19. Psalm. 12. v.1.

Psal. 101. v.1.

Titulum 101. Psalmi תפלה לעני *Tephilla lehani*, vt Chaldæus Paraphrastes, *Oratio pro misero* siue *paupere* interpretatus est, ita, præter alios, Latinus vulgatæ editionis Interpres, *Oratio pauperis* (*pauperis* enim legunt Latini libri, quamquam Complutensis Græco accommodatus *pauperi* habeat) cui B. Augustinus & legendo & intelligendo clarè adstipulatur. Atque hunc sensum esse, etiam cùm dandi casu *pauperi* redditur, satis ostendit id quod sequitur: *Cùm anxius fuerit, & coram Domino effuderit precem suam*. Nolim tamen negare, ita vt vos vultis intelligi posse, Oratio quæ pauperi Christo porrigitur, cùm quispiam in angustiis est sicut ille fuit: possitque in eum etiam sensum Chaldaicum verti, ad pauperem siue miserum. Sed necesse haud esse propter D. Pauli locum, cùm superiora monstrant, tum Iansenij aliorumque in Psalmos commentaria docent.

Hebr. 1. v.10.

Gen. 14. v.18.

Genesis 14. versu 18., nequaquam subuertit Paraphrasis, B. Pauli de Christi sacerdotio ad Hebræos disputationem : non enim aliud est משמש *mesames*, *minister coram Deo altissimo*, quàm כהן *cohen*, *Sacerdos Dei altissimi*, tum ex ipso vocis vsu, quæ ad sacrum ministerium frequentissimè pertinet, tum ex eo quod adiungitur. Eundem ad modum, primi Regum primo capite, pro eo quod Hebraicè & Latinè legitur, *Ophni & Phinees* כהנים *cohanim*, *sacerdotes Domini*, Chaldaicè est משמשים קדם יי *mesamesin codam adonai*, *ministri coram Domino*. Porrò non idem est Pentateuchi & Psalterij Chaldaicus Paraphrastes; illius Onckelos, huius Iosephus Cæcus aut R. Akilas, nisi fortè sit idem Onkelos qui Akilas.

1 Reg. 1. v.3.

Threni.

Sequuntur Ieremię lamentationes, in quas *somnia potiùs aut deliria, quàm commentaria à Chaldæo Paraphraste edita esse*, nō ea monstrant, quę adfertis. Capitis primi versu primo, quod prçmittit, *Dixit Ieremias propheta & sacerdos magnus*, an ideò non verum est aut ineptè additū, quòd se cæteris sacerdotibus Propheta connumeret? annon idem in Græcis libris & Latinis plerisq; præmittitur, longè pluribus verbis? Adfert autem primo hoc versu, ad Iudæorum punitionem, quam Propheta plangit, primæ protoplastorū peccato inflictæ pœnę exemplum, paraphrasticῶs aut potiùs metaphrasticῶs enarrans primā prophetici lamenti voculam *quomodo*. Quemadmodum

Thren. 1. v.1.

dum, ait, in mundi exordio, primi parentes Adam & Eua, diuino iudicio, è paradiso voluptatis, in terram tristitiæ eiecti fuerunt, & planxit miseros dominator seculi, quos felices creauerat: ita nunc diuino decreto, è Ierusalem & terra sancta, in exilium expulsus est Iudaicus populus, & plangunt eum Prophetę Dei; *Lamentatus est autem*, siue *luxit aut planxit super Adam & Euam dominator seculi*, quia quasi mœstus punit, *alienum enim*, iuxta prophetam, *hoc opus ab eo*: non gaudet, maleuolorum more, in miseria eorum, quos pro peccatorum meritis affligit: atque adeò non est gauisus in Adæ & Euæ damnatione, vt potius pœnituerit eum creati hominis, & *tactus dolore cordis intrinsecus*, morti cæterisque ærumnis pronunciauerit subijciendos. neque enim id locum habuit tempore Noë, & recens creato homine non habuit. Posthæc repetit Paraphastes voculam *Quomodo*, interrogans quare damnata sit Ierusalem, & in exilium missus populus, & respondentem introducit *mensuram iudicij*, id est, rationem æquitatis diuini iudicij: *Propter multitudinem peccatorum eius* &c. vel, *mensura iudicij*, id est, distributio promeritarum pœnarum diuina, quæ ipsas Ierusolymæ decretas pœnas explicet, sequentibus Prophetæ verbis vberius enarratis. Et quis quæso hic insaniæ, non sobrietatis & veritatis est sermo?

Isa. 28. v. 21.

Versu secundo, confert fletum desolatę Ierusalem propter templi cumprimis deuastationem, cũ fletu populi in deserto, qui audito de promissa terra malo nũcio fleuit nocte, & in Ægyptum, repudiato Moyse & alio electo duce, reuerti voluit, id quod ægrè ferens Dominus, decreuit ad acriorem eos fletum prouocare, quem etiam redeunte per singulos annos nocte illa, quamdiu viuerent, resumerent, pronuntiata in eos grauissima mortis in deserto extra terram promissam sententia, quòd in Ægyptum reuerti volentes reiecissent, & eam quæ in deserto exstructa erat, & eam quæ in terra promissionis exstruenda, domum sãctuarij Domini, ac proinde omnem cultum Domini, ipsumque Dominum.

Thren. 1. v. 2. Num. 13. & 14.

Versu 4. decem tribus, quæ peculiariter vocantur *Israel*, à defectione sua non comparuisse coram Domino in Ierusalem ter annis singulis, ex sacris Scripturis manifestum est: ideò enim Ieroboam constituit vitulos aureos in Dan & in Bethel, vt eò se ad adorandum conferrent relicta Ierusalem. ex duabus quoque tribubus plurimos illud Dei præceptum frequentissimè neglexisse, dubium esse non potest ei, qui nouit quoties ad alienos deos defecisse, & idolis templa arasque construxisse, atque ob id à Prophetis reprehensi legantur: quinimmò 2. Paral. 24. capite disertè habetur: *Et dereliquerunt templum Domini Dei Patrum suorum, seruieruntque lucis & sculptilibus; & facta est ira contra Iudam & Ierusalem propter hoc peccatum*. quamquam Ieremiæ tempore, cùm is deuastationem Ierusalem prænunciaret, existimarint, numquam id facturum Deum quod minabatur, qui vnum solum ac magnificentissimum templum in Ierusalem haberet, atque in eo, quamuis alienis diis non relictis, coleretur. Si de decem tribubus, id quod videri possit, Paraphrastes loquatur, ad declarationem rei propositæ, quæ subsequitur, id adduxit, in hunc sensum: Populus decem tribuum, cùm ædificata esset Ierusalem, ad templum Domini ascendere noluit: nunc destructa Ierusalem, & abducto propter peccata sua reliquarum tribuum populo, nullus ascendit: *ideo viæ Sion lugent* &c.

Thren. 1. v. 4. 2. Para. 24. v. 18.

Ver. 18. *Dixerat Dominus in verbo suo populo domus Israel, quod non transirent occidentes gladio per terram eorum*, Ægyptij scilicet, qui ascendebant ad pugnandum in Charcamis contra regem Assyriorum. dixerat id, per Pharaonem Nechao siue claudum Ægyptiorum regem, qui missis ad Iosiam nunciis, ait: *Quid mihi & tibi est rex Iuda? non aduersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinatò ire præcepit, desine aduersum Deum facere qui mecum est, ne interficiat te.* Mortis autem Iosiæ non aliam inuenio causam in Scriptura indicatam, quàm eam quæ Paraphrasi consentit, *quòd non acquieuerit sermonibus Nechao ex ore Dei*. id enim habet posterioris Paralipomenon 35. caput: pro quo tertij Ezræ primum caput scribit: *Non attendens verbum prophetæ* (Ieremiæ additur Græcè) *ex ore Domini*; forsitan minùs rectè. Porrò captiuitatis Babylonicæ, mors Iosiæ, non causa fuit, sed occasio accelerationis: neque enim quamdiu piissimus Rex superstes fuisset, regnum Iuda in captiuitatem Deus induxisset. Quare Paraphrasis ait: *Videte dolorem meum qui accidit mihi post mortem eius: virgines meæ & pueri mei abierunt in captiuitatem.*

Thren. 1. v. 18. 2. Par. 35. v. 21. 2. Par. 35. v. 22. 3. Esdr. 1. v. 28.

Versu 19. aliud intelligere nequeo, quàm deesse aliquid, quod vel legendum, vel subaudiendum sit, כ *caph* fortasse similitudinis notam, כהנוך רבאי *Cehinnoun Romaë*, sicut illi Romani: quomodo enim tam ignarus esse potuerit chronologiæ atque Historiarum Paraphrastes, vt, Nabuchodonosor, qui Iudam in captiuitatem duxit, cum Romanis qui ducibus Tito & Vespasiano Ierusalem obsederunt, tempore iunxerit?

Thren. 1. v. 19.

Capitis secundi versu 20. an errarit Paraphrastes aut scriba quispiam, Zachariam filium Addo nominãs pro Ioiadæ, an verò Ioiada etiam aut Ioiadæ pater Addo vocatus fuerit, nescio. Videri possit, hic & in Euangelio secundùm Matthæum, similes esse errores, scribarum, non auctorum. Quia enim celeberrimus Propheta Zacharias, inter minores vndecimus, filius nominetur Barachiæ filij Addo; fieri hinc potuerit, vt Zacharias is qui à rege Ioa in atrio domus

Thren 2. v. 20. Matth 23. v. 35. 2. Par. 24.

Domini interfectus fuit, scribis nominum paritate falsis, in Matthæi Euangelio filius Barachiæ (id enim viris quibusdam doctis haud videtur absurdum) in Chaldaica hac Paraphrasi *filius Addo* scriptus sit. Nam & in primo Ezræ volumine aliquoties Zacharias filius Addo vocatur.

1. Esdr. 5. v. 1. 6. 14.

Thren. 2. v. 22.

Versu 22. optimè cum textu Prophetæ Paraphrasis quadrat: vox enim qua Propheta vtitur מגור *magur*, ambigua est ad timorem & ad peregrinationem. Latinus Interpres multique alij ad priorem respicientes significationem, verterunt: *Vocasti quasi ad diem solennem, qui terreant me* (seu timores meos) *de circuitu*. Chaldæus autem Paraphrastes ad posteriorem cum LXXII. respiciens, futuro retento, & *in* præpositione subaudita, intellexit: *Vocabis sicut in die solenni peregrinationes meas de circuitu*; idque enarrauit, *vocabis libertatem populo tuo domui Israel per manum Meßiæ, sicut fecisti per manum Mose & Aaron in die phase*. loquitur de phase in Aegypto celebrato.

Thren. 3. v. 28.

In capite 3., 28. versus priorem partem: *Sedebit solitarius & tacebit*, totidem eisdemque verbis Paraphrastes transtulit; posteriorem *Quia portauit super se* (nam & *portauit* & *leuauit* vertas licet) addito nomine *castigationes* (subaudiendum enim aliquid est: quidam Latinorum *iugum*, quidam *se* subaudiunt, neque enim legendum est, *leuauit se super se*) explicuit: *Et sustinebit castigationes*. deinde exposuit quales castigationes is qui solitus est iugum præceptorum Domini ab adolescentia ferre, & in silentio diuinæ se voluntati committere, sustineat, & quâ ex causâ iusto Deus infligat: *Quæ eueniunt propter vnitatem nominis Domini* (fidei cõfessionem) *quæ mittuntur, vt vindicet se de eo, propter peccatum leue, quod peccauit in seculo isto, vsque dum parcet ei, & auferet eas ab eo, & recipiet mercedem perfectam in seculo venturo*. quid hîc est, quod ad propositum non sit? ex hac verò addita pericope, insigne insuper habetur, discriminis peccatorum leuium, quibus etiam iusti obnoxij sint, grauiumque, nec obscurum purgatoriarum pœnarum testimonium.

Thren. 4. v. 20.

Quarti capitis versu 20., ostenderamus nuper agnitam à Paraphraste, Christi à sceleratis occisionem: nunc studiosè eum cauisse arguitis, ne quod Dei est, Christo tribueret: *Rex Meßias, qui erat dilectus nobis, sicut spiraculum spiritus vitæ, qui est in naribus nostris*. Atqui, cùm non minùs Iudæi, humilem Messiæ passionem, quàm sublimem diuinitatem negent: quomodo Paraphrastes, vno expresso, alterum studiosè subticuit? Cæterùm nõ ita luculentus est hic de Christi diuinitate locus, vt si aliter Iudæus exponat, reprehensionem mereatur. Nam, *spiritus oris nostri*, hoc est, vita nostra, dicuntur etiam homines, quorum protectione aut beneficio viuimus. Diuersas diuersorum expositiones adfert in huius loci commentario Rabanus: nullam reprobat.

Thren. 4. v. 21.

Versu proximo, non recedit Paraphrastes à Prophetæ verbis: sed de certâ eâ intelligit ciuitate, nescio quâ (non enim Constantinopolis est, etsi Constantinam vocet: in Armenia namque sitam ait) cuius maneat fides penes authorem. R. Salomon, N. Lyrano teste, interpretatur hunc versum cum eo qui sequitur de Romani Imperij destructione. Ita verò & Paraphrastes manifestè, eum qui sequitur versum, de Romanæ vrbis excidio, quam à Persis euertendam dicit, explicat, an superstitione, aut certâ ratione ductus, ignoro. Possit verò haud absurdè intelligi, vt prior Paraphraseos in hunc versum pars; id quod aliàs clarum fecimus; ita posterior, de consummationis seculi tempore, superandam tunc Romani, Antichristo, Persarum copiis instructo, caput Christianæ reipublicæ delere conante, & Deo vrbis peccata pro meritis puniente. De Babylone autem, Persidi vicinâ venturum Antichristum, præter alios, Hieronymus arbitratur, & brachia pugnantis populi Romani, expugnanda ab eo & conterenda, ex Daniele intelligit. Porrò an sit hic literalis huius in Threnis loci sensus, non alio; sed non continuò figmenta esse Iudæi somniantis, ac post Constantini tempora primum Messiæ aduentum adhuc exspectantis, admitto. Cæterùm scripsisse Paraphrastes iste videtur paulò post Constantini tempora. Nam 340. anno à Christi passione aut circiter eum claruisse, Galatinus refert. Non enim is est qui posteriorum Prophetarum libros enarrauit, Ionathan filius Vzielis (nam ille ante Christi natiuitatem vixit scripsitque) sed Iosephus cœcus, qui Hagiographa, inter quæ Ieremiæ Threni numerantur, explicuit.

Thren. 4. v. 22.

In cap. 11. Dan.

Paraphrastes Threnorum & Hagiographorum quis, & qua ætate. Lib. 8. c. 27.

Canticum Canticorũ.

Sequitur Canticum Canticorum, cuius vt explicet Paraphrastes nominis rationem, commemorat alia decem Cãtica in Scripturis celebrata, quibus omnibus istud excellẽtius esse ait. Non fingit autem Adæ, Iosuæ, & aliorum Cantica, quæ nusquam scripta sint; immo verò ad singula, Scripturæ addit locum, vbi scripta sint. Et Adæ quidem Canticum, indicat Psalmum 91. fuisse: *Bonum est confiteri Domino*: cuius titulus est: *Psalmus cantici in diem Sabbati*: ad quem in Psalmis idem ipse adiecit: *Laus & canticum, quod dixit homo primus in diem Sabbati*. intelligit fortasse Dauid in persona hominis primi. Iosuæ autem Canticum, non est quidem scriptum, sed tamen fuisse colligit ex Scripturæ verbis. *Tunc locutus est Iosue Domino*, quod habemus Iosuæ 10. v. 12., intellexit: laudauit, cecinit coram Domino. Sic Canticum quod dicturi sunt Iudæi sub mundi finem, quando ex infidelitatis captiuitate asserti fuerint in libertatem filiorum Dei, colligit ex

Psal. 91. v. 1.

Iosue 10. v. 12.

Isaiæ capite 30: *Canticum erit vobis, sicut nox sanctificatæ solemnitatis* &c. Cur porrò inter se non cohærent quæ adfert in Cantici Canticorum explanationem, tametsi humiliora sint, quàm vt diuinam Cantici sublimitatem assequantur? Omnia de iis interpretatur, quæ ab egressu ex Ægypto, & sub veteri deinde lege, populo Israel acciderunt: ac, vt sunt variorum in cantico sermones, etiamsi personæ non exprimantur, ita varios introducit loquentes, nunc Salomonem, nunc Moysen, nunc Deum, nunc Iustos Israëlitarum, nunc vniuersum Israëlis cœtum.

Isa. 30. v. 29.

Primo capite, nescio, cur verum esse non possit, quod Israelitæ, cùm in infrugifero deserto morarentur, quod nec vites alebat, nec fruges fructúsve ferebat, ad vineas Eugaddi ierint, atque ex botris inde acceptis vinum expresserint, ad sacrificia Domini necessarium, præsertim cùm Eugaddi deserto fuerit propinquum.

Cant. 1. v. 14.

Versu vltimo, rectè ait ex Salomonis persona, pulchriorem fore domum sanctuarij, quæ ædificanda est in diebus Messiæ: pulchrior enim est, splendidiorque virtutibus Christi Ecclesia, quàm fuerit auro ornatuque Salomonis ædes. hæc ex cedrinis lignis montis Libani, & ex lapidibus ædificata fuit: illa ex viuis lapidibus, fortibus ad aduersarios expugnandos, infractísque ad aduersa ferenda, & lignis, quæ iuxta diuinarum Scripturarum donorumq; Spiritus sancti fluenta plantata, vberrimos reddunt bonorum operum fructus, exstructa est, cuius trabes sunt ex cedris paradisi voluptatis, Apostoli atque Apostolici viri, qui etiam dum adhuc terram incolunt, cæli ciues sunt, mente & conuersatione omni in cælesti paradiso cum sanctis Angelis habitantes. Sed huiusmodi declarationi tacitè occurris, quòd nihil hîc mysticum concipi debeat, quia Iudæus loquitur, qui literam semper loquitur. Si literam semper sequitur, qui fit, vt hoc Canticũ, de Dei erga Israëlem amore, & beneficiis in eũ collatis, vicissimq; Israëlis in Deũ pietate, interpretetur? qui literam sequuntur, epithalamium esse putant Salomonis & filiæ Pharaonis, expressamque erga se mutuò dilectionem amatoriosque affectus. Nihil verò vsquam huiusmodi hic Paraphrastes admittit: quinimmò adeò semper mysticis intentus est explicationibus, cùm hoc in libro, tum in Threnis aliisque, vt à viris doctis nimius omnino in allegoriis iudicetur: id quod annotauit Arias Montanus in præfatione, secundo Bibliorum Regiorum tomo præfixa. Porrò, etiamsi sua ipsi verba carnaliter non spiritualiter Paraphrastæ intellexissent, nobis spiritaliter ea ad pium sensum liceret exponere: sicut ipsas Scripturas, quarum verbis illorum ferè verba alludunt, spiritaliter explicamus, quantumuis ipsi cum Iudæis carnalem sensum apprehendisse potuerunt.

Cant. 1. v. 17.

Secundi capitis versu 7. vnde hoc habeat de filiis Ephraim, nescio: non fit tamen verisimile, è suo eum cerebro id commentum.

Cant. 2. v. 7.

Octauo versu, remissos ait de tempore seruitutis Israëlitarum in Ægypto nonaginta & centum annos, propter parentum merita: quia cùm Abrahæ dictum fuerit, peregrinum fore semen eius in terra non sua, & subiiciendum seruituti, affligendumque quadringentis annis, non fuerunt Israëlitæ in Ægypto nisi ducentis decem (Iosephus ducentis quinque) annis iuxta Hebræorum sententiam, quam Genebrardus in Chronico refert, nec efficaciter refutat. hinc vndecimo huius capitis versu Paraphrastes repetit: *Et anni quos dixi Abrahæ inter diuisiones* (animalium) *abbreuiati sunt.*

Cant. 2. v. 8. Gen. 15. v. 13.

Versu 15., quod de Amalechitis ait, seruasse eos inimicitiam contra Israëlitas ex Ægypto egressos, propter primogenituram & benedictionem, quam tulerat ab Esau Iacob, non vsque adeò absurdum est, cùm singulæ penè gentes, quasdam à primis suis auctoribus acceptas traditiones teneant, & in certas gentes quasi transfusa odia seruent. Amalech autem ex posteris fuit Esau, filius Eliphas filij Esau.

Cant. 2. v. 15. Exod. 17. v. 8 Gen. 36. v. 12.

Versu 17. non prorsus à verisimilitudine alienum est quod dicit, filios Israël, Dei milites, habuisse Dei nomen ornatui armorum suorum inscriptum (nomen illud magnum יי *Adonai*, quod Mosi ex rubo indicatum fuerat, id quod שם המפורש *Sem hammephouras, nomen expositum* ab Hebræis vocatur, siue quòd exprimat ipsam Dei essentiam, siue quòd aliis duobus & septuaginta Dei nominibus, tot enim Hebræi numerant, de quibus in calce secundi libri Galatinus, vnum exponatur) atque id, deserto Deo, electaque vituli imagine, reiecisse.

Cant 2. v. 17.

Tertij capitis versu 2. non loquitur de tabernaculo fœderis, quod anni secũdi primo mense, prima mensis die, intra castra Dei iussu erectum fuit, quemadmodum legitur Exodi 40. capite: sed de altero tabernaculo fœderis, cuius frequens mentio est Exodi 33. capite, minore, in quo cum Mose Seniores ad decernendas populi causas conueniebant, & ante maioris exstructionem sacrificia offerebant: quod Moses post vituli adorationem, è castris sustulit, proculque extra castra, vt Deum eis iratum monstraret, tetendit. id quod habes versu 7. capitis ex Exodo proximè commemorati, ad quem disertè hîc Paraphrastes respicit. De maiore tabernaculo, vt meridiana luce manifestius sit, non putasse eum, exstructum id fuisse, dum vitulum populus adoraret, subiicit Paraphrastes versu 4., Deum Mosis precibus placatum, præcepisse, vt fieret

Cant 3. v. 2. Exod. 33. v. 7.

 taber-

tabernaculum fœderis & arca, quæ in medio populi maiestas sua inhabitaret. Ita dum incusatis Paraphrastem imperitiæ Scripturarum, peritissimus Scripturarum obseruator ostenditur.

Cant. 3. v. 5. Quinto versu, mendacij eum insimulatis. quasi verò ignorarit vulgiore tritas libri Iosue historias, quibus expugnatæ ab Israëlitis Chananæorum ciuitates longe lateque narrantur. Paulò pòst subiicit, quadraginta annorum tempore, quo in deserto Israëlitæ errarunt, iterùm ædificasse Chananæos, quod prius destruxerant: quamquam vnde hoc habeat nesciam.

Cant. 4. v. 5. Quarti capitis quinto versu, duo, quos futuros dicit, seruatores, intelligi possunt, Elias & Enoch. quorum in fine mundi prædicatione, Iudæi præsertim, ab infidelitate impietateque reuocabuntur, & contra Antichristi perfidiam ac sæuitiam confirmabuntur. Si duos intelligeret Messias, quos Iudæi recentiores exspectant; si forte id suspicemini; non diceret similes eos fore Mosi & Aaron, cùm Messiam tam Iudæi quàm Christiani longe excellentiorem habeant, quàm qui Mosi & Aaron debeat comparari.

Cant. 4. v. 12. Duodecimo versu quod habet, in hortum voluptatis nulli esse introeundi facultatem nisi iustis, quorum animæ illuc ducantur per manus siue ministeria Angelorum, quid Arabicum seu Saracenicum continet, nisi cui placeat, de terrestri, non de cælesti paradiso interpretari?

Cant. 4. v. 12. Eodem versu comparat virgines, non vxores, iustorum Israëlitarum, fonti signato, qui nisi magno Dei nomine signatus esset, hoc est, Dei imperio cohiberetur, inundaret vniuersum mundum, fœcunditatem significans, qualis fuit olim Israëlitarum in Ægypto, quò cùm ingressi essent animæ septuaginta continuò ita multiplicati sunt, vt Ægyptios numero superarét: id quod Psal. 104. v. 24 Psalmographus carmine celebrauit: *Et auxit populum suum vehementer, & firmauit eum super inimicos eius*. virgines autem illæ maximè, similes sunt fonti, magno & sancto Dei nomine signato, quæ suam Deo virginitatem consecrarunt: quarum cohibita fœcunditas corporalis, in spiritalem vertitur.

Cant. 4. v. 13. Proximo versu ait, iustos Israëlitarum iuuenes (quales erant non pauci Salomonis tempore, cuius hoc est canticum, quod huiusmodi Paraphrasis explicat) generare filios iustos sibi similes, Dei nimirum cultui dedicatos, qui adulti parentum exemplo iustitiæ operam dent. Nam & 1. Cor. 7. v. 14. hinc Apostolus, fidelis coniugis filios sanctos vocat.

Cant. 5. v. 1. Quinti capitis versu primo, quod dicit, *Deum simul cum incensis aromatum, holocaustis & sanctificatis victimis, quæ in tẽpli dedicatione Salomon cætusq; Israel offerebat, voluntariè siue benignè suscepisse libationem vini albi & rubicundi, quod libauerunt Sacerdotes super altare*, quid habet reprehensione dignũ? Addendum enim erat vini libamentũ singulis holocaustis & victimis: perindeque erat albumne vinum an rubrum esset: sed in tanta hostiarum multitudine, quæ in templi dedicatione offerebantur, in eaque rerũ magnificentia, quis dubitet vtriusq; generis vina fuisse?

Cant. 5. v. 3. Versus tertij illud: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos*; Deo, qui Iudæos, templo subuerso omnibusque in exilium eiectis, deseruerat, applicans: *Ego*, inquit, *sanctificaui pedes meos, ab immunditiis tuis, & quomodo inquinabo eos* (iterùm) *inter te operibus tuis malis*? Quasi enim inquinatur Deus, eorum, qui eius cultum profitentur, quos inter veluti conuersatur, operibus malis, Ezech. 36. quemadmodum sanctificatur bonis. Insigniter hoc Ezechielis 36. caput docet.

Cant. 5. v. 5. 4. Reg. 24. v. 4. Quinto versu dicit, *dominatorem seculi clausisse portas pœnitentiæ in conspectu Iudæorum*, quia, vt legitur quarti Regum 24., *noluit Dominus propitiari, quin auferret & tribum Iuda*, propter peccatorum grauitatem, è terra sua, traderetque in captiuitatem. Hac enim de re Paraphrasis loquitur. Offerebant Sacerdotes oblationes, non erant acceptæ; orabat Ieremias, prohibitus est Ier. 7. orare, *quia non exaudiam te*, dicebat Dominus: regnabat Iosias, quo non fuerat alius pietate 4. Reg. 23. præstantior rex: *verumtamen non est reuersus dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam*, quinimmò pronunciauit decretum: *Etiam Iudam auferam à facie mea, sicut abstuli Israel.*

Cant. 5. v. 10. Dan. 7. v. 9. Decimo versu quod habet: *Qui per diem amictus est stola siue indumento albo sicut nix*, non ridiculè Deo accommodatur, nisi ridiculè Daniel scripserit de antiquo dierum: *Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius, quasi lana mũda* Non magis ridiculũ est quod 14 versu Cant. 5. v. 14. ait: Ruben sculptum fuisse in lapide Sardio, Simeonem in Topazio, Leui in Sapphiro, & sic deinceps de singulorum principum tribuum Israel nominibus, sculptis in certis gemmis, circundatis coronis aureis, in rationali Pontificis Maximi (neque enim erant in lamina coronæ capitis Exod. 28. v. 10. Pontificis; quamuis id Latina Paraphraseos versio significare videatur) ex Exodi enim capite 28. id apertè colligitur, vbi iubetur, in rationali poni quatuor gemmarum versus, ternas gemmas in versibus singulis, & inscribi nomina duodecim filiorum Israel, recensenturque gemmarum tum nomina tum ordo, & nominum filiorum Israel non exprimitur quidem ordo, sed eundem esse qui in duobus lapidibus Onychinis, humeris Pontificis imponendis, paulò ante præscriptus Ioseph. lib. 3. c. 11. fuit, iuxta ordinem natiuitatis eorum, intelligitur, diserteque ex Iosepho discitur. Cæterùm est hîc discrepantia quædam in gemmarum interpretatione, vt facilè ea in raris huiusmodi rararum rerum n ominibus contingit, quam explicare non est huius loci.

Sexto

Sexto capite, quid fingit regnum domus Hasmonæorum, quod in veteribus historiis celeberrimum est? Hasmonæus proauus fuit Mathathiæ patris Iudæ Machabæi, Iosepho teste: hinc, verisimile est, Hasinonæi dicti sunt, appellanturque ab Hebræis, qui à nobis Machabæi, à Iuda Machabęo. Philo in suo de temporibus breuiario, enumerat eos qui ex Hasmonaim vsq; ad Herodem regnauerũt. Iosephus; occiso ab Antonio, Antigono, Herodis iussu, finem accepisse dicit Asamonæorũ principatum. Porrò quod ait Paraphrastes, Hasmonęorũ tempore surrexisse Græcos, qui congregarint 60. reges de filiis Esau, & 80. duces de filiis Ismael, populosque alios innumerabiles, Alexandro principe, & egressi contra Hasmonæos; quorum præcipuos Mathathiam huiusque filios nominat; pugna victi sunt, videtur mihi complecti voluisse prælia omnia, quæ Alexandri maximè successores, adsumtis sæpenumerò vicinarum gentium, Idumæorum aliarumque, auxiliis, contra Hasmonęos infeliciter inierunt. Nam Alexander ipse Magnus, iuxta Iosephi historiam, non oppugnauit Iudæos, quamuis id statuisset.

[Cant. 6. | L. 11 c. 7. | Annius citatur. | Iof. lib. 4. c. 16.]

Versu 11. quod dicit, cum reuelatum esset coram Deo, quòd Israelitæ à captiuitate regressi, obseruandæ diuinæ legi colendæque iustitiæ studerent, dixisse Deum: *Non addam vltrà humiliare eos, neque faciam cum eis consumtionem, sed consilium inibo in anima mea vt benefaciam eis*, nihil continet rectò dissentaneum. Angeli enim sancti, vt preces, itą cætera nostra pia opera, Deo quamuis non ignoranti offerunt, vt nostri misereatur: & quasi consilio secum capto benefacit nobis Deus, quia nihil præter modum aut ordinem rectitudinis agit, longè minus quàm homo prudentissimus maturo accepto consilio.

[Cant 6. v. 11.]

Capitis septimi versus primi illud: *Quàm pulchri sunt pedes tui in calceamentis filia principis*, explicat, *Quàm pulchri sunt pedes Israel, quando ascendunt vt appareant coram Domino tribus vicibus in anno, cum sandaliis taxeis, & offerunt vota sua & oblationes voluntarias suas*; non malè, iuxta suum enarrandi modum, qui Synagogæ accommodat, quæ nos Ecclesiæ perfectiùs sublimiusque attribuimus. Sandalia autem taxea sunt, e corio taxi animalis facta, quod Hebraicè תחש *tahas* dicitur, Chaldaicè à colorum varietate ססגונא *Sasgona* appellatur. Huius pelles, erant, sacrarum rerum, dum per desertum ferebantur, velamina (noster Interpres *Ianthinas*, LXX. *hyacinthinas*, pelles interpretati sunt) id quod Israelitæ imitati, dum ad sacras Dei solemnitates in locum diuino cultui constitutum proficiscerentur, è similibus pellibus factis calceis vsi videntur.

[Cant. 7. v. 1. | Num. 4.]

Versu secundo, ait, iuxta Latinam interpretationem, *per meritum principis scholæ Israeliticæ*, summi pontificis nimirum, *gubernari omnia secula*. Chaldaicè est, pro meritum זכותא *zecouta*, id quod iustitiam primo significat: legiturque מתפרנסין על כל עלמא *mithparnesin hal col halma*, quod est Gubernatur per omne seculum: quamquam exemplaria quædam omittant על *hal*, *per*. Per iustitiam pontificis maximi, gubernantur Israelitæ per omne seculum, siue omnis seculi Israelitæ, quia docentur omnes à pontifice, vtpote principe Israeliticæ scholæ, iustitiam diuina lege contentam, iuxta quā actiones suas gubernare vitamq; instituere debent. quare subdit Paraphrastes de doctrinā legis, quæ a Pontificis ore numquā deficiat. Addit, *pontificem LXX. sapientes circundare*: erant enim in Synedrio, publici regiminis potestatisque Collegio, LXX. senes, quibus Pontifex maximus post Babylonicam maximè captiuitatem præerat. Paulò pòst, Nehemiæ & Mardochæo, viris Synagogæ magnæ, connumerat Bellan: quidni? nam & primus Ezræ liber connumerat, & secundus repetit: hic capitis 7. versu 7. ille capitis 2. versu 2.

[Cant. 7. v. 2.]

Versu quarto commendat Paraphrastes Scribas, quos oculos Synagogæ intelligit, à sapientia, non quòd sciant supputare numeros embolismorum, & annos intercalare, *sed, & sciunt*, inquit, *supputare numeros embolismorum, & intercalant annos, & signant*, vel, *figunt principia mensium & annorum in porta domus* (Sanhedrin) *Senatorum magna*, occasione eius quod est in Cantico, *Hesebon super portam filiæ magnatum*, חשב *hasab* enim computare, supputare, & חשבון *hesbon* computationem ac supputationem significat, videturque consuetudinis fuisse, vt embolismos, siue intercalationes, quas nobis frequentiores Iudæi habent (secundo aut tertio quoque anno intercalant integrum mensem) & annorum mensiumque principia, atque in quos festa inciderent dies, Scribæ signarent, & præ foribus Collegij Synedrij, quod erat in templo in extremo Atrij Israelis, figerent, vt anni ac mensium ratio, atque obseruandarum solemnitatum constituta tempora nota omnibus fierent.

[Cant. 7. v. 4.]

Eodem versu, quod ait, arcem Sion vocari turrim Libani, *quia omnis qui steterit super eam, possit numerare turres omnes quæ sunt in Damasco*, haudquaquam absurdum est, à simili enim proprietate sumta sit appellatio, quòd ex arce Sion, sicut ex turri quæ sit in Libano, conspici numerariq; possint omnes Damasci turres. facilè enim ex turri in Libano monte omnes Damasci turres conspici possint, quinetiam, quod quidam aiunt, omnes Damasci domus dinumerari.

[Cant. 7. v. 4.]

Versu proximo quod scribit, *egenum vulgus, quod sub iusto Rege iustam degit vitam, purpura quandoque induendum, instar Danielis & Mardochai, propter merita patriarcharum, Abrahæ, Isaac, & Iacob*, non necesse est hæc de vita intelligere: ad futuram referri potest, in qua pauperes, qui

[Cant. 7. v. 5.]

hic iustè sunt conuersati, regalibus fulgebunt indumentis, idq; propter promissiones patriarchis iustitiâ nobilissimis factas, quarum per fidem pietatemq; meriti sunt esse participes. Quod verò dicit de Abraham, *quem regnare fecit ab initio in dominatorem seculi*, hoc est, constituit dominatorem seculi, quia patrem multarũ gentium; credentium, quibus reliqui omnes, qui in seculo sunt, seruiunt. Iacob autem benignitatem, non eò declarat, quòd decorticatas virgas posuerit in canalibus: sed ex eo quòd Canticum habet *canalibus*, intellexit Iacob fuisse significatum, quemadmodum ex eo quòd *ligatus*, Isaac, & ex eo quòd *Rex*, Abraham; sic enim Canticum habet: *Coma capitis tui, sicut purpura. Rex ligatus in canalibus*. Ita namque, præter neotericos, veteres LXX. transtulere.

Cant. 8. v. 1. 2. Similiter, quæ octaui capitis primo & secundo versibus Paraphrastes ait, de secundo Messiæ aduentu intelligi possunt, qui reuelatus in nubibus, impiis in tartara præcipitatis, iustos verosq; Israëlitas, in regnum patris sui, quod felicissima constat immortalis pacis fruitione, secum desiderabundos ducet, vbi edent bibentque in mensa eius suauissimam ambrosiam, nectarque dulcissimum, præparata iis à constitutione mundi.

Cant. 8. v. 4. Versu 4. adiuratione quam Messiæ tribuit, non prohibet sanctis, qui sub mundi finem erunt, resistere exercitibus impiorum: sed reprimit eorum desiderium, ne imprudenti impietatis odio, feruentiq; libertatis amore, priusquam opportunum Deo videatur, impios omnes extinguere, malosque vniuersos ex agro hoc mundi eradicare atque è medio tollere velint.

Cant. 8. v. 5. Ioël. 3. v. 2. Zach. 14. v. 4. Quinto versu in memoriam reducatur, quod scribit Ioel, tertio prophetiæ suæ capite, *gentes omnes à Deo in vallem Iosaphat congregandas iudicandasq;* (est vallis Iosaphat inter Ierusalem & montem Oliuarum sita) & quod Zacharias 14. capite, *scissum iri montem Oliuarum ex media parte sui ad Orientem & ad Occidentem, separatumq; iri medium montis ad Aquilonem & medium eius ad Meridiem*.

Cant. 8. v. 7. Mar. 10. v. 30. Versu septimo, Christus seculi dominator, cui data est potestas omnis in cælo & in terra, non solùm pollicitus est duplum in seculo venturo, ei qui dederit substantiam domus suæ, vt in huius vitæ exilio sapientiam possideat, verumetiam, centuplum nunc in tẽpore hoc, & in seculo venturo vitam æternam. Porrò, qui non tantùm sibi ipse sapientiam comparat tueturq;, sed & alios ad sapientiæ castra pertrahit, habebit eos quos è castris iniquorum extraxerit, vt prædam suam, de qua victor in æternum in Domino glorietur. Sic possunt optimè exponi, etiam ea, quæ Iudaismum olere videantur: nam Iudæi, Messiam quem exspectant, secum, Gog & Magog, quorum Ezechiel meminit, bello expugnaturum putant. Pleraque autem omnia immeritò à vobis traducta ostendimus: quemadmodum & illud quod ex calce Paraphraseos in Canticum adiecistis, Salomonem ad mortem quęsiisse Ahiam prophetam, huncq; idcircò in Ægyptum fugisse, figmenti, etsi notetis, non reuincitis. Tametsi enim de Ieroboam solo in Scriptura id referatur, potuit aliunde id Paraphrastes & de Ahia accepisse: quemadmodum multa Iosephus de Iudaicis antiquitatibus narrauit, quæ in Scriptura non exstant, nec ideò tamen cõtinuò vt figmenta damnantur. Non est autem vero absimile, in eodem versatos fuisse discrimine, & Ahiam prophetam, qui promiserat, & Ieroboam principem, cui promiserat, decem tribuum à Salomonis regno separatarum imperium.

Ezech. 38. & 39.

3. Reg. 11. v. 40.

Canticum Canticorũ. Minimè verò subuertit Chaldaica in Canticum Paraphrasis, nostram Christianorum, qui de Ecclesia illud interpretamur, intelligentiam; immo verò stabilit quàm maximè. Si placet, crede mihi narranti de me, cùm ante annos aliquot vidissem primùm, de Deo, Christo, & Synagoga, interpretatum olim esse Canticum, Iudæum Paraphrasten, plurimum inde in me stabilitatis accepisse Christianorum de Christo & Ecclesia interpretationem. Nemo enim facilè persuadeatur, satisfacere ea Cantici diuinitati, quæ siue hic Paraphrastes, siue alius quicumque Iudæus, de veteri adferat Synagoga, quàm populum iustum & semẽ sanctum non semel Sapientiæ liber appellat: sed doceatur inde, intelligendum illud, de congregatione Dei cultrice in qua eminentiùs ea reluceant. Quamquam cùm de Synagoga interpretantur, eum explicent sensum, qui populo sub lege adhuc ante Messiam constituto, pueris nimirum, conuenit: neque enim habent veteres Scripturæ sublimen sensum, qui virili Ecclesiæ ætati cõueniat, & non habuere, qui Synagogæ pueritiæ conueniret. Porrò hunc qui adfert, illum non tantùm non excludit, quinimmo necessarium esse, etiam præter opinionem suam, ostendit. Non itaque in Cantico Canticorum Paraphrasis subuertit Christianorũ de Ecclesia interpretationem: nec in cæteris exarmat contra Iudæos, Christianos: immo verò sæpenumerò suppeditat arma, dum plurima Scripturæ loca, ita vt Christiani ipsi, de Christo interpretatur (id quod non nostris tantùm exemplis, verumetiam innumeris aliis, quę passim in eorum occurrunt excerpta scriptis, qui aut in veteris Testamenti libros Scholia, aut aduersus Iudæos ἐλεγκτικὰ ediderunt, monstratur clarissimè) quando vt validissimè Iudæos oppugnat, ita, cùm quædam aliter explicat, nihil Christianos premit. est enim ex eorum armorum genere, quibus hostis hostem concessione sua superiorem fecit.

Sap. 10.

Porrò illi verè Christianos aduersus Iudæos inermes constituunt, qui Hebraicum veteris Testa-

Testamenti textum deprauatum, nec sacræ Scripturæ veritatem retinere, docent. cùm enim id destruant, quo solo efficaciter refelli & reuinci Iudæi possunt, nihil quo eos debellemus, relinquunt. Quorum sententiæ videris accedere, eo in loco, quem ex Genesi Seruator citat: *erunt duo in carne vna.* quòd vox *duo*, Hebraicè vnaque Chaldaicè, non legatur. Atqui meminisse oportet canonis, quem toties B. Hieronymus inculcat, Christum & Apostolos, non verba veterum Scripturarum referre, sed sensum: qui & in Interpretibus veteribus locum frequenter habet. Vocem *duo* expressit ipse Christus, aut Euangelista, vel ex LXX. qui expresserant, vt postea Apostolus Paulus, recitauit (erat enim Christi Apostolorumque temporibus magis LXX. virorum translatio, quàm Hebraica Scriptura, in vulgari vsu) quia etsi in Hebræo suarum literarum sono non legatur, tamen ex loci circumstantiis tam apertè, quàm quod apertissimè, intelligenda datur. Dixit enim hæc Adam, vnius mulieris de sua carne formatæ occasione: *masculum enim & feminam creauerat eos*, non masculum & feminas. dixit *& adhærebit vxori suæ*, non vxoribus suis. Cùm ergo subiunxit *& erunt in carne vna*, vel *in carnem vnam*, vtique intellexit vir & vxor eius, ego & vxor mea, duo scilicet, non plures, non vir vnus & vxores plures. Nec possunt vir vnus & vxores plures vna esse caro: vnius enim mulieris caro non est alterius, diuisaque est viri caro pluribus. Quare hinc Dominus ratiocinatus est: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Vnam carnem, quam fecit ex duabus Deus, homo non separet, alteram ducens vxorem, siue retentâ, siue repudiatâ priori. Manifestè igitur intelligenda datur vox *duo*, etiamsi non legatur: quam LXX., Christus, Apostolus, Latinusque Pentateuchi Interpres, prudenter expresserunt, cùm maioris explanationis gratiâ, tum vt clarior gratiorque esset insinuata Anthithesis duorum & vnius: *Erunt duo in carne vna*. Porrò vt eorum sententiæ, qui, quòd Christi, Apostolorum, & veterum Interpretum verbis, Hebraici textus verba non semper respondeant, adulteratum hunc arbitrantur, subscribere nequeo: ita eorum qui existiment, Christum aut Apostolos, non rectè attulisse Scripturæ loca, quandoquidem non ita vt textus Hebraici verba habent, recitarint, dementissimam iudico. Sed ad cætera properemus, quæ ex Chaldaica Paraphrasi accusatis.

Gen. 2. v. 24. Matth. 19. v. 5.

Geneseos quarto capite versu 23. dictiunculam כי *ki* accepit Paraphrastes pro *An*, vt nonnunquam accipi videtur, aut saltem interrogatiuè eam partem legit: ideò quòd alij affirmando vertunt, *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum*; ipse negando transtulit: *Quoniam*, siue, *certè non occidi virum vt propter eum ego portém peccatum, neque adolescentem disperdidi, vt propter eum consumatur semen meum*; intelligens propositam interrogationem negationi æquiualuisse, hoc loci sensu: Nolite timere vxores meæ (verba sunt Lamechis) ne aut occidar ego, aut disperdatur semen meum: neque enim ego quemquam occidi aut neci dedi. Quare si in septem generationes vindicabitur Caini occisio, qui fratrem interemit, Lamechis in 77. generationes vindicaretur. Huiusmodi negatiuam expositionem adfert inter reliquas Lyranus: nec reiicit nisi adiuncta quædam, quæ noster Paraphrastes non habet. Pagninus vertit: *Si occidero virum in vulnere meo* &c.

Gen 4. v. 23.

Sexti capitis versibus 2. & 4., non solus Paraphrastes, filios Dei reddidit filios principum, siue magnatum aut potentum; verumetiam Symmachus, id quod Hieronymus in quæstionibus Hebraicis refert, nec reprobat, & præter alios ex neotericis Pagninus. est enim vox אלהים *elohim*, quod & ipsi iam annotastis, ad Deum, Angelos, & homines in dignitate constitutos, ambigua. Porrò vox אדם *Adam* quæ hîc legitur, cũ *Filiæ Hominum* appellantur, ferè de vulgaribus hominibus dici consueuit. Viderunt filij principum & magnatum, filias plebeiorum pulchras, & acceperunt sibi quæcumque & quotcumque placuerunt: atque ita increuit iniquitas, & principibus & plebeis, scelera omnia, & probantibus & patrantibus.

Gen. 6. v. 2.4.

Deuteronomij 7. versu 10. minimè repugnat textui Paraphrasis. est enim textus ambiguus, ita vt & bona & mala subaudire liceat: *Et reddens odio habentibus se ad facies eorum vt perdat eos, non tardabit odio habenti se: ad facies eius reddet ei.* Paraphrasis *bona* subaudit, pio doctoque sensu: quamquam *mala* subaudiendum esse germano sensu, redditurum Deum mala eis qui odio eum habent, vero simillimum fiat. Non est insulsus intellectus, quinimmo multo sapientiæ sale conditus, Deum adeò esse bonorum omnium remuneratorem, vt & inimicis suis, quos perditurus est in futura, hac in vita rependat, si quæ faciant bona; adeoque virtutis amatorem esse, vt nec in hoste irremuneratam relinquat. *Ad facies eorum*, quod Latinus Interpres exposuit *statim, protinus*; Chaldæus *in vita eorum*. Psalmi 53. versum 7., *Auerte mala inimicis meis*, plurimi nostrûm, Latinarum vocum ambiguitate falsi, explicant, Remoue mala ab inimicis meis. quis insulsum & non potiùs pium dicit sensum, etsi contrarium intelligendum sit: Retorquebit mala in inimicos meos?

Deut. 7. v. 10. Psal. 53. v. 7.

In Iob, diem quo filij Dei venerunt vt adsisterent coram Domino, diem fuisse dicit magni iudicij, non eũ, quo iudicaturus est Deus viuos & mortuos, sed diem quasi concilij generalis, quo

Iob 1. v. 6.

congre-

congregatæ ſunt coram Domino catervæ, vt ait, ſiue cœtus Angelorum, vt nimirum de rebus hominum tractaretur ac diſponeretur, & inter iuſtos, qui quo præmio; inter peccatores, qui pœna, qui venia digni, decerneretur. Idcircò addidit 2. capite, dies iudicij magni, dies remiſſionis delictorum. Huiuſmodi vniuerſale cócilium Angelorum Deo præſide, depingit Michæas 3. Regum 22. capite: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris: & ait Dominus, Quis decipiet Achab* (&c.) *& dixit vnus verba huiuſmodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem ſpiritus* &c.

Iob 2. v. 1.

Iob 14. v. 4. מי יתן טהור מטמא

Decimiquarti capitis verſus quartus, tam Chaldaicus, quàm Hebraicus, de peccato originali intelligi poteſt. Hebraicè eſt: *Quis dabit mundum de* (vel *ab*) *immundo*? Chaldaicè, *Quis dabit mundum virum, qui coinquinatus eſt peccatis?* nam quod habet *virum*, hoc eſt *eum*: ſic enim vſurpatur Chaldaicè גבר *gebar*, vt Hebraicè איש *Is*: & *peccata* multitudinis numero, peccatú originale vocari poſſe, quod in illo vno multa peccata includantur, Author eſt B. Auguſtinus Euchiridij 46. capite. Latinus Interpres addidit *conceptum ſemine*: *Quis dabit mundum de immundo conceptum ſemine?* ideò interpretatio eius pro originali peccato clarior eſt. LXX. tranſtulerunt: *Quis enim mundus erit à ſorde?* nam illud *quis dabit mundum ab immundo*, intellexerunt: Quis adferre aut oſtendere poſſit mundum ab immundo, immunem ab immunditie? quod Latinus intellexit, quis reddet, quis faciet mundum, eum qui eſt de immundo ſ. conceptus ſemine? Quod ſequitur Hebraicè, *Non vnus*, id ita hîc accepit, quaſi diceretur, non eſt vnus hominum, qui mundum reddere poſſit eum qui ex immunditie conceptus eſt, ſed tu Deus ſolus id potes: itaque vertit id quod ex conſequenti intelligitur: *Nónne tu qui ſolus es*, qui ſolus id potes? Similiter Chaldæus Paraphraſtes: *Niſi Deus, qui vnus eſt qui dimittat ei*. Vel interrogatiue legerunt: *Nónne vnus?* LXX. intellexerunt *Non vnus*, non eſt vel vnus, qui ſit immunis à ſorde. Itaque verterunt: *Sed nullus*. Sequitur in Hebræo: *Si conciſi dies eius*. id Interpres noſter & Paraphraſtes Chaldæus cum Hebræis, tamquam nouæ ſententiæ caput acceperunt, verteruntque, ille, *Breues dies hominis ſunt*; hic Paraphraſticõs. *Si non conuertatur, perplexi ſiue intricati dies eius*; in modum ſcilicet conciſi dilaceratique retis, quod eſt, ſi originale ei peccatum Dei gratiâ, qui ſolus id poteſt, remiſſum non fuerit, erit ei vita perpetuarum difficultatum ſeminarium. LXX. verò iis quæ præcedunt iunxerunt: *Non vnus ſi conciſi dies eius*. non eſt vel vnus à ſorde immunis, quantumcumque conciſi ſint dies eius, quantumcumque parum temporis in vita egerit. quare tranſtulerunt: *Etſi vna dies vita eius ſuper terram*. quod id eſt quod à patribus dicitur: *Nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram*. Hebraicarum partium breuitas, diuerſaque diſtinctio, interpretationum diuerſitatem peperit: id quod latiùs idcircò perſecuti ſumus, vt mirum non videatur, ſi Chaldaica Paraphraſi, minùs apertè quàm vel Græca vel Latina verſione, originis peccatum ſignificetur. Porrò agnoſcant Iudæi originis peccatum, necne, ex ſexto Petri Galatini de arcanis Catholicæ veritatis libro intelligi poteſt.

לא אחד

אם חרוצים ימיו

Ezech. 16. v. 4.

Decimi ſexti capitis prophetiæ Ezechielis verſus quartus, literali ſenſu de Ieruſalem intelligendus eſt; quam ait in die ortus ſui non curatam puerorum recèns natorum more, non præciſam vmbilico, non lotam aqua, non conſperſam ſale, non inuolutam faſciis: ſolent enim hæc ab obſtetricibus in lucem editis puerulis fieri, quemadmodum in proprio commentario egregiè B. Hieronymus explicat. Quod ſi contra Anabaptiſtas, de baptiſmo paruulorum eiuſque eccleſiaſticis ceremoniis, exponere placeat; rectè quidem, ſed allegoricus is erit ſenſus: quem quia non adfert Paraphraſtes, reprehendendus non venit. literalem proſequitur; & benè, diem ortus Ieruſalem, intelligit, poſtquam in Ægyptum deſcenderant patriarchæ: illic enim primùm facta eſt populus.

Hoſeæ 3. v. 2.

Hoſeæ 3. verſu 2. non quia Chaldæa Paraphraſis à noſtra longiùs diſtat editione, idcirco ridicula cenſenda eſt. Noſter Interpres vertit: *Et fodi eam* (mulierem adulteram) *mihi quindecim argenteis*; benè. Cæterùm verti etiam poteſt: *Et mercatus ſum* vel *comparaui eam mihi, in quindecimo, argento*. ואכרהלי בחמשה עשר כסף *vaechrehalli bahamiſa haſar caſeph*, vnde Chaldaica Paraphraſis: *& redemi eos* (ex Ægypto) *per verbum meum, die quindecima menſis Niſan, & dedi argentum in pondere pro precio redemtionis animarum eorum*.

Hoſeæ 6. v. 2.

Capitis ſexti ſecundo verſu, cùm verba ſint, non vnius, ſed plurium ad Deum conuerſorum, qui conſolentur ſe mutuò reſurrectionis æternæque vitæ ſpe *viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius*) nihil mirum ſi non intellexit Paraphraſtes, qui reuelatæ gratiæ tempus anteceſſit (Ionathan enim eſt, qui minores Prophetas, vt maiores, Paraphraſi donauit) ad Chriſti reſurrectionem pertinere. Porrò, quòd die tertia, reſurgente Domino, ſalus vniuerſorum promiſſa eſt; efficax reſurrectionis cauſa certaque ſpes data eſt, quam reipſa non conſequemur, niſi in nouiſſimo mundi die. Quare illud tempus explicat Paraphraſis, quo conſequemur promiſſam vitam, quamuis non illud quo pignus datum eſt, diem

diem tertium resurgentis Christi: *Vita donabit nos in diebus consolationis qui venturi sunt: in die resurrectionis mortuorum suscitabit nos & viuemus coram eo.*

Capitis 11. versu 1. quòd singularem numerum cum Interpretibus LXXII. commutauerit plurali, *ex Aegypto vocaui filium meum*, explicuerit *ex Aegypto vocaui eos filios*, nihil peccatum est. De Israëlitis enim ex Ægypto per Mosen & Aaron euocatis atque eductis, primò intelligendum esse Prophetæ locum, tum antecedentia & consequentia testantur, tum docent non tantùm Iudaici, verùm etiam Christiani plerique omnes & Catholici expositores. D. Hieronymus disertissime de Israelitis primò iuxta literam, deinde de hæreticis secundùm tropologiam interpretatur. Quomodo autem in Christo eum impletum dicat Euangelista Matthæus, idem ipse inter veteres, alij inter recentiores elucidant.

Hos. 11. v. 1. Hier in Hos. Matth. 2. v. 15.

Capitis 13. versu 14. non illud: *Ero mors tua ô mors*, reddidit: *Ab exterminio erui eos*; sed id quod præcedit: *De morte redimam eos*. Porrò Hebraicam vocem דבריך, deduxit cum Aquila & quinta editione à דבר *dabar, verbum*; quam Latinus Interpres cum aliis à דבר *deber, mors* siue *pestis*: ideò exposuit: *Nunc erit verbum meum contra eos in necem*, quod alij vertunt: *Ero mors* siue *pestis tua ô mors*.

Hos. 13. v. 14.

Quod Amos secundo capite, sexto versu, Israëli, hoc est, decem tribubus, improperatur, vendidisse eum pro argento iustum: possit quidem ei, qui κατ' ἀντονομασίαν iustus vocatur, Christo Domino accommodari; sed proprio sensu, singularem numerum pro plurali, quem Paraphrastes expressit, accipiendum esse, manifestum est. Similiter enim sequitur: *Et pauperem pro calceamentis*: & à Iudæis potiùs quàm ab Israëlitis, quos diserte hîc à se mutuò Propheta distinguit, venditum emtumque esse vilis argenti pretio Seruatorem, clarum est. Certe D. Hieronymus, & in literali, & in allegorico loci sensu, iustum absque antonomasia intellexit.

Amos 2. v. 6.

Capitis noni duodecimo versu, quamquam addat Paraphrastes *domus Israel*, non alienat textum ab eo sensu in quem Iacobus Apostolus Actorum 15. capite citat. Citat Iacobus vt gentium vocationem comprobet, locum hunc iuxta LXX. duorum translationem, his verbis: *Post hæc reuertar & readificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius readificabo: & erigam illud, vt requirant cæteri hominum Dominum* (*Dominum*, id, vel LXX., vel Apostolus, explicationis gratiâ addiderunt) *& omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc*. Tabernaculum Dauid, regnum intelligitur (vt Paraphrastes exponit) domus Dauid: quod collapsum, restauraturum erecturumque se promittit Deus in Christo, cui subiugatæ & Iudæorum reliquiæ & Gentium multitudines, requirant acquirantque Dominum, & ab eius nomine Dei populus appellentur. Latina & Chaldaica interpretationes nonnihil à Græca discrepant, sed in eundem recidunt sensum: *In die illa suscitabo* * *tabernaculum Dauid, quod cecidit* (&c.) *vt possideant reliquias Idumææ* (אדום *Edom* cum Hebræis legerunt, quod LXX. אדם *Adam*) *& omnes nationes* *, *eò quòd inuocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus faciens hæc. Possideant reliquias Idumææ & omnes nationes, vt quicquid reliquum fuerit de regno sanguinario atque terreno, in cælestia regna mutetur: & omnes gentes, quæ oblitæ sunt Dominum, conuertantur & reuertantur ad eum*. Qui autem possideant reliquias Idumeæ & omnes nationes, nisi domus Israel, quam exprimit Paraphrastes, hoc est, restitutum Dauidis tabernaculum, Christi regnum familiaque diuini nominis inuocatione benedicta?

Amos 9. v. 12. Act. 15. v. 16. 17. *regnum domus. Chal. *domus Israel. Chal. Hieronymus.

Habakuk 2. versu 4. quod Latinus Interpres trãstulit *Iustus autem in fide sua viuet*, Chaldæus Paraphrastes וצדיקיא על קשטהון יתקימון *vesaddicaia hal kustehon ithcaiemoun: Iusti autem in* (vel *ex*) *veritate sua permanebunt*, vel *viuent*. *viuent* ex Chaldæo verti potest vt *permanebunt*, fortassis etiam *fide* vt *veritate*. Hebraica vox אמונה *Emouna*, & fidem & veritatem denotat. Cæterùm quid aliud est, *in veritate sua viuent* siue *permanebunt*, quàm *in fide sua? in veritate sua*, vtique quam credendo susceperint. Quare immeritum accusatis Paraphrasten quòd eneruet epistolarum ad Romanos & Galatas præcipuum argumentum, & directè contra Apostolos, legem legisque fiduciam sub Messia commendet, qui ætate Apostolis prior fuit. De eo porrò qui Canticum Canticorum תרגם *tirgem*, seu Chaldaicè interpretatus est, suis locis satis est dictum.

Habak. 2. v. 4.

Sophoniæ tertio capite, octauo versu, quod clarissimum esse testimonium dicitis, quo contra Iudæos conuincatur Dei ipsius mors & resurrectio; nobis certè non videtur. Intelligendum enim esse locum de secundo Christi aduentu, quo surget ad iudicandum Deus, ex iis quæ sequuntur proximè, manifestum euadit. *Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum: quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra*. Resurrectio igitur domini, siue surrectio (Hebraicè est קום *koum*) intelligenda

Sophoniæ c. 3. v. 8. Iob. 31. v. 14.

est

est ad iudicium. Lyranus intelligit resurrectionem mortuorum, quæ fiet domini virtute. B. Hieronymus sub finem, addit, locum, & de primo Christi aduentu * exponi posse; id quod sequutus Ordinariæ glossæ author, resurrectionem Domini eam interpretatus est, qua post vitia atque peccata Deus resurgit in nobis*. quæ & ipsa sunt Hieronymi verba. Quocirca nihil minus, quam subuertere hic nisus est, Christianam de Christi Dei morte ac resurrectione fidem, antiquus serpens, per Paraphrasim, quæ Christianorum explicationibus conformiter habet: *Quapropter sperate in verbo meo, dicit Dominus, in die reuelari* (apparere) *me ad iudicandum*: quia *iudicium meum*, &c. nam quod Hieronymus vertit, *in futurum*, εἰς ἔτι, Chaldæus *ad iudicandum*, LXX. *in testimonium*, alij *ad prædam*. Additis *verbum Domini* non accipi à Paraphraste pro altera a Patre persona, sed pro Domini sermone, idque ex infinitis patere, quibus sic vtatur, locis; nimirum aduersus id quod nuper ex Isaiæ 45. & Hoseæ primo capite, voluimus ostendere Messiam, Dei verbum, hominumque Seruatorem, à Paraphraste doceri. Atqui contrà, nos clarum esse existimamus iis qui in Targumin sunt versati, infinitis locis, non esse *verbum Dei*, quod aiunt Paraphrastæ, sermonem Dei accipiendum; sed potiùs secundam in Diuinitate personam. Vnum atque alterum adhuc proferam locum: alia ex tertio Galatini libro passimque ex Paraphrasibus petenda relinquam. Psalmi 109. versum 1. reddidit Chaldæus, quod suprà recitauimus, *Dixit Dominus verbo suo: Sede ad dextram meam.* Isaiæ 48. capite, 13. versu, quod est Hebraice. *Etiam manus mea fundauit terram*, traduxit, *etiam per verbum meum fundaui terram*. Quadragesimo primo capite, quod legitur, 10. versu, *Ne timeas, quia tecum ego*, transtulit: *Ne timeas quia in auxilium tuum verbum meum*. Atque hac loquendi forma vtitur, non solus Ionathan, sed & posteriores omnes Chaldæi Paraphrastæ, illum forsitan imitati, maximè vbicunque Hebraicum memorant *Iehouam*, hoc est, Dominum Deum, esse cum mortalibus, aut eorum rebus interesse: *vt credibile sit*, ait Andreas Masius, *vel imprudentes prodidisse sacrosanctum diuini verbi, ab æterno in Patris sinu geniti, mysterium. Quotiens enim Deus præsentiam suam declarauisse Patribus, vel mortalium rebus interuenisse, seq; his exhibuisse memoratur, id per Christum, qui Dei Patris expressa imago est, & qui destinatus mediator inter Deum Patrem & homines semper fuit, esse factum, Theologi plerique omnes censent.* Nos breuitati studemus: legatur Andreæ Masij in caput Iosuæ primum, commentarius, in versum primum, cum nostro in primum Iohannis.

*Sic Theodoritus.

*Sic Haymo.

Verbum Domini apud Chaldæum.

Cap. 3. 4. 5. 6. Psal. 109. v. 1. Isa. 48. v. 13. Isa. 41. v. 10.

Tertijdecimi capitis Zachariæ prophetæ versum primum, idcircò arbitror à vobis scriptum, vnice Apostolis pro gratiâ contra legem certantibus seruire, quòd eos qui sub lege sunt, domum Dauid & habitatores Ierusalem, peccato subiacere, purgationeque indigere doceat: *In die illa erit fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ*; siue *peccati & menstrui*. Atqui & Paraphrasis id docet. *& dimittam*, habet, *peccata eorum* (mundabo à peccatis animas) *sicut mundantur* (sicut mundari solent iuxta præscriptum legis, corpore) *aqua aspersionis & cinere vaccæ pro peccato oblatæ*. Priorem verò partem, non refert ad virtutem legis contra gratiam distinctæ: sed interpretatur, noui testamenti tempore, liquidam manifestamque fore doctrinam legis, quæ in veteri Testamento inuolucris tecta & velaminibus operta erat. Neque enim alia est Euangelij quàm legis doctrina: quin immo Euangelium, legis explicatio definiri possit: *In tempore illo*, ait, *erit doctrina legis patens sicut scaturigo aquarum, domui Dauid & habitatoribus Ierusalem*, scilicet, per Christi & Apostolorum prædicationem.

Zach. cap. 13. v. 1.

Malachiæ primo capite, vndecimo versu, quid meretur Paraphrastes corruptoris nomen, quòd de incruento Missæ sacrificio locum non sit interpretatus, qui eo vixit tempore, quo, ter maximum hoc sacrificium, quamquam promissum, ignotum fuit (sunt enim, quæ prædicta sunt, donec impleta fuerint, obscura) nec ea quâ nos donatus est beatitudine, vt fulgore illius, suauitateque ac vbertate frueretur? Hunc in modum, Colendissime Domine, visum nobis fuit, ad ea loca, quæ tuo iudicio in Chaldaica Paraphrasi displicuerunt, responderi posse, non contentionis fouendæ, sed veritatis tuendæ studio. Mirari autem libet, vnde ista Chaldaicæ Paraphraseos à te impugnatio orta sit. Fuit vir quidam alius in regno Hispaniæ, qui loca aliquot ex Regiis his Bibliis, in Latinâ ex Hebræo ad verbum interpretatione, oppugnauit: cæterùm Chaldaicam Paraphrasim, quod quidem intellexerim, non attigit. Supremus autem Inquisitionis Senatus in Hispaniis (perscriptum ad nos est) horum Bibliorum exemplar, magno pretio, aureis LX. emtum, & eleganter compactum, in ipso loco quo conuenire solet, vt sua sententia, præclarum illud & admirandum opus probatum omnibus contestaretur, consecrauit, nihil minùs quàm Chaldaica Paraphrasi offensus, vt iam prætercam vniuersos, qui olim probarunt opus. Quæ autem ad ea quæ vos offenderunt attulimus, in spem adducor, æquo eruditionis vestræ examini subiecta, probari posse. Neque enim id agimus, vt Sacrarum litterarum studiosis Chaldaicam Paraphrasim

Malachias c. 1. v. 11.

phrasim commendemus, in qua voluenda reuoluendaque operam omnem collocent, quamque pro sacro sacræ Scripturæ textu scrutentur rimentúrve, atque è qua contra Iudæos & hæreticos præcipua quærant argumenta; sed dumtaxat, vt suo habeatur loco, vt cùm sacrorum diuinæ Scripturæ textuum intelligentiam sedulus indagator inquirit, subiectam obiter inspiciat videatque, an, quo iuuare possit, nihil adferat: & si quidem, vtatur; sin minus, nihil eâ moueatur, immo verò, si id locus exigit, liberè reiiciat. Quocirca cùm in rei capite nulla inter nos dissensio sit, spes mihi bona est, id quod esse videtur controuersiæ, his componi posse. Deus Optimus Maximus diu te conseruet incolumem. Louanij pridie Idus Martij, Anno 1577.

Quo loco habenda Chaldæa Paraphrasis.

Hanc M. Francisci Lucæ Brugensis, S. Theologiæ Licentiati longè eruditißimi, responsionem doctißimam, nostro iussu scriptam, nos infrascripti S. Theologiæ Doctores & Magistri, legimus & probauimus. Louanij 9. Cal. Augusti. 1577.

Augustinus Hunnæus, S. Theologiæ Doctor & Professor.
Cornelius Reyneri Gaudanus, Doctor & Ordinarius Professor S. Theologiæ in Academia Louaniensi.
Ioannes Molanus Louaniensis, S. Theologiæ Doctor, Apostolicus & Regius librorum Censor.

Apologia hæc pro Chaldaico Paraphraste, docta simul & Catholica, quæque scrupulos plerosque de medio tollit, qui incautum Paraphrasis ipsius lectorem remorari aut etiam offendere possent, digna mihi videtur, quæ euulgetur, typis excusa. 19. *Octob.* 1580.

Ita est: Iacobus Eeckius, Archidiaconus Brugensis, idemque librorum Censor declaratus.

INDEX

INDEX

Locorum S. Scriptvrae & Paraphraseos Chaldaicæ, quæ hoc Tractatu explicantur.

INDEX VERBORUM ET RERUM;

Quæ cùm frequenter occurrant, semel his in EVANGELIA COMMENTARIIS explicantur.

Nego-

FINIS INDICIS.

Series Chartarum.

ABC. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AAa BBb.

Omnes sunt terniones, præter Bb *&* BBb *duerniones,* YY *&* AAa *quaterniones.*
Singulare item folium, quod posterioris Tomi titulum præfert, initio Euangelij secundùm Marcum præmittitur; vt honestiùs in binos Tomos distribui ab iis poßit, quibus maior vnius voluminis moles displicebit.

Erratula

Erratula in Commentario occurrentia.

Pagina. 23. *linea* 20. ferebantur, *lege* ferebatur. *linea* 23. vbique, *lege* vtique. *Pag.* 20 *linea.* 13. ipſe, *lege* ipſi. *Pag.* 50. *l.* 12. aulam, *l.* oulam. *P.* 63. *l.* 31. verſus latinæ editionis ſunt tranſponenda. *P.* 72. *l.* 14. eſſe, *l.* eſſet. *P.* 135. *l.* 29. loquitur, *l.* loquimur *P.* 149. *l.* 48. conſeri, *l.* cenſeri. *P.* 151. *l.* 5. dele Et capilli. etiam capilli. *P.* 156. *l.* 20. cupido, *l.* cupidos. *P.* 171. *l.* 38. in eo, *l.* non in eo. *P.* 195. *l.* 4. πάτω, *l.* τίκτω. *P.* 205. *l.* 30. aliequuti, *l.* aſſecutis. *P.* 206. *l.* 26. contenti, *l.* contemti. *P.* 207. *l.* 52. variis, *l.* varij. *P.* 217. *l.* 29. miniſterio, *l.* in miniſterio. *P.* 127. *l.* 5. populorum, *l.* poculorum. *P.* 228. *l.* 20. cap., *l.* Sap. *P.* 256. *l.* 36. intellexerit, *l.* intellexerint. *P.* 258. *l.* 22. intelligatis, *l.* intelligas. *P.* 264. *l.* 24. didrachmi, *l.* didrachmo. *P.* 273. *l.* 12. poſſet, *l.* poſſit. *P.* 324. *l.* 2. nouerunt, *l.* noluerunt. *P.* 327. *l* 60. ſubſtractus, *l.* ſubſtratus. *P.* 349. *l.* 25. &, *l.* eſt. *Ibidem l.* 61. Atque, *l.* atqui. *P.* 363. *l.* 2. deſcribendus, *l.* adſcribendus. *P.* 336. *l.* 13. atque, *l.* itaque. *P.* 389. *l.* 15. Si, *l.* Hi. *P.* 394 *l.* 21. illis, *l.* illius. *P.* 405. *l.* 24. neglectis, *l.* neglectis cæleſtibus. *P.* 409. *l.* 19. fruſtrandum, *l.* fruſtraneum. *P.* 432. *l.* 33. ipſius, *l.* ipſis. *P.* 435. *l.* 43. manifeſtus, *l.* manifeſtius. *P.* 441. *l.* 12. lib. 27. cap. 24. citato, *l.* lib. 27. mox citato cap. 24. *P.* 453. *l.* 56. moleſta, *l.* modeſta. *P.* 472. *l.* 31. rationem, *l.* orationem. *P.* 491. *l.* 13. humilitatis, *l.* humilitati. *P.* 497. *l.* 58. hic lapſus eſt, *l.* hic lapſus ſcriptus eſt. *P.* 505. *l.* 35. quocumque, *l.* quomodocumque. *P.* 519. *l.* 59. placatus, *l.* placatis. *P.* 551. *l.* 54. comminutionem, *l.* communitionem. *P.* 552. *l.* 52. vertendum, *l.* vertendam. *P.* 565. *l.* 31. vt qui, *l.* qui vt. *P.* 582. *l.* 30. aliique, *l.* aliiſque. *P.* 584. *l.* 4. aliquam, *l.* aliquando. *P.* 633. *l.* 6. & 15. v. 31, *l.* & 15. v. 31. mutum. *Ibidem l.* 29. vtrumque, *l.* vtrimque. *P.* 638. *l.* 4. minus aliquid, *l.* minus aliquid hîc ſignificat. *P.* 703. *l.* 17. ſup., *l.* Matth. *Ibidem l.* 24. ſimplex pro compoſito, *l.* compoſitum pro ſimplici. *P.* 714. *l.* 46 quidem, *l.* quidam. *P.* 716. *l.* 46. myſticè, *l.* myſtico. *Ibidem l.* 48. ſolus, *l.* ſolis. *P.* 721. *l.* 37. cuius, *l.* cuiuis. *P.* 750. *l.* 18. reducendos, *l.* adducendos. *P.* 772. *l.* 38. reſerentur, *l.* reſecentur. *P.* 781. *l.* 23. tandem, *l.* tamen. *P.* 788. *l.* 5. parum gloria ſolida, *l.* parum ſolida gloria. *P.* 792. *l.* 50. proſtrati, *l.* proſtratæ. *P.* 801. *l.* 24. tenebroſum, *l.* tenebroſam. *P.* 825. *l.* 29. afferebant, *l.* offerebant. *P.* 828. *l.* 14. ante, *l.* autem. *P.* 833. *l.* 3. vt, *l.* aut. *P.* 843. *l.* 24. κτύσωσι. *l.* κτύπωσι. *P.* 874. *l.* 18. furore, *l.* furor. *P.* 887. *l.* 33. vt, *l.* &. *P.* 908. *l.* 33. ſed, *l.* ſeu. *P.* 910. *l.* 5. oratione, *l.* ratione. *P.* 915. *l.* 5. vt illa, *l.* vt ille. *P.* 934. *l.* 58. enim, *l.* eum. *P.* 941. *l.* 32. conniuente, *l.* conuiuente. *P* 962. *l.* 7. illic, *l.* illuc. *P.* 976. *l.* 18. ex analepſi, *l.* epanalepſi. *Ibidem l.* 39. valebant, *l.* volebant. *P.* 987. *lin. vltima.* ſuperius, *l.* ſupernis. *P.* 990. *l.* 3. & 5 gabag, *l.* gabah. *P.* 998. *l.* 46: habitandam, *l.* habitandum. *P.* 1003. *l.* 33. latroni, *l.* latronum.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM.

M. DC. VI.


LABORE ET CONSTANTIA

1.